# CURSUS PHILOSOPHICI

REGALIS COLLEGII SALMANTICENSIS

SOCIETATIS JESU,

IN TRES PARTES DIVISI,

# PRIMA PARS.

CONTINENS LOGICAM, SEU PHILOSOPHIAM RATIONALEM.

*AUTHORE R. P. LUDOVICO DE LOSSADA eiusd. Societ., & in eodem Regali Collegio Theologiæ Professore, & Sacræ Scripturæ Interprete.*

*Salmant.* Ex Typ. *Francisci Garcia ab Honorato & San Miguèl.* An. 1724.

VENERABILI P. FRANCISCO SUAREZ Societ. Jesu, olim Abulæ, Segoviæ, Pintiæ, Romæ, Compluti, Salmanticæ Theologiæ Magistro celeberrimo, dein Eboræ Doctoris laurea insignito, & in Regia Universitate Conimbricensi, sæpiùs instante Rege Catholico, & Academia tota enixè flagitante, primariæ Cathedræ diù Moderatori, ac tandem Emerito, sex, aut octo supra viginti magnorum, atque doctissimorum Voluminum Scriptori, ab Apostolica Sede, dum viveret, Doctoris EXIMII, PII, ac Divina gratia EMINENTIS in Ecclesia Dei, appellatione decorato, heroicis virtutibus, & omnimoda sanctimonia vitæ clarissimo, & nunc, quantum humana fides assequitur, in Cœlis glorioſissimè regnanti.

NULLA me vacillantis animi cunctatio tenuit, Eximie Doctor, ac mille nominibus venerande Pater, quominùs Regalis Collegij Salmanticensis Cursum Philosophicum tuis sub auspicijs in lucem ederem, atque adeò caverem, necubi forsitan sub luce maligna legeretur. Siquidem *Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur*, vt effatur Oraculum Divinæ Sapientiæ, non aliam oportet esse tenuium fortem rivulorum, quàm vt Cursum sterili & inamæno Eccles. 1.

solo peractum, ad suum irerùm fontem revertentes, glorioso fine coronent, contractumque peregrini saporis vitium in ipsa eluant nativæ origine puritatis. Quidquid est in hoc Opere, siquid est, quod publica lux aut invideat tenebris, aut non invita susciptat irradiandum, tuum est, ò Doctor numeris omnibus Eximius, vtpotè de copiosissimo tuæ sapientiæ fonte, verius dicam, Oceano derivatum; cum nihil habuerim antiquius, quàm celestes Suarianæ sapientiæ latices, quaquà possem, deducere meos in hortulos, & inde quantùmlibet infœcundo solo beatissimam asciscere vberratem. *Cœlestes*, inquam, latices: neque enim aliter existimare patitur aut mens omnium, qui te mortalem noverunt, quivè tua deinceps immortalia Scripta pervolutant; aut miraculum luce clarius, quo de tenebris ac nocte quadam Ingenij, nullo ferè crepusculo, repentè Sol fulgentissimus evasisti; aut ipse per se sapientiæ tuæ character, qui sibi veluti proprium asseruit, quidquid in dotes divisum eximias, Doctores alios efficit celeberrimos. Hæc ferè perpetua conditionis humanæ lex est, vt nemo Sapiens primas ferat in omnibus, & aliquid in se doctissimus quisque desideret, quod invideat, quod miretur in alio; sive illud sit beatioris naturæ donum, sive clarior ex gemmeo Scientiarum cumulo margarita. Sed ea te communi lege solutum, Doctor Venerabilis, satis superque probant, quæ simul in te conveniunt præstantissima sive naturæ, sive Gratiæ munera. Quis enim ingenio sublimior, iudicio maturior, penetratione profundior, eruditione paratior, differendi copia & claritate felicior? Te vnum omnes Scientiarum vniones certatim exornant, tamque novo ac mirabili nexu fœderantur, vt illæsa quisque partilitate vel vnicus, vel maximus appareat. Sic summus es Theologus, vt te sacræ Theologiæ Patrem admiratio Theologorum appellitet: sic in Philosophia supereminens, vt te communem Magistrum subsellia salutent Philosophorum: sic in Jure Canonico regnas, vt ex te sæpiùs Astrææ sacrationis arcana didicisse glorientur peritissimi Canonistæ: sic in Jure Civili versaris, vt nemo te peregrinum, omnes domesticum agnoscant, & aureas Jurisprudentiæ claves tibi planè concreditas fateantur: sic cæteris ingenuo dignis Ingenio Facultatibus, quoties se præbet occasio, facilè ac sapienter veteris, vt omnes velut in obsequium

quium paratas pro arbitrio moveas, quò libuerit: sic demùm, quantum humana conditio patitur, extitisti omniscius, vt ficti mortalium plenissima vnquam obtigit Encyclopedia, tibi cœlitùs absolutissimam obvenisse, syncerus nemo, qui te legerit ac perspexerit, ambigat. Optimo sanè iure Summus Pontifex, datis quater Litteris Apostolicis honore ac benevolentia plenis, cùm alias in te laudes contulit exquisitas, tùm erudito in sæculo, doctissimisque viris abundante, Doctorem te nuncupavit EXIMIUM: quo quidem elogio summatim expressit oculatissimum Ecclesiæ Caput, quantum inter cæteros, etiam magnorum habita ratione Sapientum, proceritate mentis emineres; quàmque nihil ostenderes vulgare, nihil non excellens, egregium, singulare, præstans, incomparabile, gigantæum. Hæc, & alia sublimioris energiæ perquàm vividè continet appellatio DOCTORIS EXIMII: quam idcircò D. Thomæ dignam Ægidius Romanus, Magno Augustino Cassiodorus, imò totius Doctore Mundi Apostolo Paulo Chrysostomus arbitratus est. Illam tibi postmodùm communi suffragio stabilem asseruit Respublica Litteraria, libentissimè suscipiens, ac proprio comprobans obtutu Pontificium Oraculum, cuius, vt cum Vate loquar, *Pondus adest verbis, & vocem fata sequuntur.* Nec semel Christi Vicarius attestatus est tuam in Orbe Catholico celsitatem. Nam alibi, cum tua per Nuntium Apostolicum accepisset Scripta, *Quæ*, inquit, *vt tuæ multæ pietati, & doctrinæ consentanea sunt, fuerunt nobis maximè grata: quam obrem operam tuam, vt debemus, laudamus; teque in Domino hortamur, vt Dei honori, & Ecclesiæ suæ, in qua tantùm Divina gratia EMINES, libertati inservire pergas. Novimus enim, quantum tua authoritas ad extirpanda zizania valeat.* Quibus in verbis observare iuvat, quanto vixeris fulgore notabilis in Ecclesia Dei; siquidem pro Cardinalitia purpura, quam non semel oblatam constantissimè recusasti, Divina tibi gratia, teste supremo Judice veritatis, pretiosiorem contulit EMINENTIAM.

Paulus V. in Brevi ad P. Suar. 2. Octob. an. 1607.

Idem in alio Brevi ad P. Suar. 25. August. an. 1617.

Sed nihil magis probat sapientiam tuam Cœlo amicam, aut è Cœlo delapsam, quàm arctissima ipsius cum omni virtutum genere societas, sive *tuæ multæ pietatis* cum *doctrina* coniunctio, cuius merito, cùm te Pontifex appellavit *Eximium*,

addidit & *Pium*. Hinc te maximè præbes admirandum, quòd non sanctitate minùs, quam sapientia effulseris Eximius: quòd Libros tot, tantosque subtilissima plenos speculatione perfeceris, vt nihil, nisi Scholam, dies noctesque cogitare potuisse videaris; & simul tot, tantisque Religiosi hominis virtutibus emicueris, vt per momenta singula nihil, nisi Evangelicæ perfectionis studium, volvisse te animo credi possit: quòd ingenij volatu, & perspicacitate totus appareas Aquila; quòdque simul Divini amoris incendio totus videare Phœnix. Sed nimirùm assidua contemplatione radios ebibebas Divini Solis, qui se Lucem, & Ignem appellari voluit, Sapientia simul & Charitas. Observatus aliquando fuisti tuum intra musæum, cùm inter orandum, corpore duos circiter cubitos è terra sublimis, ac velut Solari iubare circumfusus, vibratos ab imagine Crucifixi radios toto vultu & pectore susciperes. Ita profectò Christus Dominus oculis, si nō auribus, visus est dicere, *Luculenter scripsisti de me, Suari*: vt hoc etiam eventu mirabili, quemadmodùm in reliquis vitæ tuæ periodis & actis (quod ab alijs diligenter notatum invenio), ad similitudinem Doctoris Angelici propior accederes. Illud certè radiorum commercium, quo capiti pectus consentiebat, palàm esse fecit, emissam divinitùs ignitæ luminis copiam ad affectum pariter & Intellectum pertinuisse tuum. Hinc illa Charitatis flamma, qua totis viscerib us æstuabas, *Lucerna* simul *ardens*, *& lucens*. Hinc Religionis Catholicæ flagrantissimus amor, quo tum Opera reliqua, tum præcipuè Defensionem Fidei adversùs errores Anglicanæ Sectæ, humani vires ingenij longè supervolans, edidisti: illud, inquam, admirandum Opus, quo & Summi Pontificis approbationem promeruisti paternis Litteris expressam, & Catholicorum plausum, pariterque furorem hæreticorum vndique frementium, concitasti. Hinc ardor ille martyrij pro Fide orthodoxa perferendi, qui & aliàs crebrò, & tum vehementer erupit, cùm ad nuntium Libri tui ab hæreticis in publico Londinensi foro combusti, rogum, & infamiam invidens honorificam, teneros inter gemitus Ovidianum illud occinuisti: *Sine me Liber ibis in ignem? Hei mihi! quòd domino non licet ire tuo!* Hinc & Ecclesiasticæ potestatis tuendæ zelus, quo primùm in dissidijs Venetis, Apostolica Sede suadente, approban-

Joan. 5.

bante, gratulante, fortiùs, & eruditiùs omnibus ſcripſiſti: ac deinde in turbis Ulyſſipponenſibus, grates iterùm & plauſus ingeminante Vaticano Culmine, oppreſſam, vel obſcuratam Eccleſiæ cauſam toto ſapientiæ & authoritatis tuæ ſuſtinuiſti robore, vindicaſti lumine; donec eidem vitam glorioſo labore confectam immolaſti.

Et vt cætera taceam ſingularia, creberrimaque virtutum heroicarum exempla, quæ litteris conſignarunt Hiſtoriographi Vitæ tuæ; teſtes duntaxat appello tuorum Lectores ſcriptorum, vt non Ingenij modò, ſed cordis etiam tui temperaturàm cœleſtem exhibeam. Ibi tua perſpicitur tenera ſimul, & ſolida pietas in Salvatorem Mundi; cuius humanum redimentis Genus, & ſacratiſsimo paſcentis corpore, myſteria, non minùs dilecta, quàm intellecta tibi demonſtras. Incenſiſsimus etiam erga Beatiſsimam Virginem Deiparam amor tuus vel characteribus ipſis calorem impertire videtur. Amantem videlicèt dilexiſti: nam myſtica Stella maris te, tuæque ſapientiæ pelagus lumine fortunavit ſuo, maximè poſtquàm Salmanticenſe Licèum à te primùm publico certamine propugnatam vidit auguſtiſsimæ Matris in gratia & meritis excellentiam ſuprà Cœlites omnes, & vel in vnum congeſta cumulum merita cunctorum: quod obſequium ſibi fuiſſe gratiſsimum, V. P. Martino Gutierrez ipſamet Cœlorum Regina revelavit. Tuum quoque in Theologia myſtica magiſterium, præſertim cùm de Oratione differis, tanta inibi cernitur claritate, vt te non magis ex comprehenſione mentis, quàm ex abundantia cordis eloqui, nemo non videat. Perpetua ibidem in Cœlites omnes obſervantia paſsim occurrit legentibus, præcipuè verò in SS. PP. & Eccleſiæ Doctores. Nullum eorum Syderum vſquàm deſeris, nullum non ſibimet ipſi, & cæteris ſtudioſè concilias, aut indefeſſo conatu vindicas in lucem ſanæ doctrinæ. Neque hos modò, ſed Claſsicos omnes Scriptores cuiuslibet nationis, Scholę, profeſsionis, mira proſequeris comitate, vrbanitate, modeſtia. Quoties laudem merentur, liberaliter laudas. Sicubi duriùs loquuntur, benigna excipis interpretatione. Siquando præſtat aliter opinari, aut volentes, aut non invitos dimittis, bona certè cum gratia. Inſignis hæc, & nuſquàm interrupta modeſtia, ſive tua propugnes, ſive aliena con-

convellas, te tenuit Scholarum delicias; dum ex te dulcissimam sapientiæ nectar sumunt, nullum prorsus aculeum sibi timentes. Tanta nimirùm styli suavitas decebat Ingenium principis; quoniam Rex apum spicula vel nescit figere, vel non habet. Sed ex te ipso juvat audire, quodnam tibi præfixeris exemplar. In eo Volumine, quod primum in lucem edidisti, & cuius ad normam exegisti cætera, sic præfaris: *In aliorum opinionibus, vel confirmandis, vel refutandis, D. Thomæ modestiam (quæ summa est) imitari studui. Itaque sic Authores ipsos profero, vt laus sua cuique tribuatur: sic sententias, eorum etiam, quos non probo, expono, vt quantum momenti, atque authoritatis habeat cuiusque sententia, lector facillimè dijudicare possit, citrà cuiusquam vituperationem, atque injuriam.* Præter exemplum, absdubio præ oculis etiam habuisti documentum illud Angelici Magistri: *Oportet amare utrosque, scilicèt eos, quorum opinionem sequimur, & eos, quorum opinionem repudiamus; utrique enim studuerunt ad inquirendam veritatem, & nos in hoc adiuverunt.* Ista porrò disputandi pacatissima ratio, qua sine mutuo vulnere repellis ictus, eo est in te mirabilior, quo plures, & satis quidem aculeatos sustinuit adversarios doctrina tua. Quot enim & quàm acres in eam insurgere censores, aut præsens vidisti, aut absens audisti, legistique? Novitatis vtinamnùm insimulatus es ab ijs, qui te aliunde carpere non audebant: quasi non ea fuerit semper magnorum sors ingeniorum, de novitate doctrinæ traduci: quasi nunquam sit laude dignus Scriptor, *Qui profert de thesauro suo nova, & vetera*: quasi Doctor Angelicus, vt summus evaderet, novum sibi non aperuisset iter ingenio raro prorsùs, & novo. *Erat enim* (inquit gravis, & coætaneus Auctor) *NOVOS in sua lectione movens articulos, NOVUM modum, & clarum determinandi inveniens, & NOVAS reducens in determinationibus rationes: vt nemo, qui ipsum audisset NOVA docere, & NOVIS rationibus dubia definire, dubitaret, quòd eum Deus NOVI luminis radijs illustrasset, qui statum tam certi cœpisset esse indicij, vt non dubitaret NOVAS opiniones docere, & scribere, quas Deus dignatus esset NOVITER inspirare.* Atque in eo mirabilior extitit (vt idem Auctor observat) quod tam modico tempore

In Præfat. tom. 1. in 3. p.

D. Thom. 12. Metaph. lect. 9.

Matth. 13.

Guillelm. de Thoco in vita S. Thomæ cap. 3. n. 15.

Idem Guillel. de Thoco c. 4. nu. 18.

tot

tot potuerit Libros perficere, *& tot NOVITATES scribendo docere.* Hæc tamen vbertas, aut seges fertilissima novitatum, quam etiam ijsdem ferè verbis in Angelico Doctore commendat S. Antoninus, non probro, sed laudi vertitur, nec quidquam detrahit antiquitati doctrinæ. Id quod tu ipse, Venerabilis Doctor, de te simul, ac de nobilissimo exemplari tuo testaris. *In quibus rebus,* inquis, *opinioni locus est, ipsius etiam Angelici Doctoris prudentiam, atque exemplum secutus, eum delectum habui, vt quæ pia, quæ gravia, quæ antiqua sunt, anteponerem ijs, quæ à pietate, gravitate, antiquitate videntur abhorrere.* Nec verò ænigma cuiquam videatur, antiquitatis amica novitas; cum immortale fuerit Columbi decus Europæis ostendere novum Orbem, in se quidem antiquum, sed nova, & eatenùs inaccessa navigatione detectum.

S. Antonin. 3. p. Histor. tit. 23. cap. 7. § 5. & 10.

Suar. cit. Præfat. tom. 1. in 3. P.

Verùm huic, & alijs tuorum criminationibus scriptorum nihil, nisi modestiam, humilitatem, veritatem, verbo, vel scripto rependisti; vtique tamquam *Doctor superioris sphæræ* (hoc te nomine insignivit Summus Pontifex Alexander VII), quò non pertingunt ventorum turbines, aut impetus procellarum. Intereà tuæ contemptor gloriæ, studebas aliorum honori, Veterum præsertim, & eorum, qui Scholæ Principes habentur. Quos inter de Ingeniorum Phœnice Scoto tam præclarè meritus es, vt facilè appareat, quanta tibi fuerit cum Subtilissimo Doctore cognatio; satis alioqui manifesta, sive sapientiam, sive acumen, sive modestiam, sive Deiparæ Virginis amorem, sive alias magnarum virtutes animarum inter se vestras componere quis velit. Sed nemini studiosiùs, & amantiùs adhæsisti, quàm Scholarum præclarissimo Soli, D. Thomæ Aquinati. Magnum hunc Angelum elegisti studiorum tuorum tutelarem; quasi tibi dictum, designato Doctore Angelico, reputares oraculum illud, *Præcedet te Angelus meus. Observa eum, & audi vocem eius.* Nihil fermè doces, quò non vltrò ferat eius auctoritas: nihil ille docet, quò non ipse feraris, honore semper, sententia ferè semper. Quodsi ab eo recedere quandoque deliberas (quod in re momenti, præsertim Theologica, nunquam accidit), summa reverentia, imò vehementi quodam amoris tui renisu avelleris; nec nisi benedicentem pateris abire tantisper: vt videre tunc mihi videar

Apud Defcamps in vit. P. Suar. p. 4. cap. 15.

Exod. 23.

Sua-

Suarij modestiam, cum Thomæ auctoritate quodammodò luctantem, instar tenentis Angelum Jacobi fidenter dicere, *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Jure itaque V. P. Laurentius Aponte è sacra Clericorum Regularium Minorum familia veros inter D. Thomæ discipulos, & interpretes primatum deferre tibi non dubitavit. *Suarez* (inquit ille) *sic piè, sic dilucidè, sic acutè, sic graviter, sic tandem modestè scripsit, vt verè primus ex discipulis, & D. Thomæ interpretibus censeri ab omnibus mereatur: quibus si addas eius sanctissimam, immaculatamque vitam (quam sic omnes scimus, vidimus, & attestamur), prorsùs omni æstimatione dignissimam eius doctrinam facies.* Hoc ego dum memoro, non possum non iucundè meminisse, quod nuper testimonium huiusce laudis hìc Salmanticæ retulisti. Erecta paucis ab hinc annis, atque dotata est ad tuam doctrinam in Salmanticensi Athenæo prælegendam Cathedra perpetua, iubente Rege Catholico Philippo V., sed opera, & impensis Illustrissimi Domini D. Francisci de Perea & Porras, Archiepiscopi Granatensis; qui natus & ipse Granatæ, Doctoris Eximij natale solum non Infulis modò, sed stirpis etiam splendore, necnon ingenio, sapientia, pietate, ac flagrantissimo salutis animarum studio gloriosè nobilitat, & illustrat. Actum est tunc in consessu Doctorum Sacræ Theologiæ Salmanticensium, quonam ex Libro sortiri textum oporteret, quoties Candidati prælectionibus pro Suariana Cathedra de more certarent. Qua de re alijs aliter opinantibus, affuit Dominicanus Magister, vir profundæ, notæque sapientiæ, & in Universitate primariæ Cathedræ Moderator; qui generosè, ac liberaliter effusus in Suarij laudes, multis contendit, sortitionem thematis pro Suarianæ Cathedræ candidatis non aliunde posse congruentiùs fieri, quàm ex ipsis D. Thomæ Libris: Doctorem Eximium addictissimum fuisse D. Thomæ discipulum; nec aliam eius, quàm Angelici Præceptoris esse doctrinam: facilè proinde futurum, vt, cum prælegeretur germanus D. Thomæ sensus, ex eiusdem littera, seu verbis erutus, ipsissima Suarij doctrina Cathedram teneret, sub eius nomine, & auspicijs erectam. Nè tamen quidquam præter morem in alijs singularium Doctorum Cathedris obseruatum fieret, aliter de re proposita iudicatum est; statutumque, vt prælectu-

Genes. 32.

Aponte in Sap. cap. 10. nn. 13. hom. 22. §. 3. n. 19.

lecturis pro textu esset Opusculorum Liber Eximij Doctoris. Illud, inquam, Opus egregium, quod in medio fervore controversiæ de Auxilijs Divinæ gratiæ scriptum, Societatis Jesu causam fortiter, ac feliciter sustinuit; & à Sanctissimo Clemente VIII. accuratè perlectum, magnam ipsi de doctrina nostra opinionem commovit; maximè postquam eventus accessit miraculo similis. Cum enim Clemens, Opuscula Suarij legens nocte concubia, sensim obrepente somno iaceret obrutus, accidit, vt proximæ candelæ flamma Librum invaderet: iamque in lectum audax involabat, cùm excitatus fumo, ac crepitu Pontifex, & cubicularium vocitans, confestim extincto igne, Non bonum, inquit, omen, quòd Suarij Liber nunc, cùm eius doctrina tantopere controvertitur, ignem tam facile concipiat, & flammis se se offerat pabulum. Imò, Pater Sanctissimè, retulit Cubicularius, meliora Superi: nam quod doctrinam attinet, omninò nihil ausa est temerare flamma: plures quidem absumpsit foliorum margines; sed in characteres prorsùs innoxia, nullum deformavit, nullum tetigit. Miratus Clemens, rem proprijs inspexit oculis: atque exinde Librum, cuius integritas in ambustis folijs patebat illustrior, chariorem, & pretiosiorem habuit. Huius igitur contextus Libri præstitutus est ad Suarianam Cathedram aspirantibus. Sed interim valere plurimum debet laudatum Magistri sapientissimi testimonium, vt doctrina Suarij ab ea, quæ verè Thomistica doctrina est, individua credatur, vel indivulsa. Fidem quoque faciat Eximius ipse Doctor; qui, iam exactæ propè finem ætatis, de *Gratia* limatissimum Opus scribens, postquam D. Thomam grandibus extulit encomijs, & ipsi Augustino supparem asseruit, eiusque doctrinæ fidelissimum sectatorem, ac defensorem acerrimum; subiungit: *Quapropter, cum in alijs lucubrationibus nostris, ac Theologicis disputationibus D. Thomam semper, tamquam primarium ducem, & magistrum habuerimus, eiusque doctrinam pro viribus intelligere, defendere, ac sequi conati fuerimus; in præsenti Opere multò maiori studio, & affectu id præstare curabimus: speramusque cum Divino auxilio consecuturos esse, vt à vera eius mente, atque sententia in nulla re gravi, aut alicuius momenti discedamus, non ex nostro capite, sed ex antiquis eius expositoribus, ac secta-*

Suar. Prolegom. 6. de Grat. cap. 6. n. 28.

to-

*toribus, & vbi illi defuerint, ex varijs eiusdem locis inter se collatis eam eliciendo.* Hæc de se testis locupletissimus; & in Opere quidem doctrinam scholasticam continente, quæ Societatis Scholam potissimùm discernit ab alijs. Eum verò de se ipso loquentem nec falli, nec fallere, crediderit facilè, qui & ipsius illuminatæ mentis acumen, & candorem animi, ac vitæ sanctimoniam haud penitùs ignoraverit. Quò magis miremur quorumdam asperam, & imperitam agendi rationem, qui Suarium, & quotquot ex eius magisterio proficiunt, non solùm extrà Scholam D. Thomæ peregrinari iubent, verùm etiam adversarios doctrinæ verè Thomisticæ pronuntiant; neque vllos esse reapse Thomistas putant, nisi quos Thomistarum nomine vulgus novit. Næ isti nimiùm contractis terminis definiunt Scholam D. Thomæ; cuius tamen doctrina non esset tam instar Oceani, nisi diversas nationum oras alluereț, nec vsque eò manifestè imitaretur Oraculorum, nisi varijs interpretationibus locum daret. Sol est Scholastici Mundi Doctor Angelicus, & idcircò nullis se subtrahit aspicientibus, quocumque tandem vocitentur nomine, vel qualibet è regione litteraria spectent. Certè plurimæ sunt in Philosophia, & Theologia controversiæ, quarum pugiles vtrimque se protegunt, quasi parma Pallade, auctoritate D. Thomæ. Vtri parti faveat Angelicus Doctor, non minùs est in ambiguo positum, quàm vtri veritas. Vtrisque igitur, aut neutris licebit esse discipulis tanti Doctoris. Passim vel inter ipsos, qui Thomistæ dicuntur, contrarias opinandi vias arripi, notissimum est. Contrarijs ergo non semel incedere vijs, non erit à via D. Thomæ, nec ab eius disciplina recedere. Ast cur novas aperire vias intra Scholam amplissimam D. Thomæ fas erit Thomistis potiùs, etiam extra clarissimum Prædicatorum Ordinem merentibus, quàm Suario, vel alijs? Numquid physicam ad actus liberos Præmotionem amplecti (quam tamen doctrinæ Præceptoris Angelici prolem esse, præter Societatis Auctores, quamplurimi constanter inficiantur) fat illis erit, vt eo statim ipso donum interpretandi D. Thomam præ cæteris accipiant? Mirum, si hoc ferat ratio, si æquitas. Decuerint centum per annos opinionem aliquam Jesuitæ Scriptores facilè centeni, conformemque menti S. Thomæ prorsùs esse contenderint. Frustrà est. Non-

dùm

dùm ea doctrina censetur *probabilis in via D. Thomæ*. Exteri sunt omnes isti: nihil illis cum Schola Præceptoris Angelici. Sed prodeat Scriptor aliquis ex ijs, qui sibi Thomistarum nomen attribuunt, & illam ipsam opinionem suffragio dignetur suo. Nova repentè panditur *via D. Thomæ*; per quam eadem opinio deinceps honorata procedat, auctaque iure Civitatis intrà Scholam S. Doctoris. Exemplum ex Logica producam. Naturam Angelicam, tametsi numericæ multitudinis haud capacem, nihilominùs Speciem esse prædicabilem, non multis abhinc annis sententia fuit authoritatis in Schola D. Thomæ tam solidæ, vt eam graves Thomistæ pronuntiarent *esse omnium discipulorum D. Thomæ, nec censendum esse Thomistam, qui oppositum senserit*. Sed iam modò, postquam nobiles è Thomistarum censu Recentiores cœperunt sentire cum Exteris, & opinioni neganti suffragari, protinùs exulare desijt opinio ista; perque viam D. Thomæ fidenter incedens, documentis ejus evasit apprimè consona. Quonam ergo fato Societatis Doctoribus accidit, vt soli cæcutiant in legendis D. Thomæ scriptis? Multi sunt, ingenioſi sunt, docti sunt, pij, synceri, veritatis amantes, errorum osores (quod nisi per summam iniuriam inficias iverit nemo): profitentur præterea, in omnibus fere punctis momentosis, se D. Thomæ sensum investigare, tenere, complecti; & nihil sibi magis in votis, quàm eius esse reipsa discipulos. Quid est cur probabiliter saltem D. Thomæ sensum attingere non putantur? Sint sanè, si placet, exteri Scholæ Thomisticæ, quam promovent Magistri quidam, oppidò nobiles, sapientes, graves, quamvis non admodùm antiqui, nec omniscij. Cæterùm in Schola D. Thomæ non alia reperiri posse gymnasia, & nihilò fortasse minùs Angelico Præceptori grata, quorum exedræ Jesuitas Doctores tanquam domesticos excipiant; id verò est, quod bona, constantique fide negamus, negabimusque vsque ad consummationem sæculi. Hæc ita dixerim, Eximie Doctor, nõ vt solatio sint tibi, qui beatitate Cœlesti, siqua fides humanis indicijs, cumulatissimè donatus, nullo iam potes obloquentiũ murmure cõmoveri; sed vt indulgeam dolori meo, qui te alienum à doctrina Præceptoris Angelici vulgo existimari, non nisi pergraviter ferre valet. S. Thomam impensissimè colo, diligoque; & meas hasce lucubrationes

Apud Carmelit. Complut. disp. 6. Log. q. 4. n. 39.

nes tibi dum offero, illi pariter consecrare me credo: neque enim gratiùs ad tanti quasi Scientiarum Numinis conspectum accedere possent, quàm per manus tanti discipuli. Atque etiam idcircò, dum totus adhæreo tibi, quin illius quoque vestigijs totus insistam, nullus dubito. Sequor videlicet sequentem.

Hactenùs magna tetigi sapientiæ tuæ cœlestis, ac Divinitus affusi luminis argumenta. Sed alia suppetunt, si fieri potest, mirabiliora: vt, quòd Biblia sacra non modò verbatim memoria teneres, sed ea quoque reconditi sensus comprehensione, vt nulla te de Scriptura Divina quæstio vel imparatum, vel hæsitantem inveniret. Huiusce miraculi, testes inter alios, fidem fecit inconcussæ vir auctoritatis, qui & ipse doctissimus Divinorum Voluminum interpres, cum te de locis vtriusque Testamenti difficillimis sæpè consuleret, numquam sine stupore discedebat; affirmabatque passim, Suarium videri sibi maiorem in Scripturæ sacræ intelligentia, quàm in scholastica Theologia, quamquam in hac summus haberetur. Eòdem pertinet ingens illud mentis capacissimæ prodigium, quo SS. Patrum, & aliorum scripta Doctorum, tibi, cùm velles, quasi oculis intuenti fideliter aderant, præsertim verò Magni Augustini, quamvis tam multa, profunda, varia; quod tu ipse coactus es aliquando fateri. Cum enim in publica disputatione quidam tibi textum objiceret tamquam ex Augustino decerptum, & fictitiam repellenti citationem fortiùs & audentiùs insultaret; raptus amore veritatis, præsentissima tibi esse dixisti S. Augustini Scripta omnia, teque certò scire, quæ tunc objiciebantur verba, nusquàm in eius Libris extare. Hoc, quasi arroganter, aut inconsultè dictum, doluisti quidem postmodùm præ modestia; sed revocare quasi falsò prolatum non es ausus. Nec fuit, qui non crederet ex ijs, qui te propiùs noverant; vt qui passim videre poterant, te sine scripto, sine Libro, quem interim volveres, & conscribendas ex Cathedra lectiones publicè tradere discipulis, & privatim amanuensibus, qui sæpè (mirum dictu!) tres, quatuorve simul, ac de materijs valdè inter se diversis, atque reconditis, excipiebant, edenda in publicam lucem Opera dictare: vt posset eorum quisque de Suario dicere, quod olim de Jeremia dictante Baruch amanuensis asserebat, *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos: & ego scri-*

Jerem. 36. 18.

*be-*

*bebam in volumine attramento.* Miraculum auget, quod ea ratione dictare posses tam docte, tam subtiliter, tanto ordine, tanta perspicuitate, tanta consequentia, tanta fidelitate in designandis innumerabilium Auctorum locis. Sed mirabilius adhuc, quod tunc simul vtereris mataritate iudicij tam celeri, tamque prompta differendi felicitate, vt nihil non accuratissimè dictares, atque in semel dictatis ne verbulum quidem reformare tibi deinceps opus esset. Infinitus sim, si quidquid in te suprà humanum eluxit, velim dicendo persequi. Pleraque brevi quadam energia significarunt Viri sapientia clari, dignitate insignes, fama celebres: quorum ore passim acclamaris *Theologiæ prodigium, Vir vsque ad miraculum doctus, Litterarum princeps, Huius ætatis communis Magister, Doctor celeberrimus, rediguissimus, Sapientissimus, eminentissimus, Vnus pro mille, Theologiæ pater hisce temporibus, Hispaniæ decus immortale, Societatis Jesu gloria, corona, iubar excellens, Ecclesiæ Sol splendidus, Magister non solùm in Theologia Scholastica doctissimis, sed etiam in Theologia mystica spiritualissimis, Sapientia incomparabilis, sed sanctitate atque heroicis virtutibus excellentior*, denique *nostræ ætatis Augustinus, ac Thomas alter.* His ego te nominibus amore prosequi, ac toto pectore venerari, & colere, quantum fas est hominem nondum Sanctorum fastis adscriptum, iamdudùm statui: vnde & te meorum ducem studiorum, & Mecœnatem optimum iam olim propenso animo mihi designavi. Hoc itaque Philosophicum Opus, quod auspice Obedientia digessi, atque in lucem emitto, nomini tuo dicatum, vt quadam tibi iuris necessitate debitum, omninò volui. Dignanter vt accipias, opto, precorque suppliciter, studij, amoris, ac venerationis pignus æternum.

Vide pro his & alijs P. Anton. Descamps in vit. P. Suar. p. 6 à cap. 1. ad 7.

Amantissimus, & observantissimus tui
IHS
*Ludovicus de Lossada.*

Pro-

## Protestatio Auctoris.

*Decretis Sanctissimi Urbani VIII. libenter obtemperans, palàm testor, in omnibus, sive laudibus, & elogijs, sive signis, testimonijsque sanctitatis, tam ad P. Franciscum Suarez, quàm ad alios, nondùm in Beatorum numerum ab Ecclesia relatos, pertinentibus, quæ in hocce Alloquio nuncupatorio continentur, nolle me Sedis Apostolicæ vllo modo prævenire iudicium, nec fidei merè humanæ limites egredi. Totum verò præsens Opus, & omnia mea correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ profundè submitto.*

CEN-

# CENSURA ILLUSTRISSIMI DOMINI D. Joannis Antonij de Lardizabal & Elorza, olim in Maiori Sancti Bartholomæi Collegio Togati, in Salmanticenſi Eccleſia Canonici Magiſtralis, & in alma eiuſdem Urbis Academia Scoti Cathedræ Moderatoris, nunc meritiſsimi Antiſtitis Angelopolitani.

MUnere mihi ab Illuſtriſsimo D. D. Silveſtro Garcia Eſcalona, Salmantinæ Eccleſiæ Præſule digniſsimo, Regioque Conſiliario, iniuncto functurus, ſedulò animum, operamque intendi in Librum, cui titulus eſt, *Curſus Philoſophicus Regalis Collegij Salmanticenſis Societatis Jeſu in tres partes diviſus*, à Rmo. P. Ludovico Loſſada eiuſdem Societatis, & in eodem Regali Collegio Sacræ Scripturæ Interprete compoſitum. Sed verò, dum Cenſoris perſonam induere iubeor, Encomiaſten agere libenter cogor; & velut otioſam inde cenſoriam virgam abijcere, vt in plauſum, inconditæ licèt panegyris, palmas expediam. Quid enim me dèceret Societatis Jeſu diſcipulum (quod ſemper grato animo profitebor), niſi eiuſdem Societatis Magiſtrum plauſibus excipere? Ut frontem operis inſpexi, illicò vehemens quædam vis (innatam dicerem, ni eò vſquè animus tot meritis illectus eam intendiſſet) ſuffragium hilari violentiâ extorſit: vt iam inde non in rigidam cenſuram, ſed in gratum encomium componerem iudicium, hac ob oculos mentis continuò oberrante ſententiâ: *Societatis Jeſu Scriptor eſt, bonum opus eſt.* Porrò Titulus iſte vſque adeo opus hoc Philoſophicum mihi probat, vt ſuperfluum prorsùs quodcumque examen exiſtimem, accurati ſtudij, atque exactiſsimæ curæ, qua huiuſce Societatis viri opus in lucem edendum explorant, non ignarus. Ipſe etiam privatus Author ſingulariſsimè opus mihi commendat, quippe cuius in ſcribendo iudicium, ac ſolertiam iam olim (proh quàm libenter!) expertus ſum, dum dilectiſsimi, ſemperque venerandi Magiſtri mei, V., inquam, P. Hieronymi Dutari vitam eleganti penicillo adumbrans, in ipſa perfectionis viam tam ſubtili, rectoque exaravit ſtylo. Verùm ne amoris ſtudio nimiùm indulgere videar, Lectores quoſcumque Cenſores advoco. Operis aſſumptum æſtiment, conſilium pendant, in ſcopum colliment, artificium diſcutiant, cuncta probatiſsima mirabuntur. Sanè aſſumptum eius indolis eſt, vt quamquam toties repertum, nihil minus laudis huius genij Authoribus pariat:

quin immò, dum, quia iam veluti effœtum, arescere debère videbatur sterile hoc Palladis arvum, nullo succo, nulla amœnitate lætum; eò feracius, ingeniorum sudoribus irriguum, palmas, lauros que germinat, quibus sudantem eorum laborem detergat. Consilium illud ipsum est, quod vbique Societatis curam, operam, studium solicitat; planiorem videlicet reddere arduum Scientiarum clivum, hoc earum solidiùs iacto fundamento; liberiorem aditum facere ad recondita penetralia Sapientiæ, hac patentiùs reseratâ ianuâ: vt sic scopum illum attingat, tot artibus, tot laboribus quæsitum, Adolescentum nempè, præsertim studiosorum, excultam institutionem. Nec artificium locum obtinet inferiorem in opere omnibus numeris absoluto: methodus acommoda, & ritè digesta; Stylus scitè comptus, sine acrimonia argutus, sine prolixitate clarus, sine obscuritate concisus; momenta rationum ponderosa; efficax argumentationum energia; cuncta denique, qualia sibi in suis operibus præscribebat Quintilianus, dum, *Nobis*, aiebat, *prima sit virtus perspicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio: nihil neque desit, neque superfluat: ità ferme & dictis probabilis, & planus imperitis erit*: certè talia, quæ aridum illud Philosophiæ solum sic excolant, vt inter horrida, & spinosa difficultatum dumeta, quæ sponte profert, subtilissimam etiam ingeniorum aciem punctura, hilari lanugine pullulent maturi veritatum fructus facilè mentis aviditatem sequentes. Hæc tamen cuncta, quia tanto Authore minora, ipsius ingenij ludos alij forsan dicent: ego verò in eorum editione operam ipsum non luisse potiùs asseruerim; dum tacito mecum silentio perpendo, quàm ad amussim omnia composuerit, quàm ad limam perpoliverit, quantâ vibrata Dialectica contexta, quâ iucunditate Physicorum arcana patefacta, quantâ subtilitate Metaphysica explorata, & perspicuitate expedita, quo denique nitore, & sublimitate cuncta elaborata. Proh Deus immortalis! Quibus Rempublicam litterariam officijs accuratissimus Scriptor non deneretur! Ego saltem aliud non profitebor, nec aliud, sententiam rogatus, ausim pronunciare, quam dignissimum opus esse, quod omnes aveant, & habeant. Idcircò totius Censuræ summam in vota referam, quibus Physicis etiam, & Metaphysicis lucem quantocyùs comprecer: certus interea tum vtilitatis, quam iubet sperare, tum etiam gloriæ, quam dum respuit Author, opus meretur: *fiet* quippè, vt cum Barclaio loquar, *inultum ætatem iste liber, & gloriæ plenum Autorem ad posteros deducet*. Serabi Cantabriæ die 12. Martij. Anno 1723.

Quint. lib. 8. Instit. cap. 2. in fin.

Joan. Barcl. lib. 2. Argen.

*Joann. Anton. Episc. Angelopolitanus.*

CEN-

# CENSURA REVERENDISSIMI P. M. Fr. Andreæ Cid, Ordinis Ciſtercienſis Generalis Magiſtri, nec ſemel Definitoris etiam Generalis, Salmantini Collegij iterum atque iterum Abbatis, totius Religionis Supremi Præſulis honoribus decorati, in Salmanticenſi Academia Doctoris Theologi, eiuſdemque Facultatis Primariam Cathedram moderantis.

SUpremi Caſtellæ Senatûs obtemperaturus decreto, evolvere cœpi, illectæque mentis propenſione trahente, ad finem vſque percurri Librum, cui titulus, *Curſus Philoſophicus Regalis Collegij Salmanticenſis Societatis Jeſu in tres partes diviſus*, recens elaboratum à R. P. M. Ludovico Loſſada, eiuſdem Societatis Theologo, ac in præfato Collegio Sacrorum Bibliorum Interprete. Atque, dum in Libri laudes calamus geſtiebat erumpere (nec ſic effantem ſeverum Cenſoris munus reputaveris neglexiſſe; quî etenim, rogo, probati adeo Scriptoris labor, vt non extorqueat panegyrim, poterit ſubiacere cenſuræ?) dum, inquam, præconceptam ſententiam promere adigor, lyncerè profero, ipſam operis dignitatem à propoſito ferme abducere. Curſus namque iſte, etſi Nilus iure merito compelletur, proficuis ſapientiæ vndis ingenia fœcundans, minimè tamen pellucidum fontem, qui dedit originem, latère permittit: Jeſuiticæ doctrinæ rivulum ſe quibuſque paginis & oſtendit, & profitetur. Quis autem clariſſimæ Societatis doctrinam elogio contendet proſequi, quin eius gloriam obſcurare potiùs, quàm novo augere ſplendore vereatur? Illius ſuffragium exhibere placet, cui etſi domeſtico, nullus, vt opinor, pleniſſimam præſtare fidem detrectabit. Divus Franciſcus Xaverius Indiarum Apoſtolus, Inclytumque Societatis decus, de Jeſuitarum doctrina, ac litteris ita præloquitur: *Confio*, inquit, *que el inhabitante eſpiritu de el Señor enſeñorea la doctrina, y letras de nueſtra Compañia.* Quid, quæſo, illâ doctrinâ excellentius, cui veræ ſapientiæ ſpiritus dominatur? Jam tum videlicèt, vt olim in mundi cunabulis, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ſuper illud, inquam, omnigenæ ſapientiæ mare magnum, quod in ipſis Jeſuiticæ Familiæ

S. Franc. Xav. lib. 3. Epiſt. 4. ad Socios Romę commorantes. Apud Peralta in eius vita, diviſione 4. Geneſ. 1.

fiæ primordijs parabatur, vt totum deinceps terrarum orbem vberrimo pervaderet affluxu, nequà sui parte floribus, & fructibus felicioris ævi *terra* foret *inanis*, & *vacua*. Cæterùm ipsius Sanctissimi Spiritus organum, Summum nempè Ecclesiæ Antistitem Pium IV., auscultemur, hæc de Societatis alumnis verba facientem: *Sicut nomen Sociorum Jesu assumpserunt, ita opere, doctrina, & exemplis Dominum nostrum Jesum Christum imitari nituntur.* Hinc iam insolitum æstimaverit nemo, Illustrissimum nostrum Caramuelem peracribus hisce vocibus Jesuiticæ doctrinæ impositam calumniam propellere: *Solem obscurum dicat noctua: & ego, qui contrarium proprijs oculis video, non habeo minoris Solis radios, sed noctuam cæcutire dicam... Quoniam quot radios noctua Soli, tot Jansenius Societati detraxit... Præscripta sæculo integro Societatis pietas, tanto Martyrum sanguine condecorata, & roborata, non est quæ obscuretur tetro anhelitu vnius, aut alterius Hollandi.*

Pius IV. in Bulla *cùm ex debito*, 13. April. 1561.

Caramuel in Theolog. fundamentali, fundam. 55. §. 6.

Nec mirari liceat, Jesuadum doctrinam Solis radijs vallatam incedere, cùm ipsi congenita pietate, indefessoque labore contendant, vt Solis Ecclesiæ radios, nimirùm Angelici Doctoris Divi Thomæ doctrinam ebibant, & distribuant, dicente Natali Comite Inclyto Dominicano: *Certè Societatis Jesu in Thomam veneratio Theologos, quos habuit eruditissimos, criticosque sagacissimos, & gravissimos, impulit, vt in opera Sancti Thomæ inquirerent, cuius doctrinæ studium lege lata ipsis iniunxerat.* Et fructus respondet labori, quia Jesuitarum opera beneficus iste Sol plurimas orbis plagas illustravit, atque ab errorum nebulis liberavit. Hic annexere iuvat docti, & gravis Historiæ Pontificiæ Scriptoris animadversionem peracutam. Is est Doctor Ludovicus de Bavia; qui, cùm inscriptionem retulisset, quam Gregorius XIII. Collegio Romano, à se magnificentissimè extructo, perpetuis in ædificij fronte characteribus insculptam voluit in hæc verba, GREGOR. XIII. P. M. RELIGIONI, AC BONIS ARTIBUS; non minùs verè, quàm ingeniosè subdit: *Y pienso yo, que es esta Inscripcion vna quidditativa definicion de lo que es la Compañia; y que el claro juizio de el Pontifice no la pudo hallar mas à proposito: pues à la Religion, y à las Letras todas las demàs virtudes las acompañan; y haziendo Gregorio Casa para estas dos, las entregò à esta Religion.*

Apud Theodorum Eleutherium lib. 1. Hist. Controvers. de auxilijs, cap. 4.

Bavia en la vida de Gregor. XIII. cap. 57.

Sublimia adeo testimonia satis superque sufficerent, vt eximia Societatis Schola clariori gloriâ exornata prodiret. At, vt refulgeat magis, è floribus, queis circumdatur, ad opimos fructus, quos orbi edidit, transigrediamur; quia, vt optimè monebat mellifluus P. N. Bernardus, *Magnum planè fertilis soli testimonium,*

S. Bernard. Serm. 23. in Cantic.

*nium, fructuum proventus uberior.* Nullus profectò dicendi finis daretur, si quot commoda è Societatis doctrina hausit Ecclesia, vellem enumerare, quotvè uberes utilitatis fructus in Christianæ Reipublicæ subsidium è Jesuitarum sapientia quotidiè progerminant. Sanè Sanctissimus Paulus III. in hunc modum Societatem alloquebatur: *attendentes ad fructus uberes, quos in Domo Domini hactenùs produxistis, & producere non desinatis, vestra Religione, Integritate, Scientia, doctrina.* Gregorius XIII. haud dissimiliter effatur: *Ac dudum* (ait) *propter Societatis tam utiles, tamque necessarias functiones, quas in Collegijs per lectiones tam bonarum Litterarum, quàm Philosophiæ, & Theologiæ ad iuventutem bonis moribus, & litteris imbuendam... Magno Dei beneficio, & Ecclesiæ spirituali emolumento exercet.* Nec præterire libet Sanctum Pium V., qui rem hanc mirificè promovet. *Innumerabiles fructus* (dicebat) *quos, benedicente Domino, Christiano orbi Societas Jesu, viros litterarum præcipuè Sacrarum scientia... Perspicuos... producendo, felicissimè hactenus attulit, & adhuc solicitis studijs afferre non desistit, animo sapiùs revolventes nostro.* Opportunè proindè eruditissimus Magister Gravina Magnum P. Ignatium feracis vitis, frugiferæque olivæ symbolo expressum voluit, sic pulchrè Societatis fructus extollens. *Tanquam cooperatores* (Jesuitæ) *terram humani cordis concionibus, lectionibus, catechismo excolunt... & foliis, floribus, fructibus, hoc est, doctrina, verbo, & exemplo vividos ramos tantæ vitis ostendunt... Ad hoc Sancti Ignatij, & filiorum tendit Institutum, ut... ex disputationibus, & congressibus cum Hæreticis victoria reportetur. Ad olivam spectat ad alendam iuventutem Scholarum, Collegiorum, & Seminariorum erectio, ut divinissimorum omnium sit litteris, & educationi adolescentium... cooperari... Passim tibi occurrent doctissimi Theologi, Scholastici, Scripturarum Interpretes.* Agmen claudat Romanus Hai, Benedictinæ nostræ stirpis clara progenies, scopum, quem sibi Societatis sapientia præfigit, fructusque, quos satagit progignere, omnibus patefaciens. *Quid aliud* (inquit) *sonant tot in lucem à doctissimis Theologis Societatis edita volumina, tot tractatus, tot... vulgata opera, quàm ut cuique suum tribuatur, ut errores, & vitia eliminentur, Christiana Charitas, & virtutes mortalium animis inseruntur?*

Paulus III. in Bulla *Cùm inter*, 3. Jun. 1545.

Gregor. XIII. in Bulla *Salvatoris*, 30. Octob. 1576.

Pius V. in Bulla *Innumerabiles*, 28. April. 1568.

Gravina in Voce turturis, part. 2. cap. 30.

Romanus Hai, in Astro inextincto, quæst. 8. num. 9.

Cursum ergo istum tunc maximè commendatum exhibemus, cùm Scholæ Jesuiticæ germanam prolem agnoscimus. At novo adhuc nomine deregitur commendabilis, nomine scilicet Authoris, viri profectò nedum in vasto omnigenæ sapientiæ Oceano versatissimi, verùm & morum probitate, ac Religiosa circumspectione spectabilis, cui Sancti Petri Chrysologi sententia

Chrysolog. Serm. 167.

ria congruentissimè optatur. *Magisterium fert de scientia; Magisterij auctoritas constat ex vita.* Lætissimam hercle susciperemus provinciam, si è frondibus in procerum arborem, si ex Operis elogio Authoris in elogia arrideret conscendere; vel etiam immortales delibare laudes Collegij Salmanticensis, non structurâ magis, quàm splendore virtutum, doctrinæque majestate Regalis, cujus nomine decoratur hoc Opus; illius videlicet in terris Sphæræ Cœlestis, quæ novis in dies dignissimis alumnis, id est, religione, ac sapientiâ fulgentissimis Astris, inclarescit. Præstat venerationis, & amoris ausis temperare: meritò namque derideretur Astrologus, qui syderum in axe micantium numerum comperisse gloriatur. Ast injuncto muneri propiùs accedens, Opus istud judico publicâ luce dignissimum, quippè quod Sacrosanctæ Fidei dogmatibus maximè consonat, & Philosophiam, tum exponentium, tum addiscentium vtilitati optimè consulit. Sic sentio, *salvo*, &c. Salmanticæ in hoc S. P. N. Bernardi Collegio die 2. mensis Aprilis, Anno Domini 1723.

*Mag. Fr. Andreas Cid.*

## FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo Franciſcus Paulus Mazario, Provincialis Societatis Jeſu in Provincia Caſtellana, poteſtate ad id mihi facta à Reverendo admodùm Patre noſtro Michaele Angelo Tamburino, Præpoſito Generali eiuſdem Societatis, facultatem facio, vt Liber, cui titulus eſt, *Curſus Philoſophicus Regalis Collegij Salmanticenſis Societatis Jeſu, in tres partes diviſus*, à P. Ludovico Loſſada noſtræ Societatis Theologo, ſacræque Scripturæ Interprete compoſitus, & eiuſdem Societatis gravium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra, & Secretarij noſtri ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. In hoc Regali noſtro Salmanticenſi Collegio, die 7. Decembris, ann. 1720.

IHS

*Franciſcus Paulus Mazario.*

*Emmanuel de Prado,*
Secret.

## FACULTAS ORDINARIJ.

ILluſtriſsimus Dominus D. Sylveſter Garcia Eſcalona Epiſcopus Salmantinus, cuilibet huius Civitatis Typographo facultatem fecit hunc Librum, cui titulus, *Curſus Philoſophicus Regalis Collegij Salmanticenſis Societ. Jeſu, in tres partes diviſus, cum Inſtitutionibus Dialecticis ad primam partem pertinentibus*, typis mandandi. Salmanticæ die 5. Septembr. ann. 1721.

## SUMA DEL PRIVILEGIO.

TIene privilegio de ſu Mageſtad el Pad. Luis de Loſſada de la Compañia de Jeſus, para imprimir eſte Libro por tiempo de 10. años; y para que ninguno ſin ſu licencia lo pueda imprimir: como conſta de ſu original, certificado por Don Balthaſar de S. Pedro, Se-

Secretario de Camara de ſu Mageſtad., dado en S. Lorenço à 3. de Agoſto de 1721.

## SUMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo eſte Libro à ocho maravedis cada pliego, como conſta por certificacion de Don Balthaſar de San Pedro, Secretario de Camara del Rey nueſtro Señor: en Madrid à 19. de Febrero de 1724.

| | *Errata.* | *Corrige.* |
|---|---|---|
| Pag.85. col.1. lin.32. | *fines* | *finis.* |
| Pag.149.col.2.lin.12. | *ſit* | *ſit.* |
| Pag.252.col.1.lin.11. | *ſic* | *ſi.* |
| Pag.253.col.1.lin.12. | *qua* | *quæ* |
| Pag.361.col.1.lin.16. | *immediùs* | *immediatiùs.* |
| Pag. 362. col.1.lin.8. | *ſi* | *ſi.* |
| Pag.425.col.2.lin.14. | *Antecedens* | *Minor.* |
| Pag.426.col.1.lin.33. | *diſsimilis* | *diſsimile.* |

Con eſtas Erratas correſponde à ſu original. Madrid, y Agoſto à 20. de 1722.

*Lic. Don Benito del Rio y Cordido*
Corr.Gen.por ſu Mag.

# PHILOSOPHIA RATIONALIS,

## QUATENUS MAGNA, SEU MAIOR

## LOGICA DICITUR.

### PRÆFATIUNCULA.

SI magnifica ſpectentur encomia, quibus Logica paſſim ore Sapientum prædicatur Ars artium, Organum ſcientiarum, Magiſtra mentis, veritatis explorandæ Lapis Lydius, Rationis humanæ per vaſtum Scibilium pelagus tutiſſima Dutrix, & inter ingruentes errorum turbines nitidiſſima Cynoſura; me iudice congruunt maximè Dialecticis Inſtitutionibus, quod Opus, parvæ Logicæ, vel Summularum titulo contentum, vtilitate magis, quàm nomine, vel mole grandeſcit. Hic ars ferè tota differendi, hic inconcuſſæ Regulæ traduntur, quibus inſtructa mens, ſuis quaſi notis Verum vbilibet internoſcat, nec facilè patiatur obtrudi ſibi errores veritatis larvâ perſonatos. Eadem tamen elogia meritò adaptes Operi, quod aggredimur, quodque Magna, ſeu Maior Logica idcircò vocitatur, quia & volumine grandius, & rebus ipſis, tum ſuis, tum ex Animaſticâ, & Metaphyſicâ iuxtà communem Scholarum methodum adſcitis, longè eſt difficilius. Quidquid enim eo tractabimus, vſum, & intellectum Logicæ artis magnopere iuvat, vt experientia ipſa docebit, & generalia quædam fundamenta iacit Scientijs omnibus vtiliſſima. Receptæ igitur inſiſtens methodo, totum Opus ſex Tractatibus diſtinctum dabo: quorum vltimus maximè Logicus erit, & ad perficiendas Inſtitutiones Dialecticas neceſſarius: primus verò Prooemialis vocatur, & eſt; tum quia non pauca diſcunt Diſciplinis omnibus præambula, & in limine cuiuslibet Scientiæ prænoſcenda; tum quia in eo mens noſtra, priuſquam Logicam docentem audiat, tantiſper ſubſiſtit, & in ſuam reflectitur Magiſtram, vt ſaltem de facie noverit, à quâ tantopere iuvatur. Quare non immeritò Tractatus iſte vocabitur

*Logica reflexa.*

# TRACTATUS PRIMUS PROOEMIALIS

## *De Natura, & Obiecto Logicæ.*

## DISP. I.

### *De Natura Logicæ.*

CUm nulla Facultas citrà sui Obiecti notitiam cognosci possit, erit fortè qui censeat, à recto ordine deflecti cum de Naturâ priùs, quàm de Obiecto Logicæ differitur. Sed verò, cum ex Institutionibus Dialectic. satis constet, Facultatem istam versari circà Intellectus operationes, tanquam circà propriam materiam, eiusque proprium munus esse, præceptis, ac regulis mentem instruere, vt rectè definiendo, dividendo, & argumentando rerum naturas perscrutetur, & verum à falso discernat: satis proinde notum iam est obiectum Logicæ, quantum sufficit, ne præsens Disputatio in re ignotâ, velimcertâ laboret. Aliunde, cum disceptatio de Obiecto Logicès subtilior sit, & implexior, commodiùs differetur tantillum: præstat enim, quoad fieri potest, à facilioribus inchoare.

#### CAP. I.

*De Notione, Existentia, Quidditate, Utilitate, & Origine Logicæ.*

1 FAcultas, quam exponere aggredimur, tribus hisce nominibus nota est: *Logica, Dialectica, Philosophia rationalis.* Nomen *Logicæ*, à Græco *logos*, cui Latinè respondet *ratio*, vel *sermo*, trahit originem: & ideircò aptè convenit Facultati, quæ rationem ex instituto limat, & sermonem perficit interpretum. *Dialectica* Græcum etiam etymon habet, commune cum Dialogo, quo priscis temporibus tradi, & explicari solebat. Quibusdam placet, vt hoc nomen non totius sit Logicæ, sed eius dumtaxat partis, quæ docet ex probabilibus differere: atque ita frequentiùs loquuntur Aristoteles, & D. Thomas. Alij sic nomina distribuunt, vt *Logica* dicatur, quæ agit de Syllogismo demonstrativo; *Dialectica*, quæ differit de probabili. Sed hodiernus vsus, iam olim à Cicerone (a) probatus, obtinuit, vt vtrovis nomine significetur ars tota, quæ magisterio rationis incumbit; & quæ ab hoc mu-

(a) *L. de Fato, & 1. de Finib.* -- *Vid. Conimbric. q. 4. procem.*

munere vocatur quoque *Philosophia rationalis.*

2 Hanc artem existere, aut possibilem esse, negarunt veteres aliqui, quibus libuit meridianâ in luce caligare. Cuius paradoxi ratio esse potuit 1.: quòd mentis operatio naturalis est, & proposito obiecto necessaria; sed operatio naturalis, ac necessaria, non potest arte dirigi: nulla igitur ars est, quæ mentem in operando, sive in cogitando dirigat; sicut nulla possibilis est, quæ tradat syderibus normas illuminandi, aut oculis præcepta videndi. 2.: quòd Intellectus suapte naturâ tendit semper in verum, tanquam in sphæram obiectivam, cuius fines transilire non valet: ergò nullâ indiget arte, ne deflectat à vero.

3 Verùm existentia Logicès evidentior est, quàm vt probationibus egeat: nisi velis, vt inanem vmbram capiant tot ex omni sæculo, & natione Philosophi, tot Academiæ, tot Magistri, tot discipuli, quot Logicam seu discendam, seu illustrandam susceperunt hactenùs, atque in dies suscipiunt. Nec momenti sunt rationes oppositæ. *Ad* 1. Fatemur, operationes naturales, quæ semper sunt vniusmodi, nullâ arte dirigi; quod probat syderum illuminatio, & oculorum visio. At operatio mentis, licèt naturalis, indifferens tamen est, vt variis modis, nunc rectis, nunc inordinatis, eliciatur. Quamvis enim mens obiectum sibi propositum necessariò apprehendat vtcumque, non ideò semper necessariò iudicat de naturâ, causis, & effectis eius; nec, si iudicet, certum modum necessariò tenet. Quare negandum, quòd mentis operatio sit in hoc sensu necessaria, cum sæpiùs imperio subsit voluntatis.

4 *Ad* 2. Si Intellectus noster nunquam potest à vero deflectere, nunquam falli, aut errare poterit. Vtinam id verum esset, nec sæpiùs convictum experientiâ nimis quotidianâ! Fallitur ergo passim, & errat præcipuè dubio errori opposito veritati formali cognitionis: sæpè enim iudicat existere obiectum, quod in re non exstitit: sæpè credit, aliquid esse, quod non est. Quare, vt huiusmodi vitet errores, Dialecticâ arte iuvatur. Dicitur tamen semper tendere in verum; quia nunquam assentitur obiecto, quod non præseferat aliquam veri speciem (quæ tamen mentita, & fallax esse potest), nunquam aliquid percipit, nisi aliquatenùs verum sit transcendaliter; de quo aliàs.

5 Iam, adumbrata hactenùs Logica, seu Dialectica, definitur passim à priscis, & modernis Philosophis, *Facultas recte differendi.* Est autem *differere*, vt modò accipitur, *aliquid ignotum ex iis, quæ nota sunt, patefacere*, definiendo scilicet, dividendo, & argumentando; quod ex Cicerone, optimo Latinitatis Authore, probant Conimbricenses (b). Huic definitioni consonant aliæ, quæ apud veteres, & modernos Philosophos circumferuntur: nempè, *Ars vera, & falsa diiudicandi, seu, veri, & falsi disceptatrix, & index: Facultas intellectui præscribens modum indagandæ veritatis: Recta ratio cogitandi ad veritatem inveniendam: Ars rectè vtendi ratione: Facultas rectè definiendi, dividendi, & argumentandi*: &, vt alias omittam, *Ars directiva ipsius actus rationis, vt in ipso actu ordinatè, faciliter, & sine errore procedatur*; quæ sumpta est ex D. Thomâ 1. Poster. Lect. 1.



(b) *Q. 4. Proœmial. art. 1.*

6 Ex his constat, Dialecticæ officium esse Rationem veluti formare, ne temerè, confusè, perturbatè, sed maturè, sapienter, ordinatè de re quâvis propositâ censeat, certamque viam investigandæ veritatis arripiat: non quòd sola Dialectica rectè differat, aut differendo quærat veritatem; hæc enim Scientiarum omnium amor est: sed quòd modum, viam, & normam tradat, quibus oportet uti cæterâs scientias, ut in materiâ cuiusque propriâ veritatem quærant, inveniant, certisque notis discernant. Itaque scientiæ omnes rectè differunt; sed non omnes docent rectè differere. Hoc solius est Logicæ.

7 Nihilominùs hanc artem, quâ nihil videbatur vtilius, contemsit, & irrisit olim cum sequacibus Epicurus(c) eamdemque, non modò vt inutilem, sed etiam vt perniciosam, & Christiano homini vitandam, condemnare vsi sunt plures Ecclesiæ Patres, in hunc sensum trahentes illud Apostoli Ad Coloss. 2. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam.* Sed, his non obstantibus, vtilitas Logicæ probatur 1. auctoritate, vel suffragio Academiarum, quotquot toto orbe florent. 2. ratione à priori: ars enim, quæ nixa principijs lumine naturæ notis, Rationem perficit, nequit non esse pervtilis; sed Logica Rationem perficit, nititurque principijs lumine naturæ notis: ergo, &c. Minor quoad secundam partem constat ex Summulis: quoad primam verò probatur experientiâ omnium, qui non prorsus hebeti ingenio dant operam regulis Logicæ: omnes quippe Rationem expediri sentiunt, vt methodicè, & perspicuè discurrat, vtque facilè vitia detegat ratiocinij falsi, vel fallacis.

8 Nec movere debet Epicuri censura, cuius opinandi modus cum in re istâ, tum in alijs maioris momenti, contemptus pariter, & irrisus fuit vel ab ipsis Ethnicis Philosophis melioris notæ. *Dum Dialecticam* (inquit Cicero(d)) *contemnit Epicurus, quæ vna continet omnem & perspiciendi quid in quaque re sit, scientiam, & iudicandi quale quidque sit, ac ratione, & via disputandi: vult in dicendo, vt mihi quidem videtur, nec ea, quæ docet, vult vlla arte diffingui.* Apostolus verò non eam damnat Philosophiam, quæ rectâ ratione fundetur, & doctrinæ à Deo revelatæ ancilletur, vt debet: sed illam tantùm, quæ veritates Divinæ Scripturæ convellere tenter, vel per quædam principia malè à paganis Philosophis statuta, vel etiam per *inanem fallaciam*, non tam ex vsu, quàm ex abusu Dialecticæ profectam. Videantur in eum Pauli locum PP. Cornel. à Lapide, & Benedict. Justinianus, qui simul eruditè refert, & in eodem sensu explicat censuras veterum Patrum adversùs Philosophiam, & interdùm adversùs Dialecticam, & Aristotelem ipsum nominatim.

9 Sunt tamen alij Patres, Ecclesiæ lumina, quibus Dialectica, maximè prout ab Aristotele tradita, magnopere commendatur. S. Hieronymus, tum alibi non semel hanc artem extollit; tum Epist. 103. ad Paulinum, laudat Librum Job, quòd leges Dialecticæ servet. S. Augustinus Libros edidit de Principijs Dialecticæ, ac de Categorijs Aristotelis; & sa-

(c) *Ap. Cicer. l. 2. Acad. & sæpè alibi.* (d) *Lib. 2. de Finib.*

sæpè aliàs cum laude meminit eiusdem artis, præsertim lib. 2. de Doct. Christ. cap. 31., vbi Dialecticam *valere plurimùm* ait *ad omnia genera quæstionum, quæ in libris sanctis sunt penetranda, & dissolvenda.* Et, vt alios omittam, Angelic. Doct. D. Thomas studiosissimus fuit Aristotelis, cuius etiam Philosophiam pœnè totam aureis commentarijs illustravit. Tradit quidem Dialectica varios syllogismorum dolos, & tricas; sed vt caveantur, non vt fallendi libidine fabricentur. Quare, si quis inde occasionem arripiat incautos decipiendi, aut veritatem oppugnandi, non culpa est artis, sed arte abutentis. *Igne quid vtilius? si quis tamen vrere tecta comparat, audaces instruit igne manus.*

10 Sed obijcies Magn. Augustini (e) censuram de regulis Dialecticis, quas vt parùm vtiles carpit his verbis: *Plerumque accidit, vt facilius homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quàm talium præceptorum nodosissimas, & spinosissimas disciplinas.* Subdit exemplum in opere deambulandi, quod inutiliter arte iuvaretur; facilius enim homines ambulare discunt experiendo, quàm regulas addiscendo. Unde concludit: *Ita plerumque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quàm præcepta eius capit: tardius autem non eam videt, sed multò minùs quod de illa præcipitur. Magisque in his omnibus ipsa spectacula veritatis sæpè delectant, quàm ex eis in disputando, aut iudicando adiuvamur.*

11 *Respond.* Censuram istam sibi adaptent quicumque in Summulis præcepta multiplicant superflua, quæ nunquam rediguntur in vsum (qualia ferè sunt præcepta Reductionis Syllogisticæ), vel res per se claras minutatim, ac prolixè notant, & farcinâ regularum memoriam onerant, ingenium opprimunt. Quod genus vitii non prorsùs alienum puto à nostris Institutionib. Dialect., vbi nonnihil aliorum exemplo, & consuetudini datum est. Cæterùm præcepta Logicæ, sobriè, & opportunè data, nullatenùs ab Augustino reprehenduntur. Tum quia alioquin eodem iure, eodemque ambulationis exemplo reprehendi posset ars Rhetorica, Grammatica, & quævis alia; quod procùl abest à mente Augustini. Tum quia ipsemet ante relata verba, Disciplina, inquit, *Conclusionum, & definitionum, & distributionum, plurimùm intellectorem adiuvat.* Tum quia idem alibi (f) Logicam vocat *Disciplinam disciplinarum*, de quâ subdit: *Hæc docet docere, hæc docet discere: in hac se ipsa ratio demonstrat, atque aperit, quæ sit, quid velit, quid valeat. Scit scire: sola scientes facere non solùm vult, sed etiam potest.*

12 Quod attinet originem Logicès, ea primàm cum cæteris scientijs à Deo infusa est protoparenti Adamo, vt tenent omnes communiter cum D. Thomâ (g). Probatur: quia Deus, sicut corpore, ita & animâ perfectum condidit primum hominẽ; *Dei enim perfecta sunt opera* (h): sicut ergo illi repente dedit totã corporis perfectionẽ, quę per gradus ętatis comparatur posteris; ita & omnem

(e) *L. de Doct. Ch. c.* 37. (f) *L. 2. de Ord. c.* 13. (g) 1. *p. q.* 94. *art.* 3. (h) *Deut.* 32, 4.

animæ perfectionem attribuit, quam sibi nepotes studio, & labore parant, proindeque omnem rerum creatarum scientiam: maximè cum illum conderet, vt esset Caput, Magister, & Princeps totius Generis humani, quæ munera implere non posset, nisi præditus omni disciplinâ, docendis, & conveniente instruendis hominibus idoneâ. Quod totum satis apertè docet Sacra Pagina Eccli 17.; vbi inter alia de primis parentibus, *Deus*, inquit, *disciplina intellectus replevit illos.* Quænam autem verius appellabitur *disciplina intellectus*, quàm Dialectica? Ne tamen putes, Logicam Adamo infusam non eiusdem speciei fuisse cum nostrâ: quamvis enim dicatur supernaturalis quoad modum, non ita quoad substantiam, cum non fuerit ex habitibus *per se* infusis.

13 Quia tamen decursu temporis Logica pænè tota, præsertim apud Ethnicas nationes, oblitterata est, locus fuit humanis Inventoribus, quorum operâ paulatim, aut particulatim revivisceret, & quasi nova prodiret in lucem. Id quod fieri potuit modo, quem S. Augustinus (i) „ indicavit his verbis: *Perfecta*, dispo„ sitâque Grammaticâ, admonita est „ (humana Ratio) quærere, atque „ attendere hanc ipsam vim, quæ pe„ perit artem: nâm eam definiendo, „ distribuendo, colligendo non so„ lùm digesserat, atque ordinaverat, „ verùm ab omni etiam falsitatis ir„ reptionae defenderat. Quando ergo „ transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa „ sua priùs quasi quædam machinà„ menta, & instrumenta distingue„ ret, notaret, digereret, proderetque „ ipsam disciplinam disciplinarum, „ quam Dialecticam *vocant*?

14 Hanc porrò inventionis palmam variis Philosophis attribuunt, seu potiùs inter varios dividunt Critici, & Historici, tum veteres, tum recentiores. Sed licèt nonnulla Logicès documenta dederint Zeno Eleates, Socrates, Plato, & alij ante Aristotelem; iure tamen optimo Aristoteles ipse dicitur huius artis quasi primus Inventor. Hic enim primus Dialecticam ad artis formam redegit, multis partibus auxit, perfecit, & numeris omnibus absolvit. Nam in libris Perihermenias elementa, naturam, & proprietates Enuntiationis explicat. In Topicis probabilium argumentorum locos, aut sedes copiosè tradit. In Elenchis omnia sophismatum genera distinctè detegit. In Categoriis notiones, aut ideas rerum generales formare docet, ad definiendum, ac dividendum aptas. Multa etiam super Definitione, ac Divisione differit sparsim in Metaphysicis, alijsque libris. Ac demùm in Analyticis artem Syllogisticam, in quâ neminem prælucentem habuit (k), à fundamentis excitat, & mirâ ingenij felicitate consummat.

15 Natus est Aristoteles Stagiræ, quod oppidum est Macedoniæ, Olympiade 99. Philosophiæ studuit Athenis Platone Magistro, cuius in aulâ iam tùm *Philosophus veritatis* audiebat. *Singulari viri ingenio, ac pænè divino*, vt loquitur M. Tullius (l), in omni ferè disciplinarum genere, quantum humanitùs fieri potest, mirè excelluit: sed præsertim in Philosophiâ, quà latè patet, summus evasit sadeò, vt iudicio, & plausu posteritatis, *Philosophorum Princeps*, & antonomasticè *Philosophus* nominetur, & sit. Obiit ætatis anno 63. olympiade 114., biennio post obitum Alexandri Magni, cuius Præceptor fuerat. Quia in Lyceo, Athenensi gymnasio, discipulos in am-

(i) *L. 2. de Ordin. c. 13.* (k) *Testatur ipse L. 1. Elench. cap. vlt.* (l) *L. 1. de divinat.*

ambulando docebat, eius Schola nomen à deambulatione traxit, & *Peripatetica* dicta est.

16 Verumtamen Aristotelis Scripta non statim publicam lucem adepta fuerunt; sed, vt memorat Strabo (m), subterraneis diù condita latebris, ac deinde privatis clausa Bibliothecis; ignota penitùs, atque medita permanserunt vsque ad Ciceronis ætatem: quo tempore primùm illa edidit Romæ Andronicus Rhodius, qui propterea primus habetur Aristotelis instaurator. Variâ deinde fortunâ iactatus est Aristoteles, præsertim in Europâ: quâ de re curiosè, & eruditè tractat P. Rapin tom. 1. part. 4. cap. 2. in Comparatione Platonis, & Aristotelis. Nobis hæc raptim delibasse sufficiat, ne Philosophus, quem passim allegamus, & sequimur, à Tyronibus prorsus ignoretur.

## CAP. II.

### *De Divisione Logicæ, præcipuè in Docentem, & Utentem.*

1 LOgica, alia Naturalis est, alia Artificialis. Naturalis est *Innatus vigor*, seu *nativum lumen intellectus* ad veritatem proni, & ad aptè differendum quodam naturæ pondere inclinantis. Artificialis est *Doctrina studio & labore comparata, qua intellectus redditur promptus, & expeditus ad artificiosè differendum.* Sicut enim quædam est Rhetorica naturalis, quâ aliqui disertè loquuntur, & appositè ad persuadendum, quin artis præcepta didicerint; & insuper alia est Rhetorica artificialis, quæ præceptis, ac regulis naturalem facundiam perficit: ita præter Logicam naturalem, sive innatum mentis acumen, quo interdum ignarus artis definit, dividit, & aptè discurrit, inventa est Logica artificialis, quæ documentis suis ingenium perficiat, & vel acutissimos mirificè iuvet, vt faciliùs, & citrà periculum erroris ignota ex notis patefaciant.

2 Porrò Logica artificialis, cui toto hoc opere adlaboramus, dividitur 1. in Actualem, & Habitualem. Actualis Logica sunt Regulæ, & Præcepta differendi, id est, dictamina, quibus Intellectus, Logice imbutus, in differendo ducitur; vt cum ita apud se statuit, *Definitio constare debet genere, & differentia.* Habitualis est Qualitas in Intellectu generata ex crebrâ repetitione, & probatione regularum. Divisio ista cunctis scientiis, & artibus, virtutibus etiam, ac vitiis, communis est. In omnibus quippè experimur, per actus sæpiùs iteratos acquiri sensim consuetudinem, seu facilitatem permanentem ad alios eiusdem generis actus. Hæc autem facilitas censetur qualitas quædam, & appellatur *Habitus adquisitus*, cuius munus est potentiam iuvare, vt promptiùs, ac facilius repetat actus similes illis, quibus genita est facilitas ipsa. Hæc etiam divisio quodammodò convenit Logicæ naturali: nam acies ingenij est instar habitualis; dictamina verò, naturæ lumine comparata, circà modum investigandæ veritatis, sunt instar Logicæ actualis.

3 Dividitur 2. artificialis Logica, vtrovis modo considerata, in Definitivam, Divisivam, & Argumentatricem, iuxtà tres potissimos sciendi modos: quæ divisio integralis est, nec tamen integra. Dividitur 3. in Analyticam, Topicam, & Sophisticam. Analytica tractat de Syllogismo demonstrativo, Topica de probabili, Sophistica de fallaci. Hæc etiam divisio non totius est Logicæ, sed partis Syllogisti-

(m) *Geograph. L.* 13.

ca. Ad illam verò revocat D. Thomas (a) veterem aliam divisionem Logicès in Iudicativam, & Inventivam. Aptius ex eodem D. Thomâ (b) dividitur 3. Logica artificialis in tres partes, quæ triplici mentis operationi respondent. Nam quatenùs tractat de Universalibus, & Prædicamentis, primam Intellectus operationem spectat: quatenùs agit de Enuntiatione, pertinet ad secundam: & quatenùs de Argumentatione, & Syllogismo, pertinet ad tertiam.

*Logica Docens, & Utens.*

4 Prædictis divisionibus accedit alia celebris, & antiqua, Logicam distribuens in Docentem, & Utentem. Docens est, quę præcepta, & regulas differendi tradit: Utens, quæ doctrinâ vtitur istâ, seu quæ regulas deducit ad praxim. Quousque verò se extendat Logica Utens, & quatenùs à Docente distinguatur, obscura, & prolixa quæstio est inter Dialectícos, tota ferè de voce, seu modo loquendi. Ut tamen clarescat, brevisque fiat, prænoto 1: *Usus rei a licitus*, vt docet D. Thomas (c), *importat applicationem rei illius ad aliquam operationem: vnde & operatio, ad quam applicamur rem aliquam, dicitur usus eius.* Sic cantus, ad quem applicueris regulas Musicæ, erit vsus Musicæ artis.

5 Prænoto 2: vsus, alius activus est, alius passivus. Activus est applicatio rei consideratæ ex parte potentiæ, seu facultatis applicantis: quare illa potentia, vel facultas, quæ Musicæ regulas applicat ad cantum, erit *active vtens*, seu quæ vtitur regulis. Usus passivus, est operatio ipsa secundùm respectum ad rem applicatam. Sic cantus ipse est vsus Musicæ, quam denominat *vsitatam*. Prænoto 3: *vti regulis*, seu *applicare regulas* alicuius artis, nihil est aliud, quàm operari cum attentione, seu reflexione ad regulas, & eo modo, quem ipsæ præscribunt. Prænoto 4: cum voluntas sit, quæ cæteras potentias movet, & applicat ad operandum, ipsa est, quæ *primò, & principaliter* vtitur, sive est vtens; reliquæ verò potentiæ, & facultates, tum internæ, tum externæ, solùm dicuntur *vtentes* secundariò, sivè cum addito *tamquam exequentes*: quæ est etiam doctrina Div. Thomæ (d).

6 Ex his, quæ videntur neganda nemini, firmarique possunt exemplis obviis, concluditur, omnem actum conformem regulis Logicæ, atque ex earum prævia directione factum, esse Logicæ vsum, sed passivum, à quo sub hac præcisâ ratione Logica non denominatur *vtens*, sed *vsitata*: illam verò facultatem, quæ talem actum exequitur quasi proprium, esse active *vtentem* Logicâ. Quapropter, vt Logica sit, non solùm vsitata, sed vtens, requiritur, quòd non solùm det regulas, quibus conformetur actus, verùm etiam actum ipsamet exequatur vt proprium. *Exequatur*, inquam: nam, cùm Logica non sit voluntas, sed habitus voluntati subiectus, non aliter valet esse *vtens*, nisi titulo *exequentis*; vt constat ex notatione 4. *Ma-*

(a) *In 1. Post. Lect. 1.* (b) *Ibid.*, & *1. Peri. Lect. 1.* (c) *1. 2. q. 16. art. 1. C.* (d) *Ibidem.*

*Variæ sententiæ de Logica vtente.*

7 Prima igitur sententia tenet, omnes actus aliarum scientiarum, qui iuxtà regulas Logicæ fiunt, esse Logicam vtentem. Sed communiter displicet, & meritò. Nam 1., licèt omnis scientia sit vtens Logicâ (in ablativo casu), quatenùs vtitur doctrinâ Logicæ, non ideò est Logica vtens: quemadmodum, licèt omnis discipulus vtatur doctrinâ Magistri, non ideò discipulus est Magister vtens. 2.: Physica v. g., non est Logica; nisi velis, vt Logica cum cæteris scientijs confundatur, vtque divisio eius in Docentem, & Utentem, sit divisio Scientiæ vt sic; quo nihil absurdius: ergo Physica non est Logica vtens; quemadmodum quod non est homo, non est homo loquens.

8 Dices: licèt habitus Physicæ non sit Logica, actus tamen quatenùs artificiosus, v. g. syllogismus in materiâ Physicæ, poterit esse proprius Logicæ vsus, a quo ipsa denominetur vtens. 1.: quia habitus Logicæ efficienter concurrit ad actus aliarum scientiarum, quos proinde verè exequitur, non ratione obiecti, sed ratione artificij. 2.: quia, esto non concurrat efficiendo, concurrit certè dirigendo; sed dirigere ad vsum, vere est vti: ergo, &c. *Prob. Min.*: tum quia iuxtà D. Thomam, (c) *Vti* non solum est proprium *Voluntatis tanquam moventis*, sed etiam *Rationis tanquam dirigentis*. Tum etiam quia eloquens oratio externa verè dicitur vtus artis Rhetoricæ proprius, & externa pictura proprius est vsus artis Pictoriæ; cum tamen artes istæ vtpote in Intellectu residentes, non efficiant, sed purè dirigant opus externum. Confirmatur: D. Augustinus Dialecticum vocat Paulum Apostolum, quia regulis Dialecticis vtitur: cum ergo Syllogismus Physicæ verè vtatur Logicæ regulis, actus verè Logicus erit; non docens; ergo vtens.

9 *Resp.*. Syllogismus in materiâ Physicæ, quatenus artificiosus, vsus quidem est Logicæ, sed passivus; estque actus verè Logicus, sed *obiectivè*, qui scilicet à Logicâ respicitur vt obiectum; sicut homo est eius verè Physicum obiectivè, quod scilicet Physica non efficit, sed pro obiecto respicit. Nec obstant probationes oppositæ. *Ad* 1. Communis sententia, inferiùs approbanda, denegat Logicæ talem concursum effectivum. Sed, esto permittatur, non continuò sequitur, Syllogismum Physicum attribui Logicæ tamquam activè vtenti: ad hoc enim haud sufficit, quòd Logica exequatur actum vtcumque; sed requiritur, quod illum exequatur vt proprium, ideſt, quod potiores in eo partes sibi vendicet titulo concursus efficientis. Id quod non accidit Logicæ, sed Physicæ, quæ sic vtitur auxiliari concursu Logicæ, vt simul coefficiat tamquam causa propria, specifica, & in suo genere principalis, sibique totum actum vendicet vt proprium ratione materiæ, atque obiecti formalis. Sic, iuxtà vetus eloquium, *Sol, & homo generant hominem*: & tamen homo genitus dicitur proprius, effectus hominis, non Solis.

*Ad*

(c) *Loc. cit.*

10 *Ad 2. neg. Min.*: nam si dirigere est vti, quisquis Magister discipulum dirigit, vt rectè vtatur libro, calamo, cibo, potu, non poterit non ipsemet vti rebus iisdem; quod ridiculum est. Iuxtà D. Thomam, *vti* est proprium Rationis *tanquam dirigentis*; at non tanquam vtentis: sicut *velle*, & *amare* est etiam Rationis vt dirigentis, sed non vt volentis, & amantis. Id est: causæ dirigenti, qualis est quę consilium, præceptum, regulam tradit, verè tribuitur imputatione morali vsus, & executio consilij &c.; sed ex hoc capite nunquàm ipsi tribuitur tanquam vtenti: quia denominatio *vtentis* non refunditur in omnem causam vsus, sed in eas tantùm, quæ applicant, aut exequuntur. Sic Syllogismus elicitus à discipulo iuxtà doctrinam Magistri, huic attribuitur vt causæ dirigenti, sed non vt vtenti; quia non ipse, sed discipulus est, qui doctrinam applicat, & actum exequitur.

11 Vsus externus Rhetoricæ, & Picturæ, ob eandem rationem non tribuitur his artibus, vt vtentibus, sed tantùm vt dirigentibus. Quæ tunc vtitur, est voluntas vt applicans, & lingua, vel manus vt exequens. Quia tamen non est alia scientia, vel ars, quæ sibi talem vsum vendicet vt proprium; idcircò totus ille censetur proprius istarum artium, quamvis eas non denominet vtentes; nisi forte in ipsis potentiis exequentibus detur aliquis habitus; hic enim erit quædam Rhetorica, vel Pictura vtens accessoria, iuxtà dicenda inferiùs in secundâ sententiæ nostræ conclusione. *Ad Confirm.*: Apostolus iure dicitur Dialecticus, non præcisè quia Logicæ regulis vtitur, sed quia regulas ipsas noverat, & callebat optimè, vt ex vtendi dexteritate colligitur.

12 Secunda sententia contendit, omnem vsum Logicæ in materiâ probabili aliarum scientiarum, sive omnes actus merè probabiles in quâcumque materiâ, præditos artificio Logico, esse Logicam vtentem; secùs verò, actus demonstrativos. Cuius sententiæ ratio est 1.: quia syllogismus probabilis ad nullam scientiam proprié pertinet ratione materiæ: omnis quippè scientia est de necessariis, & immutabilibus, & sicut solâ Demonstratione acquiritur, ita solam Demonstrationem parit: restat ergo vt ratione formæ pertineat ad Logicam. 2.: quia, licèt materia syllogismi probabilis vtcumque pertineat ad alias scientias, cum tamen vilis, & exigui sit pretij, cedere debet formæ, sive artificio Logico, totaque proinde in dominium Logicæ transire. Sic Iure Civili cautum est, vt tabula picturæ cedat, adeò vt qui in alienâ tabulâ pinxerit, eius dominium acquirat. *Ridiculum est enim* (e), *picturam Apellis, vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.*

13 Verùm hæc sententia reiicitur 1.: quia si cæteræ scientię spoliantur omni actu probabili, cum earum pleræque Demonstrationes admodùm raras habeant, minimis angustis finibus arctabuntur, dum ex adverso in immensum excrescit Logicæ peculium. Certè loquendi vsus in Scholâ communis aliter habet: qui quæstiones, syllogismos, conclusiones de materiâ probabili Theologicâ non adiudicat nisi Theologiæ; idemque præstat in aliis scientiis. Dicunt: Logicam, vtpote aliis scientiis famulantem, aliis adquirere, quidquid adquirit, sicut servus adquirit domino: vnde fit, vt actus probabiles, quos Logica facit suos, aliarum scientiarum proprii dicantur.

Sed

(e) *Instit. L. 2. tit. 1, de rer. divis.*

14 Sed *contrà* 1.: ergò omnes actus Logicæ docentis, propriè spectabunt ad alias scientias, quibus Logica prout docens maximè famulatur. *Contrà* 2.: ergo non solus actus probabilis, verùm omnis etiam Demonstratio materiæ cuiuslibet, poterit adquiri Logicæ vtenti sine detrimento aliarum scientiarum, quibus Logica suas opes reddet iure servitutis. *Contrà* 3.: ergo Logicæ nullum ius est ad actus probabiles alienæ materiæ; sicut servo ius nullum est ad ea, quæ domino adquirit. At hæc omnia sunt aduersarijs absurda. Itaque Logica ministrat aliis scientiis, non vt ancilla, sed vt ingenua famula, cui proprium peculium habere licet.

15 Reiicitur 2. ex Aristotele docente (f), quòd *eiusdem virtualis* (ideò, facultatis) *est, & veri, & verisimilis consideratio*: eadem igitur scientia, quæ verum demonstrat, differit etiam de verisimili, seu probabili, in materiâ propriâ. Id quod saltem verum esse debet, quando syllogismus probabilis non solùm concludit in materiâ propria alicuius scientiæ, sed etiam nititur principiis eiusdem scientiæ propriis; v. g. quando probabiliter concluditur, non esse in viventibus formam substantialem subordinatam, ex illo principio: *Forma substantialis est actus primus compositi naturalis.* Tunc, inquam, cum & principium, & materia conclusionis, pertineant ad Physicam, syllogismus probabilis evadit omninò Physicæ proprius. Tum quia, vt inquit Aristoteles (g), *Si principia forte habeat, non amplius Rhetorica, vel Dialectica, sed illa erit* (scientia, vel facultas), *cuius principia possidebit.* Tum quia Dialecticæ vtentis *propriùm est ex principiis extraneis procedere* in materiâ aliarum scientiarum, vt probat, & explicat D. Thomas in 4. Mataph. Lect. 4. Syllogismus igitur procedens ex principiis, non extraneis, sed propriis Scientiæ Physicæ, nullo iure tribuitur Dialecticæ, sed totus debet Physicæ relinqui.

16 Rationes obiectæ non vrgent. *Ad* 1.. Si actus probabilis, quia non est de necessariis, ad nullam pertinet scientiam; nec spectabit ad Logicam, quæ iuxtà aduersarios scientia est. Itaque scientia, strictè sumpta, non est nisi de necessariis: ac accepta sensu latiori, prout communiter accipitur, suam etiam materiam probabilem, quasi accessoriam, sibi vendicat, vt in Logicâ ipsâ videre licet.

17 *Ad* 2. In primis negari potest sine crimine, quòd materia probabilis, præsertim in rebus Theologicis, vilior sit artificio Logico. Deinde, esto sit vilior, non ideò transire debet in dominium Logicæ. Tum quia dispositio illa Iuris Ciuilis non est regulà generalis ad omnem formam artificiosam; siquidem *Inslit. eod. tit.* lancitur, vt ædificium in alieno solo structum, acquiratur domino soli, vel areæ; vtque litteræ, licèt aureæ sint, membranis cedant; adeò vt si Titius in chartis, membranisvè tuis carmen, vel historiam scripserit, non Titius, sed tu sis totius operis dominus. Est ergo prærogativa, & favor specialis, picturæ concessus. Tum maximè: quia artificium Syllogismi probabilis in materiâ Physicæ, fit à Physicâ ipsâ habituali, sine concursu Logicæ effectivo, vt infrà videbimus. Quarè Logica non pingit in alienâ tabulâ; sed regulas tradit, vt tabulæ dominus, eempè habitus Physicæ, picturam efficiat. Hic etiam obiici solent Aristoteles, & D. Thomas. Sed illi non tribuunt Logicæ omnem vsum probabilem in alienâ materiâ,

(f) 1. *Rhetor. ad Theodect. c.* 1. (g) *Eod. Lib. cap.* 2.

riâ, sed certum aliquem; vt parebit in secundâ conclusione nostrâ.

18 Tertia sententia, vt alias omittam, nullam agnoscit Logicam vtentem, præter illam, quæ Logicis præceptis vtitur circà propriam materiam, ideſt, circà Definitionem, Diuisionem, Syllogismum, &c. Hæc sententia, quæ maximè inter Recentiores nostros invaluit, non alio ex capite displicet, nisi quia genus aliud Logicæ vtentis excludit, contra mentem Aristotelis, & D. Thomæ, vt mox apparebit.

*Sententiæ nostræ prima conclusio.*

19 Quid nobis in hac lite sentiendum, duplici conclusione patescet. Prima sit: *Logica omninò proprie dicitur, & est vtens circà propriam materiam.* Probatur breviter. Logica regulas suas applicat, ac reducit ad praxim, circà propriam materiam: ergò sub hoc munere propriè dicitur, & est vtens. Consequentia patet ex prænotatis num. 3. 4. 5. *Prob. Antec.* Logica differendo tradit modum differendi, ideſt, rectè definiendo, dividendo, & argumentando tradit, & explicat modum rectè definiendi, dividendi, & argumentandi: actus autem isti, queis Logica differit in materiâ propriâ, proculdubio sunt conformes regulis Logicis, & ex earum prævià directione plerumque fiunt, vt experientia testatur: sunt igitur vsus, & praxis regularum. Cum ergo Logica habitualis rales actus efficiat, vt proprios, ipsa est, quæ tunc doctrinam suam applicat, ac reducit ad praxim.

20 Sed, licèt conclusio ista per se videatur perspicua, impugnatur à nonnullis 1.: quia demonstratio in materia Logicâ est actus secundus habitus scientifici Logicæ docentis; sed actus secundus habitus scientifici propriè non est vsus; alioquin actus secundus habitus Physicæ foret propriè vsus, dareturque Physica vtens: ergo, &c. 2.: quia demonstratio in materiâ Logicæ, est formaliter doctrina; sed doctrina non est vsus doctrinæ: ergo talis demonstratio propriè vsus non est. 3.: quia, iuxtà D. Thomam (h), *In parte Logicæ, quæ dicitur demonstrativa, sola doctrina pertinet ad Logicam, vsus verò ad Physicam, & alias scientias particulares:* idemque S. Doctor sæpe aliàs vtentem Logicam à demonstrativâ distinguit: ergo Logica demonstrativum syllogismum efficiens in materiâ propriâ, non est propriè vtens, sed purè docens.

21 His tamen facilè occurritur. Ad 1. *neg. Minor.*: nam quid prohibet, actum secundum habitus scientifici esse vsum doctrinæ syllogisticæ, cuius præcedente directione fiat? Nec dubium est, quin demonstrato de obiecto physico fit etiam vsus passivus doctrinæ Logicæ, ipsaque scientia Physica vere sit vtens eâdem doctrinâ, non minùs quàm Logica; hoc vno discrimine, quòd Physica est vtens regulis alienis, Logica propriis. *Ad 2. conc. Maj., dist. Min.*: doctrina non est vsus doctrinæ, à se indistinctæ, *conc.*; à se distinctæ, & prælucentis, *neg. Minor. & Consequent.* Idem actus est doctrina, & vsus respectu diversorum. Cum enim Logica definit Syllogismum, ea definitio est doctrina respectu Syllogismi, & est vsus

(h) *In 4. Metaph. Lect. 4.*

res-

respectu regularum rectè definiendi, quas observat. Pariter cum Logica demonstrat Definitionis proprietates; talis demonstratio est doctrina respectu Definitionis, & est visus respectu generalis doctrinæ rectè demonstrandi, quâ vtitur. In hoc autem nulla est absurditatis vmbra.

22 *Ad* 3. D. Thomas apertè loquitur de parte demonstrativâ Logicæ obiectivâ, ideſt, de demonstrationibus in alienâ materiâ, quas Logica pro obiecto respicit, & in quibus ipsa non habet vsum activum, sed solam doctrinam; quiâ non aliter ad eas concurrit, quàm docendo, qualiter fieri debeant. At modò loquimur de demonstrationibus subiectivè Logicis, quæ scilicet sunt actus proprij Logicæ docentis: in his autem tam vsus, quàm doctrina, proculdubiò pertinet ad Logicam, & nullatenùs ad Physicam, aut alias scientias. Quo sensu Logicam vtentem à demonstrativâ distinguat D. Thomas, dicemus statim.

*Secunda conclusio.*

23 *Logica etiam extrà propriam materiam est vtens per extensionem, aut accessionem quamdam in parte Topica.* Probatur, & explicatur. Pars Logicæ Topica (quam Aristoteles, & D. Thomas specialiter *Dialecticam* vocant) considerari potest, vel vt docens, vel vt vtens (1). Topica docens est, quæ tradit regulas, & methodum probabiliter differendi in qualibet materiâ, præsertim ex communibus Locis (vnde *Topica*, ideſt, *Localis*, dicta est), quos Locos indicavimus in Summul. cap. vlt.: atque eo fine præscribit pronunciata quædam (*Maximas* vocant), singulis accomodata Locis; v.g. pro Loco *Definitionis* hanc Maximam, *Cui non convenit Definitio, non convenit Definitum*; & pro Loco Consequentis illam, *Sublato Consequenti, necesse est tolli Antecedens.* De Maximis huiusmodi fusè agit Aristoteles in Topicis, & faciliori methodo Fonseca noster Lib. 7. Instit. Dialect. à cap. 10. Hæc Topica docens, verè, & propriè Logica est, sive pars Logicæ.

24 Topica vtens est, quæ probabiliter argumentatur iuxtà doctrinam Topicæ docentis. Hæc etiam propriè est pars Logicæ, quando probabiliter argumentatur in materiâ propriâ, vt cum probat, *Blitiri* esse terminum Logicum, vel non dari Figuram quartam, sive Galenicam. Dum verò extrà propriam materiam argumentatur ex communibus Locis, sive Maximis, tunc dicitur *Logica vtens*, non propriè, & strictè, sed per extensionem, aut accessionem. In primis, quòd talis vsus pertineat ad Logicam, seu Dialecticam, ab eoque dicatur Dialectica vtens, constat ex Aristotele, qui passim docet, supponitque, Dialecticæ esse de quavis re propositâ differere probabiliter, & hoc sensu Dialecticam dicit nullum habere certum obiectum, sed per omnia rerum genera vagari. Videatur 4. Metaph. c. 2., 1. Poster. c. 8. & 1. Rethoric. ad Theodect. c. 1. 2. 3. Constat item ex D. Thomâ, cuius hæc sunt verba in 4. Metaph. Lect. 4.: *Dialectica vtens est secundum quod modo adiunctio* (tradito scilicet à Dialecticâ, seu Topicâ docente) *vtitur ad concludendum aliquid probabiliter in singulis scientijs.* Legatur ibi, & 1. Poster. Lect. 20., atque etiam Opusc. 70. quæst. 6. art. 1.: quibus in locis

(1) *V. D. Thom. 4. Metaph. Lect. 4.*

tam

tàm perspicuè rem istam docet, vt aliter explicari nullatenùs possit.

25 Deinde, quòd talis Dialectica vtens non sit propriè, & strictè Logica, probatur ex ipsâ obiectorum diversitate. Nam Logicæ obiectum est artificium Modi sciendi, sive rectitudo operationum Intellectus: at Dialectica vtens nulli certo adstringitur obiecto, sed per omnia rerum genera funditur, vt nuper ex Aristotele vidimus. Quod etiam discrimen notavit D. Thomas 1. Poster. Lect. 20., vbi distinguit obiectum Logicæ ab obiecto Dialecticæ, dicitque, Logicam non esse de rebus communibus, sed de Syllogismo, Enuntiatione, & alijs huiusmodi, *& non procedere ad aliquid ostendendum de rebus, quæ sunt subiecta aliarum scientiarum. Sed hoc* (inquit) *Dialectica facit, quia ex communibus intentionibus probat arguendo ad ea, quæ sunt aliarum scientiarum, sive sint propria, sive sint communia.* Et paulò inferiùs: *Est ergo Dialectica de communibus, non solùm quia pertractat intentiones communes rationis, quod toti Logicæ est commune; sed etiam quia circà communia rerum argumentatur.*

26 Cur ergo, inquis, facultas ista insignitur nomine *Dialecticæ*, seu *Logicæ vtentis*? *Resp.* Duplici ex causâ. 1.: quia syllogismi spectantes ad facultatem istam, illi sunt, qui in alienâ materiâ concludunt ex aliquâ saltem præmissâ Logicâ: v.g. *Cui non convenit Definitio, non convenit Definitum; sed invidiæ non convenit definitio virtutis; ergo invidia non est virtus.* Ubi Conclusio est in alienâ materiâ, sed præmissa Maior est omninò Logica, & Minor etiam ex parte. Notum est autem, Conclusiones illius esse facultatis, ex cuius principijs ipsæ probantur (k). 2.: quia, si fortè syllogismus probabiliter concludat in materiâ communi, seu nullius scientiæ propriâ; novo titulo adscribitur Dialecticæ vtenti: eo quod materia, nullius dominio subiecta, fit primò occupantis; & tunc primò, vel vnicè, occupatur à Logicâ, ratione formæ, & artificij syllogistici, quo veluti sigillo quodam obsignatur.

27 His igitur de causis nomen *Logica*, seu *Dialectica* extensum est ad eiusmodi syllogismos ex quâdam congruentiâ rationabili. Quare tàm actus ipsi, quàm habitus, vnde profluunt, vocari poterunt *Logica accessoria*, vel *adscititia*. Sed, vt nonnullos scrupulos amoveas, *not.* 1. Sola hæc Dialectica accessoria, apud antiquos, & præsertim apud D. Thomam, dicitur *Dialectica vtens*: quia Logica, licèt sit *vtens* intrà propriam materiam, & magis propriè; simul etiam penès omnes actus est *docens*, quæ denominatio prævalet vt nobilior. At in alienâ materiâ, cum sit *purè vtens*, non nisi ab hoc munere nominatur. Sic *Vegetabile* absolutè dicitur de plantis, & à *Sensitivo* condistinguitur; licèt omne sensitivum sit etiam vegetabile.

28 *Not.* 2. Syllogismus, ex principijs communibus concludens in materiâ aliarum scientiarum, si demonstrativus sit, non erit proprius Logicæ vtentis, sed illius scientiæ, cuius est materia conclusionis. Vt enim inquit Philosophus 1. Poster. c. 8., *Communicant scientiæ omnes secundùm communia* (principia) *... quibus vtuntur tanquam ex his demonstrantes*: quod idem confirmat D. Thomas ibi Lect. 20. Id ipsum puto de syllogismo probabili, qui ex principijs merè communibus concludat in materiâ, non com-

(k) *V. suprà num.* 14., & *D. Thom.* 1. *p. q.* 1. *art.* 1. *ad* 2.

communi, sed propriâ alicuius scientiæ. Principia merè communia sunt, quæ nullius particularis scientiæ proprium obiectum sapiunt, sed omnibus indifferenter patent: v. g. *Totum est maius sua parte: Quæ sunt eid. m æqualia, & inter se sunt æqualia.*

29 Conclusiones igitur probabiles in materiâ aliarum scientiarum, tum solùm pertinent ad Dialecticam vtentem, cùm ducuntur ex principiis generalibus, non merè communibus, sed sapientibus *intentiones*, quæ sunt obiectum Logicæ, qualem habes suprà num. 26. Audi D. Thomam in 4. Metaph. Lect. 4.: *Dialecticus procedit ad ea considerandа* (communia accidentia entis) *ex intentionibus rationis, quæ sunt extraneæ à natura rerum: & ideò dicitur, quòd Dialectica est tentativa, quia tentare proprium est ex principiis extraneis procedere.* Quodsi Dialectica dicitur esse *de communibus*, ideò est, *quia circà communia rerum argumentatur*, vt nos docuit idem D. Thomas num. 25. semper tamen argumentatur ex intentionibus Logicis *Generis, Differentiæ, Definitionis, Consequentis* &c.

30 *Not.* 3. Doctrinam, quam de parte Topicâ dedimus, eandem ferè tradunt iisdem locis Aristoteles, ac D. Thomas, de parte Logicæ Sophisticâ: quæ si consideretur prout docet paralogismorum dolos, vt detegantur, verè est Logica docens; si verò consideretur vt conficiens paralogismos in materiâ quâlibet, dicitur *Sophistica vtens*, sive *Logica vtens sophistice*. Sic tamen ad sensum improprium alienatur Logica, ficus homo cum dicitur *pictus*: nec tam est Logica *vtens*, quàm *abutens*; quia sophisma, saltem quod in formâ peccat, magis est abusus, quàm vsus doctrinæ Logicæ. *Not.* 4. Apud Græcos præsertim, Logica docens dicitur *à rebus avulsa*; vtens verò, *rebus concreta*: quia scilicet illa doctrinam tradit generalem, materiæ cuilibet indifferentem; hæc verò, doctrinam applicat, & contrahit ad materiam determinatam.

## CAP. III.

### *An, & quatenus Logica Vtens à Docente distinguatur?*

1 QUæstio proposita locum habet in Logicâ Utente, tum intrà, tum extrà propriam materiam, tum actuali, tum habituali. Quod attinet ad actualem intrà propriam materiam, ex dictis facilè duo colliges. 1.: nullum esse actum Logicæ Vtentis, qui non sit etiam Docentis. Nam Logica circà suum obiectum semper aliquid docendo procedit: ergo omnis actus vtens circà obiectum Logicæ, simul est docens: sic tamen, vt sit docens, & vtens respectu diversorum, semperque distinguatur ab actu, cuius doctrinâ formaliter vtitur, vt constat ex cap. præced. num. 20. Dixi *formaliter*: quia *materialiter*, aut *exercitè* poterit actus aliquis vocari vsus sui ipsius, hic v.g. *Definitio est Oratio explicans essentiam rei*: docet enim, qualis debeat esse Definitio, & simul exercitè observat, quod docet. Cæterùm non est vsus formaliter suimet: quia formalis vsus præsupponit rem, cuius est applicatio: nihil autem se ipsum præsupponit.

2 Colliges 2.: aliquos esse actus Logicæ docentis, qui non sunt formaliter vsus, aut vtentes: illa scilicet prima dictamina, quibus intellectus in hac arte initiatur, seu quibus

Lo-

Logica incipit adquiri: quæ dictamina pro varijs Intellectibus possunt esse varia. Alius enim incipiet ab hoc actu, *Enuntiatio est Oratio, affirmans, aut negans vnum de alio*: alius ab hoc, *Diuisio debet Totum in suas partes distribuere*: alij etiam ab alijs. Hæc igitur prima dictamina Logicæ artificialis nullam præsupponunt regulam Logicam in eo intellectu, cui innascuntur: ergo nullâ regulâ præexistente diriguntur: ergò nullius regulæ sunt formalis vsus; siquidem omnis vsus formalis cum attentione ad prælucentem regulam fieri debet. Nihilominus in actibus hisce primis reperitur vsus materialis, aut quasi fundamentalis, idest, intrinseca, & passiva rectitudo, quæ conformaretur regulis Logicis, si præcessissent. Tales enim actus vt minimùm continent artificium propositionis, quale præscribit doctrina Logicæ. Unde in hoc sensu fundamentali, & improprio, nullus in Logicâ est actus docens, qui non sit vtens.

3 Quod attinet ad Logicam habitualem vtentem in materiâ propriâ, dico 1.: *nullus in Logica est habitus vtens formaliter, qui non sit simul docens*. Probatur: Omnis actus formaliter vtens in materiâ Logicę, simul est docens, vt constat ex num. 1.: ergo habitus ex actibus vtentibus generatus, simul est habitus docens, & vtens. Patet consequentia: nam, iuxtà omnes, habitus acquisitus sapit naturam actuum, à quibus gignitur, aliosque similes producit. Semper tamen, quemadmodùm actus, ita & habitus est docens & vtens respectu diuersarum Logicæ partium, v. g. docens respectu partis syllogisticæ, vtens respectu partis definitiuæ, & sic de alijs.

4 Dico 2.: *datur in Logica habitus docens, qui non est per se vtens formaliter*. Probatur: dantur actus Logicæ docentis, qui non sunt formaliter vtentes, vt constat ex num. 2.; sed habitus ex actibus hisce genitus, eorum naturam sapere debet: ergo talis habitus erit docens, quin sit formaliter vtens per se. *Obiic.*: omnis habitus docens facilitat ad vsum doctrinæ, quam tradit; sed omnis habitus facilitans ad vsum doctrinæ, est habitus vtens: ergo omnis habitus docens est vtens. Unde, si primum Logicę dictamen sit hoc, *Diuisio debet Totum in suas partes distribuere*; habitus inde genitus, non solùm erit docens respectu Diuisionis, verùm etiam vtens eâdem doctrinâ dividendi; cum facilitet ad exequendas particulares divisiones, saltèm intrà materiam Logicæ. Hæc obiectio redibit paulò inferiùs, solveturque distinctiùs, nec non cap. sequenti. Dissipabitur etiam cap. 5., vbi de simplicitate Logicæ habitualis agemus: ibi enim opportuniùs decidetur quæstio in præsenti disputari solita; *Utrùm* scilicet *habitus Logicæ docentis sit vtens respectu doctrinæ, quam ipse tradit, intrà materiam Logicam? an verò talis vsus requirat habitum realiter distinctum?* Vtens, inquam, intrà materiam Logicam: nam extrà illam, quid tenendùm sit, dicemus statim. Interim *dist. Mai.*: facilitat mediatè, medio scilicet actu dirigente, quem producit, *conc.*; facilitat immediatè, exequendo scilicet vsum doctrinæ, *neg. Mai.* Similiter *dist. Min.*: si facilitet immediatè, *conc.*; si mediatè dumtaxàt, *neg. Min.* & *Consequent.*

5 Sed nota, in assertione positâ solùm negari, quòd habitus do-

docens, ex primis actibus Logicæ genitus, sit vtens *per se*. Quia scilicet *per accidens* esse poterit formaliter vtens. Nam assuetudo repetendi actus sine attentione ad regulam præ-lucentem, licèt per se non exigat cum tali attentione operari, non tamen ei repugnat. Quare, si decursu temporis per accidens contingat, vt aliqua regula præluceat, non ideò desinet habitus operari. Explicatur. Primus Logicæ actus sit iste, *Diuisio est Oratio Totum in suas partes distribuens*: adquiratur habitus illum repetendi sine attentione ad regulas: tum superveniat eidem Intellectui regula ista, *Omnis definitio debet constare genere, & differentia*. Rogo, si cum attentione ad talem regulam definire velis Diuisionem vt sic, cur non poteris cum prædicto habitu sine regulis adquisito repetere actum omninò similem illi, *Diuisio est Oratio*, &c.? Certè actus huiusmodi non redditur difficilior ex eo quod regula definiendi præluceat. Tunc ergo producet ille habitus vsum formalem, eritque formaliter vtens.

*Quid de Logica vtente extrà propriam materiam?*

6 Restat Logica vtens accessoria, quæ scilicet probabiliter argumentatur extrà materiam propriam. Nec difficultas est de Logicâ actuali, seu de actibus ipsis, aut conclusionibus, quæ Logicæ vtenti tribuuntur in materiâ aliarum scientiarum: nam proculdubiò distinguuntur realiter ab actibus Logicæ docentis. Dubium ergo est de habitu, à quo procedunt, an sit realiter distinctus ab habitu Logicæ docentis? Duas hac de re sententias invenies, quæ in omni Scholâ patronos habent. Prima tenet, ad vsum activum Logicæ extrà propriam materiam, nullum habitum requiri præter habitum Logicæ docentis, qui solus à tali vsu denominatur vtens. Secunda ex adverso requirit habitum realiter à docente distinctum. Hanc veram reputo, &c.—

7 *Prob. 1.* Vius Logicæ extra materiam propriam, non versatur circà obiectum formale Logicæ docentis: ergo Logicæ docentis habitus non exequitur vsum huiuscemodi: ergo distinctus habitus adstrui debet, qui talem vsum exequatur. Hæc secunda Consequentia patet: quia talis vsus crebrò repetitus, necessariò generat aliquem habitum, qui deinde similes exequatur actus; *Ignorare* quippe, *ex operationibus, quæ fiunt circà res singulas, habitus ipsos emergere, nimium hebetis hominis est*, vt inquit Aristoteles (a): quare, si habitus iste non est Logicæ docentis, alius est. Prima verò Consequentia non minùs perspicua videtur: quia nullius habitus efficacitas extenditur vltrà sphæram, aut ambitum sui obiecti formalis; vt constat, tum inductione per habitus omnium scientiarum; tum ex eo quòd habitus inter se differunt secundùm differentias actuum, vti docent Aristoteles (b), ac D. Thomas (c): vnde, cum vsus, vel actus non respiciens obiectum formale Logicæ docentis, proculdubiò differat specie ab ipsius Logicæ docentis actu, consequens est, vt habitum executivum postulet differentem.

8 Antecedens itaque probatur. Perinde est versari extrà materiam Logicæ propriam, ac extra obiectum ipsius formale: nomine quippe obiecti formalis intelligitur in arte, vel scientiâ quâlibet, aliqua ratio



(a) 3. *Ethic. cap.* 5. (b) 2. *Ethic. cap.* 1. (c) *Ibi Lect.* 1.

artificij, vel obiecti scibilis, ad certum materiæ genus coarctata: cum ergo vlus, de quo loquimur, versetur extrà propriam materiam Logicæ docentis, nequit non extrà obiectum ipsius formale versari. Confirmatur, & explicatur. Obiectum Logicæ formale est artificium Modi sciendi (sive dicatur ens rationis subiectivum, sive purè obiectivum); sed actus Logicæ vtentis extrà propriam materiam, non versatur circà tale artificium, ideſt, non illud respicit pro obiecto: ergo, &c. *Prob. Min.*: hic syllogismus v. g., *Posito Antecedenti, ponitur consequens; sed in rerum natura ponitur, sive datur ignis, ex quo sequitur calor in fumo; ergo calor in fumo datur in rerum natura*: hic, inquam, discursus pertinet ad Logicam vtentem accessoriam, ex dictis cap. præced.: at eius conclusio nullum respicit artificium Modi sciendi, sed veritatem deregit purè physicam, vt evidens est: ergo, &c.

9 Dices: licèt obiectum materiale conclusionis sit purè physicum, eiusdem tamen obiectum formale, sive motivum, est idem, ac Præmissarum; nam generatim conclusionibus assentimur propter Præmissas. At obiectum formale Præmissarum, saltem Maioris, est verè Logicum. Sed *contrà*. Esto Maior in exarato syllogismo sit actus verè Logicus, obiectumque Logicum respiciat non ita Minor, & Conclusio. Non Minor etenim quod detur ignis in rerum naturâ, & quod ex igne sequatur calor in fummo, Logica nihil curat, neque vllum principium, aut regulam habet, vnde quis moveatur ad assentiendum hisce veritatibus: ergo motivum, sive obiectum formale talis assensus, nequit esse Logicum. Non item Conclusio: hæc etenim non movetur ex obiecto Maioris vtcumque, sed ex eo prout modificato per Minorem, contractoque ad materiam physicam, & Logicæ extraneam: ergo motivum Conclusionis vt tale, iam habet aliquid extraneum Logicæ, cuius proinde ambitum, & sphæram obiectivam egreditur. Adde quod obiectum formale, ac motivum Conclusionis, non est præcisè medium, vnde probatur (saltem quando medium non est purè extrinsecum, vt si solum ab authoritate probatur); sed est etiam ipsamet veritas obiectiva, quam detegit; vt sapienter docet, & explicat Eximius Doct. (d), nosque alibi Deo dante docebimus.

10 *Prob.* 2. Habitus Logicæ docentis est scientificus: sed habitus vtens extrà materiam Logicæ, non est scientificus, sed opinativus: ergo non est habitus Logicæ docentis. Maior conceditur ad adversarijs. *Prob. Min.* Habitus vtens extrà materiam Logicam, producit actus opinativos, seu merè probabiles; sed nullus habitus scientificus producit actus merè probabiles: ergo, &c. Vtraque præmissa probanda est. Et in primis Maior expressè supponitur ab Aristotele, ac D. Thoma locis citat. cap. præced. in secundâ conclusione: hi quippe Philosophiæ Principes perpetuò docent, proprium esse Dialecticę in quacumque materiâ *probabiliter* argumentari, & *ex probabilibus* concludere ideòque negât, Dialecticam, quâ parte est vtens in materiâ qualibet, esse scientiam. Ratio autem est, vel quia, vt docet D. Thomas 4. Metaph. lect. 4., vlus ille Logicæ nititur *principijs extraneis*, quæ non sunt apta

ad

(d) *Disp.* 44. *Metaph. sect.* 11. *n.* 46. & 47.

ad demonſtrationes vel etiam, quia Dialectica, licèt quandoque vtatur Præmiſſis in ſe certis, & fortè demonſtrativis, non ijs vtitur, quia certæ ſunt, ſed quia communiter putantur verifimiles, ſeu quia veræ videntur illis, quibuſcum diſputat. Idquod optimè notavit P. Fonſeca (e).

11 Deinde probatur Minor: Omnis habitus ſcientificus producit actus demonſtrativos, & evidentes, & ab ijſdem generatur: ergo nullus poteſt producere actus probabiles. *Prob. Conſeq.*: nullus habitus producere poteſt actus ſpecie diverſos, & in obiecto formali diſſimiles ijs, à quibus eſt genitus; ſed actus probabiles ſpecie differunt à demonſtrativis, ijſdemque diſſimiles ſunt in obiecto formali, ſeu motivo: ergo, &c. Maior tamquam principium Philoſophicum habetur. Minor indubia pariter eſſe debet: nam motivum aſſenſus probabilis eſt medium, vel incertum in ſe, vel propoſitum vt fallibile; aſſenſus verò demonſtrativi, medium prout certum, ac infallibile: in quibus medijs valde formalis eſt diverſitas. Idcircò nemo eſt, qui inter ſcientiam, & Opinionem, non agnoſcat formalem, & ſpecificam diverſitatem. (f)

12 *Confirm.* 1. Habitus ſcientificus eſt virtus intellectualis, vt concedunt omnes cum Philoſopho, & D. Thomâ; ſed actus opinativus procedere nequit à virtute intellectuali: ergo nec ab habitu ſcientifico. *Prob. Min.* ex D. Thomâ 1. 2. q. 57. ar. 2. ad 3. ibi: *Soli illi habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus ſemper dicitur verum, & nunquam falſum*; at, ſi actus opinativus procederet à virtute intellectuali, iam non ſemper eâ virtute diceretur verum, & nunquam falſum, ſiquidem actus opinionis tum verus, tum falſus eſſe poteſt, vt ibidem docet Angel. Doctor, & nemo negat.

13 *Confirm.* 2. Syllogiſmi probabiles Logicæ vtentis acceſſoriæ, generant habitum, non ſcientificum, ſed purè opinativum, ac proinde diſtinctum ab habitu ſcientifico Logicæ docentis. Prob. Aſſumptum: ſiquis, nondum prædictus Logicâ docente, tales ſyllogiſmos probabiles eliceret inſtinctu Logicæ naturalis, per eos acquireret habitum opinativum; quod videtur per ſe certum, firmarique poteſt auctoritate Ariſtotelis relatâ num. 7. eumdem igitur habitum acquirer, qui tales ſyllogiſmos elicit prædictus Logicâ docente, cuius præſentiâ, directionevè, ſyllogiſmi probabiles certè non amittunt virtutem habitus generandi.

*Argumenta Contraria, & Solutiones.*

14 Ex Auctoribus contrariæ ſententiæ, alij tribuunt habitui Logicæ docentis concurſum effectivum circà vſum Dialecticæ proprium in materiâ qualibet: alij verò nonniſi concurſum directivum, quem ſufficere putant, vt habitus docens dicatur vtens extrà propriam materiam, quin requiratur alius habitus vtens, à quo procedat efficienter vſus actualis. Hic tamen poſterior opinandi modus incredibilis eſt. Tum, quâ parte docet, nullum eſſe habitum, à quo procedant efficienter actus Dialecticæ vtentis, quantumvis illis aſſuefacat Intellectus. Recole dicta n. 7. & 13. Tum etiam, quâ parte ſufficere dicit influxum directivum, vt habitus verè dicatur vtens. Nam, præ-



(e) *L. 7. Inſtit. Dial. c. 9.* (f) *Vid. Coimbric. in 1. Poſter. cap. 26. q. 1. art. 3.*

ter dicta cap præced. in refutatione primæ sententiæ circa extensionem Logicæ vtentis, fieret inde, vt omnis consiliator, aut Legislator, verè diceretur consilijs, aut Legibus vtens, eo præcisè, quod secundùm consilia, seu Leges ipsius operarentur alij. Cur ergo passim dicimus, aliquos esse Medicos, Concionatores, Consultarios, qui cum optima consilia, & documenta præbeant, quibus alij proficiunt, ipsi tamen ijs non vtuntur? Sed vndecumque nobis adversentur, argumenta nunc solvere breviter curabimus.

15 *Obj. 1.*: vbi non est nova difficultas, vincenda per habitum, non est novus habitus; hic enim nonnisi ad difficultatem aliquam superandam adstruitur: sed posità doctrinâ Logicæ, & habitu docente, nulla iam superest difficultas in vsu doctrinæ, vincenda per habitum: ergo vsus, ideſt, actus Logicæ vtentis, nullum requirit habitum à docente distinctum. *Prob. Min.*: qui doctrinâ, ac regulas possidet, in earum vsu & applicatione nullam experitur difficultatem, nisi ex defectu materiæ, quam forte non habet in promptu: Sed difficultas, orta ex defectu materiæ, non est vincenda per habitum: ergo, &c. Maior certa videtur: quid enim potest cum remorari, qui & regulas artis, & materiam idoneam habeat in promptu? Præsertim si regularum vsus, & executio, non ad aliam potentiam, sed ad eamdem Intellectivam spectet. Minor verò perspicua est: nam ad habitum Logicæ non attinet materiam quærere, sed circà ipsam aliunde oblatam facilè differere: ministratur autem materia per species intentionales, auditu, lectione, & experientiâ multiplici conquisitas.

16 Ad Argument. *resp.* 1. *admitt. Mai., neg. Min.*. Ad probat. *neg. Mai.*. Ratio negationum est: quia doctrinæ vsus, de quo loquimur, importat assensum circà obiectum formale diversum ab obiecto doctrinæ, vt constat ex nostris probationibus. In hoc autem assensu nova difficultas est, non præcisè ex defectu materiæ, quæ ministrari, proponique potest, quin Intellectus syllogisticum examen adhibeat, & assensum præbeat; sed ex defectu etiam affluentiæ in amplectendis novis hisce motivis, ac veritatibus, præsertim merè probabilibus, quæ mentis assensum incertitudine retardant. Unde parum refert, quòd doctrina, & vsus Logicæ spectent ad eamdem potentiam Intellectivam: hæc enim varijs indiget habitibus pro varietate obiectorum formalium, quibus applicat regulas Logicæ; alioqui superfluerèt habitus aliarum scientiarum, soluſque sufficeret habitus Logicus ad differendum, seu demonstrativè, seu probabiliter, in omni materiâ, cum speciebus studio, & experientiâ cõquisitis.

17 *Resp.* 2.: esto non sit nova difficultas *positiva* in vsu Logicæ, regulis, & materiâ in promptu habitis: est tamen nova difficultas *negativa*, ideſt, carentia novæ, maiorisque facilitatis, quæ repetitis actibus acquiri potest. Notum quippe est, facilitatem, & habitum vsu generari, etiam in ijs rebus, in quas sunt homines à naturâ faciles, ac proni. Idquod in habitibus præsertim vitiosis nemo non videt, vt in superbiâ, irâ, intemperantiâ, vitijsque alijs, quæ passionum impetus nimis facilia etiam sine habitu reddit. Falsum est igitur, quod habitus nonnisi ad superandas positivas difficultates adstruantur: sæpe enim

enim ex actibus alioqui facilibus proculdubio resultat, vt facilius deinde similes actus eliciantur: tunc que, vel intenditur præexistens habitus, si iam anteà circà idem obiectum inchoatus sit; vel novus gignitur, si prævia facilitas proveniat à naturâ duntaxat, aut etiam à circustantijs, & cognatis habitibus.

18 *Obije.* 2.: habitus Logicæ docentis facilitat ad vsum regularum, vt experientia testatur: ergo eidem habitui tribuitur vsus iste, tanquam proprius: ego non opus est novo habitu vtente, cui tribuatur. *Dist. Antec.*: facilitat immediatè, *neg.*, mediatè, *conc. Antec.*: vel aliter, facilitat instruendo, *conc.*: facilitat exequendo, *neg. Antec.*. Deinde *dist. prim. Conseq.*: tribuitur eidem habitui, vt dirigenti, *conc.*: vt vtenti, *neg. prim. & secund. consequ.*. Explicatur solutio. Habitus Logicæ docentis facilitat ad vsum doctrinæ, non quidem *immediatè*, augendo scilicet vires Intellectus, vel ratione sui ad vsum inclinando sine interventu alterius effectus; sed *mediatè* duntaxat, medio scilicet actu doctrinali, quem elicit: hic enim actus, dum prælucet, ac dirigit, vsum reddit faciliorem, aut minùs difficilem. Hoc autem sufficit, vt illi habitui tribuatur vsus, non vt vtenti, sed vt dirigenti: quemadmodum Legislatori præscribenti subditis modum rectè vivendi, tribuuntur quidem, & imputantur mores subditorum Legibus vtentium; ipse tamen non ideò dicitur *vtens* legibus, nisi præterea legum doctrinam applicet ad proprios actus, quos immediatè exequitur. Nisi ergo probetur habitus Logicæ docentis per se immediatè exequens vsum doctrinæ, non probabitur vtens; & adstruendus erit novus habitus.

19 *Replic.*: habitus non aliter exequitur actum, quàm facilitando, nec aliâ de causâ habitus temperantiæ v. g. dicitur concurrere ad suos actus, aut illos exequi, nisi quia facilitat ad executionem ipsorum: si ergo Logicæ docentis habitus verè facilitat ad vsum doctrinæ, consequens est, vt illum verè exequatur. *Resp.* Non quidquid facilitat ad operationes aliquas, habitus est executivus ipsarum. Nam in primis vna virtus moralis ad acquirendas alias facilitat; nec tamen aliarum actus exequitur. Id quod in habitibus etiam vitiosis, & in scientificis, qui propter certam inter se cognationem, se se mutuò iuvant, cernere est. Deinde, dum constat, facilitatem oriri ex prævià directione, seu luce, quæ removet obscuritatis obicem, multò minùs attribuenda est habitui executivo: alioquin habitus Fidei exequeretur actum charitatis, ad quem dirigit; & quisquis alios instruit, vt iter faciant, non posset non ipse profectionem exequi. Tunc ergo facilitas recurrit cum habitu executivo (loquimur de habitu acquisito), quando constat, non aliunde provenire, quàm ex frequenti vsu, & exercitio actuum eiusdem speciei.

20 *Obije.* 3.: doctrina, & vsus Logicæ sunt actus inter se subordinati, sicut amor Dei, & amor proximi, aut etiam desiderium, & gaudium eiusdem obiecti: sicut ergo ab eodem habitu oritur amor Dei, & proximi, nec non desiderium, & gaudium; ita ab eodem habitu Logicę oriri debent doctrina, & vsus. *Neg. Antec.*: nam doctrina, & vsus, de quo loquimur, respiciùt diversa obiecta formalia: at amor

Dei, & amor proximi (etiam propter Deum) nituntur eodem motivo, quod propriùm est habitus charitatis: item desiderium, & gaudium eiusdem obiecti, si ab eodem habitu procedunt, ideò erit, quia idem habent motivum intrinsecum, ac directum, eamdem scilicet obiecti bonitatem, licèt illam actus desiderij præsupponat absentem, actus verò gaudij, præsentem.

21 *Replicâ*: idem habitus sufficit ad propositionem vniversalem, & ad omnes particulares, aut singulares sub eâ contentas: ergo idem pariter sufficiet ad doctrinam, & vsum. Patet consequentia: quia vsus est actus virtualiter contentus in actu doctrinæ, sicut propositio particularis virtualiter continetur in vniversali. *Resp. neg. consequ.*: nam ex Antecedenti solùm sequitur, quòd idem sufficit habitus ad actum doctrinæ vniversalem, & ad omnes particulares eiusdem doctrinæ; idem v. g., qui hunc actum elicit, *Omnis definitio debet constare genere, & differentia*, elicere poterit & istos, *Definitio hominis debet constare genere, & differentia, Definitio Leonis debet constare*, &c. Et ratio est; quia isti omnes assensus reipsâ respiciunt idem obiectum formale, artificium scilicet rectæ Definitionis, omnesque nituntur eodem motivo benè explicandi essentiam Definiti.

22 At vsus doctrinæ extra materiam Logicæ, identicè importat assensum circà diversum formale obiectum: quis enim non videat, obiecta formalia longè diversa respici ab his actibus, *Definitio constare debet genere, & differentia*, &, *Homo est animal rationale*, quorum posterior continet vsum prioris? Aliò igitur modo continetur propositio particularis in vniversali, & alio continetur vsus in actu doctrinæ: nam illa est velut continentia partis in toto; hæc verò, continentia actus regulati in suâ regulâ, quâ ratione continetur vsus, & praxis Legum in Legibus ipsis, quæ certè praxis distinctum habitum requirit.

23 *Obijc. 4.*: D. Thomas, cùm de Logicâ docente, & vtente loquitur, reduplicatione vtitur, v.g. 4. Metaph. Lect. 4. verbis illis: *Dialectica potest considerari secundùm quod est docens, & secundùm quod est vtens*: at illa reduplicatio, *secundùm quod*, satis indicat, Logicam vtentem à docente distingui, non realiter, sed tantùm formaliter; quâ ratione homo secundùm quod est rationalis, distinguitur à semet ipso secundùm quod est animal. *Resp.* Reduplicatio, sæpe quidem sensum formalem indicat; non tamen semper; denotat enim haud rarò partes, aut extrema realiter distincta, vt cum ora Hispaniæ maritima dicitur ferax, *quatenùs* Meridiem respicit; & sterilis, *quatenùs* Boream spectat. Hoc igitur sensu reduplicationem adhibet in re præsenti D. Thomas, quem nobis favere, satis constat ex dictis.

## CAP. IV.

### *An Logica concurrat efficienter ad actus aliarum scientiarum?*

1 QUæstio proposita de Logicâ habituali procedit, non de actuali, sive de actibus doctrinalibus Logicæ propriis: hos enim parè dirigere, quin efficienter influant in actus à se directos, tenet communis sententia, quæ in præsentiâ supponitur ab Auctoribus. Solùm ergo quæritur, an habitus Lo-

Logicæ, non solùm producat regulam dirigentem, & ostendentem modum conficiendi syllogismum demonstrativum de obiecto Physicæ v. g. (quod est *directivè* concurrere)? ; verùm etiam ipsemet habitus immediatè operetur demonstrationem istam simul cum habitu Physicæ (quod est *efficienter*, aut *effectivè* concurrere)? Atque eadem est ratio dubitandi in definitionibus, divisionibus, & syllogismis probabilibus aliarum scientiarum, quando ex principijs ipsarum proprijs concludunt.

2 *Ipsemet*, inquam, *habitus* Logicæ docentis: de hoc enim quæstio instituitur apud Auctores cuiuivis Scholæ; quidquid reclamet vnus, aut alter, contendens, in præsenti aliud parandum esse de habitu Logicæ, non docentis, sed pure vtentis, admittendumque talem habitum, realiter à docente distinctum, qui ad actus aliarum scientiarum effectivè concurrat. Quem tenuum expressit Mastrius Quæst. Proœm. de Nat. Logic. n. 9. fin., vbi docet, ad syllogismum faciliter constructum in materia Physica, tres habitus concurrere, videlicet habitum Logicæ docentis, habitum Logicæ vtentis, & habitum Physicæ, sic tamen, vt primus concurrat tantùm *directivè*, secundus *elicitivè* (ideſt, *efficienter*) quantùm ad formam syllogisticam, tertius *elicitivè* quantùm ad materiam.

3 Sed verò tenius iste reijciendus omninò videtur. Nam, vel hic habitus Logicæ vtentis est ille ipse, qui regulis vtitur intrà materiam Logicæ? vel alius ab eo realiter distinctus, ac præcisè destinatus ad producendam formam syllogisticam in actibus aliarum scientiarum? Si primum dicas: habitus ille realiter est docens, vtpotè productivus actuum docentium: nullus quippe actus intrà materiam Logicæ est purè vsus, sed simul est doctrina, seu regula circà aliquam Logicæ partem. Si ergo præsens quæstio procedit de tali habitu, reipsa loquitur de habitu docente; licèt concursus effectivus in alienos actus non tribuatur ipsi quatenùs formaliter docenti, sed quatenùs vtenti; quod verum est admisso tali concursu, nec communem quæstionis sensum variat.

4 Si verò secundum teneas: habitus ille fictitius apparet, duplici ex capite, vt alia omittam. 1.: quia talis habitus generari nequit, nisi ex iteratis syllogismis aliarum scientiarum, v. g. Physicæ: at incredibile est, quòd syllogismus Physicæ primò generet duplicem habitum realiter distinctum, alterum Physicæ, alterum Logicæ vtentis, alterum ratione materiæ, alterum ratione formæ; maximè, cum forma ista, vel consistat in ente rationis ficto, vt Thomistæ volunt, cui enti nullus effectus realis correspondet; vel iuxtà nostra principia identificetur cum materiâ *ex qua*, proindeque ad ipsam faciliter habitus Physicæ, si facilitat ad materiam.

5 Secundo: quia repugnat habitus intellectualis, qui nullum obiectum respiciat: talis autem foret habitus ille vtens. *Prob.*: habitus non aliter obiectum respicit, nisi medio actu, quem elicit, vt notum est; sed actus, prout à tali habitu elicitus, nullum respiceret obiectum: ergo, &c. *Prob. Min.*: actus Physicæ, iuxtà Adversarios, solùm elicitur ab eo habitu vtente secundàm formam, prout realiter, vel formaliter condistinctam à tendentiâ in obiectum; hanc enim tendentiam soli habitui Physicæ adscribunt Adversarij: sed

forma illa, prout condistinguitur à tendentiâ in obiectum, nullum obiectum respicit, vt est evidens: ergo actus, prout elicitus â prætenso habitu vtente, nullum respiceret obiectum.

6 Aliud est in habitu docente, qui ponatur vtens, sive concurrens efficienter ad actum Physicę quantum ad formam: ille enim, cum aliàs producat etiam actus docentes, qui tendunt in obiectum Logicæ, non prorsus destituitur obiecto quantum ad omnes suos actus; quamvis alio ex capite talis concursus effectivus reprobandus sit ex infrà dicendis. Dices: nonnè ponimus & nos habitum Logicæ vtentis vnicè destinatum ad eliciendos actus extrà materiam Logicam? Ponimus quidem; sed habitum opinativum, qui non est Logicus *propriè*, sed *reductivè*, aut *accessoriè*; nec vllatenùs concurrit ad actus aliarum scientiarum proprios, sed ad eos tantùm, qui ex aliquâ Præmissâ Logicâ deducuntur, & in quibus talis habitus, non solùm producit formam, sed materiam quoque, sive tendentiam in obiectum. De habitu autem huiusmodi, præsens quæstio non loquitur, sed de illo duntaxat, qui propiè Logicus est, & aliàs obiectum respicit verè Logicum.

7 Hunc igitur habitum effectivè concurrere ad actus aliarum scientiarum, docent Thomistæ plures, vt Massius, Lerma, Dominic. Lynce, quos sequitur Gabriel à Concept. L. 4. dub. 6. confer. 1.: qui Auctores fateatur quidem, actus de obiecto physico à solo habitu Physicæ produci quantum ad substantiam, idest, quantum ad assensum, ac tendentiam in illud obiectum; censent tamen, à solo habitu Logicæ produci quantum ad formam artificiosam syllogismi, definitionis, &c. Contrariam sententiâ tuentur communiter Auctores nostri, multis etiam Thomistis subscribentib., vt Bayona, Palanco, Froylan, & novissimè Aguilera L. 1. Log. q. 2. n. 9. Hæc sententia placet, &. —

8 *Prob.* 1. ratione communi, sed efficaci. Nullus habitus immediatè producit actum, qui non tendat in eius obiectum formale; sed actus Physicæ v. g., non tendunt in obiectum formale Logicæ: ergo nequeunt ab habitu Logicæ immediatè produci. Consequentia legitima est, & Minor explorata: nam cum actus Physiologiæ tendant in res purè physicas, quas non respicit Logica formaliter, vt modò supponimus cum Adversarijs, non attingunt obiectum Logicæ formale. Maior autem ostenditur facilè. Tum ratione: nam habitus idem obiectum habet, ac actus, quem producit; actus etenim est actualis tendentia, per quam habitus attingere dicitur obiectum: ergo, quod fuerit formale obiectum actus, erit & habitus, & è conversò: ergo nequit actus esse immediata proles illius habitus, cuius obiectum formale non respicit. Tum inductione perpetuâ per habitus omnes aliarum scientiarum, necnon virtutum, atque vitiorum: nullus enim est, qui concurrat efficienter in actus non tendentes in obiectum formale, & specificativum sui ipsius.

9 Dices: actus Physicæ, licèt quoad substantiam acceptus non tendat in obiectum Logicæ formale, tendit tamen acceptus quoad formam,

mam, seu quatenus artificiosus est; quo tantùm sensu à Logicâ producitur. *Contra.* Quemadmodùm artificium picturæ expressum in tabulâ, est obiectum, quod ars Pictoria respicit suis actibus; non tamen est actus tendens in obiectum Pictoriæ: sic forma artificiosa syllogismi, est quidem ipsamet obiectum formale, quod Logica respicit per alios actus dirigentes; at neutiquam est actus in obiectum Logicæ tendens. Tum quia talis forma iuxtà Thomistas consistit in ente rationis purè obiectivo, quod non est actus, sed ex actu resultans. Tum quia, in quocumque consistat, non provenit per te ab habitu Logicæ, nisi vt condistinguitur à substantiâ syllogismi Physici, proindeque ab eius tendentiâ in obiectum. Quare non provenit à Logicâ, prout est tendentia, sed præcisè prout est modus tendendi artificiosus, vel realiter, vel formaliter distinctus à tendentiâ ipsâ. Nullatenùs ergo verificatur, quòd sit actus obiectum Logicæ formale respiciens.

10 *Prob.* 2. Nullus habitus acquisitus immediatè operatur, nisi actus similes ijs, à quibus est genitus. Ideò enim habitus acquisitus dicitur *Semen actuum*; quia sicut arborum semine nonnisi similes arbores propagantur; ita contingit in actibus ex habitu propagatis. Quâ etiam ex causâ dixit Aristoteles (a): *Omnes habitus ex operationibus similibus fiunt: quapropter tales quasdam operationes reddere oportet: ipsarum namque differentias habitus ipsi sequuntur.* Atqui actus Physicæ sunt dissimiles actibus, quibus primò est genitus habitus Logicæ, cum diversum respiciant obiectum formale, ex quo maximè pendet dissimilitudo, seu diversitas actuum: ergo, &c.

11 Dices: actus Physicæ, & Logicæ, sunt similes in artificio syllogismi v.g.; quod sat est, vt sub eâ ratione procedant ab eodem habitu. *Contrà.* Similitudo, quæ omninò requiritur, vt actus dicantur proles eiusdem habitus, consistit in eo quod tendant in idem obiectum formale. Tum quia, dum similitudo ista deest, manent actus absolutè, & simpliciter differentes, ac proinde ab eodem habitu profluere non possunt, vt modò vidimus. Tum etiam, quia licèt actus Physicæ, & Metaphysicæ similes sint in evidentiâ, certitudine, & efficaciâ generandi scientiam; tamen ab eodem habitu non profluunt; non aliâ de causâ, nisi quia in idem obiectum formale non tendũt.

12 *Prob.* 3. paritate Intellectus solùm directivè concurrentis ad actus voluntatis, Fidei ad actum charitatis, Prudentiæ ad actus aliarum virtutum, immò & omnium Artium ad ea opera, quæ iuxtà ipsarum regulas fiunt. Similiter ergo sat erit, quòd Logica directivè concurrat ad actus, quos aliæ scientiæ iuxtà regulas eius operantur.

13 Denique probatur nominatim contrà Thomistas adversantes. Logica non concurrit effectivè ad substantiam demonstrationis Physicæ, vt dicitis; sed nequit aliter efficere formam artificiosam, nisi efficiendo substantiam, sive assensus ipsos demonstrationis: ergo nec ad formam artificiosam effectivè concurrit. *Prob. Min.*: forma artificiosa iuxtà Thomistas est ens rationis in obiecto resultans ex cognitione: hoc autem ens, cum nihil sit, est incapax terminandi immediatè concursum aliquem effectivum: & eatenùs dicitur produci, quatenùs producitur cognitio, ex quâ resultat. Sed cog-

(a) 2. *Ethic. cap.* 2.

cognitio, ex quâ resultat ens rationis Logicum, est ipsa substantia actus Physici, ideſt, realis tendentia in obiectum directum, & *vt quòd*. Nisi ergo Logica substantiam istam, seu tendentiam efficiat, nequit efficere formam artificiosam. Explicatur, & vrgetur. Habitus Physicæ se solo producit tendentiam huius assensus, *Homo est animal*; sed ex hac tendentiâ iuxtà modernos Thomistas necessariò resultat exercitè, & indirectè relatio ficta animalis ad hominem, quam ipsi dicunt formam artificiosam, cum ille assensus exercitè distinguat, & inter se referat subiectum, & prædicatum: ergo superfluit concursus Logicæ, vt ea forma artificiosa resultet.

*Solvuntur Obiectiones.*

14 *Obiic.* 1.: habitus Logicæ facilitat ad actus aliarum scientiarum; sed omnis habitus effectivè concurrit ad actus, ad quos facilitat: ergo &c. *Prob. Min.*: quia, vt diserte docet noster Exim. Doctor (b), non potest intelligi, quomodo habitus facilitet potentiam ad actum, nisi cum illâ simul efficiendo, sive augendo virtutem per se effectivam talis actus. *Confirm.*: nam quisque experitur, se reddi faciliorem in Logicâ per exercitium, & praxim regularum in alijs scientijs: ergo actus aliarum scientiarum augent habitum Logicæ. Nullus autem habitus augetur, nisi per actus, quos ipse producit. Hoc argumentum affatim solutum est cap. præced. n. 18. & 19. Quare nunc breviter.

15 *Resp.* Habitus Logicæ facilitat ad alienos actus, non immediatè, sed mediatè duntaxat, medio scilicet actu dirigente, & ostendente modum differendi: quâ ratione Intellectus facilitat ad actus voluntatis, Prudentia ad actus virtutum, & Ars Pictoria inhærens Intellectui ad executionem externæ picturæ. Quocirca neganda est Minor argumenti, si de mediatâ etiam facilitate loquatur. Nec opportuna est subiuncta probatio. Nam Exim. Doctor eo loci tantùm intendit communem stabilire sententiam, Quod scilicet habitus facilitent potentiam, non præcisè tamquam dispositiones, aut conditiones quædam ad actus, sed tamquam virtutes, aut facultates cum potentiâ simul coefficientes. Loquitur autem de facilitate immediatâ circà actus proprios vniuscuiusque habitus, v. g. de facilitate, quam confert habitus Physicæ ad actus de obiecto physico, habitus Iustitiæ ad actus tribuentes vnicuique ius suum, & sic de alijs. Quæ immediata facilitas est propria habitus vt talis: mediata quippe, in directione consistens, magis propriè confertur ab actu mediante, ac dirigente, quàm ab habitu. *Ad Confirm. resp.* Habitus Logicæ augetur quidem per alienos actus, sed *occasionaliter*, quatenùs occasione differendi circa materiam aliarum scientiarum plures repetuntur actus Logicæ docentis, per quos, & non alios, immediatè augetur facilitas in Logicâ.

16 *Obiic.* 2.: actus Physicæ sunt similes actibus Logicæ in artificio: ergo ad eos effectivè concurrere debet habitus Logicæ. *Prob. Antec.*: nam ratio artificij, sub

(b) *Disp.* 44. *Metaph. sect.* 5. *num.* 7. & 10.

sub quâ tendit Logica, nempe syllogismi, definitionis, &c. æquè reperitur in actibus Physicis, ac Logicis. *Confirm.* 1.: quia, vt inquit Exim. Doctor (c), *Inclinatio potentiæ*, vt est sub tali habitu, per se non est ad hanc vel illam rem ratione materiæ, sed ratione formæ, seu propter talem motivum, quod in eâ invenitur: ergo si hæc ratio est omninò eadem, quanvis sit applicata ad diversas materias, inclinatio potentiæ indivisibiliter perficitur in ordine ad illam, in quacumque materiâ *inveniatur*. Atqui forma artificiosa est omninò eadem in actibus physicis, ac logicis, quamvis sit applicata ad diversas materias: ergo inclinatio potentiæ, vt est sub habitu Logicæ, indiscriminatim fertur in vtrosque actus: ergo ad vtrosque concurrit efficienter habitus Logicæ. *Confirm.* 2.: artificium Demonstrationis v. g., est omninò extrà sphæram habitus Physicæ: ergo à Logicâ effici debet: sicut Visio beata, quatenùs supernaturalis est, efficitur à Lumine gloriæ; quia supernaturalitas est extrà sphæram Intellectus.

17 *Ad argum. dist. Antec.*: sunt similes in artificio seorsùm considerato, *conc.*; in artificio prout contracto per tendentiam & ordinem ad obiectum, *neg. Antec.* & *Conseq.* Nam, vt ostendimus num. 11., similitudo, quam requirit habitus in actibus efficiendis, consistere debet in ordine, & tendentiâ ad idem obiectum formale. Alioquin, si quævis similitudo sufficeret, vnicus habitus efficeret omnes actus scientificos circâ omnia obiecta, vtpote similes in evidentiâ: vnicum principium supernaturale, omnes actus supernaturales, vtique similes in supernaturalitate: & vnica virtus moralis, omnes actus honestos, vtique similes in honestate, seu conformitate cum rectâ ratione.

18 *Ad prob. resp.*. In vtrisque actibus reperitur quidem ratio artificij, sub quâ Logica respicit suum obiectum; at non reperitur ratio, sub quâ Logica efficit suos actus. Vnde non sequitur, quòd Logica efficiat actus physicos, sed quòd illos pro obiecto respiciat, sicut suos actus reflexè respicit quatenùs artificiosos. Itaque Logica, tam actualis, quàm habitualis, respicit obiectum sub ratione artificij: at Logica habitualis efficit suos actus sub ratione tendentiæ in illud artificium: est enim regula generalis, quòd nullus habitus efficit actus non tendentes in suum obiectum formale. Sic Philosophia moralis tendit sub ratione honestatis actuum voluntatis, tamquam sub ratione obiectivâ: non tamen illos efficit, cum sit habitus intellectualis, sed eos tantùm, qui talem honestatem pro obiecto respiciunt.

19 Prima *Confirmatio* non est ad rem. Nam Doct. Eximius intendit ibi rem longè diversam, nempe quòd habitus non multiplicantur per obiecta materialia, quando formale obiectum (quod appellat *formam*, & *motivum*) est idem omninò: v. g. quòd habitus temperatè vescendi carnibus, idem inclinat ad temperatè vescendum piscibus, quando ratio, seu motivum, sub quo tendit, in vtraque materiâ pariter militat. Hoc vtrò concedimus. Sed solùm inde sequitur, quòd idem habitus Logicæ docet syllogizare v. g. in quacumque materiâ, seu phy-

(c) *Disp.* 44. *Metaph. sect.* 11. *n.* 3.

physicâ, seu metaphysicâ, &c. Cæterùm, quòd eadem, aut similis ratio artificij, reperta in actibus physicis, & Logicis, sufficiat, vt vtrique efficiantur ab eodem habitu, quin obstet ingens diversitas obiectorum formalium, seu motivorum; nec docuit vlpiam Suarius noster, nec ex eius doctrinâ colligitur.

20 *Ad 2. Confirm.* Artificium est extrà sphæram *obiectivam* habitus Physicæ, quæ illud non respicit pro obiecto: at non est extrà sphæram *effectivam*, hoc est, non superat virtutem productivam habitus Physicæ, qui cum sit genitus ab actibus artificiosis, necessariò virtutem habet producèdi similes alios, proindeque similiter artificiosos. Res verò sic evenit. Intellectus, Logicâ instructus, incipit Corpus naturale perscrutari talibus actibus, quales præscribit doctrina Logicæ, qui scilicet prædicti sint artificio Definitionis, Argumentationis, &c. Hos autem primos actus artificiosos cum concursu Logicæ purè directivo solus Intellectus efficit; sed difficulter, aut minùs facilè, donec ex eorum frequenti repetitione consuetudinem & facilitatem acquirat: quæ facilitas, vtpote nata ex actibus artificiosis, fœcunda est aliorum omninò similium, ideſt, artificiosè tendentium in Corpus naturale. Et hæc ipsa facilitas est, quam vocamus habitum Physicæ cum directione Logicæ adquisitum: cuius sphæra obiectiva, est ratio Corporis sensibilis; sphæra verò effectiva, est ratio cognitionis artificiosè tendentis in Corpus sensibile. Paritas Visionis beatæ nulla est: quia supernaturalitas non continetur vllo ex capite in potentiâ naturali Intellectus: quare indiget principio supernaturali.

21 *Obiic.* 3.: Artificium actuum Physicæ est obiectum Logicę; sed Logica, cum sit ars, efficit suum obiectum: ergo, &c. *Confirm.* 1.: Demonstratio physica est effectus artificiosus: ergo est effectus artis: sed Physica non est ars: ergo talis Demonstratio quoad artificium, non Physicæ, sed solius Logicæ effectus est. *Confirm.* 2.: Logica ministrat alijs scientijs Instrumenta sciendi, sicut ars frænofactoria ministrat frænum equestri: ergo ad Logicam attinet efficere ea instrumenta; sicut ad frænofactoriam, non ad equestrem, attinet efficere frænum.

22 *Ad Argum. neg. Min.* Nam artes dicuntur tendere ad effectionem sui obiecti, non quia illud immediatè efficiant, sed quia dirigunt, vt efficiatur ab alijs habitibus, aut potentijs. Idquod perspicuum est in quavis externi operis arte, seu mechanicâ, seu liberali, quæ cum resideat in Intellectu, nequit immediatè efficere artificium externum: regulat tamen linguam, manus, ac pedes, vt illud ex imperio voluntatis exequantur. *Ad 1. Confirm. dist. 1. Conseq.*: est effectus artis vt dirigentis, *conc.*; vt effectivè concurrentis, *neg. Conseq.*. Tum *conc. Min. subsumpt.*, sub eâdem distinctione *neg. 2. Conseq.*. Effectum esse artificiosum, est effici ex directione & iuxtà regulas artis, quin opus sit concursu artis effectivo. Sic voluntatem prudenter amare, est amare iuxtà regulas Prudentiæ dirigentis, quin Prudentia efficienter concurrat ad amorem. Sic etiam locutio erit grammaticè artificiosa, si regulas Grammaticæ sequatur, quanvis non profluat efficienter ab habitu intellectuali Grammaticæ artis.

Ad

23 *Ad 2. Confirm.* Logica ministrat instrumenta sciendi, non quia talia instrumenta efficiat in materiâ quâvis, sed præcisè quia doctrinâ, regulisque suis, ostendit formam, & modum illa conficiendi. Paritas artis frænofactoriæ nimium probat, nempe habitum Physicæ nullatenùs concurrere ad producendam Demonstrationem physicam, sicut ars equestris nullatenùs concurrit ad frænum, sed factum omninò supponit. Quare in primis, quantum ad concursum artis administræ, paritas nobis favet: nam frænofactoria non exequitur frænum, sed tantùm regulas præbet. Deinde, quantum ad artem, vel scientiam, cui servitur, nihil favet Adversarijs, qui rationem reddere debent, cur Physica efficiat instrumentum sciendi, saltem quoad substantiam, & ars equestris nihil efficiat fræni? Ratio pro omnibus est: quia ars equestris solos producit actus moderandi equum, qui supponunt frænum iam factum, vtpote quod per se factibile est seorsùm ab actibus istis. At Physica producit actus tendentes in Corpus naturale, qui non supponunt, sed secum identificant instrumenta sciendi; nec ista per se factibilia sunt seorsùm à substantiâ actuum.

24 *Instabis* 1.: Instrumentum præcedit id, cui servit: ergo Instrumentum sciendi præcedere debet Demonstrationẽ scientificam. *Resp.* Hoc etiam militat contrà Adversarios, qui certè instrumentum sciẽdi, ideſt, artificium Demonstrationis, nec priùs, nec seorsùm, sed simul cum substantiâ Demonstrationis fieri docent. Porrò, *admiss. Antec., neg. Consequ.*: quia instrumentum sciendi, sumptum pro artificio Demonstrationis, non est instrumentum ad actum demonstrandi, cum vel sit identicè actus ipse, vel ex eo resultet. Est ergo instrumentum, sive medium, ad scientiam habitualem, quâ verè præcedit; atque etiam ad effectum formalem *actualiter scientis*, eo sensu, quo visio est instrumentũ, seu medium videndi; omnis autem forma aliquatenùs præit effectum suum formalem.

25 *Instabis* 2.: ergo Physica continet artificium suorum actuum, siquidem illud sine concursu effectivo Logicæ producit: ergo Physica erit ars, quod nemo concedit. *Dist.* 1. *Consequ.*: continet purè virtualiter, *conc.*; continet doctrinaliter, *neg.* 1. & 2. *Consequ.* Non est ars quidquid virtualiter continet artificium, seu quidquid virtutem habet effectus artificiosos producendi; aliàs & lingua artificiosè loquens, & manus affabrè pingens, dicerentur artes. Artis igitur proprius character est continere doctrinaliter artificium, ideſt, continere doctrinam, ac regulas artificij construendi. Hoc autem in re nostrâ, non convenit Physicæ, sed Logicæ.

26 *Instabis* 3.: Logica dirigit Physicam, & alias scientias; sed non aliter dirigere potest, quàm efficiendo artificium, quod in earum actibus resplendet, siquidem habitus Physicæ v. g. non percipit directionem regularum: ergo, &c. Verùm hæc instantia retorquetur efficaciter sic: Physica dirigitur à Logica; sed non dirigitur ad substantiam actus, prout ab artificio condistinctam, vt est certum: ergo dirigitur ad artificium. Sed nulla facultas dirigitur ad id, quod efficere ipsa non potest: ergo Physica potest artificium efficere suorum actuum; quod totis viribus negatis. Itaque *neg. Min.*, quin obstet

ad

adiuncta probatio : nam, vt habitus Physicæ verè dicatur dirigi regulis, non necesse est, vt eas percipiat; sed sufficit, quòd voluntas, & Intellectus (quorum motum sequuntur habitus) percipiant regulas & suo, & suorum instrumentorum nomine. Sic habitus Iustitiæ dirigitur Prudentiæ regulis, & manus regulis artis Pictoriæ.

27 *Obijc.* 4.: vbi duo actus inter se comparantur tamquam primarius, & secundarius, ab eodem habitu procedunt : idcircò enim amor Dei, & amor proximi propter Deum, ab habitu charitatis vterque procedit. At regula definiendi, & vsus definitionis in materiâ physicâ, inter se comparantur vt actus primarius, & secundarius : ergo ab eodem habitu Logicæ producuntur. Hæc obiectio plenè soluta est cap. præc. n. 20. 21. 22. Nunc breviter dico. Quidquid sit de vocibus illis, *primarius*, *secundarius*, Maior non est vera, nisi quando actus vterque respicit idem motivum, vel obiectum formale : quod accidit in vtroque amore charitatis, & non accidit in re nostrâ. Prætereà instatur obiectio : nam ab habitu charitatis procedit amor vterque etiam quoad substantiam : ergo & regula definiendi, & definitio physica quoad substantiam etiam profluet ab habitu Logicæ ; quod tu ipse negas.

28 Denique, vt alijs obiectiunculis occurras, *Nota* 1. Physica, licèt regulas Logicæ ad suos actus applicet, non ideò est Logica vtens (nisi *Tò Logica* sit in ablativo): quia, vt vidimus cap. 2., non est Logica vtens quæcumque facultas dirigitur à Logicâ docente, & regulas applicat ad praxim ; sed illa tantùm, quæ regulas applicat ad actus verè Logicos quoad substantiam, idest, tendentes in obiectum Logicæ formale, quales sunt, qui intrà materiam Logicæ artificiosè fiunt. *Not.* 2. Ut Logica dicatur aliarum scientiarum *famula*, & *administra*, non opus est ministerio illius effectivo circà alienos actus. Sufficit enim, quòd Logica sit veluti famulus præferens facem domino incedenti per locum obscurum. Et præterea dici potest, Logicam cæteris scientijs famulari, quia cæteræ quæruntur propter se, Logica verò tantùm vt medium diligens ad assecutionem cæterarum. Est equidem Logica cæterarum *Magistra* : sed etiam per magisterium servitur, vt cum Regem puerum subditus Præceptor instruit.

29 *Not.* 3. Aliqui sunt actus mixti fori, tendentes simul in obiecta formalia duorum habituum, à quibus proinde simul efficiuntur. Sic amor Ieiunij ob motivum pœnitentiæ, & castitatis, à duplici istâ virtute simul elicitur. Dari igitur possunt nonnulli actus profecti simul ab habitibus Logicæ, & Physicæ, eo quod vtriusque obiectum formale respiciant, cuiusmodi est hic, *Animal præcisum ab inferioribus est Genus respectu hominis*; tendit enim in obiectum physicum, atque etiam in Logicum, nempe in rationem Generis. At, sicut hinc non sequitur, habitum pœnitentiæ concurrere ad actus præcisè respicientes obiectum castitatis ; ita nec habitum Logicum effectivè concurrere ad actus de obiecto purè physico. *Not.* 4. Aliorum, quæ hìc adduci possunt, argumentorum solutiones petendæ sunt ex cap. præc. à num. 15.

CAP.

## CAP. V.

### *Utrum Logica sit Simplex Qualitas?*

1 LOgicam actualem esse collectionem multorum actuum realiter distinctorum, est certo certius. Dubium est de Logica habituali, an sit realiter vna simplex qualitas? Hoc est, vtrùm omnes actus, queis Logica differit de toto suo obiecto quà latè patet, procedant ab vnico habitu (qui dicitur *qualitas*, quia Habitus pertinet ad Prædicamentum Qualitatis); an verò à pluribus realiter distinctis, ita vt habitus differendi circa naturam, & proprietates Definitionis v. g., sit diversus ab habitu differendi circà naturam, & proprietates Syllogismi? Quæstio communis est omnibus scientijs; sed hic tractanda de more, supponendumque ex Animastica, quòd habitus intellectualis est qualitas distincta ab speciebus intentionalibus. Logicam ergo esse vnicum habitum, qui semel acquisitus per primam demonstrationem, absque alius habitus additione sufficit ad producendas omnes demonstrationes circà totum obiectum Logicæ, tenent Thomistæ communiter. At esse collectionem multorum habituum realiter distinctorum, tuentur, præter Nominales, Scotistæ omnes cum Doctore Subtili, & ex nostris ferè omnes cum Exim. Doctore Disp. 44. Metaph. sect. 11. à n. 45.: quorum sententia nobis tenenda est: &. —

2 Prob. Argumento communi, & efficaci. Habitus acquisitus est immediata facilitas ad actus; sed habitus acquisitus per actus (intellige demonstrativos) versantes circà Definitionem, non est immediata facilitas ad actus versantes circà Syllogismum: ergo non est habitus differendi de Syllogismo, sed alius ab eo distinctus. *Prob. Min.* ratione, & experientiâ. Ratione: quia habitus adquisitus solùm est immediata facilitas ad actus similes ijs, à quibus est genitus; sed actus circà syllogismū sunt dissimiles actibus circà Definitionem: ergo, &c.: *Prob. Min.*: actus, qui de diverso obiecto diversam ostendunt veritatem, & ex diversis principijs, sunt inter se dissimiles; sed actus demonstrativi circa Definitionem, & syllogismum, diversam veritatem ex diversis principijs ostendunt: ergo sunt inter se dissimiles. Cætera constant, & Minor videtur indubia: nam quis non videat, diversas admodùm esse has veritates v. g., *Definitio est clarior Definito*, &, *Syllogismus constat tribus terminis*?, demonstrarique ex principijs valde diversis, ex his nimirùm, *Explicatio est clarior explicato, &c, Quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se*?

3 Et verò, quòd hæc actuum dissimilitudo sit notabilis, arguatque diversos habitus, patet: quia non aliâ ratione diversos habitus arguit dissimilitudo actuum Physicæ, & Logicæ: ideòque generaliter docuit Philosophus, (a) quòd *Diversæ scientiæ sunt, quarum principia ex eisdem non sunt, nec ex vnius principijs principia alterius proficiscuntur*. Imò licèt conclusio sit eiusdem obiecti, si tamen principia, seu media, quibus probatur, sint diversa, nequit ab eodem habitu profluere. Vndè iuxtà D. Thomam (b), habitus de-

(a) 1. *Poster. cap.* 23. (b) 1. 2. *q.* 54. *ar.* 2. *ad* 2.

demonstrandi, terram esse rotundam, diversus est in Physico, & in Astrologo, quia alter procedit ex principijs, seu medijs Physicis, alter ex Mathematicis. *Tota autem virtus demonstrationis* (pergit Angelic. Doctor), *quæ est syllogismus faciens scire, dependet ex medio: & ideo diversa media sunt sicut diversa principia activa, secundùm quæ habitus scientiarum diversificantur.* Ergo à fortiori diversis habitibus indigent conclusiones, quæ ex diversis principijs circà diversa obiecta versantur, vt accidit in re nostrâ.

4 Experientiâ item *prob. ead. prim. Min.*: post acquisitum habitum ex primâ demonstratione circà Definitionem, adhuc potest quis experiri difficultatem in explicando, & probando, quid sit syllogismus, quæ sit eius figura, & modus, qualiterque revocanda sit ad sua principia vis & efficacitas concludendi: idquod nec Adversarij negant, nec vllâ ratione negari potest. Ille igitur habitus non est facilitas ad actus circà syllogismum; neque enim in eodem Intellectu cohærere possunt facilitas, & difficultas ad eosdem actus. *Confirm.*: cum habitu rectè differendi circà Definitionem stare potest error circà syllogismum, tum actualis, tum habitualis ex frequentatis actibus erroneis, vt etiam Adversarij fatentur: ergo habitus scientificus circà Definitionem non est scientia habitualis circà syllogismum. *Prob. Consequ.*: quia repugnat in eodem Intellectu scientia, & error circà idem obiectum: error enim destruit habitum scientiæ, vt cum Aristotele (c) docet D. Thomas (d). Sed probationes istæ maius à refutatis solutionibus robur accipient.

5 Respondent Thomistæ 1., satis similes esse omnes actus Logicæ, vt ab eodem habitu procedant, siquidem omnes tendunt sub eodem motivo formali, nempè sub eâdem communi ratione Modi sciendi. *Contrà*: licèt omnia obiecta Logicæ, v. g. syllogismus, & Definitio, conveniant in ratione generica Modi sciendi, differunt tamen in ratione specifica, cum contineant diversum modum intelligendi, & manifestandi ignotum, diversisque principijs nitantur: ergo actus respicientes tales Modos sciendi specie diversos, sunt actus specie dissimiles, saltem dum illos respiciunt quatenus diversos tam in se, quàm in principijs, prout certè respiciunt conclusiones illæ, *Definitio est clarior Definito*, &, *Syllogismus constat tribus terminis*. Atqui ad actus specie dissimiles non sufficit vnus habitus: ergo, &c.

6 *Prob. subsumpt. Min.* 1.: quia id apertè sequitur ex doctrinâ Philosophi ab omnibus receptâ, dum ait (e): *Omnes habitus ex operationibus similibus fiunt: quapropter tales quasdam operationes reddere oportet: ipsarum namque differentias habitus ipsi sequuntur.* Et iterum (f): *Actus sunt authores, vt tales quidam ipsi habitus fiant.* Profectò habitus reddens operationes specie dissimiles eis, quibus est genitus, non reddit *tales operationes*, quales illæ fuerunt, nec *ipsarum differentias sequitur*, sed ad summum ipsarum genera. Accedunt axiomata in scholis trita, quòd *Habitus est semen actuum*, & quòd *sapit naturam actuum, quibus acquiritur.* Sicut enim Olivæ semina Lau-

(c) *Lib. de Longitud. & brevit. vitæ.* (d) 1. 2. q. 53. ar. 1. (e) 2. *Ethic.* c. 1. (f) *Ibid.* c. 2.

Lauros non procreant, nec alias arbores specie dissimiles, semperque naturam Oleæ sapiunt; ita habitus acquisitus in producendis actibus se gerit.

7 2.: quia si sufficit actuum similitudo generica, vt ab eodem habitu prodeant, nulla ratio erit, cur non possit vnius habitus producere actus omnes scientificos, qui certè in ratione genericâ *actus scientifici, & evidentis*, similitudinem habent: nulla item ratio, cur vnicus habitus virtutis moralis non extendatur ad omnes actus honestos, titulo scilicet genericæ similitudinis in *honestate*, & *conformitate cum recta ratione*. Nec dicas, requiri similitudinem in genere proximo, nec sufficere in genere remoto. Nam in primis actus Physicæ circà Corpus Cœleste, & sublunare, pluspuam, remoto genere differunt; & tamen ab eodem habitu producuntur, vt vultis. Deinde, actus Logicæ circà Syllogismum demonstrativum, & Definitionem essentialem, non sunt similes genere proximo: nam Modi sciendi ratio communis, sub quâ tendunt, genus est remotum, sub se continens Definitionem, & Syllogismum vt sic, quæ tamquam species subalternæ, seu genera proxima, dividuntur vlteriùs in Definitionem essentialem, & descriptivam, atque in Syllogismum demonstrativum, probabilem, absolutum, hypotheticum, &c.. Non ergo poterunt actus illi ab eodem habitu procedere.

8 3. paritate habituum voluntatis, in quibus eadem, aut maior extensionis ratio militat. Nam ad actus Iustitiæ distributivæ, & commutativæ, diversi requiruntur habitus iuxtà doctrinam D. Thomæ (g): quia, licèt vtrique actus tendant sub eodem motivo communi Iustitiæ, tamquam sub ratione genericâ, in ratione tamen specificâ differunt. Similiter ex cod. Angelic. Doctore (h), Sobrietas, Abstinentia, & Castitas sunt habitus virtutum specie diversi: quia ipsarum actus, licèt similes in ratione communi Temperantiæ, specie sunt dissimiles. Idem D. Thomas (i) sub ratione communi Prudentiæ varias enumerat species inter se distinctas. Profectò, *ratio Modi sciendi*, sub quâ tendit Logica, non magis est vna, nec minùs communis, quàm *ratio temperandi à delectationibus tactus*, sub quâ tendit virtus Temperantiæ. Si ergo altera locum relinquit actibus, & habitibus specie diversis, cur non & altera? Ex terminis certè non minùs differunt Logica docens definire, & Logicæ docens syllogizare, quàm Temperantia à cibo, quæ est Abstinentia, & Temperantia à potu inebriante, quæ est Sobrietas.

9 4.: actus circà Definitionem nullatenùs continet actum circà syllogismum, quia nec illum infert, nec aliter causare potest, vt est certum: ergo habitus genitus à primo actu, nullatenùs continet secundum; neque enim potest habitus maiorem habere virtutem, quàm actus, à quo causatur. Dices cum Bayona, & Aguilera, habitum scientiæ non causari à solo actu, sed ab Intellectu, & habitu principiorum, simul concurrentibus; ac proinde posse habitum maiore pollere virtute, quàm actum. *Contrà*. Si habitus mensuram virtutis non accipit ab actu, sed ab Intellectu,



(g) 2.2.q.61.ar.3. (h) *Ib.q.*146.*ar.*2.*q.*149.*ar.*2.*& q.*151.*ar.*3. (i) *Ib.q.*47.*per totam.*

& habitu primorum principiorum, poterit simplex habitus extendi ad actus scientificos omnium scientiarum : omnes enim in illis concausis continentur. Sequelam autem quis non dicat absurdam? Intellectus igitur, & habitus principiorum, si fortè concurrunt ad habitum Logicæ, concurrunt vt causæ vniversales, attemperanturque virtuti actus Logici, tamquam causæ particularis, cui commensuretur effectus. Sic arborum semina non producuntur sine concursu causarum Cœlestium vniversalium, quarum tamen virtutis amplitudinem haud participant, sed ad speciem genitalis arboris limitantur.

10 Nec melior est aliorum responsio, videlicet, quòd prima demonstratio Logica producit habitum, non secundùm rationem specificam, sed secundùm genericam, & communem Modi sciendi, in quâ similis est cæteris actibus Logicis; ideòque generat habitum extensum ad cæteros. *Contrà* 1. Si actus in producendo habitu supergreditur gradum specificum, cur non producit habitum secundùm rationem *cognitionis vt sic*, vel saltem secundùm rationem *actus scientifici*, vt ita habitus virtutem accipiat ad omnes omninò cognitiones, vel saltem ad actus scientificos cunctarum scientiarũ? *Contrà* 2. Actus non minùs est fecundus secũdùm perfectionem sui specificam, quàm secundùm genericam, vt constat, tum exemplo arborum in productione seminum, tum quia passim per habitus assuescimus his, vel illis actibus in specie: quo ergo iure primus Logicæ actus fingitur sterilis secundùm perfectionem specificam? *Contrà* 3. Genus est imperfectius specie : ergo primus Logicæ actus secundùm rationem genericam acceptus, dare nequit habitui virtutem producendi cæteros actus in specie, nisi det virtutem ad effectus se perfectiores; quod repugnat.

11 Respondent 2., actus Logicæ differre quidem specie inter se materialiter, & in esse rei, non formaliter, & in ordine ad habitum : quia nec ipsorum obiecta differunt inter se *formaliter*, & *in esse obiecti scibilis*; sed omnia continentur sub communi ratione Modi sciendi, quæ ratio est vnica formaliter, & in esse obiecti scibilis est species *atoma*, id est, impotens dividi in plures species. *Contrà*. Definitio, & Syllogismus formaliter differunt in esse obiecti scibilis : ergo actus circà talia obiecta versantes, differunt specie formali, & in ordine ad habitum. *Prob. Antec.* : quæ sunt formaliter diversa in esse demonstrabilis, sunt etiam in esse scibilis, vt notum est; sed Syllogismus est formaliter à Definitione diversus in esse demonstrabilis : ergo, &c. *Prob. Min.* : ea sunt formaliter diversa in esse demonstrabilis, quæ demonstrantur per diversa principia; sed Syllogismus demonstratur per diversa principia, nempè, *Dici de omni*, *Dici de nullo*, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c., quæ nullatenùs militant circà Definitionem, nec pro regulis eius quidquam valent : ergo, &c.

12 *Prob. Mai.* : quia, vt cum Philosopho docet D. Thomas (K), ita se habet diversitas principiorum in demonstrativis, sicut diversitas finium in virtutibus, eâdemque vi diversos habitus inducit; sed diversitas finis reddit obiectum formaliter diversum in esse morali, sive in esse amabilis : ergo diversitas prin-

(K) 1.2.q.54.ar.2.ad 2.& 3.

principiorum reddit obiectum formaliter diversum in esse demonstrabilis, & scibilis. Hinc idem Angelic. Doctor in 1. Poster. Lect. 41. sic fatur: *Materialis diversitas obiecti non diversificat habitum, sed solùm formalis. Cum ergo Scibile sit proprium obiectum scientiæ, non diversificabuntur scientiæ secundùm diversitatem materialem Scibilium, sed secundum diversitatem eorum formalem.* Sed vndenam petenda formalis diversitas Scibilium? *Formalis*, inquit, *ratio Scibilis accipitur secundùm principia, ex quibus aliquid scitur.* Unde concludit, exemplisque probat ibidem, ea esse, vel non esse diversa in quantum Scibilia, quæ per diversa, vel eadem principia sciuntur.

13 Dices: ipsamet principia Logicæ non sunt inter se diversa formaliter, sed purè materialiter. Sed cur? Quia, inquis, omnia tendunt in eamdem rationem formalem Scibilis. Verùm circulo vitioso ludis. Nam formalis diversitas Scibilium sumitur ex diversitate principiorum, vt nuper vidimus ex D. Thomâ: si ergo formalis principiorum diversitas sumitur ex diversâ ratione Scibilis, perpetua circuitio erit, quin ad radicem diversitatis vnquam perveniatur. Porrò illa principia, *Explicatio est clarior explicato, Quæ sunt eadem vni tertio, &c.*, nec ex eisdem sunt, nec aliud ex alio proficiscitur: sunt ergo diversa formaliter, iuxtà regulam ex Aristotele positam num. 3.

14 Recurrunt Thomistæ ad abstractionem à materiâ, tamquam ad radicem vltimam vnitatis, ac diversitatis Scibilium. Pro quo nota, veterem, & D. Thomæ probatam esse divisionem Philosophiæ speculativæ in Physicam, Mathematicam, & Methaphysicam, ex triplici gradu abstractionis Entis à materiâ. Nam Physica, seu Philosophia naturalis, respicit Ens, quatenùs abstractum, seu mente praecisum à materiâ singulari, non tamen à materiâ sensibili, cum respiciat *Corpus vt sensibile*, seu *mobile*. Mathematica respicit Ens vt abstractum à materiâ sensibili, seu qualitatibus affectâ, non tamen à materiâ Intelligibili, cum respiciat *Ens vt extensum*, quod sine materiâ non intelligitur. Metaphysica respicit Ens vt abstractum ab omni materiâ, etiam intelligibili, cum respiciat *Ens vt commune* rebus corporeis, & incorporeis. Addunt moderni Thomistæ abstractionem ab omni materiâ *negativè*, eamque Logicæ attribuunt (1); quia Logica, inquiunt, respicit Ens rationis, quod ab omni materiâ abstrahit negativè, idest, titulo imperfectionis impotentis habere materiam. Ex vnitate igitur, & diversitate istarum abstractionum, desumunt vnitatem, diversitatemque formalem Scibilium, & Scientiarum. Vnde negant, obiecta esse diversa formaliter in esse Scibilis, quando ab Scientiâ respiciuntur sub eâdem abstractione à materiâ.

15 Sed verò recursus ille non sufficit. *Contrà* 1. Sub eâdem abstractione à materiâ dari potest diversitas formalis Scibilium: ergo ex hoc præcisè capite principia, & obiecta Logicæ partialia, non desinunt esse formaliter diversa. *Prob. Antec.* Tum quia sub abstractione, quæ pro Mathematicâ statuitur, dantur Geometria, & Arithmetica, quas nemo negat Scientias inter se distinctas, respicientesque diversa

(1) *V. Frayl. quæst. 2. Proam. ar. 5.*

formaliter Scibilia. Tum quia iuxtà D. Thomam 1. Poster. Lect. 41., *Aliud genus Scibilium est corpus naturale, & Corpus mathematicum... Et utrumque horum generum distinguuntur in diversas species Scibilium secundùm diversos modos, & rationes cognoscibilitatis.* Ergo vt sub abstractione corporis naturalis, quæ respondet Physicæ, & sub abstractione mathematicâ, agnoscit D. Thomas *diversas species Scibilium*, vtique formaliter; nam citrà dubium formalis est ea diversitas, quæ importat *diversos modos, & rationes cognoscibilitatis*, idque solum diversitatis genus tractat eo loci Doctor Angelic., vt legenti constabit.

16 *Contrà* 2. Abstractio à materiâ negativè, finit, Definitionem, & Syllogismum esse Modos sciendi inter se specie diversos, & prout ita diversos demonstrari à Logicâ ex principijs, quæ *nec ex eisdem sunt, nec alia ex alijs proficiscuntur*, & quæ proinde diversos fundant habitus scientificos, iuxtà Aristotel. 1. Poster. cap. 25. *Contrà* 3. Ad actus sub eâdem negativâ abstractione tendentes requiruntur species intentionales realiter distinctæ, differentesque: ergo pariter differentes habitus. Patet Consequentia: tum quia pleraque Thomistarum argumenta in speciebus illis instantur. Tum etiam, quia vnius obiecti species ideò non extenditur ad alia, quia est semen obiecti, cuius proinde propriam naturam refert, quanvis ab Intellectu agente producatur. Ar eadem ratio militat in habitu, vt ex dictis constat.

17 Aliæ Thomistarum responsiones, cum ad hactenùs impugnatas facilè revocentur, isdem argumentis expugnari possunt. Quare dum aiunt, difficultatem, quam experimur circà Syllogismum adquisito habitu circà Definitionem, non esse *formalem*, & *intrinsecam*, sed *materialem*, & *extrinsecam*, id est, vnicè provenire ex defectu specierum, non ex defectu habitus; quemadmodum potentiæ visivæ difficultas ad videndum obiectum procul positum, non provenit ex defectu virtutis, sed speciei: facilè solutio ista refutabitur ex suprà dictis, quæ satis probant intrinsecam habitus ineptitudinem, vt concurrat ad actus vsque adeò diversos ex parte obiecti, & principiorum. Adde quòd eodem iure defendi posset, habitum Physicæ de se facilitare ad actus Metaphysicæ, & cuiusvis scientiæ: esse tamen impeditum, donec adveniant species obiectorum: imò & Intellectum per se esse facilitatem, & habitum ad omnes scientias; nec aliunde, quàm ex defectu specierum, difficultatem experiri.

18 Adde præterea, quòd discipulus, iam circà Definitionem facilis, statim ac audit doctrinam de Syllogismo, species eius acquirit: & tamen non statim se facilem experitur ad Syllogismi regulas demonstrandas: ergo pro vsu specierum novâ indiget facilitate, proindeque novo habitu. Hinc paritas potentiæ visivæ nulla est: nam ea potentia, cum non vtatur habitibus, non tam sentit difficultatem, quàm impotentiam ex defectu virtutis simpliciter necessariæ. At Intellectus, acquisitis speciebus de Syllogismo, difficultatem adhuc experitur in earum vsu.

19 Enim verò, si contentio absit, quis credat, tyrunculum, statim ac primam in re Logicâ demonstrationem elicit, subitò

tò evadere tam Logicum, quàm fuit olim Aristoteles ipse, vel D. Thomas? Hæc tamen est sententia Thomistarum; apud quos, habitus primâ demonstratione comparatus, est tota Logica habitualis, & ex se facilitat ad differendum de toto obiecto Logicæ, quin possit vllatenùs augeri, seu multiplicari in linea habitus. Unde tyro, qui â doctrinâ definiendi incipit, iam scit habitualiter quidquid ad Syllogismum pertinet, priusquam nomen audiat Syllogismi. Mirum autem, quod habitum quis habeat, non cœlitus infusum, sed propriis actibus adquisitum, cognoscendi, ac demonstrandi res, quæ nondum ipsi in mentem venerunt. Cogitarunt quidem aliqui Thomistæ modos quosdam realiter superadditos, quibus decursu temporis extensivè perficeretur habitus. Sed eos moderni Thomistæ meritò reijciunt vt inutiles, suæque noxios doctrinæ. Vid. M. Froylanum q. 2. procem. art. 6. §. 4.

20 Sed magis adhùc est mirum, quòd actum, & habitum erroneum quis habeat circà Syllogismi proprietates easdem, quas habitualiter scit; vt suprà n. 4. arguebamus. Reponunt Thomistæ, errorem ortum ex defecta applicationis obiecti ad habitum, vel habitus ad obiectum, nec absurdo coniungi posse cum habitu scientiæ; sicut potest coniungi cum habitu Fidei error invincibilis circà mysterium nondùm promulgatum. *Contrà.* Siquis differentiat mysterio, quod Ecclesiâ docente novit contineri sub motivo formali Fidei, nempè sub Divinâ revelatione, Fidei habitum amittet absolutè: ergo siquis erret circà doctrinam Syllogismi, quem Magistro docente novit contineri sub Modo sciendi vt sic (quod per vos est vnicum motivum formale Logicæ); amittet habitum Logicæ. At, postquam discipulus à Magistro didicit, Syllogismum contineri sub Modo sciêdi, potest adhuc errare circà doctrinam distributionis Medij, regulasque alias, præsertim vniuscuiusque Figuræ proprias, vt videtur indubitatum: tunc ergo totum Logicæ habitum amittet, etiam circà doctrinam definiendi; quod negatis, nec salvâ experientiâ concedi potest.

21 Præterea cedo mihi, in quo consistat ille *defectus applicationis*? Nam si loqueris de applicatione factâ per demonstrationem actualem, talis applicatio necessariò deficit, quoties datur error, vt est evidens: vnde, si tunc error non destruit habitum scientiæ, nunquam destruet. Idem est, si defectus ille consistat in vsu inordinato specierum. Si verò consistat in absentiâ specierum ipsarum; tunc nullus erit error, sed ignorantia merè negativa: nemo quippe falsum iudicium concipit de re, cuius speciem non habet. Nunquam ergo continget, quod D. Thomas fieri posse docuit (m), vt scilicet *per falsam rationem corrumpatur habitus scientiæ, etiam quantum ad ipsam radicem habitus.* Dices: si Deus habitum scientiæ naturalem infundat puero, nòdum imbuto speciebus obiectorum, poterit ille postmodùm errare circà obiectum habitus. *Resp.* Poterit quidem, sed errore destruente habitum scientiæ, nisi Deus illum miraculosè conservaret contrà exigentiam habitus contrarij.

*Corollaria.*

22 Hactenùs dicta probant, in Logicâ, vt in aliâ qualibet scientiâ integrâ, vt videlicet tot

(m) 1. 2. q. 53. art. 1. *in corp.* & *ad* 3.

esse habitus realiter & specie distinctos, quot sunt species obiectorum partialium, quæ singillatim demonstrantur. Vnde alius est habitus differendi de syllogismo demonstrativo, alius de topico, alius de sophistico, alius de conversione propositionum, & sic de cæteris. Sed vlteriùs oportet addere sequentia. 1.: habitus Logicæ multiplicantur iuxtà numerum conclusionum diversas veritates detegentium de eodem subiecto. Hoc optimè probat, & explicat Exim. Doctor disp. 44. Metaph. sect. 11. à n. 46.

23 Secundò: præter habitus conclusionum, sunt etiam in Logicâ habitus principiorum ad eius obiectum spectantium. Nam in primis, *Quæcumque scientia considerat aliquod genus subiectum, oportet quòd consideret principia illius generis, cum scientia non perficiatur, nisi per cognitionem principiorum primorum*, vt totidem verbis inquit D. Thomas (n). Deinde, quod habitus principiorum, quando seorsùm considerantur, sit distinctus ab habitu conclusionum scientifico, sæpe docet idem Angelic. Doctor (o). Vnde, cum definitiones Subiecti, & partium eius, sint principia prima, & maximè propria, quibus vtitur vnaquæque scientia ad proprietates Subiecti demonstrandas; sequitur, quod habitus definiendi obiectum Logicæ distinguatur ab habitu inferendi conclusiones circà proprietates eiusdem obiecti.

24 Tertiò: (vt decidatur quæstio, quam indecisam reliquimus suprà cap. 3. n. 4.) habitus docens, seu tradens regulas vnius Modi sciendi, non est habitus vtens ijsdem regulis circà totam materiam Logicæ; daturque proinde habitus vtens realiter distinctus, saltem circà alias species Modi sciendi. Ratio: quia post adquisitum habitum declarandi proprietates Definitionis, aut Divisionis, siquis hac doctrinâ vtatur definiendo, aut dividendo Syllogismum, iam elicit actum circà obiectum formale diversum; nam hic vsus est actus habens pro obiecto Syllogismum; illa verò doctrina respicit pro obiecto, non Syllogismum, sed Definitionem, aut Divisionem. Sed actus versantes circà obiecta formalia diversa, requirunt distinctos habitus, vt abundè constat ex dictis: ergo talis vsus habitum posscit distinctum ab habitu doctrinæ. Idem puta de habitu docente syllogizare, qui pariter distingui debet ab habitu exequente syllogismos circà Definitionem, ac Divisionem. Quæ verò contrà corollarium hoc objici possunt, soluta manent cap. 3., & 4., vel ex doctrinâ cap. sequentis facilè solventur.

25 Quartò: in præsentiâ tantùm agitur de simplicitate habitus Logici producentis actus scientificos, seu demonstrativos. Si tamen sermo sit de Logicâ habituali, prout etiam producente actus opinativos (qui plurimi sunt in materiâ Logicæ), certum est, etiam apud Thomistas, realiter inter se distingui habitus Logicæ opinativum, & scientificum, vt fatetur M. Palanco tract. 1. proœm. q. vlt. n. 1., idemque supponunt, aut concedunt cum M. Soto quæst. 3. proœm. Logic. *Ad sextum argumentum*, reliqui Thomistæ, præter vnum, aut alterum, cui libuit affingere habitui scientifico virtutem eliciendi actus probabiles.

CAP.

(n) *Opusc. 70. q. 5. ar. 4. c.* (o) *V. g. 1. 2. q. 57. ar. 2. ad 2.*

## CAP. VI.

*Obiectiones aduersæ diluuntur.*

1 *Objic.* 1. auctoritas D. Thomæ, qui 1. 2. q. 54. ar. 4. c. non solùm tenet, sed ex professo probat, quòd habitus scientiæ *est qualitas simplex non constituta ex pluribus habitibus, etiamsi ad multa se extendat.* Fateor, locum esse explicatu difficilem; non tamen adeò perspicuum, vt non liceat nobis de mente D. Thomæ dubitare, sicut licuit Capreolo Thomistarum Principi, qui quæst. 3. Prolog. sentent., productis in medium multis D. Thomæ testimonijs, inquit: *Apparet mihi, quod plus declinat ad illam opinionem, quæ ponit scientiam esse ordinatam collectionem intelligibilium specierum.* Idem censuerunt multi Thomistæ apud Caietanum loc. cit. 1. 2. Profectò non minùs clarè loquitur pro nostrâ sententiâ Doctor Angelic. alijs in locis. Nam 1. 2. q. 52. ar. 1. in fine corp. negat, quòd habitus scientiæ *in sui ratione includat indiuisibilitatem.* & art. 2. c., agens de augmento habitus per additionem, *Scientia,* inquit, *potest augeri secundùm se ipsam per additionem, sicut cum aliquis plures conclusiones Geometriæ addiscit, augetur in eo habitus eiusdem scientiæ secundùm speciem.*

2 Rursùs 3. p. q. 12. ar. 2. c., *Duplex,* inquit, *est profectus scientiæ: vnus quidem secundùm essentiam, prout scilicet ipse habitus scientiæ augetur* (hunc attribuit scientiæ acquisitæ): *alius autem secundùm effectum, puta si aliquis secundùm eundem, & æqualem scientiæ habitum, primò minora aliis demonstret, & postea maiora, & subtiliora* (hunc tribuit scientiæ infusæ). Nihil apertius contra Thomistas; quorum principijs omninò dissonat prior ille profectus, & solus consonat posterior. Item q. 8. de Verit. art. 16. ad 4. hæc habet: *Vna tota scientia comprehendit sub se diuersas scientias particulares, quibus conclusiones diuersæ cognoscuntur.* Adde quòd sententiæ nostræ probationes auctoritate D. Thomæ nituntur. Quapropter, dum S. Doctor habitum dicit simplicem qualitatem, fortè loquitur de simplicitate, non physicâ, & entitatiuâ, sed acceptâ pro *vnitate ordinis ad eumdem finem*: quâ ratione Logicam vocamus passim habitum in singulari, etiam qui plures in eâ habitus agnoscimus: *& sicut nos concedimus* (inquit pro Thomistis Mag. Soto (a)), *quòd collectio plurium specierum est vnicus habitus, qui est inchoatio scientiæ.* Eodem sensu habitus non constituitur *ex pluribus habitibus*, scilicet *pluralitate ordinis ad diuersos fines.*

3 *Objic.* 2.: habitus Logici non distinguuntur solo numero; accidentia quippe distincta numero, in eodem subiecto simul esse non possunt: aliunde nequeunt specie distingui: nullatenùs ergo distinguuntur. *Prob. Min.* 1: quia alioqui Logica non esset vna, sed plures Logicæ specie diversæ, quæ non possent in vnam scientiam coire, quemadmodùm habitus Logicæ & Physicæ vnicam scientiam constituere non valent. 2.: quia, si habitus distinguuntur specie, vnusquisque suum habebit obiectum specificativum: ergo Logicæ non erit vnicum specificativum, nec vnica ratio formalis *sub qua*; quod est contrà omnes. Hoc argumentum tenentur solvere Thomistæ: tum in habitu principiorum, quem ad

(a) *q. 3. procem. Logic. concluſ. 3.*

Logicam pertinere, & distingui realiter ab habitu conclusionum, constat ex n. 23. cap. præced.: tum in habitibus scientifico, & opinativo, vtique inter se distinctis ex cap. præc. n. 25., & tamen constituentibus vnicam Logicæ facultatem: tum in speciebus impressis, quæ, licèt specificè differentes, constituunt vnicum habitum qui saltem *inchoativè*, & *secundariò* est habitus scientiæ, vt ex mente D. Thomæ docent Sotus (b), & Caietanus (c). Pro omnibus itaque.

4 *Resp.*, *omiss. Mai.*, *dist. Min.*: nequeunt distingui specie completâ, seu totali in genere scientiæ, *conc.*; specie incompletâ, seu partiali, *neg. Min.*, & *Consequ.* Distingui specie completa in genere scientiæ, est pertinere ad diversas species non ordinatas ad vnam totalem scientiam constituendam: distingui verò specie partiali, est ita differre habitus, vt tamen coordinentur ad constitutionem vnius integræ scientiæ. Sic in physicis corpus & anima hominis in genere substantiæ distinguuntur specie, sed incompletâ; quia coordinantur ad constituendam speciem substantiæ completam, nempe hominem.

5 *Ad 1. prob. n. g. sequel.*: vt enim Logica actualis dicitur vna, quamvis constituatur ex multis actibus inter se diversis; cur non idem contingat in Logicâ habituali? Itaque nomen *Logica* impositum est ad significandam collectionem omnium actuum, aut habituum ordinatorum ad vnum finem, idest, conducentium ad idem obiectum Attributionis, sive illud sit artificium Modi sciendi, reale, vel fictum, sive artificium Demonstrationis, sive aliud quidvis, de quo disp. sequ.

6 Claritatis gratiâ admittimus nunc, quod Thomistæ in præsenti quæstione frequenter inculcant, artificium Modi sciendi esse *obiectum* Logicæ *per se*, *formale*, *Attributionis*, *specificativum*; quibus nominibus idem significare ipsi volunt. Ab vnitate igitur illius obiecti dicitur Logica vna, non quidem vnitate indivisibilitatis, nec compositionis physicæ; nullâ quippe vnione physicâ nectii possunt inter se habitus versantes circà diversa obiecta partialia: sed vnitate solius ordinis, seu coordinationis ad idem obiectum formale, sive Attributionis, proximè, vel remotè; quæ vnitas dici potest compositio moralis. Hac ratione simpliciter dicimus vnâ familiam, vnum exercitum, vnum regnum, aut vnam rempublicam, ex ordine scilicet ad vnum Patremfamilias, vnum Ducem, vnum Regem, aut vnum Senatum. Hinc plures habitus non dicuntur simpliciter plures Logicæ, sed solùm cum addito *partialiter*; sicut plures milites, aut etiam cohortes, nonnisi cum eodem addito vocantur plures exercitus. Hinc etiam habitus Logici magis cohæ possunt in vnam scientiam, quàm habitus Logicæ, & Physicæ; hi quippe ad diversa ordinantur Attributionis obiecta, & se habent instar hominum ad diversas familias pertinentium. Quare, licèt eadem ratio militet in vtrisque quantum ad distinctionem realem, & specificam in esse habitus, vt ex cap. præced. colligitur; alia tamen est ratio quantum ad moralem compositionem vnius integræ scientiæ.

(b) *Loc. cit.* (c) *In* 1. 2. q. 54. ar. 4. Ad

7 *Ad 2. prob. assl. Conf q.*: si sermo sit de Logicâ partiali, quæ multiplex est, *conc.*, si de Logicâ totali, seu integrâ, *neg. Consq.* Cum integra Logica sit collectio omnium habituum, eius specificativum est ratio complectens obiecta omnia specificantia singulos habitus: ratio, inquam, Modi sciendi, quæ univoca est, & genericè una, varias complectens artificij species, vnde singuli habitus specificantur. Hæc autem ratio sic accepta, non est multiplex. Sed contrà doctrinam totius solutionis multa replicant Adversarij.

8 *Replic. 1.* Logica est vna scientiæ species: quomodò ergo poterit ex multis speciebus constitui? Sed invicem quæro, quomodò vna species Exercitus constituitur ex hominibus, equis, & elephantis? Præterea, vt exemplis vtar Exim. Doctoris (d), loquendo morali modo actus exterior, & interior dicuntur vnus actus humanus: vna virtus Liberalitatis dicitur constari ex habitu voluntatis, & appetitus sensitivi: & vna virtus Fidei, ex habitu Intellectus, & habitu piæ affectionis voluntatis. Huc etiam faciunt exempla n. 5. Immò in lineâ physicâ Sanitas, aut Pulchritudo, censetur vna qualitas communi modo loquendi & philosophandi, vt air idem Eximius (e); & tamen neutra est simplex qualitas, sed ex plurium proportione resultans.

9 *Replic. 2.* Si ad vnitatem scientiæ sufficit ordinatio ad vnum finem, omnes scientiæ erunt vna scientia, aut omnes virtutes morales vna virtus, cum omnes ordinentur ad perfectionem Intellectus humani, aut ad moralem totius vitæ honestatem. *Resp.* Hoc incommodum, & æquè militat in scientiâ actuali, atque in speciebus impressis; & aliunde magis premit Thomistas. Nam cur simplex habitus, sicut extenditur ad omnes actus tendentes sub ratione Modi sciendi, non ita ad omnes tendentes sub ratione veri? Aut sub ratione scibilis? Aut sub ratione boni, vel honesti? Vel cur illa potiùs, quàm hæc similitudo tendentiæ sufficit? Dices: quia ratio Modi sciendi est specifica, non in esse rei, sed in esse scibilis. *Contrà*: ratio veri est etiam specifica in esse cognoscibilis, cum sit *specificativum* Intellectus. Recurres ad diversam abstractionem à materiâ. Sed in primis abstractio à materiâ potest esse generica in esse scibilis, vt vidimus cap. præced. Deinde, cur similitudo in abstractione à materiâ potiùs, quàm in ratione demonstrabilis, aut honesti, potit simplicem habitum? Vel cur altera præ alterâ vocatur specifica in esse scibilis, aut in esse virtutis? Quâ ergo tu ratione distinxeris habitus simplices, distinguemus & nos collectiones habituum.

10 Porrò, vndenam integræ Scientiæ inter se distinguantur, difficultas est, quæ alibi sedem habet. Nunc breviter dico cum communi sententiâ Scotistarum, atque Nostrorum (f), distinctionem eiusmodi esse *fundamentaliter* naturalem, ive in ipsâ rerum scibilium naturâ, & indole fundatam; esse tamen in plerisque saltem scientijs patrè

(d) *Vbi supra n. 17.* (e) *n. 55.* (f) *Vid. pro alijs Masirium disp. 12. Log. q. 3. ar. 3., & PP. Hurtad. d. sp. 2. Log. sect. 4., & disp. 1. Metaph. sect. 7. subs. 11. 2., Ovied. controv. 1. Log. punct. 3. §. 4. conclus. 5., & Ulloa disp. 3. Logic. Minor. cap. 1. à n. 28.*

purè humanis, *formaliter*, aut *compleè* artificialem, ex placito videlicet, ac prudenti arbitrio Principum Philosophiæ constitutam. Quemadmodum Regnorum, Nationumvè limites, vt Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, natura ipsa Pyrenæo, & Alpibus delineavit; non tamen ita fixit, vt non fuerit opus circumscriptione per Geographos, Principes, aut Populos congruenter statutâ. Ratio primæ partis est: quia per se patet maior affinitas obiectorum Logicæ inter se, quàm cum obiectis Physicæ; vel quia illa pertinent omnia ad rectum modum concipiendi, & investigandi veritatem, qui modus ad obiecta Physicæ nihil attinet; vel, si mavis, quia diversam abstractionem à materiâ sibi vendicant. Sic maior est communiter morum & ingenij consensio Hispanorum inter se, quàm cum Italis, aut Gallis. Ratio secundæ partis: quia scientiarum fines absolutè potuerunt ampliari magis, aut restringi, licèt incongruenter, aut minùs congruè. Nam quomodò ex solâ naturâ rei impugnaretur, qui scientiam de Animâ, vel de Elementis, totalem diceret, negaretque partem esse vnius Physicæ? Aut qui scientiam de Syllogismo vocaret integram, vniusque Logicæ partem esse negaret? Sic multi dicunt, integram Logicam Aristotelicam nonnisi de Syllogismo tractare. Sic Italia, quam olim Rubicon fluvius disterminabat à Galliâ, congruentiùs hodiè protenditur vsque ad Alpes.

11 Quod ergo talis, ac tanta sit obiecti latitudo in Scientijs totalibus, præfinitum est à primarijs Philosophis; qui naturæ ductum secuti, duo vitare extrema voluerunt: alterum, ne nimia fieret multitudo scientiarum: alterum, ne obiecta penitùs dissita, v. g. Syllogismum, & Angelum, in vnam coniungerent scientiam: quorum vtrumque fuisset incongruum satis, & confusionem in docendo, discendoque pareret. Idem fortè dicendum in virtutibus moralibus adquisitis; quamquam in his non eadem est ratio, vt infrà notabimus. Iam *ad replic. neg. sequel.*: quia perfectio Intellectus humani, in rerum omnium cognitione consistens, nec est obiectum scientiæ, sed scientia ipsa multiplex; nec vnitatem aliquam moralem habet, aut habere potest cum fundamento satis congruo.

12 *Replic.* 3.: Logica habet pro obiecto specificativo Modum sciendi, prout est ratio communis omnibus obiectis Logicis; sed inter habitus particulares, quos ponimus, nullus est, qui specificetur à Modo sciendi prout communi, sed prout contracto ad aliquam speciem: ergo Logica non est collectio particularium habituum; neque enim esse potest specificativum collectionis, quod nullam eius partem specificat. Argumentum in primis instatur: tum in Logicâ actuali, quæ certè collectio est actuum specificata per Modum sciendi: tum in habitu ipso, qui non specificatur ab obiecto, nisi medijs actibus: si ergo Modus sciendi vt sic, nullum in particulari actum specificet; nec habitum specificabit. Deinde *resp.* 1.. Cum dicitur scientia specificari ab aliquâ obiecti ratione communi, sensus est, quòd nullum est obiectum partiale talis scientiæ, quod non participet, & ad se contrahat illam rationem, indeque discernatur ab

obiec-

obiectis aliarum scientiarum totalium. Idquod stare posset, etsi nullus habitus, aut actus, totam illam rationem prout communem attingeret. Sic Potentia visiva specificatur medijs actibus à ratione coloris vt sic, etsi nullus actus attingat, nec attingere possit colorem vt sic.

13 *Resp. 2. neg. Min.*: quia Logica definit, ac discutit Modum sciendi in communi, vt ignorat nemo: ergo in Logicâ datur habitus differendi de Modo sciendi vt sic, & ab eo specificatus. Hic autem habitus est simplex qualitas, dicique poterit quasi centrum, aut vinculum subiectivæ vnitatis omnium habituum Logicæ, & veluti caput cæterorum, non tam ex intrinsecis ipsius meritis (est enim intrinsecè imperfectior alijs), quàm ex meritis sui obiecti specificativi. Sicut enim Modus sciendi vt sic, est obiectum quodammodò advnans cætera obiecta Logicæ, quia scilicet omnia sub se continet tamquam sui passiones, species, aut partes subiectas, proximas, vel remotas: ita habitus, ipsi respondens, mediatè saltem advnat cæteros omnes habitus. Item, sicut Modus sciendi vt sic, licèt *intensivè* imperfectior suis speciebus, tamen ob extensionem, & amplitudinem dicitur *Totum*, & quid *Superius* cæteris obiectis Logicis: ita habitus, quem specificat, ob extensionem obiectivam dici poterit *superior*, aut *caput* respectu reliquorum habituum, præsertim accedente suffragio Philosophorum. Hinc Modus sciendi vt sic, evadit specificativum totius Logicæ: quia *immediatè* specificat illum habitum, cui, tamquam familia capiti, subordinantur cæteri habitus, quos omnes proinde specificat *mediatè*. Hæc explicatio vnitatis Logicæ, pariter valet pro alijs scientijs: & notanda est, vt expeditior contra Adversarios, qui obscuritate, & ambiguitate vocum obarmantur. Ea verò sumitur ex Subtili Scoto 6. Metaph. q. 1., cuius mentem explicat Mastrius (g).

14 *Replic. 4.* Si datur in Logicâ simplex habitus, respiciens communem rationem Modi sciendi, ille continebit eminenter cæteros habitus: ergo cæteri superfluunt. *Prob. Antec.*: quia talis habitus poterit respicere omnes species Modi sciendi, quas cæteri respiciunt; sicut potentia visiva respicit colores omnes particulares, quia respicit colorem vt sic. Instò manifestè: ergo habitus Metahysicæ, respiciens Ens vt sic, continebit eminenter omnes habitus scientiarum realium, qui proinde superfluent. *Prob. Conf. q.*: quia talis habitus poterit respicere omnes particulares species Entis; sicut potentia Intellectiva respicit omne verum particulare, quia respicit verum vt sic.

15 Itaque *neg. Antec.* cum probatione. Nam eminentialis continentia requirit excessum perfectionis intensivæ, qualem non habet ille habitus respectu cæterorum, sicut nec eius obiectum respectu particularium obiectorum; neque enim genus eminenter continet species, sed vt summum virtualiter inadæquatè. Profectò ex solâ communi ratione Modi sciendi demonstrari nequeunt proprietates Syllogismi, sicut nec proprietates Hominis ex sola ratione Animalis vt sic. Opus est igitur alijs principijs, & consequenter alijs habitibus. Quod potentia visiva respiciat colorem, vt sic, si propriè loquamur, falsum est:

(g) *Loc. cit. num. 79. & 80.*

illa

illa quippe colorem non respicit, nisi per actus, quorum nullus vidit hactenus colorem vt sic. Dicitur ergo tendere sub ratione coloris in sensu explicato n. 12. Cur autem potentia simplex potiùs, quàm simplex habitus, respicere queat varias obiectorum species, dicemus inferiùs.

16 *Replic.* 5. : ex parte obiectorum Logicæ nulla datur vera, & realis vnitas : ergo, cum aliunde non detur vnitas ex parte habituum, nisi per ordinem ad obiectum, nulla erit totius Logicæ vera vnitas. Hoc etiam vrget Aduersarios. Nam certum est, quòd sealiter, & ante considerationem Intellectus, nulla est vnitas in obiecto Logicæ, nisi purè fundamentalis: ergo, cum Aduersarij velint, vt vnitas habitus derivetur ex vnitate obiecti, & non è conuerso (aliàs vitiosus circulus erit); non potest habitus inde sumere vnitatem plusquàm fundamentalem, & impropriam. Quomodò ergo sumit vnitatem tam rigidam, vt evadat physicè simplex? Itaque *resp.* ex dictis n. 13. : Modus sciendi in communi, qui totam Logicam specificat vel immediatè, vel mediatè, habet vnitatem, quam Thomistæ voluerint, fundatam scilicet in abstractione à materiâ negativè, vel in similitudine genericâ suarum partium: atque inde specificat simplicem habitum, per quem attingitur & scitur in communi. Cætera autem obiecta particularia solam habent vnitatem ordinis ad rationem communem Modi sciendi, cui omnia subordinantur tamquam partes Toti, vel passiones Essentiæ. Hinc verò participant habitus similem ordinis vnitatem, & omnes quodammodò subordinantur habitui respicienti Modum sciendi vt sic.

17 *Obiic.* 3. Ad actus tendentes sub vnico motivo formali, sufficit vnicus habitus: sed omnes actus Logicæ tendunt sub vnico motivo formali, nempè sub ratione Modi sciendi: ergo, &c. : *Dist. Mai.* : sub vnico motivo formali specifico, *admitt.*; generico, *neg. Mai.*. Similiter *dist. Min.* : tendunt sub vnico motivo formali generico, *conc.*; specifico, *neg. Min.*; & *Cons. seq.*. Ratio Modi sciendi vt sic, generica est, & sub se continet varios sciendi Modos specie distinctos, quos considerat Logica, non solùm quatenùs conveniunt in ratione communi Modi sciendi, sed etiam quatenùs differunt inter se in artificio specifico, & quatenùs demonstrabiles sunt ex diversis principijs: ideòque Logica diversis habitibus indiget.

18 *Instabis* 1. Ratio Modi sciendi vt sic, non est generica, sed specifica in esse scibilis: est etenim ratio specificativa Logicæ, & Logica est vna in specie atomâ. *Resp.* In primis, quòd Logica sit vna in specie atomâ, negant Scotistæ cum Scoto (h), quemadmodum de Mathematicâ negant omnes, & de Physicâ plurimi. Deinde distinguo 1. propositionem: non est ratio generica in esse scibilis per Logicam partialem, *neg.*; in esse scibilis per Logicam integram, & totalem, *conc.*. Conceptus iste, *Logica partialis*, est genericus, contrahibilisque per Logicam Syllogisticam, Definitivam, Diuisivam, ranquam per species. Ille verò, *Logica totalis*, est specificus, & quidem specie atomâ

(h) *Vid. Mastrium loc. cit. num.* 77. & 78.

mâ ; quia dividitur in plures Logicas totales, non ſpecie, ſed ſolo numero diſtinctas, in eas ſcilicet, quæ in Ariſtotele, D. Thomâ, Scoto, Suario, & alijs conſummatè Dialecticis exiſtunt. Sic, licèt hic conceptus, *Pars exercitus*, ſit genus ad homines, equos, & arma ; hic tamen, *Exercitus integer*, eſt ſpecies atoma, nonniſi in individua numero diſtincta diviſibilis : quod idem cernere eſt in alijs exemplis num. 8. Continet quidem integra Logica partes ſpecie diſtinctas ; ſed vt *actuales* ( vt ſunt in homine corpus, & anima ), non vt *ſubiectales*, de quibus prædicetur vt genus.

19 Sed quomodò, inquis, ratio obiecti generica erit *Specificativum* Logicæ totalis? Aut quomodo dabit vnitatem ſpeciei atomæ, quam in ſe non habet? Quæro abs te, quomodò dat habitui vnitatem ſimplicitatis phyſicæ, quam certè non habet? Quæro itidem, num ratio Veri vt ſic, aut ratio Boni vt ſic, quarum altera eſt *Specificativum* Intellectus, altera Voluntatis, ſit ſpecies obiecti atoma? Dices, eſſe quidem ſpeciem atomam, non in eſſe rei, ſed in eſſe cognoſcibilis, aut amabilis. Sed, præterquàm quòd inde ſequitur, actus Intellectus, aut Voluntatis, non differre ſpecificè ex obiecto, vel motivo ; iterum quæro, quid ſibi velit *Tò in eſſe cognoſcibilis*? Certè, niſi circulo vitioſo ludamus, nihil aliud velle ſibi poteſt, niſi quòd Verum, aut Bonum vt ſic, ita eſt multiplex in eſſe rei ( imò & in eſſe cognoſcibilis, dum comparatur ad varias cognitiones ), vt tamen ſecundùm totam ſui latitudinem intrinſecè petat attingi per actus Potentiæ vnius in ſpecie atomâ. Sic autem ratio Veri non eſt ſpecies atoma formaliter, & in ſe, ſed tantùm exactivè, illativè, ſeu radicaliter, dum ad Potentiam comparatur.

20 Pariter ergo ratio Modi ſciendi generica eſt formaliter, & in ſe, necnon comparata ad Logicas partiales, Syllogiſticam, Definitivam, &c. : quia tamen ſecundùm totam latitudinem, & penes omnes ſui partes, intrinſecè petit attingi per actus, & habitus pertinentes ad vnam Logicam totalem ſpeciei atomæ ; idcircò ratio illa dicitur ſpecies atoma in eſſe ſcibilis per Logicam totalem, nimirùm illativè, ſeu radicaliter. Ubi nota, ſpecificativum intrinſecum cuiuſque formæ, ſive rei, etiam potentiæ, vel habitus, eſſe differentiam eius eſſentialem ; & *ſtultum eſt hoc vertere in dubium*, inquit Caietanus ( i ) : cum ergo potentiæ, habitus, & actus dicuntur ſpecificari ab obiecto, ſenſus eſt, quòd habent ſuas differentias eſſentiales cum ordine ad obiectum : vnde obiectum eſt ſpecificativum extrinſecum, à quo, tamquam à ſigno, vel radice, colligimus ſpecificam diverſitatem actuum, habituum, & potentiarum.

21 *Inſſles* 2. : vnica potentia intellectiva ſufficit ad omnes actus tendentes ſub ratione Veri : ergo & vnicus habitus ad omnes actus tendentes ſub ratione Modi ſciendi. *Prob. Conſequ.* : ideò verum eſt Antecedens, quia ratio Veri eſt ſpecificativa potentiæ intellectivæ, & omnes cognitiones habent pro vnico motivo Verum vt ſic ; ſed etiam ratio Modi ſciendi eſt ſpecificativa Logicæ, cuius omnes demonſtrationes habent pro vnico motivo Modum ſciendi vt ſic : ergo,

(i) *In* 1.2.*q.* 52.*ar.* 1.

&c.

&c.. Addes paritatem habitus Fidei, qui vnicus sufficit ad omnes actus tendentes sub motivo revelationis: habitus Charitatis, qui de se inclinat ad diligendum Deum, & proximum, tam amicum, quàm inimicum; nec difficultas specialis, quæ in dilectione inimicorum invenitur, multiplicat habitum: ac demùm habitus Temperantiæ, qui simplex sufficit ad abstinendum à cibo, & potu, licèt sæpe maior sit difficultas in alterutro.

22 *Resp. neg. Consequ.*: nam si paritas intellectivæ potentiæ valet, sufficiet simplex habitus ad omnes actus scientificos, immò ad omnes omninò cognitiones. *Ad prob.*, nego causalem Maioris. Et in primis, nihil falsius, vt opinor, quàm quòd omnes cognitiones habeant pro vnico motivo Verum vt sic: alioquin, cum non distinguantur specie, nisi ex motivo, maximè iuxtà Thomistas; fieret, vt eiusdem speciei essent cognitiones practicæ & speculativæ, certæ & incertæ, naturales & supernaturales, &c.; quod mirissimum foret. Deinde, ex eo quòd ratio Veri sit specificativa Intellectus, non satis colligitur, quòd hæc potentia sit vnica vnitate simplicitatis: illa quippe ratio, vtpote generalissima, & sub se admittens innumeras cognitiones specie, & genere diversas, nequit esse causa sufficiens tam rigidæ vnitatis; sed ad summùm fundat ex parte potentiæ vnitatem aliquam vagè, vel simplicitatis, vel compositionis physicæ, vel ordinis, vel cognationis: nam ex solâ ratione Veri vt sic, quomodò probabis, Intellectum practicum non distingui realiter ab speculativo?

23 Vera itaque ratio, cur potentia simplex tot actibus sufficiat, est, quia potentia in eo maximè differt ab habitu adquisito, quòd non producitur ab actibus, nec ab eis pendet à priori; sed est virtus superioris ordinis, & veluti causa vniversalis, quæ limitationem non accipit ab effectibus in specie, sicuti accipit simplex habitus ob rationem contrariam. Hanc porrò virtutis amplitudinem habet potentia, non quidem à Vero vt sic (quod in productione potentiæ nullum præstat influxum), sed à naturâ ipsâ, vel à substantiâ animæ: quemadmodùm Sol, & aliæ causæ cœlestes, virtutem habent concurrendi ad omnes effectus sensibiles sublunares; eaque virtus dicitur specificari ab istorum effectuum ratione communi, quamvis illam non aliunde Sol habeat, quàm ex propriâ naturâ à Deo productâ.

24 Si quæras, cur Intellectus virtutem ex se non habet ad actus etiam tendentes sub ratione Boni, vt ita vna potentia, realiter simplex, sit Voluntas & Intellectus. *Resp.*: ratio huiusce rei pender ex Animasticâ, in quâ multi negant realem distinctionem potentiarum, tum inter se, tum à substantiâ animæ. Interim dici potest, Verum, & Bonum vt sic, fundare quidem *argutivè* realem specificam distinctionem potentiarum totalium, propter nimiam diversitatem modi tendendi, quam exigunt ex parte actuum, videlicet per viam repræsentationis, & affectivi impulsus. Cum hoc tamen cohæret, quòd nec Verum, nec Bonum vt sic, exigat realem simplicitatem vniuscuiusque potentiæ totalis in suâ lineâ. Ex his facilè occurres Thomistarum

rum instantijs, qui paritatem potentiarum nimis incolcant.

25 Paritas habitus per se infusi, qualis est habitus Fidei, aut Charitatis, aut Temperantiæ supernaturalis, nihil vrget. Nam habitus infusus, sicut non producitur ab actibus, ita non debet eis in specie commensurari: nec dat *faciliè posse*, sicut habitus acquisitus; sed dat *simpliciter posse*, sicut potentia, quam proinde magis imitatur in amplitudine virtutis. Si tamen loquamur de fide, charitate, & temperantiâ adquisitis; non eodem habitu credimus his, & illis hominibus; nec eodem diligimus amicos, & inimicos; nec eodem temperamus à cibo, & potu; idque probant speciales istorum extremorum difficultates. Adde 1., quòd paritas virtutum moralium potiùs militat contra Adversarios, vt constat ex cap. præced. n. 8. Adde 2., quòd motivum genericum virtutis, v. g. Iustitiæ, sufficienter movere potest ad amandam quamlibet obiecti speciem in particulari: at in obiecto scientiæ sola ratio generica movere nequit ad assentiendum veritatibus specificis; sed ad eas demonstrandas opus est diversis principijs. Adde 3., quòd, licèt habitus Temperantiæ v.g. in Voluntate acquisitus ex motivo communi, non multiplicetur pro diversitate materiæ; secùs dicendum de habitu appetitus sensitivi (K), qui immediatè sentit difficultatem vnius materiæ præ aliâ: vnde semper verum est, quòd diversa difficultas obiecti diversum petit habitum.

26 Sed adhuc *instabis*: habitus est perfectio potentiæ; sed perfectio commensuratur cum suo perfectibili: ergo habitus commensuratur cum potentiâ, saltem in eo quòd vnicus sufficiat ad actus tendentes sub eâdem ratione formali. *Confirmabis*: habitus magis se extendit ex parte obiecti, quàm actus, quo primò generatur; magis enim distat ab actualitate, & exercitio: ergo poterit extendi ad omnes actus tendentes sub ratione communi totius scientiæ. Verùm obiectio probat, quòd vnicus habitus extenditur ad omne cognoscibile: imò & quòd similiter extenditur vnica species impressa, & vnicus actus; cum actus, & species sint etiam perfectiones potentiæ.

27 Perfectio igitur cum suo perfectibili, & habitus cum potentiâ commensuratur, vt potest, videlicèt in eo quòd sit spiritualis, & alia prædicata habeat sibi non repugnantia: at non commensuratur in eo munere, quòd sibi ex proprio conceptu repugnat, cuiusmodi est respectu habitus acquisiti extensio ad actus specie dissimiles ijs, quibus est genitus. *Ad confirm. neg. Antec.*, si sermo sit de obiecto formali specifico actus. Nec refert maior distantia ab actualitate (quæ pariter invenitur in specie impressâ citrà maiorem extensionem): nam illa vt summùm probat maiorem habitus extensionem, non ex parte obiecti formalis, sed ex parte virtutis activæ, quæ in habitu præ actu extenditur ad cæteros actus eiusdem speciei.

28 *Obijc.* 4.: actus scientiæ totalis sic inter se nectuntur, vt alius alium contineat; nam primus ex obiecti essentiâ demonstrat primam passionem, ex quâ secundus demonstrat secundam, ex quâ tertius tertiam, & sic de alijs: sed actus hac ratione connexi, ad eumdem

(K) *Vid. P. Suar. loc. cit. n. 42.* Pos-

pertinent habitum : ergo, &c. *Confirm.* 1. ex Aguilera : quidquid tractatur in Logicâ, derivatur ex Prædicabilibus, & in eorum doctrinâ continetur : nam ibi agitur de Genere, & Differentiâ, quibus constat Definitio ; de Genere, & speciebus, quibus constituitur Divisio; de inclusione Superioris in Inferiori, quâ nititur illud principium, *Dici de omni*, vnde regulatur ars Syllogistica. Habitus ergo differendi de Prædicabilibus, sufficit ad differendum de cæteris Logicæ obiectis. *Confirm.* 2. ex P. Quiros : habitus non est admittendus, nisi pro difficultate, quæ per species intentionales vinci non potest ; sed semel acquisito Logicæ habitu per primam demonstrationem, in cæteris sola supereit difficultas vincenda per species : ergo pro cæteris demonstrationibus non requiritur novus habitus. *Prob. Min.* : quia omnes demonstrationes eumdem tendendi modum habent : ergo per primum habitum vincitur difficultas modi tendendi : hac autem semel victâ, solis iam speciebus opus est ad demonstrandum quodlibet obiectum; nam qui scit ex motu colligere animal, pari facilitate ex fumo colliget ignem, simodò speciem habeat.

29 *Ad obiect. neg. Mai.*: nam hic actus v. g., *Definitio est clarior Definito*, nullatenùs continet istum, *Syllogismus constat tribus terminis*, nec plurimos alios, qui circâ varias species obiecti Logici versantur. Probatio adiuncta probat vltimùm, quòd actus, qui ex essentiâ Modi sciendi in communi, vel Syllogismi in communi, demonstrat primam eius passionem et iam in communi, contineat demonstrationem secundæ passionis, & sic de cæteris, sistendo semper in ratione communi : quamquam ne id quidem reipsâ probat, vt ostendit Exim. Doctor (1). Cæterùm, si loqeamur de passionibus proprijs diversarum specierum Modi sciendi, invicem comparatis, nulla est continentia vnius in aliâ. Quodsi passiones specificas conferas cum ratione generica Modi sciendi, solam invenies continentiam inadæquatam *potentialem*, ac *permistivam*, quæ certè non sufficit ad demonstrationem, nisi aliunde accedant diversa principia, quæ novum habitum requirunt. Sic ex Animali vt sic, aut eius passionibus, demonstrari nequit rationalitas, aut risibilitas hominis. Et instatur obiectio : nam, si continentiam species vnius in alio, potiori iure pertinebunt ad eumdem habitum principia & conclusiones, aut scientia subalternans & subalternata, v. g. Arithmetica & Musica, vel Geometria & Perspectiva.

30 *Ad 1. confirm.* In primis eadem vrget instantia nunc nunc proposita. Deinde, derivatio illa est inadæquata, remota, & seorsùm ab alijs principijs insufficiens; non aliter ac derivatio cuiusvis ædificij ex lapidibus dispersis. Quare, sicut is, qui scit dispersos expolire lapides, non protinus evadit architectus, nec habitum ædificandi, variasque ædium species construendi possidet : ita in re nostrâ dicendum. Profectò qui novit formare Genera, differentias, & species, non ideò novit discernere Definitionem essentialem à descriptivâ, nec Divisionem potentialem ab actuali, nec

(1) *Loc. cit. præsertim num. 50. & seqq.*

nec Syllogismum categoricum ab hypothetico, &c., sicuti nec proprietates speciebus hisce peculiares. Et quanvis notetur principium, *Dici de omni*, vtpotè per se notum, non ideò facilis est ad conclusiones artis Syllogisticæ; alioquin idem foret habitus primorum principiorum, & conclusionum.

31 *Ad 2. confirm. neg. Min.. Ad prob., omiss. Antec., dist. Consequ.*: vincitur difficultas modi tendendi pro quocumque assensu, *neg.*; pro assensibus eiusdem speciei, *conc.* Consequ.. Habitus non dat facilitatem ad modum tendendi præcisè spectatum, sed ad ipsum assensum, & ad penetrandas facilè rationes terminorum, & ad debitum vsum specierum intelligibilium, quibus illæ repræsentari possunt; vt totidem verbis inquit Exim. Doctor (m). Quare per primum habitum non est victa difficultas modi tendendi, nisi prout contracti ad talem speciem assensus demonstrativi, quæ species desumitur ex obiecto formali: cum ergo aliæ demonstrationes circà diversa obiecta formalia, diversimodè contrahant modum tendendi, nequeunt ab eodem habitu produci. Certè, si habitus non variantur ex obiectis formalibus, sed ex solo tendendi modo, cæterarum scientiarum habitus erunt superflui, vel ab speciebus indistincti; contrà quod modò supponitur. Hinc neganda est cum solo habitu vnius demonstrationis illa par facilitas ad arguendum ex motu, & ex fumo. Adde quòd in Logicâ, præter demonstrationes, sunt etiam definitiones, ac divisiones, quæ diversum tendendi modum habent.

32 *Obsic.* denique: scientia ponitur in prædicamento Qualitatis: ergo non componitur ex multis habitibus; non enim in prædicamento ponitur qualitas ex multis composita. *Confirmat.*: quia si scientia est vna vnitate ordinis multorum habituum, pertinebit ad prædicamentum Relationis. Hæc facilia sunt. Scientia ponitur in prædicamento Qualitatis, prout significat simplicem habitum per demonstrationem acquisitum, atque adeò prout in genere significat scientiam partialem. Quodsi velis, vt etiam scientia totalis in prædicamento locetur, nihil obstat compositio ex multis qualitatibus: nam etiam sanitas, aut pulchritudo, ex multis componitur, & tamen in prædicamento locatur. *Ad Confirm. neg. sequel.*: tum quia ordo ille fortè non est relatio prædicamentalis, sed purè transcendentalis: tum etiam quia nomen *scientia* non accipitur pro ordine habituum in recto, sed pro habitibus ipsis moraliter copulatis, sicut nomen *exercitus*; vel etiam pro habitu capitali sub se continente cæteros iuxtà num. 13.

## CAP. VII.

### *An Logica sit necessaria ad alias Scientias acquirendas?*

1 AD aliquem finem assequendum potest aliquid esse necessarium, vel *simpliciter*, vel *secundùm quid*. Simpliciter necessarium est, sine quo, naturæ saltem viribus, finis obtineri nequit. Sic ad vitam conservandam necessaria est homini respiratio. Necessarium secundùm quid est, sine quo potest absolutè finis obtineri, at non sine labore, ac difficultate. Sic ad longum iter agen-

(m) *Ibid. n.* 48.

agendum necessarius est equus, aut aliud, quo veharis. Quæritur ergo, quo genere necessitatis requiratur directio Logicæ artificialis (naturalem ab Intellectus acumine indistinctam omninò requiri non est dubium) ad alias scientias acquirendas? Et possunt quidem scientiæ considerari; vel in statu imperfecto, & incompleto, quando scilicet acquiritur una, vel altera demonstratio de obiecto ipsarum; vel in statu perfecto, & completo, cum videlicet acquiruntur omnes demonstrationes, quæ de obiecto cuiusque scientiæ acquiri consueverunt à Philosophis humanitùs consummatis.

2 Prima sententia Logicam statuit simpliciter necessariam ad alias scientias in utroque statu, perfecto, & imperfecto. Ita plures Thomistæ cum Soto, Araujo, Lerma, Parra, Navarrete, quibus recèns accedunt MM. Manso, & Gabriel à Concept.. Secunda Logicam dicit necessariam simpliciter ad scientias in statu perfecto, secùs in statu imperfecto. Ita plures alij Thomistæ, quos referunt, & sequuntur uterque Lyncæus, Dominicanus, & noster. Tertia asserit, scientias in utrovis statu simpliciter haberi posse sine Logicâ. Sententia hæc frequentissima est in Scholâ nostrâ, necnon inter Scotistas apud Pontium, quibus subscribunt è Thomistis Colleg. S. Thom. Complut., & MM. Pzlanco, Troyl., & Aguilera. Quibuscum fit.—

***
**

## §. I.

*Nostra Conclusio.*

3 LOgica *non est simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas, nec in statu imperfecto, nec deinde in statu perfecto.* Prima pars *prob.*: Intellectus sine Logicâ artificiali potest eliccre demonstrationes illas, quæ immediatè procedunt ex primis principijs per se notis, cuiusmodi est hæc: *Omne totum est maius sua parte; sed mundus est totum, cuius terra est pars; ergo mundus est maior terra*: sed per hasce demonstrationes habetur scientia in statu imperfecto: ergo, &c.. *Prob. Mai.*: Intellectus in primis solâ vi naturali cognoscere potest certò & evidenter earum veritatem præmissarum; aliunde, & conclusionem ex illis evidenter inferri: ergo demonstrationem illam habere poterit sine Logicæ directione. Consequentia legitima est; & Maior indubitata: nam illa præmissa, *Omne totum est maius sua parte*, unum est ex principijs per se notis, ad quorum evidentem cognitionem nemo requirit Logicam artificialem: illa quoque, *Mundus est totum*, oculis evidenter perspicitur, non minùs quàm hæc, *Sol lucet*, quin opus sit arte diligentes, nisi velis ignaros Logicæ nihil posse evidenter iudicare, ne suam quidem existentiam.

4 Minor ergo probatur. Intellectus solo nativo lumine cognoscit ea principia, *Dici de omni, &c.*, *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.*; sunt enim per se nota: potest igitur evidenter cognoscere sine Logicâ, dici debere de hoc toto, nempe Mun-

Mundo, quidquid verè dicitur de omni toto, scilicet *esse maius sua parte*; & necessariò identificari inter se, quæ in præmissis certò noscuntur identificata vni tertio. Hoc autem est cognoscere, conclusionem ex præmissis evidenter inferri. Immò, licèt nescias bonitatem consequentiæ revocare ad ea principia, poterit tibi conspicua reddi per claritatem obiecti præmissarum. Sic enim passim videmus, ignaros Logicæ, nec cogitantes de illis principijs, *Quæ sunt eadem vni tertio, &c.*, non solùm optimè discurrere naturali solertiâ, sed etiam esse certissimos de bonitate suarum illationum. Pone rusticum creditorem, qui debitorem suum vrgeat hoc discursu: *Qui debebat centum, & solvit quinquaginta, adhuc quinquaginta debet; tu cum deberes centum, solvisti tantùm quinquaginta: adhuc ergo quinquaginta debes.* Tum quære, precor, à rustico, num certus sit de bonitate illationis? Dicet proculdubiò, se esse certissimum; & nullâ captione, vel sophismate patietur se ab illâ dimoveri, quanvis aliam rationem reddere nesciat, præter connexionem ipsam obiectorum sibi meridianâ luce clariorem.

5 *Confirm.* 1.: quia passim videmus, ignaros Logicæ Mathematicis disciplinis operam dare, ac demonstrationes acquirere in Geometriâ & Arithmeticâ benè multas, quibus omninò firmiter adhærent. Vidi egomet ignarum Logicæ, Matheſi imbutum, & demonstrationes mathematicas proponentem, qui mirè securus de rectitudine consequentiarum, & conclusionum, risu excipiebat quidquid obiiciebatur, licèt sophismata solvere nesciret. *Confirm.* 2.: ante Aristotelem aliqui Græciæ Sapientes assecuti sunt scientias in statu saltem imperfecto, vt est certissimum, & ex Libris Platonicis, alijsque perspicitur. At Syllogisticam artem (quam Adversarij maximè, vel vnicè in præsenti requirunt) non fuisse inventam ante Aristotelem, testatur ipsemet 2. Elench. cap. vlt. verbis hisce: *Et de rhetoricis quidem erant multa, & antiqua dicta; de Syllogismis autem omninò nihil habuimus prius quicquam, quod diceremus, quàm quod exercitationi huic propositæ multo tempore insudaverimus.* Nec refert, totam artem Logicam Adamo fuisse inditam: nam sæculorum tractu oblivione sepulta est, saltem apud Ethnicos; ideòque Syllogisticæ formæ præcepta non extant apud Authores Aristotele antiquiores.

6 Probatio ista roboratur expressâ auctoritate D. Thomæ 1. p. q. 117. ar. 1. c. ibi: *Inest vnicuique homini quoddam principium scientiæ, scilicet lumen intellectus agentis, per quod cognoscuntur statim à principio naturaliter quædam vniversalia principia omnium scientiarum. Cum autem aliquis huiusmodi vniversalia principia applicat ad aliqua particularia, quorum memoriam, & experimentum per sensum accipit, per inventionem propriam acquirit scientiam eorum, quæ nesciebat, ex notis ad ignota procedens.* En, vt Angelic. Doctor, de directione Logicæ omninò silens, eamdem inveniendi scientias viam approbat, quam naturaliter possibilem esse diximus: quâ videlicet innatum lumen Intellectus, adiutum memoriâ, & experientiâ rerum, ex principijs vniversalibus progreditur ad conclusiones particulares.

7 Iam secunda pars conclusionis nostræ *prob.*: potest Intellectus sine Logicæ subsidio comparare conclusiones scientificas, immediatè deductas ex primis principijs, vt constat ex probatione primæ partis: ergo & alias à primis principijs remotiores, donec omnes tandem acquirat. *Prob. Consq.*: nam conclusiones probatæ per prima principia, non minùs notæ iam sunt, quàm principia ipsa: ergo poterit Intellectus illis vti tamquam præmissis ad novas alias inferendas. Patet Consequentia: nam ideò ex primis principijs deducere potuit conclusiones, quia ea principia ipsi sunt evidentia sine Logicâ; sed etiam primæ conclusiones ipsi iam sunt evidentes sine Logicâ: ergo poterit ex illis proprio Marte deducere novas alias: & cum de his eadem sit ratio, poterit successivâ illatione deducere omnes.

8 *Confirm.*: Intellectus per demonstrationum productionem non lassescit, nec redditur debilior ad producendas alias; sed potiùs fit habilior, & expeditior acquisitione vnius veritatis ad novas veritates indagandas, vt experientia testatur: non aliter ac divitiarum acquisitio non impedit, sed potiùs viam parat, vt qui dives est, ditior evadat in dies: id quod etiam in virtutibus moralibus patet; necnon in operibus mechanicis, vnde natum est proverbium Hispanicum, *Quien haze vn sello, haze ciento.* Intellectus igitur, primis demonstrationibus partis, cum hoc ipso expeditior iam, atque robustior sit, facilius poterit novas acquirere: & cum his ipsis novum illi robur accrescat, facilius adhuc ad alias involabit, donec omnes obtineat. Urgetur ad hominem contrà Thomistas: Intellectus per primam demonstrationem acquirit habitum totius Scientiæ, ita vt deinceps solis indigeat speciebus ad eliciendas facilè cæteras omnes demonstrationes: ergo 1. cæteræ faciliores sunt, cum iam præsupponant habitum Intellectus: ergo 2. ad cæteras non requiritur Logica, cui certè non incumbit species ministrare: positis autem habitu, & speciebus, quid prohibet demonstrationem elici?

## §. II.

### *Adversariorum doctrina reijcitur.*

1 COncedunt Auctores primæ sententiæ, sine Logicâ elici posse discursum evidentem (nec id negari potest, nisi contrà manifestam experientiam); negant tamen, illum esse *scientificum*, aut *demonstrativum*, quamdiù reflexè non cognoscitur bonitas consequentiæ prout consistens in rectâ dispositione terminorum formalium; quæ reflexa cognitio, cum sit actus Logicus, sine Logicâ artificiali non habetur. Hinc alij dicunt, talem discursum esse certum *quoad substantiam*, non *quoad modum arguendi sufficientem*: alij, esse demonstrativum *materialiter*, non *formaliter*, & *respectu cognoscentis*; & alij aliter loquuntur. Sed omnes hoc vnum intendunt, vt nullus discursus mereatur nomen *demonstrationis*, & *scientiæ*, nisi coniungatur cum reflexâ cognitione Logicæ artificialis. Quare tota ista doctrina —

10 *Reflex.* 1.: vel reflexa cognitio supponit, discursum direc-

lectum esse formaliter demonstrationem, & actum scientificum?, vel non supponit, sed constituit, aut complet formaliter in esse talis? Si primum: ergo discursus est formaliter demonstratio, & actus scientificus, ante reflexionem, & quidem respectu cognoscentis, cui necessariò præstabit effectum formalem *scientis*, sicut cæteræ formæ formales suos effectus præstant subiecto capaci: ergo, licèt ea reflexio non resultaret, Intellectus verè esset demonstrans, & sciens. Si secundum: ergo omnis discursus, quatenùs demonstrativus, & scientificus, includit formaliter actum Logicæ artificialis: ergo nulla demonstratio physica in ratione demonstrationis, & scientiæ, est purè physica, sed mixtum quid ex actibus physico & logico: ergo habitus Physicæ se solo non est scientificus, cum ex eo tantùm oriatur demonstratio directa, quæ se solâ non est formaliter actus scientificus, donec in esse talis constituatur per reflexionem Logicam. At sequela ista absurda est, & contrà communem sensum. Aliter: habitus Physicæ per se est plenè scientificus, vt nemo dubitat: ergo per se producit actũ plenè scientificũ. Sed non producit nisi substantiâ assensus evidentis, seu demonstrationis directæ (si enim produceret etiam actum reflexum Logicum, foret habitus Physicus simul & Logicus): ergo substãtia demonstrationis directæ est actus plenè scientificus.

11 *Reijc.* 2.: hæc demonstratio; *Omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*; prout est discursus evidens quoad omnes assensus, haberi potest præscindendo à reflexione prætensâ. Tum quia reflexio ista cognoscit, assensus esse evidentes, proindeque evidentiam eorum non facit, sed supponit. Tum quia evidentia præmissarum nullatenùs pendet à Logicâ, cum sit purè physica, & pertineat ad evidentiam principiorum: aliunde nec à Logicâ pendet evidentia consequentiæ. Probatur hoc: nam in primis illæ præmissæ tam clarè ostendunt necessitatem consequentiæ, vt ad conclusionem inferendam Intellectum necessitent quoad exercitium, vel saltem quoad specificationem (de quo tract. 6.). Deinde necessitas consequentiæ in eo consistit, quod præmissarum obiectum ita connectatur cum obiecto conclusionis, vt sine illo stare non possit: hæc autem connexio est res purè physica, & evidenter cognosci potest sine Logicâ, sicuti cognoscitur in hoc iudicio hypothetico, *Si omnis homo*, vel, *Quia omnis homo est rationalis, omnis homo est risibilis*: quod si neges, teneberis quoque negare, quòd sine Logicâ possit evidens esse propositio vlla causalis, aut conditionalis, v. g. *Quia Sol lucet, dies est; Si homo currit, movetur*; siquidem in his inventur connexio, & consequentio quædam vnius ex alio. Postremò, Intellectus sine Logicâ evidenter cognoscit, se iudicare verum: ergo etiam, se rectè inferre verum: non enim minùs est naturaliter discursivus, quàm iudicativus: & qui tenet iudicium hoc evidens, *Omne rationale est risibile*, si ipsi proponas hoc enthymema, *Omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis*, quomodò dubitabit de consequentiâ?

12 Tum sic: ergo discursus ille, præscindendo à reflexione Logicâ, est formaliter, ac plenè

demonſtratio. *Prob. Conſeq.*: quia tali diſcurſui convenit definitio demonſtrationis, ex Ariſtotele (a) deſumpta, & ab omnibus approbata, nempe, *Ratiocinatio conſtans ex veris, primis & medio vacantibus, prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis.* Expende ſingulas definitionis particulas, prout ab omnibus explicari ſolent, & à nobis explicabuntur tract. 6.; & omnes invenies in prædicto diſcurſu planè verificari, poſitâ evidentiâ præmiſſarum, & conſequentiæ. At omnis demonſtratio *facit ſcire*, ſeu *generat ſcientiam*, vt ignorat nemo. Accedit definitio ſcientiæ actualis, cunctis ex Ariſtotele (b) probata, videlicet, *Cognitio rei per cauſam, & quòd illius eſt cauſa, & quòd res aliter ſe habere non poteſt*: nam qui prædictum diſcurſum elicit, cognoſcit hominem eſſe riſibilem *per cauſam*, nimirùm per rationale: cognoſcit item, *quòd illius eſt cauſa*, & quidem independenter à Logicâ; non enim hæc, ſed ſola Phyſica, docet, quòd rationale ſit cauſa, vel radix neceſſaria riſibilis: cognoſcit demùm, quòd res hæc *aliter ſe habere non poteſt*, cum evidenter cognoſcat neceſſariam connexionem vtriuſque obiecti, antecedentis, & conſequentis. Quid ergo ſupereſt, vt ille diſcurſus dicatur, & ſit actus ſcientificus?

13 Accedit inſuper, quòd concluſio, prout tali diſcurſu deducta, ſi eſt evidens, nec eſt opinio, nec fides, vt patet; nec item eſt cognitio principiorum: eſt ergo ſcientia, ſeu actus ſcientificus. Negat hoc nonnemo, cenſetque, talem actum inter cognitiones experimentales numerandum. Sed obſtat 1., quòd experimentalis cognitio verſatur circà ſingulare, & in hoc differt ab ſcientificâ, cuius eſt verſari circà vniverſalia, vt diſertè docet cum Ariſtotele D. Thomas (c). Obſtat 2., quod *expertus* ſolùm cognoſcit *quia* (ideſt, obiectum ita eſſe); *ſciens* autem cognoſcit *propter quid* (ideſt, cauſam cur ita ſit), vt item docet cum Philoſopho Doctor Angelic. (d). At illa concluſio, *Ergo omnis homo eſt riſibilis*, eſt de obiecto vniverſali; & qui illam deducit, cognoſcit cauſam cur homo ſit riſibilis, nempe quia eſt rationalis. Nullo igitur iure talis cognitio vocabitur experimentalis, aut non ſcientifica.

14 Dices: vt diſcurſus ſit ſcientificus, non ſufficit evidentia de obiecto, ſed requiritur evidentia de rectitudine formæ ſyllogiſticæ, quæ evidentia ſine Logicâ non habetur. *Contrà* 1. Definitiones adductæ num. 12. verificantur de diſcurſu poſito n. 11., independenter ab evidentiâ reflexâ formæ ſyllogiſticæ, vt expendenti patebit: & ſignanter ea particula, *Quòd res aliter ſe habere non poteſt* (quæ dubia forſan erit), non de formâ, ſed de obiecto loquitur; ſignificat enim, teſte D. Thomâ (e), *quòd id, quod ſcitur, non poſſit aliter ſe habere.* Et verò forma demonſtrationis de homine, & homo ipſe, ſunt obiecta diſtincta in eſſe ſcibilis, vt quiſque videt: ergo poterit riſibilitas hominis ſciri, quin reflexè ſciatur forma demonſtrationis, vel ſaltem quin altera ſcientia per alteram conſtituatur. *Contrà* 2. Licèt re-

(a) 1. *Poſter. cap.* 2. (b) *Ibid.* (c) *In* 1. *Metaph. Lect.* 1.
(d) *Ibid.* (e) *In* 1. *Poſter. Lect.* 4.

requiratur evidentia reflexa de rectitudine formæ, non ideò opus est Logicâ artificiali, sed naturalis sufficit, vt patebit inferiùs in solutione 1. argum.

15 *Rejic.* 3. ratione communi, quæ nostræ sententiæ vetus, & hucvsque valida probatio est. Prima demonstratio, quâ Logica acquiritur, nativo lumine Intellectus elicitur sine directione Logicæ; nam si hæc directio præiret, Logica præexisteret ante primam sui productionem, quod repugnat omninò: ergo similiter acquiri poterit quævis alia demonstratio cuiusvis scientiæ sine directione, proindeque sine reflexione factâ iuxtà regulas Logicæ artificialis. *Prob. Conseq.* Tum quia omnia argumenta Adversariorum æquè militant contrà primam Logicæ demonstrationem, ac contrà quamvis aliam. Tum quia non minùs aliæ scientiæ, quàm Logica, habent principia per se nota, quæ proprio lumine applicare possit Intellectus ad conclusiones particulares.

16 Respondent, primam demonstrationem Logicæ non egere prævià directione: quia necessariò debet esse circà modum inferendi conclusionem scientificam in Demonstratione: & hoc ipso est virtualiter directio sui; nam exequitur id ipsum, quod docet; & eius conclusio virtualiter præcognoscitur in præmissis, quæ verè sunt actus Logici. *Contrà* 1. Gratis omninò dicitur, primam demonstrationem Logicæ necessariò versari circà illud obiectum: nam cur non poterit Logica incipere à proprietatibus Definitionis? Immò ita vsuvenit in omni Scholâ, vt priùs demonstretur, qualis debeat esse Definitio, quàm Demonstratio. *Contrà* 2. Quidquid sit de directione illâ virtuali, satis impropriâ, & obscurâ, iam admittitur demonstratio, & scientia propriè talis, absque expressâ & reflexâ cognitione de bonitate illationis habitâ per regulas artis: oppositum tamen contendunt totis viribus Adversarij. *Contrà* 3. Logica ideò potissimùm necessaria dicitur ad actum scientificum, vt Intellectus sciat contraria sophismata diluere. At, qui primam Logicæ demonstrationem elicit, nondum scit sophismata dissolvere, vt experientiâ notum est; cum tamen actum verè scientificum habeat.

## §. III.

### *Exarmantur Argumenta contraria.*

17 ARG. 1. Non habetur scientia, nisi reflexè cognoscatur, conclusionem esse rectè deductam ex præmissis rectè dispositis; sed hæc reflexa cognitio pertinet ad Logicam: ergo, &c. *Prob. Mai.*: quia, nisi adsit ea cognitio, nescit Intellectus, an benè, vel malè inferat, poteritque de bonitate illationis dubitare, quæ dubitatio cum scientiâ pugnat. *Resp.* 1. Admissâ necessitate cognitionis reflexæ de bonitate illationis hic & nunc, talis cognitio neutiquam erit Logicæ artificialis, sed naturalis, orta scilicet ex nativo lumine Intellectus. Quanvis enim ignarus Logicæ nesciat dicere, an demonstratio sit facta iuxtà regulas Figurarum, Modorumque, vel quænam esse debeat in communi dispositio terminorum, vt bona

consequentia prodeat; at dicere poterit, hanc formam discurrendi hic & nunc minimè fallere, sed optimam esse ad convincendum Intellectum, & consequentiam clarissimè deduci ex veritate præmissarum. Sic, qui Rhetoricam nescit, potest sæpe cognoscere, sermonem esse optimè contextum ad finem persuadendi; & qui Architecturam, qui Musicam ignorat, potest evidenter nosse, domum hic & nunc esse egregiè dispositam ad finem habitandi, & sonos ad finem oblectandi. Adde Magn. Augustinum rem istam differè confirmantem verbis, quæ suprà exaravimus cap. 1. n. 10.

18 Dices: reflexa ista cognitio iam erit Logicæ artificialis; respicit enim obiectum Logicæ proprium, nempe bonitatem Consequentiæ. *Neg. assumpt.*: quia talis cognitio, vtpote resultans ex evidentiâ, & claritate demonstrationis hic & nunc præsentis, est cognitio purè experimentalis, sicut visio, quæ in apertis oculis ex lucis præsentiâ resultat. Vt autem foret cognitio propria Logicæ artis, deberet cognoscere bonitatem Consequentiæ in vniversali, vel saltem colligi ex vniversali cognitione. Nam, vt Aristoteles docet 1. Metaph. c. 1., in eo differt experientia ab arte, *Quòd experientia singularium, ars autem vniversalium cognitio est.* Idquod ibi latè confirmat D. Thomas Lect. 1. Descendit quidem ars ad singularia; sed applicando, contrahendoque regulas vniversales: quare omnis cognitio ad artem pertinens, semper est, *præsuppositivè* saltem, vniversalis. Hinc obiectum artis solâ vniversalitate differt ab obiecto experientiæ. *Plus habet hoc ars, quàm experimentum: quia experimentum tantùm circà singularia versatur; ars autem circà vniversalia,* vt totidem verbis inquit ibid. D. Thomas. Ibi quoque probat Aristoteles vetus dictum, *Experientia artem effecit*: quia scilicet ex multis experientijs singularium progreditur mens ad vniversalem acceptionem speciei, vel generis eorumdem.

19 Nec tamen dicimus, demonstrationem de risibilitate hominis, habitam sine Logicâ, esse cognitionem experimentalem; id enim reiecimus n. 13. Solùm ergo experimentalem dicimus reflexam cognitionem de formâ demonstrationis, prout hic & nunc aptâ ad convincendum. Nihil autem prohibet, actum vt scientificum constitui quasi de obliquo per cognitionem reflexam purè experimentalem, dummodò in recto importet cognitionem directam & evidentem rei vniversalis per causam. Potrò cognitio ista reflexa tribui poterit habitui Physicæ (aut illius scientiæ, cuius fuerit evidentia directa), & in eo contineri, saltem mediatè, cum sit effectus quidam naturaliter resultans ex quovis discursu evidenti. Quare, licèt in primâ demonstratione physicâ reflexio illa sit actus elicitus à solâ Logicâ naturali; posteà tamen, habitu Physicæ semel acquisito, poterit ab eo produci tamquam appendix actus præcipui.

20 Sed adhuc instabis: bonitas consequentiæ debet cognosci evidenter: sic autem cognosci non potest, nisi per demonstrationem; bonitas etenim est passio Consequentiæ, & nulla passio evidenter cognoscitur, nisi per demonstrationem

monstrationem. At demonstratio de bonitate Consequentiæ iam est Logica artificialis. Nimis laborant aliqui, vt hunc obicem removeant; & enixè volunt, vt *bonitas* non sit *passio*, sed *essentia* ipsissima *Consequentiæ*. Ad me quod attinet, permitto, esse passionem; & nego, quòd passio in individuo nonnisi per demonstrationem cognosci possit evidenter. Numquid demonstrativo Syllogismo indigeam, vt evidenter noscam, solem hunc esse lucidum, aut ignem hunc esse calidum? Numquid etiam, vt evidenter percipiam, me, & te esse risibiles, cùm actu ridemus? Attamen & lux Solis, & calor ignis, & risibilitas hominis passio est.

21 Ut summùm ergo demonstratione opus est, vt cognoscatur passio formaliter in esse passionis ab essentiâ manantis; minimè verò, vt experimentali evidentiâ noscatur tamquam res quædam absolutè existens. Profectò experimentalis evidentia, vel nullo indiget discursu, vel certè non syllogistico: sed contenta est brevi enymemate à posteriori, vt, *Homo iste ridet, ergo ridere potest*; aut etiam iudicio impropriè causali, vt, *Homo iste risibilis est, quia rides*. Sic igitur in re nostrâ sufficit hic actus, *Discursus iste me planè convincit, ergo est benè dispositus ad convincendum*; aut etiam hic, *Discursus iste benè dispositus est ad convincendum, quia me planè convincit*. Neuter autem pertinet ad Logicam artificialem: quia nec est propriè & formaliter demonstratio: nec est regula generalis approbans formam præscindendo ab hac singulari materiâ, vel in eâ discernens Figuram, Modum, &c.

22 *Resp.* 2. ad Argum. princip. *neg. Mai.*: nam vt quis habeat scientiam, sat est, quòd exercitè cognoscat, quamvis non signatè, & reflexè, bonitatem consequentiæ formalis. Cognitio *exercita* est ipsamet demonstratio directa, ita cognoscens identitatem extremorum, vt simul advertat, & attendat illationem obiectivam, id est, necessariam connexionem obiecti conclusionis cum obiecto præmissarum, quæ attentio indicatur particulâ *ergo*. Cognitio *signata* dicitur cognitio reflexa de rectâ dispositione terminorum formalium ad concludendum. Itaque directa demonstratio, dum cognoscit evidenter illationem obiectivam, formalem etiam cognoscit *exercite*: id est, *exercitio ipsa* cognoscendi evidenter connexionem obiectorum, reddit Intellectum omninò securum de rectitudine consequentiæ formalis. Hæc securitas imbibitur in effectu formali cognitionis evidentis: & in eo consistit, quòd Intellectus, licèt actu non reflectat, sic tamen affectus sit, vt quandocumque interrogetur, an suus discursus formam habeat hic & nunc aptam ad convincendum, illicò reflectat evidenter, & asserat indubitanter. Hinc *ad prob. Mai. neg. sequel.*: quia, vt Intellectus dubitare nequeat, sufficit evidens cognitio connexionis obiectivæ, quæ est etiam exercita securitas consequentiæ formalis modò explicato. Quæ contrà solutionem istam obiicit M. Manso, præoccupata manent, tum hic, tum in 2. respons.

23 *Arg.* 2.: ignarus Logicæ nescit, quomodò, & ex quibus facienda sit demonstratio: ergo nequit illam habere, nisi purè materiæ-

rialiter, inadvertenter, & à casu, quod non sufficit ad scientiam. *Prob. Cosequ.*: qui talia nescit, ignorat an demonstratio, quam elicit, sit demonstratio: ergo purè materialiter, & inadvertenter demonstrat. Sic, qui vera loquitur, nesciens se verum dicere, & quid sit dicere verum; purè materialiter verum dicit: vt etiam, qui falsa loquitur, nesciens se mentiri, aut quid sit mendacium; nec formaliter mentitur, nec culpabilis est coram Deo. *Confirm.*: non habetur scientia, nisi Intellectus cognoscat rem per causam, hoc est, nisi rationem reddere valeat, cur tali obiecto firmiter assentiatur, & cur à tali discursu convincatur; itemque, nisi conclusionem resolvere queat in prima principia. At ea ratio reddi non potest, nec ea resolutio fieri, nisi detur cognitio reflexa comparans demonstrationem cum regulis Logicis: ergo, &c.. Verùm hæc obiectio, vt & cæteræ omnes, perspicuè infringitur in primâ demonstratione Logicæ, de quâ n. 16. Præterea.—

24 *Resp. ad Argum. dist. Antec.*: nescit, quomodò, & ex quibus facienda sit demonstratio in communi, *conc.*; in particulari, sive hic & nunc, *subdist.*: nescit signatè, vel per comparationem reflexam ad regulas Logicæ, *conc.*, nescit exercitè, vel etiam reflexè cognoscendo, se nunc discurrere evidenter, & infallibiliter, *neg. Antec.*, & *Conseq.* Ignarus Logicæ nescit quidem tradere regulas in communi pro construendâ Demonstratione, neque hanc particularem ad regulas comparare: quod probat, illum carere scientiâ reflexâ de artificio Logico vt tali. At potest, adiutus principijs, & speciebus evidentibus, conficere discursum, quo evidenter convincatur de veritate, & connexione obiecti: qui discursus per se ipsum exercitè reddit Intellectum securum de eo quòd hic & nunc ita discurrere debeat, & benè discurrat. Quodsi reflexio aliqua, signata, & expressa, requiratur, sufficiet experimentalis, & attingens demonstrationem præsentem, si non sub nomine *demonstrationis*; sub nomine *discursus planè convincentis.*

25 Hinc ignarus Logicæ non habet demonstrationem *inadvertenter*; quia advertit se convinci, & obiectum conclusionis non posse aliter se habere: nec item propriè *à casu*; quia illam quæsivit ductus primis principijs, & nativâ propensione in veritatem: nec demum *pure materialiter*; quia penetrat vim, & efficaciam illius ad convincendum, tum exercitè, tum per reflexionem Logicæ naturalis; & ideò talem discursum scit præferre alijs incertis. Undè retorquentur exempla: nam, qui inadvertenter, idest, aliud dicere volens, sive non penetrans vim verborum, dicit verum, aut mendacium, pure materialiter dicit: at, si ipso in exercitio dicendi habeat fallendi intentionem, aut explicandi quod sentit; tum certè formaliter mentitur, aut verum dicit, etiam si nesciat definitionem veritatis, aut mendacij, nec eorum naturam scientificè calleat; non aliter ac potest quis formaliter Contritionem habere, quanvis nesciat eius definitionem.

26 *Ad Confirm.* concessâ Maiore, recto sensu intellectâ, *neg. Min.*: quia Logicæ ignarus, dum demonstrat hominem esse risibilem, quia

quia est rationalis, vtique rem cognoscit per causam, vt suprà ostendimus, & rationem reddere potest, cur assentiatur firmiter, & convincatur, nempe, Quia cognoscit evidenter, omnem hominem esse rationalem, & rationale necessariò connecti cum risibili: & hæc ipsa redditio rationis est *resolutio* in prima principia, quam scientia poscit. Porrò, dum conclusio immediatè deducitur ex primis principijs, in ea resolvitur, cum in suas resolvitur præmissas: si verò mediatè, tum si resolvatur conclusio in suas præmissas, istæ in suas, & sic deinceps vsque ad prima principia; in hæc tandem resolvetur conclusio; quin Logica probetur necessaria simpliciter ad resoluriones huiusce modi. Cõtendunt quidem Adversarij, vt etiam ratio reddi possit de formâ syllogisticâ, hæcque resolvatur in prima principia Logica: verùm resolutio ista, & redditio rationis, non pertinet ad scientiam directam, de homine v. g., sed ad scientiam reflexam de artificio Logico, quæ valde diversa est, & separabilis à directâ, vtpote respiciens diversum obiectum, ac diversimodè scibile. Vt summùm ergo de formâ syllogisticâ reddi debet ratio quædam à posteriori, sive ab experientiâ, qualem habes n. 21.

27 *Arg.* 3.: demonstratio scientifica est formaliter artefactum; sed artefactum, vt ex terminis liquet, necessariò pendet ab arte, & eâ dirigente fit: ergo demonstratio scientifica necessariò pendet ab arte Logicâ. *Confirm.* 1.: vt quis perfectè eliciat artefactum, debet scire rationem structuræ illius; sed scire rationem a tefacti demonstrativi pertinet ad Logicam, sicut rationem reddere structuræ domus pertinet ad Architecturam: ergo, &c. *Confirm.* 2.: nequit acquiri scientia sine modo sciendi; sed Logica iuxta Aristotelem est modus sciendi generalis ad omnes scientias: ergo nequit haberi scientia sine Logicâ. *Confirm.* 3.: demonstrare est proprium Logicæ quarto modo: nequit ergo sine Logicâ reperiri. *Confirm.* 4.: Intellectus, quoties demonstrat, reipsâ logizat: ergo Logicam exercet.

28 *Resp.* Demonstratio scientifica non necessariò est artefactum *in actu secundo*, hoc est, quid actualiter factum ex directione artis: est tamen necessariò, & formaliter artefactum *in actu primo*, hoc est, opus de se capax, vt fiat ab arte, & habens intrinsecam rectitudinem, & perfectionem, quam ars posset intendere. Artefactum in actu primo, non necessariò pendet ab arte, sed fieri potest à solo Intellectu, licèt difficulter, & cum periculo priùs errandi; vt agnoscere debent Adversarij in primâ demonstratione Logicâ, & in assensu primorum principiorum, qui certè est artefactum enunciativum, cum tamen non fiat ab arte. Immò ex experientiâ multorum artefactorum præcedentium nata est omnis ars, vt docet Aristoteles suprà citatus. *Ad* 1. *Confirm.* Vt quis perfectè eliciat artefactum in actu primo, non debet necessariò scire rationem structuræ desumptam ex conformitate cum præceptis vniversalibus artis; vt constat, tum exemplis proximis, tum exemplo ornatæ locutionis, quæ naturali facundia passim obtinetur sine Rhetoricâ. Pertinet id quidem ad perfectionem Artificis, sive Intellectus, qui proculdubiò

magis perficitur duplici scientiâ, directâ, & reflexâ : at non pertinet ad intrinsecam perfectionem ipsius scientiæ directæ, cui accidentalis & extrinseca est directio, & approbativa artis. Sufficit ergo, quòd Intellectus rationem structuræ noscat in particulari per cognitionem experimentalem, quæ ostendat evidenter, structuram hic & nunc optimam esse ad convincendum ; de quo etiam exercitè certificat demonstratio ipsa.

29 *Ad 2.* Nequit acquiri scientia sine modo sciendi, passivo, & directo, idest, sine demonstratione, quæ est species Modi sciendi; benè tamen sine modo sciendi, activo, seu directivo, & reflexo; quo tantùm sensu vocatur Logica modus sciendi generalis. *Ad 3. neg. Antec.* : quia *demonstrare* proprium est cuiusvis scientiæ. Solùm ergo proprium est Logicæ *docere* modum demonstrandi. Similiter omnis scientia est *facilitas demonstrandi* finim obiectum : sed sola Logica est *facilitas præbendi regulas* ad demonstrandum. *Ad 4. dist. Antec.* : logizat directivè, sive ex attentione ad regulas, *neg.* ; logizat parè effectivè, ponendo scilicet sine attentione ad regulas talem effectum, qualem dictaret Logica, si adesset, *conc. Antec.*; sed *neg. Conseq.* ; quia nemo propriè exercet Logicam, quæ non adest. Eodem sensu, qui naturali facundia ornatè loquitur, reipsà rhetoriffat, quin ideò Rhetoricam artè exerceat.

30 *Arg. 4.* : non habetur scientificè demonstratio, nisi cognoscatur vt infallibilis, & minimè claudicans, nec ex parte materiæ, nec ex parte formæ ; si enim formidinem patitur de sui veritate, & rectitudine, iam non differt à syllogismo probabili, qui ad generandam scientiam inutilis est. Id autem sine Logicâ obtineri non posse, *prob. 1.* : quia, seclusâ Logicâ, cum quovis discursu cohæret formido falsi : tum ex parte materiæ *circà quam* ; nam, licet hæc proponatur sub omnimodâ ratione veri ; at sæpe etiam proponitur paralogismus sub omnimodâ veri ratione, vt experimur passim; nec vllus discursus speciosior isto, *Hæc essentia Divina est Pater, Filius est hæc essentia Divina, ergo Filius est Pater* ; qui tamen discursus certè fallit. Tum etiam ex parte formæ; quam sine Logicâ nescit Intellectus discutere, & ad principia immobilia revocare. Certè ignarus Logicæ nihil discernit inter has propositiones, *Homo est animal, Animal est homo*, quarum tamen varietate sæpe vitiabitur syllogistica forma.

31 *Prob. 2.* : quia, vt demonstratio firmitatem habeat scientiæ propriam, talis esse debet, *vt neque in ea quisquam errare, nec quibuslibet adversantibus impulsus mutare debeat*, vt docet Magn. Augustinus l. 1. contrà Academ. cap. 7.. At ignarus Logicæ quovis in contrarium sophismate facilè nutat, vt experientia testatur. Sane, qui discernere nescit syllogismum demonstrativum à sophistico, non illum habet vt infallibilem : hæc autem discretio solius est Logicæ. *Prob. 3.* : quia plures legunt demonstrationes Philosophi, & D. Thomæ, nec tamen firmiter assentiuntur, sed opinativè tantummodò ; non aliâ ex causâ, nisi quia defectu Logicæ nesciunt ex quibus constare debeat demonstratio. Testatur etiam Aristoteles, veteres Philosophos ex ignoratione Dialecticæ in plurimos

erro-

errores incidisse. Adde quòd ignarus Logicæ nescit se scire: & iuxtà Aristotelem; *qui nescit se scire, nihil scit.*

32 *Resp.* Quidquid in Argumento sumitur, sine Logicâ obtineri potest; quia obstant contrariæ probationes. *Primæ* instatur in regulis ipsis Logicis, de quarum etiam firmitate dubitare quis poterit; imò & de primis principijs, quibus Logica regulat formam syllogisticam. Nam vnde scit, an ipse benè intelligat hæc prima principia? vel, an ea indigeant explicatione, seu limitatione, sicut indiget illud, *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.*, vt teneat in Divinis? Tota ergo firmitas assensus scientifici nititur indole veræ *evidentiæ*, quæ per se formaliter excludit omnem formidinem, nec patitur, Intellectum vllatenùs dubitare, quantumvis reflectat, & circumspiciat; non præcisè, quia proponit obiectum sub omnimodâ ratione veri, sed quia tali claritate proponit, vt omninò rapiat assensum Intellectus, etiam circumspectissimi. Hæc autem evidentia resident in demonstratione directâ, sicut in assensu primorum principiorum, sine ope Logicæ. Contrà paralogismus nunquam proponit obiectum sub tali, & tantâ veritatis specie, vt Intellectus, si attentè circumspiciat, non possit deprehendere falsitatem, sicuti reipsâ deprehenderunt ij, qui proprijs experimentis inuenerunt artem soluendi fallacias.

33 Syllogismus ille super Diuinâ Trinitate, licèt similis expositorio de rebus creatis, non æquè firmiter convincit Intellectum, etiam sine Logicâ: potest quippe Intellectus nativo lumine aliquam advertere differentiam, & falsitatem timere. Quanvis enim naturaliter cognoscere nequeat Trinitatem, scit tamen in confuso, veritates naturæ Diuinæ, vtpote infinitæ, & incomprehensibilis, fortè non omnes subijci ijsdem arguendi legibus, quibus creatæ veritates. At in rebus creatis non est locus formidini. Et instatur apertè: nam, seclusâ Fide, ne summus quidem Logicus deprehenderet fallaciam illius syllogismi, nisi ad rationem illam recurreret. Neque item cum discursu reapse evidenti componitur dubium ex parte formæ, saltem vt cognitæ sub expressione *vtilis ad conuincendum*. Nescire quidem ignarus Logicæ, num suus discursus habeat totam illam formæ perfectionem, quam præscribunt Logici: cæterùm dubitare non poterit, quin forma hic & nunc habeat quidquid sufficit ad Intellectum plenè conuincendum; quod satis est ad scientiam directam, & ad excludendam formidinem, quæ refundatur in obiectum. Denique discretio inter propositiones num. 30. fin. facilis est cuivis ingenio mediocriter polleri; & gratis dicitur indigere luce Dialecticæ artificialis.

34 *Ad 2. prob.* nego subsumptam. Nam potiùs experientia docet, ignaros Logicæ in his, quæ semel evidenter nouerunt, persistere firmiter, irridereque sophismata, quæ dissolvere nesciunt. Tenta, quæso, persuadere rustico, se non esse hominem illo sophismate, *Quod ego sum, tu non es, sed ego sum homo ergo tu non es homo.* Ritum feres, nec dubium inferes. Immò, licèt sophismate deluſus cederet, id esset per accidens ex imbecillitate intellectus, quin inde probetur, locum esse

esse formidini in sensu composito prioris assensus. Certè M. Augustini verba conveniunt etiam Fidei supernaturali; quæ tamen, licèt sit assensus omninò firmus, nec cum formidine, vel dubio cohærens, non rarò deseritur propter fallacias hæreticorum. Ubi nota, hoc Fidei exemplo convinci, ad omnimodam assensus certitudinem non requiri, quòd quis possit solvere sophismata, & quidquid in contrarium objiciatur: alioquin plerique Catholici verâ Fide carerent. Nego præterea, quòd ignarus Logicæ non discernat in particulari discursum evidentem à syllogismo fallaci, experitur enim se altero præ altero evidenter convinci. Discernere autem in communi, sive per regulas generales, Demonstrationem à Sophismate, pertinet quidem ad Logicam, sed necessarium non est ad scientiam directam de obiecto.

35 *Ad 3.* Plures sunt Logicæ peritissimi, qui demonstrationes illas non agnoscunt vt tales: quare neutiquam id provenit ex defectu Logicæ; sed ex eo quòd principia directa, quibus illæ nituntur, & obiectiva connexio cum obiecto conclusionis, non satis penetrantur. Ex ignoratione Dialecticæ plures quidem erarunt; non tamen errore simpliciter inevitabili. Sic *Propter inopiam multi deliquerunt* (Eccli. 27.): & tamen opes simpliciter necessariæ non sunt ad evitanda delicta. Ignarus Logicæ scit se scire, tum in actu exercito, tum quatenùs scit se nunc evidenter cognoscere obiectum. Scire autem in communi, quid sit Scientia, & in quo consistat, minimè requiritur.

36 *Arg. 5.* ab auctoritate. Primùm enim Magn. Augustinus l. 3. contra Acad. cap. 13., *Restat*, inquit, *Dialectica, quam certè Sapiens bene novit, nec falsum scire quisquam potest. Si verò eam nescit, non pertinet ad sapientiam eius cognitio.* Addit, se per Dialecticam didicisse, verum esse hoc enunciatum, *Non hic & Sol lucet, & nox est*, aliaque similia, quæ recenset ibi. Tum cap. 17. Dialecticam vocat partium Philosophiæ *formatricem*, & *iudicem*, *quæ aut ipsa esset, aut sine qua Sapientia omninò esse non posset.* Idem L. 2. de Ord. cap. 13. de Logicâ sic loquitur: *Hæc docet docere, hæc docet discere... Scit scire: sola scientes facere non solùm vult, sed etiam potest.* Deinde Angelic. Doctor 1. Poster. Lect. 1. artem Logicam dicit necessariam, vt *homo in ipso actu rationis ordinatè, & faciliter, & sine errore procedat.* At *sine errore procedere* simpliciter necessarium est ad scientias. Postremò Doctor Eximius disp. 1. Metaph. sect. 4. n. 26. nobis palàm adversari videtur, vt legenti manifestum erit.

37 *Resp.* Primum Magni Augustini testimonium nihil obest, si legatur integrum: sic enim habet: *Si verò eam nescit, non pertinet ad sapientiam eius cognitio, sine qua esse sapiens potuit, & superfluò, vtrùm vera sit, possit ve percipi, quærimus.* Ubi apertè vides, *Eius* non referri ad ignarum Dialecticæ, sed ad ipsam Dialecticam. Docuerunt Academici, nihil posse percipi, nec Sapientis esse Verum invenire, sed Verosimile. Hos vt refutet Augustinus, probat, saltem à Sapiente percipi Sapientiam ipsam (aliter non posset esse Sapiens), atque adeò percipi quoque id omne, quod ad Sapientiam pertinet, cuiusmodi

est

est præter alias scientias Dialectica. Quodsi forte neget Academicus, Dialecticam percipi; infert Augustinus, Ergo ad Sapientiam non pertinet cognitio Dialecticæ, siquidem potest quis sine illâ Sapiens esse. Unde, quidquid sit, an possit Dialectica percipi, inconcussum perstat assumptum illud, nempe Quod Sapiens percipit Sapientiam. Subjungit Augustinus propositiones obvias, & per se notas, quarum veritatem fatetur se à Dialecticâ didicisse: sed non negat, eadem sine Dialecticâ posse percipi certò, & evidenter; quanvis per Dialecticam facilius, necnon cum maiori extrinsecâ firmitate percipiantur.

38 Secundi testimonij sensus est, quod Sapientia (quo nomine intelligit ibi Augustinus *Divinarum, humanarumque rerum scientiam*, idest, collectionem omnium scientiarum) plena, ac perfecta esse non potest sine Dialectica, cum hæc sit vna ex partibus Sapientiæ. Unde *Tò omninò* appellat suprà *esse*, & perinde sonat, ac *plenè*, seu *perfectè*. Cur autem sub dubio relinquat Augustinus, an sola Dialectica sit Sapientia, causa est eius concursus dirigivus in omnes scientias vniversalis, vi cuius, qui Dialecticam novit, iam quodammodò possidet virtualiter omnem scientiam. Sed hinc *infurgis*: ergo Logica est causa vniversalis ad omnes scientias: ergo concursus eius simpliciter necessarius est, quemadmodùm concursus causarum cœlestium ad omnes effectus sublunares, & concursus, seu directio Prudentiæ ad omnes virtutes Voluntatis. *Resp.* Logica est causa vniversalis potè directiva, instrumentalis, artificialis, & eminenter contenta in aliâ causâ naturali principaliori, nempe in Intellectu, qui se solo supplere potest eius influxum. Huiusmodi autem causa vniversalis non est simpliciter necessaria; licèt necessariæ sint causæ cœlestes ob rationem contrariam; & licèt idem concedatur de Prudentiâ acquisitâ (quod multi negant), eo quòd Voluntas, vtpote potentia cœca, sine prævia luce Prudentiæ nequit omninò circumspectè operari. Denique in tertio testimonio tantùm intendit Augustinus, vt sola Logica possit facere scientes quantum ad notitiam scientificam de Modo sciendi, quæ cuiuslibet scientiæ perfectio est extrinseca, & accidentalis. De cætero, quòd S. Augustinus agnoscat vtilitatem Logicæ citrà necessitatem, satis constat ex eius verbis suprà relatis cap. 1. n. 9. 10. & 11.

39 Quod attinet locum D. Thomæ, vt acquiratur scientia, necessarium quidem simpliciter est *procedere sine errore* inemendabili, sive incorrecto; secùs tamen *sine errore*, qui mox animadversus corrigatur: & de hoc loquitur D. Thomas; qui verbis illis *ordinatè, & faciliter*, satis indicat necessitatem *secundum quid*, sive *ad melius esse*. Error autem ignaris Logicæ intercurrens in progressu scientiarum, poterit animadverti, & emendari naturali perspicaciâ: quemadmodùm, qui sine itinerario Romam proficiscitur, licèt sæpe devius, poterit errorem advertere, & iterùm atque iterùm in viam regressus, ad terminum tandem pervenire. Denique Exim. Doctor non negat, sine Logicâ acquiri posse veram scientiam. Nam, dum inquit: *Nunquam acquiritur vera scientia, nisi*

quis

*quis sciat se scire*: subdit: *nam scientia esse debet perfectum intellectuale lumen, quod se ipsum manifestat, alioqui non esset omnino evidens.* Vbi non requirit reflexum lumen Logicæ, vt quis sciat se scire, sed lumen scientiæ directæ, quod se ipsum manifestat, videlicet *exercitè*, vt suprà diximus. Eius igitur mens eo loci non est adstruere necessitatem, sed sufficientiam Logicæ ad acquirendas scientias: probat autem, quòd Logica non ita sufficeret, nisi demonstrativè traderet instrumenta sciendi. Cæterùm nullo verbo inficiatur, posse aliunde seclusâ Logicâ obtineri quod sufficit.

40 *Arg. vltim.* Quanvis Intellectus sine Logicâ possit acquirere vnam, vel alteram demonstrationem, non tamen omnes ad statum perfectum scientiæ requisitas. *Prob.* exemplis. 1.: alearum lusor potest quidem aliquoties talos proijcere sub eâdem figurâ; non verò milliès continuatâ serie. 2.: Voluntas potest plura vitare peccata venialia, non tamen omnia, sine speciali gratiâ: potest etiam resistere pluribus auxilijs, non tamen omnibus collectivè. 3.: natura sine arte Medicâ plures etiam potest superare morbos, sed non omnes. *Confirm.*: aliquis est actus naturalis, nempe amor Dei vt Auctoris naturæ, cui Voluntas non sufficit sine gratiâ supernaturali, quanvis sufficiat ad alios actus: ergo pariter dari poterit aliqua demonstratio ita difficilis, vt sine Logicâ obtineri nequeat ab Intellectu, maximè cum plures sint demonstrationes, quæ vt conuincant, iuuandæ sunt Conuersione propositionum, & Reductione formæ ad Modos perfectos primæ Figuræ.

41 *Ad Argum. neg.* assumptum, non opportunè probatum illis exemplis: nolumus enim, vt ex terminis valeat argumentum ab vnâ vel alterâ parte ad totam collectionem, cum sciamus, sæpe in collectione reperiri rationem specialem, quæ non detur in singulis partibus. Arguimus igitur ex eo quòd demonstrationum consueta collectio in scientijs non addit specialem difficultatem suprà primas demonstrationes; sed potiùs Intellectus vigor crescit eundo, & ad novos progressus fit habilior. Unde *ad 1. exempl.* constat disparitas: nam in proiectione talorum nullum est principium inferens hanc figuram præ aliâ: at in Intellectu, præter innatam propensionem in veritatem, sunt prima principia, & primæ conclusiones inde collectæ, quæ manuducunt ad novas demonstrationes. Præterea retorquetur exemplum. Nam, licèt continuatâ serie nequeat eadem tali figura millies apparere, benè tamen intermixtis alijs figuris, si quis diù perseveret in ludo: ergo pariter Intellectus, in quærendâ veritate perseverans, poterit demonstrationes omnes acquirere, licèt interim in plurimos errores incidat. Et hoc vnum intendimus: non enim volumus, vt Intellectus omnes præcaveat errores, quod nec cum Logicâ præstat; sed vt sæpius errando, & emendando, ad omnes demonstrationes perveniat.

42 *Ad 2.* Nullum similiter principium est in Voluntate præponderans in exclusionem omnium venialium: potiùs enim ipsa volubilitas potentiæ liberæ, & post primævam labem in malum pronæ, quodammodò repugnat tantæ vni-

for-

formitati in operando. Oppositum accidit in Intellectu, vt nuper vidimus. Adde quòd peccata venialia sunt innumera; cum tamen demonstrationes scientificæ definito sint numero, & in plerisque scientijs admodùm paucæ. Item, vt omnia venialia vitentur, necesse est, vt nullus vnquam detur lapsus. At minimè volumus, vt Intellectus nunquam erret, neque id opus est, vt acquirantur tandem omnes demonstrationes. Item, Voluntas optimè vitare potest aliquod saltem individuum ex omnibus venialium speciebus: & hoc ipsum intendimus in re nostrâ, non vt omnia individua, sed vt omnes demonstrationum species acquirantur. Quod additur, verum est propter infinitatem, quæ datur in collectione auxiliorum. Cæterùm in demonstrationibus nulla talis infinitudo est.

43 *Ad 3.* In primis nullus forsan est morbus, quem robusta aliqua natura physicè superare nequeat, si modò superabilis sit arte Medicâ: imò passim videmus, à naturâ perfici, quòd Medicina desperat. Deinde disparitas in aperto est. Tum quia naturæ robur physicum non continet eminenter artem Medicam, sicut Intellectus continet Logicam. Tum quia naturæ vires per iteratos morbos decrescunt: Intellectui verò per iteratas demonstrationes vigor accrescit.

44 *Ad Confirm.* Antecedens non aliter verum esse potest, nisi quia probatur vel specialis difficultas in eo actu præ cæteris, vel defectus virtutis in Voluntate. At nec probabitur vnquam defectus virtutis in Intellectu ad aliquam demonstrationem, nec difficultas naturali ingenio insuperabilis. Præterea virtus gratiæ supernaturalis non continetur in Voluntate, cum Logica contineatur eminenter in Intellectu. Conversio, & Reductio, sicut naturali accumine inventæ sunt, redactæque ad formam Artis; ita poterunt sine arte cognosci vt hic & nunc vtiles ad discursum novâ luce donandum. Vbi obserua, perpetuò nos loqui de Intellectu humano acuto, & ingenioso: quòd enim aliter contingat rudi, vel tardo, per accidens erit. *Specimen naturæ capi dicet ex optima quaque natura*, vt ait Tullius Tusc. L. 1. Loquimur item de naturali potentiâ, vel sufficientiâ physicâ Intellectus: nec admodùm repugnabimus, si quis asserat necessitatem Logicæ moralem, ita scilicet, vt sine Logicæ præsidio scientias acquirere in statu perfecto, difficillimum sit, & nulli forsan hactenùs obvenerit.

## CAP. VIII.

### *An Logica sit Ars, & Scientia?*

1 QUinque habituum genera distinxit Philosophus 6. Ethic. à cap. 3. vsque ad 7., quas appellat virtutes Intellectuales, nimirùm Intellectum, Prudentiam, Sapientiam, Scientiam, & Artem. Nomine *Intellectus* non hic significatur, vt aliàs, potentia Intellectiva; sed *Habitus cognoscendi principia prima, & indemonstrabilia*, cuiusmodi sunt, *Quodlibet est vel non est*, *Totum est maius sua parte*, &c.; qui habitus vocatur etiam *Lumen principiorum*. Prudentia dicitur à Philosopho *Habitus agendi, vera cum ratione, circà ea, quæ sunt homi-*

*ni bona*, idest, circà morum honestatem. Sapientia sæpe accipitur pro excellentia in quavis arte, vel scientia: sæpe etiam, præsertim apud veteres cum Cicerone (a), pro *Scientia Divinarum, humanarumque rerum, causarumque, quibus hæ continentur*; quo sensu comprehendit habitus omnium scientiarum. Nunc verò sumitur pro *Cognitione perfectissima rerum maxime universalium, ac difficilium, per altissimas causas.* Scientia est *Habitus per demonstrationem acquisitus*: & Ars, *Habitus vera cum ratione factivus*: quæ omnia explicat D. Thomas ibi Lect. 3., 4., & 5.

2 His positis, Logica in primis in se continet *Intellectum*: includit enim habitum suorum principiorum, v. g. *Eadem propositio nequit esse vera simul & falsa.* Vid. dicta cap. 5. n. 23. Deinde Logica non est *Prudentia* strictè sumpta, vt ex definitione posita constat: quanquam largo sensu prudentia dici queat, vt explicat D. Thomas (b). Nec item est *Sapientia* iuxtà definitionem nuper adductam, quæ solis convenit Metaphysicæ, & Theologiæ. Sed dubium est, an Logica propriè sit *Ars*, & *Scientia*? In quo paucis reclamantibus, reliqui omnes incunctanter affirmant. Quibuscum.——

3 *Assero* 1. *Logica propriè est Ars.* Ante probationem hoc *nota*: præter definitionem Aristotelicam n. 1. tacitam, definitur Ars à D. Thomâ 1. 2. q. 57. ar. 3. c. *Ratio recta aliquorum operum faciendorum.* Verùm his definitionibus propriè non comprehenduntur nisi Artes externi operis: nam apud Philosophum, & D. Thomam (c), *facere*, & *factio* solis convenit actibus externis, ex quibus remanet opus aliquod, vt sunt actus ædificandi: *agere* autem, & *actio* conveniunt actionibus internis, aut ijs etiam externis, ex quibus nihil remanet, vt sunt actiones Musicæ (d). Cæterùm, præter Artes externi operis, sunt aliæ plures, & nobiliores. Celebris quippè est divisio Artium in *Activas*, & *Factivas*, sive in *Liberales*, & *Mechanicas*; versibus hisce notatas:

*Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.*
*Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.*

Quorum prior versus indicat Artes liberales, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astrologiam: posterior indicat mechanicas, quæ & serviles, & illiberales dicuntur, nempè Agriculturam, Venatoriam, Militarem, Nauticam, Chirurgiam, Textoriam, & Fabrilem. Vid. Conimbricenses qq. 1. 2. 3. proœmial. Quanvis ergo nomine *Artis* frequentius apud veteres intelligatur Ars factiva, & mechanica; extenditur etiam id nominis ad liberales, & activas, vt constat ex vsu Sapientum, veterum, ac recentium, approbatque D. Thomas 1. 2. q. cit. ar. 3. ad 3.

4 Itaque Ars in communi, prout comprehendit Activas, & Factivas, definiri potest, vel *Collectio mentalium de vna re comprehensionum ad finem aliquem vtilem vitæ*; quæ definitio apud Philosophos celebratissima est, vt testantur Conim-

(a) 4. *Tuscul.* & 2. *Offic.* (b) 2. 2. q. 47. ar. 2. ad 2. & q. 48. art. unic. c.
(c) *In* 6. *Ethic. Lect.* 3. (d) *Vid. Aristot. L.* 1. *Magn. Moral. cap. vltim.*

Conimbricens (e): vel *Certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt*; quæ definitio traditur à D. Thomâ in 1. Poster. Lect. 1.: vel demùm cum P. Peynado, *Habitus medio iudicio vero dirigens Agens liberum, in quo est, ad opus non pertinens ad bonos mores.* Cuius definitionis vltima verba notant discrimen Artis à Prudentiâ: reliqua verò naturam explicant Artis in communi, quæ & vera semper dictare debet, & esse de operibus, non prorsùs necessarijs, sed Voluntatis imperio, & electioni subiectis, iuxtà doctrinam Aristotelis 6. Ethic. cap. 4.

5 His positis, probatur assertio. 1. ex communi sensu Philosophorum, præsertim D. Thomæ, cùm alibi sæpe, tum 1. Poster. Lect. 1., vbi non solùm probat, quòd Logica *est Ars*, sed etiam *Ars artium.* 2.: quia Logicæ convenit quidquid est de ratione Artis: est enim facultas mediis regulis omninò veris dirigens Agens liberum ad construendum opus quoddam eximium, nempè Syllogismum, Definitionem, &c.; quod opus non ita necessarium est, vt non possit benè vel malè fieri ex imperio, & electione Voluntatis, vt explicabimus Disp. sequenti. Dices: iuxtà D. Thomam (f), Logica, & quævis Ars liberalis, solùm *per quamdam similitudinem* dicitur Ars: ergo non propriè. *Dist. Conseq.*: proprietate primæ impositionis, *conc.*; proprietate vsus, *neg. Consq.* Nomen *Ars* primò quidem impositum est artibus mechanicis: sed deinde ex vsu Sapientum extensum est ad artes liberales *per quamdam similitudinem*; sic tamen, vt, licèt hæc similitudo fuerit extensionis occasio, nomen *Ars* deinceps propriè significet conceptum communem liberalibus & mechanicis, qualem exhibent definitiones num. 4. Vide D. Thomam 1. p. q. 67. ar. 1. C., vbi hanc doctrinam circà nomen *Lux* explicat optimè, & confirmat exemplis. Obiectiones alias diluemus Assert. sequ.

6 Assero 2. *Logica propriè est Scientia.* Probationi præmitto, Scientiam vsurpari trifariam. 1. pro quavis cognitione verâ: dicitur enim sciri, quidquid non ignoratur; 2. pro notitia evidenti, quæ propter se appetitur, nec ad aliud per se ordinatur: & hæc acceptio, quæ sæpe occurrit apud Aristotelem, solis convenit scientijs purè speculativis. 3. generaliùs pro evidenti notitiâ rei per causam, seu pro habitu per demonstrationem acquisito: quæ acceptio propria, & vsitata est, traditurque ab Aristotele 1. Poster. cap. 2.: vnde & D. Thomas 6. Ethic. Lect. 3., *Manifestum est*, inquit, *quòd scientia est habitus demonstrativus, ideest, ex demonstratione causatus.* In 1. acceptione Logica est scientia, vt per se patet: in 2. non est; quia propter alias scientias appetitur, & ad eas acquirendas ordinatur. In 3. esse negarunt nonnulli veteres apud Conimbricens, quibus pauci ex modernioribus accesserunt. At affirmant communitur cæteri omnes: quibuscum.—

7 Assertio nostra probatur breviter. Logica ex principijs evidentibus demonstrat suarum veritatem regularum: ostendit enim, quòd Definitio debeat esse clarior



(e) q. 1. *proœm.* ar. 2. (f) 1. 2. q. 57. ar. 3. *ad* 3.

*Definito*, ex eo quòd explicatio sit clarior explicato; quòd vnum membrum dividens non adæquet Diuisum, ex eo quòd Totum est maius suâ parte; quòd Syllogismus constare debeat tribus terminis, ex principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c.: rationem item reddit evidentem Conversionis, Oppositionis, &c.: adeò vt non alia sit Scientia, si Matheſim excipias, tot demonstrationibus abundans. Logica igitur est habitus demonstrativus, seu per demonstrationem acquisitus, proindeque scientia verè, & propriè. *Confirm.* 1.: Habitus, quo verum cognoscimus, vel est opinio, vel fides, vel scientia, vel etiam experientia; sed habitus, quo prædictas veritates Logicas ex principijs certis cognoscimus, non est opinio, nec fides, vt patet; nec aliunde mera experientia, vt planè colligitur ex dictis cap. superiori: superest ergo, vt sit scientia verè talis. *Confirm.* 2. Logica docet formam, quâ cæteræ scientiæ procedere debent circà suum obiectum: ergo debet ipsa certò demonstrare istius formæ rectitudinem: alioquin cæteræ scientiæ periculosè crederent se Logicæ regulis.

8 Contrà hanc assertionem plura, & intricata satis argumenta sumuntur ex obiecto Logicæ, quod, si dicatur consistere in Ente rationis purè obiectivo, non videtur esse proprie scibile. Verùm hæc nihil ad nos, qui Thomistarum sententiam istam reijciemus Disp. sequ. Ex alijs tamen capitibus *Obijc.* 1.: Logica est ars: ergo non est scientia. *Prob. Conseq.* 1.: quia scientia est de necessarijs; ars autem de contingentibus, seu quæ benè vel male fieri possunt. 2.: quia scientia est de vniversalibus; ars de singularibus. 3.: quia scientia est propter se; ars propter opus. 4.: quia scientia pertinet ad Intellectum speculativum; ars ad practicum. 5.: quia si semel ars potest esse scientia, omnes artes, etiam mechanicæ, erunt scientiæ, cum earum regulæ, sicut & Logicæ, sint demonstrabiles. 6.: quia Aristoteles distinguit Scientiam, & Artem, tamquam membra dividentia Virtutem intellectualem in communi: at membra dividentia Totum, se se invicem excludunt.

9 *Resp. neg. Conseq.*, quin obstent probationes. *Ad* 1.: Scientia dicitur esse de *necessarijs*, non quidem *in existendo* (sic enim sola cognitio de Deo foret scientia), sed *in verificando*; quatenùs scientia ita debet respicere obiectum, vt, sive illud existat, sive non, semper verificet necessariò conclusionem, quâ demonstrativè cognoscitur. Vnde conclusio ista, *Definitio debet esse clarior Definito*, est æternæ veritatis, & de re necessariâ in verificando: quia reddit hunc sensum, *Quandocumque existat Definitio, recta non erit, nisi Definito sit clarior*, qui sensus necessariò est verus, etiamsi definitio vel nullatenùs, vel contingenter existat. Ars autem est de *contingentibus*, non *quoad verificationem* regularum, quæ possunt esse necessariæ veritatis; sed *quoad executionem* ipsius obiecti, quod debet esse in existendo contingens, & ab artificis arbitrio pendens; alioquin superflua foret ars. Unde conceptus Artis, & Scientiæ non opponuntur: nam contingentia, quam petit Ars, benè cohæret cum necessitate, quam Scientia poscit. Quomodò autem actus Intellectus,

quo

quod est obiectum Logicæ, possit benè vel malè fieri, explicabitur Disput. sequenti.

10 *Ad 2.*: Scientia est de vniversalibus, quia rationem considerat communem pluribus: sed hoc idem habet Ars, cum regulas præscribat generales pluribus artefactis. Vnde, quòd Ars etiam sit de vniversalibus, & in hoc ab Experientiâ differat, expressè docent, & inculcant Aristoteles 1. Metaph. cap. 1., & D. Thomas ibi Lect. 1. Ars ergo circà singularia versatur non *in cognoscendo*, sed *in agendo*, quatenùs, dum ad actionem, sive executionem venitur, artefactum in singulari fieri debet ab Artifice facillimè applicante regulam Artis generalem: quæ est doctrina D. Thomæ loc. cit. Et eodem sensu omnis scientia practica versatur circà singularia.

11 *Ad 3.*: sola scientia speculativa est propter se: nam practica, licèt sit scientia, est propter opus. *Ad 4.*: scientia practica, qualis est Logica, pertinet ad Intellectum practicum, sicut Philosophia moralis, Medicina, & aliæ. *Ad 5.*: Artes mechanicæ, prout communiter traduntur, & addiscuntur, non sunt scientiæ: quia, licet earum pleræque iudicia, seu regulas habeant ex se demonstrabiles; defacto tamen Artifices in eijs demonstrandis haud laborant; sed contenti sunt experientiâ, inductione, vel auctoritate. Quodsiquis Artifex per demonstrationem probaret, vt posset, regulas artis Nauticæ, vel Militaris v.g.; ea tunc ars simùl esset scientia. Sic Rhetorica, prout communiter traditur, non est scientia: & tamen scientia censetur, prout ab Aristotele tradita est.

12 *Ad 6.*: Aristoteles in 6. Ethic. solùm distinxit Scientiam ab Arte mechanica, vt notavimus n. 3.: talis autem Ars, prout communiter tradita, non est scientia. Præterea; Scientia, & Ars in communi, ratione saltem distinguuntur; & identitatem realem, licèt non excludant, non exigunt: quòd sufficit, vt possint esse membra dividentia, iuxtà dicta in Summulis. Ars igitur solùm petit ex proprio concepto iudicium certò verum; non tamen vt certitudo nitatur potiùs demonstratione, quàm inductione, vel auctoritate. Dum autem ea certitudo per demonstrationem acquiritur, tunc idem habitus est Ars & Scientia.

13 *Obiic. 2.*: iuxtà Aristotelem 2. Metaph. cap. 3., *Absurdum est simul quærere scientiam, & modum sciendi*; sed Logica est modus sciendi; ergo, dum ipsa quæritur, non quæritur scientia. *Confirm. 1.*: Logica est instrumentum, & dispositio ad Scientias: ergo Logica non est scientia; neque enim instrumentum, aut dispositio, potest eiusdem rationis esse cum re, ad quam disponit. *Confirm. 2.*: Logica dirigit omnem scientiam ad demonstrandum; sed non dirigit se ipsam, aliter præexisteret ante se: ipsa igitur non demonstrat. *Confirm. 3.*: iuxtà Aristotelem 1. Rhetor. cap. 4., siquis Rhetoricam, & Dialecticam, non vt faculates, sed vt scientias tradere conetur, is naturam earum interimet. Eodem lib., & sæpe aliàs docet Philosophus, Dialecticæ nullum esse determinatum subiectum: omnis autem scientia certum subiectum habet.

14 *Resp. ad Argum.* Aris-

toteles nomine *modi sciendi* intelligit ibi methodum cuiuique scientiæ propriam, & peculiarem, quæ prænosci debet priusquàm scientiam quis aggrediatur. Et, licèt intelligat Logicam, tantùm significat, absurdum, & incommodum fore, si quis Logicam & alias scientias velit simul addiscere, *quia non est facile, quòd homo simul duo capiat, sed dum ad duo attendit, neutrum capere potest*, vt ibidem inquit D. Thomas Lect. 5. Sumit autem Philosophus eo loci nomen *Scientiæ* iuxtà secundam acceptionem num. 6. *Ad* 1. *Confirm. neg. Conseq.*: nam Logica non aliter est dispositio, & instrumentum, nisi quia regulas tradit rectè differendi: has autem cum demonstrativè tradat, quid prohibet esse scientiam? Addita probatio nulla est: nam malleus malleo, & forceps forcipe fabricatur. Et saltem in ratione generica, vel specificâ subalternâ, non dubium, quin instrumentum, aut dispositio conveniat cum eâ re, cui servit. Sic Prudentia, generale quoddam instrumentum virtutum, vera virtus est: sic Grammatica, quæ ad Rhetoricam artem disponit, ars est: sic alia innumera facilè cuivis obvia.

15 *Ad* 2. Quo sensu *Cælum omnia tegit*, eodem Logica dirigit omnem scientiam, videlicet omnem præter se: ipsa quippè, quantum ad primam demonstrationem, non dirigit se, vt vidimus cap. præced., vbi etiam ostendimus, directionem Logicæ non esse simpliciter necessariam ad demonstrandum. *Ad* 3. Aristoteles ijs in locis apertè loquitur de Dialecticâ vtente accessoriâ, quæ concludit extrà propriam materiam. Vid. suprà cap. 2. à n. 23., & cap. 3. num. 10.

16 *Objic.* 3.: Logica non certò, sed probabiliter duntaxat, cognoscit suum obiectum: ergo non est scientia. Patet Antecedens, aut patebit ex controversiâ de obiecto Logicæ formali, quam disput. sequenti tractabimus. *Dist. Antec.*: Logica non certò cognoscit suum obiectum sub ratione Entis realis, vel rationis, *conc.*; sub ratione Modi sciendi, tàm in communi, quàm in particulari, *neg. Antec.*, & *Consequ.* Certum est omnibus, Logicam agere de Modo sciendi, & eius speciebus. Omnes item reipsâ conveniunt in definitionibus specierum istarum, quidquid sit de vnâ vel alterâ vocâ: ex quibus definitionibus demonstrantur proprietates Modi sciendi, ad finem Logicæ conducentes; v. g., quod Definitio sit clarior Definito, demonstratur ex eo quòd Definitio sit *Oratio explicans essentiam rei*. Quare Logica certò noscit suum obiectum, quantum sat est ad demonstrandum quod oportet. Illud igitur dubium, *an obiectum Logicæ pro formali dicat Ens reale, vel rationis*; non impedit Logicarum demonstrationum firmitatem, proindeque nec rationem Scientiæ.

17 *Objic.* 4.: Logica secundùm partem Topicam, & Sophisticam, non procedit demonstrativè: hac igitur ex parte Scientia non est. *Resp.* cum D. Thomâ 4. Metaph. Lect. 4.. Si pars Logicæ Topica consideretur prout docens modum probabiliter concludendi, *hoc demonstrativè facit, & secundùm hoc est scientia*. Si verò consideretur prout vtens hoc modo probabili, *sic recedit à modo scientiæ. Et similiter*

*ter dicendum est de Sophisticâ: quia prout est docens, tradit per necessarias, & demonstrativas rationes modum arguendi apparenter.* Sed *prout est vtens, deficit à processu veræ argumentationis.*

18 *Objic.* 5.: Logica plures habet actus opinativos, seu merè probabiles; fatet enim quæstionibus in vtramque partem incertis: ergo, licèt actus etiam demonstrativos habeat, simpliciter appellari debet, non Scientia, sed Opinio; nam, vt aiunt, denominatio sequitur debiliorem partem. Obiectio probat, nullam Facultatem posse vocari simpliciter Scientiam, cum nulla sit, quæ plures de suo obiecto quæstiones dubias non habeat. Prætereà concedit, quod intendimus, Logicam scilicet bonâ sui parte scientiam esse. Vndenam verò sumere debeat absolutè denominationem, erit quæstio vocalis. Rectiùs tota Facultas Logica vocabitur Scientia: quia pars scientifica nobilior est, eique deserviunt, & subordinantur quodammodò reliquæ partes: quare prævalere debet in denominando; sicut anima totum hominem denominat rationalem. Allegata paræmia fallit hic, vt sæpe aliàs; maximè cum non detur compositio physica inter actus, aut habitus opinativos & scientificos.

19 Quæres, vtrùm Logica sit scientia, prout docens, an prout vtens? *Resp.* Logica scientia est, prout docens, etiam in parte Topicâ, & Sophisticâ, ex num. 17.: non tamen scientia est, prout topicè, vel sophisticè vtens, sive intrà, sive extrà propriam materiam; vt per se patet. Dubium superest de Logicâ prout vtente regulis demonstrandi intrà propriam materiam: quo sensu, licèt fateantur omnes, actum Logicum esse scientificum realiter, sive identicè; plures tamen id negant de tali actu formaliter accepto sub munere *vtentis*, aut *vsus*. Sed affirmandum puto, etiam in sensu formali. Nam, licèt vsus regularum in genere, sive ex terminis, non sit scientificus; vsus tamen regularum demonstrandi præscindi non potest ab scientia. *Prob.*: vsus regularum ejusmodi, est formaliter Syllogismus seligens præmissas, quæ sint evidentes, primæ, notiores, & causæ conclusionis, quam inde legitimè inferat; hoc enim totum expressè præscribunt regulæ demonstrandi: at Syllogismus, prout seligens tales præmissas, & inde legitimè concludens, est formalissimè demonstratio, vt constat ex definitione demonstrationis (g); & omnis demonstratio est formalissimè scientia actualis, sive actus scientificus: ergo, &c.

20 Sed *objicit* M. Baiona 1.: Logica, in quantum vtens, nihil demonstrat de suo obiecto: ergo non est scientia. *Prob. Antec.*: quia, prout demonstrat aliquid de suo obiecto, est docens; sed, in quantum vtens, non est docens: ergo, in quantum vtens, nihil demonstrat. *Objicit* 2.: Logica, vt vtens, procedit modo compositivo circà singularia, & contingentia, componendo scilicet iuxtà regulas determinatum syllogismum; sed, in quantum scientia, procedit modo resolutorio circà vniversalia, & necessaria: ergo, prout vtens, non est scientia. Et quidem hac ratione distinguuntur formaliter in Logicâ munus Artis, & munus Scientiæ.

(g) *Apud Aristotel. 1. Poster. cap. 2.*

21. *Resp. ad 1. neg. Antec.* Ad *prob. diff. Min.*: non est docens doctrinam, quâ vtitur, *conc.*; non est docens aliquid à tali doctrinâ distinctum, *neg. Antec.*, & *Conseq.*. Dum Logica demonstrat proprietates Definitionis, non docet regulas demonstrandi, queis vtitur; docet tamen modum definiendi, quo tunc non vtitur. Quanvis autem hic sint quasi duo respectus, alter alterum formaliter includit, nempè vsus doctrinam; nequit enim concipi vsus regularum demonstrandi, quin concipiatur vt evidenter docens, seu manifestans aliquod obiectum. Sic vsus Legis charitatis formaliter imbibit amorem Dei, & vsus virtutis intellectivæ cognitionem obiecti. Quibus exemplis facile solves quidquid in contrarium replicetur.

22. *Ad 2.*, concessis præmissis, *neg. Consq.*: nam ipsemet compositivus modus, cùm talis est, qualis præscribitur regulis demonstrandi, formaliter involvit modum resolutorium, idest, modum tendendi probantem conclusionem per principia universalia, & necessaria: hic enim tendendi modus, qui dicitur resolutorius *signatè*, imbibitur formaliter in quovis determinato Sylogismo, prout *exercitè* compositi iuxtà regulas demonstrandi. Nec conceptus Artis & Scientiæ in Logicâ distinguuntur præcisè titulo compositionis, & resolutionis; sed eo potiùs, quam suprà indicavimus

n. 12.



## CAP. IX.

### *Vtrùm Logica sit Scientia practica, an speculativa?*

1. QUæstio præfixa, in Scholâ celebris, tota ferè in vocibus posita est. Idcircò nunc maximè agendum nobis est auctoritate Sapientum, quæ ad lites vocales dirimendas plurimùm valet. Sed claritatis ergo prænotanda sunt aliqua.

### §. I.

### *Circà Praxim, & Practicum aliaque prænotantur.*

2. NOt. 1.: nomen *Praxis* idem sonat ac *Opus*; & *Practicum*, idem ac *Operativum*: *Speculatio* verò idem valet, ac *Contemplatio*; & *Speculativum*, idem ac *Contemplativum*. *Not. 2.*: ex crudâ vi nominum omnis cognitio est practica, cùm omnis operetur, seu physicè producat habitum: omnis item cognitio est speculatio, cùm nulla sit, quæ non aliquod obiectum repræsentet, ac proinde inspectio sit, & contemplatio illius. Vnde & totus Intellectus, quà cognoscitivus est, eodem sensu speculativus erit, totusque practicus. Sed vsu Sapientum effectum est, vt sola cognitio, quæ repræsentat obiectum, quin eius executionem regulet, dicatur speculatio, seu cognitio speculativa: quæ verò pro regulâ est, vt suum obiectum executioni mandetur, cognitio practica dicatur. Ex. g. ideam domus in chartâ delineatam contemplantur artifex, & non artifex; ille,

vt domum ædificet, hic solius animi gratiâ. Tum artificis contemplatio est practica; at non artificis, speculativa. Hinc Intellectus ab omnibus cum Aristotele (a) dividitur (divisione formali, non reali) in practicum, & speculativum, prout scilicet productivus est cognitionum, vel purè speculantium, vel ad sui obiecti executionem dirigentium. Inde etiam habitus intellectuales in practicos, & speculativos dividuntur: nam licèt omnes actuum suorum operativi sint, cum tamen ab eorum indole nomen accipiant, dicuntur speculativi, qui speculationes pariunt, & practici, qui cognitiones practicas eliciunt.

3 *Not.* 3.: potissima differentia cognitionis, aut facultatis practicæ ab speculativâ sumitur ex fine vtriusque. *Speculativæ etenim finis, veritas; practicæ autem, opus*; vt inquit Aristoteles 2. Metaph. cap. 1., cui cæteri omnes consentiunt. Id est, Facultas speculativa sistit in contemplatione sui obiecti, nec aliud quærit, quàm veritatem scire: at Facultas practica vlteriùs dirigit, & inclinat ad sui obiecti executionem, quæ executio proinde dicitur finis eius, quemadmodum centrum, quò gravitas lapidis inclinat, gravitatis finis appellatur. Hinc, vt communiter dicitur (b), Scientia speculativa *est gratia sui, & quærit scire propter ipsum scire*: practica verò est *gratia operis*, & *quærit scire propter vtilitatem operis*.

4 *Not.* 4.: differentiam ex fine sequitur alia duplex. Altera: quod notitia practica versari debet circà obiectum, sive materiam operabilem à cognoscente ipso: vnde cognitio tua de Mundi fabricâ, non est practica. Operabilem, inquam, vel physicè, vel moraliter, vel effectivè, vel directivè: vnde cognitio, quâ dirigit homo brutorum actiones, vt artificiosè fiant, practica est. Sufficit autem quòd sit operabilis *per se*, licèt *per accidens* cognoscenti reddatur impossibilis, vt si citharœdus manum amittat, aut pictor oculos. Ex adverso notitia speculativa vt sic non petit versari circà rem cognoscenti operabilem, etsi non rarò versetur, vt cum Animastica de actibus Intellectus, & Voluntatis nostræ differit.

5 Altera differentia: quòd notitia practica in obiectum operabile tendit *modo operabili*, ideſt, modo vtili ad operandum; speculativa verò, licèt quandoque respiciat obiectum operabile, non tamen *modo operabili*, sed modo potiùs inutili ad operationem. Ex. g. hic actus, *Oportet amare proximum*, tendit modo operabili, quia manifestat conuenientiam amoris, & allicit ad amandum: hic verò, *Amor consistit in qualitate absoluta*, rem quidem respicit operabilem, sed modo non conducente; nec alliciente ad operandum. In idem ferè recidit, quod passim dicitur, notitiam practicam tendere in rem operabilem vt operabilem; speculativam verò non ita, sed sub aliâ ratione, vel motivo formali. Item, cognitionis practicæ proprium esse tendere *modo compositivo*, ideſt, vtili ad operationem actualem, quæ sit compositio, vel partium, si partes habeat, vel saltem essentiæ cum existentiâ.

6 *Not.* 5.: aliud est prac-

(a) 3. *de Anim. Lect.* D. Thom. 15. (b) *Ex Aristot.* 1. *Metaph. c.* 1. & 2. & D. Thom. *ibi Lect.* 1.

ticum morale, aliud artificiale (c). Practicum morale dirigit morum rectitudinem : atque ita practica dicitur Prudentia. Practicum artificiale regulat rectitudinem artefactorum : atque ita practica est Architectura, Pictoria, & aliæ Artes. Vtrumque practicum, vt in actu secundo perveniat ad opus, sive ad praxim, requirit actum Voluntatis; sed aliter, & aliter : nam practicum morale requirit actum voluntatis, vel tamquam praxim vnicam, vel tamquam formam praxeos prout moraliter rectæ, sive honestæ; cum enim Prudentia dictat externam locutionem, hæc, prout est praxis recta moraliter, constituitur ab actu voluntatis vt à formâ. Et hoc sensu docuit Scotus, praxim formaliter, & primariò consistere in opere immediatè libero, seu voluntario. At practicum artificiale solùm postulat actum voluntatis tamquam parum conditionem, aut applicationem potentiæ executivæ: neque enim domus v. g., prout est praxis artificiosa, constituitur per actum Voluntatis.

7 *Not. 6.* : Subtil. Doct. Scotus q. 4. Prolog. sic praxim definivit : *Actus alterius potentiæ ab Intellectu*, „ *natus elici conformiter rationi rectæ.* Quæ definitio ab Scotistis, & Thomistis communiter approbatur. Sed verò, quòd etiam actus Intellectus possit esse praxis, constanter Schola nostra tuetur cum Nominalib., & pluribus aliis: quia inter actus Intellectus & alterius potentiæ nullum discrimen affertur de re ipsa. In re constat, inquit Exim. Doctor (d), actum Intellectus posse subesse directioni, & regulis artis, & voluntariè ita fieri potiùs, quàm alio modo : quæ conditiones sufficiunt in actibus aliarum potentiarum, vt sint praxis. Cur ergo talis actus non poterit praxis appellari? Sed hoc infrà monstrabitur fusiùs.

8 Ad veram itaque rationem humanæ praxeos nihil aliud requiritur, quàm quòd sit *actus in potestate nostra constitutus, quatenùs dirigibilis, aut regulabilis per rationem humanam.* Vnde & notitia practica definiri potest, *Cognitio dirigens ad executionem sui obiecti.* Cum autem nullus actus propriè seipsum dirigat, necessariò distinguitur notitia practica à praxi, quam dirigit, licèt possit eadem cognitio simul esse praxis, & practica respecta diversorum, vt cernitur in actu Logicæ vtentis intrà propriam materiam. Contrà, speculatio nihil differt à notitiâ speculativâ, definirique potest, *Cognitio sic manifestans obiectum, vt ad positionem eius non dirigat.* Mitto conditiones alias practici, & praxeos, de quibus disputant Authores : tum quia ad præsens institutum parùm aut nihil referunt : tum quia, siqua interfit, inferiùs explicabitur.

9 Hactenùs de Practico proprio, & philosophico. Cæterùm in sensu vulgari duplex acceptio superest. Nam primò, in quavis Arte, vel Facultate destinatâ ad vsum, vt in Iurisprudentiâ, & Medicinâ, vulgò non dicitur *practicus*, nisi qui ex multiplici vsu regularum experientiam habet. Quare sumitur *practicus* pro *experto*, & *practica* pro *experientia*. Hoc tamen non efficit, quominùs eæ Facultates, priusquàm ad vsum deducantur, practicæ sint in sensu phi-

(c) *Ex P. Suar. disp. 44. Metaph. Sect. 13. n. 27.* (d) *Loc. cit. n. 26.*

philosophico. Deinde practicas passim dicimus cognitiones, quæ Voluntatis affectum excitant erga suum obiectum etiam non operabile: quæ verò steriles sunt, speculativas appellamus. Sic contemplatio ista, *Deus est summè bonus*, viris sanctis, quos ad amorem Dei movet, practica est: scholasticis verò parùm Mysticæ deditis, speculativa. Verùm hæc acceptio impropria est, certè non philosophica. Nam si ad cognitionem practicam sufficit vtcumque movere, vel excitare Voluntatis affectum, nulla cognitio erit speculativa, cum ex omni cognitione sequatur delectatio, vt constat ex Aristot. 10. Ethic. cap. 7., & 8. Omnis ergo cognitio verè practica debet habere praxim pro obiecto, sive materiâ circà quam, vt cum Doct. Angelico (e) probat Eximius (f).

## §. II.

*Relatis Auctorum sententijs, nostra principalis Assertio stabilitur.*

10 IAm igitur Logicam prima sententia censet simpliciter & adæquatè speculativam. Ita sentiunt Scotistæ, & Thomistæ omnes, qui solùm concedunt, Logicam esse practicam *secundùm quid*, idest, vt ipsimet explicant, impropriè, metaphoricè, sive per quamdam similitudinem. Secunda Logicam asserit simpliciter practicam. Hæc est omnium ferè nostratum, quorum plerique simul agnoscunt Logicam esse speculativam *secundùm quid*, idest, penès aliquos actus: alij verò, vt Conimbricens., Arriaga, Oviedo, purè practicam dicunt. Prima, & principalis Assertio nostra sit: *Logica, prout regulas tradit Modi sciendi, est verè practica.*

11 *Prob.* 1.: in regulis definiendi v. g., reperitur triplex character, ex quo iuxtà omnes notitia practica discernitur ab speculativâ, scilicet obiectum operabile, finis in operatione situs, & modus operabilis, seu compositivus: ergo in ijs regulis vera ratio notitiæ practicæ reperitur. *Prob. Antec.* per partes. Nam in primis, ex regulæ pro obiecto respiciunt Definitionem, quæ verè operabilis est ab Intellectu nostro, vtpote actus, & operatio ipsius. Deinde, finis earum est operatio, & executio illius obiecti, vt nemo negat: certum quippè est, Logicæ regulas eo fine tradi, vt Intellectus in alijs scientijs rectè definiat, dividat, syllogizet. Postremò, modus ipsarum vtilis est citrà dubium, vt dirigat, ac regulet ad operandum; siquidem ex earum directione passim definitiones conficimus. Hoc autem est tendere modo operabili, seu compositivo. Reperitur ergo triplex ille character in regulis definiendi. Accedit quòd Logica eodem modo, eademque ratione versatur circà actus Intellectus, eosque dirigit, sicut ars fabrilis actus externos; vt disertè docet D. Thomas 1. Post. Lect. 1.

12 *Confirm.* 1. ex D. Thomâ in 1. Poster. Lect. 41. sic aiente: *In speculativis scientijs nihil aliud quæritur, quàm cognitio generis subiecti: in practicis autem scientijs intenditur quasi finis constructio ipsius sub-*

(e) *q. 14. de Verit. ar. 4. c.* (f) *Loc. cit. n. 52.*

*subiecti. Sicut in Geometria intenditur quasi finis cognitio magnitudinis, quæ est subiectum Geometriæ: in scientia autem ædificativa intenditur quasi finis constructio domus, quæ est huiusmodi artis subiectum.* Subsumo: Sed in Logicâ intenditur quasi finis constructio ipsius subiecti, nempè Modi sciendi, vt ignorat nemo: ergo Logica est scientia practica. Item: Sed Logica non est scientia, in qua nihil aliud quæritur, quàm cognitio generis subiecti, vt omnibus etiam est notum: ergo Logica non est scientia speculativa. Itidem: Sed in Logicâ non intenditur mera cognitio Modi sciendi, sicut magnitudinis in Geometriâ; sed potiùs constructio Syllogismi, sicut constructio domus in arte ædificandi: ergo Logica non est speculativa, sicut Geometria, sed practica, sicut Architectura.

13 *Confirm.* 2. ex Aristotele 1. Metaph. cap. 1. & 2., vbi *comparans artem activam speculativæ*, interprete D. Thomâ, discrimen vtriusque in eo constituit, quòd activa, seu practica, inventa est ad vsum (ideſt, vel *ad vitæ necessitatem, sicut mechanicæ* artes, vel *ad introductionem in alijs scientijs, sicut scientiæ Logicales*, vt exponit D. Thomas ibi Lect. 1.); speculativa autem inventa est, *non ad vsum*, sed *gratia sui*. Unde planè concluditur, Logicam non esse speculativam; sed practicam; siquidem nemo negat inventam esse, non gratiâ sui, sed ad vsum, scilicet, vt regulis eius vtamur construendo instrumenta sciendi. Eòdem pertinet celebris illa regula, *Speculativæ finis veritas, practicæ autem opus*, ex Aristot. 2. Metaph. cap. 1., quam ibi ad rem nostram explicat D. Thomas Lect. 2. Item, discrimen Intellectus practici ab speculativo *secundùm finem*, quod tradit idem Aristot. 3. de anim. text. 49., & D. Thom. ibi Lect. 15.

14 *Confirm.* 3.. ex eodem Angelico Doct. Opusc. 70. q. 5. ar. 1. ad 2. ibi: *Scientiæ speculativæ, vt patet in principio Metaph., sunt de illis, quorum cognitio quæritur propter seipsa. Res autem, de quibus est Logica, non quæruntur ad cognoscendum propter se ipsas, sed vt adminicula quædam ad alias scientias.* Hæc pro nobis planissima. Sed continuò subdit Angelicus: *Et ideò Logica non continetur sub Philosophia speculativa, quasi principalis pars, sed quasi quoddam reductum ad eam, prout ministrat speculationi sua instrumenta, scilicet Syllogismos, definitiones, & alia huiusmodi, quibus in speculativis scientijs indigemus.* Hinc inferunt Thomistæ, Logicam esse scientiam verè & propriè speculativam, non tamen *principalem*, sed *ministerialem*: & quidquid hactenus circà discrimen scientiæ speculativæ à practicâ diximus, intelligi volunt de speculativâ principali, non de ministeriali.

15 Sed quàm immeritò id inferant, constat 1.: quia pertinere ad Philosophiam speculativam *quasi quoddam reductum*, nec alio titulo, quàm instrumenta ministrandi, neutiquam est *propriè* pertinere: aliter, ijsdem omninò causis Grammatica propriè pertineret ad Rhetoricam, & Poesim; & ars fabricandi frænum, & gladium, propriè foret ars Militaris, & cum omnis scientia naturalis famuletur, & ministret Sacræ Theologiæ, foret

ret etiam propriè Theologia, licèt ministerialis. 2.: quia Logica eodem modo ministrat scientijs practicis, & speculativis: ergo pari iure vocabitur practica ministerialis. Dicunt, Logicam ministrare practicis, non vt practicæ sunt, sed vt cognitivæ sui obiecti. Esto: sed hoc eodem modo ministrat speculativis, non vt speculativæ sunt, sive non prout sistunt in contemplatione sui obiecti, sed præcisè prout illud artificiosè cognoscunt; siquidem pro cunctis scientijs eadem regulas tradit, nec ipsa curat, an aliæ scientiæ sistant, necnè, in sui obiecti contemplatione.

16 *Prob.* Assertio nostra 2.: ideò Logica non esset verè practica, quia pro materiâ operabili respicit actus Intellectus, quorum nullus potest esse praxis, cum hæc debeat esse actus alterius potentiæ ab Intellectu. Hoc est præcipuum, & ferè vnicum sententiæ contrariæ fundamentum. Atqui actus Intellectus potest esse praxis: ergo, &c. *Prob. Min.* 1.: actus Voluntatis est praxis, quia potest elici ex directione cognitionis, quæ repræsentet eius operabilitatem; sed etiam actus Intellectus elici potest ex directione cognitionis præscribentis modum, quo debet construi, v. g. Syllogismus in *Barbara*: ergo poterit etiam esse praxis. Nulla est disparitas, nisi quòd alter præ altero sit opus alterius potentiæ ab Intellectu. Verùm hæc est mera petitio principij. Rationem cedo, cur nomen *praxis* restringi debeat ad actus alterius potentiæ ab Intellectu? Certè *praxis* propriè significat *actum*, sive *operationem* ex regula positam: sed actus Intellectus propriè est actus, & operatio, elicique potest vi regulæ: cur ergo non est praxis?

17 *Prob.* 2.: actus elicitus ex directione Prudentiæ, est praxis, etiam iuxtà Aduersarios: ergo quoties Prudentia dictat studium Metaphysicæ, vel actum credendi mysterijs reuelatis, actus Intellectus erunt praxes. Dicunt, eos actus esse praxes, prout à Voluntate imperatos. Fateor: sed, licèt tunc formalis ratio imputabilitatis, ac meriti, consistat præcipuè vel vnicè in actu Voluntatis; tamen ratio praxeos consistit etiam in actu imperato: tum quia hic actus expressè dictatur à Prudentiâ, & expressè cadit sub præceptum credendi, vel studendi; quod præceptum non est reductum ad praxim, donec actus ipse Intellectus exerceatur: tum etiam paritate actus externi, v. g. largitionis eleemosynæ, qui actus, licèt meritorius euadat ab actu voluntatis, se ipso est praxis Prudentiæ, & regulæ Charitatis. Iam ergo actus Intellectus in semetipso participat rationem praxeos.

18 *Prob.* 3.: Scientia, quâ dirigitur Deus ad effectus creatos producendos, atque adeò ad actus Intellectus nostri, practica est, vt docent Theologi cum D. Thomâ: ergo cognitio nostra est praxis respectu Scientiæ Diuinæ. At, inquis, cognitio nostra non est actus Diuini Intellectus. Non dubito: sed tuum argumentum enervo. Nam per te ideircò nostra cognitio nequit esse praxis respectu Logicæ, quia est speculatio, manetque intrà lineam speculationis. At id ipsum habet, quando dirigitur ab Scientiâ Diuinâ; & nihilominùs est praxis. *Prob.* 4.: idem est

*pra-*

*praxis*, ac *vsus regulæ dirigentis*, ideòque Aristoteles suprà citatus n. 13. practicas statuit Artes, quæ sunt *ad vsum*; sed actus Intellectus est verè & propriè *vsus* regulæ logicæ dirigentis: ergo est verè & propriè praxis. *Confirm.* ex divisione Logices in docentem, & vtentem: vbi omnes advertunt, idem esse *vti regulis*, ac *regulas addiscere ad praxim*: vnde Logicam vtentem vocant, quæ deducit ad praxim regulas Logicæ docentis, vtique per actum Intellectus.

## §. III.

*Duplex alia Assertio proponitur.*

19 SEcunda assertio nostræ sententiæ sit: *Logica directa, & propriis limitibus contenta, absolutè, simpliciter, imò ferè totaliter, practica est.* Explicatur: etsi tota Logica reflexè consideret actus Intellectus, tamen in suâ lineâ vocatur *Logica directa*, quæ versatur circà illos actus, quatenùs possunt artificiosè poni, sive disponi ad rectè differendum: vocatur verò *Logica reflexa*, quæ suam ipsius indolem, & proprietates novâ reflexione discutit; vt fit in hoc proœmiali Tractatu. Quibus positis, probatur Assertio: Logica directa respicit pro fine operationem: nam eius finis, sive attributionis obiectum, est aliquid operabile vt tale, nempè Modus sciendi, vel omnis, vel aliquis, iuxtà varias sententias, de quib. disput. sequ.: ad eum item finem inventa est, vt Intellectus regulas eius deducat ad praxim. Sed scientia, *quæ ordinatur ad finem operationis, est simpliciter practica*, vt inquit D. Thomas (g), & planè colligitur ex Aristotele suprà citato: Logica ergo *simpliciter* est practica.

20 Et hinc etiam probatur practica *totaliter*, aut ferè: nam Logica per omnes suos actus tendit in operationes Intellectus vt dirigibiles; ideòque dirigibilitas actuum Intellectus dicitur passim à nostris Auctoribus ratio formalissima *sub qua* tendit Logica: ergo per omnes suos actus tendit in obiectum vt operabile ex directione regulæ, hoc enim sonat *dirigibile*: ergo penès omnes actus practica est; nam actus speculativus, siquando tendit in rem operabilem, non eam respicit vt operabilem ex num. 5. Dixi *totaliter, aut ferè*; nè nimium repugnem ijs, qui excipiunt nonnullos actus secundarios, queis Logicus artificium iam actu positum reflexè considerat; quamvis facilè dici posset, eiusmodi actus, vel non esse Logicos propriè, sed reductivè, vel etiam esse quodammodò practicos.

21 Assertio tertia: *Logica reflexa, necnon quatenùs ex vsu proprios egressa limites, quæstiones adoptat adscititias, est speculativa.* Res hæc, explicatis terminis, aliâ probatione non eget. Nam in primis Logica reflexa, seu proœmialis, nihil ferè tractat ad praxim propriè pertinens, aut directè iuvans, vt ex hactenùs discussis, & disp. sequ. discutiendis quisque perspiciet. Deinde, Logica, prout consuetâ in Scholis methodo traditur, plurimas ex Metaphysicâ quæstiones adsciscit, præsertim in Tractatib. de Universalib., & Prædicamentis, vt nemo nescit; nonnullas etiam ex Animasticâ. Eamque omnes ad speculationem pertineant, &

(g) 1. p. q. 14. a. 16. c. maio-

maiori ex parte consuetum Logicæ volumen occupent; fit, vt Logica, prout communiter in Scholis tradi solita, maiori ex parte sit speculativa. Atque hoc sensu intelligendum puto nostrum Eximium Doctorem disp. 44. Metaph. sect. 13. n. 53., dum Logicam dicit simpliciter speculativam, & ex parte practicam: *Dirigit enim* (inquit) *operationes Intellectus, vt artificiosè fiant eo modo, quo fieri possunt, vnde & ars liberalis appellatur: tamen ad hanc directionem multa, & ferè maiori ex parte contemplatur purè speculativè.*

## CAP. X.

### *Obiectionibus fit satis.*

1 COntrà primam, & præcipuam Assertionem, *Objic.* 1.: Omnis actus Intellectus est speculatio; sed nulla speculatio potest esse praxis: ergo nullus actus Intellectus potest esse praxis: ergo nec Logica, dirigens actus Intellectus, poterit esse practica. *Resp.* Vtraque Præmissa falsa est: Maior; quia speculatio idem est, ac cognitio speculativa; nihil autem falsius, quàm quòd omnis actus Intellectus sit cognitio speculativa, vt patet in actibus Prudentiæ, Medicinæ, & cuiuslibet Artis: Minor etiam; quia praxis, & speculatio nullo ex capite opponuntur, maximè respectu diversorum; si enim speculatio, circà hominem v. g., est artefactum verè operabile ex directione alterius cognitionis, quid prohibet esse praxim? Opponuntur quidem practicum & speculativum in eodem actu, vel habitu, respectu eiusdem obiecti, quia implicat simul sistere & non sistere in eiusdem obiecti contemplatione. At praxis non est idem ac cognitio practica, vt suprà notavimus; nec aliunde cum speculatione magis pugnat, quàm ratio artefacti. Adde quod obiectio perspicuè instatur exemplis cap. præced. n. 17. & 18.

2 *Replic.* 1.: Logica, dum ad actus Metaphysicæ dirigit, habet pro fine speculationem: ergo non habet pro fine praxim. *Prob. Antec.*: nam ipsa constructio, & opus syllogismi demonstrativi de obiecto Metaphysicæ, est speculatio: ergo, dum Logica pro fine respicit illud opus, respicit speculationem. Hinc regulæ Logicès sunt regulæ speculandi, & qui eas deducit ad vsum, speculatur; & quidquid operis per eas intenditur, semper manet intrà lineam speculationis: ipsa etiam fabrica, & rectitudo, quam Logica dirigit, est rectus modus speculandi. Logica ergo tota in speculatione versatur, nec inde vnquam extrahitur.

3 *Resp.* 1. *neg. Antec.*: nam, vt vidimus cap. præced. n. 15., Logica non aliter Metaphysicam dirigit, quàm scientias practicas; easdem quippè regulas pro omnibus tradit: quare, sicut iuxtà Aduersarios non habet pro fine praxim, dum Ethicam, & Medicinam dirigit; ita nec habet pro fine speculationem, dum dirigit Metaphysicam. Vtrobique ergo finis Logicæ est artificiosa cognitio veritatis, præscindendo ab eo quòd talis cognitio sistat, vel non sistat ibi, siue quòd vlteriùs dirigat, vel non, ad executionem sui obiecti. Actus autem Metaphysicæ sub hac præcisâ ratione non est speculatus, sed ab

spe-

ſpeculativo & practico præſcindens, donec intelligatur poſitivè ſiſtens in contemplatione; de quo non curat Logica. *Ad prob. diſt. Antec.*: ipſa conſtructio & opus, &c. eſt ſpeculatio, realiter, *conc.*; formaliter prout à Logicâ dirigitur, *neg. Antec.* & *Conſequ.* Vnde & ſubiunctæ propoſitiones in ſenſu formali ſunt falſæ.

4 *Reſp.* 2. *diſt. Ant c.*: habet pro fine ſpecularionem alieni obiecti, *admitt.*; ſpeculationem ſui obiecti, *neg. Antec.*, & *Conſequ.* Cum dicitur, ſcientiam ſpeculativam eſſe, quæ pro fine reſpicit ſpeculationem, ſermo eſt de ſpeculatione ſui proprij obiecti, quod talis ſcientia non intendit conſtruere, vel exequi, ſed purè cognoſcere. Id quod patet, tum ex communi ſenſu; tum ex D. Thomâ citato cap. præced. n. 12.; tum inductione per omnes ſcientias, quas ſpeculativas eſſe conſtat. Phyſica v.g., vel Metaphyſica, ideò ſpeculativa eſt, quia purè ſpeculatur ſuum obiectum: & ex adverſo Ethica, ſeu Philoſophia moralis, ideò eſt practica, quia non ſpeculatur tantummodò, ſed vlteriùs dirigit ad ſui obiecti executionem. Unde ſimiliter *ad prob. diſt. Antec.*: eſt ſpeculatio obiecti Metaphyſicæ, *conc.*; obiecti Logicæ, *neg. Antec.*, & ſub eâd. diſtinct. *Conſequ.* In ijs, quæ ſuperaddit obiectio, diſtinguenda pariter ſpeculatio obiecti proprij, vel alieni; negandumque, Logicam evadere ſpeculativam eo quod in ſpeculatione alieni obiecti verſetur; nam idem præſtat Prudentia, dum ſtudium Metaphyſicæ regulat, vt ſuprà conſtitit.

5 *Replic.* 2.: ſi habitus Logicæ, quia dirigit actus Metaphyſicæ, practicus eſt, ipſe etiam habitus Metaphyſicæ practicus erit, cum ſit magis propriè operativus praxeos, videlicèt ſui actus, qui per nos eſt praxis: hunc enim actum Logica ſolùm operatur directivè, habitus Metaphyſicæ effectivè. Sequela autem falſa eſt abſurdiò. *Reſp. neg. ſequel.*: nam habitus talis eſt, quales ſunt actus, quos immediatè producit: ſi actus ſint practici, practicus eſt; ſi ſpeculativi, ſpeculativus. Quare, cum actus Metaphyſicæ, licèt ſint praxes reſpectu Logicæ, non ſint practici, ſed ſpeculativi; habitus eorum productivus nequit eſſe practicus.

6 *Inſiſtunt* Adverſarij: ſi ſemel actus Metaph. eſt praxis, ille habitus erit magis practicus, qui magis talè praxim operatur; nã practicum ab operatione ſumitur, & iuxtà vetus effatum, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: vnde & manus magis practicè picturam operatur, quàm ars ab Intellectu dirigens. Cum ergo ſuum actum operetur habitus Metaph. magis, quàm Logica; magis practicus erit. Hinc etiam ex noſtrâ ſententiâ ſequitur, vt Thomiſtæ putant, Intellectum penès omnes ſuos actus practicum eſſe, cum omnes propriè operetur. *Reſp.* Practicum philoſophicè non ſumitur pro quovis operativo phyſicè, ſed pro operativo intentionaliter, ſeu directivè; accipiturque prout eſt proprietas cognitionis, cui primò convenit denominatio practicæ, & ex quâ derivatur in Intellectum, & habitum.

7 Conſtat hoc 1.: quia, vt inquit D. Thomas q. 14. de Verit. ar. 4., *Intellectum practicum* (eadem eſt ratio de habitu) *oportet*

*est esse próximam regulam operis, vtpote quia consideretur ipsum operabile*, &c. : ergo Intellectus, aut habitus, non dicitur practicus, nisi à consideratione, quæ sit regula operis. Quod idem supponit Angelicus q. 3. de Verit. ar. 3., & 10. de Anim. Lect. 15. cum Philosopho : & clarius 1. p. q. 79. ar. 11. ad 1. ibi: *Intellectus practicus est motivus, non quasi exequens motum, sed quasi dirigens ad motum : quod convenit ei secundùm modum suæ apprehensionis.* Unde Intellectus non est practicus, prout exequens praxim Logicæ, sed prout eliciens actum, quo dirigit ad motum sive intrà, sive extrà se. *Constat* 2. : quia nulla facultas dicitur practica, nisi intendat constructionem sui obiecti, vt cap. præced. nos docuit D. Thomas : habitus autem idem habet obiectum ac actus : quare, nisi medio actu practico constructionem illam intendat, non est practicus, quantumvis physicè operetur suos actus, quos certè pro obiecto non respicit. *Constat* 3. : quia benè cohæret, quòd habitus physicè operetur praxim, & tamen pro fine habeat puram speculationem sui obiecti ; qui est habitus speculativi character.

8 Habitus igitur omnium scientiarum, sunt vtentes regulis Logicæ, quas proinde ad praxim deducunt, ita vt earum praxim effectivè operentur : sed non idcircò sunt habitus practici ; quia talem praxim non habent pro obiecto, nec illam regulant, aut dirigunt, sed purè physicè producunt. Unde practicum philosophicum non sumitur ab operatione vtcumque, sed ab operatione prout dirigibili per cognitionem prævium : quare nec ad rem est effatum illud, *Propter quod vnumquodque*, &c. ; nec potentia executiva picturæ practica est in sensu philosophico ; nec actus Intellectus est praxis respectu omnis principij, cuius est operatio, sed respectu illius dumtaxat, cuius intuitu est *operatio dirigibilis* ; nec demùm Intellectus est practicus, nisi quatenùs fœcundus actuum ad executionem sui obiecti dirigentium.

9 *Objic.* 2. proloquium illud, *Intellectus extensione fit practicus*, quod ab Scoto allegatur, & tribui solet Aristoteli, quamvis apud ipsum nullibi compareat. Consonat illud D. Thomæ q. 14. de Verit. ar. 4. c., *Sola extensio ad opus facit aliquem Intellectum esse practicum.* Unde sic arguitur: in ordine ad opus Logicum nulla est Intellectus *extensio* : ergo nec ratio practici. *Prob. Antec.* : quia *extendi* est *extra se tendere* : Intellectus autem extra se non tendit, dum tendit in opus Logicum, vtpote quod manet intrà Intellectum, & in eius actibus consistit. *Resp.* Nec proloquium, nec auctoritatem D. Thomæ respuimus : sed *neg. Antec.*, cuius probatio frigida est, non aliter ac si quis probet, Intellectum non posse intendere rebus externis, quia *intendere* est *intrà se tendere*. Verbum *extendo*, Calepino teste, idem sonat, ac *protrabo*, *porrigo*, *explico*: Intellectus autem intra semetipsum verè protrahitur, aut explicatur magis, dum ab actu dirigente & regulante progreditur ad actum regulatum : verè ergo extenditur intrà se.

10 *Replic.* : iuxtà D. Thomam (a), *Practicum*, *vel operativum*, *quod dividitur contrà speculati-*

(a) 1. 2. q. 57. ar. 1. ad 1.

*rum, sumitur ab opere exteriori.* Item: *Habitus speculativus... habet ordinem ad interius opus Intellectus, quod est speculari verum, & secundùm hoc est habitus operativus. Resp.* 1.: D. Thomas nomine *operis exterioris* intelligit opus quodlibet ex electione Voluntatis fieri potens, vt exponit Thomistarum Princeps Capreolus q. 2. Prolog. conclu. 4., patetque in actu Fidei, dum est praxis Prudentiæ. Hoc autem sensu etiam actus Intellectus, à Logicâ regulatus, est opus exterius. *Resp.* 2.: loquitur D. Thomas, non de omni practico verè tali, sed de solo practico mechanico, seu factivo, vt interpretatur M. Sanchez Dominicanus q. 16. procemiali: de quo iterùm inferiùs. Quod additur, extrà rem est: nam illud *interius opus Intellectus* non est opus, quod sit obiectum habitus speculativi, sicut est Logicæ; sed est ipsemet actus proprius, quem physicè operatur habitus speculativus, qui habitus, licèt hoc sensu operativus sit, non ideò est practicus, propter dicta n. 7. & 8. Hanc esse mentem D. Thomæ, patebit legenti.

11 *Obsic.* 3.: Omnis Facultas practica, vel est factiva, vel activa, vt sumitur ex Aristotele (b); sed Logica non est factiva, cum non versetur circà actiones externas; nec est activa; quia scientia activa, vt ait ibidem Aristoteles, est circà ea, *quorum principium est electio, & idem est agibile & eligibile*, electio autem est actus Voluntatis, qui respicitur, non à Logicâ, sed ab scientijs moralibus, quæ idcircò *activæ dicuntur*, vt notat D. Thomas (c). Logica ergo non est practica. *Resp.* Logica est scientia activa, versaturque circà ea, quorum principium (non quidem elicitivum, aut meritorium formale, vt in operibus virtutum, sed imperativum, aut applicativum) est electio: nam, vt inquit P. Vazquez (d), nulla operatio rationis, qualis est constructio syllogismi, dirigitur, aut fit ab aliâ operatione Intellectus, nisi mediâ electione; nam ex electione applicat homo Intellectum ad faciendum hunc vel alium syllogismum.

12 Nec te moveat quod irati reponunt Carmelitæ discalceati Complurens., hoc Vazquij *argumentum indignum esse, cui Philosophus respondeat.* Modestissimè quidem. Sed quid mali continet inficis? Probat, inquiunt, nullam esse scientiam speculativam; siquidem omnes actus cuiuscumque scientiæ fiunt à nostro Intellectu liberè, & mediâ motione, seu imperio voluntatis. Addunt (vt, quâ sunt benignitate, respondere dignentur argumento, licèt indigno), dictum Aristotelis debere intelligi de operibus, quæ per se & formaliter ab electione procedunt, quæ constat esse opera virtutis, quibus intrinseca est moralitas, & liberias.

13 Sed finge, Lector, me velle paradoxum hoece, *Ars citharizandi non est practica*; atque ita probare: Ars ista non est factiva, vt ex Aristotele patebit num. sequenti; aliunde non est activa, cum non versetur, circà ea, quorum principium est electio: ergo non est practica. Dices cum Vazquio, eam autem esse activam, quia citharizatio non dirigitur ab In-

(b) 6. *Metaph. cap.* 1. (c) *Ibi Lect.* 1. (d) *In* 1. 2. *d. sp.* 8. *n.* 19.

Intellectu, nisi mediâ electione. Tum, si in te insurgerem totâ indignatione Discalceatorum; nonne risu excalceatus abires? Sed sistite precor: nam tua ratio probat, nullam esse scientiam speculativam. Minimè, inquies: nam licèt dependentia ab electione sit conditio requisita ad obiectum artis practicæ, reperiaturque in actu citharizandi, non ideò est conditio se solà sufficiens. Omnis homo caput habere debet; nec tamen quidquid habet caput, est homo. Hæc ergo conditio practicam arguit facultatem, quæ aliunde respiciat obiectum operabile modo operabili; qualis est Logica, vel ars citharizandi; & qualis non est alia quævis scientia, v. g. Metaphysica, cuius habitus non est operativus sui obiecti, licèt physicè operetur suos actus ex electione voluntatis; quod non est ad rem.

14 Aristoteles verò nomine artis vel scientiæ *activæ* intelligit quidem præcipuè morales scientias & prudentiam, sed non solas, vti nec D. Thomas. Tum quia Philosophus *actiones* vocat omnes operationes immanentes, v. g. velle, intelligere, videre, vt notavit D. Thomas in 1. Ethic. Lect. 1., & sæpe aliàs: vnde sequitur, quòd non solùm circà actus Voluntatis, sed etiam circà actus Intellectus dari potest scientia *activa*. Tum quia id nominis etiam extendit ad actiones transeuntes, è quibus non remanet aliquod opus factum. *Facientium*, & *agentium* (inquit L. 1. Magn. Moral. cap. vlt.) *non idem factile, & actile. Nam factilium, præter facturam finis supereſt alius: ſicut domificativæ... finis, præter ſacturam, domus eſt. At in his, quæ ſub actionem cadunt* (*practica* vocant Græci), *præter actionem, nullus eſt alius finis: vt præter citharæ modulatum, finis non eſt alius: ſed id eſt finis, exercitium, & actio.* Vbi planè vides facultatem *activam*, quæ non fit circa *eligibile* in sensu Carmelitarum, videlicet artem citharizandi, cuius opus certè non ita ab electione procedit, vt ipsi intrinseca sit moralitas, & libertas. Vid. P. Vazquez loc. cit. n. 15. 16. 17., vbi varios hac de re Philosophi textus aptè conciliat.

15 *Objic.* 4.: Logica non propriè dirigit demonstrationem; ergo non est practica respectu illius, proindeque nec aliorum actuum. *Prob. Antec.*: nam in primis non dirigit præmissas: tum quia istæ plerumque sunt de materiâ alienâ, quæ ad alias scientias spectat, non ad Logicam: tum quia sunt propositiones evidentes, quibus Intellectus necessariò assentitur; & nulla ars dirigit operationes necessarias, quæ Voluntatis imperio non subsunt. Deinde nec dirigit conclusionem, cum hæc positis præmissis necessariò resultet, & nequeat à Voluntate imperari, nisi præcognoscatur; si autem prænoscitur, iam existit priusquam imperetur. *Resp.* Hoc argumentum non prodest Thomistis, qui directionem Logicæ, non solùm agnoscunt, sed simpliciter necessariam dicunt ad demonstrandum; & saltem valde vtilem esse, nullus Thomista, vel Scotista negat.

16 Quare *neg. Antec.. Ad prob. resp.* Logica dirigit præmissas demonstrationis cuiuslibet, non quantum ad materiam, sed quan-

tum ad formam artificiosam in figurâ, & Modo: dirigit item, vt proposita variâ materiâ enuntiationes eligantur primæ, immediatæ, notiores, &c., iuxtà doctrinam demonstrandi. Nec obstat evidentia: nam, terminis evidenter apprehensis, saltem indifferens est Intellectus, vt potiùs prædicet *A* de *B*, quàm è converso, vt aliquod sincathegorema detrahat, vel addat, &c.; quam indifferentiam determinat Voluntas præventa regulis. Conclusio etiam à Voluntate pendet: vel quia ex præmissis non oritur necessariò quoad exercitium, vt multi docent; vel quia sæpe indifferens est, vt directa, vel indirecta prodeat. Nec, vt imperatur, debet prænosci indicativè, sed apprehensivè; ex quo non sequitur, quòd præexistat ante imperium. Imò, etsi prorsùs necessariò resultet ex præmissis, cum tamen hæ pendeant à Voluntate, conclusio evadet voluntaria mediatè, & in causâ; quod sufficit ad rationem praxeos. Sic sanitas est praxis Medicinæ, licèt applicatâ virtute medicamentorum necessariò resulter. Conclusio tamen, vt hoc obiter notem, praxis est respectu regularum Logicæ, non respectu præmissarum; hæ quippè movent, sed non dirigunt ad conclusionem formalem, cum non illam, sed eius obiectum implicitè cognoscant.

17 *Obsic.* 5.: scientia, cuius finis est veritas, est speculativa, vt patet ex dicto Philosophi sup. cit., *Speculativæ finis, veritas*; sed finis Logicæ est veritas: ergo, &c. *Prob. Min.* 1. ex D. Augustino de Princip. Dialect. cap. 7. vbi Dialecticam inuitat esse *prosier veritatem diiudicandam*; & L. 8. de Civit. cap. 4., Philosophiam divi-dit in tres partes: *vnam moralem, quæ maxime in actione versatur: alteram naturalem, quæ contemplationi deputata est: tertiam rationalem* (nempè Logicam), *quæ verum discernat à falso: quæ, licèt vtrique, id est, actioni, & contemplationi, sit necessaria, maximè tamen contemplatio perfectionem sibi vendicat veritatis.* 2. ex D. Thomâ 2. 2. q. 51. ar. 2. ad 3. ibi: *Etiam in speculativis alia rationalis scientia est Dialectica, quæ ordinatur ad inquisitionem inventivam: & alia scientia demonstrativa, quæ est veritatis determinativa.* En, vt Logicam & speculativam, & ordinatam ad veritatem docet.

18 3.: quia Logica vt finem intendit ignorantiæ fugam, vitationem errorum, & discretionem veri à falso: quod in summâ est intendere veritatem. 4.: quia Logica perficit Intellectum vt speculativum. Tum quia Intellectus, vt speculativus, est indagator veritatis, quo in munere iuvatus Logicæ regulis. Tum quia Intellectus dumtùm est practicus, prout dicit ordinem ad appetitum, respicitque verum vt bonum, & agibile: hoc autem sensu non perficitur à Logicâ, sed prout respicit verum vt verum, quo sensu est speculativus. *Confirm.*: Logica quærit scire propter demonstrare; sed demonstrare est scire: ergo quærit scire propter scire; quod proprium est scientiæ speculativæ. Vide nihil prodesse nostræ sententiæ, quod Logica intendat opus mentale; siquidem hoc opus est ipsum scire. Quare D. Thomas 1. 2. q. 57. ar. 3. ad 3. sic ait: *Etiam in ipsis speculativis illibus est aliquid per modum cuiusdam operis,*

*ris, pilæ, constructio syllogismi, aut orationis congruæ, aut opus numerandi, vel mensurandi. Et ideò quicumque ad huiusmodi opera rationis habitus speculativi ordinantur, dicuntur per quamdam similitudinem artes, scilicet liberales.* Eadem ferè repetit 2. 2. q. 47. ar. 2. ad 3., vbi Logicam supponit artem speculativam, & rationi speculativæ tribuit facturam syllogismi.

19 Ad *argum. dist. Mai.*: cuius finis est veritas de obiecto proprio, *conc.*; de obiecto alieno, *subdist.*: veritas vt purè speculabilis, *omitt.*; veritas vt artificiosè operabilis, *neg. Mai.* Similiter *dist. Min.*: finis Logicæ est veritas de proprio obiecto, *neg.*; veritas de alienis obiectis, non vt purè speculabilis, sed vt artificiosè operabilis, *conc. Min.*, & *neg. Conseq.*. Cum *veritas* (ideſt, *cognitio vera*; sic enim modò sumitur) dicitur finis scientiæ speculativæ, non est sermo de veritate qualicumque, sed de veritate cognitionis de obiecto proprio talis scientiæ: & sensus est, Quod *in speculativis scientijs nihil aliud quæritur, quàm cognitio generis subiecti, sicut in Geometria intenditur quasi finis cognitio magnitudinis, quæ est subiectum Geometriæ*: è contrario, *in practicis scientijs intenditur quasi finis constructio ipsius subiecti; sicut in scientia ædificativa, constructio domus*, &c.. Hæc totidem verbis D. Thomas (e), ne Thomistæ dissentiant. Vide dicta n. 4. Quamvis ergo Logicæ finis sit veritas fita in cognitionibus aliarum scientiarum; cum tamen cognitiones illæ non respiciant obiectum Logicæ, nec à Logicâ respiciantur vt purè speculabiles, sed potiùs vt artificiosè operabiles, & constructibiles in formam syllogismi, &c.; iam Logicæ finis non est veritas fita in *cognitione generis subiecti*, sed potiùs *constructio ipsius subiecti.*

20 *Ad 1. prob. Min.*: D. Augustinus nihil contrà nos profert. Dialectica enim est *propter veritatem diiudicandam*, seu propter iudicium veritatis, non quo ipsa iudicet suum obiectum, sed quod ipsa respiciat vt obiectum artificiosè operabile. *Discernimus enim verum à falso*; tum circà proprium obiectum, vt quævis alia scientia; tum circà obiecta omnia, quatenùs docet vitare fallacias, & verum deprehendere per discursus artificiosè constructos, quos vt obiectum operabile respicit. Est item *secundùm quid* necessaria actioni, & contemplationi, ideſt, scientijs practicis, & speculativis; è quibus *contemplatio*, ideſt, scientia speculativa, magis indiget Logicæ regulis, quia magis *perfectionem sibi vendicat veritatis.* Hæc tamen perfectio non pertinet ad Logicam, nisi prout est obiectum artificiosè operabile. *Ad 2.*: Logica, sicut Omnis scientia, seu speculativa, seu practica, est *determinativa veritatis* circà suum obiectum (f), hoc discrimine, quòd speculativa sistit in tali veritate, practica verò illam ordinat ad constructionem sui obiecti; quem ordinem non denegat Logicæ D. Thomas. Quo autem sensu Logicam numeret *in speculativis*, dicemus inferius.

21 *Ad 3.*: tota illa fuga, vitatio, discretio, consilium in actibus aliarum scientiarum, intenditur à Logicâ tamquam obiectum



(e) *Vid. suprà cap. præced. num. 12.* (f) *Vid. Arist. 6. Ethic. cap. 2. & D. Thom. Lect. 2.*

artificiosè constituendum ex directione regularum; quod non est intendere veritatem in sensu nobis noxio. *Ad* 4.: Logica per proprios actus, sive regulas, perficit Intellectum, prout ipse est *dirigens ad motum*, quo sensu Intellectus est practicus, vt aiebat sup. n. 7. D. Thomas. At per actus alienos, quos dirigit, perficit Intellectum tàm speculativum, quàm practicum, siquidem scientias omnes dirigit speculativas & practicas, quarum actus, etiam speculativi, sunt praxes Logicæ, vt suprà explicatum est. Probationes adiunctæ non vrgent. Nam etiam Intellectus practicus est indagator veritatis; nec evadit speculativus, nisi respectu illius obiecti, cuius veritatem indagat, vt in eâ velut in fine sistat. Non autem sic indagat veritatem obiecti Logici per actus Logicos: per hos enim respicit artificium Modi sciendi, non præcisè vt verum, sive vt cognoscibile, sed etiam vt agibile, & vt bonum bonitate, non morali, sed artificiali, adeoque vt appetibile, sive imperabile à voluntate non minùs, quàm artificium Musicæ, vel Picturæ. Vid. D. Thom. 1. 2. q. 57. ar. 4. Ubi quòd nulla ars dicit ordinem ad *appetitum rectum* moraliter.

22 *Ad Confirm. dist. Mai.*: propter demonstrare proprium, *neg.*; propter demonstrare alienum, *conc. Mai.*, & *Min.*; & *dist. Conseq.*: propter scire proprium, *neg.*; propter scire alienum, *conc. Conseq.* Logica scit, & demonstrat suum obiectum; sed hoc demonstrare & scire proprium non quærit propter se ipsum, vt in eo sistat, sicut sistunt scientiæ speculativæ; illud enim ordinat ad constructionem sui obiecti consistentis in demonstrare alieno, sive in demonstrationibus aliarum scientiarum. Recole solutionem num. 19.; nam idem est sensus huius, & illius obiectionis. Locus D. Thomæ parùm favet Thomistis, quidquid ipsi dicant. Nam in primis non magis probat, Logicam non esse practicam, quàm non esse propriè artem, sed solùm *per quandam similitudinem*; & tamen hoc posterius non probat, iuxtà plures Thomistas. Vid. Collegium S. Thom. Complut. q. 1. proœm. ar. 4. §. 3. n. 240., ex quo locum istum explicuimus cap. 8. n. 5.

23 Deinde, non modò Logica, sed omnes artes liberales, ibi dicuntur speculativæ: & tamen apud Mathematicos notum est, Geometriam, & Arithmeticam dividi in speculativas, & practicas: & saltem Musicam, Rhetoricam, & Grammaticam (cuius opus, nempè *constructio orationis congruæ*, recensetur ibi), quis neget esse verè practicas? Itaque D. Thomas eo loci contraponit speculativum, non omni practico vero, & proprio, sed soli practico mechanico, factivo, & servili. Patet hoc, tum ex modò dictis. Tum quia continuò addit, *Ad differentiam illarum artium, quæ ordinantur ad opera per corpus exercita, quæ sunt quodammodò serviles.* Tum quia eodem sensu dixerat ar. 1. eiusd. quæst. ad 1., practicum sumi *ab opere exteriori*; idest, per corpus exercito, vt intellexit M. Sanchez sup. citatus, vtque manifestè patet ex ipso D. Thomâ 2. 2. q. 179. ar. 2. c. iunctâ q. 180. ar. 1. ad 3., & q. 182. ar. 3. Constat autem, dari praxim, quæ non

non fit opus exterius, v. g. actum Voluntatis. Dices: D. Thomas nusquàm alibi clariùs explicuit rationem practici, & praxeos. *Resp.* Soncinas, Thomista nobilis, L. 6. Metaph. q. 2. sic censet: *Quid verè & proprie sit praxis, non invenitur, S. Thomam expressè determinasse.* Præterea ex verbis D. Thomæ citatis cap. præced. n. 12. satis colligitur, praxim in communi esse quodvis obiectum cognitionis intendentis constructionem eius. Vid. P. Lynce L. 2. Dialect. tract. 3. cap. 6., vbi, quàm multiplex sit acceptio practici & speculativi apud Aristotelem & D. Thomam, eruditè demonstrat.

24 Ut aliàs obiectiuncula præcaveas, observa sequentia. 1.: procedere modo resolutorio, non est proprium solius scientiæ speculativæ; convenit quippè scientijs omnibus, etiam practicis, v. g. Philosophiæ morali, & Medicinæ, cum omnes demonstrent conclusiones per prima principia; quod est resolutoriè procedere. Sola ergo scientia speculativa dicitur procedere modo resolutorio *purè tali*: practica verò superaddit modum compositivum, quia conclusiones, quas resolutoriè probat, habent tendentiam vtilem ad compositionem, seu constructionem obiecti. 2.: siquando cognitiones obiectorum in vniversali vocantur speculativæ apud D. Thomam, & alios, sermo est de speculativo improprio, quatenùs contraponitur practico vulgari, & experimentali, consistenti in cognitione singularium hic & nunc agibilium. De cætero, nulla est ars, etiam mechanica, quæ regulas practicas vniversales non tradat: ipsa etiam dictamina practica morum, vniversalia sunt, vt *Vitium est fugiendum*; *Quod tibi non vis, alteri nè feceris.* Vide dicta cap. 8. n. 10. Dices: obiectum in vniversali non est operabile. *Resp.* Est operabile operatione exercendâ, non pro statu abstractionis, sed pro statu contractionis; sicut homo in vniversali est discursivus discursu exercendo pro contractionis statu. In his conveniunt etiam Adversarij.

25 3.: etiam si referatur Logica, non ad actus Intellectus, sed ad Ens rationis Thomisticum, non ideò desinet esse practica; siquidem intendit in obiecta introducere illud Ens rationis, veluti formam artificiosam in materiam, vt Thomistæ volunt. Dices: Ens rationis, cum nihil sit, non est operabile. *Contrà*: licèt nihil sit, est verè scibile, iuxtà Thomistas: ergo & poterit esse operabile. *Contrà* iterum: licèt nihil sit, suo modo est penibile, & Logica toto conatu curat illius positionem instar formæ artificiosæ, vt contendunt Thomistæ; qui propterea cognitionem fingentem entia rationis, vocant *quodammodò practicam*, & *effectivam* instar ædificationis (g). Hoc autem sufficit, vt Logica sit practica; sicut practica est institutio signorum ad placitum, licèt eorum forma sit Ens rationis apud Thomistas; & sicut practica esse potest cognitio dirigens ad puram omissionem liberam. 4.: etsi aliqua prima principia, queis Logica vtitur, vt *Dici de omni*, &c., *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c., sint formaliter speculativa; tamen dici possunt virtualiter, aut radicaliter practica,



(g) *Vid. Colleg. S. Thom. Complut. q. 1. ar. 2. §. 5. n. 123.*

quatenùs ex eis conclusiones practicæ deduci possunt: quemadmodum ex hac speculatione, *Deus est summè bonus*, concluditur practicè, *Ergo est amandus*: & ex Arithmeticæ speculationibus oritur Musica practica.

*Difficultates contrà reliquas Assertiones expediuntur.*

26 Contrà 2. Assert. *Objic.*: in Logicâ directâ definitiones, divisiones, & demonstrationes proprietatum Modi sciendi, non sunt actus practici: ergo plerique actus Logicæ directæ sunt speculativi. *Prob. Antec.* 1.: actus practicus est proxima regula operis, ex D. Thomâ q. 14. de Verit. ar. 4.; sed ex illis actibus nullus est proxima regula operis: tum quia nullus ostendit modum operandi, sed solam naturam operis: nemo autem artifex dirigitur ad operandum ex definitione operis, si modum ignoret. Tum quia non habent actus illi tendentiam præceptivam per gerundium, aut verbum *debet*, sic v. g. *Syllogismus ita construendus est*, vel *ita construi debet*. Eorum igitur nullus est practicus. 2.: circà rem operabilem dari potest cognitio non practica, *nec actu, nec habitu, sed speculativa tantùm*: *sicut si artifex consideret demum investigando passiones eius, genus, & differentias, & huiusmodi*: ... *Sed tunc consideratur res vt est operabilis, quando in ipsa considerantur omnia, quæ ad eius esse requiruntur simul.* Hæc totidem verbis D. Thomas q. 3. de Verit. ar. 3. Vnde planè colligitur, prædictos actus Logicæ nullatenùs esse practicos. *Confirm.*: quia si tales actus practici sunt, nulla ratio erit, cur Mathematica differens de numeris, & figuris, vtique operabilibus, non sit practica: nam quid ad rem differant actus isti, *Triangulus constat tribus angulis*, *Syllogismus constat tribus terminis*?

27 *Resp. neg. Antec.* Ad 1. *prob.*: D. Thomas, vt constabit legentibus, *proximam regulam operis* contraponit *causæ remotæ*, vel *occasioni remotæ*, qualis sæpè sumitur ex cognitione obiecti non operabilis, v. g. immortalitatis animæ. Ac deinde talem regulam non adæquatè collocat in vno actu practico, sed in Intellectu prout considerante *ipsum operabile*, & *rationes operandi*, & *causas operis*: hæc autem consideratio plures actus includit, quorum quilibet dici potest proxima regula operis *incompleta*. Hoc igitur sensu *neg. Min.*, quin obstent rationes adiunctæ. Nam in primis definitiones aliquæ satis ostendunt modum operandi, vt cum Divisio dicitur, *Oratio Totum in suas partes distribuens*. Deinde, sinon modum ipsum, saltem ostendunt rationem modi; si enim rogetur Logicus, cur talem modum operandi servet, necessariò recurret ad definitiones, divisiones, ac demonstrationes proprietatum Modi sciendi, nè convincatur experientiâ potiùs, quàm intelligentiâ, & scientiâ ductus.

28 Similiter omnis Artifex per definitionem operis construendi iam incipit dirigi ad operandum; non tamen completè, & adæquatè, donec modum operandi noscat. In summâ, ratio cognitionis practicæ magis quidem resplendet in actu cognoscente modum operandi; qui actus idcircò dici

solet quasi autonomasticè practicus, imò solus *proximè* practicus, cum cæteri circà naturam operis versantes dicantur *mediatè*, seu *remotè* practici. Sed, cum hic actus haberi possit & per experientiam, & per scientiam, fit, vt licet possit esse *experimentaliter* practicus absque scientifico operis examine, tamen prout est *proxima regula intelligenter, aut scienter habita*, constituatur per omnes actus, quibus scientia practica suum opus accuratè discutit. Et alioqui nulla esset scientia practica, quæ non haberet plerosque actus speculativos, contrà quod ferè omnes docent de Philosophiâ morali, & Medicinâ, in quibus apertè instatur obiectio.

29 Tendentia expressè præceptiva per gerundium in *dum*, aut quid simile, minimè necessaria est ad actum practicum (h). Tum quia plerique actus Ethicæ, & Medicinæ, non ita tendunt. Tum quia alioquin omnes artes mechanicas posset quisque pro libitu reddere speculativas, efferendo scilicet earum actus per modum indicativum: & similiter Mathematicas omnes efficere practicas, tendentiam addendo præceptivam. Dices: ergo actus practicus, & speculativus non differunt ex modo tendendi, sed tantùm ex obiecto. *Neg. Conseq.*: quia ex obiecto attacto sub ratione operabilis, refunditur in actum modus tendendi practicus, ideſt, tendentia per se ordinabilis ad operandum, quæ dici potest *virtualiter* præceptiva, quatenùs facilè, sed cum rationabili fundamento, reduci potest ad præceptivam *formaliter*. Id quod in actibus scientiarum semper oritur ex diversâ indole obiecti, vt mox attingam.

30 Ad 2. *prob.*: D. Thomas non ibi loquitur de practico in genere, sed de solo practico ideali, quod reperitur in eâ cognitione, qua Artifex sibi formar in mente ideam, sive exemplar totius operis. Patet hoc: tum ex contextu illius artic.: tum ex verbis illis, *Quando considerantur omnia, quæ ad eius esse requiruntur simul*; non enim quævis cognitio practica, sed sola idealis, considerat omnia simul requisita ad opus, v. g. ad domum. Tum maximè ex eodem D. Thomâ Opusc. 70. q. 5. ar. 1. ad 4., vbi de Mediciná sic loquitur: „ *Cum Medicina* dividitur in Theo-„ ricam, & practicam, non atten-„ditur divisio secundùm finem: „ sic enim tota Medicina sub prac-„ ticâ continetur, vtpotè ad ope-„ rationem ordinata. Sed attendi-„ tur præsentis divisio secundùm „ quod ea, quæ in Medicinâ trac-„ tantur, sunt propinqua, vel re-„ mota ab operatione. Illa enim „ pars Medicinæ dicitur practica, „ quæ docet modos operationis ad „ sanationes, sicut quòd talibus „ apostematibus sunt talia remedia „ adhibenda. Theorica verò dicitur „ illa pars, quæ docet principia, „ ex quibus homo dirigitur in ope-„ ratione, sed non proximè; sicut „ quòd virtutes sunt tres, & quòd „ genera febrium sunt tot. Vnde „ non oportet, vt si aliquius activæ „ scientiæ aliqua pars dicitur theo-„ rica, quòd propter hoc illa pars „ sub speculativâ scientiâ *ponatur*. Hæc D. Thomas; quæ ideò ad longum exscripsi, quia Logicæ ap-

(h) *Vid. PP. Hurtado disp. 2. Logic. sect. 2., & Mauri quæst. proxim. al. cap. 4. §. 1.*

applicata solutionem continent totius argumenti cum probationibus. Pro alijs Vid. P. Oviedo controv. 2. Logic. punct. 5.

31 Ad *Confirm.* Mitto quod apud Mathematicos Arithmetica Supputatrix, & Geometriæ pars, quæ Geodesia dicitur, practicæ sunt. Item, quod graves Philosophi censent, plures insuper actus Matheseos generalis esse practicos, atque etiam nonnullos Physicæ, Animasticæ, & Metaphysicæ. Nec curo multiplex discrimen, quod alij excogitant inter actus Mathematicos, & Logicos. *Insto* primùm in actibus Ethicæ, & Medicinæ, secundùm partem theoricam, quæ maior est: in his enim eadem militat difficultas. Deinde *resp.* cum Lynceo nostro Lib. 7. Metaph. Tract. 5. cap. 2., actus Mathematicos, licèt obiectum operabile respiciant, & fortè etiam modum, seu tendentiam habeant vtcumque vtilem ad operandum, non esse practicos ex defectu finis; quia nec ordinantur, nec sunt congruè ordinabiles ad finem operationis. Ratio: nam in scientijs humanis quoties obiectum operabile tale est, vt quæ veritates de ipso deteguntur, digniores & appetibiliores sint ratione sui, quàm ratione executionis obiecti; tunc veritates istæ non sunt per se ordinabiles ad executionem vt finem, nec ordinatè appetibiles propter operationem velut principaliter quæsitam; vt patet ex ipsâ naturâ medij, & finis. Tales autem esse veritates Mathematicas, probat citatus Auctor, & benè norunt, quibus penetralia Matheseos adire contigit.

32 Ex adverso, quoties obiectum operabile non est magnopere dignum scitu, nisi gratiâ executionis; tunc veritates de ipso detectæ, practicæ sunt, vtpotè ex se appetibiles propter operationem. Id accidit obiecto Logicæ, quod certè non esset dignum sciri tanto labore, & temporis impendio, nisi quia executio ipsius vtilissima est. Quid enim refert scire, quibus terminis constet, quasvè figuras, & modos admittat Syllogismus, nisi vt in praxi benè discurramus, facilèque scientias assequamur? Idem ferè contingit obiecto Ethicæ, Medicinæ, & artium externarum, quod vtilius est prout in praxi positum, quàm prout purè scitum, aut cognitum. Hinc scientia practica dicitur tendere in obiectum *vt operabile*, seu *vt dirigibile*, ideſt, vt dignum cognosci operationis gratiâ, vt dignum sciri propter vtilitatem directionis. Hinc etiam, cum tale obiectum cognoscitur sub formalitate non conducente ad operandum (v. g. obiectum Logicæ sub ratione entis realis, qualitatis absolutæ, actus vitalis, &c.), non cognoscitur practicè; quia cognitio ista non est congruenter appetibilis propter operationem. His obstare video difficultates explicatu dignas. Sed magis obstat iam nimia prolixitas. Vid. Lynceit.

33 Tandem contrà vltim. Assert. *Objic.*: Logica, prout consuetâ methodo traditur, & prout comprehendit reflexam, & directam, est vna scientia: ergo nequit esse partim practica, partim speculativa. *Prob. Consequ.*: quia Practicum, & Speculativum, sunt differentiæ essentialiter oppositæ, quæ

quæ nequeunt adunari in vnâ specie facultatis, sicut in eadem animalis specie coniungi nequeunt rationale, & irrationale. Hoc argumentum vrgent Thomistæ contrà nostros Auctores asserentes, Logicam esse simpliciter practicam, & secundùm quid speculativam. Sed facilè repelluntur. Tum exemplo Sacræ Theologiæ, quæ iuxtà D. Thomam 1. p. q. 1. ar. 4. complectitur vtramque differentiam. Tum quia apud nos Logica non est simplex habitus, sed multiplex, proindeque penès diversos habitus & actus facilè poterit eas differentias conciliare, non quidem inconnexè, aut inordinatè, sed potiùs congruenter, cum actus speculativi quodammodò viam parent ad practicos. Tum etiam, quia licèt purè practicum opponatur speculativo, sicut purè vegetativum sensitivo; non ita practicum in communi: quare poterit cum speculativo coniungi in aliqua specie scientiæ, sicut in homine vegetativum sensitivo cohæret. Vid. PP. Peynado, & Quiros.

34 Quod attinet nostram Assertionem, Logica prout complectitur reflexam, & directam, itemque disputationes proprias, & alienas, non est propriè vna, præsertim apud Thomistas, qui Metaphysicam ferè totam Logicæ admiscent. Est ergo vna scientia vnitate cuiusdam cognationis, quæ diversos fines admittere potest respectu diversorum actuum, & habituum, maximè quando vnus finis prævalet, nempè finis operationis, qui in Logicâ naturalis est, cum finis speculationis fit velut advena. Hæc illustrari possunt apertâ auctoritate D. Thomæ 2. 2. q. 179. ar. 2. in corp., & ad 2., vbi cum vitam contemplativam, & activam differre inter se dicat, sicuti differunt practicum, & speculativum; tamen agnoscit medium ex vtrâque vitâ compositum, sicut tepidum ex calido & frigido, & pallidum ex albo & nigro.

# DISP. II.

## *De Obiecto Logicæ.*

DISPUTATIONIS huiusce materia, cùm per se implexa & vocibus obscurata, tùm acri ingeniorum dissidio prolixa, iustum ferè Tractatum merebatur. Sed, quia merito isto pretiosiora sunt tempus & brevitas, hac vnâ contentus Disputatione, selectiora tantummodo, & vtiliora conabor eruere, quoad possim, è tenebris vocum, & opinionum; quarum plures, aut antiquatas, aut ferè contemptas, vel omittam penitùs, vel nonnisi leviter attingam.

CAP.

## CAP. I.

*Quid, & quotuplex sit Obiectum in communi, summatim præmittitur.*

1 OBiectum, prout nunc accipitur, si etymon spectes, illud est, quod ob oculos iacitur, vel sub aspectum ponitur: à visu enim, qui notior est nobis, origo nominis tracta videtur. Si verò rem significatam vniversim attendas, obiectum est, *Quod suis actibus attingit potentia intentionalis*, sive illa sit spiritualis, vt Intellectus, & Voluntas, sive materialis, vt quævis potentia sensitiva hominis, aut bruti. Sic Color obiectum est potentiæ visivæ, Sonus auditivæ, Veritas Intellectus, Bonitas Voluntatis. Sola potentia propriè respicit, aut attingit Obiectum, sicuti sola propriè intelligit, amat, videt, &c.: sub eius tamen auspicijs actus etiam, & habitus Obiectum habere dicuntur: actus, quia Obiectum respiciunt *vt quo*, sive vt actuales tendentiæ, quibus potentia respicit Obiectum: habitus, quia potentiam ad actus eliciendos adiuvant. Unde Obiectum eorum actuum, ad quos concurrunt habitus artium & scientiarum, habitus ipsi cognoscere, & considerare dicuntur, locutione quidem impropriâ, sed vsitatâ.

2 Obiectum sic adumbratum, aliud est *actuale*, sive *in actu secundo*, aliud *aptitudinale*, sive *in actu primo*. Actuale est, quod de facto attingitur: aptitudinale, quod est attactile, vel, vt aiunt, attingibile, ideſt, aptum vt attingatur. Sed nota, Obiectum constitui *actuale* ab actu attingente, velut à formâ: nam idem est, colorem esse *obiectum actuale*, ac esse *actu visum*, quæ denominatio visionem involvit vt formam. Unde visio fertur in obiectum specificativè sumptum, non reduplicativè *prout actuale*, ita vt actualitas ex parte rei visæ statuatur; neque enim visio fertur in se, vel semet simul cum colore videt. Illa tamen reduplicatio vera est, sitantùm significet, obiectum reddi actuale per visionem exercitè. Denominatio quoque obiecti *aptitudinalis*, vel *objicibilis*, erit purè intrinseca, si tantùm significet intrinsecam rei capacitatem, vt attingatur, actum possibilem connotando tanquam parum terminum: erit verò extrinseca, si actum possibilem reduplicet vt formam.

3 Obiectum præterea dividitur in *adæquatum*, & *inadæquatum*, vel, quod idem est, in *totale*, & *partiale*. Divisio hæc pro singulis etiam actibus deservire potest. Sed præcipuè adhibetur propter scientias, & potentias. Itaque obiectum adæquatum est, quod respicitur, aut respici potest per collectionem omnium actuum alicuius potentiæ, vel scientiæ: inadæquatum verò, quod per aliquem, aut aliquos actus tantummodò. Dices: divisio ista videtur impropria, & contra regulas dividendi, cum alterum membrum in altero includatur, vt pars in toto. Fateor: sed claritatis gratiâ frequenter vsurpatur. Vindicari forsan à vitio poterit ex Summul. disp. 3. cap. 6. n. 3.

4 Omnium verò celebratissima est divisio Obiecti in *formale*, & *materiale*. Quæ divisio cum subdivisionibus annexis tam variè ex-

explicatur ab Auctoribus cuiuſvis Scholæ, vt vix duos inter ſe per omnia conſentientes invenias. Summatim hic dabo, quæ ſelectiora videbuntur, tàm de re ipsâ, quàm de modo loquendi. Eſt igitur Obiectum formale, *Quod propter ſe attingitur*; materiale verò, *Quod attingitur propter aliud*, ſeu ratione alterius. Exemplum vulgare præbet ægrotus, dum ſciſſionem venæ propter ſanitatem amat: cuius amoris obiectum materiale eſt ſciſſio venæ, quæ non ratione ſui, nec propter bonitatem ſibimet intrinſecam amatur, ſed tantùm quia vtilis eſt ad ſanitatem obtinendam: ipſa verò ſanitas eſt obiectum formale, quia propter ſe, & ſibi propriam amabilitatem expetitur. Notum etiam exemplum præbet actus Fidei, quo pœnas Inferni credimus propter auctoritatem Dei revelantis: necnon actus Charitatis, quo proximum, etiam inimicum, diligimus propter Deum ſummè dilectum.

5 Sed dubium eſt, quid in definitione formalis Obiecti denotet Ly *propter*? Communis, & vera reſolutio eſt, idem ſignificare, ac *per ſe & ratione ſui*, vel clariùs, idem ac *ex propriis meritis*, & *ratione intrinſecæ ſuffitientiæ, & proportionis*, quam in ſe continet obiectum, vt ad talem actum invitet, quin ab alio obiecto meritum, aut proportionem emendicet. Dices: hoc eſt confundere obiectum formale cum fine, vel cum obiecto attributionis, cuius obiecti proprium eſt, vt propter ipſum cætera conſiderentur. Addes, quòd præmiſſis aſſentiamur propter concluſionem; quæ tamen non eſt obiectum formale præmiſſarum. *Reſp.* Particula *propter* non ſemper ſignificat finem, ſed generaliter quidquid redditur pro ratione actus; & in præſenti ſonat quidquid reddi poteſt pro ſufficienti ratione obiectivâ, cui directè innitatur actus, totaque ipſius ſecuritas, vel adhæſio; vel, vt paſſim dicitur, ratio ex parte obiecti deſumpta, quâ interreganti, cur talis actus attingat obiectum? directè ſatis fit per adverbium *quia*: vt cum dicis, *Fide firma credo pœnas Inferni, quia Deus impotens falli, & fallere, ſic revelavit.*

6 Quanvis ergo particula *propter* contracta ad actus Voluntatis denotet finem, eo quod reſpectu Voluntatis omne obiectum formale rationem finis habeat, vt communiter aſſeritur: at vt à Voluntate & Intellectu præſcindens, tantùm ſignificat rationem obiectivam modò explicatam. Sic, vt retorqueatur obiectio, non ſolùm dicimus, Intellectum aſſentiri præmiſſis propter concluſionem, ſed etiam, & frequentiùs, aſſentiri concluſioni propter præmiſſas. Ubi primum *propter* denotat finem; ſecundum verò, obiectum formale. Quod attinet obiectum attributionis (quod non reperitur in potentijs, ſed in ſcientijs), illud iuxtà plures non diſtinguitur ab obiecto formali ſcientiæ. Hæc tamen indiſtinctio non neceſſariò ſequitur ex definitione obiecti formalis prout ſuperiùs explicatâ.

7 Nam, cum dicitur, omnia in ſcientiâ conſiderari propter obiectum attributionis, *Tò propter* determinatè denotat ordinem ad finem, qui ordo in actibus Intellectus non eſt ordo ad obiectum formale, niſi forſan in ſenſu improprio, quo ſolet obiectum quodvis

appellari *finis*, ideſt, *terminus*. Vel certè, licèt omne obiectum formale dicatur finis, non omnis finis eſt obiectum formale omnium, quæ ad ipſum ordinantur. Sic enim aſſenſus principiorum ordinatur ad concluſiones, prima operatio Intellectus ad ſecundam, & ſecunda ad tertiam, vtique tamquam ad finem, quem pro obiecto minimè reſpiciunt. Imò & in Voluntate virtutes morales, præſertim infuſæ, ex ſe referuntur ad Deum vt finem, quin Deum reſpiciant pro obiecto formali. Cohæret ergo quod aliquid attingatur *propter ſe* tamquam obiectum formale, & tamen dicatur eodem actu attingi *propter aliud* tamquam finem vltimum, aut obiectum attributionis.

8 Obiectum formale ſubdividitur 1. in *motivum*, & *purè terminativum*. Motivum (quod etiam terminativum eſt, ſed non purè) eſt, quod dat eſſe actui, vel in genere cauſæ finalis, vt in potentijs appetitivis; vel in genere cauſæ efficientis, vt in potentijs cognoſcitivis, quibuſcum influit in actum vel per ſe, vel per ſpeciem ſui, iuxtà illud, *Ab Obiecto & potentia paritur notitia*; vel ſaltem per identitatem realem, vt in actibus Divinis, de quibus Theologi. Purè terminativum eſt, in quo actus invenit rationem ſufficientem, cui innitatur, quanvis inde nullatenùs accipiat eſſe. Tale cenſetur obiectum huius actus, *Quodlibet eſt vel non eſt*; aut tale ſaltem obiectum eſſet color, ſi abſque proprio influxu videretur, Deo ſupplente ſpeciem. Alij obiectum formale renuunt vocare *purè terminativum*, & hoc nominis reſervant obiecto materiali. Formale verò dividunt in *motivum phyſicè*, & *motivum intentionaliter*, quo poſteriori membro comprehendunt id, quod modò *purè terminativum* vocabamus. Huic modo loquendi ſuffragatur vſus, quo paſsim pro eodem accipimus obiectum formale, & motivum.

9 Subdividitur 2. in *intrinſecum*, & *extrinſecum*. Formale intrinſecum eſt, quod immediatè terminat actum: extrinſecum verò, quod non terminat actum, cui comparatur, ſed alium actum præcedentem, à quo ipſe oritur, vel determinatur. Sic obiectum præmiſſarum erit formale extrinſecum reſpectu concluſionis, ſi hæc non reflectat in illud.

10 Subdividitur 3. in formale *quod*, & formale *quo*, vel *ſub quo*. Partitio iſta, quæ variè à variis exponitur, potiſsimè accipitur per ordinem ad potentias, virtutes, & ſcientias totales. Quo ſenſu obiectum formale *quo* eſt *Formalitas*, vel *Ratio communis*, *vi cuius omne obiectum particulare redditur attingibile per actus alicuius potentiæ, vel ſcientiæ*. Id ipſum vocatur etiam Ratio formalis *ſub qua*; quia ſub eâ contineri debet aliquomodò quidquid potentia, vel ſcientia reſpicit; & quia ſub eius auſpicijs quaſi militat omnis actus potentiæ, vel ſcientiæ. Formale *quod*, aliàs Ratio formalis *quæ*, eſt *Obiectum expreſsè attactum ab actibus quod identicè participat, ſeu contrahit rationem formalem ſub qua*.

11 Exempla ſubjicio. Potentiæ intellectivæ formale obiectum *quo*, ſeu ratio formalis *ſub qua*, eſt Veritas tranſcendentalis; quia reddit attingibile, quidquid attingit Intellectus. Quodvis autem particulare Verum, Ens, aut Bonum,

num, identicè participans, aut contrahens rationem Veri, est obiectum formale *quod*, dum expresè attingitur ex proprijs meritis. Eadem ex causâ Bonitas, aut Bonum vt sic, est ratio formalis *sub qua* respectu Voluntatis: quidquid autem expresè appetitur propter se est Obiectum formale *quod*. Item Color in communi est ratio *sub qua* tendit potentia visiva, quia nihil visus attingit, quod non sit coloratum: obiectum autem formale *quod* est albedo, nigredo, & cæteræ colorum species. Similiter in scientijs totalibus discurrendum. Nam Philosophiæ moralis ratio *sub qua* est ratio Virtutis, aut actus honesti in communi: formale obiectum *quod* est Iustitia, Temperantia, & quælibet species Virtutis expresè attacta. Pariter respectu Logicæ ratio formalis *sub qua* est artificum Modi sciendi, vel actuum Intellectus vt sic, Definitio autem, Diuisio, Syllogismus, est ratio formalis *quæ*, vel obiectum formale *quod*.

12 His adiungi solet Ratio formalissima *sub qua*, quæ suprà Rationem formalem *sub qua* solùm addit expressum respectum ad potentiam, aut scientiam, vocaturque etiam Ratio *obiecti vt obiecti*, vel *in esse obiecti vt attingibilis*, aut *scibilis*, cum formalis *sub qua* vocetur Ratio *obiecti vt res est*, vel *in esse rei*. Sic Ratio formalissima *sub qua* dicitur Intelligibile respectu Intellectus, Amabile respectu Voluntatis, Visibile respectu Visus, Scibile, vel Dirigibile in tali vel tali genere respectu Scientiarum, & Artium. Huiusmodi Ratio, licèt implicitè imbibatur in omni obiecto formali, tamen explicitè nunquam attingitur à potentijs materialibus, vt quæ reflecti supra semetipsas nequeunt; nec semper à potentijs spiritualibus, vt notavit D. Thomas 1. p. q. 16. ar. 3. ad 3.

13 Sed aliqua oportet obseruare. 1.: in eodem obiecto reperiri potest multiplex ratio formalis, aut formalissima *sub qua*, vi cuius pertineat ea res ad diversas potentias, & scientias. V. g. idem actus Intellectus ad Logicam pertinet vt artificiosus, ad Animasticam vt vitalis; & est obiectum Intellectus sub ratione Veri, & Voluntatis sub ratione Boni. 2.: eadem formalitas potest esse ratio *sub qua* respectu vnius potentiæ, & ratio *quæ*, vel obiectum formale *quod*, respectu alterius. Sic color est ratio formalis *quæ* respectu Sensus communis, sivè interni. Sic, dum Veritatem expresè diligimus, aut cognoscimus Deum esse misericordem quia bonus est; & veritas est ratio formalis *quæ* respectu Voluntatis, & bonitas respectu Intellectus.

14 3.: iuxtà plures, præsertim Thomistas, sola Ratio formalis *sub qua* vocatur propriè Obiectum formale: Rationem verò formalem *quæ*, vel obiectum formale *quod*, prout à nobis explicatum est, vocant ipsi obiectum materiale *proprium*, & *per se*. Hic loquendi modus, quia valde communis, habendus est præ oculis. Sed tamen, quòd diuisio, & explicatio nostra præferenda sit, ex eo patet, quòd non sola ratio *sub qua* est obiectum formale actuum potentiæ: ergo nec potentiæ ipsius, quæ certè non respicit obiectum, seu formale, seu materiale, nisi mediis actibus. Constat Antecedens in actibus Voluntatis, v. g. spei, charitatis, iustitiæ, &c.,

&c., quos inter se distingui ex obiecto formali, quis dubitet? Idem constat in actibus Intellectus, qui passim inter se differunt ex obiecto formali. Item in actibus potentiæ visivæ terminatis ad albedinem, & nigredinem. Eadem ratio est in actibus scientiarum, v. g. quibus Logica respicit in specie Definitionem, Syllogismum, &c. Atqui actus vnius potentiæ, vel scientiæ, non inter se differunt ex ratione formali *sub qua*, cum omnes in eâ conveniant. Aliud ergo genus obiecti formalis admittendum est.

15 Ratio à priori: quia, dum homo v. g. propriam vitam diligit, non innititur solâ formalitate Boni transcendentalis, tamquam adæquato motivo, vel vnicâ ratione obiectivâ, alioqui diligeret pariter vitam neuris. Movetur ergo à ratione Boni prout contractâ ad talem speciem, ita vt ipsa talitas, vel differentia specifica munus etiam motivi, & obiecti formalis habeat. Et huiusmodi motivum specificum (quod certè nequit esse ratio formalis *sub qua*) vocamus obiectum formale *quod*. Dices: albedo non videretur, nisi esset color: ergo propter rationem coloris attingitur. Retorqueo: color non videretur, nisi esset contractus per aliquam differentiam: ergo color propter differentiam attingitur. Quare ratio coloris est necessariò requisita, imò vnica ratio visionis in genere: non tamen est adæquata ratio visionis in specie, nisi prout coniuncta cum differentiâ albedinis, quæ etiam attingitur propter se.

16 4.: Obiectum formale vocari solet *specificativum*, idest, extrinsecus index, aut regula, ex qua plerumque discernimus species actuum, habituum, & potentiarum inter se: aliter tamen, & aliter. Nam si actus vnius potentiæ, vel scientiæ totalis, comparentur cum actibus alterius, eorum *specificativum*, seu *distinctivum* sufficiens, est ratio formalis *sub qua* (quæ tamen ex parte obiecti complectitur omne obiectum formale specificum): si verò inter se comparentur, *specificativum* erit vnumquodque obiectum formale *quod*. Sic, vt bruta omnia specie differant ab homine, sufficit irrationalitas, tamquam *specificativum* intrinsecum: vt verò inter se discernantur, specificari debent ex differentijs rugibilis, hinnibilis, &c. Hinc etiam potentia, & habitus infusus, à ratione *sub qua* specificantur; quia non habent partes, quæ possint inter se comparari per ordinem ad multiplex obiectum formale *quod*, actibus ipsis correspondens. Quare solùm conferri possunt cum alijs potentijs, & habitibus, sub diversâ ratione formali tendentibus. At habitus constituentes vnam totalem Scientiam, specificantur eo modo, quo actus; nempè ab alterius scientiæ habitibus, per rationem *sub qua*; inter se verò, per obiectum formale *quod*. Recole dicta disp. 1. cap. 6. à n. 3.

17 5.: Obiectum formale, cum de Scientijs est termo, vocari solet *Subiectum scientiæ*, quia scientiæ considerationi subijcitur, estque id, de quo scientia disserit, & proprietates demonstrat. Quamquam stricte loquendo subiectum est, quod in conclusionibus scientiæ subijcitur; obiectum verò comprehendit insuper quidquid de tali subiecto prædicatur. Subiectum scientiæ, si comparetur ad habitus particu-

ticulares; vel ad singulas actuum species, coincidit cum obiecto formali *quod*; si verò ad scientiam totalem, recurrit cum ratione formali *sub qua*, seu cum ratione communi obiecti in esse rei, quæ ratio semper est generica, vt in Metaphysicâ ratio Entis, in Ethicâ morum honestas, in Logicâ rectitudo intelligendi. Quapropter ab Aristotele, & D. Thomâ obiectum formale totius scientiæ frequenter appellatur *Genus subiectum*. Porrò tam obiectum scientiæ, quàm subiectum, aliud vocatur *Attributionis*, alium *Attributum*. Obiectum, aut subiectum attributionis illud est, cuius cognitio principaliter intenditur tamquam finis totius scientiæ, quem ad finem referuntur quodammodò obiecta reliqua: & hoc vocari solet antonomasticè *subiectum* scientiæ, maximè cum additur *principale*, vel *primò intentum*. Sic se habet Deus in Theologiâ, & iuxtà plures Demonstratio in Logicâ. Obiectum, aut subiectum attributum dicitur omne aliud obiectum scientiæ, quod ad prædictum finem ordinatur. Sed de hac obiecti partitione inferiùs suo loco plura.

18 Iam Obiectum materiale subdividitur 1. in *intrinsecum*, & *extrinsecum*. Materiale *intrinsecum* (alij *proximum* vocant) est, quod in se ipso, licèt non propter se, terminat actum. Ita se habet inimicus, dum propter Deum diligitur. Materiale *extrinsecum* (apud alios *remotum*, *purè denominativum*, & obiectum *per accidens*) est, quod terminat actum, non in se, sed in aliquo realiter distincto, cui vnitur. Sic homò dicitur visus, quamvis non terminetur visio ad substantiam hominis, sed ad colorem ipsi vnitum. Subdividitur 2. in *immediatum*, & *mediatum*. Dicitur *Immediatum*, quod immediatè refertur ad obiectum formale; *mediatum* verò, quod ad formale refertur mediante alio materiali. Sic, dum appetis librum propter studium, & studium propter Cathedram, hæc est obiectum formale, studum materiale immediatum, liberi materiale mediatum. Alij materiale immediatum vocant formale respectu mediati.

19 Subdividitur 3. in *explicitum*, & *implicitum*. Materiale *explicitum* est, quod expresse attingitur; vt mysterium Fide creditum. Materiale *implicitum* est quævis formalitas realiter identificata cum obiecto, seu formali, seu materiali, quæ tamen sub propria expressione non attingitur. Sic, dum videtur albedo, ratio *qualitatis* videtur etiam, sed implicitè materialiter. Sic, dum Logica respicit actus Intellectus, vt artificiosos, materialiter implicitè respicit *vitalitatem*, aut *spiritualitatem*, quam secum identificant illi actus. Alijs tamen eiusmodi obiectum materiale implicitum displicet; nec immeritò.

20 Nam 1. sequitur, quod ratio formalissima *sub qua*, sit obiectum materiale, cum non attingatur explicitè, vt suprà notavimus cum D. Thomâ: imò & ratio formalis *sub qua* non semper attingitur sub propria expressione; neque enim Intellectus, quoties intelligit, elicere debet hanc expressionem *Verum*, aut *Ens*. 2. Intellectus passim dicitur attingere, non *materialiter*, sed *formaliter implicitè*, omnia prædicata superiora, quæ pertinent ad definitionem obiecti expressè attacti. V. g., dum cognoscis hominem, attingis formalitèr implicitè *Vivens*, *Corpus*, *Substantiam*, *Ens*; quin tamen sub

proprijs expreſsionibus attingas. Solùm itaque dici poſſunt, & paſsim dicuntur *materialiter* attingi formalitates illæ, quæ cum aliàs identificentur cum obiecto, nec expreſsè attinguntur, nec pertinent ad formalem conceptum obiecti vt expreſsè attacti. Sic, dum intuitu misericordiæ Deum diligis, attributa iuſtitiæ, immenſitatis &c., non niſi materialiter attingi dicuntur. Hoc intellige de actibus potentiæ ſpiritualis. Si tamen de potentia materiali, v.g. viſivâ, ſit ſermo, dici poterunt *materialiter* attacta etiam prædicata ſuperiora, quæ pertinent ad conceptum formalem coloris: nam, cum talis potentia expreſsionem definitivam nec eliciat, nec reſolvere curet in ea prædicata, ſit, vt illa ſe habeant quaſi *de materiali*, reſpectu potentiæ. Cæterùm non eſt neceſſe materialia obiecta vocari.

21 Quæres, vtrùm dari poſſit obiectum formale ſine materiali explicito? *Reſp.*, poſſe; v.g. cum Intellectus ſolam cognoſcit rationem *Veri* vt ſic, aut Voluntas ſolam amat rationem *Boni* in communi. Dices: Obiecta *formale*, & *materiale* dicuntur per analogiam cum formâ, & materiâ phyſicis; ſed omnis forma dicit ordinem ad materiam: ergo omne obiectum formale dicit ordinem ad materiale. *Reſp.*: analogia iſta præcipuè ſita eſt in munere ſpecificandi. Nam ſicut forma intrinſecè ſpecificat compoſitum, & indifferentiam materiæ determinat; ita formale obiectum extrinſecè ſpecificat actus, & potentias modo dicto, determinatque materialis obiecti indifferentiam. At ſecundùm ordinem ad materiale non ſemper imitatur formale formam phyſicam.

22 Sunt qui velint, obiectum materiale ſemper diſtingui realiter à formali; nam quod cum formali identificatur, vocant obiectum formale *quod*. Unde, ſi diligas Deum quia miſericors eſt, Deus non erit obiectum materiale, cum ſecum identificet miſericordiam, quæ eſt motivum formale. Alij ſatis communiter non ita loquuntur. Quidquid ſit, inſtituto præſenti ſufficit, ſi vocetur obiectum formale *quod*, non quidquid identificatur vtcumque cum formali, ſed quod rationem formalem *ſub qua*, contrahit ad ſe, tamquam ratio ſpecifica genericam, vel tamquam ratio inferior ſuperiorem; quo modo Syllogiſmus v. g. contrahit Modum ſciendi vt ſic. Sed hìc notandum, non ſolum obiectum materiale appellari *materiam propriam*, & *circa quam*: nam etiam formale obiectum vocatur paſsim eo nomine. Si ergo *materia circa quam*, attingatur ratione ſui, erit obiectum formale; materiale verò, ſi ratione alterius, aut propter aliud.

23 Notandum inſuper, Thomiſtas ferè convenire nobiſcum in explicatione obiectorum formalis, & materialis: quamquam hoſce terminos, *ratio formalis quæ*, *ratio formalis ſub qua*, *Obiectum formale quo*, & *quod*, aliter plures accipiunt, præſertim cum agitur de vnitate, diſtinctione, & ſpecificatione ſcientiarum. Sed in decurſu diſcrepantiam iſtam pro opportunitate notabimus. Nunc ad obiectum Logicæ veſtigandum accedamus. Et quoniam in Logicis artefactis interveniunt ſolent voces, res ſignificatæ, ſecundæ intentiones obiectivæ, & iuxtà plures entia rationis ficta, & potiſsimùm actus intellectus; hæc omnia in examen ordine vocabimus.

CAP. II

## CAP. II.

*Utrùm voces sint obiectum directè, & per se consideratum à Logica?*

1 VOces esse obiectum Logicæ adæquatum, veteres aliqui censuerunt. Verùm hæc sententia contempta nunc, & obsoleta iacet: imò iam olim irrisam testatur vetus ille versiculus, in Rucelinum quemdam eius sententiæ patronum decantatus, *Quæ Ruceline doces, non vult Dialectica voces.* Dubium tamen est, an voces sint obiectum Logicæ saltem partiale, ita vt hoc sensu dici debeant *obiectum formale quod*, vel *materiale proprium*, & à Logicâ *directè*, & *per se consideratum*? Hos terminos promiscuè vsurpant Auctores in præsenti dubio. Nam qui partem negativam tenent, non modò negant vocibus munus obiecti formalis, sed etiam materialis proprij, per se, & directè attacti; solumque munus obiecti per accidens, sive indirectè, & reductivè pertinentis ad Logicam, attribuunt. Qui verò affirmativam tuentur, plerumque putant, à vocibus participari propriè rationem communem artificij Logici, ferè ficut ab actibus intellectus: vnde voces alij vocant obiectum formale *quod*; alij obiectum materiale *proprium*, & *per se*, quia nomine obiecti formalis solam rationem communem intelligunt. Excipio Thomistas; qui, licèt voces appellent obiectum materiale propriè, & per se pertinens ad Logicam, nolunt tamen esse obiectum *denominabile*, ideſt, in se recipiens rationem formalem artificij Logici, sed duntaxat obiectum *purè dirigibile* ad significandum Modum sciendi obiectivum. Hæc præ oculis habenda sunt, ne terminorum varietas in Auctoribus obscuritatem pariat.

2 Præterea notandum, voces humanas modò non accipi sono tenùs; sic enim ad Animasticam pertinent: vnde M. Augustinus de Princip. Dial. cap. 5., *Verbum*, inquit, *sonat, sed quod sonat, nihil ad Dialecticam*: nec item secundùm significationem qualicumque artificio præditam; nam textura vocum, vt est oratio congrua, nullâ strubiligine peccans, ad Grammaticam spectat; vt tropis, & figuris ornata, ad Rhetoricam; vt metro adstricta, ad Poesim. Accipiuntur igitur voces quatenùs dispositæ secundùm artificium Definitionis, Argumentationis &c., iuxtà regulas, & præcepta Summularum.

3 Quo sensu voces esse obiectum Logicæ proprium, directè, & per se consideratum, affirmant cũ alijs Spinula, Echalaz, Caramuel, plures etiá ex nostris cũ Fonseca, & Lynceo, qui veteres non paucos allegat. Accedunt Thomistæ, præsertim Recentiores, vt Aguirre, Palanco, Baiona. Sententia verò negativa multò communior est in Scholâ nostrâ cum Eximio Doctore disp. 1. Metaph. sect. 4. n. 27.: & videtur etiam communis inter Scotistas. Hæc mihi probabilior est, &——

4 *Prob.* 1.: ideò voces essent obiectum Logicæ proprium, quia in vocibus reperitur verè, & propriè Logicum artificium; sed hæc ratio est falsa: ergo &c. Maior continet fundamentum, quo nituntur plerique adversariorum. *Prob. Min.*: in vocibus non reperitur verè, & propriè artificium Modi sciendi: ergo non reperitur artificium propriè

Logicum. Consequentia patet : quia totum artificium Logicum in Modo sciendi, vel in eius partibus situm est. *Prob. Antec.* 1. generaliter : quia nulla oratio vocalis vi propria manifestat ignotum sine alius ope manifestationis, detegendo menti rei essentiam, partes, aut proprietates; sed in hac manifestatione consistit artificium Modi sciendi : ergo &c. *Minor* in primis conspicua videtur: nam cum Modus sciendi definitur *Oratio ignoti manifestativa*, omnes intelligunt manifestationem, quâ positâ obiectum necessariò desinat esse ignotum, seu fiat de ignoto notum: si enim in sensu compositio manifestationis res adhuc manet incognita, quis dicat existere Modum sciendi verè Logicum? Huius ergo quidditas exigit manifestationem, quæ sine alius manifestationis auxilio persemet detegat intellectui rerum essentiam, partes, aut passiones. Sanè manifestatio propria Modi sciendi debet esse forma auferens denominationem *ignoti*, cui contraponitur in definitione prædictâ : talis autem forma non est, nisi notitia, sive cognitio, quæ perseipsam tribuit denominationem *noti*.

5 Deinde *prob. Mai.* ex Magn. Augustino ( a ) sic aiente : *Verbis vt plurimum tribuam, admonent tantùm, vt quæramus res, non exhibent, vt noverimus* : ergo verbalis oratio vi propriâ, seu per se non detegit intellectui rerum essentiam &c.; quod enim per se talia detegit, proculdubiò *exhibet, vt noverimus*. Urgetur: Oratio purè vocalis, in primis non manifestat ignotû loquenti; hic enim iam prænoscit quod loquitur: aliunde nec manifestat audienti, nisi hic verba percipiat conceptibus vltimatis, quibus solis redditur noscens quod sibi erat ignotum : ergo talis oratio, sine auxilio, & interventu conceptus vltimati, non reddit obiectum audienti notum : ergo per se, & in se non habet vim propriam Modi sciendi, sed ea vis tota residet in adiuncto conceptu. Et alioqui, si definitio vocalis proferretur nullo auditore percipiente, existeret Modus sciendi verè talis, vi cuius nemo sciret, aut cognosceret, nullaque essentia defineret esse ignota : quod ex terminis apparet absurdum.

6 Ratio à priori : quia voces ( vt & quodlibet signum ad placitum ) non aliter manifestant intima rerum, quàm excitando mentem audientis vt quærat obiectorum species, vel præhabitis vtatur, eliciendo cognitiones, quibus rerum intima noscat: neque enim, positis vocibus, & earum significatione præcisè, dicitur mens noscere, vel scire, quid, & quotuplex sit res, quasvè proprietates habeat, nisi rem ipsam directè consideret, & per species aliunde habitas penetret. Hoc autem est intellectum excitari, vel admoneri verbis, vt sibi per proprios actus manifestet essentiam, aut proprietates rei, vt aiebat Augustinus; non tamen est obiecta menti detegi vi verborum propriâ, sed alienâ potiùs. Quemadmodum, qui milites excitat, vel admonet de adventu hostium, vt pugnent, non ideò vi propriâ, vel per semetipsum pugnat, aut vincit. Hinc nulla vocalis oratio est Modus sciendi, nisi impropriè, vel remotè, occasionaliter, aut præsuppositivè, & instar picturæ cuiusdam, sicuti non aliter est modus cognoscendi, aut intelligendi. Solùm ergo est propriè modus loquendi, modus admonendi, modus excitandi ad cognoscendum, & sciendum.

( a ) *L. de Magistr. cap.* 11.

*Prob.*

7 *Prob. 2.* idem *Antec.* spectatim : in vocibus non proprie reperitur artificium Demonstrationis, aut Syllogismi : ergo nec vllius Modi sciendi. Consequentia constat paritate rationis. Antecedens verò expresè traditur ab Inventore artificij istius Aristotele (b) per hæc verba : *Demonstratio, non in oratione, quæ est extrà, sed in oratione, quæ est in mente, consistit, quandoquidem neque Ratiocinatio in illa consistere videtur.* Nihil expressius. Subdit verò Philosophus : *Cum enim semper adversùs orationem, quæ extrà est, per inficiationem obstetur, adversùs eam, quæ est in mente, non semper.* Quibus in verbis continetur hæc ratio : Demonstratio verè talis debet ita convincere Intellectum, vt hic adversùs illam non possit per inficiationem obstare, idest, elicere actum negantem, aut contradicentem : id quod oritur, tum ex certitudine, & evidentiâ præmissarum, tum ex vi illativâ conclusionis : imò quilibet bonus Syllogismus, etiam probabilis, positis præmissis necessitat ad conclusionem, saltem quoad speciem, ita vt Intellectus non possit conclusionem oppositam elicere. Atqui nullus est Syllogismus vocalis, cuius præmissis, & conclusioni non possit per inficiationem obstari in eâdem lineâ, tum ab audiente, tum à loquente, videlicèt statim eliciendo vocalem orationem oppositam, vt experienti liquidum erit : ergo &c.

8 Universâliùs *prob.* sententia nostra 2. ex Doct. Eximio loc. cit., vbi sic loquitur : *Dialectica directè & ex instituto circa hæc* (voces, & scripta) *non versatur, vt circà proprium obiectum & materiam suam, sed ex consequenti, & quasi ex quadam concomitantia hoc præstat. Cum enim voces à conceptibus oriantur, dum Dialectica conceptus dirigit & ordinat, consequenter docet, quibus verbis, seu qua verborum forma exprimendi sint.* Verbis hisce subest probatio huiusmodi : Logica directè & ex instituto non dirigit voces : ergo voces non sunt materia ex instituto dirigibilis à Logicâ, proindeque nec propriù eius obiectum. *Prob. Antec.* : Logica directè & ex instituto dirigit conceptus, tamquam materiam principaliter dirigibilem, vt omnes Adversarij concedunt : ergo voces directè & ex instituto non dirigit. *Prob. conseq.* : positis Logicæ regulis circà conceptus, ex consequenti, vel ex quâdam concomitantiâ manent voces sufficienter directæ, & regulatæ quantum vltrà Grammaticam opus est : nam totum artificium vocale est ad normam intellectualis : vnde qui talem normam ex Logicâ didicit formare, & re ipsâ format, eo ipso, quin Logicam denuò consulat, facillimè formabit consequenter artificium vocale, si voces conceptibus exprimendis aptas, & earum syntaxim Grammatica in promptu suggerat, prout debet. Ideò, vt passim dicimus, qui rectè concipit, & vitiosè loquitur, vel Grammaticam nescit, vel in prudentiam peccat vltrò volens. Si ergo Logica ex instituto dirigit conceptus, novas insuper regulas ex instituto non tradit circà voces, atque adeò nec eas ex instituto dirigit. Consequentia patet ; quia nulla ars tradit ex instituto regulas pro materiâ, quæ iam præsupponitur ex regulis aliò tendentibus regulari quantum indiget, eiusque difficultas artificij postulat.

9 *Confirm.* 1 : Logica non regulat ex instituto scripturam, sive artificium Syllogismi scripti v.g., vt

(b) 1. *Poster. cap.* 8. *ante medium.*

fatentur plerique Adversariorum; quia scilicet regulato artificio vocali, & suppositâ scribendi peritiâ, nemo iam potest in artificio scripto errare nisi volens; sed regulato artificio mentali, & suppositâ peritiâ Grammatices, nemo iam potest in artificio vocum errare nisi volens: ergo &c. Id ipsum patet in Grammaticâ, & Rhetoricâ, quæ formaliter, seu directè non agunt de congruitate, & ornatu scripturæ, non aliâ ex causâ, nisi quia directè regulant congruitatem, & ornatum vocum, quibus positis, nulla iam superest difficultas in scriptura, nisi quæ vincitur per artem scribendi. *Confirm.* 2.: Architectura non respicit per se, directè, seu formaliter exemplar ædificij ichnographicè designatum in chartâ, nec item Astronomia sphæram ligneam, nec Medicina corpus anatomicum, nec Musica tonorum notas; quamvis hæc omnia sic ad artes comparentur suas, vt voces ad Logicam, videlicet tamquam signa obiecti directè considerati, cuius instar exprimuntur, aut cuius imitationem præferunt. Pariter ergo nec Logica directè & per se respicit voces. Exempla Antecedentis aliqui ex Adversarijs paritate convicti negant.

10 Sed vrgeri possunt 1.: quia earum facultatum ratio formalis, vel artificium per se intentum, non participatur propriè ab illis obiectis: neque enim in sphærâ ligneâ reperiuntur vera Astra, situsque, & motus eorumdem; nec in tonorum notis vera ratio numeri sonori; & sic de cæteris. 2.: Quia alioquin eâdem ratione sequeretur, quòd omnes omninò artes, etiam frænofactoria, sutoria, sartoria, suorum operum artificium picturâ expressum respicerent formaliter, sive directè, & per se; quod est inauditum. Probatur sequela: nam pictura fræni, vel calcei, signum est etiam & expressio veri fræni, vel calcei, non minùs quam sphæra lignea respectu Cœlestis: potest etiam ob oculos posita iuvare tyrones earum artium, vt melius intelligant, & addiscant quidquid ipsis circà verum artificium præcipitur. At non alia est ratio, cur sphæra lignea per se consideretur ab Astronomia, vel corpus anatomicum à Medicina. Et hinc roboratur efficaciter sententia nostra: nam qui Pictoriam artem benè novit, si aliunde verum frænum præ oculis habeat, vel eius conficiendi regulas norit, non aliâ directione indiget, vt frænum depingat: ergo pariter, qui Grammaticam benè novit, si mentalem definitionem attendat, vel regulas eius ex Logicâ norit, non aliâ egebit directione, vt vocalem definitionem efficiat.

11 Denique sententia nostra *prob.*: secluſis vocibus, & habitis regulis præcisè terminatis ad conceptus, Logica obtineret perfectè finem, ad quem est instituta: ergo Logica ex instituto non agit de vocibus. *Prob. Antec.*: Logica omnium confessione instituta est ad alias scientias acquirendas per actus artificiosè compositos; sed ad finem istum obtinendum perfectè esset instructus, qui Logicæ regulas præcisè terminatas ad conceptus benè nosset, v. g. qui illas haberet cœlitus infusas: ergo &c. *Prob. Min.*: nam scientiæ perfectè acquiruntur per actus intellectus: ergo, qui regulas istorum actuum benè nosset, plenè instructus esset ad scientias perfectè adquirendas.

Ex

12 Ex dictis inferes 1., voces à Logicâ regulari, non immediatè in se ipsis, sed mediatè, & in conceptibus præsuppositis, quatenùs ex attentione ad regulas conceptuum, vel ad conceptus ipsos iuxtà regulas factos, facillimè potest ope Grammaticæ construi vocalis definitio, syllogismus &c.: & hoc est regulari voces *indirectè*, *ex consequenti*, *& quasi ex quadam concomitantia*, vt aiebat Eximius. Inferes 2., regulas Summularum, quatenùs directè, vel expressè terminantur ad voces, pertinere partim ad Grammaticam, partim ad Logicam: ad Grammaticam, vt causam per se ad Logicam, vt causam indirectam, aut conditionem, sine qua non. Patet: quia ad Grammaticum per se pertinet perfectè imitari conceptus, & eorum texturam, per voces & syntaxim; vt tamen imitetur conceptuum texturam Logicam præ alijs, pro conditione poscit, vel præhabere in mente conceptus iam Logicè formatos, ad quos attendat, vel prænosse regulas circà conceptus ipsos: quâ conditione positâ, Grammaticus ipse proprio Marte colligit regulas circà voces ad normam Logicam disponendas. Vnde Grammatica in hisce regulis est veluti discipula Logicæ, ex quâ, licet aliò intentâ, discit, quam verborum formam servare debeat.

13 Olim Apelles, pictorum princeps, opera sua proponebat in pergulâ transeuntibus, & ipse latens post tabulam, vitia quæ notarentur, auscultabat. Ferunt autem à sutore transeunte reprehensum, quod nescio quid in crepidis cuiusdam imaginis omisisset. Confestim Apelles crepidam emendavit ad palatum sutoris: sed cum hic emendatione superbus, postero die cavillaretur etiam circà crus, indignatus Apelles prosiliit è latebrâ dicens, *Ne sutor vltrà crepidam*; quod deinceps in proverbiũ abiit. In hac historiolâ vides, vt Apelles in pingendis crepidis se quodammodò sutoris discipulum agnoscat, licet in alijs eius monita respuat; quia scilicet ars Pictoria nequit sibi parare regulas pro crepidis exprimendis, nisi ex attentione ad regulas artis Sutoriæ, vel ad eius artificium: vnde dici potest, picturam crepidæ, & eius regulas determinatas, & expressas, reductivè pertinere ad Sutoriam, tamquam ad causam indirectam. Sic ergo in re nostrâ discurrendum.

14 Inferes 3., prædictas Summularum regulas circà voces non institui ex exigentiâ Logicæ, sed ex indigentiâ, vel commoditate Logici. Nam Logica non indiget regulis artificij vocalis, vt finem suum perfectè obtineat, ex n. 10.: nec aliunde, vt acquiratur ipsa; cum possit adquiri simpliciter inventione propriâ (vt ab Aristotele acquisita est magnâ ex parte), vel etiam per regulas voce Magistri expressas, quæ, non de vocibus, sed de solis conceptibus loquantur. Præterquam quod media, quæ tantùm ex imbecillitate mentis humanæ requiruntur ad acquirendam scientiam, non ideò præcisè debent esse eiusdem scientiæ proprium obiectum; alioquin frequentatio Scholæ, vel etiam lectio librorum, foret proprium obiectum Theologiæ v. g. Solum ergo prædictæ regulæ institutæ sunt ex indigentiâ, seu commoditate Logicorum, idest, tyronum Logicæ studentium, qui multo commodiùs, faciliùsque percipiunt regulas verè Logicas artificij mentalis, si prius exerceantur in artificio vocali, & eius regulas addiscant.

Hæc autem tyronum tarditas, vel commoditas, per accidens est respectu Logicæ: quare voces appellari solent ab Authoribus nostræ sententiæ *Obiectum Logicæ per accidens*: certè vocari debent obiectum, non *formale*, non *directè & per se consideratum*, sed *indirectè, reductivè*, & *ex consequenti regulatum*.

*Solvuntur Obiectiones.*

15 *Obje.* 1.: id, de quo Logica ex professo tractat, est eius obiectum formale, vel proprium; sed Logica tractat directè & ex professo de vocibus: ergo &c. *Prob. Min.*: Libri Perihermeniàs, qui verè sunt Logici, directè de vocibus agunt, earumque proprietates demonstrant. Probatur: nam in Libris hisce differitur ex professo de Nomine, Verbo, & Oratione, quorum definitiones expresè de vocibus loquuntur, & quidem tanquam de obiecto propriè Logico; nam vt ibi monet Aristoteles (c), oratio vocalis enuntiativa *præsentis est propria contemplationis*, cum optativa, interrogativa, & aliæ *ad Rhetoricam, vel Poesim spectent*. Accedit 1. inscriptio ipsa *Perihermeniàs*, quæ idem sonat, ac *de interpretatione vocali*. Accedit 2., quòd multiplex Terminorum divisio, suppositio, ampliatio, restrictio &c., vel vnicè, vel maximè cóveniũt vocibus. Accedit 3. quòd iuxtà D. Thomam (d), *Significatio vocum, quæ est immediata ipsis conceptionibus Intellectus, pertinet ad principalem considerationem Logicæ*. Accedit 4. quòd tractatus de Prædicabilibus inscribitur apud veteres *de quinque vocibus*.

16 *Resp. neg. Min.* Ad *prob.* Libri Periherm. agunt de vocibus, non tanquam de obiecto propriè Logico, sed tanquam de signo, quo melius intelligantur regulæ circà conceptus. Unde in adiunctâ probatione fateor, in ijs Libris expresè differi de vocibus: sed nego, Libros Periherm., quatenùs talia tractant, esse Logicos, nisi indirectè, & reductivè: nego item, scriptos esse à Philosopho tanquam de proprio Logicæ obiecto: quia enim obiectum Logicæ, vtpotè in mente latens, videbat Aristoteles haud facilè perceptum iri tyronibus in semetipso, nisi priùs spectaretur in signo exteriori, & sensibili; idcircò discentium commodo consulens, Libros Periherm., eorumque regulas scripsit expresè terminatas ad artificium vocale, tanquam ad signum, & exemplar externum intellectualis. Non aliter ac Astronomus eclypsim Solis, eiusque incrementum, & decrementum, rudibus ostendit in aquâ pelvis, vbi facilius, quàm in Sole ipso, sustinet obtutum. Huc faciunt exempla n. 9. & 10., quibus inflatur obiectio: facit item doctrina secundæ, & tertiæ illationis n. 12. 13. & 14.

17 Hinc Logica bifariam potest accipi. 1., quatenùs *respicit proprium suum obiectum*; atque ita solum continet regulas pro conceptibus, quorum artificium per se, & ex propriâ exigentiâ considerat. 2., quatenùs ab Aristotele, & deinde ab alijs Dialecticis, *methodicè disposita, vt tyronum commodo aspiciatur*; atque ita plures etiam regulas continet circà voces; quæ tamen regulæ sunt veluti per accidens respectu Logicæ ex num. 14.; à Logica oriuntur vt à causâ indirectâ ex num. 12.; & magis pertinent ad Grammaticam, ex quâ ob finem prædictum eas introduxit in Logicam Aristoteles; ficut introduxit plurima exempla Mathematica,

(c) 1. *Perih. cap.* 4. (d) *in* 1. *Perih. Lect.* 2.

&

& sicut passim in Metaphysicam, & Theologiam ascisciuntur multæ regulæ, principiaque Logicès. Huic affinis est acceptio tertia, quâ scilicet Logica sumitur *prout applicata ad vsum externe disputandi*; quæ applicatio non est ex instituto artis, sed ex voluntate artificis, qui ex regulis conceptuum consequenter colligit, quâ sibi formâ sit disputandum vocibus: quemadmodùm si quis Militarem artem applicet ad Torneamenta, & Hastiludia, vel Architecturam ad domos papyraceas.

18 Si ergo accipiatur Logica secundo modo, verum est, quòd ad Logicam *propriè* pertinent Libri Periherm., etiam quatenùs continent definitiones Nominis, Verbi, & Orationis vocalis, & quòd enuntiativa *præsentis est propria contemplationis*, necnon quòd *significatio vocum pertinet ad principalem considerationem Logicæ*. Cæterùm, si Logica accipiatur primo modo, sicut accipitur in quæstione præsenti, nihil horum pertinet ad Logicam *propriè*, sed tantùm *indirectè*, & *reductivè*. Unde solutas habes argumenti Accessiones: nam vltima, vel eodem sensu explicanda est, vel per metonymiam intelligenda de *quinque vocibus* secundùm obiectum ipsis correspondens, videlicèt *Genus, Speciem, Differentiam* &c. Sic *figurativè dicitur verbum id, quod verbo significatur*, vt notavit D. Thomàs 1. part. q. 34. art. 1. C.

19 *Replic.*: Logica dicitur à Græco *Logos*, latinè *Sermo*: eadem à Platone vocatur *Garrula*, & à priscis, & modernis passim *Ars disputandi*; nemo autem disputat, nisi vocibus. Unde D. Augustinus verbis num. 2. citatis addit: *Et tamen, cum de vocibus disputatur, præter Dialecticam non est; hæc enim scientia disputandi est. Confirm.*: Terminus verè Logicus dividitur in mentalem, vocalem, & scriptum; similiterque alia artefacta Logica dividuntur. *Resp.* Logicæ nomen dedit Græca vox *Logos*, prout idem valet, ac *Ratio*; vt testatur D. Isidorus (e) & alij communiter: vnde Logica dicitur *Philosophia rationalis*: item *Logos*, & *Sermo* in Sacrâ Paginâ dicuntur de Verbo Divino, vtique intellectuali, (f): vt etiam nomen *Verbum* magis propriè dicitur de conceptibus, quam de vocibus, iuxtà D. Thomam (g). Adde quòd etymologia non semper consonat significatui nominis: nam, vt idem Angelic. Doctor advertit (h), *Aliud est etymologia nominis, & aliud est significatio nominis. Etymologia attenditur secundù id, à quo imponitur nomen ad significàdù: nominis verò significatio secundù id ad quod significandum nomen imponitur: quæ quandoque diversa sunt.* Id quod statim confirmat exemplis.

20 Quod Logicam Plato dixerit *Garrulam*, nihil probat: nam idem ipse Logicam divisit in Dialecticam, & Rhetoricam (i): imò & Aristoteles (k) Rhetoricam dixit esse *quasi propaginem Dialecticæ*. Num idcirco Rhetorica vera Dialecticæ pars erit? Quoties ergo ista dicuntur, accipitur Logica, non prout intenta in proprium obiectum, sed prout applicata ad vsum externè disputandi, secundùm acceptionem tertiam num. 17. Hoc sensu Logica dicitur *Ars disputandi*, & non solùm disputare de vocibus (quod vnum ait D. Augustinus), sed

(e) *Etym. l. 2. c. 24.* (f) *Ioa. c. 1. vid. Maldon. ibi. Ità Heb. 4. v. 12. vid. Corael. ibi.* (g) *1. p. q. 34. ar. 1.* (h) *2. 2. q. 92. ar. 1. ad 2.* (i) *apud D. Isid. loc. cit.* (k) *1. Rhetor. ad Theod. c. 2.*

sed etiam disputare vocibus, præter Dialecticam non est. Hæc tamen Ars, prout sic ad disputandum applicata, non est Logica propriè & directè, sed indirecta quædam Logicæ propago, quæ solùm à Rhetoricâ differt, sicut in manu hominis pugnus astrictus differt à palmâ distensâ, vt olim aiebant Zeno Stoicus, & Varro. Cæterùm, si de Logicâ propriè dictâ loquamur, valet illud Aristotelis vulgò notum, *Logicus est ad se, Rhetoricus verò ad alios.* Mitto quòd *disputatio* salvatur etiam in conceptibus Intellectus, sicuti *ratiocinatio*: vt enim inquit S. Isidorus. L. 1. Different. num. 490., *Ratiocinatio est rationabilis, subtilisque disputatio, atque à certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio.* Iam *ad Confirm.*: divisio illa termini non est vnivoca, sed impropria & analoga, sicut sphæræ Astriferæ divisio in Cœlestem, & Ligneam.

21 *Obijc.* 2.: in vocibus verè & propriè reperitur artificium Logicum: ergo & ratio obiecti verè Logici. *Prob. Antec.* ex. gr. in artificio Definitionis: hoc vocale complexum, *Animal rationale*, est verè, & propriè *Oratio explicans essentiam rei*: ergo verè continet Definitionis artificium. *Prob. Antec.*: Nam illud complexum in primis verè est *Oratio*, cum hæc definiatur ab Aristotele per vocem significativam ad placitum, vel generaliùs per signum: deinde verè *explicat* essentiam rei; quia signum instrumentale verè explicat, seu manifestat suum obiectum, alioquin non foret verè signum. *Confirm.* 1.: Logica directè respicit artificium definitionis mentalis, non quia est actus Intellectus (hæc enim ratio pertinet ad Animasticam), sed præcisè quia est artificium regulis definiendi conforme; sed hæc ratio militat etiam in artificio definitionis vocalis: ergò &c. *Confirm.* 2. Ars statuaria directè respicit suum artificium in quacumque materia inveniatur, sive in marmore, sive in iaspide &c.: ergo & ars Logica suum directè respiciet, sive in voce, sive in conceptu reperiatur. *Confirm.* 3. Logica non solùm docet scire, sed etiam *docet docere*, & *docet discere*, iuxtà M. Augustinus (1); sed per artefacta vocalia docemus, & discimus, licet per sola mentalia sciamus: ergo &c.

22 *Resp. neg.* 1. *Antec.* & *dist. secundum*: est oratio explicans &c., Grammaticè, *conc.*; Logicè, *neg. Antec.* & *Conseq.* Ad *prob.*: definitio Orationis, vt iacet in Summulis, non est propria Logicæ, sed Grammaticæ, prout hæc inserta est Logicæ tyronum gratiâ, vel prout à Logicâ indirectè regulatur, vt constat ex dictis. Neque item purè Logica est ea definitio, dum traditur per signum præcisum à formali & instrumentali. Debet ergo, vt sensum purè Logicum reddat, supponere signum pro interno & formali, quod est proprium Modi sciendi. Præterea vocalis oratio, *Animal rationale*, explicat essentiam rei admonendo vt quæramus, non præstando vt noverimus, prout opus est ad Modum sciendi, proindeque ad definitionem verè Logicam. Vid. suprà num. 5. Unde, quidquid sit, an signum ad placitum verè & propriè *explicet*, seu *manifestet*, vel an possit abstrahi ratio vnivoca *signi* à formali, & instrumentali; tenendum est, nullum genus explicationis, aut manifestationis, pertinere ad Modum sciendi, nisi in sensu compositio illius

(1) *L.* 2. *de Ordin. cap.* 13.

lius obiectum necessario definat esse ignotum; quod certè non præstat signum ad placitum.

23 Ad 1. *Confirm.* Logica respicit artificium prout in conceptibus, non sub ratione vitalitatis, sicut Animastica, sed sub ratione signi formalis ordinatè manifestantis ignotum; quæ ratio non reperitur in definitione vocali. *Ad* 2. Artificium statuariæ verè & propriè salvatur in quovis genere lapidum: at artificium Logicum, translatum ad voces, non formaliter manifestat ignotum, prout Logica intendit; adeoque deficit à proprietate Logici artificij. *Ad* 3. docere, & discere (quatenùs hæc vocibus fiunt) docet Logica indirectè tantùm, quia, dum regulas ad conceptus dirigit, facilè inde colligunt Logici, quâ methodo & formâ verborum vti debent in Disciplinis tradendis, atque discendis.

24 *Obije.* 3.: Voces vt dirigibiles in artificium Definitionis, aut Syllogismi, ad aliquam artem spectare debent vt obiectum proprium; sicut spectant ad Rhetoricam, & Poeticam, quatenùs dirigibiles in artificium orationis ornatæ, & metricæ. At sub eâ ratione non spectant ad Grammaticam, vt obiectum proprium: ergo ad Logicam. Consequentia recta est, cum non alia supersit ars, cuius ea dirigibilitas intersit. *Prob. Min.* 1.: quia in Grammaticâ nullus tractatus est, nulla regula de artificio Definitionis, aut Syllogismi, sicut nec de Genere, Differentiâ, Subiecto, Prædicato, Medio, & Extremis maiori & minori, prout hæc in vocibus considerantur à Summulistis. 2.: quia si rogetur Grammaticus, an hæc oratio, *Animal rationale*, sit hominis definitio? an constet genere & differentiâ? dicet, ad se ista non spectare: eum tamen Dialecticus statim, quasi proprio ex munere, responderet. 3.: quimentalem definitionem hominis exprimeret his vocibus, *Animal rationalis*, poneret artificium definitionis vocalis; & tamen non poneret artificium Grammaticum: ergo alterum artificium ab altero differt. Quod etiam è converso patet: nam, qui sic hominem definiret, *Quoddam vivens, cuius est proprium sentire, & discurrere*, peccaret in Logicam, & non in Grammaticam. 4.: Aristoteles, dum ad vsum Dialecticæ definit Nomen, Verbum, & Orationem, non vtitur definitionibus Grammaticis, sed alijs longè diversis.

25 *Resp.* Grammatica, duobus modis spectari potest. 1. prout est in purè Grammatico; quo sensu est Grammatica generalis, & à rebus avulsa, solasque tradit regulas generales congruæ locutionis sine solœcismo, & barbarismo. 2., prout est in Logico; quo sensu iam est Grammatica particularis, seu particulariter concreta materiæ Logicæ, applicataque Logicis obiectis explicandis: atque ita regulas tradit particulares ad vocaliter imitandum mentalem syllogismum, definitionem &c. Porrò, si Grammatica, prout in Theologo, Physico, Geometrâ, imò prout in opifice mechanico, vocabulis vtitur vulgo inusitatis, & purè Grammatico incognitis: quâ de re pulcher est locus Ciceronis lib. 3. de Finib. parùm à principio, qui post alia subdit: *Quin etiam Agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res, in quibus versatur, nominibus notavit novis.* Si, inquam, Grammatica, prout his scientijs, & artibus subserviens, aliter loquitur, quàm in purè Grammatico, fal-

saltem alietate nominum: quid mirum, si eadem, prout in Logico, aliquid speciale præcipiat supra regulas generales? Quocircà. —

26 Ad *Obiect. neg. Min.* Ad 1. *prob.*: concedo totum de Grammaticâ generali; sed nego de Grammaticâ particulariter applicatâ materiæ Logicæ: sic enim vtitur nominibus purè Grammatico ignotis, & regulas addit imitandis vocaliter artefactis Logicis idoneas, quas à Logicâ discit indirectè dictante, iuxtà n. 12. & 13. *Ad 2.*: hærebit quidem purè Grammaticus ad quæsita eiusmodi; nec aptè respondebit, nisi Logicâ sit imbutus: hoc tamen solùm probat, illud vocum artificium spectare ad Grammaticam prout in Logico; quæ reduplicatio denotat, opus esse magisterio Logicæ, non directo, sed indirecto, vt Grammatica regulas tradat pro definitione vocali. Et instatur obiectio 1.: quia si rogetur purè Logicus, an hæc oratio vocalis, *Ens per se*, sit apta definitio Substantiæ?, mutus hærebit, vel ad Metaphysicum remittet: quin ideò Metaphysica pro obiecto respiciat voces, aut definitionis artificium. 2.: quia purè Grammaticus, cui proponatur verbalis descriptio ædificij, v.g. Templi Salomonis, si rogetur, an concepta sit terminis geometricis, aut proprietate architectonicâ?; dicet, illam quidem absque solœcismo conceptam esse, cætera ad se non spectare; cum tamen Geometra, vel Architectus, statim responderet quasi proprio ex munere. Num idcircò vocalis descriptio proprium erit obiectum Geometriæ, vel Architecturæ?

27 3. Et præcipuè: quia si pictori prorsùs ignaro rei militaris ostendas picturam Exercitus instructi, & ab eo quæras, an ritè exprimantur, & collocentur in tabulâ legiones, turmæ, cohortes, tribuni, centuriones &c?: dicet, se nescire; & ne terminos quidem intelliget. Si tamen id quæras à milite, vel à pictore militiæ gnaro; respondebit statim velut proprio ex munere. An propterea dixeris, picturam eiusmodi proprium esse obiectum, non artis Pictoriæ, sed Militaris? Quin potius dicendum, Pictoriam generalem nihil determinatè præcipere circa picturam exercitus: prout tamen particulariter applicatam ad materiam militiæ, regulas tradere particulares illius artificij, quas discit quodammodò ab arte Militari; hæc enim ars, dum veram aciem instruere docet, indirectè & ex consequenti docet etiam, quomodo pingenda sit acies, si aliunde supponatur Pictoria generalis. En igitur doctrina nostra, suis veluti coloribus expressa. Vide etiam num. 19.

28 *Ad 3.*: eadem vrget instantia. Nam, qui rudibus imaginibus pingeret aciem ordinatam, similiter poneret artificium bellicum; & tamen solœcismum committeret in artem Pictoriam: vt etiam, qui egregijs imaginibus aciem instrueret, non servato militari ordine, peccaret in artem Militarem, & non in Pictoriam. Illa igitur concordantia, *Animal rationalis*, reipsà non habet artificium Logicum; quia nec habet artificium a Logicâ directè intentum (quod solùm est mentale), nec artificium indirectè regulatum à Logicâ; hoc enim est ipsummet artificium grammaticum, prout applicatum ad exprimenda congruè mentalia artefacta Logicæ; quod genus artificij tunc abest. Qui tamen eo modo loquitur, dici solet malus Gramma-

ma-

maticus, & bonus Logicus, nempè mentaliter: quia, licèt reverâ nec Grammaticè, nec Logicè loquatur; indicia præbet, quòd obiecta in seipsis Logicè concipiat benè. Illa altera definitio, *Quoddam vivens &c.*, licèt non peccet in Grammaticam generalem, peccat tamen in particularem, seu particulariter materiæ Logicæ applicatam: hæc enim debet sequi ductum Logicæ, nec alias adhibere voces, nisi quæ conceptus Logicè dispositos, tanquam archetypum, perfectè imitentur in claritate, brevitate &c.; vt iterum in picturæ exemplo videre licet. *Ad 4.* Forsan Aristotelis tempore Grammaticis in vsu erant definitiones illiusmodi. Prætereà, esto non spectent ad Grammaticam generalem, ad eam spectant prout Logico inservientem.

29 *Obije. 4.*: definitio mentalis ex se indifferens est, vt explicetur vocibus, vel purè grammaticis, vel rhetoricis, vel metricis, vel dialecticis: ergo, vt hæc indifferentia contrahatur, ac determinetur ad voces dialecticas præ alijs, requiritur nova Logicæ directio, prætet eam, quæ conceptibus impenditur. *Confirm.*: ideò Rhetorica, vel Poetica, directè & formaliter ordinat voces, quia determinat indifferentiam Intellectus ad voces rhetoricas, vel poeticas præ alijs: at etiam Logica determinat Intellectus indifferentiam, vt vtatur vocibus dialecticâ methodo dispositis; sola quippe Logica regulas dictat in Summulis, vt ritu Syllogismi, Definitionis &c. disponantur voces, & dialecticam formam præseferant potiùs, quàm rhetoricam, vel poeticam. *Resp.* 1. per instantiam: nam acies instructa pariter est indifferens, vt à pictore, vel historico exprimatur, cum, vel absque militari ordine, situ, proportione vocum, vel imaginum: ergo nova directio bellicæ artis propria, præter veri exercitus directionem, versabitur circa picturam, vel historiam.

30 *Resp. 2.* ad *Obiec. neg. Conseq.*: nam ea indifferentia determinatur per Grammaticam particularem, quatenùs Logicæ imitatricem, atque discipulam, quin alia directio Logicæ interveniat, nisi quæ conceptibus impenditur: hæc enim directione posità, Grammatica ad normam eius velut archetypi format sibi regulas artificij vocalis, quod vocatur dialecticum, voceſque seligit ad illud idoneas. Unde ad talem indifferentiam determinandam concurrunt duæ Facultates, Logica indirectè, Grammatica directè; vt ex superioribus abundè patet. *Ad Confirm.*: causalis illa vera est, non quia Rhetorica, vel Poetica, determinat indifferentiam vtcumque, sed quia determinat sola, & ex instituto; non enim aliud habet obiectum, quod priùs, aut principaliùs dirigat; nec Logica quidquam confert ad ornatum, vel metrum. At Logica non determinat ex instituto ad voces dialectico more formatas, sed solùm ex consequenti, & indirectè, eo ferè modo, quo determinat ars Militaris, vt ritè pingatur acies. Regulas Summulisticas, vt terminatas ad voces, non nisi indirectè dictat Logica, quatenùs intenta in suum obiectum; licèt etiam directè dictet ex num. 17. & sequ., prout dispositа ad tyronum commodum, quo sensu Grammaticam admixtam habet.

31 *Replic.*: etiam artificium metricum, aut rhetoricum, in vocibus formatur ad normam similis artificij mentalis; & tamen respicitur for-

formaliter à Rhetoricâ, vel Poeticâ: ergo pariter dialecticum artificium vocum, licèt formatum ad exemplar mentalis, formaliter à Logicâ respicitur. *Resp.* 1. *neg. Mai.*: nam in rerum conceptibus nec metrum est vllum, nec locum habent pleræque saltem ex formis, quas Rhetores appellant tropos, & figuras verborum. Solùm ergo præconcipitur substantia sententiæ, quæ posteà vestitur ornatu vocum, vel carminis harmoniâ. Si tamen sermo sit de conceptibus terminatis ad voces, illi quidem præcontinent ornatum rhetoricum, & poeticum; at non in essendo, sed in repræsentando, & tanquam pura signa ornatus vocalis, quâ ratione mentalis idea ædificij continet artificium domus. Hoc sensu conceptus etiam pertinent ad Rhetoricam, & quamlibet artem externam, non vt obiectum primò & per se intentum, sed vt via, & dispositio prævia ad verum artificium. At omnia aliter habent in Logicâ, vt perpendenti liquebit. *Resp.* 2., *permiss. Mai.*, & *Min.*, *neg. Consequ.*: quia, vt suprà ex Aristotele notavimus, Logicus est ad se, Rhetoricus verò ad alios, vt etiam Poeta. Unde nihil mirum, si alter præ altero formaliter consideret artificium vocale.

32 *Obijc.* 5. Philosophia moralis, præter actus voluntatis, directè respicit actiones externas, atque etiam voces, quatenùs constituunt locutionem honestam, & rectę rationi conformem: pariter ergo Logica &c. *Confirm.* 1.: Medicina directè considerat pulsum, aliaque signa externa sanitatis, aut ægritudinis: Theologia item directè considerat Sacramenta, quæ signa sunt gratiæ, necnon sacrificium Missæ, quo significatur cruentum sacrificium Christi Domini: ergo & Logica directè respiciet artificium vocale, quod est signum artificij mentalis. *Confirm.* 2.: Voces verè sunt partes subiecti Logicæ; sed Logica, vt & quævis scientia, directè tractat de omnibus partibus subiecti sui: ergo &c. *Prob. Mai.* ex D. Thomâ (m) sic aiente: *Partes subiecti sunt omnia illa, quorum cognitio requiritur ad cognitionem subiecti; cum omnia huiusmodi non tractentur in scientia, nisi in quantum habent ad subiectum ordinari.* Atqui cognitio vocum, prout significantium, vel imitantium instrumenta sciendi, requiritur ad cognitionem subiecti Logicæ, qui est Modus sciendi intellectualis: ergo &c.

33 *Resp.* ad Obiect. *conc. Antec.*, *neg. Consequ.* Disparitas in eo est, quòd Ethica per se respicit actiones humanas, quatenùs conformes cum Ratione rectâ moraliter; quæ conformitas proprie reperitur in actibus etiam externis: at Logica respicit suum obiectum sub ratione manifestantis formaliter ignotum; quæ manifestatio propriè non inest vocibus. Adde quod Logicus est ad se: Philosophus verò moralis, ad se, & ad alios: ideòque dividitur Ethica in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam. *Ad* 1. *Confirm.* eadem esto responsio quantum ad Theologiam: hæc enim talia obiecta considerat, non præcisè quia signa sunt alterius obiecti, sed quia in se propriè participant rationem obiecti revelabilis, seu ex Fidei principijs cognoscibilis, sub quâ tendit Theologia. Id quod in re nostrâ non evenit.

34 Pulsus verò, & alia morbi, & sanitatis indicantia, non sunt formale obiectum Medicinæ, cum non nisi analogicè participent rationem sani, aut sanabilis, sub quâ illa

(m) *Opusc.* 70. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3.

illa tendit. Sunt nihilominùs obiectum materiale, directè, & ex instituto consideratum à Medicinâ; non ideò præcisè, quia signa sunt obiecti formalis (alioquin & Medicina, & omnis ars, aut scientia, directè consideraret signa quælibet sui obiecti formalis, nempe conceptus, voces, scripta, picturam &c.), sed ex aliâ duplici causâ. 1.: quia sunt signa necessariò prænoscenda ex propriâ indigentiâ Medicæ artis iam acquisitæ, vt suum opus sanandi hominem hic & nunc sine errore perficiat. 2.: quia talium consideratio signorum novis indiget regulis, præter eas, quæ sanitatem internam immediatè respiciunt, & non est alia Facultas instrumentaria, quæ novas hasce regulas ex magisterio indirecto Medicinæ colligat. Non sic in re nostrâ. Quia Logica semel acquisita, vt opus suum mentale sine errore dirigat, non indiget notitiâ vocum: quamvis enim Logicus obliviscetur omnis idiomatis, posset adhuc sine errore discurrere circà obiecta, quæ cernit oculis. Item, dialecticum artificium vocale, vel non eget novis regulis, præter versantes immediatè circà mentale, suppositâ Grammaticâ; vel si adhuc eget regulis, has proprio Marte colligit, ac sibi format ex magisterio Logicæ indirecto Grammatica ipsa, tanquam instrumentaria Facultas.

35 *Ad 2. Confirm. neg. Mai.* Ad *prob. resp.*: Loquitur D. Thomas de illis, quorum cognitio requiritur necessitate scientiæ ipsius, vti requiritur cognitio pulsûs in Medicinâ: non verò de illis, quorum cognitio requiritur solâ necessitate, vel commodo discentium, vt scilicet faciliùs ac breviùs scientiam acquirant: atque hoc tantùm modo requiritur notitia vocum in Logicâ. Profectò, si non ita exponas verba D. Thomæ, voces, & scripta numerare debebis inter partes subiecti omnium scientiarum, & artium: nam, vt tyrones perveniant ad perfectam cognitionem subiecti cuiusvis scientiæ, vel artis, absdubiò requiritur cognitio vocum, quibus Magister instruit, aut characterum, quibus Libri docent.

## CAP. III.

### *An, & quatenus Res secundùm esse physicum sint Obiectum Logicæ?*

36 RErum *esse physicum*, seu naturale, illud est, quod rebus inest independenter à consideratione intellectus, vt esse Cœlum, Terram, Hominem, Lapidem &c. Huic contraponitur *esse intentionale*, quod consistit in denominationibus illis, quæ ab actibus Intellectus in obiecta dimanant, vt in homine esse speciem, in animali esse genus. Res ergo (quæ modò sumuntur prout à vocibus & conceptibus condistinctæ) secundùm esse physicum nò pertinere ad Logicâ tanquâ eius formale obiectûm adæquatûm, omnibus est in confesso. Attamen esse formale obiectum Logicæ inadæquatum, sive partiale, tuentur aliqui suffragante Lynceo nostro L. 2. tract. 1. cap. 4., contrà communem in omni Scholâ sententiam, quam etiam tenet D. Thomas, vel quisquis est Author Opusc. 56. ibi: *Logica, cum considerat vniversale, non considerat ipsum, quantum ad naturam subiectam per se, non enim considerat hominem in eo quòd homo, sed in eo quod species, & sic de alijs animalibus.*

bus. Et paucis interiectis : *Patet, quòd Logicus non considerat rem subiectam per se.*

2 Scio, illud Opusculum computari inter incerta D. Thomæ. Sed (vt hoc semel admoneam) tam illud, quàm cætera opuscula, quæ tamquam dubia notantur minoribus characteribus in Tomo 17. Editionis Romanæ iussu Pij V. compositæ (a), nihilominùs allegabo sub nomine D. Thomæ; quia sic passim allegari video & à nostris Authoribus, & à Thomistis. Quod rem præsentem attinet, potest etiam certò allegari D. Thomàs in 1. Poster. Lect. 20., vbi *Logica*, inquit, *est de intentionibus rationis, quæ ad omnes res se habent: non autem ita, quòd ipsa Logica sit de ipsis rebus communibus, sicut de subiectis.* Hanc ergo communem sententiam vt veram amplectimur.

3 *Prob.* 1.: quod non identicè participat rationem formalem, sub quâ tendit scientia, non est eius obiectum formale inadæquatum, vt constat ex cap. 1.; sed res secundùm esse physicum non identicè participant rationem formalem, sub quâ tendit Logica: ergo &c. *Prob. Min.* quia ratio formalis, sub quâ tendit Logica, est aliquod genus artificij ab Intellectu constructibilis, & ad Modum sciendi pertinentis: idcircò enim ab omnibus passim Logica dicitur *Scientia rationalis*, *Ars directiva rationis*, & *Modus sciendi*. At quòd res secundùm esse physicum non identicè participent artificium eiusmodi, extra dubium est. *Urgetur*: Logica respicit pro obiecto formali artificium Modi sciendi, vt nemo negat: ergo, vt etiam pro obiecto formali respiciat physicum esse rerum, debet hoc conuenire cum illo artificio in aliquâ ratione communi, quæ Logicæ respondeat vt ratio formalis *sub qua*: talis enim ratio abstracta à cunctis obiectis formalibus inadæquatis respondet omnibus scientijs, ne sua obiecta respiciant tamquam scopas dissolutas; vt inductione constat. At ab artificio Modi sciendi, & à rebus secundùm esse physicum, nulla ratio communis abstrahi potest, nisi ratio generalissima Entis, quæ non respondet Logicæ, sed Metaphysicæ. *Urgetur* iterum: Logica directa (de hac semper loquimur) tota est practica, vel, vt Thomistæ volunt, instar practicæ: ergo non respicit formaliter nisi obiectum ab Intellectu operabile vt operabile; quale certè non est physicum esse rerum.

4 *Prob.* 2.: si Logica formaliter de rebus ageret parcè, & sobriè, vel per summa capita, vt Aduersarij dicunt, deberet etiam formaliter agere de rebus omnibus abundanter, & omnia rerum prædicata perscrutari ex professo: eadem quippe ratio militat pro abundantiâ, & sobrietate; videlicèt, quòd notitia rerum necessaria sit, vt Intellectus vitet errores, qui dicitur finis Logicæ; vel, quòd ea notitia sit vtilis ad expeditè definiendum, dividendum, & argumentandum. Nam cur Intellectus beneficio Logicæ magis vitare debeat errores circà naturam rerum in communi, quàm in particulari? Vel cur esse debeat magis expeditus ad ratiocinandum circà substantiam vt sic, quàm circà Deum, Cœlos, Hominem, & cætera omnia? Tum sic: ergo 1. nemo vnquam evadet perfectus Logicus, nisi evadat omniscius: ergo 2., acquisitâ perfectè Logicâ, superfluent cæteræ omnes Scientiæ: ergo 3. Logica non erit scientia specialis, sed rudis, indigestaque mo-

(a) *Vid. Præfationc.*, *quæ habetur ante Opusc.* 41.

moles omnium. Absurdæ sunt hæ consequentiæ citrà dubium; & tamen sponte fluere videntur.

5 *Confirm.*: sicut Logica dicitur exerceri circà omnia entia; ita dicitur ars Oratoria versari circa res omnes, nihilque frequentius, quàm quòd bonus Orator imbutus sit oporter cognitione scientiarum omnium, artium, & rerum humanarum: & tamen Oratoria pro obiecto formali non respicit vniversitatem rerum, sed solum verborum ornatum: ergo pariter Logica solum respiciet artificium actuum Intellectus. Eadem est vtrobique ratio. Nam ad Logicam, vt ad Oratoriam, solùm attinet instruere Intellectum regulis, ac præceptis, aut etiam aliquali vsu circa propriam materiam, vt ex capite doctrinæ facilis sit, ac promptus ad discurrendum artificiosè, vel ornatè loquendum in quacumque materiâ: hanc autem materiam suggerere, ad alias attinet artes, & scientias. Sic etiam non eiusdem est artis lævigatam præbere tabulam, & in illâ artificiosè pingere.

6 *Obijc.* 1.: in tractatu de Prædicamentis, qui verè Logicus est, directè, & formaliter agitur de rebus penès esse physicum, nempè de Substantiâ, Quantitate, Qualitate &c.. *Resp.* 1. Tractatus ille iudicio multorum non est Logicus, sed Metaphysicus; licèt à pluribus inferatur Logicæ, tum vt Metaphysicæ minus reflectat laboris, tum vt aliqua materia velut in specimen proponatur ad exercitium Dialecticæ; non aliter ac Rhetoricæ candidatis problemata ex varijs materijs ad Rhetoricam non spectantibus proponi solent exercitationis gratiâ.

7 *Resp.* 2. ex Doct. Eximio (b) Tractatus de Prædicamentis ita Logicus est, vt simul altiori, magisque exactâ ratione sit Metaphysicus. Nam Metaphysica directè & ex proprio instituto Prædicamenta dividit, vt proprias rationes, & essentias rerum inquirat. Logica verò de rebus tractat in eâ divisione locatis, non vt earum naturas declaret, sed solùm in ordine ad conceptus mentis coordinandos: nec aliud ibi formaliter quærit, quàm quomodo sub aliquo supremo genere possit Intellectus gradatim descendere vsque ad individuum per conceptus magis & minùs vniversales, quos proindè solos pro obiecto formali respicit. Requiritur quidem ad eam coordinationem conceptuum notitia rerum; sed hanc suggerit Metaphysica, quæ in illo tractatu potiores partes sibi vendicat. Legatur Eximius. (c)

8 *Obijc.* 2.: Logica tendit ad instructionem Intellectus: ad hunc autem finem non solùm regulæ conducunt, sed etiam expositio rerum, ac distributio in varias classes, vt super his artificiosè ratiocinetur Intellectus. *Confirm.* 1.: aliqua, saltem generalis, notitia rerum secundùm se necessaria est, vt Logica suas regulas explicet, & exequatur: ergo Logica nequit non ex munere proprio res considerare saltem in genere. *Confirm.* 2.: Logica formaliter considerat veritatem conceptuum, quæ partialiter consistit in esse physico rerum, cui conformantur actus Intellectus. Item, propositio ista, *Hic homo est vivens*, designato Petro, est obiectum Logicæ prout significans Petrum: at prout ita significans, includit Petrum ex parte subiecti: nam terminus, *Hic homo*, de se indifferens ad quemvis hominem significandum,



(b) *disp.* 3. 9. *Metaph. initio*. (c) *loc. cit.*, & *disp.* 1. *sect.* 4. *n.* 28. & 29.

dum, præsentiâ Petri completur, ac determinatur, vt ipsum præ alio significet. *Confirm.* 3. : Aliqua Logicæ præcepta verificantur de rebus secundùm esse physicum, hoc v. g. *Ut Divisum plus contineat, quam singula Membra dividentia.*

9 *Resp.*. Logica tendit ad instructionem Intellectus mediis regulis ordinandi conceptus, non autem mediâ ostensione rerum; hanc enim vel supponit, vel ab alijs scientijs emendicat Logica, sicut Grammatica, & Rhetorica. Ideò Aristoteles in Analyticis, vt explicet præcepta Logicæ, pro rebus vtitur litteris A. B. C., ex quibus passim conficit syllogismos: quo satis indicat, ostensionem rerum ad Logicam non spectare. Profectò melius instrueretur Intellectus exactâ rerum omnium investigatione, quàm generali, & sobriâ notitiâ : & tamen Logica iuxtà Adversarios omnium rerum naturas haud investigat.

10 *Ad* 1. *Confirm.*. Non quidquid conducit, aut necessarium est ad aliquam artem intelligendam, & explicandam, obiectum proprium eiusdem artis esse debet; alitèr scientiæ, & artes omnes confunderentur, cum omnes, vt aiebat Philo, *à se invicem officium postulent, & mutuis stent auxilijs.* Necesse est, fateor, vt præcepta Logicæ percipiantur, intelligere saltem quoad *quid nominis*, vt aiunt, quid sit *essentia*, *identitas*, *ens*, & alia. Sed horum notitiam terminorum non tradit Logica, sed supponit vt obviam, & vulgo notam, vel à Dictionarijs petendam, aut etiam ab alijs Facultatibus mutuandam. Sic, vt noverit Grammaticus discernere nomen masculinum à fœminino, sciat oportet, quid sit mas, quid fœmina : quod tamen Grammatica non docet; vti nec docet Architectura, sed aliàs notum supponit, quid sit lapis, quid lignum.

11 *Ad* 2. Logica vt summum directè considerat veritatem formalem conceptuum, ideſt, eorum conformitatem cum rebus, quatenùs ab arte dirigibilem : non est autem dirigibilis ea conformitas penès omnia lui constitutiva, sed penès rectum duntaxat, scilicet penès conceptum: non enim dirigit Logica, vt leo sit animal; sed aliunde supposito quòd sit, vel quòd esse apprehendatur, dirigit, vt eliciatur iudicium huic obiecto conforme potiùs, quàm difforme. Sic, vt instetur obiectio, Pictoria intendit similitudinem imaginum cum rebus; quin ideò res ipsas pro obiecto formali respiciat, licet ea similitudo ex ipsis etiam rebus constituatur: quia scilicèt Pictoria, non dirigit, vt Cæsar v.g. sit porrecti nasi; sed ex suppositione quòd sit, dirigit, vt eius imago sit etiam nasuta. Adde quòd forsan Logica non respicit pro fine proximo, & intrinseco veritatem conceptuum, sed artificium, quod etiam in materiâ falsâ reperiri potest : ideòque iuxtà D. Thomam (d), syllogismus, qui non in formâ, sed in materiâ peccat, est verè syllogismus. Argutia super termino. *Hic homo*, non militat in conceptibus, qui de se significant unum præ alio, nec eorum repræsentatio completur per obiectum. Quòd autem in termino vocali milisset, quid ad nos?

12 *Ad* 3. Sensus Logicus illius præcepti, & similium, est, vt conceptus dividens assumat Totum plus continens, quàm singula, quæ repræsentantur vt Membra: quare tale præceptum non respicit formaliter Totum physicum, sed mentalem eius di-

(d) *in* 1. Post. *lect.* 22.

divisionem. Patet apertè: nam ea regula id respicit formaliter, quod fieri præcipit, & ad quod dirigit; sed non præcipit, nec dirigit, vt Totum in suo esse physico sit maius singulis partibus (hæc enim directio vana, & ridicula foret absdubio), sed potiùs, vt divisio mentalis designet, vt partes, eas, quæ verè sunt Toto minores: ergo &c.. Nec obstat, quòd illud præceptum, vt tacet, verificetur de re physicâ: nam etiam actus Fidei verificatur de pœnis Inferni, quas tamen pro obiecto formali non respicit. Sed de hac obiectione iterùm inferiùs cap. 6., vbi & alia argumenta, quæ hùc afferri possent diluemus.

13 *Obijc.* 3.: iuxtà Aristotelem 4. Metaph. cap. 2., & D. Thomam ibi Lect. 4., necnon 1. Poster. Lect. 20., Dialectica versatur circà omnia entia, & de rebus omnibus disputat. *Resp.* Verum id est de Dialecticâ vtente accessoriâ, quam explicuimus disp. 1. cap. 2. à n. 23.; non verò de Logicâ docente, ac verè tali; quamquam & hæc dici potest circà omnia entia versari remotè, mediatè, & in potentiâ, quatenùs regulas tradit artificij mentalis indifferenter applicabilis ad omnia entia cognoscenda. Vide D. Thomam locis cit. in obiectione.

14 *Obijc.* 4.: Logica debet ex instituto considerare causas, & principia sui obiecti: omnis enim scientia debet rem cognoscere per causam, vt sæpe docet Aristoteles: sed res secundùm esse physicum sunt veræ causæ conceptuum, quos Logica pro obiecto respicit: ergo &c.. Constat Minor: quia res eo modo acceptæ, sunt obiecta motiva cognitionum: &, vt aiunt, *Ab obiecto & potentia paritur notitia.* Obiectio probat, Logicam ex instituto agere de Animâ, de Intellectu, de Habitibus, & Speciebus impressis; quod nemo dixerit. Prætereà *resp.*: eum dicitur proprium esse scientiæ cognoscere rem per causam, non est sermo de causis extrinsecis efficientibus, saltem in scientijs practicis; aliter Ethica, & Medicina ex instituto tractarent de naturâ Divinâ, & humanâ. Sermo igitur est de causis, idest, rationibus à priori, per quas scientiâ demonstrare debet conclusiones de suo obiecto quà tali. Rationes autem illæ sunt partim generalia principia per se nota, vt in Logicâ, *Dictum de omni &c.*; partim definitiones Subiecti, & partium eius, quæ in demonstrando sumuntur vt principia: *In demonstrationibus* enim *proceditur semper ex definitionibus*, vt inquit D. Thomas (e). Hoc sensu Logica considerat causas artificij mentalis; quin ideò physicum esse rerum considerare debeat.

15 Sed quæres, an res secundùm esse physicum sint obiectum Logicæ saltem materiale? *Resp.* Sunt. Ratio: quia illud est materiale obiectum scientiæ, quod ab eius actibus attingitur propter obiectum formale: res autem penès esse physicum vtiquè per actus Logicæ attinguntur propter artificium intellectuale dictandum: hic enim actus v. g., *Definitio est Oratio explicans essentiam rei*, ita docet Definitionis artificium, vt propter ipsum attingat *rem*, & eius *essentiam*, cuius meminit. Ad hunc Thomistæ, omne eus artificiosè cognoscibile secundùm suũ esse physicum, aut intrinsecum, esse obiectum materiale Logicæ proprium, & primarium, quod vocant *denominabile*, eo quòd in se recipiat formam rationis logicalem, à quâ denominatur

(e) *Ibid.m.*

artificiosè disposítum, non aliter ac ob eandem rationem lapides, & ligna sunt obiectum materiale Architecturæ proprium, & primarium, seu denominabile. An, aut quatenùs hoc verum sit, pendet ex infrà disputandis. Interim solùm concedimus, res secundùm esse physicum, dici posse obiectum Logicæ materiale generali quâdam ratione attactum remotè, seu mediatè, vel etiam indirectè, seu de obliquo: quæ est doctrina Eximij Doctoris disp. 1. Metaph. sect. 4. n. 29.

## CAP. IV.

### *Vtrùm Obiectum formale Logicæ sit Ens rationis?*

COntroversiam aggredimur, quâ nulla in Prooemialibus difficilior, & ingeniorum contentione famosior. Eam breviter ac dilucidè expedire, perdifficile est. Id tamen pro virili parte conabor.

### §. I.

### *Explicatis terminis, Authorum Sententiæ proponuntur.*

1. UT terminorum huius controversiæ vetusta novitas inclarescat tyronibus, aliqua prænoto. 1.: actus Intellectus humani vocari solet *Intentio rationis*: sed ita, vt cognitio directa repræsentans obiectum secundùm esse physicum, vocetur *Intentio prima*; cognitio verò reflexa repræsentans obiectum vt iam præcognitum, vel secundùm esse derivatum ab Intellectu, vocetur *Intentio secunda*. Hinc nomina significantia res vt primò & directè concipiuntur, dicuntur *nomina primæ intentionis*, cuiusmodi sunt, *Homo*, *Animal*, *Sol*, &c.: quæ verò res significant vt secundò & reflexè cognoscuntur, vocantur *nomina secundæ intentionis*, ideſt, respondentia secundæ Intellectus intentioni, qualia sunt, *Vniversale*, *Genus*, *Species*, *Subiectum*, *Prædicatum*, &c. Sed quia cognitionum obiecta solent etiam earum nominibus appellari, idcircò tam prima, quàm secunda Intentio, alia est *formalis*, alia *obiectiva*. Vt enim iudicium mentale dicitur propositio formalis; & obiectum, quod repræsentat, propositio obiectiva: sic cognitio ipsa vocatur Intentio formalis; & obiectū cognitionis, Intentio obiectiva. Est igitur prima Intentio obiectiva illud obiectum, quod terminat primam intentionem formalem: quod verò attingitur per secundam formalem, est secunda Intentio obiectiva.

2. Ex.g. cognitio ista, *Animal*, est prima intentio formalis, quia directè fertur in entitatem physicam animalis secundùm se: hæc verò physica entitas animalis est prima intentio obiectiva, seu res primò intentionaliter accepta, vel secundùm esse physicum. Quod si Intellectus suprà naturam animalis prout sic cognitam reflectatur, inveniet illam vi prioris cognitionis esse præcisam, & abstractam à rationali, & irrationali (ideſt, cognitam, & expressam sine mentione differentiarum illarum, hoc enim est *præscindi*, & *abstrahi*): tum, si attentiùs consideret, inveniet illam sic abstractam manere quodammodò vnam, & posse vniformitèr prædicari de homine, & bruto quovis; quæ vnitas, & prædicabilitas constituit Vniversale logicum, &

Ge-

Genus. Mens igitur ita reflectens, formar hosce conceptus, *Animal abstractum, unum, prædicabile de multis, universale, genus*; quæ omnes sunt cognitiones reflexæ, & secundæ intentiones formales. Obiectum autem conceptibus hisce respondens, est illud esse, quod mens invenit à prima cognitione præstitum animali, scilicet esse abstractum, esse vniversale, esse genus: & hoc esse dicitur secunda intentio obiectiva, atque etiam res secundùm esse intentionale, res secundò intentionaliter accepta, vel *secundò intentionata*. Tota hujus notationis doctrina sumitur ex D. Thomâ Opusc. 56. initio, item Opusc. 48. cap. 1., & Opusc. 42. cap. 15.

3 2.: Secunda intentio obiectiva, in concreto sumpta, duo involvit, subiectum, & formam: pro subiecto, seu pro materiali involvit rem, quæ primò cognoscitur, v.g. ipsam naturam physicam animalis: pro formâ, seu pro formali dicit secundam intentionem obiectivam in abstracto sumptam, qualis significatur his nominibus, *Universalitas, Generalitas, Subiectio, Prædicatio, Definitio &c.*. Forma autem ista, saltem eo sensu, quo intenditur à Logicâ, nihil est aliud iuxtà nostros Auctores, quàm cognitio directa, quæ dicitur prima intentio formalis: hæc enim pro varietate sui modi tendendi præstat formaliter obiecto denominationes Generis, Prædicati, Definiti, &c. Porrò Denominatio dicitur *extrinseca*, dum provenit à formâ non inhærente subiecto, sed alibi existente; vt cum à visione, cognitione, dilectione, in te existentibus, denominatur alter *visus, cognitus, dilectus*: dicitur verò *intrinseca*, dum est à formâ, quæ subiecto inhæret; vt cum tu ipse denominaris *videns, cognoscens*, vel etiam *albus*, aut *calidus*. Secunda ergo intentio obiectiva in concreto est denominatio extrinseca, cuius materia est obiectum externum, & cuius forma est cognitio inhærens, non obiecto, sed Intellectui: cognitio, inquam, illa, quæ in ordine ad suum obiectum est prima intentio formalis; hæc enim ipsa in ordine ad cognitionem reflexam est secunda intentio obiectiva in abstracto, seu forma secundæ intentionis in concreto. Thomistæ longè aliter opinantur: quos vt intelligas, prænotandum.

4 3.: Ens, aliud est reale, aliud rationis. Reale dicitur, quod verè, & realiter existit, aut existere potest. Rationis dicitur, quod ab Intellectu accipit esse, nec alibi existere potest. Hoc trifariàm accipitur. 1. pro ente, quod à Ratione verè efficitur, & in eâ velut in subiecto recipitur: huiusmodi sunt omnes actus intellectus, qui proinde vocantur *Entia rationis effectiva*, & *subiectiva*. 2. pro denominationibus ab actu rationis in obiectum derivatis, vt esse *cognitum, definitum, &c.*, quæ dicuntur *Entia rationis denominativa*. 3. pro ente purè obiectivo, seu ficto. Hoc definitur communiter, *Quod habet esse obiectivè tantùm in Intellectu*, idest, quod nullum habet esse reale, nec possibile, nec existens, positivum, aut negativum; sed est merum figmentum, quod sibi Intellectus objcit quasi ens. De hoc ente rationis procedit controversia præsens: nam ens rationis in primâ, & secundâ acceptione verè est ens reale, & à Ratione factum, non fictum; quanvis contraponi soleat enti reali sumpto pro ente naturæ, quod extra animam existit.

5 Porrò hoc entis spectrum,

dum sine fundamento fingitur, vocatur *Ens rationis ratiocinantis*, quale exprimitur his conceptibus, *Hircocervus*, *Chymera*, *Equus rationalis*: vocatur autem *Ens rationis ratiocinatæ*, quando fingitur cum aliquo fundamento, vel occasione à rebus præbitâ, vel potiùs, vt alij volunt, ab ipsâ tenuitate Intellectus humani, cui sæpe fictiones in rebus perscrutandis obrepunt, vt cum animal in homine concipitur intrinsecè distinctum à rationali occasione desumptâ ex diversitate operationum sentiendi, & discurrendi. Ens rationis ratiocinatæ dividi solet in Privationem, Negationem, & Relationem: quia vel vnicè, vel frequentiùs fingitur concipiendo carentias tanquam affectiones subiecti positivas, aut entitatulas nigricantes, & cogitando respectus vel habitudines vbi non sunt. His prælibatis, iam Auctorum placita circà obiectum Logicæ referamus.

6 Thomistæ omnes pro obiecto Logicæ formali adæquato statuunt ens rationis. Sed dubium est, an omnes loquantur de ente rationis purè obiectivo, an de subiectivo, vel denominativo, cuius forma sit ipsa cognitio: de hoc enim locutos esse Sotum, & Masium, atque etiam nostros Toletum, & Rubium, quos pro se allegant Thomistæ, satis efficaciter probat P. Hurtado disp. 1. sect. 4. Quidquid sit, *Auctores illius sententiæ* (verba sunt Illustrissimi Arauxo Dominicani (a)) *diuisi sunt in quinque modos dicendi. Quidam enim illorum dicunt, obiectum Logicæ esse ens rationis in tota sua latitudine, vt abstrahit à priuatione, negatione, & relatione. Alij verò dicunt, esse solam relationem rationis, vt abstrahit à prima, & secunda intentione, &c.* Sed hos, & alios modos, vtpote desertos iam à Recentioribus Thomistis, omittimus. Supereſt Thomistica sententia celebris, quæ totum obiectum Logicæ formale collocat in ente rationis, quod in materiâ Logicæ, & ex regulis eius confingitur velut forma quædam artificialis, quam vocant secundam intentionem. Sed adhuc in huius explicatione sententiæ Thomistæ dividuntur in duas classes.

7 Prima est eorum, qui actus Intellectus, vt in se ipsis artificiosos, & à Logicâ directos, comprehendunt sub obiecto Logicæ formali, sed ita vt artificium eorum pro formali sit quoddam ens rationis inibi resultans. Ita cum alijs Lerma, Sanchez, & Martinez de Prado. Secunda est eorum, qui actus Intellectus nolunt esse materiam denominabilem ab artificio logico, sed materiam purè dirigibilem instar actionum Artificis, quibus inducitur artificium in materiam externam: quare totum artificium formaliter consideratum à Logicâ dicunt esse formam rationis in ipsis obiectis fictam per actus Intellectus; quæ forma rationis est adæquatè distincta à cognitione, & est forma constituens hæc concreta, *Genus*, *Prædicatum*, *Definitum*, *Antecedens*, *Consequens*, &c., in quibus etiam includitur obiectum externum tanquam materia denominabilis. Et hanc formam rationis vocant ipsi secundam intentionem Logicalem in abstracto. Ita sentiunt passim Thomistæ Recentiores, vt Dominic. Lynce, Collegium S. Thomæ Complut., Illustrissimus Palanco, Froylan, Cardinalis Aguirre, Gabriel à Conceptione, & Aguilera, quamquam hic vltimus non agnoscit entia ra-

(a) *Lib. 3. Metaph. q. 1. art. 2. dub. appendic. de Obiecto Logic.*

rationis ficta. Thomistas sequitur ex Scotistis Merinerus, & ex parte Mastrius.

8 Ex adverso Auctores Societatis ferè omnes cum Doct. Eximio disp. vlt. Metaph. initio, negant, Ens rationis purè obiectivum, seu fictum, esse obiectum Logicæ formale, sive enim Logica consideret actus Intellectus vt artificiosos, horum artificium verum, & reale est; sive respiciat secundas intentiones obiectivas in concreto, hæ sunt denominationes extrinsecæ, quarum forma est cognitio realis, ex num. 3.: & licèt forsan in formatione artefactorum Logicæ misceantur entia rationis, vel inde resultent, prorsus contemnuntur à Logicâ, nihil curante, nisi quod realitatis est in mentalibus artefactis. Eiusdem sententiæ sunt extèri complures, vt Aversa, Spinula, Bonæspei, Murcia, Servera, Pontius cum alijs Scotistis, atque etiam Mastrius, quatenùs docet, Logicam in se, & ex naturâ rei spectatam, pro formali obiecto respicere ens reale.

## §. II.

## PRIMA CONCLUSIO.

*Artificium à Logica intentum in actibus Intellectus, non consistit in Ente rationis.*

9 IMpugnandas suscipimus duas Thomistarum sententias num. 7. propositas: aliæ quippe in desuetudinem abierunt. Contra primam est conclusio præfixa; cui parùm immorabimur, tum quia modernis Thomistis iam displicet ea sententia, tum quia de artificio actuum Intellectus acturi sumus inferiùs. Probatur ergo conclusio: cognitio, *Animal rationale*, per semet, omni fictione præcisâ, præstat quidquid regulæ Logicæ præscribunt circà Definitionem mentalem: ergo præciso ente rationis, continet artificium Definitionis à Logicâ intentum: ergo idem de cæteris actibus sentiendum. *Prob. Antec.*: illa cognitio explicat essentiam hominis per id, in quo proximè convenit, & id, in quo vltimò differt à rebus cæteris, & hoc est explicare per Genus & Differentiam, prout hæc nomina verificari possunt de actibus Intellectus: convertitur item cum Definito, eo sensu, quo talis conversio cadit in actum intellectus, nempe repræsentando id ipsum, quod conceptus *Homo* repræsentat: prætereà repræsentatio ista nec prolixa est, nec diminuta, nec impropria. At nihil aliud præscribunt regulæ definiendi, vt relegenti Summulas, etiam Thomisticas, apparebit: ergo &c.

10 Urgetur 1.: cui propriè convenit definitio Definitionis, verè, & formaliter est definitio: at prædictæ cognitioni, attentâ præcisè repræsentatione reali, propriè convenit Definitionis definitio, videlicet, *Oratio explicans essentiam rei*. Urgetur 2.: actus ille repræsentationem realem habet, quâ discernitur ab omni malâ, & inordinatâ definitione hominis, ab his v.g., *Vivens rationale*, *Animal risibile*, quas, licèt figmentis oneres, nunquam efficies definitiones ordinatas: ergo tali repræsentatione constituitur bona & ordinata definitio; quemadmodum ordinata pictura constituitur eo colorum ordine, quo ab omni pravè pictâ imagine discernitur. Urgetur 3.: ens, aut relatio rationis, quam Adversarij fortiam dicunt artefacti mentalis, in primis

non fingitur à cognitione directâ; hæc enim, licèt fortè fingat ens rationis in obiecto (à quo nunc præscindimus), certè non illud fingit in semetipsâ, aliàs cognosceret se: deinde nec fingitur à cognitione reflexâ, nec, si fingatur, pertinet ad constitutionem artefacti; nam reflexio considerans opus directè factum, non facit, sed invenit rectitudinem, & conformitatem operis cum regulis, vt in picturâ, domo, & quovis artificiali opere cernitur. Non est ergo vnde ens rationis constituendis artefactis logicis adveniat.

11 Dices 1.: definitio vt artificiosa, est definitio vt directa à Logicâ: at prout directa, dicit relationem ad regulas, quæ non est relatio realis, sed rationis. Verùm hoc probat, artificium picturæ, domus, navis, &c., consistere pariter in relati ne rationis ad regulas; quod est inauditum. Definitio ergo non respicitur à Logicâ reduplicativè vt *directa regulis*, hæc enim est denominatio extrinseca constituta per activam directionem, seu regulam. Respicitur ergo vt intrinsecè artificiosa in semetipsâ, sicuti domus vt artificiosa respicitur ab arte ædificandi. Instabis: definitio non cognoscitur vt artificiosa, nisi dum comparatur ad regulas: ex hac autem comparatione resultat relatio rationis. In primis cognitio comparativa sic tendens, *Hoc opus tale est, quale præscribit ars*, non est cur fingere debeat. Deinde, fingat quantumlibet, comparatio non facit, sed præsupponit opus rectè factum, prout ars intendit.

12 Dices 2. cum Araujo, & Prado: ex activâ directione Logicæ necessariò pullulat, seu consurgit in actibus directis forma rationis, quæ est secunda intentio, & vltima forma artefacti Logicalis. Sed vnde hoc probas? Vel cur non similis vmbra pullulat ex activa directione Pictoriæ, Architecturæ, & cuiusvis artis? Si dicas, non aliter fieri posse, vt actus artificiosus pendeat, seu procedat à directione Logicæ: nihil dicis. Nam ea processio, ac dependentia dabitur, hoc solùm, quòd voluntas cum attentione ad regulas applicet Intellectum, vt pro homine definiendo eliciat potiùs hunc actum, *Animal rationale*, quàm istum, *Animal bipes*. Quâ in re nulla fictio intervenit; sicut nec in dependentiâ omninò simili artefactorum externorum à regulis artis.

13 Dices 3.: actus Intellectus secundùm realem tendentiam sunt actiones artificis, quibus Logica suam construit artefactum: at artificium, seu forma artificialis, consistere nequit in actionibus artificis, aut artis, sed semper est aliquid distinctum, & inde pullulans. Instabis 1.: ergo, sicut actiones Pictoris non sunt materia denominabilis, aut in se recipiens artificium picturæ; ita nec actus Intellectus erunt materia denominabilis ab artificio logico; contrà quod modo supponitur. Instabis 2.: ergo actus Intellectus reflectentur supra se, vt in semetipsis introducant, aut fingant formam artificialem, aliàs non erunt actiones artificis respectu formæ, cui subsunt: sequela autem mirabilis est, nec in aliâ arte inveniet exemplum. Doctrina igitur obiectionis vera est in artibus factivis; secùs in scientijs & artibus activis; in his enim obiectum formaliter intentum, est indistinctum ab actionibus ipsis realiter ordinatis, vt cernere est in Ethicâ, & in arte saltandi. Sed de hoc iterùm inferiùs.

Di-

14 Dices 4. ex Araujo: forma Syllogismi in *Barbara*, est eius dispositio in Figurâ, & Modo: hæc autem dispositio est quid rationis, quia nihil ponit in conceptibus, siquidem ex ijdem invariatis construi potest alius syllogismus in alio Modo, & Figura. Iusto in exercitu instructo ex arte militari, cuius forma est ordo nihil ponens in militibus, siquidem ex ijdem invariatis potest acies aliter instrui: talis igitur ordo erit ens rationis. In re nostrâ res est facilior: nam syllogistica dispositio in Figurâ, & Modo, consistit in certâ quantitate, & qualitate essentiali propositionum, additâ notâ illationis, vt ex Summulis constat. Hoc autem in conceptibus citrà dubium est quid reale: nihilque falsius, quàm quod invariatâ trium propositionum quantitate, & qualitate affirmationis, aut negationis, possit diversus construi syllogismus. Alia argumenta, quæ hùc afferri possent, solventur in sequentibus.

## §. III.

## SECUNDA CONCLUSIO.

*Secundæ Intentiones obiectivæ, saltem prout ad Logicam pertinent, non consistunt in Ente rationis.*

15 Conclusio ista militat contrà secundam, & præcipuam Thomistarum sententiam, de quâ num. 7. *Probatur* 1.: denominatio *cognitri* non consistit in Ente rationis: ergo nec denominationes *generis*, *definiti*, *enuntiati*, &c., quæ sunt secundæ intentiones obiectivæ. Recentiores Thomistæ, concesso Antecedenti, negant Consequentiam, propter rationem infrà reijciendam. At Antecedens negarunt Thomistæ veteres, subscribentibus Araujo, & Sanchez, quibus novissimè accessit M. Aguilera. Auctores isti denominationes omnes extrinsecas, præsertim quæ sumuntur ab actibus animæ, formaliter constituunt per ens rationis; ita vt denominatio *visi* v.g., positis dumtaxat visione & colore, nondum existat nisi *fundamentaliter*, *causaliter*, aut *vialiter*, donec adveniat quoddam ens rationis, tanquam forma denominationis illius, vel saltem vt vnio & applicatio Visionis ad obiectum, quod tunc redditur *formaliter visum*. Contrà hos igitur Auctores.

16 *Prob. Antec.* 1.: denominatio *cognoscentis*, aut *videntis*, non consistit formaliter in Ente rationis, vt fatentur omnes: ergo nec denominatio *cogniti*, aut *visi*. Patet Consequentia: quia ex terminis, & seclusâ fictione, seu pro priori ad illam, denominatio passivæ vocis sequitur denominationem activæ, & ex eadem forma constituitur; nec altera sine alterâ existere potest; vt cernitur in denominationibus *Creantis* & *creati*, *Vincentis* & *victi*, *Offendentis* & *offensi*, &c.: creaturæ sunt Deo *cognitæ* ab æterno; sed ab æterno nullum est ens rationis, cùm nullus ab æterno fuerit Intellectus præter Divinum, qui non facit entia rationis, etiam iuxtà Adversarios: ergo &c.. Si dicas, creaturas ab æterno fuisse cognitas fundamentaliter, non formaliter: sic argumentor. Vel tò *fundamentaliter* negat, creaturas esse à Deo cognitas verè, propriè, & simpliciter, vel non?

17 Si primum: ergo Christus vt homo non est verè *præcognitus* à Deo,

Deo *ante Mundi constitutionem*, contra Sacræ Paginæ testimonium (b): imò nullus homo, vel Angelus, erit verè *prædestinatus* à Deo, priusquam faustissima hæc denominatio vmbratili rationis formâ compleatur in tempore; quod est mirabile. Adde quòd in Cœlo, à quo fictiones exulant, nec Deus erit propriè *visus* à Beatis, nec illi propriè *cogniti*, vel *dilecti* Deo per æternitatem. Si secundum: id vnum intendimus, denominationem *cogniti*, & alias extrinsecas, verè, propriè, & simpliciter existere pro priori ad entia rationis, non minùs quàm denominationes ab intrinsecâ formâ provenientes. Et hoc est existere *formaliter* denominationes, verè esse à propriâ formâ constitutas. Quòd autem vlteriùs fundamentum præbeant ad Ens rationis, quid refert? Non idcircò tale figmentum constituet denominationem *verè cogniti*, sed ad summum *fictè cogniti*: implicat enim, obiectum reddi verè cognitum à cognitione fictâ, vel fictè vnitâ, sicut verè lucidum à luce fictâ, vel fictè applicata. Et hinc—

18 *Prob.* 3.: ens rationis, quod fingitis, non est visio, nec cognitio, vt constat: ergo nequit esse forma denominationis *visi*, aut *cogniti*; quemadmodum *lucidum*, aut *calidum* constitui nequit à formâ, quæ non sit lux, nec calor; tam enim *visum* præferret visionem, quàm *lucidum* lucem. Sanè talis forma rationis à visione distat vt ens fictum ab ente verò, proindeque magis distat à visione, quam auditio; sed auditio nequit esse forma constituens *visum*: ergo nec forma rationis à fortiori. Aliunde nec ens rationis potest esse vnio vel applicatio intrinseca verè visionis ab obiectum: tum quia nullam est fundamentum, vt visio fingatur ab oculis avulsa, & in obiectum, v.g. Cœlum, translata: tum etiá quia non denominaretur obiectum *visum*, sed *videns*; hic enim est formalis effectus veræ visionis intrinsecè vnitæ. *Prob.* 4.: ipsum Ens rationis denominatur *formaliter cognitum*, & *fictum*, absque novâ fictione, per cognitionem fingentem, tanquam per formam vique extrinsecam, nec enti rationis intrinsecè inhærentem: quid ergo est, cur obiecta realia similiter denominari non possint.

19 *Prob.* 5. ex ipsâ denominatione *proximè fundamentaliter cogniti*, quæ certè extrinseca est; & tamen à cognitione reali constituitur citrà fictionem. *Prob.* denique perspicuo testimonio D. Thomæ 1. part. q. 85. art. 2. ad 2. ibi: *Cum dicitur Intellectum in actu, duo importantur, scilicèt res, quæ intelligitur, & hoc quod est ipsum intelligi... Ipsa igitur natura, cui accidit intelligi,.. non est nisi in singularibus: sed hoc ipsum quod est intelligi,.. est in Intellectu.* En denominationem extrinsecam, *Intellectum in actu*, ideest, *formaliter*, quod enim est intellectum, seu cognitum purè *fundamentaliter*, *causaliter*, aut *vialiter*, nondum est intellectum *in actu*, sed quasi *in potentia*. En itidem constitutam non per formam rationis intrinsecam rei denominatæ, vt volunt Contrarij, sed per formam, quæ est *ipsum intelligi*, existens *in Intellectu*. Quæ pro contrariâ opinione dicuntur, perstringemus inferiùs.

20 Iam Consequentia n. 15. contrà modernos Thomistas probatur: quia denominatio *generis, definiti, enunciati*, & similes, non minùs constituuntur formaliter à cognitione reali, quàm denominatio *cogniti*, ergo si hæc non indiget ente rationis

(b) 1. *Petri cap.* 1. ficto,

ficto, nec illæ in ligebant. *Prob. Antec.* Tum quia nulla ratio est, cur actus Intellectus denominet obiectum realiter quatenùs cognitio est, & non quatenùs talis cognitio, videlicèt præcisiva, definitiva, enunciativa: sicut albedo subiectum denominat, non solùm vt color, sed etiam vt talis color, nempe vt albedo; & electio voluntatis obiectum reddit, non modò volitum, sed electum; imò & actus Intellectus penes varias sui differentias obiectum denominat creditum, scitum, opinatum, apprehensum, iudicatum. Quapropter, vt sapienter aiebat M. Soto (c), *Sicut res dicitur cognita, quia obijcitur cognitioni, ita denominatur genus aut species in actu, quia obijcitur huic aut illi cognitioni.*

21 Tum etiam, quia Intellectus ab actu reali denominatur formaliter *definiens*, & *enuntians*, sicut à cognitione *cognoscens*: ergo ab eodem actu denominabitur obiectum formaliter *definitum*, & *enuntiatum*, sicut denominatur *cognitum*: hic enim pariter vrget connexio denominationum activæ & passivæ vocis, de quâ num. 16. Distinguunt Thomistæ in actionibus animæ duplex genus. Aliæ, inquiunt, sunt purè speculativæ, quæ nihil in obiecto ponunt, vt visio, absoluta cognitio, & amor: & hæ formaliter denominant tam obiectum, quàm potentiam, sine interventu entis rationis. Aliæ verò sunt quasi practicæ & effectivæ, quæ artificium aliquod in obiecto causant, vt omnis cognitio artificiosa: per hanc enim format Logica in obiectis artificium generis, definitionis, enuntiationis, syllogismi, non reale, sed fictum; sicut ars fabrilis per actiones manuum vt artificium reale domus in externâ materiâ. In his autem non eadem est forma denominationis activæ, & passivæ. Nam à cognitione reali denominatur quidem Intellectus *formaliter definiens*, at obiectum dumtaxat redditur *definitum vialiter*, & *in fieri*, quia à solo ente rationis ex cognitione resultante redditur *definitum formaliter*, & sic de alijs denominationibus logicis: non aliter ac artifex ab actione manus denominatur formaliter *ædificans*; domus tamen non redditur formaliter *ædificata*, nisi ab artificio per actionem inducto. Sic etiam non eadem est forma *calefacientis*, & *calidi*; nam altera est actio agentis, altera est calor ex actione resultans. Hæc est tota doctrina Recentiorum: qui addunt, nomina artefactorum Logicæ, vt *Genus*, *Definitio*, *Enuntiatio*, *Syllogismus* &c., verè & propriè convenire obiectis prout entis rationis decoratis: actibus autem Intellectus non nisi *impropriè*, *representative*, *causaliter*, aut *vialiter*.

22 Sed contrà hanc doctrinam cóclusio nostra promovetur 1.° quia falsò dicitur, quòd actio practica non sit forma denominationis passivæ, sicut activæ. Tum quia *ædificatum*, & *calefactum*, eâdem ex formâ constituitur, quâ *ædificans*, & *calefaciens*, videlicet ab actione: nam ab artificio non constituitur formaliter *ædificatum*, sed *ædificium*; nec à calore *calefactum*, sed *calidum*: at *ædificium*, & *calidum* non sunt denominationes passivæ vocis comparatione *ædificantis*, & *calefacientis*; vt Grammatici volunt. Tum quia Scientia Dei practica denominat Creaturas *practicè cognitas*; vt etiam dictamen Prudentiæ, licèt omninò practicum, denominat actus voluntatis *rationabiles*, *regulatos*, *directos*. Tum

(c) *q.* 3. *de Universal. art.* 1. *dub.* 2. quia

quia eadem physica productio denominat causam *producentem*, & effectum *productum*: & eadem cognitio fingens, quantumvis practica, reddit Intellectum *fingentem*, & Ens rationis formaliter *fictum*.

23 Promovetur 2.: Intellectus à cognitione reali denominatur formaliter *definiens*, & *enuntians*, vt conceditis; ergo cognitio est definitio, & enuntiatio verè ac propriè, & non purè repræsentativè, aut vialiter. Sic repugnat, quòd potentia denominetur *cognoscens*, *videns*, *ædificans*, nisi à formâ, quæ verè ac propriè sit cognitio, visio, ædificatio. 3.: hic actus, *animal rationale*, saltem reddit essentiam hominis *cognitam*, & *repræsentatam*, cum non sit practicus, sed speculativus respectu hominis: ergo reddit manifestum id, in quo homo proximè convenit, & id, in quo differt ab omni non homine. Hoc autem est hominem reddi *definitum*; nec aliud scientiæ quærunt in definiendo.

24 Promovetur 4.: cognitio ista, *Homo est animal*, nullum ens rationis in obiecto fingit: ergo se ipso formaliter constituit *subiectum*, *prædicatum*, & *enuntiatum*: ergo id ipsum de cæteris actibus artificiosis tenendum. Antecedens, vnicè dubium, probatur: Si aliquid fingeret, maximè relationem ac distinctionem intrinsecam inter hominem, & animal; sed hoc non fingit: ergo &c. Maior est Thomistarum, qui putant, Intellectui quoties affirmat, necessariò obijci subiectum & prædicatum, vt vnum & aliud, sive vt duo extrema intrinsecè & ex parte obiecti distincta. *Prob. Min.*: actus ille concipit ex parte obiecti identitatem animalis & hominis: illam enim affirmat expressè, vt etiam omnis propositio affirmativa iuxtà D. Thomam (d): ergo non concipit ex parte obiecti distinctionem intrinsecam animalis & hominis. *Prob. Consequ.*: quia aliàs conciperet ex parte obiecti infignem chymeram, qualis est simultanea identitas & distinctio intrinseca, seu distinctio & indistinctio intrinseca: non aliter ac qui Angelum conciperet spiritualem, & simul intrinsecè corporeum.

25 Nec prodest trita doctrina Thomistarum, quòd scilicet ille actus directè, signatè, & speculativè solùm concipit realia hominis prædicata; Ens verò rationis concipit exercitè, practicè, & indirectè. Nam hæ voces non negant, distinctionem intrinsecam propriè obijci, & cognosci ab illo actu, aliàs hic non fingeret, nec faceret Ens rationis, quod certè non est, nisi dum actu cognoscitur (e): ergo simul actu cognoscitur, & obijcitur Intellectui distinctio & indistinctio intrinseca animalis & hominis. At hoc semper est obiectum chymericum, non minùs quàm si eadem cognitio Angelum concipiat speculativè spiritualem, & simul practicè corporeum, vel hominem signatè rationalem, & exercitè irrationalem.

26 Urgetur: actus ille, si fingit quod Thomistæ volunt, necessariò est falsus. Probatur absurda sequela. Tum ex D. Thomâ 1. part. q. 85. art. 1. ad 1. ibi: *Cum dicitur, quòd Intellectus est falsus, qui intelligit rem aliter, quàm sit, verum est, si ly aliter referatur ad rem intellectam: tunc enim Intellectus est falsus, cum intelligit, rem esse aliter, quàm sit.* Sed actus, fingens hominem ab animali distinctum, rem intelligit aliter quàm

(d) 1. p. q. 13. art. 12. C. (e) Vid. Colleg. S. Thom. q. 2. Logic. n. 92.

quàm sit, ita vt by *aliter* referatur ad rem intellectam, siquidem ea distinctio, & omne ens rationis logicum, se tenet ex parte obiecti, & rei intellectæ, vt Thomistæ conuenimus: ergo talis actus necessariò falsus euadit. Tum etiam, quia nonnisi falsò affirmatur de homine animal intrinsecè distinctum ab ipso. Dices cum Palanco, & Collegio S. Thomæ (f), enuntiationem mentalem non esse falsam, quia, licèt concipiat rem aliter quàm sit, fingendo ens rationis, non illud fingit *iudicativè & affertivè*, sed *purè apprehensivè*. Verùm euasio ista efficaciter impugnatur.

27 1.: quia iuxta D. Thomam 1. p. q. 17. art. 3. C., non solum in iudicio, sed in apprehensione contingit falsitas, dum fociantur obiecta, quæ fociari non possunt, vt si ita concipias, *animal rationale quadrupes*: quamvis ergo purè apprehensivè focietur distinctio cum identitate, falsus evadet actus. 2.: si quis affirmet animal de homine, quem apprehendit identificatum cum equo, falsò iudicabit; vt etiam, si Deum, quem apprehendit finitum, affirmet esse infinitum; quia reale prædicatum affirmat de Deo, vel homine chymerico: at homo etiam apprehenditur chymericus, dum apprehenditur intrinsecè distinctus ab animali, cum ea distinctio non minùs ipsi repugnet, quàm identitas cum equo: ergo de homine sic apprehenso non verè affirmatur animal.

28 3.: mentalis enuntiatio, si cognoscit ens rationis debet illud cognoscere iudicativè. Probatur: enuntiatio cognoscit ens rationis, quatenùs est formaliter iudicium, & secunda Intellectus operatio condistincta ab apprehensione purâ; sed enuntiatio sic accepta iudicativè tendit, & non purè apprehensivè: ergo &c.. Minor videtur evidens: nam tendentia purè apprehensiva non discernit formaliter secundam operationem à primâ, seu iudicium ab apprehensione. *Prob. Mai.*: enuntiatio per vos cognoscit ens rationis quatenùs formar subiectum & prædicatum, ea distinguendo & referendo, seu quatenùs *dicit vnum de alio*; sed enuntiatio, quatenùs hoc præstat, est formalissimè iudicium, & secunda mentis operatio vt talis: ergo quatenùs talis est, & quatenùs ex proprio charactere discernitur à purâ apprehensione, cognoscit ens rationis.

29 Aliter: enuntiatio mentalis, vel cognoscit Ens rationis secundùm tendentiam iudicativam, vel non. Si primum: ergo ens rationis cognoscitur iudicativè, quemadmodum cognoscitur apprehensivè, quod secundùm tendentiam apprehensivam cognoscitur. Si secundum: ergo, cum tendentia iudicativa sit formatio subiecti, & prædicati, vt est evidens, formatio ista nihil fingit, proindeque subiectum & prædicatum in esse talium nullo figmento constituuntur. Aliter adhuc: per vos, iudicium, quatenùs iudicativè cognoscens, nihil fingit; sed quatenùs iudicativè cognoscens, est formaliter iudicium, & secunda mentis operatio: ergo, quatenùs iudicium, & secunda operatio est, nihil fingit. Atqui iudicium, & secunda mentis operatio vt talis, est dirigibilis à Logicâ, vt conceditis: ergo prout nihil fingens, à Logicâ dirigibilis est; quod nos volumus, & vos impensè negatis. Adde quod iudicium, vtà Thomistis ponitur, reddit hunc sensum, *Homo distinctus ab animali est*

(f) *q. 1. num. 139. in Editione 5.* —— *ani-*

*animal distinctum ab homine*; vbi proculdubiò cognoscitur iudicativè distinctio animalis ab homine, quæ est ens rationis.

30 Denique, iuxtà doctrinam Thomistarum (g) nulla mentalis propositio possibilis est, quæ non practicè fingat, & in obiecto cognoscat Ens rationis. Unde sequitur, quòd hic actus Fidei, *Deus est sanctus*, fingit distinctionem, & relationem intrinsecam inter Deum & eius sanctitatem. Hoc autem falsum esse, constat 1.: quia alioquin Deus foret specialis Author istius fictionis, vtpote resultantis, ac per se pendentis ab habitu Fidei, cuius Deus est Author specialis. 2.: quia actus Fidei nihil attingit, nisi vt à primâ Veritate revelatum, cuiusmodi certè non est illud figmentum. 3.: quia ob similem rationem absurdè diceretur, ex actu Charitatis necessariò resultare malitiam aliquam: tam enim opponitur veritati fictio, quàm malitia bonitati. Hæc planè confirmat D. Thomas (h) his verbis: *Ratio formalis obiecti Fidei est veritas prima: vnde nihil potest cadere sub Fide, nisi in quantum stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest: sicut nec non ens sub ente, nec malum sub bonitate.* Adde quòd omnes propositiones Sacræ Paginæ, & à Christo Domino formatas, quæ Verbo tribuuntur, fictionibus fœdare oportebit.

## §. IV.

## TERTIA CONCLUSIO.

*Ens rationis absolutè reiiciendum est ab obiecto Logicæ formali.*

31 PRob. 1. auctoritate D. Thomæ in Procem. Ethic. seu Lect. 1., vbi distinguens diversos obiectorum ordines, docet, quòd Logicæ pro obiecto respondet *Ordo, quem Ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos adinvicem*; sicut Philosophiæ morali respondet *Ordo, quem Ratio considerando facit in operationibus Voluntatis*; & sicut artibus mechanicis respondet *Ordo, quem Ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in arca, & domo*; & sicut Philosophiæ naturali respondet *Ordo rerum naturalium, quem Ratio non facit, sed solùm considerat.* Addit, quòd *secundùm hos diversos ordines sunt diversæ scientiæ*: vnde apertè loquitur de Ordine, qui sit obiectum formale & specificativum; hoc enim solum diversificat scientias: id quòd etiam patet in Ordine assignato Physicæ, Ethicæ, & arti mechanicæ.

32 Iam sic: ergo obiectum Logicæ formale iuxtà D. Thomam, est Ordo, quem Ratio facit in *proprio actu*, nempe *cum ordinat conceptus suos adinvicem.* At moderni Thomistæ pro obiecto Logicæ formali ponunt ordinem, non quem Ratio facit in proprio actu, sed quem fingit in obiecto, non quo suos conceptus, sed quo sua obiecta ordinet adinvicem. Rursus: ergo ordo, quem Logica respicit, non fictus, sed realis est. Tum quia illum Ratio *facit*, non *fingit*. Tum quia moderni Thomistæ in ipsis actibus Intellectus non agnoscunt Ens rationis, quo ordinentur adinvicem, sed tantùm in obiectis. Tum maximè, quia D. Thomas eiusdem indolis esse dicit ordinem Logicæ, ac ordinem Ethicæ, & artis mechanicæ, vt patet ex illis verbis, *Quem Ratio considerando facit.* At Ordo partium arcæ, vel domi, certè non

(g) *Curs. Collig. S. Thomæ q. 1. §. 5. n. 126. & 129.* (h) *2. 2. q. 1. art. 5. ad 2.*

non fictus, sed realis est. Unde iure mireris, quòd hunc locum D. Thomæ pro se allegent Thomistæ, propter illud, *Considerando facit.* Quasi verò D. Thomas non eâdem phrasi vteretur circà ordinem artis, vel domi: vel quasi Ratio non posset *considerando facere* ordinem verum, & realem, quoties considerat opus artis factibile, & eius præconcipit ideam, per quam deinde opus ordinatum facit, non physicè influendo, sed *considerando*, idest, directivè, idealiter, aut exemplariter.

33 *Prob. 2.*: Intentio vniversalitatis, quam Logica respicit pro formali, non est ens rationis purè obiectivum: ergo nec aliæ partes obiecti Logicæ. Consequentia legitima est apud Thomistas, qui nullibi clariùs vident encia rationis, quàm in Universalibus. *Prob. Antec.* expressis D. Thomæ testimonijs. Nam Opusc. 55. distinguit *duplex esse Universalis: vnum, secundùm quod est in rebus: aliud, secundùm quod est in anima. Et quantum ad istud esse, quod est rationis, habet rationem Prædicabilis: quantum verò ad aliud esse, est quædam natura, & non est Universale actu, sed potentia.* Quæve nunc à D. Thomâ, quid sit *istud esse*, quod *est rationis*, & quod *est in anima*? in co quippe sita est iuxtà omnes vniversalitas, sive intentio Universalitatis. Universale, inquit Angelitus, *est in anima secundùm suam similitudinem, & speciem.* Addit: *Universalitas ipsa est in anima, & nullo modo in rebus.* Infrà: *Utrùm autem* Universale *sit substantia, vel accidens, dicendum, quòd per comparationem, quam habet ad animam, est accidens, & est dispositio quædam in anima, & est vnum de individuis scientiarum, vel formarum.* Subsumo: Sed Ens rationis non est similitudo & species obiecti; nec ita est in animâ, vt *nullo modo* sit in rebus, cum potius rebus inesse fingatur vt artificium in propriâ materiâ; nec item est accidens, aut dispositio quædam in animâ, vel vnum de individuis scientiarum; hæc enim propria sunt lineamenta cognitionis realis: ergo &c.

34 Audi clariora, si fieri potest. Opusc. 56. docet D. Thomas, quòd præcisiva *Cognitio facit Universale esse in actu Universale, & est quoddam formale in Universali*: ergo forma Universalis in actu, non est merum ens rationis. Pergit: *Loquendo de Universali secundùm quod Universale, est solùm in anima, & est accidens*: ergo non est figmentum ex parte obiecti se tenens, & ab omni ente reali distinctum. Subdit: *Unum est advertendum, quòd cum dicitur, Res subiecta intentioni secundæ prædicatur, non est intelligendum, quòd res illa ita sit subiecta intentioni, quòd sit in ea tamquam accidens in subiecto: sicut subiectum scientiæ non dicitur hoc modo subiectum, vt scientia sit in eo tamquam in subiecto; sed in eo est tamquam in obiecto. Scientia enim non est in scibili, sed in sciente. Unde propriè loquendo non dicitur subiectum, sed obiectum scientiæ. Et similiter res subiecta illi intentioni, non dicitur propriè subiecta, sed obiecta.*

35 Accommoda, si potes, doctrinam istam enti rationis purè obiectivo, quod fingis esse in re, sicut statuæ artificium est in lapide. Au non potius hæc secunda intentio descripta à D. Thomâ, evidenter est cognitio realis, quæ non est in obiecto, sed in cognoscente vt in proprio subiecto? Si adhuc dubitas, audi D. Thomam ibidem: *Huiusmodi intentio est in anima, & est quid singulare: quod*

*quod est, quia vnumquodque recipitur in alio secundùm modum recipientis... Cum ergo anima sit singularis, oportet quòd quidquid recipitur in anima, singulariter recipiatur, & sit respectu eius singulare.* Infrà: *Intentio, quæ est in anima, immaterialis est, & oportet, quod sit in ea per modum eius, vt suprà dictum est.* Intentio igitur Vniversalitatis ita est ens rationis, vt recipiatur in animâ tamquam in subiecto, ideoque sit ens spirituale, & singulare. Cur ergo tantopere indignantur Thomistæ, quòd Ens rationis à D. Thomâ positum pro obiecto Logicæ, dicamus esse, non *purè obiectivum*, sed *subiectivum*? Vide alia in vtroque Opusculo: nam vtrumque Thomistis adversatur ex integro; vt etiam Opusc. 49. & 48. cap. 1. 2. & alijs.

36 Sed nequis forsan Opusculis istis vt incertis diffidat, moneo, doctrinam valdè consonam tradi à Doct. Angelico Opusc. de Ent. & Essent. cap. 4.: item q. 7. de Potent. art. 6. C., vbi inter alia docet, quòd Intellectus non aliter cognoscit Genus, Speciem, & similes intentiones, nisi quatenùs *in seipsum reflectitur*, & *intelligit res esse intellectas*, ipsique pro obiecto *respondet solùm res intellecta, secundùm quod huiusmodi.* Videatur etiam 1. p. q. 85. art. 2. ad 2.: necnon in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. C., vbi §. *Quantumad primum*, cum doceatur, quòd *ratio* rei est *ipsa rei definitio* (quæ certè includit intentionem Generis & Differentiæ), monet, quòd *ratio*, vel *intentio, quam significat nomen rationis*, non est *in re extra animam*, sed est *in anima*, *sicut in subiecto.* Vide vsque ad finem articuli, ex quo multa notare poteris contrà doctrinam Thomistarum.

37 *Prob.* 3.: Logica inventa est, vt Intellectus *in ipso actu rationis ordinatè*, & *sine errore procedat* (i); ideoque *ad Logici considerationem spectat, vt per rectam ratiocinationem ad rei veram cognitionem perveniat, & falsam ratiocinationem vitando, errorem falsitatis evitet* (k): ergo Logica non intendit formaliter, vt intellectus fingat Entia rationis. *Prob. Conseq.*: quia fingere non est ordinatè & sine errore procedere in ipso actu rationis, sed est potiùs inordinatè concipere, falli, errare, & veritati contraire. Patet hoc: nam fingere est rem intelligere aliter quàm sit, vt fatemini. At M. Augustino iudice (l), *Quisquis vllam rem aliter, quàm ea res est, intelligit, fallitur: & omnis, qui fallitur, id, in quo fallitur, non intelligit.* Quem locum exponit D. Thomas (m) de alietate, quæ concipiatur *ex parte rei intellectæ. Quia si quis* (inquit) *intelligeret eam aliter, quàm sit, falleretur, & non intelligeret, vt arguit Augustinus.* Addit Angelicus (n): *Veritas Intellectus in hoc consistit, quòd intelligatur res esse sicuti est.* Si ergo Logica docet rem concipere, non sicuti est, sed aliter quàm sit, alietate se tenente ex parte obiecti, vt Thomistæ volunt; nonnè magis erit magistra erroris, quàm veritatis?

38 Dicunt: fingere cum fundamento, non est errare; sed errare, est fingere gratis, & sine fundamento. *Contra* 1.: fingere cum fundamento, est intelligere rem aliter, quàm ea res est, vt conceditis; sed *Quisquis vllam rem aliter, quàm ea res est, intelligit, fallitur*, vt nuper aiebat Augustinus: ergo fingere cum fun-

(i) *Ita D. Thom.* 1. *Poster. Lect.* 1. (k) *idem Opusc.* 9. *de fallacinitiis.*
(l) *L.* 83. *qq. q.* 32. (m) 1. *p. q.* 85. *art.* 7. *C.* (n) *ici ad* 2.

fundamento, est falli, & errare. *Contra* 2. tunc fictio dicitur esse cum fundamento, quando obiectum invitat, aut occasionem præbet ad fingendum. At occasio ista non tollit errorem. Sic assertivè, seu iudicativè cognoscere rem aliter, quàm est, licèt cum magno fundamento, vel occasione, verè est decipi, & errare. Sic etiam verè errat, qui Romam pergens, rectam viam deserit ex testimonio viri gravis. Sic item qui peccat vehementer tentatus, verè peccat. Et hinc, sicut Philosophia moralis non intendit, nec approbat peccatum admixtum actibus voluntatis, licèt cum magna occasione commissum; ita nec Logica intendit, aut approbat fictionem quantumcumque fundatam: Logica quippe respicit rectitudinem actuum Rationis, sicut Ethica rectitudinem actuum Voluntatis, vt docet D. Thomas in Procem. Ethic. & sæpè aliàs.

39 Urgetur: Logica formaliter intendit instrumenta sciendi, & assequendi Veritatem; sed figmenta quibus res concipitur aliter, quàm sit, nequeunt esse instrumenta scientiæ, aut veritatis, quæ consistit in concipiendo rem sicuti est: quemadmodum tenebræ nequeunt esse instrumenta lucis, nec vitia Virtutis, nec morbi sanitatis: ergo &c. Dicunt, figmenta ex imperfectione mentis humanæ vtilia esse, & necessaria ad rectè cognoscendum: quemadmodùm vitrea conspicilia, quæ litteras, & alia obiecta repræsentant grandiora, quàm sint in se, visum debilem iuvant ad meliùs videndum. *Contra*: Vitrea specilla, quæ repræsentant vt duplex quod est vnum, vel vt vnum, quod est duplex, vel figuram invertunt repræsentando litteram *A* vt *B*, vel artificium domus vbi non est? procul dubio sunt instrumenta errandi, non meliùs videndi: sed talia sunt vestra entia rationis, dum scilicèt in Genere proponunt vt intrinsecè vnum quod in se est multiplex; in Enuntiatione subiectum, & prædicatum vt intrinsecè duo, cum in re sint vnum, & idem; & in alijs obiectis artificium definitionis, syllogismi, &c., quod reipsa non est: non ergo sunt instrumenta rectè cognoscendi, sed fallendi, & errandi.

40 Profectò, quòd homo per vitrea specilla videat obiectum vt grande, ficque illud apprehendat, nequit esse conditio necessaria vel vtilis, vt homo videat obiectum esse parvum, atque ita iudicet: ergo quod mens per ficta specilla apprehendat hominem vt ab animali distinctum, nequit esse conditio vtilis, vt mens iudicet, hominem esse animal, seu esse indistinctum ab animali: neque enim minùs pugnat cum indistinctione distinctio, quàm cum granditate parvitas. Quomodò autem vitrea specilla visui repræsentent obiectum aliter quàm sit, explicent Thomistæ, qui negant, à sensibus fieri entia rationis; & certè ab specillis fieri, nemo dixerit. Ad nos quod attinet, alietas illa nihil obest: nam vitrum, quod grandit obiecta, non conducit, vt rectè iudicetur de magnitudine; sed tantùm de figurâ, in quâ nulla repræsentatur alietas.

41 *Prob.* 4.: artificium Demonstrationis non est ens rationis: ergo nec artificium aliorum Logicæ artefactorum. *Prob. Antec.*: artificium demonstrationis causat scientiam, vt cum Aristotele docent omnes; sed ens rationis non causat scientiam, alioquin verus & realis effectus penderet à causâ, quæ non

est, nec esse potest in rerum naturâ: ergo &c. Thomistæ, qui demonstrationis artificium agnoscunt in ipsis actibus Intellectus, dicunt, ens rationis causare scientiam, non per modum virtutis (sic enim soli reales assensus causant), sed per modum conditionis, & applicationis. Id ipsum dicunt moderniores Thomistæ, qui demonstrationem propriè talem collocant in solis obiectis ente rationis ornatis: ab his enim, inquiunt, causatur scientia, non effectivè, sed obiectivè, sic tamen, vt ens rationis non sit virtus & ratio formalis causandi, etiam obiectivè, sed mera conditio requisita: non aliter ac in exercitu instructo milites vincunt, & in domo lapides à Sole & frigore protegunt, quin ideo ordo aciei, vel artificium domi, sit virtus vincendi, aut protegendi, sed mera conditio sine qua non.

42 Sed, vt ab his ordiar exemplis, quis non videat difficultatem insolutam? Contendimus, effectum realem non posse ab artificio ficto causari: & nobis obijcitur victoria, & protectio, quæ pendent ab artificio militari, & fabrili. Numquid ordo militum, vel collocatio lapidum, est ens rationis? Nemo dubitat, quosvis effectus reales pendere posse à conditione reali, v.g. à locali applicatione causarum. Num inde inferas, posse etiam quosvis effectus ab applicatione fictâ pendere? Succurrunt Carmelitæ complutenses (o), & exempla suggerunt opportuniora, nimirùm significationis ad placitum, quæ cum sit ens rationis, est conditio necessaria, vt vox causet speciem & notitiam obiecti; imò & Gratia ipsâ pendet à significatione Sacramentorum, vt à conditione, quæ est ens rationis. Macte virtute Ens rationis inclytum; quoniam ad tantam dignitatem proveheris, vt à te pendeat Gratia Sacramentalis, quæ vita nostra, & salutis æternæ pignus est. Sed vereor ne dignitas ista non sit firma satis: ea quippe exempla à nostris Auctoribus negantur, & meritò. Nam Baptismus Gratiam causat, & vox *panis* excitat notitiam obiecti, etiamsi nemo tum cogitet de ente rationis; hoc autem ens non existit, nisi dum cogitatur.

43 Prætereà doctrina solutionis impugnatur: quia in primis Ens rationis nullo titulo potest esse cõditio requisita, vt reales assensus scientiam causent: nam conclusio scientifica nihil aliud prærequirit, quàm quòd convincatur Intellectus de identitate extremorum cum medio: convincitur autem ipsâ præmissarum evidentiâ, quæ per semet applicatur Intellectui, & ipsi præstat suum effectum formalem: non ergo requiritur ens rationis, nec vt virtus, nec vt applicatio virtutis. Deinde nec ens rationis ex parte obiecti positum, valet esse conditio requisita ad Scientiam, v.g. Physicam. Tum ex supra dictis: nam Scientia acquiritur cognoscendo rem sicuti est: quomodò autem ad hoc erit necessaria conditio, quæ rem figurat aliter ac est? Vel quomodò obiectiva distinctio subiecti & prædicati reddet scibilem indistinctionem, sive identitatem vtriusque? Tum quia sequeretur obiectum Physicæ, & cuiusvis scientiæ ab ente rationis constitui in esse proximè scibilis; sicut acies ab ordine militum constituitur in esse proximè potentis vincere: vnde, sicut ordo militum de formali se habet ad victoriam, & hæc per se pendet ab illo, verèque illi tribuitur; ita se ha-

(o) *Disp. 1. proœm. q. 2. §. 4. n. 25.*

habebit Ens rationis ad omnem scientiam. Numquid annuent Theologi, aut Mathematici? Mitto quòd Cœlum v.g., sicut ente rationis non indiget vt sit, ita nec vt verè cognoscatur, aut sciatur: nam vt cum Aristotele (p) inquit D. Thomas (q), *Unumquodque, sicut se habet ad hoc quod sit, ita etiam se habet ad hoc quod habeat veritatem. Et hoc ideò, quia esse rei est causa veræ existimationis, quam mens habet de re.*

44 Probationes alias, apud nostros Auctores obvias, sciens prætereo, vt aliquando finem faciam. Ex dictis inferes, etiam si entia rationis necessariò irrepant in Logicæ obiecta, vel artefacta, à Logicâ non curari, sed despici, non præcipi, sed permitti, vel tolerari, quia penitùs abigi non possunt vmbratiles istæ muscæ. Sic aliæ scientiæ, licèt in suis obiectis multa passim offendant entia rationis (vt cum Theologia ratione distinguit Attributa Dei, quæ distinctio est Ens rationis obiectivum apud Thomistas), ea contemnunt, obiecto reali solùm intentæ. Sic etiam, si patri claudo facem præferas, vt redeat domum, licèt ille passim ambulando claudicet, ac cæspitet, nec tu vel eius emendare tibias, vel obvia saxa removere possis; non ideò diceris intendere, seu velle claudicationem, & casum, quem potiùs doles: sed tantùm intendis, vt pater tandem perveniat domum. Similiter ergo se gerit Logica, quæ fida proles est Intellectus, dum ipsi facem præfert, vt ad Veritatem perveniat. Sanè Thomistæ (r) in actibus Intellectus, v. g. in hoc, *Animal rationale*, duplicem agnoscunt repræsentationem: aliam primariam & signatam, quæ terminatur ad prædicata realia hominis; aliam secundariam & exercitam, quæ terminatur ad Ens rationis: quas vsque adeò distinguunt, vt sola secunda fit actio dirigibilis à Logicâ; prima verò sit finis Logicæ mediatus, & remotus. Cur ergo nobis non liceat ex adverso dicere, solam primam à Logicâ procurari, & secundam omninò contemni?

## CAP. V.

*Exarmantur argumenta contraria.*

1 *Obijc.* 1. pro sententiâ constituente denominationes extrinsecas per Ens rationis. Denominatio *cognoscentis* petit formam intrinsecam: ergo & denominatio *cogniti*. Sed forma intrinseca obiecto cognito non est cognitio realis: ergo est forma ficta. Insto: ergo denominatio *cogniti* petit formam, non fictè, sed verè intrinsecam, sicut denominatio *cognoscentis*. Itaque *neg.* 1. *Conseq.* Disparitas in eo est, quòd *cognoscere* est perfectio subiecti: *cognosci* autem, vel *esse cognitum*, non est perfectio obiecti. *Replic.* 1.: cognitio non applicatur, nec vnitur obiecto: ergo nequit illud denominare. *Resp.* Non applicatur per contactum, aut penetrationem: benè tamen per terminationem, seu tendentiam respicientem illud obiectum vt terminum; quæ tendentia vocari potest vnio intentionalis; nec maior necessaria est ad hoc genus denominationum: & insto in denominatione *fundamentaliter cogniti*.

2 *Replic.* 2.: si cognitio ali-

(p) 2. *Metaph. cap.* 1. (q) *Ibi lect.* 2. *litt. a* — (r) *Vid. Colleg. S. Thom. quæst.* 1. *num.* 103. & 129.

quomodò applicatur obiecto, cur non illi tribuit, ſicut Intellectui, denominationem *cognoſcentis*? Quæro invicé, cur nó illud denominat *proximè fundamentaliter cognoſcens*, ſicut *cognitum*? Vel cur cognitio non denominat Ens rationis *fingens*, ſicut *fictum*? Cognitio igitur hoc habet ſuapte naturâ, vt non denominet *cognoſcens*, niſi id, cui vitaliter immanet, nec *cognitum*, niſi id, quod repræſentat. Immanet autem ſoli Intellectui, & repræſentat ſolum obiectum. Ubi duo nota. Alterum; quòd ſubiectum illius denominationis (nempe res, quæ cognoſcitur) non eſt *ſubiectum inhæſionis*, ſed *ſubiectum puræ denominationis*, atque adeò non propriè *ſubiectum*, ſed *obiectum*, vt in ſimili nos docuit D. Thomas cap. præc. num. 34. Alterum; quòd *denominatio* non hìc ſumitur pro nominis impoſitione, ſed pro ſignificato nominis, ſcilicèt pro effectu, vel quaſi effectu formali refuſo à formâ in ſubiectum, vel obiectum.

3 *Replic.* 3. ex M. Aguilera (a): denominatio *cognoſcibilis*, aut *ſcibilis*, eſt relatio rationis: ergo & denominatio *cogniti*, & quævis alia extrinſeca. *Prob. Antec.* ex D. Thoma (b) ſic aiente: *Relatio, qua ſcientia refertur ad ſcibile, eſt realis: relatio verò, qua ſcibile refertur ad ſcientiam, eſt rationis tantùm.* Nec dicas, ſcibile intelligi poſſe abſque relatione ad ſcientiam, licèt hæc intelligatur relata ad ſcibile: nam, vt ait idem D. Thomas (c), *Intellectus noſter non poteſt intelligere aliquid relatum alteri, quin reintelligat relationem ex oppoſito. Confirm.*: *Eſſe cognitum* non eſt aliquod eſſe reale: ergo rationis. *Prob. Antec.*: per illud *eſſe* non conſtituitur ſubiectum in aliquo Prædicamento, ſive in aliquo genere entis realis: tum quia aliàs, ceſſante cognitione, obiectum cognitum amitteret aliquod eſſe reale; quod eſt abſurdum: tum quia illud *eſſe* non eſt qualitas, nec actio vel paſsio, nec relatio realis in ſubiecto, aliàs eſſet quid intrinſecum ipſi: nequit autem ad aliud Prædicamentum pertinere.

4 *Reſp. ad replic. neg. Antec.*: nam denominatio *ſcibilis* ſpectari poteſt, vel vt intrinſeca, ſicque formaliter conſiſtit in reali obiecti capacitate, vt ſciatur; vel vt extrinſeca, ſicque tamquam ab vnicâ formâ conſtituitur vel ab actu ſcientiæ poſſibili, vel à vi cognitivâ Intellectus. *Ad prob.*: nè intempeſtivè immoremur implexis de Relatione quæſtionibus, permitto, relationem ſcibilis ad ſcientiam, eſſe diſtinctam ab actu Intellectus comparativo, & ab omni ente reali, itemque ſcibile vt tale non poſſe à nobis intelligi ſine mutuâ relatione ad ſcientiam. Nego tamen, ab eâ relatione conſtitui denominationem *ſcibilis*: hæc enim in abſoluto conſiſtit, licèt à nobis concipi non poſsit, niſi relativè, ſeu adinſtar denominationis relativę: quèadmodùm Angelum pro hoc ſtatu concipere non poſſumus, niſi connotativè ad corpus, vel inſtar corporis, quin ideò corpus, vel connotatio corporis ſit forma conſtituens *Angelum* in eſſe talis. Hoc maximè locum habet in principijs Aguilerę, (d) qui non admittit relationem rationis attributam, aut applicatam obiecto, vel apprehenſam quaſi in obiecto ſit; ſed ſeorſim conceptam in-

(a) *L. 2. Logic. q. 2. §. 1.*
(b) *q. 21. de Verit. art. 1. C.*
(c) *q. 1. de Pot. art. 1. ad 10.*
(d) *q. 7. num. 14. 21. & ſeqq.*

indirectè, siue *vt quo*: nam simili planè modo apprehenditur corporeitas, dum cognoscitur Angelus.

5 Ad *Confirm. neg. Antec.* Ad probationem: illud *esse* in concreto sumptum non pertinet ad vnum Prædicamentum, cum non habeat vnitatem, quam requirit res in Prædicamento locanda, sed sit aggregatum ex cognitione, quæ est accidens, & ex obiecto, quod est substantia, vel aliud quid. Vnde per illud *esse* non constituitur subiectum in aliquo Prædicamento. Ipsum tamen *esse cognitum*, in abstracto sumptum, seu penès formam, pertinet ad Prædicamentum Qualitatis, vel, si mavis, Actionis; quin ideò debeat esse quid intrinsecum obiecto, nec obiectum, cessante cognitione, amittat aliquod esse reale intrinsecum, sed purè extrinsecum. Dices: *esse cognitum* non supponit pro aliquo *esse*, quod sit in Intellectu, aliàs hic denominaretur cognitus. Nego assertum: iam enim num. 2. rationem dedimus, cur istud *esse* non tribuit Intellectui denominationem *cogniti*. Denique tota obiectio cum confirmatione perspicuè infringitur in denominatione *proximè fundamentaliter*, aut *causaliter cogniti*, quæ iuxtà Aduersarium constituitur per cognitionem realem; cum tamen sit denominatio extrinseca, & in eâ militet quidquid nobis obijcitur.

6 Hìc obiter nota, iuxtà eumdem M. Aguilera (e) obiectum esse *realiter visum*, etiamsi nullus Intellectus existat, aut cogitet, adeòque priusquàm existat Ens rationis, quia scilicet fundamentum istius denominationis, nempe visio, realiter existit independenter ab operatione Intellectus. Vnde sic arguo: implicat, denominationem verè existere pro priori ad formam, quâ constituitur, etiamsi detur fundamentum proximum, aut causa proxima talis formæ: Si ergo denominatio *Visi* verè existit ante Ens rationis, hoc non est propria illius forma. Patet *Antec.*: quia alioquin vere existeret homo pro priori ad animam ex vi vltimæ dispositionis materiæ vt animetur: verè item existeret denominatio *cognoscentis*, aut *videntis*, pro priori ad cognitionem, aut visionem, hoc solùm, quòd species obiecti applicetur potentiæ expeditæ. Certè fundamenta ista multò fortiùs ac propinquiùs connectuntur cum animâ, cognitione, visione, quàm visio ipsa cum ente rationis, vt est evidens: & tamen, quandiu absunt eæ formæ (vt si per miraculum impediantur), subiectum magis est inanimum, quàm animatum, & potentia magis est non videns, quàm videns: ergo, quandiu abest ens rationis, obiectum magis est non visum, quàm visum: vnde etiam absurdè sequitur, quòd S. Paulus ab æterno magis erit *non prædestinatus*, quàm *prædestinatus*.

7 *Obijc.* 2. pro sententiâ Thomisticâ principali: Ens reale nequit esse formale obiectum scientiæ, nisi sub aliquâ abstractione à materiâ: at prout abstrahit à materiâ singulari, est obiectum Physicæ; prout abstrahit à materiâ sensibili, Mathematicæ; prout abstrahit à materiâ intelligibili, Metaphysicæ; nec aliud genus abstractionis possibile est iuxtà D. Thomam: cum ergo Logica sit scientia à tribus hisce distincta, obiectum eius non est ens reale, sed ens rationis, quod à Logicâ respicitur sub abstractione ab omni materiâ *negativè*, idest, titulo imperfectionis. Hoc argumentum, mag-

(e) *L. 2. q. 2. num. 150.*

ni habitum ab alijs Thomistis, debile putat magnus Entis rationis protector Cardinal. Aguirre. Nam ex eo sequitur, non dari circa ens reale plusquam tres illas species scientiarum; quod esse aperte falsum, ostendunt Ethica, & Medicina.

8 Præterea, sicut intrà communem abstractionem à materiâ sensibili sunt plures scientiarum species omninò diversæ, vt Arithmetica, Geometria, Astronomia, & aliæ, quia diversum specificè modum servant abstrahendi à materiâ sensibili; cur non idem contingat intra cómunem abstractionem ab omni materiâ, etiam intelligibili? Poterit igitur obiectum Logicæ convenire cum obiecto Metaphysicæ in abstractione ab omni materiâ, simulque differre in speciali modo, seu titulo abstrahendi, nempe titulo signi formalis artificiosè manifestantis ignotum. Hæc in summâ laudatus Aguirre. Adde, quòd abstractio ab omni materiâ *negativè*, comprehendit omne Ens rationis quà latè patet: & tamen iuxtà Thomistas non curat Logica de omni Ente rationis, sed solùm de spectante ad artificium Modi scien-di: iam ergo intra eamdem communem abstractionè (quæ etiam, secundariò saltè, pertinet ad Metaphysicã) Logica modum invenit seligendi sibi quædam entia, relictis alijs. Cur igitur idipsum præstare nequeat circà entia realia intra communem abstractionem ab omni materia?

9 *Obijc.* 3.: Dialectica iuxtà Aristotelem (f) extenditur ad omnia entia, sive ad res omnes, de quibus agit Metaphysica: debet ergo tendere sub aliquâ ratione formali, quæ reperiri possit in rebus omnibus. At ea ratio nequit esse quid reale, alioquin esset ens reale vt sic, vel aliquod prædicatum transcendens; quod nemo dicit: supereſt ergo, vt sit ens rationis, quod in omni re fingi, aut concipi potest. *Resp.* In primis loquitur Aristoteles de Dialecticâ vtente accessoriâ, quæ nec est scientia, nec habet certum Subiectum, aut rationem formalem. Vide suprà disp. 1. cap. 2. à num. 23. & cap. 3. num. 10. Deinde, dato quòd de Logicâ verè tali loquatur, *dist. Antec.*: extenditur mediatè, *conc.*; immediatè, *neg. Antec.* Tum *dist. Conseq.*: quæ reperiri possit in rebus omnibus, prout subsunt considerationi rationis, *conc.*; aliter acceptis, *neg. Consequ.*, & *Min. subsumpt.* Nec ideò sequitur, quòd ratio, sub quâ tendit Logica, sit quid transcendens, sed potius quòd sit cognitio artificiosa, quæ rebus omnibus convenire potest, & eas extrinsecè denominare constituendo secundas intentiones in concreto. Quia ergo circà res omnes versari potest cognitio artificiosa, idcircò Logica, talem cognitionem immediatè dirigens, mediatè versari dicitur circà omnia.

10 Ita reipsà exponit Aristotelem D. Thomas 1. Post. lect. 20. his verbis: *Quia circà omnia, quæ sunt, habet negotiari Ratio, Logica autem est de operationibus rationis; Logicæ etiam erit de his, quæ communia sunt omnibus, idest, de intentionibus rationis, quæ ad omnes res se habent.* Tum in exemplum intentionum rationis nominat *syllogismum, enuntiationem*, &c. Idem in 4. Metaph. lect. 4.: *Intentiones intelligibiles entibus naturæ æquiparantur, eo quòd omnia entia naturæ sub consideratione rationis cadunt; & ideò subiectum Logicæ ad omnia se extendit, de quibus ens naturæ prædica-*

(f) 1. *Poster. cap.* 8., & 4. *Metaph. cap.* 2.

catur. Scio, Thomisticas aures arrigi ad verbum *Intentio rationis*, quasi ad nomen proprium entis ficti. Sed verò, quod Intentio rationis ex mente D. Thomæ sit actus Intellectus, nec aliter dicatur esse in rebus extrà animam, quàm eo modo, quo scientia dicitur esse in scibili; planè vidimus cap. præced. num. 33. & duob. seqq. Idem probant rationes illæ, *Quia Logica est de operationibus rationis*, *Quia omnia entia sub consideratione rationis cadunt*: illa etiam, *Quia circà omnia, quæ sunt, habet negotiari Ratio.* Præclaram sanè mercaturam faceret sedula negotiatrix, si per omnia rerum genera vagaretur quasi ad nundinas entium rationis. An non potiùs veritatem, & scientiam omni pretiosiorem auro negotiabitur?

11 Sed hinc insurges, & *obijc.* 3.: D. Thomas citatâ lect. 4. in 4. Metaph. mentem suam pro ente rationis aperuit his verbis: *Ens est duplex, ens scilicèt rationis, & ens naturæ. Ens autem rationis dicitur propriè de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei, & similium, quæ quidem non inveniuntur in rerum naturâ, sed considerationem rationis consequuntur. Et huiusmodi scilicet Ens rationis est propriè Subiectum Logicæ.* Nihil evidentius, inquiunt Thomistæ. Et quia nostri Doctores id interpretantur de Ente rationis, non purè obiectivo, sed subiectivo, ac denominativo, cæcutire dicuntur. 1.: quia non vident à D. Thomâ dividi Ens in totâ latitudine, prout abstrahit â reali, & non reali, vt patet ex verbis illis, *Ens est duplex.* 2.: quia non penetrant illud, *Quas ratio adinvenit*, quod perinde sonat, ac *excogitat, comminiscitur.* 3.: quia non advertunt, de solo ente rationis purè obiectivo dici posse, quòd *non inveniatur in rerum natura*: item, quòd *rationis considerationem consequitur*; nam ens rationis subiectivum, cum sit ipsa rationis consideratio, non eam consequitur, aliàs semet consequeretur.

12 Nihilominùs interpretatio Nostrorum verissima est. Nam D. Thomas non dividit Ens abstractum à reali & ficto, sed Ens reale vt sic in duo membra: alterum, quod à Rationis actu non pendet; & hoc vocat *ens naturæ*, & alibi passim *ens extra animam*: alterum, quod est opus Rationis, & realiter à Ratione fit secundùm respectum ad obiecta; atque hoc vocat *Ens rationis*, negatque inveniri in rerum naturâ, idest, in rebus extrà animam. Hoc genus entis, iuxtà D. Thomam, propriè dicitur de Intentionibus Generis, Speciei, &c., hasque Ratio per cognitionem reflexam *adinvenit*, idest, invenit, seu detegit (non enim semper *adinvenire* valet *comminisci*, nec semper *comminisci* est *fingere*), in rebus, non specificativè sumptis, sed *consideratis*, idest, vt iam cognitis per cognitionem directam: adinvenit, inquam, non fictas, sed factas, seu constituras actu directo; sicut reflexè considerans statuam recèns factam, adinvenit caput, pectus, brachia &c..

13 Intentiones istæ *consequuntur considerationem rationis*, non consecutione physicâ, sed logicâ. Nam sumptæ in concreto, sunt denominationes extrinsecæ, & formales effectus cognitionis directæ: formalis autem effectus dicitur logicè consequi, seu resultare ex formâ citrà fictionem, vt iam Thomistæ fatentur in denominationibus *visi, cogniti, dilecti*, quæ consequuntur vi-

tionem, cognitionem, dilectionem. Sumptæ verò in abstracto, sunt quasi logicæ proprietates cognitionum: proprietas autem logica, seu metaphysica, licèt omninò realis, & realiter indistincta ab essentiâ, dicitur tamen essentiam consequi, & ab eâ resultare. Unde solutum habes quidquid Thomistas movet. Si dicas: ergo pariter negari poterit, quòd Intellectus, & Voluntas inveniantur *in rerum naturâ*, quia non inveniuntur *extrà animam*, sed sunt in animâ subjectivè. *Neg. Conseq.*: quia phrasi D. Thomæ eas naturæ, vel ens extrâ animam, non contraponitur cuivis enti in animâ existenti, sed illi duntaxat, quod habet cognomentum *rationis*, eo quòd sit Opus Rationis vt talis sub munere sibi proprio, nec alijs potentijs communi, seu prout in obiectum quodlibet se se repræsentativè transformantis, iuxtà illud, *Intellectus intelligendo fit omnia.*

14 Veritatem interpretationis adductæ probat ipse Doct. Angelicus. Tum in Opusculis citat. cap. præced. in Conclus. 3., in quibus non eget interprete. Tum q. 7. de Pot. art. 6. C., vbi inter alia docet, quòd *rationes* attributorum Dei (in quibus consistit formalis pluralitas, vel distinctio rationis attributorum, quæ iuxtà Thomistas est ens rationis) *sequuntur conceptiones Intellectui.* Et tamen, quin obstet ly *sequuntur*, inquit inferiùs: *Et sic omnes rationes sunt quidem in Intellectu nostro, sicut in subjecto: sed in Deo sunt, tamquam in radice verificantes has conceptiones.* Ibidem, *Nihil est* (inquit) *in rebus, quæ sunt extrà animam, cuius similitudo sit ratio Generis, vel Speciei: nec tamen Intellectus est falsus; quia ea, quorum sunt istæ rationes, scilicet Genus & Species, non attribuit rebus secundùm quòd sunt extrà animam, sed solùm secundùm quod sunt in Intellectu. Ex hoc enim, quòd Intellectus in se ipsum reflectitur, sicut intelligit res existentes extrà animam, ita intelligit eas esse intellectas. Et sic, sicut est quædam conceptio Intellectus, vel ratio, cui respondet res ipsa, quæ est extrà animam; ita est quædam conceptio, vel ratio, cui respondet res intellecta secundùm quod huiusmodi: sicuti rationi hominis, vel conceptioni hominis, respondet res extrà animam; rationi verò, vel conceptioni Generis, aut Speciei, respondet solùm res intellecta.* Hæc, nisi nimiùm fallor, nostra in terminis, vt aiunt, terminantibus doctrina est.

15 *Replic.*: id est formale in obiecto Logicæ, ex quo provenit, quòd Logica sit ignobilior alijs scientijs. At hoc provenire ex ente rationis, patet ex D. Thomâ Opusc. 56. ad fin. ibi: Logica *inter omnes alias scientias incertior est, quod est, quia certitudo scientiæ dependet à certitudine Subiecti. Inter omnia Subiecta scientiarum debilissimum & incertissimum est Subiectum Logicæ, quia vnumquodque quantum habet de entitate, tantum habet de veritate & certitudine, vt dicit Aristoteles 2. Metaph., nunc autem secundæ intentiones solùm habent esse in anima, ex quo sequitur, quòd habent debilissimum esse.* Miraberis, hoc Opusculum contrà nos allegari, cum totum sit pro nobis, etiam in obiecto testimonio: quod ita retorqueo. Unumquodque, quantum habet de entitate, tantum habet de veritate & certitudine; sed Ens rationis Thomisticum nihil habet de entitate, nisi apparenter, aut fictè: ergo nihil habet de veritate & certitudine, nisi apparenter, aut fictè:

ergo

ergo non nisi fictè vel apparenter est scibile: ergo Logica non nisi fictè & apparenter est scientia. En Consequentiam Thomistis absurdam, & tamen legitimè deductam. Iterùm: Ens rationis, nec est debile, nec robustum, sed reipsa nihil: ergo nullam fundat scientiam. Adhuc iterùm: Ens rationis debilius est, & minus habet de entitate, quàm obiectum artis sutoriæ, vel serrariæ: ergo ars Logica ignobilior erit his artibus.

16 *Resp.* igitur, subiectum Logicæ dici debilissimum, & incertissimum, duas ob causas, ibidem à D. Thomâ indicatas. Prima: quia entia, quæ sunt in animâ, sunt valde fluxa & mutabilia in essendo, licèt sint certa in verificando propositiones scientificas. Ideò Logica dicitur *incerta*, non intrinsecè, & subiectivè, sed extrinsecè, & obiectivè, sumptâ scilicet denominatione ab incertitudine obiecti in essendo. Idem Thomistæ dicunt de suo Ente rationis, quod volunt esse simpliciter scibile, licèt in essendo sit quid vmbratile, ac merè apparens. Altera: quia Intentiones Logicæ plenè sciri non possunt, nisi quis præhabeat notitiam aliquam rerum ad alias scientias spectantium: non enim sciri potest, quòd homo, præcisivè cognitus, est *species*, nisi aliunde sciatur, plures homines solo numero distingui. *Ideò* (subdit Angelicus) *impossibile est Logicam scire, nisi fuerit sciens, & expertus in alijs scientijs, & specialiter in Metaphysica.* Quapropter obiectum Logicæ, saltem quoad nos, est alijs debilius & incertius in esse scibilis, quatenus certitudinem & scibilitatem quodammodò mutuatur ab alijs obiectis.

17 *Instabis*: si obiectum Logicæ est cognitio realis, magis & perfectiùs abstrahit à materiâ, quàm obiectum Physicæ, & Mathematicæ: ergo reddet Logicam scientijs istis nobiliorem: ergo Logica non erit ignobilior alijs scientijs. *Resp.* Ne cogamur hic quæstionem de ordine dignitatis scientiarum, de quo variæ sunt opiniones, importunè discutere, *neg. Antec.* quia nobilitas maior scientiæ non sumitur ex maiore abstractione à materiâ, nisi cum cætera sunt paria. Ideò Physica, licèt minùs abstrahens à materiâ, satis communiter dicitur nobilior, quàm Mathematica. Quia ergo Logica est scientia ministerialis, cuius obiectum non propter se quæritur ad sciendum, sed vt adminiculum quoddam ad alias scientias, vt loquitur D. Thomas(g), idcircò putatur ignobilior alijs, præsertim speculativis, quas idem D. Thomas (h) cum Aristotele præfert scientijs practicis, & ad vtilitatem inventis, atque hisce Logicam annumerat.

18 *Obiic. 4.*: Logica, Grammatica, & Rhetorica distinguuntur contra scientias *reales*, vocanturque *rationales*; sed non quia pro obiecto respiciunt actus Intellectus, hos enim respicit etiam Animastica, quę scientia realis est; nec quia dirigunt Intellectum ad cognitionem scientificam, id enim convenit habitibus omnium scientiarum: nec item quia dirigunt Rationis actum artificioso modo, cum id etiam præstent Mathematicæ, quæ ideò dicuntur Artes Liberales: superest ergo, vt *rationales* appellentur, quia versantur circà entia rationis. Hoc argumentum, quo vtuntur Carmelitæ, Merinero, & Aguirre, militat apertè contrà

(g) *Opusc. 70. q. 5. art. 1. ad 2.* (h) *In 1. Metaph. lect. 1 vlt. m.*

trà D. Thomam in 1. Poster. Lect. 1., vbi, *Logica*, inquit, *ideſt rationalis ſcientia, non ſolum rationalis eſt ex hoc, quod eſt ſecundùm rationem, quod eſt omnibus artibus commune; ſed etiam ex hoc, quod eſt circà ipſum actum rationis ſicut circà propriam materiam: & ideò videtur eſſe Ars artium, quia in actum rationis nos dirigit, à quo omnes artes procedunt.* Et Opuſc. 39. initio, pro eodem accipit, Logicam eſſe *rationalem ſcientiam*, ac eſſe *ad ratiocinandum inventam.*

19 *Reſp.* ergo, Logicam vocari *rationalem*, quia regulat Rationis vſum, vt veritatem rerum artificiosè perſcrutetur; diſtinguíque ab ſcientijs realibus, non quia rationis actus non ſit etiam res quædam, ſed quia *res* paſsim accipiuntur vt à conceptibus & vocibus condiſtinctæ. Sic paſsim conceptus ipſe dividitur in conceptum *rei*, & conceptum *vocis*. Num ideò vox deſinet eſſe res? Sic etiam Dialectici diſputant, vtrum voces ſignificent *res*, an *conceptus*? Num ideò conceptus erunt entia rationis? Animaſtica non dicitur ſcientia *rationalis*; tum quia maiori ex parte de rebus agit, quæ non ſunt actus rationis: tum quia hos ipſos actus conſiderat ſub ratione formali, in quâ cum rebus alijs conveniunt, nempe ſub ratione vitalitatis; cum Logica tendat ſub ratione artificij propriâ ſolius Intellectus. Quod habitus omnium ſcientiarum dirigant ad cognitionem ſcientificam, eſt falſo falſius. Omnis quidem habitus talem cognitionem producit; at dirigere non eſt phyſicè producere, ſed eſt regulas tradere ad cognitiones ſcientificas; quod ſolus præſtat habitus Logicæ. Eadem ratione falſum eſt, quòd Mathematicæ rationis actum tamquam proprium obiectum dirigant artificioſo modo: ſive enim ſpeculentur, ſive regulent, nõ verſantur circà actum rationis, vt circà materiam, vel obiectum. Verſantur ergo circà numeros, vel figuras in quantitate. Dicuntur autem artes, quâ parte ſunt practicæ, vel etiam lato ſenſu, ſicut omnes ſcientiæ: & liberales, ex obiecti præſtantiâ.

20 Grammatica, Rhetorica, & Poetica vix dicuntur *rationales*, niſi à Thomiſtis. Apud veteres paſsim dicuntur artes *ſermocinales*, quia de externo ſermone tractant. Quod autem pro obiecto reſpiciant Ens rationis, credat qui volet. Mihi nullum eſt dubium, quin & Quintilianus, & Priſcianus, alter Rhetorum, alter Grammaticorum Princeps, & Magiſter, Ens rationis, de nomine, & facie ſibi prorſus ignotum, ſi fieret obviam, velut ſpectrum extimeſcerent. Et verò quis credat, formale obiectum artis illud eſſe, cuius ne nomen quidem auditur in tota arte? Ipſi etiam Moderni Thomiſtæ iam ab his artibus relegare videntur Entia rationis (i), credo, quia meritò putant incredibile, quòd artificium Æneidos, aut Orationum Demoſthenis, vel Ciceronis, nullum eſſe habeat niſi fictum. Hoc tamen non prohibet, eas artes vtcumque vocari poſſe *rationales*, quatenùs ſcilicèt inventæ ſunt ad conceptus mentis exprimendos artificio vocum.

21 *Obiic.* 5.: obiectum formale Logicæ eſt forma conſtitutiva artefacti Logicalis, videlicet Generis, Subiecti, Prædicati, Definitionis, Syllogiſmi &c.; ſed ea forma non eſt quid reale, ſed rationis: ergo

(i) *Vid. Colleg. S. Thom. in Editione 5., & Gabr. à Concept. L. 4. dub. 1. num. 143. & ſeqq.*

go &c. *Prob. Min.* multifariàm. 1. in artificio Generis: Genus pro formali est natura vna, vniversalis, & superior ad inferiora; sed à parte rei non est talis vnitas, vniversalitas, aut superioritas: ergo est ens rationis. Nec dici potest, cognitionem realem esse formam istarum denominationum: tum quia Intellectus non apprehendit naturam genericam vt multiplicem: ergo vt vnam; ergo vnitas non est ipsa apprehensio, sed obiectum apprehensum, & ex parte naturæ conceptum. Tum etiam, quia Intellectus cognoscit naturam genericam vt talem: ergo cognitio repræsentat omnia constitutiva Generis vt talis, ac proinde vniversalitatem & superioritatem, quæ se teneat ex parte obiecti: nam quidquid est representativè in cognitione, est obtivè in re cognitâ.

22 2. in artificio Definitionis: forma constituens hanc definitionem, *Animal rationale*, consistit in compositione animalis cum rationali, nam forma artificiosa est partium compositio, vt cernitur in quavis arte: sed ea compositio est ens rationis. Patet: quia compositio talis est, qualis distinctio partium, cum compositio fit distinctorum vnio: sed distinctio animalis à rationali est solius rationis, realiter enim ea extrema sunt vnum & idem: ergo & compositio est ens rationis. 3. in artificio Enuntiationis: in hac propositione, *Homo est rationalis*, subiectum, & prædicatum distinguuntur, & referuntur inter se: sed nec distinctio, nec relatio potest esse realis: ergo est rationis. Patet Minor: quia nequit esse realis distinctio, vbi est realis identitas; nec relatio realis, inter extrema realiter indistincta. *Confirm.* 1. ex Collegio S. Thom.: hic actus, *Rationale est animal*, non solum concipit extrema distinctis conceptibus, sed etiam vt distincta. Tum quia aliàs non differret à propositione identicâ. Tum quia concipit animal vt distinctum ab omni eo, quod non est metaphysicè animal, ac proinde vt distinctum à rationali. Tum etiam quia Intellectus per talem actum concipit, se affirmare de rationali aliquid novum, aliquid nempe, quod ipsius iudicio non est rationale. At ea distinctio, in obiecto concepta, est ens rationis: ergo &c.

23 *Confirm.* 2. ex Palanco: actus ille est repræsentativè disconformis obiecto: ergo repræsentat, quod obiecto non convenit, ac proinde fingit. *Prob. Antec.*: Tum quia talis actus *absolutè* repræsentat obiectum aliter, ac est in se; distinguit enim & esse rationalis, & esse animalis, & alterum concipit vt subiectum, alterum vt prædicatum; quæ munera in re non sunt. Tum etiam, quia ideò Intellectui Divino repugnat cognoscere distinguendo prædicata realiter identificata, vel ea comparando vt subiectum, & prædicatum, vt superius & inferius, &c., quia cognoscit res vt sunt in se, & quia ipsi repugnat modus cognoscendi disconformis obiecto, non præcisè ex parte actus (sic enim Divina cognitio, vtpote spiritualis, & infinita, disconformis est obiecto materiali, & finito), sed ex parte obiecti: modus ergo repræsentandi comparativus, ac distinctivus, quem servat Intellectus noster in iudicando, non exhibet obiectum vt est in se, sed necessariò importat disconformitatem cum rebus.

24 *Prob.* 4. eadem Minor in artificio syllogismi: forma syllogisti-

ca

ca consistit in respectibus Extremorum maioris & minoris adinvicem, & ad Medium; ideòque iuxtà D. Thomam (k) Philosophiæ rationalis *est considerare ordinem partium orationis adinvicem, & ordinem principiorum adinvicem, & ad conclusiones.* At ordo istæ, & illi respectus, non sunt relationes reales, cum non versentur inter extrema realiter distincta, vt cernere est in hoc syllogismo: *Omne animal rationale est risibile; Omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis.* Formà igitur syllogistica est mera relatio rationis. *Confirm.* 1.: prædicta relatio non est transcendentalis; hæc enim consistit in ipsâ rei essentiâ, quæ nunquam variatur; relatio autem Medij, & Extremorum variatur passim, transmutatis terminis pro arbitrio Intellectus: aliunde non est prædicamentalis, cum ad nullum genus relationum pertineat ex assignatis ab Aristotele: non est ergo relatio realis. *Confirm.* 2. ex Carmelitis: Logica Aristotelica, cum tota sit in apparandâ, & tradendâ formâ syllogisticâ; nullum tractatum habet de actibus Intellectus: ergo in his non consistit illa forma, sed in ente rationis. En tota ferè argumentorum strues, quâ nituntur Thomistæ Recentiores.

25 *Resp.* Ad Obiect. *neg. Min.*, si sermo sit de ente rationis purè obiectivo, seu ficto. *Ad* 1. *prob. dist. Min.*: à parte rei, idest, extrà animam, vel ante operationem Intellectus, *conc.*; incluso etiam ente reali, quod est in animâ, & ab animâ, *neg. Min.*, & *Consequ.*: nam vnitas, & vniversalitas Generis, & cuiuslibet Universalis, est ipsa cognitio realis præcisiva, confusè repræsentans naturam animalis v.g., non cogitando de pluralitate, quam habet à parte rei; ex quo provenit, quòd ea natura, prout expressa conceptu *animal*, dicatur *vna*, idest, non expressa vt multiplex; & quia, prout sic expressa, manet indifferens & apta, vt ab Intellectu prædicetur de multis, nempe de homine, equo, leone, &c. (quæ aptitudo ad multa, vocatur vniversalitas, prædicabilitas, & superioritas), idcircò dicitur *natura vniversalis, superior*, & *Genus*. Unde vides, has omnes denominationes esse obiecto extrinsecas, & earum formam esse cognitionem realem: quod latiùs explicabitur tractat. sequ.

26 Ad rem D. Thomas (l): *Universale*, inquit, *est vnum in cognitione: quia, licet plura, secundùm quod plura, non constituant vnum intellectum, tamen plura, secundùm quod similia sunt, constituunt vnum intellectum, ita quòd intellectus non potest distinguì inter similia in quantum sunt similia: & ideò Intellectus apprehendit hominem, & asinum, in quantum conveniunt in vna operatione*, nempe sentiendi. Addit: *Et quia res per idem est ens, & vnum, & è converso, oportet quòd Universale fit Universale per prædictam vnitatem, ita quòd naturæ talis cognitio facit Universale esse in actu Universale, & est quoddam formale in Universali.* Viden, vt Genus, quatenùs *Universale*, & quatenus *vnum*, dicit pro *formali* cognitionem? Infrà: *Est igitur Universale vnum vnitate cognitionis, ita quòd de ratione Universalis non requiratur, nisi illa vnitas rationalis; & propter hoc dicit Aristoteles, quòd est Unum in multis, scilicet cognitum.*

27 Nec obstat quod probatio subiungit. Falsum quippe est, quòd cog-

(k) *In Proœm. Ethicor.* (l) *Opusc.* 56.

cognitio directa, *animal* v.g., concipiat naturam vt vnam, vel vt genericam; non enim concipit, nisi puram vim sentiendi, præscindendo ab eo quòd in re sit vna vel multiplex; verùm sic præcisivè concipiendo, illam exercitè constituit, ac formaliter denominat *vnam*, & *genericam*, seu *Genus*. Cognoscit quidem Intellectus vnitatem, & cætera constitutiva Generis vt talis: at non per cognitionem directam, sed per reflexam, non per conceptum *animal* (quæ est ipsa forma Generis), sed per conceptum *genus*, qui vt nos docuit D. Thomas num. 14., reflexus est, & fertur in rem vt intellectam, sive vt iam cognitam conceptu *animal*, aut simili. Quoties ergo Thomistæ clamant, quod vnitas, aptitudo, & respectus ad plura, se tenent ex parte obiecti, & in cognitione sunt repræsentativè; concede, si loquantur de cognitione reflexâ, & eius obiecto, quod est concretum ex re extra animam, & directâ cognitione vt formâ; nega verò, si sermo sit de cognitione directâ, & obiecto ipsius. Si dicas: ergo datur Universale à parte rei, siquidem verè est quid reale tam penes materiam, quàm penes formam. *Neg. Conseq.* in sensu, quo peripatetici contrà Platonicos, negant Universale à parte rei, nempe quod extrà animam, & ante operationem Intellectus, sit vnum aptum esse in multis. Si tamen ly *à parte rei* comprehendat etiam opera Rationis, & solùm excludat entia ficta, concedo libentissimè Consequentiam.

28 *Ad 2. prob. neg. Min.*, quin obstet adiuncta probatio: nam distinctio animalis à rationali, est quidem solius rationis; at non fingentis, sed præcisivè cognoscentis, aut abstrahentis. Intellectus enim per primam operationem *distinguit vnum ab alio, dum intelligit quod est hoc, nihil intelligendo de alio, neque quòd sit cum eo, neque quòd sit ab eo separatum. Unde ista distinctio non propriè habet nomen separationis... Hæc autem distinctio rectè dicitur abstractio, sed tunc tantùm, quando ea, quorum vnum sine alio intelligitur, sunt simul secundùm rem*, vt totidem verbis inquit D. Thomas (m). Unde sequitur, quod ratione distingui vnum ab alio, non est vnum intelligi separatum ab alio ex parte obiecti: item quòd distinctio rationis est ipsamet abstractio, seu præcisiva cognitio. Abstractio autem non est fictio, vt probat D. Thomas mille locis, nec Thomistæ dissentire videntur. Hinc distinctio rationis est purè extrinseca obiecto, nec pugnat cum identitate intrinsecâ, quæ sola intelligitur nomine *identitatis realis*. Frustrà verò clamat Palancus, repugnare distinctionem extrinsecam, sicut repugnat identitas extrinseca. Frustrà quidem: nam oppositum, tam de distinctione, quàm de identitate, sive vnitate, constat ex dictis ad mentem D. Thomæ, magisque patebit tractatu sequ.

29 Porrò compositio definitionis, *animal rationale*, si consideretur ex parte actus, est ipsamet coniunctio realis duarum apprehensionum. Si verò consideretur ex parte obiecti, nulla datur in ipso vt contradistincto à conceptibus; sed tantùm in eo reperitur vt cognito per illam apprehensionem complexam; quæ ex vnâ parte cum exprimat animal abstrahendo à rationali, & ex alia rationale præscindendo ab animali, hoc ipso denominat alterum ab altero distinctum formaliter, aut in-

(m) *Opusc. 70. q. 5. art. 3. C.*

intentionaliter; dumque vtraque pars apprehensionis coniungitur, denominat etiam totum obiectum quasi ex partibus compositum. Unde colliges contrà Thomistas, ordinem definitionis non se tenere intrinsecè ex parte obiecti respondentis definitioni mentali, sed in ipsa definitione mentali residere formaliter, in obiecto autem non nisi per denominationem extrinsecam. Quid contrà replicent Thomistæ, paulò inferiùs attingam.

30 *Ad 3. prob.*: per affirmationem mentalem subiectum & prædicatum distinguuntur, ac referuntur, nõ signatè, sed exercitè: ideſt, affirmatio mentalis non significat, nec repræsentat intrinsecã distinctionem, & relationem subiecti & prædicati, cum potiùs identitatem vtriusque repræsentet; sed exercitio sui modi tendendi extremum vtrumque denominat extrinsecè intentionaliter distinctum, compositum, ac relatum: cum enim tendat compositivo, ac distinctivo modo, quatenùs vtitur distinctis expressionibus, quas invicem nectit, & componit, ita vt vna veluti compleat ac determinet alteram; hoc ipso est forma constituens hominem subiectum, & rationale prædicatum, & vtrumque inter se intentionaliter copulatum: in quibus denominationibus involvitur relatio quædam instar illius, quâ materia & forma in composito referuntur; subiectum enim comparatur materiæ, prædicatum formæ. Relatio autem extrinseca & intentionalis tantùm requirit similem distinctionem extremorum. Hæc igitur omnia pro formali consistunt in ipsâ enuntiatione mentali.

31 *Ad 1. Confirm. neg.* assumptum, non benè probatum. In primis enim propositio non dicitur identica, quia non concipit obiectivam distinctionem subiecti, & prædicati, sed quia vtitur conceptibus synonymis, aut bis eumdem repetit; vt constat ex Summulis: hoc autem non habet illa propositio, *rationale est animal*, vt patet ex terminis. Deinde nec propositio directa concipit animal vt distinctum à rationali, quasi distinctio se teneat ex parte obiecti; hoc enim solùm convenit cognitioni reflexæ, quâ mens cognoscit se enuntiare. Quare directa propositio non concipit animal vt distinctum, sed exercitè distinguit ex parte prædicati formalis; sicut non concipit vt cognitum, sed exercitè cognoscit, aut cognitum reddit. Nec item concipit se de rationali enuntiare aliquid novum, quod iudicio ipsius non sit rationale: nam tota hæc novitas & distinctio consistit in ipsâ cognitione directâ, nec cognoscitur nisi reflexè. Et verò, quis credat, me iudicare, quòd rationale sit aliquid, quod iuxtà me non est rationale, ita vt hoc esse & non esse eodem actu concipiam?

32 *Ad 2.*: si actus ille *al'sdubiò* repræsentat obiectum aliter ac est in se, nec est obiecto conformis; *al'sdubiò* erit falsus; siquidem iuxtà omnes veritas est conformitas actus cum obiecto, quod repræsentetur sicuti est. Vide dicta cap. præced. n. 37. Neganda est ergo tota illa difformitas, & alietas ex parte obiecti se tenens. Negandum pariter, quod propositio directa signatè distinguat duplex illud esse, vel alterum cognoscat vt subiectum, alterum vt prædicatum: hæc enim munera sunt obiectum solius cognitionis reflexæ, prout iam exercitè facta, vel constituta per enuntiationem directam.

Ne-

Neganda similiter illa causalis pro Divino Intellectu : non enim ei repugnat modus cognoscendi nostro similis, quia aliàs Divina cognitio foret disconformis obiecto, vel in illo conciperet quod non est ; sed quia modus noster, vtpote inadæquatus, præcisivus, & compositivus ex parte actus, imperfectionem cognitionis præfert alienam à Divino Intellectu, qui rem totam vndequaque comprehendit simplici intuitu. Porrò alietas ex parte actus, dum oritur ex perfectione, qualis est infinitudo, & spiritualitas, non repugnat cognitioni Divinæ: repugnat tamen, dum imperfectionem sapit, qualis est defectus claritatis, præcisio, compositio.

33 Notandum obiter, quòd, si mentale iudicium sit qualitas composita ex tribus saltem conceptibus, vt fert sententia vetus, & satis communis, vis iudicativa propria secundæ operationis Intellectus consistit in eo conceptu, qui respondet verbo *est* in enuntiatione vocali, diciturque mentalis copula, & compositio. Hic verò conceptus non distinguit subiectum & prædicatum nec signatè, nec exercitè. Non signatè : quia potiùs, vt inquit D. Thomas (n), *Compositio Intellectus est signum identitatis eorum, quæ componuntur.* Non exercitè: quia potiùs coniungit, ac nectit eos conceptus, qui dicuntur subiectum & prædicatum formalia, & per quos denominantur intentionaliter distincta subiectum & prædicatum obiectiva. Munus igitur illius est, duos alios conceptus inter se nectere attribuendo obiectum vnius obiecto alterius, vel etiam signatè removendo; quæ attributio, vel remotio, est forma denominans alterum *subiectum*, alterum *prædicatum*. Unde patet, obiectum iudicij mentalis non denominari *distinctum* per eamdem simplicem formam, per quam denominatur *prædicatum*, vel *subiectum*.

34 *Ad 4. prob. conc. Mai.*, atque etiam *Min.*, si loquatur de relatione reali extrà animam, & ab actu rationis distinctâ. Nego tamen, si loquatur etiam de relatione reali, quæ in actu rationis obiectum denominante sita est. Nam esse Medium syllogisticum, est esse in Præmissis coniunctum per modum subiecti vel prædicati cum ijs terminis, qui repetuntur in Conclusione ; & esse Extremum maius, aut minus, est esse terminum Conclusionis, qui magis, aut minùs in toto syllogismo prædicatur. At omnes istæ denominationes conveniunt terminis, tam formalibus, quàm obiectivis, à triplici copulâ mentali tamquam à formâ : à quâ etiam provenit formaliter, quòd Principia, idest Præmissæ, vel Antecedentia, ordinentur adinvicem, & ad Conclusiones. Medium igitur, Extrema, Principia, & Conclusiones, formaliter constituuntur, & coordinantur à formâ reali indistinctâ ab actu rationis. Et in hac ipsâ formâ consistit quidquid respectus, ordinis, vel relationis considerat Logica in partibus syllogismi, in quibus semper distinctio est, saltem intentionalis, ac proinde proportionata relationi rationis non fictæ.

35 *Ad 1. Confirm.* Ex obiecti logici relationibus, aliæ sunt quasi transcendentales, aliæ quasi prædicamentales. Primæ classis est relatio Generis, & cuiuslibet Universalis ad inferiora, vtpote consistens in aptitudine ad multa : relatio item Principiorum ad Conclusiones, vtpote sita in virtute inferendi. Relationes istæ consistunt in essentiâ, non solùm

(n) 1. *p. q.* 85. *art.* 5. *C.* ic. 1

rei extra animam, sed totius concreti intentionalis, vel secundæ intentionis in concreto: falsumque est, quòd pro libitu varientur stante eâdem essentiâ concreti. Secundæ classis est relatio Subiecti ad Prædicatum, Medij syllogistici ad Extrema, & Generis ad Differentiam intrà Definitionem: hæ quippe relationes imitantur eas, quæ inter partes actuales artefacti externi reperiuntur, vt inter caput, pectus, ac pedes statuæ, vel inter exercitus frontem & extremum agmen, aut inter cornua dextrum & sinistrum, aut inter alas & centrum. Quare possunt reduci ad primum genus relationum ex designatis ab Aristotele, vel etiam ad secundum, siquidem ad vtrumvis reducuntur quæ in vnione & coniunctione fundantur, vt probat Exim. Doctor (o).

36 Dixi, *quasi*: quia relationes istæ, licèt sint propriè tales in ipsis mentis actibus inter se collatis, quando ex pluribus realiter distinctis fit artefactum logicum; tamen quatenùs extrinsecè denominantes obiecta, non sunt propriè relationes prædicamentales, vt suo loco explicabitur. Adde quòd denominationes logicales vocari possunt relativæ, non *secundùm esse*, sed *secundùm dici*, quatenùs à nobis definiri & explicari non possunt, nisi per comparationem ad quosdam velut terminos. Vocari quoque poterunt *relationes rationis* fingentis, sed *fundamentales*, quatenùs aliquam præbent occasionem fingendi: sic tamen, vt Logica non respiciat pro formali, nisi fundamentum, quod est reale: quemadmodùm Theologia pro formali non respicit ipsas relationes rationis, quæ finguntur à nobis concipientibus Dei Omnipotentiam, & Dominium, sed duntaxat earum reale fundamentum.

37 Altera *Confirmatio* retorquetur apertè. In totâ Aristotelis Logicâ ne verbo quidem agitur de ente rationis: hoc ergo non est obiectum Logicæ formale. Dices, inibi tractari de Propositione, Syllogismo &c., quæ nomina significant entia rationis. Sed scis, credo, id ipsum à me pro actibus Intellectus dici posse multò credibiliùs, certè multò magis ad mentem D. Thomæ. Tum quia Opusc. 47. initio, sic ait: *Est ergo causa efficiens Syllogismi anima rationalis formans ipsum: vnde Syllogismus est actus rationis.* Tum quia *Syllogismus* idem sonat, quod *Ratiocinatio*, ideòque hoc nomine passim vtuntur Aristoteles & D. Thomas in Analyticis: *Ratiocinatio autem est quidam motus Intellectus transeuntis ab vno in aliud*, vt loquitur D. Thomas 1. Contr. Gent. cap. 57. num. 6. Tum maximè, quia idem Angelicus initio Libri 1. Periherm. & Libri 2. Poster. totus est in explicando, quo modo vniversa Logica Aristotelis correspondeat tribus operationibus Intellectus. Legito, & planè videbis, Logicam Aristotelicam regulandis actibus mentis incumbere, non quidem sub ratione qualitatis, vitalitatis,, &c., quæ pertinent ad Animasticam, sed sub ratione artificij significati nominibus *Propositio*, *Syllogismus*, *Demonstratio*, &c.

38 Sed contrà seriem totius solutionis varijs arguendi formulis insurgunt Recentiores Thomistæ. *Replic.* 1.: cognitio definitiva est *ordinativa* obiecti: ergo illud attingit sub ordine definitionis: ergo attingit ex parte obiecti ordinem definitionis,

(o) *disp.* 47. *Metaph. sect.* 15. *num.* 9. & 10.

nis, qui certè non est realis. *Resp.* Definitio mentalis propriè loquendo non est ordinativa, sed ordinata, non definitiva, sed definitio. Solùm ergo dicitur ordinativa, quo sensu dicitur repræsentativa, & cognitiva, vel quo visio dicitur intuitiva, vel Gratia sanctificativa; non quia in obiecto efficiatur, aut attingatur quædam repræsentatio, intuitio, sanctificatio ab istis formis distincta; sed quia *vt quo*, sive in genere causæ formalis, per eas redditur obiectum ordinatum, repræsentatum, visum, sanctum.

39 *Instabis* cum Gabriel. à Concept.: implicat in terminis definitivè attingere obiecta, & non cognoscere in obiectis ordinem definitionis: sicut implicat in terminis artificiosè disponere lapides, & non resultare aliquod in ipsis artificium; maximè cum D. Thomas initio 1. Poster. doceat, actus Intellectus sic à Logicâ dirigi, vt actio manus dirigitur ab arte fabrili. Sed instò invicem eodem exemplo fretus: ergo pariter implicabit in terminis attingere obiectum *intuitivè*, aut *comprehensivè*, & in eo non cognoscere aliquam intuitionem, aut comprehensionem. Negabis Consequ.: quia his adverbijs denotatur modus cognitionis purè speculativus, cui non respondet in obiecto modus eiusdem indolis. Hoc tibi dictum habe pro adverbio *definitivè*. Quod enim definitio hominis, & aliæ, quas Logica dirigit, sint cognitiones practicæ (vt Thomistæ volunt in præsenti, parùm cohærenter cum dictis disp. præced.), falsum omninò est. Sunt quidem praxes artis Logicæ: sed non ideò sunt practicæ. Unde exemplum dispositionis lapidum non est ad rem: illa quippe est actio practica, cui respondet terminus in externâ materiâ productus. At, vt verbis vtar D. Thomæ (p), Intellectus operatio non est sic actio tendens in alterum, quæ sit perfectio operati, sicut ædificatio ædificati; sed manet in operante, vt perfectio, & actus eius. Sane idem Angelicus (q) discrimen notat inter operationes Intellectus, & eas, quibus artifex agit in materiam externam, quòd nimirùm illæ non habent opus præter se, sed ipsæ sunt fines; istæ verò efficiunt aliud opus, quod est finis agentis. Ex quo patet, quem sensum habeat obiecta comparatio Logicæ cum arte fabrili, nempe vt directio fit iuxtà indolem actuum, quorum alij sunt opus intentum, alij sunt via ad opus aliud.

40 *Instabis* iterum: definitio mentalis ordinat obiecta repræsentativè: ergo ordo, seu relatio obiectorum est repræsentativè in cognitione. At, quod est repræsentativè in cognitione, est obiectivè in re cognitâ. Instò similiter: cognitio Divina comprehendit obiecta repræsentativè: ergo comprehensio est repræsentativè in cognitione: ergo est obiectivè in re cognitâ. Quid ineptius? Definitio ergo solùm ordinat obiecta *vt quo*, sive in genere causæ formalis extrinsecæ. Ordo autem, & relatio est repræsentativè in cognitione, non vt quid repræsentatum, sed vt modus repræsentandi, sicut comprehensio, claritas, obscuritas. Adhuc *instabis*: si ordo tantùm est modus entitativè repertus in cognitione, ab eo non poterit obiectum denominari, sicut ob eamdem rationem obiectum non denominatur spirituale, & infinitum à cognitione



(p) 1. p. q. 87. art. 3. C. (q) *in Procem. Ethic. lit. c.*

Dei ſpiritualiter & infinitè repræſentantæ. Fruſtrà cavillaris. An non repræſentatio, intuitio, comprehenſio, ſunt perfectiones entitativè repertæ in cognitione, non minùs, quàm ſpiritualitas, & infinitudo? Quomodò ergo ab illis præ iſtis denominatur obiectum? Sunt itaque modi cognitionis, qui non denominant obiectum, niſi adverbialiter, ſic nimirùm *cognitum vitaliter*, *ſpiritualiter*, *finitè*, aut *infinitè*, eo quòd denominationes ab his modis nominaliter deſumptæ, communi ſenſu accipiuntur vt intrinſecæ. At alij modi, ſeu perfectiones cognitionis, maximè quæ pro expreſſo dicunt reſpectum ad obiectum, ob rationem contrariam denominant illud nominaliter *repræſentatum*, *comprehenſum*, &c.. Adde quòd obiectum à definitione non tam propriè denominatur *ordinatum*, quàm *ordinatè cognitum*.

41 *Replic.* 2. ex Aguirre, Gabriel.à Concept., & alijs: forma artefacti logicalis attingitur à Logicâ *ſignatè*, & *vt quod*; ſed cognitio definitivè attingens obiecta, non attingit ſe ipſam *ſignatè*, & *vt quod*: ergo forma illa non conſiſtit in tali cognitione, ſed eſt obiectum eius. Mera æquivocatio hæc eſt. Conceſſ. præmiſſis, *neg. Conſeq.*: nam Logica attingit eam formam per ſuos actus, qui ſunt regulæ definiendi, ſyllogizandi, &c.; non verò per cognitiones definitivè attingentes alia obiecta, v. g. hominem: hæ quippe non ſunt regulæ, ſed obiecta regularum. Dices: omnis cognitio definitiva eſt actus logicalis. *Diſting.*: logicalis obiectivè, *conc.*; ſubiectivè, *neg.* Cognitio definitiva hominis, aut arboris, ſubiectivè eſt actus Phyſicæ, à cuius habitu phyſicè producitur, & cuius obiectum reſpicit: eſt autem actus Logicæ purè obiectivè, quatenùs eſt obiectum regularum eius. Ubi nota inconſequentiam Adverſariorum, qui, ne cognitio artificioſa evadat falſa, dicunt, Ens rationis ab eâ cognoſci *practicè*, & *vt quo*, non *ſignatè*, & *vt quod*: hic tamen oppoſitum intendunt. Nota inſuper, modernos Thomiſtas velle, vt formæ, ſive intentiones logicales, cognoſcantur per cognitiones directas: cum tamen D. Thomas (r) perpetuò doceat, intentiones eiuſmodi ſolùm cognoſci per cognitionem reflexam.

42 *Replic.* 3.: cognitio iſta, *Homo eſt animal*, affirmat vnum de alio, hoc enim eſt proprium omnis propoſitionis affirmativæ: ergo cognoſcit vnum, & aliud: ergo cognoſcit in obiecto dualitatem, ac diſtinctionem; quæ tamen in re non eſt. *Confirm.* 1.: iudicium negativum dicitur *diviſio*, ſicut affirmativum *compoſitio*; ſed negativum non ita dicitur, quia ex parte actus ſit diviſum, ſed quia ſignificat diviſionem obiectivam: ergo pariter affirmativum non ita vocatur, quia ex parte actus ſit compoſitum, ſed quia ſignificat obiectivam compoſitionem; quæ, cùm nequeat eſſe realis, erit ens rationis. *Confirm.* 2.: ſi iudicium ſit ſimplex qualitas, ex parte actus nulla diſtinctio, nec compoſitio eſt ſubiecti & prædicati; & tamen datur affirmatio vnius de alio, & attributio prædicati ad ſubiectum, quæ neceſſariò diſtinctionem ſupponit; ergo hæc diſtinctio cognoſcitur vt ex parte obiecti ſe tenens. Urgetur: poſitâ ſimplicitate iudicij, adhuc in propoſitio-

(r) *v. g. q. 7. de Pot. art. 6. & 9., & 4 contr. Gent. cap. 11.*

sitione prædictâ *homo* est subiectum, & *animal* est prædicatum, & non è conversò; sed realiter non est potior ratio, cur vnum præ alio sit subiectum, aut prædicatum, cum non detur nisi vna indivisibilis entitas, sive actum, sive obiectum reale consideres: ergo, quod homo & animal ita se habeant, vnicè pendet ab ente rationis.

43 Hæc obiectio (quam sic propositam, & confirmatam in nullo Thomistâ vidi) implexa est, ac difficilis, non tam ex ente rationis, quàm ex obscurâ indole, & constitutione iudicij mentalis, quę non est huius loci, sed Animasticæ. *Ad replic.* facilè dici posset, per iudicium mentale affirmari vnum de alio, non ita vt signarè cognoscatur dualitas, sed ita vt exercitè constituatur in obiecto per denominationé extrinsecam à duobus conceptibus, qui sunt prædicatum & subiectum formalia. Sed vlteriùs *resp.* ex dictis num. 33. Conceptus propriè iudicativus præsupponit simplices apprehensiones, v. g. *homo*, *animal*, per ealque obiectum iam intentionaliter distinctum, sive iam vnum & aliud: tum ipse superveniens, obiectum vnius apprehensionis attribuit obiecto alterius, directè & affertivè significãdo realem vtriusque identitatem: & hoc sensu dicitur affirmare vnum de alio. Quare tota dualitas, ac distinctio est extrinseca obiecto, nec identitati intrinsecæ contraria; consistitque in dualitate apprehensionum præsuppositâ, quæ per conceptum iudicativum quâdam saltem implicitâ reflexione cognoscitur. Vt enim inquit doctus Ferrariensis, Clariss. Prędicatorum Ordin. Magister Generalis (f), *Cognitio pertinens ad secundam operationem Intellectus, quæ est absolutè cognitio directa complexi, potest dici cognitio reflexa per comparationem ad simplicem rei apprehensionem, eo quòd Intellectus formare propositionem non possit, nisi reflectatur suprà cognitionem simplicem: & hoc est, quod intendit S. Thomas &c.*

44 *Ad 1. Confirm., conceſſ. Mai., diſt. Min.*: significat divisionem propriè sumptam, *neg.*; sumptam pro distinctione, *conc. Min.* Tum *diſt. Conſeq.*: quia significat compositionẽ propriè talẽ, *neg.*; sumptã pro idẽtitate, *cõc. Conſeq.*. Iudiciũ itaque negativũ significat obiecti divisionem, sumptam, non pro separatione reali, sed pro distinctione subiecti à prædicato: verè enim in Trinitate dicitur, *Pater non eſt Filius*, quin significetur separatio Personarum, sed sola distinctio. Cum autem distinctioni immediatè opponatur identitas, hanc significat iudicium affirmativum. Compositio igitur, quæ significatur in obiecto extrà animam, non sumitur pro iunctură distinctorum, sed pro identitate, quam significat omnis affirmativa propositio, vt suprà nos docuit D. Thomas. Hoc tamen non tollit, quod in vtroque iudicio, affirmante, & negante, fit ex parte actus compositio verè talis ex distinctis conceptibus: de qua loquitur D. Thomas (t), cum ait: *Propoſitionis per Intellectum componentem & dividentem formata compoſitio in ipſo Intellecta exiſtit, non in re, quæ extrà animam eſt.* Hanc inferiùs vocat *compoſitionem rationis.* Ubi nota commentarium Ferrariensis ibi: *Per compoſitionem rationis non intelligit S. Thomas compoſitionem, quæ ſit ens rationis, vt ens rationis diſtinguitur contra ens reale; ſed compoſitionem, &*



(f) *in 1. contra Gent. cap. 59.* (t) *1. Cont. Gent. cap. 58.*

*conceptum complexum, formatum per intellectum & rationem, qui est ens reale, distinctum tamen contra ens naturale, quod extra Intellectum per ipsum repræsentatur.* Vide, quàm sit antiqua expositio, quâ suprà D. Thomam excepimus distinguentem *ens rationis* contra *ens naturæ.*

45 *Ad 2. Confirm.* Distinctio, & compositio, prout est coniunctio distinctorum, semper se tenet ex parte actus, vel formaliter, vel æquivalenter, vel præsuppositivè. Formaliter quidem, si iudicium sit qualitas composita, vt supponere videntur Aristoteles, & D. Thomas. Æquivalenter, si iudicium sit simplex qualitas; adhuc enim æquivalet tribus apprehensionibus, *homo, est, animal*, potestque in totidem partes distingui per novam cognitionem reflexam. Tunc etiam præsuppositivè, quatenus iudicium simplex apprehensiones illas præsupponit, & in eis extrinsecam obiecti distinctionem, ex num. 43. Affirmatio ergo, & attributio in iudicio consistit: quòd autem obiectum sit *vnum & aliud* extrinsecè, non facit simplex actus iudicativus, sed præsupponit. Unde nulla cognoscitur distinctio ex parte obiecti extrà animam. Quod additur, pariter vrget Contrarios. Nam cur, quæso, iudicium simplex fingit intentionem prædicati potiùs in homine, quàm in animali? Omnes igitur id revocare tenentur ad specialem tendendi modum illius actus, qui, dum præviam apprehensionem *homo* respicit quasi basim, obiectum vt per illam cognitum denominat *subiectum*, & dum illi per identitatem attribuit obiectum vt expressum per apprehensionem *animal*, ipsum denominat *prædicatum*. Oppositum evenit in iudicio, *Animal est homo*, ex diverso tendendi modo; quin vllâ fictione sit opus.

46 *Obijc. 6.*: hic actus, *Animal est genus*, non prædicat aliquid reale; sed prædicat genus: ergo genus non est aliquid reale, sed rationis. *Prob. Mai.*: quia in primis ille actus non prædicat aliquid essentiale subiecto, aliàs prædicatum conveniret etiam inferioribus: deinde nec prædicat aliquid accidentale; nam accidentalia prædicata priùs dicuntur de singularibus, quàm de naturâ communi, vt patet in prædicatis *album, calidum, &c.* Obiectio instatur in denominatione *præcisivè cogniti*, vel etiam *amati*, dum amatur Bonum vt sic. Item, hic actus, *Animal est genus causaliter*, aut *fundamentaliter proximè*, eamdem patitur difficultatem: & tamen prædicat aliquid constitutum per cognitionem; vt fatetur M. Aguilera, cuius est argumentum. Quare *neg. Mai.* Ad *prob.*: prædicatum illud est accidentale, non physicum, sed intentionale. Accidentia autem intentionalia non debent priùs convenire singularibus, sed possunt immediatè afficere naturam communem, vt patet exemplis adductis. Certè D. Thomas Opusc. 56. expresè docet, quod *Universale, secundùm quod Universale, est accidens*; & quòd *aggregat in se accidens, scilicet intentionem secundam.*

47 Denique, nequid scrupulum moveat, exiles alias obiectiunculas perstringam breviter. 1.: cuiusvis artis artificium est intrinsecum materiæ, circà quam versatur: ergo & artificium Logicæ erit intrinsecum obiectis. 2.: denominatio extrinseca non est quid artificiosum, cum resultet naturaliter ex cognitione:

ne: ergo in tali denominatione non consistit artefactum logicum. 3.: Logica respicit ens rationis, saltem vt obiectum partiale. Tum quia *Contrariorum eadem est ratio & disciplina*, vt ait Aristoteles: ergo si Logica agit de artificio reali, debet etiam agere de ficto. Tum quia Logica docet arguere ex hypothesi impossibili, & adversarium deducere ad absurda & impossibilia: vbi fingantur necesse est entia chymerica. Tum quia vnus ex Logicæ tractatib. est de Ente rationis: & saltem quæstio præsens totam mentis aciem intendit in ens rationis.

48 *Resp. ad* 1. Artificium logicum est intrinsecum materiæ proximæ, nempe ipsis actibus rationis: nec debet esse intrinsecum materiæ remotæ, nempe obiectis. Sic artificium picturæ intrinsecum est coloribus, non obiectis repræsentatis. Vel dic, Antecedens esse verum de artificio perficiente, & immutante materiam; non verò de purè denominante; vt eodem picturæ exemplo liquet. *Ad* 2. Ens rationis iuxtà Aduersarios etiam naturaliter & necessariò resultat ex cognitione enuntiativâ v.g.: quomodò ergo est artificiosum? Si dicant, resultare quidem ex cognitione, sed artificiali: hoc sibi dictum putent. Sed, an reipsà Logicum artefactum in extrinsecâ denominatione consistat, videbimus cap. sequ. *Ad* 3. Ne id quidem largimur enti rationis, si de obiecto formali sit sermo. Nam in primis, vt Logica dicatur esse contrariorum, sufficit quòd agat de artificio vitioso & fallaci, vt vitando; quo sensu agit Ethica de vitijs, & Medicina de morbis: nec debet agere de artificio ficto; sicut Theologia non agit de Deo ficto, nec Medicina de salute fictâ. Deinde, tractatus de Ente rationis, licèt à multis inseratur Logicæ, non est Logicus, sed Metaphysicus: alioquin Ens rationis in totâ latitudine spectaret ad Logicam. Præsens verò quæstio respicit quidem Ens rationis; sed, quod ad nos attinet, vt ab artificio logico alienum, sive vt Logicæ inimicum. Quare, si velis illud esse obiectum Logicæ, non vt procurantis, sed vt horrentis; fit sanè. Dum arguitur ab hypothesi impossibili, vel ad impossibile, Logica solùm respicit pro formali artificium argumentationis in actibus consistens: obiecta verò chymerica non respicit, nisi materialiter, & remotè.

## CAPUT VI.

*Vtrùm secundæ Intentiones obiectivæ, in concreto, sint Obiectum Logicæ formale?*

1 ENte rationis ficto valere iusso, quæritur adhuc, an Logica pro obiecto formali respiciat conceptus obiectivos, ideſt, res secundùm esse intentionale, vel, quod in idem recidit, secundas intentiones obiectivas in concreto, constitutas nempe ex obiecto physico & cognitione reali vt formâ, prout à nobis explicatæ sunt cap. 4. num. 3.? Affirmant è nostris Auctoribus aliqui post P. Hurtado, si de obiecto partiali sit sermo. Assentiuntur exteri nonnulli. Sed vtrique satis perplexè loquuntur, nec satis explicant, an velint vtramque concreti partem respici formaliter à Logicâ. Negativa sententia, cui adhæreo, communis est in Schola nostrâ cum Eximio Doctore, qui præter actus Intellectus, nullum

agnoscit obiectum Logicæ formale.

2 *Prob.* 1. auctoritate D. Thomæ Opusc. 56. circa medium, vbi cum præmisisset, Universale, v. g. Genus, constari ex duabus veluti partibus, nempe ex naturâ subiectâ, & ex cognitione tamquam formâ, quam vocat Intentionem vniversalitatis, subdit: *Impossibile est, vnam & eamdem scientiam determinare de Universali per se quantum ad illas duas naturas, quas includit: sed potiùs de vno per se, & de alio per accidens. Ergo Logica, cum considerat Universale, non considerat ipsum quantum ad naturam subiectam per se: non enim considerat hominem in eo quod homo, sed in eo quòd Species, & sic de alijs animalibus: & idò Logica principaliter est de secundis intentionibus.... Aliæ autem scientiæ considerant Universale quantum ad rem subiectam, .. & non considerant illud, quod facit formaliter Universale.* Vides, vt Logica non ita respiciat hoc concretum *Universale* (eadem est ratio de cæteris intentionibus in concreto), vt illud *per se* consideret quantum ad subiectum, sed duntaxat quantum ad formam, quæ est secunda intentio obiectiva in abstracto, seu cognitio ipsâ directa: contrà verò se gerant aliæ scientiæ.

3 *Prob.* 2.: Logica non respicit formaliter secundam intentionem in concreto, v. g. Genus, nisi, præter formam, respiciat etiam formaliter subiectum; sola quippe forma non est concretum: sed Logica non respicit formaliter subiectum intentionis Generis, v. g. naturam animalis: ergo &c. *Prob. Min.*: natura animalis non attingitur propter se à Logica: ergo non respicitur formaliter. *Prob. Antec.*: natura illa, vt à cognitione condistinguitur, non habet vllam intrinsecam sufficientiam, seu formalitatem, quæ sit motivum considerationis Logicæ. Patet: nam siquam haberet, ea esset capacitas intrinseca, vt artificiosè cognoscatur; non enim aliam assignat Adversarij. At huiusmodi capacitas nequit esse sufficientia, seu motivum formale, vt attingatur à Logicâ: tum quia, cum reperiatur ea capacitas in omnibus & singulis formalitatibus rerum omnium possibilium, imò & impossibilium, sequeretur, Logicam de omnibus & singulis agere debere, & esse omniscia: tum quia talis capacitas est prædicatum transcendens, necessarium, non factibile, nec dirigibile, nec vllatenùs pendens à regulis artis; quæ omnia sunt attributa repugnantia formali obiecto Logicæ, vtpote iuxtà Adversarios vere practicæ, vel practicæ similis in modo procedendi.

4 Dices: Logica, licèt non respiciat naturam animalis, & res alias, seorsùm, aut solitariè sumptas; bene tamen, vt vestitas cognitione, ita vt vno ictu feratur immediatè in cognitionem & rem cognitam, prout sunt partes vnius concreti. *Contrà.* Quamvis Intellectus eodem ictu feratur immediatè in totum concretum *Cognitum*, aut *Genus*, cum tamen tota ratio formalis, & motiva illius ictus, vel actus, non sit in entitate rerum, sed in solâ cognitione realiter à rebus distinctâ, sit vt summum res ipsas esse obiectum materiale proximum & intrinsecum. Non enim egreditur limites obiecti materialis, quod attingitur propter rationem formalem à se realiter distinctam, quamvis eodem actu attingatur proximè. Sic

cum

cum Voluntas medicinam amat propter salutem, cum Fides mysterio assentitur propter revelationem, cum Charitas homines amat propter Deum, sola salus, revelatio, & bonitas Dei est obiectum formale; medicina verò, mysterium, homines, quamvis eodem actu proximè attingantur, non sunt nisi obiecta materialia.

5 Cum dicis, rem cognitam respici *prout est pars concreti*: vel reduplicas aliquid extrinsecum entitati rei, nempe tendentiam cognitionis, quâ res constituitur in esse partis actualis concreti *Cognitum*; vel solam reduplicas intrinsecam rei capacitatem? Si primum eligas: ergo res attingitur propter aliquid sibi extrinsecum, & redit impugnatio num. 4. Si secundum: vrget iterùm argumentum num. 3. Eodem dilemmate vrgebis Adversarios, quoties dicunt, res physicas à Logicâ non considerari secundùm se, sed cum respectu ad cognitionem, sive vt objicibiles, vt definibiles, vt enuntiabiles, &c. Nam vel ille respectus, illa objicibilitas, aut definibilitas, quam proponunt pro motivo considerationis Logicæ, est quid intrinsecum rebus ipsis; vel est quid extrinsecum in cognitione possibili, aut existente consistens? Et quidquid optent, impugnatio redibit.

6 *Prob.* 3.: Ars pingendi, licèt respiciat hominem vt pictum, illum vnicè respicit propter picturam, sive imaginem, nec in hoc concreto, *homo pictus*, aliud pro formali respicit nisi formam: ergo pariter Logica, dum res considerat vt artificiosè cognitas. Par est in vtrâque arte ratio. Ut enim in altera intervenit obiectum coloribus expressum, tabula recipiens imaginem, & imago ipsa: sic in alterâ occurrit obiectum cognitione repræsentatum, Intellectus velut tabula recipiens conceptus formales, & conceptus ipsi velut imagines, expressiones, & picturæ rerum intentionales. Quare, vt Pictoria solam imaginem formaliter & propter se considerat, obiectum verò, & tabulam materialiter & propter aliud, sic Logica negotium peragit suum proportione servatâ. Huc etiam faciunt exempla Rhetoricæ, & Grammaticæ. Pari namque iure Grammatica dici posset formaliter considerare res significatas, vel significabiles, quo Logica res definitas, vel definibiles: vt enim Logica est ars definiendi, sic Grammatica est ars emendatè loquendi de rebus omnibus. Nihilominùs Grammatica solam respicit formaliter locutionem vt congruam.

*Obiectionum solutio.*

7 *Obijc.* 1.: id est formale obiectum Logicæ partiale, de quo verificantur aliqui actus Logicæ; sed actus Logicæ non pauci verificantur de solis conceptibus obiectivis, seu de obiectis cognitione investitis: ergo &c. *Prob. Min.*: actus isti, *Genus est Prædicabile de multis specie differentibus, Prædicatum propositionis affirmantis debet identificari cum Subiecto, Definitio debet converti cum Definito, in Syllogismo Extrema debent identificari cum Medio*, & similes alij, verè Logici sunt: & tamen de solis obiectis cognitioni substantibus verificantur, vt consideranti patebit. Hinc tota ferè Logica non tam est de actibus Intellectus in semetipsis, quam de secundis intentionibus in concreto, seu de rebus vt à cognitione denominatis: tota siquidem est in explicandis *Genere, Specie, Differentia, Subiecto, Prædicato, Medio, Extremis*

*mis &c.*; quæ nomina propriè conveniant cóceptibus obiectivis, nec nisi impropriè aptantur formalibus. Hoc argumẽtũ in primis nõ prodeſt Thomiſtis, qui nihil reale admittunt inter obiecta Logicæ formalia: nam actus illi neutiquam verificantur de ente rationis, vt per ſe patet.

8 Deinde nec favet conceptibus obiectivis ſecundæ intentionis, ideſt, concretis, aut denominationibus conſtitutis ex obiecto & cognitione directâ: neque enim denominatio Generis eſt prædicabilis de inferioribus, nec denominatio Subiecti identificatur cum denominatione Prædicati, & ſic de cæteris. Actus igitur illi verificantur de ſolo obiecto extra animam ſpecificativè ſumpto, connotatâ vt ſummùm formâ rationis, vt merâ conditione: imò ſecũdus & quartus, vt ſonant, reſpiciunt rem prorſus independentem à formâ rationis, nempe realẽ identitatem. Si ergo munus obiecti formalis eſt verificare actum, plures eruut actus verè Logici, qui ſolas res ſecundùm eſſe phyſicum de formali reſpiciant, ita vt forma rationis vt ſummùm ſit conditio obiectiva: quod tamen Auctores, quibuſcum modò cernimus, improbare videntur.

9 Poſtremò, bifariam ſolvi conſuevit. 1. *negata Mai.*: non enim ſemper, quod verificat actum, eſt illius obiectum formale, quoties nimirùm attingitur ob motivum, ſeu rationem formalem realiter ab ipſo diſtinctam. Sic, dum fide Divinâ vel humanâ aſſentimur obiectis aliàs ignotis, aſſenſus iſti verificantur de rebus creditis, cum tamen ſola dicentis authoritas ſit eorum obiectum formale: quod idem accidit actibus mechanicæ artis, huic v. g., *Domus debet eſſe ad habitandum idonea*, qui præcipuè verificatur de materiâ domi, quæ ſolùm eſt obiectum materiale. Unde non obſtat, quòd in concreto *Genus* v. g. importetur, ac definiatur in recto, non forma, ſed ſubiectum: negandum quippe eſt, quòd actus, vel definitiones, agentes de concretis accidentalibus, de formali reſpicere debeant quod in recto importatur per nomen concreti, vt conſtat in his *myſterium revelatum*, *domus habitabilis*, *res congruè ſignificata*. Adde quòd falsò dicitur, totam ferè Logicam eſſe de talibus concretis: præcipua namque Logicæ præcepta de actibus Intellectus propriè verificãtur, vt patebit cap. ſeq.

10 2. *diſt. Min.*: actus Logicæ verificantur &c., ſi accipiantur, vt ſonant, *conc.*; ſi explicentur ad intentionem Logicæ, *neg. Min.*, & *Conſequ.* Ad *prob. reſp.*: actus illi, ſi ad intentionem Logicæ explicentur, reddunt ſenſum huiuſmodi, *Conceptus genericus talis eſſe debet vt reddat naturam prædicabilem*, *Definitio & definitum formalia verificari debent de eodem obiecto*, *Subiectum & prædicatũ formalia repræſentare debent obiecta realiter identificata*, *In Syllogiſmo exprimi debet identitas realis Extremorum cum tertio & inter ſe.* Idem puta de cæteris. Sic autem explicati, propriè verificantur abſquè dubio de conceptibus formalibus, eoſque directè reſpiciunt. In idem recidit, quod alij dicunt, prædictos Logicæ actus, vt iacent, verificari de conceptibus formalibus, non *vt quod*, ſed *vt quo*, non *in eſſendo*, ſed *in repræſentando*: quamvis enim ſubiectum & prædicatum formalia non ſint id quod identificatur, tamen repræſentant obiecta realiter identificata: & quamvis conceptus *animal* non ſit quod prædicatur, eſt id quo red-

redditur obiectum prædicabile.

11 Nec interpretatio ista, vt nobis obijciunt Adversarij, violenta est, aut gratis conficta. Tum quia intentio Logicæ, vt ex dictis, ac dicendis apparebit, est Intellectum docere modum rectè concipiendi, vt ex turbâ conceptuum ineptos abijciat, & seligat ordinatos: sensus igitur omnium præceptorum Logicæ spectare debet cognitionum delectum. Tum quia, vt alibi arguebamus, actus illi, quatenùs verè logici, sunt præceptivi, ac directivi; quod Adversarij non negant, patetque ex verbo *debet*, aut simili formulâ, quâ tradi solent: ergo intendunt positionem illius obiecti, quod præcipuè respiciunt, seu de quo verificantur in sensu logico. At identitas obiectiva subiecti cum prædicato, vel extremorum cum medio, nequit ex artis directione poni, nec nisi stultè præciperetur à Logicâ: non ergo talis identitas, sed eius repræsentatio mentalis, est quæ verificat eos actus in sensu Logico. Id ipsum ferè contingit in arte quâlibet. Sic Poetica dictans, vt accipiatur Neptunus pro mari, Vulcanus pro igne, Ceres pro segete, de vocibus loquitur, non de rebus. Sic etiam Pictor veteranus, à Tyrone rogatus, qualiter pingendus sit Elephas? Bellua hæc, inquiet, esse debet aspecta fœda, membris tantis ac talibus, oblongâ proboscide, binis dentibus ex ore porrectis &c. Ea præcepta sono tenùs loquentia de Elephante *in essendo*, quæ tamen tyro non rudis intelliget de Elephante *in repræsentando*, scilicet de picturâ.

12 Si inferas: ergo hic actus, *Genus est quod potest prædicari de pluribus specie differentibus*, & alij similis tendentiæ, qui traduntur, & prout traduntur in Tractatu de Prædicabilib., non erunt formaliter Logici in sensu, quem præferunt. *Resp.*: stando responsioni num. 10. *neg. Consequ.* At iuxtà solutionem proximè datam, actus illi vt sonant, sunt partim Logici, partim Metaphysici: ad Logicam pertinent, quatenùs respiciunt significatum formale, & expressum, nimirùm prædicabilitatem, quæ est forma rationis; ad Metaphysicam verò, quatenùs respiciunt significatum materiale, nempe naturam subiectam, quæ, licèt importetur in recto, sitque verificativum actus, confusè tamen significatur. Nec id est inconveniens: constat enim, doctrinam Logicæ vix tradi posse citrà mixturam Metaphysicæ, imò & Animalticæ. Adde quod scientia subalternata nō distinguitur à subalternāte secundū omnes omninò actus.

13 *Obiic.* 2.: concreta *Genus*, *Subiectum*, *Prædicatum*, & similia, ad aliquam scientiam pertinent secundùm omnes partes, quas involvunt; sed non ad aliam, quàm ad Logicam: ergo &c. *Resp.* In primis, non omne concretum, seu denominatio extrinseca, adscribi debet alicui scientiæ, vt patet in his *amatum*, *visum*, *tactum*, *irisum*. Deinde, vt ea concreta spectent ad Logicam, non debet veraque pars habere munus obiecti formalis; sed sufficit, quòd altera formaliter, altera materialiter per actus Logicos attingatur, vt accidit his concretis *congruè significatum*, *ornatè dictum*, *graphicè expressum*, comparatione Grammaticæ, Rhetoricæ, & Pictoriæ. Dices: quia compositum naturale pertinet ad Physicam, hæc respicit pro obiecto formali, non solùm formam, sed etiam materiam; quod etiam præstat Architectura, dum respicit, & construit domum: ergo pariter in re

n.-

notitia. *Resp.* Quod de Physicâ dicitur, non ideò verum est, quia ad ipsam vtcumque pertinet naturale compositum, sed quia vtraque pars eius rationem participat *Entis mobilis*, quæ censetur ratio formalis, sub quâ Physica tendit. Ast concreti *Genus* pars materialis, vt à formali condistincta, non participat rationem formalem obiecti Logici, quæ est rectitudo ex arte factibilis. Quod verò de Architecturâ supponitur, falsum est: nulla quippe ars de formali respicit materiam artefacti, quod construit, sed formam duntaxat.

14 *Obijc.* 3.: Logica formaliter agit de Veritate cognitionum; sed Veritas est quid concretivè resultans ex actu & obiecto: ergo vtrumque formaliter considerat Logica. Hoc argumentum vide solutum suprà cap. 3. num. 11. *Obijc.* 4.: Animastica non modò tractat de actibus Intellectus, sed etiam de obiectis eorum: ergo pariter Logica. *Confirm.* 1.: Logica formaliter considerat discrimen Syllogismi probabilis ab evidenti; quod discrimen consistit in rebus ipsis, vel saltem ab eis pendet. *Confirm.* 2. ex P. Lynce: homo sic ordinatur ad Deum clarè visum, vt non sola visio, sed etiam Deus ipse sit finis hominis: ergo Logica sic ordinatur ad Genus, Speciem, & alia concreta intentionalia, vt non sola cognitio, sed etiam res, quæ cognoscitur, sit eius finis, & obiectum formale. *Confirm.* 3. ex eodem: omne id, de quo scientia ex professo disputat, est eius obiectum formale; sed Logica ex professo disputat de conceptibus obiectivis, saltem in quæstione præsenti: ergo &c.

15 Ad Obiect. *neg. Antec.*, si de tractatione formali sit sermo: quamvis enim differatur in Animastica de obiectis actuum vitalium, id fit per admixtos actus Physicæ, & Metaphysicæ. Propriè namque pertinet ad Metaphysicam tractatio de Vero, & Bono, vt sic, quæ sunt obiecta Intellectus, & Voluntatis: & ad Physicam, tractatio de colore & luce, de sono, de sapore, & cæteris, quæ sunt obiecta sensuum. *Ad 1. Confirm.* Discrimen illud consistit intrinsecè, & formaliter in entitate & repræsentatione assensuum: nam evidentia, & probabilitas est proprietas cognitionis, vt claritas, & obscuritas. Quanvis autem extrinsecè, & obiectivè pendeat à rebus ipsis, non ideò has dirigit, aut considerat Logica de formali, sed aliunde oblatas præsupponit: quemadmodum non considerat pro obiecto formali Intellectum, aut speciem impressam, à quibus effectivè pendet probabilitas, aut evidentia.

16 *Ad 2. neg. Conseq.*: quia Deus ipse, prout à visione condistinctus, rationem habet, & motivum, cur sit finis hominis; suâ quippe intrinsecâ pulchritudine beat, ac felicitat: vnde ipse est finis principalis; visio autem est consecutio finis. At Logica, cuius finis est artificium Modi sciendi, in rebus extra animam nihil invenit, cui acquiescat: quare solas cognitiones considerat pro formali, cum eis insit tota ratio artificij. Et quidem si paritas obiecta locum habet, probat, Logicam principalius ordinari ad res secundum esse physicum, quàm ad cognitiones; quod est contra arguentem. Probat etiam, Logicam ex professo versari circà prædicata intrinseca & specifica rerum omnium: vnde nemo plenè Logicus erit, quin sit omniscius. Nec dicas, idem absurdum sequi, si Logica, saltem pro materiali obiecto,

to,

to, respiciat obiecta cognitionum. Non enim obiectum materiale ex professo discutitur ab scientijs, sed obiter, parcè, & quantum exigit necessitas obiecti formalis: artificium autem, quod est obiectum Logicæ formale, quatenùs ab eius regulis generalibus dictatum, plerumque non exigit notitiam rerum, nisi obviam, & generalem.

17 Tertia Confirmatio probat, inter obiecta Logicæ formalia numerari posse omnia entia realia, & rationis, etiam chymerica, tam in communi, quàm in particulari, sub omnique formalitate, sicut nimirùm disputare libeat, an hæc omnia sint obiectum formale Logicæ? Probat etiam, id omne, de quo disputatur, an sit formale obiectum, reipsâ esse, quamvis evidenter ostendatur pars negativa; quod est mirabile. Formale igitur obiectum Logicæ illud est, cuius ipsa naturam & proprietates directè investigat: non verò illud, de quo tantùm quærit, an obiectum sit, vt maturiùs, & velut cognitâ causâ, declaret spurium, & abijciat. Hoc enim solùm attingitur, &, si velis, formaliter, per actus reflexos speculativos, qui non propriè, sed reductivè pertinent ad Logicam. Breviùs dici potest, quod in simili diximus cap. præc., conceptus obiectivos esse formale obiectum Logicæ, nõ vt amplectentis, sed vt respicientis.

*Resolvitur affine Dubium.*

18 Quanvis in concretis secundæ intentionis, ex re extrà animam & cognitione rectà constitutis, (quæ omnia brevitatis causâ complectemur sub nomine *rectè cogniti*), obiectum Logicæ formale sola sit forma denominans, nempe cognitio artificiosa, materiale verò res denominata; dubitatur adhuc, vtrum cognitio formaliter intendatur à Logicâ, prout recta est in semetipsâ? an potiùs quatenùs derivat in obiectum denominationem *rectè cogniti*, ita vt *rectè cognitum*, prout est concretum ex subiecto & formâ constitutum, sit illud artefactum, quod ars Logica per se intendit, quemadmodùm statua, vel domus, prout est opus ex materiâ & formâ constitutum, est artefactum per se intentum ab Statuariâ, vel Architecturâ? Hoc posterius magnâ subtilitate defendit, ac promovet P. Mauri q. 9. procem., qui veteres plures allegat. Idem ientice videtur P. Joan. Bapt. de Benedictis q. procem. cap. 5. §. 2. Eadem est mens Thomistarum, præsertim Recentiorum, nisi quòd hi formam illius artefacti volunt esse fictam; nostri verò cognitionem realem. Utrique tamen obiectum Logicæ materiale, seu materiam proximam, immediatam, & per se attactam, volunt esse omnia entia extra animam, quæ subsunt, aut subesse possunt formæ rationis; non aliter, ac marmor est materia propria Statuariæ.

19 Pro hac sententiâ *arguitur* 1.: totus labor cuiuslibet artis in eo versatur, vt formam artificialem adaptet alicui materiæ, ita vt ex vtrâque resultet artefactum; sed in arte Logica non est alia materia, cui forma artificialis adaptetur, præter obiectum rectæ cognitionis: ergo totus Logicæ labor est in coaptandâ cognitione cum obiecto, ita vt resultet denominatio *rectè cogniti*, velut artefactum Logicæ proprium. Maior patet in Statuariâ, Architecturâ, & alijs. Minor verò *prob.*: quia in primis cognitio ipsa non est materia artefacti, sed forma artificialis iuxtà nos, vel actio artificis iuxtà Thomistas.

ristas. Deinde, nec Intellectus est materia Logicæ propria: tum quia vix nominatur in totâ Logicâ Aristotelis: tum quia rectæ cognitiones non definiuntur per ordinem ad Intellectum, sed ad obiecta extrà animam: tum etiam, quia denominatio, seu concretum hoc, *Intellectus rectè intelligens*, non intenditur à Logicâ, sed ab Ethicâ, cuius finis iuxtà Aristotelem est felicitas hominis, quatenùs rectè intelligentis, & volentis. Cum ergo non alia materia excogitari possit, vera est illa Minor. *Confirm.*: nulla est ars, quæ intendat formam artificialem in abstracto, & velut avulsam à materiâ: ergo nec Logica rectam intendit cognitionem in abstracto, sed potiùs vt concretam obiecto.

20 *Arg.* 2.: materia propria artefactorum illa est, de quâ tractat ars in ordine ad formam, maximè si forma etiam explicatur in ordine ad illam; sed in Libris Prædicabilium, & Prædicamentorum, Logica de rebus tractat in ordine ad operationes prædicandi, & in Libris Perihermenias, & Analyticis explicat operationes ipsas Intellectus in ordine ad res: ergo res sunt materia propria artefactorum Logicæ, sicut operatio mentis est forma. *Arg.* 3.: tota Logicæ difficultas est in conformandis mentis actibus cum rebus: hac enim conformitate positâ, nihil restat arte superandum. At hæc conformitas consistit in coaptatione actus cum obiecto, vt formæ cum materiâ. *Arg.* 4.: in Intellectu nulla est actuum dispositio, quæ sit artificiosa: non enim ibi disponuntur actus, sicut in spatio; nec aliunde habent ordinem temporis, cum simul tempore existant in mente partes Syllogismi, aut propositionis, si quę sunt. Dispositio igitur logicè artificiosa consideratur vt resulta in obiectum, quod redditur certo modo dispositum ab actibus, sicut marmor à figurâ statuæ.

21 *Arg.* 5.: Logica per se intendit rectam cognitionem, vt extrinsecè vnitam obiecto: ergo per se intendit concretum inde resultans, velut proprium artefactum. Consequentia liquet paritate Statuariæ, quæ ideò per se intendit marmoream statuam, quia per se intendit figuram vt vnitam marmori. *Prob. Antec.*: quia Logica per se intendit mentalem definitionem vt repræsentantem essentiam rei: hæc autem repræsentatio est vnio, quâ definitio redditur extrinsecè vnita obiecto. *Confirm.*: ponenti vltimum determinativum, ex quo resultat necessariò concretum, per se tribuitur concretum integrum vt tale; nec aliâ de causâ compositum physicum tribuitur generanti, & integra domus, vel statua per se tribuitur arti: sed Logica suis regulis ponit rectam cognitionem, ex quâ necessariò resultat concretum, seu denominatio *rectè cognitum*: ergo &c. Accedit, quod Logica crebrò vtitur nominibus concretorum eiusmodi, qualia sunt *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Definitum*, *Subiectum*, *Prædicatum &c.*, quæ ideò vocantur concreta logica, seu denominationes logicales: vtitur, inquam, non minùs, quàm Architectura his alijs *Paries*, *Fornix*, *Domus*, *Templum &c.*, quæ sonant eius artefacta.

22 Propter hæc, sententia ista non parùm est probabilis. Et saltem, quòd Logica per se intendat talia concreta, tamquam obiecta secundaria, valde probabiliter, & sine incommodo concedi potest, dummodò forma rationis non sit ficta, sed

sed vera, cognitio scilicet artificiosa, vt Auctores nostri supponunt. Nihilominùs probabilius est, magisque in Scholâ nostrâ receptum, quòd Logica per se non intendat, saltem primariò, cognitiones vt denominantes obiecta, sive vt rebus extrinsecè concretas; sed potiùs, vt in semetipsis artificiosas. Quare asserimus, artefactum per se primò intentum à Logica, non esse concretum hoc *rectè cognitum*, sed potiùs hoc *Cognitio artificiosa*. Ratio est 1.: quia iuxtà D. Thomam citatum num. 2., materiam huius concreti *Universale* non considerat Logica *per se*, sed *per accidens*: at nulla ars considerat merè per accidens materiam propriam sui artefacti primariò intenti, vt patet in Statuariâ, & alijs.

23 2.: quia, vt docet idem S. Doctor in Procem. Ethic., forma artificialis propria Logicæ est *Ordo, quem Ratio considerando facit in proprio actu*; sicut forma intenta per artes mechanicas est *Ordo, quem Ratio considerando facit in rebus externis*, vt *in arca, vel domo*: ergo forma propria Logicæ comparatur ad actum rationis, sicut forma domi ad materiam externam: ergo, sicut artefactum Architecturæ est *materia exterior ordinata*, ita artefactum Logicæ est *actus Rationis ordinatus*. Certè in sententiâ contrariâ, forma Logicæ artis est ordo, quem Ratio facit, non in proprio actu, sed in obiecto. 3.: quia vt ait idem Angelicus 2.Poster. lect. 1., Logica est *circà ipsum actum rationis, sicut circà propriam materiam*: ergo propria materia, quam Logica format in artefactum, est actus ipse rationis. Addit ibidem, quòd Logica *in actum rationis nos dirigit*: at ars vnaquæque nos dirigit in suum artefactum, v.g. Architectura in domum.

24 4.: Illud est artefactum per se primò intentum ab arte, quo habito ars contenta esset, etiamsi cætera per impossibile deficerent; sed habita cognitione artificiosa, Demonstratione v.g., ars Logica contenta foret, etiamsi per impossibile non derivaretur in obiectum denominatio *rectè cogniti*, vel etiamsi à tali derivatione præscindatur: ergo &c. *Prob. Min.*: Logica tunc obtineret id, ad quod inventa est: ergo contenta foret. *Prob. Antec.*: ars Logica *inventa est, vt Intellectus in ipso actu Rationis ordinatè, faciliter, & sine errore procedat*, teste D. Thomâ (a) sed, habitâ demonstratione mentali, Intellectus eo modo procederet *in ipso actu rationis*, vt est evidens, etiamsi præscindamus à denominatione passivè derivatâ in obiectum, vel eam per impossibile tollamus: ergo &c. *Confirm.*: passivâ denominatione sublatâ, rectitudo ipsa intelligendi, seu ordinata repræsentatio huius actus, *Animal rationale*, præ isto, *Vivens risibile*, adhuc digna esset, vt eius gratiâ traderetur ars Logica; adhuc Intellectus in eius actus, & aliorum effectione posset errare; & adhuc ex illis eamdem, quam modò, perciperet vtilitatem: adhuc ergo subsisteret finis, & scopus Logicæ, proindeque proprium ipsius artefactum. Nec obstat, quod denominatio passiva necessariò resultet: nam ars domificandi non per se primo intendit vmbram necessariò resultantem ex domo, nec relationem similitudinis, aut dissimilitudinis domi cum rebus alijs, quantumvis necessariò consecutam: vtique propter modò dicta.

25 5.: quia vrget iterùm paritas Grammaticæ, Rhetoricę, & Pictoriæ: nam ijsdem ferè argumen-

(a) *In 2. Poster. Lect. 1.*

menus probari posset, proprium istarum artium artefactum esse objectum *congruè significatum, ornatè dictum, vividè pictum.* Et nihilominus, quamvis ea concreta, passivæque denominationes necessariò resultent, non sunt artefacta per se primò intenta ab illis artibus, sed potiùs hæc, *Congrua locutio, Ornata dictio, Vivida imago.* Pariter ergo in arte Logicâ philosophandum. Accedit 1., quod Logica iuxtà omnes non est ars factiva, sed activa: artes autem activæ non intendunt aliud opus, præter ipsas operationes agentis; *sed id est finis, exercitium, & actio*, vt ait Aristoteles, cuius pulchrum locum vid. suprà disp. 1. cap. 10. num. 14. Accedit 2., quòd non alia est ars, cuius proprium artefactum consistat in meræ denominatione extrinsecâ, nihil immutante materiam: ergo nec artefactum Logicæ, siquid valet exemplum cæterarum artium, quo armantur Contrarij. Sed quid ad eorum argumenta?

26 *Ad 1. neg. Min.* Ad *prob.*: entitas ipsa cognitionis, secundùm prædicata formaliter distincta ab artificio, est materia, cui Logica formam adaptat artificiosam: nec ad hoc requiritur distinctio realis inter materiam & formam. Sic Prudentia moralem rectitudinem adaptat actibus Voluntatis, à quibus ea rectitudo realiter est indistincta. Sic etiam Ars saltandi motibus pedum artificium adaptat realiter indistinctum ab ipsis. Nec volumus, vt Intellectus sit materia proxima Logicæ: nó enim est, nisi remota; sicut tabula est materia remota Pictoriæ, colores verò materia proxima. Nec item, vt hoc concretum, *Intellectus rectè intelligens*, sit artefactum, aut finis intrinsecus Logicæ: non enim est nisi finis extrinsecus, & quasi mediatus, quem si velis, poterit Ethica immediatè respicere. Ita ergo se habet ad Logicam, sicut ad Grammaticam, aut Rhetoricam, aut Saltatoriam, concreta ista, *Homo congruè loquens*, aut *ornatè dicens*, aut *rectè saltans*. Denominatio tamen passiva in obiecto, ne sic quidem est finis Logicæ, quæ non intendit perficere obiectum, sed Intellectum; vt explicari potest ijsdem exemplis. *Ad Confirm.* Logica, licèt non respiciat artificium vt concretum obiectis, non ideò respicit illud vt avulsum à materiâ, sed potiùs vt concretum entitati cognitionis sicut Prudentia rectitudinem vt concretam actibus Voluntatis, velut materiæ propriæ.

27 *Ad 2.* Libri Prædicamentorum, & Prædicabilium, quatenùs ad intentionem Logicæ primariam pertinent, non tractant de rebus tamquam de materiâ artefacti Logici, sed tamquam de terminis extrinsecis artificij mentalis: quemadmodum Rhetorica, vel Pictoria, res etiam considerat, vt benè exprimat; non tamen velut materiam propriam sui artefacti, sed vt terminos extrinsecos ornatæ dictionis, vel imaginis. Unde fateor, operationes Intellectus à Logicâ explicari in ordine ad res, aut obiecta; sed non aliter, quàm à Pictoriâ explicatur imago in ordine ad obiectum; vel non aliter, quàm definitur causa in ordine ad effectum: videlicet, non vt ad subiectum, vel materiam denominabilem, sed duntaxat vt ad purum terminum, vel specificativum extrinsecum. *Ad 3.* Redit iterùm instantia Pictoriæ, cuius tota difficultas potiori iure dicetur esse in conformandis imaginibus cum obiectis, proindeque in coaptatione vtrorumquæ,

que, vt formæ cum materiâ. Sicut ergo conformitas imaginis cum obiecto non intenditur per se primò à Pictoriâ, quatenùs ex parte obiecti se tenet, vel quatenùs illud passivè denominat, sed tantùm quatenùs denotat rectam dispositionem colorum; ita in re nostrâ dicendum.

28 *Ad 4.* Qualisnam sit artificiosa dispositio conceptuum formalium in semetipsis, explicabitur capite sequ. Interim dicimus, vt cognitio dicatur rectè disposita, seu rectè posita, sat esse, quod ex præscripto Logicæ ponatur cognitio taliter repræsentans, potiùs quàm alia repræsentans aliter, licèt ipse repræsentandi modus non distinguatur realiter à cognitione: quod explicari potest exemplo rectitudinis actuum voluntatis ex numer. 26. *Ad 5. neg. Anteced.*, si sermo sit de intentione primariâ, quâ tendit ars in proximum artefactum. *Ad prob.* Est quidem repræsentatio cognitionis vnio extrinseca & intentionalis actus cum obiecto: at non intenditur formaliter & explicitè prout vnio est, sed tantùm prout est repræsentatio artificiosa in se. Sic eadem repræsentatio est vitalis; & tamen à Logicâ non intenditur formaliter & explicitè vt vitalis. Sic etiam congrua locutio, & imago, sunt vniones extrinsecæ suî cum obiectis; non enim aliâ vnione opus est, vt statim resultet passiva denominatio *significati*, & *picti*: & tamen à suis artibus non intenduntur formaliter quatenus tales vniones sunt.

29 *Ad Confirm.* Maior solùm est vera de ponente vltimum determinativum formaliter vt tale, sive ex intentione determinandi existentiam concreti; qualis intentio adest in generante physicos in arte inducente formam statuæ, vel domi, & ferè quoties forma concreti est intrinseca subiecto, & instituta ad illud perficiendum. Si tamen non ponatur vltimum determinativum quà tale, & quia tale, sed sub aliâ ratione, seu munere per se optabili; tunc non fundat attributionem totius concreti, saltem primariam, vt iterùm liquet in Grammaticâ, & Pictoriâ, quibus non sic attribuuntur concreta *congruè significatum*, & *pictum*, quantumvis ponentibus congruam locutionem, & imaginem, quæ sunt vltima determinativa concretorum. Cùm ergo Logica ponat rectam cognitionem sub munere artificiosæ repræsentationis, quod est per se maximè optabile; non verò sub munere determinantis, aut derivantis denominationem extrinsecam, quæ vix est optatu digna, vtpotè nihil perficiens rem denominatam: fit, vt non per se primò tribuatur Logicæ tota denominatio. Sic rectâ cognitione positâ, necessariò in eâ resultat denominatio *similis*, aut *dissimilis* cæteris actibus in Mundo præexistentibus: quin ideò talem denominationem curet, aut per se intendat Logica.

30 Quod additur de vsu nominum, vt summùm probat, eiusmodi concreta per se attingi per aliquos actus Logicæ secundarios, quales inter alios censeri possunt definitiones quinque Prædicabilium servatâ significatione, quam præseferunt primo aspectu. Non enim pertinaciter inficiabor, aliquos esse Logicæ actus, qui per se confiderent concreta ista, proindeque respiciant res extra animam pro obiecto materiali proximo. Sunt tamen hi actus secundarij, & in Logicam introducti, quia consideratio denominationum passivarum

rum sæpe utilis est, vt melius cognoscatur, ac reguletur artificium cognitionis in se. Sic Architectura sæpè considerat, qualiter structa domus sit similis, aut dissimilis alijs ædificijs, vtique per actus quosdam secundarios, quin ideò dicatur absolutè intendere denominationem *similis*. De cætero, nomina propria artefactorum Logicæ non sunt illa, quæ obiectio enumerat, si obiectivè sumantur, sed hæc potiùs, *Definitio, Divisio, Syllogismus, Demonstratio, &c.*, quæ propriè sonant cognitiones artificiosas.

## CAPUT VII.

### *Obiectum Logicæ formale directè statuitur in Actibus Intellectus?*

QUamquam satis colligatur ex dictis in hac Disput., Obiectum Logicæ formale consistere in rectitudine reali operationum Intellectus; alia nihilominùs argumenta dabimus, quibus id ipsum immediatè ac directè probetur. Sed priùs quædam præmittere oportet claritatis ergo.

### §. I.

### *Quotuplex sit Operatio Intellectus? Et quatenùs arte dirigibilis.*

1 QUantum ad præsens attinet, operatio Intellectus humani est imago quædam, expressio, & repræsentatio obiecti, producta ab Intellectu, & in ipso recepta, per quam homo redditur formaliter & actu cognoscens. Hæc dicitur cognitio, conceptus, sive conceptio, intellectio, sive actus Intellectus, & verbum mentis. Triplex communiter assignatur. Prima dicitur *Apprehensio pura*, quæ sic repræsentat obiectum, vt nihil de eo vel neget, vel affirmet. Quòdsi repræsentet simplici quodam intuitu; qui nequeat præcisione reflexâ in duas expressiones dissecari, vocatur *Apprehensio simplex omninò*, qualis respondet his vocibus, *Deus, Homo, Exercitus*, & similibus. Si verò, vel constet expressionibus realiter distinctis, & coadunatis, vel eis in repræsentando æquivaleat citrà realem compositionem, vocatur *Apprehensio complexa*, vel etiam *simplex secundum quid*, quatenùs nec est omninò simplex, nec adhuc habet illam compositionem subiecti, & prædicati, quæ propria est secundæ operationis Intellectus. Tale genus apprehensionis exponimus per terminos complexos, aut orationes vocales imperfectas, v. g. *Animal rationale, Homo Dilectus, Deus Omnipotens.*

2 Secunda mentis operatio dicitur iudicium, & etiam assensus, aut dissensus, enuntiatio, & propositio mentalis, estque repræsentatio obiecti affirmando, aut negando. Hæc appellatur *compositio*, & *divisio*, seu operatio *componens*, & *dividens* signatè & ex parte obiecti, sumptâ compositione & divisione pro identitate & distinctione obiectivâ extremorum, vt explicuimus cap. 5. Dicitur etiam *componere subiectum & prædicatum formaliter* exercitè & ex parte actus, sive asserat, sive neget: quia, vel est actus realiter compositus ex totconceptibus, quot sunt voces huius v. g. pronuntiati vocalis, *Homo est animal*, vel saltem totidem conceptus apprehensivos præsupponit, eosque virtualiter, aut æquivalenter continet. Nec doctrina Logicæ de-

Logicę debet fieri dependēs ab eo, quòd iudicium, vel apprehensio complexa, sit actus realiter indivisibilis, aut realiter compositus; quanvis hoc posterius communi loquendi modo supponatur claritatis gratiâ. Tertia demùm operatio Intellectus appellatur discursus, estque progressus mentis ab vno vel pluribus iudicijs ad aliud, quod inde subnascitur. Hæc dicitur Argumentatio; cuius varias species in Summulis habes.

3 Jam, vt aliqua operatio sit arte dirigibilis, requiritur, quòd varijs modis, benè, vel malè, fieri possit, ita vt in eâ rationale Agens possit errare, sive à recto fine deflectere. Quo sensu operationes Intellectus, saltem secundam, & tertiam, esse arte dirigibiles, in omni Scholâ supponitur, aut probatur, negabitque nemo, qui Logicam non prorsus dixerit otiosam. Quod posset obstare, vide solutum disp. 1. cap. 10. n. 16. Nec nisi vocaliter discrepant, qui volunt, non actū, sed mente, aut homine propriè dirigi; sumūt enim Tò *dirigi* pro *edoceri*, vel *instrui*: nunc autem sumitur pro *dictari*, seu *regulis præscribi*; quo sensu dicimus, actus humanos à Prudētiâ dirigi. Primā tamen operationē Intellectus, sūt qui cū P. Hurtado negent, esse arte dirigibilem. Quorum sententia his argumentis nititur. 1.: quia pura apprehensio est incapax erroris: ergo & directionis. Patet Antecedens: tum quia est incapax falsitatis; hæc enim in solo iudicio reperiri potest: tum quia nulla est apprehensio, quæ nequeat alicui veræ propositioni deservire: tum etiam, quia semper evadit conformis obiecto apprehenso, necnon alicui regulæ Logicæ; si enim formando Generi sit inutilis, formabit Differentiam, Proprium, vel aliud ex Prędicabilibus logicis. 2.: quia, positā specie obiecti, necessariò resultat apprehensio, sicut externa visio positā specie coloris: ergo, sicut visio est incapax directionis, ita & apprehensio.

4 3.: quod voluntatis imperio non subest, non potest arte dirigi; sed apprehensio non subest imperio voluntatis. Probatur hoc: quando Voluntas imperat Intellectui, vt formet Genus *Animal* v.g., vel præconcipitur *Animal*? vel non? Si primum: ergo iam Intellectus præhabet apprehensionem formantem Genus illud, ac proinde frustrà supervenit directio, & imperium. Si secundum: ergo, cum Voluntas nequeat imperare, nisi quod est præcognitum, impossibile erit illud imperium. 4.: Ethica non dirigit simplicissimas Voluntatis complacentias: ergo, nec Logica simplices Intellectus apprehensiones. 5.: Logica non dirigit actus phantasiæ, & sensuum externorum, licèt ex eis non rarò sumat intellectus occasionem errandi: idem ergo de apprehensione dicendum. 6.: Apprehensio simplex non est capax artificij; hoc enim exigit compositionem partium: ergo nec est directionis capax.

5 His non obstantibus, communis, & vera sententia tenet, apprehensionem, sive simplicem omninò, sive complexam, posse ab arte Logicâ dirigi: non quidem omnem, aut pro omnibus circunstantijs; sic enim nec secunda operatio dirigibilis est, cum sæpe iudicium necessariò & indeliberatè resultet, vt cum Solem oriri cernimus: sed multiplicem, aut multotiès, præsertim in examine rerum difficilium, & abstrusarum, quo scientias adquirimus. *Prob.* 1. auctoritate D. Thomæ in procem. lib. 2. Poster. & 1. Periherm.

vbi doctrinam artis Logicæ distribuit inter tres operationes Intellectus, & singulis assignat suas considerationis Logicæ partes. Atqui Logica versatur circà operationes Intellectus, tamquam *artis directivæ*, vt docet idem S. Doctor loc. cit. Poster.: ergo in tribus operationibus invenit dirigibilitatem.

6 *Prob. 2.* ratione. In primis de apprehensione complexâ: nam in eâ salvatur Definitio iuxtà communem sententiam: at in definitione formandâ potest Intellectus procedere non rectè, sed malè, adhibendo scilicet Genus remotum loco proximi, aut accidens loco Differentiæ, aut superfluum aliquid addendo, aut etiam prædicata inter se pugnantia copulando. Ut ergo facilè vitia ista cavere possit, confert directio Logicæ, quæ idcircò tot regulas pro definitione ritè formandâ præbet. Nec dicas cum P. Hurtado, Logicam solùm agere de Definitione in ordine ad iudicium, in quo prædicetur de Definito, atque adeò non nisi prout est pars propositionis. Impugnaberis enim: quia, licet verum sit, primam operationem ordinari ad secundam, vt etiam secundam ad tertiam, tamen vnaquæque in suo ordine, seu lineâ, capax est inordinationis, & vitij, priusquàm ad aliam perveniatur; sicut marmorea manus, licèt fabricetur in ordine ad statuam, in semet potest esse vitiosa, vt si sex, vel quatuor dùtaxat digitos habeat. Ut ergo manus directionè, ac regulas vendicat sibi proprias; sic definitio; quæ certè, priusquàm propositionem actu componat, obnoxia est vitijs nuper enumeratis, eaque vitanda curant regulæ Summularum.

7 Idcircò D. Thomas (a) in primam Intellectus operationem, quæ est definitio, docet cadere posse falsitatem aliquam, non solùm *Secundùm quod Intellectus definitionem vnius attribuit alteri, vt si definitionem circuli attribuat homini*, sed etiàm *Secundùm quòd partes definitionis componit adinvicem, quæ simul sociari non possunt: sic enim definitio non solùm est falsa respectu alicuius rei* (nempe cui attribuitur per iudicium) *sed etiam est falsa in se* (nempe seorsùm à iudicio); *vt si formet talem definitionem, Animal rationale quadrupes, falsus est Intellectus sic definiendo.* Hoc D. Thomas: quod intellige de falsitate inchoatâ, radicali, seu virtuali, quæ etiam ante iudicium reperiri potest, vt alibi dicemus. Probatio ista locum habet, etiamsi apprehensiones, quæ vocantur complexæ, sint actus indivisibiles: adhuc enim indifferens est Intellectus, vt loco actus repræsentantis obiectum ad normam Logicæ, alium eliciat regulis dissonum.

8 Deinde probatur id ipsum de apprehensione incomplexâ, sive omninò simplici. Nam per eam formantur Genus, Species, & cætera Prædicabilia: sed in his efformandis potest Intellectus errare. Probatur: quia Intellectus, formaturus Genus proximum hominis, quanvis advertat convenientiam hominis cum brutis in operatione sentiendi, non est necessariò determinatus ad apprehensionem, *Animal*, quæ sola tali Generi est apta; sed potest aliquam elicere ex his, *Animalia*, *Sentiens*, quarum neutra est vtilis, altera, quia multitudinem exprimit, altera, quia fertur in accidens. Ut igitur Intellectus apprehensiones inutiles omittat, & seligat vtiles, prædoceri debet, quas conditiones exposcat apprehensio formatura Genus, aut aliud quodvis Prædicabile. Debet

(a) 1. p. q. 17. art. 4. C. er-

ergo dirigi doctrinâ, seu regulis artis: vt reverâ dirigitur in Tractatibus de Universalib., & Prædicabilib., qui ad simplices apprehensiones pertinent; quò etiam spectat tractatus de Prædicamentis.

9 Nec oppositum suadent argumenta contraria. *Ad* 1. Apprehensio est incapax erroris, sumpti pro falsitate formali, quæ in solo iudicio reperitur: secùs verò, si sumatur error pro inordinatione ad finem Logici, vel pro dissonantiâ ad regulas; vt nuper ostendimus. Hoc sensu actus Voluntatis, & actiones externæ dicuntur erroris capaces. Qualiter autem apprehensio complexa falsitatem admittat, vidimus num. 7. Nec obstat, quòd omnis apprehensio possit alicui veræ propositioni deservire: nam vt à Logica dirigatur, sufficit quod possit non deservire propositionibus, in ordine ad quas Logica docet formare Genus, Speciem, &c. Transeat item, quòd semper obiecto suo conformetur apprehensio: non enim ideò conformatur necessariò regulis Logicæ dictantis certum repræsentandi modum. Cedo, cui regulæ conformatur hic actus, *Animal rationale quadrupes*: vel isti, *Animalia, Pisces, Homines.*

10 Sed fac omnem apprehensionem esse conformem alicui regulæ Logicæ. Adhuc in eâ posset errari, saltem negativè, frustrando regulas, ad quas attenditur hic & nunc. Si enim Intellectus applicatus ad operandum iuxtà regulas formandi Generis, formet Speciem, non minùs errabit, quàm in secundâ operatione, si applicatus ad prædicandum Genus, Speciem prædicet; vel non minùs, quàm Pictor, si volens hominem pingere, pingat equum; vel etiam, quàm Faber, si quàdratum lapidem facturus, faciat arcuatum. Errabit, inquam, non tam errore positivo, quàm negativo, quatenùs non ponit opus dictatum per regulas actu præluentes: non enim Logica reprobat formationem Speciei, sed eam non præcipit hic & nunc; reprobat autem per hasce regulas carentiam Generis, vel etiam quidquid est cum eo incomponibile in statu existentiæ: quod explicari potest exemplis modò positis. Quare immeritò inferunt aliqui, artificium actuum Intellectus pendere à circumstantijs extrinsecis, eo quòd in casu dicto formatio Speciei loco Generis à Logicâ improbetur vt inartificiosa propter circumstantias temporis indebiti. Pari namque iure posset idem inferri de artificio picturæ, vel lapidis, contra mentem omnium. Solùm ergo infertur, formationi Speciei deesse tunc artificium, quod formale vocant, & quod importat denominationem extrinsecam à regulis actu dirigentibus, vt infrà dicetur.

11 *Ad* 2. Sæpe quidem apprehensio prævenit directionem artis, quod etiam evenit iudicio. At sæpe obiectorum species non sunt tam vividæ, vt necessariò pariant apprehensiones, vel certè non determinant alias præ alijs, vt in casu num. 8. Oppositum in externâ visione contingit. *Ad* 3. *n. g. Min.* Ad *prob.*: Voluntas non imperat Genus *Animal* expresè; tantùm imperat, vt Intellectus formet Genus proximum hominis per talem apprehensionem, qualem dictat Logica, videlicet indefinitè exprimentem id, in quo homo proximè convenit cum rebus alijs. Hoc imperio posito, varias Intellectus elicit apprehensiones, donec incidat in eam, quam vi-

deat doctrinæ Logicæ conformari, tuncque ipsam probat, ac retinet. Atque ita verè procedit apprehensio *Animal*, ex directione Logicæ, cum eius luce quæratur, & inventa discernatur ab alijs. Ad illud igitur imperium non præit apprehensio, *Animal*, sed cognitio ista, *Conceptus indefinitè exprimens prædicatum essentiale, quo proximè cum rebus alijs convenit homo.* Adde quòd, vt apprehensio verè dicatur dirigibilis, sat est, quòd eius conservatio, & retentio pendeat à Logica, licèt prima productio sit prorsus necessaria.

12 *Ad 4.* Ethica non dirigit complacentias, quæ dicuntur motus primò primi, quia libertatem præveniunt: dirigit tamen alias, etiam simplices, quæ libertati subsunt. Hoc autem ipsum in re nostrâ dicimus. *Ad 5. conceſſ. Antec. neg. Conſeq.*: quia, nec Logica præcavere debet omnem occasionem errandi etiam remotam, qualis oritur ex phantasiâ, & sensibus; nec ideò præcisè dirigit apprehensionem, quia ex eâ vtcumque sumitur occasio errandi, sed quia in ipsam propriè cadit error, & inordinatio immediatè contraria doctrinæ Logicæ. *Ad 6.* Falsò dicitur, artificium indigere compositione partium, vt patebit §. seq. Et instatur in iudicio, quod apud Adversarios est simplex qualitas.

## §. II.

*Quid sit artificium actuum Intellectus?*

13 QUoniam ex dictis constat, & adhuc ex dicendis apparebit, actus Intellectus posse arte Logicâ dirigi, non tantùm vt actiones artificis, sed vt artefacta, sive opera artificiosa; quærimus, quid sit, aut in quo consistat illud artificium, ratione cuius à Logicâ diriguntur? Duplex *directio* distingui solet, *activa*, & *passiva*. Directio activa est ipsa regula artis: directio passiva, est ordinatio, vel rectitudo, quam regula dictat in opere faciendo. Utraque spectari potest, vel *in actu primo*, vel *in actu secundo*. Activa directio in actu primo est aptitudo regulæ ad dirigendum; & hæc etiam vulgo dicitur, tametsi impropriè, *dirigibilitas activa*: activa directio in actu secundo est ipsa regula vt actu dirigens, sive prælucens ad operandum. Ex adverso, passiva directio in actu secundo est rectitudo operis vt facti cum attentione ad regulas: passiva directio in actu primo est aptitudo, seu dignitas operis, vt ab arte dictetur, & approbetur.

14 Hæc postrema directio vocatur etiam *dirigibilitas passiva*. Sed ne vox ista confusionem pariat, observa, bifariam posse aliquid esse ab arte dirigibile, *subiectivè*, & *obiectivè*. Dicitur subiectivè dirigibile, quod postquam existit, est subiectum indifferens, vt recipiat, vel non, formam artificiosam: talis est dirigibilitas lignorum & marmorum ab Architectura. Poterit etiam subiectiva dirigibilitas vocari per quamdam analogiam, indifferentia rationis, quam habent prædicata communia, vt contrahantur per differentias specificas, vitiosas, aut rectas: v. g. indifferentia actus humani vt fit, vt ex directione Prudentiæ contrahatur potiùs ad amorem honesti, quàm ad amorem boni delectabilis. Dicitur verò dirigibile obiectivè, quod essentialiter est rectum, indifferens tamen vt existat, vel secùs; ideòque ab arte dictatur eius existentia potiùs, quàm actus oppositi. Quare non est subiectum, cui ars perfectionem superaddat; sed est ipsamet perfectio, quæ præconcipitur ab ar-

artificè, & regulis obijcitur vt digna, quæ actu ponatur. Sic à Fide dirigibilis est amor Dei super omnia: non quia Fides dictet, vt amor alius obiecti fiat amor Dei; sed quia dictat, vt actus, quem præconcipit esse amorem Dei, eliciatur potius, quàm alius amor. Hoc modo dicimus actus Intellectus in specie esse à Logicâ dirigibiles.

15 Hæc ergo obiectiva dirigibilitas idem omninò est, ac directio passiva in actu primo; eademque vocari solet *artificium fundamentale*. Vox *artificium*, vt etiam *artefactum*, strictè sumpta, connotat artis directionem: quare idem sonare videtur, ac opus *actu directum*, *actu regulatum*, *actu positum cum advertentia ad regulas artis*. Importat ergo formaliter denominationem extrinsecam à prælucente regulâ vt à formâ: & hæc denominatio dicitur *artificium formale*, & *extrinsecum*. Quodsi præcisè consideretur intrinseca rectitudo operis ex se digna, quæ dictetur ab arte, sic dicitur *artificium fundamentale*. V. g. hic actus, *Animal rationale*, elicitus ab ignaro Logicæ, vel sine attentione ad regulas, non est formaliter extrinsecè artificiosus; est tamen intrinsecè, & fundamentaliter, quia totam habet rectitudinem, quam præscriberent regulæ definiendi, si adessent; nec quidquam illi deest, vt dicatur formaliter artificiosus, nisi directio extrinseca artis. Verùm quia passim artificium simpliciter dictum sumitur pro intrinseco, seu pro rectitudine ista; idcircò actus ille, sicut est formaliter, ac plenè rectus, ita est formaliter, ac plenè artificiosus, quamvis ab arte non prodeat hic & nunc. Atque hoc sensu accipitur artificium in præsenti quæstione, videlicet, prout idem est, ac passiva directio, seu dirigibilitas obiectiva, vel clarius, prout est idem, ac rectitudo operis ex se digna labore artis, & quam ars præcipit, dum adest.

16 His positis, artificium, saltem positivum, quod Logica præcipit in actibus Intellectus, ab isdem actibus, & eorum specificâ repræsentatione realiter indistinctum esse, tenet communis & vera sententia Nostrorum, contra Thomistas pro Ente rationis pugnantes, de quibus vid. cap. 4. §. 2., & contra alios artificium statuentes in modo quodam arte superaddito. Ratio est: quia artificium illud consistit in speciali ac certo modo repræsentandi obiecta: v.g. artificium Definitionis, in brevi & perspicuâ repræsentatione prædicatorum essentialium, quæ genus proximum, & differentia vltima dicuntur: artificium Syllogismi, in repræsentatione præmissarum ac conclusionis modificatâ per certam affirmationem, aut negationem, atque etiam per quantitatem, & dispositionem terminorum. Atqui certus hic repræsentandi modus realiter indistinctus est à repræsentatione, quæ est entitas ipsa conceptuum: ergo &c.. Maior conspicua videtur: quia tali modo repræsentandi posito, ars Logica cõrenta est, eiusq; regulis plenè satisfit. Minor autẽ est certa: nam actus Intellectus identificant secum suum quisque specificum modum tendendi in obiectum, quem exuere vel mutare nullatenùs possunt; quemadmodum idem iudicium, quòd semel est affirmativum, nequit fieri negativum, aut è converso; nec quod semel est vniversale, potest fieri particulare.

17 Sed notandum, artificium mentale, aliud esse realiter simplex,

videlicet in sententiâ multorum artificium Iudicij, & apprehensionis complexæ, & in sententiâ omnium artificium apprehensionis formantis Genus, vel aliud Prædicabile; aliud esse realiter compositum ex multis conceptibus, videlicet artificium Syllogismi, vel etiam in sententiâ probabili artificium Iudicij, seu propositionis mentalis. Nostram ergo sententiam sic intellige, vt artificium simplex prorsùs identificetur cum eo simplici concepto, cuius est proprium: artificium verò compositum identificetur adæquatè cum partibus simul sumptis, v. g. in Syllogismo cum tribus Iudicijs; cum singulis autem, non nisi inadæquatè. Quodsi velis, vt tria Syllogismi iudicia, prout *simul sumpta*, importent superadditos modos durationis, aut etiam vnionis cum eodem Intellectu; quod ad præsens attinet, non repugnabo: de his enim modis naturaliter, etiam sine arte, pullulantibus, non loquuntur Adversarij; sed de modo quodam reali, vel rationis, per artem superinducto, qui sit tota forma denominans conceptus artificiosos.

18 Sed *Obije.* 1.: Rectitudo moralis distinguitur ab actibus Voluntatis: ergo & rectitudo Logica, ab actibus intellectus. *Obije.* 2.: Itantibus ijsdem concep ibus, artificium variari potest, vel deficere: ergo realiter ab illis distinguitur. *Probat Antec.* Tum quia conceptus idem sunt, sive dicatur *Homo est animal*, sive *Animal est homo*; non tamen est idem artificium: quod etiam variatur, si propositioni *Homo est animal*, addatur *rationale*; cum tamen præcedentes illi conceptus non varientur. Tum quia duo conceptus, *animal*, & *rationale*, non sunc definitio, nisi coniungantur, vtique per coniunctionis modum superadditum: nec item sunt bona definitio, donec intelligatur carentia conceptuum redundantium, aut nocentium, v. g. *bipes, quadrupes, &c.* Tum quia in Syllogismo quæ præmissa est Maior, potuit esse Minor, & è converso: & ex ijsdem Præmissis invariatis deduci possunt variæ conclusiones, nunc vniversalis, nunc particularis, nunc directa, nunc indirecta.

19 *Obije.* 3.: artificium vocale distinguitur à vocibus: ergo & mentale, à conceptibus. 4: artificium semper est aliquid superadditum materiæ dirigibili, vt patet in artificio domus, imaginis, & alijs; sed conceptus sunt materia dirigibilis à Logicâ: ergo &c.. 5.: quod naturale est, & materiæ convenit suapte naturâ, non est artificiale; sed repræsentatio conceptui naturalis est: ergo &c.. Idcircò rusticus sæpe concipit benè, quantum ad repræsentationem actuum; & tamen non dicitur artificiosè concipere.

20 *Resp. Ad* 1. Rectitudo moralis, sumpta pro tendentiâ in motivum honestum, indistincta est ab actibus Voluntatis. Hæc autem sola comparari debet cum rectitudine Logicâ, quę est certa quędam tendentia representativa talium, vel talium obiectorum. Nam rectitudo moralis, quatenus libertatem involvit, licèt sit actibus extrinseca (quod multi negant), nihil probat ad præsens: non enim conceptus ideò sunt recti, quia liberi, vel imputabiles. Præterea disparitas est: quia rectitudo moralis est conformitas cum regula Prudentię, vel Divinę Legis, quę regula dictat, non solam substantiam actus, sed certas etiam circunstantias extrinsecas loci, & tempo-

poris. Ac regulis Logicę plenè satisfit per specificam repręsentationem actus.

21 *Ad 2. neg. Antec.* non benè probatum. Nam in primis, si iudicium, & apprehensio complexa, quâ fit definitio, sint actus indivisibles, variationes illę, vel additiones, locum non habent, nisi mutetur, & pereat totus actus alio subrogato. Deinde, quanvis iudicium sit actus compositus, quâlibet factâ variatione in prædicato, vel subiecto, variatur copula mentalis, quæ semper est conceptus essentialiter connexus cum his extremis præ alijs, vtpote vnio formalis ipsorum. Unde in his iudicijs, *Homo est animal*, *Animal est homo*, conceptus copulæ diversus est, quia, licèt extrema sint eadem, altera tamen copula respicit vt basim, quod altera respicit vt coronidem, & viceversa. Diversus item est, si prædicato *animal* addatur *rationale*; quia prædicatum, quod erat simplex, fit complexum, adeòque fit diversum extremum. Hinc solves, quod alij obijciunt, posse nimirùm existere simul tres conceptus, *homo*, *est*, *animal*, quin resultet iudicium. Poterunt quidem, si ly *est* mera sit apprehensio identitatis; minimè tamen, si sit conceptus, qui gerit munus copulæ mentalis: ille enim essentialiter pertinet ad secundam operationem, habetque tendentiam iudicativam essentialiter alligatam extremis.

22 Similiter dicendum in definitione, *Animal rationale*, si ponatur apprehensio realiter composita. Conceptus enim, *rationale*, erit apprehensio, non qualiscumque, sed secum identificans modum repræsentandi contractivum prædicati communis, atque adèo essentialiter exigentem consortium apprehensionis *animal*; neque alius vnionis modus cogitari posse videtur inter simplices apprehensiones. Hinc apprehensio *rationale* non est idem conceptus intra, & extra definitionem. Quod additur de carentiâ redundantiæ, concedi potest sine incommodo: commune est enim artificijs, determinatam mensuram exigentibus, importare de obliquo, vel connotato carentiam redundantiæ, vt in picturâ cernitur. Idcircò de artificio *saltem positivo* locuti sumus num. 16. Quod attinet ad Syllogismum, si triplex iudicium non varietur entitativè, falsum est, quòd præmissa Maior possit fieri Minor, aut è converso: semper enim erit Maior, quæ maius extremum coatinet, vt in Summulis ostensum est. Dum variatur Conclusio, variatur quidem Syllogismus, & eius artificium; sed non sine variatione entitativâ vnius è tribus iudicijs, quibus constat. Quare nunquam verificatur, artificium à Logicâ intentum distingui realiter à talibus conceptibus vt simul existentibus in eodem Intellectu.

23 *Ad 3. neg. Consequ.*: quia locutionis artificium consistit in significatione, quæ vocibus extrinseca est, vtpote pendens ab hominum placito, quod certum exigit prolationis ordinem, certas quoque morulas, ac circumstantias temporis, & loci. At mentale artificium consistit in repræsentatione obiectorum, quæ iuxta omnes identificatur cum actibus mentis. *Ad 4.* Maior solùm est vera in artibus factivis, quæ in externam ac præsuppositam materiam agunt, & tendunt in opus permanens: minimè verò in artibus activis, quarũ opus consistit in ipsis actibus, aut motibus Agẽtis. Hę quippe materiâ iam existentem non po-

liunt, aut emendant, sed ad extrinsecam propriæ materiæ dirigunt: imò in existentia materiæ talis præ aliâ, situm est earum artificium vt actu positum; quòd proinde realiter indistinctum est à materiâ dirigibili. Exemplo sint Saltatoria, & Musica, quarum artificium (saltem positivum, & præcipuum, ne morulas excludam) indistinctum est à talibus pedum motibus, & tonis gravibus, acutis, &c. Est autem Logica ars maximè activa.

24 *Ad 5.* Si *naturale* sumatur pro *necessario*, quod semper fit vniformiter, aut Agentis arbitrio non subest, conceditur Maior: negatur verò, si *naturale* sonet id, quod essentialiter convenit certis actibus in specie, qui tamen indifferentes sunt, vt existant, vel aliis inepris locum cedant, pro arbitrio agentis. Res est perspicua in saltibus, sonis musicis, motibus digitorum citharam pulsantium, & in actibus Voluntatis ex obiecto honestis, quos dirigit Ethica, cum actus merè naturales, ideſt, nec e sarios dirigere non possit. Coharet ergo, quòd repræsentatio conveniat mentis actibus suapte naturâ, & tamen sit quid artificiale, ideſt, quid positum ex directione artis. Dum verò rusticus aptè definit, aut argumentatur ex Logicâ naturali, artificiosè concipit artificio, non extrinseco, sed intrinseco, de quo nunc loquimur. Vid. num. 15.

## §. III.

### *Obiectum Logicæ formale sunt Actus Intellectus secundùm artificium sibi proprium.*

25 ASsertio proposita, quam Schola nostra tuetur contra Thomistas cap. 4. relatos, *probatur* 1. auctoritate Doctoris Angelici: qui 1. Periherm. lect. 1. sic ait: *Cum Logica dicatur rationalis scientia, necesse est, quod eius consideratio versetur circà ea, quæ pertinent ad tres operationes rationis.* Et 2. Poster. lect. 1. disertè docet Logicam esse artem *directivam ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinatè, faciliter, & sine errore procedat.* Addit, vocari *rationalem* scientiam *ex hoc, quòd est circà ipsum actum rationis, sicut circà propriam materiam. Et ideò*, inquit, *videtur esse ars artium, quia in actum rationis nos dirigit, à quo omnes artes procedunt. Oportet igitur Logicæ partes accipere secundùm diversitatem actuum rationis. Sunt autem rationis tres actus &c.* En tibi proprias notas formalis obiecti scientiæ, vel artis: esse nimirùm id, circà quod ex instituto versatur consideratio scientiæ: id, in quo per artem ordinatè, faciliter, & sine errore procedimus: id, ex quo scientia proprium accipit nomen, quo discernitur à cæteris: id, in quod nos dirigit ars ipsa, maximè vt inde prærogativam habeat singularem: & id, cuius partium diversitas partes scientiæ diversificat; quod certè soli convenit obiecto specificativo. At omnibus hisce notis comparatione Logicæ præditi sunt Actus Intellectus, iudice D. Thomâ.

26 Reponunt Thomistæ, Logicam dirigere rationis actus, non vt artefacta, sed vt actiones Artificis, ex quibus in obiecto resultat artificium: est enim Logica de actu rationis, sicut ars ædificatoria *de actu manus*, vt loc. cit. docet D. Thomas. Sed in primis S. Doctor per *actum manus* non ibi significat meram actionem transeuntem, sed opus manufactum, nempe

nempe artificium domi. Probatur manifestè ex eodem D. Thomâ in Procem. Ethicor. (quem locum, pro Assertione præsenti planissimum, dedimus suprà cap. 4. n. 31.), vbi docet, quòd Logicæ ita pro obiecto respondet ordo factus in actu rationis, sicut actibus externis ordo factus in arcâ, vel domo. Hic igitur ordo, sive artificium domus, est actus ille manus, cui D. Thomas comparat actum rationis in munere obiecti. Deinde, esto loquatur de actione, seu motu manus, comparationem non instituit in omnibus, sed duntaxat in necessitate directionis, quâ scilicet indiget tam actus mentis, quàm motus manus ædificantis, ne inordinatè fiat.

27 De cætero D. Thomas (vt iam alibi respondimus) supponit ibi, quod sæpe aliàs docet, actum immanentem differre à transeunte in materiam externam, in eo quod immanens ipsemet est finis, & opus intentum ab Agente; transiens verò solùm intenditur vt via ad aliud opus. Audiatur in specimen 3. *contrà Gent.* cap. 2., vbi sic loquitur: „ *Actio* quandoque quidem termina„ tur ad aliquod factum, sicut ædifi„ catio ad domum, & sanatio ad sa„ nitatem: quandoque autem non; „ sicut intelligere, & sentire. Et si „ quidem actio terminatur ad ali„ quod factum, impetus Agentis per „ actionem tendit in illud factum: „ si autem non terminatur ad ali„ quod factum, impetus Agentis „ tendit in ipsam actionem. Opor„ tet igitur, quòd omne Agens in „ agendo intendat finem, quando„ que quidem actionem ipsam, „ quandoque aliquid per actionem „ *factum*. Hactenùs D. Thomas.

28 Confirmatur adducta probatio. Ideò iuxta Adversarios Logica non respicit pro obiecto formali actus Intellectus, quia tota est de intentionibus rationis, sicut aliæ scientiæ sunt de ente reali. At intentiones rationis, de quibus est Logica, sunt ipsimet actus Intellectus: ergo &c. *Prob. Min.* verbis D. Thomæ 4. *contr. „ Gent.* cap. 11.: *Intentio intellecta*, in „ nobis neque est ipsa res, quæ in„ telligitur, neque est ipsa substantia „ Intellectus: sed est quædam simili„ tudo concepta intellectu de rein„ tellectâ, quam voces exteriores „ significant: vnde & ipsa intentio „ verbum interius nominatur, quod „ est exteriori verbo significatum. Et „ quidem, quòd prædicta intentio „ non sit in nobis res intellecta, inde „ apparet, quòd aliud est intelligere „ rem, aliud est intelligere ipsam in„ tentionem intellectam; quod In„ tellectus facit, dum super suum „ opus reflectitur: vnde & aliæ „ scientiæ sunt de rebus, & aliæ de „ *intentionibus intellectis*. Hæc Angelicus Doct., graphicè describens eas intentiones, de quibus sunt illæ scientiæ, quæ non sunt de rebus, (videlicet partes Logicæ, quas alibi (a) D. Thomas vocat *scientias Logicales*), docensque, nihil aliud esse, quàm verbum mentis.

29 *Prob.* Assertio nostra 2. Logica respicit pro obiecto formali Modum sciendi, vt omnibus inconfesso est; sed quidditas Modi sciendi propriè convenit actibus Intellectus: ergo &c. *Prob. Min.* Modus sciendi communiter, etiam à Thomistis, definitur. *Oratio ignoti manifestativa*: ergo quidditas eius est manifestatio ignoti. At evidens est, quod nulli ignorum generi tam propriè convenit manifestare ignotum, quàm actibus Intellectus: hi nam-

(a) *In 1. Metaph. lect. 1.*

que

que signa sunt formalia, quæ per se immediatè & formaliter obiectum menti patefaciunt, illudque reddunt de ignoto notum, de occulto manifestum; cum signa instrumentalia nonnisi mediante formali manifestare possint. *Manifestatio*, inquit D. Thomas (b), *per se non invenitur nisi in Intellectu: si enim aliquid, quod est extra Intellectum, manifestare dicatur, hoc non est nisi secundùm quod ex ipso aliquid in Intellectu relinquitur, quod posteà est principium manifestativum ipsius: proximum ergo manifestans est in Intellectu; sed remotum potest etiam esse extra eum.* Unde colligit, nomen Verbi, quod manifestationem importat, propriè convenire verbo mentis: & eadem ratione tu ipse colliges, Modum sciendi Logicum nonnisi in actibus mentis inveniri.

30 Confirmatur, & urgetur: actus Intellectus propriè sunt *Definitio, Divisio, Syllogismus, Demonstratio*, & *Enuntiatio*, seu *Propositio*: eisdem ergo propriè convenit esse formale obiectum Logicæ. Consequentia legitima est: quia illis nominibus significantur omnes species Modi sciendi, imò omnia fere Logicæ artefacta. *Pron. Antec.*: quia definitiones, quæ pro singulis ijs nominibus traduntur in Summulis, propriè conveniunt actibus Intellectus, vt illas consideranti liquidò erit. Ex.g. definitio Definitionis, nempe *Oratio explicans essentiam rei*, propriè convenit huic actui, *Animal rationale*; qui proculdubiò est oratio, ideſt, signum complexum, explicans, ac distinctè detegens essentiam hominis. Item Propositionis definitio, quam tradunt Aristoteles, & D. Thomas, nempe *Affirmatio, aut negatio alicuius de quopiam*, aut etiam *Oratio vera vel falsa*, seu *verum vel falsum significatiuum*, iudicij mentalis est propria, nec nisi alienissimo sensu aptabitur obiectis.

31 Sane *affirmatio*, & *negatio* idem sunt apud Logicos, ac *Compositio*, & *divisio* propria secundæ operationis, vt ignorat nemo. At *compositio, vel divisio, operatio quædam est Intellectus*, vt ait D. Thomas (c): ideòque *Propositionis per Intellectum componentem & dividentem formata compositio in ipso Intellectu existit, non in re, quæ extrà animam est*, vt loquitur idem S. Doctor (d). Sed idem ipse clariùs explicat alibi (e), quid sint Definitio, & Propositio, inquiens: *Intellectus conceptionem rei in se format, vt rem intellectam cognoscat.. Differt autem ab actione Intellectus, quia prædicta conceptio consideratur vt terminus actionis, & quasi quoddam per ipsam constitutum. Intellectus enim sua actione format rei definitionem, vel etiam propositionem affirmativam, seu negativam.* Ad hæc Thomistæ suum Ens rationis obiectivum, actione Intellectus velut Artificis constitutum, formatumque, videre sibi videbuntur, & avidè salutabunt. Sed, proh dolor! alia mens est Doctoris Angelici; nam pergit continuò sic: *Hæc autem conceptio Intellectus in nobis propriè verbum dicitur; hoc enim est quod verbo exteriori significatur.* Subdit: *Huiusmodi ergo conceptio, sive verbum,.. ab alio exoritur, & aliud repræsentat: oritur quidem ab Intellectu per suum actum; est verò similitudo rei intellectæ.*

32 Quòd Syllogismus, quòd Ratiocinatio sit actus Intellectus, ex-

(b) *q. 4. de Verit. art. 3.* (c) *1. cont. Gent. cap. 58. n. 6.* (d) *Ibidem n. 5.*
(e) *Q. 8. de Pot. art. 1. C.*

expresse nos docent D. Thomas, & D. Isidorus, quorum verba vide suprà cap. 5. num. 37., & cap. 2. num. 20. Quòd verò Demonstratio sit etiam rationis actus, res est luce clarior apud Aristotelem 2. Poster., præsertim cap. 2., vbi inter alia inquit: *Demonstrationem dico Ratiocinationem eam, quæ scientiam efficit: eam verò scientiam efficere dico, qua scimus, eam ipsam habendo.* Idem ergo formaliter est *habere Demonstrationem, & scire.* At *scire* est *cognoscere rem per causam*, vt ibi docet Philosophus: cuius verba sic exponit D. Thomas ibid. lect. 4.: *Demonstratio est Syllogismus scientialis, id est, faciens scire. Scientialis Syllogismus dicitur, secundùm quem scimus, in quantum ipsum habemus; ne fortè aliquis Syllogismum scientialem intelligeret, quo aliqua scientia videretur*, id est, nequis putaret, Demonstrationem esse instrumentum quoddam realiter distinctum ab ipso *scire.* Sicut ergo calor est ipsamet forma calidi, quia calescimus, inquantum ipsum habemus; ita Demonstratio est ipsamet cognitio scientifica, quia scimus, in quantum ipsam habemus.

33 Immoramur in re perspicuâ. Sed auctoritate Principum Philosophiæ stabiliendus fuit vsus, & proprietas nominum, quæ moderni Thomistæ totis viribus alienare conantur ab actibus Intellectus, transferreque ad entia rationis ex parte obiecti resultantia. Aiunt enim, hæc nomina, *Definitio, Propositio, Syllogismus, Demonstratio*, & similia, vere & propriè convenire obiectis prout entè rationis investitis; at rationis actibus, nonnisi *improprie, representativè, causaliter*, aut *vialiter*; sicut hominis imago nonnisi *representativè* dicitur homo, & actio ædificantis nonnisi *vialiter*, aut *causaliter* constituit artificium domi. Hæc illis quibus nihil repugnantius doctrinæ D. Thomæ, & Aristotelis, superallegatis, necnon definitionibus Modi sciendi, & eius specierum. Recole dicta, & sepositio partium studio considera, vtrùm lapis v.g., quadam entis umbrâ fœdatus, vel, si mavis, ornatus, verè & propriè sit Oratio ignoti manifestativa, aut explicans essentiam rei, aut affirmatio vel negatio, aut ratiocinatio, secundùm quam scimus, in quantum ipsam habemus? Hoc profectò non minùs absurde dixeris, quamquòd in Grammaticâ, non voces, sed obiecta fictionibus obsita, sint Nomen, Verbum, Participium, Oratio; vel in Poeticâ sint pes Dactylus, Spondeus, Choreus, aut versus Saphicus, Jambicus &c.

34 Apud ipsos Thomistas *definitio formalis, propositio formalis, syllogismus formalis*, sunt actus intellectus; nam intentiones, in obiecto fictæ, solùm dicuntur *syllogismus obiectivus, definitio obiectiva*, &c. Numquid similiter actio ædificantis vocabitur *palatium formale* aut imago Cæsaris, *Cæsar formalis* aut cognitio, quæ mihi Deum repræsentat, *Deus formalis*? Certè Scholæ vsu tritissimo additum *formalis* non alienat significatum nominis, sed propriam designat acceptionem; vt cum dicitur obiectum *formale*, constitutivum *formale*, calor *formalis* &c. Imò, si calor idem diceretur *formalis*, simulque purè *vitalis*, aut *causalis*, manifesta foret implicatio in terminis. Par igitur implicatio est, dum rationis actus vocatur *definitio formalis*, simulque purè *causaliter*, aut *vialiter* convenire ipsi dicitur nomen *Definitio.*

35 *Probatur* 3. eadem Assertio pariter veteri, sed validâ. Actus

Vo-

Voluntatis secundùm moralem rectitudinem sibi propriam, sunt formale obiectum Ethicæ, vel Philosophiæ moralis: ergo & actus Intellectus, secundùm artificium sibi proprium, sunt obiectum formale Philosophiæ rationalis, sive Logicæ. Consequentia patet, tum ex simili procedendi modo, & instituto Philosophiæ vtriusque: tum ex D. Thomâ in Proœm. Ethicor., vbi planè docet, quòd ita consideratur à Logicâ *Ordo, quem Ratio considerando facit in proprio actu*, sicut ab Ethicâ *Ordo, quem Ratio considerando facit in operationibus Voluntatis.* Antecedens verò, quod negant moderni Thomistæ, constat 1. ex D. Thomâ ibidem expressè docente, Ordinem Operationum Voluntatis ita respondere Philosophiæ morali, sicut arti mechanicæ respondet ordo factus in arcâ, vel domo, & naturali Philosophiæ Ordo inventus in rebus naturalibus. Hic autem duplex ordo Facultatibus hisce proculdubiò respondet pro obiecto formali. Unde concludit Angelicus hoc modo: *Sicut igitur Subiectum Philosophiæ naturalis est motus, vel res mobilis; ita Subiectum moralis Philosophiæ est operatio humana ordinata in finem, vel etiam homo prout est voluntariè agens propter finem.*

36 Constat 2.: quia moralis Philosophia non est speculativa, sed practica, vt indubitanter asserit Aristoteles 2.Ethic. cap.2.,& ibi D.Thomas lect.2.: ergo formale obiectum eius est aliquid à cognoscente operabile: ergo sicum est in actibus Voluntatis. Patet hæc Consequentia: quia præter actus humanos, nihil est ab Ethicæ regulis operabile: non in primis ens rationis, quod in obiecto resultet ex actu Voluntatis; nam iuxtà Adversarios Voluntas non fingit, nec entia rationis efficit: non deinde obiectum volitionis honestæ secundùm bonitatem obiectivam; alioquin, dum Ethica nos docet diligere Deum, parentes, & amicos, bonitatem eorum vt à nobis operabilem intenderet. Accedit, quòd sententia constituens formale obiectum Ethicæ in actibus Voluntatis est ferè omnium, vt ostendit P. Raynaudus in tom. Disciplinæ mor. Prolog. §. 2. Hùc etiam facit paritas Pictoriæ, quæ non respicit formaliter obiectum imaginis, sed imaginem, eo quòd sit ars inventa ad res exprimendas artificio colorum: pariter enim instituta est Logica, vt rectæ formentur obiectorum imagines in Intellectu, qui antequàm rerum cognitiones acquirat, est *velut tabula rasa, in qua nihil est depictum*, vt ioquitur Aristoteles.

37 Denique ratio à priori nostræ Assertionis est: quia Logicæ instituto plenè satisfit rectitudine propriâ actuum Intellectus: quamvis enim Logica, nihil dicter, præter illum specialem repræsentandi modum, qui proprius est Definitionis formalis, Syllogismi formalis, Demonstrationis formalis &c., dictat quod plenè sufficit ad acquisitionem scientiarum, & ad vsum Rationis formandum, viamque tutam aperit ad Veritatem, removendo confusionem, ambiguitatem, errorem, qui certe cum eo repræsentandi modo non cohæret. At non ob aliud instituta est Logica iuxtà communem sensum Philosophorum: nec aliâ ex causâ vocatur Ars artium, Instrumentum & Organum scientiarum, Rationalis scientia, & Magistra mentis. Adde quòd Rationis actus sunt dirigibiles propter se, directione sisten-

sistente in ipsis vt in fine proximo & intrinseco; mereanturque ratione sui laborem alicuius artis. Mirum quippe erit, quod mentis actus nullâ sint arte digni per se, & propter se, cum integræ artes instituâtur propter actiones saltandi, citharizandi, equum moderâdi, & etiá alias merè ludricas. At quænam alia ars erit, sic adlaborans actibus Intellectus, nisi Logica?

38 Ex dictis tota Disput. à cap. 2. facilè colliges, obiectum formale adæquatum Logicæ situm esse in artificio intrinseco operationum Intellectus: excluso enim artificio vocum, & ente rationis obiectivo, exclusis etiam rebus secundùm esse physicum, necnon secundùm esse intentionale, nihil supereſt, quod munus obiecti formalis habere possit in Logica, præter actus Intellectus secundùm reale, & intrinsecum ipsis artificium. Sciens omitto quoddam ens diminutum, mediumque inter ens reale, & rationis, quod tribui solet aliquibus Scotistis, quasi in eo ponentibus artificium Logicum, & formam denominationis *cogniti*, etiam ab æterno. Nam præter quàm quod ens huiusmodi reijcitur communiter vt chimericum, pro re præsenti vix in Scholas adduci videtur. Lege Doct. Eximium disp. 31. Metaph. sect. 2., vbi discutit hoc genus Entis, & Subtil. Doctorem Scotum ab eius patrocinio vindicat. Mitto quoque sententiam M. Manso, statuentis obiectum Logicæ in veritate reflexâ, seu conformitate actuum Intellectus cum secundis intentionibus Logicalibus, vel cum regulis definiendi, dividendi, & argumentandi. Nam quidquid hic Author operosè cógerit pro suâ sententiâ, probat reipsâ nostram, quam ipse non benè explicat.

## CAP. VIII.

*Argumenta contraria, & Solutiones.*

1 *Obijc.* 1. actus Intellectus, nec vt dirigibiles, nec vt directi, sint obiectum Logicæ formale: ergo nullatenùs. *Prob. Antec.* In primis, actus vt dirigibiles tantùm explicant capacitatem, vt à Logicâ artificiosè disponantur: at capacitas materiæ, vt ab arte formetur artificiosè, non est formale obiectum artis, sed materiale, vt videre licet in capacitate marmorum, lignorum, colorum, & cuiuslvis materiæ per artem formabilis. Deinde, actus vt directi nihil addunt suprà naturalem sui entitatem, præter denominationem extrinsecam à regulâ, seu directione artis: at denominatio ista non est obiectum artis, quæ certè suas ipsius regulas pro obiecto non respicit. Hæc obiectio nititur sinistrâ intelligentiâ doctrinæ nostræ.

2 Cùm dirigibilitas actuum Intellectus apud nostros Auctores dicitur ratio formalis, vel formalissima, sub quâ Logica tendit, non est sermo de dirigibilitate subiectivâ; quæ sola recurrit cum capacitate intrinsecâ materiæ per artem formabilis; & quæ etiam quodammodo reperitur in ratione communi operationis Intellectus, iuxtà dicta cap. 7. num. 14., & , si velis, etiam in conceptibus particularibus, quatenùs indifferentes sunt, vt coniungantur alijs aptis, aut ineptis ad artefacta Logica, vt in singulis propositionibus Syllogismi seorsim sumptis. Hæc enim dirigibilitas nequit esse ratio formalis, sub quâ tendit ars; nisi fortè quis nomine *rationis formalis* intelligat condi-

tio-

tionem ex parte materiæ præsuppositam. Sermo igitur est de dirigibilitate obiectivâ, quam explicuimus loc. cit.; & nihil est aliud, quàm intrinseca rectitudo actuum Intellectus, quæ regulis artis signatè objicitur vt factibilis: quo sensu dicitur Medicina pro obiecto formali respicere corpus humanum *vt sanabile*, Ethica Voluntatis actus *vt ordinabiles*, & omnis ars, aut facultas practica suum obiectum *vt operabile*. Quare *dirigibile*, sic acceptum, idem sonat, ac *artis directione dignum per se & propter se*; quâ ratione res pretiosa, v.g. Sapientia, dicitur *æstimabilis, honorabilis, amabilis*.

3 Ut æquivocum vitent, alij è nostris Auctoribus docent, à Logicâ respici mentis actus *vt directos*, non quidem secundùm extrinsecam denominationem à regulâ dirigente (quod nemo somniavit), sed secundùm passivam directionem, quæ est ipsamet obiectiva dirigibilitas, vel intrinseca rectitudo actuum, & quæ significatur nomine *artificij intrinseci*, vel, vt alij loquuntur, *fundamentalis*. Relege cap. 7. §. 2. Cùm ergo dicimus, actus Intellectus formaliter à Logicâ respici *vt artificiosi*, reduplicamus artificium intrinsecum, seu rectitudinem modi repræsentandi, ratione cuius definiturus hominem v. g. præfert hunc actum, *Animal rationale*, huic alteri, *Vivens risibile*. Si quæras, an Logica respiciat rectitudinem istam vt possibilem, an vt existentem? quæstio est communis cuilibet arti, & facultati practicæ, in quâ dicendum videtur, formam artificiosam ab arte potissimùm considerari *in actu signato*, vt aiunt, præscindendo scilicet ab eo, quòd existat, vel secùs, & quasi conditionatè docendo qualis naturæ sit, & qualiter fieri debeat quandocumque fiat; & quia doctrina ista est appetibilis propter operandum, idcircò dicitur habere pro fine operationem.

4 *Objic.* 2.: obiectum formale cuiuslibet artis debet esse forma artificialis realiter à materiâ distincta, & ipsi accidentaliter adveniens per artem & industriam; sed in actibus Intellectus nulla talis est forma: ergo &c. *Confirm.* 1.: obiectum formale debet esse à materiali distinctum; cùm ergo actus Intellectus sint materiale obiectum, seu *materia propria* Logicæ, vt loquitur D. Thomas, ab eis distingui debet obiectum Logicæ formale. At artificium, quod ponimus, realiter non distinguitur ab actibus: ergo &c. *Confirm.* 2.: Logica non respicit formaliter prædicata naturalia cognitionum; hæc enim omnia considerat Animastica: sed rectus modus repræsentandi est naturale prædicatum cognitionum: ergo &c.

5 *Resp.* Maior argumenti vera est in artibus factivis, falsa in activis, quæ non intendunt opus externum ab actione relictum, sed præcisè ordinantur ad rectificandas actiones humanas: in his enim artificialis forma consistit in actionibus ipsis secundùm talcitates specificas, quibus differunt ab alijs actionibus ineptis ad finem artis. Hoc suprà non semel ostensum est auctoritate Aristotelis, & D. Thomæ, atque etiam exemplis, patetque specialim in Ethicâ, quæ modum servat artis activæ; nam forma rectitudinis, quam præfert actibus Voluntatis, indistincta est ab eorum tendentiâ in talia obiecta præ alijs. *Ad* 1. *Confirm. neg. Antec.*, si standum sit communi modo loquendi, de quo vid. suprà cap. 1. num. 21. Certè D. Thomas (a) Deum vo-

(a) 2. 2. *q.* 1. *art.* 1. cat

cat obiectum materiale Fidei; cui pro formali obiecto assignat *primam Veritatem*, quæ certè realiter indistincta est à Deo ipso. Item nihil frequentius apud Thomistas, quàm obiectum formale vocare solam rationem communem, sub quâ tendit scientia; differentias verò specificas, obiecta materialia: ideòque suprà (b) negabant, actus Logicæ circa Definitionem & Syllogismum inter se differre ex obiecto formali. Num hic intervenit distinctio realis?

6 Itaque actus Intellectus dicuntur obiectum materiale Logicæ: tum quia, præter artificium, seu rectitudinem repræsentationis, quæ sola est obiectum formale, continent alia prædicata, v.g. vitalitatem, & spiritualitatem, quæ materialiter implicitè attinguntur à Logicâ. Tum quia singuli sunt obiectum formale *quod*, & hoc satis communiter vocatur obiectum materiale relatu ad rationem formalem *sub qua*. Tum maximè, quia ratio communis actus Intellectus vt sic, prout metaphysicè indifferens ad varias repræsentationis species, rectas, aut vitiosas, est velati materia formabilis à Logica; cuius regulis ductus Intellectus contrahit illam rationem communem ad actus essentialiter præditos rectitudine Logicâ, dum eos elicit omissis alijs à Logicâ reprobatis. Atque hoc modo dicitur Logica formam artificialem adaptare propriæ materiæ: eodemque sensu *recta cognitio* est artefactum logicum ex materiâ, & formâ, non realiter, sed solùm formaliter distinctis. *Ad 2. Confirm.* Animastica respicit quidem rectum modum repræsentandi, sed sub ratione formali vitalitatis omnibus actibus communi; nec practicè & formaliter considerat discrimen illius modi ab alijs: quare materialiter illum attingit. Contrà formalis intentio Logicæ in eo discernendo, ac præ alijs dictando tota est. Quare, vt sanitas humani corporis, & à Physicâ, & à Medicinâ respicitur, sed aliter, & aliter; sic in re nostrâ contingit.

7 *Obiic.* 3.: nulla ars instrumentaria pro obiecto respicit actus facultatis illius, cui ministrat, vt patet in fœnofactoriâ, quę ministrat equestri; sed formales definitiones, syllogismi &c., sunt actus aliarum scientiarum, queis Logica ministrat instrumenta sciendi: non ergo Logica pro obiecto respicit formales definitiones &c. Instat: iuxtà Thomistas Logica respicit definitiones formales, tamquam materiam dirigibilem, & tamquam actiones, quibus conficit instrumenta sua: sed nulla ars instrumentaria, hoc modo respicit actus facultatis superioris: ergo Logica non est comparanda cum mechanicis artibus instrumentarijs. Itaque sciendi instrumenta passivè sumpta, non ita se habent ad vsum Scientiarum, sicut frænum ad vsum artis equestris; non enim exercitè præexistunt ante vsum; sed sunt ipsemet vsus, & exercitium Scientiarum, & à Logicâ proveniunt directivè, ab „ alijs scientijs effectivè. *Quia homo* „ per discursum (inquit Exim. Doc- „ tor (c)) scientiam adquirit, & ad „ discursum perficiendum alijs prio- „ ribus operationibus, seu concep- „ tionibus rerum indiget, ideò hu- „ iusmodi conceptiones mentis ita „ dispositæ, & ordinatæ, vt ad scien- „ tiam acquirendam per se, ac direc- „ tè conferant, dicuntur Instrumen- „ ta

(b) *Vid. Disp. 1. cap. 5.* (c) *Disp. 1. Metaph. sect. 4. n. 25.*

» ta sciendi: sunt ergo huiusmodi » instrumenta formaliter *in operatio-* » *nibus mentis*. Vid. suprà disp. 1. cap. 4. num. 23. & 24. Si tamen instrumenta sciendi sumantur activè, seu directivè, non sunt obiecta, sed regulæ, & actus Logicæ docentis.

8 *Obijc.* 4.: actibus Intellectus non propriè conveniunt quæ de suis artefactis, vel instrumentis sciendi, Logica docet: ergo nec ipsis convenit esse obiectum Logicæ formale. *Prob. Antec.* 1.: quæ Definitionem spectant, convenire non possunt cognitioni. Tum quia cognitio non *explicat* essentiam rei per se, sed per obiecta: qui enim vult alteri explicare essentiam hominis, non proponit alteri conceptum suum, sed obiectiva hominis prædicata: ideòque interroganti, *Quid est homo?* non respondetur, *Est cognitio repræsentans animal rationale.* Tum quia Definitio constat Genere & Differentiâ; quæ nomina non conveniunt partibus cognitionis, aliàs hæ partes forent prædicabiles de pluribus, veraque prædicata rei definitæ. Tum quia Definitio & Definitum *dicuntur ad convertentiam*, idest, mutuâ consequentiâ convertuntur, & alterum de altero prædicatur, proindeque realiter identificantur: cognitio autem definitiva hominis, nec convertitur, nec identificatur cum homine.

9 *Prob.* 2.: actus mentis, non sunt Subiectum, & Prædicatum; nam subiectum est, *de quo dicitur aliquid*, Prædicatum, *quod de alio dicitur*; conceptus autem nec de obiecto dicitur, nec de alio conceptu: cum ergo Propositio constet Subiecto & Prædicato, non propriè salvatur in conceptibus. *Prob.* 3. in doctrinâ de Argumentatione, & Syllogismo: nam conceptus neq; sunt Medium, nec Extrema, cum non identificentur cum tertio, nec inter se: nec item disponuntur in Figurâ & Modo, cum non prædicentur, aut subijciantur. Insuper Consequentia, de quâ Logica tam multa docet, est connexio obiectiva vnius cum alio: nec ideò veritas vna sequitur ex aliâ, quia Intellectus rectè infert, sed è conversò potiùs. Unde, qui inter arguendum negat Consequentiam, non negat, Intellectum arguentis inferre vnum ex alio, sed vnum obiectum cum alio connecti.

10 *Confirm.* 1.: rectitudo, vel pravitas cognitionum, pendet, & specificatur ab exigentiâ obiectorum, quæ proindè regula est, & mensura rectitudinis actuum; eatenùs enim Intellectus rectè prædicat, definit &c., quatenùs obiecta exigunt sic repræsentari: ergo à Logica magis attenditur exigentia obiecti, quàm rectitudo actus. Patet Consequ.: tum quia rectitudo hæc ex illâ exigentiâ sponte resultat; & obiectis per Logicam rectè dispositis, nulla iam restat difficultas in rectâ repræsentatione ipsorum: tum quia Logica non ideò laborat, vt mens intelligat vtcumque componendo, definiendo, arguendo; hoc enim naturaliter habet; sed ideò, vt mens in componendo, definiendo &c., ordinem servet ab obiectis exactum: tum etiam exemplo Architecturæ, quæ magis attendit formam domus, à quâ specificantur actiones manuales, quàm actiones ipsas. *Confirm.* 2.: formale obiectum artis est artificium, quod artifex attendere debet in operando. At Intellectus in definiendo, syllogizando &c., non debet attendere rectitudinem se tenentem ex parte actus. Tum quia non debet attendi rectitudo, quæ licèt non attendatur, ne-

necessariò resultat ex attentione ad aliam formam: sic autem resultat rectitudo actus ex eo præcisè, quòd mens attendat rectam obiectorum dispositionem. Tum quia attentio ad actus foret occasio erroris, cum impediret attentionem ad rectum ordinem obiectorum: sic enim faber, qui totus attenderet motus, aut actiones manuum, sæpiùs erraret.

11 *Confirm.* 3.: Artificium logicum non est in cognitione, nisi vt in signo, seu purè *repræsentative*, sicut natura hominis est in imagine. *Prob.*: quia cognitionem esse artificiosam nihil est aliud, quàm repræsentare obiecta per Logicam artificialiter ordinata. Urgetur: nomen indifferenter dictum de signo, & signato, huic convenit propriè, illi verò non nisi impropriè & metaphoricè; sed nomen *Definitio* dicitur de formali, & obiectivâ, è quibus illa est signum istius: ergo &c. *Confirm.* 4. Logica docet Intellectum, vt Magister discipulum: Magister autem non communicat discipulo intellectuale lumen, aut actum, sed præcisè docet proponendo obiecta ordinatè disposita, quæ ipse prænoscit. Et vt obiectum specificativum cognitionis Magistri non est cognitio discipuli, sic obiectum specificativum Logicæ non est cognitio Intellectus. Sanè, dum Logica mentem dirigit ad suum finem, iam supponitur habere finem, & obiectum specificativum, quod proinde distinctum esse debet ab actibus mentis. *Confirm.* 5: mentis operatio definiens, dividens &c., est exercitium Logicæ artis, est actus Logicæ vtentis: nulla autem ars pro formali obiecto respicit suum exercicium, aut vsum, sed aliquod artefactum inde resultans. Certè non alijs actibus mens efficit instrumenta sciendi, quàm operationibus suis vt rectè repræsentantibus; quæ proinde non sunt instrumenta effecta, sed effectiones, & causalitates eorum. En quidquid à Recentioribus Thomistis ingeniosè cogitatum est contra nostram sententiam. Nihilominùs —

12 Ad *Argum. neg. Antec.* Ad 1. *prob.* In primis *explicare* est *manifestarè clarè*, ac *distinctè*: hoc autem *per se* inveniri in actibus Intellectus, clarè ac distinctè nos docuit D. Thomas (d); & per se patet, cum claritas & obscuritas sint proprietates cognitionis, vt nemo nescit. Explicatio propria Definitionis, non est ad alterum, sed ad Intellectum, à quo oritur, juxtà vetus illud, *Logicus est ad se, Rhetoricus ad alios*: vnde explicatio ad alterum non fit per definitionem propriè talem, sed per voces, quæ Definitionis interne signa sunt. Quòd interroganti, *Quid est homo?* non respondeatur, *Est cognitio &c.*, quid refert? Numquid aptè respondebitur, *Est Ens rationis*, aut *ficta relatio animalis & rationalis*? Numquid item respondebitur aptè, *Est Oratio explicans essentiam ipsius*? Roganti ergo, Quid est res? respondet quidem Definitio, at non vt significata, sed vt significans quidditatem rei; nec enim Definitio est quidditas Definiti, sed explicatio quidditatis. Quare Definitio debet esse responsio ipsa, non obiectum responsionis.

13 Deinde cognitio definiens constat Genere & Differentiâ formaliter sumptis, ideſt, secundùm formam, quâ obiectum denominatur Prædicabile *vt quod*. Id ipsum tenentur dicere Thomistæ de Intentione fictâ, cuius partes certè non aliter sunt Genus & Differentia; nec sunt de pluribus prædicabiles *vt quod*,

(d) *Vid. cap. præced. num.* 29.

aut vera rei prædicata. Postremò convertentia, sive conversio Definitionis cum Definito, in sensu strictè Logico non est ipsa realis identitas obiectorum: maximè apud Thomistas, apud quos ea conversio est passio, quam Logica demonstrat de suo obiecto formali, idest, de ente rationis. Est ergo mutua colligatio veritatis formalis, ita vt de quocumque obiecto verificatur formalis Definitio, verificetur quoque Definitum formale, & viceversâ. Idcircò S. Augustinus (e), cum dixisset, conversione explorari, vtrùm Definitio vitijs careat, exemplum subdit, inquiens: *Si enim me rogares, quid esset homo, & eum hoc modo definirem, Homo est animal mortale; non continuò quia verum est, etiam definitionem probare deberes, sed convertere illam, & intueri, vtrùm etiam conversa vera esset: hoc est, vtrùm quemadmodùm verum est, Omnis homo animal mortale est, ita esset verum, Omne animal mortale homo est.* Certè Verũ, & Veritas magis pertinet ad actus Intellectus, quàm ad obiecta (f).

14 *Ad 2. prob.* Non solùm obiecta, sed etiam mentis actus sunt propriè & simpliciter Subiectum & Prædicatum. *Intellectus*, inquit D. Thomas (g), *in omni propositione, aliquam formam significatam per Prædicatum, vel applicat alicui rei significatæ per Subiectum, vel removet ab ea.* Vides, vt Prædicatum & Subiectum appellentur, non obiecta significata, sed eorum signa formalia. Unus ergo conceptus de alio dicitur cum suppositione formali, seu more signi: & hoc ipsum *dici per modum signi*, propriè & formaliter pertinet ad Logicam; quæ nec apud Thomistas potest respicere formaliter id, *quod de alio dicitur* per modum obiecti, cum pro formali respiciat solas intentiones fictas Prædicati & Subiecti, quarum altera de alterâ non dicitur. Quare Logica intendit Subiectum & Prædicatum obiectiva, non secundùm substratum, sed secundùm formam, quæ apud Thomistas est ficta, apud nos cognitio realis.

15 *Ad 3. prob.* Eadem difficultas premit Thomistas: neque enim entia rationis, aut intentiones Medij, & Extremitatum maioris & minoris, identificantur cum tertio, nec inter se, nec altera de alterâ prædicatur. Doctrina igitur de identitate Extremorum & Medij respicit identitatem obiectorum, non de formali (alioquin formale obiectum doctrinæ Logicæ foret ens reale, vsque adeò Thomistis ingratum), sed de materiali, quatenùs scilicèt est fundamentum extrinsecum ad rectitudinem Syllogismi mentalis; non aliter ac Pictoria considerat faciem nativam Cæsaris, vt rectam eius imaginem formet. Quocircà sensus Logicus illius doctrinæ est, vt Intellectus eliciat conceptus repræsentantes obiecta, quæ sint eadem vni tertio, & inter se; vt ostendimus suprà cap. 6.: atque hi conceptus sunt Medium & Extrema formalia, quibus ex vi regularum non convenit identitas in esse rei, sed in esse signi, idest, non subiectivè, sed obiectivè. Medium autem, & Extremitates obiectivas attendit Logica formaliter, non secundùm substratum, sed secundùm formam. Vid. numer. præced., vbi etiam habes, quomodò conceptibus conveniat prædicari, & subijci.

Quod

(e) *Lib. de Quant. anim. cap. 25.* (f) *Vid. D. Thom. 1. p. q. 16. per tot.*
(g) *Eadem quæst. art. 2. C.*

16 Quod additur super Consequentiâ, probat contra Thomistas, obiectum formale Logicæ esse ens reale: nam citrà dubium realis est obiectiva connexio, v.g. Solis cum luce, Ignis cum calore, Rationalis cum risibili: nec ideò veritas vna sequitur ex aliâ, quia Intellectus vni obiecto tribuit fictam intentionem Antecedentis, alteri Consequentis; sed è converso potiùs: &, qui inter arguendum negat Consequentiam, non negat, ab arguente fingi tales intentiones, sed negat, vnum obiectum re ipsâ connecti cum alio. Sumus igitur in causâ pares. Itaque obiectorum connexio est Consequentia obiectiva, quam Logica non regulat, sed præsupponit tamquam fundamentum Consequentiæ formalis, ideſt, mentalis. Hæc sola regulatur à Logicâ, quia sola erroris est capax: & consistit in dependentiâ vnius iudicij ab alio, vel alijs, quantum ad veritatem, ita vt iudicium consequens nequeat esse falsum, si verum sit antecedens. Qui negat Consequentiam, non negat ab arguente inferri iudicium aliquod; sed negat inferri, vel exprimi iudicium illud, quod Logica dictat, nempe quod in veritate pendeat ab antecedenti. Causalis illa, *Ideò Intellectus rectè infert, quia veritas vna sequitur ex alia*, vera est in sensu formali, si loquatur de veritate iudiciorum: si autem de veritate purè obiectivâ, eatenùs admittenda est, quatenùs ly *quia* denotat fundamentum extrinsecum à Logicâ præsuppositum; quo sensu dicimus, *Ideò pictor Annibal m rectè pingit luscum, quia Annibal ipse luscus erat.*

17 *Ad* 1. *Confirm.*. Similiter illa probat, formale obiectum Logicæ esse ens physicum, & reale; non enim ficta est exigentia rerum, vt rectè cognoscantur. Profecto, iuxtà Thomistas, rectitudo, vel pravitas intentionum rationis pendet ab exigentiâ obiectorum; prava quippe erit intentio, si sit obiecto indebita, v.g. si rationali tribuatur intentio Generis, aut animali intentio Differentiæ: magis ergo attendet Logica rerum exigentiam, quàm secundarum intentionum rectitudinem, cum hæc ab illa pendeat, & specificetur, tamquam à regulâ & mensurâ. Itaque, vt pro omnibus respondeam, rectitudo conceptuum pendet ab exigentiâ obiectorum tamquam à mensurâ vel specificativo extrinseco de lineâ naturali; quod genus specificativi non intendit ars pro formali, cum non sit regulis factibile, sed aliunde oblatum præsupponit. Quod ars formaliter attendit, est specificativum de lineâ artificiali; tum intrinsecum, quæ est specifica differentia repræsentationis, per quam differt actus rectus à prauo; tum extrinsecum, quæ est ipsamet forma rectitudinis sumpta signatè, seu prout in ideâ præconcipitur; hæc enim in artificialibus dici solet mensura, vel specificativum extrinsecum rectitudinis vt actu exercitæ, licèt solùm ab eâ differat penès diversum modum existentiæ, nunc intentionalis, nunc physicæ.

18 Præter instantiam in ente rationis Thomistico, habes etiam exemplum in arte Pictoriâ, quæ pro formali non respicit naturale prototypon, vel obiectum, quamvis hoc dicatur mensura, & specificativum rectitudinis imaginum; eatenùs quippe recta est imago, quatenùs imitatur obiectum, & illi conformatur. Hinc, quæ ad probandam Consequentiam adduntur, nullius sunt ro-

boris. *Nam*, cum dicitur, *obiectis per Logicam rectè dispositis &c.*, falsò supponitur, obiectum à Logicâ dispositionem artificialem accipere distinctam ab actibus Intellectus: hoc enim suprà refutatum est cap. 4. & 5. Falsùs adhùc supponitur, quòd talis obiectorum dispositio antecedat rectitudinem actuum, ita vt hæc ex illâ resultet: nam, cum actus Intellectus, vt Thomistæ volunt, sint actiones artificis, quibus mediantibus fit vel fingitur dispositio in obiectis, potiùs hæc dispositio subsequitur, & resultat ex actibus. Dicunt, pro priori ad actum, per quem exercitè definitur homo v.g., artificium definitionis obiectivum præexistere signatè, & in ideâ. *Contrà*: ergo iam exiſtit, quantum potest, proprium artificium definitionis hominis, ante hunc actum, *Animal rationale*, qui proinde ferò & frustrà producitur. *Prob. Consequ.*: artificium illud præexistit obiectivè in Intellectu, siquidem præexistit signatè & in ideâ: ergo, cum sit merum ens rationis, vt vultis, iam exiſtit, quantum potest; non enim maioris existentiæ capax est. Sic artificium domi, si non aliter posset existere, quàm purè obiectivè in Intellectu, plenè existeret vi solius ideæ.

19 Itaque ex parte obiecti nulla supponitur artificialis dispositio, sed mera capacitas naturalis, &, si velis, etiam exigentia, vt rectam terminet cognitionem. Ex tali autem exigentiâ non ita necessariò resultat recta cognitio, vt loco rectæ non possit elici prava; proindeque opus est regulis artis, vt altera præ alterâ eliciatur; quod etiam accidit intentionibus Thomisticis. Nobis quidem naturale est intelligere componendo, arguendo &c., sicut etiam fingere intentiones in obiectis, vt Thomistæ dicunt: sed cum id fieri possit modo recto, vel pravo, ideò laborat Logica, vt rectè fiat. Operationes manuales importune allegantur; illæ enim specificantur à formâ domi, tamquam ab specificativo de lineâ artificiali, in quo resplendet totus labor artis: quod non evenit actibus Intellectus, ex num. 17.

20 *Ad 2. Confirm. neg. Min.*: artifex enim Logicus debet attendere rectitudinem actuum prout repræsentatam in ideâ, seu regulâ prælucente: quemadmodùm benè moraliter operaturus, rectitudinem actuum Voluntatis attendit vt præfignatam regulis Ethicæ, vel Prudentiæ. Falsum est autem, quod rectitudo actuum resultet ex attentione ad rectam dispositionem obiectorum; cum nulla sit in obiectis dispositio artificialis, quæ possit attendi. Falsum item, quòd attentio ad actus Intellectus sit occasio errandi: non enim impedit attentionem ad aliud artificium, quod in re Logicâ nullum est extrà actus. Unde constat disparitas ad actiones fabri. Laboriosè quidem tyronibus est attentio ad actus: sed vsu Logicæ exercitis ita redditur facilis, vt vix advertatur: quod etiam accidit in actibus citharizandi, saltandi ad numerum, & alijs.

21 *Ad 3. neg.* assumptum: aliud quippe est, quòd cognitio sit signum obiecti; aliud, quòd sit signum artificij; vt etiam in imagine Cæsaris cernere est. Artificium ergo, tam Logicæ, quàm Pictoriæ, est proprium signi vt talis, ipsique formaliter convenit. *Ad prob.*, negatur assertum, vel etiam suppositum, quia nulla est ordinatio artificialis obiectorum, quæ per cognitionem directam repræsentetur. Quare artificium

cium cognitionis non est repræsentatio artificij, sed est repræsentatio obiecti recta in semetipsa; vt iterùm patet exemplo pictæ imaginis. Nec vrget illud de nominibus, quæ dicuntur de signo & signato: quanvis enim sæpe verum sit, non tamen semper. Nomen *Verbum* dicitur de conceptu mentis, & de re per illum significatâ, vt testatur D. Thomas (h); & tamen, vt monet idem S. Doctor, de conceptu *propriè*, de re significatâ nonnisi *improprièseu figurativè* dicitur. Idem ergo censendum de nomine *Definitio*, quod sonat certam speciem verbi mentalis, vt nos docet D. Thomas quæst. 8. de Pot. art. 1., cuius verba dedimus cap. 7. §. 3.

22 *Ad* 4.. Sicut Magister obiectum doctrinæ suæ proponit discipulo, ita Logica proponit Intellectui suarum obiectum regularum. Et hactenùs paritatem admittimus; quanvis discrimen sit in eo, quod Magister exteriùs, Logica docet interiùs. Sed vnde probas, illud obiectum, quod menti proponit Logica, non esse rectitudinem actuum Intellectus? Fateor, obiectum specificativum doctrinæ Magistri non esse cognitionem, quâ discipulus doctrinam percipit; sed esse rem illam, quæ per doctrinam declaratur, & quæ potest esse, vel res extrà animam, vt si Magister doceat Physicam, aut artem mechanicam, vel actus animæ, vt si doceat Ethicam, aut Logicam. At nec obiectum formale Logicæ dicimus esse cognitionem, quâ mens percipit vtcumque regulas Modi sciendi; sed eas tantummodò cognitiones, quæ continent rectitudinem per doctrinam & regulas Logicæ declaratam. Porrò, Logica, dum Intellectum dirigit, iam supponitur habere finem, & obiectum specificativum, non exercitè & in re positum, sed obiectivè signatè, idest, in ideâ præconceptum: dirigit autem ad executionem eius actualem. Id quod locum habet, sive Logica dicatur intenta mentis actibus, sive enti rationis; & commune est cuivis facultati practicæ, seu directivæ.

23 *Ad* 5.. Falsò asseritur, quòd nulla ars pro formali obiecto respicit suum exercitium, idest, vsum doctrinæ suæ: nam oppositum sæpè ostendimus suprà ex Aristotele, & D. Thomâ contingere in omnibus facultatibus activis, v.g. in Ethica, & in arte saltandi, aut citharizandi, in quibus *id est finis, exercitium, & actio*, vt ait Philosophus (i). Nec verum est, quòd omnis operatio definiens &c. sit actus Logicæ vtentis: nam in materiâ aliarum scientiarum talis operatio, licèt sit vsus Logicæ, non est Logica vtens: quâ de re vide suprà disp. 1. cap. 2. Quanvis autem intrà materiam Logicæ operatio illa sit actus Logicæ vtentis, poterit esse obiectum alius regulæ, vel actus, cuius doctrinâ vtitur; vt ibidem explicatum est. Denique non est inconveniens, quòd eædem operationes sint instrumenta sciendi, & causalitates eorumdem, si actus Intellectus realiter identificentur cum productione sui, quam sententiam modò supponimus, vel permittimus. Si tamen ponatur verbum mentis productum per actionem realiter distinctam, tum instrumentum sciendi à sui effectione distinguetur. Relege verba D. Tho-



(h) 1. *part. quæst.* 34. *art.* 1. C. (i) *Vid. suprà disp.* 1. *cap.* 10. *num.* 14.

mæ q. 8. de Pot. art. 1., quæ allegavimus cap. 7. §. 3.

24 Denique *obijciunt* Recentiores aliqui cum P. Oviedo: Logica respicit etiam pro obiecto formali irrectitudinem, seu vitium actuum Intellectus: ergo rectitudo non est saltem adæquatum obiectum formale Logicæ. *Prob. Antec.*: tum quia Logica ex professo tractat de fallacijs Argumentationis, & quidem scientificè, seu demonstrativè, ideòque Sophistica docens verè est scientia, vt ex D. Thomâ vidimus disp. 1. cap. 8. num. 17. Tum etiam, quia plures habet regulas prohibentes vitia conceptuum, v. g. *Ne definitio quid superfluum habeat*, *Ne syllogismus constet quatuor terminis*: tales autem regulæ pro formali obiecto respiciunt vitium, quod vetant; sicut regulæ præceptivæ respiciunt rectitudinem, quam præcipiunt; nam, vt aiunt, *Contrariorum eadem est ratio*. Propter hæc dividunt Auctores isti Logicam in assentientem, & dissentientem: & pro formali obiecto statuunt rectitudinem assentienti, irrectitudinem dissentienti. Quod idem dicunt, aut tenentur dicere de quavis facultate practicâ, cum nulla sit, quæ non fugiat, ac vetet defectus intentæ rectitudini contrarios.

25 Contentio videtur purè vocalis, in quâ, etsi detur obijcientibus quod intendunt, nihil erit incommodi. Quod enim totâ Disput. vestigavimus cum Authoribus omnium Scholarum, est formale obiectum Logicæ vt procurantis, sive vt assentientis; idque dicimus esse solam rectitudinem actuum Intellectus: quemadmodùm obiectum formale adæquatum Architecturæ dicitur recta forma ædificij, Pictoriæ recta dispositio colorum, Medicinæ sanitas humani corporis, Ethicæ rectus ordo moralis. Si tamen hæ omnes facultates considerentur secundùm actus fugientes, vetantes, dissentientes; hoc pacto respicient etiam pro obiecto formali defectus, & vitia, quæ prohibent, & evitare curant. Alij dicunt, istiusmodi actus respicere vitia rectitudini contraria, non propter se, sed propter rectitudinem, quam simul implicitè, seu virtualiter præcipiunt; & quam proinde solam formaliter attingunt.

## CAP. IX.

### *Quodnam sit in Logica Obiectum attributionis?*

1 INter obiecta vniuscuiusque scientiæ, vel artis, illud vocatur *Obiectum attributionis*, quod primò intenditur, seu quod per se primò consideratur, & cuius gratiâ attinguntur cætera omnia, quæ ideircò dicuntur *Obiecta attributa*, atque etiam *Obiecta communitatis*. A multis confunditur obiectum attributionis cum obiecto formali adæquato, seu cum ratione formali obiecti vt res est, quę ab alijs vocatur Ratio formalis *quæ*, ab alijs *sub qua*, ab alijs obiectum formale *quod*, ab alijs *quo*, estque ille titulus communis omnibus obiectis particularibus per se attactis ab aliquâ scientiâ; de quo suprà cap. 1. à n. 10. Reverâ vtrumque obiectum, tam attributionis, quàm formale adæquatum, vocari solet *Subiectum scientiæ*, & *Specificativum*. Sunt etiam aliquę scientię, vt Mathematicę, Ethica, Medicina, in quibus non aliud assignatur attributionis obiectum, prętter rationem formalem *sub qua*: nisi dicatur cum multis, obiectum attribu-

tio

tionis esse concretum coalescens ex materiali & formali, sicut statua ex marmore & figurâ. Sic tamen etiam in communi sumitur, vt tam latè pateat, quàm obiectum formale, vel ratio formalis seorsùm accepta.

2 Hoc sensu obiectum attributionis in Logicâ erit *Rectitudo intrinseca actus Intellectus, scientijs acquirendis utilis*; hęc enim est ratio formalis *sub qua* tendit Logica: vel, si mavis in concreto loqui, erit *Recta Cognitio, scientijs acquirendis utilis*; hoc enim est artefactum, quod Logica per se intendit, ex materiâ & formâ coalescens; vt constat ex hactenùs disputatis, præsertim à cap. 6.: & apertè colligitur ex D. Thoma sæpe citato, maximè in Procem. Ethicor., & 2. Poster. lect. 1. Hoc genus obiecti est ratio communis, & in recto prędicabilis de omni operatione Intellectus, quę directionis sit capax, ac proinde etiam de simplici apprehensione, quâ sit Genus, & cętera Prędicabilia. Quod enim apprehensio ista participet etiam rationem formalis obiecti Logicæ, ex eo patet, quod multi sunt actus Logici pro formali obiecto respicientes formam Prædicabilium; nec enim aliud obiectum attingunt: est autem scientiæ formale obiectum inadæquatum, quod per aliquos eius actus formaliter attingitur.

3 Communis tamen loquendi modus in plerisque saltem scientijs distinguit obiectum attributionis à formali adæquato, vt partem à toto, vel obiectum particulare à communi; censetque esse inter formalia obiecta particularia certum & speciale quoddam; vt in Theologiâ Deum, in Metaphysicâ Substantiam completam *vt sic*, in Physicâ Compositum substantiale, seu Corpus naturale completum. Et quia obiectum particulare communem rationem formalem contrahens, alij vocant formale *quod*, alij materiale *per se*, idcircò ijsdem nominibus donati solet obiectum attributionis. Tres conditiones communiter ipsi tribuuntur. Prima: vt sit vnum quid vnitate, sive reali, sive rationis, sive vnivocâ, sive analogâ, sive ordinis tantùm; ita vt congruè possit vnicâ definitione proponi, & proprietates habeat, quæ de ipso demonstrentur. Secunda: vt ex eo sumatur scientiæ diversitas à cæteris; idcircò enim vocatur *Specificativum*. Tertia: vt in ordine ad ipsum considerentur cætera scientiæ obiecta, quæ dicuntur *attributa*, seu *communitatis*, nec aliâ de causâ in considerationem veniant, nisi quia sunt illius partes, vel principia, vel accidentia, vel quovis modo ad illud ordinata: quæ ordinatio præcipuè spectari debet *in esse cogniti*, vt aiunt, ideſt, ita vt cæterorum consideratio ideò introducta sit in scientiam, quia conducit ad pleniorem notitiam, seu speculativam, seu practicam, obiecti attributionis. Quomodò autem hæc ordinatio non tollat ab obiecto attributo rationem obiecti formalis, vide suprà cap. 1. num. 5. & seqq.

4 Obiectum attributionis ita explicatum, vt discernatur à formali adæquato, seu ratione formali *sub qua*, vocatur *Subiectum attributionis*, cum ratio formalis vocetur *Subiectum adæquationis*: vocatur item *Specificativum per modum finis*, cum ratio formalis vocetur *Specificativum per modum sphæræ obiectivæ* circumscribentis amplitudinem totius Scientiæ. Quæ differentia explicari potest exemplo Voluntatis, cuius finis, & quasi attributionis obiectum est Beatitudo; ratio verò formalis, & quasi

sphæra obiectiva, est Bonum *vt sic*: & vtrique tribuitur munus specificandi. Hinc obiectum attributionis non incongruè definitur apud Patrē Peynado, *Finis obiectivus intrinsecus facultati.* Dicitur *finis*, quia propter ipsum considerantur obiecta reliqua: *intrinsecus*, ne confundatur cum *fine*, qui non est *scientiæ*, sed *scientis*, cum eo scilicet, ad quem ex arbitrariâ intentione discentis ordinatur scientia, vt siquis Logicæ vel Theologiæ studeat propter Cathedram, vel Præbendam: *obiectivus*, quia debet esse obiectum attactum per actus proprios & præcipuos scientiæ, vel artis. Quare nec debet confundi cum finibus extrinsecis, ad quos per se ordinatur scientia, vel ars iam plenè acquisita, & qui à toto ipsius obiecto distinguuntur: quo sensu scientiæ Militaris finis extrinsecus dicitur pax, & quies Reipublicæ; finis Pictoriæ, oblectatio visus; finis Logicæ, acquisitio habituum aliarum scientiarum. Quando obiectum attributionis plures comprehendit partes, aut species, illa, quæ nobilior est, aut scitu dignior, vocatur *obiectum principalitatis*, vt in Metaphysicâ Deus, in Physicâ Homo.

5 His ita præmissis, circà obiectum attributionis in Logicâ sententias viginti præter suam refert P. Lynce (a), quibus aliæ possent accenseri. Celebriores in Scholâ sunt quatuor. Prima illud extendit ad omnem secundam Intentionem completam. Ita plures Thomistæ, quos allegat, & sequitur Gabriel à Concept. Secunda illud coarctat ad solam Demonstrationem. Ita PP. Hurtado, Arriaga, Joan. Bapt. de Benedictis, Peinado, Ulloa, & alij frequenter. Tertia designat Syllogismum perfectum, prout hic complectitur probabilem, & demonstrativum. Ita P. Oviedo, Spinula, Bonaspes, Emmanuel à Concept., & alij, quos citat, & sequitur Servera. Quarta statuit Modum sciendi, prout hic comprehendit Definitionem, Divisionem, & Argumentationem. Ita PP. Fonseca, Toletus, Conimbricenses, Rubius, & alij nostrorum plurimi, quibus non parùm favet Exim. Doctor disp. 1. Metaph. sect. 4. à num. 26. Accedunt Faber, Merinerus, Pontius, Mastrius, & alij Scotistæ, loquentes de Logicâ secundùm se. Subscribunt etiam è Recentioribus Thomistis Collegium S. Thomæ, Illustris. Palanco, Froylan, & alij, qui tamen loquuntur de Modo sciendi obiectivo, & ficto.

6 Mihi non magni momenti esse videtur controversia hæc. Tum quia de obiecto attributionis, variisque ad ipsum conditionibus, loquitur quisque ferè pro libitu. Tum etiam, quia scientiæ vnitas, & specificatio, cuius gratiâ tantopere vestigatur attributionis obiectum, satis eruitur ex ratione formali *sub qua*, sicut ex ea sumitur specificatio Potentiarum, quibus non assignatur obiectum attributionis distinctum à ratione formali, nisi forsan voluntati, iuxtà num. 4. Si tamen hac in re sit optandum, affero cum quartâ sententiâ, Obiectum attributionis in Logicâ esse Modum sciendi, prout complectitur Definitionem, Divisionem, & Argumentationem.

7 *Prob.* Assertio. Obiectum attributionis Logicæ in primis non est aliquid latius Modo sciendi; aliundè non est aliquid arctius: est ergo Modus sciendi propositus. Utraque Præmissa probanda est. *Prob. Mai.*: quia præter Modum sciendi solùm restant Prædicabilia singillatim sumpta,

(a) *Lib. 2. Dialect. tract. 2. c. 5.*

ea,

ti, vt Genus, Differentia &c., item Propositio cum suis speciebus, & partibus. At hæc omnia nequeunt esse finis, & scopus Logicæ: non enim sunt digna labore artis, nisi quatenùs deservire possunt ad Modum sciendi. Nam quid refert scire, qualiter formari debeat Genus, aut Differentia, nisi vt Definitionem conficere noverimus? Quid item opus erat Propositionis naturam, & proprietates tam subtiliter examinare, nisi vt ex vnâ in aliam arguere sine periculo deceptionis sciamus? Profectò, quidquid in Summulis traditur de Oppositione, Conversione, Æquipollentiâ propositionum, itemque de Hypotheticis, Modalibus, Exponibilibus, eò tendit, vt, perspecto propositionis cuiusque sensu, bonæ Consequentiæ discernantur à malis. Hæc igitur omnia tractantur alterius gratiâ, proindeque vt obiecta merè attributa.

8 Minor verò, quæ difficilior est, & plures habet Adversarios, *probatur*. Logica iuxtà omnes inventa est, vt alijs Facultatibus ministret instrumenta sciendi, quibus artificiosè penetrantur intima rerum, & ignota viscera: ergo finis Logicæ, sive attributionis obiectum, complectitur ea instrumenta, quæ per se immediatè penetrationem eiusmodi perficiunt. At nulla res plenè scitur, aut penetratur, donec tria hæc pateant, *Quid sit*, *Quotuplex*, & *Quas proprietates habeat*; quorum ad primum per se immediatè necessaria est Definitio, ad secundum Divisio, ad tertium Argumentatio. Non ergo obiectum attributionis Logicæ potest esse aliquid arctius Modo sciendi, prout triplex hoc instrumentum complectente.

9 *Urgetur* 1. contrà secundam, & tertiam sententiam. Logica non tradit regulas definiendi, ac dividendi, præcisè propter Syllogismum, aut Demonstrationem: ergo non respicit Definitionem, ac Divisionem, vt mera obiecta attributa, sed vt partialia obiecta attributionis. *Prob. Antec.* Tum quia illæ regulæ, ex professo traditæ, necessariæ non sunt ad artem syllogisticam, aut demonstrativam; siquidem hæc ars perfectissimè tradita est ab Aristotele in Libris nunc extantibus, qui tamen regulas definiendi ac dividendi in ijs Libris ex professo non docuit, vt fatentur omnes. Tum quia Definitio, ac Divisio artificium continent per se valde optabile, etiam præciso ordine ad Syllogismum: quis enim parvi faciat certâ methodo rimari posse, quid sit res, quas vc partes, aut species habeat, etiam immemor, aut insciùs vlterioris artis? Hinc, licèt Aristoteles fuerit Syllogisticæ artis inventor, vt ipse testatur (b), nihilominùs antiquiores Philosophi Dialecticam profitebantur: quia scilicet artem definiendi, ac dividendi invenerant, atque perfecerant, præsertim Socrates, & Plato. Hinc etiam nihil frequentius apud Veteres, quàm Logicam velut in partes primarias dividere in artem definiendi, dividendi, & argumentandi.

10 *Urgetur* 2. Artes instrumentariæ non habent pro obiecto attributionis instrumentum perfectissimum, sed omnia instrumenta completa, quibus indigent superiores artes. Sic ars conficiendi pharmaca, quæ Medicinæ ministrat, non respicit pro attributionis obiecto pharmacum saluberrimũ. Sic etiam, si vna & eadem ars esset omnium fabricatrix armorum, quibus indiget

(b) 2. *Elench. cap. vltim.*

ars Militaris, non respiceret pro fine gladium potiùs, quàm scutum, aut scloporum, aut tormentum bellicum. Cum ergo Logica ministret alijs scientijs instrumenta manifestandi ignotum, debet pro fine respicere, non speciale aliquod instrumentum, sed omnia prædita artificio completo, & per se immediatè conducente ad alias scientias. Id ipsum in quâlibet arte cernitur. Nam Architectura non respicit pro attributionis obiecto palatium potiùs, quàm templum, aut aliud genus ædificij: Poetica non sibi pro fine præstituit magis Comœdiam, quàm Tragœdiam, aut Poema Epicum, aut Elegiacum &c.: nec Rhetorica Orationem potiùs in genere Judiciali, quàm in Deliberativo, aut Demonstrativo: & sic de alijs. Et ratio est; quia quodvis ex his artefactis suam seorsùm difficultatem, & æstimationem habet, præscindendo à reliquis. Idem autem evenit in re nostrâ.

## CAP. X.

### *Solutiones obiectionum, & Corollaria.*

1 *Obij.* 1. Modus sciendi *vt sic*, tamquam ratio communis ab speciebus abstracta, non est obiectum attributionis Logicæ; aliunde nec Modus sciendi, prout in se aggregat, & complectitur actualiter omnes species: ergo nullatenùs. Consequentia constat: & Minor certa videtur; quia complexum ex omnibus speciebus non habet vnitatem, nisi solius aggregationis; cũ autẽ scientia sumat vnitatem ab attributionis obiecto, debet hoc esse verè vnum. Maior verò probatur: tum quia finis intrinsecus Logicæ debet esse instrumentum, quo acquiruntur scientiæ; nulla autem acquiritur per Modum sciendi *vt sic*. Tum quia Logica, vtpote scientia practica, pro fine respicit aliquid operabile; non est autem operabilis ratio Modi sciendi præcisa. Tum quia magis ordinatur cognitio Generis ad cognitionem speciei, quàm è converso: ergo obiectum attributionis Logicæ potiùs statui debet in speciebus, quàm in ratione genericâ Modi sciendi.

2 Hæc obiectio, cui aliqui nimis insistunt, æquè oppugnat sententias omnes. Sive enim præferas Syllogismum perfectum, sive Demonstrationem, sive Conclusionem Demonstrationis, sive quodvis aliud artefactum, quæram pariter, an illud accipiatur vt ratio communis abstracta? an vt aggregatum ex inferioribus? & easdem in te difficultates intorquebo. Certè nemo, quod sciam, obiectum attributionis Logicæ coarctat ad aliquam speciem atomam artefacti. Imò ne sic quidem vitaretur obiectio. Nam talis species, si aggregaret omnia individua, non esset verè vna: si autem ab individuis præscinderet, non esset operabilis, nec vtilis acquirendis scientijs, quæ certè non acquiruntur nisi per actus individuos. Præterea difficultas eadem militat in omni arte, & scientiâ practicâ, v.g. in Ethicâ, Medicinâ, Architecturâ, Pictoriâ; vt applicanti liquidum erit. Scio, ab Adversarijs pro fine Logicæ statui Demonstrationem, aut Syllogismum, abstractum ex parte modi concipiendi, sed ex parte obiecti complectentem omnes species particulares. Verùm, in primis cur idem nobis dicere non licebit? Deinde, in principijs Præcisionis formalis, quæ ple-

plerisque Adversariorum placent, nulla ratio communis abstrahitur ex parte obiecti, sed solùm ex parte modi, vel actus: si ergo hæc abstractio sufficit, quid nos oppugnant, qui Præcisionem obiectivam reijciemus Tractat. seq.?

3 Pro omnibus itaque *resp.*, obiectum attributionis Logicæ esse Modum sciendi, tum in genere, tum in specie triplici prædictâ, inclusis etiam speciebus specierum istarum: in his enim omnibus probationes nostræ militant, sicut etiam paritas aliarum artium. Nec obstat illud de vnitate, quam ex obiecto attributionis desumit scientia. Nam in primis ad scientiæ vnitatem sufficit vnitas rationis formalis *sub qua*, ex num. 6. cap. præced., adiunctâ præsertim abstractione à materiâ. Deinde, obiectum attributionis, quod ponimus, non habet vnitatem solius aggregationis instar acervi lapidum: sed habet insuper vnitatem definitionis sub eodem Genere ad Logicam spectante, videlicèt sub ratione communi Modi sciendi; quæ vnitas ad attributionis obiectum sufficit, vt nemo negat, paretque inductione per omnes ferè scientias, & artes.

4 Itaque ratio generica Modi sciendi à Logicâ per se consideratur, ac definitur vnicâ definitione; quæ definitio, licèt immediatè solum explicet Modum sciendi *vt sic*, complectitur tamen omnes species sub tali genere contentas, tamquam multiplex Definitum mediatum, seu remotum; proindeque eaidem omnes species, etiam sub proprijs conceptibus spectatas, in vnum copulat. Dum ergo Logica singulas species vt tales considerat tamquam attributionis obiecta partialia, non vagatur extrà vnum Genus, sed intrà latitudinem eius se continet, atque adeò permanet vna: vt enim ait Aristoteles (c), *Una scientia est, quæ vnius est Generis.* Vid. suprà Disp. 1. cap. 6. num. 13., vbi explicuimus, quomodò ratio communis Modi sciendi sit veluti centrum, seu vinculum obiectivæ vnitatis: & quanvis ibi disputandi gratiâ permiserimus, obiectum attributionis Logicæ situm esse in solâ ratione communi, nunc verò illud integrari dicamus etiam ex speciebus vt talibus; nihilominùs explicatio vnitatis ibidem adducta, modò valet.

5 Addimus, negari posse Maiorem obiectionis, quin obstent probationes. Nam in primis Modus sciendi *vt sic* est instrumentum, quo aequiruntur scientiæ, acquisitione exercendâ in statu contractionis, non in statu abstractionis, in quo specificat artem. Deinde est etiam quid operabile, & quidem in statu abstractionis, sed non pro illo, sed pro statu contractionis ad speciem, imò ad individuum. Res est perspicua, & neganda nemini. Omnis ars, & scientia practica respicit suum obiectum in vniversali, & in hoc ab experientiâ differt, vt diserte docent Aristoteles & D. Thomas (d). Quomodò igitur Architectura respicit domum in vniversali, quæ, prout sic, certè non est factibilis, nec habitabilis? aut Ethica Operationem in communi, quâ honestè vivitur, cum nemo sic vivat per operationem in communi? Par est ratio in scientijs speculativis. Nam Metaphysica v. g. respicit Ens *vt sic*, quatenùs possibile, seu potens existere: & tamen Ens *vt sic* existere nunquam potest abstractione retentâ. Facultas au-

(c) 1. *Poster. cap.* 23. (d) 1. *Metaph. cap.* 1. *lect.* 1.

autem practica, vt alibi monuimus, eatenùs dicitur habere pro fine operationem, quatenùs est congruè appetibilis propter operationes in individuo exercendas, ad quas eius doctrina vniversalis applicari potest.

6 Postremò, cognitio Generis conducit quidem, & est ordinabilis ad cognitionem Speciei; sed idem accidit è converso. Nam, sicut attentâ perfectione intensivâ Genus est pars, & Species totum; ita attentâ latitudine, seu perfectione extensivâ Species est pars, & Genus est totum, quod vocant *potestativum, seu potentiale*, ad cuius cognitionem deservit cognitio partium subiectarum. Idcircò divisio Generis in Species, vel in Differentias, verè dicitur Modus sciendi respectu Generis; quia magis illud manifestat, ac notum reddit. Quanvis autem cognitiones Generis & Specierum sint invicem ordinabiles, nihilominùs obiectum attributionis rationabiliter statuitur potiùs in ratione communi, quàm in specificis, quia sic melius consulitur vnitati scientiæ. Nec novum est, quod electio obiecti attributionis aliquatenùs pendeat à prudenti arbitrio Philosophorum cum rationabili fundamento ex parte rerum: id enim generaliter de omni attributionis obiecto docet communis sententia, præsertim Scotistarum, atque Nostrorum.

7 Dices: cognitio differentiæ specificæ nullatenùs conducit ad perfectiorem cognitionem Generis: ergo finè fundamento statuitur obiectum attributionis in ratione generica. Patet Antec.; quia differentiæ specificæ sunt extrà rationem Generis, nec manifestant rationem conveniendi, sed differendi. *Neg. Antec.* non benè probatum: nam etiam proprietates sunt extrà rationem essentiæ; quæ tamen ex earum cognitione melius cognoscitur: cognitio item vnius ex Contrarijs conducit ad cognitionem alterius, quin alterũ ex altero cõstituatur. Differentiæ igitur ita sunt extra rationem Generis, vt simul eius connexionem terminent. Non dubium autem, quin res perfectiùs penetretur, penetratris terminis, quibuscum ipsa connectitur; vt patet in causis, & effectibus. *Replic.*: qui benè cognosceret species omnes Modi sciendi in particulari, foret perfectè Logicus: ergo Logica non indiget cognitione Modi sciendi in communi. *Neg. Conseq.*: nam species perfectè cognosci nequit incognito Genere, vt patet exemplo Hominis, & Animalis.

8 *Obije.* 2. pro 1. sententiâ ex enumeratis cap. præced. Obiectum attributionis Logicæ comprehendit etiam Propositionem, & quinque Prædicabilia: ergo non debet ad Modum sciendi coarctari. *Prob. Antec.* 1. ex D. Thomâ (e), qui vocat *propriè Subiectum Logicæ*, illud *Ens rationis*, quod propriè dicitur de intentionibus *Generis, speciei, & similium*. At nomine *Subiecti* venit obiectum attributionis. 2.: quia, iuxtà eumdé Angelicum in Proœm. Ethic., Specificativum Logicæ est *Ordo, quem Ratio considerando facit in proprio actu*: hic autem Ordo reperitur etiam in Propositione, & in constructione Prædicabilium. 3.: quia Propositio est artefactum completum, de quo ex professo tractat Logica: ergo sub eius obiecto attributionis comprehenditur, siquidem valet paritas aliarum artium. 4.: quia de Prædicabilibus agit Logica peculiari

(e) *Lect. 4. in 4. Metaph.*

fiari tractatu, nulla factâ mentione alterius artefacti, ad quod ordinentur vt partes: ergo de illis agit propter se, & absque attributione ad aliud obiectum.

9 *Resp. neg. Antec.* Ad 1., & 2. *prob.*: D. Thomas ibi loquitur de Subiecto, & Specificativo, non *attributionis*, sed *adæquationis*, prout scilicet recurrit cum ratione formali *sub qua*, seu cum obiecto formali adæquato. Ratio interpretationis: quia *Ens rationis*, quod D. Thomas vocat subiectum Logicæ, dicitur etiam propriè de intentionibus *Medij*, *Extremorum maioris*, *& minoris*, *Prædicati*, *Subiecti*, & alijs merè partialibus, sive incompletis; & in his invenitur quoque *Ordo* à Ratione factus: & tamen intentiones huiusmodi sunt obiecta merè attributa, iuxtà Adversarios. *Ad* 3. Propositio sæpe continet definitionem, aut divisionem, aut etiam argumentationem saltem virtualem, qualis imbibitur in causalibus, & conditionalibus. Tunc autem sub attributionis obiecto comprehenditur, non præcisè quatenùs Propositio est, sed quatenùs vim habet Modi sciendi. Propositio item, quæ prædicatum aliquod essentiale obiecti detegit, sine absurdo numerari potest inter species Modi sciendi, iuxtà dicta in Summulis.

10 Si tamen generaliter loquamur de Propositione, quatenùs aliquid affirmat, aut negat de aliquo, *neg. Conseq.* probationis. Propositio enim sic spectata sine respectu ad Argumentationem, est quid obvium, & facillimum; vel certè non habet artificium, quod proximè & ratione sui vtile sit ad finem extrinsecum Logicæ artis, nempè ad vsum aliarum scientiarum, qui vsus consistit in penetrando, quid sit res, & quotuplex, & quas essentia inferat proprietates. Ars autem instrumentaria solùm respicit pro fine intrinseco illa instrumenta, quæ proximè & ratione sui vtilia sunt ad finem eius extrinsecum, nempè ad vsum facultatis superioris. Sic ars fabricandi organa musica, non respicit pro fine intrinseco singulos tubos harmonicos, sed instrumentum ritè constructum ex omnibus; quia singuli seorsùm non sunt proximè vtiles ad finem Musicæ artis. Hinc negandum est, quod artefactum purè enuntiativum, sit completum *in esse instrumenti sciendi*, licèt completum sit, ac perfectum *in esse Orationis Dialecticæ*: sicut artefactum completum in esse tubi harmonici, non ideò completum est in esse instrumenti musici. Propter hæc, Logica non dicitur Ars enuntiandi, cum passim dicatur Ars definiendi, dividendi, & argumentandi.

11 *Ad 4. prob.*, admisso *Antec.*, *neg. Conseq.*: nam, vt aliquod obiectum sit attributum, non requiritur quod de illo tractetur vbique sub munere partis artefacti alterius; sed sufficit, quod tractatus de tali obiecto ideò institutus, & insertus fuerit arti, vel scientiæ, quia illius obiecti cognitio vtilis est ad meliorem cognitionem, vel faciliorem constructionem alius obiecti; ita vt, nisi hæc vtilitas adesset, tractatus ille foret inutilis ad scopum artis. Atque ita se habet tractatus de Prædicabilibus; qui solùm inseritur Logicæ, tamquam apparatus quidam terminorum, seu materiæ proximæ, ex quâ possint sciendi instrumenta construi.

12 *Obije.* 3. pro secundâ sententiâ. Obiectum attributionis Logicæ

gicæ est Modus sciendi ; sed sola Demonstratio est propriè Modus sciendi, cum sola generet scientiam : ergo &c. *Confirm.* 1. : quia Aristoteles 1. Prior. cap. 1. sibi pro fine statuit Demonstrationem, eòque intentionem suam dirigi testatur. *Confirm.* 2.: quia D. Thomas initio Opusculi 48. singillatim ostendit, omnia, quæ tractantur in Logicâ, ad demonstrationem ordinari. *Confirm.* 3. : quia Definitio & Divisio possunt esse partes Demonstrationis : ergo ad illam ordinantur tamquam obiecta attributa ; sicut etiam syllogismus probabilis, & fallax, titulo contrarietatis. *Confirm.* 4. : quia Logica, vtpotè directiva Intellectus, illam operationem pro fine respicit, quam Intellectus maximè appetit : Intellectus autem, cum naturaliter appetat scire, maximè appetit Demonstrationem, quæ sola scire facit, siquidem iuxtà Aristotelem Scientia *est Habitus per Demonstrationem acquisitus*, vel etiam *Cognitio rei per causam. Confirm.* 5. : quia finis artis administræ est instrumentum, quod ab eâ petit facultas superior : aft aliæ scientiæ, quibus ministrat Logica, maximè ab eâ petunt Demonstrationem, vtpotè necessariam ad finem ipsarum, qui est notitia certa de obiecto sine periculo erroris.

13 *Resp.* Minor obiectionis vera est, si Modus sciendi sumatur strictè ; falsa autem, si Modus sciendi sumatur latè ( non tamen impropriè ) pro modo, seu medio artificioso manifestandi ignotum, prout congruit integritati Scientiarum. Atque ita accipitur apud Logicos Modus sciendi, cuius partitio in Definitionem, Divisionem, & Argumentationem, à nemine dicitur impropria. Unde, licèt sola Demonstratio generet scientiam discursivam strictè sumptam, non sola generat scientiam latiore sensu acceptam. *Ad* 1. *Confirm.*. Multi ex Auctoribus nostræ sententiæ concedunt, Demonstrationem esse finem intrinsecum Logicæ Aristotelicæ nunc extantis, seu qualis ad nos pervenit in Libris, quos habemus ex Aristotele, qui Libri ex professo non tractant Definitionem, ac Divisionem. Negant tamen, si sermo fit de Logicâ secundùm se, vel etiam prout illam tractavit olim Aristoteles in Libris, qui perierunt. Sed hac solutione non est opus. Nam locus obiectus probat quidem, Librorum Analyticorum obiectum attributionis esse Demonstrationem : at non probat de totâ Logicâ Aristotelicâ : nam similiter in ipso ingressu Libri 1. Topic. ait Philosophus, propositum sibi esse methodum invenire Syllogismi probabilis, qui proinde eorum Librorum obiectum attributionis erit.

14 *Ad* 2. *Confirm.* D. Thomas inter ea, quæ ad Demonstrationem ordinari docet, non meminit Definitionis, nec Divisionis, & insuper Syllogismum Topicum prætermittit. *Ad* 3. *neg. Consq.* : nam, licèt Definitio v. g. possit esse pars Demonstrationis, non præcisè consideratur à Logicâ titulo partis, nec eius tota vtilitas ad scopum Logicæ sita est in munere partis præcisè quippe hoc manere, habet ratione sui Definitio, cur à Logica ex professo tractetur, vtpotè proximè deserviens ad vsum scientiarum, quarum interest scire quidditatem obiecti per Definitionem. Hæc ergo tractatur à Logicâ, tum quatenùs explicat essentiam rei in se ( qui est conceptus Definitionis primarius, sub quo respicitur vt attributionis obiectum ); tùm

tùm quatenùs vim habet inferendi conclusionem circà proprietates; & hic est conceptus secundarius, sub quo Definitio respicitur vt pars Demonstrationis, & vt obiectum attributum. Sic in ipsâ rei quidditate distingui solet duplex conceptus, *essentiæ, & naturæ*: in primo spectatur quidditas absolutè, in secundo spectatur cum ordine ad proprietates, quarum est radix. Sic etiam Elementum consideratur à Physico, tum absolute, & ratione sui, tum cum ordine ad Mixtum.

15 Negari præterea potest, quod Definitio sit pars Demonstrationis: nam eatenus esset, quatenùs est Medium ad inferendas proprietates. At vis inferendi non est in totâ Definitione, sed in solâ Differentiâ. Ut enim demonstratione concludas, hominem esse risibilem, aut admirativum, sufficit *rationale* pro Medio, & frustrà erit integra definitio *Animal rationale*, cum *Animal* nullatenùs inferat *risibile*. Vid. P. Compton, ex quo tota hæc doctrina desumpta est. Quod additur de syllogismo probabili, nihil est dictu: nam titulus contrarietatis non magis probat, syllogismum probabilem ad demonstrativum ordinari, quàm è converso.

16 *Ad* 4. Quod Intellectus maximè appetat Demonstrationem, incertum est. P. Compton Definitionem præfert Demonstrationi: tum quia magis imitatur modum cognitionis Angelicæ: tum quia, sicut definitio obiectiva, seu quidditas obiecti, est præcipuus conceptus obiectivus, & prima veritas, quæ est radix omnium proprietatum; ita definitio formalis est præcipuus conceptus, primaque veritas formalis, & origo cæterarum cognitionum: vnde erit operatio maximè expetibilis ab Intellectu. Sed transeat quidquid obiectio allegat. Tantùm inde sequitur, quòd Demonstratio sit obiectum *principalitatis*, minimè verò quòd sola sit obiectum *attributionis*: non enim novum est, quòd inter partialia attributionis obiecta certum aliquod eminear, sitque maximè considerabile ab scientiâ, vt à Metaphysicâ Deus, à Physicâ Homo. Unde, licèt sola Demonstratio faciat scire iuxtà definitiones scientiæ Aristotelicas, quæ procedunt in sensu strictissimo, non ideò sola est attributionis obiectum. Sic, licèt solus Deus sit Ens antonomasticè, & reliqua entia comparatione Dei sint quasi nihilum, non ideò solus Deus, sed Ens in communi, vel substantia cõpleta *vt sic*, est obiectũ attributionis Metaphysicę. Hinc etiâpatet solutio *ad* 5.: quanvis enim aliæ scientiæ Demonstrationẽ petant maximè, nõ tamen vnicè. Notitia autem certa de quidditate, & partibus obiecti, Definitione, & Divisione paratur.

17 *Obiic.* 4. pro tertiâ sententiâ. Logica, vtpote rationalis scientia, sequitur naturalem ordinem operationum Rationis; sed ex operationibus istis prima naturaliter ordinatur ad secundam, & secunda ad tertiam, vt explicat D. Thomas (f), & fatentur omnes; ergo Logica quidquid artificij est in primâ, & secundâ operatione, respicit cum ordine, vel attributione ad tertiam, quæ est syllogismus. *Resp.* Sequitur quidem Logica naturalem ordinem operationum Intellectus, quantum ad methodum, seu collocationem doctrinæ; at non omninò, quantum ad attributionem vnius ad aliam. Ubicumque enim Logica invenit artificium completum proximè vtile

(f) *Lect.* 1. *in* 1. *Periherm.*

ad

ad acquisitionem scientiarum, ibi sistit velut in fine intrinseco saltem inadæquato. Nec ordo attributionis in scientijs debet per omnia sequi naturalem ordinem obiectorum: alioqui scientiæ omnes pro attributionis obiecto Deum respicerent, cum earum omnium obiecta naturaliter ordinentur ad Deum: id quod maximè verum esse deberet in ijs, quæ Deum inter partialia obiecta considerant, vt sunt Physica, & Metaphysica. Non tamen negaverim, quòd Logica primam & secundam operationes consideret aliquatenùs prout ordinatas ad tertiam: sic enim respicit, tum eos actus, qui ratione sui non habent artificium complerum in esse instrumenti sciendi; tum etiam eos, qui præditi sunt artificio Definitionis, aut Divisionis, dummodò spectentur sub conceptu, non primario, sed secundario, iuxtà dicta num. 14.

18 Ut alias obiectiones præcaveas, *nota* 1.: P. Compton in solâ Definitione collocat obiectum attributionis Logicæ. Sed quidquid allegat, etsi concedatur, vt summum probat, Definitionem esse obiectum principalitatis, quemadmodùm de allegatis pro Demonstratione diximus num. 16. *Not.* 2.: P. Lynce Veritatem in communi pro attributionis obiecto præstituit Logicæ, eo quòd hæc dicatur Magistra veritatis, & ex proprio munere discernat verum à falso, præcaveat errores, & doceat scire. Verùm elogia huiusmodi solùm evincunt, Veritatem esse finem Logicæ mediatum, & extrinsecum, quem scilicèt Logica pro obiecto non respicit (nusquam enim de naturâ Veritatis agit, nisi per quæstiones aliquot ab Animasticâ, vel Metaphysica mutuatas, de quib. tract. 5.), sed ad ipsum obtinendum instrumenta parat. Quia enim Logica docet artificium definiendi, dividendi, & argumentandi, per quod ad praxim deductum facilè obtinetur veritas, cavetur error, & scientia acquiritur; idcircò vocatur Magistra Veritatis, &c. Hoc sensu Musica dicitur ars mulcendi aures, & Coquinaria vocatur ars oblectandi gustum, ex fine scilicèt mediato, & extrinseco.

19 *Not.* 3.: Etsi designatio obiecti attributionis in scientijs, & attributorum ordinatio, aliquatenùs pendeat ab arbitrio Philosophorum, & sit completè, ac formaliter artificialis, quemadmodum & Scientiarum totalium divisio, vt fert sententia satis communis (g), cui favet Exim. Doctor disp. 44. Met. sect. 11. num. 68.; non ideò inutiliter inquiritur, quodnam sit attributionis obiectum in Logicâ, vel aliâ scientiâ? Omnes quippe supponunt, arbitrium illud debere esse in ipsâ obiectorum naturâ fundatum. Quare saltem disputari potest, quodnam ex obiectis partialibus Logicæ congruentiùs & rationabiliùs eligi debeat in obiectum attributionis?

## COROLLARIA.

20 NUnc, vt ex doctrinâ totius Disputationis plena de obiecto Logicæ formetur idea, notationes sequentes adijcio. 1.: voces & scripta, quatenùs imitantur artefacta Logicâ, sunt obiectum Logicæ materiale, non per se attactum, sed per accidens, & indirectè, ideſt, attactum per actus indirectè pertinentes ad Logicam, vt ex cap. 2. constat. 2.: res secundùm esse physicum

(g) *Vid. suprà Disp. 1. cap. 6. à num. 10.*

(quo

( quo nomine comprehenduntur etiam entia rationis, cum de ipsis disseritur ) sunt obiectum materiale mediatum, sive remotum, quatenùs sunt obiectum obiecti Logicæ, nempe actuum Intellectus. Sunt etiam obiectum materiale immediatè quidem, sed obiter attactum per summa capita sub nominibus, *Identitas*, *Essentia*, *Quidditas*, *Totum*, *Partes*, & similibus, non vt materia denominabilis, sed vt materia extrinseca, & *circà quam*, eo ferè modo, quo Pictoria res naturales considerat, vt eas coloribus exprimat. Constant hæc ex cap. 3. & 8.

21 3.: Res secundùm esse intentionale, seu concreta secundæ intentionis, in primis non constituuntur ex ente rationis purè obiectivo, vt patet ex cap. 4. §. 3. sed ex re extrà animam, & cognitione reali vt forma. Deinde, nec sunt obiectum Logicæ formale, si spectentur vt concreta subiectum & formam includentia; vt ostendimus cap. 6.: imò nec in hisce concretis consistit artefactum, ex formâ & materiâ proximâ constitutum, quod Logica per se intendit vt ars est, saltem per actus primarios, seu regulas præcipuas, vt vidimus eod. cap. à num. 18., quidquid sit de nonnullis actibus secundarijs, de quib. ibid. num. 30. inocto num. 9. Attentis igitur actibus Logicæ primarijs, concreta huiusmodi non considerantur in esse talium: consideratur tamen eorum vtraque pars sub alio munere, nimirùm pars formalis sub munere rectæ repræsentationis, pars materialis sub munere materiæ, non *ex qua*, sed purè *circà quam*.

22 4.: Obiectum formale Logicæ totum est in actibus Intellectus. Nam ratio formalis *sub qua* ( aliàs ratio formalis *qua*, aliàs obiectum formale *quo*, aliàs *quod*, aliàs ratio formalis obiecti *vt res est*, vel *in esse* rei, iuxtà varios loquendi modos ) est *intrinseca rectitudo operationum Intellectus scientijs adquirendis vtilis*, quæ rectitudo cadit etiam in primam operationem, ex dictis cap. 7. à num. 3., & cap. 9. num. 2. Rectitudo hæc est *Ens rationis*, non purè obiectivum, sed subiectivum: & quia non cognoscitur, nec dictatur, nisi per actus reflexos, qui sunt secundæ intentiones formales, idcircò vocatur *secunda intentio obiectiva*. Ratio formalissima *sub qua* ( aliàs ratio obiecti *vt obiectum est*, vel *in esse scibilis*, quæ suprà rationem formalem solùm addit expressum respectum ad scientiam, ex cap. 1. num. 12. ) est *dirigibilitas obiectiva operationum Intellectus*, qualem explicuimus cap. 7. num. 14. & 15., necnon cap. 8. num. 2. & 3. Utraque ratio, formalis, & formalissima, est obiectum Logicæ totalis *Specificativum*, atque etiam *Subiectum adequationis*. Vid. cap. 9. num. 4. Abstractio à materiâ censeri solet *conditio obiectiva*, idest, conditio reddens obiectum proportionatum potentiæ, vel scientiæ, non quasi motivum, sed quasi applicatio. Sic autem Logicæ respondet *abstractio ab omni materia prout limitata per artificiem signi formalis*. Vid. cap. 5. num. 8.

23 5.: Obiectum Logicæ formale *quod*, sumptum pro formali specifico, & inadæquato, quale declarauimus cap. 1. num. 10.,

est *quævis rectitudo specifica*, vel *quodvis artificium particulare operationum Intellectus*. Obiectum verò materiale proximum, seu materia propria denominabilis, *ex qua* constituuntur artefacta Logica, est *entitas actuum Intellectus secundùm prædicata formaliter distincta à repræsentatione*, atque etiam *secundùm repræsentationem in communi, quatenùs indifferentem ad varias species, rectas, aut vitiosas*. Vid. cap. 6. à num. 18., & cap. 8. num. 6. Hinc artefactum Logicæ proprium, & ab eius regulis per se intentum, prout ex materiâ & formâ constitutum, est *recta cognitio*.

6 Denique: Obiectum attributionis Logicæ, quod etiam dicitur *Subiectum attributionis*, & *Specificativum per modum finis intrinseci*, est *Modus sciendi, prout complectitur Definitionem, Divisionem, & Argumentationem*. Obiecta verò attributa, seu communitatis, sunt apprehensiones formantes Prædicabilia, atque etiam Enuntiatio, seu Propositio cum suis speciebus & partibus, nec non partes actuales vniuscuiusque Modi sciendi fingillatim sumptæ, v.g. syllogismi Medium, Extremitates, Præmissæ, Concluso. Quæ omnia constant ex cap. 9. & 10.

Et hactenùs de Proœmiali Tractatu.

TRAC-

# TRACTATUS SECUNDUS,

## *De Universalibus Generatim.*

POSTQUAM Logica in semet reflexa Proœmiali tractatu suam inspexit indolem, propriumque sibi fixit obiectum in operationibus Intellectus, nunc accuratam eiusdem obiecti doctrinam, & in ea mentis humanæ, atque adeò Scientiarum omnium directionem tradere aggreditur. Et quoniam ex generalibus rerum ideis, quæ simplici perceptione fiunt, iudicandi, ac discurrendi rectitudo plurimùm pendet, ideircò primæ Intellectus operationi, ideſt, simplicibus apprehensionibus eliminandis, tres Tractatus continuò sequentes impendet; in reliquis, breviter datum quidquid ad operationes secundam & tertiam spectans in Dialecticis Institutionibus desideratur. Nec tamen in hisce Tractatibus Logica impermixta procedet: plurima siquidem à Metaphysicâ mutuare cogitur, tum cognatione rerum, tum consuetudine Scholarum: atque in primis identitatum, ac distinctionum varium genus excutere omninò debet, ne deinceps propria ipsius doctrina singulis ferè lineis tenebrescat.

## DISPUTATIO I.

### *De Identitate, & Distinctione.*

#### CAP. I.

*Explicatis terminis, Distinctio realis exponitur, & inter Gradus Metaphysicos esse negatur.*

1 *Identitas* (inquit Philosophus 5. Metaph. cap. 9.) *unitas quædam essentiæ est, aut plurium, aut cum ut pluribus utatur, ut puta cum dicat ipsum sibi ipsi idem, ut duobus enim ipso utitur.* Ideſt, ea dicuntur idem, quæ habent unitatem aliquam essentiæ, sive illa sint aliquâ ratione plura, sive per solam repetitionem nominis vtamur vno vt pluribus: vt enim determinata identitas explicetur, semper formare cogimur extrema quasi duo, saltem voce tenùs, vt cum dicimus, *Homo est homo*, vel *est idem sibi*.

2 Sumitur hìc *Unitas* à Philosopho, prout idem sonat, ac *Convenientia*, seu *Conformitas*: quo sensu vnitas duorum, aut plurium esse potest, vel in substantiâ, vel in qualitate, vel in quantitate. Unitas, sive conformitas in substantiâ, qualis est v.g. inter humanitates Petri, & Pauli, specialiter vocatur *identitas*: vnitas,

vel convenientia in qualitate, v. g. nivis, & lactis in albedine, vocatur *similitudo*; vnitas, vel convenientia in quantitate, ideſt, in magnitudine molis, aut perfectionis, vocatur *æqualitas*. Hæc tamen ſenſu accepta vnitas, vel identitas, ampla eſt, & impropria, vtpotè cum vera multiplicitate, vel diſtinctione cohærens: ideòque à Recentioribus omnis convenientia, vel conformitas extremorum verè plurium, ſive ſit in ſubſtantiâ, ſive in qualitate, ſive in quantitate, vocari ſolet, non tam *vnitas*, aut *identitas*, quàm generali nomine *ſimilitudo*.

3 Unitas igitur in præſenti accipienda eſt pro indiviſibilitate, non quidem partium inter ſe, ſed totius rei, quæ dicitur vna: atque ita definiri, vel deſcribi poteſt ad mentem Ariſtotelis (a), *Indiviſio*, vel *Indiviſibilitas Entis in plura eiuſdem omninò rationis*, ſive *in plura talia, quale ipſum eſt, cum diviſione à quolibet alio*. Unde colliges, verè dici vnum, non ſolùm Ens omninò ſimplex, vt eſt Angelus, ſed etiam Ens compoſitum ex partibus aliquo nexu copulatis; quia, licèt poſſit in partes diſſolvi, non tamen in multiplex compoſitum eiuſdem omninò rationis. Sic Petrus eſt vnus, quia, licèt diviſibilis in corpus & animam, tamen dividi nequit in plures Petros: ſic etiam Aqua maris vna dicitur, quia, licèt in aquas plures dividi poſſit, non tamen in tales, quæ ſint eiuſdem menſuræ cum mari diviſo.

4 Pro re præſenti triplex Unitatis ſpecies aſſignari ſolet. Prima eſt Unitas *individualis*, quæ etiam *numerica*, *materialis*, & *characteriſtica* dicitur: eſtque vltima rei indiviſibilitas, fundata in prædicatis individualibus; qualem habet Petrus ratione Petreitatis, &c quodvis aliud individuum vt tale. Secunda eſt Unitas *eſſentialis*, quæ *formalis* etiam appellatur: eſt que rei indiviſio, vel indiviſibilitas in plures eſſentias: ſic Petrus, & eſt vnus Petrus, & eſt vnus homo; quia non ſolùm dividi nequit in plures Petros, ſed nec in plures homines. An hæc vnitas à parte rei diſtinguatur ab vnitate individuali, decernetur inferius. Tertia eſt Unitas *univerſalis*, quæ vocatur etiam *vnitas præciſionis*, & *formalis intentionalis*: eſtque illa, vi cuius plura individua ſiunt vna ſpecies, vel plures ſpecies vnũ genus. Hæc infrà explicabitur ex profeſſo. Aliter, & brevius dividitur Unitas, quemadmodùm Identitas, in realem, & rationis, de qua diviſione poſteà. Unitati opponitur Multitudo, quæ proinde conſiſtit in diviſione, vel diviſibilitate Entium, torque modis accipitur, quot ex adverſo Unitas.

5 Iam Unitas ita expoſita recurrit cum Identitate, nec ab eâ diſtinguitur, niſi forſan ex modo ſignificandi, vel etiam quia vnitas importat diſtinctionem Entis ab omni non ipſo, quam diſtinctionem fundat quidem, ſed non claudit identitas. Quapropter Identitas ad mentem Philoſophi citati num. 1. rectè definietur *Unitas in entitate*. Hic enim conceptus, & ſatis perſpicuus eſſe videtur, & aliunde convenit omni & ſoli Identitati, vt inductione patebit. V. g. quia in Divinâ Triade Pater & Filius vnitatem habent in entitate abſolutâ, & non in entitatibus relativis, ideò ſunt idem Deus, & non ſunt eadem Perſona. In ipſis etiam carentijs, & entibus rationis, ſuo modo dabitur identitas, ſi detur vnitas in entitate negativâ, vel fictâ.

6 Nec tamen ſtrictam eſſe con-

(a) 5. *Metaph. cap. 6.*

contendo definitionem istiusmodi. Identitas enim vix exprimi potest clarioribus terminis, quam vulgaribus, & vsitatis, *Idem, Id ipsum.* Unde aiebat Magn. Augustinus (b): *Id ipsum quomodò dicam, nisi id ipsum? Quidquid aliud dixero, non dico id ipsum.* Certè omnes ab incunabulis absque reflexione vel explicatione cognoscunt evidenter identitatem sui secum ipsis: ideòque, si cuivis proponas, nonnisi ab alio factum esse, quod à se factum meminit, illicò dissentiet, tamquam propositioni evidenter falsæ. Accedit quod aliqua sunt prima principia per se nota, & omni rationali evidentia, v.g. *Quodlibet est vel non est, Impossibile est idem simul esse & non esse, Quæ sunt eadē uni tertio &c.*: in his autem cū exprimatur Identitas, nequit non esse cuivis per se nota, & evidens. Hinc rectè colligunt Recentiores passim, Identitatem esse strictè indefinibilem, defectu scilicet explicationis definito clarioris.

7 Ut summàm igitur poterit Identitas quasi describi terminis per accidens notioribus, quales exhibet definitio data num. 5.; aut etiam, si dicatur Identitas in eo consistere, *quòd hoc & illud non sint vere duo, quòd non distinguantur inter se, quòd hoc sit illud.* Unde nec modò displiceat descriptio Identitatis, quam olim probavi, nimirùm *Capacitas verificandi propositionem affirmativam vnius de alio, saltem si prædicatum in recto & substantivè sumatur*: ideò enim identificatur homo cum animali, quia verè dici potest, *Homo est animal*: & sic de alijs. *Dices*: ideò verè dicitur, *Homo est animal*, quia datur identitas extremorum: ergo non ideò datur identitas, quia vera est ea propositio; alias vitiosus circulus erit. *Resp.* Non reddimus pro ratione Identitatis, quod ea propositio vera sit, sed quòd in obiecto sit capacitas ad illam verificandam: quâ in re fine vitio proceditur: quemadmodum roganti, cur Homo sit rationalis? redditur pro ratione capacitas, seu potentia discurrendi; quanvis aliunde verum sit, ideò hominem actu discurrere, quia rationalis est. Itaque propositæ definitiones Identitatis admitti possunt, vt definito notiores per accidens, aut respectivè; quia forsan erunt, qui terminos earum magis vltimatè penetrent, quàm vim nominis *Idem*.

8 Dividitur Identitas in *realem*, & *rationis*. Realis est, quæ rebus convenit independenter ab operatione Intellectus. Rationis est, quæ à certo quodam rationis actu provenit, vel in eo consistit. An, & quas vtraque species habeat, commodiùs explicabitur postmodùm circà Distinctiones vtrique oppositas. Nunc moneo, identitatem realem verè & proprie existere à parte rei, etiam cogitante nemine. Tum quia ante cogitationem Intellectus res quælibet non est alia, aut distincta à se, sed est eadem secum. Tum quia Intellectus per actus directos identitatem pro obiecto respicit, quoties affirmat aliquid. *Dices*: realis Identitas existit quidem à parte rei *fundamentaliter*, at non *formaliter*, donec adveniat rationis actus, distinguens vnum & aliud, & ea inter se referens. *Probatur*: quia Identitas est relatio quædam subiecti ad prædicatum; nec possunt duo identificari, quin supponantur aliquâ ratione duo: hæc autem dualitas, & relatio, cum non detur à parte rei inter extrema realiter indistincta, debet esse

(b) *In Psalm.* 124.

opus Intellectus. Atque ita docet D. Thomas pluribus in locis (c).

9 Sed *contrà* 1.: si extrema à parte rei verè sunt indistincta, veramque dualitatem excludunt; ergo verè sunt idem: quid enim aliud est Identitas, quàm indistinctio, & vnitas dualitatem excludens? *Contrà* 2.: si identitas consistit formaliter in relatione duorum, necessariò supponit dualitatem, ac distinctionem simul positam: hoc autem non minùs apparet absurdum, quàm quòd lux necessariò supponat tenebras simul cohærentes. Nec dicas, distinctionem extremorum esse alterius lineæ, nempe rationis, quæ non opponitur identitati reali. Tum quia realis identitas, prout formaliter constituta, per se est quid rationis: ergo debet opponi distinctioni rationis. Tum quia rationis identitas concipitur etiam relativo modo: & tamen consistere nequit in relatione, & distinctione rationis; nè alioqui simul cohæreant identitas & distinctio in eâdem lineâ: id ipsum ergo à fortiori dicendum de identitate reali, quanvis relativo modo concipiatur. Adde quòd distinctio realis nullatenùs pendet ab actu rationis: ergo nec realis identitas pendere debet.

10 Quòd ergo realis identitas à nobis concipi, aut explicari nequeat, nisi relativo modo, & per quamdam dualitatem extremorum, quæ dicimus idem, probat quidem imperfectionem mentis humanæ, quæ res quantumvis simplices percipere non valet, nisi per distinctas expressiones, ex quibus resultet quædam dualitas, & relatio; non tamen probat identitatem secundùm se consistere in eâ dualitate, vel relatione. Sic affirmare non possumus Dei simplicitatem summam, quin eo ipso quamdam formemus extremorum pluralitatem, & compositionem, in quâ tamen non consistit certè simplicitas ipsa. Sic etiam, vt affirmes carentiam omnis relationis realis & rationis, formanda tibi erit aliqua relatio. Numquid in eâ relatione consistet illa carentiâ? Aliud igitur est *Identitas*, aliud *relatio identitatis*, ideſt, fundata in identitate. Relatio hæc est opus rationis, nec datur à parte rei, nisi fundamentaliter: & hoc tantum intendit D. Thomas. At Identitas, etiam ante operationem Intellectus, datur in rebus formaliter, ideſt, verè, propriè, ac plenè constituta. Quodsi aliquando aliter tonant locutiones Sapientum, ideò est, quia Identitas accipitur, non prout est in se, sed reduplicativè prout à nobis concepta, & explicata.

11 Distinctio ex diametro opponitur Identitati: quare modo oppositò definienda, vel explicanda est. Consistit igitur Distinctio in eo, *quòd extrema sint verè duo, vel plura*, sive in eo *quòd vnum non sit aliud*: vel, vt magis ad normam definiendi loquamur, Distinctio est *Carentia vnitatis in entitate*; aut etiam *Capacitas verificandi propositionem negativam vnius de alio, saltem si prædicatum sumatur in recto & substantivè*: quâ limitatione facilè occurres quibusdam propositionibus de prædicato adiectivo, quas objicit P. Lynce L. 2. Metaph. tract. 2. cap. 1. à num. 5. Forsitan causa aderit, cur prædicatum à subiecto indistinctum non possit de subiecto verificari adiectivè sumptum (à quo nunc præscindimus); semper tamen verificabitur substantivè.

*Exponitur Distinctio realis.*

12 Distinctio in communi, alia

(c) *V. g. in 5. Metaph. lect. 11.*

alia *realis* est, alia *rationis*. Realis dicitur, quæ rebus convenit independenter ab esse cognito. Rationis vocatur, quæ rebus non convenit nisi vt cognitis per conceptus inadæquatos, & præcisivos: sic enim v.g. inter animalitatem & rationalitatem hominis non datur distinctio rationis, donec Intellectus eliciat hos conceptus, *animal*, *rationale*, quorum neutro exprimitur tota essentia hominis, sed potius apparet quasi scissa in partes, quæ tamen in re distinctæ non sunt. De distinctione rationis posteà fusiùs.

13 Nunc super distinctione reali notandum, non rarò pro eodem accipi, maximè apud Aristotelem, *distingui*, & *esse diversum*. Si tamen presè loquamur, *distingui* dicit puram exclusionem identitatis; *esse* autem *diversum* addit insuper negationem similitudinis, aut convenientiæ: ideò enim imagines inter se similes passim distinctas dicimus, non tamen diversas. Discrimen etiam agnoscit Aristoteles inter *differens*, & *diversum*; ita vt ea differre dicantur, quæ in aliquo conveniunt, & in aliquo discrepant; ea verò dicantur diversa, quæ discrepant se totis, vel quæ in nullo conveniunt. Usu tamen communi pro eodem sumitur diversitas, ac differentia, seu dissimilitudo.

14 De signis, vnde colligere possumus distinctionem realem, latè differit Eximius Doctor (d). Duo sunt præcipua. Primum est realis productio; quæ necessariò arguit realem distinctionem producentis à producto: nihil enim potest producere se, vel sibi dare esse. Hinc à Theologis probatur distinctio realis inter Divinas Personas. Hoc tamen signum intelligendum est de productione primariâ, seu quoad primum esse: nam quoad secundum esse, vt aiunt, potest aliquid se ipsum producere iuxtà probabilem sententiam. Alterum signum est realis separabilitas, quâ scilicet potest vnum extremum sine alio existere in certo loco, aut tempore: quod signum evidentissimè probat carentiam identitatis realis: nihil enim separari potest à semetipso, vel existere in loco, aut tempore sine se; aliter posset idem simul esse & non esse aliquando, aut alicubi, quo nihil repugnantius. Et hæc ratio tenet, sive separabilitas mutua sit, sive non mutua. His addi solet, velut tertium signum, quælibet relatio realis, vt similitudinis, æqualitatis, dominij, &c.: necessariò quippe requirit duo extrema.

15 Prædicta signa reducunt Scotistæ ad separabilitatem, saltem quæ ab intrinseco provenit; imò in eâ collocare videntur conceptum distinctionis realis absolutè dictæ. Nam ex doctrinâ Subtil. Doctoris Scoti in 2. dist. 1. q. 5. §. *Ad quæst. istam*, & dist. 2. q. 2. §. *Contrà istud*, sicut realis Identitas est *Inseparabilitas ab intrinseco*, ita Distinctio realis est *Separabilitas in esse, proveniens ab intrinseco*. Communiter impugnantur: Tum quia Divinæ Personæ realiter distinguuntur inter se, cum tamen sint inseparabiles: tum quia iuxtà Scotistas inter totum physicum, & partes simul sumptas datur distinctio realis; & tamen nulla datur separabilitas. Quid ad hæc, & alia respondeat Mastrius, videbimus aliàs.

16 Dicimus itaque, quodlibet ex tribus signis num. 14. positis arguere distinctionem realem, adeò vt, si vel vnum eorum adesse constet, quidquid sit de reliquis, distinc-

(d) *Disp. 7. Metaph. sect. 2.*

tio realis reddatur indubia. Nec ex terminis coincidant separabilitas, & distinctio realis: alioqui, sicuti datur separabilitas non mutua (v.g. in Deo, qui potest existere sine creaturâ, cum hæc nullatenùs existere possit sine Deo), ita daretur realis distinctio non mutua; quod est aperte falsum (quidquid dicat Meurisse apud Mastrium (e)), & contrà communem sensum Scholarum. Certè Conversiones dialecticæ, v.g. *Nullus homo est equus, ergo nullus equus est homo*, ab omnibus censentur Consequentiæ formales, ac proinde vbique infallibiles: at earum firmitas in eo nititur, quod realis identitas, & distinctio realis semper est reciproca. Separabilitas igitur, etiam non mutua, necessariò supponit distinctionem realem mutuam: quod amplius demonstrari facilè posset, nisi foret omnibus ferè confessum. Ubi notandum, vt ex hoc capite credatur distinctio duorum, non requiri separationem, imò nec separabilitatem naturaliter possibilem; sed sufficere, quòd separatio, licèt nunquàm hactenùs facta fuerit, tamen de potentiâ Dei absolutâ possibilis esse probetur, vel à simili, vel à defectu contradictionis, vel alio quovis argumento idoneo.

17 Hìc etiam notandum, identitatem, & distinctionem realem nullâ potentiâ variari posse in re actualiter existente. Si enim A, quod heri extitit distinctum à B, hodiè fieret idem cum B, sequeretur aperta contradictio, nempè quòd A esset hodiè illud ipsum, quod fuit heri, & simul non esset illud ipsum; esset, vt supponitur (aliàs iam non erit sermo de eodem A, sed de alio); & simul non esset, quia heri fuit aliud à B, & hodiè non est aliud à B, sed idem cum B. Dixi, *in re actualiter existente*: quia per mutationem de statu possibilitatis ad statum existentiæ, vel è contrà, quælibet res creata, dum incipit, aut desinit existere, denuò acquirit, vel amittit identitatem absolutam & exercitam secum ipsâ, sicut & totam essentiam ac realitatem suam absolutè & exercitè sumptam; consequenterque amittit, vel acquirit distinctionem à suis prædicatis purè negativam, sitam licèt in mero defectu identitatis actu exercitæ, sive in non existentiâ extremorum. Ignis enim v.g. quandiu non existit, nec est ens, nec substantia, nec ignis, in sensu absoluto & exercito; sed est nihil. In sensu tamen signato, obiectivo, & quasi conditionato, res quælibet secum identificat sua prædicata essentialia, etiam in statu possibilitatis.

18 Dividitur 1. Distinctio realis in *positivam*, *negativam*, & *mixtam*, iuxtà indolem extremorum. Positiva est, quæ datur inter vera entia realia, vt inter Solem, & Lunam: negativa, quæ versatur inter extrema ficta, vel inter carentias entium, quas vocant entia negativa, vt inter cæcitatem & surditatem, vel inter carentiam lapidis & carentiam ignis: mixta, quæ datur inter extremum positivum & negativum, vt inter lucem & tenebras, vel inter visum tuum & cæcitatem alterius. Alio sensu vocari potest distinctio negativa ex num. 17., quæ consistit in puro defectu identitatis actu exercitæ inter extrema secundùm se positiva, sed non existentia, vt inter animal, & rationale Antichristi.

19 Dividitur 2. in *adæquatam*, & *inadæquatam*. Distinctio adæquata, est distinctio secundùm totum esse; cuiusmodi est inter Petrum

(e) *Disp. 1. Logic. n. 68.*

trum & Paulum, vel inter Hominem & Angelum. Distinctio inadæquata est, quæ non afficit totum esse vtriusque extremi, sed locum relinquit identitati secundùm aliquid. Talis datur inter totum & partes singulatim acceptas, vt inter hominem & animam; distinguitur enim homo ab animâ, quia præter illam aliquid aliud includit, nempe corpus; & non distinguitur adæquatè, quia includit animam in suo esse, & cum illâ identificatur inadæquatè: idcircò hæc dicitur *distinctio includentis & inclusi*. Talis etiam esset, si contingeret, formas ignis & lapidis Divinitùs recipi in eâdem individuâ materiâ: tunc enim ignis & lapis solùm distinguerentur inadæquatè, nempè secundùm formas, non secundùm subiectum.

20 Distinctio positiva subdividitur in *realem absolutam*, & *realem modalem*. Absoluta est, quæ versatur inter duas res, quarum neutra est modus alterius, vt inter Petrum & Paulam, lapidem & aurum, aquam & frigus. Modalis est, quæ inter rem, & modum eius intervenit. Est autem *Modus*, vt in præsenti sumitur, tenuis quædam, & minutissima entitas, cuius totum esse consistit in vltimâ determinatione rei ad aliquod munus obeundum, vel ad aliquam denominationem, sine quâ (saltem in individuo sumptâ) res eadem potest existere absolutè. Sic vbicatio, duratio, & vnio dicuntur modi, quibus anima rationalis, de se indifferens vt vniatur corpori, vel vt existat in tali, vel tali tempore, aut loco, vltimò formaliter determinatur ad ea munera. Hinc datur non mutua separabilitas inter rem & eius modum: potest enim res existere sine modo, v. g. anima sine vnione; modus autem nullâ potentiâ existere valet sine re.

21 Quæritur, vtrùm distinctio rem inter, & modum, simpliciter dicenda sit realis? an verò mediâ inter realem, & rationis, ita vt sit minor distinctione reali, maior tamen distinctione rationis? Quæstio videtur merè vocalis. Constat, rem existere posse pereunte modo; quæ separabilitas, licet non mutua, necessariò supponit exclusionem identitatis simpliciter realis: nihil enim existere potest pereunte eo, cui realiter est idem; aliàs existere posset sine se, vel simul esse & non esse, quo nihil repugnantius. Si ergo distinctio sumatur pro exclusione identitatis, ea, quæ rem & modum secernit, omninò realis est, nec minor distinctione absolutâ.

22 Si verò distinctio denominetur ab extremis, modalis distinctio non dicitur simpliciter & absolutè *realis*; sicut modus ipse, licèt non sit nihil, tamen ob tenuitatem sui non dicitur simpliciter & absolutè *res*, sed tantùm *modus rei*, *determinatio rei*. Atque hoc sensu Doctor Eximius disput. 7. Metaph. sect. 1. distinctionem modalem contendit esse minorem reali, vt explicat præsertim num. 28. & 29. Dum autem num. 27. concedere videtur, ens, & modum esse *idem realiter*, loquitur de identitate improprià, sumptâ scilicet pro inseparabilitate, & intimâ coniunctione modi cum re, vt satis indicat num. 19. Superest quæstio, an præter distinctionem realem simpliciter, & rationis, admittenda sit distinctio formalis ex naturâ rei, vel virtualis intrinseca? Sed prius quàm discutiatur; explendus est titulus Capiti præfixus.

*Inter Gradus metaphysicos non intervenit Distinctio realis.*

23 Gradus metaphysici dicuntur ea prædicata, quibus gradatim ascendimus ab infimâ ratione individui, velut à basi, ad supremam usque rationem entis: v.g. in Petro hæc prædicata, *homo*, *animal*, *vivens*, *corpus*, *substantia*, *ens*; in quibus etiam includuntur prædicata differentialia, vt *rationale*, *sensibile* &c.; nam homo includit genus *animal*, & differentiam *rationale*; animal includit genus *vivens*, & differentiam *sensibile*: sic accidit in alijs. Petrus etiam includit naturam specificam hominis, & differentiam individualem, sive hæccitatem, quæ est *Petreitas*. Quod ergo inter hæc prædicata, saltem inter naturam specificam, & hæccitatem, atque etiam inter prædicata generica, & differentialia vniuscuiusque individui, detur distinctio realis absoluta (de formali ex naturâ rei, & virtuali, posteâ), tanta scilicet, quanta datur inter Petrum, & Paulum; propugnat Caramuel in Metalogicâ lib. 4. disp. 8., asserens, id esse commune in Schola Platonis. Id ipsum Maioricæ docuerunt plures Raimundi Lulij sectatores, vt refert Servera disput. 5. cap. 2.

24 Contrarium tamen probant, aut supponunt indubitanter Peripatetici omnes. Quorum verissima sententia *probatur* 1.: quodlibet ex ijs prædicatis verè affirmatur de alijs: verè quippe dicimus, *Petrus est homo*, *Homo est animal*, *Animal Petri est rationale*: at ea realiter indistincta sunt, quorum vnum verè est aliud; vt nemo dubitat. Respondent Adversarij, prædicata illa verè affirmari alia de alijs, non in abstracto, aut substantivè, sed in concreto, & adiectivè. Unde, cum dicitur, *Homo est animal*, sensus est, *Habens humanitatem est habens animalitatem*; quæ veritas benè cohæret cum eo, quòd animalitas distinguatur realiter ab humanitate, vel rationalitate. Sic, qui dicit, *Album est dulce*, non identificat albedinem cum dulcedine, quia hunc efficit sensum, *Habens albedinem est habens dulcedinem*.

25 Sed *contra* 1.: ergo prædicata essentialia Petro adiacent instar formarum accidentalium, quo nihil absurdius. *Contra* 2.: ergo, sicuc substantia sacchari specificativè sumpta non est alba, nec dulcis, nigra, nec amara; ita entitas illius subiecti, quod dicitur habens animalitatem, rationalitatem &c., secundùm se non erit realiter rationalis, nec irrationalis, sensibilis nec insensibilis, corporea nec spiritualis, imò nec substantia, nec accidens, cum realiter distinguatur à formis istarum denominationum, non minùs quam substantia sacchari ab albedine. Sequela autem implicatoria est proculdubiò.

26 *Prob.* 2.: omnia prædicata Petri realiter identificantur cum hæccitate: ergo & inter se, nisi ruat principium evidens, *Quæ sunt eadem vni tertio* &c. *Prob. Antec.*: omnia prædicata Petri per se ipsa sunt *hæc*, & non alia: ergo per se ipsa sunt sua hæccitas; hoc enim nomine denotamus id, per quod res est *hæc* ab alijs condistincta. *Prob. Antec.* Tum quia vetus axioma Philosophorum est, *Quælibet res per se ipsam est quod est*, & *per se ipsam non est quod non est*. Tum quia alioqui dicere pariter licebit, quod illa hæccitas, quam superaddis, non est per se ipsam *hæc* præ alijs, sed indiget no-

vâ

vâ hæcceitate ; quæ similiter indigebit novâ aliâ, maximè cum adhuc conveniat cum alijs aliorum hominum hæcceitatibus in ratione differentiæ, & contractionis. Dabitur ergo in Petro congeries infinitarum hæcceitatum realiter distinctarum.

27 *Dices*: licèt singula Petri prædicata sint sua hæcceitas, non ideò identificantur vni tertio : quia in Petro non est vna simplex hæcceitas, sed conflata ex multis, totidem scilicet, quot sunt prædicata superiora. *Contrà* 1 : Adversarij pro omnibus prædicatis vniuscuiusque individui non nisi vnicam indivisibilem hæcceitatem admittunt, vt videre est apud citatum Caramuelem. *Contrà* 2 : si animal Petri realiter indistinctum est à suâ partiali hæcceitate numericâ, nulla ratio superest, cur distinguatur à differentiâ specificâ, nempe rationalitate; vt Adversarijs in confesso est.

28 Adde quòd, si qua prædicata superiora distinguuntur ab inferioribus, pariter distinguentur & omnia, proindeque & ipsa ratio *entis*, aut *creaturæ*; quod & Adversarij supponere videntur, & ex eorum argumentis colligitur. Hoc autem chymericum esse, quis non videat? Si enim rationalitas v.g. realiter distinguitur ab ente, non erit intrinsecè & per identitatem apta existere, cum *ens* sit *aptum existere* : si non est creatura intrinsecè & per identitatem, & aliunde est aliquid verè existens, erit Deus; non enim datur medium. Tandem vera sententia valide probatur ex eo, quòd animalitas & rationalitas hominis non sunt partes realiter distinctæ quatenùs residentin animâ rationali; hanc enim non esse ex partibus compositam, sed realiter omninò simplicem, certum inter Catholicos est; aliunde nec distinguuntur prout includunt corpus; nemo enim partes corporis distribuit inter animal & rationale. Nullâ igitur ex parte distinguuntur. Unde facilè percipiet tyro, quòd, licèt realiter distinguantur in homine corpus & anima, tamen rationale & animal hominis est idem realiter indivisibile & indistinctum : tam enim *animal*, quàm *rationale*, est nomen totius eiusdem compositi corpus & animam includentis.

29 *Objic.* 1. : diversitas operationum sentiendi & discurrendi, quæ in homine cernitur, exigit principia realiter distincta, non minùs quàm diversitas operationum rugiendi, & latrandi : sed earum operationum principia sunt animalitas, & rationalitas: ergo &c. *Objic.* 2. : animalitas existere potest sine rationalitate, vt de facto contingit in equo, & bruto quovis: hæc autem separabilitas signum est evidens distinctionis realis. *Objic.* 3. : SS. Ecclesiæ Patres hortantur, vt gratias Deo agamus, quod nos fecerit homines, & non pecudes, lapides, aut arbores (f) : ergo naturæ nostra coniungi potuit cum differentiâ, & hæcceitate pecudis ; aliter quorsùm gratiarum actio? Distinguitur ergo ab hæcceitate, quàm habet in nobis.

30 *Resp.* Ad 1. *neg. Mai.* Si enim diversitas operationum eiusdem suppositi probat distinctionem principiorum, in Omnipotentiâ Dei tot erunt virtutes realiter distinctæ, quot sunt innumeræ differentiæ creaturarum ; quo nihil fabulosius : eadem item anima rationalis tot habebit Intellectus, & Volantates realiter distinctas, quot sunt species co-

(f) *Vid. August. cap. 9. Soliloq. in tom. 9.*

cognitionum, & affectuum; quod nemo ferat. Diuersitas ergo operationum, nisi aliæ rationes accedant, v.g. quòd fit in distinctis suppositis, vt evenit in rugitu, & latratu, non satis arguit distincta principia: quia potest idem principium virtualiter, aut eminenter continere diuersos effectus.

31. *Ad* 2. Animalitas, quæ existit in equo, non est animalitas hominis, nec in homine potuit vnquam existere. Quia tamen inter vtramque datur similitudo, & hæc est fundamentum identitatis rationis, siue vnitatis intentionalis, idcircò dici solent homo & equus idem in esse animalis; quæ identitas ante operationem Intellectus impropria est, & purè fundamentalis. *Ad* 3. *neg. Conseq.*: nam gratiarum actio debetur Deo; tum quòd materiam nostri corporis non præparauerit ad formam belluinam, aut lapideam, sed ad animam rationalem; tum etiam, quod, cum naturam aliquam productiurus esset, nostram potius, quam pecudis, aut lapidis produxerit. De cætero, tam chymericum est, quod natura hominis coniungatur cum differentiâ specificâ vel numericâ lapidis, quàm quòd homo sit lapis, vel sit homo non homo.

## CAP. II.

*Explicatur, & reijcitur Distinctio formalis ex natura rei.*

1 AVthores nostri cum Thomistis Distinctionem positivam actualem, quæ actu distinguit extrema ante operationem Intellectus, putant vtlibet esse æqualem, nec in genere Distinctionis admittere magis & minus; si illos excipias, qui Distinctionem modalem aliquatenùs minuunt, de quo suprà. At Scotistæ cum suo Subtili Doctore in 1. dist. 8. q. 4. & alibi sæpe, Distinctionem actualem, quæ ab Intellectu non pendet, subdividunt in *realem entitatiuam*, siue *absolutè & strictè realem*, & in *formalem ex natura rei*. Primam intercedere dicunt inter *rem & rem*, vnde trahit nomen *simpliciter & absolutè realis*; & sub hoc membro comprehendunt etiam distinctionem modalem. Secundam esse docent, quæ distinguit inter se *formalitates* eiusdem rei. Nomine *formalitatum* intelligunt prædicata metaphysica eiusdem rei, vel individui, quæ diuersas quidditates, & cõceptibilitates obiectiuas habent, quâuis ita sint inter se connexa, & colligata, vt neutrum possit existere sine alio, ne Diuinitus quidem.

2 Hanc Distinctionem vocant mediam inter distinctionem rationis, & realem simpliciter: est enim maior distinctione rationis, cum detur actualiter in rebus ante operationem Intellectus: est verò minor distinctione reali; quia, licèt vtraque sit *ex natura rei*, ideſt, ab extrinseco rationis actu non pendens, tamen alterius extrema sunt absolutè res, alterius autem nonnisi formalitates; ideòque dicitur *Distinctio formalis ex natura rei*. Addunt, Distinctionem huiusmodi cohærere cum identitate reali absolutâ & strictâ: quia formalitates, inter quas versatur, sunt vna & eadem res. Si quæras, in quo differant *res*, & *formalitates*? Respondent, tunc extrema vocari *res*, cùm sunt entia ita completa, vt possit vnum sine alio existere naturaliter, aut Diuinitus, siue mu-

tuò,

tuò, sive non mutuò; vel saltem cum vnum ab alio trahit originem. Ita se habent duo individua cuiuslvis Prædicamenti, vt duo homines, duæ albedines &c. Tunc autem vocari *formalitates*, cùm sunt prædicata eiusdem individui penitùs inseparabilia.

3 Hinc Distinctio absolutè realis investigatur, inquiunt, ex causalitate, vel origine, & ex separatione. Distinctio autem formalis investigatur ex definitione, seu descriptione, ex exclusione, & ex reduplicatione: ideft, tunc duo distinguuntur formaliter ex naturâ rei, cùm diversimodè definiuntur, aut vnum excludit alterum à suâ quidditate formali, aut vni in quantum tali convenit aliquid, quod alteri in quantum tali non convenit; suppositâ semper inseparabilitate. Tota hæc explicatio distinctionis formalis desumpta est ex nobili Scotistâ Mercnero disput. 1. de Universal. q. 2. sect. 1., qui clariùs cæteris mentem Scholæ Subtilis exposuisse videtur. Nec multum diserepat Mastrius, qui pluribus in locis, tum Logicæ, tum Metaphysicæ, suam distinctionem formalem prolixè versat, nec admodùm feliciter explicat. Quid autem ipse propriè superaddat, in decursu notabimus.

4 Sic igitur explicata Distinctio Scotica ponitur à suis Authoribus inter Gradus metaphysicos cuiuslvis individui, inter Genera, & Differentias, inter naturam, & hæcceitatem; imò & ad Divina transfertur. Sed reijcitur communiter in Schola nostrâ, & Thomisticâ cum Doctoribus Angelico, & Eximio, quamplurimis argumentis, è quibus modò pauca seligam. *Arg.* 1. animalitas, & rationalitas hominis, si distinguuntur actualiter ante operationem Intellectus, distinguuntur omninò realiter; sed hoc repugnat, etiam apud Scotistas: ergo & repugnat distinctio actualis ante operationem Intellectus, quæ sit minor distinctione reali. *Prob. Mai.*: Si animalitas, & rationalitas hominis actu distinguuntur citrà rationis opus, actu sunt duo extrema positiva à parte rei, quorum vnum reverà non est aliud, sed vere potest negari de alio: ergo omninò realiter distinguuntur. Antecedens concedunt Adversarij, nec in suis principijs negare possunt; tum quia omnis vera distinctio facit vnum & aliud; tum quia vi distinctionis formalis animalitas rationalitatem excludit à suâ quidditate citrà rationis opus.

5 *Prob. Consq.*: à parte rei vnum non esse aliud, omninò pugnat cum identitate reali: ergo importat distinctionem omninò realem. *Prob. ant.c.* Tum quia realis identitas communi sensu hominum consistit in eo, quod vnum re ipsâ sit aliud, idcque in vtroque sit vnitas essentiæ, vel entitatis, vt vidimus cap. præced. Tum quia A, & B esse realiter idem ipsum, & tamen à parte rei A non esse B, tum videtur in terminis implicare, quàm A non esse idem secum ipso à parte rei, seu non esse id ipsum quod est. Tum quia vnum esse aliud a parte rei, omninò pugnat cum distinctione strictè reali: ergo pariter è converso.

6 Dices: distinctio Scotica non facit vt vnum non sit aliud *realiter*, aut *simpliciter*, sed vt vnum non sit aliud *formaliter*. Contrà: Ly *formaliter* per se non sollit, quòd ex parte obiecti, & nemine cogitante, animalitas & rationalitas vere sint

duo

duo extrema, quòd quidditas vnius verè non sit quidditas alterius, sed vicissim excludant se se, & quod altera suscipiat prædicatum intrinsecum, cuius altera sit incapax. Hoc autem omninò pugnare cum identitate reali vtriusque, sive cum eo quod sint idem *realiter*, aut *simpliciter*, ostendunt probationes num. 5., vt expendenti patebit. Profectò, quòd animalitas realiter sit ens, & simul actu ex parte obiecti excludat ens à suâ quidditate, ex terminis omninò repugnat: ergo pariter &c.

7 *Confirm.*: nihil Scoticæ distinctioni obstat, vt dicatur distinctio realis: ergo talis distinctio, vel realis est, vel nulla. *Prob. Antec.*: non obstat in primis, quòd extrema non sint res, sed formalitates: Tum quia nec modi sunt res; & tamen iuxtà Scotistas distinctio inter duos modos, vel inter modum & rem, verè realis est: Tum quia rationalitas hominis, & rugibilitas leonis puræ formalitates sunt; & tamen secundùm esse quidditativum & formale realiter distinguuntur inter se: Tum quia positiva identitas formalis, ideft, secundùm esse quidditativum, & formale, strictè realis est, iuxtà Adversarios, & distinctionem realem omninò excludit: ergo positiva distinctio formalis, & secundùm esse quidditativum, strictè realis erit, & identitatem realem destruet. Ratio à priori: quia proprius conceptus distinctionis realis in eo est, quòd vnum extremum in re non sit aliud, quòd possit verè negari de alio, & quòd aliud excludat à suâ quidditate & essentiâ. Hæc autem omnia verificantur pariter de extremis, quæ sunt formalitates, ac de extremis, quæ sunt res.

8 Deinde, nec obstat mutua inseparabilitas extremorum. 1.: quia cum inseparabilitate cohæret distinctio realis inter Personas Divinas, & iuxtà Scotistas inter totum, & partes simul sumptas. Dices: inter Personas Divinas intercedit realis productio, & inter partes & totum realis causalitas, quæ pugnat cum identitate reali. *Contrà*: productio, vel causalitas, ideò pugnat cum identitate reali, quia infert, vnum non esse aliud, scilicet producens non esse id, quod producitur; sed, stante distinctione formali, vnum à parte rei non esse aliud minimè pugnat cum identitate reali: ergo nec productio pugnabit, si talis distinctio stet. Porrò, cum ex productione arguitur distinctio realis, quia nihil potest producere se ipsum; cur non liceat respondere, nihil posse producere se ipsum, quoad esse sibi formaliter ex naturâ rei identificatum, benè tamen quoad esse realiter idem sibi? Nam, si non est absurdum, quòd vna & eadem res excludat seipsam, & verè ex parte obiecti distinguatur à se, penes esse formaliter ex naturâ rei distinctum; vnde probabis, quòd non possit in eodem sensu producere se ipsam?

9 2.: quia iuxtà Scotistas, etiamsi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc realiter distingueretur ab ipso; & tamen in eâ hypothesi nec productio, nec separabilitas intercederet. Item, in materiâ & formâ vnitis datur duplex vnio, altera ex parte materiæ, altera ex parte formæ, iuxtà sententiam probabilem, quam supponit Mastrius (a): & tamen vniones illæ, quamvis inter se omninò sint inseparabiles, nec altera cauletur ab alterâ, realiter distinguuntur. 3.: quia, si animalitas & rationalitas actu dis-

(a) *Disp. 6. Metaph. num. 186.*

tin-

tinguuntur à parte rei, non est cur separari non possint de potentiâ Dei absolutâ, saltem non mutuò: non enim sunt entitates modales se se invicem modificantes; aliter non resultaret ex eis vna entitas absoluta: & aliunde, quòd sint quidditates incompletæ ad vnum totum ordinatæ, non reddit eas inseparabiles, vt in materiâ & formâ cernitur. Aliud inseparabilitatis caput non apparet sine manifestâ petitione principij.

10 Si enim recurras ad realem vtriusque identitatem, principium petis. Nam rogatus, cur sunt realiter idem? respondes, quia sunt omninò inseparabiles: & iterùm rogatus, cur ita sunt inseparabiles? iterùm respondes, quia sunt realiter idem. Quodsi ideò inseparabiles dicas, quia sunt formalitates, & non res; nihilominùs principium petis: vt enim patet ex Merinero vbi suprà, esse formalitates, & non res, in eo consistit, quòd sint essentialiter inseparabiles. Enimverò, nisi vocibus abutamur, quomodò negari potest, formalitates, vt formaliter condistinctas, verè res esse? Certè sunt extrema positiva, contraposita nihilo, veras & reales quidditates habentia, verèque existentia à parte rei, quin altera sit modus alterius: quid ergo illis deesse potest, vt res appellentur?

11 Dices cum Mastrio (b), nomen *res*, propriè & strictè sumptum, dicere ordinem ad existentiam, & causalitatem physicam: ideòque non multiplicari res, nisi multiplicetur existentia, & causalitas. Formalitates autem vnius individui per eamdem existentiam omnes existunt, & eamdem terminant causalitatem physicam: vnde non possunt dici propriè & strictè res plures, sed tantùm plures gradus eiusdem rei, vel essentiæ. Hoc est vltimum, & fundamentale discrimen, quòd statuit Mastrius inter res, & formalitates, quas etiam *realitates*, & *aliquitates* appellat. Sed *contrà* 1.: quòd pluribus formalitatibus plures etiam respondeant existentiæ formaliter ex naturâ rei distinctæ, sententia est valde communis inter Scotistas, vt fatetur Mastrius (c), eamque tenent Lichetus, Smisinch., Faber, & plures alij.

12 *Contrà* 2.: eisdem argumentis, quibus distinguitur in essentiâ hominis multiplex formalitas, distingui pariter debet in existentiâ hominis: hæc enim, prout est existentia animalis, suscipit prædicatum, quod suscipere nequit prout est existentia rationalis, videlicèt esse rationem conveniendi cum existentiâ leonis: aliter etiam definitur, videlicèt per ordinem ad diversam quidditatem, quam existentem reddit: diversam item conceptibilitatem obiectivam habet; non enim minùs inter se differunt, & inconnexi sunt hi conceptus *existentia animalis*, *existentia rationalis*, quàm hi *animal*, *rationale*. Id ipsum videre licet in causalitate physicâ hominis, in quâ similiter distingui debet multiplex formalitas, nempe causalitas animalitatis, causalitas rationalitatis, causalitas hæceitatis &c. Perpende omnia Scotistarum argumenta; & nisi nimiùm fallor, nullum invenies, quod causalitatibus, & existentijs eiusdem individui pariter aptari non possit.

*Con-*

(b) *Disput. 1. Log. n. 63. Disput. 6. Metaph. n. 160. 161. 178. & sæpe alias.*
(c) *Loi num. 179. & 180.*

13 *Contrà* 3.: si modi physici, si relationes, si partes compositi physici, si accidentia omnia, diversas & proprias habent existentias, vt concedit Mastrius (d); vnde probabit, hoc privilegium deesse gradibus metaphysicis, si verè distinctas habent quidditates à parte rei? Certè non aliunde discrimen trahere potest, nisi ex omnimodâ inseparabilitate: quod discrimen & à nobis impugnatum est num. 8. & 9., & ipse Mastrius agnoscit insufficiens pluribus in locis. Nec prætereundum, quod hic Author insinuat (e), gradus metaphysicos distingui ab essentiâ & entitate physicâ, nec esse verè partes ipsius, sed ab eâ profluere per emanationem quamdam metaphysicam ante operationem Intellectus. Hæc si vera sunt, sequitur 1., quòd physica entitas hominis nec est formaliter animal, nec rationale, nec vivens. Sequitur 2., quòd eadem physica entitas erit prima radix metaphysica rationalitatis, animalitatis &c., quæ proinde erunt meræ proprietates hominis physicè sumpti. Sequitur 3., quòd entitas physica, vt formaliter condistincta à gradibus metaphysicis, alijs gradibus constare debet; cum adhuc conveniat & differat ab alijs physicis entitatibus, genere, vel specie. Ast hæc, & alia, quæ indè facilè deduci possunt, absurda sunt omnibus.

14 *Arg.* 2.: natura Petri non distinguitur formaliter ex naturâ rei ab hæcceitate, seu Petreitate: ergo nulla prædicata hominis eo modo inter se distinguuntur. Consequentia legitima est paritate rationis, vt Adversarij non dubitant. *Prob. Antec.*: natura Petri secundùm esse suum formaliter ex naturâ rei identificatum, est hæc numero natura, & non alia; ergo non distinguitur à suâ hæcceitate numericâ. *Prob. Antec.*: natura Petri secundùm illud esse realiter distinguitur à naturâ Pauli, & cæterorum hominum; sed nonnisi numericè distinguitur; non enim specificè, vel genericè, vt est evidens: ergo penès illud esse, est hæc numero natura, & non alia. Consequentia patet; quia hæcceitas numerica est id, per quod natura numericè distinguitur ab alijs. *Prob. Min.*: natura Petri secundùm esse formale realiter identificatur cum Petreitate, vt conceditis; at natura Pauli cum eadem Petreitate non identificatur realiter, cum actualiter ab eâ separetur: ergo sunt naturæ distinctæ realiter in tertio: ergo & inter se.

15 Nec dicas, hanc distinctionem fundari in solâ Petreitate formaliter superaddita. Nam, si sumas vtramque naturam secundùm esse formale, invenies in naturâ humanâ Petri essentialem repugnantiam, vt separetur à Petreitate; alioqui iam secundùm propriam quidditatem non foret ab intrinseco inseparabilis à Petreitate, quod tu ipse pugnare dicis cum identitate reali. At in naturâ Pauli talem repugnantiam non invenies, cum actualiter seorsùm fit à Petreitate. Iam ergo illa distinctio fundatur in vtriusque naturæ quidditate formali. Si enim alterâ sibi formaliter identificat repugnantiam, vt à Petreitate separetur, altera verò non repugnantiam; vnaquæque in suo esse formali rationem habent cur distinguantur repugnantia quippe, & non repugnantia respectu

cuius-

(d) *Num.* 160. *cit.* (e) *Disp.* 1. *Leg. num.* 63. & 84., & *Disp.* 6. *Metaph. num.* 101. & 212. & *sæpe alias.*

eiusdem, ex terminis distinguuntur.

16 *Arg.* 3.: Si animalitas & rationalitas distinguuntur ex naturâ rei, sequitur, similiter distingui rationalitatem à ratione differentiæ specificæ; at hoc est absurdum: ergo & illud. Minor conceditur ab Adversarijs, & facilè probari potest ex eo, quòd alioqui nunquam perveniretur ad aliquam formalitatem ex naturâ rei omninò simplicem; quæcumque enim assignetur, adhuc erit differentia, & talis differentia, proindeque novam adhuc distinctionem admittet, & sic in infinitum. *Prob. Mai.*: ideò animalitas & rationalitas distinguuntur ex naturâ rei, quia diversimodè definiuntur, & animalitati in quantum tali competit aliquid, quod rationalitati in quantum tali non competit, videlicet esse rationem conveniendi cum equo; hæc enim signa sunt distinctionis ex naturâ rei iuxtà Scotistas. Atqui eiusmodi signa reperiuntur pariter in rationalitate, & ratione differentiæ specificæ: ergo &c.

17 *Prob. Min.*: Differentia specifica definitur *formalitas contractiva generis*; rationalitas verò definitur *vis discurrendi*: quæ definitiones diversæ sunt, vt quisque videt. Item rationalitas, in quantum est differentia specifica, convenit cum rugibilitate, & cæteris specificis differentijs: at, in quantum est vis discurrendi, non ita convenit, sed differt potius à differentijs cæteris. Adsunt ergo prædicta signa. Idem argumentum fieri potest in qualibet formalitate quantumcumque simplici: nam, prout est formalitas, distinguenda erit à semetipsâ, prout est talis formalitas. Ipsa quoque Petri hæcceitas, quatenùs est individualis differentia naturæ humanæ, non erit formaliter ex naturâ rei eadem secum ipsâ, prout est Petreitas: nam etiam hìc ad indagandam distinctionem Scoticam procedere licet viâ definitionis, & viâ reduplicationis.

18 Urgetur: stante distinctione Scoticâ, rationalitas distingui debet formaliter ab eo, cui formaliter identificatur. Probatur absurda sequela: rationalitas formaliter identificat secum repugnantiam ad formalem identitatem sui cum animalitate, siquidem ex propriâ quidditate illam excludit: aliunde formaliter distingui debet ab eâ repugnantiâ. Probatur: quia rationalitas in eâ repugnantiâ similis est cæteris omnibus differentijs specificis, & numericis, cum tamen eisdem sit dissimilis, prout rationalitas est: aliter etiam definitur rationalitas vt talis, & aliter repugnantia ad formalem identitatem cum animalitate. Eâdem ratione probari potest, quòd rationalitas formaliter distinguitur ab ipsâmet identitate formali: nam formalis identitas definitur *indistinctio in plures quidditates*, seu *conceptibilitates obiectivas*; rationalitas verò definitur *vis discurrendi*: quæ definitiones valde diversæ sunt, & inconnexæ.

19 Dices ex Mastrio (f), non semper ex diversis definitionibus argui distinctionem ex naturâ rei; sed tunc solùm, quando definitiones traduntur per conceptus adæquatos, & non per ordinem ad operationes, aut alia connotata extrinseca, sed per essentialia. Sed *contrà* 1.: quando animal definitur *principium sentiendi*, & rationale *principium discurrendi*, definiuntur per ordinem ad operationes, vt est

(f) *Disp. 6. Metaph. n. 214.*

videas? & tamen per te hæc definitionum pluralitas arguit distinctionem ex naturâ rei. Imò vix pro hoc statu definitiones formare possumus, nisi per ordinem ad connotata extrinseca.

20 *Contrà* 2.: Si à Mastrio quæras, quomodò possit dignosci, definitiones tradi per conceptus adæquatos potiùs, quam per inadæquatos? vel tradi per essentialia potius, quàm per connotata extrinseca? Respondebit (g), signum sufficiens esse, quando ex pluribus definitionibus de eâdem re traditis vna potest alicui competere, cui nequit altera convenire; v. g. quia definitio animalis potest competere bruto, cui non convenit definitio rationalis, ideò ex vtrâque definitione arguitur, animal & rationale esse diversas formalitates in homine. Hucusque Mastrius. Subsumo: Sed definitio differentiæ specificæ competit alicui, cui non convenit definitio rationalitatis, nempe rugibilitati: definitio item differentiæ individualis competit alicui, cui non convenit definitio Petreitatis, videlicèt Paulcitati: ergo differentia specifica, & rationalitas erunt diversæ formalitates, sicut etiam differentia individualis & Petreitas: quod nec Adversarij admittunt, nec admitti potest sine formalitatum infinito processu. Idem argumentum vrget in exemplis n. 18.

21 *Arg.* 4.: vel rationale realiter absolutè & strictè est ratio assimilandi hominem equo ante operationem Intellectus? vel non est? Si primum eligas, ruit præcipuum fundamentum distinctionis Scoticæ inter animal & rationale, vt patebit cap. seq. Si secundum optes: ergo rationale realiter absolutè distinguitur à ratione assimilandi hominem equo: ergo datur in quovis homine mysterium æquè, vel magis arduum Mysterio Divinæ Trinitatis. *Prob. Conseq.*: arduitas Divini Mysterij consistit in eo, quòd Paternitas v. g. cum sit realiter indistincta ab essentiâ Dei, tamen realiter distinguatur à Filiatione, quæ realiter identificantur cum eâdem essentiâ; sive in eo, quòd Paternitas sit realiter essentia, & tamen non sit realiter quidquid est essentia. At etiam rationale Patri, cum sit realiter animal, tamen realiter distinguitur à ratione conveniendi cum equo, quæ ratio realiter identificatur cum eodem animali; proindeque rationale realiter est animal, & tamen realiter non est quidquid est illud ipsum animal: datur ergo in Petro, & quovis homine par mysterij arduitas; imò maior, cum in Petro non adsint relationes producentis & producti, quæ reperiuntur in Divinis.

(g) *Disp.* 8. *Metaph. n.* 214.

## CAP. III.

### *Argumenta Scotistarum soluta.*

1 OBJ. 1., & principaliter: animali & rationali hominis conveniunt à parte rei prædicata ex se contradictoria; sed talia prædicata convenire nequeunt, nisi inhæcdis verè distinctis ante operationem Intellectus, alioquin verificarentur simul affirmatio & negatio eiusdé de eodé, quod implicat: ergo inter animal & rationale hominis vera distinctio est operationem Intellectus antevertens; quæ, cum non sit strictè realis, erit formalis ex naturâ rei. *Prob. Mai.*: animal à parte rei est ratio assimilandi hominem equo; rationale verò non item, cum potius sit ratio

ratio differendi, ac dissimilandi: atqui esse, & non esse rationem assimilandi hominem equo, sunt prædicata ex se contradictoria: ergo &c. Hujus argumenti difficultas in varias solutiones distraxit Authores, ideòque ingeniorum crux appellatur. Sed in primis retorquenda est in Adversarios, & invictis instantijs excipienda; vt, quoniam nos crucem portamus, sic saltem Scotilla Cyrenæus.

2 Instatur 1.: rationale strictè realiter est ratio assimilandi hominem equo; sed simul strictè realiter non est ratio sic assimilandi, cum potiùs strictè realiter sit ratio differendi, aliàs homo in rationalitate non differret strictè realiter ab equo: ergo rationale simul est & non est strictè realiter ratio assimilandi hominem equo. Si Maiorem neges: ergo rationale distinguitur strictè realiter à ratione assimilandi, proindeque mysterium efficit abstrusius Diuinâ Trinitate, ex num. 21. cap. præced.; quam sequelam nemo non reputat absurdam. Si verò Maiorem, atque adeò totum Syllogismum concedas, quæro abs te, an illa sit vera prædicatorum contradictio. Si neges, id tibi dictum habe: si affirmes; ergo, cum sit contradictio prædicatorum strictè realium, & in sensu strictè reali procedat, requirit distinctionem subiectorum strictè realem, siquidem simul ponit esse & non esse eiusdem prædicati strictè realiter: ergo rationale, non solùm formaliter, sed realiter distinguetur à semetipso; quod apud omnes implicat omninò.

3 *Instatur 2.*: si distinctio Scotica sufficienter arguitur ex similitudine, & dissimilitudine, rationalitas, vt formaliter condistincta ab animalitate, novam in se distinctionem ex naturâ rei necessariò admittet: est etenim sin illis rugibilitati in ratione differentiæ specificæ; simulque dissimilis in ratione differentiæ humanæ, sive in ratione principij discurrendi. Imò nulla dabitur in homine formalitas ex natura rei perfectè simplex, ac proindè absurdissimè poni debent in individuo quovis infinitæ formalitates actu distinctæ. Ratio est: quia formalitas, quantumcumque simplex, necessariò erit vera formalitas, verè simplex, cognoscibilis, definibilis, distincta ab alijs; in quibus omnibus prædicaris assimilari debet cunctis formalitatibus simplicibus, quæ alibi reperiuntur: aliunde simul eisdem debet esse dissimilis in ratione talis formalitatis: erit ergo similis & non similis respectu eiusdem. Vel igitur eadem simplex formalitas potest sine contradictione simul esse similis & dissimilis alteri; vel formalitates eiusdem rei multiplicandæ sunt in infinitum.

4 Nec dicas cũ Adversarijs, aliquas esse formalitates, v. g. differentias numericas, quæ sunt primò diversæ, & se totis differunt, nullamque proinde similitudinem, aut conuenientiam habent, donec per Intellectum conceptibus inadæquatis confundantur. *Contrà* enim est, quod Petrum & Paulum esse à parte rei similes (sumitur in præsenti *similitudo* pro quàvis conuenientiâ, seu conformitate, etiam in substantiâ), est ita se habere, vt sint duo homines, sive vt de vtroque verificetur nomen homo, præbeque fundamentum, vt ab Intellectu confundantur sub conceptu *homo*. At etiam Petreitas & Paulcitas ita se habent à parte rei, vt sint duæ differentiæ in-

dividuales, & vt de vtràque verificetur nomen *hæceitas*, vel *differentia individualis*, præbentque fundamentum, vt ab Intellectu confundantur sub varijs conceptibus, v. g. *individuatio, formalitas, realitas, conceptibilitas*. Sunt ergo à parte rei verè similes; cum tamen simul sint dissimiles, vt fateris. Vel, si dicas, ante actum Intellectus non esse similes, nisi fundamentaliter & impropriè; cur mihi non liceat idem dicere de Petro & Paulo, vel de homine & equo?

5 Directè *ad Obiect. resp.* Esse aliquomodò simile, & aliquomodò dissimile alteri, nec involvit contradictionem, nec distinctionem arguit. Nam similitudo mixta dissimilitudini, est quid transcendens res, & formalitates omnes, quantumcumque simplices: qui Iquid enim habet verum esse, debet convenire cum alijs, saltem in ratione entis, aut realitatis; & simul ab ijsdem differre in esse talis. Hinc, vt communiter, & verè dicitur, impossibilis est omninò pura similitudo inter duo extrema positiva verè distincta, cui nulla dissimilitudo sit admixta: id quod cernere est in ipsis animalitatibus hominis & equi, quas tantopere assimilant Scotistæ: cum enim animalitas hominis exigat ratione sui non separari à rationalitate, quam exigentiam non habet animalitas equi, iam in hoc ipso dissimiles evadunt. Ratio autem, cur similitudo & dissimilitudo amico fœdere socientur, est, quia dissimilitudo nunquàm destruit id ipsum, quod similitudo adstruit in ijsdem extremis. Hoc vt explicem, in ipsâ objectionis materiâ doctrinam subijcio, quæ poterit materiæ cuilibet aptari.

6 Animal esse rationem assimilandi hominem equo, significat, vtrumque esse animal, sive esse duo animalia: rationale verò esse rationem dissimilandi hominem equo, significat, non esse duo rationalia, sive non vtrumque, sed solum hominem esse rationalem. Hæc est in locutionibus eiusmodi mens omnium, etiam Scotistarum, qui idcircò negant, rationale esse rationem assimilandi hominem equo, quia inde fieret, non solum hominem, sed etiam equum esse rationalem. At in his propositionibus, *Homo & equus sunt duo animalia, Homo, & non equus, est rationalis*, nulla contradictio est: nam secunda non negat de homine & equo animalitates, quas affirmat prima, sed de solo equo rationalitatem, quam prima in equo non adstruit; ac proinde non sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem, & secundùm idem, prout exigit contradictio. Pariter ergo nulla contradictio erit in his alijs sensu æquipollentibus, *Animal est ratio assimilandi hominem equo, Rationale est ratio dissimilandi*, vel *non est ratio assimilandi hominem equo.*

7 Hinc ad *Obiect. neg. Mai.* Ad *vrob.*, *concess. Mai.*, *dist. Min.*: si esse, & non esse rationem assimilandi, procedant in eodem sensu, *conc.*; si procedant in diverso sensu, vt reipsà procedunt iuxtà communem acceptionem, quoties ratio assimilandi asseritur sub nomine *animal*, & negatur sub nomine *rationale*, *neg. Min.* & *Consq.* Solutio patet ex dictis. Quodsi vtroque nomine, quidquid sit de acceptione communi, significetur obiectum, vt est à parte rei; negandum est pari-

ter,

ter, quòd à parte rei verificetur aliquid de animali hominis, quòd non verificetur de rationali, & è converso. Nam vtrumque à parte rei est ratio conveniendi cum equo, convenientiâ significante, hominem, & equum esse animalia: & vtrumque est ratio differendi, differentiâ significante, hominem & equum non esse duo rationalia: & in eodem sensu vtrumque est ratio assimilandi, & vtrumque non est ratio assimilandi, sed potiùs dissimilandi.

8 *Replic.* 1.: ergo homo verè dici poterit equo similis in rationalitate, sicut verè dicitur equo similis in animalitate. Absolutè neganda est Consequentia: quia modus ille loquendi iuxtà communem acceptionem denotat, existere rationalitatem, non solùm hominis, sed etiam equi: quâ de causâ absurdè diceres, formicam esse Deo similem in omnipotentiâ, licèt sit aliquomodò similis ipsi omnipotentiæ in ratione entis. Vel quære ab Scotistis, an ea sequela vera sit in sensu strictè reali? Si tamen præscindatur à communi acceptione, *dist. Conseq.*: homo dici poterit equo similis in rationalitate, præcisâ per Intellectum, *neg.*; realiter sumptâ, *sul dist.*: similitudine, quâ vterque sit animal, *conc.*; similitudine, quâ sit vterque rationalis, *neg. Conseq.*. Eodem modo distingui debet hæc alia propositio, *Homo est dissimilis equo in animalitate.* Cum enim à parte rei rationale verè sit animal, verè fundat inter hominem & equum similitudinem, quâ vterque sit animal; & ipsum animal hominis, quia verè rationale est, verè fundat dissimilitudinem inter hominem & equum, quâ non vterque sit rationalis.

9 *Replic.* 2.: nequit idem extremum esse simul æquale, & inæquale alteri: ergo nec simul alteri simile, & dissimile: ergo si animal est equo simile, & rationale dissimile, animal & rationale non est idem extremum. Iste: æqualitas, & inæqualitas respectu eiusdem, postulant distinctionem subiectorum strictè realem, vt est certum: ergo parem distinctionem postulant similitudo, & dissimilitudo; quod tamen Scotistæ negant. Quare *conc. Antec.*, *dist. Conseq.*; si accipiantur simile & dissimile in eodem sensu, *conc.*; si in diverso sensu, *neg. Conseq.* Æqualitas iuxtà communem intelligentiam consistit in indivisibili, in eo scilicet, quòd alterum extremum nihil plus, nihil minus habeat, quàm alterum, sed præcisè tantundem; ideòque per quamvis inæqualitatem immediatè destruitur. At similitudo, & paritur magis, & minus, iuxtà omnes; & in vario genere, multiplicique sensu accipitur: quare poterit admixtam habere dissimilitudinem. Adde quòd, si æqualitas & inæqualitas ex diverso capite sumantur, altera v.g. penès longitudinem, altera penès latitudinem, in eodem subiecto cohærere possunt.

10 *Replic.* 3.: Petrus à parte rei similior est Paulo, quàm equo: ergo est similis Paulo in pluribus formalitatibus; proindeque datur in Petro aliqua formalitas, in quâ non sit equo similis. Vel aliter infertur: ergo Petrus non est similis equo secundùm se totum; aliter quomodò posset esse magis similis Paulo? Datur ergo in Petro realitas aliqua, quæ nullatenùs sit equo similis. Iste: Petrus strictè realiter est similior Paulo, quàm equo: ergo non est similis equo secundùm totum suum esse strictè reale; in quo proindè ex-

cipi debeat, non solùm realitas, sed res non similis. Iterùm instò: Petreitas similior est Pauleitati, quàm Bucephaleitati: ergo est Pauleitati similis in pluribus formalitatibus: ergo non est Bucephaleitati similis secundùm se totam. Itaque, *concess. Antec.*, *dist. Conseq.*: in pluribus formalitatibus, quæ sint plures per Intellectum, *conc.*; quæ sint plures à parte rei, *neg. Conseq.* In alterâ illatione *dist.* 1. *Conseq.*: similitudine connotante, vtrumque esse rationalem, *conc.*; similitudine connotante, vtrumque esse animal, *neg.* 1. & 2. *Conseq.*

11 In Petro à parte rei nulla est pluralitas formalitatum, sed vnica essentia indivisibilis, quæ tota est magis similis Paulo, quàm equo; & tota etiam minùs similis equo, quàm Paulo. Nulla in his contradictio: quia similitudines Petri ad Paulum, & Petri ad equum, licèt idem subiectum, seu fundamentum habeant, includunt tamen, vel connotant diversos terminos; & ratione ipsorum diversum efficiunt sensum, potestque altera maior, altera minor esse respectu alterius: non enim hæc maioritas, aut minoritas in solo Petro consistit, sed hinc in Petro cum Paulo, inde in Petro cum equo. Similitudo autem non dicitur maior, aut minor, ex solâ quantitate perfectionis extremorum entitativæ (alioquin Petrus & Angelus similiores essent, quàm Petrus, & Paulus), sed potiùs ex certâ ipsorum indole, quæ fundet plures, aut pauciores conceptus, quibus ab Intellectu nostro confundantur, aut vnivocentur eadem extrema. Unde, quia Petrus & Paulus ita se habent à parte rei, vt fundamentum præbeant Intellectui ad vnivocandum vtrumque, non solùm sub conceptibus generícis (ad quos dumtaxat fundamentum præbent Petrus & equus), sed etiam sub infimo conceptu specifico, vel differentiali, nempe *homo*, aut *rationale*; idcircò à parte rei similitudo Petri ad Paulum dicitur maior, quàm Petri ad equum. Id tamen fundamentum vtrobique præbet tota entitas Petri, licèt non sola, sed simul cum termino, cui confertur.

12 *Replic.* 4.: si totus Petrus est similis & dissimilis Paulo, & totus etiam similis & dissimilis equo; sequitur 1., quòd dissimilitudo Petri ad Paulum est maior, quàm dissimilitudo Petri ad equum. *Prob.*: similitudo Petri ad Paulum est maior, quam similitudo Petri ad equum; sed vtraque similitudo est indivisibiliter dissimilitudo: ergo etiam dissimilitudo Petri ad Paulum debet esse maior, quàm dissimilitudo Petri ad equum: vbi enim similitudo, & dissimilitudo sunt vnum & idem, pari passu crescere debent. Sequitur 2., quòd Petrus & Paulus non magis inter se sunt similes, quàm dissimiles: cum enim similitudo & dissimilitudo vnius ad alterum identificentur omninò, tam ex parte fundamenti, quàm ex parte termini, repugnat alteram esse maiorem, aut minorem alterâ. Quæ ratio probat etiam, Petrum non esse magis dissimilem Deo, quàm similem. Verùm hæc difficultas eâdem vi premit Adversarios, tum si accipiatur similitudo in sensu strictè reali, tum etiam si applicetur ad Petreitatem comparatam cum Pauleitate, & Bucephaleitate.

13 Ex num. 11. *resp.*: sicut similitudo non dicitur maior, aut minor, nisi per ordinem ad plures, vel

vel pauciores conceptus vnivocos, aut confusivos, quos fundat; ita dissimilitudo, non nisi per ordinem ad conceptus discretivos, quos fundat, & connotat. Unde, quia Petrus, & Paulus à parte rei non præbent fundamentum, nisi ad conceptus discretivos individuales; Petrus autem & equus, etiam ad specificos; ideò dissimilitudo Petri ad Paulum dicitur minor, quàm Petri ad equum. Item, quia Petrus & Paulus fundant inter se plures conceptus vnivocos, quàm discretivos; ideò dicuntur magis inter se similes, quàm dissimiles. Quare *neg.* 1. *sequel.* Ad *prob.*, *conceff. Mai. disting. Min.*: vtraque similitudo est indivisibiliter dissimilitudo, quæ sit diversi sensus, seu quæ non destruat id ipsum, quod similitudo astruit, *conc.*; quæ sit eiusdem sensus, seu quæ destruat illud ipsum, quod astruit similitudo, *neg. Min.* & *Conseq.*; quin obstet adiuncta probatio, vt mox dicam.

14 Nego pariter 2. sequelam cum probatione subiunctâ. Nam, quando proceditur diverso sensu, minoritas applicata dissimilitudini, non opponitur maioritati similitudinis, etiamsi penitùs identificentur. Quod vt capias, evolve sensum locutionum. Hæc locutio, *Petrus est dissimilis Paulo*, eatenùs vera est, quatenùs ita exponitur, *Petrus in se habet esse Petrum, quod non habet Paulus.* Hæc verò, *Petrus est similis Paulo*, vera est dumtaxat hoc sensu, *Petrus est homo, sicut etiam Paulus.* Iam vides, quòd prior locutio non destruit, quod astruit posterior; quia prior solùm negat in Paulo *esse Petrum*, cum posterior solùm astruat in eodem Paulo *esse hominem*: in Paulo autem *esse Petrum*, & *esse hominem*, sunt obiecta valde diversa, cum alterum sit impossibile, alterum possibile.

15 Pergo ex doctrinâ n. 13. Locutio hæc, *Dissimilitudo Petri ad Paulum est minor, quàm similitudo vtriusque*, vera non est, nisi dum sic exponitur, *Petrus cum Paulo non totidem fundat conceptus discretivos, quot fundat vnivocos, aut confusivos vtriusque.* In hoc autem nulla oppositio, vel distinctionis in Petro necessitas. Quid enim prohibet, vnam & eamdem entitatem à parte rei fundare conceptus vnius lineæ plures, & alterius lineæ pauciores? Non ergo prædicta maioritas, & minoritas pugnant inter se, quamvis de vnico subiecto affirmentur. Unde, cum dicitur, quòd similitudo & dissimilitudo, si sunt vnum & idem, pari passu crescere debent, verum est de eodem genere incrementi, falsum de genere diverso. Ideò est, sicut similitudo est maior, non in quovis genere, sed in genere similitudinis, vel fundamenti ad conceptus vnivocos; ita dissimilitudo ipsi identificata, est maior in eodem genere, cum verè sit maior similitudo, maiusque fundamentum ad conceptus vnivocos. Pariter è converso, sicut dissimilitudo est minor in genere dissimilitudinis, vel fundamenti ad conceptus discretivos; ita similitudo est minor in eodem genere, & sub ijsdem terminis. Quare nihil à parte rei verificatur de alterâ, quod sub eisdem terminis, non conveniat alteri.

16 Iam reliquæ Obiectiones faciliùs expediuntur. *Obijc.* 2.: animali & rationali diversæ definitiones correspondent, videlicet, *Principium sentiendi*, *Principium discurrendi*: ergo etiam diversæ quidditates; nam definitio, & quidditas

convertuntur. Hanc obiectionem retorsimus in Adversarios, *cap. præced.*; vbi constitit, diversitatem definitionum in formalitate omninò simplici reperiri posse; præsertim, cum Adversarij ad suam distinctionem formalem non exigant diversas definitiones propriè dictas (a), quæ scilicet importent genus & differentiam (tales quippe definitiones non conveniunt formalitatibus, sed essentijs realiter distinctis, vt ipsi dicunt); sed contenti sint definitionibus improprijs, quæ traduntur per conceptus aliquos expressiores. Certè in hoc sensu Petreitas, & Differentia individualis, diversis definitionibus explicantur: & tamen Petreitas est indistincta formaliter ex naturâ rei à differentiâ individuali. Similiter ens, & alia prædicata transcendentia, distinctos habent conceptus obiectivos, distinctasque rationes formales, vt fatetur Mastrius (b); & tamen, vt ipse ait, non sunt formalitates ex naturâ rei distinctæ ab inferioribus.

27 Itaque diversitas definitionum tunc solùm arguit diversas à parte rei quidditates, cum definitiones sunt obiecto adæquatæ, ideſt, cum explicant sine præcisione Intellectus quidditatem realem obiecti; minimè verò, cùm sunt inadæquatæ, ideſt, præcisivæ, quæ distinctionem rationis inter formalitates obiecti supponunt, & important. Tales autem sunt, quas obiectio allegat: nam prima explicat hominem, prout expressum conceptu *animal*; secunda eumdem hominem, prout expressum conceptu *rationale*; qui conceptus inadæquati sunt, & præcisivi, faciuntque exercitè distinctionem rationis, vt suo loco explicabitur. Quare definitiones illæ distinctionem rationis per hos conceptus factam supponunt; imò & exercitè faciunt, cum ipsæmet sint expressiones inadæquatæ, & præcisivæ. In formâ, *dist. Antec.*: diversæ definitiones adæquatæ, *neg.*; inadæquatæ, seu præcisivæ, *conc. Antec.*. Tum *dist. Conseq.*: diversæ quidditates, diversitate rationis, sive intentionali, *conc.*; diversitate ex naturâ rei citrà rationis opus, *neg. Conseq.*. Quod additur, verum est proportione servatâ: vt scilicet definitio adæquata & adæquata quidditas convertantur, atque etiam definitio præcisiva & quidditas prout præcisa.

28 *Replic.*: ergo saltem definitio adæquata arguit distinctionem ex naturâ rei ab omni eo, quod per illam non exprimitur: ergo, cum hæc definitio, *Animal rationale*, sit iuxtà omnes adæquata naturæ humanæ, & aliunde non exprimat hæceitates; debet arguere distinctionem ex naturâ rei inter naturam & hæceitatem. Sed verò, cur non arguit distinctionem realem? cum sit definitio propriè dicta, proindeque iuxtà Adversarios conveniens rebus, & non formalitatibus, vt notavimus num. 17? *Dist.* igitur 1. *Conseq.*: definitio adæquata arguit &c., in eo sensu, in quo est adæquata, *conc.*; in eo sensu, in quo non est adæquata, *neg. Conseq.* Ad alteram illationem *resp.*: definitio, *Animal rationale*, solùm est adæquata adæquatione scientificâ, ideſt, exactâ ab scientijs, quæ de hæceitatibus non curant, sed eas pro nihilo habent: & in hoc sensu distinctionem realem arguit ab omni eo, quod per ipsam non exprimitur, si in consideratione scientificâ sit aliquid, v.g. à rugibili, hinnibili &c. At non est adæquata naturæ humanæ Petri, vel alius ho-

(a) *Vid. Mastrium disp. 6. Metaph. n. 214.* (b) *Ibi n. 162.*

hóminis, adæquatione realitatis physicæ; sed est potiùs in hoc sensu verè præcisiva, cum non exprimat *esse Petrum*, quod à parte rei est idem cum animali rationali.

19 *Obsc. 2.*: vbi datur compositio, datur distinctio partium; sed à parte rei datur in homine compositio metaphysica animalis & rationalis: ergo &c. *Neg. Min.*: quia compositio metaphysica est opus solius rationis præscindentis animal à rationali. Et quia animal à differentijs præcisum, consideratur vt indifferens ad plures species, & per rationale determinatur ad speciem humanam; ideò animal concipitur instar materiæ determinabilis, & rationale instar formæ determinantis; & ex vtroque resultat compositio quædam metaphoricè similis compositioni physicæ ex materiâ & formâ. Hinc locutiones quædam satis frequentes, quæ indicant, rationale, vel animal, esse partem essentiæ hominis, aut ex vtroque fieri pluralitatem aliquam, v.g. *Homo constituitur ex animali & rationali*, *Animal includitur in homine*, & aliæ huiusmodi; si procedant in sensu reali, sunt in rigore falsæ; quia nec rationale constituit hominem, nec in eo includitur, sed est ipsemet homo. Admittuntur tamen absolutè; quia ad modum nostrum concipiendi, & distinctionem rationis alludunt; vel etiam quia in sensu improprio vsurpantur.

20 *Replic.*: rationale à parte rei non est tota hominis essentia; alioquin satis definiretur homo per rationale: ergo dumtaxat est pars essentiæ hominis. *Confirm.*: in sensu reali vera non est hæc propositio, *Homo solùm est animal*: ergo homo à parte rei, aliquid aliud est præter animal: ergo datur in homine aliud, & aliud, atque adeò pluralitas prædicatorum in sensu reali. *Ad Replic. neg. Antec.*: quia rationale realiter acceptum, est totus homo, cuius omnia prædicata secùm identificata non aliter, ac vis iudicativa est à parte rei totus Intellectus, licèt in sensu logico & precisivo constet Intellectus tribus quasi partibus, nempe vi iudicativâ, apprehensivâ, discursivâ, in quibus nulla est distinctio ex naturâ rei, iuxtà Adversarios (c). Neque hinc sequitur, hominem satis definiri hac expressione *rationale*; sicut non satis definitur Intellectus hac expressione *vis iudicandi*, nec Petreitas hac expressione *differentia individualis*. Ratio est: tum quia conceptus definitivus debet esse adeò perspicuus, vt ex vi illius expressè pateat, hominem differre, & convenire cum alijs: tum quia rationale per eam expressionem exercitè præscinditur ab animali, quod proinde saltem ex parte actus omittitur, cum non debeat omittì.

21 *Ad Confirm. conceff. Antec., dist.* 1. *Conseq.*: est aliquid aliud, præter animal solum, ideſt, non identificatum cum rationali, vel *conc. Conseq.*, si ly *præter* non supponat, tale animal à rationali distinctum reperiri in homine; vel si hoc supponat, *neg.* suppositum: est aliquid aliud, præter animal non solum, ideſt, non distinctum à rationali, *neg.* 1. & 2. *Conseq.* Itaque falsò dicitur, etiam in sensu reali, *Homo solùm est animal*: quia ly *solùm* indicat, animal hominis non esse rationale. E contrà, verè dicitur, *Homo non solùm est animal, sed animal rationale*; quo denotatur, hominem non esse animal à rationali separa-

(c) *Vid. Mastr. disp. 6. Metaph. num. 134. & sæpe alibi.*

cum, distinctumve, sed esse animal, quod est rationale. Si tamen ea locutio, *Homo solùm est animal*, reddat hunc sensum, *Homo non est aliquid non animal*, seu *quod non sit animal*, erit omninò vera; quia à parte rei quidquid est homo, est animal. Tum quære ab Scotistis, an verè dicatur, *Homo strictè realiter solùm est animal*, vel *strictè realiter est aliquid aliud præter animal*? item, an verum sit, quòd Intellectus à parte rei *solùm est vis iudicativa*? vel, quòd Petreitas *solùm est differentia præscindens à talitate*?

22 *Obiic.* 4.: hæcceitas est extrà essentiam hominis, ideòque non ingreditur definitionem hominis essentialem: ergo ab essentiâ distinguitur ex naturâ rei. *Confirm.* 1.: natura humana à parte rei non est essentialiter singularis; aliàs foret essentialiter vnica & immultiplicabilis, sicut natura Divina: ergo distinguitur essentialiter à singularitate. *Confirm.* 2.: Petrus & Paulus, cum sint eiusdem speciei, non distinguuntur in essentiâ, sicut homo & equus; sed distinguuntur in hæcceitatibus: ergo hæcceitas & essentia non sunt omninò idem. *Resp.* Hæcceitas est extra essentiam metaphysicâ, nō verò extrà essentiâ physicâ, sive in statu reali acceptâ. Nomine *essentiæ metaphysicæ* intelligātur prædicata, quæ sub nostris conceptibus inadęquatis apparēt præcipua, & nobiliora, quorum è numero non est hæcceitas, vtpote quæ ab scientijs parvipenditur, ideòque non ingreditur proprio sub nomine definitionem essentialem. Hic tamen ordo, & diversitas prædicatorum, quæ sint magis aut minùs præcipua, digniaque, vt ab scientijs magis aut minùs æst mentur; nōn reperitur in statu reali, in quo non est nisi vnica entitas indivisibilis.

23 *Ad* 1. *Confirm.* Naturam *esse essentialiter singularem*, potest intelligi trifariam. 1: ita vt natura sit impręscindibilis à singularitate, perfectâ præcisione rationis. 2: ita vt non possit admittere aliam sibi similem, aut æqualem. Utroque sensu sola natura Divina est essentialiter singularis, eo quòd sit illimitata, & simpliciter infinitè perfecta in omni lineâ. 3: ita vt nullatenùs à parte rei distinguatur à singularitate: & hoc tantùm sensu concedimus, naturam humanam, quæ existit à parte rei in Petro, & quæ in alio quovis individuo, esse essentialiter singularem, ex quo nullum absurdum: non enim erit ideò natura immultiplicabilis, sicut Divina, cum non excludat coexistentiam, aut possibilitatem plurium similium cum solâ diversitate numericâ.

24 *Ad* 2. Petrus & Paulus propriè sunt eiusdem speciei, & eiusdem essentiæ, quæ sit eadem in statu præcisionis; minimè verò in statu reali, in quo certè nulla est Petri & Pauli vera & propria identitas in essentiâ; alioquin daretur passim eadem essentia in pluribus Personis instar inimitabilis Mysterij Trinitatis. Quare, dum in sensu reali Petrus dicitur esse *eiusdem* speciei cum Paulo, & minùs *distingui* à Paulo, quàm ab equo; sermo est de identitate & distinctione purè fundamentalibus, ideſt, de similitudine, & diversitate, quæ fundamentum præbent, vt Petrus cum Paulo potiùs, quàm cum equo, adunetur per Intellectum in eamdem rationem specificam. Hæc tamen similitudo, vel diversitas, à parte rei tam convenit hæcceitati, quàm naturæ,

vt

vt constat ex solutione primæ objectionis.

25 *Objic. 4.*: in actu supernaturali, Fidei v.g., distinguuntur ex naturâ rei vitalitas, & supernaturalitas; & tamen strictè realiter identificantur: ergo &c.. *Prob. Mai.*: quia supernaturalitas actus exigit principium supernaturale, quod non exigit vitalitas. Ad *prob.*: vitalitas vt [illegible] præcisa per Intellectum [illegible]turalibus & supernaturalibus non exigit principium supernaturale: at vitalitas determinatè existens in actu Fidei, exigit supernaturale principium, non minùs quàm eiusdem actus supernaturalitas, à quâ reipsâ non distinguitur. Quare totus actus oritur à principio vitali, & totus à principio supernaturali, non totalitate caulæ, sed totalitate effectus, vt alibi explicabitur. Cum autem dicimus, *Actus Fidei, quia vitalis, non petit supernaturale principium*, non loquimur de vitalitate illius actus, prout est à parte rei (sic enim falsa locutio foret), sed de vitalitate vt præcisâ per rationem.

26 *Objic. 5.*: multotiès plures perfectiones, quæ in rebus inferioribus sunt dispersæ, reperiuntur vnitæ realiter in aliquâ re superiori ob eius eminentiam, v. g. in Deo iustitia, misericordia &c., & in homine vita vegetativa, & sensitiva, quæ in brutis, & plantis realiter distinguuntur: ergo in Deo, vel homine, existit actualiter ex naturâ rei multiplex perfectio: multiplicitas autem sine distinctione non est. *Dist. Conseq.*: existit multiplex perfectio, quæ sit multiplex ratione nostrâ, *conc.*; quæ sit multiplex à parte rei, *subdist.*: multiplex actualiter, *neg.*; multiplex fundamentaliter, aut æquivalenter, quatenùs est vnica perfectio æquivalens pluribus alibi distinctis, ideòque fundamentum præbet, vt per rationem dividatur in plures, *conc. Conseq.*

27 *Replic.*: perfectiones illæ sunt in Deo & homine formaliter, & non purè virtualiter, aut eminenter; sed eo modo distinguuntur, quo sunt, nam vnitas, & distinctio sequitur ad esse: ergo sunt distinctæ formaliter. Insto: perfectiones illæ sunt in Deo & homine realiter: ergo sunt ibi realiter distinctæ, siquidem distinguuntur eo modo, quo sunt. Deinde, *conc. Mai.*: quia adverbium *formaliter* (quod varias admodùm acceptiones habet), dum contraponitur adverbijs *virtualiter*, & *eminenter*, idem sonat, ac *verè & propriè*, seu *non metaphoricè*: Deus autem verè & propriè iustus ac misericors est, & homo verè & propriè vegetativus ac sensitivus. Sed *dist. Min.*: eo modo, quo sunt, distinguuntur ab omni, quod non sunt, *conc.*; distinguuntur inter se, *neg. Min. & Conseq.*. Sequitur quidem distinctio ad esse, sed distinctio ab omni eo, quod non habet idem esse. At vnde probas, quòd in Deo, vel in homine, perfectiones illæ non habent idem esse? Dices: non habent idem esse formale, aliàs iustitia foret formalissimè misericordia. *Contrà*: esse formale à parte rei idem omninò est, ac esse reale verum, proprium, & actuale; quo sensu iustitia Dei est misericordia formalissimè, ideò, verissimè. Si tamen hi termini, *esse formale*, *formalissimè*, alludant, vt solent, ad statum intentionalem præcisivum; verum asseres: sed quid inde?

28 Alias objectiones, quæ hùc afferri possent, diluemus in sequentibus, maximè circa distinctionem

nem virtualem, & præcisionem objectivam, quarum fundamenta pleraque militant pariter pro distinctione Scoticâ, vt etiam è converso. Interim observa, Locutiones inventas pro statu intentionali præcisivo, dum transferuntur ad statum realem, rejiciendas esse: has v.g. *Animal est contrahibile, rationale est contrahens; Animal est genus, homo est species, est natura communis, indifferens, communicabilis pluribus*, & similes alias. Omnes quippe denominationes huiusmodi proveniunt ab actu rationis præscindente animal à rationali & irrationali, & naturam humanam ab individuis. Nam à parte rei non est nisi multiplex natura determinata, & expers indifferentiæ, seu communitatis; nec animal hominis est animal equi, sed aliud se toto diversum, quamvis etiam se toto simile in diversâ lineâ. Unde, cùm Scotista comparat animal cum rationali, cogendus est, vt loquatur, non de animali *vt sic*, vel indeterminato, sed de animali, quod est in homine à parte rei. Si verò reduplicatione vtatur, sic v.g. *animal quatenùs*, vel *in quantum animal* &c., negandum est suppositum in sensu reali: nulla enim reduplicatio est à parte rei, sed omnis involvit actum rationis præscindentem vnum prædicatum ab alio.

## CAP. IV.

### *Proponitur, & impugnatur Distinctio virtualis intrinseca.*

1 TUnc vnum dicitur esse virtualiter aliud, cum illi æquivalet in ordine ad munus aliquod. Unde virtualis Distinctio idem est, ac æquivalentia distinctionis: & tunc adest, quando vna & eadem res æquivalet multis actu distinctis. Hæc autem æquivalentia, atque adeò virtualis distinctio, potest esse primò *in causando*, quando res vnica præstat effectus, qui præstari solent à multis. Secundò *in essendo*, quando res vna secum identificat perfectiones, quæ alibi multiplicatæ reperiuntur. Utriusque exemplum apparet in homine, qui cum Angelis intelligit, sentit cum brutis, vegetat [illegible], & in se perfectiones [illegible] effectibus hisce respon[illegible]ò *in fundando diversitatem [illegible]rium*, quando res indivisa realiter, fundamentum præbet, vt per conceptus inadæquatos dividatur, & menti appareat quasi multiplex. Et hæc vocari solet distinctio rationis fundamentalis, atque etiam distinctio virtualis extrinseca, sive mediata: quia mediâ distinctione rationis, quâ fundat, verificare potest extrinseca prædicata intentionalia apparenter opposita. In hac triplici acceptione dari Distinctionem virtualem in rebus, extra dubium est.

2 Quartò denique Distinctio virtualis accipitur pro æquivalentiâ distinctionis realis in ordine ad suscipienda prædicata ex se contradictoria intrinseca, citrà omnem operationem Intellectus. Super hac Distinctione præsens controversia movetur. Docent autem eius Authores, inter prædicata, quæ sunt realiter idem, v.g. inter rationale & animal hominis, nullam dari distinctionem actualem ex naturâ rei, sive ante operationem Intellectus; protestanturque, se vehementer abhorrere à distinctione Scoticâ. Adstruunt igitur ipsi, non distinctionem, sed æquivalentiam distinctionis, ideſt, virtutem & capacitatem sine contradictione suscipiendi prædicata ex se contradictoria, perinde ac si reverâ distinctio realis adesset: ita vt, quem-

ad-

admodùm realis distinctio subiectorum efficit, vt prædicata ex se contradictoria simul verificentur sine contradictione, vt cum dicitur, *Homo cogitat, Lapis non cogitat*; sic distinctio virtualis similem præstet effectum circà subiectum realiter idem. Quamvis enim, inquiunt, animal & rationale à parte rei nullatenùs distinguantur verè & propriè, sed sint vnum & eadem tam realiter, quàm formaliter ex natura rei; adest tamen inibi realis capacitas, vt animal hominis dicatur *simile equo*, & rationale *non simile*, perinde ac si forent duo extrema propriè distincta.

3 Hinc Distinctio virtualis, & formalis Scotica, ex parte differunt, & ex parte conveniunt. Differunt in eo, quòd Distinctio Scotica est actualis, efficitque, vt rationale & animal hominis sint actualiter à parte rei, non vna, sed duplex formalitas: cum tamen Distinctio virtualis non nisi vnam & eamdem à parte rei, seu rem, seu formalitatem admittat. Conveniunt autem in eo, quod vtraque deservit, vt de eodem realiter extremo verificentur prædicata intrinseca ex se contradictoria. Quare Distinctio virtualis intrinseca definiri solet *Capacitas intrinseca vnius rei, antevertens operationem Intellectus, ad suscipienda sine contradictione prædicata intrinseca ex se contradictoria.* An Distinctio eiusmodi admittenda sit in Divinâ Trinitate inter Essentiam & Relationes, Theologi disputant, nec vna est omnium sententia. Modò, quod nostri muneris est, an detur in creatis, inquirimus?

4 Et dari quidem asserunt plures Authores, præsertim Thomistæ, quos latè recenset P. Lynce: & quamquam Thomistas explicet M. Baiona, quasi locutos de sola distinctione rationis fundamentali; non tamen apparet, quomodò sine virtuali distinctione intrinsecâ stare possint plures doctrinæ Thomisticæ in Philosophicis, & Theologicis, v.g. Quod actio, quâ Deus concurrit cum creaturâ, producat realiter entitatem physicam actus peccati, & non producat realiter malitiam formalem identificatam realiter cum entitate. Vid. P. Peinado disp. 1. de Universal. nu. 18. Indubitatus huius sententiæ patronus, imò & pater, & præcipuus illustrator, est noster Lynceus lib. 2. Metaph. toto tract. 4. Sed negativa sententia communis est in Schola nostrâ, & eam se probare profitentur Thomistæ Recentiores, Colleg. S. Thomæ, Palanco, Gabr. à Concept., & Aguilera. Nobis etiam tenenda est; &—

5 *Prob.* 1.: implicat, eamdem entitatem identificari simul & non identificari realiter cum eodem extremo; sed hoc contingeret, si verificarentur prædicata intrinseca ex se contradictoria de eâdem entitate: ergo implicat, talia prædicata de eâdem entitate verificari: ergo & implicat distinctio virtualis intrinseca. Utraque Consequentia constat, & Maior est evidens. *Prob. Min.*; & loquamur exempl. g. de his propositionibus, *Animal hominis à parte rei est ratio assimilandi hominem equo, Rationale à parte rei non est ratio assimilandi*, vbi subiectum veriusque est realiter eadem entitas, iuxtà Adversarios. In primis prior propositio verificari nequit, quin subiectum realiter identificetur cum ratione assimilandi, vt certum est omnibus: aliunde posterior verificari non potest, quin subiectum realiter distinguatur ab eâdem ratione assimilandi, adeoque realiter non identificetur

tur cum ipsâ : ergo contingeret, vnam & eamdem entitatem realiter identificari simul & non identificari cum eodem extremo, si verificarentur prædicata &c.

6 *Prob. Min.* : nequit ea propositio verificari, quin subiectum à parte rei verè non sit ratio alsimilandi ; si enim verè est ratio talis, quomodò verè dicetur non esse? Certè, *Ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*, vt ait Aristoteles receptus ab omnibus. Sed, si verè non est à parte rei ratio alsimilandi, verè ab eâ distinguitur à parte rei : ergo &c. Minor, in quâ solâ cavillari quis posset, videtur evidens. Quid enim evidentius, quàm vnum ab alio verè distingui in eo statu, in quo vnum verè non est aliud ? Vel cur homo verè à parte rei distinguitur ab equo, nisi quia verè à parte rei non est equus? Certè, sicut vnum verè esse aliud, probat identitatem ; ita vnum verè non esse aliud, probat distinctionem : ergo, sicut vnum verè esse aliud à parte rei, probat identitatem actualem ; ita vnum verè à parte rei non esse aliud, probat actualem distinctionem à parte rei, quæ actualis distinctio nequit non esse realis, iuxtà Virtualistas. Et hinc deducitur idem absurdum, quod contrà Scotistas latulimus cap. 2. n. 21., nempè mysterium, quo rationale verè sit animal, & tamen verè distinguatur ab aliquo, à quo animal non distinguatur, nempe à ratione alsimilandi hominem equo.

7 *Confirm.* : implicat verificari simul *esse* & *non esse*, ni si de subiectis verè & propriè distinctis : ergo & implicat simul verificari *esse* & *non esse tale*, ( v. g. fundamentorum similitudinis ), nisi de subiectis, quæ verè & propriè distinguantur : ergo, vel rationale & animal verè & propriè distinguuntur à parte rei, quod Virtualistæ negant ; vel de ipsis non verificatur simul esse & non esse rationem alsimilandi. *Prob.* 1. *Conseq.* : quia principium illud per se notum, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, non tantùm loquitur de *esse* & *non esse absolute*, sed etiam de *esse* & *non esse tale*; contradictoriasque propositiones contradictorias, non tantum de secundo adiacente, sed etiam de tertio : ideòque ex eo principio convincitur, tam non posse verificari simul has propositiones, *Petrus est albus, Petrus nō est albus*, quā hasce, *Petrus est, Petrus non est*; quia scilicet in veritq; immediatè negatur illud ipsū *esse absolute*, vel *esse tale*, quod simul affirmatur de eodem subiecto : id quod fieri non potest, quia subiectum simul sit, & non sit illud ipsum, quod est.

8 Dices 1. ex Lynceo nostro. Veritas propositionis negativæ non semper arguit distinctionem subiecti à prædicato, vt patet in his, *Existentia Antichristi non existit*, *Divina Paternitas non communicatur Filio*. Sed *contrà* 1. : vtraque propositio, quam obijcis, est de prædicato adiectivo, & in concreto ; quod genus prædicati, vt notavimus cap. 1., non assumitur à nobis vt signum evidens distinctionis. At nunc arguimus ex negatione prædicati substantivi, & in abstracto tumpti, quale est illud *ratio alsimilandi* ; vel quando in actu contritionis verè dicitur, vt contendis, *Amor non est odium*. Quare, sicut iuxta Adversarios non verè dicitur, *Existentia Antichristi non est existentia*, quia scilicet prædicatum sumitur substantivè, & non distinguitur à subiecto ; ita in re nostrà contingit.

Con-

9 *Contrà* 2.: ambæ propositiones objectæ probant distinctionem aliquam realem: nam prior supponit distinctionem negativam, quam explicuimus cap. 1., sumptam scilicet pro carentia identitatis actu exercitæ, vi cuius verè etiam dicitur, *Antichristus absolutè & exercitè non est homo, non est ens* &c.: posterior autem arguit distinctionem realem mediatam, sivè in tertio: nam Pater distinguitur realiter à Filio, à quo realiter non distinguitur essentia. At neutra distinctio admitti potest in casu nostro, vt Adversarij non dubitant. Unde retorquentur exempla: quia neutra propositio verificari potest per solam distinctionem virtualem: non prima: quia existentia Antichristi certè non distinguitur virtualiter ab *ipso existere*. Non secunda: quia nullus Theologus teneretur eam concedere, nisi Fides cogeret admittere Paternitatis & Essentiæ distinctionem realem in tertio; quæ distinctio in creatis vel apud Lynceum ipsum repugnat. Pariter ergo propositio illa, *Rationale non est ratio assimilandi*, & cæteræ, de quibus est quæstio, per solam distinctionem virtualem verificari non poterunt.

10 Dices 2.: verum est, quòd *simul esse & non esse tale* verificari nequit de subiecto prorsùs eodem: cæterùm rationale & animal non est subiectum omninò idem, sed est virtualiter duplex. *Contrà* 1.: distinctio virtualis, vt passim repetit Lynceus, non est vera & propria distinctio, sed impropria, & potiùs distinctionis vmbra; nec aliter discerni potest à distinctione Scoticâ: ergo non efficit, vt subiectum sit vere & propriè duplex, sed illud relinquit verè & propriè vnum & idem: ergo tale subiectum vere & propriè comprehenditur sub eo principio per se noto, quod retulimus num. 7. *Contrà* 2.: implicat, subiectum, purè virtualiter duplex, *simul esse & non esse absolutè*: ergo pariter implicat, *simul esse & non esse tale*. Consequentia patet ex eodem num. 7. *Contrà* 3.: hoc verè esse illud, non stat sine identitate verè tali: ergo hoc verè non esse illud, non stat sine distinctione verè tali. Vid. num. 6.

11 Dices 3. (& est præcipua Lyncei solutio): tam de rationali, quàm de animali, verificatur simpliciter & absolutè, quod est ratio assimilandi hominem equo: cum enim absolutè identificentur animalitas, & rationalitas, necesse est, vt vtraque absolutè suscipiat eadem prædicata; nam in eo sensu, in quo non datur distinctio inter vtramque, quidquid convenit vni, conveniat alteri. Unde propositio, *Rationalitas non est ratio assimilandi*, vera non est absolutè & simpliciter, alias argueret distinctionem realem. Solùm ergo vera est in sensu reduplicativo, cum scilicèt tacitè saltem subintelligitur hæc reduplicatio, *rationalitas vt rationalitas*: in quo sensu veritati propositionis negativæ sufficit distinctio virtualis. Hæc doctrina fortè non placebit Virtualistis omnibus: neque enim pure dicturos Thomistas, quod hæc propositio, *Malitia formalis peccati non producitur à Deo*, non est vera absolutè & simpliciter, etiamsi malitia realiter identificetur cum entitate physicâ peccati, quæ simpliciter à Deo producitur. Sed cuicumque sit, impugnanda est. *Contrà* 1.: quia per hanc doctrinam enervantur penitùs argumenta Virtualistarum, vt in seq. capite apparebit.

12 Profectò, quæcumque no-

bis

his obiecteris contradictoria, si verè sint ex se, negabimus, vllo verò sensu verificari à parte rei de subiecto realiter voico. Nam ideò per te non verificantur absolutè & simpliciter, quia absolutè & simpliciter non datur distinctio in subiecto; & in eo sensu, in quo non datur subiectorum distinctio, implicat verificari simul prædicata opposita. Sed per te in nullo vero & proprio sensu datur distinctio inter animal & rationale, siquidem distinctio virtualis non est propriè distinctio, sed vmbra distinctionis, vt ais: ergo prædicata ex se contradictoria in nullo vero & proprio sensu verificari possunt de animali & rationali, sed vt summùm in sensu improprio, & vmbratili verificabuntur. Quid ergo tantopere contradictorijs obarmaris? Sensus autem reduplicativus non datur à parte rei, sed est opus Intellectus, qui per illum conceptum, *rationalitas vt rationalitas*, iam concipit rationale seorsim, & ratione distinguit ab animali. Quare propositio, quæ non est vera, nisi in sensu reduplicativo, non verificatur independenter à distinctione rationis. *Contrà* 2.: in Divinâ Trinitate, vnde totiès contrà nos deducitur paritas & instantia, hæc propositio negativa, *Paternitas non communicatur*, vel hæc, *Essentia non producitur*, vera est absolutè & simpliciter, non minùs quàm hæc affirmativa, *Essentia communicatur*, vel hæc, *Filiatio producitur*: ergo, vel idem in creatis dicendum est, vel immeritò ducitur paritas ex mysterio Trinitatis.

13 *Prob.* 2. vera sententia. Si Distinctio virtualis admittitur in creatis, ruit vis formæ Syllogisticæ, prout in Dialecticis Institutionibus tradi consuevit; nec fidere possumus consequentijs, quantumvis legitimè deductis iuxtà Figuras, & Modos Aristotelicos. Patet assumptu exemplis hisce: *Omnis animalitas hominis est ratio similitudinis cum equo, Omnis rationalitas est animalitas hominis; ergo omnis rationalitas est ratio similitudinis cum equo*: *Omnis amor contriti terminatur ad Deum, Aliquod odium contriti est amor contriti, ergo Aliquod odium contriti terminatur ad Deum.* En Syllogismos rectè dispositos in *Barbara*, & *Darij*; qui tamen ex Præmissis veris falsò concludunt iuxtà Virtualistas. Unde sequitur, falsificari passim ea principia, *Dici de omni* &c., *Quæ sunt eadem vni tertio* &c., quibus tota nititur vis Syllogistica. Sequitur etiam, inutilem esse deductionem ad impossibile, per quam scilicet propugnator cogitur admittere duo contradictoria; quâ probatione nihil frequentius & efficacius. Sequitur, inquam: nam quanvis adversàriam revoces ad contradictoria, opponet ille distinctionem virtualem, quæ mira est contradictoriorum conciliatrix; & ridebit.

14 Notanter loquor de formâ Syllogisticâ, prout in Dialecticis Institutionibus tradi consuevit. Non enim contendo, per distinctionem virtualem tolli vim Syllogisticam, si adhibeatur aliqua nota identitatis etiam virtualis Extremorum cum Medio, vt si in singulis propositionibus ex parte verbi ponatur adverbium *virtualiter*. Sed, cum Aristoteles in arte Syllogisticâ nusquàm meminerit istius additamenti, nec in Dialecticis Institutionibus quisquam requirat illud, sed omnes contenti sint identitate absolutè expressâ per verbum *est*, quoties aliquid concludere volunt de obiecto à parte rei; fit, vt forma Syllogistica, prout ex Aristo-

Aristotele traditur in Scholis, sit manca, & inefficax, etiamsi regulis omnibus conformetur. En syllogismum, quem nulla Summularum regula damnet: *Omne animal est vivens, Omnis homo est animal, ergo Omnis homo est vivens*: cuius tamen consequentiam concessis præmissis negabit impunè, qui fingere velit distinctionem virtualem inter hominem & animal. Nemo ergo tutò syllogizabit, nisi probet carentiam distinctionis virtualis inter Medium & Extrema. Quare omnis disputatio ad virtualem distinctionem devolvetur.

15 Nec satisfacit P. Lynce, dum ait, Syllogismos n. 13. rectè concludere, vt iacent; quia procedunt in sensu reali absolutè, & sine additot in quo sensu verè dicitur, quòd rationale est simile equo; nam vt tale sit, sufficit, quòd mediatè, seu medio animali, cui identificatur, ipsi conveniat esse simile. Si tamen, inquit, syllogismus ita formetur, *Animal est immediatè simile equo, Rationale est animal, ergo Rationale est immediatè simile equo*; malè concludit; quia ratione illius additi *immediatè*, quod ponitur in Conclusione, & non in Minore, variantur termini, & arguitur ab identitate merè reali ad identitatem virtualem. Sed, præter dicta num. 11. & 12., *contrà* est, quod etiam illa propositio, *Rationale est immediatè simile equo*, si non importet distinctionem rationis, sed loquatur de rationali à parte rei, propriè verificari debet, non minùs, quàm hæc, *Rationale est absolutè simile equo*: ergo per illud additum *immediatè*, non exuit veritatem.

16 *Prob. Antec.*: illa propositio ideò iuxtà Lynceum vera non esset, quia inter *rationale* & *simile* mediat *animal*; nam similitudo equi immediatè identificatur cum animali, & deinde medio animali identificatur etiam cum rationali. Sed hoc est falsum, si propriè loquamur: ergo &c. *Prob. Min.*: vbi non dantur propriè duo extrema, nequit propriè dari medium inter duo; sed distinctio virtualis, quæ sola reperitur inter *rationale*, *animal*, & *simile*, non efficit propriè duo, vel tria, vt Virtualistis in confesso est: ergo falsum est, quòd *animal* propriè mediet inter *rationale*, & *simile*: ergo vera est hæc propositio, *Rationale proprie loquendo est immediatè simile equo.* Hanc Consequentiam si neges, probo efficaciter: in eo sensu, in quo nihil mediat inter rationale & simile, rationale est immediatè simile; sed in sensu proprio nihil mediat, vt vidimus: ergo propriè loquendo rationale est immediatè simile equo.

17 Si hoc concedas, infero 1.: ergo etiam vera est hæc propositio, *Odium contriti proprie loquendo immediatè terminatur ad Deum*: ex quo, siquid valet argumetum Lyncei mox afferendum, sequitur, odium contriti propriè loquendo denominare Deum odio habitum; quo nihil absurdius. Infero 2.: ergo Contradictoria, quibus nititur distinctio virtualis, non propriè verificantur de eâdem entitate: ex his enim, *Animal est immediatè simile*, *Rationale non est immediatè simile equo*, primum propriè, secundum non nisi in sensu improprio verificatur. Sic autem nullâ opus est distinctione virtuali; vt patet in his enuntiatis, *Christus est Leo, Christus non est Leo*, si primum procedat in sensu metaphorico, secundum in sensu proprio. *Infero* 3.: ergo de rationali verificantur propriè similitudo, & dissimilitudo respectu eiusdem; siquidem propriè loquendo rationale est

immediatè simile, & immediatè dissimile equo: & tamen rationale certè non distinguitur virtualiter à semetipso.

18 Tandem virtualis distinctio refutari solet hac duplici viâ. 1.: repugnat entitati reali capacitas suscipiendi prædicata ex se contradictoria sine vllâ verâ & propriâ distinctione: ergo repugnat distinctio virtualis. *Prob. Antec.*: repugnat entitati reali capacitas, vt sit chymera; sed ex terminis nulla est chymera manifestior, quàm subiectum simul in se coniungens duo contradictoria sine vllâ distinctione verè tali; vel cur ex terminis chymera censetur, quod res eadē simul, sit & nō sit homo? Repugnat igitur entitati reali capacitas suscipiendi &c. Si dicas, eam coniunctionem non esse chymericam, quando datur virtualis distinctio; petis principium. Nam virtualis distinctio nihil est aliud, quàm capacitas suscipiendi contradictoria sine vllâ distinctione verâ & propriâ. Dicere ergo, quod contradictoria non repugnant in eodem subiecto, dum adest virtualis distinctio, est dicere, quòd non repugnant, dum adest vera capacitas eorū, idest, quòd non repugnant, dū non repugnant. At hoc ipsum quærimus, quomodò non repugnant sine distinctione verè tali?

19 2.: admissâ distinctione virtuali, quælibet absurda defendi poterunt impunè, nihilque firmum erit in Philosophiâ. Probatur: quia nulla est efficacior via refutandi absurditatem ab alio invectam, quàm deductio duplicis contradictorij. At, qui se munire velit distinctione virtuali, facilè quęvis cōtradictoria ridebit, aut sine scrupulo devorabit. Nam quâ ratione cōvinceretur à Virtualistis, qui propugnaret, eamdem rē producere se, & produci à se, vel produci simul, & non produci, scilicet penès esse virtualiter distinctum? eamdem item voluntatem secundùm diversas virtualitates amare simul & odio habere idem obiectum? imò eumdem actum simul esse vnius obiecti amorem & odium penès aliam & aliam virtualitatem? & tandem eamdem rem simul existere & non existere, vel esse & non esse hominem? Undenam, quæso, probabis, quòd *existere* excluditur à subiecto per *non existere*, si *esse simile* non excluditur per *non esse simile*?

## CAP. V.

### *Argumenta pro Distinctione virtuali diluuntur.*

1 MIssis argumentis cap. 3. solutis, quibus etiam vtuntur Virtualistæ, *Obijc.* 1., & principaliter ex P. Lynce: Actus contritionis, quo homo detestatur peccatum intuitu summæ Dei bonitatis, est realiter amor Dei, & odium peccati, vt nunc ex Theologiâ supponitur: sed illis formalitatibus amoris & odij realiter identificatis conveniunt prædicata contradictoria ante operationem Intellectus. Probatur hæc minor: in actu contritionis amor terminatur ad Deum, & odium non terminatur ad Deum; sed terminari, & non terminari ad Deum, sunt contradictoria: ergo &c. Probatur Maior, quâ parte dicit, odium non terminari ad Deum: si odium terminaretur ad Deum, denominaret Deum odio habitum; sed nulla formalitas contritionis denominat Deum odio habitum: ergo &c.

2 *Prob. Mai.* 1.: forma commu-

municata subiecto, vel obiecto capaci, tribuit ipsi propriam denominationem; sed Deus est capax denominationis odio habiti; & aliunde formam odij communicari Deo tamquam obiecto, nihil est aliud, quàm terminari ad Deum: ergo &c. 2. ideò amor contriti denominat Deum amatum, quia terminatur ad Deum: ergo, si etiam odium terminatur, Deum etiam denominabit odio habitum. 3. : implicat cognitionem, productionem, vnionem terminari ad aliquod obiectum, aut terminum, quin ipsum denominet cognitum, productum, vnitum: quod etiam patet in calore, albedine, & alijs formis, quæ, si connaturaliter vniuntur subiecto, præstant ipsi suos effectus formales; ergo pariter &c. 4.: ideò voluntas ab actu contritionis denominatur amans, & odio habens, quia in ipsà recipitur tam amor, quàm odium: ergo, si ad Deum terminatur tam odium, quàm amor, Deus denominabitur odio habitus, & amatus. Eadem ratione probari potest, quòd amor non terminatur ad peccatum, sicut odium; nam alioquin peccatum denominaret amatum.

3 Obiectio in primis apertam habet instantiam in distinctione reali, quam eadem vi probat inter amorem & odium contriti. Vel enim odium absolutè realiter terminatur ad Deum? vel non? Si primum dicas: ergo denominat Deum absolutè realiter odio habitum: id quod ijsdem rationibus, & exemplis vnionis, productionis, albedinis &c., probari potest, vt patebit consideranti. Si secundum eligas: ergo de odio & amore contriti verificantur contradictoria absolutè & simpliciter: ad hæc autem contradictoria non sufficit distinctio virtualis, iuxtà Adversarios. Nec dicas, vt odium denominet Deum, non sufficere, quod terminetur ad Deum absolutè & simpliciter, sed requiri, quòd terminetur immediatè. Nam contrà est, quòd odium propriè loquendo etiam immediatè terminatur ad Deum, vt ostendimus cap. sup. Præterea, exempla nobis obiecta num. 2. probant, omnem formam absolutè & simpliciter communicatam subiecto capaci, necessariò tribuere suum effectum formalem.

4 Deinde *resp.* In actu contritionis non datur amor, aut odium *vt sic*, sive cum indifferentiâ ad hanc vel illam speciem, ad hoc vel illud obiectum; talis enim amor, aut odium, repugnat à parte rei. Datur ergo determinata species odij, vel amoris, idest, affectus, qui determinatè est amor Dei, & determinatè est odium peccati, non alius obiecti: nam species affectuum designari solent per nomen obiecti in obliquo positum. Nec illud odium est peccati vtcumque, sed peccati propter Deum summè dilectum, tamquam motivum detestandi peccatum sibi contrarium: vnde non potest præscindi à respectu, seu tendentiâ conversivâ in Deum (tantum abest, vt à tali tendentiâ distinguatur vllatenùs à parte rei): tum quia nullus affectus præscindi valet à suo motivo, alioqui posset concipi sine motivo, & obiecto formali, à quo sumit speciem: tum etiam quia odium ita præcisum, detestaretur peccatũ propter se, vel saltem non propter Deum, ac proinde non foret odium verè contriti. Similiter amor non est Dei vtcumque, sed Dei tamquam motivi detestandi peccatum, atque adeò præscindi nequit à tendentiâ aversivâ in peccatum. Actus igitur con-

tritionis est impræscindibiliter tendentia, seu terminatio conversiva in Deum, & aversiva in peccatum: quia convertitur ad Deum avertendo se à peccato, & avertitur à peccato convertendo se ad Deum: quemadmodum idem ipse motus, quo pergis à loco A ad locum B, est recessus ab A, & accessus ad B. Hinc, si de hisce determinatis odio & amore loquamur, falsum est, quidquam à parte rei verificari de odio, quod non eodem sensu verificetur de amore, & vice versâ; vt iam ostendo.

5 In formâ *neg. Min.* Ad *prob. neg. Mai.*: in cuius probatione iterùm *neg. Mai.*, si loquatur, vt debet, non de quovis odio, sed de odio contriti; hoc enim, cum terminetur ad Deum tamquam ad motivum detestandi peccatum bonitati suæ contrarium, potiùs Deum denominat amatum. Nec obstant subiunctæ probationes. *Ad* 1. *dist. Mai.*: tribuit ipsi propriam denominationem, cuius est capax subiectum in ordine ad talem formam, *conc.*; cuius non est in hoc ordine capax, *neg. Mai.* Tum *dist. Min.*: Deus est capax denominationis odio habiti, ab odio sui, sive in ordine ad formam, quæ sit odium Dei, *conc.*; ab odio peccati propter Deum, sive in ordine ad talem speciem odij, *neg. Min.* & *Conseq.* Deus non est capax denominationis odio habiti à quovis odio, sed ab eo, quod oriatur à cognitione Dei vt odibilis: at odium in contritione repertum, oritur potiùs à cognitione Dei vt summè amabilis, cum ex hoc motivo detestetur peccatum. Quare simul impræscindibiliter est amor Dei, & terminatur ad Deum, ipsique tribuit propriam denominationem: sed qualem? denominationem amati, quæ etiam est propria illius odij, & cuius solius capax est Deus in ordine ad talem formam. Denominationem autem odio habiti non tribuit Deo, sed peccato, quod similiter non est capax alius denominationis à tali formâ recipiendæ.

6 *Ad* 2. *dist. Antec.*: quia terminatur ad Deum vtcumque, *neg.*; quia terminatur ad Deum vt summè bonum & amabilem, *conc. Antec.* Tum *dist. Conseq.*: si etiam odium terminatur ad Deum eodem sensu, quo amor, *neg.*; si contrario sensu, *conc. Conseq.* Iam diximus, odium contriti terminari ad Deum præcognitum vt summè bonum & amabilem, ac proinde simul esse amorem Dei, & ipsi tribuere denominationem, quam tribuit amor. *Ad* 3. In primis, si productio, & vnio non sint purè tales, sed secum identificent alia prædicata, vel sint æquivalenter duplex forma, fallum est Antecedens: sic enim eductio formæ materialis, quæ in sententiâ probabili simul est productio formæ, & illius vnio cum materiâ, quamvis ad materiam verè terminetur, non illam denominat productam, sed vnitam. Unde, licèt odium, quod sit purè odium, quemlibet suum terminum denominet odio habitum; secùs dicendum de odio, quod simul est amor per identitatem, vt in casu nostro.

7 Deinde, licèt vnio, productio, & cognitio necessariò tribuant proprio termino suam denominationem quasi in genere; si tamen plures terminos habeant, non debent singulis tribuere omnes denominationes speciales, quas continent. Sic vnio materiæ cum formâ, licèt vtramque denominet vnitam, in particulari tamen formam denominat informantè, materiam informatam,

non

non è converso. Sic productio denominat effectum productum, & causam producentem, non vice versâ. Sic cognitio Fidei, mysterium denominat creditum propter aliud, revelationem verò cognitam propter se; vel quod eòdem redit, revelationem denominat obiectum formale in actu secundo, mysterium autem obiectum materiale. Idem contingit passim actibus Voluntatis: nam v. g. amor medicinæ vnicè propter vitam, alteram denominat amatam propter aliud, alteram propter se, alteram vt parum medium, alteram vt finem; quin possint denominationes huiusmodi commutari. Pariter ergo actus contritionis, denominat quidem vtrumque terminum, peccatum, & Deum, affectivè attactum; at in particulari Deum denominat amatum, & peccatum odio habitum: quin denominationes permutare liceat.

8 Paritas caloris & albedinis nulla est: quia formæ physicæ absolutæ, cum non sint æquivalenter plures, nec simul respiciant plura subiecta, si semel vniuntur alicui subiecto, ipsi tribuunt vnicum effectum formalem, quem continent. At formæ intentionales (imò & modales physicæ, vt nuper vidimus), cum sæpe respiciant diversos terminos, diversasque denominationes contineant, non debent singulis subiectis tribuere quascumque continent, sed pro variâ ipsorum indole vnicuique suam; vt satis liquet ex dictis. Nec te moveat, quòd aliqua forma, realiter vnica, dicatur virtualiter, aut æquivalenter duplex, aut multiplex: hinc enim infertur quidem distinctio virtualis *in essendo* (de quâ n. 1. cap. sup.), non tamen ea, quam modò reijcimus, nempe capacitas ad contradictoria. Nec item moveat, quod ex multis denominationibus in eâdem formâ contentis vnam, & non aliam, præstari dicamus certo alicui subiecto: non enim inde sequitur, denominationibus realiter indistinctis conuenire contradictoria, videlicet præstari & non præstari relatu ad idem subiectum; quia non in solâ formâ consistit denominatio, sed in formâ simul cum subiecto capaci. Quare, si subiecta sunt distincta realiter, denominationes etiam realiter distinguantur, saltem inadæquatè.

9 *Ad 4. neg. Conseq.* Nam Voluntas ideò vtramque subit denominationem, quia & capax est vtriusque ab vnicâ formâ recipiendæ respectu diversorum; & aliunde contritionis actus non respicit diversas Voluntates, tamquam subiecta receptiva. At respicit diversos terminos (nempe Deum, & peccatum), quorum quilibet est incapax vtriusque denominationis, amati, & odio habiti, ab actu contritionis vt à formâ.

10 Sed contrà datam solutionem *replic.* 1.: si odium contriti terminatur ad Deum, sequitur, Deum esse capacem denominationis odio habiti ab hac formâ; alioquin posset aliqua forma connaturaliter vniri subiecto incapaci formalis effectus eiusdem formæ. *Resp.* Forma, quæ non est æquivalenter duplex, nec nisi vnicum formalem effectum continet, non potest connaturaliter vniri subiecto incapaci illius vnici formalis effectus. At, si forma plures contineat effectus formales, poterit connaturaliter vniri subiecto capaci vnius tantùm denominationis, & non alterius: cuius doctrinæ exempla iam dedimus. Unde contritio, cum sit æquivalenter duplex actus, amoris, & odij, poterit terminari ad

Deum, capacem solius denominationis amatis quamvis non ita posset, si foret purum odium peccati.

11 *Replic.* 2.: quia amor non distinguitur virtualiter à prosecutione obiecti, repugnat amor alicuius rei, quin sit prosecutio eiusdem: ergo, si amor contriti non distinguitur virtualiter ab odio, nequit esse amor Dei, quin sit etiam odium Dei. *Dist. antec.*: ideò præcisè, quia amor non distinguitur virtualiter à prosecutione, *n. g.*; ideò, & quia his terminis, *amor*, *prosecutio*, significatur ordo ad idem obiectum, nec innuitur æquivalentia *in esse ndo* ad duplicem actum, *conc. antec.*, & *n. g. Conseq.* Cum hi termini, *amor*, & *prosecutio*, vt etiam hi, *odium*, & *aversio*, non indicent æquivalentiam ad plures actus, nec respectum ad terminos diversos, sed sint convertibiles etiam in communi, sive in genere, ita vt alter sit explicatio alterius; mirum non est, quòd amor vnius obiecti semper sit prosecutio eiusdem. At omnia per oppositum accidunt his terminis, *amor & odium*, ad contritionis actum applicatis. Quare poterit sanò sensu amor esse Dei, odium verò non esse Dei, sed peccati.

12 *Replic.* 3.: ergo amor est Dei, & odium non est Dei: sed esse Dei, & non esse Dei, sunt contradictoria, sicut pallium esse Petri, & non esse Petri: non igitur contradictoria vitantur. *Dist.* 1. *Conseq.* quoad secundam partem: & odium non est Dei, in eo sensu, in quo amor est Dei, *n. g.*; nam, sicut amor est Dei amor, ita odium est Dei amor: in diverso sensu, *conc. Conseq.* Tum. *dist. Min. sub sumpt.*: esse Dei, & non esse Dei, in eodem sensu, *neg.*; in diverso sensu, *neg. Min.* & *Conseq.* Hæc assertio, *Odium contriti non est Dei*, vera non est, nisi dum significat, odium illud non esse odium Dei, proindeque dum solùm negat identitatem illius odij cum alio actu, qui sit odium Dei. Hæc verò, *Amor contriti est Dei*, tunc vera est, cùm significat, amorem illum esse amorem Dei; proindeque nihil affirmat, quod altera præcedens neget. Non ergo altera alteri contradicit: nam esse amorem Dei, & non esse odium Dei, non sunt contradictoria, sed vtrumque verè affirmatur de amore contriti, & vtrumque pariter de odio contriti.

13 *Replic.* 4.: hæ propositiones, *Contritio est amor Dei*, *Contritio est odium D.i*, solùm differunt penès voces *amor* & *odium*; sed voces istæ per nos idem significant sine vllâ distinctione à parte rei: ergo, si prior propositio vera est, debet etiam vera esse posterior. *Dist. Min.*: illæ voces idem significant, quando alteri apponitur obliquum *Dei*, alteri obliquum *peccati propter Deum*, *conc.*; quando vtrique apponitur obliquum *Dei*, *neg. Min.* & *Conseq.* Iam suprà monuimus, species affectuum, vt etiam cognitionum, communiter in voce distingui per obliquum. Unde vox hæc, *Odium Dei*, significat speciem odij longè diversam ab eâ, quam denotat vox, *odium peccati propter Deum*; & hæc secunda species odij sola est, quæ in contritione reperitur identificata cum amore. Quare, cum hanc minimè significet posterior propositio, non habet idem obiectum, quod prior, nec veritatem prioris participat.

14 *Replic.* 5.: si odium contriti ad nullum terminaretur obiectum, nullum denominaret odio habitum: ergo, si ad aliquod obiectum (nempe

pe Deum) terminatur, illud odio habitum denominat. Patet Consequentia: quia, vbi negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis, vt est *in* proverbio. *Neg. Conseq.* Ad *prob.*: proverbium illud verum est, quando negatio est causa vnica, vel adæquata negationis; secùs verò, quando est causa, sufficiens quidem, sed non vnica, nec adęquata. Sic evenit in præsentiarum. Si odium non terminaretur ad Deum, hæc foret quidem causa sufficiens, vt Deum non denominaret odio habitum; sed non est causa vnica: nam, etiamsi terminetur, dari potest alia causa, cur non ita denominet, nempe quia simul est amor Dei, moveturque ex cognitione illius vt sùmè boni, & alium simul habet terminum, cui tribuat denominationem odio habiti, scilicet peccatum. Illa porrò arguendi formula inepta est, vt patet his exemplis: *Si Petrus non existeret, non esset Rex; ergo, si existit, est Rex*: *Si res A non est animal, non est homo; ergo si est animal, est homo*: supponitur enim, ex oppositio conditionis benè colligi oppositum conditionati; quod nemo Summulista non improbet.

15 Solutâ hac obiectione satis implexâ terminis, reliquæ facilè corruunt. *Obijc.* 2.: eadem cognitio potest esse clara & intensa respectu Dei, & simul obscura & remissa respectu creaturæ, vel è converso: ergo potest admittere prædicata intrinseca ex se contradictoria. Patet Consequentia: nam, cum obscuritas sit carentia claritatis, & remissio carentia intensionis, contradictoriè opponuntur obscuritas & claritas, atque etiam remissio, & intensio. Obiectio probat, realiter identificari posse rem & eius carentiam, v. g. lucem & tenebras, vitam & mortem; quo nihil absurdius: probat etiam distinctionem plaquam virtualem, nam ea contradictoria in sensu reali absoluto procedunt. Quare *concess. Antec., neg. Conseq.*. Ad *prob.*: obscuritas vt hic, est carentia claritatis vt sic, at obscuritas cognitionis respectu vnius obiecti, est quidem carentia claritatis respectu eiusdem obiecti, sed non est carentia claritatis respectu obiecti cuiuslibet, nec cum eâ pugnat. Si ergo obscuritas est respectu Dei, & claritas respectu creaturæ, vel è converso, nulla est contradictio; non enim identificatur ista claritas cum carentiâ sui, sed cum carentia alius claritatis omninò distinctæ, quæ in tali cognitione non est. Idem de remissione & intensione dicito. Adde manifestam instantiam: nam claritas respectu Dei talis, prout indistincta virtualiter à semetipsâ, certè non est claritas respectu creaturæ: ergo simul est claritas, & non est claritas: ergo sine virtuali distinctione suscipit contradictoria.

16 *Obijc.* 3.: videmus, & intuitivè cognoscimus albedinem, & non videmus, nec intuitivè cognoscimus dependentiam albedinis à Deo, quæ realiter cum albedine identificatur: iam ergo prædicatis realiter indistinctis contradictoria conveniunt. Constat Antecedens: quia alioqui videremus Deum ipsum, siquidem essentialis dependentia ab aliquo termino, nequit videri, vel intuitivè cognosci sine termino. Instò: contradictoria ista verificantur in sensu reali absoluto: ergo probant distinctionem realem. Instò iterùm: albedo, prout virtualiter distincta à tali dependentia, cum eâ connectitur essentialiter; exigit enim realiter identificari cum tali depen-

dentia, quod genus exigentiæ summam connexionem importat: ergo, dum videmus albedinem, videmus connexionem cum dependentiâ à Deo: ergo, siquid probat obiectio, videmus dependentiam ipsam, quæ est terminus illius connexionis, ac proinde Deum etiam videbimus.

17 Præterea, *dist. Antec.*: & non videmus dependentiam &c., eo sensu, & modo, quo non videmus albedinem, *conc.*; eo sensu, & modo, quo videmus albedinem, *neg. Antec.*, & *Conseq.*. Tam albedo, quàm eius dependentia à Deo, videtur in vno sensu, & non videtur in alio. Utraque videtur sub hac expressione *albedo*, & vtraque non videtur sub hac aliâ expressione *dependentia à Deo*: vel, quod in idem recidit, vtraque videtur visione sufficiente, vt Intellectus eliciat hanc cognitionem intuitivam, *Hoc obiectũ est albedo*, per què actũ intuitivè cognoscitur quidquid realiter est idem cum albedine; & vtraque non videtur visione sufficiente, vt Intellectus habeat hanc cognitionem intuitivam, *Hoc obiectum dependet à Deo*; hæc enim repræsentatio, licet eliciatur ab Intellectu, nequit esse intuitiva ex merito visionis ocularis, sed erit abstractiva, & per discursum habita. Ratio est: quia expressè comparat albedinem cum Deo; & cognitio comparativa, vt intuitiva sit, oriri debet ab specie propriâ vtriusque extremi comparationis, vt ex Animastica suppono: talem autem speciem respectu Dei, nec Visus habet, nec Intellectui suggerit, aut suggerere potest. Quidquid igitur verificatur de albedine, verificatur pariter de ipsius dependentiâ à Deo & vice versa; siquidem vtraque per certos actus videtur, & intuitivè cognoscitur; & vtraque per alios actus nec intuitivè cognoscitur, nec videtur.

18 Nec inde sequitur, videri Deum: nam terminus connexionis, aut dependentiæ solùm cognosci debet, quando dependentia cognoscitur, cognitione, vel expressione comparativâ, seu relativâ, qualis est illa, *dependentia à Deo*: non ita verò, quando connexio, vel dependentia cognoscitur expressione absolutâ, cuiusmodi est conceptus *albedo*, & visio materialis, à quâ excitatur. Ubi nota: cum passim dicimus, non videri à nobis dependentiam *vt talem*, vel non videri *explicitè*, sensus est, quod non elicimus visionem respondentem his vocibus, *dependentia à Deo*, vel quæ talem expressionem immediatè excitet in mente. De cætero, si sermo sit de tali dependentiâ specificativè sumptâ, & vt est à parte rei, tam explicitè videtur, tamque intuitivè cognoscitur, quàm albedo, à quâ nullatenùs in eo statu distinguitur: sed videtur, & cognoscitur expressione absolutâ, quæ non contineat comparationem cum termino excedente totam sphæram visivæ potentiæ.

19 *Obiic. 4.*: in Angelo substantia & perfectio virtualiter distinguuntur: nam Angelus in perfectione excedit hominem, quem non excedit in substantiâ: vt enim dici solet, Substantia non recipit magis & minùs. *Resp.*, Angelus in sensu reali excedit hominem in substantiâ: est enim substantia melior, & perfectior. Dicitur autem Substantia non recipere magis & minus; vel quia ratio substantiæ *vt sic* æquè verificatur de substantijs inæqualiter perfectis; vel potiùs quia Substantia non intenditur & remittitur in eodem subiecto gradatim, sicut Qualitas. Sed ali-

aliter obiectio instauratur, videlicet: similitudo duorum Angelorum inter se, realiter cum eorum entitativâ perfectione identificatur: & tamen similitudini & perfectioni conveniunt contradictoria. Probatur: similitudo duorum Angelorum (ponimus, eos esse eiusdem speciei) est id, in quo duo Angeli non excedunt duos homines; tam enim sunt inter se similes duo homines, quàm duo Angeli: perfectio autem entitativa est id, in quo duo Angeli procul dubio excedunt duos homines. At esse id, in quo duo Angeli non excedunt, & in quo excedunt duos homines, sunt contradictoria: ergo &c.

20 *Resp.* Nulla in his contradictio: quia excessus, & non excessus, prout hic accipiuntur, diverso sensu procedunt. Illa similitudo Angelica eatenùs dicitur non excedere humanam, quatenùs non plures fundat conceptus vnivocos; nam per ordinem ad hoc genus conceptuum similitudo vocatur maior, aut minor, iuxtà dicta cap. 3. à num. 11. Non, inquam, plures fundat: quia sicut duo Angeli vnivocari, vel confundi possunt vsque ad conceptum speciei atomæ inclusivè, quin discerni valeant nisi per conceptus purè individuales; ita se habent duo homines in ordine ad conceptus ipsis respondentes. Perfectio autem Angelica eatenùs humanam excedit, quatenùs est obiectum excellentius. At quænam, rogo, est contradictio in eo, quòd duo Angeli totidem sibi fundent conceptus vnivocos, quot sibi fundant duo homines; suis tamen conceptibus offerant obiectum excellentius? Hoc in summâ est, eos conceptus non esse plures, esse tamen melioris obiecti. De cætero, excessus, aut non excessus, qui convenit perfectioni, eodem sensu convenit similitudini, & è converso: nam vtraque excedit excessu significante, Angelos esse melius obiectum; & vtraque non excedit excessu significante, Angelos fundare plures conceptus vnivocos.

21 *Obiic.* 5.: Voluntas & Intellectus, licèt realiter identificentur, verificant prædicata contradictoria: nam Voluntas amat, & non intelligit, Intellectus intelligit, & non amat: item Voluntas est libera, Intellectus non est liber. *Confirm.*: Intellectus magis identificatur secum ipso, quàm cum Voluntate; est enim præcindibilis à Voluntate, & impræcindibilis à semetipso: sed secum ipso identificatur & realiter, & virtualiter: ergo cum Voluntate non identificatur saltem virtualitèr. *Resp.* Si Voluntas & Intellectus realiter identificantur, locutiones illæ veræ sunt in sensu tantùm formali supponente præcisionem, & distinctionem rationis inter Voluntatem & Intellectum: nam in sensu reali, tam Intellectus, quàm Voluntas, amat, & intelligit. Cum autem dicitur, quòd Voluntas est libera, & Intellectus non est liber, si loquamur in statu reali, sensus est, quòd tota entitas animæ libera est in ordine ad actus de lineâ affectiva, & tota etiam libera non est in ordine ad actus de lineâ repræsentativâ. Ad *confirm. neg. Mai.* sistendo in statu reali: nam realis identitas non admittit magis & minus. Quòd Intellectus sit præscindibilis à Voluntate, non à semetipso, probat distinctionem virtualem extrinsecam, idest, distinctionem rationis fundamentalem, quam minimè negamus. Nec tamen concedimus, quòd à parte rei detur in vno prædicato præscindibilitas, quæ non de-

tur in alio realiter eodem. Sed de hoc fermo erit inferiùs, vbi de præcisione formali.

22 *Obiic.* 6.: in materiâ primâ realiter identificantur exigentia & capacitas obedientialis ad formas: & tamen prædicata contradictoria suscipiunt; nam capacitas est ad plures formas, exigentia non est ad plures, sed ad vnam tantùm. *Resp.* Quidquid de capacitate verè affirmatur, aut negatur, eodem sensu verificatur de exigentiâ. De capacitate verè dicitur, *est capacitas ad plures formas, non est exigentia ad plures*; & hoc ipsum verificatur de exigentiâ sub ijsdem terminis; est enim ea exigentia, de quâ loquimur, capacitas ad plures formas, & non est exigentia ad plures. Similiter hoc prædicatum, *est exigentia vnius tantùm formæ*, tam verificatur de capacitate, quàm de exigentiâ materiæ. Fallacia obiectionis in eo est, quod sumat hos terminos, *est ad plures, non est ad plures*, quin exprimat prædicatum in recto, quod ibi subaudiur. Si enim exprimatur, nulla est difficultas: negabimus quippe verificari de materiâ primâ, quòd *est capacitas ad plures formas, & non est capacitas ad plures*; aut etiam, quòd *est exigentia ad plures*, & *non est exigentia ad plures*. Solùm ergo verificatur, quòd *est capacitas ad plures formas*, & *non est exigentia ad plures*; vbi non idem prædicatum negatur, & affirmatur: ille namque terminus, *exigentia ad plures formas*, significat speciem exigentiæ realiter distinctam ab omnibus prædicatis materiæ primæ.

COROLLARIUM.

24 Ad extremum advertere oportet, tam Scotistas, quàm Virtualistas, frequenter ad mysterium Trinitatis Divinæ recurrere, tum vt suas probent distinctiones, tum vt argumenta, quæ opponimus, instent. Certum quippe est, Divinam Essentiam realiter identificari cum Relationibus, seu Personalitatibus; & nihilominùs de Essentia & Relationibus verificari quædam prædicata in speciem contradictoria, v.g. *Essentia communicatur*, *Paternitas non communicatur*; *Filiatio producitur*, *Essentia non producitur*. Sed verò, vt iam suprà notavimus, importunè hinc arguitur ad res creatas. Tum quia propter eiusmodi contradictoria mysterium Trinitatis censetur incognoscibile solo naturæ lumine, nec aliter creditur, nisi captivando Intellectum in obsequium Fidei. At, nec similem captivitatem exigunt Adversarij pro rebus creatis; nec, si exigerent, Philosophos agerent.

25 Tum quia talia prædicata non verificantur in Trinitate sine distinctione reali in tertio; non enim posset Filiatio realiter produci, & Essentia realiter non produci, nisi Filiatio realiter distingueretur à Patre, à quo non distinguitur Essentia. At nullus Scotista, vel Virtualista in creatis admittit realem duorum distinctionem in tertio sine reali distinctione inter se. Tum quia ad verificanda contradictoria in sensu reali absoluto, non sufficit distinctio purè virtualis, nec formalis ex naturâ rei, vt fatetur P. Lynce, vi letarque evidens. Illa autem prædicata Divinæ Triados realiter absolutè verificantur. Tum quia recurrit illo defendere quis posset, in homine v.g. rationale produci, animal non produci, vel etiam rationale distingui realiter ab equo, animal non distingui realiter ab equo. Id autem cunctis Adversarijs foret absurdum.

26 Itaque distinctio virtualis

(idem

(idem à fortiori dicito de distinctione Scoticâ), vel omninò neganda est in Divinis, etiam inter Essentiam, & Relationes; vt re ipsâ negatur à pluribus Theologis, qui prædicationes in speciem oppositas à contradictione liberant per solam distinctionem realem in tertio, aliàs inadæquatam, sive mediatam; aut etiam per solam distinctionem rationis: vel non debet admitti pura, sed involvens in suo conceptu distinctionem realem in tertio; proindeque relegari debet ab alijs prædicatis Divinis præter ea, quæ propria sunt Trinitatis: vel denique, si admittitur, sive in mysterio Triados, sive in mysterio Libertatis Divinæ (inter alias perfectiones Dei absolutas facilè negari potest, ac debet), sic restringenda est, vt non sit capacitas ad quælibet prædicata ex se contradictoria, sed ad ea tantùm, quæ Fides docet, vel ex doctrinâ Fidei planè colliguntur; addendumque, talia prædicata non cohærere nisi in subjecto illimitato, & infinitè perfecto, nec nisi in eo sensu, quo tale subjectum superat humanum captum. Unde ea sola prædicata excipienda sunt à principio generali, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, quatenùs comprehendit propositiones de tertio adiacente, saltem adiectivo; nec aliter exceptio fundanda, quàm titulo infinitudinis prout humanum captum superantis.

## CAP. VI.

### *Explicatur Distinctio rationis, & opposita Unitas, vel Identitas.*

1 DIstinctio rationis, vt nunc accipitur, non est illa, cuius extrema sunt entia rationis ficta; hæc enim appellari potest distinctio realis, saltem negativa, quippe quæ datur citrà novam Intellectus operationem, semel positis, vel fictis extremis. Est igitur illa, quæ per rationem, ideſt, per actus Intellectus, fit inter extrema, seu prædicata, quæ licèt realia sint, non sunt realiter distincta, v.g. inter rationale, & animal hominis, dum alterum quodammodò concipitur sine altero, vel vtrumque diversis conceptibus. Vt enim datur distinctio realis, quoties in statu reali existit vnum sine alio, vel est ab alio diversum à parte rei; sic per quandam analogiam dicitur dari distinctio rationis, quoties in statu intentionali, sive in esse cogniti, vnum quodammodò existit sine alio, vel apparet ab alio diversum. V.g. per conceptum, *animal*, obiectum sensitivum quodammodò in mente existit sine rationali; quia potest commodè explicari tota illius conceptus energia, quin dicatur, obiectum esse rationale. Similiter per hos duos conceptus, *animal*, *rationale*, simul habitos, obiectum sensitivum & discursivum apparent diversa; quia tota vtriusvis conceptus energia diversimodè explicatur, videlicet per ordinem ad diversas operationes, sentiendi, & discurrendi, quin alteruter conceptus subsistendium petat ab altero.

2 Duplex genus distinctionis huiusmodi circumfertur. Nam alia dicitur Distinctio *rationis ratiocinantis*: alia, Distinctio *rationis ratiocinatæ*. Prima est, quæ nullum habet in re fundamentum, sed ab Intellectu fit, vel per conceptus synonymos, vt *ensis*, *gladius*, vel per iterationem eiusdem, vt *homo*, *homo*: talis autem distinctio fit, vel supponitur, inter subiectum & prædicatum propositionis

tionis identicæ. Secunda est, quæ fundamentum habet in re, ex quo fundamento elici possint circà objectum realiter idem plures conceptus inter se diversi, & inadæquati, idest, inadæquatæ claritatis, quorum singuli non exhauriant totam obiecti cognoscibilitatem, etiam quoad nos. V.g. homo naturaliter cognosci potest à nobis totâ claritate, quæ respondet his vocibus, *Animal rationale risibile admirativum* &c.. Dum ergo solùm cognoscitur claritate respondente voci *animal*, cognoscitur conceptu inadæquato, atque etiam diverso à conceptu respondente voci *rationale*, & sic de cæteris, cuius diversitatis fundamentum est realis diversitas operationum, sentiendi, discurrendi, ridendi &c.

3 De solâ distinctione *rationis ratiocinatæ* modo loquemur; quia sola est propriè distinctio rationis. Nam quæ *rationis ratiocinantis* dicitur, cum & locum habeat vbivis, & nullam diversitatem etiam apparenter inducat in esse cogniti, ne in hoc quidem genere meretur nomen distinctionis. Addi solet distinctio rationis, quam vocant *penès implicitum & explicitum*; & quæ tunc datur, cum prædicatum aliquod in suo conceptu involvit aliud, quod tamen clarè non exprimitur. Sic in conceptu proprio *Substantiæ* involvitur *ens*, & in hoc conceptu *Divinæ voluntas* formaliter imbibitur Divinus Intellectus in sententiâ plurium asserentium, attributa & perfectiones Dei se se invicem formaliter includere. Nihil, aut parum distat distinctio, quæ datur inter Definitionem & Definitum: nam hi duo conceptus *homo* & *animal rationale*, quorum alter est definitio alterius, tantùm discrepant penes maiorem, & minorem explicationem, non tamen penès medullam, vt ita dicam, cum alter sit explicatio medullæ in altero involutæ. Verùm vtraque distinctio ifiiusmodi reduci debet ad distinctionem *rationis ratiocinantis*; vel certè inter distinctiones propriè dictas, etiam in lineâ rationis, computanda non est; nihil enim frequentius, quàm identitatem formalem, sive rationis, asserere, vel supponere inter Definitionem, & Definitum.

4 Propria igitur distinctio rationis, quæ sola est *rationis ratiocinatæ*, dividitur in fundamentalem, & actualem, sive formalem. Fundamentalis, non tam est distinctio, quàm fundamentum distinctionis, quod occasionem præbet Intellectui ad distinguendum. Actualis, sive formalis, est, quæ per actus Intellectus actualiter fit. Hæc, alia dicitur præcisiva, alia positiva. Præcisiva fit, cum Intellectus simplici conceptu inadæquato exprimit vnum prædicatum, nihil interim cogitans de alijs eiusdem obiecti prædicatis quà talibus; vt cùm attingit hominem præcisè per conceptum *animal*; tunc enim manet animal præcisivè distinctum à rationali. Hæc etiam vocari solet distinctio rationis *inadæquata*, vel aptiùs distinctio *incompleta*, quia non ponit in mente nisi vnum extremum distinctionis, & expectat consortium alius, vel aliorum conceptuum, vt compleatur prædicatorum dualitas, vel pluralitas. Positiva, quæ etiam *adæquata*, vel potiùs *completa* dicitur, tum fit, cùm duo, vel plura prædicata eiusdem rei simul apparent vnumquodque proprio conceptu, vt cum Intellectus hos duos conceptus, *animal*, *rationale*, simul habet: tunc enim positivè, & completè ponit

situr in mente dualitas quædam extremorum.

5 Addunt aliqui distinctionem rationis negativam, quam fieri docent per iudicium negans identitatem extremorum, v.g. *Animal non est rationale.* Sed audiendi non sunt: quia, si tale iudicium negat solam identitatem rationis, non facit, sed factam supponit distinctionem rationis, eamque reflexè cognoscit; quemadmodùm hic actus, *Homo realiter non est equus*, non facit, sed supponit distinctionem realem. Si verò iudicium illud negat identitatem realem, non est ea distinctio rationis, quam nunc exponimus: hæc enim, vt communiter in Scholis accipitur, non contraponitur identitati reali, sed formali, nec identitatem realem in mente destruit, sed eam purè omittit ex parte modi. Fit quidem in eo iudicio distinctio rationis per expressiones *animal*, & *rationale*, secundùm se spectatas: at non fit per illud verbum *non est*: quemadmodùm è contrario per iudicium affirmativum, *Animal realiter est rationale*, non fit propria rationis identitas. Sicut enim mentalis expressio hominis, non dicitur homo rationis; ita mentalis expressio identitatis realis, non dicitur identitas rationis.

6 Veriùs addi potest, vtramque distinctionem, num. 4. expositam, diverso sensu vocari & esse *præcisivam*, & *positivam*: præcisivam; quia vtraque fit per conceptus purè præscindentes ab identitate reali extremorum: positivam; quia vtraque positivè excludit identitatem formalem vnius extremi cum altero; quamvis distinctio incompleta, quia vnum duntaxat in mente ponit extremum, illudque separat ab altero vt possibili, vocari etiam possit, & soleat distinctio rationis *negativa*, vel, si mavis, *mixta*, sicut realis distinctio rei actu existentis à re purè possibili.

7 Sed, quoniam diximus, distinctionem rationis fieri per conceptus inter se diversos, quæritur, quanta esse debeat diversitas conceptuum? *Resp.* Distinctio rationis requirit conceptus ita dissimiles vt reddant prædicata diversimodè definibilia, nec alter per alterum, nec per eius explicationem definiatur. Ita P.P. nostri communiter. Probatur. 1: quia idem sonat *formalis ratio* alicuius obiecti, ac *definitio* eiusdem, vt ex Aristotele docet D. Thomas mille locis (a): ergo illa prædicata propriè distinguuntur *ratione formali*, quæ differunt *definitione*: ergo conceptus, qui reddunt prædicata diversimodè definibilia, propriam efficiunt distinctionem rationis. 2. probatur inductione per omnia, quæ dicuntur habere, vel non habere distinctionem rationis. Nam ideò vera distinctio non adest inter Definitionem, & Definitum, quia ex his conceptibus, *Homo*, *Animal rationale*, alter est definitio alterius: ideò nec fit per conceptus synonymos, quia vtrique respondet eadè definitio: ideò verè fit per conceptus, *animal*, *rationale*, quia diversis definitionibus explicantur; his nimirùm, *Principium sentiendi*, *Principium discernendi*. Idem patebit in cæteris. Accedit, quòd pro eodem accipitur, aliquid esse *de ratione* alterius, ac poni *in definitione* illius (b): ergo idem erit, aliquid esse *extrà rationem* alterius, proindeque ratione distingui, ac non poni in definitione ipsius.

Sed

(a) *Vid. q. 2. de Verit. ar. 1. ad 11.—1. p. q. 13. ar. 6.—& 5. Metaph. Lect. 7. lit. f.*

(b) *Vid. D. Thom. 3. de anim. Lect. 12. lit. g.—*

8 Sed notandum ex D. Thoma in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. *corp.*, quòd, licèt *ratio* formalis in his, quæ habent definitionem, sit *ipsa rei definitio*, quædam tamen prædicata *rationem* habent, quamvis strictè definiri non possint, vt sunt suprema genera, vltimæ differentiæ, & attributa Diuina, in quibus non inveniuntur genus & differentia, prout ad strictam definitionem necesse est. In his ergo *ratio* sumitur pro definitione latè sumpta, ideſt, pro expressione, quâ detegitur aliquomodò vis, & energia talium prædicatorum, prout substantium vulgari cuiusque nomini, vel vsitato conceptui. Quare, ideò Sapientia & Bonitas ratione distinguuntur in Deo, quia tota proprietas, vis, aut energia huius conceptus, *Sapientia*, explicari potest sine conceptu *Bonitas*, vel alio, qui sit explicatio eius; & pariter è contrariò. Non tamen obstat distinctioni rationis, quòd in definitione vnius prædicati fiat mentio alterius in obliquo, seu per modum connotati, vt cum *Petreitas* definitur *vltima differentia contractiva hominis ad individuum*: vbi fit quidem mentio *hominis*, sed in obliquo, & tamquam termini connotati, eo ferè modo, quo Deus ponitur in definitione creaturæ vt talis, & obiectum in definitione scientiæ, vel artis. Stat ergo distinctio rationis, dummodò vnus conceptus, nec per se, nec per explicationem sui, ingrediatur definitionem alterius in recto.

9 Proposita explicatio distinctionis rationis verior, & expeditior est, quàm quæ ab alijs traditur, nempe vt tunc fiat distinctio rationis ex duobus conceptibus, quando Intellectus terminorum conscius, quantumcunque reflectatur supra vnum conceptum, aut illum attentè excutiat, non potest incidere in alterum, nec dicere vtriusque obiectum esse idem: v. g., quia Intellectus ex vi huius conceptus *animal*, quantumcumque reflectatur, nequit incidere in conceptum *rationale*, nec dicere, illud obiectum esse rationale; ideò, inquiunt, ratione distinguit animal à rationali. Quam explicationem tenet inter alios Pater Ulloa (c), loquens de distinctione rationis Logicâ, cum distinctionem rationis metaphysicam explicet per diversas definibilitates. Obstat tamen 1.; quod animal ratione distinguitur à differentijs rationalis & irrationalis, etiam indeterminatè sumptis; vt etiam homo à differentijs individualibus: nisi enim ab eis etiam sic acceptis præscinderetur, non foret propriè Universale, sed individuum vagum, aut species vaga: & tamen, qui terminorum conscius reflectatur supra conceptum *animal* (v. g. dum longè prospicit animal se movens), statim inferet, obiectum esse rationale vel irrationale; vt etiam ex vi conceptus *homo* statim colliget identitatem obiecti cum Petro, vel Paulo, vel Joanne &c.

10 Obstat 2., quòd inter animal, & rationale, vel bipedale, datur distinctio rationis mutua: & tamen, bene penetrato conceptu *bipedale*, statim incidet in conceptum *animal*. Obstat 3., quòd proprietates metaphysicæ sub proprijs nominibus colliguntur ex conceptu proprio differentiæ essentialis; quivis enim rerum peritus, ex hoc conceptu, *Est rationale*, facilè colliget, *ergo est risibile*, *est admirativum* &c.: & tamen nemo negat distinctionem rationis inter hæc prædicata. Nec respondeas, illationes huiusmodi nò esse formales, sed materiales. Nam etiam ma-

(c) *In Logic. Mss. disp. 1. cap. 5.*

materialis est hæc illatio, *Est homo, ergo est rationalis*, vt constat ex Summulis: & tamen per se distinctionem rationis excludit. Nec item dicas, prædictas illationes cohærere cum distinctione rationis metaphysicâ, excludere tamen distinctionem Logicam. Nam quid præcor in Schola communius, quàm distinctionem rationis Logicam admittere inter animal vt sic, & differentias specificas, etiam vagè sumptas? aut inter hinnibile, & animal? aut inter differentiam essentialem, & proprietates metaphysicas? Itaque gratis adstruitur alia distinctio rationis pro Logicis, alia pro Metaphysicis: tum quia videtur id esse contra communem sensum, & vsum: tum quia magna est affinitas vtriusque Scientiæ iuxtà omnes.

11. Sed objicies: eadem est difficultas in nostrâ sententiâ: nam, si quis penetret vim & energiam cognitionis *rationale*, cognoscere debet, obiectum illud esse animal, & esse risibile: iam ergo conceptus *animal*, aut *risibile*, debet ingredi perfectam explicationem conceptus *rationale*. Nego assertum: & in probatione *dist. Antec.*: cognoscere debet purè argumentando, *conc.*; cognoscere debet definiendo, aut quasi definiendo, *neg. Antec.*, & *Consq.* Rationale esse animal, tunc cognosceretur definiendo, quando non posset plenè explicari, vnde, vel quo titulo mereretur nomen *rationalis*, & verificaret conceptum tali nomini respondentem, nisi diceretur esse animal. At non ita res accidit: nam ex eo præcisè, quòd cognoscatur esse principium discursus, habetur titulus, quo plenè meretur nomen *rationalis*, & propriè verificat conceptum eo nomine designatum: adeò vt possit Intellectus dicere, *Etiamsi hoc obiectum nihil esset, nisi verum principium discurrendi, non ideò quidquam immediate diceret de proprietate nominis, & verificatione conceptus.* Solùm ergo ex vi conceptus *rationale* purè argumentando cognoscitur, obiectum esse animal, & risibile; quia conceptus ille noticiam excitat aliunde præhabitam de eo, quòd principium discurrendi non inveniatur in rebus nisi identificatum cum principio sentiendi, & ridendi. Hoc ipsum alijs terminis dici solet, scilicet ex conceptu *rationale* cognosci animal, non *formaliter*, sed *illative*.

12. Iam, si quæras, quænam sit ratio, vel causa prædictæ dissimilitudinis conceptuum, qui, cum idem habeant obiectum reale, tamen diversas importent definibilitates, aut definitiones? *Resp.* In primis, ratio à posteriori est experientia: passim quippe experimur, ex duobus conceptibus eiusdem obiecti posse nos penetrare, & explicare totum quasi nucleum vnius absque recursu ad alium, nec ad eius explicationem. Deinde, ratio à priori intrinseca, nulla est, præter naturam, & indolem ipsorum conceptuum; quemadmodum non est ratio à priori, cur homo sit rationalis, potius quàm hinnibilis. Postremò, ratio à priori extrinseca, est fœcunditas obiecti simul cum imperfectione mentis humanæ. Sicut enim causa physica realiter vnica, v. g. Omnipotentia Dei, producere potest diversos effectus, quorum quisque imitetur, & quasi physicè repræsentet perfectionem causæ, sed imperfectè, & diversimode; ita obiectum realiter vnicum potest Intellectui imprimere species ad varias cognitiones sui, quarum quælibet sit intentionalis imi-

imitatio, & repræsentatio eiusdem obiecti, sed imperfectè, & diversimodè. Exemplum est in homine procul vilo; qui primùm speciem mittit ad conceptum *corpus*, quo non discernitur à trunco, vel lapide: deinde propiùs accedens, dum iam percipitur motus progressivus, causat conceptum *animal*, quo discernitur à trunco, sed non à bruto: tum propinquior factus, movet ad conceptum *homo*; ac demùm ad conceptum *Petrus*.

13 In hac obiectorum fœcunditate simul cum imperfectione Intellectus consistit fundamentum distinctionis rationis: quod fundamentum Varij varijs explicant modis. Nam alij totum revocant ad imperfectionem Intellectus humani, qui totam rerum perfectionem, cum nequeat vno intuitu percipere, sicut percipit Deus, aut Angelus, quasi per partes concipit. Hæc tamen non est causa vnica: tum quia sæpe Intellectus elicere posset conceptum adæquatum, & ex imperio Voluntatis vtitur specie inadæquatâ, & conceptum elicit præcisivum: tum etiam, quia Intellectus non æquè distinctivus est circà quodvis obiectum: ergo quia attemperatur fundamento, quod ex parte obiecti reperitur. Alij pro fundamento assignant diversitatem effectuum, principiorum, seu connotatorum: quia enim homo v. g. potest concipi in ordine ad diversos effectus, v. g. ad discursum, & risum, ideò fundat distinctionem rationis inter prædicata *rationale*, & *risibile*. Hoc fundamentum est quidem frequentissimum, sed non vnicum. Tum quia inter colorem & differentiam albedinis datur distinctio rationis, quin vlla connotatorum diversitas appareat. Tum etiam, quia in ipsissimet connotatis distinctio rationis locum habet, quin pateat recursus ad alia connotata sine vitioso circulo, vel infinito processu.

14 Alij ex docto & acuto Recentiore nostro fundamentum distinctionis rationis dicunt semper esse distinctionem aliquam realem ex parte obiecti. Potest autem id fundamentum assignari triplex. Primum est distinctio realis inadæquata obiectorum, quæ directè attinguntur, quando scilicet vnus conceptus attingit id ipsum, quod alius, & aliquid vltra. Sic ratione distinguuntur *color*, & *albedo* sub his conceptibus, quia primus attingit confusè species omnes colorum, secundus autem non nisi vnicam. Idem patet in conceptibus *animal*, & *rationale*. Secundum est distinctio realis, quæ datur, non quidem inter obiecti directè cognita, sed inter alia obiecta prius nota, quorum ad instar illa concipimus. Sic, vt ratione distinguantur in Deo Immensitas, & Æternitas, fundamentum præbet distinctio realis, quam novimus inter vbicationem & durationem creatas, ad quarum similitudinem illa Dei attributa concipimus. Tertium est distinctio realis in effectibus, aut connotatis extrinsecis eiusdem rei. Ex quo fundamento ratione distinguimus Intellectum & Voluntatem, rationale & risibile, & in qualibet cognitione vitalitatem, & repræsentationem, quia scilicet cognitio vt vitalis connotat potentiam, vt repræsentativa connotat obiectum.

15 Hæc satis apposite cogitata sunt. Nihilominus dicere quis poterit, non hic assignari fundamentum distinctionis mutuæ inter Petreitatem, & rationem hominis. Nam,

Nam, siquod esset, maximè quod sumitur ex inadæquatâ distinctione reali obiectorum, quia scilicet conceptus *homo* ad plura extenditur, quàm *Petreitas*. Ast ex hoc fundamento solùm arguitur distinctio rationis non mutua, vt patet in his conceptibus *Petreitas*, *differentia individualis*, vel in his *Ens*, *Perfectas*, iuxtà communem sententiam de transcendentia Entis. Prætereà, color vt sic ratione distinguitur à suis omnibus differentijs, vt simul expressis hoc conceptu, *Omnis differentia coloris*: & tamen nulla hic distinctio realis pro fundamento est, vt constabit examinanti.

16 Recurrunt alij ad eminentiam perfectionis, quæ reperitur in obiecto, v.g. in homine, qui, cum in se identificet perfectiones in rebus inferioribus dispersas, fundamentum præbet, vt quælibet seorsùm concipiatur. Sed nec hoc fundamentum semper adest. Quam enim perfectionis eminentiam invenies in lapide, vel in modo vbicationis? in quibus tamen prædicata ratione distincta cogitari possunt. Alij demùm pro fundamento assignant realem similitudinem & dissimilitudinem vnius obiecti cum alijs, vnde occasionem accipit Intellectus distinguendi id, in quo res est similis alijs, ab eo, in quo est dissimilis. Fateor, mixturam similitudinis cum dissimilitudine semper ex parte obiecti præsupponi ad distinctionem rationis, sive mutuam, sive non mutuam: non tamen præcognoscitur semper, vt experientia testatur. Quapropter dicendum est, fundamentum distinctionis rationis non semper esse vniusmodi, sed pro varietate obiectorum varium existere, & ex fundamentis enumeratis à num. 13. nunc vnum, nunc aliud adesse, fortasis etiam alia ab ijs diversa: quæ omnia generatim reduci possunt ad fœcunditatem obiecti, de quâ n. 12.

17 Notandum hìc contrà PP. Peynado, & Ulloa, per actum Intellectus realiter indivisibilem, v. g. per hanc apprehensionem *Animal & rationale*, quæ supponatur realiter indivisibilis, non posse fieri actualem distinctionem rationis positivam, sive completam. Ita P. Quiros disp. 16. num. 14. post Doct. Eximium, qui disp. 7. Metaph. sect. 1. num. 8. sic loquitur: *Distinctio rationis requirit distinctionem* (realem intelligit) *saltem in ipsis conceptibus, & in denominatione, quæ ab illis sumitur*. Ratio est: quia, posito illo actu indivisibili, nullo ex capite datur distinctio actualis inter animal & rationale: non in primis distinctio intrinseca obiecto, vt Adversarij fatentur: non deinde distinctio extrinseca in cognitione consistens; cum enim cognitio sit vnica, & non repræsentet vnum sine alio, sed indivisibiliter vtrumque, quomodò poterit denominare vnum ab alio distinctum?

18 Certè iuxtà communem Auctorum sensum distinctio rationis non fit nisi per actum præcisivum vnius ab alio; quòdsi præcisio sit reciproca hinc & inde, fit distinctio rationis mutua & completa. At ille actus nec præscindit animal à rationali, nec rationale ab animali, cum sit vtriusque expressio ex parte actus. Adde quòd omnis distinctio in eâ lineâ, in quâ est distinctio, ponit vnum & aliud: at vi illius actus nulla est alietas, nulla dualitas, nec ex parte obiecti, nec ex parte actus. Accedit auctoritas D. Thomæ in 1. dist. 2. art. 3. C., vbi planè docet, attributa Divina non ali-

ter fieri ratione distincta, nisi per pluralitatem conceptionum Intellectus nostri: & in respons. ad 6. generaliter inquit: *Tunc aliquid est unum re, & ratione multiplex, quando una res respondet diversis conceptionibus, & nominibus.*

19 Nec obstat, quod per illum actum non appareat realis identitas animalis & rationalis: hoc enim haud sufficit, vt extrema appareant, vel fiant ratione plura: sicut è converso, quâvis per talé actû nulla realis pluralitas, aut diversitas animalis & rationalis appareat, non ideò iuxtà Adversarios apparent, aut fiunt ratione vnum. Datur ergo medium inter esse *ratione plura*, & *esse ratione vnum*, cum hæ sint denominationes extrinsecæ, quæ requirunt conceptus specialis naturæ: datur, inquam, medium, quoties adest conceptus, qui nec exigit definitionem vniformem, ideoque non est rationis vnitas, nec aliunde continet expressiones actu diversas, ideòque nec est actualis distinctio rationis. Et talis est conceptus, quo de loquimur; & qui proinde solùm est distinctio rationis *equivalenter*, quatenùs æquivalet duabus apprehensionibus diversis, *animal*, & *rationale*. In summâ distinctio rationis duo requirit, & quòd conceptus actualiter distinguantur, & quòd sint definitivè diversi: quorum alterutro deficiente, deficit distinctio rationis.

20 Ex dictis facilè colliges, quid sit rationis identitas. Est etenim conceptus, sive vnus, sive multiplex, quo constituitur obiectum vniformiter definibile, idest, excludens diversitatem expressionum, quarum altera non explicetur per alteram, nec per eius explicationem. Quare prædicatum A esse idem ratione cum prædicato B, est esse definibile per B, seu non posse explicari, quin dicatur esse B. Hæc identitas, apud Auctores negantes distinctionem Scoticam, & virtualem intrinsecam, vocatur *Identitas formalis*; sicut etiam distinctio rationis appellatur *distinctio formalis*: vnde passim pro eodem accipitur *distingui formaliter*, ac *distingui ratione*, & *esse idem formaliter*, ac *esse idem ratione*. Sufficit autem ad identitatem formalem definibilitas mediata, ita vt, si A definiatur per B, & B per C, & hoc per D, formaliter identificetur A, non solùm cum B, sed etiam cum C, & D. Idcircò formaliter imbibit homo prædicata omnia superiora. Tam identitas, quàm distinctio formalis, potest esse vel mutua, vel non mutua: nam homo v. g. secum formaliter identificat animal, quod tamen vt sic conceptum, non est idem formaliter cum homine. Sed hoc indiget explicatione, quæ posteà dabitur commodiùs.

21 Unitas formalis, sive rationis, sæpe recurrit cum identitate formali nunc explicatâ. Sæpe etiam accipitur pro conceptu ita attingente obiecta realiter plura, vt præscindat à pluralitate, & omnia constituat vniformiter definibilia. Sic conceptus *homo* est vnitas formalis omnium individuorum naturæ humanæ in ratione hominis, & conceptus *animal* est vnitas formalis brutorum & hominis in ratione animalis. Huic vnitati contraponitur pluralitas rationis signata, idest, repræsentatio pluralitatis realis vt talis. Denique notandum pro vsu nominum, quod identitas, & distinctio rationis communiter non tribuuntur, nisi extremis, quæ supponuntur identificata realiter: quamvis enim homo &

equus

æquus in esse talium dici possent ratione distingui, quia alia est ratio & definitio hominis, alia equi; vtus tamen obtinuit, vt distinctio rationis negligatur, quando concurrit cum distinctione reali. At pluralitas rationis, sive intentionalis, dicitur, vel de extremis ratione distinctis, & tunc est pluralitas exercita, seu exercitè facta per rationem; vel de extremis, quæ cognoscuntur vt realiter plura, & tunc est pluralitas signata.

22 Placuit his immorari, quia recta, & perspicua idea distinctionis rationis ad innumeras in Philosophiâ & Theologiâ difficultates enodandas necessaria est. Idcircò magis adhuc explicabitur cap. 8. Supponimus autem, distinctionem rationis consistere in ipsis conceptibus, vel actibus Intellectus, atqueadeò extrinsecam esse obiectis: quam suppositionem benè novimus displicere modernis Thomistis, qui putant distinctionem rationis esse fictam, & obiecto intrinsecam. Sed, præter dicta Tract. 1. disp. 2. cap. 4. & 5. istiusmodi fictio refutabitur occasione controversiæ proximè sequentis.

## CAP. VII.

*Utrùm per obiectivam præcisionem, an per formalem dumtaxat, fieri possit Distinctio rationis?*

### §. I.

*Vtriusque partis explicatio, & Auctorum Sententiæ.*

1 PRæcisionis nomen, à materiali scissione derivatum, tribuitur illis actibus Intellectus, qui ex prædicatis realiter identificatis vnum sibi quodammodò decerpunt, ac repræsentant, omissis alijs. Quodsi præcisio propriè divisionem efficiat in obiecto, idest, si cognitio præcisiva ita vnum attingat prædicatum obiecti, vt cætera realiter identificata verè relinquat incognita, & intacta, vocatur *præcisio obiectiva*, sive *præcisio ex parte obiecti*. Si verò cognitio attingat reipsâ totam realitatem obiecti, cunctaque prædicata ab eo realiter indistincta, sed adeò tenui repræsentationis claritate, vt vi illius perinde appareat obiectum, ac si vnicum prædicatum haberet, appellatur *præcisio formalis*, sive *præcisio ex parte actus*, vel *ex parte modi*. Exemp. gr. cognitio *animal* erit præcisio obiectiva, si per eam talis divisio fiat in entitate hominis, vt realitas animalis maneat attacta, cognita, repræsentata; & realitas rationalis verè maneat non attacta, non cognita, non repræsentata. Erit autem præcisio formalis, si totam hominis entitatem attingat, sed imperfectâ, & tenui claritate, perinde ac si homo foret duntaxat animal, & nihil vltrà.

2 Quoniam ergo distinctionem rationis per conceptus præcisivos fieri diximus, quærimus nunc, quâ præcisione fieri possit? obiectivâne, an purè formali? Quæstio est hoc tempore celeberrima; nec alia maiore contentione, & subtilitate, nostrorum præsertim Recentiorum, disputatur in Logicâ, & Metaphysicâ. Inter Antiquiores non reperitur ex professo mota, eo (inquit Mastrius (a)), *quia placuit fuisset tunc temporis præcisiones negare obiectivas. Sed Recentiores Societatis Patres* (pergit Mastrius), *semper aliquid novi afferre cupientes, quo doctrinam Scoticam, & Thomisticam impugnent, quæ semper Peripatetica fuit, ... Nonni-*

(a) *Disp. 6. Metaph. num. 292.*

*minarium contrà Scotum, & S. Thomam erigere, & propugnare tentarunt: unde in præsenti negant præcisiones omnes obiectivas, quibus innixa erat tota metaphysicalis doctrina Scoti, & D. Thomæ* &c. Sed doctus hic Scotista nimis tetricè, nimis censoriè loquitur; nimis etiam à veritate aberrat in præsentiarum. Tum quia præcisionem obiectivam esse contra mentem D. Thomæ, planè monstrabimus in hoc cap.. Tum quia, si doctrina Scotica, & Thomistica semper Peripatetica fuit, doctrina Peripatetica contradictionibus scatebit: nam quis nescit, doctrinæ Thomisticæ contradicere passim Scoticam, præsertim *metaphysicalem*? Memento in specimen distinctionis formalis ex naturâ rei inter Gradus metaphysicos. Nec te moveat exprobratio novitatis, quæ facilè dilui posset, & in exprobrantem retorqueri, si foret operæpretium.

3 Inter Modernos igitur Philosophos tuentur præcisionem obiectivam quotquot admittunt distinctionem Scoticam, aut Virtualem intrinsecam; & meritò quidem: vix enim est vnde negetur obiectiva præcisio inter prædicata, quæ vel formaliter ex naturâ rei, vel virtualiter intrinsecè distinguantur. Ideò cum his nulla est contentio in præsenti; potiusque supponitur in hac controversiâ, neutram ex ijs distinctionibus cum identitate reali cohærere. Ex alijs præcisionem obiectivam defendunt Recentiores Thomistæ, quibus adhæret Cursus Trinitarius, & Mastrius (b) etiam vbi non adest distinctio Scotica. Eamdem præcisionem tuentur è nostris Conine, Compton, Suar. Lusitanus, Izquierdo, R. P. Thirsus, & alij, præsertim Recentiores in M. S., qui magno acumine controversiam istam illustrarunt. Ex adverso præcisionem obiectivam impossibilem esse, atque adeò per solam formalem peragi distinctionem rationis, propugnat communior sententia nostrorum. Sic enim inter alios censent Hurtado, Arriaga, Oviedo, Alphonsus, Tellez, Quiros, Peinado, Ulloa, & passim Recentiores in M. S. Consentiunt exteri complures, vt Aversa, Bona-spes, Calagurritanus, Servera. Hanc sententiam & nos amplectimur.

(b) *Ibid. num.* 298.

## §. II.

### *Reijcitur obiectiva Præcisio.*

4 ARgumentum commune, & invictum contrà præcisionem obiectivam, est huiusmodi. Subiecto, quod est vnum, & idem, convenire nequeunt prædicata strictè contradictoria; sed convenirent, positâ præcisione obiectivâ: hæc igitur inter prædicata realiter identificata dari non potest. Maior conceditur ab Adversarijs, qui idcircò laborant, vt contradictionem prædicatorum varijs modis avertant. *Prob. Min.*: positâ præcisione obiectivâ, animal hominis verè cognoscitur cognitione *animal*, & rationale verè non cognoscitur eâdem cognitione; sed cognosci & non cognosci eâdem cognitione, sunt prædicata strictè & ex terminis contradictoria, sicut produci & non produci eâdem productione: ergo animali & rationali, quod est vnum & idem, prædicata contradictoria conveniunt.

5 Urgetur, & explicatur 1.: animal cognosci simul & non cognosci eâdem cognitione, contradictio est manifesta, & omninò repugnans

nans iuxtà omnes: sed hæc contradictio sequitur ex præcisione obiectivâ. Probatur: animal in primis cognoscitur, cognitione *animal*, vt dicitis; deinde idem animal simul non cognoscitur eâ cognitione: ergo &c. *Prob. Minor* syllogismo expositorio, cuius efficacia maximè patet, dum animal à longè visum, ex motu cognoscitur esse animal, quin dignoscatur vt rationale: *Hoc rationale non cognoscitur hac cognitione* animal; *sed hoc animal est hoc rationale*; *ergo hoc animal non cognoscitur hac cognitione* animal.

6 Urgetur 2.: rationale necessario cognoscitur, cognito animali, cui identificatur: si ergo simul non cognoscitur, vt vultis, iam ipsum rationale subit contradictoria; quod repugnat apud omnes. *Prob. Antec.*: quia rationale est illa ipsa realitas, quæ cognoscitur, & terminat cognitionem; est enim realitas animalis, & hæc est, quæ cognoscitur, & cognitionem terminat: ergo necessariò cognoscitur & ipsum rationale, siquid valet hic in *Barbara* syllogismus: *Omne animal hominis cognoscitur cognitione A*; *sed omne rationale est animal hominis*: *ergo omne rationale cognoscitur cognitione A*. Accedit, quòd animal & rationale non sunt alia & alia pars hominis, sed indivisibiliter eadem entitas: ergo implicat hominem cognosci qua parte est animal, & non cognosci quâ parte est rationalis; non aliter ac punctum indivisibile, quia partibus & lateribus caret, si semel tangitur, totum & vndique tangitur necessariò.

7 Urgetur 3.: implicat animal produci, vniri, aut album esse, quin hæc omnia simul conveniant rationali: ergo & implicat animal cognosci, quin rationale cognoscatur. *Prob. Conseq.*, ideò verum est Antecedens, quia sequeretur alioquin, sociari simul in eodem subiecto verum aliquod esse cum sui non esse, seu cum carentiâ sui; quo violarentur prima principia, *Quodlibet est, vel non est*, *Impossibile est idem simul esse & non esse*. At idem absurdum sequitur ex eo, quod animali cognito non cognoscatur eâdem cognitione rationale, nempe coniungi simul *esse cognitum* cum sui non esse, seu cum carentiâ sui. Nec dicas, *produci & non produci*, esse contradictoria physica, & intrinseca, quæ proinde petunt distinctionem realem; secùs autem contradictoria extrinseca, cuiusmodi sunt *cognosci & non cognosci*.

8 Nam contrà est 1., quòd prædicatis extrinsecis tam repugnat simul esse & non esse in eodem subiecto, quàm in rinsecis: tum quia oppositio contradictoria vbique est maxima: tum quia dicta principia lumine naturæ nota nihil excipiunt: tum quia animal simul cognosci & non cognosci cognitione A, prorsùs est impossibile iuxtà Aduersarios: tum quia simul esse & non esse visum, dextrum, sinistrum, comprehensivè cognitum, licèt fiat contradictoria extrinseca, omninò repugnant sine distinctione reali; vt etiam Aduersarij non dubitant. Contrà est 2., quòd ex contradictorijs extrinsecis à præcisivâ cognitione profectis, etiam intrinseca sequuntur: nam Intellectus, positâ cognitione *animal*, simul erit cognoscens animal, & non cognoscens rationale, atque adeò simul cognoscens & non cognoscens obiectum realiter idem: *cognoscere* autem, & *non cognoscere*, tam sunt contradictoria physica, & in-

trinseca Intellectui, quàm *produci* & *non produci*. Ipsa quoque cognitio simul erit & non erit intrinsecè repræsentatio, tendentia, imago eiusdem obiecti.

9 Communis Recentiorum solutio distinguit duo prædicatorum genera: alia, quę rebus conveniunt secundùm esse physicum, sive in statu physico & reali, independenter ab operatione Intellectus, vt sunt prædicata *producti*, & *alvi*; & hæc affirmari simul & negari non possunt sine distinctione sibi proportionatâ, hoc est, physicâ, & reali: alia, quæ rebus conveniunt secundùm esse cognitum, sive in statu intentionali, in quo subsistant actibus Intellectus; & hæc, saltem dum profluunt à cognitione inadæquata, & præcisivâ, v.g. prædicata *generis*, *speciei*, *abstracti*, *præcisivè cogniti*, &c., solam exigunt distinctionem rationis pro simultaneâ sui affirmatione & negatione. Cum enim sint contradictoria rationis, distinctionem in suâ lineâ postulant, non in lineâ reali. Hanc autem distinctionem rationis efficit exercitè conceptus ipse præcisivus, & inadæquatus. Hinc inferunt 1., prædicata *cogniti* & *non cogniti* cognitione *animal*, prout applicantur animali & rationali, non esse contradictoria: quia non verificantur de subiecto *eodem* in lineâ rationis; licèt enim subiecta sint vnum & idem realiter, sunt tamen duo formaliter, seu per rationem; quæ dualitas non præsupponitur in obiecto, sed exercitè fit à cognitione *animal* ex proprio modo tendendi inadæquato.

10 Inferunt 2., falsò dici absolutè, quòd eadem entitas hominis cognoscitur simul & non cognoscitur, posità cognitione *animal*: negatio enim absolutè dicta totum destruit, & indicat, nullam cognitionem, etiam inadæquatam, ad hominem terminari. Solùm ergo verificatur, entitatem hominis cognosci *inadæquatè*, & non cognosci *adæquatè*; in quo nulla contradictio est. Inferunt 3., syllogismum expositorium num. 5. peccare fallaciâ accidentis, & malè concludere; quia ab statu reali arguit ad statum intentionalem, & ab identitate reali, quam in Minore affirmat, perperàm saltat ad identitatem rationis in Conclusione. Quare similis est syllogismo fallaci, quem exhibet D. Thomas (c), videlicet, *Cognosco Coriscum, sed Coriscus est veniens, ergo cognosco venientem*: aut etiam illi, qui suppositionem personalem mutet in simplicem, v.g. *Animal est genus, sed homo est animal, ergo homo est genus.* Hæc est summa doctrinæ Recentiorum; contrà quam superius argumentum.—

11 Instauratur 1.: ideò implicatorium est, produci animal, & non produci rationale, quia denominatio *producti* cadit suprà esse reale & physicum animalis, quod est ipsissimum esse rationalis; sed etiam denominatio *cogniti* cadit suprà esse reale & physicum animalis: ergo implicat non cadere pariter suprà rationale. *Prob. Min.*: denominatio *cogniti* cadit suprà id, quod attingit cognitio *animal*; sed ea cognitio attingit esse reale & physicum animalis, vt est certum, non enim est cognitio reflexa, sed directa, nec secunda intentio formalis, sed prima: ergo &c. Dicis: illa cognitio attingit quidem esse physicum animalis, sed non totum. *Contrà*: ideò productio nequit attingere animal, quin attingat totum, quia productio attingit physicum esse animalis, in quo non alia

(c) *Opusc. de fallac. cap. 5.*

pars

pars est animal, alia rationale, cum totum sit indivisibiliter vtrumque; sed etiam cognitio attingit physicum esse animalis, non enim aliud esse pro obiecto habet iuxtà Recentiores, & iuxtà veritatem: debet ergo totum etiam attingere.

12 Instauratur 2.: denominatio *cogniti* (loquimur semper de cognitione præcisivâ *animal*) non convenit animali prout ratione distincto à rationali: ergo vel convenit etiam rationali, vel sine vllâ distinctione verificantur contradictoria. *Prob. Antec.*: animal vt ratione distinctum à rationali, est animal vt cognitum, & vt iam involvens cognitionem præcisivam, nam distinctio rationis est ipsamet præcisiva cognitio, iuxtà Recentiores Scholæ nostræ; sed denominatio *cogniti* non convenit animali vt iam cognito & involventi cognitionem ipsam directam, hæc enim non se denominat, nec se pro obiecto habet: ergo nec convenit animali vt per rationem distincto à rationali. Dices: ea denominatio convenit animali vt ratione distincto à rationali, Tò *vt* reduplicante distinctionem, non per modum rei denominatæ, sed per modum status, in quo actualiter est animal, cum denominatur cognitum.

13 Esto: ergo, cum dicis, animal cognosci vt distinctum à rationali, non id intendis, vt tota denominatio *distincti* cognoscatur, & terminet cognitionem, sed tantùm vt nudum animal dicatur cognosci tunc, cùm actu distinguitur à rationali, sic tamen, vt distinctio ipsa ne partialiter quidem denominetur cognita: ergo solum & nudum esse animalis, vt realiter condistinguitur à distinctione ipsâ rationis, est subiectum denominationis *cogniti*. Tum sic: ergo rationale est subiectum eiusdem denominationis, & cognitionem verè terminat. *Prob. Conseq.*: animal cognitionem terminat, & est subiectum denominationis, quatenùs nullam dicit distinctionem à rationali; sed eadem manera, quæ gerit animal quatenùs nullam dicens distinctionem à rationali, gerit etiam necessariò rationale, vt est evidens: ergo &c. *Prob. Mai.*: animal ea munera gerit quatenùs realiter condistinguitur à distinctione rationis; sed quatenùs à distinctione rationis condistinguitur, nullam dicit distinctionem à rationali, siquidem aliud genus distinctionis omninò respuit, vt supponimus: ergo &c.

14 Eâdem formâ probare poteris, quòd denominationes *distincti per rationem*, *præcisi*, *inadæquatè cogniti*, non minùs conveniunt rationali ex parte obiecti, quàm animali. Nam omnes conveniunt animali prout omnimodis indistincto à rationali, & prout nullam dicenti præcisionem, aut inadæquationem respectu rationalis: omnes quippe conveniunt animali quatenùs realiter condistincto ab eâ cognitione, quæ est tota distinctio, præcisio, inadæquatio. *Confirm.*: distinctio, seu præcisio rationis, non immutat intrinsecè animal, dum illud transfert ad statum intentionalem, tota namque subiectivè residet in Intellectu: ergo animal, postquàm translatum est ad statum intentionalem, tam intrinsecè manet rationale, quàm erat anteà: ergo etiam rationale transfertur ad eumdem statum, atque adeò redditur cognitum. Probo hanc Conseq.: quia, licèt status intentionalis sit extrinsecus animali, quod tamen ad eum transfertur, est ipsum

esse intrinsecum animalis: si ergo hoc esse intrinsecum manet intrinsecè rationale intrà illum statum extrinsecum, quomodò rationale non erit in eodem statu?

15 Nec dicas cum RR. Thomistis, distinctionem rationis esse objecto intrinsecam, quia est distinctio ficta ab Intellectu ex parte objecti; nec aliter Intellectus ratione distinguit animal à rationali, quàm apprehendendo animal vt intrinsecè à rationali distinctum. Nam contrà est 1., quòd, etiamsi daretur distinctio ficta inter animal & rationale, non sufficeret ad verificandum, animal reverà cognosci, & rationale reverà non cognosci cognitione *animal*, prout volunt omnes Patroni præcisionis objectivæ. Tum quia sunt hæc contradictoria vera & realia, quæ sine distinctione subiectorum verâ & reali cohærere non possunt. Tum quia vi istius distinctionis tantùm dici poterit, quod rationale *ficte* non terminat cognitionem *animal*, secùs autem quòd *verè* non terminat. *Contra* 2.: cognitio præcisiva non fingit, nec rem concipit aliter ac est, vt sæpe docet D. Thomas (d), approbans tritum Scholarum proverbium, *Præscindentium, & Abstrahentium non est mendacium.* Unde ipsi Thomistæ communiter dicunt, entia rationis non fingi, nisi per cognitionem comparativam. Cognitio igitur objectivè præscindens inducit prædicata contradictoria, priusquam adsit ficta distinctio.

16 *Contrà* 3.; quia distinctionem rationis, etiam positivam, sive completam, in ipsis mentis actibus consistere, palàm docet D. Thomas citandus §. sequenti. *Contrà* 4.; quia, si cognitio apprehendit animal intrinsecè distinctum à rationali, non apprehendit animal verum & reale, sed chymericum; non aliter ac, si apprehenderet animal intrinsecè identificatum cum lapide, chymericum animal apprehenderet: tam enim repugnat animali vero, quod in homine existit, intrinsecè distingui à rationali, quàm intrinsecè identificari cum lapide. Profectò, animal hominis apprehendi sic distinctum, est apprehendi quasi positivè excludens à parte rei identitatem realem sui cum rationali; sed animal hominis, si tale esset à parte rei, foret absdubiò chymericum: ergo, dum apprehenditur quasi tale esset, apprehenditur vt chymericum. Unum tamen rectè censent Thomistæ, præcisionem objectivam explicari non posse, quin concipiatur distinctio intrinseca in objecto: nam alioquin tota præcisio se tenet ex parte actus, & relinquit animal intrinsecè immutatum, quod proinde secum defert rationale, quamcumque denominationem subeat, & ad quemcumque statum transferatur, vt arguebamus num. 14.

17 Ex dictis inferes, impropriè loqui Objectivistas, dum aiunt, prædicatum *cogniti* convenire animali secundùm esse intentionale: quamvis enim prædicatum illud sit intentionale, convenit tamen animali secundùm esse physicum, cum hoc sit subiectum denominationis *cogniti*: quemadmodùm denominatio *sanctæ* per Gratiam, licèt sit prædicatum supernaturale & accidentale, cadit tamen suprà esse naturale & substantiale animæ. Inferes etiam, frustrà quæri fallaciam in syllogismo expositorio num. 5.: nam syllogismus de Corisco veniente, relatus à D. Thomâ, ideò est fallax, quia ex cognitione Corisci arguit cognitionem

(d) *V. g.* 1. *p. q.* 85. *ar.* 1. *ad* 1., & *Opusc.* 70. *q.* 1. *ar.* 3.

tem accidentis à Coriſco realiter diſtincti & ſeparabilis, nempe cognitionem adventus, ſive actus veniendi. At noſter ſyllogiſmus ex cognitione animalis arguit cognitionem obiecti realiter indiſtincti ab animali, nempe rationalis. Imò retorquetur exemplum. Non fallit hæc forma, *Hic homo eſt Coriſcus, ſed Coriſcus eſt veniens, ergo hic homo eſt veniens*: non igitur fallit hæc omninò ſimilis, aut eadem; *Hoc rationale eſt hoc animal; ſed hoc animal eſt cognitum, eſt terminus cognitionis, tranſfertur ad ſtatum intentionalem; ergo hoc rationale eſt cognitum, eſt terminus cognitionis, & tranſfertur ad intentionalem ſtatum.*

18 Sed, vt effugium ad prædicata intentionalia præcludatur, argumentum ex contradictione deſumptum inſtauratur 3.: Si animal cognoſcitur, & rationale non cognoſcitur cognitione A, verificantur de animali & rationali contradictoria phyſica, & intrinſeca; quod repugnat etiam iuxtà Adverſarios. Probatur ſequela: ſi animal cognoſcitur cognitione A, eſt intrinſecè capax, vt eam cognitionem terminet; cognitio quippe obiecti realis ſupponit in eo capacitatem, vt cognoſcatur, quæ dicitur veritas tranſcendentalis, & cognoſcibilitas intrinſeca: ob eamdem rationem, ſi rationale non cognoſcitur cognitione A, non eſt intrinſecè capax, vt talem cognitionem terminet; neque enim cognitio poteſt mutare obiectum: atqui eſſe intrinſecè capax, & non eſſe intrinſecè capax reſpectu eiuſdem cognitionis, ſunt prædicata phyſica & intrinſeca: ergo &c.

19 Vulgata reſponſio eſt, totam hominis entitatem eſſe intrinſecè capacem, vt cognoſcatur inadæquatè, & ſimul totam non eſſe capacem, vt cognoſcatur adæquatè per cognitionem *animal*. Unde nulla eſt contradictio; quia capacitas & non capacitas diverſo ſenſu procedunt. Si inferas: ergo tota hominis entitas eſt capax, vt ea cognitione cognoſcatur non tota, ſed ſolùm quâ parte eſt animal; hoc enim, & nihil aliud ſignificare poteſt ly *inadæquatè*: concedunt conſequentiam; & addunt, eamdem capacitatem, quæ convenit animali, convenire pariter rationali à parte rei; nam animal eſt capax, vt tali cognitione reddatur cognitum animal ſine rationali, & rationale pariter eſt capax ad hoc ipſum, nempe vt animal ſine rationali reddatur cognitum eâ cognitione. Sed *contrà* 1.: quia iiſdem terminis tutò defendi poterit, totam entitatem animalis & rationalis eſſe intrinſecè aptam, vt producatur animal ſine rationali; aut etiam totum complexum ex Petro & equo eſſe intrinſecè capax terminandi cognitionem *homo*; vel in aquâ & igni dari virtutem intrinſecam, vt ignis ſine aquâ comburat.

20 *Contrà* 2.: animal non eſt intrinſecè capax, vt cognoſcatur animal ſine animali: ergo, ſi eſt intrinſecè capax, vt cognoſcatur animal ſine rationali, iam capacitas intrinſeca diverſificat animal à rationali; vel contradictio recrudeſcet hoc modo: animal, vt ais, non eſt intrinſecè potens cognoſci ſine animali; aliunde ſimul eſt ita potens. Probo: per te animal eſt intrinſecè potens cognoſci ſine rationali; ſed rationale eſt animal ipſum: ergo animal eſt intrinſecè potens cognoſci ſine animali. *Contrà* 3.: capacitas intrinſeca terminandi cognitionem extenditur ad totam hominis entitatem,

tem, vt concedis: ergo terminate cognitionem in actu secundo, toti hominis entitati convenire debet. Patet Consequentia: quia id totum terminat in actu secundo cognitionem A, quod in actu primo erat cognoscibile per ipsam: sicut id totum terminat productionem, & vnionem, quod erat intrinsecè producibile, & vnibile relatu ad ipsas. Id autem totum est cognoscibile in actu primo, ad quod extenditur capacitas intrinseca terminandi cognitionem.

21 Denique duobus alijs argumentis potest obiectiva præcisio reijci, & probari formalis. Primum sit: Si animal terminat, & rationale non terminat eamdem cognitionem, sequitur, in animali reperiri prædicatum aliquod intrinsecum, quod non reperitur in rationali; sed hoc repugnat, suppositâ omnimodâ identitate reali vtriusque: ergo &c. *Prob. Mai.*: Si animal terminat, & rationale non terminat cognitionem A, ideò est, quia in animali reperitur proportio aliqua cum tali cognitione, quæ proportio non reperitur in rationali; si enim eadem esset vtrique proportio, vtrumque terminaret cognitionem A. Sic, quòd Petrus, & non equus, terminet cognitionem *homo*, necessariò pendet ab aliquâ proportione, quâ Petrus, & non equus, tali cognitioni commensuratur, & coaptatur. Atqui proportio eiusmodi est quid intrinsecum animali, cum ipsi conveniat vt adæquatè distincto à cognitione; non enim loquimur de proportione cognitionis secum ipsâ, sed de proportione animalis specificativè sùpti cum cognitione. Iam ergo in animali reperitur prædicatum intrinsecũ, quod non reperitur in rationali.

22 Urgetur 1.: Cognitio obiecti realis, licèt faciat exercitè distinctionem prædicatorum, non facit, sed invenit proportionem, aut improportionem obiecti secum ipsâ, vt est certum: ergo positâ præcisione obiectivâ, proportio remanens in animali respectu cognitionis A, & improportio remanens in rationali respectu eiusdem cognitionis, non est facta per cognitionem, sed inventa. Hinc autem sequitur, quòd ante cognitionem permixtæ erant in entitate indivisibili proportio & improportio intrinseca respectu eiusdem. Sequitur etiam, quòd proportio, & improportio, quæ conveniunt animali & rationali ratione distinctis, non sunt prædicata intentionalia, cum non sint facta per cognitionem: sunt ergo prædicata physica, proindeque ad verificanda opposita prædicata physica, sufficiet distinctio rationis; quod vel Aduersarijs absurdum est.

23 Urgetur 2.: omnis cognitio est intentionalis imago sui obiecti, & idcircò similitudinem cum obiecto habet (e), in eò consistentem, quòd obiectum vtrà se habeat in essendo, sicut cognitio in repræsentando; quam similitudinem non habet cognitio cum rebus, quas pro obiecto non respicit. Si ergo cognitio A respicit pro obiecto animal, & non rationale, erit imago & similitudo animalis præ rationali: ergo animal, vt à cognitione condistinctum, ita se habet in essendo, sicut cognitio illa in repræsentando, rationale verò non ita se habet: ergo animal, vt à cognitione condistinctum aliter se habet in essendo, quàm rationale. Sed alietas in essendo est alietas physica & intrinseca: ergo inter animal & rationale datur alietas physica &

(e) *Vid. D. Thomam q. 7. de Pot. ar. 6. C., & sæpe aliàs.*

in-

intrinseca. Urgetur 3.: complexum, sive aggregatum ex realitate animalis & cognitione *animal*, diversum est à complexo, vel aggregato ex realitate rationalis & eâdem cognitione *animal*, siquidem in altero complexo reperitur vera & realis denominatio, quæ non reperitur in altero, nempe denominatio *cogniti*: Sed ea diversitas non est intentionalis, cum non consistat in cognitione, quæ est eadem in vtroque complexo: ergo est diversitas physica, & consistit intrinsecè in animali & rationali, vt à cognitione cõdistinctis.

24 Secundum fit: datâ præcisione obiectivâ, animal simul esset cognitum & incognitum cognitione *animal*. Probatur absurda sequela: animal esset cognitum, vt supponitur; aliunde esset incognitum. Probo: posità cognitione *animal*, rationale maneret in statu incogniti; sed rationale in hoc statu manet animal, & secum retinet animal absque vllâ distinctione: ergo etiam animal maneret incognitum. *Prob. Min.*: quia rationale in statu incogniti, est rationale in statu physico, non enim est in statu intentionali; sed rationale in statu physico secum retinet animal absque vllâ distinctione: ergo &c. Urgetur: ideò animal in statu cogniti non retinet secum rationale, quia afficitur cognitione distinctivâ & præcisivâ, per quam separatur à rationali: atqui rationale in statu incogniti nullâ afficitur cognitione distinctivâ, & præcisivâ, cum nulla ad rationale terminetur: ergo è contrario secum retinet animal in statu incogniti. Certè rationale in eo statu non denominatur *præcisum*, aut *ratione distinctum* ab animali; nam hæc denominatio est indivisibiliter eadem cum denominatione *cogniti*, quæ tunc non convenit rationali. At rationale necessariò manet animal in eo statu, in quo non est præcisum, nec ratione distinctum ab animali.

## §. III.

### *Præcisio formalis ex D. Thomâ probatur, & explicatur.*

25 EX dictis constat, impossibilem esse præcisionem obiectivam inter prædicata realiter identificata. Superest ergo vt distinctio rationis solâ præcisione formali fieri possit; nulla quippe media via est. Hanc autem esse D. Thomæ sententiam, ex eius Opusculo 9. demonstrat P. Hurtado disp. 6. Metaph. sect. 4. subiect. 3. in Edit. 6. Sed, quia nonnulli Thomistæ evidentiâ presi recusant illud Opusculum, vtpotè notatum inter incerta D. Thomæ (f), idcircò ex indubitatis Angelici Doctoris Scriptis id ipsum ostendo sic. Distinctio rationis inter attributa Divina non fit, nisi per conceptus formaliter præscindentes: ergo nulla distinctio rationis inter prædicata, quæ realiter identificantur, aliter fit. Consequentia legitima est à paritate rationis; nec Adversarij aliter censent de distinctione rationis circà res creatas, quàm circà Dei attributa, si semel hæc distinguuntur ratione ratiocinatâ, vt sæpe docet D. Thomas, nominatim in 1. dist. 2. q. 1. art. 2. C., vbi, *attributa Dei*, inquit, *sunt vnum re; & quia vnumquodque eorum est in Deo secundùm sui verissimam rationem, & ratio Sapientiæ non est ratio Bonitatis in quantum huiusmodi, relinquitur, quòd sunt diversa ratione, non tantùm ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.*

(f) *Vide dicta Tract. 1. disp. 2. cap. 3. num. 2.*

Pro-

26 Probo igitur Antecedens. D. Thomas loc. cit. sequenti artic. 3. inquirit, *Utrum pluralitas rationum, quibus attributa differunt, sit tantùm in Intellectu, vel etiam in Deo?* Est quærere, vtrùm ea pluralitas fiat solâ præcisione formali, an etiam obiectivâ? Si enim solâ formali fiat distinctio se tenet ex parte actus, adeòque pluralitas est tantùm in Intellectu. Sic autem obiectivâ; distinctio se tenet ex parte obiecti, adeòque pluralitas rationis est in Deo. Ut igitur quæsito respondeat, statuit D. Thomas, quòd *ratio rei* est *conceptio Intellectus* de re ipsâ, & quòd hæc *ratio*, sive *conceptio*, est *in anima sicut in subiecto*. Deinde, cum dixisset, quòd Intellectus noster *diversas conceptiones de Deo habet, quæ sunt diversæ rationes*, addit, quòd *pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, quæ Deus est, non quidem pluralitas rei, sed plena perfectio, ex qua contingit, vt omnes istæ conceptiones ei applicentur*. Et tandem concludit, quòd ea pluralitas *est ex parte ipsius Dei, in quantum est aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus, scilicet plena & omnimoda ipsius perfectio: non autem ita, quòd aliqua diversitas, vel multiplicitas ponatur in re, quæ Deus est, ratione istorum attributorum*.

27 Vides, vt hisce conceptionibus nostris, *sapientia, bonitas*, quibus fit distinctio, & pluralitas attributorum Dei, nulla respondet ex parte obiecti pluralitas, nulla multiplicitas, nulla diversitas, sed tantùm plena perfectio & omnimoda perfectio Dei. At hoc stare nequit, si conceptiones illæ præscindunt obiectivè. Patet: quia per conceptus obiectivè præscindentes ponitur ex parte obiecti multiplicitas, & diversitas realitatum: nam, vel ponitur, vt Thomistæ volunt, ficta distinctio intrinsecè afficiens obiectum, quæ diffecat illud in realitates diversas: vel conceptus ipsi, vt opinantur Auctores nostri, propriâ subtilitate findunt obiectum, & resultare faciunt plures ac diversas ex parte obiecti realitates. Non ergo cum eiusmodi præcisione stare potest, quod *non aliqua diversitas, vel multiplicitas ponatur in re, quæ Deus est, ratione istorum attributorum*. Ubi nota, quod *non aliqua* multiplicitas ponitur ex parte obiecti, ideſt, *nulla*: quo excluditur multiplicitas, non modò realis, sed intentionalis, hæc enim est *aliqua*. Lege totum articulum, & planè videbis, hanc esse mentem Angelici Doctoris.

28 Confirmatur ex 1. p. q. 13. art. 4. C., vbi explicans D. Thomas eamdem attributorum distinctionem rationis, inquit: *Sicut diversis perfectionibus creaturarum respondet vnum simplex principium, repræsentatum per diversas perfectiones creaturarum variè & multipliciter; ita variis & multiplicibus conceptibus Intellectus nostri respondet vnum omninò simplex, secundùm huiusmodi conceptiones imperfectè intellectum*. Id ipsum repetit in respons. ad 2. & ad 3. En clarè delineatam præcisionem formalem, & excluſam patenter obiectivam. Nam Deus ita repræsentatur per multos & varios conceptus præcisivos, sicut per varias & multiplices perfectiones creaturarum; sed, quando vna creatura repræsentat potentiam Dei, alia sapientiam, alia bonitatem &c., tota distinctio & multiplicitas se tenet ex parte creaturarum, & nullatenùs refunditur in Deum, vt nemo dubitat: ergo quando conceptus præcisivi repræsentant, alius potentiam

tiam Dei, alius sapientiam &c., distinctio, diversitas, & multiplicitas nullatenùs in Deum transit, sed tota se tenet ex parte conceptuum, quibus omnibus ex parte obiecti *respondet vnum omninò simplex, secundùm huiusmodi conceptiones imperfectè intellectum.* An non hæc est præcisio formalis, quæ repræsentat totum, quod est in obiecto, sed *imperfectè*? An hæc esse poterit præcisio obiectiva, quę necessariò facit, vt his conceptibus, *potentia, sapientia*, non respondeat *vnum omninò simplex*, sed potiùs duplex perfectio distincta ex parte obiecti?

29 Hanc ipsam doctrinam dilucidè tradit Angel. Doctor q. 2. de „ Verit. art. 1. C.: *Videmus*, inquit, „ *in rebus, quæ sunt extrà animam,* „ *quòd* quælibet res imitatur aliquo- „ modò Deum, sed imperfectè: vn- „ de & diversæ res diversimodè „ Deum imitantur, & secundùm di- „ versas formas repræsentant vnam „ simplicem Dei formam, quia in „ illâ formâ vnitur quidquid perfec- „ tionis distinctim, & multipliciter in „ creaturis invenitur... Similiter etiam „ Intellectus noster secùndùm diversas „ conceptiones repræsentat Divi- „ nam perfectionem, quia vnaquæ- „ que imperfecta est... Sunt ergo „ plures conceptiones in Intellectu „ nostro repræsentantes essentiam „ Divinam: vnde essentia Divina „ vnicuique illarum respondet, *sicut* „ *res suæ imagini imperfectè* &c. Hactenùs D. Thomas, graphicè depingens præcisionem formalem, cuius character est repræsentare totam perfectionem obiecti realiter simplicem, sed imperfectè ex parte sui, sive imperfectâ claritate; eo modo, quo Sol v.g. imitatur Deum totum, cum repræsentet *vnam simplicem Dei formam*, sed imperfectè ex parte sui, sive imitatione subiectivè imperfectâ, & inadæquatâ, licet terminativè adæquatâ.

30 Sed, vt Sole clarior appareat mens D. Thomæ, audiatur eâdem q. 2. de Verit. art. 1. ad 3. vbi, cum sibi obiecisset, quòd nomen *Scientia* non potest dici de Deo, quia *non significat totam perfectionem ipsius*; &, *si non significat totam, nihil ipsius significat, cum in Deo non inveniatur pars*: tantum abest, vt respondeat, in Deo inveniri partem per fictionem, aut obiectivam præcisionem, vt potiùs argumentum solvat his verbis: *Cum nomina sint signa intellectuum, secundùm hoc se habet nomen ad totalitatem alicuius rei significandam, secundùm quod se habet Intellectus in intelligendo. Intellectus autem noster totum Deum intelligere potest; sed non totaliter totum: quia necessarium est, vt de ipso aut totum intelligatur, aut nihil, cum in eo non sit pars, & totum: sed dico non totaliter, quia non perfectè cognoscit ipsum, secundùm quod ipse est in sui natura cognoscibilis... Similiter & nomina, quæ de Deo dicuntur, ipsum totum, sed non totaliter significant.*

31 Vides, credo, sententiam nostram cum suâ ratione fundamentali, quæ militat in omni obiecto realiter impartibili, sive vbicumque datur realis identitas. Hic conceptus *animal*, vel hic alius *sapientia Dei*, præcisivus est. Sed cur? quia talis conceptus, inquiunt Obiectivistæ, non intelligit totum hominem, aut totum Deum, sed tantùm realitatem quamdam, relinquendo cæteras incognitas, & intactas. Contra doctrinam istam reclamant Auctores nostræ sententiæ argumento ipso D. Thomæ: nempe, Si conceptus ille attingit hominem, aut Deum, ne-

cesse-

cessariò attingit totum ; *quia necessarium est, vt de ipso aut totum intelligatur, aut nihil, cum* in Deo *non sit pars, & totum*, sicut nec in homine, dum spectatur, non secundùm partes physicas, sed secundùm prædicata realiter identificata. Dum ergo dicitis, quòd ille conceptus non intelligit totum, contradictoria statuitis, videlicet totum intelligi, & totum non intelligi per eumdem conceptum. Sic reijcimus præcisionem obiectivam. Formalem autem cum eodem Doct. Angelico explicamus hoc modo. Conceptus ille præcisivus est, & inadæquatus, non quia totum hominem, aut totum Deum non intelligat, sed quia non intelligit totum *totaliter*, ideſt, *quia non perfectè cognoscit ipsum, secundùm quod ipse est in sui natura cognoscibilis.*

32 Cum enim homo v. g. sit cognoscibilis totâ claritate, quæ respondet his vocibus simul sumptis, *animal rationale risibile* &c., dum cognoscitur solâ claritate respondente voci *animal* ( idem puta de cæteris singulatim ), cognoscitur quidem totus, sed non *totaliter*, quia non cognoscitur totâ claritate, quam suapte naturâ meretur, & fundare potest etiam quoad nos. Sic vnicus Gratiæ gradus totam sanctificat animam, sed non totaliter. Sic modica lux totum illuminat aerem circumfusum, sed non totaliter, cum magis idem aer illuminari possit. Sic, dum plures causæ partiales producunt simul indivisibilem effectum, v.g. dum potentia & species impressa producunt cognitionem, quælibet causa producit totum totalitate effectus, & tamen quælibet est causa inadæquata, nec agit totaliter totalitate causæ. Sic demùm, vt exemplo vtar D. Thomæ, quælibet creatura, v. g. Sol, est imitatio Dei, est physica repræsentatio Dei, totius quidem, sed non totaliter ; ideòque rectè dicitur imitatio inadæquata, repræsentatio partialis.

33 Conceptus ergo nostri, de re indivisibili dicuntur *inadæquati*, non obiectivè, sed formaliter, non terminativè, sed subiectivè, non ex parte obiecti, sed ex parte actus : & in eodem sensu dicuntur *præcisivi*, quia scilicet inadæquatione suâ faciunt, vt loquamur de obiecto, quasi esset scissum in partes. Componito nunc sententiam nostram cum doctrinâ D. Thomæ ; & an reipsâ Thomistæ simus, index esto. Quod attinet ad Eximium Doctorem, longè verius est, eum sentire nobiscum. Nam, vt omittàm quæ referunt P. Peynado, & alij, *Distinctio rationis*, inquit Eximius disp. 7. Metaph. sect. 1. num. 5., *fit per conceptus inadæquatos eiusdem rei : nam, licet per vtrumque eadem res concipiatur, per neutrum tamen exactè concipitur totum id, quod est in re.* Nota, quòd per vtrumque *eadem res* concipitur, sed per neutrum *exactè*, ideſt, *non totaliter*, vt aiebat D. Thomas. Rationis distinctio, inquit ibidem num. 8., *requirit distinctionem saltem in ipsis conceptibus.* At, si vnus conceptus findit obiectum in duas realitates, vt volunt Adversarij, ad quid requiruntur conceptus distincti? Consonat L. 4. de Trinit. cap. 4. num. 17. dicens : *Distinctio rationis, vt actualis, nihil aliud est, quàm denominatio a distinctis, & inadæquatis conceptibus eiusdem rei.*

*** *** ***

CAP.

## CAP. VIII.

*Opposita argumenta solvuntur.*

MUlta objiciuntur, tum à Thomistis, tum à nostris Auctoribus, pro objectivâ præcisione, & contrà formalem, quæ minutatim persequi infinitum esset. Præcipua solvemus; & simul doctrinam dabimus, quâ cæteris facilè occuratur.

### §. I.

*Prima Objectio proponitur, & accuratiùs explicatur Distinctio rationis.*

1 *Obje.* 1.: seclusâ præcisione objectivâ, impossibilis est distinctio rationis inter prædicata, quæ realiter identificantur; sed hoc est absurdum omnibus Scholasticis: ergo &c. *Prob. Mai.*: seclusâ præcisione objectivâ, prædicata realiter identificata, v.g. animal & rationale, nequeunt fieri duo per rationem: ergo nequeunt ratione distingui; sicut realiter non distinguuntur, quæ nequeunt esse realiter duo, vel plura. *Prob. Anic.*: exclusâ præcisione objectivâ, per eamdem cognitionem, quâ attingitur animal, eodem modo attingitur rationale, sine villâ partitione, vel separatione: ergo animal & rationale, quamcumque cognitionem terminent, nequeunt non adunata manere in Intellectu: ergo nequeunt fieri per rationem aliud & aliud: ergo nec fieri duo.

2 *Confirm.* 1.: extrema, inter quæ versatur distinctio rationis, non sunt conceptus formales; hi quippo realiter distinguuntur: sunt ergo conceptus objectivi, seu formalitates in objecto respondentes conceptibus formalibus. At, nisi detur objectiva præcisio, his conceptibus, *animal*, *rationale*, respondere non possunt ex parte objecti distinctæ formalitates, duo vè conceptus objectivi. *Confirm.* 2.: quæ per rationem conveniunt in omnibus prædicatis, nequeunt ratione distingui; quemadmodùm realiter distingui non possunt, quæ realiter conveniunt in omnibus prædicatis, etiam individualibus. Sed exclusâ præcisione objectivâ, animal & rationale conveniunt in omnibus prædicatis, ac denominationibus rationis; aliter sequerentur contradictoria, quæ vitare conamur: ergo &c. *Confirm.* 3.: ideò animal non distinguitur, nec præscinditur à semetipso per conceptum *animal*, quia per talem conceptum summè convenit secum ipso, nec suscipit denominationes diversas: at hoc ipsum accidit rationali, iuxtà nostra principia. Vel aliter: animal denominatur præcisum, & distinctum à rationali, & non à semetipso: ergo rationale est id, à quo animal præscinditur, & animal non est id, à quo præscinditur animal: iam ergo de ipsis verificantur contradictoria.

3 His accedunt, quæ Thomistæ ponderant pro distinctione in objecto fictâ; & sic breviter proponi possunt. Si non præscinditur objectivè, non datur distinctio objectiva; sed, si non datur distinctio objectiva, sive ex parte objecti, non datur distinctio rationis: ergo &c. *Prob. Min.*: si non datur distinctio objectiva, sola restat distinctio in cognitione consistens; sed hæc non est distinctio rationis, sed realis, sicut ipsa cognitio est ens reale: ergo &c. *Confirm.* 1:

cog-

cognitio est *repræsentativè* distinctio prædicatorum obiecti: ergo est repræsentatio distinctionis; sicut imago, quæ repræsentativè est Cæsar, est repræsentatio Cæsaris: ergo cognitioni proponitur distinctio se tenens ex parte obiecti.

4 *Confirm.* 2.: implicat distinctio purè extrinseca: ergo, si distinctio rationis non est obiecto intrinseca, implicatoria est. *Prob. Antec.* Tum quia distinctio est passio entis, sicut vnitas: implicat autem passio entis extrinseca enti. Tum quia vnum ab alio distingui, est esse idipsum quod est, & non aliud: hoc autem habet vnumquodque per se ipsum, & non per aliquid extrinsecum. Tum etiam, quia implicat identitas extrinseca; nam, cum identitas reddat vnum summè intrinsecum alteri, sequeretur, vnum esse alteri summè intrinsecum extrinsecè, quod in terminis implicat: ergo pariter implicat distinctio extrinseca. *Confirm.* 3.: tot sunt genera distinctionum, quot genera entium: ergo sicuti dantur entia rationis cum fundamento ficta, pariter dari debet distinctio rationis ficta cum fundamento. *Confirm.* 4.: per hos conceptus, *animal*, & *rationale*, non minùs repræsentantur extrema vt plura, quàm per hos, *Petrus*, & *Paulus*: ergo vtrobique repræsentatur obiectiva pluralitas, ac distinctio.

5 Vt argumento respondeas, in memoriam revoca doctrinam, quam ex Doctoribus Angelico & Eximio dedimus cap. 6. & cap. 7. §. 3.: quòd scilicèt distinctio rationis completa non fit, nisi per conceptus actu distinctos, ac definitivè diversos. Quæ enim realiter identificantur, non aliter dicuntur distincta per rationem, nisi prout subsunt diversis denominationibus à Ratione præstitis. Unde (quod præ oculis habendum est) distinctio rationis *præcisiva*, sive *incompleta*, quæ fieri dicitur, quando solus existit conceptus *animal*, non est distinctio rationis animalis à rationali, nisi relatu ad conceptum possibilem *rationale*, hoc est, non distinguit animal à rationali specificativè sumpto ex parte obiecti, sed à rationali vt repræsentabili per conceptum *rationale*, ly *vt* reduplicante repræsentabilitatem, non purè intrinsecam, sed extrinsecam, constitutam scilicèt per conceptum *rationale* possibilem.

6 Præterea notandum est 1.. Extrema, vel subiecta, quæ denominantur ratione distincta, non sunt conceptus ipsi formales; hi namque realiter inter se distinguuntur. Sunt quidem ipsi conceptus distinctio rationis, seu forma denominans obiectum ratione distinctum; sed non ideò sunt ratione distincti. Sic actus visivæ potentiæ non est visus; & tamen est visio, seu forma constituens visum. Sic etiam cognitio alterius Mundi possibilis, est existentia intentionalis alterius Mundi; & tamen ea cognitio non existit intentionaliter, sed physicè. Alijs terminis, conceptus formales non sunt ratione distincti *vt quod*, sed *vt quo*. Nec item extrema ratione distincta *vt quod*, sunt integræ denominationes, aut concreta resultantia ex entitate obiecti & cognitionibus distinctis, ita vt sumatur hinc concretum ex entitate hominis & cognitione *animal*, inde concretum ex eâdem entitate hominis & cognitione *rationale*: nam hæc concreta distinguuntur realiter inadæquatè; sicut realiter inadæquatè distinguuntur album, & dulce, quando idem subiectum simul affi-

afficitur albedine & dulcedine.

7 Extrema igitur ratione distincta *vt quod*, sunt ipsa prædicata realiter identificata, prout cognita diversis conceptibus, ly *prout* reduplicante conceptus, non per modum subiecti, quod denominetur *ratione distinctum*, ne partialiter quidem, sed per modum formæ purè denominantis, non aliter, ac Mundus possibilis non dicitur intentionaliter existens *vt quod*, nisi prout cognitus; quin ideò reduplicetur, cognitio per modum subiecti, sed tantùm per modum formæ. Ratio: quia, obiectum esse ratione distinctum, est esse cognitum diversimodè, seu per conceptus definitivè diversos: sicut ergo denominatio *cogniti diversimodè*, cadit vnicè suprà entitatem obiecti *vt quod*, minimè verò suprà conceptus ipsos; ita denominatio *ratione distincti*: quamvis vtraq; constitutivè & essentialiter importet cognitiones ipsas vt formas, nec sine illis existere, aut intelligi possit.

8 Notandum 2.. Rationis distinctio non est propriè talis in genere distinctionis, sed est quædam impropria veræ distinctionis imitatio. Vera quippe distinctio necessariò præstat, vt vnum verè & propriè non sit aliud, excluditque veram & propriam identitatem vtriusque. At inter extrema realiter identificata repugnat distinctio, quæ talia præstet, vt ex superioribus abundè patet, imò ex terminis ipsis. Consistit quidem distinctio rationis in denominationibus, aut formis, quæ veræ ac propriæ sunt in alio genere, nempe quatenùs reddunt obiectum verè & propriè cognitum, verè & propriè definibile diversis definitionibus: at ijsdem ipsis impropriè tantùm, aut metaphoricè convenit nomen *distinctionis* relatu ad obiectum: non enim illud reddunt propriè duplex, sed quasi duplex, apparenter duplex, eo quòd, positis diversis conceptibus inadæquatis eiusdem obiecti, perinde illud definiat & explicet Intellectus, ac si reipsâ duplex esset. Ponè Divinitùs bilocatum eumdem hominem in gymnasio & in foro, & hìc albâ, ibi nigrâ veste indutum. Ex duplici vbicatione, & dissimili veste, quæ verè & propriè talis est in genere vestis & vbicationis, resultabit quædam apparens & metaphorica distinctio hominis, qui, prout in illis circumstantijs constitutus, geret munus duorum hominum, & idcircò videbitur duplex, cum reverâ sit vnus.

9 Idcircò distinctio rationis vocatur passim ab Auctoribus nostris distinctio *apparens*: non quidem eo sensu, quo dicitur obiectum in cognitione apparens, sumpto scilicet *apparere* pro *detegi*, seu *manifestari*; non enim distinctio rationis est obiectum cognitionis directæ: sed eo sensu, quo florida pratorum amœnitas dicitur risus apparens, vel quo serpentis instinctus dicitur prudentia apparens, sumpto scilicet *apparere* pro *analogicè imitari*. Poterit tamen distinctio rationis ratiocinatæ vocari distinctio propriè talis in lineâ rationis; non solùm quia datur alia multò magis impropria, nempe distinctio rationis ratiocinantis; sed etiam quia totam habet proprietatem, quam patitur linea rationis. Solùm ergo est impropria & apparens in genere distinctionis simpliciter; non enim propriè participat conceptum distinctionis, qui convenit distinctioni reali. Quod diximus de nomine *distinctio*, intellige pariter de nomine *præcisio*: nam, vbi da-

tur realis identitas, cognitio non propriè præscindit, sed quasi præscindit vnum ab alio; nisi præcisio tantùm sonet inadæquationem ex parte actus, quam explicuimus cap. sup. §. 3.; hæc enim verè & propriè reperitur. Ex dictis Distinctio rationis ratiocinatæ sic definiri potest; *Duplex cognitio inadæquata eiusdem obiecti, per quam fit obiectum quasi duplex, dum redditur diversimodè definibile.*

10 Notandum 3.. Rationale non est omninò idem in sensu reali, & in sensu formali (idipsum puta de animali, & quovis alio prædicato) nam rationale in sensu reali acceptum, quod eriâ vocatur rationale *obiectivum*, solam dicit entitatem hominis specificativè sumptam, vt est à parte rei: at rationale in sensu formali, seu formaliter acceptum, est rationale *sub ratione* rationalis, quo sensu iam sumitur entitas hominis vt actu cognita conceptu respondente nomini *rationale*. Ut enim loquitur D. Thomas (a), *Ratio, quam significat nomen, est conceptio Intellectus de re significata per nomen.* Quare, dum loquimur de obiecto *sub ratione* rationalis, non de eo loquimur nudè sumpto, sed vt est sub conceptione Intellectus, cui nomen *rationale* respondet. Atque ita sumitur rationale, quoties hoc nomen reduplicatur, vt cum dicitur *rationale vt tale*, vel *quatenùs rationale*. Unde colliges, animal & rationale *quatenùs talia*, vel *sub ratione talium*, distingui realiter inadæquatè; quia sunt idem obiectum prout denominatum à conceptibus realiter distinctis.

11 His prænotatis, ad Obiect. num. 1. *neg. Mai.*. Ad *prob.*, *dist. Antec.*: nequeunt fieri duo propriè, *conc.*; impropriè, seu quasi duo, *neg. Antec.* & *Conseq.*. Ad *prob.*: fateor, animal & rationale per cognitionem vnicam sic adunari, vt nulla resultet alietas; quod probat, cognitionem vnicam non sufficere distinctioni rationis, vt monuimus num. 5.: cæterùm per cognitiones diversas non ita adunantur, vt excludat alietatem, ac dualitatem apparentem, in eo sitam, quod Intellectus perinde possit obiectum definire, & explicare, ac si duplicem haberet essentiam. *Ad 1. confirm.*: extrema distinctionis rationis non sunt conceptus formales, nisi *vt quo*, ex num. 6. Quare extrema *vt quod*, sunt conceptus obiectivi impropriè & apparenter duo; quod genus dualitatis non indiget præcisione obiectivâ. Ubi nota, quòd hæc vox *conceptus obiectivus* aliquando accipitur pro entitate obiecti specificativè sumptâ; quo sensu dari nequeunt conceptus obiectivi propriè duo, vbi datur realis identitas: aliquando sumitur pro secundâ intentione in concreto, seu pro entitate obiecti vt denominatâ per conceptum formalem directum; & hoc sensu duabus apprehensionibus eiusdem obiecti non synonymis duo respondent conceptus obiectivi tamquam effectus formales realiter inadæquatè distincti, qui tamen, prout ita distincti, non sunt extrema *vt quod* distinctionis rationis, ex num. 6. (b).

12 *Ad 2. confirm.*: animal & rationale specificativè sumpta conveniunt reipsâ in omnibus prædicatis, atque etiam prout substant vnicæ cognitioni: cæterùm sumpta formaliter, vel sub ratione talium, non ita conveniunt: nam animali sub ratione talis convenit esse Genus, & confundi cum brutis; rationali autem sub ratione talis convenit esse,

(a) 1. p. q. 13. art. 4. C. (b) *Vid. P. Pe. ad d. disp. 2. n. 31. & 32.* non

non Genus, sed Differentiam, discerni à brutis, & aliter definiri. Quid significet illud *sub ratione talis*, explicuimus num. 10. Sed dices: esse & non esse differentiam, discerni & non discerni à brutis, sunt contradictoria verè talia: ergo postulant distinctionem verè talem inter animal & rationale. *Dist. Conseq.*: inter animal & rationale sub ratione talium, *conc.*; specificativè sumpta, *neg. Conseq.*

13 Animal & rationale sub ratione talium dicunt diversas formas, seu conceptus formales, adeòque sunt concreta realiter inadæquatè distincta. Quare, sicut verè & sine contradictione dicitur, *Saccharum, prout album, est obiectum visus, & non gustus; & idem, prout dulce, est obiectum gustus, & non visus*: ita in re nostrâ contingit. Quæ enim contradictio in eo, quòd tota entitas hominis à conceptu *rationale* habeat esse differentiam, ac discerni per rationem à brutis; & eadem à conceptu *animal* habeat per rationem confundi cum brutis, & vnà cum ipsis denominari genus? Hæc tamen prædicatorum varietas, quæ reverâ fundatur in distinctione reali formarum, supponit etiam, vel inducit distinctionem apparentem subiectorum; efficit enim vt perinde loquamur de entitate hominis in ordine ad denominationes eiusmodi, ac si duplex esset; quemadmodùm perinde loquimur de substantiâ sacchari in ordine ad visum & gustum, ac si esset duplex.

14 *Ad 3. confirm.*: animal obiectivum eodem modo, quo distinguitur & præscinditur à rationali, distinguitur etiam, & præscinditur à se ipso, si sermo fit de solo conceptu *animal*: nam à rationali distinguitur, non prout incognito ex parte obiecti, sed prout repræsentato, vel repræsentabili per conceptum *rationale*, iuxtà dicta num. 5.: & hoc eodem sensu præscinditur etiam à se ipso, nempe vt repræsentato, vel repræsentabili per eumdem conceptum *rationale*. Quod ergo animal præscindatur à rationali, & non à semetipso, verum est dumtaxat in sensu formali, quo vnum & alterum accipiuntur sub ratione talium: vt sensus sit, animal prout ita conceptum præscindi à totâ sui entitate prout conceptâ per conceptum *rationale*, non tamen præscindi à totâ sui entitate prout explicabili sub conceptu *animal*, idest, prout definibili relatè ad sensationem, seu per *Principium sentiendi*. Hoc ipsum verificatur de rationali sub ipsdem terminis. Unde nulla sequuntur contradictoria de animali, & rationali obiectivè sumptis, sed vt summùm de ipsis formaliter acceptis sub ratione talium, quo sensu realiter inadæquatè distinguuntur.

15 Ad obiectionem Thomisticam, *conceff. Mai., neg. Min.* Ad *prob.*: distinctio in cognitione consistens, licèt sit ens reale, non est distinctio realis prædicatorum obiecti: cum enim distinctio sit exclusio identitatis, non est realis, nisi excludat identitatem realem. Sic cognitio de Antichristo, vel de alio Mundo possibili, ab omnibus dicitur intentionalis existentia obiecti. Numquid, quia cognitio est ens reale, idcircò vocabitur existentia realis? aut Antichristum denominabit realiter existentem? Minimè, inquies: non enim existentia dicitur realis, nisi ab effectu ponendi rem extrà causas physicas, aut excludendi carentiam entis à parte rei. Id

ergo tibi dictum puta. Sed ne de voce litigetur, propositio illa, *distinctio in cognitione consistens est distinctio realis*, distinguatur sic: est distinctio realis, realitate removente identitatem realem & physicam, *neg.*; realitate non removente identitatem istam, *subdist.*: est realis intentionalis, *conc.*; est realis physica, sive extrà animam, *neg.*.

16 *Ad* 1. *Confirm.*: distinctio est repræsentativè in cognitione, non vt quid repræsentatum, sicut Cæsar est in imagine sui, sed vt modus repræsentandi duplicis cognitionis definitivè diversæ. Vide cavillationem super adverbio *repræsentativè* retusam Tract. 1. disp. 2. cap. 5. n. 40. *Ad* 2.: distinctio, quę non est propria, sed metaphorica, vtique potest esse purè extrinseca: sicut extrinseca est existentia intentionalis, quia solùm metaphoricè dicitur existentia. Nec obstant rationes adiunctæ. Nam sola distinctio realis est passio entis, non verò distinctio rationis; alioquin distinctio ficta, quam Thomistæ ponunt inter prædicata realia, foret passio entis realis; quod esset mirabile. Similiter, cum dicitur, vnumquodque per se ipsum esse quod est, & non aliud, sermo est de distinctione reali, vt etiam Thomistæ fateri tenentur; non enim animal per se ipsum habet, quod habet vnicè per distinctionem rationis fictam. Nec aliter de identitate dicendum: implicat enim realis identitas extrinseca, sicut implicat existentia realis extrinseca: rationis tamen identitas, sicut existentia intentionalis, potest esse extrinseca, tuncque reddet vnum alteri intrinsecum extrinsecè, idest, penès esse extrinsecum, quatenùs efficiet, vt esse intentionale vtriusque sit definitivè vnum, & idem.

17 *Ad* 3. *Confirm.*: vt tot sint genera distinctionum, quot sunt entium, sufficit, quod duo entia rationis cum fundamento ficta, v.g. duæ privationes, inter se distinguantur distinctione similiter fictâ; nec opus est prædicata realia fictè distinguere. Præterea, licèt inter prædicata realia detur, aut dari possit ficta distinctio, non ideò erit distinctio rationis, quâ vtuntur Logica & Metaphysica: distinctio quippe scitu digna, non est rationis fingentis, sed rationis inadæquatè concipientis. *Ad* 4. neganda est paritas. Nã per cõceptus, *Petrus*, & *Paulus*, apparent extrema cum prædicatis se se invicem positivè excludentibus à parte rei, nempe cum Petreitate, & Paulitate; ideòque apparent vt realiter plura. Sed per conceptus, *animal*, & *rationale*, licèt formaliter præscindatur ab identitate extremorum, nihil tamen exprimitur, quo alterum extremum excludat alterum ex parte obiecti. Unde conceptus isti habentur quidem per species plurium, operationum scilicet diversarum; sed non ideò repræsentant extrema vt obiectivè plura: sicut, qui Angelum concipit per species corporis, non ideò concipit Angelum vt corpus. Adde quod omnia hæc argumenta militant contra doctrinam D. Thomæ, quam dedimus cap. 7. §. 3.

18 Sed, quia metaphoricam dicimus distinctionem rationis, contrà insurgunt Adversarij clamantes, absurdum esse, quòd ad metaphoras & apparentias tota reducatur fabrica metaphysica, quæ tota nititur distinctione rationis. Hinc enim sequitur, quòd nulla erit compositio metaphysica ex genere

&

& differentiâ, cum totum obiectum concipiatur quâvis cognitione, seu genericâ, seu differentiali. Nulla item erit radicatio & emanatio passionum, seu proprietatum metaphysicarum ab essentiâ: nam ex parte obiecti nulla dabitur distinctio essentiæ & proprietatis, ac proinde nulla emanatio: & aliunde conceptus formales non se habent vt proprietates & essentia. Erit etiam aerea Prædicabilium distinctio, & Prædicamentalis arbor. Immò quidquid de Universalibus differitur, metaphoricum erit, v. g. cum dicitur, Universale esse vnum, præcisum, & indifferens ad inferiora. Hoc autem est velut inanes traducere pleraſque subtilissimas Scholarum disputationes.

19 Verùm hæc obiectio in primis nihil prodest Thomistis, quorum distinctio ficta ex parte obiecti, certè nonnisi valdè impropriè & apparenter distinctio est; omne quippe ens fictum, purè apparenter est ens, vixque meretur nomen entis metaphoricè. Si ergo ficta distinctio basis est totius fabricæ metaphysicæ, plusquam aereo fundamento fabrica ista substruitur. Deinde nec prodest reliquis Adversarijs, apud quos tota metaphysica distinctio, compositio, emanatio, Prædicabilium diversitas, vnitas, indifferentia, extrinseca est obiectis, & vnicè consistit in actibus Intellectus certo quodam modo tendentibus. Hæc autem nomina, si nihil intrinsecum significant, impropria sunt, & vim totam fabricæ metaphysicæ revocant, non ad realitatem obiecti, quod intrinsecè immutatum manet, sed ad combinationem conceptuum formalium, quæ pro arbitrio concipientis dissipatur, & evanescit.

20 Itaque nomina, quibus vtimur in fabricâ metaphysicâ, ab omnibus explicari debent sensu metaphorico, sic tamen, vt aliquid subsit realitatis in alio genere veræ & propriæ, ratione cuius non inaniter ijs nominibus vtamur. Sicut enim non inaniter loquitur Sacra Pagina, cùm Deo tribuit pœnitentiam, & iram, vel cum Deum appellat ignem, leonem &c.; quia, licet hæc nomina metaphoricè Deo conveniant, tamen aliquid denotant verè & propriè repertum in Deo, quod aliquam habet similitudinem cum significato ipsorum proprio; nam *pœnitentia Dei*, inquit S. Augustinus (c), *est rerum in eius potestate constitutarum hominibus inopinata mutatio*; & *Deus*, inquit D. Thomas (d), *dicitur iratus, quia operatur ad modum irati, dum punit*; & *dicitur etiam ignis, quia operatur ad modum ignis, dum purgat*; & dicitur leo, (e) quia *similiter se habet, vt fortiter operetur in suis operibus, sicut leo in suis*: ita in re nostrâ dicendum.

21 Nam compositio metaphysica denotat, totum obiectum verè & propriè cognosci duobus conceptibus inadæquatis, ac mutuò definitivè diversis, quorum altero vnivocetur cum alijs, & altero discernatur ab alijs; vbi quædam est similitudo compositionis physicæ, cum obiectum appareat quasi duas habens partes, alteram communem instar materiæ physicæ, alteram discretivam instar physicæ formæ. Radicatio item, aut emanatio v. g.



(c) *L. 1. contr. Adversar. Leg. & Prophet. cap. 20.*
(d) *q. 7. de pot. art. 5.* (e) *1. p. q. 13. art. 6.*

risibilis à rationali, tamquam proprietatis ab essentiâ, denotat, Intellectum progredi à cognitione hominis sub conceptu *rationale* ad cognitionem eiusdem sub conceptu *risibile*, fundamento desumpto ex ordine operationum, in quibus actus ridendi præsupponit actum intelligendi. Dicitur illa progressio *emanatio*; quia, sicut in statu physico calor emanat ab igne vt proprietas eius, ita in statu intentionali obiectum sub ratione risibilis quasi profluit à se ipso sub ratione rationalis. Vocamus autem *prædicatum essentiale*, obiectum vt cognitum per ordinem ad operationes nobiliores, cuiusmodi est discursus in homine; & *proprietatem metaphysicam*, idem obiectum vt cognitum per ordinem ad operationes ignobiliores, sive consecutas ex alijs. Distinctio Prædicabilium, & prædicamentalis arboris Ordo denotat etiam varietatem conceptuum, quibus possunt obiecta concipi, ac denominari, & quorum energiam benè nosse multùm interest Scientiarum, vt plenè iudicent de obiectis. Sed de his, vt etiam de vnitate Universalis, inferiùs suo loco plura.

## §. II.

### *Reliqua Argumenta.*

22 *Obiic.* 2.: qui videt hominem à longè se moventem, cùm nondum figura humana percipitur, ex motu cognoscit animal; sed non cognoscit rationale: ergo præscindit obiectivè. *Prob. Min.* Tum quia de rationali nullam potest rationem reddere, sed potiùs interrogatus, an illud obiectum sit rationale? respondebit, nescio, prorsùs ignoro. Tum etiam, quia nullum percipit signum rationalitatis, nec eius speciem habet. *Confirm.*: qui sic hominem videt, saltem non cognoscit clarè & evidenter rationale, sed vt summùm dubiè: at cognoscit animal clarè, evidenter, & citrà dubium: ergo non eodem modo cognoscit vtrumque: ergo præscindit obiectivè. *Resp. neg. Min.*: Nam eodem modo, quo tunc cognoscitur animal, cognoscitur etiam rationale obiectivum, sive reale, scilicet cognitione, vi cuius dici potest, totum illud obiectum esse principium sentiendi. Ad *prob.*: de rationali nulla ratio tunc reddi potest sub nomine, vel conceptu *rationale*, nec sub alijs hunc ipsum conceptum explicantibus; benè tamen sub nomine, vel conceptu *animal*, & sub alijs ad huius conceptus explicationem pertinentibus, vt sunt *viveus sensibile*, *principium sentiendi*: quæcumque enim ratio redditur de animali, redditur etiam de rationali obiectivo, cum sint vnum & idem.

23 Quod interrogatus, an illud obiectum sit rationale?, respondeat, nescio, vel ignoro; solùm probat, eum carere cognitione expressâ per nomen *rationale*. Quare responsio eiusmodi non negat omnem cognitionem terminatam ad totum illud obiectum; nec talis est mens interrogantis; sed, an adsit cognitio sufficiens, vt applicetur obiecto nomen *rationale*? Mens ergo respondentis hæc est, aut esse debet: Cognosco totum obiectum, sed non totaliter, quia non illud cognosco totâ claritate, quâ potest cognosci; & ideò nescio, an ei conveniat nomen *rationale*. Hinc verè tunc dicet, *Cognosco, illud obiectum*

esse

*esse animal, & non cognosco esse rationale*, quia hæ sunt propositiones reflexæ, quæ pro obiecto respiciunt cognitiones directas *animal*, & *rationale*: vnde æquivalent his, *Habeo cognitionem* animal, *& non habeo cognitionem* rationale; vel istis, *Cognitio, quam habeo de toto obiecto, sufficit, vt illi tribuam nomen* animal, *& non sufficit, vt illi tribuam nomen* rationale: vbi nulla certè contradictio est.

24 Falsum prætereà est, quod nullum tunc habeatur signum, nulla species rationalitatis obiectivè. Nam, cum ille motus producatur indivisibiliter ab animali rationali, nequit non esse reale signum vtriusque, necessariòque mittit oculis speciem repræsentativam totius sui principij; neque enim species impressa præscindit obiectivè. Non tamen illa species apta est ad conceptum *rationale*, sed ad solum conceptum *animal*, qui prorsus est etiam rationalitatis obiectivæ. *Ad Confirm.*: totum obiectum cognoscitur clarè & evidenter, claritate & evidentiâ propriâ cognitionis *animal*; & totum non cognoscitur clarè & evidenter, sed dubiè, claritate, & evidentiâ propriâ cognitionis *rationale*. Vel, vt alij loquantur, totum cognoscitur evidenter in ordine ad sensationem, & totum non cognoscitur evidenter in ordine ad discursum. Unde nulla diversitas ponitur ex parte obiecti, sed vnicè ex parte cognitionum. Poteris tamen verè tunc dicere, *Non cognosco evidenter, obiectum esse rationale*, sensu videlicet explicato num. 23.

25 En aliqua exempla, quibus tota inflatur obiectio. Viso colore à longè, quin discernere queas, an sit viridis, an rubous, an cæruleus, cognoscis evidenter esse colorem; finaulque differentiam eius ignoras: & tamen differentiam ipsam attingis ex parte obiecti, cum habeas cognitionem intuitivam, quæ nequit obiectivè præscindere, vt etiam ex Contrarijs plerique docent. Similiter cognoscis clarè & evidenter, lignum esse totum continuum; & tamen constitutionem continui vel ignoras, vel dubiè tantùm, aut probabiliter cognoscis; quin ideò continuum à suis cõstitutivis essentialibus præscindi possit. Idem patet in hoc conceptu, *res durat*, qui nobis evidens est, nec potest obiectivè præscindere ab eo, in quo duratio consistit essentialiter; & tamen per illum non cognoscimus evidenter, an duratio consistat in modo distincto à re durante, vel non? Sæpe etiam ignoramus, an homo, quem præsentem cernimus, sit idem ipse, quem olim, vel alibi novimus; quin ideò præscindamus illum ab identitate secum ipso. Itaque his terminis, *dubito, nescio, ignoro hoc, vel illud*, non excluditur omnis cognitio, nec omnis evidentia illius obiecti; alioqui falsò & implicatoriè diceres homini peregrino repentè obvio, *non cognosco te*. Solùm ergo excluditur cognitio, vel evidentia correspondens vocibus, quibus tunc vtimur. Hoc ipsum est, quod alij dicunt, accipi verbum *cognosco*, vel *ignoro*, nunc in rigore scholastico, nunc in sensu civili, & ad familiarem sermonem accommodato.

26 *Obiic.* 3.: potest cognosci animal hominis, quin cognoscatur discursus: ergo etiam, quin cognoscatur rationale. *Prob. Conseq.*: quia rationale, cum sit habitudo, & ordo transcendentalis ad discursum, cognosci nequit incognito discursu; nec-

quit enim ordo & habitudo cognoſci ſine termino : quoties ergo cognoſcitur animal incognito diſcurſu, cognoſcitur ſine rationali. *Confirm.* : dum nec diſcurſus, nec ſenſatio cognoſcitur, nec rationale, nec animal cognoſcitur : ergo, dum non cognoſcitur diſcurſus, non cognoſcitur rationale. Patet Conſequentia : quia rationale non minùs dicit ordinem ad diſcurſum, quàm rationale & animal ad diſcurſum & ſenſationem. *Reſp. neg. Conſeq.* Ad *prob.* : ordo & habitudo non poteſt ſine termino cognoſci cognitione comparativâ, quâ referatur ad talem terminum; benè tamen cognitione abſolutâ, vel etiam comparativâ, quâ referatur idem ordo ad alium terminum, ſi plures habeat. Cum ergo rationale ex parte obiecti ſit indiviſus ordo ad diſcurſum & ſenſationem, cognoſci poterit relatè ad quamlibet iſtarum operationum. Quare ordo ipſe ad diſcurſum totus cognoſcitur per conceptum *animal* relatè ad ſenſationem, totus quidem ſubiectivè & ex parte ſui, licèt non totus terminativè, ſeu penès terminos omnes.

27 *Ad Confirm.* : in primis *neg. Conſeq.*, admiſſo Antecedenti, quod ideò verum erit, quia nulla reſtat operatio, per cuius connotationem cognoſcatur illud obiectum: at, licèt ignoretur diſcurſus, alia ſupereſt operatio eiuſdem rationalis, nempe ſenſatio. Deinde falſum eſt Antecedens : quia per cognitionem abſolutam, v.g. per conceptum *ſubſtantia*, cognoſcitur totum eſſe reale animalis & rationalis, etiamſi nihil de connotatis, aut operationibus cogitetur. Denique tota obiectio inſtatur in viſione materiali coloris, quæ non præſcindit obiectivè, proindeque verè attingit, ac videt ordinem dependentiæ coloris à Deo, quamvis Deum ipſum non attingat. Vid. ſuprà cap. 5. à n. 16. ad 18.

28 *Obiic.* 4. : ideò repugnaret obiectiva præciſio, quia per illam verificarentur prædicata contradictoria de ſubiectis realiter indiſtinctis ; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo &c. *Prob. Min.* 1. : quia iuxtà D. Thomam (f), *de eo, quod eſt idem re, & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari, vt dicit Philoſophus 3. Phyſic.: ſicut patet, quod idem punctum re, differens ratione, eſt principium, & finis, & ſecundum quod eſt principium, non eſt finis, & è contrario.* 2. : quia abſtractio naturæ communis ab inferioribus importat ex terminis intentionalem ſeparationem, vi cuius vnum cognoſcitur, alterum incognitum remanet : tum quia alioquin non eſt *præciſio*, nec *abſtractio* : tum quia nulla ratio abſtracta foret vniuoca, ſi differentias inferiores includeret : tum etiam, quia ſic docet expreſsè D. Thomas (g), dicens : *In abſtractione, quæ ſit ſecundùm Vniverſale, & particulare, non remanet id, à quo fit abſtractio : remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo, ſed ſolùm animal.* 3. : quia nec in noſtrâ ſententiâ vitantur contradictoria : nam ſaltem verum erit, animal præſcindi formaliter & ex parte actus à rationali, & non præſcindi formaliter & ex parte actus à ſemetipſo.

29 *Reſp. neg. Min.* Ad 1. *prob.* D. Thomas eam doctrinam applicat ad contradictoria phyſica & intrinſeca Divinæ Trinitatis ; ſic enim continuò colligit ibidem : *Vnde cum eſſentia & proprietas ſint idem re, &*

(f) *q. 7. de Pot. art. 1. ad 5.* (g) *1. p. q. 40. art. 1. c.* *diffe-*

*differant ratione, nihil prohibet, quin vnum sit communicabile, & aliud incommunicabile.* Num inde tu colliges, in rebus creatis per solam distinctionem rationis verificari posse hæc prædicata, *communicari & non communicari realiter, produci & non produci?* Porrò nos etiam concedimus cum D. Thomâ, de subiecto realiter eodem, & ratione distincto, quatenùs ita distincto, verificari posse prædicata, quæ sine tali distinctione forent contradictoria, v. g. de rationali & animali hominis *esse differentiam & non esse differentiam, discerni & non discerni à brutis.* Hoc tamen ab Adversarijs distamus, quòd illi prædicata ista tribuunt eidem subiecto secundùm eamdem formam, nempe secundùm conceptum *rationale*, ideòque nullâ ex parte contradictionē evitant: nos autem illa tribuimus eidem subiecto secundū formas realiter diversas, quas necessariò importat distinctio rationis, ideòque contradictionem tollimus. Vide dicta num. 13. Quare fatemur, quòd sicut *punctum secundùm quod est principium, non est finis, & è contrario*, ita animal secundùm quod est animal, non est rationale, & è contrario; dummodò hoc intelligatur in sensu formali, sitque sermo de animali & rationali sub ratione talium, iuxtà dicta num. 10.

30 *Ad 2. prob.* Abstractio illa importat veram separationem expressionum, seu conceptuum formalium; obiectorum verò, non nisi metaphoricam, & apparentē, nec alio sēsu dici potest *præcisio & abstractio*, quatenùs hæc nomina refundun tur in obiectū. Vid. n. 9. Univocatio rationis abstractę non impeditur per differentias ex parte obiecti attactas, sed per expressionem earum ex parte actus, idest, earum sub ratione talium. Nam vnivoca sunt, *Quorum nomen est commune, & ratio significata per nomen est omninò eadem.* Omnes autem reales differentiæ animalium, dum attinguntur conceptu *animal*, hoc nomen habent commune, rationemque etiam vniformem, nempe conceptionem, quæ est ratio significata per nomen, vt suprà n. 10. aiebat D. Thomas. Dum verò idem S. Doctor negat, in intellectu remanere id, à quo fit abstractio, loquitur in sensu formali, quo nos etiam dicimus, in abstractione animalis ab homine non remanere in intellectu hominem, scilicet sub ratione hominis, vel sub conceptu *homo*. At remanet sub ratione animalis, & sub conceptu *animal*; nec id negat D. Thomas, vt suprà constitit. *Ad 3. prob.*: animal præscindi formaliter & ex parte actus à rationali per conceptum *animal*, & non ita præscindi à semetipso, sunt contradictoria cortice tenùs, non medullitùs: nam, si rectè explicentur, hoc sonant: Totum animal rationale obiectivum exprimitur cognitione, vi cuius dici potest, *Est animal*, vel *Est principium sentiendi*; simulque totum non exprimitur cognitione, vi cuius dici possit, *Est rationale*, vel *Est principium discurrendi*: id quod in summâ est, hunc conceptum *animal* terminari ad totum animal rationale obiectivum, sed non esse hunc conceptum *rationale*. Vid. n. 14.

31 *Obiic. 5.*: Voluntas amare potest ex prædicatis realiter indistinctis vnum sine alio: ergo & Intellectus vnum sine alio cognoscere. *Prob. Antec.*: Voluntas amare potest bonum in communi, quin amet peccatum, quod est quædam species boni, non honesti, sed delecta-

bilis

bilis; sed bonum in communi realiter indistinctum est à suis speciebus: ergo &c. *Prob. Mai.*: Voluntas amando bonum in communi, quod est eius specificativum naturale, non peccat; sed peccaret, si amaret peccatum: ergo &c. *Prob. Mai.*: tum quia Voluntas naturaliter propendet in suum specificativum: si ergo in eius amore peccat, habebit à naturâ insitam propensionem in peccatum; quod est absurdum. Tum quia Voluntas foret potentia moraliter mala, si eius specificativum involveret moralem malitiam. *Confirm.*: quia sæpe Voluntas amat medium vt vtile ad vnum finem, & non vt vtile ad alium, etiamsi vtilitas ad vtrumque sit realiter eadem: sæpe etiam in bono simul vtili & honesto amat honestatem, nihil de vtilitate curando, aut è converso.

32 *Resp. neg. Antec.* Ad *prob.*: si bonum in communi sumatur vt ratio indifferens ad bonum etiam delectabile vetitum, non potest amari sine piaculo, sive præscindatur obiectivè, sive formaliter. Cum enim proponitur obiectum, non magis ad honestatem, quàm ad malitiam moralem determinatum, imprudenter & temerè se geret Voluntas, si illud amplectatur ita confusè, vt ad honestum non determinet. Saltem amor ille, si obiectivè præscindit, nec bonus erit, nec malus, cum æquè ex parte obiecti præscindat ab honestate, & inhonestate: erit igitur actus indifferens in individuo; qui iuxtà communiorem Theologiam impossibilis est. Specificativum Voluntatis, cum sit à naturâ præstitum, est quid reale, & à nostris præcisionibus independens; aliter Voluntas careret specificativo, nec esset potentia certæ speciei, antequàm adveniret præcisio obiectiva. Atqui realiter & ante præcisionem non datur bonum *vt sic*, sed collectio bonorum particularium, in quibus est delectabile vetitum: hæc ergo collectio erit naturale specificativum Voluntatis, in quo proinde adæquatè sumpto peccatum includitur.

33 Itaque distinguendum est duplex specificativum Voluntatis, alterum per modum finis; & hoc est Beatitudo, ad quam Voluntas naturaliter propendet, & in cuius amore non peccat: alterum per modum sphæræ obiectivæ, & hoc est bonum in communi, non quidem obiectivè præcisum, sed complectens omnia bona particularia; quod non alia ratione dicitur specificativum, nisi quia Voluntas amare potest bonum quodlibet, seu purè delectabile, seu honestum, nec ferri potest in vllum obiectum, quod non aliquatenùs bonum appareat, saltem delectabile. Hanc indolem Voluntas habet à naturâ, quin ideò sit potentia naturaliter mala: quamvis enim malum sit amare peccatum, non ideò malum est amare posse; alioqui mala esset libertas à Deo præstita nobis. Mala quidem esset, si nihil præter peccatum amare posset: at non ita coarctata est, sed potiùs in suâ libertate relicta, vt ex bonis in eius sphærâ obiectivâ comprehensis possit eligere quodlibet. Propensio Voluntatis in bonum, si merè naturalis est, & non à peccato primi parentis derivata, non est in bonum in communi, prout indifferens ad delectabile prohibitum; sed præcisè in bonum honestum. *Ad Confirm.*: Voluntas semper amat ex parte obiecti quidquid in eo realiter identificatur: non tamen semper amat totaliter ex parte actus, id est, non habet

bet actum, quo referat medium v. g. ad fines omnes, ad quos vtile est.

34 Sed quoniam ad Voluntatem provocant Adversarij, iuvat hinc etiam nostram sententiam obiter confirmare. Dolor ac detestatio de peccato commisso sub hoc conceptu, *offensa Dei*, attingit ex parte obiecti omnia peccata commissa in specie, & in individuo: ergo ille conceptus, *offensa Dei*, quamvis præcisivus, & abstractivus, attingit ex parte obiecti differentias omnes peccatorum. Consequentia legitima est. *Prob. Antec.*: qui memor vnius tantùm peccati, sed plurium reus, dolorem ac detestationem de eo concipit ex hoc generali motivo, *quia est offensa Dei*, satis disponitur ad remissionem omnium in specie, & in individuo, saltem in Sacramento recipiendam, vt est certum: sed nemo disponitur ad remissionem peccati, de quo non dolet, seu quod non verè retractat, & nemo retractat, quod dolor ac detestatio non attingit: ergo &c.

35 *Obiic.* 6. si non datur obiectiva præcisio, plurima sequuntur absurda. Nam 1. non poterit evidenter cognosci lumine naturali existentia Dei, quin cognoscatur Trinitas Personarum. 2., qui elicit conceptum *entis*, cognoscet omne cognoscibile, nec ignorabit secreta cordium, & decreta Dei, etiam in particulari, sive in individuo. 3. omnis cognitio erit comprehensiva, cum ita cognoscat totum obiectum, vt nullum eius prædicatum, nulla formalitas lateat cognoscentem. 4. non dabitur vera distinctio obiecti formalis à materiali, v. g. in Metaphysicâ, siquidem ratio Entis non erit verè distincta à ratione Corporis, & reliquis inferioribus: nulla item dabitur vera distinctio inter Verum & Bonum, adeòque idem erit Specificativum Intellectus & Voluntatis. 5. Intellectus non magis præcisivus erit, quàm potentia visiva materialis, cum hæc possit etiam attingere suum obiectum, nunc clarè, nunc confusè. Imò minùs præcisivus erit, quàm causa physica; hæc enim potest obiectivè præscindere, vt probat Lynceus Dominicanus ex doctrinâ ipsâ Iesuitarum; apud quos Intellectus producit vitalitatem visionis beatæ, non supernaturalitatem; Deus producit materiale peccati, non malitiam formalem; species impressa producit repræsentationem cognitionis, non verò vitalitatem.

36 Verùm hæc absurda facilè evanescunt. *Ad* 1.: cum Deus lumine naturali cognoscitur, eodem modo cognoscitur Trinitas Personarum obiectivè sumpta, videlicet cognitione, vi cuius dici possit, *Deus existit, est vnus, est sapiens &c.*; non tamen cognoscitur nec existentia Dei, nec Trinitas, cognitione, vi cuius dici possit, *Deus est trinus in Personis*; & relatè ad eiusmodi cognitionem dicunt Theologi mysterium Trinitatis esse suprà lumen rationis naturalis, & naturaliter incognoscibile. Unde verè dicitur, cognosci naturaliter, Deum esse vnum, & non cognosci, Deum esse trinum, iuxta dicta in solutione 2. obiectionis. Sed de præcisione obiectiva relationes, vide P. Hurtado de Essentiam Dei, p. 6. Metaph. sect. 4. subsect. 2.

37 2.: non est absurdum, quòd omnia cognoscantur sub communi conceptu *entis*; sed quòd cognoscantur sub claris & differentiis ex-

expressionibus. Certè hoc iudicium, *Omnia secreta cordium in individuo sunt honesta*, pro obiecto habet omnia secretorum individua; nam, si vel vnum esset inhonestum, falsificaretur tale iudicium. Concedi tamen potest, non cognosci secreta cordis *in particulari*, vel *in individuo*; quia locutio ista reflexa est, solùmque negat cognitionem discretivam vnius ab alio. Dices: per conceptum *ens* cognoscitur ratio entis clarè & discretivè: ergo similiter cognoscuntur omnes differentiæ entis. *Dist. Antec.*: cognoscitur clarè & discretivè, claritate, quâ discernatur à non ente, *conc.*; claritate, quâ discernatur vnum ens ab alio ente, *neg. Antec.*, & sub eâdem distinctione *Conseq.*: tota quippe claritas, discretio, vel confusio, quæ convenit enti obiectivè sumpto, in eodem sensu convenit differentijs.

38 *Ad* 3. nego sequelam cum D. Thomâ q. 7. de Pot. art. 1. ad 2., vbi, cum sibi obiecisset: *Si Deus est simplex, totus attingitur à beatis; sed quod totum attingitur, comprehenditur: ergo Deus à Beatis comprehenditur*: ita respondet: *Deus à beatis mente attingitur totus, non tamen totaliter: quia modus cognoscibilitatis Divinæ excedit modum Intellectus creati in infinitum: & ita Intellectus creatus non potest Deum ita perfectè intelligere, sicut intelligibilis est: & propter hoc non potest ipsum comprehendere.* Idem dictum puta de quavis cognitione inadæquatâ ex parte actus; quæ ideò non est comprehensiva, quia attingit obiectum totum non totaliter, ideſt, non totâ perfectione & claritate actus, quam meretur obiectum.

39 *Ad* 4.: distinctio obiecti formalis à materiali non pendet ex præcisione obiectivâ: tum quia sensus externi, iuxtà Adversarios communiter, non præscindunt obiectivè; & tamen Visus v. g. dicitur attingere *formaliter* rationem coloris, & *materialiter* rationem qualitatis: tum quia inter Verum & Bonum *ut sic* non datur obiectiva præcisio: tum etiam, quia iuxta Thomistas ratio Entis, quam pro formali respicit Metaphysica, non præscinditur obiectivè à differentijs. Itaque obiectum formale, & materiale, quando realiter identificantur, non distinguuntur nisi per diversas expressiones Intellectus, quæ iuxtà capacitatem obiectorum aliquando sunt distinctio rationis ratiocinatæ, aliquando sunt distinctio penès implicitum & explicitum. Hac autem distinctione positâ, denominatio *obiecti formalis*, aut *materialis*, sumitur ab indole, seu modo tendendi actuum potentiæ, vel scientiæ. Quia enim actus Metaphysicæ v.g. fundant hoc iudicium, *nisi obiectum verificaret conceptum* ens, *etiamsi verificaret conceptum* corpus, *non attingeretur per actus huius scientiæ*; idcircò dicitur Metaphysica pro formali obiecto respicere rationem entis, & pro materiali rationem corporis. Idem dicito de Vero & Bono respectu Intellectus & Voluntatis.

40 *Ad* 5.: Intellectus non magis præcisivus est ex parte obiecti, quàm potentia visiva; magis tamen præcisivus est ex parte actus; quia plures actus habere potest magis ac magis abstractivos & vniversales, quibus idem obiectum attingat. Potest enim attingere colorem sub ratione talis, & sub ratione coloris (hactenùs, & non vltrà, potest potentia visiva,), & insuper sub ratione qualitatis, accidentis, dependentis à Deo, & tandem sub ratio-

ratione entis. Quod attinet ad causam physicam, miror, Lynceos oculos videre in nostris Auctoribus quod non est. Nihil in Schola nostra constantius, quàm quod causa physica partialis producit realiter effectum indivisibilem totum totalitate effectus, licèt non totalitate causæ, nominatim dum agitur de specie impressa, & de Intellectu producente visionem beatam in consortio Luminis supernaturalis. Malitiam peccari, si realiter identificatur cum entitate materiali, physicè producit Deus, determinatus tamen à Voluntate creatâ suppositio decreto permissivo, quâ de causâ non tribuitur Deo existentiâ peccati.

## §. III.

### *Observanda quædam.*

41 PRo complemento quæstionis hucusque discussæ observa sequentia. 1.: cum dicimus, animal cognosci sine rationali, non *ex parte obiecti*, sed *ex parte actus*, sensus est, animal nunquam cognosci sine rationali obiectivè & specificativè sumpto; cognosci tamen animal sine actu, vel cognitione, vi cuius dici possit *est rationale*, sub hac expressione. Unde ineptè cavillantur aliqui, dum aiunt, rationale non cognosci *ex parte actus* perinde esse, ac non dari actum cognoscentem rationale; ineptè, inquam; non enim ea locutio negat omnem actum terminatum ad rationale, sed actu dumtaxat respondentem nomini *rationale*. 2.: hæ locutiones, *rationale non est formaliter animal, est extra rationem animalis, non pertinet ad essentiam animalis metaphysicam*, & similes, veræ sunt, quamvis non sonent propriam separationem obiectivam: sic enim explicantur: Rationale vt tale, id est, vt cognitum hac expressione *rationale*, non definitur per conceptum *animal*, nec per eius explicationem: item non ingreditur explicationem animalis vt talis, nec pertinet ad eius definitionem fundatam super conceptu *animal*; hæc enim est *essentia metaphysica* animalis, ipsum animal obiectivum prout definitum sub conceptu *animal*.

42 Similiter explicandæ sunt locutiones aliæ sat frequentes, v.g. *Homo, non quia animal, sed quia rationalis, discurrit, & à brutis differt; Deus punit, quia iustus, non quia misericors; Visio beata producitur ab Intellectu, non vt supernaturalis, sed vt vitalis; Creatura pendet à Deo, quatenùs creatura, non quatenùs ens.* Quarum sensus est: Homo per conceptum *rationale* discernitur à brutis, & ita cognoscitur, vt possit vocari principium discursus; non ita per conceptum *animal*: Deus ex punitionis effectu totus cognoscitur sub conceptu *iustus*, & non sub conceptu *misericors*: Ex hoc conceptu, *Visio est vitalis*, oritur hic, *Visio producitur ab Intellectu*; non autem ex hoc alio, *Visio est supernaturalis*. Hic conceptus, *creatura*, benè explicatur per *dependentiam à Deo*; sed non ita explicatur conceptus *ens*, aliàs non conveniret Deo ipsi. Generaliter de rebus loquimur, prout illas habemus in cognitione: *Nomina* enim (inquit D. Thomas) (h) *non sequuntur modum essendi, qui est in rebus; sed modum essendi secundùm quod in cognitione nostra est.* Id quod maximè locum habet, cùm nomini superadditur reduplicatio, *vt, prout, quatenùs, quia* &c., vt iam suprà notavimus num. 10.

(h) 1. p. q. 13. art. 9. ad 2.

43 3.: non rectè dicitur, per conceptum *animal* cognosci animal explicitè, rationale implicitè. Nam ea tantùm *implicitè* cognosci dicuntur conceptu A, quæ sub alio conceptu non synonymo sunt definitivè eiusdem conceptus A, vel ad eius explicationem pertinent. Sic prædicata hominis, prout sic concepta, *animal rationale*, dicuntur *implicitè* cognosci conceptu *homo*. Sic etiam prædicata superiora, *vivens*, *corpus*, *substantia*, dicuntur *implicitè* cognita conceptu *animal*. Quare locutio ista locum non habet, vbi datur distinctio rationis perfecta, & mutua; sed tantùm, dùm sermo est de conceptibus facientibus distinctionem rationis imperfectam, seu penès implicitum & explicitum, de quâ suprà cap. 6. num. 5. Et, cum dicitur, eodem conceptu cognosci animal explicitè, substantiam implicitè, non indicatur discrimen ex parte obiecti: sed sensus est, in eo conceptu dari expressionem *animal*, non verò expressionem *substantia*, quæ tamen expressio pertinet ad explicationem expressionis *animal*, dum hæc evolvitur, & evisceratur. A fortiori, non rectè dicitur, per conceptum *animal* cognosci animal clarè, rationale confusè: quidquid enim confusionis, aut claritatis est in eo conceptu, ad totum animal rationale obiectivum terminatur nullo discrimine.

44 4.: quoties D. Thomas distinctionem rationis significat esse in obiecto, loquitur de distinctione fundamentali; vel, si formalem intelligit, eam in obiecto collocat, non *subiectivè*, sed *verificativè*, quatenùs in obiecto est perfectio sufficiens ad verificandas conceptiones diversas Intellectus nostri. Hoc planè perspicies in eius verbis allegatis cap. 7. §. 3., in quibus illud est, quod possent optare Thomistæ, *Unumquodque attributorum est in Deo secundùm suì veristimam rationem, & ratio sapientiæ non est ratio bonitatis in quantum huiusmodi*: quod tamen ipse S. Doctor ità explicat, vt *non aliqua diversitas, vel multiplicitas* ponatur in Deo ratione istorum attributorum, sed tantùm *plena perfectio* correspondens nostris conceptibus diversis. Unde, *Rationes attributorum*, inquit (i), *fundantur vel radicantur in Intellectu, quantùm ad firmitatem sui esse; quia, vt dictum est, Intellectus est earum subiectum: in essentia autem Divina, quantum ad firmitatem suæ veritatis*

45 5.: si quis ità arguat: Distinctio rationis, licèt sit apparens, non vitat contradictoria; nam, si per conceptum *animal* apparenter distinguitur animal à rationali, & non à se ipso, verè dici poterit, *Rationale est id, à quo animal distinguitur apparenter, Animal non est id, à quo animal distinguitur apparenter.* Hæc autem non minùs propriè contradictoria sunt, quàm ista, *Asinæ nitas prati est risus apparenter, & non est risus apparenter.* Distinguenda est vtraque propositio: *Rationale est id, à quo &c.*, dum rationale accipitur sub ratione talis, *conc.*; dum accipitur sub ratione animalis, *neg.*: item, *Animal non est id, à quo &c.*, dum animal accipitur sub ratione talis, *conc.*; dum accipitur sub ratione rationalis, *neg.* Unde patet, nihil verificari de rationali, quod non eodem sensu, & sub eâdem formâ rationis, verificetur de animali, & vice versâ. Tota autem contradictio evanescit ex diversitate reali formarum.

46 Quodsi ita replices: ergo extremum, à quo apparenter distingui-

(i) *In 1. dist. 2. q. 1. art. 3. ad 5.*

guitur & præscinditur animal sub ratione talis, realiter ab ipso distinguitur; siquidem animal sub ratione talis, & rationale sub ratione talis, sunt concreta realiter inadæquatè distincta, ex num. 10.: *dist. Conseq.*: realiter ab ipso distinguitur, secundùm id, *quo* extremum est, *conc.*; secundùm id, *quod* est extremum, *neg. Conseq.*. Vid. num. 7. Aliud est quod realis distinctio formarum tollat contradictionem prædicatorum; & aliud quod formæ ipsæ realiter distinctæ, sint *ut quod* extrema præcisionis, & distinctionis apparentis; ut patet exemplo saccharì, de quo n. 13., & hominis bilocati, de quo n. 8.

47 6.: quidam cum P. Izquierdo præcisionem obiectivam tuentur hoc pacto. Aiunt, cognitionem abstractivam Intellectus nostri pro hoc statu non attingere res immediatè in se ipsis, sed in quodam phantasmate, substituto, vel idolo, quod sibi formar, ac substituit Intellectus loco rerum, & quod hi Auctores appellant *esse obiectivum rei*. Quo posito, dicunt, animal obiectivè præscindi à rationali, non immediatè in se, sed in suo esse obiectivo: quia Intellectus per conceptum *animal* attingit esse obiectivum animalis, & nō attingit esse obiectivum rationalis. Sed, ut omittam, falsò supponi, quod abstractiva cognitio non attingat res immediatè in se ipsis; *contrà* 1.: quia in quovis idolo, vel substituto, idem fit argumentum, quod in cognitione *animal*, scilicet non posse citrà contradictionem substitui pro animali, quin substituatur pro rationali, nec vere dici *esse obiectivum* vnius, quin dicatur & sit *esse obiectivum* alterius. *Contrà* 2.: quia cognitio *animal* denominat saltem mediatè cognitum animal secundùm esse reale: Vel igitur eodem modo denominat rationale, vel non? Si primum; non datur præcisio in substituto: si secundum; redit contradictio. Vid. P. Peynado hic (k).

48 7. denique: cognitio intuitiva potest formaliter præscindere. Ita PP. Hurtado, Oviedo, Quiros, Peynado, Ulloa. Patet in visione materiali coloris à longè; atque etiam in Visione beatâ, iuxtà doctrinam D. Thomæ suprà citati num. 38. Dices: cognitio intuitiva fertur in obiectum vt est in se: ergo nequit esse præcisiva. *Neg. Conseq.*: quia ferri in obiectum vt est in se, est illud attingere per speciem propriam (in hoc differt intuitiva cognitio ab abstractiva); sed non est illud attingere totâ claritate, quâ potest cognosci vt est in se. Hæc autem inadæquatio claritatis est præcisio formalis. Similiter admittenda est in actibus Voluntatis præcisio formalis affectiva. Non tamen poterit Visio beata facere distinctionem rationis in Deo; quia nunquam dabitur dualitas Visionum, quibus obiectum appareat quasi duplex, ita vt ab identitate reali præscindatur ex parte actus. Nec item distinctio rationis fieri potest per Sensum externum, aut Voluntatem, cum nec Sensus, nec Voluntas sit Ratio.

# DISPUT. II.

## *De Constitutione Universalis.*

### CAP. I.

*Quid sit Universale? & an detur à parte rei?*

1 UNiversale dicitur, *quod, vnum cum sit, extenditur ad*

(k) *Dis. 2. sect. 1.*

*ad multa.* Sic Lex, pro omnibus lata, dicitur Universalis *in obligando.* Sic prima Causa, atque etiam Sol respectu sublunarium, dicitur Universalis *in causando.* Sic etiam vox, aut conceptus, *omnis homo*, dicitur Universalis *in significando*, vel *in repræsentando.* In præsenti solùm agitur de Universali *in essendo*, & Universali *in prædicando*: è quibus primum dicitur Universale metaphysicum, definiturque ex Aristotele (a), *Unum aptum esse in multis*: alterum dicitur Universale logicum, & ex eodem Aristotele (b) definitur, *Unum aptum prædicari de multis.* Communiter censentur hæc inter se differre, vel solùm penès implicitum & explicitum, vel etiam tanquam essentia & proprietas ratione distincta: nam ordine rationis priùs concipimus aptitudinem rei, vt sit in multis, & posteà velut inde resultantem aptitudinem, vt verè de multis prædicetur; aptitudo enim ad essendum in multis, importat identitatem realem, quæ fundamentum est veræ prædicationis.

2 Duo igitur pertinent ad essentiam Universalis, vnitas, & aptitudo ad multa. Unitas, iuxtà principia mox stabilienda, nequit esse intrinseca naturæ, quæ dicitur Universalis; sed debet esse extrinseca, sita scilicet in actu Intellectus præcisivo, & abstractivo. Aptitudo ad multa supponit realem identitatem illius naturæ cum multis, vel existentibus, vel saltem possibilibus; & addit actum Intellectus, quo natura sic exprimatur, vt possit multis vniformiter convenire prout ita concepta. V.g. Natura humana, prout expressa per conceptum *homo*, est Universalis: quia est vna apta esse in multis, & prædicari de multis: vna; quia, vt sic concepta, nullam præfert pluralitatem, aut divisionem sui in plures homines, adeòque manet intentionaliter indivisa, & consequenter vna: apta esse in multis, ac de ijs prædicari, quia & realem habet identitatem ex parte obiecti cum multis individuis, & ita exprimitur, vt eam possit Intellectus vniformiter applicare multis.

3 Sed notandum, quòd aptitudo ista non respicit multa vtcumque, sed multa eiusdem nominis & rationis cum naturâ communi, quæ in ipsis multiplicetur, aut dividatur, ita vt terminus, sub quo natura dicitur Universalis, v.g. terminus *homo*, possit efferri pluraliter, coniungique numeralibus *duo*, *tres* &c. Unde natura humana sub conceptu *homo* ideò est vniversalis, quia potest esse multiplicata in individuis, de quibus verè dicatur, *sunt duo homines*, *tres homines* &c., quorum singulis absolutè conveniat nomen *homo*, & ratio, seu definitio hominis. Hinc vides, cur natura Divina conveniens pluribus Personis non sit vniversalis: quia nimirùm semper individua manet in esse naturæ, nec multiplicatur in tres naturas, sive in tres Deos, sed in tres Personas, quæ sunt vnicus Deus.

4 Vides etiam, cur Petrus, licèt divisibilis in plura, nempe in corpus & animam, non sit vniversalis: quia scilicet non dividitur in plura, quibus absolutè conveniat nomen *Petrus*, eiusve definitio; non enim absolutè dici potest, *anima est Petrus*, sed solùm cum addito *inadæquatè*. Ob eamdem rationem Oceanus non est vniversalis per ordinem ad plures aquas, in quas dividi potest: quia sic non dividitur in plures Oceanos. Non tamen debet na-

(a) 7. *Metaph. cap.* 13. & 2. *Poster. c ap.* 18. (b) 1. *Periherm. cap.* 5. tu-

tura vniversalis identificari realiter cum inferioribus secundùm vniversalitatem, ideſt, secundùm indifferentiam, & vnitatem, quam accipit à cognitione indefinitâ. Solùm ergo identificari debet secundùm rectum, quod suscipit extrinsecam denominationem *Universalis*; quod rectum vocari solet *ratio obiectiva*, quia est obiectum correspondens rationi formali, ideſt, conceptioni *homo* v.g. & definitioni *animal rationale*.

5 Notandum etiam, vt Universale fit actu constitutum, non requiri, quòd natura actu existat in multis à parte rei; vt patet in naturâ Solis, quæ indefinitè concepta, vniversalis est, quia possunt existere multi Soles, licèt actu non sint. Imò, vt aliqua species actu constituatur vniversalis, nullius individui existentia requiritur; sed sufficit possibilitas plurium. Requiritur tamen actualis vnitas: quia concreta constituta per formam extrinsecam intentionalem, cuiusmodi est *Unum apium ad multa*, licèt non semper exigant existentiam subiecti, semper indigent existentiâ formæ, vt patet in hoc *Antichristus cognitus*.

6 Præmissâ hac perfunctoriâ Universalis notitiâ, quæ magis in sequentibus explicabitur, quæritur nunc, an, & quomodò dari possit Universale? Veteres aliqui nihil esse Universale asseruerunt; ideòque Scientias, quæ sunt omnes de Universalibus, omninò negarunt. Nominales antiqui & scientias admittebant, & Universalia, sed Universalia dumtaxat in significando, seu quæ in solis nominibus vniversaliter significantibus consisterent; vnde *Nominalium* appellatio fluxit. Horum omnium impugnatio videri potest apud Conimbricenses (c). Nobis in antiquam hanc Philosophiam dicere sufficiat, Universale in essendo, & prædicando, importans *vt quod* naturam realem, & intentionem rationis *vt quo*, nullatenùs posse negari, cum evidens experientia sit, naturam realem hominis, aut animalis, aut arboris &c., passim à nobis ita concipi, vt ab omni hæccitate, divisione, & multiplicitate prescindatur: realem autem naturam vt sic conceptam, & nihil aliud, intelligunt Peripatetici nomine *Universalis*. Alij ex adverso Universalia statuunt à parte rei, & ante operationem Intellectus, secundùm omnia constitutiva, ideſt, secundùm vnitatem & multiplicabilitatem. Quâ in re non vnus est dicendi modus, vt iam ostendo.

*Variæ sententiæ statuentes Universalia à parte rei referuntur & impugnantur.*

7 PRima sententia (quæ Platoni tribuitur ab Aristotele, seu bonâ, seu malâ fide, quâ de re plures alij Philosophi, & Ecclesiæ Patres variè loquuntur apud Conimbricenses (d)) asserit, vel asseruit, existere in Lunæ concavo naturas vniversales, æternas, incorruptibiles, ingenerabiles, & à singularibus separatas, quas Platonis Ideas appellant, & quæ per productionem ad singularia descendant, sic tamen, vt nec producto singulari generentur, nec pereunte corrumpantur. Hæc sententia, cuiuscumque fuerit, delirium est. Tum quia ens positivum æternum, & indestructibile, non est nisi Deus, cum sibi vendicet attributa Divina. Tum quia ciusmodi natura, vel idea, realiter distingueretur à singularibus, vtpote

(c) *In Præfat. Porphy. q. 1. art. 2.* (d) *Loc. cit. art. 3.*

ab ijs separata, vel separabilis; simulque realiter cum ijsdem identificaretur, vtpote de ipsis verè affirmabilis tamquam propria ipsorum natura, vel essentia. Mitto alia, quibus facilè potest idea Platonis ostendi contradictionibus implicata.

8 Secunda sententia, cuius Auctor est P. Fonseca (e), distinguit triplicem statum naturæ, humanæ v. g.: primum possibilitatis, quem vocat hic Auctor statum essentiæ & solitudinis, in quo natura humana realiter præcisa est ab hæcceitatibus, eas præcedit, & est ad quamlibet indifferens, ac proinde Universalis est realiter & ante operationem Intellectus: secundum existentiæ, in quo statu natura priorem vniversalitatem amittit, quia per hæcceitatem determinata iam est, & singularis: tertium abstractionis formalis, sive existentiæ obiectivæ, in quo statu denudatur natura per rationem ab hæcceitatibus, & iterùm vniversalitati restituitur.

9 Hæc sententia suffragatores non habet, eo quòd status ille vniversalitatis & indifferentiæ realis videatur omninò commentitius. 1.: quia, sicut natura in statu existentiæ non est nisi hæc & illa singularis, ita in statu possibilitatis; id enim est possibile, quod posteà existit actu. 2.: quia indifferentia naturæ in statu possibilitatis, siquidem per existentiam destruitur, nunquam potest existere à parte rei: erit ergo merum nihilum, aut chymera. 3.: quia natura in statu existentiæ identificatur cum hæcceitate, vt non videtur negare Fonseca: non ergo poterit hæcceitatem præcedere, & ab eâ præscindi realiter, nisi præcedat se, & præscindatur à se.

10 Caramuel (f) in gratiam huius sententiæ ingeniosè versat exemplum vocum *pharetra*, *tenebræ*, & similium; quæ secundùm se realiter indifferentes sunt, vt mediæ syllabæ quantitatem longam, aut brevem habeant in carmine; cum tamen nulla in carmine existat actualiter, quæ non sit determinatè brevis, aut determinatè longa. Sed rogo, vel ea quantitas realiter à totâ voce distinguitur, vel non? Si primum; nihil ad rem: nam indifferentia subiecti ad varia accidentia realiter ab ipso distincta, non est vniversalitas, quâ de loquimur; vt ostendit indifferentia voluntatis ad amorem & odium, vel hominis ad albedinem & nigredinem. Si secundum; indifferentia eiusmodi reperitur quidem in voce *pharetra*, vt mentaliter abstractâ à suis individuis, & intentionaliter vnâ; sed neutiquam reperitur in voce, quæ sit vna realiter: nam vox *pharetra*, quæ duo tempora impendit in media syllaba, realiter distinguitur à voce simili, quæ vno tantùm tempore gaudet; & hæc realis distinctio reperitur etiam in statu possibilitatis. Poetis tamen concessum est alterutrà vti.

11 Tertia sententia est P. Bartholomæi Amici, & Recentiorum quorumdam, asserentium, naturam humanam v.g. vniversalem esse à parte rei, quia est vna in multis. Unitatem autem, in quâ est difficultas, dicunt esse, non numericam, sed formalem, specificam, & essentialem: cum enim natura humana à parte rei non dividatur in plures essentias specie distinctas, hoc ipso est specificè indivisa; hæc autem indivisio est vnitas. Si quæras, in quo fita sit hæc vnitas à parte rei? Aiunt, con-

(e) *L. 5. Metaph. cap. 28.* (f) *in Grammat. audaci p. 1. medit. 2. art. 2.*

consistere in similitudine, & convenientiâ reali, quam habent homines inter se: similitudo namque vera quædam vnitas est, siquidem iuxtà Aristotelem, *Similia sunt, quorum qualitas est vna.* Hinc tota controversia cum his Auctoribus hùc devolvitur, An similitudo, & realis convenientia plurium, dicenda sit vnitas, vel identitas verè talis?

12 Reijcitur hæc sententia 1.: quia similitudo potiùs præsefert divisionem ac pluralitatem extremorum, quorum vnum sit, sicut aliud; est enim relatio realis, vel eius fundamentum. Idcircò nemo dicitur sibi similis, nec natura Verbi Divini potest dici similis naturæ Patris. Non ergo similitudo mereretur nomen identitatis, aut vnitatis. Et, quidquid sit de nomine, saltem non est vnitas Universali sufficiens: tum quia Universale, vt vnum, nequit præseferre pluralitatem: tum quia Universale debet esse aptum, vt absolutè & sine addito prædicetur, vel identificetur cum quolibet inferiori: natura autem humana, vt vna vnitate similitudinis tantùm, nequit absolutè dici de quovis homine; alioqui pluralitas hominum, quorum vnus se habet sicut alius, verè diceretur de Petro. Reijcitur 2.: quia, si realis similitudo est vera identitas, aut vnitas, creatura realiter identificabitur cum Deo in ratione entis, & in ratione substantiæ, & in alijs etiam prædicatis, in quibus sæpe est realiter Deo similis, præsertim homo, qui factus est *ad imaginem & similitudinem* Dei (g). Ipsæ quoque hæcceitates humanæ, cum realiter assimilentur in ratione hæcceitatis, erunt vna hæcceitas à parte rei, nec minùs vniversalis, quàm humana natura.

13 Dices: natura humana à parte rei non est divisa in plures naturas specie diversas, sive in plures species: ergo est indivisa, & vna in specie. *Dist. Conseq.*: est indivisa & vna fundamentaliter, *conc.*; formaliter, sive actualiter, *n. g. Conseq.* A parte rei solùm datur species vna fundamentaliter, quæ nihil est aliud, quàm plures homines realiter similes, fundamentum præbentes, vt ab Intellectu confundantur sub vno conceptu indefinito, & specifico. Hoc autem fundamentum non est actualis vnitas, sed pluralitas. Insistes: natura humana à parte rei non est multiplex species: ergo est vna species. Verùm hæc arguendi formula non tenet ex terminis, vt cernitur in hac omninò simili: *Natura humana nõ est multiplex arbor, aut multiplex Deus; ergo est vna arbor, aut vnus Deus.* Non enim benè arguitur à negatione multiplicitatis ad vnitatem, nisi subiectum supponatur constitutum in eâ lineâ entis, in qua de ipso negatur multiplicitas.

14 Quodsi argumentationem reformes hoc pacto: Natura humana à parte rei est species naturæ; sed non est multiplex species: ergo est vna species. In primis negari potest Maior: quia *species* est nomẽ secundæ intentionis, ac proinde non verificatur propriè & formaliter de naturâ vt est à parte rei, sed vt est sub conceptu *homo*. Deinde *permiss. Mai.*, & *conceff. Min.*, *dist. Conseq.*: est vna species, vnitate oppositâ diversitati, *conc.*; vnitate oppositâ pluralitati, *neg. Conseq.* Unitas, & indivisio sæpe contraponuntur diversitati, seu dissimilitudini notabili; quo sensu dixit Aristoteles, Similia esse, *quorum qualitas est vna*, & æqualia, *quo-*

(g) *Genes.* 1.

*rum quantitas est una*, ideſt, non diſſimilis, non diverſa pluſquam individualiter.

15 Hoc ſenſu natura humana à parte rei non eſt ſpecies multiplex, ſed vna: quia eſſe multiplicem ſpeciem, ſignificat eſſe diviſam in plures naturas notabiliter diſſimiles; quam diviſionem ſui natura humana excludit à parte rei. Alt hæc acceptio vnitatis impropria eſt, vtpotè cohærens cum verâ & propria pluralitate actuali in eodem ſtatu reali; ſiquidem natura humana cum eâ indiviſione coniungit à parte rei actualem diviſionem ſui in naturas verè & propriè multas, videlicet Petri, Pauli, Joannis &c., quarum vna verè & propriè non eſt alia. Ex terminis autem, & omnium apprehenſione, vnitas, & indiviſio propriè ſumpta opponitur multitudini, & pluralitati. Quare diviſio, & multiplicitas ſpecifica non excluditur à parte rei per vnitatem propriè talem; cum enim ſonet diſſimilitudinem, ſufficienter excluditur per vnitatem ſimilitudinis, quæ vnitas impropria eſt, & purè fundamentalis. Si adhuc inſtes: Unitas præciſionis, licèt impropria, ſufficit ad Univerſale: ergo etiam ſufficiet vnitas ſimilitudinis, licèt impropria. Reſponſionem invenies infrà cap. 3.

16 Quarta ſententia eſt quorumdam Recentiorum, qui Univerſale à parte rei ſic meditantur. Perfectio Divina à parte rei eſt vna, & per rationem eſt multiplex, quia ratione diſtinguimus in Deo plura attributa, quorum quodlibet eſt perfectio Divina. Hoc autem eſſe Univerſale à parte rei, probatur: quia vnitas rationis cum pluralitate reali ſufficit ad Univerſale per Intellectum: ergo vnitas realis cum pluralitate rationis ſufficit ad Univerſale à parte rei. Similiter diſcurrunt de quolibet prædicato tranſcendenti, v. g. de ratione entis, quæ prout eſt in Petro v.g., realiter eſt vna, per rationem autem eſt multiplex; quia poſſunt in Petro diſtingui multæ formalitates, quarum quælibet eſt ens.

17 Cogitatio iſta, miſſis alijs impugnationibus, ex eo rejicitur efficaciter, quòd non ſalvat Univerſale, quale nunc quærimus, videlicet quod ſit commune pluribus ſecundùm eam rationem obiectivam, quæ dicitur vna, ita vt nomina, quæ ipſi conveniunt ſpecificativè ſumptæ, poſſint pluraliter vſurpari. Nam perfectio Divina, phyſicè ſumpta vt eſt à parte rei (quo ſenſu eſt vna), eſt totus Deus; ſicut etiam entitas Petri, vt vna eſt à parte rei, totus eſt Petrus. At nec Deus, nec Petrus, ita communis eſt pluribus attributis, aut formalitatibus ratione diſtinctis, vt plures Deos, vel plures Petros ratione diſtinctos habeamus. Omnibus quidem attributis commune eſt nomen *perfectio Divina*: ſed hoc probat, ab illis omnibus vt ratione diſtinctis poſſe reflexè abſtrahi rationem communem perfectionis Divinæ, quæ ſit vniverſalis per Intellectum; non verò probat Univerſale à parte rei; neque enim illud nomen commune eſt, quatenùs, ſignificat totum Deum, vel, quod idem eſt, quatenùs ſignificat perfectionem Dei vt realiter vnam. Id ipſum dicito de nomine *entis Petri*.

18 Quinta ſententia eſt Scotiſtarum, qui ſuæ diſtinctioni formali ex naturâ rei inſitentes, tuentur Univerſale à parte rei. Sed non omnes vno modo, vt videre eſt

apud

apud Mastrium, tum disp. 4. Log. q. 2., tum disp. 9. Metaph. q. 5. Docent quidem omnes, naturam humanam v. g. esse à parte rei identificatam realiter absolutè cum individuis, & eorum singularitatibus, sive hæcceitatibus; simulque ab ijsdem esse distinctam formaliter ex naturâ rei. Sed, vt eius vniversalitatem statuant, in duos opinandi modos dividuntur. Nam alij dicunt, naturam humanam esse vnam, & communem pluribus *per inexistentiam, ita quòd vna & eadem humanitas* (verba sunt Mastrij loc. cit. Log. num. 10.) *realiter reperiatur in omnibus hominibus, v. g. humanitas Petri, & humanitas Pauli non differunt, nisi extrinsecè, ratione scilicet differentiarum adiunctarum*, ideſt, hæcceitatum. Ita sentiunt Bonet., Canonic., Meurisse, & alij plures Scotistæ; qui tamen eam vnitatem naturæ communis nolunt vocare *numericam*, sed *formalem & essentialem*, quam minorem dicunt vnitate numericâ.

19 Hæc opinio à Mastrio cum alijs Scotistis impugnatur, & meritò. Nam inde sequitur 1., non dari plures homines, sed plures tantùm singularitates, quemadmodùm in Trinitate non sunt tres Dij propter vnitatem Deitatis, seu naturæ Divinæ. Unde arduitas mysterij Trinitatis transfertur ad creata, siquidem individua humana sunt realiter eadem vni naturæ, simulque realiter inter se distincta. Sequitur 2., eamdem humanitatem esse in Christo Domino, & in Judâ proditore: vnde eadem erit adorabilis & detestabilis, amica, & inimica Deo, damnata simul & glorificata. Sequitur 3., non posse Deum anihilare Petrum manentibus cæteris; manebit enim in Paulo tota natura & essentia Petri, solaque destrui poterit singularitas. Similiter non poterit Deus novum hominem creare: creatio enim est productio ex nihilo; nunc autem, quicumque producatur homo, aliquid eius præcedit, nempe humanitas, quæ in alijs hominibus præexistit. Sequitur 4., humanitatem Antichristi nunc existere, & non existere: existere; quia nunc existunt alij hominis: & non existere; quia nunc non existit singularitas Antichristi, cui humanitas realiter identificatur; cum enim separabilitas in existendo signum sit evidens distinctionis realis, etiam apud Scotistas, repugnat quòd è duobus realiter identificatis alterum existat sine alio: quo argumento probatur quoque, non posse Deum destruere singularitatem Petri, quin destruat humanitatem.

20 Nec his absurdis medentur Scotistæ, dum asserunt, humanitatem omnium non esse vnam numericè, sed formaliter, & essentialiter. Nam 1.: absurda, quæ tertio & quarto loco deduximus, integra perstant. 2.: vnitas formalis est vera & propria vnitas & identitas à parte rei, iuxtà Adversarios: ergo de humanitate verè & propriè vnâ & eâdem verificatur esse in Cœlo, & in Inferno &c.. 3. vnitas formalis est vnitas strictior, & identitas maior, quàm realis absoluta; & ideò natura Petri magis vna est, magisque identificatur secum ipsâ, quàm cum Petreitate; quia secum formaliter, & cum Petreitate realiter identificatur; secum ita est vna, vt excludat omnem dualitatem ex naturâ rei, quam tamen non excludit quatenùs vna est cum Petreitate. At, si humanitas omnium foret vna

& eadem realiter absolutè, foret vna numericè, vel certè totâ vi procederent absurditates obiectæ: ergo à fortiori &c. 4.: multiplicatio iuxtà Adversarios vnicè se tenet ex parte singularitatum, quin naturam multiplicet in esse naturæ: ergo, quidquid sit de nomine vnitatis numericæ, non magis multiplicatur in individuis natura humana, quàm natura Divina in Trinitate, nec magis erunt plures homines, quàm plures Dij. Vide alia apud Mastrium loc. cit. Metaph. à num. 111.

21 Propter hæc Merinerus, Mastrius, & plerique Scotistæ negant, à parte rei dari naturam vnam, quæ sit communis per inexistentiam in pluribus, & agnoscunt totidem naturas, sive humanitates, quot sunt homines. Sed tamen admittunt à parte rei naturam communem *per indifferentiam*, quod vocant *Universale negativum*, quo nomine intelligunt naturam cuiusque hominis, v. g. Petri, quæ prout distincta formaliter ex naturâ rei à Petreitate, non dicit ex se repugnantiam vt coniungatur cum quâvis hæcceitate aliorum hominum disiunctim, seu divisivè, licèt sit extrinsecè impedita per Petreitatem, cui de facto identificatur. Hanc indifferentiam, seu communitatem dicunt esse, non positivam, sed negativam; ideſt, vt ipsi explicant, non expeditam & liberam ab impedimento, sed actualiter impeditam extrinsecè per Petreitatem, per quam de facto contrahitur natura, sic tamen, vt ni ipso contractionis statu retineat non repugnantiam ad alias hæcceitates. Unde manet indifferens ad multa per aptitudinem, non proximam, sed remotam; eo ferè modo, quo materia sub vnâ formâ existens, manet indifferens ad alias. Vide Mastrium disp. 9. Metaph. q. 4. art. 1.

22 Hæc etiam opinio reijcitur 1.: quia etsi vera esset Scotistarum doctrina, non ideò salvaretur à parte rei Universale Logicum, aut metaphysicum; non enim natura Petri foret multiplicabilis in esse naturæ, sed permanens vna & eadem foret coniungibilis in sensu diviso cum multis hæcceitatibus. Hoc autem haud sufficit ad veram Universalitatem, quâ de loquimur. Tum quia alioquin singularitas quælibet foret etiam vniversalis, vtpotè coniungibilis iuxtà hanc sententiam cum omnibus humanitatibus in sensu diviso. Unde nihil esset à parte rei perfectè singulare. Tum quia tot erunt intrà humanam speciem naturæ vniversales, quot sunt homines. Tum etiam, quia potiori iure natura Divina dicenda esset Universalis, cum non repugnet identitari cum pluribus Personis, & quidem coniunctim, sive in sensu composito.

23 Reijcitur 2.: quia, si natura Petri de se apta est, vt saltem in primâ sui productione coniungatur æquè benè cum Paulcitate, vel cum hæcceitatibus alijs, & pro habitu Dei ad vnam præ alijs determinatur (h), non pererit coniunctio, vel contractio ista fieri per identitatem realem naturæ cum hæcceitate, contrà quod omnes Scotistæ supponunt, ac docent (i). Probatur: quia realis identitas non ita variabilis est, etiam de potentiâ Dei absolutâ, vt quæ modò realiter identificantur, potuerint existere realiter distincta, vel è cõverso: possibiles enim alioquin

(h) *Hæc omnia ex Mastrio disp. 9. Metaph. num. 74. 75. 98. & alijs.*
(i) *Vid. Mastr. cit. num. 74.*

forent mille chymeræ, v. g. homo-equus, hirco-cervus. At sic variabilis esset, si talis doctrina staret: nam Petreitas & humanitas Petri, quæ modò realiter identificantur, potuerunt existere realiter distinctæ, siquidem illa humanitas potuit coniungi cum Pauleitate, & Petreitas cum humanitate Pauli, quo in eventu realiter distinguerentur absdubio.

24 Accedit, quod separabilitas non cohæret cum identitate reali iuxtà Scotistas. At humanitas Petri & Petreitas separabiles essent. Negat Mastrius esse separabiles postquàm existunt. Sed gratis negat: tum quia, si Deus impedire potuit realem identitatem in primo instanti, quin tolleret existentiam extremorum, cur non poterit eam posteà destruere illæsis extremis? Tum etiam, quia, si separatio contingeret, nulla sequeretur contradictio, Accedit insuper, quòd ea inseparabilitas non provenit saltem ab intrinseco, siquidem vtrumque extremum ex se non repugnat coniunctioni cum alijs, & vtrumque est indifferens negativè. Solemne autem est Scotistis identitatem realem explicare per inseparabilitatem ab intrinseco.

25 Mitto modos alios cogitandi Universale à parte rei, qui facilè ex dictis, & statim dicendis impugnari possunt. Tantùm noto, neminem ex patronis Universalis à parte rei loqui de Universali Logico, seu proximè prædicabili de multis; hoc enim indigere actu rationis præcisivo, nemini dubium est. Omnes ergo loquuntur de Universali metaphysico, sive in essendo; quod à parte rei existere volunt, non solùm fundamentaliter (sic enim nec à nobis negatur), sed formaliter, sive in actu, cum actuali scilicet vnitate, & communicabilitate: quo sensu præsens quæstio procedit.

## CAP. II.

*Probatur generatim repugnantia Universalis à parte rei: & contrarijs argumentis occurritur.*

1 SEntentia negans Universale à parte rei communis est in Scholâ nostrâ, & Thomisticâ: &, præter dicta cap. præced., probatur breviter. Repugnat Universale à parte rei, si repugnat à parte rei vnitas, & communicabilitas eiusdem entis ad plura, quibuscum realiter identificetur, & in quibus realiter multiplicetur secundùm nomen, & rationem propriam; sed talis communicabilitas & vnitas omninò repugnant à parte rei: ergo &c. Maior constat ex dictis cap. præced. iuxta communem sensum Scholarum. *Prob. Min.*: vnitas à parte rei est vnitas intrinseca & realis, & communicabilitas illiusmodi importat pluralitatem intrinsecam & realem sub eodem nomine, eâdemque ratione; sed realis vnitas & pluralitas eiusdem entis in eadem ratione, repugnant omninò; siquidem essent intrinseca diviso & indiviso, intrinseca vnitas & non vnitas in eodem sensu, efficerentque, vt à parte rei plures homines forent intrinsecè vnicus homo: ergo &c.

2 *Confirm.* 1.: extremis realiter identificatis convenire non possunt contradictoria realia & intrinseca; sed, posito Universali à parte rei, talia contradictoria conveniunt naturæ & singularitati realiter identificatis. Patet: quia natura

foret intrinsecè communicabilis, & indifferens ad plura; non ita singularitas, cui realiter identificatur. *Confirm.* 2.: si daretur Universale à parte rei, existeret in creatis quid difficilius mysterio Trinitatis, nempe natura vna, quæ simul esset multiplex natura; quod certè foret quid mysteriosius, quàm vna natura, quæ simul est multiplex persona. *Confirm.* 3. ex Aristotele, qui 7. Metaph., præsertim cap. 14., impugnat Universale Platonicum argumentis pariter militantibus contrà quodlibet Universale à parte rei: & 1. de Animâ text. 8., *Universale*, inquit, *aut nihil est, aut posterius est*: posterius, ideſt, resultans ex consideratione Intellectus, vt ibi explicat Commentator, necnon D. Thomas ibi Lect. 1. & Opusc. 55.

3 Quapropter, à parte rei solùm est Universale fundamentaliter, quatenùs datur fundamentum, vt Intellectus naturam realem abstrahat, & præscindat à multiplicitate reali, atque ita constituat formaliter Universale. Illud autem fundamentum sunt plura individua realiter similia inter se, quæ pro mensurâ similitudinis occasionem præbent Intellectui, vt ea confundat conceptu indefinito, vel generico, vel specifico &c. Potest etiam fundamentum desumi ex vnico individuo naturæ finitæ ac limitatæ, quæ idcircò non repugnat coexistentiæ aliorum similium: nam ex hac non repugnantiâ fundamentum sumit Intellectus, vt naturam talis individui, v.g. Solis, à singularitate præscindat.

4 Objic. 1. pro Ideâ Platonis: Scientiæ dicuntur esse de necessarijs, æternis, immutabilibus, quæ nec generantur, nec corrumpuntur: sed scientiæ sunt de Universalibus: ergo dantur Universalia his attributis prædita, atque adeò realiter separata à singularibus. *Confirm.*: quia, nisi detur natura communis à singularibus separata, falleretur Intellectus, dum eam sine singularibus concipit. *Resp.*: ea omnia tribuuntur obiectis scientiarum, non in existendo, sed in verificando propositiones scientificas. Quia enim hæc v.g. propositio, *Homo est animal rationale*, hoc sensu exposita, *Quandocumque existat homo, quidditas eius est animal rationale*, vera est ab æterno in Intellectu Divino, & foret etiam vera in Intellectu creato, si existeret ab æterno; & quia verificatio eius est necessaria & immutabilis, nec pendet ex eo, quod generetur, aut corrumpatur homo; idcircò ipsius obiectum, quod est homo vniversaliter conceptus, dicitur necessarium, æternum &c., quin requiratur separatio realis à singularibus; nam his etiam eadem attributa conveniunt eodem sensu, prout subsunt conceptui *hominis*. Ad *confirm.*: falleretur quidem Intellectus, si conciperet, naturam obiectivè seiunctam à singularibus: at non ita concipit; sed præcisè naturam intelligit non cogitando singularia, ideſt, non illa exprimendo sub ratione talium: in quo nulla falsitas, iuxtà illud, *Præscindentium non est mendacium.*

5 *Objic.* 2. pro alijs sententijs: vno tantùm homine existente, daretur à parte rei natura humana vna, & multiplicabilis: ergo foret natura Universalis. *Dist. Antec.*: multiplicabilis per divisionem sui in plures naturas humanas, *neg.*; multiplicabilis, ideſt, non excludens possibilitatem & existentiam aliarum si-

similium, & solo numero differentium, *conc. Antec.*; hoc enim sensu sola natura Divina est essentialiter immultiplicabilis. Sed *neg. Conseq.*: quia multiplicabilitas sic accepta non sufficit Universali, cum non reddat illam naturam aptam esse in multis. *Replic.*: illa natura saltem ab intrinseco non repugnat communicationi sui ad plura individua; aliàs, dum per Intellectum concipitur communis pluribus, conciperetur cùm prædicato sibi repugnante: ergo est vniversalis, saltem negativè. *Dist. Antec.*: non repugnat communicationi sui solius, aut seorsum acceptæ, vt est à parte rei, *neg.*; communicationi sui vt confusæ per Intellectum cum alijs similibus, *conc. Antec.*; & *neg. Conseq.*, nisi per vniversalitatem negativam intelligatur vniversalitas fundamentalis. Unde natura illa non concipitur cum prædicato sibi repugnante; quià non concipitur communis, nisi prout confusè concepta cum alijs; cui communitati non repugnat ab intrinseco, sed illi fundamentum præbet. Hæc magis infrà clarescent.

6 *Objic.* 3.: Singulare, & Universale sunt correlativa: ergo, si alterum datur à parte rei, datur & alterum; sicut, si à parte rei datur dominus, datur & servus. *Dist. Antec.*: sunt correlativa secundùm esse, *neg.*; secundùm dici, *subaist.*; relatione oppositionis, & repugnantiæ, eo modo, quo ens reale & ens chymericum correlativa sunt, *conc.*; alio genere relationis, *neg. Conseq.* Et instò: Unitas & multiplicitas Dei sunt correlativa: ergo dabitur à parte rei Deus multiplex, sicut datur Deus vnus. Loquimur de Universali à parte rei, quod nobis est chymericum. Universale tamen ab Intellectu factum relationem dicit ad singulare, saltem secundò intentionaliter acceptum.

7 *Objic.* 4.: natura omnium hominum à parte rei est vnicâ definitione definibilis: ergo habet vnam essentiam, seu quidditatem; nam quidditas definitioni respondet. Concedo Consequentiam, loquendo de vnitate fundamentali, quæ est vnitas similitudinis. Sed, loquendo de vnitate formali, sive actuali, *neg. Conseq.*: habet vnam essentiam, vnitate præsuppositâ ante operationem Intellectus, *neg.*; vnitate præstitâ per operationem Intellectus, nimirùm per conceptum *hominis*, vel per ipsam definitionem *animal rationale*, quæ etiam exercitè præscindit à singularitatibus, & naturas omnium hominũ adunat, *conc. Conseq.* Nec probabitur vnquam, aliud genus vnitatis ex parte essentiæ requiri, vt vnicæ definitioni respondeat.

8 *Objic.* 5.: plures homines à parte rei non distinguuntur formaliter, essentialiter, aut specificè, sed numericè tantùm; aliter pertinerent ad distinctas species, & aliquod prædicatum essentiale conveniret vni, quin alteri conveniret: ergo habent à parte rei vnitatem formalem, essentialem, aut specificam. *Confirm.* 1.: natura humana omnium individuorum non est essentialiter multiplex; alioqui Petrus foret essentialiter multiplex, cum includat quidquid est de conceptu essentiali naturæ humanæ: est ergo natura essentialiter vna. *Confirm.* 2.: divisio, & multiplicatio naturæ humanæ in individua, non est divisio formalis, sed materialis: ergo relinquit naturam humanam formaliter indivisam, & vnam.

*Resp.*

9 *Resp.* Ad *obiect. dist. Antec.*: non distinguuntur &c., distinctione inducente diversitatem, aut dissimilitudinem, *conc.*; distinctione inducente veram pluralitatem entitativam essentiarum, *neg. Antec.*: & *dist. Conseq.*: habent à parte rei vnitatem &c., oppositam pluralitati essentiarum entitativæ, *neg.*; vnitatem oppositam diversitati, quæ est vnitas similitudinis, atque adeò vnitas impropria, & fundamentalis, *conc. Conseq.*. Vide cap. præced. num. 14. & 15. Hanc distinctionem adhibemus, ne qua irrepat æquivocatio. De cætero verum est absolutè, quòd plures homines à parte rei non distinguuntur *specificè*, sed sunt eiusdem speciei: quia vsu communi distinctio specifica sonat diversitatem, & identitas specifica à parte rei sonat similitudinem essentiarum reverâ multarum. Eodem sensu verum est, quòd non distinguuntur *essentialiter*, aut *formaliter*, quia hæc adverbia communiter idem sonant, ac *specificè*: quare, vel alludunt ad statum intentionalem; vel, si referuntur ad statum realem, non negant distinctionem essentiarum entitativam, sed solam dissimilitudinem. Hinc plures homines non pertinent ad distinctas species; quia habent essentias, distinctas quidem, sed non diversas. Nec vni convenit prædicatum essentiale, quod vt ratione præcisum non conveniat alteri: quamquam à parte rei numericè distinguantur prædicata vnius à prædicatis alterius.

10 *Ad* 1. *Confirm.*: natura omnium hominum à parte rei est *essentialiter multiplex*, si hoc idem sonet, ac *multiplex essentiæ similis, speciès* verò, si sonet idem, ac *multiplex specificè*, vel *multiplex essentiæ dissimilis*. Cum autem dicitur, quòd Petrus includit quidquid est de conceptu essentiali naturæ humanæ, sensus est, quòd includit quidquid pertinet ad definitionem naturæ humanæ sub conceptu *homo*, scilicet omnia prædicata, per quæ definitur homo vt sic, quorum è numero non est multiplicitas naturæ, proindeque non evadit Petrus essentialiter multiplex. *Ad* 2.: divisio naturæ in individua dicitur *materialis* in ordine ad Scientias, quæ non curant individua cognoscere sub ratione talium, ideòque in ordine ad illas de materiali se habet, quòd natura fit actu multiplicata numericè. Vnde sola divisio in essentias specie diversas dicitur hoc sensu *formalis*, seu de formali se habens. Est tamen ea divisio *formalis*, si hoc nomine denotetur divisio, quæ non solas multiplicat hæcceitates, sed etiam naturas, & essentias.

11 Notandum hìc ex Doct. Eximio (a): natura humana à parte rei non solùm habet vnitatem individualem in quovis homine, sed etiam formalem, à quâ non omninò præscinditur per Intellectum. Nomine vnitatis formalis non hìc intelligitur vnitas rationis; hæc enim est *formalis extrinseca*; sed intelligitur vnitas intrinseca proveniens ab essentiâ. Hanc vnitatem habet natura Petri, non solùm quia in se habet indivisionem in plures naturas humanas, sed maximè quia est intrinsecè indivisa in naturas specie, vel genere diversas, & intrinsecè discreta à naturâ equi, leonis, lapidis &c. Ab hac, inquam, vnitate, sive indivisione, non omninò præscinditur natura per Intellectum, licèt præscindatur ab vnitate individuali: nam etiam sub conceptu *homo* apparet in-

(a) *disp. 6. Metaph. sect. 1. & seq.*

intrinsecè indivisa, & indivisibilis, in plura dissimilia genere, vel specie.

12 Cæterùm hæc formalis vnitas naturæ humanæ à parte rei est indistincta ab vnitate individuali, proindeque non est vnica, sed multiplicatur entitativè, sicut ipsa natura humana, & sicut vnitas individualis: vnde non sufficit ad Universale à parte rei. Imò nec sola sufficit, vt Universale per Intellectum dicatur vnum: quia prout comitatur naturam in statu abstractionis, non est vnitas intrinsecè vnica, nec multiplex, sed purè præscindens à multiplicatione sui, & præcisè dicens indivisionem in plura dissimilia: sicut natura ipsa in eo statu nec apparet intrinsecè multiplex, nec vna, iuxtà vulgatum illud ex Avicen. *Equinitas, vt equinitas, non est vna, nec plures.* Humana igitur natura sub conceptu *homo* præscinditur ab vnitate formali intrinsecâ, quatenùs entitativè multiplici, non tamen, quatenùs excludente divisionem in plura diversa genere, vel specie.

13 *Obsic. 6.*: carentia omnium hominum ab æterno est vna; nam alioqui, cum sint possibiles infiniti homines, darentur ab æterno infinitæ carentiæ in actu, quod repugnat: aliunde illa est multiplicabilis à parte rei, cum alia sit carentia Petri, alia Pauli &c.: ergo est Universalis à parte rei. *Neg. Mai.*: nam carentia nihil est, atque adeò propriè nec est vna, nec multiplex: sed eo modo, quo à nobis apprehenditur instar cuiusdam negationis obiectivæ, tot sunt carentiæ, quot homines non existentes, videlicet infinitæ ab æterno; ex quâ infinitudine nullum absurdum sequitur; nam dari ab æterno carentias hominum infinitas, præcisè significat non dari ab æterno infinitos homines. Certè, si carentia foret actuale quid, absurdè poneretur ab æterno sive vna, sive multiplex: repugnat enim ab æterno dari quidquam actu positum extra Deum, præsertim independens ab actione Dei.

14 *Replic.*: vnicus homo est in se ipso negatio rerum omnium, à quibus distinguitur: ergo & carentia vna poterit esse negatio omnium hominum. *Resp.* Antecedens verum est de negatione radicali respectivâ, ideſt, de repugnantiâ vnicuiusque entis ad identitatem sui cum rebus, à quibus distinguitur: at verum non est de negatione formali absolutâ, vi cuius non fuit res in statu existentiæ ab æterno; talis enim negatio, vel carentia, necessariò multiplicatur suo modo pro multiplicitate rerum non existentium, vt ex ipsâ carentiarum separabilitate convincitur.

15 *Replic. 2.*: carentia rugibilitatis est multiplex, cum existat in omnibus hominibus; aliunde est vna, cum vnica sit rugibilitas, quam excludit: ergo à parte rei est vna & multiplex, & consequenter Universalis. *Resp.* Si sermo sit de carentiâ absolutâ, quâ rugibilitas excluditur à rerum naturâ, *neg. Mai.*; non enim talis carentia existit in hominibus. Si autem sermo sit de carentiâ respectivâ, *neg. Min.*: nam talis carentia, licèt sit vnius rugibilitatis, multiplicatur per subiectum multiplex; vt patet in privatione formæ A, quæ multiplex est pro multiplici materiâ primâ. Id quod maximè verum est, quando carentia respectiva est radicalis, sive consistens in repugnantiâ identitatis, vt in casu argumenti.

16 *Obsic. vlt.*: obiectum scien-

tiæ, & Intellectus, est Universale; sed obiectum præcedit actum potentiæ, vel facultatis, cuius est: ergo Universale præcedit actum Intellectus, & Scientiæ. *Dist. Min.*: obiectum præcedit &c., secundùm naturam subiectâ vniversalitati, *conc.*; secundù vniversalitaté, *subdist.*; secundùm vniversalitatem fundamentalé. *conc.*; secundùm formalem, *neg. Min.*, & *Conseq.*. Obiectum scientiæ, & Intellectus dicitur Universale, quia considerantur vniversaliter, ideſt per actus, quibus formaliter constituitur Universale, præcedente naturâ cum vniversalitate fundamentali, quam explicuimus num. 3.

## CAP. III.

### *Statuitur Universale per Intellectum.*

1 CUm Universalia admittenda sint ex communi consensu Philosophorum, nec existere possint à parte rei secundùm omnia sui constitutiva, reliquum est, vt per Intellectum plenè formentur. Id quod fieri posse, sic probatur. Universale est Unum aptum esse in multis, seu communicabile multis; sed per conceptum *homo* v.g. natura humana, quæ realiter multiplicata est in individuis, redditur vna apta esse in multis: ergo redditur Universalis. Probatur Minor quantùm ad vnitatem, probanda postmodùm quantùm ad aptitudinem, seu communitatem. Natura humana per conceptum *homo* redditur vniformiter definibilis, ita vt sub eo conceptu non aliter definiatur humanitas, quæ est in Petro, quàm humanitas, quæ est in Paulo, aut alio quovis; nam quicumque definitur vt homo, definiri debet *animal rationale*: ergo redditur formaliter vna.

2 *Prob. Conseq.* ex Aristotele 5. Metaph. tex. 11. sic aiente: *Unum ea dicuntur, quorum ratio, quod quid erat esse dicens, indivisibilis ad aliam est, quod quid erat esse rei significantem; ipsa enim per se ipsam omnis ratio divisibilis.* Quem locum sic exponit D. Thomas ibi lect. 7. lit. f.: *Unum dicuntur, quæcumque ita se habent, quòd definitio vnius, quæ est ratio significans quod quid est esse, non dividitur à definitione alterius, quæ significat etiam quid est esse eius. Ipsa enim definitio, scilicet secundùm se, oportet quòd sit divisibilis, cum constet ex genere & differentia. Sed potest esse quòd definitio vnius sit indivisibilis à definitione alterius, quando duo habent vnam definitionem...., sicut bos & equus conveniunt in vna definitione animalis* &c.. Cuius doctrinæ ratio est: quia plures naturas fieri vniformiter definibiles, est fieri vnius rationis, cum idem sit *ratio*, ac *definitio*, vt suprà ostendimus, & hìc supponit Aristoteles: fieri autem vnius rationis, est fieri ratione vnum, formaliter vnum.

3 Porrò natura humana per conceptum *homo* præscinditur ab omni multiplicitate, adeò vt per solam vim & energiam illius conceptus nunquam possit apparere vt multiplex natura, quantumcumque definiatur, & explicetur: ergo, prout apparet sub tali conceptu, non habet divisionem: ergo est vna. Patet hæc Consequentia ex Aristotele loc. cit. dicente: *Universaliter quæcumque non habent divisionem, in quantum non habent, sic Unum dicuntur: vt, si in quantum homo non habet divisionem, vnus homo; si verò in quantum animal, vnum animal.* Ubi D. Thomas lect. 8., *Universaliter*, inquit, *hoc est verum, quod*

*quod quæcumque non habent divisionem, secundùm hoc dicuntur Unum, in quantum divisionem non habent: sicut quæ non dividuntur in eo quod est homo, dicuntur unum in homine, sicut Socrates & Plato: & quæ non dividuntur in ratione animalis, dicuntur Unum in animali.* Consonat communis definitio, quâ Unum dicitur *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio*: humanitas enim sub conceptu *homo*, & est divisa ab omni naturâ nō humana & est indivisa in se, sive in suâ specie, cum præscindatur à pluralitate numericâ.

4 Jam, quòd natura per illum conceptum reddatur apta, seu communicabilis pluribus, facilè percipitur, & conceditur ab omnibus, suppositâ Unitate rationis. Nam aptitudo & communicabilitas propria naturæ Universalis est actualis indifferentia, vt sine fictione cognoscatur identificata realiter cum pluribus. Hæc autem indifferentia supponit ex parte obiecti realem identitatem illius naturæ, quæ fit intentionaliter vna, cum pluribus saltem possibilibus; vel, quod eòdem redit, supponit aptitudinem, & communicabilitatem radicalem, seu fundamentalem (quæ iuxtà Thomistas est materialitas naturæ, iuxtà alios est finitudo & limitatio perfectionis); & addit præcisionem ab omni pluralitate, & differentiâ inferiori. Natura enim humana, dum præscinditur, & quasi denudatur ab omni differentiâ individuante, nihil retinet, vnde repugnet Petro, nec Paulo, nec alijs hominibus individuis: tota quippe repugnantia, vt natura Petri cognoscatur identificata cum Paulo, oritur ex eo, quod cognoscitur eadem cum Petreitate: si ergo ab hac, & alijs hæcceitatibus præscinditur, manet expers repugnantiæ, & consequenter indifferens.

5 Ne tamen putes, naturam humanam esse indifferentem, vt cognoscatur identificata cum pluribus per ipsum conceptum *homo*; aliàs per illum non præscinderetur à pluralitate, nec fieret vna. Per hunc ergo conceptum redditur indifferens, vt quoties prout sic *concepta* comparetur cum individuis hominibus, statim appareat conveniens illis per identitatem: hæc autem comparatio necessariò fieri debet per alios conceptus, vel apprehensivos, vel iudicativos. Denique tota probatio confirmari potest: quia, si natura humana ita existeret à parte rei, sicut apparet sub conceptu *homo*, præcisa scilicet ab omni differentiâ individuante, nec habens actualem divisionem, foret absolutè Universale à parte rei: si ergo per Intellectum acquirit conditiones istas, erit Universale per Intellectum.

6 Ex dictis inferes, Universale esse concretum ex subjecto & formâ: subiectum, quod suscipit denominationem Universalis, est natura realis, quæ multiplicata est à parte rei: forma denominans est cognitio abstractiva, v.g. *homo*, *animal*, *vivens*, per quam natura præcinditur à multiplicitate reali: ab hac enim formâ, licèt extrinsecâ, denominatur obiectum vnum, & commune pluribus, modo explicato. Unde ipsa est vnitas, & communitas in abstracto, & intentio Universalitatis. Quare non sunt audiendi Thomistæ, dum eam intentionem, in quâ consistit vnitas & communitas, volunt esse fictam, & obiecto intrinsecam, & attingi per cognitionem directam. Hoc enim satis, superque refutavimus tract. 1. disp. 2. cap. 4. à num. 33. ad

37., & cap. 5. à num. 25. ad 28.; quibus in locis luculenta dedimus testimonia D. Thom. pro nostrâ doctrinâ; ostendimusque ex S. Doctore, quòd intentio vniversalitatis est immaterialis, quia recipitur in animâ sicut in subiecto, nec propriè est in re extrà animâ, tãquã in subiecto, sed tãquã in obiecto: ité, quòd *cognitio facit Universale esse in actu Universale, & est quoddam formale in Universali*; & quòd *Universale est vnum vnitate cognitionis.* In eodem cap. 5. solvimus quidquid cõtrà objiciunt Thomistæ.

7 Notandum hìc, aliud esse loqui de naturâ humanâ *secundùm se*, aliud de eâdem *in esse Universalis.* Primo modo consideratur natura in statu abstractionis, non tamen secundùm prædicata extrinseca, quæ illi proveniunt à tali statu; sed secundùm prædicata penitùs intrinseca, per quæ in tali statu definitur, nempe animal, & rationale, & quę in his formaliter includuntur: & hæc dicuntur prædicata *primæ intentionis*, & propria naturæ *in suppositione personali*: & hæc eadem sunt, quæ possunt cognoscì identificata cum pluribus, iuxtà num. 5. Secundo modo consideratur natura secundùm prædicata in ipsam derivata ab statu abstractionis, ideſt, à cognitione præcisivâ, nempe secundùm denominationes *vniuersalis, communis, indifferentis, vniversalis, generis, speciei* &c.: hæc dicuntur prædicata *secundæ intentionis*, & propria naturæ *in suppositione simplici*; nec possunt convenire individuis quà talibus, aut cum eis identificari. Vide D. Thomam Opusc. de Ent. & Essent. cap 4., vbi egregiè rem istam explicat. Unde colliges, quare dicatur, quod natura *secundùm se* non est vna, nec multiplex: quia scilicet nec per vnitatem, nec per multiplicitatem definitur in suppositione personali

*Variæ difficultates contrà doctrinam traditam expediuntur.*

8 *Dices* 1.: natura, quæ denominatur Universalis, exsitit à parte rei, & ab Intellectu sola provenit forma: ergo non est cur potiùs Universale dicatur esse per Intellectum, quàm à parte rei. *Resp.* In primis nomine *Universalis à parte rei* intelligimus Universale prorsùs independens ab Intellectu secundùm omnia sui constitutiva. Præterea denominationes tribuuntur ponenti formam, sive vltimum determinativum, vt patet in denominatione *cogniti*, quæ dicitur esse per Intellectum, licèt res, quæ cognoscitur, sit à parte rei.

9 *Dices* 2.: natura humana sub conceptu *homo* non magis est vna, quàm multiplex; nam ea cognitio æquè præscindit naturâ à reali vnitate, & multiplicitate: vt summùm ergo natura sub eo conceptu præcisionem habebit à divisione, & indivisione sui; minimè verò positivam indivisionem, sive vnitatem; nam positiva vnitas requirit carentiam divisionis. *Dist. Antec.*: non magis est vna, vnitate reali intrinsecâ, & numericâ, *conc.*; vnitate extrinsecâ intentionali, *neg. Antec.* Tum *dist. Cons. q.*: præcisionem habebit à divisione & indivisione reali numericâ, *conc.*; extrinsecâ intentionali, *nego Cons. q.* Conceptus *homo* æquè præscindit naturam à multiplicitate, & singularitate reali, cum neutram exprimat ex parte actus; ideòque natura, prout hic concepta, non magis est realiter intrinsecè vna numero, quam multiplex, ideſt, æquè non definitur per vnitatem, ac per mul-

ti-

plicitatem. At hoc ipso conceptus ille positivè repugnat in se multiplicitati rationis, cum à se positivè excludat expressionem, per quam natura in Intellectu appareat vt multiplex, in quâ expressione consistit multiplicitas, ac divisio rationis. Habet ergo natura sub eo conceptu carentiam divisionis intentionalis, atque adeò positivam vnitatem intentionalem & extrinsecam.

10 *Dices* 3.: natura in statu abstractionis apparet intrinsecè Ens: ergo apparet intrinsecè vna; nam Ens & Vnum convertuntur, & Unitas est attributum, seu passio Entis metaphysica. *Dist. Conseq.*: apparet intrinsecè vna, vnitate formali, *conc.*; vnitate numericâ, vel singularitatis, *neg. Conseq.* Loquor de vnitate formali intrinsecâ, quam ex Doct. Eximio proposui cap. præced. num. 11. & 12., vbi ostendi, naturam non omninò præscindi à tali vnitate, nec tamen ab eâ solâ constitui vniversalem, nisi accedat vnitas extrinseca: quia vnitas formalis, prout comitatur naturam in statu abstractionis, non excludit pluralitatem numericam naturæ, & sui ipsius, licèt excludat specificam, aut genericam. Vnde, quoties dicimus, naturam humanam secundùm se, sive in statu abstractionis, non esse intrinsecè vnam, loquimur de vnitate numericâ: nam formalis vnitas, cum sit ipsamet differentia specifica, nempe rationalitas, vtique reperitur in homine vt sic, præcindens tamen à numericâ pluralitate, quam habet à parte rei ipsamet vnitas formalis. Vide Caietan. in cap. 4. de Ent. & Essent. ad illa verba D. Thomæ: *Si quæratur, vtrùm ista natura possit dici vna, vel plures, neutrum concedendum est, quia vtrumque est extrà intellectum humanitatis.* Et nota, quòd huic argumento non occurritur per vnitatem fictam; quia hæc non est passio entis realis: nec item per obiectivam præcisionem; quia hæc non separat hominem vt sic à prædicatis transcendentibus.

11 *Dices* 4.: quod cognitio in se sit vna, non sufficit, vt naturam denominet vnam; sicut, quòd sit in se singularis, & spiritualis, non sat est, vt naturam denominet singularem, & spiritualem; & alioquin Divina cognitio, quæ vnica repræsentat res omnes, eas denominaret Unum, & Universale. Concedo totum: non enim ideò naturam dicimus fieri vnam à cognitione, quia cognitio in se vna est; sed quia habet modum tendendi adunativum, idest, præcisivum à multiplicitate reali naturæ. Patet hoc in his conceptibus *homo*, & *homines*: Vterque est vnus in se: sed non reddit vterque naturam humanam extrinsecè & intentionaliter vnam; idque ob diversum tendendi modum: nam secundus exprimit ex parte actus pluralitatem obiecti vt talem: primus verò à pluralitate præscindit, ideòque naturam humanam, quæ ex parte obiecti est multiplex, ita proponit ex parte actus, vt Intellectus eam definiat & explicet quasi vnam: & hoc est habere modum tendendi adunativum, & obiectum realiter multiplex exercitè constituere, seu denominare vnum per rationem. Nec ideò debet cognitio denominare obiectum singulare, vel spirituale: talium quippe denominationum à formâ extrinsecâ incapax est obiectum (a). Nec item Divina cognitio obiectum in se multiplex facit vnum, aut Universale; cum præscin-

(a) *Vid. supra Tract. 1. disp. 2. cap. 5. num. 40.*

cludere nequeat ex parte actus à pluralitate obiectivâ.

12 *Dices* 5.: vnitas rationis est impropria, sicuti distinctio rationis: ergo non constituit propriè Universale; quemadmodum vnitas similitudinis, quia impropria est, Universali non sufficit. *Confirm.* 1.: esse hominem per Intellectum duntaxat, non est reverâ hominem esse: ergo neque esse vnum, aut Universale per Intellectum, est reverâ vnum esse, nec Universale. 2. Universale est essentialiter vnum, cum per vnitatem definiatur: ergo non est vnum extrinsecè tantùm. 3.: si præcisiva cognitio esset vnitas Universalis, multiplicatâ cognitione *homo*, multiplicarentur Species humanæ; sicut multiplicatâ vnitate individuali, multiplicantur individua. 4.: vnitates, quibus homo & equus constituuntur Universales, non distinguuntur specificè; nam duplex Species in esse Universalis differunt solo numerò. At hi duo conceptus, *homo*, & *equus*, specificè distinguuntur. 5.: cognitio *homo* est singularis: ergo, si est vnitas, est vnitas singularis: ergo nequit esse vnitas specifica, & vniversalis. 6.: cognitio *homo* vltimùm est vnitas præcisiva: at Universale requirit vnitatem positivam. 7.: natura vniversalis est vnus conceptus obiectivus: ergo habere debet vnitatem obiectivam. *Ultimo*: cognitio accipit vnitatem ab obiecto: ergo nequit tribuere obiecto vnitatem.

13 *Resp.* Unitas rationis impropria est, si comparetur vnitati reali: propria tamen est in lineâ rationis: verè enim, & propriè excludit divisionem de lineâ rationis constitutem in expressione plurium vt plurium. Sic vnitas amicitiæ, vel vnitas politica partium Reipublicæ, impropria est, si vnitati physicæ comparetur; cum tamen sit propria in lineâ morali. Hinc patet disparitas ad vnitatem similitudinis; hæc enim, cum non pertineat ad lineam intentionalem, sed ad realem physicam, deberet excludere divisionem realem, vt foret vnitas propria in suâ lineâ; quam tamen divisionem minimè excludit, sed potiùs positivè præfefert pluralitatem. In nullâ igitur lineâ est vnitas propriè talis, nec reddit naturam indivisam realiter, nec intentionaliter. Hinc etiam inferes, Universale per Intellectum, quamvis dici possit improprium comparativè ad Universale à parte rei, si daretur; tamen absolutè esse proprium: tum quia impossibile est aliud magis proprium: tum quia tantam habet proprietatem, quantam requirunt Scientiæ, quæ certè contentæ sunt vniversalitate rationis, vtpotè sufficiente, vt totam speciem humanam v.g. vnicâ definitione definiant, ac de eâ differant, quasi esset realiter vna.

14 *Ad* 1. *Confirm. neg. Conseq.*: quia denominatio hominis de se est physica & intrinseca: quare, si physica non est, nulla est. At denominatio Unius potest esse extrinseca, & rationis, vt probatum est, & denominatio Universalis nequit esse intrinseca subiecto. Et instatur sic: esse album per Intellectum duntaxat, non est reverâ album esse: ergo esse cognitum per Intellectum, non erit reverâ cognitum esse. *Ad* 2.: Universale adæquatè sumptum, seu prout est concretum ex subiecto & formâ, nempe ex naturâ & cognitione, intrinsecè & essentialiter est vnum; quia vnitas intentionalis est de essentiâ istius concreti. Solum ergò vni-

ta-

tatem dicimus extrinsecam Universali specificativè sumpto, ideſt, naturæ physicæ, quæ denominatur universalis. Sic cognitio est de essentiâ concreti *cognitum*; & tamen est extrinseca rei, quæ cognita denominatur.

15 *Ad* 3.: Universale, vel Species, est concretum accidentale: concreta autem accidentalia non multiplicantur ex multiplicatione formarum eiusdem rationis, si subiectum est idem. Sic Deus mille cognitionibus cognitus, non dicitur multiplex cognitum, sed vnum millies cognitum. Pariter ergo natura humana, multiplicato conceptu *homo*, non est multiplex Species, sed eadem multipliciter formata. Contrà vnitas individualis, cum non sit forma accidentalis individuo, sed omninò intrinseca & substantialis, necessariò inducit multiplex individuum, si ipsa multiplicatur. *Ad* 4.: conceptus, *homo*, & *equus*, differunt specie physicâ, quæ ex obiectorum diversitate desumitur: non tamen differunt specie logicâ reflexâ, sive in consideratione reflexâ Logicæ, quæ non pensat cognitiones ex diversitate obiectorum, nisi quantum sufficit ad discernenda inter se quinque Prædicabilia; de cætero solùm attendens modum repræsentandi adunativum: hic autem modus in vtroque conceptu similis est.

16 *Ad* 5.: cognitio *homo* est vnitas singularis respectu sui, non respectu obiecti; & est vnitas vniversalis respectu obiecti, non respectu sui: quemadmodùm est repræsentatio obiecti, & non est repræsentatio sui: vel quemadmodum est physica existentia sui, & intentionalis existentia obiecti, non è converso: quâ in re nulla est difficultas, cum certum & obvium sit, non omnes denominationes, quas forma suscipit *vt quod*, posse tribui subiecto, vel obiecto; nec omnes, quas forma continet respectu subiecti, posse afficere formam ipsam *vt quod*. Certè, quòd forma in se singularis denominet obiectum vniversale, non est difficilius, quàm quòd forma in se incognita denominet obiectum cognitum. Vid. D. Thom. Opusc. 55. & 56. *Ad* 6.: licèt cognitio *homo* sit vnitas præcisiva, quatenùs nec dicit, nec excludit pluralitatem realem obiecti; est tamen vnitas positiva in lineâ rationis, quia pluralitatem rationis positivè removet à se; vt iam suprà explicuimus num. 9.

17 *Ad* 7. *neg. Conseq.*: quia natura Universalis, est quidem conceptus obiectivus vnus, at non est obiectivè vnus, sed extrinsecè intentionaliter, sive vnus *vnitate cognitionis*, vt loquitur D. Thomas: quemadmodùm iuxtà Thomistas ea natura est vnus conceptus obiectivus realis, sed non est vnus realiter, cum tantùm fictè sit vnus. *Ad vltim.*: cognitio desumit vnitatem ab obiecto tamquam à fundamento; & obiectum accipit vnitatem à cognitione tamquam à forma: cognitio præsupponit in obiecto vnitatem fundamentalem, consistentem in similitudine plurium; & obiectum accipit formaliter à cognitione vnitatem actualem extrinsecam, consistentem in expressione præcisivâ. Nec obiectum comparatur ad cognitionem vt causa physica, vel vnivoca, sed vt causa formalis extrinseca, quæ perfectiones effectus non nisi fundamentaliter præcontinere debet.

18 Notandum, quidquid in hac obiectione nobis opponitur, for-

tiùs vrgere Thomistas. Nam vnitas ficta vtique impropria est, & vmbratilis, nec Universale constituit nisi vmbratile: item, sicut homo fictè constitutus non est verè homo, ita nec verè est Universale, quod fictè constituitur: item, cum Universale fit essentialiter vnum, habebit essentiam fictam, si vnitas ficta est: item, multiplicatâ fictione vnitatis in naturâ humanâ, multiplicabitur humana species: item vnitates specierum humanæ & equinæ, erunt entia rationis specie diversa, scilicet ex diversitate fundamenti, & subiecti, cui insunt: item, si cognitio est vna ab obiecto, debet in eo præsupponere vnitatem; non autem præsupponit, sed practicè causat vnitatem fictam.

19 Quædam alia, quæ Thomistæ nobis obijciunt, attingemus cap. 5. Id semper negandum est ipsis, quòd natura Universalis concipiatur vt vna, vt communis, vt vniversalis, vt indifferens, vt species, aut genus, per cognitionem directam, per quam abstrahitur à differentijs, v. g. per cognitionem *homo*, vel *animal*: tales quippe denominationes sunt obiectum cognitionis reflexæ, & exercitè constituuntur à cognitione directâ vt à formâ, non aliter ac denominatio *cognitum*. Item, omnes istæ denominationes vnicè cadunt suprà obiectum *vt quod*: ipsa verò cognitio, est quidem vnitas extrinseca, vniversalitas, prædicabilitas, genereitas &c.; sed non est vniversalis, prædicabilis &c., nisi purè *vt quo*.

***

## CAP. IV.

*Quodnam sit Obiectum cognitionis constituentis Universale?*

1 QUæritur, quid attingat ex parte obiecti cognitio *homo*, & aliæ similiter præcisivæ, quibus formaliter constituitur Universale? Patroni præcisionis obiectivæ respondent, per cognitionem *homo* attingi duntaxat prædicata essentialia naturæ humanæ præcisa ex parte obiecti ab omnibus differentijs individuorum: naturam item sic præcisam non manere in statu abstractionis realiter vnam, nec multiplicem, nec esse Petri, nec Pauli, nec alius hominis, neque omnium, sed tantùm esse veram essentiam naturæ humanæ, quæ intentionaliter est vna: & ideò, inquiunt, natura sic accepta prædicabilis est adæquatè & secundùm totam sui rationem obiectivam de omnibus & singulis individuis; quia præcisè dicit veram essentiam naturæ humanæ, quæ de omnibus hominibus verè affirmabilis est. Natura tamen ista, licèt nullius sit in statu intentionali, cum præscindat ab omnibus, at in statu reali est natura omnium, & realiter identificatur cum omnibus hominibus.

2 Hæc doctrina, & subest omnibus difficultatibus præcisionis obiectivæ, & specialiter impugnari solet multis ac validis argumentis, apud Auctores nostros passim videndis. Modò breviter impugnatur sic: obiectum cognitionis *homo* secundùm totum, quod terminat cognitionem, nequit esse prædicabile de singulis hominibus, absque vllâ distinctione, vel inadæquatione ex par-

parte obiecti: non igitur est natura humana, qualis ponitur à Præscindentibus obiectivè. *Prob. Antec.*: obiectum illud nequit realiter identificari cum singulis hominibus secundùm totum, quod terminat cognitionem: ergo nec potest esse prædicabile de singulis &c.. Consequentia patet: quia nihil est verè prædicabile, sive affirmabile de subiecto, nisi cum eo realiter identificetur. *Prob. Antec.*: obiectum illud iuxtà Adversarios est natura humana, quæ realiter identificatur cum omnibus hominibus; sed quod realiter identificatur cum omnibus, nequit realiter identificari cum singulis adæquatè inter se distinctis: ergo &c.

3 Urgetur 1.: licèt obiectum cognitionis *homo* præscindatur ab identitate reali cum Petro, tamen est aliquid, quod ante cognitionem realiter identificabatur cum Petro: ergo per cognitionem non potest fieri prædicabile de Paulo. *Prob. Conseq.*: per cognitionem præcisivam nequit fieri realiter separabile à Petro, quod cum eo realiter identificabatur ante cognitionem; neque enim separatio intentionalis, etiamsi fiat præcisione obiectivâ, realem inducit separabilitatem eorum, quæ realiter identificantur, vt nemo dubitat. At, si fieret prædicabile de Paulo (saltem citrà disiunctionem), fieret realiter separabile à Petro, siquidem posset realiter identificari cum Paulo, qui secundùm se totum est realiter à Petro separabilis: ergo per cognitionem illud obiectum nequit fieri prædicabile de Paulo.

4 Urgetur 2.: ex doctrinâ istâ sequitur, expositorium & legitimum esse hunc syllogismum: *Petrus est homo, Paulus est homo, ergo Petrus est Paulus.* Probatur absurda sequela: quia terminus medius perfectè distribuitur, nempe terminus *homo*, qui secundùm totum, quod ex parte obiecti significat, applicatur absque disiunctione singulis extremis, in quâ applicatione consistit perfecta Medij distributio in Syllogismo expositorio. Nec dicas, applicari singulis Medium adæquatè intensivè, non adæquatè extensivè. Nam applicari non adæquatè extensivè, nihil est aliud, quàm Medium illud manere indifferens, vt applicetur alijs: de cætero autem terminus *homo* nullam ex parte obiecti realitatem significat, quæ non applicetur Petro. Hinc autem necessariò infertur realis identitas Petri cum Paulo, & cum cæteris omnibus, de quibus tale Medium verè affirmabile est. Patet: nam quæ sunt eadem vni tertio adæquatè sumpto, videlicet secundùm totam realitatem eius, necessariò sunt eadem inter se. Si ergo Petrus & Paulus sunt extrema realiter eadem toti obiecto cognitionis *homo* secundùm totam realitatem, quæ terminat cognitionem, necessariò identificãtur inter se. Nec obstat quòd vnitas istius Medij, vel obiecti, sit extrinseca & impropria. Nam etiam acervus lapidum impropriam habet vnitatem: & tamen, siqua extrema sint eadem vni toti lapidum acervo, erunt eadem inter se.

5 Urgetur 3.: si prædicta doctrina vera est, huius propositionis, *Petrus est homo*, sensus erit, *Petrus realiter identificat secum naturam humanam, quæ à parte rei est propria natura Pauli, quamvis nullius hominis propria sit prout in statu abstractionis.* At hic sensus falsus est citrà dubium; aliter Petrus realiter identificaret secum naturam, à quâ distinguitur à parte rei. Hæc maximè

vim habent contrà Præscindentes obiectivè, qui communiter docent, Universale in actuali prædicatione salvari.

6 Urgetur 4.: obiectum cognitionis *homo*, iuxtà propositam ideam, est veluti massa naturæ humanæ, collecta ex omnibus individuis, & expurgata ab hæcceitatibus quasi à furfure. Talis autem massa multis nominibus difficilis & obscura est. Tum quia nequit expurgari ab hæcceitate, quin expurgetur à semetipsâ: nam ante cognitionem hæcceitas erat ipsamet natura humana. Tum quia massa ista, cum solùm resecet hæcceitates, coalescit ex omnium hominum naturis, ita vt inibi reperiatur quidquid est in Paulo præter hæcceitatem, & sic de alijs: at massa coalita ex naturis omnium, nequit realiter identificari cum Petro, nec de eo proinde prædicaris non enim Petrus est natura omnium hominum, nec secum identificat quidquid realiter est in Paulo præter Pauleitatem. Tum quia, si massa istiusmodi sumitur ex omnibus hominibus, dùm posteà ad applicationem, seu prædicationem venitur, non poterit tota singulis attribui sine iniuriâ cæterorum, sed pro ratâ distribui debet inter omnes, ita vt suum cuique fructulum obtingat: vel si tota tribuitur singulis in solidum, necessariò infertur eorum realis identitas inter se.

7 Nostra igitur conclusio sit, Obiectum cognitionis *homo* (idem intellige proportione servatâ de quovis actu constituente Universale) esse omnes hominum naturas, sive omnia individua humana. Ita omnes Defensores præcisionis formalis, ex quâ præcisione conclusio ista necessariò sequitur. Cum enim cognitio *homo* attingat prædicata essentialia naturæ humanæ, quæ identificantur à parte rei cum omnibus individuis, hæc omnia attingere debet ex parte obiecti, nisi præscindat obiectivè. Probatur autem 1. auctoritate Magni Augustini Categor. cap. 1. dicentis: *Uno vocabulo cum hominem dixeris, noscis omnes*: item, *Equum etiam cum quis dixerit, monstrabit omnes*: itidem, *Cum leonem, vel taurum dixeris, omnes qui vbique sunt, sub vno nomine naturæ succedunt.* Idem docet de nominibus *animal*, *arbor*, *gemma*, & alijs. Ergo iuxtà Augustinum cognitio respondens nomini *homo*, vel *equus*, vel *leo* &c., noscit omnes homines, equos, aut leones, qui vbique sunt.

8 2. auctoritate D. Thomæ, tum Opusc. de Ent. & Essent. cap. 3., vbi dicit: *Quidquid est in Specie, est etiam in Genere, vt non determinatum. Si enim animal non esset totum, quod est homo, sed pars eius, non prædicaretur de eo, cum nulla pars integralis prædicetur de suo toto.* Quam doctrinam ibi latè confirmat, & applicat etiam ad Speciem respectu individuorum. Et 7. Metaph. lect. 12. lit. e, *Genus*, inquit, *prædicatur de Specie: vnde oportet, quòd significet aliquomodò totum.* Consonat lect. 9. & sæpè aliàs. Unde vides, conceptum *animal* attingere totum, quod est homo, & eâdem ratione totum, quod est equus, & sic de cæteris; sed *aliquomodò*, idest, non ex parte actus, vt fatentur omnes, sed ex parte obiecti: si enim hoc modo non attingit totum hominem, animal vt sic erit ex parte obiecti pars hominis, de quo proinde prædicari non poterit.

9 Tum Opusc. 55., vbi de specie, seu cognitione constituente Uni-

Universale, sic loquitur: *Est illa in solo Intellectu singularis, & est universalis, in quantum habet rationem uniformem ad omnia individua, quæ sunt extrà animam, prout æqualiter est similitudo omnium* &c.: & statim subdit exemplum vnius statuæ, quæ repræsentaret multos homines. Et Opusc. 56., *Universale*, inquit, *est vnum in cognitione; quia, licet plura secundùm quòd plura, non constituant vnum intellectum, tamen plura secundùm quòd similia sunt, constituunt vnum intellectum, ita quòd intellectus non potest distingui inter similia, in quantum sunt similia: & ideò Intellectus apprehendit hominem & asinum, in quantum conveniunt in una operatione, scilicet sensitiva* &c.

10 3. ratione. Obiectum cognitionis *homo* est vera & realis natura humana, vt inficiatur nemo: ergo vel est natura Petri, vel alterius determinatè, vel omnium hominum. Atqui non est sola natura Petri, vel alterius hominis determinatè, cum hæc non possit de omnibus prædicari: est ergo natura omnium, ac proinde cognitio illa terminatur ad omnes homines ex parte obiecti. Urgetur 1. obiectum cognitionis *homo* est prædicabile de omnibus & singulis hominibus: ergo debet includere omnes naturas hominum. *Prob. Conseq.*: quia, si vel vnius naturam non includeret, de eo prædicari non posset, cum nihil includeret realiter identificatum cum tali subiecto. Urgetur 2.: conceptus *homo* attingit ex parte obiecti fundamentum immediatum Universalitatis, seu abstractionis; hoc enim fundamentum est, quod præcedit vt capax & aptum ad terminandum conceptum præcisivum. Sed fundamentum immediatum vniversalitatis, vel abstractionis, est realis convenientia & similitudo plurium, & hæc necessariò importat multitudinem hominum: hæc ergo multitudo necessariò attingitur conceptu præcisivo.

11 Urgetur 3.: conceptus *homo* illud obiectum attingit, quod intentionaliter adunat, seu reddit vnum: id autem adunat, quod ante cognitionem erat divisum & multiplex. At ante cognitionem non erat divisum & multiplex, nisi omne individuum naturæ humanæ. Certè, nisi hoc ita sit, falsò diceretur, quod Petrus & Paulus sunt vnum in ratione hominis, vel homo & equus vnum in ratione animalis. Tum quia vnitas proveniens à conceptu *homo*, vel *animal*, tam non afficeret inferiora, quàm si essent realiter distincta à ratione communi; hæc enim est vis præcisionis obiectivæ. Tum etiam, quia duo nequeunt dici vnum in eâ ratione, quæ prout est vna, est separata ab illis. Clariùs, homo & equus non sunt realiter vnum in ratione animalis, vt supponitur; aliunde nec intentionaliter sunt vnum in eâ ratione: ergo nullatenùs sunt vnum. *Prob. Min.*: ratio animalis, iuxtà Contrarios, est intentionaliter extra hominem & equum, & sic accepta nec est homo, nec equus ex parte obiecti; sed in eo sensu, in quo illa ratio non est homo, nec equus, sed extrà vtrumque, homo & equus non sunt in eâ vnum; sicut nequeunt esse realiter vnum in prædicato, quod in sensu reali nec sit homo, nec equus, sed extrà vtrumque: ergo &c. Sequela autem est contrà Aristotelem, & D. Thomam cit. cap. præced. num. 2. & 3., & contrà communem sensum.

*Enodatur præcipua noſtræ ſententiæ difficultas.*

12 CONtrà ſententiam ſtatutam protinùs obijcies, ex eâ deſtrui prædicabilitatem Univerſalis. Nam obiectum cognitionis *homo* non erit Univerſale, niſi fiat adæquatè prædicabile de ſingulis hominibus: prædicabilitas enim inadæquata non ſufficit; aliter Petrus erit vniverſalis à parte rei, cum ſit vnus, & inadæquatè prædicabilis de multis, nempe de corpore & animâ, quibus conſtat. At illud obiectum, ſi complectitur omnes homines, nequit eſſe de ſingulis prædicabile adæquatè, vel ſecundùm ſe totum: neque enim de quovis homine prædicari poteſt omnis homo. Verùm obiectio iſta non minùs vrget Adverſarios, vt ſuprà vidimus à num. 2.: imò fortiùs vrget, cum nequeat ipſis prodeſſe ſolutio, quam ſtatim dabimus. Recentiorum reſponſio communis eſt, obiectum cognitionis *homo* eſſe prædicabile de Petro v. g. adæquatè intenſivè, non adæquatè extenſivè, vel, quod eòdem redit, adæquatè ex parte actus, & inadæquatè ex parte obiecti. Verùm his terminis acquieſcere nunquam potui.

13 1.: quia denominatio *prædicabilis* non cadit ſuprà actum, ſed ſuprà obiectum, vt fatentur omnes: ergo obiectum cognitionis *homo* denominatur prædicabile adæquatè de Petro, ſaltem intenſivè. Sed illud obiectum eſt omnium hominum collectio: hæc ergo tota collectio eſt, quæ ſuſcipit denominationem prædicabilis adæquatè intenſivè de Petro. At quomodò poterit tota hominum collectio reddi verè affirmabilis abſolutè de Petro, qui pars tantùm collectionis eſt? An verum erit, quod tota perfectio intenſiva naturæ humanæ realiter identificata cum Paulo, poteſt etiam realiter identificari cum Petro? Sanè perfectio intenſiva naturæ humanæ non præſcinditur ex parte obiecti à perfectione extenſivâ: ergo, ſi tota perfectio intenſiva denominatur prædicabilis de Petro, tota etiam denominabitur perfectio extenſiva. 2.: denominatio *prædicabilis* de Petro, quæ provenit à conceptu *homo*, non convenit ſoli naturæ Petri; convenit enim naturæ Univerſali, & natura Petri non eſt Univerſalis ſe ſolâ, ſed prout intentionaliter vnita cum cæteris: ergo denominatio *prædicabilis* de Petro, convenit naturæ Petri, prout eſt intentionaliter vna cum cæteris, & prout indiſtincta à cæteris: ergo & cæteris eodem modo convenit, atque adeò convenit omnibus adæquatè ex parte obiecti, ſicut naturæ Petri.

14 3.: ſi natura humana ſumpta adæquatè ex parte actus *homo*, eſt verè affirmabilis de Petro: ergo ſic accepta, eſt adæquatè identificata realiter cum Petro; nihil enim eſt de Petro verè affirmabile citrà diſiunctionem, niſi cum eo realiter identificetur: ergo natura ſic accepta, non eſt natura omnium, ſed ſolius Petri. Dicunt, naturam eſſe de Petro prædicabilem adæquatè ex parte actus, non poſitivè, ſed negativè, nimirùm quatenùs eſt abſolutè prædicabilis de Petro, quin vlla inadæquatio, vel diviſio exprimatur ex parte actus, vel quin neceſſe ſit addere adverbium *inadæquatè*; quamvis reverâ ſola natura Petri ſit poſitivè prædicabilis de Petro.

tro. Sed *contrà* 1.: prædicabilitas respectu singulorum convenit naturæ Universali in eo sensu, in quo ipsi convenit vnitas, & vniversalitas; sed vnitas, & vniversalitas convenit positivè collectioni omnium hominum: ergo & prædicabilitas.

15 *Contrà* 2.: si omnes homines sunt obiectum cognitionis *homo*, non poterit tale obiectum prædicari de singulis absolutè, vel absque addito *inadæquatè*. Quod enim in eâ cognitione nulla exprimatur pluralitas, parum refert: nam etiam cognitio *Petrus* non exprimit pluralitatem, aut divisionem corporis, & animæ; & tamen eius obiectum non est prædicabile de singulis partibus absque addito *inadæquatè*. *Contrà* 3.: si omnes naturæ humanæ, vt subiacent cõceptui *homo*, nõ sunt vnũ prædicabile positivè de singulis, Species humana non erit vnicum prædicabile, sed erit totidem prædicabilia (& quidem prædicabilitate propriâ Universalis, vtpotè præstitâ per conceptum *homo*), quot sunt homines individui. Sequela est contrà communem sensum; sed probatur: quia, si non totum obiectum cognitionis *homo* est positivè prædicabile de singulis, sola natura Petri erit positivè prædicabilis de Petro, sola natura Pauli de Paulo, & sic de cæteris, quin detur positiva prædicabilitas naturis omnibus communis, seu quæ conveniat omnibus vniformiter, aut per modum vnius; non enim eadem prædicabilitas, quæ convenit vni naturæ, convenit alteri: omnes ergo naturæ humanæ sub eo conceptu erunt velut scopæ dissolutæ in esse prædicabilis positivè, atque adeò totidem erunt prædicabilia positivè, quot sunt homines à parte rei.

16 Existimo itaque, solutionem huius difficultatis pendere ex modo tendendi cognitionis Universale constituentis. Is modus est indefinitus, idest, vt vox ipsa præsefert, indeterminatus, atque adeò saltem implicitè & æquivalenter vagus, aut disiunctivus, aptusque proinde ad suppositionem confusam, vel disiunctivam, in quâ verificetur per quodlibet è multis, quæ significat. Quare indefinitus conceptus *homo* potest eodem modo resolvi, ac resolvuntur hi, *quidam homo*, *aliquis homo*, *vnus homo*, vel *vnus ex hominibus*. Ita PP. Hurtado disp. 5. Metaph. sect. 10. num. 157., Joan. Bapt. de Benedictis lib. 2. Log. q. 1. cap. 10. versùs finem, Sylvester Maurus quoad rem ipsam q. 35. Logic., Arriaga disp. 6. Log. sect. 6. subsect. 3. quantum ad conceptum indefinitum in actuali prædicatione positum, & expressiùs Ulloa disp. 2. Logic. Maior. à num. 91.

17 Probatur 1. ex Aristotele 4. Metaph. cap. 2. dicente: *Idem est vnus homo, & ens homo, ac homo; & non significat diversum aliquid secundùm dictionem repetitam, id est homo, & homo, & vnus homo.* Sed terminus *vnus homo* vagè significat omnes homines, cum idem sonet, ac *vnus ex hominibus*, sitque verificabilis per quemlibet eorum: ergo similiter censendum de termino *homo*. 2. ex D. Thomâ, qui Opusc. 55. ante med. ait: *Genus significat formas, non tamen hanc vel illam determinatè, quam determinatè differentia* (idest, differentia) *exprimit, quæ non est alia ab illa, quæ indeterminatè significabatur per Genus.* Significat ergo conceptus *animal* formas humanam, leoninam, equinam &c., non determinatè, sed indeterminatè: &

forma, quam determinatè significat conceptus *rationale*, non est alia ab illâ, quam indeterminatè significat conceptus *animal*.

18 Nec prodest auctoritatem eius Opusculi tamquam incerti declinare. Nam id ipsum multò clariùs docet D. Thomas Opusc. de Ent. & Essent. cap. 3., ex quo decerpo in specimen verba sequentia: *Quidquid est in Specie, est etiam in Genere, vt non determinatum.* Item, „ *Potest* hoc nomen *Corpus*, hoc modo accipi, vt significet rem quamdam, quæ habet talem formam, „ ex quâ possint in eâ tres dimensiones designari, quæcumque forma sit illa..; & hoc modo Corpus „ erit Genus animalis, quia in animali nihil est accipere, quòd in „ Corpore implicitè non contineatur: non enim anima est alia ab „ illâ formâ, per quam in re illâ poterant designari tres dimensiones. Et ideò, quando dicebam, „ quòd Corpus est, quod habet talem formam, ex quâ possunt designari tres dimensiones, in eo „ intelligebam quæcumque forma „ esset illa, sive anima esset, sive lapideitas, sive quæcumque alia forma: & sic forma animalis implicitè in Corpore, sive in Corporis „ formâ continetur, prout Corpus „ est Genus eius. Et etiam talis est „ Animalis habitudo *ad hominem*.

„ 19 Item, *Animal est Genus* „ secundùm quod significat rem „ quamdam, ex cuius formâ potest „ provenire sensus & motus, quæcumque sit illa forma, sive sit anima sensibilis tantum, sive sit anima sensibilis & rationalis simul. „ Igitur Genus significat indeterminatè id totum, quod *est in Specie*. „ Item, *Genus significat* quamdam „ formam, tamen non determinatè „ hanc vel illam, quam determinatè „ differentia exprimit, quæ non est „ alia, quam illa, quæ indeterminatè significabatur *per Genus*. Item, „ *Natura* Speciei est indeterminata „ respectu individui, sicut natura „ Generis *respectu Speciei*. Item, *Hoc* „ *nomen*, homo, significat essentiam „ hominis vt totum, in quantum „ scilicet non prætendit designationem materiæ, sed implicitè continet eam & indistinctè, sicut dictum est, quòd Genus continet „ differentiam: & ideò prædicatur „ hoc nomen, homo, *de Individuis*. Hactenùs D. Thomas: cuius ex verbis planè colligitur, hæc nomina, *Corpus*, *Animal*, *Homo*, perinde esse verificabilia in ordine ad prædicationem, ac si ita sonarent, *Aliquid radicans tres dimensiones per formam hominis vel lapidis &c.*, *Aliquid potens sentire per animam rationalem vel irrationalem*, *Aliquid habens essentiam hominis hanc vel illam in individuo*. Habent ergo eiusmodi nomina tendentiam implicitè seu æquivalenter vagam, aut disiunctivam.

20 3. ratione: terminus *homo* in ordine ad prædicationem non habet tendentiam copulativam, aut collectivam: ergo, cum aliundè non habeat tendentiam determinantem vnum hominem individuum præ alijs, supereſt vt habeat tendentiam indeterminatam, & vagam. *Prob. Antec.*: terminus *homo* reddit obiectum verè affirmabile de singulis, & omnibus, quæ continet: sed non ita facit terminus copulativè significans. Patet hoc in termino *omnis homo*, vel *omne animal*; qui propter tendentiam copulativam nequit reddere obiectum verè affirmabile de subiecto, sive inferiori, sive æquali. Ut enim inquit

quit Aristoteles 1. Periherm. cap. 5., *Nulla erit affirmatio vera, in qua prædicationis nota universalis ei adiungitur, quod universaliter prædicatur, vt, Omnis homo est omne animal.* Id quod verum est (inquit D. Thomas ibi lect. 10. lit. f.), *etiam si prædicatum sit convertibile, vt, Omnis homo est omne risibile: Oporteret enim*, subdit Angelicus, *quòd quilibet vnus homo, esset animalia omnia, aut omnia risibilia, quæ repugnant rationi singularis, quod accipitur sub Universali.* Contrà, vt ibidem observat S. Doctor, terminus vagè significàs, vel signo particulari affectus, verificabilis est de subiecto Universali, v.g. *Omnis homo est aliquod animal*: vnde infertur, terminum, *animal*, habere tendentiam consonam termino, *aliquod animal*; dissonam autem termino, *Omne animal*.

21 *Confirm.* 1.: hi termini, *animal*, & *aliquod animal*, sunt convertibiles in prædicando, ita vt recta illatio sit, *est animal, ergo est aliquod animal*, & è converso: sunt, inquam, convertibiles ratione formæ, sive ex modo tendendi; nam in omni materiâ se se reciprocè consequuntur terminus indefinitus, & vagus, seu particularis, vt liquidum erit experienti: ergo terminus, *aliquod animal*, non est minùs amplus, magisvè determinatus, nec ex parte obiecti, nec ex parte modi, quàm terminus, *animal*. Patet Conseq.: nam iuxtà regulam Summularum, à termino amplo ad non amplum non tenet illatio affirmativè. Contrà, à neutro ex his prædicatis Consequentia valet ad prædicatum, *Omne animal*; quia, licèt hoc ab illis non differat in obiecto, differt tamen in modo tendendi copulativo. *Confirm.* 2.: si iudicium sit qualitas composita, vt fert sententia probabilis, vel si esse fingatur, salvabitur Universale in hac actuali prædicatione, *Petrus est homo*, vt omnes concedere videntur: ergo verè prædicabitur de Petro obiectum complectens omnium naturas hominum. At naturæ omnes nequeunt verè prædicari de Petro, nisi vagè, vel disiunctivè significentur: ergo terminus *homo*, servans tendentiam indefinitam, æquivalet termino vagè, vel disiunctivè significanti.

22 Hinc clarè percipitur, quo modo obiectum cognitionis *homo* includat omnes homines, & tamen sit adæquatè prædicabile de singulis. Nam, licèt de Petro sola eius natura sit prædicabilis determinatè, at indeterminatè seu vagè omnes naturæ prædicari possunt de Petro, dummodò natura Petri sit vnum de extremis disiunctionis: verè enim dicitur, *Petrus est aliquis homo*, vel *est vnus ex hominibus*; vbi ex parte prædicati omnes homines indeterminatè significantur. Nec ideò debet totum illud obiectum identificari cum Petro, aut convenire Petro: nam identitas adæquata prædicati cum subiecto, infertur quidem ex adæquatâ prædicabilitate in sensu determinato, sed non ex adæquatâ prædicabilitate in sensu indeterminato; ex hac enim solùm infertur identitas adæquata subiecti cum vno extremorum disiunctionis. Quare prædicabilitas respectu singulorum afficit totum obiectum vniversale; non tamen totum afficit identificabilitas, vel identitas cum singulis. Hinc etiam evanescit paritas illa Petri respectu suarum partium: quia nomen *Petrus* collectivè significat corpus & animam.

23 Sed adversus hanc doctrinam dices 1.: hæc tendentia, *aliquis homo*, non constituit Universale, sed

ita-

individuum vagum: ergo idem dicendum de termino *homo*, si vagè significat. In primis non desunt, qui negent Antecedens, nec improbabiliter. Sed, eo admisso, *neg. Conseq.*: quia prior terminus exprimit ex parte actus divisionem obiecti, cum perinde sonet, ac *aliquis hominum*, vel *unus è multis hominibus*: quare nequit obiecto tribuere vnitatem rationis, quæ consistit in expresione plurium præscindendo ex parte actus à reali divisione, seu pluralitate. At verò terminus *homo* nullam divisionem præfefert, & idcircò aptus est ad tribuendam indivisionem, & vnitatem rationis. Porrò, non dicimus, terminum *homo* esse formaliter disiunctum, aut disiunctivum, sed virtualiter tantùm, & æquivalenter. Quamvis autem disiunctio formalis præseferat divisionem plurium; non ita disiunctio virtualis.

24 Passim accidit, vt duo æquivaleant quantum ad aliquid; simulque formaliter differant. Sol dicitur virtualiter ignis, quia calefacit & illuminat, ficut ignis; quin inde sequatur, Solem esse formaliter calidum, eo quòd calida sit res illa, quæ formaliter ignis est. Conceptus etiam, aut voces, æquivalentes quantum ad sensum, sæpe formaliter differunt in modo significandi, ratione cuius differentiæ potest alteri convenire munus, quod alteri non convenit, nominatim munus constituendi Universale. Sic in his propositionibus, *Homo est animal*, *Homo est iustus*, subiectum constituit Universale, & servat vnitatem rationis: & tamen in his alijs, quæ sensu æquivalent illis, *Omnis homo est animal*, *Aliquis homo est iustus*, subiectum non habet vnitatem rationis, nec Universale constituit.

25 Sed hinc dices 2.: propositio, *Homo est animal*, & quævis alia indefinita de materiâ necessariâ, æquivalet vniversalitiam ergo terminus *homo*, retinens tendentiam indefinitam, potest æquivalere termino *omnis homo*: ergo tendentia indefinita non est æquivalenter disiunctiva. Hoc argumentum vt summùm probat, terminum *homo* æquivalere vtrique tendentiæ, *omnis*, & *aliquis*, cum etiam propositio indefinita de materiâ contingenti æquivaleat disiunctivæ. Atque ita docuit olim, sēsū huius asseri, *est homo*, sic explicādū, *est aliquis vel omnis homo*. Nunc tamen id video non esse necessariū. Sed adhuc respondeti potest, terminum *homo* habere tendentiam indifferentem ex se, vt ratione materiæ determinetur ad suppositionem, vel distributivam, vel disiunctivam: sicut terminus *aliquis oculus* de se indifferens est, vt ratione materiæ trahatur ad suppositionem, vel purè vagam ac disiunctam, vel particularem ac disiunctivam, vt patet in his enuntiatis, *Aliquis oculus requiritur ad videndum*, *Aliquis oculus videt*. Dici quoque posset, terminum indefinitum, licèt nonnunquam æquivaleat copulativo, si subijciatur; nunquam tamen, si prædicetur affirmativè. Nunc autem de tendentiâ indefinitâ loquimur, prout obiectum constituit prædicabile, sive affirmabile.

26 Sed, his omissis, respondeo, terminum *homo* ratione sui, sive ex proprio modo tendendi, nunquam æquivalere termino *omnis homo*: id quod, & satis patet ex dictis, & supponitur ab Aristotele, & D. Thomâ 1. Periherm. lect. 10. & 11. Idei cò propositio indefinita, nec vniversali æquivalet in vllâ materiâ con-

contingenti, nec in omni necessariâ, vt constat quoties prædicatur inferius de superiori, v.g. *Animal est rationis particeps*, atque etiâ quotiès prædicatum subiecti suppositionem vagâ exigit, v.g. *Oculus requiritur ad videndum*, *Cibus est necessarius homini ad vivendum*, quæ propositiones indefinitæ sunt de materiâ necessariâ, quin vniversalibus æquivaleant. Indefinita igitur solùm vniversali æquivalet in materiâ necessariâ, in quâ prædicatum sit superius, vel æquale subiecto, eiusque partibus insit determinatè: nec tunc æquivalentia est ratione formæ, seu ratione signi, sed tantùm ratione materiæ, seu *ratione significati*, vt loquitur D. Thomas (a), eo scilicet, quod prædicatum *animal* v.g., si convenit alicui homini, debet omnibus convenire: vnde, qui dicit, hominem esse animal, virtualiter mediatè asserit, omnem hominem animal esse; quia hoc ex illo sequitur ratione materiæ. Parem æquivalentiam habet re ipsâ propositio particularis, *Aliquis homo est animal*, respectu vniversalis; sed quia pro expresso magis ab illâ differt, quàm indefinita, ideò huic potiùs æquivalentia eiusmodi tribuitur.

27 Dices 3.: Universale debet esse adæquatè prædicabile, non solùm de singulis, sed de omnibus simul inferioribus: ergo cognitio, quâ constituitur, debet copulativè significare naturas omnium. *Dist. Antec.*: de omnibus simul inferioribus distributivè sumptis, *conc.*; collectivè, seu copulatè sumptis, *neg. Antec.*, & *Conseq.* Si omnes homines copulatè sumantur, hæc propositio, *Omne individuum hominum est homo*, reddet hunc sensum, *Collectio omnium hominum est homo*; sic autem falsa est, non minùs, quàm istæ, *Exercitus est homo*, *Civitas est homo*, *Collegium Apostolorum est homo*. Solùm ergo Universale, *homo*, prædicabile est de omnibus individuis distributivè, ita scilicet, vt, licèt simul tempore conveniat omnibus, tamen non nisi singulatim applicetur singulis. Et alioquin posset verè dici, *Omne individuum humanum est omnis homo*, contrà quod suprà nos docuit ex Aristotele D. Thomas. At in sensu distributivo de omnibus simul inferioribus verificatur prædicatum disiunctim acceptum: verè quippe dicitur, *Omnis homo est aliquis homo*, sicut iuxta D. Thomam (b) verè dicitur, *Omnis homo aliquod animal est*.

28 Dices 4. ex Arriaga: simplex apprehensio incomplexa, v.g. *homo*, repræsentat omnes homines copulativè; quia simul omnes apprehendit; & nihil aliud est copulativè repræsentare, quàm simul omnes apprehendere. Sed verò, cum Arriaga loc. suprà cit. fateatur, expresionem, *homo*, in actuali prædicatione repræsentare omnes homines disiunctivè, obiectionem solvere tenetur: cum enim dicitur, *Petrus est homo*, expresio *homo* repræsentat omnes homines, non successivè, sed simul tempore; cum tamen repræsentet disiunctivè. Præterea, cum dicitur, *Equus necessarius est ad equitandum*, vel etiam, *Homo est iustus*, omnis equus, omnisque homo, simul attingitur; & tamen attingendi modus iuxtà omnes est æquivalenter vagus, aut disiunctivus. Rursùs, difficultas eadem est in apprehensione complexâ, *aliquis homo*, vel *aliquis ex hominibus*: vbi simul tempore apprehenduntur omnes, quin apprehen-

(a) 1. *Perih. r. lect.* 10. *lit. c. ad finem.* (b) 1. *Perih. lect.* 10. *lit. f. ad finem.*

hendantur copulativè. Tendentia ergo copulativa non consistit præcisè in repræsentatione simultaneâ plurium, sed in speciali modo repræsentandi, qui nobis ex verificatione innotescit: si enim verificari nequeat, nisi per plura simul, erit tendentia copulativa; si verò per quodlibet seorsùm verificari queat, erit disiunctiva, vel formaliter, vel æquivalenter.

29 Dices 5.: ergo conceptus *homo* nullum obiectum significat determinatè. *Dist. Conseq.*: determinatè, determinatione specificâ, *neg.*; determinatione individuali, *conc. Conseq.* Conceptus ille significat naturam potiùs humanam, quàm equinam, aut leoninam &c.; & hoc est determinatè significare determinatione specificâ: at non significat naturam huius potiùs, quàm illius hominis, sed omnium indeterminatè; & hæc est indeterminatio individualis. Similiter conceptus *animal* importat determinationem genericam, simulque indeterminationem specificam ex modo significandi, vt suprà nos docuit D. Thomas.

30 Denique notandum, etsi prædicatum indefinitum in negativâ propositione supponat distributivè, v.g. in hac, *Lapis non est homo*, quæ perinde valet, ac *est nullus homo*; non ideò exuere tendentiam æquivalenter disiunctivam; nam etiam terminus formaliter disiunctivus à præcedente negatione trahitur ad suppositionem distributivam, vt cum dicitur, *Lapis non est aliquis homo*, iuxtà illud, *non aliquis nullus*. Quare distributio à negatione provenit. Notandum etiam, discrimen suppositionum disiunctæ ac disiunctivæ non desumi ex modo tendendi terminorum, qui vtrobique idem est; sed vel ex indole materiæ, cùm terminus subijcitur; vel ex conditione subiecti, cùm terminus prædicatur. Unde idem terminus *animal*, vel etiam *aliquod animal*, dum prædicatur in vniversali affirmativâ, supponit disiunctim, sive confusè; dum verò prædicatur in affirmativâ particulari, vel singulari, supponit disiunctivè: quæ omnia ex Summulis constant, & ex descensu vtrobique factibili. Sed instituto præsenti non obest discrimen illud: nam vtralibet suppositio, vel aptitudo ad vtramlibet, salvat prædicabilitatem adæquatam Universalis. Notandum insuper, terminum *homo* posse præscindere, ac ratione distinguere suum obiectum à multitudine, quam præsefert terminus *aliquis homo*, quamvis alter ex altero colligatur; iuxtà dicta disp. 1. cap. 6. à num. 9. ad 12.

## CAP. V.

### *Solvuntur Argumenta reliqua contrà conclusionem de Obiecto actus constituentis Universale.*

1 ADversùs præcipuâ conclusionem, cap præced. stabilitam contrà Præscindentes obiectivè, circà obiectum actus vniversalis, *Obijc.* 1.: cognitio *hominis* constituit suum obiectum vnum: ergo debet præscindere à multiplicitate individuorum. Sed non præscindit ab eo, quod attingit: ergo debet non attingere multiplicitatem individuorum. *Confirm.* 1.: ea cognitio, vel attingit plura vt plura, vel plura vt vnum: si primum dicas, non præscindit à pluralitate: si secundum, ita attingit plura, vt plu-

pluralitatem omninò resecet. *Confirm.* 2.: si dicta cognitio attingit omnes homines, idem habet obiectum, ac cognitio *omnis homo*; sed hæc non reddit obiectum vnum, aut Universale: ergo nec illa. *Confirm.* 3.: cognitio illa non aliter attingere potest omnia individua, nisi vt similia; sed vt similia, sunt plura: ergo attingit vt plura. *Confirm.* 4.: cognitio hæc, *civitas*, aut *populus*, aut *exercitus*, attingit plures homines modo confuso & adunativo: & tamen non constituit naturam eorum Universalem: ergo idem dicendum de cognitione *homo*, si reipsâ plures homines attingit.

2 *Resp.* Ad *obiect.*: cognitio *homo* multiplicitatem attingit ex parte obiecti, & tamen ab eâ præscindit formaliter, sive ex parte actus: quia nec est hæc expressio *multiplex homo*, nec per eam definiri potest. Ideò constituit obiectum ratione vnum, siquidem illud reddit vniformiter definibile, & intentionaliter indivisum; vt probatum est cap. 3. *Ad* 1. *Confirm.*. Ea cognitio non attingit plura vt plura; hoc enim significat pluralitatem exhibitam ex parte actus: nec item attingit plura vt vnum, ly *vt* reduplicante vnitatem ex parte obiecti se tenentem; nullam quippe vnitatem entitativè vnicam totius naturæ humanæ sibi objicit: attingit tamen plura vt vnum, si ly *vt* præcisè reduplicet modum tendendi cognitionis adunativum. Præscindit ergo à pluralitate & vnitate reali: at hoc ipso tribuit exercitè vnitatem formalem extrinsecam, vt in superioribus explicatum est.

3 *Ad* 2.: duplex illa cognitio habet idem obiectum, sed non eodem modo attactum: nam altera formaliter abstrahit, seu præscindit à pluralitate, quam altera exhibet expressè. Ideò altera præ alterâ inepta est, vt reddat obiectum formaliter vnum, & Universale. Sic hi conceptus, *aliquis homo*, *omnis homo*, idem obiectum habent: & tamen alter præ altero constituit individuum vagum. Sic, iuxtà D. Thomam (a), licèt totus Deus attingatur à cognitione Beatorum, & totus à cognitione Divinâ; tamen hæc præ illâ denominat Deum comprehensum. *Ad* 3. *neg. Mai.*: quia, licèt similitudo plurium præcedat vt fundamentum cognitionis vniversalis, non tamen apparere debet similitudo quâ talis ex parte actus, prout indicat ea reduplicatio *vt similia*. Præscindit itaque illa cognitio à similitudine plurium, solumque indefinitè proponit ex parte actus plura, vt sunt homo: quia non habet claritatem, vi cuius dici possit, *hoc obiectum est plura similia*, sed claritatem dumtaxat, quæ sic explicari valeat, *hoc obiectum est animal rationale*. Profectò, iuxtà Adversarios, similitudo plurium est fundamentum abstractionis vnivocæ: & tamen ab eâ præscindit obiectivè cognitio abstrahens.

4 *Ad* 4. *neg. Conseq.*: quia cognitio, *civitas* (idem puta de reliquis), non reddit vniversalem naturam civium duplici ex causa. 1.: quia cives adunat copulatè, seu collectivè; non enim verificabilis est, nisi de collectione ipsorum: hæc autem adunatio non sufficit ad Universale, vtpotè quod debet esse prædicabile de quovis inferiori, & de omnibus distributivè sumptis. 2.: quia non perfectè præscindit à multitudine: non enim definiri potest Civitas vt talis, nisi per multitudinem hominum Reipublicæ formâ digestam: non ergo

(a) *Vid. suprà disp.* 1. *cap.* 8. *num.* 58.

ergo tribuit obiecto vnitatem rationis, quæ necessariò excludit expressionem multitudinis vt talis. Omnia aliter habent in cognitione attingente plura individua sub expressione *homo*; vt constat ex dictis. Sed adverte, terminum, *Civitas*, licèt sit collectivus, & non indefinitus relatu ad cives, esse tamen indefinitum, & non collectivum relatu ad civitates in particulari, sive in individuo, nempe relatu ad Salmanticam, Romam, &c.: has enim eodem modo attingit, ac individuos homines cognitio *homo*. Quare Civitas vt sic est Universale.

5 *Obijc.* 2.: si cognitione *homo* immediatè attingitur individuatio multiplex, attingitur immediatè forma, per quam natura humana est formaliter multiplex: ergo, quamvis ea forma non exprimatur ex parte actus, adhuc natura humana, vt subiacet cognitioni *homo*, erit multiplex formaliter. *Prob. Consq.*: quamvis natura sub conceptu *homo* non appareat sub expressione *rationalis*, adhuc sub eo conceptu est formaliter rationalis: at hoc non aliâ de causâ verum est, nisi quia immediatè attingitur forma, per quam natura est rationalis formaliter, nempè rationalitas obiectiva: si ergo attingitur immediatè forma, per quam natura est formaliter multiplex, natura sub eo conceptu formaliter multiplex erit, quamvis illa forma sub propriâ expressione non appareat. *Confirm.*: cognitio non est forma, per quam natura humana redditur multiplex; ea quippe forma consistit in solis differentijs individuantibus: si ergo tales differentiæ immediatè attinguntur conceptu *homo*, nihil sub eo conceptu deficit naturæ, vt dicatur formaliter multiplex.

6 *Resp.* Antecedens ambiguum est: nam, si natura *formaliter multiplex* idem sonet, ac *specificè multiplex* (b), negari debet suppositum, quòd scilicèt natura humana per vllam formam fit formaliter multiplex: potiùs quippe dicitur multiplex *materialiter* per individuationes. Si verò *formaliter* idem sonet, ac *intentionaliter*, seu *per formam rationis*, forma, per quam natura redditur formaliter multiplex, non est individuatio realiter multiplex immediatè attacta vtcumque, sed immediatè attacta sub ratione talis, ideſt, attacta per conceptum huius claritatis, *multiplex individuum*, aut similis. Falsum est autem, quòd talis forma attingatur conceptu *homo*. Si demùm *formaliter* idem sonet, ac *actualiter*, attingitur quidem forma, per quam natura est multiplex formaliter à parte rei; sed hoc non sufficit, vt sit formaliter multiplex per rationem, nisi forma illa attingatur sub ratione multiplicis. Unde *neg. Consq.*. Ad *prob. neg. Min.*: non enim ideò præcisè natura humana sub conceptu *homo* est formaliter rationalis, quia immediatè attingitur rationalitas obiectiva; sed quia attingitur formaliter implicitè sub ratione talis, ideſt, per expressionem, quę, licèt non sit hæc expressio *rationalis*, est tamen per eam definibilis. At non sic attingitur multiplicitas individualis per conceptum *homo*.

7 Ad *Confirm.*: cognitio non est forma, per quam natura fit realiter multiplex; est tamen forma, per quam fit multiplex in Intellectu: nisi enim adsit cognitio expressiva multiplicitatis vt talis, natura multiplicata realiter non erit per rationem multiplex, sed indivisa, & vna. Adde, quòd ex terminis multiplicitas ra-

(b) *Vid. suprà cap. 2. num. 9.*

rationis non pendet à multiplicitate reali: nam rationale & risibile, collata invicem, non sunt multa realiter, cum tamen fiant multa per rationem à cognitione tamquam à formâ.

8 *Obijc.* 3.: cognitio, *homo*, ratione distinguit naturam à differentijs individuantibus: has ergo non attingit ex parte obiecti. *Prob. Conseq.*: quia, si differentias attingit, eas adunat per rationem, naturamque simul & differentias velut in vnum colligit; sed si cognitio id præstat, haud potest ratione distinguere naturam à differentijs: ergo &c. *Prob. Min.*: cognitio *homo* nequit ratione distinguere animal à rationali; sed non aliâ de causâ, nisi quia vtrumque per rationem adunat: ergo &c. *Resp.*. Cognitio illa naturam distinguit à differentijs prout cognitis vel cognoscibilibus sub ratione talium, idest, sub conceptibus discretivis vnius individui ab alio, cuiusmodi sunt *Petreitas*, *Paulcitas* &c.: non verò distinguit distinctione, quæ compleatur per solùm conceptum *homo*; neque enim vnicus conceptus præcisivus efficit dualitatem rationis inter extrema realiter indistincta, vt suo loco explicuimus (c).

9 Illa ergo cognitio differentias & naturam adunat, simulque distinguit, diverso sensu: adunat relatu ad se ipsam, cum ipsa repræsentet omnes per modum vnius: distinguit relatu ad conceptus discretivos individuorum, quia ex conceptibus, *homo*, & *Petreitas*, resultat quædam alietas apparens, & metaphorica dualitas obiectorum. Unde colliges, quo sensu cognitio indefinita *abstrahat* naturam à differentijs: abstractione scilicet, quæ tota se tenent, non ex parte obiecti, sed ex parte actus: abstrahitur enim natura à differentijs, non obiectivè aut specificativè sumptis, sed acceptis formaliter sub ratione talium. Nec idem est abstrahi naturam à differentijs, ac naturam sine differentijs transferri ad statum intentionalem; nam ad statum constitutum per cognitionem *homo* transferuntur etiam differentiæ secundùm totum, quod sunt ex parte obiecti. Non igitur aliud est abstrahi, quàm obiectum, complectens individua omnia, transferri ad statum intentionalem, in quo totum subeat rationem hominis confusam & vniformem; & totum in eo statu non subeat rationem Petri, Pauli, Joannis &c.. Quare natura in tali statu non est sine differentijs, nisi formaliter acceptis. *Ad probat. neg. Min.*: alia enim causa supereſt, nempe quia cognitio *homo* nec repræsentat animal, nec rationale explicitè sub ratione talis; ideòque inepta est ad distinguendum alterum ab altero, tum in se ipsâ, tum relatu ad aliam cognitionem, saltem distinctione rationis mutuâ.

10 *Obijc.* 4.: si cognitio *homo* attingit omnia individua, attingit infinita obiecta, nempe infinitos homines possibiles: ergo evadet infinitè perfecta, quod est absurdum. *Prob. Conseq.*: quia continebit in se infinitas formalitates ratione ratiocinatâ distinctas: in eâ quippe distingui poterit repræsentatio Petri à repræsentatione Pauli, & sic de cæteris, ita vt totidem sint repræsentationes formaliter distinctæ, quot sunt homines possibiles, & consequenter infinitæ. Sed quævis formalitas repræsentationis, vt condistincta à cæteris, dicit perfectionem: ergo cognitio continebit infinitas perfectiones,

(c) *Supra disp.* 1. *cap.* 8. *num.* 5.

ac

aequeadeò evadet infinitè perfecta. Obiectio instantiam habet apertam in his conceptibus, *Infiniti homines, Omnia & singula entia possibilia, Omne cognoscibile*, & similibus; qui certè respectum dicunt ad infinita obiecta; cum de nullâ collectione finitâ verificari possint. Præterea Visio quæque beata est cognitio obiecti infiniti vt talis, & infinitè perfectiùs infiniti, quàm sit infinita multitudo hominum possibilium. Numquid ea Visio est infinitè perfecta?

11 Ad obiectionem ergo *neg. Conseq.* Ad *prob.*: in primis, *permitt. Mai.*, *dist. Min.*: dicit perfectionem, propriè distinctam à perfectionibus aliarum formalitatum, *neg.*; impropriè & apparenter distinctam, *conc. Min.*; & distincto similiter Consequenti quoad primam partem, nego secundam. Ex eo, quòd Intellectus noster possit sine fine distinguere formalites alicuius entis, non sequitur infinitudo perfectionis, nisi formalitates ipsæ aliunde sibi vendicent infinitatem, vt attributa Divina: quia distinctio rationis non propriè multiplicat perfectiones obiecti. Patet hoc; tum in exemplis nuper adductis; tum in cognitione, quâ credimus, Deum esse infinitum, & infinita posse; tum in scientiâ beatâ animæ Christi, quæ iuxtà D. Thomam 3-3. q. 10. art. 3., in Verbo cognoscit infinita, & comprehensivè quidem, quin ideò evadat infinitè perfecta. Vide Caietanum ibi.

12 Deinde, *neg. Mai.*, quòd scilicet in cognitione *homo* possint ratione distingui formalitates infinitæ: nequit enim ea cognitio concipi vt repræsentans Petrum, quin hoc ipso concipiatur vt repræsentans cæteros homines. Ratio: quia, cum præcisè repræsentet Petrum vt hominem, non potest concipi vt repræsentans Petrum, quin concipiatur vt habens nudam & indefinitam expressionem *homo*: talis autem expressio est imprescindibiliter imago & repræsentatio omnium hominum. Dices: ideò animal ratione distinguitur à rationali, quia potest alicubi reperiri animal, quod non sit rationale; sed potest etiam reperiri repræsentatio Petri, quæ non sit repræsentatio Pauli: ergo &c.. *Dist. Min.*: repræsentatio Petri, vt Petri, *conc.*; repræsentatio Petri, vt hominis, *neg. Min.*, & *Conseq.*. Paritas animalis vt summum probat, repræsentationem Petri à repræsentatione Pauli distingui posse per rationem in actu secum identificante has expressiones, *Petrus*, & *Paulus*: hæ quippe altera sine altera reperiri possunt eo sensu, quo animal sine rationali. At minimè id probat de repræsentatione Petri, præcisè vt hominis, quæ nullibi reperiri valet sine repræsentatione Pauli, etiam vt hominis.

13 *Obijc. 5.*: nemo nostrum habet speciem omnium animalium possibilium: ergo nemo nostrum elicere valet cognitionem terminatam ad omnia: ergo cognitio *animal* non terminatur ad omnia animalia. *Dist. Antec.*: speciem propriam, quidditativam, aut intuitivam, *conc.*; speciem confusam, & abstractivam, *neg. Antec.*; atque etiam *Conseq.*, quantum ad cognitionem confusam, & abstractivam, cuiusmodi est cognitio *animal*. Itaque ad cognitionem claram quidditativam, aut intuitivam, requiritur quidem species obiecti propria: sed ad confusam, & abstractivam deservire potest species aliena; vt patet in cognitione, quam in præsenti statu de obiectis spiritualibus habemus. Non ergo

ergo mirum, si species immissa à quovis individuo animali in eâ ratione, in quâ cæteris assimilatur, videlicet species sensationis, possit esse abstractiva species omnium animalium, & ad confusam eorum cognitionem deservire. Id quod omnes fateri tenentur in specie productivâ huius cognitionis, *Infinita animalia.*

14 *Obijc. 6.*: ergo Species humana formaliter constituta nihil est aliud, quàm omnia individua confusè cognita: cum ergo dicitur, *Homo est Species*, hic erit sensus, *Omnia individua humana, confusè cognita, sunt Species*: ergo terminus *homo* supponit tunc pro omnibus individuis, non minùs, quàm cùm dicitur, *Homo est animal*: licebit igitur ita descendere, *Ergo Petrus est Species, & Paulus est Species*, &c.; sicut licet ita, *Ergo Petrus est animal, & Paulus est animal*, &c.. At hoc est contrà præcepta Summularum, quæ suppositionem simplicem faciunt immobilem, & resolutionis incapacem: & alioquin rectus erit hic syllogismus, *Homo est Species, Petrus est homo, ergo Petrus est Species.* Verùm hæc difficultas æquè premit Adversarios. Pone hominem obiectivè præcisum ab individuis: adhuc in propositione, *Homo est Species*, subiectum stat in recto, non pro conceptu, sed pro naturâ; non enim conceptus est Species prædicabilis *vt quod*, sed purè *vt quo*: ergo terminus *homo* stat pro eodem recto, ac dum dicitur, *Homo est animal*, vbi etiam ex parte subiecti retinetur natura præcisa, & vniversalis. Cur igitur in alterâ præ alterâ propositione dari potest descensus, ac resolutio subiecti in singula individua? Vel cur claudicat syllogismus ille, si non claudicat hic, *Homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal?*

15 Ut ergo pro omnibus respondeam, concessâ primâ illatione, atque etiam secundâ, dummodò ly *confusè cognita* sit terminus formaliter appellatus à prædicato; distinguo tertiam: terminus *homo* supponit tunc pro omnibus individuis, non minùs &c., nec aliter, nego; non minùs, sed aliter, concedo. Tum nego postremam illationem. Prædicata secundæ intentionis, cuiusmodi sunt *Species, Genus*, &c., faciunt subiectum supponi simpliciter, idest, supponi pro obiecto reali, non vtcumque, sed vt convestito determinatâ illâ cognitione, quam denotat nomen subiecti, v.g. *homo*, adeò vt, si rectum subiecti à tali cognitione separetur, non possit ei aptari prædicatum. Ratio est: quia prædicata secundæ intentionis appellant formaliter subiectum, vt sonat; nec aliter ei applicantur, nisi ratione formæ intentionalis, sub quâ tunc nominatur. Quare, *Homo est Species*, reddit hūc sensum, Omnia individua humana, dum subsunt cognitioni *homo*, ab eâ denominantur Species. Quando autem prædicatum appellat formaliter, definit verificari de recto subiecti, si hoc accipiatur sub aliâ formâ, vel priorem exuat. Verè dicitur, *Homo iustus est hæres Cæli*; si tamen removeatur forma iustitiæ, de illo eodem homine non verificatur prædicatum, *hæres Cæli.* Ideò etiam malè sic arguas circà saccharum: *Hoc album pro formali disgregat visum, Hoc album est hoc dulce, ergo hoc dulce pro formali disgregat visum.*

16 Hinc vides, quare non liceat ille descensus, *ergo Petrus est Species, & Paulus est Species, & sic cæterà*

*homines*: quia, tametsi subiectum idem sit quoad rectum in descensu copulativo individua omnia numerante, ac in propositione, *Homo est Species*, non est eadem forma intentionalis sub quâ accipitur: in descensu quippe sumitur subiectum sub nomine & cognitione, *Petrus*, *Paulus*, &c., quam formam respuit prædicatum *Species*, vtpotè quod determinatè petit subiectum sub formâ cognitionis *homo*; sicut prædicatum *hæres Cæli* determinatè petit subiectum sub formâ Gratiæ; & prædicatum *disgregans visum*, subiectum sub formâ albedinis. Propositio ergo, *Petrus est Species*, significat, hunc hominem à cognitione *Petrus* denominari Speciem; quod falsum est. Vides etiam, syllogismum obiectum num. 14. ideò non esse rectum, quia variatur suppositio, & appellatio. Vides præterea, quare liceat descensus copulativus à propositione, *Homo est animal*: quia scilicet, suppositio subiecti est personalis, & prædicatum non appellat formaliter intentionalem formam, sed convenit subiecto specificativè sumpto. Si quæras, vtrùm verè dicatur, *Petrus, quatenùs homo, est Species? Resp.*, verè dici, si tantùm significet, obiectum cognitionis *Petrus*, dum subest conceptui *homo*, subire denominationem Speciei, saltem vt subiectum partiale: secùs verò, si denotet, quod proclivius apparet, Petro convenire rationem Speciei, sicuti convenit natura humana.

17 *Replic.*: iuxtà principia nostra, positâ cognitione *homo*, cuncta individua manent cognita: ergo Petrus, & quodlibet aliud individuum, verè suscipit denominationem cogniti conceptu *homo*: sed denominatio *Speciei* humanæ, nihil est aliud, quàm denominatio *cognitæ conceptu* homo: ergo Petrus verè suscipit denominationem *Speciei* humanæ. Unde, sicut ex hoc Antecedenti, *Homo est indefinitè cognitus*, rectè sequitur, Petrum esse indefinitè cognitum, Paulum esse indefinitè cognitum &c.; ita sequetur, Petrum esse Speciem, Paulum esse Speciem &c. *Resp.* Si de individuis loquamur, non in sensu formali, sed in obiectivo, idest, secundum esse, quod habent ex parte obiecti (quo sensu loquitur Conclusio nostra de obiecto actus constituentis Universale), concesso 1. entimemate, & Minore subsumptâ, distinguo postremum Consequens: Petrus verè suscipit &c., tamquam subiectum partiale, *conc.*; tamquam subiectum totale, *neg. Conseq.*: illa quippe denominatio indivisibiliter cadit suprà omnia individua. Similiter concedo, rectè sequi, Petrum esse indefinitè cognitum, imò & esse Speciem, tamquam subiectum partiale denominationum *indefinitè cogniti*, & *Speciei*; minimè verò tamquam subiectum totale. Sed inde nihil absurdi.

18 Si verò loquamur de individuis in sensu formali, scilicet cognitis sub ratione talium, positâ cognitione *homo*, falsò dicitur in rigore dialectico, *Petrus est indefinitè cognitus*, aut *Species*, aut *suscipit denominationem cogniti conceptu* homo; imò falsò dicitur, *Omnia individua humana sunt cognita conceptu* homo. Ratio est, quam nuper dedimus quia, cum hæc prædicata, *indefinitè cognitum*, *Species*, &c., sint termini secundæ intentionis, faciunt subiectum supponi simpliciter, appellantque formaliter subiectum vt sonat, videlicet ratione illius expressionis, quâ

quâ tunc nominatur. Quare propositiones illæ, in rigore dialectico acceptæ, significant, Petrum ab hac cognitione, *Petrus*, esse indefinitè cognitum, & ab eâdem suscipere denominationem cogniti conceptu *homo*: item, omnia individua sub hac, & ab hac expressione, *omnia individua humana*, esse cognita conceptu *homo*, vel esse Speciem: qui sensus in nostrâ & omnium sententiâ falsus est.

19 *Objic* 7. ex Thomistis: præter Universale in repræsentando, cuiusmodi est cognitio, aut vox *homo*, admitti debet Universale in essendo; ne alioqui Nominalium sententia reviviscat, quam graviter increpat S. Anselmus (d), *Dialecticæ hæreticos* vocans eos, *qui non nisi flatum vocis putant esse Universales substantias*. Sed in sententiâ nostrâ non datur Universale in essendo: ergo &c. *Prob. Min.*: in sententiâ nostrâ solùm datur cognitio confusa singularium, & ipsa singularia; sed neutrum ex his est Universale in essendo; non cognitio, quia solùm est Universalis in repræsentando; non ipsa singularia, quia non sunt quid vnum, sed plura: ergo &c. Si dicas, singularia non esse quid vnum intrinsecè, constitui tamen quid vnum extrinsecè per cognitionem confusam. *Contrà* 1.: quia Universale in essendo debet adæquatè distingui ab Universali in repræsentando, quæ est cognitio confusa; nam alioquin non dabitur Universale præter id, quod Nominales admittunt. Probatur: quia Universale formaliter constitutum per cognitionem, non est formaliter aliud à cognitione; nihil enim formaliter distinguitur ab eo, per quod formaliter constituitur: ergo Universale, quod admittimus, est formaliter ipsissimum Universale Nominalium, videlicet cognitio repræsentans vniversaliter.

20 *Contrà* 2.: quidquid nos admittimus, admittebant etiam Nominales, nempe cognitionem confusam singularium, & singularia ipsa; nec ignorare poterant, singularia extrinsecè denominari cognita confusè: nihil ergo præter Nominalismum adstruimus. *Contrà* 3.: quia cognitio *homo* est Universalis in repræsentando: ergo repræsentat aliquid Universale. Sed non repræsentat se: ergo repræsentat Universale adæquatè distinctum à se ipsâ. *Contrà* 4.: si Universale nihil est aliud, quàm complexum ex singularibus, & cognitione confusâ, cum totum hoc sit reale, verèque potens à parte rei existere, dabitur Universale à parte rei penès omnia sui constitutiva. Vel aliter: Universale non est vnum vnitate reali; sed cognitio est quid reale: ergo cognitio non est vnitas Universalis in essendo. *Contrà* 5.: cognitio facit Universale, non entitativè sumpta, sed repræsentativè sumpta: cognitio autem sic accepta dicit formaliter id, quod repræsentat: ergo facit Universale, quatenùs repræsentat vnitatem & vniversalitatem ex parte obiecti: vel, si non repræsentat, nisi multiplex individuum, cognitio repræsentativè sumpta dicet formaliter multiplicitatem, ac proinde non constituet formaliter vnum.

21 *Resp.*, *conceff. Mai.*, *neg. Min.*. Ad *prob.* dicimus, veram esse responsionem subiunctam, nempe singularia ipsa obiectivè sumpta constituì formaliter vnum, & Universale per cognitionem indefinitam velut formam extrinsecam, ita scilicet, vt singularia, indefinitè repræsen-

(d) *Lib. de Incarn. Verb. cap. 2. ad fin.*

sentata, sint Universale *vt quod*, cognitio verò nonnisi *vt quo*. Nec obstant impugnationes. *Ad* 1. Universale in essendo ab Universali in repræsentando distinguitur adæquatè secundùm rectum, non verò secundùm totam denominationem *Universalis in essendo*. Distinctio autem secundùm rectum sufficit, vt falsò dicatur non esse aliud Universale præter id, quod est in repræsentando: quemadmodũ falsò & cũ hæresi dialecticâ diceretur Universale nihil esse præter ens rationis fictum; nec tamen iuxtà Thomistas denominatio Universalis adæquatè distinguitur à tali ente. Falsò item, & cum hæresi plusquàm dialecticâ diceretur, filium Dei adoptivum & hæredem Cæli nihil esse præter ens supernaturale, nempe Gratiam; & tamen denominatio *filij & hæredis* per Gratiam formaliter constituitur. Hinc, Universale in essendo, & Universale in repræsentando sunt vtique, indistincta *formaliter*, ideſt, secundùm formam; sed sunt etiam distincta *formaliter*, ideſt, *vere & propriè* secundùm subiectum denominatum *vt quod*: nam tale subiectum in altero Universali est natura realiter multiplex, in altero est cognitio ipsa. Eodem sensu Universale Thomisticum est & non est formaliter indistinctum ab ente ficto; & filius Dei adoptivus est & non est formaliter ens supernaturale.

22 *Ad* 2. Nominales, vt benè notat Exim. Doctor (e), fortè non dissident à reliquis Scholasticis, nisi in modo loquendi: admittunt enim cognitionem indefinitam pluriũm realiter similium; sed denominationem *Universalis*, & *Prædicabilis*, nolunt tribuere obiecto indefinitè cognito, sed soli cognitioni, vel nomini, *homo* v. g. Cum tamen ex hoc loquendi modo sequatur, Scientias, quæ de Universalibus agunt, non agere de rebus, sed de solis conceptibus, aut nominibus; idcircò Nominales iure meritò reprehenduntur, tamquam à doctrinâ dialecticè catholicâ recedentes. Longè aliter nos loquimur, & sentimus, qui Universale, de quo Scientiæ tractant, dicimus stare in recto, & *vt quod*, non pro cognitione, vel nomine, sed pro obiecto reali, connotatâ cognitione in obliquo, sive *vt quo*. In summâ, iuxtà nos, multiplex individuum denominari indefinitè cognitum, est formaliter constitui Universale in essendo: & hoc ipsum inficiantur Nominales. Certè, si quis è Nominalibus assereret, naturam obiectivè præscindi à differentijs, denominarique fictè vnam; ac fictè relatam ad inferiora; is diceret quidquid Thomistæ dicunt: ipse tamen, si simul vellet, vt Universale, de quo Scientiæ tractant, starer pro solâ relatione fictâ, citrà dubium improbaretur à Thomistis, qui meritò negarent, se Nominalismo subscribere.

23 *Ad* 3. Eodem argumento probari posset, quod cognitio, *Omnis homo*, quæ vtique vniversalis est in repræsentando, debet repræsentare Universale; vel quòd Deus, aut Sol, debet causare Universale, quia dicitur vniversalis in causando. Cognitio igitur non alio sensu dicitur Universalis in repræsentando, nisi quatenùs eius repræsentatio in se est vna, & terminatur ad obiecta realiter plura; sicut causa in se vna influit in plures effectus. *Ad* 4., nego sequelam, si ly *à parte rei* significet complexum, aut Universale, adæquatè existens extrà animam, quo sensu reijcimus in tractatu præsenti Universale

(e) *disp.6. Metaph. sect.2.num.1.*

versale à parte rei. Si tamen nomine entis realis, aut existentis à parte rei, amplè intelligatur quidquid existit sine fictione, sequela verissima est, & probata luculenter à D. Thomâ (f). Negandum tamen, quòd cognitio dici debeat vnitas absolutè realis respectu obiecti; nam vnitas non dicitur realis, nisi ab effectu removendi multiplicitatem realem intrinsecam; quem effectum non habet vnitas rationis, sive intentionalis, etsi consistat in ente non ficto. Vide dicta in simili super distinctione rationis (g).

24 *Ad 5*: Cognitio facit Universale exercitè & in genere causæ formalis, *repræsentative sumpta*, idest, secundùm modum repræsentandi confusivum & indefinitum; cumque modus hic non distinguatur ab entitate cognitionis, cognitio facit etiam Universale, *entitativè sumpta*. Non tamen Universale facit cognitio *repræsentativè sumpta*, si hoc idem sonet, ac *sumpta secundùm id, quod ipsa repræsentat*. Unde, vt cognitio faciat Universale, nec debet repræsentare vnitatem, aut vniversalitatem obiecti; nec debet formaliter dicere multiplicitatem individuorum, quam attingit ex parte obiecti. Sic cognitio repræsentativè sumpta facit cognitum, comprehensum, scitum: nec ideò repræsentare debet cognitionem, comprehensionem, scientiam.

25 *Obiic.* denique: Scientiæ sunt de Universalibus; sed non sunt de singularibus, nec de cognitione ipsorum confusâ: ergo Universale aliquid est præter singularia, & cognitionem ipsorum. *Dist. Min.*: non sunt de singularibus, sub ratione talium, idest, vt cognitis per conceptus discernentes vnum ab alio, *conc.*; de singularibus sub ratione communi, idest, vt cognitis per conceptum indefinitum totius speciei, vel generis, *neg. Min. & Conseq.* Scientiæ dicuntur esse de Universalibus, quia differunt de rebus individuis, speciei humanæ v. g., per actus, qui non potiùs verificantur de Petro, quàm Paulo, sed æquè & vniformiter de omnibus, vt cum hominem definiunt, eumque demonstrant esse risibilem, admirativum &c. Et hoc est reipsâ differere de singularibus, sed exigendo pro conditione, quòd singularia concipiantur indefinitè, vel vniversaliter, vt ita subeant vniformiter quidquid de ipsis prædicatur. Ubi notandum ex D. Thomâ Opusc. 56. circà medium, nullam Scientiam per se considerare Universale adæquatè sumptum, idest, penès formam & subsstratum, vel subiectum simul: nam Logica per se considerat solam formam; quia *non considerat hominem in eo quod homo, sed in eo quod Species. Aliæ autem Scientiæ considerant Universale quantum ad rem subiectam*: *nam Philosophus naturalis non considerat corpus mobile in quantum Genus, sed in quantum mobile corpus.*

## CAP. VI.

### *Vtrùm ad Universale plenè constituendum requiratur notitia comparativa?*

1 TRiplex notitia, sive cognitio versari potest circà naturam vniversalem. Prima, purè præcisiva, directè attingens naturam realiter multiplicem, illamque exercitè

V 3 præ-

(f) *Vid. suprà tract. 1. disp. 2. cap. 4. à n. 33., & cap. 5. n. 26.*
(g) *In hoc tract. disp. 1. cap. 8. n. 15.*

prælcindens ex parte modi à multiplicitate reali, nihil dicens de inferioribus quâ talibus. Huiusmodi est cognitio *homo*, vel *animal*. Et hæc dicitur cognitio purè abstractiva, vel abstractio absoluta, & simplex; quia non comparat naturam communem cum inferioribus. Secunda, cognitio reflexa purè apprehensiva, quæ naturam iam abstractione præcisam, & intentionaliter vnam, reflexè comparat cum inferioribus, apprehendendo identitatem vel convenientiam eius cum multis, quin tamen actu iudicet esse in illis. Talis est hæc apprehensio, *natura mentaliter vna, & applicabilis multis*; vel, *animal non apparens homo nec equus, potens tamen esse in homine & equo per identitatem.* Hæc dicitur comparatio, seu notitia comparativa, sed comparatio simplex; quia licèt complexa sit in lineâ apprehensionis, caret tamen eâ compositione subiecti & prædicati, quæ est propria iudicij. Tertia, cognitio iudicativa, quæ naturam vniversalem actu prædicat & affirmat de inferioribus; dicitur-que comparatio composita. An hæc tertia notitia faciat, aut conferret Universale, quæstione seq. discutietur. Modò quærimus, Utrùm Universale plenè constituatur per abstractionem absolutam? an verò requirat insuper notitiam comparativam secundò loco positam?

2 Affero 1.: *Universale metaphysicum formaliter & vltimò constituitur per simplicem abstractionem.* Ita communiter Auctores nostri, consentientibus Thomistis Recentioribus, vt sunt Colleg. S. Thomæ, Palanco, Gabr. à Concept., & alij, post M. Sotum q. 3. de Universal., contrà plures alios Thomistas, & Scotistas, quos, indistinctè loquentes de Universali in actu, citat & sequitur Mastrius (2). Qui tamen Thomistæ nobiscum sentiunt, Universale metaphysicum fieri docent per abstractionem, non in genere causæ formalis, quasi cognitio ipsa sit forma Universalis, sed in genere causæ efficientis, quatenùs abstractio practicè fingit vnitatem ex parte obiecti: quæ doctrina satis in præcedentibus impugnata manet.

3 Probatur assertio: simplex abstractio, v.g. cognitio *homo*, plenè constituit *vnum aptum esse in multis*, sive *vnum indifferens ad multa*; sed hoc est Universale metaphysicum: ergo &c.. Minor constat ex definitione tradità cap. 1. num. 1. Maior autem ex professo probata manet cap. 3. à num. 1. ad 6.. Et nunc iterùm confirmari potest ex Aristotele 10. Metaph. text. 1. docente, quædam esse vnum, *quorum ratio est vna; talia verò, quorum intellectio vna; talia autem, quorum indivisibilis*, &c.: vbi D. Thomas lect. 1. lit. d. „ „ *Quædam*, inquit, *dicuntur vnum*, „ *propter rationem vnam: huiusmodi* „ autem sunt, quorum intelligentia „ est vna, quæ vnâ apprehensione „ apprehenduntur ab animâ: & di„ cuntur vnâ apprehensione appre„ hendi talia, quorum est vna *appre„ hensa indivisibilis*. Et paucis inter„ iectis, *Specie vnum*, subdit, *est in„ divisibile*, quod est vnum secun„ dùm scientiam, & notitiam. Item: „ *Intellectus* apprehendit vt vnum „ id, in quo omnia inferiora con„ veniunt. Et sic in apprehensione „ Intellectus Species fit indivisibi„ lis, quæ realiter est diversa *in di„ versis individuis*. Hactenùs D. Thomas, perspicuè docens, individua fieri ratione vnum vnitate Speciei Universalis eo ipso, quòd vnâ apprehen-

(2) *Disp. 3. Leg. q. 3.*

henſione vniformiter & indefinitè cognoſcantur.

4 Si autem eiuſmodi apprehenſio reddit naturam vnam, nequit non eam reddere indifferentem ad multa: nam eatenùs reddit vnam, quatenùs eam denudat mentaliter à differentijs: natura verò ſic denudata, redditur mentaliter indifferens, quemadmodùm eſſet realiter indifferens, & communicabilis pluribus, ſi realiter eſſet à differentijs denudata, prout Platonici ſomniabant. Hinc D. Thomas 1. p. q. 85. art. 3. ad 1. ait: *Intentio Universalitatis (vt scilicet vnum & idem habeat habitudinem ad multa) provenit ex abstractione Intellectus.* Ubi notandum, Universale bifariàm dici aptum eſſe in multis. 2. purè realiter, ſive per identitatem merè realem: & hæc aptitudo non eſt phyſica, ſed logica, inſtar illius, quam habet res quæque, vt ſit id quod eſt; atque adeò aptitudo iſta non provenit ab Intellectu, ſed præſupponitur ex parte obiecti. 2. intentionaliter, ſeu per identitatem realem vt cognitam; quia ſcilicet natura vniverſalis fit apta, vt per ſupervenientes actus comparativos apprehendatur, vel iudicetur identificata realiter cum pluribus, non obſtante vnitate per abſtractionem adquiſitâ. Vid. P. Peinado (b). Hæc eſt aptitudo, quæ formaliter provenit à cognitione abſtractivâ. Poſitâ quippe cognitione *hom*, ſi Intellectus aliunde apprehendat Petrum, Paulum, & alios homines individuos, illicò detereget identitatem, vel convenientiam illius naturæ abſtractæ cum quovis eorum.

5 Aſſero 2°: *Universale logicum plenè conſtituitur per ſimplicem abſtractionem, nec indiget notitia comparativa.* Eſt etiam communior ſententia noſtrorum, præſertim Recentiorum, contrà Scotiſtas, & Thomiſtas ferè omnes, quibus aliqui è noſtris adhærent. Thomiſtæ, & plures Scotiſtæ moventur ex eo, quòd Universale logicum formaliter conſtituitur per relationem rationis (fictam intelligunt) ad inferiora; quæ relatio non eſt, donec fingatur per notitiam comparativam. Noſtri verò, qui talem notitiam requirunt, alio fundamento nituntur, infrà referendo. Revoca in memoriam ex cap. 1. num. 1. definitiones vtriuſque Universalis, metaphyſici, & logici: & obſerva, quòd iuxtà plurium ſententiam prædicabilitas eſt de eſſentiâ Universalis, etiam metaphyſici, non minùs, quàm rationalitas eſt de eſſentiâ hominis, proindeque Universalia metaphyſicum & logicum non diſtinguuntur, niſi vt ſummùm penès implicitum & explicitum. Hoc ſi verum eſt, præſens aſſertio noſtra ſponte deſcendit ex præcedenti, nec aliâ probatione indiget. Communiùs tamen in omni Scholâ docetur, aut ſupponitur, prædicabilitatem eſſe veluti paſſionem, aut proprietatem Universalis metaphyſici; eſſe autem de eſſentiâ Universalis Logici, quia hoc per prædicabilitatem definitur, ideòque ſignificatur in communi per nomen *Prædicabilis*, & in particulari per nomen *Generis*, *Speciei*, *Differentiæ*, &c.. Quo poſito, vel admiſſo,—

6 Probatur Aſſertio 1.: ſimplex abſtractio plenè format Universale metaphyſicum, vt modò ſupponimus cum pleriſque Adverſarijs: ergo etiam logicum plenè format. *Prob. Conſeq.*: quia Universale logicum iuxtà communem opinandi modum non eſt paſſio phyſica Universalis metaphyſici, ſicut calor eſt paſſio

(b) *Hic diſp. 5. n. 2. & 3.*

passio ignis, sed est passio & proprietas metaphysica, sicut Verum, Bonum, & Unum dicuntur passiones Entis: ergo inter vtrumque Universale non est distinctio realis, sed rationis tantùm: ergo cognitio, quæ alterum format, non est realiter alia ab eâ, quæ format alterum. Hinc Eximius Doctor, quem pro se allegant Adversarij, disp. 6. Metaph. sect. 8. num. 2. expresè docet, Universale, quod vocant *in essendo*, vel nullum esse, vel esse ipsum Universale *in prædicando*, & vtrumque in re coincidere, nec aliter differre, nisi quatenùs alterum explicamus per ordinem ad esse, alterum per ordinem ad prædicationem. Quæ certè differentia non arguit distinctionem realem, vt patet in Vero, & Bono, quorum alterum explicatur per ordinem ad Intellectum, alterum per ordinem ad Voluntatem. Accedit, quòd Universale metaphysicum non minùs est relativum, quàm Logicum; nequit enim concipi, nec explicari, nisi per ordinem ad multa, in quibus sit, vel esse possit: vel ergo vtrumque, vel neutrum exigit notitiam comparativam, titulo relationis.

7 *Prob.* 2. nominatim contrà Thomistas. Cognitio comparativa supponit Universale logicum iam constitutum: ergo non constituit. *Prob. Antec.*: cognitio comparativa repræsentat naturam vt vniversalem, vt superiorem, vt communem & convenientem pluribus, non quidem purè exercitè, vt Thomistæ volunt, sed signatè: at cognitio supponit id, quod signatè repræsentat: ergo supponit naturam cum ijs denominationibus actu susceptis, in quibus consistit vniversalitas logica iuxtà Thomistas. *Prob. Mai.*: cognitio comparativa habet hanc, aut similem tendentiam, *natura vna communis pluribus, & superior respectu singulorum, & apta prædicari de ipsis*: sed hæc tendentia signatè repræsentat naturam vt communem, vt superiorem &c.; non aliter, ac expressio hæc, *natura rationalis*, repræsentat signatè naturam vt rationalem: ergo &c. *Urgetur* 1.: hæc cognitio apprehensiva, *natura apta prædicari*, tam signatè repræsentat prædicabilitatem, quàm hæc iudicativa, *natura est apta prædicari*, vt patet exemplo istarum, *natura rationalis*, *natura est rationalis*: cognitio autem non efficit, sed supponit, quod iudicativè prædicat, vt non ignorant Adversarij.

8 *Urgetur* 2.: definitio formalis non efficit exercitè, sed supponit essentiam definitis; sed cognitio comparativa est definitio Universalis logici, siquidem hoc, aut simili modo tendit, *natura vna apta prædicari de multis*, vel *communis multis*: non ergo facit exercitè, sed supponit essentiam Universalis logici. *Urgetur* 3.: quòd Sol sit vniversalis in causando, & conceptus *omnis homo* in repræsentando, non pendet ab eo, quòd illa vniversalitas reflexè & comparativè cognoscatur: ergo pariter, quòd natura præcisa, sit vniversalis in essendo, & in prædicando, non pendet à cognitione reflexâ comparativâ. Profectò nulla ratio apparet, cur ex his apprehensionibus, *Sol vniversalis causa respectu sublunarium*, *Natura vniversalis respectu inferiorum*, prima supponat, secunda exercitè faciat vniversalitatem, quam exprimit.

9 *Prob.* 3. contrà nostros Auctores hac in re contrarios. Cognitio *homo* constituit naturam in statu intentionali, simulque detrahendo

do

do differentias liberam reddit ab omni impedimento prædicationis de quolibet individuo: ergo reddit illam de quolibet prædicabilem, atque adeò logicè vniversalem. Patet Consequentia: quia natura iam actu apprehensa, liberaque ab impedimentis prædicationis, manet expedita ad prædicationem; & nihil est aliud esse prædicabilem, seu aptam prædicari. Dicunt, naturam per conceptum *homo* reddi proximè comparabilem multis, seu proximè aptam esse intentionaliter in multis per simplicem comparationem (& per hanc aptitudinem constitui censent Universale metaphysicum); non tamen reddi proximè prædicabilem, seu proximè aptam prædicari (quam proximam aptitudinem requirunt ad Universale logicum), sed remotè duntaxat: aptitudo quippe non est proxima, nisi dum nihil mediare debet inter ipsam, & actum, quem respicit; at inter aptitudinem tributam à conceptu *homo*, & prædicationem actualem, mediare debet aliquid, nempe simplex comparatio: non enim Intellectus pervenire potest ad prædicationem actualem hominis de Petro, nisi prius Petrum conferat cum homine vt sic, & vtriusque identitatē, vel convenientiam apprehendat. Natura ergo non est proximè apta prædicari de Petro, vel alio quovis, donec adveniat comparatio apprehensiva; quæ proinde supponit Universale metaphysicum, & constituit logicum, constituendo proximè Prædicabile.

10 Sed contrà hanc doctrinam, quâ vnicè moventur Auctores isti, probatio nostra promovetur sic. Ut natura humana constituatur proximè prædicabilis, [illegible] sufficit ad Universale log[illegible] non expectat eos actus, qui ex parte potentiæ Intellectivæ requiruntur ad prædicationem, si aliunde non requirantur, vt natura sit præsens Intellectui, liberaque ab impedimentis, quæ ex parte ipsius naturæ obstare possent prædicationi de quolibet; sed notitia comparativa, licèt ex parte potentiæ requiratur ad prædicationem, non tamen requiritur, vt natura sit intentionaliter præsens, nec vt sit libera ab impedimentis multitudinis, aut singularitatis, quæ sola obstant prædicationi de quolibet ex parte naturæ: ergo natura humana non expectat comparationem, vt constituatur &c. Consequentia tenet, & Minor est certa; quia natura humana per conceptum *homo* redditur intentionaliter præsens, & formaliter præcinditur, ac denudatur ab omni multitudine & singularitate.

11 *Prob. Mai.* 1.: quia nisi vera sit, natura humana in esse Universalis logici constitui deberet per speciem impressam singularium, per imperium voluntatis Intellectum determinantis, tum ad comparationem, tum ad iudicium, & per decretum applicativum Omnipotentiæ cum Intellectu concurrentis ad prædicationem: hæc enim omnia ex parte potentiæ requiruntur ad naturam actu prædicandam, & in eis omnibus militat ratio Contrariorum, vt applicanti liquebit. At id est inutilitum, & planè falsum, cùm Logica nihil curet de actibus hisce, dum prædicabilitatem Universalis explicat. 2.: quia inter aptitudinem tributam à conceptu *homo*, & simplicem cōparationē, aliquid mediare debet ex parte potētię, videlicet absoluta apprehensio singularium; prius enim ea apprehendere singularia,

quàm

quàm ea cum naturâ communi comparare: & tamen iuxtà Adversarios natura non expectat eiusmodi apprehensionem, vt constituatur proximè comparabilis, quantum sufficit ad Universale metaphysicum.

12 3.; quia alioquin natura nunquam posset plenè constitui Universale logicum, quod proinde, quatenùs plenè constitutum, foret impossibile. Probatur sequela: Universale logicum plenè constitutum debet esse proximè prædicabile de omnibus & singulis inferioribus, etiam possibilibus, nominatim aut singillatim acceptis, vt passim Dialectici supponunt; si ergo proxima prædicabilitas non constituitur ante comparationem, Universale logicum non erit plenè constitutum, donec existat comparatio naturæ cum omnibus & singulis inferioribus nominatim: at comparatio ista impossibilis est, cum infinita sint individua, humana v.g.: ergo & impossibile erit Universale logicum plenè constitutum. Nec dicas, difficultatem esse communem, eo quòd Universale, sive comparationem requirat, sive non, debet esse prædicabile de infinitis singulatim; cum tamen sit impossibilis prædicatio actualis de infinitis singulatim expressis. Ne, inquam, id dicas: nam vt Universale sit actu prædicabile de infinitis, non requiritur simultas prædicationis, sed simultas aptitudinis ad prædicationem quamlibet ex infinitis possibilibus: quemadmodùm causa activa simul continet infinitos effectus eiusdem speciei, & Universale metaphysicum simul est proximè aptum ad comparationes infinitas. Illa autem simultas aptitudinis iu nostrâ sententiâ constituitur per simplicem abstractionem. Si tamen per comparationem constitueretur, non posset intelligi, donec simul existerent comparationes infinitæ, quod est impossibile.

13 Urgetur: homo vt sic, positâ comparatione cum Petro, vel constituitur Universale logicum respectu Pauli, & cæterorum, vel non? Si primum dicas: ergo natura humana redditur proximè prædicabilis de Paulo, quin ad illum actu comparetur, quamvis comparatio cum Paulo requiratur ad prædicationem de ipso; vnde totum ruit fundamentum Adversariorum. Si secundum: ergo homo vt sic, ab eâ comparatione non redditur prædicabilis de Petro per modum Universalis Logici. Patet: quia Universale logicum non est proximè prædicabile de vno tantùm, aliàs non differet ab individuo: sed homo vt sic, ab eâ comparatione redditur proximè prædicabilis de Petro tantùm, non verò de Paulo, nec de cæteris: ergo &c. Et hinc sequitur, hominem vt sic, à nullâ comparatione fieri posse prædicabilem per modum Universalis logici, cui necessaria est prædicabilitas vniformis de omnibus, & singulis individuis: nunquam enim verificari potest ad omnia & singula comparatum esse. Nec sufficiet comparatio ad omnia confusè cognita sub conceptu *omnis homo*, vel *infinita individua*. Nam Universale debet esse proximè aptum prædicari de singulis vt cognitis sub proprio cuiusque conceptu: cur enim magis de Petro, & Paulo, vt ita cognitis, quàm de cæteris? Non ergo aptitudo Universalis erit proxima, donec adveniant hi proprij conceptus, qui certè prærequiruntur ad prædicationem.

14 4. exemplis: materia prima

ma constituitur proximè apta in esse subiecti ad recipiendam formam, per dispositiones ex parte materiæ se tenentes, præscindendo à conditionibus requisitis ex parte Agentis. Pone materiam ligni siccam, & calidam in summo, Deumque denegare concursum causis activis ad producendam formam igois: tunc certè materia foret proximè apta, & vltimò dispositа ad receptionē igneæ formæ; cum tamen conditio aliqua deesset prævia ad receptionem actualem, nempe voluntas Dei de concurrendo cum causis activis: sed quia conditio ista solùm requiritur ex parte Agentis, nec est ex dispositionibus passivis ex parte subiecti requisitis, ideò etiam sine illâ dicitur materia proximè & vltimo dispositа. Similiter, lapis iam expolitus, præditusque idoneâ formâ, vt collocetur in fornice, censetur ex parte sui proximè aptus, & vltimò dispositus ad collocationem: & tamen priusquàm actu collocetur, plura supersunt præmittenda, v.g. quòd artifex manus expediat, & operi se accingat, quòd lapides alios pariter formet, quòdque ipsis elevandis, ac sustinendis instrumenta paret. Ex dictis ergo concluditur in re nostrâ, duplicem esse prædicabilitatem proximam: aliam purè passivam, vi cuius ex parte naturæ communis nihil obstet prædicationi de quolibet inferiori; & hæc sola prædicabilitas, cui sufficit abstractio simplex, intrinseca est Universali logico, & ipsius constitutiva: aliam activam, quæ reddit potentiam ex parte sui expeditam ad exercitium prædicationis; & hæc requirit quidem notitiam comparativam, sed extrinseca est Universali logico, quod supponit plenè constitutum in esse talis.

*Proponuntur Obiectiones, & expediuntur.*

15 OBiectiones contrà secundam Conclusionē, quæ præcipua, & difficilior est, modò solvemus: quo pariter, si quid primam oppugnat, solutum erit. *Obiic.* 1. ex Thomistis: Universale logicum formaliter consistit in respectu ficto, seu relatione rationis ad inferiora; sed ea relatio non fit, nisi per cognitionem comparativam: hæc ergo necessaria est, vt fiat Universale logicum. Minor est certa; nam ficta relatio non fit, nisi dum cognoscitur, nequit autem cognosci, nisi per notitiam comparativam fundamenti ad terminum. *Prob. Mai.* 1. ex D. Thomâ: tum q. 7. de pot. art. 11., vbi dicit, quòd *Intellectus adinvenit relationes Generis & Speciei, considerando ordinem, qui est in Intellectu ad res ad extrà*: tum 1. p. q. 28. art. 1. vbi sic ait: *Respectus significatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, aliquando est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri; sicut cum comparat hominem animali vt Speciem ad Genus*: tum ijs locis, quibus Thomistæ contendebant in Proœmialib., intentionem Universalitatis esse ens rationis iuxtà D. Thomam.

16 *Prob.* 2.: Universale logicum formaliter constituitur per respectum ad inferiora; sed non per respectum, qui sit realis: ergo per respectum rationis, sive fictum. Maior videtur certa: tum quia Universale per id formaliter constituitur, per quod definitur; definitur autem per ordinem ad multa, seu versùs multa: tum quia formaliter vt tale, est superius; at superius vt

tale

tale dicit formaliter ordinem ad inferiora. Minor ergo probatur: tum quia respectus inter extrema realiter indistincta nequit esse realis: Universale autem non distinguitur realiter ab inferioribus. Tum etiam, quia non datur à parte rei natura vna communis pluribus, aut superior pluribus; daretur autem, si relatio superioritatis esset realis.

17 *Resp. n'g. Mai.* Ad 1. *prob.* D. Thomas, cum ait, Intellectum adinvenire relationes &c., loquitur de relatione *secundùm dici*, vel quasi transcendentali, quæ non est ficta, sed consistens in cognitione directâ præcisivâ; hæc enim, dum sine fictione denominat naturam aptam cognosci in multis, & prædicari de multis, reddit eam quasi transcendentaliter relatam ad multa, instar aptitudinis physicæ. Hanc relationem Intellectus per cognitionem reflexam comparativam non facit, sed iam factam signatè cognoscit; siquidem illam *adinvenit considerando ordinem, qui est in intellectu ad res ad extrà*; quæ verba planè significant, talem ordinem iam esse in intellectu ante considerationem reflexam: vt si diceretur, quod Intellectus adinvenit relationem transcendentalem hominis ad discursum, considerando ordinem, qui est in rationalitate ad actum discurrendi.

18 Quodsi D. Thomas intelligat relationem fictam, vel eam accipit purè fundamentaliter, vel, si formaliter, non significat, nec intendit, talem relationem pertinere ad constitutionem Universalis, sed solùm ex imperfectione Intellectus non posse à nobis reflexè concipi Universale iam constitutum, quin apprehendatur simul relatio ficta: quemadmodùm Deus vt superior, vt creator, vt dominus, non constituitur à relatione fictà, quæ tamen necessariò, vel frequenter à nobis apprehenditur, quoties Deum eâ ratione concipimus. Sic etiam, hominem esse privatum visu, non consistit in fictione Intellectus, quæ tamen necessaria est, vt privatio à nobis apprehendatur. Id ipsum dicito ad 2. testimonium D. Thomæ, & ad alia, quæ refricant Thomistæ. Et, ne de mente D. Thomæ dubites, relege dicta tract. 1. (c), vbi etiam doctrinam traditæ solutionis confirmatam habes. (d).

19 *Ad 2. prob.* Maior vera est de respectu quasi transcendentali, aut *secundùm dici*, qui consistit in aptitudine ad prædicationem de multis, imitaturque aptitudinem lapidis vltimò expoliti ad coniunctionem cum alijs in fabricâ. Talis autem respectus non requirit terminum actualiter positum, sed possibilem. Nec aliud probat definitio Universalis per ordinem ad multa: certum quippe est, aptitudinem, & habilitatem rei definitæ ad terminum, aut munus aliquod, à nobis explicari non posse, nec concipi sub ratione talis, nisi expressionibus comparativis, ac mentionem facientibus illius termini, seu muneris, vt possibilis; quibus tamen expressionibus vltimùm respondet ex parte obiecti respectus transcendentalis, ab ipsamet aptitudine indistinctus. Exemplo sint definitiones animalis, & rationalis, per ordinem ad sensationem, & discursum: item definitio Univetsalis metaphysici, quæ non nisi terminis relativis formari valet.

Su-

(c) *Disput. 2. cap. 4. à num. 33., & cap. 5. à num. 11.*
(d) *Eod. cap. 5. à num. 34. ad 38.*

20 Superioritas, quatenùs propriè relationem sonat, non est constitutiva Universalis, sed solùm quatenùs latè accipitur pro cõmunitate, vel amplitudine prædicabilitatis, quam nullum ex inferioribus, quandocumque in Intellectu existat, adæquare potest. Sic autem accepta superioritas, non est respectus prædicamentalis, nec existentiam termini requirit; vt patet in Omnipotentiâ, quæ ab æterno est virtus superior virtute creatâ: atque etiam in Angelo, qui naturam haberet humanâ superiorem, etiamsi nullus homo existeret actu. Certè, si entitas Gratiæ Divinitùs produceretur extrà subiectum, quin vlla entitas naturalis existeret, non ideò desineret esse ens *supernaturale*; cum tamen hoc nomine exprimatur superioritas respectu entis naturalis. Quod verò eiusmodi superioritas, amplitudo, communitas, ordo quasi transcendentalis, & quidquid ad Universalis constitutionem formalem pertinet, sit ens reale intrà animam, quamvis non detur à parte rei, ideſt, extrà animam; sæpe in superioribus ostendimus, idque repetere iam tædet.

21 *Obiic.* 2. ex Auctoribus nostris: Universale non est proximè prædicabile, donec Intellectus apprehendat conuenientiam eius cum inferioribus; de hac enim conuenientiâ iudicat Intellectus prædicando, & nequit de incognitis iudicare: sed eiusmodi conuenientia non apprehenditur, nisi cognitione comparativâ: hæc ergo requiritur, vt Universale fiat proximè prædicabile. *Confirm.*: illa cognitio reddit obiectum proximè prædicabile, ex quâ immediatè subsequi potest prædicatio actualis; si enim aliquid mediare debet, obiectum non erit prædicabile, nisi remotè, aut mediatè: quemadmodùm non erit proximè visibile, donec habeat conditiones, quas inter, & visionem actualem nihil mediet. At prædicatio actualis solùm potest immediatè subsequi comparationem, secùs verò simplicem abstractionem: ergo &c. Hæc obiectio præoccupata, & soluta manet in probatione Conclusionis. Nunc ex ibi dictis——

22 *Dist. Mai.*: non est proximè prædicabile, proximitate activâ, & extrinsecâ Universali logico, *conc.*; proximitate passivâ, quæ solâ intrinseca est Universali, *neg. Mai.*, & *conceſſ. Min.*, similiter *dist. Conſeq.* Ad Confirmationem eadem distinctio applicanda est, negandumque, non intelligi Universale logicum plenè constitutum, donec sit proximè prædicabile proximitate, quam immediatè sequatur prædicatio actualis; sufficit enim proximitas cum hoc addito, *quantum est ex parte naturæ communis.* Nec absurdum est, quod Universale logicum dicatur prædicabile mediatè, ac remotè, si ratio habeatur omnium, quæ ad prædicationem vndequaque requiruntur; vt Aduersarij fateri tenentur, habitâ ratione decreti Dei, aut imperij Voluntatis. Solùm quippe dicitur proximè prædicabile ex parte sui, & quatenùs contraponitur prædicabilitati fundamentali, quam habet natura realiter existens in individuis similibus, priusquam simplici abstractione constituatur communis, & indifferens. Sic, vt exemplum retorqueam, obiectum localiter præsens, coloratum, ac luce perfusum, dicitur proximè visibile ab homine clausos oculos habente; cum tamen ante visionem actualem mediare debeat

beat

beat oculorum apertio. Dici præterea posset cum P. Hurtado (e), ad prædicationem actualem non requiri apprehensionem reflexam convenientiæ naturæ communis cum inferioribus; sed sufficere apprehensionem convenientiæ in actu exercito, ac directo, qualis datur in ipsamet simplici abstractione.

23 *Obijc.* 3.: nequit existere prædicabile actu, quin existat subijcibile actu; sed Universale est actu prædicabile: ergo non existit, quin inferiora sint actu subijcibilia, qualia esse non possunt absque notitiâ comparativâ. *Prob. Mai.* 1.: quia correlativa sunt simul tempore, naturâ, & cognitione: prædicabile autem, & subijcibile, correlativa sunt. 2.: quia nequit existere prædicatum actuale sine actuali subiecto: ergo pariter &c.. Instò 1.: ergo Universale metaphysicum non potent esse cõparabile actu, quin inferiora invicẽ sint actu comparabilia, qualia non sunt absque propriâ ipsorum apprehensione: per hanc ergo apprehensionem constituetur Universale metaphysicum. Instò 2.: ergo nequit existere prædicabile actu de omnibus individuis in particulari, quin omnia in particulari sint actu subijcibilia beneficio comparationis; quod est impossibile. Addo, quodvis individuum posse reddi subijcibile actu sine comparatione, positâ scilicet apprehensione ipsius absolutâ, v.g. *Petrus*, aut *hic homo*.

24 Præterea, *neg. Mai.*: quia, vt Universale sit actu prædicabile, sufficit, quòd actualiter habeat quidquid ex se requirit, vt ab Intellectu in prædicationem assumatur: ad hoc autem necessaria non est coexistentia ipsius cum inferioribus iam actu cognitis, & proximè subijcibilibus: sat enim est, quòd infer iora isto modo possibilia sint. Ad 1. *prob.*: prædicabile, & subijcibile non debent esse correlativa prædicamentalia, sed possunt quasi transcendentaliter referri, quemadmodùm productivum & producibile, vel receptivum & receptibile. Talia verò correlativa, licèt debeant esse simul cognitione (hoc est, licèt alterum non possit cognosci reflexè, vt relativum est, sine altero), non debent esse simul tempore, & naturâ. Sic enim Omnipotentia ab æterno est actu productiva creaturarum, quia ab æterno existat actu producibilitas passiva: materia etiam esse potest actu receptiva formæ, priusquàm actu existat receptibilitas ex parte formæ se tenens. *Ad* 2. *neg. Conseq.*: quia denominatio *prædicati* dicit ex terminis actualem applicationem & coniunctionem cum subiecto, quod proinde necessariò coexistere debet. At denominatio *prædicabilis* præcisè dicit aptitudinem & indifferentiam: aptitudo autem ad aliquid, ex se non importat coexistentiam termini. Inter has ergo denominationes illud discrimen est, quod inter *productivum*, & *producens*, aut inter *receptivum*, & *recipiens*.

25 *Obijc.* 4.: totum esse Universalis est cognosci, cum non existat in rebus, sed in Intellectu: at Universale quà tale non cognoscitur, nisi per notitiam comparativam: in hac ergo consistit totum esse Universalis. *Confirm.*: Universale est terminus secundæ intentionis: ergo non constituitur per primam intentionẽ, qualis est cognitio abstractiva. Iterùm hìc redit vtraque instantia num. 23.. *Dist. Mai.*: est cognosci Universale ipsum reflexè, *neg.*; est cognosci naturam realiter multiplicem

(e) *Disp. 5. Metaph. sect. 8. in Edit. 6.*

tem cognitione indefinitâ, *conc. Mai.*, & *Min.*, & *neg. Consq.* Fateor, Universale signatè & reflexè non cognosci, nisi per cognitionem comparativam: nego tamen, non plenè constitui, priusquàm ita reflexè cognoscatur; quemadmodùm denominatio *cogniti* (quæ pariter non existit in rebus, sed in Intellectu) plenè constituta est, priusquàm reflexè noscatur, obiectum esse cognitum. *Ad Confirm.* Hi termini, *Universale, Genus, Species*, & similes, dicuntur secundæ intentionis, quia significant rem vt iam cognitam abstractione directâ: eorum autem obiectum non est secunda intentio formalis (vt esset, si consisteret in comparatione reflexâ), sed est secunda intentio obiectiva, nempe res cognita, sive concretum ex obiecto reali, & eius cognitione directâ, quæ est prima intentio formalis, & secunda intentio obiectivâ, vel forma ipsius: vt liquet ex Prœmialibus, vbi relegere poteris pulchrum D. Thomæ locum explicantis, quodnam obiectum respondeat huic rationi, vel conceptioni, *Genus*, aut *Species* (f).

26 *Obijc. 5.*: natura humana sub conceptu *homo* indifferens est, vt sit Species prædicabilis, vel subijcibilis, prout comparata fuerit, vel ad individua, vel ad Genus: vt ergo determinatè sit Species prædicabilis, indiget cognitione, quâ comparetur ad individua. *Confirm. 1.*: quia album vt sic, non est Prædicabile determinatæ speciei, donec accedat notitia comparativa, per quam si comparetur ad subiecta, v. g. ad Petrum, & Paulum, erit Accidens quintum Prædicabile; si verò ad hoc album, & illud album, erit Species secundum Prædicabile. Idem contingit in Proprio, imò & in Genere, & Differentiâ: nam animal v. g., licèt sit Genus comparatione Specierum, si tamen comparetur ad sua individua incompleta, nempe ad hoc animal, & illud animal, induit rationem Speciei. Ex quo argumento P. Suarez disp. 6. Metaph. sect. 8. num. 5. docet, divisionem Universalis in quinque Prædicabilia non habere locum, donec fiat comparatio ad diversa. *Confirm. 2.*: Universale per simplicem abstractionem fit tantùm vnum à multis, respicitque multa vt terminum *à quo*: atqui Universale logicum debet insuper esse vnum in multis, aut versùs multa, quæ respiciat vt terminum *ad quem*: ergo præter abstractionem, indiget comparatione, quâ referatur ad inferiora.

27 Ad *Obiect. neg. Antec.*, quòd scilicèt natura humana sit ita indifferens: est enim vi cognitionis *homo* determinatè Species prædicabilis, simulque subijcibilis, respectu diversorum, videlicèt hinc individuorum, inde Generis; quin ad hoc notitiam comparativam expectet: nam illis denominationibus sufficit simultanea aptitudo naturæ humanæ, vt, si cognoscantur individua, de illis prædicetur tamquam superior, &, si cognoscatur natura generica, illi subijciatur tamquam inferior. Talis autem aptitudo provenit à conceptu *homo*; sicut ab eo provenit iuxtà Adversarios aptitudo simultanea naturæ, vt comparetur individuis tamquam superior, & Generi tamquam inferior. Ad *1. confirm.*: similiter dico, album vt sic, iam ante comparationem constitutum esse in specie quinti, simulque secundi Prædicabilis (idem cogita de Proprio, Genere, & Differentiâ, proportione servatâ) respectu di-

(f) *Tract. 1. disp. 2. cap. 2. num. 14.* vers.

versorum: quia per abstractionem redditur aptum prædicari de subiectis extrà essentiam contingenter, de suis autem individuis vt tota essentia. Sic idem actus contritionis pertinet simul ad duplicem speciem affectuum, nempe amoris, & odij. Sic etiam idem album vt sic, iuxtà Adversarios, simul est fundamentum proximum vtriusque Prædicabilis.

28 Eximius Doctor loc. cit. de Prædicabilium divisione sic loquitur: *Non videtur posse quinque illa membra semper & in universum commode distingui, .. donec accedat relatio, seu comparatio.* Verissimè dictum: nam, cum pleraque Universalia secum identificent prædicabilitatem duplicis membri, vt probant exempla nobis obiecta, necessaria est reflexa cognitio, quæ Universale comparans ad inferiora diversa, ratione distinguat in eo prædicabilitatem propriam cuiusque membri, vt beneficio istius reflexæ distinctionis rationis impermixta maneant quinque prædicabilia Porphyriana. Cæterùm hoc non probat, comparationem esse necessariam, vt existat prædicabilitas Universalis logici, sed vt existat reflexè distincta in quinque membra: quemadmodùm, si potentiæ realiter identificentur cum animâ, cognitio comparans animam ad varios actus, quamvis non requiratur, vt anima rationalis plenè sit potens intelligere & velle, tamen necessaria est, vt animæ potentia dividatur in Intellectum, & Voluntatem.

29 Quare Doctor Eximius immeritò aliegatur pro sententiâ contrariâ, tum loco nobis obiecto, tum etiam eâd. disp. sect. 6. num. 8. 10. & 12.: nam ibi expresè distinguit duplex Universale: alterum absolutum, quod per abstractionem plenè fieri docet, & inter alia de eo sic loquitur num. 9.: *In natura illa sic concepta est nova vnitas rationis, quia habet vnum conceptum indivisibilem in plures similes: habet etiam communitatem, seu aptitudinem, vt insit multis, & de eis prædicetur: ergo nihil illi deest ad rationem Universalis*, videlicèt, tum metaphysici, tum logici, vt patet ex illis verbis, *vt insit multis, & de eis prædicetur.* Alterum respectivum, seu relativum *secundùm esse*, ideſt, prædicamentaliter; quod tunc fit, cùm reflectentes suprà Universale absolutum, comparamus illud ad inferiora; ex quo resultat relatio quædam quasi prædicamentalis, vel purè ficta, vel in ipsâ comparatione consistens. At nullibi docet Eximius, Universale, sic acceptum, esse illud Universale logicum, de quo disputamus, nempe quod definitur *Unum aptum prædicari de multis*: quamvis alio sensu possit vocari logicum, videlicet quatenùs fit per actum Logicæ, cuius est Universale iam factum reflexè inspicere, & ad inferiora comparare, vt illi tribuat nomen *Genus, Species*, &c.

30 Hinc etiam patet, verum esse, nec nobis incommodum, quod sæpe docet Angelicus Doctor, Intellectum attribuere obiecto cognito intentiones Generis, Speciei, &c., quatenùs illud comparat cum inferioribus, quæ sunt extrà animam: quâvis enim animal abstractè cognitũ habeat quidquid significat secunda hæc intentio formalis *Genus*; nequit tamen Intellectus dicere, *Animal est Genus*, donec reflexè cognoscat animal abstractum, & illud comparet cum inferioribus: vt nequit dicere, *Anima est intellectiva*, donec animam comparet cum actibus intelligendi, quos elicere potest.

*Ad*

31 *Ad 2. Confirm.*: sola abstractio sufficit, vt Universale respiciat multa, tamquàm terminum *à quo*, & *ad quem*. Dum enim cognoscitur natura sine multis, fit vna à multis: & cum maneat hoc ipso apta & indifferens, vt applicetur multis, fit etiam vna in multis potentialiter, sive vna versùs multa. Nullum autem absurdum in eo, quod per eamdem cognitionem cognoscatur natura sine multis, maneatque simul apta, vt rursùs per cognitionem iudicativam applicetur ad multa: sicut iuxtà Adversarios per eamdem formam redditur abstracta à multis, & proximè comparabilis ad multa; vbi etiam est terminus *à quo*, & *ad quem*: vel sicut motus circularis idem punctum respicit vt terminum *à quo*, & *ad quem*; quia illuc redit, vnde recessit.

## CAP. VII.

### *Utrùm Universale salvetur in actuali prædicatione.*

1 UT faciliùs controversiæ propositæ sensus percipiatur, duo prænoto. 1.: in iudicijs, seu prædicationibus mentalibus, in quibus nulla exprimitur multiplicitas, differentia inferior, aut singularitas, proculdubio salvatur, seu conservatur Universale, ideſt, natura communis præcisa & abstracta ab inferioribus: vnde in hoc iudicio, *Animal est sensitivum*, vniversalitas illæsa manet, tam ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati; & in hoc, *Homo est animal*, manet etiam ex parte subiecti, imò & ex parte prædicati manet quædam saltem vniversalitas restricta ad animal humanum. Tota ergo lis est de iudicijs, in quibus natura, quæ communis apparet, prædicatur de subiecto formaliter multiplici, vt *Omne sensitivum est animal*, vel de subiecto formaliter singulari, vt *Petrus est homo*, vel saltem de subiecto inferiori, vt *Homo est animal*: in his enim dubium est, an prædicatum retineat vniversalitatem, quam præhabuit in simplici apprehensione, *animal*, aut *homo*.

2 2.: communiter pro comperto habetur, aut supponitur, Universale in actuali prædicatione conservari, si iudicium sit qualitas composita ex apprehensionibus realiter distinctis, quæ vices gerant subiecti & prædicati: tunc enim in iudicio, *Petrus est homo*, apprehensio *homo* eadem est, eodemque modo tendit, atque in idem obiectum, intrà prædicationem, ac extrà: neque enim aut obiectum, aut modum repræsentandi mutare potest, nisi mutet essentiam, vt fert communis in omni Scholâ sententia. Si ergo talis apprehensio extrà prædicationem facit Universale, facit etiam, vel conservat & intrà. Nec dicas fortè, posse iudicium esse realiter compositum, quin Universale conservetur in hoc, *Petrus est homo*, si nimirùm expressio *homo*, quæ iudicij pars est, non sit apprehensio præhabita, sed alia tendentia, similis quidem ex parte modi, sed dissimilis in obiecto, vtpotè attingens solam naturam Petri.

3 Nam, vt omittam, id esse contrà receptum vbique sensum, contrà est 1., quòd saltem in hoc iudicio realiter composito, *Omnis homo est homo*, vel *Omne sensitivum est animal*, nulla ratio est, cur expressio prædicati non faciat Universale, vt patebit examinanti; cum

tamen in eo militet quidquid difficultatis est in prædicatione de subiecto singulari. Contrà est 2. quòd mentalis expressio *homo*, sive sit apprehensio, sive pars iudicij, ab eâdem specie paritur, & similem omninò tendendi modum habet, nec ex vi dumtaxat ipsius potest Intellectus reddere rationem de multiplicitate naturæ humanæ, vel de vno potiùs, quàm de alio individuo, cum ab omnibus præscindat ex parte actus: Undenàm ergo proveniet diversitas obiectorum? vel, cur non vtrobique erit repræsentatio indefinita totius naturæ humanæ, sive omnium hominum? Alia ratio est in voce *homo*; quæ potest esse sono similis, aut eadem, & tamen ex varietate circumstantiarum, vel ex aliarum consortio vocum, variare obiectum; habet enim significationem ad placitum.

4 Supponitur igitur in præsentiarum sententia, in Animasticâ valde probabilis, quòd scilicet iudicium, seu propositio mentalis sit simplex qualitas, ideòque, actus realiter indivisibilis, omni partium actuali compositione carens. Quo posito, quæritur, vtrùm conservetur Universale, cum actualiter prædicatur de subiecto singulari, vel inferiori, vel multiplici ex parte actus, vt in propositionibus num. 1. expressis? Negant PP. Hurtado, Arriaga, Oviedo, Compton, Izquierdo, plures etiam Thomistæ, & Scotistæ, quos omnes citat, & sequitur P. Peinado disp. 5. num. 45. Affirmant ex adverso PP. Lynce, Quiros, Joan. Bapt. de Benedictis, & magnâ ex parte Ulloa: eademque videtur esse communior sententia Thomistarum, quibus allegatis subscribit M. Baiona. Et Thomistæ quidem non est cur aliter sentiant, siquidem Universale constituunt, non per cognitionem formaliter, sed per distinctionem ex parte obiecti actam inter naturam communem & differentias: vnde, cum aliàs doceant, per omne iudicium fingi distinctionem subiecti & prædicati, consequens est, vt per hoc, *Petrus est homo*, maneat homo ratione distinctus à Petro, adeòque non est vnde vniversalitatem amittat. Præcipua ergo difficultas pertinet ad nostros Auctores, qui Universale cum D. Thomâ dicunt *Vnum vnitate cognitionis*.

5 Addi potest & tertia sententia inter extremas præcedentes media, quòd scilicet in prædicatione de subiecto singulari salvetur Universale quoad positivum, non verò quoad negativum. Conceptus formans Universale (vt ex concordi Nostrorum sensu notat P. Peinado loc. cit. num. 37., & ex hactenùs dictis abundè patet) duobus essentialiter constituitur, altero positivo, altero negativo: positivum est repræsentare naturam, quæ reverà multiplex est actu, vel potentiâ: negativum est non repræsentare differentias, saltem ex parte actus. Asserit igitur ea sententia, in hoc actu, *Petrus est homo*, & similibus, salvari positivum formæ Universalis, nempe repræsentationem totius naturæ humanæ, quà latè patet; non tamen salvari negativum, quod est nullam repræsentare differentiam. Sic olim tenui, dictavique, nec nunc aliter sentio, quamquàm alijs terminis vtar. Postea verò eamdem comperi sententiam esse P. Sylvestri Mauri q. 35. Log., vbi tuetur, in prædicatione de quolibet inferiori non salvari *Universale omninò confusum*; salvari tamen *Universale scientificum*, per quod

quod scilicet infinita individua coalescant in vnicum prædicatum.

## §. I.

## PRIMA ASSERTIO.

*Universale absolutè & simpliciter non salvatur in prædicatione affirmativa de subiecto formaliter multiplici, vel inferiori.*

6 ITa sentiunt Auctores primæ sententiæ. Probatur Assertio quantum ad prædicationem de subiecto multiplici. Si iudicium est simplex qualitas, hic actus, *Omnis homo est animal*, vel hic, *Homo & equus sunt animal*, non reddit naturam animalis absolutè vnam vnitate rationis, nec intentionaliter indivisam: ergo in eo non salvatur Universale absolutè & simpliciter. Consequentia tenet; quia illa vnitas & indivisio pertinet iuxtà omnes ad conceptum Universalis. *Prob. Antec.*: actus ille repræsentat expressè naturam animalis identificatam cum subiecto realiter multiplici: ergo illam expressè repræsentat multiplicatam. Patet hoc: quia in naturâ creatâ idem est identificari cum multis, ac multiplicari; proindeque naturæ multiplicitas exprimitur, quoties apparet eius identitas cum multis; quidquid in oppositum singulariter dicat P. Joan. Ulloa, cap. seq. reijciendus. Tum sic: Sed actus expressè repræsentans multiplicitatem obiecti, non reddit illud absolutè vnum vnitate rationis, nec intentionaliter indivisum: ergo &c.

7 *Prob. subsumpt. Min.* 1. ex Aristotele, & D. Thomâ suprà citatis (a), qui docent, non aliter obiectum realiter multiplex fieri ratione vnum, nisi in quantum in mente non habet divisionem: at per cognitionem, quæ est repræsentatio pluralitatis vt talis, obiectum proculdubio divisionem habet in mente: 2.: quia obiectum realiter multiplex non redditur ratione vnum, nisi præscindatur, & abstrahatur ab omni differentiâ, quâ realiter multiplicatur: non præscinditur autem, nec abstrahitur ab eo, quod cognitio exhibet ex parte actus. Ideò D. Thomas Opusc. 49., *Intellectus*, inquit, *abstrahit Genus ab speciebus, in quantum intelligit naturam Generis non intelligendo differentias: similiter abstrahit Speciem ab individuis, in quantum intelligit naturam Speciei non intelligendo principia individuantia.* Et rursùs: *Sic ergo solum est vnum de multis, prout intelligitur præter principia individuantia.* Et 2. contr. Gent. cap. 52. *Remotis differentijs constitutivis Specierum, remanet natura Generis indivisa: quia eadem differentiæ, quæ sunt constitutivæ Speciorum, sunt divisivæ Generis.* 3.: quia nihil in Scholâ nostrâ constantius, quàm quòd actus, sub quo apparet obiectum vt multiplex, non est vnitas rationis, nec potest esse forma Universalis; vt patet in his apprehensionibus, *animalia, hominis, omnis homo, populus, exercitus*, quæ non aliâ de causâ ineptæ sunt, vt naturam hominum constituant vnam & Universalem.

8 Iisdem argumentis probatur Assertio quantum ad prædicationé de subiecto inferiori, vel singulari. Nam hic actus, *Petrus est homo*, est repræsentatio Petreitatis vt talis: ergo formaliter & ex parte actus exprimit aliquam è differentijs divisivis naturæ humanæ: hanc ergo non constituit prorsùs indivisam intentionaliter; nec eam præscindit & abstra-

(a) *Hac disp. cap. 3. n. 3.*

hit ab omni principio individuante, prout ad vnitatem & vniversalitatem absolutam requiritur. Urgetur: conceptus perfectè constituens Universale, debet esse vnivocus: conceptus autem vnivocus debet ita exprimere rationem obiectivam, vt appareat omninò eadem, & vniformiter se habens ad omnia inferiora sine vllâ diversitate, vt constat ex definitione Univocorum. At natura humana sub conceptu, quo de loquimur, non apparet omninò eadem, & vniformis ad individua omnia; siquidem apparet identificata cum Petreitate, quæ est ratio diversificandi naturam, ac differendi à reliquis individuis.

9 Dices: quamvis Universale non salvetur in prædictis actibus ex parte subiecti multiplicis, vel singularis, poterit tamen salvari ex parte prædicati, vbi datur expressio æquivalens apprehensioni *homo*, vel *animal*. Sed *Contra*: si iudicium est indivisibile, vt modò supponitur, subiectum & prædicatum formalia non sunt alia & alia pars, sed vnica impartibilis expressio: ergo in prædicatione de subiecto multiplici nulla datur expressio, quæ non sit repræsentatio pluralitatis vt talis; sicut in homine realiter sumpto nullum est prædicatum, quod non sit rationale; sed repræsentatio pluralitatis, vt talis, nequit esse indivisio & vnitas rationis, cùm sit potius pluralitas rationis, & divisio intentionalis: ergo nequit esse forma Universalis. Pariter in prædicatione de subiecto singulari, nulla datur expressio, quæ non sit repræsentatio singularitatis vt talis: ergo nulla datur, quæ naturam præscindat, & abstrahat ab omni singularitate, prout ad Universale perfectum necesse est.

10 Poterit quidem cognitio reflexa præscindere in ijs iudicijs formale prædicatum à subiecto, & tunc manebit expressio naturæ humanæ distincta per rationem ab expressione multitudinis, aut hæcceitatis. At hoc non sufficit, vt in iudicijs eiusmodi salvetur perfecta vniversalitas. Tum quia nunc tantùm inquiritur, an illa iudicia per se & absque reflexâ cognitione retineant, aut faciant Universale perfectum. Tum quia expressio hominis, vt reflexè præcisa ab expressione multitudinis, vel hæcceitatis, non est vniversalitas obiecti, sed vtsummùm præscindit ab vnitate & pluralitate rationis, vel ab vniversalitate, & singularitate formali. Ratio est: quia cognitio formans Universale debet à se positivè excludere expressionem omnis individuationis, & pluralitatis realis obiecti, seu debet non identificari realiter cum tali expressione, sed carentiam eius in se dicere; vt iam supra notavimus (b), & colligitur ex nuper dictis, ne alioquin eadem cognitio simul sit præcisio & non præcisio, divisio & indivisio, vnitas & pluralitas intentionalis eiusdem obiecti. At expressio hominis, vt reflexè præcisa ab expressione subiecti multiplicis, aut singularis, huius expressionis carentiam, vel exclusionem in se non habet, vt manifestum est: ergo &c. Datur itaque in ijs iudicijs expressio æquivalens apprehensioni *homo*, vel *animal*, quantum ad amplitudinem obiecti, vt mox dicam; at non quantum ad vim denominandi obiectum perfectè præcisum, & intentionaliter vnum.

***

(b) *Cit. cap. 3. num. 11.* §. II.

## §. II.

## SECUNDA ASSERTIO.

*Prædicatum ex se Universale, dum prædicatur de subiecto inferiori, vel singulari, retinet totam amplitudinem obiectivam, quæ propria est Universalis.*

11 ITa omnes Auctores citati suprà cap. 4. num. 16. pro æquivalentiâ tendentiæ indefinitæ ad disiunctivam: nec aliud intendere videntur plerique Patroni secundæ sententiæ relatæ n. 4. Contrarium expressè tenet P. Peinado (c), quem sequuntur passim Recentiores. Probatur Assertio 1. destruendo præcipuum, & ferè vnicum adversæ sententiæ fundamentum. Ideò in hoc actu, *Petrus est animal*, expressio *animal* non attingeret ex parte obiecti omnes species & individua animalis (hæc est amplitudo obiectiva Universalis propria, vt in superioribus ostendimus), quia sequeretur, prædicationem esse falsam, vtpote affirmantem de Petro species, & individua, quibuscum omnibus Petrus identificari non potest; sed potest prædicatio vera esse, quamvis aliquomodò affirmet de Petro species & individua omnia animalis, vt patet in hoc actu, *Petrus est aliquod animal*, atque etiam in hoc, *Omnis homo est aliquod animal*, qui attingit, & affirmat de quovis homine species, & individua omnia animalis, quin ideò definat esse verus, iuxtà D. Thomam (d), & iuxtà omnes: ergo ex eo capite non labefactatur Assertio nostra.

12 Si dicas, excipi debere prædicationem disiunctivam. Gulielmo fero: ergo iam vniversaliter vera non est regula, quam assumis, videlicèt non posse verè affirmari de Petro, nisi quod cum eo realiter identificatur, nempe suam ipsius naturam. Priùs ergo tibi probanda est, tendentiam indefinitam, vel quæ illi respondet in iudicio, non æquivalere disiunctivæ in verificando, vt nos ex eo capite oppugnes. At id non facile probatu est; maximè cum oppositum auctoritate & ratione probaverimus cap. 4. à num. 16. Nec modò circà illam æquivalentiam nova difficultas occurrit soluta digna; nisi fortè, quod obiciunt Thomistæ, terminum disiunctivum non posse distribui, cum tamen terminus communis, indefinitè significans, distribui possit. Sed hoc non vrget: nam vterque terminus virtualiter distribuitur in prædicato propositionis negativæ, vt notavimus loc. cit. num. 30.: vterque pariter mediatè distribui potest, quatenùs prædicari valet de subiecto distributo; tam enim verè de omni homine dicitur, *est aliquod animal*, quàm, *est animal*. Ut autem ex parte subiecti possit alter præ altero immediatè affici signis distributivis, dicaturque aptè, *Omne animal*, & ineptè, *Omnis aliquod animal*; sufficere potest, quod alter virtualiter, alter formaliter disiunctivus sit: quamquàm non ideò concedendum est, quod terminus *animal*, dum immediatè afficitur signo *omne*, maneat indefinitus; iam enim reipsâ est alius terminus, licèt indefinito similis quoad sonum.

13 Probatur 2.: hic actus, *Petrus est animal*, latiùs patet ex parte



(c) *Disput. 5. num. 48.* (d) *In 1. Perih. lect. 10. lit. f.*

prædicati objectivi, quàm hic, *Petrus est homo*, vel *est hoc animal rationale*: ergo retinet amplitudinem objectivam Universalis propriam. Consequentia tenet, etiam iuxtà Adversarios. *Prob. Antec.*: ex hac propositione, *Petrus est hoc animal rationale*, vel, *est homo*, rectè sequitur, *ergo Petrus non est equus*; sed non idem sequitur ex hac aliâ, *Petrus est animal*: ergo hæc latiùs patet &c. Maior est certa, & Consequentia videtur legitima: quia si latius aliquid non prædicat altera præ altera, idem omninò est obiectum vtriusque, atque adeò quidquid sequitur ex vnâ, sequitur ex altera, maximè cum hìc loquamur de illatione materiali. *Prob. Min.*: ex hac propositione, *Petrus non est animal*, sequitur: *ergo Petrus non est equus*: ergo non idem sequitur ex hac, *Petrus est animal*. *Prob. Conseq.*: hæ propositiones, *Petrus est animal*, *Petrus non est animal*, sunt contradictoriæ; sed ex contradictorijs nequit inferri eadem conclusio, siquidem vna destruit, quod adstruit altera, redditque oppositum omninò sensum: ergo &c.

14 Urgetur 1.: ex hoc Antecedenti, *Petrus est equus*, recte sequitur, *ergo Petrus est animal*; nam, vt constat ex Summulis, ab affirmatione cuiuslibet Membri dividentis infertur affirmatio Divisi: ergo ex hoc Antecedenti, *Petrus est animal*, nequit rursùs inferri, *ergo Petrus non est equus*. Patet Consequentia: nam alioquin vna contradictoria sequeretur ex alterâ; vt enim docet inconcussa regula Summularum, *Quidquid sequitur ex Consequenti, sequitur ex Antecedenti*. Urgetur 2.: hæc propositio, *Philippus est Rex*, non æquivalet huic, *Philippus est Rex Hispaniæ* ergo quia ex parte prædicati obiectivi attingit omnem regiam dignitatem, habetque amplitudinem, quæ propria est quinti Prædicabilis. *Prob. Antec.*: si æquivaleret, non foret contradictoria istius, *Philippus non est Rex*; sed hoc est falsum ex terminis: ergo &c. *Prob. Mai.*: hæ propositiones, *Philippus est Rex Hispaniæ*, *Philippus non est Rex*, non sunt contradictoriæ; potest enim vtraque falsificari, si nimirùm Philippus fiat Rex Galliæ solius: si ergo idem valet, *Philippus est Rex, ac est Rex Hispaniæ*, nec erunt contradictoriæ, *Philippus est Rex, Philippus non est Rex*.

15 Si fortè dicas, propositiones, *Petrus est animal*, *Petrus est homo*, æquivalere quidem ex parte obiecti, sed non ex parte modi, & ideò non idem ex vtraque inferri. *Contrà 1.*: quia perstat integra difficultas modò proposita circà regiam dignitatem. *Contrà 2.*: quia, si diversitas ex parte modi nullam importat diversitatem, aut inæqualitatem obiecti, non est cur id ipsum vtraque propositio non inferat; vt cernitur in his, *Petrus est homo*, *Petrus est rationalis*, vel *est admirativus*. *Contrà 3.*: quia si æquivalent ex parte obiecti, ex hoc Antecedenti, *Petrus est equus*, tam non infertur, Petrum esse animal, quàm esse hominem. *Contrà 4.*: quia diversitas ex parte modi tanti est, saltem quoad positivum, quanta foret, si iudicium foret qualitas composita; sed tunc diversitas ex parte modi non pareretur æquivalentiam ex parte obiecti: ergo &c. *Contrà* demùm, & efficaciter: diversitas ex parte modi efficit, vt propositio altera præ alterâ per se supponat apprehensionem exercitam ad omne animal ex parte obiecti (aliter, ne præsuppositive quidem foret prædicatio Universalis, contrà

tâ doctrinam Adversariorum), videlicèt apprehensionẽ *animal*; sed nulla prædicatio per se supponit apprehensionem obiectorum, quæ non attingit: ergo diversitas modi efficit, vt altera præ alterâ attingat totum obiectum apprehensionis *animal*.

16 Si dicas iterùm cum quibusdam Recentiorib., ex propositione, *Petrus est animal*, benè colligi, Petrum non esse equum; sed non idem colligi ex contradictoriâ: nam hæc, *Petrus non est animal*, vel negat omne animal, vel solum animal Petri? Si primum; non erit contradictoria illius affirmativæ, quia plus negat, quàm quod est necessarium ad eam falsificandam; ad hoc enim sufficeret negare animal Petri, quod solum attingit affirmativa. Si secundum; non potest inde colligi, Petrum non esse equum, vt per se patet. Verùm hæc doctrina, cui ansam dedit P. Peinado (e), reijcienda omninò videtur. Quæro enim, Vel hæc propositio, *Petrus non est animal*, attingit aliquando omne animal ex parte obiecti? vel nunquam attingit, nisi solum animal Petri? Si primum eligas: *Ergo* 1. semper attingit totum illud obiectum, cum semper habeat eumdem tendendi, & exprimendi modum circà materiam necessariam, semperque præsupponat easdem apprehensiones: non aliter ac simplex apprehensio *animal* semper & vbique respicit idem obiectum. *Ergo* 2., saltem dum attingit omne animal, eius contradictoria, *Petrus est animal*, attingere debet idem obiectum; alioquin non erunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem; debet, inquam, attingere, quasi disiunctivè, vt sensus vtriusque sit æquivalenter hic, *Petrus nullum est animal, Petrus est aliquod animal*, vt ita altera præcisè affirmet, quod necessarium est falsificari alterius: iam igitur contingere potest, vt actualis prædicatio de subiecto singulari retineat amplitudinem obiectivam, quæ Universalis est propria.

17 Si secundum optes: dicere teneberis, nullius propositionis negativæ prædicatum obiectivum posse latius extendi, quàm subiectum. Vnde qui dicit, *Hic lapis non est animal*, non negabit de lapide omne animal, sed vnum individuum animalis, permitteteque ratione formæ, vt lapis ille sit quodlibet è reliquis animalibus. Item qui dicit, *Hic diabolus non est sanctus*, removebit quidem à subiecto certam sanctitatem individuam, sed non omnem. At hæc à communi sensu procul aberrant. Adde quod propositio, *Petrus non est animal*, benè convertitur sic, *Nullum animal est Petrus*, vt ex communi doctrinâ docent Conimbricenses (f), nec oppositum docuit P. Fonseca vbi citatur à Peinado: ergo quia propositio illa æquivalet huic, *Petrus nullum est animal*. Adde insuper, quod propositio, *Nullus homo est animal*, non negat solum animal rationale, sed omne, vt patet ex eius Convertente, *Nullum animal est homo*: iam ergo prædicatum ex se commune potest latiùs extendi, quàm subiectum, in negativis. Eccur non idem contingat in propositione, quâ de loquimur? Præterea Summulistarum regula, *Quod negatio præposita verbo distribuit prædicatum ex se commune*, nunquam habebit locum, vbi subiectum est singulare; tunc enim prædicatum nunquam erit distributionis capax, vtpotè singulare pariter ex parte obiecti. Mitto alia, quibus



(e) *Hic disput. 5. num. 54.* (f) *In 1. Prior. cap. 2. q. 1. art. 4.*

bus ista doctrina demonstrari potest documentis dialecticis contraria.

18 Quod igitur in contradictorijs altera debeat non plus negare, quàm quod necessarium est ad falsitatem alterius, quamquàm præcipuè locum habet circà subiectum, si tamen etiam de prædicato intelligatur, potiùs confirmat nostram sententiam. Nam cum hæc, *Petrus non est animal*, neget omne animal, vt nunc ostendimus, eius contradictoria, *Petrus est animal*, debet affirmare quasi disiunctivè omne animal, ita vt prædicatum æquivaleat huic, *est aliquod animal*. Tum quia simile quid ex parte subiecti requirit contradictio; signum quippe *Nullus* non contradicit nisi signo *Aliquis*. Tum quia, si solum affirmat animal Petri, poterit vtraque simul falsificari ratione formæ, vt cernitur in materiâ contingenti sub formâ simili, v.g. *Philippus non est Rex*, *Philippus est Rex Galliæ*. Idcircò Summulistæ negant, has esse contradictorias, *Nullus homo est animal*, *Petrus est animal*; quia, licèt ratione materiæ nec possint esse simul veræ, nec simul falsæ, benè tamen ratione formæ, vt constat in materiâ contingenti.

19 Occasione istâ roboratur obiter assertio nostra. Nam huius propositionis, *Omnis homo est animal*, prædicatum obiectivum extenditur plus quàm ad animal rationale. Probo: si non plùs extenditur, ea propositio poterit converti simpliciter; sed hoc est contrà leges Dialecticæ: ergo &c. *Prob. Mai.*: hæc propositio, *Omnis homo est animal rationale*, convertitur simpliciter, saltem ratione materiæ; ex eâ quippe rectè colliges, *ergo aliquod animal rationale est homo*, non aliâ de causâ, nisi quia prædicatum non plus extenditur, quàm subiectum, sed est convertibile. Cum ergo hæc eadem ratio per se militet in illâ alterâ propositione, poterit etiam, saltem ratione materiæ, simpliciter converti. Et hinc eiusmodi Conversio propria erit omnis affirmativæ vniversalis, etiam ratione formæ: nam id convenit ratione formæ, quod sequitur ex tali genere propositionum in quâcumque materiâ: sed, si vera dicitis, omnis propositio vniversalis affirmativa, in quâcumque materiâ formetur, necessariò postulat prædicatum subiecto æquale, & convertibile; quo dato, Conversio simplex in affirmativis sponte fluit: ergo &c.

20 Hinc etiam roboratur doctrina cap. 4. stabilita circà æquivalentiam terminorum, *animal*, & *aliquod animal*. Nam propositio, *Omnis homo est animal*, iuxtà omnes benè convertitur sic, *Ergo aliquod animal est homo*; malè verò sic, *Ergo omne animal est homo*. Unde sequitur 1., prædicatum *animal*, quatenùs affirmabile, vel affirmatum, rectè exponi per tendentiam disiunctivam, non autem rectè per copulativam. Sequitur 2., prædicatum illud extendi ex parte obiecti ad omnia animalia, sicut subiectum *aliquod animal*; alioquì subiectum Convertentis plus extenderetur, quàm prædicatum Conversæ, contrà præcepta Conversionis.

21 Denique Assertio nostra probatur ijs argumentis, quæ pro conservatione Universalis communiter adducuntur. Duo breviter attingam. Primum: si Universale nullatenùs conservatur in prædicatione de subiecto singulari, non erit prædicabile, seu potens prædicari de quolibet inferiori nisi purè ampliativè, nimirùm eo sensu, quo lignum est potens comburi, combustione scilicèt

scilicèt lignum destruente. Hoc Adversarij fatentur: sed videtur absurdū. Nā, vt omittam plura, quę passim contrà doctrinā istā opponuntur, sequitur, quòd omnis prędicatio erit æqualis de æquali, nullaque superioris de inferiori; quo plurima Summularum præcepta reddantur inutilia. Dicunt, vt hæc prædicatio v.g., *Petrus est animal*, absolutè dicatur prædicatio superioris, sufficere, quòd prædicatum sit superius præsuppositivè, quatenùs præsupponit apprehensionem *animal*; cuius obiectum est Petro superius, ideſt, vniversalius: quemadmodùm absolutè dicitur videre cæcus, dum præcessit cæcitas.

22 Sed in primis, cum magis propriè dicatur de re quāvis id, quod actu & formaliter ei convenit, quàm id, quod præsuppositivè tantùm; sicut magis propriè dicitur, *Qui non est cæcus videt*, quàm *Cæcus videt*; sequitur, prædicationem illam magis esse æqualis de æquali, quàm superioris de inferiori. Deinde, vt alia præteream, prædicatio non dicitur esse superioris ex eo, quòd præcedat vtcumque apprehensio vniversalis; alioqui, si post apprehensionem *animal*, sequeretur hic actus, *Hoc animal est Petrus*, foret prædicatio superioris. Requiritur ergo (vt ipsimet Adversarij doceant), quòd apprehensio vniversalis præcedat, non per accidens, sed per se. Tum sic: ergo iudicium, *Petrus est animal*, per se exigit, ac præsupponit apprehensionem terminatam ad omnia animalia. Sed non est cur ita præsupponat, si iudicium ipsum non prædicat omnia animalia, sed solum animal Petri: tum quia, vt iudicetur, cum Petro identificari suum determinatum animal rationale, tum de materiali se habet apprehensio leonis, & equi, quàm lapidis, & Angeli: tum quia non alio titulo debet apprehensio præire iudicium, nisi vt Voluntas illud imperatura non cæcè procedat, vel eā ne Intellectus iudicet de incognitis, & sententiā ferat de obiecto priusquàm eius materia per apprehensionem proposita præsoscat; quos ad fines absdubio sufficit apprehensio extremorum prædicationis, saltem cum apprehensione identitatis vtriusque. Si ergo prædicta prædicatio per se supponit apprehensionem obiecti vniversalis, ipsa quoque totum illud attingit.

23 Video tamen, argumentum ex prædicabilitate desumptum, non esse omninò firmum, positā simplicitate iudicij. Si enim iudicium non componitur ex apprehensionibus, iam Universalia per apprehensiones facta nunquam possunt actu prædicari, cum tamen dicantur prædicabilia. Nihilominùs in nostrā sententiā dici potest, Universāle apprehēsivē reduci ad actū prędicationis, nō quidē penès formā (hāc enim omnes excludimus à prædicatione actuali, dum iudicij simplicitatem supponimus), sed penès totum subſtratum cum aliā formā æquivalente in ordine ad vsum scientiarum. Nam animal, quod per apprehensionem denominatur Universāle, idem cum eādem latitudine, vel amplitudine obiectivā prædicatur postea de Petro, vel alio quovis inferiori, sub formā iudicij: quæ forma, licèt non retineat perfectam vniversalitatem defectu abstractionis perfectæ; tamen ad vsum scientiarum perinde valet, ac si retineret; quia verè est prædicatio superioris

de

de inferiori, ideſt, obiecti amplioris de minùs amplo; verè item ſalvat regulas Converſionis, aliaſque dialecticas, & ad ſcientias adquirendas nõ minùs deſervit, quã ſi iudiciũ foret ex apprehenſionibus compoſitum. Hoc ſenſu non ineptè dicebat ſuprà P. Maurus, in actuali prædicatione ſalvari *Univerſale ſcientificum.*

24. Alterum argumentum: ſi propoſitio, *Petrus eſt animal*, non attingit niſi animal Petri, verè dicetur, *Solus Petrus eſt animal*, ſicut verè dicitur, *Solus Petrus eſt animal Petri.* Negant ſequelam Adverſarij: quia propoſitio, *Solus Petrus eſt animal*, non ſolùm affirmat de Petro animal eius, ſed ſimul implicitè negat de alijs ſubiectis ſuum cuiuſque animal; continet enim has exponentes, *Petrus eſt animal, & omne aliud à Petro non eſt animal.* Sed non ſatisfaciunt. Nam, vt obſervant concorditer Summuliſtæ, dum Excluſiva exponitur, idem debet eſſe prædicatum Præiacentis, & ſecundæ Exponentis: ideòque propoſitio ex parte ſubiecti Excluſiva definiri ſolet, *Quæ excludit alia ſubiecta ab eodem prædicato, vel à participatione eiuſdem prædicati.* Sed per vos, *Petrus eſt animal*, quæ eſt Præiacens, non prædicat niſi animal Petri: ergo hoc idem animal debet eſſe prædicatum ſecundæ Exponentis, nempe, *Omne aliud à Petro non eſt animal*, ſeu, *Nihil præter Petrum eſt animal.* Sic autem etiam hæc negativa erit vera, cum perinde valeat, ac *Nihil aliud à Petro eſt animal Petri.* Prædicta igitur Excluſiva, ſive conſideretur in ſe, ſive in Exponentibus, verificabitur in veſtris principijs. Videatur P. Fonſeca L. 3. Inſtit. Dialectic. cap. 19.

## §. III.

## CONSECTARIÆ.

25. EX dictis hactenùs infertur 1., quoties prædicatum alias vniverſale affirmatur de ſubiecto inferiori, ſalvari tum amplitudinem Univerſalis propriam, tum etiam abſtractionem, præciſionem, & vnitatem, non quidem perfectam, & abſolutam, ſed imperfectam, & ſecundùm quid, videlicet reſpectu aliorum inferiorum, quæ tunc pro ſubiecto non aſſumuntur. Animal v.g. in hoc actu, *Omnis homo eſt animal*, manet præciſum, & abſtractum reſpectu leonis, equi, & aliorum animalium præter hominem, quæ omnia fiunt ratione vnum. Ratio: quia omnia ex parte obiecti attinguntur, quin eorum pluralitas, aut differentia appareat ex parte actus. Dices: per illum actum non redditur animal prædicabile de leone; neque enim dici poteſt, *Leo eſt omnis homo eſt animal*: ergo non redditur Univerſale reſpectu leonis. Sed hoc nihil eſt dictu. Nam omnes concedunt, ſalvari Univerſale in prædicatione indefinitâ æqualis de æquali, v.g. in hac, *Animal eſt ſenſitivum*; & tamen dici nequit, *Leo eſt animal eſt ſenſitivum.* Poſitâ ergo ſimplicitate iudicij, nemo diſputat, an Univerſale ita conſerveturr, vt ſub eodem actu iudicativo poſsit prædicari de alijs ſubiectis; id enim evidens eſt fieri non poſſe: quare tota controverſia eſt, an ibi retineat amplitudinem obiectivam cum perfectâ abſtrac-

tractione à differentijs. Præterea, cum animal ibi non præscindatur ab homine, quid mirum, si sub eo actu non sit prædicabile de leone?

26 Infertur 2°, in prædicationibus negativis, saltem quæ veræ sunt, prædicatum ex se commune, nullo signo quantitativo immediatè affectum, permanere simpliciter Universale, v.g. in hac, *Nullus lapis est animal*, permanet animal, non solùm cum amplitudine complectente cuncta animalia ex parte obiecti, sed etiam cum vnitate & abstractione perfectâ ex parte actus. Ratio: quia talis actus ita repræsentat animal, vt nullam eius pluralitatem, aut differentiam exprimat: pluralitas enim lapidis, quam exprimit, non est pluralitas animalis. Dices: actus ille perinde valet, ac *Omnis lapis est nullum animal*, ideòque benè convertitur sic, *Ergo nullum animal est lapis*: iam ergo continet æquivalenter hanc expressionem, *nullum animal*, quæ est expressio multitudinis. *Dist. Antec.*: perinde valet, quantum ad verificationem, *conc.*; quantum ad modum tendendi, *neg. Antec.*, & sub eadem distinctione *Conseq.* Sic perinde valet, *Homo est animal*, ac *Omnis homo est animal*, siquidem in materiâ necessariâ propositio indefinita æquivalet vniversali; & tamen homo in alterâ præ alterâ retinet abstractionem & vnitatem propriam Universalis, vt omnes passim concedunt, non aliâ ex causâ, nisi ex diverso tendendi modo.

27 Nec obstat Conversio: nam in negativis de prædicato communi requiritur ad Conversionem cognitio reflexa de eo, quòd prædicatum sit ex se Universale: si enim ex se sit singulare, falsa erit Conversio per syncategorema, *Nullus*; vt patet in hac, *Nullus lapis est Deus, Ergo nullus Deus est lapis.* Cum autem prædicatum commune non possit reflexè cognosci vt commune, sive vt Universale, nisi per cognitionem comparativam cum multis inferioribus, vt constat ex cap. præced.; fit, vt prædicta Conversio præsupponat quidem cognitionem pluralitatis animalis, sed reflexam, distinctamque à iudicio directo, *Nullus lapis est animal.* Nec inde inferas, eam Conversionem non fieri ratione formæ, sed ratione materiæ. Ut enim verificetur fieri ratione formæ, sat est quòd, postquàm deprehenditur prædicatum ex se esse commune, tutò fiat illatio in quacumque materiâ, seu contingenti, seu necessariâ.

## CAP. VIII.

*Enervantur argumenta contraria.*

PLura præoccupavimus cap. præcedenti. Plura item, quæ contrà alteram Assertionem militant, exarmat altera. Nihilominus—

### §. I.

*Contrà primam Assertionem.*

1 OBIC. 1.: iudicium indivisibile, *Omnis homo est animal*, non solùm æquivalet apprehensioni, *omnis homo*, quæ est intentionalis pluralitas obiecti, sed etiam apprehensioni, *animal*, quæ est extrinseca indivisio, & intentionalis vnitas omnium animalium: ergo ita est intentionalis pluralitas & divisio animalis, vt simul animalis naturam reddat intentiona-

naliter indivisam & vnam, consequenterque absolutè & simpliciter Universalem. Consequentia constare videtur: quia, sicut virtus vnius causæ activæ, quæ duplici æquivaler, tantum præstat, quantum illa duplex; ita vis vnius actus indivisibilis, qui duobus æquivalet, tantum præstare poterit in genere causæ formalis, quantum illi duo: sed duo actus, *omnis homo*, & *animal*, in genere causæ formalis reddunt animal divisum, & indivisum intentionaliter: ergo ad ipsum præstare poterit actus indivisibilis, qui vtrique æquivalet. Antecedens verò certum apparet: tum ex modo tendendi, quem præsefert iudicium illud: tum quia per se supponit vtramque apprehensionem, tamquam exemplar, quod imitetur in repræsentando.

2 *Confirm.* 1.: quia non repugnat, quòd actus idem simul sit confusus, & clarus respectu eiusdem obiecti; & ideò iuxtà plures indivisibilis actus potest esse fides & scientia de eodem obiecto: ergo, quamvis iudicium indivisibile clarè exprimat pluralitatem animalium, poterit simul esse confusio & vnitas intentionalis eorumdem. *Confirm.* 2.: non magis opponuntur circà idem obiectum repræsentatio indefinita, & definita, seu discretiva, quàm repræsentatio disiunctiva, & determinata; disiunctiva enim est indeterminata, proindeque sono ipso videtur excludere determinationem: sed potest simplex actus repræsentare idem obiectum determinatè simul & disiunctivè, vt hic, *Petrus est aliquis homo*, qui determinatè repræsentat Petrum vt talem, simulque disiunctivè vt vnum ex hominibus; imò potest simplex actus identificare secum affirmationem vagam, & determinatam eiusdem obiecti, vt patet in hoc, *Petrus, qui est homo, est vel Petrus vel Joannes*: ergo poterit etiam simplex actus repræsentare obiectum realiter multiplex indefinitè, sicut apprehensio *animal*, simulque definitè, seu discretè, sicut apprehensio *omnis homo*, vel *omne animal*. Repræsentatio autem indefinita reddit obiectum ratione vnum absolutè & simpliciter.

3 *Confirm.* 3.: iudicium, *Omnis homo est animal*, attingit omnia individua animalis per modum vnius: ergo omnia reddit intentionaliter vnum, & consequenter Universale perfectum. *Prob. Antec.*: ideò non attingeret omnia per modum vnius, quia aliqua, nempe humana, attingit per modum multiplicis; at hæc ratio non obstat. *Prob.*: actus attingens idem obiectum per modum duplicis obiecti, potest illud attingere, tum per modum vnius, tum per modum multiplicis; sed actus ille iudicativus attingit animal humanum per modum duplicis obiecti; tum quia illud apparere facit vt animal, & vt hominem; tum quia illud attingit vt subiectum, & vt prædicatum: ergo potest attingere per modum vnius animalia omnia, etiam humana. *Confirm.* 4.: prædictum iudicium reddit omnia animalia vnicâ definitione definibilia: ergo omnia reddit ratione vnum, estque conceptus omnium vnivocus. *Confir.* 5.: non repugnat quòd idem actus præscindat naturam à differentijs, eamdemque simul cum differentijs attingat: hinc enim tantùm sequitur, eumdem actum simul esse recessum à differentijs, & accessum ad easdem: hoc autem non repugnare, patet exemplo mo-

motus circularis, qui respicit idem punctum, vt terminum *à quo*, & *ad quem*.

4 *Resp.* Ad *Obiect. dist. Antec.*: æquivalet apprehensioni *animal*, in prædicatis positivis, *conc.*; in prædicatis negativis, *neg. Antec.*, & *Conseq.* Apprehensio *animal* attingit ex parte obiecti omnia animalia, & omnia repræsentat sub ratione animalis, ideſt, ita vt de toto illo obiecto dici possit esse vivens sensibile, omnia item repræsentat modo æquivalenter disiunctivo in ordine ad prædicationem. Hæc voco prædicata illius apprehensionis positiva: & in his eam imitatur iudicium. At eadem apprehensio simul in se est negatio, vel exclusio expressionis, per quam appareat vlla obiecti differentia, sive pluralitas vt talis; nequit enim identificare secum expressionem eiusmodi. Ea prædicatum negativum, in quo repugnat quòd eam imitetur iudicium, *Omnis homo est animal*, vt evidens est suppositâ simplicitate iudicij. Atqui in eâ ipsâ negatione consistit, quòd apprehensio *animal* reddat obiectum ratione vnum, & indivisum, vt ex nostrâ probatione constat, & ex vi nominum, *vnitas*, *indivisio*, quę important carentiam divisionis, & pluralitatis in lineâ, in quâ verificantur: non ergo iudicium in his æquivalet apprehensioni. Sic anima hominis æquivalet animę leonis in vi positivâ vegetandi, & sentiendi; non tamen in exclusione rationalitatis. Nec obstat paritas causę activę. Nam æquivalentia inter Solem & ignem v. g. ad producendos effectus similes, aut eosdem, cohæret cum diversitate causarum entitativâ: non sic autem æquivalentia in ordine ad eosdem effectus formales, qui non distinguuntur ab entitate causę. Imò nec in causis activis entitativè diversis dari potest æquivalentia in ordine ad effectus omnes.

5 *Ad 1. Confirm. neg. assumptum*: quia claritas, & obscuritas, aut confusio propriè dicta, respectu eiusdem, tam opponuntur, quàm lux, & tenebræ. Qui tenent, identificari posse fidem & scientiam de eodem obiecto materiali, negant quòd fides debeat esse obscura positivè, aut exclusivè; solùmque de ratione fidei esse putant obscuritatem quasi permissivam ex parte proprij motivi, quod ex se nec refundit claritatem, nec exigit aliunde refusam, nec tamen prohibet ab alio motivo refundi. Quare non dicunt, actum, qui simul est fides & scientia eiusdem obiecti, evadere clarum & obscurum, sed evadere clarum absolutè, & non evadere clarum claritate refusâ ex motivo fidei, quod ex se permitteret, actum evadere obscurum, nisi concurreret motivum scientiæ.

6 *Ad 2., neg. Mai.*, cum probatione subiunctâ, nempe quòd omnis repræsentatio disiunctiva, seu vaga, sit indeterminata. Si repræsentatio sit *purè* disiunctiva, seu vaga, vt in his apprehensionibus, *aliquis homo*, *Petrus vel Joannes*, tunc est indeterminata, quia determinationem excludit ab identitate sui: cæterùm potest dari repræsentatio disiunctiva non *purè*, sed secum identificans expressionem determinatam; quod licèt videatur difficile, tamen ab omnibus admittendum est suppositâ simplicitate iudicij: tunc autem repugnat, quòd ea repræsentatio indeterminata sit. Sic anima *purè* vegetativa est irrationalis & insensibilis; non ita verò, si, vt potest, sit vegetativa non *purè*. Sic etiam, vt vtamur

mur exemplo nuper obiecto, actus fidei est positivè obscurus, dum est fides *pure*; non tamen, dum secum identificat claritatem scientiæ. At repræsentatio indefinita, tum ex vi nominis, tum ex acceptione communi, constituitur per *non expressionem* multiplicitatis, nec vnitatis obiectivæ, nec vllius differentiæ inferioris: quare omninò repugnat, quòd indefinita maneat, si secum identificat expressionem eiusdem obiecti discretivam. Nec iudicium, de quo est quæstio, continet expressionem indefinitam, sed tantùm æquivalentem indefinitæ secundùm prædicata positiva, iuxtà num. 4.

7 *Ad* 3., *dist. Antec.*: per modum vnius, vnitatæ excludente in se ipsâ multiplicitatem formalem, sive rationis, *neg.*; alio genere vnitatis, *transeat Antec.*, & *neg. Conseq.*. Ut obiectum re multiplex fiat ratione vnum, quantum requiritur ad Universale, non sufficit quod attingatur vtcumque per modum vnius; nam hæc apprehensio *collegium*, aut *populus*, attingit plures homines per modum vnius, quin eorum naturam constituat vnam vnitate propriâ Universalis. Debet ergo ita repræsentari per modum vnius, vt cognitio, quæ est vnitas eius extrinseca, positivè excludat in se ipsâ multiplicitatem formalem obiecti quam minimè excludit cognitio secum identificans expressionem obiecti vt multiplicis. Unde, quidquid sit, an iudicium, de quo est sermo, attingat animal humanum per modum duplicis obiecti, nunquam illud denominabit vnum, quantum requiritur ad Universale perfectum.

8 *Ad* 4., *dist. Antec.*: vnicâ definitione non adæquante claritatem definiti formalis, *conc.*; eam claritatem adæquante, *neg. Antec.*, & *Conseq.*. Hic actus indivisibilis, *Omnis homo est animal*, quia secum identificat expressionem *animal*, claritatem habet explicabilem per hanc definitionem, *Vivens sensibile*, quæ est definitio omnium animalium: sed, cum etiam secum identificet expressionem *omnis homo*, claritatem habet, cui respondet etiam hæc explicatio, *Animal rationale multiplex*. Ille igitur actus, qui totus, vtpotè simplex, est definitum formale, non probatur vnivocus, nec adunativus omnium animalium, ex definibilitate, cum potiùs illi multiformis definitio respondeat. *Ad* 5.: quòd idem actus naturam præscindat à differentijs, eamque simul cum differentijs attingat (intelligo, non tantùm ex parte obiecti, sed etiam ex parte actus), tam implicatorium est, quàm quòd eam attingat cognoscendo differentias, & non cognoscendo differentias: quid enim est *præscindere* vnum ab alio, nisi vnum cognoscere non cognoscendo aliud, vel ex parte obiecti, vel saltem ex parte actus? Illud de accessu & recessu negandum pariter vt implicatorium in sensu obiectionis: nec motus circularis recedit & redit eâdem viâ, sed diversâ, seu per diversam partem loci, quod nullo ex capite repugnat.

9 *Objc.* 2. ex Thomistis, iudicium, *Petrus est homo*, ratione distinguit hominem à Petro: sed homo ratione distinctus à Petro, cum aliunde præscindatur, vt volumus, à reliquis individuis, maneat perfectè vniversalis: ergo &c. *Prob. Mai.*: vt talis iudicij Petrus est subiectum, & homo est prædicatum; sed prædicatum formaliter distinguitur à subiecto, saltem dum prædicatio non est

est identica : ergo &c. *Confirm.* : repugnat vnio & compositio physica, nisi inter extrema actu distincta physicè : ergo repugnat vnio & compositio intentionalis, nisi inter extrema actu distincta formaliter. Sed iudicium est intentionalis vnio & compositio subiecti & prædicati : ergo reddit alterum ab altero formaliter distinctum. Hæc obiectio nititur doctrinâ Thomisticâ, quòd scilicèt omnis propositio mentalis fingat ex parte obiecti distinctionem intrinsecam inter subiectum & prædicatum: quam doctrinam satis efficaciter impugnatam habes in Procœmialib.(a), eiusque fundamentum plenè solutum ibidem (b), nominatim si iudicium sit simplex qualitas (c). Ex ibi dictis, postrà simplicitate iudicij, *neg. Mai.*. In *probat. dist. Min.*: prædicatum formaliter distinguitur à subiecto, distinctione præsuppositâ ad iudicium, *conc.*; distinctione factâ per iudicium, *neg. Min.*, & *Conseq.*

10 Ad *Confirm.*: cum propositio dicitur vnire, & componere prædicatum cum subiecto, sermo est vel de propositione vocali, vel de mentali, quæ supponatur ex apprehensionibus composita. Quodsi supponatur, vt modò, simplex qualitas, nullam in se continet vnionem, aut compositionem actualem, sed vtcumnùm virtualem, aut æquivalentem, quatenùs apprehensionibus distinctis æquivalet quoad positivum, præbetque fundamentum, vt reflexè distinguatur per rationem expressio prædicati ab expressione subiecti, atque ita consideretur inibi reflexa quædam compositio vtriusque. Potest etiam concedi totum Enthymema cum Minore subsumptâ, tumque negari Consequentia: quia, vt iudicium sit vnio, & compositio subiecti & prædicati, non debet præcisè reddere alterum ab altero distinctum, sed vel reddere, vel præsupponere; iuxtà dicta locis citatis.

11 *Obiic.* 3.: in hoc iudicio vero, *Homo, prout est Species, est perfectè præcisus à Petro*, salvatur perfecta vniversalitas, & præcisio hominis à Petro: alioquin falsa propositio foret: iam ergo potest homo perfectè præscindi à Petro per actum exprimentem Petreitatem. Nego Antecedens in sensu quæstionis, quòd scilicèt actus ille per semetipsum præscindat hominem à Petro, sicque forma perfecti Universalis: est enim ea propositio vera, non quia facit Universale, sed quia reflexè attingit, ac repræsentat factum per apprehensionem *homo*: hæc igitur apprehensio est, quæ hominem præscindit à Petro: illud verò iudicium, quæ est propositio reflexa, repræsentat quidem hominem iam præcisum, sed non præscindit. Idem dicito de hoc iudicio, *Petrus & cæteri homines, confusè cogniti, sunt una natura Universalis.*

12 *Obiic.* 4. ex P. Joan. Ulloa(d), qui, licèt teneat, in nullâ prædicatione, quæ terminum alias communem immediatè afficiat quantitate vel signo singulari, aut vniversali, aut particulari, posse manere Universalem naturam significatam per illum terminum, v.g. in his, *Hic homo est homo, Omnis homo est homo, Aliquod animal est animal*; contendit tamen, Universale simpliciter salvari respectu omnium suorum inferiorum, quoties prædicatum alias Universale

(a) *Disp. 2. cap. 4. num. 24.* (b) *Ibi cap. 5. num. 30. 31. 43. & 44.*
(c) *Eod. cap. num. 45.* (d) *Disp. 2. Logic. Mai. cap. 4. 5. & 6.*

versale affirmatur de his, aut illis inferioribus significatis per proprios conceptus, vt in prædicationibus hisce, *Petrus est homo, Homo & equus sùt animal*, *Omnis homo est animal*. Sic, inquam, *Obijc.*: quilibet ex conceptibus nunc dictis, v.g. hic, *Omnis homo est animal*, attingit in primis naturam à parte rei convenientem omnibus animalibus, vt nos vltrò concedimus; aliunde multiplicitatem illius naturæ non proponit clarè, & expresè: ergo illam constituit simpliciter Universalem. Consequentia tenet: quia conceptus attingens naturam à parte rei multiplicem, quin eius multiplicitatem exprimat, perfectè constituit Universale.

13 *Prob. Min.*: modus tendendi huius prædicationis, *Omnis homo est animal*, est omninò similis modo tendendi huius, *Omnis Persona Divina est Deus*: sed hæc secunda non habet per suam essentiam repræsentare multiplicitatem Dei, sed tantummodò eorum, quæ sunt Deus: ergo nec prima per suam essentiam habet repræsentare clarè multiplicitatem animalis, sed tantummodò eorum, quæ sunt animal, nempè hominum. Ut solutiones præoccupentur, *Confirm.* 1.: quod natura significata, sit vel non sit à parte rei multiplex, non est legitima regula ad cognoscendum, an cognitio clarè proponat, vel non proponat multiplicitatem eius. Patet hoc: quia cognitio *homo* significat naturam à parte rei multiplicem, & tamen eius multiplicitatem clarè non exprimit: & ex adverso hæc falsa cognitio, *Omnis Deus est Omnipotens*, clarè significat multiplicitatem naturæ Divinæ, quæ tamen immultiplicabilis est. Quare vnica regula est modus tendendi cognitionum. Cum ergo modus tendendi vtriusque prædicationis nuper adductæ sit prorsus similis, vel vtraque, vel neutra significat multiplicitatem prædicati.

14 *Confirm.* 2.: singularitas, aut multiplicitas subiecti prædicationis actualis non refunditur in prædicatum: ergo quòd in his, *Omnis homo est animal*, *Petrus est animal*, subiectum proponatur vt multiplex, vel vt singulare, non probat, prædicatum clarè proponi vt singulare, vel multiplex. *Prob. Antec.*: quia in hac prædicatione, *Omnis Persona Divina est Deus*, subiectum est multiplex, prædicatum autem essentialiter vnicum: & in his, *Deus est Persona Divina*, *Petrus est aliquis homo*, prædicatum est multiplex, quamvis subiectum sit prorsus singulare.

15 *Confirm.* 3.: signum *omnis*, immediatè cadens suprà subiectum, non impedit vniversalitatem prædicati. Probatur: eatenùs impediret, quatenùs significaret ex se multiplicitatem prædicati: sed non ita significat. Probatur hoc: si ex se significat multiplicitatem prædicati, significabit illam semper & vbique; quod tamen falsum esse constat in dictà prædicatione, *Omnis Persona Divina est Deus*, quę alioquin vera esse non posset. Nec prodest recursus ad incapacitatem obiecti: nam, quia signum *omnis* ex se significat multiplicitatem subiecti, suprà quod immediatè cadit, ideò semper illam significat verè vel falsè, etiamsi obiectum sit in se immultiplicabile, vt patet in hac prædicatione, *Omnis Deus est Omnipotens*, quę non alio ex capite falsa est: si ergo ex se quoque significat multiplicitatem prædicati, semper illam significabit verè vel falsè, quodcumque sit obiectum.

Con-

16 *Confirm. 4.* ratione à priori: conceptus, *Omnis homo est animal*, ita proponit animalis naturam identificatam cum multis, vt præscindat ab eo, quòd talis natura distinguatur virtualiter (idem puta de distinctione formali ex natura rei), vel non distinguatur virtualiter ab illis multis; nam ex tali conceptu, nisi aliud adiungas, ineptè colliges, animal distingui, vel non distingui virtualiter ab hominibus: ergo formaliter præscindit à multiplicitate naturæ animalis. *Prob. Consq.*: conceptus præscindens ab eo, quo posito natura non esset multiplex, & quo ablato natura esset multiplex, præscindit ab eo, quod natura sit vel non sit multiplex; sed virtualis distinctio inter naturam animalis, & subiecta multa, quibus communicatur, est id, quo posito natura non esset multiplex (vt patet in naturâ Divinâ, quæ non est multiplex, licèt identificetur cum multis Personis, quia virtualiter distinguitur ab eis), & quo ablato natura erit multiplex, vt realiter contingit in creatis: ergo &c. *Urgetur*: naturam esse à parte rei multiplicem, non stat præcisè in eo, quòd identificetur cum multis (vt cernitur in naturâ Divinâ), sed vlteriùs addit virtualem indistinctionem inter naturam, & illa multa: ergo pariter, naturam esse in Intellectu multiplicem, non stat præcisè in eo, quòd appareat identificata cum multis, sed insuper apparere debet ab eis indistincta virtualiter. At non ita apparet natura animalis per conceptum, quo de loquimur: ergo &c.

17 Hoc est totum prædicti Auctoris fundamentum, satis acutè inventum, atque promotum. Sed displicet 1., quia totum nititur arduitate mysterij Trinitatis, ex quo si res logicas, tritosque modos significandi obiecta creata, metiri velimus, consueta forma Syllogismi expositorij plerumque fallet; & in præsenti puncto contingere poterit, vt de subiecto multiplici verè affirmetur natura creata, quin præscindatur à reali vnitate, vel singularitate; sic enim contingit cùm de multis Personis affirmatur natura Divina. Displicet 2., quia, tametsi daretur, multiplicitatem animalis non clarè significari per ea iudicia, non ideò animal foret perfectè Universale; non enim esset abstractum, aut præcisum, nec ratione distinctum ab omnibus speciebus inferioribus, prout requiritur ad Universale iuxtà D. Thomam suprà citatum (e), & communem doctrinam. Displicet 3., quia natura creata non præscinditur ab eo, quod est ipsi essentiale, & à nemine vertitur in dubium; sed incapacitas distinctionis virtualis, aut formalis ex naturâ rei, quæ naturam essentialiter vnicam reddat identificabilem cum multis instar naturæ Divinæ, ita est essentialis omni naturæ creatæ, vt à nemine vertatur in dubium: ergo natura creata non præscinditur ab incapacitate ifiusmodi, sed eam formaliter imbibit, non minùs, quâ finitudinè, & limitationè. At hoc ipso ruit tota ratio à priori, quâ nititur obiectio, & habetur n. 16.

18 Itaque ad *Obiect.* num. 12. *neg. Min.*. Ad *prob.*, *neg. Maj.*: quia, sicut non est omninò similis modus tendendi harum apprehensionum, *animal*, *Deus*; altera enim est terminus communis, altera singularissima; altera præscindit ab vnitate reali sui obiecti, altera non, siquidem Deus verus ab vnitate præscindi non potest; ita non est omninò similis modus tendendi prædicationum illarum,

(e) *Cap. præced. num. 7.*

rum, cum apprehensiones per se prævias imitentur quantum possunt, & secunda ex se significet prædicatum vt positivè repugnans multiplicitati, prima verò non ita significet. *Ad 1. Confirm.* concedo totum, præter suppositum Consequentis, nempe quòd vtriusque prædicationis modus tendendi sit omninò similis. Imò argumentum retorqueo sic: hæc prædicatio, *Omnis Persona Divina est Deus*, ex modo tendendi non præscindit ab vnitate naturæ Divinæ, vtpotè cui vnitas est tam essentialis, quàm vera Divinitas: ergo hæc prædicatio, *Omnis homo est animal*, si est prorsùs similis in modo tendendi, non præscindit ab vnitate reali naturæ animalis. Sed actus non præscindens obiectum ab vnitate reali, nequit illud reddere Universale, vt est certum: ergo &c.

19 *Ad 2.* In primis quantum ad multiplicitatem, *dist. Antec.*: multiplicitas subiecti non refunditur in prædicatum, quod proponitur vt essentialiter immultiplicabile, *conc.*; in prædicatum, quod non ita proponitur, *neg. Antec.* Vel aliter *dist.*: non refunditur in prædicatum, si hoc non excludat distinctionem virtualem sufficientem ad identitatē vnius cum multis realiter distinctis, *conc.*; si prædicatum talem distinctionem positivè excludat (vt iuxtà omnes excludit quælibet natura creata, eo præcisè quòd finita sit), *neg. Antec.*, & sub eâdem distinctione *Conseq.* Deinde quantum ad singularitatem *dist. Antec.*: singularitas subiecti non refunditur in prædicatum, ita vt eius amplitudinem impediat, aut coarcet, *conc.*; ita vt illud apparere faciat vt continens in suo significato vnum singulare (quod sufficit, vt impediatur perfecta præcisio, abstractio, & vnitas rationis), *neg. Antec.*, & eodem sensu *Conseq.* Nec hisce distinctionibus officit probatio Antecedentis, vt consideranti patebit.

20 *Ad 3.* Mentale signum *omnis*, positâ indivisibilitate iudicij, semper impedit universalitatem prædicati; non quia semper significet ex se multiplicitatem eius; sed quia ex se illam significat, quoties non invenitur identificatum cum expressione limitante significationem ipsius, qualis est expressio prædicati vt singularis, vel vt essentialiter vnius, quæ expressio pariter impedit universalitatem prædicati, vt nemo dubitat. Unde tale signum nunquam finit prædicatum esse perfectè Universale; quia vel significat multiplicitatem prædicati, vel eius intrinsecam vnitatem exprimit identificando secum expressionem nunc dictam: & vtrovis modo non patitur illud esse Universale. Nec inde infertur, signum *omnis* posse aliquando non significare multiplicitatem subiecti, suprà quod immediatè cadit. Nam ex eo, quod significatio signi mentalis possit limitari, non sequitur quòd possit omninò destrui, seu quòd possit tale signum existere nihil prorsùs significans. Limitatio significationis nihil habet absurdi: sic enim in hac expressione, *Omnis homo doctus*, limitatur signum *Omnis* ad minorem multitudinem significandam, quàm in hac, *Omnis homo*. Destructio autem totius significationis destruit mentale signum, vt per se patet. At, si tale signum non significaret multiplicitatem subiecti, vel obiecti, suprà quod immediatè cadit, nihil prorsùs significaret, sed omni significatione careret. Nunquam ergo contingere potest, vt exis-

existat signum *omnis*, quin significet, seu verè, seu falsè, multiplicitatem illius obiecti, quodcumque sit, & quomodocúque exprimatur.

21 *Ad 4. neg. Antec.*, si loquatur de distinctione virtuali sufficiente ad realem identitatem vnius cum multis: huius enim distinctionis exclusio formaliter imbibitur in conceptu cuiuslibet naturæ finitæ; neque vllus est Virtualista, vel Scotista, qui naturam creatam realiter vnam concipiat indifferentem, vt cum extremis realiter distinctis identificetur instar Divinæ. Quare ex illo conceptu rectè colligitur, animal esse tali sensu virtualiter indistinctum ab hominibus, quamvis ibi non detur hæc expressio, *virtualiter indistinctum*. Ut enim rectè colligitur, animal esse ens finitum, limitatum, oppositum chymeræ, quamvis hæc prædicata sub propriis expressionibus ibi non appareant; quia scilicet hæc, & alia transcendentia omnem naturâ creatam, factâ reflexione super energiam illius conceptus, tamquam in eo imbibita deteguntur: sic in re nostrâ dicendum. Certè, qui reflectat suprà conceptum clarè proponentem animal realiter identificatum cum multis hominibus, illicò deteget, animal esse multiplicatum in multa animalia rationalia.

## §. II.

### *Contra secundam Assertionem.*

22 OBJIC. 1.: hic actus, *Petrus est homo*, illam naturam attingit ex parte obiecti, quam de Petro prædicat; sed solam prædicat naturam Petri: ergo &c. *Prob. Min.* 1. ex D. Thomâ Opusc. 56. aiente: *Homo, qui prædicatur de Sorte, idem est quod Sortes; & qui prædicatur de Platone, idem est quod Plato; cum prædicatum insit subiecto.* 2.: quia solùm potest verè prædicari de subiecto, quòd cum ipso identificatur; sed sola natura Petri identificatur cum ipso: ergo &c.. 3.: quia talis actus singularizat mentaliter naturam humanam, contrahendo illam ad vnum individuum: ergo tollit amplitudinem propriam Universalis. Atque ita commodè explicatur, quo pacto natura omnium, priùs confusa per apprehensionem *homo*, distribuatur deinde per actuales prædicationes, singulis individuis tribuendo quod suum erat. 4.: quia iudicium illud prædicat naturam, quam Petro convenire novit Intellectus per apprehensionem comparativam immediatè præcedentem; sed per hanc apprehensionem cognovit Intellectus convenire Petro naturam singularem; cognovit enim Petrum vt talem sub conceptu *Petrus*, qui formaliter exprimit naturam vt coniunctam singularitate, sicut conceptus *hic homo*: ergo &c..

23 *Resp. neg. Min. Ad 1. prob.* D. Thomas eo loci magis contrarius est obijcientibus: sic enim ait, *Homo poterit considerari absque hoc quod sit particularis, & sic est in pluribus, & prædicatur de pluribus, non tamen vnus homo in numero, sed vnus in specie.* Tum subdit verba nobis obiecta; quibus addit, quòd *homo non prædicatur de Sorte secundùm quod est particularis*: *cuius ratio*, inquit, *est, quia terminus idem prædicat, quod significat: ergo qualiter significat, taliter prædicat. Modò iste terminus homo significat naturam humanam absque omni participatione, & particulari ratione: ergo sic prædicabit eam; non tamen prædicat sic eam vniversaliter,*

*quia intellectus hominis secundùm quod homo, alius est à sua universalitate.* Hæc si benè consideres, potiùs militant contra 1. nostram Assertionem, probantque, salvari Universale perfectum in actuali prædicatione: quamquam, vt hoc obiter moneam, D. Thomas hìc, & sæpe aliàs non supponit simplicitatem iudicij, sed loquitur ex suppositione, quòd terminus *homo* non identificetur cum termino *Petrus*. De cætero concedimus, quòd homo, qui prædicatur de Sorte, idem est quod Sortes, non identitate adæquatâ, sed inadęquatâ, qualis datur inter subiectũ & prædicatum, cum dicitur, *Sortes est aliquis homo*: nisi enim prædicatum formaliter vel æquivalenter disiunctivum contineret id, quod est idem cũ Sorte, non posset verè prædicari de Sorte. Et hoc vnum intendit D. Thomas.

24 *Ad 2. dist. Mai.*: prædicatione determinatâ, *conc.*; prædicatione indeterminatâ, *neg. Mai.*, & conceſſ. Minore, *neg. Conſeq.* Probatio, imò & tota obiectio, instatur in prædicatione formaliter disiunctivâ, vt *Petrus est aliquis homo*, atque etiam in iudicio, *Petrus est homo*, quod sit qualitas composita, sicuti de facto est iuxtà plures: in hac enim hypothesi, quam immeritò dixeris impossibilem, omnes naturæ humanæ verè prædicarentur de Petro, vt etiam Adversarij concedunt, nec tamen omnes cum ipso identificarentur. Illa igitur prædicatio, vt constat ex dictis, quoad verificationem æquivalet huic, *Petrus participat naturam humanam*, vel, *est vnus ex hominibus*, quæ vera est, quamvis plus prædicet, quàm quod cum Petro identificatur.

25 *Ad 3. dist. Antec.*: singularizat naturâ humanâ, denominando illâ *subiectũ singulare*, *conc.*; denominando illam *prædicatum singulare*, *neg. Antec.*, & *Conseq.* Considera diversitatem modi tendendi prædicationum istarum, *Petrus est homo*, *Homo est Petrus*: vtraque naturam humanam singularizat mentaliter, quia vtraque secum identificat expressionem *Petrus*: sed prima ex modo tendendi essentialiter habet denominare naturam humanam *subiectum singulare*, & *prædicatum vniversale* (vniversalitate scilicet imperfectâ, vel secundùm quid); secunda verò è converso. Solutio item patet in hac prædicatione, *Petrus est aliquis homo*, in quâ planè infringes quidquid Adversarijs replicare libeat. Forma quidem earum denominationum est actus indivisibilis; sed subiecta, vel obiecta distinguuntur inadæquatè: nam denominatio *subiecti singularis* cadit suprà solam naturam Petri, denominatio autem *prædicati vniversalis* cadit suprà naturas omnium. Sic etiam in physicis eadem vnio materiam & formam singulatim denominat *partes actuales*; easdem verò simul sumptas denominat *totum*, sive *compositum*. Distributio naturæ communis in individua, tribuendo vnicuique quod suum erat, fieri potest, vel determinatè per prædicationes, *Petrus est hic homo*, *Paulus est hic homo*, & alias prædicati singularis; vel indeterminatè per prædicationes, de quibus loquimur.

26 *Ad 4.* retorqueo argumentum: sola apprehensio *Petrus* non est comparativa, vt constat, sed apprehensio comparativa debet reflectere suprà naturam humanam vt iam attactam conceptu *homo*, & proponere convenientiam eius cum Petro cognito vt tali: si ergo Intellectus eam naturam prædicat de Petro,

quam

quàm per apprehensionem comparativam prænovit convenire Petro, prædicat naturam communem, qualis attingitur conceptu *homo*. Itaque Intellectus per apprehensionem *Petrus* præcognoscit quidem naturam humanam vt singularem, ex quo tantùm sequitur, quòd possit tunc elicere hoc iudicium, *Petrus est hic homo*; sed cum simul præhabeat apprehensionem *homo*, & insuper apprehensionem comparativam obiectorum vtriusque conceptus, potest etiam erumpere in prædicationem naturæ communis de Petro vt tali, qualem dicimus illam, *Petrus est homo*; sicut potest erumpere in hanc, *Petrus est aliquis homo*, quamvis in eâ militet pari titulo difficultas obiectionis.

27 *Obiic.* 2.: ergo etiam in iudicio, *Petrus est hic homo*, salvabitur amplitudo obiectiva Universalis. Probatur: quia in eo invenitur expressio *homo*, quæ tenebitur imitari apprehensionem indefinitam, saltem quoad obiectum. Item: ergo hæc definitio, *Animal rationale*, attinget ex parte obiecti cuncta animalia. *Nego* 1. *Conseq.* cum probatione: quia, licèt ob penuriam vocum explicemus verbaliter tendentiam illius iudicij per terminum *homo* coniunctum syncategoremate *hic*; tamen in iudicio ipso mentali non datur expressio *homo*, sed expressio vnius individui vt talis. Idem dicito de simplici apprehensione, *hic homo*. Vel, si mavis, distingue probationem: in eo invenitur expressio *homo*, quæ per se supponat indefinitam apprehensionem *homo*, nega (ideò enim nec Adversarij dicunt, eam esse prædicationem superioris de inferiori, etiam præsuppositivè; nec in eâ militant nostræ sententiæ probationes); quæ non supponat per se talem apprehensionem, transeat; non enim inde sequitur, quòd eam imitari debeat.

28 Secundam Consequentiam omnes concedunt, si definitio sit compacta ex apprehensionibus distinctis. Quodsi supponatur simplex qualitas, adhuc multi concedunt Consequentiam; imò inde probant, Universale salvari, dum prædicatur de inferiori, sicuti salvatur Universale genericum in actu definitivo secum identificante expressionem differentiæ; definitio enim debet constare genere & differentia; genere, inquam, si non simpliciter Universali, saltem æquivalenter quoad amplitudinem obiectivam. Sed, licèt negetur Consequentia, nihil incommodi: quia apprehensio indivisibilis, *Animal rationale*, non per se supponit prævium apprehensionem *animal*, nec in eâ militant aliæ rationes nostræ sententiæ. Generatim advertito, terminum ex se communem non ita restringi per terminum inferiorem dum alter de altero prædicatur, sicut dum ambo coalescunt in vnum terminum complexum. Cum dicitur, *Homo est animal rationale*, concipitur animal restringi ad solo rationalia: at, cùm dicitur, *Animal est rationale*, non ita restringitur, sed manet quid obiectivè superius; aliter non ea foret propositio indirecta. Similiter ergo manebit superius, cùm dicitur, *Rationale est animal*.

29 *Obiic.* 3.: repugnat Petrum identificari à parte rei, nisi cum suâ humanitate determinatâ: ergo & repugnat Petrum identificari mentaliter, nisi cum suâ determinata humanitate. Sed per iudicium, *Petrus est homo*, apparet Petrus mentaliter identificatus cum humanita-

re: ergo cum suâ tantummodò. Sed nonne vides evidentem instantiam in hypothesi, quâ tale iudicium esset composita qualitas? atque etiam de facto in iudicio, *Petrus est aliquis homo?* Itaque *neg. 1. Conseq.*: quia identitas à parte rei nequit esse indeterminata, seu cum extremis indeterminatis; nihil enim existit in rebus, nisi determinatum: at identitas mentaliter sumpta, idest, vt per cognitionem significata, potest vtique à modo tendendi cognitionis denominari extrinsecè indeterminata penès alterum extremum, vel etiam penès vtrumque, vt càm dicitur, *Aliquis homo est aliquod animal.* Sic repugnat individuum vagum à parte rei; nec ideò repugnat per Intellectum.

30 *Obiic. 4.*: Universale esse prædicabile de inferioribus, est esse divisibile in inferiora velut in membra, sive partes; sed quando totum actu dividitur in partes, non retinet amplitudinem, quam præhabuit: ergo &c. *Resp. 1. neg. Mai.*: nam esse prædicabile, est esse affirmabile, seu verificabile; verificari autem, aut affirmari, non est in membra discindi, vt patet in individuo vago, v.g. *aliquod animal*, quod etiam est prædicabile de inferioribus. *Resp. 2. dist. Mai.*: est esse divisibile, divisione oppositâ perfectæ præcisioni & vnitati rationis, *conc.*; divisione oppositâ amplitudini obiectivæ, *neg. Mai.* & similiter distinctâ Minore, *Conseq.* Solutio constat ex dictis hactenùs. Tandem, quod Adversarij dicunt, naturam communem, dum prædicatur de inferiori, contrahi, applicari, determinari, discerni, concedendum est de contractione, applicatione, &c., impediente perfectam abstractionem, vnitatem rationis, & vnivocationem, iuxtà 2. nostram Assertionem; negandum verò de contractione, &c., impediente obiectivam amplitudinem, quæ Universalis est propria, iuxta 2. nostram Assertionem. Summa nostræ sententiæ est: Quoties prædicatum alhàs Universale affirmatur de subiecto inferiori, vel multiplici, vel singulari, non retinet vniversalitatem exactam, atque rotundam, quam præhabuit in apprehensione indefinitâ; retinet tamen modum & amplitudinem vniversalitati æquivalentem in ordine ad regulas Dialecticæ, & vsum Scientiarum. Relege nominatim num. 23. cap. præced.

## CAP. IX.

*Percurruntur breviter, quæ supersunt de Universalibus generatim.*

1 PRo complemento Tractatus quæstiunculas aliquot breviter decidemus. *Quæritur* 1., an potentia materialis externa, v.g. visiva, possit facere Universale? Certum est, experientiâ teste, colorem, vel propter distantiam, vel propter lucis tenuitatem, sæpe videri adeò confusè, & imperfectè, vt nequeat discerni, cuinam sit speciei: quo in eventu Visus quasi præcindit colorem à differentijs, præsertim si in obiecto distante, vel subobscuro, variæ colorum species re ipsâ dentur. Sed nihilominùs negandum est cum communi sententiâ, quòd Visus tunc faciat Universale, imò & quod attingat rationem communem Coloris indefinitè.

2 Probatur: quia Sensus, vt sæpe docent Aristoteles, & D. Thomas, solùm attingit obiectum sensibile

bile sensibiliter, ideſt, prout affectum circumſtantijs individuantibus, nec præſcindere poteſt ab *hic* & *nunc*: ergo ſemper figit intuitum in individuis determinatis, quamvis forſan præſcindat à differentijs ſpecificis: non aliter, ac conceptus, *hoc animal*, quamvis non diſcernat inter rationale, & irrationale, fertur tamen in determinatum individuum, ideòque non facit Univerſale. Quando autem viſio plures colores attingit confuſos, atque permixtos, attingit omnes collectivè per modum cuiuſdam cumuli, vel collectionis; qui modus attingendi non eſt indefinitus, nec aptus ad Univerſale, vt patet in his tendentijs, *exercitus*, *populus*.

3 *Quær.* 2., an Senſus internus, vel potentia Imaginativa, faciat Univerſale? *Reſp.*. Communis doctrina eſt, Imaginativam, licèt poſsit attingere obiectum abſens, illud ſemper attingere in ſingulari. Quare eadem ratio militat in ſenſu interno, & externo: ideòque D. Thomas (a), generaliter docet, quòd *Senſus non cognoſcit, niſi ſingularia*; & quòd *ſecundùm Intellectum poſſumus cognoſcere res in univerſali; quod eſt ſuprà facultatem ſenſus.* Sed, quamvis fortè poſsit Imaginativa præſcindere rationem communem ab omnibus differentijs, non ideò faciet Univerſale logicum, de quo nunc tractamus, nempe quod ſit prædicabile de multis per actus eiuſdem potentiæ; non enim potentia materialis elicere poteſt actus enuntiativos, aut prædicativos.

4 *Quær.* 3., an fiat Univerſale per operationem Intellectus agentis? Intellectus eſt duplex, munere ſaltem & officio, dividiturque in agentem, & poſsibilem, aut paſsibilem. Dicitur Intellectus agens, quatenùs efficit ſpecies impreſſas, ideſt, virtutes quaſdam ſpirituales, quibus deinde ad cognitiones producendas adiuvatur. Dicitur poſsibilis, aut paſsibilis, quatenùs producit, ac recipit cognitiones obiectorum. Unde ſenſus quæſtionis eſt, vtrùm ſpecies impreſſa, virtualiter continens cognitionem præciſivam & indefinitam, faciat Univerſale? Negat communis ſententia Noſtrorum cum Doctoribus Angelico, & Eximio, quibus adhærent Illuſtriſsimus Palanco, & Collegium S. Thom., contra communem ſententiam Thomiſtarum.

5 Reſolutio pendet ex alijs quæſtionibus, quæ non ſunt huius loci, ſed Animaſticæ. Si Intellectus agens producat ſpecies, quæ non ſint repræſentativæ ſingularium vt talium; & aliunde ſi ſpecies ſint repræſentationes formales obiectorum, vt placet multis; exiſtimo, per eas fieri Univerſale quoddam, ſaltem ſpecificum. Cur enim repræſentatio formalis naturæ humanæ v.g. cum præciſione ab omni ſingularitate, nõ eam denominet extrinſecè vnam, & indifferentem ad multa, ſicut præciſiva cognitio? Atque ita ſub eis conditionibus concedit Exim. Doct., Illud tamen Univerſale non erit prædicabile niſi remotè. Quia verò communiter apud Auctores noſtros falsò creditur, quod ſpecies impreſſa (etiáſi fortè ſuo modo præſcindat à ſingularibus) ſit formalis imago, ſeu repreſentatio formalis obiectorum, ſolùmque cenſetur repreſentatio virtualis, & effectiva, quatenus eſt virtus adiuvans ad eliciendam cognitionem; ideò abſolutè negandum eſt, per eam fieri Univerſale, niſi cũ hoc addito alienante, *virtualiter*, ſive *in actu primo*.

(a) 1. p. q. 12. art. 4. C.

6 Ratio est: quia Universale debet esse vnum in esse apparenti, seu repræsentato, vt Peripateticis in confesso est: cum ergo obiectum per speciem impressam nondum habeat esse repræsentatum formaliter, sed solùm virtualiter, & in actu primò, nondum redditur formaliter Universale, donec adveniat cognitio, sive Intellectio, quę est repræsentatio formalis. Atque ita docet apertè D. Thomas: tum Opusc. 56. inquiens, *Universale est vnum in cognitione; ... & quia res per idem est ens & vnum, & è converso, oportet quòd Universale sit Universale per prædictam Unitatem, ita quòd naturæ talis cognitio facit Universale esse in actu Universali, & est quoddam formale in Universali.* Infrà: *Est igitur Universale vnum vnitate cognitionis, .. & propter hoc dicit Aristoteles, quòd est vnum in multis, scilicet cognitum.* Tum q. 7. de Pot. ar. 6. & 9., vbi docet, obiectum harum conceptionum, *Genus*, *Species*, & aliarum significantium Universale, solùm esse *ens intellectum*: quod item repetit sępe aliàs. Urgetur: iuxtà Thomistas Universale constituitur per vnitatem rationis in obiecto fictam; sed species impressa non fingit, nec ens rationis aliter existere potest, quàm in cognitione, cum totum esse illius sit cognosci: ergo &c.

7. Dices 1.: D. Thomas non semel indicat, per operationem Intellectus agentis abstrahi, ac depurari naturam à conditionibus individuantibus. *Resp.* Loquitur D. Thomas de abstractione mediatâ, virtuali, & in actu primo, quatenùs species est medium & virtus ad cognitionem formaliter abstrahentem. Dices 2.: natura animalis, prout est in specie impressâ, non est singularis, nec vlli individuo appropriata: ergo est natura communis, & Universalis. Permisso Antecedenti, *dist. Conseq.*: est natura communis & Universalis, virtualiter & in actu primo, *conc.*; formaliter & in actu secundo, *neg. Conseq.*. Itaque datur status medius, in quo natura nec sit formaliter singularis, nec formaliter vniversalis, nempe status, in quo neutro modo repræsentatur formaliter, sed est velut in viâ & virtute proximâ ad repræsentationem præcisivam & indefinitam. Vid. Doct. Exim. disp. 6. Metaph. sect. 6. num. 6. 7.

8 *Quær.* 4., an Voluntas Universale faciat? Quòd Voluntas affectivè præscindere possit rationem communem à differentijs, amando v.g. virtutem, aut honorem vt sic, & non amando differentias vt tales, extrà dubium est. Quòd verò tunc Voluntas Universale faciat, aliqui negant ex eo quòd amor ille supponat Universale iam factum ab Intellectu: quod autem factum supponitur, nequit iterùm fieri. Verùm hęc ratio nulla est. Tum quia in sententiâ multorum iudicium facit Universale, quamvis illud supponat factum per apprehensionem. Tum quia in omnium sententiâ iudicium denominat cognitum & repræsentatum idem obiectum, quod ab apprehensione cognitum præsupponitur; amor denominat præcisum, quod iam à cognitione præcisum est; & affectus efficax reddit volitum, quod iam à simplici complacentiâ volitum supponitur. Potest ergo iterùm atque iterùm tribui per alias formas denominatio extrinseca, quę iam præsupponitur in obiecto, & consequenter denominatio Universalis. Dicendum igitur, per actum Voluntatis fieri posse Universale quoddam affectivum, quatenùs obiectum re multiplex

plex potest ex parte affectus præscindi à multiplicitate, atque ita constitui extrinsecè vnum vnitate affectivâ. Non tamen illud erit Universale scientificum, quo de loquimur: tum quia non est quid vnum in esse apparenti, seu repræsentato: tum quia non dicit ordinem ad prædicationes, & scientias.

9 *Quær.* 5., an Intellectus Divinus, aut Angelicus, Universale faciat? *Resp.* Intellectus Divinus minimè facit: quia ipsi repugnat cognitio imperfecta, quæ scilicet habeat modum tendendi inadæquatum, confusum, indefinitum, & non comprehensivum omnium formalitatum objecti, qualis ad Universale constituendum necessaria est. Nec obstat, quòd Deus cognoscat Universale à nobis factum: nam etiam cognoscit figmenta nostra, quin ipse fingat. Dum ergo nostras cognoscit præcisiones, simul ab infinitâ suæ mentis perspicaciâ determinatur, vt non præscindat, sed eodem intuitu pervideat quidquid à nobis prætermissum est in obiecto. Intellectus Angelicus poterit facere Universale circà obiecta supernaturalia, quæ tantùm abstractivè cognoscit. At circà naturalia, circà quæ vtitur speciebus proprijs & intuitivis, non potest; nisi forte pro imperio Voluntatis vti valeat inadæquatè tantùm suis speciebus; quod non est huius loci.

10 *Quær.* 6., vtrùm natura, si abstrahatur ab vno tantùm individuo, sit Universalis? Sensus quæstionis non est, vtrùm Universale fieri possit per conceptum, qui ex parte obiecti solam attingat naturam vnius individui, nec vltrà extendatur ad naturas aliorum, saltem possibilium: sic enim incunctanter negandum esset; neque enim natura sic concepta posset fieri conveniens multis, aut prædicabilis de multis. Sensus ergo est, an per speciem acceptam ab vno tantùm individuo, elici possit cognitio faciens Universale, ideò, indefinitè repræsentans naturam omnium in eâ ratione similium? Hoc sensu *resp.* cum distinctione. Si natura abstrahatur ab aliquo prædicato individui, sic tamen, vt contracta maneat per hæcceitatem, non redditur Universalis. Ex.g. video hominem à longè se moventem, in quo nihil præter animalitatem discerno, & protinùs elicio conceptum *hoc animal*, mentem determinatè figendo in obiecto sub aspectum posito: tunc, licèt à rationalitate præscindam, Universale non facio, sed individuum incompletum; quia rationem animalis contraho per determinatam hæcceitatem.

11 Si verò in casu posito eliciam nudum conceptum *animal*, nihil exprimentem de circumstantijs talis individui, tunc Universale constituo, etiamsi vtar specie ab vno tantùm individuo immissâ. Probatur: quia ille conceptus in repræsentando est omninò similis ijs cognitionibus, quibus aliàs fieri solet Universale, nec vi illius apparet obiectum vt multiplex, vel vt vnum realiter, nec aliud de eo prout sic concepto dici potest, quam esse *vivens sensibile*, quæ est definitio conveniens vniformiter omnibus animalibus. Talis ergo conceptus attingit rationem obiectivam omnibus individuis communem cum præcisione ab omni differentiâ, & multitudine; quod est facere Universale. Dices: conceptus ille patitur ab specie vnius tantùm individui: ergo non attingit ex parte obiecti omnia individua, prout requiritur ad Universale. *Dist. Antec.*: ab spe-

ſpecie remiſsâ, & tenui, præſtitâque per operationem, in quâ illud individuum aſsimilatur cæteris, nimirùm per ſenſationem, & inſuper applicatâ ad inadæquatè operandum, *conc.*; ab ſpecie, quæ ſit alius indolis, vel quæ aliter applicetur, *neg. Antec.*; & *Conſeq.*. Vide ſuprà cap. 5. num. 13. Certè nemo negat, quòd natura Solis, aut Mundi, fieri poſsit Univerſalis: & tamen ex eius naturæ individuis non niſi vnius ſpeciem habemus.

12 *Quær.* 7., an, & quatenùs Univerſalia ſint æterna, immutabilia, ingenerabilia, incorporea, realia, & ſubſtantialia? *Reſp.* particulatim. Univerſalia dicuntur æterna, immutabilia, ingenerabilia: tum in verificando propoſitiones ſcientificas, vt explicatum eſt ſuprà cap. 2. num. 4.: tum in ſenſu præciſivo, quatenùs obiectum vniverſaliter conceptum præſcinditur, ſaltem vt plurimùm, à circumſtantijs temporis, & loci, & ab ſtatu exiſtentiæ, generationis, aut corruptionis. Unde D. Thomas 1. p. q. 16. art. 7. ad 2., *Univerſale*, inquit, *dicitur eſſe vbique & ſemper, in quantum Univerſalia abſtribuuntur ab hic & nunc: ſed ex hoc non ſequitur ea eſſe æterna, niſi in Intellectu, ſiquis ſit æternus.* Dixi, *ſaltem vt plurimùm*: quia poteſt aliquando fieri Univerſale quoddam reſtrictum ad locum, vel tempus aliquod, vt per hos conceptus, *Homo exiſtens in platea*, *Homo durans hodiè*, qui proponunt indefinitè rationem obiectivam verificabilem de multis.

13 Deinde Univerſalia ſecundùm formam ſunt incorporea; quia forma, nempe cognitio, ſpiritualis eſt. Sunt etiam ſecundùm formam entia realia, prout reale opponitur ficto; non tamen prout ens reale eſt idem, ac ens naturæ, exiſtens extrà animam, ſive independenter ab Intellectu; potiùs enim, prout huic enti reali contrapoſita, dicuntur, & ſunt entia rationis, nimirùm ſubiectiva, vel denominativa. Sunt item ſecundùm formam, non ſubſtantialia, ſed accidentalia, cum eorum forma, quæ eſt cognitio, ſit accidens, non quidem intrinſecum ſubiecto, vel obiecto, quod denominat Univerſale, ſed extrinſecum obiecto, & intrinſecum animæ, in quâ recipitur. Hæc omnia manifeſtè docet D. Thomas Opuſc. 55. & 56., cuius aliqua teſtimonia in ſpecimen habes in Procemialib. diſp. 2. cap. 4. §. 4. Sed, ſi Univerſalia ſpectentur ſecundùm ſubiectum, vel ſubſtratum, ſeu rem denominatam, erunt corporea, vel incorporea, ſubſtantialia, vel accidentalia, realia, vel ficta, prout fuerint individua, à quibus abſtrahitur ratio communis: poteſt enim abſtrahi ratio lapidis, vel Angeli, vel coloris, vel etiam chymeræ.

14 Notandum hìc ex D. Thoma cit. Opuſc. 56., quòd Univerſale, prout eſt concretum ex obiecto & forma extrinſecus denominante, nec eſt vnum per ſe, ſive in ſubſtantiâ, nec eſt propriè vnum per accidens, ſed ſibi vendicat ſpecialem claſſem vnitatis. Ideò, cum dixiſſet Angelicus, quòd ſecunda intentio, quæ forma eſt Univerſalis, non recipitur in re denominatâ, ſed in animâ, ſubdit: *Ex hoc patet, quomodò Univerſale eſt vnum, & quomodò non eſt vnum. Non enim eſt vnum in ſubſtantia, cum aggreget in ſe accidens, ſcilicet intentionem ſecundam, & rem extrà animam, quæ quandoque eſt accidens, vt albedo, quandoque ſubſtan-*

*tantia, vt homo : nec est vnum per accidens, sive accidentaliter, cum accidens sit in subiecto. Est igitur Vniversale vnum vnitate cognitionis, ita quòd de ratione Vniversalis non requiritur nisi illa vnitas rationalis.*

15 Ex dictis inferes, quasnam habeat causas Universale. Nam causa efficiens est Intellectus creatus : causa formalis, est cognitio indefinita præscindens ex parte actus ab omni multitudine, differentiâ, & vsitate numericâ obiecti realiter multiplicis : causa materialis, est obiectum, quod ita præscinditur: causa finalis dici potest assecutio scientiarum.

16 *Quær. tandem*, quo sensu intelligendæ sint quædam proprietates, quas Philosophus tribuit Universali prout contrapositio singularibus. *Resp.* Universale præ singularibus dicitur 1. *scibile*, & *intelligibile*. Scibile; quia Scientiæ communiter non curant de singularibus sub ratione talium, sed sua obiecta in vniversali considerant. Intelligibile; quia Universale non percipitur sensibus, vt singulare, sed proprium est obiectum Intellectus. Dicitur 2. *principium singularium*, non quidem effectivum, sed intrinsecum & constitutivum ratione nostrâ; constituitur enim singulare ex prædicatis communibus, & hæcceitate, velut formâ quâdam.

17 Dicitur 3. *prius singularibus*, tum prioritate, quam vocant *in subsistendi consequentia*, quatenùs ex prædicato singulari sequitur vniversale, & non vice versâ; valet enim, *Est Petrus, ergo est homo*, non è converso. Tum prioritate quâdam naturæ, quatenùs Universalia simpliciora sunt quoad expressionem, quàm singularia, suntque velut constitutiva ipsorum, vt modò diximus. Unde & Universalia priora dicuntur ordine cognitionis: quod tamen intelligendum, quandò Intellectus in cognoscendo sequitur ordinem compositionis, progreditur que à partibus ad totum, à simplicibus ad composita; si enim sequatur ordinem analyticum, seu resolutionis, potiùs Universale posterioritatem cognitionis habet. Illud autem Aristotelis, *Universale aut nihil est, aut posterius est*, explicari solet in ordine ad existentiam, tum physicam à parte rei, quam Universale non habet nisi ratione singularium, tum intentionalem, quia vt Intellectus Universale faciat, præcedit communiter notitia singularium vt similium. Procedunt hæc de Universali absoluto; nam Universale relativum (prout explicatum est cap. 6. num. 29. ex Doctore Exim.) est simul cognitione cum singularibus vt subijcibilibus.

18 Dicitur 4. *perfectius singularibus*; quod intellige de perfectione extensivâ; nam intensivè perfectiora sunt singularia. Denique dicitur proprium esse Universalis habere plura inferiora, saltem possibilia, quibus comparari possit comparatione tum simplici, tum compositâ, tamquam illis verè conveniens. Hæc & alia magis clarescent Tractatu sequenti. Iam enim de Universalibus generatim acceptis dicta sufficiunt.

TRAC-

# TRACTATUS TERTIUS.

## *De Universalibus singillatim, seu de quinque Prædicabilibus.*

HUIUS Tractatus auctor, vel concinnator fuit Malchus, cognomento Porphyrius, natione Phœnix, vel, vt alij censent, natione Judæus, Bathaneæ natus, qui sub Aureliano, & Diocletiano, ac deinde sub Constantino Imperatore vixit. Platonicæ Philosophiæ sectator, primùm quidem Christianus fuit; sed deinde magicis artibus deditus, Christianæ Religionis impius desertor extitit, & oppugnator. Doctrinam tamen in hoc Opere tradidit innoxiam, & vtilem, vtpotè non tam suam, quàm ex Platonis & Aristotelis fontibus hauſtam. Opus hoc inscripsit *Isagogem*, ideſt, Introductionem ad Prædicamenta, seu Cathegorias Aristotelis: in eoque tractat de quinque vocibus, seu de quinque Prædicabilibus, quæ significantur his vocibus, *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, & *accidens*: & hæc eadem sunt Universalia in particulari, quæ nunc explicare singulatim aggredimur, & in quæ velut in specifica membra dividitur Universale in communi.

## DISPUT. I.

### *De Genere, & Specie.*

#### CAP. I.

*Definitur Genus, & dubiola quædam resolvuntur.*

1 GEnus logicè, seu philosophicè vsurpatum, ne grammaticis acceptionibus immoremur, ex Porphyrio, & Aristotele definitur, *Prædicabile de pluribus specie differētibus in eo quod quid.* Illa verba, *Prædicabile de pluribus*, explicant conveniētiam Generis cum cæteris Prædicabilibus, quæ omnia sunt apta prædicari de multis. Reliqua verba discrimen exhibent huius Prædicabilis à cæteris. Primùm enim differt Genus ab Specie, quia hæc prædicatur de pluribus solo numero distinctis; Genus verò de pluribus specie diversis. Dicuntur species diversa, quæ notabiliter dissimilia sunt in essentia, ideòque diversas habent definitiones essentiales, vt homo, equus, leo, & canis; dicuntur autem solo distincta nu-

numero, quæ vsque adeò similia sunt in essentiâ, vt solùm discernantur quia numerum, seu multitudinem faciunt, vt hic homo, & ille homo. Differt consequenter Genus ab Specie, quia Genus prædicatur incompletè, sive vt pars essentiæ metaphysicæ, animal v.g. prædicatur de homine, non vt explicans totam essentiam hominis, sed aliquid eius: at Species prædicatur completè, sive vt tota essentia individui; cum enim dicitur *Petrus est homo*, prædicatur formaliter quidquid est Petrus, præter hæcceitatem, quæ non pertinet ad essentiam metaphysicam, vt alibi explicuimus (a).

2 Deinde differt Genus à Differentiâ, quia hæc prædicatur, non *in eo quod quid*, sed *in quale quid*. Postremò differt à Proprio, & Accidenti, quia duo hæc prædicantur in *quale simpliciter*. Ea prædicantur in *quid*, quæ sunt prædicata essentialia & quidditativa subiecti; per illa quippe respondemus interroganti, Quid est res? Ex ijs alia prædicantur in *eo quòd quid*, ideſt, purè in *quid*; alia in *quale quid*. Quæ significantur instar *per se stantis*, sive terminis substantivis, vt *animal*, *homo*, prædicantur purè in *quid*: quæ verò significantur per modum *adiacentis*, sive terminis adiectivis, prædicantur in *quale*. Quodsi prædicata, quæ adiectivè significantur, sint essentialia, tunc pertinent ad *quid*, & *quale*, & prædicantur in *quale quid*; cuiusmodi sunt *rationale*, *sensibile*, & alia, quæ nomine Differentiæ veniunt. Si verò, quæ significantur adiectivè, sint accidentalia, sive extrà essentiam, tunc prædicantur in *quale simpliciter*; cuiusmodi sunt, *risibile*, *calidum*, *album*, & ea omnia, quæ sub Proprio, & Accidenti continentur.

3 Eumdem sensum habet definitio Generis à Recentioribus probata, videlicet, *Prædicabile de pluribus specie differentibus tamquam pars materialis essentiæ ipsorum metaphysicæ*. Porrò Genus dicitur *pars materialis*, Differentia verò *pars formalis*, per analogiam cum materiâ & formâ physicis. Vt enim materia prima *per se stat* (ideſt, non stat in alio subiecto), & est indifferens ad composita specie diversa, per formasque supervenientes determinatur ad vnam speciem compositi præ aliâ: sic in lineâ metaphysicâ Genus concipitur quasi *per se stans*, & est indifferens ad varias species, donec per superadditas Differentias ad certam aliquam contrahatur. Quare vulgatum illud, *Genus à materia, Differentia sumitur à forma*, non sic intelligas, quasi Genus, *animal* v.g., solam significet materiam primam, & Differentia, v.g. *rationale*, solam formam, nempe animam hominis (vtrumque enim significat ex parte obiecti totum compositum physicum); sed intellige per analogiam, sive imitationem. Vide D. Thomam (b).

4 Sed *obijc.* 1.: Genus definiri non potest. *Prob.* 1.: quia, cum definitio constare debeat genere & differentiâ, Genus definiretur per genus, proindeque definitum ingrederetur definitionem sui, contrà leges benè definiendi. Daretur item genus Generis, quod repugnat, sicut actio actionis. *Prob.* 2.: quia sequerètur, Genus constare genere & differe-

(a) *Tract. 2. disput. 1. cap. 3. num. 18. & 22.*
(b) *In 5. Metaph. lect. 7. litt. e., & in 7. Metaph. lect. 9. litt. a.*

ferentiâ, proindeque iam non esse Genus, sed Speciem. Ideò D. Thomas 5. Metaph. lect. 4. litt. b., loquens de Generibus, ait: *Non est ratio eorum & definitio, quam oporteat componi ex genere & differentia; sed definitiones propriè dantur de speciebus.*

5 *Neg. assumptum.* Ad 1. *prob.*. Genus definitur quidem per genus, videlicet per rationem communem *Prædicabilis de multis*, in quâ genericè convenit cum alijs Prædicabilibus: sed non ideò definitum ingreditur definitionem sui modo prohibito per leges definiendi, scilicèt sub conceptu proprio definiti formalis: hoc enim tantùm ijs legibus prohibetur, ne terminus, sub quo res definienda proponitur, iterùm in definitione ponatur, ne homo v.g. definiatur sic, *Animal, quod est homo.* De cætero, quod vnumquodque definiatur per se ipsum sub diversâ expressione, prorsùs est necessarium; quia definitum & definitio obiectiva sunt idem. Cum ergo data definitio Generis non contineat hanc expressionem *genus*, quæ est definitum formale, non violat ritum definiendi. Et instatur obiectio in definitione Definitionis, atque etiam in definitione Nominis, nempe *Vox significativa* &c., vbi nomen ponitur in definitione sui, quia Tò *Vox* est nomen. Dari genus Generis, nihil est aliud, quàm Genus posse convenire cum alijs Prædicabilibus in aliquâ ratione communi: quâ in re nullum est absurdum ex ijs, quibus in Physicâ rejicitur actio actionis.

6 *Ad* 2.. Quòd Genus constituatur ex alio simpliciori genere, & differentiâ, solùm probat, simul esse posse Speciem subalternam, & subijcibilem; quod nullo ex capite repugnat. Sic genus *animal* constituitur ex genere *viventis*, & differentiâ *sensibile*; & rursùs genus *Viventis* ex genere *corpus*, & differentiâ *animarum*. Nec contrarius est D. Thomas, qui loc. cit. subdit: *Si aliquod genus definitur, non definitur in quantum est genus, sed in quantum est species.* Idest, dum genus aliquod definitur definitione propriè tali (quæ scilicet strictis genere & differentiâ constet), non id habet ex eo præcisè, quòd sit genus (nam genus suprenum strictè definiri non potest, cum tamen verè sit genus), sed ex eo, quòd simul sit species subijcibilis. Adde quod D. Thomas loquitur de definitione directâ generis primò intentionaliter accepti; nunc verò loquimur de definitione reflexâ, quæ Genus explicat secundò intentionaliter sumptum. Solutio data sufficit pro meritis obiectionis. Quod autem replicari potest molestè satis, dicetur disput. seq., vbi de convenientiâ quinque Prædicabilium in ratione communi Prædicabilis.

7 *Obijc.* 2.: Genus est pars essentiæ specificæ; sed pars nequit absolutè prædicari de toto: ergo Genus non est absolutè prædicabile de Specie. *Resp.*. Pars physica non prædicatur absolutè de toto; ideòque falsò dicitur, *Homo est anima*, nisi cum addito *inadæquatè*. Cæterùm pars metaphysica de toto prædicari valet absolutè, tum propter identitatem realem adæquatam, tum quia ex parte obiecti attingitur sub conceptu partis quidquid est in toto. Vide locum D. Thomæ suprà citatum (c).

8 *Obijc.* 3.: data definitio non complectitur Genera suprenum, & subalternum: ergo est dimi-

(c) *Tract. 2. disp. 2. cap. 4. num. 8.*

minuta. *Prob. Antec.* 2 quia Genus ſupremum, atque etiam ſubalternum, eſt prædicabile de pluribus genere differentibus; quæ prædicabilitas in definitione datâ non explicatur. Accedit, quòd Genus etiam eſt prædicabile de pluribus numero diſtinctis; cuius prædicabilitatis non meminit definitio. Pro ſolutione ſcito, Genus aliud eſſe ſupremum, aliud ſubalternum, aliud infimum. Supremum eſt, quòd ſuprà ſe non aliud genus habet, vt *Subſtantia vt ſic*, vel potiùs *Ens*, ſi forte ratio Entis poſsit eſſe genus, vt plures volunt. Subalternum eſt, quod & ſub ſe, & ſuprà ſe habet alia genera, vt *Vivens*, quod ſub ſe continet genus *animal*, & ſuprà ſe habet genera *corpus*, & *ſubſtantia*. Infimum eſt, quod infra ſe ſolas habet ſpecies, vt *avis*, aut *piſcis*. Scito inſuper, Genera infima, & ſubalterna, vocari & eſſe Species ſubalternas ſubijcibiles relatu ad genera ſuperiora: v.g. *animal* eſt quidem genus reſpectu hominis, equi, leonis, &c.: at eſt ſpecies ſubalterna ſubijcibilis relatu ad genus *vivens*, cui ſubijcitur velut quædam integra eſſentia metaphyſica, conſtituta ex genere *vivens*, & differentia *ſenſibile*.

9 Jam ad *obiect. neg. Antec.* Ad *prob.*: Genera ſupremum & ſubalternum, ita prædicantur de differentibus genere, vt hoc genus verè ſit ſpecies ſubijcibilis, nec relatu ad genera ſuperiora conſideretur vt genus, ſed vt ſpecies: quare illa prædicatio, ſeu prædicabilitas, ſatis comprehenditur & explicatur nomine prædicabilitatis de differentibus ſpecie. Prædicabilitas autem de pluribus numero diſtinctis, vel eſt communis, & tranſcendens omnia Prædicabilia, ideòque non debuit peculiariter exprimi circà Genus; vel imbibitur in prædicabilitate de differentibus ſpecie; quidquid enim de ſpecie prædicatur, eo ipſo prædicari valet de individuis eius. Dices: adhuc diverſa manet prædicabilitas Generum ſupremi & infimi, cum alterum prædicetur de differentibus ſpecie ſubalternâ, alterum de differentibus ſpecie infimâ. *Reſp.* Diverſitas iſta purè materialis eſt in conſideratione Logicæ, quatenùs diſcernentis & examinantis modum prædicandi. Sive enim inferiora differant ſpecie ſubalternâ, ſive infimâ tantùm, modùs prædicandi ex parte Generis idem eſt; ſemper enim prædicatur vt pars materialis eſſentiæ ſpecificæ ſubiectorum.

10 Dices iterùm: ideò Species eſt Prædicabile logicè diverſum à Genere, quia reſpicit inferiora diverſimodè differentia, nimirùm ſolo numero diſtincta, cum Genus reſpiciat inferiora ſpecie differentia: ſed etiam Genera ſupremum, & infimum, reſpiciunt inferiora diverſimodè differentia, nempe alterum differentia genere, alterum differentia ſpecie: ſunt ergo Prædicabilia logicè diverſa. *Reſp.* Quod Species ſit Prædicabile logicè diverſum à Genere, non provenit ex eo præcisè, quod inferiora diverſimodè differant vtcumque, ſed ex eo quod eorum diverſitas inducat diverſum prædicandi modum ex parte rationis communis: dum enim inferiora ſolo numero differunt, ratio quidditativa communis prædicatur completè, ſive vt tota eſſentia, vel certè non vt pars materialis: dum verò differunt ſpecie, ratio communis non prædicatur niſi incompletè, ſive vt materialis pars eſſentiæ metaphyſicæ. Non ita contingit inferioribus Generum ſupremi & infimi; eorum

quippe

quippe diversitas invariatum reliquit prædicationis modum ex parte rationis communis, vt nuper advertimus: quare non sufficit ad Prædicabilia logicè diversa.

11 *Obijc.* 4.: Ens vt sic non est genus; & tamen prædicatur *in quid* de pluribus specie differentibus. *Resp.* Ens iuxtà plures est genus supremum: iuxtà alios ideò non est genus, vel quia non est vnivocum, sed analogum, atque adeò non habet vnitatē Universalis propriam, quàm supponit definitio Generis, & cuiuslibet Prædicabilis; vel quia transcendit formaliter differentias, ac proinde non prædicatur vt pars metaphysica, cum ipsi non correspondeat alia compars mutuò distincta. Dices: nec Genus prædicatur vt pars metaphysica materialis: tum quia, dum actu prædicatur animal de homine v.g., non præscinditur, nec ratione distinguitur ab homine, nec à rationali: tum quia prædicatione contrahitur, ac determinatur ad speciem humanam, atque adeò non manet indifferens ad alias species, prout manere debet pars materialis.

12 *Resp.* In sententiâ negante, Universale in actuali prædicatione salvari, sicut de specie non prædicatur genus, quod tale sit actu & formaliter, sed quod tale sit, aut fuerit præsuppositivè per apprehensionem præviam indefinitam; ita non alio sensu prædicatur vt pars metaphysica materialis. In sententiâ oppositâ, manet vtique animal formaliter distinctum à rationali, adeòque indifferens ad alias species. In sententiâ mediâ, quam tenuimus tract. præced., animal actualiter prædicatum de homine, manet pars metaphysica materialis, non formaliter, aut simpliciter, sed virtualiter, & æquivalenter. Hæc intellige, suppositâ simplicitate iudicij: nam eâ negatâ, falsum est quidquid obiectio asserit.

13 *Obijc.* 5.: Color vt sic prædicatur *in eo quod quid* de coloribus specie differentibus: & tamen non est genus, sed accidens, quod pertinet ad quintum Prædicabile. *Resp.* Color vt sic, est quidem accidens respectu subiecti, quod accidentaliter afficit, v.g. respectu ligni, lapidis, &c.: at, si comparetur ad varias colorum species, vt sunt albedo, nigredo, &c., non est accidens, sed genus primum Prædicabile.

*Dubiola quædam circà Genus.*

14 *Dubit.* 1., vtrùm Genus requirat essentialiter plures Species possibiles? an vnâ dumtaxat contentum sit? *Resp.* Requirit essentialiter plures, quidquid reclament aliqui Thomistæ. *Prob.* 1. ex Aristotele 4. topic. cap. 3. dicente: *Quoniam autem omnis Generis plures Species, inspiciendum si non contingit alteram Speciem esse dicti Generis: nisi si non est, manifestum quoniam non erit Genus omninò quod dictum est.* Consonat D. Thomas in 1. Poster. lect. 12. lit. b. inquiens: *Non est possibile invenire aliquod Genus, cuius vna tantùm sit Species.*

15 *Prob.* 2.: quia Genus communiter definitur *Prædicabile* (idest, verè affirmabile) *de pluribus specie differentibus*: ergo de essentiâ Generis est capacitas, vt verè dicatur conveniens pluribus Speciebus, non minùs, quàm vt verè dicatur conveniens alicui saltem Speciei; non enim potiùs definitur per ordinem

ad

ad vnam, quàm per ordinem ad plures. Sed capacitas prædicati realis (quale modò supponimus Genus pro subſtrato), vt verè dicatur conveniens pluribus ſpeciebus, earum poſsibilitatem eſſentialiter exigit; aliàs dici poſſet verè conveniens ſpeciebus chymericis: ergo &c. Accedit, quòd Genus iuxtà omnes debet eſſe prædicabile vt pars materialis, ideſt, indifferens, contrahibilis, & determinabilis per differentiam ſpecificam: ſi autem reliquæ Species repugnarent, nulla Generis maneret indifferentia, vel contrahibilitas.

16 *Obijc.*: etiamſi omnes animalium ſpecies præter humanam repugnarét, adhuc animal foret genus. *Prob.*: quia homo tunc eamdem haberet eſſentiam, quam nunc habet, atque adeò conſtitutam ex genere *animal*, & differentiâ *rationale*. *Confirm.*: quia ſi tunc animal non foret genus, homo aliter definiendus eſſet in eâ hypotheſi, ſcilicet per aliud genus: ergo diverſam eſſentiam haberet; nam diverſa definitio diverſam arguit eſſentiam. Varias huius argumenti ſolutiones adducit, & latè impugnat P. Lynce lib. 9. Dial. tract. 2. cap. 2. Breviter dico, animal in dicta hypotheſi non fore genus; quia non foret pars materialis & indifferens ad alias ſpecies. Eſſet quidem animal hominis idem, quod modò, intrinſecè & phyſicè (amentâ ſcilicet perfectione primariâ *principij ſentiendi*, quæ ſaltem per locum intrinſecum non deficeret); at non eſſet idem logicè & extrinſecè; quia non haberet eas denominationes extrinſecas, quas nunc in ipſo conſiderat Logica, nempe denominationes *partis materialis, ſuperioris, & indifferentis* ad plures ſpecies: has quippe denominationes animal hominis modò ſuſcipit extrinſecè ab actu, quo indefinitè confunditur cum alijs ſpeciebus; qui actus eſſet tunc impoſsibilis.

17 Homo item haberet tunc eſſentiam eamdem phyſicè, non tamen eamdem metaphyſicè, & logicè: quia eſſentia metaphyſica involvit denominationes extrinſecas ab actibus rationis, qui tunc variarentur ex variatione obiecti. Homo itaque diverſimodè definiendus eſſet, ſic nimirùm *Vivens ſenſibile rationale*, ita vt differentia ſpecifica adæquata conſtitueretur ex ſenſibili & rationali. Nec inde ſequitur, hominem habiturum eſſentiam diverſam phyſicè; ſed tantùm diverſam metaphyſicè, logicè, & extrinſecè. Si quæras, quodnam Prædicabile tunc eſſet *animal*, prout ſic expreſſum ſubſtantivè? *Reſp.* Foret Prædicabile diverſum ab ijs, quæ modò novimus: non enim foret Genus, quia non eſſet pars materialis: non Species, quia non prædicaretur completè: non Differentia, quia includeret genus *Vivens*, & non prædicaretur in *quale quid*: non Proprium, aut Accidens, quia prædicaretur in *quid*. Foret ergo Prædicabile diverſum ab ijs omnibus; cuius nomen tu finge pro libitu. Quod autem in hypotheſi impoſsibili creſceret numerus Prædicabilium, quid refert? Poſſet tamen quodammodò reduci ad Speciem, cui proximè accederet, niſi quòd differentiam partialem omitteret.

18 *Replic.*: poſsibilis eſt materia prima non indifferens ad plures formarum ſpecies, vt multi putant de materiâ cœleſti: ergo pariter cenſendum de Genere, vtpotè quod materiam imitatur. *Neg. Conſeq.*: quia

Genus non imitatur materiam omnem, aut in omnibus, sed præcisè materiam de facto notam in sublunaribus, vnicè, vel præcipuè secundùm indifferentiam ad plures formarum species: neque enim Genus alio sensu dicitur *pars materialis*, nisi quatenùs concipitur instar subiecti contrahibilis, ac determinabilis per varias differentias.

19 *Dubit.* 2., vtrùm Genus de Specie prædicetur vt totum? an vt pars? Totum, aliud est *actuale*, quod scilicet actu continet partes; aliud *potentiale*, quo nomine venit ratio quævis abstracta, contrahibilis, ac divisibilis per alias rationes inferiores, quas formaliter non includit, sed tamen de illis prædicari potest, ideòque ipsæ dicuntur partes *subiectivæ*, seu *potestativæ*. Dico 1.: Genus de Specie prædicatur vt totum, quatenùs significatur in concreto, & importat ex parte obiecti quidquid est in Specie. Hoc sensu docet D. Thomas *cap.* 3. & 4. *de Ent. & Essent.*, quodvis Vniversale prædicari de inferioribus, non vt partem, sed vt totum: & eodem sensu dici potest prædicari vt totum actuale, siquidem ex parte obiecti actu includit Species.

20 Sed quia Logica præcipuè considerat Genus penès id, quod habet ex parte actus, dico 2.: Genus prædicatur de Specie vt totum potentiale vel formaliter, vel æquivalenter: formaliter quidem, si iudicium sit qualitas composita; quia tunc animal in hac prædicatione, *Homo est animal*, manet simpliciter Vniversale, adeòque indifferens ad alias Species, in quâ indifferentiâ & extensione stat ratio totius potentialis: æquivalenter verò, si iudicium sit simplex qualitas; quia tunc in actuali prædicatione retinet animal amplitudinem Vniversali æquivalentem.

21 Dico 3.: Genus non supremum prædicatur etiam vt totum actuale, non respectu inferiorum, sed respectu differentiæ sibi æqualis, & alius generis superioris. Patet in animali v.g., quod de homine prædicatur vt actu includens differentiam *sensibile*, & genus *vivens*, respectu cuius est species subalterna. Dico 4: Genus etiam ex parte actus prædicatur de Specie vt pars, ideſt, vt non exprimens formaliter totam essentiam Speciei: prædicatur, inquam, vt pars materialis indifferens ad alias species vel formaliter, vel æquivalenter, iuxtà modò dicta de toto potentiali. Nec repugnat animal de homine prædicari simul vt partem, & vt totum potentiale; quia sumuntur hæ denominationes ex diverso capite, denominatio *totius*, ex amplitudine, vel extensione; denominatio *partis*, ex intensione, seu perfectione exhibitâ ex parte actus.

22 *Dubit.* 3., vtrùm Genus prædicetur de individuis tamquam pars materialis, seu more Generis? Individuum, prout à nobis conceptum, aut significatum, aliud est *completum*, quod scilicet continet formaliter totam essentiam specificam, quæ est à parte rei, prout affectam singularitate, vt *Petrus*, *Hic homo*; aliud est *incompletum*, quod tantùm dicit formaliter partem essentiæ realis, ideſt, aliquod essentiale prædicatum, prout affectum hæccitate, vt *Hoc animal*, *Hoc vivens*, *Hæc substantia*. Talia individua concipi à nobis posse cum præcisione à reliquis prædicatis individui completi, monstrat experientia, maximè dum hominem à longè cernimus. His positis,

tis, dico 1.: de individuis completis prædicatur Genus incompletè, & vt pars materialis. *Prob.*: quia in hac prædicatione, *Petrus est animal*, non prædicatur formaliter tota essentia Petri; hæc enim non solùm est animal, sed animal rationale: ergo prædicatur pars essentiæ; non pars formalis, vt patet: ergo materialis.

23 Dices: Genus vt tale, solùm dicit relationem ad Species. *Resp.* Genus relationem dicit *immediatè* ad Species tantùm; *mediatè* verò, etiam ad individua, quippe quæ verè continent essentiam specificam. Dices iterùm: vbi termini relationis sunt diversi, relatio est diversa; sed Species, & individua sunt termini diversi: ergo relatio Generis ad vtrosque nequit eadem esse. *Resp.* Transeat, quòd in Genere considerari possit quasi duplex diversa relatio, altera ad Species, altera ad individua. Sed vnde probas, quòd vtraque non sit propria Generis vt talis? cum altera sequatur ex alterâ, & quæ respicit individua, subnascatur ex eâ, quæ respicit Species? Adde quod terminorum diversitas de materiali se habet, quando omnes respiciuntur eodem, aut simili prædicabilitatis modo, qui proprius est Generis vt talis: atque ita evenit in præsenti: nam Genus respicit tam individua, quàm Species, vt Prædicabile more partis materialis metaphysicæ.

24 Dico 2.: Genus prædicatur de individuis incompletis, non vt Genus, sed vt Species. *Prob.*: quia in hac prædicatione, *Hoc animal est animal*, prædicatur animal in *quid* completè, & vtrotota essentia subiecti: nam subiectum prout ita expressum, *Hoc animal*, non est formaliter rationale, nec irrationale, sed ab vtroque præscindit, cum ex vi, & energiâ illius expressionis neutrum appareat, aut definiendo apparere possit. Eius igitur essentia metaphysica præcisè est animal; ergo, cum de ipso prædicatur animal, tota ipsius essentia prædicatur; non aliter, ac cùm dicitur, *Hic homo est homo*. Hic autem modus prædicandi proprius est, non Generis, sed Speciei.

25 Dices: hoc animal, & illud animal, si contingat esse Petrum, & Bucephalum, specie differunt: ergo animal de illis prædicari debet vt Genus. *Resp.* Differunt quidem specie à parte rei, & prout exprimuntur conceptibus completis, *Petrus*, *Bucephalus*, per quos sunt individua completa. Cæterùm, prout expressa conceptibus incompletis (quâ ratione fiunt individua incompleta), solo numero distinguuntur logicè & formaliter: non enim maior apparet diversitas inter hoc animal, & illud animal, prout ita concepta, quàm inter hunc hominem, & illum hominem. Dices insuper: ergo, cùm dicitur, *Hæc substantia est substantia*, prædicabitur substantia tamquàm Species. Id autem impossibile est: nam substantia, cum sit Genus supremum, nequit subijci superiori Generi: subijceretur autem, si foret Species. *Resp.* Negatur hoc vltimum: quia nullâ ratione probabitur, omnem Speciem prædicabilem, etiam incompletam, debere esse Speciem subijcibilem.

26 *Dubit.* 4., an Genus prædicetur immediatè de individuis? *Resp.* Prædicatur immediatè de incompletis. Tum quia respectu illorum non est Genus, sed Species: at Species immediatè prædicatur de

sùis individuis, vt homo de Petro & Paulo. Tum quia inter *hoc animal*, & Genus *animal*, non mediat aliqua ratio specifica: si enim aliqua mediaret, ea formaliter includeretur in individuo incompleto, ex eoque inferretur immediatiùs, quàm ratio animalis. At hoc esse falsum ex eo patet, quòd minimè valet, *Est hoc animal, ergo est homo*; valet autem immediatissimè, *Est hoc animal, ergo est animal*, neque alio medio congruenter vtetur Intellectus, vt tali Consequenti assentiatur.

27 Quòd attinet individua completa, de illis prædicatur Genus mediatè; tum attento ordine arboris Prædicamentalis, in quo mediat Species inter Genus & individuum; tum quatenùs ratio specifica congruenter assumi potest pro medio ad probandum, seu verificandum Genus de individuo, v. g. animal de Petro, sic nimirùm, *Petrus, quia est homo, est animal*, aut sic, *Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*. Hoc duplici sensu prædicatio Generis de individuo completo mediata est. Nil tamen prohibet alio sensu immediatam vocari, v. g. immediatione assensus: potest enim contingere, vt Intellectus immediatè assentiatur huic veritati, *Petrus est animal*, priusquàm expressè iudicet, Petrum esse hominem; quamvis etiam tunc possit congruenter assumi pro medio quòd Petrus sit homo, vt assensus ille firmior evadat; ideòque talis assensus dici solet mediatus fundamentaliter.

28 Dices: hæ sunt prædicationes immediatæ prorsùs, *Petrus est homo, Hic homo est animal rationale*; sed vtrobique prædicatur animal de individuo completo: ergo &c. *Dist. Min.*: prædicatur animal, vt inclusum in conceptu specifico, vel simplici, vt *homo*, vel definitivo, vt *animal rationale*, *conc.*; prædicatur animal seorsim acceptum more Generis, *neg. Min.*, & sub eâdem distinctione *Conseq.*. Non hìc disputatur de prædicato generico prout imbibito in specie, vel coniuncto cum differentiâ specificâ; sed tantùm prout se solo prædicatur vt purum Genus.

## CAP. II.

### *Quodnam sit definitum in definitione Generis?*

1 CErtum est, definitione Generis definiri Genus, sicut definitione hominis definitur homo. Sed, quia nomine *Genus* significatur concretum accidentale, duo dicens constitutiva, nempe naturam, animalis v.g., tamquam subiectum, vel substratum, & secundam intentionem, quæ dicitur *genereitas*, tamquam formam (sive hæc secunda intentio sit ens rationis, sive potiùs actus Intellectus); dubium est, qualiter constitutiva ista definiantur per definitionem Generis? an eorũ alterum dumtaxat? an vtrumque simul? an alterum in recto, alterũ in obliquo? Quæstio cõmunis est omnibus Prædicabilibus, imò & omnibus concretis accidentalibus, vt sunt *album, calidum, sanctum*, &c. Quidam cum P. Rubio tenent, definitione Generis definiri concretum dicens in recto, sive æquè primò & principaliter naturam & secundam intentionem. Thomistæ, & Scotistæ communiter docent, definiri *vt quod*, in recto, & principaliter secundam intentionem connotando na-

naturam, quæ de obliquo importatur. Nostri, quibus consentiunt exteri complures, tuentur, definiri concretum dicens naturam in recto, & secundam intentionem in obliquo.

2 Contentio videtur merè vocalis. Thomistæ, vt videre licet apud Colleg. S. Thomæ, fatentur, naturam, & non secundam intentionem, esse id, pro quo supponit nomen *Genus*, & id, de quo verificatur definitio Generis. Nostri verò, vt liquet ex P. Poinsot, fatentur etiam, secundam intentionem, & non naturam, esse id, quod principaliter & formaliter significatur nomine *Genus*, atque adeò, quod principaliter & formaliter explicatur definitione Generis. Unde totum dissidium in eo esse videtur, quòd Nostri vocant *definitum vt quod & in recto* in concretis accidentalibus, non id, quod formaliter significatur, sed id, de quo verificatur definitio: Thomistæ autem oppositò modo loquuntur. Rectior apparet sententia, seu locutio Nostrorum. Quare asserimus.

## §. I.

*Definitum in definitione Generis, est concretum constitutivè importans naturam in recto, & secundam intentionem in obliquo.*

3 *Prob.*: id est definitum in definitione Generis, de quo verificatur definitio ipsa; sed hæc verificatur de naturâ in recto, & *vt quod*, importatâ secundâ intentione in obliquo: ergo definitum in definitione Generis est quid importans naturam in recto, & intentionem in obliquo. Consequentia legitima est, & Minor certa: quia natura est, vnicum subiectum, de quo verè dicitur esse *Prædicabile de pluribus specie differentibus in eo quod quid*, adeò vt ne partialiter quidem id verificetur de secundâ intentione, vtpotè quæ ne partialiter quidem identificatur cum inferioribus Generis, nec de ipsis affirmari potest in recto, seu sola, seu simul cum naturâ; falsò enim dices, *Homo est secunda intentio Generis*, vel, *Homo est animal & secunda intentio*. Vocamus autem *rectum* & *quod* in concretis, illud subiectum, cui verè tribuimus denominationes concreti proprias.

4 Quia tamen natura in esse capacis verificandi definitionem Generis, constituitur per secundam intentionem (non enim animal v. g. seorsùm à cognitione præcisivâ est Genus, aut Prædicabile); ideò natura, prout verificans definitionem Generis, constitutivè importat secundam intentionem, sed in obliquo, sive *vt quo*: id enim vocamus *obliquum* & *quo* in concretis, cui non conveniunt denominationes concreti propriæ, cum tamen ratione ipsius altera pars denominetur. Unde verè dicitur, *Sola natura est prædicabilis* &c., solitudine excludente secundam intentionem à munere subiecti, quod denominetur *prædicabile*; non tamen solitudine excludente secundam intentionem à munere formæ constituentis ipsum *esse prædicabile*. Tota hæc doctrina patet in concretis, *visum*, *cognitum*, *album*; atque etiam in denominatibus, *iustus*, *filius Dei adoptivus*, *hæres Gloriæ*, quæ non nisi de naturâ rationali verificantur in recto, & *vt quod*, sic tamen, vt Gratia constitutivè importetur in obliquo, & *vt quo*,

5 Maior igitur num. 3. probatur 1.: quia definitum eſt, quod cum definitione convertitur: converſio autem exigit, vt de quocumque verificatur definitio, verificetur eſſe definitum. 2.: quia id, de quo definitio verificatur, eſt id, cui per identitatem convenit eſſentia per definitionem explicata; ſed id, cui ſic convenit talis eſſentia, eſt definitum, ſiquidem definitum eſt id, cuius explicatur eſſentia: ergo &c.. 3.: inductione: nam id, de quo verificatur definitio hominis, eſt homo; & ſic de alijs. Quod his argumentis reponunt Adverſarij, §. ſequenti reijcietur. *Confirm.* 1.: hæ definitiones, *Forma reddens naturam prædicabilem*, *Natura facta prædicabilis de pluribus &c.*, valde diverſæ ſunt, diverſumque prorſus reſpiciunt definitum; ſed prima pro definito reſpicit ſecundam intentionem in recto, connotatâ in obliquo naturâ: ergo ſecunda pro definito reſpicit naturam in recto, importatâ in obliquo ſecundâ intentione.

6 *Confirm.* 2. retorquendo præcipuum ſententiæ contrariæ fundamentum: illud eſt definitum, cuius propria eſt eſſentia, quæ definitione explicatur; ſed eſſentia, quæ definitione Generis explicatur, non eſt propria ſecundæ intentionis, ſed naturæ: ergo &c.. *Prob. Min.*: e ſententia explicata definitione Generis, eſt denominatio *prædicabilis* in concreto, ſeu *eſſe prædicabile de pluribus &c.*; ſed hæc eſſentia non eſt propria ſecundæ intentionis, ſed naturæ. Patet: nam omnis eſſentia eſt propria illius, cui verè convenit, & verè attribuitur; denominatio autem *prædicabilis* in concreto, ſeu *eſſe prædicabile de pluribus*, non convenit ſecundæ intentioni, nec ipſi attribuitur, ſed ſolis naturæ, vt eſt certum. Unde colliges, naturam genericam, v.g. animal vt ſic, habere quaſi triplicem eſſentiam, nempe phyſicam, metaphyſicam, & logicam, quarum merito reſpondet ipſi triplex definitio, pertinens ad triplicem Facultatem. Pertinet enim ad Phyſicam hæc definitio animalis, *Compoſitum conſtans corpore & anima ſenſitiva*; ad Metaphyſicam hæc, *Vivens ſenſibile*; ad Logicam hæc, *Prædicabile de pluribus &c.* Quare, dum dicimus, definitione Generis definiri naturam animalis, non dicimus, eam definiri phyſicè vel metaphyſicè ſumptam, ſed tantùm logicè acceptam, ſeu ſecundùm eſſe logicum.

## §. II.

### *Solvuntur Obiectiones.*

7 *Obijc.* 1.: id eſt definitum in definitione Generis, cuius eſſentiam explicat ea definitio; ſed non explicat eſſentiam naturæ, vg. animalis, ſed potiùs ſecundæ intentionis: ergo &c.. *Prob. Min.* 1.: quia definitio Generis non explicat, quid ſit animal. 2.: quia definitio illa explicat eſſentiam communem omnibus Generibus; naturæ autem, quæ ſubſternuntur genereitati, communem eſſentiam habere nequeunt, cum aliæ ſint ſubſtantiæ, aliæ accidentia, aliæ entia rationis. 3.: quia tali definitione ſola explicatur prædicabilitas: hæc autem non eſt de eſſentiâ animalis, ſed ſolius ſecundæ intentionis, cuius effectus formalis eſt. 4.: quia definitione Generis id explicatur, quod principaliter & formaliter ſignificat nomen *Genus*; ſed hoc nomen principaliter & formaliter

liter significat formam Generis, quæ est secunda intentio, naturam autem significat materialiter & in obliquo: ergo &c. *Prob. Min.*: tum quia nomine abstracto, & concreto accidentali significatur idem formaliter; sed abstracto *genereitas* formaliter significatur forma Generis: ergo & nomine concreto *Genus*. Tum quia commune est nominibus concretorum accidentalium significare formaliter, & principaliter formam, subsstratum autem materialiter.

8 *Resp.* Ad *obiect. neg. Min.* propter dicta num. 6. *Ad 1. prob.*: definitio Generis non explicat, quid sit animal physicè, vel metaphysicè sumptum; explicat tamen, quid sit animal logicè consideratum. Sic, cùm definitur filius Dei adoptivus, explicatur, quid sit creatura rationalis, non secundùm esse physicum, aut metaphysicum, sed secundùm esse theologicum, aut supernaturale, quod per Gratiam habetur. *Ad 2.*: quæcumque naturæ substernuntur genereitati, ideſt, secundæ intentioni, quæ est forma Generis, essentiam habent communem, non physicam, aut metaphysicam, sed logicam: omnes quippe, licèt summè diversæ in esse physico, conveniunt in *esse prædicabilis de pluribus* &c., quod est esse logicum, quodque in ipsis vnicè considerat Logica. Sic, licèt Angelus & homo valdè differant physicè, conveniunt theologicè in *esse iusti, filij Dei, potentis videre Deum per lumen Gloriæ.*

9 *Ad 3.*: definitione Generis explicatur sola prædicabilitas, non in abstracto, & per modum formæ, sed in concreto, & per modum denominationis, aut effectus formalis iam præstiti: non enim explicatur *forma constituens prædicabile*, sed ipsummet *esse prædicabile*. Hoc autem *esse* non est proprium secundæ intentionis, sed *constituere prædicabile*; quemadmodùm non est proprium luminis Gloriæ *esse elevatum ad videndum Deum*, sed *elevare*; nec est proprium Gratiæ *esse amicam*, aut *filiam Dei*, sed *constituere filium*, & *amicum*. Unde *esse prædicabile* est de essentiâ animalis logicè constituti, & considerati; sicut *esse Dei amicum* est de essentiâ hominis vt supernaturaliter constituti, & theologicè inspecti.

10 Sed nonnè, inquis, secunda intentio continet essentialiter denominationem *prædicabilis*? Continet quidem; sed purè *vt quo*, nullatenùs *vt quod*, ideſt, non sibi, sed naturæ, non sibi tribuendam, aut à se suscipiendam (cum secunda intentio sit intrinsecè incapax illius denominationis), sed naturæ necessariò præstandam, & communicandam. Repete exempla Gratiæ, & Luminis. Insistes: non est dubium, quin denominatio, sive effectus formalis, identificetur cum formâ: quomodò ergo non est propria essentia formæ? In primis non identificatur adæquatè: nam effectus formalis, præter formam, constitutivè importat capacitatem subiecti; ideòque, si Gratia, vel cognitio Divinitùs poneretur in lapide, non resultaret inibi formalis effectus *sancti*, vel *cognoscentis*. Deinde, quatenùs inadæquatè identificatus cum essentiâ formæ, non identificatur cum ipsâ vt cum subiecto denominabili, sed vt cum formâ denominante purè *vt quo*, nec sibi ius vllum reservante ad denominationem etiam partialiter suscipiendam. Quapropter ipsamet formæ essentia, quatenùs denominationem in concreto ingrediens,

non est quid proprium formæ : quia denominatio solùm est propria illius, à quo habetur, seu à quo suscipitur.

11 *Ad* 4. Maior vera est : sed in Minore ambigua sunt adverbia, *principaliter*, *formaliter*. Nomen *Genus* significat *principaliter* naturam principalitate attributionis, & verificationis ( soli quippe naturæ tribuitur, de ipsâque vt vnico subiecto verificatur ) ; formam autem significat *principaliter* principalitate claritatis ( clariùs enim in concretis accidentalibus exprimitur forma, quàm subiectum ) : significat etiam *formaliter* formam Generis, naturam verò *materialiter*, si terminis hisce denotetur, alteram significari per modum formæ, alteram per modum subiecti, seu materiæ denominatæ. Sed quid inde ? Duo sequuntur, inquis. 1., quòd secunda intentio est definitum principale principalitate claritatis. 2., quod eadem intentio est definitum formale, natura verò solùm est definitum materiale. Distinguo primum : principalitate claritatis, manifestantis secundam intentionem purè *vt quo*, & vt inclusam in *esse logico* proprio solius naturæ, *conc.* ; principalitate claritatis, aliter manifestantis secundam intentionem, *neg.* Tum distinguo secundum : eadem intentio est definitum formale, significatum purè *vt quo*, & *in obliquo*, *conc.* ; significatum *in recto*, & *vt quod*, *nego*.

12 In concretis substantialibus, vt sunt *homo*, *ignis*, quod est definitum formale, manifestatumque principalius, ideſt, clariùs, simul est definitum *in recto*, & *vt quod* ; quia significatur vt subiectum, cui simul cum materiâ convenit essentia definitæ. Non sic in accidentalibus, vt sunt *album*, *sanctum*, *genus* : in his enim illa pars, quæ formaliter, & clariùs manifestatur, non est definitum *in recto*, & *vt quod*, sed purè *vt quo*, & in *obliquo* ; quia non manifestatur vt id, *quod* habet essentiam definitam, sed vt id, *quo* pars materialis redditur habens. Unde in hisce concretis significari *materialiter*, ideſt, per modum materiæ, vel subiecti, non est significari *in obliquo*, sed potiùs *in recto*, & *vt quod* ; siquidem subiectum semper significatur vt id, cuius est in solidum tota denominatio.

13 Nec obstant probationes Minoris. Nomine abstracto, & concreto accidentali, significatur idem formaliter, ideſt, eadem forma ; sed non eodem modo : quia nomine abstracto significatur forma *in recto*, & *vt quod* ; concreto autem, purè *vt quo*, & *in obliquo* ; ideòque alterum præ altero verificatur de formâ ; verè quippe dicitur, *Secunda intentio est generalitas* ; falsò autem, *Secunda intentio est genus*, aut *est quid prædicabile de pluribus* &c. Nomina concretorum accidentalium significant formaliter formam, materialiter subiectum ; sed non ideò formam in recto, subiectum in obliquo ; sed è converso potiùs, vt nuper vidimus.

14 *Obiic.* 2. : definitum cuiuslibet definitionis, est id, cui per se convenit definitio ; sed *esse prædicabile de pluribus* &c., quæ est definitio Generis, non convenit naturæ per se, sed per aliud, scilicet per secundam intentionem : ergo natura non est definitum in definitione Generis. *Confirm.* : disgregare vitum non convenit parieti per se, sed per accidens, quia convenit ipsi per aliud, vi-

videlicet per albedinem, quæ est tota ratio disgregandi; & eâdem ratione aqua, dum calida est, non calefacit per se, sed per accidens, & per aliud: pariter ergo naturæ animalis per se non convenit esse prædicabilem de pluribus, cum ipsi conveniat per secundam intentionem, quæ est aliud ab animali, & est tota ratio prædicandi.

15 *Resp. dist. Min.*: non convenit per se naturæ, perfectate subjecti immediatè denominati, *neg.*, alio genere perfectatis, *conc.*. Item; convenit naturæ per aliud, tamquam per subjectum immediùs prædicabile, *neg.*; tamquam per formam prædicabilem purè *vt quo*, *conc. Min.*, & *neg. Conseq.*. Sensus distinctionum patebit num. sequenti. Dici præterea potest, quòd *esse prædicabile* convenit naturæ per se, non secundùm esse physicum, sed secundùm esse logicum, quo sensu accepta natura est ipsummet concretum *Genus*, cui certè per se convenit esse prædicabile, sicut concreto *homo sanctus* per se convenit esse amicum Dei. Nec secunda intentio est *aliud* à naturâ logicè constitutâ, nisi alietate partis à toto, sicut anima est aliud ab homine, nempe inadæquatè: natura quippe in esse Generis includit constitutivè de obliquo secundam intentionem.

16 *Ad Confirm.*. In primis non est inconveniens, quod paries in esse concreti accidentalis albedine constituti de obliquo (idem pura de aqua calidâ), dicatur per se disgregare visum, licèt solùm per accidens in esse puræ substantiæ. Deinde, transmisso Antecedenti, *neg. Consq.*. Disparitas in eo est, quòd *disgregare visum*, & *calefacere*, sunt denominationes, aut munera, ad quæ non conducit subjectum immediatè & per se (quamvis enim albedo & calor sine subjecto existerent, eadem illa munera præstarent): quare nec sunt denominationes solius concreti propriæ, nec subjecto conveniunt immediatè, sed medio calore, vel albedine, tamquam subjecto immediatiùs denominabili; per prius enim verificantur de accidenti, ac deinde mediatè de subjecto accidentis. Omnia aliter habent in denominatione *prædicabilis*: nam ad illam conducit subjectum immediatè, & per se (si enim secundam intentionem Generis seorsùm à subjecto spectes, aut eam fingas in solâ hominis naturâ positam, non invenies denominationem *prædicabilis*): est item denominatio solius concreti propria, quæ numquam potest verificari de secundâ intentione vt subjecto denominabili, sed pro subjecto immediatissimo respicit naturam genericam. Idem cernere est in denominationibus, *visum*, *cognitum*, *elevatum ad videndum Deum*, *amicus & filius Dei adoptivus*, & innumeris alijs.

17 *Obj.* 3.: vel substratum definitur secundùm aliquid, quod ex se habet vt distinctum à formâ; vel solùm, vt præcisè substat formæ, & vnicè secundùm effectum formalem ab illâ præstitum. Primum est falsum; quia definitio non explicat, quid sit substratum vt à formâ distinctum. Secundum autem probat, substratum non esse definitum in recto: nam definiri in recto, est definiri per se, & ratione sui: definiri autem præcisè vt substat formæ, & secundùm effectum formalem ab eâ præstitum, est definiri pure ratione formæ, ac proinde nullo modo ratione sui. Resp. Definitur substratum

tum ſecundùm effectum formalem à formâ præſtitum, quin ideò definat eſſe definitum in recto: nam effectus formalis eſt ipſa denominatio Generis in concreto ſumpta, quæ ſubiectum dicit in recto, & formam in obliquo. Definitur etiam præcisè *vt ſubſtat formæ*, ſi ly *vt* reduplicet formam, non vt id, cui convenit definitio, ſed vt id, quo definitio convenit naturæ. Definitur præterea inadæquatè ſecundùm aliquid, quod ex ſe habet vt diſtinctum à formâ: definitur enim ſecundùm effectum formalem, ſeu denominationem Generis; omnis autem effectus formalis conſtituitur, non ſolùm ex formâ, ſed etiam ex capacitate ſubiecti, quæ capacitas eſt quid intrinſecum ſubſtrato vt à formâ diſtincto.

18 Nec obſtant illæ voces, *per ſe*, *ratione ſui*, *ratione formæ*. Subſtratum quippe definitur *purè ratione formæ*, tamquam partis formalis (non enim eſt alia pars formalis in concreto definito); non tamen tamquam totius eſſentiæ definitæ, nec tamquam partis, cui partialiter conveniat *eſſe prædicabile*, ac proinde nec tamquam partis importatæ in recto, & *vt quod*. Definitur ergo ſubſtratum *per ſe* perfectate ſubiecti immediatè denominati: definitur etiam *ratione ſui*, tamquam partis materialis, atque adeò definitur in recto; quia in concretis accidentalibus pars materialis eſt, cui vnicè immediatè convenit illud eſſe concretivum, quod per definitionem explicatur. Unde obiter colligas, quatenùs vera ſit propoſitio obiecta num. 14., nempe *ſecunda intentio eſt tota ratio prædicandi*: eſt etenim tota ratio formalis, ideſt, per modum formæ vltimò determinantis, ac complentis denominationem *prædicabilis*: non tamen eſt tota ratio conſtitutiva illius denominationis.

19 *Obijc.* 4.: aggregatum ex naturâ & ſecundâ intentione, eſt totum per accidens, vtpotè conſtans partibus ad diverſa Prædicamenta ſpectantibus; ſed iuxtà Ariſtotelem & D. Thomam, totum per accidens nequit vnicâ definitione definiri: ergo, cum definitio Generis vnica ſit, definitum eius non eſt aggregatum ex naturâ & intentione, ſed ſola intentio connotans naturam. Obiectio probat, definitionem generis non convenire concreto in eſſe talis, ſed ſoli ſecundæ intentioni in abſtracto; quod eſt planè falſum. Probat item, non poſſe vnicâ definitione definiri vtramque aggregati partem in recto, quod fatemur: ſed nullatenùs probat, definiri potiùs intentionem connotando naturam, quàm naturam connotando intentionem. Itaque Minor vera eſt de vnicâ definitione, quæ verificetur in recto de vtrâque parte totius per accidens: minimè verò de vnicâ definitione, quæ ſolùm verificetur de parte materiali ſecundùm illud eſſe, quod habet à parte formali *vt quo*; ſic enim vnicâ definitione definiter quodvis accidétale cõcretũ.

20 *Obijc.* 5.: definitio Generis, cum ſit actus Logicæ, id principaliter & in recto definit, quod Logica reſpicit principaliter; ſed Logica reſpicit principaliter ſecundam intentionem, cum hæc ſit obiectum Logicæ formale: ergo &c.. Huius argumenti duplicem ſolutionem vide ſuprà tract. 1. diſp. 2. cap. 6. à num. 9. ad 13.: nec modò quidquam addere neceſſe eſt.

21 Ut alia præcaveas, nota ſequentia. 1.: cùm definitur Genus, non

non explicatur, quid sit natura secundùm se; sed quid sit natura per secundam intentionem; nam *esse*, quod tribuit secunda intentio, verè est *esse* habitum à naturâ. Sic, cùm definitur filius Dei adoptivus, explicatur, quid sit homo per Gratiam. 2.: est omne accidens, vtpotè entis ens, suam entitatem in sensu physico non tam habeat sibi, quàm subsantiæ, cui inhæret; tamen in sensu logico, cum definitur accidens in abstracto, & instar per se stantis (vt sub his terminis, *albedo*, *gratia*, *secunda intentio*), non explicatur eius essentia, vt propria subiecti, sed vt sua, idest, non vt à subiecto habita, & possessa, sed vt conveniens ipsimet accidenti, quod proinde est definitum in recto, & *vt quod*. Ratio: quia Logica non tam attendit modum essendi physicum, quàm modum prædicandi & subjiciendi: tunc autem subjicitur & prædicatur accidens modo substantiæ. 3.: quamvis nomen *Genus*, dum loquimur de animali vt sic, significet in recto id, quod cum homine identificatur, sicut nomen *albus*, dùm loquimur de homine albo; non ideò verè dicitur, *Homo est Genus*, sicut verè dicitur, *Homo est albus*. Discrimen petendum est ex diversitate prædicatorum primæ, & secundæ intentionis, quæ diversimodè appellant subiectum. Vide tract. præced. disput. 2. cap. 5. à num. 15. ad 19.

## CAP. III.

### *De Specie, tum subjicibili, tum prædicabili.*

1 NOmen *Species*, quod aliàs plura, variaque significat, vt figuram, imaginem, pulchritudinem, prætextum, & virtutem, quæ nomine obiecti iuvat potentiam cognoscitivam ad suos actus, nunc accipitur logicè pro ratione quâdam abstractâ, quæ modò subjicitur Generi, sicque dicitur *Species subjicibilis*, modò prædicatur de individuis, sicque dicitur *Species prædicabilis*. Species subjicibilis definitur ex doctrinâ Porphyrij, *Ratio obiectiva, quæ immediatè subjicitur Generi vt tali*, vel etiam, *quæ sub Genere immediatè collocatur*.

2 Hæc definitio in primis explicat discrimen Speciei ab individuis: nam individua completa non subjiciuntur Generi nisi mediatè, sensu exposito cap. 1.: item individua incompleta non subjiciuntur immediatè Generi vt tali, nempe vt Genus est, sed tantùm vt est Species; quod etiam ibidem monuimus. Deinde discernit Speciem à Differentiâ, cum hæc non subjiciatur Generi vt tali; Genus enim non prædicatur de Differentiâ in *quid*, proindeque non ritu Generis. Postremò discernit formaliter Speciem à Genere: hoc enim, licèt materialiter sit Species subjicibilis, dum non est Genus supremum, tamen formaliter vt Genus est, non dicit respectum ad aliud Genus superius, sed præcisè constituitur per ordinem ad Species inferiores. Quatenùs autem Species subjicibilis differat à prædicabili, constabit inferiùs.

3 Sed contrà datam definitionem *obijc.* 1.: cum Genus definiatur per Species, non sine circulo vitioso definitur Species per Genus. *Resp.* 1.. Dum Genus definitur per Species (scilicet tamquam per connotatum extrinsecum, quo sensu definitur rationale per discursum, & scientia per scibile) sumuntur Species,

cies, non sub munere subijcibilis, sub quo nunc definitur Species, sed physicè & specificativè, quatenùs significant essentias notabiliter inter se diversas. Quare nullus fit circulus vitiosus. *Resp.* 2.. Genus & Species sunt correlativa: nullum autem correlativum definiri potest absque mentione alterius; neque is est circulus vitiosus. Sic pater in esse patris nequit sine filio definiri, nec vice versâ. Non ergo ex hoc capite definitiones peccant, saltem dum non explicant nudum ordinem vnius correlativi ad alterum, sed vlteriùs peculiarem essentiam, & modum ordinis exponunt. Atque ita fit in præsenti: non enim crudè dicimus, Genus esse, quod Speciem respicit, & Speciem esse, quæ respicit Genus; sed modum, & indolem respectus aperimus.

4 *Obijc.* 2.: dum per Genus definitur Species, explicatur ignotum per ignotius, vel saltem per æquè ignotum. Nego assertum: quia Genus iam modò supponitur notum ex eius definitione suprà tradità. Dices: saltem Genus suprà definitum fuit per ignotum, scilicet per Speciem nondùm notam. *Resp.*, Genus definitum fuit per ordinem ad Speciem, sumptam sub munere quidditatis notabiliter diversæ ab alijs: quo sensu Species vulgo nota est, notiorque Genere prout logicè definibili. *Obijc.* 3.: homo est Species subijcibilis Generi *Viuens*; & tamen illi non subijcitur immediatè, sed medio Genere *animal*. *Resp.*, Non est de conceptu Speciei subijcibilis immediatè subijci omni Generi, sed alicui. His, & alijs scrupulis meliùs forsan occures, si Speciem subijcibilem definias hoc pacto, *Essentia non formaliter singularis, quæ metaphysicè componitur ex ratione communi, & ratione discretiua.*

5 Iam Species prædicabilis ex eodem Porphyrio definitur, *Prædicabile de pluribus numero differentibus in eo quod quid complete.* Cui definitioni consonat hæc alia communis apud Recentiores, *Prædicabile de pluribus numero differentibus vt tota essentia ipsorum metaphysica.* Discrimen hic vides Speciei à cæteris Prædicabilibus: nam cætera, vel non prædicantur essentialiter, sive *in quid*, vel non prædicantur vt tota essentia, sive *in quid completè*. Dicitur autem Species tota essentia individuis quia, vt iam suprà monuimus, licèt individuum præterea includat hæccitatem, hæc tamen in consideratione logicâ censetur extra essentiam: ideòque Petrus & Paulus non dicuntur differre essentialiter, quamvis hæccitate differant.

6 Quæres, quatenùs distinguantur, aut identificentur Species subijcibilis, & prædicabilis? Resp. 1.. Si loquamur in sensu reali, non omnis Species prædicabilis est subijcibilis, omnis tamen Species subijcibilis est prædicabilis. Ratio primæ partis: quia Genus supremum est Species prædicabilis relatu ad individua incompleta; nec tamen est Species subijcibilis alteri Generi. Ratio secundæ partis: quia omnis natura creata, iuxtà vera Scholæ nostræ principia, est numero multiplicabilis: ergo omnis natura, quæ Generi subijcitur immediatè, potest sub se admittere plura numero distincta, de quibus prædicetur. Omnes etiam rationes genericæ, quæ sunt Species subijcibiles subalternæ, sunt prædicabiles de individuis incompletis *in quid completè*. Fateor, admissis Thomistarum principijs de

de immultiplicabilitate numericâ Angelorum, dari Speciem subijcibilem non prædicabilem. Sed ea principia, vtpotè nobis falsa, responsioni nostræ non obsunt.

7 Resp. 2.. Si loquamur in sensu formali, Species subijcibilis non est prædicabilis, nec è converso; sed potest ratione præscindi formalitas subijcibilis à formalitate prædicabilis, & vice versâ, etiam vbi realiter identificantur. *Prob.*: tum quia Species vt subijcibilis & vt prædicabilis diversis definitionibus definiuntur, sicut animal & rationale: tum quia respectum dicunt ad terminos diversos, nempe altera ad Genus, altera ad individua.

8 Sed contrà 1. responsionem *objic.*: Deus est Species subijcibilis, & non prædicabilis: & saltem Personæ Divinæ specie differunt inter se; sed non specie prædicabili ergo purè subijcibili. *Resp.*. Deus non est Species subijcibilis: tum quia plusquàm genere differt à creaturis: tum quia iuxtà plures nulla potest abstrahi ratio vnivoca Deo & creaturis: tum quia, licet abstrahi possit, ea non erit Genus, nec de Deo prædicabilis vt pars metaphysica materialis, cum non detur in Deo propria compositio metaphysica. Non ergo natura Divina potest vlli Generi subijci; sed est natura ordinis altissimi, extrà sphæram prædicabilium, & subijcibilium nostrorum collocata. Personæ Divinæ non propriè differunt specie; quia non habent essentiam diversam, imò nec distinctam. Sumptæ verò quoad relationes præcisè, quælibet earum est essentialiter individua, nec essentiam metaphysicam ex genere & differentiâ continet. Unde dici poterunt individuationes quædam quasi specificè diversæ, præter communem ordinem: ipsaque ratio personæ, à tribus Personis Divinis abstracta, erit Prædicabile quoddam mysterijs plenum, quod nec novit Aristoteles, nec nisi reductivè pertinere potest ad Genus, aut Speciem.

9 Contra 2. responsionem *objic.*: ratio Speciei subijcibilis, abstracta ab omnibus Speciebus subijcibilibus vt talibus, est prædicabilis de illis omnibus; ergo concipi nequit ratio Speciei subijcibilis, quin sit prædicabilis. *Resp.* Species subijcibilis vt sic, sit *exercitè* prædicabilis de hac & illâ Specie vt subijcibili: sed non est prædicabilis *signatè*; quia hoc nomen, *Species subijcibilis*, non significat formaliter rationem abstractam ab Speciebus vt prædicabilibus. Et hoc vnum intendimus, vt scilicet illud nomen non dicat signatè prædicabilitatem, seu vt inferiora, à quibus abstrahitur ratio Speciei subijcibilis, à prædicabilitate præscindant. Doctrina responsionis magis clarescet disp. sequent. circà Prædicabile in commuui.

10 Hic dividi solet Species in subalternam, & infimam. Subalterna est, quæ sub se alias habet Species. Infima, quæ & atoma dicitur, est, quæ sub se non nisi individua numero distincta continet. Hæc tamen divisio soli convenit Speciei vt subijcibili: nam Species vt prædicabilis semper est atoma. *Prob.*; quia, si Species vt prædicabilis sub se continet alias Species, iam de illis non prædicabitur vt Species; non enim prædicabitur vt tota essentia, seu non in *quid* completè. Præterea, Genera intermedia, quæ sola dici possent Species

Abol-

subalternæ, sunt atomæ quatenùs sunt Species prædicabiles; non enim hoc nomen & munus habent, nisi relatu ad individua incompleta; sub hoc autem respecta sunt atomæ, cum sola individua sub se admittant. Sola igitur Species subijcibilis potest esse Species subalterna, v.g. animal vt sic, quia & immediatè subijcitur Generi *Vivens*, & sub se continet alias Species subijcibiles, v.g. hominem, & equum.

11 Dices: ratio vnionis humanæ abstracta ab vnionibus omnium hominum, est Species prædicabilis; sed est subalterna: ergo Species prædicabilis potest esse subalterna. *Prob. Min.*: ratio illa sub se continet alias Species, nempe rationem vnionis Petri abstractam ab vnionibus Petri possibilibus, & rationem vnionis Pauli similiter ab eius vnionibus individuis abstractam: hæ quippe rationes sunt Species prædicabiles, cum prædicari possint de pluribus solo numero distinctis; & aliunde sunt Species inter se diversæ; quia earum individua differunt plusquàm numero: nam duæ vniones Petri plus differunt ab vnionibus Pauli, quàm inter se; sed inter se differunt numero: ergo ab vnionibus Pauli, plusquàm numero: ergo differunt specie. *Resp.* 1. Illud *esse vnionem Petri*, vel addit prædicatum specificum suprà rationem vnionis humanæ? vel non? Si primum: iam ratio vnionis humanæ, non erit Species prædicabilis, sed erit Genus; quia non prædicabitur vt tota essentia inferiorum. Si secundum: iam ergo rationes vnionis Petri, & vnionis Pauli, non differunt specie inter se, prout intendit obiectio.

12 *Resp.* 2. Ratio vnionis humanæ est Species atomæ, non minùs, quàm ratio hominis: si enim inter vniones Petri & Pauli daretur specifica diversitas, daretur quoque inter Petrum & Paulum. Nec obstat quòd magis differant vniones Petri & Pauli, quàm vniones Petri inter se; quia maior illa differentia manet intra lineam individualem, quæ latitudinem & inæqualitatem aliquam admittere potest. Ratio est: tum quia non facit vniones differre notabiliter: tum quia esse vnionem Petri determinatè, non addit suprà rationem vnionis humanæ prædicatum aliquod æstimabile, & scientificâ consideratione dignum, proindeque non addit prædicatum aliquod specificum, seu quod specificæ diversitati sufficiat. Hinc illæ rationes abstractæ, non sunt Species prædicabiles; quia, cum exprimant prædicatum individuale, non prædicantur essentialiter. An autem ad aliquod Prædicabile pertineant, infrà decidetur.

13 Ad extremum tria notanda sunt. 1.: forma constituens Speciem subijcibilem est simplex abstractio, quâ natura sub Genere contenta præscinditur à suis inferioribus: eo enim ipso fit præsens Intellectui, & intentionaliter vna, nec quidquam desiderat ex parte sui, vt immediatè subijciatur Generi. Quare nec opus est notitiâ comparativâ, nec fictâ relatione rationis. Vide dicta in simili tractat. præced. disput. 2. cap. 6., ex quibus facilè dilues quæ nunc obijci possunt. 2.: in eâdem ratione communi possunt realiter identificari ratio Generis, ratio Speciei subalternæ, & ratio Speciei prædicabilis: quia, licèt rationes istæ non cohæreant in eodem subiecto relatu ad cum-

eumdem terminum, benè tamen relatu ad terminos diversos, sicut amor & odium respectu diversorum. V.g. animal vt sic, est Genus relatu ad Species humanam & equinam: est Species subijcibilis subalterna relatu ad Genus *vivens*: est Species prædicabilis relatu ad individua incompleta, nempe ad hoc, & illud animal incompletè conceptum.

14 3.: communiter dicitur ex Philosopho, quòd *tota Speciei perfectio salvatur in quovis individuo: tota verò perfectio Generis in quavis Specie non salvatur.* Quæ locutio non est intelligenda de perfectione naturæ genericæ, & specificæ abstractè sumptâ; sic enim nullam inter vtramque discrimen est: quia tam Speciei, quàm Generis perfectio extensiva (ideſt, indifferentia & aptitudo ad prædicationem de multis) non tota salvatur in quolibet ex inferioribus; perfectio autem intensiva (ideſt, illa quidditas, quam exhibent ex parte actus hi conceptus, *homo*, & *animal* v. g.) tota salvatur æquâ proprietate in quovis individuo, & in quavis Specie.

15 Sermo igitur est de perfectione quam habent Genus & Species, prout sunt in statu contractionis. Nam Genus *animal*, dum contrahitur, ideſt, dum consideratur vt actu constituens Speciem, perficitur à differentijs specificis, quæ illi adiacent quasi formæ; cumque differentiæ specificæ sint inæqualis perfectionis, reddunt Genus magis perfectum in vnâ Specie, quàm in aliâ; perfectius enim est animal rationale, quàm animal rugibile. Hoc autem non accidit in Specie: tum quia hæcceitates non censentur quasi formæ perficientes Speciem intensivè: tum quia, hæcceitatem perficerent, cum ipsæ non sint perfectione inæquales, notabiliter saltem, semper Species æquè perfecta maneret in quolibet individuo.

## CAP. IV.

### *Vtrùm Species prædicabilis necessariò requirat plura individua possibilia?*

1 PRæfixa quæstio solet etiam proponi sub hoc titulo, *Vtrùm natura Angelica sit Species prædicabilis?* Cuius in limine, disputandi gratiâ, permittitur, vel supponitur doctrina Thomistica circa principium, sive radicem multiplicitatis numericæ. Thomistæ namque docent, multiplicitatem numericam provenire à materiâ, vel ordine ad materiam, tamquam ab vnicâ radice: vnde inferunt, naturam Angelicam, cum nec sit materialis, nec ordinem ad materiam habeat, non posse multiplicari numero; & non solùm de facto Angelos omnes specie differre inter se; sed etiam omninò repugnare duos Angelos eiusdem speciei, soloque numero distinctos. Quo posito, quæritur, vtrùm natura specifica Michaelis v.g., quamvis nequeat multiplicari realiter in plura individua, possit adhuc esse vniversalis, & Species prædicabilis de pluribus?

2 Affirmant plerique Thomistarum apud Carmelitas Complutenses, apud quos nonnulli rigidiores decernunt, non censendum esse Thomistam, qui oppositum senserit. Sed aprè ferent, se à Thomistarum albo expungi M. Martinez de Prado, Eminentiss. Aguirre, Colleg. S. Thomæ, Illustriss. Palan-

co,

eo, Gabriel à Concept. & apud ipsos alij, subscribentes sententiæ negantí, quam propugnant cum Doctoribus Angelico (a), Subtilis (b), & Eximio (c) Auctores nostri, & Scotistæ communiter. Hanc sententiam, quæ nobis etiam vera est, multi probant ex eo, quòd natura Michaelis præscindè nequit à singularitate formali. Sed, quamquam id verum est suppositâ opinione Thomisticâ, eo tamen omisso, nostra sententia probatur argumento communi, & ineluctabili.

3 Non est Species prædicabilis ea natura, quæ non est apta prædicari de multis (ideſt, verè affirmari de multis; nam posse de multis falsò prædicari, & affirmari, convenit cuilibet singulari quâ tali), vt constat ex definitione Universalis, & ipsius Speciei: sed natura Michaelis, etiam inadæquatè concepta, ideſt, concepta secundùm prædicata specifica cum præcisione à singularitate formali, non est apta verè prædicari de multis: ergo &c. *Prob. Min.*: non est apta identificari realiter cum multis: ergo nec verè de multis prædicari. *Prob. Antec.*: illa natura in conceptu specifico dicit positivam repugnantiam vt multiplicetur in plura individua. *Prob.* hoc: in conceptu specifico est natura spiritualis completa, positivè excludens à se materiam, & ordinem receptibilitatis ad materiam: sed ex principijs, quæ modò supponimus, materia, vel receptibilitas in materiâ, est necessaria, & vnica radix multiplicitatis individualis: ergo illa natura in conceptu specifico hanc necessariam & vnicam radicem positivè excludit: ergo positivè repugnat multiplicitati sui in plura individua: quemadmodùm positivè repugnat sentationi, quod positivè excludit vnicam radicem sensationis, videlicet animalitatem.

4 *Confirm.* 1.: natura illa positivè differt à naturâ humanâ prout multiplicabili: ergo est positivè immultiplicabilis: *Prob. Antec.*: quia positivè differt à naturâ humanâ prout materiali: natura autem humana solùm est multiplicabilis prout materialis. *Confirm.* 2.: natura Michaelis ex conceptu specifico positivè excludit statum, in quo fieret natura chymerica: sed chymerica fieret, si multiplicaretur in individua. Patet: quia fieret materialis simul & immaterialis; natura quippe Angelica multiplicata numero, foret materialis quia multiplicata, simulque foret immaterialis quia Angelica. *Confirm.* 3.: repugnat in subiecto reali ad terminum chymericum relatio ficta cum fundamento: sed Species, sicut & quodvis Prædicabile, constituitur per relationem ad plura inferiora fictam cum fundamento iuxtà Thomistas: ergo, dum inferiora sunt chymerica, repugnat, naturam realem constitui Speciem prædicabilem respectu illorum.

5 Profectò, quamvis aptitudo ad prædicationem de multis, formaliter constituatur & compleatur per actum Intellectus, vel relationem rationis, tamen pro fundamento necessariò requirit ex parte subſtrati realem identitatem cum multis, vel actualem, vel possibilem: alioquin posset pro libitu collocari intentio Generis, vel Speciei, in quolibet singulari, v. g. in Pe-

(a) *Vid. P. Hurtad. disput. 5. Logic. num. 31.*
(b) *Vid. Mastrium disp. 4. Logic. q. 4.* (c) *Disp. 5. Met. sect. 2. num. 28.*

Petro qua tali. Dum ergo non supponitur eiusmodi fundamentum, quæcumque intentio, vel relatio ponatur, erit sine fundamento idoneo ficta, nec aptitudinem dabit propriam Speciei Logicæ. *Confirm.* 4.: natura Divina, quamvis præscindatur à singularitate formali, nequit fieri logicè universalis, aut Species prædicabilis, vt omnes ferè Thomistæ concedunt cum D. Thomâ (d): idem ergo de naturâ Michaelis censendum: omnia quippe argumenta Thomistarum perspicuè instantur in naturâ Divinâ. Sed iam solutiones Thomisticas impugnemus.

6 *Respondent* 1., naturam Michaelis vnicè repugnare multiplicationi titulo singularitatis: quare, dum à singularitate præscinditur, consequenter, inquiunt, præscinditur à repugnantiâ multiplicationis, manetque proinde secundùm conceptum specificum indifferens ad multa. Sed *contrà* 1.: natura Michaelis in conceptu specifico est natura spiritualis, vt constat: ergo ex conceptu specifico est impotens identificari cum individuis materialibus, qualia supponimus omnia, quæ solo numero distinguuntur. *Contrà* 2.: quia idem dicere licebit de naturâ Divinâ.

7 *Contrà* 3.: etsi natura Michaelis præscindatur à singularitate formali, nunquam præscinditur à singularitate radicali, hoc est, à prædicato inferente singularitatem vnicam: nequit enim præscindi ab immaterialitate specificâ; & hæc, vtpotè prorsus impotens identificari cum pluribus individuis, necessariò infert vnicam singularitatem formalem: ergo nequit manere indifferens, & potens verè prædicari de pluribus. *Patet Conseq.*: quia prædicatum ex se connexum cum certo aliquo termino, nequit esse indifferens ad oppositum; sed singulare vnicum, & singulare multiplex, sunt termini oppositi: ergo &c. Sic rationale, licèt præscindatur à risibili, quia tamen illud ex se radicat, & cum eo determinatè connectitur, nequit esse indifferens ad risibile, & non risibile, potensve de vtrolibet prædicari. Eâdem ratione Divina essentia, quamvis præscindatur à singularitate formali, vel ab immensitate, non manet prædicabilis de individuo multiplici, vel de immenso, & mensurato.

8 *Respondent* 2., naturam Angelicam in conceptu specifico esse multiplicabilem quantum est ex se, & quasi conditionatè: quia, licèt individua repugnent aliunde, natura tamen ex se potest, aut posset illis convenire, nisi repugnarent. Sic Deus dicitur ex se potens producere chymeram, si hæc non repugnaret: & potentia visiva ex se apta est videre Angelum, si coloratus esset. Verùm hæc solutio cum præcedenti coincidit; supponit enim, repugnantiam multiplicationis non oriri à prædicatis specificis naturæ Angelicæ, sed à solâ singularitate formali: quare impugnationibus ijsdem refutanda est.

9 Præterea impugnatur 1.: quia, si Deus careret ex se principio vnico productionis chymeræ, in nullâ sententiâ diceretur ex se potens producere chymeram; sed Angeli natura caret principio vnico multiplicationis numericæ, nempè materialitate: non ergo ex se potens est multiplicari numero, etiam conditionatè. Urgetur: si Omnipotentia



(d) *Vid. Martinez de Prado L. 1. Logic. q. 21. à num. 19.*

communicare cum possibilibus, vt Thomistæ putant cum communi sententia, à nostrâ dicitur ex se posse producere impossibilia; sed natura Angelica ex se connectitur cum individuo vt immateriali, proindeque vt vnico: ergo non est ex se potens ad multiplex. Sanè, qui cum P. Vazquez negant connexionem Omnipotentiæ cum possibilibus, ideò putant, Deum ex se posse etiam impossibilia producere, si non repugnarent, quid censent, Omnipotentiam esse quid prorsùs absolutum, & expers omnis relationis etiam transcendentalis ad possibilia. At Species prædicabilis, maximè, iuxtà Thomistas, non est quid absolutum, sed formaliter constituitur per relationem ad inferiora.

10 Impugnatur 2.: si plura individua Angelica non repugnarent, possibilia forent plura individua Angelica materialia; sed Angeli natura, quæ nunc est, ex se repugnat identificari cum individuis materialibus, etiamsi possibilia forent. Patet: quia ex se repugnat identificari cum individuis, quæ destruerent essentiam eius, & redderent essentialiter aliam: at individua Angelica materialia, si possibilia forent, contrahendo ad se naturam specificam, redderent eam essentialiter materialem, proindeque essentialiter aliam ab illâ, quæ nunc est. Dicere autem, quòd natura Angelica est prædicabilis de multis sub conditione, quòd non esset eadem, quæ modò est, sed alia natura essentialiter diversa, mera nugatio est: idem quippe dici posset de naturâ Divinâ, sub conditione quòd esset creata; nec non de Petreitate, sub conditione quòd esset macra specifica. Exempla num. 8. nulla sunt. Nam primum retorquetur potiùs ex num. 9. Secundum est omninò falsum, si repugnet Angelus coloratus: quia potentia creata essentialiter dicit relationem transcendentalem ad suum terminum: repugnat autem relatio ad terminum impossibilem.

11 *Respondent* 3., naturam Angelicam repugnare quidem ex se multiplicationi per individua materialia; non tamen per individua spiritualia: quia, licèt ex se materiam excludat, quæ est principium multiplicationis numericæ materialis, non excludit principium multiplicationis numericæ spiritualis; quod principium repugnat quidem aliunde, sed non ex parte naturæ, quæ proinde manet ex se multiplicabilis spiritualiter. Sed *contrà* 1.: principium multiplicationis numericæ spiritualis, per vos est insignis chymera; sed natura realis positivè excludit à se principium chymericum: ergo &c. *Contrà* 2.: ideò natura Angelica excludit principium multiplicationis materialis, quia positivè concipitur vt natura non materialis; sed etiam positivè concipitur vt natura non chymerica: ergo positivè excludit à se principium multiplicationis chymericæ, qualis est multiplicatio numerica spiritualis. Profectò quis dubitet, omne ens reale ex se positivè repugnare identitati cum chymerâ quâlibet, vndecumque chymera sit? At individua spiritualia solo distincta numero, iuxta Thomistas adeò chymerica sunt, vt expressè implicent in terminis.

12 *Respondent* 4., naturam Angelicam saltem esse prædicabilem de pluribus obiectivè existentibus cum fundamento: potest enim Intel-

tellectus concipere plura individua Angelica vt possibilia, fundamento desumpto ex non repugnantiâ naturæ quantum est ex se ad prædicationem de multis: de illis igitur individuis prout obiectivè existentibus poterit natura prædicari. Sed *contrà* 1.: natura Angelica, vt ostendimus, ex se, & ex conceptu specifico positivè repugnat pluribus individuis, tam materialibus, quàm spiritualibus: ergo nullum præbet fundamentum Intellectui, vt sibi fingat pluralitatem individuorum. Id quod expressit D. Thomas quæst. vnic. de Spiritual. Creatur. art. 8. per hæc verba: *Si Angelus est forma simplex abstracta à materia, impossibile est etiam fingere* (cum fundamento scilicèt), *quòd sint plures Angeli vnius Speciei.*

13 *Contrà* 2.: etsi demus, plura individua cum fundamento concipi, illa tamen sunt mera entia rationis, vtpotè intrinsecè impotentia existere, nisi purè obiectivè in Intellectu: at implicat, naturam realem posse verè prædicari de ente rationis; alioqui posset cum eo identificari. *Contrà* 3.: Species prædicabilis debet iuxtà omnes esse ratio vnivoca suis omnibus individuis: sed repugnat, quòd natura Angelica vnivocè conveniat individuo reali Michaelis, & illis alijs obiectivè existentibus in Intellectu; magis enim Michael ab illis differt, quàm homo verus à picto: ergo &c.

14 Respondent tandem Moderni quidam, naturam Michaelis prædicabilem esse de pluribus, non secundùm rem, sed secundùm rationem: quia, licèt ipsi repugnent plura individua actualia, non tamen plura virtualia. Michael, inquiunt, est individuum virtualiter & æquivalenter multiplex; quatenùs æquivalet pluribus, imò & omnibus individuis humanis, in circumscribendo totam amplitudinem Speciei: tam enim Michael exhaurit, & adæquat extensionem suæ Speciei Angelicæ, quàm omnes homines extensionem Speciei humanæ. Cum ergo Michael sit æquivalenter plura individua, natura ipsius est vniversalis secundùm rationem: quia, sicut realis pluralitas individuorum sufficit ad Universale secundùm rem, ita ad Universale secundùm rationem sufficit individuorum pluralitas virtualis.

15 Sed *contrà* 1.: naturæ Divinæ respondet eadem individuorum pluralitas virtualis; cum eius amplitudinem penitùs exhauriat Deus vnicus, non minùs, quàm individuum Angelicum, & omnia humana totam extensionem suæ naturæ. & tamen natura Divina non est Universalis secundùm rationem. *Contrà* 2.: communitas *secundùm rem, & secundùm rationem tantùm*, in eo distinguuntur, quòd prima convenit naturæ multiplicatæ de facto, v. g. humanæ; secunda convenit naturæ, cuius licet vnicum individuum existat, plura tamen sunt possibilia, vt contingit naturæ Solis. Ita docet expressè D. Thomas 1. p. q. 13. art. 9. Dum ergo impossibilia sunt plura individua, impossibilis est communitas, sive vniversalitas, etiam secundùm rationem. *Contrà* 3.: si Michael æquivalet omnibus individuis humanis, Michael erit infinita individua virtualiter distincta: Cum ergo distinctio virtualis possit fieri per rationem actualis, vt nemo dubitat, poterit Intellectus ratione discindere Michaelem in infinita individua eiusdem speciei.

167 Hoc autem falsum esse, probatur, Tum quia, vt aiebat suprà D. Thomas, *impossibile est etiam fingere, quòd sint plures Angeli vnius speciei.* Tum quia per se dissonum est, quod Michael cum fundamento dividi possit in infinitos Michaeles actu & formaliter distinctos. Nullum certè apparet sufficiens fundamentum ad eiusmodi distinctionem rationis. Quamvis enim obiectum realiter indivisibile possit dividi per rationem in plures formalitates dissimiles, non tamen in plura obiecta integra, prorsùs similia; alioquin posset Petrus dividi per rationem in plures Petros, aut rationale Petri in multiplex rationale, aut Deus in plures Deos. Profectò plura illa individua ex vno Michaele fabricata, nec conciperentur vt principia diversarum operationum, nec vt diversimodè definibilia: vndenam ergo forent ratione distincta? Tum denique, quia talia individua concipererentur vt solo numero distincta, proindeque vt habentia vnicum principium distinctionis numericæ, quod est materia: ergo concipererentur vt materialia: ergo vt chymerica; nam individua materialia, simulque contractiva speciei purè spiritualis, chymerica sunt absdubio. At natura Angelica nequit fieri verè prædicabilis de individuis chymericis.

*** *** ***
*** ***
***

## CAP. V.

*Enodantur obiectiones.*

1 *Objic.* 1.: iuxtà D. Thomam (a), *Natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quòd est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc, quòd non est nata recipi in aliquo subiecto, quod pertinet ad rationem individui*: ergo natura Angelica ex conceptu specifico non prohibetur esse in multis, proindeque nec prædicari de multis. *Resp.* 1. Natura Angelica ex mente D. Thomæ non prohibetur esse in multis *explicitè*; quatenùs non concipitur sub hac expressione *repugnans esse in multis*; benè tamen *implicitè*, quatenùs formaliter imbibit essentialem repugnantiam existendi in multis. *Resp.* 2.. Non prohibetur esse in multis *formaliter*, quatenùs præscinditur à singularitate formali; prohibetur tamen *radicaliter*, & *mediatè*; quatenùs essentialiter infert vnicam singularitatem, quâ mediante repugnat multis.

2 *Objic.* 2.: natura Michaelis præscindi potest à singularitate; sed vt sic præcisa, redditur natura vniversalis: ergo &c. *Prob. Min.* 1. quia natura sic præcisa, non manet singularis: ergo fit vniversalis; non enim datur medium. 2.: quia iam præscinditur à formâ, quâ redditur determinata ad vnicum individuum: ergo manet indeterminata, atque adeò indifferens ad plura. 3.: quia manet absque vnico impedimento, vt sit in multis. 4.: quia, siqua natura præscin-

(a) *Quæst. vnic. de Spiritual. Creat. art.* 8. *ad* 4.

cinditur à multiplicitate, redditur positivè vna per rationem: ergo siqua natura præscinditur à singularitate, redditur positivè vniversalis per rationem: non enim minùs opponuntur Universale & singulare, quàm vnum & multa. *Resp. dist. Mai.*: præscindi potest à singularitate formali, *transeat*; à singularitate radicali, *neg. Mai.*, & *Min.* Esto natura Angeli præscindatur ab vltimâ actualitate, quâ redditur formaliter singularis, & individua: non ideò præscinditur vnquam ab spiritualitate completâ, nec à repugnantiâ identitatis cum chymera: in his autem prædicatis stat singularitas radicalis, seu radix necessariò inferens vnicam singularitatem: inferens, inquam, non radicatione physica, & reali, sed radicatione formali, seu metaphysicâ; sicut rationale radicat risibile, & essentia Divina radicat attributa.

3 *Ad* 1. *prob.*. Inter vniversale & singulare formaliter, datur medium, nempè singulare radicaliter, vt patet in naturâ Divinâ, dum à formali singularitate præscinditur, atque etiam dum præscinditur ab attributis æternitatis, & immensitatis; tunc enim non ideò redditur temporalis, & mensurata; quia datur medium per rationem inter æternum & temporale, nempè radicalis æternitas. *Ad* 2.. Præscinditur quidem à formâ, quâ natura redditur vltimò & formaliter determinata ad vnicum individuum; non tamen à formâ, quâ redditur determinata radicaliter: vnde non manet indeterminata & indifferens *absolutè*, sed tantùm *secundùm quid*: quia non manet absque omni determinatione, sed absque vltimâ tantùm. Repete exemplum naturæ Divinæ.

4 *Ad* 3. negatur assertum; quia singularitas formalis non est vnicum impedimentum existendi in multis; quemadmodum formalis æternitas non est vnicum impedimentum existendi temporaliter: ideòque Dei essentia, dum ab æternitate præscinditur, non manet indifferens ad existentiam temporalem. *Ad* 4., *concess. Anteced.*, *neg. Conseq.*. Tùm quia ex terminis magis & immediatiùs opponuntur vnum & multa, quàm Universale & singulare: vnum quippè definitur per indivisionem, seu per negationem multitudinis, supposito ente positivo: at Universale non definitur per negationem singularis. Tum quia ad positivam vnitatem rationis nihil aliud requiritur, quàm cogitio, vi cuius non appareat multitudo, quà talis: at ad Universale requiritur positiva aptitudo ad essendum in multis; per eam quippè definitur: aptitudo autem ad terminum chymericum, chymerica est. Quare nihil prodest præcisio à singularitate, quamdiù multitudo individuorum chymerica manet.

5 Sed adhuc in gratiam Thomistarum replicari potest 1.: natura humana, licèt præscindi nequeat à multitudine radicali, reddi potest vna per rationem: ergo natura Angelica, licèt impræscindibilis à singularitate radicali, fieri potest communis per rationem. *Prob. Conseq.*: quia vnitas non minùs, imò magis opponitur multitudini, quàm singularitati communitas, vt nuper dicebamus; ideòque multitudo quævis, etiam confusè, aut vagè cognita, destruit vnitatem rationis, vt liquet in his conceptibus, *Salmantica*, *aliquis homo*: si ergo multitudo purè radicalis, non officit vnitati rationis, cur singularitas purè radicalis vniversalitati, seu communitati ratio-

nis officio. Alia ratio reperiri potest, 2. à natura humana præscindi potest à multiplicitate radicali: ergo & natura Angeli à singularitate radicali. *Prob. Antec.*: multiplicabilitas, seu radix multiplicationis, non est prædicatum essentiale specificum, aut genericum naturæ humanæ: hæc ergo ab eâ radice præscindi potest. *Prob. Antec.*: quia alioquin, cum omnia prædicata essentialia naturæ humanæ reperiantur in Petro, de ipsoque verificentur, sequeretur, Petrum verè esse multiplicabilem in plures homines numero distinctos; quod est absurdum. Præmissâ instantiâ naturæ Divinæ.——

6. *Resp. ad 1. neg. Conseq. Ad prob. resp.* Unitas, juxta communem sententiam, non opponitur divisibilitati, sed divisione actuali sui, siquidem unum definitur *indivisum in se*: id quod saltem de unitate rationis negari non potest; nemo enim ad eam exposcit plusquàm indivisionem actualem in mente. Idem autem est divisio actualis, ac multitudo formalis, idemque est divisibilitas, ac multiplicabilitas, seu multitudo radicalis, aut potentialis. Unde benè cohæret unitas rationis cum radicali multitudine, licet immediatè, & summè opponatur multitudini formali, etiam confusæ, vel vagæ. At communitas, cum requirat positivam aptitudinem ad multa, opponitur omni, quod eam aptitudinem reddit impossibilem, proindeque singularitati, tum formali, tum radicali, quamvis hæc oppositio non sit tam immediata, & ex terminis, quàm quæ datur inter unum & multa.

7. *Ad 1.* nego Antecedens primum, & secundum: quia multiplicabilitas fundamentalis, seu radicalis multitudo, quæ dicitur fundamentum universalitatis ex parte naturæ requisitum, nihil est aliud, quàm intrinseca indoles naturæ humanæ v.g., nullo ex capite repugnans veritati hujus assertî, *Dantur, aut dari possunt plures homines solo numero distincti*. Ex hoc enim fundamento potest Intellectus præscindere naturam cujuslibet hominis ab hæcceitate, illamque indefinitè concipere, & confundere cum naturis omnium hominum possibilium: quod nullatenùs facere valet, ubi tale fundamentum abest, ut in naturâ Divinâ, quæ ideò est essentialiter unica, & immultiplicabilis, quia ab intrinseco falsificat hoc assertum, *Dantur, aut dari possunt plures Dij*. At illa indoles penitùs essentialis est naturæ humanæ: quia, vel est materialitas, ut Thomistæ volunt, vel, ut alij meliùs forsan opinantur, est ipsa limitatio & finitudo propria naturæ creatæ, & veluti modo ab eâ impræscindibilis est natura humana.

8. Hinc concedendum est, quòd ejusmodi multiplicitas fundamentalis, aut radicalis, reperiatur in Petro, de ipsoque verificetur benè intellecta. Atque illa propositio, *Natura Petri est radicaliter multiplex*, vel *Petrus est multiplicabilis in plures homines*, sic distinguenda est: multiplex, aut multiplicabilis, per divisionem sui, *neg.*; per coexistentiam cum alijs omnino similibus, *conc.*: nihil enim aliud est ea multiplicabilitas, quàm vera potentia, seu non repugnantia realis ad constituendam multitudinem cum alijs solo numero distinctis. Ubi notandum, quòd aptitudo ad essendum in multis, quæ propria est Universalis metaphysici, & logici, non consistit præcise in prædictâ multiplicitate fundamentali (alioquin inveniretur in quolibet indi-

vi-

viduo), sed eam supponit ex parte obiecti pro fundamento necessario, & superaddit denominationem extrinsecam *indefinitè cogniti*, sine quâ verificari nequit naturam humanam esse *vnam aptam esse in multis & prædicari de multis*. Tota solutionis doctrina est Doctoris Eximij dist. 6. Metaph. sect. 4. præsertim num. 12.

9 *Obijc.* 3.: natura Michaelis à nobis pro hoc statu concipitur instar naturæ materialis: ergo concipitur instar naturæ multiplicabilis: ergo redditur Universalis saltem ex modo concipiendi, vel, si non secundùm rem, saltem secundùm rationem. Obiectio evidenter instatur in naturâ Divinâ, quam etiam pro hoc statu concipimus instar rerum materialium. Præterea, si ly *instar naturæ materialis*, & *multiplicabilis*, præcisè denotet modum concipiendi per species alienas, *conc. Antec.* & 1. *Conseq.*; sed *neg.* 2. Si verò denotet, aliquam in naturâ Michaelis concipi materialitatem intrinsecam, *neg. Antec.*: quia, licèt pro hoc statu naturas spirituales concipiamus per species, non proprias, sed alienas (haustas nimirùm à rebus materialibus, vt cum Angelum concipimus per species alati iuvenis); non ideò concipimus eas vt in se ipsis materiales, nec Angelum vt intrinsecè corporeum: alioqui non verum Angelum conciperemus. Hinc Angelus dicitur à nobis concipi vt *materialis*, vel *instar materialis*, non *constitutivè*, sed *connotativè*; per conceptum scilicet connotantem rem materiales. Non ergo in eius naturâ resultare potest denominatio *Universalis*, vtpotè quæ materialitatem requirit obiecto intrinsecam, si vera est Thomistica doctrina.

10 Quoad 4. natura Angelica concipitur vt intrinsecè materialis, iam non erit naturâ verè Angelica, sed fictitia, quam si velis esse vniversalem, potes tractare. Illud autem de Universali *secundum rationem*, quatenus locum habere potest, supra nos docuit D. Thomas (b). Præterea, vel significat, naturam Angelicam, quamvis non sit Universalis à parte rei, esse tamen per Intellectum, sicut est natura humana, & quæcumque alia materialis; & hoc hactenus impugnatum est, nec à te probatur: vel significat, non esse Universalem nisi per rationem sine fundamento fingentem; & hoc non est ad rem; siquidem per relationem gratis fictam ad inferiora chymerica, quodlibet individuum vt tale vniversalitatem habere posset.

11 *Obijc.* 4.: prædicatio naturæ specificæ de Michaele, est prædicatio superioris de inferiori: tum quia est prædicatio Speciei de individuo: tum quia, si foret prædicatio æqualis de æquali, foret identica: est ergo prædicatio naturæ vniversalis. *Confirm.*: individuum Angelicum ponitur in prædicamento Substantiæ, & non immediatè sub Genere, cum nullum individuum immediatè subijciatur Generi vt tali: ergo inter ipsum & Genus mediat Species, quæ proindè superior est, & Universalis. *Resp. neg. Antec.*: quia natura specifica Michaelis, & ipse Michael sunt termini convertibiles, nec alter latiùs patet altero, sicut natura Dei, & hic Deus. Nec obstant adiunctæ probationes: nam illa est prædicatio speciei physicæ, non logicæ; quia in sententia, quam supponimus, nequit fieri prædicabilis de pluribus, nec præscindi ab individuo præcisione sufficiente ad vniversalitatem: vel dic, esse prædicationem Speciei purè subijcibilis. Nec ex eo, quòd præ-

(b) *Cap. præced. num.* 16.

dicet æquale de æquali, sequitur quòd sit identica; non enim subiectum & prædicatum exprimit terminis synonimis; & alioquin identica foret hæc, *Deus est omnipotens*.

12 *Ad Confirm.* Individuum Angelicum non immediatè subijcitur Generi, sed mediâ specie, non quidem prædicabili, sed purè subijcibili; quæ, licèt non latiùs pateat, quàm individuum, adhuc inter ipsum & Genus mediare potest, quatenùs assumi valet vt medium, & ratio, cur Genus conveniat individuo. Præterea, quod detur Species subijcibilis non prædicabilis, quodque individuum Angelicum immediatè subijciatur Generi, & sub eo immediatè collocetur in prædicamento Substantiæ; incommoda sunt, quæ sequuntur ex hypothesi de immultiplicabilitate numericâ Angelorum: nos autem, qui talem hypothesim non nisi disputandi gratiâ permittimus, non tenemur componere quæcumque absurda ex eâ deducantur. Hinc etiam, siquis contendat, Naturam Michaelis in conceptu specifico præscindi simul & non præscindi ab individuatione formali, siquidem adhuc manet prædicabilis de vno tantùm, & prorsùs indivisibilis in plura; non tam contrà nos arguet, quàm contrà dictam hypothesim: ex quâ necessariò sequitur, quòd ea natura, vel nequit præscindi ab individuatione formali, vel, si præscinditur, manet adhuc tam incapax multiplicationis, quàm si esset formaliter individua.

13 Supersunt obiectiones quædam ex acuto Recentiore nostro. 1.° aptitudo naturæ Universalis ad multa, non est vera & realis, sed solùm apparens: hæc autem aptitudo convenit naturæ Michaelis à singularitate præcisæ; quia tunc nulli individuo apparet appropriata, proindeque apparet indifferens ad multa. 2.°; quòd natura appareat apta esse in multis, omninò pendet ex modo concipiendi: eodem autem modo potest concipi natura Angelica, ac concipitur humana, dum fit vniversalis; quia potest concipi confusè, & indeterminatè, sive indefinitè, ideft, absque vllâ notâ singularitatis, aut pluralitatis; vt si ponamus, hunc conceptum, *Natura Angelica intellectiva vt ollo*, esse proprium naturæ Michaelis specificè sumptæ. *Confirm.*: natura non denominatur *apta esse in multis* ab aliquo prædicato sibi intrinseco (alioquin eam denominationem haberet à parte rei), sed à solo modo tendendi cognitionis: ergo, quamvis non sit intrinsecè multiplicabilis, dummodò concipiatur modo præcisivo, & indefinito, denominabitur *apta esse in multis*. 3.°: hi conceptus, *vnum*, *individuum*, *singulare*, repræsentant obiectum intrinsecè immultiplicabile: & tamen illud exercitè reddunt Universale, & prædicabile de multis: ergo pariter &c.

14 Hæc tamen ferè soluta sunt in superioribus. *Ad* 1.° Aptitudo illa, licèt sit apparens quantum ad vnitatem obiecti, quam supponit, aut involvit (nam rationis vnitas, ad vnitatem realem comparata, est apparens, ideft, impropria, & metaphorica), non ita, quantum ad verificationem de multis, ad quam ordinatur; reddit enim naturam aptam, vt verè affirmetur, propriè que verificetur de multis. Sed fit apparens: non quælibet apparens aptitudo sufficit ad Universale; sed illa tantùm, quæ supponit fundamentum in re sufficiens, vt prædicatio de multis evadat vera: quale fundamentum procul abest à naturâ Angelicâ, sicut

abest

abest à naturâ Divinâ, in quâ planè instatur quidquid Recentior objicit. Porrò natura Angelica præcisa ab individuatione formali, manet appropriata radicaliter vnico individuo; nec manet indifferens, nisi *secundùm quid*, ex num. 3.

15 *Ad 2.* Pendet id quidem *formaliter* ex modo concipiendi; sed *fundamentaliter* pendet ex indole objecti, quam explicauimus num. 7.: sine illâ quippè impossibilis est modus concipiendi aptus ad Universale constituendum. Cognitio itaque formans Universale, debet esse *confusa*, ideſt, confundens plura instar vnius: debet esse *indeterminata*, ideſt, non determinans inter plura vnum præ alio, sed verificabilis in prædicatione de omnibus & singulis: debet item esse *indefinita*, ideſt, attingens plura sine signis multitudinis, aut singularitatis, vt sunt, *hic*, *aliquid*, *omne*. Unde non sufficit, quòd natura concipiatur sine hisce signis, vt patet in hoc conceptu, *Deus*: sed requiritur, quòd cognitio attingat plura ex parte obiecti, eaque repræsentet modo explicato. Falsum ergo est, quòd natura Angelica possit indefinitè confusè, & indeterminatè concipi, sicut humana.

16 Ubi nota, quòd hi termini, *natura Angelica*, *hæc natura Angelica*, non differunt, sicut indefinitus, & definitus, qualiter differunt isti, *homo*, & *hic homo*: ille quippè terminus, *natura Angelica* (sumptus, non genericè, sed specificè) non est propriè indefinitus, prout modò dicta. Differunt ergo, sicut definitus formaliter, & definitus radicaliter; quemadmodùm termini, *Deus*, & *hic Deus*. Ad *confirm.* Denominatio illa non provenit ab aliquo prædicato intrinseco, tamquam à formâ; provenit tamen ab eo, tamquam à constituente subiectum capax denominationis, proindeque tamquam à constituente denominationem ipsam: omnis quippè denominatio, & effectus formalis, ex capacitate subjecti constituitur. Provenit item ab illo, tamquam à fundamento, sine quo existere nequit forma idonea tali denominationi.

17 *Ad 3.* Tangitur ibi difficultas postmodùm expedienda circà rationem communem Individui vt sic. Nunc breviter dico, hunc terminum, *individuum* (idem puta de reliquis), dum facit Universale, non attingere ex parte obiecti vnicum individuum, sed plura, imò omnia; in ijsque præcedere sufficiens fundamentum ad conceptum indefinitum, & denominationem *prædicabilis*: quia, licèt vnumquodque sit immultiplicabile in esse talis, non tamen in esse individui: nihil enim habet Petrus v. g., vnde repugnet huic veritati, *Dantur, aut dari possunt plura individua*: quare in hoc sensu verè est multiplicabilis, non per divisionem, sed per coexistentiam, de quâ suprà num. 8. At conceptus specificus naturæ Michaelis, nec attingit ex parte obiecti plura, nec aliquid vllo modo multiplicabile in esse speciei Angelicæ.

18 *Replic.* 1.: non minùs excludit multiplicabilitatem hic conceptus *vnum*, quàm hic conceptus *natura spiritualis intellectiva vt sic*: & tamen conceptus *vnum* constituit suum obiectum in esse Universalis: ergo &c. 2.: conceptus, *homo*, constituit suum obiectum ratione vnum, licèt illi respondeat ex parte obiecti natura multiplex: ergo conceptus, *natura Angelica intellectiva vt sic*, constituet suum obiectum ratione mul-

multiplicabile, quamvis illi respondeat ex parte obiecti natura vnica. 1°: nullo titulo requiritur multiplicitas individuorum etiam possibilium, vt natura fiat Universalis. *Prob.*: in primis non requiritur per modum obiecti terminantis cognitionem factivam Universalis, cum potius eius medii cognitio debeat ab omni multiplicitate præscindere. Deinde nec requiritur per modum conditionis, vt fiat Universale cum fundamento in re: tum quia, iuxtà communem sententiam, natura materialis abstracta ab vnico individuo fit Universalis cum fundamento in re; quia ibi præsupponatur multiplicitas: tum quia, si non obstat realis multiplicitas vnitati rationis cum fundamento, cur obstet vniversalitati rationis cum fundamento immultiplicabilitas realis?

19 *Resp.*: *Ad 1. neg. Min.*; quia prior conceptus, licèt excludat multiplicabilitatem per divisionem subjecti realiter vnius in plura talia, non tamen per coexistentiam plurium propriè similium in ratione *vnius*: nihil enim involvit repugnans huic veritati, *Existunt plura, quorum quodlibet est realiter vnum.* At posterior conceptus hanc etiam multiplicabilitatem excludit, & specificus est. *Ad 2. neg. Consq.*: quia multiplicitas ex parte obiecti non opponitur vnitati rationis ex parte actus, siquidem ab eâ præscinditur. At vnicitas obiecti penitus excludens possibilitatem aliorum similium, pugnat cum multiplicabilitate rationis, cum hæc debeat esse aptiendo, vt natura verè cognoscatur identificata cum multis.

20 *Ad 3. neg.* assumptum. Ad *prob.* negatur vtraque pars. Nam cognitio factiva Universalis debet ex parte obiecti terminari ad multa, quamvis a multitudine præscindat ex parte actus, vt ex tract. præced. (c) constat. Quare nulla cognitio est factiva Universalis, nisi quæ plura confundit in vnum, seu quæ attingit plura ratione vnius. Item multiplicitas, saltem possibilis, requiritur vt conditio, sine qua non potest obiectum denominari *prædicabile de multis*; hæc enim prædicabilitas, cum sit relatio ad multa, debet suum terminum supponere possibilem. Nec obstat illud de naturâ abstractâ ab vnico individuo: tunc enim supponitur multiplicitas possibilis; imò attingitur ex parte obiecti natura multiplex, vt suo loco notavimus (d). Realis autem multiplicitas ideò non obstat vnitati rationis, quia coheret cum similitudine & convenientiâ reali multorum, quæ est fundamentum vnitatis intentionalis. At realis immultiplicabilitas destruit fundamentum Universalitatis, quod explicimus num. 7. & 8.

21 Ad extremum observa, RR. nostros passim permittere Thomistis, quòd natura Michaelis præscindatur etiam à singularitate radicali; & adhuc negare, quòd fiat Species prædicabilis. Ratio, inquiunt, est: quia vniversalitas, seu prædicabilitas, dicit positivam aptitudinem ad plura: natura autem Angeli sub eâ præcisione, præscinderet quidem à positivâ ineptitudine ad plura; sed non ideò positivam aptitudinem adquireret, quia non adquireret materialitatem, in quâ consistere supponitur multiplicabilitas fundamentalis, sine quâ nullum obiectum est capax extrinsecè denominari *aptum esse in multis, & prædicari de multis.* Natura ergo sic præcisa, nec esset apta nec inepta positivè ad plura, nec singularis

(c) *Disp. 2. cap. 4. & 5.* (d) *Tract. 2. disp. 2. cap. 9. num. 10.*

ria nec vniuersalis, nec determinata nec indeterminata positivè; sed hæc omnia haberet merè præcisivè: sicut animal à rationali & irrationali præcisum, dici potest vtrumque præcisivè, neutrum verò positivè: & sicut homo secundùm se nec est albus, nec non albus, nisi in sensu merè præcisivo. Et hoc vnum intendunt aliqui Thomistæ nobilcum sentientes, dum naturam Angelicam vocant Universalem *negativè*, nimirùm non singularem, seu abomni singularitate præcisam, quin tamen positivè fundet relationem ad multa.

22 Dices: saltem in naturâ Angelicâ sic præcisâ datur multiplicabilitas præcisiva: hæc autem sufficit Universali, sicut sufficit vnitas præcisiva. *Resp.* Ad Universale requiritur multiplicabilitas positiva, tum fundamentalis num. 7. explicata, tum formalis & logica, quæ est ipsa denominatio *prædicabilis*. Requiritur pariter vnitas positiva, non intrinseca obiecto, sed extrinseca, & intentionalis vt explicatum est tract. præced. Hæc probabiliter dicuntur. Mihi tamen imperceptibilis est præcisio à singularitate radicali, quamdiù pluralitas individuorum, seu materialium, seu spiritualium, ponitur chymerica: cum enim Angelica natura prædicindi nullatenùs possit à repugnantiâ identitatis cum individuis chymericis, nequit non concipi cum essentiali necessitate ad vnum. Vtcumque admitterem præcisionem *pro explicatione*, quatenùs necesse non est, vt Angeli natura concipiatur expressè vt radix individuationis vnicæ.

## CAP. VI.

*De Individuo. Vbi, an possit abstrahi communis & vniuoca ratio Individui.*

1 CVm Individuum sit correlativum Speciei, nunc post Speciem breviter explicandum venit. Individuum idem est, ac res determinata, & singularis. Potest accipi, vel *primò intentionaliter*, idest, secundùm ea, quæ ipsi conveniunt à parte rei; vel *secundò intentionaliter*, idest, secundùm extrinsecas denominationes, quas accipit ab actu Intellectus. Priori modo acceptum, definitur à Porphyrio *Id, cujus collectio proprietatum nunquam in alio erit eadem.* Proprietates autem Individui comprehenduntur his versibus:

*Forma, Figura, Locus, Tempus, cum Nomine Sanguis,*
*Patria: sunt septem, quæ non habet vnus, & alter.*

2 Sensus itaque definitionis est, illud esse Individuum, quod nunquam cum alio convenit in hisce septem proprietatibus collectivè sumptis, in temperamento scilicet, figurâ, existentia in eodem loco, & in eodem tempore, nomine, stirpe, & patria. Illa tamen non est stricta definitio, sed quædam descriptio quoad nos vt sensu percipientes, ac discernentes individua corporea. Tum, quia non conveniet individuis spiritualibus. Tum quia duo etiam individua corporea saltem Divinitùs conservare possunt in ijs omnibus proprietatibus.

3 Apertius ergo definitur Individuum

vidnum communiter ex D. Thoma (a), *Indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio*; vel, quod in idem recidit, *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio.* Ex quâ definitione Individuum est, quod repugnat identificari cum alijs, & est incapax divisionis in plura eiusdem nominis & essentiæ; atque in hoc differt ab Universali. Unde inferes, idem esse Individuum, ac Unum realiter, cum verumque definiatur eodem modo: & esse terminos ferè synonymos, *individuum*, *singulare*, *vnum realiter*, *hoc*, dum scilicet *hoc* substantivè sumitur.

4 Sed *dices* 1: Singulare iuxtà Aristotelem definiri non potest. *Resp.* Singulare non potest definiri sub propriâ & determinatâ expressione, v. g. sub conceptu *Petrus*, aut *Peritas*: benè tamen sub ratione communi singularis, aut Individui, in quâ singularia omnia conveniunt. Ita D. Thomas (b), qui Aristot. allegat. *Dices* 2.: esse indivisum in se, & ab omni alio divisum, convenit etiam Generi, & Speciei; quæ tamen non sunt Individua, sed Universalia. *Resp.* Universalia secundò intentionaliter accepta, sive in esse concreti intentionalis, sunt etiam Individua logica, vt explicabimus disput. seq., cum de ratione communi Prædicabilis agemus. Solùm ergo sunt Universalia, dùm primò intentionaliter accipiuntur, quo sensu divisibilia vtique sunt in plura eiusdem nominis & essentiæ.

5 Jam verò Individuum secundò intentionaliter acceptum, definiri potest, tum vt subijcibile, tum vt Prædicabile. Ut subijcibile sic, *Quod potest immediatè subijci Speciei*: vt Prædicabile sic, *Quod de vno tantùm prædicari potest.* Quæ definitiones explicant duo munera ejusdem rei, seu duas denominationes ab eâdem formâ in idem subiectum provenientes respectu diversorum quasi terminorum. Nam idem Petrus v. g. ab actu Intellectus, quo apprehenditur vt singularis, redditur proximè subijcibilis respectu Speciei humanæ, & proximè prædicabilis de suâ tantùm entitate. Potest autem Individuum prædicari quinque modis, iuxtà numerum & normam quinque Prædicabilium, affecta scilicet eorum materiâ signo demonstrativo: v. g. *Petrus est hic homo, hoc animal, hoc rationale, hoc risibile, hoc album.*

6 Individuum in consideratione metaphysicâ, aliud est completum, aliud incompletum. Super quâ divisione, præter dicta cap. 1., nunc addere sufficiat, Individua metaphysicè incompleta ferè ab omnibus admitti, & experientiâ comprobari. Nam, dum hominem à longè vides, iuxtà varia signa, quæ paulatim ex maiore propinquitate percipis, successivè formas hosce conceptus, *hoc corpus*, *hoc vivens*, *hoc animal*; quibus certè præscindis à differentijs, tantùmque concipis gradus generícos hæcceitate affectos: tunc ergo concipis Singulare quoddam secundùm essentiam incompletam, sive inadæquatam: & hoc appellamus individuum incompletum.

7 *Dices* 1.: hæcceitas in vnoquoque individuo vnica est pro omnibus prædicatis superioribus: ergo, dum concipitur hæcceitas Petri v. g., concipiuntur, saltem implicitè, omnia prædicata Individui completi, quorum contractio est. *Dices* 2.: hæc-

(a) 1. p. q. 29. art. 4. (b) *Ibi art.* 1. *ad* 1.

hæccéitas non afficit immediatè prædicata generica, sed mediâ specie: ergo concipi nequit vt afficiens prædicatum genericum, quin priùs concipiatur vt afficiens essentiam speciei.

8 *Resp. ad* 1. Hæccéitas vnius Individui completi vnica est realiter: nihil tamen prohibet eam formaliter ac præcisivè dividi in plures hæccéitates incompletas, distinctasque saltèm non mutuò, ita vt hæccéitas hominis includat hæccéitatem animalis, ista hæccéitatem viventis, ista hæccéitatem corporis, quia tamen includantur invicem; sicut accidit in ipsis gradibus specificis & genericis, detractâ latitudine. Quare, dum concipitur hæccéitas Petri vt afficiens hominem, concipiuntur quidem implicitè prædicata superiora: non tamen ita concipiuntur differentiæ inferiores, dùm concipitur hæccéitas vt afficiens corpus, vivens, aut animal. *Ad* 2. Concedo totùm de hæccéitate completè sumpta, seu quatenùs constituit Individuum completùm, v.g. dum concipitur sub nomine *Petreitas*: nego tamen de hæccéitate incompletâ, quam nunc nunc explicuimus; hæc enim potest concipi vt immediatè afficiens prædicatum genericum. Idcircò cap. 1. diximus, solum Individuum completum esse, quod mediatè subijcitur Generi: nam de incompleto prædicatur Genus immediatè, & instar Speciei.

9 Solet insuper Individuum dividi in determinatum, vt est *Petrus*, & indeterminatum, seu vagum, vt est *Aliquis homo*. Individuum vagum in esse talis non datur à parte rei; nihil enim existit in rebus nisi determinatum. Quare solùm datur à parte rei secundùm materiale, idest, secundùm pluralitatem Individuorum, quæ attingitur ex parte objecti: at secundùm formam, quâ redditur vagum, non est nisi in Intellectu, consistitque in modo tendendi cognitionis. Porrò, cum Individuum vagum sit prædicabile de pluribus, non est propriè Individuum; quamvis ita vocetur, quia ex parte actus hæccéitatem exprimit, licèt indeterminatè; quo ex capite deficit à rigore & proprietate Universalis. Est ergo medium quid inter Universale, & Individuum.

10 Restat quæstio satis implexa, Utrùm licitè abstrahi possit communis, & vnivoca ratio Individuî? vel, Utrùm hæc nomina *Individuum*, *singulare* &c., significent rationem vnivocam omnibus Individuis? Affirmant apud P. Peinado hic disp. 2. n. 28. & apud Serveram disp. 8. n. 52., Doctores, Angelicus, Subtilis, & Eximius, quos sequuntur plerique nostrorum, & Thomistarum cum pluribus etiam Scotistis, quos citat, & sequitur Mastrius. Negant verò plures Thomistæ, quibus adhæret Collegium S. Thomæ, Pontius Scotista, & nostrorum aliqui, quos sequitur P. Lynce. Præcipua lis est de Individuo primò intentionaliter accepto: si enim secundò intentionaliter sumatur, vix est, qui partem negativam teneat; imò affirmativam vt *omninò certam* supponit Collegium S. Thomæ. Siquid tamen in eâ difficultatis est, obiter etiam enodabitur.

§.

## NOSTRA CONCLUSIO.

*Ab omnibus Individuis abstrahi potest ratio communis, & vnivoca.*

11 PROB.: Petrus & Paulus (idem est de cæteris) sunt

sunt similes in esse individui: ergo potest ab illis abstrahi ratio Individui communis, & vnivoca. Consequentia liquet paritate cuiuslibet rationis vnivocæ, v. g. animalis, aut viventis. *Prob. Antec.*: sunt similes in indivisione in se, & divisione à quolibet alio: ergo & in esse Individui. *Prob. Antec.*. Tum quia esse similes, est vnum se habere sicut aliam: verè autem dicitur, *Sicut Petrus est in se indivisus, & à quovis alio divisus, ita & Paulus.* Tum quia in eâ indivisione non sunt purè dissimiles. Patet: quia, si Petrus foret in se divisus, & Paulus indivisus, forent absdubio purè dissimiles in indivisione. Dum ergo vterque pariter indivisus est, alio modo se habent, quàm si purè dissimiles essent.

12 Dices: sunt quidem similes, sed non purè, quia simul sunt in eâdem ratione dissimiles: ideòque ratio Individui est analoga; quia, cum simul sit ratio convenienti & differendi, evadit partim eadem, partim diversa. Sed hoc nihil est dictu: nam modò loquimur de similitudine, quæ fundamentum præbet abstractioni: talis autem similitudo, vtpotè existens ante operationem Intellectus, nullibi pura est, etiam in esse hominis, aut animalis, cum semper dissimilitudinem admixtam habeat. Si ergo nihilominùs ab homine & equo potest abstrahi vnivoca ratio animalis, quia sunt à parte rei verè similes, etsi non purè; cur non idem contingat in ratione Individui?

13 *Confirm. 1.*: omnia Individua sub nomine *Individuum* vnicâ definitione definiuntur, quæ tam propriè convenit his, quàm illis, vt Adversarij fatentur. Sed quæ vnicâ definitione propriè definiuntur, subeunt perfectam vnitatem rationis, vt alibi (c) ostendimus ex Aristotele & D. Thomâ; & conceptus objectivus perfectè vnus, nequit non esse vnivocus, vt constat: ergo &c.

14 Confirm. 2.: nomen, *Individuum*, non est æquivocum; aliunde non est analogum: ergo est vnivocum. Ex Adversarijs alij negant Maiorem, alij Minorem, quos inter est Collegium S. Thomæ: quare singulæ præmissæ probandæ sunt. *Prob. Mai.*: non est nomen æquivocum, quod diversis rebus convenit eâdem proprietate, & titulo. Sic nomen, *animal*, non est æquivocum respectu hominis & equi, quia ipsis aptatur æquè propriè titulo sensationis: nec nomen, *canis*, æquivocum est relatu ad canes terrestres, quia singulis propriè convenit propter veram latrandi vim. Atqui nomen, *Individuum*, Petro, Paulo, & Bucephalo convenit verè & propriè titulo indivisionis: ergo &c. Adde quòd æquivoca definiri non possunt vnicâ definitione, vt omnes cum Aristotele concedunt.

15 Deinde *prob. Min.*: ratio significata nomine, *Individuum*, non est partim eadem, partim diversa: ergo nomen illud non est analogum. *Prob. Antec.* Tum quia ratio partim eadem, partim diversa, nequit vnicâ definiri definitione, quæ verificetur æquè propriè de omnibus inferioribus, vt patet in ratione *sani* abstractâ ab animali & medicamento, in ratione *hominis* abstractâ à vivo & picto, in ratione *risus* abstractâ à risu prati & hominis, & iuxtâ Thomistas in ratione *entis* abstractâ à Deo & creaturis, vel à substantiâ & accidenti. Quis autem dubitet, definitionem Individui æquè propriè verificari de Petro & Bucephalo? Tum quia

(c) *Tract. præced. disp. 2. cap. 4. n. 2.*

quia saltem inter individua substantialia creata nullum est principale analogatum, vt examinanti patebit; nullàque datur habitudo, nullus ordo, nulla dependentia vnius ab alio: nihil ergo est, quod analogiam fundet.

16 Quædam insuper alia non exigui roboris militant pro conclusione nostrâ. 1.: iuxta D. Thomam 1. p. q. 30. art. 4., potest abstrahi communis & vnivoca ratio *personæ*; sed persona idem est, ac *Individuum rationale*; nam ex celebri definitione Boetij, est *Rationalis naturæ individua substantia*: ergo &c. 2.: terminus potens distributivè supponi tamquam Medium in syllogismo recto, capax est vnivocationis. Talis autem est terminus, *Individuum*, vt patet in hoc syllogismo: *Omne Individuum est incommunicabile, sed Petrus est Individuum, ergo Petrus est incommunicabilis.* 3.: ab omnibus differentijs specificis abstrahi potest vnivoca ratio *Differentiæ*, vt fert communis sententia: ergo pariter &c.; vix enim vlla difficultas est, quæ non pariter militet vtrobique. 4: abstrahi quoque potest vnivoca ratio *dissimilitudinis*, aut *distinctionis vt sic*: cum tamen non minus difficilis appareat, quàm vnivoca ratio *Individui*. Quæ de individuo diximus, procedunt pariter de individuatione in abstracto, significatâ scilicet his nominibus, *individuatio*, *singularitas*, *hæcceitas*: quæ similiter esse potest ratio communis, & vnivoca Petreitati, Bucephaleitati, &c.

## CAP. VII.

### *Occurritur obiectionibus.*

1 *Obiic.* 1.: differentia individualis est ratio, cur differant, ac dissimilentur Petrus & Paulus: ergo nequit fundare convenientiam, & similitudinem vtriusque. Accedit, quod individuales differentiæ sunt *primò diversæ*, proindeque in nullo conveniunt. *Instatur* obiectio in ratione *differentiæ specificæ*, in quâ conveniunt rugibile & rationale, cum tamen ideò inter se differant, quia differentiæ sunt. Præterea, vel fermo est de individuali differentiâ, prout apparet in nostris conceptibus, vel prout est à parte rei. Si primum velis; erit ratio differendi sub his conceptibus, *Petreitas*, *Paulcitas*; erit verò ratio purè conveniendi sub hoc indefinito conceptu, *individuatio*, sub quo nullum apparet discrimen Petri à Paulo, sed potiùs vnivoca convenientia. Si secundum; *conc. Antec. & neg. Conseq.*: nam Petrus & Paulus à parte rei simul dissimilantur & assimilantur in esse Individui, similitudine, quâ vterque sit Individuum, & dissimilitudine, quâ non vterque sit Petrus, nec vterque Paulus. Vide dicta in simili tract. præced. disp. 1. cap. 3. Ut autem differentiæ individuales dicantur *primò diversæ*, sufficit, quod in nullo prædicato conveniant ex ijs, quæ ponuntur in arbore Prædicamentali. De cætero repugnat, quòd formalitates positivæ, ita sint primò diversæ, vt in nullo prorsùs prædicato convenire possint.

2 *Obiic.* 2.: ratio Individui abstracta, erit verè Individuum, sicut ratio hominis verè est homo: alioquin non erit verè Individuum. Probatur hoc 1.: quia Individuum est singulare: illa autem ratio non est singularis, sed Universalis. 2.: quia ratio illa est divisibilis in plura eiusdem nominis & essentiæ; quod est contrà conceptum Individui. 3.: quia

In-

Individuum est *Prædicabile de vno tantùm*, illa autem ratio est prædicabilis de pluribus. Insto in ratione differentiæ specificæ, vel dissimilitudinis vt sic, quæ verè est differentia, vel dissimilitudo; & aliunde non est, cum non sit ratio differendi, sed conveniendi.

3 Insto insuper in ratione *producibilis*, aut *generabilis* vt sic; quæ verè producibilis erit, sicut homo vt sic verè est homo; simulque non erit producibilis, cum repugnet produci producibile vt sic. Certè nihil producitur, nisi quod est singulare, vt notum est: illa autem ratio non est singularis, sed vniversalis. Et alioquin produci posset Universale à parte rei. Par vrget instantia in ratione *existentis à parte rei*, aut *currentis* vt sic, aut *comedentis* vt sic; cum certum sit non existere *existens* vt sic, nec currere, aut comedere, *currens*, aut *comedens* vt sic. Imò in quâlibet ratione communi par est difficultas: nam homo vt sic, est essentialiter potens discurrere; & aliunde non est, cum repugnet discurrere hominem vt sic. Obiectio itaque, licèt terminis implexa, communis est omnibus: & in præsenti solvenda est à plerisque Adversarijs, cum fateantur, abstrahi posse rationem communem Individui, saltèm analogam: sive enim vnivoca, sive analoga sit, isidem subest difficultatibus, vt patebit consideranti; maximè cum sit simplex conceptus obiectivus, vt fatetur Collegium S. Thom.

4 Directa solutio, quę passim traditur, hæc est. Ratio Individui vt sic, est Individuum *signatè*, idest, secundùm illud obiectum, quod significatur his terminis, *individuum*, *differentia individualis*: tale quippè obiectum nihil est aliud, quàm Petrus, Paulus, Bucephalus &c., quorum quilibet est singularis, indivisibilis, prædicabilis de vno tantùm. At eadem illa ratio non est Individuum *exercitè*, idest, secundùm eas denominationes, quas obiectum accipit exercitè à cognitione indefinitâ, v.g. à conceptu *Individuum*: ab eo enim obiectum in se, & intrinsecè individuum, extrinsecè denominatur Universale, divisibile, prædicabile de pluribus.

5 Hinc denominationes *universalis*, & *singularis* (idem cogita de cæteris, quas obiectio ponderat) non pugnant in eâdem ratione communi; quia proveniunt à diversis formis, prima scilicèt ab extrinsecâ formâ intentionali; secunda verò ab intrinsecâ entitate obiecti. Dici quoque solet, Individuum vt sic esse individuum in suppositione personali, & non esse individuum in suppositione simplici; quod eumdem sensum reddit: nam idem est accipi in suppositione personali, ac accipi secundùm prædicata obiecto intrinseca, quæ cum inferioribus identificantur; & accipi in suppositione simplici, ac accipi secundùm denominationes à cognitione indefinitâ præstitas, quæ non deteendunt ad inferiora. Nec novum est, quod aliquid conveniat rationi communi, quod nulli conveniat inferiori, modò illud sit quid extrinsecum, & intentionale; nam animali vt sic convenit esse genus, quod nec homini, nec equo, nec alijs convenit.

6 Paulò aliter. Quælibet ratio communis continet quidem essentiam metaphysicam inferiorum; at non vt exercendam pro statu abstractionis, sed vnicè pro statu contractionis, in quo solo suum veluti formalem effectum explicare, aut exer-

exercere poteit. Homo vt sic v. g. continet potentiam discurrendi, per quam definitur; non ita, vt illum reddat potentem discurrere pro statu abstractionis (cum prorsùs implicet discurrere hominem vt sic); sed ita vt reddat potentem discurrere pro solo statu contractionis ad singula individua. Item Ens reale vt sic, est essentialiter *aptum existere à parte rei*; non quidem aptitudine respiciente statum abstractionis (sic enim potiùs est inceptum existere à parte rei); sed aptitudine respiciente contractionis statum. Idem cernere licet in exemplis num. 3. Jam ergo possunt eidem rationi communi competere denominationes oppositæ, per ordinem ad diversos status, videlicet esse aptam, & incepta existere, potentem & impotentem discurrere, producibilem & improducibilem, &c. Hinc Individuum vt sic dicit repugnantiam divisionis &c., in statu quidem abstractionis, at non pro illo statu, nec pro illo exercendam, sed pro solo statu contractionis: quemadmodùm currens vt sic dicit exercitium currendi in eo statu, sed non pro illo; & sic de alijs.

7 *Obijc.* 3.: Individuatio vt sic, est differentia vltima; & aliunde non est vltima, cum sit contrahibilis ad Petrum & Paulum per vlteriores alias differentias. *Confir.*: si præscinditur Individuatio à Petreitate, jam Petreitas non erit formaliter individuatio, vel saltem includet aliquam talitatem formaliter distinctam ab individuatione; quemadmodùm, quia animal ab homine præscinditur, homo includit aliquid, quod non est formaliter animal. At, si Petreitas eiusmodi talitatem includit, ab eâ talitate & alijs abstrahi poterit nova ratio vnivoca differentiæ vltimæ, quæ iterùm contrahetur per vlteriores talitates, à quibus alia fieri poterit abstractio, & sic in infinitum; quod est absurdum.

8 Obiectio solvitur vt præcedens. Individuatio vt sic, est differentia vltima signatè, & in suppositione personali: exercitè verò, & in suppositione simplici, non est vltima, sed vlteriùs contrahibilis. Vel aliter: est differentia vltima relatu ad statum contractionis; non verò relatu ad statum abstractionis. Confirmatio continet difficultatem agitari solitam vbi de transcendentia Entis. Nunc *resp.* 1.: Si transcendentia supponitur, Petreitas nihil includit, quod non sit formaliter individuatio. Quia tamen est conceptibilis per conceptus, *Petreitas*, & *Individuatio*, quorum primo exprimitur vt determinata ad Petrum, & Pauleitati dissimilis; secundo autem non apparet ad Petrum contracta, nec à Pauleitate differens; idcircò per secundum præscinditur à se, & confusa cum cæteris sit ratio communis vnivoca; per primum autem discernitur à cæteris, apparetque vt contrahens ac determinans Individuationem vt sic.

9 Quare inter Petreitatem & Individuationem vt sic datur formalis distinctio non mutua; sicut inter perfectatem & ens vt sic. Poterit quidem à Petreitate quâ tali iterum atque iterùm abstrahi ratio Individuationis vt sic; at non nova, sed eadem ipsa, quæ primùm abstrahitur: vnde non sequitur infinitudo formalitatum obiectivarum; sed tantùm vis Intellectus, quam nemo negat, ad iterandos conceptus similes syncategorematicè infinitos. Id quod patet in ratione Entis infinitiès

abſtrahibili à perfectate quâ tali. *Reſp. 2.*: Si tranſcendentia non admittitur, Petreitas eſt reſolubilis in duos conceptus invicem diſtinctos formaliter, alterum Individuationis, alterum talitatis eius. Quod autem à talitatibus Individuationis nova ratio talitatis abſtrahi poſsit, & ſic in infinitum ſyncategorematicè; non indicant abſurdum Authores intranſcendentiæ, quorum è numero eſt P. Poinado, pro ſe allegans Doct. Eximium.

10 *Replic.*: ratio Individui includit diverſitatem inferiorum: ergo non eſt vnivoca, ſed analoga. *Prob. ſ. r.c.*: includit differentias individuales; ſed in his conſiſtit tota diverſitas individuorum, v.g. Petri & Pauli: ergo &c.. Nego Antecedens, intellectum de inclusione formali, & ex parte actus. Ad *prob. diſt. Mai.*: includit differentias individuales, ex parte obiecti, *conc.*; ex parte actus, *ſubdiſt.*: vt explicatas, aut explicabiles conceptibus proprijs ac diſcretivis, v.g. his, *Petreitas*, *Paulcitas*, *n.g.*; vt explicabiles indefinitè conceptibus indiſcriminatim conuenientibus cuilibet individuo, v.g. his, *ſingularitas*, *hæceitas*, *conc. Mai.*. Tum *diſt. Min.*: in his conſiſtit tota diverſitas &c., realiter, *conc.*; formaliter, *ſubdiſt.*: in his vt expreſsis per conceptus diſcretivos, *conc.*; vt expreſsis per conceptus indefinitos, *n.g. Min.* & *Conſq.*.

11 *Obiic. 4.*: ratio ipſa communis Individui eſt individuum logicum in eſſe Univerſalis, cum dividi nequeat in plura. Univerſalia: ergo ab ipsâ, & reliquis Individuis, poterit abſtrahi nova ratio Individui; & cum hæc etiam ſit individuum logicum, nova iterùm abſtractio reddibit, & ſic procedetur ſine fine. Inſto in ſententiâ P. Lynceî, cuius eſt argumentum: ratio Prædicabilis vt ſic, eſt etiam quoddam Prædicabile: ergo ab illâ, & cæteris, nova ratio Prædicabilis abſtrahi poterit, & ibimus in infinitum. Item, ab omnibus Speciebus abſtrahi poteſt ratio Speciei quæ ratio, cum ſit etiam quædam Species particularis, eidem ſubeſt difficultati. Directè *reſp.*, non inferri proceſſum infinitum: quia ratio Individui præſcindit etiam à ſemetipsâ, prout eſt quoddam individuum logicum: conceptus enim, *Individuum*, attingit etiam ex parte obiecti concretum, quod conſtituit, ſimul cum cæteris individuis confusè, & indefinitè, ita vt illud non diſcernat à cæteris. Quare non ſupereſt abſtrahenda nova ratio Individui, licèt eadem poſsit milliès abſtrahi, ex num. 9. Vide quę dicemus in ſimili circà rationem communem Prædicabilis diſputa ſequenti.

12 *Obiic. 5.*: ratio communis vnivoca debet præſcindere ab vnitate realis; ſed non ita præſcindit ratio Individui, cum ſit ipſamet ratio *Vnius realis*: ergo &c.. *Confirm. 1.*: terminus, *Vnum*, non eſt vniverſalis, cum affirmari nequeat de omnibus ſimul inferioribus: ergo nec terminus, *Individuum*, qui ſonat idem. *Confirm. 2.*: *Individuum* ſonat *hoc*; ſed *hoc* non eſt terminus communis, ſed demonſtrativus: ergo &c.. *Confirm. 3.*: quia alioquin verè diceretur, *Singulare eſt Vniverſale*, ſicut verè dicitur, *Homo eſt Vniverſale*. *Reſp.* Quidquid ſit de alijs rationibus communibus, ratio ipſa *Vnius realis* ſolùm debet præſcindere ab vnitate realis prout concepta per expreſsionem determinatam, & diſcretivam; non verò prout indefinitè con-

conceptâ. Ratio est : quia realis vnitas solùm obstat vnivocationi, & vniversalitati, quatenùs determinat rationem communem ad aliquod inferius : at non ita determinat, quando exprimitur conceptu indefinito; vt quilque videt.

13 *Ad* 1. *Confirm. n.g. Antec.* cum probatione : quia terminus, *Vnum*, indefinitè sumptus verificatur de omnibus simul individuis, non collectivè, sed distributivè sumptis : eo quippe sensu, quo verè dicitur, *Omnis homo est homo*, dicitur etiam verè, *Omne individuum est vnum. Ad* 2. : terminus, *hoc*, dum substantivè sumitur, est terminus communis, & indefinitè significat omnes hæcceitates in concreto. Quare solùm est terminus demonstrativus, quando sumitur syncategorematicè, seu adjectivè. *Ad* 3. Propositio illa vera est, dum *Singulare* sumitur indefinite, & in suppositione simplici; & sic eam concedit Scotus apud Mastrium (a).

14 *Obiic.* 6. : si potest abstrahi vnivoca ratio Individui, immediatiùs prædicabitur de individuis, quàm Species; vnde individuum non erit immediatè subjicibile Speciei. Nego sequelam : quia imprimis individuum vt sic, latiùs patet, quàm Species, humana v.g.; ideòque mediare nequit inter ipsam, & eius individua. Deinde, si abstrahatur sola ratio *Individui humani*, tam latè patet, quàm Species; nec habet vnde assumatur vt medium, aut ratio cur Species conveniat individuis. Sed quæres, ad quodnam Prædicabile pertineat Individuum vt sic? *Reso.* Idem dicendum, quod de Ente vt sic, & Vno vt sic, prædicari scilicet transcendendo talitates vltimas, atque adeò ad nullum Prædicabile propriè pertinere, quia prædicata transcendentia sunt extrà classem Prædicabilium : vel, si non est transcendens, reduci ad Genus, quia prædicatur de individuis proprio sub nomine propositis *in quid* incompletè, & more partis materialis. Nec magnum erit piaculum, etsi dicatur esse Prædicabile diversum à quinque vulgatis. An autem hìc etiam conceptus, *dissiduum*, seu *divisum reale à quolibet alio*, sit communis & vnivocus, consule P. Peinado hìc disp. 2. sect. 3. §. 2.

(a) *Disp. 5. Log. n. 98.*

---

# DISPUT. II.

## *De reliquis Prædicabilibus Porphyrianis : vbi etiam de numero, & convenientia Prædicabilium.*

## CAP. I.

### *DE DIFFERENTIA.*

1 Differentia latissimè accepta, est *forma diversificans extrema, quæ alioquin conveniunt in aliquo prædicato*, vt sumitur ex Aristotele 5. Metaph. cap. 9. Triplex est, *communis*, *propria*, & *propriissima*. Differentia communis ea est, quâ extrema differunt contingenter, scilicet ratione accidentis, contingenter additi. Sic differt homo albus ab homine nigro. Et hæc differentia recurrit cum *Accidenti* quinto Prædicabili Differentia propria, quæ ferè coincidit cum

*Proprio* quarto Prædicabili, est, quâ extrema differunt necessariò, sed non essentialiter, seu non per aliquid ad essentiam eorum pertinens. Sic ignis ab aquâ differt per calorem in summo. Differentia proprijssima, de quâ solâ in præsenti Capite loquimur, est, quâ extrema differunt essentialiter, nempè ratione prædicati essentialis. Sic rationale differre facit hominem à brutis.

2 Hæc ipsa Differentia est tertium Prædicabile; quod in esse talis definitur ex Porphyrio, *Prædicabile de pluribus specie differentibus in quale quid.* Hæc tamen definitio communiter improbatur vt diminuta, cum non comprehendat Differentiam vltimam specificam, quæ ad hoc Prædicabile pertinet. Melior est, & probata communiter, hæc alia definitio, *Prædicabile de pluribus in quale quid*, sive *tamquam pars formalis metaphysica illorum*; quæ convenit omni Differentiæ, vt patebit; & aliunde convenit ipsi soli: nam Genus non prædicatur vt pars formalis, Species non prædicatur vt pars, Proprium, & Accidens non prædicantur *in quid.*

3 Porrò Differentia prædicari dicitur *in quale*, quia prædicatur quasi adiectivè, nempe vt adiacens Generi, sive instar formæ qualificantis prædicatum genericum (nam interroganti, Quale animal est homo? respondetur, *rationale*); sed cum simul ipsa sit prædicatum quidditativum Speciei, non prædicatur purè *in quale*, sed *in quale quid.* Dicitur etiam prædicari *vt pars formalis essentiæ*, per analogiam cum formâ physicâ: quia, sicut forma physica discernit essentialiter compositum ab alijs specie diversis, & determinat indifferentiam materiæ; ita Differentia discernit essentialiter vnam Speciem ab alijs, & determinat indifferentiam Generis.

4 Sed *obijcies* contrà definitionem. Differentia prædicatur de Specie, & Individuis; & non prædicatur *in quale*, quia illis non adiacet. *Resp.* Sensus definitionis est, *Prædicabile de pluribus vt pars qualificans aliam partem essentiæ illorum.* Quare Tò *in quale* non refertur ad totam essentiam Speciei, vel Individui, sed ad aliquod prædicatum eius, nempe genericum. *Obijc.* iterùm: Genus prædicatur *in quid*, & Differentia *in quale*: ergo Species, quæ Genus & Differentiam includit, prædicabitur in *quale quid. Resp.* Totum concedi potest, si sumatur Species pro definitione, vt cum prædicatur essentia hominis, non sub termino *homo*, sed sub termino *animal rationale.* Sed in hoc tractatu sumitur Species prout significata simplici termino, v.g. *homo*; quo sensu includit Genus & Differentiam *implicitè* & *indistinctè.* Differentia autem non prædicatur in *quale*, nisi prout distinctè expressa.

5 Dividitur Differentia in *subalternam* & *vltimam*, sive *atomam.* Subalterna est, quæ sub se continet Species, vt *sensibile*, quæ est differentia Generis *Viventis.* Ultima est, quæ sola individua numero distincta sub se continet, vt *Rationale.* De differentiâ individuali (quæ alioquin verè vltima est) non habetur ratio in præsenti: tum quia contemnitur ab Scientijs quasi nulla, vel nullo digna examine, saltem quando non sumitur in communi vt prædicatum transcendens: tum quia nunc solùm agitur de ijs differentijs, quæ immediatè dividunt Genera directè collocata in arbore Prædicamentali: quo sen-

sensu Differentia Speciei atomæ dicitur vltima.

6 Et hæc eadem est, quæ vocatur *Specificativum intrinsecum, Vltimum & formale constitutivum Speciei, Distinctivum primarium, Primà radix proprietatum specificarum*: quæ omnia intelligenda sunt in sensu metaphysico & logico; nam in physico non nisi de formâ physica realiter à subiecto distinctâ verificantur. Quocirca rationale v. g. eatenùs dicitur metaphysicè radicare proprietates hominis, quatenùs per illud prædicatum eæ probantur quasi accessoriæ. Ex eo enim, quod homo sit rationis particeps, argumentando colligimus, esse volitivum, capacem liberi arbitrij, disciplinæ, risus, admirationis, &c. Unde resultat, à nobis apprehendi rationale instar cuiusdam radicis talium prædicatorum, fundamento desumpto ex ordine, quem servant operationes inter se: quamvis ex parte obiecti nulla sit distinctio inter rationale & volitivum, &c. proindeque nulla radicatio, vel emanatio.

7 Quatuor numera passim tribuuntur Differentiæ. 1. *dividere, seu contrahere Genus.* 2. *constituere Speciem.* 3. *essentiam Speciei ab alijs distinguere.* 4. *de inferioribus prædicari.* Hæc omnia sunt opus rationis: nam à parte rei nulla est indifferentia Generis, nec datur Genus nisi fundamentaliter; nec Species constituitur ex partibus metaphysicis; nec ab alijs distinguitur per partem sui, sed per se totam; nec quid quam est superius, quod de inferioribus prædicetur. Quare illa omnia solùm verificantur in esse reflexo supponente distinctionem rationis inter prædicata Speciei.

8 Si quæras, quænam sit formà rationis, per quam Differentia constituitur talia munera præstans? *Resp.* 1. Differentia constituta actu dividens, seu contrahens Genus, per judicium exprimens identitatem realem vtriusque, sive illud fit directum, vt *Rationale est animal*; sive indirectum, vt *Animal est rationale.* Probatur: quia Genus eatenùs dividitur, seu contrahitur, quatenùs apparet determinatum ad vnam Speciem præ alijs: vt è contrario eatenùs est indivisum & abstractum, quatenùs ita concipitur, vt ad nullam Speciem determinatum appareat. Sed per judicium illud apparet Genus, *animal* v.g., determinatum ad Speciem humanam. Patet hoc: nam, sicut animal apparet indeterminatum & indifferens ad varias Species, dum non apparet realis identitas eius cum rationali, nec irrationali; ita apparet determinatum ad Speciem humanam, dum apparet eius identitas cum rationali; iam enim aufertur tota ratio indeterminationis, & indifferentiæ. Talis autem identitas procul dubio apparet in eo iudicio.

9 *Obijcies*: si iudicium est qualitas composita, manet animal in ijs prædicationibus perfectè Universale: ergo manet indeterminatum & indifferens: ergo non contrahitur. Imò in nostrâ sententiâ, etsi iudicium sit simplex qualitas, manet animal cum amplitudine obiectivâ Universalis propriâ: implicat autem, quod Totum, dum actu dividitur, retineat amplitudinem, quam præhabuit. *Resp.* Si iudicium est compositum, manet animal indeterminatum vi cognitionis *animal*, simulque determinatum vi conceptus *est* vt affixi conceptui *rationale*: vnde non pugnant illæ denominationes; quia tribuuntur à formis realiter distinctis. Illud

autem mentale verbum *est* denominat animal contractum, & rationale contrahens *vt quod*; quia, dum nectit extrema latitudinis inæqualis, ex se habet tribuere angustiori denominationem *contrahentis*, & ampliori denominationem *contracti*.

10 Quodsi ponatur iudicij simplicitas, per actum iudicij non manet animal simpliciter indeterminatum, aut indifferens, cum appareat conveniens determinatæ Speciei. Quod autem, cùm dividitur, obiectivam Universalis amplitudinem retineat, non est absurdum. Tum quia divisio Totius potentialis non imitatur in omnibus divisionem Totius actualis, vt notum est: quare sufficit ei, quod formalem indifferentiam à Toto præhabitam (v. g. in prævia apprehensione *animal*) minuat, aut impediat. Tum quia, licèt divisio realis destruat amplitudinem Totius, non ita divisio mentalis, vt patet vel in ipso Toto actuali, quod per hunc actum indivisibilem, *Hominis alia pars est anima & alia corpus*, mentaliter dividitur, quin ideò desinat cognosci vt Totum per expressionem, *hominis*, quam secum identificat totus actus. Ad divisionem ergo mentalem sufficit, quod aliqua, vel omnis pars distincte cognoscatur vt inclusa in Toto, vel sub Toto, quamvis eodem actu simul cognoscatur Totum ipsum vt tale.

11 *Resp.* 2. Differentia redditur actu constituens Speciem *explicitè*, tum per iudicium, de quo n. 8., tum etiam per apprehensionem complexam, quæ est definitio Speciei. Probatur: quia pars tunc constituit Totum, cum actualiter coniungitur, sive vnitur alteri comparti: per iudicium autem, *Rationale est animal*, mentaliter coniungitur rationale cum animali, cum appareat expressè realis identitas vtriusque; sicut è contrario mentaliter distinguitur, quando ab illâ identitate præscinditur. Hinc, si iudicium est realiter compositum, expressio respondens verbo *est* gerit munus vnionis metaphysicæ. Si verò iudicium sit actus simplex, res est difficilior: quia omnis compositio est *vnio distinctorum*, in eâ lineâ, in quâ compositio est: animal autem & rationale per illum actum non sunt extrema ratione distincta. Dicendum tamen, compositionem metaphysicam, vtpotè impropriam, & metaphoricam, non omnibus teneri legibus compositionis physicæ, proindeque non esse vnionem *distinctorum* actu & formaliter, sed *distinctorum* præsuppositivè, quatenùs est actus per se supponens simplices apprehensiones, *animal*, & *rationale*, per quas extrema ratione distinguuntur.

12 Quod attinet ad apprehensionem definitivam, v.g. *Animal rationale*, per illam etiam apparet realis identitas vtriusque prædicati, licèt minùs expressè, quàm per iudicium: vt enim definitiva sit, reddere debet hunc sensum, *Animal quod est rationale*: quare iam vnit mentaliter vtrumque prædicatum. Quodsi definitio illa sit actus realiter compositus, conceptus *rationale* per se ipsum est alligatus conceptui *animal*, vt alibi (a) notavimus; ideòque ipsemet erit & forma vnius partis, & compositio in abstracto, sive vnio vtriusque. Si verò ponatur simplex actus, idem de eo, quod de simplici iudicio, dicendum. Dixi in responsione num. 11., *explicitè*: quia Differentia redditur *implicitè* constituens Speciem per simplicem ex-

(a) *Tract.* 1. *disp.* 2. *cap.* 7. *num.* 22.

pres-

pressionem Speciei vt talis, v.g. per conceptum *homo*, per quem constituitur Species prout in hoc tractatu sumitur, scilicet non vt definita, sed vt proximè definibilis, atque adeò vt imbibens Genus & Differentiam implicitè & indistinctè.

13 Ex dictis vides, quid sit, & in quo consistat compositio metaphysica, de quâ toties incidit sermo. Est etenim *Cognitio, per quam prædicata genericum & differentiale, quæ secùm accepta formaliter distinguuntur mutuò, redduntur quasi coniuncta & vnita ex apparentia realis identitatis ipsorum.* Unde ad compositionem metaphysicam duo prærequiruntur, & quod detur mutua distinctio rationis inter extrema, & quod alterum sit Genus, alterum Differentia; vt ita concipiatur alterum indifferens, & quasi determinabile, potentiale, & perfectibile per alterum: nam compositio ista nomen analogicè desumpsit à compositione physicâ materiæ, & formæ, maximè secundùm indifferentiam vnius partis, ac determinationem alterius. Hinc, vt hoc obiter notem, in Deo non admittitur compositio metaphysica: quia, nec attributa Divina, etiamsi ratione distinguantur, nec prædicata sive analogicè sive vnivocè communia Deo & creaturis, habent rationem Generis, aut Differentiæ logicæ; vt alibi Deo dante discetis.

14 *Resp.* 3.. Differentia redditur actu distinguens essentiam Speciei ab alijs, per eosdem actus, per quos redditur explicitè constituens Speciem. Res est clara: quia Differentia, suppositâ ipsius indole distinctivâ, seu discretivâ, nihil expectat, vt actu distinguat essentiam, quàm quod requiritur, vt illam actu constituat; vt patet in forma physicâ. *Resp.* 4.. Differentia prædicatur actu de inferioribus per judicium, in quo subijciuntur ipsi vel inferiora solo distincta numero, si Differentia sit vltima; vel etiam specie distincta, si Differentia sit subalterna. Hoc etiam per se planum est. Hactenùs de Differentia prout actualiter præstante quatuor illa munera num. 7. Sed, si quæras, per quam formam constituatur proximè potens ea præstare? *Resp.*: per simplicem conceptum differentialem, v.g. *rationale*: per illum enim fit proximè habilis ex parte sui, vt subijciatur Generi, vel de Genere, deque suis inferioribus prædicetur; ac proinde fit proximè contractiva Generis, constitutiva & distinctiva Speciei, & prædicabilis de inferioribus. Quare non opus est notitiâ comparativâ, vt circà Universale Logicum ostendimus tract. præcedenti.

## CAP. II.

### *Nonnullæ Quæstiones circà Differentiam deciduntur.*

1 QUær. 1.: an Differentia sit Universalis respectu Speciei, quam constituit? Affirmat cum alijs Thomistis M. Prado. Sed negat communis, & vera sententia: quia Differentia non est superior Specie, quàm constituit, cum non latiùs pateat, sed cum eâ convertatur, v.g. rugibile cum leone, vel sensibile cum animali: omne autem Universale superius est eo, quod respicit quatenùs Universale, vt notum est. *Dices* 1.: Differentia *rationale* v.g., de solâ Specie prædicatur vt Differentia (nempe *in quale quid*, sive vt pars formalis), non ve-

rò de individuis; hæc enim inter se differunt, non per rationale, sed per hæcceitates: atqui Differentia Universalis est respectu illius, de quo prædicatur vt Differentia: ergo &c. *Resp.* 1. *neg. Min.*: quia, licèt omnis Differentia sit Universalis, non tamen sub eodem formali respectu, sub quo est Differentia: & idcircò dici solet, non idem, sed duplex munus Differentiæ, *distinguere*, & *prædicari* more Universalis. Quia tamen prædicabilitas de pluribus, fundatur in munere constituendi, ac distinguendi Speciem; ideò propria est Differentiæ vt talis, tertiumque Prædicabile constituit. *Resp.* 2. *neg. Mai.*: quia rationale prædicatur etiam de individuis vt Differentia, non quâ Petrus & Paulus differant inter se, sed quâ differant à brutis; facit enim differre, non solùm hominem ab equo, sed etiam Petrum à Bucephalo.

2 *Dices* 2.: Differentia prædicatur de individuis mediâ Specie: ergo vt Universalis immediatiùs respicit Speciem, quàm Individua. Patet Consequentia paritate Generis, quod prout Universale respicit Speciem immediatiùs, quàm individua completa, quia de his prædicatur mediâ specie. *Dist. Antec.*: media Specie, tamquam æquali, *conc.*: tamquam inferiori, *neg. Antec. & Conseq.*, quin obstet probatio: Genus quippè vt Universale respicit Speciem, non quia hæc mediat vtcumque inter Genus & individua, sed quia mediat tamquam ratio inferior Genere. Hinc respectus Differentiæ tamquam Universalis ad individua, est immediatus, quia non terminatur priùs ad alium terminum. *Replic.*: eodem modo, quo prædicatum dicitur de subjecto, dicitur de omni contento sub ipso: ergo eodem modo, quo Differentia prædicatur de Specie, prædicatur de individuis sub eâ contentis. *Dist. Antec.*: eodem modo, quantum ad prædicationem essentialem, vel accidentalem, *conc.*; quantum ad prædicationem superioris de inferiori, vel æqualis de æquali, *neg. Antec.*, & sub eâdem distinctione *Conseq.*

3 *Dices* 3.: hæc est prædicatio formalis, *Homo est rationalis*: ergo pertinet ad aliquod Prædicabile: sed non ad aliud, quam ad tertium: ergo &c. *Confirm.*: Differentia non prædicatur de Specie vt singularis: ergo vt Universalis *Resp. neg.* 1. *Conseq.*: nam, cum illa non sit prædicatio superioris de inferiori, ad nullum Prædicabile pertinet. Vt autem sit prædicatio formalis, sufficit quòd sit prædicati formaliter pertinentis ad essentiam subiecti, quamvis sit æqualis de æquali, modò non sit identica; vt patet in his, *Deus est Substantia infinita*, vel *est Ens à se*. *Ad Confirm. neg. Conseq.*: quia, licèt omne prædicatum debeat esse ipsâ vel singulare, vel vniversale, non tamen debet alterutrum munus gerere respectu cuiuslibet subiecti; sed potest ab vtroque præscindere, dum respicit subiectum nec superius nec inferius, sed purè æquale.

4 *Replic.*: Differentia de pluribus prædicatur prædicatione formali, quàm Species; prædicatur enim, tum de individuis, tum de specie ipsâ, cum tamen species de se ipsâ non prædicetur nisi identicè: jam ergo Differentia latiùs patet in prædicando, proindeque superior est Specie. *Dist. Antec.*: prædicatione formali, quæ sit æqualis de æquali, *conc.*; quæ sit superioris de inferiori, *neg. Antec. & Conseq.*: nam latiùs

titudo maior in prædicando, quæ propria est Universalis, desumitur ex ordine ad plura inferiora. Adde quòd etiam Species de Differentiâ prædicatur prædicatione non identicâ, cum tamen Differentia de se ipsâ non nisi identicè prædicetur: datur ergo compensatio latitudinis in prædicando, proindeque illæsa manet æqualitas. Notandum hic, Differentiam prædicari vt Speciem de suis individuis incompletis, prout ita conceptis v. g., *Hoc rationale*, *Illud rationale*; sicut de Genere notavimus disp. 1. cap. 1.

5 *Quær.* 2.: an Differentia detur à parte rei? *Resp.* Datur à parte rei (ideſt, independenter ab Intellectu) Differentia sumpta pro dissimilitudine, seu diversitate inter extrema, quæ simul conveniunt convenientiâ sumptâ pro similitudine. Atque hoc sensu intellecta definitio Differentiæ, tradita cap. 1. num. 1., propriè verificatur à parte rei. Si tamen Differentia, saltem proprissima, sumatur logicè, aut metaphysicè, non datur à parte rei formaliter, sed purè fundamentaliter: sic enim accepta, est pars formalis essentiæ specificæ, contractiva Generis, distinctiva eorum, quæ alioqui convenirent convenientiâ significante vnitatem in prædicato generico, ac demùm prædicabilis de pluribus *in quale quid*: quæ omnia supponunt distinctionem actualem inter prædicata realiter identificata, quæ distinctio, cum sit opus rationis, non datur à parte rei.

6 *Quær.* 3.: an vltima Differentia sit formalitas simplex, sive indivisibilis in plures formalitates directas, & invicem ratione distinctas? Negarunt vniversim plures Antiqui, omnem Differentiam vltimam ex duabus, aut pluribus constituentes: vnde hominem v.g. definiebant, *Animal rationale mortale*, vt per *mortale* differret ab Angelis, per *rationale* à brutis; atque ita coalesceret ex vtroque differentia hominis completa. Communis tamen sententia, in plerisque substantijs, & accidentibus, præsertim physicis, & absolutis, vltimam Differentiam asserit esse prædicatum simplex. *Prob.*: quia *rugibile* v.g., nullo fundamento divides in plures formalitates illiusmodi: quamvis enim in leone consideres proprietates, aut operationes inter se diversas, nec alijs animalibus communes, semper tamen vnam præcipuam operationem invenies, quæ veluti fundat & radicat cæteras, quamque *rugitum* appellamus. Si ergo concipias istius operationis principium conceptu *rugibile*, habebis prædicatum simplex, quod leonem discernit ab alijs, estque prima radix omnium proprietatum eius.

7 Idem experientia docet in alijs substantijs. Idem in accidentibus: quo enim fundamento divides in plures formalitates Differentiam coloris in Specie albedinis v.g.? Sæpè quidem differimen vnius Speciei ab alijs explicamus, non vno, sed pluribus terminis: at non tunc vtimur definitione essentiali, sed meræ descriptivâ, plerumque necessariâ ob ignorantiam differentiæ essentialis. Sed nota, quæstionem procedere de formalitatibus directis, quæ scilicet denotant prædicata primæ intentionis, vt illa, *rationale*, *mortale*. Si tamen reflexè loquamur, à qualibet Differentiâ iam præcisâ potest abstrahi ratio communis *differentiæ*, quæ, si non transcendat formaliter talitatem, per quam ad rugibile contrahitur, erit formaliter invicem

dis-

distincta ab eâ talitate. Sed in hoc sensu non loquimur.

8 Nihilominùs putant Arriaga, Quiros, Aversa, cum alijs, valdè probabile esse, quod vltima Differentia non rarò ex pluribus coalescat, præsertim in accidentibus, sive in actibus animæ. Sic apparet in pluribus Speciebus mixtis, quæ perfectionem duarum secum identificant: v.g. in habitu, vel actu simul practico, & speculativo, in actu simul pertinente ad duas virtutes, justitiæ, & temperantiæ, & in actu, qui simul sit scientia & fides. Enimverò, Species, de quâ prædicantur duo Genera diversa, & non subordinata, videtur exigere duplicem formalitatem differentialem, quarum quælibet suo Generi respondeat. Justitia autem & temperantia, aut scientia & fides, Genera sunt diversa, & inconnexa. Nec obstat paritas formæ physicæ, quæ vnica est in quovis compositо. Tum quia vnica etiam est materia physica; & tamen Genus, quod est materia metaphysica, potest in vnâ Specie multiplex esse; vt modò notavimus. Tum quia Differentia, cum sit forma analogica, & metaphorica, non debet esse per omnia similis formæ physicæ: vnde in quâvis Specie atomâ, præter Differentiam vltimam, dantur plures aliæ subalternæ; quin ideò simile quid inveniatur in formis physicis.

9 Dices: ergo vltima Differentia hominis non erit simplex. *Resp.* Rationale est Differentia hominis adæquata, non prout præcisè sonat *Intellectivum* (sic enim est Genus ad hominem & Angelum), nec item prout convenit animæ à corpore separatæ; sed prout significat *Discursivum connaturaliter pendens in intelligendo à sensione phantasiæ.* Hoc sensu probabile videtur ex dictis, quod Rationale non sit differentia omninò simplex; contrahit enim ad hominem duo Genera prorsùs inconnexa, & non subordinata, nempè *Animal*, & *Intellectivum*; idque habet speciale præ cæteris speciebus substantialibus. Qui tamen velit, vtrumque Genus contrahi per indivisibilem formalitatem, quæ in alijs Speciebus mixtis, v. g. in actu scientiæ & fidei, est innominata, in homine autem nominatur *rationale*; non facilè impugnabitur.

10 *Quær.* 4. & principaliter: vtrùm Genus transcendat formaliter vltimas Differentias? sive, vtrùm Differentia vltima includat formaliter Genus? Tunc prædicatum A *transcendit formaliter* prædicatum B, aut in eo *formaliter includitur*, quando pertinet ad definitionem, seu explicationem quiddicativam illius, ita vt B sub proprio conceptu non possit plenè explicari, quin dicatur esse A: & ideò tunc A dicitur *identificari formaliter* cum B. Sic in homine formaliter includuntur prædicata, *animal*, & *rationale*, & illa etiam omnia, per quæ definitur tam animal, quàm rationale. Certum est, omnia Genera, & Differentias superiores includi formaliter in Speciebus inferioribus, v. g. in homine Genera *corpus*, *vivens*, *animal*, & Differentias *animatum*, *sensibile*. Certum item, prædicata inferiora, sive Species, sive Differentiæ sint, non includi formaliter in superioribus: neque enim animal definitur per hominem, aut rationale; neque vivens per animal, aut sensibile. Solùm itaque dubitatur, an Genera & Differentiæ superiores transcendant formaliter Differentias Specierum inferiorum constitutivas. Brevi-

vitatis gratia loquimur de Differentijs vltimis, vt sunt rationale, rugibile, hinnibile, è quibus consequentia facilis erit ad subalternas relatu ad Genera, quæ contrahunt.

11 Pro parte affirmativâ citantur Nominales, necnon Soncinas, & Aversa, quibus adhærent aliqui RR. Negativa communis est in omni Scholâ cum Aristotele & D. Thomâ citatis à P. Peinado (*a*). Hæc mihi vera est: &, omissis probationibus, quæ pariter impugnant transcendentiam entis, de quâ modò nihil discernimus, *probatur* breviter. Genus & Differentia componunt Speciem in lineâ formali, seu tanquam partes metaphysicæ: sed partes in eâ lineâ, in quâ Totum componunt, debent mutuò distingui, nec altera alteram includere. Probatur hoc: tum exemplo partium in lineâ physicâ componentium: tum quia, si altera pars alteram includit, æquabitur Toti; vnde, vel non erit pars, vel falsificabit principium illud per se notum, *Omne Totum est maius sua parte.* Vrgetur hoc ipsum: si Differentia formaliter includit Genus, nihil est formaliter in Specie, quod non sit etiam in Differentiâ, vt evisceranti patebit: ergo Differentia vltima non erit Prædicabile ab Specie diversum; siquidem *rationale*, non minùs quàm *homo*, prædicabitur de individuis *in quid* completè, sive vt tota essentia. *Confirm.* Certum videtur, quod nec Species, nec Genus transcendit formaliter Proprium metaphysicum, v.g. *risibile*: in quo tamen argumenta contrariorum æquè militant.

12 *Obijc.* 1.: rugibile v. g., quæ est differentia leonis, est formaliter principium sensationis, & vitæ: ergo est formaliter animal, & vivens. *Prob. Antec.*: quia rugibile est formaliter principium rugitus & rugitus est formaliter sensatio, & vita. Similiter discursus, quâvis nó sit sensatio, est formaliter vita: ergo principium eius, quod est rationale, debet includere formaliter Genus *viventis*. Imprimis obiectio instatur in risibili, quod est formaliter principium risus, qui est formaliter sensatio, & vita. Deinde noto, *rugibile*, *rationale*, & alia nomina Differentiarum, sæpè accipi pro totâ Specie, significarique subsantivè hoc aut simili sensu, *Quod est rugibile*, *Quod est rationale*. Hoc modo prædicata ista Genus includunt, suntque principium rugitus, aut discursus adæquatè sumpti. Sed eo sensu non loquimur in præsenti. Accipimus igitur illa nomina, seu prædicata purè adiectivè, quatenùs concipiuntur instar formæ adiacentis, & modificantis aliud: quo sensu potest rugibile v. g. definiri bifariàm, nempè vel sub munere Differentiæ, vel per connotatum operationis inadæquatè sumptæ.

13 Rugibile sub munere Differentiæ definitur, *Talitus determinans animal ad leonem*; quæ definitio non est per animal in recto, sed in obliquo, seu connotato; sicut vbicatio non definitur per corpus in recto, dum sic definitur, *Modus vltimò determinans corpus ad locum*. Per connotatum operationis definitur, *Principium rugitus*: sed, cum rugitus sit etiam quædam integra Species operationis, includens sua prædicata generica, quæ sunt sensatio, & vita, insuperque suam differentiam specificam, per quam ab omni aliâ sensatione discernitur; fit, vt rugitus adæquatè sumptus correspondeat prædicatis leonis distributione accommodâ; nam, quatenùs est vita, correspon-

(*a*) *Tract. 2. disp. 3. n. 2.*

ponat prædicato *viventis*; quatenùs est sensatio, prædicato *animalis*; quatenùs est talentas, aut differentia discernens hanc speciem operationis ab alijs, prædicato *rugibilis*. Unde rugibile, purè adiectivè conceptum, non est formaliter principium rugitus adæquatè sumpti, sed tantùm purè differentialiter accepti; quo sensu rugitus non est formaliter sensatio, nec vita. Idem dicito de discursu; qui tamen, etiam adæquatè sumptus, non est vita illius Generis, quod sub se continet animal, & non nisi medio animali descendit ad inferiora; non enim discursus est sensatio. Solùm ergo est vita de Genere Intellectivo, quod etiam contrahitur per rationale hominis absque transcendentiâ formali.

14 *Obiic.* 2.: Differentia cognitionis terminatæ ad Petrum, includit formaliter prædicatum genericum *cognitionis*, aut *tendentiæ cognoscitivæ*: iam ergo aliqua Differentia includit formaliter Genus. *Prob. Antec.*: quia Differentia illa non est præcisè tendentia intentionalis in Petrum; alioqui non differret à tendentia amoris terminati ad Petrum: ergo est tendentia formaliter cognoscitiva. *Neg. Antec.*: & in *probat. neg. Conseq.*: quamvis enim illa Differentia non sit formaliter cognitio, seu tendentia cognoscitiva, satis differt à tendentiâ propriâ amoris ex eo, quod sit talentas tendentiæ cognoscitivæ, connotans scilicet Genus *cognitionis*, cuius determinatio est. Plurimas quidem Differentias explicamus terminis significantibus totam Speciem: sed id provenit, nō ex inclusione formali, sed ex penuriâ vocum.

15 *Obiic.* 3. vulgatus syllogismus in *Darapti*, videlicèt, *Omnis homo est formaliter animal*, *Omnis homo est formaliter rationalis*, *ergo aliquod rationale est formaliter animal*: vbi concluditur formalis identitas rationalis cum animali ex Præmissis veris, & ritè dispositis. Verùm hæc obiectio solvenda est omnibus: nam eâdem formâ potest contrà sententiam omnium concludi formalis inclusio rationalis in animali, sic nimirùm, *Omnis homo est formaliter rationalis*, *Omnis homo est formaliter animal*, *Ergo aliquod animal est formaliter rationale*. Præterea, syllogismi forma non tenet: quia formalis identitas potest esse non mutua, iuxtà communem sententiam alibi probandam: atque ita est in præsenti; quamvis enim homo sit formaliter animal, non ideò animal, vti nec rationale seorsùm, est formaliter homo. At, quando Extrema non identificantur cum Medio, licèt hoc identificetur cum illis, non concluditur ipsorum identitas inter se; cum non habeat locum illud principium, *Quæ sunt eadem vni tertio &c.* Hinc formalis identitas non mutua tam non distribuit Medium, quàm realis inadæquata: ideòque syllogismus ille similis est huic, *Omnis homo est inadæquatè anima rationalis*, *Omnis homo est inadæquatè corpus*, *Ergo aliquod corpus est inadæquatè anima rationalis*.

16 *Obiic.* 4.: Differentia vt talis concipi nequit sine Genere: ergo formaliter includit Genus. *Dist. Antec.*: sine Genere, tamquam connotato, *conc.*; sine Genere, tamquam prædicato sui quidditativo, *neg. Antec.*, & *Conseq.* Differentia vt talis connotat Genus vt obliquum, sivè vt terminum connexionis; ideòque sine mentione illius concipi non potest. Sed non inde infertur inclusio formalis, imò nec realis; vt patet in creaturâ, quæ vt talis non con-

ci-

cipitur sine Deo, nec vnio sine extremis, nec modus sine re, quam determinat. Dices: si animal apparet ex parte actus in definitione rationalis, quomodò præscinditur rationale ab animali? *Resp.* Præscinditur, non quidem *præcisione indifferentiæ*, sed *præcisione non inclusionis*, cui non obstat apparentia animalis per modum obliqui, seu connotati; cum eâ quippè stat, quòd non appareat vtriusque realis identitas, nec ex solâ vi talis actus dici possit, *Rationale est animal*. Tota solutio patet in risibili, quod, vt proprietas est, nec concipi, nec definiri potest sine essentiâ hominis, cuius est proprietas: & tamen non illam formaliter includit.

17 *Objc. 5.*: Differentia est definibilis: ergo per Genus: ergo formaliter includit Genus. Imprimis, Differentia iuxtà communem opinionem non est strictè definibilis per Genus & Differentiam, cum non habeat compositionem metaphysicam; sicut etiam de supremo Genere dici solet. Deinde, esto per Genus aliquod definiatur, non definitur per illud, de quo disputamus, nempè quod contrahitur ad illam Speciem, cuius Differentia est pars. Definietur ergo per alia Genera transcendentia, vel quæ non pertinent ad lineam Prædicamentalem, v.g. per *principium*, vt cùm rationale definitur, *Principium discurrendi*: vel etiam per Genera *talitatis*, *formalitatis*, *differentiæ vt sic*; & in esse Universalis logici, per genus reflexum, *Prædicabile*. Sed nunc de solis Generibus disputamus directè positis in Prædicamento, cuius in lineâ transversali ponuntur Differentiæ: nam relatu ad illa alia Genera, Differentia non est differentia, sed species quædam.

18 Ad extremum duo notabis. 1.: Genus, *substantia*, prout significat substantiam completam, quæ in Prædicamento ponitur, non includitur formaliter in rationali. Unde rationale formaliter nec est substantia, nec accidens, sed est talitas substantiæ: potest enim in sensu formali dari medium quid inter substantiam & accidens, licèt non in sensu reali. Si tamen ratio substantiæ in aliquâ abstractione sic prædicatum transcendens, includetur quidem in rationali; sed tunc non erit Genus. 2.: quod diximus de Genere respectu Differentiæ specificæ, subalternæ, vel infimæ, intelligendum pariter de Specie respectu Differentiæ individualis, v.g. de homine respectu Petreitatis.

## CAP. III.

### *DE PROPRIO.*

1 QUartum Prædicabile Porphyrianum est *Proprium*, seu *Differentia propria*; quæ primò intentionaliter accepta, est *id, quod essentiam, quam supponit constitutam, necessariò & per se consequitur*: accepta verò secundò intentionaliter, sive in esse Universalis, est *Prædicabile de pluribus in quale per se & necessariò*; vel, quod eòdem redit, *Prædicabile de pluribus per se & necessariò, sed extra essentiam*. Per ly *extrà essentiam* differt à Genere, Specie, & Differentiâ: per ly *per se & necessariò*, differt ab Accidenti mox explicando. Proprium, aliud est physicum, aliud metaphysicum, sive logicum. Physicum est, quod per se necessariò consequitur essentiam, à quâ realiter distinguitur. Sic lux est proprietas Solis, &

calor ignis. Metaphysicum est quod, cum realiter idem sit cum essentiâ, tamen ab eâ formaliter distinguitur, & ex modo concipiendi ab eâdem quasi radicatur: quod genus radicationis explicuimus supra cap. 1. n. 6. Sic risibile, & admirativum dicuntur proprietates hominis.

2 Quatuor genera proprietatum, seu quatuor modos Proprij distinxit Porphyrius. Proprium *primo modo* est, *quod soli Speciei convenit, sed non omni eius individuo*; vt esse Medicum; quod solius est hominis, sed non omnis. Proprium *secundo modo* est, *quod omni individuo Speciei convenit, sed non soli*; vt esse bipedem; quod & omni homini convenit, & etiam avibus. Proprium *tertio modo* est, *quod omni & soli individuo Speciei convenit, sed non semper*; vt canescere, quod omnis & solius est hominis, non omni tempore, sed in senectute. Proprium *quarto modo* est, *quod convenit omni & soli individuo Speciei, & semper*: atque ita convenit homini esse risibilem. Hæc exempla, quæ Porphyrius adducit pro quatuor modis Proprij, fortè reijcere voles ex Caramuele.

3 Nam in primis, esse Medicum etiam Angelis conveniet, addo & brutis animantibus, quæ naturæ instinctu opportuna sibi remedia passim adhibent. Deinde, bipedem esse non omni homini convenit: nam, si qua fides Plinio, non longè à Troglodytis homines sunt miræ pernicitatis, quos *Sciapodes* vocant, vnico pede instructi, atque ita magno, vt vmbrâ illius ab æstu se protegant resupini iacentes. Præterea, canescere convenit etiam corvis, & canibus; & iuxtà Aristotelem 5. de gener. animal. cap. 5., maximè convenit equis. Postremò, risibiles esse convenit etiam equis, elephantis, & canibus. Eadem exempla latè reijcit Servera disput. 10. Log. cap. 1.; qui præsertim invehitur contrà risibile. Nam primùm carpit vocabulum ipsum vt ineptum: *risibile* enim non tam significat *ridere potens*, quàm *risu dignum*; sicut *amabile*, & *admirabile* significant *amore*, & *admiratione dignum*: quare aptiùs diceretur homo *risivus*, sicuti dicitur *admirativus*. Deinde fusè probat, eam proprietatem alijs animantibus præter hominem conuenire. Postremò probat etiam cap. 3., præsertim num. 35., non omnem hominem necessariò esse risibilem, aut risivum.

4 Scrupulis hisce poterit occurri, si dicatur ad 1., medicinam, prout est ars studio & labore parata, propriam esse solius hominis, nec Angelis, aut brutis convenire. Ad 2., Plinij testimoniam reculari posse: vel eo admisso, tales homines per se, & suapte naturâ binos pedes exigere, quamvis per accidens nascantur vnipedes, vt non rarò, vel inter nos, bicipites nascuntur. Ad 3., canescere manifestè, & toto capite, solius esse hominis; quamvis animalia quædam imperfectè canescant; vt monet Aristoteles ibidem cap. 3. & 5.. Ad 4. canes (idem esto de brutis alijs) blandiri quidem, exultare, & quædam lætitiæ signa præseferre; sed non propriè ridere; sicut non propriè discurrunt, quamvis naturali sagacitate discursum imitari videantur. Risus ergo, si vere talis est, & non merè apparens, per se supponit admirationem aliquam; proindeque rationis actum; de quo in Animastica. Nec facilè probabitur, dari posse homines suapte naturâ non risivos, & tamen eiusdem speciei cum ijs, quos de facto novimus. Significatio

acti-

activa vocabuli *risibile* sustineri potest ob consuetudinem Scholarum, quibus immeritò negabitur ea potestas in vocabula, quæ cadit in vulgus.

5 Facilè tamen assignari poterunt alia exempla pro singulis quatuor modis Proprij, sistendo in Specie humanâ. V. g. pro primo, esse baptizatum, aut Sacerdotem: pro secundo, posse cibum capere, vel esse locomotivum, aut sensibiliter appetitivum: pro tertio, esse divisum in corpus & animam permanentem, vt accidit tempore mortis: pro quarto, esse admirativum. Ubi notandum, fieri posse plures alias combinationes Proprij, præter quatuor enumeratas à Porphyrio: quâ de re videndus Serverа disput. 10. num. 2.

6 Nunc *quæritur* 1.: quonam ex illis quatuor modis pertineat Proprium ad quartum Prædicabile? Communiter dicitur, solum Proprium quarto modo hùc pertinere: quia cætera, vel contingenter accidunt subiecto, vel sunt alijs rebus communia; *proprium* autem contraponitur *communi*; vnde inquit Aristoteles 1. Topic. 4., *Nemo propriam alicuius rei dixerit, quod alijs conuenire potest.* Dicendum tamen, ad hoc etiam Prædicabile pertinere Proprium secundo modo: quia plurima sunt accidentia, quæ per se prædicantur, & necessariò consequuntur essentiam, & tamen sunt Propria secundo modo, cum non soli speciei conueniant. Hæc autem pertinere nequeunt ad quintum Prædicabile: ergo ad quartum.

7 Sic tres illæ proprietates, quas pro secundo modo assignavimus num. 5., per se comitantur essentiam hominis, nec contingenter prædicantur: & tamen brutis etiam conueniunt; quia fundantur in prædicato generico animalis. Imò proprietates aliquæ sunt, quæ fundantur in supremo Genere substantiæ, v. g. esse receptivum accidentium, vel esse ab accidenti perfectibile; quæ est proprietas per se & necessariò comitans omnem substantiam completam, & creatam. Nec obstat rigor nominis, *proprium*: quod, vt notant Conimbricenses, non accipitur hic in rigore grammatico, sicut illud accepit Aristoteles loco nobis obiecto; sed tantùm prout significat accidens per se exactum ab essentiâ subiecti.

8 *Quær.* 2.: vtrùm prædicationes de Proprio sint necessariæ veritatis? *Resp.* 1.. Prædicationes de Proprio metaphysico sunt æternæ veritatis: quia risibile v. g., vel admirativum, est essentialiter inseparabile ab homine, vtpotè cum ipso realiter identificatum. Nec te moveat argutia Serveræ loc. cit. à. n. 27. negantis contrà sententiam omnium, vllum esse Proprium metaphysicum: quia, inquit, non est Proprium, saltem *quarto modo*, nisi quod necessariò subsequitur essentiam, & ab eâ necessariò dimanat: hoc autem nulli prædicato conuenit realiter identificato cum essentiâ. Probat: quia subsecutio, ac dimanatio inter prædicata realiter identificata, necessariò involvit, aut supponit distinctionem rationis; sed distinctio rationis contingens est, & contingenter advenit obiecto: ergo subsecutio, ac dimanatio patiter contingens esse debet, minimèque necessaria.

9 Nè, inquam, hoc argumento movearis; quod pariter probat, Differentiam non esse necessariò con-

contractivam Generis, nec necessariò constitutivam, aut distinctivam Speciei: nec item essentiam hominis metaphysicam necessariò constitui ex animali & rationali: hęc enim omnia supponunt, aut involvunt distinctionem rationis. Probat etiam, nullum Proprium esse *Prædicabile per se & necessariò*, cum non constituatur prædicabile, nisi per actum rationis contingentem. Probat denique, nec Proprium physicum necessariò dimanare ab essentia: nam dimanatio caloris ab igne v.g., necessariò supponit physicam existentiam ignis; sed ea existentia contingens est: ergo & dimanatio contingens erit.

10 Dic ergo, vt subsecutio Proprij metaphysici dicatur necessaria, sufficere, quòd distinctio rationis sit *fundamentaliter* necessaria, quatenùs fundamentum eius indefectibile est, licèt non necessariò fundet in actu secundo. Vel melius dici potest, dimanationem esse necessariam, non independenter ab omni suppositione, sed suppositâ existentia metaphysicâ talis essentiæ, quæ existentia per distinctionem rationis constituitur: quemadmodum dimanatio physica non est necessaria; nisi suppositâ existentiâ physicâ essentiæ, vt in nupero caloris exemplo videre licet. Est tamen æternæ veritatis prædicatio Proprij metaphysici; quia veritas eius nititur identitate reali: sicut ob eamdem rationem, æternæ veritatis est prædicatio Generis de Specie, quamvis actualis denominatio Generis sit contingens.

11 *Resp. 2.* Prædicationes de Proprio physico, sunt veritatis naturaliter necessariæ, vel omninò absolutè, ita vt solùm de potentiâ Dei absolutâ deficere possit, v.g. hæc, *Sol est lucidus in summo*; vel saltem cum hoc addito, *nisi obstet violentia contrariorum*, qualiter necessaria est hæc prædicatio, *Aqua est summe frigida*; nam summa frigiditas ita est connaturalis proprietas aquæ, vt tamen per violentiam contrariorum Agentium auferri possit, auferaturque passim citrà miraculum. Quare adverbium *necessariò*, quod ponitur in definitione Proprij, debet intelligi cum illo addito, *nisi obstet &c.*, vel cum hoc, *iuxtà exigentiam sibi relictam*, vel, *à contrarijs liberam*: quo sensu quævis prædicatio de Proprio physico veritatem habet non nisi Divinitàs defectibilem.

12 *Quæst. 3.*: de quibus prædicetur Proprium vt Universale? *Resp.* Non prædicatur vt Universale de Specie, vel Genere, cuius est proprietas, sed tantùm de inferioribus individuis, aut speciebus: idque propter rationem, quam in simili dedimus circà Differentiam cap. 2. num. 1. Notandum tamen, Proprium prædicari vt Speciem de suis individuis formatis ex nomine communi Proprij, & signo demonstrativò, vt cum dicitur, *Hoc admirativum est admirativum*: de quo iterùm redibit sermo circà Accidens.

13 *Quæst. 4.*: an Proprium detur à parte rei? *Resp.* Proprium metaphysicum, existit quidem à parte rei secundùm subsstratum, sed non habet rationem proprietatis à parte rei, cum non realiter distinguatur ab essentiâ. Proprium verò physicum propter rationem oppositam gerit à parte rei munus proprietatis, sed non habet esse Universale, seu Prædicabile, nisi fundamentaliter.

CAP.

## CAP. IV.

### *DE ACCIDENTI.*

1 ACcidens in præsenti non sumitur, prout Substantiæ contraponitur, quo sensu vocatur Accidens *prædicamentale*; sed accipitur pro eo, quod contingenter advenit alicui, sive sit entitativè substantia, vt vestes, & arma, cùm homo dicitur *vestitus*, & *armatus*; sive sit accidens entitativè, vt albedo, cum homo dicitur *albus*; atque ita vocatur Accidens *prædicabile*; & prout condistinguitur à Proprio, vocatur Accidens *commune*. Hoc autem primò intentionaliter acceptum sic definit Porphyrius, *Quod potest adesse atque abesse sine subiecti corruptione*: idest, quod ita contingenter advenit subiecto, vt possit vel in eo existere, vel ab eo separari, quin subiectum ex hac variatione destruatur.

2 Sed huic definitioni nonnulla opponuntur. 1.: nigredo est accidens corvi, & æthyopis, vt etiam albedo cygni, & nivis; quin possint illæso subiecto separari. 2.: hæ sunt prædicationes Accidentis, *Homo est existens*, *est lethaliter vulneratus*, aut *est capite truncatus*: & tamen hæc accidentia non adsunt, atque absunt sine corruptione subiecti. 3.: tali definitione non differt Accidens à Proprio: nam summa frigiditas, quæ est aquæ proprietas, potest adesse vel abesse, quin aqua corrumpatur. Responsio communis hæc est. Non negat Porphyrius accidentia realiter inseparabilia, cùm ipsemet dividat Accidens in separabile, & inseparabile: quare solùm intendit, vt Accidens possit adesse vel abesse mentaliter positivè, negatâ etiam convenientiâ connaturali, quin ideò subiectum destruatur in mente.

3 Unde *ad* 1.: nigredo corvi, vel æthyopis (albedo cygni, ac nivis, non censetur accidens, sed proprietas *secundo modo*, quæ proinde pertinet ad quartum Prædicabile, ex dictis cap. præced.) mentaliter separari potest per positivam negationem illæso in mente subiecto: nihil enim de æthyopis essentiâ detrahis, etiamsi dicas, *Æthyops non est niger ex propriæ naturæ exigentia*. *Ad* 2. accidentia illa subiectum corrumpunt physicè, sed non mentaliter: potest enim quis totam concipere essentiam hominis, sive illum mortuum, sive existentem afferat. *Ad* 3.: summa frigiditas, si de aquâ negetur secundùm convenientiam connaturalem, sic nimirùm, *Aqua suapte natura non est summè frigida*; non manebit in mente vera essentia aquæ; sed destruetur saltem illativè, cum ipsi detrahatur, non solùm frigiditas, sed etiam eius exigentia connaturalis, quam secum identificat, & quam retinet etiam dum privatur frigore per violentiam contrarij agentis, aut per miraculum.

4 Huic tamen doctrinæ obstat, quod, licèt alijs difficultatibus vtcumque satisfaciat, tertiæ non satisfacit: nam summa frigiditas, prout est physica proprietas aquæ, realiter adæquatè distinguitur ab aquâ, proindeque non est accipienda simul cum exigentiâ connaturali, quæ cum aquâ realiter identificatur, & vtsummum est proprietas eius metaphysica: sed summa frigiditas, quatenùs realiter ab aquâ distinguitur, & seorsùm ab exigentiâ connaturali, potest absdubiò positivè negari de aquâ, quin hæc in mente

destruatur: ergo quatenùs physica proprietas est, comprehenditur definitione Accidentis. Quidquid sit de mente Porphyrij, melius forsan, & clarius definitur Accidens hoc pacto, *Quod subiecto advenit, quin ab eius essentia permanenter exigatur*: quæ definitio non prohibet Accidens esse alio ex capite inseparabile.

5 Jam Accidens, secundò intentionaliter sumptum in esse Universalis logici, definitur communiter, *Prædicabile de pluribus in quale contingenter*: vbi ly *contingenter* intelligi debet attentâ naturali exigentiâ subiecti non violatâ per actionem contrarij agentis; ita vt definitio reddat hunc sensum, *Prædicabile de pluribus extrà essentiam & exigentiam naturalem, saltem vt exigentem permanenter*. Sic hæ sunt prædicationes Accidentis, quod constituit quintum Prædicabile, *Homo est albus, est armatus, est dormiens, est ridens*. Ubi notandum, dari quoque Accidentia metaphysica, ea nimirùm, quæ in consideratione metaphysicâ contingenter adveniunt subiecto, seu extrà essentiam, & exigentiam eius. Sic rationale prædicatur de animali, & quævis alia Differentia specifica prædicatur de Genere, tanquam accidens metaphysicum; quia nimirùm animal abstractè consideratum, indifferens est, vt sit, vel non sit rationale. Unde patet discrimen inter Proprium metaphysicum, & Accidens etiam metaphysicum; nam hoc non radicatur, nec exigitur à naturâ, cui accidit; illud verò radicatur necessariò à naturâ, cuius est proprietas, v.g. risibile à rationali.

6 Circà Accidens ita explicatum, scindum est 1., illud, quatenùs est quintum Prædicabile, non prædicari in abstracto, nec in recto, sed in concreto dicente subiectum in recto, & accidentalem formam in obliquo: non enim verè dicitur, *Petrus est albedo*, vel, *est albedo, & subiectum eius*, sed, *est albus*; quod ita exponitur, *est subiectum habens albedinem*, vel, *affectum albedine*. Dices: quomodò potest Accidens verè dici de Petro, cui non identificatur? *Resp.* Solùm debet cum subiecto identificari, quod de eo dicitur in recto, non verò quod dicitur tantùm in obliquo. Sic verè dicitur, *Creatura est effectus Dei*, quamvis obliquum prædicati non identificetur cũ subiecto.

7 Dices insuper: ergo in hac prædicatione, *Petrus est albus*, solùm affirmatur identitas subiecti cum recto prædicati: ergo prædicatio non erit contingens, sed necessariò vera; nam ea identitas est indefectibilis. *Resp.* Non affirmatur identitas illa nudè & solitariè sed simul affirmatur, aut supponitur actualis vnio accidentis cum recto prædicati; vt perindè sit dicere, *Petrus est albus*, ac, *est subiectum habens albedinem sibi vnitam*, vel, *cui albedo vnitur*: & cum hæc vnio sit contingens, absolutè contingentem reddit propositionis veritatem.

8 Sciendum est 2., Accidens comparatum ad inferiora, de quibus prædicari valet in abstracto, non esse quintum Prædicabile, sed esse Genus, aut Speciem, aut Differentiam, prout fuerit gradus, & modus abstractionis. Unde color vt sic, prædicatur de albedine & nigredine vt Genus; & albedo vt sic, de hac, & illâ albedine vt Species. Sciendum est 3., Accidens in concreto non prædicari contingenter, seu ritu quinti Prædicabilis, nisi de subiecto nudè expresso: de inferioribus enim

ex-

expressis nomine concreti ipsius, aut sub ipso contenti, prædicatur essentialiter. Unde hæc est prædicatio Generis, *Album est coloratum*, & hæc Speciei, *Hoc album est album*. Imò hæc etiam prædicatio, *Homo albus est albus*, & similes ex parte subiecti exprimentes totum esse concreti accidentalis, non sunt contingentes, sed necessariæ, vt in Summulis dictum est; vocarique possunt prædicationes Speciei, eo quòd *album* prædicetur vt tota essentia subiecti in esse concreti; siquidem *homo albus*, & *paries albus* solo numero differunt in esse concreti accidentalis; diversitas enim intrinseca subiectorum de materiali se habet in ordine ad illud concretum constituendum.

9 Sciendum est 4., ad veram & absolutam prædicationem accidentis physici & intrinseci, dum prædicatur per modum quinti Prædicabilis, necessariò requiri existentiam subiecti à parte rei. Ratio est; quia simul affertur actualis vnio Accidentis cum subiecto, vt constat ex num. 7.: implicat autem actualis vnio Accidentis physici, & intrinseci, cum subiecto non existenti. Unde inferes contrà P. Lynceum, hanc prædicationem, *Petrus est possibiliter albus*, non esse quinti Prædicabilis, sed quarti, nimirùm Proprij metaphysici *secundo modo*: reddit enim hùnc sensum, *Petrus est potens recipere albedinem*; proindeque solùm prædicat potentiam albedinis receptivam, quæ est proprietas metaphysica subsistentiæ corporeæ, saltem in plerisque Speciebus. Dixi, *ad prædicationem absolutam*; quia conditionalis, v. g. *Si Petrus existat, erit albus*, potest vera esse & contingens, etsi subiectum non existat actu; non enim adstruit vnionem albedinis, quæ sit, sed quæ esset in hypothesi, qua subiectum existeret.

10 Sciendum est 5., non requiri semper existentiam realem subiecti ad veram prædicationem Accidentis extrinseci, præsertim intentionalis. Ratio: quia, cum Accidens intentionale non vniatur intrinsecè subiecto, nec in eo sustentetur, non indiget eius existentiâ, vt illud extrinsecè denominet. Sic verè dicitur, *Antichristus est cognitus*, &, *Salus, quæ non existit, est optata*. Imò nec requiritur subiecti possibilitas; verè quippe dicitur, *Chymæra est cognita*. Nonnulla tamen accidentia intentionalia ex peculiari genio requirunt existentiam obiecti, quod denominant, v.g. visio materialis, aut actus Fidei de existentiâ alicuius obiecti.

## CAP. V.

### *De numero, & convenientia Prædicabilium.*

1 QUædam supersunt quinque Prædicabilibus communia, quæ in hoc, & sequenti Capite discutiemus. *Queritur* 1.: vtrùm alia sint Prædicabilia præter quinque iam explicata? Communis responsio negativa est. Nam quod prædicatur tamquam Universale, vel est de essentiâ subiecti, vel extrà essentiam. Si primum: prædicabitur vel tamquam pars materialis, vel tamquam pars formalis, vel tamquam tota essentia; proindeque vel erit Genus, vel Differentia, vel Species. Si secundum: prædicabitur vel necessariò, seu iuxta exigentiam subiecti, & erit Proprium; vel contingenter, seu extra subiecti exigentiam, & erit Accidens.

2 Caramuel assignat Prædicabilia 46., additque, plura fortè inveniri posse, si curiosè quærantur. P. Lynce approbat numerum quinarium: sed addit, potuisse non incongruè maiorem, vel minorem constitui. Plures alias Auctorum opiniones circà numerum Prædicabilium eruditè recensèt Servera disp. 11. cap. 1. Mihi res est non magni momenti: nec pro doctrinâ Porphyrij, tamquam pro aris, & focis pugnandum existimo. Numerum quinarium congruenter statutũ puto. Valde tamen probabile est, posse augeri, vt apud citatos Auctores videre licet. Si communem sententiam tueri velis, præ oculis habeto, quod in hoc tractatu solùm agitur de Prædicabilibus, qui sunt termini vniversales, incomplexi, vnivoci, intranscendentes, à rebus extrà Deum abstracti, & quatenùs sunt verè affirmabiles de inferioribus. Cum hisce conditionibus non facilè assignabitur Prædicabile, quod revocari nequeat ad aliquod è quinque vulgatis, per quamdam saltem proportionem.

3 Dices adhuc: cum Prædicamenta sint decem, & omnia sint prædicabilia, quomodò non sunt Prædicabilia decem? *Resp.* Prædicabilium numerus desumitur, non ex modo essendi, sicut numerus Prædicamentorum, sed tantùm ex modo prædicandi, *in quid*, vel *in quale*, &c.: cumque modus iste sit idem in pluribus Prædicamentis, fit, vt licèt omnia sint prædicabilia, non constituant singula Prædicabile logicè diversum, sed plura pertineant ad vnam è quinque Prædicabilium speciebus.

4 Dices insuper: si ratio *calidi* abstrahatur ab igne & aquâ calefactâ, aut ratio *lucidi* à Sole & aere, fiet Prædicabile diversum á quinque vulgatis: prædicabitur enim extrà essentiam, quin prædicetur nec contingenter, nec necessariò, nec iuxtà, nec extrà exigentiam, proindeque nec vt Proprium, nec vt Accidens, sed vt præscindens ab vtroque. *Resp.* Ratio illa simul est Proprium, & Accidens respectu diversorum: prædicatur enim necessariò de hoc & illo igne, vel de hoc & illo Sole (non est admittendum, quod illa ratio abstrahi possit ab vno igne, vel Sole, quin abstrahatur pariter à cæteris eiusdem speciei possibilibus, ideò, quin attingantur omnes ex parte obiecti (a); similiterque censendum de aquâ, & aere); prædicatur verò contingenter de hac & illâ aquâ, vel de hoc & illo aere. Quare, sicut animal vt sic, est Genus relatu ad hominem & equum, & est Species relatu ad sua individua incõplecta, nempe *hoc animal*, & *illud animal*; ita res habet in præsenti.

5 *Quær.* 2.: an divisio logici Vniversalis in quinque Prædicabilia, sit immediata? *Resp.* Non est: quia Prædicabile vt sic, immediatiùs dividi potuit in Prædicabile essentialiter, & Prædicabile extrà essentiam: ac deinde primum membrum subdividi potuit in Genus, Speciem, & Differentiam; & secundum, in Proprium, & Accidens. *Quær.* 3.: an sit divisio in species vltimas Prædicabilis? *Resp.* Non est, saltem penès omnia membra. Vt enim omittam subdivisionem Generis in supremum, subalternum, & infimum, necnon Speciei, ac Differentiæ, in subalternam, & atomam; certè Proprium subdividi potest in reciprocum, & non reciprocum, vel in Proprium *quarto*, & *secundo modo*, cum vtrumque

(a) *Vid. Tractat. 2. disput. 2. cap. vltim. num. 10.*

que pertineat ad quartum Prædicabile, vt cap. præced. vidimus; vel etiam in Proprium metaphysicum, & physicum; & hoc in prorsùs indefectibile naturaliter, vt est lux in Sole, & calor in igne, & naturaliter defectibile, vt est frigus in aquâ.

6 Accidens item subdividi potest in separabile, & inseparabile naturaliter, vt divisit ipse Porphyrius; vel etiam in intrinsecum, & extrinsecum; & alijs præterea modis. Nec dicas, in his importari diversitatem purè physicam, non tamen logicam, sive in modo prædicandi. Nam cur, quæso, prædicari *necessariò*, & *contingenter*, importat diversitatem logicam, si non eam importat, prædicari *cum necessitate metaphysica*, & *cum physica*? vel *cum necessitate naturaliter frustrabili*, & *cum infrustrabili*? vel *extrinsecè*, & *intrinsecè*? Magno eris ingenio, si discrimen dederis idoneum.

7 *Quer.4.*: vtrùm vulgata divisio sit in membra necessariò distincta, ita vt non possit vnum, idemque Prædicabile duo vel plura in se membra identificare? *Resp.*. Est in membra necessariò distincta *terminativè*, seu *connotativè*; non verò *subjectivè*. Patet responsio ex suprà dictis: nam in primis omnia Prædicabilia sunt Species relatu ad sua individua incompleta, seu expressa nomine communi per hæcceitatem contracto, vt suis locis notavimus: deinde eadem ratio communis potest esse Proprium, & Accidens, vt constat ex num.4. Mitto combinationes alias. Hæc intelligo, quin ex parte Universalis necessarium sit multiplicare formas, vel intentiones. Semper tamen necessaria est diversitas terminorum, quos vnaquæque denominatio connotat; non enim potest eadem ratio communis esse v. g. Genus & Species respectu eorumdem inferiorum, sed tantùm respectu diversorum; vt etiam suis locis observatum manet. Nec ideò vitiosa est divisio; sicuti vitiosa non est divisio actus Voluntatis in amorem, & odium, quamvis vtrumque membrum identificari possit in eodem actu respectu diversorum. Sufficit ergo, quòd membra saltem possint ratione distingui per connotata extrinseca.

8 *Quer. 5.*: vtrùm quinque Prædicabilia vnivocè conveniant in ratione Prædicabilis? Vel alijs terminis, Utrùm abstrahi possit communis & vnivoca ratio Prædicabilis, quæ sit Genus ad quinque Prædicabilia? Affirmat communis in omni Scholâ sententia, contrà veteres quosdam, quibus consentit vnus, aut alter è modernis. Probatur breviter. Quinque Prædicabilia propriè conveniunt in ratione Universalis, seu Prædicabilis de multis: ergo ab omnibus abstrahi potest vnivoca ratio Prædicabilis; quæ, si talis est, nullo titulo prohibetur esse Genus ad illa omnia. Antecedens vnicè dubium probatur: ideò non propriè convenirent, quia alia prædicantur essentialiter, alia extrà essentiam, alia completè, alia incompletè, &c.; sed hoc non obstat: ergo &c..

9 *Prob. Min.*: quod homo sit animal rationale, & equus animal hinnibile, non tollit propriam convenientiam vtriusque in ratione animalis: ergo pariter in re nostrâ. *Prob. Conseq.*: nam, sicut illa diversitas hominis & equi spectat ad differentias specificas, quia non efficit, quominùs propriè dicatur de quovis eorum, *Est principium sentiendi*; ita illud Prædicabilium discrimen in pe-

culares eorum differentias refundi debet, cum nihilominùs verissimè dicatur de singulis eorum *Est prædicabile de multis*. At ab his differentijs omninò præscinditur per communem conceptum, *Universale*, seu *Prædicabile*, non minùs quàm per conceptum, *animal*, à differentijs hominis & equi: ergo &c.

10 *Obijc.* 1.: quinque Prædicabilia non propriè conveniunt in ratione Prædicabilis: nam quartum & quintum prædicantur solùm accidentaliter, atque adeò non propriè. *R. ip.* Prædicari accidentaliter, est prædicari vere & propriè: quis enim dubitet, propriè verificari prædicationes istas, *Aqua est calida*, *Petrus est dormiens*, *est æger*, *est prædestinatus*, *est justus*? Ubi nota, quod particulæ, *extra essentiam*, & *contingenter*, quæ ponuntur in definitione quarti & quinti Prædicabilis, denotant modum, quo Prædicabilia conveniunt subiectis, nec referri debent ad modum, quo prædicabilitas convenit Proprio & Accidenti secundò intentionaliter sumptis: nam vtrique essentialiter convenit *posse prædicari extrà essentiam*, & Accidenti convenit etiam necessariò & essentialiter *posse prædicari contingenter*. Non aliter ac etiam in sensu physico accidentibus essentiale est *non esse de essentia subsistentiæ*; & calori convenit per se & necessariò *non advenire aquæ nisi per accidens*.

11 *Obijc.* 2. famosum argumentum, quod mille tricis & captionibus aditum aperit. Si Prædicabile vt sic, est Genus ad quinque Prædicabilia, erit ratio superior Genere vt sic, proindeque & omnibus Generibus, vtpotè inferioribus Genere vt sic. Hinc autem sequitur 1., quòd *Prædicabile* vt sic sub hac eâdem exprecisione, vel intentione, simul est superius & inferius Genere vt sic; superius, quia de Genere vt sic prædicatur vt Genus; inferius, quia ipsum est Genus quoddam particulare, proindeque continetur sub Genere vt sic. Unde etiam fit, Genus aliquod esse inferius suâ Specie; nam Prædicabile comparatur ad Genus vt sic, tamquam ad sui Speciem. Fit item, Speciem aliquam esse inferiorem vno suo individuo; nam Prædicabile vt sic, cum sit Genus quoddam particulare, vnum est individuum Generis vt sic, tamquam Speciei logicæ. Sequitur 2., quòd Prædicabile vt sic est superius & inferius semetipso, cum sit superius omni Genere, simulque sit vnum ex Generibus. Sequitur 3., quòd omnia quinque Prædicabilia sunt Genus: nam sicut omne contentum sub ratione hominis est animal, eo quòd sub animali contineatur homo; ita omne contentum sub ratione Prædicabilis est Genus, si sub Genere continetur Prædicabile.

12 Pro solutione præmitto notationes aliquot. *Not.* 1.: vnum esse logicè superius altero, est posse verificari de illo, & insuper de alijs; vt patet in animali vt sic, quod idcircò dicitur superius homine. *Not.* 2.: Prædicabile vt sic, spectari potest bifariam. Vno modo, *primæ intentionaliter*, id est, secundùm illud esse, quod attingitur & exprimitur per hanc cognitionem, *Prædicabile*, quæ respectu illius est veluti prima intentio formalis: quemadmodùm animal vt sic, accipitur primò intentionaliter, cùm spectatur secundùm illud esse, quod exprimitur per conceptum, *animal*, nempè secundùm prædicata viventis & sensibilis.

13 Alio modo, *secundæ intentio-*

*naliter*, ideſt, ſecundùm illud eſſe, quod per denominationem extrinſecam accipit ab illâ eâdem cognitione, *Prædicabile*, & quod non exprimitur niſi per novam cognitionem reflexam, quæ ſit veluti ſecunda intentio formalis: quemadmodùm animal vt ſic, accipitur ſecundò intentionaliter, cùm ſpectatur ſecundùm denominationem Generis, quam accipit à cognitione, *animal*, & quæ non exprimitur niſi per hanc reflexam cognitionem, *Genus*. Eumdem ſenſum reddunt vulgares alij termini, videlicèt *ſignatè* & *exercitè*, *in ſuppoſitione perſonali* & *in ſuppoſitione ſimplici*; quorum explicationem huic affinem vide diſput. præced. cap. 7. num. 4. & 5.

14 *Not.* 3.: Intellectus per cognitiones directas, *homo*, *animal*, &c, conſtituit Univerſalia directas quæ *ſecundò intentionaliter* accepta, ſunt indiviſibilia in plura, atque adeò ſunt individua logica: v. g. animal vt ſic, dividi quidem poteſt in plura animalia; at non in multiplex Genus; proindeque in eſſe Generis proximi ad hominem & brutum eſt quid individuum, & ſingulare. Idem cernere eſt in alijs Generibus, Speciebus, Differentijs, &c.. Deinde ab his reflexè abſtrahitur ratio Generis vt ſic, Speciei vt ſic, Differentiæ vt ſic, &c, quæ ſunt Species reflexæ, prædicabileſque de hoc & illo Genere directo, de hac & illâ Specie directâ, &c., tamquam de individuis. Demùm ab hiſce Speciebus reflexis per novam reflexionem abſtrahitur communis ratio *Univerſalis*, aut *Prædicabilis* vt ſic; quæ ratio eſt Genus reſpectu quinque Prædicabilium, ita vt illi tamquam Species correſpondeant Genus vt ſic, Differentia vt ſic, &c., & tamquam individua, Univerſalia directa, nempe *animal* vt ſic, *arbor* vt ſic, *homo* vt ſic, &c.

15 His ita præmiſſis, ad *Obiect. reſp.*. Prædicabile vt ſic, ſignatè, ſeu primò intentionaliter ſumptum, eſt ratio ſuperior Genere vt ſic; quia illud eſſe, quod exprimit cognitio, *Prædicabile*, verificari poteſt de Genere vt ſic, & inſuper de alijs, nempe de Specie vt ſic, Differentiâ vt ſic, &c.; in quo ſtat ſuperioritas logica, ex num. 12. At exercitè, vel ſecundò intentionaliter acceptum, non eſt ratio ſuperior; quia extrinſeca denominatio *Generis ad quinque Prædicabilia*, quam accipit ab hac cognitione, *Prædicabile*, non eſt verificabilis de Genere vt ſic, nec de alijs, ſed de ſolo ipſo Prædicabili vt ſic, tamquam de Genere individuo. Non aliter ac animal vt ſic, ſignatè ſumptum, eſt ratio ſuperior homine: ſed acceptum exercitè, vel ſecundò intentionaliter, non eſt ratio ſuperior, cum non ſit verificabilis de homine, nec de alijs præter ipſammet animal vt ſic in eſſe talis concreti; falsò quippè diceres, *Homo eſt Genus ad hominem & brutum.*

16 Hinc *ad* 1. *ſequel.*, concedo, quòd Prædicabile vt ſic, ſub hac eâdem intentione ſit ſuperius, & inferius Genere vt ſic, in diverſo ſenſu: eſt enim ſuperius ſecundum eſſe ſignatum, & primo intentionale; & eſt inferius ſecundum eſſe exercitè acquiſitum, & ſecundò intentionale, quia ſecundùm hoc de ipſo verificatur Genus vt ſic, tamquam ratio ſpecifica de ſuo individuo. Neque id eſt inconveniens; quia duplex illud eſſe, primò intentionale, & ſecundò intentionale, realiter diſtinguuntur, cum alterum reduplicet intentionem rationis, alterum non. Concedo ſimiliter, quòd Genus aliquod ſit inferius ſuâ Specie in eo ſenſu, in quo non eſt ſuperius: quod

etiam intellige de quâdam Specie relatu ad suum individuum.

17 *Ad 2. sequel.*, concedo pariter, quod intenditur, secundùm diversas acceptiones: illud quippè nihil est aliud, quàm Prædicabile vt sic, signatè sumptum, posse verificari de se ipso exercitè accepto, & insuper de alijs; cum tamen exercitè sumptum non nisi de se ipso verificari possit. Tertia sequela neganda est, si quinque Prædicabilia sumantur primò intentionaliter; quin obst. tet adiuncta probatio: falsum quippè est, quod Prædicabile in eo sensu, in quo sub se continet quinque Prædicabilia, continearur sub Genere vt sic; quia potiùs illud sub se continet. Solùm ergo continetur sub Genere vt sic, quatenùs accipitur secundò intentionaliter, sive in suppositione simplici: sic autem acceptum, non continet sub se quinque Prædicabilia, cum non possit de illis verificari, ex num. 15. Si tamen quinque Prædicabilia, prout reflexè abstracta ab Universalibus directis, sumantur secundò intentionaliter, omnia sunt Species, ex num. 14.

18 *Replic.*: Prædicabile vt sic, tunc sumitur secundò intentionaliter, cùm accipitur in esse Generis, seù quatenùs Genus est: at in esse Generis continet sub se quinque Prædicabilia, cum sit de ratione Generis vt talis continere sub se Species: iam ergo Prædicabile secundò intentionaliter sumptum, quo sensu continetur sub Genere vt sic, continet sub se quinque Prædicabilia. *Resp.* Cùm dicitur esse de ratione Generis vt talis continere sub se plures Species, de quibus possit prædicari, non est sermo de ratione Generis quantùm ad esse secundæ intentionis, nempè quantùm ad denominationem Generis; neque enim hæc denominatio prædicari potest de Speciebus.

19 Est igitur sermo de ratione Generis quantùm ad esse primæ intentionis, quod explicuimus n. 12.: non ita, vt illud esse contineat sub se Species seorsùm ab extrinsecâ denominatione *Generis*, vel independenter ab illâ; sed ita, vt per illam constituatur quid superius Speciebus, non secundùm illam, sed secundùm intrinseca sui prædicata. Sic dicitur esse de ratione obiecti visi terminare visionem ocularem: non secundùm denominationem *visi*, quæ certè non videtur, sed secundù esse coloris: quod tamen non ita intelligitur, vt obiectum actu terminet visionem independenter à visione ipsâ, vel denominatione *visi*, cum per illam constituatur actu terminans; sed ita, vt per illam fiat terminans, non secundùm illam, sed secundùm colorem sibi intrinsecum. Alijs præterea modis infinitis replicari posset: sed in re senticosâ, & parùm vtili non oportet nimis immorari.

20 P. Joannes Ulloa (b) implexam istam obiectionem aliter solvit, si non verius, saltem expeditius. Negat, Prædicabile vt sic esse inferius Genere vt sic, aut sub eo contineri. Nam prædicatum A contineri sub B, & esse logicè inferius, in eo consistit, quòd B possit verificari de A, & insuper extendatur ad alia, ad quæ non extenditur A. Non ita res accidit in præsenti. Quia Genus vt sic verificatur quidem de Universali, seu Prædicabili vt sic; sed non extenditur ad alia, ad quæ Prædicabile non extendatur, vt patebit examinanti: quin imò Prædicabile vt sic, & convenit Generi, & ad plura extenditur, quæ non sunt Genus, nimirùm ad qua-

(b) *Disp. 2. Logic. Maior. à num. 151.*

quatuor alia prædicabilia ; proindeque purè superius est Genere vt sic.

21 Hinc autem totus obiectionis cardo ruit. Conceditur, quòd sub Genere vt sic contineri debet quodlibet Genus particulare, dummodò excipiatur illud Genus vniversalissimum, quod omnia complectitur Universalia. Negatur, quòd Genus aliquod sit inferius suâ Specie : quod sit superius, aut inferius semetipso: quòd omnia Prædicabilia sint Genus : nam hæc omnia deducuntur ex falsâ inferioritate Prædicabilis respectu Generis. Conceditur tamen, quòd aliqua Species sit inferior vno suo individuo, tunc solùm quando in eo militat manifesta ratio exceptionis à communi lege, quæ Speciem superiorem statuit individuo quolibet. Id quod forsan nullibi contingit, nisi in præsenti propter indolem reflexionum, multarum, de quibus num. 16.

22 *Obijc.* 3. nonnulla incommoda. 1., quòd Universale vt sic, præscindet etiam à se ipso, cum sit quoddam Universale, seu quoddam Genus. 2., quòd Genus aliquod transcendet formaliter differentias; nam Universale vt sic transcendit differentias quinque Prædicabilium. 3., quod Substantia vt sic non erit Genus supremum, cum contineatur sub Prædicabili vt sic, tamquam sub Genere superiori. Verùm hæc non vrgent. *Ad* 1.: quod hæc cognitio, *universale*, præscindat à se ipsâ, quatenùs indefinitè attingit Universalia omnia cum suis formis, & consequenter illud etiam Universale, quod ipsamet exercitè constituit, quin signatè discernat se ipsam à cæteris; non est incommodum. Sic enim *secunda intentio vt sic* à se ipsâ præscindit : atque etiam indefinita hæc apprehensio, *cognitio*, cum præscindat rationem communem cognitionis ab omni cognitione particulari. Neque in hac re contradictio probabitur, si terminis illis, *signatè*, & *exercitè*, congruenter vtaris.

23 *Ad* 2.: Universale vt sic, transcendit quidem Differentias directas, quæ pertinent ad tertium Prædicabile, nempè *rationale* vt sic, *rugibile* vt sic, &c., quantum ad esse secundò intentionale: at non transcendit differentias reflexas quinque Prædicabilium, quæ ipsi tamquam Generi correspondent, videlicet *in eo quod quid*, *in quale quid*, &c. : hæ quippè non sunt formaliter prædicabiles, sed sunt talitates contrahentes communem rationem Prædicabilis. Intellige, non esse formaliter prædicabiles ex se, & intrinsecè, quod obiectioni satisfacit. Si tamen nomine accommodato significentur, poterunt extrinsecè fieri prædicabiles à novâ reflexione ; quod tantùm probat, Intellectus humani reflexiones posse sine fine procedere. *Ad* 3 : Substantia vt sic, solùm est Genus supremum in ordine directo, & prædicamentali, in quo nulli Generi subest: at in ordine reflexo, & secundæ intentionis, non est Genus supremum, sed potest Generi superiori subesse.

## CAP. VI.

### *De varijs prædicationum modis.*

1 PRædicatio idem sonat, ac propositio, vel enuntiatio ; quæ, si affirmativa sit, numquam vera est sine identitate reali subiecti, & prædicati. Varios prædicationis modos dedimus

in Summulis. Nunc pro coronide Tractatus duo sunt explicanda. Primum, quandonam prædicatio sit formalis. Secundum, quomodò veræ sint prædicationes de abstractis, & concretis. Circà primum duas accipe regulas. Prima sit: *Prædicatio est formalis semper ac non est identica*, ideſt, semper ac non resolvitur in terminos synonymos, eodemque modo significantes, vt resolvitur hæc, *Homo est homo*; vel hæc; *Ensis est gladius*, quæ idcircò sunt prædicationes identicæ. Hinc inferes, omnia quinque Prædicabilia de suis inferioribus prædicari prædicatione formali.

2 Secunda regula sit: *Prædicatio formalis non semper est vera in sensu formali, sed tunc solùm, quando prædicatum formaliter identificatur cum subiecto*, ideſt, quando non solùm realem cum subiecto identitatem habet, sed etiam pertinet ad definitionem eius, iuxtà dicta aliàs de identitate formali (a). Quando autem sola intervenit realis identitas, tunc dicitur prædicatio verificari *in sensu purè reali*, sive *in sensu identico materiali*. Unde colliges, prædicationes Generis, Speciei, & Differentiæ de suis inferioribus, veras esse in sensu formali; non ita verò prædicationes Proprij, & Accidentis, quatenùs efficiunt Prædicabilia quartum, & quintum. Colliges item, hanc prædicationem, *Justitia Dei est misericordia*, & alias, in quibus prædicatum non est de conceptu definitivo subiecti, licèt cum eo realiter identificetur, solùm esse veras in sensu reali, sive identico materiali: quod etiam dicendum de prædicationibus indirectis, in quibus inferius de superiori prædicatur.

3 Circà secundum, suppositâ doctrinâ de concretis, & abstractis, quam in Summulis dedimus, *Dico* 1.: concreta omnia, tam accidentalia, quàm substantialia, indefinitè concepta, verè prædicantur essentialiter, & in sensu formali de concretis inferioribus, ad quæ comparantur tamquam ad Species, vel individua, v.g. *Petrus est homo*, *album est coloratum*. Constat hoc ex suprà dictis, nominatim cap. 4. num. 8. E converso concreta inferiora de superioribus non nisi accidentaliter, indirectè, & materialiter prædicantur. *Dico* 2.: similiter abstracta omnia indefinitè concepta verè prædicantur de abstractis inferioribus, v. g. *Humanitas est animalitas*, *Albedo est color*: sunt enim pariter de formali conceptu inferiorum.

4 *Dico* 3.: concreta, & abstracta generica, non nisi identicè materialiter verificantur de concretis, & abstractis differentialibus, v.g. *Rationale est animal*, *Rationalitas est animalitas*: quare in sensu formali prædicationes eiusmodi sunt fallæ; quia Genus non includitur formaliter in Differentiâ. Idem puta de abstracto specifico relatu ad abstractum individuale, v. g. *Petreitas est humanitas*: & à fortiori, dum vice mutuâ fiunt prædicationes indirectæ.

5 *Dico* 4.: abstracta substantialia metaphysica verè prædicantur in sensu reali de concretis item substantialibus metaphysicis, & vice versâ: secùs dicendum de abstractis & concretis physicis. Vocantur concreta metaphysica, quæ coalescunt ex partibus solâ ratione, vel modo significandi distinctis: physica verò, quæ partibus realiter distinctis constant. Quare, si homo sumatur vt concretum ex naturâ specificâ & differentiâ individuali, est concretum me-

(a) *Tract. 2. disp. 5. cap. 6. num. 20.*

metaphysicum, tuncque verè dicitur in sensu reali, *Hic homo est humanitas*, vel, *est animalitas*, vel etiam, *est rationalitas*; & è converso: quamvis enim abstractum concipiatur instar partis concreti, cum tamen inter vtrumque detur realis identitas adæquata, non est cur in sensu reali prædicatio desinat esse vera. Si autem homo sumatur vt concretum ex naturâ & subsistentiâ (quo sensu dicitur *suppositum*, vel *persona*), est concretum physicum, tuncque in sensu etiam reali non verè dicitur absolutè, *Hic homo est humanitas*, vel, *est rationalitas*, nec è converso: quia pars in eo sensu, in quo est pars, non verè prædicatur absolutè de toto, nec vice versâ; ideòque falsò dicitur absolutè, *Homo est anima*, vel, *Anima est homo*.

6 *Dico* 5.: abstracta accidentalia physica non verè prædicantur de suis concretis absolutè dictis: falsò enim dices, *Album est albedo*: quia vera prædicatio requirit identitatem cum subiecto secundùm rectum (b); *album* autem absolutè dictum, in recto importat rem denominatam, cui non identificatur albedo. Sed quid, si concretum reduplicetur, sic nimirùm, *Album vt album est albedo*? *Resp.*: si reduplicatio accipiat vtramque partem in recto, propositio est falsa, quia prædicatum se habet ad rectum subiecti velut pars ad totum. Quodsi reduplicatio solam formam ponat in recto, vera erit ea prædicatio.

7 *Dico* 6.: concreta accidentalia verè prædicantur de substantialibus, quibus realiter inest accidentalis forma, licèt non exprimatur ex parte subiectis; sic tamen, vt prædicatio sit accidentalis; quæ simul erit necessaria, si pertineat ad quartum Prædicabile, vt *Ignis est calidus*; contingens verò, si pertineat ad quintum, vt *Aer est lucidus*. Tota hæc doctrina constat ex suprà dictis cap. 3. & 4. Cæterùm nec abstracta accidentalia de abstractis substantialibus, nec vice versa, verè prædicantur, vt quisque videt.

8 *Dico tandem*: concreta accidentalia, quæ diversas, imo & inconnexas formas præseferunt, verè possunt invicem prædicari, dummodò non sumantur reduplicativè, & vtraque forma reipsa insit eidem subiecto. Unde verè dicitur, *Albus est dulce*, *Dulce est album*: quia datur identitas adæquata inter rectum subiecti & rectum prædicati, cum actuali vnione formarum, quæ de obliquo importantur. Quod dictum est de abstractis & concretis accidentalibus physicis, dictum intellige de intentionalibus, sive logicis, vt sunt *Universale*, *Genus*, *Species*, *Universalitas*, *Generalitas*, *Specialitas*. Regulas, & præceptiones alias sciens omitto, quæ commodiùs Scholastica exercitatione discuntur. Omittendas etiam in præsentiarum duxi prædicationes quasdam in Divinis, & in mysterio Incarnationis; quia difficultates continent Theologici iuris.

*** *** *** *** ***

*** *** *** ***

*** *** ***

(b) *Vid. suprà cap. 4. num. 6. & 7.*

TRAC-


# TRACTATUS QUARTUS,

## DE PRÆDICAMENTIS SUMMATIM.

PRÆDICAMENTUM latinè, Categoria græcè, eſt ordo, vel ſeries prædicatorum, quæ à ſupremo aliquo Genere gradatim ad individuum vſque deducitur. Ariſtoteles Philoſophorum princeps, tum vt vagam mentis aciem certis limitibus coerceret, tum vt materiam artefactis logicis miniſtraret, prædicata omnia, vel pleraque ſaltem, quæ de re quâlibet enuntiari poſſunt, in decem Claſſes diſtribuit, quas *Categorias*, vel *Prædicamenta* nuncupavit, & nominibus diſtinxit hiſce, *Subſtantia*, *Quantitas*, *Qualitas*, *Relatio*, *Actio*, *Paſſio*, *Ubi*, *Situs*, *Quando*, & *Habere*. Horum omnium exemplum proponit S. Iſidorus (a) hac periodo: *Auguſtinus magnus orator, filius illius, ſtans in templo hodie infulatus, diſputando fatigatur*: vbi dictio *Auguſtinus* Subſtantiam deſignat; Quantitatem *magnus*; Qualitatem *orator*; Relationem *filius illius*; Situm *ſtans*; Ubi *in templo*; Quando *hodiè*; Habere *infulatus*; Actionem *diſputando*; Paſſionem *fatigatur*.

Primum Prædicamentum artificiosè digerit gradus Subſtantiæ. Reliqua novem ſunt Accidentia, ſaltem in ſenſu logico. In ſingulis fieri poteſt deſcenſus per Genera & Species, quaſi per gradus totidem, vſque ad Individua: qui gradus duplici lineâ coordinari ſolent, alterâ rectâ, ſeu directâ, alterâ indirectâ, ſeu laterali. In lineâ rectâ, quæ dicitur Stipes, vel truncus Arboris prædicamentalis, collocantur Genera, & Species: lateralis exhibet Differentias diviſivas Generis, & Speciei conſtitutivas. Additur etiam ex adverſo collateralis alia, quæ Differentias oſtendat eorumdem Generum aliunde diviſivas, ſed Speciebus in tali trunco poſitis repugnantes. Hæc omnia ſub aſpectum ponit Typus, aut Arbor umbratilis, quam de more ſubijcimus, & in quâ digeritur exempli gratiâ Prædicamentum Subſtantiæ.

(a) *Lib. 2. Etymol. cap. 26.*


GENUS
Subſtantia
ſupre
mum
Ge
Spe
Corpus
cies ſubal-
ne
Vivens
ra.
terna
Animal
ſpeci
es
Homo
ato
ma
indi
vi-
Petrus
du
um
Corporea
Incorporea
Animatum
Inanime
Senſibile
Inſenſibile
Rationale
Irrationale
Iſte
Ille
diviſiva
conſtitutiva
repugnans

# DISPUT. UNICA.

## *Doctrina de Prædicamentis, quantum Logicæ interest, explicatur. Ubi de Relatione fusiùs.*

TRACTATUM de Categorijs quasi tripartitum edidit Aristoteles. Primùm quædam præmisit de Univocis, Æquivocis, Analogis, & Denominativis, quæ *Ante prædicamenta* nuncupantur. Deinde Prædicamenta decem declaravit. Postremò quædam alia subtexuit, quæ Postprædicamenta dici consueverunt. Hunc nos ordinem sequentes, totum modò Tractatum vnica Disputatione complectemur; hæc alia tractabimus, quàm quæ Logicum nosse oportet, tum vt Logicæ doctrinam melius intelligat, tum ne penitùs ad alias Scientias peregrinus accedat; cætera remittentes ad Physicam & Metaphysicam, in quibus propriam singula Prædicamenta sedem habent.

### CAP. I.

*Anteprædicamenta declarantur.*

1 UNivoca, Æquivoca, Analoga, & Denominativa, vocantur, vt iam prænonui, Anteprædicamenta, eo quod Categorias aliorum lucem præferant. Ex doctrinâ Philosophi, Univoca sic definiuntur, *Quorum nomen est commune, & ratio significata per nomen est eadem*: Æquivoca, *Quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen est diversa*: Analoga, *Quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen est partim eadem, partim diversa.* In his definitionibus communitas nominis est genus; cætera differentiæ locum tenent. Ubi hoc notandum: nomen commune vocari solet *vnivocum vnivocans*, vel etiam *vnivocum in significando*: ratio obiectiva per nomen significata, quatenùs ab inferioribus præcisa, dicitur *vnivoca in essendo*, vel *in conveniendo*: inferiora verò talem rationem participantia, dicuntur *vnivoca vnivocata*. De his verificatur tradita definitio Univocorum, vt sonat: ex eâ tamen facilè colligi potest definitio Univoci, tum *in significando*, tum *in conveniendo*. Hæc eadem doctrina valet pro Æquivocis, & Analogis, proportione servatâ.

2 Univocatio igitur postulat, vt nomen sit commune, idest, vt sit indefinitum, & applicabile pluribus distributivè, quale requiritur ad constituendum Universale: vnde termini, *homines*, *omnis homo*, *hic homo*, & similes, non sunt vnivoci. Sumitur hic *nomen*, non strictè pro solo vocali, sed ampliè pro *dictione*, mentali, vo-

vocali, vel scriptâ: nec improbandum puto, si quis in prædictis definitionibus substituat *signum* loco *nominis*. Postulat item, vt ratio significata per nomen sit eadem; non quidem identitate reali (alioqui nomen, *Deus*, conveniens tribus Personis, vnivocum esset; cum tamen Logici non alios agnoscant terminos vnivocos, nisi qui simul sunt vniversales); sed identitate, vel vnitate rationis, vi cuius omnia inferiora, quatenùs ipsis convenit tale nomen, definiri possint vnicâ definitione, quæ propriè singulis aptetur. Idem est *ratio*, ac *definitio*, vt sæpè notavimus ex Aristotele: quare, vbi eadem est *definitio*, *ratio* est eadem. Ideò S. Augustinus lib. de princip. Dialect. cap. 9., *Ea*, inquit, *quæ vna definitio potest claudere, vocantur Univoca*. His de causis nomen, *homo*, vnivocum est omnibus hominibus, & nomen, *animal*, hominibus & belluis.

3 Aliter dici potest, tunc nomen esse vnivocum, quando ita plura significat, vt omnibus distributivè conveniat eodem titulo; proindeque omnia percurrenti, & interroganti, cur singulis tale nomen aptetur? vnica, & vadormi responsione fiat satis. Undè, quia nomen, *animal*, ita significat varias species animalium, vt interroganti singulatim, cur homo, cur leo, cur aquila (sic de cæteris) dicatur *animal*? plenè satisfiat hac vnâ responsione, *Quia potest sentire*; ideò est vnivocum. Hinc non officit vnivocationi realis diversitas inferiorum, qualis cernitur inter hominem, & equum, quando non impedit perfectam præcisionem, & vnitatem formalem, vi cuius plura physicè diversa sub communi nomine vniformiter definiantur.

4 Quod attinet ad Æquivoca, quæ & *homonyma* dicuntur apud Græcos, & Latinos Authores, postulant illa quoque nomen commune, ideò, cuilibet ex obiectis significatis applicabile, aptumque accipi, vel supponi pro quovis eorum. At ratio significata debet esse multiplex, & diversa, tam formaliter, quàm realiter quia nomen æquivocum non significat plura vt vnum, sed vt plura, & aliquid in vnoquoque denotat, quod non convenit aliis. Hoc modo nomen *Taurus* significat animal de genere bubulo, signum Zodiaci, montem Asiæ, radicem arboris, avicellam, & hominem sic appellatum. Similiter nomen *Gallus* significat hominem in Galliâ natum, avem Solis prænuntiam, fluvium Phrygiæ, sacerdotem Cybeles. Eodem iure æquivoca censentur nomina propria, quatenùs eadem multis individuis imponuntur.

5 Quapropter Æquivoca æquivocata, prout nomini æquivoco subsunt, diversas habent definitiones: *Illis enim* (inquit S. August. loc. cit.), *quæ sub vno nomine nec esse est definiri diversè, æquivocum nomen est*. Unde dixit Philosophus, Æquivoca prius esse dividenda, quàm definienda. Nam quærenti, quid sit Gallus? nequit vnicâ definitione, vel responsione satisfieri: sed prius videndum, an sermo sit de gallinaceo, an de homine Franco, &c. Nihil tamen prohibet, ea, quæ sub vno nomine sunt æquivoca, vnivocari sub alio significante plura, non quatenùs diversa, sed quatenùs convenientia in aliquâ ratione communi. Sic omnia, quæ significat nomen *Taurus*, aut *Gallus*, vnivoca redduntur sub nomine *Corpus*, aut *Substantia*. Nihil item prohibet, æquivoca omnia, secundò intentionaliter accepta sub hoc termi-

no

no *æquivocum*, qui est terminus secundæ intentionis, vniformiter definiri, sicuti definita sunt num. 1.: conveniunt enim in ratione *æquivoci*, sicut omnis differentia in ratione *differentiæ*.

6 Dices: nomen *Gallus* nullam diversitatem præfefert: quomodò ergo plura significat vt diversa? *Resp.* Non præfefert diversitatem in sono vocis: præfefert tamen in munere signi conceptum excitantis: qui enim tale nomen audit, non elicit conceptum vniformem circà totum significatum, sed vel plures, diversosque conceptus, vel, si mavis, vnicum apprehendentem obiecta plura quatenùs diversa. Sed hinc quæritur, an etiam mentis conceptus possit esse æquivocus? Affirmant aliqui, eo quod possit conceptus indivisibilis exprimere plura vt inter se diversa, vt hæc apprehensio, *Petrus & Paulus*, vel hæc, *Ens à se & ens ab alio*, quæ potest esse realiter simplex.

7 Negat tamen communis sententia, quæ in dissidio vocali præferenda est: non quia simplex conceptus repræsentare nequeat plura vt plura, vt Thomistæ volunt; id enim incertum, aut falsum est: sed quia conceptus, vtpotè naturale signum, ita indivisim repræsentat omnia sua obiecta, vt non possit pro vno supponi, vel accipi, quin simul pro cæteris, quæ formaliter & ex parte actus apparent, accipiatur. Unde conceptus, *homines*, nequit accipi pro vnico homine, nec conceptus, *Petrus & Paulus*, pro solo Petro. At signum æquivocum ex vsu communi debet esse idoneum, vt pro quolibet ex diversis significatis accipiatur ad libitum; idque satis indicant illa verba definitionis Æquivocorum, *Quorum nomen est commune*. Adde quod alioquin omne ferè iudicium negativum, si ponatur simplex qualitas, erit æquivocum, v. g. *Homo non est equus*, imò Scientia Dei, quæ certè repræsentat obiecta infinita secundùm omnem diversitatem, quam inter se habent, dicenda esset æquivoca; quod videtur absurdum. Nec omnis conceptus, qui non est vnivocus, debet esse æquivocus, vt patet in his, *omnis homo, homines, aliquis homo*.

8 Ex æquivocis alia dicuntur *à consilio*, alia *à casu*. Æquivoca à casu dicuntur, quæ fortuitò sortita sunt idem nomen, vt homo Francus, & mas gallinaceus, quatenùs vterque *Gallus* appellatur: & hæc eadem vocantur *purè æquivoca*. Dicuntur verò æquivoca à consilio, quæ conveniunt in nomine propter aliqualem proportionem, aut similitudinem, quam inter se habent: & hæc eadem sunt Analoga, quæ medium locum tenent inter Univoca, & purè æquivoca, vt constat ex eorum definitione traditâ num. 1.. Quotiescumque ergo nomen commune significat plura vt inter se diversa, denotando simul eorum habitudinem, proportionem, aut similitudinem aliquam inter se, dicitur analogum. Idem quippè sonat *analogia, ac attributio, similitudo, proportio*, vel *proportionalitas*. Ubi notandum, quòd proportio apud Mathematicos est cõparatio duarum quantitatum inter se, cùm altera se habet ad alteram, vel vt æqualis, vel vt inæqualis, ita vt excedat, vel excedatur v. g. dimidia, tertiâ, vel quartâ parte: proportionalitas verò est comparatio, vel similitudo duarum aut plurium proportionum inter se, vt si dicatur, Sicut se habent 5. ad 10., ita 50. ad 100.; vtraque enim est proportio dimidij ad duplum. Hinc Philosophi transferunt

runt eadem nomina ad conveniendam, vel similitudinem inter substantias, qualitates, & alia.

9 Ex dictis inferes, sub nomine *Æquivocorum* absolutè dicto comprehendi Analoga, saltem logicè sumpta. Unde Aristoteles in præsenti non explicat Analoga seorsùm, solùmque meminit de Univocis, & Æquivocis, quorum exemplum exhibet in nomine, *animal*, quatenùs dicitur de vivo & picto; quo certè sensu analogũ proportionalitatis est. Eodem vtitur exemplo pro Æquivocis D. Augustinus *Categor. cap.* 2.: idemque Lib. de Princip. Dialect. cap. 10. computat inter Æquivoca nomen, *Tullius*, quatenùs dicitur de Cicerone, & libro, quem ille scripsit; cum tamen absdubiò sit analogum attributionis. Analoga igitur verè sunt Æquivoca; quia significant plura quatenùs definitivè diversa, vt in exemplis adductis docet cum Aristotele S. Augustinus: dumque medium tenere dicuntur inter Univoca, & Æquivoca, intellige de Æquivocis *purè* talibus, quæ scilicet ita significant res diversas, vt nullam earum habitudinem denotent, sicuti denotant Analoga. Sic homo, licèt verè corporeus, medium tenere dicitur inter substantias spirituales, & corporeas, eo quod ex parte corporeâ, & ex parte constet spirituali.

10 Jam Analoga alia sunt *attributionis*, alia *proportionis*, vel *proportionalitatis*. Analoga attributionis definiuntur, *Quorum nomen est commune, & ratio significata eadem secundùm terminum, diversa tamen secundùm habitudinem ad illum.* Sic analogum est nomen *sanum*, quatenùs dicitur de animali, medicamento, & lotio: de his enim omnibus dicitur propter habitudinem ad eumdem terminum, nempè sanitatem formalem, significando tamen diversitatem habitudinis, ita vt in lotio denotetur habitudo signi, vel effectus, in medicamento habitudo causæ, in animali habitudo subiecti propriè sanitatem habentis.

11 Analoga proportionalitatis definiuntur, *Quorum nomen est commune, & ratio significata partim diversa, partim eadem secundùm proportionem.* Sic *ridere* analogicè dicitur de prato, & homine; quia, vt risus hominis intuentes exhilarat, & lætam animi dispositionem ostendit, sic amœnitas prati recreat aspicientes, & rectum indicat temperamentum soli. Hæc analogia dicitur *impropria*, quoties nomen per metaphoram seu translationem extenditur ad alia præter proprium significatum: dicitur autem *propria*, quando nomen propriè convenit pluribus, diverso quidem titulo, sed non absque proportionalitate quâdam inter se: vt cùm nomen, *principium*, aptatur auroræ respectu diei, causæ respectu effectus, & fundamento respectu domi. Vulgare proloquium est, quòd *Analogum per se sumptum stat pro famosiori analogato*: idest, nomen analogum absolutè dictum, nec à circunstantijs determinatum, accipitur pro re, quam propriè, vel præcipuè significat; vt *sanum* pro animali, & *ridens* pro homine.

12 Triplex alia species analogiæ traditur à nonnullis. Prima dicitur Analogia *inæqualitatis*; quæ tunc datur, cùm ratio significata per nomen, eadem quidem est, sed inæqualiter participatur ab inferioribus, sive non æquè perfecta reperitur in ipsis. Sic ratio *corporis* non æquè perfecta est in corpore corrup-

tibili & incorruptibili, nec ratio animalis in bruto & in homine, cum homo sit animal perfectius, quàm brutum. Verùm hæc non est analogia in sensu logico; quia tota inæqualitas se tenet ex parte differentiarum, nec impedit perfectam abstractionem & vnitatem prædicati communis: & alioquin nulla ratio Generica foret vnivoca; quod nemo logicus ferat. Vtsummùm dici potest analogia metaphysica, vel physica; quo sensu docuit Aristoteles (), sub Genere latère æquivocationes. Vide D. Thomam in 1. dist. 19. q. 5. art. 2. ad 1.

13 Secunda est analogia *dependentiæ*; quæ tunc adest, cùm ratio communis ita convenit pluribus, vt ex vi suâ postulet essentialem dependentiam vnius ab alio. Hac ratione Doctor Exim. disp. 28. Metaph. sect. 3. docet, Ens vt sic analogum esse Deo & creaturis. Satis tamen probabile est, vt indicat Eximius ipse num. 20., analogiam hujusmodi metaphysicam esse, nec obstare vnivocationi logicæ; de quo aliàs. Tertia est analogia *transcendentiæ*; quam plures agnoscunt in quovis prædicato communi, quod formaliter transcendat differentias. Sed idem de hac analogiâ, quod de præcedenti, dicendum: nec facilè apparet, cur transcendentia destruat vnivocationem logicam, si non impedit perfectam abstractionem prædicati communis à differentijs. Solet hoc loco disputari, an ratio Entis perfectè præscindi possit ab omni differentiâ? an sit vnivoca, vel analoga Deo & creaturis, substantantiq & accidenti? & an transcendat formaliter differentias omnes? Sed præstat hæc remittere ad Metaphysicam, quam deorsùm, Deo dante, dabimus.

14 Restant **Denominativa**; de quibus, præter dicta in Summulis, nihil apparet scitu dignum. Ab Aristotele definiuntur sic: *Quæ ab aliquo nominis appellationem habent, sola differentia casu.* Sic *Justum* nominis appellationem habet à *justitia*, à quo vocabulo differt *solo casu*, ideest, terminatione; quia incipit similiter, & desinit diversimodè. Sunt qui definitionem subtiliùs interpretentur. Sunt qui vt ineptam reprobent. Lis est nullius ferè momenti. Definitio, quàm in Summulis dedimus, videtur aptior.

## CAP. II.

### *Prædicamenta breviter perstringuntur.*

1 NON intendimus exactas definitiones modò tradere, sed quasdam tantùm descriptiones communi sensui consonas indicare. Primum Prædicamentum est *Substantia*, quæ definiri solet *Ens per se*, id est, Ens, cui debetur existere in se independenter à subiecto, cui inhæreat; cuiusmodi sunt Angelus, Homo, Lapis. Ex oppositio *Accidens* definitur *Ens in alio*, ideſt, Ens naturaliter impotens existere, quin subiecto inhæreat, vt Color, Calor, Cognitio. Nomen *Substantia* sumitur, tum à *substando*, quia denotat subiectum substans accidentibus, & illis quasi convestitum; tum à *substituendo*, quia in se subsistit sine fulcro alieni subiecti.

2 Substantia, alia est *completa*, quæ nullum sui generis complementum expectat; alia *incompleta*, quæ aliquo sui generis complemento indiget, vt anima, & materia prima. Completa, alia est *simplex*, vt

vt Angelus; alia *composita*, vt Homo, Lapis, & quodvis aliud compositum substantiale. De Substantiâ completâ propriè verificatur, quod sit *Ens per se*, ideſt, *à subiecto independens*. Inter incompletas verò aliquæ sunt, de quibus id non verificatur, nisi *vt quo*, quatenùs sunt partes constituentes substantiam completam; atque ita se habet anima Equi, arboris, & quævis alia forma materialis, vtpotè quæ à materiâ tamquam à subiecto pendet, & in eâ recipitur. Denique iuxtà Aristotelem *Substantia prima* vocatur, *Quæ nec in subiecto est, nec de subiecto dicitur*; vt est quodlibet individuum substantiale, v.g. Petrus, aut Bucephalus: *secunda* verò *Substantia* appellatur, *Quæ in subiecto non est, dicitur tamen de subiecto*, vt Homo, Animal, aliaque Genera, vel Species.

3 Secundum Prædicamentum est *Quantitas*, videlicet molis, aut dimensionis, definiturque passim *Accidens reddens corpus proximè innetrabile cum alio eiusdem rationis*; vel etiam, *quod reddit corpus exigens extensionem suarum partium secundùm locum*. Alia dicitur Quantitas *continua*, alia *discreta*. Continua est, *Cuius partes communi aliquo termino copulantur*; qualis invenitur in tabulâ, cuius partes aliquo puncto, tamquam communi termino, coniunguntur. Discreta est, *Cuius partes nullo communi termino copulantur*; qualis reperitur in numero. Continua, alia est *permanens*, nempè cuius partes simul existunt, vt in tabulâ: alia est *successiva*, videlicet cuius partes nequeunt esse simul, sed continuo existentiæ fluxu dilabuntur, vt partes temporis.

4 Tertium Prædicamentum est *Qualitas*, quæ sic à pluribus explicatur, *Accidens absolutum, à quanti tate distinctum, quo ens vel male afficitur subiectum*. Aliæ sunt Qualitates primæ, sive Elementares, quatuor scilicet, Calor, Frigus, Humiditas, & Siccitas: aliæ sunt qualitates secundæ, quæ scilicèt ex primis resultant, vt Color, Sapor, Odor.

5 Quatuor species Qualitatis distinxit Aristoteles. Ad primam pertinent *habitus*, & *dispositio*. Habitus est *Qualitas difficilè mobilis à subiecto*, vt scientia, virtus, vitium. Dispositio est *Qualitas facile mobilis à subiecto*, vt sanitas, morbus. Ad secundam, *potentia*, & *impotentia*. Potentia est *Qualitas, qua natura subiectum habilitat ad operandum*, vt calor in igne, vel in homine vis ambulandi. Impotentia est *Qualitas subiectum impediens, aut retardans ab operando*, vt stultitia. Ad tertiam, *passio*, & *passibilis Qualitas*. Passio, prout hìc accipitur, est *Qualitas alterationem causans, & citò transiens*, vt pallor ex metu, & rubor ex verecundiâ. Passibilis qualitas dicitur, *quæ alterationem causans, diu perenanet*, vt pallor ex ægritudine. Ad quartam, *forma*, & *figura*. Forma coincidit cum pulchritudine, sumiturque pro rectâ dispositione partium secundùm distantiam, magnitudinem, & colorem. Figura sumitur pro terminatione quantitatis, quâ redditur corpus planum, rotundum, quadratum &c.

6 Quartum Prædicamentum est *Relatio*, de quâ fusiùs cap. sequ. Quintum est *Actio*, quæ definitur *Ultima & formalis determinatio causæ ad producendum*, censeturque modalis entitas distincta à causâ & effectu. Cùm Actio dependet à præsupposito subiecto, dicitur *Eductio*,

vel *Generatio*, vt cum ignis ex præsuppositâ materiâ gignitur: cum non ita pendet, sed effectum producit ex nihilo, dicitur *Creatio*, vt productio Angeli. Sextum est *Passio*, quæ definitur *Ultima & formalis determinatio subiecti ad recipiendam formam, quæ in eo sustentetur*: hęc etiam creditur in entitate modali consistere.

7 Septimum est *Ubi*, seu *Ubicatio*, seu *Præsentia*, quæ est *Ultima determinatio rei vt sit in loco*. Octavum est *Quando*, seu *Duratio*, quæ est *Ultima determinatio rei ad aliquod tempus*. Nonum est *Situs*, qui significat specialem posituram partium corporis in loco, vt sedere, vel stare. Decimum est *Habere*, quod accipitur hic pro exercitio habendi circà se ornatum, vel quid simile ab arte, vel industriâ quæsitum, vt esse armatum, togatum, redimitum, &c.

8 Jam vt res prædictæ in Prædicamento locentur, septem conditiones assignari solent his versibus:

*Vox una, & simplex, rebus concinna locandis:*
*Entia per se se, finita, realia, tota.*

Prima conditio est, vt eligatur vox *una* in significando, nempè significans obiectum, vel vnum realiter, vt vox *Petrus*, vel vnum formaliter, vt vox *Homo*: vnde relegantur voces æquivocæ, vel analogæ. Secunda, vt eligatur vox *simplex*: vnde excluduntur termini complexi. Tertia, vt vox sit *concinna*, ideſt, vt significet in concreto, vel in abstracto, iuxta indolem obiectorum: vel etiam, vt non sit casus obliquus, aut grammaticè dissona.

9 Reliquæ conditiones requiruntur ex parte rerum. Nam quæ res in Prædicamento locantur, debent esse *Entia per se sta*; quo rejiciuntur entia per aggregationem, vt acervus lapidum: item Entia *finita*; & idcircò Deus, aut Attributa Divina non solent in Prædicamentis collocari; item entia *realia*; quo removentur entia rationis: demum entia *tota*, ideſt, in suo genere completa; quo removentur entia partialia, vt materia & forma substantialis, quæ seorsùm, aut ratione sui non habent locum in Prædicamento Substantiæ, sed tantùm prout inclusæ in composito; atque etiam partes metaphysicæ, quæ adiectivè concipiuntur, nempè Differentiæ, quæ non in stipite Arboris, sed indirectè ad latera collocantur.

## CAP. III.

### *Quid sit Relatio? & quotuplex?*

1 CUm passim occurrat, vel in Logicâ ipsâ, mentio Relationis, non oportet eam diutiùs inexplicatam præterire. Res est valdè prolixæ discussionis, si quidquid potest in quæstionem venire, disputandum sit. Quædam maioris momenti vocabimus in examen: reliqua tantùm indicabimus iuxtà communiorem doctrinam, & veluti sub fide parentum relinquemus; curiosum indagatorem remittentes ad Doctorem Eximium, qui totâ Disput. 47. Metaph. materiam istam penitùs exhausit.

2 Relatio idem sonat, ac respectus, ordo, vel habitudo vnius ad aliud. Ideò Relativa definiuntur ab Aristotele in præsenti, *Quorum esse est ad aliquid se se habere*: quia Relativorum esse in eo consistit, quod

ad

ad aliquem terminum dicant ordinem, vel habitudinem. Sic esse denominationum istarum, *pater, filius, similis, æqualis, major*, aut *minor*, scrum est in respiciendo aliud extremum, sive terminum, cui res denominata confertur. Relatio ergo concipitur velut forma quædam, quæ tales denominationes præstat subiecto in ordine ad aliud quid, ab eo distinctum. Unde in Relatione consideratur conceptus *In*, & conceptus *Ad*. Quatenùs Relatio inspicitur vt subiecto inhærens, habet conceptum *In*: quatenùs verò spectatur vt respiciens terminum, habet conceptum *Ad*. Et quia conceptus iste proprius est Relationis vt condistinctæ à reliquis Prædicamentis, ideò Philosophus hocce Prædicamentum vocat *Ad aliquid*.

3 Relatio sic adumbrata dividitur 1. in *realem, & rationis*. Realis est, quæ in rebus existit independenter ab Intellectu, vt Patris ad filium. Rationis est, quæ vel ab Intellectu fingitur, vel in ipsâ mentis operatione consistit, vt relatio subjecti ad prædicatum, si qua est. Dividitur 2. in Relationem *secundùm esse*, quæ ferè coincidit cum Relatione reali; & Relationem *secundùm dici*, quæ variè à Philosophis exponitur: à pluribus enim confunditur cum Relatione rationis, à plerisque cum Relatione transcendentali, de qua statim. Exim. Doctor loc. citat. q. 1. à num. 6. tunc eam contingere docet, cùm res in se absolutè concipitur à nobis instar respectivæ, & terminis comparativis explicatur, sive dicitur, quin ideò ipsi attribuatur ex parte obiecti vlla relatio, vera, vel ficta. Sicut, inquit, quando à nobis concipitur res spiritualis instar corporeæ, v. g. Angelus instar alati iuvenis, nullam obiecto attribuimus corporeitatem realem, aut fictam; sed tantùm concipimus vnam rem per imitationem, & analogiam ad aliam. Sic igitur interdum concipimus rem absolutam instar respectivæ, & de illâ ita loquimur, ac si respectiva esset, & ideò dicitur esse relativa *secundùm dici* tantùm.

4 Dividitur 3 *in mutuam, & non mutuam*. Prima datur, cùm duo extrema se se invicem respiciunt, vt pater, & filius. Secunda, cùm respectus, aut ordo non est reciprocus. Sic creaturæ intrinsecè referuntur ad Deum, qui iuxtà communem sententiam non refertur ad creaturas. Ad dotur Relatio nõ mutua, variæ sunt opiniones. Relatio mutua, alia dicitur *æquiparantiæ*, quæ scilicet eodẽ modo denominat vtrumque extremum, vt Relatio similitudinis, aut æqualitatis: alia *disquiparantiæ*, quæ subiecto & termino diversas tribuit denominationes, vt Relatio patris, & filij, vel maioris & minoris. Dividitur 4., & principaliter in *transcendentalem*, & *prædicamentalem*: in quibus inter se discernendis magna varietas est apud Authores.

5 Omissis alijs explicationibus, vel quia minùs veris, vel quia minùs claris, dico, Relationem transcendentalem esse, quæ realiter adæquatè identificatur cum immediato subiecto, quod referri dicitur; prædicamentalem verò, quæ realiter distinguitur saltem inadæquatè à subiecto immediato, ideòque ipsum iam in suo esse constitutum velut accidentaliter denominat. Hoc discrimen inter vtramque Relationem tradunt Nostri communiter, vt PP. Hurtado, Arriaga, Oviedo, Izquierdo, Peinado, Ulloa, & exteri complures; idemque approbat re ipsâ

Doctor Extensis sect. 2. num. 15.

6 Probatur inductione. Nulla quippè est Relatio transcendentalis aliter se habens. Exemplo sint respectus visionis ad extrema, actionis ad effectum, cognitionis ad obiectum, potentiæ vt productivæ ad suos terminos vt producibiles, & generatim respectus illi, qui constituunt *in* aptitudine per se ordinatâ ad aliquid. In his omnibus Relatio est penitùs identificata subiecto proprio, & immediato: & idcircò vocatur *transcendentalis*, quia subiecti essentiam intimè transcendit; quamquam etiam sic appellari potest, quia non pertinet ad certum aliquod Prædicamentum, sed omnia transcendit sub propriis ecrum conceptibus: nam Ubicatio, Actio, & Passio sub propriis conceptibus transcendentalem Relationem præferunt ad corpus, agens, & passum; quodlibet Accidens ad substantiam; quælibet item entitas incompleta ad suum complementum; imò qualibet creatura ad primam causam.

7 Ex adverso nulla est Relatio prædicamentalis, cui non conveniat character ille distinctionis, inadæquatæ saltem, & quasi accidentariæ denominationis. Exemplo sint Relationes æqualitatis, similitudinis, paternitatis creatæ, coexistentiæ, maioritatis, &c., quarum indolem explicabimus infrà. Hinc oritur duplex alia differentia. 1.: quod Relatio transcendentalis nunquam sit à subiecto separabilis, & existente subiecto non possit non existere; prædicamentalis verò plerumque sit contingens, & existente subiecto delectibilis. 2: quòd transcendentalis non semper postulet existentiam termini; sed sæpè respicit terminum purè possibilem, & aliquando per modum obiecti etiam terminum impossibilem, vt cernitur in cognitione chymeræ: prædicamentalis autem semper indiget termino actualiter existente, iuxtà communiorem sententiam.

8 Jam, Relatio prædicamentalis est quæ propriè pertinet ad Prædicamentum Relationis; dicitur-que *habere totum suum esse ad aliquid*, videlicet pro explicito, quia, dum apprehenditur denominatio relativa vt talis, v.g. denominatio *similis*, nihil in eâ primo aspectu apparet, nisi quoddam esse connotans aliquid à subiecto distinctum. Non tamen hy *totum* excludit alia prædicata formaliter imbibita in Relatione, saltem conceptum *In*, vtique essentialem omni Relationi; iuxtà illud, *Dictio exclusiva non tollit concomitantia.*

9 Aristoteles 5. Metaph. cap. 15. prædicamentales Relationes distribuit in tria genera. Primum earum, quæ fundantur in vnitate, & numero, idest, in convenientiâ, & disconvenientiâ. Tales sunt Relationes dupli, aut tripli, &c., maioris, & minoris, æqualis, & inæqualis, similis, & dissimilis, eiusdem, & diversi. Ubi nota, quod Aristotelicè phrasi *identitas* in præsenti sonat convenientiam duorum in substantiâ, sive substantia sumatur vt ab accidenti conditionata, sive generalis pro essentiâ cuiusque entis: *similitudo* propriè sonat convenientiam in qualitate: *æqualitas*, convenientiam in quantitate.

10 Secundum genus est earum, quæ fundantur in actione, & passione, sive physica, vt Relatio producentis, & producti, sive intentionali, vt Relatio cognoscentis, & cogniti; sive morali, vt Relatio domini, & servi. Tertium earum, quæ fun-

fundantur in mensurâ, & mensurabili, vt Relatio Scientiæ ad scibile: vbi non est sermo de mensurâ quantitativâ, v. g. vlnæ (hæc enim fundat Relationem æqualitatis), sed de mensurâ obiectivâ, cui proportionatur perfectio actus: dicitur enim obiectum mensura cognitionis, quia perfectionem eius regulariter ex obiecto colligimus. Vbi nota, in Scientiâ considerari posse duplicem relationem ad obiectum, alteram transcendentalem, quam omnes agnoscunt; alteram prædicamentalem, quam veluti accidentariò resultantem, quando obiectum actu existit, cum Aristotele agnoscit Exim. Doctor sect. 13. num. 9.

11 Denique diligenter notandum, in omni denominatione relativâ reperiri *subiectum, terminum*, & *rationem fundandi*. Subiectum (quod alij vocant fundamentum remotum) est id, quod refertur, & in comparatione mentali accipitur in recto. Terminus est id, quod ab alio respicitur, & in comparatione mentali accipitur in obliquo. Ratio fundandi est illud fundamentum, vel motivum proximum, & adæquatum, quod ex parte obiecti movet Intellectum, vt subiectum concipiat cum ordine ad terminum, illudve cum termino conferat. Sic, dum dicimus, *Petrus est Paulo similis in albedine*, Petrus est subiectum, Paulus est terminus, albedo eiusdem intensionis, in vtroque existens, est fundamentum proximum, sive ratio fundandi.

12 In Relativis transcendentalibus ratio fundandi est iuxtà omnes Relatio ipsa, consistitque proinde in essentiâ subiecti, ex num. 5. & 6. At in prædicamentalibus diversa est iuxtà diversa genera Relationum, de quibus num. 9. & 10. Nam in primo genere ratio fundandi consistit in illâ formâ, vel prædicato duplici, ratione cuius conveniunt, aut disconveniunt subiectum, & terminus: & aliquando est indistincta realiter à subiecto, & termino simul sumptis: vt, cum Petrus refertur ad Paulum relatione identitatis (ideſt, similitudinis specificæ), ratio fundandi est rationalitas vtriusque: &, cùm duæ albedines dicuntur similes, vel duæ quantitates æquales, ratio fundandi est vtraque albedo, vel vtraque quantitas: sed adhuc realiter inadæquatè distinguitur à subiecto, siquidem constituitur etiam ex termino. Aliquando realiter distinguitur ab vtroque, vt quando dicuntur similes in albedine duo parietes; tunc enim ratio fundandi est albedo vtriusque.

13 In secundo genere ratio fundandi est actio & passio. Sunt, qui in hoc secundo genere Relationum distinguant rationem fundandi à fundamento proximo, censeantque, in Relatione *patris*, aut *agentis*, aut *producentis*, rationem fundandi consistere in actione: fundamentum autem proximum consistere in potentiâ activâ, vel in substantiâ principij agentis. Hoc vltimum approbat Exim. Doctor sect. 7. n. 12, & sect. 12. n. 4. & seqq.; sed rationem fundandi identificat cum fundamento proximo; actionem verò dicit esse conditionem necessariam. Dissidium videtur esse de modo loquendi, vt indicat ipse Doctor Eximius: de re constat, scilicet formam denominationis *agentis*, aut *producentis* in actu secundo (atque adeò *patris*, aut *matris*, quæ compatitur ad denominationem *agentis*, vt species ad genus) esse influxum, sive

actionem: illa autem forma esse videtur, quæ proximè movet Intellectum, vt in hoc genere conferat vnum alteri.

14 Quod igitur in secundo genere ratio fundandi sit actio & passio, docent communiter Auctores nostri cum alijs: quorum sententia mihi placet, saltem quia clarior, & expeditior. Nec obstat quod Petrus dicatur *actualiter pater* Joannis, transactâ physicè actione generativâ, quamdiu existit vterque: ad hoc enim sufficit quod actio perseveret moraliter. Sic ab actu peccati physicè præterito, & moraliter permanente, dicitur homo verè & propriè peccator, odio dignus, & reus iræ. Denique in tertio genere, si qua est Relatio prædicamentalis præter transcendentalem, Ratio fundandi consistit in indole perfectionis vtriusque extremi, ex qua movemur, vt perfectionem Scientiæ asseramus commensuratam Scibili.

## CAP. IV.

### *In quo consistat Relatio prædicamentalis?*

1 TRiplex est sententia celebris in hoc puncto. Prima Relationem consistere dicit in modo quodam accidentali realiter distincto à subiecto, termino, & ratione fundandi, qui modus inhæreat subiecto relato, nec aliud munus habeat, quàm purè respicere terminum. Ita sentiunt Thomistæ, & plerique Scotistæ. Secunda totam Relationem (saltem primi generis: de quo maximè disputatur) identificat cū solo fundamēto, quod se tenet ex parte subiecti relati, ita vt terminus, & quidquid se tenet ex parte termini, nullatenùs constituat intrinsecè Relationem, sed sit purum connotatum extrinsecum, quamvis necessariò requisitum, vt Relatio detur. V. g. Relatio, quâ albedo A dicitur similis albedini B, tota consistit in albedine A; requirit tamen necessariò existentiam albedinis B, tamquam purum connotatum extrinsecum. Ita nonnulli Recentiores, quibus præluxit P. Mæratius, faventque plures alij Doctores, quos citat Servera disp. 18. Log. cap. 5. Ab hac de connotatis doctrinâ, quâ passim aliàs vtuntur, Auctores eius *Connotatores* appellantur: eamdemque sæpè adoptare solent Thomistæ pro alijs difficultatibus explicandis. Tertia sententia Relationem adæquatè identificat cum ratione fundandi prout pertinente ad subiectum & terminum, modo explicato ad finem capitis præced. Ita communiter Authores nostri, quos alij sequuntur.

### §. I.

### *Reijcitur Sententia Thomistica.*

2 COntra primam sententiam de accidenti relativo, seu modo Relationis, vtrìcè à naturâ instituto, vt referat, *Arguitur* 1.: similitudo duplicis albi vt quatuor, est Relatio prædicamentalis: sed non consistit in modo superaddito vtrique albedini existenti, & duranti in subiecto & termino: ergo &c. *Prob. Min.*: posità vtràque albedine in subiectis, v.g. in Petro & Paulo, & præciso, seu non intellecto modo Thomistico, Petrus & Paulus sunt similes in albedine: ergo similitudo vtriusque non consistit &c. *Prob. Antec.*: iuxtà Aristotelem (a) *Similia sunt, quorum qua-*

(a) 5. Metaph. cap. 15. *li-*

*litas est una*; sed in casu dicto, una est Petri & Pauli qualitas, nempè albedo, etsi non intelligatur ille modus. Patet hæc *Minor*: quia duorum qualitatem esse *unam*, est esse eiusdem speciei, seu præbere fundamentum, vt ab Intellectu univocetur vtraque qualitas sub conceptu specifico; non enim alia vnitas inter vtramque dari potest à parte rei. At Albedines Petri & Pauli esse eiusdem speciei, abldubio consistit in quidditate & intensione ipsarum: nec ad hoc potest conducere modus ille superadditus, qui, si daretur, potiùs foret index multiplicationis, quàm vnitatis.

3 Respondent, Petrum & Paulum, præciso modo Relationis, esse similes in albedine *fundamentaliter*, non *formaliter*. Sed *contrà* 1.: esse formaliter similes, est habere illam formam, vi cuius vtriusque qualitas est *una* à parte rei, si quid valet Aristotelica definitio *Similium*; sed talis forma est albedo vtriusque intensâ vt quatuor, vt nuper ostendimus; nec potest esse modus Relationis, quippè qui non facit, sed supponit vtramque albedinem esse eiusdem speciei: ergo &c. *Contrà* 2.: esse formaliter similes in albedine, est vnum esse formaliter album sicut alium; & hoc nihil est aliud, quàm Petrum esse formaliter album, & Paulum esse etiam formaliter album vt quatuor: sola autem albedo est, quæ constituit *formaliter album*, vt nemo nescit. Certè quicumque Intellectus, immemor priorsùs modi Thomistici, videat in Petro alborem vt quatuor, atque etiam in Paulo, nihil aliud quæret, aut expectabit, vt dicat vnum esse album sicut alium, proindeque vt plenè concipiat eos esse similes in albedine.

4 *Arguitur* 2.: positis fundamento & termino, fieri potest, saltem de potentiâ Dei absolutâ, ne resultet modus Relationis, vt concedunt Thomistæ plures; sed tunc maneret Cœlum formaliter maius terrâ, & quodvis Totum formaliter maius suâ parte, manerent item duo Cygni formaliter similes in candore, vt etiam duæ quantitates bicubitæ formaliter æquales: ergo Relatio *maioritatis*, *similitudinis*, *æqualitatis*, non consistit in modo resultante. Negabitur forsan Antecedens propter ly *formaliter*. Sed imprimis videtur id fore contrà apprehensionem terminorum.

5 Deinde vrgetur Argumentum sic: impedirâ resultantiâ omnis modi, duo Cygni similes essent in non habendo modum Relationis; sed hæc similitudo non consisteret in modo resultante, vt est evidens: iam ergo dari potest Relatio similitudinis absque modo. Si dicas, fore similitudinem purè fundamentalem. *Contrà*: illa per te est similitudo fundamentalis, quæ potest fieri formalis per modum superadditum: at similitudo in non habendo modum, nequit fieri formalis per modum superadditum, cum potiùs adveniente modo penitùs destruatur: ergo &c.

6 *Arguitur* 3.: pro signo priori ad resultantiam modi, duæ albedines habent similitudinem in ratione causæ, tum efficientis, tum materialis, proximè potentis & exigentis causare modum Relationis. At hæc similitudo non constituitur per modum illum, vtpotè qui nondùm exstitit pro priori signo; nec item per alium modum præcedentem; de hoc enim idem argumentum fiet, & ibitur in infinitum. Non

est

est dicere in fine studio puèr fundamentalis : quia nullam expectat modum, vt fiat formalis ; qui enim modus pro posteriori sequitur, faciet quidem albedines formaliter similes in habendo modum ; vel in intensione, minimè tamen in prioritate naturæ, nec in potentiâ causandi modum ipsum. Adde quod denominatio *fundamentaliter similis*, quæ iuxtà Thomistas præcedit modum, est denominatio formaliter relativa, cum sit contingens albedini, ab eâ separabilis, & imposens à nobis concipi nisi cum ordine ad terminum.

7 *Arguitur* 4. : Entitas absoluta Cœli est formaliter maior, sive perfectior modo Relationis, quo per se refertur ad terram ; est etiam ipsi dissimilis, & diversa formaliter, vt est evidens : sed hæc Relatio *maioritatis*, & *diversitatis* non consistit in alio modo ; alioquin ibimus in infinitum, cum etiam respectu cuiuslibet alterius modi sit formaliter maior entitas Cœli : ergo nec maioritas Cœli respectu terræ consistit in modo superaddito. Patet Consequentia : tum quia fundamenta contraria militant vtrobique : tum quia ideò Cœlum ratione sui est maius modo, & ipsi dissimilis, quia secum identificat excessum perfectionis, & alterius indolis à modo actualiter existente. Hæc autem ratio pariter militat respectu terræ, vt quisque videt. Nec dicas, Cœlum constitui formaliter maius modo per modum ipsum, quo maius est. Nam in primis nihil Thomistis magis displicet, quàm quod Relatio constituatur per terminum. Deinde cur non etiam constituitur Cœlum formaliter maius vbicatione suâ per vbicationem ipsam ? cur non res quælibet constituatur dissimilis per terminum, cui dissimilis est ?

8 *Arguitur* 5. ab absurdo : Nam ex Thomisticâ sententiâ sequitur, quàvis muscâ denuò productâ, vel se movente, statim resultare mutationes innumeras in toto Universo ; quia statim in omnibus Entibus Universi produci debent novi modi Relationum ad muscam, videlicet *coexistentiæ*, *distantiæ*, *dissimilitudinis*, *inæqualitatis* &c. ; qui omnes modi repente perire debent pereunte muscâ, cum nequeant sine termino conservari. Hoc autem & per se dissonum, atque incredibile videtur, & magnæ insuper auctoritati repugnans.

9 Nam in primis D. Thomas 5. Physic. lect. 3. sic ait cum Aristotele, ibi : *Nihil advenit mihi de novo per hoc, quod incipio esse alteri æqualis per eius mutationem.* Et 3. p. q. 16. art. 6. ad 2. : *Ea, quæ relativè dicuntur, possunt de novo prædicari de aliquo absque eius in illo mutatione, sicut homo de novo fit dexter absque sua mutatione, per motum illius, qui fit ei similis.* Videatur præsertim Angelicus Doctor in Opusc. 48., quod tamquam legitimum D. Thomæ citant passim Thomistæ : nam ibi tract. 5. cap. 2. post alia in id ipsum explicatissima, concludit sic : *Fit homo similis alicui sine sui mutatione, vt patet : nam si quis in India fieret modò albus, fieret similis mihi, & ego sibi, nulla in me facta mutatione. Similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem, quæ realiter est in me, vt patet.*

10 Deinde D. Bonaventura in 3. dist. 1. artic. 1. q. 1. ad 3. inquit : *Si ego sum albus, & generatur alius albus, statim mihi incipit esse similis, nulla in me facta mutatione, sed*

*sed solùm in ipso.* Denique D. Anselmus in Monolog. cap. 26. sic fatur: *Homini post animum nascituro nec maior, nec minor, nec æqualis sum. Omnes autem Relationes has utique cum natus fuerit, sive omni mei mutatione ad illum habere potero.* Ad hæc dices 1., Relationem esse minutissimum ens, ideòque facere mutationem quasi nullam. *Contrà*: Relatio à te posita, quantumvis minutissimum ens, non est nullum ens: ergo mutatio, quam facit, non est nulla mutatio. Dices 2., nullam fieri mutationem ex Relatione secundùm conceptum *Ad*, fieri tamen secundùm conceptum *In*. *Contrà*: iuxtà citatos Patres nulla fit mutatio, dum fit realis transitus de non habendo ad habendum rectam denominationem relativam: at in eo transitu citrà dubium advenit de novo Relatio secundùm conceptum *In*.

11 *Arguitur* 6.: albedo refertur ad Gratiam, ad Visionem beatificam, vel quodvis aliud ens supernaturale, relatione dissimilitudinis, diversitatis, aut inferioritatis in perfectione. At ea Relatio, si foret modus ex albedine relucens, & ipsi inhærens, esset, & non esset intrinsecè supernaturalis: ergo esset chymerica. *Prob. Min.*: esset intrinsecè supernaturalis, quia essentialiter connecteretur cum existentiâ entis supernaturalis vt talis (redderet enim albedinem formaliter inferiorem Gratiâ prout supernaturali), & quidquid ita connectitur, supernaturale est. Deinde non esset: quia produceretur, seu resultaret activè ex albedine tamquam ex vnicâ radice (hoc enim iuxtà Adversarios commune est omnibus Relationibus, pullulare ex virtute solius fundamenti, cui inhærent), & hoc ipso non esset supra vires naturæ, quod est contrà conceptum supernaturalitatis.

12 *Arguitur* denique: vna Relatio refertur ad alias Relationes inconnexas, absque novo modo relationis, v.g. vna paternitas similis est paternitati alterius hominis, est etiam absque vlteriori modo diversa, & dissimilis Relationibus æqualitatis, maioritatis, vnionis, coexistentiæ, &c.: si enim requiritur vlterior modus, cum de illo idem argumentum fieri possit, dabitur processus modorum infinitus. Pariter ergo sine modo superaddito poterit vna albedo referri ad aliam. *Prob. Conseq.*: tum quia vtrumque, vel neutrum probant plura argumenta Thomistarum. Tum quia etiam paternitati A contingens & accidentarium est, quod fiat actu similis, coexistens &c. paternitati B. Tum quia duæ Relationes inconnexæ, & diversi generis, non aliter inter se comparantur, quàm duæ res omninò absolutæ. Mitto alia argumenta apud nostros Auctores videnda.

## §. II.

*Reijcitur sententia Connotatorum.*

13 CLaritatis gratiâ loquamur de Relatione coexistentiæ Petri ad Paulum, quam Connotatores dicunt identificari cum solâ existentiâ Petri (adde insuper modum durationis, si forte detur, de quo nulla quæstio in præsenti), quamvis ita connoret actualem existentiam Pauli, vt sine illâ stare nullatenùs possit. Arguitur ergo sic: existente Petro, & deficiente Paulo, citra Relatio coexistentiæ non existit, vt certum

tum est omnibus: ergo dicta Relatio non identificatur adæquatè cum solâ existentiâ Petri. Patet Consequentia: quia, si taliter identificatur, omnis casus possibilis, in quo permanet existentia Petri, erit casus, in quo permanet illa Relatio; sicut in quocumque casu existit homo, existit animal rationale, quia hoc identificatur adæquatè cum homine; & generatim evidens est, quod ex duobus adæquatè identificaris nequit vnum in rerum naturâ existere sine altero. Paulò aliter: existentia Petri realiter separabilis est à Relatione prædictâ, siquidem existere potest eâ Relatione non existente, quando scilicèt non existit Paulus: atqui separabilitas est signum evidens distinctionis realis: datur ergo distinctio realis, saltem inadæquata, inter existentiam & Relationem.

14 Alijs terminis impugnari solet eadem doctrina. Videlicet: *Id, quo solo deficiente, & manentibus cæteris ab eo adæquatè distinctis, deficit res A, vel est tota essentia rei A, vel saltem pars essentiæ illius*: sed deficiente solâ existentiâ Pauli, & manentibus cæteris, adæquatè ab eâ distinctis, deficit Relatio coexistentiæ Petri ad Paulum: ergo existentia Pauli vel est tota essentia talis Relationis, vel saltem pars intrinsecè constituens illam. Minor cum Consequentiâ constat. Maior, cuius in Philosophiâ & Theologiâ frequens occurrit vsus, à nonnullis vel falsa, vel ambigua censetur; ab alijs contemnitur etiam, & irridetur: sed à plerisque, præsertim ex nostrâ Schola, tamquam principium inconcussum habetur.

15 Et meritò quidem: nam veritas eius nititur huic principio per se noto, *Impossibile est idem simul esse & non esse*. Si enim id, quod deficit, non est tota essentia, nec constitutivum essentiæ rei A: ergo eo solo deficiente, nihil deficit ex quidditate, & essentiâ rei A: ergo nec deficit ipsa res A, quæ est sua ipsius quidditas, & nihil vltrà: vel, si deficit, sequitur eam simul esse, & non esse. Et vt in materiâ præsenti loquamur, per te tota entitas, quidditas, & essentia Relationis prædictæ, adæquatè & vnicè consistit in existentiâ Petri actualiter durante: ergo, dum nihil istius existentiæ deficit, nihil Relationis deficit: aliunde deficit Relatio per te, deficiente existentiâ Pauli, etsi nihil existentiæ Petri deficiat: ergo Relatio deficit, quando nec minimum quid essentiæ ipsius deficit, seu quando nihil ipsius deficit. Quid autem est deficere simul & non deficere, si hoc non est?

16 Nec mihi quidquam respondere videntur Adversarij, dum generaliter aiunt, manere posse constitutiva omnia alicuius compositi, quin maneat compositum ex defectu connotati extrinseci (idem docent de re simplici, nempè manere posse totam eius entitatem, quin res maneat), eo quod tunc maneant omnes partes compositi *entitativè* & *materialiter* sumptæ, non verò *formaliter in esse partium*, vel *prout partes, & constitutivè* sunt; quia non sunt partes, nisi *prout connotantes* talem terminum extrinsecum. Addunt, manere tunc constitutiva omnia, vel rem ipsam, de quâ est sermo, *quoad entitatem*, non *quoad denominationem*: item manere *quoad implicitum, quidditativè, quoad rectum, vt quod*; non autem manere *quoad explicitum, denominativè, quoad obliquum, vt quo*.

17 Hæc, inquam, verba sunt sensu vacua, nisi fallor. Insistamus Re-

Relationi, claritatis gratia. Quæro abs te, an existentia Petri, prout *formaliter* est essentia Relationis, vel sumpta *in esse* Relationis, vel *prout est*, & *eo modo quo est* Relatio, vel *prout connotans* terminum, vel ita vt sumatur Relatio *denominative*, seu *quoad denominationem*, *quoad explicitum*, *quoad rectum*, vel *vt quo*: an, inquam, sic accepta constituatur per aliquid distinctum ab existentiâ nudè sumptâ secundùm suam entitatem actu durantem? Si neges: ergo quoties perseverat existentia Petri quod entitatem actu durantem, perseverare debet cum illis omnibus adminiculis, ita vt Relatio maneat cum totâ realitate obiectivâ reduplicationum illarum (suppono cum Adversarijs, reduplicationes illas, *quoad denominationem*, *quoad explicitum*, &c., non consistere in solis verbis, aut conceptibus, sed habere suam realitatem ex parte obiecti); alioqui redibit eodem impetu argumentum suprà factum à num. 13.

18 Si autem affirmes: iam ergo Relatio *formaliter* vt talis, vel sumpta *quoad denominationem* &c., non consistit in solâ entitate fundamenti, videlicet existentiæ Petri, sed insuper constituitur in esse talis per aliquam aliam realitatem obiectivam, saltem *de obliquo*, sive *vt quo*; cumque nullam aliam realitatem superaddere velis præter terminum, hic etiam ingredietur constitutionem Relationis *quoad denominationem*. At de Relatione sic acceptâ nos loquimur. Ubi nota, posse aliquid importari *vt quo*, vel *de obliquo*, & tamen intrinsecè constituere rem. Sic vnio inter corpus & animam, verè constituit hominem intrinsecè, licet solum *vt quo*: sic Gratia intrinsecè constituit denominationem *filij Dei adoptivi*, licèt *de obliquo*; non enim ea denominatio verificatur nisi de creaturâ rationali, & in quâvis denominatione *rectum* dicitur id, de quo illa verificatur.

19 Scio, plura esse ita connexa cum aliquo connotato penitus extrinseco, vt, eo deficiente, necessariò deficiant. Sic vnio connectitur essentialiter cum extremis, actio cum termino, creatura cum Deo, vel cum concursu Dei, & quilibet modus cum re, quam modificat; adeò vt chymericum sit actionem v.g. existere, deficiente termino, à quo tamen actio distinguitur adæquatè. Sed tunc falsum est, quod actio deficiat, solo termino deficiente, & manentibus in rerum naturâ cæteris entitatibus adæquatè distinctis à termino actionis; nam tunc, præter terminum, deficit etiam ipsamet *entitas* actionis *materialiter* sumpta, *quidditativè*, & *quod rectum*: & per defectum huiusce entitatis deficit *formaliter* actio, per defectum autem termini solùm deficit actio *purè illativè*, quatenùs ex defectu termini infertur defectus entitatis actionis, titulo scilicet dependentiæ, & connexionis essentialis.

20 Quando enim res deficit per defectum totius suæ entitatis, vel alicuius partis, aut prædicati essentialis, dicitur deficere *immediatè*, *formaliter*, *per locum intrinsecum*: quando verò deficit per defectum alicuius termini, vel connotati extrinseci, quo cum essentialiter connectatur, dicitur deficere *per locum extrinsecum*, vel *mediatè*, *purè illativè*, *arguitivè*, *consecutivè*; quia ex defectu connotati arguitur defectus illius entitatis, in quâ consistit res, vel saltem alicuius constitutivi seu partis illius. Atqui iuxtà Ad-

ver-

versionis ex defectu termini Relationis non sequitur defectus alterius enticatis, ex quâ Relatio constituatur: ergo ex defectu termini non deficit Relatio *purè illativè*. Vel ergo Relatio permanet adhuc; vel, si deficit, *formaliter* deficit, eo quod intrinsecè constituatur ex termino.

21 Si tamen quis fingat, solum terminum actionis A deficere, & manere cæteras omnes entitates adæquatè distinctas à tali termino, finget vtique rem impossibilem, quia ex entitatibus adæquatè distinctis ab eo termino vna est entitas actionis A, quæ sine termino manere non potest, etiam *materialiter* sumpta. Dummodò tamen hæc impossibilitas dissimuletur, & entitas actionis manere statuatur, manebit vtique actio A, quæ nihil est aliud, quam suamet entitas. Vel saltem infertur, quod manebit simul & non manebit: manebit, quia manere supponitur tota entitas, cum quâ identificatur adæquatè; non manebit, quia repugnat actio & entitas eius, sine termino manens. Videant Adversarij, an similiter velint, vt Relatio simul deficiat & non deficiat, deficiente termino.

22 Unde colliges, importunè instari nostrum argumentum in actione, vnione, & alijs metaphysicè connexis cum alio à quo adæquatè distincto. Importunè, inquam. Tum propter dict. num. 19. & 21. Tum quia nunquam salvatur, quod deficiente termino, maneat actio *materialiter*, *quoad entitatem*, *quoad rectum*, &c. Tum quia, quoties deficit actio vt *connotans* terminum, deficit etiam *entitativè*, seu *qua dditativè*, ipsaque formalis *connotatio* est inseparabilis ab entitate actionis. Omnia hæc aliter accidunt, quando res aliqua ponitur essentialiter pendens à connotato sibi extrinseco, quin tamen entitas illius rei, vel aliquod ex constitutivis eius, habeat connexionem cum tali connotato, sed potiùs sine illo permanere possit in rerum naturâ. Hoc volunt passim Connotatores, nominatim in Relatione. Id verò mihi prorsùs implicatorium apparet, tum hìc, tum in quavis aliâ materiâ.

23 Quocircà principium positum num. 14., videlicet, *Id, quo solo deficiente, &c.*, ineluctabile iudico saltem quoties applicatur ad casum, in quo possibile est verificari conditionem expressam in ablativis absolutis, nimirùm, *Si hoc solum deficiat, & maneant cætera omnes entitates ab eo adæquatè distincte*, & conducentes ad constitutionem rei, de quâ disputatur. Quis enim possibile credat, quod maneant omnia constitutiva rei A, vel quod nihil deficiat ex tota quidditate ipsius, & tamen verè deficiat ipsa res A? Porrò Connotatores nullum argumentum à ratione producunt, quo principium illud impugnent. Producere tamen solent ex variis materijs, præsertim Theologicis, exempla facis difficilia, quæ modò percurrere infinitum, & importunum esset. Cautus esto: vt quoties proponitur aliquod constitutum, vel denominatio, verè deficiens ex defectu certi cuiusdam connotati, ne concedas illud esse merum connotatum extrinsecum, nisi priùs inter constitutiva illius denominationis invenies aliquod (saltem *de obliquo*, vel *vt quo*) essentialiter connexum cum tali connotato, quod simul & consequenter deficiat *quoad entitatem*.

§. III.

## §. III.

*Tertia sententia præfertur, & probatur.*

24 PReferenda igitur est tertia sententia communis in Scholâ nostrâ, quæ Relationem in abstracto (ideſt, sumptam per modum formæ) realiter adæquatè identificat cum adæquatâ ratione fundandi. Relationem autem in concreto (ideſt, sumptam pro totâ denominatione relativâ) docet intrinsecè constitui per subiectum & terminum cum ratione fundandi. *Prob.* 1. ex Aristotele in Categor. cap. *de Qualitate*, vbi sic ait: *Similia, dissimilia que per qualitates solas dicuntur. Simile enim quippiâ cuipiâ nulla alia profectò ratione esse videtur, quàm ea, qua quale est.* En, vt Relatio similitudinis constituitur *per qualitates solas*, in quibus stat ratio fundandi; nec aliud requiritur, vt duo sint plenè similia, quàm vt habeant vniformem qualitatem. Item ex Boetio *in Comment. super cap. de Relat.*, dicente, *Substantiam esse rem vnam, Relationem duas, & subinde non in simplicitate, sed pluralitate consistere*: & iterùm, *Rem eamdem & esse qualitatem, & Relationem propter terminum.* Consonat S. Augustinus *Categor. cap.* 11. dicens: *Claret igitur, Ad aliquid* (ideſt, Relationem) *non sua vi, sed alterius coniunctione consistere.* En, vt Relatio non aliter distinguitur à substantiâ, qualitate &c., nisi quatenùs consistit in pluralitate, coniunctione, seu complexo fundamenti & termini.

25 *Prob.* 2. eadem sententia: tum ab impugnatione cæterarum. Si enim Relatio aliquid est ex parte obiecti, & non consistit in accidenti relativo, seu modo superaddito, vt Thomistæ volunt; nec aliunde consistit in solo fundamento, seu ratione fundandi se tenente ex parte subiecti solius, vt volunt Connotatores; superest, vt consistat in complexo fundamenti & termini, sive in ratione fundandi, prout hæc pertinet ad subiectum & terminum. Tum à priori: quia id, quo præcisè intellecto, Relatio plenè intelligitur, & quo non intellecto penès quamlibet sui partem, nequit Relatio intelligi, est vnica & tota quidditas Relationis. Atqui præcisè intellectâ v.g. duplici albedine vt quatuor, alterâ vnitâ Petro, alterâ Paulo (semper includimus durationem, si fortè distinguatur ab existentiâ rei), intelligimus quidquid sufficit, vt incunctanter dicamus Petrum esse Paulo *similem* in albedine; &, si quælibet ex hisce entitatibus non intelligatur, individua ista denominatio nequit intelligi, vt experienti constabit: ergo &c.

## CAP. V.

*Fundamenta contraria dissolvuntur.*

1 OBiic. 1.: si nostra sententia vera est, Relatio *identitatis*, quâ Petrus est sicut Paulus in naturâ humanâ, consisteret in complexo vtriusque. Hoc autem falsum esse *probatur* 1.: quia complexum illud est vndique substantiale: Relatio autem est accidens, cum sit Prædicamentum à Substantiâ distinctum, debeatque fundamento advenire contingenter. 2.: quia Relativum & Absolutum opponuntur, proindeque identificari non possunt: at quidquid est

in

in eo complexo, est absolutum. 3.: quia *totum esse Relationis est ad aliud*; quod minimè verificatur de tali complexo.

2 *Resp.*. Concedo sequelam, quin obstent probationes obiectæ. *Ad* 1.: Relatio non semper debet esse accidens physicum, & in essendo, sed potest esse accidens logicum, sive in prædicando, quatenùs tribuit denominationem contingentem, & velut accidentaliter supervenientem subiecto. Talis est denominatio *similis*, aut *convenientis in natura humana*; prædicatur enim contingenter de Petro; quia vltrà naturam Petri, constitutivè involvit naturam Pauli actu existentem: cum autem Petro contingens & accidentarium sit quod existat Paulus, contingens etiam est denominatio prædicta: redditur enim quælibet denominatio contingens ex contingentiâ cuiuslibet ex constitutivis. Hinc Petrus absque intrinsecâ sui mutatione transire potest de non habendo ad habendú illam denominationem relativam, aut è converso, per solam scilicet mutationem Pauli. Et instatur in denominatione *proximè fundamentaliter similis*, aut *convenientis in natura*, quæ denominatio est etiam contingens, & superveniens Petro, cum exigat existentiam Paulis & tamen nullum addit accidens physicum.

3 Nec Relatio debet realiter distingui à Substantiâ, vel à reliquis Prædicamentis. Unde D. Thomas 11. Metaph. lect. 9. *ad finem*, cum docuisset, Actionem, & Passionem identificari realiter, subdit: *Prædicamenta diversificantur secundùm diversos modos prædicandi. Unde idem secundùm quod diversimodè de diversis prædicatur, ad diversa Prædicamenta pertinet.* Sufficit ergo distinctio rationis, etiam imperfecta, seu penès modum significandi, vt Prædicamenta dicantur diversa: quia sufficit ad diversos prædicandi modos. Ex duplex prædicatio, *Petrus est homo, Petrus est Paulo similis in natura.* Vtraque prædicat aliquid physicè substantiale; sed valde diverso modo: nam prima est necessaria, & essentialis, nihilque connotat à Petro distinctum; atque ideò pertinet ad Prædicamentum Substantiæ: secunda verò est contingens, & defectibilis permanente subiecto, constituiturque per connotationem alterius extremi distincti; & ideò pertinet ad Prædicamentum Relationis. Nec Relatio prædicamentalis, eo quod identificetur cum alijs Prædicamentis, vocari debet transcendentalis: quia non transcendit alia Prædicamenta sub proprijs eorum conceptibus, sicut illa, quæ verè transcendentalis est, vt notavimus cap. 3.; sed potiùs præstat denominationem velut adventitiam subiecto.

4 *Ad* 2. *prob.*: si *absolutum* idem sonet, ac *liberum ab omni respectu ad aliud*, opponitur quidem *relativo*; sed in hoc sensu nihil est absolutum, saltem in rebus creatis, quæ omnes ad Deum saltem referuntur, tum respectu transcendentali, tum prædicamentali, videlicet *distinctionis*, *diversitatis*, *inferioritatis* &c.: quare negandum est, quod complexum Petri & Pauli sit in hoc sensu quid absolutum. Si autem *absolutum* idem sonet, ac *aptum concipi & explicari in propria specie citrà comparationem cum alio*, plura sunt in creatis absoluta, & inter alia complexum Petri & Pauli; quia verè potest in specie explicari terminis non comparativis, his v. g.,

dan-

*duplex homo*, *duplex animal rationale*. At in hoc sensu *absolutum* realiter non opponitur omni *relativo*, sed dumtaxat *relativo* entitativè modali, quale invenitur in Relationibus secundi generis; nec aliud probabunt facilè Thomistæ; nihil enim prohibet eamdem rem explicari posse variis conceptibus, tum absolutis, tum comparativis. Ultimùm dabitur oppositio quoad statum intentionalem, quatenùs non est idem cognosci comparativè, & cognosci absolutè.

5 *Ad 3. prob.*: cùm dicitur, quòd totum esse Relationis est ad aliud, non debet sumi Relatio in sensu reali, nec pro implicito; nam conceptus *In*, qui iuxtà Thomistas pertinet ad *esse Relationis* pro implicito, non est *ad aliud*. Sumitur ergo Relatio prout subest conceptui comparativo, & tunc secundùm explicitum: quia sub hoc conceptu, *Petrus specificè convenit cum Paulo*, solùm explicatur quomodo Petrus se habeat ad Paulum. Sic autem *totum esse* complexi ex Petro & Paulo, quod est vnicum obiectum illius comparativi conceptus, est etiam *ad aliud*. Sed hic cavenda æquivocatio diligenter. Cùm audis, quod *totum esse Relationis est ad aliud*, ne intelligas *ad aliud* distinctum à totâ Relatione, sed *ad aliud* à fundamento, vel subiecto relato: vt sensus sit iste; totum esse Relationis, quâ Petrus dicitur Paulo similis in essentiâ, est referre Petrum ad aliud à Petro, nempè ad Paulum.

6 Ratio est, quia ly *aliud* solùm debet intelligi respectu illius subiecti, quod accipit denominationem *relati*, v.g denominationem *similis*, *æqualis*, *maioris* &c. At Relatio, quatenùs est adæquata forma, vel quasi forma, est id *quo* subiectum denominatur *simile*, &c. sed non est id *quod* eam denominationem accipit: est *similitudo*, sed non est *similis*: quemadmodùm actus potentiæ visivæ est *visio*, sed non est *videns*, nec *visus*, nisi purè *vt quo*; & sic de alijs innumeris. Hinc si argumenteris hoc modo: Relatio respicit terminum vt *quid extrinsecum*, sive vt *quid distinctum*: ergo non identificatur cum termino etiam inadæquatè. *Dist. Antec.*: respicit *vt quod*, nego; Relatio enim prædicamentalis non est *quod* respicit terminum, sed est id *quo* res vna respicit aliam, ideòque definitur *Respectus*, vel *Habitudo vnius rei ad aliam*: respicit *vt quo*, subdistinguo; respicit terminum vt quid distinctum, vel extrinsecum Relationi adæquatè sumptæ, *nego*; vt quid distinctum, vel extrinsecum soli fundamento, vel subiecto, *conc. Antec.*, & *neg. Conseq.*. Hinc etiam hæc propositio, *Petrus, vt distinctus à Paulo, est Paulo similis in natura*, vera est, si denotet, Petrum, vt distinctum à Paulo, esse subiectum, quod denominatur *simile Paulo*; falsa tamen, si denotet, Petrum in se habere quidquid involvitur in denominatione *similis*, tam *vt quo*, quàm *vt quod*.

7 Itaque Petrus denominatur *similis Paulo*, partim per suam naturam, partim per naturam Pauli, qui proinde ingreditur *vt quo* denominationem *similis* conuenientem Petro. Sic Petrus denominatur *dissimilis* accidenti relativo Thomistico per ipsummet accidens, ne abeamus in infinitum. Sic idem Petrus denominatur *proximè fundamentaliter similis* Paulo per ipsam Paulum, in principijs Thomisticis. Similitudo igitur Petri ad Paulum est quæ-

dam quasi forma constituta ex naturis Petri & Pauli, tribuitque Petro denominationem partim intrinsecam, partim extrinsecam, in quâ denominatione Petrus gerit munus formæ partialis, & subiecti totalis. Ubi notandum, quod in Relationibus mutuis, præsertim æquiparantiæ, verumque extremum est terminus & fundamentum respectu alterius: nam Petrus est fundamentum (id est subiectum) similitudinis sui ad Paulum, & est terminus similitudinis Pauli ad Petrum ipsum; & idem accidit Paulo vice versâ. Utraque autem similitudo, Petri ad Paulum, & Pauli ad Petrum, habet eadem constitutiva cum solâ diversitate subiecti denominati. Hæc omnia præ oculis habeto, ne captiosis arguendi formulis irretiaris.

8 Sed hinc *obijc.* 2.: ergo Paulus est fundamentum similitudinis Petri ad Paulum; est enim fundamentum similitudinis sui ad Petrum, & hæc similitudo est ipsamet similitudo Petri ad Paulum, cum habeat eadem constitutiva. Atqui fundamentum similitudinis Petri ad Paulum est Petrus: ergo Paulus est Petrus. *Instatur* obiectio in actu contritionis, qui fit amor Dei & odium peccati propter Deum, hoc modo: Deus est terminus odij peccati; est enim terminus contritionis, quæ est odium peccati: atqui terminus odij peccati est peccatum: ergo Deus est peccatum. Instatur etiam in similitudine proximè fundamentali inter Petrum & Paulum: item in dissimilitudine Petri ad modum Relationis Thomisticum: item in similitudinis duarum paternitatum, vel filiationum inconnexarum: in quibus omnibus, vt conflat ex dict. præced., eadem est difficultas, nisi confugias ad Connotatores, vel modos fingas infinitos.

9 Directè distinguo primum Consequens: *Paulus est fundamentum similitudinis &c.*, quæ sit tantum similitudo Petri ad Paulum, nego suppositum; quæ sit etiam similitudo Pauli ad Petrum, *conc. Consq.* Tum *dist. Min. sumsumpt.*: fundamentum suscipiens denominationem *similis Paulo*, est Petrus, *conc.*; fundamentum suscipiens denominationem *similis Petro*, est ipsemet Petrus, *neg. Min. & Consq.* Similitudo illa, cum simul sit Petri ad Paulum, & Pauli ad Petrum, duo habet fundamenta, alterum quod denominat *simile Paulo*, & hoc fundamentum est solus Petrus; alterum quod denominat *simile Petro*, & hoc est solus Paulus; nec istæ denominationes inverti possunt, nisi propria essentia illius similitudinis inverteretur. Id quod passim cernitur in varijs formis, quæ diversas continent denominationes pro diversis subiectis; vt cum eadem cognitio denominat Intellectum *cognoscentem*, & obiectum *cognitum*, non è converso: & cum eadem calefactio (quæ simul est actio, & passio) denominat lignum *passum*, & ignem *agentem*, non è contrario.

10 Unde facilè solvitur, quod obijci solet in Relatione *Maioritatis*, quia cubitalis quantitas v. g. refertur ad palmarem; quæ Relatio constituitur ex vtraque quantitate; & quæ major est, constituit denominationem *maioris*; sicut quæ minor est, denominationem *minoris*. Sic igitur argues: ergo *maioritas*, & *minoritas* idem sunt, cum habeant eadem constitutiva: ergo palmaris quantitas refertur ad cubitalem re-

la-

latione *maioritatis*, proindeque denominabitur *maior* cubitali. Patet consequentia: quia refertur relatione *minoritatis*, quæ est eadem cum relatione maioritatis. Et eâdem ratione sequitur, quod cubitalis quantitas erit *minor* palmari.

11 Iulio, vt supra: voluntas contrita tendit in Deum per actum odij, ergo denominabit Deum *odio habitum*. Negabis Consequentiam: quia voluntas contrita tendit in Deum per actum odij, non Dei, sed peccati, qui actus simul est amor Dei. Hoc ipse respondeo. Palmaris quantitas refertur ad cubitalem relatione *maioritatis*, non qualiscumque, non quæ sit *maioritas* palmi ad cubitum, sed quæ sit *maioritas* cubiti ad palmum; quæ Relatio simul est *minoritas* quantitatis palmaris, cui soli tribuit denominationem *minoris*, & soli cubitali denominationem *maioris*. Idem tenentur dicere Thomistæ in *maioritate* fundamentali proximâ, & in eâ, quâ Cœlum dicitur maius, & perfectius modo Relationis.

12 *Obiic.* 3.: nostra sententia re ipsâ negat Relationes reales. *Prob.* 1.: quia nihil in Relatione *similitudinis* &c. nos admittimus, quod non admitterent Veteres illi, qui Relationes ex parte obiecti negasse dicuntur; non enim illi negabant, dari posse à parte rei v.g. duo alba eiusdem intensionis actu existentia. *Prob.* 2.: quia nihil ponimus, quod suapte naturâ habeat ordinari ad aliud: nam album A ex se non ordinatur ad album B, nec vice versâ; complexum autem vtriusque nec potest habere ordinem, quem non habent partes eius, nec potest respicere *aliud* à se distinctum. *Prob.* 3.: quia non salvamus in Relatione conceptum *Inhærentiæ*: nam in Relatione *identitatis* inter duas substantias, nullam damus formam, quæ subiecto inhæreat. *Prob.* 4.: quia Relatio est ens *per se vnum*: nos autem ponimus *vnum per accidens*, sive vnum per aggregationem, cuiusmodi est complexum ex duplici albo. *Prob.* 5.: quia vera Relatio debet *resultare* ex fundamento & termino simul positis: nequit autem ex his resultare iuxtà nostram sententiam, cum ab illis non distinguatur.

13 *Resp. neg.* assumptum; cuius probationes non vrgent. *Ad* 1.: hoc distamus à negantibus Relationes reales, quod illi negabant dari à parte rei formalem *similitudinem* &c., quamvis actu existerent duo alba, solùmque in his agnoscebant fundamentum ad actum Intellectus comparativum, in quo consisteret *similitudo* formalis: nos autem agnoscimus ex parte obiecti, & ante operationem Intellectus, quidquid sufficit, vt existat vera, propria, formalis, & completa *similitudo*, *diversitas*, *æqualitas*, *maioritas* &c., adeò vt hæc nomina non necessariò verificentur de actu Intellectus comparante obiecta, sed plenum habeant in obiectis ipsis verificativum. Et cum hæc sint nomina Relationum, quæ nobis reliquit Aristoteles, non est cur inter negantes Relationes reales censeamur: quamquam nec ea censura est valdè timenda in Relationibus primi generis; has enim à parte rei solùm existere fundamentaliter, & complexi formaliter per actum Intellectus, valdè probabiliter opinantur plures Authores magni nominis.

14 *Ad* 2.: In Relationibus secundi generis aliquid ponimus,

quod suapte naturâ clarè ordinetur ad aliud, v.g. actionem, passionem, vnionem. In primo autem genere, v. g. in similitudine duplicis albi, quod ex se ordinatur ad aliud, non est vnumquodque album nudè sumptum, & seorsim spectatum, nisi vt summùm *inchoativè*, vel *in aptitudine*; sed est tota denominatio *similis*, consistens in complexo vtriusque albi, & conveniens *vt quod* alterutri eorum respectu alterius; quæ denominatio tota ex se ordinatur ad aliud, non quod sit *aliud* à se totâ, sed quod sit *aliud* à recto, vel subiecto, cui ipsa convenit, vt iam suprà monuimus. Porrò *ex se ordinari ad aliud*, est ita se habere, vt non possit explicitè concipi (etiam intuitivè, vel per speciem propriam), nisi comparando vnum cum alio. Atque ita se habet illud complexum, quatenùs tribuit denominationem *similis*; neque enim potest concipi, nisi comparando vnum album ad aliud. Nec repugnat quod totum complexum habeat aliquid, quod non habent singulæ partes consideratæ seorsùm; alioquin complexum ex vnitatibus non esset numerus, quia nulla vnitas est numerus; nec complexum ex hominibus esset Respublica, ob eamdem rationem.

15 *Ad* 3.: plurimæ Relationes habent physicè conceptum *In*, cum sint accidentia physicè distincta à subiecto relato, iuxta dicta cap. 3. circà rationem fundandi. Quoties verò ratio fundandi non distinguitur à subiecto & termino, tunc, sicut Relatio non est accidens physicè superveniens, & inhærens, sed tantùm logicè, & ex modo prædicandi contingenter, ita non nisi logicè & ex modo significandi habet conceptum *In*, quatenùs videlicet à nobis concipitur & significatur instar formæ denominantis subiectum, & ipsum afficientis. *Ad* 4.: Relatio debet esse *vnum per se*, non vnitate physicâ, sed vnitate logicâ, seu prædicationis, quatenùs prædicatur per modum vnius prædicati, & non per modum plurium. Nec alia *vnitas per se* requiritur in Prædicamentis, vt cernitur in Prædicamento *Habere*, cùm dicitur v.g., *Homo est vestitus*. In sensu autem physico non semper habet Relatio vnitatem per se, cum potiùs in coniunctione, seu concomitantiâ plurium consistat, vt suprà vidimus ex Augustino, & Boetio.

16 *Ad* 5.: illa *resultantia* non est effectiva, sed formalis, scilicet per modum effectus formalis realiter indistincti, eo sensu, quo ex animâ & corpore vnitis resultat esse hominis, & ex obiecto & cognitione resultat esse cogniti. Denique moneo, vt præ oculis habeas instantiam in Relatione, quâ referuntur inter se duæ Relationes inconnexæ, vtique sine alijs modis superadditis, ne isti fiat infiniti. Nam in primis, cùm v.g. duæ Paternitates dicuntur *similes*, nihil est in complexo vtriusque, quod ex se ordinetur ad aliud: vna enim Paternitas ordinatur quidem ad suam filiationem, vel ad filium, sed non ad aliam Paternitatem. Deindè, similitudo illa non habet physicè conceptum *In*; quia Paternitas A, quæ est fundamentum, vel subiectum, nec inhæret sibi ipsi, nec est subiectum Paternitatis B, ad quam refertur. Præterea, similitudo non erit *vnum per se*; quia consistit in complexo fundamenti & termini, nisi recurratur ad Connotatores. Postremò, nec apparet quomodò similitudo *resultet* ex Paternitatibus A, & B, simul positis, cum non

non sit accidens vtrique superadditum.

17 *Obijc.*: 4. similitudo duorum equorum in naturâ specifica, est æqualis similitudini duorum hominum inter se: at perfectio specifica vtriusque binarij, vel complexi, non est æqualis: ergo in his non identificatur similitudo cum perfectione specificâ extremorum. *Resp.* Hoc argumentum vide solutum in simili suprà *tract.* 2. *disp.* 1. *cap.* 5. *n.* 20.: & adde manifestam instantiam in similitudine fundamentali. Quâ eâdem instantiâ, & solutione facilè dilues hoc aliud argumentum non absimile: Duo Calida vt quatuor possunt crescere in calore, quin crescant in similitudine; si enim vtrumque fiat Calidum vt sex, non erunt similiora, quàm anteà: ergo similitudo vtriusque non identificatur cum calore vtriusque.

18 *Obijc.* 5.: si è duobus Calidis vt quatuor alteri adveniat novus gradus caloris, & non alteri, perit similitudo præcedens; sed nihil perit caloris præcedentis: ergo similitudo non consistebat in calore. *Resp.*: duo Calida vt quatuor duplicem habent similitudinem, alteram positivam consistentem in vtroque calore, alteram negativam consistentem in carentiâ maioris intensionis. Ex his prima non perit adveniente novo gradu caloris; adhuc enim vnum Calidum cum altero convenit in habendo quatuor gradus: perit tamen secunda; quia cessat in altero extremo carentia maioris intensionis. Et iterùm redit instantia in similitudine fundamentali.

19 *Obijc.* 6.: Relatio coexistentiæ Petri & Pauli dicit aliquid distinctum à complexo vtriusque: ergo idem de quàvis aliâ Relatione censendum. *Prob. Antec.*: per hos duos conceptus, *Petrus existit*, *Paulus existit*, concipitur quidquid est in illo complexo; & tamen non concipitur coexistentia: ergo hæc dicit aliquid distinctum, &c. Patet *Minor*: quia coexistentia non concipitur, nisi per conceptum comparativum; illi autem conceptus sunt ambo absoluti. *Confirm.* 1.: in hac propositione, *Petrus existit sicut Paulus*, vel in hac copulativâ, *Petrus existit & Paulus existit*, aliquid ex parte obiecti respondet particulæ *sicut*, vel coniunctioni &, quod sit distinctum à Petro, & Paulo: sed quod respondet, est coexistentia: ergo &c. *Confirm.* 2.: non datur comparatio intentionalis, nisi detur simplex conceptus formaliter comparativus, quantumvis dentur multi conceptus absoluti: ergo nec datur Relatio realis, nisi detur simplex entitas formaliter respectiva, distinctaque ab omni ente absoluto.

20 *Resp. neg. Antec.* Ad *prob. dist. Mai.*: concipitur quidquid est &c., omni modo, quo est concipibile, *neg.*; aliquo dumtaxat modo, *conc. Mai.*. Tum *dist. Min.*: non concipitur coexistentia, omni modo, quo est conceptibilis, *conc.*; aliquo vero modo, *neg. Min.* & *Conseq.*. Tam cõplexum Petri & Pauli existentium, quàm coexistentia vtriusque, potest concipi, nunc per conceptus absolutos, nunc per comparativos, absque vlla distinctione obiectivâ: quemadmodùm eadem entitas hominis apta est concipi, nunc per conceptum *homo*, qui est absolutus, nunc per conceptum *essentialis dependentia hominis à Deo*, qui est comparativus. Et instatur obiectio in coexistentiâ fundamentali, quæ, prout talis, non minùs postulat conceptum

comparativum: item in similitudine, vel æqualitate duarum Paternitatum inconnexarum; vbi etiam vtraque Obiectionis confirmatio instatur.

21 *Ad 1. Confirm.*: particula *sicut*, vel coniunctio *&*, indicat tantum specialem tendendi modum ex parte conceptus, nec requirit aliquid ex parte obiecti distinctum ab vtroque extremo simul sumpto; vt ex adverso cernitur in disiunctione *vel*, quæ nihil denotat nisi modum tendendi ex parte conceptus. Secunda *Confirm.* retorquetur sic: comparatio intentionalis debet in repræsentando complecti vtrumque extremum comparationis: ergo Relatio realis debet in essendo complecti fundamentum, & terminum, proindeque non est accidens adæquatè distinctum ab vtroque. Præterea, permisso *Antec.*, *neg. Consq.*. Disparitas in eo est, quod nomen *comparatio* determinatè impositum est ad significandum conceptum expresè conferentem duo, vel plura extrema inter se: nomina autem, *similitudo*, *æqualitas*, & similia, quæ propria sunt Relationum realium, imposita sunt ad significandam vniformem duorum qualitatem, quantitatem, &c.; quæ significatio plenè verificatur absque entitate simplici purè respectivâ, vt suprà ostendimus.

22 Denique *obijcies* Doctores Angelicum, & Eximium, quorum alter Thomistis, alter Connotatoribus favere videtur. Nam in primis D. Thomas 1. p. q. 28. art. 2. ad 2. planè docet, in Relativis creatis distingui Relationem à fundamento, seu ab illâ re, quæ refertur. Item q. 7. de pot. art. 9. ad 4. & 5., Relationem similitudinis distingui à qualitate; & Relationem, quâ substantia creata refertur ad Deum, distingui à substantiâ ipsâ. Item q. 8. de pot. art. 2., 4. *contra Gent.* cap. 14., & in 1. dist. 4. q. 1. art. 1. ad 3., & ibi dist. 20. q. 1. art. 1. & dist. 21. q. 1. art. 2., & alibi sæpè, docet, quod Relatio creata est accidens; quod eius esse est aliud ab esse substantiæ, & à subiecto, in quo est; quod realiter advenit substantiæ; quod inhæret subiecto, & cum eo compositionem facit; & quod habet esse debilissimum, & imperfectissimum. Hæc autem omnia conuenire non possunt nisi modo Relationis Thomistico. Deinde, quod Exim. Doctor totum esse Relationis ponat ex parte fundamenti, vel subiecti, adeò vt terminus nequeat esse pars intrinseca Relationis, sed merum connotatum extrinsecum; patet ex multis locis citatæ disp. 47. Metaph., præsertim sect. 2. num. 22., & sect. 8. n. 10.

23 *Resp.* Relatio creata, licèt realiter indistincta, sive ab accidenti absoluto, sive à complexo substantiali, tamen ab vtrolibet distinguitur eâ distinctione, quæ sufficit ad diversificanda Prædicamenta, nempè *secundum modum significandi & prædicandi*: præstat item subiecto denominationem contingentem, in quâ semper involvitur, saltem de obliquo, aliquid realiter distinctum à subiecto, cui proinde *realiter advenit* in denominando. Semper igitur est accidens, saltem logicum, & eo sensu, quo est accidens, verè ipsi tribuitur inhærentia, compositio, & quidquid est proprium accidentis; quamvis aliquid sæpè fiat physicè quid substantiale. Exemplo sit prædicamentum *Habere*, quod inter accidentia computatur, quamvis aliquid substantiale prædicet. Eodem etiam sensu dici potest, quod similitudo v.g.

cau-

causatur, & pendet ab albedine, quatenùs logicè, & ex modo nostro concipiendi prius est Petrum esse album, quàm esse Paulo similem in albedine, & quod dicatur similis, pendet & causatur ex eo, quod cognoscatur albus. Relege doctrinam datam inter solvendum primam *obiectionem*.

24 Fateor, D. Thomam sæpè loqui de Relatione creatâ, tamquam de accidenti physico, vt probet, Relationes Divinæ Trinitatis, v.g. Patris & Filij, non distingui realiter à substantiâ, sicut in creatis. Sed tunc non loquitur de omnibus Relationibus creatis, sed de notioribus, & magis obvijs, cuiusmodi sunt quæ fundantur in quantitate, qualitate, præsentiâ, actione, & passione: quæ omnes, vtpotè realiter indistinctæ ab ipsâ proximâ ratione fundandi, sunt accidentia physica subiecti substantialis, à quo realiter distinguuntur. Constat hæc expositio. Tum ex dictis cap. præced. §. 1. de mente D. Thomæ contrà modum Thomisticum. Tum quia ad ostendendam differentiam inter Relationes Divinas, & creatas (quod erat intentum D. Thomæ in omnibus ferè locis num. 22. allegatis), comparatio potissimùm instituenda erat cum Relationibus creatis patris, & filij, & aliis in actione & passione fundatis. Nec obstat, quod S. Thomas indefinitè loquatur de Relatione creatâ. Nam etiam indefinitè docet, Relationem fundari in substantiâ medio alio accidenti, vt patet ex 4. *cont. Gent.* cap. 14. ibi: *Relatio non solùm præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur Relatio: sicut vnum in quantitate causat æqualitatem, & vnum in qualitate similitudinem.* Et tamen certum est, quod D. Thomas admittit Relationes immediatè fundatas in substantiâ, vt ibi monet Ferrariensis, patetque de Relatione identitatis specificæ ex 1. p. q. 28. art. 1. ad 2., & de Relatione creationis ex q. 7. de pot. art. 9. ad 4. & 5.

25 Dicitur autem esse Relationis imperfectissimum, ac debilissimum pro explicito conceptus *Ad*: quia denominatio relativa vt talis, quatenùs ex modo significandi superaddita perfectioni absolutæ subiecti, licèt sit aliqualiter perfecta quantum sufficit vt dicatur realis, tamen ferè nihil valoris physici addit subiecto: posito enim quod Petrus sit albus, non redditur physicè melior, dum illi accrescit denominatio *similis Paulo*, quæ iam vnicè pendet ab existentiâ termini Petro extrinseci. Quam rationem tradit D. Thom. cit. L. 4. *cont. Gent.* cap. 14., vocans esse Relationis imperfectissimum, *Quia*, inquit, *propria Relationis ratio consistit in eo quod est ad alterum; & esse eius proprium dependet ab esse alicuius exterioris.*

26 Eximius Doctor, dum negat terminum esse partem intrinsecam Relationis, intelligit Relationem secundùm *rectum*: nam de cætero planè docet, quod Relatio, saltem vt præstans suum effectum formalem, includit terminum de obliquo, seu de connotato, non extrinseco, sed intrinseco, & constitutivo. Patet hoc ex cit. disp. Inquit enim sect. 2. num. 23.: *denominatio relativa includit aliquomodo terminum.* Et ibidem pro eodem vsurpat *includere*, & *connotare*, dicens: *Terminum aliquomodo includit, seu connotat illa res, quæ est similitudo, sub ratione & conceptu similitudinis, & non sub ratione albedinis.* Item: *Concedimus*, relativam de-

*nominationem esse ab aliqua forma intrinseca, includendo tamen seu connotando aliquam aliam extrinsecam in extrinseco termino.* Et sect. 8. num. 10. docet, quod Relatio vt talis est, *dici potest includere aliquomodo terminum in sua essentia.* Et clariùs infrà n. 14., quod Deus non potest conservare finè termino entitatem fundamenti *sub tali ratione & denominatione* (nempè relativâ), *quia secundùm illam involvit ipsum terminum; imò in re ipsa nihil distinctum addit præter coexistentiam termini.* Sed quod planè demonstrat nostri Suarij mentem à Connotatoribus alienam, est locus disp. 7. Metaph. sect. 2. n. 3. post medium, ab illis verbis, *Et ideò valde errant &c.*, vbi eodem vtitur argumento, quo nos vsi sumus cap. præc. §. 2.

## CAP. VI.

### *Reliqua de Relatione perstringuntur.*

1 QUoniam relatio in abstracto est realiter indistincta à ratione fundandi, quædam hinc sequuntur notatu digna. 1.: ratio *fundandi* non ita vocatur, quia realiter fundet Relationem à se distinctam; sed quia fundat ex modo significandi; vel potiùs quia fundat conceptum comparativum, qui dicitur Relatio *formalis* formalitate intentionali, & qui terminatur ad ipsam rationem fundandi, quæ est Relatio *formalis* formalitate physicâ. 2. Relatio prædicamentalis variè constituitur, iuxtà varietatem rationis fundandi explicatam ad finem cap. 3. Aliquando enim consistit in complexo duplicis substantiæ, vt identitas specifica duorum hominum: aliquando in complexo duplicis accidentis absoluti, vt similitudo, & æqualitas: aliquando in simplici entitate modali, vt Relatio vnionis inter materiam, & formam, Relatio producentis, & producti, patris, & filij: aliquando in complexo duplicis modi, vt propinquitas, aut distantia localis.

2 Semper tamen realiter distinguitur, saltem inadæquatè, à fundamento, vel subiecto, quod denominat, vt inde à Relatione transcendentali discernatur. Subiectum enim, quod denominatur v.g. *similia in natura* per Relationem identitatis specificæ Petri & Pauli, non est complexum vtriusque hominis, sed alterutter homo; complexum autem gerit munus formæ, vel quasi formæ denominantis, & est integra Relatio, quæ ab vnoquoque homine inadæquatè distinguitur. Unde *sequitur* 3., quod Relatio, quâ vnio refertur ad extrema, est transcendentalis; identificatur enim adæquatè cum fundamento, vel subiecto relato, quod est vnio ipsa. Unde potest eadem simplex entitas esse Relatio transcendentalis sui ipsius ad aliud, & prædicamentalis aliorum inter se, quatenùs illis præstat denominationes correlativas. Sic accidit in vnione, actione, cognitione, quæ semetipsas transcendentaliter referunt ad extremi, ad causam, & effectum, ad Intellectum & obiectum; simulque, prout denominant extrema invicem *vnita*, causam *producentem*, & effectum *productum*, Intellectum *cognoscentem* & obiectum *cognitum*, illorum inter se prædicamentales sunt Relationes.

3 *Sequitur* 4., quod entitas realiter indivisibilis (saltem in secundo genere Relationum, seu quando Relatio est entitas modalis) potest esse forma duorum correlativorum,

rum, eorumque mutua Relatio. Nam eadem cognitio est forma cognoscentis & cogniti, & eadem actio forma producentis & producti. *Dices*: ergo, dum Petrus est pater Pauli, paternitas est filiatio: ergo nequit paternitas denominare Petrum, quin ipsum etiam denominet filiatio; ac proinde, quin denominet *filium Pauli*. Sed verò instantia manifesta est in cognitione, productione, passione. Paternitas igitur in casu posito est filiatio, non Petri respectu Pauli, sed Pauli respectu Petri; hæc autem filiatio verè denominat Petrum, non *filium*, sed *patrem*; quia denominationem *filij* non continet vt dandam Petro, sed tantùm vt dandam Paulo. *Dices* iterum: denominationes *patris* & *filij* sunt oppositæ, petuntque distinctionem realem. *Dist.*: distinctionem realem subiectorum, *conc.*; formarum, *neg.*: & instò in denominationibus *agentis* & *passi*, *producentis* & *producti*. An autem pariter dari possit Relatio similitudinis, aut æqualitatis, si Deus collocet in duplici subiecto eamdem numero albedinem, vel eamdem numero quantitatem; negant Thomistæ, affirmant Scotistæ.

4 *Sequitur* 5., quod Relationes Divinæ Trinitatis non sunt prædicamentales, sed transcendentales mutuæ; quia vnaquæque realiter adæquatè identificatur cum suo fundamento, vel subiecto, v.g. Paternitas cum solo Patre, Filiatio cum solo Filio, &c. Si quæras, an Deus prædicamentaliter referatur ad creaturas? Negandum omninò, si Relatio sit accidens physicum, modusve realiter superadditus. Positis verò nostris principijs, *non est quæstio magni momenti, sed fere de modo loquendi*, vt benè monet Exim. Doct. disp. cit. sect. 15. num. 20. Si enim denominatio relativa, vel est merè extrinseca, vel saltem nihil realiter superaddit complexo fundamenti & termini, nihil certè derogat immutabilitati Dei. Constat Deum contingenter denominari *dominum*, *producentem*, *creantem* &c.; quas denominationes non habuit ab æterno, sed tunc solùm, cùm creaturæ actu existunt. Qui autem admittunt Relationes Dei ad creaturâ, eas præcisè consistere volunt in denominationibus illis.

5 Quod tamen Relatio Dei ad creaturam non sit realis, sed rationis tantùm, sententia est D. Thomæ multis in locis, subscribente Suario nostro sect. cit.. Moventur, quia Deus, nullatenùs à creaturâ pendet, sed est extrà totum ordinem creaturæ, vt loquitur D. Thomas 1.p.q.13. art.7.: realis autem Relatio non est, nisi inter extrema eiusdem ordinis, idest, vt explicat P. Suarez num.23., inter extrema, quæ vel pertinent ad idem Genus, vel ad duo, quorum alterum est perfectibile per alterum, cuiusmodi sunt substantia creata & qualitas: vel saltèm requirit dependentiam fundamenti à termino, qualis invenitur in creaturâ respectu Dei. Quare ex mente Doctorum Angelici & Eximij, denominatio v.g. *producentis*, vt conveniens Deo, non est relativa realiter, non tam ex defectu formæ, quàm ex defectu capacitatis in subiecto, quod non est ex se ordinabile ad creaturam.

6 Nihilominùs Auctores nostri communiter cum alijs pluribus priscis ac modernis, quos citant P. Theophilus Raynaudus Theolog. natur. dist.7. q.1. art.5., & Servera disp.

disp. 18. Logic. num. 41., incunctanter agnoscunt Relationes prædicamentales Dei ad creaturas existentes, in sensu explicato numer. 4.. Eandem agnoscit D. Anselmus, cujus verba refert P. Suar. cit. sect. 15. num. 16. Nec dissentire videtur D. Thomas 3. p. q. 16. art. 6. ad 2 dicens: *Esse hominem convenit Deo ratione unionis, quæ est Relatio quædam*: probat etiam ibidem, quòd Deum fieri hominem non est mutari, quia in relativis *fieri de novo* non importat mutationem. Et verò, cum certum sit, Deo competere plures denominationes contingentes, quæ requirunt existentiam creaturarum, & suapte naturâ concipi non possunt sub ratione talium, nisi conferendo Deum cum creaturis; dissidium, quod supereſt de nomine Relationum, videtur spectare duntaxat ad modum loquendi. Eòdem etiam spectat quæstio, an dicendæ sint Relationes *prædicamentales*? an potiùs *instar prædicamentalium*? eo quod Deus, & quidquid Deo convenit, non collocetur in Prædicamentis.

7 Duo hìc notanda circà mentem D. Thomæ. Alterum: quod 2. *cont. Gent.* cap. 13. generaliter ait: *A Relatione non invenitur aliquid denominari quasi extrinsecus existente, sed inhærente: non enim denominatur aliquis pater, nisi à paternitate, quæ ei inest.* Consonat P. Suar. cit. disp. sæpe docens, quòd denominatio relativa non potest esse *merè extrinseca*. Hoc videtur esse contra doctrinam nostram, in quâ homo denominatur *pater* ab actione generativâ, quæ est in filio, vt quælibet causâ denominatur *producens* à productione, quæ existit in effectu.

8 *Resp.* D. Thomas, & P. Suar. solùm excludunt relativam denominationem à formâ, quæ sit *merè*, seu *adæquatè* extrinseca: volunt que, vt forma subiecto insit *secundùm rectum*. In nostris autem principijs pleræque Relationes non sunt *merè extrinsecæ* subiecto, sed partim intrinsecæ, partim extrinsecæ, constitutæ scilicet in recto & principaliter per aliquid subiecto intrinsecum, licèt de obliquo includant aliquid extrinsecum, nempe terminum. Huiusmodi sunt, quæ fundantur in qualitate, quantitate, præsentiâ, & aliæ. Non paucæ verò in actione fundatæ, erunt quidem extrinsecæ subiecto, si ratio fundandi consistat in actione, vt multi putant, quos secuti sumus propter maiorem claritatem, & facilitatem doctrinæ: erunt autem intrinsecæ, si in paternitate v.g. ratio fundandi præcipuè sit potentia generativa, vel substantia patris, prout sentire videntur Doct. Angelicus, & Eximius: actio verò sit conditio de obliquo constituens. Sed hoc etiam dissidium ad modum loquendi pertinere puto.

9 Alterum: quòd *Relatio rationis* apud D. Thomam non semper est relatio ficta, sed sæpè est ipsemet actus Intellectus duo extrema concipiens ordinatè, seu modo tendendi comparativo, quin ex parte obiecti concipiat ordinem aut relationem. Id quod nominatim verum est de Relationibus Dei ad creaturam, quas S. Doctor vocat *rationis tantùm*. Patet ex q. 7. de pot. art. 11., vbi D. Thomas duobus modis contingere dicit Relationem rationis. Primo, cùm Intellectus per cognitionem reflexam invenit Relationes in rebus intellectis, prout intellectæ sunt, v.g. Relationes generis, & speciei. Lege textum, & confer cum ijs, quæ diximus tract. 1. Proœm. disp. 2.

disp. 2. cap. 5. à num. 12., & postea à num. 74.

10 *Alio modo* (pergit ibidem S. Thomas) contingit Relatio rationis, cùm *Intellectus intelligit aliquid in ordine ad aliud, licet illum ordinem Intellectus non adinveniat; sed magis ex quadam necessitate consequatur modum intelligendi. Et huiusmodi relationes Intellectus non attribuit ei, quod est in Intellectu, sed ei, quod est in re. Et hoc quidem contingit secundùm quod aliqua, non habentia secundùm se ordinem, ordinatè intelliguntur: licèt Intellectus non intelligat, ea habere ordinem; quia sic esset falsus.* Tales vult esse Relationes Dei ad creaturam. Nota, quod Intellectus non fingit illum ordinem, siquidem iuxtà Thomistas in phrasi D. Thomæ idem est *adinvenire*, ac *fingere*. Item, quod non intelligit ordinem in obiecto, nec obiectum habere ordinem, *quia sic esset falsus*. Ille igitur ordo nihil est aliud, quàm modus tendendi cognitionis ordinatus, seu comparativus. Nec obstat, quod talis ordo *consequatur modum intelligendi*: qualis enim sit ista consecutio, explicuimus loco cit. Procemial.

11 Supersunt quæstiones aliquot. *Quær.* 1.: vtrùm Relatio terminetur formaliter ad relativum? id est, vtrùm paternitas vig. terminetur ad filium vt filium? an verò ad entitatem absolutam illius hominis, qui filius est? Primum affirmant Thomistæ omnes de Relatione mutuâ, & multi etiam de non mutuâ. Sed negant Auctores nostri. Et probant frequenter: quia alioquin Relatio terminaretur ad se ipsam: nam eadem actio, quæ est paternitas, est forma filij vt filij; & eadem forma, quæ reddit extremum A simile, vel æquale extremo B, reddit etiam ipsum B consimile, vel coæquale. Hæc ratio mihi non est efficax. Nam si detur effectus à suâ productione indistinctus, vt multi putàt de actibus Intellectus, & Voluntatis; tunc Relatio causæ vt actu causantis, quæ est productio, terminabitur ad se ipsam: imò cum quævis causa in actu secundo referatur, non solùm ad effectum, sed ad actionem, quæ est Relatio causæ; iam hæc Relatio terminatur ad se. Adde quod, vt cap. præced. monuimus, Relatio non debet referri *vt quod*, sed *vt quo*, nec est id, quod terminum respicit, sed id *quo* fundamentum respicit terminum; proindeque terminus non debet necessariò distingui realiter à Relatione, sed à fundamento, vel subiecto: quemadmodùm, licèt omnis effectus debeat realiter distingui à causâ producente *vt quod*, non sic ab actione, seu productione sui, quæ tantùm est producens *vt quo*.

12 Nihilominùs in plerisque Relationibus vera est sententia Nostrorum. Nam terminus paternitatis, & cuiuslibet actionis effectum à se distinctum producentis, est absoluta entitas effectus specificativè sumpta: sicut terminus cognitionis, aut visionis, non est obiectum vt cognitum, aut visum, sed specificativè sumptum; vt etiam patet in termino vnionis. Terminus item similitudinis, aut æqualitatis, concipi, & exprimi solet sub ratione absolutâ: vnum enim album dicitur simile alteri albo *vt albo*: & vnus homo æqualis alteri *vt habenti tantam staturam*. Imò, etiam quando Relatio prædicamentalis identificatur adæquatè cum termino, vt in exemplis numeri præcedentis, non terminatur ad relativum prædicamentale: tunc enim terminus non refertur

in-

invicem, nisi transcendentaliter, per talem Relationem.

13 *Dices* 1. Pater in Trinitate refertur ad Filium vt talem. *Resp.* Tantùm loquimur de Relationibus prædicamentalibus. Transcendentales enim mutuæ, cuiusmodi sunt in Trinitate, ad relativum terminantur: & sic materia prima transcendentaliter refertur ad formam prout ex se invicem ordinatam. *Dices* 2.: iuxtà D. Thomam 1.p.q.40. art. 2. ad 4., *Cum dicitur, quod relativi esse est ad aliud, per ly aliud intelligitur correlativum*; sed correlativum non est absolutum: ergo &c. *Resp.* Ly *aliud* est *correlativum*, non reduplicativè, & formaliter, sed specificativè, & materialiter, nempè illa entitas, quæ denominatur *correlativa*. Sic dicimus, quod cognitio terminatur ad cognitum, & visio ad obiectum, sive ad terminum, quin id intelligatur reduplicativè; alioquin cognitio, aut visio, terminaretur ad se, quia per cognitionem constituitur obiectum in esse cogniti, & per visionem in esse obiecti, aut termini actualis.

14 Hinc inferes, quod Petrus non est pater Pauli vt filij, sed vt hominis: & quod filiatio & paternitas non sunt Relationes oppositæ, nisi quoad effectus formales; nam in abstracto sunt eadem simplex entitas generationis; quia tamen hæc entitas non potest veramque denominationem præstare eidem extremo, sed requirit duo realiter distincta, ideò Relationes illæ dicuntur oppositæ. Nec oppositio ista facit, vt altera relatio, vel denominatio respiciat alteram formaliter, sed tantùm vt alterum extremum constituatur respiciens alteram, & vice versâ; & vt vna denominatio nequeat existere sine altera, eo quod veraque proveniat ab eâdem formâ essentialiter exigente duo subiecta denominabilia. Quod etiam proportione seruatâ contingit in alijs relationibus mutuis iuxtà nostra principia.

15 *Quær.* 2.: Utrùm detur Relatio non mutua? Affirmat communissima sententia, & in exemplum adducit Relationem scientiæ ad scibile, nec non creaturæ ad Deum. Negant tamen plures, & graves Auctores, quos citat & sequitur eruditus Servera disput. 18. Log. num. 8. Dico 1.: satis probabile est, Deum referri ad creaturas prædicamentaliter, aut inflari vt vidimus suprà n. 4. & seqq.. Dico 2.: probabilius est, Deum non referri transcendentaliter ad creaturas, etiam possibiles, licèt cum eis connectatur: quia Relatio transcendentalis videtur importare dependentiam aliquam à termino. Et in hoc sensu forsàn loquitur D. Thomas multis in locis, vbi negat Relationem Dei ad creaturas. Ut enim plures obseruant, D. Thomas & Aristoteles, de Relatione loquentes, non semper solam prædicamentalem intelligunt, sed sæpe etiam transcendentalem; quam multi quoque volunt ad Prædicamentum Relationis pertinere.

16 Dico 3.: in nostris principijs admittentibus Relationes extrinsecas, non est cur negetur, Scibile mutuò referri ad scientiam, vt etiam sensibile ad sensum, visibile ad visum, & quodvis obiectum, vt extrinsecè denominatum ab actu, referri ad potentiam, aut actum: sunt enim huiusmodi denominationes ex se respectivæ. Cùm autem oppositum docent Aristoteles & D. Thomas, intelligendi sunt de Relatione in-

intrinsecâ instar illius, qua scientia refertur ad scibile. Dico 4.: dantur Relationes prædicamentales non mutuæ: atque ita vera est absolutè sententia illa communissima. Probatur exemplis num. 11.: nam, licèt Intellectus vt producens referatur prædicamentaliter ad suum actum; ipse tamen actus, vt productus, nonnisi transcendentaliter refertur invicem ad Intellectum, cum secum adæquatè identificet suam Relationem. Et notandum, quæstionem procedere de Relatione mutuâ formaliter, ideſt, de correlatione resultante ex duabus connexis, & invicem correspondentibus vtrimque, vt sunt Relationes patris & filij, producentis & producti, scientiæ & scibilis. Si enim sermo sit de inconnexis & disparatis, nulla est, quæ non possit esse mutua, saltem increatis: nam iuxtâ omnes scibile referri potest ad scientiam Relatione coexistentiæ, diversitatis, &c.; sicut etiam cognitio ad Intellectum in exemplo nuper adducto.

17 *Quar.* 3.: an verum sit, quod Relatio prædicamentalis indiget semper termino existente? Affirmat communissima sententia, si Relatio tota physicè existat: quia vel constituitur per terminum, vel saltem consistit in formâ essentialiter connexa cum existentiâ termini, vt in nostris principijs Relatio patris, aut producentis. Dices: veritas cognitionis de obiecto non existente, huius v.g. *Troia fuit*, est Relatio prædicamentalis ad obiectum, cum sit quædam similitudo actus tamquam imaginis cum obiecto. *R. fs.* Veritas illa est quidem Relatio, sed quando est circa obiectum actu non existens, tunc nec Relatio, nec veritas physicè existit adæquatè, seu quoad omnia sui constitutiva, sed tantùm quoad rectum. Dicitur tamen existere tota denominativè, quia communi sensu cognitio denominatur *vera*, si obiectum sit illi conforme in eâ temporis differentiâ, quam cognitio denotat.

18 Nihilominùs duas limitationes adhibere quis posset. Prima est, vt terminus debeat esse existens in aliquâ differentiâ temporis, præsentis, præteriti, vel futuri. Quædam enim sunt denominationes, quæ videntur importare relationem prædicamentalem ad terminum præteritum, aut futurum, v.g. cùm Petrus denominatur *posterior Adamo*, aut *prior Anti-Christo*. Altera limitatio est, vt terminus existere debeat, vel physicè, vel saltè intentionaliter. Denominationes enim *cognoscentis*, & *amantis*, semper important Relationem Intellectus & Voluntatis ad obiectum, & quidem prædicamentalem, vtpotè realiter distinctam à fundamento, vel subiecto relato: & tamen sæpe respiciunt obiectum nullatenùs existens, nisi intentionaliter, vt cùm cognoscitur chymera, vel amatur bonum purè possibile. Nec idcò tollitur discrimen ex hoc capite sumptum inter Relationes prædicamentalem & transcendentalem: nam transcendentalis, quamvis interdùm ex indole specificâ requirat terminum existentem, vt cùm vnio refertur ad extrema, vel scitio ad terminum; tamen ex genere suo admittit terminum purè possibilem, nec existentiam eius etiam intentionalem petit, sed ab ea præscindit, vt cùm virtus causæ refertur ad effectus possibiles.

19 *Quar.* 4.: quæ sint proprietates Relationis? *R. fs.* Quinque numerat Aristoteles. Prima: *Relata*

*contrarium*. Hæc non convenit omni Relationi, vt ipse monet Aristot., sed ei, quæ fundatur in qualitate. Secunda : *suscipere magis & minùs*. Nec ista convenit omni, iuxtà eumdem: quamvis enim possit aliquid esse alteri magis aut minùs dissimile, vel inæquale ; non ita magis aut minùs pater, vel filius. Tertia : *dici ad conversa*, id est, vt ex correlativis nequeat alterum sine mentione alterius significari, v. g. nec dominus sine servo, nec servus sine domino. Quarta : *esse simul natura*. Quinta : *esse simul cognitione*. Utraque proprietas ferè in idem recidit : nam, vt ait D. Thom. 1. p. q. 13. ar. 7. ad 6., tunc relativa sunt simul naturâ, *quando unum in suo intellectu claudit aliud*, id est, quando sub ratione alterius non potest concipi sine alio ; & hoc est esse simul cognitione. Si tamen ly *simul natura* propriè intelligatur, ita vt neutrum sit causa existentiæ alterius ; non est proprietas generaliter vera, vt idem Aristoteles advertit.

## CAP. VII.

### *De Post-prædicamentis.*

1 AFfectiones quædam Prædicamentorum, de quibus egit Aristoteles in postremis Capitibus, vocantur Post-prædicamenta. Quinque numerantur, videlicet, *Oppositio*, *Prioritas*, *Simultas*, *Motus*, & *Habere*. Oppositio est quadruplex : *relativa*, *contraria*, *privativa*, *contradictoria*. Relativa est, quæ versatur inter correlativa, sive inter extrema mutuò relata, consistitque in repugnantiâ duarum denominationum invicem correspondentium, vt eidem subiecto coaveniant, saltem in individuo sumptæ ; ideòque talis oppositio subiectorum distinctionem arguit. Sic repugnat, quod idem subiectum ex vi eiusdem generationis sit pater, & filius. Hæc oppositio datur etiam in correlativis æquiparantiæ : nam album A denominatur *simile albo B*, & album B *simile albo A* ; neutri autem eorum convenire potest vtraque denominatio.

2 Contraria versatur inter duas qualitates se se excludentes ab eodem subiecto, vt inter calorem, & frigus, aut inter alborem & nigrorem. Privativa, inter formam, & eius carentiam in subiecto formæ capaci, vt inter visum & cæcitatem in homine. Contradictoria, inter esse, & non esse rei absolutè. Loquimur hic de oppositione rerum in essendo : nam oppositio in significando, quæ propria est enunciationum, in Summulis explicata est.

3 Prioritas contingit quatuor modis, quos hi versus indicant:

*Tempore, natura, prius ordine dic, & honore:*
*Causam causato dicimus esse prius.*

Quatuor, inquam, modis : nam prioritas causæ recurrit cum prioritate naturæ. Dicitur prius *tempore*, quod durationc præcedit aliud, vt Alexander Cæsarem. Dicitur prius *naturâ*, quod est causa alterius, vel saltem prærequisitum, aut conditio se tenens ex parte causæ : sic Sol habet naturæ prioritatem respectu lucis, quam producit. Hinc, dum causa producit effectum, etiam in instanti temporis indivisibili, dicitur causa esse *in signo priori* illius instantis, effectus autem *in signo posteriori* eiusdem instantis.

4 Huic prioritati annectitur prio-

prioritas *in existendi*, vel *subsistendi consequentiæ* quæ reperitur inter extrema connexa non mutuò, & convenit ei, cuius existentia infertur ex alio, quin vicissim inferat existentiam illius. Sic Deus est prior creaturis *in subsistendi consequentia*; quia benè sequitur, *Existit creatura, ergo existit Deus*, quin è converso valeat consequentia. Hæc prioritas convenit etiam prædicatis superioribus respectu inferiorum, vt prædicato *animal* respectu prædicati *homo*; & tunc vocatur quoque *prioritas logica*.

5 Dicitur priùs *ordine*, quod alijs collocatione præmittitur, vt exordium orationis respectu epilogi. Dicitur priùs *honore*, quod alijs dignitate præit.

6 Simultas toridem modis contingit, quot prioritas. Motus est transitus eiusdem subiecti ab vno termino in alium: de quo latè in Physicis. Habere, dum significat habere aliquid circumpositum, vt vestes, aut arma, pertinet ad decimum Prædicamentum: at prout significat habere aliquid quocumque modo, vt habere divitias, servos, amicos, scientiam, magnitudinem, &c., extenditur per varia Prædicamenta.

# TRACTATUS QUINTUS.

## *DE QUIBUSDAM DUBIOLIS AD LIBROS Perihermenias spectantibus: præcipuè verò de Veritate, & Falsitate Enuntiationum.*

IN duobus Libris Perihermenias, idest, de Interpretatione, disseruit Aristoteles de Signo, de Nomine, Verbo, & Oratione, præsertim Enuntiativâ. De his egimus in Summulis ex professo, prout visus obtigit. Sed quia hùc remisimus dubiola quædam de Signo, ac Definitione; & quia hìc etiam Scholæ vsus attexit quædam alia graviora de Veritate, & Falsitate Enuntiationum; idcircò pro ijs omnibus expediendis Tractatum præsentem instituimus.

### DISPUT. I.
*Aliqua Dubia de Signo, ac Definitione.*

### CAP. I.
*Dubia de Signo.*

1 *Dubit.* 1.: an omne Signum debeat esse corporeum, aut sensibile? 2.: an ratio Signi propriè conveniat Signo formali? 3.: an possit aliquid esse Signum sui ipsius? 4.: an quodlibet possit esse Signum cuiuslibet, si faciat in cognitionem eius venire? Hæc omnia in præsentiarum tractare decre-

vc-

verum. Sed video, meras esse quæstiones de nomine, pendereque à definitione Signi, quam sibi quisque pro arbitrio formet. Sunt, qui in ijs omnibus negativè: sunt, qui affirmativè respondeant. Ad me quod attinet, negandum putò in primâ quæstione, in secundâ affirmandum: nam vtrumque satis colligitur ex dictis in Summulis; vbi etiam advertimus, S. Augustinum, nec non multis in locis D. Thomam, non loqui de Signo in communi, sed de solo humano externo, & sensibili, quod apud nos antonomasticè dicitur Signum.

2 In tertiâ putò etiam affirmandum, dummodò detur distinctio quoad accidentia, vel circumstantias, saltem loci, aut temporis, vel vt minimùm distinctio rationis. Nam Christus Dominus in sacrificio Missæ se ipsum offert in Signum rememorativum sui ipsius in arâ Crucis olim immolati, vt constat ex Tridentino Sess. 22. cap. 1. & 2. Nec repugnat, quod idem sit signum, & signatum, vt objiciunt hæretici. Si enim Dux aliquis, vt victoriam à se olim obtentam celebraret, quotannis deinde comœdiam ageret, in quâ ipsemet cum ijsdem militibus, & insignibus in scenam prodiret, & incruento certamine prælium à se cruentè peractum exhiberet; tunc & Dux, & miles quisque, repræsentaret semet, effetque signum sui ipsius: quo exemplo vtuntur Catholici contrà hæreticos. Vtrobique tamen intervenit distinctio quoad circumstantias, vt quisque videt.

3 Dices: etiam absque tali distinctione dari potest signum sui ipsius: nam cognitio Divina se ipsam repræsentat, nec non cognitio creata in se reflexa: item vox *nomen* significat se ipsam, cum ipsa sit nomen; quo exemplo probat S. Augustinus *Lib. de Magistro cap. 4., esse signa, quæ inter alia, quæ significant, & se ipsa significent*, & eod. lib c. 10., *Locutio*, inquit, *inter alia se quoque significat*. Resp.. Exempla ista in primis admitti possunt ob aliqualem distinctionem rationis, quæ consideratur in cognitione Divinâ v. g., prout se habet *vt quo*, & *vt quod*, seu prout est actus, & obiectum. Deinde, si hæc distinctio videatur nimis impropria, negari potest, cognitionem reflexam esse propriè signum sui, sed tantùm impropriè, quatenùs *significare* latè sumitur pro *repræsentare* quocumque modo: propria namque Signi ratio requirit, vt signum aliquatenùs mediet, sive interveniat inter potentiam & signatum. Ad exempla S. Augustini dicatur insuper, nec vocem *nomen*, nec locutionem esse signa sui, tamquam signati vnici, vel adæquati; nam *nomen* significat coniunctim omne nomen, vt & *locutio* omnem locutionem; vnde realiter inadæquatè distinguitur à suo signato. Ideò S. Augustinus notanter ponit illud *inter alia*.

4 In quartâ quæstione communis sententia negat; quia plura inde sequerentur absurda, v.g. quod homo diceretur signum suæ imaginis. Sunt tamen, qui hoc, & alia huiusmodi fateantur quidem abhorrere à consuetudine vulgari, non tamen à sensu philosophico, apud quem verè signum est quidquid in alterius cognitionem venire facit.

5 *Dubit.* 5.: quænam sit forma, quâ vox constituitur formaliter in esse Signi ad placitum? Variæ sunt sententiæ. Alij dicunt esse modum

dum relationis realem, quem vox habet ad rem significatam: alij, relationem rationis fictam: alij, quoddam ens diminutum, mediumque inter reale, & rationis. Hi omnes hoc vno argumento reijciuntur. Modus ille, vel entitas in voce resultans, produci deberet ab Institutoribus idiomatum, cum ipsis tribuatur significatio vocum, & ab eorum Voluntate vnicè pendeat. Quod autem Voluntas Institutorum idiomatis Hispanici v.g., tot iam sæculis transacta, fingere nunc, aut physicè producere quidquam possit, dum vox à me profertur; & incredibile est, & impossibile.

6 Vera ergo sententia, quam tenent communiter Nostri, & Scotistæ, docet, vocem in esse Signi ad placitum constitui per denominationem extrinsecam, cuius forma est Maiorum, aut Populi voluntas, prout moraliter perseverans in acceptatione & memoriâ Posterorum. Nam vox *taurus* v. g., per id constituitur in esse signi, per quod redditur proximè habilis ad excitandam cognitionem tauri, quæ excitatio cognitionis est significatio in actu secundo, & quasi effectus Signi: sed ea vox ita redditur habilis per voluntatem Maiorum: ergo &c. *Prob. Min.*: tum quia per illam redditur deputata, & ordinata, vt in cognitionem tauri venire nos faciat: tum quia, præciso quovis alio, dummodò intelligamus, vocem ab eâ voluntate destinari ad tale munus, intelligimus esse signum, & statim nobis oberrat in mente taurus. Id quod perspicuè patet in alijs signis ad placitum, in quibus eadem est ratio. Quid enim aliud facit, vt campanæ sonitus Missam significet, aut ramus vinum vendibile, nisi hominum intentio?

7 *Obijc.* 1.: pueri, & rustici non norunt Maiorum voluntatem; & tamen vocum significationem sciunt. Adde 1., quod nec sapientes de tali voluntate cogitant semper ac percipiunt signa vocalia. Adde 2., quod bruta percipiunt signa ad placitum, imò interdùm eis vtuntur opportunè, vt exemplis erudite confirmat P. Lynce; & tamen voluntatem Institutorum, vtpotè spiritualem, percipere non possunt. *Resp.* Rusticus novit voluntatem Maiorum confusè saltem; scit enim suo modo, voces ideò ita significare, quia sic volunt, & intendunt homines; quâ de causâ, dum vocem audit sibi ignotam, sæpè loquentem interrogat, *Quid vis dicere?* Et instatur: quia rusticus novit valorem monetæ, ignorans, vel non cogitans voluntatem Principis, per quam valor ille constituitur: novit etiam se esse matrimonio iunctum, quin matrimonij constitutiva distinctè valeat explicare: imò novit significationem vocum, quin noverit quidquam de relatione, vel de ente rationis, aut ente diminuto. De pueris iam ratione vtentibus eadem esto responsio: de illis ante vsum rationis dicam statim.

8 Additiones nil provoment. Prima instatur, vt nuper: quia nec sapientes actu cogitant de constitutivis plurimarum rerum semper ac eas vulgariter noscunt, aut vident; sicut nec de ente rationis, aut aliâ formâ, per quam tibi placuerit constituere signa vocalia. Imò sæpè constitutum evidenter noscunt, & constitutiva prorsùs ignorant, vel de illis valdè dubitant; vt accidit circà Continuum. Semper ergo, ac cognoscitur signum ad placitum, cognoscuntur omnia illius constitu-

tiva, proindeque voluntas Institutorum; implicat enim cognosci rem, quin eius constitutiva noscantur: sed cognoscuntur sub conceptu confuso *signum talis rei*; non verò sub conceptibus expressis vniuscuiusque. Secunda militat contrà omnes: nam in quocumque consistat forma Signi ad placitum, non percipitur à brutis. Itaque bruta nullum percipiunt signum ad placitum, nullo vtuntur: quæcumque dant signa, vel percipiunt præter naturam, sunt illis signa ex consuetudine, & hæc consistit in facilitate, quam adquirit canis v.g., renovandi speciem alicuius obiecti iucundi, audito materialiter aliquo nomine. Et ideò eodem modo Canes moventur vocibus nihil significantibus, si illis assuefiant; & Psittacus, aut Pica, non solùm repetit vocem *homo*, sed vocem *Angelus*; quin tamen eius vocis significatum percipere possit. Idé puta de pueris ante vsũ rationis.

9 *Obiic.* 2.: significatio vocum nunc existit; Maiorum autem voluntas iam non existit. *Resp.*: non existit ea voluntas physicè; existit tamen moraliter, quatenùs perseverat in effectu aliquo derelicto, in memoriâ scilicèt, & acceptatione Posterorum. Sic voluntas Legislatoris iam mortui, quia moraliter perseverat, verè obligat posteros ad opus præceptum. Sic etiam voluntas Principis, iam vitâ defuncti, valorem monetæ constituit.

10 *Obiic.* 3.: voluntas Institutorum habet pro obiecto significationem vocum: ergo, ne semetipsam pro obiecto habeat, oportet vt à significatione distinguatur. *Resp.* Triplex distingui potest significatio. Alia, in actu primo remoto, consistens in entitate vocis de se capaci, vt assumatur in signum. Alia in actu primo proximo, consistens in aptitudine proximâ ad excitandam cognitionem de re aliquâ: & de hac significatione quæstio procedit, illamque dicimus constitui per voluntatem Maiorum, cuius non est obiectum, sed effectus formalis. Alia est significatio in actu secundo, consistens in actuali excitatione cognitionis de obiecto, dum vox auditur. Hæc vltima est obiectum voluntatis Maiorum, qui vnicè voluerunt, vt, auditâ voce, talis in audiente cognitio excitaretur; & eâ ipsâ voluntate formaliter constituerunt vocem in esse signi. Illa ergo voluntas non respicit se pro obiecto; quia significationem in actu primo, non valt, sed formaliter constituit; solùmque vult significationem in actu secundo, à quâ distinguitur. Dices: si vult significationem in actu secundo, nequit non velle, vt vox sit Signum, quod est velle significationem in actu primo. *Dist.*: nequit, non velle signatè, sive expressè, *n.g.*; exercitè, *conc.*: hoc autem non est absurdum, quia omnis volitio exercitè vult se, cum ideò quisque velit, quia vult. Totam solutionem aptè explicabis exemplo valoris monetæ, aut voluntatis legislativæ.

11 *Obiic.* 4.: Signum pro formali dicit relationem ad signatum; sed Maiorum voluntas non est relatio: ergo &c. *Resp. n.g. Min.*: quia illa voluntas est transcendentalis relatio sui ad signatum, & potest denominare vocem relatam prædicamentaliter ad idem. Quodsi nolis, vt denominatio extrinseca sit relatio realis, & *secundùm esse*, voca relationem *secundùm dici*, vel etiam relationem rationis fundamentalem, de quâ intelligendi sunt plures Authores, dum signum relatione rationis constitui dicunt.

Du-

12 *Dubit. 6.*: quoniam ordine vox significet rem, & conceptum? Non est sermo de his vocibus, *conceptus*, *cognitio*, & similibus, quas certum est vnicè significare conceptus. Nec item est sermo de naturali significatione, quâ vox, vt quælibet actio voluntaria, supponit, atqueadeò significat conceptum de se ipsâ. Sermo igitur est de vocibus significantibus rem à conceptu distinctas, necnon de conceptibus, quos loquens habet circà res eaidem, quas voce significat. Prima sententia tenet, rem, & conceptum æquè principaliter significari per vocem. Secunda, primariò & immediatè solum conceptum; secundariò & mediatè rem. Tertia, primariò, principaliter, & directè rem; secundariò, indirectè, & ex consequenti conceptum. Hæc est communis sententia nostrorum cum Eximio Doctore in 1. p. Lib. 2. de Attribut. negativ. cap. 31 n. 6. & 21. Imò est sententia Magni Augustini, vt patebit statim.

13 *Prob.*: Id voces directè significant, quod loquentes intendunt manifestare, dum seriò loquuntur, nec vanam subtilitatis gloriolam aucupantur. Id autem non esse proprios conceptus, sed res, *probatur* 1.: quia deberemus alioqui reflexè cognoscere nostros conceptus semper ac loquimur; nemo quippè directè intendit manifestare quod non præcognoscit. At, vt experientia ipsa testis est, plerumque de rebus loquimur absque tali reflexione. Adde quod, si vox *homo* v. g. per se supponeret in loquente duos conceptus, alterum de homine, alterum de conceptu hominis, quicumque illam audit, vtrumquam conceptum intelligeret; quod item est contrà experientiam.

14 *Probatur* 2.: qui alios loquendo docent & instruunt, non intendunt primariò ac directè cogitationes proprias manifestare discipulis, nec illi doceri, ac discere intendunt, nisi res: ergo hæc est, aut esse debet directa intentio loquentium. Antecedens expresè tradit S. Augustinus *Lib. de Magist. cap.* 14. dicens: *Num hoc magistri profitentur, vt cogitata eorum, & non potiùs ipsæ disciplinæ, quas loquendo se tradere putant, percipiantur, atque teneantur?* Subiungit: *Nam quis tam stultè curiosus est, qui filium suum mittat in Scholam, vt quid magister cogitet, discat?* Ideò, qui Fidei mysteria docet, aut discit, totus intendit in rem significatam. Ideò etiam hæc propositio vocalis, *Deus est trinus*, est absolutè de Fide, & absolutè credenda per Fidem supernaturalem: talis autem esse non posset, si directum, primariumque significatum eius foret conceptus loquentis.

15 *Confirm.* ex eodem S. Augustino *Lib. de Princip. Dialect. cap.* 7., vbi sic loquitur: *Per verbum accepto signo, animus nihil aliud quàm ipsam rem intuetur, cuius illud signum est, quod accepit: vt cùm, Augustino nominato, nihil aliud quàm ego ipse cogitor ab ipso, cui notus sum; aut cuilibet hominum mente occurrit, si forte hoc nomen, vel qui me ignorat, audierit, vel qui alium novit, qui Augustinus vocetur. Confirm.* iterùm: quia aliter nobis manifestatur conceptus loquentis per hanc vocem, *cognosco lapidem*, quam per hanc vocem *lapis*: sed per primam directè & principaliter manifestatur nobis conceptus loquentis, & indirectè lapis: ergo per secundam è converso. Adde quod hæc nomina *Leo*, *Aries*, *Taurus* &c., non sunt, nec dicuntur nomina concep-

tuum, ſed verum. *Appellavit Adam nominibus ſuis cuncta animantia.* Geneſ. 2.

16 *Obijc.* 1. ideò loquimur, vt conceptus manifeſtemus, & propter humanum commercium, quod conſiſtit in manifeſtatione conceptuum: nec alium ob finem inſtituta ſunt Signa vocalia; quæ ſuperflua eſſent, ſi conceptus per ſe ſe manifeſtari poſſent. Primaria ergo ſignificatio vocum reſpicit conceptus. Accedit auctoritas Ariſtotelis dicentis, voces eſſe earum, quæ ſunt in anima paſsionum notas. Item D. Thomę ſæpè docentis, quod vox non ſignificat rem, niſi mediante conceptu. Quod S. Auguſtinus confirmat *Lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 2.* dicens: *Nec vlla cauſa eſt nobis ſignificandi, ideſt, ſigni dandi, niſi ad depromendum, & traijciendum in alterius animum id, quod in animo gerit is, qui ſignum dat.*

17 *Reſp.* Sicut ideò Proreges in Provincijs inſtituti ſunt, quia Rex per ſe ipſum vbique adeſſe, & regere non poteſt, quodſi poſſet, ſuperflua eſſet illorum inſtitutio; & tamen primarium munus proregum non eſt repræſentare Regem (alioquin non differrent à Regis ſtatuâ), ſed eſt facere id, quod Rex faceret, ſi adeſſet, nempè ius dicere, & conſulere pòpulis: ità prorsùs in re noſtrâ contingit. Si conceptus per ſe paterent exteriùs, non eſſent neceſſaria ſigna vocalia: ſed hoc probat quidem, ea ſubſtituì pro conceptibus, vt Prorex loco Regis; non tamen, primarium eorum omnium munus eſſe ſignificare conceptus (quod ſolùm competit voci *conceptus*, & alijs, quæ ſunt velut ſtatuæ conceptuum), ſed potiùs facere illud ipſum, quod conceptus internè faciunt, & externè facerent, ſi pateſcerent, nempè directè & immediatè ſignificare res. Humanum autem commercium exigit quidem voces aliquas directè impoſitas ad ſignificandos conceptus, & motus animi; ſed inſuper exigit plurimas alias primariò inſtitutas ad excitandum in altero notitiam ſimilem illi, quæ in nobis eſt, & nonniſi ſecundariò notitiam de noſtrâ notitiâ.

18 Porrò, quod Ariſtoteles ait, voces eſſe conceptuum notas, intelligendum eſt indirectè, & ſecundariò: nam de cætero docet ipſemet 1. *Elench. cap.* 1., quod *vocum veluti rutibus rerum vice vtimur*, quia ipſas per ſe res in diſputationem adducere non poſſumus. D. Thomas explicari poteſt de mediatione conceptus, non per modum ſignificati propinquioris, ſed per modum menſuræ, ideſt, exemplaris, aut regulæ, quam imitatur vox in ſignificando res extrà animam. Ut enim obſervat P. Suarez cit. cap. 31., communiter dicitur, voces ſignificare conceptus obiectivos, & exprimere formales; quemadmodùm imago Cæſaris, delineata ad normam alterius imaginis, præcipuè repræſentat Cæſarem, ſed exprimit alteram imaginem. Hinc voces ſignificant res vt conceptas, ſive vt obiectas conceptibus, ly *vt* reduplicante conditionem prærequiſitam ex parte loquentis per modum regulæ, ſeu normæ ſignificandi; quâ ratione in exemplo nupero dici poteſt, quod imago B repræſentat Cæſarem vt repræſentatum per imaginem A, quin ideò hanc repræſentet primariò. Denique, ex verbis D. Auguſtini ſolùm habetur, externa ſigna ideircò dari, vt in alterius cognitionem venire faciamus illa ipſa obiecta, quæ nos in mente gerimus.

Re-

19 *Replic.* 1. : vox *homo* significat naturam vniversalem : ergo directè significat conceptum, quo natura redditur vniversalis. 2. : vox *homo* aliter significat, quàm vox *animal rationale*; sed non significat diversam rem: ergo diversum conceptum. 3. : voces substituuntur pro conceptibus, vt fatemur : ergo pro illis supponuntur : ergo illos directè significant. *Resp. ad* 1. : vox *homo* significat naturam humanam directè, sive in recto, & vniversalitatem indirectè, seu de obliquo; nec aliter significat naturam vniversalem. *Ad* 2. *concess. Præmiss. dist. Conseq.* : primariò, & directè, *neg.*; secundariò, & indirectè, *conc. Conseq.*. *Ad* 3. : si suppositio nihil aliud sit, quàm substitutio, concedo Antecedens, & primam Consequentiam, sed nego secundam: quia non est idem substitui pro alio, ac illud significare directè; cùm enim vna Regis imago substituitur loco alterius, non illam directè significat, sed Regem. Si autem sumatur suppositio in sensu logico, quatenùs idem sonat, ac vsus termini ad manifestandum in enuntiatione materiam *circà quam*, neganda est prima Consequentia. Imò inde firmatur validè nostra sententia : nam voces id directè significant, pro quo in enuntiatione accipiuntur : at certum est, non accipi pro conceptibus, sed pro rebus; aliter falsò diceretur v. g. *Petrus est homo*, quia cognitio *Petrus* non est cognitio *homo*.

20 *Obijc.* 2. : qui loquitur aliter, quàm concipit, mentitur : ergo voces maximè significant conceptus. *Neg. Conseq.* : quia ad mentiendum sufficit, quod voces non conformentur conceptibus in significando res enuntiativo modo. Aliud autem est, quod voces debeant conformari conceptibus, idest, eos imitari in significando; aliud verò, quod eosdem præcipuè significare debeant. Illa conformitatis obligatio probat, conceptus esse regulas, aut normas signorum vocalium : sed simul convincit, quod, sicut conceptus directè, & immediatè significant res, ita & voces eorum imitatrices. Sæpè mentitur, qui verum externè dicit contrà opinionem internam, seu qui vocaliter enuntiat rem prout est in se, putans aliter esse : ergo voces, etiam dum menti non consonant, verificari possunt, dummodò res ita se habeat vt enuntiatur : ergo quia maximè significant res. Adde quod, vt vocalis enuntiatio falsificaretur absolutè, sufficere posset indirecta significatio judicij mentalis.

21 *Obijc.* 3. : scriptura directè & immediatè significat voces, & non nisi mediatè & indirectè res: vt enim inquit S. Augustinus *Lib. de Princip. Dial. cap.* 5. *Quid aliud litteræ scriptæ, quàm se ipsas oculis, & præter se animo voces ostendunt?* Idem ergo dicendum de vocibus relatu ad conceptus. *Resp.* Multi sunt, qui disparitatem agnoscunt. Tum ab experientiâ; quod enim immediatè occurrit imaginationi legentis, sunt voces; non sic autem occurrere solet conceptus loquentis, dum locutio vocalis auditur. Tum à ratione; quia singulæ litteræ, seu characteres seorsùm nihil aliud significant, quàm varios sonitus vocales : ergo, dum ex ijs formatur integrum verbum scriptum, significabit vnicè vel præcipuè verbum vocale.

22 Alij tamen censent, etiam scripturam primariò ac directè significare res. Tum quia scribentes historiam, intendunt significare posteris, non voces suas, sed res antè

actas: id quod etiam intendunt discere, qui libros legunt. Tum quia latinæ linguæ ignarus, etsi legat librum latinè scriptum, & eius menti occurrant voces illis characteribus respondentes, non ideò intelligit quid liber significet. Tum quia alioquin nulla scripta propositio esset de Fide, imò nulla esset vera: nam hæc v.g. *Deus est sanctus*, si voces directè significaret, redderet sensum omninò falsum, nempè vocé *Deus* esse vocem *sanctus*. Alij dicere poterunt, tam voces, quàm res immediatè significari per scripturam, sed rem in recto, & per modum obiecti verificativi, vocem autem in obliquo, seu per modum obiecti purè manifestati, & non verificantis: quemadmodum, cùm dicis, *creatura Dei*, non solam creaturam, sed Deum etiam significas immediatè & expresè; & tamen Deus non significatur in recto & per modum obiecti verificativi; & ideò verè dices, *creatura Dei est quid finitum, ac limitatum*. Placet rem hanc in medio relinquere.

## CAP. II.

### *Dubia circà Definitionem.*

1 *Dubit.* 1.: ad quam Intellectus operationem spectet Definitio? Prima sententia tenet, Definitionem perfectam in solo judicio reperiri. Sic PP. Hurtado, Compton, Quiros, quibus adhærent Echalaz, Servera, & alij. Secunda, pertinere ad primam operationem Intellectus, atque adeò in solâ apprehensione complexâ reperiri. Sic PP. Oviedo, Alphonso, & Recentiores nostri frequenter, idemque tenent Thomistæ communiter. Tertia, ad primam, & secundam operationem pertinere posse, ideòque interdum esse iudicium, interdum apprehensionem. Ita PP. Arriaga, Lyncæ, Izquierdo, & alij. Nostra sententia sit, Definitionem perfectam spectare ad primam Intellectus operationem, vt non possit in iudicio consistere, nisi quâ parte iudicium continet apprehensionem, vel apprehensioni æquivalet.

2 *Prob.* 1.: hoc iudicium, *Homo est animal rationale*, non est definitio hominis, nisi quâ parte continet formaliter aut æquivalenter apprehensionem, *animal rationale*: ergo Definitio ita pertinet ad primam operationem, vt in iudicio adæquatè sumpto consistere non possit. *Prob. Antec.*: in primis iudicium illud, prout continet terminum *homo*, non constituit hominis definitionem. Tum quia ex regulis bonæ Definitionis vna est, vt Definitum non ingrediatur Definitionem: terminus autem *homo* est definitum formale. Tum quia Definitio ex conceptu suo est explicatio Definiti, & clarior Definito: ille autem terminus certè non est explicatio sui, nec clarior se.

3 Deinde neque illud iudicium, prout continet copulam, est definitio, nec pars eius. Tum quia copula est applicatio, & vnio Definitionis ad Definitum, tamquam formæ ad subiectum: vnio autem supponit formam, quam subiecto applicat, & ab eâ distinguitur, saltem virtualiter, aut per rationem. Tum quia tam verum est, quod in eo iudicio prædicatur Definitio de Definito, quàm quod in hoc, *Animal rationale est homo*, prædicatur Definitum de Definitione, & quod in hoc, *Homo est animal*, prædicatur Genus de Specie: sed in his copula

non constituit, sed supponit Definitum, aut Genus, quod prædicat: ergo pariter &c.

4 Et hinc *prob.* 2.: quia lex Definitionis inconcussa est, vt possit converti, seu reciprocari cum Definito, ita vt tota Definitio verè & aptè prædicetur de Definito (nempè obiectiva in essendo, formalis in significando), & vice versâ: sed ea lex corruit, si Definitio consistit in iudicio adæquatè sumpto; non enim nisi falsò, aut ineptè diceres, *Homo est homo est animal rationale*, aut è converso: ergo &c. Et quidem alioqui numquam verum erit, quod integra Definitio prædicatur de Definito, aut illi subijcitur, sed tantùm pars Definitionis. *Prob.* 3. auctoritate Aristotelis sæpè docentis, quod Definitio nihil affirmat, aut negat, ideòque non dicitur vera, vel falsa, sed bona, vel mala. Videatur in specimen lib. 1. Periherm. cap. 4. & lib. 1. Poster. cap. 8. & lib. 2. cap. 3. Videatur etiam D. Thomas ibidem, nec non alijs in locis, vbi planissimè nostram sententiam docet, v.g. 1. p. q. 16. art. 2., & q. 17. art. 3., & q. 1. de Verit. art. 3. & 12. Quare, dum Philosophus ait, quod in demonstratione Definitio solet esse vna ex Præmissis, vel etiam Conclusio, non loquitur de Definitione secundùm se, sed prout applicatâ Definito ad vsum syllogizandi.

5 Ex his facilè colliges, apprehensionem complexam, v.g. *animal rationale*, prius quàm inferatur iudicio, esse plenè ac perfectè Definitionem. Quod vlteriùs probatur. Tum quia illi conuenit definitio Definitionis, nempè *Oratio explicans essentiam rei*: explicat enim, seu distinctè manifestat animal, & rationale, in quibus consistit essentia hominis. Tum quia est oratio constans genere proximo, & vltimâ differentiâ: quod omnes Dialectici sufficere putant ad perfectam Definitionem. Vnde quidquid ei additur in iudicio, est extrà rationem Definitionis perfectæ. Sed obserua, quod si iudicium, *Homo est animal rationale*, sit realiter indiuisibile, secundum se totum erit definitio in sensu reali; non enim partes habet, quarum alia præ alijs sit definitio. Verùm id nemo negat, nec in quæstionem adducit: sed tunc nostræ doctrinæ sensus erit, quod iudicium vt tale non est de conceptu formali Definitionis, sicut iuxtà Aduersarios non est de conceptu formali Definiti, quamvis illud ipsum iudicium adæquatè identificetur cum Definito. Quare debet inibi distingui per rationem pars, quæ sit Definitio, nimirum tendentia iudicij præcisè prout æquivalet apprehensioni definitiuæ. Hoc autem sufficit, ne Definitio dicatur absolutè consistere in iudicio, sicut sufficit iuxtà omnes, ne Definitum in iudicio consistat.

6 *Obije.* 1.: perfecta Definitio est Modus sciendi perfectus; per apprehensionem autem à iudicio seiunctam nihil scitur, vt patet in hac apprehensione, *stellæ pares*, per quam nihil scimus de numero stellarum pari, vel impari. *Confirm.*: Modus sciendi est oratio: ergo Modus sciendi perfectus, est oratio perfecta: atqui nulla apprehensio est oratio perfecta: ergo nulla est Modus sciendi perfectus, proindeque nulla esse potest Definitio. *Resp.* Si Modus sciendi strictè sumatur pro actu generante scientiam proprie talem, ne iudicium quidem est Modus sciendi, quia sola demonstratio scientiam generat. Quare difficultas

eadem vrget Adversarios. Si verò Modus sciendi idem sit, ac Oratio ignoti manifestativa, vt definiti solet in Summulis, vel, quod eòdem redit, Oratio dialectica artificiosè declarans id, quod simplici rei nomine confusè significatur; vtique apprehensio *Animal rationale*, est Modus sciendi perfectus, cùm artificiosè declaret essentiam hominis, quæ confusè significatur nomine *homo*.

7 Apprehensio, *Stellæ pares*, non est Modus sciendi: tum quia non illi convenit definitio Modi sciendi, prout communiter explicatur: tum quia ex illis apprehensionibus est, quibus nullam fundamentum præbent obiecta, & quæ dicuntur non *suasivæ*, quia non inclinant ad assensum. Apprehensio autem definitiva debet esse ex apprehensionibus suasivis; & ad assensum inclinantibus, vt mox dicam. *Ad Confirm.* Ea instantiam evidentem: vermis est animal; ergo vermis perfectus, est animal perfectum: atqui nullum ex his animalculis dicitur animal perfectum, vt constat ex Animastica: ergo nullum dici potest vermis perfectus. Potest ergo aliquid esse de genere imperfecto, & tamen dici perfectum in suâ specie, quia totam habet perfectionem, quæ in talem speciem cadere potest.

8 *Obije.* 2.: iudicio, *Homo est animal rationale*, convenit definitio Definitionis; est enim Oratio explicans essentiam rei. *Dist.*: prout illud iudicium continet apprehensionem, *animal rationale*, vel prout illi æquivalet, *conc.*; prout continet expressionem *homo*, *neg.*: sic enim non est definitio, sed definitum, non explicat, sed explicatur. *Replic.*: vi solius apprehensionis, *animal rationale*, nondùm scimus quid sit homo, donec illud obiectum comparemus cum homine, quæ comparatio fit per iudicium. Nescimus item, cuius rei sit explicatio, donec appareat identitas illius obiecti cum homine. Adde quod Definitio dicit relationem ad Definitum, quod proinde simul esse debet in mente. *Resp.* In primis ad hæc omnia sufficit, quod simul in mente existat apprehensio *homo*, simulque detur apprehensio reflexa comparativa definitionis cum definito, apprehendens scilicet identitatem, seu convenientiam vtriusque.

9 Deinde, licèt nondùm sciamus, quid est homo, per notitiam comparativam; scimus tamen per notitiam absolutam illius quidditatis, quæ est hominis: *scire* enim quidditatem hominis, verè est scire quid est homo. Sic per apprehensionem, *homo*, cognoscitur natura communis Petro, & Paulo; sed cognoscitur absolutè, non comparativè, donec superveniat comparatio reflexa. Nec definitio debet signatè dicere, cuius rei sit explicatio; sed solùm talis esse, atque ita vividè proponere rei essentiam, vt Intellectus, si terminos penetret, nequeat illam negare de re, cuius est, nec alteri applicare: quemadmodùm propria pictura hominis, quamvis non habeat inscriptionem *homo*, non ideò desinit esse perfecta eius imago; imò imperfecta esset, si inscriptione indigeret. Relatio ad definitum sufficit transcendentalis, sicut iuxtà Adversarios relatio definiti ad definitionem. *Instabis*: prædicta apprehensio non explicat hominem per genus & differentiam, non enim meminit hominis. *Resp.* Definitio non aliter debet explicare rem per genus & differentiam, nisi explicando illa prædicata

cata primaria, quæ sunt ipsa res. *Instabis* iterùm: per Definitionem respondetur interroganti, Quid est homo? Respondetur autem per enuntiationem. *Resp.* Definitio non est tota responsio, sed illa tantùm pars, quam interrogans scire cupit, videlicèt prædicatum.

10 *Objic. 3.*: in his iudicijs, *Leo est animal rationale*, *Homo non est animal rationale*, non datur hominis definitio, cùm tamè detur apprehensio, *animal rationale*. *Confirm.*: qui prædictam apprehensionem habet, adhuc potest esse indifferens ad affirmandum, vel negandum, hominem esse animal rationale; potest enim contingere, vt apparenti aliquâ ratione ductus, id neget, vel saltem de eo dubitet. Sed qui est ita dispositus, non propriè scit quid est homo, vt videtur evidens: ergo &c.

11 *Resp. ad obiect.*. In illis iudicijs datur hominis definitio. Nam primum ideò falsum est, quia leoni applicat definitionem alienam, videlicet hominis: illam ergo continet. Secundùm ideò non est verum, quia negat definitionem de suo definito: illam igitur exprimit. Certè D. Thomas locis citatis suprà num. 4. planè supponit, definitionem per iudicium applicari posse rei, cuius non est. *Et Confirm.*, *permissa Maj.*, *dist. Min.*: non propriè scit quid est homo, per cognitionem comparativam hominis cum suâ quidditate, *conc.*; per cognitionem absolutam quidditatis hominis, quæ sit cognitio purè definitiva, *n'g. Min.*, & *Conseq.* Quamvis autem scientia discursiva, seu iudicativa necessariò excludat dubium, errorem, aut indifferentiam Intellectus circà idem obiectum; non sic scientia purè definitiva, quæ nec requirit comparationem cum Definito, vt vidimus num. 9., nec est scientia in sensu stricto, vt constat ex n. 6.

12 Aliter, & forsan verius, huic argumento responderi potest, videlicet: Ad Definitionem non sufficit quælibet apprehensio prædicatorum essentialium, sed requiritur apprehensio tam clara, perspicua, & vltimata, vt necessitet ad non applicandam talem quidditatem alieno subiecto, nec illam de subiecto proprio negandam, si tunc ad iudicium deveniatur: quemadmodùm pictura hominis, si perfecta sit, necessitat Intellectum, vt illam nec hominis esse neget, nec iudicet esse leonis. Apprehensiones huiusmodi vocantur *intuitivæ*, quia tam vividè proponunt obiectum, vt vehementer inclinent in iudicium, &, si ad illud non necessitant quoad exercitium, necessitant quoad specificationè, excludendo radicaliter iudicium contrarium: ideòque, licèt non sint iudicia formalia, quia formaliter nihil affirmant, aut negant; sunt tamen iudicia virtualia, seu radicalia, quatenùs ad iudicandum movent, & iudicio æquivalent in vi certificandi Intellectum. Talis est apprehensio primorum principiorum: talis & illa, quæ resultat ex vi one obiecti præsentis, aut quoties obiectum percipimus cum ingenti motivo ad iudicandum. Tales etiam quodammodò sunt cognitiones beatorum, quæ cum iudicia non sint, nec esse possint, tamen certificant sensum internum de iucunditate obiecti.

13 Huius igitur indolis esse debet apprehensio definitiva, vt patet ex ipso muncre Modi sciendi, seu *manifestivi ignoti*; non enim reddet obiectum propriè notum, ac manifestum, nisi illud eâ claritate proponat, vt non possit cohærere cum dubio, vel errore circà ipsum. Et hoc est quod alij communiter dicunt

dicunt, Intellectum non propriè definire, nisi terminos penetret, & penetrantis terminis non posse definitionem applicare alieno subiecto, nec dubitare cuius sit. Certè Definitio iuxtà Aristotelem est Medium in Demonstratione; in quà nequit esse Medium, quod non evidenter apprehenditur. Dices: apprehensio *animal rationale*, quamvis non sit suasiva, constat nihilominùs genere & differentiâ, & est Oratio explicans essentiam hominis, cum eius prædicata essent ialia distinctè proponat. Nos autem nihil aliud desideramus ad perfectam Definitionem.

14 *Instò* in hoc iudicio coniecturali, *Forsitan homo est animal rationale*; quod non est definitio hominis, nec Modus sciendi, siquidem per illud non propriè scitur quid sit homo, nec dubitatio excluditur; & tamen nihil in eo desiderari videtur, vt sit iuxtà Adversarios perfecta definitio. Si dicas, desiderari evidentiam, aut claritatem, quæ est de conceptu Modi sciendi, idem à nobis tibi dictum puta. Itaque, licet apprehensio non suasiva possit vtcumque constare genere & differentiâ, effque aliqualis explicatio essentiæ rei, numquam tamen hæc munera præstat perfectè, siue non cum eâ claritate, quæ pertinet ad conceptum Modi sciendi, & quæ proinde est de essentiâ Definitionis, cuius genus proximum est Modus sciendi; non aliter ac quidquid est de essentiâ animalis, est de essentiâ hominis.

15 Hinc ad *obiect.* & *confirm.* num. 10. negandum est, quod Intellectus coniungere possit illa iudicia cum apprehensione perfectè definitiva, secùs quod talis apprehensio relinquat locum indifferentiæ, dubitationi, vel errori. Quare, siquando Intellectus illa iudicia formet, tunc habebit quidem apprehensionem *animal rationale*, sed non penetrabit terminos; nec illa erit apprehensio suasiva, nec propriè, ac perfectè definitiva, sed erit apprehensio non vitiata, vel certè non ex proprijs obiecti meritis concepta.

16 *Obiic.* 4.: Si definitio consistere potest in apprehensione, poterit etiam in visione materiali, maximè si visio clara sit. *Nego* sequelam: quia visio materialis, nec est Modus sciendi, sed sentiendi, nec facit genus & differentiam, nec explicat distinctè rerum essentias. *Denique* obserua, quod etiam Diuisio non necessariò requirit iudicium, sed potest in apprehensione saluari, v.g. in hac, *Hominis alia pars corpus, alia rationalis anima.* Nihil tamen prohibet, eam sæpè consistere in iudicio, v.g. *Hominis alia pars est corpus &c.*: neque enim in eâ militant argumenta, quæ super Definitione supra dedimus.

17 *Dubit.* 2.: an Definitio sit Modus sciendi à diuisione distinctus? Hocce dubium affirmativè resolvimus in Summulis, quantum ad Diuisionem accidentalem, integralem, & potentialem per se. Quod attinet ad Diuisionem actualem essentialem, sunt qui negativè respondeant: nam quælibet ex his diuisionibus, *Hominis alia pars corpus, alia anima rationalis*, *Hominis alia pars animal, alia rationale*, non minùs est Oratio explicans essentiam hominis, tum physicam, tum metaphysicam, quam conducta definitiones hominis: ergo vtrique conuenit Definitionis definitio, & essentia.

Sunt

18 Sunt ex adverso, qui distinctionem agnoscant, saltem ex parte modi tendendi: nam Definitio tendit modo compositivo partes scilicet copulando in vnam essentiam: Divisio è contrà modo resolutivo, totum scilicet in suas partes distribuendo, seu resolvendo. Hæc autem diversitas sufficit ad diversas species Modi sciendi; sicut ad diversas species Enuntiationis complexæ sufficit diversitas in modo tendendi, vt patet in Copulativâ & Disiunctivâ de isdem extremis. Hæc secunda sententia probabilior apparet, maximè cum Divisio debeat exprimere Divisum proprio nomine, saltem de obliquo; Definitio autem potiùs debeat à Definiti mentione abstinere. Ad fundamentum primæ sententiæ dici potest, per Divisionem non propriè explicari essentiam rei, quia nomine *essentiæ* non veniunt partes distributivè sumptæ, sed copulatim acceptæ.

---

# DISPUT. II.

## *De Veritate, & Falsitate Enuntiationum.*

### CAP. I.

*In quo consistat Veritas Enuntiationum? Et an illam essentialiter exigat omnis Enuntiatio vera?*

1 NOn est sermo de Veritate transcendentali, quæ est passio Entis vt sic, & convenit etiam enuntiationi falsæ, vt cuilibet enti reali, diciturque consistere in intrinsecâ rerum cognoscibilitate, vel, vt alij malunt, in intrinsecâ rerum necessitate, vt conformentur cum Divinis Ideis. Sermo est igitur de Veritate Enuntiationum, quatenùs correspondentium objectis, quæ vocatur *Veritas formalis*, & in omni Schola passim definitur, *Conformitas actus cum obiecto*: quæ definitio desumpta est ex illo Philosophi pronuntiato, *Ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.* Enuntiationem itaque veram esse formaliter, est intentionaliter conformari cum obiecto, dum ita se habet in repræsentando, sicut obiectum se habet in essendo; vt è contrà, falsam esse formaliter, est eâ conformitate destitui, seu evadere difformem obiecto in ratione imaginis intentionalis: vnde formalis Falsitas definitur, *Difformitas actus cum obiecto.* Idcircò hic actus, *Petrus currit*, verus est currente Petro, & non currente falsus.

#### §. I.

*Vera sententia de constitutivo Veritatis eligitur, & probatur.*

2 CIrcà Veritatis constitutivum variæ sententiæ circumferuntur. Præcipuè sunt quatuor. Prima tenet, Veritatem esse relationem actus ad obiectum, ab vtroque distinctam; quam alij volunt esse rationis, alij realem. Sed contra est 1., quod scientia Dei ab æterno est vera, quia ab æterno datur ens rationis, & quin vnquam in Deo dari possit realis modus relationis. 2., quòd vel in nobis, primùm vlla relatio ra-

rationis fingatur, propositio hæretica est omninò falsa, & catholica omninò vera. 3., quod relatio realis, consistens in modo superaddito, relecta manet tract. præced. 4., quod secluſis hisce relationibus, eo præcisè, quod intelligatur, Petrum à parte rei currere, & actum hoc affirmare, plenè intelligitur, actum esse verum.

3 Secunda docet, Veritatem adæquatè identificari cum actu; quod potest intelligi bifariam: vel eo sensu, quo Connotatores identificant relationem cum solo fundamento, ita vt nihilominùs possit actus non esse verus ex defectu tolius obiecti, tamquam connotati purè extrinseci: vel in sensu Patris Hurtado, infrà referendo. Sed prior sensus displicet ex dictis Tract. præced. circà relationem: posterior infrà rejicietur. Tertia Veritatem actus contingenter veri constituit per actum & obiectum; & Veritatem actus necessariò veri, per solum actum. Sed quod in vtroque sit eadem ratio, posteà monstrabimus. Quarta generaliter Veritatem stare dicit in complexo actus & obiecti, ita vt hoc nomine *Veritas* importetur actus in recto, obiectum in obliquo, proindeque denominationem *veri* esse partim intrinsecam, partim extrinsecam actui, intrinsecam prout involvit actum ipsum, extrinsecam prout importat obiectum. Hæc est communis in Schola nostrâ cum Eximio Doctore disp. 8. Metaph. sect. 2., & mihi probabilior cæteris, quamvis illi contradicat acerrimè P. Hurtado cum pluribus alijs.

4 *Prob.*: conformitas actus cum obiecto constituitur ex actu & obiecto: ergo & Veritas, quæ per eam conformitatem definitur. *Prob. Antec.*: actum esse obiecto conformem, est repræsentare obiectum sicuti est, seu ita se habere in repræsentando, sicut obiectum se habet in essendo; sed hoc constitutivè includit actum & obiectum: ergo &c. *Prob. Min.* 1. paritate similitudinis, aut convenientiæ physicæ, quâ v.g. Petrus & Paulus sunt conformes in esse hominis; nam physica ista conformitas includit vtrumque extremum, non aliâ de causâ, nisi quia Petrum esse ita conformem Paulo, præcisè stat in eo, quod Petrus in esse hominis habeat se, sicut Paulus se habet: ergo pariter, actum habere se in repræsentando, sicut obiectum in essendo, necessariò includit & repræsentationem actus, & ipsum esse obiecti. Consequentia videtur evidens. Antecedens probatur ab Hurtado, vbi de Relatione; & contrà alios probari potest argumentis Tractat. præced. adductis. Adde paritatem imaginis artificialis, cuius conformitas cum prototypo, ex imagine & prototypo constituitur, vt fatetur Hurtado: idem ergo de imagine intentionali dicendum.

5 2. ratione: illa sunt constitutiva cuiusque rei, quibus præcisè positis intelligitur res constituta, & quorum quolibet mente secluso, vel præciso, res intelligitur immediatè deficere; quod videtur principium omninò firmum ad explorandà constitutiva rerum, & constat inductione perpetuâ. Atqui, posito & intellecto hoc actu, *Petrus curvit*, eo præcisè quod insuper intelligas, Petrum re ipsâ currere, intelligis, actum repræsentare obiectum sicuti est, & esse omninò verum; & aliunde, si vel obiectum, vel actum mente secludas, aut præcindas, intelligis,

gis, conformitatem istam immediatè deficere, vel integram non permanere: ergo &c. Minor apparet innegabilis: quis enim concipiat, per illum actum repræsentari cursum Petri sicuti est, si præscindat vel à repræsentatione, vel ab eo quod Petrus re ipsâ currat?

6 Dices ex P. Hurtado: secluso obiecto, deficit Veritas, non ex defectu solius obiecti, sed ex defectu exigentiæ essentialis, quam secum identificat actus, vt obiectum ita se habeat, sicut enuntiatur. Sic nequit existere actio sine termino, nec virtus causæ sine possibilitate effectus; quin ideò constituatur actio per terminum &c. Sed *contrà* 1.: quia in multis actibus non datur eiusmodi exigentia, vt infrà patebit. *Contrà* 2.: quia etiamsi quis præscindat à tali exigentiâ, vel etiamsi nesciat, illam esse propriam actus, aut eam per possibile vel impossibile perseverare concipiat; adhuc intelliget deficere Veritatem huius actus, *Petrus currit*, eo præcisè quod videat Petrum non currere; nec ad hoc indigebit aliâ ratione, vel motivo; nec expectabit defectum alius entitatis in rerũ naturâ, vt ineluctanter credat, actum non esse verum; quia eo ipso planè videt, cursum Petri non repræsentari sicuti est. Deficit ergo Veritas ex defectu obiecti, non tantùm arguitivè, seu per locum extrinsecum, vt in exemplo actionis, aut virtutis causæ; sed per locum intrinsecum, aut *immediatè*, vt in probatione nostrâ dicebamus. Hinc talis exigentia, etiã in actibus, quibus inest, est extrà conceptũ Veritatis formalis; quamvis enim à tali exigentia omninò præscindas, adhuc concipies actum esse verum per hoc præcisè quod repræsentet obiectum sicuti est, sive id exigat, sive non. Aliud profectò est conformari cum obiecto, & aliud conformitatem exigere; vt patebit exemplis num. 8.

7 Unde colliges, per obiectum etiam constitui Veritatem formalem illorum actuum, qui sunt necessariò veri. Hæc necessitas aliquando provenit ex solâ naturâ obiecti de se necessarij, vt si quis ex testimonio purè humano dicat, *Deus est trinus*: aliquando ex solâ intrinsecâ perfectione actus, vt si quis per actum naturalem intuitivum, aut per actum Fidei supernaturalis, affirmet obiectum ex se contingens: aliquando ex vtroque capite, vt *in* Visione Beatorum de existentia Dei, aut in actu supernaturali de quovis obiecto necessario, & in scientiâ Divinâ necessariâ. Quãdo ea necessitas provenit ex perfectione actus (sive obiectum sit in se necessarium, sive non), dicitur & est Veritas radicalis, sive non tam Veritas, quàm exigentia Veritatis, alio nomine Certitudo. Sed nec etiam tunc pertinet ad conceptum Veritatis formalis: quia hæc à nemine explicatur per exigentiam conformitatis, aut connexionem actus cum obiecto, sed per actualem conformitatem, quæ est velut terminus illius exigentiæ, & ab illa realiter inadæquatè distinguitur, vtpote constituta per obiectum.

8 Sic, licèt Creatura existens, necessariò exigat coexistere Deo, & non possit non esse Deo dissimilis, & inæqualis in perfectione, tamen actualis ipsa coexistentia, dissimilitudo, vel inæqualitas, non identificatur adæquatè cum Creaturâ, sed constituitur etiam per Deum. Sic item denominatio *calidi* non mi-

nus

nùs distinguitur inadæquatè à subiecto illam intrinsecè exigente, quam à subiecto non exigente; vt patet in igne, & aquâ calidâ. Unde similiter colliges, per obiectum constituì veritatem formalem scientiæ Divinæ prout terminatæ ad Creaturas; vt expresè docet Exim. Doctor disput. 8. Metaph. sect. 2. num. 17.

9 Quæ de Veritate diximus, intellige cum proportione de Falsitate, illam scilicet esse partim extrinsecam actui, & ab eo inadæquatè distingui. Hoc tamen est discrimen, quod Veritas constituitur per obiectum prout ita se habens sicut enuntiatur; Falsitas autem per obiectum prout non ita se habens sicut enuntiatur; quod est constitui per carentiam obiecti (in quocumque consistat carentia, de quo in Metaphysicâ), vel per aliquid ex parte obiecti se tenens incompossibile cum conformitate inter actum & obiectum. Exemplo sit Falsitas istorum actum, *Antichristus existit*, *Homo est leo*. Sed notandum, quæ hucusque diximus, procedere de Enuntiationibus affirmativis; quia de his in præsenti disputant omnes. Quodsi de negativis loquamur, Veritas constituenda videtur per carentiam obiecti, Falsitas autem per obiectum, vt consideranti patebit. Notandum insuper, hanc, & sequentem quæstionem versari tantùm circà actus à suo obiecto distinctos: nam si actus identificetur cum obiecto, sicut scientia Dei prout ipsemet ipsum contemplantis, nemo dubitat, quin Veritas formalis adæquatè identificetur cum actu.

***

## §. II.

*Non omnis Enuntiatio, quæ vera est, exigit essentialiter, aut ab intrinseco Veritatem.*

10 Conclusio ista non penderet à præcedenti: nam licèt quis omni Enuntiationi concedat exigentiam Veritatis, cum tamen hæc exigentia solùm fit Veritas quasi radicalis, poterit adhuc Veritatem formalem constituere per aliud quidvis ab actu distinctùm; nil enim prohibet aliquid essentialiter connecti cum alio, vel adæquatè, vel inadæquatè distincto; & sic actio connectitur cum termino, & cognitio cum effectu formali, seu denominatione *cognoti*, quæ ex cognitione, & obiecto constituitur. Repete dicta num. 7. & 8. E converso, licèt quis Veritatem asserat contingentem actui, poterit illam per solum actum constituere, vti faciunt Connotatores. Porrò non negamus, scientiam Divinam, & Enuntiationes creatas, quæ sunt supernaturales, aut naturales intuitivæ, seu aliàs evidentes, habere Veritatem radicalem, sive, quod idem est, exigere ab intrinseco Veritatem formalem, vel essentialiter, vel, si de naturali actu sit sermo, saltem naturaliter. De solis actibus naturalibus abstractivis & inevidentibus quæstio supereſt: in quâ P. Hurtado disput. 9. de Anim. à §. 36., quem pauci sequuntur, nobis adversatur putans, Veritatem formalem adæquatè identificari cum omni actu vero, ita vt non sit actui contingens, sed potiùs in eius essentiâ radicetur tamquam proprietas metaphysica.

Præ-

11 Præfixa tamen Conclusio est ferè omnium, & *probatur*: hic actus, *Petrus currit in foro*, quem suppono verum, sed elicitum ex motivo fallibili (v.g. ex auctoritate vnius testis, vel ex eo quod Petrus plerumque soleat in hac horâ quotidiè currere in foro), ille, inquam, actus potuit idem numero elici non currente Petro; sed tunc esset falsus: ergo de se est indifferens vt sit verus vel falsus, consequenterque non exigit essentialiter Veritatem. *Prob. Min.*: quia, non currente Petro, possent adhuc existere principia omnia, & causæ nunc influentes in illum actum, videlicèt idem Intellectus, eadem species, idem motivum (Petri cursus in nullo genere causæ influit in talem actum, cum supponatur absens, & distans); nihil enim horum connectitur necessariò cum existentiâ cursus Petri, & ex his ijsdem principijs profluueret iuxtâ Adversarios alius actus falsus tendentiæ similis, si Petrus non curreret: at manentibus ijsdem principijs prorsus immutatis, non est cur non possit idem actus elici; nam, vt est in proverbio, *Idem manens idem semper est natum facere idem*: ergo &c.

12 Urgetur: ille actus nullo ex capite connectitur cum existentiâ cursus Petri. Non in primis titulo alicuius influxus, vt videtur evidens, nec ab Adversarijs negatur. Non deinde titulo repræsentationis, etiam enuntiativæ; nam iudicium falsum, *Petrus currit in foro*, enuntiativè repræsentat eamdem existentiam cursus, & non connectitur cum illâ. Non denique titulo alicuius principij ex se repugnantis falsitati, cuiusmodi est habitus Fidei supernaturalis; nullum quippe illius actus principium ex se falsitati repugnat, non Intellectus, non species, non motivum. Quid ergo est, cur actus ille tantopere pendeat ab existentiâ obiecti? *Dices*, pendere ab illâ tamquam ab extrinsecâ conditione, sine quâ principia actus influere non possunt: non aliter ac actus Fidei de obiecto futuro, à futuritione obiecti pendet tamquam ab extrinsecâ conditione.

13 Sed *contrà* 1.: quia satis durum apparet, quod actus naturalis opinativus non sit minùs certus intrinsecè, quam actus Fidei supernaturalis. Hoc autem, & supponit P. Hurtado, qui solùm ex parte principiorum ponit excessum certitudinis; & evidenter sequitur ex eius sententiâ, siquidem vterque actus est essentialiter impotens existere, nisi obiectum ita se habeat sicut enuntiatur. Et verò, si principia actus supernaturalis pollent in se certitudine maiore, cur illam non communicant actui? *Contrà* 2.: quia in habitu Fidei adest fundamentum repugnantiæ ad falsitatem actus, nempè supernaturalitas, quæ Deum facit specialem Authorem omnis actus Fidei; atque ideò habitus ille in nullum actum falsum influere potest. At nullum principium actus in casu nostro est supernaturale, imò nullum, quod ex se non possit influere in actum falsum. *Contrà* 3.: Nam ideò futuritio obiecti est conditio ad actum Fidei necessaria, quia sine illâ nequit existere motivum Fidei, quod est Divina revelatio, seu testimonium Dei: at sine existentiâ cursus Petri potest abi dubio existere in casu nostro motivum iudicandi, quale assignavimus num. 11.

14 *Dices* iterùm, actum verum

rum connecti cum existentiâ cursus tamquam cum suo obiecto formali; nullus enim actus sine obiecto existere potest. Sed *contrà*: quia iudicium falsum, *Petrus currit in foro*, ex eodem motivo fallibili conceptum, idem habet obiectum formale; tum quia idem signatè repræsentat, & affirmat, ac actus verus; tum quia falsificatur per carentiam cursus existentis, & nullus actus falsificatur, nisi per carentiam sui obiecti; tum quia, si diversum habet obiectum formale, quomodò illud omninò tacet? At actus ille falsus certè non connectitur cum existentiâ cursus titulo obiecti formalis. Quomodò autem non possit existere actus sine obiecto, explicabitur cap. seq.

15 Aliæ probationes eiusdem Conclusionis adduci solent haud inefficaces. 1. ab exemplis: tum externæ imaginis, quæ de se potest esse nunc conformis, nunc difformis prototypo, per solam prototypi mutationem: tum enuntiationis vocalis, quæ iuxtà Adversarios, etiam in esse signi, non habet exigentiam Veritatis; & tamen stante eâdem significatione, sive institutione Maiorum, non potest non significare quod semel significat. 2. à ratione: quia actus verus, & falsus, habentes hanc tendentiam *Petrus currit*, & ex eodem fallibili testimonio concepti, eiusdem speciei sunt. Tum quia non est unde hauriant diversitatem specificam, siquidem conveniunt in principijs, in obiecto, in modo tendendi. Tum quia species non sunt multiplicandæ sine necessitate, vt est in Philosophiâ solemne: hìc autem nulla est necessitas, cum varietas denominationum *veri*, & *falsi*, salvari possit per solam mutationem obiecti in suo esse physico, vt videre licet in externâ imagine, atque etiam in physicis denominationibus *similis*, & *dissimilis*, *æqualis* & *inæqualis*. At, si vera est contraria sententia, actus illi non sunt eiusdem speciei, cum differant in prædicato essentiali.

16 3. Ab absurdo: sequitur enim ex contrariâ sententiâ, posse Angelum, aut dæmonem proprio lumine cognoscere evidenter secreta cordium, & futura contingentia, quæ à libero pendent arbitrio; si nimirùm probabiliter, aut etiam temerè, vel ex levissimo indicio iudicet, Petrum crâs peccaturum, vel habere nunc internum consensum peccaminosum. Nam, si fortè contingat, tale iudicium esse verum, connectetur essentialiter cum obiecto vt se habeate, vel habituro, sicut enuntiatur: cum ergo Angelus, aut dæmon suum illud iudicium comprehensivè cognoscat, evidenter cognoscet in illo, tamquam in medio, reipsâ obiectum ita fore, vel esse. Sequitur item, posse in medio naturali cognosci evidenter entia supernaturalia, & ipsum etiam mysterium Trinitatis: si nimirùm comprehensivè noscatur actus, quo quis credat ex merâ authoritate humanâ, Deum esse trinum, aut siquis comprehendat actus illos, queis hæretici credunt plura Fidei mysteria. Idem absurdum sequitur (vt hoc obiter advertas), si veritas consistat in modo relationis Thomistico; hic enim iuxtà suos Authores connectitur essentialiter cum termino. Dices ex Hurtado, non deberi Angelo concursum ad certò cognoscenda futura, vel secreta cordium, adeòque neque ad penetrandum obiectum cum illis connexum. *Contrà*:

iuxta

iuxtà omnes, deberur Angelo concursus ad cognoscendum secreta proprij cordis, seu suos ipsius actus naturales actu existentes. Hoc autem, si tua sententia vera est, absurdè infert, ipsi deberi pariter concursum ad cognoscenda futura, & secreta cordis alieni.

17 Ex dictis colliges, actus etiam de materiâ necessariâ, si naturales sint, & opinativi, aut inevidentes, esse contingenter veros quantum est ex se, quamvis ex immutabilitate obiecti nequeant esse falsi. V.g. dum quis ex merâ auctoritate magistri iudicat, triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, iudicium illud est necessariò verum, sed ratione obiecti, non ratione sui, seu non ab intrinseco; proindeque idem ipse permaneret, si per possibile vel impossibile aliter se haberet obiectum. Ratio est: tum quia nihil cogit adstruere exigentiam actus intrinsecam, cum per merita solius obiecti salvetur necessitas Veritatis. Tum quia ille actus niritur motivo ex se fallibili, & aliunde nullum principium habet intrinsecè repugnans Falsitati. Tum quia sequeretur alioquin, dari aliquid naturale immediatè connexum essentialiter cum Divinâ Trinitate, videlicet actum fidei humanæ, de quo num. præced., consequenterque posse in illo, tamquam in medio, evidenter cognosci Trinitatem.

18 Sed intellige, actus istos non connecti cum suis obiectis speciali titulo Enuntiationis, aut Veritatis; quidquid sit de alio titulo generali, quo iuxtà plures quodlibet ens connectitur cum quolibet. Hoc, si verum est, faciet quidem eos actus connecti cum obiectis, sed non magis, nec aliter, quàm cum rebus aliis non obiectis, aut quàm leo cum aquilâ: nec ita connexio iuxtà suos patronos talis est, vt quodlibet ens reddat medium idoneum ad cognoscenda distinctè cætera omnia per comprehensionem creatam.

## CAP. II.

*Argumenta contrà doctrinam Capitis præcedentis enervantur.*

1 ARgumenta nunc dissolvenda militare possunt contra vtramque Conclusionem Capitis superioris: nam eò tendunt, vt probent, Veritatem formalem esse adæquatè intrinsecam actui, atque adeò essentialem esse cuilibet actui, nisi ad modum relationis, vel ad connotata nobis invisa recurramus. *Obije. 1.*: si Veritas consistit in actu & obiecto, denominabit vtrumque *formaliter verum*; quemadmodum, quia similitudo duarum albedinum in vtrâque consistit, vtramque denominat *similem*. *Resp. neg. sequel.*: quia denominatio *formaliter veri* exigit determinatè pro subiecto actum repræsentantem: definitur enim, *Conformitas actus cum obiecto*; non verò, *Conformitas obiecti cum actu*. Obiectum ergo non est capax denominationis *formaliter veri* à formâ vel quasi formâ Veritatis, quamvis ab eâ denominetur vtcumque simile vel conforme actui; nam esse verum, non est esse conforme vtcumque, sed esse conforme per modum imaginis intentionalis. Similitudo duarum albedinum idcircò vtrumque extremum denominat, quia ex vi suæ definitionis non determinatur potiùs ad vnum, quàm ad aliud, & quia vtrumque est capax denominationis. Oppositum accidit

in relationibus disquiparantiæ, in quibus instatur obiectio; nam, licèt inæqualitas duarum quantitatum constituatur ex vtrâque, non ideò vtramque denominat *maiorem*, aut vtramque *minorem*.

2 *Obijc.* 2.: obiectum dicitur mensura Veritatis actus: mensura autem à mensurato distinguitur. *Instè*: externa imago in esse veræ, seu conformis, mensuratur ab obiecto: ergo obiectum non constituit eam conformitatem. Item: forma substantialis dicitur mensura perfectionis Compositi physici, & differentia specifica dicitur mensura perfectionis Speciei: ergo neutra constituet intrinsecè mensuratum. Mensura igitur, alia est extrinseca, vt vlna relatè ad telam, vel etiam obiectum specificativum relatè ad solam repræsentationem actus; & hæc adæquatè distinguitur à mensurato: alia est intrinseca, & constitutiva mensurati, à quo solùm inadæquatè distingui debet; vt in exemplis nuper adductis, atque etiam in casu nostro, in quo obiectum, licèt sit extrinsecum actui specificativè sumpto, est intrinsecum Veritati, sive actui vt vero.

3 *Obijc.* 3.: si Veritas constituitur per obiectum, plura sequuntur absurda. 1.: quod Veritas Divinæ Scientiæ de peccato, erit mala moraliter, vtpote ex obiecto moraliter malo constituta; nam, vt aiunt, *Malum ex quocumque defectu.* 2.: quod Veritas meæ cognitionis enuntiantis Scientiam Dei, simpliciter infinita erit, imò prorsùs æqualis Veritati Scientiæ Divinæ de cognitione meâ, siquidem vtraque Veritas habet constitutiva prorsùs eadem. 3.: quod Veritas huius actus, *Hircocervus est chymera*, erit Veritas impossibilis & chymerica; nam chymericum est id, cuius vel vnum constitutivum est chymera. 4.: quod poterit aliquid de præsenti existere, non existentibus eius constitutivis; nam Veritas huius actus, *Troia fuit*, de præsenti existit, quin eius obiectum modò existat. *Resp.* Hæc omnia evidenter instantur in denominatione *cogniti*, quæ certè constituitur ex obiecto & actu.

4 Nam pariter sequitur 1., quod Scientia Divina de peccato, ex se refundit effectum formalem moraliter malum; & quod peccatum *esse à Deo cognitum*, est quid malum. 2.: quod Scientia Dei tam perfectè est *à me cognita*, quàm mea cognitio *à Deo cognita*, siquidem vtraque denominatio habet constitutiva prorsùs eadem. 3.: quod denominatio *cogniti*, cadens in Hircocervum, est denominatio impossibilis & chymerica. 4.: quod nunc existit denominatio *cogniti* sine subiecto, ex quo intrinsecè constituitur, eaenimirùm, quæ provenit ex hac cognitione, *Troia fuit*, vel ex alijs de obiecto futuro, præterito, vel purè possibili. Quidquid ergo hìc dixerunt Adversarij, sibi dictum habeant in re nostrâ.

5 *Resp.* igitur *ad* 1.: Veritas illa Divinæ scientiæ moraliter mala est, non quoad rectum, nec absolutè, seu formaliter, sed quoad obliquum, idque purè materialiter. Ratio est: quia Veritas eas dumtaxat denominationes absolutè seu formaliter suscipit, quarum est capax actus, vtpotè qui significatur in recto, non solùm hoc nomine *actus verus*, sed etiam hoc nomine *Veritas*: actus autem Divinæ scientiæ non est capax denominationis *mali moraliter*, sicut nec alia quævis cognitio enuntians pec-

peccatum, in quod nullatenus influit; nam ex suppositione, quod alius peccet, non est malum cognoscere peccatum ficuri est. Adde quod peccatum non refundit denominationem *mali* in omne Constitutum, cuius est pars, saltem quando Constitutum importat, vel in recto, vel pro formali, compartem aliam, quæ non est causa, nec effectus peccati. Patet hoc: tum in Justificatione, quæ constituitur per peccatum, tamquam per terminum *à quo*: tum in Sacramento Pœnitentiæ, quod in sententiâ Cardinalis de Lugo & aliorum constituitur de obliquo per peccata præterita: tum in relatione Coexistentiæ, vel Oppositionis Dei cum peccato, quæ constituitur per terminum.

6 Quibus exemplis clarescet sensus illius proloquij, *Malum ex quocumque defectu*; quod intelligendum est de defectu alicuius circumstantiæ, vel partis, ex ijs, quas Constitutum habere debet, & non habet; sic enim humana actio dicitur mala, si vel vna deficiat ex circumstantijs debitis. Negamus autem, quod Veritati, de quâ est sermo, quidquam deficiat debitum. *Replic.*: Deus amat Veritatem suæ scientiæ de peccato. *Dist.*: Veritatem radicalem, *conc.*; formalem, *subdist.*: amat secundùm rectum, *conc.*; secundùm obliquum, *neg.*. Ut Deus absolutè dicatur amare Constitutum aliquod, sat est, quod amor supponat constitutiva omnia, & terminetur ad præcipua, non enim alio sensu Deus absolutè amat Justificationem nostram, Sacramentum Pœnitentiæ, & suam Oppositionem cum peccato. Sic etiam Deus hominem iustum amat amore amicabili, quo amore non amat, nec amare potest materiam primam.

7 *Ad 2.* nego sequelam absolutè, & in sensu formali, sive in ordine ad denominationes vtriusque Veritatis proprias. Quamvis enim materialiter, ideſt, in esse binarij, vel complexi, non detur inæqualitas, quia binarium ex creaturâ & Deo non est imperfectius binario ex Deo & creatura; nihilominùs constitutiva ista diversimodè importantur hoc nomine *Veritas cognitionis creatæ*, & hoc *Veritas Scientiæ Divinæ*; nam primo nomine importatur creata cognitio tamquam rectum, ideſt, tamquam vnicum subiectum denominationum; secundo autem nonnisi cognitio Divina. Et hinc fit, vt prima illa Veritas nec sit æqualis secundæ, nec infinita: tum quia rectum eius est incapax talium denominationum: tum quia infinitudo obiecti, licèt in Veritate adæquatè sumptâ includatur, manet extrinseca actui; atque adeò, licèt illi tribuat denominationem partim extrinsecam, qualis est denominatio *veri*, nequit tribuere denominationem *simpliciter infiniti*, quæ suaptè naturâ requirit communicationem intrinsecam. Hac ratione coexistentia creaturæ cum Deo non est infinita, nec æqualis coexistentiæ Dei cum creaturâ, licèt vtraque importet eadem constitutiva.

8 *Ad 3.*: sequela est absolutè falsa: quia, Veritatem illius actus esse impossibilem, absolutè significat, actum illum non posse obiecto conformari: conformatur autem absque dubio. Nec obstat quod constituatur ex obiecto chymerico; nam illud enuntiat vt chymericum; & Veritas in suâ lineâ dicitur possibilis, quando constituitur ex obiecto tali, quale per actum enuntiatur. Sed, ne terminis implicemur, distinguo sic: Ve-

ritas illius actus erit impossibilis & chymerica, secundùm rectum, *neg.*; secundùm obliquum, *subdist.*: secundùm obliquum erit chymerica in esse entis, *conc.*; in esse verificativi, ideſt, in ordine ad denominandum actum *conformem obiecto*, *neg.*; quia in hoc sensu nulla chymera est chymerica, nec impossibilis. Vel paulò aliter: secundùm obliquum erit chymerica in ordine ad existentiâ realé, *conc.*; in ordine ad existentiam intentionalem sibi proportionatam, *neg.*: sic enim nullum obiectum est chymericum. Illa verò propositio, *Chymera est id, cuius vel vnum constitutivum est chymera*, distinguatur sic: si sit Constitutum de lineâ reali, *conc.*; si sit de lineâ intentionali, *subdist.*: si vel vnum constitutivum sit chymera tam in esse entis, quàm in esse verificativi, vel tam in ordine ad existentiam intentionalem, quàm in ordine ad realem, *conc.*; si aliter, *neg.*.

9 *Ad* 4.: Veritas propositionum de obiecto præterito, futuro, & purè possibili, non existit tota physicè, quando existit actus; sed solùm dicitur existere tota morali modo, quatenùs obiectum enunciatum, sicuti fuit, erit, aut esse potest, perinde correspondet propositionibus illis, ac propositionibus de præsenti obiectum enunciatum sicuti est; & idcircò obiectum præteritum, &c., quantum ad munus verificandi se habet in æstimatione prudentum quasi præsens; quod est morali modo nunc existere. Plura certè sunt Constituta, vel successiva, vel instar successivorum, quæ absolutè dicuntur existere per existentiam vnius partis, nec requirunt simultaneam existentiam omnium, imò sæpè illam excludunt. Sic se habet denominatio *cogniti*, de quâ num. 4.; item denominatio *prioris*, aut *posterioris temporaliter*: item, cùm homo dicitur *senex*, aut domus *antiqua*, per annos præteritos. Sic etiam absolutè dicitur *præsens* hæc dies, vel hæc hora, cum tamen non nisi pars atoma diei, vel horæ, possit esse physicè præsens.

10 *Obiic.* 4.: Veritas est perfectio Intellectus: ergo non constituitur per obiectum; nihil enim redditur melius, aut deterius per formam extrinsecam. *Prob. Antec.* 1.: quia ita se habet Veritas ad Intellectum, sicut bonitas ad Voluntatem: bonitas autem est perfectio Voluntatis, aut in eius actibus tota consist. 2.: quia Veritas est Attributum Dei, qui & ipse *Veritas* appellatur. 3.: quia error, seu falsitas actuum Intellectus, est imperfectio mentis: nam idcircò repugnat in mente Divinâ, & idcircò habitus errandi, seu falsò iudicandi, magna imperfectio est humanæ mentis: & idcircò etiam non licet mentiri, seu alios decipere. 4.: quia Intellectus innatè appetit Veritatem, & innatè refugit falsitatem: appetitus autem innatus non quærit, nec refugit, nisi bonum, aut malum intrinsecum.

11 Obiectio in primis *instatur*: quia Veritas externæ locutionis non est intrinseca verbis, nec loquenti; & tamen hæc etiam Veritas dicitur perfectio loquentis, sicut externum mendacium dicitur & est imperfectio non modica; & idcircò repugnat Deo, dum exteriùs alloquitur homines; & idcircò nec licet nobis vocali mendacio decipere quemquam; & etiam idcircò facilitas, vel consuetudo barbarè loquendi, peierandi, blasphemandi, quamvis absque internâ advertentiâ, magna censetur imperfectio. Si dicas, vocalem Veritatem, aut mendacium, esse per-

perfectionem, aut imperfectionem, non formaliter, sed, tum arguitivè, quatenùs inde arguitur, loquentem esse mente veracem, aut mendacem, tum causaliter, quatenùs inde plura proveniunt bona, vel mala in audientes: id ipsum nobis dicere licebit.

12 Itaque Veritas radicalis, quæ ineſt actibus ab intrinseco veris (vt sunt actus scientifici, & alij, de quibus cap. præced. num. 7.), physica perfectio est, tum ipsius actus, cui penitùs identificatur, tum potentiæ intellectivæ, cui physicè immanet. Et hinc etiam veritas formalis, quæ radicalem supponit, est physica mentis perfectio præ Falsitate, non secundùm se totam, sed dumtaxat secundùm rectum, nempè secundùm repræsentationem actus, quæ semper est physicè melior in actibus radicaliter veris, quàm in alijs. Veritas autem purè formalis, à radicali seiuncta, qualis est in actibus contingenter veris, non est physica perfectio præ Falsitate, sive sumatur adæquatè, sive quoad rectum: hic enim actus opinativus, *Petrus currit*, non magis perficit Intellectum physicè & formaliter, dum est verus, quàm dum est falsus.

13 Sed, quamquam hæc purè formalis Veritas præ falsitate non sit physica perfectio mentis *formaliter*, ideſt, immediate & ratione sui; est tamen *arguitivè*, & *causaliter*: *arguitivè*, quatenùs regulariter supponit acumen & solertiam Intellectus, aut prudentiam in iudicando de rebus etiam contingentibus: *causaliter*, quatenùs ex conformitate iudicij cum rebus plura derivantur humanæ vitæ commoda, pluraque mala vitantur, eo quod Voluntas & aliæ potentiæ pendeant à ductu iudicij. Propter hæc, formalis Veritas dici potest *perfectio moralis*; quia est moraliter æstimabilis, seu prudenter appetibilis; & quia Intellectus meliùs cum Veritate, quàm cum Falsitate, se habet in æstimatione prudentum, fundamento desumpto ex ijs bonis, quæ præsupponuntur, & subsequuntur. Hoc eodem modo, proportione servatâ, discurrendum est de Falsitate, vel errore formali, vt dicatur, vel non dicatur imperfectio mentis. Unde ad *obiect.*, loquendo de perfectione physicè & formaliter perficiente, *dist. Antec.*: Veritas radicalis, vel quæ in eâ fundatur Veritas formalis quoad rectum, est perfectio Intellectus, *conc.*; Veritas formalis adæquatè sumpta, vel etiam purè formalis sumpta quoad rectum, & comparativè ad Falsitatem, *neg. Anteced.* & *Conseq.*

14 Ad 1. *prob.*: fateor, quod bonitas actuum Voluntatis (quidquid sit, an aliunde possit esse partim extrinseca) non constituitur per obiectum: sed disparitas in eo est, quod bonitas non stat in similitudine, seu conformitate volitionis cum obiecto, neque enim volitio est repræsentatio, vel imago intentionalis obiecti; sed stat in eo, quod actus tendat in obiectum bonum prosecutivè, & in malum aversivè; tendentia autem prosecutiva, vel aversiva, adæquatè identificatur cum actu Voluntatis, sicut tendentia iudicativa cum actu Intellectus: vnde non mirum, quod sit perfectio potentiæ. *Ad* 2. Veritas est Attributum Dei, quatenùs accipitur pro Veracitate in dicendo, quæ est summa necessitas non mentiendi, seu non fallendi, & quatenùs idem sonat, ac Infallibilitas, quæ est Veritas radicalis infinita, excludens essentialiter à men-

te Divinâ omnem Falsitatem, & errorem. Aliis etiam acceptionibus tribuitur Deo Veritas in Sacrâ Scripturâ. Cæterùm Veritas præcisè formalis circà obiecta creata, licet secundùm rectum sit perfectio Dei, & ipse Deus; tamen adæquatè sumpta prout involvit rectum & obliquum, non est Attributum, nec appellatio Dei; quis enim dicat, *Deus est Conformitas actus cum obiecto?*

15 *Ad* 3. Error, seu Falsitas radicalis (ideſt, fallibilitas potentiæ, seu capacitas, aut proclivitas errandi) est physica imperfectio mentis; formalis autem, non nisi arguitivè, & causaliter; aut etiam moraliter, quatenùs mens cum Falsitate, quàm cum Veritate, deteriùs se habet in æstimatione prudentum. Hoc sufficit, vt Falsitas omninò repugnet in mente Divinâ, maximè cùm argueret defectum Veritatis radicalis infinitæ, ideſt, Infallibilitatis omnimodæ, quæ est Attributum Dei. Sufficit item, vt non liceat mentiri, nec alios decipere, maximè propter humanum commercium, quod in bonis de lineâ morali præcipuè consistit. Sufficit denique, vt habitus errandi sit imperfectio & vitium Intellectus: est enim quædam potentiæ Falsitas radicalis.

16 Sed quædam hìc advertito. 1.: habitus, qui dicuntur *Virtutes intellectuales* (de quibus vid. tract. 1. disp. 1. cap. 8.), propriè perficiunt intellectum, non præcisè propter formalem Veritatem suorũ actuum, sed propter vim & exigentiam producendi iudicia certa, atque adeò radicaliter vera. 2.: nullus habitus dicitur *vitium Intellectus*, nec propriè *habitus errandi*, nisi qui de se inclinat in actus, vel semper, vel plerumque falsos ex perversitate motivi; cuiusmodi est habitus assentiendi conclusionibus prout sophisticè deductis, aut existimandi perperàm in materiâ Religionis, vel aliàs necessariâ, v. g. putandi plures esse Deos, aut Solem esse terrâ minorem, vel etiam temerè iudicandi de contingentibus ex motivo leviſſimo. Habitus isti sunt intrinsecè vitiosi. Tum quia pariunt actus radicaliter falsos, quales dici possunt, qui nituntur motivo irrationabili, ex quo redduntur intrinsecè connexi cum Falsitate, vel saltem vsque adeò fallibiles, vt si aliquando contingat Veritas (vt interdùm in iudicio temerario), sit omninò per accidens, & præter, aut contrà indolem motivi. Tum quia, licet actus in se non forent radicaliter falsi; tamen habitus inclinans ad iudicandum ex motivo irrationabili, foret intrinsecè vitiosus: quemadmodùm intrinsecè vitiosa est consuetudo externè mentiendi, quamvis effectus illius non sit vitium intrinsecum. 3. denique: habitus probabiliter iudicandi de rebus, præsertim contingentibus, videlicet ex motivo gravi, & rationabili, non tamen certo, qui dicitur *habitus opinativus*, ita est quædam perfectio physica Intellectus, vt nec sit perfectio per modum *Virtutis intellectualis*, nec imperfectio per modum *Vitij*; quamvis moraliter denominari possit, nunc perfectus, nunc imperfectus, à Veritate, vel Falsitate, quæ suis actibus contingat.

17 *Ad* 4. Intellectus appetit quidem innatè Veritatem radicalem, qualis inest actibus scientificis, & hoc sensu innatè appetit *scire*: sed, quod etiam innatè appetat Veri-

ri-

tatem formalem, tamquam terminum immediatum appetitus, incertum est: potest enim dici, quod eam elicitè appetit ex inclinatione naturali, ita vt naturalis inclinatio, quæ est appetitus innatus, terminetur ad appetitum elicitum, & hic ad Veritatem formalem. Præterea, quamvis admittatur appetitus in Obiectione intentus, tantùm probat, Veritatem esse bonum hominis extrinsecum, moraliter æstimabile. Appetitus innatus aliarum rerum non fertur, nisi in bonum intrinsecum: at appetitus innatus Creaturæ rationalis fertur etiam in bona extrinseca, & moraliter dumtaxat æstimabilia. Sic homo dicitur innatè appetere honorem, gloriam, famam, commercium, societatem, amicitiam; quæ omnia sunt bona extrinseca, quibus homo non redditur melior, aut deterior, nisi arguitivè, causaliter, aut moraliter. Nec aliter discurrendum de odio, seu fugâ innatâ Falsitatis.

18 *Obiic. 5.*: saltem actus ab intrinseco verus, v.g. actus Fidei supernaturalis, secum adæquatè identificat Veritatem formalem. *Prob.*: actus Fidei per id constituitur formaliter verus, per quod repugnat Falsitati formali; sed huic repugnat per suam essentiam: ergo per suam essentiam constituitur formaliter verus. *Instò*: ignis per id constituitur formaliter calidus, per quod repugnat frigori; sed huic repugnat per suam substantiam: ergo per suam substantiam constituitur formaliter calidus, & non per calorem superadditum. Deinde *dist. Mai.*: per quod repugnat immediatè & formaliter, *conc.*; per quod repugnat solùm mediatè & radicaliter, *neg. Mai.*. Tum *dist. Min.*: Falsitati repugnat per suam essentiam immediatè & formaliter, *neg.*; solùm mediatè & radicaliter, quatenùs essentialiter exigit Veritatem formalem immediatè oppositam Falsitati, *conc. Min. & neg. Consq.*. Sed *repl.* ex Hurtad.: qui clarè cognosceret actum Fidei, cognosceret in eo mysterium revelatum: ergo talis actus per se ipsum est conformis obiecto. *Resp.*. Ad id sufficit, quod talis actus intrinsecè connectatur cum mysterio; quæ connexio solùm est veritas radicalis. Et *instò*: qui comprehendit Solem, in eo vel ex eo cognoscit Deum existere: ergo Sol per se ipsum est coexistens Deo.

19 *Obiic. 6.* maximè pro sententia Patris Hurtado: hic actus, *Lapis existit*, per se ipsum repræsentat obiectum sicuti est, non enim ab obiecto iuvatur ad illud repræsentandum sicuti est, alioquin obiectum partialiter repræsentaret se: ergo talis actus per se ipsum, & non per obiectum, constituitur formaliter verus. *Instò* contrà P. Hurtado in relatione maioritatis; nam pariter sequitur, quod gigas per se ipsum est maior pygmæo, nec ab eo iuvatur, vt sit maior, alioqui pygmæus esset partialiter maior se. Itaque *neg. Antec.* intellectum cum exclusione obiecti: nam hoc totum, *repræsentare obiectum sicuti est*, non importat nudam repræsentationem, sed insuper addit correspondentiam obiecti secundùm suum esse physicum; aliter non dabitur verificativum illius additi, *sicuti est*. Nec inde sequitur, quod obiectum partialiter repræsentet se: quia non adiuvat actum ad repræsentandum vtcumque, sed ad repræsentandum conformiter ad obiectum, constituendo scilicet conformitatem re-

præsentationis, non *vt quod*, sed *vt quo*.

20 *Obijc.* vltimò pro eâdem sententiâ. Hæc enuntiatio, *Petrus currit*, non potest mutare obiectum, nec sine obiecto existere; sed eius obiectum est Petrus re ipsâ currens, sive cursus vt actu conveniens Petro: ergo non potest existere, quin Petrus re ipsâ currat, & consequenter nequit existere, quin vera sit. *Insto* in propositione vocali, quæ pariter mutare nequit obiectum stante eâdem institutione. Item in hoc iudicio fallo, *Petrus re ipsa currit*, quod pro obiecto habet Petrum re ipsâ currentem, & tamen potest existere, quin Petrus re ipsâ currat. Quod propositio falsò dicens, Petrum currere, idem habeat obiectum, ac propositio verè dicens, Petrum currere, satis probatum est cap. præcedent. num. 14., nec diffitetur P. Hurtado disp. cit. à §. 54. ad 57.

21 Dices forsan: propositio falsa pro obiecto habet cursum Petri fictum, sive ens rationis: tum quia repræsentat cursum aliter ac est in se: tum quia cursus Petri non existens, tantùm habet esse obiectivè in Intellectu, qui est character entis rationis. Sed *contrà* est, quod ideò propositio est falsa, quia deficit verus & realis cursus Petri: hoc igitur est obiectum illius; nulla quippè propositio falsificatur nisi per defectum proprij obiecti. Quapropter, vt obiectum dicatur fictum, & ens rationis, non sufficit quod repræsentetur aliter ac est in se quoad existentiam, nisi etiam repræsentetur aliter ac est in se quoad essentiam, ita vt concipiatur essentia quædam impossibilis existere, seu chymerica. Nec verum est, quod Petri cursus, dum non existit, habeat esse purè obiectivè in Intellectu; nam hoc solùm verificatur de obiecto intrinsecè repugnanti, quod in se nec est, nec esse potest. Quod autem non repugnat, insuper habet esse in statu possibilitatis, sive in virtute & potentiâ causæ; sicut obiectum huius actus, *Alter Mundus est possibilis*, quod proinde non est ens rationis.

22 Itaque ad *obiect. dist. Mai.*: non potest mutare obiectum *significatè*, ideſt, mutatione cadente in significationem, seu repræsentationem actus, *conc.*; propositio enim semel significans, Petrum currere, nunquam potest significare, Petrum sedere: non potest mutare obiectum *exercitè*, ideſt, mutatione cadente in existentiam physicam obiecti, *neg. Mai.*; non enim connectitur cum eo quod obiectum se habeat in re sicut enuntiatur. Tum *concess. min.*, *neg. Consq.*: quamvis enim Petrus re ipsâ non currat, potest propositio significare quod re ipsâ currit. Tunc autem non manet sine obiecto signatè sumpto, nec sine obiecto in esse obiecti, quia non manet sine repræsentatione, quam habebat, & per quam constituitur obiectum in esse obiecti: manet tamen sine obiecto sumpto exercitè, specificativè, in esse entis, ideſt, secundùm existentiam physicè exercitam, quæ adæquatè distinguitur ab actu: nam hoc sensu omnis propositio falsa manet sine obiecto, & ideò est falsa.

23 *Replic.* 1.: illa propositio non habet pro obiecto cursum Petri signatè sumptum (alioquin se ipsam pro obiecto haberet), sed sumptum exercitè, specificativè, & in esse entis: dum ergo Petrus exercitè non currit, propositio penitùs caret obiecto. *Replic.* 2.: propositio vera verificatur per suum obiectum, & fal-

sa

ita falsificatur per suum: ergo si altera potest existere sine suo verificativo, & altera sine suo falsificativo, poterit vtraque sine obiecto existere.

24 *Resp.* Ad 1. *dist. Antec.*: sed habet pro obiecto cursum Petri sumptum exercitè &c., repræsentando illum quasi ita se habentem à parte rei, *conc.*; exigendo, vel inferendo quod ita se habeat, *neg. Antec.*: & *dist. Conseq.*: penitùs caret obiecto se habente sicut repræsentatur, *conc.*: aliter se habente à parte rei, *neg. Conseq.* Cùm dicitur, nullam esse propositionem sine obiecto, non est sensus, quod obiectum debeat esse aliquid existens à parte rei, alioquin propositiones de obiecto præterito, futuro, aut possibili, non haberent obiectum; imò nec debet esse aliquid possibile, alioquin cognitio de ente rationis foret cognitio sine obiecto. Sensus igitur est, quod omnis propositio, sive cognitio, debet esse repræsentatio alicuius rei, vel existentis, vel possibilis, vel chymericæ. At hoc sensu nunquam obiecto carere potest propositio, quâ de loquimur. *Ad* 2.: concedo Antecedens benè intellectum, nempè vt verificativum sit obiectum prout ita se habens sicut enuntiatur, falsificativum autem, prout non ita se habens. Unde in Consequenti concedo, quod vtraque propositio potest existere sine obiecto, prout verificante, vel falsificante; nego tamen, quod ita possit existere sine obiecto, vt nullius obiecti repræsentatio sit, iuxtà nuper dicta.

## CAP. III.

### *Vtrùm Propositio aliqua semel vera possit abire in falsam?*

1 PRæfixa quæstio instituitur circà propositionem de materiâ contingenti, mentalem, naturalem, & inevidentem: vtque disputationi sit locus, ab omnibus hìc supponitur 1., propositionem eiusmodi, non essentialiter, sed contingenter veram esse, iuxtà dicta cap. 1. §. 2. Nec est idem esse veram contingenter, ac mutabiliter; nam licèt in primâ sui productione potuerit non esse vera, quæstio superest, an Veritatem semel habitam possit exuere? Supponitur 2., propositionem eamdem posse in Intellectu conservari per aliquot instantia temporis, quæ instantia vocentur A, B, C, D, &c. Quibus suppositis, dubitatur, an propositio vera v. g. in A, possit eadem reddi falsa in B? Negativam sententiam tenent, & subtiliter promovent PP. Hurtado, Arriaga, Oviedo, Alphonsus, Lynce, Comprom, & alij, consentientibus exteris haud paucis, quos citat, & sequitur Servera. Affirmativa tamen longè celebrior, ac verior est, eamque tenent Thomistæ & Scotistæ communiter, & è Nostris cum Eximio Doctore disp. 8. Metaph. sect. 2. PP. Conimbric., Amicus, Rubius, Quiros, Mauri, Joan. Bapt. de Benedictis, & alij quàm plurimi.

2 *Prob.* 1. auctoritate Aristotelis, ac D. Thomæ. Nam ille *cap. de subst.* sic ait: *Eadem oratio vera, & falsa videtur esse, veluti si vera sit oratio sedere quempiam, eo surgente, eadem falsa erit.* Quem locum citat, & approbat D. Thomas 1. p. q. 14. ar. 15. ad 3., vbi quamdam opinionem reijciens ab absurdo, *Sequeretur*, inquit, *quod propositio, quæ semel est vera, esset semper vera; quod est contrà Philosophum, qui dicit, quod hæc oratio, Sortes sedet, vera est eo sedente, & eadem falsa est eo surgente.* Nec licèt hæc interpretari de oratione vocali,

vt quidam faciunt. Nam Philosophus loquitur ibi de oratione, quæ permanet: *Oratio*, inquit, *& opinio ipsæ quidem immobiles perseverant: cùm verò res movetur, contraria circa ipsas fiunt.* At vocalis oratio fluxa & successiva est. D. Thomas autem q. 16. de Verit. art. 6. ex professo probat, quod propositio mentalis vera mutari potest in falsam. *Veritas*, inquit, *est adæquatio rei & intellectus:.. Et quia ab vno æqualium si aliquid tollatur, & nihil à reliquo,.. necesse est inæqualitatem provenire, quæ se habet ad falsitatem sicut æqualitas ad veritatem; inde est, quod si, intellectu verò existente, mutetur res non mutato intellectu,.. provenit falsitas; & sic erit mutatio de veritate in falsitatem.*

3 *Prob.* 2. ratione: propositio, *Petrus currit*, vera in instanti A, si conservetur in B, in quo Petrus iam non currit, redditur falsa: ergo potest de verâ in falsam abire. *Prob. Antec.*: illa propositio, quandocumque existit, enuntiat Petrum currere de præsenti; sed in instanti B falsum est Petrum currere de præsenti: ergo &c.. Dicunt Adversarij, per illâ propositionem enuntiari cursum Petri præsentem, non quidem præsentem pro instanti B, sed præsentem pro solo instanti A, in quo propositio fuit primò producta, & in quo supponitur extitisse cursum Petri. Sed redit probatio nostra: propositio illa non enuntiat cursum Petri de præterito, sed absolutè de præsenti, non dicit Petrum cucurrisse, sed currere: at enuntiare in instanti B cursum vt præsentem pro solo instanti A, non est absolutè enuntiare cursum de præsenti, sed de præterito, cum instans A non sit præsens in B, sed iam præteritum; & consequenter non est dicere quod Petrus currit, sed quod cucurrit: ergo dicta propositio non enuntiat cursum præsentem pro solo instanti A, sed præsentem pro instanti, in quo ipsa inventur, sive sit A, sive B. Urgetur: in B falsum est dicere, *Instans A est præsens*: ergo pariter falsum est dicere in B, *Petrus currit de præsenti*, si cursus non est præsens nisi pro A.

4 Propter hæc P. Arriaga disput. 14. Logic. sect. 2. subsect. 1., quem Adversarij communiter imitari videntur, monet intrepidè, quod *esse de præsenti, præterito*, aut *futuro*, non sunt differentiæ intrinsecæ propositionum mentalium Intellectus nostri, sed denominationes extrinsecæ, quæ proveniunt à variatione instantium, & quæ variari possunt, quin varietur entitas, aut repræsentatio cognitionis. Addit exemplum scientiæ Diuinæ de creaturis existentibus, quæ invariata permanet, sive creaturæ actu existant, sive extiterint, sive extituræ sint. Hinc sequitur, quod propositio, *Petrus currit*, producta in A, tunc est de præsenti; sed conservata in B, iam non est de præsenti, sed de præterito, idque sine intrinsecâ sui variatione. Verùm hæc doctrina, quæ multis videtur absona, & contrà communem sensum, *rejicitur* 1. auctoritate SS. Augustini & Thomæ.

5 Nam Magnus Augustinus *Lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 21. ex professo probat differimen inter scientiam Dei & cognitionem humanam ex capite variationis temporum: *Non enim*, inquit, *more nostro Deus, vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit, vel quod præteritum est respicit: sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longè latèque diverso.* Et post alia: *Quoniam non sicut nostra, ita & eius quo-*

*quoque scientia trium temporũ, præsentis videlicet, & præteriti, vel futuri, varietate mutatur.* Nostra ergo cognitio non est hac in parte similis scientiæ Dei, vt vult Arriaga; sed ex intrinseco modo tendendi consignificat vnam ex illis tribus differentijs temporum præ alijs; alioqui non mutaretur ex temporum varietate. Hanc eamdem intrinsecam diversitatem modi tendendi & significandi docet expressissimè D. Thomas multis in locis, v.g. 1.p. q.16. art. 8. ad 4., & Quodlib.4. art.17. c., & q. 1. de Verit art. 5. c., & ibi art. 6. ad 6. Legendus præsertim articulus ille 5. quæstionis 1. de Verit., vbi S. Doct: accuratè docet, in Intellectu nostro diversificari Veritatem dupliciter: *Uno modo*, inquit, *propter diversitatem cognitorum: alio modo ex diverso modo intelligendi; cursus enim Socratis est res vna; sed Anima diversimode intelligit cursum Socratis, vt præsentem, præteritum, & futurum; & secundùm hoc diversas conceptiones formar*, &c. Et statim explicat ibidem, cur non eadem ratio militet in cognitione Divinâ.

6 *Reijc.* 2.: quia Intellectus manifestè experitur, se diverso modo tendere, cùm ita iudicat, *Petrus est*, quàm cùm ita, *Petrus fuit*, vel *erit*. Et alioquin nunquam sciremus pro quo tempore iudicamus aliquid existere, quia non discernimus taleitates instantium, & aliunde iudicium præscindit, vt vultis, à differentijs temporis, præsentis, præteriti, & futuri. Consequenter, qui videt Petrum sedentem, nesciet, an hoc iudicium, *Petrus currit*, verum sit, nec nè? quia non discernit pro quo instanti affirmet cursum Petri, & si affirmat pro instanti iam præterito, vel futuro, fortasse verum est. *Reijc.* 3.: qui res diversis vocibus explicantur iudicia de præsenti, ac de præterito: ex vocibus autem colligimus diversitatem conceptuum. Urgetur: qui Petrum videt non currentem, si vocaliter dicat, *Petrus currit*, absque dubio mentitur: sed mentiri est *contrà mentem ire*: ergo illa propositio vocalis est contraria iudicio mentali tunc existenti. Cur autem est contraria, nisi quia illi respondet iudicium oppositum huic, *Petrus non currit*? Igitur illi respondet iudicium intrinsecè diversum ab eo, quod explicatur his vocibus, *Petrus cucurrit*, aut his, *Petrus curret*; quod enim sic explicatur, non opponitur iudicio tunc existenti, & idcircò voces istæ sine mendacio tunc proferri possunt.

7 *Reijc.* 4.: hæc iudicia, *Generale diluvium extitit in aliquo tempore*, *Generale diluvium exist et in aliquo tempore*, vel intrinsecè differunt ex modo tendendi, vel non? Si primum; habemus intentum, scilicet iudicia nostra intrinsecè non præscindere à trinâ temporum varietate; non enim diversitas modi tendendi potest ab unde provenire, cum illa iudicia omninò conveniant in obiecto. Si secundùm; absurdè sequitur, vtrumque verum esse nunc: ex iudicijs enim, quæ nec differunt in obiecto, nec in modo tendendi, nequit alterum præ altero verum esse. Urgetur: illæ tendentiæ, *extitit*, *existet*, vel contrahunt tempus ad præteritum præ futuro, & è converso? vel non contrahunt? Si contrahunt: ergo differunt ex modo significandi. Si non contrahunt: ergo fiunt, illam particulam *in aliquo tempore* vagari per omnia tempora possibilia; atque ita non magis primum, quàm secundum iudicium verificabitur. Idem argumentum fieri

potest in his, *Antichristus existet in aliquo instanti ex possibilibus*, *Antichristus existit* (vel etiam, *extitit*) *in aliquo instanti ex possibilibus.*

8 *Probatur* 2. vera sententia, simulque reijcitur adhuc doctrina Contrariorum. Propositio, *Petrus currit*, in primis non affirmat cursum Petri pro omni tempore collectivè, vt est evidens. Deinde, nec pro omni tempore disiunctivè, factâ disiunctione inter præteritum, præsens, & futurum, vt etiam est evidens: tum quia contradictoria, *Petrus non currit*, non negat cursum pro omni tempore collectivè: tum quia redderet hunc sensum, *Petrus aut currit, aut cucurrit, aut curret*, atque ita nulla propositio contingens, esset quoad nos vera, nec falsa, cum ignoremus præsertim futura; & præterea sequeretur, veras esse nunc propositiones istas, *Diabolus est sanctus*, *Petrus Apostolus peccat lethaliter*, & alias æquè dissonas, & erroneas. Denique, nec affirmat cursum Petri pro instanti determinato, v. g. pro A: superest ergo, vt cursum affirmet pro tempore præsenti indefinitè sumpto, iuxtà dicenda cap. seq. Probatur hoc vltimum Antecedens 1.: quia conceptus hic, *tempus præsens*, non significat tempus vt contractum ad instans A; facit enim Vniversale, & est verificabilis successivè de quolibet instanti: sed illa propositio non minùs confusè & indefinitè designat tempus præsens, vt patet: ergo neque illud contrahit ad instans A.

9 2.: quia posset alioquin iudicium illud, *Petrus currit*, in eodem Intellectu coniungi cum hoc iudicio evidenti, *Petrus non currit*, si nimirùm conservetur in instanti B, in quo iam Intellectus ad conspectum Petri sedentis iudicat, illum non currere. Sequela patet: quia iudicia ista non pugnant, si de diversis instantibus loquuntur. Vnde Intellectus in instanti B iudicaret absolutè, Petrum currere, & non currere: absolutè, inquam; nam restrictio ad instans A, quam ponitis in iudicio affirmante, adeò est implicita, & occulta, vt non discernatur, nec innotescat Intellectui. Posset etiam quis in conspectu Solis plenissimè radiantis conservare iudicium hoc ante Auroram elicitum, *Nondum ortus est Sol.* Hæc autem, & similia, quæ inde sequuntur, satis apparent absona, & incredibilia.

10 *Probatur* denique nostra sententia, retorquendo exemplum, quo passim armantur Adversarij. Hæc propositio, *Petrus existit in instanti A*, quamvis expressè designet instans A, & in eo sit vera, si conservetur in B, redditur falsa: ergo determinatio instantis, sive implicita, sive explicita, nihil iuvat contrariam sententiam. *Prob. Antec.*: illa propositio non solùm affirmat existentiam Petri in A, sed simul significat, ipsum instans A esse absolutè præsens: at instans A non est, nec esse potest absolutè præsens in B, in quo iam est absolutè præteritum: ergo talis propositio, existens in B, falsum significat. *Prob. Mai.*: hæc propositio, *Petrus existet in instanti A*, significat, instans A esse absolutè futurum, & hæc, *Petrus extitit in instanti A*, tale instans esse absolutè præteritum; sed eadem est ratio de propositione prædictâ relatè ad tempus præsens: ergo &c. *Maior* constat: nam alioquin verè nunc dici posset, *Antichristus extitit propè finem Mundi*, *Adamus existet in exordio Mundi*: non enim est, vnde propositiones istæ nunc falsificentur, nisi quia altera denotat, finem Mundi esse præteritum; altera,

exor-

exordium Mundi esse futurum.

11 *Dices*: propositio de præsenti ad sui Veritatem non exigit, vt tempus, pro quo affirmat obiectum, sit præsens quamdiù propositio conservatur, sed solùm vt sit præsens tunc, cùm ipsa primò producitur. Quare, si semel est vera, quia datur obiectum in tempore tunc præsenti, semper vera manet, licèt posteà conservetur quando iam tale tempus est præteritum. Sic veræ sunt adhuc plures propositiones Sacræ Paginæ, quæ de futuro, vel de præsenti loquuntur, quamvis earum obiectum iàm modò non sit futurum, nec præsens: v.g. illa Isaiæ, *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*, & illa Christi Domini, *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Similiter, si propositio de præsenti semel est falsa, vel quia non datur obiectum in instanti designato, vel quia tale instans non est præsens ipsi vt primò productæ, quamvis posteà fiat præsens ipsi vt conservatæ, semper falsa manet. Idem cum proportione valet in propositionibus de præterito, & futuro. Quo fit, vt illæ num. præced. circà existentiam Adami, & Antichristi, nunc falsificentur, quia respectu huius temporis, quo primò producuntur, nec exordium Mundi est futurum, nec finis Mundi est præteritus.

12 Verùm hæc solutio in primis incurrit vitium, quod nobis obiici solet, nempè quod propositio reflectatur in se: hæc enim, *Petrus currit*, reddet hunc sensum, *Petrus currit in tempore, quod mihi vt primò productæ præsens est*. Deinde ex eâ doctrinâ promoveur efficaciter nostra sententia sic: propositio, *Petrus existit in A*, vel essentialiter exigit primò produci in ipso instanti A? vel est indifferens, vt producatur ante, vel post? Primum dici non potest iuxta suppositionem facti num. 1., ab omnibus admissam in Quæstione præsenti, nempè quod eadem propositio conservari possit per plura instantia: si enim potest conservari in B, vel in C, cur non & primò producit? Certè instans, vt physicè existens, est penitùs extrinsecum propositioni mentali, nullumque in illam præstat influxum: & aliunde propositio non est modaliter alligata ad illud instans in existendo, licèt alligata sit in significando, alioquin sine illo conservari non posset, sicut nec vnio sine extremis, nec actio sine termino.

13 Si autem dicatur secundum, vt re ipsà dicitur à multis Authoribus contrariæ sententiæ: ergo propositio, *Petrus existit in A*, si primò producatur in B, significat, instans A esse præsens in B; & primò producta in C, significabit, instans A esse præsens in C; & sic de reliquis. Illa similiter, quæ non designat instans, vt *Petrus existit*, affirmabit existentiam Petri in tempore, quo ipsa producitur, sive sit A, sive B, sive C. Est igitur secundùm se indifferens, vt significet, obiectum esse præsens, nunc vni, nunc alij instanti; quoniam, vt dictis, deb. significare, obiectum esse præsens respectu instantis, in quo ipsa primò producitur; & aliunde secundùm se indifferens est, vt primò producatur in varijs instantibus. At, si hoc ita est, manifestè ruit præcipuum, aut vnicum fundamentum sententiæ contrariæ, sumptum scilicet ex eo, quod propositio mentalis nequit non significare semper, quod semel significat, ne alioquin successivè mutet significationem, & obiectum. Nam eodem iure verum est, quod pro-

propositio eadem non potest significationem mutare divisivè, significando scilicet aliud, aut aliter, si producatur in vno tempore, quàm si producatur in alio. Si ergo mutationem istam admittunt Aduersarij, omninò se se exarmant.

14 *Confirmatur*: hæc propositio, *Exiſtit instans A*, quam suppono elicitam in ipso instanti A, vel ex se potest primò produci in alio instanti? vel non? Hoc secundum si dicas, *contrà* est, quod talis propositio non est necessaria, sed contingens; non enim minùs contingens est, existere instans A, quàm existere Petrum; discrimen autem inter propositiones necessariam, contingentem, & impossibilem, desumitur ex materiâ *circà quam*, vt ex Summulis notum est. At, si essentialiter posceret primò produci in A, necessaria foret, & eius contradictoria impossibilis: nam, dum producitur, necessariò est vera; implicat enim, quod in ipso A non verè dicatur, *Exiſtit instans A*: postea verò, quamvis conservetur in æternum, iam non potest exuere Veritatem iuxtà Aduersarios. Unde sequitur, quod circà existentiam instantis A, nulla potest in quocumque tempore formari propositio de præsenti, quæ non sit necessariò vera, vel necessario falsa, sive affirmet, sive neget; vt patebit consideranti.

15 Si autem dicatur primum: ergo propositio illa transire potest de verâ in falsam. *Prob. Conseq.*: conservata in B, significat, instans A existere in B: sed hæc significatio est manifestè falsa: ergo &c. *Prob. Mai.*: illa propositio idem & eodem modo significat conservata in B, quod significaret, si primò produceretur in B; sed tunc significaret, instans A esse existens, & præsens in B, si vera est solutio num. 11.: ergo &c. Cætera constant, & Maior est innegabilis; quia significatio, & modus significandi est essentialis propositioni mentali, atque adeò prorsùs invariabilis in quocumque tempore conservetur, aut producatur, nisi varietur essentia actus. Eâdem ratione poterit illa propositio transire de falsâ in veram, si nimirùm producatur antè instans A, & in illo deinde conservetur.

16 Nec vrgent exempla Sacræ Paginæ obiecta num. 11. Nam illæ sunt propositiones scriptæ, quæ, sicut & vocales, pro mensurâ & regulâ significandi respiciunt iudicia mentalia, ideòque non aliud, nec pro alio tempore significant, quàm iudicia, pro quibus substituuntur. Cum autem propositiones Sacræ Paginæ ex intentione hominum & Dei substituantur, non pro iudicijs nunc existentibus, sed pro existentibus olim in mente Prophetarum, ad illud tempus antiquum suam significationem retrotrahunt, & inde suam derivant Veritatem. Aliud est in iudicijs mentalibus, quibus essentialis est modus significandi cum tempore, nec possunt ad placitum in varia tempora referri. Unde iudicia supernaturalia Prophetarum, nisi à nostris differant in modo tendendi, non possent etiam Diuinitùs conservari vsque ad tempus, quo iam obiectum desijt esse futurum; sicut nec possent conservari nunc actus Fidei, quibus olim Apostoli credebant, Christum esse præsentem in carne mortali. Quia tales actus, vtpotè ab intrinseco & essentialiter veri, nequeunt existere, quando iam obiectum non ita se habet, sicut enuntiatur.

Nec

17 Nec tamen negamus, dari posse actus mentis creatæ habentes modum tendendi absolutum à temporum differentijs instar scientiæ Divinæ, vt intuitus, quèis Beati futura vident in Verbo, & actus scientiæ per se infusæ, præsertim animæ Christi Domini. Cæterùm de his non est quæstio præsens, sed de actibus naturalibus, & contingenter veris, quos intrinsecè variari pro varietate temporum, auctoritate & ratione probavimus.

## CAP. IV.

### *Diruitur fundamentum contrariæ sententiæ.*

1 QUi sententiam contrariam tenent, hoc vno fundamento, quod variè promovent, innituntur. Ut propositio, *Petrus currit*, sit vera, debet obiectum eius existere toto tempore importato per copulam, seu verbum, eo modo, quo importatur; idest, debet Petrus currere toto tempore, pro quo illum currere affirmat propositio: vt autem sit falsa, debet Petrus non currere in aliquâ saltem parte illius temporis. At si semel Petrus supponitur currens toto illo tempore, iam non potest in aliquâ illius temporis parte non currere, vt est evidens: ergo si dicta propositio semel est vera, iam non potest vnquam esse falsa. Explicatur, & vrgetur: illa propositio, vel significat, Petrum currere in omni instanti, vel in vno determinato, v.g. in A, vel in aliquo instanti disiunctivè? Quocũque autẽ ex his modis significet, nequit trãsire de verâ in falsam; nam ad hunc transitum opus est, vt Petrus in omni instanti currens, in aliquo non currat, vel currens in A, in eodem non currat, vel currens in aliquo, in nullo currat: quod est implicatorium, & contradictione plenum.

2 Vt obiectio solvatur, explicandus est modus, quo propositio de præsenti consignificat tempus. Propositio, *Petrus currit*, determinat quidem tempus præsens præ futuro & præterito, sed illud significat indefinito modo quantum ad instantia particularia, ita scilicet præscindendo à taleitatibus eorum, vt ex se permittat, rationem temporis præsentis contrahi de facto sive per instans A, sive per B, &c. Quare in ordine ad instantia dici potest æquivalenter disiunctiva; quia solùm petit ad sui Veritatem, Petrum currere in eo instanti, quod actu est præsens, quodcumque illud sit. Unde reddit æquivalenter hunc sensum, *Aliquod instans est præsens, sive A, sive B, sive aliud, & in eo Petrus currit.* Hinc fit 1., vt talis propositio non possit exponi sic, *Petrus currit in aliquo instanti, quod fuit, est, vel erit*; hoc enim esset disiunctivè tendere in tempus præsens, præteritum, & futurum: illa verò essentialiter significat tempus præsens, quod à præterito, & futuro discernit.

3 Fit 2., vt illa significatio temporis præsentis possit verificari successivè per varia instantia, prout quodlibet eorum fuerit actu præsens, dum ipsa existit: nam in prædicatione contingenti significatio indefinita rationis communis participabilis per varia individua, verificari potest modò per vnum, modò per aliud; vt patet in hac, *Homo currit*, quæ modò per Petrum, modò per Paulum, modò per aliũm quemlibet est verificabilis: vel, vt aiunt,

alium, modò *supponit* pro vno, modò pro alio. Ubi nota, verbum *supponere* nunc accipi iuxta Suppositionis explicationem, quæ à Thomistis traditur in Summulis, ita scilicet, *Accentio termini pro eo, de quo verificatur*: vbi secundo est de verificatione, non totius enuntiationis, sed termini, quem verificari dicunt, quando accipitur pro re existente in tempore importato per copulam. Unde, cum in re nostra hic terminus, *tempus præsens*, possit verificari successivè per varia instantia, fit, vt verbum *currit*, quatenùs importat tempus præsens, successivè supponat pro varijs instantibus.

4 Fit 3., vt dicta propositio, quamvis vera fuerit in A, possit esse falsa in B, in quo iam Petrus non currit: quia in B iam non supponit pro A, sicut antea, sed pro solo B; supponit enim pro eo instanti, de quo verificatur esse tempus præsens, dum ipsa propositio loquitur; & cum in B iam non sit præsens A, sed præteritum, definit pro illo supponere, & supponit pro B, quod actu est præsens, & in quo si Petrus non currit, falsò enuntiatur, illum currere tempore præsenti.

5 Jam ad *Obiect. dist. Maj.* debet obiectum existere toto tempore vtcumque importato per copulam, *neg.*; toto tempore, pro quo supponit significatio temporis præsentis, in quo propositio loquitur, *conc. Maj.*. Tum *dist. Min.*: iam non potest non currere in aliquâ parte illius temporis, pro quo supponit propositio, dum vera est, *conc.*; in alio tempore, pro quo successivè supponat propositio, vel significatio temporis præsentis, *neg. Min.*, & *Consq.*. Ad *Confirm.*: illa propositio expresè & formaliter nullo ex ijs modis significat, Petrum currere, sed tantum modo indefinitè designat tempus præsens, præscindendo ab eo, quod sit A, vel B. Nihilominùs concedo, quod virtualiter, seu æquivalenter significat illo modo vltimo, dummodò non verletur distinctio inter præsens, præteritum, & futurum, sed inter talitates instantium, simul exigendo absolutè, vt eorum aliquod sit præsens.

6 Æquivalet igitur huic tendentiæ, *Petrus currit in aliquo instanti*; quæ tendentia per ly *in aliquo instanti* disiunctivè attingit talitates omnium instantium; sed per verbum *currit*, prout sumptum, absolutè significat, aliquod eorum esse præsens, determinatur que vt nunquam supponat pro vllo instanti, quod forte fuerit præteritum, aut futurum. Hinc dicta propositio, currente Petro in A, vera est in A; quia tunc verificatur totum illud, *currit in aliquo instanti*, siquidem instans A est aliquod instans, & est tunc præsens: at eadem falsa est in B, Petro iam tunc non currente; quia Petrus iam in nullo instanti currit, quod sit præsens; solum enim B est præsens, & in hoc non currit: tunc ergo verbum *currit* falsificatur. Unde patet, quomodò sine contradictione salvetur, quod Petrus in aliquo instanti currat, & in nullo currat, ita scilicet, vt primum salvetur in A, secundum in B.

7 Verùm tota hæc solutio vehementer displicet Adversarijs eo, quod iuxtà illam propositio mutaret significationem & obiectum, siquidem modò significat Petrum currere pro instanti A, postea iam non significat pro A, sed pro B, & sic de reliquis. Hoc autem est propositionem

nem essentialiter variari; sicuti iuxtà nos variaretur, si modò significaret pro tempore præsenti, & posteà pro futuro, vel præterito. Sed in primis hæc difficultas æquè premit Adversarios, vt ostendimus cap. præced. à num. 13. ad 16.: nec doctrina ibi tradita num. 11., repudiari potest ab ipsis, nisi argumentum num. 10. maneat insolutum. Deinde, iuxtà multos è nostræ sententiæ patronis, non est absurdum, quod propositio mutet obiectum materiale, dummodò non sit attactum explicitè, & ex parte actus, sed dumtaxat implicitè, sive ex parte obiecti. Quâ de re multa producuntur exempla. Sic enim propositio, *Homo currit*, modò significat Petrum, modò alium, cùm possit verificari per quemlibet: hæc similiter, *Quotquot sunt in gymnasio scribunt*, ita significat eos, qui de facto sunt in gymnasio, vt eadem invariata significaret alios, etiam plures, vel pauciores, si essent inibi.

8 Sic etiam actus Voluntatis detestans omne prohibitum, & elicitus ante legem prohibentem ludere, tunc non detestatur ludum; & tamen si conservetur post legem, iam ludum detestatur. Sic denique, vt alia omittam, actus contritionis, quo quis ex generali motivo offensæ Dei summè dilecti dolet de peccatis omnibus à se commissis, quorum tamen non meminit tunc, nisi in communi; talis, inquam, actus ita est dolor de peccatis, quæ de facto commisit ille homo, vt absque intrinsecâ sui variatione foret dolor de aliis diversis, pluribus, aut paucioribus, si fuissent ab eodem homine commissa. Et tamen obiectum mutare tàm repugnat actibus Voluntatis, quàm Intellectus. Cum ergo propositio, *Petrus currit*, quando existit in A, solùm implicitè significet taleitatem instantis poterit conservata in B, loco taleitatis A significare taleitatem B, quia per illam tunc contrahitur tempus præsens, quod propositio significat explicitè: sicut in exemplis superis actus Voluntatis ea tantùm attingit obiecta materialia, in quibus de facto invenitur ratio *obiecti prohibiti*, vel *peccati commissi*, aliàs non attacturus eadem obiecta, sed alia. Et quidem ex contrariâ sententiâ sequitur mutatio difficilior: si enim propositio, *Petrus currit*, ex se indifferens est, vt significet nunc obiectum, quod fuit, nunc quod est, nunc quod erit, iam potest significationem de præsenti mutare in significationem de præterito, vel futuro; cum tamen significario temporis præsentis sit explicita & signata.

9 Postremò, si mutatio ista obiecti materialis, implicitè vel confusè tantùm attacti, videatur difficilis, vt reverà mihi videtur; facilè cum nostris Recentioribus negari potest, quòd propositio mutet obiectum in esse obiecti intrinsecè significati sive explicitè, sive implicitè: nam in quocumque instanti inveniatur, semper significat, aliquod instans esse præsens, & Petrum in eo currere: quo fit, vt semper exprimat tempus præsens præ futuro & præterito, semperque attingat ex parte obiecti taleitates omnium instantium possibilium, quatenùs potentium secundùm se participare rationem temporis præsentis; illas, inquam, attingat æquivalenter disiunctivè, denotando solum, aliquam earum actu coexistere ipsi propositioni, sive actu esse tempus præsens. Cum hoc tamen cohæret, quod propositio, quatenùs significat tem-

pus præsens, mutet verificativum, sive obiectum in esse verificativi; quia significatio temporis præsentis, quæ imbibitur in verbo *currit*, modò verificatur per instans A, modò per B, modò per aliud. Sic propositio, *Homo currit*, quin mutet significationem individuorum naturæ humanæ, mutare potest Verificativum, cum sit indifferens, vt verificetur sive per Petrum, sive per alium.

10 Unde in rigore falsa est illa locutio, *Propositio, dum existit in A, significat Petrum currere pro A, & postea hæc non significat pro A, sed pro B*: nam propositio semper significat idem, & eodem modo. Potest tamen ea locutio admitti, si vox *significat* sumatur minùs propriè, ita vt idem sonet, ac *supponit*, seu *verificatur quoad significationem temporis præsentis*. Quod explicari potest exemplo nuperè propositionis, *Homo currit*. Si quæras, cur, variato verificativo, non varietur significatio propositionis? Ratio est: quia significatio disiunctiva, vel formaliter, vel equivalenter (qualis est significatio indefinita, saltem intra prædicationem contingentem), indifferens est, vt verificetur per quodlibet membrum disiunctionis, quin ipsa determinet, quodnam sit. Quare determinatio membri verificantis oritur ab existentiâ obiecti, & est extrinseca propositioni, quæ de se contenta est membro quolibet, ac proinde invariata manet, quando membrorum existentia physicè mutatur, vt loco vnius succedat aliud in munere verificandi. Sed magis tota hæc doctrina clarescet, solvendo quæ replicant Aduersarij.

11 *Replic.* 1.: vt propositio disiunctiva non falsificetur, sufficit, quod existat vnum extremum, seu membrum disiunctionis, quamvis cætera non existant; nam idcircò hæc, *Aliquis homo currit*, vera fuit, etiamsi nullus homo præter Petrum curarat: sed propositio, *Petrus currit*, per nos æquivalenter disiunctivè significat instantia A, B, &c.: vt ergo non falsificetur, sufficit, quod existat cursus in instanti A, etsi non existat in reliquis. *Resp.* 1.: concedo totum; ex quo solùm sequitur, quod ea propositio non potest falsificari, quando existit cursus in instanti A. Sed nihilominùs falsificari potest in B; quia tunc, sicut non existit instans A, sed extitit, ita nec existit cursus in instanti A, sed extitit (vide dicta cap. præced. num. 10.); & cum in nullo alio nunc existat, siquidem nullum aliud est præsens præter B, in quo non est cursus sit, vt cursus iam in nullo membro disiunctionis existat. Sic, vt retorqueatur exemplum, propositio *Aliquis homo currit*, si conserverur, vel proferatur in B, in quo nullus homo currit, vtique falsificatur, quamvis Petrus cucurrerit in A: quia non dicit, aliquem hominem cucurrisse, sed currere.

12 *Resp.* 2.: claritatis gratiâ *dist. Maj.*: sufficit, quod existat &c., eo modo, quo existere affirmatur, *conc.*; alio modo, *neg. Maj.*. Tum *dist. Min.*: disiunctivè significat &c., simul affirmando, aliquod instans esse actu præsens, *conc.*; præscindendo à præsenti, præterito, vel futuro, *neg. Min.*. Demùm *dist. Consq.*: sufficit, quod existat cursus in instanti A, de præsenti, *conc.*; quod in eo instanti existat de præterito, vt reipsà evenit in instanti B, *neg. Consq.*. Et hìc iterum redit instantia, & retorsio nuper adducta. *Insistes*: illa pro-

po-

positio non determinat tempus: ergo verificatur per existentiam cursus in quolibet. *Dist. Antec.*: non determinat tempus, quoad differentiam præsentis præ futuro, & præterito, *neg.*; quoad talitatem instantis, *conc. Antec.* Deinde *dist. Consq.*: dummodò illud quodlibet sit præsens, *conc.*; si est præteritum, aut futurum, *neg. Consq.*. Sic illa, *Aliquis homo currit*, etsi non determinet cursum Petri præ alio, determinat tamen cursum alicuius hominis præsentem; ideòque non verificatur per futurum, aut præteritum.

13 *Replic.* 2.: ex instantibus A, B, C, aliud est præteritum, aliud est præsens, aliud est futurum, dum propositio conservatur in B: si ergo propositio æquivalenter disiunctivè significat illa instantia, nequit non disiunctivè significare præsens, præteritum, & futurum. *Concess. Antec. ad. dist. Consq.*: nequit non disiunctivè significare præteritum, & futurum, reduplicativè vt talia, *neg.*; specificativè sumpta, ita vt significatio præscindat ab statu præteritionis, aut futuritionis, & solùm attingat instantia quatenùs secundùm se possunt, aut possent esse actu præsentia, *conc. Consq.*. Insistes: quod est præteritum, iam non potest esse præsens. *Dist.*: reduplicativè vt præteritum, *conc.*; specificativè & secundùm se, *neg.*. Vel aliter *dist.*: iam non potest esse præsens, nec posset, attentâ exigentiâ propositionis, *neg.*; iam non potest, posset tamen, attentâ propositionis exigentiâ, *conc.*. Cum propositio sit ex se indifferens, vt existat in quolibet instanti possibili, non potest indefinitè significare tempus præsens sibi, quia æquivalenter disiunctivè significet instantia omnia possibilia; quia nullum est, cui illa ex se & in statu possibilitatis considerata non possit coexistere. Unde per accidens est respectu illius, quod, dum producitur, aut conservatur, inveniat iam præteritum instans A, & consequenter impotens iterùm existere: nam, cum ipsa potuerit anteà produci, quando adhuc poterat illud instans esse præsens, nunc ab eâ impotentiâ præscindit.

14 *Replic.* 3.: dicta propositio, dum existit in A, significat quantum potest, & capax est: vel ergo capax est significare cursum Petri pro instanti B? vel non? Si primum dicatur: ergo iam in A significabat cursum pro B: ergo iam erat falsa in A, si cursus non existit in B. Si secundum: ergo, dum conservatur in B, non significat Petri cursum pro B, ac proinde non falsificatur per carentiam cursus in B. Concesso Antecedenti, ad subiunctam interrogationem *resp.*: propositio est capax significare cursum pro A, pro B, & pro alio quovis instanti, atque ita de facto significat, dum existit in A, & vbilibet significatione tamen verificabili dumtaxat per illud instans, quod propositioni coexistit; quia est significatio æquivalenter disiunctiva, & aliunde non attingit instantia, nisi sub ratione *temporis præsentis*, quam affirmat contenti per aliquod eorum. Unde significatio ista, dum existit in A, nondùm est verificabilis per B, quippè quod nondùm est præsens: fiet tamen verificabilis, si conservetur in B, in quo proinde si Petrus non curret, affirmatio cursus falsa erit. Sic propositio, *Quotquot sunt in gymnasio scribunt*, disiunctivè significat omnes homines potentes esse in gymnasio (nisi velis, vt mutet significationem, quandò verificatur iamper

hos, iam per illos, divisivè saltem), & pro omnibus affirmat scriptionem; sed tamen ea significatio non est verificabilis, nisi per eos, qui de facto existunt in gymnasio; quia omnes attingit sub ratione *existentis in gymnasio*, quam supponit contrahi per aliquos.

15 *Replic.* 4.: vel propositio significat tempus præsens sibi, quando ipsa primùm existit? vel præsens sibi, quamdiù ipsa durat? Quocumque autem ex his modis, si semel est vera, nequit amittere Veritatem. *Resp.* Propositio ex intrinseco modo repræsentandi nec determinat tempus præsens ad primum instans suæ productionis, nec ad totum tempus suæ durationis: sed exprimit indefinitè tempus sibi existenti coexistens, sive in quo existit ipsa, præscindendo ab eo quod illud sit A, vel B, atque etiam ab eo quod ipsa existat conservata, vel primò producta. Cumque ipsa sit indifferens ad coexistendum variis temporibus, tum successivè, tum divisivè, remanet locus mutationi de verâ in falsam, aut è contrà. Nec inferas tamquam absurdum, quod propositio, *Petrus currit*, reflectitur suprà se, quandoquidem significat tempus ut sibi coexistens. Nam reflexio quædam indirecta, qualis est illa, satis communiter admittitur: tum in actibus Voluntatis, etiam primis; quia nemo vult, nisi quia vult velle: tum in actibus Intellectus; quia semetipsos notificant potentiæ. Nec tendentiæ propositionum de futuro, & præterito, si differunt intrinsecè, ut videtur evidens, explicari possunt absque reflexione quâdam in se: nam hæc, *Petrus curret*, sic debet exponi, *curret in tempore post me venturo*; & hæc, *Petrus cucurrit*, sic, *cucurrit in tempore, quod me præcessit.*

16 *Replic.* 5.: per nos propositio illa determinatè significat tempus præsens: ergo existens in A, determinatè significat instans A; quia tunc non aliud est tempus præsens. *Confirm.*: tempus præsens in A, est essentialiter ipsum instans A, nec ab eo realiter distinguitur: ergo propositio significans in A tempus præsens, nullum instans significat, nisi A. *Confirm. iterùm*: non potest significari ratio *temporis præsentis* ut communis pluribus; quia nunquam est possibile, nisi unicum instans actu præsens, cætera enim sunt præterita, vel futura: semper ergo significatur tempus præsens ut contractum ad unum instans individuum. *Resp. dist. Antecd.*: determinatè significat &c., determinatione discernente præsens à præterito, & futuro, *conc.*; determinatione discernente talem unum instantis ab alijs, *neg. Antecd.*, & *Conseq.* Nec obstat, quod in A non aliud sit tempus præsens, nisi ipsum A: hoc enim facit, ut propositio, quatenùs importat tempus, determinatè verificetur per A, non tamen ut illud determinatè significet. Sic propositio, *Homo existens currit*, determinat hominem præ leone, & alijs speciebus animalium, sed non determinat Paulum præ Joanne, & reliquis: &, si non alius esset homo existens, nisi Paulus, per illum determinatè verificaretur, sed non ideò determinatè significaret illum.

17 Prima *Confirmatio* instatur hoc eodem exemplo: nam dato quod solus Paulus nunc existat, iam homo existens est essentialiter ipse Paulus, nec ab eo realiter distinguitur; & tamen ille actus, *Homo existens currit*, non significat solum Paulum, sed indefinitè omnes homines, sup-

supponendo, aliquem existere. Sicut ergo respectu istius propositionis per accidens est, quod homo existens non distinguatur à Paulo; ita in casu nostro. Concedo itaque Antecedens: quia tempus præsens, est tempus actu existens; existentia autem non distinguitur realiter ab essentiâ, quamvis prout actu exercita non dicatur prædicatum essentiale. Sed nego Consequentiam: quia propositio, sicut non significat illud solummodò tempus, quod tunc est præsens, sed quasi disiunctivè omnia, quæ possunt, aut possent significationi coexistere, vel esse præsentia; ita non significat solum A, licèt pro illo solo tunc supponat. Ubi nota, quod tempori præsenti & instanti A non conveniunt contradictoria intentionalia: nam vtrumque discernitur à differentijs præteriti, & futuri; & vtrumque non discernitur à taleitatibus aliorum instantium.

18 Altera *Confirmatio* instatur pariter in conceptu, *homo existens*, qui significat rationem communem pluribus, etiamsi vnus tantùm homo existat. Si dicas, posse saltem existere plures simul, quod sufficit, vt abstrahatur ratio communis: dicam invicem, posse etiam existere plura instantia successivè, quod pariter sufficit, vt abstrahatur communis ratio *instantis existentis*, sive *præsentis*; non enim minùs propriè participant rationem *existentis* individua, quæ existunt successivè, quàm quæ simul existunt. Certè hæc apprehensio, *tempus præsens*, non minùs indefinita & confusa est, quàm ista, *tempus præteritum*, vel *tempus futurum*; sed istæ significant rationem communem pluribus: ergo & illa. Adde, quod propositio ista, *Papa existens est caput Ecclesiæ*, non significat illum dumtaxat Papam individuum, qui nunc existit, sed indefinitè omnes, cum posset verificari de quemlibet, si tempore illius conservaretur, aut produceretur: & tamen hic obiectivus conceptus, *Papa existens*, non est verè participabilis, nisi successivè, cum non possit simul existere duplex Papa. Idem cernitur in hac propositione, *Homo existit in loco A*, si supponamus, locum A non esse capacem, nisi vnius hominis, ac proinde posse plures admittere successivè tantùm.

19 *Replic.* tandem: saltem propositio, *Petrus currit in instanti A*, si semel est vera, nequit fieri falsa, cum non significet tempus præsens indefinitè, sed determinet taleitatem instantis: hoc autem admisso, nostræ sententiæ probationes infirmantur. Nego assumptum; quod à nonnullis nostræ sententiæ defensoribus minùs cautè conceditur. Imò ab illius propositionis exèplo validè firmatur nostra sententia, vt vidimus cap. præced.. Nec obstat, quod ea propositio per illud additum *in instanti A* designet taleitatem instantis; nam simul per verbum *currit*, formaliter aut æquivalenter distinctum, significat, instans A esse absolutè præsens, quæ significatio falsa est in B. Itaque verbum *currit* significat ibi tempus præsens cum eadem amplitudine, quam habet in propositione non designante instans; ac proinde indifferens est, vt supponat pro quolibet instanti, quod illi coexistat. Si opponas fortè simplicitatem iudicij, remittam te ad suprà dicta Tract. 2. disp. 2. cap. 7. & 8., cuius in num. 25. tolvitur difficultas non absimilis. Nunc adde perspicuum exemplum, & instantiam in propositionibus de præterito, &

futuro, quæ, licet designent instans A, simul significant, illud esse præteritum, aut futurum. Vid. cap. præced. num. 10.

20 Ad extremum observa: Propositio de præsenti potest mutari, tum de verâ in falsam, tum de falsâ in veram: similiter aliquę propositiones, quæ sunt de futuro, vel de præterito limitato; nam hæc, *Petrus curret crâs*, potest esse hodiè falsa, & crâs vera, si scilicet cursus non existat crâs, sed die proximè sequenti; vt è converso potest vera esse hodiè, & crâs falsa; quod etiam militat in hac, *Petrus cucurrit heri*. Aliter dicendum, si tempus futurum, aut præteritum, non limitetur: nam tunc affirmativa propositio de futuro mutari potest de verâ in falsam, sed non vice versâ. Hæc v.g., *Petrus curret*, vera est hodiè, si cursus Petri sit futurus crâs: eadem tamen, si conserverur crâs, quando iam cursus est præsens, deinde non futurus in posterum, redditur falsa. At, si semel est falsa, ideò est, quia in nullo tempore futuro extiturus est cursus Petri; quo dato, iam nunquam potest fieri vera. Nec est eadem ratio in propositione de præsenti: nam, quod semel non est præsens, potest aliquando esse præsens; quod autem semel non est futurum, nunquam deinceps est futurum. E contrario, propositio affirmativa de præterito potest mutari de falsâ in veram, sed non vice versâ: hęc v.g. *Petrus cucurrit*, hodiè falsa, crâs fiet vera, si Petrus hodiè currat: si tamen est hodiè vera, nequit deinde falsificari; quia Petrus, si cucurrisse supponitur, iam non potest non cucurrisse; nam *ad præteritum non datur potentia*, vt aiunt. Nec est idem in propositione de præsenti: quamvis enim iam non possit non fuisse quod semel fuit, potest tamen decursu temporis non esse quod semel est. Opposito modo censendum de propositionibus negativis.

## CAP. V.

*Decidunter aliæ de Veritate & Falsitate quæstiones.*

1 Quær. 1.: vtrùm Veritas, aut Falsitas formalis conveniat soli iudicio? an etiam apprehensioni? *Resp.* 1.: Veritas, & Falsitas, simpliciter aut propriè talis, soli iudicio convenit *formaliter*: nemo quippè dicitur propriè veritatem assequi circà existentiam, essentiam, aut accidentia alicuius obiecti, donec sententiam apud se ferat obiecto conformem; vt nemo dicitur propriè decipi, seu falli, donec sententiam ferat obiecto difformem: qui enim apud se nondum statuit, quid de re proposità sentiat, nec fallitur, nec veri est compos. Idem autem est ferre sententiam, ac iudicare. Quare Veritas ista dici potest *Veritas sententiæ*; quę propria est solius Intellectus. Dixi *formaliter*; quia radicaliter, aut inchoatè, convenit etiam apprehensionibus, saltem complexis, vt his, *leo rugibilis*, *leo rationalis*, quarum altera quodammodò invitat ad verum de leone iudicium, altera ad falsum.

2 *Resp.* 2.: Veritas largè sumpta, prout est præcisè conformitas repræsentationis cum obiecto citrà sententiam, reperitur etiam in apprehensione, tum complexâ, tum simplici, vt est manifestum; nam v. g. conceptus *homo* repræsentat id, quod verè est in obiecto, ac proinde

de est repræsentatio illi conformis. Sed tamen Veritas ista, quæ dici potest *Veritas puræ repræsentationis*, minùs propria est: tum propter dicta in 1. responsione: tum quia nomen *Veritas* propriè significat aliquid proprium Intellectus: Veritas autem ista est communis sensui, v.g. visui, imò picturis etiam, & statuis. *Resp.* 3.: Falsitas, etiam largè sumpta, reperiri potest in apprehensione complexâ, v.g. in hac, *homo quadrupes*; secùs autem in apprehensione purè simplici; quia, licèt volens apprehendere hominem, elicias conceptum *leo*, non ideò hæc repræsentatio est difformis obiecto suo, quia non respicit hominem, sed leonem. Hisce distinctionibus facilè conciliabis textus Aristotelis & D. Thomæ apparenter oppositos, nec non varias hac de re sententias Authorum.

3 *Quær.* 2.: Utrùm Veritas & Falsitas suscipiant magis & minùs? Vel, quod eòdem redit, vtrùm vna propositio possit esse verior, aut falsior altera? Quod attinet ad Veritatem, affirmandum in primis est, si sermo sit de Veritate radicali, seu de necessitate conformandi repræsentationem cum obiecto, seu certitudine, vel evidentiâ cognitionis. Sic actus Fidei supernaturalis verior est naturali, idest, certior: sic cognitio intuitiva verior est abstractivâ, idest, evidentior: sic Scientia Divina est summè vera, idest, summè certa, summè evidens, summâque necessitate conformis cum obiectis. Affirmandum item, si Veritas accipiatur materialiter, & in esse entis: vbi enim entitas actus est perfectior, Veritas, quę actum in recto importat, nequit non esse perfectior, sive maior entitativè.

4 Cæterum, si sermo sit de Veritate formali, prout præcisè dicit conformitatem iudicij vt talis cum obiecto, Veritas non admittit magis, & minùs, sed, vt aiunt, *consistit in indivisibili*. Ita communiter Authores. Ratio est: tum quia Veritas, vt passim asseritur cum D. Thoma q. 1. de Verit. art. 5., & sæpè aliàs, est quædam æqualitas actus cum obiecto secundùm illud esse, quod enuntiatur. At æqualitas non admittit magis & minùs, ideòque tam æquales sunt duo palmi, quàm duæ vlnæ. Tum quia non stat Veritas actus, nisi obiectum in se habeat totum illud, quod actus enuntiat; si enim desit aliquid ex eo, deest Veritas, vt patet in hoc actu, *Homo est animal rationale quadrupes*. At obiectum in se habere totum illud, quod enunciatur, ita vt nihil ex eo desit, consistit in indivisibili, nec latitudinem admittit.

5 Aliter discurrendum est de Falsitate, non solùm radicali, sed formali: potest enim vna esse maior alterâ. Ratio est: tum quia Falsitas desumitur ex distantiâ, seu recessu a vero: magis autem à vero distare potest vna, quàm altera propositio; & mille exemplis notum est, in distantiâ, & recessu dari posse magis & minùs. Quare, si centùm homines in foro sint, falsior est propositio dicens, esse tantùm decem, quàm dicens, esse tantùm nonaginta. Tum quia Falsitas est inæqualitas actus cum obiecto secundùm illud esse, quod enuntiatur, vt passim dicitur cum D. Thomâ loc. cit.: inæqualitas autem admittit latitudinem: ideòque magis est inæqualis vlnæ semipalmus, quàm palmus.

6 *Obije.* 1.: Veritas eò maior est, quò magis repugnat Falsitati:

magis autem Falsitati repugnat Veritas necessaria, quàm contingens. *Resp.* In actibus necessariò veris datur quidem maior ad Falsitatem repugnantia radicalis; sed in hac non consistit formalis Veritas, sed in exclusione Falsitatis formali & immediatâ, quæ est actualis conformitas cum obiecto. Hæc autem formalis exclusio est æqualis vbilibet: tam enim est impossibile dari Falsitatem in sensu compositi conformitatis contingentis, quàm in sensu compositi necessariæ.

7 *Obiic.* 2.: Veritas est similitudo actus cum obiecto; sed similitudo admittit magis & minùs: ergo & Veritas. Unde hic actus, *Homo est animal rationale*, verior erit, quàm hic, *Homo est animal*; est enim similior obiecto suo, cum plures illius perfectiones exprimat. *Resp.* Propter hoc argumentum locutus sum num. 4. de Veritate *iudicij vt talis*, quæ est Veritas *sententiæ* num. 1. explicata. Puto enim, quod Veritas *puræ repræsentationis* (de quâ num. 2.) admittit magis & minùs. Nam imago quælibet repræsentationem suam eò magis conformat obiecto, quo vividiùs, ac distinctiùs exprimit quod in obiecto est, vel quò plura obiecti prædicata, seu lineamenta referit; vt patet in apprehensione Intellectus, in visu, in picturâ, & statuâ.

8 Itaque in propositione mentali potest considerari, tum Veritas *repræsentationis*, in quâ iudicium convenit cum apprehensionibus prævijs, & secundùm illam potest vna propositio esse verior aliâ, vt convincit exemplum Obiectionis, quemadmodùm in hoc sensu apprehensio *animal rationale* verior est hominis imago, quam apprehensio *animal*; tum Veritas *sententiæ*, quæ propria est iudicij vt talis, & in quâ propositio differt ab omni conceptu purè apprehensivo; & secundùm illam nulla propositio est verior aliâ; quia tam verè habet homo in se totum, quod enuntiat hic actus, *Homo est animal*, quàm totum, quod enuntiat iste, *Homo est animal rationale*; nec ex hoc capite (ex quo præcisè sumitur Veritas *sententiæ*) alter actus est similior obiecto, quàm alter, licèt similior sit ex capite claritatis & expressionis vividioris, vnde sumitur Veritas *repræsentationis*. Concedo igitur quidquid Obiectio intendit, si loquatur de Veritate *repræsentationis* non importantis sententiam, vel ab eâ præscindentis. Sed, loquendo de Veritate *sententiæ*, *dist. Mai.*: est similitudo qualiscumque, *neg.*; est similitudo in habendo totum aliquid, *conc. Mai.* Tum *dist. Min.*: similitudo admittit magis & minùs, sæpè, *conc.*; semper, *neg. Min.* & *Conseq.* Nam similitudo consistens in habendo totum aliquid, est quædam æqualitas, adeòque non patitur latitudinem; v.g. similitudo duplicis albi in habèdo totos quatuor gradus albedinis.

9 *Obiic.* 3. contrà resolutionem num. 5.: Falsitas consistit in privatione Veritatis; sed in eâ privatione omnes actus falsi conveniunt æqualiter: ergo nullus potest esse alio falsior. Certè, sicut non est latitudo in hoc, quod obiectum habeat totum, quod enuntiatur; ita nec in hoc, quod non habeat totum, quod enuntiatur. *Instat*: distantia consistit in defectu propinquitatis; sed in eo defectu conveniunt æqualiter Madritum & Roma respectu Salmanticæ: ergo distabunt æqualiter à Salmanticâ. Similiter inferri potest,

test, nullam esse latitudinem inter inæqualia; quia conveniunt in privatione æqualitatis. Item, omnes ægros æqualiter ægrotare; quia conveniunt omnes in privatione salutis. Falsitas igitur ex vsu communi non sumitur pro merâ privatione Veritatis, sed insuper importat positivum recessum à vero; nec solet definiri *non conformitas*, sed *difformitas actus cum obiecto*: in recessu autem, & difformitate dari potest magis, & minùs; sicut in non habendo totum, quod enuntiatur, sumpto pro habendo aliter, aut minùs quid.

10 *Quær.* 3.: vtrùm propositio singularis de futuro, sit determinatè vera, aut determinatè falsa? De futuro necessario nemo dubitat, v. g. cùm dicitur, *Sol oritur crâs, Petrus modò vivens morietur, Si Petrus currat, movebitur.* Difficultas est de futuro contingenti, seu libero, quod scilicet existet absque prævia necessitate existendi, etiam positis omnibus prærequisitis ex parte causæ; sive illud sit futurum absolutum, vt cùm dicitur, *Petrus peccabit*; sive futurum conditionatum, vt cùm dicitur, *Si Petrus tentaretur, peccaret.* Aristoteles 1. Periherm. cap. 8. censuit propositiones singulares de futuro contingenti nec esse determinatè veras, nec determinatè falsas, eo ductus motivo, quod alioquin tolleretur libertas, & contingentia rei futuræ; si enim hodiè verè dicitur, *Petrus crâs peccabit*; iam Petrus crâs non poterit non peccare, quia nemo potest facere, vt quod semel verum supponitur pro certo tempore, respectu eiusdem temporis non sit verum: & eâdem ratione sequitur, quod, si propositio illa supponitur determinatè falsa, iam Petrus non poterit crâs peccare.

11 Sed contrariam sententiam alij vocant verissimam & recepissimam, alij catholicam, alij iuxtà Fidei principia innegabilem. Et est quidem absdubio sententia catholica, si loquatur de Diviná scientiá futurorum, aut etiam de cognitione creatâ supernaturali, vt cùm per lumen Fidei asserimus futurum peccatum Antichristi, vel generale Judicium in fine Mundi; has enim cognitiones esse nunc determinatè veras, & oppositas determinatè falsas, nemo Catholicus dubitat. De alijs verò cognitionibus naturalibus, licèt idem teneat sententia communissima, tamen aliter sentiunt Authores quidam, licèt forsitan dissidium sit merè vocale.

12 Quæstio non potest pro dignitate discuti, nisi plura Theologica misceantur, de quibus longa lis est inter Thomistas & Nostros in Tract. de Scient. Dei; v. g. num futurum constituatur formaliter in esse futuri per Divinum decretum? num tale decretum, vt actu præsens, sit verificativum formale propositionis de futuro? & num sit prædeterminans? Quapropter, vt à quæstionibus alieni iuris abstineamus, pauca nunc breviter dabimus, quæ refellendæ sententiæ Aristotelicæ sufficere possint. *Probatur* ergo 1. communis sententia: quia propositio naturalis, *Antichristus peccabit*, idem affirmat, quod scientia Dei, vel actus Fidei de peccato Antichristi futuro: sed scientia Dei est determinatè vera de quovis obiecto futuro, vt notum fuit etiam Gentilibus, tum ex Providentiá Dei, tum ex infinitâ perspicacitate Divinæ mentis, vnde Oracula de rebus futuris consulendi mos apud Ethnicos invaluit: ergo & illa nostra propositio determinatè

vera

vera est: implicat enim, quod ex duabus cognitionibus idem affirmantibus, altera determinatè vera sit, altera non.

13 2.: peccatum Petri hodiè aut est determinatè, aut determinatè non est; neque enim potest hodiè manere suspensum inter esse & non esse, vt est evidens. Ponamus igitur, quod hodiè sit. Infero: ergo heri verum fuit dicere, *Petrus crâs peccabit. Prob. Conseq.*: ideò verè dicitur hodiè, *Petrus peccat*, & ideò, Petro peccante hodiè, verè dicetur crâs, *Petrus peccavit heri*, quia datur peccatum Petri in tempore importato per copulam; sed hæc ratio pariter militat in illa propositione heri prolatâ, vt quisque videt: ergo &c. 3.: sicut est per se notum hoc principium, *Quodlibet est vel non est*, & hoc etiam, *Quodlibet fuit vel non fuit*; ita & hoc, *Quodlibet erit vel non erit*: sed propter illa duo evidens est, quod ex duabus Contradictorijs de præsenti, vel de præterito, altera est determinatè vera, & altera determinatè falsa: ergo propter illud tertium evidens esse debet, quod ex contradictorijs de futuro, v.g. *Petrus peccabit, Petrus non peccabit*, altera determinatè vera est, altera falsa. Hæc eadem argumenta valent pro futuris conditionatis, vt applicanti constabit.

14 *Obijc.* 1. fundamentum. Aristotelis propositum n. 10. *Resp.* Motivum illud apparentiùs vrget in Divinâ præscientia, vtpotè omninò certâ, & infallibili; quam si Philosophus lumine Fidei destitutus negare voluit, turpiter erravit; quamquam non desint, qui mentem eius aliter interpretentur. Illæsa igitur manet Petri libertas ad peccandum: nam Veritas, tam Divina, quàm humana, licet tempore præcedat peccatum Petri, tamen est peccato posterior posterioritate *attemperationis*, vt vocant; quatenùs non ideò peccabit Petrus, quia Deus, aut homo id verè cognovit; sed potiùs ideò cognitio vera fuit, quia Petrus liberè peccaturus erat.

15 Ex suppositione talis Veritatis iam Petrus non potest non peccare, sed quamdam habet necessitatem peccandi. Verùm non omnis impotentia, vel necessitas opponitur libertati, sed illa solùm, quam Voluntas liberè non facit, nec vitare potest, & quę dicitur *necessitas antecedens*: illa verò, quam Voluntas liberè sibi facit, aut vitare potest, & quæ dicitur *necessitas consequens*, libertati non officit. Sic ex suppositione quod nunc liberè consentias tentationi, necesse est te peccare nunc; & ex suppositione quod te videam nunc ridentem, necesse est te nunc ridere, nec potes non ridere nunc. Quia tamen hanc impotentiam, & necessitatem ipse tibi facis liberè, cum potueris in hoc etiam instanti suppositiones istas impedire; idcircò liberè peccas, & liberè rides. Huius indolis est necessitas peccandi, quam infert cognitio vera de peccato Petri futuro: Petrus enim, postea suo tempore existens, liberè faciendo peccatum, liberè sibi facit illam necessitatem, siquidem illa Veritas nunquam extitisset, nisi Petrus nunc liberè peccaret: vnde potest Petrus illam impedire; quia si non peccet, vt potest, iam Deus ab æterno non præscivit peccatum, sed præscivit non peccatum, & propositio creata naturalis iam ab initio fuit falsa. Prioritas autem temporis de materiali se habet quando connexio rei præcedentis perindè attemperatur li-

liberæ determinationi Voluntatis, ac si esset præsens.

16 *Obijc* 2. : futurum liberum non est actu determinatum vt sit, nec in se ipso, cum nondùm existat, nec in causâ, quæ vel nondùm est, vel non est determinata, sed indifferens: nunc ergo nihil est vnde propositio de futuro libero determinatam habeat Veritatem. Patet Consequentia : quia propositio Veritatem haurit ab obiecto, quod determinatè sit, iuxtà illud, *Ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa. Resp.* Omissâ determinatione futuri in Causâ primâ, de quâ Theologi disputabunt, *dist. Antec.* : non est actu determinatum in se ipso, nec erit postea, *neg.*; non est, erit tamen postea, *conc. d. Antec.*, & *neg. Conseq.* Propositio de futuro libero, v.g. *Petrus peccabit*, non affirmat, quod peccatum est actu determinatum, sed quod erit in tempore venturo : si ergo re ipsâ erit, quamvis modò non sit, iam propositio conformatur suo obiecto : sicut enim conformatur propositio de præsenti, si enuntiat obiectum sicuti est, & propositio de præterito, si enuntiat obiectum sicuti fuit; ita propositio de futuro, si enuntiat obiectum sicuti erit. Unde illud, *Ab eo, quod res est &c.*, intelligendum est cum ampliatione ad tempus importatum per copulam, sive sit præsens, sive præteritum, sive futurum. Difficultas autem ex eo petita, quod Veritas formalis constituitur ex obiecto, ac proinde non potest existere, priusquàm existat obiectum, soluta manet cap. 2.; & modò non est ad rem, cum æquè militet in propositione de præterito, quàm esse determinatè veram, nec Aristoteles, nec alius negat. Qui alia argumenta soluta volet, adeat Conimbricenses in cap. 8. de Interpret. quæst. vnic. per tot..

TRAC-

# TRACTATUS SEXTUS, ET ULTIMUS.

## *In Libros Aristotelis Analyticos.*

QUATUOR scripsit Libros Aristoteles, quos Analyticos (ideſt, Reſolutorios, nam græca vox *analyſis* latinè vertitur *reſolutio*) nuncupavit, quia in eis materiam & formam Syllogiſmi, nec non principia, partes, & affectiones eius, diſtinctè examinando, reſolvit mentaliter Syllogiſmum. Liber primus, & ſecundus Formam ſyllogiſticam in communi declarant, dicunturque Libri *Priorum*, ſeu *de Priore reſolutione*: tertius, & quartus, Demonſtrationem, ſive ſyllogiſmum Demonſtrativum, & conditiones eius à materiâ deſumptas explicant, vocanturque Libri *Poſteriorum*, ſeu *de Poſteriore reſolutione*. De Syllogiſmo, præter dicta in Summulis, pauca reſtant, quæ ſimul cum doctrinâ de Demonſtratione breviter modò tractanda ſunt.

---

## DISPUT. I.

### *De Syllogiſmo in communi.*

#### CAP. I.

*Dubia quædam de Syllogiſmo, & Præmiſſis eius in ordine ad Concluſionem ſpectatis.*

1 *Dubit.* 1., in quo conſiſtat eſſentia Syllogiſmi? Sunt, qui dicant, in ſolis conſiſtere Præmiſſis: quia ſyllogiſmus Demonſtrativus iuxtà Philoſophum facit ſcire, ſeu cauſat ſcientiam, ideſt, Concluſionem evidentem; quod autem Concluſionem cauſat, ſolæ ſunt Præmiſſæ. Sunt ex adverſo, qui totam ſyllogiſmi eſſentiam in Concluſione ponant: quia ſyllogiſmus eſt cognitio vnius veritatis per aliam, & poſt aliam; quod ſoli convenit Concluſioni. Sed communis ſententia collocat eſſentiam ſyllogiſmi in Præmiſſis & Concluſione ſimul ſumptis. Tum quia definitio Syllogiſmi Ariſtotelica, quam omnes approbant in Summulis, nempè *Oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud quidpiam ab ijs, quæ poſita ſunt, ex neceſſitate accidit, eo quod hæc ſunt*, nec de ſolis Præmiſſis, nec de ſolâ Concluſione verificatur; nam illud *in qua* planè denotat, intrà Syllogiſmum claudi & id quod infertur, & ea ex quibus infertur. Tum etiam, quia ſtantibus iiſdem Præmiſſis per ſolam diverſitatem Concluſionis diverſus efficitur ſyllogiſmus, vt patet in Modis directis & indirectis primæ Figuræ; ſimiliterque diverſus evadit, ſi eadem Concluſio inferatur ex Præmiſſis diverſis.

Cum

2 Cum autem syllogismus Demonstrativus dicitur efficere scientiam, sermo est de scientiâ habituali; vel si de actuali, sumitur per synedochem pars pro toto, dum Præmissæ pro syllogismo sumuntur; vel, si mavis, Demonstratio causat scientiam in genere causæ formalis, quatenùs est forma denominans Intellectûm scientem. Quodsi nonnunquam *syllogismus* dicitur cognitio vnius veritatis per aliam, non ideò excluduntur ab eius constitutione Præmissæ; sicut non excluditur albedo à constitutione albi, cùm album dicitur subiectum denominatum per albedinem: nisi etiam velis, vt tunc figuratè sumatur pars pro toto. Unde soluta manent fundamenta contraria.

3 *Dubit.* 2.: vtrùm Syllogismus stare possit in actu realiter indivisibili, qui repræsentet totum obiectum Præmissarum & Conclusionis? *Resp.* Si fortan eiusmodi actus dari posset in humano Intellectu, non erit propriè & formaliter *syllogismus*: quia *syllogismus* idem sonat, ac *Ratiocinatio*, seu *Discursus mentis*: discursus autem, & ratiocinatio necessariò importat cognitiones realiter distinctas, quarum vna oriatur ex aliâ, vel aliis. Ideòcò nec Deus, nec Angeli discurrunt; quia, licèt cognoscant effectus in causis, non tamen ex causis, quasi ex eis priùs cogniris progrediantur ad cognitionem effectuum. Vide D. Thomam 1. p. q. 14. art. 7., & q. 58. art. 3. Utsummùm ergo talis actus dici poterit syllogismus virtualiter, aut eminenter.

4 *Dubit.* 3.: qualiter Præmissæ formales causent Conclusionem? Certum est, causalitatem aliquam intervenire: Syllogismus enim non est discursus per successionem cognitionum accidentariam, vt cùm post cognitum Petrum conveniamus nos ad cognoscendum Paulum; sed est *discursus secundùm causalitatem*, vt loquitur D. Thomas cit. q. 14. art. 7. Sed dubium est, cuiusmodi sit ea causalitas? Plures, præsertim Thomistæ, sentiunt, Præmissas effectivè concurrere ad Conclusionem, ita vt illam physicè producant, & coefficiant simul cum Intellectu. Alij, præsertim ex Nostris, tenent, eas concurrere quasi directivè, quatenùs ostendendo identitatem Extremorum cum Medio inclinant, & determinant Intellectum ad affirmandum identitatem eorum inter se: quod genus concursus, illuminando, invitando, inclinando, dicitur causalitas moralis, qualem habent regulæ Artis in artefacta, & iuxtà communem sententiam cognitio obiecti amabilis in amorem.

5 Probatur hæc sententia 1. eâ ipsâ paritate cognitionis purè directivè concurrentis ad amorem. 2. paritate apprehensionis suasivæ, seu evidentis, quæ licèt determinet ad iudicandum, non causat effectivè iudicium. 3.: quia intentio finis, licèt connectatur cum electione mediorum, non illam causat physicè, sed moraliter, inclinando Voluntatem: ergo pariter &c. 4.: quia ignis approximatio ad lignum non causat effectivè calorem in ligno: Præmissæ autem sunt intentionalis approximatio motivi ad inferêdâ Conclusionem. 5.: quia nequit vnus actus vitalis physicè producere alium eiusdem potentiæ; alioquin visio visionem, & auditio auditionem parerent. Tandem: quia non est multiplicanda virtus effectiva causarum

absque

absque necessitate; quæ nulla est in præsenti. Quæstionis huiusce plena decisio pendet ex disputandis in Animasticâ. Sed interim non sunt imbelles probationes adductæ.

6 Pro contrariâ sententiâ *obij.* 1. D. Thomam 1. Poster. lect. 3. dicentem: *Principia se habent ad conclusiones in demonstrativis, sicut causæ actiuæ in naturalibus ad suos effectus: vnde in 2. Physicor. propositiones syllogismi ponuntur in genere causæ efficientis.* 2.: quia sine causalitate physicâ non propriè verificabitur, quod syllogismus est *discursus secundùm causalitatem.* 3.: quia Præmissæ complent vim proximam Intellectus ad eliciendam Conclusionem: quod autem vim causæ activę complet & actuat ad agendum, activè influit. 4.: quia Præmissæ sibi assimilant Conclusionem in evidentiâ, vel probabilitate: sola autem causa physica sibi assimilat effectum. Conclusio item secundùm formalitatem *illationis* debet in Præmissis contineri, quia in Intellectu continetur secundùm formalitatem *intellectionis*, & in specie secundùm formalitatem *imaginis.* 5.: quia Præmissæ respectu Conclusionis gerunt munus speciei.

7 *Respondetur ad* 1.: D. Thomas eo loci sumit ly *sicut*, non vnivocè, sed analogicè, significando proportionem, quæ datur inter influxum physicum, & moralem, qui reducitur etiam ad genus causæ efficientis. *Ad* 2.: causalitas moralis, seu directiva, licèt sit minùs propria, quàm effectiva, certè sufficit, vt vnum dicatur absolutè causa, vel effectus alterius. Sic dominus propriè dicitur effectus Artis. Sic, qui mandato vel consilio determinat alium ad furandum, absolutè dicitur causa furti. *Ad* 3.: Præmissæ non complent, nec actuant vim Intellectus ad Conclusionem, nisi per modum comprincipij moralis, aut etiam per modum applicationis, vel approximationis. Et instatur in regulis Artis respectu potentiæ proximè citharizandi; nec non in cognitione prærequisitâ ad amandum, & in approximatione ignis ad lignum. *Ad* 4.: Intellectus, cum sit intrinsecè cognoscitivus evidenter, probabiliter, & discursivè, seu illativè, sufficienter continet in consortio speciei correspondentis illa omnia prædicata, seu formalitates Conclusionis, quin opus sit recursu ad Præmissas, nisi per modum applicationis, aut comprincipij moraliter præcontinentis Conclusionem. *ad* 5.: falsò id asseritur; nam ipsamet species obiecti Præmissarum, quod est realiter indistinctum ab obiecto Conclusionis, poterit in Conclusionem influere, saltem ii determinetur à Præmissis, tamquam ab applicatione, vel conditione *sine qua non.*

8 Sed, vtramlibet teneas partem, colligere inde poteris contrà quoldam Authores, Præmissas debere existere simul tempore, sive in eodem instanti cum Conclusione, quando illam causant. Quod enim causa physica debeat actu existere, dum causat, suo loco monstrabimus: quod autem idem valeat in causâ directivâ, seu morali, saltem dum causat immediatè per se, & non præcisè per aliquem effectum derelictum, persuadent exempla cognitionis ad amandum, applicationis ad comburendum, & alia. Præmissæ verò ad Conclusionem dirigunt, inclinant, & determinant, non præcisè medio alio effectu, sed immediatè, & ratione sui, vt omnimi-

nibus est in confesso. Adde, quod alioqui posset esse falsa Conclusio legitimè illata ex Præmissis evidentibus. Existat vnicus in Orbe leo; sed existat in instanti A, & pereat in B: videat illum Petrus existentem in A, & eliciat has Præmissas; *Si existit leo, existit rugibile*; *sed existit leo*. Tum, si potest in instanti B legitimè inferri Conclusio ex Præmissis iam non existentibus in B, sed in instanti præcedenti, poterit Petrus in B sic ritè concludere, *Ergo existit rugibile*; quod falsum est tunc; & tamen vtraque Præmissa fuit evidens, cùm extitit.

9 Cum hoc tamen cohæret, quod regulariter Præmissa maior tempore præcedat Conclusionem; id quod etiam sæpè contingit vtrique Præmissæ, quando scilicet Intellectus nondum satis penetrat terminos vtriusque, vt ad Conclusionem eliciendam determinetur. Nec obstat, quod Præmissæ sint causæ necessariæ: non enim causa necessaria sine morâ temporis causat, nisi in primo instanti sit proximè expedita. Solum itaque volumus, vt vtraque Præmissa, licèt existat priùs tempore, debeat saltem conservari, vel repeti in instanti, in quo elicitur Conclusio: quemadmodùm cognitio obiecti conservari debet, dum amor elicitur, licèt sæpè existat priùs tempore. *Obijcies*: Iuxtà D. Thomam 1. p. q. 14. art. 7., discursus syllogisticus requirit successionem temporis, ita vt non simul cognoscantur principia, & conclusiones.

10 *Resp.* ex nuper dictis, Quando Intellectus, adquisiturus scientiam, incipit vestigare principia, vt inde procedat ad conclusiones, datur successio temporis, non quoad conservationem Præmissarum dum Conclusio elicitur, sed quoad primam productionem, præsertim Maioris, quæ præcipuè solet vocari *principium*, & quæ non connectitur cum Minore, nec per se solam cum Conclusione. Id quod oritur ex imbecillitate mentis humanæ, quæ regulariter veritates non deregit, nisi pedetentim. Hoc vnum voluit D. Thomas; qui tamen aliter docet, quando iam adquisitâ scientiâ syllogismus formatur ex habitu. Unde S. Doctor 1. p. q. 58. art. 7. ad 2., *Dicendum*, inquit, *quod duæ operationes possunt simul esse eiusdem potentiæ, quarum vna ad aliam refertur, vt patet cùm Voluntas simul vult & finem & ea quæ sunt ad finem; & Intellectus simul intelligit principia & Conclusiones per principia, quando iam scientiam acquisiuit.*

## CAP. II.

### *Vtrùm Præmissæ necessitent Intellectum ad Conclusionem?*

1 Duplex est pro re præsentî necessitas, altera *quoad specificationem*, seu *quoad speciem*, seu *contrarietatis*; quæ necessitas, quamvis non cogat ad ponendum actum certæ speciei, cogit tamen ad non ponendum actum oppositum: altera *quoad exercitium*, seu *contradictionis*; quæ necessitas cogit ad actum certæ speciei re ipsâ ponendum, & exercendum. Communis ferè omnium sententia docet, Præmissas, tam probabiles, quàm evidentes, necessitare ad Conclusionem quoad speciem, ita vt Intellectus, dum assentitur Præmissis, nequeat dissentiri Conclusioni, seu, quòd eodem redit, nequeat Intellectus elicere iudicium Conclusionis

contrarium vel contradictorium. Probatur communiter: quia Intellectus dissentiri nequit principijs illis per se notis, *Quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se*, *Dici de omni*, & *dici de nullo*: dissentiretur autem, si, postquam per Præmissas assensit identitati Extremorum cum Medio, identitatem eorumdem inter se negaret per contradictoriam Conclusionis; vel si iudicans verè dici animal de omni homine, & Petrum esse hominem, iudicaret non verè dici animal de Petro. Unde fieret etiam, quod impossibile est, Intellectum in eodem instanti contradictoria iudicare, videlicet omnem hominem esse animal, & aliquem hominem (qualem iudicat Petrum) non esse animal.

2 Hæc militant pariter in Præmissis probabilibus, vt patebit consideranti. Potest quidem Intellectus Conclusioni probabili dissentiri absolutè, sed non ex suppositione quod assentiatur Præmissis: id enim esset directè iudicare simul duo contradictoria, saltem virtualia; quod etiam in materia probabili repugnat. Sic, licèt Voluntas possit absolutè aversari medium necessarium ad finem, non tamen ex suppositione quod efficaciter intendat finem. Dices: Intellectus cum Præmissis probabilibus potest habere motivum grave ad dissentiendum Conclusioni: ergo potest dissentiri. *Dist. Antec.*: ad dissentiendum in sensu diviso Præmissarum, *transeat*; ad dissentiendum in sensu composito, *neg. Antec.*, & sub eadem distinctione *Conseq.* Quamvis Intellectus actu assentiens his Præmissis probabilibus, *Omnis homo existens in foro ambulat*, *Petrus existit in foro*, possit simul apprehendere grave motivum iudicandi absolutè, Petrum non ambulare, imò quamvis reflexè iudicet, illud motivum esse grave; nequit tamen in eo instanti directè iudicare sic, *Petrus non ambulat*: quia nec illud, nec aliud motivum inclinare potest ad tale iudicium vt ponendum in circumstantijs, in quibus actu iudicatur, Petrum esse vnum ex hominibus, qui ambulant.

3 Maior est Authorum dissensio circa necessitatem quoad exercitium. Sed affirmativa sententia, saltem quantum ad Præmissas evidentes, communis est inter Thomistas & Scotistas, eamque tenent plerique Nostrorum, vt Fonsec., Conimbric., Hurtad., Arriag., Ovied., Compton, Mauri, Joan. Bapt. de Benedictis: & eadem facis clarè traditur à D. Thomâ p. 1. q. 82. art. 2. Probatur communiter: quia Intellectus necessariò, & independenter ab imperio, vel applicatione liberâ Voluntatis, assentitur obiecto, quod ipsi proponitur vt omninò evidens: sed positis Præmissis, obiectum Conclusionis Intellectui proponitur vt prorsùs evidens: ergo tunc Intellectus suspendere nequit assensum Conclusionis, atque adeò necessitatur quoad exercitium. Consequentia est legitima, & Minor non negatur ab Adversarijs, nec videtur negabilis: quia Intellectui, qui iudicat evidenter v.g. omnem hominem esse animal, & Petrum esse hominem, nihil apparet evidentiùs, quàm Petrum consequeatur esse animal.

4 *Prob. Min.* 1. experientiâ: quia sæpè Intellectus in plures assensus erumpit necessariò, quin possit à Voluntate cohiberi; vt cùm quis in se advertens, iudicat se existere; vel cùm videns ortum Solem, assentitur existentiæ diei; vel cùm ei propo-

nun-

nuntur prima principia, & veritates per se notæ, v.g. *Totum est maius sua parte, Duo & tria faciunt quinque.* Si autem evidentia semel rapit assensum necessariò, non est cur non rapiat semper, cum semper avertat omne dubium & suspicionem falsi, aliter non erit vera evidentia, &c. paritate: quia potentia visiva licèt possit à Voluntate impediri, ne videat, quatenùs cogi potest vt oculos claudat, vel aliò avertat, nequit tamen apertis oculis impediri, ne videat obiectum præsens clarâ luce perfusum; cuius rei nulla ratio esse potest, nisi evidentia obiecti: ergo pariter Intellectus, licèt possit à Voluntate impediri, ne assentiatur obiecto in se evidenti, quatenùs potest aliò distrahi, nequit tamen ab assentiendo impediri, quando ipsi proponitur obiectum vt evidens; quod est apertis mentis oculis obijci sub clarâ luce. *Confirm.*: quia Voluntas, positâ intentione finis efficacis, necessitatur quoad exercitium ad electionem medij, quod proponitur vt simpliciter necessarium ad finem: ergo pariter &c.

5 Plerique ex Authoribus citatis eamdem necessitatem extendere videntur ad Præmissas probabiles: quia, licèt earum obiectum non sit evidens, est tamen evidens illius connexio cum obiecto Conclusionis: ergo qui primum iudicat, imponit sibi necessitatem iudicandi secundum: qui enim plane advertit, non posse A verum esse, quin etiam B sit verum, quomodo potest assentiri obiecto A, & suspendere assensus circà B? Sic, qui opinatur, Titium esse Calvinistam, si aliunde novit, omnem Calvinistam esse hæreticum, necesse est opinetur, Titium esse hæreticum: quia per illas Præmissas, *Omnis Calvinista est hæreticus, Titius est Calvinista*, licèt Minor sit merè probabilis (& ideò inferat merè probabilem Conclusionem, quæ sequitur debiliorem partem), redditur evidens obiecti iudicati connexio cum eo quod Titius sit hæreticus. Ob eamdem rationem, nemo credit nuntianti lethale vulnus amici, quin credat amicum ejùs mortuum: nemo opinatur te amisisse oculos, quin opinetur te esse cæcum. Idem patet, quando Præmissæ sunt iudicia temeraria: ideòque, si quis ex levi fundamento iudicet, te fuisse convivam in mensâ Titij, & omnes Titij convivas fuisse ebrios, protinùs & meritò expostulabis de iniuriâ tibi per iudicium temerarium illatâ. Sed quare? nisi quia certum putas, neminem posse Præmissis illis assentiri, quin iudicet te fuisse ebrium? Accedit paritas Voluntatis, quæ, licèt non teneatur efficaciter intendere finem, si tamen sic intendat, nequit non eligere medium, cum quo finis connectitur necessariò.

6 Hæc vt vera sint, duplex limitatio, sive conditio frequenter adhibetur ab Authoribus allegatis. Prima: ne simul cum Præmissis occurrat apprehensio vividior alius obiecti disparati, quæ conatum & attentionem Intellectus adeò trahat, & occupet, vt non sinat attendere Conclusioni, viribus scilicet iam non sufficientibus ad novum actum eodem tempore producendum. Si talis apprehensio adsit, Præmissæ necessitabunt quoad specificationem, non quoad exercitium. Secunda: vt Præmissarum termini benè penetrentur, earumque sensus plenè advertatur, aliàs non quoad specificationem quidem dabitur ne-

celsitas. Dices : iam ergo Præmissæ non absolutè necessitant ad Conclusionem, siquidem existere possint in circumstantijs, in quibus Conclusio vel negari, vel suspendi possit. Concedo Consequentiam, si Tò *absolutè* comprehendat omnes circumstantias.

7 Ideò positis Præmissis non rarò hæremus, & de Conclusione inferendâ deliberamus, donec iterùm atque iterùm in Præmissarum sensum reflectamus. Ideò etiam nonnumquam inter disputandum, concessis Præmissis rectè dispositis, Consequentia negatur à non rudibus. Quia scilicet Intellectus, vel aliarum apprehensionum tumultu distrahitur vehementer, vel non satis penetrat primo aspectu terminos Præmissarum, licèt percipiat quantum sufficit, vt illis assentiatur vtcumque. Necessitas igitur hactenùs asserta præcipuè respicit imperium Voluntatis : & meus Authorum est, Intellectum benè penetrantem Præmissas, nec alijs dissentium apprehensionibus, non posse à Voluntate impediri, ne Conclusionem eliciat, multòque minùs posse determinari ad actum Conclusioni contrarium.

8 Addo tertiam limitationem : vt scilicet prædicta necessitas tribuatur Præmissis de medio communi dispositis in primâ Figurâ iuxtà quatuor Modos perfectos : item Præmissis de medio singulari iuxtà Figuram primam & secundam : nec non Præmissis syllogismi hypothetici iuxtà formam explicatam in Summulis, præsertim syllogismi conditionalis, & disiunctivi. Cæteras non necessitare quoad exercitium, saltem Intellectum non nimis perspicacem, verius puto ; & an necessitent quoad specificationem, valdè dubito. Portò triplex ista limitatio non pugnat cum probationibus antè datis. Non Prima : quia, cùm dicitur, quod evidens obiectiva propositio rapit assensum, intelligendum est, quando Intellectui suppetunt vires physicæ ad productionem assensus.

9 Non secunda : quia, dum illiusmodi advertentia, vel penetratio deficit, non redditur evidens connexio obiectiva Præmissarum cum obiecto Conclusionis, eo quod nec termini, nec eorum forma & dispositio claritatem habeant idoneam ad excitandam apprehensionem evidentem de tali connexione, vel ad eam supplendam. Quando autem illa connexio non advertitur evidenter, potest Intellectus implicitè & virtualiter contradicere principijs illis allegatis num. 1. (saltem dum illa principia non continentur in Præmissis explicitè, & formaliter, sed solùm implicitè, & virtualiter, vt plerumque accidit) : nam sæpè contingit, vt aliquis incautè assentiatur obiecto, quod posteà demonstratur falsum per aliquod principium per se notum. Potest etiam tunc intellectus iudicare duo contradictoria virtualia : sic enim Calvinista, vel Jansenista iudicat, se non habere libertatem à necessitate, dum pravè apperit, & simul iudicat, se peccare ; quæ sunt virtualiter contradictoria : sic etiam passim inter disputandum verbo, vel scripto. Adversarium, duo quæpiam simul concedentem, redarguimus inconsequentiæ, & contradictionis.

10 Hinc salvatur quoque tertia limitatio : nam forma syllogistica in secundâ & tertiâ Figura non est adeò perfecta, seu perspicua, vt evidenter reddat connexionem obiecti

Præ-

Præmissarum cum obiecto Conclusionis: tum quia non regulatur per principia citata num. 1., nisi mediatè, & remotè; vt omnes admonent in Summulis: tum quia idcircò inventa est Reductio Syllogismorum imperfectorum ad perfectos; quæ prorsus foret inutilis, si Præmissæ dispositæ iuxtà Figuram imperfectam necessitarent ad Conclusionem, ita vt nemo Præmissis assentiens posset illam suspendere, vel negare.

11 Dices: omnis Syllogismus cuiusque Figuræ necessariò, & vi formæ concludit; id quod exprimit Aristotelica definitio per illud *ex necessitate accidit*. *Resp.* Sensus istius doctrinæ est, quod, stante veritate Præmissarum cuiusque Figuræ, non potest non esse vera Conclusio, si ritè deducatur, & quidem vi formæ, seu dispositionis terminorum, quæcumque sit materia *circà quam*. Cum hac tamen cohæret, quod Conclusio de facto non deducatur, vel quod non ritè, vel quod loco illius eliciatur ex alio motivo actus oppositus, eo quod illa veritatum connexio non reddatur evidens per Præmissas. Cum his igitur limitationibus verum esse puto, quod de necessitate Conclusionis dictum est à num. 1., quin obstent obiectiones iam iam solvendæ.

12 *Obiic.* 1.: Intellectus est potentia subdita Voluntati, sicut potentia locomotiva, quæ potest pro libitu converti quolibet. *Resp.* Potentia locomotiva non habet vnde determinetur, nisi à Voluntate; at Intellectus determinari potest ab speciebus, apprehensionibus, & Præmissis: quare magis est comparandus potentiæ vitivæ, iuxtà num. 4. Porrò Intellectus Voluntati subditur simpliciter in coniecturalibus, & in probabilibus per se loquendo. At in evidenter propositis, subditur primùm remotè, seu mediatè, quatenùs à Voluntate potest antecedenter, vel applicari ad quærendas species & apprehensiones evidentes, vel aliò distrahi, ne in eas incidat. Deinde non rarò subditur etiam immediatè *secundùm quid* in ordine ad assensum Præmissarum, quatenùs à Voluntate sæpè determinari potest, non vt obiecto evidenter apprehenso deneget vel suspendat omnem assensum, sed vt eliciat vnum præ alio, quando scilicet apprehensio evidens non omninò determinat modum & tendentiam assensus.

13 V. g. potest quis evidenter apprehendere identitatem hominis & animalis, quin eo ipso determinetur omninò ad prædicandum potiùs animal de homine, quàm hominem de animali, nec ad eliciendam potiùs propositionem vniversalem, quàm indefinitam. Hæc apprehensio necessitat Voluntatem, vt aliquem imperet assensum, sed illi relinquit optionem inter varias tendentias, & modos prædicandi: quare poterit Voluntas illum determinatè assensum imperare, qui fuerit opportunus ad finem v. g. constituendi syllogismum iuxtà regulas Logicæ. Vnde colliges, cum hac sententiâ stare posse, quod Logica dirigat ad Demonstrationem, iuxtà dicta Tract. 1. disp. 1. cap. 10. num. 16.: dirigit enim immediatè ad Præmissas quoad dispositionem terminorum: ad conclusionem autem immediatè dirigit simpliciter, seu quoad substantiam assensus, in secundâ, & tertiâ Figurâ, atque etiam in primâ, dum concluditur indirectè, vel dum termini solùm imperfectè penetrantur;

tur: quia tunc plerumque non est necessaria productio Conclusionis: ad Conclusionem tamen directam primæ Figuræ, Præmissis benè penetratis, non dirigit Logica, nisi mediatè, quatenùs ad Præmissas ritè disponendas dirigit.

14. Sed cur (inquis) non etiam immediatè? siquidem positis v.g. hisce Præmissis, *Omne animal est vivens, Omnis homo est animal*, indifferens est Intellectus, vt eliciat, vel Conclusionem directam in *Barbara*, vel indirectam in *Fanaliptes*. Nego talem indifferentiam circà Conclusionem directam; hanc enim Intellectus elicit semper & necessariò, quamvis non semper illam à se elici reflexè advertat. Ratio est: quia Præmissæ taliter apprehendi seu proponi faciunt obiectum Conclusionis, vt omninò determinent etiam ad modum & tendentiam actus. Solum ergo est indifferens Intellectus, vt ponat, vel omittat Conclusionem indirectam, quæ cum directâ simul existere potest sine incommodo.

15. *Obijc.* 2.: nulla finita bonitas necessariò rapit amorem Voluntatis: ergo nullum obiectum finitum necessariò rapit assensum Intellectus. *Confirm.*: quia Præmissæ non proponunt formaliter & explicitè obiectum Conclusionis, sed solùm implicitè, seu virtualiter, quatenùs proponunt aliquid necessariò connexum cum tali obiecto: at, qui assentitur vni obiecto, non cogitur saltem quoad exercitium assentiri formaliter cæteris, quibuscum illud connectitur; alioquin nemo posset sic iudicare, *Petrus est albus*, quia haberet hunc assensum explicitum, *Petrus est ens*, vel hunc *Existit Deus*. Adde, quod assensus vnius obiecti virtualiter continet dissensum contradictorij, & tamen ad exercitium illius non necessitat; qui enim sic iudicat, *datur lux*, non cogitur continuò sic inferre, *ergo non datur tenebra*. Adde præterea, quod Voluntas sæpè vnde obiectum aliquod, quin velit formaliter cætera, quibuscum illud identificatur, aut connectitur. *Resp. ad obiect.*: nego Consequentiam, quæ certè non valet à potentiâ libera ad necessariam; hæc enim præ illâ nequit operationem suspendere positis omnibus prærequisitis ad operandum, quæ in casu nostro ie ipsâ ponit, experientiâ & ratione probavimus.

16. *Ad Confirm.*: nostra sententia non insistit in meâ connexione obiectorum, sed in connexione vt evidenter proposità; quæ si detur, vel assentiepetum est vtique obiecto, vel nemoi. Combinatio autem extremorum cum Medio in primâ Figurâ talis est, vt necessariò excitet vividissimam apprehensionem de connexione infallibili obiecti Præmissarum cum obiecto Conclusionis: imò, quamvis illam non excitet, ipsamet Præmissarum dispositio potest illam suppliere; quia in lineâ ostensionis virtualis, claritatem luminam attingit, & proximè accedit ad ostensionem formalem, vt videtur experientiâ notum, & Adversarijs confessum. Hinc allegata exempla non obstant: quia ex hoc solo actu, *Petrus est albus*, non necessariò excitatur apprehensio explicita de eo quod inde infertur, Petrum esse ens, vel Deum existere. Si tamen cum eo actu coniungeretur hic, *Quidquid est album, est ens*, vel hic, *Si Petrus est albus, existit Deus*; vel si cum eo, *datur lux*, simul esset hic, *Quando datur lux, nõn*

*non dantur tenebræ*: tunc, inquam, necessariò excitaretur, vel suppleretur prædicta apprehensio evidens, nec posset cohiberi assensus circà obiectum consequens. Quod additur de Voluntate, fortasse non est verum, quando connexio evidenter advertitur vt inevitabilis; ideòque nemo vult alterum iugulare, quia velit eum mori. Sed esto concedatur, paritas nulla est, propter discrimen inter potentiam liberam, & necessariam.

17 *Obijc.* 3.: datur in Intellectu habitus primorum principiorum: datur etiam alius habitus scientiæ circà Conclusiones: at vterque habitus erit otiosus, si Intellectus assentitur necessariò, tum principijs evidentibus, tum Conclusionibus inde natis: neque enim causa necessaria acquirit habitum, vt patet in Visu, in Igne, in Sole. *Instà*: Intellectus posito imperio Voluntatis agit vt causa necessaria: vel ergo tunc acquirit habitum? vel non? Præterea *resp.*: Habitus intellectuales fortè non distinguuntur ab speciebus experimentalibus, vt multi opinantur in Animasticâ; atque ita iam est clara ratio, cur potiùs conueniant Intellectui, quàm alijs causis necessarijs. Qui autem eos admittunt ab speciebus distinctos, ideò in Intellectu collocant, quia facilitatem intelligendi, quam experimur sensim acquiri, non aliter explicari posse putant, nisi per habitum: in Visu autem, Igne, & Sole, nec eadem ratio, nec experientia militat. Sic verò deservit habitus, non vt Intellectus operetur citiùs, sed vt operetur cum minore conatu, ac defatigatione, & in hoc sensu faciliùs. Sed nota, quod habitus scientiæ fortè non est ad solas Conclusiones, sed simul etiam ad principia quatenùs disposita in formam Præmissarum, quamvis principia secundùm se & seorsùm accepta distinctum habitum generent.

18 *Obijc.* 4. contrà necessitatem Conclusionis probabilis: positis Præmissis probabilibus, Conclusio est merè probabilis; non enim à Præmissis trahere potest certitudinem, aut evidentiam, quam ipsæ non habent: atqui ad assensum merè probabilem non necessitatur Intellectus quoad exercitium: ergo &c.. *Confirm.* 1.: in Consequenti vt tali non est probabilitas maior, quàm in Præmissis, vt est certum: esset autem maior, si daretur prætensa necessitas; nam probabilitas Præmissarum secundùm se non necessitat ad assensum; necessitat autem, iuxtà nos, probabilitas in Consequens derivata; & aliunde probabilitas, cum sit vis tractiva & suasiva Intellectus ad assensum, eò maior est, quò magis suadet & trahit. *Confirm.* 2.: stantibus Præmissis, aut potest Intellectus formidare de oppositio Consequentis, aut non potest. Hoc secundum tollit ab actu rationem opinionis, quæ stat in eo, quod sit compossibilis cum formidine de oppositio. Primum verò reliquit indifferentiam Intellectui; & præterea destruit fundamentum nostræ sententiæ desumptum ex evidentiâ connexionis; si enim vi talis evidentiæ inducitur assensus, omnem formidinem excludit. *Confirm.* 3.: si possibile esset Intellectum eidem veritati probabili simul assentiri duobus actibus numericè distinctis, posset vnum ponere, & alium suspendere: ergo à fortiori potest suspendere Conclusionis assensum, positis Præmissis; hic enim datur obiectorum

rum connexio, ibi formalis identitas, quæ plus valet; hic est nova veritas probabilis, atqueadeò novum errandi periculum, secùs ibi.

19 His argumentis movetur P. Joan. Bapt. de Benedictis *tom. 1. Philosoph. lib. 4. cap. 5.*, vt neget Conclusioni probabili necessitatem exercitij, quamvis concedat necessitatem specificationis. Sed in primis ex hoc ipso instatur Obiectio cum suis Confirmationibus: probat enim posse Intellectum positivè dissentiri Conclusioni, sicut potest aut potuit dissentiri Præmissis, saltem si motivum aliquod pro parte oppositâ simul apprehendat, vt sæpè contingit. Deinde, sicut assensus probabilis Præmissarũ, quâvis absolutè suspendi possit in quolibet instanti, tamẽ ex suppositione, quod existat in instanti A, iam non potest in eo instanti suspendi, sed necessariò existit, iuxtà illud, *Omne, quod est, ex suppositione quod sit, necesse est esse*; ita Conclusionis assensus potest quidem absolutè & nullâ factâ suppositione suspendi, sed non ex suppositione assensus Præmissarum, per quem virtualiter præiudicatum supponitur obiectum Conclusionis cum evidenti apprehensione connexionis obiectivæ, quam non negat citatus Author. Nam præiudicium istiusmodi refundit in assensum Conclusionis illam necessitatem essendi, quam habet ipsummet in eo instanti, in quo esse supponitur. Quo eodem modo philosophari tenetur Adversarius in necessitate quoad specificationem.

20 Hinc *ad obiect.*, concessâ Maiore, *dist. Min.*: non necessitatur &c., absolutè, & nullâ suppositione factâ, *conc.*; aliquâ suppositione factâ, *neg. Min.*, & sub eadem distinctione *Conseq.* Quam distinctionem adoptare teneberis, si loco illius addidi *quoad exercitium*, substituatur *quoad specificationem*. *Ad 1. Confirm.*: nego, quod probabilitas in Consequens derivata maior sit, quàm in Præmissis; est enim vna, & eadem, vtpotè in eodem motivo fundata. Nec verum est, quod magis necessitet Intellectum: nam, sicut Præmissæ necessitant, non absolutè & secundùm se, sed ex suppositione quod eis assentiatur Intellectus, ita ex hac ipsâ suppositione dumtaxat necessitat probabilitas Consequentis, non absolutè, & secundùm se. Nec ista vis tractiva, & suasiva distinguitur ab eâ, quæ Præmissis inest, cum inde refundatur in Consequens: imò quoad effectum necessitandi ex suppositione, magis elucet in Præmissis, quàm in Consequenti; magis quippè necessarium est Præmissas esse, ex suppositione quod sint, quàm Conclusionem esse, ex suppositione Præmissarum; hoc enim potest frustrari Divinitùs, non verò illud. Adde instantiam in necessitate specificationis: quia, cum probabilitas sit vis dissuasiva, & retractiva Intellectus à dissensu, & cum possit Intellectus absolutè dissentiri Præmissis, non autem Consequenti ex suppositione Præmissarum; pariter sequitur probabilitas maior in Consequenti.

21 Ad *2. Confirm.*: amplector primam partem dilemmatis, dummodò intelligatur de formidine indistinctâ, vel inseparabili ab eâ, quæ comitatur Præmissas. At, sicut formido comitans Præmissas non relinquit Intellectum indifferentem ad suspendendum earum assensum in eo instanti, in quo est, ex suppositione quod sit, sed solùm ad suspendendum pro priori ad talem suppo-

si-

sitionem, vel ad revocandum in sequentibus instantibus: ita similiter formido de oppositio Consequentis pari passu incedit, nec Intellectui relinquit indifferentiam ad suspendendum, vel revocandum assensum Consequentis, nisi revocatione, vel suspensione, quæ indivisim tollat assensum Præmissarum. Evidentia connexionis non excludit formidinem ab assensu Consequentis: est enim evidentia ex se conditionata, quæ redditur absoluta & necessitans per suppositionem assensus formidolosi. Explicatur: evidens mihi est, quod, si Petrus ambulat, moveatur: sed hæc evidentia non me necessitat ad assensum absolutum huius Consequentis, *Petrus movetur*, donec assentiar huic enuntiato, *Petrus ambulat*; quare si assensus iste sit meræ probabilis, & formidolosus, reddit etiam formidolosum assensum illius Consequentis, non obstante evidentia connexionis inter ambulare & moveri.

22 *Ad 3.*: Antecedens in primis negari potest sine scrupulo: nam idcirco repugnat ex natura rei positio simultanea duorum actuum numerò distinctorum, quia si esset possibilis, esset etiam necessaria semper ac poneretur vnus eorum; forent enim adeò germani fratres, vt quidquid determinaret ad existentiam alterius, determinaret pariter ad existentiam vtriusque: cumque aliunde superflua esset vtriusque positio, quia non aliud, nec aliter, nec melius detegeret vterque, quàm alter; & nihil superfluum ponit esse necessarium; fit, vt ea positio sit naturaliter impossibilis. Deinde, *permiss. Antec., neg. Conseq.*: quia in ordine ad multiplicandos assensus, plus valet connexio, quàm formalis identitas, siquidem illa præ istâ quodammodò multiplicat veritates obiectivas, quibus non plenè satisfit per primum assensum. Nec est in Conclusione probabili periculum errandi propriè novum; sed illud ipsum, quod est in Præmissis, ad novam veritatem extenditur; non enim errari potest in Conclusione, quin in Præmissis erretur.

## CAP. III.

### *Duplex quæstio de Conclusione Syllogismi.*

1 *Quæritur* 1.: vtrùm ad eliciendam Conclusionem ex Præmissis ritè dispositis, necessariò prærequiratur cognitio de bonitate Consequentiæ, sive illationis? Duplex est illatio: altera *obiectiva*, consistens in connexione obiectorum, vi cuius nequit obiectum Præmissarum esse verum, quin verum sit obiectum Conclusionis: altera *formalis*, consistens in rectâ dispositione terminorum formalium iuxtà regulas Logicæ, quatenùs idoneâ ad convincendum in quacumque materiâ. Ex his prima separari potest à secundâ, vt in hoc enthymemate, *Petrus est homo, ergo est animal.*

2 Affero 1.: non est necessaria cognitio de bonitate illationis formalis cum reflexione ad regulas Logicæ. Hoc satis probatum est Tract. 1. disp. 1. cap. 7., vbi ostendimus, sufficere cognitionem experimentalem sine arte: imò, vt notavimus ibidem num. 22., nec illa cognitio reflexa est necessaria per se loquendo (quamvis per accidens aliquando requiratur, eo quod non satis vltimate penetrentur termini &

sensus Præmissarum); quia Præmissæ per se se exercitè reddunt Intellectum securum de rectâ formâ discursus, quantum sufficit, ne temerè, seu cæco impetu concludat.

3 Assero 2.: non prærequiritur iudicium de bonitate illationis obiectivæ distinctum à Præmissis. Ita communis sententia contra quosdam oppositi opinantes. *Prob.* 1.: quia sequeretur alioquin, tres Præmissas ad syllogismum esse necessarias: nam ex his, *Omnis homo est animal, Petrus est homo*, non posset inferri Conclusio, donec adderetur hoc aliud iudicium, *Obiectum istorum actuum coniicitur cum eo quod Petrus sit animal*; & tunc demùm posset concludi sic, *Ergo Petrus est animal*. Unde fieret, Syllogismum per se requirere plusquàm tres terminos, & Artem Syllogisticam diminutè traditam fuisse ab Aristotele, nec nisi truncatam explicari ab omnibus, dissique in Institutionib. Dialectic..

4 2.: quia, vt quis incunctanter iudicet identitatem talium Extremorum inter se, sufficit, quod iudicet identitatem eorum cum tertio; vt etiam ad iudicandum, verè dici animal de tali subiecto, sufficit iudicare, quod tale subiectum sit vnum ex illis, de quibus animal verè dicitur; alioquin non posset quis etiam in communi assentiri principijs illis, *Dici de omni, quæ sunt eadem vni tertio &c.*, nisi prius iudicaret connexionem inter identitatem cum tertio & identitatem inter se, vel inter dici de omni & dici de quovis; proindeque non essent illa principia per se nota. Vt igitur in Conclusione iudicetur, Petrum esse animal, sufficiunt consuetæ Præmissæ, quibus iudicatur identitas Petri & animalis cum tertio, & asseritur, Petrum esse vnum ex illis, de quibus animal verè dicitur.

5 *Obiic.*, Conclusio infertur propter obiectum Præmissarum, non vtcunque consideratum, sed vt connexum cum obiecto Conclusionis: ergo debet formaliter & explicitè præcognosci talis connexio; non enim ad concludendum movet, nisi vt præcognita. Sed non ita cognoscitur per solas Præmissas, vtpotè quæ solum virtualiter & implicitè connexionem illam attingunt, alioquin, si cognoscerent illam explicitè, consequenter exprimerent Conclusionis obiectum saltem de obliquo: ergo iudicium aliud de tali connexione prærequiritur. *Confirm.* 1.: quia Præmissis positis, sæpè contingit, vt alius statim concludat, alius cunctetur: id autem non aliunde provenit, quàm ex iudicio de bonitate illationis, quod alius adiungit, & non alius. *Confirm.* 2.: quia, vt intentio finis determinet in actu secundo ad electionem, debet expressè iudicari vtilitas, aut necessitas medij: ergo pariter, vt Præmissæ vltimò determinent ad Conclusionem, debet expressè iudicari necessaria ipsius illatio.

6 *Obiectio* vtiummùm probat, necessariam esse connexionis illius explicitam apprehensionem. Sed neque hoc probat. Nam talis connexio non semper debet cognosci formaliter & explicitè, sed sufficit, quod proponatur per notitiam, quæ intrà lineam repræsentationis virtualis & implicitæ sit summè vivida, & proxima explicitæ, & quæ proinde explicitam suppleat, illique prorsùs æquivaleat in ordine ad determinandum Intellectum, vt assentiatur obiecto consequenti. Huius indolis est, quan-

quantum ad illam connexionem, repræsentatio Præmissarum in Modis perfectis primæ Figuræ, vt notavimus cap. 2. num. 16.; tali quippè modo exprimit suum obiectum, vt ferè ponat ob oculos obiectum Conclusionis, vel connexionem cum ipso, non solùm apprehensivè, sed iudicativè.

7 Quod autem in alijs Figuris, & generatim quoties Præmissæ non necessitant ad Conclusionem, requiratur apprehensio explicita, &, si velis, iudicium, de illatione sive obiectivâ, sive formali, permitti potest; quia id erit per accidens respectu Syllogismi perfecti, de quo nunc loquimur, & loquuntur Authores, cùm absolutè differunt de Syllogismo; non aliter ac, cùm disputatur absolutè, quid possit natura hominis, vel Intellectus humanus; non est sermo de natura infirmâ, vel de Intellectu rudi, sed de habente *totam* perfectionem, cuius est capax humana conditio.

8 Prima *Confirm.* solùm probat necessitatem apprehensionis: imò nec illam probat absolutè, sed tantùm quando Præmissæ formam habent imperfectam, aut per accidens non benè penetrantur. Secunda *Confirm.* immeritò æquiparat Voluntatem cum Intellectu, id est, potentiam cæcam cum oculatâ, maximè cum in casu nostro præcedat iudicium æquivalens explicito circà necessitatem obiectivam Conclusionis, & nihil simile præcedat in casu electionis medij.

9 *Quæres*, & contentiosè: vtrùm Conclusio formaliter attingat obiectum Præmissarum? idest, vtrùm Conclusio non solùm affirmet identitatem Extremorum inter se, verùm etiam sibi proponat, tamquam motivum affirmandi, Extremorum identitatem cum Medio, quæ est obiectum Præmissarum? Vel, si reguletur Syllogismus per *Dici de omni*, Utrùm Conclusio mentalis, *Ergo Petrus est animal*, non solùm assentiatur identitati Petri cum animali, sed etiam intrinsecè repræsentet pro ratione assentiendi, quod Petrus est vnus ex hominibus, de quibus verè dicitur animal, prout iudicatum est in his Præmissis, *Omnis homo est animal*, *Petrus est homo*?

10 Vt omittam duas sententias medias, quarum altera affirmat quoad aliquas Conclusiones, negat quod alias; altera affirmat de repræsentatione virtuali & exercitâ, negat de formali & signata: duæ supersunt sententiæ ex diametro oppositæ. Prima negat absolutè, defenditurque à PP. Hurtado, Cóptos, Alphonso, Izquierdo, Joan. Bapt. de Benedictis, quibus adde Scotistas apud Mastrium, item Spinulam, Aversam, & alios. Secunda absolutè affirmat, eamque tenet expressè D. Thomas 1.2.q 8.art.3. C., quem sequuntur Thomistæ, & plures è nostris, vt Ruvius, Amic., Arriaga, Ovied., Mauri, Quiros, & alij. Quæstio hæc examine indiget nec perfunctorio, nec brevi; cui forsitan locus erit in Animasticâ. Nunc illam proposuisse sufficiat, ne volumen Logicæ suprà modum excrescat.

## DISPUT. II.

### *De Syllogismo Demonstrativo.*

### CAP. I.

*Quid sit Demonstratio? & quotuplex? Vbi de Præcognitis, & Principijs.*

1 DEmonstratio, quæ & Syllogismus Apodicticus, seu

seu Demonstrativus appellatur, iuxtà Aristotel. 1. Post. cap. 2. est *Syllogismus faciens scire*, videlicet, tum in genere causæ efficientis, quatenùs causat scientiam habitualem; tum in genere causæ formalis, quatenùs *eo quod ipsum habeamus, scimus*, cum ipse sit actualis scientia, vt idem Philosophus explicat. Quia verò *Scire nihil est aliud, quàm Demonstrationem habere*, iuxtà Aristot. ibi, & 2. Post. cap. 3. ideò, necui fortè videatur fieri vitiosa circuitio in definiendo, solet Demonstratio ad mentem Aristotelis clariùs definiri sic, *Syllogismus, in quo ex Præmissis certis & evidentibus evidens Conclusio deducitur*, vel etiam breviùs, *Syllogismus evidens.*

2 Hæc definitio supponit, sine evidentiâ non dari Demonstrationem, atqueadeò nec Scientiam discursivam propriè sumptam. Unde sententia satis communis negat, sacram Theologiam esse propriè scientiam, quamvis certitudine superet scientias humanas, & fuso vocabulo appelletur scientia: quia scilicet procedit ex principijs, certissimis quidem, sed inevidentibus, vtpotè Fide supernaturali cognitis. Plures tamen ad conceptum Demonstrationis & Scientiæ solam requirunt certitudinem, dummodò hæc sine evidentia inveniri possit, vt invenitur in Sacrâ Theologiâ. Contentio est de nomine. Prima sententia verissima est in Scientijs purè humanis, de quibus modò loquimur.

3 Sed rogabis, quid sit evidentia? quid certitudo? *Resp.* Evidentia est claritas, quâ res ita perspicuè obijcitur Intellectui, quasi oculis videretur meridianâ in luce; ideòque nomen trahit ex videntiâ, quamvis non semper à visu, vel aliâ sensatione pendeat. Alia est *Evidentia obiecti*, consistens in tali vi, ac proportione motivi, quæ necessariò rapiat assensum, vel certè nullâ formidine, dubitatione, caligine retardari sinat, aut semel præstitum revocari: alia, *evidentia cognitionis*, consistens in intrinsecâ perspicuitate actus veritatem obiecti sic detegente, vt omnem dispellat calliginem, quâ nitatur hæsitatio Intellectus, aut formido falsi.

4 Certitudo est firmitas veritatis, aut persuasionis. Alia est *obiecti*, alia *subiecti*, alia *cognitionis*. Certitudo obiecti, est eius necessitas ita se habendi, vt iudicatur, saltem prout stat sub tali motivo. Certitudo subiecti est firma & tenax adhæsio Intellectus ad suum iudicium vt verum; quæ non semper oritur ex meritis iudicij, vel obiecti, sed non rarò ex pervicaciâ, vel passione, vt cùm hæretici mordicùs adhærent suis erroribus. Certitudo cognitionis est eius intrinseca infallibilitas, aut repugnantia ad falsitatem. Certitudo ista, quæ pendet ex motivo, dicitur metaphysica, dum falsitati repugnat essentialiter; dicitur physica, dum falsitati repugnat tantùm naturaliter; dicitur moralis, dum falsitas non nisi difficillimè contingere potest, nec ab vllo prudente est timenda. Omne iudicium evidens est certum vel metaphysicè, vel physicè: non tamen omne iudicium certum est etiam evidens, vt patet in actu Fidei supernaturalis, qui, cum sit summè certus, non est evidens, sed obscurus. Ad Demonstrationem ergo requiritur evidentia iudicij, & quæ in eâ imbibitur certitudo cognitio-

strationis, vel metaphysica, vel saltem physica.

*Demonstrationis divisio.*

5 Alia est Demonstratio *à priori*, quæ scilicet pro Medio assumit causam physicam, aut metaphysicam, vt probet effectum, aut proprietatem: alia est *à posteriori*, vel *à signo*, quæ nimirum pro Medio assumit effectum, vt probet causam; & quæ arguit *à concomitanti*, sive à Medio connexo cum obiecto inferendo, cuius non sit causa, nec effectus, vt si probet risibile per flebile, vel si ita differat, *Quidquid durat in tempore, existit in loco, Sed Cœlum durat in tempore, Ergo existit in loco.* Cum hac divisione coincidit iuxtà plures celebris & vetus illa, quâ dividitur Demonstratio in *Propter quid*, & *Quia*. Demonstratio *Quia* datur, dum evidenter ostenditur, quod res est: Demonstratio *Propter quid*, dum ostenditur evidenter, propter quam causam res est.

6 Nihilominùs communis Antiquorum acceptio non vocat Demonstrationem *Propter quid*, nisi eam, quæ per causam proximam probat effectum, v.g. risibile per admirativum, aut eclypsim Lunæ per interpositionem terræ: cæteras omnes vocat Demonstrationes *Quia*; sive sint ab effectu, sive à concomitanti, sive à causâ remotâ. Inter Demonstrationes *Propter quid* dicitur *potissima*, seu *perfectissima*, quæ demonstrat primam passionem per essentiam subiecti, v.g. admirativum per animal rationale.

7 Aliter dividitur Demonstratio in *ostensivam*, & *ducentem ad impossibile*. Demonstratio ostensiva est, quæ rem simpliciter ostendit ex Præmissis veris nullum incommodum expressè minitantibus, vt si demonstres, hominem esse admirativum, quia est discursivus, & omne discursivum est admirativum: Demonstratio ducens ad impossibile, quæ vocatur etiam *ab incommodo, ab absurdo, ab inconveniente*, est, quæ ex vnâ Præmissâ verâ, & alterâ ab adversario concessâ, deducit Conclusionem impossibilem, aut manifestè falsam, vt cogatur adversarius propositionem priùs concessam revocare, & contradictoriam admittere: vel etiam, quæ absque isto circuitu minitatur in Præmissis absurdum, quod sequeretur, nisi Conclusio vera esset; v.g. *Si homo non esset discursivus, non esset animal rationale, Sed est animal rationale, Ergo est discursivus.* Denique Demonstratio ratione formæ tot Figuras, & Modos habere potest, quot in Summulis dedimus.

*De Præcognitis, & Præcognitionibus.*

8 Ad demonstrandum prærequirit Aristoteles tria *Præcognita*, & duas *Præcognitiones*. Præcognita esse debent *Subiectum*, *Passio*, & *Principia*: & tria hęc pręcognoscenda sunt duobus modis, qui modi vocantur Pręcognitiones. Alter modus habetur, cùm de obiecto cognoscitur, *quod est*, sive *an est*: alter, cum de obiecto cognoscitur, *quid est*. Cognitio *an est* ferri potest vel in esse rei, cognoscendo scilicet rem esse existentem, aut saltem possibilem; vel in esse veritatis, aut complexi enuntiabilis, cognoscendo scilicet, aliquam propositionem esse veram. Cognitio *quid est* subdividitur etiam in cognitionem *quid nominis*, & *cognitionem quid rei*; quarum prima est conceptus vltimatus

tus nominis, secunda est ipsius rei definitio.

9 *Subiectum* igitur est illud, de quo aliquid demonstrare volumus, & quod proinde subijcimus in Conclusione. *Passio* in præsenti acceptione est prædicatum illud, quod de Subiecto demonstrandum suscipitur. *Principia* sunt veritates illæ, per quas convincitur, Passionem convenire Subiecto. Tria ista, Subiectum, Passio, Principia, debent præcognosci primò quoad *quid nominis*; nisi enim terminos penetres, seu nomina vltimatè concipias, quomodò demonstrabis? Deinde Subiectum & Passio debent præcognosci *quod sunt* in esse rei; nisi forte de possibilitate Subiecti disputetur, aut etiam de ente chymerico. Non tamen debet Passio necessariò præcognosci *quod est* in Subiecto, cum hoc ipsum sit demonstrandum: quamquam nihil prohibet, eam ex alio capite præcognosci de facto vt conuenientem illi Subiecto; sic enim post vilam eclypsim Lunæ, potest quis illam ex interpositione terræ demonstrare. Solùm ergo Passio necessariò præcognoscenda est vt res quædam in se possibilis.

10 Præterea Principia præcognosci debent *quod sunt* in esse veritatis, saltem per apprehensionem suasivam, aut evidentem. Denique non debent tria illa præcognosci quoad *quid rei*, nisi quando quidditas ipsa, vel definitio pro Medio assumetur, aut à posteriori demonstranda suscipitur. Solet quidem in limine cuiusque Scientiæ totalis præmitti definitio Subiecti, attributionis, vel adæquationis; sed id fit gratiâ Methodi, non quia requiratur ad omnem Demonstrationem particularem. Dices: qui nescit, quid sit res, non potest de illâ differere. *Dist.*: si nesciat quoad *quid nominis*, idest, si non habeat conceptum nominis vltimatum, *conc.*: si nesciat quoad *quid rei*, idest, si non habeat conceptum definitivum, *neg.*: quamvis enim exactè definire nescias Cœlum, aut Solem, poteris de his multa differere, saltem per Demonstrationem *Quia*.

### *De Principijs, & Propositionibus per se notis; atque etiam de Circulo non nihil.*

11 Sed quæres, quænam sint Principia, ex quibus procedere debet Demonstratio, & quæ præcognoscenda sunt demonstranti? *Resp.*, Principia hic sunt propositiones Medio vacantes. In sensu lato dici possunt Principia, quæcumque propositiones cognoscuntur hic & nunc evidenter sine Medio, vel sine discursu, quamvis in se sint cognoscibiles per Medium: atque ita omnis etiam Demonstratio à posteriori, seu quæ arguit ab effectu cognito per evidentem sensuum experientiam, procedit ex Principijs, idest, ex propositionibus evidenter cognitis absque Medio. Propriè tamen non dicuntur Principia, nisi propositiones indemonstrabiles à priori, quæ scilicet in se non habent causam, per quam probari possint: ideòque dicuntur propositiones *primæ*, idest, non pendentes ex aliâ priores; & *immediatæ*, idest, Medio à priori carentes.

12 Principia sic accepta, alia dicuntur græcè *Axiomata*, latinè *Dignitates* (aliàs *Proloquia*, *Profata*, vel *Effata*), ea nimirùm, quæ naturæ lumine nota sunt, & Scientijs omnibus communia, & quæ proindè necesse est vera putet is, qui Scien-

Scientiam aliquam differo adquirantur; cuiusmodi sunt hæc, *Quodlibet est vel non est*, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, *Idem de eodem verè simul affirmari & negari non potest*, *Totum est maius sua parte*. Alia dicuntur *Positiones*, ea videlicet, quæ, licèt à priori sint indemonstrabilia, & penetratis terminis evidentia, non sunt tamen communia, nec nota cuilibet sine Magistro, sed alicuius Scientiæ propria; ideòque non necesse est ea præcognoscantur, qui ad discendum accedit, cum soleant in limine ipsi proponi, & explicari. Huiusmodi est in Logicâ, *Ex verò non sequitur nisi verum*, & in Mathematicis, *Si ex æqualibus æqualia demas, remanent æqualia*.

13 Hùc pertinent definitiones rerum essentiales, quæ inter Positiones, seu prima principia vniuscuiusque Scientiæ numerantur, quia in Scientijs ad methodicè differendum præmitti solent, & plerumque vel prudenter supponuntur, vel non probantur, nisi per inductionem ab experientiâ, vel etiam ab inconvenientia: qui modus probandi convenire potest omnibus Principijs, etiam Dignitatibus, ficuì forsan minùs evidentia videantur. Jam, quod diximus, ad demonstrandum præcognoscenda esse Principia in esse veritatis, sic intellige, vt Dignitates, etiam quando non ingrediuntur formaliter Demonstrationem, debeant esse demonstranti præcognitæ saltem habitualiter, ideſt, vt demonstrans, non solùm non dissentiat illis, sed dispositus sit ad assentiendum, quandocumque menti occurrant: Positiones verò non debeant præcognosci ante omnem Demonstrationem, sed solùm quando ex illis conficienda est Demonstratio, vel ex Præmissis per illas demonstratis.

14 Cum Principijs ita explicatis recurrant propositiones per se notæ. Dicitur autem propositio *per se nota*, quam ex propijs terminis quisque probat vt veram, seu quæ non indiget aliâ ratione, vel medio, vt à quolibet ratione vsente approbetur, præter conceptum vtriusque horum terminorum, nempè subiecti, & prædicati, quibus constat. Quodsi hoc pacto nota sint tales eandem communes & obvias notiones, quas omnes à pueritiâ imbibunt, tunc dicitur propriſsimè per se nota. Talia sunt Principia generalia, quæ Dignitates appellantur, vt *Totum est maius sua parte*: item propositiones identicæ, & aliæ, quæ veritatem præferunt manifestam, v.g. *Petrus aut est albus, aut non est albus*.

15 Si verò propositio nota sit ex propijs terminis, quorum vltimatus conceptus non habetur communiter à quolibet, sed ad aliquam facultatem pertinet, tunc erit per se nota, minùs propriè quidem, sed tamen propriè: quia, licet extrema sint reconditiora, si tamen tota ratio veritatis enuntiabilis consistit in ipsis, sufficit penetratio terminorum, vt propositionis veritas pateat, quin alio Medio sit opus: hic autem est character propositionis per se notæ. Hoc sensu per se nota dicitur omnis propositio immediata, seu quæ vacat Medio à priori, per quod probetur, v.g. *Qualitas est accidens*, *Quantitas non est qualitas*, & generatim ea Prillcipia, quæ Positiones dicuntur.

16 Porrò propositio immediata, alia dicitur *per se notà quoad se tantùm*, alia *quoad se & quoad nos*.

Hæc

Hæc divisio, quæ traditur à Thomistis, & reijcitur ab Scotistis, congruum habet sensum, si loquatur de propositione obiectivâ, seu de obiecto vt enuntiabili. Sic enim erit immediata & per se nota *quoad se tantùm* propositio, quando Medium, per quod probatur, non est aliud ab ipsis extremis alietate reali (vel saltem alietate fundante perfectam distinctionem rationis); à nobis tamen imperfectè cognoscentibus assumitur vt medium, & quasi tertium quid. V.g. dum prima passio prædicatur de subiecto, vt admirativum de homine, fit propositionobis cognoscibilis ac demonstrabilis per definitionem subiecti, scilicet per animal rationale, quod à nobis assumitur vt medium & ratio à priori, cur homo sit admirativus, proindeque se habet *quoad nos* quasi aliud ab extremis. Sed, cum ea definitio non sit aliud ab homine *quoad se*, iam extremorum obiectiva connexio non fit nota per aliud *quoad se*: fit ergo *quoad se* per se nota, & est in se immediata, seu Medio vacans, licèt non *quoad nos*.

17 Quando autem nec ex parte obiecti mediat ratio à priori, nec ex modo nostro concipiendi, tunc propositio est immediata & per se nota *quoad se & quoad nos*; vt accidit in primis Principijs, & quotiès prædicatum est de immediatâ ratione subiecti, seu quotiès definitio, vel pars definitionis prædicatur de definito. Notandum hìc, in sensu lato vocari quoque *per se notas* veritates contingentes, quas immediatè percipimus per evidentem experientiam. Sic enim per se notum est vnicuique homini se existere. Sed propriè non dicitur propositio per se nota, nisi quæ eadem per se patet omnibus. Veritates autem contingentes, & singulares de obiecto creato, vel non patent, nisi singulæ singulis, vel non nisi videntibus, aut aliter experientibus. Hìc etiam notari solet, sufficere ad conceptum propositionis immediatæ, vel per se notæ, quod careat Medio à priori in aliquo genere causæ, tametsi non careat in alio genere: vnde poterit propositio esse immediata in genere causæ intrinsecæ, simulque demonstrabilis per causam extrinsecam.

18 Denique notandum, non esse contrà rationem omnis propositionis immediatæ ac per se notæ, quod possit à posteriori demonstrari. Quâ occasione dicere oportet, quatenùs liceat in demonstrando Circulus. Tunc vtimur Circulo, quàndo vice mutatâ sumimus obiectum Consequens pro Antecedenti, & inde inferimus vt Consequens, quod priùs fuerat Antecedens. Hoc si fiat absque aliâ notitiâ veritatis denuò assumptæ in Antecedens, quàm quæ priori discursu comparata fuerat, dabitur Circulus vitiosus, qui dici solet *Circulus formalis*, aut *vniformis*, aliàs *petitio principij*. Quodsi Consequens priùs illatum, posteà penitiùs cognoscatur, vel etiam ex alio capite probetur, licebit tunc per illud probare antiquum Antecedens discursu retrogrado, qui vocatur *Circulus materialis*, & *Regressus demonstrationis*, nullo vtique vitio laborans. Sic passim probamus causas per effectus; ac dein per causas attentiùs consideratas, & meliùs cognitas, à priori probamus effectus eosdem. Hoc igitur pacto fieri potest, vt propositio immediata demonstretur à posteriori, quamvis gerat munus primi Principij Demonstrationis à priori.

CAP. II.

## CAP. II.

*Quales esse debeant Præmissæ Demonstrationis, præsertim ex materia circà quàm?*

1 ARistoteles 1. Post. cap. 2. ad Præmissas Demonstrationes præscribit conditiones quasdam, ex quibus conficitur hæc veluti definitio Demonstrationis, *Syllogismus constans ex veris, primis & immediatis, prioribus, notioribus, causisque Conclusionis.* Sex istæ conditiones commodè reducuntur ad tres: vt nimirùm Demonstratio constet 1. ex præmissis *veris*, in quibus scilicet prædicatum re ipsâ conveniat subiecto; nec veris vtcumque, sed certis & evidentibus, vt passim supponit Aristoteles: 2. *ex immediatis*, idest, Medio vacantibus, sive indemonstrabilibus à priori, quas explicuimus cap. præced.; & hoc ipsum est constare ex *primis*: 3. ex *causis Conclusionis*, vbi comprehenduntur illæ particulæ, *ex prioribus, & notioribus*: nam causa est *prior* naturâ, quàm effectus, & est etiam naturâ *notior*, quatenus illa dicuntur notiora naturâ, in quibus fundari debet exacta cognitio rerum aliarum, quas accuratè & radicitùs scire volumus.

2 Sed circà 2. conditionem quæres, an omnis Demonstratio constare debeat ex *primis? Resp.* Omnis Demonstratio *Propter quid* de obiecto necessario, constare debet ex *primis*; vel formaliter, vel saltem virtualiter, constando scilicet ex Præmissis mediatis, quæ iam supponantur demonstratæ per prima Principia. Consuetum quippè est in Scientijs, & ab Aristotele traditum 1. *Topic. cap.* 1., vt Conclusiones per prima Principia demonstratæ (atque adeò participantes eorum virtutem certitudinis & evidentiæ) sumantur deinceps vt Præmissæ ad novas Conclusiones demonstrandas. Hoc igitur sensu procedere debet Demonstratio ex primis Principijs, seu, quod eòdem redit, ex propositionibus immediatis ac per se notis, non *quoad se* tantùm, sed *quoad nos*.

3 Circà 3. conditionem quæres, an Præmissæ debeant esse Conclusione notiores, non solùm in sensu explicato num. 1., sed ita, vt sint clariores, idest, evidentiores, atque etiam veriores, idest, certiores? Affirmare videtur Aristoteles ex eo celebri proloquio, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*; cum enim Conclusio sit modo dicto nota propter Præmissas, debent istæ esse notiores. Consentiunt communiter Philosophi, præsertim veteres; qui tamen ad veritatem illius proloquij (in quo ly *propter* denotat causam per se) tria requirunt. 1. vt prædicatum, in quo fit comparatio, insit vtrique extremo; ideòque non sequitur, quod si homo est creatus propter Deum, Deus est magis creatus. 2. vt tale prædicatum suscipere possit magis & minus: quare, licèt tu sis homo propter patrem tuum, non ideò tuus pater est magis homo. 3. vt vnum sit causa alterius in illo ipso prædicato, & quidem adæquata in suo genere. Cum hisce conditionibus, quas invenire poterat in causa quæstionis, proloquium illud reputans inconcussum, & ideircò venient, Præmissas semper esse Conclusione certiores, & evidentiores.

4 Sed oppositum censent PP.

Hur-

Hurtad., Ovied., Lync., Quiros, & alij plurimi, præsertim Recentiores; & quidem ob argumenta non levia, quæ videri possunt apud ipsos: nec dictum proloquium generatum admittunt, nisi in causâ finali; quo in genere, si amatur medicina v. g. propter salutem, magis amatur salus. Ad me quod attinet, res est incerta & vtrimque probabilis quantum ad excessum evidentiæ, quæ facilè potest admittere magis & minus. Quantum verò ad excessum certitudinis (quæ nunc sumitur pro infallibilitate actus, vel necessitate obiecti), probabilior est negativa pars. Nam certitudo, prout est communis Præmissis & Conclusioni eiusdem Syllogismi demonstrativi, sæpè non admittit magis & minus: vel enim certitudo est metaphysica; & tunc vtrobique prorsùs impossibile est subesse falsum: vel certitudo est physica, vt in hac Demonstratione, *Quoties terra interponitur Solem inter & Lunam, datur eclypsis Lunæ, Sed tali tempore sic terra interponitur, Ergo tali tempore datur eclypsis Lunæ*; & tunc etiam vtrobique repugnat falsitas absque miraculo prorsùs æquali, vt patebit consideranti. Vtsummùm admitti poterit excessus certitudinis quasi extensivus in vtràque Præmissâ simul sumptâ.

5 Redeo ad conditiones num. 1. expressas, & moneo duo. 1.: vt Demonstratio sit *ex causis*, non solùm sufficit causa physica, vt est Solis ortus respecta diei, sed etiam causa vel radix metaphysica, vt est rationale respectu admirativi, & admirativum respectu risibilis; imò sufficit prædicatum, quod sit quoad nos proxima ratio connexionis aut convenientiæ extremorum, tametsi non sit causa eorum secundùm se, vt cum demonstratur, quod homo est vivens, quia est animal. Porrò causa ad demonstrandum vtilis pro varietate materiæ, potest esse quintuplex, nimirùm efficiens, exemplaris, finalis, materialis, & formalis; de quibus latè in Physicâ.

6 2.: conditiones illas strictè requirit Demonstratio *Propter quid*. Sed latiori sensu dici potest, quod omnis Demonstratio, etiam à posteriori, seu *Quia*, constare debet primùm ex Præmissis evidenter *veris*: deinde ex *immediatis*, vel indemonstrabilibus, saltem virtualiter, seu ex non indigentiâ, quatenùs Præmissæ evidentes, vndecumque tales evadant, non indigent hic & nunc novo Medio, vt evidentiam contineant, & refundere possint in Conclusionem; quod iam indicavimus cap. præced. num. 11.: demùm ex *causis Conclusionis*, quæ sint causæ saltem in cognoscendo, licèt non semper in essendo; ita scilicet, vt obiectum Præmissarum, quamvis non sit causa nec radix obiecti Conclusionis, sit tamen titulo necessariæ connexionis efficax motivum & ratio cur assentiamur Conclusionis obiecto.

7 Præter hucusque dicta, præcipit Aristoteles, vt Præmissæ Demonstrationis constent prædicato *de omni*, *per se*, & *secundùm quod ipsum*. Tunc datur prædicatum *de omni*, quando nihil sumi potest infrà subiectum, cui prædicatum non conveniat pro omni tempore. Hocce prædicatum, aliud est *prioristicum*, seu ratione formæ, quod scilicet expressè applicatur omni contento sub subiecto, præscindendo à veritate rei; vt sæpè fit in Libris *Priorum*, vbi propositiones vniversales formàri solent in exemplum formæ syllogisti-

gisticæ, quin attendatur veritas, aut materiæ conditio, v. g. *Omne A est C*, vel *Omnis homo est albus*. Aliud est *posterioristicum*, seu ratione materiæ (de quâ in Libris *Posteriorum*), quod scilicet ex naturâ obiecti reipsâ convenit omni & semper, etiamsi subiectum non distribuatur expresè, v.g. *Homo est animal*. Hoc requiritur in aliquâ saltèm Præmissâ Demonstrationis categoricæ.

8 Sed tria sunt notanda. 1.: Tò *de omni*, non solùm intelligitur positivè, quando nempè subiectum est terminus communis plura sub se contiaens inferiora; verùm etiam negativè, quando nempè subiectum est singulare, quia tunc etiam nihil sumi potest infrà subiectum, cui non conveniat prædicatum. Unde propositio hæc, *Deus est immutabilis*, constat prædicato *de omni*, estque idonea Demonstrationi. 2.: ad prædicatum *de omni* sufficit convenientia pro omni tempore, quod sibi determinat natura subiecti, aut prædicati. Unde hæc propositio *Hyems est frigida*, vel hæc, *Æstas est calida*, constat prædicato *de omni*, quamvis subiectum determinet statа tempora; vt etiam hæc, *Luna patitur eclypsim*, quamvis prædicatum determinet tempus, quo terra interponitur Solem inter & Lunam. 3.: Demonstratio negativa requirit pariter prædicatum *de nullo*, quod similiter datur, quando nihil infrà subiectum sumi potest, à quo non removeatur prædicatum pro omni tempore.

9 Prædicatum *per se* datur duobus modis. Prædicatum *per se primo modo* est, quod ponitur in definitione subiecti, non tamquam additamentum, aut terminus connexionis, sed tamquam tota quiditas, vel pars quiditatis, vel tamquam quid formaliter imbibitum in aliquâ parte essentiali; cuiusmodi sunt respectu hominis rationale, animal, vivens, & reliqua prædicata superiora. Prædicatum *per se secundo modo* est illud, in cuius definitione ponitur subiectum habens cum eo necessariam connexionem: tale est respectu hominis risibile, cum definiatur, *Homo aptus ad ridendum*. Vel clariùs & generaliùs dicetur esse illud, quod cum sit extrà essentiam subiecti, necessariam tamen eius connexionem terminat.

10 Addit hic Aristoteles duos alios modos *per se*, videlicet, *per se existendi*, vel *essendi*, qui modus proprius est Substantiæ, quatenùs hæc dicitur *Ens per se*, vt discernatur ab Accidenti, quod est *Ens in alio*; item *per se causandi*, quo modo competit effectus suæ propriæ causæ quà tali, vt architecto competit ædificare, citharœdo pullare citharam: vnde quod citharœdus ædificet, aut architectus citharizet, non est *per se*, sed *per accidens*. Hæc tamen perfectas non efficit prædicatum *per se*, vt nunc sumitur, nisi accedat connexio necessaria subiecti cum prædicato. Quare sola perfectas duplex *in prædicando*, nuper explicata, debet in præsentiarùm attendi.

11 Denique prædicatum *secundùm quod ipsum*, quod Aristoteles vocat *prædicatum vniversale* (nempè alio sensu, quàm quo *Vniversale* sumpsimus Tract. 2. & 3.), est prædicatum de omni, per se, quod subiecto convenit convertibiliter, seu reciprocè; vt respectu hominis rationale, admirativum, risibile. Dicitur *secundùm quod ipsum*, quia tale prædicatum convenire non potest vlli subiecto, quod non sit illud ipsum,

sum, vel sub ipso contentum. Ex dictis infere, prædicatum *universale*, vt nunc sumitur, comparari ad prædicatum *per se*, tamquam speciem ad genus; & similiter prædicatum *per se* ad prædicatum *de omni*, si hoc accipiatur vt præscindens à prioristico & posteristico.

12 Porrò prædicatum istis conditionibus præditum idcircò exposcit Aristoteles, vt Demonstratio Præmissis constet *necessarijs*. Quâ ex occasione queres, an sit de conceptu omnis Demonstrationis versari circà materiam necessariam? Respondeo, non esse, vt ostendam cap. vltim., vbi de obiecto Scientiæ. Nec omnes conditiones, quas præscribit Aristoteles in Libris *Poster.*, pertinent ad conceptum Demonstrationis vt sic, sed plures ad solam Demonstrationem *Propter quid*, aliæ ad solam *potissimam*, vt passim admonent Interpretes; quibus etiam notum est, Aristotelem ferè semper loqui de Demonstratione vniversaliter concludente. In specimen limitationis doctrinæ Aristotelicæ notant hic omnes, prædicatum *secundùm quod ipsum* requiri, dum propria passio demonstranda est de subiecto ex propriâ radice; ad alias autem Demonstrationes sufficere prædicatum *de omni*, & *per se*. Qui totam Philosophi doctrinam fusiùs & eruditiùs explicatam volet, legat PP. Conimbricenses in Libros *Posteriorum*.

## CAP. III.

### *Quid sit Opinio, & Syllogismus Topicus, & quatenùs à Demonstrativo differat?*

1 QUoniam Syllogismus in communi dividitur in Demonstrativum, Topicum, & Sophisticum, ac de Sophistico satis in Summulis dictum est, oportet nunc explicare Topicum, vt ei contrapositus Demonstrativus magis innotescat. Sed, cum id fieri non possit, nisi sciatur, Quid est Opinio, priùs hoc explicandum est. *Opinio* (inquit D. Thomas 1. p. q. 79. art. 9. ad 4.) *significat actum Intellectus, qui fertur in vnam partem contradictionis cum formidine alterius.* Communiter pro eodem accipitur, ac iudicium *probabile*, idest, conceptum ex motivo, seu fundamento, verosimili quidem, & alliciente ad assensum, sed non evidenti, nec infallibili, vel saltem non applicato per lumen infallibile, ideòque relinquente locum formidini falsitatis. Hinc omne iudicium opinativum, seu probabile purè tale, dicitur formidolosum.

2 Duplex autem distinguitur formido falsitatis: altera *radicalis*, aut *permissiva*, quæ identificatur cum ipso iudicio probabili, quod, quia non connectitur intrinsecè cum veritate, non omninò pacificat Intellectum, sed potiùs radicat, aut permittit simul existere timorem, ne fortè lateat falsitas: altera *formalis*, quæ in Intellectu est actus iudicans, aut vividè apprehendens periculum falsitatis, idque vel ex rationibus pro contrariâ parte militantibus, vel etiam ex cognitâ fallibilitate motivi, propter quod præstatur assensus; & inde resultat in Voluntate timor falsi, qui propriè dicitur formido. Formalis ista formido non semper comitatur iudicium probabile, saltem si nec advertatur fallibilitas motivi suadentis, nec vllum se offerat motivum adversæ partis; imò nec semper comitatur iudicium, prorsùs erroneum, aut temerarium, cum

cum possit illi adiungi certitudo subiecti, vt suprà notavimus.

3 Differt Opinio ab actu scientifico, quatenùs inevidens & obscura est, & insuper incerta ex se; non quia semper verletur circà obiectum materiale contingens, sed quia actus opinativus, quantum est ex se, non repugnat falsitati, eo quod motivum non est sufficiens, vel non applicatur sufficienter, ad refundendam certitudinem cognitionis. Unde, quod Aristoteles ait, Opinionem esse de contingentibus, seu de ijs, quæ aliter se habere possunt, intelligendum est *in vi Opinionis*, quatenùs hæc ex se non impedit obiectum aliter se habere. De facto, conflat plurimas Opiniones versari circà res necessarias, aut impossibiles, v.g. cùm disputatur de connexione Omnipotentiæ cum possibilibus, vel de distinctione essentiæ ab existentiâ in creatis. Hinc etiam, cùm Aristoteles ait, *Probabile esse, quod plerumque contingit*, seu *quod fere semper fieri solet*, vel totùm definit Probabile rhetoricum, & sophisticum, vel nullatenus definit Probabile, sed tantùm asserit, id, quod contingit plerumque, vel fere semper, esse probabile, v.g. quod mater diligat filium: non tamen negat, alia esse Probabilia, quæ vel contingunt semper, vel nunquam. Sic qui dicit, *Videns est, quod oculis patet*, non ideò negat aliam evidentiæ modum.

4 *Quæres*, quatenùs differat Opinio à Fide? *Resp.* Fides in genere est iudicium de obiecto habitum ex testimonio & authoritate dicentis, rem ita se habere. Dum nititur testimonio seu revelatione Dei, & à principio supernaturali provenit, dicitur Fides Diuina, & ab Opinione differt in eo, quod sit certissima, & infallibilis, solùmque cum illâ conveniat quatenùs inevidens & obscura. Dum verò nititur hominis authoritate, dicitur Fides humana, estque incerta & fallibilis, semper physicè, & plerumque moraliter, quia *Omnis homo mendax*; & ideòcò solet vel apud Aristotelem comprehendi nomine Opinionis, potestque deservire ad Syllogismum Topicum. Propriè tamen ab Opinione differt, quia Opinio motivum habet à re ipsâ petitum, sive aliquomodò ad rem ipsam pertinens, aliquid scilicet, quod videatur rei causa, signum, aut effectus, vel argumentum à simili, à pari, ab inconvenienti, &c.: Fides autem illa præcisè moveatur, quia homo dicit. Sed vtraque in eo convenit, quod sit inevidens, & fallibilis.

5 Porrò à Suspicione & temerario iudicio differt Opinio, quia Suspicio nititur indicio levi, vel etiam iudicium temerarium, quod insuper habet militare contra gravem rationem, vel præsumptionem vehementem partis oppositæ: Opinio autem, quamvis largo sensu actus etiam istos comprehendat, propriè tamen exigit motivum alicuius momenti, cui assentiri non sit prorsùs stultum, etiam comparativè ad motivum partis oppositæ, si adsit; hoc est enim esse motivum probabile (non loquor de probabili Theologico, plura fortasse requirente), mereri approbationem Intellectus, vel saltem non esse prorsùs indignum approbari. Hæc probabilitas erit maior, aut minor, prout fuerit pondus, ac vis suasiva rationum assentiendi, tum absolutè, tum comparativè ad rationes oppositas, tum adsunt, potestque ita decrescere, vt solùm di-

catur probabilitas, aut Opinio, cum addito *tenuis*, vel *tenuiter*. Semper tamen necesse est, vt contrà se nihil habeat certum, aliter non erit Opinio, sed iudicium erroneum; nam, vt aiunt, *Contrà certum non datur probabile.*

6 Opinio sic exposita, alia est *immediata*, alia *mediata*. Opinio immediata est, quâ assentimur obiecto ex proprijs terminis, qui sine indigentiâ Medij de se invitant & movent ad assensum, licèt non cum exclusione formidinis. Talis est ista, *Mater diligit filium*. Dari enim propositiones probabiles immediatas, seu per se notas probabiliter, quæ sint prima principia probabilia, licèt aliqui negent, communi Sapientum calculo ratum est, vt multâ & selectâ eruditione recèns ostendit Sapientissimus pariter & acutissimus P. Vincentius Mascarell in egregio Opere *De Libertate Actus Diuinæ Fidei* sect. 6. 7. & 8.

7 Opinio mediata est, quæ per discursum habetur ex duplici, vel alterâ saltem Præmissâ probabili, vt si hæc, *Berta diligit Titium*, colligatur ex his, *Quæ mater est, diligit filium*, *Berta est mater Titij*. Sæpè quidem ex Antecedenti certo & necessario deducitur Conclusio probabilis: sed tunc subintelligitur altera Præmissa incerta. V. g. cùm sic arguitur, *Materia prima habet propriam essentiam, Ergo & habet propriam existentiam*, subauditur hæc Præmissa merè probabilis, *Quidquid habet propriam essentiam, habet & propriam existentiam*, vel hæc alia, *Essentia non distinguitur ab existentia.* Denique dividitur Opinio in *actualem*, & *habitualem*; quæ divisio speciali explicatione non eget.

8 Ex dictis facilè colligitur, quid sit Syllogismus *Topicus*, qui vocatur etiam *Opinativus*, *Probabilis*, *Dialecticus*. Est etenim *Syllogismus faciens opinari*, vel, *Syllogismus, in quo ex Præmissis probabilibus, aut ex altera probabili & altera certa, probabilis Conclusio deducitur.* Ratio, cur sufficiat altera Præmissa incerta, est, quia sufficit, vt identitas vtriusque extremi cum medio non sit certa; proindeque non potest ex eo motivo certa evadere identitas extremorum inter se. Hinc, dum vtraque Præmissa est merè probabilis, Conclusio est incertior, minùsque probabilis, quàm vnaquæque Præmissa, quia falsitati obnoxia est pluribus titulis. V.g. in hoc discursu, *Quæ mater est, diligit filium, Sed Berta est mater Titij, Ergo Berta diligit Titium*, Conclusio redditur fallibilis duplici titulo, & quia forsàn aliquæ matres non diligunt filios, & insuper quia Berta forsitàn non est mater Titij.

9 Sed, quando ambæ Sumptiones sunt probabiles, curandum est, vt sint comprobabiles, seu potiùs conversicabiles, ita vt veritas vnius, si fortè detur, non destruat necessariò veritatem alterius; alioquin Conclusio evadet spuria, imò evidenter falsa, vel chymerica. V.g. si ita arguas, *Datur physica prædeterminatio, quoties Voluntas liberè agit, Sed physica prædeterminatio tollit libertatem, Ergo datur aliquid tollens libertatem, quoties Voluntas liberè agit*; sumis quidem Præmissas, quarum altera in Scholâ Thomisticâ, altera in Jesuiticâ defenditur vt probabilis, sed nihilominùs Consequens est plaeè implicatorium.

10 Sic explicatus Syllogismus Topicus differt à Demonstrativo, non ratione formæ, quæ servare debet eadem regulas vtrobique,

que, nec ratione materiæ *circà quam*, quia idem materiale obiectum potest alius scire, alius opinari, vel propter diversa motiva, vel propter idem diversimodè propositum; sed ratione materiæ *ex quâ*, ideſt, ratione propositionum formalium, ex quibus constituitur vterque, & quæ in Demonstrativo sunt omnes certæ & evidentes, in Topico autem Conclusio & altera saltem Præmissa inevidentes & incertæ. Quodsi detur Syllogismus ex Præmissis moraliter certis, quamvis à multis reduci videatur ad Topicum, melius vocabitur Demonstratio, non philosophica, sed historica, vel moralis.

## CAP. IV. ET ULTIM.

### *De Scientia, quæ per Demonstrationem habetur.*

1 PRo complemento doctrinæ demonstrandi, superest, vt de Scientiâ, quam Demonstratio facit, aut importat, non nihil hic breviter differamus. Scientiæ nomen accipitur 1. latissimè pro quâlibet notitiâ verâ, vtpotè quæ sufficit, ne res dicatur absolutè nesciri. 2. pressius pro quâlibet notitiâ evidenti, sive sit discursivâ, sive non: atque ita convenit etiam notitiæ primorum Principiorum, quæ vocantur *intellectus*, aut *intelligentia*: convenit item notitiæ experimentali, quâ immediatè percipimus evidenter obiecta contingentia, & singularia. Secundùm hanc acceptionem differt Scientia ab Opinione, & Fide.

2 Pressius adhuc accipitur 3. pro notitiâ discursivâ per Syllogismum evidentem seu demonstrativum habita. Hæc acceptio, apud Philosophos frequentissima, complectitur Demonstrationem à priori, & à posteriori. Quare Scientia actualis idem est, ac *Demonstratio*, seu *Conclusio Demonstrationis*: habitualis autem est *Habitus per Demonstrationem adquisitus*. Circà obiectum Scientiæ sic acceptæ *quæritur*, an debeat esse *universale*, *necessarium*, *perpetuum*, *ingenerabile*, *incorruptibile*, & *Ens per se*? Hæc attributa passim illi tribuuntur à Philosophis cum Aristotele, propterea à negantibus, Scientiam esse de singularibus, contingentibus, corruptibilibus, & entibus per accidens, aut non entibus.

3 *Resp.* 1.: attributa illa ritè explicata competunt obiecto Scientiarum totalium, quæ methodicè traduntur, & appellantur Disciplinæ, saltem quoad actus præcipuos. Nam in primis earum Subiectum, seu ratio *sub qua*, est aliquid *universale*, v.g. Ens vt sic, Corpus mobile vt sic, Modus sciendi vt sic: neque vlla per actus primarios differit de singulari quâ tali, sed de aliquo genere, vel specie, adeò vt, cùm de Sole, vel de Lunâ differitur, non attendatur differentia individualis, sed ea prædicata demonstrentur, quæ indiscriminatim convenirent alij Lunæ, vel Soli eiusdem speciei, si daretur. Excipe tamen actus differentes de Deo quâ tali, vt sunt aliqui Physicæ, & plures Metaphysicæ, quâ parte dicitur Theologia naturalis.

4 Deinde obiectum illud est *necessarium* & *perpetuum* quoad connexionem subiecti cum prædicato prout affirmabilem per tales actus: hi quippè sumunt prædica-

tum, quod vel pertinet ad essentiam subiecti, vel ab eâ infertur necessariò; & aliunde non illud affirmant de subiecto vt exercitè existente, sed vt præscindente ab statu existentiæ, cum hac implicitâ conditione, *si existat*, vel *quandocunque existat*. Hoc sensu, hominem esse admirativum v.g. est quid necessarium, & æternum, non in existendo, sed in verificando, quia in omni tempore & ab æterno est verè affirmabile. Præterea est *ingenerabile*, & *incorruptibile*; vel quia generatio & corruptio non exercentur circà vniversalia, sed circà singularia; vel quia præscinditur ab statu existentiæ, cuius est generari, & corrumpi; vel quia nulla generatio, vel corruptio variare potest illud obiectum quoad munus verificandi actus scientificos: id quod verum est, etiam dum afferitur corruptibilitas ipsa de proprio subiecto.

5 Denique obiectum illud est *Ens*, aut *vnum per se*; tum logicè per vnivocationem, vel analogiam; tum etiam physicè; quia nulla Scientia (a) differit formaliter de ente per accidens (saltem quatenùs hoc nomine significatur eus casuale, vel vnum per aggregationem, vt acervus lapidum), nisi fortè quando Metaphysica differit de Vno per accidens, vt ab illo discernat Vnum per se, vtique per actus minùs præcipuos, aut secundarios.

6 *Resp.* 2.: sine ijs attributis dari potest obiectum Demonstrationis, atque adeò Scientiæ, sive actûs scientifici, qui vel ad nullam Disciplinam pertineat propter materiam facilem & obviam, vel pertineat ad aliquam minùs principaliter, aut secundariò. Exemplo sint Demonstrationes illæ. *Quidquid cogitat, existit; Sed ego cogito; Ergo existo. Quidquid currit, movetur; sed hic leo currit; Ergo hic leo movetur. Hic lignorum fascis est vnum per accidens; Sed hic lignorum fascis actu existit; Ergo aliquod vnum per accidens actu existit.*

7 Dices, hos non esse syllogismos demonstrativos. *Contrà*: sunt syllogismi evidentes; proindeque non falsi, nec sophistici, nec topici: ergo demonstrativi; non enim alia restat species syllogismi. Reponès, esse syllogismos experimentales. Sed verò, licèt ita vocari possint, quatenùs aliquam vel vtramque Præmissam immediatè sumunt ab experientiâ; quod tamen constituant speciem syllogismi diversam ab omni Demonstratione, & syllogismo topico, videtur inaudicum. Illis certè convenit definitio Demonstrationis data cap. 1. num. 1. Dicitur quidem Experientia esse de singularibus, sed sine discursu cognitis: dum verò ex ijs discurritur evidenter, iam datur progressus scientificus. Et alioquin notitia, quam de existentia & attributis Dei adquirimus ex creaturis hisce, quas cernimus, non posset esse Demonstratio, nec Scientia; quod est contrà communem sensum, cui favet Apostolus *Ad Rom. cap.* 1.

8 Dices iterùm: nihil apud Philosophos solemnius, quàm quod Scientia est de necessarijs, & in eo differt ab Opinione, quæ est de contingentibus. *Instò* 1.: ergo, sicut Opinio potest nihilominùs esse de necessarijs, & passim est, vt vidimus Cap. præced.; ita Scientia poterit esse de contingentibus. *Instò* 2.: pariter solemne est apud Philosophos quod Scientia debet esse de Ente, po-

(a) *Vid. Conimbric. in cap. 10. lib. 1. Post. q. 1. art. 1. ad finem.*

positivo; & per se; cum tamen certum sit, Metaphysicam per actus minùs præcipuos demonstrativè agere de carentiis, de ente rationis, & ente per accidens. Itaque Philosophi loquuntur de Scientijs methodicis quoad actus præcipuos, vel de Scientiâ *Propter quid* universaliter concludente. Adde, quod, sicut Opinio dicitur esse de contingentibus, non absolutè in se ipsis, sed quoatum est ex vi motivi, seu cognitionis probabilis, quæ de se fallibilis est, nec nisi contingenter vera; ità Scientia est de necessarijs, non absolutè in se ipsis, sed ex suppositione motivi evidentis, & existentiæ actus scientifici, qui semper est certus, & intrinsecè connexus cum obiecto, sine quo existere non potest.

9 Porrò Scientia discursiva, seu demonstrativa, tot modis dividitur, quot Demonstratio. Unde alia est Scientia *à priori*, alia à posteriori; alia *Quia*, alia *Propter quid*: & hæc ultima est; quæ à multis sola vocatur Scientia simpliciter, & cui propriè convenit celebris definitio Scientiæ, sumpta ex Aristot. 1. Post. cap. 2., videlicèt, *Cognitio rei per causam, & quod illius est causa, & quod aliter se habere non potest.* Quæ definitio explicari potest hoc pacto. In primis ly *per causam* indicat notitiam discursivam, hominis propriam; nam Angelus non cognoscit effectus per causam, sed in causâ, per simplicem intuitum: indicat item causam proximam; nam remota non est propriè & strictè causa effectus mediati. Qualis autem debeat esse causa, diximus Cap. 2. num. 5.

10 Deinde illa verba, *& quod illius est causa*, denotant, non sufficere cognitionem eius, quod est causa, & eius, quod est effectus, nisi cognoscatur vnum vt causa alterius. Unde, qui videret Lunæ defectum, simulque cerneret, terram inter Solem & Lunam interponi, si non cognosceret, eclypsim à terræ interpositione provenire, non sciret propter quid Luna deficeret. Non tamen requiritur iudicium expressum de causalitate, distinctum à Præmissis, & Conclusionem præcedens, alioquin tres Præmissas exigeret Demonstratio *Propter quid*; sed sufficit, quòd vis causandi exercitè cognoscatur in Præmissis per ipsam penetrationem Medij; nisi malis, vt Conclusio formalis attingat *vt quo* Præmissarum obiectum, illudque sibi proponat vt causam obiecti materialis.

11 Denique illud, *& quod aliter se habere non potest*, referri solet ad necessitatem & immutabilitatem obiecti, num. 4. explicatam. Sed commodiùs intelligi potest de certitudine & evidentiâ actus, qui, quamdiù existit, non finit obiectum aliter se habere, quàm enuntiatur; in quo differt ab actu Opinionis, ex num. 8.. De cætero, dari posse Scientiam *Propter quid* circa obiectum in se contingens, inter alia demonstrat hoc exemplum. *Quidquid est coloratum, est visibile; sed hæc pappus est colorata; Ergo est visibilis.* Notandum hìc, Scientiam *Propter quid*, dum est per altissimas causas, appellari *Sapientiam*; quod nomen inter Scientias humanas soli Metaphysicæ tribuitur: dum verò per causas inferiores, propriè *Scientiam*. De divisionibus Scientiæ, in actualem & habitualem, in totalem & partialem, in practicam & speculativam, nec non de distinctione Scientiarum totalium ex va-

rijs abſtractionibus à materiâ, diximus Tractat. 1. Proœmial. quantum pro Logico ſufficit.

*Explicatur Subalternatio Scientiarum.*

12 Reſtat diviſio Scientiæ totalis in *ſubalternantem*, & *ſubalternatam*, nunc paucis explicanda. Subordinatio, vel dependentia, quæ ſæpè inter Scientias invenitur, dicitur Subalternatio. Quæ Scientia pendet, vel ſubordinatur alteri, vocatur Subalternata: quæ verò ſibi ſubordinat alteram, vocatur Subalternans. Ut vna Facultas alteri ſubalternetur largo ſenſu, vel ſecundùm quid, ſufficit 1., ſi ratione finis alteri ſubſerviat: ſic ars frænofactiva ſubalternatur equeſtri, & hæc militari; vt etiam omnis Scientia humana Sacræ Theologiæ. 2., ſi ſubiectum vnius contineatur ſub ſubiecto alterius: ex quo capite omnis Scientia naturalis ſubalternatur Metaphyſicæ. 3., ſi ab alterâ mutuetur aliqua principia; quemadmodùm Chirurgia principium illud, *Vulnus circulare tardiùs ſanatur*, accipit à Geometria.

13 Sed, vt detur Subalternatio ſimpliciter, debeant ſimul concurrere tres conditiones. 1., vt ſubiectum, ſeu materia vnius Scientiæ contineatur ſub alterius communi ſubiecto. 2., vt ſuperaddat aliquam differentiam accidentalem; aliter non erunt Scientiæ ſimpliciter diſtinctæ, ſed altera erit pars alterius. 3., vt omnia, vel pleraque ſaltem principia vnius Scientiæ, ſint Concluſiones *à priori* demonſtratæ, vel demonſtrabiles ab alterâ. His de cauſis Medicina, quæ reſpicit Corpus humanum vt ſanabile, ſimpliciter ſubalternatur Phyſicæ: quia Corpus humanum eſt ſpecies Corporis mobilis vt ſic, quod eſt ſubiectum Phyſicæ: ſuperaddicur Sanabilitas, quæ eſt differentia accidentalis: ac demùm omnia vel pleraque Medicinæ principia ſunt concluſiones à Phyſicâ demonſtratæ, vel demonſtrabiles. V. g. Medicus concluſionem illam, *Morbus ex frigore proveniens, remedijs calidis curatur*, deducit ex his principijs, *Contraria contrarijs curantur*, *Sed calor & frigus contraria ſunt*: vtrumque autem probare ſpectat ad Phyſicum. Hinc dici ſolet, *Ubi deſinit Phyſicus, incipit Medicus.*

14 Ob eaſdem cauſas, Muſica, quæ conſiderat Numerum, vt *ſonorum*, ſubalternatur Arithmeticæ: & Perſpectiva, quæ conſiderat Lineam vt *viſualem*, ſubalternatur Geometriæ. Videſis alia exempla apud Ariſtotelem 1. *Poſt. cap.* 10.. Quando accidentalis differentia eſt per ſe ſcibilis ſeorsùm à tali ſubiecto, tunc Scientia ſubalternata dicitur media inter duas alias, alteram, à quâ accipit ſubiectum, alteram, à quâ mutuatur differentiam: atque ita ſe habet Muſica inter Arithmeticam & Phyſicam, cum ab hac Sonorum, ab illâ Numerum accipiat: non tamen propriè ſubalternatur vtrique, ſed illi tantùm, cui debet principia cum ſubiecto.

15 Facultas ſubalternata exiſtens in eo, qui ſimul tenet ſubalternantem, v.g. Muſica in Arithmetico, proculdubiò eſt Scientia, & *à priori* quidem, ſeu *Propter quid*, cum evidentes concluſiones eliciat ex principijs, vel Præmiſſis ab eodem Intellectu cognitis evidenter per prima principia. Dubium tamen eſt, an, dum habetur ab ignaro ſubalternantis, v. g. Muſica à


non

non Arithmeticò, sit Scientia? Alij affirmant, alij negant. Et quæstio procedit de Scientiâ formaliter sumptâ pro cognitione; si enim sumatur obiectivè, seu pro obiecto demonstrabili, erit vtique Scientia, quamvis actu non cognoscatur scientificè. Dico 1.: Subalternata seorsùm à Subalternante potest esse Scientia *Quia*, sive *à posteriori*: potest enim Musicus, aut Medicus ab experientiâ & effectibus evidenter probare principia, quibus vtitur. In hoc omnes convenire videntur.

16 Dico 2.: Subalternata sine Subalternante nequit esse Scientia *à priori*, seu *Propter quid*: &, si aliunde non habet evidentiam *à posteriori*, nullo modo est Scientia. Probatur prima pars: quia non habet Scientiam *Propter quid*, nisi qui novit conclusiones resolvere in prima principia: subalternatus autem, qui loco principiorum vtitur propositionibus mediatis, nequit eam resolutionem facere sine Scientiâ subalternante, vt est manifestum. Probatur secunda pars, & simul confirmatur prima: quia Scientia propriè talis non fiat sine evidentiâ, vel saltem sine certitudine metaphysicâ, vel physicâ. Faciunt autem subalternata, dum abest subalternans, nec adest evidens experientia, non cognoscit sua principia, nisi per fidem humanam, quâ creditur Magistro docenti. At humana fides, nec evidentiam, nec certitudinem plusquàm moralem, importare potest.

*Sed iam finem impono Operi spinoso, ac difficili; quod labore, & studio, si minùs felici, certè non perfunctorio elucubratum, nec labor mihi, nec opus erit pœnitudine dignum, si fausto sydere cedat in Dei Opt. Max., immaculatæ Virginis Deiparæ, Igniferi Protoparentis Ignatij, & Cœlitum omnium gloriam, & honorem.*

# FINIS.



IN-

# INDEX TITULORUM

## QUI HOC OPERE CONTINENTUR.


TRACTAT. I.
Proœmialis.

*De Natura, & Obiecto Logicæ.*

Disput. I. De Natura Logicæ. Pag. 1.
Cap. 1. *De Notione, Existentia, Quilditate, Vtilitate, & Origine Logicæ.* 1.
Cap. 2. *De divisione Logicæ.* 7.
*Logica Docens, & Vtens.* 8.
*Variæ sententiæ de Logica Utente.* 9.
*Prima Conclusio.* 12.
*Secunda Conclusio.* 13.
Cap. 3. *De distinctione Logicæ Utentis à Docente.* 15.
*Quid de Logica Utente extrà propriam materiam?* 17.
*Argumenta contraria, & Solutiones.* 19.
Cap. 4. *An Logica concurrat efficienter ad actus aliarum Scientiarum?* 22.
*Solvuntur Obiectiones.* 26.
Cap. 5. *Utrùm Logica sit simplex qualitas?* 31.
*Corollaria.* 37.
Cap. 6. *Obiectiones adversæ diluuntur.* 39.
Cap. 7. *An Logica sit necessaria ad alias Scientias?* 49.
§. 1. *Nostra Conclusio.* 50.
§. 2. *Adversariorum doctrina reijcitur.* 52.
§. 3. *Exarmantur Argumenta contraria.* 55.
Cap. 8. *An Logica sit Ars, & Scientia?* 65.
Cap. 9. *Utrùm Logica sit Scientia practica, an speculativa?* 72.
§. 1. *Circà Praxim, & Practicum aliqua prænotantur.* 72.
§. 2. *Nostra principalis Assertio.* 75.
§. 3. *Duplex alia Assertio.* 78.
Cap. 10. *Obiectionibus fit satis.* 79.
*Difficultates contrà reliquas Assertiones expediuntur.* 88.
Disput. II. De Obiecto Logicæ. 91.
Cap. 1. *Quid, & quotuplex sit Obiectum in communi?* 92.
Cap. 2. *Vtrùm voces sint obiectum Logicæ?* 99.


Sol-

*Solvuntur Obiectiones.* 104.
*Cap. 3. An res secundùm esse physicum sint obiectum Logicæ?* 111.
*Cap. 4. Vtrùm Obiectum formale Logicæ sit Ens rationis?* 116.
§. 1. *Authorum Sententiæ.* 116.
§. 2. *Prima Conclusio.* 119.
§. 3. *Secunda Conclusio.* 121.
§. 4. *Tertia Conclusio.* 126.
*Cap. 5. Argumenta contraria.* 131.
*Cap. 6. Vtrùm secundæ Intentiones obiectivæ in concreto sint obiectum Logicæ formale?* 149.
*Obiectionum solutio.* 151.
*Resolvitur affirmè Dubium.* 155.
*Cap. 7. Obiectum Logicæ formale directè statuitur in actibus Intellectus.* 160.
§. 1. *Quotuplex sit operatio Intellectus, & quatenus arte dirigibilis?* 160.
§. 2. *Quid sit artificium actuum intellectus?* 164.
§. 3. *Obiectum Logicæ formale sunt actus Intellectus secundùm artificium sibi proprium.* 168.
*Cap. 8. Argumenta contraria.* 173.
*Cap. 9. Quodnam sit in Logica Obiectum attributionis?* 182.
*Cap. 10. Solutiones Obiectionum.* 186.
*Corollaria.* 192.

## TRACTAT. II.

*De Universalibus generatim.*

Disput. I. De Identitate, & Distinctione.
*Cap. 1. Explicatis terminis, Distinctio realis exponitur.* 195.
*Inter Gradus metaphysicos non est distinctio realis.* 202.
*Cap. 2. Reijcitur Distinctio formalis ex natura rei.* 204.
*Cap. 3. Argumenta Scotistarum soluta.* 210.
*Cap. 4. Impugnatur Distinctio virtualis intrinseca.* 220.
*Cap. 5. Argumenta contraria diluuntur.* 226.
*Cap. 6. Explicatur Distinctio rationis.* 235.
*Cap. 7. Vtrùm per obiectivam Præcisionem, an per formalem &c.?* 243.
§. 1. *Vtriusque partis explicatio, & Auctorum sententiæ.* 243.
§. 2. *Reijcitur obiectiva Præcisio.* 244.
§. 3. *Præcisio formalis ex D. Thoma probatur, & explicatur.* 251.
*Cap. 8. Opposita argumenta solvuntur.* 255.

§. 1.

§. 1. *Prima Obiectio: & accuratiùs explicata Distinctio rationis.* 255.
§. 2. *Reliqua argumenta.* 262.
§. 3. *Obseruanda quædam.* 269.
Disput. II. De constitutione Universalis.
Cap. 1. *Quid sit Vniuersale? & an detur à parte rei?* 271.
*Variæ sententiæ de Vniuersali à parte rei.* 273.
Cap. 2. *Probatur generatim repugnantia Vniuersalis à parte rei.* 279.
Cap. 3. *Statuitur Vniuersale per Intellectum.* 284.
*Variæ difficultates expediuntur.* 286.
Cap. 4. *Quodnam sit obiectum cognitionis constituentis Vniuersale?* 290.
*Enodatur præcipua difficultas.* 294.
Cap. 5. *Soluuntur argumenta reliqua.* 300.
Cap. 6. *Utrùm ad Vniuersale requiratur notitia comparativa?* 309.
*Obiectiones.* 315.
Cap. 7. *Vtrùm Vniuersale salvetur in actuali prædicatione?* 321.
§. 1. *Prima Assertio.* 323.
§. 2. *Secunda Assertio.* 325.
§. 3. *Consectaria.* 330.
Cap. 8. *Enervantur argumenta contraria.* 331.
§. 1. *Contrà primam Assertionem.* 331.
§. 2. *Contrà secundam Assertionem.* 339.
Cap. 9. *Reliqua de Vniversalib. generatim.* 342.

## TRACTAT. III.

*De quinque Prædicabilibus.*

Disput. I. De Genere, & Specie.
Cap. 1. *Definitur Genus &c.* 348.
*Dubiola quædam circà Genus.* 352.
Cap. 2. *Quodnam sit definitum in definitione Generis?* 356.
§. 1. *Vera sententia.* 357.
§. 2. *Soluuntur obiectiones.* 358.
Cap. 3. *De Specie.* 363.
Cap. 4. *Utrùm Species prædicabilis necessariò requirat plura individua?* 367.
Cap. 5. *Enodantur Obiectiones.* 372.
Cap. 6. *De Individuo. Vbi, an possit abstrahi univoca ratio Individui?* 379.
Cap. 7. *Occurritur obiectionibus.* 383.
Disput. II. De reliquis Prædicabilib. Porphyrianis.
Cap. 1. *De Differentia.* 387.
Cap. 2. *Nonnullæ quæstiones*

*nes &c.* 391.
*Cap. 3. De Proprio.* 397.
*Cap. 4. De Accidenti.* 401.
*Cap. 5. De numero, & convenientia Prædicabilium.* 403.
*Cap. 6. De variis prædicationum modis.* 409.

## TRACTAT. IV.

*De Prædicamentis summatim.*

Disput. Unic. Doctrina de Prædicamentis, quantum Logicæ interest, explicatur. Ubi de Relatione fusiùs.

*Cap. 1. Ante-prædicamenta.* 414.
*Cap. 2. Prædicamenta breviter perstringuntur.* 418.
*Cap. 3. Quid sit Relatio? & quotuplex?* 420.
*Cap. 4. In quo consistat Relatio prædicamentalis?* 424.
§. 1. *Reijcitur sententia Thomistica.* 424.
§. 2. *Reijcitur sententia Connetatorum.* 427.
§. 3. *Tertia sententia præfertur.* 431.
*Cap. 5. Fundamenta contraria dissolvuntur.* 431.
*Cap. 6. Reliqua de Relatione.* 440.
*Cap. 7. De Post-prædicamentis.* 446.

## TRACTAT. V.

*De quibusdam Dubijs ad Libros Perihermen. spectantibus: præcipuè verò de Veritate, & Falsitate Enuntiationum.*

Disput. I. Aliqua Dubia de Signo, ac Definitione.

*Cap. 1. Dubia de Signo.* 447.
*Cap. 2. Dubia circa Definitionem.* 454.

Disput. II. De Veritate, & Falsitate Enuntiationum.

*Cap. 1. In quo consistat Veritas &c.?* 459.
§. 1. *Vera sententia de Constitutivo Veritatis.* 459.
§. 2. *Non omnis Enuntiatio vera exigit essentialiter Veritatem.* 462.
*Cap. 2. Argumenta contrà doctrinam Cap. præced. enervantur.* 465.
*Cap. 3. Utrum Propositio aliqua semel vera possit abire in falsam?* 473.
*Cap. 4. Diruitur fundamentum contrariæ sententiæ.* 479.
*Cap. 5. Deciduntur aliæ de Veritate & Falsitate quæstiones.* 486.

TRAC-

## TRACT. VI. & ULTIM.

*In Libros Aristotelis Analyticos.*

### Disput. I. De Syllogismo in communi.


*Cap.* 1. *Dubia quædam de Syllogismo, & Præmissis eius in ordine ad Conclusionem spectatis.* 492.

*Cap.* 2. *Vtrùm Præmissæ necessitent Intellectum ad Conclusionem?* 495.

*Cap.* 3. *Duplex Quæstio de Conclusione Syllogismi.* 503.


### Disput. II. De Syllogismo Demonstrativo.


*Cap.* 1. *Quid sit Demonstratio? & quotuplex? Vbi de Præcognitis &c.* 505.

*De Præcognitis, & Præcognitionibus.* 507.

*De Principijs, & Propositionibus per se notis, atque etiam de Circulo non nihil.* 508.

*Cap.* 2. *Quales esse debeant Præmissæ Demonstrationis &c.?* 511.

*Cap.* 3. *Quid sit Opinio, & Syllogismus Topicus, & in quo differat à Demonstrativo?* 514.

*Cap. Ultim. De Scientia, quæ per Demonstrationem habetur.* 517.

*Explicatur Subalternatio Scientiarum.* 520.




# CURSUS PHILOSOPHICI

REGALIS COLLEGIJ SALMANTICENSIS

SOCIETATIS JESU,

IN TRES PARTES DIVISI,

# SECUNDA PARS,

CONTINENS PHYSICAM,
seu Naturalem Philosophiam
De Corpore naturali generatim.

Ann. IHS 1730.

AUTHORE

*R. P. LUDOVICO DE LOSSADA,*
*ejusdem Societ., & in eodem Regali Collegio*
*Theologiæ Professore, & Sacræ*
*Scripturæ Interprete.*

SALMANTICÆ: EX TYPOGRAPHIA EUGENIJ GARCIA
DE HONORATO ET S. MIGUEL.

| *ERRATA.* | *Corrige.* |
|---|---|
| Pag. 198. col. 2. lin. 20. qua | quia. |
| P. 297. c. 2. l. 18. Dei | Deo. |
| P. 377. c. 2. l. 8. rei D | rei B. |
| P. 404. c. 1. l. 34. esse | esset. |
| P. 482. c. 2. l. 36. Do | Deo. |
| P. 564. c. 2. l. 4. *p.* 1. | *q.* 1. |
| P. 570. c. 2. l. 26. ubi | ibi. |
| P. 561. *repet.* c. 1. l. 15. relictone | relictione. |
| Ibi. c. 1. l. 19. non internum | *adde*, sed externum. |
| Ibi. c. 1. l. 20. cumque | eumque. |
| P. 570. *repet.* c. 2. l. 6. *volens* | *nolens.* |
| P. 600. c. 2. l. 17. *quod est* | *quòd ex eo, quod est.* |
| P. 609. c. 1. l. 26. *ordinatur* | *ordinantur.* |
| P. 610. c. 2. l. 39. *quæ* | *quem.* |
| P. 617. c. 2. l. 22. affixum | affixum. |
| P. 649. c. 2. l. 25. curere | currere. |
| P. 664. c. 1. l. 34. positis | positis. |
| P. 672. c. 2. l. 26. fi | si. |
| P. 674. c. 2. l. 26. fit | sit. |
| P. 675. c. 1. l. 13. *confirm.* | *confirm.* |
| P. 678. c. 2. l. 8. & 9. ulnarium | ulnarum. |
| Ibi. c. 2. l. 16 & 17. occuper | occuper. |
| P. 684. l. 44. dimensionis | dimensiones. |
| P. 685. c. 1. l. 9. Non | *pertinet ad initium* lin. 8. |
| P. 694. c. 1. l. 29. habeant | habeat. |
| Ibi. c. 2. l. 12. quòd | quò. |
| P. 698. c. 2. l. ult. fingula | singula. |

*Sæpe aliàs accidit, ut pro f. ponatur f., & vice versa.*

Con estas Erratas corresponde à su Original. Madrid, y Octubre 9. de 1730.

*Lic. D. Manuel Garcia Alesson,*
Cor. Gen. por su Magestad.

Esta segunda parte de Curso Philosophico se dà à luz con el Privilegio de su Magestad, y las licencias del Ordinario, y de la Religion, que estàn al principio de la primera parte.

## SUMA DE LA TASSA.

TAssaron los Señores del Consejo este Libro à seis maravedis cada pliego, como consta por certificacion de Don Miguèl Fernandez Munilla, Secretario del Rey nuestro Señor, dada en Madrid à diez y nueve de Octubre de mil setecientos y treinta.

# PRÆLIMINARIS
## AD PHYSICAM DISSERTATIO
### DE NOVA, VEL INNOVATA PHILOSOPHIA, quæ Carteſiana, Corpuſcularis, & Atomiſtica vocitatur.

Summa doctrinæ Peripateticæ de Corpore naturali generatim.

PHILOSOPHIA Peripatetica, quæ longo ſeculorum tractu pacifice regnavit in Scholis, &, licet iam interturbatâ pace, regnat adhuc, rerum corporearum fabricam ſic explicat. Corpus naturale (quod & Compoſitum ſubſtantiale dicitur, ut Animal, Planta, Lapis, Aurum) conſtituitur, tamquam ex partibus eſſentialibus, ex materiâ primâ, & formâ ſubſtantiali. Materia prima eſt ſubſtantia incompleta, ſive partialis, à ſolo Deo creata, quæ de ſe eſt communis ſubjectum omnium formarum, id eſt, indifferens, ut quamlibet formam recipiat, ac per eam fiat materia Leonis, vel Arboris, vel Lapidis &c.: unde vocatur *pura potentia*; quia de ſe nullius Compoſiti propria eſt actualiter, poteſt tamen eſſe cuiuſlibet. Hæc dicitur *ingenerabilis*, quia ad omnem generationem præſupponitur à Deo creata: dicitur item *incorruptibilis*, quia corrupto Compoſito non perit, ſed aliam formam ſubinduit. Forma ſubſtantialis eſt etiam ſubſtantia partialis, & abſoluta (ideſt, non modalis) quæ materiam complens, & actuans, cum eâ conſtituit Corpus naturale in ſpecie determinatâ. Unde appellatur *actus*, & quidem *primus*; quia Compoſitum facit eſſe actualiter huius ſpeciei præ aliâ; eſtque prima, ſeu primaria radix accidentium, & operationum Compoſiti. Forma iſtiuſmodi, vel eſt ſpiritualis, vel materialis. Spiritualis, nempè Anima hominis, à Deo per creationem producitur, & à materiâ non pendet. Materialis (quæ reperitur in omni Corpore, præter hominem) producitur ab Agentibus naturalibus per eductionem, ideoque pendet à materiâ, ut à ſubjecto præſuppoſito, in fieri, & conſervari, ac proinde perit corrupto Compoſito.

De materiâ primâ.

De formâ ſubſtantiali.

2 Tam materia, quam forma dicitur *eſſentialiter ſimplex*; quia neutra componitur ex *actu*, & *potentia*. Utraque tamen (exceptâ formâ ſpirituali) eſt compoſita *integraliter*. Vocatur autem compoſitio integralis, quæ partes unit non ſeſe reſpicien-

De ſimplicitate utriuſque

cientes invicem per modum actus & potentiæ, atque ita integrantes unum Corpus, ut tamen sine quâlibet earum existere, vel intelligi possit id, quod sufficit ad verificandam talis Compositi definitionem. Ita se habent gutta in aquâ maris, frustulum in lapide, ramus in arbore, pes in animali.

De accidentibus.

3 Agnoscunt præterea Peripatetici varia accidentia, seu formas accidentales entitativas, & absolutas, quæ naturaliter existere non possunt extra subiectum substantiale, possunt tamen Divinitus, ut evenit in accidentibus Eucharisticis. Huiusmodi sunt lux, color, calor, frigus &c.: quorum munus est, tum ornare, ac perficere Compositum, tum eidem in operando subservire.

De modis.

Agnoscunt insuper Modos, ideſt, tenuissimas quasdam entitates (verè tamen, & à parte rei distinctas à subiecto, quod modificant), quæ sunt ultimæ & formales determinationes rei, ut aliquod munus obeat, vel aliquam realem denominationem actu habeat. Ex hisce modis alij sunt substantiales, ut in sententiâ communi subsistentia, & unio materiæ ac formæ in Composito: alij accidentales, ut actio, passio, & unio accidentis absoluti cum subiecto, & ubicatio, seu præsentia localis. Utrique sunt ita essentialiter alligati subiecto, ut sine illo existere nec Divinitus possint, quamvis subiectum valeat sine ipsis existere.

Atomisticę, seu Corpusculares Philosophię Authores.

4 Hæc omnia supponebat potiùs, quàm disputabat Philosophia Peripatetica, donec superiori sæculo quidam Philosophi sepultam, aut oblivioni traditam veterum quorumdam, ut Leucippi, Democriti, Anaxagoræ, Epicuri, Lucretij sententiam, ab erroribus in fide Catholicâ pro viribus expurgatam, novâ luce donarunt, eo successu, ut sectatores plures, acutos, & doctos, nacti fuerint. Præcipuus istius novitatis auctor (ut Gallæum, Gassendum, Franciscum Baconium, Hobbesium, & alios præteream) celebratur Renatus Descartes, sive Cartesius, natione Gallus, qui tanto ingenio, plausuque Philosophiam illam emortuam excitavit, novâ formâ digessit, & proprijs etiam inventis auxit, ut licet pauci physicum eius systema per omnia sequantur, omnes tamen, quotquot hodie corpusculis variè conjugatis cuncta componunt, vulgo Cartesiani vocitentur. Horum plerosque dedit Gallia; unde prodiere quoque sat celebres eiusdem Philosophiæ promotores ex Ordine Minimorum RR. PP. Emmanuel Maignan (qui tamen magis est Gassendista, quam Cartesianus), & eius discipulus Joannes Saguens: non ita multos aliæ Nationes: paucos admodum Hispania nostra; quos inter commendatione dignus est Thomas Vincentius Tosca Valentianus, qui suo Compendio Philosophico nuper in lucem edito, partim

Eiusdem Instauratores.

tim Cartesium, partim Maignanum imitatus, dictam Philosophiam sic illustrat, ut nihil in eo desideres ingenij, elegantiæ, modestiæ.

5 Hisce Philosophis princeps dogma est, ab Agentibus naturalibus, & generatim à causis secundis, sive creatis, nullam veram entitatem, quantumvis partialem, denuò produci, cuius antea nihil præcesserit: nullam item perimi, seu resolvi in nihil sui. Quia causæ secundæ non creant, seu non agunt per creationem, ut inficiatur nemo: si autem producerent aliquam entitatem, vel entitatis particulam, quæ priùs nihil erat, illam producerent ex nihilo, ac proinde verè crearent, quia creatio est *productio rei ex nihilo*. Similiter certum est, causas secundas non posse quidquam anihilare. Si autem ita resolverent Compositum, ut aliqua pars eius abiret in nihilum, illam verè anihilarent, quia anihilatio est *desitio rei in nihilum*. Hinc (exceptâ Animâ rationali, quam constat creatione produci à solo Deo) negant, & à naturâ rerum ablêgant omnem formam substantialem, quæ sit entitas realiter distincta à materiâ, qualem adstruunt Peripatetici. Cum enim talis forma nihil sit ante generationem Compositi, ex.g. ignis, verè creabitur, quando accipit esse à causâ secundâ ignem generante; quia verè producetur ex nihilo: & cum istius formæ nihil remaneat extincto igne, verè anihilabitur; quia verè in nihilum abit. Ex eodem principio negant omne accidens absolutum, sive omnem formam accidentalem entitativam, quæ realiter distincta sit ab omni substantiâ: ne scilicet in idem absurdum creationis, & anihilationis incurrant. Agnoscunt tamen satis communiter Modos, seu modificationes, ac determinationes subiecti substantialis, quæ virtute naturalium agentium nunc incipiant, nunc desinant esse. Sed negant, eos modos entitativè distingui à subiecto: negant etiam, eos propriè fieri, produci, vel corrumpi.

Fundamentum, quo tota nititur.

Inde negat formas substantial. Peripat.

Et accidentales.

Modos admittit, & quales.

6 Dicunt igitur, materiam primam, ex quâ cuncta corpora constituuntur, esse minutissima supra sensum nostrum corpuscula, initio Mundi à Deo creata: quæ corpuscula, puncta, seu minima physica, alij, ut Maignan, Saguens, & Tosca post Gassendum, volunt esse propriè *atomos*, idest, entitates physicè insectiles, seu realiter indivisibiles in partes; tametsi divisibiles sint mathematicè, idest, figurâ & extensione locali præditæ. Alij verò, ut Cartesius, & assectæ, volunt, ea corpuscula esse divisibilia sine fine, quemadmodum de Continuo censent Peripatetici passim. Quia tamen Cartesiana ista corpuscula sensum omnem præ nimiâ tenuitate fugiunt, solent etiam *atomi* vocari. Unde & omnes innovatæ Philosophiæ, quâ de loquimur, Assertores vulgo

Apud novos Philosophos prima principia Corporis naturalis sunt atomi, vel corpuscula.

Inde vocantur Atomistæ, vel Corpusculares.

appellantur *Atomistæ*, nosque deinceps brevitatis ergo hac eadem omnes appellatione complectemur. Quodsi mavis pro *atomis* legere *corpuscula*, & pro *Atomistis Corpusculares*, per me licet. Ex atomis hisce (quæ varias figuras habent, cum aliæ sint globosæ, aliæ angulosæ, aliæ striatæ, aliæ hamatæ, vel uncinatæ &c.) multifariam modis, coordinatis, nexis, in certa multitudine, certave dosi, resultare dicunt omnia Composita substantialia: ita ut forma nihil aliud sit, quam situs, proportio, coordinatio, & plexus atomorum, vel etiam motus earumdem, aut vis motrix, quam secum identificant, multarum consortio temperata; ac proinde forma nihil addat entitative distinctum à simplici substantiâ atomorum, sed modos duntaxat, seu modificationes quasdam, utsummùm. Quod ut explicent, exemplum artefactorum identidem inculcant.

Alij credunt atomos heterogeneas.

7 Si quæras, an primordiales atomi substantialiter inter se differant? Respondent plures cum Maignano, atomos esse intrinsecè heterogeneas, seu dissimilares, ac diversæ speciei substantialis: ut hinc possint differre substantialiter inter se quatuor elementa vulgaria, Ignis, Aer, Aqua, Terra; utque ex his multiformi proportione commixtis constituantur diversa corpora, quæ dicuntur *mixta*, cujusmodi sunt lapides, metalla, plantæ, brutæ animantes, in quibus omnibus nihil est, præter elementa varie combinata. Et quia vulgaria quatuor elementa non videntur sufficere tot combinationibus diversis, quot sunt mixta inter se dissimilia, quidam addunt quintum elementum innominatum, ex nobilioribus atomis coalitum, quod præsertim brutis & plantis constituendis inserviat. Triginta alia superaddit Sagueus, quæ pariter anonyma relinquit. Maignan verò admittit pene innumera, totidem saltem, quot sunt diversi cœlestium corporum influxus: quorum alia plebeja, alia nobilia statuit, & illustria. Respondent alij cum Cartesio, & Tosca, materiæ particulas, vel atomos, esse substantialiter homogeneas, seu similares, & ejusdem speciei, solùmque diversas esse in figurâ, & motu: quæ sola diversitas cum varietate dosis sufficit, inquiunt, ut salventur tota varietas Compositorum naturalium, prout videre est in artefactis. Quapropter tota differentia leonis ab aquilâ, vel auri à carbone, consistit in atomorum diversâ figurâ, dispositione aequè, vel etiam in diverso motu. Motum autem, sicut & figuram, hinc præ illâ, negant hi Auctores provenire ab intrinsecâ naturâ corpusculorum: volunt enim, omne corpus esse de se indifferens ad quamlibet figuram, & ad motum & quietem; nec posse moveri, nisi ab Spiritu.

Et elementa substantialiter variant.

Alij atomos omnes homogeneas malunt: nec nisi accidentaliter differentes.

Por-

8 Porrò, licet Cartesiani, aliique Philosophiæ novatores contempserint initio authoritatem Aristotelis; iam tamen recentiores Atomistæ patrocinio se tanti Philosophi communire curarant: eumque, sicut & D. Thomam, passim obiiciunt Peripateticis. Ijsdem verò nominibus circà rem physicam utuntur, quibus Peripatetici; alio tamen sensu, diversâque notione donatis. Nam apud Atomistas *Compositum substantiale* nihil est aliud, quàm moles quædam artificiosè constructa ex atomis variè complicatis (vel etiam ex moleculis anteà formatis ex primordialibus atomis) in eâ quantitate, ut evadat sensibilis. *Generatio*, quæ est productio Compositi substantialis, merus est motus localis, quo excitantur, colliguntur, coordinantur, & plectuntur atomi in unam molem sensibilem, quæ mereatur nomen alicuius speciei physicæ, v. g. lapidis, aut arboris. *Alteratio* est excitatio, vel inductio localis novorum corpusculorum, quâ sensibiliter immutatur illa moles, quin adhuc suum nomen amittat. Ex. gr. alteratur vinum, dum calefit per corpuscula ignea; sed adhuc retinet nomen vini. *Corruptio* est disiunctio, ac dispersio corpusculorum tanta, ut iam non maneat moles illa sub eodem nomine, sed alia succedat diversæ speciei. Ex. gr. corrumpi lignum, dum comburitur, in eo consistit, quod tot in unum confluant ignea corpuscula, ut relicta compago lignearum atomorum, hisque insensibiliter dissipatis, succedat ibidem, sentiaturque moles ignea.

Quid apud Atomistas Cõpositum substantiale.

Quid generatio.

Quid alteratio.

Quid corruptio.

9 *Materia* est tota rerum naturalium substantia, & entitas. *Materia prima* consistit in atomis, seu corpusculis primitivis nondùm cohærentibus: quibus facilè aptatur, quod de materiâ primâ dici solet, videlicet esse substantiam simplicem, ingenerabilem, incorruptibilem, puram potentiam, indifferentem ad quamlibet formam, & ex se nullius existentiæ physicæ, id est, sensu perceptibilis, cum hæc sola pertineat ad scientiam Physicam, quæ non abstrahit à materiâ sensibili: quamvis reipsâ quælibet atomus, seorsum accepta, substantia sit realiter existens coram Deo, imò coram Metaphysicâ, quæ à materiâ sensibili abstrahit. *Materia secunda* (quæ in aliquibus Mixtis potest etiam esse tertia, quarta &c.) sunt moleculæ ex primitivis corpusculis conflatæ, vel ex aliis tenuioribus moleculis, quæ deinde inter se complicatæ Mixtum componunt. Omne quippe Mixtum immediatè componitur ex materiâ secundâ: quia prius atomi formantur in varias moleculas (quæ sunt portiones vel elementorum vulgarium, ignis, aquæ, &c.; vel elementorum chymicorum, salis, sulphuris, &c.; vel aliorum sine nomine), ut istæ postea formentur in Mixtum.

Quid apud eosdem materia prima.

Quid materia secunda.

10 *Forma substantialis*, vel est motus multiplex corpus-

Quid substantialis forma, quam vocant generalem.

pusculorum, iuxta Cartesium, & sequaces: qui motus à Deo impressus est initio mundi præter exigentiam materiæ, quæ de se non inclinat, nisi fortè ad motum rectum: semel autem impressus, perpetuo durat; quia nulla materiæ pars motum amittit, nisi illum deponendo, ac transferendo veluti sarcinam in alia corpuscula. Vel est, ut censet Maignan, vis motrix realiter atomis identificata, & solâ ratione ab ijs distincta, prout temperata coalescit ex atomis heterogeneis, ut accidit in Mixtis: nam, si vis illa sit homogenea, ut in elementis puris, non dicitur forma substantialis. Vel denique, ut plerisque placet, est atomorum combinatio, importans certam earum multitudinem cum aliarum carentiâ, certam item figuram, talem situm, complicationem, proportionem, harmoniam: quæ omnia sunt quid modale, & respectivum, nihilque superaddunt entitativè distinctum ab atomorum substantiâ. Exemplum esse dicunt in formâ exercitus, domi, vel cuiuslibet artefacti: nam, quantum ad generalem indolem formæ, nullum discrimen esse volunt inter artificialia, & naturalia. Hanc formæ notionem tenet Tosca cum pluribus alijs: eaque videtur usu recepta apud omnes Atomistas, & Corpusculistas, etiam Cartesij, aut Maignani sequaces: qui omnes idcirco passim appellantur *Combinatores*, & eorum Philosophia *Combinatoria* dicitur, atque etiam *Mechanica*, & *Artificialis*: quia scilicet totam naturæ varietatem solâ arte combinatoriâ condiunt, totamque ad leges mechanicas exigunt, & artefactorum more constituunt.

Quid item forma specialis.

11 Sed notandum, Maignanistas, quos sequitur Tosca, præter combinationem nunc dictam, quam vocant *formam generalem* omnibus corporibus, aliam agnoscere *formam specialem*, in ijs præsertim Compositis, in quibus est aliqua portio materiæ subtilior, actuosior, & mobilior, v. g. in brutis animantibus. In his enim aliqua materiæ portio est valde subtilis, & motu celerrimo agitata (sive consistat in spiritibus, quos vocant vitales & animales, sive in particulis ignis defæcatissimi, aut alius nobilioris elementi, iuxtà varias Atomistarum sententias), quæ per venas, arterias, nervos, fibras, toto corpore cietur, ac divagatur, variosque motus membrorum causat, prout variè movetur, tum ex internâ partium commotione, tum ex impressione obiectorum exteriùs occurrentium. Hæc igitur materiæ portio vocari potest, inquiunt, *specialis forma* bruti; quia cæteras bruti partes movet, & quasi actuat, ac perficit; immò & vivificat, cum sit principium intrinsecum motuum immanentium. Unde concludunt, hanc ipsam, & nihil aliud, esse animam bruti.

12 Solenne est Atomistis brutorum animas relegare, qua-

quales agnoscunt Peripatetici, scilicet formas quasdam substantiales, à materiâ realiter distinctas, sed ab eâ pendentes, quæ sint materialiter cognoscitivæ, seu perceptivæ obiectorum, ita ut ex materiali perceptione eliciant appetitum etiam materialem, quo appetant sibi commoda, & noxia refugiant. Sed Corpusculares isti Philosophi in duas sententias, vel potiùs in duos loquendi modos, reipsâ convenientes, dividuntur. Nam Cartesius cum suis bruta animalia dicit mera esse automata, seu machinas quasdam à Divino Artifice fabricatas, quarum tota forma consistat in organizatione, proportione, ac dispositione partium materiæ, quæ reddatur eo ipso idonea ad totam varietatem motuum, quos experimur in brutis: ad hos autem motus determinetur, partim à spiritibus per organa decurrentibus, partim ab externis obiectis. Nos itaque iubent cogitare structuram brutorum instar horologij rotati, quod absque aliâ formâ, quàm artificio ac debitâ dispositione partium, suos efficit motus, notat horas, ac sonos edit; vel instar organi pneumatici, quod pressis manu palmulis, & aere per varias fistulas subeunte, tam multiplici, tamque inusito resonat concentu. Verùm quia is loquendi modus contra sensum totius generis humani denegat brutis, non solùm cognitionem, sed sensum omnem, nec vitam relinquit, nisi valde metaphoricam (qualem tribuêre Sinenses rotato horologio, primùm ab Europâ delato, quod animal Europæum, & sonoram bestiolam appellabant), ideò alij, quos imitatur Tosca, mitius loquuntur. Vim quidem cognoscitivam brutis abnegant. Sed concedunt *animam*, & *vitam*: quia anima iuxta Aristotelem est *Actus corporis physici organici potentia vitam habentis*; quam definitionem adaptant portioni materiæ subtiliori, quam ipsi vocant *formam specialem*, de quâ num. 11.: vita verò est *Motus ab intrinseco*, immanens, sive in agente ipso terminatus; qualem dicunt motum in brutis ab illâ *speciali forma* provenientem. Concedunt etiam *sensationem*, non quidem completam, quæ cognitionem includit, sed incompletam, in eo consistentem, quod obiecta moveant organa sensuum externorum tremulo motu, qui statim communicatus per nervos, & fibrillas ad commune sensorium in cerebro situm, inde diffundatur per organa potentiæ locomotivæ, totumque animal determinet vel ad fugam, vel ad prosecutionem obiecti. Sed in usu nominum liberalior est cæteris Maignanus: qui *Philosoph. natur. cap.* 24. & 28. concedit brutis sensationem completam, cognitionem, notitiam, cogitationem, memoriam, imò discursum materialem, & umbram quandam, ac veluti simulacrum liberi arbitrij humani. Verùm hujusmodi nominibus non alium attri-

Brutorum animas

negant Cartesiani:

cæteri Aristotelistæ concedunt, sed voce tenus.

tribuit significatum, nisi cuiusdam motus localis internarum materiæ particularum.

*Cætera Atomistarum dogmata generalia.*

13 Denique Atomistæ nullam actionem, nullum motum in rebus corporeis agnoscunt, præter motum localem. Nam apud ipsos vita, & sensatio, vel etiam materialis cognitio, imaginatio, cogitatio, est motus localis in his vel illis organis animantium: & generatim causa efficiens corporea nullam activitatem habet, nisi ad motum localem; cuius ope corpuscula varia coniungendo dicitur generare, vel alterare; & alia corpuscula dispergendo dicitur corrumpere, seu destruere: id quod præstat emittendo ex proprio sinu effluvia corpusculorum, quæ passo adhærent, & in eo excitant cognatas atomos ibi latentes; atque ita passum alterant, vel corrumpunt, id est, vel inchoant, vel absolvunt resolutionem eius in particulas insensibiles. Nullam item in rerum naturâ entitatem agnoscunt, quæ non sit substantia in se, quamvis alias respectu aliarum vocent *accidentia*, nomen hoc accipientes iuxta definitionem Porphyrianam in Logicâ notam, nempe *Quod potest adesse vel abesse citra subiecti corruptionem*: unde, quando una substantia sic admiscetur alteri, ut possit iterum segregari, quin altera corrumpatur (id est, quin amittat illam præcipuam proprietatem, vel sensibilitatem, ratione cuius habet tale nomen, v. g. ligni, vel pomi), tunc substantiam admixtam vocant accidens alterius. Sic, aiunt, lumen in se substantia est; & tamen, cum per aërem diffunditur, dicitur accidens aeris, quia citra corruptionem eius potest adesse, vel abesse. Nullam denique entitatem novam à causis secundis, etiam spiritualibus, produci posse volunt; & totam earum activitatem coarctant ad modificationes, aut relationes, quas negant entitates esse, saltem vere, & à parte rei distinctas à subiecto substantiali.

*Prima principia Mixtorum apud Chymicos.*

14 Ab hac Atomisticâ Philosophiâ non multum abhorret Physica Chymicorum: qui prima principia Mixtorum constituere dicunt in quinque elementis, nempe Mercurio, Sulphure, Sale, Phegmate, Terrâ: quorum communior explicatio sic habet. *Mercurius*, qui & *Spiritus* dicitur, liquor est valde subtilis, mobilis, & inflammabilis. *Sulphur*, quod & *Oleum* vocant, alius est liquor pinguis, oleosus, atque viscosus. *Sal* est portio materiæ fixior, quæ salem usuarium imitatur. *Phlegma* est liquor, seu humor aqueus, & insipidus. *Terra* est materiæ portio crassa & friabilis, instar terræ sicciosis: hanc etiam *Terram damnatam*, & *caput mortuum* appellant. Inter hæc sic officia partiuntur, ut Sal in constitutione Mixti sit pro materiâ, Mercurius pro formâ, Sulphur pro unione, quia viscosum cum sit, cæteras partes conglutinet.

Phleg-

Phlegma autem, & Terram, velut inertia elementa, vixque officium aliquod obeuntia, negligunt. Hanc de elementis sententiam inde probant, quod illa quinque tempore extrahuntur ex Mixto quolibet in eius analysi, vel resolutione, quæ per alembicum & alia instrumenta peragitur actione ignis: unumquodque autem ex ijs componitur, in quæ resolvitur. Non displicent Atomistis principia ista Chymica, dummodò non dicantur prima principia, sed secunda, idest, principiata ex alijs: nam ea posse ulteriùs in alia diversa corpora resolvi, planè demonstratur experimentis ipsis Chymicæ artis. Nec forsan Chymistæ dissentiunt: qui, dummodò obtineant, notiora Mixta immediatè constitui ex illis tantùm elementis, facilè concedent, ultimam resolutionem pervenire posse ad atomos, aut corpuscula insensibilia, naturæ, vel figuræ multiplicis. quæ non displicent Atomistis.

15 Non est animus Philosophiam Atomisticam ex professo refellere inpræsentiarùm; nec obiectiones attingere, quæ peculiariter militant contra Cartesium, contra Maignanum, contra Toscam, & alios, quorum singuli suam sibi physicam rerum seriem struunt, nec parùm ab alijs discrepant. Majoris est voluminis hoc opus. Nunc tantùm quâ potero brevitate proponam rationes aliquot ex illis, quæ generatim Atomistas quoslibet impugnant, & quibus, ut tritam, Peripateticamque philosophandi viam præferam, lubens adducor. Sed priùs hoc te monitum velim. Siquando cum Atomistâ disputes, concede, vel permitte nonnulla, quibus ille exultat, & insultat, multis experimentis obarmatus; & quæ tamen ad controversiæ caput non spectant, sed sunt etiam apud Peripateticos vera, vel probabilia. Huiusmodi sunt, quæ sequuntur. Propositum Auctoris. Quædã Atomistis permittenda.

16 1. Omne corpus constare, vel ex corpusculis tenuissimis, quæ saltem ab Angelo, vel à Deo dividi, ac subdividi possint, tum usque ad insensibilitatem omnimodam, tum usque in infinitum: vel etiam ex atomis entitativè prorsùs insectilibus, quæ tamen singulæ suam habeant extensionem localem, ac proinde figuram. Utrumque patronos habet Peripateticos; dummodò singula corpuscula, puncta, seu atomi, constituantur ex materiâ, & formâ substantiali, sive ex atomo materiæ & atomo formæ; item, dummodò talia corpuscula, sic essentialiter composita, non uniantur inter se, nisi unione integrali, seu continuativâ. Primum.

17 2. Elementa, vel quatuor vulgaria, vel chymica, manere formaliter in Mixtis; dummodò in Mixtis perfectis superadderatur alia specifica forma substantialis. Quod duobus modis permitti potest; vel ita, ut elementa inter se commixta fingantur Secundum.

munere subiecti respecta formæ propriæ Mixti, cui subordinentur formæ elementorum; sicut de formis corporeitatis in viventibus opinantur plures Peripatetici: vel facilius ita, ut Mixtum, ultra suam constitutionem, & integritatem primariam, exigat ad sui conservationem, & ad operationes sibi proprias, habere intra se plurimas particulas elementares, pertinentes ad integritatem secundariam Mixti, quin ab huius formâ informentur: non aliter, ac Peripatetici plurimi censent de sanguine, de tribus alijs humoribus, de lachrymis, de que omni ferè succo, & adipe corporis humani. Imò, præter has particulas integrantes, forsan pleraque Mixta citra exigentiam passim recipiunt intra poros innumera corpuscula per aërem volitantia, tum elementaria, tum alius naturæ (quæ tamen semper constent suâ formâ, & materiâ), atque in eâ internâ contiguitate communicant illis aliquatenus proprias qualitates. Hoc ita dato, vel permisso, facilè te expedies à fumulis, & alembicis, quibus nimium fidit Atomista; quin opus sit quærere causas occultas novorum effectuum productivas. Quid enim mirum, si à plerisque Mixtis actione ignis extrahantur elementa, seu vulgaria, seu chymica, siquidem inibi formaliter continentur, vel tamquam partes saltem integrantes, vel tamquam adventitia corpuscula? Cum hoc optimè cohæret, quod propria Mixti forma substantialis præextiterit, & pereat; & quod eius propria materia (si velis elementa pertinere solùm ad integritatem secundariam) virtute ignis tum præsentis recipiat novam formam substantialem volatici alicuius spiritus: nam extractis corpusculis omnibus, tum integrantibus, tum adventitijs, exigua certè materiæ portio supererit ex Mixto; & aliunde non est cur ignis virtutem superet nova productio substantiæ volatilis.

Tertium. 18 3. A Mixtis plurimis effundi sæpe, vel semper effluvia corpusculorum. His effluvijs plurimùm delectantur Atomistæ; atque in eis collocant cœlestium corporum influentias, & omnes agentium naturalium ad aliquid producendum influxus. Verùm ea non negant Peripatetici; sed passim supponunt rem eamdem sub nomine vaporum, spirituum, aut halituum multigenorum, maximè prodeuntium à corporibus viventibus, aut mortuis, & ab omnibus odoriferis. Effluvia ista derivari possunt ab illâ corpusculorum copiâ, vel integrante, vel adventitiâ, de quâ nuper, accedentibus materiæ propriæ particulis, quas Mixtum amittit actione caloris naturalis, vel contrariorum agentium. Quomodò autem Mixtum reparet tot corpusculorum iacturam, ne brevi totum evanescat, explicent Atomistæ. Cæterùm, quamvis effluvia ejusmodi solo motu, & appulsu quosdam effectus causare valeant,

leant, saltem indirectè, in alijs corporibus, eorum propria corpuscula excitando, & commovendo; negandum omninò est, quod in illis consistat tota naturalium agentium actio, vel explicatio virtutis: tum quia independenter ab effluvijs plures effectus causantur, ut suis locis patebit: tum quia pleraque phenomena non aliter pendent ab effluvijs, nisi quatenus hæc sunt vehiculum qualitatum, quibus tamquam virtutibus instrumentarijs operatur Agens.

Quartum.

19 4. In Mundo cœlesti & sublunari, præter corpora sensui nota, reperiri substantiam quamdam corpoream, sed subtilissimam, fluidissimam, motuque pernicissimo agitatam, quæ non solùm repleat quidquid spatij relinquitur ubilibet ab alijs corporibus, verùm etiam cæterorum corporum facilè poros permeet, quantumvis angustos, adeò ut nihil sit impervium eius subtilitati. Hæc vocari solet *æther*, vel *materia subtilis*, vel *substantia ætherea*. Hujus ope', veluti machinæ theatralis, à phænomenis multis explicatu difficillimis expediri se putant Cartesiani, quibus Tosca subscribit. Nec illa est adeò à Peripatu aliena, ut multis Peripateticis non arridcat, tamquam de mente Aristotelis. Denique admittere poteris Aeris pondus, ac vim elasticam (quâ scilicet violenter compressus, vel tensus, ad extensionem debitam se reducit), aliaque plurima, quæ solerter ac feliciter detecta debemus eorum experimentis Physicorum, quos idcircò *Experimentales* appellant. Nec quidquam magnopere improbare velis, nisi cum formis, & qualitatibus Peripateticis cohærere non possit. Totus igitur controversiæ cardo versari debet in entitate formæ substantialis, & accidentalis, quæ denuò producatur à causis fecundis, & in physicis mutationibus pereat. Sed iam rationes, quibus hæc Philosophia reiici debet, indicemus.

Plura alia.

Controversiæ cardo.

20 1. quia nullum erit substantiale Compositum, nulla generatio substantialis. Negatur ab Atomistis hæc sequela. Sed probatur: quia substantiale Compositum nullum est sine materiâ & formâ substantiali, ut nemo negat. At forma, quam ponitis, non est substantialis. Nam vel est corpusculorum motus, vel combinatio, de quâ suprà num. 10. (mitto vim motricem ab atomis indistinctam, quæ certè cum materiâ non facit compositionem physicam); & utrovis modo nihil est, nisi modificatio purè accidentalis. Tum quia potest adesse vel abesse citra subiecti corruptionem, quæ est apud vos notio accidentis. Tum quia nemo dicit, substantialem esse formam artefactorum, à quâ tamen naturalis forma non differt, ut vultis, nisi penes maiorem & minorem subtilitatem, sicut forma delicatioris imaginis à forma rudioris.

Rationes cõtrà Philosophiam Atomisticam, seu Corpuscularem.

Prima ratio: quia nullum erit Compositum substantiale.

Tum quia forma, quæ per alterationem inducitur, est accidentalis; & tamen non nisi penès magis & minus differt ab eâ, quæ inducitur per generationem. Tum demùm, quia, quod nihil habet veræ entitatis, nihil habet substantialitatis, ut est per se notum: illa autem forma, quatenùs physicè supervenit materiæ, nihil veræ entitatis habet, ut dicitis. Enimverò substantialis forma debet esse præcipua quidditas Compositi, seu ratio essentiæ, & substantiæ illius, præcipuumque, vel unicum specificum constitutivum, quo unum Compositum essentialiter differt ab alijs: quæ omnia cum Aristotele concedit Tosca. Quis autem percipiat, hæc omnia convenire modali formæ, quæ nullam addat ne minimam quidem entitatulam reapse distinctam à materiâ? Nec prodest recursus ad illam formam specialem num. 11. Nam illa, ut eius Authores fatentur, non alio sensu est forma, nisi quatenus reliquis materiæ partibus comparata, nobilior est, aut subtilior. De cæteris una est ex partibus materiæ, quæ simul cum cæteris formatur per modalem formam, cui soli tribuitur quod atomorum congeries indigesta, & informis, evadat substantiale Compositum. Idcircò Tosca *Tract.* 3. *Lib.* 1. *cap.* 2. *propos.* 26. 27. 28. & 36. de hac modali formâ verificare conatur quidquid est de conceptu formæ requisitæ, & sufficientis ad Compositum substantiale constituendum. Iam verò, si nullum est eiusmodi Compositum, nulla quoque generatio substantialis erit, ut per se patet. Profectò, quidquid substantiæ, imò quidquid entitatis denuò apparet, iam anteà erat (siquidem vestra combinatio nihil est entitativum), solumque fit sensibile quod non sentiebatur, detegitur quod latebat, transit ad statum collectionis quod erat in statu dispersionis, & situm ac nexum variat. Mutatio autem huiusce modi non magis est generatio substantialis, quàm collectio militum dispersorum, vel eorum dispositio in quadrum, aut semicirculum, vel eorumdem ex occulto loco in apertum campum repentinus exitus. Unde totum negotium transmutationum naturalium ad meras apparitiones, & nostrorum ludibria sensuum reducitur. Quæro abs te, cur fabricatio horologij rotati non est generatio substantialis? An quia non Dei, sed hominis est opus? Si ergo Deus solus illud ipsum fabricare vellet, iam horologium foret Compositum substantiale, quamvis nihil in se differens ab alijs humanitùs fabricatis: quod mirum esset. An quia minùs artificiosum est, quàm naturalis machina? At inter machinas naturales, aliæ sunt alijs minùs artificiosæ, ut tu ipse non dubitas. Et præterea forma horologij reipsâ convenit, quidquid de conceptu formæ substantialis esse dicis: nec huic machinæ deest illa *forma specialis*, quam in viventibus

Præcluditur evasio.

Nulla item generatio substantialis erit.

Cõfirmatio.

agnoscis; talis quippe est convoluta lamina chalybea, quæ *sua elasticitate* (verba sunt Toscæ loc. cit. propos. 34.) *toti illi corpori organico motum tribuit ordinatissimum: ideoque est præcipua horologii forma, ac veluti eiusdem anima, à qua statis numeris volvuntur rotæ, totaque machina intestino motu cietur.* Audete igitur, & omnia artis opera intrepidè vocate Composita substantialiter generata, quidquid rideant cum Philosophis fabri: nec verò id erit magis absonum, quàm bestias appellare machinas, vel automata, prout iamdudùm assuevistis.

Secunda ratio: quia nulla causis secundis inerit activitas.

21. 2. quia sequitur, agentia naturalia, & generatim causas secundas nihil agere posse. Hoc etiam apud hosce Philosophos est absurdum; & quantum ad causas liberas, damnatum à Tridentino tamquam hæreticum. Probatur tamen. Agentia naturalia per vos eatenùs dumtaxat agunt, quatenùs inducunt motum localem, seu quatenùs faciunt corpuscula mutare locum. At hæc loci mutatio, iuxta Maignanum, nihil importat ex naturâ rei distinctum à corpore & loco, quorum neutrum causare possunt agentia naturalia. Iuxtà alios verò, loci mutatio importat modificationem quamdam modaliter distinctam à corpore & loco. Modificationem item potest ad summum agere causa secunda etiam spiritualis, & nihil aliud. Sed rogo: modificatio hæc habet nè aliquid entitatis? an omninò nihil? Si primum dicas, cave tuum absurdum creationis, & anihilationis per causam creatam. Si secundumergo causa secundæ, si nihil præter modificationem agunt, nihil omninò agunt. Adde, quod, iuxtà Cartesianos, motus localis, totus quantus in Mundo est, productus à Deo fuit in ortu Mundi citrà exigentiam materiæ, quæ deinceps nihil aliud præstat, quàm talem motum pati, vel illum deponere in aliam materiam occurrentem. At, qui sarcinam ab alio impositam sustinet, vel illam in alienos humeros deponit, non nisi ridiculè dici potest sarcinam agere, vel causare. Similiter iuxtà Toscam *tract. 3. lib. 5. cap. 1.*, omne corpus indifferens est ad motum & quietem, nec valet motum elicere propriâ virtute, vel exigentiâ intrinsecâ, sed illum accipere debet à Deo, vel ab alio motore spirituali, aut etiam ab impactione alterius corporis, quod priùs fuerit mediatè vel immediatè motum à spirituali motore: & quando unum corpus impingit in aliud, hæc impactio, quæ est tota actio movendi, nullum alium terminum habet, inquit Tosca, *nisi ipsam creationem, seu conservationem corporis successivè in diversis locis factam à Deo ad exigentiam corporis moventis, non quidem absolutè & secundùm se spectati, sed quatenùs suo motu in aliud incurrit, & impingit.* Unde planè sequitur, quod omne corpus mere passivè

Urgetur contra Cartesium:

contra Toscam:

vè se habet ad suum motum, nec magis illum agit, quàm sui creationem, aut conservationem. Nec impactio, quâ unum Corpus aliud impellit, dici potest actio physica movendi, propria corporis impacti: quia nec est à virtute, vel exigentiâ corporis ipsius ratione sui, sed tantùm ratione motus aliunde recepti: nec talis impactio causat physicè motum corporis percussi, sed tantùm exigit, ut Deus causet: nisi absurdè velis, ut materia organizata, ac debitè disposita, dicatur physicè causare animam rationalem, eo quod illius creationem à Deo exigat. Cum igitur, iuxta Atomistas, agentia naturalia nihil agere possint, præter motum localem, & cum ad illum merè passivè se habeant, revenâ nihil omninò agunt: nam iuxta Tridentinum Sess. 6. can. 4., perinde est *nihil omninò agere*, ac *merè passivè se habere*. Unde

iterum contra eumdem:

fit quoque, nullam esse in rebus physicis *naturam*, prout hæc definitur *Principium & causa motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens.* Naturam sic definitam in rebus physicis inveniri, supponit Tosca: sed illam cum doctrinâ modò relatâ sociari non posse, facilè quisque colliget ex dictis.

contra Maignanum.

Hoc etiam argumento utitur Maignanus *Philosoph. natur. cap.* 13. *propos.* 14., ut probet, atomis intrinsecam esse vim motricem. Sed nec ipse veram activitatem physicam salvat, si Corpora nihil agunt, præter motum localem, ut vult. Tum quia *cap.* 10. *propos.* 12. statuit, *Motum non esse aliquid physicè ante opus mentis distinctum à movente, à quo est, & à mobili, cuius est, & à spatio, in quo est.* Tum quia, ut constat ex eius doctrinâ *cap.* 19., corpus non aliter agit ac movet se, vel aliud, nisi quatenus exigit naturaliter, ut Deus agat ac moveat, scilicet per continuatam creationem, aut conservationem talis corporis in spatio, in quo fit motus: ita ut exigentia, quæ identificatur cum exigente, secundùm se spectata, sit *actus primus causæ secundæ; sit verò eiusdem actus secundus, prout habet sibi actualiter accommodatam, & adiunctam creationem.* Sic *cit. cap.* 19. *propos.* 12. *num.* 10.. At exigere non est physicè causare, ut nuper aiebam exemplo animæ rationalis. Et præterea, quod mobile dicatur propriè causare creationem sui in spatio, quis ferat?

Tertia Ratio: quia nullum Corpus ab alio differet specie substantiali.

22 3.: quia nulla erit differentia specifica substantialis inter equum, & plantam (sic de reliquis speciebus corporum), si atomi sint homogeneæ, ut plerique Atomistæ docent; qui tamen ab hac sequelâ se prorsus alienos ostendunt. Probatur: quia tota differentia stabit in atomorum figurâ, situ, plexu, dosi. Ex his autem dosis, seu certa portio, vel multitudo corpusculorum, nihil refert ad specificam differentiam; nam, ut aiunt, *magis & minùs*

*nis non variant speciem*: varietas figuræ, situs, & plexus, nequit facere substantiale discrimen, ut est evidens; maximè quando subiecti entitas non exigit hanc figuram præ illâ, &c., ut Adversarij volunt. Et alioquin homo sedens differret specie à semetipso stante. Hoc etiam urget patronos heterogenearum atomorum. Nam plura Mixta, quæ constat specie distingui, non differunt in atomorum substantiâ, sed tantùm in diversâ proportione, & harmoniâ. Eorum ergo discrimen ad diversas elementorum doses, diversasque figuras, aut texturas, est revocandum. Verb. gr. lupus & ovis constant atomis eiusdem indolis, ut etiam ciconia & coluber: nam lupus ovibus, & ciconia colubris nutritur: unumquodque autem ijsdem constat, quibus nutritur; ut fert axioma vulgatum, ex quo Maignanus, heterogeneitatis Author, *cap.* 21. *n.* 8. probat, vegetantium pabula constare ijsdem elementis, quibus vegetantia ipsa; idque confirmat *cap.* 22. *n.* 22. exemplo Ardeæ piscículis vesci solitæ, cujus cadaver in aquâ putrescens definit in catervas piscículorum, qui inde formantur. Non igitur aliâ ex causâ ovis non est lupus, vel coluber non est ciconia (spectatâ etiam illâ portione materiæ nobilioris, quæ gerit vices animæ; nam hæc etiam proculdubiò augetur in brutis & plantis, dum nutriuntur), nisi ex diversitate figuræ, situs, aut plexus. Unde immeritò hic Author *cap.* 13. *prop.* 14. *n.* 7. impugnat homogeneitatem atomorum ex eo, quod aurum, magnes, & alia quævis corpora in toto orbe, forent eiusdem infimæ speciei; *quod*, inquit, *sine dubio nemo sanæ mentis concedet*. Immeritò, inquam: non enim identitas specifica absurdior est in auro & magnete, quàm in bove & fœno, in equo & hordeo, in ardeâ & piscículis, & generatim in animalibus, aut plantis, ad sua pabula comparatis.

**Nec prodest heterogeneas atomos statuere.**

23 Ex dictis aliter argui potest, simulque subrui fundamentalis Atomistarum ratio. Combinatio, seu tota illa complexio, & harmonia, quam dicitis formam Corporum, est aliquid positivum, verè distinctum ab atomis ex parte rei, & ante opus mentis: cum ergo talis combinatio activitate agentium naturalium incipiat esse, & esse desinat, jam aliqua nova entitas ab ijs agentibus producitur, & destruitur; ac proinde vobis quoque solvenda est decantata illa de creatione & anihilatione difficultas. Probo Antecedens. Et in primis, quod eiusmodi combinatio sit aliquid positivum, patet: quia in eâ consistit symmetria, pulchritudo, & artificiosa perfectio totius Mundi corporei: in eâ stat specificum esse cuiusque corporis, & specifica differentia unius ab alio: per eam v. g. lupus est lupus, & non est ovis, nec sus. In his autem lumen rationis concipere nos cogit aliquid positivum.

**Subruitur fundamentum Philosophiæ Corpuscularis.**

**Probatur, combinationem corpuscúlorum esse aliquid positivum:**

Con-

Concipe totam multitudinem atomorum, quibus constat Mundus, nondum coordinatam ullo motu, nexu, vel harmoniâ. Talis multitudo nondùm est Mundus; sicut multitudo confusa lapidum, & lignorum nondùm est domus. Accedat combinatio, qualem requirunt ad Mundi fabricam Atomistæ. Ecce iam Mundus cum ea perfectione, & pulchritudine, quæ homines & Angelos in admirationem sui rapit, & in laudes Divini Artificis cogit erumpere. Ecquis potest concipere, quod nihil intersit positivum inter Mundum & non Mundum, inter Mundum & Chaos, seu congeriem informem atomorum? Nulla nè tali multitudini accedit perfectio realis, cùm formatur in Opus perfectissimum, & numeris omnibus absolutum? At perfectio realis est proculdubiò realis bonitas, & hæc est attributum entis positivi, ut nemo nescit. Similiter tota multitudo corpusculorum, quibus constat equus, posita in statu dispersionis non est equus; posita verò in statu collectionis ad equum requisitæ, iam eo ipso est equus. Ergo status ille collectionis est aliquid positivum. Patet consequentia: nam alioquin equus à non equo per nihil positivum differet: equus & non equus identificabuntur secundùm totum esse positivum, secundùm totam realitatem; equus generabitur, & morietur, quin aliquid positivum incipiat, aut desinat esse in rerum naturâ; & definitio equi propriè conveniet illi multitudini corpusculorum informi, siquidem ibi est eadem definitio, ubi est eadem quidditas, & tali multitudini nihil deficit quidditatis equinæ, cum solùm deficiat collectionis status, qui non est quidditas. Quis talia credat? Jam verò, quod prædicta combinatio sit aliquid ab atomis distinctum ex parte rei, & ante opus mentis (quæ erat altera pars primi Antecedentis), non minùs clarè ostenditur. Nam id, quod ex parte rei accedit, & recedit, permanente totâ atomorum substantiâ, à tali substantiâ distinguitur ex parte rei: alioquin posset aliquid supervenire sibimetipsi, & à semetipso separari; quod est planè chymericum. Nec refert, quod separabilitas sit non mutua: nam pariter chymericum est, quod alterum extremum, nempe tota substantia atomorum, existat sine eo, quod est ab ipsâ realiter indistinctum, seu quod cum ipsâ identificatur: alioquin existeret sine semetipsâ, seu existeret simul & non existeret. At combinatio accedit, & recedit, permanente totâ substantiâ atomorum, ut vultis. Ergò, &c. Profectò ea, quibus conveniunt ex parte rei prædicata contradictoria, ex parte rei distinguuntur. Sed ita se habent combinatio & substantia atomorum; siquidem altera variatur, altera non variatur; altera incipit esse per activitatem agentium naturalium, altera non sic incipit esse; altera desinit, altera non desi-

item esse aliquid reipsâ distinctum à substantiâ corpusculorum.

finit. Ergo, &c. Nec latebras quæras cum Tolca in distinctione modali, quâ reali minorem plures etiam Peripatetici dicunt. Quidquid enim de hoc sit, mihi sufficit tria hæc obtinere: 1. modum, à te positum pro formâ Corporum, veram esse realitatem, & perfectionem positivam: 2. verè distingui ante opus mentis à substantiâ atomorum: 3. virtute naturalium agentium verè incipere esse, vereque deficere à naturâ rerum. Nam hisce datis, quidquid difficultatis in eductione ac desitione formarum objicis, tibi pariter solvendum incumbit.

Quid profit recursus ad distinctionē modalem.

4.: quia sententia de brutis animantibus, relata num. 12., paradoxum est, ab omni sensu Nationum (si unam vel alteram inter veteres raram avem excipias, cui libuit extra communem aera volitare, quemadmodùm non defuit olim, qui nivem diceret esse nigram) omni loco & tempore alienum: cumque sponte descendat ex Atomisticæ Philosophiæ principijs, illud sufficeret, ut talia principia explorarentur tanquam prorsus exotica. Certè materialis anima, cognitionis particeps, qualem adstruunt Peripatetici, non est impossibilis. Quod enim contrà objici solet, longissimè distat à demonstratione, & eâdem, quâ dicitur, facilitate refellitur, ut suo loco patebit. At, si canis, simia, vulpes talem haberet animam, quibus alijs manifestioribus indicijs eam proderet? Nec reponas cum Atomistis, hoc argumentum contrà nos esse: non enim repugnant, quod supremus Artifex sciat, & possit machinam eo artificio construere, ut absque animâ cognoscitivâ per solas Mechanicæ leges apta sit ad motus, quos videmus in brutis: nam, cum tam mira fiant arte humanâ, quid de arte Divinâ putandum? Si autem id non repugnat, de facto contingere credendum est: quia *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, et *Frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora*. Hoc, inquam, frustrà reponas. Nam id esse prorsùs impossibile, probant argumenta sat valida: quorum aliqua proponit P. Joannes Gisbert *Dissert. 8. Academic.*, & alia deduci possunt ex ijs, quæ ingeniosâ & iucundâ methodo proponit P. Gabriel Daniel in Opere, cui titulus, *Voyage du Monde de Descartes*, idest, *Iter*, seu *Peregrinatio in Mundum Cartesij*, 5. *part.*. Sed, ut ea brevitatis ergo nunc omittam, saltem ignotum est, nec humanitùs vestigari potest, an sit possibile, quod in unâ, eâdemque machinâ cohæreant tot occultæ machinationes, tot elateres, tot vè serasteria, quot necessaria forent ad simiæ vel canis motus ex Mechanicæ legibus efficiendos, præsertim irregulares, aut spontaneos, qui legibus illis contrarij manifestè videntur. Ad hoc enim necessarium est eas omnes machinationes distinctè concipere, nec non ipsarum ordinem, connexionem,

Quarta ratio, desūpta ex paradoxo de brutis animantibus.

Hypothesis de machinis brutorū inanimis, an sit possibilis?

Peripatetici negant.

Cartesiani, & Atomistæ scire nō possunt.

nem, dependentiam, &c.; quod hactenùs nullus Atomista præsumpsit. Invenias quidem apud hos Authores descriptiones perpulchras, paginasque vocibus anatomicis plenas. Sed cùm ad explicationem variorum in particulari motuum devenitur, nihil aliud dicere norunt, nisi quod obiectorum impressio per spiritus animales delata ad cerebrum, ubi est origo nervorum potentiæ loco motivæ inservientium, protinùs aperit istorum orificia nervorum; quo fit, ut ijdem spiritus per apertos tubulos decurrant ad pedes v. g., quorum musculos determinant ad currendum, saltandum, &c.. At, si ulteriùs quæras, cur ovis viso lupo determinetur ad currendum, non quidem versàs lupum, ut videbantur exigere leges Mechanicæ, vel saltem incedendo retrorsùm averso gradu; sed priùs totam machinam convertendo per semicirculum, ac deinde lineâ rectâ fugiendo? cur machina canis admotum ori panem leniter sumat immota pedibus; eundem verò panem ex altiori loco monstratum appetat saltu multiplici, violentoque? cur eadem machina fustibus & blanditijs inclinetur ad motus suos ordinandos; cum nihil simile in horologijs, aliisvè machinis humanæ artis, visum sit unquam? cur illa ipsa machina canis venatici, dum à leporinis corpusculis attrahitur, omittat primam & secundam lineam trianguli, quas percurrit lepus, & sæpè tertiam arripiat, quâ lepori citiùs & faciliùs occurrit? In his, inquam, & aliis, quantumcumque vulgaribus, & obviis (non enim seligo motus complicatissimos, & humanis simillimos, quales miramur in apibus, similis, elephantis) Atomista mutescit; vel ut summùm dicit, motuum hujusmodi varietatem provenire à *certa quadam* agitatione spirituum per nervos & musculos currentium *certo quodam modo*, nobis ignoto. Est igitur in hac hypothesi Atomistarum, non tantùm incredibilis, sed etiam incognoscibilis, aut incogitabilis, origo motuum animantium ex solis Mechanicæ legibus. Aliunde Peripatetica hypothesis, & sæculis omnibus credibilis visa est, & tam facilè concipitur (quidquid Atomistæ dissimulent), ut vel tyronibus Animasticæ statim plana videatur. Si vobis Atomistis clara est illa rationalis animæ definitio, ab Augustino tradita, *Substantia rationis particeps regendo corpori accommodata*; cur obscura sit hæc animæ purè sensitivæ, *Substantia solius sensationis particeps, movendo corpori aptæ*? Quæritis, quomodò moveat? Sed invicem à vobis quæro, quomodò regat rationalis anima? Quodsi hoc regimen benè concipitis per subordinationem spirituum & organorum corporis ad actus animæ nostræ; quid est, quòd similem subordinationem concipere nesciatis ad sentationes jucundi & molesti, quas elicit anima bruti? Tum sic. Cùm duæ contro-

Rogari causas variorũ in brutis motuũ, quid respondeant.

De causis motuum in particulari nihil norunt.

Hypothesis Peripatetica præsta: Cartesianæ verisimilitudine, facilitate, claritate.

ver-

vertuntur hypotheses, quarum altera non apprehenditur ut possibilis, nisi ad summum sub dubio merè negativo, nec cognoscitur quomodò correspondeat experientiæ, insuperque cunctis populis, & cunctis fere sapientibus apparet incredibilis, & absona; altera verò conditiones habet his oppositas: nemo prudens erit, qui non hanc præ illâ censeat existere de facto. At hæc est nostra hypothesis; illa est vestra. Ergo, &c. Unde negandum, quod hîc non adsit necessitas, saltem moralis & prudentialis, addendi entitatem animæ cognoscitivæ, & quod hæc entitas frustrà sit; ne philosophemur exotice, ac sine fundamento. Statuit Cartesius pro Criterio, seu normâ veritatis *ideam* objecti claram, ac distinctam; nec pro vero quidquam admitti vult, quod non hujusmodi Criterio consentire videamus. *Nihil unquam*, inquit Medit. 6., *à Deo fieri non posse judicavi, nisi propter hoc, quod illud à me distinctè percipi repugnabat.* Rogetur ergo Cartesianus quilibet, num claram, & distinctam ideam habeat machinationum, quibus instructas esse oportet Apum machinulas, ut sine sensu & cognitione Rempublicam formént in tantâ varietate officiorum ordinatissimam? Si habet, explicet; & erit nobis magnus Apollo: si non habet, cur Magistri sui Criterium deserit?

Quàm optimo jure præferenda.

Cartesiani proprio veritatis criterio convicti.

25 Præterea, tritissima est Atomistis via philosophandi per analogiam, explicando scilicet occulta naturæ per similitudinem ad res notas & obvias. Hinc ille recursus ad res artificiales, ad nauseam usque repetitus, maximè cùm sermo est de structurâ brutorum. At in re istâ Peripateticis suppetit analogia melior, vividior, ac naturalior, sumpta nimirùm ex humano Composito. Cum enim sciant, in homine, præter materiam organizatam, nec minori artificio, ac subtilitate dispositam, quàm in brutis, necessariam esse animam, à materiâ entitativè distinctam, quæ sit principium operationum, non solùm intelligendi, sed etiam sentiendi, ac vegetandi, quibus operationibus, si abscedat anima, insufficiens est tota structura Corporis humani, quantumvis exquisita: hinc analogiam sumunt ad philosophandum in brutis, quorum & constructio organica, & modus vegetandi ac sentiendi, tantam habet cum homine affinitatem. Unde, & in brutis agnoscunt animam à materiâ entitativè distinctam, quæ talium operationum sit radix, perceptivam quidem, & appetitivam objectorum, sed purè materialiter, utpotè non assurgentem ad modum cogitandi spiritualem hominis proprium: ideòque talem animam asserunt entitativè materialem, materiæ immersam, & naturaliter impotentem existere extrà materiam. Quid hac analogiâ congruentius?

Analogia humani Compositi probat brutorum animas.

26 Dices: etiam homo, quâ parte vegetat, ac sentit, est me-

De corpore humano paradoxum consequens Atomist.

mérum automaton, nec à brutis differt, nisi penes magis & minùs exquisitam machinæ fabricam, quamvis imperio rationalis animæ subordinetur quoad motus plurimos: quare rationalis anima solos elicit actus spirituales. Hoc dicunt, fateor, Atomistæ plures expresse, idemque vi consequentiæ dicere tenentur omnes. Sed

Unde sequitur animam rationalem non esse formam corporis:

hinc sequitur, quod anima rationalis non erit forma corporis humani (oppositum definitum est in Clementin. unic. de summâ Trinit., & in Concil. Lateran. sub Leone X): quia nec operationes habet communes sibi & corpori, tamquam principijs activo & passivo, siquidem actus materiales solius sunt corporis, ut spirituales solius animæ: nec verè complet, & actuat corpus humanum, siquidem hoc de se est substantia completa, & præscindendo ab animâ rationali plenam in se facultatem habet ad suos motus, non minùs quàm equus, vi scilicet dispositionis organicæ, vel subtilioris materiæ, quæ à te vocatur *forma specialis*, & non minùs inest humano corpori, quàm equino. Quare, sicut equus, suâ illâ quasi animâ præditus, substantia est omnino completa, nec ab ulteriore formâ complebilis: ita corpus humanum, ut condistinctum ab

nec cum eo faciens unum per se.

animâ rationali. Hæc igitur anima non faciet cum corpore *unum per se* (contra illud Symboli Athanasij, *Sicut corpus & anima unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*): sed erit Spiritus merè assistens, sicuti dæmon, cùm humana cadavera subit, & quasi viventia corpora movet, vel cùm energumenos tenet, eorumque organa determinat ad plures actus. Vim hujus argumenti perspicies, si quædam observes, quæ Tosca docet hùc spectantia. Docet

Mirabilis Atomist. doctrina: tum de unione humanâ:

1., unionem animæ rationalis cum corpore, præter coexistentiam, & penetrationem localem, solum includere *concursum Dei paratum, per decretum scilicet, quo statuit non concurrere cum anima ad operationes humanas eliciendas seorsim à corpore, sed tantùm ad eas efficiendas simul cum illo, & dependenter ab illo*: atque in hoc operandi consortio consistere, quod anima efficiat cum corpore *unum principium adæquatum, & singulare operationum*. Sic tract. 3. lib. 1. cap. 3. prop. 52. Docet 2., in humano corpore verè esse totum illud, quod in plantâ vocatur anima vegetativa, & in bruto

tum de vi sensitivâ, & vegetativâ hominis:

sensitiva, scilicet illam subtilioris materiæ portionem, de quâ num. 11.: nam, juxtâ ipsum, fœtus humanus primò est planta, deinde quoddam animal brutum, ac tandem homo, ita ut per hosce gradus nullam amittat ex prahabitis animabus entitative sumptis, quamvis duæ priores per adventum tertiæ definant esse animæ, quia principatum amittunt in tali corpore organico, & subsistiuntur animæ rationali tanquam instrumentariæ facultates illius. Sic tract. 10. lib. 7. cap. 3. prop. 19. Docet 3., corpus humanum ritè

dis-

dispositum, si Deus illi non infunderet rationalem animam, *fore tunc animal brutum, homini quoad corpus & potentias organicas omninò simile*, victurumque animâ sensitivâ, illâ ipsâ, quæ adveniente rationali amittit nomen animæ, & vocatur instrumentaria facultas: addit, quod *si corpori sano Deus animam rationalem subduceret, cæteraque conservaret, fieret iterùm animal brutum, homini quoad corpus & organa simile*, iterùmque facultas illa instrumentaria primatum recuperaret, & consequenter nomen animæ sensitivæ. Sic loco proximè cit. prop. 18.: ubi nullam videtur agnoscere naturalem exigentiam unionis mutuæ, nec ex parte corporis humani, nec ex parte rationalis animæ: non enim aliam rationem assignat, cur Deus corpori ritè organizato rationalem animam infundat, nisi hanc unicam, *ne fraus ulla locum habeat*, id est, ne fortè decipiamur credentes hominem esse, quod brutum est. Alibi tamen (nempe tract. 10. lib. 2. prop. 3.) rationem similem, à Peripateticis allegatam pro brutorum animâ cognoscitivâ, contemnit idem Tosca cum cæteris Atomistis: *quia*, inquit, *Deus nullatenùs ea* automata *produceret animo decipiendi, sed potiùs ostendendi sui opificij mirabilem artem :.. ubi autem abest animus decipiendi, nulla potest argui deceptio.* Quidquid de consequentiâ sit, ---

tum de corpore humano seorsùm ab animâ rationali spectato:

tum de illius inconnexione naturali cum animâ.

27 Ex doctrinâ relatâ pullulant absurda non modica. Nam 1., si unio rationalis animæ cum corpore nihil est aliud, quàm quod aiebat Tosca, poterit Angelus, aut dæmon, esse forma corporis humani: quid enim prohibet dari penetrationem utriusque, simulque decretum Dei de consortio ac dependentiâ in operando, quale adstruitur pro homine? Ob eandem rationem poterit unus homo alterius hominis, aut unus Angelus alterius Angeli forma esse, cum eo quæ constituere unum principium adæquatum & singulare operationum. 2.: anima non erit propriè causa sensationum, & aliarum operationum hominis materialium, sed tantùm mera conditio sine quâ non, ea quæ solo Dei arbitrio constituta præter exigentiam naturalem corporis, quod pro priori ad animam tam completum est earum operationum principium, quàm brutum quodlibet. Imò consortium animæ contra corporis exigentiam erit, nec tam iuvabit, quàm impediet: siquidem corpus humanum sibi relictum, ac permanens in classe brutorum, solo machinali artificio plurimas exerceret operationes, quas modò non potest absque imperio animæ: hujus etiam imperij defectu sæpissimè non currit, nec saltat, nec alios motus edit, quamvis adsit objectorum impressio, quæ tales motus causaret in brutis, per solas Mechanicæ leges: quare leges istæ violabuntur passim in cor-

Varia inde pullulant absurda.

Primum.

Secundum.

po-

pore humano per consortium animæ. Quod si ita contingit, mirum est, quomodò diutius vivat homo, quàm canis; vel quomodò non citò disrumpatur humanæ machinæ fabrica subtilissima, cum toties moveri cogatur contra machinalis structuræ legem. Proponito panem cani & homini famelicis: canis statim ex artificio machinæ movebitur versùs panem: humanum autem corpus (quod deberet pariter moveri, nisi adesset anima rationalis) subsistet immotum, donec anima velit; imò si velit anima, contrariam in partem movebitur. An non hic motus, & illa motus omissio, internæ

Tertium. corporis machinationi violentiam infert? 3.: corpus & anima rationalis, si non aliter uniuntur, nisi quatenùs se se mutuò adiuvant in operando, esto faciant unum in esse principij, non ideò constituent unum in esse entis: quemadmodum duo homines se mutuò iuvantes ad levandum pondus, vel duo equi trahentes currum, facient quidem unum principium adæquatum elevationis, aut tractionis, non tamen constituent unum per se. 4.: nulla physica ra-

Quartum. tio erit (ratio illa Toscæ, *ne fraus ulla locum habeat*, mera est congruentia moralis), cur in fatuis adultis, & in pueris ante usum rationis, dicatur esse anima rationalis. Nam ad omnes motus, & actus, quos in eis cernimus, sufficere poterit machina ritè dispositа in esse bruti cujusdam, homini quoad organa similis: & aliunde, juxtà Toscam, corpus humanum ex se non indiget animâ rationali, ut plenè constituatur in esse vegetativi, ac sensitivi; atque

Ultimum. ita constitutum, non magis est substantialiter incompletum, quàm equus, aut Taurus. Denique, fieri poterit naturaliter, ut, abscedente animâ rationali, maneat corpus humanum diù sentiens, ac vegetans. Cur non? Si corpus humanum, prout ab animâ rationali condistinctum, machina est non minùs instructa facultatibus ad sentiendum & vegetandum requisitis, quàm brutum quodlibet;

Responsio. utquid indiget pro motibus illis præsentiâ rationalis animæ? Dices: anima rationalis non abscedit, nisi cùm ita læditur dispositio

Rejicitur. machinæ, ut jam non maneat apta ad motus ejusmodi, nec retinere possit spiritus igneos, qui vitales sunt, & animales. Sed cur, quæso, abscedere non poterit humana anima citrà læsionem machinæ? Siquidem nec ipsa indiget corpore ad operationes sibi proprias, nec corpus humanum indiget illâ, ut sit tam benè compactum artificio mechanico, quàm equus vivens? Superest, ut recurras ad legem Dei pro mero arbitrio latam absque exigentiâ rerum. At lex hujusmodi non tollit possibilitatem rei naturalem, ut patet in possibilitate alterius mundi, vel aliarum animarum rationalium, similium his, quæ de facto creatæ sunt, & erunt.

28 Sed, quoniam absurdis agere cæpimus (quæ brevior est

est agendi via contra principia negantes), addimus, quòd ex Atomisticâ doctrinâ poterit Angelus propriis viribus canem, equum, & quodlibet animal mortuum, ad vitam revocare. Cognoscit enim intuitivè totam structuram canis v. g., & in quo consistat defectus, aut læsio machinæ, sicut etiam quò abierint, & ubinam sint spiritus vitales, & animales, vel igneæ particulæ, quibus texebatur anima canina. Pollet aliunde virtute expeditâ ad movendum localiter atomos, & corpuscula quævis, ad ea que plectendum, & coordinandum, ut libuerit. Poterit ergo facillimè reficere canis mortui machinam, atque iterùm viventem reddere. Ob eandem rationem poterit Angelus denuò generare quodlibet animal absque interventu maris & fœminæ: novit enim, ubinam lateant, hospitentur, aut divagentur atomi seminales, facilèque potest eas colligere, & colligare, vel ut semen formet, vel ut efformet animal sine semine. At hæc prorsùs aliena sunt á sensu fidelium, inter vera miracula computantium, quòd revivisçat canis mortuus. &c. Quid? quod eâdem ratione poterit Angelus naturaliter id ipsum præstare circa hominem, tum denuò formando, & præparando corpus humanum extra maternum uterum, tum illud aliquo vulnere lethali læsum, vitâque destitutum reparando, ac dispersos spiritus colligendo: quâ formatione, vel reparatione positâ, rationalis anima statim creari, vel redire debet naturæ lege; vel saltem corpus humanum artificio Angelico permanebit merè vegetativum, & sensitivum, verèque brutum. Multò facilius poterit Angelus naturali virtute curare cæcos, mutos, surdos, & ægros quoslibet. At, juxtà sensum Ecclesiæ Catholicæ, resuscitare mortuos, curare cæcos, &c. miracula sunt solius Omnipotentiæ propria; ideòque per ea probare voluit Christus Dominus Divinitatem suam, & doctrinę Cœlestis veritatem. Nec dicas, Angelum ab his operibus prohiberi Divino nutu. Prohibitio quippe non aufert ab Angelo virtutem naturalem ad talia opera. Numquid Architectus peritissimus, eo quod extrinsecùs prohibeatur fabricare domum, verè dicetur ad eam fabricandam inhabilis? Numquid ejus artem superabit fabrica domi? Accedit, quòd Angelus proprijs etiam viribus poterit esse fabricator, & author Cœli, & Terræ, totiusque Mundi corporei. Nam tota Mundi fabrica, juxtà Atomistas, non plus habet mysterij, quàm varia corpuscula coordinare, movere que localiter in diversa centra pro libitu motoris designata; quibus coordinationibus ac motibus aptissima sunt ex se corpuscula. At Angelo facillimum est motus illos corpusculis imprimere; nec est cur ejus artem superet illorum purè mechanica textura, vel coordinatio, quam Atomistæ requirunt ad formanda Sydera, Elementa, & Mixta.

Alia item absurda ex Atomist. paradoxis.

Poterit Angelus propriâ virtute canem mortuum, &c. suscitare:

& animal quodlibet generare.

Quin etiam utrumque potest circà hominem:

ut & curare cæcos, mutos, &c.

Imò poterit esse Mundi Author.

ta. Lege, si placet, descriptionem fabricæ Mundialis apud Cartesium, vel Toscam: & nihil invenies, quod Angelicam artem, potentiamque locomotivam excedat. Et saltem postquam Angelus Mundialem istam fabricam à Deo factam videt, & intuitivè perspicit ad atomos usque, nullo negotio formare poterit similem alium Mundum, si materiæ, seu corpusculorum copia suppetat. Fateor, materiam primam, seu congeriem informem & chaoticam atomorum, non nisi à Deo creari posse. At hoc non obstat, quominus Angelus absolutè & simpliciter dici possit artifex, & author Mundi, totamque artificij laudem sibi vendicet: quemadmodum qui domum affabrè construit ex lignis, lapidibus, & alijs, quæ ab altero asportata, & congesta fuerunt, simpliciter est author domi, nec artificii gloriam dividit cum eo, qui materiam rudem ministravit. Sequelam verò istam nemo non censeat absurdam, ut quæ maximè. Posse namque Mundum fabricare, prærogativa est tam propria Dei solius, ut hinc ejus Omnipotentia, & Ars infinita commendetur passim, summisque laudibus efferatur ab Scripturâ, Patribus, & Ecclesiâ.

Præoccupatur evasio.

29 Nec omittendum, quòd doctrina ista de brutis animantibus videtur viam sternere Epicuræis, & Atheistis ad negandum rationalis animæ spiritualitatem, & immortalitatem, dicendumque, nostram etiam animam consistere in spiritibus corporeis, qui, dum morimur, dissipantur. Quâ enim ratione philosophicâ (præscindendo à principijs Fidei, quæ Atheista negabit, & ab argumentis Peripateticorum, quæ solent Cartesiani contemnere) illum urgebis, qui exemplo brutorum à te probato, & analogiâ pneumatici, vel hydraulici organi, à te tantoperè iactatâ, contendat, ad omnes operationes humanas sufficere machinam merè corpoream, quæ miris, & artificiosissimis machinationibus internis instructa sit? Dices: urgebitur ille ratione Cartesij: quòd scilicet homo cogitat, & cogitatio non est corporea, cum extensionem non habeat: illud ergo, quo homo cogitat, est quid incorporeum, & à corpore independens; atque illud ipsum est anima rationalis. Sed impijmis hæc ratio alludit ad falsum Cartesij principium de essentiâ corporis, quam consistere dicit in extensione actuali: quod principium, ut alia nunc absurda præteream, non aliter cohæret cum Eucharistiæ mysterio, nisi per aliam doctrinam prorsus exoticam, à Cartesio non semel traditam, nimirum quòd potest Deus de potentiâ absolutâ rerum essentias mutare, contradictoria sociare, facere ut bis tria non sint sex, violareque legem illam, *Quodlibet est vel non est*, & similes alias. Deinde negabit Atheista, cogitationem non esse extensam, quamvis à nobis non percipiatur ejus extensio:

Ingens aliud absurdum: quod nempe licebit hominem asserere merum automaton:

quin obstet ratio Cartesij:

quâ parùm urgebitur Atheista.

&

sicut tu contendis, primitivas atomos, seorsùm acceptas, extensionem habere, licèt quantula sit hæc extensio, nec sensu, nec imaginatione percipere valeamus. Profectò, si legat Maignanum loc. cit. suprà num. 12., inveniet, hæc nomina, *phantasia*, *imaginatio*, *memoria*, *cognitio*, *cogitatio*, & similia, plenè verificari per solum motum localem spirituum corporeorum in cerebro. Confidenter ergo negabit, cogitationem non esse motum corporeum, & Cartesium ridebit authoritate Maignani fretus. Postremò, quidquid de cogitatione sit, poterit saltem unusquisque homo philosophicè credere, cæteros omnes esse meras automata, nec rationali animâ indigere. Quamvis enim tuam in te cogitationem experiaris, unde nosti, quod cæteri homines cogitent? Quid in eis percipis, nisi verba Psittacis & Picis communia, motusque alios externos belluinis persimiles? Percipio, inquis, locutionem opportunam, & cohærentem, quæ non nisi ab internâ cogitatione provenire potest. Belle. Ergo donec alios homines cohærenter & opportunè loquentes audias, omnes interim putabis esse meras machinas. Ergo mutis omnibus perpetuò negabis animam rationalem. Ergo, si per aliquam regionem, cuius linguam ignoras, nec magis quam passerculorum in sylvâ sonos intelligis, iter facias, omnes incolas inter automata computabis: quin obstent nutus, aliæve actiones, obsequia, vel officia, quorum fortè nullum videbis, quod non simiæ, vel apes imitentur pari, vel maiori forsan argumento internæ solertiæ: & licèt appareat inter utrosque motus aliqua differentia, solùm inde probabitur constructio machinarum magis & minùs artificiosa, quemadmodum ex diversis motibus vulpis & asini. Præterea, unde probas, locutionem cohærentem provenire ab internâ cogitatione? Cur non poterit Ars Divina, infinitè sapiens, ac potens, prævidensque futuras omnes occasiones loquendi, tali artificio disponere machinam, ut opportunos, & cohærentes edat linguæ motus, etiam ad syllogismos externos, vel ad descriptiones longas necessarios, quoties tu, vel interrogando, vel aliter, certo modo percellas ejus organa? Si talia potest ars humana, quid non Divina? Ostende, quæso, repugnantiam. Quodsi hoc non repugnat, de facto continget: nam *Entia non sunt multiplicanda* &c., & *Frustrà fit per plura* &c. En tuum pro belluinis automatis argumentum. Legatur P. Gabriel Daniel in Dissertatione de Brutorum animâ, quæ quinta pars est Operis citati suprà n. 24.; ubi planè demonstrat, nullam homini Cartesiano superesse rationem, cur cæteros homines præter se non putet machinas animæ rationalis expertes.

Saltem putare quisque poterit, cæteros homines esse meras machinas.

Retorquetur argumentum Atomist. pro belluinis automatis.

Atomistæ per nominū abusionem brutis attribuunt animā non animā,

30 Notandum hic, non nisi per insignem terminorum abusum, utque risum, vel odium fugiant cunctarum gentium, quosdam Atomistas concedere brutis *animam*, *vitam*, *sensationem*, *cognitionem*, *cogitationem*, &c., ut vidimus num. 12. Non enim philosophicè vocari potest *anima*, ideſt, actus, aut forma corporis physici organici, subtilis illa, mobilisque materia, quæ per nervos, & alia corporis organa fluitat; cum sit substantia ex se completa, nec aliam habeat unionem cum reliquo corpore, nisi meram inclusionem localem, sicut aer in folle, vel nummus in arcâ; proindeque non faciat cum corpore unum per se. Alioquin venenum decurrens per fistulas organi pneumatici eodem iure vocabitur anima organi: dæmon etiam, dum energumeni corpus intrat, ac motitat, vocari poterit illius anima, forma, vel actus. Adde, quòd, si portio illa materiæ mereatur nomen animæ, duas, vel tres animas habebit homo (error hic est ab 8. Synodo Generali damnatus), cum præter animam rationalem habeat iuxta Atomistas totum id, quod in bruto est anima sensitiva, & in arbore vegetativa, quod que redderet corpus humanum more pecudum vivēs, si Deus non infunderet animam rationalem. Adde rursum, quod materia subtilis, & ætherea, de quâ suprà num. 19., vocari deberet anima Mundi, cum per omnia Mundi spatia, & spatiola feratur, motu concitatissimo agitata, pluresque motus in alijs Mundi partibus causet. Mundus igitur verè animabitur, & magnum animal erit, immanisque bellua: quod tamen negat Tosca *Lib.* 1. *De Mundo* &c. *cap. ante. prop.* 10. Deinde nomen *vitæ* gratis tribuitur illi motui, quem materia spirituosa recipit in se, & communicat alijs membris corporis. Tum quia motus ille per accidens est motus immanens, seu manens intra corpus bruti: est enim eiusdem speciei cum alijs ad extrà motibus, v. g. cum illis, quos edunt iidem spiritus, eademve corpuscula, dum extrà corpus animalis avolant. Tum quia nullum erit corpus naturale non vivens, cum nullum sit, intra quod non aliquæ interdum atomi moveantur, vel fermentatione, vel aliter. Tum quia non verè dicitur motus ab intrinseco, cum semper, vel plerumque sit nova continuatio motionis æternæ, quæ ab obiectis imprimitur in organis sensuum externorum; non aliter, ac (ut Cartesiano utar exemplo), pulso baculo in unâ extremitate, continuatur motus usque ad alteram: potiùs ergo dicendus est motus ab extrinseco. Tum etiam, quia talis motus est omninò similis artificialibus, quos cernimus in horologio rotato v. g. & quos verè vitales esse, nemo sanus dixerit, cum tamen æquo iure dici possint motus immanentes, & ab intrinseco. Nec obstat, quod artefacta, ut se intrinsecus moveant,

vitam non vitam,

veant, aliquâ indigeant motione, vel applicatione agentis externi. Nam pariter eâ motione, vel impulsione indigent animalia, juxtà adversarios. Vide Maignan. *tit. cap.* 24., ubi latè versat exemplum organi pneumatici, atque in eo invenit similitudinem ad omnes belluarum motus, maximè sensitivos; ait que obiecta externa, dum nervos oculorum, aurium, &c., percellunt, esse veluti totidem organædos, qui palmulas pulsant, & ita motus machinæ internos causant. Hinc multò minùs meretur ille motus nomina *sensationis*, *cognitionis*, *cogitationis*, &c., cùm hæc significent vitam, non quamcumque, sed nobilioris speciei. Et verò quis ferat, hisce nominibus nihil aliud significari, nisi certum corpusculorum excursum huc atque illuc? Lege Maignanum *loc. cit.*, & indignaberis, quòd eò pervenerit vocabulorum abusus. Certè nihil erit, unde Maignanista refellat eum, qui simili licentiâ, vel abusu dicat, pneumaticum organum, aut molendinum vere sentire, imaginari, cognoscere, cogitare.

sensationem, non sensationem &c.

31 5. quia Philosophia Atomistica non videtur conciliari posse cum veritatibus Fidei, & doctrinâ Theologiæ Christianæ. Quod triplici ex capite maximè ostendi solet. Primò, ex mysterio Eucharistiæ, ubi, cum pereat tota substantia panis, ac vini, remanent accidentia per Divinam potentiam sine subiecto conservata. Dantur ergo in rebus accidentia absoluta, entitativè distincta ab omni substantiâ, & apta seorsùm existere Divinitùs. Sequelam hanc pernegant Atomistæ: ut que Catholicam de Eucharistiâ doctrinam cum suâ Philosophiâ componant, variis, ac miris modis se torquent, & versant in omne latus, vixque unus alteri omninò consonat. Et Cartesius quidem (præter difficultatem salvandi veritatem corporis Domini sine extensione actuali, in quâ consistere docet essentiam Corporis generatim) accidentia Eucharistica tractans *in respons. ad quart. & sext. obiect.*, nihil dicit cum Fide vel ratione cohærens. Ait enim, in Eucharistiæ Sacramento, ex pane & vino solam manere superficiem, & hanc non esse partem substantiæ, nec quantitatis corporum, sed duntaxat entitatem modalem, extremitatemque tam corporis contenti, quam ambientis, & communem utriusque modum. Sed verò superficies panis nequit non esse pars substantiæ ipsius. Tum quia est una ex tribus dimensionibus, quibus constat corpus mathematicum, à quo non distinguit Cartesius corpus physicum: neque ulla ratio est, cur linea & profunditas sint partes corporis, aut quantitatis eius, non autem superficies. Tum quia superficies extensionem importat in longum & latum, ut nemo dubitat: in extensione autem collocat hic Auctor essentiam materiæ, sive rei corporeæ.

Quinta ratio: quia nova Philosophia officit Fidei, & sacræ Theologiæ.

Ostenditur primò ex accidentibus Eucharisticis.

Solutio Cartesii.

Refellitur.

Aliquid ergo substantiæ panis in Eucharistiâ remanet; quod est hæreticum. Non defuit Cartesianus in Galliâ, qui doctrinæ consequentiâ ductus, docuerit, in Eucharistiâ manere substantiam, quæ anteà merus panis erat, sed quæ iam per consecrationem evaserit corpus Christi Domini, eo quod Christi anima tali corpori uniatur, illudque faciat esse corpus suum. Quæ doctrina, cum apertissimè destruat dogma Catholicum Transubstantiationis, satis ostendit, quàm sint periculosa Cartesij principia. Accedit, quod sola superficies certè non est color, odor, sapor, durities, humiditas, &c., quæ omnia remanent ex pane, & vino. Vel, si hæc omnia continet, erit superficies corporea totam habens sensibilitatem panis: quomodò ergo non est panis in tuis principijs? Accedit etiam, quod illa superficies est aliqua entitas, licèt modalis, ut supponit Cartesius: vel ergo est entitas substantialis; & sic non tota panis substantia perit: vel est entitas accidentalis; & sic iam datur accidens entitativum, ab omni substantiâ distinctum, & separabile, prout intendimus. Mitto, quod extremitas una communis corporibus contento & ambienti, quando contigua sunt, fictitia est: sicut etiam exotica est, & cæteris Philosophis, etiam Atomistis, absurda, separabilitas, & permanentia modi sine re, quam modificat; ut si permaneret unio sine extremis, sessio sine sedente, curvitas nasi sine naso.

Magnus error Cartesiani cuiusdam.

Ruinâ Cartesiana solutio resellitur.

32 Propter hæc tam lubricam Cartesij viam meritò deserunt Maignan, & Saguens, quibus adhæret Tosca: dicunt que, in Eucharistiâ manere panis & vini *species*, quâ voce utuntur Concilia Florentinum, Lateranense sub Innocentio III. & Tridentinum, omisso nomine *accidentia*: has autem species non esse accidentia realia, sed tantùm apparentias, quibus repræsentantur panis & vini color, odor, figura, &c.. Sicut enim Spiritus Sanctus apparuit sub specie columbæ, & Christus Magdalenæ sub specie hortulani, & discipulis sub specie peregrini, quin ad ejusmodi apparitiones opus fuerit columbæ plumis, aut hortulani, & peregrini vestibus; ita fieri poterit, ut Christus in Eucharistiâ se nobis offerat sub speciebus panis & vini, quin egeat accidentibus, quibus antea vestitæ fuerint substantiæ illæ. Verum, quia dicet aliquis, apparitiones illas, vel fuisse imaginarias, vel certè objectum aliquod exhibuisse corporeum, quod plumas columbæ, aut hortulani, & peregrini vestes figurâ & colore imitaretur: in Eucharistiâ autem non salvari doctrinam Catholicam, nisi ponatur aliquid sensibile permanens ex parte Sacramenti, quod sensus afficiat more panis, ac vini: ac proinde cogendos esse Atomistas, ut explicent, quidnam illud sit: idcircò Authores isti, dictas *species* distinctius explicant

Communior solutio Atomistarum.

plicantes, in eo consistere dicunt, quod Deus actionibus suis suppleat quidquid faceret substantia panis, si adesset, in ordine ad sensus afficiendos. Color enim nihil est aliud, quàm lumen variè modificatum à dispositione & scabritie corporis opaci, præsertim in superficie. Quare dispositio atomorum, quibus constat panis, est eius color in actu primo; & hic, cum sit modus substantiæ panis, non manet in Eucharistiâ: lumen verò taliter modificatum, est panis color in actu secundo; & hic in Sacramento idem manet; quia, factâ consecratione, lumen illuc appulsum Deus eodem modo reflectit, & modificat, ac antea modificabatur; ideoque perinde ab eo afficitur visus, ac si panem videret. Hinc manet etiam figura panis, non quidem eadem numero, cùm sit modus, sed eadem specie: quia scilicet à singulis partibus illius loci rotundi, ubi panis erat, per actiones Dei sic reflectitur lumen ad visum, ut in fundo retinæ depingatur figura rotunda, sicut antea. Odor est effluvium corpusculorum emissum à corpore odorifero, quæ corpuscula ad nares pervenientia, fibrillas earum diversimodè pungunt. Sapor consistit in varijs salibus, qui diversimodè palatum afficiunt. Utrumque supplet Deus in Eucharistiâ, actionibus suis efficiendo, ut aeris corpuscula perinde nares pungant, & palatum afficiant, ac si adessent effluvia & sales panis & vini. Gravitatem supplet Deus, premendo, ac movendo deorsum corpora subiecta, sicut solet panis. Impenetrabilitatem, prohibendo ingressum cuiuslibet alterius corporis in illum locum. Et duritiem, resistendo fractioni, sicut resisteret panis. Illas autem actiones Dei vocant Authores isti *actiones objectivas*; quia præstant idem, quod præstaret obiectum, si adesset. Hæc in summâ est doctrina Tolet. *tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 2. *prop.* 41. Sed contrà est, quòd iuxta doctrinam Catholicam Eucharistia vere permanet in esse Sacramenti etiam nocte, vel intra Sacrarium clausa: ac proinde vere tunc est *signum sensibile*, cum hoc sit de ratione Sacramenti. Vere igitur etiam tunc retinet aliquid, ratione cuius sentiri possit visu, odoratu, gustu, &c., sicut sentitur panis, & vinum. At hæc veritas stare nequit, si doctrina vestra stet. Nam imprimis ibi non est panis color, nec in actu primo, ut concedit is, nec in actu secundo, cùm nullum tunc detur lumen illuc appulsum, quod actionibus objectivis modificetur. Nulla deinde figura est panis, nec eadem numero, ut fatemini, nec eadem specie, cum absit lumen, & retinæ fundum. Nullus item odor, nec sapor, cum nec adsint effluvia corpusculorum panis & vini, vel eorundem sales, ut Catholicè supponitis, nec aeris corpuscula palatum ullum, aut nares tunc afficiant. Denique, si Deus circumstantia corpora annihilaret, non ideò Sacramentum

Species Eucharisticas qualiter explicent.

Quid vocent actiones objectivas.

Totius explicationis impugnatio.

eva-

evanescceret: & tamen tunc non daretur gravitas, quam assignatis, ut nec impenetrabilitas, aut duritiès, prout à vobis exponitur. Quid ergo verè sensibile remaneret ibi? Dices, manere tunc actiones objectivas, paratas eos effectus causare, quandocumque se offeret occasio. Sed nihil dices: nam actiones Dei solius, secundùm se spectatas, nemo dixit esse sensibiles, maximè cùm juxta doctrinam Atomistarum non distinguantur à Deo ipso. Dices iterùm, manere statum Eucharisticum, utique realem, qui Divinis actionibus efficitur, est que quoddam esse externum sensibile panis. Sed iterùm nihil dices. Nam ille status Eucharisticus, utique realis, ut ais, numquam à te explicatur, quid sit; an fiat ex nihilo, an ex aliquo; an sit substantia, an accidens. Si enim substantia est, cur non est panis? Substantia namque sensibilis totâ sensibilitate panis, utique panis est. Si autem est accidens ab omni substantiâ distinctum, pro hoc pugnamus. Præterea, juxtâ sensum Ecclesiæ Catholicæ, ingens est miraculum, & solius Omnipotentiæ proprium, quod maneant panis & vini species in Eucharistiâ. Si autem vera est relata doctrina Toscæ, non opus est grandi miraculo, ut species maneant: nihil enim ibi intervenit, quod non possit propriâ virtute naturali præstare dæmon, aut Angelus. Accedit, quod eâ explicatione non salvatur, quod species propriè *maneant*, ut loquuntur Concilia, & fideles credunt: non enim propriè *manere* dicitur id, cui subrogatur aliud ejusdem speciei: aliter, propriè diceretur hodiè manere panis heri comestus, aut vinum heri consumptum, verèque manerent in agris hoc anno segetes anni præteriti. Sed cur, inquis, Concilia solùm definiunt, manere *species*, & à nomine *accidentium* abstinent? Resp., in primis non semper abstinuisse: nam Concilium Constantiense damnavit secundum Uvicleffi articulum his terminis conceptum, *Accidentia non manent sine subjecto in eodem Sacramento.* Deinde, cum nomen *accidens* connotet subjectum, nomen verò *species* respectum dicat ad sensus, aptiùs hoc, quàm illo nomine appellantur color, odor, quantitas, &c., quando sine subjecto existunt, & tamen sensus afficiunt, sicut anteà. De cætero nomen *species* pro accidentibus accepit Ecclesia: tum in Breviario pro Festo Corporis Christi approbans illam D. Thomæ lectionem: *Accidentia autem sine subjecto in eodem subsistunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatum, & sensus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis.* Tum in Catechismo Romano *part.* 2. *cap.* 4., ubi inter ea, *quæ in hoc Sacramento verbis consecrationis effici fides Catholica sine ulla dubitatione credit, & confitetur*, numerantur, *accidentia, quæ aut oculis cernuntur, aut*

Effugia irrita.

Alia, atque alia impugnatio.

Apud Concilia, & Ecclesiam, species Eucharisticæ & Accidentia idem sunt.

*aliis*

*aliis sensibus percipiuntur, sine ulla re subiecta esse.* Tum per consensum Theologorum omnium, qui post Tridentinum scripsere, tum Scholasticorum, tum dogmaticorum, usque ad Maignanum, quin ullus de hac acceptione, vel intelligentiâ dubitaverit. Qui plura de hoc argumento velit, adeat Illustriss. Palaucum in *Dialog. contra Philosoph. novator. dial. 66. & sequentibus usque ad 75.*

Ostenditur secundò ex actibus Intellectus, & Voluntatis.

33. Secundò probari solet Philosophiæ istius oppositio cum Fide, & Theologiâ Christianâ, ex actibus vitalibus, præsertim liberis, creaturæ rationalis. Nam actus Intellectus, & Voluntatis, certè non sunt substantiæ: cum ergo sint entitates aliquæ (nisi mirabiliter velis, Visionem beatam, vel actum charitatis perfectissimum, nullius esse entitatis, nec verè existere realiter), sequitur, esse accidentales entitates ab omni substantiâ distinctas; cum tamen genus hoc entitatum universim explodant Atomistæ. Aliunde tales actus activè causat creatura rationalis: tum quia sunt actus maximè vitales, atque adeò eliciti ab intrinseco: tum quia nulla esset alioquin vera libertas hominis ad actus Voluntatis: tum quia Tridentina Synodus anathema dicit asserenti, liberum hominis arbitrium nihil omninò agere, & mere passivè se habere. Iam ergo potest causa creata demùm producere aliquam veri nominis entitatem, atque adeò destruere; quamvis certum sit, causis creatis non esse vim creandi, nec propriè annihilandi: quo dato, ruit argumentum Atomistarum fundamentale contrà formas substantiales, & accidentales Peripateticas. Dicunt, tales actus esse determinationes, aut affectiones, vel prorsus indistinctas ab animâ, vel non nisi modaliter, id est, impropriè, distinctas, ita ut nihil entitatis novæ superaddant. Verùm in primis negari nequit, quod illi actus propriam aliquam realitatem, seu entitatem habeant. Tum quia sunt perfectiones reales, & animam perficiunt, non tantùm moraliter, sed etiam physicè, id est, realiter, & ante fictionem, vel reflexionem mentis, & æstimationem prudentum: quis enim dubitet, quin anima realiter perficiatur, melioùsque se habeat cum visione & amore beatificis, quàm sine illis? vel etiam ordine naturali, cum scientijs, & virtutibus, quàm cum erroribus, & vitijs? vel in homine sapientissimo, quàm in fatuo? At vera perfectio sine verâ realitate, & entitate, prorsùs est chymerica. Tum quia ad tales actus, dum supernaturales sunt, eliciendos, opus est viribus supernaturalibus, & concursu Dei ut specialis Authoris. Utquid autem tanto impendio opus erit pro affectione unabratili, quæ nihil realitatis importet? Tum quia, fractus amoris nihil entitatis addit, Voluntas illum agens, propriè nihil agit: quod Triden-

Quid de illis actibus Atomistæ sentiat.

Eorum doctrinæ refutatio.

ti-

tino repugnat. Nunc sic. Si affectio illa propriam habet entitatem, nequit non ab animæ substantiâ distingui entitativè, verè, & propriè. Tum quia iuxtà doctrinam Atomistarum, si semel conceditur propria entitas affectioni, determinationi, modificationi, consequenter debet concedi entitativa distinctio; & iuxta eosdem, ideò distinctio purè modalis non est entitativa, quia non est inter duas entitates. Tum quia entitas amoris, si non est verè distincta, erit verè indistincta à substantiâ animæ, cum eâ quæ realiter identificabitur: ergo 1. non poterit esse intrinsecè supernaturalis; quia tota entitas animæ certè naturalis est, totaque à Deo ut naturæ Authore creatur: ergo 2. anima non erit causa illius actus, nec illum aget verè, multòque minùs liberè; quia nec agit suam ipsius entitatem liberè, vel necessariò; nec est causa sui: ergo 3. entitas amoris boni, vel pravi, & erit animæ coæva, & nunquam poterit ab animâ retractari, vel abiici. Quæ omnia detestatur Christiana doctrina. At, inquis, nonnè plures Peripatetici dicunt, modum non distingui realiter à subiecto, & distinctionem modalem esse reali minorem? Nonnè aliunde plures etiam dicunt, actus Intellectus, & Voluntatis non esse qualitates absolutas, sed modos? Resp., ludere te in æquivoco. Nam, licèt interdùm voces ac phrases nostras usurpent Atomistæ, notio est valde diversa. Peripatetici, dum *modos* admittunt, in illis agnoscunt veram entitatem, prout entitas opponitur nihilo & chymeris; quàmvis hanc entitatem nolint vocare absolutè *rem*, aut *ens simpliciter*, eo quòd hæc nomina reservent substantijs absolutis, præsertim completis, vel etiam, licèt minùs strictè, accidentibus absolutis, ideſt, potentibus Divinitùs existere separatim. Ideò concedunt, modales entitates à causis creatis verè produci, verèque destrui. Distinctionem autem modalem non negant esse entitativam, ideſt, versantem inter entitatem & entitatem à parte rei, & nemine cogitante, atque in hoc sensu verè esse realem. Solùm ergo quandoque renuunt vocare realem simpliciter; quia distinctio solet ab extremis denominari, & distinctio modalis non versatur inter rem, & rem, ideſt, inter entitates utrimque absolutas, & invicem separabiles: quare hoc tantùm sensu vocant reali minorem. Vide nunc, an locutiones nostræ sic intellectæ cõhæreant cum principijs Atomisticis; quòd scilicet nulla vera entitas est in rebus, quæ à substantiâ distinguatur entitativè; & quod nihil entitativum denuò produci possit, nisi per creationem.

Apud Atomist. quænã distinctio sit entitativa.

Notio distinctionis modalis apud Peripateticos.

34 Tertiò probatur eadem oppositio ex qualitatibus infusis supernaturalibus, cuiusmodi sunt Lumen gloriæ, Habitus fi-

fidei, spei, charitatis, & Gratia habitualis. Nam Gratia (idem puta de cæteris) producitur à Deo in animâ per eductionem, ut fert communior sententia Theologorum; iam ergo possibilis est nova productio veræ alicuius formæ, & entitatis, quin fit creatio. Unde ruit principium fundamentale, quo superstruitur Atomistica Philosophia. Quodsi velis, Gratiam non educi, sed creari; saltem fateri debes, per creationem existere posse qualitatem absolutam, & ab omni substantiâ entitativè distinctam: quod item repugnat Atomistarum principijs, apud quos quidquid creatur, quidquid proprie producitur, substantia est, sicut etiam quidquid simpliciter, aut proprie habet entitatem; & qualitas absoluta, quæ distinguatur entitativè ab omni substantiâ, merum est somnium Peripateticorum. Duas solutiones affert Tosca *Tract.* 3. *Lib.* 1. *cap.* 2. *prop.* 39., & utramque videtur approbare. Altera, pro qua citat Maignanum, est, Gratiam creatione produci, & propriam habere quidditatem, & entitatem supernaturalem realiter distinctam ab animâ, & consequenter esse revera substantiam, quamvis rectè vocetur qualitas, & accidens animæ, quia illam afficit, decorat, & illustrat; quemadmodum lux corporea, cum verè substantia sit, dicitur qualitas, & accidens aëris illuminati, ut placet Atomistis, apud quos hæc vocantur accidentia *respectiva*, non *entitativa*. Sed huic solutioni obstat 1. consensus Theologorum nullam agnoscentium de facto substantiam supernaturalem absolutam, & plerumque possibilem esse negantium. Obstat 2., quod Gratia verè erit intellectiva, & rationalis, *ut quod*. Tum quia substantia immaterialis necessariò est intellectiva, ut probant Theologi cum D. Thomâ. Tum quia Gratia est vera radix operationum intelligendi & amandi supernaturalium: substantia autem absoluta, quæ vim habeat tales operationes radicandi, non est cur non intelligat, & amet *ut quod*. Tum quia Gratia, si talis est indolis, sine dubio est Spiritus proprie & simpliciter: Spiritus autem definitur à Toscâ *tract.* 11. L. 1. cap. 1. prop. 1. *Substantia intellectiva*. Obstat 3., quod Gratia, ut constat ex Tridentino Sess. 6. cap. 7. & can. 11., verè est forma animæ, vereque ipsi inhæret; & ex se instituta est ut uniatur subiecto rationali, & illud informet, non minus, imò magis, quàm anima rationalis respectu corporis, cum non possit Gratia extra subiectum existere sine grandi miraculo, possit autem anima extra corpus. Hinc autem sequitur, quod, si Gratia est substantia, erit forma substantialis respectu animæ, vel Angeli, & cum Angelo, vel homine, faciet unum per se, sive unum compositum substantiale, pari, vel potiori ju-

Ostenditur tertiò ex qualitatibus supernatur., nominatim ex Gratiâ sanctificante.

Prima solutio Atomist.

Multis impugnatur.

Si Gratia est substantia, erit intellectiva:

et forma substantialis:

re, quàm rationalis anima cum corpore organico. Hoc autem consequens, & inauditum est, & intolerabile. Tum quia inde fieret, hominem iustum distingui specie substantiali à peccatore: fieret item, hominem substantialiter mutari, cum de peccatore fit iustus, & substantialiter corrumpi, dum Gratiam amittit. Imò non posset illam amittere: quia Gratia foret incorruptibilis, & immortalis eodem titulo, quo anima rationalis; & aliunde non posset existere separata à subiecto. Tum etiam, quia Gratia foret propriè anima Angeli, & quidem anima propriè rationalis, cum sit forma Spiritualis, Angelum substantialiter complens, & præterea sit radix operationum rationalium ordinis supernaturalis. Homo item iustus duas haberet animas rationales, substantialiter unitas inter se per modum actus & potentiæ, quarum per alteram esset substantia completa intellectiva in ordine naturali, & per alteram substantia completa intellectiva in ordine supernaturali: quemadmodùm iuxtà Atomistas, corpus humanum, postquam est substantia completa vegetativa, per novam formam completur in esse substantiæ sensitivæ, & retentâ completione istâ, iterùm per rationalem animam completur in esse hominis, vel substantiæ rationalis. Tum denique, ut alia omittam, quia daretur de facto creatura rationalis ex propriâ substantiali naturâ impeccabilis, ac sibi debitam faciens visionem intuitivam Dei, videlicet illud unum per se, sive illud substantiale compositum, quod resultaret ex homine & Gratiâ. Neque his incommodis medetur Tosca, dicens, posse Gratiam vocari *accidens entitativum*; pro quo nos remittit ad suæ Metaphysicæ Lib. 3. prop. 24. Sed in eâ propositione solùm dicit, accidentia entitativa posse saltem Divinitus existere sine subiecto. Citare debuisset sequentem propositionem 25., ubi inter accidentia entitativa numerat Gratiam sanctificantem, & habitus infusos. Tum sibi obiicit, quòd hæc non sunt propriè accidentia, sed substantiæ, cum habeant propriè quidditatem, sintque in se absolutè, & simpliciter entia; & aliunde quidquid in se habet esse, substantia sit. Respondet autem his verbis: *Ob hanc rationem, ut verum fatear, cur eisdem ratio substantiæ neganda sit, non satis video. Cæterùm, cum iam ad quæstionem de voce pervenerimus, sistendum est; patiusque iudico cum pleriisque loquendum, ideoque appellanda esse accidentia entitativa.* Vides, opinor, quid sibi velit hic Author, scilicet illud Ciceronis, *In loquendo usum populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Agnoscit in entitate Gratiæ quidquid exigit ratio substantiæ, nec videt quommodò negari possit, stantibus Atomistarum principijs, quæ ipse sectatur: sed hanc veritatem fi-

et incorruptibilis, immortalisque:

et propriè rationalis anima hominis, aut Angeli.

Responsio quædam

parùm candida

sibi reservat, & in loquendo usum Peripateticis indulget, ne de voce disputet. Quasi verò sit contentio vocalis prudenter contemnenda, quæ à concedente definitionem vult extorquere definitum, ut si quis renuat vocare hominem, quod est animal rationale, vel vocare Deum, quod est Ens à se. Notum est, ex pravo usu vocum in rebus Theologicis errores & hæreses enasci posse, & consuevisse. Quidquid tamen sit de nomine philosophico, quo vobis libeat Gratiam appellare, rogamus, ut veritatem fateamini quantum ad genus quidditatis, quod Gratiæ tribuit conscientia vestra: Utrùm scilicet Gratiæ conveniat suffragio vestro quidditas, ratio, ac definitio substantiæ? an non? Si convenit (quod, stando veritati, cur negandum sit, Tosca non satis videt), sequuntur incommoda nuper indicata. Si non convenit, frustrà reiectis generatim ideam accidentis absoluti, ab omni substantiâ entitativè distincti, quam Peripatetici probant; & falsò dictis universim, substantiam esse in se quidquid propriè producitur, & entitatem habet simpliciter, aut propriè. refutatur.

35 Altera solutio est Joannis Saguens, asserentis, Gratiam habitualem non distingui entitativè ab animâ sanctificatâ; sed esse mirabilem quandam modificationem illius, à Deo factam. Hinc (subdit Tosca), cum modus animæ sit, propriè non producitur, aut fit; prout generatim de omnibus modis Atomistæ docent. Verùm hæc solutio, ut mitissimè loquar, durissimè negat habituali Gratiæ verum *esse*, veram realitatem, seu entitatem propriè talem: si enim entitas huiusmodi concedatur Gratiæ, concedenda ipsi pariter est entitativa distinctio ab animâ, ut omnes Atomistæ fatentur; nec iam Gratia erit modificatio, sed entitas absoluta. Durissimè, inquam: quia si hoc ita est, non videntur seriò intelligi posse, quæ circà Gratiam Fides Christiana docet: v. g. quod hæc pretiosissima forma est quoddam esse Divinum, imitatio Divinæ sanctitatis, & participatio Divinæ naturæ, iuxtà illud Sacræ Paginæ, *Magna, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ.* Nam quis hæc seriò intelligat de obiecto nullam habente realitatem? Merebiturnè vocari *esse* Divinum, quod propriè nullum est *esse*? Imitabiturnè verè Divinam sanctitatem, aut verè participabit naturam Dei, quod propriè nullam imitatur perfectionem, nullam propriè participat entitatem, sed est merum nihil, vel nescio quid medium inter aliquid & nihil? Præterea, quidquid realis perfectio est, realis entitas est, ut suprà arguimentabamur in simili. Quis autem dubitet, quin realis perfectio sit, realiterque perficiat animam iusti, ac verè meliorem reddat forma illa, Altera solutio.

Reiicitur.

Quàm durum sit, & absonum, Gratiam dicere modum entitatis expertem.

quæ est Divina quædam animæ pulchritudo, supercælestis decor, ornamentum, monile, annulus, & stola omni auro, gemmisque pretiosior, quâ dignè vestitur, ornatur, & constituitur sponsa Dei; filia Dei, hæres Cœli? Forma, inquam, illa, *qua videlicet à Deo donati* (ut loquitur Tridentinum cit. cap. 7.) *renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam?* Vel quis hæc verificari concipiat de perfectione realiter nullâ, nisi, quod nefas est, ad meras moralitates, aut imputationes extrinsecas recurrat? An, qui Thesaurum hunc amittit, nullius rei, nullius entitatis iacturam facit? Mitto alia plurima, quæ facilè in solutionem istam ponderari possunt. Tantùm advertò, plures Atomistas, qui generatim reiiciunt omne genus distinctionis ante opus mentis inter subiectum, & eos, quos vocant *modos*, consequenter fateri debere, Gratiam, si modus est, omninò indistinctam esse ab animâ: ex quo absurda pullulant nulli Catholico devoranda: ut, quòd entitas animæ sit supernaturalis, vel Gratia sit naturalis: quòd omnis anima creata sit in Gratia: quòd Gratiam amittere nunquam possit: quod locum non habeat doctrina Tridentini de *receptione*, & *inhærentia* Gratiæ in animâ iusti. Tosca verò, qui distinctionem modalem in rebus agnoscit, v. g. inter corpus, & ubicationem, seu præsentiam localem, sine exceptione docet, modos non propriè quidditatem habere, nec propriè produci, nec destrui. Unde, si Gratia est modus, non magis perficiet hominem, quam ubicatio in loco A; nec homo propriè adquiret, vel amittet aliquid, adquirendo, vel amittendo Gratiam; nec Spiritus sanctus propriè erit Author, & causa Gratiæ, cum hæc non sit propriè producibilis, nec peccatum destruet propriè Gratiam, cum hæc propriè destrui non possit.

Gratiæ indistinctio à subiecto, absurdissima:

atque etiam distinctio purè modalis in sentu Atomist.

36 Ex alijs capitibus ostendi posset incohærentia Philosophiæ Corpuscularis, præsertim Cartesianæ, cum Fidei dogmatibus: quæ qui distinctius nosse velit, adeat Illustriss. Huetium in *Censura Philosophiæ Cartesianæ* præsertim *cap.* 5., & 8., & Illustriss. Palanetum cit. *Dialog. contrà Philosophiæ novatores.* Idcircò Cartesiana principia in Gallià & Belgio à plerisque Academijs proscripta sunt, Regijs etiam decretis interdicta: varij quoque Libri Cartesij prohibentur, donec corrigantur, in Romano Librorum prohibitorum Indice. Nec prætereundum est, quòd doctrina Cartesij heterodoxis plerùmque nimis placuit: & postquam vulgari cæpit, rarus extitit Iansenista Philosophiam professus, qui non fuerit Cartesianus. Ita suasit novandi libido, fortasisque etiam

Cartesiana Philosophia, quia parùm Fidei consonat, Orthodoxis odiosa,

Heterodoxis grata.

etiam amicitia, & litterarum commercium, quod intercessit olim Cartesium inter & Antonium Arnaldum, lanteniane factionis Antesignanum. Indignantur quidem vehementer Atomistæ nonnulli, præsertim Cartesiani, quoties ex principijs & doctrinâ Catholicæ Fidei contrà Philosophiam ipsorum argumenta petimus; nobisque non sine stomacho exprobrant, quòd physicarum rationum inopes, ad mysteria suprà rationem posita recurramus. Aliud est, inquiunt, credere; aliud scire. Nunc Physica scientia quæritur: & hæc naturali ratione, non revelatione, vestiganda est. Qui ergo Physicum agit, à principijs revelatis interim præscindit; nec tenetur argumentis inde petitis respondere quatenus Physicus, quàmvis mysteria ipsa veneretur, & credat quatenus Christianus. Sed certè indignatio ista multò acriorem meretur indignationem.

An oporteat à principijs Fidei Christianæ præscindere, qui Physicè agit?

1.: quia, si in rebus physicis habenas laxare oportet naturali rationi, & omnibus, quæ illi vera videntur, libere assentiri, nihil interim curando consonantiam eorum cum Fidei veritatibus; ergo, quàmvis humana ratio deliria multa proponat sub specie veri, v. g. quod Mundus sit æternus, quod Deus operetur, non libere, sed ex necessitate naturæ, quod rationalis anima sit mortalis, quod ex atomis fortuitò combinatis formata sint omnia (quæ, & alia deliria placuerunt olim magni nominis Philosophis, qui multo rationis lumine pollere visi sunt); licebit nobis assentum præstare, & ea tamquam physicas veritates amplecti: cumque obiiciuntur veritates Fidei, licebit reponere, *Ab his præscindo, quia Physicum ago*; vel, *Has veritates credo, illas scio, nec utrasque inter se conciliare teneor, ne alioquin ratio cum Fide confundatur, aut temerè offurgat ad excutienda mysteria suprà rationem posita.* Quis verè Catholicus ita loquatur? aut ita loquentem non indignanter audiat? Poteritne unus, & idem homo seriò agere nunc fidelem Christianum, nunc Physicum Atheistam?

Non oportet primò.

2.: quia mysteria Fidei, licèt suprà rationem sint, non sunt contra rationem. Unde tot Libri SS. Patrum, & Catholicorum Doctorum in id incumbunt, ut contra paganos & hæreticos ostendant, nihil in nostris mysterijs esse, quod recta ratio improbare possit. Ergo, qui laborem hunc negligit, Catholicorum Patrum, atque Doctorum conatum damnat, infidelium contemptui, risuique Religionem nostram exponit, & an recta sit sua ratio, non curat.

Secundò.

3.: quia doctrina Fidei verissima est, certissima, & infallibilis: ergo, si reipsa illi dissonat vestra Philosophia, quantumvis evidenter demonstrari videatur, nequit non esse falsa, & erronea: quia *Verum vero consonat*; &, quòd opponitur certissimæ veritati, certissimè est error; nec potest non falli, quicumque illi-

Tertiò.

currendo deviat à veritate infallibili. Si ergo à doctrinâ Fidei præscindius, dum Physicas agitis, vobis curæ non est, an ipsa Physica vestra sit falsa, & erronea. 4.: quia nemo res physicas melius novit, quàm earum omnium conditor Deus; qui præterea, siquid loquatur, nos fallere nunquam potest: si ergo dignetur ipse detegere, vel revelare nobis aliquid de obiecto Physicæ (ut multa de facto revelavit in Scripturâ sacrâ), quis erit physicæ veritatis amator, qui non illud præ oculis habeat, tum ut rationem aberrantem corrigat, & pro errore damnet quidquid illi adversari deprehenderit, tum ut aliquam inde lucem accipiat ad alias veritates physicas indagandas? Si Deus omnia naturæ arcana, & quidquid pertinet ad obiectum Physices, per se ipsum revelare vellet; nunquid posset sensatus Philosophus oculos mentis inde avertere, & aliam sibi Physicam proprio Marte condere, non curando consonantiam eius cum Physicâ revelatâ? Deberet quidem experiri, an ratio naturalis, præscindendo à revelatione, posset eadem veritates discurrendo ac demonstrando detegere, ut ita obiectum Physicæ non solùm esset creditum, sed scitum. Cæterum non nisi temerè, & stultè posset tunc humanæ rationi omninò fidere, suisque demonstrationibus tamquam legitimis assentiri, donec eas cum Physicâ revelatâ conferret, & consonantiam, vel certe nullam dissonantiam deprehenderet. Eadem autem ratio militat in parte Physicæ, quæ in toto illius obiecto.

Quarto.

Quare potissimùm Philosophia Peripatetica Corpuscularibus præferenda sit.

37 Itaque nova hæc, vel innovata Philosophia, eo displicet maximè, quòd ægrè admodùm possit, si forsan potest, in concordiam venire cum Theologiâ sacrâ, cui omnes scientiæ naturales, nisi paganæ sint, famulari debent, & cui Philosophia Peripatetica famulatum præstat utilissimum, quin ullum habeat principium Theologis incommodum. Displicet etiam in multis illius Philosophiæ sectatoribus arrogantia, fastus, & contemptus aliter sentientium, quos præ se videntur nihili facere, atque eorum argumenta flocci pendere, suas interim ratiunculas (quæ sæpissimè sunt meræ divinationes arbitrariæ, vel meræ congruentiæ, seu analogiæ mechanicæ) pro clarissimis & evidentissimis demonstrationibus iactantes. Philosophiam Peripateticam quasi per contemptum vocare solent *Philosophiam Monachorum*: quasi verò despicienda sit, eo quod Religiosis, pro tuendâ Catholicæ Fidei puritate maximè sollicitis, v. g. D. Thomæ, Scoto, Suario, valde probetur tamquam ad eum finem perutilis. Hispani, quibus nihil Religione charius, Cartesianam Philosophiam communiter aversantur: eam quoque vicissim irrident ut mechanicam, & nonnunquam appellant *Philosophiam laicam*, *Philosophiam illiteratorum*,


Cartesiani quidam nimium sibi arrogant: Peripateticos irrident:

vicissim irridentur.

*rum, & fœminarum*, vulgo *Philosophia lega, Philosophia de capa, y espada, Philosophia de Estrados.* Nec huius Philosophiæ luce notiora sunt nobis naturæ penetralia. Cum enim penitius aliquid in rebus physicis explicandum est, plerumque nullam à priori rationem reddere norunt Atomistæ, nisi subhis terminis, *Pendet hoc à corpusculis modo multiplici combinatis, sic vel sic dispositis, taliter vel taliter contextis, vel etiam à virtutibus vadiorum elementorum sine nomine.* Interdum divinando addunt, forsan aliquid eâ in re inveniri simile artificio molendini, horologij, vel organi pneumatici. Non rarò confugiunt ad materiam subtilem, seu ætheream, quamtumcumque invisam, & occultam. Atque ita totam naturæ clarissimam, si Superis placet, explicationem absolvunt. Sed certè per voces illas, *sic vel sic, taliter vel taliter*, vel per materiam ætheream nulli sensui notam, vel etiam per anonyma elementa Maignani, non clariùs patescunt arcana naturæ, quàm per formas, & qualitates occultas Peripateticorum. Faceſſat ergo à Scholis nostris hæc novitas Philosophiæ, quæ nullam rebus physicis lucem afferendo, difficultates incurrit insuperabiles, ut unam vel alteram in Peripatu evitet nulli mediocri ingenio formidandam.

Philosophia Corpusculari nova lucè non attulit rebus physicis.

Conclusio Dissertationis.



PRÆ-

# PRÆLIMINARIS DISSERTATIONIS INDICULUS.


*Summa doctrinæ Peripateticæ de Corpore naturali generatim, de quæ illius partibus, & affectionibus.* num. 1. 2. 3.

*Atomisticæ, seu Corpuscularis Philosophiæ Authores, & Instauratores.* n. 4.

*Fundamentum, quo tota nititur.* n. 5.

*Quænam statuat prima principia Corporis naturalis.* n. 6. & 7.

*Quid apud Atomistas Compositum substantiale, Generatio, Alteratio, Corruptio.* n. 8.

*Quid materia prima.* n. 9.

*Quid substantialis forma, tum generalis, tum specialis.* n. 10. & 11.

*Brutorum animas an, aut quatenus agnoscant novi Philosophi.* n. 12.

*Cætera Atomistarum dogmata generalia.* n. 13.

*Prima principia Mixtorum apud Chymicos.* n. 14.

*Quædam Atomistis permittenda.* a n. 15. ad 19.

*Controversiæ cardo.* n. 19.

*Prima ratio contra Philosophiam Corpuscularem: quia nullum erit Compositum substantiale: nulla item Generatio substantialis.* n. 20.

*Secunda ratio: quia nulla causa sit, secundis fluerit actionibus.* n. 21.

*Tertia ratio: quia nullum Corpus ab alio differet specie substantiali.* n. 22.

*Subruitur fundamentum Philosophiæ Corpuscularis.* n. 23.

*Quarta ratio, desumpta ex paradoxo de brutis animantibus.* à num. 24. ad 30.

*Quinta ratio: quia nova Philosophia officit Fidei, & sacræ Theologiæ.* n. 31.

*Ostenditur primò ex accidentibus Eucharisticis.* n. 31. & 32.

*Ostenditur secundò ex actibus Intellectus & Voluntatis.* n. 33.

*Ostenditur tertiò ex qualitatibus supernaturalibus, nominatim ex Gratia sanctificante.* n. 34. & 35.

*Cartesiana Philosophia, orthodoxis odiosa, heterodoxis grata.* n. 36.

*An oporteat à principijs Fidei Christianæ præscindere, qui Physicum agit?* ibi.

*Quare potissimùm Philosophia Peripatetica Corpusculari præferenda sit?* n. 37.

*Philosophia Corpuscularis novam lucem non attulit rebus physicis.* ibi.

*Conclusio Dissertationis.* ibid.

# PHYSICA,

## SEU NATURALIS PHILOSOPHIA

## DE CORPORE NATURALI GENERATIM.

## PROOEMIUM.

1 PHILOSOPHIA, quæ idem sonat, ac *amor sapientiæ*, à modestia Pythagoræ nomen accepit. Nam, cum antea (inquit S. Augustinus L. 8. de Civit. Dei cap. 2.) Sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ alijs præstare videbantur, iste interrogatus, quid profiteretur, Philosophum se esse respondit, ideſt, studiosum, vel amatorem sapientiæ: quoniam Sapientem profiteri arrogantissimum videbatur. Placuit cæteris vocabuli novitas: ac deinde pro Sapiente *Philosophus*, & pro Sapientiâ *Philosophia* nomen invaluit. Vetus Philosophiæ generatim acceptæ definitio est, *Humanarum, Divinarumque rerum scientia*. Per res *humanas* intelliguntur, quæ ad mores; per *Divinas*, quæ ad Universi speculationem spectant. Dividitur Philosophia in Moralem, Rationalem, & Naturalem. Moralis, seu Ethica, est, quæ de virtutibus, & vitijs disserit ex præscripto rectæ rationis, ut Voluntatis affectus temperet, ac mores formet. Rationalis, seu Logica, est, quæ Rationem dirigit, & Modum sciendi docet. Naturalis, quæ cætera in Universo scibilia naturali lumine scrutatur. Hæc subdividitur in Methaphysicam, Mathematicam, & Physicam: è quibus postrema hæc nostri laboris est in præsentiarum.

2 Physica ergo definiri potest *Scientia de natura*, iuxtà nominis etymon, nam *physis* natura est: ideòque peculiariter, & quasi antonomasticè appellatur *Philosophia naturalis*, atque etiam *Physiologia*, id est, *Sermo de natura*. Scientia, inquam, de *natura sensibili*, quæ nimirùm indagari potest ex accidentibus, quæ sub sensum cadunt: vel de *natura*, quæ est *principium motus* in substantiâ corporeâ: non enim Physi-

ea tractat de naturâ Dei, aut Angelorum, nisi quatenùs ab his pendent motus corporei; scilicet de Angelis tractat, quatenùs cœlestia corpora movent, & de Deo, quatenùs primus est Motor, seu prima Causa mutationum omnium sensibilium, aut materialium. *Motus* autem nomine venit, non solùm motus localis, sed etiam mixtio, generatio, nutritio, accretio, alteratio, intensio, &c., de quibus exprofesso disserit Physica.

3 Obiectum Physicæ adæquatum complectitur omnia, quibus constat Mundus corporeus, scilicet, corpora omnia Cœlestia & sublunaria, eorumque partes, & affectiones. Ratio formalis *sub qua*, dici potest Ens mobile, seu naturale, prout est ratio communis substantiis & accidentibus corporeis. Obiectum attributionis variis nominibus circumfertur: ab aliis enim dicitur Ens naturale: ab alijs Ens mobile: ab alijs Corpus mobile: ab alijs Compositum substantiale: ab alijs Corpus completum de prædicamento Substantiæ. Quâ varietate verborum rem eandem omnes intelligere videntur, videlicet *Corpus naturale in genere Substantiæ completum*, ad cuius perfectam cognitionem ducit quidquid Physica tractat.

4 Porrò Corpus simpliciter dictum (ne hanc inlimine prænotionem desideres) est *Substantia completa naturaliter exigens impenetrabilitatem sui cum alia eiusdem rationis*. Unde necessariò debet ad alterius ingressum loco cedere, vel talem ingressum impedire. Potest etiam aliter, & aliter describi: nempe, *Substantia completa suapte natura perpetuò affluata ad radicandum proprietates, aut effectus sensibiles*: item, *substantia completa naturaliter exigens extensionem localem*. Quælibet ex his descriptionibus, quoad præsens attinet, satis declarat, quid Physici denotent nomine *Corpus*: nisi addant *incompletum*; quia tunc intelligitur materia prima, formam specificam expectans: vel nisi addant *organicum*; tunc enim intelligitur materia præparata ad recipiendam animam. Sed duo sunt notanda. Alterum: omnia, quæ naturali connexione pertinent ad Corpus, essentia corporea, seu materialia, scilicet omnes partes impotentes existere separatim, omnia item accidentia, affectiones, & modos corporis: unde latius patet *Ens corporeum*, vel *ens materiale*, quàm *Corpus*. Alterum: dum Corpus præcisè consideratur secundùm trinam dimensionem, in longum, latum, & profundum, tunc dici *Corpus mathematicum*: dum verò spectatur prout mobile, seu prout obnoxium mutationibus sensibilibus, tum substantialibus, tum accidentalibus, tunc appellari *Corpus physicum*, vel *Corpus naturale*, derivato nomine à *natura*, quatenùs hæc definitur *principium motus* &c. Ex his ergo patet, quo sensu Corpus naturale dicatur Physicæ Subiectum, vel Obiectum attributionis. Patet etiam, cur Physica dicatur, abstrahere quidem à materia singulari, sed non à materia sensibili: quia scilicet suum obiectum considerat sub ratione sensibiliter mobilis.

Per

5 Per ordinem ad hoc obiectum dicitur Physica una scientia: quamvis subiectivè non sit qualitas simplex, sed ex pluribus habitibus constet: id quod ijsdem rationibus patet, quibus in Logicâ probata est pluralitas habituum. Physica verò scientia est: quia, cum plura de suo obiecto demonstret, est habitus per demonstrationem acquisitus: quamvis etiam contineat plures actus & habitus opinativos, ut fert omnis humanæ scientiæ conditio. Nec obstat 1. quod obiectum Physicæ contingens, & corruptibile sit, cum scientia de necessarijs esse debeat. Nam, licèt sit contingens quoad existentiam, est necessarium quoad connexionem prædicatorum, quæ de illo Physica demonstrat. v. g. demonstrat Physica, corpus mixtum esse corruptibile: & revertâ corruptibile esse necessarium est. Nec obstat 2. quod notitia de obiecto Physices adquiratur per sensus, qui sæpe fallantur. Nam inprimis sensus circà obiecta propria debitè applicata falli non possunt: ac deinde naturale lumen Intellectus, primis principijs adiutum, cavere potest deceptionis pericula, quæ nonnunquam à sensibus imminent. Denique scientia hæc simpliciter speculativa est: quia plerumque tractat de obiectis, quæ nostræ operationi non subiacent. Esse tamen secundùm quid practicam, facilè cum pluribus admittam, eo quòd nonnullæ physicæ cognitiones ad effectionem sui obiecti dirigere possint. Et hæc sufficiant de Proœmialibus Physiologiæ, de quibus admodum parcè differunt Recentiores. Conimbricenses adeat, qui plura velit.

6 Aristoteles, Philosophorum omnium, præsertim in rebus physicis, sine dubio Princeps, Libros de hoc argumento scripsit plurimos, quorum pars iniurià temporum intercidit. Qui nunc extant, sunt Libri octo Physicorum, qui *De Physico auditu*, vel *Physicæ auscultationis* inscribuntur, item Libri de Cœlo & Mundo, De generatione & corruptione, seu De ortu & interitu, De meteoris, De animâ, Parva naturalia, De partibus animalium, De generatione animalium, De incessu, & De motu animalium, De historiâ animalium. Ex Libris hisce quosdam vocavit Aristoteles exotericos, ideſt, extraneos, & populares, quòd scripti sunt stylo facili, & ad vulgi captum: cuiusmodi est Historia animalium: quosdam verò appellavit acroamaticos, ideſt, auscultatorios, quòd scilicet subtiliore differendi ratione constent, ideòque magisterio, & auscultatione indigeant. Hos inter præcipuè numerantur octo Libri Physicorum, seu *De Physico auditu*, hunc sibi titulum velut antonomasticè vendicantes, quòd ob eas, quas continent, quæstiones multas, ac difficiles, peculiariter de Magistro audiendi sint, & arrectas discipulorum aures postulent. Hos ipsos in præsentiarum explicandos suscipimus ante alios: quia de Corpore naturali generatim tractant, & doctrinam tradunt ad omnes Physicæ partes necessariam; ideòque docent Physicam Generalem, cum cæteri suam quisque partem Obiecti Physicæ decerpant.

Eorum autem ordo sic habet. In primo differitur de principiis intrinsecis Corporis naturalis. In secundo, de naturâ, & causis. In tertio, de motu, & infinito. In quarto, de loco, vacuo, & tempore. In quinto, & sexto, de speciebus, unitate, contrarietate, & divisione motus. In septimo, & octavo, de primo Motore.

7 Hæc omnia tribus Tractatibus complectemur, consuetam Scholis methodum servantes. Nec iam confutandis Atomistis, aut Cartesianis, multùm immorabimur: propterea enim, ut via nobis pateat expeditior, præliminarem Dissertationem præmisimus; quam legat oportet, qui nævos Corpuscularis Philosophiæ nosse velit. Siquid tamen aliquius momenti nobis opponant, cùm res tulerit, diluemus.

# TRACTATUS I.

## DE PRINCIPIJS INTRINSECIS CORPORIS Naturalis.

UT Naturâ suum à primis principijs opus inchoat, hisque veluti basibus innixa totius Mundi fabricam ad fastigium usque perducit: sic ab ijsdem tractatio physica aptè sumet exordium: ut inde pateſcat intrinseca structura *Corporis naturalis*, seu *Compositi substantialis*. Hæc nomina pro eodem accipimus: quia certum est, notiora Corpora, & fortasis omnia, quæ de facto existunt (de quo propriis in locis) ex partibus substantialiter esse composita.

## DISPUTATIO I.

### QUOT, ET QUÆNAM SINT PRIMA PRINCIPIA INTRINSECA Corporis naturalis?

#### CAP. I.

*PRÆMISSA NOTIONE Principij, Aristotelica primorum principiorum definitio exponitur.*

1 PRincipii nomen analogum est, vel fere æquivocum. Sæpe idem sonat, ac initium: sic Ianuarius dicitur principium anni. Sæpe significat fundamentum: sic unitas dicitur principium numeri. Sæpe, quod primum est ordine loci, dignitatis, aut quovis alio. Sub his acceptionibus Principium contraponitur Fini. Philosophicè verò non vocatur Principium, nisi id, à quo aliquid per se oritur aliquomodo.

Qua-

Quare potest definiri cum D. Thomâ, *Id, à quo aliquid procedit quocumque modo*: vel cum P. Suar., *Id, unde aliquid est.*

2 Ubi tria sunt notanda. 1. Principium philosophicè sumptum non opponitur Fini: nam causa finalis est unum ex principijs, unde per se oritur quilibet effectus. 2. Omnis causa principium est; non tamen omne Principium est causa: nam Pater æternus, cum sit vere principium Filii, non est illius causa. Quodsi Aristoteles ait, Causam tot modis dici, quot Principium, loquitur vulgari & lato sensu, quo Causa dicitur quidquid aliquomodo præbet occasionem, aut vim præstat, ut aliquid existat. Causa igitur ultrà rationem Principii connotat in termino dependentiam, ac distinctionem essentiæ. Hinc correlativum Principii ut sic, non est *principiatum*: hoc enim nomen sonat *effectum*, sive *causatum*, quod est correlativum Causæ: ideoque Filius Divinus, quamvis oriatur à Principio, non est principiatus. Correlativum ergo Principij ut sic, erit *terminus procedens*. 3. Omne Principium in creatis est prius termino, saltem prioritate naturæ, de quâ Tract. 2. Imò & in Divinis passim admittitur à Theologis prioritas aliqua Principij, non quidem strictâ, qualis est prioritas temporis, vel naturæ; talem quippe reiicit Symbolum Athanasij verbis illis, *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius*; sed alia, quam vocant prioritatem originis, & quæ solum denotat, Filium originem habere à Patre, non è converso.

3 Aliud est Principium scientificum, sive in esse cogniti; aliud reale, sive in esse rei. Principia in esse cogniti sunt Præmissæ respectu Conclusionum. Principium in esse rei est, quod tribuit esse non pendens ab Intellectu: dividiturque in intrinsecum, & extrinsecum. Principium intrinsecum, quod & coniunctum dicitur, est, quod rem intrinsecè constituit. Sic corpus & anima sunt principia hominis. Principium extrinsecum, quod & separatum appellatur, est id, unde aliquid oritur ab ipso adæquatè distinctum. Sic Deus principium est creaturarum, & Sol lucis, & quidquid gerit munus causæ efficientis, finalis, aut exemplaris.

4 Sunt, qui numerent inter principia intrinseca, non solum constitutiva, sed etiam connotata, sine quibus res nec fieri, nec intelligi potest. Sed non sunt audiendi. 1. quia nec actio sine agente, aut sine termino, nec creatura sine Deo, fieri, vel intelligi potest: cum tamen nec agenti, nec termino, nec Deo, conveniat munus principij intrinseci respectu actionis, aut creaturæ. 2. quia repugnat usus communis, & quidem in ipsâ vocis proprietate fundatus: non enim proprie vocatur *intrinsecum*, quod, etsi connotetur, & exigatur, tamen non intrà, sed extrà totam rei constitutionem manet.

5 Aliter dividitur Principium in primum, & secundum. Principium primum strictissimè dicitur solus Deus, qui, cum tribuat esse rebus omnibus, ipse in nullo ge-

ne-

re principiatur ab alio. Sed minùs strictè, propriè tamen, dicitur primum Principium, quod non principiatur ab alio in eo genere, in quo principiat: unde, præter influxum in terminum, importat negationem dependentiæ ab alio principio; quæ negatio videtur denotari nomine *Principium* absolute & omnino propriè prolato. Sic materia prima est primum principium Corporis naturalis; quia, licet oriatur a Deo in genere causæ efficientis, à nullo oritur in genere causæ materialis, in quo ipsa principium est. Principium secundum dicitur, quod in eo genere, in quo principium est, principiatur ab alio. Sic homo, qui generat hominem, ab alio homine generatur. Divisio ista convenit Principiis, tum in esse cogniti, tum in esse rei, tum extrinsecis, tum intrinsecis.

6 Principia verò intrinseca, dum prima sunt, & positiva, dicuntur Elementa. Nam elementa vocamus prima rerum constitutiva, quæ in eodem ordine non constituuntur ex alijs. Sic litteræ dicuntur Elementa dictionum. Hinc ignis, aer, terra, & aqua, quæ vulgò dicuntur Elementa, si non sunt corpora simplicia, sed substantialiter composita, ut fert communis sententia, non sunt Elementa philosophicè relatu ad primam rerum constitutionem.

7 His circà notionem Principij prælibatis, explicanda est Aristotelica definitio primorum Principiorum Corporis naturalis. Principia ista sunt (inquit Aristot. cap. 5. huius Lib.), *quæ nec ex se se vicissim, nec ex alijs, sed omnia ex ipsis fiunt.* Id est, prima principia intrinseca, seu elementa Corporis naturalis, ea sunt, quæ in eo genere, in quo principiant, neque invicem principiant se se, neque ex alijs principijs fiunt, & ex ipsis principiantur omnia Composita physica substantialia. Totum hoc, iuxta systema Peripateticum, convenit materiæ primæ, & formæ substantiali. Convenit etiam privationi (quæ tamen, cùm non sit quid positivum, non propriè dicitur elementum) saltem quoties, & quatenùs Corpus fit per mutationem materiæ. Nam tria hæc principiant inprimis in genere Principij intrinseci, quo in genere nec materia ex formâ, nec forma ex materiâ, nec alterutra ex privatione fieri valet. Deinde nec fiunt ex alijs in eâ peculiari ratione, quâ singula principiant: quia nec materia ex alio subiecto, seu causâ materiali fit, nec forma ex aliâ causâ formali, nec privatio ex alio termino *à quo* privativo, & intrinseco. Denique ex his fit omne Corpus, quod naturali mutatione fit, ut mox patebit.

8 *Obijc.*: forma fit ex materiâ ut ex subiecto præsuppositò, & causâ materiali: iam ergo unum primum principium ex alio fit. 2. materia, & forma materialis fiunt ex partibus integrantibus: iam ergo fiunt ex alijs. 3. tam materia, quàm forma, fit ex genere, & differentiâ: ergo utraque ex alijs fit. Verùm hæc præoccupavimus, cùm de conceptu primi Principij solùm esse diximus, quòd non fiat ex alio in eo genere,

&c

& in eâ peculiari ratione, quâ principiat. Unde *resp. ad* 1.: quidquid fit, an forma propriè dicatur fieri, de quo posteà; certè non fit ex materiâ, ut ex intrinseco principio, ex quo constituatur, multòque minùs ut ex causâ formali; quo sensu forma principiat Corpus naturale.

9 *Ad* 2.: materia, & forma principiant Corpus ut partes essentiales per modum actus & potentiæ, quo in genere non fiunt ex partibus integrantibus: hæ namque partes nec invicem se respiciunt ut actus & potentia, nec sunt essentiales, utpotè quæ solùm faciunt, ut res integra sit, sive non mutila, & quæ ita se habent, ut sine quâvis earum possit concipi quod sufficit ad verificandam definitionem rei essentialem, imò sæpe deficiant naturaliter manente essentiâ, v.g. manus in homine, ramus in arbore, gutta in aquâ. *Ad* 3.: genus & differentia non sunt principia rerum in lineâ physicâ, sed in lineâ tantùm metaphysicâ, sive logicâ: nunc autem sola quærimus prima principia, seu elementa in genere physico.

10 *Replic.*: forma fit ex privatione ut ex termino *à quo*, & similiter ex formâ fit privatio: nam, sicut ex non igne fit ignis, ita ex igne fit non ignis: iam ergo privatio & forma in eodé sensu fiunt ex se invicem. *Resp.*: hoc utsummùm probat, quod forma fit ex privatione, & è converso, tamquam ex termino *à quo* extrinseco, seu adæquatè distincto: unde non sequitur, quòd ex se ipsis fiant in eo sensu, quo dicuntur prima principia, nimirum intrinsecè constituendo principiatum.

11 Si quæras, utrùm prædicta definitio conveniat solùm primis principiis intrinsecis, an etiam extrinsecis? responsio communis est, eam solis intrinsecis propriè convenire: quia particula *ex* propriè denotat partes, & constitutiva rerum, nec nisi impropriè aptatur causæ efficienti, aut aliis extrinsecis. Sic domus non dicitur fieri ex Artifice, sed ab Artifice; nec ex fine, sed propter finem, nec ex exemplari, sed instar exemplaris; cùm tamen propriè dicatur fieri ex lapidibus, lignis, &c. Nec alia videtur esse mens Aristotelis, qui de solis Principiis intrinsecis agit in præsenti, eaque sola definire intendit. Fateor, illum esse frequentiorem usum præpositionis *ex*, maximè cùm iungitur verbis *esse*, aut *fieri*.

12 Nego tamen, illam impropriè aptari causis extrinsecis: propriè namque dicitur in Evangelio, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, & *Vos ex patre diabolo estis*, & ab Apostolo, *Deus Pater, ex quo omnia*: propriè similiter dicitur, hoc aut illud externum Opus *fieri* à nobis *ex animo*, *ex consuetudine*, *ex odio*, *ex amore*, *ex dictamine* seu *regula conscientiæ*, *ex decreto Regis*, *ex præscripto Senatus*. Mitto, quod Angelus dicitur *fieri ex nihilo*, & materialis forma *ex subiecto præsupposito*, quin denotetur intrinseca constitutio. Itaque dicta definitio, ut iacet, & à contextu avulsa, convenit quibuslibet primis Principijs: sed cum Aristoteles de solis intrinsecis agat eo loci, ex con-

tex-

textu ipſo limitatur definitio ad ſola intrinſeca, inter quæ diſcernit prima Principia à ſecundis, quaſi dicat: Principia, de quibus nunc agitur, ea ſunt prima, & abſolutè principia, *quæ nec ex ſe ſe invicem, nec ex aliis &c.*

## CAP. II.

## DESIGNANTUR PRIMA *Principia intrinſeca Corporis naturalis* in facto eſſe.

1 CORPUS naturale bifariàm conſiderari ſolet. 1., quatenùs eſt complete in rerum naturâ cum ijs partibus, & conſtitutivis, quibuſcum durat, ac permanet, præcindendo tamen ab eo quòd ſit recens, vel pridem productum: atque ita appellatur Corpus *in facto eſſe*. 2., quatenus incipit eſſe, ſeu quatenùs eſt in tranſitu de non eſſe ad eſſe; quâ ratione vocatur Corpus *in fieri*. His prænotatis, --

2 Sciendum eſt, Ariſtotelem cap. 5. 6. & 7. Lib. 1. tria tantùm principia Corporis naturalis agnoſcere, videlicet, materiam, formam, & privationem. Quam poſitionem variis confirmat argumentis, quæ poſſunt ad hæc duo ſummatim reduci. 1. Ex principijs Corporis naturalis debent aliqua eſſe contraria. Sic unanimiter cenſuere Philoſophi veteres, quamquàm aliàs inter ſe plurimùm diſſidentes. Parmenides pro rerum primordijs poſuit calidum & frigidum, Meliſſus raritatem & denſitatem, Democritus ſolidum & inane, Pythagorici par & impar, Zareta Chaldæus lucem, & & tenebras, Hippus Rhegianus aquam & ignem, Empedocles litem & amicitiam, Plato magnum & parvum. Omnes demùm, inquit Ariſtoteles cap. 5., *quæ ab ipſis principia nuncupantur, quamquam ſine ratione ponunt, contraria tamen, quaſi ab ipſa coacti veritate, ſtatuunt.* Erravere quidem in particulari deſignatione contrariorum: ſed nihilominùs ipſe tot Sapientum in tuendâ generatim contrarietate conſenſus ſatis indicat, illud eſſe naturæ dictamen.

3 Porrò contrarietas hæc debet eſſe in genere Subſtantiæ, cum inter principia rei ſubſtantialis verſetur. Debet inſuper eſſe contrarietas privativa, quia ſubſtantia non habet contrarium poſitivum. Inter principia igitur Corporis naturalis computari debent aliqua ſubſtantia ſimplex (ſi enim componatur ex alijs, iam non erit primum principium), & eius privatio. Atque hæc dicuntur *prima contraria*: tum quia pertinent ad primum genus Entis, quod eſt Subſtantia; tum quia omnis contrarietas ad privativam reducitur; ideò enim v. g. calor, & frigus contraria ſunt, quia frigus annexam habet privationem caloris, & è converſo: tum demùm, quia res & eius carentia, vel privatio, ſummè opponuntur.

4 Præterea debet admitti tertium aliud principium, quaſi ſubiectum, quod ſucceſsivè ſubſternatur utrique contrario quaſi formæ, ac neutri contrarietur. Omnis enim colo-

contrarietas exercetur circà commune subjectum, pro cujus possessione pugnetur. Hoc autem subjectum, cum sit prima basis, ex quâ consurgit Corpus naturale, dicitur *materia prima*: debet que necessariò esse substantia; quia ex illâ simul cum altero principio substantiali, quod est unum ex contrarijs, tanquam ex formâ, componitur substantiale compositum in suo esse; nec fieri potest, ut ex non substantijs substantia constet. Concluditur ergo, tria esse principia Corporis naturalis, materiam primam, formam substantialem, & ejus privationem.

5 Quod verò non sint plura, probatur: quia *frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora*: positis autem ijs tantùm tribus, fieri, & stare potest quodlibet Corpus naturale, cum inde evadat, nec sine interventu contrariorum, substantia composita, in se continens radicem suorum effectuum, ac proprietatum accidentalium, cujusmodi radix est, juxtà omnes, forma substantialis. Id quod firmatur artefactorum exemplo: nam, ut fiat statua, nihil aliud requiritur, quàm materia marmoris (utique informis, atque adeò figurę privationem habentis) & figura ipsa, quæ est forma artificialis. Et hactenus primum argumentum.

6 2. Omnis generatio naturalis (quæ nimirùm à Causis secundis naturali ordine provenit), importat transitum, ac mutationem materiæ de privatione formæ ad formam: sed in hoc transitu necessariò interveniunt materia, quæ transit, privatio, à quâ transit, & forma, ad quam transit; nec aliud necesse est concipi, ut plenè concipiatur ista mutatio: his ergo tribus principijs contenta est omnis generatio naturalis. Minor videtur satis certa. *Prob. Mai.*: generatio naturalis necessariò est ex aliquâ materiâ præexistente; si enim esset ex nihilo, foret creatio. Materia autem illa præexistit sine forma Corporis, quod nunc generatur; alioquì nihil denuò fieret, sed totum jam factum esset. Generatio ergo transfert præexistentem materiam ab statu, in quo erat sub carentiâ talis formæ, cujus est capax (& hæc est privatio, carentia formæ in subjecto formæ capaci), ad statum, in quo formam ipsam habeat. At hoc est importare mutationem dictam, ut per se patet: ergo, &c. Id quod iterùm firmatur exemplo artefactorum: nam fabrica domi semper est ex materia præexistente sine formâ, quæ nunc inducitur, & cujus illa materia capax est: semper ergo importat mutationem materiæ de privatione formæ ad formam. Hæc in summâ ex Philosopho locis cit.

7 Sed, ut pateat quo sensu doctrina ista vera sit, triplicem Assertionem subiiciam. Assero 1. Prima principia intrinseca Corporis *in facto esse*, sunt duo tantùm, Materia prima, & Forma substantialis. Probatur: Corpus *in facto esse* est Compositum undiquè substantiale, v. g. lapis, aut arbor: ergo principiatur intrinsecè ab elementis, seu primis principijs substantialibus tantùm; nam, ut ait Philosophus hic cap. 6. *Quì fieri poterit, ut è non substantijs substantia constet?* Atqui non alia sunt;

prima principia substantialia, præter materiã primam, & substantialem formam. Patet hoc: nam inprimis privatio, cum non sit ens, non est substantia: deinde nec alia substantia est, cui conveniat definitio primorum principiorum, præter materiam, & formam, ut inductione patebit: ergo &c. Præterea; Corpus *in fieri esse*, est Corpus prout in esse permanenti constitutum, ex num. 1. Sic autem constitui nequit ex privatione, quæ certe cum formã non permanet in materiã. Probatio ista supponit dari materiam primam & formam substantialem, quarum veritas satis patet ex præmisso Philosophi discursu, & latius infrà monstrabitur. Interim scito, ipsos etiam Atomistas, & quotquot ex corpusculis variè coordinatis omnia constare dicunt, in Assertione nostrã, ut iacet, convenire: atomos namque materiam, coordinationem autem vocant formam: & per utramque absolvunt structuram Corporis naturalis.

8 *Obiic.* 1.: unio materiæ & formæ computari debet inter principia Corporis naturalis, cum & illud intrinsecè constituat, & aliunde habeat quidquid definitio primorum principiorum requirit. 2.: subsistentia similiter inter principia computari debet, propter easdem rationes, maximè si constitat in positivo. 3.: computanda sunt etiam dispositiones materiam præparantes ad formam, v. g., calor, & siccitas ad formam ignis: non enim Compositum fit, nisi ex materiã dispositã. 4.: computanda pariter privatio: tum quia Aristoteles universim statuit tria principia Corporis naturalis, materiam, formam, & privationem: tum quia prima principia sunt prima contraria, juxtà Aristotelem; quod non verificatur de solis materiã, & formã, sed de formã, & ejus privatione: tum quia privatio formæ remanet resoluto Composito, quod proinde resolvitur in privationem; unumquodque autem ex ijs componitur tanquam partibus, & principijs, in quæ resolvitur.

9 *Resp. ad* 1. Unio non est principium *ut quod*, sed *ut quo*, ac proinde non est principium propriè ac simpliciter, quia non est id *quod* principiat, aut constituit, sed *quo* principia constituunt; est enim merum exercitium principiandi, sive ultima determinatio formalis, ut materia & forma principient in actu secundo. Idcircò non auget numerum principiorum, nec ei convenit propriè definitio penès illud, *Omnia ex ipsis fiunt*. Sic actio productiva non auget numerum causarum efficientium: quia non causat, nisi *ut quo*, seu tanquam exercitium causandi, proindeque non propriè ipsi convenit definitio causæ efficientis.

10 *Ad* 2. Subsistentia non constituit intrinsecè Corpus in esse naturæ, vel essentiæ Compositi naturalis, sed tantùm in esse Suppositi: quia Verbum Divinum, quin assumpserit humanam subsistentiam, totam assumptæ naturã, & essentiam humanam. Nunc autem solùm agitur de principijs Corporis in esse naturæ, utpotè quæ sola est considerationis physicæ, constitutiva eorum indigentiæ ex effectibus, ac mutationibus sen-

sensibilibus: nam Suppositum, quatenus addit subsistentiam à naturâ distinctam, ex nullo effecta sensibili notescit, sed ex mysterio Incarnationis Dominicæ; proindeque altioris est considerationis, nempe Theologicæ, vel metaphysicæ. Vel dic, subsistentiam Corporis naturalis non esse formam simplicem, sed coalitam ex duplici subsistentiâ partiali, alterâ materiæ, alterâ formæ propriâ, quarum neutra est entitas absoluta, sed modalis. Hinc altera est appendix materiæ, altera formæ; consequenter que non augent numerum principiorum, sed intelliguntur comprehendi nomine materiæ, & formæ. Similiter discurrendum de existentiâ, si distinguatur ab essentiâ, ut Thomistæ volunt.

11 *Ad* 3. Dispositiones illæ, cum non sint substantiæ, sed accidentia, manent extrà constitutionem Compositi substantialis, cujus essentia maneret integra, etiamsi Deus nullâ præviâ dispositione formam introduceret in materiam. Dicitur ergo Compositum fieri ex materiâ dispositâ, dispositione gerente munus conditionis naturaliter prærequisitæ, non autem principij constituentis.

12 *Ad* 4. Malè probatur assumptum. Nam primùm Aristoteles tria principia universim statuit pro Corpore *in fieri*, de quo statim; minimè verò pro Corpore *in facto esse*, ut satis colligitur præsertim ex cap. 6. hujus Libri. Deinde, quàmvis Aristoteles doceat, inter prima principia necessariò esse prima contraria, non ideò vult, ut omnia prima principia sint contraria, sed aliqua tantùm: probat enim toto cap. 6., præter illa duo, quæ contraria sunt, admittendum esse tertium aliud, quod neutri contrarietur, sed sit receptivum utriuslibet, nempe formæ, & privationis. Illa verò duo contraria non statuit ut principia Corporis *in facto esse*, sive in esse permanenti; cum potiùs ad id excludendum doceat ibidem, & sequenti cap. 7. nullius rei essentiam ex contrarijs simul constare posse, uti nec subsistantiam ex non subsistantiis. Solùm ergo vult, ut contrarietas detur in constitutione transeunte Corporis *in fieri*.

13 Si dicas: juxta Aristotel., ideò principia non fiunt ex se se mutuò, quia sunt contraria: cum ergo materia & forma contrarietatem non habeant, ex se se mutuò fient, & prima principia non erunt. *Resp.* Ratio illa non adducitur à Philosopho pro omnibus primis principiis, cum posteà probet, non omnia posse esse contraria; sed pro solis formâ & privatione. Pro materia autem & formâ suppetit alia ratio, cur nequeant ex se mutuò fieri, seu constitui; nempe, quia materia conjungi potest cum toto non esse, seu cum carentiâ totius formæ, à quâ proinde adæquatè distinguatur necesse est.

14 Notandum hîc obiter, contrarietatem aliam esse positivam, quæ versatur inter duas formas positivas, ut inter calorem & frigus; aliam privativam, quæ versatur inter formam & ejus carentiam in subjecto capaci. De posteriore istâ loquitur Aristoteles, cùm prima principia dicit esse contraria. Notandum insuper, ex contrarijs privativis alia vocari

contraria prima, ea nimirum, quæ se totis pugnant, ut sunt forma & privatio; & de his loquitur Philosophus, cùm probat, unum principium non posse fieri ex alio, quia sunt contraria: alia verò appellari contraria secunda, quæ videlicet nonnisi penès unam partem pugnant, cum pars altera possit in utroque reperiri, qualia sunt *album*, & *non album*, quando *non album* sumitur pro subiecto non habente albedinem, cujus est capax: ac de istis verificatur, quod ait Aristotel., omnia, quæ fiunt, ex contrarijs fieri, ut album ex non albo, musicum ex non musico; possunt enim ista concreta ex se mutuò fieri, inadequatè scilicet, ita ut subjectum unius in altero maneat.

15 Denique falsum est, quod Compositum resolvatur in privationem: hæc enim resoluto Composito non remanet ut superstes, sed ut superveniens, ita ut eam dennò supervenire certò constet. Quæ autem hoc modo remanent, non arguuntur constituisse Compositum; alioquin forma ignis, quæ remanet in materiâ resoluto ligno, foret pars ligni; quodvis etiam Compositum constitueretur ex suo non esse, quod ridiculum est.

## CAP. III.

### *Assertio altera designans Prima Principia intrinseca Corporis in fieri.*

16 ASsero 2.. Tria tantùm sunt prima principia intrinseca Corporis *in fieri* per mutationem, Materia, Forma, & Privatio. Ante probationem, pro clariore terminorum usu prænoranda sunt aliqua. 1. *Fieri* Corporis idem est, ac *generatio* Corporis: & potest accipi, tum *activè*, *causaliter*, seu *vialiter*, tum *formaliter*, seu *terminativè*. Primo modo sumpta *generatio* (idem intellige de *fieri*) est illa actio, quâ Corpus naturale ab extrinseco agente fit: & à creatione differt, quia creatio est productio rei ex nihilo, generatio autem est productio rei ex præsuppositio subjecto. Secundo modo accepta *generatio*, est intrinseca Corporis fabrica, formatio, structura, quæ dictam actionem terminat. Utroque modo loquimur etiam in artefactis: nam *constructio* domi v. g. interdùm sumitur pro actione artificis, interdùm pro intrinsecâ fabricâ, vel structurâ domi.

17 2. Generatio, seu *fieri*, dicitur *mutatio*, quando materiam transire facit à privatione formæ ad formam: dicitur *conversio*, quando materiam transfert ab unâ formâ in aliam: dicitur generatio *pura*, *simplex*, aut *præcisa*, quando producit Corpus ex materiâ tunc primùm creatâ, in quâ proinde nec privatio, nec alia forma præcesit. Hinc Corpus *in fieri*, aliud est per mutationem, aliud per conversionem, aliud per puram generationem. Sed nomen *mutatio* duas etiam patitur acceptiones, de quibus num. præced.. Potest enim accipi mutatio, tum *causaliter*, seu *vialiter*, quo sensu est actio agentis extrinseci præsupponens materiam formâ privatam: tum *formaliter*, seu *terminativè*, quo sensu est

id,

id, quod per talem actionem peragitur, hoc videlicet, *subiectum habere nunc formam, qua immediatè anteà privatum erat.*

3 Posterior hic sensus magis est proprius nominis *mutatio.* Tum quia nomen hoc in genere sonat novitatem, quâ subiectum aliter se habet nunc, quàm anteà, saltem dum novitas ista importat aliquid intrinsecè receptum, redditve subiectum intrinsecè melius, aut deterius: talis autem novitas propriè consistit in ipso *habere formam* &c.. Tum quia mutatio ab omnibus dividitur in *positivam*, seu *adquisitivam*, quâ subiectum transit de privatione ad formam; & in *negativam*, seu *amissivam*, quâ subiectum transit de formâ ad privationem: utrovis enim modo subiectum aliter se habet, ac anteà, quod est mutari. Sic aer mutatur, nunc de tenebroso in lucidum, nunc de lucido in tenebrosum. At divisio ista non cadit in actionem generativam, quæ certè non pertinet ad conceptum negativæ mutationis.

4 Tum etiam, quia, præscindendo ab actione generativâ, potest intelligi quidquid est de conceptu proprio mutationis etiam positivæ, hoc solo, quod intelligatur, subiectum nunc habere formam, sine quâ extitit immediatè anteà. Quod etiam realiter contingere potest, seclusâ actione generativâ; si nimirum Deus & formam, & ejus unionem crearet. Quare D. Thomas 1. p. q. 45. ar. 2. ad 2., conceptum mutationis explicans, non meminit actionis generativæ: *De ratione* (inquit) *mutationis est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius.* Hoc ipsum dicito de nomine *Conversio*, proportione servatâ. Hinc generativa actio non est mutatio, nec conversio, nisi cum addito *vialis*, *activa*, sive *causalis*; magisque propriè vocabitur *mutativa*, & *conversiva.*

5 3. Cum mutatio sit transitus subiecti ab uno statu in alium, tria necessariò requirit, nempe subiectum, quod transit, terminum, à quo transit, & terminum, ad quem transit. Si mutatio sit positiva, privatio est terminus *à quo*, forma terminus *ad quem*; contrà accidit, si mutatio sit negativa. Dicetur verò mutatio substantialis, vel accidentalis, prout fuerit forma, quæ à subiecto adquiritur, vel amittitur. In his omnes conveniunt; ut etiam in eo, quod subiectum propriè dicatur mutari, utpotè quod mutationi substernitur, subeundo diversos status, nunc privationis, nunc possessionis: Compositum verò, sive concretum ex subiecto & formâ, vel privatione, non dicatur mutari, nisi denominativè à subiecto, quàmvis propriè dicatur *fieri per mutationem.*

6 Conversio autem, cum sit subiecti transitus ab unâ formâ in aliam, necessariò importat duplicem mutationem, alteram negativam, positivam alteram: nequit enim subiectum amittere unam formam, quin transeat ad ejus privationem, quæ est mutatio negativa; nec adquirere novam formam, quin ejus privationem amittat, quæ est mutatio positiva. Unde Conversio (de natu-

Ea-

rali loquor, non de miraculosâ), præter subjectam, requirit duplicem terminum *à quo*, positivum, & negativum, nempe formam antiquam, & privationem novæ: duplicem etiam terminum *ad quem*, positivum, & negativum, nempe formam novam, & privationem antiquæ.

7 4. Corpus *in fieri* non omnes uno modo accipiunt. Plures volunt, nihil aliud esse, quàm *fieri* Corporis, sumpto *fieri* pro actione generativâ. Quodsi obijcias, hinc everti communem Peripateticorum doctrinam asserentium, materiam, formam, & privationem esse principia intrinseca Corporis *in fieri*; siquidem actio generativa est entitas modalis, essentialiter simplex, vel certè non constituta ex tribus illis principijs: quidam concedunt Consequentiam, contendentes, illam doctrinam esse prorsùs falsam, & absurdam. Hi, suppositâ acceptione Corporis *in fieri* pro nudâ actione generantis, rectè dicunt; nec in acceptione ipsâ litem movent, nisi de mero nomine. Alij Consequentiam negant. Sed in duas deinde classes dividuntur.

8 Prima classis est numerantium inter principia intrinseca, non solùm partes componentes, verùm etiam illa omnia connotata, sine quibus nequit res definiri, nec concipi, maximè si munus gerant subjecti recipientis, aut termini *à quo*, vel *ad quem*. Unde materiam, formam, & privationem dicunt esse principia intrinseca Corporis *in fieri*, idest, actionis generativæ, quâmvis hæc intrinsecè non constituatur ex illis. Ita Cardinalis Aguirre, & alter Benedictinus Babenstuber. Hi similiter litem intendunt merè vocalem, tum in acceptione Corporis *in fieri*, tum in explicatione principii intrinseci, quam satis ex usu communi rejecimus cap. 1.

9 Altera classis est asserentium, materiam, formam, & privationem esse principia intrinseca, idest, constitutiva Corporis *in fieri* mutativo, idest, actionis generativæ, quæ fit mutatio, sumaturque in esse mutationis: quo sensu, inquiunt, Corpus *in fieri* ad mentem Aristotelis nihil est aliud, quàm actio generativa *in recto*, constituta *de obliquo* in esse mutationis per tria illa principia. Ita P. Peinado cum pluribus alijs. Is dicendi modus displicet 1.: quia generativa actio non est formaliter mutatio, nec habet esse mutationis naturalis, quâ de loquimur, ut vidimus num. 3. & 4.: falsa ergo est, vel falsò supponens, illa locutio, *actio, quæ est mutatio*, vel *in esse mutationis*, si sonet mutationem formalem. Si verò sonet causalem, seu vialem, sumatur que actio *quatenùs mutativa*, non est cur constituatur ex materiâ, & formâ: quòd enim sine his non possit esse, definiri, nec intelligi actio prout mutativa, solùm probat, cum ijs essentialiter connecti. Sic actio sine agente, unio sine extremis, intellectio sine objecto, nec esse, nec definiri, nec intelligi potest, quin inde probetur intrinseca constitutio intellectionis per objectum, &c. Utsummùm actio, quatenùs mutativa, constituetur de obliquo per privationem, quâ cum ex se

non

non connectitur, siquidem eadem actio esse posset, etiamsi privatio non præivisset, sed tunc primùm creata esset materia: quare, si privatio pertinet ad conceptum actionis *in esse mutativæ*, cum non pertineat tamquam connotatum, seu terminus connexionis, pertinebit tamquam constitutivum.

10 Displicet 2.: quia sequitur inde contrà expressam Philosophi sententiam, plusquàm tria esse principia Corporis *in fieri*: nam, præter materiam, privationem, & formam, actio generativa erit quartum principium, utpotè constituens intrinsecè Corpus *in fieri*, non purè *ut quo* sed *ut quod*, & principalius, quàm cætera, siquidem per vos sola constituit *in recto*, cætera *de obliquo*. Notandum tamen, quòd, si generatio, quæ est eductio formæ materialis, identificetur cum unione, ut plures volunt, pertinebit quidem ad constitutionem intrinsecam Corporis *in fieri*, ac non quatenus actio, sed quatenus unio, & in hoc sensu purè *ut quo*, ita ut non augeat numerum principiorum, iuxtà cap. 2. n. 4.: nec ita est mens Authorum, quos hic impugnamus.

11 Displicet 3. (ut generatim reijciatur sententia relata num. 7.): quia minùs aptè, minúsque propriè dicitur, idem esse Corpus *in fieri*, ac *fieri* Corporis, sumptum pro actione generativà, vel solà, vel in recto. Numquid, si dicamus, Aer *in illuminari* definit esse tenebrosus, Aqua *in calefieri* patitur violentiam; affirmatio cadet super actionem illuminandi, aut calefaciendi, solam, vel in recto? Certè, si *esse*, quod est existentia, realiter distinguatur ab essentiâ rerum, ut Thomistæ credunt, nemo dicet, Corpus *in facto esse* idem significare, ac existentiam Corporis; sed omnes intelligent, per illud *in facto esse* denotari essentiam plenè ac permanenter constitutam. Pariter ergo Corpus *in fieri* non est idem, ac *fieri* Corporis, sumptum pro actione realiter adæquatè distinctâ à Corpore: sed congruentiùs accipitur pro Corpore spectato secundùm facturam terminativam, per quam formaliter incipit constitui, seu primò constituitur.

12 Unde colliges, Corpus *in fieri*, ut in præsenti sumitur, non esse Corpus *ut subsistens actioni generativæ*, si reduplicatio ita involvat actionem inter constitutiva Corporis *in fieri*. Admittenda tamen ea locutio, si tantùm reduplicet actionem ut circumstantiam ex rei fecam, idemque sonet Tò *ut subsistens*, ac *dum subsistat*. Idem est igitur Corpus *in fieri*, ac Corpus *ut incipiens esse*, vel prout *in transitu formali de non esse ad esse*, vel *secundùm primam sui constitutionem*, *aut structuram*. Quæ acceptio videtur hodiè communior in Scholis: & eam nisi retineas ut ab statu quæstionis indivisam, extrà rem erit quidquid objeceris contrà nostram doctrinam de principijs Corporis *in fieri*.

13 His præmissis, probatur iam Assertio proposita num. 1., Corpus *in fieri* per mutationem, nihil est aliud, ut constat ex prænotatis, quàm prima & intrinseca factura Corporis ut importans mutationem subjecti; vel, ut brevius dicam, est mu-

mutatio ipsa substantialis formaliter sumpta. Sed talis mutatio materiam, formam, & privationem constitutitè includit, & nihil ultrà: ergo &c.. *Probat. Min.*: ea, quibus mentè conceptis plenè intelligitur constituta mutatio, & quorum quolibet mente seclusò, vel præcisò, etiamsi cætera manere concipiantur, mutatio immediatè & formaliter deficere intelligitur, sunt omnia & unica principia illius constituriva; ut perpetuâ inductione constat in omnibus denominationibus, aut constitutis. Sed conceptâ materiâ cum privatione formæ in uno instanti, & materiâ cum formâ in alio immediatè sequenti, plenè intelligitur constituta mutatio substantialis (nempe materiam transire de non habendo ad habendum formam substantialem), & hæc eadem formaliter deficere intelligitur, si mente præscindatur vel materia, vel forma, vel privatio, ut facilè quisque experietur: ergo &c..

14 Accedit, quòd tria ista principia requirantur, & sufficiunt, ut detur subjectum transiens, terminus *à quo*, & terminus *ad quem*; ac proinde, ut detur plenus conceptus mutationis, ex num. 5.. Atque ita explicata manet mens Aristotelis statuentis tria principia Corporis naturalis. Non enim respexit in his statuendis, nisi ad Corpus *in fieri* per mutationem; ut colligitur ex argumentis propositis Cap. præced. à n. 1. ad 7.. Cur autem non loquatur hic de Corpore *in fieri* per conversionem, vel puram generationem, dicam sequ. cap. 4. & 5.: ubi etiam principia Corporis utroque modo accepti designabo.

15 Contrà hanc Assertionem nihil solidum obiici posse credo. Sed oportet tricas etiam, & umbras dissipare. Priùs tamen observa 1., nomine abstracto, *mutatio*, idem significari, ac nomine concreto, *mutari*, vel dictione istâ; *subjectum nunc aliter se habere, ac antea*: mutatio enim est forma concretiva, quæ constat ijsdem constitutivis, quibus concretum, unde abstrahitur, nec ab eo differt, nisi penes modum significandi: sicut hoc duntaxat modo differunt inter se *veritas cognitionis*, & *cognitio vera*, ut etiam *libertas actus*, & *actus liber*. Observa 2., terminos *à quo*, & *ad quem*, non ita denominari respectu totius mutationis, sed respectu materiæ: hæc enim est, quæ relinquit unum terminum, & progreditur ad alium. Sic, dum homo constare dicitur ex formâ & subjecto, denominatio subjecti non refertur ad totum hominem, sed ad partem ejus, nempe formam.

16 Observa 3., mutationem esse totum quoddam quasi successivum exigens constitutiva sua, non omnia simul posita, sed aliqua sibi succedentia duobus instantibus: item non esse totum undique positivum, sed ex parte negativum. Observa 4., duo instantia temporis, licèt requirantur ad mutationem, non esse constitutiva illius, sed connotata, quibuscum essentialiter connectuntur forma, & ejus privatio, ut existentes in eâdem materiâ. Vel, si malis, erunt constitutiva quasi accessoria formæ, & privationis, quæ hic accipiuntur quatenùs successivè existentes in materiâ. Observa denique,

unio-

mionem formæ cum materiâ non esse principium, nisi *ut quo*; posse que insuper comprehendi nomine formæ, cujus est appendix.

## CAP. IV.
### *Diluuntur Obiectiones.*

*Obiic.* 1: quando ex materia ligni fit ignis, materia non modò transit à privatione formæ ignis, verùm etiam à formâ ligni: hæc igitur forma est etiam terminus *à quo*, proindeque principium Ignis *in fieri*, non minùs, quàm privatio. Similiter dicendum in quâvis aliâ generatione naturali, quæ semper expellit formam aliquam positivam in materiâ præexistentem. *Resp. concess. Antec., dist. Conseq.*: Si consideretur Ignis *in fieri* conversionis, *conc.*; si tantùm *in fieri* mutationis, *neg. Consequ.*. Corpus *in fieri* conversionis, seu conversio ipsa naturalis, ac substantialis, constituitur ex subiecto, & ex duplici termino *à quo*, duplici *ad quem*, designatis cap. præced. n. 6.. Constituitur, inquam, ex illis eodem argumento, quod pro constitutivis mutationis expendimus. Sed Assertio nostra non loquitur, nisi de Corpore *in fieri* mutationis, de quâ tantùm locutus est Aristoteles.

2 *Replic.*: Omnis generatio naturalis non minùs necessariò importat conversionem, quàm mutationem: cur ergo, in assignando principia generationis, seu Corporis *in fieri*, vel Aristotelis, vel nobis loquendum est potiùs de principiis mutationis, quàm conversionis? *Resp.*. Aristoteles non prætermisit ubique generationem, quatenùs est conversio: sed de illâ tractavit in Libris de Generatione & Corruptione, ubi generatio ab ipso definitur, *Mutatio totius in totum nullo sensibili remanente ut subjecto eodem*: quæ est definitio conversionis. Ast in præsenti solùm agitur de generatione secundùm ea, quæ requiruntur ex propriâ conditione agentium naturalium, ut Corpus intelligatur generari. Ad hoc autem requiritur *Progressio de non esse ad esse* (sic in præsenti definitur generatio ab antiquis), non utcumque, sed cum præexistentiâ subjecti, nè alioquin illud *esse*, quod fit, ex nihilo fiat. Quòd verò præextiterit alia forma, contingit quidem per se, attentâ conditione materiæ, quæ in nullo instanti potest omni formâ destitui: sed contingit per accidens, attentâ conditione agentium naturalium, à quibus eodem modo, imò procliviùs ac breviùs, fieret novi Corporis generatio, si materia præextitisset nullius formę particeps. *Instabis*: Aristoteles hujus Libri text. 66. privationem etiam vocat principium per accidens. *Resp.* Loquitur ibi Philosophus, vel de Corpore, nó *in fieri*, sed *in facto esse*: vel (ut explicat ibid. D. Thomas) de privatione formæ præhabitæ, nó ejus, quæ denuò producitur.

3 *Obiic.* 2.: forma nequit esse principium mutationis: tum quia titulus termini *ad quem*, non competit formæ, sed toti Compósito; tum quia principium debet esse prius principiato; forma autem, non prior, sed posterior est mutatione, cum subsequatur generationem. *Resp. Neg.*

*assumpt. Ad 1. prob.*. Titulus termini *ad quem*, tunc solùm fundat munus principij, cùm cadit in terminum omninò novum, adæquatè distinctum à subjecto, & insuper simplicem, seu non principiatum ex aliis, prout exigit definitio principiorum. Conditionibus illis gaudet forma, non verò Compositum, quamvis dicatur terminus *ad quem* tendit principaliter & ultimatè naturæ intentio. *Ad* 2.. Forma posterior est mutatione causali, seu viali, scilicet actione generativâ: prior tamen est mutatione formali, cui soli comparatur ut principium: est enim pars ejus intrinseca, & omnis pars quodammodò prior est, aut priùs intelligitur, quàm totum. Similiter, subsequitur forma generationem vialem; at non subsequitur, sed constituit formalem, seu terminativam.

4 *Obiic.* 3.: materia est subjectum recipiens mutationem: est item subjectum generationi præsuppositum: ergo adæquatè distinguitur à mutatione, & generatione. *Diſt. Antec.*: est subjectum recipiens mutationem causalem, *conc.*; formalem, *subdiſt.*: sumptam inadæquatè, prout importat privationem & formam unitam, *conc.*; sumptam adæquatè, *neg.*: & similiter distinctâ alterâ parte Antecedentis, *neg. Consequ.*. Ratio distinctionum constat ex dictis; nec ulteriore doctrinâ hîc opus est.

*Contrà privationem speciatim.*

5 *Obiic.* 4.: privatio multis nominibus excludenda videtur à munere principii. Nam 1.: privatio est nihil; sed *ex nihilo nihil fit*, juxtà vetus axioma: ergo Corpus naturale fieri nequit ex privatione. 2.: privatio contradictoriè opponitur formæ: ergo non constituit cum formâ Corpus *in fieri*. Patet Consequentia: tum quia ex contradictoriis sola chymera componitur: tum quia contradictoria, cum se se mutuò interimant, ac destruant, Corpus *in fieri* magis destruent, quàm constituent; quod enim destruit unum constitutivum, destruit constitutum. 3.: privatio in nullo instanti intelligitur inesse materiæ. Non enim inest in instanti existentiæ formæ, ut est evidens. Nec item in instanti præcedenti: quia privatio non est sine capacitate subjecti ad formam: hæc autem capacitas in instanti præcedenti non competit materiæ: tum quia materia in eo instanti adhuc possidet aliam formam, & non est naturaliter apta recipere duas in sensu composito: tum quia nondùm habet ultimam dispositionem ad formam sequentem, & donec habeat, non est proximè capax.

6 4.: Privatio nec mutationem principiat, quando est in materiâ, nec quando non est: ergo nunquam. *Prob. Antec.*: inprimis, in instanti, in quo privatio est, nondùm principiatur mutatio; quia subjectum nondùm incipit mutari, sed adhuc quiescit sub termino *à quo*; quemadmodùm Petrus, quamdiù est in loco A, non incipit moveri ad locum B: ergo tunc nondùm privatio principiat. Deinde, quòd non principiet in instanti, in quo jam non est, certum apparet. Tum quia exercitium principiandi præfefert principium

pium actu positum, maximè cum sermo est de principiis intrinsecis, quę non principiant, nisi *componendo*, ideſt, se se ponendo simul cum aliis intrà principiatum. Tum quia prædicata actualia supponunt subjectum actualiter esse; atque in talibus propositio de tertio adjacente infert propositionem de secundo; benè quippe infertur, *Petrus actu disputat, ergo actu est*: quoties ergo verè dicitur, *Privatio actualiter principiat*, verè quoque dicetur, *Privatio actualiter est.*

7 *Resp. ad* 1. Ex nihilo nihil fieri potest, quod sit undequaque positivum: fieri tamen potest aliqua denominatio, sive concretum, quod partim positivum sit, partim negativum; cujusmodi est Corpus *in fieri* mutationis, quippe quod importat non esse formæ in instanti *A*, & esse formæ in instanti *B*. Sic temperamentum humani corporis constituitur partim ex carentiâ humorum redundantium, & pulchritudo nasi ex carentiâ materiæ superfluæ. *Ad* 2. *concess. Antec., dist. Consequ.*: non constituit cum formâ Corpus *in fieri*, concurrendo in idem instans, *conc.*; existendo successivè, *neg. Consequ.* Nec probationes obstant. Nam chymeræ proprium est componi ex contradictoriis simul verificatis, non verò successivè positis: nec contradictoria se se mutuò interimunt, aut destruunt, nisi relatè ad idem instans. Memineris, mutationem esse totum successivum, quantum ad duo sui constitutiva: unde tota difficultas evanescet: quia partes totius successivi nihil prohibet esse prorsus insocjabiles in coexistendo, ut cernitur in partibus anni, vel diei.

8 *Ad* 3. Privatio inest materiæ in instanti præcedenti introductionem formæ ignis v. g.; quo in instanti materia veram aptitudinem & capacitatem habet ad talem formam, etiam in sensu composito alterius, quam adhuc possidet, dummodò Tò *in sensu composito* referatur, non ad simultaneam utriusque formę receptionem, sed ad conjunctionem capacitatis ad utramlibet cum actuali possessione cujuslibet. Hoc modo, sedens est capax deambulationis, justus capax est peccati, & peccator gratiæ. Nec obstat, quòd materiæ desit ultima dispositio, per quam redditur proximè capax, & expedita: quia privationi sufficit subjectum verè & simpliciter capax formæ, quàmvis non sit ultimò dispositum. Sic peccator verè privatus est gratiâ Dei, licèt non sit proximè dispositus ad illam obtinendam: & cæcus habet privationem visus, tametsi nequeat visum recipere sine miraculo. Quod maximè verum habet, quando subjectum ita paratum jam est, ut in instanti immediatè sequenti subiturum sit ultimam dispositionem, & formam.

9 *Ad* 4. Argumentatio illa fallax est, ut patet in exemplis, quę subjicio. Posterioritas temporis, qua Cæsar dicitur Alexandro posterior, saltem fundamentaliter sumpta, constituitur per Alexandri existentiam in tempore antiquo. Rogo te, quandònam Alexandri existentia constituit posterioritatem illam? An, quando erat? Minimè: quia tunc nondùm cœperat Cæsar esse posterior. An,

quando jam non erat? Nè id quidem, siquid valet objectio proposita. Similiter hæc denominatio, *domus antiqua*, constituitur per annos præteritos; qui tamen, quando erant, non constituebant antiquitatem domus, utpotè novæ tunc, ac recentis; & aliunde, quando jam non sunt, constituere nequeunt, ut probat objectio.

10 Dicendum igitur, privationem solùm principiare, quando non est, videlicèt in primo instanti, in quo forma introducitur. *Prob.*: eatenùs privatio principiat, quatenùs est terminus *à quo* materia transit ad formam; non enim alio titulo principiat: sed esse terminum *à quo*, est esse terminum derelictum, & amissum: tunc ergo privatio actu principiat, quando actu derelinquitur, & amittitur. Hoc autem non nisi in instanti adventus formæ, in quo jam privatio non est, verificatur: cum enim privatio & forma immediatè opponantur, idem est amittere privationem, & adquirere formam.

11 Paulò aliter: actuale exercitium principiandi respectu privationis, est ejus amissio, & exclusio formalis; per hanc enim constituitur privatio in esse termini *à quo*: Sed hæc formalis exclusio est ipsa formalis introductio formæ, quæ solùm datur, quando privatio non est: ergo tunc solùm datur exercitium actuale, quò privatio redditur actu principians. Accedit, quòd privatio non aliter pertinet ad conceptum intrinsecum mutationis, nisi quatenùs fuit, & non est: non enim mutationem concipimus, nisi concipiendo, materiam actu amittere unum Ratum, sive terminum, & recipere alium: ad hunc autem conceptum objectivum non pertinet terminus *à quo*, nisi prout concipitur actu amitti, ac proinde actu definere esse, cum fuerit. Eâdem ratione priores anni constituunt antiquitatem domus, quando non sunt; quia scilicet non pertinent ad conceptum ejus, nisi quatenùs præteriti, ac proinde quatenùs jam esse desierunt, cum anteà fuissent.

12 Unde infertur 1., denominationem *principiantis*, aut *constituentis* Corpus *in fieri*, non verificari de privatione, nisi in instanti formæ; cadere tamen super privationem, quatenùs in suo instanti præhabitam: privatio namque principiat & constituit in instanti formæ, non ut tunc existens, sed ut præexistens in instanti antecedenti, sive ut nunc primùm præterita. Quare denominatio ista, *privatio actu principians*, duo dicit, & privationem in instanti antecedenti, & exercitium principiandi in hoc instanti, à quo exercitio determinatur ea denominatio. Non aliter, ac denominatio hæc, *Antichristus modò prævisus*, dicit & actualem cognitionem, seu prævisionem in tempore præsenti, & Antichristum in futuro: sic tamen, ut solùm verificetur nunc, cùm prævisio existit; quia Antichristus, non posteà, sed nunc constituit talem denominationem, licèt hæc super illum cadat, non ut existentem nunc, sed ut existentem in fine Mundi. Hoc idem cernitur in posterioritate temporis, & antiquitate domus.

In-

13 Infertur 2., Corpus *in fieri* mutationis non intelligi, nec salvari absolutè, nisi in instanti introductionis formæ : quia tunc solùm verificatur, materiam actu mutari, transireque de privatione ad formam: anteà enim non erat transiens, sed transitura, nec Corpus fiebat, sed faciendum erat. Nec propterea est totum simultaneum, aut omnia constitutiva simul habens in eo instanti: quamvis enim ab omnibus simul principietur, non tamen ab omnibus ut simul existentibus, sed ab aliquibus ut dispersis per duo instantia. Quod nuperis exemplis explicari poterit.

14 Dices : totum successivum absolutè dicitur existens in quolibet instanti, in quo pars ejus quælibet existit, ut patet in die, mense, anno. *Resp.*. Verum id est in iis totis successivis, quorum partes sunt ejusdem rationis, nec una habet potiùs determinare ad existentiam totius, quàm alia. Cæterùm, quando partes diverso titulo principiant, & una peculiariter habet determinare aliam, aut alias ad principiandum, & totum ipsum ad existendum, tunc nomen totius absolutè dictum significat potiùs existentiam unius partis, quàm aliarum ; ut in exemplis adductis perspicuum est. Hinc Corpus *in fieri* mutationis non benè significatur his verbis, *Materia cum privatione, statim habitura formam*; benè tamen istis, *Materia possidens formam, & amittens privationem proximè præhabitam.*

15 Infertur 3., Corpus *in fieri* formaliter includere unionem formæ cum materiâ. Patet : quia unio est exercitium principiandi, seu principiatio actualis, quâ forma, & privatio actu principiant; unio quippè denominat formam formaliter adquisitam, quod est esse terminum *ad quem*, & privationem formaliter exclusam à materiâ, quod est esse terminum *à quo*. Hinc sequitur, inter se non opponi Corpus *in fieri*, & *in facto esse*; sed potiùs identificari inadæquatè, verificarique pro eodem instanti. Corpus enim *in fieri* claudit quidquid est proprium Corporis *in facto esse*, & aliquid ultrà, scilicet formæ carentiam, vel privationem, quæ, prout nunc exclusa, licèt non constituat Corpus *in facto esse*, non illi nocet. Opponuntur quidem pro eodem instanti Corpus *in fieri*, & *in conservari*, quatenùs *conservari* denotat existentiam tempore præcedenti. Sed Corpus *in facto esse* de se præscindit ab eo, quod sit vel *in fieri*, vel *in conservari*, potestque cum utrovis conjungi, & in utroque includitur.

16 Dices : non dicitur esse in *fieri*, nisi quod nondum est completum, & absolutum, quod est in viâ, & transitu ad suum esse, quod recedit à termino *à quo*, sed nondum pervenit ad terminum *ad quem* : Implicat ergo verificari simul Corpus in *fieri*, & in *facto esse*. *Resp.*. Locutiones illæ tenent in *fieri* artificiali, v.g. domi, quam tunc dicimus esse in *fieri*, cùm nondùm est perfecta : secùs in *fieri* naturali rerum, maximè substantialium, quod est per actionem instantaneam : in talibus enim idem est fieri, seu incipere esse, ac omni-

nò esse. Quod pulchrè docet D. Thomas 3. p. q. 75. art. 7., ubi, cum dixisset in *Corp.*, introductionem formæ substantialis esse instantaneam, addit *Ad* 2., quòd *in mutationibus instantaneis simul est fieri & factum esse: sicut idem est illuminari & illuminatum esse.* Quod etiam docet 1. p. q. 45. ar. 2. ad 3., addens: *Et in his quod fit, est, cùm dicitur fieri, sed significatur ab alio esse, & prius non fuisse.* Quod est in viâ vulgari, & transitu ad locum distantem, nondùm pervenit ad terminum: cæterùm, quod est in viâ Philosophicâ, & instantaneâ, jam hoc ipso terminum tenet.

16 His ita statutis jam facilè solvitur utraque ratio num. 6., nè privatio principiet, quando non est. Nam exercitium principiandi per modum termini *à quo*, requirit principium actu exclusum, tantum abest ut requirat actu positum. Neque id novum est, etiam in principijs intrinsecis, ut patet in exercitio principiandi, quo Antichristus modò constituit denominationem *præcogniti*. Oportet ergo attendere, & titulum principiandi, & indolem rei, vel denominationis, quæ principiatur. Quod attinet verbum *componere*, si sonet idem, ac se ponere simul cum cæteris constitutivis, fateor, quòd privatio non componit Corpus *in fieri*: sed hic modus compositionis non requiritur in principiis intrinsecis totius successivi, ut quisque videt. Si verò sonet idem, ac esse partem intrinsecam essentiæ totius, privatio utique componit, quàmvis non ponatur in instanti, in quo principiat. Præterea non omne prædicatum actuale supponit subjectum actu esse, nec omnis veritas de tertio adjacente infert veritatem de secundo; ut vides in hisce, *Antichristus est modò præcognitus, Hircocervus est cognitus, Lignum est combustum, Leo est mortuus.* Illa ergo doctrina vera non est, quando indoles ipsa prædicati finit, aut facit ampliari, vel alienari subiectum, & verbum; ut in præsenti contingit, cum idem valeat, *Privatio actualiter principiat*, ac, *Privatio actualiter excluditur.*

17 Dices: ergo privatio non principiat secundùm suum esse, sed secundùm suum non esse: ergo non principiat ut extremum distinctum à formâ prout unitâ materiæ. Patet hæc consequentia: quia non esse privationis est formaliter ipsum esse formæ in materiâ. *Dist.* 1. *Consequ.*: si ly *secundum* denotet merum exercitium principiandi, *conc.*; si denotet principium *ut quod*, *neg. Consequ.* 1. & 2. Principium *ut quod* per modum termini *à quo*, est privatio secundùm illud suum esse negativum, quod habet in instanti antecedenti: sed hoc esse privationis non denominatur actu principians, nisi à suo non esse immediatè sequenti, tamquàm ab exercitio principiandi, consistente in unione formæ, vel in formâ prout unitâ materiæ.

18 *Obiic.* 5.: transitus de loco A ad locum B, non constituitur intrinsecè per terminos *à quo*, & *ad quem*: idem ergo dicendum de mutatione, quæ est transitus de privatione ad formam. *Resp. neg. Antec.*, si loquatur de transitu formaliter sump-

to,

to, ac de locis intrinsecis: fac enim, locum B immediatè contiguum esse loco A: quid aliud erit, me transire de A ad B, nisi amittere præhabitam ubicationem in A, & adquirere ubicationem in B? At in hoc objecto constitutivè includitur utraque ubicatio, altera ut terminus *à quo*, altera ut terminus *ad quem*; & in illis consistunt loca intrinseca. Huic autem locali transitui comparandus est naturalis transitus materiæ de privatione ad formam cum immediatâ successione duorum instantium.

19 Quodsi obiectio loquatur de transitu ad locum distantem, transitus iste solet quidem vulgariter accipi pro solo motu per spatium intermedium; sed, si accipiatur adæquatè, necessariò includit & illam ubicationem, à quâ primò recedit Corpus, & illam, ad quam tandem pervenit. Denique, si loquatur objectio de locis extrinsecis, *conc. Antec.*; quia sine his intelligi potest essentia motus, & transitus localis (nisi fortè fiat reduplicatio *secundùm loca extrinseca*); sed *neg. Consequ.*, propter rationem contrariam.

### *Nihil obstant rationes seminales à S. Augustino assertæ.*

20 *Obiic. 6.*: inter prima principia, præter tria, quæ ponimus, computandæ sunt *rationes seminales*, sive *causales*, quas ad omnem generationem rerum naturalium necessarias agnoscit Magnus Augustinus in Libris de Genes. ad Litt., præsertim Lib. 6. cap. 14. 15. 16., & Lib. 9. cap. 17., ubi dicit eas esse rerum primordia, ibi: *Ex his velut primordiis rerum, omnia, quæ gignuntur, suo quoque tempore exortus, processusque sumunt, finesque, & decessiones sui cuiusque generis. Unde fit, ut de grano tritici non nascatur fabá, vel de fabá triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus.* Et Lib. 3. de Trinit. cap. 8., *Omnium*, inquit, *rerum, quæ corporaliter, visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent.* Ex hac Augustini doctrinâ colligunt aliqui, expungendam esse privationem à numero principiorum Corporis *in fieri*, & loco illius oportere materiæ & formæ superaddere rationes seminales, quæ sint tertium principium. Quam sententiam ex professo promovet Magister Manso Lib. 1. Physic. q. 2.

21 *Resp.* Dubium est, quid intellexerit Magn. Augustinus nomine *rationum seminalium*. Varias expositiones refert, ac refellit D. Thomas in 2. dist. 18. q. 1. art. 2.: ipse verò, tum ibi, tum 1. p. q. 115. ar. 2., nihil aliud intelligendum esse docet, quàm virtutes activas, & passivas rerum naturalium, præsertim eas, quæ ad propagationem propriæ speciei, sive ad producendos effectus univocos destinantur, & quæ generatim, etiam in rebus inanimatis, vocari possunt *seminales* ex analogiâ quadam ad semina, quibus propagantur plantæ, & animalia. Sed Magister Manso cum Ægidio tenet, rationes seminales propriè consistere in quodam ordine Divinâ dispositione

ne superaddito virtutibus rerum, vi cujus activa quæque sibi subiiciunt certa passiva, & hæc certis activis subiiciuntur: quo modo stuppa subiicitur igni, quia redditur obnoxia combustioni; & ignis sibi subiicit stuppâ, quia redditur habilis ad eam comburendam. Atque hic ordo, subiectio, & habilitas, inquit Manso, est relatio, seu relativa quidditas, distincta realiter à rebus, & earum virtutibus.

22 Utraque expositio admitti potest inpræsentiarùm, quin Assertioni nostræ quidquam præjudicet. Inprimis expositio D. Thomæ. Nam ratio seminalis, si sumatur pro virtute agentis extrinseci, erit quidem principium generationis, sed extrinsecum, ac proinde non augens numerum principiorum intrinsecorum, de quibus nunc agitur. Si verò sumatur pro virtute, vel aptitudine formæ ad informandum, & materiæ ad recipiendum, non est quid distinctum à materiâ, & formâ: nam altera per se ipsam est actus informativus, & altera perseipsam est subiectum receptivum: & quàmvis materia in esse proximè receptivæ importet dispositiones accidentales, hæ non pertinent ad conceptum mutationis substantialis, vel, etsi pertineat, sub nomine materiæ comprehenduntur, tamquam appendices, in enumeratione principiorum.

23 Deinde expositio Ægidiana. Si enim rationes seminales accipiantur pro relationibus à Manso explicatis (duas ipse seligit ad munus principiandi, alteram ex parte formæ, alteram ex parte materiæ): vel dici possunt inerinsecè principiare Corpus *in fieri*, non tamquam tertium principium, sed tamquam appendices materiæ, & formæ, quarum sub nomine comprehenduntur; vel potiùs computari debent inter principia extrinseca; quia præscindendo ab illis relationibus superadditis, intelligi potest, materiam incipere nunc habere formam, quam non habebat, sicut hoc ipsum intelligitur, præscindendo ab agente extrinseco.

24 Præterea displicet doctrina Mansi tribus capitibus, ut alia nunc omittam. 1.: quia privationem expungit à numero principiorum; cum tamen sine illâ nec stare, nec intelligi possit Corpus *in fieri* mutationis, quascumque superaddas rationes seminales. 2.: quia tribuit munus principii intrinseci solis rationibus seminalibus, quæ se tenent ex parte materiæ, & formæ, seclusis ijs, quæ se tenent ex parte Causarum efficientium; cum tamen S. Augustinus talem distinctionem nullibi faciat, imò ad causas activas præcipuè respiciat, ut legenti constabit.

25 3.: quia, nè principia sint quatuor, vult, ut ex utrâque ratione seminali, materiæ, & formæ, compleatur unum principium; cum tamen prima principia, juxta definitionem eorum, debeant esse simplicia, nec ex alijs principiata. Certè illud principium seminale principiaretur ex duobus simplicibus; & quidem non tantùm integraliter; quia duæ illæ relationes deberent sapere naturam sui fundamenti, & altera esse

esse per modum actus, altera per modum potentiæ, consequenterque facerent constitutionem essentialem. Adde quòd incongruè tribuit formæ respectu materiæ rationem seminalem; hæc enim juxtà ipsum est relatio inter activa, & passiva; forma autem non respicit materiam suam in genere causæ activæ, sed in genere causæ formalis, vel actus informativi.

## CAP. V.

### *De Corpore in fieri per puram, aut simplicem generationem. Assertio tertia.*

1. ASsero 3.: Privatio non est principium Corporis *in fieri* pro quâcumque hypothesi: vel, quod in idem recidit, possibilis est generatio Corporis naturalis, quæ non supponat privationem, sitque proinde generatio *pura*, *simplex*, aut *præcisa*, seu Corpus *in fieri puræ generationis*. *Prob.*: possibilis est generatio, quæ non importet mutationem: ergo & quæ privationem non supponat. *Prob. Antec.*: possibilis est generatio in primo instanti creationis materiæ; sed tunc non importat mutationem, cum mutatio requirat existentiam subiecti pro duobus instantibus, ut suprà constitit: ergo &c. *Prob. Maj.*: in primo instanti creationis materiæ potest produci forma per actionem essentialiter pendentem à materiâ, tamquam à subjecto præsuppositò; sed talis actio foret eductio formæ, & generatio Compositi: ergo &c.. Minor constat ex conceptu proprio eductionis, & generationis, prout à creatione condistinctæ. *Prob. Maj.*: ut actio pendeat à materiâ, tamquàm à subjecto præsupposito, non requiritur præsuppositio temporis, sed sufficit prioritas naturæ; sed hanc habere potest materia in primo instanti: ergo &c.

2 Constat *Minor*: tum paritate causæ efficientis, quæ, licet requirat prioritatem naturæ, potest operari in primo instanti suæ existentiæ: tum quia naturæ prioritas non importat latitudinem temporis, sed solam distinctionem signorum intrà idem instans, ut explicabitur Tract. 2.. *Major* etiam constare videtur: tum eâdem paritate causæ efficientis, à quâ ut præsuppositâ pendet actio non minùs, quàm à subjecto. Tum etiam, quia prioritas temporis per accidens ac de materiali se habet, ut materia concurrat ad actionem passivè, aut in genere causæ materialis sustentativæ (in quo stat dependentia actionis à materiâ ut subjecto præsuppositò); non enim materia passivè causat & sustentat actionem, nisi per suam potentiam ut nunc actualiter præsentem; hæc autem potentia eadem omninò est in primo instanti, ac in cæteris; & ut nunc verè sit præsens, nihil refert, quod extiterit antea.

3 *Confirm.* 1.: creet Deus in medio igne novæ materiæ portionem, non aliâ formâ præventam. Quæro abs te, cur non poterit ignis in eâ, & ex eâ statim producere formam igneam? An ex defectu dispo-

fictionis ultimæ? At istam poterit ignis ipse producere instantaneè, cum nullum obstet contrarium; sicut ob eamdem rationem aër illuminatur in instanti; vel, si mavis, fac eam dispositionem simul à Deo concreari. An ex defectu capacitatis materiæ? At ista capacitas eadem est in quolibet instanti, utpotè identificata cum entitate materiæ. An ex defectu virtutis in igne? Quis hoc dicat? An demùm ex defectu præexistentiæ temporis ex parte materiæ? At, ut agentia naturalia statim operentur effectus in suâ virtute contentos, nihil aliud requiritur juxtà omnes Philosophos, nisi quòd adsit subjectum capax, ultimò dispositum, & applicatum; hoc autem totum adest in casu nostro seclusâ præexistentiâ temporis. Tum sic: Sed ignis tunc ageret per veram generationem, cum creatio solius Dei sit, ut nemo ignorat. ergo &c.

4 *Confirm.* 2.: si corruptis speciebus Eucharisticis generetur vermis, nova tunc à Deo creatur portio materiæ pro tali generatione, ut fert communis sententia: cum autem materia in nullo instanti possit existere sine formâ, necesse est ut illa generatio fiat ex materiâ in primo suæ creationis instanti. *Confirm.* 3. exemplo ineluctabili formæ accidentalis, quæ potest educi in primo instanti existentiæ subjecti, ut de facto educta est prima gratia animæ Beatissimæ Virginis, & juxtà communem Theologiam etiam prima gratia Angelorum: eorumdem item actus vitales in primo instanti elicîti, præsertim liberi, certè non fiere creatî ergo educti. Profectò, si Deus coram Sole crearet novum corpus diaphanum, quis dubitet in primo instanti illuminatum iri? utique per eductionem lucis virtute Solis.

5 Hinc inferes, formas elementares initio mundi potuisse generari, vel educi, quantum est ex capite præexistentiæ materiæ. An autem aliunde repugnet earum eductio, & an de facto contigerit? plures hîc disputant. Sed commodiùs ea disputatio instituetur in Tract. de Elementis.

6 Sed *obiic.*: Si dari potest Corpus *in fieri* non constitutum ex privatione, non erit totum successivum, nec distinguetur à Corpore *in facto esse*. *Resp.* Corpus *in fieri puræ generationis* non distinguitur à Corpore *in facto esse*, nisi prout connotat primum instans suæ existentiæ. Nam Corpus *in facto esse* præscindit ab eo, quòd sit in primo, vel in secundo, vel in alio instanti: Corpus autem *in fieri*, quodcumque sit, semper connotat primum instans, importatque initium essendi. Quodsi velis, ut in hac denominatione *Corpus incipiens esse*, includatur præcedens carentia talis *esse*, quàmvis ea carentia non sit privatio, atque hoc modo illa denominatio sit totum successivum per merum ordinem immediatæ successionis inter esse & non esse; sit sanè; dummodò tunc non detur mutatio physica, nec proprie terminus *à quo*. Unde colligere poteris, tale Corpus *in fieri* tribus etiam constare principiis, materiâ, formâ, & hujus carentiâ, quæ non sit privatio; ac proinde principiari

ex

ex oppositis, seu contradictorijs, quàmvis non ex propriè contrarijs, eo quod contrarietas versari debeat circà subjectum commune.

7 Cum autem Aristoteles universaliter docet, privationem esse principium rerum naturalium; inprimis non loquitur de primâ elementorum & mundi formatione, quę â solo Deo facta est: ut enim ait D. Thomas 1. p. q. 45. art. 2. ad 1., *Antiqui Philosophi non considerave-runt, nisi emanationem effectuum particularium à causis particularibus, quas necesse est presupponere aliquid in suâ actione.* Deinde nec loquitur de productione rerum in primo instanti creationis materiæ. Tum quia per errorem putavit, Mundum, atque adeò materiam ab æterno fuisse. Tum quia non curavit de miraculosis eventibus, in quibus tantùm nova materia creari potest post ortum mundi. Solùm ergo cogitavit Philosophus de generatione rerum, quæ à causis secundis provenit ordine omninò naturali, & quæ materiam transire facit de formâ in formam. Id quod etiam testatur D. Thomas 1. p. q. 44. art. 2. ad 1. dicens: *Philosophus in 1. Phys. loquitur de fieri particulari, quod est de formâ in formam, sive accidentalem, sive substantialem.* Ut autem pro regulâ generali statuerit, omnia fieri ex privatione, & cum antiquioribus dixerit, omnia ex contrarijs fieri, satis est quod ita fiant, quotquot à causis secundis naturali ordine fiunt.

***

## CAP. VI.

### *Expenduntur variæ sententiæ nobis Adversantium.*

1 QUamquàm Assertio posita Cap. super. satis communis sit in Scholâ nostrâ, & Thomisticâ, nobis tamen adversantur ex utrâque Scholâ non pauci, qui partim in hoc, partim in seq. Capite reijcientur. Quidam ergo possibilem esse fatentur generationem in primo instanti creationis materiæ, & nihilominus asserunt, etiam tunc mutari materiam de privatione ad formam. Sed non omnes uno modo discurrunt. 1. quidam eorum privationem collocant in signo priori naturæ, quo materia etiam in primo instanti formam precedit ut causa materialis: unde materia, formam adquirens in signo posteriori primi instantis, jam transit de privatione ad formam.

2 Sed *contrà* 1.: signa prius & posterius in ordine causandi, existunt in eodem instanti, id est, in eodem puncto temporis indivisibili: si ergo in signo priori naturæ datur privatio, & in signo posteriori forma, jam in eodem indivisibili temporis concurrent in eadem materia duo contradictoria, jamque forma simul erit & non erit; quod est chimericum. *Contrà* 2.: signa illa non sunt cellulæ, vel partes instantis (instans enim, utpote indivisibile, partibus caret), sed *signum prius* nihil est aliud, quàm causa cum requisitis ex parte sui ad causandum, & *signum*

*posterius* nihil aliud est, quàm effectus ut pendens à tali causâ. Nihil ergo in signo priori naturæ collocatur, nisi quod est causa, vel ex parte causæ requisitum ad causandum. At privatio nec est causa formæ, nec requisita, ut forma causetur, cùm potiùs illi opponatur extremè.

3 Accedit, quòd alioqui voluntas in signo libertatis ad amandum, haberet amoris carentiam, adeòque non esset indifferens ad amorem, & ejus omissionem: item anima Deiparæ Virginis, in priori signo primi instantis habuisset privationem gratiæ, mutataque fuisset de statu peccati, vel de privatione sanctitatis, ad statum oppositum: item, cùm primùm quis justificatur, conjungeretur in eodem instanti gratia cum peccato, siquidem conjungeretur cum privatione sui à peccato præterito causatâ: quæ omnia prorsùs à veritate abhorrent. *Contrà* demùm: quia eâdem ratione daretur privatio in materiâ pro quovis instanti conservationis formæ; nam in quolibet datur signum prius, in quo materia intelligitur ut causa materialis.

4 *Dices* tamen: in signo priori materia non habet formam: ergo habet privationem formæ: non enim possunt abesse simul duo contradictoria. Vel aliter: pro signo priori verificatur *non esse formam in subjecto capaci*: ergo verificatur privatio. *Resp. dist. Antec.*: non habet merè præcisivè, *conc.*; negativè, aut privativè, *neg. Antec.*, & *Conseq.*. Duo contradictoria nequeunt abesse simul pro instanti reali; benè tamen pro aliquo signo, absentiâ nimirùm præcisivâ, quatenùs ab utroque præscinditur, eo quòd neutrum sit causa, nec prærequisitum ad causandum. Similiter *non esse formam in subjecto capaci*, sonat privationem, dum refertur ad instans temporis; minimè verò, dum refertur ad signum prius, quia tunc reddit sensum præcisivum; si enim reddat privativum, negandum est, quòd verificetur. Vel, si mavis, concede utrumque Antecedens, & nega Consequentias: quia per illud additum, *in signo priori*, determinatur ly *non habet*, & ly *non esse*, ut solùm significet, formam nec esse causam sui, nec conditionem prærequisitam, ut ipsamet causetur: ex quo minimè sequitur, dari privationem in signo priori. Abesse autem in tali signo duo contradictoria, nihil est aliud, quàm neutrum identificari cum materia, nec cum ejus prærequisitis ad causandam formam; quod verissimum est.

5 *Dices* insuper: non minùs opponuntur indifferentia & determinatio, quàm forma & privatio; sed indifferentia & determinatio cohærent in eodem instanti pro diversis signis, ut patet in instanti libertatis: ergo pariter &c.. *Confirm.*: in eodem instanti, & eodem subjecto dari possunt dominium & carentia dominij: nam, si tuum librum dones Petro statim acceptanti, pro eodem instanti dominium habes, quia eo uteris, & simul dominio cares, quia illud à te transfertur in Petrum. Pariter ergo de formâ & ejus privatione dicendum. *Resp. dist. Maj.*: non minùs opponuntur &c., dùm indifferentia & determinatio proveniunt ex eodem

dem capite, *conced.*; dum ex diverso capite, *neg. Maj.*, & similiter *distinctâ Min.*, *neg. Conseq.* In instanti libertatis non datur indifferentia, nisi ex capite potentiæ liberæ, nec determinatio, nisi ex capite effectus: quo sensu nulla in his est oppositio. At forma & privatio in eodem subjecto, & instanti, non possunt non opponi contradictoriè. *Ad Confirm. neg. Antec.*: nam in primo instanti donationis acceptatæ, vel dominium rei non est in donante, sed solùm in acceptante, ut aliqui volunt; vel est in utroque simul, ut valde probabiliter docet Cardinalis de Lugo, tum *disp.* 3. *de Incarnat. sect.* 1., tum *disp.* 2. *de Justit. & Jur. sect.* 2., ubi difficultates hujus sententiæ, quæ hìc importunæ forent, subtiliter solutas invenies.

6 2. alii dicunt, etiam in primo instanti creationis materiæ, generationem principiari ex privatione, non quæ fuit, sed quæ foret, nisi per formam impediretur: vel ex privatione, quæ licèt non præcesserit in se, præcesserit tamen in debito, ac præsumptione sui. Probant: quia carentia formæ præcessit creationem materiæ; quæ carentia, quasi ex vi possessionis essendi, habebat jus, ut, quando materia crearetur, in eâ existeret, atque ita fieret privatio: unde fit, ut pro signo priori primi instantis materiæ, detur debitum privationis, atque etiam illius præsumptio, fundata scilicet, tum in illâ possessione præcedente, tum in eo quod pro tali signo nondùm appareat forma, & *In creatis præsumitur negativum, ubi positivum non apparet.* Confirmant: quia, si Angelus crearetur ab æterno, verè esset ex nihilo: & tamen non esset ex nihilo absolutè præcedente, sed quod præcederet, si non impediretur.

7 Verùm hæc cogitatio rejicitur facilè: quia materia pro signo priori naturaliter exigit formam, & privationem respuit, maximè si jam est ultimò disposita: hæc autem exigentia potiori jure fundat debitum, ac præsumptionem formæ, quàm privationis: nam jus materiæ positivum est, & naturaliter infrustabile; non ita jus carentiæ præcedentis. Et hinc ruit fundamentum Adversariorum, quibus negari debet illud debitum, illavè præsumptio in signo priori: quia jus ad formam, quod habet materia disposita, destruit jus carentiæ præcedentis, si quod erat: & in creatis non præsumitur negativum, quando positivum, esto non appareat in se, apparet tamen in exigentiâ naturali alterius extremi cum eo connexi.

8 Constat etiam disparitas ad creationem Angeli, si non repugnet esse ab æterno: nam Angeli natura nullo ex capite resistit præcedentiæ sui nihili; quinimò ex conditione propriâ rei creatæ debet non incipere, nisi in tempore, adeò ut multis omninò chymerica videatur creatio ab æterno: jam ergo in re ipsâ fundamentum adest, ut Angelus, si crearetur ab æterno, diceretur esse ex nihilo, quod deberet præcedere. Ast, quàmvis materia & forma non resistant carentiæ sui, priusquàm materia creetur, privationi tamen positivè resistit materia statim à primo suæ

crea-

creationis instanti, & à signo priori. Adde, quòd creatio ab æterno diceretur quidem ex nihilo subjecti, sivè ex nullo subjecto; non tamen ex nihilo sui termini, nisi cum addito *possibiliter*, quatenùs, attentâ naturâ termini, posset nihilum ejus præsupponere.

9 3. alii privationem ut terminum *à quo*, veramque mutationem, etiam in primo instanti materiæ, sic adstruunt. Carentia formæ, creationem materiæ præcedens, non immeritò vocari potest privatio, & terminus *à quo*. Probatur 1.: quia Aristoteles ideò privationem inter principia numerat, quia id, quod fit, debet antèa non esse; quod enim jam est, non fit: unde colligit, arborem v. g. debere fieri ex non arbore, sicut album ex non albo, musicum ex non musico: nomine igitur privationis intellexit merum *non esse* Corporis, quod fit. Hoc autem *non esse* verificatur absdubiò per carentiam formæ, sive præexistat subjectum, sive non. 2.: quia stricta privatio non principiat mutationem, nisi quatenùs est contraria formæ: ergo non principiat, nisi quatenùs condistinguitur à capacitate subjecti, cum hæc capacitas non sit formæ contraria. Sed stricta privatio, ut à capacitate subjecti distinguitur, est mera carentia in nullo diversa ab illâ, quæ sine subjecto est: ergo, quantùm ad officium principiandi, carentia illa propriè vocabitur privatio.

10 3.: quia talis carentia dicit ordinem ad subjectum aptum, saltem possibile; non enim est sicut carentia Angeli, quæ talem ordinem non dicit: ergo non est mera negatio, sicut carentia Angeli, sed est propriè privatio. Adde, quòd vi talis carentiæ verificatur *non esse formam in subjecto capaci*; qui est caracter privationis. Adde præterea, quòd tunc verè daretur *transitus de non esse ad esse*, quæ est definitio generationis mutativæ: & quod creatura quælibet verè mutatur, dum accipit esse.

11 Quòdsi daretur generatio Corporis ab æterno, etiam sic principiaretur ex privatione, non quæ fuisset, sed quæ infallibiliter esset in materiâ, nisi per formam impediretur. Hoc sufficit (quàmvis cum sententiâ præcedente non recurratur ad præsumptionem, & debitum in signo priori), ut privatio verè dicatur terminus *à quo*: quia verè dicitur *amissa*, & *exclusa*. Passim quippe dicitur quis amittere, quod certò habiturus esset, nisi impediretur: & passim etiam dicitur excindi id, cujus ingressus prohibetur. Atque hoc dicendi modo, pro quo allegantur Scotus, & Suarius noster, salvari potest, privationem esse terminum *à quo* generationis temporalis in primo instanti materiæ, etiam sine recursu ad carentiam formæ præcedentem. Accedit, quòd, si Deus ab æterno aliquid reciperet à se distinctum, verè mutaretur; non aliâ ratione, nisi quia aptus esset ad privationem, & eam reciperet, si non præoccuparetur.

12 Hæc sententia litem movet de solo nomine privationis, & termini *à quo*. Nam de re constat inter omnes, non esse possibilem ge-

ne-

neratione in tempore, quin præcedat carentia, vel *non esse* formæ: constat item, materiam in primo instanti, vel etiam ab æterno creatam, si hoc non repugnet, infallibiliter habituram fuisse privationem, nisi forma præveniret. An autem carentia sine subjecto vocanda sit privatio, & an privatio, quæ non fuit, sed esset, nisi impediretur, dicenda sit terminus *à quo*; videtur pertinere ad modum loquendi.

13 Reiicienda tamen est sententia ista earum refutatione probationum. Ad 1.: licèt privatio lato & improprio sensu significet aliquando meram carentiam; tamen propriè loquendo solùm significat formæ carentiam in subjecto ad formam apto, ut sæpissimè docet ex Philosopho D. Thomas. v. g. 1. p. q. 22. art. 2. C., *Nulla*, inquit, *privatio tollit totaliter esse; quia privatio est negatio in subjecto secundùm Philosophum.* Sic cæcitas, ignorantia, surditas, quia privationes sunt, necessariò connotant subjectum existens. Certè de solâ privatione sic acceptâ loquitur Assertio nostra: nec de aliâ locutus est Aristoteles; cùm privationem inter principia numeravit, ut manifestè patet ex cap. 6., & 7. Cum autè dicit, Omnia fieri ex contrarijs, sive ex non talibus, ut musicum ex non musico, arbor fit ex non arbore, quia, quod jam erat, non fit; loquitur ex suppositione illius proloquij, *Ex nihilo nihil fit*, quod ipse cap. 4 commendat tamquam principium naturæ in nime notum omnibus antiquis, & ex quo infert, quidquid fit, ex materiâ fieri jam antea præexistente sub privatione formæ, sicut accidit in artefactis. Itaque in ejus doctrina continetur discursus hic: Cum omne Corpus fiat ex non tali, ut homo ex non homine, & aliunde ex nihilo nihil fiat, oportet hominem v. g. fieri ex non homine infinitanter, id est, ex aliquo subjecto jam antea præexistente, quod non sit homo ex defectu formæ, ac proinde quod subsit privationi formæ humanæ.

14 *Ad* 2.: nomen *privatio* significat in recto carentiam formæ, & in obliquo capacitatem subjecti prout existentis actualiter: & quamvis privatio in suo genere principiet solùm secundùm rectum, tamen ad munus principiandi requirit obliquum, tamquam conditionem *sine quâ non*; quia principiat per modum termini *à quo*, idest, per modum termini expulsi à subjecto, in quo erat. Hinc in formâ *dist. Antec.*: nisi quatenùs est contraria formæ, contrarietas se habente per modum termini *à quo*, *conc.*; aliter se habente, *neg. Antec.* Tum *dist. Consequ.*: nisi quatenùs condistinguitur &c., ly *nisi* excludente subjectum à munere termini *à quo*, *conc.*; excludente subiectum à munere conditionis necessariæ, *neg. Consequ.* Transeat deinde subsumpta Minor, & *nego ultim. Consequ.*

15 *Ad* 3.: ordo ad subiectum possibile non sufficit ad privationem; alioquin negatio visus, aut scientiæ, quę nunc est respectu hominum purè possibilium, diceretur proprie cæcitas, aut ignorantia. Illa igitur carentia verè negatio est, quamvis non tot titulis, quot carentia

tia Angeli. Nec est character privationis *non esse formam in subiecto capaci*, quando ly *non* excludit existentiam, tam subiecti, quàm formę. Nec tunc daretur *transitus* physicus de non esse ad esse; talis enim transitus requirit subiectum, quod cum sit idem physicè nunc & anteà, successivè sit sub terminis oppositis: ut etiam *mutatio* physica non datur, nisi cùm idem physicè subjectum successivè subit diversos status. *De ratione mutationis est* (inquit D. Thomas 1. p. q. 45. ar. 2. ad 2.) *quod aliquid idem se habeat aliter nunc & prius.* Tunc ergo solùm daretur transitus logicus; & mutatio logica, qualis verificatur in productione cujuslibet entis, etiam ex nihilo; quatenùs essentia rei eadem à nobis concipitur, quando est merè possibilis, ac quando est nihil, cum solâ variatione status, licèt physicè non sit eadem, sed potiùs differat existens à possibili, sicut ens á non ente. Atque hoc sensu logico intelligendę sunt quæcumque veterum locutiones de re istâ forsan allegentur.

16 Denique privatio, quę non fuit, sed esset, nisi pręiret forma, quàmvis dici possit amissa, & exclusa pręventivè, ut ita loquar, non tamen per desitionem, aut cessationem; quod omninò requiritur, ut sit propriè terminus *à quo* mutationis, aut transitus physici. Quis dicat, Adamum, cùm primùm creatus est, propriè transiisse ab statu purę naturę ad statum elevationis? Aut Deiparam Virginem propriè fuisse mutatam de labe peccati originalis ad Gratiam? Aut cum, qui ab obtinendo Pontificatu impeditur, verè fieri de Pontifice non Pontificem? Aut cum, qui pugnando vincit, necessariò transire de statu victi ad statum victoris? Aut etiam ipsam materiam primam in primo instanti subire mutationes corruptivas, vel privativas infinitas, eo quòd habeat cum unâ formâ privationes infinitarum formarum, quarum quælibet erit propriè terminus *à quo*, siquidem infallibiliter esset in materiâ, nisi pręiret privatio sui?

17 Si Deus ab ęterno reciperet aliquid à se distinctum, non ideò pręcisè mutaretur philosophicè (mutationi Theologicę, quę contraponitur summę simplicitati, sufficit receptio perfectionis à subiecto distinctę), sed argueretur mutabilis, quia probaretur aptus ad illius formę privationem. Sic etiam ex argumento Adversariorum probatur materia, non quidem mutata, sed mutabilis, & reapsè mutanda, si daretur spatium sufficiens, ut privationi forma succederet. Nec aliud intendunt Scotus, & Suarius, nisi ut privatio semper sit prior formâ, non proptio ac simpliciter, sed cum addito *quantùm est ex parte materiæ, vel actionis*, sensu scilicet negativo, quatenùs nec actio, nec materia excludit essentialiter prącedentiam privationis. Similiter creatio ab ęterno, foret ex nihilo *quantùm est ex se*, ideſt, foret actio non excludens essentialiter prącedentiam nihili. Hoc autem non est tribuere nihilo, seu privationi munus termini *à quo*, vel principij actualis, sed tantùm possibilis; nec est agnoscere mutationem, sed mutabilitatem. Quemadmodùm, cùm

tum Sancti dicunt, se se ex propriis esse nihilum, aut dæmone peiores, non significant, quid actu sint, sed quid essent, aut esse possent, nisi Dei protectione tenerentur. Vid. P. Suar. disp. 20. Metaphysic. sect. 6. numer. 11.

## CAP. VII.

### *Authores alii nobis adversantes impugnantur.*

1 SUnt alij Authores, qui possibilem esse negant generationem Corporis naturalis in primo instanti creationis materiæ. Ita nonnulli Thomistæ, subscribentibus Palanco, & Manso. Fundamentum Palanci q. 13. Lib. 1. Physic. est: quia generatio, sivè eductio formæ necessariò supponit materiam præexistentem; sed nequit ita supponere in primo instanti creationis materiæ: ergo, &c. Major constat: quia eductio formę necessariò supponit materiam in rerum naturâ productam: repugnat autem materiam esse productam, quin sit existens. Minor etiam patet: quia materia in primo instanti, nec præsupponitur existens prioritate temporis, ut est evidens; neq; prioritate naturæ; quia, cum non existat, nisi per existentiam formæ, penitùs implicat eam existere pro priori ad omnem formam. Hinc redditur disparitas ad eductionem formæ accidentalis, quam hic Author concedit fieri posse in primo instanti productionis subiecti; quia scilicet subiectum accidentium, cum sit ens in actu, supponitur pro priori naturæ productum, & existens.

2 Fundamentum Manſi Lib. 1. Phyſ. q. 12. est: quia eductio formæ essentialiter est transmutatio subiecti; sed transmutatio, utpotè motus successivus, fieri nequit in instanti: ergo eductio necessariò supponit materiam existentem per duo saltem instantia. Majorem probat ex Ægidio sic: *Formam continet in virtute activâ agentis naturalis, nihil est aliud, quam agens posse transmutare subiectum mediis qualitatibus alterantibus, & disponentibus materiam, ut fiat sub tali formâ: ergo quòd forma contineatur in potentiâ passivâ materiæ sufficienter, ut ex materiâ educatur, nihil est aliud, quàm materiam posse transmutari per qualitates alterantes, ut fiat sub tali formâ.* Confirmat 1. ex D. Augustino Lib. 9. de Genes. ad Litt. cap. 15. dicente, formationem Hevę fuisse creationem, quia facta est sine motu & transmutatione. Confirmat 2. ex D. Thomâ 1. p. q. 90. art. 2. ad 2. ad eductionem requirente, ut *aliquid fiat actu, quod prius erat in potentiâ*: quæ verba Cajetanus, & alij Thomistæ de transmutatione interpretantur.

3 Sed in primis fundamentum Palanci, quàmvis fortè validum sit contrà Thomistas, nobis in re præsenti consentientes (contra quos fusè disputat Palanus loc.cit.), in Scholâ nostra infirmum est: negamus enim, materiam existere per existentiam formæ, quod abunde constabit, disp. sequ.. Quare, *concesso Maj., neg. Min.*: & in *prob.* negandum est, materiam

in primo instanti non intelligi pro priori naturæ creatam, & existentem. Quare poterit ex eâ tunc educi forma substantialis eâdem ratione, quâ forma accidentalis in primo instanti productionis subiecti. Deinde non apparet, quo jure postulet hic Author prioritatem temporis in materiâ.

4 Nam quoties fit generatio ex materiâ jam olim creatâ, v. g. cùm ex materiâ ligni fit ignis in instanti *A*, materia pro priori naturæ non intelligitur existens per existentiam ligni, cum hæc in eo instanti destruatur; nec intelligitur terminans actionem productivam, quam terminabat in instanti præcedenti, siquidem in doctrinâ Palanci, lib. cit. q. 7., materia in nullo instanti terminat aliam productionem, nisi quę simul est productio formæ tunc habitæ. Aliunde materia non gerit munus causæ materialis, & subiecti proximè receptivi formæ igneæ, nisi pro signo priori instantis *A*, ut est certum. Jam ergo, cùm intelligitur materia ut causa materialis, & potentia proxima ex quâ generetur ignis, non adest existentia, nec productio, tempore antecedens: ergo quòd talis existentia, productiove præcesserit, de materiali se habet ad generationem ignis; non enim alio titulo requiri potest, nisi ad sustinendum in materiâ munus causæ materialis, aut potentiæ proximæ; quod munus certè sustinere nequit productio, vel existentia, quæ jam non est.

5 Urgetur: vel materia debet existere pro priori naturæ ad formam igneam in instanti *A*? vel non? Si primum dicas: ergo, cum pro illo priori jam non existat per existentiam formæ præcedentis, necesse est existat per existentiam propriam, vel per existentiam ipsius ignis tunc generandi: atque ita ruit fundamentum Palanci; nec manet jam disparitas ad eductionem formæ accidentalis. Si dicas secundum: ergo frustrà posceis existentiam materiæ in instanti præcedenti. *Prob. Consequ.* Existentia ista de materiali se haberet ad eductionem in hoc instanti. Tum quia, ad physicè causandum, non conducit existentia, quæ fuit, sed quæ nunc est, ut patet in causâ efficiente, in causâ formali, atque etiam in causâ materiali eductionis accidentium. Tum quia forma non pendet à materiâ ut existente in anterioribus instantibus; non enim ab eâ pendet, nisi quatenùs ex eâ educitur; & non educitur in illis instantibus, sed in *A*. Est igitur impertinens ad eductionem prioritas illa temporis, sicut ob eandem rationem impertinens est in causâ efficiente.

6 *Obiic.* auctoritas D. Thomæ in Compend. Theolog. cap. 98. docentis, non posse Cœlum produci, *nisi per creationem*, eo quod dici non possit esse factum *ex materiâ aliquâ præjacente*: ubi loquitur de præjacentiâ temporis, ut ex contextu patet. *Resp.* Nostram doctrinam multò clarius tradit Div. Thomas Opusc. 42. cap. 15. Et præterea locus objectus exponitur facilè de creatione latè sumptâ, prout significat productionem compositi, quod ante hoc instans quoad nullam sui partem exis-

existebat: quo sensu terra quoque creata dicitur in Scripturâ sacrâ, ut alibi ostendemus. Creatio autem sic accepta cohæret cum eductione formæ Philosophicè sumptâ.

7 Fundamentum Mansi voluntarium est. Nego Majorem, vel distinguo: eductio, reduplicativè ut facta per causas secundas juxtà rerum ordinem omninò naturalem, *conc.*; eductio secundùm se, vel in quacumque hypothesi possibili, *neg. Mai.*, & concessâ Minore, *neg. Consequ.*, vel *dist.* eodem modo. Ad *probat.*, vel similiter distinguo Antecedens, & Consequens, vel potiùs nego Antecedens, quod crudè sumptum, ut jacet, absurdè probat, animam rationalem contineri in virtute activâ agentis naturalis, & in potentiâ passivâ materiæ sufficienter, ut ex materiâ educatur. Profectò, si *nihil est aliud* formam educi, quàm materiam ab agente naturali transmutari per qualitates alterantes, ut fiat sub tali formâ, cum totum hoc verificetur in generatione hominis, nihil deerit ad eductionem animæ rationalis.

8 S. Augustinus dicit quidem, Hevam creatam esse *non aliquo motu jam existentium naturarum*, sed non dicit, ideò creatam esse, quia facta est sine motu. Sumit autem verbum *creare* largo sensu, eodem scilicet, quo dicitur Genes. 1., *Creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem*; ubi non excluditur eductio propriè talis, juxtà communem in omni Scholâ sententiam: vel eo sensu, quo ipse Augustinus illo cap. 15. lib. 9. dicit, Angelos de rebus subjectis materiam ministrare, ut secundùm rationes seminales *aliquid in tempore creetur*: ubi certè non loquitur de creatione strictâ. D. Thomas refert illud *prius* ad prioritatem, non temporis, sed naturæ, quidquid interpretentur allegati Thomistæ.

9 Præterea Mansus, vi consequentiæ ductus, negat pariter eductionem formæ accidentalis fieri posse sine motu successivo, & sine alteratione subjecti per qualitatem contrarium habentem. Quodsi objicias actus vitales, species intentionales, & lucem, quæ formæ possunt ab agente naturali produci in primo instanti existentiæ subjecti, & de facto producuntur absque alteratione, & corruptione contrarij: Respondet n. 15. cit. q. 12., tales formas non esse propriè tales, nec propriè fieri, sed resultare; ideòque nec creari, nec educi, quàmvis actio, quâ producuntur, sit similis creationi: quod item repetit q. 14. n. 11. dicens, quòd ejusmodi formæ *quasi creantur*, et *quòd quasi creare, non repugnat agenti finito*. Hæc mira sunt.

10 Sed in primis nulla ratio, vel rationis umbra est, cur lux fit minùs propriè forma, quàm calor, cur minùs propriè fiat, cur ejus productio à Sole in aere, sit magis resultantia, quàm productio caloris ab igne in ligno. Deinde, philosophicè non dicitur *resultare*, nisi quod ad positionem alterius velut sequela naturalis ponitur. Quomodò ergo sine vocis abusu dici potest, eas formas, præsertim actus liberos, non fieri, sed resultare? Præterea, juxta D. Tho-

mam 1. p. q. 77. art. 6. ad 3., productio proprietatum accidentalium non est *per transmutationem*, sed *per naturalem resultationem*: & tamen supponit Mansus cit. quæst. 14. num. 11., calorem, & alias proprietates ignis v. g., verè fieri per eductionem.

11 Rursùs, illuminatio aëris, aut productio amoris liberi, sine dubio est vera actio: quæro igitur, an sit essentialiter diversa ab eductione propriè tali? Si neges, habemus intentum. Si asseras: ergo non est *quasi creatio*, sed propriè creatio: nam actio verè talis, saltem factiva formæ absolutæ, adæquatè dividitur in eductionem, & creationem, ex omnium sententiâ, quam approbat Mansus cit. q. 12. n. 3. Adde, quòd eâdem licentiâ posset quis fingere actionem, quæ nec supernaturalis sit, nec naturalis, sed quasi supernaturalis; & sic de aliis.

12 Denique sic argui potest: discrimen eductionis à creatione non sumitur à transmutatione subiecti: ergo non est idem, ut contendit Mansus, formam educi, ac subiectum transmutari. *Prob. Antec.*: quia tam verè datur transmutatio materiæ, dum creatur anima rationalis, quàm dum educitur forma equi: & tamen verissimum discrimen est inter creationem unius, & eductionem alterius. Sic discrimen specificum leonis ab equo, non sumitur à materia: quia, cum in utroque detur materia ejusdem speciei, tamen specificè differant. Verum itaque discrimen in eo consistit, quòd eductio est actio essentialiter pendens à subjecto, per aliam actionem producto, tanquam à causâ materiali sustentativâ; creatio autem est actio non ita pendens: quod totum verificari potest independenter à prioritate temporis, & transmutatione. Certè D. Thomas 1. p. q. 45. art. 1. ad 3. diserte docet, quòd creatio propriè talis dicitur productio ex nihilo, non solùm quatenùs ly *ex nihilo* negat præcessisse aliquid rei immediatè anteà, sed etiam quatenùs *importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur*: utrumque ergo requiritur ad creationem strictam: quare, licet primum detur, si tamen desit secundum, nempe negatio causæ materialis respectu actionis, non dabitur stricta creatio, sed eductio.

## CAP. VIII.

### *Quàm sit valida probatio desumpta ex generatione corruptas Eucharistiæ species subsequente?*

1 FOrtasse scire cupies, quid respondeant Palaneus & Mansus ad exemplum vermis ex corruptis Eucharistiæ speciebus generati; de quo sup. cap. 5. n. 4. Uterque in primis falsum esse supponit, & Palaneus fortiter impugnat, sententiam aliquorum Thomistarum, ajentium, non generari tunc vermem ex materiâ primâ, sed ex quantitate Eucharisticâ, quæ vermem intrinsecè constituit loco materiæ, & in eo permanet absque subiecto, sicut in Sacramento permanebat: quam sententiam ex professo re-

reret, ac tueri conatur M. Froylan Lib. 1. Phys. q. 1. art. 2. §. 3. & 4., credens eam esse D. Thomæ; utque istius opinionis incredibilitatem emolliat, S. Doctorem alloquitur illis Tertulliani verbis, *Domine, si error est, quod credimus, à te decepti sumus.*

2 Ad difficultates autem, quæ inde turmatim scaturiunt: v. g. quòd quantitas, cum sit accidens, nequit constituere unum per se, sive Compositum substantiale, cujusmodi est vermis: nec potest esse primum subiectum substantialis formæ receptivum, cum hæc sit ipsissima essentia materiæ primæ: nec est potentia passiva naturalis ad substantialem formam, quæ sola potentia subiicitur virtuti activæ naturalium agentium. Ad has, inquam, & alias difficultates respondet Froylanus, quòd quantitas ex suppositione miraculi per se existendi sine subiecto vi consecrationis, habet in omnibus vim, & officium materiæ primæ: & quamvis *materialiter* & *entitative*, sive *in esse entis*, sit accidens, semper que maneat in linea accidentali; tamen *formaliter, substitutivè*, & *in munere* materia est, substantia est: unde poterit constituere Unum per se substantiale, recipere formam vermis ut primum subiectum, esse potentia naturalis ad illam ex suppositione miraculi, & reliqua obire munia perinde, ac si materia foret.

3 Nec his privilegijs tantùm in transitu gaudet quantitas; sed permanenter fruitur. Nam ex hac doctrinâ colligit Froylanus, quòd quantitas, cum semel formam aliquam substantialem susceperit, futura est subiectum subsequentium formarum usque ad finem mundi: & quòd, si homo longo tempore solis speciebus Sacramentalibus nutriretur, decursu temporis tota materia, vel maxima pars illius, esset ipsa quantitas, in quâ anima rationalis, sicut in propriâ materiâ, inveniretur, & cum quâ etiam superadditâ materiæ propriæ, in quâ homo fuit genitus ab initio, resurget in die judicij.

4 Qui hanc opinionem fusè ac validè impugnatam velit, adeat P. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 5. sect. 3., & Palancum hic quæst. 1. à num. 40. Nunc breviter eam rejicimus 1.: quia beneficio vocum illarum, *formaliter*, *substitutivè*, *in munere*, facilè quisque poterit in constitutionem Compositi substantialis invehere paradoxa qualibet. V. g. quòd ex duplici formâ substantiali resultet Unum per se, gerente alterâ vices materiæ: quamvis enim utraque sit actus primus *materialiter*, & *entitativè*, poterit altera esse pura potentia *formaliter*, & *in munere*. Certè major propinquitas & cognatio est materiæ cum formâ substantiali, quàm cum quantitate. Et, sicut in verme quæstionis una quantitas in aliâ quantitate recipitur, juxtà Froylanum, cur non poterit una forma substantialis in aliâ recipi?

5 Similiter poterit una forma substantialis pro aliâ specie diversâ subrogari, v. g. forma leonina pro equinâ, ita ut ex animâ leonis & equino corpore consurgat equus verè talis: nam evidens est, mul-

13 Præterea, responderi potest, D. Thomam in casu quæstionis solùm negare novæ materiæ creationem, quæ non sit conversiva. Ratio est 1.: quia 3. p. cit. quæst. & art., postquàm sententiam nobis obiectam docuit, sequenti art. 6. docet, posse hominem ex Sacramentalibus speciebus nutriri: & ad secundum argumentum, quod sibi obiecerat his verbis, *Sicut dicitur 2. de Generat, ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus, species autem sacramentales sunt accidentia, ex quibus homo non constat, non enim accidens est pars substantiæ*; minimè respondet Angelicus Doctor solutione Froylani, quòd scilicet quantitas est substantia formaliter & in munere, licèt sit accidens materialiter & exercitativè; sed respondet potiùs in hæc verba, *Ad 2. dicendum, quod species sacramentales etsi non sint ea, ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur.* Quid clarius contrà Froylanum docentem, ut vidimus, contingere posse, ut corpus hominis totum ferè constet ex quantitate sacramentali?

14 Alienum est igitur à mente D. Thomæ, quòd species sacramentales ita nutriant, ut ingrediantur constitutionem corporis humani: solùm quæ vult S. Doctor, ut convertantur in ea, ex quibus Corpus hominis constat, videlicet in materiæ partes. At ex eis speciebus eâdem ratione fit nutritio, quâ generatio vermis, tum quia sic dictat certa Philosophia, tum quia sic docet idem D. Thomas in *corp. art.* dicens, *Dictum est autem* (nempe art. præced. contrà nos allegato) *quòd species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur. Per eandem autem rationem possunt converti in corpus humanum, per quam possunt converti in cineres, vel in vermes. Et ideò manifestum est quòd nutriunt*: eatenùs ergo, juxtà D. Thomam, ex eis generatur vermis, non quatenùs vermis constet ex ipsis, vel ex ipsarum aliquâ, sed quatenùs ipsæ convertuntur in ea, ex quibus vermis constat, nimirùm in materiam & formam.

15 2.: quia D. Thomas in illo art. 5. q. 77. ideò negat materiæ reditum, aut creationem, *quia*, (inquit) *non rationabiliter videtur dici, quòd miraculosè aliquid accidat in hoc sacramento, nisi ex ipsâ consecratione, ex quâ non est quod materia creetur, aut redeat.* Unde sic arguo 1.: ex ipsâ consecratione non est, quòd quantitas loco materiæ constituat vermem: hoc ergo juxtà D. Thomam, non rationabiliter videtur dici. *Prob. Antec.*: cum quia id esset ponere veluti sequelam unius miraculi, nulli Philosophiæ principio repugnantis, miraculum aliud multò difficilius, & plerisque Catholicis incredibile, imò impossibile, quale est, quòd accidens sit pars substantiæ; quòd ex duobus actibus, aut formis, accidentali, & substantiali, fiat unum per se; quòd quantitas accipiat supernaturaliter potentiam naturalem, ex quâ forma substantialis educatur naturali virtute. Tum quia ex consecratione non est, quòd quantitas sine subiecto maneat, nisi ad occultandum sub alienâ specie

Cor-

corpus Christi Domini; hic enim est finis illius miraculi, quo accidentia sine subiecto conservantur: sed ad hunc finem nec est necessaria, nec utilis, continuatio istius miraculi, postquam desinit sacramentalis præsentia corporis Domini sub tali quantitate, & multò minus usque ad finem mundi, vel etiam in æternum in corpore glorioso, quod ex Sacramenti speciebus nutritum fuerit: ergo &c.

16 Argo 2.: ex ipsâ consecratione est, quod materia creetur creatione conversivâ: hoc ergo rationabiliter videtur dici, juxtà D. Thomam. *Prob. Antec.*: tum quia, ut expressè nos docuit suprà S. Doctor, species anteà consecratæ, debent postea converti in ea, ex quibus constat substantia, quæ nutritur, aut generatur ex illis. Tum quia ex consecratione est, ut fatentur omnes, quòd series corruptionum, & generationum naturalium perinde procedat, ac si substantia panis inibi existeret. Hinc autem sequitur 1., quòd ex corruptis accidentibus Eucharisticis debet generari vermis ejusdem speciei, ac generaretur ex pane corrupto, qualis certè non esset vermis quantitate constans loco materiæ.

17 Sequitur 2., quòd debet generari ab agentibus naturalibus, quæ certè generare non possunt, nisi ex subiecto naturaliter apto, cujusmodi est sola materia: quis enim probet, quod ajebat Froylan, quantitati dari potentiam naturalem ex suppositione miraculi? Quasi verò miraculum mutaret naturam & essentiam quantitatis; aut posset esse naturale, quod non est à naturâ, sed essentialiter pendet à providentiâ supernaturali. Sequitur 3., quòd, quidquid pro vermis existentiâ producitur, debet esse per actionem conversivam, imitando, quoad fieri potest, generationem ex pane corrupto. Sicut ergo, corrupto pane, quidquid deest ad existentiam vermis, fit per conversionem, ita quoque fieri debet in casu nostro: cumque in casu nostro ad existentiam veri vermis desit tam materia, quàm forma, debet utraque per conversionem fieri ex suppositione consecrationis.

18 Dum igitur negat D. Thomas, ex ipsâ consecratione esse, *quòd materia creetur, aut redeat*, excludit reditum, ideſt, reproductionem antiquæ materiæ panis, quia reproductio rei semel destructę importat novum miraculum non necessarium: excludit etiam creationem, non omnem, sed eam tantummodò, quæ ita fit ex nihilo, ut non dicat respectum ad terminum *à quo* positivum, qui proprius est conversionis. Dum autem Quodlibet. 9. art. cit. non approbat, *quòd destructis speciebus, aliqua materia à Deo ibi provideatur, vel per creationem, vel quocumque alio modo*; intelligendus est de quocumque alio modo à conversione distincto.

19 Si quæras, quid sibi velit D. Thomas, dum cit. art. 5. q. 77. 3. p. asserit, *quòd in ipsâ consecratione miraculosè dátur quantitati... , quòd sit primum subiectum subsequentium formarum. Hoc autem* (subdit) *est proprium materiæ*

*& ideò ex consequenti, datur quantitati omne illud, quod ad materiam pertinet. Et ideò quidquid posset generari ex materiâ panis, vel vini, si adesset, totum potest generari ex præditâ quantitate &c.* Et in respons. ad 1., *quòd, quamvis non sit ibi materia, ex quâ aliquid generetur, quantitas tamen dimensiva supplet vicem materiæ.* Et in respons. ad 2. & 3. „ quod quantitas, licèt retineat naturam accidentis, miraculosè tamen accipit *actum, vim, & proprietatem substantiæ.*

20 *Resp.* D. Thomas unicè vult, ut quantitas sit primum subjectum, non quidem receptivum formæ substantialis, aut constitutivum Compositi (nusquàm hoc asserit, imò apertè negat, ut vidimus circà nutritionem) sed conversivum, ideſt, fundans conversionem. Ratio: quia materia eatenùs fundat conversionem naturalem, quatenùs prævie recipit qualitates alterantes, ac disponentes ad introductionem novæ formæ, & expulsionem antiquæ: sed prævia hujusmodi alteratio perinde fit ac recipitur in quantitate Eucharistiæ, ac si materia panis esset ibi. Ergo, quoad hoc magnus, quantitas est primum subjectum subsequentium formarum, & illi datur ergo illud, quod ad materiam pertinet ut prævie disponibilem, seu alterabilem: item, in hoc munere supplet vicem materiæ, quamvis materia *non sit ibi*, scilicet in instanti vel tempore alterationis præparatis: item, ex eâ potest generari, quidquid posset ex materiâ panis, ly *ex* denotante subjectum tempore antecedenti præparatum; nam pro hoc tantùm munere accipit actum, vim, & proprietatem substantiæ. Patet interpretatio ex ipso D. Thomâ ibidem in respons. ad 3., ubi docet, ex quantitate fieri, non solùm novam substantiam, sed novum accidens; & in utrumque transire quantitatem illam, eo quòd habeat vim & proprietatem substantiæ. Certum est autem, novum accidens non fieri ex quantitate ut subjecto constitutivo, neque in hoc sensu quantitatem transire in illud.

21 Itaque ad mentem D. Thomæ productio vermis, quatenùs complectitur creationem materiæ, & eductionem formæ, quodammodò conversio est: quia vi illius desinunt species panis, velut terminus *à quo* positivus. Talis enim productio ponitur ex intentione occultandi mysterium, & continuandi seriem generationum juxtà exigentiam causarum naturalium, citrà novitatem sensibilem: & prout in his circumstantijs posita, exigit desitionem specierum panis, perinde ac si esset ibi panis corrumpendus. Imitatur ergo aliquomodò conversionem panis in vermem. Et quàmvis multùm differat à conversione omninò naturali, atque etiam à transubstantiatione; & fortasis non sit propriè conversio ex defectu subjecti, vel alterius rei communis utrique termino *à quo*, & *ad quem*: nihilominùs dici potest conversio analogicè, ac minùs propriè. Certè sic appellatur à D. Thomâ loco cit.; qui potest etiam videri in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2.

*Alia*

*Alia responsio confutatur.*

22 Hac igitur doctrina rejectâ, respondent Palanous cit. q. 13. num. 31. & seqq., & Mansus quæst. 14. n. 11., in eâ productione vermis præsupponi materiam tempore præexistentem, non in se, sed in substituto, videlicet in quantitate Eucharisticâ; quæ materiæ vices gesisit in recipiendo alterationem prævianı: & hoc sufficere dicunt ad eductionem formæ vermis, quàmvis hæc tunc fiat in primò instanti productionis aut reproductionis materiæ. Sed verò, cum productio vermis in tali eventu non tangat quantitatem præcedentem, nec exeâ formam educat, sed eam respiciat quasi circumstantiam extrinsecam, quomodò poterit inde reddi actio essentialiter diversa ab eâ, quæ sine tali circumstantiâ foret? Deinde, non præexistit verè & propriè, quod solùm in substituto præexistit; alioquin propriè diceretur existere substantia panis in Eucharistiâ. Jam ergo dari poterit eductio ex materiâ non verè & propriè præexistente in instanti antecedenti; ac proinde propriè loquendo falsum asseritis. Denique, illa quantitas solùm est vicaria materiæ in munere recipiendi qualitates alterantes: at hoc munus non est essentialiter requisitum ad eductionem, quæ, saltem Divinitùs, dari potest absque alteratione prævià, ut etiam naturaliter contingit in eductione lucis, & actuum vitalium.

23 Adde, quòd alteratio prævia non alio titulo ad eductionem requiritur, nisi ut materiam disponat, & ab eâ pellat qualitates contrarias. At in casu nostro alteratio prævia nec materiam disponit, cum in materiâ non recipiatur; nec ab eâ quidquam expellit, cum nihil præhabuerit materia illa, utpote nunc primò producta. Ergo istiusmodi alteratio, licèt suppositâ institutione mysterij per se requiratur ad generationem novi corporis, tamen non requiritur ex indole propriâ eductionis, quæ, dummodò adesset materia pro signo priori creata ex quocumque motivo, foret eadem actio, tametsi nulla talis alteratio præviisset. Mitto, quòd in quantitate Eucharisticâ nulla præit privatio formæ vermis; ac proinde jam datur Corpus *in fieri* non principiatum ex privatione.

# DISPUTATIO II.

## DE QUIDDITATE, ET EXISTENTIA Materiæ primæ.

NUNC nobis agendum est ex professo & singulatim de principijs intrinsecis Corporis naturalis, quæ proximâ Disputatione designavimus. Et, remissâ in Metaphysicam Privatione, de quâ interim satis est scire, quod est merum non esse formæ in subjecto capaci, incipimus à primâ basi Entis naturalis, quæ est Materia prima.

### CAP. I.
### AN SIT MATERIA PRIMA?

1. NOmine *materia prima* venit apud Peripateticos entitas substantialis, simplex, & incompleta, quæ rerum corporearum primum fundamentum est, & naturalium transmutationum primum subjectum. Hæc entitas subjicitur, sive substernitur alteri substantiæ pariter simplici, & incompletæ, quæ dicitur *forma substantialis*, & quæ compositum substantiale constituit in specie determinatâ, v.g. lapidis, aut arboris, estque prima radix proprietatum, & operationum ejusdem Compositi.

2. Dari in rebus physicis aliquod primum subjectum, quod est indifferens ad quamlibet formam substantialem, ex quo præsuppositò generantur corpora cujusque speciei, & quod in eorum interitu remanet; demonstrari solet his argumentis. 1. ex quotidianâ transmutatione corporum, quorum alia ex alijs fiunt, ut cùm ex ligno fit ignis, ex igne cinis, ex cinere terra, &c. In hac enim transmutatione semper ex corpore pereunte remanet aliquid, quod formam novi compositi subinduit, & cui proinde conveniunt omnia munera nuper dicta. Nam, si nihil est commune corporibus corruptis & genitis, utquid alijs alia succedunt quasi hæredum loco? Cur ignis non generatur, nec augetur sine pabulo? Vel cur tantum augetur, quantum lignei pabuli consumit? Huc pertinet analogia mutationum accidentalium: nam eadem aqua v. g. est, quæ de frigidâ transit in calidam, aut è converso. Item analogia rerum artificialium, quæ semper ex materiâ præsuppositâ fiunt, & in eamdem superstitem resolvuntur.

3. 2. (& est confirmatio præcedentis) ex nutritione viventium: ubi constat experientiâ evidenti, in primis, quòd alimentum non permanet incorruptum; ut ipsa ciborum decoctio, ac digestio manifestat: deinde, quòd aliquid ex alimenti substantiâ permanet in alito; non enim

enim alio fine cibos esurimus, & sumimus: postremò, quòd substantia ex alimento cocto ac digesto remanens, cum vivente unitur, sitque pars ejus, & ab animâ vivificatur; ut constat ex ipso viventium corporum incremento. Hinc autem planè concluditur, in animalium & omnium vegetantium pabulis dari aliquid substantiale, quod modò unius, modò alterius formæ subjectum fit, quod que pereunte uno composito non pereat, sed in alterum transeat. Est autem eadem in cæteris corporibus ratio, ut quisque videt.

4 3. ex interitu hominis, & cujuslibet animantis: ubi materia corporis mortui est eadem, quæ fuerat in vivo, & eadem ipsa varias deinde formas subinduit, ut cùm resolvitur cadaver in cineres, aut pulverem. Probatur hoc ex omnium consensu nationum, quæ mortuorum hominum non solùm ossa, sed cineres, viventium reliquias esse credunt. Quod autem apud omnes gentes ratum est, conferi debet naturæ dictamen, evidensque lumine naturali. Et quod Christianos attinet, eadem veritas omninò convincitur ex doctrinâ & praxi Ecclesiæ Catholicæ circà reliquias Sanctorum.

5 4. ex pugnâ perpetuâ naturalium agentium, v. g. ignis & aquæ. Cur enim hæc agentia, se se invicem per qualitates contrarias alterando, pugnant usque ad interitum debilioris, nisi ut subjectum obtineant, ex quo proprios generent effectus? Nullus alius apparet finis, aut fructus tantæ inimicitiæ. Nam mera compositi succumbentis anihilatio non est fructus naturæ impulsu dignus, siquid valet axioma illud, *Nullum agens intendens in malum operatur.* Nec propter angustias loci necessaria semper est destructio unius corporis, ut novum aliud producatur, si nihil ex antiquo permanere debet in novo. Sufficit enim, corpus antiquum loco cedere, & aliò migrare, vel se ipsum, aut circunstantem aerem comprimere. Accedit, quòd calor & siccitas, queis lignum alteratur ab igne, si lignum penitùs anihilare conantur, directè ac per se tendent in interitum sui, cum eæ qualitates simul cum ligno perire debeant ex defectu subjecti. Nihil autem per se ac directè sibi molitur interitum naturæ ductu.

6 5. (& quasi à priori) ex conditione ipsâ naturalium agentium, & universim omnis causæ creatæ. Nulla quippe causa secunda produxit suos effectus ex nihilo: quia productio ex nihilo, est creatio: creare autem solius est virtutis infinitæ, ut certum est Philosophis ac Theologis; qui similiter consentiunt, nulli causæ creatæ vim esse anihilandi quidquam. Hinc illa principia cunctis probata, si de causis secundis intelligantur: *Ex nihilo nihil fit*: &, *Nihil in nihilum abit.* Quidquid ergo producitur ab agentibus naturalibus, (ut certum est produci corpus omne, saltem sublunare) producitur ex aliquo præsupposito, cui nova forma superadditur; ut etiam quidquid corrumpitur, in aliquid resolvitur, quod amissâ priore formâ permanet. Hoc autem est primum sub-

subjectum, quò de loquimur, vel saltem illud infert necessariò. Si enim ex allo subjecto non componitur, jam est primum. Si verò componatur ex allo, rogo, an illud aliud præsupponat aliud ulterius? Si neges, jam illud erit subjectum primum. Si concedas, iterùm atque iterùm interrogaberis, donec in aliquo subjecto primo sistas: neque enim in infinitum procedere licet in serie causarum, præsertim materialium.

7 Argumenta hæc satis demonstrant, dari materiam primam secundum notionem primi subjecti, ex quo præsuppositio res omnis corporea generetur, & in quod postea resolvatur. Quo sensu nemo negavit hactenus materiam primam, nisi unus, aut alter, qui sectatores non habuit, nec habere meruit. Ajebat enim, omne corpus esse simplex, seu non compositum ex materiâ & formâ, ac proinde totum produci, dum generatur, totumque destrui, dum corrumpitur. Ideò autem non produci novum corpus, quin aliud pereat, quia, cum Deus ad initio totum Mundum repleverit corporibus, oporteat aliquod eorum de medio tolli, ut aliud ingrediatur. Atque in hoc ipso differre satis generationem à creatione; quia creatio nihil destruit, nec unum ens convertit in aliud; generatio verò semper convertit unum in aliud, quod substituit loco prioris, ac proinde vere dicitur productio ex aliquo præsuppositio, scilicet tanquam ex termino *à quo* purè extrinseco: & hinc etiam petendum corruptionis ab anihilatione discrimen.

8 Verum hoc nihil est dicere. 1.; quia hæc reipsâ conceditur causis secundis virtus creandi; siquidem suos effectus producunt ex nihilo totius entitatis, quin aliquod eorum initium, vel fundamentum præcedat. Nec obstat illa imaginaria conversio, vel terminus *à quo* prorsùs extrinsecus: nam simile quid accideret, si Deus statueret producere novum Angelum destruendo simul aliquem ex antiquis; quo casu daretur adhuc verè & propriè creatio unius, & anihilatio alterius. Adde, quòd illa necessitas destruendi prius aliquid propter spatij angustias, non variat modũ & indolem productionis: est enim mera circumstantia extrinseca, & accidentaria, quòd non possit haberi aliter spatium pro novo corpore locando.

9 Certè, stante hac doctrinâ, si Deus ignem poneret in vacuo, vel si stuppam, quæ destruenda erat ab igne agente, subtraheret incorruptam, & poneret extrà Mundum, vel si præsente igne condensaretur cera, seu oleum, & partem spatij præoccupati relinqueret: in his, inquam, casibus posset ignis novum ignem producere, quin aliud corpus destrueret: tunc autem nihil fingi potest, quo talis productio desineret esse creatio. Similiter, si in eodem momento, quo stuppa comburitur, aer circumstans ita dilaretur, aut rarefeat, ut spatium derelictum occupet, necessariò impediet productionem novi ignis; atque ita nullus jam supererit prætextus, ne destructio stuppæ dicatur anihilatio, cum nequeat vocari conversio, nec habeat terminum *ad quem*. Adde

præ-

præterea, quòd actio ignis, esto non sit creatio, erit actio creatione fortior: quia, præter laborem producendi ex nihilo, laborat etiam in superando contrarium, quod non sine resistentiâ perit.

10 2.: quia urgent adhuc reliqua argumenta supra facta. Urget primum: tum ex analogiâ mutationum accidentalium, & artificialium: tum quia, si combustio ligni, vel alius materiæ, solùm tendit ad locum evacuandum, cur ignis inde genitus quodammodò naturam sapit materiæ combustæ, ita ut modò sit densior, modò rarior, &c.? Idque, etiamsi antea spatium æquale præoccupaverint materiæ combustibiles, v. g. lignum & pyrius pulvis, vel sulphur & stuppa. Nonne hinc patet, ignem illum constitui ex aliquo rei combustæ, quod nonnullas ex præcedentibus qualitatibus vel retinet, vel imitatur?

11 Urget secundum ex nutritione desumptum; maximè cum etiam nutritio accommodetur, non loci spatio, sed qualitatibus alimentorum. Urget tertium de mortuorum reliquiis. Urget quartum de luctâ naturalium agentium usque ad interitum alterutrius. Nam, si præcisè ad evacuandum spatium necessaria esset destructio alicujus corporis, quoties unum corpus rarescit, deberet aliud destruere; quod tamen nemo Physicus admittat, cum constet „ aerem „ v. g. sæpe ita rarescere, ut longè majus, quàm antea, spatium occupet, quin ideò destruat alia corpora, sed tantum comprimat, & ad angustius spatium redigat.

12 Dices: nonne generatio, seu naturalis conversio definitur ab Aristotele *Mutatio totius in totum*? Ita quidem: sed Aristoteles addit, *nullo sensibili remanente ut subjecto eodem*, significans, manere subjectum aliquod, sed non eodem modo sensibile, quia cum formâ substantiali mutat etiam præcipuas qualitates, quibus sit sensibile. Dices iterùm: nonne D. Thomas negat, destructionem substantiæ panis in Eucharistiâ esse anihilationem? Negat quidem: sed, præter quàm quod aliter loquantur graves Theologi (quæ videtur quæstio vocalis), in Eucharistiâ manet aliquid destructæ substantiæ proprium, scilicet accidentia panis: at in conversione, quam ignis, nihil sive substantiæ, sive accidentis (quod naturaliter migrare non potest de uno subjecto in aliud adæquatè distinctum) manet ex corpore destructo.

13 Præterea, quidquid sit de nomine anihilationis, destructio, & conversio à te posita, est opus anihilatione difficilius. Tum quia duplicatum laborem importat, ut suprà notabamus in simili. Tum quia transubstantiatio, seu conversio totius substantiæ in aliam substantiam, est opus omninò miraculosum; ideòque in Eucharistiâ pro magno miraculo habetur ab omnibus Catholicis; & ipse D. Thomas 3. p. q. 75. art. 8. miraculum censet creatione majus.

14 Dices demùm: Angelus verè producitur ex nihilo, quamvis ex tali nihilo non constituatur intrinsecè: ergo pariter ignis, verè pro-

produci poterit ex aliquo, licèt ex tali aliquo non constituatur. In primis parùm curo de voce *ex aliquo*, prout à te accipitur: jam enim suprà ostendi, quòd ista productio ex aliquo, est quid majus, ac difficilius, quàm productio ex nihilo. Deinde probavi quoque, juxtà tua principia contingere posse, ut ignis ab alio igne producatur sine ullius rei destructione, ac proinde sine isto *ex aliquo*. Postremò, cùm dicitur creatio esse productio ex nihilo, non sumitur *nihilum* categorematicè, seu instar extremi cujusdam, sed sincategorematicè, prout idem sonat, ac *non aliquid*: quare perinde est produci *ex nihilo*, ac *ex nullo subjecto*, vel *ex nullâ sui parte præsuppositâ*. Hoc autem omninò propriè verificatur de igne producto in tuâ hypothesi, quantumvis alio sensu dicatur produci *ex aliquo*.

14 Hac igitur doctrinâ rejectâ, Philosophi omnes veteres, ac moderni statuunt aliqua rerum semina, vel initia, quæ nec generentur, nec corrumpantur, & ex quibus primis omnia corpora fiant, tamquam ex subjecto subeunte varias rerum facies, ac formas. Cæterùm in declarando, quidnam illud sit, mira fuit veterum discordia. Omissis enim eorum Philosophorum placitis, qui circà primam rerum materiam quasi per ænigmata locuti sunt; alij unum, alij duo ex quatuor Mundi Elementis, alij omnia simul, alij vagas atomos, in primâ rerum structione substernunt. Has, & alias veterum opiniones cum suis Authoribus, referunt Conimbricenses in cap. 7. Lib. 1. Physic. quæst. unic., & Eximius Doctor disp. 13. Metaph., ubi simul eas validè confutat. Nunc ijs refellendis non immoramur; cum omnes hodiè ab Scholis exulent, omni probabilitate destitutæ, si duas tantummodò excipias.

15 Quarum altera est, quæ pro materiâ primâ, imò pro totâ naturalium rerum substantiâ, statuit atomos, vel insensilia corpuscula, ex quibus in varias portiones distractis tota resultet Corporum varietas, per solam varietatem situs, coordinationis, ac plexus, absque aliâ formâ superadditâ; non aliter, ac ex lapidibus, lignis, &c., variè dispositis, varia artis opera fiunt. Sic hodiè philosophantur Cartesiani, & Atomistæ, quorum doctrinam fusiùs expositam, & refutatam habes in Dissertat. præliminari. Altera est, quæ materiam Mixtorum corporum esse dicit quatuor elementa vulgaria, ignem, aërem, aquam, terram, inter se commixta, & contemperata. Ita plures, præsertim ex Medicis.

16 Verùm hæc opinio, si elementa ipsa concedat esse composita ex materiâ, & formâ substantiali realiter distinctis, non negat materiam primam Peripateticam; talis enim erit materia, ex quâ elementa componuntur. An autem Mixtum, præter formam propriam, includat etiam formas elementorum, difficultas est alius loci. Si verò dicta opinio elementa velit esse corpora simplicia: tunc, vel negat in Mixtis formam substantialem absolutam, vel eam agnoscit. Si primum: recur-

rit

rit cum opinione Aromistarum, & ijsdem incommodis subest, impugnabiturque magis disp. 4., cùm formam substantialem probaverimus. Si secundum: elementa ipsa erunt materia prima, quam intendimus, quoad prædicata præcipua, cum sint substantia simplex, incompleta, & primum subjectum omnis Compositi, & formæ substantialis.

17 Nihilominùs hæc opinio, etiam sic intellecta, reijci debet: quia elementa non esse corpora simplicia, demonstrant experimenta obvia, de quibus in tract. de Element. Admittenda est igitur materia prima, quæ sit substantia simplex, & incompleta, & non sit aliquod ex corporibus, quæ seorsùm existere videmus, & experimur.

## CAP. II.

### *Definitur Materia prima: & quædam ejus attributa, ac proprietates explicantur.*

1 MAteriam primam trifariàm explicat Philosophus. 1. à simili: ait enim cap. 7. hujus libri text. 69., materiam primam ita se habere ad substantiales formas, sicut æs, aut lignum ad artificiales. Nimirùm, sicut æs, aut lignum de se est quid rude, & informe, indifferens tamen, ut varias ab arte figuras accipiat, fitque vel statua, vel mensa, vel aliud artefactum: ita materia prima, saltem sublunaris, de se est informis quædam, & imperfecta substantia, quę à formis substantialibus, nunc his, nunc illis, perficitur, evaditque in lapidem, aut aurum, aut plantam, &c.. Hæc tamen analogia quædam est, non identitas, aut similitudo perfecta; cum in multis differant materia & forma naturales ab artificialibus, ut ex dicendis apparebit.

2 2. à negatione: nam 7. Metaph. cap. 3. text. 8., *Materia*, inquit, *secundùm se, non est quid, nec quantum, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur*: .. *neque utique negationes*. Non est *quid*, id est, non est ens completum, seu compositum substantiale, quod solum Aristotelicâ locutione dicitur absolutè *quid*, & *hoc aliquid*. Non est *quantum*, id est, non est quantitas: solet enim Aristoteles, cùm de accidentibus loquitur, concreta sumere pro abstractis. Non est *aliquid eorum*, &c., id est, non est ullum ens eorum, quæ in decem Prædicamentis numerantur; quia neque est ullum accidens, nec substantia Prædicamentalis, cùm non nisi substantia completa directè pertineat ad Prædicamentum Substantiæ: vel potiùs illa verba sic intellige, ut materia non sit ulla forma substantialis, nec accidentalis; nam formæ istæ sunt, quibus ens determinatur ad hanc, aut illam speciem physicam. Denique non est *negationes*, aut privationes istorum entium, quia est entitas positiva.

3 Quàmvis autem via negationis non tam explicet, quid res sit, quàm quid non sit; juvat tamen quodammodò ad cognitionem rei, præsertim valde imperfectæ: sicut è contrario Deus ob summam perfectionem solet etiam negativè

describi, ut cùm dicitur non corporeus, non mortalis, non finitus. Idcircò Magn. Augustinus 12. Confess. cap. 3., materiam etiam per remotionem explicans, à Deo se doctum asserit, quòd materia pro priori ad formam *Non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omninò nihil*: ubi omnia clara sunt, dummodò illud *non corpus* intelligas juxtà descriptiones Corporis in Proœmio datas; vel etiam de Corpore trinè dimenso; materia quippe secundùm se non exigit determinatas dimensiones, quamvis fortè quantitatem radicet.

4 3. ab affirmatione, seu definitione positivâ: sic enim ait cap. 9. hujus Lib. text. 82.: *Materiam dico, quod rei cujusque subjectum est primum, è quo insito non ex accidenti aliquid oritur, & in quod, si quidpiam interit, ultimum abeat.* Est igitur materia prima primum subjectum cujusque Corporis naturalis, ex quo *insito*, idest, intraneo, & intra Compositum permanenti, fit aliquid *non ex accidenti*, idest, non aliquid accidentale, ut album, sed aliquid per se, sive totum substantiale: atque in hoc subjectum abit, seu definit quidquid interit; est enim incorruptibile, & res varias successivè componit. Hinc orta est vulgaris illa materiæ primæ definitio, *Primum subjectum, ex quo fit aliquid eum insit primò & per se, & non secundum accident.*

5 Sed, quia hæc definitio à Philosophis Corpuscularibus aptatur etiam atomis, aut corpusculis, non aliam formam expectantibus, nisi coordinationem, situm, & plexum: ideò, juxta Systema Peripateticum, clarius definitur materia prima sic: *Substantia incompleta, sive partialis, apta constituere Corpus naturale* (nempe *Totum substantiale corporeum*) *cum aliâ substantiâ incompletâ, tamquàm primum subjectum.* Hæc ultima verba explicant differentiam materiæ primæ à formâ substantiali; cætera discernunt ipsam ab omni accidenti, privatione, & composito.

### *In quo stet ratio* Subjecti *pertinens ad essentiam metaphysicam Materiæ primæ?*

6 RAtio dubitandi est duplex. Altera: quòd non illicò appareat cur materia potius, quàm forma, dici debeat subjectum: non enim materia recipit formam, ficut vas aquam; nec eam subinduit, ficut corpus vestem; sed materia formæ; & forma materiæ unitur intrinsecè per intimam communicationem, quæ supponit omnimodam penetrationem localem utriusque; nec minus proprie materia complet formam, quàm è converso. Cur ergo materia præ formâ subjectum est? Altera dubitandi ratio sumitur à multiplici acceptione *subjecti*.

7 Nam aliud est subjectum puræ denominationis, aliud adhæsionis, aliud inhæsionis, aliud sustentationis, aliud puræ receptionis, aut informationis. Ex his primo & secundo improprie convenit nomen sub-

*subjecti*, cæteris propriè. Singula autem sic explicantur. Quàmvis omne subjectum sit *denominationis*, quia semper denominationem aliquam à formâ trahit; non tamen est subjectum *puræ denominationis*, nisi illud, in quod aliqua denominatio refunditur à formâ impropriâ, id est, ab extremo vel non intrinsecè unito, vel non verè distincto, vel aliàs gerente munus subjecti propriè talis. Exempla habes, cùm Deus denominatur à cognitione nostrâ cognitus, vel à peccato offensus, vel à propriâ sapientiâ sapiens; vel cùm feritas dicitur leonina, vel intellectus Angelicus. Hùc etiam reduci potest subjectum *prædicationis*.

8 Subjectum *adhæsionis* est, cui aliqua modalis entitas sic adhæret, ut tamen non propriè sit ejus complementum, nec ab eo tamquam à causâ materiali pendere possit. Sic modus creationis adhæret Angelo, & unio hypostatica Verbo Divino. Sed de hujusmodi subjecto alibi sermo redibit. Subjectum *inhæsionis* est, quod materialiter causat aliquod accidens, & ab eo intrinsecè afficitur, ut aër respectu lucis. Subjectum *sustentationis* est, quod materialiter causat complementum sui substantiale, cui proinde veluti basis est, & fundamentum præsuppositum, ideòque illud sustentare dicitur, v. g. materia animam equi. Quid sit *causare materialiter*, dicemus disp. 4., & iterùm tract. 2. Forma accidentalis etiam à subjecto sustentatur: sed usus obtinuit, ut illius subjectum dicatur *inhæsionis*, relicto nomine *sustentationis* subjecto formæ substantialis.

9 Denique subjectum *puræ receptionis*, aut *informationis*, est, quòd ab aliâ entitate, quam nullo modo causat, nec sustentat, intrinsecè completur per unionem intimam, ac penetrativam. Sic materia est subjectum animæ rationalis. Sed quia descriptio ista convenit etiam animæ nostræ respectu materiæ, quæritur, cur hæc præ illâ sit *informationis* subjectum? Et quæstio locum habet in quovis composito, sive substantiali, sive accidentali, per unionem intrinsecam formæ, & subjecti constituto: nam in quolibet datur subjectum *receptionis*, aut *informationis*, quàmvis non *puræ*, sed conjunctæ cum *inhæsione* vel *sustentatione*; à quâ tamen præscindi potest subjectum formæ lapidis, vel albedinis v. g., prout *informatum* à tali formâ. Sunt, qui confundant *receptionem* cum *sustentatione*; ideòque negent, animam rationalem in corpore *recipi*. Sed communior usus pro eodem accipit *recipere*, & *informari*. Ne tamen de voce litigem, de subjecto *informationis* loquar. Quæritur ergo conceptus aliquis communis omni subjecto *informationis* per ordinem ad formam, tùm substantialem, tùm accidentalem.

10 Missis aliis conceptibus, qui varij à varijs proponuntur, hic videtur esse satis aptus: *Entitas in aliquo genere incompleta, potens constituere Totum aliquod per unionem intrinsecam & penetrativam cum alterâ comparte item incompletâ, quæ sit præcipua differentia physica distinctiva Totius resultantis.* Hæc explicatio & convenit omni ac soli

subiecto receptivo, sive informabili, ut inductione patebit: & satis communiter approbatur à nostris Recentioribus quoad sensum, licèt quoad verba non nihil differant; ut cùm ajunt, formam esse, *quæ tribuit præcipuam denominationem, & insigniora prædicata compositi ut talis*; subiectum verò, *quod ea prædicata participat ab aliâ comparte*: item, subjectum esse, *quod operationum compositi principium est magis passivum, quàm activum*; formam verò, *quæ oppositò modo se habet*: item, formam esse, *quæ compositum in esse talis ultimò & præcipuè determinat, ac denominat*; subiectum verò, *quod non gerit id muneris*. Hę, inquam, explicationes (quæ semper supponunt partes realiter distinctas, & incompletas) cum nostrâ consonant: quia quidquid attribuunt subiecto & formæ, ex eo provenit, quòd forma præ subiecto sit præcipua differentia physica Totius resultantis. Præterea explicatio nostra commendatur 1. ex illo axiomate, *Actus est, qui distinguit*. Cujus sensus est, quòd actui, sive formæ convenit esse præcipuum compositi distinctivum: unde ex adverso proprium erit potentiæ, vel subiecti, vel partis materialis, non ita distinguere compositum.

11 Commendatur 2.: quia sic aptè congruit subiecto verbum *recipere*, vel *suscipere*, quod idem sonat, ac *superinductum aliquid continere, esse id cui aliquid donatur, vel in quo aliquid est*: quâ de causâ dicitur forma esse in subiecto, non subiectum in formâ; anima in corpore, non corpus in animâ; lux in aëre, non aër in luce. Congruit, inquam, aptè: quia forma est quasi tessera, vel character compositi: tessera autem, symbolum, insigne, character, aut nota, per se ordinantur, ut sint in aliquo, ei que tribuantur, non è converso. Congruit item subiecto *informari, & actuari*, id est physicè perfici, determinari, ac figi in aliquâ certâ specie entis compositi, & specialiorem ejus denominationem subire: hoc enim præstat semper alteri comparti pars illa, quæ est præcipua differentia physica Totius; ut etiam in materiâ & formâ metaphysicis, ideſt, in genere & differentiâ, conspicitur. Congruit denique verbum *subjici*: quia præcipua differentia quodammodò prædominatur, saltem in ordine ad denominandum, & ad mensurandum indolem, & perfectionem compositi, vel concreti ut talis. Atque ex hujusmodi subiectione ac prædominio provenit, quòd forma dicatur *pars formalis*, subiectum verò *pars materialis*.

12 Sed *objic.* 1.: in hoc Toto *Christus* præcipuum distinctivum est Verbum Divinum; quod tamen non est forma. *Resp.*: Verbo non convenit explicatio nostra, ut quæ exigit ad rationem formæ, ut sit entitas incompleta: Verbum quippe nullam habet incompletionem. Est tamen Verbum eminenter forma, quatenùs eminentiori modo supplet absentiam subsistentiæ creatæ. Hinc Humanitas non est subiectum Verbi, quia subiectum ut tale dicit ordinem ad compartem aliam incompletam.

13 *Objic.* 2.: possibilis est materia prima, ex se determinata ad

unicam formarum speciem, qualis à multis censetur materia cœlestis: talis autem materia foret distinctiva sui compositi, sicut forma; cum tamen verè subiectum esset informabile. *Resp.*: ejusmodi materia foret quidem distinctiva compositi, sed non per modum præcipuæ differentiæ physicæ: semper enim præcipuè attendenda esset forma ad dignoscendam indolem, & naturam Totius. Unde, si materiæ cœlesti (datâ illa sententiâ) per possibile vel impossibile uniretur forma terræ, compositum inde resultans magis censeretur terra, quàm cœlum: & è converso, si terrestri materiæ uniretur forma cœlestis.

14 *Objicies* 3.: subiectum in compositis accidentalibus frequenter est pars nobilior, & præcipua, v. g. rationalis anima nobilior est intellectione, quam recipit ut formam. *Confirm.*: hęc concreta, *lac album*, *nix alba*, inter se differunt, non per formas, sed per subiecta. *Resp.*: non intendimus, ut forma semper sit pars entitativè præcipua, sed solum ut sit præcipua differentia, sive id, ex quo pręcipuè sumitur discrimen unius compositi ab aliis. Hoc autem discrimen, imò & nobilitas compositi ut talis, semper desumitur à formâ, licèt accidentalis sit, & ignobilior subiecto: ideoque, si homo intelligat clariùs, quàm Angelus, denominatio *intelligentis* perfectior erit in homine, quam in Angelo: & ejusdem speciei erit in utroque, si præstetur ab intellectionibus ejusdem speciei. Ad *Confirm.*: lac, & nix, differunt quidem, prout sunt composita substantialia, sed non prout subiecta sunt denominationis *album*, si albedo sit ejusdē intensionis: ad hoc enim munus de materiali se habet diversitas intrinseca subiectorū.

15 Ex dictis inferes, non esse de ratione propriâ subjecti ut informabilis, saltem prout præscindentis à composito substantiali, & accidentali, 1., quòd sit indifferens ad formas specie diversas: nam hoc etiam convenit quibusdam formis, ut Gratiæ, quæ de se indifferens est ad hominem aut Angelum: & præterea potest dari subjectum non ita indifferens, ut materia cœlestis juxtà plures. 2., nec quòd prioritatem habeat respectu formæ, saltem in prævisione Divinâ, ut corpus respectu animæ rationalis: nam præscindendo à prioritate, salvari potest ratio propria formæ, & subjecti *informationis*, ex dictis: neque est cur repugnent forma & materia sic inter se commensuratæ, ut in eodem signo concreari debeant.

16 3., nec quòd subjectum nullatenùs denominet, sed denominetur, nec perficiat, sed perficiatur: nam etiam materia formam denominat *completam*, & eam perficit, quatenùs eam in statu sibi bono & connaturali esse facit; & formæ accidentales plerùmque videntur magis perfici à subjecto, quàm illud perficere: quamquàm, si sermo sit de perfectione propriâ & specificâ compositi ut talis, semper ea provenit vel unicè, vel magis à formâ, quàm à subjecto. 4., nec quòd subjectum sit aut esse possit subjectum sustentativum, seu materialis causa formæ, vel saltem

tem unionis : tum quia ex dictis, præscindendo à causalitate materiali, & à potentiâ ad illam, intelligi potest ratio subjecti receptivi, sive informabilis : tum quia, si unio humana crearetur, materia foret subjectum informationis, quin materialiter causaret formam, nec unionem. Dices, ideò fore, quia, licèt non causaret unionem, adhuc posset & connaturaliter deberet illam causare.

17 Sed contrà 1. : quia, si potest exerceri potentia informabilis, quia exerceatur potentia sustentativa propriâ causæ materialis, signum est, quod altera formaliter distinguatur, & præscindi potest ab alterâ. Sic in homine potentia intellectiva præscinditur à volitivâ, quia potest homo actu intelligere, quin actu velit. Sic etiam in materiâ potentia recipiendi dispositiones accidentales non est formaliter potentia recipiendi substantialem formam, quia potest hæc sine illâ saltem Divinitus exerceri. Et generatim, ubi dantur exercitia lineæ diversæ, & realiter separabilia (cujusmodi sunt exercitia informationis, & sustentationis), potentias argumt formaliter distinctas. Contrà 2. : quia non est unde repugnet compositum, cujus non solum forma, sed etiam unio creari debeat, vel à forma sustentari connaturaliter.

18 Jam verò, ut ad materiam primam redeamus, ad illam contrahitur communis ratio *subjecti*, tum *sustentationis*, tum *informationis* (ut nunc omittamus rationem *subjecti inhæsionis*, quæ etiam illi convenit respectu accidentium) per rationem *subjecti primi*, seu non supponentis aliud, nec ex eo constituti. Et, ut ad Dubium propositum n. 6. respondeam, assero, *ad essentiam metaphysicam materiæ primæ pertinere rationem primi subjecti informationis in composito substantiali, tamquam differentiam primariam, & specificam.* Itaque materia prima, saltem sublunaris, quæ de facto datur, verè est subjectum generationis compositi, quatenùs est subjectum sustentativum vel formæ, vel saltem unionis: verè item est tempore, vel naturâ prior, saltem unione, quoties compositum generatur; est item subjectum *inhæsionis* accidentium : est etiam indifferens ad varias formas : est demùm pars entitative imperfectior, magisque perfectibilis, quàm perficiens. Verùm hæc solùm pertinent ad essentiam physicam materiæ, tamquam prædicata secundaria, seu proprietates metaphysicæ. Primaria verò, & specifica differentia stat in ratione subjecti propositâ.

19 De cæteris nunc enumeratis non est dubium. De ratione subjecti receptivi, & sustentativi unionis substantialis, dissentit cum aliis P. Peynado hic disp. 2. sect. 2., in eâ statuens differentiam essentialem materiæ à formâ. Sed contrà hoc Assertio nostra probatur : quia ratio subjecti *informationis* in primis discernit materiam à formâ : nam, licèt materia præscindatur ab omni alio munere, seu potentiâ, non convenit cum formâ in esse *informabilis*. Deindè explicat immediatum ordi-

nem

nem ad compositum, cum idem formalissimè sit materiam *informari*, & *constituere* compositum: hic autem ordo primarius est in materiâ, utpotè quæ propter compositum intrinsecè constituendum tota est.

20 Explicatur, & urgetur: potest in materiâ præscindi potentia informabilis à potentiâ sustentativâ unionis, ut nuper vidimus, & fatetur P. Peynado n. 27.; potestque realiter inveniri exercitium informationis sine exercitio sustentationis, ut concedit P. Peynado pro casu, quo unio humana crearetur. At pro tali casu, præscindendo à potentiâ sustentativâ, materia verè differt à formâ per illud exercitium, & per potentiam ad illud, ut videtur evidens; nam qualitercumque explicetur subjectum *informationis*, in homine solum corpus informatur, & sola anima informat: ergo potentia informabilis satis discernit materiam à formâ. Aliunde est potentia principalior, quàm sustentativa, cum immediatiùs respiciat compositum, & hoc sine illâ & ejus exercitio nunquam possit intelligi, possit autem aliquando sine exercitio sustentativè, ut in casu dicto. Nihil igitur deest, ut sit formalitas differentialis primaria & specifica.

21 Sed *obijc.* P. Peynado: materia, juxtà Aristotel., est *Primum subjectum, ex quo fit aliquid*, nempe compositum: verbum autem *fit* non denotat præcisè, quòd materia sit pars intrinseca compositi, nam id ipsum æquè convenit formæ: denotat ergo, quòd compositum ex materiâ generetur. Sed compositum non aliter ex materiâ perpetuò generatur, nisi ratione unionis, siquidem materia ipsa nunquam generatur, & forma non semper, ut patet in homine. Ergo materia eatenùs est id, ex quo fit compositum, quatenùs est subjectum, ex quo unio generatur, seu educitur, & in quo proinde recipitur, ut in subjecto sustentationis. *Confirm.* 1.: quia Philosophi cum Aristotele sæpe materiam, ut à formâ distinctam, appellant *subjectum generationis Totius*, quasi hoc sit notissimum ejus prædicatum. *Confirm.* 2.: quia voces *subjectum*, & *subjici*, dum materiæ applicantur, sonant subjectionem passivam & sustentativam: ait enim Aristotel. 2. de Gener. text. 53., *Pati, & moveri, materiæ est.*

22 *Resp.* ad *object.* Verbum *fit* in definitione Aristotelicâ idem sonat, ac *constituitur*, sive *componitur*: quod quidem fateor convenire pariter formæ: sed nego, quòd per illud explicetur differentia materiæ à formâ: hæc quippe differentia denotatur per illa verba *Primum subjectum*, quæ alioquin superflua forent, si ratio subjecti exprimeretur per verbum *fit*. Sensus ergo definitionis est, materiam esse id, *ex quo tamquam ex primo subjecto constituitur compositum*. Supereſt dubium, de quâ ratione *subjecti* sermo sit: & nos dicimus esse de subjecto *informationis*; quod non impugnat Peynado.

23 Ad 1. *confirm.*: fateor, illud esse prædicatum materiæ notissimum quoad nos, qui materiam primam quasi à posteriori primùm novimus ex naturali rerum transmu-

mutatione. Sed hoc non probat, esse prædicatum præcipuum, & primarium: nam etiam materia passim appellatur à Philosophis *Principium corruptionis*; & Aristoteles in descriptione, quam dedimus num. 4., materiam dicit esse *subjectum, in quod si quidpiam interit, ultimum abit*: imò videtur hoc esse prædicatum omnium notissimum; nihil enim de materiâ magis novimus, quàm quòd sit aliquid residuum ex interitu & corruptione rerum: & tamen nemo dicet, hoc esse prædicatum materiæ primarium, ac differentiale. Ad 2. *Confirm.*: illæ voces possunt quidem sonare subjectionem passivam & sustentativam; sed non necessariò, nec primariò, dum materiæ applicantur; tunc enim, nisi aliud constet, præferenda est subjectio informabilitatis. Est etiam materiæ proprium *pati & moveri* per generationem; sed non est differentia ejus specifica.

### *An potentia immediatè receptiva formæ distinguatur à materiâ primâ?*

24 QUidquid est propriè subjectum, & compositi pars materialis, eo ipso potentiam habet formæ receptivam (hoc nomine præcipuè intelligo potentiam informabilem): quare materiæ sine dubio convenit ejusmodi potentia. Sed Authores aliqui voluerunt, materiam ex se solùm esse potentiam radicalem, & remotam, exigereque, & radicare potentiam aliam realiter distinctam, per quam formas recipiat. Verùm, quòd materia per se ipsam potentia sit immediatè receptiva formæ, communiter asseritur in omni Scholâ. Quamvis enim materia per dispositiones accidentales constituatur proximè potens formam recipere, & sine illis dicatur tantùm remotè potens; quia tamen dispositiones istæ sunt mera conditio & præparatio *sine quâ non*, & non mediant per modum potentiæ vel subjecti unibilis ad formam; ideò non tollunt ab entitate materiæ immediationem potentiæ receptivæ. Sic ignis non dicitur proximè potens comburere lignum, nisi habeat applicationem localem; quæ tamen non est potentia, seu virtus combustiva, sed mera conditio.

25 Probatur ergo breviter communis sententia: quia ex actu & potentiâ fit unum per se, sive compositum substantiale, quin aliud extremum requiratur, ut omnibus est in confesso: sed unum per se non fit sine entitatibus formæ & materiæ, ut etiam est certum: ergo entitates istæ sunt per se ipsas, altera actus, altera potentia: & sicut forma est actus immediatè informativus, ut nemo dubitat, ita materia est potentia immediatè receptiva, & informabilis. Certè, non minùs materia definitur per rationem *potentiæ*, vel (quod idem est) *subjecti*, quàm forma per rationem *actus*; & unaquæque ad alteram æquè ordinatur ut incompleta in suo genere: cur ergo magis identificabitur cum formâ ratio *actus*, quàm cum materiâ ratio *potentiæ*?

26 *Confirm.* 1.: potentia rea-

realiter ſuperadditæ, vel recipitur in materiâ, vel non? Si primum: jam ergo materia per ſe ipſam eſt potentia immediatè receptiva illius potentiæ ſuperadditæ: quo poſito, nulla ratio ſupereſt negandi, quòd per ſe ipſam ſit immediatè receptiva formæ. Si ſecundum: ergo talis potentia ſuperaddita, reipſâ eſt primum ſubjectum, & materia prima. *Confirm.* 2.: potentia ſuperaddita nequit eſſe ſubſtantia: tum quia foret alioquin forma ſubſtantialis, ſiquidem in materiâ reciperetur; vel ſi non reciperetur, foret materia prima, ut modò dixi: tum quia, cum eſſet immediatum extremum unionis ad formam, pertineret ad eſſentiam compoſiti, quod proinde, præter materiam, formam, & unionem, aliam ſubſtantiam includeret. Aliunde nequit eſſe accidens: quia deberet conſtituere ſubſtantiale compoſitum, ut nunc ajebam; & *Ex non ſubſtantijs nequit fieri ſubſtantia*, juxtà Ariſtotelem, cui omnes conſentiunt.

27 Probationes iſtæ præcipuè reſpiciunt potentiam informabilem, ſeu immediatè unibilem cum formâ. De potentiâ autem ſuſtentativâ, ex quâ educuntur formæ ſubſtantiales, quis dubitet? Sanè potentia hæc non eſt accidens: non enim accidenti convenit ſuſtentare ſubſtantiam, ſed è converſo. Si autem dicatur eſſe potentia ſubſtantialis realiter diſtincta à materiâ; erit quædam ſubantialis forma, quam materia recipit, ac ſuſtentat: & cur materia non idem præſtet erga cæteras formas? Vel, ſi non recipitur in materiâ, potentia illa erit *primum ſubjectum generationis compoſiti*, quod eſt nomen proprium materiæ primæ.

28 Objectiones, quæ hic fieri ſolent, facilè ſolves, ſi notes ſequentia. 1.: licèt potentia receptiva dicat ordinem, imò ſit ordo ad formam, non ideò eſt relatio prædicamentalis, ſed ſolùm tranſcendentalis; & hæc cum re abſolutâ identificari poteſt, ut patet in formâ, quæ etiam perſemetipſam ordinatur ad materiam. Item, non omnis potentia pertinet ad Prædicamentum qualitatis, ſed illa tantùm, quam aliunde conſtet eſſe accidens, & à quantitate diſtingui. 2.: potentia materiæ non deficit, nec variatur entitativè ſumpta: quàmvis enim materia, dum formam actu poſsidet, jam non dicatur eſſe *in potentia* ad illam, quia locutio hæc connotat privationem; potentiam tamen abſdubiò retinet; ſicut qui ambulat, retinet potentiam deambulandi. Nec ad formas deſtructas, licèt naturaliter irreproducibiles, amittit materia potentiam, quam habebat: quia potentia iſta vel ſolùm reſpiciebat eas formas ſecundùm ſe, vel nonniſi ſub conditione, quòd deſtructæ non eſſent. Item, licèt materia per unam formam ſit impedita ad alias, verè tamen eſt potens ad illas in ſenſu diviſo; nec tunc dicitur *remotè* potens ex defectu potentiæ immediatæ, ſed tantùm ex defectu diſpoſitionum, ex n. 24.

29 3.: quàmvis cauſa activa fortaſsis agat per potentias accidentales à ſe diſtinctas, non eadem eſt ratio in cauſâ paſsivâ formæ ſubſtantialis: quia hujus cauſæ potentia debet ſuſtentare ſubſtantiam, &

constituere unum per se substantiale. Unde constat etiam dispariras ad potentiam receptivam qualitatum, si materia non eas recipiat immediatè, sed mediâ quantitate, ut communiter asseritur.

*An eadem potentia sit etiam de quidditate metaphysicâ materiæ primæ?*

30 SEd quæres adhuc, an potentia receptiva, sive informabilis, non solùm realiter identificetur cum materiâ, sed pertineat etiam ad ejus essentiam metaphysicam? Affirmo cum communi sententiâ Nostrorum, & Thomistarum contra Scotistas, quos citat, & sequitur Mastrius hic disp. 2. q. 5. art. 5. *Prob.* Differentia essentialis & metaphysica materiæ primæ consistit in ratione primi subjecti ut informabilis. Constat hoc, tum ex definitione materiæ primæ; tum quia non aliud est prædicatum primarium, quo materia differat à formâ pro omni eventu, & sub quocumque composito consideretur, ut vidimus à n. 18. ad 20. Atqui ratio ista primi subjecti est formaliter potentia receptiva, sive informabilis: ergo &c. *Prob. Min.*: quia talis potentia nihil est aliud, quàm aptitudo materiæ, ut uniatur formæ tamquam præcipuæ differentiæ physicæ Totius: hæc autem aptitudo est de conceptu formalissimo primi subjecti *informationis*, ut suprà vidimus. Huc etiam facit paritas formæ, cujus ad essentiam pertinet ratio *actus*.

31 Dices ex Mastrio, faris differre materiam à formâ ex eo, quòd sint *principia exigitiva aptitudinis ad aliud constituendum, unus per modum partis potentialis, & alia actualis*. Sed *contrà* est, quòd juxta Mastrium, unio substantialis non sit inter eas aptitudines formaliter superadditas, sed immediatè inter essentias materiæ, & formæ: ergo essentiæ istæ per se ipsas sunt immediatè unibiles, atque adeò immediatè per se ipsas aptæ ut uniantur. Consequentia videtur evidens: implicat enim immediatè uniri, nisi quod est immediatè unibile, seu immediatè aptum ut uniatur: sicut implicat immediatè videri, quod non est immediatè visibile, & aptum ut videatur. Atqui tales essentiæ non immediatè uniuntur, nisi per modum subjecti & formæ, ut nemo dubitat: ergo per se ipsas habent aptitudines characteristicas subjecti & formæ, quas aptitudines appellamus *potentiam & actum*.

32 Urgetur: compositum, juxtà omnes, essentialiter constituitur ex actu & potentiâ: sed non constituitur, nisi ex extremis unionis substantialis: ergo actus & potentia sunt extrema talis unionis. At ejusmodi extrema non sunt, nisi essentiæ formæ & materiæ, juxtà Mastrium: ergo essentiæ istæ sunt formaliter actus & potentia. Certè nemo dicit, compositum fieri ex *principiis exigitivis* potentiæ, & actus, sed ex ipsis *actu & potentiâ*.

33 Duo obstat Mastrius. 1.° quòd essentia materiæ est quid absolutum, potentia autem est quid respectivum: sed absolutum prius intelligitur, quàm relativum: prius ergo de-

debet intelligi materia constituta in se per sua essentialia prædicata, quàm intelligatur potens recipere formam. 2. quòd aptitudo in universum supponit rem, cujus est, in suo esse quidditativo constitutam, & ab eâ fluere, & manare dicitur. Sed instatur utrumque. 1. in immediatâ inhabilitate, quæ pariter est quid respectivum, veraque aptitudo; & tamen est ipsa essentia materiæ. 2. in conceptu entitatis partialis, qui formaliter imbibit respectum aptitudinis ad aliam compartem, & ad Totum; & tamen est de quidditate materiæ, juxtà Mastrium. 3. in potentiâ remotâ, seu aptitudine radicali, exigente potentiam proximam formaliter distinctam: nam illa quoque respectiva est, & aptitudo est. Negat Mastrius, quòd sit aptitudo positiva; quia potentia proxima est idem realiter cum essentiâ materiæ; nihil autem dicitur esse in potentiâ ad se ipsum, vel capax sui ipsius. Sed hoc est confundere sensum formalem cum reali. Essentia materiæ, juxtà Mastrium, in sensu formali distinguitur à potentiâ proximâ: ergo potest sic concipi talis essentia positivè capax potentiæ proximæ, quia concipiatur capax sui ipsius. Similiter verum est, quòd nihil est potentia remota & radicalis ad se, nec principium exigitivum sui: & nihilominùs hæc prædicata tribuit Mastrius quidditati materiæ relatæ ad potentiam proximam. Nec dici potest, quòd illa potentia remota est mera non repugnantia, & capacitas præcisiva: cum hoc enim minimè cohæret *radicare, exigere*, ac *reddere sibi debitam* potentiam proximam; quæ munera concedit Mastrius potentiæ remotæ.

34 Præterea *resp. ad* 1.: tam essentia materiæ, quàm ejus potentia, est quid absolutum, prout absolutum contraponitur modali, & relativo prædicamentali; & simul utraque est quid relativum transcendentaliter. Unde non debet altera alteram præsupponere. *Ad* 2. negatur assertum: quia plura sunt, quorum esse quidditativum in aptitudine ipsâ consistit; ut nominatim patet in instantijs adductis. *Replic.*: absolutum est formaliter ad se; relatio autem, etiam transcendentalis, est habitudo ad aliud: sed implicat, quòd idem formaliter sit ad se, & ad aliud; quia esset ad se & non ad se, ad aliud & non ad aliud: ergo &c. Verum hoc probat distinctionem realem materiæ à suâ potentiâ; nè aliòquin materia in sensu reali sit ad se & non ad se, ad aliud & non ad aliud. Deinde redeunt instantiæ superadductæ.

35 Præterea nullum ens creatum ita est absolutum, ut excludat respectum transcendentalem: nam saltem debet esse formaliter ens *ab alio*; & *abaseitas* est formaliter respectus ad primam Causam. Nullum ergo est ad se, *adseitate* excludente habitudinem transcendentalem. Denique materia non aliter dicitur esse ad se, nisi 1. *adseitate* oppositâ modalitati, & prædicamentali respectui: 2. *adseitate* commoditatis, quia per habitudinem ad formam procurat formaliter suum commodum: 3. *adseitate* perfectatis, propriâ subs-

tantiæ, quia est pars compositi per se subsistentis. At adseitates istæ sunt imbibitæ formaliter in ordine ipso transcendentali primi subjecti ad formam, & compositum; ut patebit considerandi.

36 Hactenùs de potentiâ materiæ ut informabilis. De potentiâ verò sustentativâ tum accidentium, tum formæ substantialis educibilis, vel unionis, dicendum est, identificari quidem realiter cum materiâ, sed esse proprietates metaphysicas, seu prædicata tantùm secundaria, non pertinentia ad quidditatem ejus specificam. Ratio est, quia præscindendo à potentijs hisce, potest intelligi quidditas propria materiæ, & munus primi subjecti ut condistincti à formâ, ut suprà ostendimus, præsertim num. 20.

*Quædam alia attributa, & proprietates Materiæ primæ.*

37 EX hucusque dictis colligitur 1., materiam primam esse substantiam (& quidem non modalem, sed absolutam; alioquin eadem materia non esset indifferens ad varias formas): tum quia constituit intrinsecè compositum substantiale: tum quia, si esset accidens, in subjecto reciperetur, & non foret ipsa primum subjectum. 2. esse substantiam simplicem, idest, non compositam ex formâ & subjectos alioqui non esset primum principium. Hoc tamen non prohibet esse compositam integraliter ex particulis continuativè extensis, seu non penetratis in eodem loco (more particularum hujus papyri), quarum in qualibet salvari potest essentia materiæ. 3. esse substantiam incompletam, idest, intrinsecè ordinatam ad constituendum Totum cum aliâ comparte substantiali.

38 4. esse ingenerabilem, & incorruptibilem: quia generatio est *productio rei ex præsupposito subjecto*; corruptio verò, *desitio rei permanente subjecto*: quarum neutra locum habet in entitate simplici, quæ primum subjectum est; ut per se patet. Est ergo materia prima solùm creabilis, seu per creationem producibilis à solo Deo. Est item à Deo creata, non ab æterno, sed in tempore, sive initio temporis, ut Fides docet: & quidem ab ortu Mundi creata fuit tota, quanta est in rebus; si illam excipias, quæ ad novas ex corruptis Eucharistiæ speciebus generationes demùm creatur. Est demùm anihilabilis, non quidem à causis creatis, quæ non possunt quidquam anihilare; sed à solo Deo suspendente concursum creativum. Quia tamen Deus nullam substantiam destruit, juxtà Providentiam ordinariam, nili ad exigentiam alterius rei; & nulla res exigit defectum materiæ, utpotè quæ nulli nocet, sed omnibus se subjicit, & omnia complectitur: idcircò materia censetur naturaliter inanihilabilis, & æterna *à parte post*.

39 5. esse substantiam corpoream; quia est prima basis, & fundamentum Corporis naturalis, & non potest naturaliter à quantitate separari. 6. esse *puram potentiam* in li-

finea physicâ : quia nullum actum physicè informativum secum identificat ; alioquin non differret ab omni formâ per suum conceptum specificum. Sed de celebri attributo *puræ potentiæ* inferiùs sermo redibit. 7. esse principium passivum, ideſt, subjectum *inhæsionis*, & *sustentationis*: quas proprietates materiæ simul cum alijs indicavimus suprà n. 18.

40 Nunc addimus, ita esse principium passivum, ut ferè non sit activum. Tum quia rerum naturalium activitas provenit à formis, cum pro varietate ipsarum varietur. Tum quia, si materia concurreret activè ad operationes compositorum, quæ successivè subintrat, nimis extenderetur ejus activitas, esſetque major, quàm formæ cujuslibet ; quod omnibus absurdum est. Nihilominùs materia radicat quantitatem in sententiâ satis probabili, nec non propriam subsistentiam: causat item suam ubicationem, atque etiam durationem, si hæc in modo superaddito consistat. Sed quia causalitates hujusmodi non tam dicuntur actiones, quàm emanationes, aut resultantiæ ; ideò diximus materiam *ferè* non esse activam.

41 8. esse substantiam valde imperfectam : quod colligitur, tum ex defectu activitatis ; tum quia præcipua, & nobiliora prædicata compositorum clarè proveniunt à formis, quibus deficientibus, aut variatis, omninò deficiunt, aut variantur. Ideircò ab antiquis vocatur *fex substantiarum*, *umbra*, *tenebræ*, *chaos*, *informitas*, *non-ens*: quæ tamen, & alia hujusmodi, hyperbolicè sunt intelligenda ; cum ex dictis constet, materiam esse entitatem positivam substantialem. Cautiùs S. Augustinus, cum sæpe materiam appellet *propè nihil*, simul advertit, *non* esse *omninò nihil*.

42 Nec solùm est quid positivum, sed etiam quid perfectius quolibet accidenti, saltem materiali. Est enim in genere substantiæ absolutæ, licèt forsan in gradu infimo: quare vincere debet ea, quæ sunt generis accidentalis, utpote inferioris, juxtâ illud axioma, *Supremum infimi non attingit infimum supremi*. Nec obstat, quòd accidens sit *actus*, & materia sit *pura potentia* : quia & ibi ratio *actus* deprimitur per additum *accidentalis* ; & hic ratio *potentiæ* extollitur per additum *substantialis*, nec expers est omnis actualitatis, ut citò videbimus. Dum autem S. Augustinus 12. Confes. cap. 7. materiam vocat *propè nihil*, & id, *quo inferius nihil est* ; loquitur, non intra genus entis ut sic, sed intra genus substantiæ absolutæ. An materia perfectione cedat omni formæ substantiali, dicemus inferiùs.

43 Denique materia dici solet *unicum principium mutationis*, seu *generationis*, & *corruptionis*: quo non aliud significatur, nisi quòd inter partes compositi constitutivas sola materia est, quæ, propter suam aptitudinem & indifferentiam ad varias formas, aditum sponte aperit dispositionibus contrarijs, quibus paratur nova generatio, & præhabitæ formæ corruptio. Unde modò dicitur *formarum mater*, & *commune gremium* ; modò *nouerca*, & *adulte-*

*ra.*

ra. Ex indicatis hactenùs attributis & proprietatibus constat, quàm immeritò Cartesiani, & Atomistæ materiam primam Peripateticam dicant esse merum spectrum, imaginarium, & phantasticum, vel esse quid pure metaphysicum, & abstractum, cujus nulla datur explicatio physica.

44 Nunc pro terminorum usu notabis sequentia. 1. Materia, quà de loquimur, vocatur *permanens*, & *intrinseca*, ad discrimen materiæ *transeuntis*, & *extrinsecæ*, quo nomine intelligitur compositum præexistens, ex quo pereunte fit aliud, ut ignis ex ligno. 2. Vocatur etiam materia *prima*, ad discrimen materiæ artefactorum, quæ dicitur materia *secunda*. Totum compositum dicitur quoque materia *secunda* respectu accidentium, maximè si hęc in toto composito recipiantur. 3. Materia, alia dicitur *ex quâ*, alia *in quâ*, alia *circà quam*: quæ divisio non tam plures materias denotat, quàm plura ejusdem materiæ: nam in physicis eadem materia est, *ex quâ* fit compositum, *in quâ* recipitur forma, & *circà quam* operantur agentia naturalia.

*An, & quatenùs Materia prima sit cognoscibilis?*

45 COgnoscibilitas idem est, ac veritas transcendentalis, quæ, cum sit passio entis, non potest non competere materiæ primæ, utpotè veræ entitati. Quare materia cognoscibilis est quidditativè, & intuitivè ab Angelo, & maximè à Deo, qui non posset illam creare, nisi clarè, ac distinctè præcognitam. A nobis etiam cognoscibilis est, abstractivè quidem, sed tamen directè, idest, conceptibus terminatis ad materiam ipsam, tanquam ad objectum proprium, ac verificativum: nec enim aliò tendunt conceptus hactenùs recensiti circà essentiam & attributa materiæ. Nec obstat, quòd à nobis pro hoc statu cognoscatur per species, non proprias, sed haustas ex accidentibus, quæ sentimus. Nam id ipsum nobis accidit in cognitione substantiæ cujuscumque, solùmque probat, cognitionem esse abstractivam.

46 Nec item obstat, quòd materia sit essentialiter relativa, ideòque non possit cognosci, nisi relatè ad formam. Nam aliud est, quòd relativum non cognoscatur sine termino relationis; aliud, quòd non cognoscatur verè ac directè: imò tunc verè cognoscitur sicuti est, cùm cognoscitur in ordine ad terminum. Quid ergo (inquis) sibi volunt Aristoteles, D. Thomas, & alij, dum ajunt, materiam non esse cognoscibilem ratione sui, sed tantùm per formam? Sanè D. Thomas 1. p. q. 15. ar. 3. ad 3., *Materia*, inquit, *secundùm se, neque esse habet, neque cognoscibilis est*. Ibi quoque negat, quòd materia habeat ideam in Deo aliam ab ideâ compositi. Et D. Augustinus 12. Confes. cap. 5. suadet, ut humana cogitatio conetur materiam *vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo*.

47 *Resp.* Dum materia dici-

citur incognoscibilis secundùm se, aut ratione sui, sensus est exclusivus; quasi dicatur, *ratione sui solius*, vel *secundùm se solam*. Nam, cum ejus essentia, & differentia metaphysica, consistat in respecta transcendentali ad formam, ut suprà ostendimus contrà Scotistas; nunquam potest cognosci, etiam ab Angelo, vel à Deo, cum præcisione à tali respectu, ac proinde sine cognitione formæ, tam quam termini relationis. Fateor, idem esse dicendum de formâ, quando cognoscitur sub ratione *actus*: sed quia forma potest etiam cognosci sub conceptu *primæ radicis* proprietatum & operationum compositi (qui conceptus etiam est formæ proprius, & non explicat respectum ad materiam); potior est ratio, ut materia dicatur tantùm cognoscibilis per formam, tamquam per terminum relationis, quàm è converso.

48 Est & alia ratio, cur materia dicatur non cognoscibilis quoad nos, nisi per formam: quia conceptum specificum, ac discretivum de materiâ formare non possumus, nisi formam omnem removendo; neque enim aliter explicabilis est conceptus *primi subjecti informabilis*, vel *puræ potentiæ receptivæ*, ut patet ex suprà dictis: debet ergo priùs aliquomodò concipi forma, ut deinde per remotionem ejus cognoscatur materia. Atque hoc incendit D. Augustinus verbis allegatis, suadens, ut materia noscatur *ignorando*, idest, cogitatione removendo formam; & ignoretur *noscendo*, idest, non cogitetur materia esse objectum illud, quod noscitur esse forma. Unde cit. Lib. cap. 6. sic ait: *Suadebat vera ratio, ut omnis formæ qualescumque reliquias omninò detraherem, si vellem prorsùs informe cogitare.* Et Lib. de Natur. boni cap. 18. dicit, *Materiam per nullam speciem, sed per privationem omnis speciei cogitari vix posse.* Ideam materiæ non negat D. Thomas, sed vult, ut non sit distincta ab ideâ compositi; quia sentit, non aliam esse in Deo ideam Totius, & ideam partium, quando hæ non possunt naturaliter existere seorsùm. Videatur S. Doctor q. 3. de Verit. ar. 5.

## CAP. III.

### *Utrùm Materia prima propriam existentiam habeat?*

1 EXistentia vocatur illa realitas, per quam res quælibet formaliter & ultimò discernitur à nihilo, & à re purè possibili; vel, quod eòdem redit, per quam formaliter ponitur extrà suas causas, per quam actualiter est in rerum naturâ, seu per quam immediatè & propriè verificat verbum *est*: unde pro eodem accipitur *esse* rei, & *existentia* rei. Quòd materia prima verè existat, dum compositum actualiter constituit, non est dubium. An verò existat per existentiam partialem sibi propriam, distinctamque ab existentiâ formæ, famosa quæstio est inter Thomistas, & reliquos Philosophos. Nam Thomistæ contendunt, materiam



nullam habere existentiam, sed existere in composito per existentiam à formâ mutuatam; ita, ut,

ut, licèt in compositò sit duplex essentia, seu quidditas partialis, altera materiæ, altera formæ; existentia tamen sit unica, & simplex, quæ à formâ dimanans, totum compositum existere faciat, materiamque simul & formam reddat existentes. Ex adverso Nominales, Scotistæ, & Authores nostri, cum Doctorib. Subtili, & Eximio, quibus adhærent Averſa, Spinula, Murcia, & cæteri extra Scholam Thomistic., materiam primam propriâ existentiâ gaudere defendunt, sicuti gaudet essentiâ propriâ. Hanc sententiam libenter amplectimur.

## §. I.
### *Prænotanda quædam.*

2 SEd ante probationem, *prænotandum* est 1., nullam in præsenti supereſſe quæstionem, si velimus insistere indistinctioni reali essentiæ cujuslibet à suâ existentiâ, quam in Metaphysicâ tuentur Nostri cum Scotistis. Si enim essentia omnis, dum actu producitur, sui ipsius existentia est per identitatem realem, evidenter sequitur, quòd materia, quæ propriam essentiam habet juxtà omnes, propriam etiam habet existentiam. Nec te moveant, quę in contrariam prolixè disputat M. Manso hic q. 8. contra sensum omnium, etiam Thomistarum. Omnia quippe in eo fundantur, quòd sententia identificans existentiam cum essentiâ rerum, debeat intelligi de essentiâ actuali, non de potentiali; proindeque non debeat comprehendere essentiam materiæ, quæ solùm est potentialis.

3 Ne, inquam, hoc fundamento movearis. Nam quæstio de identitate essentiæ cum existentiâ, sine dubio loquitur generatim de qualibet entitate positivâ, quæ verè producitur, verèque extrahitur à virtute causarum, verè discernitur à nihilo, atque ita ponitur in rebus, ut jam non sit in statu meræ possibilitatis: quæ omnia certissimè conveniunt essentię materię, quantumcùmque *potentialis* appelletur. Nec in eâ quæstione Authores, sive negantes, sive affirmantes, aliud intelligunt nomine *essentiæ actualis*, quàm *essentiam non merè possibilem*; ideòque *actualitatem* accipiunt ut contrapositam *possibilitati*, seu *potentiæ objectivæ*: quo sensu essentia materiæ *actualis* est citrà dubium. Quæ autem opponit ille Author, sive à ratione, sive ab authoritate, facilè dilues ex dicendis circà existentiam materiæ.

4 Cæterùm, quidquid de re istâ sit, in præsenti non insistimus doctrinæ generali de identitate essentiæ cum existentiâ; cum nobis argumenta suppetant peculiaria, quibus probetur existentia materiæ propria, præscindendo ab ejus identitate cum essentiâ, vel etiam distinctione permissâ. Et verò, quòd præscindi possit (quidquid dicat Manso q. 7. n. 22.), patet: quia nihil prohibet, quæstionem institui sub his terminis: *Utrùm, præscindendo ab eo, quòd essentia omnis sit, vel non sit existentia sui, possit aliunde probari, quòd materiæ competat existen-*

tia propria? Tunc autem, si ego affirmem, ineptè mihi oggeres argumenta petita ex distinctione inter essentiam, & existentiam: nam sicut ipse cedo juri meo argumentandi ex capite identitatis, ita æquum est te cedere juri, siquod habes, ex capite distinctionis. Sed, ut liberaliùs agamus, gratis permittimus, vel supponimus pro quæstione præsenti distinctionem realem inter essentiam & existentiam.

5 *Prænot.* 2., quæstionis esse inter Thomistas, An materia prima habeat actum metaphysicum? alijs negantibus, quos citat & sequitur Collegium Complut., seu M. Bayona, & quibus etiam adhærent Manso, & Aguilera: alijs affirmantibus, quos citatos sequuntur Illustrissimus Palancus, & Froylanus. Nomine *actus metaphysici* non omnes idem intelligunt; ideóque magnâ ex parte lis est de voce, ut benè notat Bayona. Communiter intelligitur eo nomine differentia essentialis, quâ contrahitur ratio generica: quia, sicut genus in lineâ metaphysicâ dicitur *potentia*, ita differentia dicitur *actus*, saltem si positiva sit. Quo sensu non est cur materiæ negetur actus metaphysicus.

6 Nam ratio *substantiæ incompletæ*, vel ratio *partis*, & *principij intrinseci* Corporis naturalis, est ratio generica, & univoca materiæ & formæ, ut patebit applicanti conditiones Univocorum in Logicâ traditas: contrahitur autem ad materiam per rationem *primi subjecti*, quæ ratio, licet à nobis explicetur per negationem formæ, utique positiva est, cum consistat in aptitudine physicâ suscipiendi formas. Sic differentia *irrationalis*, quâ genus *animal* contrahitur ad Brutum, positiva est, quamvis negativè significetur. Et mirum esset, quòd ratio communis positiva contraheretur per puram negationem: deberet enim cum eâ realiter identificari.

7 Nec obstat, quòd materia sit *informitas sine ullâ specie*, ut ait S. Augustinus: & quòd *carere omni specie, sit illi pro specie*, ut ait Commentator. Hæc enim vera sunt de *specie* sumptâ pro formâ physicâ, seu pro specie Entis completi: & illud *carere* sumitur fundamentaliter, scilicet pro ratione *primi subjecti*, fundante carentiam identitatis cum omni speciè, ideſt, formâ. Nec item obstat, quòd dici solet, speciem, & actum metaphysicum desumi à formâ physicâ. Hoc enim locum habet in specie entis compositi, & physicè completi. Pariter dici solet, quòd genus, & potentia metaphysica sumitur à materiâ: & tamen forma non caret prædicatis genericis entis incompleti.

8 *Prænot.* 3., Thomistas etiam inter se dissidere super actu „ entitativo materiæ. Actus autem „ entitativus, ut explicat Bayona, „ est ille, quo res, quæ anteà erat „ nihil, modò est aliquid: & hujus„ modi actus est duplex; alter exis„ tentialis, quo videlicet res ponitur extra causas; alter essentialis, „ quo nimirùm res, prout distinguitur ab existentiâ, est actu ens, „ actualis realitas, & actuale subjectum, in quo recipitur existentia.

Sic ille. Sed hoc discrimen inter actus entitativos, essentialem, & existentialem, non facilè capies. Quomodò enim actus ille, quo res est actu ens, & actualis realitas, poterit esse alius ab actu, quo res ponitur extra causas? Eadem est difficultas, si dicatur cum aliis, actum entitativum esse, qui respondet potentiæ objectivæ. Nihilominùs plures Thomistæ, quos citat Bayona, rejecto actu existentiali, materiæ concedunt actum entitativum: eademque videtur esse mens eorum, qui quoddam esse viale & initiale agnoscunt in materiâ pro priori ad formam, ut posteà videbimus. Alij tamen, quos Bayona citat, & sequitur, actum entitativum materiæ negant. Nobis hæc quæstio seorsim agitanda non est: quia vix differt à quæstione de existentiâ materiæ; quæ si semel probetur, nemo Thomista de actu entitativo dubitabit.

## §. II.

### *Probatur existentia Materiæ propriæ ex capite prioritatis.*

9 PRima nostræ sententiæ probatio fulcitur ex prioritate naturæ quâ materia verè præcedit formam, v. g. igneam, ut vera causa materialis, intelligiturque informis pro signo priori, ut omnes consentiunt. Unde sic arguitur. Materia pro signo priori ad formam verè existit; sed non per existentiam formæ: ergo per existentiam sibi propriam. Consequentia recta est, etiam apud Thomistas; & Minor constat: quia pro illo signo nec intelligitur existentia formæ præhabitæ, v. g. igneæ, nec existentia formæ in eo instanti producendæ: non prima; quia conjungerentur in eodem instanti existentiæ formarum ligni & ignis, quod naturaliter impossibile est: non secunda; quia existentia formæ intelligi nequit in signo, in quo nondum forma intelligitur; & alioqui materia prius reciperet existentiam formæ, quàm formam, & hæc esset effectus suæ existentiæ.

10 Major ergo probatur multipliciter. 1.: materia præcedit formam ut vera causa materialis ipsius: ergo præcedit existens. *Prob. Conseq.*: de ratione veræ causæ physicæ (cujusmodi est causa materialis) est, quòd ab illâ per se pendeat, & oriatur existentia effectus; sed existentia effectus per se oriri nequit ab eo, quod existentiam non præhabet, ut patet exemplo causæ efficientis: ergo &c. Si dicas cum Thomistis, causam efficientem debere præexistere, quia destinata est, ut det *esse* effectui; non ita causam materialem, quæ potiùs tendit, ut accipiat *esse*. Impugnaberis ex P. Peynado: quia causa materialis univocè convenit cum efficienti in ratione causæ definitæ à D. Thomâ, ut tenent Lerma, Prado, Froylanus, & alij Thomistæ, nec dissentit Collegium Complut. q. 9. ar. 1. §. 2., & q. 10. ar. 1. §. 1., statuens, rationem causæ saltem verè & propriè convenire materiali.

11 At de ratione causæ propriè talis est destinari ad dandum *esse* effectui. Probatur hoc ex D. Thomâ, tum 2. Physic. lect. 10. dicente,

re, Causam esse, *ad quem sequitur esse alterius*: tum Opusc. 31., ubi *Causa*, inquit, *solum dicitur de illo principio, ex quo consequitur esse posterioris*: & continuò subdit: *Unde dicitur, quòd causa est id, ex cujus esse consequitur aliud.* Ibidem docet, quòd, quando aliquid movetur de albedine in nigredinem, albedo est principium illius motus, sed non est vera causa, quia *albedo non est id, ex cujus esse consequitur esse posterioris.* Plane igitur sentit, omnem veram causam ita destinari ad dandum *esse* effectui, ut hoc *esse* sit posterius, & subsequutum ex *esse* causæ. Non solum ergo causa efficiens, sed materialis etiam, necessariò habet *esse* pro priori ad effectum.

12 2.: materia pro priori ad formam terminat actionem Dei creativam: ergo existit. *Prob. Conseq.* tum quia *Omnis actio activæ potentiæ terminatur ad esse*, ut docet D. Thomas q. 1. de pot. ar. 3. corp.. Tum quia creatio est productio rei ex nihilo: ergo quod terminat creationem, jam recessit à nihilo, atque adeò excludit suum *non esse*; quod certè non excluditur, nisi per *esse*. Tum quia omnis causa efficiens communicat suis effectibus existentiam, ideòque juxtà omnes debet existentiam præhabere, ne alioquin det quod non habet; sed Deus per actionem creativam exercet munus causæ efficientis circà materiam: ergo materiæ communicat existentiam per talem actionem. Tum demùm, quia quod actu creationem terminat, actu producitur ac ponitur in rerum naturâ, nec jam est in potentiâ objectivâ, nec in statu possibilitatis, nec intrà virtutem causæ: quis autem hæc verificari concipiat de re nondùm existente?

13 3.: de materiâ pro signo priori verificantur propositiones affirmativæ de tertio adjacente, quæ prædicatum important positivum, contingens, physicum, & inhærens, hæ v. g., *Materia est actualiter producta, est proximè potens recipere formam, est applicata localiter agenti extrinseco*: sed propositiones ejusmodi requirunt existentiam subjecti, ita ut ex ijs benè inferatur propositio de secundo adjacente (sic v. g., *Materia est proximè potens, Ergo materia est*) ut omnes Logici ac Philosophi supponunt: ergo &c..

14 4.: materia pro signo priori appetit formam, exigit, ac sibi naturaliter debitum facit concursum Dei ut naturæ Authoris, quo formæ complementum accipiat: cognoscitur etiam à Deo per scientiam visionis. Hæc autem sine actuali existentiâ stare non possunt. Nam appetitus, & exigentia naturalis, cui debeatur concursus Dei, rebus non existentibus non convenit; quia, quod nondùm est, nihil exigit. Scientia item visionis non nisi ad existentiam rerum terminatur, ad discrimen scientiæ simplicis intelligentiæ, ut Theologis certum est. 5. denique subjectum accidentium debet præexistere, juxtà Thomistas; sed materia pro priori ad formam ignis, est subjectum accidentis: ergo &c. *Prob. Min.*: quia materia pro illo priori recipit, vel est proximè potens reci-

pore *passionem*, cum hæc sit causalitas, quâ materia causat materialiter ac passivè formam: *passio* autem est accidens, juxtà Thomistas.

15 *Respondent* 1. satis communiter Thomistæ, quos sequuntur Carmelitæ Complut., & M. Froylanus: materiam pro priori ad formam non existere in facto esse; existere tamen vialiter, in fieri, & in egredi; quia est velut in viâ, & tendentiâ ad existendum; & licèt sit extrà causam efficientem, nondum est extrà omnes suas causas, cum nondum sit extrà causam formalem, nempe formam. Quare, juxtà doctrinam istam, materia pro signo priori, nec est in statu possibilitatis, nec adhuc in statu existentiæ, sed in statu quodam medio inter aliquid & nihil, vi cujus jam incipit recedere à nihilo, sed nondum pervenit ad aliquid. Hanc responsionem validè impugnant Bayona, & Palancus. Et, siquis rectè consideret, repetitione probationum nostrarum refellitur assatim, cum omnes re ipsâ probent existentiam veri nominis, sive in facto esse.

16 Præterea *rejic.* 1.: quia materia pro signo priori non tantùm vialiter, sed omninò terminat actionem creativam, quæ certè non terminatur ad formam materialem, cum hæc genita, non creata sit: Deus etiàm non intelligitur vialiter creans materiam, sed potiùs omninò exercens omnem influxum activum, qui ad materiam terminari potest, cum solùm superfit formæ generatio, seu eductio, quæ non terminatur ad materiam. Jam igitur habet materia quidquid suis effectibus dat causa efficiens, & creans. Sed munus causæ efficientis, & præcipuè creantis, est dare suis effectibus existentiam, ut passim tradit D. Thomas, & nemo negat: ergo &c. Quòd autem materia pro signo priori non sit extrà causam formalem, gratis dicitur: non enim materia causam formalem habet propriè talem in lineâ physicâ: alioquin haberet consequenter causam materialem, foretque composita ex materiâ & formâ. Et quidquid de hoc sit, planè repugnat, quòd causa efficiens functa sit munere suo circà aliquam entitatem; & tamen illi non dederit existentiam.

17 Dicunt, creationem materiæ pro priori ad formam esse actionem incompletam, & quasi pendulam, donec compleatur per productionem formæ, & existentiæ ipsius. Sed *contrà*: creatio materiæ, vel habet alium effectum, præter materiam ipsam, vel non? Si primum: talis effectus erit forma, vel existentia formæ: unde utraque, vel altera, denominabitur *creata*; cumque aliunde sit *educta*, simul erit educta & creata, simulque producetur ex aliquo & ex nihilo; quod absurdum est. Si secundum: ergo talis creatio plenè obtinet pro signo priori totum suum effectum: quomodò igitur erit actio pendula, & incompleta? Aliter: creatio illa terminatur ad aliquam existentiam; nisi falsò dixerit D. Thomas, *Omnis actio activæ potentiæ terminatur ad esse*: sed non terminatur ad existentiam formæ; nisi hæc absurdè dicatur educta simul & creata: ergo terminatur ad existentiam materiæ propriam. *Rejic.*

18 *Rejic.* 2.: quia illud *esse* viale, & inchoatum, jam est aliqua actualitas de lineâ entis, siquidem vi illius jam materia non est in purâ potentiâ objectivâ, jamque potentia hæc aliquatenùs reducitur ad actum. At in hujusmodi actualitate instantur argumenta Thomistica, ex eo desumpta, quòd materia sit pura potentia. 3.: quia inter contradictoria non datur medium: sunt autem ex terminis contradictoria, *esse* & *non esse*, *aliquid* & *nihil*. Hoc etiam docet D. Thomas 2. cont. Gent. c. 19. n. 2. dicens: *Inter esse & non esse, quæ sunt quasi extrema creationis, non potest esse aliquod medium.* 4.: quia repugnat *esse* reale, quod nullum habeat contradictorium: tale autem foret illud *esse* medium: non enim ejus contradictorium esset nihil, nec aliquid; quia medium inter duo extrema, neutri contradictoriè opponitur. 5.: quia ideò in materiâ pro priori ad formam ponitur illud *esse* viale, ne forma dicatur produci ex nihilo. Si autem illud *esse* ita non est nihilum, ut nondum sit aliquid verè ac propriè, tam verè dicetur forma non fieri ex aliquo, quàm non fieri ex nihilo; ac proinde nec erit educta, nec creata.

19 *Respondet.* 2. Collegium S. Thomæ, seu M. Bayona, materiam pro priori ad formam intelligi existentem per existentiam ipsius formæ, quam præcedit, eo quòd illam præcedat priorirate, non *in quo*, sed *à quo*. Prioritas *in quo*, juxtà ipsum, est ordo inter duo, quorum unum ita infert aliud, ut possit intelligi sine illo: quo sensu Sol est prior illuminatione, quia potest intelligi, quin actu illuminans intelligatur. Prioritas *à quo* est ordo inter duo, quorum unum infert aliud, sic tamen, ut sine illo non possit intelligi. Hoc modo Pater in Trinitate prior est Filio, sine quo in nullo signo intelligi potest: & actus Dei liber, sicut etiam Scientia visionis, est causa prior effectu creato, à quo præscindi nequit. Materia igitur præcedit formam & ejus existentiam prioritate tantùm *à quo*; quia nequit ab existentiâ formæ præscindi: quare pro signo priori jam intelligitur cum eâ existentiâ, & per illam redditur existens. Nec inde sequitur, quòd existentia formæ sit causa formæ; quia non intelligitur in signo causæ tamquàm ratio formalis causandi (hæc enim ratio est sola entitas materiæ), sed tamquàm conditio necessariò concomitans, ut materia sit proximè potens causare. Nec item sequitur, quòd existentia præcedat formam: quia est mera conditio, dependens à formâ ipsâ: & conditio dependens ab effectu, licèt intelligatur in signo causæ, non præcedit effectum.

20 Hæc doctrina vehementer displicet aliis Thomistis, ideòque validè oppugnatur à Froylano & Palanco. Nunc satis impugnabitur sic. Materia pro signo priori intelligitur præscindens à formâ, & ejus existentiâ: ergo præcedit prioritate *in quo*, prout hæc à Bayonâ explicatur. *Prob. Antec.* 1.: *Materia informis præcedit formam, non duratione, sed naturâ*, ut sæpe docet D. Thomas, v. g. 1. p. q. 66. ar. 4.: ergo

Illa-

materia in signo priori intelligitur *informis*. Sed implicat, quòd intelligatur *informis*, quin præscindatur à formâ : ergo &c.. Vel aliter : Materia præcedit *informis* ; sed non informitate privativâ : ergo informitate præcisivâ. Hoc sensu præcisivo D. Augustinus 12. *Confess.* sæpe dicit Mundum ex materiâ informi formatum : *v. g.* cap. 15., *Erat, inquit, informis materies, ubi propter nullam formam nullus erat* : & cap. 19. *Verum est, omne, quod ex informi formatur, prius esse informe, deinde formatum.*

21 *Prob. 2. Ant.* : non minor est ratio, ut materia præscindatur à formâ, quàm ut Sol ab illuminatione. *Prob.* : causa tanto magis ab effectu præscindit, quanto majorem indifferentiam habet, ideòque ubi causa indifferens est ad varios effectus, ab eis pro signo priori præscindit omninò à præcisione, ut patet in potentiâ liberâ Voluntatis. Atqui materia magis est indifferens ad formas, quàm Sol ad illuminationem ; Sol enim connectitur cum determinatâ illuminationis specie ; materia verò, licet cum aliquâ formâ vagè connectatur, est omninò indifferens ad varias formarum species : ergo &c.

22 *3.* in ortu Mundi, forma terræ, *v. g.* educta fuit ex materiâ tum primùm creatâ, vel saltem educi potuit, ut fatetur Bayona. Tunc autem materia pro priori ad formam & ad omnes dispositiones, intelligitur à Deo creata, & non purè possibilis, sed existens ; nec exigit in eo signo formam hanc præ illâ, sed solùm ipsi debetur concursus Dei ad aliquam formam vagè recipiendam. Quæ omnia concedit Bayona hic q. 3. ar. 5. n. 175. *Edit.* ex. Nunc sic : materia pro illo priori non intelligitur existens per existentiam formæ : ergo per propriam. *Prob. Antec.* : non primis per existentiam formæ determinatam, aliunde neque per indeterminatam & vagam : ergo &c. Constat Major : quia implicat materiam intelligi indifferentem ad aliquam formam vagè recipiendam, in signo, in quo jam intelligitur cum existentiâ determinatæ formæ ; ut per se clarum est, & in mille exemplis obvium, *v. g.* in signo Petratis ad amorem & odium, vel etiam in exemplis à Bayonâ productis pro suâ prioritate *à qua*. Constat deinde Minor : quia pariter implicat, quòd à parte rei & in signo reali detur existentia formæ vagæ, quæ non sit hæc, nec illa determinatè, nec sit propria terræ, nec ignis, &c. ; daretur enim aliquid individuum vagum à parte rei.

23 Exempla igitur, quæ in responsione allegabantur, parùm sunt opportuna, & ut Froylanus ait, *ad propositum non veniunt*. Tum quia inepte recurritur ad difficillima Theologiæ mysteria, ut explicetur materiæ prioritas. Tum etiam, quia satis probavimus, concedendam esse materiæ prioritatem *in quo*. Præterea responsionis doctrina repugnantiam involvit terminorum. Quomodò enim forma, vel ejus existentia poterit esse conditio ex parte causæ requisita, ut ipsamet forma, vel existentia causetur, nisi dicatur causa

fa & effectus sui ipsius? Dices cum Bayonâ, hoc rectè componi per mutuam prioritatem in diverso genere: nam existentia est effectus formæ in genere causæ formalis, simulque est conditio concurrens in genere causæ materialis, ut forma causetur.

24 Sed *contrà* 1.: ergo jam existentia præcedit formam, quod negabat Bayona suprà n. 19. *Contrà* 2.: ipsa quoque forma erit conditio, ut ipsamet causetur: quia solùm à materiâ præceditur prioritate *à quo*, juxtà Adversarium; & materia nequit intelligi propriori existens, quin intelligatur informata; ne alioquin existat priusquam se extra causam formalem, priùsque habeat actum ultimum, quàm actum primum, quod horrent Thomistæ: imò priùs debet intelligi informata, quàm existens; quia existentia, juxtà Thomistas, non communicatur materiæ, nisi mediante formâ. Priùs ergo intelligitur forma ut informans materiam, quàm à materiâ causetur. Sed forma, ut actu informans, jam est educta: ergo priùs intelligitur educta, quàm à materiâ causata; quod est manifestè contra conceptum eductionis. Certè forma non priùs causatur efficienter, quàm materialiter; quia actio, & passio realiter identificantur in communi sententiâ Thomistarum. Idem argumentum fit in existentiâ formæ, quæ pariter erit conditio, ut ipsamet causetur à materiâ, & quidem in eodem genere causæ materialis. *Contrà* 3.: existentia, juxtà Thomistas, causatur à formâ in genere causæ materialis, cum in formâ ut in subjecto sustentativo recipiatur: si ergo in eodem genere conditio est, ut forma causetur, jam datur mutua prioritas in eodem genere causæ.

25 *Respondet* 3. Palancus, materiam pro signo priori ad formam non terminare actionem creativam: quia materia & forma non producuntur diversis actionibus, sed unicâ, quæ respectu materiæ sit creatio, & respectu formæ, & compositi pro formali fit, vel esse possit generatio. *Nulla*, inquit, *datur actio terminata ad materiam, quæ per prius & immediatius non terminetur ad formam.* Quare materia pro illo priori non existit: quia nondum intelligitur producta, & nihil amplius habet, quàm ante sui creationem; sed solùm habet sua prædicata quidditativè, sicut homo possibilis, estque in statu præcisionis ab esse actuens, & esse nihil, cum indifferentiâ ad alterutrum, quin fundet jus, aut exigentiam habeat ad formam, nisi fortè ratione existentiæ tempore præcedentis, si illam habuit: unde posset Deus pro posteriori non producere formam, & sic materiam relinquere nihil. In summâ, pro priori ad formam materia solùm est in potentiâ objectivâ, & purè possibilis, ly *purè* sumpto præcisivè ab esse & non esse, produci & non produci. Hæc, & alia non absimilia, sparsim tradit Palancus hic quæst. 7.

26 Sed, præterquàm quòd recedit à communi doctrinâ Thomistarum, *impugnatur* 1.: quia, cum materia sit verè & propriè causa formæ, & omnis vera causa physica sit id, ad cujus *esse* sequitur *esse* effectus, ut suprà nos docuit D. Thomas; ne-

necesse est, ut materia priùs habeat *esse*, quàm forma. 2.: quia materia præcedit formam prioritate naturæ, cum hæc prioritas conveniat omni causæ reali, juxtà Palancum *Lib.* 2. *q.* 2.: ergo materia ita præcedit, ut non sit in potentiâ objectivâ, & in purâ possibilitate, sive indifferentiâ, ut producatur, vel non. *Prob. Consequ.* Tum quia prioritas naturæ *est realis præcedentia in essendo*, ut ait Palancus *lib.* 2. *q.* 4. n. 6.; sed præcedentia in solâ potentiâ objectivâ, non est præcedentia in essendo: ergo &c. Tum quia *ratione prioritas ultrà rationem principij exigit quòd principiatum dependeat in esse à suo principio*, ut idem Palancus ait *vbi. l.* 2. *q.* 2. n. 8.; sed forma non dependet in suo esse à materiâ merè possibili: ergo &c. Tum quia materia aliter præcedit formam, quàm forma se ipsam; sed forma, & quælibet entitas creata, præcedit se ipsam in potentiâ objectivâ, & cum indifferentia ut producatur, vel non, quin ideò se præcedat prioritate naturæ: ergo &c. Tum demùm, quia prioritas, & posterioritas naturæ, in eo consistunt, quòd unum producatur dependenter ab alio producto per aliam actionem; ut dicemus *tract.* 2.

27 *Impugnatur* 3.: quia, si productio materiæ & formæ semper est unica actio, eáque priùs & immediatiùs terminata ad formam, quàm ad materiam; sequitur 1., quòd materialis forma priùs intelligitur producta, quàm materia desinat esse nihil: ergo in illâ prioritate forma materialis intelligitur producta, non ex aliquo, sed ex nihilo, vel saltem ex præcindenti ab utroque: ergo ius intelligitur creata, vel certè non educta, cum eductio fit ex aliquo præsupposito. Claritatis gratiâ sit fermo de productione vermis ex corruptis Eucharistiæ speciebus. Tunc materia non præsupponitur producta ante formam, nec prioritate temporis, nec prioritate naturæ, sed expectat in potentiâ objectivâ, donec prima sui productio priùs & immediatiùs terminetur ad formam. Hæc ergo productio reddit formam productam priùs, quàm de materiâ verificetur esse aliquid præsuppositum: ergo potiùs est creatio formæ, quàm generatio, vel eductio.

28 Sequitur 2., quòd eadem actio, si est simul eductio formæ & creatio materiæ, simul pendet & non pendet realiter à materiâ ut à subjecto præsupposito: &, cum priùs exerceat manus eductionis erga formam, quàm creationis erga materiam, prius erit pendens, & posteà independens. Hoc autem, & repugnantiam involvit ex terminis, & ansam præbet, ut dicatur anima rationalis pendere realiter à materiâ quatenùs sensitiva, licèt non pendeat quatenùs intellectiva. Sequitur 3., quòd quoties nova forma producitur, datur creatio conservativa materiæ: ergo in operibus naturæ semper admiscetur creatio: quod est contra expressam doctrinam D. Thomæ 1. p. q. 45. ar. 8.

29 *Impugnatur* denique ex D. Augustino *lib.* 12. *Confess.*, ubi docet, materiam pro priori ad formam ita esse informem, ut tamen jam non sit nihil. *Nonnè in Domine*

*do-*

*docuisti me* (inquit cap. 3.), *quòd priusquam istam informem materiam formares, atque distingueres, non erat... omninò nihil*? Quod magis explicans cap. 6., imperfectionem materiæ in eo statu, vel signo priori, proponit hac verborum antithesi: *Si dici posset, nihil aliquid est & non est, hoc eam dicerem.* Et continuò subdit: *Et tamen jam utcumque erat, ut species caperet istas visibiles, & compositas.* Pergit seq. cap. 7.: *Et unde utcumque erat, nisi esset abs te, à quo sunt omnia, in quantumcumque sunt*? Jam ergo materia, priusquàm formam reciperet, utcumque erat, & erat à Deo, à quo sunt omnia: terminabat igitur creationem pro priori ad formam. Consonat cap. 8., de materiâ dicens: *Propè nihil erat, quoniam adhuc omninò informe erat: jam tamen erat quod formari poterat.* Et cap. 15.: *Et tamen hoc penè nihil, in quantum non omninò nihil erat, ab illo utique erat, à quo est quidquid est, quod utcumque aliquid est.* Cap. 19. verba habet suprà relata n. 20. Demùm cap. 29.: *Et esse utique aliquid non formatum potest; formari autem, quod non est, non potest. Sic est prior materies, quàm id, quod ex eâ fit.* En nostrum argumentum ab Augustino expressum: Materia pro priori ad formam est proximè potens formari: sed quod non est, formari non potest: ergo materia pro illo priori jam est.

*********

## §. III.

### *Aliæ sententiæ nostræ probatione 1.*

30 *Prima* sit: Materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis, ut nemo negat; sed generari posset, & corrumpi, si per existentiam formæ existeret: ergo &c. *Prob. Min.*: id, cujus existentia generatur, & corrumpitur, generationi & corruptioni obnoxium est; sed existentia materiæ generatur, & corrumpitur, si est ipsamet existentia formę materialis, cum hæc per generationem incipiat, & per corruptionem desinat: ergo &c.. *Respondent* Thomistę: primam existentiam materiæ per creationem produci in ortu Mundi; postea verò, licèt materia existat per existentiam genitam, non generari; quia, dum generatur equus v.g., non transit materia de non esse ad esse, prout ad generationem requiritur; sed tantùm transit de uno esse in aliud, nempe de existentiâ unius formæ ad existentiam alterius. Idem de corruptione dicunt, videlicet materiam non corrumpi, dum moritur equus; quia non transit de esse ad non esse, sed ad aliud esse.

31 Sed *contrà* 1.: ergo, si prima existentia materiæ generetur, materia propriè generabitur. Atqui materia, si existit per existentiam formæ, potest accipere primam existentiam per generationem: ergo est propriè generabilis. *Prob. Min.*: tum quia in ortu Mundi potuerunt educi formæ Elementorum, juxtà communem Thomistarum sententiam, quam

tenent Bayona, & Froylanus: tunc autem existentia formæ esset genita, & esset prima existentia materiæ. Tum etiam, quia in productione vermis, corruptis Eucharistiæ speciebus, materia tum primò producitur, & incipit existere per existentiam formæ vermis: hæc autem forma cum suâ existentiâ procul dubiò fit per generationem: jam ergo materia accipit primum esse virtute causæ secundæ generantis. Nec dicas forsan ex mente Palanci, quòd existentia formæ non est generabilis, nec producibilis ab agente creato, prout est existentia materiæ, sed tantùm prout est formæ, & compositi pro formali. Nè, inquam, id dixeris: tum quia generans dat materiæ formam, facitque, materiam esse in actu, & esse extra causam formalem; quod est illi dare existentiam in principijs Thomistis. Tum etiam, quia sequitur, quòd existentia simplex educitur simul & creatur: educitur, prout est formæ; creatur, prout est materiæ: simul ergo præsupponit & non præsupponit realiter materiam ut subjectum, & causam sui.

32 *Contra* 2.: ergo saltem materia per generationem accipit ab agentibus naturalibus continuatam seriem existentiarum, quibus in rerum naturâ conservatur: ergo agentia naturalia propriè conservant materiam in rerum naturâ: sicut enim rem primò producit causa, quæ primam illi communicat existentiam, ita rem conservat causa, vel agens, quo continuata existentia procedit. Sequelæ autem absurditas patet: quia ejusdem virtutis est conservare, cujus est primò producere, cum conservatio sit continuata productio: & conservatio rei ingenerabilis, sicut & prima productio, est supra vires agentium naturalium, ut cernitur in conservatione Angeli, vel animæ rationalis.

33 Si propter hæc dicatur, ut res propriè generetur, non sat esse, quòd à generante accipiat existentiam, nisi etiam accipiat essentiam, seu quidditatem; hanc autem donari materiæ, non à generante, sed à Deo per creationem. *Contrà* est 1., quòd essentiæ ingenerabili necessariò respondet existentia ingenerabilis, ut constat exemplo Angeli, vel rationalis animæ. *Contrà* 2.: quia juxtà D. Thomam q. 3. de pot. ar. 5. ad 2., *Hoc ipso, quòd quidditati esse tribuitur, non solùm esse, sed ipsa quidditas creari dicitur*: Si ergo quidditati materiæ *esse* tribuitur per generationem, non solùm *esse*, sed ipsa quidditas generari dicetur. *Contrà* 3.: quia materia per solam productionem essentiæ non ultimò determinatur ut sit, cum adhuc intelligatur in statu viali, & in fieri, ut Thomistæ dicunt: ergo ultimum determinativum, ut materia verè sit in rerum naturâ (v. g. in casibus num. 31.), est existentia formæ genitæ: ergo materia propriè generatur. Probatur hæc Consequentia: homo propriè generatur, quamvis nec materia, nec anima generetur, eo præcisè quòd generetur unio, quæ est ultimum determinativum formale, ut homo sit in rerum naturâ: si ergo ultimum determinativum, ut materia sit, generatur, materia quoque propriè generabitur. Se-

34 *Secunda* probatio sic: Si materia non existit, nisi per existentiam formæ, possibilis erit eventus, in quo aliquid primò creetur, & incipiat existere, quin aliqua existentia denuò producatur: v. g. si Deus hominem formet ex materiâ nunc primò productâ, & ex animâ diu antè creatâ: tunc enim materia inciperet existere per existentiam animæ non denuò productam. Erit item possibilis eventus, in quo aliquid annihiletur, quin existentia ulla deficiat: v. g. si Deus à materiâ separet omnes formas de facto existentes, & separatas conservet (ut potest juxtà Thomistas), nullam aliam formam producendo: tunc enim annihilabitur materia, utpotè quę juxtà Thomistas non potest etiam Divinitus conservari sine formâ: & tamen nullâ deficiet existentia à rerum naturâ. At uterque eventus impossibilis est. Tum quia rem primò existere, est primò excludere suum *non esse*, idest, carentiam suę existentię, quę proindè tunc primò ponitur in rebus: & similiter rem annihilari, est poni sub contradictorio suę existentiæ, quæ proindè deficiat necesse est. Tum etiam, quia existentia est ultima formalis determinatio, ut res sit; & hujusmodi determinatio sine re, quam determinat, stare nequit: alioquin stare posset actio sine agente, vel ubicatio sine corpore.

35 Si dicas, deficere in his casibus unionem materię cum existentiâ formæ; contrà instrgo: Vel ex unió existit per existentiam formæ, vel per propriam. Si primum; idem argumentum urget in unione ipsâ, quæ pariter incipiet, ac desinet existere, quin ulla existentia incipiat, aut desinat. Si secundum, præterquàm quòd unio non distinguitur ab extremis juxtà communiorem sententiam Thomistarum, jam dabitur in composito existentia, non unica, sed multiplex; quod vehementer displicet Thomistis.

36 *Tertia* sit: Si materia existit per existentiam formæ materialis, materia erit vera, & propriè causa sui ipsius; sed hoc ab omnibus censetur absurdum: ergo &c. *Prob. Maj.*: quod est sibi ipsi causa essendi, est causa sui ipsius; sed materia, si existit per existentiam formæ materialis, sibi ipsi vere & propriè est causa essendi: ergo &c. *Prob. Min.*: quia verè & proprie est causa sui *esse*, sive existentiæ, per quam ipsa existit: causat enim formæ existentiam eo modo, quo formam; & hanc vere & proprie causat. Quod autem vere est causa sui *esse*, vere est sibi causa essendi. Et quidem materia causare poterit *esse* sui, cùm primum, quo incipit existere, videlicet in casibus num. 34. *Quarta* probatio sumi potest ab auctoritate D. Thomæ: sed hanc sequ. cap. inter solvendum argumenta dabimus.

## CAP. IV.

### *Argumenta contraria solvuntur.*

1 OBJ. 1.: Materia primi est *pura potentia*, ut passim Philosophi loquuntur; sed pura potentia nullum habet actum: cum ergo existentia sit actus, materia prima nullam ex-

se habet existentiam. *Prob. Min.* Tum quia potentia, si mixtionem habet actualitatis, jam non est *pura*. Tum quia Deus, eo quòd sit *actus purus*, nullam habet potentialitatem: ergo pariter, quod est *potentia pura*, nullum actum habet. Solutioni præmittenda est explicatio terminorum *actus*, & *potentia*, quibus nihil in hac quæstione frequentius.

2 *Potentia*, quod ad præsens attinet, alia est activa, alia objectiva, alia passiva, seu receptiva, & informabilis. Potentia activa est virtus producendi aliquid: & hæc ex se non dicit imperfectionem; ideoque reperitur maximè in Deo. Potentia objectiva (aliàs Logica) est non repugnantia rei ad existendum, quæ etiam *possibilitas intrinseca* vocatur: *objectiva* dicitur, vel quia est objectum potentiæ activæ, vel quia est id, quod menti objicitur, quando rem non existentem concipimus existere posse. Potentia passiva, seu receptiva, & informabilis, est capacitas suscipiendi complementum aliquod, cum iis conditionibus, quas circà nomen *subjecti* explicuimus cap. 2. à n. 8. hæc dici solet *potentialitas*, & ex se dicit imperfectionem.

3 *Actus* accipitur 1. pro *determinatione*, quâ potentia quælibet exercetur juxtà munus suum. Et sic potentiæ cuique respondet suus actus: dumque potentia exercetur, & suum assequitur terminum, dicitur *reduci ad actum*, & esse *in actu secundo*, cum pro priori ad illum dicatur potentia esse *in actu primo*. Actus ergo respondens potentiæ objectivæ, est existentia; potentiæ activæ, est effectus, vel productio illius; potentiæ receptivæ, est forma ut recepta, sive ut informans, vel informatio, sive receptio. Accipitur 2. *actus* pro eodem, ac *perfectio*. Atque hoc sensu, ex doctrinâ Exim. Doctoris disp. 13. Metaph. sect. 5. n. 7., *actus* est duplex: alius respectivus, alius absolutus. *Respectivus* (qui & actus actuans, & formalis, & perfectivus dicitur) est, qui respicit aliquod subjectum perficiendum: sic forma est actus materiæ. *Absolutus* est, qui suam sibi perfectionem habet, quin ad perficiendum subjectum aliquod ordinetur: sic Deus dicitur actus.

4 Uterque istorum actuum subdividitur. Nam *respectivus*, alius est actus physicus, videlicet forma physica, tum substantialis, tum accidentalis: alius est metaphysicus, quo nomine venit differentia essentialis cujusque rei, atque etiam existentia, quia hæc vel solâ ratione distinguitur à subjecto, vel siquid addit realiter distinctum, ejus consideratio non Physicæ, sed Metaphysicæ propria est. Cum enim *Esse sit actualitas omnium rerum*, ut inquit D. Thomas 1. p. q. 4. ar. 1. ad 3., & q. 5. ar. 1. *corp.*, non minùs extenditur, quàm *Ens*, ac proinde ad ejus Scientiæ considerationem pertinet, ad quam spectat *Ens* ut sic. Hoc ipsum de subsistentiâ dici solet.

5 *Absolutus* item, alius dicitur actus simpliciter, nempe qui ita perfectus est in genere substantiæ, ut neque actum physicum perfectivum involvat, neque illum expectet, ut actuetur: atque ita se habent Deus,

Deus, & Angelus. Alius est actus secundùm quid, videlicet qui veram aliquam actualitatem habet, quatenùs actu est extra nihil, indiget tamen actu physico respectivo, quo compleatur in genere substantiæ. Hoc sensu materia prima est actus in nostrâ sententiâ, atque etiam in sententiâ eorum Thomistarum, qui materiæ concedunt actum entitativum.

6 Jam *ad object. resp.*: materiam primam esse puram potentiam, non in omni lineâ, sed in lineâ tantùm potentiæ passivæ, & receptivę actus substantialis respectivi ac physici, quam deinceps brevitatis gratiâ vocabo *lineam physicam*, quò discernatur à lineâ metaphysicâ, & objectivâ, seu logicâ. Non, inquam, in omni lineâ; quia non est pura potentia objectiva; aliter esset parè possibilis, aut merum nihil: habet ergo actum potentiæ objectivæ respondentem, videlicet existentiam. Est igitur potentia pura in lineâ tantùm physicâ: quia materia neque est forma physica, neque illam includit in suâ quidditate, sed tota ejus essentia etiam metaphysica consistit in potentiâ physicè receptivâ, sive informabili, ut explicuimus cap. 2. Hac etiam distinctione uti debent illi Thomistæ, qui materiæ concedunt actum metaphysicum, aut entitativum, aut *esse* viale, & in fieri, quod est aliqua actualitas, saltem inchoata, ut notavimus cap. sup. n. 18.

7 Itaque Peripatetici materiam appellant puram potentiam, ut excludant errores eorum, qui pro materiâ primâ rerum generabilium statuebat substantiam completam, ut aërem, aquam, &c.: atque etiam eorum, qui formas omnes actualiter intrà materiam latitare dicebant, & ex eâ velut è loculo educi. Qui errores satis excluduntur asserendo, materiam esse potentiam receptivam *puram*, ideſt, substantiam incompletam, non mixtam ex ullo actu physico, sed ordinatam ad illum: quamvis non ita *pura* sit, ut non habeat eas actualitates de lineâ metaphysicâ, quæ necessariæ sunt ad sustinendam realitatem potentiæ receptivæ de lineâ physicâ, à Deo creatę, positæque extrà nihilum: nam, ut ajunt, *Dictio exclusiva non tollit concomitantia.*

8 Nec obstat illa comparatio puræ potentiæ cum puro Actu: quæ eatenùs tenet, quatenùs, sicut Actus purus excludit omnem potentiam receptivam, ita potentia pura excludit à sui identitate omnem actum formalem physicum. De cætero, quòd paritas non teneat, vel Adversarij fateri debent. Tum quia Deus ita est actus purus, ut nullam potentialitatem sibi exigat, nec admittat, sed potiùs essentialiter excludat, non solùm ut identificatam, sed etiam ut unitam. At pura potentia materiæ non ita se habet respectu actus, cum admittat, & exigat unionem cum formâ, & ejus existentiâ. Tum etiam; quia Deus ita est purus Actus, ut nullum perfectionis & bonitatis defectum habeat. At materia non ita est pura potentia, ut omnis bonitatis & perfectionis sit expers: alioquin foret expers omnis entitatis, cum *ens* & *bonum* convertantur. Di-

sit;

*cus* : Pura potentia summè distat ab Actu puro. *Dist.* : summè distat, distantiâ negativâ, qualis est inter Deum & nihil, *neg.* : distantiâ positivâ, sive entis ab ente, *conc.*, quantum est ex parte Dei ; nam ex parte extremi creati magis à Deo distat quantitas v. g., quàm materia.

9 *Replic.* 1. : Deus non dicitur pura potentia activa, quàmvis nullam includat actum secundum hujus potentiæ ; nec forma dicitur actus purus, quàmvis nullam includat materiam : ergo quòd materia nullam formam includat, non sufficit, ut dicatur pura potentia, nisi etiam omni actualitate cujuscumque lineæ destituatur. 2. : Ens dividitur in actum & potentiam : sed membra dividentia non se invicem participant : ergo illud ens, quod est potentia, præsertim pura, nullum actum participat. 3. : Materia prima, juxta Aristotelem, ita est potentia in naturalibus, sicut æs, aut lignum in artificialibus : sed æs, aut lignum, ita est pura potentia, ut nullam omninò actum, nullamque proprietatem de lineâ artificiali ex se habeat : ergo &c..

10 *Resp. ad 1.* : Deus ideò non dicitur pura potentia activa, quia hæc format, non aliam in Deo esse perfectionem, quàm quæ formaliter explicatur per conceptum potentiæ activæ ; quod falsum est ; nam Deus non modò est omnipotens, verùm etiam infinitè sanctus, sapiens, &c.. Ex adverso, cum tota essentia materiæ consistat in ratione primi subjecti, nec aliam perfectionem habeat, quàm quæ ad id munieris est necessaria : meritò dicitur pura potentia receptiva. Forma dici potest actus purus in lineâ substantiali physicè informativâ, non tamen dicitur absolutè & simpliciter *actus purus*, quia hoc nomine denotari solet Ens actualissimum, omni potentialitate & imperfectione cujuscumque lineæ carés, quod solius est Dei. Idem de materiâ dicimus, nempe non esse puram potentiam potentialitate excludente actualitatem cujuscumque lineæ, sed lineæ quantitatis physicæ.

11 *Ad 2.* : Ex iisdem præmissis poterit etiam absurdè concludi sic : Ergo forma, quæ est actus, nullam potentiam participat, nec activam operationum, nec receptivam earundem : ergo anima rationalis nec est activa, nec receptiva intellectionis. Illa igitur Entis divisio intelligi potest 1. in ens purè actuale, & ens aliquomodò potentiale, idest, in Deum, & creaturam, quæ semper aliquomodò potentialis est. 2. in ens actu existens, & ens purè possibile, sive in potentiâ logicâ ; quo sensu materia jam productæ pertinet ad primum membrum. 3. in actum, & potentiam, sibi invicem respondentes ; quo sensu potentia ex se non participat actum, illum scilicet, ad quem est potentia : quod utique in materiâ primâ verificatur.

12 *Ad 3. replic.* : Illa comparatio est opportuna, tum ut explicetur indifferentia materiæ primæ ad quamlibet formam naturalem ; tum ut constet, materiam ita esse in potentiâ ad formas physicas, ut nullam earum ex se habeat. Quòd tamen pyrites non sit in omnibus, evi-

dens

dens est : aliter, sicut æs, aut lignum ex se nullam habet essentiam artificialem, nullam terminat actionem artificis, nullam exigit artificialem formam, sed omnibus carere potest naturaliter ; ita materia prima nullam habebit essentiam naturalem, nullam terminabit actionem Creatoris, nullamque appetet, aut exiget formam, sed omnibus privari poterit naturaliter : quas certè sequelas Thomistæ reputant absurdas.

13 *Objic.* 2. : Si materia propriam habet existentiam, materia & forma erunt duo entia in actu : sed *ex duobus entibus in actu fieri nequit unum per se*, si quidquam valet axioma vetus ex Aristotele desumptum : ergo ex materiâ & formâ fieri non poterit compositum substanciale, quod est unum per se. Pro solutione adverte, *Unum per se* vocari, quod vel est realiter simplex, & indivisibile, v. g. natura Angeli ; vel, si partes habet, nulla earum est omnino perfecta & consummata in suo genere, seu Prædicamento, sed invicem eæ partes ordinantur, ut per naturalem intimam unionem altera alteram in suo genere compleat, & consummet. Sic homo, & quodvis compositum substantiale, dicitur *per se unum* in genere substantiæ : sic etiam calor ut octo, dicitur *unum per se* in genere qualitatis ; quia gradus intensionis, maximè si sint etherogenei, ordinantur invicem, ut per naturalem unionem eorum resultet calor in suo genere consummatus. E contrà, quando Unum componitur ex partibus diversi generis, seu Prædicamenti ( v. g. ex substantiâ & accidenti ) ; vel ex partibus ejusdem generis, quarum aliqua, vel omnes aliunde sunt in eo genere completæ ( v. g. acervus lapidum ) ; vel etiam, quæ non invicem ordinentur ad mutuam naturalem unionem ( v. g. si fieret acervus formarum equi, leonis, canis &c. ) : tunc dicitur *Unum per accidens*. Vid. Doctor. Exim. disp. 4. Metaph. sect. 3.

14 Jam *ad object. resp.*, Unum per se fieri nequit ex duobus entibus in actu completo, seu quorum quodlibet sit in aliquo genere, v. g. in genere substantiæ, consummatum, v. g. ex homine, & equo, quia quod advenit post consummationem illam, dicitur advenire *per accidens* : fieri tamen posse ac debere ex duobus entibus in actu incompleto, nempe quorum quodlibet vere sit existens, & actuale quid in rerum naturâ, sic tamen, ut alterum egeat complemento alterius ad sui perfectionem in genere substantiæ. Ratio est. Tum quia unum per se positivum constitui nequit ex nihilo & ex ente in actu, vel ex duobus entibus in puræ potentiâ objectivâ, nondumque productis : ergo constitui debet ex duobus entibus jam productis, verèque positis in actu potentiæ objectivæ respondente. Tum quia, licèt existentia sit unica, ut Thomistæ volunt, verè tamen reddit existentes materiam & formam, quæ sunt duo entia : jam ergo compositum fit ex duobus entibus vere existentibus, ac proinde in actu.

15 Tum etiam, quia generatim loquendo, non est contra rationem *Unius per se*, quòd resultet

ex

ex pluribus entibus in actu. Nam totum integrale continuum est unum per se: cum tamen quælibet ejus pars sit in actu. Qualitas item intensa, vel etiam extensa, dicitur unum per se in genere qualitatis; quàmvis constet partibus, quarum quælibet est actus, sive forma. Denique instatur objectio in actu entitativo, vel metaphysico, quem agnoscunt in materiâ plures Thomistæ. Quodsi dicant, illum actum non esse de lineâ physicâ, de quâ est forma, nos idem dicimus.

16 Contrà hanc solutionem acriter insurgunt Thomistæ, præsertim Bayona, & Palancus. *Replic.* 1.: Si materia ratione sui est ens in actu, non est cur non sit in actu complete: ergo non poterit cum formâ constituere unum per se. *Prob. Antec.* 1.: quia illud est completè ens in actu, cui, ut absolutè sit ens in actu, nihil deest: at materiæ, si propriam habet existentiam, nihil deest, ut absolutè sit ens in actu. 2.: quia illud est completum in esse Entis, quod habet ultimum actum entitativum, quo nomine significatur existentia. 3.: quia res eo modo existit, quo producitur; sed materia, si est in actu per existentiam propriam, completè producitur: ergo completè existit. *Prob. Min.*: quia productio est completa, quando nihil ultrà desiderat producendum, ut effectus absolutè sit in rerum naturâ: at productio materiæ, si ad existentiam ejus terminatur, nihil ultrà desiderat producendum, ut materia sit absolutè in rebus.

17 *Resp. neg. Antec.*: non enim dicitur esse in actu completo simpliciter & absolutè, nisi quod habet actualitates & complementa omnia sibi naturaliter debita in suo genere: materia autem, quamvis ratione sui verè existat, non habet omnia complementa sibi debita in genere substantiæ, donec formam habeat. Exemplum habes in anima rationali, quæ ratione sui existit, & est ens in actu, etiam dum est à corpore separata; & tamen non est in actu completo, quia non habet complementa omnia in genere substantiæ. Quod exemplum præ oculis habendum, ut planè instentur omnes argumenti probationes. Nec dicas cum Bayona, formam non existere *ut quod*, sed tantùm *ut quo*, sive non tam existere, quàm esse id, quo existit compositum. Nam quæro, Quid est existere *ut quod*? Si enim significet esse id, quod redditur verè & propriè existens, utique anima S. Petri existit *ut quod*: si verò significet esse id, quod existit per modum compositi, fateor, animam non existere *ut quod*, quia non est totum, sed pars. At quid inde? Nec nos volumus, ut materia in hoc sensu existat *ut quod*.

18 *Ad* 1. *prob.*. Materiæ nihil deest, ut sit ens in actu entitativo, sive in actu respondente potentiæ objectivæ: deest tamen aliquid, ut sit ens in actu formali physico, qui respondet potentiæ receptivæ de lineâ physicâ. Quare dici potest ens in actu absolutè, id est, verè ac propriè; non tamen absolutè, ideest, consummatè. Exemplo sit anima rationalis, ut nuper. *Ad* 2.: quod habet

bet ultimum actum entitativum, est completum in esse entis, prout à non ente, sive à nihilo distinguitur; non tamen ideò est completum in esse entis, prout habentis omnem perfectionem sibi debitam in genere substantiæ; atque hoc sensu non est completa ex se materia prima, sicut nec rationalis anima separata.

19 Dicitur autem existentia ultimus actus entitativus, quia in eâ terminatur potentia objectiva cujuslibet entitatis, sive partialis, sive totalis; & aliunde differentiæ rerum essentiales, infimæ, & subalternæ, sunt actus entitativi quodamodò priores existentiâ, cum verificentur de rebus in statu possibilitatis. De cætero, non existentia, sed subsistentia est, quę in lineâ substantiali dicitur actus ultimus. Existentia verò, cum sit actus trãscendentalis, potiùs est actus primus & intimior enti cuilibet. *Ipsum esse* (inquit D. Thomas q. 3. de pot. art. 7. *corp.*) *est communissimus effectus, primus, & intimior omnibus alijs effectibus.* Unde in omni subjecto actuabili priùs debet intelligi existentia, quàm alius actus, substantialis, aut accidentalis.

20 *Ad* 3., *dist. Min.*: completè producitur complemento potentiæ objectivę *conced.*; complemẽto potentiæ physicè receptivæ, *neg. Min.*, & similiter *dist. Conseq.* Ad *prob. Min.*: productio materiæ nihil ultrà desiderat producendum, ut materia in rerum naturâ sit absolutè, id est, verè ac propriè secundùm suum esse partiale; desiderat tamen aliquid, ut materia in rebus sit absolutè, idest, consummatè in genere substantiæ. Creatio itaque materiæ dicitur productio incompleta terminativè; non quia expectet alium terminum prętèr essentiam & existentiam materiæ (aliter haberet pro termino formam, aut existentiam ejus, & hæc esset creata simul & educta); sed quia producit terminum incompletum in genere substantiæ. Alio tamen sensu dici potest productio completa, quatenùs est unica in ratione creationis, & suo munere perfectè fungitur producendo materiam in esse primi subjecti physicè receptivi. Denique meminoris exemplum animę rationalis.

21 *Replic.* 2.: Ens claudens totam lineam entis à primo subjecto usque ad ultimum actum de talî lineâ, est ens completum in lineâ entis: sicut est completum in lineâ intelligendi, quod totam hanc lineam claudit à primo subjecto usque ad ultimum actum. Atqui materia, si propriam existentiam habet, pro priori ad formam claudit totam lineam entis à primo subjecto usque ad ultimum actum; claudit enim suam essentiam, quæ est primum subjectum, & insuper claudit existentiam, quæ est ultimus actus de lineâ entis, juxtà illud D. Thomæ q. unic. de Anim. ar. 6. ad 2., *Ipsum esse est actus ultimus, qui participabilis est ab omnibus, ipsum autem nihil participat.* Materia ergo seorsùm à formâ est ens completum, ac proinde non faciet cum formâ unum per se. *Confirm.* 1. Materia æquè existit pro priori ad formam, ac pro posteriori, cum in nullo instan-

ti vel signo existat, nisi per suam existentiam: sed pro posteriori existit completè: ergo & pro priori. *Confirm.* 2.: Quod non indiget formâ ad existendum, est ens completum; sed si materia existit pro priori ad formam, non indiget formâ ad existendum: ergo &c.

22 *Ad Replic.* neganda est Minor, si accipiatur de lineâ entis quâ latè patet. Nam linea entis extenditur etiam ad actus accidentales, qui certè adveniunt post existentiam subjecti substantialis: extenditur item ad subsistentiam, quę similiter existentiæ supervenit: non ergo existentia est actus ultimus dę lineâ entis generatim sumptâ. D. Thomas autem loc. cit. non loquitur de esse purè existentiali, sed de esse subsistenti, proprio substantiæ completæ, ut patet ex verbis immediatè sequentibus ibi: *Unde si sit aliquid, quod sit ipsum esse subsistens, sicut de Deo dicimus, nihil participare dicimus.* Quapropter existentia solùm est ultimus actus de lineâ entis metaphysicâ, seu transcendentali, vel de lineâ entis prout discretâ à non ente, sive ab ente in potentiâ objectivâ. Vide num. 19. Non tamen est actus ultimus de lineâ entis physicâ, & substantiali, quâ in lineâ finit materiam esse ens incompletum.

23 Ad 1. *confirm. dist. Maj.*: æquè existit &c., existentiâ excludente nihilum materiæ, *conc.* (& hoc sensu tenet adjuncta probatio); existentiâ excludente incompletionem physicam materię, *neg. Maj.*, & *concess. Min.*, *neg. Consequ.*. Eu similem syllogismum: Corpus æquè existit pro priori ad quantitatem, ac pro posteriori, cum nunquam existat, nisi per suam existentiam; sed pro posteriori existit extensum: ergo & pro priori. Ad 2. *confirm. dist. Maj.*: quod non indiget formâ ad existendum utcumque, *neg.*; ad existendum cum totâ perfectione sui generis, cujus est capax, *conc. Maj.*, & similiter distinctâ *Min.*, *neg. Consequ.* Et insto in animâ rationali, quæ sine materiâ non est ens completum, quâmvis non indigeat materiâ ad existendum.

24 *Replic.* 3.: Si materia præsupponitur ens in actu, quamvis dicatur incompleta, non potest ordinari ad constituendum unum per se cum formâ superveniente: ergo &c. *Prob. Antec.* 1.: quia ex subjecto & albedine non fit unum per se, quâmvis subjectum ex se sit incompletum in esse accidentali, sive in esse albi; sicut nec ex intellectione & substantiâ Angeli, quâmvis hæc sit incompleta in lineâ intellectivâ; non aliâ ratione, nisi quia subjectum præsupponitur ens in actu. 2.: quia nec fieri potest unum per se ex duplici formâ substantiali, v.g. leonis, & equi, eo quòd utraque, licet incompleta, est ens in actu. 3.: quia materia cum formâ corporeitatis, quantumcumque dicatur incompleta in esse viventis, non potest, juxtà communiorem sententiam, ordinari ad animam, ut cum eâ faciat unum per se; utique propter rationem dictam. Similiter elementa vulgaria, licèt sint incompleta in specie Mixtorum, quia tamen per proprias formas sunt entia in actu, non ingrediuntur formaliter

ter Mixtum, ut cum ejus formâ faciant unum per se. 4.: quia posset alioqui nostrâ solutione defendi sententia ponentium in materiâ totidem formas substantiales subordinatas, quot sunt gradus metaphysici.

25 *Resp. ad replic. dist. Antec.*: si præsupponitur in actu formali physico, *admitt.*; si tantùm in actu metaphysico, vel entitativo, *neg. Antec.*, & *Conseq.* Ad 1. *prob.*: ratio exemplorum illiusmodi non est, quòd subjectum supponatur in actu utcumque, sed quòd supponatur in actu formali physico, vel in actu absoluto, vi cujus jam non est incompletum in genere, seu lineâ substantiali, quàmvis in alijs lineis incompletum sit. At materia neutro modo supponitur in actu. *Ad* 2.: non sufficit incompletio, nisi addatur insuper proportio mutua inter utrumque ens, vel per modum actus & potentiæ, vel alio naturali titulo; qualis non est inter duas formas substantiales & est inter materiam & formam. Sic, si materia cœlestis specie distinguitur à sublunari, non potest unum per se fieri ex formâ terræ & materiâ cœlesti, quàmvis ponatur pura potentia in sensu Thomistico: non aliâ de causâ, nisi quia deest proportio, & ordo mutuus.

26 *Ad* 3.: quidquid sit de formâ corporeitatis (de quâ suo loco), constat disparitas ad actum existentiæ. Tum quia materia cum formâ corporeitatis jam non est pura potentia in lineâ physicâ, cum jam habeat actum hujus lineæ. Tum etiam, quia forma corporeitatis ideo impugnatur, quia, si verè est formâ substantialis, debet esse primarius & præcipuus actus in compositò, in quo proinde non dat locum alteri formæ substantiali. At neutra ratio militat in existentiâ materiæ. Elementa verò, si non manent formaliter in Mixto, ut objectio supponit, falsò dicuntur incompleta in specie Mixtorum (nisi sermo sit de incompletione purè negativâ, quo sensu lapis etiam est incompletus in specie hominis), cum sint incapacia constituendi talem speciem. Adde quòd Elementa supponuntur in actu, non qualicumque, sed formali physico. *Ad* 4.: illa sententia ideò rejicitur, quia ponit in composito plures actus subordinatos, non qualescumque, sed physicos, & omnes quidem specificos, cum repugnet forma individua, quæ det gradum purè generi cum, & non pertineat ad speciem determinatam. At hujusmodi actus nostra solutio non adstruit.

*Explicatur super hac controversiâ mens D. Thomæ.*

27 REplic. 4.: juxtà Philosophum 7. Metaph., & D. Thomam ibi lect. 13. litt. h., *Duo, quæ sunt in actu, numquam sunt unum actu*: & paulò inferiùs addit D. Thomas: *Patet, quòd si substantia particularis est una, non erit ex substantijs in eâ existentibus in actu*: & paucis interjectis: *Duo in actu existentia, nunquam faciunt unum.* Si ergo materia verè est ens in actu, quàmvis incompleto, nunquam cum formâ

facies unum per se. *Confirmatur* ex aliis locis D. Thomæ, ubi apertè negatur, quòd materia aliter existat, vel sit in actu, nisi per formam. V. g. q. 4. de pot. ar. 1. corp.: *Quidquid in rerum naturâ invenitur, actu existit; quod quidem non habet materia nisi per formam, quæ est actus ejus.* 1. p. q. 7. ar. 2. ad 3.: *Materia prima non existit in rerum naturâ per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentiâ tantùm.* 1. 2. q. 4. ar. 5. ad 2.: *Idem est esse formæ, & materiæ: & hoc idem est esse compositi.* Similia docet aliàs Angelicus Doctor; quem ideò Thomistæ pro se fidenter allegant.

28 Verùm, quòd D. Thomas agnoscat in materiâ partialem existentiam, proportionatam entis summè potentialis, & imperfecto in genere substantiæ, *probatur* 1.: quia 1. p. q. 14. ar. 11. ad 3., cum sibi objecisset, quòd *materia, cum sit ens in potentiâ tantùm, omninò est dissimilis Deo, qui est actus purus,* respondet, *Quòd materia, licèt recedat à Dei similitudine secundùm suam potentialitatem; tamen in quantum vel sic esse habet, similitudinem quamdam retinet Divini esse.* Consonat q. 3. de verit. ar. 5. ad 1. dicens: *Quàmvis materia prima sit informis, tamen inest ei imitatio primæ formæ* (nempe Dei) *quantumcùmque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi Entis. Et secundùm hoc potest habere similitudinem in Deo.* Ens ut materia, juxtà D. Thomam, ita est potentialis, ut tamen *vel sic esse habeat*, quàmvis hoc *esse* sit *debile*, utpote proportionatum essentiæ debili, seu valde imperfectæ. Et item, ut materia ita recedit ab Actu puro, ut tamen *insit ei imitatio primæ formæ*, & quidem ut existentis; quia *retinet similitudinem quamdam Divini esse*, & ipsum *esse* materiæ *est imitatio primi Entis.* His adjunge pronuntiatum illud D. Thomæ 2. cont. Gent. cap. 53. n. 4., *Assimilatio cujuslibet substantiæ creatæ ad Deum, est per ipsum esse.*

29 *Prob.* 2.: Materia, juxtà D. Thomam, habet propriam bonitatem: ergo & propriam existentiam. Antecedens traditur à D. Thomâ varijs in locis, & clarissimè q. 2. de mal. ar. 2. corp. per hæc verba: *Patet, quòd id, quod est in potentiâ, ex hoc ipso quòd est in potentiâ, habet rationem boni. Omne ergo subjectum, in quantum est in potentiâ respectu cujuscumque perfectionis, etiam Materia prima, ex hoc ipso quòd est in potentiâ, habet rationem boni.* Et nè quis diceret, rationem boni convenire materiæ, non per se ipsam, sed per formam, subdit Ang. Doctor ibi: *Materia prima potentiam habet per se ipsam; & cum potentia pertineat ad rationem boni, sequitur quòd bonum conveniat ei per se ipsam.* Consequentia verò non minùs clarè ostenditur ex D. Thomâ, sæpe docente, quòd bonitas fundatur in *esse*. V. g. q. 21. de Verit. ar. 2. corp.: & q. 6. de pot. ar. 6. corp., Item 1. p. q. 5. ar. 1. corp., ubi sic loquitur: *Ratio boni in hoc consistit, quòd aliquid sit appetibile... Manifestum est autem, quòd unumquodque est appetibile secundùm quòd est perfectum...*

In

*In tantum est autem perfectum unumquodque, in quantum est actu: unde manifestum est, quòd in tantum est aliquid bonum, in quantum est ens: esse enim est actualitas omnis rei.* Confirmatur: D. Thomas 3. contr. Gent. cap. 7. n. 2. inde probat, quòd nulla essentia est mala, sed omnis est bona, quia *Unumquodque secundùm suam essentiam habet esse: in quantum autem habet esse, habet aliquod bonum.* En regulam generalem, ex quâ nequit excipi materia, nisi ipsi negetur essentia propria.

30 *Prob.* 3. Materia prima, eo ipso quòd sit ens in potentiâ, aliquomodò *est*, atque ita *est* ut verè computetur inter ea, *quæ sunt*, ideòque verè causetur à Deo: sed materia ratione sui est ens in potentiâ, neque hoc accipit à formâ: ergo & ratione sui ita *est*, ut verè computetur inter ea, *quæ sunt*, quin hoc habeat à formâ. Major, quæ sola negari posset, expresè traditur à D. Thomâ 2. contra Gent. cap. 16. n. 11. sic: *Materia prima aliquomodò est, quia est ens in potentiâ: Deus autem est causa omnium, quæ sunt: Deus igitur est causa materiæ primæ.* Fallitur ergo, qui materiam ita concipit *Ens in potentia*, ut in eâ nullum *esse*, nullamve existentiam concipiat: hoc enim est confundere potentiam passivam cum objectivâ, seu cum possibilitate rei non existentis; quas tamen potentias perspicuè distinguit D. Thomas 1. p. q. 46. art. 1. ad 1.

31 Urgetur hoc ipsum: Materiæ, secundùm quòd est ens in potentiâ, competit habere causam agentem, videlicet Deum creantem, ut docet D. Thomas cit. loco 2. contra Gent., & sæpe aliàs: sed *Unicuique competit habere causam agentem, secundùm quòd habet esse*, ut ait Angelic. Doctor 1. p. q. 44. ar. 1. ad 3.: materia igitur habet *esse*, secundùm quòd est ens in potentiâ. Adde, quòd D. Thomas eâd. quæst. art. 2. corp. agnoscit in rebus compositis aliquod *esse* præter id, quod provenit à formis substantialibus, & accidentalibus; & inde colligit materiam primam à Deo creari, ut scilicet totum *esse* rerum causetur à Deo. Quare ibid. ad 3., *Oportet*, inquit, *quòd etiam illud, quod se habet ex parte potentiæ, fit creatum, si totum, quod ad esse ipsius pertinet, creatum est.*

32 Itaque apud D. Thomam non semper eodem sensu accipitur verbum *esse*, vel *ens in actu*. Interdùm accipitur transcendentaliter, prout convenit omni enti, ut est ens: quò spectat illud 1. p. q. 5. ar. 1 corp., *Esse est actualitas omnis rei*, & ibi ar. 3. corp., *Omne ens, in quantum est ens, est in actu, & quodammodò perfectum; quia omnis actus perfectio quædam est.* Hoc sensu materiam ratione sui dicimus esse *in actu*, & habere *esse*; idemque sentit D. Thomas, ut ostendimus; nec potest negari, nisi materiæ negetur vera ratio entis.

33 Interdùm verò accipitur pro existentiâ Suppositi, vel pro subsistentiâ propriâ substantiæ completæ; ut patet q. unic. de Spirit. Creatur. ar. 1. ad 8. ibi: *Materia*

*non propriè potest dici quod est, cum non sit, nisi in potentiâ: sed quod est, est id, quod subsistit in esse; quod quidem in substantijs corporeis est ipsum compositum ex materiâ & formâ; in substantijs autem incorporeis est ipsa forma simplex.* Hoc sensu nos etiam cum D. Thomâ negamus, materiam *esse*, nisi per formam. Si quæras, cur non etiam forma dicitur *esse* per materiam, cum per eam reddatur etiam substantia completa? Respondeo, causam esse, quia forma determinat materiam ad certam speciem entis completi, non è converso: unde potiùs dicitur corpus in *esse* hominis constitui per animam, quàm vice versâ.

34 Interdùm præterea accipitur pro *actu* simpliciter dicto, quo nomine venit, vel actus respectivus physicus, quia in eo sita est præcipua perfectio, & actualitas substantiæ compositæ; vel actus absolutus simpliciter talis, cujusmodi est Angelus (vide suprà n. 3. 4. & 5.), non autem actus absolutus secundum quid, qualis est materia; quia actualitas illius, eo quòd valde imperfecta sit, & parè potentialis in linea physicâ, quasi pro nullâ reputatur. Hinc D. Thomas 1. p. q. 5. ar. 2. ad 2. de materiâ primâ loquens dicit, *per non existentia* intelligi posse, *non ea simpliciter, quæ penitus non sunt, sed ea, quæ sunt in potentiâ, & non in actu.* Materia ergo dicitur *non existens*, non quia *penitus non est* (nam *aliquomodò est*, ut ajebat ipse S. Thomas suprà cit. n. 30.), sed quia *est in potentiâ, & non in actu* simpliciter dicto, ideòque ejus existentia quasi nulla despicitur.

35 Huc etiam facit illud S. Thomæ Opusc. 31., *Materia... de se esse incompletum, imò nullum esse habet, ut dicit Commentator in 2. de Animâ: unde simpliciter loquendo forma dat esse materiæ.* En, quo sensu *esse incompletum materiæ* dicatur *nullam esse*, nimirùm *simpliciter loquendo*. Illud item ejusdem S. Doctoris in 1. Physic. lect. 15. lit. b, *Materia est propè rem, & est aliqualiter, quia est in potentiâ ad rem.* Et Opusc. 15. cap. 7., *Actus est potentiâ perfectior, & magis habet de ratione essendi; non enim simpliciter esse dicimus quod est in potentiâ, sed solùm quod est in actu.* Unde, juxta D. Thomam, materia ratione sui verè existit, & est in actu essendi, non *simpliciter*, sed cum addito *aliqualiter*, *aliquomodò*, quia habet *esse incompletum*, *ac debile*.

36 Hinc objecta testimonia nu. 27. facilè explicantur. In loco cit. in 7. Metaph. loquitur D. Thomas de actu sumptò pro divisione, ut legenti constabit; ideòque addit, *Sed duo, quæ sunt in potentiâ, sunt unum actu, sicut patet in partibus continui.* Quære à Thomistis, an velint, ut duo in potentiâ, cujusmodi sunt duæ materiæ primæ, sint unum actu? Præterea, tum ibi, tum in cæteris locis, commodè explicatur D. Thomas de *actu* completo, vel simpliciter dicto, seu de *existentiâ*, quæ talis sit simpliciter, & non cum addito *aliqualiter*, vel *aliquomodò*. Ultimum verò testimonium accipit *esse* pro subsistentiâ propriâ Suppositi.

CAP.

## CAP. V.

*Perficitur Argumentorum solutio.*

1 *Objic.* 3. : Eatenùs plura possunt dici unum, quatenùs participant aliquid ipsis commune, quod sit unum per identitatem; nam, si nihil est commune, sed singula sunt singulis propria, non dabitur unitas, sed pluralitas. Sic ea, quæ sunt unum cognitione, loco, aut tempore, ideò unum sunt, quia comprehenduntur unicâ cognitione, &c.. Ut ergo materia, & forma verè constituant unum per se existens, dari debet unica actualitas existentiæ utrique communis. *Confirm.* 1.: quia duo entia in actu, sunt simpliciter plura entia: ergo ex ijs constitui nequit ens simpliciter unum.

2 *Confirm.* 2.: principium activum, & passivum actuantur eodem actu de lineâ operandi, scilicet unicâ operatione, quę realiter est actio & passio: ergo pariter materia, & forma, quæ sunt principium passivum, & activum de lineâ essendi, actuari debent eodem actu essendi, videlicet eâdem existentiâ. Patet Consequentia: quia utrobique se habet utrumque principium per modum unius; imò conjunctio formę cum materiâ major est, quàm principij activi cum passivo. *Confirm.* 3.: materia & forma lapidis per eamdem quantitatem extenduntur, & per eamdem albedinem reddantur albæ: ergo per eamdem existentiam existunt. *Confirm.* 4.: unum per se dicitur quod est unum unitate formę, seu rationis formalis; sed ratio formalis Entis est esse: ergo compositum ex materiâ & formâ, dici nequit ens unum per se, nisi habeat unicum *esse*.

3 *Resp. ad object.*. Doctrina Antecedentis, generatim accepta, falsa est, nisi loquatur de unione, vel nexu, qui debet esse mutuus, & communis partibus in unum copulatis. Nam quid aliud commune designabis in partibus unius Reipublicæ, quę democraticè gubernetur? vel in partibus Mundi corporei? vel, ut propiùs accedam, in composito substantiali essentialiter sumpto? Certè materia & forma faciunt essentiam per se unam, & quidem propriori ad existentiam juxtà Thomistas: in quo ergo uno, nisi in unione mutuâ, conveniunt illæ plures essentiæ partiales, ut dicantur essentia composita per se una? Quod de essentijs dixeris, tibi dictum habe pro existentijs.

4 *Ad* 1. *Confirm.*. Communi usu non dicuntur simpliciter plura, nisi quæ sunt actu divisa, vel nullo naturali nexu copulata: quo sensu *neg. Antecedens*, intellectum de materiâ, & formâ intra compositum. Si tamen vocare velis *simpliciter plura*, quæ sunt verè distincta, & existentia; potest utique fieri unum ex pluribus; non quidem in eâ ratione, in quâ sunt plura, nempe in ratione partis, vel entis incompleti; sed in aliâ ratione, scilicet in ratione entis completi: quod tu ipse fateri debes in essentiâ unâ, constitutâ ex pluribus. *Ad* 2. Redit eadem instantia materiæ & formę constituentiam unam essentiam. Et præterea solùm in-

inde infertur, quòd sicut unica operatio est exercitium utriusque principij extrinseci, activi, & passivi, ita unica unio est exercitium intrinsecè principiandi respectu materiæ, & formæ; quod ultrò fatemur. Nec materia & forma sunt principia in lineâ essendi utcumque, sed in lineâ essendi complete; quo sensu actualitas essendi est unio ipsa. *Ad 3. neg. Conseq.*: quia non eadem ratio utrobique militat.

5 *Ad* 4.. Major inprimis obscura est, & absolutè falsa: nam Unum per se, dum simplex est, dicitur unum ab identitate prædicatorum; dum est compositum, dicitur unum ab unione partium ejusdem generis naturaliter unibilium, vel etiam ab unitate formę physicę, ut ait D. Thomas 2. contr. Gent. cap. 58.. Deinde Minor etiam est falsa juxtà Thomistas, si loquatur de Ente essentialiter sumpto; si enim *esse*, sive existentia, foret ratio formalis essentiæ, non distingueretur ab ipsa. Si verò loquatur de Ente prout existenti, sic ratio formalis erit existentia, vel simplex, vel composita, prout fuerit ipsum ens. Quodsi nomine *rationis formalis* intelligas differentiam physicam; tunc formalis ratio Entis compositi ut complete existentis, erit solum *esse* formæ, quin inde sequatur, quòd materia non habeat proprium *esse*; sicut ex eo quòd sola essentia formæ sit in hoc sensu ratio formalis essentię completæ, non sequitur, quòd materia non habeat propriam essentiam.

6 *Objic.* 4.: Generatio substantialis ab alteratione distinguitur in eo, quòd generatio dat esse simpliciter, alteratio verò dat esse secundùm quid: & hinc inferunt Aristoteles & D. Thomas contra veteres Philosophos, materiam primam non præsupponi ens actu; sic enim jam prehaberet esse simpliciter, foretque tota substantia rerum, juxta illud D. Thomę Opusc. 15. cap. 7., *Ubicumque ponitur materia Ens actu, nihil differt dicere materiam, & substantiam rei*: unde quæcumque forma superveniens foret accidentalis, tantùm afferens esse secundùm quid; ac proinde omnis productio foret alteratio. At, si materia propriam habet existentiam, presupponitur ens actu, & habens esse simpliciter: ergo de medio tollitur generatio, & forma substantialis.

7 *Confirm.*: Si materia presupponitur in actu ante formam, non est unde impugnentur dicentes materiam esse totam rei substantiam, ita ut omnis forma superveniens, sit accidentalis. Nam si dicas, materiam præsupponi in actu incompleto in genere substantiæ, qui expectat complementum ejusdem generis; petis principium: quia hoc ipsum est, quod Adversarij negant. Si dicas, materiam non præsupponi completam in specie ignis, aut lapidis, aut equi, &c.: dicent, similiter non presupponi completam in specie artefacti, nec in specie albi, calidi, &c., quin idcò complementa ista sint substantialia. Mitto recursus alios, quos fusè rejecit Palancus. Quibus addi potest ex Bayonâ, quòd forma ignis v. g. non est unde probetur substantialis.

Nam

Nam in primis non dat subjecto esse simpliciter ( siquidem subjectum per existentiam propriam supponitur absolutè & simpliciter esse in rerum naturâ ), sed tantùm esse cum addito, nempe esse ignem : hoc autem etiam dat forma accidentalis, nempe esse album, calidum, &c.. Deinde non dat esse subjecto secundùm se, sed tantùm composito ut tali : & hoc etiam præstat albedo respectu compositi ex ipsâ & subjecto resultantis. Denique, quòd à subjecto naturaliter exigatur, nihil probat : nam similiter calor ab igne exigitur.

8 *Respond. ad object.* Apud Aristotelem, & D. Thomam, nomine *Entis in actu* absolutè dicti, & habentis *esse simpliciter*, plerumque venit ens in actu physico, vel ens substantialiter completum, constitutumque in aliquâ specie physicâ elementorum, aut mixtorum. Idcircò materia non dicitur absolutè Ens actu, nec habens esse simpliciter, nisi per formam. Idcircò etiam materia foret tota substantia rei, si foret ens actu : sic enim esset substantia physice completa ; ac proinde non nisi ad formas accidentales ordinabilis. Unde sequeretur, quòd omnis nova productio esset alteratio, sive mutatio accidentalis ; nulla verò esset generatio, cum hæc dare debeat esse simpliciter, ideſt, esse substantiale physicè completum, atque adeò non illud præsupponat in materiâ. Aliquando tamen dicitur *ens simpliciter*, quod jam habet aliquod *esse* conditi nctum à nihilo : & hoc sensu generatio, quę est actio agentium creatorum, non dat esse simpliciter, nec facit Ens simpliciter, sed *ens hoc*, v. g. hominem, aut lapidem ; ut expresse docet D. Thomas 2. contr. Gent. cap. 16. & 21.

9 *Ad Confirm.* Quęre à Thomistis, unde probent formam substantialem à materiâ realiter distinctam, contra Cartesianos, & Atomistas ? An ex eo, quòd materia sit pura potentia nullum habens *esse*? At hoc ipsum est, quod negant illi Philosophi, contendentes, materiam esse totam rei substantiam : qui præterea dicent, Thomistas vitioso circulo ludere ; probant enim, materiam non esse ens actu, quia facit unum per se cum formâ substantiali ; formam autem esse substantialem probant, quia supervenit materiæ, tamquam enti in potentiâ, & non in actu. Constet ergo, probationem formæ substantialis aliunde petendam esse, quàm ex Thomisticâ potentialitate materiæ ; ut agnoscunt vel ipsi Thomistæ, qui, dum agunt contra Philosophos Corpusculares, argumentis utuntur longè diversis : v. g. quòd lupus & ovis substantialiter differunt, ut patet ex diversitate operationum, & proprietatum accidentalium, quæ diversam radicem substantialem necessariò supponit : sed non differunt in materiâ : ergo in aliquâ parte substantiali, quę materiæ superadditur, & illam contrahit ad certam speciem substantiæ completæ : hanc autem partem vocamus formam substantialem ; ex cujus positione rectè sequitur, quòd materia ex se non est substantia completa, sed ordinatur ad consti-

tit tenendum unum cum aliâ comparte ejusdem generis. Sed de hoc latiùs disp. 4.

10 Non ergo principium petimus, dum materiam dicimus esse in actu incompleto; sed hoc deducimus ex aliunde probatâ ordinatione illius ad complementum sui generis. Nec item ex incompletione materiæ probamus formam substantialem lapidis, aut equi: sed è converso, quia forma hæc aliunde probatur substantialis potiùs quàm forma artefacti, vel albi, calidi, &c., ideò materiam dicimus substantialiter incompletam. Præterea, quàmvis materia propriam existentiam habeat, potest à formâ ignis accipere esse simpliciter, ex num. 8.; quod quidem potest etiam vocari *esse cum addito*, non alienante, sed contrahente ad certam speciem substantiæ completæ. Et, licet subjectum ab eâ formâ non accipiat suum esse partiale, accipit tamen esse physicè completum; hoc enim à formâ simul datur composito per identitatem, & subjecto per unionem: qua in re convenit quidem forma ignis cum albedine; sed in eo differt, quòd illa dat esse substantiale, albedo autem accidentale: sicut etiam à calore differt in eo, quòd à subjecto exigatur ut complementum proprij generis, calor autem ut proprietas generis diversi.

11 *Obsic.* 5.: Existentia propria materiæ, nec potest cum materiâ identificari, nec ab eâ distingui. *Non identificari*: quia repugnat, quòd materia ipsa sit actus entitativus. 1.: quia foret alioquì non minùs actualis, quàm forma; nam actus entitativus non minùs est actus, quàm formalis. 2.: quia repugnat actus creatus, cui non respondeat potentia receptiva: materiæ autem nulla potentia receptiva respondet; alioquì non esset primum subjectum. *Non* deinde *distingui*: quia inde fieret, materiam pro priori ad formam, esse compositam ex subjecto & actu, nempe ex essentiâ & existentiâ. Hinc autem sequitur 1., quòd materia non comparatur ad formam ut primum subjectum, sed ut quid constitutum ex alio subjecto. Sequitur 2., quòd forma non est actus primus materiæ, cum adveniat post alium actum, scilicet post existentiam.

12 *Resp.*. Neutro ex capite benè impugnatur existentia materiæ. Non inprimis ex capite identitatis: quia non ideò materia erit æquè actualis, ac forma: cum enim actualitas idem sit, ac perfectio, præsertim specificativa, ac distinctiva, illud est actualius, quod est perfectius, magisque vim habet specificandi, ac distinguendi: quo in munere actus formalis superat entitativum cum materiâ identificatum; quia non solùm se ipsum, sed totum etiam compositum specificat. Quod autem repugnet actus creatus, cui non respondeat potentia receptiva, verè est de actu respectivo, non de absoluto, ut patet in substantiâ Angeli. Vide cap. præced. à n. 3. ad 5.

13 Dices: talis actus absolutus erit actus purus, utpotè carens omni potentialitate. Sed quæro abs te, cur substantia Angeli non sit actus

tus purus, omnis potentialitatis expers? Si dicas, substantiam Angeli, quàmvis non dicat ordinem ad potentiam receptivam, in quâ recipiatur, secum tamen identificare potentiam receptivam suarum proprietatum, & operationum; id tibi dictum puta de materiâ, quæ pariter secum identificat potentiam receptivam formarum substantialium, & accidentalium. Insistes: actus & potentia non possunt identificari, cum sint differentiæ entis oppositæ. Sed quomodò identificantur in Angelo? quomodò etiam in Animâ rationali, quæ simul est actus corporis, & potentia receptiva proprietatum, & actuum spiritualium? Non alia certè ratio est, nisi quia actus & potentia non sunt respectu ejusdem termini: quod pariter verificatur in materiâ; quippe quæ non est actus respectu formarum, ad quas est potentia, sed solùm est actus, quatenùs est in se perfectio quædam excludens suum nihilum.

14 Non deinde ex capite distinctionis, quam in præsenti permittimus. Nam, si essentia ab existentiâ distinguitur, subjectum receptivum formæ est sola essentia materiæ, & hæc non constituitur ex alio subjecto, nec in alio recipitur; ac proinde est subjectum primum. Requirit quidem essentia hæc actum existentiæ, ut constituatur actualiter potens recipere formam: attamen existentia non est potentia receptiva formæ, ne partialiter quidem; sed est tantùm conditio essentialiter requisita, ut essentia materiæ gerat munus potentiæ receptivæ. Sic, juxtà Thomistas, causa efficiens nequit intelligi simpliciter potens operari sine propriâ existentiâ; quæ tamen non est virtus operativa, sed conditio essentialiter requisita, ut essentia operetur. Sic etiam Voluntas non est proximè potens amare sine cognitione objecti; quæ tamen cognitio non est virtus amandi, sed conditio.

15 Forma item est actus primus materiæ, non ordine executionis, sed ordine intentionis, & dignitatis: quia est actus ille, quem primariò & principaliter natura intendit, & propter quem exequitur alios actus; natura enim præcipuè intendit esse compositi, quod à formâ provenit: priùs tamen exequitur actum existentiæ materiæ, & illos etiam actus accidentales, quibus materia ultimò disponitur ad substantialem formam. *Replic.*: existentia materiæ est actus substantialis: ergo materia pro priori ad formam componitur ex subjecto & actu substantiali: ergo jam est compositum substantiale. Mitum, si hoc objiciant Thomistæ. Nam similiter probari poterit, quòd Angelus est Compositum substantiale, constitutum scilicet ex essentiâ & existentiâ, tanquàm ex subjecto & formâ substantiali: vel etiam, quòd omne corpus naturale continet compositum substantiale duplex, alterum ex essentijs materiæ & formæ, alterum ex utrâque essentiâ ut subjecto, & ex actu existentiæ superadditio. Omnibus ergo dicendum est, quòd existentia (si ab essentiâ distinguitur) vel non est actus substantialis, vel certè non est actus de lineâ physicâ, sed

de lineâ metaphysicâ, ideòque non efficit compositionem physicam.

16 *Objic.6*: si dantur in composito existentiæ partiales, ex his resultabit existentia composita per se una: hoc autem impossibile est; quia unum per se non resultat nisi ex actu & potentiâ; & una existentia nequit esse potentia respectu alterius. *Resp.*. Si existentia realiter identificatur cum essentiâ, potest, & debet existentia materiæ esse potentia respectu existentiæ formæ, non quidem ut per illam reddatur existens in suâ entitate partiali, sed ut reddatur physicè completa. Si verò distinguatur ab essentiâ, ut nunc permittimus, dubitari posset de proportione actus & potentiæ inter existentias materiæ & formę, præsertim si non sint res, sed modi. Nihilominùs eam proportionem admittimus ex doctrinâ, quam in simili tradit Exim. Doctor disp. 34. Metaph. sect. 5. à n. 22., dicimusque, existentiam materiæ esse perfectibilem, & actuabilem per existentiam formę, & ex utrâque fieri existentiam compositam per se unam.

17 Sed contrà hoc multa replicant Thomistæ. 1.: repugnar, quòd una existentia reddatur existens per alteram, nec completè, nec incompletè; sicut repugnat, quòd una quantitas, aut qualitas, reddatur quanta, vel qualificata per alteram, etiam cum addito *completè*. *Resp.*. Existentia materiæ per existentiam formæ non redditur existens in suâ specie partiali & incompletâ, sed tantum in specie physicâ completâ, v. g. in specie ignis, aut lapidis: quâ in re non major est repugnantia, quàm in eo, quòd una essentia, vel substantia partialis, per aliam reddatur habens essentiam, vel substantiam in specie completâ. Exemplum quantitatis non est ad rem; quia quantitas nullo titulo probatur apta ad unionem cum aliâ quantitate, nisi in lineâ integrali, seu continuativâ. At existentia correspondet essentiæ, ac proinde, ubi essentia est composita ex duabus partialibus, debet existentia similiter esse composita; quia *Unumquodque secundùm suam essentiam habet esse*, ut ajebat D. Thomas 3. cont. Gent. cap. 7.. Exemplum qualitatis retorquetur: nam potentia intellectiva, quæ juxta Thomistas est qualitas, recipit suos actus & habitus, qui sunt etiam de genere qualitatis.

18 *Replic. 2.*: una forma physica non est actuabilis per aliam, nec una differentia metaphysica per aliam determinabilis: ergo nec una existentia potest actuari, & perfici per aliam. *Resp.*. Antecedens falsum est de formâ physicâ accidentali, ut patet exemplo intellectivæ potentiæ, atque etiam quantitatis, quæ per qualitates actuatur. De substantiali formâ idem dicunt, qui formam corporeitatis defendunt: & qui aliter sentiunt, moventur eâ ratione, quam indicavimus cap. præc. n. 26., & quæ non militat in existentiâ materiæ. Alterum exemplum planè retorquetur: nam differentiæ metaphysicæ subalternæ per differentiam infimam determinantur.

19 *Insistes*: existentia com-

pa-

parari debet ultimæ differentiæ; quia est actus secundus in lineâ entis; & actus secundus cujusvis lineæ, est ultimus in eâ. Hinc D. Thomas q. 7. de pot. ar. 2. ad 9. dicit, quòd *esse* nihil additur *quod sit eo formalius, ipsum determinans, sicut actus potentiam. Resp.* Existentia est actus secundus potentiæ objectivæ, & est actus ultimus in lineâ entis, non quomodolibet accepti, sed ut discreti à nihilo, prout fuerit essentia, partialis, vel totalis: quare existentia materiæ reddit essentiam ejus ultimò positam extrà nihilum sui. Cum hoc tamen benè cohæret, quòd sit ulteriùs actuabilis in lineâ entis physicè completi; sicut ultima differentia essentialis actuatur ulteriùs in lineâ individuali. D. Thomas loquitur ibi de *esse* completo, & subsistenti per modum suppositi, ut constabit attentè legenti.

20 *Reptic.* 3.: repugnat existentia partialis & potentialis. *Prob.* 1.: existentia in communi, cum ex formali suo conceptu sit actualitas, non est contrahibilis per id, quod secundùm ultimam differentiam est extra lineam actus: sed existentia potentialis est extra lineam actus secundùm ultimam differentiam sui, quę est potentialitas: ergo &c. 2. primum in quocumque genere, est in eo genere completum; quia est id, à quo cætera sunt talia, & non participat ab alijs, v. g. relatio in lineâ referendi, quantitas in lineâ extendendi, forma in lineâ dandi speciem: sed existentia est primum principium in genere existendi: ergo repugnat existentia, quæ non sit completa. 3.: existentię non datur existentia: quia est ratio formalis existendi, & rationis formalis non datur alia ratio, alioquin daretur actionis actio, & unionis unio: ergo repugnat existentia partialis, quæ sit potentia ad aliam existentiam.

21 *Resp. neg. assumpt.*, quin obstent probationes. *Ad* 1. Potentialitas, quæ invenitur in existentiâ materię, non est extra lineam actus metaphysici (de quâ lineâ est actualitas existentiæ in communi), cum sit formalitas contrahens existentiam ut sic: solùm ergo est extra lineam actus physici, in quâ tantùm lineâ est actuabilis per existentiam formæ; hæc enim ad illam comparatur, non ut actus metaphysicus, aut entitativus, sed ut actus physicus. *Ad* 2. Multa ibi dicuntur gratis, aut indigestè. Numquid tam materia, quàm forma, non est primum principium in genere constituendi corpus naturale? An propterea quælibet earum est quid completum in hoc genere? Si dicas forsan, quamlibet earum esse completam in suo genere partiali, alteram in genere primi subjecti, alteram in genere actus; dicam pariter, existentiam materię esse completam in genere existendi subjectivo (in quo solo erit primum principium), non verò in omni genere existendi. *Ad* 3. In eo sensu, in quo existentia est ratio formalis existendi, nequit actuari per aliam existentiam: unde, quia existentia materiæ est ratio formalis ponendi essentiam ejus extra nihilum, in hoc sensu non indiget aliâ. Cæterùm, quia non est ratio

for-

formalis existendi in specie physicâ completâ, ideò in hoc sensu potest actuari per existentiam formæ.

22 Ex dictis facilè solves alias objectiones: ut, quòd *esse est propter operari*, juxtà vetus adagium; & materia prima nullam habet operationem propriam. Item, quòd substantialis forma debet dare subjecto primum *esse*: tum quia in hoc differt à formâ accidentali: tum quia *esse*, quod non est primum, non est fundamentale, & substans omnibus: ergo non est substantiale. Hæc, inquam, facilè solves. Primum; si intelligas illud *operari* de operatione, vel propriâ ipsius *esse*, vel compositi ex tali *esse* constituti: vel si dicas, quòd *esse* est propter *operari* in rebus activis; at in passivis est propter *pati*. Secundum; si dicas, *esse* substantiale, quod à formâ datur, esse *primum*, idest primarium, & principale, cujusmodi non datur ab accidentibus: esse item fundamentale, & substans omnibus, quæ superveniunt enti physicè completo.

*Solvitur Argumentum desumptum ex distinctione permissâ inter essentiam & existentiam.*

23 *Objic. ult.*: si essentia distinguitur ab existentiâ, ut modò permittimus, ruit præcipuum nostræ sententiæ fundamentum. Nam essentia materiæ (ut & rei cujuslibet) est causa materialis, & subjectum sustentativum suæ existentiæ, atque adeò pro signo priori ad existentiam intelligitur producta, distincta à nihilo, exigens, & potens recipere actum existentiæ: & tamen nondum intelligitur existens, ut est manifestum: quámvis ergo similia verificentur de materiâ pro priori ad formam, ut prima nostra probatio ponderabat, non ideò materia debet intelligi existens ante formam.

24 *Resp.* Negandum est omninò, quòd essentia sit causa materialis existentiæ suæ, quámvis ab eâ distinguatur. 1.: quia sequeretur inde, quòd essentia causaret semetipsam quoad primum *esse*, foretque sibi ipsi verè, ac propriè causa essendi, ac sibi deberet existentiam in vero ac proprio sensu: causa enim materialis, juxtà Thomistas, est vera & propria causa. 2.: quia materialis causa sustentativa dicitur illa, ex quâ, tamquam ex præsupposito subjecto, educitur aliqua forma: si autem existentia educeretur ex essentiâ, cujus est, sequeretur, quòd existentia omnis creaturæ foret educta; atque adeò etiam existentia animæ rationalis, aut Angeli, educta esset: hoc autem dici non posset, nisi absurdè dicatur, quòd Angelus ut actu existens, non est creatus, sed genitus.

25 Itaque, si essentia & existentia distinguantur, utraque produci debet per eamdem actionem, ita ut repugnet productio terminata ad essentiam, quin simul terminetur ad existentiam. Tum quia *Productio rei terminatur ad esse rei*, ut inquit D. Thomas q. 5. de verit. art 4. ad 6.: & *Omnis actio activæ potentiæ terminatur ad esse*, ut ait idem Ang. Doc-

Doctor q. 1. de pot. ar. 3. *corp.*. Tum quia non aliter quidditas creatur, nisi quatenùs ipsi tribuitur *esse* per creationem, ut item docet D. Thomas q. 3. de pot. ar. 5. ad 2. Tum etiam, quia ita docet expressè Thomistarum Princeps Capreolus in 1. dist. 8. q. 1., de mente D. Thomæ dicens: *Esse non se habet ad essentiam, ut accidens ad subjectum: & ideò non oportet, quòd essentia prius creetur, quàm esse; sed eâdem creatione producitur essentia, & adquiritur esse.* Idem Author docet ibidem, quòd, dum essentia creationem terminat, existentia est ratio formalis terminandi, & formalis terminus creationis.

26 Hinc negandum est, quòd essentia intelligatur producta pro priori ad existentiam: potiùs enim, si fieri posset, existentia deberet intelligi producta pro priori ad essentiam, cum hæc non terminet productionem, nisi ratione existentiæ. Certè repugnat, quòd aliquid actionem terminet præscindendo à ratione formali terminandi; sicut implicat, quòd objectum visibile terminet visionem præscindendo à colore, seu luce, quæ est ratio formalis cur videatur. Negandum item, quòd essentia respectu existentiæ prioritatem ullam physicam habeat. Tum quia prioritas physica fundatur in munere causæ; quod munus habere nequit essentia respectu existentiæ, ut vidimus. Tum etiam, quia termini per eamdem actionem producti, debent intelligi in eodem naturæ signo indivisibili, saltem quando unus est alterius ratio formalis cur producatur.

27 Negandum præterea, quòd essentia respectu existentiæ sit *subjectum sustentativum*, si hoc nomen accipiatur, ut solet, pro causâ materiali, vel subjecto, ex quo præsuppositio educitur forma. Si autem præter morem accipiatur pro subjecto, sine quo stare nequit forma, quæ tamen ab eo in nullo genere causetur; transeat quòd essentia dicatur subjectum sustentativum existentiæ: cæterùm hoc genus subjecti nullam requirit prioritatem physicam. Rectiùs essentia respectu existentiæ vocabitur subjectum *adhæsionis*, sicut Nostri dicere solent de substantiâ Angeli respectu modi creationis, quem terminat. Vel dicatur, si placet, subjectum *puræ informationis*, de cujus conceptu non est prioritas; ut notavimus cap. 2. n. 15. Quocircà falsò dicitur, quòd essentia pro priori ad existentiam intelligitur producta, distincta à nihilo, & physicè potens recipere existentiam: nam, ut ait D. Thomas q. 3. de pot. ar. 5. ad 2., *Quidditas, antequàm esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia.* Quidditas ergo, dum concipitur ante existentiam, non concipitur potens, nisi logicè, vel objectivè.

28 Quodsi aliquando indicat D. Thomas, essentiam præsupponi ad existentiam more subjecti receptivi, debet intelligi vel de prioritate logicâ, vel de prioritate connotativâ, seu ex modo nostro concipiendi, quatenùs essentiam concipimus per species subjecti præsuppositi, sicut Angelum per species

ju-

juvenis. Ubi nota, quòd existentia rei substantialis, licèt ab essentiâ distinguatur, non est accidens physicum, sed reducitur ad genus substantiæ, juxtà Thomistas, nominatim Capreolum loc. cit.. Quare existentia substantiæ per creationem productæ non indiget subjecto præsuppositò: existentiâ verò substantiæ genitæ, vel eductæ, habet quidem subjectum præsuppositum, sed illud ipsum, quod habet essentia, cujus est.

29 Nota insuper, quòd essentia, sive pro priori, sive concomitanter, non potest concipi actualis, sive in actu posita, præscindendo ab existentiâ; sed utsummùm poterit concipi præscindens ab actuali & possibili, sive ab statibus possibilitatis & existentiæ. Quare potentia propria subjecti adhæsionis, vel informationis, quam habet essentia respectu existentiæ, non potest intelligi actualis & physica, nisi per existentiam ipsam, per quam habet essentia, non quidem quòd sit absolutè potens & apta ad existendum, sed quòd sit tali modo potens, scilicet actualiter, & physicè. Non absimiliter discurrit Collegium S. Thomæ q. 7. Physic. ar. 3. §. 3.; nisi quòd prioritatem admittit, quam nos negamus.

30 Ex his habes, quo sensu admitti possit hypothesis de distinctione essentiæ ab existentiâ. Non enim tenemur eam admittere cum ijs omnibus conditionibus, quas Thomistis placeat statuere; sed cum illis tantummodò, quas dictat ratio, & auctoritas D. Thomæ, magnorumque Thomistarum, & quæ nullam repugnantiam involvunt præsentis controversiæ propriam. Sic autem admissa hypothesis nullo modo infirmat argumenta nostra, ut patebit consideranti.

### *Decidituar ex dictis quæstiuncula duplex.*

31 EX dictis inferes 1., quid dicendum ad quæstiunculam hìc excitari solitam, An scilicet, suppositâ distinctione essentiæ ab existentiâ, possint Divinitùs materia & forma privari proprijs existentijs partialibus, & existere per eamdem existentiam, quæ sit unica totius Compositi? Affirmandum enim est, dummodò tamen unicâ actione concomitanter creentur materia & forma simul cum ejusmodi existentiâ, vel, si distinctis actionibus producantur, utraque actio sit creatio, & utraque ad existentiam illam indivisibilem terminetur. Ratio affirmandi est, quia in hoc eventu miraculoso cessarent inconvenientia omnia suprà tacta; & aliunde nulla contradictio apparet.

32 Inferes 2. decisionem alterius quæstiunculæ hinc suborta, Utrùm scilicet in eo eventu existentia illa totalis & indivisibilis, dicenda esset propria materiæ potiùs, quàm formæ? an è converso? Respondebis enim, illam futuram ex æquo propriam utriusque. Quia foret existentia valde diversa ab his, quibus de facto & connaturaliter existunt materia & forma, videlicet non

non præcisè commensurata cum essentiâ partiali formæ, aut materiæ, sed ex se destinata, ut utramque simul redderet existentem. Unde talis existentia non potiùs exigitur à materiâ, quàm à formâ, vel è converso; nam ab utrâque exigitur naturaliter partialis existentia sibi commensurata, & ex suppositione quòd ista denegetur, ab utraque exigitur existentia illa totalis ratione juris, quod utraque habet ad existendum. Existentia autem, quę eodem modo exigitur à materiâ, & formâ, & in utriusque gratiam producitur, & in eodem signo communicatur utrique, non est cur dicatur propria magis unius, quàm alterius.

# DISPUTATIO III.

## RELIQUA DE MATERIA PRIMA DISCUTIUNTUR.

### CAP. I.

### *DE APPETITU MATERIÆ primæ erga formas.*

1 APPETITUS est inclinatio, seu propensio rei in bonum. Alius est *elicitus*, alius *innatus*, vel *naturalis*. Appetitus *elicitus* (ita dictus, quia elicitur, seu producitur à potentiâ appetitivâ tam quam actus ab eâ distinctus) est inclinatio in bonum præcognitum ab appetente. Varias sortitur divisiones, quæ non sunt hujus loci. Pro re præsenti, notanda est ejus divisio in Amorem strictum, Desiderium, & Gaudium. Amor strictus est appetitus boni, præscindendo ab ejus absentiâ, & præsentiâ, non illud procurando, sed ejus bonitatem purè diligendo. Desiderium est appetitus boni absentis, ita ut illud procuret, & quantum in se est, causet, vel causare conetur. Gaudium est appetitus, quo quis de bono præsenti delectatur.

2 Communis jam doctrina est, ad desiderium non requiri, quòd bonum sit absens positivè, seu quòd detur carentia boni in instanti desiderij; sed sat esse, quòd sit absens præcisivè, sive quòd in signo priori ad desiderium non cognoscatur præsens, sed ab ejus absentiâ vel præsentiâ præscindatur; quamvis pro posteriori existat tale bonum tamquâm effectus desiderij. Sic in eodem instanti, quo justus desiderat augmentum gratiæ, ut Deo sit conjunctior, gratiam obtinet in præmium desiderij ipsius.

3 Si obiicias paritatem gaudij, quod requirit positivam præsentiam boni, saltem apprehensam: *resp.*, latum esse discrimen ex conceptu, & indole utriusque ap-

petitus. Character enim gaudij est tendere in bonum, non ut fit, sed quia est; non practicè conando adquirere, sed ut jam adquisitum approbando quasi reflexè: ad hoc autem necesse est persuasum habere, quòd bonum adest. At character desiderij est tendere in bonum, ut fit, sive ut adquiratur; ideoque est appetitus practicus, & procurativus sui objecti: ad hoc autem sufficit, quòd nondùm sciatur bonum adesse, quàmvis non appareat positivè absens. Si rursus objicias proloquium illud, *Privatio est causa appetitus*, scilicet desiderij, quod antonomasticè *appetitus* dicitur. *Dist.*; est causa unica, *neg.*; est causa sufficiens, *conc.*. Vel aliter: privatio, quæ nondùm cognoscitur exclusa, *conc.*; privatio, quæ positivè noscitur adesse, *neg.*.

4 Appetitus *innatus*, impropriè, & metaphoricè dicitur *appetitus*, ob quamdam proportionem, quam habet cum *elicito*, sicut cum humano risu risus prati. Vocatur itaque *appetitus innatus*, exigentia illa naturalis, quam res omnes habent ad bona sibi convenientia; ut cùm levia exigunt ferri sursùm, gravia deorsùm. *Res omnes*, inquam: nam, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 26. ar. 1. ad 3., hujusmodi exigentia, vel appetitus, *est universaliter in omnibus rebus*: consistit enim, vel fundatur in connaturalitate; & *unaquæque res habet connaturalitatem ad id, quod est sibi conveniens secundùm suam naturam.* Hinc etiam rebus supernaturalibus inest appetitus innatus: sic enim Gratia habitualis appetit uniri cum animâ rationali, & Lumen gloriæ producere Visionem beatam. Nequis autem putet, recentem esse metaphoræ istius usum in rebus inanimis, legat elegantem Magni Augustini locum *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 28.

5 Hujusmodi exigentia, vel appetitus naturalis, consistit in connaturalitate, ut nunc tetigi. Connaturalitas autem nihil est aliud, quàm proportio, & ordinatio nativa rei ad bonum sibi conveniens secundùm suam naturam: quæ proportio, & ordinatio, vera & propria est, quàmvis impropriè significetur nomine *appetitus*; sicut propria est pratorum amœnitas, nomine *risus* impropriè significata. Ita connaturalitas plerùmque importat connexionem, seu necessitatem obtinendi terminum; tunc que dici potest appetitus efficax; sic tamen, ut efficacia, vel connexio, varios gradus admittat: aliquando enim est frustrabilis per Agens naturale fortius, aliquando per solum Deum, aliquando per nullam potentiam, quandiù res permanet, ut connexio unionis cum extremis, vel actionis cum termino. Interdum tamen ea connaturalitas non fundat necessitatem, sed meram congruentiam; tunc que vocari potest appetitus inefficax, & sine violentiâ separabilis est ab effectu, v.g. connaturalitas aëris ad lucem.

6 Ex his colliges 1., res naturales non appetere innatè, nisi bonum ex se naturaliter possibile: quia hoc solum esse potest *se undùm*

*dùm naturam* talis rei: nec in re naturali datur proportio, & ordinario nativa ad bona supernaturalia, maiorque minus connexio, vel efficacitas obtinendi. Colliges 2., ad appetitum innatum non sufficere meram capacitatem aliquid recipiendi; ut patet in aquâ respectu caloris, vel in animali respectu doloris, vel in vase respectu liquoris. Requiritur ergo connaturalitas nuper explic. 1. Colliges 3., dari quoque in rebus odium, fugam, & aversionem innatam, in malum naturæ suæ contrarium. Id quod fundatur partes in analogiâ cum odio elicito, &c.

9 Multis differt appetitus innatus ab elicito. 1.: quia elicitus consistit in actu distincto à potentiâ appetente: innatus verò identificatur cum re ipsâ, vel potentiâ, quæ immediatè appetit. Dico *immediatè*: quia sæpe res appetunt innatè aliquid medio accidenti, quod radicant, vel exigant; & tunc appetitus proximus identificatur cum tali accidenti. Sic lapis appetit innatè centrum mediâ gravitate, & materia prima extensionem mediâ quantitate, vel formam igneam præ alijs medio calore. Appetitus tamen, quo lapis appetit gravitatem ipsam, aut materia quantitatem, identificatur cum lapide, vel materiâ. 2., & consequenter: quia elicitus variari potest, stante eâdem potentiâ: innatus verò invariabilis est, non variatâ re appetitivâ, utpote cum ipsâ identificatus.

8 3.: quia elicitus cognitione appetentis prævià dirigitur; innatus verò solâ dirigitur cognitione Dei ut naturæ Autheris, qui res omnes ad suos fines, & status connaturales sapienter ordinat; quo sensu dicitur, *opus naturæ* esse *opus intelligentiæ*, scilicet Divinæ. 4.: quia elicitus potest esse inordinatus, & superflua, vel inutilia velle: innatus verò utpote à Deo inditus, semper est ordinatissimus, & non nisi ad necessaria, vel saltem verè utilia fertur. Unde Aristoteles appetitui innato prudentiam attribuit. Ex quibus deduces, non esse quærendam omnimodam similitudinem inter appetitus innatum, & elicitum, sicut non quæritur inter risus pratì & hominis. Rem oculis habeto, verlari nos in metaphorâ. Sed jam ad appetitum Materiæ primæ, qui non nisi innatus esse potest, deveniamus.

## *Materia prima efficaciter innatè appetit Formas sæpè sumptas.*

9 ASsertio est passim recepta, vix que indiget probatione. Nam inprimis constat, materiam naturaliter ordinari ad formam, tanquam ad bonum sibi connaturale, quo scilicet perficitur, ac substantialiter completur. Talis autem ordinatio est appetitus innatus, ut vidimus. Constat deinde, materiam connecti naturaliter cum formâ, ut probabimus cum communi sententiâ cap. 3. Hæc autem connexio est efficacitas appetitus, ex num. 5. Constat demum, materiam ex se indifferentem esse ad quamlibet for-

mam sublunarem, ita ut quâvis earum substantialiter compleatur, & contenta sit. Non enim appetit plures simul habere, utpote sic naturaliter impossibiles. Nec item appetit plures successivè: tum quia sic violenta foret sub formâ tenaciori, v.g. adamantis: tum quia perpetuò foret irrequieta, cum, statim ac unam formam obtineret, inhiaret aliam: cur enim magis post annum, quàm statim à primo instanti? Materia igitur appetit aliquam formam vagè sumptam; quemadmodùm qui appetit aliquem equum ad equitandum, vel aliquem cibum, ne fame pereat.

10 Sed *nota*, materiam considerari posse in triplici signo. Primum est *signum potentiæ remotæ*, in quo materia intelligitur secundùm suam tantùm entitatem pro priori, non modò ad formas, sed etiam ad omnes dispositiones, indifferens quæ ut recipiat dispositiones quascumque, sive ignis, sive lapidis, &c.. Secundum est *signum potentiæ proximæ*, in quo materia intelligitur quidem prior formâ, sed jam cum dispositionibus ad illam, atqueadeò jam non indifferens ad varias species formarum, sed determinatè connexa cum formâ unius speciei, v. g. ignis. Tertium est *signum potentiæ actu recipientis* formam: in quo signo materia ad nullam aliam formam est indifferens.

11 Assertio ergo proposita loquitur de materiâ in primo signo considerată: si enim ejus appetitus vagatur per omnes formarum & dispositionum species. Si autem applicetur ad secundum signum, datur quidem appetitus determinatus quoad speciem formarum, non in solâ entitate materiæ, sed in dispositionibus consistens: adhuc tamen est indeterminatus quoad varias formas individuas ejusdem speciei; nam formas quoad individuum solus Deus determinat. Demùm, quòd in tertio signo nulla sit indifferentia, nihil aliud sonat, quàm quòd una forma non est indifferens ad alias.

12 Nihilominùs contra Assertionem *objic.* 1.: appetitus sequitur ad formam; sed materia secundùm se nullam habet formam: ergo nec appetitum. *Objic.* 2.: si appetitus materiæ extenditur ad omnes formas, semper erit violentus, cum nunquam possit omnes assequi, utpotè infinitas. *Objic.* 3.: vel materia, dum est sub unâ formâ, adhuc appetit alias, vel non. Si appetit: ergo 1. semper erit irrequieta, & fastidiens formam præsentem: ergo 2. semper appetet ruinam compositi, quod constituit; nequit enim aliam formam obtinere, nisi amittendo quam habet. Si non appetit: ergo nunquam appetit formas absentes; quia nunquam existit, nisi sub formâ. Hæc tamen facilè diluuntur.

13 *Ad* 1. *dist. Maj.*: appetitus substantiæ completæ, *conc.*; substantiæ incompletæ, *neg. Maj.* & *concess. Min.*, *neg. Consequ. Ad* 2.: verum id esset, si appetitus extenderetur ad omnes formas collectivè, aut successivè. At non extenditur ad omnes, nisi vagè; & appetitui vago satisfit, si vel unus ex plu-

pluribus terminis concedatur; ut in appetitu elicito passim accidit. *Ad 2.*: concedo primam partem, & nego utramque Consequentiam. Appetitus enim materiæ, cum in ejus entitate consistat, idem invariatus perseverat sub formâ quâlibet præsente: &, cum solùm vagè feratur in omnes formas, non est irrequietus, dum unam obtinet, nec eam fastidit, nec ejus ruinam cupit; sed eâ contentus est, paratus tamen similiter contentus esse quâlibet aliâ, si advenerit. Id quod patet exemplo appetitus eliciti cupientis aliquem equum ad iter agendum, si nimirùm perseveret idem actus, postquam obtinet equum A. Aliud est non resistere ruinæ compositi præsentis; aliud eam appetere.

14 *Replic.* 1.: appetitus materiæ identificatur cum ejus entitate determinatâ: ergo non est indeterminatus, aut vagus. *Dist. Conseq.*: non est indeterminatus subjectivè, aut entitativè, *conc.*; terminativè, *neg. Conseq.*; non enim connectitur cum formâ determinatâ, sed cum aliquâ ex pluribus. Res est clara, & mille exemplis obvia, tum appetitus eliciti, tum connexionis naturalis, quæ sæpe vaga est terminativè, v. g. connexio libertatis cum amore vel odio.

15 *Replic.* 2.: materia formam appetit eo modo, quo forma potest existere; sed non potest existere, nisi determinata; repugnat enim à parte rei quidquam existere indeterminatum, & vagum: ergo materia formam appetit determinatam. *Dist. Maj.*: formam unam præ alijs, *neg.*; formam unam è multis, quæ sit individua, ac designabilis, dum existit, *conc. Maj.* Tum *dist. Min.*: nisi determinata, idest, una præ alijs, *neg.*; nisi determinata, id est, individua, ac designabilis, quæcumque illa sit, *conc. Min.*; & similiter *dist. Conseq.* Itaque materia appetit sibi dari formam, quæ, dum existit, verè sit individua, ac designabilis, atque adeò determinata. Cum tamen possibiles sint plures formæ determinatæ, quarum quælibet materiæ sufficit, idcircò materia non determinat unam præ alijs, sed hanc determinationem relinquit alijs causis, præsertim Causæ primæ. Exempla, & instantiæ habes in appetitu elicitu, & [illegible] connexione vagâ [illegible], quâ ab alienâ determinatione pendet.

16 Moneo tamen, ne connexio indeterminata (idem est de appetitu) cum conditionali confundatur, quasi solùm petat unum extremum sub conditione quòd non detur alterum. Differunt enim 1.: quia indeterminata potest esse efficaciter illativa alicujus è pluribus terminis: conditionalis verò nihil absolutè infert, donec ponatur conditio, sed interim quasi suspenditur; nec conditionem ipsam, aut ejus carentiam inferre debet; alioquin jam erit connexio absoluta. 2.: quia, ubi adest connexio propriè conditionalis, priùs debet poni conditio, quàm ponatur conditionatum: at connexio indeterminata sæpe fertur in extrema, quorum unius exclusio non est prior, nec pos-

posteriori positione alterius; & tunc impropriè dicitur exigi unam sub conditione quòd non detur alteram. Sic accidit in re præsenti: nam exclusio unius formæ a materiâ non præcedit, sed subsequitur introductionem alterius formę.

17 3.: quia sæpe datur connexio vaga cum extremis immediatè contradictorijs, v. g. connexio Dei cum Mundo, vel Mundi carentiâ. Tunc autem locum non habet connexio conditionalis. Inepte quippe diceres, exigi Mundum sub conditione quòd desit Mundi carentia; cùm idem formaliter sit deesse carentiam Mundi, ac dari Mundum. Dices: cùm adest connexio vaga inferens unum è duobus, verè colligimus dari unum, si non datur alterum. Fateor: verum hic dicendi modus non est propriè conditionalis, sed arguitivus, aut illativus à posteriori. Sic hæc propositio, *Si Petrus loquitur, linguam habet*, non est conditionalis, quasi locutio Petri sit conditio, ut linguam habeat; sed est arguitiva, & sic exponenda: *Petrus loquitur, ergo linguam habet.* Eodem modo exponi debet in re præsenti propositio hæc: *Materia, si non habet hanc formam, habet aliam.*

*Materia prima æqualiter appetit omnes Formas appetitu efficaci: appetitu tamen inefficaci magis appetit Formas perfectiores.*

18 Sic in concordiam redigo contrarias Authorum sententias: quorum aliqui absolutè volunt, materiam magis appetere formas perfectiores, quàm imperfectiores: plerique verò id absolutè negant. Voco autem appetitum efficacem, qui termini positionem infert, nisi obsistat causa robustior; seu qui violentiam patitur, si frustretur: inefficacem verò, qui sine violentia carere potest effectu, instar simplicis velleitatis, aut inclinationis elicitæ. *Probatur* ergo *prima pars.* 1. ex indifferentiâ naturali ad omnes formas sublunares, quam omnes agnoscunt in materiâ. Talis quippe indifferentia stare nequit cum appetitu efficaci ad has formarum species præ alijs, ita ut sub unis contenta sit, sub alijs violenta. Sic lapis non est naturaliter indifferens ad motum sursùm, vel deorsùm.

19 Urgetur: nemo negat, quamlibet formam esse bonum connaturale materię: at non ita esset, si materia efficaciter appeteret formam vitalem v. g. præ non vitali. Patet hoc, tum ratione: quia nequit esse bonum connaturale materiæ, quod facit materiam esse violentam, & privari bono efficaciter appetito; ficuti faceret forma non vitalis in materiâ existens. Tum exemplo: nam ideò calor non est connaturalis respectu aquæ, quia privat aquam frigore, quod illa efficaciter appetit, indeque facit esse violentam.

20 2.: quia ex contrariâ sententiâ sequeretur, omnes individuas totius Mundi materias actu esse violentas, præter eas, quæ per animas rationales informantur: imò

&

& istas quoque violentas esse, quia privarentur aliis animabus possibilibus, quæ perfectiores fiat existentibus de facto. Sequela autem absurda est, & à nemine concedi uidetur. Frustrà quippe materiæ datus esset appetitus efficax, qui ex directâ intentione Authoris naturæ semper violaretur. 3.: quia appetitus efficax ad formas perfectiores foret inordinatus, tum quia insatiabilis, tum quia contrarius bono totius Universi, quod per se exigit varietatem, & inæqualitatem formarum. At appetitus innatus, nequit esse inordinatus, ut suprà notavimus. Ex his colliges, appetitum efficacem materiæ solùm tendere in formas sub ratione genericâ complementi substantialis, quæ ratio æquè verificatur in singulis.

21. *Probatur secunda pars.* Forma equina v. g. secundùm perfectionem specificam, per quam excedit formam lapideam, est bonum connaturale materiæ; sed appetitus innatus fundatur, vel consistit in connaturalitate, ut suprà dictum est cum D. Thomâ: ergo materia innatè appetit formam equinam secundùm excessum perfectionis suprà lapideam, atqueadeò appetitu non communi, & indifferente ad utramque, sed speciali, & majore. Consequentia videtur legitima, Minor indubia, & Major satis clara: nam perfectio specifica formæ equinæ proculdubiò materiam perficit, & quidem connaturaliter, utpotè per se instituta ad illam perficiendam.

22. *Urgetur.*: forma equina magis perficit naturaliter materiam, quàm lapidea: ergo est bonum naturaliter magis utile, magisque commodum materiæ. Sed materia nequit non habere specialem inclinationem innatam ad bonum sibi naturaliter utilius, & nullo titulo noxium. Patet hoc, tum ex connaturalitate ipsâ, tum paritate appetitus eliciti, & quidem recti, ac prudentis, cujus ad instar cogitamus appetitum innatum. Dices: appetitus elicitus ducitur cognitione discernente inter majus, & minus bonum; non ita innatus. Sed contrà est, quod innatus dirigitur cognitione Authoris naturæ, vi cujus, sicut discernit inter bonum, & malum, seu inter commodum, & incommodum, poterit etiam discernere inter bonum majus, & minus.

23. Sed contrà *primam partem objicies.* 1. hæc ipsa argumenta, quę pro *secundâ* dedimus. *Resp.* Hæc probant quidem aliquem appetitum innatum, sed non efficacem: nam appetitus efficax naturalis fundatur in indigentiâ, seu necessitate habendi bonum, quo suæ violentiâ non careat: forma autem perfectior, ita est bonum utile, ut non sit necessarium, sed possit citrà violentiam negari; alioquin jam foret inordinatus appetitus ad illam, ut ostendimus in probatione primę partis. Sic aër innatè appetit lumen, sed inefficaciter. Sic etiam Intellectus humanus inefficaciter innatè appetit crescere in scientiâ: si enim appeteret efficaciter, foret violentus, nisi in scientiâ perpetuò creseceret. *Obje-*

24 *Objic.* 2.: appetitus elicitus potest esse efficax circà bonum utilius, quàmvis non necessarium: ergo & innatus. *Neg. Conseq.*, saltem de appetitu materiæ ad formam perfectiorem; foret enim inordinatus, si esset efficax; & appetitus innatus non eòusque imitatur elicitum, ut inordinatus evadat. Et quidem elicitus efficax, foret etiam imprudens, si esset contrà bonum commune, & se exponeret frustrationi perpetuæ.

25 *Objic.* 3.; ultima dispositio materiæ ad animam rationalem, hanc appetit efficaciter præ alijs formis: ergo similiter illam appetit materia, quæ proxima est, quàm dispositio accidentalis. *Neg. Conseq.*: quia efficacitas appetitus innati de meliori termino, non sumitur ex perfectione subjecti appetentis, sed ex alijs capitibus, præsertim ex indigentiâ, saltem quando appetitus non cauſat physicè terminum, sed ab alio emendicat.

26 *Objic.* 4.: materia efficaciter appetit formam lapidis, quia per eam perficitur; sed magis perficitur per formam equi: ergo hanc magis efficaciter appetit: nam, ut est in proverbio, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Confirm.*: quia ob eamdem rationem efficaciùs appetit materia formam substantialem, quàm accidentalem. *Dist. Maj.*: quia perficitur utcumque, *neg.*; quia perficitur perfectione necessariâ, seu quâ simpliciter indiget materia, *conc. Maj.*. Tum *dist. Min.*: magis perficitur perfectione non necessariâ, *conc.*; necessaria, *neg. Min.*, & *Conseq.*. Nec proloquium adjunctum tenet, nisi quando crescit eadem ratio motiva. *Confirmatio* falsum asserit: quia materia tam non potest esse sine omni formâ accidentali, quàm sine omni substantiali; vel si hac magis indiget, quàm illâ, jam eo ipso est disparitas ad rem nostram.

27 Contra *secundam partem objic.* 1. *Appetitus omnis est propter indigentiam*, ut ait D. Thomas 1. Physic. lect. 15.; sed materia non indiget formâ perfectiori, quâ tali: ergo illam nullo modo appetit. *Objic.* 2.: appetitus ad formam perfectiorem, quamvis efficax, erit insatiabilis, perpetuò frustratus, & contra bonum Universi, ob rationem suprà datam pro appetitu efficaci: ergo erit inordinatus. *Objic.* 3.: appetitus innatus non est præcisivus: ergo repugnat, quòd tendat in eamdem formam, efficaciter sub ratione generica complementi substantialis, & inefficaciter sub ratione specificâ. Et quidem alioqui sequeretur, quòd appetitus entitativè unicus respectu ejusdem termini esset efficax, & inefficax.

28 *Resp. ad* 1. Loquitur ibi D. Thomas de appetitu efficaci, qui connexionem importat: nam in genere S. Doctor non fundat appetitum innatum in indigentiâ, sed in connaturalitate, v. g. 1. 2. q. 26. ar. 1. c.. Resp. *ad* 2.. Appetitus inefficax, sicut non dicit famem, anxietatem, aut inquietudinem de privatione boni, sed tenuem dumtaxat inclinationem paratam libenter suscipere bonum, si detur; ita non

est

est propriè satiabilis, aut insatiabilis. Nec item propriè frustratur; quia non importat conatum, aut nisum, qui evadat irritus. Nec demum est contra bonum Universi; cum nihil causet, aut inferat Universo incommodum. Imò commodum est Universi, quòd quoties oportet existere formas perfectiores, eas materia suscipiat quasi libenter, etiam quoad excessum perfectionis, tanquam bonum sibi connaturale.

29 *Resp. ad 3.* Instantia manifesta est in sententiâ contrariâ. Nam, si materia nullo modo appetit perfectionem specificam formæ vitalis v. g.; ergo appetitus materiæ ita præscindit in formâ vitali rationem generícam ab specificâ, ut in generícam feratur efficaciter, in specificam nullo modo: item erit simul & non erit appetitus respectu ejusdem termini. Ille igitur appetitus non præscindit (nisi ad summum fundamentaliter, quatenùs fundamentum præbet, ut nos præscindamus), sed ita se habet, ut verè dicatur: Materia simpliciter indiget aliquâ formâ ex omnibus, quæcumque illa sit; nec magis indiget formâ nobiliore, quàm viliore, quàmvis illam susciperet libentiùs, si daretur. Hinc eadem forma nobilior ab eodem appetitu materiæ suscipit denominationes *appetitæ efficaciter*, & *appetitæ inefficaciter*: sed primam denominationem suscipit conjunctim cum alijs formis vilioribus, quibuscum constituit unum subjectum vagum: secundam verò suscipit seorsim à formis vilioribus. Quare nullà est contradictio, vel oppositio; quia datur distinctio realis inadæquata ex parte subjectorum.

30 Sed adhuc *Objicies*: si materia magis inclinatur in aliquas formas, præferre debet formas materiales spiritualibus, utpotè magis materiæ cognatas, & in quibus materia exercet munus causæ materialis. *Resp.* Tota ista major cognatio, & congruentia causalitatis, non efficit quominùs materia magis perficiatur ab animâ rationali, & quidem perfectione connaturali: non solùm ergo cognatio, & causalitas compensatur, sed connaturaliter commutatur in melius, atque adeò dignius inclinatione materiæ.

### *Appetitus innatus Materiæ primæ, de quo hactenùs, est appetitus Desiderij.*

31 Assertio communis est, & *probatur*: quia appetitus materiæ procurat formam, atque in eam tendit, ut sit, sive ut acquiratur, movetque Deum ut formam tribuat; quæ omnes proprietates sunt desiderij prout condistincti ab alijs appetitibus, ex dictis n. 1. & 3. Nec solùm materia desiderat in instanti A v. g. formas, quas non habet; sed etiam formam, quam actu habet (videlicet appetitu vago, de quo suprà); nec solùm pro sequentibus instantibus, ut volunt aliqui; sed etiam pro hoc eodem instanti: desiderat, inquam, in signo priori ad formam.

32 Ratio est: quia pro signo priori materia intelligitur appetens appetitu vagè procurativo, & illativo illius etiam formæ, quæ pro posteriori existit: existit enim talis forma ad exigentiam appetitus præsuppositi, à quo vagè infertur, & causatur, vel physicè, si forma sit materialis, vel moralitet, si forma sit spiritualis. At appetitus hujusmodi non est gaudium, nec amor strictus: ergo est desiderium. Nec obstat, quòd pro signo priori non detur absentia positiva formæ pro posteriori existentis: sufficit enim absentia præcisiva, ex num. 2. & 3. Quod saltem in appetitu innato (quidquid sit de elicito) debet admitti; cum certum sit, pro signo priori ad formam ignis v. g. dari in materiâ appetitum quasi practicum, & operativum talis formæ, non solùm in primo instanti, quo forma adquiritur, sed etiam in omni instanti, quo in materiâ conservatur.

33 *Objicies* tamen: pro signo posteriori datur in materiâ gaudium de formâ præsente: ergo pro signo priori dari nequit desiderium de eâdem formâ; ne alioquin concurrant in eodem instanti & subjecto desiderium & gaudium de eodem termino, ac proinde quies, & inquietudo, sitis, & satietas. *Admitt. Antec., neg. Consec.*: nam concurrentia illa desiderij & gaudij etiam in elicitis non repugnat. Fac, Deum mihi revelare se daturum Gratiam pro instanti, quo illam desiderarem. Tunc in eodem instanti habere possem desiderium & gaudium de eâdem Gratiâ, obtinendâ, & obtentâ. Non est igitur de essentiâ desiderij sitis, aut inquietudo positiva, sed utsummùm præcisiva, idest, præcisio à quiete & satietate pro posteriori adveniente.

34 Id quod saltem in desiderio innato facile percipitur. Nam desiderium materiæ innatum nihil est aliud, quàm appetitus procurativus formæ; & gaudium innatum, si datur, est idem appetitus, prout jam cum formâ conjunctus. In eo autem, quòd pro eodem instanti detur in materiâ appetitus procurativus formæ, à quâ ex se præscindit, & in signo posteriori cum formâ conjungatur, non est major difficultas, quàm in eo quòd pro eodem instanti materia ex se præscindat à formâ, atque illam exigat, & in signo posteriori formam possideat: in quo omnes conveniunt. Quòdsi D. Thomas interdùm negat, quòd materia formam appetit, *secundùm quòd est sub ipsâ formâ*, loquitur de materiâ reduplicante formam ipsam tamquam rationem appetendi, scilicet appetitu desiderij.

### *Habet etiam Materia prima Gaudium innatum de formâ præsente; valde tamen impropriè.*

35 *Probatur*: quia appetitus materiæ, prout jam formam possidentis, est appetitus quietus, & satiatus, ac veluti de possessione contentus: habet ergo similitudinem ali-

aliquam cum delectatione, seu cum gaudio elicito: nam, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 31. ar. 8. ad 2., *Delectatio se habet in affectibus animæ, sicut quies naturalis in corporibus: est enim in aliquo conveniente, & quasi connaturali. Tristitia autem se habet, sicut quies violenta &c.*. At similitudo ista sufficit ad metaphoricum nomen gaudij; sicuti sufficit in amœnitate pratorum ad nomen *risus*.

36 Est tamen locutio hæc in re præsenti *valde impropria*, propter ingentem dissimilitudinem gaudij innati cum elicito. Nam 1. gaudium elicitum præsupponit bonum possessum; innatum verò per possessionem ipsam intrinsecè constituitur. 2. gaudium elicitum est actus adæquatè distinctus à desiderio ejusdem boni; innatum verò est ipsemet appetitus desiderij, hoc solo discrimine, quòd appetitus innatus, prout à formâ præscindens, est desiderium, & prout dicens formæ possessionem, est gaudium. 3. gaudium elicitum adæquatè distinguitur à suo termino; innatum verò non distinguitur à termino, nisi penès rectum, nimirùm penès entitatem materiæ. Quare gaudium innatum non tam est comparandum gaudio elicito formali, quàm fundamentali, videlicet illi fundamento, ex quo resultare solet gaudium elicitum; quod fundamentum est ipsa entitas subjecti ut possidentis bonum.

37 Hinc gaudium materiæ innatum eadem involvit constitutiva, quæ totum Compositum, aliter tamen importata: nam Compositum importat in recto tam formam, quàm materiam; gaudium verò dicit in recto materiam, & de obliquo formam cum unione. Quare sola materia suscipit denominationem gaudentis, non verò forma, nec totum compositum: quemadmodùm similitudo Petri ad Paulum, solum Petrum denominat Paulo similem, quàmvis per Paulum constituatur; & veritas formalis, quàmvis ex actu & objecto constituta, solum actum denominat verum: denominatio enim cadit supra rectum. Vide quæ in Logicâ diximus circà Relationem prędicamentalem, ubi solutum invenies quidquid in præsenti posset opponi.

### *Nullus in Materiâ realiter est appetitus ad Formas instar Amoris stricti.*

38 RAtio est: quia Amor strictus, ut communiter explicatur, ita fertur in bonum secundùm se, ut nihil de illius possessione, vel adquisitione curet: sed in materiâ nullus est appetitus talis genij erga formas: ergo &c. Constat Minor: quia materia non alio titulo appetit formas, nisi quatenùs sunt bonum materiæ connaturale, idest, naturaliter utile, vel necessarium: ex terminis autem repugnat, quòd quis appetat bonum ut sibi naturaliter utile, vel necessarium, & tamen nullatenùs curet adquisitionem ejus. Quapropter ille etiam appetitus inefficax ad formam perfectiorem,

quem in materiâ agnovimus, non est amor strictus, sed desiderium inefficax; quia licèt non propriè nitatur adquirere, tamen tota ejus inclinatio est ad adquirendum.

39 *Objic.* 1.: juxta D. Thom. 1. 2. q. 26. ar. 1., c. *In appetitu naturali ... connaturalitas appetentis ad id, in quod tendit, dici potest amor naturalis; sicut ipsa connaturalitas corporis gravis ad locum medium*: ergo connaturalitas materiæ ad formam, dici potest amor naturalis. *Objic.* 2.: amor est radix desiderij, & aliorum affectuum; sed in materiâ datur desiderium innatum: ergo & amor innatus. *Objic.* 3.: materia pro signo priori formam appetit præscindendo ab ejus absentiâ, vel præsentiâ; sed appetitus præscindens à præsentiâ, vel absentiâ termini, est amor strictus: ergo.

40 *Resp. ad* 1. D. Thomas loquitur de amore, non prout est species particularis diversa à desiderio, quæ dicitur *amor strictus*, sed prout est ratio reperta in quolibet appetitu boni, ac proinde in desiderio, quod verè est amor. Vel aliter: loquitur, non de amore quasi speculativo, qualis est amor strictus, sed de amore practico, seu procurante bonum, qui est desiderium. Quodsi velis mente præscindere in appetitu innato formalitatem amoris à vi procurativâ, atque ita vocare *amorem strictum*; permeo transeat. Non ideò realiter dabitur amor ille strictus, quæ est species à desiderio diversa. *Ad* 2. *dist. Maj.*: si sermo sit de affectibus elicitis, *conc.*; si de appetitu innato, *neg. Maj. & concess. Min. neg. conseq.* de amore stricto.

41 *Ad* 3. *dist. Maj.* præscindendo ab ejus absentiâ, vel præsentiâ, & nihil de alterutrâ curando, *neg.*; curando de præsentiâ boni pro posteriori obtinendâ, *conc. Maj.* Tum *dist. Min.*: si appetitus ita præscindat, ut non inferat præsentiam termini, *conc.*; si illam inferat, seu procuret, *neg. Min.*, & *Conseq.* Præcisio propria amoris stricti consistit in modo tendendi appetitus, nullatenùs de possessione solicitis: talis autem præcisio non est in appetitu materiæ. Solùm ergo in signo priori datur in materiâ præcisio propria causæ in actu primo potentis causare; quę præcisio nihil confert ad amorem strictum.

*Illationes ex dictis.*

42 1. Quę diximus de appetitu materiæ ad formas substantiales, intelligenda pariter de accidentibus, quæ ad illas disponunt: enim accidentia appetuntur à materiâ tamquam medium ad fin

2. Desiderium materiæ innatum signo remoto (de quo suprà n. ) adæquatè cum materiâ identi tur, ad diferimen gaudij in quòd de obliquo importat form unitam. Ratio est: quia si solam teriam secundùm se spectes, i nies connexionem naturalem formâ, quam exigit, & procura lis autem connexio est desideri innatum. Nec opponas, desideri constitui per præcision Nam hæc præcisio, rea

ter sumpta, nihil est aliud, quàm materiam realiter à formâ distingui, & esse indifferentem ad varias formarum species, tamquàm earum causam; quod totum in solâ materiâ consistit.

43 3. Hoc ipsum desiderium innatum nunquam intrinsecè variatur, nec suum modum tendendi mutat, sed ex se tendit semper in omnes formas vagè; dum que possidet formam ignis v. g., actualiter appetit cæteras omnes, quin ideò violentus sit, ob rationem datam num. 13. Hoc tamen est discrimen inter formam actu possessam, & alias absentes; quòd has appetit materia appetitu desiderij tantùm; illam verò appetitu desiderij, & gaudij; desiderij in signo priori, gaudij in signo posteriori. Quod discrimen non arguit varietatem in appetitu materiæ specificativè sumpto, sed consistit in denominatione adventitiâ, constitutâque per actualem formæ possessionem; quam gaudium importat de obliquo. 4. Materia etiam innatè odit, ac refugit quod sibi malum est, videlicet privationem omnium formarum, & sui ipsius annihilationem.

## CAP. II.

### *UTRUM MATERIA PRIMA appetat Formas corruptas?*

1 UT Quæstio proposita, quę difficilior est præcedentibus, locum habeat, supponendum est cum communi sententiâ (de quâ in tract. de ort. & interit. commodius agemus) formas semel corruptas, sive destructas, non posse naturaliter reproduci: si enim sint reproducibiles naturaliter, non est cur appetitum materiæ non terminent. Quo posito, negativa sententia satis communis est inter Thomistas, ut affirmativa inter Authores nostros. Sed notandum, posse formam corruptam spectari bifariam, 1. specificativè, aut secundùm se, idest, secundùm sua prædicata intrinseca, præscindendo ab statu corruptionis. 2. reduplicativè *ut corruptam.*

2 In primo sensu concedere solent etiam Thomistæ, formam corruptam appeti à materiâ appetitu eamdem specificativè instar amoris stricti: negant tamen appetitum practicum, seu procurativum. In secundo sensu nostri etiam Authoris negare solent, si reduplicetur corruptio tamquam circumstantia objectiva, quasi appetitus materiæ sic explicari debeat, *Detur mihi forma A, quatenus corrupta sit*, vel sic, *Ultimam forma corrupta reproducatur in me!* Ratio negandi est, quia hoc esset appetere rem impossibilem ut talem. Si tamen solùm reduplicetur corruptio ut circumstantia subjectiva, quatenus subjectum appetens, etiam dum existit in circumstantijs corruptionis formæ, adhuc appetat illam specificativè sumptam; in hoc sensu concedunt communiter Authores nostri appetitum materiæ procurativum ad formam *ut corruptam*: illum, inquam, eumdem appetitum vagum, quo materia ferebatur in eamdem formam ante corruptionem.

Con-

3 Conclusio nostra sit: *Materia formam corruptam appetit post corruptionem, sicut antea, proindeque appetitu desiderij innati.* Claritatis gratiâ, fac possibiles esse duas tantùm formas, A, & B. Has, antequàm primò producantur, appetit materia appetitu vago, procurante, vel exigente, ut sibi detur earum aliqua, sive A, sive B: qui appetitus est desiderium innatum, ut ostendimus cap. præced. Fac deinde corruptam esse solam formam A: etiam hac suppositione factâ, Materia pergit appetere vagè formas A, & B, exigendo ut sibi detur earum aliqua, ita ut status corruptionis formæ A non extinguat, nec mutet appetitum materiæ.

4 *Prob.*: Appetitus innatus rei naturalis fertur in bonum, quod per se est ordinis naturæ, & appetenti connaturale, præscindendo à circumstantijs, quibus reddi potest per accidens impossibile naturaliter: sed forma A, per se, & ex se est bonum ordinis naturæ, & materiæ connaturale, solùmque redditur per accidens impossibilis à circumstantiâ corruptionis: ergo appetitus materiæ innatus fertur in formam A, præscindendo à tali circumstantiâ: ergo, sive adsit hæc circumstantia, sive non, appetitus materiæ eodem modo fertur in illam formam. Utraque Consequentia recta est; & Minor constat: quia naturalis impossibilitas formæ corruptæ oritur ex circumstantiâ præteritionis, sive ex eo quòd forma exiterit antea, & jam desierit: hæc autem circumstantia extrinseca est, & accidentaria respectu formæ, quæ eandem essentiam, & naturam habet, sive jam exiterit, sive secùs; ac proinde in se & intrinsecè spectata, etiam post corruptionem, proculdubiò est entitas ordinis naturę, &, si iterùm materiæ daretur, foret bonum ipsi connaturale.

5 Major ergo, quæ doctrinam continet generalem, ad alia multa perutilem, inprimis probatur aliarum rerum exemplo. Anima cæci à nativitate appetit innatè visum: omnis quippe anima innatè appetit naturales suas facultates habere ad operandum expeditas; imò generatim omnis causa innatè appetit explicare virtutem suam naturalem. Similiter intellectus fatui, qui ex primigeniâ organizatione fatuus sit, innatè appetit usum rationis in corpore. At & visus, & rationis usus, est bonum naturaliter impossibile in ijs circunstantijs. Cur ergo innatè appetitur, nisi quia est bonum ordinis naturæ, & appetenti connaturale, solùm que redditum impossibile ab impedimento accidentario, à quo præscindit appetitus innatus?

6 Si dicas, in ijs casibus dari appetitum speculativum, non practicum instar desiderij. Contrà est, quòd appetitus in ijs casibus explicatur nomine *exigentiæ*; passim quippe dicitur, quòd omnis causa exigit nativam virtutem explicare: *exigentia* autem est desiderium innatum. Contrà item est, quòd anima & intellectus cæci sunt ejusdem speciei cum alijs aliorum hominum: sed animæ & intellectus aliorum

rum secum identificant appetitum ad visum & usum rationis per modum exigentiæ & conatus : ergo. Contrà demùm est, quòd illa anima, vel intellectus, violentiam patitur per cæcitatem, aut fatuitatem. At violentia non est, ubi non datur conatus, & exigentia in contrarium.

7 Addi potest exemplum robusti juvenis, qui lethali vulnere saucius, vel correptus violento morbo naturaliter insanabili, appetit innatè conservare vitam; non enim sine violentiâ & resistentiâ perit. Similiter aquæ gutta, in caminum ignis injecta, aliquandiu calori resistit, & ab igne violentiam patitur: ergo calorem à se arcere conatur, & propriam frigiditatem appetit retinere. Quorum ratio est, quòd & vita juvenis, & depulsio caloris, solùm est naturaliter impossibilis propter circumstantias accidentarias; & ab his præscindit appetitus. Huc etiam facit exemplum animæ rationalis, quæ à corpore separata, innatè appetit uniri corpori sicut corpus leve proprium locum appetit, dum ab eo separatur; ut docet D. Thomas 1. p. q. 76. ar. 1. ad 6.: qui rursùs 1. 2. q. 85. ar. 2. ad 3. dicit, *quòd etiam in damnatis manet naturalis inclinatio ad virtutem .. , sicut etiam in cæco remanet aptitudo ad videndum.*

8 Deinde probatur illâ Major in ipsâ materiâ primâ: hæc enim in signo potentiæ remotæ æqualiter appetit indeterminatè formas ignis, & aquæ, pro hoc instanti (considera materiam in exordio Mundi, & fac elementares formas tunc educi, quod fieri potuisse concedunt Thomistæ); & tamen in sequenti signo ejusdem instantis, positâ ultimâ dispositione ad ignem, jam forma aquæ redditur naturaliter impossibilis in tali materiâ pro tali instanti, cum certum sit repugnare naturaliter formam aquæ in subjecto habente ultimam dispositionem ad ignem. Urgetur, & applicatur exemplum ad rem præsentem. Materia in casu proposito ideò appetit formam aquæ pro hoc instanti impossibilem, quia impossibilitas, utpotè orta ab impedimento contrariæ dispositionis, est extrinseca formæ aquæ, & aliunde materia à tali dispositione præscindit in signo remoto. Atqui etiam impossibilitas formæ destructæ, utpotè ortâ à circumstantiâ præteritionis, est extrinseca formæ, & aliunde materia à tali præteritione præscindit. *Prob.* hoc ultimum: signum potentiæ remotæ est signum materiæ secundùm se, prout est causa remota formæ: unde in eo præscinditur ab omni, quod non constituit materiam in esse causæ remotæ; quâ ratione præscinditur à quâvis dispositione, & ejus carentiâ. Sed præteritio formæ non constituit materiam in esse causæ remotæ respectu formæ: ergo &c.

9 *Dices*: nequit appetitus innatus præscindere à naturali possibilitate sui termini, sed debet potiùs eam præsupponere, & carentiam ejus excludere. Sed quæro abs te, quomodò præscindit ab ultimâ dispositione contrariâ, quæ reverâ est naturalis impossibilitas formæ hic & nunc? Quomodò non eam præ-

præsupponit exclusam? Dicendum ergo, appetitum innatum non præscindere à naturali termini possibilitate intrinsecâ, & per se; præscindere tamen ab extrinsecâ, & accidentariâ.

10 *Dices* insuper: impedimentum contrariæ dispositionis est naturaliter auferibile; secùs verò impedimentum præteritionis, seu destructionis. *Contrà*: ultima dispositio ad ignem etiam est inauferibilis in hoc instanti, dum adest causa efficiens proximè expedita, ut suppono: & tamen forma aquæ in signo remoto materiæ appetitur pro hoc instanti. *Contrà* insuper: dispositio illa eatenùs est auferibilis, quatenùs attentâ conditione materiæ, potuit in hoc instanti non esse, quàmvis ex suppositione, quòd sit, jam non possit non esse in hoc instanti. At similiter corruptio formæ naturaliter potuit non esse in hoc tempore, quàmvis jam non possit non esse ex suppositione, quòd fuerit.

11 *Confirmantur* hucusque dicta. Materia potest innatè appetere formam, quando adest circumstantia, quæ in sensu composito reddit formam metaphysicè impossibilem: ergo à fortiori poterit formam appetere, quando adest circumstantia reddens illam naturaliter impossibilem. *Probat. Antec.*: decernat Deus irrevocabili decreto non producere formam A, ex se possibilem naturaliter, & nunquam hactenùs productam, in sensu composito iterius decreti forma A est metaphysicè impossibilis: & tamen appetitur à materiâ appetitu desiderij vago cum cæteris formis possibilibus, ut Adversarij concedunt, & nullâ ratione negari potest: ergo, &c.. Hinc clarescet quod ajebam n. 2. de circumstantiâ *objectivâ*, & *subjectivâ*: nam circumstantia dicti decreti non ita se tenet ex parte objecti, ut appetitus tendat hoc modo, *Detur mihi forma A, quàmvis Deus decreverit nunquam dare*; hoc enim foret appetere insignem chymeram: sed tamen se tenet ex parte subjecti appetentis, ita ut hoc subjectum pergat appetere, quando exiitit decretum, sicut si non existeret.

12 Dicunt Adversarij, materiam præscindere ab eo decreto, & appetere formam, non ut habendam in sensu composito illius decreti, sed ut antecedenter possibilem. Sed cur materia non appetet similiter formam corruptam, non ut habendam in sensu composito corruptionis, sed ut secundum se possibilem? Profectò non minor est ratio, ut materia præscindat à circumstantiâ destructionis, quàm à circumstantiâ decreti. Nam, si destructio est impedimentum naturaliter contingens, etiam decretum; non enim est supernaturale, nec contrà illam naturalem exigentiam; nulla quippe datur exigentia naturalis de productione formæ A determinatè, & materiæ satisfit per quamlibet aliam, cum solùm appetat aliquam vagè: & alioquin teneretur Deus ut naturæ Author producere omnes formas possibiles. Præterea, si decretum est impossibilitas extrinseca, & quæ potuit non esse, etiam destructio:

si decretum relinquit formam secundùm se, & antecedenter possibilem, similiter destructio; quia non minùs verum est, formam contineri in virtute causarum naturalium antecedenter ad destructionem, & ab eâ præscindendo, quàm antecedenter ad decretum, & præscindendo ab illo.

13 Denique ratio à priori est: quia appetitus innatus non deficit, quamdiu permanet proportio, & connaturalitas: hęc autem eadem est in materiâ respectu formę A, post corruptionem, ac anteà. Tum quia illa proportio adæquatè identificatur cum materiâ & quidditate formæ secundùm se; consistit enim in coaptatione intrinsecâ utriusque. Tum etiam, quia si forma A post corruptionem iterùm daretur materiæ, tam benè, tam commodè, tam connaturaliter materiam compleret, quàm anteà.

14 Huc spectat syllogismus D. Thomæ 1. Physic. lect. 15., nempè: *Nihil est aliud appetitus naturalis, quàm ordinatio aliquorum secundùm propriam naturam in finem suum... Forma autem est finis materiæ. Nihil igitur est aliud materiam appetere formam, quàm eam ordinari ad formam, ut potentia ad actum.* Unde sic arguo: forma post destructionem non definit esse finis materię, & actus ejus: ergo materia non definit secundùm propriam naturam ordinari ad illam, proindeque non definit appetere. *Prob. Antec.*: quia si forma destructa miraculosè reproduceretur, materia tam verè actuaretur per illam, quàm antè destructionem, plenè quę obtineret finem suum, alioquin violenta foret, utpotè fine suo frustrata, quod nemo dixerit.

*Argumenta contraria.*

15 OMnia reducuntur ad hoc unum, quod varijs modis urgeri solet. Forma destructa, est naturaliter impossibilis, ut supponimus: sed appetitus naturalis non fertur in bonum naturaliter impossibile: ergo, &c.. *Prob. Min.*: appetitus naturalis, utpotè directus ab Authore naturæ, nequit esse inordinatus, imprudens, & inutilis: talis autem esset, si appeteret bonum naturaliter impossibile. *Probatur hoc* 1. paritate appetitus eliciti, qui nonnisi imprudenter ferri potest in bonum cognitum ut impossibile: unde Aristoteles ait, *solos stultos impossibilia velle.* 2.: quia prorsus inutilis est appetitus naturalis, qui necessariò frustrari debet lege naturæ. Hoc tamen argumentum inprimis instatur in appetitu materiæ ad formam, quam Deus decreverit nunquam producere: hoc enim decreto posito, forma illa multò magis est impossibilis, quàm forma destructa.

16 Deinde *dist. Maj.*: est naturaliter impossibilis per se, & intrinsecè, *neg.*; per accidens, & extrinsecè, *conc. Maj.*. Similiter *dist. Min.*: in bonum, quod sit naturaliter impossibile per se, & intrinsecè (hujusmodi sunt entia supernaturalia) *conc.*; quod sit naturaliter impossibile per accidens, &

extrinsecè, *subdist.*: non fertur in illud, ut habendum in sensu composito istius impossibilitatis, *cons.*; præscindendo ab impossibilitate istiusmodi, *neg. Min.*, & *Conseq.*. Id ipsum dicere debent Adversarij pro casu Divini decreti, de quo nuper. Nego autem, inordinatum esse appetitum, qui sic tendat in bonum impossibile.

17 Nec obstant *probationes*. Non *prima*: quia, dum bonum cognoscitur ut impossibile, jam impossibilitas proponitur ut circumstantia objectiva, ideòque appetitum reddit imprudentem. Si tamen bonum cognoscatur secundùm se possibile, præscindendo à circumstantijs, à quibus forte redditur impossibile, potest, & solet prudenter appeti. Sæpe enim prudenter appetimus, & à Deo petimus bona, quæ Deus decrevit nunquam dare, atqueadeò jam sunt impossibilia: quia nimirùm à tali decreto præscindimus.

18 Non *secunda*: quia solùm est vera, si loquatur de lege naturæ antecedente ad suppositiones per accidens contingentes: quo sensu negamus, quòd in casu nostro appetitus frustrari debeat lege naturæ. Si verò loquatur de lege naturæ consequente suppositiones accidentarias, qualis est lex non producendi formam A ex suppositione, quòd fuerit corrupta, falsum est quòd appetitus, eâ lege frustrandus, sit inutilis: deservit enim ad explicandam indolem, ac naturam intrinsecam, & invariabilem, tam subjecti appetentis, quam termini, & connaturalitatem, quæ inter utrumque datur; ut videre est in animâ cæci, & intellectu fatui. Et quidem alioquin multò inutilior esset appetitus in casu Divini decreti, quippe qui necessitate metaphysicâ frustrari debet.

19 *Replic.* 1.: repugnat appetitus naturalis, cui nullam agens naturale satisfacere possit, ne ipse quidem Deus ut Author naturæ: talis autem esset appetitus ad formam destructam. *Replic.* 2.: appetitus innatus supponit in materiâ potentiam passivam naturalem: huic autem respondere debet potentia naturalis activa. Sed ad formam corruptam nulla est potentia naturalis activa: ergo, &c.. *Replic.* 3.: si materia formam appetit post corruptionem, sicut anteà, illam appetit desiderio efficaci, seu exigentiâ verè tali dicente connexionem cum formâ. Hinc autem sequitur 1., quòd materia efficaciter opponitur exigentiæ totius Universi postulantis, ne forma corrupta producatur. Sequitur 2., quòd eadem forma est naturaliter debita, & naturaliter indebita: debita propter exigentiam materiæ; indebita propter exigentiam Universi. Sequitur 3., quòd materia post corruptionem appetit media necessaria, ut formam obtineat; sic enim fert indoles appetitus efficacis: sed post corruptionem ad formam obtinendam necessarium est decretum Dei supernaturale, & reproductio formæ: hæc ergo media appetuntur à materiâ.

20 Ad hæc omnia, præter inst-

instantiam manifestam in casu divini decreti, de quo suprà, facilè respondèri potest ex dictis. *Ad 1.*: appetitui naturali sufficit, quòd ei satisfacere queat agens naturale in eo sensu in quo ipse respicit terminum, quamvis in alio sensu non possit. Appetitus autem materiæ solùm respicit formam destructam specificativè semptam, præscindendo ab statu destructionis: quo sensu forma illa verè continetur in virtute naturalium agentium, sicut ante destructionem continebatur: manet enim ea virtus intrinsecè invariata, solùmque extrinsecè ligata, & impedita per circumstantiam destructionis formæ. Verum est, quòd agens naturale nequit producere formam ex suppositione istius circumstantiæ: cæterùm appetitus non tendit sub tali suppositione ex parte objecti, sed ab eâ præscindit.

21 Idem ergo dicimus de virtute activâ naturali, ac de appetitu materiæ, quòd scilicèt in sensu composito destructionis formæ verè potest illam producere, sed non potest producere illam in sensu composito destructionis: idest, virtus ipsa componitur cum destructione, sed non est virtus ad componendam formam cum destructione præcedenti; quemadmodùm potentia loquendi componitur cum silentio, sed non potest componere cum silentio locutionem. Hinc *ad 2.*: verè in materiâ datur potentia passiva naturalis ad formam post ejus destructionem, sicut anteà; verèque illi respondet potentia naturalis activa, ut nunc explicuimus.

22 *Ad 3.*: appetitus, quo de loquimur, est quidem efficax, dicitque connexionem cum formâ destructâ, sed non nisi vagè cum illâ & alijs non destructis, ut sæpe advertimus. Unde non opponitur exigentiæ Universi: tum quia fatiari potest sine violentiâ, vel querelâ, per aliam formam non corruptam: tum quia exigentia Universi solùm excludit formam ut producendam ex suppositione corruptionis; quo sensu non illam exigit appetitus. Nec forma destructa, est naturaliter debita & indebita in eodem sensu, sed in diverso ut summùm, juxtà dicta. Imò propter exigentiam materiæ non nisi valdè impropriè debita est, etiam specificativè sumpta; cum solùm debeatur indeterminatè cum infinitis alijs nondum productis, quarum quâlibet fit satis illi exigentiæ. Denique appetitus ille non exigit decretum supernaturale, nec reproductionem ut talem: quia hæc solùm sunt media ad formam ut habendam in sensu composito præviæ destructionis; sub quâ ratione non appetitur forma.

23 Dico *reproductionem ut talem*: quia, si reproductio non sit actio quoad substantiam diversa à primâ productione, potest etiam secundùm se appeti à materiâ; non tamen reduplicativè ut reproductio est; quia sic supponit præviam destructionem. Forma igitur heri destructa potuit primò produci hodiè per decretum & actionem omninò naturalia: non enim ea forma essentialiter alligata est determinato tempori: ergo possibile est decretum

naturale, & naturalis actio reddens illam formam hodiè existentem, saltèm præscindendo ab illâ, & attentis meritis intrinsecis formæ. Hoc ergo decretum, & hæc actio, sunt media, per quæ appetitur forma destructa; non verò per alia, quæ destructionem supponunt.

24 Ut alias objectiones præcaveas, *observa* 1., formam corruptam non alio ex capite reddi naturaliter impossibilem, nisi quia agentia naturalia exigunt semper speciem suam propagare, suamque virtutem explicare per novos effectus: id quod etiam exigit Universum ob majorem sui pulchritudinem, quæ ex eâ varietate ac novitate resultat. Unde non redditur impossibilis ex defectu virtutis in agentibus, quasi jam non possit in causis contineri semel posita extra causas, ut aliqui frigidè philosophantur. Nam poni extra causas, non est ex eis extrahi, velut ex arcâ nummum, sed est transire de non esse ad esse per actionem essentialiter pendentem à virtute causarum, quin opus sit ut hæc virtus aliquam sui partem amittat. Quare virtus ista tam integra manet post existentiam, & corruptionem effectus, quàm antea; ut in Omnipotentiâ Divinâ patet.

25 *Observa* 2., formam destructam non esse absolutè impossibilem naturaliter; quia *absolutè* idem sonat, ac *per se*, & *antecedenter* ad omnem suppositionem accidentariam. Solùm ergo est naturaliter impossibilis cum addito *per accidens*, *extrinsecè*, aut *ex suppositione*: quæ impossibilitas non retardat appetitum innatum, ut ostendimus. *Observa* 3., non deficere objectum formale specificativum, ac motivum appetitus innati ex eo, quòd deficiat naturalis possibilitas termini ex accidentariâ circumstantiâ: motivum quippe appetitus naturalis solùm est bonum, quod per se, & ex se sit ordinis naturæ, & appetenti connaturale. *Observa* 4., materiam A pariter appetere innatè formas ab alijs materijs possessas: quàmvis enim jam non sint naturaliter possibiles huic materiæ, quia migrare non possunt de uno subjecto in aliud; hæc impossibilitas est per accidens.

26 *Observa* 5., cùm dicimus, appetitum materiæ præscindere ab impossibilitate accidentariâ formæ, non loqui nos de præcisione mentali, sed de præcisione omissivâ, ut sic dicam; quatenùs appetitus materiæ in respiciendo formam se habet quasi non curans, nec attendens circumstantias, quibus fortasse redditur forma per accidens impossibilis. Hoc etiam modo juxta Adversarios præscindit à Divino decreto non producendi formam. Ideò autem appetitus ille non curat circumstantias ejusmodi, quia istæ non tollunt proportionem materiæ cum tali formâ, & alimode pertingunt, appetitum satiari posse per infinitas alias. Si tamen non alia forma supereffet præter destructas, tunc materia refugeret quodam odio innato circumstantiam destructionis formarum; sicut anima refugit cæcitatem, aut fatuitatem.

De-

27 Denique nihil nostra interest, quòd dari possit, vel non possit, appetitus innatus conditionalis, exigens scilicet terminum sub conditione dumtaxat, quòd adsit hęc, aut illa circumstantia; qualis fortasse est appetitus ignis ad comburendum lignum sub conditione proximitatis. Quidquid enim de hoc sit, appetitus materię ad formas, licèt vagus, non est conditionalis, ut vidimus cap. præced.. Et alioqui, si materia nullam formarum appeteret, nisi sub conditione, quòd non essent destructę, sequeretur, materiam ex se paratam esse nullam formam exigere, sed quiescere in privatione omnium, si scilicet contingeret omnes esse destructas: quæ hypothesis, licèt repugnet ex capite infinitudinis formarum, nihil involvit contra essentiam materię, & proculdubiò est utilis ad ejus indolem explorandam. Sequela autem etiam Adversarijs erit absurda, ut patebit ex cap. sequ..

## CAP. III.

### *UTRUM MATERIA PRIMA possit naturaliter privari omni Formâ?*

1 NUNC jam quæritur, quàm sit efficax appetitus materiæ? & an possit citrà miraculum omni formâ privari? Affirmant apud Exim. Doctorem disp. 15. Metaph. sect. 8. nonnulli veteres, quos sequuntur Recentiores aliqui, saltem attentâ materię solius exigentiâ; quàmvis id forte contingere non possit, attentâ constitutione agentium naturalium. Vera tamen, & communissima in omni Scholâ sententia tenet, connexionem materiæ cum formâ tantam esse, ut non possit citrà miraculum violari; seu, quod idem est, ut nullius agentis naturalis actione possit omni formâ privari. Ex connexionibus physicis, aliæ sunt violabiles per naturalem causam robustiorem, ut connexio aquæ cum frigore, vel animæ cum facultate vitivâ: aliæ essentialiter infrustrabiles, ut connexio unionis cum extremis: aliæ infrustrabiles sine miraculo, sive à nullâ naturali causâ, in nulloque naturali eventu frustrabiles, ut connexio Solis cum fulgore, vel ignis cum calore. Ultimis hisce comparamus utminimùm connexionem materiæ cum formâ.

2 Vera ergo sententia sic ostendi potest ex Doctore Eximio loc. cit.: non repugnat materia, quæ ita indigeat complemento formæ, ut sine illo naturaliter esse nequeat: ergo talis est materia, quæ de facto existit. Antecedens constat: quia talis indigentia, & dependentia tantum abest ut contradictionem involvat, ut potiùs valde consentanea sit imperfectioni, incompletioni, & potentialitati materiæ. Consequentia autem suadetur: materia, quæ de facto est, habet omnes titulos exigentiæ, & indigentiæ naturalis, qui possunt in aliâ materiâ possibili cogitari: supponitur enim à Peripateticis substantia imperfectissima, & propè nihil, incompleta, vacua, tota ad formam ordinata & illam expe-

pectans ut complementum proprij generis, cujus defectum nullo alio bono compensare valet, ac demùm ad eum finem posita in rerum naturâ, ut cum formâ constituat compositum substantiale. Si autem his titulis non fundatur indigentia, & exigentia, naturaliter inseparabilis à formâ, quinam erunt alij, quibus primùm subjectum concipiatur magis à formâ dependens?

3 *Confirm.* 1.: materia nequit existere naturaliter sine quantitate, ut omnes supponunt: ergo nec sine formâ substantiali. *Prob. Consq.*: quia potior ratio esse videtur, ut materia formam substantialem exigat, quàm ut exigat quantitatem. Nam forma est complementum proprij generis, nempe substantialis; quantitas est complementum generis diversi, nempe accidentalis: ad formam primariò & principaliùs ordinatur materia; ad quantitatem secundariò; formam respicit materia ut finem; quantitatem ut medium: ac demùm in possessione formæ suam explicat potentiam potissimam, redditurque Universo utilior, quàm in possessione quantitatis. *Confirm.* 2. paritate simili cujusvis substantiæ, quæ sine proprietatibus suis naturaliter esse nequeat, ut Sol sine luce, vel ignis sine calore: nullus enim potior connexionis titulus apparet in igne, quàm in materiâ.

4 Dices, ignem ideò tam fortiter connecti cum calore, quia calor est ejus proprietas connaturalis, per emanationem producta; sicut etiam quantitas respectu materiæ. Sed quæro, quid confert titulus proprietatis, aut emanationis, ad connexionem infrustrabilem? An, quòd proprietas pertinet ad statum rei connaturalem? At etiàm unio ad formam sine dubio constituit materiam in statu connaturali. An, quòd emanatio est resultantia quædam necessaria? At cur resultantia caloris debet esse magis necessaria respectu ignis, quàm unio ad formam respectu materiæ? Adde, quòd dari potest connexio cum termino posteriori naturaliter infrustrabilis, quin detur emanatio. Ignis enim ad passum applicatus, necessariò connectitur cum combustione, quæ nec emanatio est, nec per emanationem oritur.

5 *Confirm.* 3.: quando semper & ubique alicui potentiæ conceditur terminus aliquis, putandus est naturaliter necessarius; saltem quando aliunde adest optima congruentia ex parte talis potentiæ; ut adest ex parte materiæ, titulo imperfectionis, & potentialitatis. Sic, quia semper conjungitur Sol cum luce, ignis cum calore, nix cum frigore, credimus hæc esse naturaliter necessaria. Atqui semper & ubique materiæ conceditur forma substantialis, neque ullus hactenùs materiam omni formâ privatam vidit, aut expertus est: ergo, &c. Probatio hæc multifariàm impugnari solet.

6 Dices 1.: nemo terras omnes peragravit, nec revelationem habuit, quòd materia nunquam, aut nullibi extiterit sine formâ. Verùm hoc frivolum est: nam eâdem ratio-

ne posset quis jure dicere, incertum esse, num alicubi gentium ignis sit frigidus, aut nix calida. Dices 2.: multa sunt naturaliter possibilia, quæ tamen nunquam evenient. Fortè etiam possibilia sunt agentia naturalia, præsentibus robustiora, quorum actione violari possit exigentia materiæ. Sed nonnè vides, hac eâdem viâ negari posse, quòd ignis necessariò calescat, aut Sol necessariò luceat? Connexiones physicas ab effectu, & experientiâ discimus: nam intimas rerum essentias in se ipsis perspicere non possumus. Cedo mihi, cur magis connectitur ignis cum calore, quàm aqua cum frigore, quod est etiam proprietas ab aquâ per emanationem producta? Vel ergo neganda est omnis connexio physica naturaliter infrustrabilis, vel nostra probatio stare debet.

7 Itaque, quidquid sit de alijs rebus nunquam eventuris, certè quando fermo est de termino alicujus potentiæ, sive activæ, sive passivæ, si natura semper terminum concedit ob indigentiam, vel exigentiam talis potentiæ, satis inde arguitur connexio infrustrabilis naturaliter. Illud verò de possibilitate naturali robustiorum agentium, quę talem connexionem violare possint, incertum est: nec recursus iste locum habet in quæstionibus hujusmodi, quando non adest fundamentum positivum in rebus, quas novimus; alioquin abolenda erit magna pars Physicæ. Sufficit ergo, quòd constet, in præsenti rerum constitutione connexionem aliquam violari non posse sine miraculo, ut absolutè asseratur naturaliter inviolabilis.

8 Dices 3.: ab exigentiâ naturalium agentium, quæ semper materiam circumdant, provenire potest, quòd materia nunquam amittat unam formam, quin suscipiat aliam; ac proinde non debet id provenire ab exigentiâ materiæ. Sed verò, si agentia naturalia tantopere exigunt producere formam in materiâ, ut suam virtutem explicent, vel speciem propagent; multò magis ea exigentia congruet materiæ, cujus præcipuè interest habere formam. Nec inconveniens est, quòd respectu ejusdem termini detur duplex determinatio, vel exigentia, altera ex parte agentis, altera ex parte subjecti; ut juxta omnes accidit saltem quando materia est ultimò disposita.

9 Dices 4.: materia jam aliquando extitit sine formâ, scilicet initio Mundi, juxta illud Genes. *Terra autem erat inanis, & vacua*, quod perinde sonat, ac *Materia erat sine formâ*, ut insinuare videntur aliqui Patres. Verùm hæc interpretatio & incredibilis, & violenta est, ut ostendunt PP. Cornel. à Lapide, & Pereyra. SS. Basilius, & Augustinus immeritò pro illâ citari solent. Nam Basilius homil. 2. Hexamer., illam vocat textus pervertionem, & depravationem: Augustinus autem pluribus in locis, adductis à P. Suar. ubi suprà n. 14., ait, materiam nullâ durationè, aut morâ præcessisse formam. Sensus ergo illius textus est, Terram initio fuis-

fuisse vacuam decore florum, & plantarum ornatu.

10 Dices denique: dum homo repentino vulnere moritur, materia tantisper remanet sine formâ: adest enim causa sufficiens ad expellendam animam, & non ad producendam tam subitò novam formam. Hæc difficultas explicabitur inferiùs disp. 4., ubi de formâ corporeitatis in viventibus: solet enim ex hoc capite impugnari forma cadaveris, nimirùm ex defectu causæ productivæ in morte subitâ. Nunc sat est dicere, nullum esse Authorem, qui asserere audeat, materiam in morte viventium manere passim sine ullâ formâ substantiali: id enim absurdum, & paradoxum esset in Philosophiâ, ut ait Exim. Doctor. Idcircò, qui negant, novam formam cadaveris introduci, simul asserunt, remanere in materiâ formam corporeitatis. Non ergo ex hoc capite infirmatur perpetua experientia, de quâ num. 5.

*Contraria argumenta solvuntur.*

OBJIC. 1.: materia producitur actione independente à formâ, & est partialiter subsistens: poterit ergo naturaliter esse sine formâ. *Prob. Conseq.* paritate animæ rationalis, quę, quia producitur actione creativâ independente à materiâ, & est partialiter subsistens, potest naturaliter esse sine materiâ, non obstante incompletione, & ordine intrinseco, quem ad materiam dicit. *Resp.* Actio creativa materiæ, sicut & materia ipsa, est quidem à formâ independens à priori, seu tamquam à causâ; á formâ tamen pendet à posteriori, seu tamquam à complemento naturaliter debito. Sic materia pendet à quantitate, sic ignis à calore, sic anima à suis potentijs. Nec obstat, quòd materia sit partialiter subsistens; quia hoc non tollit indigentiam complementi connaturalis. Paritas animæ rationalis nulla est; quia ducitur à majori ad minus, quasi dicat: Anima, cum sit spiritualis, & valde perfecta, non pendet à materiâ: ergo materia, licèt imperfectissima, & quæ tota est propter compositum cum formâ constituendum, non pendet à formâ: quæ illatio inepta est.

12 Anima igitur potest naturaliter à materiâ separari, non præcisè quia creatur, & subsistit; sed quia est substantia spiritualis intellectiva, potensque melius extra, quam intra corpus, exercere nobilissimas operationes. Nam intra corpus non potest cognoscere quidditativè, & intuitivè res substantiales, & spirituales, imò nec se ipsam: potest autem extra corpus. Quare detrimentum incompletionis, quod ex separatione à corpore patitur, abundè compensat tanto virtutis intellectivæ lucro. At materia sine formâ quid boni habet, nisi meram nuditatem, & vacuitatem? Adde, quòd ad disparitatem inter materiam & animam rationalem sufficit experientia: quemadmodùm sola experientia pro ratione redditur quærenti, cur magis ignis cum calore connectitur, quàm aqua cum frigore?

Se-

13 Solent hîc alia nobis objici exempla rerum incompletarum, quæ sine suis complementis esse possunt. Sed verò nos non argumentamur ex incompletione qualicumque, sed in suo substantiali genere pauperrimâ, dicentesque vacuitatem illius perfectionis, ad quam unicè à naturâ destinatur, quin ejus defectum compensare possit alio bono. Hujusmodi autem incompletio, adjunctâ perpetuâ experientiâ conjunctionis materiæ cum formâ, nobis est argumentum efficacissimum, nullo exemplo enervandum, & quo fortius non invenietur pro connexione ignis cum calore, nec pro aliâ connexione physicâ.

14 *Objic.* 2.: materia nequit à formâ pendere à posteriori: ergo, cum à priori non pendeat, nullo modo pendet. *Prob. Antec.* 1.: quidquid à posteriori pendet ab aliquo termino, habet hoc ipso virtutem producendi talem terminum per emanationem, ut patet in igne respectu caloris, & inductione perpetuâ: sed materia non producit formam per emanationem: ergo, &c. Profectò congruum est, ut res quælibet ex se virtutem sufficientem habeat adquirendi terminos, à quibus necessariò pendet: alioquin penderet simul ab agentibus extrinsecis, à quibus debet accipere terminos sibi debitos. 2.: dependere à posteriori, est dependere tamquam ab effectu: at non omnis forma est effectus materiæ, etiam ut causa materialis, ut cernitur in animâ rationali. 3.: si forma est naturaliter debita materiæ, sequitur, rem perfectiorem esse debitam imperfectiori, & in gratiam illius existere; quod absurdum est.

15 *Resp. Neg. Antec.* Ad 1. *prob. neg. Maj.* nam sæpe datur dependentia à posteriori, quin detur, nec dari possit emanatio; ut patet in ultimâ dispositione ad quamlibet formam, præsertim ad animam rationalem; ea quippe dispositio à formâ necessariò pendet à posteriori, quin possit formam producere per emanationem. Nec emanatio sufficit ad dependentiam infrustrabilem, ut videre est in aquâ respectu frigoris. Cum ergo dari possit dependentia infrustrabilis absque emanatione, & è converso, aliunde quærendus est titulus, quo dependentia ista fundetur. Doctrina, quæ additur, falsa est, ut iterùm patet in ultimâ dispositione ad formam, non habente se solâ virtutem adquirendi formam, quâcum necessario connectitur: patet etiam in lumine gloriæ, quod non est adæquatè productivum visionis Dei, quam tamen sibi debitam facit. Quòd ergo materia pendeat ab aliquo agenti naturali productivo formæ, dependentiâ non immediatâ, sed mediatâ dumtaxat, quatenus materia pendet à formâ, & hæc ab agentibus; nihil absurditatis habet.

16 Ad 2. *prob.*: Dependentia à posteriori vocari solet quæcumque non est à priori, sed, vel à concomitanti, vel ab effectu, vel à complemento, seu termino ad præsuppositam rei exigentiam producto; quæ exigentia, licèt non influat physicè, vocari solet causa moralis. Hoc ergo modo pendet materia ab ani-

mâ rationali; quemadmodùm etiam ultima dispositio corporis ad animam. Ad 3. *prob.* concedo sequelam: quam non esse absurdam, constat in ultimâ dispositione, cui debetur forma substantialis; in actione, cui debetur terminus illâ perfectior; & in lumine gloriæ, cui debetur Visio lumine præstantior. Quòd ergo res perfectior ad exigentiam imperfectioris producatur, non est inconveniens, saltem si non unicè producatur in gratiam imperfectioris, sed simul propter alium finem nobiliorem, ut accidit in productione formæ, cujus finis est, non præcisè ut satisfiat materiæ, sed præcipuè ut resultet compositum.

17 *Objic.* 3.: si materialis forma crearetur, non penderet à materiâ: cum ergo materia creetur, non pendebit à formâ. *Neg. Antec.*: quia, licet non penderet à materiâ tamquam à causâ: penderet tamen tamquam à complemento naturaliter debito: & idem est de accidentibus actione creativâ productis. Sic juxtà plures. Gratia habitualis non educitur, sed creatur; & tamen nequit esse naturaliter sine subjecto.

18 *Objic.* 4.: quando minimum naturale (sic vocant corpusculum illud, in quod primò introducitur anima rationalis intra materna viscera) disponitur ad animam, partes ejus agenti viciniores citiùs adquirunt ultimam dispositionem, quàm remotiores. Illæ autem materiæ partes, citiùs dispositæ, amittunt formam embryonis, quæ necessariò expellitur cùm adest ultima dispositio ad animam: & aliunde nondum habent animam, quia hæc non advenit, donec tota minimi materia disponatur. Illæ igitur materiæ partes existunt sine ullâ formâ substantiali. *Resp.* Inprimis objectio ruit, admissâ formâ corporeitatis. Deinde P. Ovied. cujus est argumentum. *Controv. 2. Physic. punct. 7. n. 20.*, illud solvit *Controv. 1. de Gener. punct. 4.*, negando, formam Embryonis expelli ex defectu dispositionum, donec adveniat anima. Denique dicatur, partes agenti viciniores disponi quidem priùs quoad plures dispositiones, non tamen quoad ultimam; quia ultima dispositio ad animam importat in ratione talis extensionem per omnes partes minimi naturalis.

19 *Objic. ult.*: termini sunt repugnantes, *dependere*, & *à posteriori*: si enim res præsupponitur existens, jam præsupponitur habere totum suum esse sine interventu termini subsequentis: jam igitur præhabet quidquid necessarium est, ut existat: quomodò ergo à posteriori termino dependet? siquidem dependere idem est, ac ab alio suum esse accipere, vel sine alio existere non posse. Accedit, quòd D. Thomas ait, corrupto composito manere in materiâ illud, quod ante formam erat, *Quia remoto posteriori remanet adhuc prius*: unde sequitur, non pendere à formâ, quod est illâ prius. *Resp.* Si pendere idem sit, ac accipere suum esse ab alio, repugnat quidem dependentia à posteriori. Cæterùm, si dependentia sumatur, ut solet, pro infrustrabili connexione

ne

nè cum termino, quo res aliqua indiget, vel quem exigit, ut in statu sibi debito, & connaturali sit, negari nequit dependentia à posteriori, salvâ communi Philosophiâ: hoc enim modo proculdubiò dependet materia à quantitate, ultima dispositio à formâ, Sol à luce, ignis à calore, &c.

20 Quare res dependens potest præsupponi existens ante terminum dependentiæ, non durationè aliquâ, vel prioritate temporis, sed solâ prioritate naturæ, quæ solùm significat, terminum illum non esse causam talis rei, sed potiùs effectum, aut quasi effectum, naturaliter exactum pro eodem momento, proindeque pertinentem ad statum rei connaturalem, ac necessarium. Itaque, dum infers, Ergo res prior jam prehabet quidquid necessarium est, ut existat, *distinguo*; ut existat in statu sibi naturaliter debito, *nego*; ut existat quin intelligatur jam posita in hoc statu, *subdistinguo*; ut existat existentiâ naturaliter connexâ cum termino pertinente ad hunc statum, *concedo*; existentiâ non ita connexâ, *nego*. Similiter sine interventu termini subsequentis præsupponitur res habere totum suum esse, sed non in statu sibi naturaliter debito, nec ita ut illud esse sit inconnexum cum tali termino.

21 Ad adjunctam doctrinam D. Thomæ dicimus, ideò remanere in materiâ quod erat ante formam, corrupto uno composito, quia materia subit novam formam, novumque compositum, ac proinde non manet sine termino connexionis: non enim connectitur cum determinatâ formâ, sed cum aliquâ vagè. Verum autem est generatim, quòd remoto posteriori remanet adhuc prius, si hoc non sit connexum cum illo; vel etiam, si non sit connexum metaphysicè, sed tantùm physicè, seu naturaliter; tunc enim, remoto per miraculum posteriori, potest adhuc remanere prius naturali actione conservatum. Vide dicenda inferiùs cap. 5.

## CAP. IV.

### *UTRUM MATERIA PRIMA possit divinitùs conservari sine Formâ?*

1 VIDIMUS, non posse contingere naturaliter, ut materia existat omni formâ privata. Nunc quærimus, utrùm id possit contingere saltem de potentiâ Dei absolutâ? Affirmant Scotistæ cum Subtili Doctore, & Authores nostri cum Eximio. Negant verò Thomistæ ferè omnes, quibus hac in re non parùm favet D. Thomas; à quo tamen reverenter discedere nos docet Magist. Sotus super 1. Physic. q. 6. ar. 2. concl. 2., sententiam affirmantem propugnans, licèt fateatur esse contra D. Thomam: *quia res*, inquit, *non est tanti momenti.*

*** ***

***

## §. I.

### *PRIMA NOSTRÆ SENTENtiæ probatio ex non ostensione repugnantiæ. Ubi, an probatio istiusmodi sit efficax?*

2 SENTENTIA affirmativa, quæ nostra est, *probatur* 1. sic: Id, in quo nulla repugnantia, seu contradictio ostenditur, possibile est Divinæ Omnipotentiæ: sed in conservatione materiæ sine formâ, nulla ostenditur contradictio, ut ex argumentorum solutione patebit: ea igitur conservatio Divinitùs possibilis est. Hic arguendi modus, in quæstionibus de possibili frequentissimus, quæstionem aliam veluti reflexam movet: Utrum scilicet sola non ostensio repugnantiæ, ex argumentorum solutione descendens, quàmvis non adsit alia probatio positiva, sufficiens fundamentum sit asserendi possibilitatem oppositam? Quam quæstionem hic breviter decidemus, nè dubij roboris maneat argumentatio illa, sæpiùs in decursu repetenda.

3 Negativam partem tuentur ingeniosi Recentiores in M. S., quibus præluxit P. Antonius Perez disp. 7. de Justific., & Cardinal. Sforcia Pallavic. in 1. 2. disp. 6. q 2. art. 1.. Moventur 1.: quia inter judicium affirmativum & negativum de possibilitate rei datur medium, nempe dubium, aut suspensio judicij: ergo, quàmvis non adsit fundamentum sufficiens ad judicium negativum, non ideò adest ad affirmativum. Sic, quàmvis non adsit ratio convincens stellas esse pares, non ideò affirmamus esse impares. Sed argumentorum solutio, sive non ostensio repugnantiæ, utsummùm efficit, ne detur fundamentum sufficiens ad negandam possibilitatem rei: ergo ex eo capite non ideò datur sufficiens fundamentum ad possibilitatem affirmandam. Ratio à priori: quia, licèt mihi non appareat repugnantia, forsitàn in re datur.

4 Moventur 2.: quia nihil alioquin dici poterit impossibile, nisi repugnantia demonstretur evidenter. Ex hoc autem redduntur inutiles quæstiones de possibili: nam, si afferatur demonstratio, non supereſt quæstio. Moventur 3.: quia argumenta probabilia pro impossibilitate, licèt solvantur, manent adhuc probabilia, saltem si non solvuntur evidenter: ergo sunt adhuc rationes positivæ pro impossibilitate: ergo prævalere debent, dum aliæ positivæ rationes pro possibilitate non adsunt.

5 Moventur 4. quia, sicut non satis apparet impossibilitas, quoties ejus probationes solvuntur, ita non satis apparet possibilitas, quoties solvuntur positivæ probationes illius: ergo à fortiori non satis apparet possibilitas, quando pro illâ præter solutionem objectionum non alia ratio positiva datur, nec soluta, nec insoluta. Moventur denique: quia, dum sors educitur ex urnâ, in quâ sunt sortes nigræ centum, & unica alba, in dubio pro nigrâ stat præsump-

sumptio ratione majoris numeri: sed in nostro Intellectu major est numerus chymerarum, quàm conceptuum possibilium; ut constat ex innumeris falsis opinionibus circa rerum essentias; ergo in dubio de qualitate conceptus, præsumendum est pro chymerico.

6 Nihilominus affirmativam partem amplectuntur, nec tam probant, quàm supponunt, quoties incidit quæstio de possibili in ordine ad potentiam Dei absolutam, non solùm ferè omnes Authores nostri, quos citat, & sequitur P. Compton disp. 27. Physic. sect. 1. 2. & 3.; verùm etiam passim ex omni Schola Theologi, ac Philosophi. Cum his ergo nostra conclusio sit: Quoties argumenta repugnantiæ, sapienti ac diligenti examine discussa, sufficienter solvuntur, adest hoc ipso positivum fundamentum sine aliâ peculiari probatione directâ, ut res prudenter censeatur possibilis, nisi valde remota sit à cognitione nostrâ.

7 *Probatur*: solutis argumentis in contrarium, unum minimum resultat dubium de possibilitate rei, ut Adversarij concedunt, & per se patet: sed hoc ipso ex principijs reflexis adest valida & positiva ratio pro possibilitate: ergo, &c. *Prob. Min.*: cùm de possibilitate dubitatur, locum habet hoc principium reflexum, *In dubio melior est conditio possidentis*: quod principium, in utroque Jure notissimum, nusquam opportunius adducitur, quàm ubi de coarctandâ sphæra Divinæ Omnipotentiæ disceptatur: nam Omnipotentia ratione virtutis infinitæ, & incomprehensibilis, præsertim post tot miracula, quibus se supra humanum captum posse probavit, pro-culdubio jus possidet, ut pro illâ præsumatur, quoties nihil in contrarium convincit. At, ubi locum habet principium illud, adest hoc ipso fundamentum, ut prudenter asseratur extremum, cui favet: ergo, &c.

8 *Confirm.* 1.: quoties dubium est, an licita sit res à superiore præcepta, ratione dicti principij reflexi tenetur subditus obedire, atque adeò prudenter judicat, rem esse licitam, & à superiore præcipi posse: ergo pariter in casu nostro: neque enim minùs vere dicitur, *Deus potest quidquid non ostenditur repugnans*, quàm, *Superior potest quidquid non ostenditur illicitum*. *Confirm.* 2.: cùm dubitatur de crimine viri probi, ipsa non probatio criminis sufficit ad judicium prudens de illius innocentiâ; quia consuetudo bene operandi fundat præsumptionem de crimine non commisso: ergo pariter in Deo consuetudo mira patrandi fundare debet præsumptionem in favorem Omnipotentiæ, ubi non constat rei impossibilitas. Certè, qui potuit facere, ut existeret *Virgo mater*, *Deus homo*, *Immortalis mortuus*, &c.; & (ut loquar cum S. Augustino lib. 21. de Civit. cap. 7.), *Qui potuit creare tam multa, quæ si non ostenderentur, aut à credendis hominibus fictibus dicerentur, profectò impossibilia putarentur*: quid non potuit?

Con-

9 *Confirm.* 3. nemo negaverit, tam verum esse hoc effatum, *Nihil negandum est Omnipotentiæ sine necessitate*, quàm hoc aliud in Scholis tritum, *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*: sed propter hoc secundum, ubi agitur de admittendâ novâ entitate, omnes Philosophi ad eam rejiciendam, & positivè asserendam ejus carentiam, satis habent solvere argumenta in contrarium; ergo propter primum, solutio argumentorum sufficere debet, ut Omnipotentiæ positivè adscribatur rei possibilitas. Ratio utrobique est eadem: quia nimirùm, qui dicit rem esse impossibilem, & qui nova entia multiplicat, habendi sunt loco actorum, & accusantium, quibus incumbit probare, & convincere: qui verò ex adverso militat, habendus est pro reo, & negante, qui, dummodò plausibiliter ad objecta respondeat, censetur hoc solo suam causam positivè firmare. Vide Caramuel. in Metalog. *lib.* 8. *de princip. per se not. princip.* 18., ubi pulchra, & optima adducit in id ipsum circa celebre illud axioma, *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, quem appellant *Equum Ockami*.

10 *Confirm.* denique: quia negandum Deo non est sine urgenti fundamento, sed potiùs adscribendum, quidquid ejus supremum dominium ampliare potest; sicut non est negandum, quidquid ejus bonitatem, sapientiam, aut alias perfectiones commendat. At conservatio materiæ sine formâ v. g., ex terminis ampliat supremum Dei dominium: dum ergo opposita argumenta non urgent, asserenda est Deo possibilis. Dices: jam ergo ex objectionum solutione oritur positiva probatio possibilitatis: ergo destruimus sensum quæstionis, quæ inquirit, an objectionum solutio sine positivâ probatione sufficiat. *Resp.* Quæstionis sensus est, An ad asserendam possibilitatem rei sufficiat objectionum solutio sine aliis probationibus directis ejusdem possibilitatis in particulari: non tamen excluduntur argumenta positiva reflexa, & generalia, quæ ex objectionum solutione resultant.

11 Hinc ad argumenta negativæ partis facilè respondetur. *Ad* 1. fateor, non sufficere generatim solam non ostensionem unius extremi, ut oppositum hoc ipso probatum maneat; sed communiter debere suspendi judicium: sufficit tamen, quando alteri extremo favet præsumptio, aut possessio; ut cernere est in exemplis adductis, atque etiam in quæstione de existentiâ legis, aut præcepti, ubi ipsa non probatio existentiæ est positiva ratio pro carentiâ, ob possessionem libertatis. Unde constat disparitas ad exemplum stellarum, quarum pari, aut impari numero nulla favet præsumptio. Ratio adjuncta nulla est: nam, etiam dum adest peculiaris positiva probatio possibilitatis, sæpe timere possumus, ne fortè lateat repugnantia: & tamen tunc prudenter asseritur possibilitas, juxta Adversarios. Dicatur ergo, quando re maturè discussâ nul-

la

la occurrit repugnantia, solutu non facilis, tunc, licèt reverâ detur, posse tamen prudenter asseri possibilitatem, ut cernitur in exemplis nostræ probationis.

12 *Ad* 2. concedo, nihil jure dici impossibile, nisi quod tale probetur demonstrativè, aut ferè, *Nihil Deo negandum est* (inquit Sotus loc. cit. suprà n. 1.), *nisi ubi manifestissima est contradictio*. Hoc tamen non reddit inutiles quæstiones de possibili. Tum quia hæc nostra sententia non ab omnibus approbatur. Tum quia sæpe authores amant producere peculiaria argumenta positiva, præter objectionum solutionem, & eorum efficaciam experiri. Tum quia passim argumenta, quæ aliis apparent demonstrativa, aliis debilia sunt, & vix probabilia: unde saltem oportet examinare, an argumenta repugnantiæ demonstrativa sint, an verò solutionem admittant; itemque, an solutiones sint tenuis, vel magnæ, vel nullius probabilitatis, ut fidentiùs, quid tenendum sit, statuatur.

13 *Ad* 2.: si argumenta repugnantiæ evidenter solvuntur, non manent probabilia: si verò solvuntur probabiliter, licet probabilia maneant secundùm se, & seorsùm spectata; secùs tamen comparata cum principio reflexo possessionis: vel certè manent minùs probabilia, quàm argumenta reflexa possibilitatis: quia præsumptio, & possessio Omnipotentiæ semper est ratio fortior, & præponderans argumentis in contrarium non convincentibus. *Ad* 4. concedo, quòd non satis apparet possibilitas ex merâ solutione probationis contrariæ, si præcisè fiftatur in argumentis peculiaribus, ac directis: satis tamen apparet, si solutio illa conjungatur cum principio generali reflexo de privilegio possessionis. Unde falsum est, quòd tunc non detur alia ratio positiva, nec soluta, nec insoluta: quàmvis enim non adsit ratio directa, & peculiaris, adest reflexa, & generalis. Nec dicas, hanc etiam rationem reflexam solvi ab Adversarijs: nos enim contendimus, non benè solvi.

14 *Ultim. argum.* retorquetur: nam, si ex urnâ, ubi sortes nigræ majore sunt numero, quàm albæ, una educatur, quæ diligenter ad lucem inspecta, nulla ostendat signa nigroris, nullus Areopagita, nullus Æacus, aut Rhadamantus, sortem præsumet nigram, nec reum condemnabit: ergo pariter, si conceptus aliquis, diligenter ad Sapientiæ lucem inspectus, nulla ostendat indicia repugnantiæ, non poterit præsumi chymericus. Illa ergo præsumptio, de quâ in argumento, ut plurimùm habebit locum, quando conceptus non examinatur, vel examinari non potest; minimè verò, quando exactè discutitur; quo sensu nos loquimur.

15 Propterea notanter in Conclusione diximus, *nisi res valde remota sit à cognitione nostrâ*: quia si conceptus objectivus ita perplexus, & obscurus sit, ut introspici, & examinari non possit, tunc non nisi temerè asseretur possi-

sibilis, aut impossibilis; ac proinde judicium suspendi debet. Ratio est 1.: quia tunc urget illa major intellectus nostri fecunditas, vel saltem non minor, ad conceptus chymericos, quàm ad possibiles, adjuncto fortitionis exemplo: fors enim extracta ex urnâ, quæ pari numero continet nigras, & albas, si ad lucem saltem tenuem inspici non possit, nonnisi temerè dicetur alba, nec nigra. 2.: quia tunc revera nescitur de quo sit quæstionande nec applicari potest ratio reflexa præsumptionis, aut possessionis. Debent ergo cognosci distinctè more nostro prædicata objecti, saltem præcipua: quo modo in quæstione de conservatione materiæ sine formâ, cognoscuntur à nobis prædicata materiæ, &c..

## §. II.

### *Probationes aliæ positivæ.*

16 REGREDIMUR jam ad Conclusionem principalem, quæ *probatur* 2. paritate accidentis, & formæ materialis. Nam accidens potest Divinitus sine subjecto conservari, ut nos docet Eucharistiæ miraculum: materialis item forma substantialis, v.g. anima equi, existere Divinitus potest extra materiam, ut communiter concedunt etiam Thomistæ: ergo & materia poterit à Deo conservari sine formâ. *Prob. Conseq.*: quia, si forma accidentalis & anima equina sunt entitates absolutæ, propriâ quæ existentiâ prædictæ; id ipsum de materiâ verificatur: & præterea magis illæ dependent à subjecto, quàm materia à formâ; dependunt enim à priori, tamquam à verâ causâ materiali, & sustentativâ; cum tamen materia à priori non pendeat à formâ in ullo genere causæ physicæ (causa finalis nihil refert ad præsens, quia finis potius est physicè posterior), sed solum à posteriori, tamquam à complemento naturaliter debito.

17 Sed, quia Thomistæ materiam faciunt à formâ pendentem, tamquam à causâ formali, probare oportet, hoc esse tum falsum, tum inutile. Et inprimis, quod forma non sit materiæ causa formalis intrinsecè constitutiva, & distinctiva (qualiter albedo est causa formalis albi, anima hominis, & Gratia sancti), certum omninò est: alioquin materia foret totum compositum, nec haberet entitatem adæquatè distinctam à formâ. Deinde, quòd forma dicatur materiæ causa formalis, non constitutiva, sed adæquatè distincta ab effectu (quo modo forma comparatur ad quosdam effectus secundarios, quos ideo causare dicitur in genere causæ formalis, quia eos inducit informando subjectum; atque ita forma ignis causat expulsionem formæ ligni, calor expulsionem frigoris, & peccatum expulsionem Gratiæ), hoc, inquam, falsum est in nostris principijs de existentiâ materiæ; & aliunde non prodest Adversarijs in præsenti: Tum quia effectus formalis secundarius, sive adæquatè distinctus à formâ, potest à Deo sine formâ causari: Deus enim facere potest, ut sine calore de-

detur expulsio frigoris è subjecto, ut etiam de potentiâ absolutâ posset auferre Gratiam, quin præcedat peccatum.

18 Tum etiam, quia tam verè dicitur, Deum non posse supplere munus causæ materialis, quàm causæ formalis: & tamen hoc intelligitur de causâ materiali constitutivâ, non verò de adæquatè distinctâ ab effectu; Deus enim in genere efficientis supplet munus causæ materialis respectu quantitatis Eucharisticæ: cur ergo non idem dicatur de munere causæ formalis non constitutivæ? Certè communiter dici solet, Deum se solo supplere posse influxum cujusvis causæ creatæ in effectus adæquatè distinctos à causâ, & influxu ipso. Dices, materiam non existere nisi per existentiam formæ, quæ existentia sine formâ suppleri nequit. Verùm hoc & falsum est, ut suo loco vidimus, & præterea insufficiens, ut jam ostendo.

19 *Probatur* itaque 3. nostra Conclusio: etiam admisso, materiam carere propriâ existentiâ, & connaturaliter existere per existentiam formæ, adhuc ex principijs Adversariorum concedi debet, materiam conservari divinitùs posse sine formâ. *Prob.*: materia prima Christi D. de facto non existit per existentiam formæ, juxta Thomistas, sed per existentiam Verbi supplentem existentiam creatam: jam ergo materia non ita pendet à formæ existentiâ, ut hæc suppleri Divinitus non possit. sicut ergo de facto materia simul cum formâ per existentiam Verbi existit, poterit etiam Divinitus per eandem Verbi existentiam existere seorsùm à formâ; si nimirum absque ullâ formâ maneret unita Verbo, ut de facto contigit juxta nonnullos in triduo mortis Domini; in quo saltem potuisse Deum nullam aliam formam materiæ tribuere loco animæ, non est cur negetur.

20 Adde, quòd juxta sententiam communem apud Thomistas cum Cajetano, & Bañez, existentia non est modus, sed entitas absoluta: unde existentia formæ non habet modalem alligationem ad formam. Poterit ergo ab essentiâ formæ Divinitùs separari, redderéque materiam seorsùm existentem. Urgetur hoc ipsum: nihil apud Thomistas frequentius, & solemnius, quàm quòd existentia non tam sit propria formæ, quàm compositi, quod solum existere dicunt propriè, & *ut quod*. Tum sic: existentia formæ, licèt principaliter sit instituta propter compositum ut proprius actus illius, nihilominùs potest à composito separari, ut de facto separatur cum animâ rationali, & divinitùs separari posset cum animâ equinâ: ergo eadem existentia, licèt magis sit formæ, quàm materiæ, poterit à formâ separari, & sine illâ communicari materiæ.

21 Respondent Thomistæ, formam essentialiter requiri, ut materiæ communicetur existentia, non quia existentia formæ suppleri nequeat; suppletur enim in Christo D; sed quia materia sine formâ non est intrinsecè, & immediatè capax existentiæ. Hinc forma, inquiunt, in

omni eventu prærequiritur ante quamlibet existentiam, ut scilicet materiam habiliter, & constituat capacem ad existendum. Et inde disparitatem reddunt ad formas materiales: in his enim datur immediata capacitas existentiæ, quia sunt actus ratione sui; at in materiâ, utpotè purâ potentiâ, nulla est capacitas existentiæ, nisi ratione formæ.

22 Hæc tamen doctrina sic impugnari potest. Materia immediatè, & ratione sui, & prout à formâ distinguitur, est capax existentiæ: ergo forma, quidquid sit, an illi tribuat existentiam, non tribuit saltem capacitatem existentiæ. *Prob. Antec.*: materia immediatè & ratione sui est possibilis; sed eo modo, quo est possibilis, est capax existentiæ: ergo immediatè & ratione sui est capax existentiæ. Consequentia legitima est, & Minor evidens, nam hi termini synonymi sunt, *possibile*, *potens existere*, *aptum existere*. Major denique non minùs certa videtur: materia enim immediatè & ratione sui est ens reale, non est chymera, non implicat contradictionem: ergo immediatè & ratione sui est possibilis: nam possibile est citra dubium, quidquid est ens reale, quidquid non implicat contradictionem. Item, materia immediatè & ratione sui est producibilis à Deo: possibile autem, & producibile, idem est. Rursùs: materia immediatè & ratione sui terminat creationem sui; hæc enim non terminatur ad formam: creatio autem dat suo termino existentiam, ut ex D. Thomâ constitit disp. præced.: ergo à fortiori dat capacitatem existentiæ. Sed non dat formam, cum hæc plerumque detur per eductionem: ergo materiæ capacitas ad existendum non constituitur per formam.

## §. III.

### *Solvuntur argumenta contraria.*

23 *Obj.* 1. si materia existeret sine formâ, foret ens in actu sine actu: *Creationis enim terminus* (inquit D. Thomas 1. p. q. 66. ar. 1.) *est ens actu: ipsum autem, quod est actus, est forma: dicere igitur, materiam præcedere sine formâ, est dicere ens actu sine actu; quod implicat contradictionem. Resp.* Materia sine formâ existens, non foret ens in actu sine actu eodem, sed sine diverso: foret enim ens in actu entitativo, qui est existentia, sine actu formali physico: in quo nulla est contradictio, cum illi actus sint inter se realiter distincti.

24 Mens D. Thomæ multis est dubia: videtur enim loqui, non tantum de formâ substantiali physicâ, sed generatim de formâ prout comprehendit substantialem, & accidentalem, physicam, & metaphysicam, seu entitativam: alioquin non diceret generaliter, *Ipsum, quod est actus, est forma*; quia certum est, multos esse actus, qui non sunt formæ physicæ substantiales: nec item diceret indistinctè, quòd *creationis terminus est ens actu*; quia terminus creationis materiæ, saltem post mundi exordium, non est for-

forma. Verissimum autem est, implicare contradictionem, quòd materia existat sine omni actu, sive formâ generatim sumptâ, & quòd in hoc sensu duret *informis*: quia saltem habere debet actus metaphysicos differentiæ essentialis, existentiæ, & subsistentiæ, necnon actus accidentales ubicationis, & durationis. Quodsi hac interpretatione non satisfeceris Thomistis, dic, te modestè discedere à D. Thomâ in re præsenti cum Magistro Soto.

25 *Replic.*: si materia est sine formâ substantiali, est etiam sine actu existentiæ. *Probat.*: quia forma est actus primus, & existentia est actus secundus: repugnat autem actus secundus sine primo. Quare, sicut actus vitalis, seu vita in actu secundo, essentialiter præsupponit vitam in actu primo, seu principium vitale; ita existentia essentialiter præsupponit formam. Ob eamdem rationem implicat, aliquem intelligere sine Intellectu, quia scilicet Intellectus est actus primus, & Intellectio est actus secundus: similiter implicat, causam agere sine virtute activâ, quia hæc est actus primus, & actio est actus secundus. Accedit, quòd existentia est ultimus actus, ultimumque complementum in lineâ entis: debet ergo supponere primum actum, primumque complementum, quod est forma.

26 *Resp. neg. assumpt.* Ad *prob.*: Si materia gaudet propriâ existentiâ, jam divinus disp. præced., quo sensu existentia vocetur actus secundus, nimirùm vel respectu potentiæ objectivæ, vel secundus ordine intentionis, non ordine executionis: unde non debet formam præsupponere. Si verò admittas, materiam existere per existentiam formæ; vel dic, existentiam esse actum secundum naturaliter, non verò essentialiter, posseque Divinitùs ordinem inverti; quemadmodùm potest inverti ordo, quo materia debet naturaliter priùs recipere calorem, quàm formam ignis: vel dic potiùs, existentiam connaturalem, quâ de facto existit materia, esse quidem actum secundum supponentem formam; secùs verò existentiam aliam miraculosam, quam Deus potest tribuere materiæ, v. g. existentiam Verbi, vel aliam. Sic, juxta Adversarios, existentia accidentium connaturaliter præsupponit inhærentiam eorum ad subjectum; & tamen accidentia possunt à subjecto separata existere.

27 Paritas in actu vitali nulla est. Nam actus vitalis, vel est modus principij vitalis, ut plures volunt; & ita nihil mirum, si essentialiter alligetur principio vitali: vel, si non est modus, sed qualitas absoluta, poterit à vitali principio Divinitùs separari. Quare idem dicendum de materiâ, & ejus existentiâ, cum non sit modus formæ. Imò & ipsa existentia formæ non est modus ejus, ut volunt plerique Thomistæ; ac proinde poterit à formâ separari, reddereque materiam existentem, pereunte formâ: quomadmodùm conservatur nunc in animâ D. Petri existentia illa, per quam antea compositum, & materia ipsius existebant, quin tamen per illam modò

existant : conservatur, inquam, pereunte composito, cujus erat propria magis, quàm animę, juxta Adversarios. Adde, quòd res componi potest, quin forma pereat : si nimirùm existentia formæ bilocetur hìc, & Romæ; & hìc reddat existentem materiam sine formâ, Romæ verò existentem formam sine materiâ. Denique, recursus supereſt ad existentiam Verbi, vel ad creatam miraculosam.

28 Adjuncta exempla ideò vera sunt, non quia Intellectus, aut virtus activa, est actus primus utcumque, sed quia est actus primus per modum potentiæ & capacitatis ad intelligendum, aut agendum. Idcircò repugnat intelligere sine Intellectu, & agere sine virtute activâ: foret enim intelligere sine capacitate intelligendi, & agere sine potentiâ agendi; in quo manifesta est contradictio, cum ab actu ad potentiam valeat consequentia. Ille igitur actus primus, qui consistit in capacitate ad actum secundum ut denominantem, essentialiter prærequiritur. Cæterùm ille non deficit materiæ existenti sine formâ, cum habeat materia ratione sui capacitatem ad existendum. Demùm, quo sensu existentia dicatur ultimus actus, aut ultimum complementum in lineâ entis, explicuimus disp. 2. cap. 4. n. 19. & 22. Poterit etiam applicari solutio, quàm nuper dedimus circa nomen *actus secundi*.

29 *Objic.* 2.: implicat esse accidentale sine formâ accidentali: ergo & implicat esse substantiale sine formâ substantiali. *Neg. Conseq.*: nam omne esse accidentale involvit accidens, & omne accidens est forma; quia *Accidentis esse est inesse*, sive esse in subjecto: at non omnis substantia est forma; ideòque dari potest esse substantiale, quod nec sit forma, nec formam includat. Et instatur: implicat essentia accidentalis adæquatè distincta à formâ accidentali: ergo & essentia substantialis adæquatè distincta à formâ substantiali: ergo essentia materiæ erit implicatoria.

30 *Objic.* 3.: materia nequit existere sine omni formâ accidentali, cum saltem habere debeat ubicationem, & durationem: ergo nec potest existere sine omni formâ substantiali. *Prob. Conseq.* 1.: quia materia magis indiget substantiali formâ, quàm accidentali, siquidem per substantialem magis perficitur, magisque ad eam ordinatur. 2.: quia, quæ magis accedunt ad unitatem, magis sunt inseparabilia: magis autem ad unitatem accedit materia cum formâ substantiali, quàm cum accidentali; cum hac enim facit *unum per accidens*; cum illâ verò *unum per se*, quod est maximè *unum*.

31 *Neg. Consequ.*; cujus prima *probatio* instatur in accidentibus Eucharisticis, quæ nequeunt esse sine ubicatione, ac durationc, cum tamen possint esse sine subjecto, à quo magis perficiuntur, & ad quod magis ordinantur: item in formâ substantiali, quæ magis ex consortio materiæ perficitur, quàm ex illis modulis, magisque ad materiam ordinatur, quin ideò magis indigeat consortio ejus: item in ma-

te-

teriâ ipsâ, quæ magis perficitur quantitate, calore, & alijs accidentibus absolutis, atque etiam formâ substantiali determinatâ, v. g. animâ, quàm prædictis modulis, quibuscum tamen magis connectitur. Connexio igitur, vel indigentia essentialis relatè ad eos modulos, non sumitur ex perfectibilitate materiæ, nec ex ordine incompletionis, sed ex alio titulo, qui non militat respectu formæ substantialis: videlicet ex eo, quod implicat, rem verè existere, quin sit alicubi, & aliquando, ac proinde quin habeat ubicationem, & durationem: ex terminis enim repugnare videtur, quòd res existat verè, & tamen existat nunquam, & nullibi, nec intra Immensitatem, & Æternitatem Dei contineatur.

32 Secunda *probatio* instatur etiam evidenter: nam materia facit *unum per se* cum formâ substantiali determinatâ, v. g. cum animâ hominis; & tamen non est magis ab eâ inseparabilis, quàm ab ubicatione: imò facilius ab eâ separatur, quàm à quantitate, & alijs accidentibus, etiam absolutis, & determinatis. Illud ergo principium, *Quæ magis accedunt ad unitatem, magis sunt inseparabilia*; verum est de unitate identitatis; magis enim per rationem inseparabilia sunt, quæ identificantur formaliter, quàm quę purè realiter. Falsum autem est de unitate compositionis: nam unio physica corporis cum animâ proculdubiò est major, quàm unio artificialis, vel puræ aggregationis; & tamen facilius moritur homo, quàm dissolvitur solidum ædificium, aut grandium lapidum acervus. Omnium item viventium animæ cum materiâ uniuntur æqualiter; & tamen ex viventibus alia alijs difficiliùs pereunt. Idem patet comparatione factâ inter adamantem & pomum.

33 *Objic.* 4.: materia est indifferens, & contrahibilis per formam ad varias species Entis: ergo, si existeret sine formâ, ad nullam speciem entis pertineret; quod non minùs implicat, quàm animal existere à parte rei, quin sit rationale, vel irrationale, defectu differentiæ contrahentis. *Dist. Antec.*: ad varias species Entis completi, *conc.*; Entis incompleti, *neg. Antec.*; similiterque *dist. Conseq.*. Itaque materia sublunaris, existens sine formâ, ad nullam pertineret speciem Entis completi, ut ignis, arboris, hominis, &c.: foret tamen entitas, & substantia incompleta, specie diversa ab omni formâ, atque etiam à materiâ cœlesti, juxta plures. Nec obstat, quòd *Species sumatur à formâ*, ut est in proverbio. Id enim verum est de specie Entis completi. Verum etiam est de Ente incompleto, si loquatur de formâ metaphysicâ, quæ est differentia essentialis: ab hac enim sumitur species incompleta materiæ, & entis cujuscumque.

34 Exemplum animalis sine differentiâ existentis, non est ad rem. Tum quia pari exemplo probaretur, non posse existere formam sine materiâ, sicut non potest differentia sine genere. Tum quia animal illud careret specie metaphysicâ, seu dif-

differentiâ essentiali; secus autem materia sine formâ. Tum etiam, quia contrahibilitas materiæ per formas, non est indifferentia merè logica supponens identitatem realem cum differentijs, qualis datur in animali ut sic; sed est indifferentia physica rei determinatæ, ac singularis, ad varia complementa realiter distincta.

35 *Objic.* 5. Deus, quia summè perfectus, essentialiter est actu totum: ergo materia, quia summè imperfecta, essentialiter est actu pars: ergo requirit essentialiter consortium alterius compartis, nempe formæ. *Confirm.* 1.: Deus ob summam perfectionem summè non indiget: ergo materia ob summam imperfectionem summè indiget: ergo essentialiter indiget complemento formæ. *Confirm.* 2.: potentia summè productiva nequit non esse actu producens, ut patet in potentiâ Dei semper ad intra producente: ergo potentia summè receptiva, qualis est materia, nequit non esse actu recipiens. *Confirm.* 3. modi ubicationis, & inhæsionis v.g., quia sunt minimæ entitatis in genere accidentium, nequeunt existere separati; sed materia est minimę entitatis in genere substantiæ, cum sit propè nihil: ergo nec poterit existere separatim.

36 *Resp.* Materia non ita est summè imperfecta, sicut Deus est summè perfectus. Nam summa perfectio Dei essentialiter excludit omnem imperfectionem, sive identificatam, sive unitam: at summa imperfectio materiæ non excludit essentialiter omnem perfectionem, nec identificatam, cum sit vera entitas positiva & substantialis, nec unitam, cum possit per unionem perfici ab innumeris formis. Materiæ igitur imperfectio solùm dicitur summa in genere substantiæ absolutæ; quocum bene cohæret, quòd supponat perfectionem aliquam verè talem, imò majorem, quàm sit perfectio plurium accidentium, modorumque substantialium. Hinc ad *objec. neg. Conseq.*: eodem quippe jure posset inferri, quòd materia est parum nihil. Materia ergo solùm est essentialiter pars aptitudinalis respectu compositi, sicut forma. Si tamen referatur ad hoc totum, *Subsistens*, aut *Locatum*, erit etiam essentialiter pars actualis, requirens consortium subsistentiæ, & ubicationis.

37 Ad 1. *confirm. neg.* pariter *Conseq.*; nisi referatur indigentia materiæ ad concursum Dei, vel ad ubicationem; quæ est indigentia communis omni creaturę. Ratio negandi est disparitas, de quâ nuper, inter imperfectionem materiæ, & perfectionem Dei. *Ad* 2. instantia est in Omnipotentiâ Dei, quæ est summè productiva ad extra, quin debeat semper actu producere. Productio autem ad intrà, cum identificetur cum Deo ipso, quid mirum, quòd sit necessaria? Non sic certè identificatur cum materiâ receptio actualis. Adde quòd materia semper est actu recipiens ubicationem.

38 *Ad* 3.: in primis nego causalem Majoris: quia cognitio, & amor, in plurium sententiâ, habent modalem alligationem ad suas potentias; & tamen non sunt minimæ eu-

entitatis in genere accidentium unionem Gratiæ cum animâ perfectior est nigredine v.g., quin possit existere separatim. Vera ergo ratio inseparabilitatis modorum desumitur ex eorum essentiâ, quæ consistit in actuali exercitio, & ultimâ determinatione. Deinde, transmissâ *Maj.*, *neg. Min.*: quia materia non est minimæ entitatis in genere substantiæ *ut sic* (excedit enim plures modos substantiales), sed tantùm in genere substantiæ absolutè. Dicitur autem *propè nihil*, dum comparatur ad formas substantiales.

## CAP. V.

### *QUÂ ACTIONE CONSERVARETUR Materia privata Divinitùs omni Formâ?*

1 Disputatur inter Authores nostros, utrùm actio, quâ Deus conservaret materiam sine formâ, foret intrinsecè naturalis, & eadem, quæ modo est? an verò foret intrinsecè supernaturalis, atque eadeò diversa, sicut diversa est actio conservans accidentia sine subjecto ab eâ, quâ in subjecto conservantur? Supponitur autem, materiam habere propriam existentiam: si enim per alienam existat, & nihilominùs sine formâ conservetur (quod ex principijs Thomistarum fieri posse diximus cap. præced.), absolubio necessaria erit actio diversa, quæ terminetur vel ad existentiam adventitiam, vel ad ejus unionem cum materiâ, quarum utraque pertineret ad materiæ conservationem. Videlicet, si existentia sit Divina, requiritur nova actio unitiva: si verò sit creata, tunc, vel est in se miraculosa, proindeque non poterit naturali actione produci; vel est ipsa formæ existentia, à formâ avulsa, atque ita non produceretur per eductionem, sicut modò, sed per creationem.

2 Quòd ergo conservatio materiæ in casu privationis omnium formarum non deberet intrinsecè variari, tenent, & meritò, cum Eximio Doct. disp. 15. Metaph. sect. 9. n. 7. plerique Nostrorum contra paucos alios. *Probatur*: actio variari non debet, ubi non variatur, nec deficit terminus, neque ulla causa, vel principium influens: tum quia ab his solis specificatur, & pendet actio: tum quia non alio ex capite variatur conservatio accidentis extra subjectum (ut etiam variaretur conservatio formæ lapidis extra materiam) nisi quia deficit, & suppletur concursus alicujus causæ, nempe materialis. At in casu quæstionis non variatur, nec deficit actionis terminus, neque ulla causa, vel principium influens: ergo non debet actio variari. *Prob. Min.*: nam inprimis invariatum perseverat totum esse partiale materiæ, qui est unicus terminus creationis ejus; hæc enim creatio nec ad compositum, nec ad formam terminatur: ac deinde creatio illa non aliud principium, aliamvè causam physicam habet, præter efficientem, qui est Deus; & qui certè perseverat idem, est que summè præsens, & supponitur volens conservare materiam.

Nec

3 Nec prodest recursus ad variationem finis. Nam actio externa, cùm non propriè, sed denominativè, sit propter finem, eadem esse potest, quamvis ad varios fines ex intentione operantis ordinetur: quare, licet conservatio materiæ sine formâ non ponatur, sicut antea, ob finem constituendi compositum, sed ob alium, v.g. ob ostensionem Divinæ Omnipotentiæ; non ideò intrinsecè variari debet. Sic externa largitio eleemosynæ potest eadem esse, sivè ponatur ob finem naturalem, sive ob supernaturalem placendi Deo, vel redimendi peccata. Et ratio est: quia physica actio non specificatur à fine sui termini, sive à fine, quem non immediatè attingit, sed tantùm à termino immediatè producto, qui dici potest finis intrinsecus actionis.

4 Nec item prodest recursus ad exigentiam contrariam. Nam 1. valde probabile est, in casu quæstionis nullam esse exigentiam naturalem, quæ materiæ conservationi resistat, vel ejus annihilationem petat. Hæc enim exigentia, vel esset materiæ ipsius, vel naturalium agentium, vel totius Universi. At materia ipsa formam quidem appetit, & privationi resistit; sed non est cur appetat desitionem sui, utpotè nullo ex capite sibi bonam, etiam dum omni formâ privatur; de quo iterùm in solutione objectionum. Agentibus naturalibus nullatenùs nocet conservatio materiæ: quamvis enim violentiam patiantur eo, quod non finantur speciem suam in eâ propagare, hæc tamen violentia non provenit à materiâ, quæ potiùs id ipsum horret; sed provenit à Divino decreto subtrahendi concursum ad formam in hac materiâ producendam. Denique Universum nihil continet, præter causas activas & passivas, in quibus nulla est exigentia talis, ut vidimus: & præterea potiùs debet exigere conservationem materiæ, ne detur vacuum.

5 2. : quamvis admittatur naturalis exigentia petens desitionem materiæ, non ideò, nolente Deo huic exigentiæ attendere, requiritur actio diversa, & supernaturalis intrinsecè, & quoad substantiam, ut ajunt. Sic, dum cæco miraculosè restituitur visus contra exigentiam dispositionis contrariæ, non est opus actione quoad substantiam supernaturali, nec diversâ ab eâ, quâ visus naturaliter conservatur. Sic etiam resurrectio, quæ non nisi per miraculum fieri potest, non requirit actionem intrinsecè diversam à primâ generatione; ut probat P. Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 44. sect. 5.. Sic item non requiritur diversa actio, ut Deus conservet in subjecto frigus contra exigentiam caloris validioris, nec ut conservet in materiâ formam ligni contra exigentiam formæ ignis denuò introductæ.

6 Videri potest P. Arriaga *disp. 3. Phys. sect. 7.*, ubi generatim hanc conclusionem statuit, ac tuetur: *Quandocumque* in actione aliquâ miraculosâ Deus non supplet defectum alicujus causæ creatæ, non est opus influxu fortiori, &, ut dici solet, supernaturali quoad substantiam,

tiam, sed solùm ut illum influxum conservet, & det, quando causæ naturales exigebant, ne ille esset, sed potiùs carentia *illius*. Et in hac conclusione dicit Arriaga convenire Philosophos omnes, quotquot vidit, uno excepto Recentiore, contra quem agit; item & Theologos. Ratio à priori est: quia naturalis exigentia contraria eatenùs obsistit productioni, vel conservationi rei, v. g. materiæ in casu nostro, quatenùs petit, ac veluti precatur Deum, ut talem actionem suspendat, vel ab eâ cesset: ergo eo præcisè, quòd huic petitioni Deus nolit attendere, manebit eadem actio, non obstante exigentiâ contrariâ. Atqui potest Deus ita nolle; alioquin jam illa exigentia non esset merè physica & naturalis, ut supponitur, sed essentialis & metaphysica: ergo per solum nolle Divinæ voluntatis sine novâ actione totum hoc negotium peragitur.

7 *Dices*: Deus conservat tunc materiam ut Author supernaturalis: ergo conservat actione supernaturali. *Dist. Conseq.*: actione supernaturali quoad substantiam, *neg.*; supernaturali quoad modum, *conc. Conseq.*. Bifariàm operatur Deus ut supernaturalis Author. 1. producendo effectum intrinsecè supernaturalem, cujusmodi est Gratia, vel unio hypostatica; & tunc operatur actione supernaturali quoad substantiam. 2. violando, vel frustrando exigentias rerum naturales; & tunc non semper opus est actione supernaturali quoad substantiam, ut patet ex num. 5. & 6.: denominatur tamen actio *supernaturalis quoad modum* à volitione Divinâ, quam supponit hìc & nunc, de frustrando rerum exigentias; quæ volitio vocatur supernaturalis, quia est supra exigentiam totius naturæ, quamvis nihil intrinsecè supernaturale causet ad extrà. Sic volitio annihilandi Angelum, aut negandi concursum igni applicato ad comburendum, nihil infert quoad substantiam supernaturale; & tamen supernaturalis censetur.

8 *Dices* iterùm: conservatio materiæ contra exigentiam naturalem, superat virtutem Dei ut naturæ Authoris. *Dist.*: conservatio per se, & intrinsecè spectata, *neg.*; per accidens, & prout in his circumstantijs, *subdist.*: superat virtutem Authoris naturæ specificativè sumptam, *neg.*; sumptam reduplicativè, prout implentem munus Authoris naturæ, *conc.*. Deus non habet aliam virtutem ut Author naturæ, & aliam ut supernaturalis Author, sed unam simplicissimam Omnipotentiam, etiam absque distinctione rationis, saltem pro effectibus non intrinsecè supernaturalibus. Dicitur tamen ea virtus agere ut propria Authoris naturæ, quando agit ex decreto Dei volentis operari juxta rerum exigentias: quando verò ex alio decreto agit, tametsi & virtus, & actio sit eadem, non dicitur agere ut propria naturæ Authoris.

9 *Dices* 3.: conservatio materiæ sine formâ excedit vires activas & exactivas totius naturæ, qui est character entis supernaturalis. *Dist.*: excedit per se, *neg.*; excedit per

accidens, seu propter circumstantias extrinsecas,& accidentarias privationis omnium formarum, *conc.*. Character entis supernaturalis est per se & intrinsecè excedere vires illas, ita ut numquam possit existere ex vi, aut exigentiâ naturę. Si tamen res hoc non habeat ex se, & per se, sed ex accidentariâ circumstantiâ, ut in casu nostro; non definit esse intrinsecè naturalis. Et alioquin ex hoc argumento probaretur, non solùm actionem, sed ipsam quoque entitatem materię esse intrinsecè supernaturalem; quia entitas ipsa, prout in his circumstantijs, excedit vires activas & exactivas totius naturę.

10 Denique sententia nostra *confirmatur* paritate ignis Babilonici, qui miraculosè prohibitus à combustione trium puerorum, eâdem actione conservatus fuit, quâ conservaretur, si combureret: quod pariter accideret in animâ, si Divinitùs privaretur potentijs naturaliter debitis; & in quâlibet aliâ substantiâ, sine suis proprietatibus conservatâ. Hæc enim exempla non aliâ ratione vera sunt, nisi quia combustio, potentia, vel proprietas, licèt sint termini naturaliter debiti, nullo modo influunt in prędictas substantias, sed eas pro priori productas, & existentes supponunt: quod pariter in formâ respectu materiæ verificatur. Exempla ista, quibus planè instantur argumenta contraria, non videntur ab Adversarijs negari, nec fieri possunt. Quis enim credet, ignem Babilonicum supernaturali actione extitisse, quandiù à combustione cessavit? Et alioquin dicendum pariter esset, quòd substantia aquæ, dum privatur frigore, aut anima rationalis, dum separatur à corpore, quod innatè appetit, conservatur actione diversâ, & robustiore, saltem intrà lineam naturalem; quod tamen nemo dixerit.

*Solvuntur Objectiones.*

11 *Obje.* 1.: si conservatio materiæ foret actio naturalis, materia existeret naturaliter sine formâ, contra communem sententiam, quam suprà defendimus. *Resp.*. Ut res absolutè dicatur non fieri vel existere naturaliter, non requiritur existentia vel actio supernaturalis quoad substantiam (ideſt, quæ entitativè superet pro omni eventu vires activas & exactivas totius naturæ), sed sufficit, quòd existentia vel actio sit supernaturalis quoad modum (ideſt, quòd, licèt entitativè sit ordinis naturalis, existat tamen hìc & nunc in circumstantijs indebitis, & miraculosis, supponentibus quę decretum Dei supernaturale, juxtà dicta n.7.), ut patet in exemplis num. 5. & 10.. Conservatio autem materiæ sine formâ ita est actio quoad substantiam naturalis, ut simul sit supernaturalis quoad modum, quatenus ponitur in circumstantiâ privationis omnium formarum, quæ privatio, utpotè contraria exigentiæ materiæ naturaliter invincibili, supponit decretum Dei supernaturale. Quare propositio argumenti absolutè neganda est, sicut absolutè negatur, quòd visus na-

naturaliter restituitur cæco nato, quòd Lazarus naturaliter resurrexit, quòd ignis Babilonicus naturaliter exierit sine combustione.

12 Aliter : hic conceptus, *Materia existit naturaliter sine formâ*, duo dicit, alterum positivum, negativum alterum : positivum est existentia & conservatio materiæ : negativum est privatio omnis formæ. Si ly *naturaliter* referatur tantummodò ad positivum, propositio vera est ; falsa tamen, si *naturaliter* referatur ad negativum ; quia privatio illa non contingit naturaliter, sed est supernaturalis, saltem præsuppositivè ex decreto Dei. Quare sub his terminis distingui potuit propositio claritatis gratiâ. Melius tamen absolutè negabitur ; vel quia ly *naturaliter* excludit supernaturalitatem quoad modum ; vel quia in communi acceptione refertur ad negativum. Sic absolutè negatur hæc, *Ignis Babilonicus naturaliter exiit sine combustione* ; & hæc etiam, *Aqua connaturaliter existit sine frigore* ; ut è converso absolutè conceditur hæc alia, *Aqua violenter existit sine frigore* ; quia scilicet ly *violenter* refertur ad negativum ; nam, si ad positivum referretur, esset absdubiò propositio falsa.

13 *Objic.* 2. : materia, si privaretur divinitùs omni formâ, deberet naturaliter deficere : tunc ergo conservatio ejus non foret actio naturalis, utpotè contraria debito & exigentiæ naturali. *Prob. antec.* 1. : quia naturalis ordo rerum exigit, nè quidquam existat prorsus otiosum, & inutile : materia autem sine formâ, prorsus inutilis, & otiosa foret. 2. : quia materia ipsa innatè appeteret non esse potiùs, quàm permanere in statu violento cum miserâ paupertate, nuditate, & vacuitate perfectionis sibi naturaliter debitæ. Nam, juxta Philosophum, id appetitur innatè, quod posset esse objectum appetitus eliciti prudentis : non est autem à prudentiâ alienum optare potiùs non esse, quàm malè, ac miserè esse ; quod suaderi poterit ex loco *Math. cap. 26. v. 24.* & *Job cap. 3. v. 11.* & *cap. 10. v. 18.*

14 3. : quia privatio omnis formæ connecteretur physicè cum defectione materiæ. *Prob.* : quando A connectitur physicè cum B, defectus rei B connectitur etiam physicè cum defectu rei A : quod patet exemplo connexionis metaphysicæ ; sic enim, quia actio connectitur metaphysicè cum termino, defectus termini connectitur metaphysicè cum defectu actionis. Atqui materia connectitur physicè cum formâ : ergo omnis formæ privatio, sive defectus, invicem connectitur physicè cum defectu materiæ. Vel alijs terminis : Ex hoc antecedenti, *Materia existit*, infertur necessitate physicâ, *Ergo materia aliquam habet formam* : sed ab opposito consequentis infertur oppositum antecedentis : igitur ex hoc alio, *Materia nullam habet formam*, infertur etiam necessitate physicâ, *Ergo materia non existit.*

15 *Confir.* 1. materia exigit non decerni à Deo, nisi in ordine ad finem, ad quem [illegible] ex-

ordinatur, & quem exigit efficaciter: ergo exigit non decerni, nisi per decretum simul volens existentiam compositi, qui est finis materiæ: sed, materiâ existente sine formâ, non daretur tale decretum, sed aliud volens materiam sine composito: ergo tunc materia decerneretur & existeret contra exigentiam propriam. Accedit, quòd decretum, volens materiam sine composito, esset supernaturale: ergo actio pendens à tali decreto, non esset naturalis.

16 *Resp.* 1. Admitto *Antec.* objectionis, & *neg. Conseq.*, vel *dist. Conseq.*: non foret actio naturalis quoad modum, *conc.*; quoad substantiam, *neg. Conseq.*. Quamvis materia in casu quæstionis naturaliter deficere deberet, sive ex propriâ exigentiâ, sive ex aliâ connexione physicâ, non ideò, ut conservaretur, opus esset actione novâ: sed sufficeret, quòd exigentijs istis à Deo petentibus, ut cessaret à conservatione materiæ, diceret Deus, *Nolo cessare*. Relege dicta à num. 5. ad 10. In *Confirmatione* admitto pariter, materiam sine formâ decerni & existere contra exigentiam propriam: non ideò necessaria esset actio intrinsecè diversa. Penderet quidem illa actio hic & nunc à decreto supernaturali; at non penderet per se, sed per accidens, atqueadeò non foret supernaturalis quoad substantiam, sed quoad modum. Sic externa actio dandi eleemosynam, licèt quandoque pendeat à volitione supernaturali, non ideò intrinsecè supernaturalis est, nec diversa ab eâ, quæ pendet à volitione naturali; quia nimirùm ex se non necessariò supponit actum supernaturalem Voluntatis, quàmvis hic & nunc per accidens ab illo pendeat.

17 *Dices*: major influxus est necessarius ad conservandam rem in statu violento, quàm in statu connaturali; idcircò enim majore conatu opus est, ut lapis in aëre suspendatur, quàm ut in centro locetur. *Resp.*. Inprimis instantia est in aquâ fervente, cujus conservatio non mutatur eo, quod sit in statu violento. Deinde exemplum lapidis retorquetur: nam Deus potest lapidem in aëre suspendere sine novo influxu positivo, si nimirùm nolit concurrere cum gravitate lapidis ad motum deorsùm. Quod autem id fieri nequeat à creaturâ, ideò est, quia causa creata nequit obsistere gravitati lapidis, nisi per conatum positivum. Postremò, quando status violentus non affert secum defectum alicujus comprincipij, cujus causalitas suppleri debeat, falsum est generatim, quòd ratione status violenti requiratur major influxus Dei positivus, ut patet in exemplis num. 10.

18 Scio, Recentiores non admittere, quòd materiæ desitio in casu quæstionis exigatur à materiâ ipsâ, vel ab aliâ re naturali; sed velle, ut totum miraculum fiat in denegatione formæ, minimè verò in conservatione materiæ, nec in decreto, à quo pendet, etiam suppositâ omnis formæ privatione. Verùm Exim. Doctor *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 50. *sect.* 6. docet, quòd in Eucharis-

ristiâ ex vi actionis separantis accidentia definit naturaliter, non solùm forma, sed materia panis; *Quia*, inquit, *ita postulat materia naturalem modum existendi cum quantitate & forma, ut, si omninò illo privetur, non debeatur illi conservatio naturalis sub alio existendi modo: quomodò dici potest, animam naturaliter esse non posse sine intellectu & voluntate, ita ut, si illis privetur, naturaliter etiam postulet privari esse suo, & conservatione in rerum natura.* Consonat idem Eximius *cit. disp.* 15. *Metaph. sect.* 9. *n.* 7., ubi negatâ necessitate novæ actionis ad conservandam materiam sine formâ, subdit: *Miraculum solum in eo esset positum, quòd Deus continuaret actionem conservativam materiæ in eo statu, in quo illi non deberetur esse.* Illa igitur Divina voluntas continuandi conservationem materiæ, esset indebita, & miraculosa.

19 Similiter P. Vazquez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 181. *cap.* 9. & 13. inde colligit desitionem substantiæ panis in Eucharistiâ, quia substantiam panis conservari, separatis accidentibus, esset *præter naturam*, & *novum miraculum*. Id ipsum explicatiùs tradit Cardinalis de Lugo *disp.* 7. *de Euchar. num.* 114., ubi dicit, conservationem materiæ sine formâ, etiam pro signo priori ad privationem formæ, miraculosam fore quoad modum: quia, ut esset naturalis, deberet supponere Divinum decretum conservandi materiam in ordine ad constituendum compositum, qui est finis materiæ: tunc autem conservatio materiæ, licèt naturalis quoad substantiam, non supponeret tale decretum, sed aliud conservandi materiam pro instanti, vel tempore, quo non est habitura formam; quod decretum non est Dei ut naturæ Authoris. Eamdem doctrinam amplectitur P. Arriaga *disp.* 2. *Physic. sect.* 6. *subsect.* 4.

20 *Resp.* 2. ad mentem Recentiorum, *neg. Antec.* objectionis n. 13.: quia nulla daretur exigentia naturalis petens desitionem materiæ. Conversio autem Eucharistica inducens desitionem totius substantiæ panis, aliis modis probabiliter explicari potest, ut videre est apud Theologos. Ad 1. *prob.*: Materia sine formâ non esset inutilis & otiosa per se, & attento ordine naturali, sed tantùm per accidens, & ex circumstantiâ miraculosâ privationis formæ: ordo autem rerum naturalis, licet exigat, ut hæc circumstantia removeatur, non exigit, ut pereat materia innocens, quæ innatè odit illud ipsum otium.

21 *Ad* 2.: nego talem appetitum materiæ. Tum quia non est amissa naturalis spes evadendi à statu misero, cum assecutio formæ verè maneat possibilis naturaliter: nam decreta supernaturalia denegandi terminum naturaliter debitum, non auferunt, sed supponunt naturalem termini possibilitatem: unde, si materia, quæ talia decreta ignorat, appeteret non esse, hic appetitus foret desperatio irrationabilis. Tum etiam, quia formæ privatio est malum purè negativum respectu materiæ,

riæ, nullum importans cruciatum, aut miseriam positivam, sed præcisè consistens in non assecutione boni sibi debiti. Si autem materia propter hoc malum projiceret suum esse, tam stultè se gereret, quàm qui centum argenteos, quos possidet, in mare projiceret, non aliâ ratione, nisi quia non obtinet mille aureos sibi debitos. Hinc patet disparitas ad homines, qui ad vitandum peccatum (quod est malum in lineâ morali positivum), vel propter fugiendos cruciatus animi, vel corporis, mortem optant.

22 *Ad 3. neg.* assumptum. *Ad prob. neg. Maj.*, si indistinctè sumatur: datâ enim eâ physicâ connexione, contingere posset, ut defectus rei B, non solùm non connectatur physicè cum defectu rei A, verùm etiam connectatur metaphysicè cum positione ipsius A. Sic enim hæc veritas objectiva, *Accidens existit*, connectitur physicè cum hac aliâ, *Accidens non existit extra subjectum*, cujus defectus, nempe, *Accidens existit extra subjectum*, connectitur metaphysicè cum positione illius, *Accidens existit*. Similiter quantitas A connectitur physicè cum carentiâ bilocationis sui, aut penetrationis cum aliâ quantitate: & tamen hujus carentiæ defectus, nempe bilocatio, aut penetratio, connectitur metaphysicè cum existentiâ ejusdem quantitatis. Nihil simile invenietur in connexione metaphysicâ: quare neganda est paritas.

23 Illa verò regula, *Ab oppositò consequentis &c.*, vera est, quando datur connexio metaphysica antecedentis cum consequenti: at non semper, quando connexio est purè physica, ut jam in Summulis advertimus. Ex consequentias physicas, *Quantitas A existit, ergo non est bilocata, ergo non est penetrata cum alia quantitate, ergo non existit extra subjectum*: item, *Sol existit, ergo non existit sine luce: Ignis conservatur, ergo non conservatur sine combustione*, vel *sine calore*. Fac dari divinitùs oppositum cujuslibet illorum consequentium, & vide an inferatur necessitate physicâ oppositum antecedentis.

24 *Ad Confirm.*: Materia non exigit decerni per decretum simul volens existentiam formæ, vel compositi, nisi utsummùm negativè, aut inefficaciter; potiùs enim connaturale est, ut materia & forma decernantur duplici decreto, formaliter aut virtualiter distincto, cum ordine quodam prioris & posterioris. Id quod suadèri potest: quia ipse naturalium rerum ordo postulat, ut priùs priora, posteriùs posteriora decernantur, ut ordini rerum correspondeat ordo decretorum. Sic priùs decernitur substantia, quàm proprietas accidentalis, priùs etiam ignis, quàm combustio, &c.. Cum ergo materia sit naturâ prior, quàm forma, priùs decerni debet, proindeque distincto decreto. Profectò Deus, nec decernit simul cum materiâ formam determinatam, nec aliquam vagè. Non primum: nam alioquin toties variaretur decretum circa materiam, quoties nova forma introducitur; quod est incredi-

bi-

bile. Non secundum: nam, si Deus alio deinde indiget decreto, ut determinet formam, utquid illa prior volitio efficax alicujus formæ vagè sumptæ?

25 Præterea, forma producitur ad exigentiam materiæ: ergo ad exigentiam materiæ decernitur: nam Deus, ut naturæ Author, eo titulo decernit res, quo illas producit. Sed materia, priùs quàm existat, non exigit formam: priùs ergo debet prævideri existens vi proprij decreti, ut ad illius exigentiam forma decernatur. Denique, materia & forma diversis admodùm actionibus producuntur; materia, actione creativâ, quę à solo Deo pendet; forma (intellige materialem) actione eductivâ, quæ pendet etiam ab agente creato: hæc autem actionum diversitas congruum est ut decretorum diversitatem supponat.

26 Hinc Deus, ut naturæ Author, & ut volens juxta exigentiam materiæ, non debet primo decreto velle materiam in ordine ad suum finem positivè, sed tantùm negativè, quatenùs debet nihil velle tali fini contrarium: atque ita reverâ se gereret in casu quæstionis; non enim eum finem excluderet per decretum materiæ conservativum, sed per aliud subsequens decretum supernaturale denegandi formam. Concedi præterea potest, Deum, cùm decernit materiam, velle finem illius, non tamen omnino absolutè, & infrustrabiliter, sed potiùs eo modo, quo materia talem finem sibi debitum facit. Unde, cum materia solùm naturaliter sibi debitam faciat formam, quin Deo libertatem adimat formam denegandi de potentiâ absolutâ, sic Deus ex vi decreti productivi materiæ solùm vult formam esse naturaliter debitam, nec sibi libertatem adimit decernendi contrarium.

27 Illud ergo decretum non respicit existentiam formæ, nisi sub conditione, saltem tacitâ, sive implicitâ, quòd Deus pro posteriori nolit exigentiæ materiæ contraire: atque ita explicari potest, *Volo absolutè ut existat materia, simulque volo ut habeat formam, si servetur ordo naturalis*, vel, *nisi aliter decrevero de potentia absoluta*. Hoc autem decretum sine dubio permanere potest, quàmvis Deus pro posteriori formam deneget. Solutio clarescet exemplis suprà positis, v. g. in igne, cujus finis naturalis est operatio combustiva, juxta illud, *Esse est propter operari*; & tamen decretum ad ignem terminatum non ita absolutè vult combustionem, ut nequeat cum illius carentiâ conjungi.

28 Ex dictis in hac secundâ Responsione colliges 1°, miraculum conservandi materiam sine forma, solùm spectare ad negativum *sine forma*, non verò ad positivum conservationis materiæ: ideò, in eo positum esse, quòd, suppositâ existentiâ materiæ, velit Deus omnem illi formam denegare; non verò in eo, quòd, positâ illâ denegatione, velit Deus continuare materiæ conservationem; quia & illa conservatio, & ejus volitio, naturalis est, & eadem, quæ materiam sub so-

cer-

conservat. Hoc tamen non tollit, quòd absolutè negetur, materiam existere posse naturaliter sine formâ, juxta dicta n. 12.. Colliges 2., materiam, sine formâ existentem, pati violentiam, non in eo quòd existat & conservetur (hoc enim ipsa appetit etiam tunc), sed in eo præcisè quòd non habeat formam. Quare, si *dicas*: materia non exigit existere in statu violento. *Dist.*: exigendo violentiâ suppositâ existentiâ *conc.*; exigendo existentiam suppositâ violentiâ, *neg.*. Si *instes*: materiam conservari sine formâ, miraculum est: sed materia non exigit miraculum: ergo. *Dist. Maj.*: miraculum est, præcisè consistens in denegatione formæ, suppositâ existentiâ materiæ, *conc.*; consistens in conservatione materiæ, suppositâ denegatione formæ, *neg. Maj.*, *& concess. Min.*, *neg. Consq.*.

## CAP. VI.

### *DE UNITATE, AC DISTINCtione Materiæ primæ.*

1 *Quæritur* 1., utrùm materiæ sublunares de facto sint omnes ejusdem speciei? Certum est, materiam primam non esse unam numero in omnibus compositis, quidquid dixerit Averroes. Non enim eadem individua materia potest simul suscipere naturaliter tot formas & dispositiones oppositas, nec in tot locis disjunctis simul esse. Unde solùm est controversia de unitate specificâ materiæ sublunaris. De materiâ cœlesti satius duxi quæstionem remittere ad Libros de Cœlo.

2 Affirmat communis sententia, & meritò. Quia species non sunt multiplicandæ sine fundamento: nullum autem est fundamentum sufficiens pro diversitate specificâ inter materias sublunares. Nam inprimis omnes conveniunt in ratione substantiæ incompletæ, corporeæ, primi subjecti, & puræ potentiæ physicæ. Deinde omnes dicunt ordinem ad easdem formas: perpetua namque rerum transmutatio satis ostendit, quamlibet materiam esse cujusvis formæ capacem. Neque ulla est forma sublunaris, etiam adamantis, quæ non possit aliquâ vi corrumpi, materiamque suam alteri relinquere. Denique easdem operationes, aut proprietates, ex se radicant, videlicet quantitatem, ubicationem, durationem; nec in alias influere possunt, ut suprà vidimus. Non est igitur, unde specie differant.

3 *Dices* 1.: materiæ distinguuntur per ordinem ad formas; sed formæ sunt specie diversæ: ergo & materiæ. *Resp.*. Si detur una materia dicens ordinem ad unas formas, & alia dicens ordinem ad diversas alias; erunt materiæ specie diversæ: cæterùm, si tam una, quàm alia, dicat ordinem ad easdem formas inter se specie diversas, non possunt ex hoc ordine distingui, cum potiùs in eo conveniant. Atque ita de facto se habêt omnes materiæ sublunares. *Dices* 2.: formæ inter se specie differunt, licèt ordinem dicant ad eamdem materiam: er-

ergò & materiæ poterunt inter se differre, licèt ordinem dicant ad easdem formas. *Neg. Conseq.*: quia formæ aliunde habent, unde inter se differant, videlicet ex vi radicandi proprietates & operationes diversas. At una materia nihil ex se radicat, quod non sit cæteris commune.

4 *Dices* 3.: ergo leo, & equus non differunt specie adæquatè, cum specificè conveniant in materiâ. *Conc. Conseq.*: Specie tamen differunt absolutè, quia distinctio specifica absolutè desumitur à formâ, quæ se habet in lineâ physicâ, sicut differentia in lineâ metaphysicâ, in qua linea simpliciter differunt leo & equus, quàmvis conveniant in formalitate animalis. Si inferas: ergo magis inter se differunt formæ ipsæ leonis & equi, seorsùm spectatæ, quàm tota composita. *Conc.* pariter *Conseq.*: quia, licèt composita includant totam differentiam formarum, at non solam, sed aliquid ultrà, in quo specificè conveniunt; quod iterùm patet exemplo lineæ metaphysicæ.

5 *Quær.* 2.: utrùm unitas specifica materiæ sublunaris sit positiva? Negant plerique Thomistæ, dicentes, materias esse ejusdem speciei negativè tantùm: cum enim ex se nullum habeant actum, etiam metaphysicum, non sunt ratione sui positivè constitutæ in aliquâ specie, quæ semper ab actu desumitur: quia tamen neque habent actum, in quo differant, ideò neque sunt specie diversæ positivè, ac proinde sunt ejusdem speciei negativè. Idem dicunt de unitate numericâ, scilicet materiam ratione sui non habere unitatem, nec multiplicitatem numericam, idest, nec esse unum, nec multiplex individuum, nisi negativè dumtaxat.

6 Affirmant tamen Authores nostri, & Scotistæ, imò quotquot materiæ concedunt propriam existentiam, vel saltem proprium actum metaphysicum, ut ex Thomistis Palancus hìc q. 5., & Froylan hìc q. 2. ar. 5., qui tamen quoad unitatem numericam assentitur suis. Hæc sententia probatur facilè: quia species positiva datur, ubi datur differentia positiva contrahens rationem generìcam, & rem ultimò discernens ab alijs speciebus. Talis autem differentia utiquedatur in materiâ primâ, ut ostendimus disp. 2. cap. 3. n. 5. & seqq.. Certè ordo primi subjecti ad omnes formas sublunares est positivus, ut concedit Bayona hìc q. 3. n. 329. & 346. *Edit.* 2.. Per illum autem ordinem ultimò differt materia sublunaris ab omni formâ, nec non à materiâ cœlesti juxta Thomistas: ergo differt positivè, sive in aliquo positivo. Sed non differt generìcè à materiâ cœlesti; nec item purè numericè, ut Thomistæ volunt: ergo ab eâ differt specificè in formalitate, seu realitate positivâ: ergo datur inter materias, cœlestem, & sublunarem, differentia specifica positiva. Item, materia leonis, & materia equi, inter se conveniunt positivè, nempe ratione ordinis positivi ad easdem formas, quas secum identificant; sed hæc convenientia non est generica,

nec numerica, sed specifica, ut Thomistæ fatentur: ergo datur inter eas materias ratione sui convenientia, sive unitas specifica positiva.

7 Ratio à priori: quia materia est ens positivum, ut nemo dubitat. Implicat autem ens positivum à parte rei productum, quod non distinguatur ab omni non ipso, tum specie, tum numero, per aliquam differentiam, & hæcceitatem positivam: alioquin unum ens positivum distingueretur ab alijs per puram negationem, seu per non ens, foretque proinde in specie & in individuo ens non ens. Accedit, quòd, si materia unica habet à formâ speciem & individuationem positivam, ut volunt Thomistæ; materia, quoties mutat formam, mutabit etiam speciem & individuationem positivam, erit que alia materia numero & specie diversa. Hoc Thomistæ concedunt, ut videre est apud Bayonam l. c. n. 350. & 409.

8 Sed inde sequitur 1. contra Philosophum, & communem Philosophiam, mutationes substantiales, & oppositionem formæ & privationis, non exerceri circa idem subjectum, sed circa distinctum numero & specie. Dices, subjectum esse idem negativè. Sed *contrà*: Tum quia subjectum negativè non magis est idem, quàm distinctum: nam, sicut est idem negativè, quia ratione sui non habet principium positivæ distinctionis, ita erit distinctum negativè, quia ratione sui non habet principium positivæ unitatis. Tum etiam, quia positiva diversitas est propriè & simpliciter talis; unitas autem purè negativa est impropria: ergo propriè & absolutè loquendo falsa erit illa Philosophorum doctrina.

9 Sequitur 2. contra sententiam omnium Scholarum (de quâ in Logicâ), quòd detur distinctio realis inter gradus metaphysicos, sive inter prædicata superiora & inferiora: nam in materiâ ratio substantiæ incompletæ, primi principij materialis, & partis potentialis, distinguitur realiter à formâ, à quâ formaliter & constitutivè provenit gradus individualis & specificus ejusdem materiæ, idest, differentia specifica, & singularitas, seu hæcceitas. Sequitur 3., quòd entitas materiæ, prout realiter distincta à formâ, erit quoddam Universale à parte rei, cum sit entitas ex se nec una, nec multiplex, in specie, nec in individuo, sed realiter indifferens ad varias species, & hæcceitates. Sequitur 4., quòd non licebit Sanctorum cineres, tamquam proprias eorum reliquias, venerari; cum jam materia sit simpliciter alia numero, & specie. Item, si in die Judicij materia cadaveris Petri uniretur animæ Pauli, & è converso, tam Petrus, quàm Paulus resurgeret in eodem individuo corpore, in quo vixit; siquidem quælibet materia, eo ipso quòd unitur eidem animæ, fit eadem in individuo.

10 Argumenta Thomistarum fundantur in eo, quòd materia sit pura potentia, proinde que nullum actum habeat, sicut Deus nullam habet potentialitatem, quia est actus purus. Verum hoc fundamentum

tum cum aliis similibus abunde solvimus disp. præced. c. 3. & seqq.. Certè materiæ convenit aliqua similitudo & imitatio Dei, ut expresse nos docuit D. Thomas citatus ibid. cap. 4. n. 28.. Sed materia non imitatur Deum in potentialitate, quæ nulla in Deo est: ergo imitatur in aliquâ actualitate. Tantùm hîc adverto, quòd, cùm materia dicitur specificari à formâ, & generatim potentia quælibet à suo actu, vel objecto; sermo est de specificativo extrinseco: nam intrinsecum specificativum est ordo ipse ad actum, vel ad objectum, qui ordo cum potentiâ identificatur.

11 Sed *objicies* adhuc: materia prima ex se non est una unitate compositionis, cum non componatur ex actu & potentiâ; nec est una unitate simplicitatis, cum sit divisibilis in partes integrantes: ergo ratione sui nullo modo est una. *Confirm.*: materia, quæ modò divisa est in plures portiones numero distinctas, potest fieri una materia, si nimirùm sub unâ continuâ quantitate ponatur: ergo materia ex se nec est una, nec plures. *Objectio* evidenter instatur in formâ materiali, v. g. lapideâ, ut applicanti manifestum erit. Præterea, materia est una unitate simplicitatis, non integralis, sed essentialis, in eo consistentis, quòd essentia materiæ non constituatur physice ex actu & potentiâ, sive ex partibus, quarum separatione formaliter deficiat essentia: cui simplicitati non obstat compositio integralis, seu continuativa: quàmvis enim materia qualibet dividi possit in plures particulas, in quâvis particulâ salvatur essentia materiæ; ut cum dividitur aqua in plures guttas. Ad *Confirm.* fateor, materiam ex se indifferentem esse ad unitatem vel multiplicitatem *integralem*, sive *in esse continui*; quæ indifferentia pariter convenit omnibus compositis homogeneis, ut aquæ, igni, lapidi, &c., nec non eorum formis secundùm se spectatis. Cæterùm, sicut inde perperàm inferres, his formis & compositis ratione sui non convenire unitatem specificam, & numericam *entitativam*, de quâ loquimur, in eo consistentem, quòd quælibet eorum particula designabilis (sive continuative unita cum aliis, sive separata), determinate sit hæc, & non alia; ita de materiâ censendum.

12 *Quæritur* 3., utrùm sub materiâ dari possit latitudo specifica?, sive, utrùm sit possibilis materia specie diversa à sublunari de facto existente? Affirmativa sententia satis communis est in Scholâ nostrâ cum Eximio Doct. disp. 13. Metaph. sect. 11. à n. 8.. Bifariàm potest hæc sententia defendi. 1. statuendo duas materias, quarum altera solùm sit susceptiva formæ incorruptibilis, peratque proinde inamissibiliter informari; altera verò susceptiva sit cujuslibet formæ corruptibilis, sive amissibilis. 2. ita, ut utraque materia recipere possit formas amissibiles, sed altera coarctata sit ad certas formarum species, altera ad diversas alias, vel indiscriminatim ad omnes. In primo

sensu, affirmativa sententia placet etiam Thomistis, apud quos propter eam rationem materia cœlestis specie distinguitur à sublunari: sed displicet Scotistis cum Scoto apud Mastrium hìc disp. 2. n. 64.. In secundo sensu dubitat Exim. Doctor. cit. Disp. sect. 12. n. 6.: Recentiores nostri passim affirmant; quibus consentiunt Bayona hic q. 3. n. 355., & Mastrius loc. cit.. In utroque sensu negat P. Jo. Baptist. de Benedictis l. 1. Phys. c. 5.. Mihi in utroque probabilior apparet pars affirmativa.

13 *Prob.* 1.: quia, ut ex objectionum solutione patebit, nulla repugnantia satis ostenditur in concepta materiæ ex se limitatæ, vel ad unam speciem formæ inamissibilis, vel ad quatuor, aut quinque species formæ amissibilis: quæ limitatio redderet sine dubio materiam specie diversam à sublunari nunc existente. 2.: quia in materiâ sic limitatâ salvaretur essentia metaphysica materiæ primæ, quam explicuimus disp. 2. cap. 2.. 3.: quia in potentijs activis ex virtute producendi effectus aliquos, non infertur virtus ad diversos alios etiam perfectione æquales, aut inferiores; sic que potentia visiva non habet virtutem ad actus audiendi, aut odorandi: ergo pariter in potentiâ passivâ stare poterit capacitas ad aliquas formas sine capacitate ad omnes. Quare capacitas illimitata materiæ de facto existentis non probatur ex capacitate ad formas aliquas, sed ex variâ rerum transmutatione, quæ satis ostendit, quamliber materiam esse cujusvis formæ capacem.

14 *Objic.* 1.: Actus purus nequit specie multiplicari: ergo nec pura potentia. *Nego Conseq.*, & instò in multiplicatione numericâ, quam non admittit Actus purus, admittit autem pura potentia. Itaque Actus purus, nempe Deus, utpotè simpliciter infinitus in omni genere perfectionis, essentialiter multiplicationi repugnat. At finitudo, & imperfectio materiæ non excindit multiplicationem, sed potiùs fundat. *Replic.*: materia est entitas imperfectissima, cum sit propè nihil: ergo in eâ dari nequit perfectio major, & minor: ergo nec dari potest latitudo specifica, quæ perfectionis inæqualitatem requirit. *Resp.*. Hoc ultimum est incertum: sed, eo omisso, *dist. Antec.*: est entitas imperfectissima ex genere suo, *transeat*; in specie, vel in individuo, *neg. Antec.*, & *Conseq.*. Sicut Angelus (quem Augustinus vocat *propè Deum*, sicut materiam *propè nihil*) est substantia creata ex genere suo perfectissima; & tamen admittit inæqualitatem perfectionis specificam: ita materia, licèt forsan ex genere suo imperfectissima, poterit species admittere perfectione inæquales.

15 *Objic.* 2.: ergo possibilis erit materia intrinsecè limitata ad unam tantùm speciem formæ corruptibilis. *Neg. Conseq.*: quia talis forma foret corruptibilis, ut supponitur; & aliunde non foret corruptibilis; quia nec posset ab aliâ formâ expelli, nec materiam dese-

re-

rere omni formâ nudatam. Nostræ sententiæ sufficit, quòd limitatio materiæ non repugnet modo explicato num. 12. Alij *concedunt Consequ.*: quia, licèt illa forma corrumpi non posset per accidens, & ex suppositione unionis cum tali materiâ; foret tamen ex se corruptibilis, quia posset primò recipi in materiâ communi, in quâ suam corruptibilitatem explicaret. Nec inde infertur, possibilem quoque fore materiam, unius tantùm individuæ formę capacem. Nam sicut causa activa limitari valet ad unicam speciem effectuum, non tamen ad unicum individuum, quia si unum potest, non est cur non & alios ejusdem omninò rationis: ita causa passiva, seu materiæ capacitas.

16. *Objic.* 3. ex P. Jo. Bapt. de Benedictis: materia limitata ad unam speciem formæ inamissibilis, qualis de facto à multis creditur materia Solis, non foret pars subjectiva, sed integra natura, non indigens formâ substantiali: ergo non foret materia prima. *Prob. Antec.* 1.: quiâ talis materia foret primum principium, non solùm passivum, sed etiam activum, ideſt, primum exigitivum, prima que radix potentiarum, & operationum Solis v.g.: reverâ enim primò fundaret, & exigeret determinatè potentias & operationes solares. 2.: quia forma Solis, siquidem materiæ determinatè debita esset, & ab ipsâ radicaretur, foret passio & accidens talis materiæ, sicut quantitas. 3.: quia materia istiusmodi constitueret Solem in esse talis, illum primò distingueret ab omni non Sole, foretque id, ex quo à priori probarentur reliqua; nam ipsa forma Solis probaretur ex materiâ, tamquam ex principio præsuppositò: illa ergo materia esset tota natura, vel essentia Solis.

17. *Confirm.* ex eod. Authore: potentia materiæ nullo ex capite potest limitari. Non inprimis, quatenùs *sustentativa*: quia materia non plùs laborat in sustentandâ formâ perfectiore, quàm imperfectiore, sed eâdem vi sustentat quamlibet: sicut ergo vires aptæ ad sustinendum pondus ut quatuor v. g., non possunt limitari potiùs ad pondus plumbeum, quàm ad ligneum; ita vis sustentativa materiæ limitari nequit ad formam unius speciei præ alijs. Non deinde, quatenùs *receptiva*: quia materiæ capacitas ad recipiendam formam, fundatur in vacuitate, & carentiâ; & hæc necessariò convenire debet omni materiæ respectu omnis formæ. Ob hanc rationem repugnat quantitas unius tantùm figuræ capax, locus unius tantùm corporis susceptivus, vas unius tantùm liquoris. *Confirm. iterùm*: quoties potentiæ passivæ specie distinguuntur, non sunt purè passivę, sed simul activæ, ut patet in potentijs intellectivâ, volitivâ, visivâ, &c. At materia prima nequit esse activa.

18. Argumentum grave, sed non satis convincens pro quæstione præsenti, ubi agitur de potentiâ Dei absolutâ. Quare ad *object. neg. Antec.* Ad 1. *prob.*: talis materia exigeret quidem mediatè potentias, &

& operationis Solis; sed non ideò foret earum *principium activum*, nec *prima radix*: ad hoc enim non sufficit exigentia quælibet, sed ea tantùm, quæ fundatur in perfectione, & fecunditate, qualis invenitur in formâ Solis, & non invenitur in ejus materiâ, cujus tota exigentia fundaretur in imperfectione, & indigentiâ purâ, licet ex se ordinatâ ad tales potentias, & operationes præ alijs. Sic ultima dispositio corporis ad animam rationalem, hanc exigit determinatè, quin ideò sit principium activum, aut radix animæ. Sic etiam materia sublunaris exigit vagè formam aliquam substantialem; & tamen à nemine dicitur primum principium activum, primavè radix formæ vagè sumptæ.

19 Ad 2. *prob. negº sequel.*: quia materiæ concedi solet major perfectio, & fecunditas respectu quantitatis, quæ proinde materiæ debetur ex fecunditate: non ita forma Solis, quæ solùm ex indigentiâ deberetur. Ad 3. *prob.*: illa materia constitueret Solem in esse talis, non plenè, sed inchoativè: non enim Sol intelligeretur plenè constitutus in specie suâ, donec haberet primam radicem proprietatum & operationum suarum, quæ est forma. Item primò distingueret Solem ab omni non Sole, at non ut præcipua differentia, sed ut minùs præcipua. Vide dicta disp. 2. cap. 2. n. 10. & 13.. Denique nego, quòd forma Solis à priori probaretur ex tali materiâ: quia non ex eâ probaretur tamquam ex principio activo, seu radice fecundâ. Si tamen vocetur *probatio à priori*, quæcumque fieri potest ex aliquo præsupposito determinatè connexo, nihil contra nos: nam hoc sensu etiam anima rationalis potest à priori probari ex ultimâ dispositione, quin ideò desinat esse forma pertinens ad essentiam hominis.

20 Ad *Confirm.*: fateor non dari locum limitationi potentiæ, quando sermo est de terminis ejusdem speciei, & ejusdem omninò rationis. Et hactenùs tenent exempla objecta. Nam pondus consistit in gravitate, quæ ejusdem rationis est in plumbo & in ligno. Similiter corpora locum occupant, & liquores vas implent ratione extensionis, quæ pariter est ejusdem rationis in quovis corpore & liquore magnitudinis æqualis. Exemplum quantitatis in ordine ad figuras forte non est certum. Sed esto. Omnis figura est ejusdem rationis physicè, licèt mathematicè diversas admittat species: nulla quippe physica diversitas est in eo, quòd extremitates quantitatis locentur, aut continuativè uniantur, in hac aut illâ lineâ, in hoc aut illo ordine.

21 At, quando sermo est de terminis specie diversis, potest utique limitari potentia, sive sustentativa, sive receptiva, ut patet in potentijs activis: jam enim tunc non militat eadem omninò ratio. Cuinam verò potentiæ competat limitatio, vel extensio, probari non potest nisi à signo, vel experientiâ: nam de rerum essentijs non est ratio à priori. Sic nulla ratio est,

cur

cur potentia visiva non possit audire, nisi quia experientia monstrat, illam esse suapte naturâ destinatam ad videndum, non ad audiendum. Nec obstat, quòd vis sustentativa non magis laboratura videatur in uno, quàm in alio: potest enim transcendentaliter ordinari ad unū, & non ad aliud. Nec materiæ capacitas fundatur in vacuitate & carentiâ utcumque; sed in carentiâ, quæ sit privatio, & in vacuitate, quæ habeat ordinem ad formam. Nam etiam in lapide datur vacuitas & carentia perfectionis intellectivæ, quin ideò detur capacitas.

22 Denique observa, quòd ordo ad formam sub ratione genericâ complementi substantialis, non est de conceptu Materiæ primæ *ut sic*: quàmvis enim inveniatur in materiâ sublunari nunc existente, nihil prohibet possibilem esse aliam materiam, cujus ordo solum tendat sub ratione formæ elementaris, vel sub ratione formæ mixti inanimati.

# DISPUTATIO IV.

## *DE FORMA SUBSTANTIALI.*

FORMA dicitur multifariàm. Nam Exemplar, cujus ad instar formatur aliquid, dicitur *forma extrinseca*. Angelus propter suam actualitatem, nullius complementi substantialis indigam, vocatur *forma separata*, & *subsistens*: quo sensu Deus etiam interdùm dicitur *prima forma*. Quod sine unione intrinsecâ localiter præsens adest, ut aliud impellat, vel adjuvet ad motum, vocatur *forma assistens*; ut omnipotentia causam secundam adjuvans ad operandum; Angelus cœlum movens, vel dæmon corpus energumeni. Denique, ut alias acceptiones præteream, quod suapte naturâ destinatum est, ut subjectum aliquod intrinsecè perficiat, & actuet, appellatur *forma informans*. Forma istiusmodi, alia est substantialis, ut anima hominis; alia accidentalis, ut albedo. De solâ substantiali formâ, quæ alterum est principium intrinsecum corporis naturalis, in præsenti differimus. Nec dubium est, an ea detur in rebus; cum nullus hodie Philosophus neget, corpora naturalia, saltem quæ *mixta* vocantur, substantias esse ex materiâ & formâ constitutas.

Quæstionis tantùm est, quid sit, aut in quo consistat ea forma? Nam Peripatetici volunt esse veram entitatem absolutam, veramque substantiam incompletam, quæ superadditur materiæ, quoties novum corpus generatur. Ex adverso noviores Philosophi, quos *Corpuscularcs* appel-

pellant, ut sunt Cartesiani, & Atomistæ, nolunt quidquam entitatis superaddi materiæ, dum novam formam induit (exceptâ dumtaxat animâ rationali), solùm que generatim loco formæ novos modos agnoscunt, quibus materiæ corpuscula conjugantur, atque nectuntur aliter, & aliter; sic tamen, ut hisce modis nihil importetur entitativè distinctum à materiâ. Cujus doctrinæ exemplum esse dicitant in artificialibus: nam corpora naturalia & artefacta non aliâ ratione distingui putant, nisi quòd naturalia compaginantur mirabiliore modo, nostris que sensibus occultiore. Physicam istam Corpuscularem distinctiùs explicuimus, & rejecimus in Dissertatione præliminari. Nunc tantùm breviter indicabimus præcipua argumenta, vel argumentorum fontes, quibus forma substantialis Peripatetica demonstrari solet: & quidquid alicujus momenti contrà objicitur, dissolvemus.

## CAP. I.

### *PROBATUR FORMA SUBSTantialis Peripatetica.*

1 *Arg.* 1.. Homo præter materiam constituitur animâ rationali, quæ substantialis forma est à materiâ realiter distincta, ut Fide sanctum est, & tamquam lumine naturæ notum à sæculis habitum: ergo & alia viventia, v. g. canes, formâ substantiali constant à materiâ realiter distinctâ. *Prob. Conseq.* 1.: quia materia ejusdem rationis est in cane, & in homine, ut Adversarij non negant: ergo sicut tota materia hominis est substantia incompleta, expectans formam substantialem realiter superadditam; ita de totâ canis materiâ censendum. Quæro abs te, an materia hominis sit ex se substantia completa? Si asseras: ergo non poterit cum animâ constituere Unum per se; sicut ob eamdem rationem nequit anima uniri Angelo ad Unum per se constituendum. Si neges: ergo nec materia canis erit substantia completa, cum ejusdem sit speciei: ergo, vel debet compleri per novam substantiam superadditam, vel nulla dabitur substantia completa in cane, vel in alio composito substantiali, præter hominem; quod est absurdissimum. Nec recurras ad formam modalem: nam hæc pariter datur in materiâ hominis, quæ nihilominùs incompleta manet.

2 Hinc 2. *prob. ead. Conseq.*: quia tota materia hominis, quàmvis perfectiùs organizata, quàm canina, inepta est ad operationes sentiendi seorsùm à formâ realiter superadditâ; ut cernitur in morte hominis, præsertim suffocati, ubi organizatio vix læditur: ergo pariter tota materia canis inepta erit &c.: 3.: quia in morte canis non minor mutatio cernitur, quàm in morte hominis: ergo, sicut mors hominis physicè demonstrat, amissam esse partem hominis vivi, materiâ nobiliorem, ita mors canis. &c. Scio, quid ad hæc respondeant Ato-

Atomistæ : sed eos satis confutavimus in Dissert. prælim..

3 Quodsi in brutis animantibus admittitur forma substantialis Peripatetica, necessariò admittenda est in cæteris compositis. Tum quia jam hoc ipso ruunt omnia Adversariorum fundamenta pro materiali formâ denegandâ. Tum quia par, aut major mutatio apparet, dum lignum comburitur, quàm dum moritur canis : si ergo in morte canis aliquid substantiale perit, manente materiâ, pariter in combustione ligni. Tum demùm, quia in quovis composito reperitur peculiaris accidentium & operationum collectio, quæ radicem substantialem exposcit à materiâ distinctam, ut mox dicam.

4 *Arg.* 2. ex generatione, & corruptione rerum. Dum è terrâ nascitur arbor, aliquid substantiale denuò producitur : dumque lignum comburitur, aliquid substantiale perit. Sed materia prima nec denuò producitur, nec perit, ut Adversarijs est in confesso: ergo producitur, & perit forma substantialis à materiâ distincta. Dicunt Atomistæ, solum compositum produci, ac perire, quin aliquid entitatis ejus producatur, aut pereat, eo præcisè, quòd nova modalis combinatio atomorum incipiat, ac desinat. Sed *contrà*. Combinatio ista, vel est aliqua vera entitas à materiâ distincta, vel non. Si primum dicas, omninò exarmaris : nam quidquid opponis contra formam Peripateticam, in illâ entitate militat. Si secundum : ergo compositum, dum producitur, & perit, nihil propriæ entitatis adquirit, vel amittit : ergo tota ipsius entitas & substantia præsupponitur ante generationem, & tota remanet post corruptionem : ergo compositum generatur & fit ex se toto, atque in se totum resolvitur : quod ridiculum est, & in Physicâ inauditum. Nec evades, si voces ingemines, dicasque, produci, ac perire compositi entitatem, non secundùm se, sed prout est *sub tali statu*, *sub tali plexu*, *sub tali harmonia*, &c.. Nam semper quæram, an his vocibus aliqua vera entitas importetur distincta à totâ materiâ secundùm se ? redibitque argumentum, quidquid dixeris.

5 *Arg.* 3. Corpora naturalia inter se differunt specie substantiali, v. g. magnes & aurum, mus & pomum. Hoc adversarij concedunt, & ut ait Maignanus, *nemo sanæ mentis* negabit. At ea differentia stare non potest, si non detur forma substantialis à materiâ realiter distincta. *Prob.* : corpora naturalia inprimis non differunt substantialiter in materiâ. Nam, juxta Cartesianos, & plerosque Atomistas, quos sequitur Tosca *Phys. Gener. Lib.* 1. *propos.* 25., omnia materiæ corpuscula, vel atomi, sunt *ejusdem naturæ substantialis*, *& specificæ*. Maignanus etiam, qui atomos agnoscit substantialiter diversas, non negat, plurima mixta, quæ specie differunt, constare ijsdem elementis, vel ijsdem speciebus atomorum, illa v.g. quorum alia ex alijs nutriuntur, ut lupus & ovis, ciconia & coluber: in his autem nulla est specifica diversi-

tas ex parte materiæ : nam diversa proportio elementorum ( v.g. quòd in uno mixto sit major portio terræ, quàm ignis; in alio è converso ) non fundat differentiam secundùm speciem, sed duntaxat secundùm magis & minus in quantitate, vel multitudine atomorum ejusdem indolis.

6. Deinde nec differunt substantialiter corpora naturalia in figurâ, situ, & plexu corpusculorum. Nam figura ( idem cogita de situ, & plexu ) vel nihil est à materiâ distinctum ante opus mentis, juxta Maignanum ; vel est modus accidentalis, ac proinde insufficiens ad substantialem differentiam ; nisi velis, ut eadem cera, dum figuram mutat, substantialiter varietur. Nihil ergo est, unde substantialiter differant lupus & ovis, nisi toti materiæ cum suâ figurâ, plexuque, formam entitativè distinctam superadds. Si dicas cum Toscâ, figuram, situm, & nexum, quibus plectuntur atomi, esse modos substantiales, quorum proinde diversitas reddit corpora substantialiter differentia. *Contrà* 1. : cur sunt modi substantiales ? An, quia substantiam modificant ? ergo omnis figura est modus substantialis, cum nulla sit, quæ non modificet substantiam immediatè, saltem in tuis principijs, rejicientibus omne accidens entitativum, sive absolutum : ergo generatim figuræ diversitas erit diversitas substantialis, v. g. inter ceram rotundam & angularem, inter manum plicatam & extensam, inter hominem sedentem & stantem. An, quia constituit Unum per se, v. g. pomum ? At hoc quærimus, cur magis figura corpusculorum pomi, quàm figura digitorum manus compressę, constituat Unum per se? cum utraque sit ejusdem rationis, atque adeò utraque accidentalis.

7. *Contrà* 2. : atomi, quæ sunt prima rerum corporearum materia, ab initio *sunt diversimodè figuratę*, ut ait Tosca cit. lib. 1. propos. 23. : *sed omnes atomi sunt ejusdem naturæ substantialiter, & specificè*, ut ait idem Tosca ibid. propos. 25. : ergo figuræ diversitas non tollit identitatem in specie substantiali : ergo, quàmvis aurum & pomum constent atomis diversimodè figuratis, erunt ejusdem naturæ substantialiter & specificè. *Contrà* 3. : figura, cæterique modi, juxta Toscam, nihil veræ entitatis addunt supra materiam : ergo nihil addunt veræ substantialitatis : nam vera substantialitas sine verâ entitate implicat in terminis. Differre igitur in atomorum figurâ pomum & aurum, non est differre in aliquâ verâ substantialitate : ergo non est verè differre substantialiter. Rogo te, num pomum & aurum ( quæ suppono paria in atomorum numero ) differant entitativè ? Si asseras, ergo, cum solùm differant in modificatione, jam hæc erit aliquid entitativum ; quod horres. Si neges : ergo implicat in terminis, quòd differant substantialiter.

8. *Arg.* 4. ex peculiaribus proprietatibus, & operationibus, quæ cuivis compolito conveniunt, ita ut quæ propriæ sunt pomi, non conveniant

niant auro, & sic de alijs. Pro his enim assignari debet in naturâ compositi radix aliqua substantialis, quę has præ aliis exigat, sit que ratio à priori, cur non easdem habeant aurum & pomum. *Substantialis*, inquam, *radix*: nam de quocumque accidenti pariter quæri potest, cur magis conveniat auro, quàm pomo? Recurrere autem ad voluntatem Causæ primæ, quæ, sine fundamento in rerum naturis, unicuique pro arbitrio attribuerit certas quasdam proprietates, & operationes; compendium quidem est, sed minimè Philosophicum, nec ab ullo Physico approbarum; sic enim uno verbo absolveretur tota Physica.

9 Porrò, quòd natura rerum ab intrinseco radicet proprietates suas, ex eo constat, quòd siquid detrimenti patitur à contrario agente, vi propriâ conatur factum violentum amovere, & connaturalem reparare. Sic aqua calida, sibi relicta, calorem abjicit, & nativum frigus recuperat: sic metallum liquefactum, amoto igne, solidatur, & ad pristinam duritiem redit: sic equus, aut canis, proprium corpus, morbo, aut vulnere læsum, sæpe restituit sanitati. Tota hæc doctrina placet etiam Atomistis; qui propterea fatentur, cuivis compolito inesse propriam naturam, prout natura definitur ab Aristotele *principium & causa motus, & quietis ejus, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens.*

10 Tum sic. Sed prædicta radix, aut natura, non consistit in materiâ, nec in atomorum figurâ, & plexu: ergo consistit in formâ substantiali realiter superadditâ. *Prob. Min. subsumpt.*: quia materia, cum ejusdem rationis sit in lupo & in ove v.g., ut vidimus in argum. 4, nequit esse radix proprietatum magis lupi, quàm ovis. Figura item, & plexus, aliæve similes modificationes materię, nequeunt esse radix prędicta. Tum quia sunt modi accidentales, ut ostendimus. Tum quia, juxta Adversarios, nihil important veræ entitatis, adeòque nec veræ substantialitatis. Tum etiam, quia figura, & quævis alia pura modificatio localis, non est activa, nec aliud munus, aut essentiam habet, quàm ultimò determinare rem, ut sit in tali loco, cum his, vel illis terminationibus. Quare, licèt figura sæpe conducat ad operationem, aut motum, ut in horologio rotato, & in alijs automatis, non conducit tamquam vis motiva, sed tamquam mera conditio, ut virtus alia naturalis motum causet: nihil enim in horologio juvaret figura rotarum, nisi adesset nativa vis ponderis, aut nativa elasticitas laminæ calybeæ, quę motum produceret.

11 Atque hinc colliges, cur Peripatetici agnoscant in formâ substantiali, non solùm veram entitatem ex parte rei distinctam à materiâ, verùm etiam entitatem *absolutam*, ideſt, non modalem, sed aptam à materiâ separari saltem Divinitùs. Ratio enim est; quia puris modificationibus materię solius nequit attribui tanta vis, & activitas, quanta convenit naturæ specificæ, primæque radici proprietatum, &

operationum compositi: modi enim sunt entitates tenuissimæ, non nisi ad ultimò terminandum, vel determinandum indifferentiam aliquam, institutæ. Item: quia solius materiæ modus nequit esse materiâ ipsâ nobilior, prout esse debet forma substantialis titulo primæ radicis, & naturæ activæ. Quare, licèt per formam modalem salvari utcumque posset differentia specifica corporum naturalium (sicut salvatur in artificialibus; in quibus tamen differentia ex parte formæ non est substantialis), dummodò talis forma foret aliqua vera entitas, veraque substantia, quàmvis tenuis; tamen sine formâ absolutâ salvari nequit eorum activitas, & specifica naturæ nobilitas.

12 Dices: si daretur forma substantialis exigens, & radicans proprietates rerum, sequeretur 1., quod forma ipsa sui interitus sæpe esset causa facilitans: est enim proprietas olei v. g. ignem facilè concipere, quo forma olei perit. Sequeretur 2., quòd etiam anima rationalis radicaret proprietates hominis: unde, cùm proprietates hominum sint valde diversæ, dum alius est ingeniosus, alius hebes, alius naturâ mitis, alius asper, &c., non omnes haberent animas ejusdem speciei. Verùm hæc objectio non magis nos, quàm Atomistas urget: non enim ipsi negant, oleum, & quodvis aliud corpus naturale ex propriâ indole specificâ exigere certas proprietates præ aliis: oleum ergo exiget facilitatem combustionis, quâ pereat in esse compositi. Similiter juxta omnes anima rationalis exigit in corpore temperamentum humanum potiùs quàm belluinum: humani ergo temperamenti diversitas inferet diversitatem animarum. Homo quoque naturaliter exiget facilius mori, quàm taurus; siquidem homo temperamentum exigit pluribus obnoxium morbis.

13 Itaque, sive homo, sive oleum, sive quodvis aliud facilè corruptibile, non est sui interitus causa facilitans, nisi utsummùm quasi permissivè, aut indirectè, quatenus exigit temperamentum qualitatum parùm resistens agenti contrario, non ex intentione facilè pereundi, sed ob alia propriæ naturæ commoda ex illis qualitatibus provenientia. Animæ verò rationales exigunt ex se temperamentum corporis uniforme: in hoc tamen per accidens dari potest varietas ex causis extrinsecis prævalentibus contra exigentiam animarum; quæ tamen non abscedunt quandiù manet temperamentum simpliciter humanum.

14 *Arg.* 5. ex eo, quòd, negatâ formâ Peripateticâ, subtrahitur causis creatis physica activitas. Verùm hoc, & alia argumenta, vel absurda, quæ ex Atomistarum doctrinâ deducuntur, videri possunt in Differt. prælim. Pro præsenti loco dicta sufficiunt. Alia quoque inter solvendum argumenta contraria superaddemus.

CAP.

## CAP. II.
## *PRIMA OBJECTIO AB AUCtoritate solvitur, & retorquetur.*

1 *Objec.* 1. ex Thomâ Vincent. Tosca *lib.* 1. *Physic. General.* plures Aristotelis textus, quibus expresè docet, formam non *fieri*, nec *generari*, & omne, quod *fit*, semper esse compositum. Cui doctrinæ consonat D. Thomas, sæpe dicens, quòd forma non *generatur*, nec *fit*, *nisi per accidens*, nec *propriè habet esse*. Id quod generatim uterque docet de formâ, tum substantiali, tum accidentali. Atqui, si forma est vera entitas, materiæ superaddita, negari nequit, quòd propriè fiat, generetur, & habeat esse: ergo forma, quam adstruimus, aliena est à mente Aristotelis, & D. Thomæ. *Confirm.* ex alijs locis Aristotel., quibus forma vocatur *ratio essentiæ*, seu *quidditatis*, dicitur que esse *unum*, *ut ordo*, *vel musica*, & (ut habetur 2. Physic. text. 28.) est *ratio ipsius quod quid erat esse*, *ut ejus*, *quæ est diapason duo ad unum*, *& omninò numerus*, *& partes*, *quæ in definitione*. At his nominibus planè significatur forma respectiva, consistens in habitudine, & proportione partium materiæ, cujusmodi est forma Atomistica. Idcircò Aristoteles passim comparat formam naturalem artificiali, quæ certè mera modificatio est.

2 *Resp.* Mirum est, quòd in Aristotele & D. Thomâ patrocinium quærat Atomistica forma; cum uterque illam explodat, & formam entitativè distinctam à materiâ vel asserat, vel supponat, innumeris in locis. Quædam attingam in specimen: quorum vim ut intelligas, præ oculis habe, quòd forma Atomistica nihil est aliud, quàm modificatio multiplex, vi cujus atomi variè figuratæ combinantur, nectunturque multifariàm: hæc autem modificatio, juxta Atomistas, non est veræ entitas, nec substantia, sed merus respectus, quo nihil entitativum additur materiæ, id est, atomis: unde materia est tota entitas, & substantia rerum; quarum generatio, & corruptio, atomorum congregatione, & segregatione peragitur. Vide Toscam cit. lib. 1. Physic. General.

3 Aristoteles ergo 1. Physic. totus est in confutandis veterum opinionibus, nominatim Democriti, & Empedoclis, asserentium, omnia fieri ex præexistentibus atomis, aut elementis, absque aliâ formâ, quàm congregatione & segregatione, aut varietate figuræ & positionis: contra quos docet, admittendam esse, præter materiam, aliam substantiam, quæ sit forma rerum: *substantiam*, inquam; quia *fieri non potest*, *ut è non substantijs substantia constet*, ut ipse ait cap. 6. text. 52. Vide D. Thomam ibi lect. 2., ubi, *Democritus*, inquit, *posuit indivisibilia corpora*, *quæ dicuntur atomi*, *esse principia omnium rerum. Sed hujusmodi corpora posse esse omnia unius generis secundum naturam*, *sed tamen differebant secun-*

*cundum figuram*, &c.. Tum subdit: *Antiqui Physici non cognoverunt, nisi causam materialem, de alijs autem parùm tetigerunt. Ponebant autem, formas naturales esse accidentia, sicut & artificiales. Sicut ergo tota substantia artificialium est eorum materia, ita sequebatur secundum eos, quòd tota substantia naturalium esset eorum materia.* Postea lect. 9., cum retulisset easdem veterum opiniones, subjungit: *Et omnes hi decepti fuerunt, quia nescierunt distinguere inter potentiam & actum*, &c.

4 Eamdem opinionem Democriti rejicit Aristotel. 8. Metaph. cap. 2., quia non assignat formam substantialem, quæ sit causa figuræ, positionis, mistionis, &c.. *Si substantia* (inquit) *causa est, ut unumquodque sit, in his quærendum est, quænam, ut horum singula sint, causa est. Substantia itaque nihil horum est*, &c. D. Thomas ibi lect. 2.: *Democritus ponebat, principia rerum materialium esse corpora indivisibilia, quæ cum sint ejusdem naturæ, convenientia sunt adinvicem: diversitatem autem rerum constituunt propter differentiam positionis, figuræ, & ordinis.* An non hæc est opinio Toscæ? At D. Thomas docet ibidem, quòd præter illas & similes alias differentias assignanda est alia *causa formalis essendi*, sive *substantia formalis*: quia, inquit, *Nulla differentiarum prædictarum est substantia, neque aliquid substantiæ affine, quasi pertinens ad genus substantiæ.*

5 Sed nullibi fusiùs, & expressiùs totam Atomistarum doctrinam de principijs & elementis, de materiâ & formâ, de generatione & corruptione, de alteratione, de mistione, refutat Aristoteles, quàm in Libris de Generat.: quos qui legerit, mirabitur vehementer, quòd Tosca, vel alius Atomista, pro se Philosophum ausit allegare. Et quod attinet D. Thomam, mirabitur vehementius, qui commentarios ejus in eosdem Libros vel raptim lustraverit. Audiatur in specimen S. Doctor in 1. de Gener. lect. 5., ubi relatâ Atomistarum doctrinâ circa generationem, corruptionem, alterationem, sic pergit: *Credebant enim, hoc accidere in rebus naturalibus, sicut accidit in domo, vel navi, & in hujusmodi; quorum forma constat in compositione, vel ordine; non enim fiunt nisi per congregationem partium, neque corrumpuntur nisi per segregationem; quæcumque autem alia transmutatio accidit præter solutionem continui, alteratio est. Hoc ergo est, ex quo procedit tota fallacia.*

6 *Est enim* (subdit) *generatio in rebus naturalibus, quarum forma non est positio, & ordo, non quidem per congregationem, & segregationem, sed quia fit transmutatio ex hoc toto, idest, non dissoluto in partes, in hoc totum, quasi non congregatum ex aliquibus partibus. Sed antiqui Philosophi putabant, omnem talem transmutationem, quæ fit aliquo toto integro manente, esse alterationem; quod quidem non est verum; quandoque enim potest esse simplex generatio,*

*& quandoque alteratio... Quando igitur est transmutatio secundum materiam & formam, ita scilicet quòd materia accipiat aliam formam substantialem, erit simplex generatio, & corruptio: quando autem est transmutatio secundùm accidentia, & passionem, erit alteratio.*

7 Vix ulla in dictis commentarijs D. Thomæ lectio est, in quâ non aliquid contra Atomistarum systema dicatur: ut in lect. 10. in 1. de Gener., *Quando materia accipit aliam formam substantialem,.. nulla segregatione, aut congregatione interveniente, ut Democritus posuit, talis transmutatio est unius generatio, & alterius corruptio.* Et in lect. 22., quòd Atomistæ nullam possunt assignare causam actionis, & passionis; *Quia figura non est activa, nec passiva* &c... Et in lect. 23., quòd Atomistarum doctrina (quam ibi explicat omninò, ut Tosca) destruit alterationem, & augmentum: & quòd passim *alteratio fit sine divisione ipsius corporis continui, & sine aliqua alia compositione, & sine conversione suarum partium, & absque tactu diverso in ordine componentium partium,... & quin aliqua corpora indivisibilia subintrent,..* & quin *partes* corporis alterati *mutent ordinem, vel situm.*

8 Similiter ex lectionib. in 2. de Gener. plurima depromes, præsertim contra mistionem, seu generationem mixtorum, prout ab Atomistis exponitur. V.g. lect. 7.: *Si os, & caro* (inquit D. Thomas) *componantur per quamdam accumulationem elementorum convenientium, tunc nihil generatur, sed in his, quæ generantur, est solùm ratio, vel relatio aliqua* (en, ut *forma respectiva* generationem destruit, juxta D. Thomam). *Quæ igitur est causa istorum, quòd ex homine generetur homo, & similiter ex frumento frumentum, & non oliva?* Addit, quòd horum causa esse non potest, nec elementa ipsa, nec lis, & amicitia, ut volebat Empedocles, & vult etiam Maignanus sub nomine sympathiæ & antipathiæ atomorum.

9 *Amicitia enim* (subdit D. Thomas) *non est causa, nisi congregationis; lis autem solùm est causa segregationis: sed necessarium horum est forma rei, quæ facit hominem esse hominem, & carnem esse carnem: forma autem est substantia uniuscujusque: & ideò non solùm in re est mistio, id est, compositio congregatorum, & separatio eorum, sicut dicit Empedocles, sed etiam est forma,.. cum natura, quæ est forma, sit causa entium... Sed de hac forma, vel natura, nihil dicit Empedocles* (at aliquid certè dicebat de formâ respectivâ, & elementorum harmoniâ); *cum tamen ipsa natura, quæ dicitur forma, sit bonum, & optimum uniuscujusque rei, bonum quidem in se, & optimum in ordine Universi. Laudat autem Empedocles solùm mistionem, quæ in rei veritate non est mistio, sed solùm quædam compositio.*

10 Ex his, opinor, patet evidentissimè, quòd Aristoteles & D. Thomas aliam formam in rebus na-

tu-

turalibus agnoverunt, præter corpusculorum figuram, situm, combinationem, & plexum. Et quidem formam, quæ sit, non solum ens, sed *magis ens*, quàm materia, non solùm substantia, sed *magis substantia*, quàm materia ipsa, ut expressè docet Aristoteles 7. Metaph. cap. 3., & ibi D. Thomas lect. 2.; nec solùm natura, sed *magis natura*, quam materia, juxta Aristot. 2. Physic. text. 12., & D. Thom. ibi lect. 2.. Formam item, quæ non solum sit vera entitas, sed sit *quoddam Divinum, & optimum, & appetibile*, ut ait Aristot., tum 2. de Gener. text. 41., tum præcipue 1. Physic. text. 81.; quem ad locum, perfectionem formæ magnopere commendat D. Thomas lect. 15., videndus etiam in 3. de Cœlo lect. 2..

11 Numquid hæc quadrant in formam modalem, quæ nihil entitativum superaddat materiæ? Negat Tosca lib. cit. propos. 35. & 36., quod forma sit substantia. At quoties Aristoteles oppositum rotundè affirmat? Quoties substantiam dividit in materiam, formam, & compositum, nominatim lib. 7. & 8. Metaph. & 2. de Anima? Quoties rationem substantiæ potiùs attribuit formæ, quàm materiæ, tam ipse, quàm D. Thomas? Vide D. Thom. in 7. Metaph. lect. 2., & in 8. Metaph. lect. 1., & in 9. Metaph. lect. 8., ubi addit, quòd *nomine substantiæ consuevit forma significari*: item in 2. de Anim. lect. 1..

12 Millies asserit Tosca, nihil esse discriminis inter artificialia, & naturalia, nisi quòd hæc fiunt modo mirabiliore, nostrisque sensibus occultiore; tenetur que fateri, quodvis artefactum verè esse compositum substantiale, cum non aliâ ratione dicat, naturale compositum esse substantiale, nisi quia consurgit ex atomis, quæ sunt substantiæ. At Aristoteles millies discriminat ex alijs capitibus artificialia & naturalia: v. g. 2. de Animâ cap. 1. ex eo discriminat, quod naturalis forma est substantia, & est principium insitum motus & quietis. Audi D. Thom. ibi lect. 1.: *Forma, quæ per artem inducitur, est forma accidentalis, sicut figura, vel aliquid hujusmodi. Unde corpora artificialia non sunt in genere substantiæ per suam formam, sed solùm per suam materiam, quæ est naturalis.... Unde corpora naturalia sunt magis substantiæ, quam corpora artificialia: sunt enim substantiæ, non solùm ex parte materiæ, sed etiam ex parte formæ.* Vide etiam D. Thom. lect. 1. in 2. Physic. cum Aristotele ibi.

13 Hæc fusiùs exscribere, & annotare placuit, nè deinceps Atomistæ dictitare pergant, hodiernos Peripatericos ab Aristotelis genuinâ mente desciviſse, secutos scilicet interpretum Arabum deliramenta. Nec dicas forsan, Aristotelis ac D. Thomę dicta convenire posse *formæ speciali*, quam ponit Tosca in plerisque compositis, præsertim in viventibus, & quæ est materiæ portio subtilior, & agilior. Contrà enim est 1., quòd Aristotel. ac D. Thomas planè loquuntùr de formâ totî materiæ superadditâ. 2., quòd ipse Tosca, quidquid Aristoteles de for-

formâ docuit, pariterque doctrinam D. Thomæ, trahere conatur ad formam respectivam, ac modalem, quam *formam generatem* appellat, & ad constitutionem compositi substantialis, ad ejusque generationem, corruptionem, activitatem, sufficere vult.

14 Nec momenti sunt, quæ suprà objiciuntur. Illud enim de *fieri*, & *generari*, magis consistit in verbis, & modo loquendi, quàm in re; ut bene advertit P. Suar. disp. 15. Metaph. sect. 2.. *Generatio* apud veteres non significat quamlibet productionem veræ entitatis, sed tantummodò productionem entis per se subsistentis, nempe totius compositi, vel suppositi; ut sæpe monet D. Thomas. Similiter *factio*, seu *fieri*, solùm propriè dicitur de productione rei subsistentis, seu potentis existere independenter ab aliâ comparte substantiali: quæ sola res propriè dicitur *esse*, seu *habens esse*, in phrasi D. Thomæ. Vide v.g. q. 3. de pot. ar. 1. ad 12.. Hinc forma non dicitur propriè *esse*, nec *fieri*, sed *confieri*, seu *fieri per accidens*, ideſt, non *per se*, quatenùs *fieri per se* significat fieri per modum subsistentis. At nec Aristoteles, nec D. Thomas negat, formam verè *produci*: quin potiùs ita loquitur sæpe D. Thomas, v.g. q. 3. de pot. ar. 8. ad 10. dicens: *Forma tota præexistit in potentia, & postmodùm tota producitur in actu.* Certè Aristoteles & D. Thomas agnoscunt, formam esse veram entitatem, veramque substantiam, ut evidenter constat ex dictis: cùm ergo forma educitur, vera entitas, vera que substantia denuò incipit esse. Dummodò hoc constet, de cætero quòd talis eductio, vel inceptio, nominetur *factio* seu *generatio*, propriè vel impropriè, nihil ad rem; ut Atomistæ non dubitant.

15 Sed instat Tosca: si materialis forma verè producitur; ergo vel per creationem, quod negamus, vel per generationem, quod est contrà Aristotelem, & D. Thomam, negantes, formam generari. *Resp.*, produci per generationem; nam eadem actio, quæ est generatio compositi, est eductio formæ, ideoque *forma exit in esse per generationem*, ut ait D. Thomas q. 3. de pot. ar. 9. corp.: non tamen actio ista denominat formam *generatam*, sed *eductam*; quia denominatio *generati*, seu *geniti*, soli composito propriè reservatur. Quare? quia ita fert usus Veterum. Si ex Toscâ quæras, cur artefacta non dicuntur *genita*, nec eorum factio vocatur *generatio*, cum tamen eadem in his militet ratio, ac in lapidibus, metallis, &c., quæ (inquit) *nihil sunt præter artefacta quædam naturalia*? nullam causam reddet, nisi communem usum loquendi; ut videre est in ejus lib. 4. Metaph. propos. 35.; ubi etiam notat, quòd *generatio* præsiùs dicitur de productione viventium. Si rursùs ab eodem quæras, cur modificationes partium æqui potiùs, quàm partium horologij, dicuntur *modi substantiales*, cum eadem indoles sit utrisque? nullam, opinor, rationem, dabit, præter Atomistarum libitum, & usum.

Quid ergo tantopere litem nobis intentat circa nomen *factionis*, aut *generationis*?

16 Adde, quòd, juxta D. Thomam in 7. Metaph. lect. 6., nomine *factionis* utimur *magis propriè* in artificialibus, quàm in naturalibus. An idcircò plus entitatis inerit formæ artificiali, quàm naturali? Adde rursus, quòd nec materia propriè dicitur fieri, nec propriè creari, juxta D. Thom. q. 3. de pot. ar. 1. ad 12.: & tamen vera entitas est, vera substantia, verè que producta per creationem, ut nemo dubitat. Adde præterea, quòd, ut docent Aristoteles 1. de Cœlo text. 113., & D. Thomas ibi lect. 24., nomen *geniti*, seu *generati*, potest extendi universim ad omne, quod incipit esse, licet sit purè modale, ut sunt tactus, motus, & generatio ipsa: poterit ergo à fortiori extendi ad formam substantialem. Atque ita hodiè fert usus, ut passim dicatur *fieri*, & *generari*, quæcumque vera entitas incipit esse virture causæ creatæ; quin ideò ignoretur, hæc verba magis propriè convenire compositis.

17 Ad *Confirm.*, *Forma* (inquit D. Thomas in 8. Metaph. lect. 1.) *ratio nominatur, quia ex ipsa sumitur ratio speciei*: quærenti enim, cur hoc corpus sit in specie lapidis, & non auri, forma redditur pro ratione. Illud autem, *Unum, ut ordo, vel musica*, quod affert Aristoteles 1. Physic. text. 67., & illud de consonantiâ, quæ est *diapason* &c., dicta sunt ex more Philosophi, passim explicantis formam substantialem exemplo formæ accidentalis, & artificialis, cujusmodi est ordo in partibus domi, & musica in homine musico, & in consonantiâ *diapason* proportio dupla, quæ est duorum ad unum & in quodum numero consistit; ut explicat D. Thomas in 2. Physic. lect. 5.. At hujusmodi exempla non sunt identica, sed quamdam tantum analogicam similitudinem important.

18 Cur autem Aristoteles toties ijs exemplis utatur, rationem reddit D. Thomas in 2. de Anima lect. 2. per hæc verba: *Quia formæ artificiales accidentia sunt, quæ sunt magis nota quoad nos, quàm formæ substantiales, utpotè sensui propinquiora, ideò convenienter rationem animæ, quæ est forma substantialis, per comparationem ad formas accidentales manifestat.* Et inferiùs: *Quia formæ substantiales, cujusmodi sunt formæ corporum naturalium, sunt latentes, manifestat hoc* (Aristoteles) *per formas artificiales, quæ sunt accidentales.*

## CAP. III.

### *OBJECTIONES ALIÆ repellantur.*

1 *Objic.* 2. ex eod. Toscâ. Formæ, quas ponimus, sunt prorsus inutiles. *Prob.* 1.: quia nulli sunt in Philosophiâ usui: nullum enim experimentum, nullum naturæ phænomenon explicatur earum ope. 2.: quia vires illarum occultæ sunt, nec qualiter operentur, explicari potest. 3.: quia virtus, quæ his formis tribuitur,

tur, facilius tribui posse atomis ipsis, quin frustrà multiplicentur entitates. 4.: quia positâ mole corporeâ ex atomis variè figuratis, & artificiosè contextis, nempe igneis, aereis, aqueis, terreis, absque aliâ formâ substantiali, salvatur quidquid est de ratione corporis naturalis. Nam inprimis illud corpus est compositum substantiale, cum coalescat ex partibus, quæ sunt substantiæ. Deindè id corpus *mixtum*, utpotè coalitum ex elementis. Præterea verè differt quovis alio corpore constante ex elementis, diversâ proportione, texturâ que permixtis: quemadmodùm artificia verè differunt inter se per solam diversitatem proportionis, ordinis, & texturæ partium. Demùm per illam atomorum harmoniam explicari possunt quilibet effectus naturales.

2 *Resp. neg.* assumtum. Nam formas in Philosophiâ esse non solùm utiles, sed necessarias, demonstrant argumenta cap. 1. Item, quæ ex D. Thomâ dedimus cap. 2. Quibus addi possunt duo alia, quæ ponderat cum Aristotele D. Thomas in 2. de Animâ lect. 8. *Alterum*: quòd, sublatis formis, nulla erit causa firmitatis, & consistentiæ rerum. Si enim in equo v. g. nihil est præter elementa variè conjugata, cur hæc tandiù cohærent? siquidem ex se diversis, contrarijsque motibus agitantur. Cur non citò dissiliunt, & disrupta machinæ compage diffugiunt? Solius ergo vi formæ, vel animæ, poterunt in officio contineri. *Alterum*: quòd neque ulla erit causa physica, præfigens viventibus terminum magnitudinis, & parvitatis. Nam, cum elementa ex æquo possint in quælibet quantitate concurrere, misceri, & colligari, cur non fabricant naturæ ingenio *instar montis equum*, ut quondam Græci *divinæ Palladis arte*? vel cur non passim occurrat elephas instar muris, aut mus instar elephantis? Vide D. Thom. loc. cit.

3 *Ad 1. prob.* Imò sublatâ formâ, quam ponimus, tollitur usus Philosophiæ, & Philosophia ipsa naturalis: tollitur enim ejus objectum, quòd est Corpus naturale, siquidem tollitur *natura*, per quam corpus *naturale* est: ut enim ait D. Thomas in 1. de Cæl. lect. 3., *corpora naturalia sunt, quæ habent naturam*, id est, *principium motus in eis, in quibus est*. Vide dicta cap. 1. n. 9. & seqq. Nullum ergo naturæ phænomenon explicatur philosophicè, nisi perveniatur ad primam ejus radicem, quæ est natura rerum specifica: hæc autem natura inexplicabilis est, negatâ formâ substantiali.

4 Laudandi quidem Corpusculares Physici, quòd variorum corporum, v.g. plantarum, texturam, & anatomem curiosè dispiciunt, & proponunt. Sed præterquam quòd multa divinant inter explicandum organizationem, nutritionem, & incrementum plantæ, reipsâ explicant effectus sine causâ: nullam quippe causam reddunt idoneam, cur plantæ corpus tam variè, tam subtiliter, & ordinatè organizetur; cur aliæ particulæ formentur in lignum, aliæ in corticem, aliæ in fi-

bras, aliæ in folia; cur fines tam opportunè subeat, tam aptè distribuatur, & circulariter moveatur. Lege Toscam tract. 9. lib. 2., nihil quæ invenies, præter descriptiones anatomicas istorum effectuum, quin appareat causa sufficiens tot motuum, & combinationum, quibus opus est. Una, vel altera per conjecturas assignatur causa extrinseca, v.g. aër, aut ignis subterraneus, *propos. 12.*: sed causa intrinseca, quæ mereatur *naturæ* nomen, omninò nulla. Nec verò assignari poterat in principijs hujus Authoris, qui negat atomis vim intrinsecam ad motum, docetque, nullum corpus moveri posse, nisi vel à motore spirituali, vel ab alio corpore, quod prius ab Spiritu motum fuerit. Unde sequitur, quòd omne corpus merè passivè se habet ad motum, & actionem, ac proinde quòd nulla causa corporalis verè agit. Meritò igitur de Philosophis hisce dixeris, quod Lucretius, turpiter & ipse lapsus, de alijs cecinit:

*Quamquam multa bene, ac divinitùs invenientes,*
*Principijs tamen in rerum fecere ruinas.*

5 *Ad 2.* Vires formarum substantialium occultæ sunt, quatenùs per se immediatè non cadunt sub sensum; *Quia nulla forma substantialis est sensu perceptibilis, sed solùm intellectu*, ut sæpe monet D. Thomas, v.g. in 1. de Gener. lect. 7.: manifestantur tamen per effectus sensibiles, v.g. vis & perfectio formæ ignis innotescit nobis per calorem, & formæ terræ per frigus, ut ibidem docet, & explicat D. Thomas. Modus autem operandi est per emanationem, vel per actionem propriæ causæ efficientis, de quâ tract. 2.

6 *Ad 3.* Atomi, juxtà Toscam, nullam ex se virtutem activam habent, ne ad motum quidem localem, cum illum accipere dicant à motore spirituali. Et præterea, cum ejusdem sint naturæ substantialis, juxtà ipsum, quomodò poterit atomis adscribi varietas virtutum, quas experimur in rebus? Nec juvat sententia Maignani, ponentis atomos heterogeneas, & à se invicem intrinsecâ vi motrice præditas. Nam, cum ipse totam atomorum virtutem constet ad motum localem, quem negat ex parte rei distinguì à corpore, & loco, re ipsâ dat atomis virtutem ad nihil, seu virtutem non virtutem.

7 *Ad 4.* Falsum assumitur, malèque probatur. Nam *illa moles* imprimis non magis esset compositum substantiale, quàm acervus lapidum, aut quodlibet artefactum: figura enim, & contextus atomorum, mera sunt accidentia. Nec refert, quòd partes, ex quibus tamquam ex materiâ coalescit, sint substantiæ; nisi insuper pars formalis sit etiam substantia, vel saltem modus substantialis: alioquin nullum esset in Mundo compositum accidentale. Deinde foret *mixtum* in sensu vulgari, sicut massa ex farre, caseo, & saccharo concreta; non tamen in sensu philosophico, quo *mixtum* dicitur compositum ex materiâ elementorum & nobiliore formâ resultans. Præterea nec specie substantiali differret ab alijs corporibus, solâ figu-

râ

râ proportione, & plexu differentibus: quemadmodùm non nisi accidentaliter inter se differunt artefacta, quæ ex lapidibus, aut metallis similibus construuntur.

8 Denique per solam atomorum harmoniam nulli effectus explicari possunt more physico; semper enim desiderabitur vera causa, & radix illorum. Idquod etiam patet in artificialibus, quę nullum motum ederent virtute solius harmoniæ, nisi simul haberent virtutem aliquam naturalem; ut notavimus cap. 1., notavitque D. Thomas in 2. Physic. lect. 1. dicens: Artificialia *nullius mutationis principium habent in se ipsis, nisi per accidens, in quantum scilicet materia & substantia corporum artificiatorum sunt res naturales. Sic igitur in quantum artificialibus accidit esse ferrea, vel lapidea, habent aliquod principium motus in se ipsis, sed non in quantum sunt artificiata: cultellus enim habet in se principium motus deorsùm, non in quantum est cultellus, sed in quantum est ferreus.* Idem puta de horologijs, & alijs automatis.

9 *Objic.* 3.. Forma lapidis v. g., quam adstruimus, est substantia corporea: ergo est materia. *Prob. Conseq.*: tum quia, sicut omnis substantia incorporea est spiritus, ita omnis substantia corporea debet esse materia. Tum quia inter materiam & spiritum non datur medium, sicut nec inter substantiam & accidens: cum ergo substantia corporea non sit spiritus, superest ut materia sit. *Confirm.* 1.. Illa forma, si est substantia corporea, erit quanta, sive impenetrabiliter extensa: ergo 1. non poterit cum materiâ penetrari, nisi duo corpora sint in eodem loco: ergo 2. erit propriè corpus: quid enim aliud est corpus, nisi substantia impenetrabiliter extensa? Si autem corpus est, quomodò poterit à totâ materiâ distinguiì

10 *Confirm.* 2.. Forma prædicta simul est & non est substantia. Est, ut asserimus. Aliunde non est. *Quod patet* 1.: quia implicat substantia incompleta: si enim illi non convenit definitio substantiæ, nullo modo erit substantia: Si autem convenit, nequit non habere essentiam substantię plenè, seu complerè, sicut est plenè homo, cui convenit hominis definitio. *Patet* 2.: quia materialis forma nequit existere naturaliter, nisi in subjecto, & dependenter à subjecto: ergo non est *ens per se*, quę est definitio substantię, sed est *ens in alio*, quæ est definitio accidentis. *Urgetur*: ideò albedo est accidens, quia suapte naturâ ineſt, & inhæret subjecto, juxta illud, *Accidentis esse est ineſſe*: sed forma lapidis non minùs, quàm albedo, est impotens existere, quin insit, & inhæreat subjecto: ergo, &c.. *Urgetur* iterùm: de ratione substantiæ est *subſtare* omnibus, & non sustentari ab alio: hoc autem non convenit formæ, quæ indiget à subsistante materiâ sustentari.

11 *Resp. ad object. neg. Consea.*, si materia propriè sumatur pro primo subjecto rerum corporearum. *ad prob.*. Nego primam paritatem. Cum enim *spiritus* apud Toscam de-

definiatur *Substantia intellectiva*, & omnis substantia incorporea (absolutam intelligo, non modalem) intellectiva sit; hinc omnis substantia incorporea est Spiritus. Datur tamen ens incorporeum, quod non est spiritus juxta definitionem modò positam, nempe intellectio, amor, Gratia, charitas, &c.. At *corporeum* dicitur quidquid est quantum, seu quidquid est perpetuò connexum physicè cum quantitate: potest autem dari substantia, sic cum quantitate connexa, quin sit primum subjectum, atqueadeò quin sit materia. Saltem de hoc ipso est quæstio: nec Adversarijs licet ut certum assumere, quod probandum est. Similiter, quòd non detur medium inter materiam, & spiritum, seu quòd omne ens debeat esse aut spiritus, aut materia, asserunt Adversarij, sed non probant. Nam, ut omittam Gratiam, & alia accidentia spiritualia, de quibus nuper; non est cur repugnet entitas, aut substantia, quæ à materiâ distinguatur, & tamen ab eâ pendeat naturaliter. Talis autem substantia nec est spiritus, nec materia, sed est materialis.

12 *Instabis*: cur forma lapidis dicitur materialis? An, quia naturaliter unitur materiæ? ergo etiam anima humana dici poterit materialis; vel materia dicetur spiritualis, quia unitur animæ. An, quia nequit naturaliter existere sine materiâ? ergo & materia dici debet formalis, quia non potest naturaliter existere sine formâ; aut etiam accidentalis, cum sit impotens existere sine accidentibus. *Resp.*. Ad conceptam entis materialis non sufficit unio cum materiâ, sed requiritur, vel identitas, vel naturalis dependentia in fieri & conservari; quæ dependentia discernit ens materiale ab spirituali, de cujus conceptu est oppositа independentia. Sic autem nec anima hominis dependet à materiâ, nec vice versâ. Quòd verò materia non dicatur *formalis*, nec *accidentalis*, oritur ex proprietate vocum istarum; nam ens formale significat, quod gerit munus formæ; & accidentale, quod accidens est, vel accidens includit: quorum neutrum verificatur de materiâ. Quære ab Adversarijs, cur materia non dicitur *modalis*, siquidem apud ipsos nequit existere sine aliquo modo, saltem sine figurâ? cum tamen modi dicantur *materiales*, quia sine materiâ esse non possunt?

13 *Instabis* iterùm cum Toscâ: forma lapidis eodem modo est materialis, quo est substantialis; sed ita est substantialis, ut sit substantia: ergo ita est materialis, ut sit materia. *Resp.*. En aliam syllogismum omninò similem: forma Atomistica eodem modo est materialis, quo est modalis; sed ita est modalis, ut sit modus: ergo ita est materialis, ut sit materia. En insuper alium: intellectio, aut amor, eodem modo est spiritualis, quo est vitalis; sed ita est vitalis, ut sit vita: ergo ita est spiritualis, ut sit spiritus: ergo erit substantia intellectiva. Plures alios similimos, nec minùs sophisticos, formare quivis poterit. Quare negnda est Major: quia forma lapidis ita est substantialis, ut ha-

habeat in se quidditatem substantiæ substantivè dictę : at non ita est materialis, ut in se habeat quidditatem materiæ. Simile quid in exemplis nunc propositis dicere debent Adversarij.

14 Jam *ad* 1. *Confir. dist. Antec.* : erit quanta per quantitatem sibi & materiæ communem, *conc.* per quantitatem sibi soli propriam, *neg. Antec.*. Nego etiam *utramque Conseq.*. *Primam* : quia quantitas non reddit impenetrabilem substantiam corpoream, nisi respectu alterius substantiæ distinctâ quantitate præditę : materia autem & forma unius compositi unicam quantitatem exigunt utrique communem: quæ etiam est ratio ; cur qualitates corporeæ penetrentur cum materiâ & formâ, & inter se. *Neque propter hoc sequitur* ( inquit D. Thomas in 1. de Gener. lect. 15. ) *duo corpora esse in eodem loco : quia formæ & speciei non debetur locus nisi ratione materiæ, in qua fundatur, quæ est propriè subjectum quantitatis dimensivæ. Secundam* : quia corpus propriè & simpliciter dictum, est substantia completa quantitatem exigens. Unde materia, & forma, seorsùm acceptæ, licet sint substantiæ corporeę, non sunt absolutè corpora. Materia tamen, potiùs quàm forma etiam materialis, dicitur interdum corpus incompletum ; vel quia quantitas magis est propria materiæ, quàm formæ, vel quia fert usus.

15 Ad 2. *Confir. neg.* assumptum. Cujus prima probatio planè instatur in animâ rationali, quæ sine dubio substantia est, cum tamen incompleta sit ; alioquin non esset forma corporis, nec posset cum eo facere unum per se : vel, si hoc potest, quin sit substantia incompleta, poterit etiam quilibet Angelus esse corporis forma. *Anima* ( inquit D. Thomas q. 3. de pot. ar. 10. c. ) *non habet perfectionem suæ naturæ extra corpus, cum non sit per se ipsam species completa alicujus naturæ, sed sit pars humanæ naturæ ; aliàs oporteret, quòd ex anima & corpore non fieret unum nisi per accidens.*

16 Itaque formæ materiali non convenit definitio substantiæ prædicamentaliter sumptæ ; quo sensu significat substantiam completam : convenit tamen definitio substantiæ quasi transcendentaliter acceptę, prout nempe significat *ens per se* perfectate oppositæ accidenti, de quâ statim ; quo sensu ratio substantiæ abstrahit ab incompletâ, & completâ, ideſt, ex se ordinatâ, vel non ordinatâ ad constitutionem alterius. Quare forma illa plenè est substantia, plenitudine distinctionis ab accidenti ; non tamen plenitudine physicâ, seu nullius complementi substantialis indigâ. Hæc autem acceptionum varietas non cadit in rationem hominis, nisi integraliter sumpti. Cadit tamen in rationem entis artificialis, ut Adversariorum utar exemplo : nam ea ratio potest abstrahi ab artefacto completo, & incompleto ; verè siquidem paries, fenestra, vel rectum, est ens artificiale, quin sit completum.

17 In secundâ probatione tangitur difficultas de distinctione

subs-

substantiæ ab accidenti, quæ alterius est loci. Nunc satis sit dicere, juxta omnes substantiam esse omnem entitatem, quę vel est suppositum, vel pertinet ad intrinsecam constitutionem suppositi; huic enim propriissimè convenit esse *Ens per se*. Suppositum autem definiant Adversarij prout libuerit: nobis nunc sufficit, quod nemo negat, verè inter suppositа computari quodlibet corpus naturale plenè verificans nomen alicujus speciei totalis, cujusmodi sunt *homo*, *leo*, *planta*, *lapis*, & similia nomina. Cum ergo suppositum substantia sit secundùm omnia sui constitutiva, sequitur, substantiam esse quidquid est constitutivum suppositi, quàmvis non possit naturaliter existere sine subjecto. Forma itaque materialis, quam cap. 1. ostendimus pertinere ad constitutionem suppositi corporei, est ens *per se* perfectate suppositi, vel inclusionis in supposito (non aliam perfectatem denotat definitio substantiæ), simulque est ens *in alio* alietate subjecti pertinentis ad idem suppositum, non tamen alietate propriâ accidentis; nam accidens requirit naturaliter esse *in alio* alietate suppositi, id est, alietate subjecti propriè talis aliunde constituti, vel constituendi in esse suppositi.

18 Hinc vides, qualiter *inesse*, & *inhærere*, non ejusdem rationis sint in albedine, & in formâ lapidis. Vides etiam, non esse contra rationem substantiæ sustentari ab alio, nisi sit aliud alietate suppositi. Dicta est autem substantia à *substando*, non rebus omnibus, sed accidentibus; quod verificatur etiam de formâ lapidis, quàmvis ipsi subsitet materia. Denique difficultas hæc pariter premit Adversarios. Num modi, quibus atomi fermantur in lapidem, substantiales sunt juxta Toletum, cum tamen subjecto insint, & inhæreant, non utcumque, sed essentialiter. Dices, modos non esse propriè entitates. Non sint: sed eorum entitates impropriè cur non dicuntur potiùs accidentales, quàm substantiales? siquidem accidentium character est *inesse*, *inhærere*, *sustentari*, cui omninò repugnat substantiæ conceptus, ut ais.

19 *Objic.* 4.: totum Universum corporeum nihil est aliud, quàm variè partes localiter ordinatæ: ergo quodlibet corpus nihil aliud erit, quàm variæ particulæ locali nexu copulatæ. *Nego Consequentiam*, nullâ ratione probandam: neque enim in Universo militant argumenta probantia formam substantialem in singulis corporibus. Quare argumentatio illa similis est huic: Respublica nihil est aliud, quàm multi homines, quodam morali ordine sociati: ergo quilibet homo nihil est aliud, quàm partes moraliter conjunctæ.

20 *Objic.* 5: unumquodque ex ijs componitur, in quæ resolvitur, seu quæ in ejus resolutione remanent: sed quodlibet corpus naturale resolvitur in elementa, vel vulgaria, vel chymica: ex his ergo solis componitur sine aliâ formâ substantiali, cujus nullum vestigium cernitur in corporum analysi, vel resolutione chymicâ. Hæc objectio, licèt non con-

contemnenda, dum quæritur, an elementa maneant formaliter in mixto, in præsenti nullius est ponderis. 1.: quia, si hominem igne resolvas, nihil residuum cernes præter elementa chymica. Num inde colliges, hominem ex his componi sine aliâ formâ? 2.: quia nec positâ resolutione cânis aut alterius animantis per alembycum, remanere cernitur illa portio materiæ subtilis, quam Atomistæ volunt esse animam bruti; nam illâ insensibiliter avolat, & dissipatur. 3.: quia nec remanet forma modalis, & respectiva; quam tamen Atomistæ dicunt esse de essentiâ corporis naturalis. Admisso igitur, unumquodque componi ex ijs, quæ in ejus analysi remanent, negandum est, ex ijs solis componi: potest enim insuper includere partem aliam, quæ necessariò perire debeat, pereunte composito.

24 *Obsic. 6.*: si semel ponitur entitas absoluta, & substantialis, quæ suapte naturâ perire debet ob solam separationem à materiâ, difficilis probabitur immortalitas animæ rationalis. Et hanc ait Tosca *cit. lib. 1. propos. 35.* sibi fuisse rationem potissimam asserendi, formas materiales in plexu modali consistere. Sed immeritò ratione istâ motus est hic Author: non enim rationalis anima probatur immortalis ex eo præcisè, quòd sit entitas absoluta, & substantialis; sed ex eo, quòd sit à materiâ independès in suo esse; quæ independentia colligitur ex independentiâ in operando, sive ex nobilitate intellectionis materiam omnem transvolantis: quâ de re latiùs in Animalticâ. Certè difficultas hæc multò magis premit corpuscularem Philosophiam, maximè quâ parte ponit brutorum animas à corpusculis & eorum plexu indistinctas. Vide Dissertat. præliminar., præsertim n. 29.

25 Nunc addimus, videri facillimum, quòd qui semel à Toscâ imbuti fuerint illo principio, *Inter materiam & spiritum non datur medium*, *sed Omnis vera entitas aut est materia, aut spiritus*, inde colligant, animam bruti esse spiritum: tum quia difficillimè credent, ad omnes brutorum operationes sufficere solam materiam, quæ sit ejusdem speciei substantialis cum materiâ lapidis, quantumvis artificiosè organizatam: tum quia omnibus persuasum est, animam bruti (quam esse entitatem absolutam & substantialem non negat Tosca, cum eam identificet cum portione materiæ subtilioris) verè perire, dum brutum moritur; cumque aliunde certum sit ex omnium consensu Philosophorum, non perire materiam, proclive erit inferre, quòd anima bruti est entitas à materiâ distincta, ac proinde spiritus. Statuto autem, bruti animam esse spiritum, cum eam nihilominùs immortalem esse nemo credat, consequens erit, ut negetur immortalitas animæ rationalis.

26 Dices: qui tenent principium illud, *Omnis vera entitas aut est materia, aut spiritus*, simul docent, animam bruti non esse distinctam à materiâ. Docent quidem; sed paucis id persuadebunt, refragante

ratione, experientiâ, & consensu totius ferè generis humani: at totum illud principium, *Omnis vera entitas* &c., multis videbitur verisimile, & creditu facile. Illud itaque multi amplectentur, præsertim modicè docti, quin assentiantur adjunctæ doctrinæ super animâ bruti. Unde lata satis ad Atheismum via patescere videtur.

## CAP. IV.

### *SOLVITUR ULTIMA OBJECtio, & explicatur Eductio Formarum.*

1 PRÆCIPUUM Corpuscularium argumentum est, quòd materialis forma juxta omnes non creatur, sed educitur: accipit enim esse à causis creatis, quæ nihil possunt creare, seu producere ex nihilo, juxta illud axioma, *Ex nihilo nihil fit*, quod, exceptâ causâ primâ, in cæteris valet. At, si forma materialis est vera entitas, verè producetur ex nihilo, ac proinde creabitur. *Probatur*: quia forma lapidis v.g. ita producetur, ut nihil ipsius præexistat: materia enim, quę sola præexistit, est nihil formæ, cum nec sit forma, nec formæ pars: sicut ergo anima rationalis verè producitur ex nihilo, quámvis materia præcedat, ita forma lapidis, &c.. Nullum ergo dabitur discrimen inter eductionem & creationem. *Confirm.*: quia similiter forma materialis verè anihilabitur in corruptione rerum: verè enim desinet in nihilum, ita ut nulla ipsius vel minima particula superfit. At anihilatio pariter superat vires causæ creatæ, juxta illud, *Nihil in nihilum abit.*

2 *Resp.*. Hæc objectio solvenda est pariter Adversarijs. Nam combinatio, tota quæ forma modalis, quâ atomi plectuntur in lapidem, est vera realitas. Tum quia per illam realiter, non phantastice, lapis est lapis, & non est aurum, nec leo. Tum quia per eamdem lapis realiter differt à non lapide, nempe cumulo suarum omnium atomorum, qui cumulus, sublato plexu modali, non est lapis, sed est non lapis. Tùm etiam, quia lapis, & quodvis aliud corpus, juxta Adversarios, propriè generatur, ac denuò producitur à causis secundis: quomodò autem propriè produceretur de novo id, cujus nulla realitas incipit esse, seu quod præexistit secundum totam realitatem sui? At in realitate istâ idem militat argumentum ex creatione & anihilatione desumptum. Idem quoque militat in actibus, quibus anima nostra, vel Angelus, intelligit, & amat: sunt enim verę realitates (nisi velis, ut Visio, & amor, in quibus beatitudo consistit, sint merum ludibrium); & aliunde virtute causæ creatæ incipiunt, ac desinunt esse, ita ut nihil sui præcedat, aut superstit.

3 Amplectenda est igitur notio eductionis, quam tradit, & explicat Exim. Doctor disp. 15. Metaph. sect. 2.. Eductio ninirum est *Productio formæ pendens essentialiter à subjecto præsupposito* (id est, producto per aliam actionem) *& aliquatenùs incompleto, à quo & for-*

*formam productam actualiter pendere, & sustentari facit.* Hæc explicatio convenit omni, & soli eductioni, sive formæ substantialis, sive accidentalis, sive absolutæ, sive modalis, etiam indistinctæ ab eductione sui; ut patebit consideranti. Nec sensu differt ab alijs aliorum explicationibus, quibus eductio definitur, *Actio essentialiter unita subjecto præsupposito*, vel, *Actio essentialiter affixiva sui termini subjecto præsupposito.* Si enim productio essentialiter pendet à præsupposito subjecto, consequenter eidem uniuntur, eidemque affigit terminum suum. Hinc, licet fortasis non omnis actio factiva compositi ex subjecto præsupposito, sit eductio, ut aliqui volunt; omnis tamen eductio est actio factiva compositi ex tali subjecto & formâ resultantis; quia vel est formalis unio formæ ad subjectum, vel saltem unitio; de quo alibi. Non tamen vocatur *eductio*, nisi respectu formæ: respectu autem compositi, præsertim substantialis, dicitur *factio*, vel *generatio.*

4 Hinc *colliges* 1. discrimen inter eductionem, & creationem. Utraque est productio ex nihilo sui termini immediati: sed non utraque illum producit ex nihilo subjecti sustentativi præsuppositi. Absolutè *produci ex nihilo*, duo negat, & præexistentiam termini, vel partis ejus, & præcedentiam subjecti, cui, veluti fundamento, innitatur existentia novi termini. Utramque negationem requirit creatio: at eductio nonnisi primam: ideòque sola creatio dicitur absolute *productio ex nihilo.* Excellentia ergo creationis suprà eductionem in eo stat, quòd sit actio tanti roboris, ut sine subjecto, vel sustentaculo aliunde producto, suum terminum per se teneat in esse. Hùc nequit pertingere eductio, nec virtus causæ creatæ; cujus limitatio satis in eo apparet, quòd solùm producere potest effectus tantæ debilitatis, ut sine subjecto aliunde producto sustineri non valeant. Siquis artifex columnam fabricare posset, non solo innixam, sed in aëre consistentem, citra dubium excellentioris artis & operationis esset, quàm qui solo inædificant. Similem igitur excellentiam habet causa creatrix suprà causas secundas.

5 *Colliges* 2., cur anima rationalis non educatur, sed creetur. Quia scilicet producitur actione non dependente essentialiter à subjecto præsupposito. Sicut enim anima rationalis à subjecto non pendet in esse, cum extra subjectum naturaliter existat post mortem hominis, ita nec pendere debet in fieri. Quare, licèt præcedere debeat materia disposita, veluti quædam occasio exigens creationem animæ rationalis, non tamen præcedit per modum causæ materialis, id est, per modum subjecti, à quo & actio essentialiter pendeat, & anima ipsa sustentetur. E converso materialis forma, sicut sine subjecto existere nequit, ita dependenter à subjecto producitur. Unde materia exercet erga formam eductam munus causæ materialis, non intrinsecæ, seu constitutivæ

(qualis est materia respectu compositi), sed extrinsecæ, idest, adæquatè distinctæ, quàmvis intimè unitę.

6 *Dices*: hoc genus causæ materialis extrinsecæ non agnovit Aristoteles, qui nihil dicit ex materiâ fieri, nisi tamquam ex subjecto *insito*, idest, manente intra constitutionem effectus. *Resp.*. Aristoteles explicuit materiam per illud munus, quod in eâ est præcipuum, videlicet per munus causæ intrinsecæ compositi: non tamen excluſit, sed supposuit munus causæ extrinsecæ respectu formæ, vel saltem unionis, quippe quod est ab illo altero naturaliter inseparabile, & in exercitio quasi prævium. Ubi notabis, quòd materia respectu formæ creatæ non est subjectum *ex quo*, sed purè *in quo*; nec talem formam proprie *patitur*, aut *passivè causat*: at respectu formæ eductę verè subjectum est, non solùm *in quo*, sed *ex quo*; quia particula *ex* interdum denotat munus causæ intrinsecę, interdum munus causæ materialis extrinsecæ, sive passivam ejus causalitatem in formam.

7 *Dicet* insuper: munus causæ materialis extrinsecæ in nihilo differt à munere causæ efficientis. *Negatur* hoc: quia materialis causa illa est, à quâ præsuppositâ essentialiter pendet actio præcisè titulo sustentaculi, cui innitatur, & incumbat: efficiens verò, à quâ et physicè præexistente pendet essentialiter actio titulo perfectionis effectui physicè communicabilis. Hinc materialis causa, prout talis, non agit, sed patitur, nec ejus potentia dicitur activa, sed passiva: quia scilicet nihil aliud præstat in effectum, nisi illum recipere à virtute activâ, patiendo ut sibi affigatur, & ut proprio ipsius esse præsuppositò utatur causa efficiens tanquam sustentaculo suæ actionis.

8 Colliges 3., quo sensu materialis forma dicatur *extrahi*, vel *educi* de potentiâ materiæ: quod crassè intelligentes quidam veteres, & aliunde productionem *ex nihilo* vitare cupientes, varia somniarunt. Nam *aliqui* formas omnes in materiæ gremio latitare credebant, & ab agentibus non tam produci denuò, quàm in lucem extrahi, & sub aspectum poni. Hoc tamen sentet absurdis. Ut enim alia omittam, sequitur 1., intra materiam actu existere infinitas formas, cum ex materiâ possint educi formæ sine fine. Sequitur 2., amico fœdere cohærere simul in eâdem materiâ formas oppositas. Sequitur 3., quodvis compositum esse omnia composita, cum in materiâ propriâ contineat actualiter formas omnes.

9 *Alii* præexistere in materiâ dicebant, non quidem formas integras, sed quasdam formarum inchoationes, ac veluti semina, ex quibus formę fierent, atque ita non fierent ex nihilo totius entitatis suæ. Verùm hæc opinio eisdem ferè patet absurdis: præexistent enim in materiâ infinitæ entitates, & quidem oppositæ, cum sint inchoationes & semina oppositarum formarum. Nec solvit difficultatem productionis *ex nihilo*: nam illa pars, aut consum-

ma-

matio formæ, quæ semini, vel inchoationi superadditur à causâ creatâ, verè producetur ex nihilo sui, cum sit aliquid à præexistente inchoatione distinctum, siquidem inchoatio non est tota forma.

10 *Alij* ad possibilitates quasdam formarum recurrebant, in materiâ præcedentes, ex quibus formæ fierent, atqueadeo non ex nihilo. Sed, si nomine *possibilitatis* intelligitur mera non repugnantia, forma ex hoc capite fiet ex nihilo non minùs, quàm Angelus, cujus non repugnantia certè creationem ipsius præcedit. Si autem eo nomine intelligatur aliquid actu existens, à materiâ distinctum, & in materiâ latitans, sequuntur absurda opinionum præcedentium. *Alij* asserebant, formas in materiâ præexistere secundùm gradum genericum, & produci demùm secundùm gradum specificum. Sed, ut omittam, implicatorium esse, quòd ejusdem rei existere possit gradus genericus sine specifico; gradus hic specificus producetur ex nihilo sui, quàmvis forma adæquatè sumpta producatur ex aliquo, nempe ex gradu generico. *Alij* demùm, nihil invenientes, quo vitaretur productio ex nihilo per causas creatas, censuerunt, formas substantiales à solo Deo creari. Verùm consequenter negandæ erit agenti creato vis productiva formæ accidentalis, in quâ eadem est difficultas quoad productionem ex nihilo. Ex quo fit, causas creatas nihil posse, & causas non esse.

11 Formæ igitur non aliter in materiâ præcedunt, nisi in potentiâ passivâ, quatenùs præcedit in materiâ capacitas, ut formas sustentet, atqueadeò per modum causæ materialis juvet ad productionem earum. Unde formam *extrahi*, vel *educi* de potentiâ materiæ, est poni extra potentiam passivam materiæ; non ita ut à materiâ separetur, cum ei potiùs intrinsecè inhæreat; nec ita ut intra materiam delituerit actu existens; sed ita ut actualiter accipiat esse per actionem à materiâ pendentem modo explicato, vi cujus actionis potentia passiva materiæ reducitur ad actum, sive ad exercitium. Sic effectus dicitur poni extra causam efficientem; non quòd intra illam præextiterit entitas effectus, vel pars ejus; sed quia producitur per actionem, vi cujus reducitur ad actum potentia activa causæ efficientis.

12 Ex dictis patet solutio ad argumentum Atomistarum propositum num. 1. Proloquia illa, *Ex nihilo nihil fit*, &, *Nihil in nihilum abit*, falsa omninò sunt relatu ad potentiam Dei: falsa item, relatu ad causas creatas, si loquantur de nihilo cujuslibet entitatis, etiam partialis. Nam, ut concedunt Atomistæ, ab ijs causis aliquid reale verè producitur de novo, dum generatur equus v.g.: aliquid item verè definit esse, dum equus moritur: ergo aliqua realitas incipit esse, quæ antea non erat, atque adeò nihil erat; & aliqua realitas, quæ antea erat, jam non est, atqueadeò est nihil: ergo illa realitas, qualiscunque sit, saltem partialis, aut modalis, à causis creatis producitur ex nihilo sui,

sui, & desinit in nihilum sui. Voluntas nostra, dum primum Dei amorem elicit, nonnè producit aliquid, quod nihil erat? dumque à tali amore cessat, nonnè illum abire facit in nihilum?

13 Dicta ergo proloquia relatu ad causas creatas vera sunt absolutè in compositis: hæc enim fieri non possunt, nisi ex aliquo sui, nempe ex materiâ, quæ præsupponi debet à Deo creata: nec item desinere possunt, nisi in aliquid sui, nempe in materiam, quæ semper supereſt corrupto composito. In formis autem, tam substantialibus, tum accidentalibus, non sunt vera de *nihilo* termini producti, sed solùm de *nihilo* subjecti, à quo præsuppositio essentialiter pendeat actio. Nec oppositum probant, aut probabunt unquam Atomistæ.

14 Nam, dum *insistunt* 1.: forma materialis perit secundùm totum suum esse: ergo propriè anihilatur. *Dist. Antec.*: manente subjecto, quo sustentabatur *conc.*; tali subjecto non manente, *neg. Ante.*, & *Conseq.*: quandiu enim tale subjectum supereſt, manet quodammodò forma, non in se, vel in aliquâ parte sui, sed in potentiâ materiæ, quæ ipsi pro fundamento erat. Hoc ne putetur effugium recens inventum, audiatur D. Thomas 1. p. q. 104. art. 4., ubi in 3. *arg.* sibi objicit sic: *Formæ & accidentia non habent materiam partem sui; sed quandoque desinunt esse; ergo in nihilum rediguntur*: respondet autem his verbis: *Formæ & accidentia non sunt entia completa, cum non subsistant; sed quodlibet eorum est aliquid entis... Et tamen eò modo, quo sunt, non omninò in nihilum rediguntur; non quia aliqua pars eorum remanet; sed remanet in potentiâ materiæ, vel subjecti.* Adde, quòd etiam sine permanentiâ subjecti vitari potest anihilatio per conversionem rei pereuntis in aliam, quæ in eodem munere succedat: sic enim in Eucharistiâ, substantia panis, licèt pereat secundùm totum suum esse, non tamen propriè anihilatur; ut passim docent Theologi cum D. Thomâ. Itaque forma ligni, dum combustione perit, duplici titulo non anihilatur; & quia remanet in potentiâ subjecti, & quia convertitur in formam ignis.

15 Dum *insistunt* 2.: si anima rationalis periret secundùm totum suum esse, propriè anihilaretur, licèt maneret subjectum ejus. *Dist.* hoc ultimum: licèt manerer subjectum ejus sustentativum, *neg. suppositum* (non enim tale subjectum habet anima rationalis); licèt maneret subjectum ejus purè informabile, *conc.*; nisi intercederet conversio. Dum *insistunt* 3.: ideò compositum non anihilatur, quia manet aliquid ejus: ergo è contrario, forma, si nihil ejus manet, verè anihilatur. *Dist. Antec.*: ideò, tamquam ex ratione propriâ entis compositi, *conc.*; ideò, tamquam ex ratione generali ad omnem entitatem, etiam simplicem, sive partialem, *neg. Antec.*, & *Conseq.*. Compositum, cum non sit capax subjecti sustentativi adæquatè distincti, non potest anihilationem vitare, nisi maneat aliquid

quid ejus. At non ita res habet in formâ. Mitto recursum ad conversionem totius compositi subsistentiæ in aliam.

16 Dum *instistunt* 4.: ineptè dicitur *educi*, quod totum inducitur, seu producitur ab extrinseco agente. *Dist.*: si *educi* accipiatur in sensu vulgari, *transeat*; si sumatur in sensu philosophico, *neg.*. Atomistica modificatio, seu forma modalis, apud suos etiam dicitur *educi*; cum tamen in eâ non minùs ineptus appareat usus verbi *educo*, quod vulgo sonat extractionem rei præexistentis è loco quopiam: illa quippe modificatio certè non erat, nec latebat in partibus materiæ, nisi purè in potentiâ: nunc autem tota incipit esse virtute agentis extrinseci, à quo proinde magis inducitur, quàm educitur. Usus ergo Philosophorum (cui nullo jure negabitur jus in verba, quod vulgo conceditur) effecit, ut *educi* propriè significet produci dependenter à causâ materiali non constitutivâ. Sic idem usus effecit, ut *producere* propriè significet dare esse; cum tamen apud vulgus aliter significet, ut cum quis dicitur producere testes, aut copias. Sic item effecit, ut *creare* propriè sonet ex nihilo facere: & tamen vulgo dicitur creari aliquis Episcopus, Cardinalis, &c.. Imò verbum *creo* significatum habuit olim omninò contrarium; nam, ut ajebat S. Augustinus citatus à S. Thomâ 1. p. q. 45 art. 1. init., *Creare est ex eo, quod jam erat, educendo aliquid constituere.* Forma ergo dicitur *educi*, ut indicetur dependentia à subjecto; simulque dicitur *induci*, ut denotetur processus ab agente extrinseco.

17 Dum *instistunt* 5.: si educi ex materiâ, nihil est aliud, quàm actionem à materiâ pendere, cur forma non dicitur educi ex semetipsâ, cum à formâ ipsâ pendeat essentialiter actio? cur saltem non dicitur educi ex causâ efficiente, à quâ pariter actio pendet? maximè, cum magis præcontineatur forma in potentiâ istius causæ, quàm in potentiâ materiæ, ubi nec formaliter, nec æquivalenter, aut eminenter præcontinetur. *Resp.*: quia verbum *educi* cum particulâ *ex* denotat habitudinem causæ materialis, aut subjecti sustentativi præsuppositi. Forma educta non nisi intra materiam producitur & conservatur. Hinc materiam apprehendimus instar matris, cujus ex utero quasi extrahitur forma ad statum existentiæ, & cujus in sinu immersa manet. Loquimur autem communiter, ut apprehendimus. Unde non sufficit essentialis dependentia actionis, nisi sit à subjecto præsuppositio; quo modo non pendet actio à causâ efficiente ut tali, nec à formâ ipsâ productâ, à quâ solùm pendet tamquam à termino. Hinc, si Deus eâdem actione produceret materiam & formam, actio illa non foret eductio, licèt à materiâ penderet essentialiter; quia penderet ab eâ tamquam à termino partiali, non tamquam à subjecto præsuppositio. Ad illud autem de *præcontinentia* formæ dicimus, quòd eductio requirit præcontinentiam formalem aut eminentialem in potentiâ *à qua* procedit, non in potenti-

tentiâ *ex qua*, id est, in potentiâ activâ, non in puré passivâ; in hac enim solùm requirit aptitudinem ad sustentandum actionem, & terminú.

18 Dum *insistunt* 6.° subjectum non coefficit formam, nec auget vires causæ efficientis: ergo non minor virtus necessaria est ad producendam formam in subjecto, & ex subjecto, quàm extra subjectum; atqueadeò non minor ad educendum, quàm ad creandum. Imò requiritur major virtus ad educendum: quia educens non solùm producit formam, sed eam unit subjecto; majus autem quid est producere formam, & simul unire, quàm producere solam formam more creantis. *Resp.* Licèt subjectum non coefficiat, nec vires agentis augeat in eodem genere causæ, verè tamen adjuvat in genere fundamenti necessariò præsupositi, sine quo forent inutiles illæ vires causæ creatæ: quemadmodùm inutiles essent vires & efficientia architecti, nisi fundamentum haberet, quo domum superstrueret, vel nisi haberet materiam, in quam induceret formam domus. Hoc autem fundamento non indiget virtus creativa.

19 Nec refert, quòd virtus educens producat simul unionem: quia unio hæc, vel est indistincta ab eductione ipsâ, vel est quædam appendix formæ, naturaliter exigentis produci & conservari in esse partis actualis. Creatio autem formæ solius, licèt non haberet pro termino unionem, aliunde excederet, tum ratione independentiæ, tum ex eo, quòd esset indebita, & supra naturam formæ materialis, quàm redderet quodammodò incorruptibilem. *Quantitas virtutis agentis* (inquit D. Thomas 1. p. q. 65. art. 3. ad 3.) *non solùm mensuratur secundùm rem factam, sed etiam secundùm modum faciendi; quia unum & idem aliter fit & à majori, & à minori virtute. Producere autem aliquid finitum hoc modo, ut nihil præsupponatur, est virtutis infinitæ. Unde nulli creaturæ competere potest.*

20 Dum *insistunt* denique: si potest à causis creatis produci nova entitas, & substantia, dummodò producatur actione pendente à subjecto præsuppositò; nullo ex capite impeditur Angelus, ne producat animum rationalem per actionem sic à materiâ pendentem. Non inprimis ex capite productionis, quæ foret eductio, proindeque non repugnans causæ creatæ: non deinde ex capite substantiæ termini producendi, siquidem causis creatis convenit producere veram substantiam: non denique ex capite spiritualitatis animæ; nam, cum Angelus spiritualis sit, hanc perfectionem præcontinet. *Resp.* Impeditur Angelus ex eo, quòd anima sit substantia spiritualis, quæ talis non esset, si naturâ suâ pendere posset à materiâ; cumque aliunde ad nullum subjectum spirituale ordinem dicat, naturâ suâ est independens à subjecto, seu causâ materiali, proindeque est impotens produci, nisi per creationem: creatio autem repugnat omni causæ creatæ, ut modò supponimus cum Adversarijs, & alibi ostendemus.

QUÆ-

## QUÆNAM FORMÆ *educantur?*

21 EX dictis facilè colligitur, quibus formis conveniat eductio. Illæ nimirùm formę naturaliter educuntur, quæ subjectum præsupponunt aliâ actione productum, & aliunde naturaliter sine subjecto esse non possunt. Ratio est: quia formæ, quę à subjecto præsuppositio pendent in esse, pendere debent in modo productionis; hic enim debet esse connaturaliter juxta modum essendi: pendent ergo à subjecto prę suppositio ex vi actionis, quâ producuntur; quod est educi. Dixi *subjectum alia actione productum*; ut nunc omittam, & aliò remittam, quæstionem de formâ Cœli, ac de formis elementorum initio Mundi, quas aliqui dicunt eâdem actione cum subjecto produci debere, proindeque non educi.

22 Unde *inferes* 1., cæteras formas substantiales omnes, præter animam rationalem, educi: quia materiam præsupponunt, & experientiâ constat, ita esse materiæ immersas, ut sine illâ esse non possint, nec extra illam operari. Possunt tamen creari Divinitùs; quia non magis à materiâ pendent, quàm accidentia, & hæc miraculosè creari possunt, ut constat ex Eucharistiæ mysterio. *Inferes* 2., educi pariter accidentia absoluta materialia, ut sunt lux, calor, frigus, &c.: tum quia pariter experientiâ constat eorum naturalis perpetuaque dependentia à subjecto; tum quia producuntur à causis creatis, quæ nihil nisi educendo producunt. Nec obstat, quòd lux producatur sine alteratione, vel mutatione subjecti corruptivâ qualitatis contrariæ. Non enim conceptus eductionis essentialiter postulat mutationem corruptivam, imò nec mutationem de privatione ad formam; ut ostendimus disp. 1. Quodsi interdùm D. Thomas ad eductionem requirit transmutationem subjecti, loquitur secundùm communiter contingentia in plerisque formis.

23 *Inferes* 3., modos omnes, qui subjectum præsuppositum habent, cujusmodi sunt unio, ubicatio, & eductio ipsa (non tamen creatio), educi quoque eâ ratione, quâ dicuntur entia producta: pendent enim à subjecto essentialiter, atqueadeò magis, quàm formæ absolutæ: producuntur etiam à causis creatis, nihil agentibus ex nihilo. *Inferes* 4., accidentia spiritualia, tum naturalia, tum supernaturalia, ut sunt habitus, & actus Intellectus, & Voluntatis, connaturaliter educi debere. De naturalibus non est dubium; cum ejusmodi formæ & ab animâ producantur, & in eâ tamquàm in subjecto sustententur. De supernaturalibus, si sint actus vitales, pariter non est dubium; non enim creantur, sed producuntur ab animâ, vel Angelo. Si verò sint Gratia, Fides, Charitas, & aliæ formæ à solo Deo productæ, probatur illatio: quia formæ istæ verò à subjecto præsuppositio pendent in suo esse, atqueadeò in sui productione; quæ dependentia satis colligitur ex eo,

quòd nunquàm producuntur nisi in subjecto præsuppositio, nec extra subjectum existunt, aut operantur.

24 Nec obstat 1., quòd hæc accidentia non contineantur in potentiâ naturali subjecti. Nam satis est, quòd contineantur in potentiâ passivâ obedientiali: quę continentia nihil aliud est, quàm capacitas obediendi soli Deo in sustentando actionem supernaturalem. Nec obstat 2., quòd formæ istæ vocentur *infusæ*. Nam hoc solùm indicat, eas à solo Deo efficienter produci, ad discrimen illorum habituum, quos anima adquirit propriâ virtute. Quare infusio hæc non tollit dependentiam à subjecto; sed considerandæ est quoad hoc, sicut infusio luminis in aërem. Nec obstat 3., quòd Gratia sæpe dicatur *creata*. Nam ita dicitur, quia actio à solo Deo effectivè proveniens, lato sensu vocari solet creatio, quamvis à causâ materiali pendeat.

25 Dictarum illationum doctrina fusiùs traditur, & explicatur ab Exim. Doctore disp. 15. Met. sect. 13., & disput. 16. sect. 2.; ubi etiam agit de eductione formæ artificialis, & aliarum, quæ per resultantiam, aut emanationem, produci dicuntur.

## CAP. V.

### DEFINITUR FORMA SUBSTANTIALIS. *Ubi, An sit tota quidditas Corporis naturalis?*

1 FORMA substantialis definiri potest, *Substantia simplex, & absoluta, de se ordinata, ut cum materia constituat corpus naturale, tamquam potissima illius differentia physica.* Hęc definitio planè discriminat formam substantialem ab accidentibus, à modis, à composito, à materia, & ab Angelo: & aliunde omni formæ substantiali convenit. Est etiam ad mentem Aristotelis, cui forma dicitur *Ratio quidditatis*, nempe Corporis naturalis. Nam, si forma est differentia physica cujusque corporis, seu compositi substantialis, eo ipso est id, quod pro ratione redditur, cur unumquodque compositum talem quidditatem specificam habeat, cur sit constitutum in specie leonis & non equi, auri & non lapidis, & sic de cæteris. Sicut enim differentia metaphysica est ratio uniuscujusque speciei metaphysicæ, quia genus, de se vagum, & commune, determinat ad certam speciem: ita differentia physica, quia similiter indifferenti materiæ determinat, est ratio specificæ quidditatis in lineâ physicâ consideratę.

2 Hinc forma vocatur *terminus*; quia materiam, de se vagam, in certâ specie entis compleri, in quę certâ magnitudine figit: vocatur *character*; quia per formam unumquodque discernitur à cæteris: vocatur *species*; quia ab eâ provenit decor naturalis cujusque corporis: vocatur *forma, & actus*; quia materiam ex se rudem, & informem, expolit, ac perficit: vocatur ab Aristotele *divinum, pulchrum, optimum*; quia tota varietas, & pulchritudo Mundi corporei à formâ descendit, vel in eâ consistit: vocatur de-

denique *finis*; vel quia illius gratiâ existunt accidentia; vel quia ad illam materiæ uniendam dirigitur intentio generantis.

3 Solet etiam definiri Forma substantialis ad mentem Aristotelis, *Actus primus corporis physici*. Ubi *corpus physicum* potest accipi, vel incomplete pro materiâ, quæ ordine naturæ præsupponitur quantitate affecta; vel complete pro toto composito; ut notat Eximius Doctor *disp. 35. Met. sect. 5.*: forma quippe dicitur *actus*, & materiæ, & compositi; materiæ quidem *actus informativus*; compositi *actus constitutivus*: sic tamen, ut munera *informandi*, & *constituendi*, non sint duo, sed unum in re; ut monet idem Eximius *eadem disp. sect. 7. n. 5.*; cum idem sit formam informare materiam, & constituere compositum. Dicitur autem forma substantialis *actus primus*, ideſt, primarius & principalis; vel *primus*, non ordine executionis, sed ordine intentionis, & dignitatis: quo discernitur ab actu materiæ metaphysico, aut entitativo, necnon ab actibus accidentalibus. Sensus tamen hujus definitionis satis in nostrâ expressus est per illa verba, *tamquam potissima differentia physica*.

4 Solet item forma substantialis definiri, *Prima radix proprietatum*, sive *accidentium proprio rum, uniuscujusque speciei corporis naturalis*. Omnia quippe accidentia, quæ perpetuò comitantur, non unum, aut alterum duntaxat individuum, sed totam speciem, proveniunt à formâ, vel efficienter, vel finaliter; ideſt, vel à formâ præexistente dimanant, vel illius gratiâ præoccupant materiam, ut contingit in organizatione corporis humani. Verùm hæc etiam formalitas *primæ radicis* satis exprimitur, vel imbibitur, in definitione nostrâ, dum forma dicitur *potissima differentia physica* cujusque compositi in propriâ specie. Ex eâ quoque infertur, esse de essentiâ metaphysicâ formæ substantialis ordinem ad materiam ut ad subjectum informabile, qui simul est ordo ad compositum. Relege dicta disp. 2. cap. 2. à n. 10. Nec forma indiget potentiâ informativâ superaddità, ut materiam informet: quod à fortiori colligitur ex ibi dictis à n. 24.

5 Nunc, quoniam Aristoteles nimiùm extollit perfectionem formæ, *Quæritur* 1., Utrùm forma sit perfectior composito? Affirmant nonnulli veteres apud P. Suar. *cit. sect. 7. n. 6.* Moventur 1.: quia forma est causa compositi, & causa debet esse nobilior effectu. 2.: quia Aristot. 7. *Metaph. t. 7. & 8.* videtur præferre formam composito. Sed negandum omninò est: quia, quod continet totam formæ perfectionem, & insuper aliam, continet plus perfectionis, quàm sola forma; ut patet ex terminis, & ex communi paræmiâ, *Finitum additum finito facit majus*: at compositum, præter formam, continet materiam, quæ, ut vera entitas, & realitas, vera perfectio est. Nec obstant motiva contraria. Non 1.: quia non omnis causa debet esse nobilior effectu, maximè si non nisi partialiter causet, ut

evenit in quâlibet causâ intrinsecâ, qualis est forma ; hæc enim eatenùs causat, quatenùs est pars compositi; pars autem est minor toto. Adde, quòd argumentum æquè militat in materiâ. Non 2. quia Aristoteles colloco potiùs præfert compositum formæ ; & Adversarij decepti sunt quâdam infideli versione, ut ostendit P. Suar. *l. c. n.* 9.

6 *Quæritur* 2., Utrùm quælibet forma substantialis perfectior sit materiâ primâ ? Respondeo affirmativa communiter supponitur : quia forma substantialis constituta est in gradu substantiæ nobiliore, habetque perfectionem actus primi, & primæ radicis, quæ censetur absolutè incompensabilis per quamlibet perfectionem, manentem intra limites puræ potentiæ. Nec obstat, quòd materia sit creata, & incorruptibilis. Nam sæpe res absolutè perfectior exceditur ab imperfectiore penès aliquod prædicatum : sic homo Cœlo perfectior, à Cœlo exceditur incorruptibilitate : sic anima rationalis lapide nobilior, à lapide excedtur titulo substantiæ completæ. Quamvis ergo materia formam materialem excedat illis prædicatis, quia tamen titulo puræ potentiæ, & merè passivæ, valde deprimitur, fit, ut omnibus pensatis forma censeatur absolutè perfectior.

7 *Dices* : Si materiæ daretur optio, prudenter præeligeret esse materiam, quàm formâ cineris; ut ita posset frui consortio animæ rationalis. *Dist* : si præcisè attenderet perfectionem physicam & identicam, *neg.*; si attenderet utilitates alias extrinsecùs advenientes, *transeat* : sic enim sæpè res præferimus, quas constat esse physicè imperfectiores alijs: nam, ut ait S. Augustinus 11. *de Civit. Dei cap.* 16., *Quis non domi suæ panem habere, quàm mures, nummos, quàm pulices malit?* & paucis interjectis : *Plerùmque carùs comparatur equus, quàm servus, gemma, quàm famula.*

8 *Quæritur* 3., & principaliter, Utrùm forma sit tota quidditas compositi ? Affirmant apud Eximium Doct. *disp.* 36. *Met. sect.* 2. nonnulli veteres, nixi quibusdam locis Aristotelis, quæ ibi citat Eximius, ubi forma vocatur *quod quid erat esse rei*, atque etiam *ratio*, idest, quidditas & substantia rei. Quantum ad hominem, affirmarunt etiam Platonici, dicentes hominem esse solam animam rationalem. Idipsum de homine sensit, aut sensisse videtur Cartesius, quem citat, & impugnat Illustriss. Palancus *contra Novat. Philos. dialog.* 2. & 4.. Sed contraria sententia, quòd scilicet essentia compositi, non in solâ formâ, sed in hac & materia consistit, verissima, & indubitata est in omni Scholâ. 1.: quia compositi quidditas est substantia physicè completa: forma autem nonnisi incompleta substantia est ; alioquin non posset uniri materiæ ut complementum ejus, sicut non potest Angelus. 2.: quia compositum alioquin esset & non esset compositum: esset, ut supponitur, & ipsum nomen præfert: non esset ; quia quidditas ejus in solâ formâ simplici consisteret. 3.: quia ex actu & potentiâ constituitur

unum

sinum per se, juxtà Aristotelem, & omnes: jam ergo ex materiâ & formâ coalescit una per se quidditas; quæ certè nullius entis est propria, nisi illius, quod *compositum* appellamus.

9 4.: quia essentia hominis non consistit in solâ animâ: ergo nec essentia cæterorum compositorum in solâ formâ. Antecedens probat contra Platonem D. Thomas *1. p. q. 75. art. 4.*, & *lib. 2. contra Gent. c. 57.* Nunc breviter *probatur*: tum quia alioquin foret homo absolutè immortalis, & incorporeus, cum has proprietates habeat anima humana per se spectata. Tum quia non posset homo patrem habere, nec matrem. Tum ex consensu totius generis humani, cum nemo sit, qui proprium corpus non spectet ut partem sui. Tum denique, quia, juxta Symbolum Athanasij, *Anima rationalis & caro unus est homo.* Nec Aristoteles verbis suprà relatis aliud intendit, quàm ut forma sit præcipua & nobilior pars quidditatis compositi, quæ proinde per antonomasiâ vocari potest *ratio*, & *quidditas*. De cætero Philosophus ex professo docet, materiam & formam esse principia intrinseca & constitutiva corporis naturalis: substantiam dividit in materiam, formam, & compositum: monet, non formam, sed compositum propriè generari: & alia habet, quæ de illius mente dubitare non sinunt.

10 Sed *Objic.* 1.: composita quidditates habent specie diversas: solæ autem formæ differunt specie. *Resp.* Jam supra diximus, ut composita simpliciter sint specie diversa, satis esse, quòd in præcipuâ sui parte, quæ est velut essentiæ character, specie differant, quàmvis in aliâ parte conveniant: quod evidenter patet in lineâ metaphysicâ, ubi convenientia in genere non tollit specificam diversitatem. *Objic.* 2.: si materia pertinet ad essentiam compositi, quælibet materiæ pars erit essentialis: quod tamen falsum esse constat; nam in homine v. g. materia manus, non ad essentiam, sed ad integritatem pertinet. *Resp.* Eadem difficultas est in formâ divisibili: non enim quælibet pars formæ columbri, aut arboris, est essentialis, sed plures sunt integrales. Illæ igitur partes, seu materiæ, seu formæ, dicuntur essentiales in vivente quolibet, sine quibus salvari non potest existentia talis compositi, saltem in primâ animatione: cæteræ vocantur integrales.

11 *Objic.* 3.: unius entis una est essentia: cum ergo compositum sit ens unum, constare debet essentiâ unicâ, non duplici, aliâ materiæ, aliâ formæ. *Resp.* Compositum non est unum unitate simplicitatis, sed unitate compositionis: unde necesse est, ut contineat plures essentias partiales; non quidem plures in eâ ratione, quâ compositum est unum (v. g. si compositum est unus leo, non debet continere plures leones); sed plures in ratione partium. *Objic.* 4: in compositis artificialibus solæ forma est tota essentia: ergo pariter in naturalibus. *Neg. Antec.*, quidquid aliqui dicant. Quis enim credat, totam domus essentiam in solâ mo-

modali dispositione consistere, & nullatenus constitui ex lapidibus, trabibus, &c.? Id ipsum puta de compositis accidentalibus, ut sunt *album*, *musicum*, &c., dum concretivè sumuntur: secùs verò, quando sumuntur *pro formali*, ut sæpissimè solent.

12 *Dices*: materia domus secundùm se, ne partialiter quidem est ens artificiale, cum nullatenùs ab Arte proveniat. *Dist.*: ne partialiter quidem est ens artificiale, per modum formæ, vel actus, *conc.*; per modum potentiæ, vel subjecti, *neg.*: neque ad hoc opus est, ut proveniat ab Arte; sufficit enim, quod ex se potens sit ab Arte suscipere formam artificialem. Explicatur in his concretis, *filius Dei adoptivus*, *amicus Dei*, *videns Deum*, quæ sunt composita quædam accidentalia, & supernaturalia, quorum in essentiâ proculdubiò includitur creatura rationalis per modum subjecti: quis enim concipiat filium Dei adoptivum adæquatè distinctum à subjecto rationali? At subjectum illud secundùm se ne partialiter quidem est ens accidentale, aut supernaturale: quomodò ergo est pars compositi accidentalis, & supernaturalis? Dicendum igitur, ut nuper, subjectum habere in utrâque lineâ partialitatem, non formæ, sed puræ potentiæ saltem obedientialis, quæ nihil aliud significat, quàm idoneitatem subjecti, ut à Deo suscipiat formam accidentalem, & supernaturalem.

13 *Objic.* 5. & difficilius: Si materia pertinet ad essentiam compositi, decursu vitæ variabitur essentia hominis: materia quippe variatur actione caloris naturalis, vel reactione qualitatum alimentorum, vi cujus paulatim deperditur materia præhabita, & nova per nutritionem adquiritur. Hinc autem sequitur 1., quòd homo senex non sit idem secum ipso juvene. 2., quòd in fine Mundi non resurget idem homo: fac enim, eâdem materiam successu temporis fuisse duorum hominum propriam, ut contingere potest, præsertim apud barbaras gentes, quæ humanis carnibus vescuntur: cuinam eorum materia illa in resurrectione reddetur? Et, cuicumque reddatur, alter, cui non redditur, non resurget idem, qui vixit.

14 Hujus difficultatis *prima solutio*, quæ Durando tribuitur, dicit, eundem manere hominem individuum, licèt materia varietur: quia non est de essentiâ hujus hominis individui potiùs una, quàm alia materia, sed aliqua vagè, illa scilicet, quam hæc determinata anima informaverit. Hæc solutio communiter improbatur. 1.: quia eâdem licentiâ dici posset, non esse de essentiâ determinati hominis animam determinatam. 2.: quia de essentiâ hominis in specie est materia determinatæ speciei: ergo de essentiâ hominis individui est materia individualiter determinata. Vel aliter: Si homo constaret materiâ specie diversâ, foret compositum diversæ speciei, inadæquatè saltem: ergo erit compositum numericè diversum, si constet distinctâ numero materiâ. 3.: quia insoluta manet difficultas de resurrectione; quàm vis enim dicatur

tur resurgere idem homo, non resurget cum eodem corpore, prout Fides exigit.

15 Sententia tamen Durandi, prout refertur ab Exim. Doctore *tom. 2. in 3. p. disp. 44. sect. 2.*, alium sensum habere videtur. Nititur scilicet doctrinâ Thomisticâ, quòd materia unitatem positivam, tam specificam, quàm numericam, habet, non à se, sed à formâ: unde materia eatenùs est positivè talis individua materia, quatenùs unitur tali formæ. Hinc, licèt materia præcedens amittatur, & nova succedat, non est alia positivè à præcedenti, sed semper est eadem numero, quandiu eidem formæ unitur. Ex quâ doctrinâ sequi videtur, quòd homo senex, licèt totam amiserit materiam, quam puer habuit, & novam adquisierit; adhuc eâdem individuâ materiâ constat: item, quòd in resurrectione, licet tota materia cadaveris Pauli detur animæ Petri, & vice versâ; nihilominùs uterque resurget cum eodem individuo corpore, in quo vixit. Hic discurrendi modus quomodò à Thomistis sit improbandus, ipsi viderint. Nos ex hoc capite doctrinam Thomisticam rejecimus *disp. 3. cap. 6.*

16 *Secunda solutio*, quam tenent plures cum Magistro Sententiarum *in 2. dist. 30.*, nominatim PP. Quiros, Peynado, & Ulloa, statuit, solam materiæ portionem, quam primò informat anima fœtus in utero materno (hæc portio vocari solet *materia primigenia*, & *minimum naturale*), esse de essentiâ hominis: eam verò, quæ deinde per nutritionem adquiritur, pertinere solùm ad integritatem: & in hac solâ materiâ integrali variationem accidere; non autem in materiâ primigeniâ, quæ non amittitur decursu vitæ.

17 Ratio doctrinæ istius est 1.: quia homo, dum incipit nutriri, jam supponitur essentialiter constitutus; neque enim nutritur nisi homo vivens: ergo jam supponitur constans animâ, & materiâ essentiali: sed non aliâ, quàm primigeniâ; vel certè hac ante alias materiæ portiones: hæc ergo est materia essentialis unicuique homini. Quæ verò nutritione adquiritur, cùm præsupponat essentiam constitutam, nequit esse essentialis. Imò nec essentialis est tota Embryonis materia; sed illa tantùm portiuncula, quæ primitùs animatur: nam ex illâ & animâ rationali statim resultat compositum essentialiter constitutum. 2.: quia aliqua materia est essentialis huic homini: sed non tota, cui unitur anima ipsius, ut est certum; nec item aliqua portio vagè sumpta,, nam alioquin determinatus homo non haberet determinatam essentiam, sed foret individuum vagum, saltem ex parte: ergo portio aliqua determinata. Nulla autem materiæ portio tantum juris habet ad hoc munus, quantum illa, quæ primitùs animatur, scilicet particula cerebri, vel cordis, juxta varias Anatomicorum sententias. Quòd verò hæc particula nunquam amittatur vivente homine, non inefficaciter probant PP. Quiros hìc *disp. 47. sect. 2.*, & Peynado hìc *disp. 5. sect. 2.*

Ex

18 Ex hac doctrinâ *Infertur* 1., eumdem esse hominem, sive senem, sive puerum, quoad essentialia, licèt non quoad integralia; semper enim retinet materiam essentialem, quam puer habuit. *Infertur* 2., cuivis homini reddendam esse in resurrectione suam materiam primigeniam, ut verificetur, unumquemque resurgere cum suo corpore essentiali; quàmvis forsan in aliquibus variatio, vel permutatio aliqua contingat circa materiam purè integralem. Nec timendum est, nè fortè eadem materia sit primigenia duorum hominum. Nam, si alter alterius carne vescitur, jam præhabere supponitur propriam materiam primigeniam. Et quòd post varias transmutationes materia unius primigenia (quę vel punctum est, vel *parùm excedit quantitatem formicæ*, ut ait ex Aristotele D. Thomas *in* 3. *dist.* 3. *q.* 5. *ar.* 2. *ad* 3.) substernatur primæ alterius animationi, difficillimum est, & omninò improbabile: præterea que ad providentiam Dei spectat id impedire, quin opus sit miraculo, cum potiùs eventus ille tot combinationibus indigeat, ut miraculo simillimus videretur. Videri potest P. Joan. Ulloa *in Physic. Specul. disp.* 1. *à n.* 231. *ad* 242., ubi præ cæteris doctrinam istam, valde probabilem, & expeditam, distinctè explicat, ac tuetur.

19 Semper tamen difficile apparet, quòd materia primigenia servetur illæsa toto vitæ tempore. Quia, ut arguit S. Thomas, tum *in* 2. *d.* 30. *q.* 2. *ar.* 1., tum 1. *p.* *q.* 119. *ar.* 1., materia illa miscetur cum materiâ alimenti, ut vinum cum aquâ (hęc enim est vis nutritionis), & utraque materia, sic permista, manet uniformiter dispositа. Quomodò ergo caloris activitas materiæ illius particulas internoscet, ut illis parcat, & in cæteras sæviat? Nihilominùs dici poterit, quòd illa materiæ portio, dum homo nutritur, non mutat locum, nec discontinuatur, aut miscetur cum alijs: quia non est tota massa Embryonis (de quâ tantùm loquitur D. Thomas), sed est quædam particula, Deo soli nota, quæ semper manet in medio cordis, aut cerebri. Nec ab ejus animatione incipit statim nutritio propriè talis, sed continuatur elaboratio membrorum humani corpusculi, ad quod paulatim extenditur unio animæ, donec absolutâ fabricâ incipiat nutritionis opus. Illa verò particula, titulo primæ sedis animæ, tenaciùs retinet temperaturam debitam, quæ non est omninò uniformis in reliquâ materiâ.

20 *Tertia solutio*, eaque communissima, dicit, hominem senem, quàmvis aliqua ipsius pars physica vel omninò, vel magnâ ex parte, mutata sit, non solùm esse eumdem numero, qui fuit puer, omninò physicè quoad animam, sed etiam absolutè vocari posse ac debere eumdem numero quoad corpus: quia materiæ mutatio paulatim, & imperceptibili modo fit, sub organizatione omninò simili, sub eâdemque animâ rationali, atque ita ut, quotiès additur nova materia, continuetur physicè cum majori parte præcedentis: quæ circumstantiæ faciant,

cidunt, ut humano more loquendi, ac reputandi, non aliud sit corpus senis, quàm pueri. Sic domus, licet paulatim reparetur diminutione, & accessione multarum partium, censetur manere semper eadem. Sic etiam ignis, cui paulatim pabulum additur, *semper remanet idem ignis numero*, ut ait D. Thomas. Et tamen in his exemplis major datur mutatio, nempe non solùm materiæ, sed etiam formæ. Vide D. Thomam *locis cit. suprà n.* 19., & P. Suar. *d.* 36. *Met. s.* 2., & *tom.* 2. *in* 3. *p. d.* 44. *s.* 2..

21 *Dices*: hæc identitas corporis non est physica, sed moralis. *Resp.* Vocari potest identitas physica ratione physicæ continuitatis, de quâ nuper. In rigore tamen, si tota materia puerilis corporis amissa sit, solùm est identitas moralis; quamvis in lineâ morali (quæ varios gradus admittit) strictissima sit, utpotè fundata tot titulis physicis. Difficultas verò de resurrectione doctè explicatur à P. Suar. *cit. loco in* 3. *p.* cum SS. Augustino & Thomâ. Profectò, cum homo vix centesimam alimenti partem in se convertat, ut Medici asserunt, difficillimum est, quòd tota materia unius hominis, vel etiam pars major, fiat alterius hominis propria: & ad Divinam providentiam pertinet ita unicuique propriam servare, ut non contingat confusio veritati revelatæ repugnans. Neque ad id miraculo opus est; cum potiùs oppositum videatur ex se moraliter impossibile. Quare dabitur unicuique resurgenti materia, quam habuit, ita ut, si duo homines in aliquâ materiæ parte convenerint, ea pars in eorum altero supplearur ex materiâ, quam amisit decursu vitæ.

22 Nec omittendum, quòd totum hoc argumentum nihil prodest collocantibus compositi quidditatem in solâ formâ. Nam inprimis illud de identitate senis & pueri, pariter urget in animâ divisibili, v. g. colubri, vel arboris: ea quippe anima simul cum materiâ mutatur paulatim decursu vitæ: non ergo erit idem coluber senex secum ipso catulo. Deinde, quod resurrectionem attinet, sive materia pertineat, sive non, ad essentiam hominis, omnes in proprio corpore resurgemus, juxta illud *Job.* 19., *Rursùm circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum* &c.. Præterea, si homo non esset nisi sola anima, nec verè moreretur homo, nec verè resurgeret; non enim resurgit, nisi quod cecidit.

****

# DISPUT. V.

## DE MULTIPLICITATE FORMARUM *in eadem Materia.*

INTER formas substantiales aliæ dicuntur *subordinatæ*, illæ scilicet quarum una alteri subservit intra idem compositum, & materiam veluti præparat ad recipiendam alteram: aliæ vocantur *non subordinatæ*, seu *disparatæ*, videlicet quarum unaquæque suum compositum constituit in solidum, quin possint duæ vel plures ad unum constituendum conspirare. Tales sunt formę auri, magnetis, adamantis &c.

### CAP. I.

### *DENTUR NE FORMÆ SUBSTANTIALES subordinatæ?*

1 CIRCA formas subordinatas (ut nunc omittam eorum placitum, qui formas elementorum in mixtis collocant, de quo suo loco) quadruplex est veterum sententia apud P. Suar. *disp.* 13. *Metaph. sect.* 3., & *disp.* 15. *sect.* 10. Prima formas in quovis composito multiplicat juxta numerum prędicatorum essentialium, ita ut equus v. g. ab unâ formâ sit substantia, ab aliâ corpus, ab aliâ vivens, &c.. Verùm ex hac sententiâ, præter alia quę continet absurda, sequitur, etiam in Angelo, Deo, formas substantiales, ac formas accidentalibus, in materiâ ipsâ, imò in quâlibet ex illis formulis substantialibus, inveniri pariter entitates realiter distinctas pro numero prędicatorum superiorum & inferiorum, quę in ipsis considerari possunt; ac proinde nullam esse entitatem realiter simplicem in rerum naturâ.

2 *Dices*: Aristoteles 7. *Metaph. cap.* 10. docet, partibus definitionis respondere partes rei. *Resp.*. Loquitur Aristot. de definitione physicâ, ut cùm homo definitur *Compositum ex corpore & anima rationali*: vel, si de metaphysicâ loquitur, solùm vult, ut definitioni formali respondeant partes rei solâ ratione distinctę. *Dices* iterùm: idem Aristot. 2. *Metaph. cap.* 2. probat, non esse in composito infinitas formas, quia non sunt infinita prędi-

ca-

cata essentialia : sentit ergo, numerum formarum ex numero prædicatorum esse colligendum. *Neg. Consq.* : ex eo enim, quòd prædicata non sint infinita, benè infertur, formas non esse infinitas ; quia utiminimùm quælibet forma deberet afferre novum prædicatum : at non inde colligitur, prædicata non esse plura, quàm formas ; quia ex alijs capitibus multiplicari possunt per rationem. Sic benè probatur, non esse infinitas civitates ex eo, quòd non sint infiniti cives : num inde colliges, tot esse civitates, quot cives?

3 Secunda sententia multiplicat animas in viventibus juxta gradus vitæ, nempe vegetativæ, sensitivæ, rationalis : atque ita in homine ponit tres animas, duas in bellua, unam in arbore. Hæc tamen sententia, quod attinet ad hominem, parùm est consona principijs Fidei, & doctrinæ Catholicæ, ut efficaciter ostendit Exim. Doctor. Et præterea sine fundamento fingit hominem essentialiter constitutum ex quâdam bellua, & ex arbore quâdam : quòd enim in homine dentur operationes valde diversæ, nihil probat ; cum certum sit, ab unicâ radice simplici provenire posse magnam operationum varietatem in eodem supposito ; sicut ab eâdem voluntate proveniant amor & odium, ab eodem Intellectu apprehensio, judicium, & discursus. Sed de hoc latiùs in Animalticâ. Interim vid. P. Suar. *cit. disp.* 15. *sect.* 10.

4 Tertia sententia fuit Avicennæ, statuentis quamdam formam corporeitatis, materiæ coævam, & incorruptibilem, quæ materiam semper comitetur, & cum ipsâ transeat ad varias formas specificas, deserviatque ad tribuendum composito gradum, seu prædicatum genericum corporis. Sed hæc etiam sententia cum præcedentibus antiquata est, & merito quidem. Tum quia ex nullo signo talis forma colligitur, nec ex operationibus, nec ex mutationibus substantialibus, quæ per solius materiæ transitum ab unâ formâ in aliam optimè intelliguntur. Tum quia ratio corporis, si sumatur pro substantiâ extensâ impenetrabili, provenit à quantitate, vel à determinatione ad illam, quę determinatio, vel in solâ materiâ consistit, vel in toto composito ex materiâ & formâ specificâ : si verò accipiatur pro corpore physico prædicamentali, significat substantiam materialem physicè completam, proindeque salvatur in quovis composito ex materiâ & unicâ formâ, saltem materiali, v.g. lapideâ. Tum denùm, quia nulla realis forma possibilis est, quæ sit corporeitas ut sic, sive ratio corporis generica, ad nullam speciem pertinens.

5 Quarta sententia, eaque celebris, est Subtilissimi Doctoris Scoti, quem sequitur tota ejus Schola, docetque, in viventibus præter animam reperiri quamdam formam substantialem, quam *mixtionis*, & *corporeitatis* appellat, & cujus munus sit constituere materiam in esse corporis physici organici, quod est proprium viventium, & quod ita

constituta ordinetur ut ultimò complebile ad animam, per quam constituatur in specie corporis viventis. Hæc forma dat esse substantiale carnis, ossis, nervi, &c.; præcedit que in materiâ embryonis, quamdiù hæc disponitur ad animam, perseverat deinde cum animâ, & manet post mortem in cadavere, donec in vermes, aut cineres resolvatur. Henricus, hujus etiam formæ patronus, eam agnoscit in solis hominibus, alij in solis sensitivis, Scotus cum suis in omnibus viventibus. Plerique docent, formam istam corporeitatis constare partibus heterogeneis, ita ut forma ossis substantialiter differat à formâ carnis, & hæc à formâ nervi, &c.

6. Scotum sequuntur è nostris Authoribus PP. Conink, Tannerus, Dandinus, & alij, quibus accedunt nobiles Recentiores in M.S. Hæc sententia contra se habet Thomistas omnes cum Angelico Doctore 1. *p. q. 76. art.* 4., & sæpe alibi: pleroseque item, aut ferè omnes Authores nostros cum Doct. Eximio *cit. disp.* 15. *sect.* 10. Est tamen sanè dubio valde probabilis, & gravibus rixa fundamentis; quamquàm non adeò solidis, ut solvi non possint fortasse probabiliùs, ut jam ostendo.

### *Argumenta pro Forma corporeitatis proposita, & soluta.*

7. PRo formâ corporeitatis Scoticâ *arg.* 1.: homo constituitur ex corpore organico, tamquam ex parte realiter ab animâ distinctâ: sed corpus organicum nec est materia sola, nec materia cum solâ organizatione accidentali, nec materia cum animâ: ergo est materia cum formâ corporeitatis Scoticâ, quæ sit organizatio substantialis, ideſt, substantia heterogenea, exigens & radicans totam illam supellectilem variorum accidentium, quæ cernimus in carne, ossibus, fibris, venis, nervis, & alijs organis ad vitales functiones aptis. *Prob. Minor* quoad 1. partem. Tum quia lapis materiâ constat, & non constat corpore organico. Tum etiam, quia, cadavere in cineres redacto, manet materia, & non manet corpus organicum. *Prob.* item quoad 2. partem: quia sequeretur, hominem essentialiter constitui ex accidentibus, cum constituatur ex corpore organico. *Prob.* denique quoad 3.: quia materia cum animâ non est pars realiter ab animâ distincta.

8. *Resp.* Nomen *corpus* accipitur 1. mathematicè pro quantitate trinam dimensionem habente, nempe longitudinis, latitudinis, & profunditatis. 2. accipitur physicè pro substantiâ naturaliter inseparabili à quantitate: quæ substantia, si sit completa, dicitur *corpus physicum* simpliciter, eique convenit ratio *corporis prædicamentalis*, quæ scilicet directè collocatur in prædicamento substantiæ: si verò non sit completa, dicitur *corpus* cum addito *incompletum*; quo sensu, licèt tam forma materialis, quàm materia, dici posset *corpus*; sola tamen materia sic appellari consuevit, fortè

è quia sola immediatè radicat quantitatem, ut proprietatem sui. In hac acceptione physicâ omne substantiale compositum est corpus, & constat corpore.

9 3. accipitur pro corpore organico, ideſt, pro corpore physico instructo illâ supellectile accidentium, de quâ num. 7. Quare corpus organicum (ut notant communiter Authores, explicantes Aristot. definitionem animæ, nominatim Pat. Suar. *lib. 1. de Anim. cap. 2.*) potest etiam accipi bifariam: 1. completè, pro toto composito ijs accidentibus affecto, v. g. pro cane, vel arbore: 2. incompletè, pro solâ materiâ organizandâ, importando scilicet materiam in recto, & organizationem in obliquo: atque in hoc 2. sensu accipitur, quoties significatur ut pars physica viventis.

10 His positis, ad *argum. conc. Maj.* absolutè, & *neg. Min.* quoad 2. partem; quin inde sequatur, hominem constitui ex accidentibus. Ut enim corpus organicum verè dicatur constituere hominem, sufficit quòd constituat quoad rectum, maximè si ad hoc requiratur obliquum, tamquam conditio necessaria. Sic verè dicitur absolutè, *Adamas constat materia dura, Ferrum materia densa, Flamma materia levi*, & *quodlibet compositum materia quanta*; quàmvis nec duricies constituat adamantem, nec densitas ferrum, &c.. Sic etiam verè dicitur *Materia disposita respicit formam*, tametsi dispositio non sit receptivum partiale. *Replic.* 1. corpus organicum, ut organicum, est pars hominis. *Dist.*: si reduplicetur organizatio ut subjectum illius prædicati, *pars hominis, neg.*; si reduplicetur solùm ut conditio ex parte subjecti conducens, *conc.* Hoc sensu verè dicimus, *Ignis, ut applicatus, comburit, Materiâ, ut dispositâ, recipit formam.*

11 *Replic.* 2. dum anima ex Aristotele 2. *de Anima* definitur, *Actus primus corporis physici organici*, definitur per ordinem ad proprium subjectum: sed non definitur per ordinem ad solam materiam primam, quia hæc non est subjectum magis proprium animæ, quàm alius formæ; nec item per ordinem ad accidentia, quia hæc non sunt subjectum animæ: ergo per ordinem ad materiam cum formâ corporeitatis. *Dist. Min.*: non definitur per ordinem ad *solam* materiam primam, solitudine excludente accidentia à munere conditionis necessariò requisitæ, *conc.*; solitudine excludente accidentia à munere subjecti, *neg. Min.* & *Consequ.*. Materia prima *sola* (ideſt, sine consortio alterius subjecti partialis) est subjectum animæ, & cujuslibet formæ: sed non habet *sola* quod sufficit, ut dicatur subjectum *proprium* animæ: constituitur enim subjectum *proprium* in actu secundo per unionem actualem; *proprium* autem in actu primo, & exactivè, per accidentia organica; non aliter, ac materia constituitur subjectum *proprium* formæ ignis per calorem in summo. Quare anima nequit definiri per ordinem ad subjectum proprium, quin definiatur per ordinem ad materiam simul

& accidentia, ut in quâlibet aliâ formâ videre est: non enim formæ determinant sibi subjectum substantialiter proprium; alioquin tot essent materiæ species diversę, quot formæ.

12 Illa igitur animæ definitio sic explicanda est *Actus primus corporis physici, exigens illud esse organicum*: ac proinde ly *organici* non denotat substantialem indolem subjecti, sed indicat indolem formæ, non aliter actuantis subjectum, nisi exigendo in ipso organizationem accidentalem, quæ significatur de obliquo ut connotatum, aut terminus exigentiæ formæ, sicut sensatio in hac definitione animalis, *Principium sentiendi*. Eodem sensu forma flammæ posset definiri sic, *Actus primus materiæ levis, calidæ, fluidæ, ac pellucidæ*. Hinc inferes, in viventibus non aliam esse *organizationem radicalem* (hoc nomine intelligo radicem, aut exigentiam organizationis accidentalis) præter animam ut materiæ unitam; quia hæc sola est substantia exigens accidentia organica in materiâ. Unde solum corpus organicum completè sumptum dici posset *radicaliter organicum*; non verò sumptum incompletè; sic enim tota substantia ejus est materia, & hæc ex se non radicat talia accidentia præ alijs; ideoque solùm dici posset *substantia corporis organici*.

13 *Replic.* 3.: *corpus*, dum sumitur pro parte viventis, est nomen substantivum, ut etiam nomen *caro*, quo significatur interdum totum corpus, juxta illud ex Symbolo Athanasij, *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, &c.*: ergo significat in recto sua omnia constitutiva, sicut nomen *homo*: si ergo ex materiâ & organizatione constituitur, utrumque significare debet in recto. *Resp.* Utrumque nomen, licèt grammaticè substantivum, physicè tamen est adjectivum, idest, sonat materiam cum adjectâ organizatione: sicut nomen *artifex*, aut *miles*, aut *pater*, aut *mater*, quantumvis dicatur substantivum, sonat hominem cum adjectâ peritiâ artis, aut professione militiæ, aut cum paternitate, vel maternitate de obliquo. Sic ex adverso *rationale* est grammaticè adjectivum, & tamen metaphysicè substantivum est, prædicaturque totum in recto, cùm homo dicitur animal rationale.

14 *Replic.* 4.: in Eucharistiâ ponitur vi verborum corpus Christi organicum sub specie panis: at non sola ponitur materia prima; quippe quæ sola non meretur nomen corporis humani: nec aliunde ponuntur vi verborum accidentia, nè alioquin mira illa conversio dicenda sit *transaccidentatio*, non minùs quàm *transubstantiatio*: nec item vi verborum ponitur anima, quippe quæ solùm ponitur per concomitantiam, juxta Tridentinum: superest ergo, ut ponatur materia cum formâ corporeitatis. Hæc objectio, cui maximè fidunt Recentiores, variè solvitur à Theologis in tractatu *de Eucharist.*, ut videre licet apud PP. Suar., Vazq., & Cardinal. de Lugo. Nobis tenenda nunc est via, quam præ alijs explicat ac tuetur P. Arria-

ga, tũ *hìc*, tum *disp. 36. de Euchar. sect. 3. subsect. 4.*; quia brevior & expeditior est, &, si non Theologicè probabilior, saltem verè probabilis; quod modò sufficit.

15 *Dico* igitur, in Eucharistiâ vi verborum poni corpus Christi organicum incompletè sumptum, ac proinde materiam primam cum organizatione accidentali, sic tamen, ut materia ponatur primariò, & organizatio secundariò, prout scilicet significantur nomine *corpus*, altera in recto, altera in obliquo. Quantitatem & accidentia organica poni vi verborum, tenet etiam P. Vazquez *tom. 3. in 3. p. d. 187. c. 4.*: nec in re dissentire videtur P. Suar. *tom 3. in 3. p. d. 51. s. 5.*, ubi concedit, accidentia esse *de ratione corporis organici, ut organicum est*, & quod *quantitas consequitur ad actionem verborum ex intrinseca natura & necessitate corporis humani ut sic*: unde accidentia, inquit, *quamvis propriè non dicantur hìc adesse ex vi verborum, dici tamen possunt necessitate quadam consequi ex veritate & proprietate talium verborum.* Quare uterque agnoscit, accidentia esse de ratione corporis humani: sed dissensio in eo stare videtur, quòd juxta Vazq dicitur poni ex vi verborum quidquid est de ratione objecti significati; juxta Suar. verò, (ad mentẽ D. Thom. 3 p. q. 76. ar. 4.), non nisi id, quod significatur principaliter, ac directè, sive in recto. Hoc ultimum vult etiam Lugo *disp. 8. de Euchar. n. 97.*: qui simul *ead. disp. sect. 4.* docet, nomen *corpus* in formâ consecrationis verificari posse per materiam cum solâ organizatione accidentali.

16 Jam verò, quòd mira illa conversio non solùm sit substantiæ in substantiam, sed etiam secundariò ac minùs principaliter substantiæ in accidentia, non reputat absurdum P. Vazquez *loc. cit.*, dicens, Concilium Trident., cùm docuit substantiam panis converti *in substantiam* corporis Christi, expressisse id, quod præcipuum est in termino conversionis, non tamen negasse reliqua, quæ ex parte illius termini requiruntur. Melius tamen negabis cum Lugo & Arriaga *locis cit.*, quòd accidentia sint terminus conversionis, licèt ponantur vi verborum: vel quia, ut ait Lugo, solùm est terminus conversionis id, quod succedit alteri in eodem munere; & sola substantia corporis Christi, non verò ejus organizatio, succedit substantiæ panis in munere substandi speciebus panis: vel quia, ut ait Arriaga, non est terminus conversionis, nisi quod habet repugnantiam cum termino *à quo*; & hanc repugnantiam non habet organizatio, sed sola substantia corporis D.. Hinc in Eucharistiâ non fit conversio panis in accidentia, ac proinde non datur *transsubstantiatio*: quia non est idem accidentia poni vi verborum, & esse terminum conversionis.

17 Hoc tamen non tollit, quòd absolutè verificetur panem converti in corpus Christi: nam ex dictis n. 10., ad id sufficit, corpus quoad substantiam, quæ sola in-

portatur in recto, esse terminum conversionis; accidentia verò esse conditionem, sine quâ non terminaret conversionem substantia corporis, quia non significaretur per verba consecrationis. Notanda sunt verba Tridentini *sess. 13. cap. 4.* declarantis, *conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus.* In termino *à quo* dicit *totius substantiæ*; at in termino *ad quem* solùm dicit *in substantiam*, non *in totam*, nec *in omnia quæ sunt de ratione corporis*, aut *sanguinis*: ne scilicet significaret, corpus, aut sanguinem (si fortè sanguis animatur), completè sumptum, esse terminum conversionis; ne vè sub tali termino comprehenderet etiam accidentia, quæ sunt de ratione corporis.

18 Ad extremum observa, quòd hæc objectio nihil prodest Scotistis: nam apud ipsos (ut videre est in D. Suar. *tom. cit. d. 50. s. 4.*) actio conversiva in Eucharistiâ est actio adductiva, habetque pro termino formali præsentiam corporis Christi, quæ est modus accidentalis. Explicent ergo, quomodò illa conversio non sit *transmodatio*, & *transaccidentatio*, præsertim cum in termino *à quo* pereat etiam præsentia panis.

19 *Arg.* 2. ex Scotistis. Homo est essentialiter corpus, seu habet gradum corporis de Prædicamento substantiæ; quod prædicatum, sive gradus, debet ipsi provenire à formâ substantiali, sicut provenit lapidi, & alijs compositis inanimatis. Sed homini non provenit ab animâ rationali, cum hæc non sit forma corporea, sed spiritualis: ergo provenit à materiali formâ corporeitatis. *Resp.* Hoc argumentum imprimis nihil probat in cæteris viventibus præter hominem, cum eorum animæ sint formæ corporeæ, ac proinde aptæ ad tribuendum esse corporeum sine aliâ formâ corporeitatis. Reponit Masirius, esse corporeum, quod convenit brutis & plantis, non posse ab eorum animâ provenire, quia est organicum, & dissimilare, sive heterogeneum, anima verò bruti, & plantæ, non est heterogènea.

20 Sed *contrà*. Esse corporeum eatenùs dicitur heterogeneum substantialiter, quatenùs est substantia materialis exigens accidentia heterogenea: sed equus per suam animam constituit potest substantia materialis exigens accidentia heterogenea. Patet hoc: quia non est difficilius exigere accidentia heterogenea, quàm exigere partes formæ corporeitatis heterogeneas; & has per se exigit anima equi. *Contrà item.* Anima equi, utpotè materialis, dat verum esse corporeum, ut est certum exemplo formæ lapidis, & aliarum materialium: sed non dat solummodò esse corporeum *ut sic*, indifferens ad vivens, & non vivens, vel ad leonem, & equum, ut etiam est certum: ergo dat esse corporeum, quod est proprium speciei equinæ.

21 Præterea nec in homine vim habet. Nam homo est quidem essentialiter corporeus, sive corpus juxta secundam acceptionem supra da-

datam num. 8. : sed hoc prædicatum habet ab animâ rationali simul cum materiâ ; ipsa que anima dici potest *forma corporeitatis*, ut ait Exim. Doctor *disp.* 15. *Met. sect.* 10. *n.* 27., si hoc nomine tantùm intelligatur forma dans composito esse substantiale corporeum. Nam homo ab eâ formâ habet esse corporeum, à quâ constituitur in esse substantiæ completæ inseparabilis à quantitate, exigentis que determinatam extensionem. At homo ab animâ constituitur substantia completa, & ab animâ sine dubio habet exigere determinatam quantitatem ; neque enim anima potest materiam complere, nisi ab intrinseco supponat, aut inferat in materiâ quantitatem determinatam. Eâdem ratione anima constituit hominem in esse corporis completi, non qualiscumque, sed radicaliter organici, proprijque speciei humanæ : quia constituit illum in esse substantię completæ exigentis certam quantitatem cum accidentibus organicis hominis proprijs. Quis enim dubitet, hominem ratione animæ exigere omnia accidentia, quæ necessaria sunt ad exercendas operationes vitales, & humanas ?

22 Itaque anima rationalis in se, intransitivè, & *ut quod*, spiritualis est, immaterialis, incorporea; quia est independens à materiâ, & à quantitate, potensque sine ijs existere naturaliter : est tamen corporea transitivè, constitutivè, & *ut quo*; quia est id, quo materia, seu homo constituitur substantia completa exigens certam quantitatem, & alia specifica accidentia corporea. *Dices* : non minùs opponuntur corporeum & incorporeum, quàm album & nigrum : ergo, sicut nigrum nequit esse formalis effectus albedinis, aut è converso ; ita corporeum nequit esse formalis effectus formę incorporeę ; vel, si potest, tiam incorporeum poterit esse formalis effectus formę corporeę.

23 *Instò* manifestè : albedo nequit exigere in subjecto proprio nigredinem, nec cum eâ simul existere, & uniri : ergo forma incorporea non poterit exigere in subjecto proprio formam corporeitatis Scoticam, nec cum eâ naturaliter conjungi. Vel sic : albedo nequit informare subjectum nigrum ut nigrum: ergo forma incorporea non poterit informare subjectum corporeum, sive corpus, ut tale. Tum *dist. Antec.* : non minùs opponuntur, quoad verificationem de eodem omninò subjecto, *conc.* ; quoad munera totius & partis, aut causæ & effectus, *neg. Antec.*, & *Conseq.* : nemo quippe negare potest, formam incorpoream destinatam esse, ut sit pars hominis, qui est simpliciter ens corporeum; itemque destinatam esse, ut causet, sive ut inferat, & exigat in subjecto proprio accidentia corporea, vel formam ipsam corporeitatis juxta Scotistas : cum tamen albedo nequeat esse pars nigri, nec radix, aut exigentia nigredinis in subjecto suo.

24 Novum non est, quòd forma tribuat subjecto, vel composito, denominationem, cujus ipsa est incapax, imò cujus oppositam

habet. Sic enim cognitio præcisiva, quæ in se singularis est, & impotens prædicari de multis, constituit objectum universale, & prædicabile de multis: Gratia, quæ non est Dei amica, nec filia, has denominationes tribuit homini, & Angelo: anima rationalis, quæ in se est incapax nutritionis, constituit hominem potentem nutriri. Nec ex hoc infertur, quòd etiam incorporeum poterit esse formalis effectus formæ corporeæ: datur enim aperta repugnantia in terminis: nam incorporeum negat omnẽ corporeitatẽ, cum idem sonet, ac nullo ex capite dependens à quantitate in suo esse: formalis autem effectus formæ corporeæ, cum hanc ipsam in suo esse includat, jam aliquo ex capite corporeitatem habet, ac dependentiam à quantitate. At corporeum stare potest, quin omnis incorporeitatis sit expers: homo enim, juxta omnes, est simpliciter corporeus, sive corpus, quamvis ex animâ incorporeâ constituatur.

25 Si quæras, cur homo non denominetur spiritus ab animâ spirituali? respondeant etiam Scotistæ, apud quos anima spiritualis utique constituit hominem, & quidem ut forma præcipua: cur ergo ab animâ non dicitur homo spiritus, cum dicatur corpus à formâ corporeitatis? Sit ergo velut regula generalis pro refundendis denominationibus partium in totum. Quando attentâ definitione, aut sensu denominationum ipsarum, nihil in eis invenitur, quod naturæ, & indoli compositi repugnet, tunc refunduntur ex parte in totum: non refunduntur autem, quando sensus composito incongruus invenitur. Ex hac regulâ homo v. g. à materiâ & à formâ dicitur substantia, & à neutrâ dicitur substantia partialis, aut actus primus, aut primum subjectum: dicitur genitus ab unione genitâ, & non dicitur creatus ab animâ creatâ: dicitur intellectivus ab animâ intellectivâ, & non dicitur immortalis ab animâ immortali. Jam verò denominatio *spiritus* significat independentiam à materiâ, & à quantitate; quæ certè non congruit homini.

26 Notandum hìc, quòd anima rationalis est *formaliter* corporea *ut quo*, & continet *formaliter* esse corporeum, si *formaliter* nihil aliud significet, quàm *in genere causæ formalis*. Nam anima sine dubio est *formaliter* id, *quo* tamquam *formali causa* constituitur homo in esse hominis: hoc autem esse hominis, cum sit naturaliter inseparabile à quantitate, non est spirituale, sed corporeum. Quia tamen istam cum quantitate connexionem, in quâ stat corporeitas, fundat anima rationalis, non sibi, sed homini, non ita ut anima ipsa quantitate indigeat in essendo, sed ita ut solùm indigeat in causando suum effectum formalem (quâ in re multum differt à formis materialibus, quæ etiam in essendo inseparabiles sunt à quantitate, adeòque sunt corporeæ in essendo): idcircò, quoties anima rationalis dicitur corporea *ut quo*, vel continens for-

formaliter esse corporeum, toties addendum est *cum independentia in essendo* à suo effectu formali, vel à quantitate. Similiter discurrere debent Scotistæ circà esse vegetativum, quod anima rationalis *formaliter* continet, cum tamen in se ipsa vegetare nequeat sicut anima plantæ.

27 Si roges, utrùm anima rationalis dici possit *corporeitas* hominis? Inprimis non est corporeitas illa, quæ ponitur in Arbore prædicamentali, ubi substantia dividitur in corpoream, & incorpoream: quia illa est corporeitas physicè completa, quàmvis significetur per modum abstracti, vel differentiæ metaphysicæ. Deinde nec est corporeitas physica totalis; quia hæc constituitur etiam ex materiâ; imò juxta Scotistas distinguitur à materiâ & formâ simul sumptis. Denique dici potest *corporeitas per modum principij formalis*, sed addendo *cum independentia in essendo* &c., ut nuper admonui.

28 *Arg.* 3.: In materiâ Embryonis (id est, in illâ massâ paterni & materni seminis, aut sanguinis, ex quâ in utero matris organizatur corpusculum animabile) datur forma substantialis, quæ adveniente animâ non expellitur: ergo talis forma conjungitur cum animâ ad constituendum corpus vivens, quod est munus formæ corporeitatis. *Prob. Antec.* 1.: quia forma Embryonis est dispositio ad animam, cum ideò introducatur, ut animæ præparet materiam: ergo non expellitur ab animâ; tum quia nulla forma suas dispositiones excludit; tum quia alioquin forma embryonis disponeret ad sui interitum. Imò, quàmvis expellatur, adhuc hujusmodi forma ostendit, non repugnare formam substantialem, quæ producatur, & existat, non propter se, sed tamquam dispositio ad nobiliorem aliam; quo ex capite impugnari solet forma corporeitatis. 2.: quia adveniente animâ, nulla deficit dispositio ad formam embryonis, cum potiùs ejus dispositiones tunc perficiantur: at nulla substantialis forma expellitur, quando nulla perit ejus dispositio. Adde, quòd formæ substantiales non sunt contrariæ, nisi ratione dispositionum accidentalium: dispositiones autem ad animam, & ad formam embryonis, contrariæ non sunt. 3.: quia sequeretur, formam embryonis ab ijsdem agentibus destrui, à quibus producitur.

29 *Resp. neg. Antec.*, quâ parte dicit, formam embryonis non expelli per adventum animæ. Ad 1. *prob. neg. Antec.*, nisi nomen *dispositio* latè & impropriè sumatur pro formâ, quæ naturæ ordine debet animam præcedere in materiâ; quemadmodùm forma ignis necessariò præcedit formam carbonis, aut cineris, forma vini formam aceti, forma ovi formam pulli, forma alimenti formam viventis in materiâ per nutritionem adquisitâ. Dispositio propriè talis est, quæ ex se intrinsecè ordinatur ad formam, & illius adventum exigit: hoc autem non convenit formæ embryonis,

quæ nec exigit adventum animæ, nec ad illam ordinatur ex se, nec ideò introducitur, ut animæ præparet materiam; sed solùm, ut materiàm complendo suum compositum constituat, deserviatque ad varietatem Universi, sicut alia multa composita, quorum proprias operationes nescimus. Præparatur quidem embryonis materia paulatim ad animam; at non præparatur à formâ embryonis, sed à virtute seminis, & aliis causis cooperantibus ad generationem viventis: quemadmodùm forma vini non præparat materiam ad acetum, sed aliæ causæ extrinsecæ præparationem istam efficiunt.

30 Hinc forma embryonis existit, & producitur propter se, quatenùs producitur, ut dominetur & præsit in suo composito, non ut intra illud alteri formæ subserviat. Hoc tamen non prohibet, formam istam eâ intentione produci ab agentibus, ut transacto aliquo tempore locum cedat alteri formæ. Nam hoc modo nulla est forma sublunaris, quæ non intendatur propter aliam. Cum enim agentia naturalia exigant virtutem suam explicare novis effectibus, ipsaque varietas Universi postulet crebras transmutationes materiæ, nulla forma sublunaris producitur, ut perpetuò duret, sed ut locum cedat alteri post aliquod tempus.

31 Id quod præcipuè patet in formis alimentorum, quæ à naturâ producuntur eo fine, ut viventia nutriri possint. Id ipsum patet in formis seminum ex herbis & plantis decidentium: quorum forma inprimis distinguitur ab animâ vegetativâ, nisi velis, ut hæc anima duret annos integros in horreo sine alimento: deinde ordinatur ad novam animam, sive ad propagationem speciei, ut est evidens: denique non perseverat cum animâ, ut constat ex corruptione seminis cum ingenti variatione accidentium. Sed clarissimè id cernitur in formâ ovi; quæ certè ordinatur ad propagationem avis; & tamen expellitur ab animâ pulli; nec dici potest forma corporeitatis pulli cum ejus animâ perseverans: tum quia alioquin in ovo nondum corrupto jam esset formaliter caro pulli, proindeque non liceret ovum edere in die, quo prohibetur esus carnium: tum quia forma ovi foret unica forma perseverans in cadavere pulli, liceretq; pullum mortuum comedere in die veneris: tum denique, quia ingens accidentium diversitas apparet inter ovum, & carnem, aut ossa pulli.

32 Dicendum ergo, hujusmodi ordinem unius formæ ad aliam, qui significatur particulâ *propter*, non esse intrinsecum, sed extrinsecum, consistentem scilicet in exigentiâ, non ipsius formæ, quæ ordinatur, sed agentium naturalium, quæ successionem formarum postulant. Vel dicatur potiùs, esse *ordinem successionis*, qui non obest subsistantialitati formarum; non verò *ordinem conjunctionis* in eodem composito, qui solus repugnat formæ substantiali.

33 *Ad 2. prob.* Falsò asseri-

tur, quòd, adveniente animâ, nulla pereat dispositio ad formam embryonis: nam saltem perit temperamentum qualitatum, quod ipsa exigit in minore intensione, quàm anima. Quare, sicut anima expellitur à corpore, quando aliquis ex humoribus nimium exuberat, quia perit hoc ipso proportio & temperies humorum, quam ipsa requirit; ita forma embryonis expelli debet, quando temperamentum qualitatum exuperat mensuram ipsi debitam. Perficiuntur quidem pro adventu animæ accidentia, quæ pertinent ad fabricam corporis organicam: verùm hæc accidentia non sunt dispositiones ad formam embryonis, nec ab eâ exiguntur; sed causantur ab agentibus, materiam alterantibus, ac disponentibus ad animam; eo ferè modo, quo accidentia materiam vini paulatim ad acetum præparantia. Hinc etiam falsum est, quòd utriusque formæ dispositiones non sint contrariæ: si enim altera postulet v. g. sex gradus frigoris, & duos tantùm caloris; altera sex caloris, & duos tantùm frigoris, contrarias utique dispositiones expoſcent.

34 *Ad 3.* Admitto sequelam, quę nullatenùs absurda est, quando dispositiones materiæ jam aliter se habent, & perfectiorem formam requirunt. Sic ab eâdem gallinâ & producitur forma ovi, & expellitur posteà, dum pullus excluditur. Sic etiam in opere nutritionis eædem causæ, quę introducunt in materiam alimenti formam chyli, hanc expellunt ut inducant formam sanguinis, & hanc iterùm ut animam introducant.

35 *Arg.* 4.: Os, & caro in homine substantialiter differunt; sed non ratione materiæ, ut patet; nec ratione animæ, quæ est eadem utrobique: ergo ratione formæ corporeitatis heterogeneæ. *Prob. Maj.* ex diversitate accidentium sensibilium, quæ non minor est in carne, & osse, quàm in auro, & argento: at in auro, & argento, & in cæteris compositis, ex diversâ collectione accidentium diversam radicem substantialem esse probamus: ergo pariter in carne, & osse, &c.. *Resp.* Argumentum inprimis non urget in cæteris viventibus prętèr hominem. Cum enim eorum anima sit divisibilis, poterit asseri constare partibus heterogenèis, ita ut pars carnea sit dissimilis osseæ. Quod licèt Mastrius hìc *disp. 2. n. 74.* inconsideratè vocet *figmentum*, & *novum inventum à nemine hucusque somniatum*, in Animasticâ ostendemus quàm sit probabile. Interim ediffera nobis Mastrius, aut siquis est ejus humore tinctus, quid absurditatis inveniat in animâ equi constante partibus heterogeneis, quod non pariter inveniatur in formâ corporeitatis equinâ, quam ipse ponit heterogeneis partibus constantem, & nihilominùs pertinentem ad essentiam unius equi, imò constituentem unum per se pro priori ad animam.

36 Deinde neque urget in homine. Instatur enim manifestè, 1. in diversitate operationum vitalium, quas exercet homo in capite

&

& in pedibus, in oculis & in auribus, &c.. Certè substantialis compositorum diversitas non minùs, imò magis colligitur, & probatur ex diversitate operationum, quàm ex alijs accidentibus. Si ergo valet argumentum, anima capitalis in homine diversa erit ab animâ pedum, anima ocularis ab auriculari, &c.: neque enim diversitas operationum in hisce partibus tribui potest formæ corporeitatis, tamquàm radici, sive principio; alioquin forma ista confunderetur cum animâ, utpotè vera radix operationum vitalium. Quòd autem ipsi tribuatur tamquàm dispositioni, parum refert: tum quia in hoc sensu tribuitur etiam organizationi accidentali: tum quia Adversarij suo argumento probare volunt diversam radicem substantialem; & hęc fortiùs probatur ex operationibus. Instatur 2. in ipsis partibus formæ corporeitatis; quarum collectio exigitur & radicatur ab animâ, & diversa est pro diversitate animarum; ideòque juxta Adversarios forma carnis porcinę v. g. diversa est à formâ carnis asininæ. Stando igitur objectioni factæ, diversa erit in homine anima carnis ab animâ ossis, juxta diversitatem formæ corporeitatis.

37 Præterea *resp. 1. neg. Maj.*. Ad *prob. dist. Min*: quando diversa collectio accidentium cernitur in distinctis suppositis, *conc.*; quando cernitur in partibus eiusdem suppositi, *subdist.*: si aliunde constet, eas partes informari formâ divisibili, *conc.* vel *transeat*; si hoc non constet, *neg. Min.*, & *Consequ.*. Certum enim est, quòd forma indivisibilis, qualis est anima rationalis, possit exigere, & radicare (vel per modum efficientis, vel per modum finis) diversas collectiones accidentium in distinctis partibus propriæ materiæ. Tum quia sic radicat diversas partes formæ corporeitatis, juxta Adversarios; quod magis est difficile. Tum quia, cum exigat exercere operationes videndi, & audiendi v. g., nequit non exigere accidentia, sine quibus nec videre, nec audire potest; qualia sunt omnia, quibus præparantur in distinctis materiæ partibus organa visus, & auditus; parum enim prodest forma corporeitatis, si organis illis desit debita figura, & temperamentum qualitatum. Tum denique, qua anima rationalis, sublatâ heterogeneitate accidentium, vel enormiter læsâ, statim recedit à corpore, quamvis nihil pereat formę corporeitatis. Idem ergo præstare potest sola anima rationalis quoad radicationem variorum accidentium, quod præstaret per plures partes heterogeneas forma divisibilis: unde & dici solet æquivalenter, aut eminenter heterogenea, nempe quoad effectum ejusmodi.

38 *Resp. 2. conc. Maj & Min., neg. Consequ.*: quia os, & caro in homine substantialiter differre possunt ratione unionis ad animam, quæ unio divisibilis est, & juxta sententiam valde probabilem constat partibus heterogeneis. Cum enim rationalis anima sit æquivalenter aut eminenter multiplex, & heterogenea, nec omnem vitæ gradum exercent

ceat in singulis materiæ partibus, sed in quibusdam, v. g. in unguibus, solum se ostendat vegetativam, in alijs sensitivam per tactum, in alijs visivam, in alijs imaginativam, &c.; valde congruum est, ut diversos unionis modos partiales exigat per materiæ partes distributos; sicut exigit diversa accidentia, vel diversas corporeitatis formas partiales. Dabitur ergo in carne & osse diversa radix substantialis: quia, licet unio non sit radix principalis accidentium, dici tamen potest radix minùs præcipua, non activa, sed pure exactiv.; re ipsâ enim est substantia quædam, cui debentur accidentia organica subjecti, adeò ut sine illis naturaliter existere non possit. Hanc sententiam ex D. Thoma probat P. Suar. *lib. 1. de Anim. cap. 2.*: nec est cur ea displiceat Scotistis, ut qui animam uniri dicunt, non solùm cum materiâ, sed etiam cum formâ corporeitatis, quæ diversa est in carne, & in osse: unio ergo animæ cum carne habet extremum specie diversum ab extremo unionis cum osse: ex diversitate autem extremorum nequit non refundi diversitas in uniones ipsas.

39 *Arg.* 5: mortuo homine, aut quovis alio viventi, aliqua forma substantialis materiam cadaveris informat; sed non forma cadaverica, denuò introducta: ergo forma corporeitatis, quæ jam anteà fuerat in homine. *Prob. Min.* 1: quia nullum est indicium novæ formæ, dum homo repentè moritur; manent enim eadem ferè accidentia corporis, quæ viventi inerant. 2.: quia sæpe nulla datur causa novæ formæ productiva, v. g. dum homo subitò jugulatur. Accedit, quòd introductio novæ formæ requirit præviam alterationem successivam, ac proinde nequit in momento fieri. 3.: quia formæ cadavericæ in humanis corporibus, nec possunt esse ejusdem speciei, nec diversæ. Non ejusdem: quia, cum tot sint causæ mortis, & tam variæ, passimque alius ferro intereat, alius laqueo, alius calore, alius frigore, &c.; quis credat, ab omnibus his causis produci formam ejusdem rationis? Non diversæ: quia, quacumque ex causâ homo intereat, eadem ferè accidentia radicari cernimus in cadavere. 4.: quia inordinatum est, quòd mira humani corporis structura debeatur formæ cadavericæ; præsertim cum tot organa sint prorsùs inutilia formæ, quæ nec videt in oculis, nec audit in auribus, nec cogitat in cerebro, &c. Et hic Adversarij formam istam probris infectantur, eamque vocant *fœtidam, horridam*, &c..

40 *Confirm.* ex Theologiâ: quia, si corpus Christi D. in triduo mortis formam cadavericam subijt, sequitur 1., quòd Christi corpus verè fuit corruptum, contra testimonium Sacræ Paginæ, v. g. Act. 2.: *Neque caro ejus vidit corruptionem.* Nec obstat, quòd non putruerit. nam corruptio propriè talis, est transitus ad novam formam substantialem; qui transitus, admissâ formâ cadavericâ, tam verè daretur in Christi corpore, quàm si transisset in vermes. Sequitur 2., quòd forma cadaverica in tali [illegible]

ta fuit à Verbo, nè alioquin sacrum illud cadaver habuerit duplicem subsistentiam, alteram increatam, materiæ unitam, alteram creatam, formæ cadavericæ propriam. At ea forma dici nequit assumpta. Tum quia Verbum, *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, juxta Theologicum axioma; illa autem forma dimissa fuisset in resurrectione Domini. Tum quia Verbum nullam assumpsit naturam irrationalem, quæ non sit pars humanitatis. Sequitur 3. contra SS. Patres, quòd Christi corpus, utpotè novâ formâ constitutum, non fuit idem mortuum, ac vivum, nec idem fuit in sepulchro, quod fuerat in utero Virginis.

41 *Resp* 1. Stando doctrinę Scotistarum, *neg. Maj.* Cur enim, mortuo homine, non poterit materia (quæ utique propriam existentiam habet, juxta Scotistas) permanere sine formâ substantiali, donec paulatim disponatur ad formam vermis, aut aliam? An, quia est subjectum substantialiter incompletum? At, etiam postquam habet formam corporeitatis, est subjectum incompletum substantialiter, ad novam substantialem formam ordinatum, illamque exigens, & expectans: & nihilominùs potest existere naturaliter cum solâ formâ corporeitatis, ut dicitis. An, quia accidentia corporis mortui debent ab aliquâ forma radicari? At sæpe accidentia, quamvis à nullâ formâ radicentur, durant aliquamdiù, donec à contrarijs paulatim expellantur, v. g. calor in ferro, vel in aquâ, postquam ab igne removetur, vel etiam in cadavere macula extrinsecùs impressa viventi: adde illud Horatij, *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diù*: adde & formam ipsam corporeitatis, quæ licèt in gratiam animæ producatur, & ab eâ radicetur, non statim perit abeunte animâ. Non est igitur, unde Scotistæ rejiciant existentiam materię sine formâ.

42 *Resp. 2. neg. Min.* Ad 1. *prob.*: in cadavere adest indicium novæ formæ, quod in alijs compositis communiter censetur sufficere. Nam inprimis adest expulsio formæ substantialis, nempe animæ: lex autem naturæ generalis est, ne unquam accidat corruptio unius sine generatione alterius: quam legem agnovit Aristoteles, nec æquum est in gratiam formæ corporeitatis abrogari. Deinde adsunt peculiaria aliqua accidentia, ab intrinseco radicata, nimirùm pallor, frigus, rigor, sive inflexibilitas, & quædam etiam fœditas, ac deformitas: quæ quidem ab intrinseco radicari, ex eo constat, quòd cadaver, licèt ab extrinseco agente calefiat v. g., posteà sibi relictum, ac remoto contrario, frigus recuperat, vel citò adquirit, si à momento mortis non habuit: quâ experientiâ probari solet, frigus in aquâ ab intrinseco radicari.

43 Jam verò, si vel unum accidens novum adsit per modum proprietatis permanentis, quod ab intrinseco radicari constet, cum anteà non radicaretur; necessariò supponere debet novam radicem, ac proinde novam formam substantialem.

lem. Undè, licèt non sufficiat qualiscumque mutatio accidentium; sufficit tamen mutatio aliqua notabilis, quæ sit permanens, & ab intrinseco inducta. Nec obstat, quòd cadaver & corpus vivum conveniant in pluribus alijs accidentibus: nam etiam acetum cum vino præcedenti convenit in quantitate, figurâ, pondere, colore, humiditate; & tamen, quia nova aliqua accidentia, v. g. saporem, & odorem, radicat permanenter, censetur novam habere formam substantialem. Certè non minor mutatio sensibilis appareret regulariter in cadavere, quàm in aceto.

44 Ad 2. *prob.*: Instrumenta mortis non producunt formam cadaveris, sed causa illius exactiva, vel etiam instrumentaliter productiva, est temperamentum corporis organici destitutum debitâ proportione ad retinendam animam; causa verò principalis est Causa prima, cui incumbit materiam dispositam complere, quando deest causa secunda proportionata. Recursus autem ad Causam primam pro influxu principali frequens est in simili, ut cùm animalia generantur ex putri, &, juxta plures, cùm humanum corpus organizatur, & unitur animæ. Quod additur de alteratione successivâ, probat, animal non posse subitò mori; quia corruptio prærequirit etiam alterationem. Adde, quòd pulvis tormentarius ignem in momento concipit; & flamma candelæ exsufflatione subitâ extinguitur, succedente formâ vaporis, aut favillæ. Prævia igitur alteratio, licèt fiat in momento morali, nunquam fit in momento physico, seu physicè indivisibili; quia semper intervenit aliqua successio temporis, tametsi sensibus non percepta: quemadmodùm nunquam percipimus materiæ punctum adeò exiguum, ut non sit physicè divisibile.

45 Ad 3. *prob.*; idem dicimus de formâ cadavericâ, quod Adversarij de formâ corporeitatis: nimirùm, constare partibus heterogeneis in unoquoque corpore, juxta diversitatem carnis, ossis, nervi, &c.; ac de cætero semper ejusdem rationis esse in cadaveribus animalium ejusdem speciei. Nec obstat varietas causarum mortis: quia hæ non producunt formam cadaveris, sed tantùm sunt causæ occasionales, seu removentes prohibens; removent enim debitam dispositionem ad animam, quâ remotâ, nihil prohibet introductionem formæ cadaveris, à propriâ ipsius causâ peragendam. Sic forma carbonis, cineris, aut favillæ, ejusdem speciei est, sive ignis extinguatur aquâ, aut vino, aut lacte, aut terrâ, aut alio quovis.

46 Ubi notandum, quòd ultima dispositio ad formam cadaveris consistit præcisè in accidentibus corporis organici prout destitutis debitâ proportione ad retinendam animam, ita ut destitutio ista sit conditio ultimò determinans ea accidentia ad exigendum efficaciter formam cadavericam; quemadmodùm remotio corporis opaci est conditio determinans luminosum ad ulterius spatium illustrandum. Sunt enim aliquæ formæ à naturâ

institutæ, ut alijs determinati generis succedant, ut formæ carbonis, cineris, aceti, & cadaveris: & hę non aliam ultimam dispositionem requirunt, quàm defectum debiti temperamenti, aut proportionis, ad formas præcedentes; quare, undecumque pereat ista proportio, statim introducuntur. Hinc, etiam dum homo nimio calore moritur, forma cadaveris inducitur: quia, licèt frigus sit proprietas à cadavere exacta, ideòque posteà radicetur; non tamen necessariò prærequiritur ut ultima dispositio prævia. Sic acetum, licèt suapte naturâ frigidum, sæpe ex vino per calorem corrupto generatur.

47 Ad 4. *prob.*: evidens instantia est in formâ corporeitatis, quæ certè non videt in oculis, nec audit in auribus, &c.: & tamen, etiam post mortem, radicat structuram corporis humani, juxta Adversarios, non certè in ordine ad animam, quæ jam naturaliter redire non potest. Itaque fatendum est omnibus, quòd organizatio corporis humani (saltem quoad accidentia carnis, & ossium, & alia, quæ non constituunt in figurâ, seu certâ positione partium), quàmvis principaliter elaboretur propter animam, cique soli debeatur in statu perfecto, ac primario, in quo est proximè habilis ad functiones vitæ; nihilominus deberi potest formæ non vitali pro statu imperfecto, & secundario, in quo jam amisit debitam proportionem ad animam sine spe naturali recuperandi: jam enim organizatio humana, prout sic accepta, non amplius ordinatur ad operationes vitales, nec animę subservire potest. Quod attinet ad probra, cum nihil aliud sit forma cadaverica, quàm forma substantialis existens in cadavere, ipsi quoque formæ corporeitatis patroni tenentur eam appellare *formam cadavericam*, ac proinde *fœtidam*, & *horridam*: imò, quia vetustior, consequenter carniosior erit, aut putridior.

48 Ad *Confirm.*. Inprimis negari potest forma cadaveris in triduo mortis Domini: tum ex dictis ad hominem num. 41.: tum etiam, quia, licèt opus fuerit miraculo, ut materia tunc extiterit sine formâ, erit unum ex millibus, quæ in vitâ & morte Christi Domini patrata sunt. Deinde communiter admittitur in eo triduo forma cadaveris. Nec inde sequitur, Christi corpus fuisse corruptum corruptione putrefactionis, quam solam negat Scriptura sacra, ut passim admonent Interpretes, tum ad *Psalmum* 15., tum ad *Act. cap.* 2. & 13.. Corruptio autem philosophica consistit formaliter, non in adquisitione novæ formę, sed in separatione formę præhabitæ, seu in desitione compositi præexistentis: ideòque verissimè corrumperetur lapis, si periret forma lapidea, quàmvis in ejus materiâ nulla alia forma succederet: & è converso, quàmvis nova forma subintraret, si non expelleretur præhabita, lapis maneret incorruptus. Cum ergo juxta Fidem verè mortuum fuerit Christi corpus, verèque ab eo separata fuerit anima rationalis, dubitari non potest, quin in eo ac-

accideret corruptio philosophica, quidquid sit de formâ cadavericâ.

49 Ad 2. sequelam, tam assumptio, quàm non assumptio formæ cadaveris, defendi potest probabiliter; quâ de re videri potest Exim. Doctor *tom. 2. in 3. p. disp 38 sect. 3.* Communiùs tamen asseritur assumptio, & in resurrectione dimissio. Illud verò, *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, intelligitur de partibus humanitatis, vel de ijs, quæ Verbum assumpsit ex primariâ intentione, non verò de ijs, quæ assumpsit velut secundariò, & crauscentes, ad servandum ordinem rebus consentaneum tempore mortis. Quod etiam dictum esto de non assumptione naturæ irrationalis. Ad 3. sequel.: quàmvis Christi corpus, completè sumptum, non fuerit in sepulchro idem quoad formam, fuit tamen idem, sumptum (prout sumitur à Patribus) pro parte physicâ hominis; sic enim solùm importat materiam & organizationem ex dictis n. 9., & utraque mansit eadem.

50 *Arg. 6.*: non repugnat forma substantialis alteri subordinata: ergo de facto admittenda est in viventibus ad constituendum corpus organicum, cum tot illi faveant argumenta. *Prob. Antec.* 1.: quia subsistentia, cum in positivo consistat juxta communem sententiam, est quædam forma substantialis, superveniens naturæ essentialiter constitutæ, & cum eâ constituens unum per se: ergo quælibet forma substantialis constitutiva naturæ, reipsâ subordinatur subsistentiæ tanquam ultimæ formæ substantiali. 2.: quia in lineâ metaphysicâ dantur formæ subordinatæ, nempe differentiæ subalternæ, quæ respectu differentiæ ultimæ se habent instar materiæ, licèt sint formæ respectu generis superioris: v. g. in homine differentiæ *corporei, animati, sensibilis*, quæ ultimò complentur per differentiam *rationalis*: ergo pariter in lineâ physicâ discurrere licebit. 3. paritate formarum accidentalium, quarum aliæ comparantur ad alias ut subjecta perfectibilia: quo modo se habent quantitas respectu qualitatum, & potentiæ animæ respectu actuum vitalium.

51 *Resp. neg. Antec.* quia de conceptu formæ substantialis est ratio *actûs primi*, & *primæ radicis*, quæ ratio immediatè tollitur per subordinationem, non minùs quàm rationalitas hominis per animalitatem. Ad 1. *prob.*. Subsistentia, si in positivo statuatur (quod negant Scotistæ) non est substantia absoluta, sed modalis; atque adeò non est propriè ac simpliciter forma, sed appendix, & modificatio formæ. Adde, quòd subsistentiæ non tribuitur munus radicis, quod est proprium formæ. Quare, sicut nemo dicit, in omni composito dari duplicem formam substantialem, quàmvis præter formam absolutam detur unio, quæ est modus substantialis, & quodammodo informat utrumque extremum: ita in subsistentiâ philosophandum. Si qui tamen sunt, qui velint subsistentiam esse formam absolutam, viderint ipsi, quid respondeant. Certè non hæc est sententia communis.

52 Ad 2. *prob.*. Si valet

exemplum lineæ metaphysicæ, nullum erit compositum, quod non constet pluribus formis subordinatis; sicut nullum est, cui non conveniant plures differentiæ subalternæ. Omnis item forma subordinata, erit indifferens ad varias species ultimæ formæ; sicut omnis differentia subalterna indifferens est ad varias ultimas differentias. Disparitas igitur in eo est, quòd forma metaphysica definitur per munus contrahendi rationem aliquam superiorem; & hoc munus præscindit ab eo, quòd contractio sit ultima, vel non ultima. At forma physica definitur per conceptum *primæ radicis*, vel *actus primi*, vel *præcipuæ differentiæ physicæ*; qui conceptus non cohæret cum subordinatione prætensâ. *Ad* 3. eadem est disparitas; nullo enim ex capite pugnat subordinatio cum conceptu formæ accidentalis.

53 Ad extremum advertere oportet, quòd nomine *carnis* sæpe intelligitur totum corpus organicum, non utcumque, sed completum, ideſt, totum vivens, vel totus homo, vel totum cadaver. Dum autem sic accipitur, sive *caro*, sive *corpus*, æquivocè dicitur de vivo & mortuo, juxta Aristotelem cap. seq. cirandum; quia scilicet in morte mutat speciem substantialem. Hoc etiam sensu datur in tali corpore, non solùm accidentalis, sed etiam substantialis organizatio, id est, heterogeneitas substantialis, cui debentur accidentia organica: datur, inquam, vel ratione diversarum partium formæ divisibilis, vel saltem ratione unionis ex num. 38. Quòdsi velis, ut nec forma, nec unio, sit formaliter heterogenea, tunc non est concedenda in corpore completo organizatio substantialis, nisi cum addito *radicaliter*, aut *virtualiter*, quatenùs anima radicat in accidentibus (sicut in formâ corporeitatis juxta Adversarios) heterogeneitatem, licèt illam formaliter non habeat in substantiâ suâ. Si tamen *caro*, vel *corpus organicum*, sumatur incompletè pro parte physicâ compositi, sic univocè dicitur de corpore vivo & mortuo, quamdiù manet eadem materia cum eâdem organizatione accidentali: nec in hoc sensu admittenda in eo est substantialis organizatio, vel heterogeneitas radicalis, ut notavimus n. 121.

54 *Dices*: ergo caro agni recèns occisi non erit substantialiter caro agni: ergo, cum aliunde non sit alterius animalis, licebit eam edere die veneris, sicut piscem, aut pomum. *Prob.* 1. *Consequ.*: quia nec forma cadaverica est aliquid agninæ substantiæ, nec materia ex se substantialiter determinata est, ut sit agni potiùs, quàm pomi. *Dist.* 1. *consequ.*: substantialiter, id est, cum determinatione substantiali, *conc.*; substantialiter, id est, quoad substantiam, ijsdem accidentibus affectam, *neg.* 1. & 2. *consequ.*: eadem quippe manet, & sub ijsdem accidentibus, materia prima, quæ erat tota substantia carnis agninæ, prout condistinctæ ab animâ. Nec præceptum abstinentiæ præscindit ab accidentibus, sed ea sine dubio respicit, cum ab eis proveniat sapor, & fa-

facilitas nutritionis. Unde, si in cadavere agni loco formæ corporeitatis poneretur forma piscis sub ijsdem carnis accidentibus, adhuc conseretur & esset caro prohibita. Adde, quòd nomine *agninæ carnis* prohibitę non significatur substantia quæ tota fuerit agni, sed substantia, quę immediatè succedit animæ agni sustinendo eadem accidentia. Unde comprehenditur etiam formâ cadaveris, quæ in hoc sensu est substantialiter caro agni.

## CAP. II.

### *ARGUMENTA CONTRA Formam corporeitatis.*

1 ARG. 1.: forma corporeitatis nullo ex capite necessaria est: ergo rejicienda; quia *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, ut omnibus in confesso est. *Antecedens* probatum manet cap. super.: & nunc, breviter colligendo quæ sparsa dedimus, *probatur* iterùm. Inprimis forma corporeitatis non est necessaria, ut constituat hominem in esse corporis de Prædicamento substantiæ. *Prob.*: ad hoc sufficit anima rationalis. Tum quia corpus prędicamentale nihil est aliud, quàm substantia completa naturaliter connexa cum quãtitate: at anima rationalis, & hominem constituit substantiam completam, & illum reddit ita connexum cum quantitate, ut sine istâ nequeat homo naturaliter existere, nec constitui per animam.

2 Tum quia anima constituit hominem in esse substantię, in esse viventis, in esse animalis, in esse hominis: ergo & in esse corporis. Patet *Conseq.*: quia, cum gradus corporis collocetur inter gradum substantiæ, & gradum viventis, mirum esset, quòd forma physica, dum tribuit composito grădus prædicamentales, veluti saltu quodam transiret à gradu substantię ad gradum viventis, quin attingeret gradum intermedium. Nec solùm mirum esset, sed contra rationem: quia gradus substantię nequit descendere ad gradum viventis, nisi medio gradu corporis; sicut gradus viventis ad gradum hominis descendere non potest, nisi medio gradu animalis: aliàs quem fructum ferret Arbor prædicamentalis, ab omnibus plantata? vel quomodò non dabitur distinctio realis inter gradus metaphycos, si gradus viventis & substantiæ constituuntur per aliquid, per quod non constituitur realiter gradus corporis? Implicat ergo forma physica, tribuens composito gradus prædicamentales, supremum, & infimum, quin tribuat omnes intermedios.

3 Deinde nec est necessaria forma corporeitatis ad constituendum in viventibus corpus organicum. Quia corpus hujusmodi, si consideretur ut substantialiter aut radicaliter organizatum, nihil est aliud, quàm materia cum formâ radicante accidentia heterogenea, ad vitæ functiones necessaria: at accidentia ista radicat anima prout unita materiæ: ergo non opus est aliâ formâ corporeitatis. *Prob. Min.*: omnis forma substantialis radicat & exigit

in

in materiâ dispositiones & accidentia, quibus indiget ad operandum: sed anima indiget accidentibus illis heterogeneis ad operationes vegetandi, & sentiendi: illa igitur omnia radicat, & exigit in materiâ. Minor cum Consequentiâ constat, & Major est etiam perspicua: nam, cum omnis forma exigat operari, nequit non exigere instrumenta, sine quibus operari non potest. Profectò, si forma ignis per se immediatè radicat propria accidentia caloris, & siccitatis, cur non radicet anima accidentia organica, quibus non minùs indiget ad operandum, & existendum connaturaliter in subjecto?

4 Si dicas, animam hominis, quia spiritualis est, non posse immediatè radicare accidentia materialia. *Contrà* 1.: quia forma corporeitatis omninò materialis est; & tamen per te immediatè exigitur, & radicatur ab animâ spirituali. *Contrà* 2.: quia, si ab animâ spirituali immediatè oriri possunt operationes materiales sentiendi, cur non & immediatè radicari accidentia materialia? *Contrà* 3.: quia vitalis calor, quamvis omninò materialis, immediatè radicatur ab animâ citrà dubium: si enim à formâ corporeitatis radicaretur, permaneret diutiùs in cadavere, sicut permanent accidentia carnis, & ossis.

5 *Dices*: cur ergo anima cæci non recuperat visum, sicut aqua recuperat amissum frigus? Quæro invicem, cur anima cæci non recuperat formam corporeitatis oculi sani, cujus est radix? Cur item: forma ipsa corporeitatis, quæ integra manet in oculis obcæcatis nubeculâ, vel obstructione nervi optici, non tunc restituit temperaturam debitam, cujus per te radix est immediata? Omnibus ergo revocandum id est, vel in tenacitatem humoris contrarij, vel in subtilitatem organizationis ocularis, quæ, semel amissa, nequit reparari naturaliter.

6 *Dices* iterùm: ergo anima rationalis radicat gravitatem humani corporis. *Resp.*: radicat, non sibi, sed corpori, seu toti composito; sicut eidem radicat, aut exigit quantitatem. Quid tum? sequitur, inquis, animam sæpe causare mortem hominis; quia causabit, mediatè saltem, motum deorsùm, quo sæpe resultat mors hominis ex alto ruentis. Sed quæro abs te, quo modò gravitatem radicat forma corporeitatis, cui non minùs, quàm animæ, repugnat causare mortem hominis? Causalitas ergo illius motus & mortis, non solùm est valde remota, sed etiam per accidens, & præter intentionem: non enim eo fine radicat anima gravitatem, sed eam potiùs retrahere conatur à tali motu, quem invita patitur, dum impedire nequit posito lapsu.

7 Ex his facilè colliges, nec esse necessarium formam corporeitatis, animæ subordinatam, ad constituendum corpus organicum embryonis, & cadaveris. Nam forma illa erit otiosa toto vitæ tempore, siquidem sola anima tunc sufficit ad munus radicandi accidentia organica: ergo superfluè ponitur simul cum animâ: ergo, si præcedit

in

in embryone, per animam expellitur; &, si existit in cadavere, tempore mortis introducitur: quod si ita contingit, non jam erit illa forma subordinata, quâ de loquimur. Adde, quòd inter embryonem, & cadaver, major est diversitas accidentium sensibilium, quàm inter carnem, & nervos: si ergo propterea non est eadem forma carnis, & nervi, ut vultis, cur eadem erit embryonis, & cadaveris? Huc etiam facit, quod suprà notavimus, non minorem cerni mutationem accidentium, dum corpus vivum transit in cadaver, quàm dum vinum transit in acetum: cur ergo non utrobique dabitur introductio novæ formæ?

8 Denique, nec est necessaria forma corporeitatis, ut detur in homine substantialis diversitas inter carnem, & ossa. Nam hæc diversitas magis inferenda esset ex diversitate operationum, quàm ex diversitate aliorum accidentium: si ergo diversitas, quam cernimus inter operationes capitis & pedum, vel oculorum & aurium, non probat in homine substantiam diversam formaliter, sed tantùm æquivalenter, aut virtualiter, unam scilicet formam, quę virtute æquivalet multis diversis; cur non idem dicatur de diversitate carnis, & ossium, in homine existentium? Si quæras, undenam proveniat, quòd accidentia carnis determinate applicentur materiæ parti A, & accidentia ossis parti B, non è converso? Dicam, indidem provenire, unde per te provenit determinata distributio formarum corporeitatis, carneæ, & osseæ; nempe, vel à causâ primâ, vel à virtute seminali, vel ab alio quovis.

9 *Arg.* 2.: omnis forma substantialis est actus primus materiæ, non quidem primus in executione, nam hoc potiùs quantitati convenit, sed primus in nobilitate, & intentione, quatenùs est actus præcipuus, & primarius, cujus gratiâ existunt in composito cæteri omnes: at hoc non convenit formæ corporeitatis, quæ in composito existit in gratiam alterius, & tamquàm dispositio ad nobiliorem aliam: ergo talis forma non est substantialis. *Major* (nam cætera constant) probatur ex omnium sensu Peripateticorum; qui discrimen inter actus substantiales, & accidentales, in eo collocant, quòd actus substantialis sit primarius, & propter se intentus; accidentalis verò, sit secundarius, & intentus propter alium. Quod discrimen ipsimet Scotistæ approbant cum Scoto, ut videre est apud Mastrium *disp. 2. Physic. num.* 24., qui post alia concludit in hæc verba: *Unde ratio præcisa, cur forma substantialis est substantia, unum per se constituit cum materia, & differt ab accidentali, est, quia ipsa est actus primarius materiæ, accidens verò secundarius.*

10 *Urgetur* 1.: forma substantialis est prima radix proprietatum, & operationum compositi; nam inde probant omnes formam substantialem Peripateticam, quòd in compositis assignari debet aliqua prima, & specifica radix accidentium: sed forma, quæ existit pro-

ter aliam, in quâ radicatur, non est prima radix in compositò, ut ex terminis patet; sicut non est subjectum primum, quod in alio subjecto recipitur: ergo &c.. *Urgetur* 2.: de conceptu formæ substantialis est, quòd sit præcipua compositi differentia physica, seu character specificus, quo discernatur unumquodque compositum ab alijs specie diversis: & hoc sensu dicitur ab Aristotele *Ratio essentiæ*, seu *quidditatis*, ut omnes explicant, & approbant. At hoc minimè quadrat in formam corporeitatis: nam in homine v.g., non forma illa, sed anima rationalis, est præcipua differentia physica, character specificus, & ratio quidditatis.

11 *Urgetur* 3.: ejusmodi forma nullo ex capite discernitur ab accidentali: ergo non est substantialis. *Prob. Antec.*: non discernitur inprimis eo quòd sit actus materiæ physicus, & in executione primus; nam hoc æquè, vel magis convenit dispositionibus accidentalibus ad animam. Non deinde ex eo, quòd sit radix plurium accidentium; nam etiam quatuor primæ qualitates, in Mixtis temperatæ, radicant plures qualitates secundas. Non denique ex eo, quòd constituat unum per se cum materiâ; nam hoc ipsum quærimus, cur constituit unum per se, & non unum per accidens? siquidem non est actus primarius, & aliunde, teste Mastrio, *ratio præcisa, cur forma substantialis unum per se constituit cum materia, est, quia ipsa est actus primarius.*

12 *Urgetur ultimò*: si forma corporeitatis est substantialis, anima erit forma accidentalis. *Prob.*: anima advenit materiæ prout jam informatę per actum physicum substantialem: ergo adveniet materiæ completæ, sive enti in actu simpliciter, utpotè jam constituto in specie physicâ substantiali. At forma advenies enti completo, sive enti in actu simpliciter de lineâ physicâ, est accidentalis, ut passim Peripatetici docent ad mentem Aristotelis, perpetuò dicentis, unum per se non fieri, nisi cùm forma advenit enti in potentiâ.

13 Dicit Mastrius *hic disp. 2. n. 79.*, materiam cum solâ formâ corporeitatis (quo modo est in cadavere) solùm esse ens in actu incompleto, sive esse duntaxat *individuum incompletum in specie incompleta mixti.* Sed inprimis hoc est ponere contrà communem sensum formam substantialem, quæ non sit complementum substantiale materiæ. Deinde, quis credat, lignum (quod est cadaver arboris, postquam animam vegetativam penitùs amisit) esse individuum minùs completum, quàm papyrum? Vel quomodò poterit ens in actu incompleto, sive individuum incompletum specici incompletæ, in hoc statu durare naturaliter per integra sæcula, sicuti durant ligna cedrina?

14 *Arg. 3.*: forma corporeitatis est contra doctrinam Aristotelis: ergo rejici debet à Scotistis, qui se Peripateticos esse fatentur. *Prob. Antec.* 1.: quia Aristoteles docet, numquam dari generationem sine corruptione, nec è con-

ver-

versò corruptionem sine generatione: id quod sæpe inculcat 1. *de Gener.* v. g. *tex.* 17., 18., 20., ubi sic loquitur: *In substantijs semper unius generatio, alterius est corruptio; & unius corruptio, generatio alterius.* At, admissâ formâ corporeitatis, in morte viventium passim datur corruptio sine generatione; & in eorumdem conceptu generatio sine corruptione formæ præcedentis. Nec dicas, Aristoteli sermonem esse de generatione, & corruptione integrâ, non de dimidiatâ, qualis accidit in conceptu; & morte viventium. Nam hæc distinctio integræ, & dimidiatæ corruptionis, aut generationis, contra Aristotelem est, qui nusquam illius meminit, cum tamen esset notatu dignissima, & scientiæ Physicæ plurimum interesset.

15 2. quia idem Philosophus in hoc 1. *Physic.* duo tantùm principia, seu duas tantùm partes generatim statuit pro corpore in facto esse. At, si daretur forma corporeitatis, debuisset excipere corpora viventia; quam tamen exceptionem nullibi facit. 3. quia idem ipse 2. *de Gener. Animal. cap.* 1., *Non est*, inquit, *facies, nisi animam habeat, neque caro; sed corrupta æquivocè dicitur facies, aut caro, perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit.* At, positâ formâ corporeitatis, humana caro v. g., prout formam substantialem importans, ejusdem est speciei infimæ substantialis, & prorsùs univocæ, sive animam habeat, sive non.

16 4., ut alia omittam, *eod.* 7. *Metaph. text.* 39. explicans Philosophus quidditatem physicam animalis, *Manifestum*, inquit, *est, quòd anima quidem substantia prima, corpus verò materia; homo verò, vel animal, quod ex ambobus.* Ea, ut nomine *corporis*, prout ab animâ condistincti, solam intelligit materiam. Nec dicas, *materiæ* nomine non hic significari materiam primam, sed secundam, constitutam scilicet per aliam formam, quæ ad animam comparatur ut materia. Nam Aristot. *eod. lib.* 7. *text.* 35. nullam substantialem formam, præter animam, agnoscit in corpore organico: *Anima*, inquit, *est species, & quodquid erat esse tali corpori.*

## CAP. III.

### *QUÆDAM ALIA SENTENTIA circa Formas subordinatas expenditur.*

1 PAt. Joannes Ulloa *disp.* 1. *Physic. Speculat. à n.* 149. *ad* 161. agnoscit in plerisque mixtis, vel in omnibus, quæ nobis nota sunt, sed præcipuè in viventibus, plures formas substantiales uni principali subordinatas: non ita, ut gerant munus subjecti respectu principalis; sed ita, ut sint veluti conditio, & præparatio prævia, ut forma principalis eamdem materiam connaturaliter informet, & in eâ operetur: nec rursùs ita, ut formæ subordinatæ constituant essentialiter illud compositum, quod à principali constituitur; sed ita, ut sint tantùm partes

integrales illius. Ex. gr. Homo, præter animam rationalem, quæ eſt ejus forma principalis, & ſpecifica, includit formas ſubſtantiales carnis, oſsis, nervi, &c.: quæ formæ licèt pertineant ad integritatem hominis, non illum conſtituunt eſſentialiter; quia eſſentia hominis ſalvatur in ſolis materiâ & animâ unitis: nec item ſunt animæ ſubjectum; ſed tantùm prærequiruntur in materiâ, ut hæc poſsit connaturaliter ab animâ informari.

2. Hanc ſententiam, quod attinet ad viventia, probat iiſdem ferè argumentis, quæ ſuprà expendimus pro formâ corporeitatis Scoticâ; ſolùmque differt à Scotiſtis in eo, quòd non vult, formam carnis, oſsis, &c., eſſe ſubjectum animæ, nec partem eſſentialem viventis, ſed integralem dumtaxat. Generaliter autem, pro compoſitis etiam inanimatis, probat ex analyſi, ſeu reſolutione mixtorum, quæ per alembicum, & alia chymicæ artis inſtrumenta fieri ſolet. Videmus enim, ex ligno v. g. chymicè reſoluto paſſim erui fumum, ſalem, oleum, liquorem aqueum, cinerem, & alia: quorum omnium formæ ſubſtantiales non tunc denuò producuntur; quia nec ignis ullâ ratione probatur earum productivus, nec in promptu eſt alia cauſa idonea: recurſus autem ad Cauſam primam ſolùm habet locum, dum præcedit materia diſpoſita: at quænam cauſa erit materiam tunc diſponens ad tot, ac tam diverſas formas?

3. Illæ igitur formæ præexiſtebant in ligno ſimul cum ejus formâ principali, nempè lignea, quæ prærequirebat ex parte ſubjecti omnia illa entia naturalia, quodam ſucco viſcoſo in unam maſſam conglutinata: & quia maſſa iſtiuſmodi per actionem ignis diſſoluta eſt, idcircò perijt forma ligni, manentibus ſeorsùm illis corporibus cum ſuis dumtaxat formis. Non aliter, ac materia domi, cui ſuperinducitur forma artificialis, eſt congeries multorum entium naturalium, puta terram, lateres, lapides, ligna, clavos, &c.; dum que congeries iſta diſſolvitur, perit artificialis forma domus, iis omnibus entibus in eſſe cujuſque proprio permanentibus.

4. Contra hanc ſententiam ſibi *objicit* 1., quòd forma animalis ſufficit ad actuandam materiam & conſtituendum compoſitum ſubſtantiale: ergo cæteræ formæ ſuperfluunt. 2., quòd, ſi anima ſupponit alias formas ſubſtantiales, ſupponit materiam jam actuatam, & completam: ergo anima erit forma accidentalis, cum adveniat enti in actu. 3., quòd anima non erit actus primus, nec prima radix proprietatum animalis, cum ſupponat alium actum primum, aliam que radicem, quæ non ſolùm radicat accidentia carnis v. g., ſed etiam ipſam animam, ſiquidem ad animam præſupponitur, & cum ipsâ connectitur. 4., quòd illæ formæ ſubordinatæ forent diſpoſitiones ad animam, & propter animam intentæ: ergo non forent ſubſtantiales; quia de conceptu ſubſtantiæ eſt intendi propter ſe, & non propter aliud. 5., quòd forma carnis v. g. reliquæ-

queret materiam ulteriùs actuandam substantialiter : ergo non foret complementum substantiale materiæ. 6., quòd nullum totum adæquatum, ordinatur suapte naturâ ad componendum aliud totum cum aliâ formâ superadditâ ; est enim hoc ex terminis contra rationem *inadæquati*, & *pleni* ; at totum resultans ex materiâ & formâ carnis, est adæquatum, & completum substantialiter, cum possit, juxta hanc sententiam, existere sine formâ animalis : ergo &c.

5 Respondet autem *ad 1. dist. Antec.* : sufficit ad actuandum materiam actuatione viventis sensibilis, & ad constituendum compositum, quod sit vivens sensibile, *conc.* ; sufficit ad actuandum actuatione carnis, ossis, &c., *neg. Antec.*, & *Consequ.* : nam, cum actuactio carnis, & ossis, eadem maneat abeunte animâ, sequitur, quòd non provenit ab animâ præsente, ac proinde quòd ad illam non sufficit anima. *Ad 2.* similiter *dist. Antec.* : supponit materiam jam actuatam, & completam, actuatione & completione carnis, ossis, &c., *conc.* ; actuatione & completione viventis, *neg. Antec.*, & *Consequ.*. Ratio verò adjuncta, quòd forma adveniens enti in actu, est accidentalis, solùm vera est, quando forma supervenit ad constituendum compositum, in quo includatur illud ens in actu per modum subjecti ; secùs autem, quando supervenit ad constituendum compositum diversæ rationis, respectu cujus illud ens in actu, quatenùs tale, ideſt, secundùm formam, non est subjectum, sed pars integralis.

6 *Ad 3. neg. Sequel.* : quia, licèt ex carne & animâ resultet unum compositum unitate integrali ; sunt tamen ibi duo composita essentialiter sumpta, alterum *caro*, alterum *vivens*, aut *animal*, quæ solùm inadæquatè identificantur, nempe quoad materiam : & in unoquoque composito sic sumpto, non est nisi unica forma substantialis, quæ proinde ibi sola regnat tamquam actus primus, & prima radix proprietatum, & operationum illius essentiæ compositæ. Sic, si Deus conjungeret in eâdem materiâ duas formas disparatas, v. g. lapidis, & auri, duo composita inadæquatè distincta resultarent, & in unoquoque sua ipsius forma foret actus primus, & prima radix. Hoc solùm est discrimen, quòd in casu nostro forma carnis esset pars integralis compositi ex animâ constituti : verùm id non tollit distinctionem essentialem utriusque compositi. Nec forma carnis dici potest radix animæ : quia non connectitur cum animâ titulo fœcunditatis, sed titulo cujusdam indigentiæ, quemadmodum accidentalis dispositio materiæ : & præterea manet extra essentiam compositi ex animâ resultantis.

7 *Ad 4.* : illæ formæ non forent dispositiones purè tales, sed simul intentæ propter se intrà compositum, quod essentialiter constituunt, & quod vocatur *caro*, vel *os*, &c. ; non enim intra illius essentiam datur aliquid, propter quod intendantur. Quòd autem ejusmodi

compoſitum rurſus ordinetur ad integritatem alterius, non eſt abſurdum, aut contra conceptum ſubſtantiæ, ut cernitur in pede, vel caudâ lacertæ v. g. *Ad 5. diſt. Antec.*: ulteriùs actuandam in ordine ad hoc compoſitum *animal*, *conc.*; in ordine ad hoc compoſitum *caro*, *neg. Antec.*: & *diſt. Conſequ.*: non foret complementum ſubſtantiale in omni lineâ, ſive in ordine ad quodvis compoſitum, *conc.*; in ordine ad aliquod, *neg. Conſequ.*.

8 *Ad 6.*: contra rationem *adæquati*, & *pleni*, ſolùm eſt, quòd ordinetur ad componendum aliud totum ejuſdem ſpecificæ rationis, in quâ plenum, & adæquatum eſt: ſecùs verò, ſi totum, ad quod ordinatur, ſit alterius rationis ſpecificæ. Denique, ſi objiciatur, quòd, juxta Ariſtot., generatio unius eſt corruptio alterius, & è converſo: reſpondet, hoc intelligendum eſſe de generatione & corruptione verſante inter formas oppoſitas, aut diſparatas. Hæc ferè pro ſuâ ſententiâ P. Ulloa; quæ, licèt ſummatim relata, nonnihil à me explicata ſunt.

9 Addi verò poteſt, quòd in animantibus datur ſeries plurium formarum ſubordinatarum: non ſolùm enim forma carnis v. g. ſubordinatur animæ, ſed etiam ipſi formæ carnis ſubordinantur aliæ formæ: nam caro chymicè reſoluta deſinit in corpora heterogenea multò plura, quàm quæ ex alijs mixtis ſuperſunt. Imò, cum ipſa corpora per primam analyſim extracta è mixto quolibet, v. g. ſal, & oleum, poſſint ulteriùs reſolvi in alias portiones heterogeneas, ut experiuntur moderni Chymici; ſequitur, in quovis mixto ſenſibili plures involvi formas, alias alijs gradatim ſubordinatas; quin poſſit ſciri, vel deſignari à nobis (licèt poſſit ab Angelo), quænam ſit prima forma, quæ nudam materiam actuat. Nec tamen ex hac ſententiâ neceſſariò ſequitur, formas elementorum manere formaliter in mixtis: nam corpora per analyſim chymicam extracta, multùm diſtant à quatuor elementis, licèt cum iſtis quædam illorum analogiam habeant. Utſummùm ſequitur, id non repugnare ex capite ſubordinationis. An autem aliunde repugnet, diſcutiemus alibi.

10 In ejuſdem ſententiæ confirmationem addo exemplum ſanguinis, quem ſicut & alios humani corporis humores, non animari, tenet doctrina communior. Sanguis enim, licèt ſit in ſe compoſitum ſubſtantiale, ſuâ formâ prædictâ diſtinctâ ab animâ, tamen pertinet ad integritatem hominis, eſtque vera pars integralis humani compoſiti: ſanguinis item forma verè eſt diſpoſitio ad animam, illi ſubſervit, & cum illâ mutuò connectitur, ita ut neutra poſſit ſine alterâ in materiâ ſuâ diu conſervari: nec tamen ideò forma ſanguinis deſinit eſſe ſubſtantialis, nec amittit prærogativas *actus primi*, *primæ radicis*, & *intentæ propter ſe*, ſcilicet relatè ad ſuum compoſitum, quod eſſentialiter conſtituit, & appellatur *Sanguis*.

11 Quare in hac ſanguinis formâ inſtari poſſunt, & explicari, præ-

præcipuæ difficultates contra formam carnis suprà objectæ. Imò facilius videtur, quòd forma conveniens cum animâ in eodem subjecto, sit integralis pars hominis, quàm forma existens in aliâ materiâ. *Dices*: materia non potest naturaliter recipere simul duo complementa substantialia, licèt sint diversæ speciei. *Dist.*: si complementa ipsa inter se pugnent ratione proprietatum, aut operationum, *conc.*; si non ita pugnent, sed potiùs se mutuò juvent, *neg.*. Materia ex se non appetit efficaciter, nisi unam formam, idcòque cum quâlibet potest diu existere sine miraculo, aut violentiâ: at capacitatem naturalem (quæ non convertitur cum indigentiâ, nec cum appetitu efficaci) habet ad multas simul, dummodò ipsæ inter se se amicum fœdus inire possint.

12 Sententia ista, sic explicata, & confirmata, vitat inprimis potissimam difficultatem formæ corporeitatis Scoticæ, desumptam ex proprio conceptu formæ substantialis: nam formam subordinatam sic admittit, ut constituat compositum essentialiter aliud à viventi. Deinde, non minùs, quàm Scotica, commodà est ad quæstiones Theologicas de corpore Christi Domini, tùm in Eucharistiâ, tùm in triduo mortis. Denique in re physicâ satisfacit sensibus, & experientiæ, tùm in viventibus, tùm in cæteris mixtis. Quare, licèt metaphysicè demonstrari nequeat, videri poterit physicè probabilior. Exarmat etiam Corpuscolares Physicos, qui passim formulis chymicis armantur, solentque Peripateticam doctrinam carpere, quòd tota metaphysicis speculationibus innixa, negligat experientiam, quæ mater est Philosophiæ naturalis.

13 Et revera parùm videtur credibile, quòd in cadaveribus viventium, & in analysi chymicâ, tot formæ repentè novæ producantur, nullâ apparente causâ. Certè communis hominum apprehensio esse videtur, quòd ibi deficit quidem aliquid; nihil tamen novi substituitur; sed ea tantùm remanent, quæ percunti composito inerant. Ideò in uvâ passâ, in rosâ siccâ, in ligno cedrino, nemo concipit novam substantiam, sed tenuissimam tantùm vim vegetandi: & odor ipse rosaceus, aut cedrinus, diutissimè perseverans, satis alienus est à formâ cadaveris. Ideò etiam pro diversitate mixtorum, quæ resolvuntur, diversi sales, diversum oleum, diversi spiritus expectantur; quia inibi delitescere creduntur. Si dicas, delitescere quidem, at non in materiâ, quam forma mixti informabat, sed tanquam corpuscula adventitia per poros introducta, vel ut summum tanquam partes integrantes cum diversâ materiâ, instar sanguinis in homine. Contrà: Quid fit de materiâ propriâ mixti in analysi chymicâ? Quò abijt? Quam novam formam induit?

14 Nè tamen quid dissimulem, nonnullas, quæ mihi occurrunt, difficultates proponam. *Prima* sit: quòd humana caro v.g. non animabitur (contra sensum omnium): cum quia secundùm formam

non

non informatur per animam; tum quia est compositum essentialiter diversum ad animato. Sic, si Deus in eâdem materiâ conjungeret animam cum formâ lapidis, hoc compositum *lapis* non animaretur. At, si caro non animatur, quomodò vegetat, & crescit per intus sumptionem? *Secunda* sit: quòd, si formæ carnis, ossis, &c., sunt partes hominis purè integrantes, corpus organicum substantialiter sumptum non erit de essentiâ hominis: quomodò ergo verificabitur illud ex Symbolo Athanasij *Anima rationalis & caro unus est homo*? quomodò in Scripturâ sumitur *caro* per synecdochem pro toto homine, ut cùm Verbum dicitur caro factum? quomodò homo physicè definitur per corpus & animam? vel anima ipsa per ordinem ad corpus organicum?

15 *Tertia* sit: quòd anima verè radicat in subjecto proprio accidentia organica carnis, ossis, oculorum, aurium, &c., ut ostendimus cap. præcedenti; si ergo eadem accidentia radicantur ab alijs formis substantialibus, simùl habebunt duas, aut plures, primas radices adæquatas; atqueadeò idem effectus proveniet simul à duplici causâ totali; quod naturaliter repugnat. *Quarta* sit: quòd argumentum desumptum ex analysi chymicâ, locum etiam habet in elementis, prout sunt apud nos: nam etiam ex terrâ, vel aquâ, extrahuntur per alembicum multa corpora heterogenea. Id quod fatetur Ulloa disp. cit. n. 148. & 149., solùm admittens unicam formam substantialem in elementis puris, qualia negat esse sub Lunâ.

16 Hinc autem sic arguo: forma salis v. g., ex aquâ extracti, non est subordinata formæ aquæ: ergo non existit in materiâ aquæ, sed in aliâ distinctâ, licet permixtâ: ergo idem dicendum de sale extracto è ligno, vel alio mixto. *Prob. Antec.*: forma salis est forma mixti; non enim sal est elementum, ut patet: sed forma mixti nequit subordinari formæ aquæ: ergo &c.. *Prob. Min.*: forma aquæ, etiam prout est apud nos, est forma elementaris: quâmvis enim aqua non sit apud nos elementum purum, nemo tamen negat, quòd in eâ prævaleat, ac prædominetur elementaris forma: atqui omnis forma mixti censetur nobilior formâ elementari, cum requirat plurium temperamentum qualitatum, & ab omnibus elementis quasi tributum propriæ qualitatis exigat; ergo nequit elementari formæ subordinari. Et verò, si subordinatio admittitur, potiùs concedenda videtur elementis respectu mixtorum, quàm è converso: quia ordo ipse naturæ ab elementis incipit, ut inde progrediatur ad mixta; ut patet in primâ formatione Mundi.

17 *Quinta* sit: quòd experientijs chymicis (argumentis de corpore vivorum sati factum est cap. 1,) satisfieri potest, quin ponantur plures formæ in eâdem materiâ, vel novæ productiones sine causâ: si nimirùm dicatur, quòd corpora heterogenea, per analy-

sim

chymicam extracta, partim spectabant ad integritatem naturalem mixti eo modo, quo sanguis, & alij humores spectant ad integritatem hominis, quàmvis habeant materiam distinctam; partim erant adventitia corpuscula per poros insensibiliter inducta, quæ dissoluto mixto coadunantur, & sensu percipiuntur. Dum autem quæritur, quò abit materia propria mixti? vel, quam formam induit? *Resp.*, illam, separatis omnibus corporibus integrantibus, & adventitijs, portionem esse exiguam, & abire in fumum, aut exhalationem; cujus nova forma facilè produci poterit à subjecto igne, adjuto corporibus alijs heterogeneis, quæ semper cum igne vulgari permixta sunt.

18 Nihilominùs difficultates istę solvi possunt utcumque. *Ad* 1.: ut caro absolutè dicatur animari, sufficit, quòd animetur *formaliter* quoad subjectum (eadem quippe materia carnis informatur per animam), & *effectivè* quoad formam: nam forma carnis crescit per nutritionem, non virtute propriâ, sed virtute animæ in eâdem materiâ receptæ, quæ nequit materiam sibi augere, quin simul augeat dispositiones à se prærequisitas, atque eadeò quin simul augeat formam carnis, sicut auget organizationem accidentalem. Quare ad formam carnis verè extenditur effectus animationis; ac proinde dici poterit *effectivè* animata. Nec alio modo animatur caro quoad formam in sententiâ eorum, qui corpus organicum constituunt per solam materiam cum organizatione accidentali. Non ita extenderetur animationis effectus ad formam lapidis in hypothesi objectâ: & idcircò lapis nullo sensu animaretur.

19 *Ad* 2.: instantia est in sententiâ constituentium corpus organicum per materiam & accidentia; sic enim corpus organicum ut tale, seu quoad formam, certè non intrat essentiam hominis. Item in sententiâ valde receptâ dicentium, solam materiam primigeniam, seu primitùs animatam, esse essentialem homini: nam particulæ cerebri, quæ primitùs animari creditur, non est caro, nec corpus organicum, ut communiter sumitur. Itaque corpus organicum quoad materiam est essentialis pars hominis; quoad formam verò est pars integralis, non solius pedis, aut manus, sed totius hominis: & hoc sufficit, ut absolutè ac simpliciter dicatur pars hominis, & ut caro per synecdochèm sumatur pro toto homine: non enim communis usus loquendi secernit partes essentiales ab integrantibus. Sic, licèt sanguis non animetur, nec sit pars essentialis, sumitur interdùm in Scripturâ sacrâ pro toto homine, ut observat P. Suar. *tom.* 1. *in* 3. *p. disp.* 15. *s.* 6. Dum autem in definitione hominis nominatur *corpus*, vel ponitur per metonymiam continens pro contento, scilicet pro materiâ; vel ponitur forma corporis, non ut pars essentiæ, sed ut connotatum, seu terminus exigen-

tem

tiæ naturalis; quo etiam modo ponitur in definitione animæ.

20 *Ad* 3.: vel dicatur, illa accidentia radicari ab animâ in genere causæ finalis, & ab aliis formis in genere efficientis: vel ab aliis formis radicari immediatè, ab animâ verò solùm mediatè, quatenùs anima radicat formas subordinatas: vel dicatur potiùs, radicationem istam, saltem ex parte animæ, non esse per influxum physicum, sed per meram exigentiam naturalem; & quando eadem accidentia deserviunt duplici composito, seu duplici formæ, quin altera alteram impediat, non esse inconveniens, quòd debeantur simul duplici exigentiæ, seu duplici exactivo adæquato.

21 *Ad* 4. (ut omittam, quòd doctrina de quatuor Elementis vulgaribus per ordinem ad Mixta, prout communiter traditur, multâ forsan indiget correctione) dici potest, Elementa, etiam ut sunt apud nos, non esse propriè ac philosophicè mixta, nec sibi subordinare formas eorum corporum, quæ per analysim extrahuntur, sed corpora ista esse pure adventitia, & per poros inducta, ut dicitur in *quinta* difficultate. Cur autem hoc potiùs dici debeat in elementis, quàm in ligno v.g., ratio est, quia, dum aqua, vel terra, igne resolvitur, remanere cernitur major portio materiæ terreæ, vel aqueę (nisi hæc in vapores sensibiles abeat), quàm salis, aut aliorum corporum: unde non opus est quærere, quò abijt materia propria elementi, nec novæ formę productionem fingere; facilè que percipitur, cur elementaris forma prævaluerit in denominando totam materiam præcedentem, quia scilicet majorem partem illius occupabat, magisque sensibilem reddebat. Quæ omnia in resolutione mixtorum dici non possunt; nulla quippe remanere cernitur pars lignea, &c..

22 *Ad* 5.: fateor, non facilè ratione metaphysicâ convinci posse, qui sic respondeat. Si tamen res physicè spectetur, parùm erit credibilis ea solutio, præter quàm in elementis vulgaribus, ut modò vidimus. Quòd enim non nisi exigua portio illius materiæ, quæ in ligno includitur, formam ligni recipiat, difficile creditu est. Nam cur tota illa moles dicitur *lignum*, & non potiùs *sulphur*, aut *sal*, aut aliud ex corporibus extractis? Cur sola portio materiæ ligni, vel alterius mixti resoluti, non autem materiæ purè integralis, vel adventitiæ, debet abire in fumum? Cur magis in fumum, quàm in aliud quidvis? Numquid fumus est cadaver omnis mixti, quod chymicè resolvitur? Adde, quòd vetus illud axioma, *Unumquodque ex iis componitur, in quæ resolvitur*, intelligi debet saltem de portione materiæ sensibiliter remanente. Et hactenùs de formis subordinatis; quas vel admittere, vel respuere, per me licet.

CAP.

## CAP. IV.

### *UTRUM PLURES FORMÆ non subordinatæ conjungi possint in eadem Materia?*

1 LOQUIMUR jam de formis inter se inconnexis, ac disparatis, quarum altera non exigit alterius consortium in eodem subjecto, cujusmodi sunt formæ lapidis, auri, ferri, ligni: & quærimus, an mutuum consortium, licèt non exigant, tamen patienter ferant, aut ferre possint? Sermo autem est de subjecto prorsùs eodem, seu de eâdem parte materiæ: nam in diversis partibus unius materiæ continuæ dari posse plures istiusmodi formas, experientiâ compertum est; ut cùm videmus ex eodem trunco unam partem ignitam, aliam adhuc ligneam. Non tamen tunc datur continuitas, nisi inter partes materiæ: inter formas autem sola est contiguitas.

### *Non possunt naturaliter.*

2 ITA communis, & ferè omnium sententia. Cujus probatio sumitur ab experientiâ, quâ perpetuò videmus, ex ejusmodi formis numquam unam introduci, quin expellatur alia. Unde colligimus, eas esse naturaliter incõpossibiles in eodem subjecto; sicut è simili experientiâ colligitur, duas quantitates esse naturaliter inconjungibiles in eodem loco. Et alioquin agentia naturalia, dum introducendo novam formam expelluut antiquam, tenderent in parum malum, contra illud axioma, *Nullum agens intendens in malum operatur*: causarent enim malum antiquæ formæ, non ut conducens ad bonum novæ (siquidem utraque forma posset amico fœdere sociari), sed propter malum ipsum, non sine vitio cujusdam invidiæ naturalis.

3 Quapropter insociabilitas ista tribuenda est ipsarum naturæ formarum, quæ nobis per experientiam innotuit; sicut in exemplo quantitatum nuper adducto. Non est autem tribuenda incapacitati materiæ primæ: quia hæc, licèt non appetat efficaciter, nisi unicam formam vagè, & naturaliter contenta sit possessione cujuslibet, quia cum quâlibet constituit ens physicè completum; non est tamen, unde probetur incapax plurium formarum, quibuscum simul constituat plura entia completa, si formæ ipsæ inter se non pugnent. Nec item tribuenda est semper contrarietati dispositionum accidentalium: quàmvis enim inter dispositiones quarumdam formarum, v.g. ignis, & aquæ, clara sit contrarietas; non ita clara est in omnibus.

4 Adde, quòd ex capite dispositionum possent in eâdem materiâ conjungi plures formæ unius speciei (quod nullus admittit); non enim exigunt dispositiones contrarias; imò dispositiones unius possent eodem famulatu deservire pluribus. Dices: ideò non conjungi formas ejusdem speciei, quia *Simile non agit in simile*. Sed verò id

fieri posset, quin simile ageret in simile; si nimirùm duplex forma ignis v. g. simul introduceretur in materiam ligni à duobus agentibus simul applicatis.

5 *Objic.* 1. exemplum formarum accidentalium, quæ, licèt inconnexæ, ut albedo, & dulcedo, conjungi possunt in eodem subjecto. 2., quòd formæ substantiales inter se contrariè non sunt; quia substantia non habet contrarium, juxta Aristotelem. 3. exemplum ferri candentis, in quo sociari videntur formæ ignis, & ferri. 4. exemplum prunæ, seu carbonis igniti, ubi, præter formam ignis, datur alia gravitatem exigens; alioquin pruna sursùm ascenderet, sicut flamma. 5., quòd non semel visa sunt humana monstra duobus capitibus, & unico stomacho: in eis autem duplex erat anima rationalis: & cum neutra possit in corpore conservari, quin informet stomachum, sequitur, eamdem stomachi materiam ab utrâque animâ informari.

6 Hæc parùm urgent. *Ad* 1.: in formis accidentalibus non militat eadem experientia, sed pociùs opposita. *Ad* 2.: inter formas substantiales non datur contrarietas stricta, quæ apud Aristotelem sumitur pro solâ inimicitiâ qualitatum se se paulatim debellantium, v. g. frigoris, & caloris: datur tamen contrarietas sumpta pro inconjungibilitate naturali; qualem etiam habent duo lapides in ordine ad locum, licèt non sint propriè contrarij. *Ad* 3.: nullâ in parte materiæ junguntur formæ ignis, & ferri: sed intra ferri poros, calore laxatos, introducuntur plures ignea particulæ, novus que etiam ignis producitur in extimâ ferri superficie, ex quâ ferream formam expellit, ut satis indicat scoria superstes: hinc autem provenit totus ille calor, & fulgor. Profectò, si forma ignis cohæreret cum ferreâ, non consumeretur ferrum ab igne, quàmvis per sæculum esset in fornace: nec ignis tam brevi extingueretur extra fornacem, si totam ferri materiam invasisset.

7 *Ad* 4.: gravitas prunæ est qualitas è ligno residua, quæ non statim expelli potest à formâ ignis. *Ad* 5.: in ejusmodi monstris, si duæ sunt animæ (quod aliqui ex duplici capite, alij ex duplici corde, alij ex discordiâ in operando colligendum putant), unicuique distincta pars stomachi respondet; ipseque stomachus, licèt videatur unicus, reverâ continet materiam duplici stomacho, saltem imperfecto, respondentem. Neque aliter nutriri posset duplex illud, aut semiduplex compositum, sine perpetuâ rixâ inter facultates utriusque nutritivas, quarum unaquæque sibi raperet alimentum.

### *Possunt Divinitùs.*

8 ITA communiter Authores nostri cum Exim. Doctore *disput.* 15. *Metaph. sect.* 10. *n.* 60., & plures Scotistæ cum Subtili Doctore apud Mastrium, contra Thomistas ferè omnes. *Probatur* Assertio: formæ substan-

tantiales nullo ex capite sunt inconjungibiles essentialiter in eâdem materiâ: ergo, licèt naturaliter conjungi nequeant, possunt tamen divinitùs; non aliter, ac duo corpora divinitùs penetrari possunt in eodem loco, licèt naturaliter non possint. *Prob. Antec.* evertendo præcipua capita (cætera evertet argumentorum solutio) repugnantiæ essentialis, quę Adversarios movent.

9 *Primum* est, quòd introductio unius formæ est formalis expulsio alterius, vel saltem formalis & immediata causalitas expulsionis. Evertitur autem sic: forma non expellitur formaliter, nisi per sui privationem, sive per suum non esse in materiâ; sicut è converso privatio formaliter non excluditur, nisi per esse formæ in materia. Item immediata & formalis causalitas istius non esse, sive privationis, est subtractio, vel cessatio Divini concursus, quo forma in materiâ conservabatur; sicut è contrario immediata causalitas existentiæ formæ in materiâ, est actio, quâ forma in materiâ producitur. Atqui novæ formæ introductio, nec est formalis privatio præcedentis, ut est evidens: nec item est formalis cessatio Divini concursus, vel actionis conservativæ illius, ut item est evidens: ergo nec est formalis expulsio, nec formalis causalitas, aut executio expulsionis.

10 *Confirm.*: juxta Thomistas potest effectus non resultare, stante illius ultimâ causalitate: ergo quámvis introductio unius formæ foret ultima causalitas expulsionis alterius (quod tamen non concedimus), adhuc, eâ stante, posset expulsio divinitùs impediri. *Antecedens* patet in productione substantię, quæ simul est ultima causalitas proprietatum accidentalium; hæ quippe non producuntur actione distinctâ, juxta Thomistas, ut videre licet apud Bayonam *hic q. 4. ar. 5.* & Froylan. *q. 5. ar. 2. §. ult.*: & tamen, stante productione substantiæ, possunt proprietates divinitùs deficere, vel non resultare; nec solùm divinitùs, sed interdum etiam per violentiam agentis naturalis, ut cùm aqua privatur frigore; neque enim tunc deficit, aut mutatur aquę productio. Patet etiam in creatione materiæ primæ, quæ simul fuit ultima causaliras formæ elementaris initio Mundi, ut Thomistæ volunt: & tamen hodiè, cum eadem creatio perseveret, ut ipsi concedunt, ex eâ non resultat elementaris forma, saltem in plurimis partibus materię.

11 *Secundum* est, quòd nova forma introducta exigit essentialiter expulsionem præcedentis, titulo causę formalis. Hoc etiam evertitur facilè. Hæc exigentia ideò dicitur essentialis, quia expulsio formæ præcedentis est formalis effectus secundarius novæ formæ (non esse effectum primarium fatentur Adversarij): sed hæc ratio non probat exigentiam essentialem, seu divinitùs infrustrabilem: ergo, &c.. *Prob. Min.*. Tum quia frigus & calor in summo divinitùs cohærere possunt in eodem subjecto, ut concedunt plures ex Adversarijs: & tamen

men expulsio frigoris est effectus formalis secundarius caloris, & è converso. Tum etiam, quia impenetrabilitas est formalis effectus quantitatis, ex quo sequitur impenetratio actualis, sive actualis exclusio alterius corporis ab eodem loco, tamquam effectus secundarius: & nihilominùs duo corpora divinitùs penetrari valent. Similiter extensio in ordine ad locum est formalis effectus quantitatis: quia tamen est effectus secundarius, potest divinitùs impediri.

12 Nec momenti est solutio dicentium, posse quidem impediri formalem effectum secundarium positivum, quia indiget novo concursu, quem Deus suspendere valet; secùs verò formalem effectum negativum, qualis est expulsio formæ præhabitæ. Non, inquam, est momenti. 1.: quia positâ productione aquæ, non opus est novo concursu, ut resultet frigus, juxta Thomistas: & tamen potest non resultare, vel deficere, eo quòd sit terminus secundarius illius productionis. 2.: quia expulsio frigoris per calorem summum, est effectus formalis negativus: sicut etiam exclusio corporis à loco per aliud occupato; quamvis enim quantitati A negaret Deus concursum ad omnem actionem positivam, adhuc naturaliter impediret ingressum quantitatis B in eundem locum, quandiù illum occuparet: uterque tamen effectus potest à Deo impediri. 3.: quia etiam expulsio formæ à materiâ, est effectus indigens suspensione concursus conservativi, quem Deus potest non suspendere, cum æquè sit Dominus sui concursus quoad suspensionem, ac quoad positionem.

*Non obstant argumenta contraria.*

13 *Objic.* 1.: positâ forma in subjecto capaci, nequit Deus impedire illius effectum formalem: sed expulsio unius formæ est effectus formalis alterius; neque enim una ab alterâ expellitur, nisi in genere causæ formalis: ergo nullatenùs impediri potest expulsio unius formæ, positâ introductione alterius. *Confirm.*: informatio actualis est formalis, & ultima causalitas, quâ una forma in actu secundo expellit alteram; est enim ultimum exercitium causæ formalis ut talis: at, positâ causalitate in actu secundo, omninò repugnat impeditio effectus: ergo, &c.

14 *Resp.* Duplex est effectus formalis: alius primarius, & positivus, v. g. denominatio *calidi* respectu caloris: alius secundarius, & negativus, v. g. respectu caloris expulsio frigoris à subjecto. Primarius intrinsecè constituitur per formam, consistitque in ipsâ formâ ut communicatâ subjecto capaci: unde, positâ communicatione, omninò implicat, hunc effectum impediri à Deo. At secundarius adæquatè distinguitur à formâ positivâ; quia consistit in eo, quòd subjectum sit *privatum*, seu *derelictum* formâ frigoris v. g., quæ denominatio, cum merè negativa sit, à formâ positivâ constitui non potest. Di-

15 Dicitur tamen hujusmodi secundarius effectus provenire à formâ positivâ, quia hæc exigit non conjungi cum aliâ formâ, & exigentiâ suâ movet naturę Authorem, ut suspendat actionem illius conservativam. Dicitur etiam *effectus formalis*; quia una forma non opponitur alteri quoad subjectum, nisi quatenùs idem subjectum informat. Unde, quia exigentia expellendi alteram, exercetur per unionem, sive informationem, quæ est exercitium causæ formalis, ideò una forma dicitur *se ipsa formaliter*, vel (quod eòdem redit) *in genere causæ formalis*, aliam expellere. Sed aliud est exercitium exigendi, aliud verò exercitium obtinendi; sicut in paupere non est idem exercitium petendi eleemosynam, & exercitium assequendi. Quare, licèt informatio actualis sit exercitium exigendi expulsionem alterius formæ, & illius ultima causalitas purè exactiva; non ideò est ultima causalitas executiva; quia supereſt adhuc alia, quam Deus negare potest, nempe suspensio, vel cessatio actionis alteram formam conservantis. Quę doctrina explicari potest exemplo quantitatis exigentis extensionem localem, & alijs nostræ probationis.

16 Hinc facile solvitur objectio. Quàmvis Deus, positâ formâ in subjecto, impedire non possit effectum formalem primarium, quia hic jam habet sua omnia constitutiva; potest tamen impedire secundarium; quia hic indiget ulteriore causalitate, nempe cessatione concursus Dei, qui potest eam cessationem nolle, nec attendere exigentiæ formæ introductæ, pro suo absoluto dominio. *Ad Confirm.*: informatio actualis est ultimum exercitium causæ formalis ut talis in ordine ad effectum primarium: at in ordine ad secundarium, non est ultimum exercitium, nec ultima causalitas in lineâ executivâ, sed tantùm in lineâ purè exactivâ: quare, cum exigentia hæc sit purè naturalis, adhuc potest effectus à Deo impediri.

17 *Replic.* 1.: juxta Aristotelem, *Introductio unius est expulsio alterius*: ergo stare nequit introductio sine expulsione. 2.: ideò Deus impedire non potest effectum formalem primarium, quia illum se solo supplere nequit sine formâ: sed nec se solo supplere valet effectum secundarium absque formâ: ergo &c.. 3.: nequit Deus efficere, ut una differentia metaphysica non excludat aliam, v. g. rationalitas asinitatem: ergo nec potest efficere, ut una differentia physica, qualis est forma substantialis, aliam non excludat. Patet *Consequentia*, tum à paritate rationis, tum quia *una forma habet sibi intellectam privationem alterius formæ*, ut docet D. Thomas *in* 11. *Metaph. lect.* 12.

18 *Resp. ad* 1.: dictum Aristotelis verum est, non in sensu formali, vel executivo, sed in sensu exactivo, ratione scilicet exigentiæ naturalis: quo sensu verè dicimus, quòd introductio unius corporis est expulsio alterius ab eodem loco, & quòd *Accidentis esse est inesse*; quàmvis accidens possit esse divi-

ni-

nitùs sine *ineſſe*, ut in Euchariſtiâ. *Ad 2.*, omiſsâ *Maj.*, *neg. Min.*, ſi ſermo ſit de formâ poſitivâ; poteſt enim Deus, nullâ formâ denuò introductâ, ſe ſolo expellere à materiâ formam præhabitam, ceſſando ſcilicet à conſervatione illius; ſicut poteſt à ſubjecto expellere frigus, nullo calore ſubrogato, ut nemo negat. Si tamen ſermo ſit de formâ negativâ, concedo *Min.*, & *Conſequ.*: quia talis forma reſpectu effectus negativi eſt privatio formæ in materiâ; ſine quâ privatione verisſimum eſt non poſſe formam expelli.

19 *Ad 3. diſt. Antec.*: ne excludat aliam ab identitate ſecum ipsâ, *conc.*; à ſubjecto, in quo eſt, *neg. Antec.*, & ſub eadem diſtinctione *Conſequ.* Quævis differentia, ſive phyſicâ, ſive metaphyſica, imò quævis etiam forma accidentalis, eſſentialiter excludit aliam à ſui identitate, neque unquam fieri poteſt, ut una ſit alia: non tamen quævis excludit eſſentialiter aliam à ſubjecto phyſico, in quo eſt; ideoque poſſunt in eâdem materiâ conjungi anima rationalis, & aſinina; quo in eventu darentur in eâdem, vel ex eâdem materiâ rationalitas, & aſinitas. D. Thomas autem, vel loquitur de negatione identitatis, quæ lato ſenſu dicitur privatio; vel loquitur potiùs attentâ exigentiâ naturali, quo ſenſu unum corpus habet ſibi intellectam privationem alterius in eodem loco. Porrò D. Thomas, ubicumque aſſerit impoſſibilem pluralitatem formarum in eâdem materiâ, loquitur de formis ſubordinatis, & ad eſſentiam unius compoſiti ſpectantibus: de cæteris verò nuſquam movet quæſtionem in ordine ad potentiam Dei abſolutam, ut notat M. Joannes à S. Thom. 1. *Phyſic. q.* 10.

20 *Objic. 2.*: ſi duæ formæ ſubſtantiales eſſent in eâdem materiâ, neutra foret actus primus, nec ordine temporis, ſi una poſt aliam adveniret; nec ordine dignitatis, quia neutra ſibi ſubordinaret alteram, nec eſſet radix illius. *Confirm.*: quia forma poſterior non foret ſubſtantialis, nec faceret unum per ſe, cum adveniret enti in actu, ſive jam ſubſtantialiter completo. *Reſp.*, Quælibet forma tunc eſſet actus primarius, ſeu dignitate primus, reſpectu ſui compoſiti. Tunc enim reſultarent abſolutè duo compoſita; quia forma, præcipuum compoſiti conſtitutivum, duplicaretur. Quòd autem materia foret eadem, parum refert: nam, ſicut ignis, qui ex materiâ ligni fit, dicitur abſolutè compoſitum aliud à ligno, quàmvis ab eo non diſtinguatur penès materiam; ita in caſu noſtro. Tunc ergò darentur proprietates & operationes duplici compoſito reſpondentes; & unaquæque forma eſſet primaria radix proprietatum pertinentium ad ſuum compoſitum, eas que ſibi ſubordinaret; in quo ſita eſt ratio actus primi: neque interim ſe immiſceret alteri compoſito, cujus proprietatibus & actibus altera forma præſideret. Nec forma ſubſtantialis debet eſſe actus primus comparativè ad omnes actus in materiâ exiſtentes; ſed tantùm comparativè

vè ad actus spectantes ad illud compositum, quod talis forma constituit.

21 *Ad Confirm.* forma posterior non adveniret enti in actu prout in actu, nec reduplicativè ut completo; non enim per se supponeret formam priorem, nec totum compositum præcedens pro subjecto informaret: solùm ergo adveniret materiæ specificativè sumptæ, quam solam sibi uniret, de materiali se habente aliâ formâ, quæ per accidens in materiâ præcederet. Hoc modo se haberent tres Divinæ Personæ, si eamdem simul assumerent humanitatem, ut possunt, juxta Thomistas; ideoque unaquæque foret ultimus naturæ terminus, quàmvis una post aliam adveniret. Si *dicas*, materiam semel completam non posse magis compleri. *Dist.*: non magis, nec pluries, *neg.*; non magis, sed tamen pluries, id est, iterùm, atque iterùm per alia complementa supervenientia materiæ, non ut completæ, sed specificativè sumptæ, *neg.*. Sic locus, semel uno corpore occupatus, non potest magis occupari: potest tamen pluries, sive iterùm atque iterùm per alia corpora divinitùs penetrata.

22 Quocircà forma posterior adveniret materiæ incompletæ, non incompletione negativâ, seu dicente negationem omnis complementi substantialis; sed incompletione præcisivâ, quatenùs adveniret materiæ specificativè sumptæ, quo sensu materia præscindit ab omni complemento. Id quod etiam accidit in transmutatione naturali: non enim pro priori ad novam formam supponitur materia cum privatione formæ præcedentis, sed tantùm cum præcisione à tali formâ, cujus privatio intelligitur pro posteriori ad novam formam, utpote effectus secundarius illius.

23 *Objic.* 3.: ex nostrâ hypothesi multa sequerentur absurda. Nam 1., positis in eâdem materiâ formis ligni & hominis, resultaret compositum, specie multiplex ratione formarum, & aliunde numero unum; quia juxta Aristot. 5. Metaph. text. 12., ea sunt unum numero, quorum materia est una. 2. verè diceretur, *Lignum est homo*, & è converso; sicut verè dicitur, *Album est dulce*, & vice versâ, cùm albedo & dulcedo concurrunt in eodem subjecto: saltem lignum denominaretur *animatum*. 3., positis in unâ materiâ formis hirci & cervi, daretur hircocervus, qui passim adducitur in exemplum entis chymerici. 4. posset idem corpus simul esse vivum, & mortuum, si nimirùm conjungeretur anima cum formâ cadaveris.

24 5. possent etiam uniri eidem corpori duæ animæ rationales: quo in eventu altera alteram impediret in operando, & neutra esset libera: vel, si esset utraque libera, posset altera Cœlum, altera Infernum mereri; tunc autem quid fieret de corpore? Adde, quòd non essent numero distinctæ; quia distinctio numerica sumitur à materiâ. 6., datis in uno corpore formis lupi & ovis, lupus vellet co-

medere carnem propriam, quia simul esset ovina; & ovis, volens fugere lupum, fugeret à proprio corpore. Cujus generis aliæ multæ combinationes cogitari possunt. 7. denique sequeretur, eamdem materiam simul esse in duplici specie substantiali; simulque dependere totaliter à duabus formis, quibus tamen non indiget.

25 Hæc tamen non difficulter evanescunt. *Ad* 1.: resultaret tunc compositum & numero & specie duplex absolutè, quia formæ prævalerent, utpotè præcipua distinctiva; simul que resultaret unum numero, non absolutè, sed secundùm quid, sive cum addito *quoad materiam*; in quo non majus est absurdum, quàm in eo, quòd ignis ex materiâ ligni fiat, cum tamen sit compositum numero & specie distinctum. Aristoteles autem loquitur secundùm ordinem naturalem, & quoad nos; vel nomine *materiæ* intelligit hæccitatem, quę dicitur quid materiale respectu essentiæ specificæ.

26 *Ad* 2. nego sequelam: quia, cum substantialia composita importent in recto materiam & formam, hæc propositio, *Lignum est homo*, reddit hunc sensum, *Materia & forma ligni sunt materia & forma hominis*; qui sensus tunc esset falsus. At concreta accidentalia, cum solum subjectum in recto importent, possunt mutuò prædicari, dum subjectum est idem: quia illa propositio, *Album est dulce*, hunc habet sensum omninò verum, *Quod habet albedinem, est quod habet dulcedinem*. Simili ferè sensu verè dicimus de Christo Domino, *Deus est homo*, *Homo est Deus*; quia termini, *Deus*, & *homo*, personaliter sumpti, referuntur ad Suppositum, & perinde sonant, ac *habens Deitatem*, & *habens humanitatem*. Nec in hypothesi nostrâ daretur unicum suppositum ligni & hominis, sed duo simpliciter, quàmvis identificata inadæquatè, & secundùm quid; eorumque alterum esset persona, alterum merè suppositum. Nec item alterum alteri communicaretur in esse totius; sed tantùm ambo convenirent in materiali parte substantiæ; quod non est contra incommunicabilitatem suppositi propriam. Nec lignum denominaretur animatum, quàmvis ejus materia animaretur: quia, *lignum esse animatum*, significat, totum lignum esse subjectum animæ, vel ex animâ constitui; quod minimè verum esset in dictâ hypothesi. Quænam denominationes partium refundantur in totum, diximus cap. 1. n. 25. Solùm ergo verè dici posset, *lignificatum est animatum*, & è converso, sumptâ scilicet sol â materiâ in recto.

27 *Ad* 3.: hircocervus, adduci solitus in specimen entis chymerici, significat unam compositum, duas essentias realiter distinctas in unum confundens, & identificans. At in nostrâ hypothesi darentur duo composita, hircus, & cervus, cum essentijs realiter discretis absolutè; quia formę, in quibus consistit diversitas essentialis eorum,

rea-

realiter distinguerentur. Quòd autem conveniant in materiâ, quæ de se indifferens est ad varias essentias constituendas, non est absurdum; sicuti non est, quòd eadem materia, quæ nunc est hirci, posteà sit cervi. *Ad* 4.: corpus illud (sumptum pro materia organizata) foret vivum, sive animatum, simulque foret cadaver, seu cadavericum positivè, ideſt, reciperet effectum formalem positivum formæ cadaveris; quia inter denominationes positivas *animati*, & *cadaverici*, solùm datur oppositio naturalis, non essentialis: non tamen foret *mortuum*; quia denominatio ista constituitur per privationem animæ, quæ privatio, cum sit effectus negativus & secundarius formæ cadaveris, potest à Deo impediri.

28 *Ad* 5.: mutua illa impeditio in operando, probat quidem repugnantiam ex naturâ rei, sed non in ordine ad potentiam Dei absolutam: potest enim Deus proculdubiò facere, ut quælibet anima, etiam sine consortio alterius, sit unita corpori, quin sit expedita ad operandum, v. g. subtrahendo concursum simultaneum, vel accidentia organica lædendo, aut etiam penitùs auferendo. Præterea, quælibet anima tunc esset libera quoad operationes spirituales, solùmque altera alteram retardaret quoad operationes organicas, v. g si altera vellet ambulare, altera nollet: ex quo nihil sequitur præter violentiam quãdam naturalem. Illud autem de merito Cœli, aut Inferni, non est ad rem: nam, esto repugnet nostra hypothesis in præsenti Dei providentiâ, fat nobis est, quòd sit possibilis in alio rerum ordine, in quo Deus potuit non decernere resurrectionem corporis, nec illud ad Cœlum, aut infernum destinare. Quod additur de indistinctione numericâ, falsum est: alioquin non posset eadem anima successivè plures materias informare per nutritionem; nec posset, eadem materia successivè suscipere plures animas, etiam divinitus. Animæ igitur distinguuntur inter se numero per suas hæcceitates; nec earum distinctio sumitur ex materiâ, nisi quoad nos.

29 *Ad* 6.: lupus, morsum infigens ovinæ carni, sentiret esse suam; & illicò abstineret: ovis etiam, cupiens lupum illum fugere, misericè præpedita non posset. At quid inde, præter statum naturaliter violentum? Adde, quòd posset Deus formam ovis, ut & quamlibet aliam, in materiam inducere sine organis & accidentibus naturaliter necessarijs. Tunc autem, nec ovis quidquam cuperet, nec lupus ovem agnoscceret. Fortasis etiam organizationes diversorum animalium sunt essentialiter inconjungibiles in eâdem materiâ ratione figuræ.

30 *Ad* 7.: materia non esset *identicè* nisi in unicâ specie incompletâ primi subjecti: at non *identicè*, sed *constitutivè*, simul esset in duplici specie completâ sine absurdo, sicut potest esse in multiplici successivè. Dependentia materiæ à formâ (quæ non est à priori, sed à posteriori) sumi potest, vel pro indigentiâ materiæ, vel pro actuali satisfactione indigentiæ. Si pro indi-

gentiâ sumatur, materia à nullâ formâ determinatâ pendet, sed ab aliquâ vagè: si pro satisfactione indigentiæ, materia in casu nostro penderet simul ab utrâque formâ, non per modum unius, sed per modum duplicis satisfactionis actualis, idque sine absurdo; quemadmodùm famelico unius panis indigenti, si duos simul dederis, per utrumque satisfacies.

30 Notabis hìc, ut alia absurda præoccupes, quòd, si materia hominis, & equi foret eadem, hæc propositio, *Homo est inadæquatè equus*, non est indistinctè concedenda: potest enim significare, hominem esse partem equi, aut è converso; ut cùm dicitur, *Anima est inadæquatè homo*. Distinguenda igitur sic: inadæquatione dicente identitatem solius materiæ, *conc.*; alio genere inadæquationis, *neg.* Hæc item propositio, *Petrus potest esse inadæquatè mille homines*, vel *potest esse inadæquatè pisces, arbor, lapis, ignis, &c.*, in aliquo sensu vera est; quia in materiam Petri possunt introduci simul (ficuti possunt successivè) mille animæ rationales, nec non formæ piscis, arboris, &c. Sed inprimis semper distinguendum est illud *inadæquatè*, ut nuper. Deinde videndum, an sermo sit de hominibus (idem intellige de pisce, arbore, & rebus alijs,) qui supponantur habere materias distinctas: tunc enim falsa est propositio; quia tales homines constituuntur per suas materias individuas, quibuscum identificari nequit materia Petri; quòdsi animæ ipsorum transferrentur ad materiam Petri, jam non forent ijdem prorsùs homines individui; sed alij quoad materiam. Solùm ergo vera est dicta propositio de hominibus individuis, quos Deus novit in statu possibilitatis constituros per materiam Petri. Hinc falsò dices, Petrum posse esse inadæquatè quemlibet hominem, quemlibet piscem, quemlibet arborem, &c.

32 *Objic.* 4.: potentia materiæ non extenditur ultra ejus indigentiam: sed Deus nequit efficere, ut materia indigeat simul duplicî formâ: ergo, nec ut habeat potentiam ad duas simul formas. *Confirm.* 1.: forma, quâ non indiget materia ad existendum completè & simpliciter in genere substantiæ, non est forma substantialis: cum ergo materia non indigeat nisi unâ formâ, cæteræ præter unam erunt accidentales. *Confirm.* 2.: virtus activa naturaliter impotens ad aliquem effectum, nequit divinitùs fieri potens, nisi ei superadditur nova virtus: ergo pariter potentia receptiva naturaliter impotens ad plures formas, non fiet potens, nisi addatur nova potentia receptiva; atque ita in casu nostro oportebit addere novam materiam; quo destruitur hypothesis quæstionis. Saltem hæc additio necessaria erit, si conjungantur formæ plures eductæ: nam respectu eductarum materia exercet munus causæ materialis, & sustentativæ, quæ nequit simul causare duplicem effectum adæquatum, cum quilibet exhauriat totam vim sustentandi. *Confirm.* 3.: si materia potest recipere plures formas, potu-

rit

sit infinitas : ergo habet potentiam infinitam. *Confirm.* 4. : una forma est naturaliter impotens conjungi cum aliâ: ergo, cum hanc imporentiam secum identificet, semper & in omni hypothesi erit impotens.

33 *Resp. ad Object. neg. Maj.*: nam materia non indiget formâ determinatæ speciei, v. g. animâ equinâ; ad quam tamen extenditur ejus potentia: nec item, dum est sub formâ aquæ, indiget calore; quem tamè recipit. Itaque indigentia materiæ solùm est mensura appetitus innati efficacis: hîc verò appetitus non est mensura potentiæ receptivæ, ut alibi non semel notavimus. Id quod maximè verum est de potentiâ passiva obedientiali ; ut patet in animâ recipiente dona supernaturalia citra naturalem indigentiam, vel appetitum innatum.

34 *Ad 1. Confirm. neg. Antec.*: nam alioquin, nec anima rationalis , nec alia forma secundùm gradum specificum , aut individualem, foret substantialis. Forma igitur erit substantialis , dummodò ex se apta sit satisfacere indigentiæ , & incompletioni materiæ in genere substantiæ , etiam si sola reciperetur. *Ad 2. neg. Conseq.*: nam, si tenet paritas , sicut anima nostra indiget additione virtutis ad producendos actus supernaturales, ita indigeret additione potentiæ passivæ ad eos recipiendos, ut etiam ad recipiendam Gratiam , & habitus infusos. Virtus ergo activa , cum debeat effectum præcontinere, illumque perfectione æquare, vel excedere; nequit fieri potens ultra vires naturales absque additione virtutis: at potentia receptiva nec præcontinere debet actum, quem recipit, nec ejus perfectioni commensurari ; ac proinde crescere , aut augeri non debet juxta incrementum actuum.

35 Hinc, licèt nostræ sententiæ sufficiat, quòd possint in eadem materiâ conjungi plures formæ creatæ , vel una educta & aliæ creatæ; nihilominùs (quidquid dicat P. Oviedo) admittimus posse conjungi plures formas eductas: non enim causa materialis fatigatur , aut exhauritur per causalitatem sustentativam: cujus indicium evidens est, quòd potest naturaliter causare (& adæquatè quidem in suo genere) effectum se ipsâ superiorem , multòque perfectiorem, v. g. dum materia causat materialiter animam equi: cum tamen simile quid contingere non possit in virtute activa, sive in causâ efficiente. Adde , quòd alioquin potentia passiva animæ , vel Angeli, fatigaretur , & lassesceret , dum recipit plures & plures gradus Gratiæ, quæ utique per eductionem producitur juxta communem , etiam Thomistarum , sententiam. *Dices*: ergo una forma educta non est effectus adæquatus materiæ ut causæ materialis. *Dist.*: adæquatione sufficientiæ , *neg.*; adæquatione exhauritionis , *conc.*.

36 *Ad 3. conc. Antec.* de infinitis syncategorematicè , imò & categorematicè , si aliunde non repugnet infinitum in actu : & *dist. Conseq.*: habet potentiam infinitam perfectione , *neg.* ; infinitam vacuitate formarum, *conc. Consiq.*: quod

nihil est aliud, quàm materiam esse privatam infinitis formis, & ex se non resistere unioni cum ipsis, etiam simul sumptis. *Dices*: hæc vacuitas non est merè carentiæ, sed est propria subjecti positivi, dicentis que perfectionem: ergo fundatur in perfectione: ergo infinita vacuitas arguit perfectionem infinitam. *Nego hanc ultim. Conseq.*: nam, licèt necessaria sit aliqua perfectio ad fundandam vacuitatem privativam, non debet crescere ad mensuram vacuitatis ipsius; quin, obstet quoddam adagium, de quo infra n. 44. Interim insto in potentiâ receptivâ animæ, vel Angeli, ad Gratiam majorem, & majorem sine fine. Addo, D. Thomam q. 29. de Verit. ar. 3. ad 3, infinitam agnoscere creaturæ potentiam receptivam obedientialem, dum ait, quòd *talis capacitas non potest impleri, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia recipiendi à Deo.* Certè, quòd major potentia receptiva non arguat ex terminis majorem perfectionem, patet in materiâ Cœlesti, quæ limitata est ad unam formæ speciem juxta Thomistas; & tamen perfectione superat materiam sublunarem, cujus potentia extenditur ad formas infinitas, saltem successivè, aut divisivè.

37 *Ad 4. dist. Consеq.*: in omni hypothesi erit impotens naturaliter, *conc.* (semper enim verificabitur non posse conjungi naturaliter cum alia); erit impotens obedientialiter, sive in ordine ad dominium Dei absolutum, *neg. Conseq.*: hanc enim impotentiam nunquam habuit. Sic accidens pro omni hypothesi est impotens naturaliter existere sine subjecto, & hanc impotentiam secum identificat: & tamen divinitùs existit sine subjecto in Eucharistiâ. Notandum tamen, quòd potentia naturalis, & potentia obedientialis materiæ, non distinguuntur subjectivè, & intrinsecè, cum quælibet sit tota entitas materiæ: solùm ergo distinguuntur extrinsecè, & terminativè, quatenùs eadem potentia, dum comparatur ad formas ut producibiles ab agente naturali, dicitur naturalis; dum autem comparatur ad formas ut ab agente supernaturali producibiles, vocatur obedientialis.

38 Hinc in hypothesi quæstionis utraque forma reciperetur in potentiâ materiæ naturali naturalitate intrinsecâ, & entitativâ: sed quia deesset naturalitas extrinseca (eo quòd neutra forma, prout in consortio alterius, esset producibilis ab agente naturali), ideò potentia materiæ in ijs circumstantijs absolutè diceretur obedientialis. Si quæras, an actiones productivæ, & conservativę utriusque formę simul, essent naturales? *Resp.*, fore naturales intrinsecè, & quoad substantiam, easdem scilicet, quibus formæ seorsim produci possent naturaliter: si enim ipsæ formæ possunt divinitus conjungi, cur non & actiones? Forent tamen supernaturales extrinsecè, seu quoad modum, denominatione derivatâ à decreto Dei supernaturali, à quo præter, vel contra exigentiam provenirent hunc

&

& nunc. Vide, quę in simili diximus *disp. 3. cap. 5.*

### *Corollarium de potentia Formæ ad plures Materias informandas.*

39 COmmunis sententia Nostrorum tenet consequenter, unam formam posse divinitùs informare duas, aut plures materias naturaliter adæquatas, v. g. eamdem animam rationalem duo corpora, vel in diversis locis, si bilocetur anima, vel in eodem loco, si corpora penetrentur. *Prob.* breviter contra Thomistas, & Mastrium Scotistam. Tum paritate materiæ, potentis informari simul pluribus formis, ut hactenùs probatum est. Tum paritate corporis, potentis existere divinitùs in pluribus simul locis adæquatis, ut concedit Mastrius cum cæteris Scotistis. Tum quia forma una plures materias informaret eo ipso, quòd pluribus uniretur: at nulla repugnantia essentialis apparet in eo, quòd pluribus uniatur; non enim forma vires activas impenderet in causandis unionibus, quæ possent à solo Deo produci.

40 *Objic.* ex Mastrio: si forma potest informare simul plures materias, poterit & infinitas: ergo erit infinitè perfecta. *Prob. Conseq.* 1.: quia vis informativa perfectionem dicit, & quò plus extenditur, perfectior est; ideoque anima rationalis ecsteter aljs formis perfectior, quia potest eadem informare simul plures corporis partes. 2. quia forma simul complens infinitas materias, suppleret vicem infinitarum formarum: ergo perfectione æquivaleret infinitis formis. *Confirm.*: nova informatio est nova causalitas, novum que exercitium virtutis in genere causæ formalis: ergo requirit novam virtutem informativam.

42 *Resp. ad object. neg. Conseq.* *Ad 1. prob.*: instantia est manifesta in corpore multilocato: nam vis existendi in loco dicit perfectionem, & quò plùs extenditur, perfectior est; ideoque amplior correspondet locus Angelo, quàm animæ rationali: & huic amplior, quàm animæ muris. Et tamen juxta Mastrium potest divinitùs idem corpus simul existere in locis infinitis, si aliunde non repugnet infinitum in actu. Itaque vis informativa perfectior est, quò plus extenditur ex debito, vel exigentiâ naturali; sic enim ideò plus extenditur, quia plurium operationum diversarum fœcunda est: at non est perfectior, quò plus extenditur contrà, vel ultrà debitum, nempe obediendo potentiæ Dei absolutæ: imò in hoc sensu negandum est, quòd plus extendatur vis unius formæ, quàm aliarum; quia quælibet extendi potest ad materias infinitas, seu non tot, quin plures.

42 *Ad 2.*: similiter corpus existens in locis infinitis, suppleret vicem infinitorum corporum; & materia recipiens infinitas formas, ut potest juxta Mastrium, suppleret vicem infinitarum materiarum: & tamen non inde sequitur infinitudo per-

perfectionis. Quare *dist. Antec.*: suppleret vicem &c., in complendo substantialiter materias, *conc.* (omnes quippe materiæ tam verè complerentur, quàm si reciperent totidem formas), in constituendo composita formaliter distincta, & in radicando proprietates, & operationes eorum proprias, *neg. Antec.*, & *Conseq.*: vel *dist. Conseq.*: æquivaleret perfectione generică formæ substantialis, *conc.*; perfectione specificâ, vel individuali, *neg. Conseq.*. Æquivalere perfectione generică, præcisè significat, rationem generícam complementi substantialis tam verè participari ab unâ formâ, quàm ab infinitis. Sic mus æquivalet homini perfectione generică animalis; quin ideò æquivaleat perfectione specificâ.

43 *Ad Confirm.*: redit instantia in corpore multilocato, cujus nova præsentia est novum exercitium virtutis occupandi locum; item, & in materiâ recipiente multas formas, quas materialiter causet. Deinde nego, quòd requiratur nova virtus in formâ, ut plures informet materias, non ex debito naturali, sed ex obedientiâ. Causalitas autem in genere causæ formalis, non est activa; cum consistat in unione, quæ potiùs activè provenit à generante, & in nostrâ hypothesi provenire posset à solo Deo: sed solùm est causalitas purè communicativa entitatis formæ, tum ad materiam, tum ad compositum; quod genus causalitatis non impendit vires, ideoque potest multiplicari sine additione virtutis. *Dices*: forma perficit materiam, eique perfectionem dat: ergo, ut det pluribus, debet plus perfectionis habere. *Dist. Antec.*: perfectionem dat ab entitate formæ indistinctam, *conc.*; distinctam à formâ ipsâ, *neg. Antec.*, & eodem sensu *Conseq.*. Forma catenùs dat perfectionem, quatenùs dat seipsam. Potest autem seipsam dare pluribus cum solâ multiplicatione dationis, sive unionis.

44 *Dices* iterùm: forma, ut comparata ad unam materiam, dicit perfectionem: ergo ut comparata ad plures, majorem perfectionem dicit, juxta illud, *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Nego Conseq.*, & instо in materiâ comparatâ ad formas, & in corpore comparato ad loca. Illud autem adagium verum est in causâ efficiente, & in causâ formali respectu effectus intensioris, aut realiter multiplicis prout à formâ constituti: in cæteris sæpe fallit; ut patet in materiâ, & in corpore locabili, atque etiam in sequentibus exemplis. Potentia receptiva animæ nostræ, vel Angeli, ut comparata ad unum Gratiæ gradum, dicit perfectionem: ergo, ut cóparata ad plures, aut infinitos, dicet perfectionem infinitam. Humanitas, ut terminabilis per subsistentiam finitam, dicit perfectionem: ergo, ut terminabilis per subsistentiam infinitam, perfectionem infinitam dicet. Actus obedientiæ, ut sit finitè meritorius, perfectionem requirit in esse actus: ergo, ut sit infinitè meritorius (ut est in Christo), perfectio-

nionem requiret infinitam in esse actus. Mitto alia.

45 Tria hîc notabis. *Primum*: Forma in pluribus materijs existens, non necessariò ex illis omnibus educeretur: posset enim per creationem produci, vel educi ex unâ materiâ, & cæteris purè uniri. Sed quàvis, educeretur ex omnibus, haberet que simul plures causas totales in genere sustentativo, nulla sequeretur contradictio; ut in causis activis ostendemus *Tract. 2.*. *Secundum*: In nostrâ hypothesi, forma non posset, etiam divinitùs, absque additione virtutis activè causare totidem collectiones operationum, & proprietatum sibi connaturalium, quot materias simul informaret. Constat enim, causam activam indigere accessione virtutis, ut ultra vires naturales agat. Et alioquin una forma æquivaleret pluribus formis in facilitate, atque adeò in perfectione. Solùm ergo virtutem activam explicaret in unâ materiâ, quam Deus designaret. Singulis tamen materijs inesset sua quantitas, & alia accidentia, quæ præcedunt formam, & ab eâ non radicantur nisi in genere causæ finalis.

46 *Tertium*: in eâdem hypothesi resultaret compositum, unum quoad formam, & multiplex quoad materiam, & unionem. Et, quia forma est præcipua quidditas compositi, diceretur magis unum, quàm multiplex; vel unum *absolutè*, & multiplex *secundum quid*, sive *cum addito*. Si inferas cum Mastrio: ergo poterit idem homo jam existens, iterùm generari, si nimirùm ejus anima divinitùs uniatur alteri corpori. *Dist. Consequ.*: iterùm generari simpliciter, *neg.* (non enim transiret de non esse simpliciter ad esse simpliciter; siquidem jam erat simpliciter vi unionis animæ cum uno corpore); iterùm generari secundùm quid, *conc. Consequ.*: hoc enim sensu etiam producitur iterùm homo, quando nutritur. Vel *dist.* sic; poterit idem homo iterùm generari, quâ parte est idem, *neg.*; quâ parte distinguitur à se ut præexistente, *conc. Conseq.*

***

# DISPUT. VI.

## *DE UNIONE MATERIÆ ET FORMÆ in Composito substantiali.*

EXPLICATIS principijs intrinsecis Corporis naturalis in facto esse, quoniam illa non constituunt compositum, nisi uniantur, explicanda nunc est eorum unio. Vocatur generatim *Unio*, quicumque nexus, aut vinculum extremorum. Quodsi unio immediata sit, nec aliam expectans determinationem, (quo sensu nunc accipitur) definiri potest in genere, *Formalis & ultima determinatio adæquatè distinctorum, ut constituant unum.* Quæ definitio facilè aptari potest proportione servatâ varijs unionum generibus, quorum meminit inter alios P. Ulloa *disp.* 1. *Physic. Speculat. cap.* 6. Omninò autem convenit unioni *essentiali physicæ*, quo nomine præcipuè intelligitur, quæ nectit actum & potentiam substantiales ad constituendam unam essentiam, seu naturam completam corporis naturalis, quam *substantiale compositum* appellamus. Hæc unio, quæ sola præsentis est instituti, specialiter definiri potest, *Formalis & ultima determinatio actus & potentiæ substantialium, ut physicè constituant unam essentiam corporis naturalis.* Super hac unione variè quæstiones moventur, quarum præcipuas nunc discutiemus.

### CAP. I.

### *UTRUM UNIO REALITER distinguatur à Materia & Forma? Et in quo consistat?*

1 UNionem distingui realiter à materiâ & formâ, negant Nominales, & acerrimè plerique Thomistæ, quibus accedunt pauci è Nostris: qui omnes consequenter negant, unionem consistere in modo superaddito extremis. Affirmant verò cum Exim. Doctore ferè omnes nostri, Scotistæ communiter apud Pontium, & Mastrium, & è recentioribus Thomistis Godoy, Aguirre, Carmelitæ Complut., & Palancus, qui Thomistas alios allegant: atque hi omnes consequenter af-

asserunt, unionem consistere in entitate modali realiter ab extremis distinctâ: *realiter*, ideſt à parte rei, ſive ante opus mentis; quidquid ſit, an diſtinctio inter modum & rem vocanda ſit abſolutè realis, quæ eſt quæſtio de nomine.

## *Unio realiter diſtinguitur à Materia & Forma.*

2 *Probatur* Aſſertio hæc argumento vulgari, ſed hactenus inſoluto. Materia & forma realiter ſeparari poſſunt ab unione: ſed ſeparabilitas, etiam non mutua, ſignum eſt evidens diſtinctionis realis: ergo materia & forma realiter diſtinguuntur ab unione. *Conſequentia* legitima eſt: & *Major* manifeſtè patet in materiâ & formâ cujuſvis hominis vitâ defuncti, quæ de facto exiſtunt ſine unione inter ſe: imò, cum quævis forma materialis divinitùs conſervari poſſit extra materiam eodem, vel potiori jure, quàm accidentia in Euchariſtiâ, materia & forma cujuſvis compoſiti ſubſtantialis exiſtere poſſunt ab unione ſeparatæ. *Minor* verò videtur inconcuſſa, tum ex omnium conſenſu, tum evidenti ratione: fac enim, A exiſtere poſſe ſine B, licèt non è converſo (quæ eſt ſeparabilitas non mutua): tum, ſi A & B non diſtinguuntur, ſed ſunt idem ipſum, ſequitur, quòd A, potens exiſtere ſine B, poteſt exiſtere ſine ſemetipſo, atque adeò poteſt ſimul exiſtere & non exiſtere, contra principium evidentiſſimum, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.*

3 Hoc ipſum argumentum ſub aliis formis accipe. 1.: Quidquid eſt realiter indiſtinctum a materiâ & formâ D. Petri, nunc exiſtit. Sed unio earum non exiſtit nunc: ergo talis unio non eſt realiter indiſtincta ab eis. Syllogiſmus eſt in *Baroco*; & nihil ejus negari poſſe videtur. 2.: Omnis caſus, in quo permanent materia & forma hominis, eſt caſus, in quo permanet quidquid eſt realiter idem cum ipſis; alioquin jam in aliquo caſu materia & forma hominis permanerent ſine ſemetipſis: ergo, ſi unio eſt realiter idem cum talibus materiâ & formâ, permanet in omni caſu, in quo ipſæ permanent: ergo unio permanet in caſu mortis. At hoc eſt planè falſum: ergo & id, ex quo ſequitur. 3.: Si unio non diſtinguitur à binario entitatum materiæ & formæ D. Petri, hæc unio & hic binarius eſt idem: ſed hic binarius nunc eſt, & unio non eſt: ergo idem nunc eſt & non eſt.

4 4.: Implicat deficere id, cujus nec tota entitas, nec aliquod conſtitutivum, aut pars entitatis deficit; alioquin deficeret id, cujus nihil deficit: hoc autem contingeret, ſi unio identificaretur cum ſolis materiâ & formâ: iſtarum quippe nec tota entitas, nec pars entitatis deficit in morte hominis, cum tamen unio deficiat. 5.: Anima rationalis & materia unitæ, ſunt homo: anima rationalis & materia non unitæ, ſunt non-homo: ſed homo differt à non-homine in aliquâ realitate, & entitate, ut eſt per ſe notum: ergo anima rationalis & ma-

teria unitæ differunt à se ipsis non unitis in aliquâ realitate, & entitate. Sed non differunt in suis entitatibus, ut est evidens: ergo in entitate aliâ præter suas. Atqui solùm differuntin unione: ergo unio est alia entitas præter entitates animæ & materiæ.

5 6.: carentia hominis est carentia entis positivi (quis dubitet?): sed in morte datur carentia hominis: ergo tunc datur carentia alicujus entis positivi, seu, quod perinde est, datur non ens, defectus entis, contradictorium entis: ergo tunc deficit à rerum naturâ aliquid entitatis positivæ hominis; nisi velis, ne simul dentur duo contradictoria, nempe entitas & carentia ipsius. At non deficiunt entitates materiæ & formæ: ergo deficit alia positiva entitas ab his distincta. Sed non deficit nisi unio: hæc ergo est entitas ab entitatibus materiæ, & formæ distincta.

6 Ad hæc unica solutio Adversariorum est, unionem entitativè sumptam omninò identificari cum materiâ & formâ; sumptam verò denominativè, seu prout denominat materiam & formam *unitas* importare aliquid aliud, non quod sit intrinsecum constitutivum unionis, aut compositi, sed quod sit connotatum extrinsecum, seu conditio necessariò requisita, ut ea denominatio resultet, adeò ut talis denominatio stare non possit eo connotato deficiente. Hinc inferunt, in morte hominis deficere unionem, non quoad entitatem, sed quoad denominationem; materiamque & formam separari ab unione sumptâ denominativè, non verò sumptâ entitativè. Separabilitas autem quoad denominationem, non semper (inquiunt) probat distinctionem realem. Idem significant alij termini, quibus dicitur deficere unio, non materialiter, quoad implicitum, quoad rectum, sed solùm quoad formalitatem, quoad exercitium, quoad explicationem, quoad connotationem, quoad obliquum. Illud autem connotatum, quod unionis denominatio requirit, alij dicunt esse intimam præsentiam materiæ & formæ in eodem loco, alij dispositiones materiæ ad formam, alij Divinum decretum de existentiâ compositi, alij actionem generativam.

7 Hæc est ipsissima doctrina Connotatorum, quam satis in Logicâ rejecimus generatim ubi de Relatione: unde facilè peti potest ejus impugnatio pro subjectâ materiâ. Sed ne modò nihil dicere videamur, *rejicitur*; quia unio sumpta quoad denominationem (adde, si lubet, quoad formalitatem, quoad exercitium, quoad explicationem, &c.), vel identificatur, saltem inadæquatè, cum aliquo realiter distincto ab entitatibus materiæ & formæ, vel non. Si primum dicas: ergo unio, sumpta quoad denominationem, ab eis entitatibus realiter distinguitur, saltem inadæquatè, quod nostræ Assertioni sufficit; non enim nunc disputatur de unione, nisi prout est ultima determinatio, & actuale exercitium uniendi, seu prout actu denominat ac reddit unitas materiam

riam & formam; nec quæritur nisi vera distinctio realis, sive adæquata sit, sive inadæquata. Si dicas secundum; redit eodem impetu nostrum argumentum sub omnibus formulis, quas dedimus; dummodò in eis ubicumque est vox *unio*, vel *unitæ*, addas *quoad denominationem*. Tenta quæso, & experieris argumentum prorsus insolutum.

8 *Rejicitur* 2.: unio, sumpta quoad denominationem, non est purum nihil, nec est denominatio phantastica, nec intentionalis, nec vocalis; sed est procul dubio denominatio positiva, physica, & à parte rei existens, etiam nemine cogitante, aut loquente: est item denominatio intrinsecè & essentialiter imbibita in composito, v. g. in homine; non enim essentia physica hominis includit materiam & formam utcumque, sed actualiter unitas. Hæc omnibus certa sunt. Tum sic: ergo unionem deficere quoad denominationem, est deficere aliquid positivum, physicum, à parte rei existens, & inclusum in essentiâ hominis, ac proinde non merum connotatum extrinsecum. At non est deficere entitates materiæ & formæ: ergo est deficere aliquid ab his distinctum, quod non est purum connotatum.

9 *Rejic.* 3.: unio quoad denominationem, seu prout actu denominans, est vera realitas; alioquin homo in nullâ realitate differret à non-homine, scilicet à binario entitatum materiæ & formæ non unitarum, qui est non-homo; solùm quippe differt in unione prout denominante. Rogo nunc, an haec realitas adæquatè distinguatur à connotato, quòd asfignas? Si asseras (ut videatur communiter asserere Connotatores); rogo iterùm, an deficiente connotato, v. g. in morte hominis, deficiat aliqua realitas à tali connotato adæquatè distincta? Si affirmes; asfigna quænam sit: nam realitas materiæ & formæ non deficit. Si neges: ergo deficiente connotato, manet adhuc unio, prout actu denominans, siquidem unio, sic accepta, est una ex realitatibus adæquatè distinctis à connotato: ergo manet homo.

10 Si propterea dicas, unionem prout denominantem non adæquatè distingui à connotato, sed illud includere, & ex illo constitui de obliquo, ut concedit M. Bayona hic *q. 6. edit.* 2.. Infero: ergo jam unio in esse denominantis, realiter distinguitur, saltem inadæquatè, à materiâ & formâ. Patet: quia unio in esse denominantis verè constituitur ex aliquo realiter distincto à materiâ & formâ, nempe ex illo connotato; ac proinde cum ipso realiter identificatur, saltem inadæquatè: hoc autem stare non potest, quin unio in esse denominantis, realiter distinguatur à materiâ & formâ, inadæquatè saltem.

11 Porrò constitutivum de obliquo, verè constituit, verè que identificatur inadæquatè cum re constitutâ; ut patet in concretis accidentalibus, quorum una pars (sive sit subjectum, sive forma) solùm constituit de obliquo, & tamen verè constituit: v. g. hæc denominatio,

*Filius Dei adoptivus*, verè constituitur ex Gratia & creaturâ rationali, nec dici potest adæquatè identificari cum altero tantùm ex his constitutivis; & tamen eorum alterum nonnisi de obliquo importatur. Quodsi contendas, constitutivum de obliquo non verè & intrinsecè constituere, nec inadæquatè identificari cum re constitutâ: ergo tota realitas unionis in esse denominantis, adæquatè distinguitur à connotato; & redit impugnatio num. 9.

12 Præterea quæro abs te, utrùm per defectum connotati deficiat *formaliter* unio quoad denominationem? an deficiat *illativè* tantùm? Si *formaliter*: ergo connotatum est intrinsecum constitutivum unionis prout denominantis, vel est tota realitas ejus: nulla quippe res deficit *formaliter*, nisi per defectum totius realitatis, vel alicujus intrinseci constitutivi, ut notum est. Si tantùm *illativè*: ergo defectus connotati infert defectum alterius realitatis à connotato distinctæ. Dic ergo, quænam illa sit. Aliter: Carentia connotati, vel est ipsa formalis carentia unionis prout denominantis, vel non. Si est: ergo unioni & connotato eadem respondet carentia formalis, sive idem non-esse, idem non-ens: ergo idem est esse, & eadem entitas utriusque. Si non est: ergo, cùm deficit unio prout denominans, ultra carentiam connotati datur alia carentia, sive aliud non-ens: ergo datur defectus alterius entitatis.

13 *Resp. 4.*: eâdem solutionis doctrinâ, eodemque recursu ad connotatum extrinsecum, eliminari possunt modi omnes à rerum naturâ, v. g. præsentia localis, actio, passio, & præsertim modus relationis Thomisticus, identificando scilicet relationem cum solo fundamento connotante terminum. Cum ergo nihilominùs modos istos, à parte rei distinctos à rebus absolutis, agnoscant Thomistæ, parùm consequenter ejusmodi doctrinâ utuntur in præsentiarum. Consequentiùs procedunt Connotatores, qui modos omnes generatim negant. Sed nihilominùs urgeri possunt: quia similiter neganda erunt plura alia constitutiva rerum, quantùmvis jure posita. Quid enim prohibet v. g. identificare hominem cum solâ animâ, connotante materiam præsentem, tamquam purum connotatum extrinsecum? dicereque, in morte hominis non deficere animam quoad enticatem, sed solùm quoad denominationem *hominis*, & quoad cæteras in homine inclusas, quæ deficiunt ex defectu solius connotati?

14 Quid item prohibet in omnibus compositis ponere formam unius speciei entitativæ, quæ pro varietate solius connotati extrinseci nunc tribuat denominationem *equi*, nunc *canis*, nunc *arboris*, nunc *auri*, nunc *lapidis*, &c.? Imò quid prohibet negare cum Atomistis formam substantialem? & totam compositorum varietatem constituere per solam materiam, sive per atomos ejusdem speciei entita-

tativæ, cum solâ varietate combinationis, quin combinatio quidquam entitativum superaddat? Si homo in nullâ entitate differt à non homine (quod, ut vidimus, sequitur ex sententiâ negante unionem distinctam), cur equus in aliquâ entitate differat à cane? vel ab arbore? vel à lapide?

15 Forsàn pro Thomistis disparitatem reddere tentabis ex Collegio Complut., seu M. Bayonâ; dicesque, novam denominationem tunc solùm exigere novam formam, seu novum constitutivum, quando est denominatio primaria, & excedens virtutem & proportionem rei præexistentis; secùs verò, quando est denominatio secundaria, & non excedit rei præexistentis proportionem, & virtutem; ut accidit in denominatione *unitarum* respectu materiæ & formæ. Sed *contrà* 1.: quia, quamcumque denominationem mihi proponas, facilè dicam, non esse primariam, nec excedere vim, & proportionem rei præexistentis; idque ex doctrinâ tuâ propugnabo. Dicam v. g., denominationem *lupi* non esse primariam respectu formæ canis, & in hac formâ vim & proportionem esse ad denominandum *lupum*, dummodò addas novum connotatum extrinsecum. Unde hoc impugnabis? *Contrà* 2.: denominatio *hominis* est procul dubiò primaria, & principalissima: ergo præter materiam & formam (fac esse præexistentes) exigit novum constitutivum. At non exigit nisi unionem.

16 *Contrà* 3.: cur existentia v. g. debet apud Thomistas magis distingui ab essentiâ creatâ, quam unio ab extremis? An quia *existere* est quid contingens, & separabile ab essentiâ? At etiam *uniri* similiter se habet respectu materiæ & formæ hominis? An quia ex terminis *existere* est primaria denominatio existentiæ? At etiam ex terminis *uniri* est primaria denominatio unionis: nam ita se habet unio ad *uniri*, sicut existentia ad *existere*. An quia extrema proportionem & virtutem habent ad unionem? At cur non idem dicis de essentiâ creatâ, quæ de se aptissima est ad existentiam, & semel producta, multò magis cum existentiâ connectitur, quàm extrema cum unione? An quia solius Dei est identificare secum suum esse? *Distinguo*: identificare secum suum esse, sine indigentiâ connotati quoad exercitium essendi, *conc.*; cum indigentiâ connotati, idest, actionis productivæ, quoad exercitium essendi, *neg.* Quâ mihi ratione contradices?

## *Unio prædicta consistit in Modo realiter superaddito extremis.*

17 ASsertio ista *probatur* 1.: quia Unio inprimis non constituitur solis entitatibus materiæ & formæ, ut probatum est. Deinde non constituit in aliquo ex connotatis num. 6. recensitis. Cum ergo nulla alia entitas probabiliter advocari possit ad munus uniendi, superest, ut unio consistat in modo realiter superadditò

peraddito extremis. Nihil hic restat probandum, nisi quòd unio non consistit in aliquo ex connotatis n. 6. recensitis. Id verò communiter supponitur ab Adversarijs; qui connotata illa vocant quidem conditiones, ut existat unio quoad exercitium; nolunt tamen, ut unio ex illis intrinsecè constituatur, aut in eis consistat. Sed præterea probatur percurrendo singula.

18 Inprimis unio non consistit in penetratione locali, qua forma fit materiæ præsens in eodem loco. Tum quia præsentia illa, cum sit accidens, nequit intrinsecè constituere hominem: unio autem intrinsecè constituit; liquidem eâ solâ deficiente, etsi cætera maneant, formaliter deficit homo. Tum quia stare potest ea præsentia, quin detur unio: possunt enim divinitus penetrari duo homines, quin alterius anima uniatur corpori alterius: & alioquin anima Christi nascentis, resurgentis, & ingredientis cœnaculum januis clausis, unita fuisset cum materiâ claustri virginalis, lapidis sepulchri, & januæ cœnaculi. Adde, quòd tres divinæ Personæ sunt æquè præsentes humanitati Christi, cui tamen sola secunda unitur. Imò sunt per immensitatem præsentissimæ omnibus humanitatibus, quin eis uniantur.

19 Deinde nec consistit unio in dispositionibus materiæ ad formam. Tum quia nec istæ possunt intrinsecè constituere hominem, cum sint accidentia. Tum quia etiam stare possunt, quin fiat unio: potest enim Deus animam à corpore separare, nullâ dispositione sublatâ: potest item duos homines penetrare, quin unius anima uniatur alteriùs corpori, quamvis tale corpus æquè dispositum sit ad quamlibet animam ejusdem speciei. Ipsa quoque humanitas Christi soli Verbo uniatur, cum tamen æquè disposita sit ad alias Divinas Personas. Præterea neque unio consistit in Divino decreto de existentiâ compositi. Tum quia sequeretur alioquin, Petrum, aut equum, intrinsecè constitui ex aliquo Divino, atque adeò non esse ens purè creatum, sed partim increatum. Tum quia eodem jure dici posset, quòd actio creaturæ, passio, motio, motus, imò calor, albedo, &c., consistunt in decreto Dei. Tum quia decretum illud vult, ut materia & forma uniantur: ergo respicit unionem pro objecto, seu termino: ergo non est unio ipsa.

20 Denique, quod attinet ad actionem generativam compositi, si unio in eâ consistit, jam consistit in modo: nam actionem esse modum, nemo negat, nisi fortè rigidus quispiam Connotator. Et reverâ probabile est, eductionem formæ materialis identificari cum ejus unione ad materiam; de quo infrà. Nihilominùs illa actio, prout à Thomistis ponitur, non est unio ipsa. Nam actio generativa, hominis v. g., apud Thomistas est modus accidentalis, atque adeò non potest ingredi constitutionem hominis: est item apud eosdem, non tam unio, quàm unitio, sive effectio unionis; nec animam & materiam unit formaliter, sed efficienter; ac proinde

unio-

unionem respicit ut terminum à se distinctum. Atque hinc probari solet utraque Assertio nostra contra Thomistas. Nam generatio hominis, utpotè vera hominis productio, aliquid entitatis producit in homine: sed non producit materiam, nec formam, quia neutra producitur generatione, sed creatione: ergo producit entitatem à materiâ & formâ distinctam; quæ nulla esse potest, nisi modus unionis. Certè generatio ista est productio hominis. Quid ergo in homine producit?

21 *Dices* 1.: producit totum hominem in esse hominis. *Contrà*: homo in esse hominis importat nè aliquid distinctum ab entitatibus materiæ & formæ? Si neges: ergo, cum has entitates non producat generatio, non producit hominem in esse hominis. Si affirmes: quid est illud aliquid, nisi modus unionis? *Dices* 2.: generatio hominis non est productio entitatis, sed est actio unitiva partium, seu communicativa formæ ad materiam. *Contrà*: generatio hominis est vera productio hominis, quem facit transire de non esse ad esse: quomodò autem dari potest hic transitus sine novâ entitate? *Contrà iterum*: generatio hominis ita est unitiva & communicativa, ut non sit unio & communicatio formaliter, sed efficienter, juxta Thomistas: ergo est effectio unionis, seu communicationis formalis. Sed non est effectio materiæ, nec formæ hominis: ab his ergo distinguitur formalis unio.

22 *Dices* 3.: est effectio materiæ & formæ, non secundum se, sed quoad simultatem, quia facit materiam & formam esse simul, officit que formam prout in materiâ. *Contrà*: illa *simultas*, illud *esse simul*, illud *prout in*, non significat meram simultatem temporis & loci; tum quia hæc simultas, utpotè accidentalis, non intrat essentiam hominis; tum quia cum eâ stare potest quòd materia & forma non sint unitæ, ut suprà ostendimus. Quid ergo aliud significat, præter materiam & formam secundum se vere existentes? Si enim nihil aliud, effectio illa nihil efficit.

23 *Probatur* 2.; quia hìc urget necessitas admittendi modum superadditum, si usquam alias. Tunc enim modus censetur necessarius, cùm res absolutæ indifferentes sunt ad munus aliquod, possuntque existere, quin illud obeant, & aliúde nihil ipsis deest præter ultimam determinationem, sive exercitium actuale. Sic admittitur modus actionis, quia causa & effectus possunt existere, quin effectus oriatur à tali causâ: sic etiam modus ubicationis, seu præsentiæ; quia possunt existere res & locus A, quin res existat in loco A. Atqui materia & forma possunt existere, quin uniantur, & constituant compositum, nihil que ipsis deest præter ultimam determinationem, & actuale exercitium: ergo &c.

## CAP. II.

## *SOLVUNTUR OBJECTIONES.*

1 *Objic.* 1.: forma immediatè unitur materiæ: ergo non mediâ unione distincta.

*Prob.*

*Prob. Antec.* 1.: quia ita expressè Aristoteles, & D. Thomas. 2.: quia forma immediatè informat, sive actuat materiam, cum per se immediatè sit actus illius: sed informare materiam, est illi uniri: ergo. 3.: quia forma & materia se ipsis proportionantur ut actus & potentia, appetunt que invicem uniri naturali pondere.

2 *Resp. dist. Antec.*: immediatè *ut quod*, *conc.*; immediatè *ut quo*, sive immediatione actualis exercitij uniendi, *neg. Antec.*. Tum *dist. Consequ.*: non mediâ unione, quæ propriè mediet, *conc.*; quæ mediet solùm impropriè, & abusivè, *neg. Consequ.*. Forma unitur materiæ immediatè *ut quod*; quia est id, quod denominatur ac redditur immediatè unitum: nam unio, quam ponimus, est formalis & immediata unio formæ cum materiâ: ergo dum formam afficit, ipsi tribuit suum quasi effectum formalem, qui est denominatio *formaliter & immediatè unitæ cum materia*. Idem intellige de materiâ respectu formæ. Non tamen forma unitur immediatè *ut quo*, sive immediatione actualis exercitij; quia non identificat secum exercitium istud.

3 Nec unio, quam adstruimus, propriè mediat. Quia id solum propriè mediare dicitur, quod non finit extrema se se immediatè contingere, sed ea tantùm sibimet ipsi jungit hinc & inde, ideſt, unum ex uno, aliud ex alio latere, ut cùm calx mediat inter lapides; vel etiam, quod non finit extrema se se immediatè afficere, nec est utriusque unio formalis; sed tantùm singulorum in se terminat unionem, quo modo albedo unitur materiæ mediâ quantitate. At nihil horum convenit unioni, quæ sit purum exercitium uniendi: hæc enim potiùs est immediatus & intimus contactus extremorum inter se, immediata affectio, & unio formalis eorumdem. Impropriè tamen, & abusivè dicitur mediare; quia loquimur, ut apprehendimus, & non apprehendimus unionem per species proprias, sed instar rei mediantis, v. g. calcis, aut bituminis; sicut Angelum instar juvenis aligeri. Eâdem ratione partes unitæ vocantur *extrema*. Itaque propriè loquendo, tam immediatè unitur forma cum materiâ, quàm unio ipsa; quia licèt unio cum materiâ uniatur essentialiter, adeòque inseparabiliùs, quàm forma; utraque tamen omninò excludit medium propriè tale.

4 Tota hæc doctrina clarescèt exemplis actionis, ubicationis, relationis, & similium modorum. Quia enim actio solùm additur ut formale exercitium producèndi, non tollit, quòd causa immediatè producat effectum, & hic immediatè producatur à causâ: quâ eâdem ratione ubicatio non tollit immediationem inter corpus, & locum; & modus relationis Thomisticus finit fundamentum immediatè referri ad terminum.

5 Hinc nihil obstant *probationes Antec.* n. 1.. *Ad* 1. concedimus cum Aristot. & D. Thoma immediationem propriè talem. *Ad* 2.: forma informat & actuat materiam im-

mediatè *ut quod*; & per modum actus informativi, non verò immediatè *ut quo*, seu per modum informationis, & actuationis formalis; sicut causa activa immediatè agit per modum virtutis activæ, non per modum actionis. *Ad* 3.: tota illa proportio & appetitus, non reddit materiam, & formam ultimò & formaliter determinatas, ut uniantur, cum possint sine unione existere: non ergo tollit necessitatem unionis distinctæ, quâ immediatè uniantur: sicut proportio & appetitus causæ ad producendum, non tollit necessitatem actionis.

6 Sed, ut locutiones quasdam explices, aut rejicias, observa sequentia. 1.: unio ipsa, cum essentialiter affigatur extremis, est etiam *id*, *quod* unitur; non tamen dicitur simpliciter *unire ut quod*; quia locutio ista significat id, quod unitur per modum entitatis absolutæ, vel certè id, quod non ideò unitur, ut uniat extrema à se distincta, sed unitur velut in gratiam sui: quod autem unitur per modum exercitij, quo alia uniuntur, solùm dicitur *uniri ut quo*. Sic ubicatio dicitur locari *ut quo*, licèt sit etiam *id quod* est in loco: câdemque ratione actio dicitur causare, non *ut quod*, sed *ut quo*. Si tamen aliter loqui velis, per me licet, dummodò constet unionem, quam ponimus, esse modalem & ultimam determinationem, quâ materia & forma redduntur immediatè unitæ.

7 2.: unio etiam pro tenuitate suâ materiam actuat, & informat: non tamen dicitur actus, sed actuatio, non forma, sed informatio: sicut actio non dicitur causa, sed causalitas, licèt ipsa quoque pro modulo suo faciat effectum existere. Ne tamen de voce litiges, siquis unionem contendat esse formam, & actum, distingue sic: per modum informationis & actuationis alterius formæ, *conc.*; aliter, *neg.*. Cæterùm negandum omninò est, quòd unio materiam actuet & immutet priùs, & immediatiùs, quàm forma, cujus est unio. Nam idem est unionem existere, ac reddere formam immediatè actuantem & immutantem subjectum; in hoc enim consistit essentia unionis. Sic ubicatio non est in loco priùs & immediatiùs, quàm corpus; nec actio dat esse effectui priùs & immediatiùs, quàm causa.

8 3.: unio dici potest *ratio formalis*, quâ forma informat, si hoc nomine, *ratio formalis*, intelligatur ultima & formalis determinatio formæ ad informandum; secùs verò, si tali nomine intelligatur virtus, seu potentia informativa formæ; sic enim *ratio formalis* informandi non distinguitur à formâ ipsâ. Hinc habes, qualiter unio animæ cum corpore dici possit, vel non possit, *ratio formalis* vivificandi; necnon actio causæ activæ, *ratio formalis* producendi; vel etiam ubicatio corporis, *ratio formalis* occupandi locum. Dicere quoquo poteris, quòd unio non est ratio formalis, quâ extrema sunt unibilia; est tamen ratio formalis, quâ extrema sunt actualiter unita. An autem sit ratio formalis, quâ extrema sunt unum actu, dicemus statim.

9 *Objic.* 2.: si daretur unio distincta, homo (idem puta de quovis alio compositio) esset formaliter unus per eam unionem, siquidem ratione illius extrema sunt indivisa, & unitas est indivisio. At sequelæ istius falsitas ex eo patet, quòd homo per id est formaliter unus, per quod est formaliter ens, cum unitas sit passio entis: homo autem est formaliter ens per materiam & formam, non per unionem modalem, alioquin foret ens modale.

10 *Solutio* communis distinguit duplex genus unitatis in rebus compositis. Alia est unitas compositionis, quæ consistit in conjunctione partium, negat que divisionem unius partis ab aliâ; & hæc unitas non est transcendentalis, quia supponit partes, adeòque non convenit omni enti. Alia verò est unitas indivisionis entis in plura talia, quale ipsum est, v.g. hominis in plures homines, aut Angeli in plures Angelos; & hæc est unitas transcendentalis, & attributum entis ut sic, quia in omni ente reperitur. Ad *objectionem* ergo respondetur, hominem ab unione reddi formaliter unum unitate compositionis, non verò unitate transcendentali; hanc enim, non à solâ unione, sed à totâ suâ essentiâ, habet homo, sicut à totâ suâ essentiâ habet esse ens.

11 Melius fortasse dici potest, quòd *unum*, sive *unitas* (hi termini solùm differunt ex modo significandi, sicut *ens*, & *entitas*) dicit de formali, non solam indivisionem, sed simul entitatem ipsam positivam. Id quod supponit Objectio, dum ait, hominem per id esse formaliter unum, per quod est formaliter ens; & alioquin, cum indivisio sit mera negatio, ut communiter dicitur, unitas foret attributum merè negativum. Vid. P. Suar. *d.* 4. *Met. f.* 2.. Unum ergo significat formaliter *Ens indivisum*: atque ita redditur homo formaliter unus à totâ suâ entitate (scilicet à materiâ, formâ, & unione), & insuper ab indivisione. Hæc autem indivisio non solùm excludit divisionem animæ à materiâ, sed etiam divisionem, tum animæ, tum materiæ, in semetipsis: quare non solùm provenit ab unione modali, sed etiam à simplicitate animæ, & ab unitate materiæ. Hinc negandum, quòd per solam unionem reddatur homo formaliter unus, aut indivisus; quàmvis unio sit ultimum determinativum.

12 Cur autem homo non denominetur *ens modale* à modo unionis, quem includit, ratio petenda est ex regulâ datâ *disp. præced. c.* 1. *n.* 25.. Nimirùm denominatio illa significat entitatem essentialiter affixam alteri, vel saltem concretum, cujus præcipua forma est modus: & utraque significatio repugnat homini. Habes exempla *loc. cit.*. Ob eamdem rationem denominatio *uniti*, quæ est velut formalis effectus unionis, non refunditur in totum hominem, quàmvis conveniat materiæ & formæ.

13 *Dices*: præcipua, vel unica forma hujus denominationis, *compositum*, est compositio: hæc au-

autem est unio partium: ergo, si unio est modus, substantiale compositum erit concretum, cujus præcipua forma est modus. *Resp.* Si *compositum* idem sonet, ac *simul positum*, est denominatio præstita à compositione, sive unione, tamquam à propriâ formâ: cæterùm hoc sensu non dicitur de toto substantiali, sed de partibus ejus, sicut denominatio *uniti*. Dum ergo dicitur de toto, seu de corpore naturali, significat idem, ac *quod constat partibus unitis*, vel *quod identificatur cum materia*, *forma*, *& unione*: quo sensu non est denominatio proveniens magis ab unione, quàm à materiâ, & formâ; imò præcipuè provenit à parte præcipuâ, quæ est forma substantialis. Idem dictum esto de nomine *constitutum*.

14 *Dices* iterùm: homo diceretur ens accidentale, si unio foret accidentalis: ergo dici debet ens modale, si unio est modalis. *Resp.* Eodem argumento probari posset, quòd homo dici debet ens partiale, vel ens incompletum, quia includit formam, quę est entitas partialis, & incompleta. Itaque *neg. Consequ.* Disparitas verò sumenda est ex regulâ citatâ n. 12.: quia scilicet *accidentale* dicitur quidquid non est adæquatè intentum per se, & propter se, sed continet aliquid adæquatè distinctum à supposito: id autem verificaretur de homine, si constaret unione accidentali. At non ita verificatur quod est de conceptu *entis modalis*, ex n. 12.; sicut non verificatur quod est de conceptu *entis partialis*. Ubi notabis, quòd unio, quàmvis essentialiter pendens à subjecto, eidem que inhærens, aut affixa, ideò non est accidens, quia intenditur in gratiam compositi, vel suppositi, in quo & ipsa includitur, atqueadeò intenditur propter se, sive ut aliquid suppositi. Relege dicta *disput. 4. cap. 3. n. 17. & 18.*.

15 *Dices* insuper: modalis unio est relatio transcendentalis sui ipsius ad extrema, & prædicamentalis extremorum inter se: ergo homo, ex tali unione constitutus, erit ens relativum, vel saltem non erit ens adæquatè absolutum, sed partim ad se, partim ad aliud. *Conc. Antec.* ex dictis in Logicâ, ubi de Relatione. Ad illationem verò dic, hominem, & quodlibet ens creatum, esse relativum transcendentaliter, saltem respectu ad Causam primam, quin ideò desinat esse ens absolutum, & ad se. Vide suprà *disp. 2. c. 2. n. 35.*, & in Logicâ *tract. 4. c. 5. n. 4.*. Neque hoc habet homo à solâ unione, sed ab omni sui parte; nam etiam materia & forma sunt relationes transcendentales, & ad invicem, & ad Deum. At negandum, quòd homo ex se & intrinsecè sit ens relativum prædicamentaliter, quàmvis ex prædicamentali relatione constituatur; quia denominatio *relativi* non refunditur in totum compositum, ob rationem datam pro denominatione *entis modalis*. Quare homo dicitur ens absolutum, non quidem adæquatè, sed tamen simpliciter; sicut dicitur ens corporeum simpliciter, quàmvis non adæquatè.

16 *Objic.* 3.: homo definitur

tur *compositum ex corpore & anima rationali*, ubi nulla mentio de unione. *Confirm.* 1. ex Symbolo Athanasij, ubi dicitur: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Hic distinctè explicantur constitutiva hominis, & Christi; nec tamen nominatur unio. Urgetur hoc syllogismo: Quod est unus homo, secum identificat unionem; sed *anima rationalis & caro unus est homo*: ergo anima rationalis & caro secum identificant unionem. *Confirm.* 2. ex D. Dionysio dicente: *Mors non est in homine substantiæ corruptio, sed unitorum separatio.* At, si perit unio quoad entitatem, mors hominis erit utique substantiæ corruptio. *Confirm.* 3. ex Aristotele, qui unionis immemor, substantiam adæquatè dividit in materiam, formam, & compositum.

17 *Resp.* Cum homo physicè definitur, unio, licet non expressè nominetur, supponitur; quia, nisi anima & corpus supponantur unita, non datur homo, qui definiatur. Ideò autem unio non explicitè nominatur, quia non tam est pars, quàm nexus partium, non tam constitutivum, quàm purum exercitium constituendi: & aliunde perfectio, & indoles specifica compositi satis dignoscitur explicatis materiâ & formâ. Significatur tamen unio implicitè per nomen *compositum*, quod idem sonat, ac *constans partibus unitis.*

18 Hinc *ad* 1. *confirm.*: in Symbolo Athanasij, tam anima & caro, quàm Deus & homo, sumuntur, non utcumque, sed prout sunt extrema unita quoad exercitium, seu quoad denominationem; aliàs non staret veritas illius articuli, ut patet in morte hominis, ubi manent anima rationalis & caro, nec tamen unus est homo; idemque pateret, quantum ad Deum & hominem, si deficeret quoad exercitium unio hypostatica. Quare in syllogismo adjuncto *concedo Maj.* de identitate inadæquata, & *dist. Min.*: in sensu, quo anima & caro sumuntur in Symbolo, *conc.*; aliter, *neg. Min.*: & similiter *dist. Consequ.*

19 Notandum hìc, quòd idem est dissidium circa unionem hypostaticam; quam Authores nostræ sententiæ collocant in modo distincto ab humanitate & personâ Verbi, refragantibus plerisque Thomistis. Pro utrâque parte sunt argumenta Theologica, quæ hìc expendere importunum esset. Tantum moneo, Verbum Divinum non esse propriè subjectum unionis hypostaticæ, nec ab eâ perfici, nec informari, aut immutari; sed esse duntaxat terminum intrinsecum, quem unio exigit speciali titulo præsentissimum & intimũ humanitati.

20 *Ad* 2. *confirm.*: modalis entitas unionis, sicut non dicitur absolutè res, ita non dicitur absolutè substantia: ideò mors hominis non dicitur corruptio substantiæ, scilicet absolutæ, licèt reverâ sit corruptio substantiæ modalis, inde que denominativè corruptio hominis, qui ex tali substantiâ constituitur: & alioquìn mors hominis non foret corruptio substantialis; quod nemo di-

dixerit. *Ad 3.*: Aristotelica divisio subsistantiæ comprehendit unionem nomine *compositum*, nec eam expressiùs nominat propter dicta n. 17.

21 *Objic. 4.*: materia & forma se ipsis proportionantur in actu secundo; hæc enim proportio consistit in ratione primi subjecti, & primi actus: ergo materia & forma se ipsis uniantur in actu secundo. *Confirm.*: unio, cum sit causalitas, quâ forma causat suum effectum formalem, minùs distat à formâ, quàm ipse formalis effectus; est enim unio quasi via ad effectum hujusmodi: & tamen effectus formalis non distinguitur realiter à formâ: ergo à fortiori nec unio distinguitur.

22 *Resp.*, vel *neg. Antec.*, vel *dist.*: si proportio in actu secundo significet plenam aptitudinem recipiendi & informandi, in quâ stat quidditas primi subjecti & primi actus, *cons.*; si significet exercitium istius aptitudinis, *neg. Antec.*, & *Consequ.*. Ad *confirm.*: unio nec minùs, nec magis, quàm effectus formalis, à formâ distat distantiâ temporis, aut loci: nec causalitas istius effectus est via ad ipsum, nisi metaphoricè, aut abusivè; potiùs enim est intrinsecum ejus constitutivum. Si autem distantia sumatur pro distinctione, par est distantia causalitatis, & effectus formalis, quatenùs hic includit alia constitutiva præter formam: formalis enim effectus est totum compositum, in quo præter formam includuntur materia, & unio, sive causalitas.

23 *Objic. 5.*: posità animâ rationali intimè præsente toti corpori, positisque in corpore organis ultimò dispositis ad actiones vitales, & insuper posito decreto Dei de concurrendo cum animâ ad usum ejusmodi organorum, tametsi nihil aliud adderetur, posset anima uti oculis ad videndum, auribus ad audiendum, &c., consequenterque plenè daretur homo: ergo novus unionis modus, quem ponimus, est omninò superfluus. *Neg. Antec.*: quia tunc anima non esset forma informans, sed forma assistens, sicut dæmon in corpore arreptitij. Posset ergo tunc animæ uti organis corporeis præcisè ad motum localem; minimè verò ad vitales actiones videndi, audiendi, &c.; hæ quippe debent esse à principio intrinseco; tunc autem anima non potest agere in corpore, nisi ut causa extrinseca, sicuti dæmon agit. Relege *Dissert. Pralim. n. 27.*

24 *Objic. 6.*: apud nostros Auctores, licèt conservatio non distinguatur à productione, potest dari productio, quin denominetur conservatio: potest item res existere, quin denominetur durans in instanti A, quàmvis duratio sit indistincta à re durante: potest etiam dari fundamentum relationis, quin denominetur relatum, tametsi relatio non sit distincta à fundamento. Quòd ergo materia & forma possint existere, quin denominentur unitæ, non probat, unionem ab illis esse distinctam. *Nego suppositum Anteced.*, si loquatur de indistinctione adæquatâ: non enim Auctores nostri conservationem adæquatè iden-

identificant cum productione, nec durationem cum solâ re durante, nec relationem cum solo fundamento: sed apud illos conservatio in esse talis constituitur etiam de obliquo per durationem rei in instanti antecedenti, ut etiam duratio per instans, aut tempus, & relatio per terminum. Unde, cùm actualiter non denominant, deficit ipsis aliquod constitutivum denominationis, & non merum connotatum extrinsecum, quod scilicet à totâ realitate denominationis distinguatur.

25 Denique duo notabis. 1.: modus unionis non aliâ indiget unione, ut uniatur extremis, (nisi fortè sub ratione aliquâ speciali) sed per se immediatè unitur, ne alioquin multiplicentur uniones sine fine. Sic actio se ipsâ producitur, & ubicatio se ipsâ ubicatur, quin requiratur actio actionis, nec ubicatio ubicationis. 2.: quod dictum est de unione substantiali, accipiendum pariter de unione formæ accidentalis absolutæ, & generatim de unione extremorum, quorum neutrum est essentialiter determinatum ut uniatur alteri: semper enim tunc addenda est unio modalis. Unde etiam unio continuativa sitæui solet in modo superaddito; qui tamen, ad discrimen unionis essentialis, non penetratur cum utroque extremo; nec exigit penetrationem eorum inter se; sed penetratur cum altero duntaxat, & exigit essentialiter ut alterum sit in loco immediato: quâ de re alibi fermo redibit.

****

## CAP. III.

### *UTRUM EDUCTIO FORMÆ materialis identificetur cum ejus Unione ad materiam?*

1 UT quæstio præfixa locum habeat, supponendum est, quòd actio & passio identificantur, seu quòd *eductio* non solùm est *actio* agentis, sed etiam *passio* materiæ, ideſt, causalitas illa, quam materia exercet in formam ut causa materialis, & subjectum sustentationis; quæ causalitas vocatur etiam *sustentatio*, *inhærentia*, *dependentia formæ à materiâ*, & *receptio*; quamquàm *receptio* latiùs interdum sumitur pro quâlibet unione informativâ. Meritò autem supposito ista præmittitur: quia si eductio sit actio realiter à passione distincta, non recipitur in materiâ, sed in agente, nec est unde probetur identificata cum unione. Hinc nulla quæstio est de creatione animæ rationalis, quam constat non esse passionem, nec à materiâ pendere in ullo genere causæ physicæ. Quare quæstionis propositæ sensus est, utrùm ille modus, quo materia passivè causat, sustentat, ac recipit materialem formam, sit realiter ipse modus unionis ultimò determinans eamdem formam, ut cum materiâ constituat unum per se, quin opus sit unionem aliam superaddere?

2 Negativam partem tenent PP. Hurtad., Arriaga, Ovied, Amicus, Compton, Alphonsus, & alii, quos citat, & sequitur P. Gabriel

de

de Henao *in Empyreolog. exercit. 7. n. 68.* Accedunt PP. Peynad., & Ulloa, pluresque Recentiores. Partem verò affirmantem tuetur Exim. Doctor *d. 13. Met. f. 9. n. 10. & 11.*, necnon alijs in locis citatis ab Henao *n. 82.*. Accedunt PP. Vazquez, Bernal, Ripalda, Lynce, & Quiros, qui duo postremi solent pro contrariâ sententiâ allegari, cum tamen ex suppositione, quòd eductio sit passio, expressè affirmet uterque, Lynce quidem *lib. 5. tract. 3. cap. 3.*, Quiros autem *tract. 3. disp. 48. sect. 2. in fine.*, ubi etiam Fonsecam, & Conimbricenses allegat. Subscribunt multi, nobilesque Recentiores. Hæc eadem affirmativa pars mihi etiam probabilior est: &

3 *Prob.*: Eductio, sive passio, se ipsâ constituit formam actualiter in materiâ receptam; siquidem passio est receptio propriè & strictè talis, ut Adversarij concedunt: ergo se ipsâ constituit formam actualiter materiæ unitam, ac proinde se ipsâ est unio. *Prob. Conseq.*: nequit forma intelligi recepta in materiâ, quin ipsi tribuat suum effectum formalem: sed hunc effectum non tribuit, nisi ut actualiter unita materiæ: ergo nequit intelligi recepta, quin intelligatur unita: ergo, si eductio se ipsa reddit formam actualiter in materiâ receptam, reddit & actualiter unitam. Cætera constant: & *Major probatur* 1.: quia nequit forma intelligi recepta, quin intelligatur communicata materiæ, ut ex terminis patere videtur: forma autem communicata subjecto capaci, eo ipso tribuit suum effectum formalem, ut nemo dubitat.

4 2.: quia forma recepta in materiâ, quâvis alia unione præcisâ, excludit privationem sui; nè alioquin materia intelligatur simul recipiens duo contradictoria: certum est autem, quòd forma non nisi informando, suum que formalem effectum tribuendo, privationem sui à subjecto excludit. 3.: quia præcisè intellectâ receptione formæ novæ, intelligitur quod sufficit ad expellendam formam præcedentem: hæc enim expellitur eo ipso, quòd definat in materiâ recipi, ac sustentari: definit autem eo ipso, quòd materia novam formam recipit, ac sustentat; non enim in materiâ recipi simul possunt duæ formæ substantiales non subordinatæ. At expulsio formæ præcedentis, cum sit effectus secundarius formæ novæ in genere causæ formalis, supponit juxta omnes effectum formalem primarium, & exercitium causæ formalis, quod est unio.

5 Probationes istæ roborantur exemplo formæ accidentalis, in quâ parem esse rationem fatentur Adversarij, similiter distinguentes receptionem & inhærentiam accidentis ab ejus unione formali. Gratia habitualis eo præcisè, quòd in homine recipiatur, illum denominat *justum*, qui est ejus effectus formalis. Constat hoc ex Tridentino *sess. 6. cap. 7.* dicente: *Verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes*: ubi nihil aliud requirit, ut *justi* nominemur, & simus, nisi quòd justitiam, sive Gratiam,

tiam, in nobis recipiamus. Similiter idem Tridentinum, tum ibi, tum *can.* 11. *ejusd. sess.*, definit, homines eatenùs justificari, quatenùs Gratia diffunditur in cordibus eorum, *atque ipsis inhæret*: idem ergo est Gratiam inhærere, ac justificare.

6 *Urgetur*: si recipi & inhærere non est idem, ac uniri: ergo poterit intelligi Gratia propriè recepta, & inhærens, & tamen non unita, proindeque non justificans; quod videtur planè repugnans Tridentino. Poterit item Gratia intelligi recepta, & tamen non expellens peccatum, nec privationem sui; nam utraque expulsio provenit à Gratiâ in genere causæ formalis, at queadeò non ut à formâ assistente, sed ut à formâ unitâ, & informante. Hinc autem absurdè sequitur, quòd homo, prout recipiens Gratiam, & illam sibi inhærentem habens, potest intelligi nondum esse in Gratiâ, nec amicus Dei, sed inimicus.

7 Eadem ponderatio in alijs accidentibus locum habet. Lux v.g. eo præcisè, quòd in aëre recipiatur, illum denominat *lucidum*: ergo illi unitur, atque illum informat. Patet *Antecedens*: nam alioquin posset aër intelligi recipiens lucem, & simul tenebrosus; nec solùm intelligi, sed re ipsâ esse. Fac enim, à Deo impediri unionẽ, positâ receptione; quod possibile esse concedunt plerique Adversariorum, solùm agnoscentes connexionem naturalem inter receptionem & unionem. Lux in eo eventu non excludet ab aëre sui privationem, sive tenebras: tum quia alioquin aër in instanti reali nec esset lucidus, nec tenebrosus, quod omninò implicat: tum quia forma non actualiter informans, quantumvis præsentissima subjecto, non excludit ab eo privationem sui, ut patet in animâ Christi, dum claustrum virgineum, & lapidem sepulchri penetravit. Erit ergo tunc aër lucem recipiens, & simul tenebrosus: quod, ni fallor, nemo concedet. Quis enim concipiat cimmerias tenebras in aëre, in quo recipitur, & sustentatur lux intensissima, & Solis fulgore splendidior?

8 Ex dictis præoccupata manet communis Adversariorum responsio: Quòd scilicet per eductionem forma constituitur intrinseca materiæ, tamquam subjecto sustentationis, non verò tamquam subjecto informationis, sive informabili. Materia, inquiunt, non exercet munus subjecti informationis, nisi per unionem; munus autem subjecti sustentationis exercet per eductionem, sive passionem. Hæc verò munera & exercitia separari possunt; nam primum sine secundo convenit materiæ respectu animæ rationalis. Eductio igitur non est exercitium subjecti informationis, ac proinde non est unio formalis, sed tantùm radicalis, aut illativa, quatenùs naturaliter connectitur cum unione, & illam infert. Hæc, inquam, responsio præoccupata manet: ostendimus enim, quòd receptio, quâvis aliâ unione præcisâ, se ipsâ ultimò determinat formam ad præstandum suum effectum formalem, qui certè non præstatur nisi subjecto informationis ut tali.

Por-

9 Pertò, quamvis munus subjecti informationis exerceri possit sine munere subjecti sustentationis, non tamen è converso: sustentatio quippe vera informatio est, licèt non purè talis, sed insuper habès reddere formam receptam, seu passivè susfatam à materiâ. Quòd vera informatio sit, *probatur*: quia subjectum sustentationis ut tale, verè & propriè subjectum est, ut nemo negat: ergo ipsi correspondet actus propriè talis, cum subjectum & actus correlativa sint. Atqui subjectum sub eâ ratione, sub quâ ipsi correspondet actus, est subjectum actuabile, & ejus exercitium, est actuatio: ergo subjectum sustentativum sub ratione talis, verè est actuabile, & ejus exercitium, nempe sustentatio, vera actuatio est. *Actuatio* autem, & *informatio*, *actuabile* & *informabile*, *actus* & *forma*, solùm differunt sicut *ensis*, & *gladius*.

10 Hinc implicatorium videtur quod ait P. Poynad. *hic d.* 4. *n.* 56.: videlicet, *eductionem esse exercitium, medio quo forma actuat materiam ut subjectum receptivum, non verò ut subjectum informabile.* Hoc enim perinde est, ac dicere: *Forma actuat materiam non ut subjectum actuabile*; vel, *Forma informat materiam non ut subjectum informabile*; siquidem *actuabile* & *informabile*, ut etiam *actuare* & *informare*, synonyma sunt. Quis verò non implicationem videat in eo, quòd forma actuet & informet subjectum non ut actuabile, nec ut informabile? Certè non minùs id implicat, quàm quòd causa producat effectum non ut producibilem, aut anima corpus animet non ut animabile.

11 *Confirm.*: eductio, sive passio, est formaliter unio sui cum materiâ, ut est certum: ergo etiam est formaliter unio formæ. *Prob. Sequela*: passio communicat formæ denominationes, propter quas ipsa est unio sui cum materiâ: ergo formam denominat unitam *ut quod*. *Prob. Antec.*: passio non est unio sui cum materiâ præcisè quia modus est; nam etiam est modus agentis, cui tamen non unitur: est ergo unio sui, quia est sustentatio, receptio, & dependentia sui à materiâ ut à causa materiali. Sed passio denominat formam sustentatam, receptam, & dependentem à materiâ ut à causâ materiali, & subjecto sustentationis: ergo communicat formæ denominationes &c.

12 Jam verò *ratio quasi à priori* nostræ sententiæ esse potest: quod passio est verus aliquis nexus, veraque alligatio modalis, physica, & intrinseca, inter materiam & formam; est enim modus intrinsecè affixus materiæ ut subjecto, formæ ut termino, quem exigit intimè præsentem, reddítque inseparabilem à materiâ, quamdiù passio ipsa existit; nam causa materialis, cujus causalitas est passio, non causat effectum, nisi in se, & intra se, ad discrimen purè efficientis. Est item passio modus physicè alligans materiam & formam, prout sunt extrema invicem ordinata, & aptibilia. Patet hoc: quia passio alligat materiam & formam, prout sunt subjectum sustenta-

tativum & actus educibilis : actus autem, prout educibilis, sine dubio dicit ordinem incompletionis & unibilitatis respectu subjecti, ex quo educitur : subjectum etiam sustentativum in suo formali conceptu dicit incompletionem, atque adeò unibilitatem respectu termini educibilis, ut passim omnes supponunt, nominatim P. Peynad. *lib. 3. Phys. d. 1. n. 23.*.

13 Tum sic : modalis nexus physicè & intrinsecè alligans extrema, prout formaliter sunt invicem ordinata, & unibilia, nequit non esse formalis eorum unio ; vel cedo mihi, quid ultrà desideres ad unionem formalem. Cum ergo passio sit nexus ejusmodi, nequit non esse formalis unio materiæ & formæ. *Dices*. formalis unio debet esse modus substantialis ; passio autem est accidentalis. *Contrà* : quòd passio sit, vel non sit substantialis modus, pendet ex eò, quòd sit, vel non sit formalis unio materiæ & formæ substantialis : si ergo passio probatur esse formalis unio, consequenter probatur esse modus substantialis. Profectò non alia ratio est, cur unio, à te posita, sit modus substantialis, nisi quia est modus physicè alligans extrema substantialia sub ratione unibilium, eaque proinde determinat ut constituant unum per se, in quo ipse nexus includatur. Hoc autem habet passio, ut ostendimus.

14 Ex his colliges, importunè nobis objici modos quosdam, qui materiam & formam quodammodò alligant, & inseparabiles reddunt, & tamen non sunt earum uniones ; v. g. si materia & forma supponantur per unicam indivisibilem substantiam terminari, vel existere in loco per ubicationem utrique communem, vel creari per eamdem actionem, vel si sensatio recipiatur in materiâ & formâ, ut multi volunt. Importunè, inquam : nam omnes hi modi, etiamsi admittantur possibiles, non alligant materiam & formam prout formaliter sunt extrema invicem ordinata, & unibilia, nec sub ratione potentiæ & actus, aut subjecti & formæ ; neque illis communicant denominationes, propter quas ipsimet sunt uniones sui ipsorum ; nec faciunt formam in materiâ recipi, & illam actuare : sed substantia respicit utrumque extremum sub ratione terminabilis, ubicatio sub ratione locabilis, creatio sub ratione producibilis, & sensatio sub ratione subjecti sustentativi sensationis ipsius. Adde, quòd sensatio, & substantia illa indivisibilis, præsupponunt materiam & formam jam actualiter unitas.

15 Denique *probari* potest nostra sententia : quia possibilis est eductio formæ indistincta ab ejus unione : ergo talis est eductio, quæ de facto datur ; hìc enim urgent axiomata illa : *Frustrà fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora.* & *Non sunt multiplicandæ entitates* (maximè modales) *absque necessitate.* Antecedens conceditur à pluribus Adversarijs cum P. Compton ; nec jure negari posse videtur : quia conceptus eductionis & unionis

nis non sunt oppositi, cum de facto identificentur in eductione respectu sui ipsius; est enim eductio sui, & unio sui: quid ergo prohibet eos conceptus identificari, etiam respectu formæ, sicut identificantur conceptus eductionis & passionis?

## CAP. IV.

### *CONTRARIIS ARGUMENTIS occurritur.*

1 PLura congerunt Recentiores: sed eorum pleraque, & præcipua, censentur inefficacia vel ab ipsis Auctoribus contrariæ sententiæ, ut ab Oviedo, Arriaga, Henao, qui simul ea dissolvere nos docent. *Objic.* 1.: eductio & unio habent prædicata, & munera diversa: nam unio est purus nexus extremorum, & ultima determinatio, ut constituant unum; eductio autem est productio formæ, & dependentia ejusdem à causâ efficiente, & à materiali: sunt ergo modi realiter distincti: non enim aliâ ex causâ distinguimus inter se actionem, durationem, & ubicationem. Nec refert, quod eductio connectatur cum eo quòd extrema uniantur: nam etiam connectitur cum eo quòd forma duret, & ubicetur; & tamen non est ejus duratio, aut ubicatio formalis, sed tantùm radicalis. *Confirm.*: eductio est prior formâ, cum sit via ad formam; unio autem est formâ posterior, cum sit ultima determinatio formæ jam existentis ad constituendum unum cum materiâ, itque etiam exercitium, & causalitas, quâ forma causat compositum. At idem modus nequit esse prior & posterior respecta formæ: ergo &c.

2 *Resp.*: diversa munera conveniunt passim eidem modo, ut cernere est, tum in eductione, quæ gerit munera actionis & passionis; tum in unione hypostaticâ, quæ, juxta plures Theologos, simul est unio, & forma sanctificans humanitatem; tum in quâvis unione, quæ simul est materializatio & informatio, sive causalitas subjecti & causalitas formæ in compositum. Si ergo munera non sint opposita, & alioquin fundamentum adsit, ut de facto conveniant eidem entitati, non sunt in distinctis collocanda.

3 Porrò actionem ab ubicatione & duratione, & has inter se seiideò distinguimus, quia separabiles esse experimur: potest enim res à tali causâ produci, quin hanc determinatam ubicationem, aut durationem habeat; potestque permanere in loco A, quin permaneat eadem duratio, quippe quæ, si consistit in modo distincto à re durante, continuâ successione temporis variatur. Aliter ergo connectitur eductio cum unione, quàm cum ubicatione, & duratione formæ: cum his enim ita connectitur, ut non determinet formam ad unum præ alio instans, aut locum, sed illam indifferentem relinquat ad existendum in variis instantibus, & locis: quare opus est novâ determinatione, ut forma hîc & nunc ubicetur, & duret. At, positâ eductione, non est unde colligatur indifferentia ulla extremorum ad unionem.

4 Ad *Confirm.*: negandum

omninò, quòd eductio sit prior formâ, prioritate aliquâ propriè tali, quam vocant *in quo*, vi cujus intelligi possit eductio in aliquo signo, in quo nondùm intelligatur forma producta: repugnat enim intelligi ultimam determinationem, ut forma sit producta, & tamen nondùm productam esse formam. Solùm ergo competit eductioni respectu formæ prioritas impropria, quam vocant: *punè à quo*, & quæ non prohibet utramque existere & intelligi in eodem signo; ut explicabimus *Tract. 2.*, ubi de prioritate naturæ.

5. Negandum item, quòd unio sit physicè posterior formâ quin obstet titulus ultimæ determinationis, causalitatis, aut exercitij causæ formalis. Causalitas, & exercitium causæ efficientis, debet quidem esse ipsâ posterior; quia ab ea physicè oritur: at à causâ formali non oritur ejus causalitas, aut exercitium; siquidem unio, etiam juxta Adversarios, producitur à generante, vel à solo Deo. Ad summum ergo habet unio respectu formæ posterioritatem logicam, quam vocant *in subsistendi consequentia*; quatenùs forma potest existere sine unione, non è converso. Cæterùm hoc sensu etiam eductio determinata posterior est formâ. *Dices*: eductio est causalitas, per quam forma causatur; unio autem est causalitas, per quam forma causat compositum: nequit autem forma causare per eandem causalitatem, per quam ipsa causatur. *Negatur* hoc ultimum, quando fermo est de diverso genere causæ, ut in præsenti: cùm enim causalitas formæ, ut causæ formalis, non oriatur à formâ, potest sine incommodo esse causalitas, per quam forma oritur à causâ efficiente.

6. *Objic.* 2.: eductio in suo formali conceptu non involvit unionem: ruit ergo nostra probatio, quæ hoc probat, siquid probat. *Prob. Antec.*: si eductio involveret unionem in suo formali conceptu, nulla foret possibilis eductio, quæ non esset unio: at hoc falsum esse constat in eductione unionis humanæ, quæ non est unio sui termini cum materiâ: unio enim humana unitur materiæ per seipsam, non per unionem aliam, nè alioquin detur unio unionis, quæ non minùs absurda est, quàm actio actionis. *Resp. neg. Antec.*: nam, si eductio est passio, & receptio formæ, ut nunc supponitur, repugnat eductionem concipi, quin concipiatur unio. Potest quidem dari unio, quæ non fit eductio; at non è converso: quia eductio est species unionis, sicut est species productionis: quare, sicut potest vera productio dari, quæ non fit eductio; non tamen è contrario; ita &c. Non inficior, quòd eductio sub conceptu actionis, aut egressionis à causâ efficiente, possit ab unione præscindi. Solùm id nego, si accipiatur eductio sub conceptu passionis.

7. Quod attinet unionem humanam, admitto, illam produci per eductionem à se distinctam (quod plures inficiantur): nego tamen, quòd talis eductio non sit unio sui termini. Nam unio humana

na materiæ unitur duplici titulo, & quia modus est materię affixus essentialiter, & quia est entitas educta de potentiâ passivâ materiæ, in ipsâque recipitur tamquam in subjecto sustentationis. Hoc secundo titulo non unitur materiæ unio humana per se ipsam, cum non sit ipsa sui eductio, adeòque nec sui passio, sustentatio, aut receptio, ut nunc supponimus cum arguentibus: indiget ergo aliâ determinatione modali, per quam uniatur materiæ sub munere subjecti sustentativi.

8 Explicatur: unio humana, juxta communem, etiam Adversariorum, sententiam, potest divinitùs per creationem produci, v.g. si Deus unicâ actione crearet totum hominem. Tunc autem unio humana non uniretur materiæ tamquam subjecto sustentationis, ut est manifestum, sed præcisè tamquam subjecto informationis: ergo ex se indifferens est, ut uniatur, vel non uniatur materiæ sub munere subjecti sustentationis: ergo, ut uniatur hoc titulo (quem ipsa naturaliter exigit), indiget determinari per unionem aliam, quę est eductio ipsius. Sic, quia unio materiæ & animæ Christi D. de se indifferens est ut uniatur Verbo, illi unitur per unionem distinctam. Si ergo dari valet unio unionis ad extremum, cui ipsa per se non unitur, eo quòd respectu illius indifferentiam habeat; cur non etiam ad extremum, cui ipsa per se unitur aliquo titulo, si nihilominùs indifferentiam retinet respectu ejusdem in alio sensu, & sub diverso titulo? Hanc solutionem approbant ex Adversarijs P. Ovied. *controv. 4. Phys. punct. 1. n. 26.*, & P. Henao *loco cit. n. 78.*

9 Itaque, licèt repugnet unio unionis quasi homogenea, quæ scilicet sit pura unio, sive unicè instituta ad officium uniendi (hæc enim foret superflua, & inutilis, ideòque à nobis rejecta est suprà *cap. 2.*); non tamen repugnat unio unionis heterogenea, sive ex diverso titulo, quæ aliud insuper officium habeat, ad quod supponat indifferentiam. Nec ideò admittenda actio actionis: actio quippe non alio titulo pendere potest ab agente, nisi quatenùs ab illo efficienter egreditur: hoc autem omninò habet quælibet actio per se ipsam, neque in ullo sensu manet indifferens ad egrediendum ab agente: si ergo produceretur per aliam actionem, produceretur eodem titulo, eâdemque ratione, sub quâ ipsa est productio sui. Si tamen actio probetur aliquo ex capite indifferens, ut egressivè pendeat ab agente, non erit impossibilis actio actionis.

10 Quod diximus de unione humanâ, dicendum pariter de quâvis entitate modali producta per eductionem à se distinctam; v.g. de ubicatione, & subsistentiâ, & generatim de formâ, quæ supponatur essentialiter affixa determinato subjecto: eam scilicèt subjecto uniri, tum per se, tum per sui eductionem. *Dices*: ergo poterit etiam forma ignis v.g. uniri materiæ duplici unione, alterâ, quæ sit eductio alterâ, quæ sit pura unio. *Neg. Conseq.* si de naturali ordine sit sermo. Quia unio

unio distincta ab eductione formæ ignis nullâ necessitate adstruitur, quandoquidem eductio ista suum terminum habet, nempe formam, & hanc sufficienter unit materiæ ad constituendum compositum. At in casu nostro necessitas inprimis adest adstruendi unionem inter animam rationalem & materiam, quæ unio se ipsam unit; & aliunde, cum unio illa non sit eductio sui, ut Adversarii supponunt, necessitas etiam adest admittendi eductionem distinctam, per quã unio producatur, & recipiatur in materiã, atque adeò uniatur, cum receptio sit impræscindibilis ab unione.

11 *Objic. 3.*: eductio formæ terminatur ad unionem: ergo ipsa non est unio. *Prob. Antec.*: eductio formæ est generatio compositi, ad quod proinde terminatur: sed negant terminari ad compositum, nisi terminetur ad unionem, quæ est ultimum determinativum, ut compositum existat; hac enim de causâ creatio animæ rationalis non est creatio compositi, nec ad illud terminari dicitur: ergo, &c.. *Neg. Antec.*, & in probatione *neg. Min.*, quia, ut eductio verè dicatur generatio compositi, sufficit, quòd sit productio formæ, illam ultimo determinando ad constituendum compositum, ut reipsâ determinat, cum per se sit unio formalis. Hoc, inquam, sufficit: nam eo ipso eductio verè facit existere compositum, & hoc, quatenùs totum est, verè dicitur illius actionis terminus, non formalis, sed denominativus, qui non debet ab eâ distingui, nisi inadæquatè.

12 *Objic. 4.*: si eductio est unio, toties variabitur intrinsecè compositum, quoties variatur eductio formæ. Hinc autem sequitur, quòd Deus non poterit se solo conservare ignem ab alio igne productum: ignis enim à solo Deo conservatus constituetur ex aliâ unione, eritque proinde jam alius; nec solùm alius numero, sed etiam specie, quia constituetur ex eductione ortâ à solo Deo, quæ specie distinguitur ab actione ignis; actiones enim specificantur à causis. Addè, quòd Deus non tam conservabit ignem, quam illum primò producet, siquidem primò producet unionem, quæ est ultimum determinativum ut ignis existat.

13 Non desunt, qui negent sequelam objectionis, dicant quo, ad essentiam compositi, numero & specie determinati, non pertinere determinatam unionem, sed aliquam tantùm, cujuscumque indolis sit, dummodò sit vera unio physica, & substantialis; ac proinde, licèt varietur unio cum eductione, nullo modo variari essentiam compositi, quamdiù permanent eædem materia & forma per unionem aliquam copulatæ. Quam doctrinam late firmat *P. Henao cit. Exercit. 7. n. 72.* ratione, & auctoritate plurimorum, quos inter allegat Doctores Angelicum & Eximium. Sed, eâ prætermissâ ——

14 *Resp.*, solâ unione variata ex capite eductionis, non variari compositum absolutè, & simpliciter, sed tantùm secundùm quid: manent enim invariata præcipua

constitutiva, sive partes componentes *ut quod*, ex quibus absolutè sumitur compositi perfectio, indoles, & identitas, tum specifica, tum numerica, & ex quibus pendet varietas operationum, & proprietatum, sive accidentium compositi, nec non varietas, aut identitas definitionis, tum physicæ, tum metaphysicæ; non enim aliter definiretur Petrus v.g., si retinens idem corpus, eamdemque animam, nunc haberet unionem A, nunc unionem B. Hinc P. Suar. *tom. 2. in 3. p. d. 44. f. 2.* docet cum D. Thomâ, ut verè ac simpliciter dicatur resurgere idem homo, non requiri quòd redeat unio eadem numero, dummodò idem sit corpus, eademque anima. Hinc etiam aqua, licèt mutet uniones continuativas (ut si dividatur, & iterùm continuetur), non evadit simpliciter alia.

15. Concedo igitur, posse Deum se solo conservare ignem eumdem simpliciter, qui ab alio igne productus est, non tamen eumdem etiam secundùm quid, & undequaque; non enim conservare potest eamdem unionem, cum hæc probetur essentialiter pendens à causâ creatâ. Quâ in re nullum est absurdum; cum omnes concedant, non posse Deum se solo producere effectus modales essentialiter à causâ creatâ dependentes; quia ad omnipotentiam Dei non pertinet evertere rerum essentias. Deus ergo conservare poterit ignem illum invariatum, quatenùs est effectus absolutus: sed non ita potest, quatenùs ille ignis includit modalitatem essentialiter ortam ab alio igne.

16. Admitto pariter diversitatem unionis specificam ex diversitate eductionis, non quidem formalem, sed parè materialem in ordine ad munus uniendi, & constituendi compositum: non enim actio Dei solius (quam suppono eductivam) diversa foret ab actione ignis sub conceptu passionis, aut receptionis, qui solus unionem imbibit, quique solùm specificatur à subjecto & formâ receptâ; sed tantùm sub conceptu egressionis à principio activo, qui conceptus quasi de materiali se habet ad munus uniendi, seu constituendi compositum. Sed quomodolibet appelletur ea diversitas, nunquam erit simpliciter talis respectu compositi, sed semper secundùm quid. Nego autem, quòd nova Dei actio conservativa, sit prima productio ignis, quàmvis revera sit productio unionis tunc advenientis: non enim esse potest prima productio respectu illius termini, qui jam existebat simpliciter idem in instanti antecedenti. Nec unio, tunc adveniens, est ultimum determinativum, ut ille ignis simpliciter incipiat existere, sed solùm ut existere pergat. Sic productio novæ unionis inter corpus & animam hominis mortui, non dicitur prima hominis productio, sed reproductio, seu resurrectio.

17. *Replic.* 1.: compositum dicitur simpliciter genitum, & corruptum, per solam unionis generationem, & corruptionem, ut patet in homine: ergo dicetur simpliciter variatum per solam variationem uni-

unionis. *Neg. Consq.* ex regulâ tradicâ *disp. præced. cap.* 1. pro refundendis denominationibus partium in totum. Quia esse genitum, & corruptum, significat esse id, quod incipit esse ex præsuppositio subjecto, & quod definit esse permanente subjecto; qui sensus congruit composito simpliciter, si unio generatur, & corrumpitur. At esse variatum in essentiâ, significat esse aliud secundùm essentiam; hoc autem non verificatur simpliciter de composito, solâ unione variatâ; quia non ideò compositum habet simpliciter alia prædicata essentialia, neque aliam definitionem, quandiù nulla est varietas in materiâ, & formâ, earum unicè sit expressa mentio in definitione physicâ compositi. Quæ ratio non solùm militat in variatione specificâ, sed etiam in numericâ.

18. *Replic.* 2. cur ergo compositum foret simpliciter accidentale, si unio accidentalis esset? *Respondeo*, præter alibi dicta, compositum, ideò tunc fore simpliciter unum per accidens, quia forma præcipua foret etiam accidentalis, vel certè non unita subjecto per modum actus substantialis; si enim sic unita esset, nullatenùs posset unio esse accidentalis. Tunc ergo compositum desineret esse substantiale, non solùm ex defectu substantialis unionis, sed etiam ex defectu formæ. Id quod dicendum pariter, si unio foret supernaturalis formaliter in esse unionis; non enim talis esse posset, nisi utrumque, vel alterum extremum, esset supernaturale, vel saltem nonnisi obedientialiter unibile; unio quippe ab extremis specificatur. Dico *formaliter in esse unionis* quia in esse actionis fortasse posset divinitùs dari unio supernaturalis inter materiam & formam ignis v.g., si videlicet aqua (posito quodlibet elevari posse ad producendum quodlibet) divinitùs elevaretur ad educendum formam ignis: verùm ea supernaturalitas eductionis do materiali se haberet in constitutione compositi.

19. Nolim tamen nimiùm insistere terminis hisce, *simpliciter, & secundum quid*, vel *formaliter, & materialiter*; ne contentio evadat merè vocalis. Quare, dum objicitur variatio unionis, sive numerica, sive specifica, indeque infertur variatio compositi, tametsi non varietur materia & forma; brevius, & expeditiùs *distinguo* &c: variatur compositum secundùm entitatem absolutam, *nego*; secundùm constitutivum modale, *concedo*. Sub ijsdem terminis concedendum, vel negandum, quòd possit Deus se solo conservare compositum à causâ secundâ productum; & quòd idem compositum possit divinitùs produci simul à duplici causâ totali per eductionem; & quòd eductio conservativa ignis, à solo Deo proveniens, sit prima ignis productio; & quidquid aliud ejusdem generis objiciatur. Certè Adversarij aliquod genus compositi, saltem accidentalis, admittere debent ex materiâ & formâ resultans vi solius eductionis; cum dicant, vi illius materiam intrinsecè actuari per formam, tamquam

quam subjectum receptivum per actum receptibilem : ex subjecto enim intrinsecè actuato, & ex actu intrinsecè actuante in aliquo vero sensu, nequit non resultare aliquod totum. At in hoc toto militat quidquid absurditatis nobis opponunt in objectione hucusque solutâ.

20 *Objic.* 5.: eductio est modus accidentalis, tum quia omnis actio pertinet ad Prædicamentum accidentis, tum quia non existit propter se, sed propter aliud, scilicet propter terminum ; quod est proprium accidentis : non ergo potest eductio esse unio compositi substantialis, cum hæc debeat esse substantialis modus. *Neg. Antec.* de eductione formæ substantialis ; ea quippe, dum probatur esse unio ejusdem formæ cum materiâ, eo ipso probatur esse modus substantialis. Nec obstat illud de Prædicamento : quia, ut in Logicâ dictum est, potest entitas intrinsecè substantialis pertinere ad Prædicamenta accidentis, eo quòd contingenter prædicetur de aliquo subjecto ( ut prædicatur eductio de causâ efficiente v.g. ): sic enim juxta Adversarios, quibuscum modò cernimus, relatio identitatis, aut similitudinis specificæ inter duas substantias, licet ab eis indistincta, pertinet ad Prædicamentum relationis, sicut etiam pertinet unio substantialis, quatenùs est relatio prædicamentalis extremorum inter se. Nec item obstat, quòd actio fit propter terminum : nam etiam forma est propter compositum, & tamen est substantialis. Si dicas, in composito includi formam ipsam, quæ proinde jam non est propter aliud à se adequate distinctum : idem dicam de eductione, quæ est etiam principaliter propter compositum, in quo & ipsa includitur.

21 *Objic.* 6.: unio, quam anima bruti per nutritionem adquirit cum materiâ alimenti, non est eductio ejusdem animæ, cum hæc sit causa illius unionis, & nequeat esse causa eductionis sui : at ea unio ejusdem rationis est cum illâ, quam habet per generationem anima bruti : ergo nec illa est eductio istius animæ. *Resp.* : si anima bruti sit divisibilis, ut fert communis Nostrorum sententia, unio adquisita per nutritionem est eductio novæ partis animæ, provenit que à partibus animæ præexistentibus. Si verò bruti anima sit indivisibilis, tunc sola educetur nova unio, de quâ dicendum erit quod suprà de unione humanâ dictum est. Talis autem unio erit ejusdem rationis cum eâ, quæ per generationem habita fuit, solùm quoad vim & effectum formalem uniendi, non tamen quoad vim producendi formam ; quâ in re nullum est incommodum.

## CAP. V.

### *DUPLEX ALIA SUPER UNIONE quæstio resolvitur.*

1 QUÆST. 1.: Quotuplex sit unio in composito? Certum est unionem constare pluribus partibus integrantibus, totidem scilicet, quot sunt materiæ partes in composito. So-

lùm ergo quæritur, utrùm unio ſit ſimplex eſſentialiter? ideſt, utrùm unio, per quam forma unitur materiæ, ſit eadem per quam materia unitur formæ? an verò admittenda ſit unio duplex, altera ex parte formæ, quæ ſit *informatio*, altera ex parte materiæ, quæ ſit *materializatio*, ex quibus coaleſcat unio totalis? Hoc ultimum tenent è noſtris PP. Hurtad., Amicus, & alij perpauci; ex alijs Godoy, Echalaz, & Mayrius hic *d.* 5. *q.* 10., ubi alios Scotiſtas allegat. Sed contraria ſententia communiſſima eſt inter Authores noſtros cum Exim. Doctore *d.* 13. *Met. ſ.* 9. *n.* 13., quibus aſſentior.

2 *Probatur* hæc ſententia: unica unio, illa v.g., quàm *informationem* appellas, ſufficit, ut ex materiâ & formâ reſultet compoſitum: ergo duplex unio rejicienda eſt ut omninò ſuperflua. *Prob. Antec.*: quia per talem unionem forma redditur actu informans materiam, & hæc actu informata per formam, ſiquidem illa unio eſt actualis informatio, & denominationes *informantis*, & *informatæ* præſtantur ab informatione actuali: ſed nequit forma eſſe actualiter informans, & materia actualiter informata, quin reſultet compoſitum: ergo &c.. Patet *Minor*: tum ex terminis ipſis, & ex communi Philoſophorum ſenſu: tum quia, ſi forma informat, & materia informatur, jam forma communicatur ſubjecto capaci: ergo illi præſtat effectum ſuum formalem; nam formalis effectus neceſſariò reſultat, imò indiſtinctus eſt à formâ communicatâ ſubjecto capaci. At formalis effectus formæ ſubſtantialis eſt compoſitum.

3 *Confirm.*: quoties agitur de denominationibus reciprocis, ſeu correlativis, & unumquodque extremum non ſecum identificat ſuam ultimam determinationem ut denominetur, unica determinatio ſuperaddita ſufficit ad utramque denominationem præſtandam, ſaltem ſi ex conceptu ſuo ſit determinatio utriuſque extremi. Idcircò unica actio ſufficit, ut cauſa ſit producens, & effectus productus; ſicut etiam unica cognitio, ut potentia ſit cognoſcens, & objectum cognitum. Ex è contrario, in Divinâ Trinitate datur generatio activa, & generatio paſſiva, quia Pater ſecum identificat ſuam ultimam determinationem, ut ſit generans, & Filius ſuam ut ſit genitus: ob eamdem quæ rationem diſtinctio inter Petrum & Paulum eſt duplex, altera cum Petro, altera cum Paulo identificata. Atqui nec materia, nec forma ſecum identificat ſuam ultimam determinationem, ut ſit unita; & aliunde unio ſuperaddita, ex conceptu ſuo eſt determinatio utriuſque extremi, cum *unio* ſonet vinculum duorum, definiatur que paſſim *ultima determinatio diſtinctorum, ut conſtituant unum*: ergo unica unio ſufficit ad præſtandum utrique extremo reciprocam denominationem *uniti*.

4 *Obſic.* 1.: ſi non eſt in compoſito niſi unica unio, eadem ſimul erit informatio & materializatio, (ideſt, exercitium, quo forma exercet munus formæ erga materiam,

tiam, & exercitium, quo materia exercet munus subjecti erga formam) : ergo forma exercetur per materializationem, & materia per informationem : ergo forma denominabitur materializans, & materia informans. *Instio* : idem modus est realiter actio, & passio : ergo agens exercetur per passionem, & materia per actionem : ergo agens denominabitur patiens, & materia agens.

5 Deinde *dist.* 1. *Conseq.* : per materializationem, quæ sit materializatio formæ erga materiam, *neg.* ; quæ sit materializatio materiæ erga formam, simulque informatio formæ erga materiam, *conc. Conseq.*. Idem intellige de informatione; quæ non est informatio materiæ erga formam, sed è converso, ita ut simul sit materializatio materiæ erga formam. Hinc absolutè *neg.* 2. *Conseq.* : quia sæpe idem modus contingit diversas denominationes nonnisi diversis terminis præstandas ; ut patet in actione identificatâ cum passione; vel in productione quâlibet, quę causam denominat producentem, & effectum productum, non è converso ; ut etiam cognitio denominat aliter potentiam, & aliter objectum.

6 *Objic.* 2. : non sufficit unicus modus relationis, ut fundamentum referatur ad terminum, & terminus ad fundamentum : ergo nec sufficit unica unio &c.. In nostris principijs *neg. Antec.* : quia, dum ratio fundandi consistit in modo (quod accidit in relationibus secundi generis), unicus modus sufficit, ut duo invicem referantur prædicamentaliter ; & sic eadem productio refert causam ad effectum, & è converso. In relationibus autem primi generis, v.g. in similitudine duplicis albi, ideo requiritur duplex albedo, quia una seorsùm ab alterâ non est ex cõceptu suo determinatiõ utriusque extremi, imò nec unius, ut denominetur *simile*. Unde constat disparitas ad unionem. Quæ disparitas tenet etiam in modo relationis Thomistico ; cui non tribuitur à suis Auctoribus conceptus determinationis duorum ad denominationes correlativas, sed solùm determinationis illius extremi, cui inest.

7 *Objic.* 3. : unica unio continuativa nequit duas nectere continui partes ; deberet enim in utrâque recipi ; & cum illæ partes non sint in eodem loco, sequeretur, quòd unio eadem simul esset naturaliter in duobus locis : ergo pariter non sufficit unica unio essentialis. *Resp.* 1., admisso *Antec.*, *neg. Conseq.* : quia in unione essentiali non militat illud inconveniens bilocationis naturalis. *Resp.* 2. *neg. Antec.* : quia sufficit unica unio continuativa, quæ recipiatur in alterâ tantùm parte, simulque exigat essentialiter præsentiam alterius partis in loco immediato, in quo tamen unio ipsa non sit.

8 *Quær.* 2. : Quodnam sit prædictæ unionis unicæ subjectum? Certum est, tam materiam, quàm formam, esse subjectum denominationis ; quia utraque per unionem denominatur unita. Quæstio præcipuè instituitur de subjecto sustentationis, ex quo præsupposito concæ-

tur unio. Prima sententia tenet, ejusmodi subjectum esse tam formam, quàm materiam. Ita plures, quos citat & sequitur Henao *cit. Exercit. 7. sect. 3.*, & quibus etiam subscribit P. Ulloa. Secunda sententia dicit, tale subjectum esse solam materiam. Ita apud Henaum Rubius, Ovied., Alphonsus, Bernal, & alij, quibus adhærent cum Peynado Recentiores passim. Hæc secunda sententia, quam satis indicat Exim. Doctor *cit. d. 13. f. 9. n. 13.*, & sæpe aliàs, mihi vera est.

9 Et inprimis; quod attinet unionem formæ materialis, cum illa sit realiter indistincta ab eductione formæ, ut suprà vidimus, necessariò sequitur, quòd forma non sit illius subjectum sustentativum; nè alioquin forma sit vera causa materialis præsuppositа ad sui ipsius eductionem; quod repugnat. Deinde, qui unionem ab eductione distinguunt, plerùmque dicunt, unionem produci per eamdem eductionem, quâ forma producitur: unde, cum forma non præsupponatur ad eductionem sui, non præsupponitur ad eductionem unionis, consequenterque non est unionis causa materialis; quia nullus effectus à causâ materiali pendet, nisi quatenùs ejus eductio pendet à tali causâ, ut à subjecto præsuppositо.

10 Denique, ut ab his præscindatur, sententia nostra *probatur* in unione humanâ, quo simul probata erit in aliâ quâlibet. Illud est subjectum sustentativum unionis humanæ, à quo præsuppositо pendet illius unionis eductio; sed hæc à solâ materiâ sic pendet: ergo sola materia est subjectum sustentativum talis unionis. *Prob. Min.*: tum quia in homine eductio unionis est generatio totius: at omnes Philosophi cum Aristotele statuunt, solam materiam esse subjectum generationis totius, sive compositi, sicut sola est subjectum mutationis substantialis. Tum etiam, quia generans ab eo subjecto præsuppositо pendet in generando, sive in educendo, quod prævie disponit, ac præparat ad formam & unionem: hoc autem subjectum in generatione hominis, sola materia est: non enim generans prævium aliquam dispositionem inducit in animam rationalem.

11 Hinc inferes 1., unionem humanam esse materialem entitativè; quia suapte naturâ causatur, & pendet à materiâ. Quare solùm est spiritualis connexivè, ac determinativè; quia connectitur cum animâ spirituali, & illam ulteriùs determinat ad constituendum hominem. Inferes 2., modum non necessariò pendere, tamquam à subjecto sustentationis, ab omni re, cujus est modus, & sine quâ existere non potest etiam divinitùs. Sic edactio, identificata cum passione, non sustentatur in agente, cujus est modus. Sic unio humana, si per creationem produceretur divinitùs, ut potest juxta Adversarios, non haberet subjectum sustentationis, adeòque nec in materiâ, nec in formâ sustentaretur; cum tamen esset utriusque modus. Quàmvis ergo unio sit modus formæ, ipsâque essentialiter affigetur, non ideò in formâ sustenta-

ta-

dari debet. Et notandum, quòd *sustentari ab alio*, prout nunc accipitur, non est idem, ac essentialiter pendere ab alio, & sine illo existere non posse; sic enim unio hypostatica sustentatur à Verbo, imò omnis creatura à Causâ primâ: est ergo idem, ac ex alio educi, sive in genere causæ materialis ab alio causari.

12 Inferes 3., formam non habere prioritatem physicam respectu unionis: quia neque illam tempore præcedit, neque est illius causa physica. Excipe tamen unionem, quam homo per nutritionem adquirit cum materiâ alimenti: ea quippe præsupponit animam, non ut causam materialem, sed ut causam efficientem. Neque huic illationi *obstat* 1., quòd unio sit exercitium, & causalitas formæ in compositum. Nam causa formalis intrinseca, & constitutiva, non requirit prioritatem physicam respectu causalitatis, & effectus, sed utsummùm logicam, quam vocant *in subsistendi consequentia*, quatenùs non valet consequentia, saltem metaphysicè, ab existentiâ formæ ad existentiam unionis, & compositi, valet autem è converso.

13 Nec *obstat* 2., quòd prius sit rem esse, quàm tali modo esse, juxta commune dictum. Nam id unicè verum est de prioritate logicâ, vel quando aliunde probatur, modum ab ipsâ re causari. Nec *obstat* 3., quòd anima rationalis sit indifferens ad unionem. Nam indifferentia non probat prioritatem plusquàm logicam: nihil enim prohibet rem indifferentem determinari à modo concomitanter producto per aliam causam. Doctrina solutionum illarum admittenda est ab Adversarijs pro casu, quo unio simul cum animâ rationali crearetur: tunc enim anima nullatenùs esset physicè prior unione, cum tamen ad eam esset ex se indifferens, & per eam tali modo esset, & causaret hominem.

14 Sed adhuc principaliter *objic.*: Si forma respectu unionis non est subjectum sustentationis, neque erit subjectum informationis; hoc enim requirit etiam prioritatem physicam, saltem per modum occasionis, aut conditionis præviæ, quo modo materia disposita physicè prior est animâ rationali: ergo forma in nullo sensu proprio erit subjectum unionis: ergo non poterit ab unione intrinsecè affici, nec perfici; sicut Verbum non afficitur, nec perficitur ab unione hypostaticâ, quia non est illius subjectum sustentationis, nec informationis. *Communis responsio* est, quòd forma respectu unionis non est subjectum propriè tale, scilicet nec sustentationis, nec informationis; sed solùm est *terminus intrinsecus*; quo nomine significatur res, quam modus aliquis essentialiter exigit sibi intimè conjunctam, nec tamen in eâ recipitur. Sic eductio, sive passio, respicit formam ut purum terminum intrinsecum. Multi confundunt *terminum intrinsecum* cum *subjecto puræ adhæsionis*; de quo tamen non omnes convenire videntur.

15 Negatur autem, quòd forma non possit intrinsecè perfici ab

ab unione, tametsi non sit subjectum ejus propriè tale: quia forma per unionem intrinsecè conjungitur subjecto suo, quod innatè appetit, & in quo assequitur suum naturale complementum: cum hac autem conjunctione & assecutione melius se habet forma intrinsecè, quàm sine illâ; & hoc ipsum se habere melius, est perfici. Nec Verbum idcò præcisè non perficitur ab unione hypostaticâ, quia non est subjectum ejus; sed quia, ob sui perfectionem in omni genere infinitam, nequit se habere melius cum unione, quàm cum ejus carentiâ. De cætero, quòd possit res perfici ab eo, cujus non est propriè subjectum, patet: tum in humanitate Christi, quæ perficitur à Verbo, cujus non est subjectum. Tum in gradibus intensionis qualitatum, qui se se invicem perficiunt, quàmvis non se se invicem recipiant, aut informent. Tum in formâ quâvis substantiali, aut accidentali, quæ à subjecto perficitur, cum tamen non sit subjecti subjectum.

16 Sed, ut verum fatear, non magnum incommodum invenio in eo, quòd unio sit in formâ ut in partiali subjecto informationis. Nam, ut notavimus *disp. 2. cap. 2.*, subjectum informationis non requirit ex conceptu suo prioritatem physicam, licèt illam plerùmque habeat, eo quòd plerùmque simul obeat munus subjecti sustentationis, vel formæ, vel saltem unionis ejus: si tamen non simul obeat hoc munus, non indiget prioritate physicâ: ideòque, si Deus crearet simul materiam, animam, & unionem hominis, materia nullam haberet prioritatem physicam respectu animæ, nec unionis, eo quòd respectu neutrius obiret munus subjecti sustentationis, quàmvis utriusque verè esset subjectum informationis.

17 Nihil ergo prohibet unionem esse in materiâ ut in subjecto informationis partiali, & sustentationis totali, simulque esse in formâ ut in alio partiali subjecto informationis. Atque ita unio considerari potest, tum prout est causalitas formæ in compositum, tum prout est quædam forma ipsius formæ, quâ cum constituit quoddam totum, nempe denominationem *actualiter informantis* materiam, cujus denominationis ipsa unio est præcipua differentia physica distinctiva.

# DISPUT. VII.

## DE DISTINCTIONE TOTIUS SUBSTANTIALIS à Partibus ſuis. Ubi etiam de Suppoſito nonnihil.

EX principijs intrinſecis corporis naturalis, quæ vocantur & ſunt *partes* illius, reſultat, velut effectus ab ijs principiatus, ſive cauſatus, corpus ipſum naturale, quod Compoſitum, ſeu Totum ſubſtantiale dicitur: cujus quidditas ut penitùs nota ſit, videndum ſupereſt, an conſiſtat in aliquo realiter diſtincto à principijs hactenùs explicatis, nempe à materiâ & formâ, & earum unione; an verò ſit ab his realiter indiſtincta. Et quæſtio eſt de materiâ, formâ, & unione, ſimul ſumptis, ſeu de cunctis partibus collectivè acceptis: ſi enim accipiantur ſingulatim, incunctanter admittenda eſt diſtinctio realis inadæquata uniuſcujuſque partis à toto, & è converſo; quia totum includit quamlibet partem, & inſuper aliam; in quo ſita eſt diſtinctio inadæquata, quam vocant *includentis & inclusi*. Quæſtio item nunc eſt de toto ſubſtantiali, non prout eſt ſuppoſitum (ſic enim dictis partibus addit ſubſiſtentiam, de quâ mox), ſed præcisè prout eſt ens naturale, ſeu ſubſtantia completa in eſſe naturæ, quæ in homine v. g. ſignificatur nomine *humanitas*, vel *natura humana*, vel *homo eſſentialiter ſumptus*.

Quòd ergo totum ſubſtantiale realiter diſtinguatur ab omnibus ſuis partibus copulatim ſumptis, conſiſtatque in tertiâ entitate abſolutâ, materiæ & formæ unitis ſuperadditâ, tenent cum Scoto Scotiſtæ omnes, aut ferè omnes, quibus adhærent è Scholâ noſtrâ, & Thomiſticâ nonnulli. Hanc ſententiam quidam coarctant ad totum ſubſtantiale, ex materiâ & formâ reſultans, nec extendi volunt ad totum integrale, nec ad totum per accidens, ſive hoc unione phyſicâ conſtet, ut *album*, ſive locali aggregatione duntaxat, ut *acervus* lapidum. Ita Maſtrius cum alijs Scotiſtis. Quidam verò compoſitum etiam integrale, ſive homogeneum, ſive heterogeneum, à cunctis partibus diſtinguunt. Sic Merinerus Scotiſta, referens alios. Nemo tamen à partibus diſtinguere videtur totum per accidens: ſaltem Merinerus tanquam certum ſupponit, nequaquàm diſtingui; quod & Maſtrius confirmat ex communi omnium ſenſu. Sed quòd totum ſubſtantiale, & à for-

fortiori quodlibet aliud, sit realiter indistinctum à collectione suarum partium & unionis, receptissima sententia est in Scholâ nostrâ, & Thomisticâ, cum Aristotele, & D. Thoma locis citatis à P. Suar. *d. 36. Met. s. 3.*

## CAP. I.
## *TOTUM SUBSTANTIALE realiter indistinctum est à suis partibus & unione, copulatim sumptis.*

1 *Prob.* inprimis totum substantiale non distinguitur realiter adæquatè à cunctis partibus unitis: deinde nec realiter inadæquatè: ergo nullâ distinctione reali. Præmissæ seorsùm probandæ sunt. *Prob. Maj.*, quam solam Scotistæ negare videntur: totum, prout à partibus adæquatè distinctum, vel est in entitate suâ realiter compositum, vel realiter simplex. Si est compositum: ergo constat partibus aliis. Quod si ita est, quæro abs te, an ab his aliis partibus distinguatur totum? Si asseras, ibimus in infinitum: nam totum, prout à novis hisce partibus adæquatè distinctum, rursùs erit ex aliis compactum, de quibus eadem quæstio fiet. Si neges: jam ergo totum non distinguitur ab omnibus partibus, quibus constat; quod Scotistæ pernegant; &, si concedatur, nulla ipsis ratio superest distinguendi totum à materiâ, formâ, & unione, simul acceptis.

2 Si verò totum, prout à partibus adæquatè distinctum, asseratur entitas realiter simplex; *hoc implicat in terminis, & est manifestè contra Scotum*, ut ait Mastrius hic *disp. 5. n. 169.*; & merito quidem. Sequitur enim 1., quòd compositum non est compositum; & quòd entitas simplex habet partes; & quòd homo non minùs est in entitate suâ simplex, & incompositus, quàm Angelus. Sequitur 2., quòd illa simplex entitas, in quâ stat quidditas totius hominis, non est spiritualis, nec materialis. Non spiritualis: quia essentialiter pendet à materiâ, & naturaliter à quantitate. Non materialis: quia foret imperfectior animâ rationali, & implicat, quòd totum sit imperfectius suâ parte.

3 *Confirm.* 1.: si homo in esse totius adæquatè distinguitur ab animâ rationali, non erit per identitatem animal rationale; imò nec vivens; quia non secum identificat unicam radicem discurrendi, sentiendi, & vegetandi, quæ est anima. Quod absurdum pariter militat in equo, & in quovis composito; nulli enim conveniet per identitatem definitio sua, quæ semper sumitur ex formâ. Et verò, quis concipiat veram humanitatem, seu veram naturam humanam, quæ rationalem animam excludat ab identitate reali secum ipsâ? Dicunt Scotistæ, ut videre est apud Mastrium *n.* 170., quòd tertia illa entitas, quæ est *tota quidditas totius*, non unitur partibus, nec cum eis compositionem facit, quia non est entitas partialis, sed totalis. Dicunt insuper apud eumdem Mastr. *n.* 173., quòd intellectio hominis non recipitur in illâ tertiâ entitate, nec

nec illi convenit immediatè, & ratione sui, sed tantùm ratione partis, nempè animæ; materiales tamen operationes, ut sunt sensationes omnes, formaliter & immediatè conveniunt toti, & in eo recipiuntur.

4 Ex his autem *infero* 1., quòd humanitas non verè intelligit. *Prob.*: id, quod non recipit intellectionem immediatè, nec mediatè, non verè intelligit, ut est evidens: at humanitas non recipit intellectionem, nec immediatè, ut concedítis; nec mediatè, quia non recipit receptivum intellectionis, nempe animam, siquidem animæ non unitur, ut vultis: ergo &c.. *Dices*: humanitas recipit intellectionem ratione partis, ex quâ intrinsecè constituitur. *Contra*: animam esse partem, ex quâ intrinsecè constituitur humanitas, per se non est animam identificari realiter cum humanitate, nec humanitati uniri: semper ergo verificatur, quòd intellectio recipitur in aliquo, quod nec identificatur, nec unitur humanitati: hoc autem est intellectionem nec immediatè, nec mediatè recipi in humanitate, nec ipsi uniri.

5 *Infero* 2., quòd nec humanitas verè sentit per sensationem, etiam si illam in se recipiat. *Prob.*: quia sentire est vivere, & humanitas non verè vivit per sensationem, quam activè non elicit, sed merè passivè recipit; ut patet ex conceptu vitæ: at humanitas certè non elicit sensationem, si adæquatè distinguitur ab unico principio elicitivo sensationis, quod est anima. Hinc Scotistæ aliàs inferunt, & meritò, quòd anima non verè vivens per amorem supernaturalem, si habitus esset tota ratio agendi; & tamen hæc minor est difficultas; quia saltem habitus unitur animæ, & hæc non unitur humanitati, ut modò volunt.

6 *Confirm.* 2.: quia non verificabitur illud ex Symbolo Athanasij: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*: si enim prior pars, ut Scotistæ volunt, non reddit sensum identicum, sed causalem, quasi diceret, *anima rationalis & caro est causa hominis, utique distincti realiter*; eumdem reddet sensum pars posterior, ut exigunt particulæ *sicut*, & *ita*: ergo Deus & homo, non identicè, sed causaliter tantùm, unus erit Christus: ergo Christus erit adæquatè distinctus à Deo & homine, ac proinde non erit Deus, quod est contra Fidem.

7 *Confirm.* 3.: illa tertia entitas, quæ est tota quidditas compositi, si adæquatè distinguitur à partibus, verè producitur ex nihilo, & in nihilum definit: ergo non generatur, sed creatur; nec corrumpitur, sed anihilatur. *Prob. Antec.*: quia id verè & propriè producitur ex nihilo, quod producitur & ex nihilo sui, & ex nihilo subjecti sustentativi, ex quo educatur; ut vidimus *disp. 4. cap. 4.*: illa autem entitas, in primis producitur ex nihilo sui, quia nihil ejus præcedit, siquidem materia, forma, & unio, sunt nihil ejus entitatis, cum ab eâ realiter adæquatè distinguantur: aliunde, etiam ex nihilo subjecti sustentationis, sive eductionis; tum

quia entitas illa non habet pro subjecto sui materiam, nec formam; alioquin reciperetur in ipsis, & uniretur ipsis, quod Scotistæ negant; tum quia nulla entitas est educibilis ex potentiâ subjecti, nisi quæ est forma, & cum subjecto compositionem facit, cujusmodi non est illa tertia entitas, alioquin non esset entitas totalis, sed partialis, ut inferebat Mastrius. Et hinc eodem modo concluditur, quòd illa entitas verè ac propriè desinit in nihilum; scilicet & sui, & subjecti.

8 Scio, Scotistas dicere, quòd *partes sunt aliquid compositi*, quòd sunt *de essentia* totius, quòd *spectant ad essentiam ejus*, quòd ab eo *distinguuntur realiter*, sed *non essentialiter*; quæ, & alia similia videlicet apud Mastr. *disp. 11. q. 13.* unde, cum compositum fiat ex partibus, verè fit, non ex nihilo, sed ex aliquo sui, ex aliquo spectante ad essentiam ejus. Verùm hæc vel æquivoca sunt, vel implicant in terminis. Nam, si partes realiter adæquatè distinguuntur à totâ entitate compositi, quomodò sunt *aliquid ejus*? Certè non sunt aliquid ejus per identitatem, siquidem ab eo distinguuntur adæquatè; nec sunt aliquid ejus per unionem physicam, siquidem non uniuntur toti, juxta Scotistas. Restat ergo, ut sint aliquid ejus per possessionem, aut dominium, quo modo pallium Petri est aliquid Petri. At hæc acceptio impertinens est ad explicandam philosophicè productionem *ex aliquo*; ut quisque videt.

9 *Dices*, negari non posse, quòd pars est aliquid totius. Fateor; dummodò non abutamur nomine *partis*; quod apud omnes, præter Scotistas, sonat aliquid inadæquatè identificatum cum toto; imò apud Scotistas id ipsum sonat, dum sermo est de partibus totius integralis, aut accidentalis physici, aut artificialis, aut per aggregationem. At, si ita abutaris nomine *partis*, ut illud applices ad rem adæquatè distinctam à toto, pars non magis erit aliquid totius, quàm pallium est aliquid Petri. Quin potius verissimè dicetur, quòd *pars est nihil totius*, quia *est nulla entitas identificata cum toto*; & quòd *est non aliquid totius*, quia est *non quid ejus*, siquidem non est quidditas ejus, nec adæquatè, nec inadæquatè.

10 Præterea, quid sibi vult, partes à toto *distingui realiter*, *sed non essentialiter*? Respondet Mastrius *n.* 164. & 174., partes constituere essentiam totius, & illud dici indistinctam, sive idem essentialiter alteri, quod constituit essentiam ejus. Sed verò, partes constituere essentiam totius, non tollit, juxta Mastrium *ibid.*, quòd partes simul sumptæ habeant essentiam realiter distinctam à totâ essentiâ totius: ergo essentia partium non est realiter essentia totius: ergo distinguuntur realiter secundum essentias. Dummodò hoc constet, abutere terminis pro libitu, & nega, partes à toto distingui *essentialiter*. Nihilominùs verum erit, quòd essentia totius, dum fit ex partibus, fit ex nihilo sui, seu ex non aliquo essentiæ suæ; siquidem fit ex aliquo, quod,

licèt sit *de essentia ejus*, & *spectet ad essentiam ejus* (ut tecum loquar), tamen realiter non est essentia ejus, nec inadæquatè quidem, atque adeò est nulla essentia ejus, nulla quidditas, nullum quid, seu nullum aliquid ejus.

11 *Confirm.* denique: positâ distinctione adæquatâ totius à partibus, causæ intrinsecæ, & constitutivæ, non different à causis extrinsecis, sive efficientibus, præsertim ijs, quæ per naturalem resultantiam, seu emanationem causant suos effectus, ut cùm aqua sibi recuperat amissum frigus. Hoc apud Scotistas, & apud omnes, absurdum est: sed *probatur*. Quia, juxta Adversarios, partes simul sumptæ faciunt totam causam totalem, ad quam sequitur compositum, tamquam effectus realiter adæquatè distinctus. Hæc autem causa totalis cur differat ab efficiente? An quia effectus causatur per resultantiam? At etiã frigus ex aquâ resultat. An quia datur essentialis connexio & inseparabilitas inter causam & effectum? At etiam causa efficiens necessaria, positâ applicatione Causæ primæ, connectitur essentialiter cum effectu; & Omnipotentia ipsa, prout applicata per decretum liberum producendi Mundum, est metaphysicè inseparabilis à Mundo, & Mundus ab ipsâ: ut omittam, quòd Scotistæ gratis ponunt metaphysicam inseparabilitatem inter totum, & partes unitas, cum nec partes sint modus totius, nec è converso, & aliunde realiter adæquatè distinguantur, non ut formalitates, sed ut res.

12 *Dices* cum Scotistis: causæ intrinsecæ differunt ab alijs, quia causant intrinsecè constituendo & componendo effectum; quia includuntur in effectu, & intra ipsum manent; quia sunt de essentiâ ejus, & spectant ad essentiam ejus. Sed *contra* 1.: per te intrinsecè constituere & componere effectum, non est identificari realiter, etiam inadæquatè, cum effectu; imò nec ipsi uniri (quamquàm unio cum effectu sæpe datur in causâ efficiente): quid ergo aliud significat illud *constituere*, illud *componere*, quod non possit convenire causæ efficienti? *Contrà* 2.: seclusâ identitate, & unione, quid est *includi*, & *manere intra effectum*? Est nè penetrari localiter, seu manere in eodem loco? At causa efficiens penetratur etiam cum effectu immanente, & Omnipotentia est intimè præsens omni creaturæ. Est nè includi, & contineri, instar bombycis in folliculo? At etiam bombyx efficienter causat, ac texit folliculum, cujus in cavo se abdit. *Contrà* 3.: si causa intrinseca nec identificatur, nec unitur effectui, non aliter poterit esse *de essentia ejus*, nec *spectare ad essentiam ejus*, nisi quatenus essentialiter connectitur cum effectu, & hic etiam cum tali causâ. At connexio cadit etiam in causam efficientem, ut ostendimus: quare Omnipotentia, prout applicata ad creandum, eodem terminorum abusu dici poterit esse de essentiâ creaturæ, & spectare ad essentiam ejus.

13 Ex dictis intelliges idioma Scotistarum in præsenti quæstione. Dum incunctanter admittunt has

locutiones, *Partes intrinsecè constituunt & componunt totum, sunt de essentia totius, sunt aliquid ejus, includuntur essentialiter in toto, & totum à partibus non distinguitur nisi ut includens ab incluso*; nè putes, his vocibus significari apud Scotistas identitatem realem, saltem inadæquatam, inter partes & totum, sicut significatur apud cæteros Scholasticos, & loquendo de toto accidentali, apud omnes. Quare, ut eos impugnes, utere argumentis à n. 8. indicatis. Abstinent quidem à nomine *distinctionis adæquatæ* inter totum & partes: sed eam planè intendunt, dum ajunt, totum distingui *se toto* à partibus unitis; & tertiam entitatem, additam supra partes, *non esse aliquid compositi, sed totam ejus entitatem, non enim additur per modum partis, sed per modum totius*, nec est *entitas partialis* sed *totalis*, & *tota quidditas totius*. Quę, & similia, sunt verba Mastrij, Merinei, & Pontij.

14 Duo addit Mastrius. 1., quòd totum à partibus distinguitur *se toto categorematicè sumpto*, quo sensu supponit pro tertiâ entitate superadditâ; non tamen *se toto syncategorematicè sumpto*, sic enim *supponit pro omni, & qualibet parte totius*. 2., quòd essentia hominis (idem puta de reliquis totis), scilicet humanitas, *directè & in recto* sumpta, tota consistit in illâ tertiâ entitate: at *causaliter, constitutivè, indirectè*, & *in obliquo*, corpus & anima *sunt de essentia hominis*, & *spectant ad essentiam hominis*; vel, ut ait Merinerus, non sunt *formaliter* essentia hominis, sed tantùm *causaliter*, & *in via*.

15 Ut ergo suprà positis argumentis utaris, sumendus tibi erit homo *categorematicè* (quod idem sonat, ac *substantivè*), sumendus item *directè*, & *in recto*, sive *formaliter*: atque ita inferre poteris, quòd homo, substantivè, directè, & formaliter sumptus, distinguitur secundùm se totum ab omni compositione, & ab omni animâ, consequenterque ab omni vitalitate, animalitate, & rationalitate substantiali: unde non erit *formaliter* quid compositum, nec *directè* vivens, nec *substantivè* & *in recto* animal rationale: quę valde mira sunt. Inferre item poteris, quòd corpus & anima non sunt de essentiâ hominis, nisi *constituti vè*, ideſt, *causaliter*, & *in via*, causando scilicet (cum essentiali connexione, si lubet) essentiam hominis ab ipsis adæquatè distinctam; & hoc ipsum est spectare ad essentiam hominis *indirectè*, & *in obliquo*.: unde eodem modo actio causæ efficientis erit de essentiâ effectus; & Omnipotentia, prout liberè applicata, spectabit ad essentiam creaturæ, quæ in esse talis concipi non potest, nisi ut pendens ab Omnipotentiâ, quâ cum connectitur essentialiter. Hoc autem quis non dicat absurdum?

16 Jam *Minor* primi syllogismi n. 1., quòd scilicet totum non distinguitur inadæquatè à partibus copulatè sumptis, *probatur* facilè: quia totum distingui inadæquatè à partibus, significat, totum cum ijs identificari, & insuper cum aliâ entitate,

te,

te, quæ non sit tota essentia totius, atqueadeò sit alia pars ejus. Quæro igitur, an totum distinguatur inadæquatè à collectione istius novæ partis & cæterarum? Si neges: jam ergo totum non distinguitur inadæquatè ab omnibus suis partibus collectim sumptis. Si asseras: ergo totum ultra collectionem modò dictam addit insuper novam aliam partem; de quâ, prout collectâ cum præcedentibus, eadem quæstio redibit; & sic in infinitum.

17 *Dices* forsan: entitas, quæ superadditur, non est pars, sed totalitas, seu forma totius. Sed nihil dices: nam ista totalitas, vel est tota quidditas totius, vel non. Si est; jam tota quidditas totius, non inadæquatè, sed adæquatè distinguetur à partibus. Si non est: ergo est pars quidditatis; nam prorsùs implicat esse quid totius, & non esse totum quidditatem, nec partem quidditatis. Præterea, illa forma totius, vel unitur partibus, vel non. Si non unitur: ergo totum identificatur cum entitatibus non unitis, ac proinde non est unum. Si unitur partibus ad componendum totum; quid illi deest, ut sit pars?

18 *Dices* iterùm: licèt totum nullatenùs distinguatur ab omnibus omninò partibus, distinguitur tamen inadæquatè à materiâ, formâ, & unione collectis, quia insuper addit novam aliam partem absolutam. Sed *contrà* 1.: quia omnia ferè argumenta contrariæ sententiæ, vel probant de omnibus omninò partibus, vel nihil probant. *Contrà* 2.: quia nova illa pars est omninò superflua, & inutilis. Nam, positis v.g. corpore organico, animâ rationali, & unione, ponitur quidquid sufficit, ut existat homo: complexum enim ex illis tribus, præciso quovis alio, est inprimis unum per se, cum constet ex actu & potentiâ de genere substantiæ substantialiter unitis; vel cedo, cur complexum ex illis & ex aliâ parte, à te superadditâ, sit unum per se? Est deinde potens elicere operationes omnes hominis proprias; quia continet principium activum, & passivum earum, nempe animam, & corpus; & evidens est, quòd anima rationalis, substantialiter unita corpori rite dispositò, & instructo organis ad videndum, audiendum &c., potest elicere visionem, auditionem &c. Illud ergo complexum est unum per se, potens sentire, & discurrere, ac proinde est animal rationale: ergo illi convenit hominis definitio: ergo verè est homo.

19 Denique sententia nostra roboratur exemplo totius integralis, accidentalis, & per aggregationem; in quibus Scotistarum argumenta planissimè instantur. Nam in primis totum integrale, v.g. mare, non distinguitur ab omnibus suis partibus. Tum quia ex terminis, & ex omnium conceptione patet, duas medietates maris, continuativè unitas, esse totum mare. Tum quia alioquin mare realiter distingueretur ab omni divisibilitate, cum hæc tota spectet ad partes: unde totum mare foret quid entitativè indivisibile, cùm tamen esset per totum Orbem diffu-

sum.

sum. Deinde idem constat in toto accidentali: si enim hujusmodi totum distingueretur à subjecto & accidenti, prout ita distinctum, foret accidens; repugnat enim, quòd substantia causetur ex accidenti, tamquam ex parte intrinsecâ sui: deberet ergo in subjecto recipi, quia omnis *accidentis esse est inesse*: ergo ex illo & subjecto resultaret aliud totum accidentale; de quo eadem quæstio fieret, & ita sine fine. Idem argumentum militat in toto artificiali. Demùm de toto per aggregationem nemo dubitat: nam vel rusticis notum est, acervum tritici nihil esse aliud, quàm multa grana tritici coacervata. Similiter nemo dubitare videtur de toto numerali, v. g. de numero ternario; nec de toto metaphysico constituto ex genere & differentiâ.

20 Si quæras, an saltem per rationem distinguatur totum à partibus collectim sumptis? *Resp.* non distinguitur propriâ & strictâ distinctione rationis, sed tantùm illâ minus propriâ, quam vocant *penès implicitum & explicitum*, sive quæ datur inter definitionem & definitum, v. g. inter hominem & animal rationale. Ratio est: quia hic conceptus, *materia, forma, & utriusque unio*, expressè ac distinctè proponit totam essentiam physicam, quam confusè aut indistinctè significat nomen, *compositum*, vel *totum substantiale*. Nec obstat, quòd totum dicatur *resultare* ex partibus. Nam etiam acervus tritici *resultare* dicitur ex multis granis, ternarius ex tribus unitatibus, species ex genere & differentiâ, & calidum ex calore & subjecto; nec tamen in his stricta rationis distinctio datur. Illa igitur *resultantia* non probat verum aliquem effluxum totius ex collectione partium, sed unicè distinctionem *ex modo significandi*, seu modum nostrum concipiendi totum instar effluentis.

## CAP. II.

### *DILUUNTUR ARGUMENTA contraria.*

1 PRO clariore solutionum intelligentiâ quædam sunt *præsolvenda*. 1.: nomine *partium* comprehendimus in præsenti etiam unionem; quia, licèt hæc non tàm dicatur pars, quàm nexus partium, nec pars, aut constitutivum *ut quod*, sed *ut quo*, est tamen entitas verè identificata inadæquatè cum toto. Unde, cùm negamus, totum distingui à partibus collectivè sumptis, negamus distingui à complexo, sive collectione materiæ, formæ, & unionis. Si tamen sumatur complexum ex solis partibus absolutis, nempe materiâ, & formâ, ab illo utique distinguitur totum realiter inadæquatè, quia ulteriùs importat unionem.

2 2.: passim dicitur, omnes partes *distributivè* sumptas distingui inadæquatè à toto, non tamen omnes *collectivè* sumptas. Quæ distinctio significat, veras esse propositiones, quibus distinctio affirmatur de *singulis* partibus, vel de *unaquaque* parte: nam in suppositione dis-

distributivâ idem significat *omnes*, ac *singuli*, & prædicatum affirmatur in solidum de *unoquoque* individuo, non de *cunctis* per modum unius subjecti realis; ut ex Summulis notum est: non tamen veram esse propositionem, quâ distinctio affirmatur de omnibus partibus quasi constituentibus unum subjectum reale, cui prædicatum conveniat; sicut exigit suppositio collectiva, seu copulata. Quare illa propositio, *omnes partes distinguuntur à toto*, in suppositione distributivâ reddit hunc sensum, *materia distinguitur, & forma distinguitur, & unio distinguitur à toto*; qui sensus verus est: at in suppositione collectivâ æquivalet huic, *materia & forma & unio distinguuntur à toto*; quæ propositio est falsa. Constant hæc ex *Descensu* suppositionum in Summulis explicato.

3 Hinc ineptè argues sic: *Omnes partes distributivè sumptæ, sunt omnes partes collectivè sumptæ*, quia utroque modo significantur omnes, nullâ exceptâ: sed omnes distributivè sumptæ distinguuntur à toto: ergo & omnes collectivè sumptæ. Ineptè, inquam, perinde ac si ita argueres: *Omnes Apostoli collectivè sumpti*, sunt *omnes distributivè sumpti*: sed omnes collectivè sumpti sunt duodecim: ergo & omnes distributivè sumpti, sunt duodecim; seu (quod idem sonat) unusquisque est duodecim. Potest itaque negari *Major*; quia unaquæque pars non est omnes, non est collectio omnium. Sed quia remaneret adhuc cavillationi locus, *dist. Maj.* sic: omnes partes distributivè sumptæ, sunt omnes collectivè sumptæ, idest, collectæ in unum subjectum, de quo verificetur *distingui à toto, neg.* (nam omnes partes sic collectæ, sunt partes chymericæ, quibus cum non identificantur veræ partes; sicut è converso omnes Apostoli sic distributi, ut de singulis verificetur *esse duodecim*, chymerici sunt); aliter collectæ, *transeat Maj.* Tum, *concessa Min.*, *dist. Consequ.*: omnes collectivè sumptæ, idest, collectæ in unum subjectum distinctionis à toto, *neg.* suppositum (quòd scilicet tales partes dentur, aut sint possibiles); aliter collectæ, *transeat Consequ.* Ad probationem adjunctam dic, utroque modo significari omnes partes, non chymericas, sed verè tales.

4 3.° *causa intrinseca*, seu *constitutiva*, idem est, ac *constitutivum intrinsecum*, seu *pars intrinsecè componens*; idemque est *intrinsecè causare totum*, ac *esse partem actualem totius*. Unde, sicut implicat in terminis, esse partem totius, & simul adæquatè distingui à toto, quia hoc perinde est, ac esse aliquid totius, & simul esse nihil totius; ita implicat in terminis, esse causam intrinsecam, & simul adæquatè distingui à causato, sive toto. Item, sicut nulla est pars, quæ non distinguatur inadæquatè à toto (aliter jam non esset pars, sed totum); ita de causâ intrinsecâ censendum. Item, sicut pars, dum constituit, & componit totum, nihil aliud præstat, quàm uniri cum aliis; ita causa intrinseca, dum causat totum, ni-

nihil aliud præstat, quàm uniri cum cæteris, atque ita fieri aliquid totius; hoc enim est formam v. g. dare esse toti, dare suum esse ita, ut fiat esse totius, sicut revera fit eo ipso quòd uniatur cum esse aliarum partium. Unde vides, magnum esse discrimen inter causam intrinsecam, & extrinsecam, v.g. efficientem; hæc enim causat dando esse effectui adæquate distinctum ab esse causæ. Denique, sicut munus partis non convenit omnibus partibus collectim, aut simul sumptis (sic enim eis convenit esse totum, ut patet in acervo tritici), sed tantùm divisim, aut seorsùm acceptis; ita de munere causæ intrinsecæ putandum. Nè tamen existimes, quòd in præsenti per adverbia *seorsum*, *divisim*, & similia, excluditur status actualis unionis; sine hoc enim non exercetur munus partis, aut causæ intrinsecæ: solùm excluditur conjunctio, vel singularis aliarum partium in ratione constituentium unum subjectum, aut rectum, de quo verificetur *esse partem*, aut *intrinsecè causare totum*; quia hæc prædicata, etiam quando partes actualiter unitæ sunt, solùm verificantur de illis *divisim*, idest, *singulatim*.

5 4.: verè dicitur, *forma unita materiæ causat totum*; falsò tamen, *forma*, *unio*, & *materia causant totum*. Quia in primo asserto significatur sola forma in recto, unio autem, & materia in obliquo: unde, cum prædicatum non cadat nisi supra rectum subjecti, solùm cadit supra formam. At in secundo asserto sumuntur in recto partes omnes per modum subjecti copulati, atque ita falsò dicuntur causare totum. Hoc autem assertum, *materia & forma unitæ*, vel *cum unione*, *causant totum*, communiter negatur; quia materia & forma unitæ, seu cum unione, censentur esse totum ipsum. Verùm idcò negatur, quia unio, licèt voce tenus ponatur in obliquo, mente tamen sumitur in recto, sicut materia, & forma, quasi cum his constituens unum subjectum copulatum. Si tamen ex mente dicentis unio sumatur in obliquo, concedi debet assertum, quia reddit hunc sensum, *materia & forma, quando sunt unitæ, causant totum*; quo sensu prædicatum cadit solùm supra entitates materiæ, & formæ, quæ inadequatè distinguuntur à toto (utpotè includente insuper unionem), ac proinde verè dicuntur illud causare.

6 Idem intellige, cùm dicitur, *materia & forma, prout unitæ, causant*. Hoc enim verum est, si reduplicetur unio præcisè ut circumstantia, vel condicio; falsum tamen, si reduplicatio sumat unionem in recto. *Dices*: *rectum*, & *obliquum*, termini sunt intentionales, qui non dantur à parte rei. Fateor: sed his terminis significamus quod est à parte rei. Vocamus enim *rectum* id, cui prædicatum à parte rei convenire dicimus; *obliquum* autem id, quod, licèt simul cum tali recto significetur, non tamen ita, ut ipsi à parte rei convenire dicamus prædicatum, de quo est sermo. Vide quantum à parte rei, differant objecta affirmata locutionum, si-

starum, *creatura Dei est quid finitum, creatura & Deus sunt quid finitum.* Ex his *prænotatis* (quæ si quis admittere renuat, urgendus erit exemplo totius accidentalis, & aliorum, de quibus *cap. præced. n.* 19.) jam facilè solves præcipuas objectiones.

7 *Objic.* 1.: partes compositi sunt causæ totius substantialis, & hic est effectus earum: sed omnis causa realiter distinguitur ab effectu suo: ergo inter totum substantiale & omnes ejus partes datur distinctio realis. *Dist. Maj.*: partes compositi distributivè, divisim, aut singulatim sumptæ: *conc.*; sumptæ collectivè, aut copulatim, *neg. Maj.*. Tum, *concessa Min.* de distinctione vel adæquatâ, vel inadæquatâ, *dist. Consequ.* sub ijsdem terminis. Sensus autem, & veritas solutionis constat ex prænotatis, suppositò partes esse causas totius, non extrinsecas, sed intrinsecas. Et ulteriùs admitti debet ab Adversarijs in toto integrali, aut accidentali.

8 Si dicas, non dari propriè causas in toto accidentali, quia non est propriè unum. In primis totum integrale propriè est unum. Deinde totum accidentale, v.g. *calidum*, licèt non dicatur unum per se, quia non componitur ex actu & potentiâ ejusdem generis, est tamen propriè unum proprietate unionis physicæ inter calorem & ignem; est enim illa unio sine dubio propria, & naturalis: & saltem eo modo, quo est unum concretum physicum, non minùs pendet, & resultat ex calore, quàm homo ex animâ, atque adeò non minùs causatur intrinsecè. Adde, quòd causa intrinseca, & pars intrinseca, nihil differunt. Sed etiam si omittatur nomen *causæ*, objectio planè instatur sub nomine *partis*, hoc modo: subjectum & calor (subaudi etiam unionem) sunt partes concreti *calidum*, illudque realiter componunt, & constituunt: sed omnis pars realiter componens, & constituens, realiter distinguitur à constituto, cujus est pars; nihil enim est pars sui, nec realiter componis, aut constituit se, ut est evidens: ergo inter illud concretum & omnes ejus partes datur distinctio realis. Eadem argumentatio fieri potest in acervo lapidum.

9 *Replic.* 1.: forma v.g. non causat se, nec materiam, nec unionem: ergo, dum causat totum substantiale, causat aliquid ab ijs tribus distinctum. *Instat*, ut nuper: calor non est pars sui, nec subjecti, nec unionis: ergo, dum est pars concreti *calidum*, est pars alicujus ab ijs tribus distincti. Itaque *dist. Antec.*: non causat se, nec materiam, nec unionem, singulatim sumptas, *conc.*; sumptas copulatim, *neg. Antec.*. Tum *dist. Consequ.*: ab ijs tribus copulatim sumptis, *neg.*; sumptis singulatim, *subdist.*: aliquid distinctum inadæquatè, *conc.*; adæquatè, *neg. Consequ.*. Forma igitur intrinsecè causat se & materiam & unionem copulatim sumptas; quia sic sumptæ, sunt tota collectio ipsarum, & hanc collectionem intrinsecè causat forma eo ipso quòd sit pars ejus; nihil enim est aliud intrinsecè causare aliquid, quàm esse partem illius.

10 *Replic.* 2.: forma, materia, & unio, singulatim sumptæ, non sunt intrinsecè causabiles à formâ: ergo nec ipsarum collectio est intrinsecè causabilis à formâ. Sic non est à Deo efficienter causabilis collectio trium chymerarum, quia tres chymeræ, singulatim sumptæ, non sunt efficienter causabiles à Deo. Verùm hoc etiam subest instantiæ nuperæ: quia similiter calor, subjectum, & unio, singulatim accepta, non sunt intrinsecè causabilia, vel constitutibilia ex calore tamquam ex parte sui. Præterea dico, formam, materiam, & unionem, singulatim sumptas, esse intrinsecè causabiles à formâ, non quidem per causalitatem distributivè afficientem singulas, sed per causalitatem denominantem omnes copulatim, ita ut denominatio *causati* conveniat omnibus collectivè sumptis. Est dicere: Singulæ sunt capaces, non ut à formâ causentur singulatim, aut divisim, sed ut causentur collectim: quia singulæ verè sunt capaces ut includantur in collectione, quæ à formâ intrinsecè causetur, ideſt, cujus forma sit pars.

11 Si inferas: ergo forma etiam est intrinsecè causabilis, & causata à semetipsâ. *Dist.*: absque ullâ distinctione reali inter formam ut causantem, & ut causatam, *neg.*; cum distinctione reali inadæquatâ, *conc. Conseq.*. Forma non suscipit denominationem *intrinsecè causantis*, nisi sola, vel seorsùm ab alijs (vide suprà n. 4.); & denominationem *intrinsecè causatæ* non suscipit, nisi collectim cum materiâ & unione, ita ut denominatio ista non verificetur, nisi de totâ collectione, tamquam de unico subjecto: inter formam autem sumptam collectim, & sumptam seorsim, datur utique distinctio realis inadæquata. Hinc solves hunc syllogismum: Forma non causat compositum, quatenùs hoc importat formam ipsam: sed neque illud causat, quatenùs importat materiam, & unionem: ergo forma nullatenùs causat compositum. Respondebis enim, quòd forma causat compositum, quatenùs hoc importat formam ipsam prout collectam cum materiâ & unione, & similiter quatenùs importat materiam & unionem prout collectas cum formâ; ita ut denominatio *intrinsecè causati* à formâ, nunquam aptari possit, nec soli formæ, nec solis materiæ & unioni; quia idem sonat, ac denominatio *habentis formam ut partem sui*, & hæc non convenit nisi collectioni omnium ut tali.

12 *Replic.* 3.: materia, forma, & unio, singulatim sumptæ, sunt causæ intrinsecæ partiales, sive inadæquatæ: ergo collectio ipsarum est causa intrinseca totalis, sive adæquata, totius substantialis: non aliter, ac collectio omnium partialium causarum efficientium est causa efficiens totalis, & adæquata. Sed causa adæquata totius, realiter ab eo distinguitur: ergo &c.. *Resp.* Hoc etiam instantiam patitur in toto accidentali; nec non in collectione ipsâ, de quâ est sermo. Nam materia, forma, & unio, actu existentes, omni aliâ entitate præcisâ, sunt col-

collectio physica entitatum, seu quoddam conjunctum physicè indivisum; non enim materia & forma sunt diviſę inter se, nec ab unione. Hujus autem conjuncti causę intrinsecæ inadæquatæ, sunt materia, forma, & unio, singulatim. Numquid collectio earum erit causa intrinseca adæquata ejusdem conjuncti, seu collectionis ipsius? Et, omisso nomine *causæ*, instantia est evidentior sub nomine *partis*. Materia, forma, & unio, singulatim sumptæ, sunt partes inadæquatè componentes collectionem sui ipsarum: ergo collectio earumdem erit pars adæquata componens semetipsam, sive pars adæquata sui: quæ est manifesta implicatio in terminis, tum propter defectum distinctionis, tum propter vocum repugnantiam; nam *pars adæquata* toti, est pars non pars, nec toto minor, contra illud per se notum, *Totum est majus sua parte.*

13 Itaque ad *replic.* conceditur *Antec.*, computando unionem inter causas intrinsecas eo sensu, quo computatur inter partes ex *num.* 1.: sed negatur *Conseq.*: quia *causa intrinseca* idem sonat, ac *pars componens*; ideoque, sicut implicat in terminis *pars totalis*, seu *pars adæquata*, cum conceptus *partis* sit impræscindibilis à partialitate, & inadæquatione; ita in terminis implicat *causa intrinseca totalis*, sive *adæquata*, ob eamdem rationem. Poterunt quidem materia, & forma, unaquæque vocari causa intrinseca in suo genere adæquata, idest, unica: materia quidem in genere subjectî, & forma in genere causæ formalis: quod pariter locum habet in munere partis; quia utralibet est pars adæquata, idest, unica, in suo genere; forma quidem in genere partis formalis, & materia in genere partis materialis. Cæterùm in ratione causæ intrinsecæ, absolutè dictæ, prorsùs implicat causa totalis, vel adæquata. Nec valet exemplum causæ efficientis; quia hęc non dicit ex conceptu suo inadæquationem; nec est ratio, cur nomen ejus verificetur potiùs de singulis causis partialibus, quàm de collectione omnium, cum ista collectio realiter distinguatur ab effectu, & extra illum maneat.

14 Ex quâ doctrinâ *negandum est* 1., quòd munus, vel prædicatum conveniens singulis partibus, nullâ exceptâ, convenire debeat toti, seu collectioni omnium. Idcircò ineptæ sunt argumentationes istæ: Singulæ partes, nullâ exceptâ, sunt simplices, sunt incompletæ, sunt partes collectionis ipsarum: ergo collectio est simplex, est incompleta, est pars sui ipsius. Item: Singulæ partes numeri binarij sunt unitates: ergo collectio, seu numerus ipse, est unitas. Item: Singula grana tritici sunt quid parvum: ergo ingens acervus tritici est quid parvum. Ratio: quia inter collectionem, & partes singulas, vel singulatim acceptas, datur distinctio realis inadæquata; quæ sufficit ad prædicationes diversas, & oppositas. *Negandum est* 2., quòd causa intrinseca inadequata relationem dicat ad causam intrinsecam adæqua-

tam: non enim refertur, nisi ad alias concausas intrinsecas similiter inadæquatas, atque etiam ad compositum sub ratione *intrinsecè causati*: quemadmodùm pars non dicit relationem ad partem totalem, sed ad compartes alias, atque etiam ad totum sub ratione totius. Hinc superfluè additur *inadæquata*, dum sermo est de causâ intrinsecâ, perinde ac si diceretur *pars partialis*: imò quodammodò falsum supponit, scilicet dari posse causam intrinsecam, quæ non sit inadæquata.

15 Sed adhuc *insistes*: compositum est adæquatè causatum intrinsecè, sive in lineâ intrinsecâ: ergo in hac eâdem lineâ correspondet ipsi causæ adæquata. *Prob. Conseq.*: quia ex terminis repugnat adæquatè causatum sine causâ adæquatâ. *Resp.* Redit instantia sub ijsdem terminis in toto integrali, accidentali, &c.. Item sub nomine *partis intrinsecè componentis*: nam eâdem ratione repugnare videtur *adæquatè compositum*, sine *adæquatè componente*: unde assignanda erit pars adæquata. Itaque *concesso Anteced.*, *neg. Conseq.*. Ad *prob. dist.* assertum: repugnat &c., dum sermo est de adæquatè causato in lineâ extrinsecâ, *conc.*; dum de adæquatè causato in lineâ intrinsecâ, *subdist.*: sine causâ adæquatâ, & sine multis inadæquatis, *conc.*; sine causâ adæquatâ, cum multis tamen inadæquatis, quotquot sunt necessariæ, *neg.*. Esse adæquatè causatum intrinsecè, significat, esse constitutum ex multis partibus, ita ut nulla necessaria desit: at hujusmodi constituto non correspondet una pars adæquatè constituens, sed multæ partes, singulæ partialiter constituentes, præter quas nulla alia desideretur. Idem autem significat *pars constituens*, & *causa intrinseca*. Ubi notandum, quòd ab unaquaque parte causatur adæquatè compositum adæquatione effectus, non adæquatione causæ: ideſt à formâ v.g. causatur totum compositum in esse totiùs, quia non nisi ut totum est, includit formam ut partem sui (quod est ab eâ intrinsecè causari); at non causatur à formâ tantùm, quasi sola sufficeret, sed insuper à materiâ & unione singulatim. Sic in causis etiam extrinsecis, dum potentia & habitus influunt in amorem, à singulis causatur amor adæquatè, non adæquatione causæ, sed adæquatione effectus.

16 Si quæras, cur materia & forma unitæ (sumptâ unione in obliquo) dici non possint causa adæquata compositi, siquidem illud verè causant ex *n.* 5., & aliunde præter illas nulla est alia causa intrinseca, cum unio non sit causa, sed causalitas? Quæram invicem, cur non eædem dicantur pars totalis, vel adæquata, siquidem unio non est pars, sed nexus partium? Ratio igitur est; quia non dicitur causa adæquata, nisi quæ continet totum esse causati: materia autem, & forma, etiam dum sunt unitæ, solæ ipsæ in recto non continent per identitatem realem (quæ est continentia propria causæ intrinsecæ) totum esse compositi, siquidem hoc includit etiam unionem, quam identicè non continent materia & forma. Unio itaque, quoad

quoad præsens attinet, sicut computatur inter partes, ita & inter causas intrinsecas; quia causa intrinseca in præsenti dicitur omnis vera entitas, à quâ ut intrinsecè inclusâ, pendet essentialiter compositum. Solùm ergo dicitur, non simpliciter causa, sed causalitas, quia conceptus cujus est conceptus ultimæ determinationis aliarum causarum. De cætero, verisimè includitur in composito, & hoc essentialiter ab illâ pendet.

17 *Objic.* 2.: homo per generationem accipit aliquod esse simpliciter tale, & per corruptionem illud amittit: sed hoc esse non est esse materiæ & animæ rationalis, quippe quæ non generantur, nec corrumpantur; nec item est esse unionis, quia hoc non est esse simpliciter, nec *ut quod*, sed purè *ut quo*: ergo est aliquod aliud ab his distinctum. *Confirm.* 1.: quia, si in morte hominis sola perit unio, permanebit homo secundùm totum suum esse absolutum; quidquid enim de absoluto dicit homo, totum permanet in materiâ, & animâ, nec perit nisi purus respectus. *Confirm.* 2.: quia, dum Aristoteles substantiam dividit in materiam, formam, & compositum, nomine *compositi* non significat materiam & formam; sic enim divisio foret nugatoria: nec item significat unionem; quia sic nomine *compositi* significaret aliquid imperfectius materiâ, & formâ: significat ergo aliquid aliud. Huc etiam spectat, quod Aristot. ait *lib.* 5. *Metaph. text.* 19., sex non esse bis tria, sed semel sex & *lib.* 7. *t. ult.*, syllabam *ba* non esse *b*, & *a*, sed aliquid aliud: & *lib.* 8. *tit.* 15., totum, quod non est merè coacervatum, esse aliquid aliud præter partes.

18 Ad *Objic. conc. Maj.*: & ad *Min.* dico, illud esse simpliciter, quod homo generatione accipit, & corruptione amittit, consistere in esse materiæ, animæ, & unionis, non distributivè sumptarum, sed collectivè; quia est ipsum esse compositi, seu esse hominis. Quamvis enim sola unio sit generationis terminus formalis, homo tamen in esse totius verè est terminus denominationis, qui scilicet physicè, seu cum proprietate physicâ denominatur *generatus*: quia per generationem ultimò efficienter determinatur ad existendum simpliciter, cum determinetur ad habendum suas omnes partes, ideest, non solùm unionem, sed etiam materiam, & animam; has quippe non habet homo ut partes sui, donec existat unio, quæ & se ipsâ componit hominem, & reddit materiam & animam actualiter componentes. Et hæc est ratio, cur homo potiùs dicatur genitus à generatione unionis, quàm creatus à creatione animæ. Similiter per corruptionem unionis determinatur homo ad amittendum suum esse simpliciter; quia determinatur ad non habendum ullam ex partibus; jam enim anima & materia non sunt partes actuales hominis: & ideò verè denominatur homo *physicè corruptus*. Materia igitur, & anima rationalis, non corrumpuntur, nec generantur distributivè.

tum;

sumptæ, nec per modum termini formalis; benè tamen collectivè sumptæ cum unione, per modum termini denominationis.

19 Hinc ad 1. *Confirm.* negandum, quòd in morte hominis pereat sola unio: perit enim homo simpliciter in esse hominis, neque ullum esse absolutum retinet; nam illud esse, quod permanet in animâ & materiâ, fuit quidem hominis, sed jam non est hominis. Negandum etiam, quòd unio sit purus respectus prædicamentalis: pollet enim insuper aliis prædicatis, cum sit modus substantialis, extrema determinans, & perficiens, simul que pertinens intrinsecè ad essentiam hominis. Ad 2. *Confirm.*: Aristoteles nomine *compositi* significat in eâ divisione, non solam unionem, nec solas materiam & formam, sed has tres entitates collectivè: unde tertium divisionis membrum non nisi inadæquatè distinguitur à cæteris. Nec ideò divisio nugatoria est, aut vitiosa; ut in summulis notavimus circa regulas Divisionis. Quod Aristoteles ait de senario, & de syllabâ, solvendum est pariter ab Adversarijs; illa quippe sunt composita accidentalia. Quare dicendum, ideò sex non dici formaliter bis tria, vel quia sumuntur duo ternarij, non copulatim, sed singulatim; vel quia senarius importat cõtinuatam unionem, seu coordinationem sex unitatum, quam non important duo ternarij: unde jam datur aliqua distinctio inadæquata, nempe ratione unionis; nec opus est addere aliam entitatem, ne alioquin senarius sit septenarius. Idem dictum esto de syllabâ *ba*, quæ pariter inadæquatè distinguitur à litteris *b*, & *a*, tum singulatim sumptis, tum ratione conjunctionis & ordinis in proferendo, aut scribendo.

20 Cùm autem ait Aristoteles, totum, non merè coacervatum, esse aliquid aliud præter partes, loquitur de partibus juxtà positis, seu merè localiter conjunctis; & significat, totum insuper addere unionem physicam, seu naturalem, quam non addit merus acervus. De cætero, mens Aristot. pro nostrâ sententiâ satis constat ex locis à P. Suar. citatis, præsertim ex 4. *Physic. t.* 23. & *seqq.*, & ex 5. *Metaph. t.* 31. Adde auctoritatem Magni Augustini 7. *de Trinit. cap.* 4., & 13. *de Civit. cap. ult.*, ubi sic loquitur: *Hoc quidem verum est, quòd non totus homo, sed pars melior hominis anima est; nec totus homo corpus, sed inferior hominis pars est: sed cùm est utrumque conjunctum simul, habet hominis nomen.* Quæ est etiam sententia expressa D. Thomæ 4. *cont. Gent. c.* 81. *ad* 3.. Nec oppositum docet S. Doctor *in* 3. *d.* 2. *q.* 1. *ar.* 3. *corp.*, dum ait, quòd in Christo fuit corpus, & anima, *& ulteriùs forma totius resultans ex conjunctione corporis, & animæ, quæ humanitas dicitur.* Solùm quippe vult, ut in Christo fuerint corpus, & anima, non utcumque, sed simul cum unione, ita ut ex eis vera constitueretur humanitas. Videatur ibi *in resp. ad* 3. *quæstionc.*, & ibidem *ad* 3..

21 *Objic.* 3.: si totum substan-

tantiale non distinguitur à collectione partium, non erit unum per se, sed unum per accidens: erit enim plura simpliciter, & unum secundùm quid, nempe secundùm unionem. Accedit, quòd collectio partium est veluti coacervatio plurium entitatum, quæ non magis propriè dici potest quid unum, quàm acervus lapidum. *Neg. seq.*: quia unum per se dicitur, quod constituitur ex actu & potentiâ ejusdem generis, physicè unitis; ut sæpe diximus. Nec constitutum istud est unum duntaxat secundùm quid, aut secundùm unionem; sed est unum à totâ suâ entitate; ut explicuimus *disp præced. c. 2. n. 10. & 11.* Nec ejus unitati opponitur pluralitas partium (si *pluralitas* non significet divisionem, sed distinctionem tantùm); nam alioquin totum substantiale non foret unum unitate compositionis, sed simplicitatis, non unum compositum, sed unum simplex, sicut Angelus. Quare partes simul dici possunt *simpliciter plures* partes, & *simpliciter unum* totum. Quod additur de coacervatione, falsum est: nam coacervatio non importat unionem partium physicam, seu naturalem, quam utique importat collectio, de quâ loquimur.

22 *Objic.* 4.: multa verificantur de composito, quæ non verificantur de partibus, etiam collectim sumptis: ergo à partibus, etiam sic acceptis, distinguitur compositum. *Prob. Antec.*: quia compositum est continens, & includens, & constitutum; partes autem sunt inclusę, & contentæ, & constituentes: compositum est unum; partes autem non nisi plures: compositum non est unitum; partes autem unitę sunt: compositum agit, & accidentia recipit *ut quod*; non ita partes. *Neg. Antec.*. Ad *prob.*: tota ista prędicatorum varietas referenda est ad partes distributivè sumptas: si enim collectivè sumantur, sunt ipsum compositum, adeò que suscipiunt prædicata omnia, quæ de composito verificantur, nominatim ea, quę enumerat objectio.

## CAP. III.

### *QUORUMDAM AUTHORUM peculiares sententiæ, Totum à partibus distinguentes, rejiciuntur.*

1 FABER Scotista *theorem. 21. cap. 3.* ponit materiam & formam unitas in quâdam prioritate, vel signo, in quo nondùm sunt totum, sed ab eo distinguuntur: deinde dicit, has partes per generationem converti in totum, ita ut jam non retineant formaliter suas entitates, sed transeant in substantiam totius. Sed hic Author optimè impugnatur à Merinero, & Mastrio. Et nunc rejicitur breviter. Tum quia productio compositi non erit generatio, sed transubstantiatio, non minùs mirabilis, quàm Eucharistica. Tum, quia, si partes non retinent intra compositum suas entitates, compositum non constabit formaliter partibus, nec erit

erit formaliter compositum, sed formaliter simplex. Tum, quia, si anima rationalis suam amittit entitatem per conversionem in totum, non poterit illam in morte hominis recuperare, nisi denuò creetur. Tum etiam, quia sequeretur contra Fidem, in Christo D. non permanere animam rationalem.

2 P. Vazquez in 3. p. d. 19. à n. 28. agnoscit in compositis substantialibus, præsertim in animantibus, præter materiam, formam, & unionem, quoddam esse substantiale, in materiam derivatum à formâ in genere causæ formalis; atque in eo collocare videtur totalitatem compositi. Movetur 1.: quia materia in toto substantiali non est purum vehiculum formæ, sicut subjectum formæ accidentalis; sed per se concurrit ad operationes compositi per modum principij agentis, ita ut in homine v.g., non sola anima vivat, & operetur, sed etiam materia per animam informata; nam alioquin, non totus homo, sed sola anima propriè videret, ædificaret, &c., sicut in aquâ calidâ solus calor propriè calefacit: admittendum est igitur aliquod esse à formâ derivatum, ratione cujus materia vivat, & operetur. 2.: quia anima rationalis materiæ tribuit esse corporis, quod ab animâ spirituali distingui debet. 3.: quia sequeretur alioquin, hominem non minus dici posse spiritum, quam corpus: nam, sicut ex alterâ parte est corpus, ita ex alterâ est spiritus. 4.: quia anima hominis vivificat materiam vitâ corporali, & corruptibili, quæ nequit non distingui ab animâ incorruptibili, & incorporeâ.

3 Hæc tamen argumenta non satis probant quod intendunt. Non 1.: quia materia nunquam activè concurrit ad operationes compositi, etiam admisso illo esse à formâ derivato: illud enim esse distinguitur à materiâ, quę proinde semper distincta manet ab omni esse activè concurrente. Vel, si materia dici potest active concurrens, quia recipit illud esse activum, cur non etiam, secluso tali esse, dicatur activè concurrere, quia recipit ipsum esse formę, quod utique activum est? Materia ergo non est merum vehiculum formę substantialis, sed ulteriùs conducit, & adjuvat ad operationes compositi, vel tamquam subjectum, saltem partiale, materialium operationum immanentium, vel quia est proprium subjectum accidentium instrumentaliter concurrentium ad operationes formæ: quo fit, ut forma in operando pendeat à materiâ (qualiter non pendet calor ab aquâ), ideòque operationes tribuantur toti composito. Non 2., nec 3.; quibus affatim respondimus *disp. 5. cap. 1. à n. 22. ad 27.*

4 Non 4.: quia, licèt anima in se, & quasi in abstracto, sit vita incorruptibilis, & incorporea; in concreto tamen, seu prout in actu secundo vivificans materiam, est vita corruptibilis, & corporea, ratione unionis, quam involvit, & ratione exigentiæ quantitatis, sine quâ talis vivificatio fiare nequit. Præterea impugnari potest dicta sententia. Quia illud esse à formâ de-

derivatum, verè est in materiâ, ut in subjecto: ergo erit quædam forma, & actus materiæ, & quidem substantialis, siquidem est esse substantiale, pertinetque ad constitutionem unius per se: dabitur ergo in omni composito duplex forma substantialis; quod aliàs improbat P. Vazquez: & in animantibus dabitur duplex anima; nam illud esse, ab animâ derivatum, erit alia anima, cum sit substantia incompleta activè concurrens ad operationes vitales.

5 Huic sententiæ quodammodò affinis est, quam ex Ægidio Romano tradit, & latè sequitur M. Manso *l. 2. Physic. q. 7.*: quòd scilicèt formalis effectus cujuscumque formæ, sive substantialis, sive accidentalis, realiter distinguitur à formâ communicatâ subjecto, consistit que in quodam esse à formâ derivato, quod non est res, sed modus entitativè indistinctus à subjecto, seu cum illo entitativè identificatus. Sed, ut ab hoc ultimo incipiam, cum modus iste varietur, ac pereat, & materia entitativè non pereat, omninò repugnat illa indistinctio, vel identitas modi cum materiâ; nisi indistinctio sumatur impropriè pro inseparabilitate non mutuâ. Repete argumenta *disp. præc. cap. 1.* contra indistinctionem unionis à materiâ & formâ.

6 Deinde *rejicitur* hæc sententia: quia formalis effectus formæ est totum compositum: hoc enim intrinsecè caulatur à formâ; nec nisi in genere causæ formalis, ut est manifestum: potest autem compositum fic à formâ causari, quàmvis nihil includat præter materiam, formam, & unionem; ut explicatum est *cap. super.* Superfluum est igitur pro explicando formali effectu illud esse purè modale adæquatè distinctum à formâ, & ab eâ derivatum. Adde, quòd causa formalis relatè ad effectum primarium, & positivum, est causa intrinseca, proindeque non potest adæquatè distingui à tali effectu; alioquin non differret à causâ extrinsecâ, ut contra Scotistas arguebamus suprà *cap. 1.* Nec dicas cum Manso *cit. q. n. 26.*, causam formalem in eo differre ab efficiente, quòd formalis recipitur in subjecto, cui dat suum effectum; efficiens verò non recipitur intra subjectum, cui dat effectum suum. Ne, inquam, id dicas: quia habitus animæ nostræ, sive naturales, sive supernaturales, ut Fides, & Charitas, utique recipiuntur in subjecto, cui dant suum effectum, nempe actum vitalem; cujus tamen sunt causæ efficientes. Argumenta Manfi partim soluta sunt in superioribus, partim solventur ubi de intensione qualitatum, & effectu formali quantitatis.

7 Sed hìc notandum, quòd, cùm passim dicitur, effectum formalem (qui nihil est aliud, quàm denominatio, vel concretum, sive substantiale, sive accidentale, resultans ex formâ unitâ subjecto) non distingui à *forma communicata subjecto capaci*, sensus est, talem effectum non distingui à formâ, subjecto, & communicatione, sive unione, collectivè sumptis: nam à formâ,

mâ, & communicatione, utique distinguitur inadæquatè; nisi fortè formalis effectus sumatur duntaxat *pro formali*, sicut sæpe sumitur formalis effectus formæ accidentalis, v. g. denominatio *albi*. Notandum insuper, quòd hæc locutio, *forma tribuit subjecto suum effectum formalem*, non significat, talem effectum adæquatè distingui à subjecto, cui tribuitur, nec à formâ tribuente; alioquin hoc concretum *filius Dei adoptivus*, qui est effectus formalis à Gratiâ tributus homini, distingueretur adæquatè ab homine, vel à Gratiâ. Solùm ergo significat, formam, dum se tribuit subjecto, constitutivè facere, ut resultet effectus formalis constitutus etiam ex subjecto, imò & eidem attributus tamquam recto, vel unico, vel partiali, prout fuerit effectus, accidentalis, vel substantialis.

8 P. Lynce *l. 2. Physic. tr. 9. c. 1.*, singulariter opinatur, totum substantiale esse omninò idem cum supposito, vel subsistentiâ; quam non considerat, ut cæteri Authores, tamquam quid incompletum, quod simul cum naturâ constituat unum suppositum; sed existimat, subsistentiam, humanam v. g., esse quid completum, adæquatè distinctum à collectione partium, & quod verè esset totus homo, etiamsi per impossibile existeret sine partibus. Movetur 1.: quia Verbum Divinum assumpsit collectionem animæ, corporis, & unionis, nec tamen assumpsit hominem: ergo homo est quid ab eâ collectione distinctum. At, quod non est assumptum à Verbo, est sola subsistentia humana: hæc ergo est totus homo. 2.: quia, si homo consistit in collectione partium, homo senex non erit idem secum ipso puero, propter variationem materiæ. 3.: quia, si homo secum identificat unionem partium, Petrus erit specie distinctus à Paulo. Probat: quia unio Petri plus differt ab unione Pauli, quàm ab alijs unionibus Petrensibus, quæ scilicet loco præsentis dari possunt inter corpus & animam solius Petri; cum his enim unionibus convenit præsens unio Petri in essentiali alligatione ad hæc numero extrema, quo pacto non convenit cum unione Pauli: atqui ab unionibus hisce solo numero differt: ergo ab unione Pauli, plusquàm numero: ergo differt specie, consequenter que reddit Petrum specie diversum à Paulo.

9 Hæc opinio *rejicitur* 1.: quia, si compositum non identificatur cum partibus, non erit ens compositum. Ait Lynce, ut dicatur ens compositum, sufficere, quòd connotet essentialiter partes, ex quibus resultat. Sed *contrà*. Tum quia sic erit homo compositus connotativè tantùm: cæterùm constitutivè, formaliter, & intrinsecè, erit ens omninò simplex, sicut Angelus. Tum etiam, quia licèt accidens sæpe resultet ex materiâ & formâ unitis, non ideò dicitur compositum; nec creatura dicitur infinita, quàmvis connotet essentialiter Creatorem infinitum. *Rejic.* 2.: quia opinio hæc subjacet ijsdem impugnationibus, quibus *cap.* 1 rejecimus Scotistas. 3.:

quia

quia Verbum assumpsit integram humanitatem, seu naturam humanam; quam si Lynce concedit indistinctam à collectione partium, nobiscum sentit; non enim nunc disputatur de supposito, ut in limine *disp.* monuimus. Singularis tamen est, & contra omnes loquitur hic Author, dum soli subsistentiæ tribuit nomen hominis: &, præter incommoda *cap.* 1. indicata, tenetur idem sentire de nomine Angeli, dicere quæ, naturam Angelicam, quàmvis sit substantia completa spiritualis, nec esse Angelum, neque ullatenùs cum Angelo identificari; quod satis est absonum.

10 Nec obstant argumenta n. 8.. *Ad* 1.: Verbum non assumpsit hominem personaliter sumptum, seu prout homo significat personam; quia non assumpsit humanam subsistentiam. Hoc probat quidem, quòd subsistentia est de conceptu suppositi, vel personæ; minimè tamen quòd est totum suppositum, nec totus homo. Sic humanitas deficit unione deficiente; nec tamen unio est tota humanitas. *Ad* 2. jam fecimus satis *disp.* 4. *c.* 5.. *Ad* 3. fecimus etiam satis *tract.* 3. *Logic. d.* 1. *c.* 3. *n.* 12.: & planè instatur in ipsis humanitatibus Petri & Pauli, quæ certè specie non differunt, cum tamen secum identificent suas uniones; sicut etiam specie non differt humanitas Christi à cæteris.

## CAP. IV.
## *DE SUPPOSITO REMISSIVE.*

1 TRACTATIO de supposito ad Metaphysicam, aut Theologiam spectat. Sed quia de eo etiam apud Physicos sæpe incidit mentio, aliquam ejus notionem modò dabimus; remissis aliò quæstionibus, quæ prolixo indigent examine. Quod significatur nominibus concretis rerum per se stantium, ut *equus*, *homo*, & similibus absolutè dictis, vocatur *suppositum*: quod verò significatur nominibus abstractis, quæ concretis hisce respondent, ut *equinitas*, *humanitas*, vocatur suppositi *natura*, vel etiam *essentia*, & *substantia* suppositi: atque hæc substantia, sive integra natura, est, quam hactenùs explicuimus sub nomine *compositi substantialis*.

2 Distinctio realis inter suppositum, & naturam, nullo signo physico, vel naturali effectu notescit (ideò ad Physicam propriè non spectat): quare Philosophis ethnicis homo & humanitas non aliter distingui videbantur, quàm ex modo significandi, sicut ens & entitas. Christianis tamen ea distinctio innotuit ex mysterio Dominicæ Incarnationis. Nam Verbum Divinum assumpsit naturam humanam, ex materiâ, formâ, & unione constitutam, & non assumpsit hominem, id est, suppositum creatum, seu personam humanam. Unde in Christo D. duæ sunt naturæ, Divina scilicet, & humana, sed non nisi unicum suppositum, unicavè persona, ea que

non creata, sed Divina. Hinc autem planè colligitur, suppositum non esse solam naturam, sed aliquid ulteriùs addere, sive positivum, sive negativum; alioquin non posset humanitas à proprio supposito separari, sed ubicumque esset natura humana, esset & creatum suppositum; quod tamen in Christo constat esse falsum.

3 Suppositum ergo naturam intrinsecè includit (nam quis hominem absolutè dictum concipiat sine humanitate, seu naturâ humanâ, quæ est substantia hominis?); sed addit aliquid aliud, quo deficiente, deficit suppositum, etsi natura non deficiat: atque illud additum vocatur *subsistentia*; quàmvis enim hoc nomen interdum in concreto sumatur pro toto supposito, frequentiùs in abstracto accipitur pro addito istiusmodi. Quod de humano supposito dictum est, locum pariter habet in equino, lapideo, & cæteris purè corporeis, nec non in Angelico. Sed, quando natura est rationalis, vel intellectualis, ut in homine, & Angelo, suppositum vocatur *persona*, ejus que subsistentia *personalitas* (idem sonat græcum nomen *hypostasis*, quod latinum *persona*, vel *suppositum*: unde unio humanitatis ad Verbum dicitur *hypostatica*, id est, *personalis*): quando autem natura irrationalis est, ut in equo, & lapide, suppositum ejus *persona* non dicitur, nec ejus subsistentia *personalitas*, sed *suppositalitas*, aut purè *subsistentia*. Unde suppositum latiùs patet, quàm persona; quia omnis persona suppositum est, sed non è converso.

4 Nunc jam quæres, quid sit subsistentia? vel, quid addat suprà naturam? Respondent Scotistæ, subsistentiam creatam, quâ natura constituitur in esse suppositi, nihil addere positivum supra naturam, sed tantummodò negationem dependentiæ, sive unionis, tum actualis, tum aptitudinalis, ad aliud suppositum; ita scilicet, ut natura neque naturaliter apta sit uniri, neque de facto sit unita alij supposito. Unde inferunt, ideò humanitatem Christi non esse personam, vel suppositum, quia deficit saltem negatio, vel carentia unionis actualis: quàmvis enim humanitas non sit naturaliter apta uniri supposito Divino, de facto tamen illi unitur supernaturaliter. Si tamen humanitas dimitteretur à Verbo, statim foret eo ipso persona juxta hanc sententiam, absque ullo addito positivo: foret enim eo ipso in se subsistens, sive sistens in se, & per se; quod est esse suppositum.

5 Communissima tamen sententia Thomistarum & Nostrorum est, creatam subsistentiam naturæ superaddere aliquid positivum. Id que suaderi solet: tum ex mysterio Trinitatis, ubi non solùm natura Divina, sed etiam triplex personalitas in positivo consistit: tum etiam, quia, dum Concilia definiunt, Verbum non assumpsisse personam, sed naturam humanam, non definiunt præcisè, Verbum non assumpsisse carentiam unionis humanæ naturæ ad Verbum ipsum; hoc enim per se clarum erat, nec ab ullo hæretico ne-

negari poterat : supponunt ergo, personam humanam, ultra naturam, aliquid importare positivum, quod à Verbo non fuit assumptum, sed *consumptum*, ut loquuntur Patres, ideſt, impeditum ne tali humanitati adderetur. Hoc positivum, in quo subsistentia consistit, debet esse quid substantiale, cum intrinsecè constituat suppositum, quod non est unum per accidens, sed unum per se. Communiter autem censetur esse, non res, sed modus, seu forma quædam naturæ intimè adhærens, non absoluta, sed purè modalis.

6 Jam verò munus subsistentiæ, ut satis communiter exponitur, est reddere naturam ultimò terminatam in ordine substantiali, seu, quod idem est, in ratione existentis per se; ita ut natura, prout sic terminata, sit incommunicabilis alteri supposito, vel subsistentiæ, per unionem physicam. Nihil magis de supposito novimus in rebus creatis, quàm incommunicabilitatem istiusmodi. Cum enim Patres contra Nestorium inferant, non esse in Christo suppositum creatum, ex eo quòd humanitas unita fuerit personæ Verbi; quæ illatio recta non esset, si creatum suppositum non foret impedimentum unionis, seu communicationis naturæ humanæ ad suppositum extraneum: hinc nobis simul innotuit, & suppositum addere aliquid supra naturam, & illud aliquid esse impedimentum talis communicationis: & quidem impedimentum essentiale, sive essentialiter incomponibile cum unione, non solùm totius suppositi, sed etiam naturæ, ad extraneum suppositum; ut probabile reputat P. Suar. *d.* 34. *Met. s.* 5. *n.* 51.: nam repugnantia merè naturalis ad talem unionem, convenit naturæ ratione sui, & pro priori ad propriam subsistentiam.

7 Quapropter incommunicabilitas est de conceptu suppositi, juxta omnes. Ideòque in illâ definitione Boetij, *Persona est rationalis naturæ individua substantia*, idem sonat *individua*, quod *incommunicabilis*, ut omnes exponunt. Quàmvis autem incommunicabilitas sono tenùs sit negatio, re tamen ipsâ est quid positivum, quemadmodùm incorruptibilitas, immortalitas, immaterialitas. Duplex tamen distinguenda videtur incommunicabilitas à subsistentiâ proveniens: altera, quæ convenit toti supposito in esse talis; & hæc essentialiter impedit communicationem ad aliud suppositum, aliamvè subsistentiam, sive ejusdem, sive alterius naturæ: altera, quæ convenit naturæ in esse talis, sed tamen ratione subsistentiæ (nisi aliàs illam habeat natura ratione sui); & hæc incommunicabilitas in eo stat, quòd natura in sensu composito propriæ subsistentiæ, licèt insuper habere possit alias subsistentias proprias, omninò repugnet communicari ad extraneum suppositum, sive ad subsistentiam alterius naturæ integræ. Atque utraque ista incommunicabilitas est de conceptu *termini ultimi subst. initialis*. Hinc natura humana per propriam subsistentiam redditur incom-

communicabilis etiam Divinitus, tum in esse suppositi ad aliam subsistentiam etiam propriam, tum in esse naturæ ad subsistentiam alienam, quàmvis Divinitùs possit habere simul plures proprias. Hinc etiam natura Divina per subsistentiam Patris v. g. redditur incommunicabilis in esse suppositi ad quamlibet aliam subsistentiam, sed in esse naturæ manet communicabilis alijs subsistentijs sibi proprijs, scilicet Filij, & Spiritus Sancti. Addo, quòd si natura in sensu divisso à propriâ subsistentiâ terminetur per alienam, per illam redditur incommunicabilis in esse naturæ cuilibet alteri subsistentiæ præter eas, quæ propriæ fuerint ejusdem naturæ, cujus est illa, quæ terminat hic & nunc: unde subsistentia Verbi non impedit, quòd Christi humanitas in esse naturæ sit terminabilis per subsistentias Patris, & Spiritus Sancti; impedit tamen, quòd terminari possit in sensu composito per quamlibet aliam non propriam naturæ Divinæ.

9 Ex dictis poterit subsistentia definiri *Ultimus naturæ terminus in ordine substantiali*, sive *in ratione existentis per se*. Quòdsi quæras, quid significet *ultimus terminus* &c.? Dicam, significare substantialem entitatem, naturæ physicè unitam (vel identificatam in Divinis), quæ cum naturâ ultimò constituit concretum incommunicabile cuilibet alteri de lineâ simili, naturamque ipsam reddit incommunicabilem ad terminum extraneum, seu habentem simile munus in aliâ integrâ naturâ. Consequenter formalis effectus subsistentiæ est *reddere*, seu *constituere naturam ultimò terminatam in ratione existentis per se*. Vel aliter: formalis effectus subsistentiæ est *suppositum*: suppositum autem est *natura integra, prout ultimò terminata &c.*. Quid significet *prout ultimò terminata*, explicatum manet in explicatione *ultimi termini*. Hæc explicatio multis videtur imperfecta; quia tandem reducitur ad terminos negativos incommunicabilitatis. Sed non facilè clarior, aut melior erui poterit ex principijs Fidei, unde nobis innotuit distinctio suppositi à naturâ: præsertim fundanda sit explicatio communis ad subsistentiam creatam, & increatam.

10 Nihilominùs, saltèm quoad subsistentiam creatam, poterit explicatio ad positivos terminos reduci sic. Formalis effectus subsistentiæ, tanquam ultimi termini, est naturam reddere *ultimatè subsistentem*; sic enim natura constituitur in esse suppositi. *Subsistere* autem est *in se sistere*. Natura ergo tunc ultimatè subsistit, cùm ultimatè in se sistit. Tunc verò natura *ultimatè in se sistit*, cùm ita se ipsam possidet, atque ita sui juris est in lineâ physicâ, ut ipsa primariò ac principaliter denominari debeat ab operationibus suis, habendo simul impedimentum positivum existendi in alio, à quo possideatur, seu physicè habeatur, & cui operationes ejus attribuantur. Igitur in effectu formali subsistentiæ involvitur duplex conceptus: alter positivus,

vus, nempe, *naturam ita esse sui juris in linea physica, ut simpliciter sit principium Quod suarum operationum*: alter quasi negativus, nempe *naturam esse impeditam ad existendum in alio*, scilicet per incommunicabilitatem explicatam n. 7.; sic tamen, ut hic conceptus quasi negativus in entitate positivâ fundetur. Uterque conceptus requiritur ad subsistentiam prout ultimò terminantem.

11 Nunc *observanda* sunt, quæ subjungo. 1.: si *subsistere* idem sonet, ac *in se sistere*, solum subsistit natura, quando propriam habet subsistentiam: si enim alienam habeat, non *sistit in se*, sed *in alio*. Unde rejiciunt plures locutionem istam, *humanitas subsistit in Verbo*: quia solum Verbum subsistit; humanitas verò inexistit. Vera tamen est ea locutio, si *subsistere* sonet *ibi sistere*, vel etiam *sub alio sistere*. 2.: hactènùs locuti sumus de subsistentiâ, quæ est suppositalitas, sive ultimum constitutivum suppositi, ut semper est in creatis subsistentia completa. Si tamen, ut plures volunt, datur in Deo subsistentia absoluta præter relativas, illa non est suppositalitas, nec ultimus terminus naturæ; quia non constituit concretum incommunicabile cuilibet alteri subsistentiæ. Quare solùm convenit cum cæteris subsistentijs in constituendo naturam plenè existentem per se sine dependentiâ ab ullo termino intrinseco substantiali; non tamen in constituendo sistentem in se ultimatè, seu incommunicabiliter.

12 3.: in composito substantiali, præsertim in homine, multi ponunt subsistentiam completam, sive totalem, compositam ex duabus partialibus, & incompletis, quarum altera sit formæ, altera materiæ; ita ut anima separata secum ferat suam subsistentiam, & materia suam retineret, si existeret sine formâ. Hoc si verum est, definitio data *n. 9.* non convenit subsistentijs istis divisim, aut singulatim sumptis, sed tantùm sumptis copulatim cum unione utriusque: quemadmodùm definitio hominis non convenit partibus, nisi copulatim. Nec subsistentia incompleta, seorsim sumpta, propriè est *subsistentia*, prout nunc hoc nomen accipitur, prout nempe sonat suppositalitatem, sive ultimum constitutivum suppositi. Habet tamen aliquod munus subsistentiæ proprium, videlicet animare (vel etiam materiam) reddere positivè incommunicabilem ad suppositum adæquatè distinctum, sive ad subsistentiam alterius integræ naturæ: & in hoc sensu animam separatam denominat *subsistentem*. Vocari quoque potest quodammodò incompleta subsistentia illa, quam habet in statu unionis continuativæ pars aquæ, vel alterius totius integralis: non enim in tali statu quælibet aquæ pars dicitur suppositum, sed tota aqua vocatur unum suppositum. Quælibet tamen pars, statim ac discontinuatur ab alijs, fit suppositum: quia statim ejus subsistentia completur per terminos quantitativos incompossibiles cum unione.

13 4.: subsistentiæ communiter non tribuitur virtus operativa, nec activus influxus in operationes suppositi: sed tamen illi tribuitur quædam prioritas physica respectu earum, scilicet per modum conditionis requisitæ ex parte principij activi: quia prius est naturam plenè & ultimatè constitui in suo esse substantiali, quàm in operationes erumpere. 5.: axioma est, inter Theologos & Philosophos receptum: *Actiones sunt suppositorum*: cui tamen à multis adhibentur exceptiones, & expositiones variæ; de quibus videri potest Pat. Ulloa in *Prolegom. Scholast. disp. 3. cap. 1.*. Communiter sic accipitur, ut, quoties operationes à naturâ suppositatâ proveniunt, verè tribuantur supposito, verèque ipsum denominent *operans ut quod*; quia scilicet subsistentia, licèt non sit ratio agendi, seu virtus activa, non tamen se habet per accidens ad operationes, sed per se ad illas præsupponitur ex parte naturæ, ut nuper diximus.

14 Imò respectu operationum naturæ creatæ, principale principium, sive operans *ut quod*, est suppositum: natura verò, specificativè sumpta, magis dicitur principium *quo*, seu ratio agendi. Et quidem, si suppositum est creatum, comparatur ad naturam specificativè sumptam, ut totum ad partem: pars autem, sicut in essendo, ita & in operando, magis est totius, quàm sui; unde per operationem manus v. g., magis propriè dicitur operari homo, quàm manus ipsa. Si verò suppositum habens naturam creatam sit increatum, ut est in Christo D., tunc naturam illam physicè, seu per unionem physicam, possidet ut suam, cum prædominio, & excellentiâ dignitatis: unde humanitas Christi, sicut in essendo non est sui juris, sed est natura propria Verbi tanquam suppositi, in quo, & sub quo existit; ita operationes ejus principaliùs sunt Verbi, seu principaliùs Verbo attribuuntur, quam ipsi humanitati, à quâ immediatè profluunt. Et hinc oritur communicatio idiomatum, de quâ Theologi.

15 Hîc tamen notandum, quòd in suppositis creatis idem est operationes principaliter attribui supposito, ac attribui naturæ, non specificativè sumptæ, sed prout terminatæ per subsistentiam propriam. Nec admittendum, quod aliqui velle videntur, nomine suppositi creati, v. g. nomine *homo* simpliciter dicto de puro homine, significari subsistentiam in recto, naturam in obliquo. Quis enim credat, nomen *homo* sic exponendum esse, *modus ultimò terminans naturam humanam*? & non potiùs sic, *natura humana ultimò terminata per modum*? Aliud est in Christo: nam ibi nomine *homo* sumitur subsistentia in recto, & humanitas in obliquo, tum propter excellentiam dignitatis, tum quia subsistentia Verbi, prout condistincta ab humanitate, est integrum suppositum. At neutra ratio militat in subsistentia creatâ. Nec inde inferas, nomen *homo* non univocè dici de Christo, & alijs hominibus. Dicitur enim univocè secun-

tendùm significatum expressum, & formale, quod est humanitas: nec alia univocatio requiritur: nam quoad significatum confusum, quod est suppositum, certum est dari differentiam plusquam genericam. Igitur per nomen *homo*, sumptum pro personâ creatâ, significatur natura humana prout ultimatè in se sistens, adeòque prout incommunicabiliter se possidens, aut habens, ita ut sit sui juris in operando, id-est, jus physicum habeat, ut ipsi principaliter attribuantur operationes, quas elicit: sic tamen, ut reduplicatio *prout* non importet subsistentiam ut rectum, saltem principale, sed ut id, *quo* natura constituitur in esse possidentis, aut habentis semetipsam specificativè sumptam. Et hæc nunc de supposito, nec non de 1. Physicor. libro, dicta sufficiant.

# TRACTATUS II.

## DE CAUSIS, SEU PRINCIPIJS EXTRINSECIS rerum naturalium.

IN 2. Physicorum libro tractat Aristoteles de causis rerum naturalium, quæ non intrinsecè constituunt effectus suos, sed extra constitutionem eorum manent, ideòque vocantur *causæ extrinsecæ*. Quàmvis enim in primo cap. tractet iterùm de materiâ & formâ, de his differit sub conceptu naturæ, quâ ratione sunt causæ extrinsecæ motuum corporis naturalis: differit, inquam, ut in limine explicet, quid sit natura, & quatenùs ab arte differat. Idem & nos præstabimus in præsenti tractatu.

## DISPUT. I.

### DE NATURA, ET ARTE.

#### CAP. I.

*Quid sit Natura?*

NOmen *natura* sumitur multifariàm. 1. pro Deo rerum omnium Authore, qui *natura creatrix*, & *universalis*, nuncupatur, & interdùm *natura naturans*, cum ex adverso creaturæ vocentur *naturæ naturatæ*. 2. pro universitate rerum omnium de facto existentium: quo sensu dicimus, hoc, aut illud esse in rerum naturâ. 3. &

frequentissimè, pro universitate rerum (inclusis etiam Angelis), spectantium ad integritatem debitam huic Universo, seu machinæ Mundiali, quatenùs à Deo ut Authore naturæ condita dicitur; nec non earum omnium, quæ cum istarum viribus, aut exigentijs proportionem habent, aut ejusdem sunt ordinis, etiamsi de facto non existant: & secundùm hanc naturæ notionem entia naturalia à supernaturalibus discernuntur; & supernaturalia, cujusmodi sunt Gratia, & Unio hypostatica, dicuntur esse suprà naturam, seu excedere vires activas, & exactivas totius naturæ.

2 4. pro innatâ exigentiâ & inclinatione rerum quarumlibet, etiam entitativè supernaturalium: quo sensu res quæque dicitur hoc aut illud agere, vel exigere naturâ suâ. 5. pro temperamento humorum in viventibus; quâ ratione dicitur quis esse miris, aut iracundus suapte naturâ. 6. pro nativitate viventium, sumpto *naturæ* nomine à *nascendo*: sic enim dicitur hic homo cæcus, aut claudus à naturâ. 7. ut nonnullas alias acceptiones omittam, accipitur pro essentiâ, seu quidditate cujusque rei: nam eadem rei entitas vocatur *essentia* per ordinem ad esse, *quidditas* per ordinem ad definitionem explicantem Quid est, & *natura* per ordinem ad operationem.

3 Nulla ex his acceptionibus ad præsens attinet, sed illa tantùm, quâ *natura* sumitur pro interno principio, unde unaquæque res habet motum sibi proprium. Sub quâ notione definitur natura ab Aristotele hic cap. 1., *Principium & causa motus & quietis ejus, in quo est primò & per se, & non secundùm accidens.* Quæ definitio sic explicari solet: *principium & causa*, idest, principium causativum, seu vi causandi præditum: *motus & quietis*, id est, actionis in subjecto receptæ, & conservationis termini producti; non enim hic accipitur *motus* pro solo motu locali, sed generatim pro actione eductivâ, quæ sit prima productio; nec *quies* hic significat otium, aut cessationem ab omni actione, sed conservationem termini per motum quæsiti, in quo acquiescit innatus appetitus causæ: *ejus, in quo est*, idest, ejus compositi, vel totius, in quo tale principium est; non enim hic definitur natura per ordinem ad motum quemlibet, sed per ordinem ad motum omninò proprium ejus compositi, in quo natura ipsa includitur, non ut accidens in subjecto, sed ut quid pertinens ad primariam & substantialem constitutionem illius, prout exigunt ultima illa verba, *primò & per se, & non secundum accidens.*

4 Ille autem motus est omninò proprius alicujus compositi, quo compositum se ipsum movet, seu quo denominatur movens, & motum: quia scilicet motus habet principium activum & passivum intra idem compositum; vel ita ut ab alterâ parte activè, ab altera passivè pendeat (quod accidit in motibus materialibus): vel ita, ut oriatur & recipiatur ab unicâ parte, sed

sed prout supponente statum unionis cum alterâ; qualiter se habet motus intellectionis in homine. Quare motus omninò proprius est in animantibus omnis actus vitalis, & in quovis corpore motus localis in centrum, & adquisitio, vel recuperatio accidentium ad statum connaturalem compositi spectantium. Itaque per ordinem ad motum istiusmodi definitur natura in præsenti, non per ordinem ad motum ab extrinseco impressum, nec ad motum, quem res activè imprimit passo extraneo, quamvis hic oriatur etiam à naturâ in rebus, quæ naturam habent. In summâ, sub definitione Aristotel. comprehenditur omnis *pars intrinsecè constituens totum substantiale, quæ potest causare motum omninò proprium ejusdem totius, & terminum tali motu productum conservare.* Unde—

5 Colliges 1., & materiam, & formam, esse naturam, non verò compositum. Ita expressè Aristoteles hìc à *text.* 10. *ad* 13.. Ratio est: quia & materiæ, & formæ convenit naturæ definitio: materiæ, quia est principium passivum, seu materialis causa motus: formæ, quia est principium activum, & in viventibus etiam passivum motuum vitalium: definitio autem abstrahit à principio activo, & passivo. At composito non convenit naturæ definitio ex mente Aristotelis: quia compositum, cum non sit pars, sed totum, dici non potest principium motus *ejus, in quo est*: quare non est natura, sed naturâ constans. Natura quippe, ut nunc definitur, importat conceptum partis; ac proinde non dicitur de toto quà tali. Dixi *ex mente Aristotelis*, qui non agnovit distinctionem inter compositum ex materiâ & formâ constitutum, & suppositum. Si tamen compositum consideretur prout est pars suppositi, seu prout ulteriùs constituit suppositum cum subsistentiâ realiter superadditâ, potest ac debet dici *natura integra*, etiam juxta definitionem Aristotelicam: atque in hoc sensu Angelus quoque, personaliter sumptus, naturâ habet.

6 Colliges 2., omne compositum substantiale constare naturâ: quia nullum est, quod non constet materiâ & formâ potentibus causare motum illius proprium, & quietem motui respondentem: nam saltem quodvis compositum, si à proprio centro extrahatur, poterit illuc se movere localiter, & illic iterùm acquiescere; &, si aliquâ vi privetur accidentibus sibi proprijs, illa iterùm ab intrinseco adquirere poterit, & conservare, ut in aquâ calidâ iterùm frigescente cernitur. Unde falsò dicunt aliqui, non omne compositum habere in se principium & motus, & quietis, sed vel motus, vel quietis; quia Cœlum perpetuò movetur, & terra perpetuò quiescit. Falsò, inquam; tum quia Cœlum accidentia sibi propria conservat, & terra suas passim recuperat proprietates amissas: tum quia Cœlum ex se potest quiescere etiam localiter, quiesceret que, nisi ab intelligentiâ motrice rotaretur; terra quoque, si à centro extraheretur

tur, illuc innato pondere rediret.

7 Colliges 3., nullum accidens eſſe naturam prout hìc definitam: quia, licet ſæpe ſit principium motus & quietis ejus, in quo eſt; nunquam tamen verificat ultima verba definitionis, *primò & per ſe, & non ſecundùm accidens.* Dices: cur ergo motus lapidis deorsùm dicitur provenire à naturâ lapidis, cum proveniat à gravitate, quæ eſt accidens? *Reſp.:* quia provenit mediatè ſaltem à formâ lapidis, quæ ab intrinſeco radicat gravitatem. Nec definitio naturæ petere videtur, ut principium motus ſemper ſit immediatum: ideòque materia dicitur natura per modum principij paſsivi reſpectu motus, quo adquiritur qualitas compoſito connaturalis, v. g. quo frigus ab aquâ recuperatur; cum tamen qualitates, juxta communem ſententiam, non recipiantur immediatè in materiâ, ſed in quantitate. Hinc à fortiori ratione impulſus impreſſus lapidi ad motum ſurſùm, licèt verè ſit principium motus ejus, in quo eſt, non dicitur natura: tum quia non eſt principium quietis: tum maximè, quia nec ineſt lapidi *primò & per ſe*, nec radicatur ab ullâ parte lapidis intrinſecâ. Unde motus ſurſùm nullatenùs eſt à naturâ lapidis.

8 Colliges 4., ex mente Ariſtotelis nec animam rationalem in ſtatu ſeparationis eſſe naturam, niſi cum addito *aptitudinaliter*: quia motus, quos anima cauſat in eo ſtatu, non ſunt proprij alicujus compoſiti, in quo anima ſit. Si tamen conſideretur anima, prout habens in eo ſtatu ſubſiſtentiam realiter ſuperaddiram (quam non agnovit Ariſtoteles), cum câque conſtituens hoc concretum *ſubſiſtens*, poterit etiam in eo ſtatu *natura* vocari. Si autem divinitùs privaretur omni ſubſiſtentiâ, nec eſſet unita corpori, non foret natura, niſi in aptitudine. Quod pariter dicendum de integrâ naturâ ſuppoſiti, v. g. de humanitate, ſi divinitùs conſervaretur abſque ſubſiſtentiâ propriâ, & alienâ. Illa quippe definitionis verba, *ejus, in quo eſt*, requirunt ad conceptum *naturæ* munus partis actualis, ſeu involventis actualem unionem; quæ unio in compoſito ſubſtãtiali dici poteſt natura *ut quo*.

9 Colliges demùm, in artefactis ut talibus non dari naturam: quia nullum habent motum ſibi proprium, qui ſcilicet ab eis activè & paſsivè pendeat: forma enim artificialis activa non eſt, ut dicemus *cap.* 3. Idcò Ariſtoteles in eo conſtituit differentiam inter compoſita artificialia, & naturalia, quòd hæc, non illa, naturam habeant. Dices: artefacta materiam habent, à quâ paſsivè cauſatur motus ipſe artificialis: ſed materia ſub munere cauſæ paſsivæ natura eſt: ergo &c. *Diſt. Min.*: ſub munere cauſæ paſsivæ cujuſcumque motus, *neg.*; illius tantùm motus, qui ſit omninò proprius ejus compoſiti, in quo materia eſt, *conc. min.*, & *neg. conſequ.* Ratio diſtinctionis patet ex dictis *n.* 4.; dummodò ſcias, motum artificialem, quo ſcilicet artefacta fiũt, non provenire ab aliquo principio activo artefactis intrinſeco, ſed ab ar-

artificè extrinsecus operante. De motibus, quos in automatis artificialibus experimur, vide infrà *cap.* 3.

## CAP. II.

### *De Motu naturali, & violento.*

1 OCcasione multiplicis acceptionis vocabuli *natura*, solet hìc explicari, quot modis etiam motus (generatim acceptus pro actione eductivâ) dicatur *naturalis*. Et 1. sic dicitur, prout discernitur à supernaturali: quo sensu naturalis est quicumque motus non superat vires activas & exactivas rerum naturalium, seu totius naturæ initio cap. præced. explicatæ in 3. acceptione. 2., prout contraponitur libero; quo etiam sensu causas sine libertate operantes, dicimus *naturales*. 3., prout condistinguitur ab artificiali, qui scilicet à studio, & arte proficiscitur. 4., prout sequitur regularem ordinem, & seriem causarum: quâ ratione naturalis est pluvia in hyeme, & calor in æstate. 5. & satis propriè, naturalis dicitur motus, quando, & quatenùs est juxta inclinationem, aut exigentiam innatam rei cujuslibet, sive operantis, sive recipientis motum. 6., & strictissimè, naturalis vocatur motus, qui respondet naturæ prout ab Aristotele definitæ, nempe qui principium activum, & passivum habet intra compositum substantiale.

2 Motui naturali secundùm 5., & 6. acceptionem, opponitur motus *violentus*: qui ab Aristotele 3. *Ethic. cap.* 1. definitur, *cujus principium est foris, nihil prorsùs eo conferente, cui vis est illata*: vel ab alijs communiter ad mentem Aristotelis, *qui est à principio extrinseco, passo non conferente vim.* Unde colligitur, ad motum violentum tria requiri: primum, quòd ejus principium activum sit foris, idest, extrinsecum, vel adæquatè distinctum à subjecto, cui vis infertur: secundum, quòd ad talem motum nihil conferat subjectum, scilicet nec activè, nec exactivè; nam merè passivè necessariò coadjuvat, si motum patitur: tertium, quòd subjectum resistat motui per exigentiam illi contrariam, exigendo scilicet, nè talis motus existat. Hanc resistentiam subintelligunt omnes in definitione motus violenti, & eam indicavit Aristoteles per illa verba, *cui vis est illata*, non enim infertur vis, nisi renitenti. Exemplum dabit aquæ calefactio, ab igne, vel lapidis projectio sursum: hi quippe motus violenti sunt; quia tres istas conditiones habent.

3 Sed notandum 1., respectu materiæ primæ secundùm se, nullum motum esse violentum: quia materia ex se nulli motui, formæ, vel accidenti resistit, sed indifferens est ad omnia. Si tamen spectetur materia prout unita formæ, v. g. aquæ, jam motus calefactionis est illi violentus; vel certè violentus est toti composito aqueo, quod renuit illum motum admittere in materiâ, quam possidet. Notandum 2., motum, subjectò violentum, dici posse naturalem respectu agentis,

ut respectu ignis calefactio aquæ, juxta 5. acceptionem *n.* 1.. Notandum 3°, motus quosdam videri violentos respectu alicujus partis, qui tamen absolutè naturales sunt, quia sunt juxta exigentiam totius. Sic motus, quo quis brachium attollit, quamvis sit contra pondus, & gravitatem brachij, absolutè naturalis est, quia conformatur exigentiæ hominis, cujus pars est brachium. Potest tamen hujusmodi motus dici violentus secundùm quid, scilicet attentâ peculiari dispositione partis, quæ motum patitur; ut notavit D. Thomas 1. 2. *q.* 6. *art.* 5. *ad* 3.. Sed de hoc iterùm inferiùs.

4 *Quæres*, an detur motus, quem vocant *præternaturalem*, aut *neutrum*, qui scilicet nec naturalis, nec violentus sit? *Resp.*: passim admittitur motus iste, cujus in exemplum adduci solet, tum productio lucis in aëre, tum Cœli motus circularis; nam productio lucis v. g., non est motus aëri naturalis, quia non provenit, nec innatè exigitur à naturâ subjecti; & aliunde non est violentus, quia non est contra innatam exigentiam, & inclinationem aëris, nec in eo resistentiam invenit. Hanc doctrinam veram esse reor, si motus dicatur naturalis per conformitatem ad exigentiam, sive appetitum innatum subjecti, non qualemcumque, sed efficacem: reverâ enim illuminatio aëris nec violenta est, nec ab aëre innatè appetitur efficaciter. Si tamen ad motum naturalem sufficiat conformitas cum inclinatione, vel appetitu innato inefficaci (quæ in rebus agnovimus *tract.* 1. *d.* 3. *c.* 1.), ægrè invenietur motus non violentus, qui non sit naturalis: si enim motus subjecto non nocet, nec illud inficit, sed positivè perficit, cur subjectum non censeatur innatè paratum ad motum quasi libenter suscipiendum, licèt illum non efficaciter exigat, quia illo non indiget? Atque ità sentire videtur Aristoteles 4. *Physic. t.* 69., dum ait, quòd *motus omnis aut vi, aut natura fit.*

5 Nunc, quoniam de motu violento egimus, dicendum est, quotuplex sit violentia, quæ innatis rerum exigentijs infertur, aut inferri potest. Alia est violentia positiva, alia negativa: positiva consistit in ipso motu violento, explicato *n.* 2. negativa consistit in subtractione, vel denegatione boni naturaliter debiti, & exacti. Unde lapis sursùm projectus patitur utramque violentiam, positivam in impressione impulsus & motus sursùm, negativam in negatione motus deorsum, vel quietis in centro. Si quæras, an altera sine altera inveniri possit, & quibus in rebus? responsio pendet à decisione quæstionis sequentis.

### *Possit nè Deus violentiam inferre creaturis?*

6 NEmo dubitat, quin Deus de potentiâ absolutâ negare possit creaturis, quod naturaliter exigùt, v. g. igni concursum ad comburendum, aquæ nativum frigus, & quantitati debitam extensionem; similiterque se solo ipsis imprimere mo-

motus, aut accidentia positiva, quibus creaturæ solent aliæ alijs inferre violentiam. Unde quæstio, magnâ ex parte vocalis, solùm est, an Deus in ijs casibus violentiam inferat creaturis? Vel, quod idem sonat, an contra naturam ipsarum faciat?

7 Negant plerique Thomistarum, præsertim recentiores, quantum ad violentiam simpliciter & absolutè dictam, ideſt, oppositam præcipuæ inclinationi rei; licet admittant violentiam secundùm quid, ideſt, oppositam inclinationi minùs præcipuæ. Fundamentum est 1.: quia Deus nihil facit contra naturam rerum: ut enim ait S. Augustinus lib. 26. contra Faust. cap. 3., *Deus creator & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit.* Unde M. Manso *hic q.* 2. *a.* 6. sic arguit: Nequit violentia inferri ab eo agente, à quo quidquid est, naturale est: sed quidquid Deus agit in creaturis, est eis naturale: ergo Deus nequit per se ipsum ullam creaturis violentiam inferre. Confirmatur ex *Sap.* 8., ubi dicitur de Divinâ sapientiâ, quòd *disponit omnia suaviter*: nam si omnia suaviter, nihil violenter.

8 2.: quia in omni creaturâ, præter inclinationem innatam ad peculiaria bona, datur inclinatio ad obediendum Divinæ voluntati, quæ inclinatio principalior est, ac prævalens, sibique subordinans illam alteram ad bona peculiaria: ergo quidquid Deus de creaturâ fecerit, semper erit juxta principalem inclinationem, & exigentiam creaturæ, cui proindè violentum esse nequit. *Prob. Antec.*: tum quia unaquæque res magis inclinatur ad bonum universale, quàm ad particulare; ideòque aqua sine violentiâ sursùm ascendit, cùm opus est ad vitandum vacuum, quia magis innatè appetit bonum Universi, quam suum: & similiter bonus civis præfert proprio commodo bonum commune Reipublicæ. Aſt obedire Deo, & voluntatem ejus implere, comparatur ad cætera eo modo, sicut universale bonum ad particularia. Tum quia creatura quælibet magis est Dei, quàm pars est totius, magisque Deo subordinatur, quam pars toti. Pars autem innatè præfert propriæ utilitati bonum totius: unde manus indeliberatè exponitur ictui ob conservationem totius corporis; & corpus ipsum contra propriam graviratem gradiſtur, & saltat sine violentiâ, quia sic interest hominis, cujus est pars. Tum etiam, quia fluxus & refluxus maris, non est aquæ violentus, sed potiùs juxta illius præcipuam exigentiam, quia provenit ab influxu Cœli, quod est causa superior, & universalis. At Deus est causa suprema, & universaliſsima respecto omnis creaturæ.

9 3.: quia saltem creatura nunquam resistit Deo: ergo nunquam à Deo violentiam patitur, siquidem violentia non fit nisi resistenti. *Prob. Ant.*: tum ex sacrâ Paginâ, ubi dicitur, nihil resistere Divinæ voluntati: imò *Sap.* 16. ignis dicitur *suæ virtutis oblitus*, ut obediret Deo. Tum quia nulla creatura innatè resistit perfectioni suæ. At obe-

obedire Deo, ſicut in creaturis liberis eſt perfectio moralis, ita in reliquis eſt perfectio phyſica. Tum quia in creaturâ reſpectu Dei ponenda eſt ſubjectio, quâ major cogitari non poſsit. Major autem eſt ſubjectio, quæ omnem reſiſtentiam excludit, quàm quæ non excludit.

10 Nihilominùs, quòd Deus poſsit violentiam inferre creaturis, communiter ſentiunt Authores noſtri, plures etiam Thomiſtæ, & ex Scotiſtis Maſtrius, Scotum allegans. Quorum ſententia mihi ex eo maximè probatur, quòd fundamenta oppoſita nimis probant, & ab ipſis etiam. Adverſarijs ſolvenda ſunt, ut patebit percurrendo ſingula. *Primum* probat, nihil à Deo fieri ſupernaturale; ſi enim *id erit cuique rei naturale, quod ille fecerit*; ergo Gratia, vel unio hypoſtatica, erit naturalis homini juſto, & humanitati Chriſti. Quod ut magis oſtendas, ſyllogiſmum Manſi reforma ſic: Nihil ſupernaturale producitur ab eo agente, à quo quidquid eſt, naturale eſt: ſed quidquid Deus agit in creaturis, eſt eis naturale: ergo Deus nequit per ſe ipſum aliquid ſupernaturale producere in creaturis. Eodem fundamento probari poteſt, nihil eſſe violentum in rebus, etiam dum una creatura agit in aliam: nam, dum aqua v. g. ab igne calefit, motus iſte verè eſt à Deo cooperante, & principaliter agente; ſi ergo aquæ naturale eſt, quidquid à Deo eſt, motus ille naturalis erit, non violentus aquæ. Huc etiam facit textus *Sap.* 8 nam aquæ calefactio ab igne, Deo diſponente fit citra dubium: ergo fit *ſuaviter*: ergo non violenter.

11 *Secundùm* ſimiliter probat, nullam Dei operationem in creaturis ſupernaturalem eſſe; ſiquidem omnis Dei operatio eſt juxta præcipuam, ac prævalentem inclinationem, & exigentiam innatam creaturæ, quod abundè ſufficit, ut ſit operatio naturalis, ſiquid probant exempla n. 8. Imò reſpectu rationalis animæ v. g. naturalior erit receptio Gratiæ, quàm receptio potentiarum; quia hæc eſt juxta minùs præcipuam exigentiam animæ; illa verò, juxta exigentiam principalem. Nec obſtat, quod Gratia proveniat activè à ſolo Deo. Nam etiam creatio animæ rationalis à ſolo Deo provenit; & tamen naturalis eſt, quia eſt juxta exigentiam materiæ organizatæ. Id circò character eſt entis ſupernaturalis, eſſe ſupra vires totius naturæ, non ſolùm activas, ſed etiam exactivas. Idcircò etiam non aliter diſtinguimus munera Dei, ut Authoris naturæ, & ut Authoris ſupernaturalis, niſi ex eo quod ejus operatio ſit juxtâ, vel ſuprà rerum exigentias. Si dicas, inclinationem creaturæ ad obediendum Deo ſupernaturaliter operanti, non eſſe naturalem, ſed obedientialem. Infero: ergo nulla eſt inclinatio naturalis, niſi ad peculiaria bona unicuique naturæ commoda: ergo Deus, dum hæc bona tollit, aut impedit, agit contra omnem inclinationem naturalem rei; quod proculdubiò eſt inferre violentiam. Si dicas iterùm, exigentiam illam obediendi ſolùm

*Confirm.* Similiter *ad 2. consequ.* Itaque in sensu reali supernaturalitas vitalis producitur à lumine, ut ostendimus: in sensu autem formali ratio *sub quâ* lumen agit, non est supernaturalitas vitalis, saltem pro explicito; nec tamen est supernaturalitas indifferens ad vitalem, & non vitalem, sed determinatè vitalis, vel pro implicito, vel connexivè; quo modo rugibilitas, licèt non sit formaliter animalitas, est tamen connexivè; non enim est indifferens ad animal, & non animal: quod pariter exemplo repræsentationis vitalis explicari potest.

28 Ad extremum adverte, lumen & intellectum efficere visionem actione unicâ, realiter indivisibili, & utrique communi: quod per se patet, si actus vitalis sit realiter indistinctus à productione sui. Et, quidquid de hac distinctione sit, facile probatur: quia actio intellectus est intrinsecè supernaturalis, cum sit essentialiter connexa cum termino supernaturali: ergo nequit procedere à solo intellectu, sed debet etiam procedere à lumine: ergo lumen verè agit per actionem intellectus: ergo superfluit alia insuper luminis actio. *Dices* ex Palancò: nequit eadem actio procedere à virtutibus specie distinctis, & simultaneè concurrentibus sub diversâ ratione formali: tum quia actiones specificantur, ideòque diversificantur ex diversitate principiorum, & rationis formalis *sub quâ*: tum etiam, quia virtutes illæ non constituunt principium per se unum de lineâ operativâ, cum non comparentur ut actus & potentia ejusdem lineæ istâ. Sed *contrà* est, quod *una & eadem actio procedit à primo, & secundo agente*, nempe à Deo, & creaturâ, ut ait D. Thomas *1. p. q. 105. ar. 5. ad 2.*: & tamen Deus & creatura sunt principia summè diversa, concurruntque simultaneè sub diversâ ratione formali, nec comparantur ut actus & potentia. Itaque actiones solùm diversificantur ex diversitate principiorum, & rationis formalis, quando aliunde supponuntur, aut probantur numero distinctæ: nec una actio requirit principium per se unum, nisi unitate ordinis, subordinationis, aut coordinationis ad eundem effectum.

## §. IV.

## *POTEST QUODLIBET DIVINITÙS elevari ad quodlibet producendum, quibusdam exceptis.*

29 ITA cum P. Suar. plerique nostrorum, & alij plurimi etiam Thomistæ, quos citat, & sequitur P. Ripalda *t. 1. de ent. supern. d. 40. s. 2.*, contra P. Vazquez, quem sequuntur alij plures è Nostris, & Magistrius Scotista. Dixi *quibusdam exceptis*: quia nulla creatura elevari potest ad producendum se ipsam quoad primum esse, nec ad producendum actum essentialiter verum de sui non existentiâ: & generatim eæ productiones excipiendæ sunt, in quibus repugnantia specialis deprehendatur, quæ non sit communis rebus creatis

Pp regulæ

tis ut plurimùm. Excipiunt aliqui res ſolâ creatione producibiles: ſed immeritò; quia non repugnat, creaturam elevari divinitùs ut inſtrumentum ad creandum, ut alibi dicemus cum P. Suar..

30 *Probatur* Aſſertio 1.: quia Deus facere poteſt quidquid non implicat contradictionem; & nulla contradictio ſequitur ex eo, quòd elevetur aqua divinitùs ad producendam gratiam, & ſic de alijs. *Dices* cum Adverſarijs, in præſenti non tam diſputari, quid Deus poſsit, quàm quid poſsint creaturæ? an ſcilicet de facto inſit creaturis omnibus activa potentia obedientialis ad quodlibet? Hæc autem quæſtio, utpotè non de poſſibili, ſed de facto, & ad creaturas exiſtentes pertinens, decidi non debet ex merâ non repugnantiâ, ſed ex experientiâ, vel ex alijs indicijs, quæ nulla favent affirmativæ parti. *Addes*, quòd extenſio virtutis ad effectus quoſlibet, proculdubiò eſt magna perfectio creaturæ, quæ non debet adſtrui de facto ſine fundamento poſitivo, & urgenti. Sed *contrà* eſt 1., quòd eodem jure vocari poterunt *quæſtiones de facto*, quæ inſtituuntur ſuper capacitate formæ, ut recipiatur divinitùs in materiâ multiplici, vel materiæ, ut plures ſimul formas recipiat, vel naturæ, ut ſimul terminetur pluribus ſubſiſtentijs, vel corporis, ut in pluribus locis ſimul exiſtat, aut cum alio corpore penetretur; & generatim quæcumque miraculum aliquod circà creaturas exiſtentes concernunt. Et tamen quæſtiones hujuſmodi affirmativè decidùt Adverſarij paſsim ex non repugnantiâ.

31 *Contrà* 2.: quæſtio ſuper extenſione potentiæ obedientialis magis eſt de poſsibili, quàm de facto: inquirit enim, an contradictionem implicet talis actio creaturæ, ut obedientis creatori? Quæ ſi negativè decidatur, eo ipſo quaſi cõſequẽter deciditur affirmativè quęſtio de facto circa potentiã rebus inditam. Explicatur: ideò ex non repugnantiâ hypotheſis rectè infertur, eam contineri de facto ſub potentiâ Dei, quia ſupponitur in Deo potentia ad omne, quod in ſe non implicat contradictionem: ſed etiam in aquâ ſupponitur potentia, ſaltem obedientialis, ad omnem actionem, quæ, ſi conſideretur ut proveniens ab aquâ, non involvit in ſe contradictionem; nam eo ipſo talis actio non eſt impotens oriri ab aqua: ergo ex non repugnantiâ talis actionis rectè infertur, eam contineri de facto ſub aquæ potentiâ obedientiali. *Dices*: priùs debet probari potentia in aquâ ad talem actionem; ſi enim non datur potentia in aquâ, proculdubiò contradictionem implicabit actio, ut ab aquâ proveniens. Sed *infero*: ergo in omnì quæſtione de poſsibili priùs debet probari potentia in Deo ad talem hypotheſim; nam ſi ad illam non datur in Deo potentia, proculdubiò implicabit hypotheſis. Damnandus eſt igitur uſus omnium, qui priùs probant, hypotheſim in ſe inſpectam non repugnare, ut inde inferant, potentiam in Deo dari ad illam exequendam.

*Con-*

32 *Contra* 3.: quæstiones circa potentiam obedientialem directè, vel præcipuè respiciunt amplitudinem Omnipotentiæ Dei, ejusque absoluti dominij supra creaturas: & cum amplitudo Divini dominij metienda sit ex merâ non repugnantia hypothesis, ex eodem capite metienda est creaturæ potentia obedientialis, etiamsi ad quæstionem de facto quodammodò pertineat. Et hinc *probatur* Assertio nostra 2.: quia Divino dominio & Omnipotentiæ tribuenda est omnis amplitudo, & commendatio excogitabilis, ubi non apparet repugnantia: major autem ex terminis amplitudo est Omnipotentiæ, majorque Divini dominij commendatio, quòd possit Deus uti creaturâ quâlibet ut instrumento ad quosvis effectus, quàm quòd non possit. Sic, quòd Sol medio calore ut instrumento plures effectus producere possit, quàm possit ignis medio eodem instrumento, valde commendat virturem Solis supra virtutem ignis. Quò enim aliqua virtus activa est altior, eo potest instrumentum perducere ad altiorem effectum, ut scitè ponderat D. Thomas *q. 6. de pot. ar. 1. ad 18.*, ita concludens: *Unde nihil prohibet, quin natura creata sit in potentia ad aliqua facienda per divinam potentiam, quæ inferior potentia facere non potest. Et ista vocatur potentia obedientiæ, secundùm quòd quælibet creatura creatori obedit.* Dicit *in potentia ad aliqua*, non ad omnia, propter exceptiones *n.* 29. factas: de cætero potentiam istam habet *quælibet creatura*, juxta D. Thomam.

33 Denique *probatur*: quia plures Adversarij concedunt in creaturis potentiam passivam obedientialem ad formam quamlibet, v. g. in aquâ ad recipiendam gratiam, in Angelo ad recipiendum calorem, &c. Non est autem major difficultas in potentiâ activâ. *Dices*: potentia passiva non dicit perfectionem, secùs activa. Sed *contra*: potentia activa purè obedientialis, prout à nobis asseritur, non dicit perfectionem plusquàm transcendentalem, cum fundetur in ratione creaturæ, seu entis creati ut sic: perfectionem autem transcendentalē dicit etiam potentia passiva; non enim convenire potest, nisi enti reali, & positivo. Unde solves quod *n.* 30. objiciebatur de perfectione sine fundamento urgenti non asserendâ. Non enim adstruimus novam aliquam perfectionem specificam, vel quæ magis in unâ, quàm in aliâ creaturâ resplendeat, sed perfectionem generaliter imbibitam in conceptu creaturæ; ad quam asserendam urgens fundamentum est dominium Dei. Non tamen negandum, quòd in intellectu & voluntate specialis perfectio sit potentia obedientialis ad actus supernaturales, tam passiva, quàm activa: quia fundatur, non in generali conceptu creaturæ, sed in proprio conceptu creaturæ rationalis; & quàmvis in natè non exigat tales effectus, ab ipsis tamen connaturaliter exigitur tamquam proprium principium activum, & passivum: quod pariter

dicendum de potentiâ passivâ obedientiali, quæ animæ rationali convenit ad recipiendam gratiam.

## §. V.

## *PRÆOCCUPANTUR ARGUmenta contraria.*

34 UT contraria argumenta præcaveas, sequentes notationes præ oculis habeto. 1.: quàmvis lignum v. g. ex se virtutem habeat inchoatam, & partialem ad producendum ignem, tamen ea virtus compleri nequit, nec fieri proximè potens, per consortium ignis agentis, aut alterius comprincipij naturalis: quia virtus ligni ad ignem est purè & strictè obedientialis, ac proinde non explicabilis nisi per actionem supernaturalem; & in ordine ad actionem hujusmodi compleri nequit per naturale comprincipium. Sic obedientialis potentia materiæ (quæ tamen non tam strictè obedientialis est) ad plures simul formas recipiendas, exerceri nequit, licèt simul adsint agentia naturalia plurium formarum productiva; quia scilicet ea potentia instituta est ad obediendum Deo ut Authori supernaturali, non verò ad obtemperandum agentibus naturalibus.

35 2.: ex nostrâ sententiâ non sequitur, quòd brutum elevari possit ad videndum Deum, nec lapis ad intelligendum, aut liberè agendum. Nam, ut optimè observat P. Arriaga, brutum elevari ut videat Deum, est elevari ut sit constitutivum intrinsecum hujus denominationis, aut concreti, *videns Deum*: hoc autem fieri nequit, nisi evertatur essentia talis denominationis; quippe quæ constituitur essentialiter ex visione & subjecto rationali, sicut homo constituitur ex materiâ & animâ. Cum ergo Deus invertere nequeat rerum essentias, nequit efficere, ut existat denominatio *videntis Deum* constitura per subjectum non rationale, vel per formam, quæ non sit visio intuitiva Dei; quemadmodùm facere non potest, ut existat homo sine materiâ, vel animâ. Potest itaque brutum, aut lapis, in genere causæ purè activæ divinitùs elevari ad producendam intellectionem, aut visionem Dei, si consistat in qualitate absolutâ, vel etiam ad eam recipiendam: non tamen elevari potest in genere causæ intrinsecæ ad constituendum concretum, *intelligens*, aut *videns Deum*. Sic potest Deus se solo producere visionem, calorem, animam; & tamen nequit esse subjectum constituens cum ijs formis denominationes *videntis*, *calidi*, *animati*. Dixi, *si consistat in qualitate absolutâ*: quia, si visio, vel intellectio sit modus realiter indistinctus à productione sui, non poterit à lapide, vel à bruto produci; nisi fortè possibilis sit actionis actio reflexa, ut cum alijs Adversarijs putat P. Peynado; hâc enim opinione datâ, poterit etiam res quæque divinitùs elevari ad producendas aliarum rerum actiones.

36 Ex dictis inferes, quòd, si

si brutum produceret ac reciperet intellectionem, aut amorem, non ageret vitaliter, nec liberè: non vitaliter; quia non ageret cum aptitudine ad constituendam denominationem *intelligentis*, aut *amantis*, adeòque nec *viventis* per tales actus: non liberè; quia denominatio *liberè agentis* essentialiter includit subjectum rationale, quod præsupponatur intelligens. Quare formæ illæ non præstarent tunc suos effectus formales proprios, ac per se, propter incapacitatem subjecti, juxta dicta *disp. 2. c. 2. n. 15.*: quod pariter dicendum de gratiâ divinitùs unitâ lapidi, aut bruto. *Dices*: intellectio à lapide producta, & in eo recepta, foret ab intrinseco, & in intrinsecum lapidis: cur ergo non foret lapidi vitalis? *Resp.*: quia id haberet intellectio per accidens, non per se, sive non ex propriâ ipsius actus exigentiâ; quam perfectitatem importat conceptus vitæ ex parte termini, vel effectus. Et hinc nec vitalis esset actio directa, vel reflexa, per quam lapis causaret intellectionem; quia, licèt actio ipsa per se penderet à lapide perfectate sui, non tamen perfectate termini.

37 Inferes etiam, corporeos oculos, seu potentiam hominis materialiter visivam, elevari posse ad producêdum visionem Dei, non tamen ad videndum Deum; quia non est potentia intellectiva, quam intrinsecè & essentialiter includit denominatio *Deum videntis*. Similiter potentia visiva divinitùs producere potest auditionem, & auditiva visionem coloris; quin ideò visiva reddi possit audiês, nec auditiva videns, propter eamdem rationem. Suppono distinctionem potentiarum ab animâ: si enim detur adæquata realis identitas, verè in sensu reali potentia visiva intelligit, amat, audit, &c.; non tamen in sensu formali; quia formaliter solùm dicit ordinem ad actus de lineâ restrictâ ad perceptionem lucidi colorati, per quos actus certè non intelligit, nec audit, &c., cum fieri non possit, ut actus, qui solùm est perceptio lucidi colorati, sit perceptio soni, vel Dei, vel alterius objecti, nisi mutet essentiam.

38 3.: licèt sphæra naturalis activitatis cujusque rei limitata sit ad certa genera, vel species effectuum, sphæra tamen activitatis obedientialis extenditur ad omnia, in quibus ut à tali virtute productis nulla implicatur contradictio: quò enim longiùs sphæra ista protenditur, eò magis dominium Dei, & Omnipotentia commendatur; ideòque in ejus sphæræ finibus dilatandis liberales esse debemus. Nec inde inferas, creaturam sibi usurpare sphæram Divinæ activitatis, eo quòd possit agere sub ratione entis ut sic, quæ est sphæra activitatis Omnipotentiæ. Nam in primis creaturæ non correspondet, sicut Omnipotentiæ, ratio entis illimitata, seu quâ latè patet, ut constat ex limitationibus adhibitis *n. 29.*. Deinde ratio entis, ut Omnipotentiæ correspondens, est ratio entis ut producibilis principaliter, aut totaliter, & independenter ab aliâ concausâ; prout an-

autem creaturæ correspondens, est ratio entis ut producibilis purè instrumentaliter. Sicut ergo intellectus creatus non sibi usurpat sphæram intellectus Divini, quamvis possit attingere quidquid Deus cognoscit, tendatque sub ratione veri & cognoscibilis ut sic; quia scilicet verum ut sic Divino intellectui correspondet ut cognoscibile modo infinito, & cum infinitâ claritate; creato autem nonnisi ut finitè & imperfectè cognoscibile: ita in re nostrâ dicendum.

39 Unde colliges, creaturæ potentiam obedientialem esse infinitam *terminativè*, quatenus respicit effectus syncathegorematicè infinitos; non tamen esse infinitam *subjectivè*, quia tot effectus non respicit nisi ut virtus imperfecta, inchoata, & instrumentaria. Sic hæc mea cognitio, *omne cognoscibile*, terminativè infinita est, totque respicit objecta, quot scientia Divina; nec tamen est subjectivè infinita, quia modus respiciendi confusus & imperfectus eam deprimit. *Dices*: potentia obediëtialis, quam ponimus, non solùm extendi potest ad effectus innumeros, sed etiam ad magis ac magis perfectos sine fine: ergo erit infinitè perfecta. Patet *consequ.*: quia virtus eò perfectior est, quò major est effectus; ideòque virtus potens ad effectum ut quatuor, perfectior est, quàm potens ad effectum ut duo. *Dist. Antec.*: ita ut magis laboret, vel plus virium impendat circa effectus perfectiores, quàm circà imperfectiores, *neg.*; ita ut ad utrosque concurrat æqualiter ex parte sui, *conc. Antec.*, & *neg. consequ.*; cujus probatio locum habet in virtute naturali, præsertim principali, secùs autem in virtute instrumentariâ purè obedientiali; hæc enim suum quasi teruntium virtutis æqualiter adhibet ad effectus majores, aut minores, & horum majoritas, aut minoritas, non ipsi, sed causæ elevanti & adjuvanti adscribitur. Sic non ostenditur ditior, qui uno teruntio concurrit cum aliis ad summam 100. aureorum, quàm si concurrat ad summam 50.: nec plus laborat, qui per vires ut unum portat cum 9. hominibus pondus ut decem, quàm si portaret cum 4. hominibus pondus ut quinque. Et, ut propriùs accedam, intellectus creatus, tametsi finitus, concurrere potest ad visionem Dei magis ac magis clarâ sine fine, si lumen augeatur; quia non plus virium impedit ex parte sui.

40 4.: potentia obedientialis (maximè quæ non exigitur ab effectu, & quæ vocari potest *transcendentalis* ad discrimen illius, quæ specialiter convenit potentijs animæ ad actus supernaturales intelligendi, & amandi, à quibus per se exigitur) non debet effectum continere formaliter, nec eminenter, ideò, nec ut causa univoca, nec ut æquivoca principalis, & perfectior, sed tantùm purè virtualiter, & per modum instrumenti elevabilis à superiori agente: qui modus continentiæ, ut sæpe diximus, non requirit in causa similitudinem, aut perfectionis æqualita-

tatem cum effectu, nec formalitatum correspondentiam, aut convenientiam, nisi valde genericam: imò in præsenti sufficit convenientia in ratione entis ab alio, dummodò non adsit repugnantia ex alijs capitibus, de quibus *n.* 29.. Hâc igitur continentiâ puræ virtualitatis inchoatæ, & instrumentalis, verè continet lapis Angelum, calor gratiam, &c.

41 5.: potest etiam aqua divinitùs elevari ad producendum calorem in semetipsâ: quò in eventu calor esset violentus aquæ, quin obstet definitio illa violenti, *cujus principium est foris, passo non conferente vim*; potest enim intelligi de principio, saltem principali, quod etiam tunc foris esset; nec non de passo non conferente vim ex propriâ inclinatione. Nec inde sequitur, aquam habere potentiam sui destructivam immediatè, vel potentiam, quæ sui destructioni coexistat; sed tantùm habere potentiam sui destructivam mediatè, quatenùs est productiva rei causantis, aut exigentis destructionem aquæ, non quidem in sensu compositi actionis, quâ procedit ab aquâ, sed in sensu diviso; non enim calor exigeret aquæ destructionem, ut eum actione illâ componendam, sed ab aquâ productus exigeret à solo Deo conservari, atque ita inferre corruptionē aquæ.

42 6.: elevatio cujuslibet ad quodlibet fieri potest per auxilium extrinsecum, ut ajunt, idest, per meram assistentiam Omnipotentiæ, supernaturali decreto applicatæ ad concurrendum, absque ullâ supernaturali qualitate intrinsecè receptâ in re elevatâ, atque adeò absque illius intrinsecâ mutatione. Quod maximè dicendum est in elevatione potentiæ obedientialis ad creandum instrumentariè. *Dices*: aqua est intrinsecè impotens producere gratiam: si ergo per elevationem non mutatur intrinsecè, retinet adhuc eamdem impotentiam, elevatione positâ: & alioquin transiret de impotente ad potentem, absque ullâ sui mutatione. *Dist. Antec.*: est intrinsecè impotens producere gratiam se solâ, & sine supernaturali concursu Dei, *conc.*; est intrinsecè impotens producere simul cum ejusmodi concursu Dei, *neg. Antec.*; nam ad hoc solùm est impotens extrinsecè, in potentiâ consistente in carentiâ elevationis, seu applicationis Omnipotentiæ. Tum *dist. Conseq.*: retinet adhuc eamdem impotentiam intrinsecam, *conc.* (nam adhuc, elevatione positâ, manet aqua intrinsecè impotens, ut producat se solâ gratiam); retinet eamdem impotentiam extrinsecam, *neg. Consequ.*: auferetur enim per elevationem carentia auxilij extrinseci, quæ aquam reddebat extrinsecè impotentem producere simul cūDeo supernaturaliter cōcurrente.

43 Non itaque transit aqua de intrinsecè impotente ad intrinsecè potentem, sed tantùm de impotente extrinsecè (non ex defectu totius virtutis, sed ex defectu extrinseci complementi) ad proximè potentem

tem potentiâ extrinsecùs completâ: quî transitus non requirit mutationem intrinsecam, ut patet. Quapropter in aquâ elevatâ denominatio proximè potentis producere gratiam, est partim intrinseca, quatenùs virtutem aquæ partialem & inchoatam importat; partim verò extrinseca, quatenùs dicit consortium Omnipotentiæ actualiter applicatæ; & quoad hoc tantummodò accedit aquæ nova potentia per elevationem. Termini quidem videntur intricati; sed res est clara satis exemplo hominis, qui de se impotens sustinere pondus, quod requirit vires duorum, redditur potens per extrinsecam assistentiam, & applicationem alterius hominis.

# DISPUT. VII.

## *DE CONNEXIONE CAUSARUM CUM possibilitate suorum effectuum.*

DIsputatio ista præcipuè respicit causam primam, sive Omnipotentiam Dei, de quâ celebris controversia est, an connectatur metaphysicè cum possibilitate creaturarum? Connecti unum cum alio, ut nunc sumitur, est non posse unum esse sine alio, sive ut possibili, sive ut futuro, sive ut existenti, prout fuerit connexio: dumque impotentia essendi sine alio non solùm est physica, seu naturalis, verùm etiam metaphysica, sive essentialis, dicitur connexio metaphysica. Non ita connecti Omnipotentiam cum creaturis ut existentibus, certum est: unde solùm quæritur, an ita connectatur cum creaturis ut possibilibus, seu cum earum possibilitate? Duplex creaturarum possibilitas distingui solet: altera extrinseca, consistens in ipsâ Divinâ virtute, à quâ possunt existentiam accipere, & à quâ proindè denominantur extrinsecè possibiles, aut producibiles: alia intrinseca, consistens in intimâ cohærentiâ, seu non repugnantiâ prædicatorum creaturæ cujusque, prout scilicet talia sunt, ut, si existant, non implicent contradictionem. De possibilitate extrinsecâ nulla est controversia, cum eam Deus non exigat modò, sed secum identificet: quare de solâ intrinsecâ disceptatur.

Notandum tamen, quòd possibilitas intrinseca non distinguitur ab essentiâ rei, atque adeò nec ab existentiâ, cum hæc ab essentiâ non distinguatur realiter, ut alibi probabimus; unde connexio cum possibilitate intrinsecâ, est connexio cum essentiâ, & existentiâ rei. Verùm tam

ex pacto implicito, vel explicito accurrentium.

5 Quàmvis autem nulla in arte detur activitas physica naturalium effectuum; potest nihilominus ars, aut forma artificialis, esse conditio, vel occasio, atque adeò moralis causa, plurium effectuum naturalium: scilicet, vel *applicando activa passivis*, ut ajunt, idest, conjungendo, & aptando causas naturales, activas cum passivis; vel conditionem aliquam apponendo, ut virtus naturalis producat effectus suos, quos non ederet hìc & nunc, nisi tali modo, & proportione applicaretur. Sic ars Medica effectum naturalem sanitatis conferre dicitur; & Agricultura fructuum naturalium quodammodò causa est. Sic etiam artificio Magiæ naturalis, quæ sine ope dœmonum occultas naturæ vires applicat, mirabiles eduntur effectus. Hi tamen, & similes, non proveniunt ab arte, nisi tamquam à conditione, applicatione, vel occasione: virtus autem ad illos tota in naturâ præsupponitur.

6 Neque aliter ab arte provenit motus horologij: vera enim illius activa causa est gravitas librati ponderis, aut vis elastica laminæ chalybeæ. Similiter in quovis automato semper latet aliqua naturalis causa motuum; ut reipsâ latuit in Dœdali statuis, in Archytæ columbâ, in sphærâ Archimedis, de quibus Conimbricenses *loc. citat.* Quarè semper verum est, nunquam ab arte præstari virtutem activam, ac proinde artefactum quà tale, ideſt, secundùm formam, vel secundùm id, quod ab arte provenit, non habere in se principium motus. Superest tamen quæstio.

*In quo consistat forma artificialis?*

7 CErtum esse debet, quidquid nonnulli dixerint, formam artificialem, quâ scilicet artefactum constituitur in esse talis, non consistere in accidenti aliquo absoluto quantitati materiæ superaddito. Nam, ut alia omittam, videnda apud Cardinal de Lugo *d.* 8. *de Euchar. s.* 2., tale accidens est omninò superfluum: cum sine illo plenè intelligi possit fabrica templi v. g., dummodò intelligatur ejus materia certo modo & ordine dispositа. Nihil ergo de positivo continet forma artificialis in materiâ externâ, & permanenti (de hac enim maximè sermo est), præter modificationes quasdam partium materiæ.

8 Quare plures, quos citat, & sequitur P. Peynado, formam, sive figuram artificialem consistere dicunt in certis præsentijs, vel ubicationibus partiũ, additis nonnullis negationibus. Nam eo præcisè, quòd è rudi ligno detrahantur partes quædam, & reliquæ maneant cum certo ordine situali, certâque distantiâ, juxta regulas artis statuariæ, plenè intelligitur figura statuæ, quæ est ejus forma artificialis. Hoc autem totum consistit in certis ubicationibus partium remanentium cum negatione, seu carentiâ, tum aliarum ubicationum aliter distantium, tum unionis cum partibus detractis.

9 Verùm ex hac sententiâ sequitur 1., quòd statua, quoties de loco in locum transfertur, toties mutat formam artificialem, & illam denuò accipit à bajulo, quantumlibet artis ignaro. Sequitur 2., quòd, dum vestis plicatur, vel pictura convolvitur, amittit artificium vestis, aut imaginis. Respondent citati Authores, in rigore Scholastico statuam loco motam amittere priorem figuram artificialem, & adquirere novam; quæ tamen, quia non specie, sed solo numero distinguitur à præcedenti, & provenit à priori artificio, censetur eadem in communi modo loquendi, nec tribuitur bajulo, sed primo artifici. Similiter dicunt, vestem plicatam, & picturam convolutam, reverâ & rigorosè non esse eamdem vestem, nec imaginem: censeri tamen eamdem, quia ex vi artificij præcedentis facilè potest iterùm adquirere ubicationes, ac distantias, tali artificio respondétes.

10 Sed imprimis satis est incredibile, quòd statua marmorea, vel crux argentea, dum loco movetur, physicè ac scholasticè sit alia statua, vel crux, numero distincta, factaque à bajulo sine ullâ arte, aut instrumento: multòque magis, quòd pallium, dum deponitur, aut in arcâ reconditur, reverâ non sit pallium, utpotè jam habens figuras situales, ac distantias partium, specie diversas; eâdem quippe ratione sequitur, nec esse verè pallium, dum est humeris impositum, & ejus tela pendens aut vento agitatur, aut sub brachio colligitur, aut corpori obvolvitur. Deinde prædicti Authores concedunt, ex præcedenti operatione artis determinatam manere statuam ad adquirendas præsentias ejusdem rationis, dum loco movetur: determinatos item manere picturæ colores, ut, si charta evolvatur, iterùm adquirant præsentias, ac distantias imaginis proprias.

11 Quæro nunc, illa determinatio, v. g. in picturâ convolutâ permanens, quidnam sit? Non est in primis sola quantitas colorum, quæ ex se non exigit hanc potiùs, quàm aliam figuram situalem. Non deinde ars pictoris, quem distantem, aut jam mortuum suppono. Non item præsentia localis antecedens, quæ modò nihil est, potestque jam pridem transijsse, dum pictura evolvitur. Non denique ubicationes chartæ convolutæ, quæ nullam cognationem habent cum ubicationibus chartæ expansæ. Superest ergo, ut sit artificium, seu forma artificialis, quam pictor induxit, & quæ actu perseverat eadem, quàmvis ubicationes, ac distantiæ variatæ sint.

12 Dico igitur 1.: aliqua sunt artefacta, quæ non exigunt unionem partium, sed meram juxta positionem, aut certam distantiam, certamve propinquitatem localem, v. g. exercitus ex præscripto artis militaris instructus: & in his artificialis forma consistit in determinatis ubicationibus partium cum negationibus aliarum, ut ajebant Authores citati *n.* 8., quia nihil aliud excogitari potest, in quo consistat. Quare, dum movetur acies instructa, servato eodem ordine quoad spe-

speciem, mutatur ejus forma quoad individuum, non moraliter, sed physicè; quod facile creditu est. Nec determinatio militum, ut moveantur ordine præscripto, est quid artificiale, cum in eorum voluntate consistat.

13 Dico 2.: alia sunt artefacta, quæ requirunt partes certo ordine unitas, aut colligatas, v. g. statua, pictura, vestis: & in his artificialis forma, saltem primaria, est figura partium in ordine ad se, vel ad totum, quæ dici potest figura intrinseca, & quasi organica. Explicatur. Duplex est figura naturalis, v. g. in homine: altera, quæ dicitur *intrinseca*, & *organica*, consistitque in ordine unionis, & continuationis (adde carentiam redundantiæ) quê servant partes inter se, v. g. in eo, quòd caput immediatè uniatur collo, non pedibus, & quòd inter caput ac pedes tot medient partes materiæ, & quantitatis: altera, quæ vocatur *extrinseca*, *localis*, aut *situales*, & consistit in earumdem partium certâ dispositione secundùm locum, quæ dispositio indistincta est ab ipsarum ubicatione, vel extensione connaturali cum negatione redundantiæ. Figuras istas esse distinctas, ac separabiles, perspicuè cernitur in manu, quæ sive plicata, sive extensa, eâdem figuram retinet intrinsecam, & organicam, seu in ordine ad se; divertam tamen situalem, seu in ordine ad locum. Quin etiam, si totus homo divinitùs poneretur in puncto spatij, dummodò servaret numerum, & ordinem unionis partium inter se, non amitteret figuram organicam; cum tamen nullam tunc haberet figuram situalem. Atque ita evenit in corpore Christi D., quatenùs in quâvis hostiæ particulâ totum adest; ut optimè declarat Exim. Doctor, cujus est hæc doctrina, *tom. 3. in 3. p. d. 48. f. 1.*

14 Dico igitur, in prædictis artefactis inveniri similiter duplicem figuram: alteram instar naturalis intrinsecæ; & hanc esse eorum formam artificialem, quæ proinde consistit in talibus unionibus partium cum carentiâ aliarum: alteram instar naturalis extrinsecę; & hanc non esse formam artificialem, saltem primariam, sed esse signum, aut effectum ejus. Unde optimè intelligitur, vestem, sive plicatam, sive extensam, eamdem retinere figuram artificialem; sicut homo eamdem retinet naturalem, sive stet, sive sedeat. Cur autem magis prior, quàm posterior figura, debeat esse forma artificialis, ratio petenda est, tum ex dictis *n.* 10. *&* 11., tum ex paritate figuræ naturalis, quam imitatur artificialis; nam in homine figura organica est, quæ præcipuè ac primariè venit nomine figuræ naturalis. Hinc, si à veste, vel statuâ detraherentur insensibiliter unioues, manentibus partium ubicationibus, non maneret simpliciter forma artificialis, sed vestigium dumtaxat, aut signum ejus, quo sensus fallerentur; ut patet exemplo figurę naturalis organicæ, si quid in eâ simile contingeret. Vel, si mavis, præsentias illàs voca figuram artificialem secundariam.

15 Sed notandum, ut figura

intrinſeca dicatur artificialis, ſat eſſe, quòd ejus conſtitutiva conſummentur ab arte. Sæpe contingit, ut vel poſitivum, vel negativum figuræ præcedat naturaliter in materiâ, ſolùmque ex directione artis addatur eorum alterum, quod deeſt: ſic enim in ligno præcedit ſæpe naturaliter totum poſitivum formę ſtatuæ, quod eſt unio partium, ſolùmque ab arte plerùmque additur negativum, nempe detractio, vel carentia materiæ redundantis. Tunc ergo tota figura dicitur artificialis, quia tribuitur arti conſtitutiva illius conſummanti. Sic in naturalibus totus ignis dicitur genitus, totuſque tribuitur generanti, quàmvis aliquod ejus conſtitutivum, nempè materia prima, præſupponatur creatione productum.

16 Dico 3.: alia ſunt artefacta externa, quorum forma non conſiſtit in figurâ intrinſecâ, nec extrinſecâ, ſed ſolùm in commixtione variarum materiæ portionum. Exemplum eſt in pharmaco ſecundùm artem Medicam compoſito ex varijs liquoribus. Dico 4.: alia ſunt opera liberaliorum artium, quorum artificium, vel forma artificialis, realiter identificatur cum materiâ, additis utſummùm certis durationibus partium cum carentiâ redundantiæ. Talia ſunt artefacta Logicæ, Muſicę, Rhetoricæ, Poeticæ, necnon artium ſaltandi ad numerum, & citharizandi. In his enim ars nihil aliud præſtat, quàm naturam dirigere, ut ſeligat materiam ex ſe rectam, & idoneam, omittendo inutilem; & interdùm, ut rectam illam eliciat vel continuò, vel cum certis morulis. Vide dicta *in Proœmial. Logic.* circa artificium actuum intellectus, cujus ad inſtar facilè explicabis quod provenit ab alijs artibus hujuſcemodi.

# DISPUT. II.

## *CAUSA QUID? ET QUOTUPLEX?*

### *ubi ſpecialiter explicatur Ariſtotelica diviſio quadrimembris.*

### CAP. I.

### *DEFINITUR CAUSA, DISCERNITUR à pura conditione, & multifariàm dividitur.*

1 CAuſa latiſsimè dicitur quidquid aliquomodò præbet occaſionem, ut exiſtat aliud, vel in ejus productione intervenit utcumque, licèt illi non conferat exiſtentiam. Varias etiam habet definitiones, dum preſsè ac propriè ſumitur, forte non tam ſenſu, quàm verbis diſsidentes. Quibus omiſsis, definitio tradita ab Exim. Doctore *d.* 12. *Met.*

*Met. f.* 2.; quam satis communiter approbant Authores nostri, causam propriè sumptam sic explicat: *Principium per se influens esse in aliud.* Ubi *principium* ponitur loco generis; quia latiùs patet principium, quàm causa, ut initio *tract.* 1. dictum est: additur *per se influens esse*, ut causa discernatur à purâ conditione ptærequisitâ ad causandum, quæ, prout talis, per se non influit. Sumitur autem verbum *influere*, non in eo stricto sensu, quo solius causæ efficientis proprium est, sed generaliùs, prout idem sonat, ac *dare*, vel *communicare* esse. Denique additur *in aliud*, ut significetur, terminum debere esse à principio influente distinctum secundùm essentiam; hanc enim vim habet nomen *aliud*, substantivè dictum.

2 Atque ita cavetur, nè definitio causæ conveniat ijs personis Divinæ Trinitatis, quæ, & quatenùs habent rationem principij ad intrà. Quàmvis enim æternus Pater v. g. sit principium influens esse in Filium, ac proinde in *alium*, imò & in *aliud* adjectivè sumptum, quatenùs dicitur *aliud suppositum*; non tamen in *aliud* substantivè dictum; quia Filius non accipit essentiam & naturam distinctam, sed eamdem numero, quæ est in Patre. Unde, juxta Theologos, in Trinitate *non est aliud & aliud*, sed *alius & alius*; quia scilicet *alius* sumitur specialiter pro personâ distinctâ: in Christo autem, prout est persona composita, *est aliud & aliud*, non *alius & alius*; quia nimirùm in Christo est duplex natura, Divina, & humana, sed non duplex persona. Vid. D. Thom. 1. *p. q.* 31. *art.* 2.. Hinc ergo constat, Patrem in Trinitate ita esse principium Filij, ut tamen non sit ejus causa; prout constanter docent Latini Patres, licèt Græci nomen causæ non renuant.

3 *Objic.*: vox *aliud* in definitione posita, vel significat essentiam, aut naturam propriè dictam, prout condistinguitur à subsistentiâ; vel naturam latiùs acceptam pro quidditate cujusque rei, etiam relativæ, modalis, aut accidentalis. Si primum: ergo natura creata non erit causa propriæ subsistentiæ, nec propriæ ubicationis, nec ullius accidentis; quia nihil horum erit *aliud*. Si secundum: ergo Pater æternus, generando Filium, verè influit in *aliud*; quia Filius propriam quidditatem relativam habet distinctam à quidditate relativâ Patris. *Resp.*: ea voce significatur generatim quidditas rei, quæ accipit esse, cujuscumque sit indolis, dummodò tamen possit absolutè ac sine addito dici quidditas & essentia talis rei. Cum ergo essentia Filij Divini, absolutè dicta, non sit alia ab essentiâ Patris (nefas enim est absolutè dicere, in Trinitate dari tres essentias), fit, ut vox *aliud* non habeat locum in Trinitate, quàmvis ibi detur alietas quidditatis, non absolutè dictæ, sed cum addito *relativæ*. Contrà verò subsistentia creata (idem puta de ubicatione, & accidenti), si consistit in positivo, talis est indolis, ut absolutè ac sine addito dici possit, *essentia subsistentiæ non est essentia naturæ humanæ*: ideòque verè dicitur

tur *aliud* ab humanitate, quantum ſat eſt, ut ab eâ cauſetur.

4 Solet etiam hìc objici ad hominem, quòd, ſi res aliqua ſe ipſam produceret quoad ſecundum eſſe, ut poſsibile putat P. Suarez, foret cauſa ſui, cum tamen non influeret in aliud. Sed hæc objectio ſuo loco diſſolvetur. Nunc addo, ex ijs, quæ docet P. Suarez, dum ſuam explicat definitionem cauſæ, erui poſſe hanc aliam non minùs aptam: *Principium tribuens eſſe termino limitatæ perfectionis.* Quæ definitio eo magis placet, quo minùs eſt obnoxia cavillis. Statim enim ex illâ patet, cur in Trinitate principium, ad intrà producens, non ſit cauſa: cur item ſubſiſtentia Verbi non ſit propriè cauſa intrinſeca hujus Divini compoſiti *Chriſtus*. Nec obſtat, quòd Deus, ut aliqui putant, poſſit producere ad extrà infinitum in actu. Nam infinitum ſimpliciter, & in omni genere perfectionis, nemo putat poſsibile extra Deum. Infinitum autem in aliquâ tantùm lineâ, quod ſolum poſsibile cenſent aliqui (v. g. albedo infinitè intenſa, aut quantitas infinitè extenſa), perfectionem haberet ſimpliciter limitatam, cum careret infinitis alijs perfectionibus de genere entis: quare Deus verè eſſet illius cauſa.

### *Diſcrimen cauſæ à purâ conditione prærequiſita.*

5 QUoniam obiter diximus, cauſam differre à purâ conditione neceſſariâ ad cauſandum, oportet hanc differentiam amplìùs explicare. Sæpè contingit, ut ex parte cauſæ ad influendum hìc & nunc, præter virtutem influxivam, aliquid aliud requiratur, non quod influat in effectum, ſed quod virtutem cauſæ aliquomodò præparet, diſponat, aut applicet ad influendum: atque hoc non dicitur propriè cauſa (niſi fortè moraliter, de quo infrà), ſed *purum prærequiſitum*, aut *pura conditio ſine qua non*: impropriè tamen, & reductivè dici ſolet cauſa ejuſdem generis, in quo adjuvat aliquomodò; quia ſcilicet effectus ſic pendet à tali conditione, ut ſine illâ non poſsit naturaliter (& interdum nec eſſentialiter) à ſuâ cauſâ in eo genere procedere. Sic applicatio ignis ad paſſum eſt pura conditio ad comburendum, reducique ſolet ad genus cauſæ efficientis: ſic etiam accidentalis diſpoſitio materiæ pura conditio eſt ad recipiendum formam ſubſtantialem, ſoletque reduci ad genus cauſæ materialis.

6 Præcipuum ergo diſcrimen inter cauſam & puram conditionem eſt, quòd cauſa influit, conditio non influit. Ex quo ſequitur aliud: nempe, quòd, variatâ cauſâ, neceſſariò variatur actio, ſive cauſalitas, utpotè eſſentialiter alligata huic individuo principio influenti; non ita verò, conditione variatâ: poteſt enim eadem numero cauſalitas permanere, quàmvis determinata conditio deſit, dummodò alia æquivalens ſubrogetur, aut aliter à Deo provideatur, ſi tantùm naturaliter neceſſaria ſit. Si quæras, unde dignoſcendum, an prærequiſitum influat,

fiat, vel non influat, adeòque an sit, vel non sit, pura conditio? *Resp.*, id esse colligendum ex indicijs, & argumentis, quæ suggeret peculiaris eventus, de quo dubium occurrerit. Regulariter ex eo colligitur, quòd experiamur, aliquid hìc & nunc prærequiri ad causandum, & aliunde nulla in illo appareat proportio ad influendum, neque perfectio aliqua in effectu reluceat, quę tali prærequisito tribui debeat.

*Causa in communi divisiones varię.*

7 CAusa in communi *dividitur* 1. in primam, & secundam. Causa prima est Deus trinus & unus; cujus primatus in ratione causæ consistit in eo, quòd à nullo alio productam habeat suam virtutem operatricem, quòd cæteris omnibus causis virtutem aut potentiam tribuat ad proprios earum effectus, quòd nulla alia sine concursu Dei operari possit, & quòd cæterarum operationes ipse pro libitu impedire valeat. Causa secunda est, quæ primam essentialiter supponit, & ab eâ virtutem, aut potentiam, productam habet, scilicet omnis causa creata. *Dividitur* 2. in intrinsecam, & extrinsecam. Intrinseca est, quæ causat intrinsecè constituendo effectum, quo cum proinde inadæquatè identificatur in omni eventu. Tales sunt respectu compositi materia, & forma, de quibus toto *tract.* 1. Extrinseca est, quæ à suo termino, saltem immediato & formali, distinguitur adæquatè, seu extra totam constitutionem ejus manet, sive aliàs cum eo sit intimè unita, sive non. Talis est causa efficiens, & aliæ, de quibus mox. Dixi *saltem immediato, & formali*: quia interdùm causa extrinseca, simul est causa intrinseca sui termini denominativi, scilicet compositi, quod ex ejus termino formali resultat: v. g. anima rationalis, dum efficit intellectionem, est causa intrinseca hujus concreti *intelligens*, & simul ejusdem causa efficiens, quatenùs in se intellectionem efficit, ex quâ resultat illud concretum, quod proinde denominatur efficienter ab animâ productum. Tunc ergo anima solùm adæquatè distinguitur à termino formali effectionis, qui est intellectio.

8 *Dividitur* 3. in adæquatam, & inadæquatam, sive in totalem, & partialem. Causa adæquata est, quæ se solâ influere potest quantum sufficit ut existat effectus. Inadæquata verò, quæ alterius causę auxilio indiget, ut effectum existere faciat. Sed notandum 1., quòd solus Deus est absolutè causa totalis; quia solus potest se solo sine interventu alterius causæ extrinsecæ producere omnes effectus distinctos ab actione causæ secundæ. Quàmvis enim se solo supplere nequeat in rebus compositis munera causarum intrinsecarum; potest tamen solo influxu suo producere has ipsas causas, & earum unionem, quod est dare existentiam toti composito. At causa creata nequit esse totalis absolutè; cum semper indigeat concursu causæ primæ; sed tantùm cum addito expresso, vel subintellecto,

in

*in genere causæ secundæ*; vel etiam restrictiùs *in genere causæ efficientis, causæ finalis, &c.*. Notandum 2., quòd potest causa esse adæquata quoad virtutem, & inadæquata quoad influxum actualem, eo quòd suum conatum hìc & nunc temperet, ac minuat, non ex indigentiâ, sed nè impediat cooperationem alterius causæ idoneæ, quæ simul adest. Sic, si duo ignes applicentur simul eidem passo, licèt singuli possint totum comburere, tamen hic & nunc neuter influit nisi partialiter, ut locum det alteri.

### *Causa per se, & per accidens.*

9 *Dividitur* 4. in causam per se, & causam per accidēs. Illud *per se* interdùm lato sensu significat perfectatem necessitatis: atque ita causa per se dicitur, quæcumque necessariò prærequirtur ad effectum, sive illum propriè causet, sive non: & alia dicitur per se essentialis, quando scilicet effectus illam essentialiter prærequirit; alia verò, per se naturalis, quando illam solùm connaturaliter præsupponit effectus. Si autem nullo modo necessaria sit, etiamsi verè influat, & propriè causet hic & nunc, vocari solet causa per accidens, id-est, non necessariò, sed contingenter influens, attentâ exigentiâ effectus. Exempla in decursu dabimus. Interdùm etiam significat perfectatem determinationis, aut connexionis, de quâ infrà. In præsenti non ita sumimus illud *per se*, sed tantum prout significat perfectatem causalitatis vel proprietatis in causando; sive tali causâ necessariò indigeat effectus, sive non. Hoc sensu accepta causa per se, variè explicatur ab Authoribus: nec facilè assignatur conceptus communis causis per se rationalibus, & purè physicis.

10 Poterit tamen sic describi generatim causa per se, *Quæ influit in effectum cum inclinatione aliqua, innata, vel elicita, saltem interpretativa, virtuali, aut indirecta*: causa verò per accidens, prout illi contrapositа, *Quæ vel non influit in effectum, vel influit sine ulla prorsùs inclinatione.* Ita sentiunt satis frequenter Authores, ut testatur P. Peynado *hìc d. 2. f. 1. n. 8.*, licèt ipse dissentiat quantum ad causam per se purè physicam. Ita quoque novissimè sentit P. Ulloa *Physic. specul. d. 2. n. 42.*. Et verò, quòd agens rationale (ideſt, operans cum consilio rationis) non censeatur propriè ac per se agere, nisi aliquomodò velit quod agit, constat ex communi hominum sensu: quem infrà confirmabimus, ubi de concursu Dei ad actum peccati. De quâlibet etiam causâ communissimè dicitur non causare per se, sed per accidens, quod contrà vel præter intentionem causat. In causis autem purè physicis loco intentionis est inclinatio innata. Unde productio monstrorum passim dicitur esse per accidens respectu causæ physicæ aberrantis ab intentione, ideſt, innatâ inclinatione, producendi prolem perfectam secundùm dispositionem propriæ speciei.

11 *Objic.*: si aqua divinitùs ele-

elevaretur ad producendum physicè Gratiam, foret causa per se Gratiæ; cum tamen influeret citra inclinationem innatam, quæ nulla est in rebus naturalibus ad bona supernaturalia. Similiter intellectus Angeli non appetit innatè visionem beatam, nec elicitè appetere potest prout à voluntate distinctus; & tamen visionem per se causat simul cum lumine gloriæ. *Resp.*: causa instrumentalis, saltem quando est purum instrumentum obedientiale, sicut non habet proportionem cum effectu, nisi ut elevata, sive ut conjuncta cum principio elevante, ita non nisi ut elevata inclinationem habere debet in effectum: sic autem illam habent aqua & intellectus in proposito. Dices: inclinatio ad visionem v. g. solùm est in principio elevante, nempe in lumine gloriæ. *Dist.*: solùm est formaliter, *conc.*; solùm est denominativè, *neg.*: nam, sicut intellectus à lumine denominatur elevatus, proportionatus, & connexus cum visione, ita denominatur ad visionem propensus, & inclinatus: verè enim dicimus, intellectum lumine gloriæ illustratum exigere visionem beatam.

12 Hæc autem inclinatio denominativa sufficit pro causis per se instrumentalibus: & ea convenit cuilibet instrumento elevato ad agendum, quando instrumentum ipsum tali denominationi non repugnat per inclinationem contrariam; si enim ita repugnet, non erit subjectum capax denominationis illius. Quare, si aqua divinitùs elevaretur ad producendum calorem in semet ipsâ, non foret causa per se caloris; quia nec formaliter, nec denominativè inclinata influeret, sed potiùs omninò coacta, seu cum violentiâ, & resistentiâ positivâ. Dici quoque posset intellectus ad visionem inclinatus, non formaliter, sed constitutivè, quia constituit cum lumine complexum absolutè inclinatum: sicut anima rationalis dicitur corporea, non formaliter, sed constitutivè, quia constituit compositum absolutè corporeum: vel sicut intellectus ipse cum visione connectitur constitutivè tantùm, quia constituit cum lumine principium adæquatum visionis, cum eâ proximè connexum; non enim lumen proximè connectitur cum visione, nisi prout conjunctum cum intellectu.

13 Inter causas per se numeratur præcipuè à nonnullis Philosophis ethnicis *fatum*: quo nomine apud eos venit generalis quædam, absoluta, & inevitabilis necessitas, cujus vim nulla res Mundi declinare possit, ne ipsa quidem libertas hominum, imò juxta quosdam nec Deus ipse. Hunc errorem, ut hæreticum, & gentilicum, impugnat optimè P. Suar. *d. 19. Met. s. 11.*, aitque, SS. Patribus non modo rem significatam, sed nomen ipsum *fati* odiosum esse, ideòque à Catholicis non nisi cum explicatione usurpandum: posse tamen ad sanum, ac verum sensum reduci, si accipiatur pro dispositione, vel ordine causarum secundarum, quatenùs Divinæ providentiæ subsunt, & juxta illius præordinationem, vel permissio-

nem ac præscientiam infallibiliter operantur; ut ex S. Augustino, Boetio, & D. Thomâ colligitur: quo sensu fatum respectu plurium effectuum est causa per se. Vid. Exim. Suar. *loc. cit.*

14 Inter causas per accidens (quæ variæ sunt, & aliæ magis, aliæ minùs deficientes à causalitate per se) recenseri solent *casus*, & *fortuna*. Casus potest accipi & pro effectu, & pro causâ. Cùm pro effectu accipitur, generatim significat quidquid inopinatò accidit. Præsiùs verò dici potest ex P. Suar. *disp. cit. s.* 12. effectus, *qui per accidens, & præter opinionem & intentionem conjungitur operationi per se alicujus causæ.* Sic, quòd fodiens terram ex intentione serendi, thesauri inopinatò inveniat, vel quòd paries vetustate ruens prætereuntem hominem occidat, effectus casualis est. Respectu Dei nihil est casuale, cum nihil præter ejus prævisionem eveniat. Casus verò sumptus pro causâ effectus casualis, potest esse quælibet causa efficiens, quatenùs ejus operationi conjungitur per accidens & inopinatò effectus casualis, respectu cujus ipsa est causa per accidens.

15 Si quæras, quomodò dari possit verus effectus sine causâ per se? *Resp.*: effectus casualis, cum non sit propriè unum ens, sed concurrentia plurium inconnexorum, non requirit in ratione totius causam per se, sed sat est, quòd ejus partes per se causentur singillatim. V. g. depositio thesauri sub terrâ per se causatur ab homine thesaurum abscondente; fossio deinde per se causatur à fossore: at concurrentia fossionis cum thesauri existentiâ in eo loco, (in quâ concurrentiâ stat inventio thesauri, quæ est effectus casualis) à nullâ causâ per se causatur, quia nulla ponit aliquid cum tali concurrentiâ connexum; nec aliunde duæ illæ causæ mutuò se se adjuvant, aut conspirant, sed omninò inconnexè ac disparatè se habent, adeòque non propriè constituunt unam causam totalem, respectu cujus inventio thesauri sit effectus per se.

16 De *fortuna* multa nugantur Etnici, Deam sibi fingentes improvidam, quæ res humanas cæco impetu moderetur. Quæ errorem confutat S. Augustinus 4. *de Civit. c.* 18. In sensu vero ac philosophico fortuna sumitur pro effectu fortuito (vel etiam pro illius causâ), non ita, ut nulli providentiæ subsit; nihil enim fortuitò evenit Divinæ providentiæ; sed ita, ut sit fortuitus, & imprævisus agentibus inferioribus. Sic autem accepta fortuna non differt à casu, nisi quia casus latiùs patet, quàm fortuna, quę nonnisi in rebus humanis propriè reperitur. Ad effectus casuales passim etiam reducitur productio monstrorum, de quâ videri possunt Conimbricenses *in cap. 9. lib. 2. Physic. q. 5.*

### *Causa immediata, & mediata.*

17 Dividitur 5. in causam immediatam, & mediatam, sive in proximam, & remotam. Immediata est, quæ ita influit,

fluit, ut non detur alia causa propinquior effectui: mediata est, quę influit in causam propinquiorem effectui, de quo est sermo: sic avus est mediata causa nepotis. Unde ad causam mediatam requiritur, quòd influat in causam immediatam, seu propinquiorem; alioquin nullatenùs erit causa, nec proximè, nec remotè. Sed notandum, quòd alia est causa purè mediata, quæ scilicet suo influxu non proximè attingit effectum, sed aliam propinquiorem causam ejus: alia verò, non purè mediata, sed simul etiam immediata, quæ scilicet influit in causam proximam, & rursùs cum istâ simul immediatè in effectum: atque ita se habet Deus respectu effectuum à causis secundis provenientium. Potest etiam causa mediata esse magis aut minùs ab effectu remota, prout fuerint plures aut pauciores causę mediantes.

18 *Quæritur* hìc, utrùm causa purè mediata sit propriè causa effectus remoti? V. g. dum ignis A producit ignem B, & hic adæquatè producit ignem C, an tunc ignis A propriè causet ignem C? Communiter negant Authores nostri cum P. Suar. *d.* 18. *Met. s.* 2. *n.* 8. *&* 22. Ratio est: quia non propriè causat, nisi quod propriè influit, & dat esse effectui: at ignis A in casu posito non propriè influit in ignem C, cum totus ejus influxus sistat in igne B, nec ultrà protendatur; alioquin jam non erit causa purè mediata ignis C. Urgetur: id, cujus adæquata productio stare potest eadem, etiamsi deficiat ignis A, non propriè producitur ab igne A: sed adæquata productio ignis C stare potest eadem, igne A deficiente, si nimirùm ab alio igne, vel à solo Deo conservetur ignis B, à quo adæquatè producitur C: ergo &c.. Vel aliter: ignis A obtinet in igne B suum effectum adæquatum (suppono, ignem B, ut nunc productum, adæquarè totis viribus ignis A) ergo non propriè producit ignem C. Patet consequentia: quia alioquin ignis A propriè produceret simul duos effectus adæquatos, nempe ignes B, & C; vel produceret saltem aliquid aliud ultrà suum effectum adæquatum; quod implicat.

19 Nec obstat 1. adagium illud, *Causa causæ est causa causati.* Intelligitur enim de causâ latè & impropriè sumptâ. Sic Adamus dicitur principium & pater omnium hominum; cum tamen, tot jam sæcula mortuus, nequeat esse propriè pater, aut causa hominis hodie geniti. Sic etiam scintilla ignis, quę primò incendit sylvam, licèt jam sit extincta, dicitur causa totius incendij perseverantis; cum tamen non illud propriè causet, tum quia jam non existit, tum quia tantum incendium excedit plusquàm centies millies effectum adæquatum scintillæ. Nec obstat 2. exemplum causæ moralis. Nam hæc, si propriè talis est, effectum immediatè causat in suâ lineâ morali. Sic enim, qui mandato, aut consilio movet Petrum, ut te vulneret, dicitur propriè moralis causa tui vulneris; quia, licèt non illud efficiat immediatè physicè, efficit tamen immediatè moraliter,

quatenùs vulneratio, dum ponitur ex mandato illius, perinde se habet in æstimatione prudentum, ac si ab illo physicè poneretur.

20 Nec obstat 3., quòd causa remota, dum actu conservat proximam, sit necessaria ad existentiam effectus mediati, ita ut hic necessariò deficeret eâ deficiente, nisi alia subrogaretur ad causam proximam conservandam. Nam hoc solùm probat, causam illam esse necessariam ad effectum, quod stare potest, quàmvis non sit propriè causa, ut patet in purâ conditione sine quâ non. Adde, quòd neque illa causa est necessaria determinatè, sed vagè illa vel alia, ita ut productio ignis C ab igne B perseveret eadem numero, sive ignis B conservetur ab igne A, sive à D, sive à solo Deo. At, si esset propriè causa, non posset non ex ejus variatione variari productio ignis C, ex dictis *n.* 6.

21 Dices: effectus propriè pendet à causâ remotâ conservante proximam; nam eâ deficiente, nec aliâ subrogatâ, necessariò deficeret: ergo ab eâ propriè causatur. *Dist. Antec.*: propriè pendet dependentiâ indigentiæ, *transeat* (etiam sic non pendet ab eâ determinatè, sed vagè ab eâ vel aliâ:) dependentiâ causalitatis, *neg. Antec.* & *Consequ.*. Sæpe datur dependentia indigentiæ sine dependentiâ causalitatis propriè talis; ut patet, tum in dependentiâ effectus à purâ conditione sine quâ non; tum in actione, quæ omninò indiget termino, à quo non causatur; tum in unione, quæ non essentialiter causatur ab extremis, quibus essentialiter indiget. Dices iterùm: causa remota, conservans proximâ, non est causa per accidens, sicut musica in ædificante: ergo est causa per se, adeòque propriè. *Resp.* 1.: causa per accidens, admittit latitudinem, varioſque gradus: quare causa remota potest esse per accidens, licèt non sit tam impropria, quàm est musica in ædificante. *Resp.* 2.: causa illa remota dici poterit causa per se perfectate necessitatis (de quâ n. 9.), & in hoc sensu propriè: non tamen perfectate influxus, aut causalitatis in effectum remotum, de quâ nunc loquimur.

22 Nihilominùs negandum non est, quòd effectus sæpe attribuitur, & imputatur propriè causæ mediatæ, non solùm ut causæ morali, sed ut causæ physicæ. Sic enim mors hominis propriè tribuitur ei, qui venenum porrigit, vel telum jaculatur, aut sclopetum explodit, licèt hìc multæ causæ medient: nam sclopeti explosor v. g. solùm est ad summum causa immediata motus, quo silex incurrit in chalybem; tum ex silice causatur ignis, hic accendit pyrium pulverem, hic ferreæ glandi violentum imprimit impulsum, hic deinde causat motum glandis, donec perveniat ad hominem, in quo vulnus efficit; ac tandem ex vulnere sequitur mors, sæpe non illicò, sed post varias alterationes humorum. En, quot causæ mediant: & tamen explosor ille dicitur physicè occidisse hominem, & propriè quidem: sicut etiam propriè dicitur secare physicè lignum, qui secat medio impulsu impresso ferræ, vel se-

cus-

curi; & physicè comburere domum, qui facem applicat alicui parti, ex quâ deinde propagatur incendium.

23 Dicendum igitur, quòd causa mediata, quando ultrò ponit influxum, ex quo per connexionem physicam, seu absque novâ indifferentiâ naturali, tandem sequitur effectus remotus, propriè dicitur causa per se talis effectus; non quidem proprietate, aut perfeitate influxus, propter dicta *n.* 18. *& seqq.*; sed proprietate, & perfeitate determinationis, aut connexionis, quæ insinuata est *n.* 9., & quæ sæpissimè attenditur ad imputationem, & attributionem effectus. Non est itaque causa propriè & per se dans esse (nisi fortè moraliter): est tamen causa propriè & per se determinans alias, ut dent esse, vel propriè & per se connexa cum eo, quòd effectus mediatus ab alijs causis accipiat esse. At ne isto quidem sensu propriè causa est causa remota, quando talis connexio deficit. Porrò, quòd proprietas determinationis sit separabilis à proprietate influxus, aut causalitatis, patet in applicante ignem ad passum dispositum, atque etiam in operatione artificis, quæ sæpe determinat causas naturales ad agendum, ideòque naturales effectus sæpe tribuuntur arti seu formæ artificiali non impropriè, quâmvis ars in eos propriè non influat, nec forma artificialis, ut vidimus *disp. præced. c.* 3..

*Divisio Aristotelica quadrimembris.*

24 SUperest divisio celebris, ab Aristotele tradita tum *hic, c.* 3. *& seqq.*, tum 5. *Metaph. c.* 2., quâ scilicet causa in communi *dividitur* 6. in materialem, formalem, finalem, & efficientem. Quatuor ista causarum genera concurrere ad quodvis compositum, sic ostendi solet. In primis compositum, cum nequeat à semetipso fieri, fit ab aliquo: & hoc vocamus causam efficientem. Deinde, cum non fiat ex nihilo, fit ex aliquo subjecto præsupposito: & hoc dicimus causam materialem. Prætereâ, cum huic subjecto accedere debeat aliquid denuò productum, ut resultet compositum determinatæ speciei, jam intervenit differentia physica, seu pars specificativa compositi, quam appellamus causam formalem. Denique, cum causa efficiens compositum, sit causa per se, non casu, aut violenter agens, necesse est operetur propter aliquid, seu in gratiam alicujus finis: & hæc est causa finalis.

25 *Quæres* 1., an hæc divisio sit immediata? Non est: quia causa in communi dividitur immediatiùs in intrinsecam, & extrinsecam; ac deinde intrinseca subdividitur in materialem & formalem, extrinseca in efficientem & finalem. *Quær.* 2., an sit divisio atoma? Non est: quia singula membra subdividuntur in alia, ut mox patebit. Quamvis autem divisio ista nec immediata sit, nec atoma, tamen ab Aristotele maximè commendatur, quia reduxit causas omnes ad generalia quædam capita, quæ modos causandi notiores habent, ac magis distinctos, ideòque aptiora sunt ad divisionem doctrinalem.

Sed

26 Sed hinc *quær.* 3., an sit divisio adæquata? Communiter affirmatur cum Aristotele: quia per illam satisfit omnibus interrogationibus, quæ circa facturam rei excitari solent: videlicèt, *à quo? ex quo? per quid?* & *propter quid* res fiat? Ad 1. quippe respondetur per causam efficientem: ad 2. per materialem: ad 3. per formalem: ad 4 per finalem. Accedit, quòd nulla supereſſe videtur vera causa, quæ ad aliquod ex his generibus non reducatur. Nam causa exemplaris, *cujus instar* fit res, reducitur vel ad efficientem, vel ad formalem extrinsecam, ut infrà explicabitur. Causa objectiva (ideſt, objectum, à quo specificatur cognitio) reduci potest vel ad formalem extrinsecam, vel ad finalem, vel ad efficientem moralem, aut etiam physicam, quatenùs objectum mediâ sui specie cognitionem efficit. Causa dispositiva, v. g. calor disponens materiam ad recipiendam formam ignis, solet reduci ad genus causæ materialis, & interdùm ad genus causæ formalis: propriè tamen non est causa physica formæ, sed pura conditio, nisi fortè instrumentaliter coefficiat formam, quia tunc erit causa efficiens.

27 *Quær.* 4., an quatuor illa membra debeant realiter inter se distingui? Non omnia semper debent; nec respectu diversorum effectuum; nec respectu ejusdem. Nam eadem anima rationalis v. g. causat formaliter hominem, materialiter Gratiam, efficienter suos omnes actus, finaliter eorum aliquos. Item respectu actuum immanentium eadem est causa efficiens, & materialis; & sæpe etiam finalis. Præterea, respectu hominis, ut compositi ex materiâ per nutritionem adquisitâ, eadem anima est causa formalis, & simul aliquomodò efficiens, cum efficiat unionem sui cum eâ materiâ. Quare, etiam respectu ejusdem effectus, non videtur necessaria semper distinctio realis, nisi inter causas materialem & formalem de genere physico. Vide P. Suar. *d.* 12. *Met s.* 3. *à n.* 9.

28 *Quær.* 5., an ratio causæ propriè conveniat singulis quatuor membris? De causâ efficiente non est dubium; quia illa est antonomasticè causa, cum sit veluti fons, à quo oritur existentia effectus. De cæteris dicemus mox inter explicandum propria ipsarum munera. Hanc enim explicationem statim aggrediemur: tum quia circa causas materialem & formalem, quibus tractatus 1. insudavit, pauca supersunt, quæ diutiùs differre non oportet: tum etiam, quia quæstiones in hoc tractatu discutiendæ, ad solam ferè causam efficientem pertinent; easque proinde tractabimus expeditius, si modò à cæterarum causarum curâ liberemur.

## CAP. II.
## *DE CAUSIS MATERIALI, ET formali.*

1 CAUSA materialis in communi latiùs patet, quàm materia prima, definiturque ab Aristotele *his*

*hic cap.* 3., *Ex qua, cum insit, aliquid fit*: id est, ex quâ, ut ex subjecto intrinsecè manente in composito, fit compositum, sive substantiale, sive accidentale: nam particula *ex*, sumitur nunc prout peculiariter denotat munus subjecti. Clariùs, & generaliùs ad mentem Philosophi definiri potest causa materialis, *Quæ causat ut subjectum. Dividitur* 1. causa materialis in causam termini substantialis, & causam termini accidentalis. Prior, saltem respectu substantiæ non purè modalis, est sola materia prima. Posterior est subjectum quodlibet, sive corporeum, sive spirituale, ex quo educitur forma accidentalis, vel constituitur accidentale compositum.

2 *Dividitur* 2. causa materialis in intrinsecam, & extrinsecam. Causa materialis intrinseca est, *quæ causat intrinsecè constituendo compositum tanquam subjectum informationis alterius compartis.* Quid autem sit subjectum informationis, explicatum est *tract.* 1. *d.* 2. *c.* 2. Causa hæc dicitur *intrinseca*, quia pertinet ad intrinsecam constitutionem sui effectus, nempe compositi. Causa materialis extrinseca est, *quæ formam causat tamquam subjectum sustentationis illius*, ideſt, tamquam id, à quo ut subjecto præsuppositio essentialiter pendet formæ productio: ubi nomine *formæ* comprehenditur etiam accidentalis, & modalis. Hoc genus subjecti, & causæ materialis, explicuimus etiam *tract.* 1. *d.* 4. *c.* 4. *n.* 3. *& seqq.* ubi rationem dedimus, cur Aristoteles non expresè meminerit causæ materialis istiusmodi. Hæc dicitur causa *extrinseca*, quia, licèt intrinsecè recipiat formam, quam causat, non tamen illam intrinsecè constituit, sed extra totam ejus identitatem manet.

3 Jam satis ostendimus *tract.* 1. *d.* 2. *c.* 2., munus subjecti informationis esse ratione distinctum, & in exercitio separabile (licèt non mutuò) à munere subjecti sustentationis. Per illud autem, ut ratione distinctum, definiri debet causa materialis intrinseca: quia hæc non alio titulo causat, nisi quia per modum partis materialis (ideſt, non specificantis compositum) proprium suum esse tribuit composito: tribuit autem, præcisè quia unitur formæ, sive illam, aut unionem sustentet, sive secùs; atque adeò tribuit, præcisè quia est subjectum informationis. Hinc materiæ causalitas in genere intrinseco est unio præcisè quia unio est, non quia passio, aut sustentatio formæ, vel unionis, licèt realiter indistincta sit à sustentatione istâ: nam, etiamsi materia non sustentaret formam, nec unionem, sed uniretur unione productâ per creationem, non minùs esset causa materialis intrinseca compositi, quàm modò est.

4 Quod ergo de formali se habet ad conceptum causæ materialis intrinsecæ, est, quòd sit subjectum verè unitum formæ, adeòque verè informatum: quòd autem simul sustentet formam, aut unionem, quasi de materiali se habet ad conceptum istum; solùmque se habet de for-

formali ad conceptum causæ materialis extrinsecæ. Cumque definitio solùm explicare debeat quod de formali se habet ad conceptum definiti, idcircò definitiones illas *n.* 2. tradidimus. Hoc tamen non tollit, quòd sæpe eadem causa, & per eamdem realiter causalitatẽ, utrumque munus causæ materialis obeat, ut accidit in compositis purè corporeis, ubi sustentatio formæ identificatur cum unione juxta nostra principia. Sic eadem rationalis anima respectu suorum actuum simul est causa materialis & efficiens, & quidem per eandem indivisibilem causalitatem: diversimodè tamen definitur anima ut efficiens, & ut materialiter causans.

5 Inter effectus causæ materialis computari solet generatio compositi. Sed, cum generatio ista nihil aliud sit, quàm eductio formæ, vel unionis, includens, vel secum identificans actionem & passionem, non auget numerum effectuum: est enim, quatenùs passio, causalitas materiæ in formam, vel unionem, per modum termini formalis, & hinc etiam in compositum per modum termini denominativi; sicut eâdem ratione, quatenùs actio, est causalitas causæ efficientis in eosdem terminos. Unde, cùm generatur compositum, v. g. homo, materia duplici titulo est causa illius: 1., quia unitur animæ ut subjectum informationis, quo titulo est causa materialis intrinseca hominis: 2., quia est subjectum sustentans unionem, atque adeò generationem hominis, quæ est unionis eductio; & hic titulus pertinet ad rationem causæ materialis extrinsecæ. Posse autem idem respectu ejusdem esse causam intrinsecam, & quodammodò extrinsecam, jam vidimus *cap. præc. n.* 7. Non tamen à passione, vel sustentatione unionis, denominatur homo *sustentatus*, idest, *passivè receptus*, sed tantùm *materialiter causatus quasi extrinsecè*: quemadmodùm à generatione, quæ est eductio unionis, non denominatur *eductus*, sed *productus*, aut *generatus*. Quod provenit ex congruo, vel incongruo sensu denominationum, juxta regulam sæpe datam *tract.* 1.

6 Sed adhuc contra definitionem causæ materialis intrinsecæ *objicies*: quòd materia, præscindendo à munere subjecti sustentantis formam, aut unionem, non potest dici causa materialis, licèt consideretur verè unita formæ: nam materia, præcisè ut unita, non aliud munus habet, quàm intrinsecè constituere compositum: constitutiva autem intrinseca rei, maximè quæ in ejus definitione exprimuntur, non *materialiter*, sed *formaliter* constituunt rem; quia *de formali* se habent ad essentiam ejus, ideòque vocari solent *partes formales* rei. *Resp.*: materia, præscindendo à munere sustentantis, vel etiam sine illo unita, ut si unio humana divinitùs crearetur, verè esset subjectum informationis; verè enim in eâ hypothesi unionis creatæ materia hominis esset informata, & anima esset informans, non è converso: verè ergo tunc homo constaret ex materiâ ut *ex subjecto insito*, quod solum requi-

quirit Aristoteles ad rationem causæ materialis.

7 Præterea, in eâ hypothesi, non materia, sed anima esset pars specificativa hominis, seu ratio quidditatis: sola ergo anima esset causa formalis: ergo materia (quæ tunc certè foret vera causa intrinseca) verè esset causa materialis. Et alioquin materia hominis de facto esset causa formalis, & materialis: formalis, quia intrinsecè constituit hominem, & ad ejus definitionem pertinet: materialis, quia sustentat unionem humanam. Itaque constitutiva intrinseca rei solùm dicuntur esse *partes formales*, & constituere *formaliter*, seu *de formali* se habere, quatenùs non se habent *per accidens*, aut *impertinenter* (hoc enim sæpe sonat *materialiter*, aut *de materiali*) ad essentiam rei, vel ad ejus definitionem. Hoc tamen non tollit, quòd altera pars constituat ut forma, altera ut subjectum, adeòque altera sit causa formalis, altera materialis intrinseca.

8 His ita statutis, *quæritur* 1., quænam sit causalitas causæ materialis? *Resp.* ex dictis: causalitas in genere intrinseco, seu respectu compositi ut intrinsecè constituti, est unio prout talis: in genere autem extrinseco, seu respectu formæ, est formæ ipsius eductio, quatenùs passio, vel sustentatio est. Ratio: quia per unionem & passionem respectivè determinatur ultimò & formaliter causa materialis ad causandum in actu secundo; in quâ determinatione stat conceptus causalitatis. *Quæritur* 2., utrùm causa materialis, quatenùs intrinsecè causat compositum, sit propriè causa? Quæstionem hanc, quæ communis est omni causæ intrinsecæ, resolvemus inferiùs, ubi de causâ formali.

9 *Quæritur* 3., utrùm causa materialis extrinseca, seu respectu formæ, propriè sit causa? Affirmat communis sententia. Quia materia prima v. g. per se immediatè præsupponitur ad formas, quæ educuntur: sed non ut mera conditio: ergo ut propria causa. *Prob. Min.*; tum quia eductio formæ est causalitas essentialiter alligata individuæ materiæ præsuppositæ, variaretur-que necessariò, variatâ materiâ; quod non convenit puræ conditioni. Tum etiam, quia aliter præsupponitur materia ad eductionem formæ materialis, & aliter ad primam creationem animæ rationalis: sed ad hanc præsupponitur ut mera conditio: ergo ad illam ut propria causa.

10 *Objic.* 1.: causa materialis nihil omnino agit, sed merè passivè se habet respectu formæ: ergo non propriè causat. *Prob. Consequ.*: quia, quod nihil agit, non propriè influit, nec tribuit esse, ut ex terminis patere videtur. Unde S. Augustinus *lib. 83. qq. in* 28. inquit: *Omnis causa efficiens est*: quia scilicet non est verè causa, quæ non efficit, sive agit. *Resp. conc. Antec.*, quia *agere* solùs causæ efficientis proprium est; sed *neg. Consq.* cum probatione subjunctâ: quâmvis enim *influere*, & *tribuere esse*, summâ proprietate conveniat causæ agenti; tamen non impropriè dicitur

de quovis principio, à quo determinato essentialiter pendet productio effectus, sicuti pendet à materiâ eductio formæ, non quatenùs actio, sed quatenùs passio est. Non impropriè dicitur *dare esse* id, cui verè debet effectus esse suum. Effectus autem verè suum esse debet omni principio, sine quo determinatè præsuppositio deficeret essentialiter & à priori productio, quâ hìc & nunc accipit esse; saltem si tale principium ad existentiam effectus hoc modo conducat ex inclinatione. D. Augustinus intelligi potest de causâ antonomasticè dictâ: nam, ut notat P. Suar. *d.* 12. *Met. s.* 3. *n.* 6., nomen causæ interdùm per antonomasiam, vel etiam ratione primæ impositionis, pro causâ efficiente sumi solet.

11 *Objic.* 2.: causa efficiens præcontinere debet totam perfectionem formæ producendæ: ergo ipsi soli incumbit formam causare. *Neg. Conseq.*: quia ex præcontinentiâ totius perfectionis effectus, non sequitur, quòd causa efficiens creata possit se solâ supplere omnem dependentiæ modum, quo indiget effectus; alioquin posset etiam supplere immediatum influxum causæ primæ. Quare omne agens creatum, sicut ex conditione propriâ causæ secundæ requirit concursum primæ causæ, ita ex conditione agentis finiti requirit juvamen causæ materialis, idest, subjecti sustentativi præsuppositi; nequit enim agere ex nihilo. Hæc pro communi sententiâ.

12 Non tamen negaverim, quòd *influere*, *tribuere*, seu *dare* esse, non dicitur de causâ materiali sine aliquâ improprietate, licet non tantâ, quanta convenit purè conditioni. Tum quia non dicitur absolutè & sine addito, quòd materia influit in formam, aut dat esse formæ; multòque minùs, quòd anima rationalis influit in Gratiam, aut dat esse Gratiæ, quam recipit. Tum quia alioquin materia daret quod non habet, cum non præhabeat esse formæ, nec formaliter, nec æquivalenter. Tum etiam, quia causa merè passiva purè recipit: est autem oppositio quædam inter *dare*, & *purè recipere*. Quare causa passiva non dicitur influens, & dans esse, nisi cum addito *in genere subjecti sustentativi*: quo in genere, quia positivè conducit ad existentiam effectus, ita ut illius productio à tali subjecto præsuppositio determinatè & essentialiter pendeat, non sine aliquâ proprietate dicitur dare esse.

13 Jam ad causam formalem deveniamus. Ea definitur à Philosopho, *Ratio essentiæ*, seu *quidditatis compositi*: quam definitionem explicuimus *tract.* 1. *d.* 4. *c.* 5., agentes de formâ substantiali. Nunc ad mentem Philosophi generatim definiri potest causa formalis, *Quæ causat intrinsecè constituendo tanquam positum tamquam pars specificativa, saltem principaliter, quidditatis illius.* Quæ definitio satis clara est ex dictis *t.* 1., tum *loc. cit.* tũ *d.* 2, *c.* 2. *à n.* 10.; aptarique potest causæ formali cujuslibet compositi, sive substantialis, sive accidentalis, sive physici, sive metaphysici, sive re-

resultantis ex unione intrinsecâ formæ ad subjectum, sive ex unione extrinsecâ, v. g. hujus concreti *visum*, quod ex visione & objecto constituitur; quâmvis enim visio sit forma extrinseca objecto, tamen intrinsecè constituit, & specificat concretum illud. Et hinc dividi potest causa formalis, 1. in substantialem & accidentalem, 2. in physicam & metaphysicam, 3. in intrinsecâ & extrinsecam subjecto: sic tamen, ut nec metaphysica, nec subjecto extrinseca, sit propriè causa, quia non est propriè pars ex defectu distinctionis, vel unionis.

14 Quod à causâ formali causatur, vocari solet *effectus formalis*; qui plerùmque est duplex, alter primarius, alter secundarius. Effectus formalis primarius, qui & *intrinsecus* dici potest, est compositum, concretum, vel denominatio, quæ resultat ex formâ unitâ subjecto, consistitque in collectione formæ, subjecti, & unionis, nullâ aliâ entitate superadditâ; ut ostendimus *tract. 1. d. 7. c. 3.* Respectu istius effectus forma est causa formalis intrinseca: & ejus causalitas est unio, quatenùs informatio; quia est ultima determinatio, & exercitium, quo forma, ut pars specificativa, constituit compositum. Nec obstat quòd eadem unio, quatenùs materializatio, sit etiam causalitas causæ materialis intrinsecæ: non enim id magis repugnat, quàm quòd eadem eductio sit actio & passio, ac proinde causalitas agentis & subjecti sustentativi.

15 Notandum tamen, quòd effectus formalis intrinsecus (saltem respectu formæ accidentalis,) alius est formæ proprius, & quasi per se, alius verò improprius, & quasi per accidens. Proprius, & per se, est illud totum, illavè denominatio, ad quam præstandam ex se & suapte naturâ ordinatur forma, v. g. respectu caloris *calidum*, respectu intellectionis *intelligens*, respectu Gratiæ *sanctum*: & hic est, qui absolutè venit nomine *effectus formalis*, qui que passim dicitur non tribui nisi *subjecto capaci*, idest, illi subjecto, ad quod informandum ex se ordinata est forma, seu quod denominatio illa formæ propria essentialiter imbibit in sensu, quo communiter accipitur. Improprius, & quasi per accidens, est concretum, vel conjunctum, resultans ex formâ unitâ extraneo subjecto contra propriam naturam. Hinc, si Gratia divinitùs uniretur lapidi, non tribueret suum effectum formalem proprium, & per se, scilicet denominationem *sancti*, defectu subjecti capacis: quia non lapis, sed sola creatura rationalis, est illud subjectum, ad quod informandum ex se ordinatur Gratia, & quod essentialiter petit & imbibit denominatio *sancti*. Resultaret tamen etiam tunc concretum, vel conjunctum aliquod, lapisque denominaretur *habens gratiam*, vel *gratia informatus*, qui esset effectus gratiæ quasi per accidés.

16 Effectus formalis secundarius, qui & *extrinsecus* vocari poterit, est, qui ex unione formæ ad subjectum ita resultat, ut ada quatè distinguatur à formâ. Sic expulsio

frigoris à subjecto est effectus formalis secundarius caloris, appellarique solet effectus formalis negativus. Et in universum, quicumque effectus, sive negativus, sive positivus, quasi per necessariam resultantiam sequitur informationem formæ, nec ab eâ intrinsecè constituitur, dicitur effectus formalis secundarius. Sed notandum, quòd forma relatu ad effectus secundarios non est propriè causa formalis, cum eos non causet intrinsecè constituendo, & specificando quidditatem ipsorum, sed potiùs illos inducat in genere causæ efficientis moralis; calor enim causat expulsionem frigoris, exigentiâ suâ movendo naturæ Authorem, ut frigus conservare desinat. Dicitur tamen causare in genere causæ formalis, quia expulsionem illam non exigit, nisi quando subjectum informat, & effectuum suum primarium causat. Hinc formalis causalitas ultima & executiva effectus secundarij, non est unio formæ ad subjectum, sed est positio, vel cessatio Divini concursus in aliam entitatem, prout à Deo volita ad exigentiam formæ unitæ subjecto. Relege dicta *tr.* 1. *d.* 5. *c.* 4. *à num.* 9. *ad* 19.; ubi etiam ostendimus, posita formâ in subjecto plerùmque posse divinitùs impediri formalem effectum secundarium; secùs autem primarium.

17 Notandum præterea, formam non esse causam formalem materiæ specificativè sumptæ, sed tantùm reduplicativè ut completæ, sive ut existentis in actu physico; quo sensu materia est totum compositum. Doctrina verò Thomistarum, quòd materia à solâ formâ ut informante redditur existens, vel saltem capax existentiæ, satis impugnata manet *tr.* 1. *d.* 2. *c.* 3. *& seqq.* & *d.* 3. *c.* 4. *n.* 22.. Dices: forma est formalis causa illius, cujus est forma: sed est forma respectu materiæ specificativè sumptæ: ergo respectu ipsius est causa formalis. Iusto: materia est materialis causa illius, cujus est subjectum: sed est subjectum animæ rationalis: ergo respectu ipsius est causa materialis. Iusto rursùs: Gratia est forma respectu animæ rationalis specificativè sumptæ: ergo respectu ejusdem sic acceptæ, erit causa formalis. Itaque *dist. Maj.*: illius, cujus est forma intrinsecè constituens & specificans, *conc.*; cujus est forma purè informans, *neg. Maj.* tù *dist. Min.*: est forma respectu materiæ &c., purè informàs, *conc.*; intrinsecè constituès & specificans, *neg. Min.*, & *Conseq.*

18 Superest *quæstio*, an causa formalis respectu effectus primarij, sive compositi, quod intrinsecè constituit, sit propriè causa? Negant plures, quos citat, & sequitur P. Peynado, similiterque censent de causâ materiali prout intrinsecè constituente compositum. Movetur 1.: quia causa propriè talis, debet influere per actionem ab ejus virtute egredientem: at causa formalis non influit in compositum, nisi per unionem, quæ non est actio formæ, nec ab ejus virtute egreditur. 2.: quia omnis vera causa debet communicare esse termino simpliciter distincto ab ipsâ: compositum

cum autem non est terminus simpliciter distinctus à formâ, siquidem cum eâ inadæquatè identificatur. Quæ argumenta pariter locum habent in materiâ respectu compositi.

19 Affirmat tamen sententia communissima, quam tenet Exim. Doctor *d.* 2. *Met. f.* 3.. Quia causa formalis verè dat esse composito, cum exhibeat se ipsam, detque totum sui ipsius esse, ut ex eo compositum cursurgat: unde passim dicitur, compositum habere suum esse à formâ; & hæc frequenter definiri solet, *Causa intrinseca, quæ dat esse rei*, ut notat Eximius. Quæ ratio militat etiam in causâ materiali, cum hæc etiam semetipsum exhibeat, suumque det esse, ut ex illo resultet, & constet esse compositi. Dices: *exhibere*, ac *dare se*, præsefert actionem propriam, quam materia & forma non habent in compositum: unde non se exhibent, aut dant activè, sed tantùm quasi passivè dantur & exhibentur composito à causâ efficiente. Sed *contrà*: materia & forma, juxta Adversarios, propriè componunt, & constituunt compositum: & tamen *constituere*, & *componere*, cum sint verba activa, præseferunt etiam actionem propriam. Si dicas, hanc esse actionem grammaticalem, non physicam; id tibi dictum puta. Itaque non solùm propriè se dat res, quæ actione propriâ se confert, sed etiam quæ se quasi sponte offert, ut ab alio habeatur, sive ut ex suo esse constituatur aliud; qualiter dant se se composito materia & forma.

20 Nec obstant argumenta contraria. Non *primum*: quia solius causæ extrinsecæ, præsertim efficientis, proprium est influere per actionem ab ejus virtute egredientem. Generatim verò ad conceptum veræ causæ sufficit influere per causalitatem, quâ ultimò determinetur ad tribuendum esse effectui. Cum ergo unio, licèt non egrediatur à causâ formali, sit nihilominùs ultima illius determinatio, ut det esse composito, consequenter sufficit, ut exerceat munus veræ causæ. Unde inferes, causam purè intrinsecam, non esse causam suæ causalitatis in effectum, nisi causalitas sumatur copulatim cum cæteris constitutivis compositi, juxta dicta *tr.* 1. *d.* 7. *s.* 2. *n.* 9.. Et hinc nec talis causa debet habere prioritatem naturæ respectu causalitatis. Qualem autem prioritatem habere debeat respectu effectus, dicemus infrà suo loco.

21 Non *secundùm*: quia distinctio realis inadæquata, quæ datur inter totum & partem, simpliciter distinctio est, cum ex vi illius totum & pars non sint idem simpliciter, alioquin verè diceretur, *Anima simpliciter est homo*. Dices: causa verè talis debet tribuere esse distinctum ab esse causæ ipsius: forma autem non tribuit nisi suum esse. *Resp.* 1.: forma tribuit & causat esse distinctum à suo; quia causat totum esse compositi totalitate effectus, ut notavimus *sit. d.* 7. *s.* 2. *n.* 15.: totum autem esse compositi distinctum est ab esse formæ, ut modò vidimus. *Resp.* 2.: etsi forma non dicatur tribuere nisi suum esse, nihilominùs ipsi convenit definitio causæ;

qui-

quippe quæ solùm exigit, ut illud, quod accipit esse, sit *aliud* à causâ, vel ut sit terminus limitatæ perfectionis: compositum autem, quod accipit esse formæ, est *aliud* à formâ ipsâ, & perfectionem habet limitatam.

22 Ad extremum notabis, partes totius integralis, quę scilicet solâ unione continuativâ componunt, reducendas esse ad genus causæ formalis: quia in ligno quantitatis palmaris v. g., uterque semipalmus constituit ut pars intrinseca, & specificativa totius, & neuter alterius subjectum est. Unde inferes, dari posse causam formalem intrinsecam, quę non sit forma informans, ac proinde non dicat respectum ad causam materialem. Atque hujusmodi videtur etiam esse natura integra respectu suppositi creati: quamvis enim natura humana fortè sit causa materialis extrinseca & sustentativa respectu subsistentiæ, si hæc in positivo consistat, atque adeò sit etiam causa materialis intrinseca denominationis *subsistentis*, adjectivè significatæ; nihilominus respectu suppositi substantivè dicti nomine *homo*, vel *hic homo*, potiùs habet munus causæ formalis, cum sit pars intrinseca præcipuè specificans quidditatem totius.

23 Notabis etiam, quòd, quia causæ formalis proprium est *specificare*, non rarò vocatur *causa formalis extrinseca* id, quod extrinsecè refundit speciem in effectum, seu à quo effectus specificatur extrinsecè, præscindendo ab influxu physico. Sic actus intellectus v. g. dicitur interdùm ab objecto suo formali pendere in genere causæ formalis extrinsecæ. Dependentia tamen hujuscemodi magis pertinere videtur ad genus causæ, vel finalis, vel moraliter efficientis.

## CAP. III.
## *DE CAUSA FINALI.*

1 CAusa finalis multa continet scitu digna, de quibus Theologi, & Animastici, & egregiè Doctor Exim. *d.* 23. *Met.* per totam; ex quo breviter dabimus quæ magis ad præsens spectare videbuntur. Finis latissimè dicitur tum quidquid est ultimum in aliquâ serie, ut ultima pars anni, terræ, libri; tum etiam rei præexistentis cessatio, quo sensu dicitur quis loquendi, aut vivendi finem facere, cùm tacet, aut moritur. Non ita sumitur finis in præsenti, sed præsiùs prout significat terminum alicujus appetitus, aut actionis: quo sensu passim ex Aristotele *hic c.* 3. & 7., & sæpe aliàs, definitur, *id*, *cujus gratia aliquid fit*: ubi *cujus gratia* idem sonat, ac *propter quod*, seu *propter cujus bonitatem*; ideòque particula *propter*, dum strictè sumitur, est quasi character causæ finalis. Verùm ne isto quidem sensu omnis finis est propriè causa finalis (ut mox patebit) sed ille tantummodò, qui ab agente præcognoscitur ut in se bonum, atque, ut ita præcognitum, bonitate sua movet agens ad operandum, ipsum alliciendo, ac velut invitando. Et hoc propriè significat

apud

apud Philosophos particula *propter*, & *cujus gratia*.

2 Quodsi operatio, vel opus, ponatur ut conducens ad assequendum finem, vocatur *medium*; potestque, & solet esse multiplex ad finem unum. Hinc proprium est medij amari *propter aliud*, ideſt, præcisè quia conducens & utile ad aliud assequendum: finis verò proprium est amari *propter se*, ideſt, ob meritum propriæ bonitatis, quia scilicet est, aut apprehenditur esse quid honestum, vel ratione sui delectabile, commodum, aut conveniens alicui subjecto. Notant aliqui, vera hæc esse de fine ut assequendo, non de fine ut vitando; sæpe enim intendimus vitare malum aliquod, & propter illud media exequimur, non quia bonum, sed quia malum est. Verùm etiam tunc, quod habet rationem finis, est vitatio mali, quæ apprehenditur & amatur ut bona.

3 Finis ita explicatus dividitur 1. in finem *qui*, & finem *cui*. Finis *qui* (aliàs finis *cujus*) dicitur ille, quem agens intendit assequi. Finis *cui* dicitur persona, vel subjectum, cui procuratur finis *qui*, tamquam bonum ejus. Sic, dum ægro salutem procuras, salus est finis *qui*, æger autem finis *cui*. Utrique convenit vera ratio finis. Nam, dum æger adhibet sibi medicamenta, ut sanetur, media ista exequitur propter se ipsum, & ex amore sui; item propter salutem, quam amat, & intendit. Verè igitur operatur in gratiam utriusque finis; & ita quidem, ut nec propter se solum talia media poneret, nili esset obtinenda salus; nec propter salutem, nisi hæc ægro ipsi bona esset. *Dices*: non est verè finis, nisi qui intenditur obtineri per media: sed solus per media intenditur obtineri finis *qui*: ergo &c.. *Resp.* 1. *neg. Maj.*: quia fini verè tali sufficit, quòd propter ipsum, & gratiâ ipsius aliquid fiat. *Resp.* 2. *neg. Min.*: nam etiam per media intenditur obtineri finis *cui*, non secundùm se, vel seorsùm à fine *qui*, sed prout incluſus in concreto, cujus existentia procuratur. Intenditur enim, & procuratur per medicamenta concretum *sanum*, sive *homo sanus*; quo in concreto includitur finis *cui*. Sic, dum agentia naturalia intendunt existentiam totius compositi, materia etiam intenditur, & obtinetur, non seorsùm accepta, sed prout in composito.

4 *Dices* iterùm: finis *qui*, non appetitur propter se, sed propter finem *cui*: ergo potiùs est medium, quàm finis. *Resp.*: finis *qui* non appetitur propter finem *cui*, tamquam propter bonum medio ipso fine *qui* obtinendum (hoc sensu medium, ut tale, dicitur intendi propter aliud), sed tamquam propter subjectum formaliter perficiendum, aut honorandum à fine ipso *qui*: quare finis iste simul appetitur propter se, tamquam propter bonum assequendum; unde & vocatur finis *cujus*, ideſt, cujus assequendi gratiâ: non enim per illum purè procuratur alia bonitas, ſicuti per medium; sed ipsemet est bonitas procurata formaliter, & ratione sui. Imò finis *qui* solus est, qui absolutè venire solet nomine *finis*, & *causæ*

*fi-*

*finali*, nisi aliud explicetur: ideòque à pluribus definitur Finis absolutè, *Quod movet ad sui consecutionem per media.*

5 Dividitur 2. finis in formalem, & objectivum. Formalis, qui solet etiam vocari finis *quo*, est actualis consecutio & possessio boni, quod obtinere intendimus. Objectivus, quem etiam specialiter vocant finem *qui*, est bonum illud, quod assequi volumus. Sic, dum beatitudinem per bona opera quærimus, Deus est finis objectivus, & visio beata est finis *quo*, sive formalis. Notat autem ex D. Thomâ P. Suarez *s.* 2. *n.* 12., hos non tam esse duos fines, quàm unum; quia per modum unius intenduntur, & procurantur. Unde dici possunt duæ veluti partes finis *qui*, de quo in primâ divisione.

6 Dividitur 3. finis in eum, qui fit, & eum, qui potè obtinetur. Prior est, qui non supponitur existere, sed efficaciâ mediorum in rerum naturâ ponitur, ut sanitas ægroti. Posterior est, qui jam existere aliunde supponitur, & solùm intenditur possideri, ut Deus respectu quærentis beatitudinem, & pecunia respectu avari. Dividitur 4. in finem operis, & finem operantis. Finis operis est, ad quem actio, vel opus, per se ordinatur, ut sublevatio pauperis respectu eleemosynam erogantis. Finis operantis est, quem agens pro libitu intendit præter genium & naturam actionis, aut operis, ut si eleemosynam eroges ex fine vanæ gloriæ.

7 Huic divisioni affinis est illa, quâ dividitur 5. in finem intrinsecum, & extrinsecum. Dicitur enim finis intrinsecus, quem actio, præsertim intentionalis, intrinsecè respicit tamquam specificativum sui. Extrinsecus verò, quem actio non ita respicit, sed tamen ad ejus assecutionem utilis esse potest, ideòque ad illum assequendum ordinatur per alium actum. Exempla sunt obvia in actibus intellectus, & voluntatis. Sic enim, dum quis ex præviâ intentione obtinendi veniam peccatorum, & vitandi gehennam, elicit actum amoris Dei super omnia, hujus amoris finis intrinsecus est solus Deus ut in se summè bonus; finis autem extrinsecus ejusdem actus, est venia peccatorum, & vitatio gehennæ. Semper tamen finis extrinsecus unius actus, dum actualiter procuratur, intrinsecus est respectu alterius actus præordinantis, ut in casu proposito vitatio gehennæ respectu præviæ intentionis.

8 Dividitur 6. (ut alias minùs utiles divisiones prætream) in finem ultimum, & non ultimum, sive in remotum, & proximum. Finis proximus, sive non ultimus, est, propter quem ponitur medium aliquod, sic tamen, ut in eo non sistat intentio agentis, sed ad ulteriorem finem progrediatur. Finis ultimus, aut remotus, est, in quo tandem intentio sistit operantis. Sed cum proprium sit finis amari propter se, & non præcisè ut utilem ad aliud, ex n. 2.; hinc si in ordine ad unum finem plura media eligas, alia alijs subordinanata, quorum nullum ame-

ametur propter se, nullum eorum erit propriè finis, nec proximus, nec remotus, v. g. effusio sanguinis, quia solùm amatur ut utilis ad salutem, non est propriè finis scissuræ venæ, licèt hæc ad illam immediatè ordinetur. Quia tamen aliquomodò propter effusionem vena scinditur, effusio vocari solet finis respectivè ad medium illud antecedens; quatenùs scilicet est terminus, ac veluti finis intrinsecus respectu scissionis, licèt respectu operantis sit purum medium. Atque hoc sensu dixit D. Thomas 3. cont. Gent. c. 2., *Omnia intermedia inter agens, & ultimum finem, sunt fines respectu priorum.*

9 Si verò contingat, ut aliquid ametur, quia in se bonum est, & simul quia utile ad aliud, tunc dici poterit propriè finis, & tamen proximus, sive non ultimus. Ex. gr., si Theologiæ studeas, quia Theologiam scire bonum est, & simul quia utile ad Cathedram obtinendam, Theologia verè finis erit quatenùs propter se amatur, & non erit finis ultimus quatenùs ordinatur ut medium ad Cathedram. Quamquàm, si loquamur in sensu formali & præcisivo, Theologia etiam tunc dici poterit finis ultimus eâ ratione quâ propter se amatur; quia sub eâ ratione non ordinatur ad aliud: amatur enim propter se sub ratione boni honesti, aut delectabilis, quæ aliquatenùs distinguitur formaliter à ratione boni utilis, sub quâ unicè ordinatur ad Cathedram. Quare in hoc sensu nullus erit finis, qui non sit ultimus; ut videtur exigere nomen *finis*, & indicat Aristoteles 1. *Ethic. c.* 7..

## *Nonnullæ Quæstiones.*

10 *Quæst.* 1.: quænam sit in fine ratio finalizandi (aliàs finalizatio in actu primo, aliàs ratio movendi & attrahendi ad amorem sui, & positionem mediorum)? utrùm scilicet bonitas objectiva finis? an cognitio istius bonitatis? Aliis terminis: utrùm finis moveat secundùm esse reale? an secundùm esse intentionale? Communis & vera sententia, quam probat P. Suar. *d. tit. s.* 8., tenet solam bonitatem objectivam, cognitione repræsentatam, esse rationem finalizandi; cognitionem verò bonitatis illius tantùm esse conditionem, sine quâ non, sive puram applicationem virtutis motivæ. Ante probationem prænoto quatuor. 1.: finis non movet voluntatem, nisi ut cognitus; tum ex illo principio, *Nihil volitum, quin præcognitum*; tum ex alijs apud P. Suar. *s.* 7.. Cæterùm illa reduplicatio, *ut cognitus*, locum habere potest, licèt cognitio sit pura conditio, vel applicatio virtutis; ut cùm dicimus, *Ignis non comburit, nisi ut applicatus.*

11 2.: non est quæstio de cognitionibus, quarum affectio non præsupponitur, sed intenditur, & procuratur; ut cùm quis intendit assequi visionem Dei, aut contemplationem veritatis, aut certitudinem de alio fine obtento, vel obtinendo: illæ quippe verè sunt fines, & aliâ cognitione præcognosci debent

bent; quare de illis etiam quæritur, an moveant secundùm esse reale, an secundùm intentionale, quod habent ut præcognitæ? Solùm ergo quæritur de prævià cognitione finis obtinendi. 3.: nec est quæstio de influxu cognitionis in actus voluntatis in genere causæ efficientis; hic enim influxus (qui etiam communiter negatur) non pertinet ad finem ut talem, cum juxta omnes finis ut talis non sit efficiens. Est ergo quæstio de influxu in genere causæ finalis, idest, in genere allicientis per modum objecti amabilis ad amorem & intentionem sui, & positionem mediorum propter se ipsum. 4.: solùm est dubium de fine *qui*, seu *cujus*: nam de fine *cui*, nemo dubitare videtur, quin moveat secundùm esse reale.

12 His positis, tam clara apparet præfixa sententia, ut vix esse possit dissentiendi ratio, nisi in vocibus æquivocatio misceatur, ut ait P. Suar. Nam 1. ratio movendi, propria finis, est illa bonitas & convenientia, quam quis appetit obtinere, cujus obtinendæ gratiâ seligit & exequitur media ad assecutionem utilia, & quæ tandem obtenta quietat & satiat appetitum. Hæc omnia constant ex definitione finis, prout ab omnibus explicatur. At nihil horum convenit prævie cognitioni finis, ut quæ jam obtenta, præsens, & notificata supponitur, priusquàm finis incipiat appetiergo &c.. 2.: ratio finalizandi nihil est aliud, quàm motivum proprium & specificativum amoris & intentionis assequendi finem: hoc autem motivum non esse cognitionem præviam, sed objectum ejus, patet ex doctrinâ receptissimâ circa motiva specificantia virtutum, & vitiorum actus, v. g. actus timoris gehennæ, & spei vitæ æternæ, vel actus invidiæ, avaritiæ &c..

13 *Objic.* 1.: sæpe cognitio assignatur pro ratione volendi finem; passim quippe dicitur, *Intendo hoc, quia cognosco mihi bonum esse, quia scio mihi expedire*: ergo cognitio est ratio finalizandi. *Dist. Antec.*: pro ratione volendi ut *quo*, idest, per modum conditionis, & applicationis, *conc.*; pro ratione volendi ut *quod*, idest, per modum virtutis motivæ, seu bonitatis ad se allicientis, *neg. Antec.*, & *Conseq.*. Sæpe etiam dicimus, *lignum comburitur, quia igni applicatur, timeo taurum, quia video esse ferocem, diligo Deum super omnia, quia scio esse summè bonum*: & tamen in his, & similibus, non vis motiva, sed mera conditio, pro ratione redditur.

14 *Objic.* 2.: ita requiritur existentia intentionalis ad causam finalem, sicut ad efficientem existentia physica: sed existentia physica non est pura conditio, sed virtus effectiva: ergo pariter &c.. *Dist. Maj.*: ita requiritur, idest, æquali necessitate, *transeat*; ita, idest, æquali identitate, *neg. Maj.*; & *concess. Min.*, *neg. Conseq.*. Cum in nostris principijs existentia physica non distinguatur ab essentiâ, existentia virtutis est virtus ipsa: at existentia intentionalis, sive cognitio objecti, quod est causa finalis, utique ab objecto suo realiter distinguitur. Si ta-

tamen cum Thomistis existentiam physicam realiter distinguas ab essentiâ, dicam pariter, illam esse puram conditionem ad efficiendum.

15 *Obj.* 3. : munus causæ congruentiùs tribuitur rei physicè præsenti, quàm absenti, & sæpe non existenti, imò interdùm nec possibili: sed, dum Voluntas finem intendit, cognitio physicè præsens est, objectum autem est absens, & sæpe non existit, ut sanitas, ab ægroto intenta, & interdum non est possibile, sed chymericum, ut cùm princeps dœmonum dixit, *Similis ero Altissimo*: ergo &c.. *Dist. Maj.*: munus causæ finalis, *neg.*; causæ efficientis, dirigentis, aut illustrantis, *conc. Maj. & Min., & neg. Conseq.*. Cum munus causæ finalis sit movere ad agendum gratiâ suæ bonitatis, non ut obtentæ, sed ut obtinendæ, non quia est, sed ut sit, saltem in possessione; incongruè tribuitur rei physicè præsenti, de cujus obtentâ possessione nullum est dubium, cujusmodi est cognitio, de quâ loquimur. Finis ergo ex genere suo solam requirit præsentiam intentionalem; & hæc convenire potest rei non existenti, nec unquam extituræ, imò & chymericæ, dummodò apprehendatur possibilis.

16 Si quæras, quomodò bonitas reverâ nulla, & impossibilis, causare possit appetitum verum, ac realem? *Resp.* ex P. Suar. *f.* 5. *n.* 15., voluntatem, quoties appetit bonum impossibile, semper moveri à bonitate verâ, licèt falsò applicatâ ab objectum particulare: non enim movetur, nisi ab intellectu proponatur honestas, aut delectabilitas, aut naturæ commoditas, quæ veræ sunt bonitates. Errat tamen interdùm intellectus in attribuendo bonitatem veram particulari objecto, cui reipsâ non convenit, nec convenire potest: & tunc objectum, quod movet, solùm est apparenter bonum (hoc sensu dici solet, voluntatem moveri posse à bono apparenti); formalis tamen ratio movendi, est vera bonitas. Dici quoque poterit, appetitum boni impossibilis non habere causam finalem verè, sed apparenter, nec nisi apparenter esse propter finem; ut autem sit appetitus verus, ac realis, sufficere virtutem causæ efficientis cum apparentiâ finis.

17 Denique observa, quòd sæpe variatur appetitio finis ex diversitate cognitionis; non quia cognitio sit ratio finalizans; sed quia repræsentat bonitatem objectivam aliquatenùs diversam, vel saltem bonitatem eamdem intentionaliter applicat diversimodè, nunc clariùs, nunc obscuriùs; quo fit, ut bonitas objecti diversimodè moveat: non aliter, ac vis activa ignis pro diversitate applicationis, quâ redditur nunc magis, nunc minùs propinqua passo, diversimodè influit. Quare, sicut bonitas objecti, ut moveat, cognitionem requirit, quæ sit conditio, sine quâ non; ita, ut moveat ad talem speciem appetitus, requirere potest talem cognitionis speciem pro conditione prorsùs necessariâ. Atque hinc explicandus est D. Thomas, dum ait, quòd diversitas apprehensionis pertinet ad

diversitatem objecti; & quòd differentiæ apprehensi, sunt per se differentiæ appetibilis: loquitur enim de diversitate, ac differentiâ, non formali, sed applicativâ. Vid. P. Suar. *cit. f.* 8.. Si tamen cognitio purè numericè variaretur circa objectum omninò idem, tunc eadem stare posset individua motio, & appetitio finis.

18 *Quæst.* 2.: quinam sint effectus causæ finalis? *Resp.*: multi regulariter sunt, interni, & externi, qui solent elici hoc ordine. 1. excitatur in voluntate simplex amor, seu complacentia in bonitate finis ab intellectu propositâ. 2. intentio, seu desiderium assequendi finem; quod, si ad inquisitionem, & electionem mediorum determinet, dicitur intentio efficax; si non determinet, inefficax. 3. sequitur deliberatio, & consultatio rationis circa media opportuna. 4. electio mediorum. 5. eorundem executio. 6. realis positio, vel assecutio finis per media. 7. gaudium de fine obtento. Hanc seriem actionum reipsâ dari, dum æger v. g. salutem amat, procurat, & obtinet, facilè patebit consideranti. Eas verò omnes esse propter finem, & à fine causari, late probat cum D. Thomâ P. Suar. *f.* 3.

19 *Quæst.* 3.: in quo stet causalitas causæ finalis propria, quæ vocatur etiam finalizatio, & ratio finalizandi in actu secundo? Dico 1.: respectu actuum voluntatis, qui finem intrinsecè respiciunt pro objecto formali, causalitas finis est actio physica, quâ tales actus à voluntate producuntur. *Prob.*: quia, tali actione positâ, finis intelligitur actualiter causans, & effectus actualiter causatus, seu positus propter finem, prout requirit conceptus causalitatis; & tali actione sublatâ, vel præcisâ, voluntatis actus nequit intelligi actualiter à fine pendens. Nam sola finis cognitio, quantumcumque vividà, non est actualis causalitas, cum possit à voluntatis actu separari; & alioquin tentatio vehemens, quàmvis ei resistat Voluntas, causabit actualiter consensum; quod nemo dixerit. Aliunde nihil aliud excogitari potest, in quo stet causalitas finis, ut ostendit P. Suar. *f.* 4..

20 Accedit, quòd finis causalitas est exercitium, quo voluntas actualiter attrahitur à bonitate finis: Voluntatem autem attrahi ab objecto, est in objectum ferri per appetitum elicitum. Hinc D. Thomas *q.* 22. *de verit. ar.* 2. ait: *Sicut influere causæ efficientis est agere, ita influere causæ finalis est appeti, seu desiderari*, scilicet sumpto *appeti* in sensu pro efficientiâ appetitus, si hic ab effectione sui distinguatur. Quodsi amor sit effectio sui, simul erit causalitas & effectus finis, sicut est Voluntatis. Hùc etiam spectat S. Augustini locus *tract.* 26. *in Joan.*, ubi pulchrè versat illud Poetæ, *trahit sua quemque voluptas*: & inter alia, *trahitur*, inquit, *animus & amore... Nuces puero demonstrantur, & trahitur.., amando trahitur.., cordis vinculo trahitur*. Ex his infertur, quòd eadem actio simul est causalitas causæ efficientis, & causæ finalis: efficientis, quatenùs oritur à virtute activâ vo-

voluntatis: finalis, quatenùs respectum habet ad finem præcognitum. Sic eadem eductio sub diversis respectibus est causalitas agentis, & passi, in eamdem formam.

21 Hìc tamen notandum, quòd finis causalitas est motio metaphorica, ut communiter Authores docent apud P. Suar. *cit. f.* 4.: motio enim propria non est, nisi per impulsum, vel influxum physicum rei moventis: finis autem non ita movet voluntatem, cum non debeat esse physicè præsens, nec realiter existens. Solùm ergo voluntatem quodammodò invitat per illecebram suæ bonitatis cognitione propositam: & quia voluntas ita invitata solet elicere amorem ex vi cujusdam sympathiæ cum bono apprehenso, quasi à tali bono impelleretur, & attraheretur suavi funiculo; idcircò finis analogicè, seu metaphoricè dicitur impellens, & movens voluntatem ad amandum. Hinc eadem productio amoris, prout à voluntate physicè oritur, est motio propria; & prout à fine pendet, est motio metaphorica. Quâ in re nullum absurdum. Sic enim eadem eductio, prout est ab agente, est actio, & prout à subjecto pendet, non est actio, sed passio. Sic etiam eadem cognitio est propria & physica existentia rei, & non nisi intentionalis ac metaphorica existentia objecti.

22 Dico 2.: respectu actuum externorum (vel etiam internorum intellectu, aut voluntatis, quando imperantur ex amore & intentione finis, quæ tamen non intrinsecè pro objecto respiciunt) causalitas finis est physica productio ipsorum, non sola, aut specificativè sumpta, sed prout hìc & nunc imperata per actum voluntatis intrinsecè respicientem finem. Ratio est: quia inprimis sola actio externa (idem puta de internâ imperatâ modo dicto) non satis determinat effectum, ut fiat propter finem; cum possit existere eadem actio, v. g. deambulandi, quin à tali fine procedat, sed ab alio, vel etiam à nullo. Deinde nec solus actus internus imperans, ultimò determinat effectum externum, ut à fine causetur; quia, tali actu posito, potest effectus impediri, saltem divinitùs. Restat ergo, ut externa actio, prout ab actu interno determinata, & imperata, sit causalitas finis in effectus externos.

23 Q. 4.: utrùm causa finalis sit vera & propria causa? Certum est, causam purè finalem non esse activam, nec influere per actionem ab ejus virtute physicè egredientem; ut colligi potest ex *n.* 21., notavit que Aristotel. 1. *de Gener. t.* 55. dicens: *Causa, cujus gratia cætera fiunt, non est activa. Quapropter sanitas ipsa non est activa, nisi per translationem*: scilicet, quatenùs metaphoricè dicitur *impellere*, & *movere* ad amorem sui. Quod tamen sit causa, vera, realis, & propria, tenet communissima sententia, quæ *receptum dogma, & quasi primum principium in Philosophia, & Theologia*, vocat Exim. Doctor *d. dist. sec.* 1.. Tanta auctoritas vel sola sufficeret ad suffragandum.

24 Sed præterea ratio esse potest: quia finis, ut intentionaliter exis-

existens, prærequiritur ad actus voluntatis (hi sunt, qui immediatè & formaliter à fine causantur); & aliùde non prærequiritur ut mera conditio. *Prob.*: quia tales actus verè dicuntur existere gratiâ finis, & propter finem, verè que sapiunt indolem & naturam ejus, quatenùs inde præcipuè trahunt speciem suam, evadunt que magis aut minùs nobiles, aut etiam boni, vel mali: quare finis, intrinsecè respectus, solet esse potissima ratio à priori, cur actus illi talis sint indolis, tantæque perfectionis. Hæc autem omnia prorsùs aliena sunt à merâ conditione, ut patet in applicatione ignis, & alijs: sufficiunt que, ut actus verè debeant suum esse causæ finali; cui proinde verè convenit influere, seu dare esse, prout exigit definitio causę. *Confirm.*: quia variato fine, necessariò variatur productio actus voluntatis, & actus ipse, ut est certum: unde, si diversum objectum, licèt æquè bonum, ab intellectu proponatur, definat que proponi bonitas individua, quæ anteà apparebat, necessariò perit actus voluntaris: quod genus dependentiæ discernit causam à merâ conditione, ut suprà vidimus.

25 Nec obstat 1., quòd causa finalis (saltem finis *quo*, & sæpe etiam totus finis *qui*) non requirat existentiam realem ad causandum. Nam existentia realis exercita solùm requiritur pro causis, quibus, attentâ indole & qualitate influxus, non sufficit existentia intentionalis. Cum autem influxus causæ finalis sit per motionem metaphoricam, allicien-do, & quasi invitando voluntatem, illi sufficit intentionalis existentia, ut experimur. Observa tamen cum P. Suar. *l. 9. n. 6.*, quòd motio finis, licet sit metaphorica in esse motionis, est tamè propria in esse causalitatis; quia facit effectù verè & propriè accipere suum esse dependenter à fine, ut à priori, cujus genium participat. Observa rursùs, quòd, cum dicimus, finem esse causam *realem*, noluerus, ut semper sit causa realiter existens, sed tantùm, ut ratione bonitatis non purè fictitiæ, ut in *Quæst.* 1. explicuimus, realem effectum causet.

26 Nec obstat 2., quòd finis quodammodo causet semetipsum, siquidem virtute mediorum ejus productio, vel assecutio existit. Nam inprimis finis productus virtute mediorum, est sui ipsius causa & effectus penès diversas existentias: est causa, prout existès intentionaliter; & est effectus, prout realiter existens. Et hinc sine absurdo potest esse prior & posterior medijs, & aliquatenùs etiam semetipso, secundùm aliam, & aliam existentiam, juxta illud, *Quod est primum in intentione, est postremum in executione.* Deinde finis non causat immediatè suum esse physicum, sed mediâ intentione, electione, & alijs actibus, in *Quæst.* 2. recensitis. Unde non causat propriè seipsù proprietate influxus, juxta dicta *cap. 1. n.* 18.

27 *Q.* 5.: quænam agentia operentur propter finem? *Resp.*: De creaturis rationalibus non est dubium, quin propter finem operentur. Nec item dubium, est, quin Deus ope-

operetur ad extrà propter semetipsum ut finem, ita ut ipse sit primum principium efficiens, & ultimus finis rerum omnium, juxtà illud Prov. 6., *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Quàmvis enim actus Divinę volùtatis nullam sui causam, atq; eadeò nec finalem habeant, sed infinita Dei bonitas sit ipsi ratio volendi modo eminentissimo citrà causalitatem; nihilominùs operationes Dei ad extrà, sicut efficienter, ita & finaliter, à Deo causantur. Quòd autem in agente creato finis non causet actiones externas, nisi causando priùs actus internos; id eò accidit, quia finis, ut causet, debet amari, & amari nequit ab agente creato, nisi causet amorem. At à Deo potest utique amari finis, tametsi nihil in Deo causet. Accedit, quòd actio externa creaturæ de se indifferens est, ut ex varijs finibus imperetur, idcòque non aliter pendet à fine determinato, nisi quatenùs pendet ab acta interno, qui priùs à fine causatur. At actio externa Dei non est indifferens respectu finis ultimi; cum sit essentialiter impotens causari à Deo nisi ut operante propter semetipsum: quare per se est causalitas Dei, tum ut efficientis, tum ut ultimi finis.

28 De agentibus insensibilibus dicendum, eorum actiones, prout ab ipsis oriùtur, non habere propriè causam finalem; quia hæc non causat, nisi ut ab agente præcognita. Quia tamen finis sæpe sumitur latius, prout significat fixum ac destinatum terminum, in quem tendit actio juxta inclinationem agentis; idcircò passim & verè dicitur, hujusmodi agentia in finem tendere, & propter finem operari. Quamquam hæc communis & vera locutio intelligi potiùs debet de actionibus illorum agentium, quatenus illæ proceduntsimul ab Authore naturę, vel quatenùs agentia ipsa directioni substant primæ causæ: sic enim proprie dicitur agere propter finem, ut propter verâ causam finalem: propter finem, inquam, non solùm remotũ, & ultimum, qui est Deus, sed etiã proximum, & intrinsecum actionis, qui ab Authore naturę prænoscitur, & intenditur per talem actionem.

29 De brutis animantibus major est difficultas: cognoscunt enim objectum sibi commensuratum, & sæpe ad illud obtinendum mirâ sagacitate adhibent opportuna media. Ideò nonnulli concedunt brutis operationem propter finem ut proprie allicientem, & finalizantem. Et reverà invenitur in eis analogia quædam, seu participatio motionis, quam finis exercet in actus humanos. Nihilominùs, ut fert communis ferè omnium sententia, motio illa in brutis non est proprie finalizatio, nec sufficiens, ut brutum dicatur agere propter finem, nisi eo ferè modo, quo agens insensibile. Non enim brutum discernit inter bonum propter se, & propter aliud appetibile, nec proportionem & utilitatem mediorum percipit ut talem, cum ad hoc requiratur cognitio comparativa, & subtilior, quàm quæ cadit in brutum: cognitio scilicet, vi cujus possit agens reddere rationem, cur hoc aut illud appetat (sic

(sic enim postulat proprietas particulæ *propter*); quod genus cognitionis soli convenit agenti rationali. Vide Div. Thomam 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 2.

30 Brutum ergo non movetur à fine, nisi materialiter, imperfectè, & impropriè, nec medijs adhibet ex cognitione discretivâ utilitatis, sed ex mero instinctu naturali; „*Qui nihil* aliud est (inquit P. Suar. „*s.* 10. *n.* 14.), quàm quidam actus „phantasiæ seu æstimativæ, necessitate naturali ab illâ profluens „posito phantasmate talis rei: quo „actu quasi practicè judicat brutum, hoc esse sibi vitandum, vel „prosequendum aut appetendum, „quamvis non valeat rationem „convenientiæ, vel disconvenientiæ „*discernere*. Hæc verò quasi practica cognitio, & appetitus inde resultans, non ordinat signatè aut formaliter medium ad finem, sed eodem modo tendit in utrumque. Cum autem D. Thomas 1. *p. q.* 78. *ar.* 4. ait, quòd *avis colligit paleam non quia delectet sensum, sed quia est utilis ad nidificandum*, non intendit, ut utilitas medij quâ talis cognoscatur à bruto, sed ut brutum ab Authore naturæ determinetur ad illud appetendum, quia in se reipsâ utile est ad aliud ejusdem bruti commodum: sic enim ignis etiam dicitur calefacere lignum ex intentione comburendi, seu quia calor est dispositio utilis ad formam ignem.

(o)

## CAP. IV.
## *DE CAUSA EXEMPLARI.*

1 EXemplarem causam hìc attexo, quia, licèt reverâ sit species quædam causæ efficientis, ut mox dicam, solet tamen seorsùm explicari, tamquam speciali consideratione digna. Exemplar idem sonat, ac idea rei faciendæ, definiturque passim ex D. Thomâ q. 3. de verit. ar. 1., *Forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem*: ideſt, similitudo, species, aut imago quædam, menti præconcepta, cujus instar fit aliquod opus, non casu, sed ex intentione operantis, qui sibi proponit ut finem proximum, opere illam imitari. Hinc sola agentia rationalia & intellectiva, nempe Deus, Angelus, homo, proprie utuntur exemplari, sive ideâ: quia sola possunt propriè finem intendere, similitudinem rei faciendæ distinctè præconcipere, & opus cum exemplari comparare. Improprie tamen etiam exemplari utuntur simię, dum actiones humanas imitantur. Hinc etiam passim dicitur exemplar solùm habere locum in artefactis, ut quæ sola quoad totum suum contextum pendent à directione rationis & voluntate agentis: & quia creaturæ omnes sic à Deo pendent magis, quàm artefactum ab humano artifice, ideò Deus dicitur, & est supremus artifex rerum omnium, earumque præhabet ideas æternas.

Di-

2 Dividitur exemplar in externum, & internum. Externum est res oculis objecta, quæ imitanda proponitur. Sic, si Petrum, vel ejus imaginem inspicias, ut aliam ipsius imaginem efformes, Petrus, vel altera imago, erit exemplar externum. Internum, quod propriè dicitur idea, est operis faciundi similitudo, quam mente formas: & subdividitur in conceptum formalem, & objectivum: formalis est cognitio ipsa distinctè repræsentans naturam, contextum, & modum rei faciendæ: objectivus est istius cognitionis objectum.

3 *Quæritur* 1.: quodnam ex his propriè sit exemplar? *Resp.* 1.: exemplar externum, licèt fortasis ex primâ nominis impositione dicatur exemplar, atque ita vulgo appelletur, tamen quoad munus causæ exemplaris non est exemplar propriè & per se. Tum quia non est per se requisitum ad opus, cum sine illo passim periti artifices ideas artefactorum sibi formentj & Deus, supremus artifex, nullo utatur exemplari externo. Tum quia nonnisi mediatè ac remotè dirigit ad opus, excitando scilicet mentem artificis, eique occasionem præbendo ad exemplar internum, cujus est immediatè ac per se dirigere. Ad solum ergo internum quæstio devolvitur.

4 *Resp.* 2.: solus conceptus formalis est propriè exemplar, sive causa exemplaris. Ita frequenter Authores nostri cum Eximio Doct. *d.* 25. *Met. s.* 1.. Probatur 1.: quia ideæ Divinæ in scientiâ & cognitione consistunt, ut ostendit Eximius ratione, & authoritate Patrum, & Philosophorum: idem ergo de creatis censendum: nam idea creata, est quædam imitatio Divinæ, sicut creata virtus activa est quædam participatio Omnipotentiæ. 2.: quia munus causæ exemplaris est dirigere artificem ad opus, illumque illustrare ne cæco modo procedat: sola autem cognitio, utpote lux mentis, hoc præstat. 3.: quia exemplar propriè est ille conceptus, quem opus imitatur, & cujus instar fit: at opus non imitatur conceptum objectivum. Patet: quia alioquin semetipsum imitaretur, & fieret instar sui: cùm enim artifex intendit construere domum, illam mente delineat, atque ita formet ejus ideam: quare domus ipsa est conceptus objectivus, respondens ideæ, seu conceptui formali.

5 *Objic.* 1.: artefactum non evadit simile cognitioni. *Resp.*: artefactum evadit cognitioni simile, non similitudine physicâ, sive in esse entis, sed similitudine intentionali, quatenùs ita fit, sicut à cognitione præscribitur, & ita se habet in essendo, sicut cognitio in repræsentando. Hoc sensu passim dicimus, cognitionem esse similitudinem objecti, eamque proinde nomine objecti non rarò appellamus, ut cùm ideam domus, idest, cognitionem ejus idealem, vocamus domum archetypam. *Objic.* 2.: exemplar est id, ad quod inspiciens artifex, operatur, ut ait post Aristotelem Seneca: artifex autem non

ad cognitionem, sed ad objectum inspicit. *Resp.*: doctrina ista, vel solùm tradita est pro exemplari externo, dum adest; vel intelligenda de inspectione, seu reflexione exercitâ, quæ datur in cognitione ipsâ directâ rei faciendæ: cognitio enim, utpotè lux intellectualis, exercitè manifestat seipsam intellectui, estque proinde inspectio sui, aut ad semetipsam. Adde, quòd artifex plerumque reflectitur in proprias cognitiones, & ideas, licet se reflecti non semper advertat: unde etiam signatè & reflexè inspicit ad exemplar internum.

6 *Obiic. 3.*: causa finalis non propriè consistit in cognitione, sed in objecto: ergo pariter causa exemplaris. *Neg. Consequ.*. Disparitas est 1.: quia causæ finalis proprium est ad se allicere, & attrahere voluntatem, quod soli convenit objecto cognitionis: exemplaris autem proprium est dirigere ad opus, & esse normam ejus; quod solius cognitionis est munus. 2.: quia causa finalis est res facienda, vel obtinenda, proindeque non est cognitio jam præsens, & obtenta: exemplar autem est res, non facienda, sed imitanda tamquam regula; quod de solâ cognitione verificatur. 3.: quia finis causat sub ratione boni: exemplar autem sub ratione similitudinis, ostendentis qualiter sit construendum opus.

7 *Quæritur 2.*: in quo consistat causalitas exemplaris? *Resp.*: consistit in externâ operis productione, prout ortâ, seu determinatâ ab interno actu voluntatis, qui sit intentio ideam imitandi. *Prob.*: quia, his positis, nihil desideratur, ut opus hìc & nunc ab ideâ procedat, & pendeat, ut consideranti liquidum erit: & aliunde utrumque actus, internus & externus, omninò requiritur: nam si desit externa actio, non existet effectus, adeòque nec dabitur causalitas, nec causa influens in actu secundo, ut est evidens: si vero desit voluntatis intentio, licèt in re ponatur effectus, non ponetur ex vi causæ exemplaris, sed casu, vel fortuitò; ut accidit in illâ celebri spumâ equi, quam pictor expressit projecto in tabulam penicillo.

8 *Quæritur 3.*: utrùm exemplar sit vera, & propria causa? Sententia affirmans, quam Exim. Doctor *d. cit. f. 2.* supponendam esse dicit ut certam ex communi sensu Philosophorum, & Theologorum, probari potest 1.: quia certum esse videtur, artem concurrere ad opera artificialia, non per accidens, aut instar meræ conditionis, sed propriè & per se causando formam eorum: ars autem non concurrit, nisi per exemplar, vel ideam. 2.: quia sicut agentis naturalis proprium est præcontinere formam & similitudinem physicam effectus, quem producit; ita intellectualis agentis, non casu & præter intentionem operantis, proprium est præcontinere similitudinem idealem operis, quod efficit: ergo, sicut in agente naturali forma illa, in quâ stat similitudo physica cum effectu, veram habet rationem causæ; ita in agente intellectuali forma illa, quæ simili-

tu-

cudo est idealis, munus veræ causæ participare debet. 3.: quia opus artificiale, quatenus per se, non fortuitò, factum, proprie pendet ab ideâ præcedenti, & ita quidem, ut ejus perfectionem quodammodò sapiat, & imitetur: hoc autem nusquam in merâ conditione reperitur.

9 *Quæritur* 4.: ad quod genus causæ pertineat exemplar? *Resp.* Non pertinet in primis ad genus causæ materialis, quia nullatenùs habet rationem subjecti: non deinde ad genus causæ finalis, propter dicta *n.* 6: non item ad genus causæ formalis intrinsecè, quia non est pars intrinsecè constituës suum effectum. Nec refert, quòd exemplar vocetur *forma* rei faciendæ. Nam forma generatim dicitur similitudo, norma, regula, vel modulus, Hispanicè *modèlo*. Nec item refert, quòd exemplar dicatur à veteribus causa formalis. Nam causa formalis extrinseca, ad quam solam reducunt veteres exemplar, sæpe reduci potest ad genus causæ efficientis; ut *cap.* 2. notavimus. Dico igitur cum P. Suar. *ett. f.* 2., exemplarem causam reduci ad genus efficientis.

10 *Probatur* 1.: concursus artis ad effectus externos, est de genere effectivo: tum quia ars est practica, & *practicum* idem sonat, ac *operativum*: tũ quia ars concurrit dirigẽdo, & dictando quid faciendum sit: concursum autem per directionem, dictamen, consilium, reducunt omnes ad genus efficientis. At ars concurrit ad externa opera medio exemplari, quod priùs in mente format: ergo &c. 2.: artifex ratione ideæ continet in se similitudinem effectus, sicut agens naturale ratione formæ physicæ: ergo, sicut forma naturalis ad effectum concurrit ut causa efficiens, ita forma illa intentionalis. *Confirm.*: ad genus causæ efficientis pertinet quidquid est necessarium, ut agens sit simpliciter potens per se causare in suo genere: idea autem necessaria est, ut artifex sit potens simpliciter causare per se artefactum in genere efficientis: si enim sine ideâ causet aliquod opus, non erit illius author per se, sed fortuitò, & per accidens.

11 Hinc exemplaris causa est veluti complementum causæ efficientis artificialis, quam constituit proximè potentem per se causare in suo genere effectivo. Ex quo appareret, cur finalis causa non reducatur ad genus efficientis, sicut exemplaris: quia scilicet finalis supponit agens proximè aptum ad agendum, & illud movet ut agat: exemplar autem non supponit, sed constituit agens proximè aptum ad operandum artificiosè.

12 Notandum tamen, quòd exemplar per se consideratum, non est causa efficiens, sed moralis: quia mentalis idea nec efficit physicè opus externum, ut per se patet, nec physicè influit in actum voluntatis, juxta communem sententiam negantem actibus intellectus influxum ejusmodi. Solùm ergo concurrit idea mentalis dictando, dirigendo, & quasi consilium præbendo; qui modus concurrendi pertinet ad causam moraliter efficientem. Et hinc idea dicitur propriè causa operis

externi, quàmvis hoc non immediatè, sed medio actu voluntatis ab ideâ pendeat : nam causa moralis propria dicitur, quàmvis non influat in effectum immediatione physicâ. Notandum etiam, quòd, cum exemplar dicitur determinare actionem artificis, sermo est de determinatione quoad speciem, quatenùs artifex nequit per se agere, nisi juxta ideam, quam præhabet : nam quoad exercitium sola determinat voluntas.

## CAP. V.
## *DE CAUSA EFFICIENTE.*

1 CAusa omnium notissima, & quæ frequentiùs venit nomine *causæ* absolutè dicto, est efficiens. Ea definitur ab Aristot. *hic c. 3. & 5.* per hæc verba: *Unde primum principium est mutationis, & quietis* : quæ definitio ab alijs carpitur ut diminuta, ab alijs ut redundans, ab alijs ut omninò falsa rejicitur. Exim. Doctori *d. 17. Met. s.* 1. obscura videtur, & multâ indigens expositione, quam ipse latè & optimè adhibet. Ex ejus doctrinâ poterit causa efficiens clariùs definiri sic : *Causa, à qua propriè oritur actio*, sive *effectio*. Ponitur *causa* loco generis proximi, & reliqua verba loco differentiæ. Nam actio quà talis non oritur à causâ formali, nec à materiali, quæ per unionem & passionem causant, non per actionem, ut actio est. Nec item propriè oritur à causâ finali, cum hæc non sit activa, nec nisi per metaphoricam motionem causet, ut vidimus *cap.* 3..

2 *Dices* : definitur ignotum per ignotius, dum causa efficiens definitur per ordinem ad actionem. *Neg.* assertum : quia, licèt philosophica notio actionis, ejusvè quidditas, ac distinctio ab agente, & termino, magis à vulgari sensu remota sit, quàm notitia causæ efficientis; rudis tamen aliqua notio actionis, aut effectionis, satis vulgaris est, & communis; & ad similitudinem effectionis operum artificialium, quæ omnes discernere norunt, facile est naturalium etiam causarum actionem concipere. Et quidem hoc ex capite rejicienda pariter esset vulgata definitio hominis per animal rationale, seu per principium sentiendi & discurrendi : minùs enim est nota sensationis & discursus quidditas, quàm hominis. *Dices* insuper : cur causa efficiens definiri debet per ordinem ad actionem potiùs, quàm ad effectum? *Resp.* : satis exprimitur ordo ad effectum, dū exprimitur actio; cū perinde sit actionem à causa oriri, ac effectum oriri à causa per actionem. Ideò autem actionis mentio fit potiùs, quàm effectus, quia hic, licèt ab effectione nomen trahat, ex usu communi dicit ordinem ad omnia causarum genera; actio verò, quà talis, ad solam causam efficientem.

*Prima divisio Causæ efficientis: ubi an causæ secundæ verè sint causæ?*

3 DIviditur 1. causa efficiens in primam, & secundam; vel (quod in idem recidit) in increatam, & creatam; vel etiam in causam creatri-

tricem, & purè generatricem, sive eductricem. Causa prima, increata, & creatrix, solus est Deus: causa secunda, creata, & purè generatrix, seu eductrix, est creatura. Discrimen inter creationem, & eductionem, explicatum est *tr.* 1. *d.* 4. *c.* 4.. Nunc quæstionis est, utrùm causæ secundæ verè sint causæ? id est, utrum aliquid verè producant virtute propriâ, & ipsis insitâ? an verò solùm apparenter efficiant, seu nobis videantur efficere, quatenùs ad præsentiam ipsarum producuntur effectus à solo Deo, qui decrevit producere calorem ad præsentiam ignis, lucem ad præsentiam Solis, & sic de alijs?

4 Hoc ultimum asseruere veteres quidam: & idem vi consequentiæ tenentur asserere moderni Physici Corpuscolares, qui negant, ullam vel minimam entitatem novam produci posse nisi per creationem, ideòque totam causæ secundæ activitatem limitant ad novas modificationes, quæ nihil propriæ entitatis rebus præexistentibus superaddant; ne scilicet vacillet decantatū illud, *Ex nihilo nihil fit.* Et saltem de causis corporalibus non est cur aliter sentiant Cartesiani, quos imitatur Tosca; cum omnem corporibus actionem denegent præter motum localem, & hunc à solo spirituali motore impressum velint citra exigentiam atomorum. Vide quę de re illâ diximus *Dissert. prælim. n.* 21.. Dixi nuper, Philosophos hosce ad idem asserendum teneri *vi consequentiæ*; quia proprijs ad id principijs adstringuntur: quamquàm verbo tenùs contrarium adstruunt, saltem eorum plerique, nominatim Tosca *Metaph. l.* 4. *c.* 2. *prop.* 25., ubi benè probat, creaturas verè aliquid agere, & efficere, argumentis tamen ab eodem Authore solvendis, si principijs à se in Physicâ statutis stare velit.

5 Unus, quem viderim, Malebranchius, neotericus scriptor celebris, Oratorij Berullani Presbyter, in opere Gallico *La Recherche de la verité*, sive *Inquisitio veritatis*, *lib. 6. de Method. part.* 2. *cap.* 3., rotundè negat virtutem & efficacitatem creaturarum ad aliquid operandum, ait que, causas naturales non nisi *occasionales* causas esse, quatenùs scilicet earum occasione solus Deus operatur juxta ordinem à se præscriptum: quin eò progreditur audaciæ, ut contrariam sententiam appellet *miseram Philosophiam*, & *errorem* ex paganorum idololatriâ profectum. Quam suam opinionem latiùs adstruere, & vindicare conatur ejusdem Operis *tom.* 3. *Eclaircissement*, sive *explicatione* 15.. Ejus argumenta eò tendunt, ut omnem activitatem detrahant causis secundis, non solùm corporalibus, sed etiam spiritualibus, & liberis: quamquā in his, quod aliquomodò agant, ac verè se determinent, salvare conatur, & satis perplexè loquitur.

6 *Sed hæc positio* (inquit D. Thomas in 2. d. 1. q. 1. art. 4.) *stulta est; quia ordinem tollit Universi, & propriam operationem à rebus, & destruit judicium sensus.* Eam ex professo rejiciunt Doctor Angelicus 3. *cont. Gent. c.* 69., & 1. *p. q.* 105. *ar.*

ar. 5., & Eximius *d.* 18. *Met. s.* 1., ubi *temerariam & erroneam* vocari posse dicit; & oppositam, quæ causis creatis virtutem attribuit ad effectus sibi proportionatos, existimat, *non tantùm sensu & ratione evidentissimam, sed etiam juxta doctrinam Catholicam, certissimam.* Quare causas secundas verè causas esse, verè q̃ agere & efficere propriâ virtute, omninò tenendum est, breviter que probandum. 1. ex sacrâ Paginâ sæpe tribuente rebus naturalibus vim productivam, v. g. Genes. 1., *Germinet terra herbam virentem..., & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum.* Marc. 4., *Aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum* &c. Et infrà, *Ultrò terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum.* Luc. 21. *Arbores cùm producunt jam ex se fructum* &c. Mitto alia innumera. Quæ omnia in sensum improprium detorquere contra consensum Patrum, & experientiam, nullâ que urgente ratione, quis ferat?

7 2. ex Concilio Tridentino *sess. 6. can.* 4., ubi damnat dicentes, liberum hominis arbitrium *nihil omninò agere, sed merè passivè se habere.* Et reverâ dogma de libertate hominis, omni prorsùs activitate seclusâ, nullatenùs intelligi potest; sicuti nec dogma à Concilijs definitum de duabus operationibus, duobus que operandi principijs in Christo Domino. 3.: quia alioquin Deus esset author, & unica vera causa cujuscumque pravi operis, & actionis peccaminosæ, quod nefas est dictu. 4. quia sequeretur ex câ doctrinâ, quòd homo, prolem generans, tam verè dici posset creare animam rationalem, quàm ignis dicitur producere calorem; cum etiam ad præsentiam generantis, ut causæ occasionalis, Deus animam creet.

8 5.: quia nulla esset intrinseca differentia viventium à rebus inanimis: si enim Deus decerneret actus vitales producere ad præsentiam lapidis, ut modò decrevit ad præsentiam hominis, juxta contrariam sententiam tam verè viveret lapis, quàm homo. Et hinc 6.: quia non erit unde probetur discrimen hominis ab asino, cum æquè destituatur uterque sit omni virtute ratiozinandi, nec de cætero appareat, cur anima humana præ asininâ dicenda sit rationalis, aut spiritualis. 7.: quia penitùs deficeret fundamentum Philosophiæ naturalis, siquidem ex effectibus vestigari non posset varia virtus, indoles, & natura rerum, sed tãtùm diversa Dei voluntas nunc sic, nunc aliter operandi, juxta occasiones à se pro mero libitu citra fundamẽtum in rebus designatas. Denique, nulla repugnantia, vel contradictio est in eo, quòd creaturis insit virtus agendi: cur ergo non credatur inesse de facto, cum eam & consensus generis humani, & experientia manifesta, & tot Sacrarum litterarum oracula palàm attestentur?

9 *Objic.* 1.: creatura dependet essentialiter à solo Deo: ergo non nisi à solo Deo fit, sive causatur. 2.: Deus immediatè concurrit ad effectus omnes: vel ergo concurrit

rie per virtutem sufficientem; atque ita superfluit virtus creata : vel per virtutem insufficientem ; & hoc dici nequit citra injuriam Omnipotentiæ. 3.: non repugnat à solo Deo fieri effectus omnes, quos ad præsentiam causarum creatarum experimur : ergo ita de facto fieri credendum est. *Prob. consequ.* : tum quia non sunt multiplicandæ virtutes absque necessitate ; & hæc perperàm fundabitur in testimonio sensuum, qui sæpe fallunt. Tum etiam, quia sic testari videtur Scriptura sacra, ut 1. Cor. 13., *Deus operatur omnia in omnibus.*

10 Cui testimonio addi possunt alia, quæ congerit Malebranch. *cit. Explic.* 15.: nempe Isai. 44., *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens Cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Job. c. 10, *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu.* 2. Machab. 7. ajebat Machabæa mater ad filios, *Singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim Mundi Creator, qui hominis formavit nativitatem &c.* Act. 17., *cum ipse* (Deus) *det omnibus vitam, spirationem, & omnia.* Psalm 103., *Producens fœnum jumentis, & herbam servituti hominum: ut educas panem de terra.* His accedit, quòd S. Augustinus 5. *de Civit. c. 9.* expresse dicit, corporales causas non esse inter causas efficientes numerandas.

11 4. ex eodem Malebranch.: conceptus supremæ potestatis agendi, est conceptus supremæ Divinitatis: ergo conceptus potestatis activæ inferioris, erit conceptus cujusdam Divinitatis, inferioris quidem, sed veræ tamen, saltem juxta opinionem paganorum. Qui ergo veram agendi potentiam creaturis attribuunt, tametsi subordinatam supremæ potentiæ, videntur incautè imitari paganos, qui sibi quædam inferiora Numina fingebant, supremo Jovi subordinata. *Confirm.* : debitus est timor, & amor ijs rebus, quæ verè possunt nobis nocere, aut prodesse, seu nobis inferre malum, aut bonum: tum quia sic fert naturæ dictamen : tum quia Deus in sacris literis eâ ratione hortatur Israelitas, ut se unum timeant, diligant que, non autem Deos gentilicos, quòd ab his nihil timendum esset, aut sperandum: tum etiam, quia, quod in nobis agere valet, supra nos est: debet ergo timeri à nobis, & amari. Atqui in timore & amore consistit adoratio : vel igitur neganda est igni v. gr. vera potentia, ut nos comburat, & calore foveat, vel ignis à nobis erit adorandus. Mitto quædam alia, quæ Malebranchius addit ; quia eâdem, quâ dicuntur, facilitate negantur.

12 Ad hæc verò respondetur nullo negotio. *Ad* 1. : licet omnis creatura ( saltem quæ est entitas absoluta ) pendeat essentialiter à solo Deo, tanquam à causâ pro omni eventu necessariâ, nihil prohibet plures creaturas ab alijs creaturis pendere simul suapte naturâ, ita ut earum influxu naturaliter indigeant. Unde probas, de conceptu veræ causæ esse, quòd ab illâ essentialiter pendeat effectus secundùm se *Ad* 2.:

con-

concurrit Deus ad effectus omnes per virtutem plusquàm sufficientem ex se, & in actu primo, non tamen semper ita se explicantem in actu secundo, ut otiosum reddat influxum causæ creatæ; sic enim suum temperat concursum, ut causis secundis locum influendi relinquat in effectus sibi proportionatos: nam, ut inquit S. Augustinus 7. de Civit. c. 30., *Sic omnia, quæ creavit, administrat, ut etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.* Nec virtus creata dici potest superflua; cum deserviat, tum ut effectus modo sibi connaturali fiant, tum ut creaturæ quodammodò participent bonitatem & potentiam Conditoris sui, atque ita munificentiam ejus testentur.

13 *Ad* 3.: licèt non sit repugnantia metaphysica in hypothesi objectâ, dummodò supponatur, nullum esse in creaturis motum vitalem, nec liberum, nec peccaminosum (nam hos creaturarum motus, ut tales, fieri à solo Deo, repugnat metaphysicè); est tamen repugnantia physica, seu naturalis, quæ non nisi per miraculum vinci potest. Unde in Sacris Litteris *Sap.* 16. miraculo tribuitur, quòd iguis suæ virtutis oblitus non læserit justos. Est, inquam, repugnantia naturalis in eo, quòd creaturæ de facto existentes nihil agere sinantur: cum enim earum specifica diversitas (maximè quæ est inter substantias corporeas & spirituales, & inter viventes & inanimas) cõcipi non possit sine virtute activâ variorum effectuum, hanc virtutem habere convincuntur, non solùm testimonio sensuum, sed rationis: si autem habent, naturaliter exigunt eam explicare, nec sine violentiâ cohiberi possunt. Et hinc falsum est, quòd sine necessitate, etiam methaphysicâ, multiplicemus virtutes. Præter quàm quòd sufficeret necessitas physica: sufficeret necessitas non ingerendi mentitionis aut falsitatis probrum sacris Litteris, & consensui totius humani Generis. Falsum item est, quòd sensus fallere nos possint in re tam clarâ, communi, perpetuâ. Certè si nihil est pro vero amplectendum ex testimonio sensuum, ut videtur velle Malebranchius, non erit unde philosophicè credamus existere Cœlum, Terram, & cætera Mundi corporei, nec nos ipsos habere corpora de facto.

14 Nec Sacræ Paginæ testimonia favent opinioni contrariæ. Non 1.: quia, ut Deus verè dicatur operari omnia in omnibus, sat est, quòd nihil fiat sine operatione & concursu Dei, licèt in multis operetur simul causa creata. Non 2.: quia manifestè loquitur de primâ creatione Mundi, quam solius Dei fuisse, nemo negat. Non 3.: quia, dum Deus concurrit ad formationem hominis, non partem duntaxat, sed totum format totalitate effectus, ut ajunt, necnon totalitate causæ dirigentis, & cognoscentis qualiter sit organizandum corpus humanum: sed hinc non excluditur influxus purè physicus creatæ virtutis seminalis. Non 4.: quia illud, *non ego ipsa compegi*, debet intelligi sensu nunc dicto, ut scilicet non excludat matris influxum

xum purè physicum, sed solùm concursum per industriam, cognitionem, aut ideam de compactione membrorum. Non 5., nec 6.: quia propriè verificantur eo, quòd Deus & creatas virtutes dederit, & cum eis immediatè concurrat ad omnes effectus. Sic, qui pauperi dat vestem, & illum proprijs manibus adjuvat ut induatur, verè dicitur dare vestem, & usum ejus, quàmvis ad hanc pauper ipse cooperetur. Augustinus autem verbis objectis loquitur de causis efficientibus, quæ se se applicant ad agendum, & suarum actionum dominium habent.

15 *Ad 4.*: argumentatio illa futilis est, & huic simillima: conceptus entis supremi est conceptus supremæ Divinitatis; imò & conceptus rei existentis antonomasticè, proprius est Dei, juxta illud Exod. 3., *Ego sum qui sum*, & *Qui est, misit me ad vos*: ergo conceptus inferioris entis, aut rei existentis, est conceptus cujusdam Divinitatis inferioris: ergo qui rebus creatis attribuit entitatem, & existentiam, incidit in errorem paganorum. Itaque neganda est consequentia: quia, sicut entitas & existentia, ita & potentia activa, eo ipso quòd sit finita, participata, & dependens ab alio, repugnat veræ Divinitati. Quòd si aliter per errorem & ignorantiam turpissimam cogitabant pagani, conceptum Divinitatis chymericum & contradictione plenum sibi fingentes; quid ad nos? Hoc unum asserimus, bonitatem Divinam, summè liberalem, ac diffusivam sui, creaturas fecisse quodammodò participes perfectionum suarum, voluisseque, ut conditorem suum aliquatenùs imitarentur, non solùm in existendo, sed etiam in operando; imitatione tamen à veræ Divinitatis culmine remotissimâ.

16 *Ad confirm.*. Multa ibi miscentur aut falsò, aut indigestè dicta. Quoad præsens attinet, sat est dicere 1., quòd adoratio est actus summissionis & reverentiæ, quo alterum ob ejus excellentiam honoramus. Unde non omnis timor, aut amor, est adoratio, nec illam infert: qui enim equum amat, aut taurum timet, non ideò se illis, tamquam excellentioribus, submittit, aut reverentiam exhibet. 2., quòd adoratio Divinitatis propria (quæ *latria* dicitur), & illi correspondens timor, & amor, non debetur cuicumque rei, quæ nobis aut nocere, aut benefacere potest, etiamsi excellentior sit nobis, aut naturâ sicut Angelus, aut dignitate sicut Rex; sed debita est illi soli rei, quæ supremâ & independente pollet potestate nocendi, & benefaciendi, sibique cæteras omnes causas ita subordinat, ut sine illius volentis aut permittentis nutu liberrimo, nullum nobis commodum aut incommodum possit accidere. Unde solus Deus in omnibus timendus est & amandus ut supremus Arbiter bonorum, & malorum pœnalium; non quia creatæ res omni virtute careant ad aliquid boni, vel mali, nobis inferendum; sed quia virtus illa omninò pendet ab arbitrio Dei,

tam in operando, quàm in existendo.

*Cæteræ divisiones.*

17 *Dividitur* 2. causa efficiens in physicam, & moralem. Causa physica non hìc sumitur pro solâ causâ corporeâ, sed est quæcumque virtute propriâ realiter, & independenter ab æstimatione hominum, exequitur effectum, ut Sol lucem. Moralis aliquando sumitur pro causâ liberâ, quæ mores habere potest bonos, aut pravos. Nunc verò accipitur pro causâ, quæ non exequitur effectum virtute propriâ, sed tamen aliam causam, aut aliam potentiam ejusdem suppositi, aliquomodò inducit, ut illum exequatur; quo fit, ut moraliter, ideſt, in æstimatione prudentum, sive communi more loquendi ac reputandi, tali causæ inducenti attribuatur effectus perinde, ac si propriâ virtute illum exequeretur. Sic imperium, consilium, preces, sunt causæ morales operis, ad cujus executionem inducunt. Sic etiam merita sunt morales causæ præmiorum, delicta supplitiorum. Inductio ista causæ moralis potest esse multiplex, ac varia: scilicet nunc determinativa, nunc directiva, nunc inclinativa, nunc propriè motiva, nunc purè impulsiva, nunc formalis, nunc virtualis, aut interpretativa, nunc subjectiva, nunc objectiva, nunc exercita, nunc signata: quos & alios moraliter causandi modos latè recenset, & explicat P. Ulloa *Physic. spec. tr. 2. c. 1. à num. 6.*: & eos in præsenti non discutimus, quia in decursu Scientiarum, occasione datâ, singulatim explicari solent.

18 Nunc tantùm duo notaverim. 1.: causam finalem inter morales numerat P. Ulloa: sed, licèt finis cum morali causâ conveniat in eo, quòd non physicè producat effectum, sed moveat & inducat aliam causam effectricem; tamen communiter ab illâ dicernitur in eo, quòd finis movet, ut fit (ideſt, ut propter affectionem sui ponantur media); moralis autem causa movet, quia est; ut in exemplis imperij, precum, meritorum &c., videre licet. 2.: plura, quæ in alio genere dicuntur meræ conditiones, in genere morali sunt causæ; quia dirigunt, determinant, aut movent causas alius generis. Sic cognitio finis est pura conditio ad amorem in genere causæ finalis; & simul est causa moralis, quatenùs dirigit, aut exercitè inclinat voluntatem. Sic etiam applicatio ignis pura conditio est ad comburendum in genere physicè effectivo; & tamen dici potest moralis causa combustionis, quatenùs Authorem naturæ determinat, ut cum igne concurrat.

19 *Dividitur* 3. in univocam, & æquivocam. Univoca est, quæ producit effectum ejusdem secum speciei infimæ, ut equus equum, ignis ignem: & hujusmodi causa dicitur effectum continere *formaliter*. Æquivoca est, quæ producit effectum diversæ speciei. Causa æquivoca effectum continet *eminenter*, quando illum perfectiore superat, ut Deus creaturas omnes: continet *æquivalenter*, si reperiatur causa diversa quidem perfectionis, sed

sed tamen æqualis effectui: continet *purè virtualiter*, quando causa perfectione exceditur ab effectu, ut sæpe causa instrumentalis. Sed hîc notanda sunt tria. 1.: nulla causa efficiens continet effectum *formaliter*, eo sensu, ut intrà se præhabeat individuam ipsam entitatem effectus, & illam posteà evomat, aut pariat, sicut fœmina prolem in utero præconceptam: nec eo sensu dicitur dare esse effectui, ut illi tribuat suam ipsius causæ entitatem, aut partem ejus. Hæc enim intelligentia rudis est, & à sapientum mente prorsus aliena: & alioquin creaturæ forent totidem frustula Divinitatis. Nulla ergo causa efficiens continet effectum nisi *virtualiter*, quatenùs virtutem habet efficiendi, ut effectus, qui nusquam erat, incipiat esse in rerum naturâ. Quare, cùm dicitur alia causa effectum continere *formaliter*, alia *eminentialiter*, sensus est, quòd alia entitativè pertinet ad eundem formalem conceptum specificum, alia ad diversum, & eminentiorem.

20 2.: causa efficiens nequit esse adæquata, etiam in genere causæ efficientis creatæ, nisi perfectionem habeat vel superiorem, vel saltem æqualem effectui. Constat hoc, tum ex communi Scholarum calculo, tum quia sequeretur alioquin, posse nuscam esse causam adæquatam Universi. Idcircò ad causam efficientem, etiam creatam, aptari solet illud, *Nemo dat quod non habet*; quod intelligendum est de causâ adæquatâ, ita ut hæc actionem suâ tribuere nequeat effectui perfectionem ultra mensuram, quam in se præhabet. Quarè, dum ex parvâ scintillâ conflagrat ingens domus, prima scintilla non efficit totum incendium, sed modicum ignem, sibi non imparem, qui statim producit alium, & sic deinceps. Cur ergo, inquis, requiritur semper concursus Dei? Requiritur concursus generalis, non ut suppleat inæqualitatem perfectionis in causâ creatâ, dum in suo genere totalis est, sed ut salvetur immediatum Dei dominium in effectus omnes, immediataque dependentia eorum omnium á primâ Causâ. 3.: ut res A. censeatur efficiens causa rei B., sive univoca, sive æquivoca, requiritur quidem, sed non sufficit æqualitas, aut excessus perfectionis, nisi per experientiam, aut aliter, probetur fœcunditas in ordine ad rem B. Idcircò nec Sol Solem, nec adamas ferrum, nec equus murem producit.

21 *Dividitur* 4. in universalem, & particularem. Causa universalis per antonomasiam est causa prima, eo quòd ad omnes Universi concurrat effectus. Sed respectu Mundi elementaris, cœlestia corpora dicuntur etiam causæ universales, quia influxu suo cooperari censentur ad omnes corporeos effectus sublunares. Causa particularis est, quæ ad aliquam, vel aliquas tantùm species effectuum concurrit. *Dividitur* 5. in liberam, & necessariam. Causa libera est, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest operari, & non operari: de quâ sæpe aliàs occurret

tractandi locus. Cauſa neceſſaria eſt, quæ poſitis omnibus ad operandum prærequiſitis, in operationem determinatam erumpit neceſſariò.

22 *Dividitur* 6. in operantem immanenter, & operantem tranſeunter. Operatur tranſeunter, quæ aliquid efficit in ſubjecto extraneo, ut cùm ignis calefacit aquâ. Operatur immanenter, quæ aliquid intra ſe efficit, ita ut ipſa ſit agens & ſubjectum operationis. Quodſi operatio immanens, ſit de genere earum, quæ ſupponunt ſtatum rei connaturalem, ut ſunt intellectio, ſenſatio, & nutritio, cauſa eſt vivens: non eſt autem vivens, vel non agit ut talis, ſi operatio ſit alius generis, ut cùm aqua producit in ſe frigus. *Dividitur*. 7. in naturalem, & ſupernaturalem. Naturalis ſæpe aliàs ſumitur pro cauſâ neceſſariâ: nunc verò accipitur pro cauſâ operationis non excedentis vires activas & exactivas totius naturæ. Supernaturalis dicitur, quæ operationem elicit ſupernaturalem, ſeu dictas naturæ vires excedentem. Quodſi res entitativè naturalis elevetur ad operationem ſupernaturalem, ut intellectus humanus ad viſionem Dei, dicitur cauſa obedientialis ſupernaturalizata.

23 *Dividitur* 8. in principalem, & inſtrumentalem: quæ diviſio commodiùs explicabitur *diſp.* 5. Denique, alia eſt cauſa efficiens in actu primo, alia in actu ſecundo. Cauſa in actu primo dicitur, quæ nondùm efficit, ſed eſt apta efficere: dum quæ aptitudo, ſeu virtus cauſæ, conjuncta eſt cum omnibus prærequiſitis ad operandum, ita ut nihil jam deſit præter operationem actualem, dicitur eſſe in actu primo proximo: ſi verò conditio aliqua prærequiſita deſit, cauſa eſſe dicitur in actu primo remoto; qui actus erit magis, aut minùs remotus, prout fuerint plures, vel pauciores conditiones deſideratæ. Imò ipſe quoque actus primus proximus cauſæ creatæ poteſt eſſe, vel omninò abſolutè completus, quando ſcilicet adeſt decretum Divinum concurrendi cum virtute creatâ; quo in eventu actus primus cauſæ neceſſariæ metaphyſicè connectitur cum ſecundo, ſeu cum operatione actuali; vel ſolùm completus in genere cauſæ ſecundæ, quando ſcilicet nulla alia conditio deeſt præter Dei voluntatem de concurrendo, ut accidit in igne Babilonico; & tunc actus primus cauſæ neceſſariæ cum ſecundo connectitur phyſicè, ſeu naturaliter. Cauſa in actu ſecundo dicitur, quæ jam actualiter efficit, ſeu quæ jam habet cauſalitatem & actionem actualem, quæ eſt eſſentialiter inſeparabilis ab effectu. Diviſio iſta poteſt etiam aliis cauſis aptari, præſertim materiali, & finali.

### *De Cauſalitate cauſæ efficientis creatæ.*

24 Cauſalitas iſta eſt actiò, ſive effectio: quam eſſe modum à parte rei diſtinctum à cauſâ & effectu, ſaltem quando effectus ex ſe indifferens eſt, ut vel naturaliter, vel divinitus procedat à varijs cauſis (ut accidit in igne A., qui procedere poteſt ab igne B., vel à C., vel à ſo-

solo Deo), non tam disputatur, quàm supponitur in Scholis. Soli repugnant Connotatores aliqui, modorum omnium hostes: qui facilè impugnari poterunt ex ijs, quæ de modo unionis ab extremis distincto diximus *tract.* 1.. Tantùm hîc moneo, actionem non solùm ex conceptu modi & ultimæ determinationis, quâ talis effectus fit à tali causâ, esse inseparabilem essentialiter à talibus causâ & effectu; verùm etiam ex conceptu egressionis, & actualis originis, respicere essentialiter talem virtutem activam ut fontem, & causam sui, adeò ut actio ignis A. v. g., nec divinitùs possit oriri ab aliâ virtute loco illius, nec à solo Deo.

25 Sed *objic.*, hinc fieri, ut detur aliqua vera entitas creata, quæ non possit à solo Deo produci, ac proinde respectu cujus omnipotentia sit virtus ex se insufficiens, & ex necessitate partialis. *Resp.*. Id ipsum sequitur ex probabili sententiâ multorum, asserentium, dari actus humanos essentialiter vitales, & liberos. Sed, quidquid de hoc sit, concedo non posse à Deo solo produci entitatem illam duntaxat, cujus essentia consistit in *egredi à causa creata*: nequit enim Deus facere, ut egredi ab igne v. g. sit egredi à Deo solo: cum hæc sit inversio essentialis, & contradictio manifesta, ad quam non extenditur Divina virtus, sicut nec ad faciendum ut homo sit irrationalis, vel ad alias hujusmodi chymeras. Quod non provenit ex imperfectione Omnipotentiæ, sed ex summâ potiùs perfectione, cujus est reddere impossibile quidquid non est Deo artifice dignum.

26 Itaque actio ignis oritur etiam à Deo (nam omnis actio creaturarum est indivisibiliter actio Dei, ut alibi dicemus), sed nequit oriri à Deo solo; qui proinde ad talem actionem concurrit ut causa ex necessitate partialis, idest, non unica; necessitate tamen ortâ, non ex paupertate, sed ex perfectione summâ Omnipotentiæ repugnantis facere chymeras. Et hinc repugnantia ista non est appellanda *insufficientia* Dei, sed potiùs *dedignatio essentialis*. Hoc tamen non tollit, quòd verissimè dicatur, Deum posse facere se solo, quidquid facit per causas secundas. Id enim verum est de omni effectu distincto ab actione creaturæ; imò absolutè de omni effectu; nam actio non est proprie effectus, sed effectio, seu exercitium efficiendi. Quare sensus illius asserti est, quòd Deus non indiget actionibus creaturarum, ut existere faciat quidquid per eas actiones existit: vel quòd potest se solo actionem ponere, quâ suppleatur, & eminenter quidem, actio causæ secundæ, in ordine ad effectus quos illa respicit.

27 *Objic.* iterùm: actus primus proximus causæ necessariæ omninò completus, etiam ex parte Divini decreti, metaphysicè connectitur cum effectu determinato: ergo nulla restat indifferentia tollenda per actionem modalem. *Resp.*. In primis objectio non urget in causâ liberâ, cum huic repugnet illa connexio ex parte actus primi. Deinde nec in causâ necessariâ: nam decretum applicans Omnipotentiam ad con-

concurrendum cum igne A. ad ignem B., vult ut hic ignis ab illo fiat: sic autem fieri, non consistit præcisè in eo, quòd uterque ignis existat, cum possit existere uterque, quin B. fiat ab A: consistit ergo in effectione ab utroque distinctâ, & hanc pro objecto respicit decretum applicativum. Unde decretum istud non tollit indifferentiam actus primi ad secundum, nisi radicaliter, seu quatenùs connectitur cum modo actionis. Quæ diximus de causalitate, causæ secundæ, intelligenda sunt pariter de causalitate primæ Causæ, quando hæc se solâ agit, & non per creationem. An autem creatio sit etiam modus à causâ & effectu distinctus, alibi discutiemus.

# DISPUT. III.

## *DE PRÆREQUISITIS, SEU CONDITIONIBUS ad Causandum.*

PRÆREQUISITUM, sive conditio ad causandum necessaria, respectu causæ efficientis (de quâ tantùm nunc loquimur, quamquàm eadem doctrina facilè poterit ad aliorum generum causas applicari) dicitur omne illud, quod cum non sit virtus propriè influens physicè, requiritur tamen ex parte causæ ad influendum. Ex parte causæ inquam; ita ut sine illo nequeat intelligi virtus activa proximè expedita, sive in actu primo proximo ad agendum, vel certè non satis completa in suo esse, quod præexigit. Alia enim, sine quibus effectus esse non potest, quæ tamen intelligi non debent ex parte causæ, nec ejus virtutem expediunt, non dicuntur *prærequisita*, sed mera *requisita*. Sic, licèt scribere non possis, quin Deus id videat, tamen Divina scientia visionis, non est prærequisita, sed merè requisita ad scriptionem tuam; quia non intelligitur ex parte actus primi virtutis expeditæ ad scribendum. Porrò prærequisita varia esse possunt pro variâ conditione causarum: & alia sunt positiva, seu in positivo consistentia; alia negativa, consistentia scilicet in carentiâ, seu remotione alicujus impedimenti positivi, ut ablatio compedum ad currendum: alia item sunt necessaria metaphysicè, seu essentialiter; alia purè physicè, seu naturaliter; alia moraliter duntaxat. Nunc tantùm agemus de prærequisitis quibusdam generalibus, quæ in omni causâ creatâ, præsertim corporeâ, locum habent. Horum præcipuum est decretum applicativum Omnipotentiæ: sed quia hujus proprius erit locus ubi de concursu Causæ primæ, modò prætermittetur.

CAP.

## CAP. I.
## *UTRUM EXISTENTIA causæ prærequiratur ad causandum?*

1 CErtum est, existentiam causæ ita necessariam esse ad agendum, ut causa, quæ nunquam extitit, nihil agere possit. Atque hoc sensu, qui distinguunt realiter essentiam ab existentiâ in rebus creatis, dicunt, existentiâ non esse virtutem influxivam, sed conditionem prærequisitam ut essentia influat. At in nostris principijs, distinctionem illam negãtibus, si essentia est virtus, etiam existẽtia. Sed, quidquid sit de distinctione inter essentiam & existentiam, *queritur*, an virtus causæ immediatè influens debeat necessario existere in instanti, in quo causat? Consultò loquimur de virtute immediatè influente, non de causâ utcumque. Nam ea, quæ per virtutem à se adæquatè distinctam causant, sæpe causare dicuntur, quando non sunt: v. g. qui telum conjicit in Petrum, licèt subitò moriatur priusquàm Petrus vulneretur, dicitur nihilominùs Petrum occidere, seu mortem Petri causare. An autem hæc denominatio *causantis* sit propria, vel impropria, colligi potest, tum ex dictis *d.* 1. *c.* 1. *a n.* 18., tum ex dicendis *d.* 5..

2 Quæstioni ergo negativè respondent plures Thomistæ, quos citat & sequitur M. Joan. Martinez de Prado 2. Physic. q. 15., censentes, posse causam (sumptam etiam pro virtute influẽte) causare aliquid in instanti, in quo non est, dummodò extiterit immediatè anteà. Quòd tamen virtus activa necessariò debeat existere, dum actu causat, ita ut oppositum repugnet etiam divinitùs, tenẽt, & meritò, Authores nostri, & Scotistæ. *Ratio* est: quia res in instanti, quo non existit, est nihil: ergo nihil efficere tunc potest. *Prob. consq.*: quia nihil evidentius apparet, quàm quòd *ens à non ente fieri nequit*, seu quòd *à nihilo nihil fit*: ideò q̃ Philosophi omnes ex creaturarum existentiâ demonstrant existentiam primæ Causæ. Certè, quod nihil est, non continet actualiter perfectionem effectus ullo modò, cum nullam perfectionem actu habeat: certum est autem, quòd causa nequit agere, nisi quatenùs continet perfectionem effectus: unde, si non illam continet actu, nequit actu producere. Vel aliter: *Nemo dat quod non habet*: ergo causa non habens existentiam, nequit illam effectui communicare. Hinc D. Thomas 3. *p. q.* 77. *ar.* 3. sic ait: *Quia unumquodque agit, in quantum est ens actu, consequens est, quòd unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere.* Idem sæpe aliàs inculcat D. Thomas: ex quo in axioma evasit, *Unumquodque operatur, in quantum est actu.*

3 *Confirm.* 1.: causa, priusquàm existat, licèt immediatè post extitura sit, nihil agere potest; ut Thomistæ fatentur apud citatum M. Prado *Metaph. p.* 2. *contr.* 13. *ar.* 1., ubi quæstionem hanc iterum tractat: ergo idem dicendum de cau-

causâ, quę jam non est, licèt anteà fuerit. Patet *Conseq.*: nam, quod esse desijt, tam nihil est, tam verè non *est actu*, tam non continet, tam non habet quod det, quàm quod nondum esse cæpit. *Conf.* 2.: nihil actu causatur sine actione existente: actio autem, cum sit modus physicus causæ efficientis, ab hac essentialiter inseparabilis est in existendo. Negat M. Manso, quòd actio sit modus causæ. Sed verò conceptus modi, est conceptus ultimæ determinationis rei ad aliquod munus obeundum: actio autem juxta omnes est ultima determinatio causæ efficientis ad munus physicum agendi. *Conf.* 3.: si causa non existens potest aliquid primò producere, poterit & diù conservare; plus enim, vel certè non minus requiritur ad producendum, quàm ad conservandum. Sequela autem omnibus est absurda.

4 *Conf.* 4.: si semel aliqua positiva actio physice oriri valet à causâ non existente, poterunt & actiones quælibet, saltem transeuntes: unde poterit lucerna extincta lucere, canis occisus mordere, & quantùmvis mortuo capro poterit quis monere Tityrum cum Poetâ, *Occurrere capro, cornu ferit ille, caveto.* Imò & actiones immanentes, ut sentire, & cognoscere, provenire poterunt à re non existente, quia obstet earum inhærentia in suâ causâ ut in subjecto: nam cur magis efficientia sine agente, quàm inhærentia sine subjecto dari queat? Ex dictis inferes, frustrà coarctare Thomistas doctrinam suam ad eas causas, quæ sunt entia successiva, ut verba Sacramentorum, aut alteratio successivè præparans subjectum ad formam. Nam argumenta nostra æquè militant in causâ quâlibet; ut patebit consideranti.

5 *Objic.* 1.: verba Sacramentorum causant Gratiam, postquàm prolata sunt, sive in primo instanti sui non esse, quod dici solet ultimum instans extrinsecum existentiæ. *Resp.* Sacramenta, vel non causant physicè Gratiam, sed moraliter tantùm, ut opinantur plures magni Theologi; vel, si physicè causant, ut censent alij plurimi, non exercent causalitatem physicam, nisi per ultimam particulam, aut terminum, quo Sacramentum intrinsecè completur, & consummatur; qui terminus tunc, cùm actu existit, physicè Gratiam efficit, præsupponendo tamen ut conditionem omninò necessariam, quòd reliqua verba præcesserint debito ordine & continuatione prolata. Vid. P. Suar. *t.* 3. *in* 3. *p. d.* 8. *f.* 2.,

6 Ubi nota, quòd res jam physicè non existens, potest esse conditio necessaria, ut alia res existens physicè causet; cum enim pura conditio propriè non influat, nec det esse effectui, non in eâ militant argumenta nostra. Potest item res, non existens physicè, causare moraliter, dummodò moraliter existat: sic enim merita præmium, & peccata supplicium causant, dum jam physicè non existunt. Nec hinc licet arguere ad agens physicum; alioquin, sicut merita & peccata, physicè præterita, præmium & supplicium mo-

ra-

saliter causant totâ æternitate, ita nos posset Trojanus ignis physicè comburere nunc, & usque in sæculum. Moralis autem existentia rei præteritæ consistit, vel fundatur in aliquo physicè permanente, quod aliquatenùs ortum aut motivum duxit ab eâdem re, dū præsens erat.

7 *Objic.* 2.: alteratio prævia subjecti causat generationem, sive introductionem formæ substantialis: & tamen in instanti generationis cessat alteratio, utpotè motus successivus, qui adveniente ultimo termino, finitâque successione, cessare debet. Idem fit argumentum in motu intensionis, augmentationis, & quovis alio successivo. *Resp.*. Alteratio prævia, vel sumitur pro actione productivâ qualitatis præparantis subjectum ad formam, vel pro qualitate ipsâ præparante. Si pro qualitate; hæc utique permanet in instanti generationis (quidquid sit, an illam efficiat physicè); nam doctrina Thomistica de resolutione prioris compositi usque ad materiam primam, alibi rejicietur ut falsa. Si pro actione; cessat quidem alteratio in ratione motus successivi, seu in ratione paulatim debellantis qualitatem contrariam; quia in instanti generationis finitur successio, ac debellatio: sed hac ratione alteratio non est causa generationis, nisi tamquam mera conditio remota. Non tamen cessare debet in ratione actionis qualitatem productam conservantis, cum qualitas ipsa perseveret. Quare sub hac ratione, si aliud non obstet, poterit esse causa generationis formæ, vel ultimi termini motus successivi. Quod pariter dictum esto de motu intensionis, &c..

8 *Objic.* 3.: causa potest agere in loco propinquo, vel contiguo, in quo ipsa non est: ergo etiam in tempore, vel instanti immediato, in quo jam ipsa non existit. Sed infero pariter contrà Thomistas: ergo & poterit agere in instanti præcedenti primam existentiam ipsius causæ, cum illud instans sit etiam immediatum. Item: ergo & poterit agere longo spatio temporis, postquàm esse desijt; quemadmodùm Sol, multum à terrâ distans, producit in eâ plures effectus. Itaque *neg. Conseq.*: quia causa, licet non penetretur localiter cum effectu, potest actualiter existere, adeòque perfectionem effectus actualiter continere: at, si non existit in eodem instanti cum effectu, nullatenùs existit de præsenti, cum non aliud instans sit præsens: tunc ergo est merum nihil, adeòque nihil agere potens.

9 *Objic.* 4.: existentia causæ est pura conditio ad causandum: conditiones autem saltem divinitùs suppleri possunt. *Resp.*. Inprimis existentia virtutis in nostris principijs est virtus ipsa, ut initio notavimus. Deinde non est de ratione puræ conditionis quòd possit à Deo suppleri; ut patet in cognitione, quæ juxta communem sententiam essentialiter prærequiritur ad amandum; utque vel Adversarij fateri debent in re præsenti, cum existentiam causæ doceant esse essentialiter necessariam saltem in

aliquo instanti, vel tempore præcedente productionem effectus.

10 *Objic.* 5.: vivens, dum moritur, verè mutatur; & tamen in mortis instanti jam non est: potest ergo res non existens veram subire mutationem: ergo & causare. *Resp.* In morte viventis sola materia est, quæ propriè & physicè mutatur; quia mutatio physica requirit transitum ejusdem subjecti actu existentis ab uno termino ad alium: vivens autem non aliter in morte mutatur, nisi quatenùs erat, & jam non est; quæ dici solet mutatio logica, in quâ subjectum sub utroque statu non est idem, nisi per alienationem. Ex mutatione autem istiusmodi ineptè ducitur paritas ad causalitatem. Quis enim non rideat sic arguentem: Vivens, dum moritur, verè non est: ergo res non existens potest causare? Numquid hîc militant, vel per umbram, argumenta nostra?

11 *Objic. ult.*: causa finalis, dum non existit, causare potest: ergo & efficiens. Sed cur non infers, causam efficientem posse causare priusquàm existat? Vel, etiamsi nunquam extiterit, nec extitura sit? Cum ita possit causa finalis. Nemo dubitat, quin omnis causa requirat existentiam, vel in eodem causalitatis instanti, vel saltem in aliquo præcedenti. An autem existentia debeat esse physica, an intentionalis, an moralis, colligitur ex modo influendi uniuscujusque causæ: ex quo omnes colligunt, finali causæ sufficere præexistentiam intentionalem; causæ verò physicè efficienti, necessariam esse physicam existentiam, & morali moralem. Non ergo controversia est, an causa physica debeat physicè præexistere? sed an existentiam istam retinere debeat in instanti causalitatis? Ad quod negandum ineptè arguitur ab existentiâ physicâ finis, cum apud omnes constet, hanc existentiam de materiali se habere ad finalizandum. Debet igitur argui ab existentiâ intentionali finis ad existentiam physicam efficientis. Sic autem argumentum pro nobis est: nam causa finalis causare nequit (saltem actus internos, quos intrinsecè specificat), nisi ut actu existens intentionaliter.

12 Ad extremum adverte, quòd, cum Thomistæ dicunt, causam *virtute* saltem existere semper ac producit effectum, nomine *virtutis* hîc non intelligunt aliquid à causâ præteritâ relictum, quod sit virtus influens in effectum, qualiter v. g. impulsus projecti lapidis in ejus motum influit (sic enim minimè dissentiremus, ex n. 1.): sed intelligunt effectum ipsum, aut causalitatem, in quâ resplendet virtus causæ. Quare in hoc sensu, causam existere, non in se, sed in virtute, nihil est aliud, quàm existere causalitatem & effectum, quàmvis non existat causa, nec ejus virtus influxiva. Et hoc est, quod hactenùs impugnavimus.

***********

CAP.

## CAP. II.

## *UBICATIO, DURATIO, ET Subsistentia Causæ, quatenùs requirantur ad causandum?*

1 SI res posset existere, & nihilominùs absolvi divinitùs ab omni loco, & tempore, non videretur omninò necessaria causæ ubicatio, seu præsentia in loco, nec ejus duratio in instanti productionis effectus: quia posset sine hisce modis causa verè existere, ac proinde verè continere perfectionem effectus; nec ex alio capite apparet essentialis necessitas talium modorum. Sed, quia ferè omnium sententia negat, posse rem existere, quin existat in aliquo loco, & tempore, vel instanti, debet utique causa actualiter durare, & ubicari, dum causat; quia nequit causare, quin existat, & existere nequit, quin duret, & ubicetur.

2 Sed dubium est, an ubicatio (idem puta de duratione, si constituat in modo à re durante distincto) an ubicatio sit prærequisita, seu pertinens ad actum primum causæ proximè expeditæ ad causandum? *Resp.* 1.: ut res producat suam ubicationem, non requiritur ubicatio ex parte actus primi. Quia nec requiritur ubicatio illa, quæ producitur, cum nequeat præcedere semetipsam; nec alia ubicatio distincta; ne alioquin (quod nemo admittit) res in eodem instanti duas ubicationes naturaliter habeat, cum certum sit, totum actum primum existere in eodem instanti cum effectu. Hinc, etiam dum quis adquirit præsentiam in loco A. per motum immediatum à loco B., non intelligitur pro signo priori formalis præsentia in B.; nam alioquin res esset in eodem instanti præsens duobus locis. Solùm ergo præintelligitur præsentia in A. radicalis, consistens in eo, quòd res pro signo priori determinata sit ad reliquendam ubicationem in B., & adquirendam, in A, vel ratione impulsus, vel ratione volùtatis propriæ, vel Divinæ.

3 *Resp.* 2.: nec prærequiritur ubicatio, ut res in se producat proprium subsistentiam, aut proprietates suas, vel alios actus immanentes. Quia non prærequiritur inprimis titulo indistantiæ inter agens & passum, cum res indistantiam habeat respectu sui, non ab ubicatione, sed ab identitate: nec aliunde apparet, cur debeat intelligi pro priori; non enim meretur ubicatio priùs exigi, quàm aliæ perfectiones intrinsecæ, nobilioresque; nec est cur non possit concipi virtus sufficiens ad ejusmodi effectus, nullo ex capite impedita, præscindendo ab ubicatione. *Dices*: virtus causæ ante omnem effectum præintelligi debet ut existens: sed existere nequit nisi alicubi, sive in loco aliquo ubicata: ergo præintelligi debet cum aliquâ ubicatione. Verùm hoc probat, quòd pro priori ad primam ubicationem debet intelligi ubicatio, quod est absurdum. Non ergo illa omnia, sine quibus existere nequit in instanti reali virtus causæ, debent intelligi ex parte

actus primi, ſeu pro priori; ſed ea tantummodò, ſine quibus concipi nequit virtus expedita, vel ſaltem in eo ſtatu poſita, quem priùs exigit habere, quàm operetur.

4 *Reſp.* 3.: ad actiones tranſeuntes in paſſum extraneum ubicatio agentis eſt conditio præſuppoſita. Hoc aliqui probant ex eo, quòd prærequiſita ſit approximatio agentis ad paſſum, juxta dicenda *cap. ſequ.*; quæ approximatio conſiſtit in ubicationibus proximis utriuſque. Sed dici poterit, ſufficere pro priori ſigno ad agendum, approximationem radicalem, explicandam ex dictis *n.* 2.. Meliùs ergo probatur ex eo, quòd res quæque regulariter priùs exigit perficere ſe, quàm ſubjectum extraneum: priùs enim debet ſibi conſulere, quàm alijs. Unde communis doctrina eſt, quòd ſubſtantia priùs producit proprietates ſuas, quàm tranſeunter operetur. Cum ergo ubicatio agentis ſit quædam ejus perfectio intrinſeca, produci debet pro priori ad operationes tranſeuntes. Eadem doctrina, ut jam prænonui, applicanda eſt durationi, ſi conſiſtat in modo ſuperaddito. Quodſi ubicatio & duratio inter ſe comparentur, neutra videtur alteram præcedere, ſed concomitanter produci, aut reſultare.

5 Quod ſubſiſtentiam attinet, ſi conſiſtat in poſitivo, dicendum eſt 1., non eſſe virtutem influxivam in operationes & effectus naturæ, ut optimè probat P. Suar. *d.* 34. *Met. ſ.* 7.. Dicendum 2., ſubſiſtentiam eſſe conditionem per ſe prærequiſitam ex parte naturæ ad operationes omnes, ſive immanentes, ſive tranſeuntes, præter ipſius ſubſiſtentiæ productionem. Ita communis ſententia cum P. Suar. *loc. cit.*, contra P. Vazquez, & alios. Et inprimis quoad operationes tranſeuntes probatur ex nuper dictis: quia natura priùs exigit perficere ſe, quàm aliud. Deinde quoad immanentes, etiam ſi tendant ad proprietates connaturales, probari poteſt: quia ſola ſubſiſtentia eſt proprietas ſubſtantialis, quæ naturam in ſuo proprio genere perficit, & in ſuo eſſe ſubſtantiali plenè conſtituit; cum proprietates cæteræ ſint accidentales, & eſſe accidentarium naturæ tribuant. Prius ergo natura exigit, etiam executionis ordine, ſubſiſtentiam, quàm alias proprietates. *Prob. Conſeq.*: quia priùs debet exigere perfectionem ſibi magis cognatam; priùs eſſe proprium, ſeu proprij generis, quàm adventitium; priùs eſſe per ſe, quàm eſſe per accidens, ſaltem niſi hoc probetur eſſe diſpoſitio præparans ad illud, quod in præſenti nullatenùs probatur. Hùc ſpectant axiomata illa, *Prius eſt eſſe, quàm operari*, &, *Operari ſequitur ad eſſe.* Accedit, quòd accidens priùs debet inhærere ſubjecto, quàm operetur: ſic autem ſe habet ſubſiſtentia ad ſubſtantiam, ut inhærentia ad accidens.

6 Non tamen diſplicet doctrina P. Ulloa in *Prolegom. Schol. d.* 3. *c.* 1.: quòd ſcilicet bifariàm poteſt aliquid eſſe conditio per ſe præſuppoſita pro priori ad effectum:

tum: 1. immediatè & directè: 2. mediatè & indirectè. Præsupponitur immediatè ac directè id, quo sublato, vel mente præciso, nequit intelligi proxima & expedita potentia causæ ad agendum, saltem absque novo miraculo: qualiter prærequisita est cognitio ad amandum, & approximatio ignis ad comburendum. Atque id genus conditionis directè pertinet ad actum primum proximum virtutis activæ, illumque constituere dicitur. Præsupponitur verò mediatè & indirectè, non quidem id omne, quod necessarium est ad existentiam alicujus immediati prærequisiti, ut velle videtur P. Ulloa; sed id, quod ab agente præexigitur antelatione quâdam, quia magis sua ipsius interest, cum tamen, eo præciso, vel sublato divinitùs, possit intelligi proxima virtus agendi absque novo miraculo. Vel aliter: id, quod præexigit causa, non in gratiam effectus, sed in gratiam sui; non ut expeditè operetur, sed ut commodè sit; non immediatè titulo agentis, sed titulo rei existentis. Et hoc genus conditionis non constituit immediatè & formaliter actum primum proximum ad agendum.

7 Subsistentia igitur non nisi secundo isto modo conditio est ad agendum prærequisita. Unde & ipse P. Suar. *loc. cit. n.* 13. monet, subsistentiam prærequiri per se, non ex parte actionis, aut effectus, sed ex parte agentis: idest, non quia actio per se immediatè illam præsupponit, sed quia agens illam præexigit ut plene sit constitutum in suo esse. Idcircò infrà *n.* 15. concedit idem Eximius, quòd, si natura divinitùs privaretur omni subsistentiâ, posset absque novo miraculo exercere operationes alias; quia scilicet nihil illi deesset immediatè ac formaliter pertinens ad potentiam proximam operandi. Idem intellige de inhærentiâ accidentis. Communiter enim dicitur, quòd accidens, divinitùs conservatum sine subjecto, posset citrà novum miraculum operari. Quin & ubicatio, quam *n.* 4. diximus prærequiri ad transeunter operandum, nonnisi mediatè & indirectè prærequiri videtur; quia non apparet, cur præscindendo ab illâ concipi non possit actus proximus ad agendum.

## CAP. III.
## *DE APPROXIMATIONE agentis ad passum.*

1 QUodlibet agens creatum determinatam activitatis sphæram localem sibi vendicat, ultra quam physicè operari nequit. Sphæra hæc dicitur spatium illud, intra quod suas vires exerere, suamvè diffundere virtutem potest: quod spatium majus aut minus est pro mensurâ virtutis, & perfectionis causæ: ideòque ingens incendium calorem & lucem longiùs protendit, quàm exigua lucerna: ideò etiam Sol amplissimam habet sphæram, cum vel in terræ visceribus operetur.

2 Intra hujusmodi sphæram dicitur causa *uniformiter difformiter* operari: *uniformiter*, quia pro-

du-

ducit effectus ejusdem rationis per totam sphæram, ut Sol calorem & lucem per totam regionem aëris: *differmiter*, quia intensiùs agit in sphæræ partem propinquiorem, & remissiùs in remotiorem; languescit enim virtus & operatio, quò magis ab agente principali recedit. Vel, ut alijs placet, operatur *differmiter*, quia continuò decrescit vigor actionis pro ratione distantiæ: sed in hac ipsâ differmitate procedit *uniformiter*, quia, si in secundâ sphæræ parte decrescit uno gradu, in tertiâ decrescit duobus, in quartâ tribus, & sic deinceps uniformi tenore. Hoc tamen exceptionem patitur, quando intra sphæram activitatis passum (ideſt, subjectum receptivum), quod remotius est, dispositum inveniur magis, aut aliter, quàm propinquum: tunc enim causa in remotiori passo producit effectus intensiores, aut diversæ rationis. Sic Sol intensiùs illuminat chrystallum, quàm aërem vicinio-rem, sed minùs dispositum; & producit aurum in terrâ, non in aëre sibi propinquiore, sed aliter disposito.

3 Quàmvis autem nulla causa naturaliter agere possit nisi in passum intra illius sphæram constitutum, ut omnes supponunt; quæritur tamen 1., utrùm divinitùs possit agere ultrà sphæram? Quæritur 2., & præcipuè, utrùm vel naturaliter vel divinitùs agere possit in passum distans (dicitur distans, quodcumque non est contiguum causæ), licèt intra latitudinem sphæræ situm? an verò debeat agens esse contiguum passo, illudvè tangere immediatè? Contactus hic immediatus esse potest, vel immediatione virtutis, ut cùm ignis attingit passum, non per entitatem suam, sed per calorem in medio diffusum, qui dicitur virtus ignis; vel immediatione suppositi, ut cùm ignis entitas contigua est entitati passi. Quæstio hæc juxta methodum Aristot. pertinet ad *lib. 7. Phyſic.*; sed tractanda nunc est; quia propinquitas, sive approximatio agentis ad passum (sive formalis, sive radicalis, de quâ *cap. præced. n.* 4.) una est ex notioribus conditionibus ad agendum. Tractanda item in solâ efficiente causâ: nam finalis nullam requirit propinquitatem physicam; materialis autem, & formalis, non propinquitatem, sed penetrationem postulant in eodem loco; quam penetrationem per se non exigit causa efficiens, ut experientia docet.

*ASSERTIO PRIMA.*

4 *Nulla causa naturaliter agere valet in passum distans, nisi illud immediatè tangat saltem per aliquam concausam, aut virtutem, aut qualitatem propriam, aut seriem actionum, sine interruptione diffusam in medio.* Eumdem sensum intendunt hi termini frequentiores: *Nulla causa operatur in distans, quin operetur per medium*, nisi contingat, ut effectus à se producendos in medio, inveniat jam ab aliâ causâ productos. Assertio communis est inter Thomistas, & Authores nostros, contra Scotistas, qui licèt contactum ejusmodi necessarium agnoscant in multis agentibus, non ta-

tamen in omnibus, saltem ita ut per se, non per accidens, conducat ad agendum.

5 Probatio sumitur ab experientiâ. Passim quippe cernimus, impediti actionem agentis in passum, licet intrâ sphæram positum, quoties interponitur aliquid impediens contactum virtutis ab agente diffusæ. Sic, fenestrâ clausâ, desinit Sol illuminare conclave: sic interpositâ manu inter oculos & objectum, desinit species ab objecto produci in potentiâ visivâ: sic ignis non comburit propinquam stuppam, donec ferream laminam interpositam paulatim penetret. Sic demùm, si vacuum daretur inter agens & passum, agens ab influendo cessaret, ut communiter supponunt Philosophi; qui rationem hinc reddunt, cur natura tantoperè vacuum abhoreat, ac vitare curet, ne scilicet interrumpatur influxus agentium, præsertim cœlestium in corpora inferiora.

6 Porrò hæc, & similia plurima, non aliunde proveniunt, nisi quia interrumpitur diffusio virtutis aut operationis per medium ab agente usque ad passum. Nam fenestra clausa v. g. non tollit inprimis, quòd aër cubiculi maneat intra sphæram virtutis solaris, cum non ideò fit à Sole remotior. Deinde nec aufert intrinsecam aëris capacitatem, nec debilitat virtutem Solis, nec exteriorem lucem extenuat; ut est manifestum. Denique nec producit qualitatem aliquam luci contrariam, cum nulla sit, aut fingi possit, præsertim quæ prodeat magis à fenestrâ clausâ, quàm apertâ. Dices, experimentis hisce probari, quod intendimus, in quibusdam agentibus: non tamen inde confici posse canonem universalem; maximè cum in oppositum afferri soleant ex alijs causis experimenta plurima. Fateor, ex modo operandi quorundam agentium non semper deduci posse regulam generalem ad omnia: unde, licet quædam non agant nisi per lineam rectam, ut mox dicam, non ideò est in omnibus idem asserendum.

7 Cæterùm in præsenti rationabiliter eruitur universalis canon. Tum quia experimenta nobis faventia, non ex uno vel altero agente sumuntur, sed ex innumeris diversorum generum, imò ex omnibus corporeis desumi possunt: nullum quippe est, cujus operatio non valeat suspendi per corpus aliud quod interpositum, etiam intra propriam sphæram. Tum quia, si assertio nostra tenet in Sole, qui maximam activitatem & sphæram habet inter causas corporeas, jure poterit ad cæteras extendi. Tum quia opposita experimenta non urgent, ut patebit *cap. sequ.*. Tum quia commune censetur esse omnibus agentibus, interjecto vacuo non agere. Tum demùm, quia experimenta nostra roborantur generali ratione: quòd scilicet omnis causa finita limitatam spatij sphæram sibi determinat, ut inficiatur nemo: & limitationis unica ratio est, quia, cum debeat operari per medium ut agat in distans, plus virium impendit, quò major est distantia, sic-

ſicque progreſſu ipſo fatigatur, ut tandem ſiſtat, impotens ultrà progredi: ſi enim in medio non inſumuntur vires, diſtantia major, aut minor, impertinens omninò videtur ad agendum.

*ASSERTIO SECUNDA.*

8 *Cauſa poteſt divinitùs agere in diſtans, ſive intrà, ſive ultra naturalem ſphæram, etſi non operetur in medio, nec paſſo contigua ſit etiam per virtutem in medio diffuſam, imò etſi per vacuum ſeparetur à paſſo, vel à loco, ubi producitur effectus.* Ita communis in omni Scholâ ſententia. Ratio eſt: quia nulla in hoc appareat contradictio, ut oſtendet objectionum ſolutio. Præterea, quòd perpetuò experiamur oppoſitum, probat quidem neceſſitatem naturalem, ſed non eſſentialem; cum plura ſimiliter experiamur, quæ tamen non ſunt eſſentialiter neceſſaria, ſed poſſunt divinitùs aliter accidere; ut quòd materia ſemper habeat formam, quòd forma materialis ſemper ſit in ſubjecto, quòd Sol perpetuò luceat, quòd corpus cum corpore non penetretur. Accedit, quòd indiſtantia, vel approximatio agentis ad paſſum, mera eſt conditio ad agendum. Conditio autem, niſi poſitivè probetur eſſentialis, debet aſſeri purè naturalis, divinitùſque ſupplebilis; quia non ſunt multiplicandæ conditiones eſſentiales abſque neceſsitate: unde communiter dicitur, dari poſſe divinitùs generationem ſubſtantialem ſine alteratione prævià, licèt hæc ad illam conditio ſit naturaliter neceſſaria.

*ASSERTIO TERTIA.*

9 *Cauſa poteſt naturaliter agere immediatè in diſtans, dummodò virtutem, aut operationem aliquam eouſque diffundat, vel ſaltem cum alijs concauſis eouſque protenſis continuetur.* Explicatur Aſſertio: Ut Sol aurum ſub terrâ producat, debet quidem per medium eouſque protendere calorem, & alias qualitates; ipſa tamen auri productio pendet etiam à ſubſtantiâ Solis diſtante, ut à cauſâ immediatâ immediatione, non loci, ſed cauſalitatis. Item, dum ignis vicinum aërem calefacit, productio caloris immediatè profluit, non ſolùm ab extimâ ſuperficie ignis, aëri contiguâ, ſed etiam à partibus ignis interioribus, quæ ab aëre diſtant. Sic in alijs plurimis accidit. Aſſertio, ſic explicata, inter Noſtros & Scotiſtas receptiſsima eſt, contra Thomiſtas cenſentes, omnem effectum immediatè produci à ſolâ virtute paſſo contiguâ, licèt ſæpe attribuatur agenti diſtanti.

10 *Probatur*: quia ſæpe contingit, effectum productum in loco diſtante perfectiorem eſſe virtute in medio diffusâ, & paſſo contiguâ, ejuſque activitatem ſuperare: tunc ergo non poterit effectus produci à ſolâ virtute contiguâ, ſed immediatè pendere debet ab agente diſtanti. *Antecedens* patet 1. in productione auri ſub terrâ: cum enim aurum ſit effectus ſubſtantialis, nequit adæquatè produci à virtute Solis accidentali diffusâ per medium, ex dicendis *diſp. 5.* Patet 2. in ſplendore Lunæ, quem à Sole pro-

provenire demonstrat eclypsis: nam is splendor produci nequit à solâ luce aëris aut ætheris contigui, utpotè remissiore: certum quippè est, quòd remissa lux intensiorem sectionem non efficit. Patet 3. in exemplo ignis nuper indicato: dum enim conflagrat mons ingens, lucem & calorem extrà se producit longiùs, & intensiùs, quàm si sola extima superficies montis arderet: non ergo à solâ externâ superficie, sed ab interioribus etiam incendij partibus, quæ ab externo aëre distant, immediatè provenit productio lucis, & caloris.

11 Atque hinc ratio redditur, cur pars cubiculi, quæ lineâ rectâ solares excipit radios, magis illuminetur, quàm partes aliæ collaterales, æquè, vel minùs à Sole distantes: quia scilicet pars illa directè oppositа Soli, non à solo lumine contiguo, sed à Sole ipso distante illuminatur; quod non accidit partibus è latere positis. Sol etenim (ut pleraque alia agentia, licèt non omnia) vel unicè, vel fortiùs agit per lineam rectam, quàm per obliquam; idest, per spatium, in quo ab agente usque ad passum duci potest linea recta sine offendiculo alicujus corporis, aut vacui, continuatam operationem abrumpentis: quę recta linea duci nequit à Sole usque ad partes cubiculi ad latera fenestræ positas, propter obstaculum parietum. Et hæc eadem ratio est, cur interpositâ manu non recipit visus speciem objecti distantis: quia nimirùm species in oculis produci debet, non à solis speciebus in aëre proximo collaterali diffusis, sed ab objecto ipso, cujus lineam rectam interrumpit objecta manus.

*ASSERTIO QUARTA.*

12 *Agens naturaliter operari potest in aliquans, quamvis non operetur in medio, dummodò continuetur usque ad passum cum alijs agentibus aut virtutibus partialiter concurrentibus ad effectum.* Ita PP. Suar., & Hurtad., quos citat & sequitur P. Quirós, d. 57. s. 4., & communiter nostri Recentiores. *Probatur* experimento montis conflagrantis nuper adducto: nam partes incendij remotiores immediatè concurrunt cum propinquis ad producendum calorem exterioris aëris; cum tamen non agant in partes ignis aëri viciniores, quia *Simile non agit in simile*, juxta commune proloquium. Dices, interiores incendij partes agere per medium, saltem conservando partes exteriores ignis. Sed *contra* est, quòd conservatio illa de materiali se habet, neque ullatenùs est necessaria, ut idem calor in aëre externo producatur. Tum quia potuit incendium incipere à partibus exterioribus, & tunc istæ non conservarentur ab interioribus, cum potiùs essent earum causæ; nec tamen minor ad extrà calor emicaret. Tum etiam, quia si totum incendium conservaretur à solo Deo, non ideò minùs calefaceret externum aëra, proindeq non minùs ageret penes omnes partes.

13 Unde colliges, quòd, si tota lux & calor, in regione aëris à Sole proveniens, conservaretur à solo Deo, præsente Sole, non ideò

Sol deſineret in terram agere, ſicut modò, ſimul cum luce, & calore terræ proximo, tametſi nihil tūc operaretur in medio. Tum quia nulla ratio in contrarium apparet. Tū quia cauſa æquè operatur cum virtute partiali, quâ indiget, ſive hæc à cauſâ ipsâ, ſive à Deo ſolo producatur; ut cernere eſt in ſpecie, & habitu, quibus Intellectus, & Voluntas juvantur ad operandum. Indiget ergo cauſa diſtans juvamine virtutis, aut qualitatis ad effectum conducentis, in medio diffuſæ: ſed quòd ea virtus, aut qualitas, producta ſit ab eâdem cauſâ, vel ab aliâ, nihil intereſſe videtur.

*Summa totius doctrinæ.*

14 Doctrinæ de approximatione agentis ad paſſum, aut locum effectus, ſumma eſt: Quòd agens quodlibet actione tranſeunte operari poteſt divinitùs in quacumque diſtantiâ ſine operatione per medium, imò licèt intercedat vacuum. Cæterùm naturaliter operari nequit, niſi intra certam ſpatij ſphæram, quæ major, aut minor eſt pro diverſitate cauſarum. Intra hanc autem ſphæram debet agens eſſe paſſo contiguum uno è tribus modis. *Vel* 1. immediatione ſuppoſiti, ut cùm ignis cōburit immediatum ligni quo in eventu non requiritur contactus penes omnes partes paſſi & agentis diviſibilis, ſed ſufficit pars aliquam, ut cæteræ ſint ſatis applicatæ ad immediatè influendum. *Vel* 2. immediatione virtutis, ita ut, licèt agens principale ſit diſtans, juvetur tamen aliquâ diſſimili virtute partiali, ab agente uſque ad paſſum continuatè diffuſâ (ſive ab eodem agente, ſive ab alio productâ), ut cùm ignis ſimul cum calore interjacente producit aliquid in loco diſtante: tunc enim ex eo calore, & ex ſubſtantiâ ignis, integratur unum agens adæquatum, quod penes aliquid ſui eſt contiguum paſſo. *Vel* 3. immediatione operationis continuatæ per modum unius uſque ad paſſum.

15 Notat enim P. Suar. *d.* 18. *Met. ſ.* 8., quòd, quando effectus in diſtanti productus ejuſdem rationis eſt cum producto per medium, non eſt opus per ſe loquendo, ut effectus exiſtens in medio ſit virtus partialiter influens in effectum diſtantem: tunc enim ſatis conjungitur agens cum effectu iſto per continuatam ſeriem actionum ſimilium; & ultimi termini productio non tam dicitur nova actio, quàm continuatio ejuſdem actionis, quæ ab agente incipiens quaſi progreſſa eſt uſque ad terminum ultimum. Sic manus imprimit impetum, non ſolùm in ſuperficiem lapidis, quam tangit, ſed etiam in ulteriores partes lapidis, quas non tangit niſi per continuatam productionem ſimilis qualitatis; non enim eas tangit per ſe ipſam, nec per virtutem intermediam, cum impetus, ut multi cenſent, non ſit productivus alterius impetus, ſed ſolius motus localis.

16 Quando verò effectus ab agente principali diſtans diverſæ rationis eſt, aut ſpecie diſſimilis effectui producto per medium, tunc neceſſe eſt, ut effectus interjacens, ſit

sit virtus partialiter influens in distantem, vel saltem in ultimam dispositionem ad illum: quia tunc productio effectus distantis non est continuatio actionis in medio existentis, sed est alia actio diversa, quæ debet naturaliter esse contigua cum aliquâ parte agentis adæquati. Hinc Sol non illuminat aërem cubiculi, fenestrâ clausâ: quia, licèt non omnis actio Solis interrumpatur, siquidem continuari posset etiam per fenestram productio caloris; tamen productio lucis est actio diversa, & aliunde calor ad illam minimè conducit ut virtus, aut dispositio.

## CAP. IV.

### *ARGUMENTA CONTRA præcedentem doctrinam dissolvuntur.*

ARgumenta, quæ doctrinæ traditæ obstare possunt, quatuor in classes distribuemus juxta ordinem Assertionũ *cap. præc.*

*Contra primam Assertionem.*

1 *Objic.* 1. multiplex experientia operationis in distans, quin appareat operatio per medium. Sic enim fascinantes obtutu nocent: basiliscus hominem aspectu perimit: torpedo piscis, hamo inhærens, brachium piscatoris torpere facit: aproxis herba ignem concipit è longinquo: unguentum armarium, & pulvis sympaticus, vulnera distantia sanant: magnes ferrum disitum attrahit, nihil interim patiente argento interposito, ut testatur S. Augustinus 21. *de Civit. c.* 4. Sed *respondetur*, in his omnibus nunquam produci quidquam in loco distante sine aliq â operatione per medium: quæ operatio, licèt non se prodat sensibiliter in medio ipso, tamẽ satis ratione colligitur; tum quia nulla ex ijs causis operatur in quacumque distantiâ; tum quia in plerisque saltem, ut in fascinantibus, basiliscо, &c., interrumpitur actio per aliquid interjectum.

2 Itaque fascinatio, si non ope dæmonis fiat, provenit à venenatis halitibus, per medium utique diffusis, qui ex oculis prodeunt excitati ab imaginatione, & attentione intuẽtis: quâ de re differit erudite P. Delrius *Disquis. Magic. l.* 1. *c.* 3. *q.* 4.. Idem de basiliscо dicatur; necnon de lupo raucedinem pastori, quem prior viderit, inducente; de quo Delrius *l. c.* Idem cum proportione dici poterit de struthiocamelo, ac de testudine, de quibus fertur, quòd solo aspectu pullos excludant ex ovis, quibus non incubant: hoc enim, si verum est, præstant per spiritus igneos ex oculis emissos. Generaliter enim tenendum est, actus immanentes, ut visus, imaginationis, &c., nihil per se agere posse in aliena corpora omninò disjuncta, sed utsummùm per accidens, aut occasionaliter, quatenùs in proprio corpore commovent humores, qui varios halitus, aut qualitates foràs emittunt.

3 Torpedo piscis qualitates per arundinem diffundit noxias, queis brachium piscatoris stupefacit; cujus signum est, quòd solus

piscator, arundinem tenens, venenatur, nullus autem alius, etsi proximus adsit. Aproxis non concipit ignem, donec spatium medium incalescat. Pulvis sympathicus,& unguentum armarium, si operantur in distantiâ quâlibet, virtute dœmonis agunt, non suâ: si verò non ultrà certos terminos, fortasis agunt virtute propriâ, sed non sine aliquâ operatione per medium, licèt occultâ sensibus; alioquin certa distantia nihil conduceret.

4 De magnete, succino, & alijs, quæ vim habeat electricam, sive attractivam aliorum corporum, magna est inter Philosophos controversia, utrùm per meras qualitates, an per effluvia substantialia corpusculorum, vim suam exerceant? Utrovis autem modo aliquid in medio diffundunt. Si dantur ejusmodi effluvia, res est certa. Si verò fiat attractio per qualitates, has quoque recipit medium, licèt quandoque solidum, ut jaspis, aut argentum, dividens à ferro magnetem. Hoc planè colligitur: tum quia non in quacumque distantiâ magnes attrahit: tum quia nec sufficit medium quodlibet; si enim adamantem, aut hircinum sanguinem, aut allij succum interponas, cessabit attractio, ut passim asseritur, licèt allâs inter magnetem & ferrum distantia sit proportionata. Dum autem S. Augustinus ait, argentum medium nihil pati, loquitur de passione sensibili per motum localem, non de receptione cujusvis qualitatis.

5 Recursum Peripatetico-rum ad qualitates occultas, ut operatio magnetis,& similes aliæ mirabiles explicentur, asylum ignorantiæ vocant moderni Philosophi Corpusculares. Sed meritò id facerent, si clarius aut certius aliquid afferrent ipsi. Nunc verò, cum ipsi perpetuò recurrant ad corpuscula variè figurata, varièque mota, licet in multis effectibus dicere non possint qualis figura, qualisve motuum directio sit, & in alijs nonnisi divinando, & magnâ cum discordiâ designent figuram, & motum, aut motus cantam, nominatim in re magneticâ, ubi quot homines, tot sententiæ; profectò non est cur magis ille, quàm iste recursus, asylum insciticæ vocitetur; siquidem uterque pari facilitate patet ignaro cuique, & per utrumque arcana naturæ manent æqualiter impervia.

6 Dicunt alij, qualitatem magneticam immeritò vocari occultam, cum sensibiliter manifestetur motu localis. Sed verò qualitatem occultam dicimus illam, cui non correspondet immediata & propria cognitio, quâ statim discernatur ab alijs (ut correspondet calori, & frigori v. g.), sed tantum dignoscitur ex effectu aliquo, secundùm se indifferente ut à varijs causis proveniat, cujusmodi est motus localis. Objiciunt alij, qualitatem magneticam non posse in medio recipi, cum in eo non habeat suum effectum formalem attrahendi, seu determinandi ad motum localem attractionis, ut cernitur in argento interposito. Sed respondeti potest, qualitatem à magnete diffusam in nic-

medio non ferreo, non esse formaliter attractivam, sed potè virtuàliter, quatenùs cum magnete concurrere potest ad efficiendam in ferro distanti qualitatem aliam specie dissimilem, & formaliter attractivam. Unde formalis effectus qualitatis in medio receptæ, est denominare medium *proximè aptum* ad conficiendam qualitatem immediatè motivam ferri versùs magnetem. Jam autem *cap. præced.* diximus, non debere agens operari uniformiter in totâ sphærâ, quando intra illius ambitum occurrunt subjecta diversimodè disposita; posseque in loco distanti produci effectum diversę rationis, dummodò effectus in medio existens cooperetur ad illum simul cum agente principali. Hęc ita diverim, non ut in præsenti quidquam decernam de virtute magneticâ, sed ut recursum ad qualitates occultas, sæpe necessarium, à calumniâ vindicem.

7 *Obj.* 2.: imaginatio in capite existens movet appetitum in corde residentem, & appetitus potentiam locomotivam, quæ in pedibus est, absque operatione per medium: quæ similiter non intervenit, dum objectum manu tactum, statim ab imaginativâ percipitur. Addi solet exemplum Angeli, qui, ut moveat corpora, non eget approximatione locali: tum quia Angelus non habet situm: tum quia operatur per intellectum, & voluntatem, quæ potentiæ non indigent contiguitate objectorum. *Resp.*, Imaginatio, sive phantasia, movet appetitum, & hic potentiam externam, non physicè agendo, sed per modum conditionis inclinando, seu determinando: ut autem ita inclinet, seu determinet, esto supponatur in loco distante, sufficit sympatia, in eo fundata, quòd utraque potentia radicetur in eadem animâ, vel saltem pertineat ad idem suppositum: hinc enim diversæ potentię sic inter se consentire possunt, ut posito unius actu determinetur altera ad operandum. Imaginativa percipit objectum manu tactum non sine operatione per medium: nam à quovis externo sensu ad cerebrum usque citissimè transmittuntur species objecti per nervos à naturâ paratos; de quo in Animasticâ.

8 Angelus nequit movere corpus loco distans. Et quàmvis non habeat situm, habet tamen realem, determinatam, & finitam præsentiam, quæ debet esse contigua, sive immediata corpori movendo, saltem penes aliquam partem ejusdem corporis. Dicitur autem agere per intellectum & voluntatem; non quia omnis operatio Angelica sit volitio, vel intellectio; sed quia in Angelo potentia locomotiva, & quęvis aliæ, perfectè subordinatur intellectui, & voluntati. Locutio Angelorum inter se (quæ solet etiam hic objici) *mysterium* est vel Theologis ingervium. Communiter dicitur non fieri per actionem transeuntem, sed in eo consistere, quòd potiâ volitione unius Angeli mentem suam alteri aperiendi, tanquam in conditione naturaliter necessariâ, statim inter elicit

cit

cit actum perceptivum, vel infundente Deo novam speciem, vel excitante, quam Angelus ipse quasi sopitam habebat: quâ de re fusè Theologi in *tract. de Angel.*. Non autem negamus, posse aliquid conducere per modum conditionis ad effectum distantem, dummodò virtus activa non distet ab effectu.

9 *Objic.* 3.: effectus in distanti productus, sæpe perfectior est virtute diffusâ per medium: tunc ergo à solo agente distante producitur; & operatio in medio est per accidens. Sic aurum, sub terrâ productum à Sole, perfectione superat qualitates eousque diffusas. Sic in crystallo intensior lux, & calor à Sole producitur, quàm in aere intermedio. Sic fundum lebetis, aquâ fervente pleni, tepidius & temperatius est, quàm aqua superior, & à subjecto igne remotior. Sic etiam, illæsâ ab igne papyro, oleum superinfusum fervere solet. *Resp.*. Hæc probant quod in 3. *Assert.* diximus *cap. præced.*: sed nihil in favorem Scotistarum. Nam, licèt virtus imperfectior effectu, qualis sæpe est quæ in medio diffunditur, nequeat esse causa adæquata; potest tamen inadæquatè & instrumentaliter concurrere interdùm cum agente distante ad productionem talis effectus, vel saltem ad ejus ultimam dispositionem. Sic species impressa, licèt imperfectior cognitione, concurrit ad illam simul cum Intellectu. Potest etiam operatio per medium, tametsi non influat partialiter, esse conditio naturaliter necessaria, & sine quâ non, ex naturâ & indole causæ; quæ natura & indoles nobis per experientiam innotuit. Ex quo patet ad 1. & 2. exemplum.

10 Ad 3. dic, fundum lebetis calidius esse, quàm aquam, in principio calefactionis; postea verò, dum jam aqua fervet, ideò tepidius esse, quàm superiorem aquâ, quia inferiores aquæ partes, incalescentes, & leviores factæ, superiùs ascendunt, descendentibus interim partibus alijs frigidioribus, & ideò gravioribus, quæ fundum lebetis temperant: id quod satis ostendit ebullientis aquæ revolutio. Si tamen aqua tamdiù ferveat, ut omnes ejus partes æqualiter calefiant, non erit tepidum lebetis fundum. Et in his forsan circumstantijs experimentum fecit P. Arriaga, qui testatur à se non impunè factum. Simile quid accidit in papyro, quæ continet oleum; hujus enim crassiores & humidiores particulæ, descendentes, & papyrum temperantes, combustionem ejus impediunt.

11 *Objic.* 4.: qui lapidem projicit, impulsum producit in lapide jam aliquatenùs distante; nam impulsus in primo instanti, quo producitur, causat motum lapidis: ergo lapidem recedere facit à loco, in quo erat projectori contiguus: ergo in illo primo instanti lapidem distare facit à projectore. Negant aliqui, quòd impulsus in primo suæ productionis instanti motum causet. Sed quia hoc difficile creditu est, facilius respondetur, ut manus projiciat lapidem, inprimis necessariam esse per modum conditionis

nis prævia contiguitatem utriusque in instanti antecedenti: deinde in primo instanti projectionis pro signo priori præscindi ab utriusque præsentijs, donec producatur impulsus, qui præsentias illas determinat: impulsum autem, aut motum prævium, non in solo lapide produci, sed simul etiam in manu (idem intellige de quovis projectore creato, nam de Deo nulla est difficultas), quæ simul & se, & lapidem impellit, ac movet. Hinc fit, ut manus in primo instanti productionis impulsus, vel etiam in aliquo imperceptibili tractu temporis, in quo immediatè conservat impulsum lapidis, non separetur à lapide; quia, licèt illum recedere faciat à loco, in quo erat, ipsa quoque manus locum mutat, & contiguitate retentâ lapidem comitatur tantisper. Dum autem manus sistit, & lapidem abire sinit, jam impulsus lapidis non amplius immediatè pendet à manu, ut est manifestum.

*Contra secundam Assertionem.*

12 *Objic.* 1.: nulla causa operari potest, etiam divinitùs, extra suam sphæram. *Resp.* Duplex est activitatis sphæra, intrinseca, & extrinseca, sive localis. Sphæra intrinseca, est ratio formalis, sub quâ operatur virtus, sive physica, sive intentionalis; vel est capacitas effectus ad terminandam actionem talis causæ: & sphæram hujusmodi nulla virtus transgredi potest. Sic potentia visiva percipere nequit nisi lucidum coloratum, nec auditiva nisi sonum. Sic etiam causa purè physica producere nequit effectum, quem nullatenùs continet, seu qui non est intrinsecè aptus ad ejus actionem terminandam. Sphæra extrinseca, est spatium illud, sive loci ambitus, intra cujus terminos cohibetur naturaliter activitas causæ: & ultrâ sphæram istam non est cur nequeat divinitùs causa operari; quia, licèt propinquitas loci sit conditio naturaliter exacta, nullo ex capite probatur essentialiter necessaria.

13 *Replic.* 1.: causa nequit agere, quando non est: ergo nec agere potest, ubi non est. Verùm hoc contra omnes probat, requiri penetrationem localem agentis cum effectu, sicut requiritur penetratio temporis, seu coexistentia in eodem instanti. *Quare neg. Conseq.*: quia potest causa simpliciter nunc existere, ac proinde virtualiter effectum continere, quamvis non sit in hoc loco, dummodò sit in alio (nam si nullibi est, nihil est): at, si non est in hoc instanti, simpliciter non existit, & nihil continet. *Replic.* 2.: si causa divinitùs operans non exigit certam loci sphæram, operari poterit etiam in distantiâ infinitâ. *Nego sequel.* de infinitudine categorematicâ: deberent enim causa & effectus existere certis in locis; & implicat in terminis distantia infinita, certis utrinque locis terminata. Admitto tamen infinitudinem syncategorematicam, ita scilicet, ut nulla distantia sit designabilis, ultrà quam non possit causa divinitùs agere. Nec inde arguitur infinita virtus: nam, licèt amplior sphæra naturalis soleat esse argumen-

finitam majoris virtutis, quia plus virtutis impenditur in agendo per medium; quando tamen nihil per medium agitur, ut in nostrâ hypothesi, de materialibus habet distantia major aut minor ad mensuram virtutis.

14 *Objic.* 2: causalitas, sive actio, nequit divinitus separari localiter ab effectu, cujus est modus: ergo nec à causâ, cum pariter sit modus ejus: ergo essentialiter exigit indistantiam utriusque. *Resp.* Imprimis objectio nimis probat, nempe quòd actio penetrari debet cum causâ, sicut penetratur cum effectu. Deinde actio est localiter inseparabilis ab effectu, non præcisè quia modus illius est, sed quia modus ipsi intrinsecus ex proprio munere: nam vel est eductio, vel creatio: si eductio, est intrinseca tuto, vel receptio sui termini intra subjectum: si creatio (quam a Deo distinctam nunc supono,) non habet cui adhæreat intimè, nisi soli termino. At respectu causæ actio transiens non est modus intrinsecus, sed extrinsecus ex munere suo: non enim habet constituere causam intrà effectum, aut vice-versâ, sed potius constituere se ipsam & effectum extra causam, & extra locum causæ. Ut igitur actio verè dicatur causæ modus physicus, sufficit quòd ab eâ sit essentialiter inseparabilis; tum *egressivè*, seu *in egrediendo*, quatenùs essentialiter habet egredi à tali causâ; tum *in existendo*, quatenùs essentialiter impotens est actu existere in rebus, quin talis causa in rebus existat. De cætero, localis inseparabilitas ab omni re modificatâ, non est de conceptu modi ut fier; sed colligi debet ex peculiari munere cujusque modi.

15 *Objic.* 3: Finis etiam divinitus movere nequit absque approximatione intentionali, licet hæc non sit ratio motiva, sed mera conditio: ergo nec causa physica potest agere sine approximatione locali. *Neg. Consequentiam.* Antecedens communiter censetur verum: tum quia cognitio non solùm est approximatio, sed etiam intentionalis existentia objecti, quæ ita se habet ad genus causæ finalis, sicut ad genus efficientis existentia physica: tum etiam, quia voluntas, ut potentia cæca, ferri non potest in bonum incognitum, quod eo ipso est extra sphæram intrinsecam voluntatis. At nulla ratio finalis in approximatione locali militat. Quare approximatio ista non est cur flagitetur conditio pluliquam naturaliter necessaria. *Dices:* actio pendet essentialiter, non solùm à virtute causæ, sed etiam à conditionibus prævijs, cum sit etiam earum exercitium & causalitas, saltem in genere causæ moralis. *Resp.* Imprimis hinc ad summum probabitur, quòd actio in distans diversa foret ab actione in propinquum; non tamen, quòd non esset eadem causa, & idem effectus. Deinde neque hoc probatur: nam respecta conditionum, ut causarium in genere morali, exercitium sive causalitas non est actio physica secundum se præcisè, sed prout à Deo volita intuitu conditionum præsentium, ac velut in gratiam

tiam ipsarum: talis autem volitio Dei variatur utique, variatis conditionibus: sed non ideò actio physica debet evadere intrinsecè diversa.

16 *Objic.* 4.: Deus nullo modo potest operari in loco à se distante: ergo multò minùs causa creata. Sed verò hinc similiter sequitur contra omnes, quòd omnis causa creata debet esse intimè præsens, & penetrata cum effectu: item quòd nec mediatè agere potest in distans agendo per medium: item quòd nequit agere in uno loco, quin sit in omnibus. Deus ergo nequit agere, nisi præsentissimus ubique, non formaliter quia est ageus, sed quia est immensus. Nam, si fingatur immensitatem deficere, manente in Deo integrâ virtute agendi, quæ modò est, posset Deus agere in quacumque distantiâ imaginabili. *Replic.*: immensitas Dei, quâ est ubique præsens, probari solet ex eo, quòd Deus operatur ubique: quo argumento usus est Apostolus *Act.* 17., probans, Deum *non longè* esse *ab unoquoque nostrum*, quia *in ipso vivimus, movemur, & sumus.* Operatio igitur infert essentialiter indistantiam agentis.

17 *Resp.*. Plures cum Scoto negant, ex operatione Dei benè probari præsentiam localem, aut immensitatem, sed hanc dicunt esse attributum immediatè conveniens essentiæ Divinæ ratione sui, non ratione potentiæ operativæ. Apostolum autem sic intelligunt, ut significet, vel quòd Deus præsens ubique sit per cognitionem, providentiam, & curam rerum omnium; vel etiam, quòd Deus non longè sit à cognitione nostrâ naturali, quâ possimus eum ex effectibus detegere, & quodammodò *attrectare*, ut loquitur Apostolus; siquidem *in ipso*, ideſt, per virtutem ipsius, vivimus, movemur, & sumus: quæ interpretatio satis consonat toti contextui, ut ostendit P. Vazq. *in* 1. *p. d.* 28. *c.* 4. Sed veriùs fortasse dici poterit, illationem, quâ ex operatione colligitur præsentia Dei, & ex infinitâ actione possibili colligitur immensitas, non in eo fundari, quòd agens & passum debeant esse simul, sed in proportione vel paritate rationis; nam si Deus in omnibus operatur, ergo & in omnibus est, cum non sit minùs infinitus in existendo, quàm in operando. Fundari quoque poterit in argumentatione mediatâ, quæ non tenet in agente quovis, sed in Deo solo: nimirùm, si Deus ubique operatur, potest ubique esse; nam omne agēs, licèt non debeat, potest tamen esse ubi operatur: si autem Deus potest ubique esse, jam ubique est ab æterno; quia nequit moveri localiter, aut novam præsentiam adquirere, cum sit immutabilis.

*Contra tertiam.*

18 Adversùs tertiam Assertionem pleraque argumenta modò soluta militare possunt. Sed peculiariter *objic.*: Causa loco disita, ut Sol à terrâ, æquè distat à passo, sive operetur per medium, sive non, sive continuetur usque ad passum mediis aliis virtutibus, aut actionibus, sive secùs: ergo neutro in casu po-

test immediatè agere in passum distans. *Prob. Conseq.* 1.: quia causa immediatè agens, debet immediatè attingere passum; alias non erit applicata. 2.: quia, juxta Aristotel., movens & mobile, idest, agens & passum, debent esse simul: quod etiam sæpe confirmat D. Thomas, nominatim *in* 1. *d.* 37. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 2. dicens: *Illud, quod agit per suam absentiam, non est causa proxima ejus, quod fit, sed remota: virtus enim Solis proximè imprimitur in corpore sibi conjuncto, & sic deinceps usque ad ultimum.* 3.: quia agens comparatur ad passum, ut actus ad potentiam: actus autem & potentia localiter conjungi debent. 4.: quia manus intra mare non magis frigescit, quàm intra puteum; quod tamen aliter contingeret, si partes aquæ marinæ distantiores immediatè concurrerent cum vicinioribus ad frigefaciendum. Atque hinc enervatur experientia de monte conflagrante, adducta *cap. præced.*

19 *Resp.*, Causa disita, licèt secundùm suam entitatem æquè distet à passo in utroque eventu, distat tamen aliter: nam, dum agit in medio, vel cum medio, ejus distantia non excludit approximationem mediatam & virtualem, quam ratio & experientia docet esse conditionem naturaliter necessariam, ut causa operetur in passo distanti; & quâ positâ nihil obest distantia suppositi, vel partis ejus, dummodò passum aliunde sit intra sphæram agentis. Hinc *neg. Conseq.*, quin obstent probationes. *Ad* 1.: causa immediatè agens debet immediatè attingere passum immediatione causalitatis, ac dependentiæ, quatenùs causalitas in passo exercita pendet & oritur à tali causâ, non præcisè per aliam causam intermediam, sed per se, ac ratione sui: non tamen debet semper immediatè attingere passum immediatione quantitatis, aut loci; nam sæpe in hoc genere sufficit attingentia mediata per virtutem aut actionem in medio diffusam, ut causa censeatur applicata passo.

20 *Ad* 2.: movens & mobile debent esse simul, tum simultate temporis, vel coexistentiæ in rerum naturâ; tum etiam simultate locali, mediatâ saltem, quæ scilicet excludat interruptionem virtutis aut operationis in spatio intermedio. D. Thomas autem loquitur de causâ distante, secundùm se spectatâ; quæ, quia non potest proximè agere in distans, nisi priùs ordine naturæ operetur in medio, ideò dicitur *remota*, idest, *remotè potens*, donec per illam priorem operationem constituatur *proxima*, idest, *proximè potens* ad effectum distantem immediatè causandum. Sic materia secundùm se dicitur potentia remota ad formam ignis, nec fit proxima, nisi per dispositiones accidentales: & tamen materia per se immediatè recipit formam ignis.

21 *Ad* 3.: actus informativus debet localiter conjungi cum potentiâ informabili, seu receptivâ; non ita verò actus effectivus, dum comparatur ad potentiam passivam, ex quâ suos effectus educit; non

non enim unitur cum tali potentiâ, nec cum eâ componit unum ens, alioquin deberet cum illâ penetrari. *Ad* 4.: distantiores partes aquæ maris ideò non agunt cum vicinioribus in manum, quia ipsarum actio retardatur, aut impeditur à varijs causis, cœlestibus, & subterraneis, quæ inducto calore temperant marinam aquam, & magnâ ex parte nativo frigore privant. Non sic impeditur actio ignis in monte conflagrante; quia non ita facilè privatur ignis calore intenso.

*Contra quartam.*

22 Adversùs quartam & ultimam Assertionem *objic.*: Actio egreditur ab agente, & transit usque ad passum; unde & appellatur *actio transiens*: ergo transire debet per medium: nam, sicut corpus transire nequit de loco in locum distantem, non transeundo per medium, ita nec actio. *Resp.* Actio non egreditur ab agente, sicut sagitta egreditur ab arcu, & pervenit ad scopum, quasi priùs in agente existat, & inde saltet, aut volet ad passum: hæc enim rudis Minervæ intelligentia est, cujus absurditas in actionibus Dei ad extrâ manifestè patet. Actio igitur incipit primò existere intra passum, ex quo educitur, & in quo recipitur: sed quia inibi exiit virtute & efficacitate agentis, idcircò ab agente *egredi* dicitur, vocaturque *transiens*, ut discernatur ab actione immanente, quæ non in passo extraneo, sed in agente ipso recipitur. Ita loquimur ex pænuriâ vocum: sed notionem vulgarem mente corrigimus. Hinc extra rem est transitus corporis de loco in locum, cum supponat, extitisse corpus anteâ in uno loco, ex quo migrat in alium. Qui de totâ istâ quæstione plura velit, adeat P. Suar. *d.* 18. *Met. s.* 8..

## CAP. V.

## *CÆTERA PRÆREQUISITA generalia indicantur.*

1 PRæter hactenùs explicata, solent ex Aristotele postulari ad agendum tria prærequisita generalia. 1. distinctio agentis à passo. 2. dissimilitudo inter utrumque. 3. proportiò majoris inæqualitatis. Hoc ultimum per se patet evolutis terminis: significat enim, inter agens & passum talem prærequiri proportionem, ut major sit virtus in agente, quàm resistentia in passo. Primum, & secundum, multâ indigent discussione, quam in decursu Philosophiæ pro opportunitate dabimus; quamque interim videre licet apud Exim. Doctorem *d.* 18. *Met. s.* 7. & 9.. Nunc satis sit dicere quantum ad primum, illud inniti principio generali, ab Aristotele tradito, *Omne, quod movetur, ab alio movetur*: unde infertur, quòd, cum passum moveatur ab agente, debet ab eo distingui; non quidem semper distinctione suppositorum (constat enim, sæpe idem suppositum agere & pati motum, ut cùm homo se movet), sed distinctione saltem partis à parte, vel facultatis à facultate; ita ut, licèt suppositum idem sit, tamen alia pars agat, alia patiatur motum,

tum, vel alia ſit facultas aut potentia proximè activa motus, alia proximè receptiva: alia, inquam, ſaltem alietate inadæquatâ, ſeu diſtinctione includentis ab incluſo, ita ut facultas activa diſtinguatur à receptivâ ſaltem ſecundùm aliquod comprincipium, ſeu virtutem partialem.

2 Diſtinctio iſta, ſic expoſita, requiritur generatim in omni agente, ſi non ſit purè creatum, ſed conſideretur prout adjunctam habens virtutem primæ cauſæ cooperantis: ſic enim certum eſt, adæquatam potentiam activam ſemper à paſſivâ diſtingui ſaltem inadæquatè, nempè quâ parte includit virtutem primæ Cauſæ. Si tamen de virtute purè creatâ, æquivocè operante, ſermo ſit, principium illud (quod ab Ariſtotele traditum eſt vel unicè, vel potiſsimè de motu phyſico tendente ad generationem ſubſtantialem) non eſt univerſaliter verum: nam ſaltem actus voluntatis ab eâdem potentiâ fiunt, aut fieri poſſunt, in quâ recipiuntur, cum ſolâ diſtinctione rationis imperfectâ. Nec obſtat 1., quòd agens comparetur ad paſſum, ut actus ad potentiam. Nam comparatio iſta ſolùm ſignificat, quòd agens poteſt actuare paſſum per aliquam formam à ſe productam: nulla eſt autem contradictio in eo, quòd agens producat formam accidentalem, per quam ipſummet actuetur, ac perficiatur.

3 Nec obſtat 2., quòd reſpectu effectus producendi agens dicatur eſſe *in actu*, & paſſum *in potentia*. Nam hoc intelligendum eſt de *actu primo*, & de *potentia ad actum ſecundum*; vel, quod in idem recidit, de *actu virtuali*, & de *potentia formali*. Nullo autem ex capite repugnat, quòd eadem voluntas v. g. præſupponatur in actu primo, ſeu virtuali, ad amàdum (ideſt, actualiter habens virtutem productivam amoris), & ſimul in potentiâ ad recipiendum amorem formalem, tanquam actum ſecundum illius actus primi. Nec obſtat 3., quòd agens dicatur ſubjicere ſibi paſſum. Nam hoc *ſubjicere* metaphoricum eſt, & præcisè ſignificat agens producere formam, quàm paſſum recipiat. Nihil autem prohibet ex terminis, formam aliquam ab eodem recipi, à quo producitur. Nec ſemper eſt neceſſaria relatio realis inter agens, & paſſum ſpecificativè ſumptum, ſed ſolùm inter agens, & effectum, ſeu terminum formalem.

4 Quod attinet ad ſecundum, commune proloquium eſt, ab Ariſtotele traditum, & experientiâ comprobatum, quòd *Simile non agit in ſimile*. Hoc maximè locum habet in actione alterativâ, ſeu corruptivâ formæ in paſſo exiſtentis: non enim aqua per ſe deſtruit aquâ, nec ignis ignem. Locum etiam habet in actione intenſivâ: non enim unum luminoſum intenditur ab alio ſimili: unde, ſi uni lucernæ admoveas mille alias, non ideò lucidiorem invenies. Eodem ſpectat hoc aliud principium, *Omne agens intendit aſſimilare ſibi paſſum*; nempe, vel ſimilitudine ſpecificâ, dum agens eſt univocum; vel ſimilitudine generica, ſive analogicâ, dum

agens

agens est æquivocum. Quare, si jam assimilatio præsupponitur, cessat finis actionis, ac proinde cessat actio ipsa. Prærequiritur ergo, ut necessaria conditio ad agendum, dissimilitudo, seu carentia similitudinis inter agens, & passum. Hoc tamen (ut alias exceptiones omittam, alibi discutiendas) ita intelligendum est, ut simile non agat in simile actione præsupponente similitudinem; benè verò, actione similitudinem efficiente, aut conservante. Intelligendum item sic, ut solùm obstet similitudo passi cum agente secundùm proximam virtutem agendi: nam, licèt detur similitudo substantialis inter aquam frigidam, & calidam, altera tamen agit in alteram accidentaliter, quia sunt dissimiles in qualitate, quæ est proxima virtus agendi.

5 Supersunt adhuc alia quædam prærequisita, breviter percurrenda. Et 1. quidem, ad actionem substantialem prærequiritur in causis secundis, tum ex parte agentis, tum ex parte passi, certum temperamentum qualitatum; quod varium est pro varietate agentis, & formæ producendæ. Hinc ignis, quantùmvis applicatus ligno, non est proximè potens inducere formam igneam, donec materia ligni præparetur per qualitates igni debitas. 2. generaliter ad agendum prærequiritur carentia impedimentorum, quibuscum existentia effectus cohærere nequit. Sed notandum, alia esse impedimenta per actum secundum auferibilia, alia inauferibilia. Respectu agentis liberi dicuntur auferibilia, quæ pro libitu agentis auferri possunt eo ipso, quòd agere velit. Sic voluntaria sessio impedit ambulationem, & odium liberum impedit amorem: sed utrumque impedimentum auferri potest hoc solo, quòd homo velit ambulare, vel amare. Dicuntur verò inauferibilia, quæ nequit agens auferre pro libitu, v. g. ferrea vincula, quibus homo tenetur invitus, ne discedat.

6 Respectu agentis necessarij illud est impedimentum auferibile, quod ipsâ productione effectus auferri potest, & aliunde non habet jus ad existendum naturaliter prævalens juri agentis ad operandum. Sic frigus aquæ impedimentum est caloris inibi producendi; auferibile tamen ab igne validiore per ipsam caloris productionem. Sic etiam forma ligni impedimentum est formæ ignis in eadem materiâ; sed auferibile per introductionem ipsam formæ igneæ, quando jam lignum amissis proprijs dispositionibus non habet jus prævalens ad sui conservationem. Illud autem est impedimentum inauferibile, ad quod auferendum per ipsam productionem effectus, non habet agens exigentiam prævalentem cuivis exigentiæ naturali contrariæ. Sic illuminationem impedit interpositio corporis opaci: sic etiam præsentia validioris agentis impedit actionem debilioris.

7 Carentia igitur impedimentorum prioris generis requiritur, sed non prærequiritur; nec debet effectum præcedere, sed subsequi;

qui: prærequiritur tamen, ac præcedere debet carentia impedimentorum generis posterioris. Ratio est: quia causa non dicitur esse in actu primo proximo, & prorsus expedito ad operandum, quamdiu supereſt aliquid exequendum aut auferendum, priusquàm ad actionem perveniatur; seu quamdiù non intelligitur liberata prorsùs ab ijs impedimentis, quorum ablatio vel non est effectus actionis, vel non est in arbitrio, nec in jure agentis: sic autem accidit, quamdiu non adest carentia impedimenti inauferibilis. E contrario, quàmvis pro priori non intelligatur positivè sublatum impedimentum auferibile, sed præscindatur ab ejus existentiâ & carentiâ, nihil supereſt ad agendum præter actionem ipsam, quæ, si ponatur, carentiam inducet talis impedimenti. Et verò, si omne impedimentum deberet intelligi pro priori sublatum, ipsa quoque carentia effectus, quæ certè impedimentum actionis est, deberet præintelligi exclusa positivè; cumque non excludatur nisi per existentiam effectus, hic præintelligeretur existens ante se; quod implicat.

8 3. prærequiritur existentia causæ remotæ conservantis proximam. Quia causa creata causare non potest, nisi existat, & existere nequit, nisi actualiter ab aliâ causâ conservetur. Non tamen prærequiritur causa remota determinata, sed aliqua vagè, quando à pluribus divisivè conservari potest causa proxima. Nec item recensenda est causa remota inter prærequisita immediata, & directa, quæ constituunt actum primum proximum ad agendum, sed tantùm inter mediata, & indirecta, de quibus suprà *cap. 2. n. 6.*. Ratio est: quia potest plenè concipi actus primus proximus, quin concipiatur ut constitutus per causam remotam: dummodò enim ignem A. concipias existentem, & applicatum materiæ dispositæ, concipies proximè potentem comburere, licèt causam, à quâ producitur, aut conservatur, non intelligas constitutivè inclusam in potentia ista proximè combustivâ.

9 *Dices*: si concipitur ignis actu existens, debet concipi existens vi alicujus causæ, nec potest ab omni causâ conservativâ præscindi. *Resp.*. Esto nequeat ignis existens præscindi ab omni sui causâ, tanquam à termino connexionis; potest tamen concipi sine illâ ut constituente ignem ipsum in ratione existentis, & proximè potentis comburere, ita ut in esse talis concipiatur adæquatè distinctus à causâ remotâ, licèt cum illâ connectatur. Sic rationale non constituitur per discursum, nec creatura per Creatorem, nec unio per extrema; sine quibus tamen, tanquam terminis connexionis, aut relationis transcendentalis, concipi non potest unio &c.. Hæc de causâ remota, consideratâ in suo actu primo: cæterùm, si de actione producente, aut conservante causam proximam, sermo sit, illa fortasse constituit actum primum causæ proximæ in esse prioris respectu effectus producendi.

10 4. denique prærequiritur ad

ad causandum possibilitas effectus: si enim sit impossibilis, quomodò causabitur? Sed duplex distinguenda est possibilitas: alia extrinseca, consistens in ipsâ virtute causæ; & hæc possibilitas sine dubio prærequiritur, ac se tenet ex parte actus primi, non ut mera conditio, sed ut propria ratio agendi: alia intrinseca, consistens in ipsâ cohærentiâ, seu non repugnantiâ prædicatorum effectus; & hæc possibilitas, licèt sit terminus, quo cum essentialiter connectitur virtus causæ, non tamen constituit actum primum, nec causam in esse proxime potentis agere: tum quia sine illâ, ut constituente, concipi valet plenus actus primus: tum quia talis possibilitas est terminus, ad quem transcendentaliter refertur tota potentia proxima causæ; à quâ proinde adæquatè distinguatur necesse est. Idem de possibilitate actionis dictum esto.

11 Porrò universim observandum est, ex eo præcisè quòd res A. nequeat existere sine B., non benè inferri determinatè, quòd A. constituitur per B., nisi aliunde probetur: alioquin constitueretur creatura per Deum, actio per terminum, unio per extrema. Solùm ergo infertur, quòd A. vel constituitur per B., vel per aliquid aliud necessariò connexum cum B.. Si autem inter nota & certa constitutiva rei A. nullum inveniatur necessariò connexum cum B., sed omnia possint sine illo existere; tunc, si nihilominùs deficiat res A., solo B. deficiente, & manentibus cæteris, optimè infertur, quòd A. constituitur per B.. Non sic accidit in præsenti: nam inter constitutiva certa potestatis proximæ ad agendum, datur aliquod essentialiter connexum cum possibilitate effectus, & actionis, nempe virtus causæ.

12 *Dices*: causa constituitur causans per actionem actualem: ergo constituitur potens causare per actionem possibilem. *Neg. Conseq.*: quia denominatio *causantis* habet pro formâ causalitatem, quæ est actio: at denominatio *causare potentis* non habet pro formâ possibilitatem actionis, sed potentiam causæ, quæ est virtus ejus. Fateor, hoc concretum, *causa possibiliter causans*, vel, *causa causans ut possibilis*, constitui per actionem possibilem; quia constitutiva, quæ ut actualia constituunt totum actuale, eadem ut possibilia constituunt idem totum ut possibile. Cæterùm ejusmodi concretum plus involvit, quàm hoc aliud, *causa potens causare*, cujus forma est, non actio, sed virtus causæ.

# DISPUTAT. IV.

## DE PRIORITATE NATURÆ. UBI, AN SIT poſsibilis mutua prioritas?

### CAP. I.
### EXPLICATUR NATURÆ Prioritas.

1 PRioritas naturæ propriè dicta, ſolùm convenit cauſis reſpectu effectuum, in quos influunt phyſicè, vel moraliter. Unde non eſt confundenda cum prioritate temporis, ſeu durationis, vi cujus unum exiſtit in tempore, vel inſtanti, in quo nondùm exiſtit aliud poſteâ extiturum: non enim quidquid nos tempore præceſsit, eſt cauſa noſtri, nec prius naturâ reſpectu noſtri. Nec item eſt confundẽda univerſim cum prioritate, ſeu præcedentia loci, vel perfectionis, vel dignitatis, vel honoris: nam prioritas hujuſmodi convenire poteſt etiam non cauſis. Nec prætereâ confundenda eſt cum prioritate rationis, quæ reperitur interdùm inter prædicata ſolâ ratione diſtincta, quando unum concipitur ut radix alterius, ut cum rationale dicitur prius admirativo, & admirativum riſibili: non enim hîc intervenit realis cauſalitas.

2 Nec denique confundenda eſt generatim cum prioritate *independentiæ non mutuæ inesſendo*, quæ vocatur etiam prioritas *in ſubſiſtendi conſequentia*, prioritas *logica*, prioritas *univerſalitatis*, & *inconvertibilitatis*; quâ ratione dicitur prius id, quod poteſt exiſtere ſine alio, quin iſtud aliud poſſit exiſtere ſine illo; ſive id, à cujus poſitione non valet conſequentia ad poſitionem alterius, valet tamen è converſo. Quod genus prioritatis reperiri poteſt, tum inter prædicata realiter identificata, quorum unum eſt univerſalius altero, ut animal reſpectu hinnibilis; tum inter extrema realiter diſtincta, dum intercedit connexio non mutua: hoc enim modo Deus eſt prior creaturâ, & anima rationalis prior eſt unione ſui ad materiam.

3 Non, inquam, eſt confundenda naturæ prioritas cum prioritate iſtâ independentiæ, vel inconnexionis non mutuæ. 1.: quia ſæpe datur inconnexio non mutua ſine prioritate naturæ, v. g. inter hunc numero effectum, & hanc numero actionem: poteſt enim exiſtere ignis B. ſine tali actione ignis A., cum poſsit ab alio igne, vel à ſolo Deo produci; talis verò actio nullatenus exiſtere poteſt ſine igne B; nec tamen hic ignis, vel ullus alius effectus, eſt naturâ prior actione, quâ producitur. 2.: quia ſæpe etiam datur naturæ prioritas inter extrema mutuò connexa in exiſtendo: ignis enim eſt naturâ prior calore, quem

quem in se radicat, ut etiam anima suis potentijs, Sol insitâ luce; imò quælibet causa necessaria ultimò disposita est naturâ prior effectu suo: & tamen mutuò connectuntur in existendo ignis, & calor, &c.

4 Nec obstat, quòd Aristoteles 5. *Metaph. c.* 11. dicat, illa esse naturâ priora alijs, *quæ ejusmodi sunt, ut sine alijs esse possint, non autem sine illis alia.* Loquitur enim de independentiâ non mutuâ titulo causalitatis, ita ut naturâ priora, prout hîc & nunc existunt, possint esse *sine alijs*, ut causis; non autem *sine illis*, ut causis, alia, prout hîc & nunc existentia. De cætero, quòd alijs titulis mutuò connecti possint, agnoscit Aristoteles *cap.* 2. *de Postprædicam.*, dicens: *Eorum, quæ essendi consequentia convertuntur, alterum, quod est causa quovis modo, ut alterum sit, prius natura non incongruè dici potest.* Ubi planè supponit, dari posse reciprocam dependentiam, & convertibilitatem duorum in essendo, & tamen posse alterum esse naturâ prius altero, eo quòd sit illius causa.

5 Prioritas igitur naturæ nihil est aliud, quàm *Independentia non mutua unius ab alio, tamquam à causa*; ut ex adverso posterioritas naturæ nihil aliud est, quàm *Dependentia non mutua &c.* Ita communiter Authores, nominatim P. Suar. *d.* 26. *Met. s.* 2. *n.* 18. Itaque omnis causa est naturâ prior effectu suo; quia & illum à se pendere facit tamquam à dante esse; & non invicem pendet ab effectu ipso quà tali (saltem tamquam à causâ ejusdem generis) in ratione proximè potentis causare; sed hanc potentiam proximam jam aliunde habere supponitur: imperceptibile quippe est, quòd res A. proximè possit producere rem B., & tamen ad habendum hoc ipsum posse, expectet influxum rei D., prout à se productæ. Id quod magis firmabitur *cap. seq. à n.* 4.

6 Independentia ista non mutua, fundata in munere causæ, meritò vocatur *prioritas*. Tum quia sic appellatur generatim independentia non mutua ex quocumque titulo. Tum quia est quædam prioritas dignitatis; importat enim quamdam muneris præcellentiam, juxtà illud Act. c. 20., *Beatius est magis dare, quam accipere.* Tum maximè, quia nequit concipi, nec explicari juxta merita objecti, nisi terminis denotantibus præcedentiam. Nam existentia effectus subsequitur existentiam causæ, ex illâ oritur, & pullulat, illi additur, illi supervenit, ita ut linea essendi progrediatur à causâ ad effectum. Ac progressus, superventus, additio, pullulatio, subsecutio, manifestè postulant, causam præmitti, præsupponi, præexistere. Cur autem prioritas hæc vocetur *naturæ*, ratio esse videtur, quòd *natura* dicitur à *nascendo*, & prioritas ista fundatur in ordine, quo unum ab alio nascitur, sive oritur.

*Illationes.*

7 Ex hac explicatione inferes sequentia 1.: prioritas naturæ non invenitur, nisi inter causam & effectu. Unde in processionibus Di-

vinis, licèt detur prioritas originis, non tamen naturæ ; quia non datur ibi causalitas ; nec dependentia propriè talis, quæ requirit distinctionem naturarum. 2.: ad prioritatem naturæ de materiali se habet dependentia vel independentia ex alijs capitibus, quàm causalitatis. 3.: pariter de materiali se habet prioritas temporis, licèt sæpe detur ex peculiari conditione plurium causarum. Nihil enim prohibet ex terminis, causam verè esse causam, & non mutuò independentem ab effectu, quàmvis illum producat in primo instanti, quo ipsa existit ; atqueadeò nihil prohibet, dari tunc quidquid requirit prioritas naturæ. Sic Sol in primo instanti suæ existentiæ, lucem produxit cum prioritate naturæ ; ut etiam Angelus intellectionem, & amorem. Imò ad prioritatem naturæ in causis immediatè influentibus, de formali se habet simultas temporis, seu coexistentia causæ & effectus in eodem instanti : nulla quippe causa physica immediatè causat, nisi actu existens.

8 4.: omnis prioritas naturæ est prioritas *à quo* (licèt hæc latiùs pateat, cum juxta plures dicatur etiam de prioritate originis in Trinitate) : nam eatenùs causa est naturâ prior, quatenùs est id *à quo* effectus accipit esse. Prioritas autem *in quo*, variè usurpatur. Nam interdùm, & frequentiùs, accipitur pro solâ prioritate temporis : interdùm etiam, & satis frequenter, pro prioritate naturæ, non cujuscumque causæ, sed incommensuræ cum effectu ; quamquàm, ut discernatur à prioritate temporis, vocari tunc solet prioritas *in quo naturæ*. Itaque, dum causa non connectitur, saltem essentialiter, cum existentiâ effectus, sed indifferens est, ut sine illo existat, ideòque perfectè concipi & intelligi potest actu posito, quin effectus intelligatur existens ; tunc dicitur naturâ prior, non solùm *à quo*, sed etiam *in quo* ; & quidem eo strictiùs, quo magis fuerit indifferens : unde potentiæ liberæ maximè convenit hujusmodi prioritas *in quo*, quæ etiam vocatur *perfectæ præcisionis*. Dum verò causa est omninò connexa cum effectu, tunc meram habet prioritatem *à quo*.

9 5.: signa naturæ, prius, & posterius, de quibus in Scholis mentio est frequentissima, facilè nunc explicantur. Signum prius nihil est aliud, quàm actus primus causæ, seu causa in actu primo ; potestque esse remotum, vel proximum, ijsdem gradibus, quibus actus primus, juxta dicta *disp.* 2. *c.* 5. *n.* 23.. Signum posterius nihil aliud est, quàm effectus prout à causâ dependens. Hæc signa illa non sunt instantia temporis, nec partes alicujus instantis : sed signum prius (de proximo loquor) adæquatè identificatur cum complexo ex virtute causæ, & prærequisitis ad causandum ; signum autem posterius, cum causalitate, & effectu : neque aliud est, intelligi vel existere aliquid in signo priori, quàm esse virtutem causæ, vel prærequisitum ad causandum ; sic quod

est

est aliud, existere in signo posteriori, quàm existere per modum effectus.

10 Ex quo patet, quàm facilè verificentur in sensu reali plures propositiones, quæ tyronibus difficultatem ingerunt, dum referuntur ad signa prius, & posterius, existentia in eodem instanti temporis indivisibili, ut reverâ existunt quoties effectus actu causatur. V. g. *effectus existit in toto instanti, & tamen non existit in signo priori*: item, *in signo priori non intelligitur, nec realiter datur efficax, nec ejus carentia*: item, *pro signo priori datur indifferentia, & pro posteriori determinatio.* Propositiones, inquam, istas, & similes alias, verissimas invenies, si modò signa rectè intelligas. Nam prima significat, effectum existere quidem in toto instanti, sed non ideò esse causam sui, nec prærequisitum ad causandum se: secunda, nec per effectum, nec per ejus carentiam constitui causam in esse proximè potentis causare: tertia, causam in esse proximè potentis (quando habet prioritatem *in quo*, de quâ *n.* 8.) non constitui per aliquid necessariò connexum magis cum effectu, quàm cum ejus carentiâ; effectum verò ipsum, & productionem ejus omninò excludere carentiam sui pro hoc instanti. At in his omnibus nec umbra contradictionis est.

11 Unde colliges, distinctionem hujusmodi signorum, & prioritatem naturæ, non esse opus rationis, sed quid omninò reale. Nam independenter à nostris conceptibus datur in eodem instanti dependentia effectus à causâ, & independentia causæ ab effectu: datur item distinctio inter actum primum, & actum secundum, sive inter causam cum prærequisitis ad agendum, & effectum ut inde profluentem. Fateor, sæpe à nobis apprehendi prioritatem naturæ instar prioritatis temporis, & signa prius, & posterius considerari instar partium, aut cellularum ejusdem instantis; quâ de causâ interdum appellantur *instantia naturæ*, & *instantia rationis.* Sed aliud est apprehendere instar, aliud judicare, vel attribuere: apprehendimus enim Angelum instar alati juvenis, nec tamen illi corporeitatem attribuimus. Quinetiam, cùm dicimus, causam in signo priori *præscindi* ab effectu, fermo est de præcisione reali, quæ duplex esse potest: altera *inconnexionis*, sive *indifferentiæ*, quæ solùm convenit causis prioribus *in quo*: altera *non inclusionis*, quæ convenit etiam causis prioribus purè *à quo*; hæ quippe, licèt concipi nequeant sine effectu tanquam termino connexionis, non tamen illum constitutivè includunt in suo actu primo.

12 Immeritò igitur quidam, idiomatis Scholarum otiores, doctrinam de signis priori & posteriori quasi vanam speculationem calumniantur: plurimum enim interest accuratè discernere in rebus simul existentibus, quid pertineat ad signum prius, quid ad posterius; ut inde sciamus, quid habeat munus

causæ, quid causati. Duo hic observanda. *Primum*, dari posse in eodem instanti non duo tantùm, sed tria, vel plura signa naturæ, si nimirùm detur series plurium causarum & effectuum. V. g. in eodem instanti datur 1. signum, quo Deus est naturâ prior Angelo, quem creat; 2. signum, quo Angelus est prior suâ potentiâ intellectiva; 3. signum, quo intellectus Angeli prior est intellectione; 4. signum, quo intellectio est prior amore, &c.. *Secundum*, signa prius, & posterius inveniri, non solùm in primo instanti productionis effectus, sed etiam in quocumque instanti conservationis ejusdem effectus ab eâdem causâ; cum in quolibet habeat causa suum actum primum, & actum secundum.

13 *6*: naturæ simultas, quæ naturæ prioritati contraponitur, explicanda est per consortium causalitatis. Quare illa dicuntur esse simul naturâ inter se, quæ per eamdem actionem producuntur, ut juxta plures materia, & forma Cœli: nec tunc efficiunt duo signa, sed unicum, quia producuntur per modum unius effectus. Quòdsi duo effectus in eodem instanti producantur ab eâdem causâ per distinctas actiones, non propriè erunt simul naturâ, nec existent in eodem signo, sed in signis concomitantibus: vel erunt simul naturâ negativè, quatenùs neuter est naturâ prior, nec posterior altero: quo etiam sensu negativo dulcedo, & albedo in sacharo dicuntur esse simul naturâ. Illa verò sunt simul naturâ respectu tertij, quæ integrant, & quatenùs integrant unam causam adæquatam respectu ejusdem effectus. Unde contingere potest, unum esse naturâ prius alio, & tamen ambo esse simul naturâ respectu tertij: v. g. si ignis A. producat ignem B., ac deinde cum eo jam producto per modum unius causæ immediatè concurrat ad ignem C.. Intellige dicta de simultate *à quo*: nam simultate *in quo*, seu mutuæ connexionis, sæpe dicuntur esse simul naturâ quæcumque ita coexistunt, ut unum concipi nequeat existens sine alio, sive sit, sive non sit illius causa, vel effectus; atque hoc ensu Relativa dicuntur esse simul naturâ.

14 7.: naturæ prioritas convenit omnibus causis. Nam in primis causa efficiens strictissimam habet prioritatem *à quo*: &, si non sit necessariò connexa cum effectu, habebit etiam prioritatem *in quo*. Deinde causa materialis, & causa finalis, ut intentionaliter existens, eodem ferè modo, ac rigore præcedunt, quo causa efficiens. Demùm causa formalis, si per creationem producta sit, ut anima hominis, præcedit compositum prioritate naturæ *à quo*, & *in quo*. Si verò sit forma educta, præcedit compositum prioritate *à quo*, cum verè sit causa illius; non tamen prioritate *in quo*; quia, cum eductio sit realiter unio, & ultima determinatio, ut existat compositum, nequit forma intelligi existens vi eductionis, quin intelligatur omninò connexa cum existentia compositi. Atque

hoc

hoc tantùm volunt, qui negant, materialem formam intelligi posse in ullo signo priori ad compositum: loquuntur enim de signo prioritatis *in quo*, seu dicente inconnexionem, aut indifferentiam aliquam.

15 8.: prioritas naturæ respectu effectus convenit etiam conditionibus prævijs, seu prærequisitis ex parte causæ. Tum quia effectus non subsequitur causam, nisi prout illis conditionibus convestitam: nec supponit causam utcumque, sed ut proximè potentem causare, ac proinde ut conjunctam cum ijs conditionibus, per quas constituitur proximè potens. Tum etiam, quia puræ conditiones, licèt non influant physicè, influunt tamen quodammodò moraliter, quatenùs exigentiâ suâ movent, vel saltem determinant exigentiam causæ, ut moveat Deum ad concurrendum. Atque ita nemo est, qui conditiones istiusmodi non collocet in signo priori.

*An etiam Actio sit natura prior effectu?*

16 In hac quæstiunculâ certum inprimis est, quòd actio non præcedit effectum prioritate *in quo*; cum enim sit ultima determinatio, & exercitium, quo effectus in rerum naturâ ponitur, essentialiter est impotens existere, quin existat effectus. Deinde, loquendo de prioritate *à quo*, certum est pariter, quòd actio, sicut non est causa *ut quod*, ita non est effectu prior *ut quod*: nam ratio causæ mensura est prioritatis naturæ. Denique certum est, quòd actio est effectu prior *ut quo*, sicut est causa *ut quo*, seu per modum exercitij, quo causa redditur causans, & prior in actu secundo. Solùm ergo quæstio supereſt, an hæc prioritas *ut quo*, sufficiat, ut actio propriè dicatur naturâ prior effectu? Cui negativè respondeo cum pluribus.

17 1.: quia eatenùs aliquid est naturâ prius, quatenùs est causa, vel prærequisitum ex parte causæ: sed actio, licèt causet *ut quo*, non est propriè causa, nec prærequisita ex parte causæ, ut fatentur omnes: ergo nec est propriè prior, licèt præcedat *ut quo*. 2.: quia, dum unus producitur effectus, communiter non recensentur, nisi duo signa, prius, & posterius: sed actio non pertinet ad signum prius, alioquin se teneret ex parte actus primi, quod nemo dixerit: ergo pertinet ad signum posterius, quod est signum effectus. Quæ autem pertinent ad idem signum, sunt simul naturâ. Certè, si actio propriè præiret effectum, deberet suum seorsim constituere signum, medium inter signa causæ, & effectus; quod tamen communiter non agnoscitur. 3. (& in idem recidit): quia actio spectat ad actum secundum, cum certè non spectet ad primum: sed effectus spectat etiam ad actum secundum, juxta omnes: ergo actio, & effectus sunt simul naturâ. Patet consequentia: quia si actio propriè præcederet, spectaret effectus non ad actum secundum, sed ad tertium, siquidem adveniret post actum actionis, qui est secundus. Denique, ac-

actio & effectus producantur eâdem actione, cum actio ſit etiam productio ſui: ergo convenit ipſis naturæ ſimultas, ex *n.* 13.

18 Unde colliges 1., optimè ſtare, quòd actio ſit prior *ut quo*, & tamen non propriè ſit prior. Sic, ut nuper ajebam, cauſa purè *ut quo*, non eſt propriè cauſa. Sic viſio ocularis non propriè videtur; & tamen eſt viſa *ut quo*, quia eſt id, quo color conſtituitur viſus. Sic etiam receptio formæ in ſubjecto non propriè recipit, cum tamen ſit recipiens *ut quo*. Imò actio ipſa eſt etiam *ut quo* cauſa ſui, & prior ſe, cùm ſit exercitium, quo cauſa redditur in actu ſecundo cauſans, & prior actione ipsâ. Num idcircò propriè dicetur actio ſeipsâ prior? Colliges 2., cùm actio dicitur *via* ad terminum, & *media* inter cauſam & effectum, locutionem eſſe impropriam, & abuſivam, inde ortam, quòd actio non cognoſcitur per ſpeciem propriam, ſed apprehenditur inſtar viæ mediantis, & tendentis in effectum. Reverâ tamen actio eſt ultima formalis determinatio & executio effectus, totaque illius eſſentia eſt reddere effectum actu poſitum in rerum naturâ. Loquor de actione inſtantaneâ: nam ſucceſſiva, quoad priores ſui partes, præcedit utique terminum ultimum, quia non eſt immediata illius productio, niſi penès ultimam partem actionis.

*Quænam ſit forma denominans cauſam naturâ priorem?*

19 Reſponſio communis eſt, formam, aut quaſi formam, quâ redditur cauſa *prior in actu primo remoto*, eſſe virtutem, aut potentiam ejus, nondùm expeditam: quâ verò redditur *prior in actu primo proximo*, eſſe virtutem, aut potentiam ipſius ut conjunctam cum omnibus prærequiſitis ad cauſandum: quâ demum conſtituitur *prior in actu ſecundo*, eſſe actionem, ſeu cauſalitatem actualem. Ratio omnium eſt; quia per hujuſmodi formas, aut quaſi formas, conſtituitur cauſa in eſſe cauſæ juxtà illum triplicem actum: ergo per eaſdem conſtituitur in eſſe prioris, cum eatenùs ſit prior naturâ, quatenùs habet rationem cauſæ. Notandum tamen, quòd cauſa in actu primo, ſicut non eſt actualiter cauſans, ſed potens cauſare, ita non eſt actualiter prior effectu, ſed potens eſſe prior. Cum enim prioritas naturæ ſit independentia non mutua cauſæ ab effectu, non ſolùm importat independentiam cauſæ, ſed etiam dependentiam effectus, quæ in actu primo nondùm eſt. Quare prioritas in actu primo, ſolùm eſt prioritas poteſtativa, quatenùs eſt poteſtas, ut à ſe pendere faciat effectum.

20 Notandum item, quòd prioritas actualis, ſive in actu ſecundo, non eſt ſola actio, vel cauſalitas. Quia non conſiſtit in ſolâ dependentiâ effectus à causâ, quæ eſt actio, ſed ſimul in independentiâ cauſæ ab effectu; quæ independentia in eo ſtat, quòd cauſa ſuum eſſe, ſuamque potentiam proximam habeat independenter ab influxu effectus. Hæc ergo prioritas, præter ac-

actionem in causæ in effectum, importat ex parte causæ sufficientiam, vel titulum essendi, non indigentem influxu effectus à se causandi; sive ille titulus sit aseitas, ut in causâ primâ; sive sit influxus alterius causæ, ut in causâ creatâ: idemque titulus pertinet etiam ad prioritatem in actu primo proximo, tanquam una ex conditionibus prævijs. Notandum denique, quòd hæc eadem forma, quasi coalita ex dependentiâ & independentiâ, est posterioritas naturæ, seu forma denominans effectum *posteriorem*. Passim quippe accidit, ut eadem forma respectu diversorum contineat denominationes diversas, & oppositas, v. g. *producentis* & *producti*, *recipientis* & *recepti*.

21 Sed contra responsionem, quâ parte dicit, causam per actionem constitui priorem in actu secundo, solet *objici* 1., quòd actio est forma, quâ effectus & causa sunt simul naturâ, cum tribuat illis denominationes correlativas *causantis* & *causati*, & proprium sit relativorum esse simul naturâ. 2., quòd actio non est prior effectu, nec intelligitur in signo priori: ergo non potest constituere causam in esse prioris. 3., quòd causa per eamdem formam est prior & effectu, & actione. Nequit autem per actionem esse prior actione, nisi actio præcedat semetipsam. Probatur hoc: quia causa, ut prior actione, præcedit actionem: ergo, si causa, ut prior actione, involvit actionem, hæc etiam seipsam præcedet.

22 Sed hæc parùm urgent. *Ad* 1. actio est forma, quâ effectus & causa sunt simul naturâ simultate *in quo* (quam solam requirunt correlativa ex n. 13), quia, stante actione, nullatenùs potest causa existere sine effectu, nec vice versâ. Cum hoc tamen cohæret, quòd actio sit forma prioritatis *à quo*, siquidem per actionem causa est in actu secundo id, *à quo* effectus oritur, ac pendet. Prioritas autem ista, maximè in actu secundo, non pugnat cum simultate *in quo*. *Ad* 2.: ut actio constituat causam in esse prioris, vel (quod idem est) ut sit prior *ut quo*, non requiritur quòd sit prior propriè, & *ut quod*, ex dictis *n.* 18. Nec denominatio *prioris in actu secundo*, quemadmodùm nec denominatio *causantis*, intelligitur in signo priori secundùm omnia sui constitutiva: nam signum prius est ipse actus primus causæ, in quo non datur quidquid requirit prioritas actualis, ex *n.* 19.

23 *Ad* 3. causa constituitur quidem per actionem in actu secundo prior actione, sicut per eandem constituitur in actu secundo causans actionem: sed inde non magis infertur, quòd actio præcedat se, quàm quòd sit causa sui. Patebit hoc applicanti probationem adjunctam sic: Causa, ut causans, est principium actionis: ergo, si causa, ut causans, involvit actionem, hæc erit principium sui ipsius. Sicut ergo sine absurdo conceditur, actionem esse causam sui pure *ut quo* per modum exercitij virtutis distinctæ, cui soli proprie convenit denominatio *causæ*; ita concedendum de nomi-

finine *prioris*, quod idem valet.

## CAP. II.

## AN SIT POSSIBILIS MUTUA naturæ prioritas?

1 CUm naturæ prioritas solis conveniat causis respectu effectuum, quæstionis propositæ sensus est, Utrùm sit possibilis mutua causalitas? sive Utrùm duæ res possint esse sibi invicem causæ, ita ut una causet aliam, & vicissim ab eâ causetur? Et *primò* quæstio loquitur de prioritate mutuâ in eodem instanti; nam in diversis non est cur repugnet mutua prioritas, cum possit ignis B. nunc produci ab igne A., & posteà à solo Deo conservatus eundem ignem A. conservare, vel destructum reproducere. *Secundò* sermo nunc est de mutuâ prioritate, seu causalitate quoad primum esse, idest, quoad productionem unicam, vel primariam totalem, quâ res accipit suum esse, vel in suo esse conservatur: nam de mutuâ prioritate quoad secundum esse dicemus cap. 4. *Tertiò* nullum est dissidium de causis finali & efficiente; quas posse sibi invicem esse causas, nemo dubitat. Cum enim causa finalis non prærequirat existentiam physicam, sed solùm causet ut cognita, sive ut existens intentionaliter; potest utique exercere causalitatem suam, antequam physicè existat, ac proinde potest finaliter causare id, à quo posteâ causatur efficienter secundùm physicam existentiam. Atque ita se habet ægroti sanitas respectu medicaminis,

2 *Quartò* videtur etiam inconcutanter admittenda mutua prioritas in causis moralibus: quod patet in rebus mutuò connexis, v. g. in formâ, & ejus ultimâ dispositione. Nam utraque, ut nunc existens, exigit à Deo conservationem sui pro instanti sequenti (hoc enim proprium est rei permanentis), & consequenter utraque exigit conservationem alterius, cum nequeat altera sine alterâ conservari: ergo utraque moraliter causat, seu conservat alteram pro instanti sequenti. Verùm hinc non licet arguere ad causas physicas. Tum quia alioquin posset aliquid physicè causare seipsum, sicut potest moraliter, ut patet eodem exemplo. Tum etiam, quia ex mutuâ prioritate morali non sequitur, posse aliquid præcedere se, vel suam causam, secundùm eamdem existentiam, aut durationem; sed solùm posse, ut existens in hoc instanti, præcedere se ut existens in sequenti; vel, ut existens moraliter in scientiâ, & volitione Divinâ, præcedere se ut existens physicè. Quæstio ergo ad causas physicas devolvitur, quam duplici assertione decidemus.

### *Repugnat mutua prioritas in eodem genere causæ.*

3 Hæc assertio ut certa supponitur in omni Scholâ cum Aristotele 5. *Metaph.*, & D. Thomâ ibi *lect.* 2. dicente: *Secundùm idem genus causæ aliquid esse causam, & causatum, est impossibile.* Quod quidem in causis materiali, & formali, nullâ indiget probatione, si modò causarum istarum indoles

pos-

penetretur. In causa autem efficiente probatur facile ex dictis *cap. præced.*. Si duo se se invicem efficerent, atque ita unumquodque simul esset naturâ prius, & posterius altero, sequeretur, unumquodque pendere simul, & non pendere ab influxu alterius: pendere quidem, ut supponitur: & simul non pendere; quia naturæ prioritas importat independentiam causæ ab effectu, idest, sufficientiam, aut plenum titulum essendi (præsertim in causâ efficiente) independenter ab influxu effectus. Atque hùc reducenda est communis illa probatio: Si aliquid esset causa efficiens suæ causæ efficientis, existeret pro priori ad causam, â quâ primò producitur, & accipit existentiam: ergo existeret priusquàm produceretur, & antequàm existeret. Hæc, inquam, & similes aliæ probationes ex prioritate desumptæ, ut vim habeant, reduci debent ad præcedentem: quia causam existere pro priori, nihil est aliud, quam existere cum potentiâ proximâ ad agendum habitâ independenter ab influxu effectus.

4 *Dices* forsan: prioritas naturæ gratis explicatur per independentiam istiusmodi: nam ea prioritas à parte rei nihil est præter munus causæ: de hoc autem munere disputatur, an possit esse mutuum; atque adeo an necessariò dicat, vel non dicat independentiam ab influxu effectus: nec licet respondere per id ipsum, de quo est controversia. Sed inprimis, illa est communis notio prioritatis naturæ, ut vidimus *cap. præc.*. Deinde, quòd munus causæ necessariò secum afferat talem independentiam, probatur 1.: de conceptu causæ est, quòd illam subsequatur effectus, quòd illi realiter addatur, & superveniat, quòd illam ordine existendi realiter præsupponat: unde est illud per se notum, *Prius est esse, quàm operari*, &, *Operari sequitur ad esse*. Hoc autem subsequi, addi, supervenire, præsupponere, cum non requirat præcedentiam temporis, inexplicabile est in sensu reali, nisi per independentiam, quam adstruimus. Certè, quod alteri additur, & supervenit, ex terminis supponit illud alterum jam aliunde positum.

5 2.: communis sensus est, quòd causa physica operatur, non ut sit, sed quia est; non enim volat avis, ut habeat alas, sed quia habet; nec homo videt, ut oculos habeat, sed quia oculatus est. Si autem causa potest ab effectu pendere quoad primum esse, invertetur hic ordo: causa enim operabitur, ut habeat causam essendi, adeòque ut habeat unde sit, quod est operari, ut sit. Confirmatur: datâ illâ dependentiâ, posset causa esse realiter medium, & finis respectu ejusdem, & secundùm idem. Nam si A., & B. mutuò se se efficiant, A. secundùm existentiam physicam est medium ad existentiam B., & secundùm eamdem existentiam est finis ejusdem B.. Imò res A. erit medium, & finis respectu sui: tunc enim Deus intendet existentiam rei A, assumendo ut medium existentiam rei B., ad quam

aſſumit ut medium ipſam rei A. exiſtentiam: erit ergo res A. medium ad medium, cujus ipſa eſt finis: quod autem eſt medium ad medium, eſt medium ad finem, ut nemo ignorat.

6 3.: evidentiſsimum eſt, nihil poſſe primò producere ſemetipſum: quia ſequeretur, cauſam exiſtere pro priori ad ſe, atqueadeò exiſtere antequàm exiſtat. At hæc ratio nulla eſt, ſi cauſa non debet exiſtere independenter ab effectu. Nam illud *ante*, illud *pro priori*, ſi non ſonat independentiam iſtam, nihil aliud in propoſito ſignificare poteſt, quàm munus cauſæ: dicere ergo quòd res ideò non poteſt cauſare ſe, quia nequit eſſe pro priori ad ſe, eſt dicere, quòd ideò ſe cauſare non poteſt, quia nequit eſſe cauſa ſui: quæ ratio eſt manifeſta petitio principij, vel reſponſio per quæſtionem ipſam. 4.: ſi res poteſt primò produci ab effectu ſuo, poterit & à ſe immediatè. Non enim difficilius apparet, aliquid eſſe prius ſeipſo, quàm eſſe prius ſuo priori; nec ſibi dare eſſe, quàm ſibi fabricare cauſam eſſendi; nec eſſe rationem à priori, cur ſit, quàm eſſe rationem à priori, cur habeat unde ſit. Denique, ut alia omittam, rueret inde communis demonſtratio cauſæ primæ, in eo fundata, quòd in ordine cauſarum perveniendum eſt ad cauſam aliquam, quę à nullius cauſæ influxu pendeat.

*Repugnat etiam mutua prioritas in diverſo genere cauſæ phyſicæ.*

7 Ita ſentiunt Scotiſtæ cum Subtili Doctore, & Noſtri communiter cum Eximio *d.* 27. *Met.*, contra Thomiſtas, qui mutuam prioritatem in diverſo genere phyſico paſsim admittunt etiam de facto: putant enim, materiam cauſare formam in genere cauſæ materialis, & à formâ cauſari in genere cauſæ formalis: item, ultimam diſpoſitionem ad formam cauſari à formâ in genere cauſæ efficientis, & eſſe cauſam formæ, illamque præcedere in genere cauſæ materialis, ſeu diſpoſitivæ, quatenùs materiam diſponit ad formam recipiendam. Similiter in re Theologicâ diſcurrere ſolent, v. g. in actu contritionis, quem dicunt præcedere gratiam ſanctificantem per modum diſpoſitionis, & ab eâdem gratiâ cauſari, ac præcedi tamquam à cauſâ efficiente. Mutua prioritas inter materiam, & formam, cum in eo fundetur à Thomiſtis, quòd materia exiſtat per exiſtentiam formæ, ſatis impugnata manet *tract.* 1.. Nunc impugnanda eſt mutua prioritas inter cauſas efficientem, & materialem, ſeu diſpoſitivam; unde pariter impugnata manebit quævis alia mutua prioritas phyſica.

8 Repugnat, quòd forma primò efficiat ultimam diſpoſitionem, v. g. forma ignis calorem in inſtanti, quo calor prævie diſponit, ac præparat materiam ad eamdem formam: ergo repugnat mutua prioritas à Thomiſtis aſſerta. *Prob. Antec.*: repugnat, quòd forma intelligatur ſimpliciter exiſtens pro priori ad primam productionem caloris, dum ipſa cauſatur à calore in genere cauſæ materialis: ſed hoc ac-

ci-

cideret, si forma ignis primò efficeret calorem in instanti, quo calor est prævia dispositio: ergo repugnat, quòd forma ignis primò efficiat &c.. *Consequentia* recta est, & *Minor* indubitata: nam juxta omnes causa efficiens debet simpliciter præexistere ad productionem effectus. *Prob. Maj.*: Si forma intelligitur simpliciter existens, intelligitur posita extra omnes suas causas, ut ipsi Thomistæ docent ubi de existentiâ materiæ primæ: ergo præsupponit eas in rerum naturâ positas, cum omninò implicet rem actu poni extra causas nondùm in rebus positas, sed purè possibiles: ergo præsupponit in rebus positum calorem, qui est una ex causis formæ in genere materiali. Sed repugnat, quòd forma pro priori ad primam productionem caloris præsupponat calorem in rerum naturâ positum, ut est evidens: ergo repugnat, quòd intelligatur simpliciter existens pro priori &c.

9 Consultò nunc loquor, non de *existentia* caloris, sed de *productione*; ut præcîdam solutionem Thomistarum, quòd scilicet causa materialis non prærequirit existentiam, ideòque, licèt calor præcedat formam ut causa materialis non debet præcedere ut existens, sed potest existentiam accipere à formâ ut à causâ efficiente. Hæc solutio, quàm satis rejecimus ubi de existentiâ materiæ primæ, nihil prodest in præsenti. Nam causa materialis, quidquid sit de existentiâ, requirit saltem primam sui productionem, quâ ponatur in rebus pro priori ad effectum: unde materia prima, nondùm terminans actionem creativam, nequit esse causa materialis, etiam juxta Thomistas. Si ergo calor est materialis causa formæ, terminat primam sui productionem pro priori ad formam. Hoc autem implicat, si prima productio caloris oritur à formâ: sequitur enim, calorem præsupponi productum ante causam, à quâ producitur.

10 Urgetur 1.: calor, si est materialis causa formæ, pro signo priori ad illam intelligitur disponens actualiter materiam; nam eatenùs reducitur ad causam materialem, quatenùs materiam disponit ad formam: ergo pro priori ad formam, materia calorem recipit & patitur: ergo pro illo priori datur in materia passio caloris, atque adeò eductio, quæ etiam apud Thomistas cum passione identificatur. Atqui eductio caloris intelligi nequit pro priori ad ejus causam efficientem, ut est manifestum: si ergo intelligitur pro priori ad formam, hæc non est tunc efficiens causa caloris. Et hinc urgetur 2.: calor nequit existere pro priori ad suam causam efficientem; alioquin nulla ratio erit, cur repugnet mutua prioritas in eodem genere causæ efficientis: sed calor existit pro priori ad formam: hæc ergo non est illius causa efficiens. *Prob. Min.* 1.: quia pro priori ad formam calor intelligitur extra omnes suas causas, scilicet extra materialem, & efficientem (formalem non habet), siquidem terminat earum causalitates,

nimirùm passionem, & eductionem. 2.: quia calor pro illo priori communicat materiæ formalem effectum *validæ*, & *dispositæ* ad formam: effectus autem formalis à formâ non existente communicari nequit.

11 Dicunt Thomistæ, à nobis confundi signa naturæ, dum volumus, in signo causæ materialis intelligi signum causæ efficientis, & è converso. Sed verò signa ista esse distincta, nec alterum ex altero constitui, non ignoramus. Contendimus tamen, signum causæ materialis respectu formæ antecedere signum, in quo forma intelligitur existens, & potens efficere; consequenterque non posse à formâ causari calorem, qui jam supponitur productus, & existens in signo causæ materialis; nè alioquin calor existat, & terminet effectionem sui, priusquàm existat ejus causa efficiens. Contendimus item, calorem in signo, in quo materiam actu disponit, cum jam sit eductus, præsupponere sui causam efficientem, non quæ constituat illud signum dispositionis, sed quæ præexistat in anteriori signo; quemadmodùm creatura, utpotè ens ab alio, præsupponit Creatorem, licèt ex eo non constituatur. Hinc autem deducimus, formam, quæ calorem ut disponentem non præcedit, sed subsequitur, non esse causam illius efficientem. At in his nulla signorum confusio.

12 Hìc addi solet alia probatio ad hominem, ut ajunt. Videlicet, juxta Thomistas accidentia recipiuntur in toto compositò, unde calor recipitur non solùm in materiâ, sed etiam in formâ ignis. Quo posito, sequitur mutua prioritas in eodem genere, quam vel Thomistæ repugnare censent. Nam calor prior est formâ in genere causæ materialis, ut volunt; ac deinde forma est prior calore in eodem genere causæ materialis, cum sit subjectum receptivum, & sustentativum illius.

13 Quidquid de hoc sit, Ratio generalis contra istam, & quamlibet aliam mutuam prioritatem inter causas physicas, etiam diversi generis, est: quia omnis causa physica intelligitur existens pro priori naturæ ad effectum suum: tum quia debet intelligi jam producta, seu terminans actionem productivam sui (nisi absurdè velis, ut res, nondùm producta, sit proximè potens physicè causare); si autem actionem terminant, jam habet esse, quia *omnis actio activæ potentiæ terminatur ad esse*, ut ait D. Thomas *q. 1. de pot. ar. 3.*: tum etiam, quia *causa est id, ex cujus esse consequitur aliud*, ut ait idem Div. Thomas *opusc. 31.*, loquens de causâ ut sic, seu de omni verâ causâ: debet ergo supponi præhabens esse. At si res A. existit pro priori naturæ ad effectum B, nequit pendere à causalitate istius effectus in ullo genere causæ physicæ: ergo &c..

14 *Prob. Min.* 1.: quia, si res A. existit pro priori ad B., jam ei posita extra omnes suas causas, quas proinde supponit existentes pro priori ad se, ut constat ex no-

ìò

dò dictis cum D. Thomâ: ergo implicat, quòd una ex causis rei A. sit effectus B.: nam alioquin res A. præsupponeret existens illud ipsum, ante quod ipsa existit; & effectus B. præexisteret ante illam rem, quæ ante ipsum existit; esset que extra omnes suas causas, antequàm causaretur ab unâ earum; quod est esse causatum, priusquàm causetur, & existere priusquàm sit. Hoc si non implicat, non est cur implicet mutua causalitas in eodem genere. 2.: quia existere pro priori naturæ, est existere cum independentiâ à causalitate effectus, non solùm in eodem genere causæ; sed etiam in diverso; ut probant, si quis rectè consideret, argumenta posita *n.* 4. & *seqq.*. Unde colliges, eamdem esse difficultatem mutuæ prioritatis inter causas physicas diversi generis, ac ejusdem.

15 Ad extremum observa, decantatam à Thomistis mutuam prioritatem inter materiam, & formam, etiamsi admittatur, non esse ad rem. Quia non datur ibi mutua causalitas secundùm idem esse materiæ, sed secundùm duo realiter distincta, juxtâ Thomistas: materia quippe secundùm suum esse viale, & inchoatum, causat formam; & à formâ causatur secùndum esse formale, & actuale, quod à viali realiter distinguitur. In hoc autem nulla est difficultas ex capite mutuę prioritatis; sicut nulla est in eo, quòd finis secundùm esse intentionale causet medium, & à medio causetur secundùm esse physicum; vel in eo, quòd res secundùm esse substantiale causet effectum, à quo causetur secundùm esse accidentale. Solùm ergo est quæstio, an res aliqua secundùm unum, & idem esse, possit causare id, à quo causatur, sive in eodem, sive in diverso genere causæ? Unde in casu formę, & ultimæ dispositionis, quærendum est à Thomistis, an calor v. g. existat pro priori ad formam ignis in signo causæ materialis? Si affirant: ergo calor existit pro priori ad suã causam efficientem; quod planè repugnat. Si negent: non ergo formam causat calor secundùm illud esse, quod accipit à formâ, nempe secundùm existentiam, sed secundùm aliud esse viale realiter distinctum: unde hoc etiam exemplum mutuæ prioritatis extra rem est.

## CAPUT III.

### *DILUUNTUR OBJECTIONES.*

1 COntra primam assertionem, licèt ab omnibus admissam, *objici* potest 1. à ratione: quia ignes A. & B. se se invicem continent in genere causę efficientis, cum unusquisque contineat individua omnia suæ speciei præter seipsum: ergo jam habent mutuam prioritatem saltem in actu primo remoto: ergo & poterunt illam habere in actu primo proximo, & in actu secundo. 2. ab exemplis: nam partes minimi naturalis se invicem conservant: duo ignes se se mutuò fovent; & ignis, qui aërem calefacit, ab aëre calefacto fovetur; lapides fornicis, & ponderã

ra in ſtaterâ, ſe ſe mutuò ſuſpendunt: equi trahentes currum, & rotæ ipſæ, coadjuvant ſe ſe: vinum calefacit ſtomachum, & ab eo calefit; quod etiam in manibus confricatis accidit: ingreſſus aëris cauſat apertionem feneſtræ, & ab eâ cauſatur: actus efficit habitum, & habitus actum: duo homines ſe ſe invicem perimere poſſunt: denique paſsim accidit, ut duo ſe ſe mutuò determinent in genere cauſæ formalis, v. g. exiſtentia Petri determinat exiſtentiam Pauli, & ab eâ determinatur, ad conſtituendam relationem coexiſtentiæ, vel denominationem *coexiſtentis*.

2 *Reſp. ad* 1. *neg. ſecundam conſequ.*: quia duo ignes non ſe invicem continent ut producendos in circumſtantijs chymericis, in quibus neceſſe ſit unumquemque exiſtere, priuſquàm producatur: quare neuter alterum continet ut producendum in ſenſu compoſito mutuæ ſui productionis ab altero; quemadmodùm nec in ſenſu compoſito Divini decreti, vel revelationis de non exiſtentiâ talis ignis. Sic, licèt voluntas contineat odium, non tamen ut producendum in ſenſu compoſito amoris, vel in ſenſu diviſo cognitionis objecti. Hinc illa mutua prioritas in actu primo remoto non dicit ordinem ad idem inſtans temporis, ſed ad diverſa; non enim aliter fieri poteſt prioritas proxima, vel actualis. *Ad* 2.: exempla illa vel nihil probant, vel ut ſumunt mutuam connexionem, aut indigentiam reciprocam duorum, quæ, ſi non requirat prioritatem realem, nihil habet incommodi. Singula percurramus.

3 Partes minimi naturalis ſine mutuo influxu ſe invicem conſervant indirectè, reſiſtendo contrarijs, vel etiam tamquam conditiones concomitantes, quia neutra poteſt exiſtere ſine unione cum alterâ. Duo ignes conjuncti fortiùs reſiſtunt contrarijs, quia *virtus unita fortior*; atque ita ſe invicem conſervant indirectè, quin opus ſit actione mutuâ alterius in alterum; ſicut homo ſe ipſum conſervat, dum ſe tuetur ab hoſtibus, quin ideò ſit cauſa ſui, aut prior ſe. Hoc etiam modo aër calefactus ignem fovet. Lapides fornicis (idem intellige de ponderibus ſtateræ) non ſe invicem cauſant, nec præſentia unius cauſat præſentiam alterius; ſed ſolùm mutuam connexionem & ſimultatem habent, lapides in munere cauſæ præſentiarum, & præſentiæ ipſæ in ratione effectus.

4 *Dices*: ſaltem præſentiæ lapidum in fornice ſe ſe mutuò præcedunt per modum conditionis præviæ: nam præſentia unius eſt conditio neceſſaria, ut alter ſit proximè potens conſervare præſentiam ſuam, & è converſo. *Reſp.*: conditio prævia, ut lapis A. ſit proximè potens conſervare præſentiam ſuam formalem, non eſt formalis præſentia lapis B., ſed præſentia radicalis, in eo conſiſtens, quòd lapis B. ſit diſtans ab hoc loco, ideſt, habens carentiam ubicationis in alijs locis: quod pariter intelligendum de radicali præſentiâ lapidis A. reſpectu B. ut potentis con-

ſer-

servare præsentiam suam formalem. Ex quo solùm sequitur, quòd utriusque præsentiæ radicales habent inter se naturæ simultatem, vel concomitantiam in munere causæ, vel previæ conditionis ad præsentias formales, quæ pariter intelliguntur simul, aut concomitanter in ratione effectus. Et hinc patet etiam responsio ad exemplum equorum, & rotarum; quod solùm probat, posse duas causas se invicem juvare ad producendum unum, aut duos effectus inter se connexos: quo in eventu neutra causa debet esse prior alterâ, sed ambæ intelliguntur simul naturâ pro priori ad effectus utrâque posteriores.

5 Exemplum vini, & stomachi nihil proficit. Nam aliud est, quòd duo se se invicem producant; & aliud, quòd alterum in altero ut in subjecto producat aliquid, & è converso. Tunc ergo stomachus producit calorem in vino, & vinum in stomacho calorem alium, quin alter calor in alterum influat, saltem mutuò. Idem accidit in manibus confricatis, quarum altera in alterâ calorem excitat medio motu, & impulsu: nam ibi utriusque calor provenit à motu, & utriusque motus à virtute motivâ utriusque manus cum simultate naturæ in causando. In sequenti exemplo, aër pro priori ad ingressum imprimit impulsum fenestræ, quo impulsu causatur apertio: quare apertio fenestræ non causatur ab ingressu aëris, sed est prior illo tamquam remotio impedimenti: ipse autem ingressus ab aëre causatur efficienter. Dici quoque poterit, quòd aër simul naturâ causat ingressum sui, & impulsum in fenestrâ, cujus apertio resultat ab ingressu, & ab eo causatur in genere causæ formalis, & simul ab impulsu in genere efficientis.

6 Habitus non efficit eumdem numero actum, à quo efficitur, sed alium similem. Ex quo tantùm sequitur, dari posse mutuam quamdam prioritatem secundùm speciè, ideſt, posse A. produci à B., & simul producere alium effectum ejusdem speciei cum B.: quod certè præsentem difficultatem non tangit. Subjunctum exemplum absurdè probat, posse hominem causare se, sicut potest perimere seipsum. Cùm duo se invicem confodiunt, unius mors non est causa mortis alterius, sed utraque est effectus mutui vulneris, & mutuum vulnus est effectus utriusque hominis, quorum alter non est effectus alterius. Quænam hîc umbra mutuæ prioritatis? Ad ultimum exemplum dic, neutrâ existentiam esse causam formalem alterius, sed utramque esse quodammodò formalem causam concreti, *coexistens*, quia illud utraque constituit, determinando alteram ad constituendum. Et hoc sensu altera alteram determinare dicitur in genere causæ formalis, non quæ causet alteram specificativè sumptam, sed quæ causet in alterâ denominationem *coexistentis*. In eo autem munere determinandi, concomitanter se habent.

7 Contra secunda assertionem objici solent hæc eadem exempla

pla nùc soluta. Sed, cum illa probent vel mutuam prioritatem in eodem genere, vèl nullam, ineptè hùc adferuntur. Opportuniùs *objic.* 1.: licèt repugnet generatim mutua majoritas, aut prioritas eodem titulo, si tamen ex diverso titulo proveniat, repugnantiam exuit: unde duo homines se se invicem excedere possunt, si alter sit major virtute, alter sapientiâ; vel etiam se se mutuo præcedere, si alter sit prior dignitate, alter ætate: ergo, licèt repugnet mutua causalitas in eodem genere, non ita in diverso. *Neg. Consequ.*: quia idem absurdum sequitur ex mutuâ causalitate in diverso genere, ac in eodem; scilicet, quòd res præsupponatur existens ante causam, à quâ accipit primum esse, atqueadeò quòd causata sit, priusquàm primò causetur, &c.. At nihil simile sequitur ex mutuâ majoritate, vel prioritate in exemplis objectis.

8 *Objic.* 2.: introductio unius formæ præcedit in genere causæ formalis expulsionem alterius: sed aliunde expulsio in genere dispositionis est prior introductione: ergo &c. *Prob. Min.*: quia expulsio formæ veteris intenditur ab agente ut dispositio, seu medium ad introductionem novæ; non enim ideò agens introducit formam novam, ut pellat veterem, sed è contrario; alioquin intenderet ultimatè malum: quare agens posteriùs exequi debet introductionem, quàm expulsionem, juxta illud, *Quod* est prius in intentione, est posterius in executione. *Neg. Min.* cum probatione. Quia agens nec expulsionem intendit ut medium ad introductionem, nec è converso; sed utramque intendit ut finem, hoc discrimine, quòd introductionem novæ formæ intendit ut finem primarium, ac directum, expulsionem verò formæ veteris ut finem secundarium, & indirectum: quidquid enim necessariò sequitur finem directè quæsitum, est etiam aliquomodò intentum, juxta illud, *Qui vult antecedens, vult consequens*, nimirùm virtualiter, & indirectè: quâ ratione non est inconveniens, quòd agens tendat in malum formæ veteris, idest, in carentiam ejus.

9 Loquor juxta communem sententiam, in quâ formæ veteris expulsio est formalis effectus secundarius formæ novæ, qui necessariò præsupponit effectum formalem primarium, ac proinde formam novam materiæ unitam. Quò spectat illud Aristotelis, *Introductio unius est expulsio alterius*, nempe causaliter: quod in formis accidentalibus cõtrarijs certum videtur; non enim ideò calorem recipit aqua, quia frigus amittit, sed è converso; nec expulsio Gratiæ præcedit peccatum, sed subsequitur; nam, ut ait Tridentinum, *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Hinc in primo instanti generationis compositi solet hujusmodi signorum ordo in materiâ notari. In primo signo existit ultima dispositio ad novam formã: in secundo (vel in duobus concomitantibus) novæ formæ introductio, & expulsio dispositionis contra-

trariæ; quia utraque immediatè ponitur ad exigentiam dispositionis primi signi: in tertio, expulsio formæ veteris ad exigentiam novæ. Ideò autem, posità ultimâ dispositione ad novam formam, non expellitur forma vetus in signo immediato; quia dispositio accidentalis non est immediatè incompossibilis cum veteri formâ substantiali, sed mediatè duntaxat, quatenùs novam formam substantialem exigit incompossibilem cum veteri, simulque destruit dispositionem accidentalem, quâ vetus forma indigebat.

10 *Objic.* 3.: calor, utpotè dispositio ad formam ignis, illam præcedit in instanti generationis: aliunde, cum sit proprietas ejusdem formæ, illam subsequitur in eodem instanti: proprietates enim sunt effectus formam subsequentes. *Resp.* ex P. Suar. *d.* 18. *Met. s.* 3. *n.* 9., 10., & 11., calorem, & alia accidentia, quæ in instanti generationis sunt dispositiones præparantes, non effici à formâ in eo primo instanti, etiam per naturalem emanationem, aut refultantiam; quia supponuntur ab agente extrinseco immediatè producta pro priori ad formam; aliter quomodò materiam præviè disponerent? Solùm ergo à formâ emanant, aut efficiuntur per modum conservationis, in sequentibus instantibus, in quibus jam non præcedunt formam ordine naturæ, eo quòd cesset titulus dispositionis præparantis: jam enim non est opus accidentali determinatione materiæ, vel agentis, ut hanc formam causent, aut conservent (quo titulo determinationis præbebat calor in primo instanti ut dispositio præparans); ipsa quippe forma, semel existens, exigit conservari pro sequentibus instantibus, atqueadeò determinat agens ad sui conservationem, quamdiù non adest contraria exigentia robustior: materia quoque, semel possidens formam ignis, exigit eam retinere, donec adveniat alia. Quapropter in reliquis instantibus calor est dispositio, non præparans, sed ornans, & perficiens, atque adeò posterior formâ, ut ait idem Suarius *d.* 27. *Met. s.* 2. *n.* 20.

11 Si quæras, an ultima dispositio in instanti generationis vocanda sit *proprietas* formæ? Affirmandum videtur: quia ad nomen *proprietatis* sufficit esse accidens connaturaliter, & specialiter debitum composito, etiamsi non emanet actualiter à formâ, nec illam entitativè subsequatur. Nihilominùs ultima dispositio in signo, in quo formam præit, & ab eâ præscindit, non intelligitur esse proprietas, neque hanc denominationem subit, donec forma intelligatur existens pro posteriori: quia denominatio *proprietatis* constituitur de obliquo per exigentiam formæ, cui talis dispositio debetur.

12 *Objicitur* 4. auctoritas Aristotelis, & D. Thomæ. Sed, quod Aristotelem attinet, quoties ille mutuam causalitatem admittit, toties in exemplum adducit causas efficientem, & finalem. D. Thomas autem (cujus loca refert M. Prado, *hic q.* 24. *§.* 2.) admittit insuper

mutuam causalitatem inter materiam & formam; sed non secundùm idem esse reale materiæ: vult enim, ut materia specificativè sumpta, vel secundùm suum esse incompletum, sit materialis causa formæ, simulque à formâ causetur secundùm *esse in actu*, quo nomine intelligit D. Thomas *esse* materiæ physicè completum, ut ostendimus *tract. 1. d. 2.* unde solùm sequitur (quod verissimum est), materiam esse causam formæ, & formam esse causam intrinsecam compositi. Quin etiam si denius, materiam juxta D. Thomam non existere nisi per existentiam formæ, solùm sequitur mutua causalitas secundùm duo *esse* materiæ, viale, & actuale; quæ non est mutua prioritas, de quâ disputatur, ut notavimus *cap. præc. n. 15.*

13 Admittit etiam D. Thomas ex parte formæ quamdam prioritatem in genere causæ formalis respectu dispositionum: sed loquitur de dispositionibus, non specificativè sumptis, sed quatenùs perficiuntur, ac meliùs se habent ex consortio formæ; ut satis indicat *q. 28. de verit. ar. 8.* Admittit item prioritatem quamdam mutuam inter creationem, & creaturam: verùm hæc est prioritas impropria, & ex modo concipiendi, quatenùs creatio concipitur instar viæ ad terminum, & terminus instar subjecti receptivi: reverâ tamen nec creatio propriè prior est termino, ut generatim de actione diximus *cap. 11.* nec terminus est illius subjectum receptivum, sed subjectum purè adhæsionis, quod prioritatem non requirit.

14 Agnoscit denique I. p. *q. 113. ar. 8. ad 1.*, quòd *ex parte Solis priùs est illuminare, quàm tenebras removere*, sed *ex parte aëris illuminandi, priùs est purgari à tenebris, quàm consequi lumen, ordine naturæ.* Verùm, quòd D. Thomas non loquatur de *ordine naturæ* reali, videtur evidens: cum enim lux, & tenebræ sint contradictoria immediata & formalia, nempe lux, & non lux, purgatio, sive ablatio unius est ipsa formalis positio alterius: idem ergo formalissimè est, aërem purgari à tenebris, ac illuminari. Quomodò igitur dabitur hic ordo realis? Exponendus itaque S. Doctor de *ordine naturæ* improprio, & juxta imperfectum modum concipiendi, quatenùs tenebras apprehendimus instar cujusdam impedimenti positivi, quod priùs removeri debet, quàm ingrediatur lux.

## CAP. IV.

## *DE MUTUA PRIORITATE quoad secundum esse.*

1 SUpposito, quod alibi probabimus, fieri posse divinitùs, ut res eadem, ultrà unam actionem totalem, terminet simul actionem aliam, *quæritur*, an sit possibilis mutua prioritas quoad secundùm esse, ideſt, quoad novas actiones, postquàm utraque causa simpliciter existere supponitur per alias actiones totales? V. g. si ignes A. & B. à solo Deo producantur singuli una actione totali, verùm possint divinitùs in eodem instanti ac vis actionibus se se invicem pro-

du-

ducere) Affirmat communis sententia Nostrorum, quos citat, & sequitur P. Reynado *hic dist.* 8. *sect.* 3. §. 2.. Quia in hujusmodi prioritate mutuâ, etiam in eodem genere causæ, cessant absurda mutuæ prioritatis quoad primum esse; non enim sequitur, quòd res existat, antequàm simpliciter existat, vel ante causam, à quâ primò causatur; sed tantùm quòd existat, ut primò producta, priusquàm secundò producatur, & ante illam causam, à quâ secundò producitur: quâ in re nulla cõtradictio apparet.

2 *Objic.* 1.: nequit eadem res simul esse prior, & posterior altera: si autem ignis A. foret causa, & effectus ignis B., simul esset naturâ prior, & posterior illo. *Resp.*: non est absurdum, quòd eadem res secundùm diversas actiones sit naturâ prior, & posterior alterâ, quando nõ inde sequitur, rem existere, priusquam primò causetur: quàmvis enim utraque denominatio conveniat eidem respectu ejusdem, non tamen secundùm idem. Sic potest idem respectu ejusdem simul esse excedens, & excessum secundùm diversas formas, v.g. secundùm scientiam, & virtutem. Sic, licèt idem corpus nequeat esse localiter superius, & inferius Cœlo secundùm eamdem ubicationem, potest tamen per duas. Sic etiam in sententiâ, quam modò supponimus, de possibilitate duplicis actionis totalis, potest ignis A., ut productus per unam actionem, esse independens ab igne B., &, ut productus per aliam, ab eodem dependens. Itaque in casu nostro ignis A., ut productus actione Dei, est naturâ prior igne B., & est illo posterior, ut secundò productus actione ipsius B..

3 Si inferas: ergo ignis A. est causa mediata sui ipsius. Potest concedi sequela, sic intellecta, ut ignis quoad primum esse causet mediatè seipsum quoad secundum esse. Potest etiam absolutè negari: quia ignis A. non causat ignem B. quoad primum esse, penès quod ignis B. causat invicem A.; sed tantùm quoad secundam actionem, à quâ præscindit ignis B. ut proximè potens causare ignem A.; non enim hæc secunda actio est virtus, aut conditio prærequisita, ut ignis B. causet A. Causa autem causæ non est causa mediata causati, quando independenter ab ejus actione habet causa immediata vim, & potentiam proximam causandi, plenumque titulum, & sufficientiam essendi. Et hinc patet, in hac mutuâ causalitate nihil esse contra conceptum prioritatis naturæ: talis enim conceptus solùm petit, ut causa independenter ab effectu suo habeat aliunde, vel à se, vel ab aliâ causâ, sufficientiam ad existendum simpliciter, & proximam potentiam ad causandum: hanc autem sufficientiam, & potentiam, habet utique in casu nostro unusquisque ignis ex vi actionis, quâ pendet à solo Deo.

4 *Objic.* 2.: ignis A. est prior igne B. in signo, in quo intelligitur proximè potens illum causare: sed in eodem signo est posterior igne

B.: ergo &c.. *Prob. Min.*: quia in eo signo intelligitur ignis A. existens, atque adeò positus extra omnes suas causas, quibus est posterior: una autem ex ijs causis est ignis B., ut supponitur. *Neg. Min.*: Ad *prob.*: ignis A. in eo signo solùm intelligitur positus extra omnes causas, quibus indiget, ut sit simpliciter existens, & proximè potens operari: ad hoc autem non indiget actione ignis B., sed contentus est actione Dei, secum afferente causalitates materiæ, & formæ. Non ergo debet intelligi extra ignem B.; quia hic est causa superabundans, producensque secundo titulo, minimè necessario, ut ignis A. verè sit existens, & potens operari. Nec dicas, hanc secundam actionem repugnare, quia non determinat effectum ad existendum, siquidem illum aliunde existere supponit. Negabitur enim, de concepto actionis ut sic, esse quòd determinet effectum ad existendum simpliciter; sed sufficere, quòd illum determinet ad existendum novo titulo, seu ex vi novæ causæ.

5 *Obsle. 3.*: si possibilis est mutua causalitas quoad secundum esse, poterit ignis B., primò productus ab igne A. producto à solo Deo, in eodem instanti suam istam causam producere quoad secundum esse. *Resp.*. Hæc hypothesis, licèt præcedenti difficilior appareat, communiter etiam admittitur: quia non inde sequitur, quòd ignis B. sit naturâ prior suâ causâ primò producente, quoad primum esse talis causæ, penès quod ipsa est naturâ prior, sed solùm quòd ignis B. sit prior eâdem causâ, sumptâ quoad secundum esse, penès quod non præexistit ipsa. Nec ignis A. in casu posito existet, priusquàm simpliciter sit, aut primò producatur; sed existet primò productus ab aliâ causâ, priusquàm secundò, seu novo titulo producatur ab effectu suo. Nec ignis B. desinet esse naturâ prior igne A., quatenùs illum secundò producit: quia, licèt habeat essendi sufficientiam dependenter ab igne A., ut primò producto, non tamen dependenter ab illo, ut secundò producto, vel producendo: unde verificatur, habere sufficientiam essendi, & producendi, independenter à suo effectu, quà tali; quod sufficere videtur ad prioritatem naturæ.

6 Notandum hìc, quòd patroni mutuæ prioritatis quoad secundum esse, communiter dicunt, secundas actiones esse de se totales, & per se sufficientes ad sustinendos effectus in statu existentiæ, nec nisi per accidens conjungi cum primis actionibus, adeòque non nisi per accidens esse secundas. Sed hoc, indistinctè dictum, stare non potest. Nam in casu posito *n.* 1., si secundæ actiones per accidens supponunt primas, poterunt sine primis existere: si autem ita existant, dabitur in eodem genere mutua prioritas quoad primum esse, seu quoad unicum; ut patebit consideranti. Similiter in casu *num.* 5., si secunda productio ignis A. permanere potest sine primâ, proveniente à solo Deo, quin obstet quòd ignis B. tunc primò

imò producatur ab A., sequitur, posse contingere, ut ignis A. unicè producatur ab igne B., quem primò producit: & en mutuam prioritatem in eodem genere quoad primum, vel unicum esse.

7 Dicendum igitur, quòd in casu *n.* 1. secundæ actiones vagè supponunt aliquam ex primis, quia sine utrâque permanere non possunt: vagè, inquam; quia sine quâvis earum potest utraque secunda perseverare; sic tamen, ut altera è secundis fiat prima; tunc que dabitur casus *n.* 5. In hoc autem ultimo casu, secunda productio ignis A. per se supponit vagè, vel primam ejusdem A. productionem ab aliâ causâ, vel primam productionem ignis B. ab alio, quàm ab igne A.; potest enim perseverare sine alterutrâ, non sine utrâque: & quàmvis modò supponat ex parte actus primi productionem ignis B. ab A., cum non illam supponat ut virtutem activam, sed ut conditionem, contenta erit, si alia æquivalens subrogetur. Hæc omnia ita esse deprehendes, si attentè consideres.

## CAP. V.

### *UTRUM POSSIT ALIQUID producere seipsum quoad secundum esse?*

1 QUoniam diximus, prioritatem naturæ posse in effectu reperiri respectu suæ causæ quoad secundum esse, nùc inquirimus, utrùm similis prioritas convenire possit alicui rei respectu sui ipsius? quod est inquirere, utrùm possit aliquid producere seipsum quoad secundum esse? Quòd nullatenùs possit quoad primum esse, certum omninò est, propter rationem jam suprà tactam, & mox iterùm attingendam. Certum est item, quòd nihil potest, etiam quoad secundum esse, producere seipsum naturaliter: quia natura superfluum horret, & illa secunda productio semper esset naturaliter superflua, nec posset unquam existere in circumstantijs, in quibus non esset inutilis ad fines naturales; unde, si talis productio possibilis est, erit actio supernaturalis, non solùm quoad modum, sed intrinsecè, & quoad substantiam. Et hinc certum pariter esse debet, quòd, si aliquid potest producere se, solùm id poterit ut instrumentum obedientiale divinitùs elevatum. Solet etiam in præsenti supponi, vel permitti, quòd ex terminis una actio totalis non excludit essentialiter aliam pro eodem instanti: atque etiam quòd non repugnat mutua prioritas quoad secundum esse, de quâ *cap. præced.*

2 His ita præmissis, affirmativam sententiam tenet Exim. Doctor *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 49. *s.* 1. *& d.* 50. *s.* 4., quem sequuntur PP. Amicus, Arriaga, Tellez, Compton, Raynaudus, & in M. S. non pauci Recentiores ingenio nobiles. Negativa multò communior est, non solùm inter extraneos, sed etiam inter nostros Authores, quorum aliqui tantum suis argumentis deferunt, ut Suarianam sententiam vix defendi posse, glorientur. Nihilo-

hominis argumenta ista non adeò mihi videntur ineluctabilia, ut excipi nequeant solutione probabili; quod in quæstione de possibili satis est ad affirmandum, juxtâ alibi dicta. Præcipuas igitur objectiones proponam, & solvam.

3 *Objic.* 1., & principaliter: omne principium producens realiter distinguitur à termino producto: ergo repugnat, aliquid esse principium se ipsum producens, etiam quoad secundum esse. *Prob. Antec.* 1.: quia, ut in Logicâ diximus ex mente omnium, productio est signum evidens distinctionis realis. 2.: quia producens refertur relatione reali ad productum. 3.: quia id passim ut per se notum supponitur à SS. Patribus, qui distinctionem realem inter Divinas Personas ex eo probant, quòd constat, in Trinitate dari processiones reales, & nulla esse potest realis processio, sive productio, nisi inter distincta realiter. *Urgetur*: quia principium producens in creatis est vera causa, proinde que debet esse *principium influës esse in aliud*, juxta Suarianam definitionem causæ. Debet item esse naturâ prius effectu suo; quæ prioritas stare nequit in causâ respectu sui ipsius, nisi absurdè dicatur eadem res prior, & posterior se, dependens, & independens à se.

4 Ad *Objectionem* fateor inprimis, evidens esse, quòd omne principium primò producens, seu producens terminum quoad primum esse, realiter ab eo distinguitur; quia sequeretur alioquin, principium illud existere pro priori ad primam sui productionem, quod est existere, priusquàm primò producatur, proindeque, priusquam existat. Fateor deinde, nihil posse produci à semetipso, etiam quoad secundum esse, tanquam à principio præcipuo, vel causâ principali: quia causa principalis, aut principium præcipuum, habet virtutem naturâ suâ commensuratam, aut proportionatam effectui, quem proinde absolutè continet, etiam ut primò producendum. Et hinc rursus fateor, omnem causam totalem, omneque principium activum adæquatum, etiam quoad secundum esse terminii, distingui realiter à termino, saltem distinctione inadæquatâ, nempe quâ parte dicit causam, aut virtutem principalem. Cæterùm, quòd semper debeat realiter à termino distingui principium activum, quod solùm est secundo producens, solàmque agit per virtutem inadæquatam, instrumentalem, & elevatam ab aliâ causâ superiore; nullâ satis efficaci ratione convincitur. Unde---

5 Ad 1. *prob.*: productio quoad primum esse, signum est evidens distinctionis realis: productio verò quoad secundum esse, semper quidem importat distinctionem realem termini à suo principio adæquato, vel principali; at non semper à principio inadæquato, & instrumentali. *Ad* 2.: relatio realis locum habet inter productum, & primò producens, vel producens adæquatè, aut principaliter; secùs verò, si omnes istæ conditiones in producen-

rente deficiant. *Ad* 3. : SS. Patres loquuntur de productione quoad primum, vel unicum esse, item de productione connaturali, & necessariâ; non verò de productione superabundante, & quoad secundum esse, maximè prout ortâ à virtute instrumentali : passim quippe docent, Christum D., quatenùs includit corpus, & animam, quotidiè corpus suum creare in Eucharistiâ, ut ostendit P. Suar. *l. c.*, & eruditè Raynaudus in *tom. de Euchar.*. Hoc principium, *Ubi datur productio realis, necessariò dantur duo realiter distincta*, semper verum agnoscimus. Sed ad ejus veritatem sufficit, quòd realis productio, quæcumque sit, semper supponat principium, saltem principale, realiter distinctum à termino. Id quod satis est ad argumentum Patrum pro distinctione personarum in Trinitate.

6 Porrò, si à creatis productionibus non necessarijs licet arguere, poterit in Divinis dari duplex productio totalis ejusdem termini; proindeque non benè colligeretur ex dualitate processionum Trinitas personarum, quarum una sit improducta, duplex producta; siquidem posset utraque processio ad unicam personam terminari, vel altera esse productio, quâ Filius produceret Patrem quoad secundum esse. Repugnat ergo in Divinis productio quoad secundum esse: tum quia repugnat ibi productio realis, quæ non sit connaturalis, & necessaria, sed superflua, vel superabundans, adeòque defectibilis: tum quia nec potest ibi dari productio orta à virtute instrumentariâ, & obedientiali: tum etiam, quia productio quoad secundum esse, necessariò est actio distincta, & à principio, & à termino; qualis actio repugnat in Deo ad intrâ. Unde vides 1., cur Spiritus Sanctus non producat se ipsum, nec alias personas, quoad secundum esse. Vides 2., cur benè inferatur, Spiritum Sanctum, eo quòd à Filio procedat, à Filio distingui; quia scilicet processio in Divinis, utpotè prima, & necessaria, distinctionem importat termini à suo principio. Vides 3., cur ex dualitate processionum colligatur Trinitas personarum: quia nimirùm ad primam processionem supponitur persona improducta; & aliunde duabus processionibus, utpotè necessarijs, duplex persona producta correspondet.

7 Quod additur de Suarianâ definitione causæ, parum urget: tum quia negari poterit, quòd etiã in creatis omne principium activum semper, & in omni eventu, sit vera causa: tum etiam, quia poterit definitio intelligi de distinctione, seu alietate termini respectu principij, quod sit adæquatum in aliquo ex quatuor generibus causarum, nempe finalis, efficientis, formalis, & materialis: sic enim semper influit in *aliud*, alietate saltem inadæquatâ. Nec item urget illud de prioritate naturæ. Nam ex nostrâ hypothesi solùm sequitur, quòd idem homo v. g., ut simpliciter existens per primam actionem sit in-

independens à se ipso ut à causâ; & , ut existens secundo titulo , seu per secundam actionem, fit à seipso, ut à causâ, pendens: hæc autem independentia , & dependentia (in quâ stat prioritas , & posterioritas naturæ) , cum proveniat à diversis actionibus, & aliunde non inferat, rem existere pro priori ad primam sui productionem, non est cur censeatur implicatoria. Exemplum habet in prioritatibus temporis, loci, & dignitatis. Nam Petrus, ut existens hodiè , præcedit tempore seipsum, ut crâs extiturum ;& bilocatus in locis A.,& B. poterit esse localiter prior , & posterior se sc: Philippus etiam, ut Rex Hispaniæ, est dignitate prior se ipso,ut Comite Flandriæ. Adde , quòd non minùs difficile apparet, idem respectu ejusdem esse naturâ prius, & posterius, independens, & dependens: & tamen hoc admittitur ex dictis *cap. præc.*.

8 *Dices* : in casu præsenti non solùm est idem subjectum denominationum *prioris* , & *posterioris*, sed etiam est eadem forma denominans , utpotè consistens in complexo duplicis actionis, primæ, & secundæ. Verùm hoc pariter dici poterit in exemplis nuperis: nam etiam Petrus ordine temporis,loci, & dignitatis , denominabitur seipso prior,& posterior ab eâdem formâ, nempe à complexo duplicis durationis , duplicis ubicationis, aut dignitatis : & in casu mutuæ prioritatis quoad secundum esse, idem effectus denominatur suâ causâ prior , & posterior à complexo duplicis actionis. Itaquè in casu nostro formæ denominantes distinguuntur quoad rectum : nam prioritas in abstracto (quæ tribuit denominationem *prioris*) non est complexum duplicis actionis utcumque, sed est prima actio in recto, dicens secundam in obliquo; & è converso posterioritas in abstracto (tribuens denominationem *posterioris*) est secunda actio in recto, dicens in obliquo primam. Hæc autem formarum distinctio (utique realis , quia à parte rei nomine *prioritatis naturæ* sola prima actio significabilis est in recto , sive *ut quod*; & sola secunda nomine *posterioritatis*) sufficit ad cohærentiam utriusque denominationis in eodem subjecto, ut patet in exemplis adductis.

9 Sed *insistes* 1.: vitari non potest, quòd secunda actio ratione sui sit prior & posterior eâdem entitate , cum actio sit prior termino, & posterior causâ. *Resp.*: actio non propriè est prior termino , ut vidimus *cap.* 1.. At , inquis , si non est prior, saltem non est posterior termino : secunda autem actio foret posterior termino in casu nostro. *Dist.* hoc ultimum : foret posterior termino , ut existente independenter ab ipsâ, scilicet per primam actionem, *conc.* ; ut existente dependenter ab ipsâ, *neg.*. Quare jam ex parte termini, quatenùs est , & non est prior actione secundâ , datur distinctio aliqua: nam terminus, ut prior , involvit primam actionem, quam non involvit , ut non prior. Simile quid accideret in casu bilo-

ca-

cationis : nam præsentia in loco B, foret localiter posterior, & distans à corpore, non prout existente in B, sed prout existente in A.

10 *Insistes* 2. : in casu nostro, effectus intelligeretur in signo causæ, quod planè repugnat. *Resp.* : nihil prohibet effectum intelligi in signo causæ sub eâ ratione, quâ non est effectus; sicut in mutuâ prioritate quoad secundum esse, intelligitur effectus in signo antecedente signum suæ causæ; quod non minùs apparet absurdum. Itaque in hypothesi nostrâ signa prius, & posterius identificantur inadæquatè, nimirùm penès entitatem causæ, & effectus; distinguuntur tamen penes actiones, per quas constituuntur in esse duorum; sicut accidit in hypothesi mutuæ prioritatis, ubi signum antecedens causam, & signum subsequens eandem, solùm distinguuntur secundùm actiones.

11 *Insistes* 3. : non sola actio, sed principaliter effectus ipse, specificativè sumptus, debet esse posterior causâ, & ab eâ dependens, cum ipse sit, qui producitur principaliter, & *ut quod* : hoc autem est imperceptibile, nisi distinguantur entitates causæ, & effectus. *Resp.* : effectus specificativè sumptus, est quidem subjectum, quod præcipuè denominatur *posterius*, ac *dependens*; attamen ita denominatur, non ab entitate suâ, sed ab actione, tamquàm à formâ intrinsecè, & formaliter inclusâ in denominatione *posterioris*, ac *dependentis ut quod*. Hinc distinguendum est illud *specificativè* : si enim soner, entitatem effectus præscindendo ab actione, vel seorsùm ab illâ, in se habere quidquid sufficit, ut denominetur *posterius*, ac *dependens*; negandum est: si verò significet, entitatem effectus, ut ab actione distinctam, sed non ut separatam, esse subjectum earum denominationum ab actione, ut à formâ; concedendum. Nec ad hoc necessaria est distinctio realis inter entitates causæ, & effectus, cum sufficiat distinctio, ac diversitas actionum, ex dictis *n.* 7.

12 Quocircà, dum Adversarij interrogant, utrùm res specificativè sumpta producatur à se ipsâ? an solùm reduplicativè, prout secundò producta? Dic, rem specificativè sumptam produci à se, si ly *specificativè*, denotet subjectum verè suscipiens denominationem *producti*; non tamen, si ly *specificativè* excludat secundam actionem à constitutione formali talis denominationis. Ad hanc constitutionem denotandam utimur illis reduplicationibus: Res à se causatur, & est effectus sui, *quoad secundum esse*, *prout secundò producta*, *prout existens novo titulo*; quin ideò velimus, denominationem *causati* &c. cadere solùm supra secundam actionem, & non etiam suprà entitatem rei. Quodsi Adversarij clament, requiri pro omni eventu distinctionem realem, non solùm formarum, sed subjectorum, ad denominationes *prioris* & *posterioris*, *independentis* & *dependentis* : rotundè nega, donec aliter, quàm clamando, probent: istæ quip-

pe denominationes in præsenti nihil aliud sonant, quàm denominationes *producentis*, & *producti*; & has in idem subjectum cadere posse, defendimus in præsenti. Observa tamen, forsan negari posse, quòd res in casu nostro *dependeat* à se, nimirùm si negetur ex *n.* 7., quòd sit vera causa, licèt sit principium activum. Unde consequenter neganda erit prioritas naturæ, solùmque admittenda prioritas originis, quæ non infert strictam dependentiam termini.

13 *Objic.* 2.: actio, quâ homo seipsum secundò produceret, per se, & essentialiter supponeret aliam actionem totalem ad suum effectum terminatam: ergo esset actio repugnans. *Probatur Conseq.* 1.: quia eo ipso foret, non solùm naturaliter, sed etiam essentialiter superflua, & inutilis, cum foret impotens existere, nisi in circumstantijs, in quibus non esset necessaria, vel in quibus supponeret jam præstitum tuum effectuum formalem, quæ est denominatio *producti*. 2.: quia de conceptu veræ actionis est, quòd sit determinatio effectus ad existendum, quòd sit egressio, & positio illius extrà causam, & quòd sit communicatio perfectionis: nihil autem horum haberet illa actio. 3.: quia esset actio adæquata, ut quæstio supponere videtur; & aliundè non esset adæquata, cum essentialiter peteret consortium alterius actionis. *Confirmatur*: talis actio, nec esset creatio, cum non produceret hominem ex nihilo; nec esset eductio, cum non esset unio sui termini ad aliud subjectum. Similiter explicari non potest, foret nè actio transiens, an immanens. *Confirmatur* iterùm: repugnat medium essentialiter supponens finem jam obtentum: sed actio est medium ad existentiam effectus: ergo repugnat actio essentialiter supponens effectum jam existentem.

14 Ad *object. cons. Antec.*: quia illa actio foret essentialiter secunda, & aliam totalem semper in eodem instanti præsupponeret. Sed *neg. Consq.*; quin obstent probationes. *Prima* instantias patitur manifestas. Nam in sententiâ, quam tuetur cum pluribus P. Peynado, *l.* 3. *d.* 1. *s.* 5., possibilis est actio, reflexè producens aliam actionem; ut etiam juxta plures possibilis est unio unionis, & ubicatio ubicationis: & tamen in his æquè militat essentialis superfluitas, aut inutilitas. Itaque actio illa foret quidem essentialiter superflua in ordine ad indigentiam, aut exigentiam naturalem effectus, aut alterius rei naturalis; quia nunquam posset naturaliter exigi, nec ad finem merè naturalem conducere; quod pluribus miraculis commune est: at non foret superflua in ordine ad capacitatem obedientialem, quam habet homo (vel certè quâ non probatur carere), ut existat secundo titulo, & à se ipso producatur per secundam actionem; nam, ut ea capacitas exerceatur, omninò necessaria est talis actio. Est insuper utilis eadem actio ad fines, quos Deus, ut supernaturalis Author, intendere potest, v. g. ad Eucharistiæ

tiæ mysterium, quod sine tali actione commodè explicari non possit, ostendit P. Suarez. Nec verum est quod additur de effectu formali; nam formalis effectus illius actionis non est reddere *productam* utcumque, sed *productum secundo titulo*, seu *productum à virtute propria*; quem effectum formalem non supponit præstitum illa actio.

15 *Ad 2. prob.*: non omnis actio debet esse determinatio effectus ad existendum simpliciter, quasi translatio illius de non esse ad esse; alioquin nulla esset possibilis actio conservativa, post primam productionem adveniens. Sufficit ergo ad conceptum actionis, quòd effectum determinet ad existendum novo titulo, seu ex virtute, & efficaciâ novi principij, & quòd in hoc sensu supponat indifferentiam in effectu; prout cernere est in actionibus, quibus duo se mutuò producerent quoad secundum esse. Quòd omnis actio sit egressio, & positio effectus extra causam, verum est, non materiali modo (quasi effectus, in utero causæ genitus, & nutritus, inde nascatur per actionem), sed modo philosophicè activo, quatenùs actio determinat effectum ut sit in rebus efficacitate virtutis causæ. Id quod præstat actio, quâ de loquimur; nam per illam homo verè determinatur, ut secundo titulo sit in rebus ex merito, & efficaciâ propriæ virtutis. Quòd autem omnis virtus, cujus efficaciâ existit effectus etiam secundo titulo, debeat esse realiter distincta ab effectu, non probant Adversarij; non enim implicat rem egredi à se, vel poni extra se, si philosophicè intelligatur sensu nunc exposito.

16 Nec omnis actio debet effectui communicare novam perfectionem; sed satis est, si iterùm, vel secundo titulo communicet eamdem, quam habebat, ideſt, si efficiat, ut eamdem retineat ex efficaciâ novæ causæ; prout cernitur in quâvis actione conservativâ, & maximè in actione reciprocâ, quâ duo se invicem quoad secundum esse producerent, vel quâ effectus secundò produceret suam causam. Sic autem potest homo sibi communicare perfectionem, quam præhabet; quia potest eam retinere novo titulo ex vi propriæ virtutis. *Ad 3. prob.*: actio illa foret adæquata, non in genere primæ productionis, aut actionis transferentis effectum de non esse ad esse simpliciter (non enim ad hoc genus pertinet, adeòque in hoc genere nec est totalis, nec partialis), sed in genere productionis essentialiter secundæ; quia non indigeret consortio alterius, ad idem genus pertinentis. Quòd autem petat consortium alterius, spectantis ad diversum genus, diversumque signum, non sufficit, ut sit actio strictè partialis.

17 *Ad 1. Confirm.*: secundæ actio posset esse creatio, si nimirùm Angelus seipsum secundò produceret: & tunc esset productio ex nihilo, ideſt, ex nullo subjecto præsupposito; quod sat est, ut discernatur ab eductione. Nec obstat,

quòd supponeret terminum præexistentem, adeòque non esset productio ex nihilo termini. Nam illud *ex nihilo*, sic acceptum, solùm est de ratione creationis, quæ sit prima productio: ideòque conservatio accidentium in Eucharistiâ creatio est, quàmvis non extrahat terminum ex nihilo sui. Quodsi forma ignis v. g. se ipsam secundò produceret ex materiâ, productio illa foret eductio, uniretque suum terminum, non ad seipsum, sed ad materiam novo titulo, novâque unione. Denique illa actio dici posset immanens; quia non transiret ad subjectum extraneum.

18 *Ad 2. Confirm.*: repugnat quidem medium per se supponens finem jam obtentum omni modo, quo potest obtineri; secùs verò, si per se supponat obtentum aliquo duntaxat modo, tendatque ad illum obtinendum alio modo, seu novo titulo. Atque ita se habet secunda actio in ordine ad existentiam effectus: similiterque se haberet actio reciproca, quâ effectus produceret suam causam quoad secundum esse.

19 Quædam tamen advertito. 1.: homo seipsum producens quoad secundum esse, non foret causa univoca sui: quia, licèt esse ejusdem speciei secum, non tamen ageret per virtutem connaturalem, & principalem, prout agere debet omnis causa univoca. Hinc si Angelus elevaretur ad producendum alium Angelum, vel Sol ad producendum alium Solem, nemo in illo agnosceret munus causæ univocæ. 2.: nihil potest esse sui ipsius causa intrinseca, materialis, aut formalis, absque distinctione inadæquatâ: quia nihil esse potest respectu sui totum, & pars. Nihil item potest esse subjectum receptivum sui: quia nihil potest uniri sibimetipsi, cũ unio ex conceptu suo sit vinculũ duorum. 3.: dominium purè physicum, quod aliqui tribuunt causis, etiam non liberis, in suos effectus, valdè improprium est, solùmque significare potest, quòd causa jus habet, ut stante actione suâ perseveret effectus: quo sensu potest causa per secundam actionem sibi dominari.

20 Mitto alia argumenta, quæ facilè solvi poterunt ex dictis. Nunc, post solutionem objectionum, ulteriùs *probatur* Suariana sententia 1.: Quod omnes sapientes coegit ad negandum, quidquam posse producere semetipsum, præcipuè est, quòd res producibilis, priusquàm fiat, aut producatur, est nihil: à nihilo autem nihil fieri potest: ut ergo res verè possit producere quidquam, debet supponi producta, & posita extra nihilum; quod prorsus implicat, si res non aliunde, quàm à semetipsâ, producitur. At hæc ratio non impugnat productionem sui ipsius quoad secundum esse, cum pro priori ad illam supponatur res jam posita extra nihilum, verè producta, verè existens, ac proinde verè potens operari. Similiter hujusmodi productionẽ nõ impugnat aliâ ratio, vel hæc eadem aliter proposita suprà *n.* 3. 10. & 11.

Ac-

Accèdit, quòd de conceptu actionis non est producere aliquid novum, sed aliquid denuò; nec est producere, quod est absolutè improductum, sed quod est improductum à tali causâ, & tali modo; ut in actionibus cõservativis perspicuum est: non ergo repugnat secunda illa productio, eo quòd nihil novum producat.

21 2.: In communi sententiâ Nostrorum, & Scotistarum, divinitùs possibilis est bilocatio ejusdem corporis: & tamen in eâ, vel eadem, vel paria absurda primo aspectu se offerunt: videlicèt, quòd res eadem sit ante se, & post se; quòd sit suprà, & infrà se; & quòd localiter distet à se, maximè cum distantia fundet relationem realem. 3.: Non minùs absolutè certum est, nihil posse producere id, à quo producitur, quàm nihil posse producere seipsum: ideòque utrumque adhibetur ut æquè certum in processionibus Divinis, alterum pro distinctione, alterum pro trinitate personarum. At nihilominùs communis sententia Nostrorum limitat illud primum ad productionem quoad primum esse, nec vult extendi ad productionem quoad secundum esse: poterit ergo illud alterum eodem pacto limitari.

# DISPUT. V.

## *DE PLURALITATE CAUSARUM TOTALIUM ejusdem effectus.*

### CAP. I.

### *UTRUM POSSIT IDEM effectus produci divisim à pluribus Causis totalibus?*

1 QUæritur in hac Disputatione, utrùm pro eodem effectu dari possint plures causæ totales ejusdem generis, vel simul, vel divisim influentes? Ejusdem, inquam, generis: nam quòd dentur plures, quarum altera sit totalis in genere causæ efficientis, altera in genere causæ formalis, &c., extra dubium est. De pluribus in genere causæ efficientis, præcipuè, vel unicè quæstio est: & in primis disputanda de pluribus seorsim influentibus, aut potentibus influere divisim: utrùm scilicet idem effectus adæquatè cõtineri possit in virtute plurium agentium; ita ut idem ignis v. g., qui nunc producitur ab igne A., produci potuerit ab igne B., si hic loco illius applicaretur eidem materiæ? Negant

Tho-

Thomistę communiter contingere hoc posse naturaliter ( & plerique etiam de potentiâ Dei absolutâ), si de causis univocis sermo sit: concedunt tamen, aut concedere videtur eorum plures, de causis æquivocis, vel de causis, quarum una sit univoca, altera æquivoca. De causâ primâ nemo dubitat, juxta illud D. Thomæ 1. p. q. 105. ar. 2., *Erroneum est dicere, Deũ non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam.*

2 Thomistæ igitur adjudicant singulis causis univocis, non quidem unicum effectum individuum ( hoc enim esset evidenter falsum ), sed distinctas collectiones plurium effectuum possibilium, ita ut virtus uniuscujusque causæ coarctetur ad effectus in suâ collectione contentos, nec extendi valeat ad alios, etiamsi ejusdem sint speciei. Sententia tamen affirmans, eũdem effectum ex naturâ rei produci posse divisim a pluribus causis totalibus, sive univocis, sive æquivocis, defenditur ab omnibus Scotistis cum Scoto, & ab omnibus ferè Nostris cum P. Suar. *d. 26. Met. s.* 5., quibus alij plures adhærent, ut Aversa, Echalaz, Spinula, & novissimè Manso, & Aguilera. Hæc sententia ( quæ loquitur de effectibus absolutis, non de modalibus, multò que minùs de actionibus ) mihi vera est: &c.

3 *Probatur*: Ignis A. v. g., qui nunc producitur ab igne B., ex nullo prædicato specifico determinatus est ad procedendum magis à B., quàm à C.; ut Adversarij fatentur, & est manifestum: aliunde nec ex propriâ individuatione: ergo nullo ex capite. *Prob. Min. 1.*: quia ignis A. ex propriâ individuatione nõ magis est dissimilis ignibus illis, qui continentur in C., quàm alijs ignibus contentis in B.; ut omnes supponere videntur: si autem determinatus esset ad procedendum magis à B., quàm à C., proculdubiò in hac ipsâ determinatione dissimilior esset ignibus contentis in C., quàm contentis in B.. 2.: quia, si talem determinationem habet ignis A., non posset oriri ab aliâ causâ æquivocâ, v. g. à Sole, vel à solo Deo; sicuti non potest actio ignis B., eo quòd ex se determinata sit, ut oriatur à tali causâ. 3.: quia forma ignis, juxta Thomistas, individuatur à materiâ: sed à materiâ non accipit determinationem, ut oriatur magis ab igne B., quàm à C., cum certè possit eadem numero materia dispositа recipere formam à quocumque igne applicato, sive C., sive B.: ergo, &c.

4 *Confirm.* 1.: activitas unius causæ univocæ non limitatur ad unicum effectum individuum, ut fatentur omnes: ergo nec producibilitas unius effectus limitatur ad unicam causam univocam. Patet *Consequentia*: tum quia in activitate causæ individuæ instantur argumenta contraria: tum etiam, quia nulla ratio est, cur magis limitari debeat producibilitas ignis, quàm activitas; cum producibilitas sit de genere passivo, & ex terminis facilius sit produci, quàm producere,

11.

sicut facilius est cognosci, quàm cognoscere; ideòque producibilitas dicit ordinem, non solùm ad causam æqualem, sed etiam ad superiorem, & æquivocam; cum tamen activitas causæ univocæ non nisi ad effectum æqualem extendi possit. Urgetur hoc ipsum: individua causa univoca non agit sub ratione individuali repertâ in effectu; alioquin non posset producere, nisi unicum individuum: ergo agit sub ratione specificâ: ergo ratio, quæ reddit effectum à tali causâ producibilem, est specifica similitudo. Sed hæc similitudo reperitur in quolibet individuo ejusdem speciei: ergo &c.

5 Hùc facit quod notavit D. Thom. *1.p.q.45.ar.5.ad 1.*, scilicet activitatem naturalem causæ univocæ non extendi ad totam speciem; quia posset alioquin producere semetipsam, cum ipsa sit unum ex individuis suæ speciei. Ex quâ ratione S. Doctoris colligitur 1., in causâ æquivocâ contineri totam speciem effectus inferioris, v. g. in Sole contineri virtualiter eminenter omnia individua caloris, aut ignis: quia hîc cessat illud inconveniens, quòd scilicet Sol posset etiam producere semetipsum. Colligitur 2., virtutem causæ univocæ non continere totam speciem, quia se ipsam non continet; extendi tamen ad omnia individua suæ speciei præter semetipsam; non enim aliam exceptionem facit, aut exigit ratio D. Thomæ. Dicendum igitur ad mentem Angel. Doctoris, quòd ratio, *sub qua* naturaliter agit causa univoca (quæ ratio *sub qua*, vocatur etiam *objectum potentiæ activæ, & sphæra activitatis*), est specifica similitudo; quæ, cum requirat distinctionem individuorum, non invenitur in causâ respectu sui ipsius.

6 *Confirm. 2.*: una forma non sibi determinat unicam materiam, ita ut ex se impotens sit in aliâ materiâ numero distinctâ recipi: nam eadem anima leonis A. (quæ juxta Thomistas est indivisibilis), sicut recipitur in materiâ alimenti, quo nunc vescitur leo, potuit absdubio recipi in materiâ alterius alimenti, si leo nutriretur altero: quis enim dicat, leonem agninâ carne nutritum, habiturum distinctam animam, si nutriretur equinâ? Similiter una individua materia non ita sibi determinat unicam formam, ut non possit divisim, aut successivè, informari per alias ejusdem speciei. Quod patet 1.: quia potest informari per alias species diversas, ut est certum: ergo à fortiori per alias numero distinctas. 2.: quia sæpe sus comedit suem, & lupus lupum: tunc autem eadem materia, quæ erat sub animâ lupi comesti, informatur per animam lupi comedentis, quæ est ejusdem speciei. 3. ad hominem: quia eadem materia, quæ nunc recipit formam ab igne A., potuit formam recipere ab igne B., si hic loco illius applicaretur; alioquin ignis B., tali materiæ applicatus, non combureret, sed esset instar nivis, aut glaciei, quod nemo dixerit. Atqui materia illa non reciperet ab igne B. eamdem numero formam, quam recipit ab

ab igne A., si vera est doctrina Thomistarum in quæstione præsenti: reciperet ergo aliam ejusdem speciei.

7 Tum sic: ergo nec unus effectus ita sibi determinat unicam causam efficientem, ut non potuerit ab aliâ ejusdem speciei produci. *Prob. Consequ.*: tum quia Thomistæ quoad determinationem iftiusmodi non aliter philosophari videntur in materiâ, & formâ respective, quàm in causâ efficiente. Tum quia materia est materialis causa formæ, & forma juxta Thomistas est formalis causa materiæ: difficilius autem est, quòd idem effectus habere possit plures causas formales, aut materiales, quàm plures efficientes. Tunc etiam, quia forma juxta Thomistas magis individuatur à materiâ, quàm ab agente; nihil enim in eorum doctrinâ solemnius, quàm quòd materia est præcipuum, vel unicum principium individuationis: si ergo nihilominus individua forma non sibi determinat individuam materiam, cur sibi determinet individuum agens?

8 *Confirm. 3.*: si duo ignes applicentur materiæ unius tantùm formæ capaci, uterque virtutem suam attemperabit, cõcurrentq; singuli partialiter ad eumdem ignem, ut Adversarij non negant: jam ergo ignis, tunc productus, in utroque agente continetur. *Dices*: continetur in utroque partialiter, non totaliter. Sed *contrà* 1.: ergo singulæ causæ univocæ non ita in solidum sibi determinãt proprium quasi peculium effectuum, ut non habeant plures effectus omnibus communes; quod cum doctrinâ Thomistarum malè cohæret. *Contrà* 2.: in casu posito unusquisque ignis concursum suum attemperat, ut alter simul influat: ergo non influit partialiter ex defectu virtutis de se sufficientis, sed ex concurrentiâ cum altero: ineptè quippe diceretur attemperare concursum, aut virtutem, si ageret totis viribus, seu quantum ex se potest. *Contrà* 3.: unusquisque ignis agens contineret illum effectum, ut causa univoca, & principalis; neuter quippe ageret ut instrumentum alterius: at inauditum est, quòd causa univoca verè contineat effectum prorsus æqualem, & tamen non contineat totaliter, saltem totalitate causæ principalis.

*Argumenta contraria, & Solutiones.*

9 *Objic.* 1.: si idem effectus in pluribus causis continetur, nulla ratio reddi poterit, cur hîc, & nunc ab unâ potiùs, quàm ab aliâ procedat. *Resp.*: non opus est aliâ ratione, nisi quia una causa præ aliâ hîc, & nunc applicata est, & expedita. Quòd autem ita se habeat una præ aliâ, pendet ex voluntate Dei, vel etiam ex voluntate hominis, aut ex variâ combinatione rerum. Difficilius redditur ratio, cur ignis A. producat hîc, & nunc ex pluribus effectibus, quos continet numero distinctos, unum præ alio. Sed hæc difficultas æquè premit Adversarios, cum in quovis igne contineri fateantur plura individua. Nec illis prodest recursus

ad

ad materiam, ex *n.* 6.: vel si prodest, proderit etiam nobis ex *n.* 3. Communis, & vera sententia Nostrorum est, determinationem effectus quoad individuum provenire à Causâ primâ, quæ sola pro libitu concursum suum parat igni A. potiùs ad effectum B., quàm ad C., vel ad alium ejusdem speciei.

10 *Objic.* 2.: agentia univoca, numero distincta, habent, sicut distinctas virtutes, ita & sphæras activitatis numero distinctas: ergo effectus pertinentes ad sphæram unius, non pertinent ad sphæram alterius. *Confirm.* 1.: Ignis A. ratione differentiæ specificæ limitatur ad determinatam speciem effectuum: ergo ratione differentiæ individualis coarctatur ad determinatos effectus individuos. *Confirm.* 2.: differentia individualis non minùs limitat formam in esse naturæ, seu principij activi, quàm in ratione essentiæ, vel actus informativi: sed in hac ratione ita limitat formam, ut non possit tribuere formalem effectum eundem, quem tribuit altera forma: ergo & in esse naturæ, seu principij activi, ita limitat formam, ut producere nequeat eundem effectum, quem altera producit. *Confirm.* 3.: ratio potentiæ activæ, abstracta ab omnibus individuis unius speciei, plus extenditur, quàm ratio potentiæ activæ contracta, & singularis: sed illa ratio abstracta extenditur ad effectus omnes ejusdem speciei: ergo contracta non extenditur nisi ad aliquos.

11 Ad *object. neg. Antec.*, nisi forte sit sermo de distinctione sphærarum inadæquatâ, seu quoad unum duntaxat individuum, quatenùs scilicet sphæra cujusque agentis univoci comprehendit totam speciem præter ipsum agens, ex *n.* 5.; ideòque sphæræ naturales duorum iguium semper in uno individuo differunt, quia alter ignis in alterius sphærâ comprehenditur, & neuter in suâ. De cætero, quòd in causis univocis non debeant distingui sphæræ activitatis, licet virtutes entitativè distinguantur, est nostra ipsa conclusio, quam non impugnat objectio. Nec sphæra activitatis est virtus causæ, sed objectum virtutis, aut ratio *sub qua* tendit potentia physica; quemadmodùm in potentijs intentionalibus ratio lucidi colorati est sphæra potentiæ visivæ, ratio soni potentiæ auditivæ, & sic de alijs. Sicut ergo idem color continetur intra sphæram cujusvis potentiæ visivæ, ita idem ignis intra sphæram cujusvis potentiæ physicè combustivæ, à se distinctæ.

12 Ad 1. *Confirm.*: ex illo Antecedenti multò verisimiliùs inferrur, quòd ignis A. ratione differentiæ individualis coarctatur ad unicum effectum individuum: quam consequentiam cum Adversarij negent, potiori jure negabimus nos quam ipsi deducunt. Et ratio negandi pro omnibus est: quia differentia specifica ignis v. g. diversificat rationem genericam, & constituit essentiam simpliciter diversam ab alijs speciebus sub eodem genere contentis, ac proinde respectu earum tollit ab igne rationem cau-

ſæ univocæ, de cujus conceptu eſt producere effectus in eſſentiâ ſimiles, non ſpecie diverſos. At differentia individualis diſtinguit quidem numericè, ſed non diverſificat eſſentiam, ac proinde ſinit eam habere in individuo quolibet rationem cauſæ univocæ, quæ eſt de conceptu ſpecifico ignis, & quæ ordinem dicit ad effectus omnes ſpecie ſimiles. Quare differentia numerica non facit, ignem A. eſſe potentiam ad aliquem, aut aliquos tantùm effectus individuos, ſed eſſe talem individuam potentiam ad omnes ſpecificè ſimiles. Non aliter, ac potentia viſiva in individuo non eſt potentia videndi aliquos tantùm colores, ſed eſt talis potentia videndi omnes.

13 Ad 2. *Confirm.* redit inſtantia, tum in limitatione formæ in eſſe naturæ quoad unicum effectum individuum, quæ limitatio multò magis infertur ex limitatione formæ ad unicum effectum formalem; tum in potentiâ viſivâ ad ſuum objectum comparatâ. Quarè *diſt. Major.*: non minùs limitat &c., limitatione identitatis cum unico individuo, *conc.* (tam enim in eſſe naturæ, quàm in ratione eſſentiæ, contrahitur forma ad identitatem cum unico individuo); limitatione cauſalitatis in effectus diſtinctos, *neg. Maj.*, & *conceſſ. Min. neg. Conſeq.*. Diſparitas autem inter effectum formalem, & alios extrinſecos, manifeſta eſt: quia effectus formalis intrinſecè includit formam ipſam; unde formarum diſtinctio nequit non refundere diſtinctionem, ſaltem inadæquatam, in effectus formales: quæ ratio non militat in effectibus virtutis activæ, ut quiſque videt.

14 Ad 3. *Confirm.*: eodem argumento probari poſſet, quòd potentia viſiva ſingularis non extenditur niſi ad aliquos colores; & quòd potentia activa ſingularis non extenditur niſi ad unicum effectum, cum ita comparetur ad rationem abſtractam, ſicut unum individuum ad omnia. Itaque *diſt. Maj.*: plùs extenditur &c., extenſione logicâ, ſeu prædicabilitatis, *conc.*; extenſione phyſicâ, ſeu realis activitatis, quæ eſt prædicatum primæ intentionis, *neg. Maj.*, & *conceſſ. Min.*, *neg. Conſequ.*. Senſus diſtinctionis patet ex Logicâ. Quælibet enim ratio abſtracta, extenſior eſt, quàm contracta, cum ſit univerſalis, & prædicabilis de pluribus: & hæc extenſio, utpotè ſecundæ intentionis, non reperitur in ſingularibus: unde in hoc ſenſu ratio abſtracta dividitur, & limitatur per contractionem. At prædicata primæ intentionis (ita vocantur quæ objecto competunt independenter ab Intellectu) non magis conveniunt rationi abſtractæ, quàm ſingulari; non enim magis eſt animal rationale homo ut ſic, quàm Petrus. Cum ergo extenſio activitatis phyſicæ ſit proculdubiò prædicatum primæ intentionis, non magis convenit igni ut ſic, quàm igni A.: quare vel utrique, vel neutri, convenit extendi ad omnes effectus ſpecie ſimiles. Ubi nota, quòd etiam de igne ut ſic verificatur poſſe produ-

ducere omnem ignem præter se; non quidem præter se ut producentem pro statu abstractionis (nam pro tali statu certè nec producit, nec producitur); sed præter se ut producentem pro statu contractionis.

15 *Replic.* 1.: causis specie diversis respondent effectus specie diversi: ergo causis numero distinctis respondere debent effectus numero distincti. *Neg. Consequ.* propter dicta *n.* 12., & propter instantias ibidem indicatas. *Replic.* 2.: differentia specifica facit, ne causa contineat omnes effectus ejusdem generis, v. g. ne leo contineat animalia omnia: ergo differentia numerica facere debet, ne causa contineat omnes effectus ejusdem speciei: nam, sicut differentia specifica limitat genus, ita numerica limitat speciem. Sed iterùm *neg. Conseq.* propter eadem motiva; quin obstet adjuncta probatio, in quâ locum habet usitata illa distinctio; sicut & eodem modo, *neg.*, sicut & diverso modo, *conc.*. Differentia specifica limitat diversificando simpliciter essentiam, adeòque variando rationem agendi; numerica verò limitat servando essentiam integram, & invariatam, ac de ratione agendi nihil immutando; non enim ratio agendi ex individuatione sumitur. *Replic.* 3.: ergo unicus ignis tantum potest producere, quantum omnes. *Dist. Conseq.*: quantum omnes simul producere possunt, *neg.*; quantum omnes divisim, aut distributivè possunt, *conc. Conseq.*. Sic unica materia in hoc sensu tantum potest recipere, quantum omnes; unica potentia visiva tantum videre, quantum omnes: unicus homo tantum sustinere pondus, quantum mille homines robore pares.

16 Hinc unicus ignis continet ignes infinitos syncategorematicè, idest, non tot, quin plures: quia in specie ignis, ut in quâlibet aliâ, dari possunt plura & plura individua sine fine. Nec inde sequitur, ut aliqui objiciunt, infinita perfectio in quovis igne: non enim posse producere utcumque infinitos effectus, arguit infinitudinem potentiæ; sed posse producere simul plures & plures sine termino, item perfectiores & perfectiores sine limite, quod solius est Divinæ potentiæ. Posse autem producere, non simul, sed divisim, effectus perfectione æquales, syncategorematicè infinitos, optimè cohæret cum finitudine potentiæ. Sic enim Intellectus humanus producere valet cognitiones infinitas, & Voluntas infinitos affectus, ut passim omnes supponunt. Nec Thomistæ dissentire possunt: quamvis enim unicuique igni suam assignent collectionem, aut seriem effectuum possibilium, tamen in unaquaque serie nequit esse finitus numerus effectuum: alioquin contingere posset, omnes effectus ignis A. fuisse jam successivè productos, & corruptos, igne A. permanente; quo in eventu maneret ignis A. prorsus infœcundus, & impotens comburere non minùs, quàm nix, aut glacies. Equidem talem ignem mihi applicatum nollem.

17 *Objic.* 3.: effectus parti-

cipat perfectionem cauſæ: ſed nequit idem numero effectus participare perfectiones numero diſtinctas: ergo nequit oriri à duabus cauſis numero diſtinctis. *Reſp.*: participatio iſta non debet accipi rudi Minervâ, quaſi eadem numero perfectio cauſæ, vel pars ejus, tranſeat in effectum; alioquin creatura eſſet fruſtulum Dei, cum ſit participatio Divinæ perfectionis. Participatio ergo in præſenti ſignificat imitationem ex vi cauſalitatis; quæ imitatio major aut minor eſt, prout fuerit major aut minor ſimilitudo perfectionis, ideòque maximè convenit effectibus cauſæ univocæ. At nec umbra contradictionis eſt in eo, quòd unicus effectus imitari poſsit perfectionem plurium cauſarum ſimilium, diviſim cauſantium. Quo autem ſenſu dicatur effectus contineri *formaliter* in cauſâ univocâ, explicatum eſt *diſp.* 2. *c.* 5. *n.* 20..

18 *Objic.* 4.: effectus pendet per ſe & eſſentialiter à cauſâ, à quâ determinatè producitur: ergo nequit ſine illâ exiſtere, adeòque nec ab aliâ produci. *Confirm.*: ſi poteſt idem effectus oriri à duabus cauſis, neutra erit cauſa per ſe, ſed cauſa per accidens; quia per accidens erit effectui, ab unâ potiùs, quàm ab aliâ cauſari: unde non dabitur inter cauſam & effectum ordo per ſe. *Objectio* abſurdè probat, effectum, qui nunc producitur ab igne A., non poſſe produci à ſolo Deo, ſiquidem eſſentialiter pendet ab igne A.. *Confirmatio* probat etiam abſurdè, nullam cauſam ſecundam eſſe cauſam per ſe reſpectu effectus abſoluti, cum per accidens ſit effectui, quòd non à ſolo Deo cauſetur. Itaque ad *object. neg. Antec.* propter ly *eſſentialiter*: quia nullus effectus abſolutus ſecundùm ſe pendet eſſentialiter, niſi à Deo. Dico *ſecundùm ſe*; quia, ſi effectus reduplicet actionem, quâ producitur à cauſâ ſecundâ, ab hac utique pendet eſſentialiter, cum actio ſit modus cauſæ.

19 Concedo tamen, quòd effectus pendet *per ſe* à cauſâ creatâ determinatè producente; quia ſic pendere, nihil eſt aliud, quàm à tali cauſâ de facto accipere eſſe, quâmvis illa non ſit cauſa, ſine quâ non: quod niſi verum ſit, non dabitur in effectu abſoluto dependentia per ſe, niſi à Deo. Sic materia per ſe pendet à formâ, & quidem à priori juxta Thomiſtas: & tamen poteſt eadem materia pendere diviſim à multis formis. Ad *Confirm.*: æquivocatio eſt in verbo *per accidens*: ſi enim ſolùm excludat neceſsitatem, idemque ſonet, ac *contingenter*, omnis cauſa ſecunda eſt cauſa per accidens reſpectu effectus abſoluti: ſi verò excludat influxum verum, ac proprium, à virtute nativâ cauſæ provenientem, neutra ex cauſis diviſim producentibus eumdem effectum eſt cauſa per accidens, ſed quælibet, dum actu producit, eſt cauſa per ſe perfectæ influxus; de quâlibet enim verificatur illud D. Thomæ 1. 2. q. 85. ar. 5., *Per ſe quidem eſt cauſa alterius, quod ſecundùm virtutem ſuæ naturæ, vel formæ, produxit effectum.* Hinc inter cauſam & effec-

effectum non debet dari ordo per se perfectate necessitatis, sed sufficit ordo per se perfectate influxus.

20 *Objic.* 5.: Intellectus Petri, & Pauli nequeunt easdem numero cognitiones, quantumvis similes, producere. Item albedo A. producere nequit eamdem numero speciem visualem, quam producit albedo B.: pariter ergo de alijs causis & effectibus discurrendum. *Objectio* probat contra Thomistas, vel certè contra doctrinam ex D. Thomâ deductam *n.* 5., in causâ æquivocâ non contineri totam speciem effectus inferioris; nam intellectus respectu cognitionis, & albedo respectu speciei, sunt causæ æquivocæ. Præterea omnes disparitatem agnoscunt inter actus vitales, & alios effectus absolutos. Nam actus vitalis, si est modus realiter indistinctus à productione sui, ut multi putant, non pertinet ad quæstionem præsentem, nec potest produci à solo Deo, sicut neque ulla actio causæ creatæ, ut nemo dubitat: si verò in qualitate absolutâ consistit, etiam sic ex conceptu actus per se immanentis quodammodò sapit, aut imitatur naturam modorum, dicitque specialem respectum, & habitudinem ad potentiam determinatam; ex quo respectu actus orti à potentijs numero distinctis sunt individualiter heterogenei magis, quàm duo actus orti ab eâdem potentiâ. Unde vel ipsi Thomistæ docent, nostros actus vitales produci non posse à solo Deo, ut videre est apud Froylanum *hic q.* 3. *art.* 5. §. 4.. Similis heterogeneitas individualis, & imitatio modorum, communiter agnoscitur in speciebus, quæ proveniunt à candoribus numero distinctis, propter speciales habitudines ad objecta determinata. De his ergo effectibus nemo disputat, an possint in pluribus causis ijdem contineri: sed de illis tantummodò, qui sunt omninò absoluti, nec habent respectum aliunde notum ad determinatam causam, sed omninò indifferentes sunt, ut proveniant vel à propriâ causâ, vel à solo Deo; cujusmodi sunt ignes, calores, &c..

21 Denique *nota* 1.: quàmvis individuum A. contineat in ratione causæ cætera omnia suæ speciei, potest tamen impediri per accidens, ne hoc, aut illud producat. Si enim individuum B. sit jam productum ab aliâ causâ, & corruptum, jam non potest ab individuo A. produci naturaliter, juxta communem sententiam de impossibilitate naturali reproductionis. Verùm hoc est per accidens, & ex suppositione contingenti: nec tollit, quòd individuum B. potuerit primò produci ab A., loco alius causæ. Similiter est per accidens, quòd effectus non possit producere suam causam univocam, à quâ de facto producitur, & quam proinde supponit jam productam. Nam idem effectus ex se potuit oriri ab aliâ causâ; tuncque posset producere causam illam, à quâ nunc oritur. Unde idem homo, qui nunc est filius Petri, & nepos Pauli, potuit esse pater & avus eorundem, si nimirùm ortus fuisset ab alijs hominibus.

Nec

22 Nec obstat illud Eccles. 7., *Honora patrem, & matrem, quia nisi per illos natus non fuisses.* Nam hoc verum est supposità præsenti providentiâ, quâ Deus decrevit, non nisi ab his parentibus hunc hominem nasci. Potuit tamen Deus aliter decernere non minùs naturaliter. Debet autem homo gratitudinem, & honorem ijs parentibus, à quibus de facto accipit esse, licèt ab alijs accipere potuerit; sicut debetur gratitudo commodanti, & supplicium furanti vestem, licèt alius potuerit illam æquè furari, vel commodare. Nec item obstat D. Thomas *Quodlib.* 5. *art.* 8., docens, impossibile esse eumdem filium nasci, sive sit alius pater, sive alia mater; nec esse idem numero sigillum, sive sit alia cera, sive aliud corpus sigilli. Loquitur enim de filio quà tali, seu prout redduplicante actionem generativam, & relationem ad tales parentes; non verò de filio secundùm se, vel prout talis homo est. Sigillum constituitur ex figurâ, quæ modus est essentialiter affixus materiæ, ideòque nequit non cum materiâ ipsâ mutari.

23 *Nota* 2.: nostra sententia loquitur de individuis ejusdem speciei æquè perfectis. Si enim, ut aliqui censent, individua ejusdem speciei possint esse perfectione inæqualia, tunc individua minùs perfecta nequeunt esse causæ totales perfectiorum. *Nota* 3.: idem effectus causari non potest à duplici causâ intrinsecâ, quæ sit totalis in eodem genere, sive materiali, sive formali. Cum enim causa intrinseca non aliter causet, quàm suam ipsius entitatem exhibendo, si entitas causæ est duplex, nequit non effectus, sive compositum, evadere duplex, saltem inadæquatè: quâ de re plura diximus *tr.* 1. *d.* 5. *n.* 4.. A duplici tamen causâ materiali extrinsecâ posse causari divisim eumdem effectum, constet ex dictis *n.* 6.. *Nota* 4.: ejusdem actus voluntatis, qui respicit intrinsecè finem pro objecto, dari non potest duplex finis totalis; quia nullus actus potest mutare objectum intrinsecè respectum, aut respicere divisim objecta distincta. Quare tales actus in ordine ad finem se habent instar actionum in ordine ad causam efficientem. Actus tamen externus, aut internus imperatus, qui ex se non respicit finem pro objecto, potest elici divisim propter fines totales, plures, & varios.

## CAP. II.

### *UTRUM POSSIT DIVINITUS idem effectus produci simul à duplici causa totali?*

1 NUnc jam quærimus, utrùm duæ, vel plures causæ totales, quas diximus posse producere divisim eumdem effectum, possint illum producere simul, non ita ut attemperent se se modo dicto *cap. præc. n.* 8., sed ita ut singulæ sint totales in actu secundo? Est autem causa totalis in actu secundo, *quæ actualiter influit influxu sufficiente ad ponendum effectum in rerum natura sine indigentia alterius causæ ejusdem ordinis.*

**11.** Disputatur modò, num id possit contingere divinitùs? Nam de possibilitate naturali postmodùm. Prima sententia negat, eamque tenent Scotistæ, & plerique Thomistarum, quibus accedunt pauci è Nostris. Secunda ex adverso affirmat, eamque tuetur Exim. Doctor *d. 26. Met. s. 4.*, & cum eo ferè omnes Authores nostri, quibus adhærer è Thomistis M. Prado citans Thomistarum principes Capreolũ, & Cajetanum, adhærent etiam Aversa, Echal., Trinitar., Spinul. Manss., Aguiler., & plures alij.

2 *Probatur* hæc ultima sententia: potest idem effectus (ut nuper ostensum est, & modò supponitur) contineri totaliter in duplici causâ, saltem æquivocâ, v. g. idem lumen in duplici Sole, si duplex existeret, vel idem calor aquæ in duplici igne: unde potest divisim terminare actiones totales duarum causarum. Si ergo nequit easdem terminare simul, hoc unicè provenit ex eo, quòd una actio totalis ex conceptu adæquationis, vel totalitatis, essentialiter importat negationem alterius eodem tempore existentis circà eumdem effectum. Sed falsum est, quòd talem negationem essentialiter importet actio totalis: ergo potest divinitùs idem effectus produci simul à duplici causâ totali. *Prob. Minor. subsumpt.*: quia de conceptu actionis totalis solùm est ita sufficere ad existentiam effectus, ut non indigeat juvamine alterius; in hoc enim discernitur ab actione partiali. At una sufficientia ex terminis non negat essentialiter aliam; nec est idem non indigere aliquo, ac illud essentialiter excludere. Unde ex eo, quòd visus Petri sufficiat ad videndum colorem A., nec ad illum totaliter perspiciendum indigeat visu Pauli, non sequitur, quòd visus Pauli non videat simul totaliter eumdem colorem.

3 *Confirmatur* 1. Locus uno corpore totaliter occupatus, potest divinitùs alio corpore simul occupari, si duo corpora penetrentur, ut possint juxta omnes. Potest etiam juxta Scotistas idem corpus duplici simul ubicatione adæquatâ locari; & eadem materia duplici simul adæquatâ formâ compleri. Potest item juxta Thomistas eadem humanitas terminari simul per tres Divinas subsistentias, utique totales. Pariter ergo poterit idem effectus duas actiones totales simul terminare. Patet *Consequ.*: quia in his manifestè infringuntur Adversariorum argumenta, maximè quæ sumuntur ex totalitate, ac dependentiâ.

4 *Confirm.* 2.: juxta Scotistas apud Mastrium *d. 8. n. 73.*, & sæpe aliàs, actio Causæ primæ, concurrentis cum secundâ, ita est de se sufficiens ad effectum, ut non egeat concursu causæ secundæ, quamvis hæc simul verè influat. Quæ doctrina videtur etiam communis apud Thomistas; è quibus M. Joan. à S. Thomâ *hìc q. 10. art. 5.* possibiles agnoscit duas actiones totales in eumdem effectum, quarum altera sit solius Dei, altera etiam creaturæ. At, si semel admittitur, ultra unam

unam actionem totalem, quę de se plenè sufficiat ad effectum in rerum naturâ statuendum, dari posse in eodem instanti actionem aliam (etiamsi hæc dicatur partialis), omninò ruunt fundamenta contrariæ sententiæ, ut ea expendenti, & applicanti planè constabit: ergo &c.

5 Nec satisfacit Mastrius *n.* 74. dicens, concursum Dei in actu secundo, licèt secundùm rem sit sufficiens ad effectum, tamen *in modo applicandi* esse insufficientem, & indigere concursu causæ secundæ. Nam ipse Mastrius *n.* 73. impugnat opinionem dicentium, concursum Dei in actu secundo esse partialem; *quia* (inquit) *tam indignum est vilificare causam primam in actu secundo, quàm in actu primo.* vilificaretur autem Deus in actu secundo, si poneretur indigens concursu causæ secundæ. Atqui etiam indignum est vilificare causam primam in modo applicandi concursum; nulla quippe vilitas in Deum cadit nec in re, nec in modo: ergo concursus Dei, etiam quoad modum, non indiget causâ creatâ, sed se solo sufficit ad effectum. Undè perstat integra difficultas, quam Mastrius fatetur *solidam.*

6 Nec item satisfacit, quod ajunt Thomistæ, causas primam & secundam concurrere ad eundem effectum sub diversâ ratione, primam sub communi ratione entis, secundam sub ratione particulari, & specificâ. Nam, quidquid sit de ratione *sub qua*, quæro abs te, an actio causæ primæ se sola sufficiat ad effectum in rerum naturâ ponendum, etiamsi deesset actio causæ secundæ? Si asseras, perstat integer eorum scopulus argumentorum. Si neges, ponis actionem Dei ipsâ partialem, & indigam juvaminis alieni; quod in tuis principijs est vilificare primam causam. Undè rejicitur etiam quod ajunt ad exemplum trium subsistentiarum, divinitùs terminantium eamdem humanitatem, nempe fore, ut terminarent sub diversâ ratione. Nam, quidquid de hoc sit, certè unaquæque terminaret, sicut modò terminat subsistentia Verbi, quæ proculdubiò terminat totaliter. *Dices*: terminat totaliter intensivè, non extensivè. *Contrà*: sic terminat, ut non indigeat juvamine alterius: & hoc nobis sufficit ad exemplum. *Contrà* item: non minùs terminat, quàm subsistentia creata; & hæc simpliciter totalis est.

*Objectiones propositæ, & solutæ.*

7 Sed, quoniam in quæstionibus hujusmodi potissima probatio est objectionum solutio, protinùs ad eam deveniamus. *Objic.* 1. si unus effectus à duplici causâ totali simul procederet, ab utrâque penderet actualiter, cum omnis effectus actualiter pendeat à causâ per se influente: aliunde non penderet ab utrâque, siquidem non indiget utriusque influxu, sed alterutro contentus est. *Objectio* instatur 1. ex *num. præced.*: parit enim sequitur, quòd effectus pendet, & non pendet à causâ secundâ, si producatur simul actione totali solius Dei. 2. contra Thomistas in naturâ humanâ per tres subsisten-

tias

tias terminatâ ; quæ similiter penderet, & non penderet à singulis. 3. contra Scotistas in materiâ recipiente simul duas formas, quarum à singulis penderet (saltem à posteriori), simulque non penderet. *Resp.* igitur, effectum ab utrâque illâ causâ determinatè pendere dependentiâ *causalitatis*, quia verè ab utrâque accipit esse: non tamen ab utrâque pendere determinatè dependentiâ *indigentiæ*, sed tantùm indeterminatè & vagè ab earum alterutrâ, quia non aliter ijs causis indiget. Loquor de indigentiâ naturali ; quia essentialiter nulla res absoluta indiget, aut pendet, nisi à Deo. Vide dicta in simili *cap. præced.*, ubi hac eâdem doctrinâ utuntur Scotistæ.

8 Sed *insistes* 1. : effectus nequit non indigere causâ determinatâ; non enim potest à causâ vagâ produci. Sed hujus argutiæ vide solutionem in simili *tr.* 1. *d.* 3. *c.* 1. *n.* 15.. Et quære ab arguentibus, quomodò materia prima indigeat aliquâ formâ vagè, corpus aliquâ ubicatione, famelicus aliquo pane, viator aliquo equo, & sic de innumeris alijs ; cum certum sit, materiam non posse informari formâ vagâ, nec famelicum saturari pane vago, &c.. *Insistes* 2. : neutra causa totalis foret causa per se, sed utraque per accidens. Verùm hoc etiam *cap. præced.* solvimus in simili cum Scotistis. Nunc addimus, quòd perfectas causæ non supponit necessitatem ex parte effectus, nisi cum hoc addito, *ex suppositione quòd alia causa non adsit.* Addimus item propter dicta *d.* 2. *c.* 1. *n.* 10., quòd utraque causa influeret cum inclinatione : quia pro circumstantijs, in quibus Deus nolit, alteram alteri attemperari, unaquæque exigit influere totaliter in passum dispositum, & applicatum.

9 *Insist.* 3. : si effectus nullâ causâ indigeret, à nullâ produci posset, sed foret ens à se : ergo, si non indiget duplici causâ totali, non potest à duplici produci. Accedit, quòd implicat vera dependentia in eo sensu, in quo non est indigentia ; tum ex ipsis terminis, tum quia ideò Deus nullo modo pendet à creaturis, quia illis nullo modo indiget : ergo implicat dependentia causalitatis in sensu determinato, si non datur in eodem sensu indigentia. *Resp.*. Præter instantias *num.* 7., argumentum æquè impugnat duas causas totales in actu primo, divisim productivas ejusdem effectus : nam si effectus nullâ causâ indigeret, à nullâ produci posset, nec simul cum aliâ, nec divisim: ergo, si non indiget duplici totali in actu primo, non potest etiam divisim à duplici produci; nisi detur dependentia producibilitatis in eo sensu, in quo non est indigentia. Quare solvendum est ab Scotistis ; in ò & à Thomistis, cum pariter probet, non posse produci effectum à causâ secundâ, si potest à Deo solo.

10 Itaque *neg. Conseq.*: quia, licèt indigere aliquâ causâ vagè, sit fundamentum producibilitatis ; hoc tamen fundamento posito, potest aliunde crescere, ut sic

dicam, fabrica producibilitatis, & productionis, potestque à pluribus causis, etiam non necessarijs, haberi; nec tenetur sequi mensuram indigentiæ. Quemadmodùm, qui non est homo, vel Angelus, nequit sanctificari per Gratiam; & tamen in sanctitate crescere potest magis, ac magis sine fine, tametsi non crescat in esse hominis, aut Angeli. Ad id, quod additur, *neg. Anteced.* propter nunc dicta: quàmvis enim implicet dependentia ubi non datur aliqua indigentia; potest tamen, suppositâ indigentiâ vagâ, dari dependentia determinata. Deus autem ideò nullatenùs pendet à creaturis, quia nullatenùs illis indiget, nec determinatè, nec vagè. Expeditiùs ad hæc omnia responderi potest, quòd nomen *dependentiæ* interdùm sumatur pro indigentiâ, interdùm pro satisfactione indigentiæ; quo posteriore modo sumitur, cùm dicitur de productione effectus à causâ. Potest autem satisfactio esse determinata, quàmvis indigentia sit vaga; ut patet exemplo famelici, viatoris, & alijs *num.* 8. Sed observa, nos loqui de effectu secundùm se inspecto: nam, si accipiatur ut productus per duas actiones, determinatè indiget utràque causâ totali citra dubium.

11 *Objic.* 2.: quælibet ex causis in casu quæstionis esset totalis, ut supponitur; & aliunde non esset; quia de conceptu causæ totalis est, quòd non influat in consortio alterius. Veràm hæc *objectio* rejecta manet *n.* 2. ex proprio conceptu causæ totalis in actu secundo, instaturque manifestè in exemplis *n.* 3. & 4.. Non est ergo de essentiali conceptu causæ totalis, quòd influat sola, quòd sit unica, quòd excludat omnem influxum præter suum; sed solùm quòd ejus actio independenter ab alterius actione sufficiat ad effectum in rerum naturâ ponendum. Quare potest admittere consortium, aut comitatum alterius purè *materialiter*, idest, alterius, quæ non ita illi conjungatur, ut ambæ se se mutuò adjuvent, nec ita ut concurrant per eundem influxum, nec per duos invicem connexos, & coordinatos (quo sensu proprium est causæ partialis influere in consortio alterius); sed ita, ut quælibet de materiali se habeat ad influxum alterius, & perinde influat, ac si altera non adesset. Dici quoque solet, singulas causas esse totales, non totalitate exclusionis, sed totalitate sufficientiæ; vel totalitate positivâ, non negativâ.

12 *Instabis* 1.: causa totalis nihil in effectu relinquit improductum: ergo nihil relinquit ab aliâ causâ producendum. *Neg. Conseq.*: nam, sicut una subsistentia nihil relinquit interminatum in naturâ, una forma nihil relinquit incompletum in materiâ, una visio nihil invisum in colore, una cognitio comprehensiva nihil incognitum in objecto; & tamen aliquid relinquit ab aliâ terminandum, complendum, videndum, cognoscendum, nempe totam naturam, totam materiam, totum colorem, totum objectum; ita in re nostrâ.

Quod

Quod dictum esto, dummodò verbum *relinquit* non innuat prioritatis ordinem per se inter causas (hic enim ordo negandus est), sed idem valeat *relinquit producendum*, ac *finit produci*.

13 *Instat.* 2.: altera ex causis totalibus vel actum ageret, vel nihil ageret. *Neg. assumpt.*: quia utraque foret primò producens, seu producens effectum in primo instanti existentiæ ipsius, & quidem in signis inter se prorsus inconnexis, ac se se materialiter comitantibus absque ullo prioritatis ordine unius causæ ad aliam, sed tantùm utriusque ad effectum. Neutra ergo actum ageret, siquidem neutra supponeret terminum ab aliâ productum; sed utraque totum ageret, & totum extraheret de non esse ad esse. Repete instantias *n.* 3. & 4.: nam similiter, positis in eadem materiâ duabus formis, altera vel completum compleret, vel nihil compleret; & sic de alijs. Quodsi velis, ut effectus ab unâ causâ totali primò productus, in instanti sequenti conservetur ab eâdem, & ab aliâ simul per novam actionem; tunc nova hæc actio non magis actum aget, quàm alia quælibet actio conservativa post primam productionem advenientis; cujus conatus non eò tendit, ut, quod actum est, incipiat esse, sed ne relabatur in non esse; quo sensu potest utique actum agi.

14 *Instabis* 3.: quod est totaliter productum, nequit magis produci. *Dist.*: nequit magis produci, productione per se supponente priorem aliam, *transeat*; productione non aliam supponente, sed purè comitante, *subdist.*: nequit magis produci, nec bis, aut pluriès, *neg.*; nequit magis produci, potest tamen pluriès, *conc.*. Sic lapis ab uno Angelo cognitus comprehensivè, atque adeò totaliter, potest à pluribus alijs simul comprehendi. Adde alias instantias toties adductas.

15 *Instat.* 4.: neutra ex illis causis adæquaret totam producibilitatem, totamque dependentiam effectus: ergo neutra esset causa adæquata. *Resp.*. Quælibet causa totam effectus producibilitatem intrinsecam adæquat adæquatione sufficientiæ; quia quælibet sufficit, ut tota illa producibilitas producatur: hinc tamen non sequitur adæquatio exclusionis, quæ scilicet essentialiter excludat adæquationes alias pariter sufficientes. Sic una comprehensio totam adæquat cognoscibilitatem objecti, nec tamen comprehensiones alias excludit. Similiter si dependentia effectus sumatur pro indigentiâ, qualibet causa illam adæquat adæquatione sufficientiæ; quia quælibet ei plenè satisfacit. Si verò dependentia sumatur pro causalitate actuali, cum hæc in casu nostro sit duplex, non quælibet causa totam adæquat extensivè; quia non adæquat binarium actionum: sed negamus esse de conceptu causæ simpliciter adæquatæ, quòd dependentiam effectus, sic acceptam, extensivè adæquet. Dici tamen poterit totam adæquans intensivè, qualiter

unus homo intensivè adæquat perfectionem duorum.

16 *Objic.* 3.: si duo agentia luminosa, singula virtutis ut quatuor, producerent ut causæ totales unicam lucem ut quatuor, totam suam virtutem exhaurirent absdubiò: aliunde non totam exhaurirent: ergo sequeretur contradictio. *Prob. Min.*: duo illa luminosa possent producere lucem ut octo, vel saltem duplicem lucem ut quatuor: ergo, dum unicam producunt, non operantur quantum possunt: ergo totam virtutem non exhaurium. *Resp.* Eodem argumento probari potest, quòd duo corpora penetrata, locum non occupant quantum possunt; quòd duæ formæ in eadem materiâ receptæ, non informant quantum possunt; quòd illa duo luminosa, si unicam lucem producerent divisim, aut etiam successivè (ut si lux ab uno producta, postea conservaretur ab altero, vel post corruptionem miraculosè reproduceretur ab altero), non agerent quantum possunt, cum possint divisim, aut successivè duas producere luces ut quatuor. Itaque *neg. Min.* Ad *prob. disj.* 1. *Consequ.*: non operantur quantum possunt per quascumque actiones, *conc.*; quantum possunt per actiones totales directas ad lucem A., *neg.* 1. & 2. *consequ.*. Ut agens exhauriatur pro hoc instanti, non requiritur quòd agat quantum potest per omnes actiones, quas continet in sensu diviso ponendas; sed sufficit quòd agat quantum potest per unam actionem suæ virtuti adæquatam: & sic ignis A., dum actu producit ignem B. sibi æqualem, verè pro eo instanti exhauritur, quia unam actionem sibi adæquatam exercet directam ad ignem B, quàmvis non agat quantum potest in sensu diviso per alias, quas continet, actiones dirigibiles ad ignes C., R., &c.

17 Jam verò unumquodque luminosum, de quo est sermo, potest divisim ab altero, totaliter producere lucem illam unicam, & quidem per actionem virtuti agentis adæquatam, quâ posita exhauriretur, & ageret quantum potest, idest, secundùm totas vires: continentur igitur in duobus luminosis duæ productiones totales ejusdem lucis, saltem divisim ponibiles, quarum unaquæque, si poneretur, esset exhaustio virtutis causæ, & summus conatus. Fac ergo (& hæc est nostra hypothesis) has ipsas actiones simul existere; & invenies, utriusque luminosi virtutes exhauriri, licet non producant nisi unicam lucem ut quatuor. Cur enim exhauriantur divisim, & non simul, si actiones eædem sunt, & terminus idem? Possent quidem per alias actiones producere simul duas luces, ut quatuor, sicut possent divisim, aut successivè: attamen hoc non tollit, quòd actiones istæ, ad unicam lucem directæ, sint adæquatæ, & exhaurientes, tam simul, quàm divisim. Sic uniones, quibus duæ formæ unirentur eidem materiæ, verè adæquarent vim informativam utriusque formæ, quàmvis per alias uniones possent eædem formæ duas ma-

materias informare. Certè exhaustio causæ, prout nunc accipitur, consistit in conatu, quem virtus adhibet in agendo, qui conatus est actio: si ergo duo luminosa æquales conatus adhibent, & æquales exhibent actiones circa eumdem effectum, ac circa duos, nequeunt non æqualiter exhauriri.

18 Sed *replic.* 1.: unica lux ut quatuor, non æquivalet duplici ut quatuor. *Dist.*: non æquivalet in esse entis, *conc.*; non æquivalet in ratione effectus, quando duas terminat actiones totales, *neg.*: lux enim unica, ut producta duplici actione totali, conatum agentium insumit æquivalentem ei, qui circa duplicem lucem insumeretur. Quod pariter dicendum est de unicâ luce productâ divisim, aut successivè, à duabus causis. *Replic.* 2.: unum luminosum ut octo, nequit exhauriri productione unius lucis ut quatuor: ergo nec ejusdem lucis productione possunt exhauriri duo luminosa, singula ut quatuor. *Dist. Antec.*: si luminosum ut octo, lucem illam producat unicâ actione totali, *conc.*; si duplici, *neg. Antec.*, & sub eâdem distinctione *Consequ.*. Unum agens virtutis duplò majoris, quàm effectus, potest etiam illum producere per duas actiones totales, vel ortas à distinctis partibus agentis, vel etiam ab eâdem virtute profectas: quod si faceret in casu argumenti, non minùs exhauriretur luminosum ut octo, quàm si produceret unam lucem ut octo, vel duas ut quatuor. *Dices* ex P. Ulloa: decretum applicativum Omnipotentiæ non haberet tunc modum tendendi Deo dignum; sic enim tenderet, *Volo, ut agens ut octo producat producat effectum ut quatuor.* Sed quid opus est repetitione illâ nugatoriâ, *producat producat*? cum possit decretum ita concipi, *Volo, ut agens ut octo, per duas actiones totales producat effectum ut quatuor.* Si Angelus cognosceret lapidem per duas cognitiones numero distinctas, & simul positas (quod saltem divinitùs non repugnat in principijs illius Authoris), numquid decretum Dei sic tenderet, *Volo, ut Angelus cognoscat cognoscat lapidem*?

19 *Replic.* 3.: actiones adæquantes virtutem agentium, ponunt in actu secundo totum id, quod agentia continent in actu primo: sed duo prædicta luminosa continent duos effectus ut quatuor: ergo duos in actu secundo ponere debent actiones adæquantes virtutem eorum agentium. Accedit, quòd duplex actio est duplex effectus in fieri, cui respondere debet duplex effectus in facto esse. *Dist. Maj.*: totum id, quod agentia continent in actu primo, ut producendum per omnes actiones, *neg.*; quod continent ut producendum per aliquas actiones verè adæquatas, *conc. Maj.*, & similiter distinctâ *Min.*, *neg. Consequ.* Relege dicta *n.* 17.. Nec obstat quod additur de effectu in fieri: nam actio non tam est effectus in fieri, quàm ipsum fieri effectus quasi viale, distinctumque realiter ab effectu: potest autem dari duplex via ad eumdem terminum,

etiam

etiam philosophicè, ut patet in duplici productione successivâ.

20 *Replic. 4.* : causæ non impendunt vires præcisè circa actiones, sed præcipuè circa entitatem effectus : si ergo in casu proposito non datur duplex entitas effectus, nequeunt impendi vires duplicis causæ. *Resp.* Actio est exercitium virium, est conatus, & ratio formalis insumendi vires causæ; quare, licèt effectus præcipuè, sive *ut quòd*, vires causæ insumat, non tamen insumit seorsùm ab actione, sed cum illâ, & per illam, tamquam per exercitium insumendi; quod exercitium si multiplicetur in ratione totalis, necessariò multiplicat expensas virium, sive entitas effectus sit unica, sive multiplex. In casu ergo proposito, effectus unicus perinde se habet, ac duplex, in ordine ad vires duarum causarum insumendas: quia unaquæque causa perinde influit, ac si altera non adesset, & eamdem ponit actionem, quam poneret seorsùm ab alterâ; proindeque easdem virium expensas facit, quas faceret divisim, aut successivè producendo: unde, sicut effectus ab utràque successive productus, perinde se haberet, ac duplex; ita & productus ab utràque simul.

21 *Objic. 4.* : effectus, à duplici causâ totali productus, cuilibet totum suum esse deberet in solidum: repugnat autem, deberi aliquid duobus simul creditoribus, unicuique in solidum. *Confirm.*: proprium est causæ totalis habere dominium effectus : nequit autem dominium ejusdem rei ad duos simul dominos pertinere, maximè cum independentiâ reciprocâ unius ab alio. *Resp.* Sat nobis est, quòd nostra sententia locum habeat in causis purè physicis (quidquid sit de causis moralibus, ideft, rationalibus, & liberis), v. g. in duobus ignibus respectu tertij: hujusmodi autem causis effectum debere suum esse, nihil aliud significat, quàm ita existere, ut verificet causalem illam, *ideò effectus habet esse, quia illud accipit ab his causis*: non enim ignis productus ita debetur igni producenti, ut ei tradendus sit ad fruendum, vel liberè disponendum. At in hoc sensu potest idem effectus debere suum esse duabus causis, unicuique in solidum soliditate, non exclusionis, sed sufficientiæ; quemadmodùm idem lapis comprehenditur in solidum ab unoquoque Angelo. Ad *Confirm.*: dominium, conveniens causæ totali purè physicæ, valdè improprium est: non enim igni totaliter agenti convenit *libera facultas disponendi de re sine injuria alterius*; quæ est definitio veri dominij. Dominium autem improprium, sumptum præcise pro jure producendi, aut conservandi effectum sine indigentiâ alterius, potest sine incommodo ad duas causas inter se independentes pertinere.

22 *Replic.*: si effectus esset gratitudinis capax, deberet unicuique causæ retributionem, entitati acceptæ proportionatam: vel ergo retributionem duplicaret; atque ita red-

redderet plus, quàm accipit, scilicet duplò majus: vel eam divideret inter utramque causam; atque ita non retribueret unicuique pro meritis, siquidem unaquæque totum esse dedit. *Resp.*. Effectus in eâ hypothesi non teneretur duplicare gratitudinem, aut retributionem, entitati acceptæ proportionatam: quia sic totum esse acciperet à singulis causis, ut tamen non indigeret largitione utriusque, nec eam exigeret; quo ex capite decrescit obligatio effectus respectu singularum: quare solùm teneretur utrique retribuere perinde, ac si essent causæ partiales, scilicet retributionem dividendo. Vel, si mavis, dic, duplicandam fore gratitudinem quasi totalem: quia gratitudo non solùm debetur pro dono accepto, sed etiam pro conatu donantis: tunc autem daretur duplex conatus totalis; & unaquæque causa perinde conaretur donare totum, ac si altera nihil donaret.

23 *Objic.* 5.: nequit eadem causa producere simul duos effectus sibi adæquatos, licèt eos possit producere divisim: ergo nec idem effectus produci simul potest à duplici causâ adæquatâ, licèt possit divisim. *Resp.*. Antecedens negatur à multis; quia si ignis A. potest producere divisim duos ignes sibi æquales, jam eos vere continet: quàmvis ergo simul eos producat, non producet plus, quàm continet, nec dubit quod non habet. Et licèt verum sit, effectum excedere non posse perfectionem causæ totalis, hoc intelligi potest de excessu intensivo, non de purè extensivo, qualis est in duobus ignibus respectu unius. Verius tamen est, non posse causam (nisi ei nova virtus accedat, quo in eventu jam non erit eadem causa, sed alia) producere adæquatè quidquam seipsâ majus, aut perfectius, etiam extensivè, si aliunde non sit intensivè inferius: verè quippe daret quod non habet, non minùs, quàm qui duos daret nummos, non habens nisi unum: & alioquin non facilè posset impugnari, qui admitteret excessum etiam intensivum. Nec obstat, quòd unus ignis duos contineat divisim producendos: nam hoc solùm est posse producere unum sine altero; quâ ratione non excedunt etiam extensivè perfectionem causæ.

24 Quapropter, *concess. Antec.*, *neg. Conseq.*. Disparitas in eo est, quòd causa in productione unius effectus adæquati totas vires impendit, & consequenter redditur pro tunc impotens ad alium: at effectus, terminando unam actionem adæquatam, non impendit vires, nec conatu lassescit, sed merè passivè se habet, ac proinde poterit aliam simul actionem terminare. Insistes: sicut exhauritur virtus causæ per unum effectum adæquatum, ita exhauritur producibilitas effectus per unam causam adæquatam. *Resp.*: non exhauritur *sicut & eodem modo*: nam causa exhauritur per summum conatum, & expensas omnium virium; ideòque, siquid aliud ageret in sensu composito, ageret ultrà, vel supra vires: at pro-

producibilitas effectus non aliter exhauritur, nisi quatenùs unâ totali actione positâ nihil in eo manet improductum; & hoc non tollit quominùs idem bis, aut pluriès producatur, cum nullus inde resultet labor ipsius. Sic nequit idem intellectus comprehendere simul plura objecta sibi æqualia in esse cognoscibilis; & tamen cognoscibilitas ejusdem objecti potest comprehendi simul à pluribus Intellectibus: quia licèt utrobique detur exhaustio, datur diversimodè.

25 Ut alia præcaveas, *nota 3.*: duæ causæ totales in nostrâ hypothesi possent influere per virtutes, & actiones naturales quoad substantiam, per easdem scilicet, per quas possunt influere divisim in eumdem effectum, applicante Deo suam Omnipotentiam singulis in eodem instanti, sicut applicaret in diversis. Forent tamen actiones illæ supernaturales quoad modum, quatenùs existerent in circumstantijs indebitis, nempe altera in sensu composito alterius, Deo supernaturaliter sic volente. *Not.* 2.: eadem actio nequit oriri à duplici causâ totali, nec simul, nec divisim; quia posset alioquin existere sine quâlibet earum; quod est contra conceptum actionis, siquidem actio ex proprio essentiali conceptu est modalis determinatio causæ, à quâ oritur. Nec hinc licet arguere ad entitatem effectus absoluti, ut quisque videt. *Not.* 3.: esto verum sit, quòd omnis actio ponit terminum à se distinctum, ne sit via sine termino; non ideò sequitur, quòd duplex actio ponit duplicem terminum: sicut ex eo, quòd omnis visio tendat in objectum à se distinctum, non sequitur, quòd duplex visio tendit in objectum duplex.

26 *Not.* 4.: vitiosa est hæc argumentatio: Positâ unâ actione totali, ponitur effectus: ergo eâdem actione deficiente, deficit effectus. Vitiosa, inquam, est: quia arguit ab oppositio antecedentis ad oppositum consequentis, non aliter ac ista: Si datur homo, datur animal: ergo si non datur homo, non datur animal. Quare, licèt singulæ actiones totales inferant existentiam effectus; tamen, alterutrâ deficiente, potest effectus permanere vi alterius. *Not.* 5.: quamvis dari nequeat in eodem instanti duplex carentia vel defectus formalis ejusdem rei; potest tamen dari duplex defectus radicalis, aut illativus, & adæquatè quidem; quia dari possunt duæ causæ simul adæquatè inferentes desitionem ejusdem rei. Si enim duæ formæ substantiales introducerentur simul in eamdem materiam, singulæ inferrent adæquatè desitionem formæ præhabitæ. Sic ergo, licèt dari nequeat duplex existentia formalis unius effectus, benè tamen duplex existentia illativa, in duplici actione consistens.

27 *Not.* 6.: effectus omninò idem nequit provenire simul (ut nec divisim) à duplici causâ intrinseca ejusdem generis, propter dicta ad finem *cap. præced.*. Potest tamen eadem forma in genere sustentari

centativo causari simul à duplici materiâ, ut alibi diximus. *Not.* 7.: cùm D. Thomas nostræ sententiæ contradicere videtur, loquitur de potentiâ ordinariâ, sive ex naturâ rei, ut exponit Cajetanus in 1. *p. q.* 52. *ar.* 3.. Videndus etiam Prado *Metaph. p.* 2. *controv.* 16. *art.* 4. docens, quòd D. Thomas rarissimè disputat de potentia Dei absolutâ. *Not.* demùm: idem actus voluntatis, si finem pro objecto respicit intrinsecè, nequit habere duos fines totales, nec simul, nec divisim; cujus rationem etiam dedimus *cap. præc.*; quæ non militat in actu externo respectu finium operantis: potest enim quis ambulare, tum recreationis gratiâ, tum ut occurrat amico; & ita quidem, ut quovis istorum finium deficiente, ambulatio existeret propter eorum alterum.

## CAP. III.

## *UTRUM NATURALITER produci possit idem effectus à duplici simul causa totali in actu secundo.*

1 NEgat communis Philosophorum in omni Scholâ sententia, quam refert, & sequitur Exim. Doctor *d.* 26. *Met. s.* 4. *n.* 22.. Affirmant tamen P. Henao *empyr. exercit.* 16. *s.* 9., Pat. Quiros *bic d.* 53. *s.* 5. & apud ipsum *s.* 6. Nominales, & alij nonnulli veteres, & moderni: quibus subscribit P. Ulloa *Physic. specul. d.* 3. *n.* 131., & *seqq.*, positâ saltem per miraculum immediatâ applicatione duarum causarum ad eandem particulam subjecti; quo etiam sensu affirmat Cajetanus *in* 1. *p. q.* 52. *art.* 3.. Hæc secunda sententia non est improbabilis: suaderi que potest 1. evertendo fundamenta contraria. Duo sunt præcipua. *Primum*: quòd natura superfluum odit, & vitat: duplex autem actio totalis superflua est pro unico effectu, cum sufficiat unica: quâ ratione repugnat naturaliter duplex forma in eâdem materiâ, necnon bilocatio unius corporis, & penetratio duorum. *Secundum*: quòd duo agentia corporea nequeunt naturaliter applicari simul eidem parti subjecti: quia nequeunt immediatè tangere passum eodem ex latere, nisi penetrentur: penetratio autem est naturaliter impossibilis.

2 Neutrum urget. Non *primum*: nam, ut omittam, quòd natura non semper superfluum vitat, ut patet in productione monstrorum, duplex actio totalis non solùm utilis, sed necessaria esse potest, ut satisfiat exigentiæ naturali causarum: duo quippe ignes æquè applicati ad unam partem materiæ, cum singuli adæquatè contineant formam producendam, singuli naturaliter exigunt eam adæquatè producere. *Dices*: non ita exigunt, quando duo simul adsunt æquè parati. Sed verò gratis restringis principium illud generale, Quòd causa necessaria, dum applicatur passo dispositò, nec ab ullo contrario impeditur, exigit fœcunditatem suam plenè explicare, & agere totis viribus. Saltem, cum exigentiam istam ego asseram, non licet tibi,

donec eam alibunde impugnes, allegare superfluitatem actionum. Nec item ex capite superfluitatis arguere licet Scotistis, & Thomistis, qui volunt, actionem Dei semper esse simpliciter sufficientem ad effectum independenter ab actione creaturæ, ut vidimus *cap. præc. n.* 4. : hoc enim posito, pariter superflua videtur actio causæ secundæ.

3 Præterea duplex actio totalis, etiam respectu effectus, licèt non sit necessaria, non est inutilis; deservit enim, ut existentia effectus sit firmior, & securior, siquidem alterutrâ actione deficiente potest effectus existere, & conservari vi alterius; quod effectui valde commodum est, & meritò appetibile. Sic multiplex virtus adæquatè continens eumdem effectum (in qua instatur argumentum) non est inutilis effectui; quia deservit, ut possit idem effectus produci facilius, aut certius, siquidem unâ causâ deficiente potest adesse altera. *Dices*: actio est essentialiter medium ad existentiam effectus: superfluum est autem duplex medium totale respectu ejusdem finis. Sed verò duplex medium totale conducit, ut finis obtineatur duplici titulo, ac proinde securius: item, ut satisfiat intentionibus, aut exigentijs duorum agentium. Accedit, quòd lex vitandi superfluum non cogit agentia libera: unde possent duo Angeli movere simul Cœlum, ita ut pro libitu producant eumdem motum ut causæ totales. Nec repugnantia naturalis bilocationis, penetrationis, & pluralitatis formarum in eâdem materiâ, sumitur ex superfluitate, sed ex peculiari naturâ quantitatis, & ex indole formæ substantialis, notâ per experientiam.

4 Non urget *secundum*: quia, si in rogum ignis conjiciatur globus materiæ uniformiter combustibilis, plures ignis partes naturaliter applicabuntur simul puncto centrico globi, quàmvis non penetrentur. Præterea, licèt agentia penetrari deberent, penetratione tamen suppositâ, naturaliter agerent ut causæ totales, cum nihil jam retardaret adæquatam virtutem singulorum. Quare totum miraculum staret in penetratione; minimè verò in actionum totalium simultate: foret enim tunc naturaliter debitus unicuique agenti concursus Dei ad agendum totaliter: nec actiones essent supernaturales quoad modum ratione decreti Omnipotentiam applicantis, sed tantum præsuppositivè ratione penetrationis agentium. Sic, licèt miraculum sit, quòd lapis loquatur juxta Lunam, quòd tamen ibi positus, & sibi relictus, in terram decidat, naturalissimum est.

5 Probari solet eadem sententia 2. à ratione: duæ causæ totales in actu primo, applicatæ simul eidem passo, inprimis non otiantur ambæ, ut est certum. Deinde nec otiatur earum altera, relinquens alteri totum munus agendi; quia ex duobus ignibus simul applicatis neuter est in jure agendi potior. Denique non agunt partialiter, quasi altera suum influxum temperet in gratiam alterius, ut volunt

Au-

Authores primæ sententiæ : tum quia hoc pugnat cum indole causæ necessariæ, cujus est agere totis viribus in materiam dispositam: tum etiam, quia unus ignis non præsentit alterius præsentiam, nec de illâ moneri potest, ut alteri suam activitatem attemperet. Superest igitur, ut singulæ causæ influant totaliter in formam tunc producendam.

6 Probari solet 3. ab exemplis. Nam 1. idem fundamentum referri potest totaliter ad plures terminos. 2. dari potest multiplex connexio adæquatè inferens eumdem terminum : sic enim plures causæ totales in actu primo, inferunt possibilitatem ejusdem effectus. 3. multiplex peccatum lethale potest simul adæquatè causare expulsionem ejusdem Gratiæ. 4. plures Sacerdotes, proferentes formam simul, consecrabunt eamdem hostiam ut causæ totales. 5. potest Angelus habere simul plures præsentias adæquatas ; nam potest fieri præsens toti aulæ v. g., cum tamen ei medietas, aut pars centesima sufficiat. 6. anima bruti, si ponatur indivisibilis, educitur ex materiâ primigeniâ, & simul ex materiâ alimenti, quarum quælibet illi sufficit ad existendum : & saltem anima rationalis utrique materiæ unitur duplici unione totali. 7. potest eadem actio exerceri propter duos simul fines adæquatos. 8. potest etiam dari duplex causa moralis adæquata ; ut, si ad preces aut imperia duorum hominum aliquid agas, idem acturus in gratiam cujusque. 9. idem objectum pluribus simul cognitionibus adæquatè comprehenditur naturaliter.

7 Nihilominùs non est à primâ & communissima sententia recedendum. Cujus probatio sic instaurari potest : quia ex terminis superfluum, & vanum est adhibere majorem conatum, ubi minor sufficit : unde meritò rideretur, qui ad conterendam muscam magno impetu irrueret. Dum ergo sufficit conatus causæ partialis, frustrâ erit totalis. Adde, quòd multiplex actio totalis pro unico effectu sequit non esse prodiga profusio virtutis causarum ; non aliter, ac profusio mille aureorum ad emendum rem unius tantùm pretio dignam. Ratio à priori : quia causæ non intendunt actiones propter actiones, sed propter effectus ; quibus si possent existentiam tribuere sine actionibus, eas omitterent ut inutiles, nec item exigunt explicare virtutem suam per actiones, nisi quatenùs per eas obtinent effectum, qui solus imitatur & refert perfectionem agentis. Dum ergo duæ causæ non possunt intendere duos effectus, nec in eis virtutem suam explicare, quia solùm adest subjectum unius capax ; frustrà & inutiliter, contraque propriam exigentiam, ponent duas actiones totales. Unde colliges, totam actionis utilitatem naturalem ab effectu desumi: quare, si ad illum superflua sit, inutilis erit undequaque.

8 Colliges etiam, ut una causa totaliter influat, esse conditionem naturaliter necessariam,

quòd non adsit alia causa cum æquali jure influendi in eumdem effectum : si enim adsit, utraque attemperabitur, suumque minuet conatum, & ambæ influent per actiones partiales, vel per unam totalem essentialiter pendentem ab utrâque causâ; sicut accidit, cùm intellectus simul cum habitu, vel specie, producit actum. Quod autem objiciebatur *n.* 5. super ignis admonitione, frigidum est. Nam quis monet, ignem de præsentiâ materiæ dispositæ, ut comburat flatu? Quis intellectum de præsentiâ speciei, ut cum illâ concurrat? vel de præsentiâ habitus adquisiti, ut suam illi virtutem attemperet? Quis in casu quæstionis monet agentia de incapacitate passi, ut non producant plures formas, quas continent, sed unam duntaxat? Ratio ergo attemperationis est; quia causa prima non debet naturaliter concurrere cum secundis, nisi juxta meritum effectus producendi: quare, dum effectus, hîc & nunc producendus, non meretur duas actiones totales, Deus ut naturæ Author non applicat Omnipotentiam suam, nisi ad duas partiales, vel ad totalem unicam.

9 *Confirm.* 1.: quamvis duo agentia simul applicata, duas formas concineant in actu primo, non exigunt producere nisi unicam, quando materiæ unica sufficit: ergo si effectui sufficit unica totalis actio, duo illa agentia nonnisi unicam exigunt elicere, tametsi duas concineant in actu primo: eadem quippe militat utrobique ratio. Hinc illi doctrinæ generali, Quòd causa necessaria exigit agere totis viribus, seu quantum potest, adhibenda est hæc limitatio, *quantum potest juxta meritum & indigentiam effectus*; sicut ab Adversarijs adhibetur hæc alia, *quantum potest juxta meritum, & indigentiam subjecti.* Dices: unus ignis, si solus esset, exigeret totaliter agere: ergo id ipsum exigit in consortio alterius: non enim exigentiam & appetitum innatum mutare potest ex circumstantiâ extrinsecâ præsentiæ alterius ignis. *Nego Consequ.*; nec ideò admitto mutationem appetitus innati; numquam enim ignis habuit appetitum agendi totaliter pro his circumstantijs.

10 *Confirm.* 2.: si possent duo agentia duplici simul actione totali producere naturaliter eumdem effectum, posset & idem agens virtutis longè superioris effectu, illum producere naturaliter duplici, aut multiplici simul actione totali: v. g. Sol producere posset naturaliter ignem A. mille actionibus totalibus simul positis: & aqua, dum ab igne privatur frigore intenso, posset producere remissum multiplici actione totali. Sequela est contra sensum omnium; ideòque ab Henao, & Quirosio negatur. Planè tamen sequitur, si verum est indistinctè, quòd causa necessaria agit totis viribus, exigitque fœcunditatem suam plenè explicare; & quòd multiplex actio non est inutilis, quia conducit ad majorem securitatem effectus. Ab omnibus ergo limitanda est exigen-

tia

tia illa causæ necessariæ, contemnendaque major ista securitas effectus, quia supponit prodigalitatem virtutis activæ ; sicut major commoditas venditoris in accipiendo mille aureos pro re vili, supponit prodigalitatem emptoris.

11 Ex dictis facilè solves quidquid à ratione proferunt Adversarij. Nunc exemplorum turbam *n.6.* percurramus. *Primum* est falsum in relationibus informantis ad informatum, recipientis ad receptum, producentis ad productum, aut è contrà. Quòd autem verum sit in relationibus primi generis, nempe similitudinis, æqualitatis, &c., nihil obstat : quia unaquæque similitudo suum terminum distinctum habet, & nullo ex capite repugnare probatur, quòd idem homo sit eodem tempore similis, aut æqualis pluribus. *Secundum* absurdè probat, posse unam causam producere simul innumeros effectus adæquatos, sicut eorum possibilitatem simul infert propter connexionem, de quâ infrà *disp.* 7. Disparitas ergo est ; tum quia connexio causæ in actu primo cum possibilitate effectus, non est præcisè propter terminum, sicut actio, sed præcipuè propter virtutem causæ, quæ deficiente illâ connexione deficeret: tum quia non est capax attemperationis, aut partialitatis, sicut influxus in actu secundo.

12 *Tertium* similiter probat, ab eâdem causâ produci simul posse plures effectus adæquatos, sicut ab uno peccato possunt expelli mille gradus Gratiæ, & ab uno Gratiæ gradu mille peccata. Gratiam igitur expellunt peccata, non per influxum physicum, sed per semet ipsa in genere causæ formalis, quo in genere non est locus attemperationi. Nec peccata existunt præcisè propter expulsionem Gratiæ, sed propter alios fines pravos á peccatore intentos. Quòdsi peccatum consideres in ratione causæ moralis medio Divino decreto expellentis Gratiam, dic, Deum auferre Gratiam per unicum decretum intuitu duplicis peccati simul commissi; vel etiam duo peccata moraliter movere ad duo, vel quasi duo decreta Dei circà expulsionem Gratiæ, quæ non sunt inutilia, sed congruentia potiùs, ut duplex peccatum pro meritis odio habeatur.

13 *Quartum* imprimis non loquitur de causis naturaliter operantibus. Deinde facilè solvitur: quia dici potest, plures Sacerdotes in eo eventu influere per unam actionem physicam, aut moralem, quæ ab omnibus simul pendeat. *Quintum* retorquetur : quia nequit Angelus simul habere naturaliter plures præsentias simpliciter adæquatas, seu quæ non sint partes actuales, vel aptitudinales unius præsentiæ absolutè totalis. Quòd autem intra sphæram illius spatij, ad quod naturaliter extendere valet præsentiam suam, possit eam coarctare pro libitu, & existere in solâ parte centesimâ ; probat quidem, Angelum non esse instar corporis, quod necessariò habet totam præsentiam, cujus est capax ; sed non probat, centesimam illam partem esse

eſſe præſentiam adæquatam toti virtuti Angelicæ. Vel dic, eſſe præſentiam adæquatam ſecundùm quid, quatenùs in aliquibus circumſtantijs ſufficit.

14 *Sextum* ſimiliter retorquetur: nam certum eſt, nec animam bruti, nec rationalem, poſſe naturaliter informare duo ſimul corpora ſimpliciter adæquata. Materia ergo primigenia non eſt abſolute ac ſimpliciter adæquata, cum per ſe ordinetur ad componendum cum materiâ alimenti unum corpus adæquatum, & animæ naturaliter debitum: dicitur tamen adæquata ſecundùm quid, & quaſi ad tempus, quatenus ſufficit ad initium ætatis. *Septimum* ſolùm habet locum in actione externâ, quæ ſecundùm ſe non pendet eſſentialiter, nec immediatè à fine, v. g. in ambulatione. Hanc fateor exerceri poſſe propter duos fines totales, & ab *iis* cauſari per duos actus voluntatis, per *quos* imperetur, ac determinetur (non efficienter ſed connexivè), quaſi per duas finium cauſalitates totales. Cæterùm cauſalitates hujuſmodi non ſunt inutiles; quia non exiſtunt præcisè propter effectum, ſed deſerviunt, ut ametur duplex bonitas finium, tum ut Voluntas in ſe perficiatur, & libertas exerceatur. *Octavum* eodem modo ſolvitur: ſi enim à precibus ſingulorum hominum adæquatè moveaſ, neceſſariò habebis duos actus voluntatis, qui ſint veluti cauſalitates reſpectu actus externi, à quo non totam ſuã utilitatem ſumunt, cum ſimul deſerviant ad duplex illud motivum amandum, aut in pretio habendum, nec non ad exercitium libertatis.

15 *Nonum* optimum eſt ad prætenſas contradictiones diſſipandas, dum quæſtio hæc de potentiâ Dei abſolutâ diſputatur: nunc verò, cùm agitur de ſuperfluitate naturali, non eſt ad rem: quia cognitiones non exiſtunt in gratiam objecti, ſed ſolius intellectus: unde non ſuperfluunt plures cognitiones, quando plures Intellectus adſunt. Oppoſitum accidit in actionibus phyſicis; quæ nec interinſecè perficiunt cauſam, nec aliunde utilitatem ſumunt, quàm ex merito, & indigentiâ effectus.

(☙)

DIS-

# DISPUTAT. VI.

## DE VIRTUTE, QUA SUOS EFFECTUS producunt Causæ creatæ.

SUPPONIMUS, quod *disp.* 2. *c* 5. probatum est, causas creatas verè aliquid efficere virtute sibi propriâ, nec solùm aliquid accidentale, sed etiam aliquid substantiale, ut satis colligitur ex ibi dictis. Supponimus item, quod pariter certum est, nomen, & munus causæ efficientis non solis accidentibus convenire, sed etiam, & præcipuè substantijs: verissimè quippe dicimus, Solem illuminare, ignem comburere, &c.: Inquirimus tamen, in quo consistat vis efficiendi, seu virtus activa, causæ creatæ propria? utrùm in solis accidentibus? an etiam in substantijs ipsis? Nomine *virtutis activæ* intelligimus id, à quo immediatè oritur actio; vel id, quo redditur causa in actu primo fœcunda, seu quo redditur potens immediatè attingere operationem, & effectum. Et hîc præ oculis habenda distinctio vulgaris inter principia *quod*, & *quo*. Principium *quod* appellatur id, cui præcipuè attribuitur operatio, seu denominatio operantis, videlicet persona, vel suppositum, juxta illud, *Actiones sunt suppositorum*. Principium *quo* dicitur illud, quod agit ut pars, aut virtus alicujus suppositi: solet que subdividi, maximè apud Thomistas, in principium *quo* immediatum, & principium *quo* mediatum, & radicale: vel alijs terminis, in principium *quo* per modum virtutis immediatè influentis, & principium *quo* per modum radicis, à quâ virtus emanat. Solet etiam actio vocari principium *quo*, sed longè alio sensu, scilicet non per modum influentis, sed per modum influxus, non per modum agentis, sed per modum exercitij, quo aliud agit. Principium autem *quo*, ut nunc sumitur, verè influit, & agit; sed vocatur *quo* relatè ad suppositum, cui inservit. Exemplum habes in potentiâ visivâ, & visione actuali: nam utraque est id, *quo* videt homo; sed longè aliter.

Jam verò in quæstione propositâ Thomistæ omnes mordicùs tenent, virtutem, quâ causæ creatæ producunt effectus suos, tũ substãtiales, tũ accidentales, nullatenùs idẽtificari cum substantiâ, sed adæquatè consistere in accidentibus, quâmvis hæc non agant ut causæ principales, quando effectus nobiliores producunt, sed tantùm ut instrumentariæ virtutes rei substantialis. Concedunt igitur substantiæ ignis v. g. munus causæ prin-

ci-

cipalis veræ, ac propriæ, tum per modum principij *quod*, tum etiam per modum principij *quo* radicalis, ſic enim appellant formam ſubſtantialem: volunt tamen impoſsibile prorſus eſſe, quòd ſubſtantia creata ſit virtus immediatè operativa alicujus effectus, ne partialiter quidem. Ex adverſo Scotiſtæ omnes cum Subtili Doctore, Nominales etiam, & Noſtri ferè omnes cum Eximio *d.* 18. *Met. f.* 2. & 3., conſtanter tenent, ſubſtantiam creatam, non ſolùm ut principium *quod*, & *quo* radicale, ſed etiam ut immediatam virtutem, eſſe operativam pluriũm effectuum, & ſubſtantialium, & accidentaliũm. Ex his tamen Authoribus alij concedunt, alij negant, ſubſtantiam ab accidentibus juvari ad productionem alterius ſubſtantiæ: alij ſubſtantiam eſſe volunt operativam accidentium in ſe ipsâ tantùm; alij, etiam in ſubjecto extraneo: & alij alias limitationes addunt minoris momenti. Quid nobis tenendum ſit, diſtinctis Aſſertionibus aperiemus.

## CAP. I.

### *SUBSTANTIA CREATA EST virtus immediatè activa alterius ſubſtantiæ.*

¶ ITA Noſtri cum Scotiſtis contra Thomiſtas. *Probatur* argumento communi, ſed efficaciſsimo: datur in creatis virtus adæquatè productiva ſubſtantiæ, ut Thomiſtæ fatentur: ſed talis virtus in ſolo accidenti conſiſtere non poteſt: ergo debet, ſaltem ex parte, conſiſtere in ſubſtantiâ, quæ proinde virtus eſt immediatè activa alterius ſubſtantiæ, ſive adæquatè, ſive inadæquatè, à quo modò præſcinditur. *Prob. Min.* Virtus adæquatè productiva nequit eſſe imperfectior, & ignobilior effectu: ſed accidens eſt ignobilius ſubſtantiâ, ut nemo dubitat: ergo virtus adæquatè productiva ſubſtantiæ conſiſtere nequit in ſolo accidenti. *Prob. Maj.*: virtus adæquatè productiva continere debet totam perfectionem effectus, vel formaliter, vel eminenter, aut ſaltem æquivalenter (ideſt, vel ſecundùm eandem ſpeciem, vel ſecundùm aliam eminentiorem, aut ſaltem perfectione æqualem): ſed nullo ex his modis continet totam perfectionem effectus, ſi eſt ignobilior effectu, ut per ſe patet: ergo &c. *Major*, quæ ſola negari poſſet, videtur clariſsima: nam virtus adæquatè productiva communicat, & tribuit effectui totam perfectionem ejus; & tribuere nequit quam non continet, juxta illud per ſe notum, *Nemo dat quod non habet.*

2 Nec dicas, accidens continere virtualiter ſubſtantiam. Nam continere virtualiter (niſi accipiatur in ſenſu mox impugnando), nihil eſt aliud, quàm poſſe producere. Repugnat autem poſſe adæquatè producere, ubi non eſt entitativa perfectio æqualis, aut major effectu producendo. Niſi hoc ſit principium inconcuſſum, non benè probabitur infinita Omnipotentiæ perfectio ex virtuali continentiâ infinitorum effectuum: nec erit unde

impugnetur, qui attribuat infimo gradui caloris virtutem adæquatè activâ totius Universi, saltè quoad effectus eductione productos: vel saltem qui agnoscat in calore virtutem adæquatè productivam lucis, aut in accidenti materiali virtutem adæquatè operativam accidentium spiritualium. Certè, qui hæc, & similia paradoxa vellet obtrudere, statim ab omnibus rejiceretur ex improportione virtutis cum effectu, quæ improportio ex imparitate perfectionis illicò probaretur.

3 Thomistæ, ut argumenti vim declinent, varijs utuntur vocibus. Dicunt in summâ, commensurationem perfectionis cum effectu quærendam esse in solâ causâ principali, quæ respectu substantiæ semper est substantia aliqua, æquè, vel magis perfecta; minimè verò in virtute instrumentariâ, cujusmodi est accidens substantiam producens; non enim hæc virtus agit *ut quod*, sed *ut quo*, non proprio nomine, non virtute propriâ, sed in virtute, & nomine substantiæ, cujus vices gerit, & à quâ confortatur, ut sub ejus auspicijs producat effectum, quem proprio Marte producere non potest ut causa principalis. Sic procurator, donans, aut vendens nomine mandantis, transfert dominium rei, quod ipse non habet. Sic etiam Legatus, aut Prorex, valide tractat ac perficit nomine Regis publica negotia, quę propriâ auctoritate perficere non posset. Hinc accidens in ordine physicè operandi, est virtualiter substantia; sicut Prorex in ordine gubernandi, est virtualiter Rex.

4 Verùm responsio hæc rejicitur validissimè, simulque probatio nostra roboratur. 1. : non sat est, quòd causa principalis, per se immediatè non influens, commensuretur in perfectione cum effectu, si tota virtus immediata non commensuratur. *Prob.* : tum quia perfectio, quæ non influit, de materiali se habet ad perfectionem effectus; non enim se illi communicat. Sic, licèt verè dicatur, *Musicus*, vel *Theologus ædificat*, musica tamen, vel Theologia de materiali se habet ad perfectionem ędificij, quia non influit. Id, quod maximè verum est, quando perfectio causę nec mediatè, nec immediatè influit, idest, nec influit immediatè in effectum, nec in virtutem, à quâ effectus oritur; ut accidit in re nostrâ, siquidem substantia juxta Thomistas nec influit immediatè in aliam substantiam, nec in accidens, à quo illa oritur; non enim volunt, ut dimanatio accidentis à substantiâ sit per influxum, aut actionem, sed per meram connexionem, & exigentiam, nè alioquin substantia sit immediatè activa alicujus effectus. Sic, quòd Petrus sibi divitijs affluat, nihil prodest, ut ditet Paulum per se, vel per famulum, si nec per se immediatè divitias Paulo communicat, nec illas tribuit famulo, ut communicet. Urgetur: causa non aliter perfectionem suam refundit in effectum, nisi quatenùs in illum influit: ergo, si nec immediatè, nec mediatè influit, nullatenùs perfectionem suam

refundit, sed eam sibi retinet inertem, & sterilem.

5 2.: quidquid sit de causâ principali, negari non potest, quòd virtus adæquata debeat in perfectione commensurari cum effectu: redit enim nostra probatio, quòd alioquin daret quod non habet; & quòd alioquin posset infima entitatula esse virtus totalis ad effectus quoslibet. *Dices*: virtus perfectionem non dat, nisi *ut quo*. *Contrà*: dare *ut quo* per modum virtutis, est verè ac propriè dare. Tum quia virtus immediatè influens, est verè ac propriè causa, cum illi propriè conveniat causæ definitio, nominatim Thomistica illa, *Causa est, ad quam sequitur esse alterius*. Tum quia illius est propriè dare, à quo propriè accipit effectus: hic autem ab eo propriè accipit, à quo propriè pendet, prout tali actione productus: pendet autem proprijssimè à principio *quo* per modum virtutis, cum sine illo sit essentialiter impotens existere actio, quæ tamen existere potest sine principio *quod*, ut Thomistæ non dubitant. Tum etiam, quia forma substantialis, licèt vocetur terminus *quo*, dicatur que produci *ut quo* (solum compositum dicitur produci *ut quod*), tamen verissimè accipit perfectionem à causâ: ergo, licèt virtus immediatè influens dicatur principium *quo*, verissimè dat perfectionem effectui. Semper ergo stabit, quòd virtus totalis, si est ignobilior effectu, verè ac propriè dat quod non habet.

6 3.: accidens proprio nomine, ac virtute propriâ nequit adæquatè producere substantiam, ut fatemini: ergo neque in virtute, ac nomine substantiæ. *Prob. Conseq.*: accidens, prout activum in virtute substantiæ, vel accipit virtutem aliquam à se distinctam, vel nihil accipit præter suam entitatem. Si primum dicas: in primis id alienum est à mente Thomistarum: ac deinde nihil prodest; quia, si virtus accidenti superaddita, est substantia, quæ immediatè juvet ad influendum, jam substantia erit immediatè operativa; si est aliud accidens, redit argumentum eodem impetu. Si verò dicas secundum: ergo accidens agere in virtute substantiæ, est agere in vi suæ solius entitatis: at hæc est eadem ipsa virtus, quâ ageret accidens, si ageret nomine proprio: si ergo nomine proprio agere non posset, pariter neque in virtute substantiæ. Sic nequit puer ultra vires proprias sustinere pondus nomine gigantis, si nullas à gigante vires accipit præter eas, quas habet sibi relictus. Unde frustrà dicitur, accidens *confortari* à substantiâ. Quomodò enim confortatur, si nihil roboris accipit præter sibi proprium, seu præter id, quod intrinsecè convenit accidenti sibi relicto, & proprio sub nomine operanti?

7 Urgetur retorquendo exempla moralia. Si Procurator, Legatus, Prorex, nullam potestatem acciperent præter eam, quam habent ut personæ privatæ, nullum contractum, negotium vè publicum validè perficerent nomine man-

mandantis, aut nomine Regis: ergo si accidens nullam à substantiâ virtutem accipit præter eam, quàm habet intrinsecè ut accidens est, nullum effectum ultra proprias vires producere poterit nomine substantiæ. Unde vides, exempla ista non esse ad rem: quia Procuratori, & Legato reipsâ communicatur vera potestas non inferior, nec ignobilior effectu morali, in quem immediatè influit: sive illa potestas consistat in voluntate Principis moraliter permanente, & operante sub conditione voluntatis delegati, sive in alio quolibet; quod nostra non interest. Urgetur iterùm aliâ retorsione. Nihil potest Legatus, aut Procurator agere nomine alterius, qui sit ab intrinseco impotens per se immediatè agere illud ipsum; alioquin posset quis constitui Reipublicæ gubernator nomine leonis, aut equi: ergo pariter nihil potest accidens agere nomine substantiæ, si hæc est ab intrinseco impotens per se immediatè agere illum ipsum effectum, ut reipsâ est juxta Thomistas.

8 Et hinc 4. rejicitur doctrina responsionis. Non magis est ab intrinseco incapax equus ad immediatè gubernandum more politico, quàm substantia creata juxta Thomistas ad immediatè agendum: sed propter illam incapacitatem omninò repugnans, aut nugatorium esset, aliquem vices equi gerere, aut sub equi nomine, vel in ejus virtute destinari ad gubernandum: ergo &c.. *Adde*, quòd nequit non esse dedecus, & imperfectio substantiæ, indigere vicariâ virtute accidentis ob incapacitatem agendi; instar pupilli tutore indigentis, qui sub ejus nomine contractus celebret; aut instar nescientis scribere, cujus nomine subscribit alius testamentum. Et quidem in his exemplis indigentia provenit ex imbecillitate, vel imperitiâ, per accidens habitâ: in substantiâ verò, ex omnimodâ incapacitate ab intrinseco.

9 Hinc patet quàm frustrà dicatur, quòd accidens in ordine operandi est *virtualiter substantia*: hoc enim, suppositâ incapacitate substantiæ ad immediatè operandum, significat potiùs, quòd accidens est prorsus impotens operari: non aliter, ac quidquid in ordine gubernandi, vel in ordine intelligendi, est virtualiter asinus, reipsâ est prorsus impotens gubernare, vel intelligere. Quod magis patebit hoc syllogismo: Substantia est impotens immediatè operari; sed accidens est virtualiter substantia in ordine operandi; ergo accidens est virtualiter impotens immediatè operari. Certè, quod est virtualiter substantia in lineâ operativâ, id habet virtualiter, quod substantia habet formaliter in eâ lineâ, ut patet inductione per omnia, quæ dicuntur esse virtualiter hoc, aut illud: sed substantia habet formaliter essentialem incapacitatem immediatè operandi: ergo eamdem incapacitatem habet virtualiter accidens, si est virtualiter substantia in lineâ operativâ. Accedit, quòd, si accidens ideò agit, quia est vir-

tualiter subsistantia, melius, vel saltem æquè benè ageret, si esset subsistantia formaliter: sicut non minùs benè calefacit quod est formaliter ignis, quàm quod est ignis virtualiter.

10 Nec magis juvat, quòd accidens in ordine operandi dicatur *quasi spiritus, & quinta essentia substantiæ*, ut novissimè loquitur M. Aguilera. Nam ex doctrinâ Thomisticâ sequitur, accidens esse quasi spiritum, & quintam essentiam incapacitatis essentialis ad immediatè operandum: hæc enim incapacitas, & nihil aliud in ordine operandi, exprimi potest ex substantiâ, quantùmvis alembico rationis utaris. Sic in ordine gubernandi, aut intelligendi, spiritus & quinta essentia asini, erit spiritus, & quinta essentia incapacitatis ad ea munera.

11 5. ex ijsdem exemplis, quibus armari solent Adversarij. Nam juxta doctrinam ipsorum, accidentia Eucharistica, dum æquæ guttam in vinum convertunt, novam vini formam adæquatè producunt: dum ignis percussione silicis elicitur, calor, & motus sunt adæquata virtus ignem producens; sicut etiam adæquata virtus ex putri generans animalcula sunt accidentia tunc præsentia. At in his casibus, non adest substantia vini, nec ignis, nec animalculi, cujus nomine operetur virtus accidentalis, & quæ velut causa principalis confortet debilitatem accidentis: ergo accidens tunc producit adæquatè substantiam, non confortatum, non in virtute substantiæ, sed in virtute propriâ, quin obstet inæqualitas perfectionis; quod est mirabile, & contra doctrinam Thomistarum.

12 Dicunt, in his casibus substantiam, à quâ virtus accidentalis decisa, vel relicta fuit, esse causam principalem effectus, licèt jam separata sit, vel non existens. Sed *inprimis* causa non existens, licèt anteà extiterit, est actu nihil, omnis que roboris, & perfectionis expers: quomodò ergo confortat accidentia? quomodò gerit munus causæ principalis, cujus est propriè causare magis, quàm accidentis, ut vultis? Quomodò dat esse, si non habet esse? Quomodò perfectionem communicat, si nullam actu continet? An, ut Petrus ditet Paulum, sufficiet, quòd olim ditissimus fuerit, si nunc est pauperrimus? Dices: causa principalis existit adhuc, non in se, sed in virtute relictâ. Sed verò existere in virtute, nihil est aliud, quàm existere entitatem accidentis: hæc entitas non continet *at quod* perfectionem effectus: aliunde neque illam jam continet causa principalis: ergo effectus accipit perfectionem, quæ in nullâ sui causâ continetur.

13 Deinde calor, si à solo Deo produceretur, & conservaretur, idem ageret, quod modò: & tamen non esset virtus ab ullo igne relicta, vel decisa, nec ab aliâ substantiâ creatâ. Imò de facto calor in silice excitatus, in nullo igne extitit unquam; neque in ullo mure extitere accidentia, quæ producunt mu-

murem ex putri. Nullius ergo ignis, aut muris nomine operantur accidentia ista. Nec recurras ad ignem, aut murem possibilem. Nam causa, quæ nec existit, nec unquam extitit, nihil verè causat, ut omnibus in confesso est. Præterquàm quòd virtus nunc operans, nec est, nec fuit unquam illius propria. Accedit, quòd in principijs Thomistarum nulla causa verè agit *ut quod* per virtutem sibi non unitam; ideòque negant, Intellectum elevari posse divinitùs per auxilium extrinsecum ad producendam visionem beatam. At virtus accidentalis certè non unitur causæ non existēti.

14 6. denique impugnatur responsio *n.* 3.: quia ijsdem terminis defendi poterit, accidens intrinsecè constituere compositum substantiale nomine materiæ, vel formæ. Si enim objicias, ex non substantijs non posse fieri substantiam: concedam de non substantijs proprio nomine, vel propriâ virtute componentibus, de non substantijs non confortatis à substantiâ, seu quæ non sint virtualiter substantiæ in ordine constituendi: negabo tamen de non substantijs, quæ in virtute ac nomine substantiæ componant, quæ à substantiâ confortentur, quæ in ordine constituendi sint virtualiter substantiæ, sint que quasi spiritus & quinta essentia substantiæ. Quâ distinctione similiter eludam quidquid aliud objeceris. Vide dicta *tr.* 1. *d.* 1. *c.* 8..

15 Probari præterea potest nostra Assertio sic: dum ignis combutit stuppam, calor ignis agentis producit in passo calorem sibi æqualem (illum scilicet, qui resultat in primo instanti velut proprietas formæ genitæ, qui que juxta Thomistas producitur à generante) ergo nequit in eodem instanti producere formam ignis: ergo hæc à substantiâ ignis agentis producitur. *Prob. prim. Conseq.*: nulla virtus in eodem instanti, in quo producit effectum sibi adæquatum, potest producere alium, præsertim superiorem; cum certum sit, per effectum adæquatum exhauriri totam virtutem activam: sed calor in passo productus, est effectus adæquatus calori agenti, cum sit illi prorsus æqualis quoad speciem, & intensionem, ab eoque tamquam à virtute univocâ proveniat: ergo calor ignis agentis nequit in eodem instanti producere formam ignis. *Dices*: calor est effectus adæquatus caloris, prout agentis virtute propriâ, non verò prout agentis in virtute ignis. Sed *contrà* 1.: calor, prout est virtus ignis, est idem calor prout est propria virtus, absque ullâ vel additione, vel distinctione reali, ut fateris: ergo nequit adæquari, & exhauriri realiter, prout est agens virtute propriâ, quin adæquetur, & exhauriatur, prout agens in virtute ignis. *Contrà* 2.: calor in passo producitur à calore agente, non solùm entitativè sumptus, sed etiam prout activus in virtute ignis; producitur enim secundùm omnia, quæ habet naturâ suâ; habet autem suapte naturâ esse virtutem ignis: sed calor productus, prout activus in virtute ignis,

est

est omninò adæquatus calori agenti, etiam prout activo in virtute ignis: ergò &c..

16 Probari quoque solet eodem Assertio: quia, si substantia immediatè non influit, non erit alterius substantiæ causa propriè, & per se perfectate influxus, aut causalitatis. Sequela negatur ab Adversarijs, & meritò: nam inde fieret, solum accidens esse veram causam substantiæ, proindeque causam principalem. Probari tamen solet: quia substantia, si non immediatè influit in aliam substantiam, cum aliunde non influat mediatè, siquidem nec influit in accidens, non erit causa substantiæ nec immediata, nec mediata: non enim aliter est causa, nisi quatenùs influit. Et quàmvis diceretur causa mediata, non ideò esset causa per se, juxta dicta *d. 2. c. 1. n. 18.*. Sed quia reponi potest, ad proprietatem causæ operantis *ut quòd* sufficere, quòd operetur mediâ virtute, quam physicè possidet ut propriam; hac enim ratione propriè tribuuntur Personæ Verbi operationes humanitatis; quæ responsio longiorem postulat discussionem, quâ non indigemus inpræsentiarum: idcircò, probatione istâ prætermissâ, probatur Sequela ex doctrinâ ipsâ Thomistarum.

17 Causa, cui perinde est existere, ac non existere, ut denominetur causans, non causat propriè, ac per se: sed, si substantia non influit nisi per virtutem accidentalem, eodem modo denominatur causans, sive existat, sive non existat, per actionem accidentis à se relicti, vel decisi, ut patet in exemplis *num. 11.*, & in alijs *cap. sequ.* objiciendis, ut que supponunt Adversarij: ergo &c.. *Major* videtur innegabilis: nam quis dicat, ad propriè causandum, ideſt, ad dandum esse, nihil referre, quòd causa sit aliquid, vel nihil (maximè, si jam diù antè desierit), seu quòd actu contineat, vel non contineat perfectionem effectus, nec *ut quo*, nec *ut quod*? Sed nihilominùs probatur 1.: quia implicat propriè causare *ut quod* sine ullâ proportione cum effectu: sed causa, quando non est, seu quando est non ens, nullam habet proportionem cum effectu; nam, ut ait cum Philosopho Div. Thomas q. 3. de pot. ar. 4., *non entis ad ens nulla est proportio*: ergo &c.. 2.: quia implicat effectum propriè produci *ut quod*, quando non est: ergo, & implicat causam propriè producere *ut quod*, quando non existit: ut enim ait Ang. Doctor *loc. cit.*, *hoc modo factum agitur, quo faciens agit: agens autem agit, secundùm quòd actu est.* 3.: quia suppositum non actu existens, vel non actu possidens naturam, non propriè operaretur *ut quod* per operationem naturæ, etiamsi antèa extitisset, aut naturam possedisset: ergo pariter, &c..

18 Denique probatur Assertio nostra: quia substantiæ creatæ non repugnat esse virtutem activam: ergo non est cur illi negetur immediatus influxus in aliam substantiam. Consequentia recta est apud Thomistas. *Prob. Antec.*: substan-

tantiæ non repugnat esse virtutem immediatè passivam, seu receptivam, ut patet, tum in materiâ primâ, tum in substantiâ totius compositi, quæ juxta Thomistas immediatè recipit accidentia: ergo nec repugnat esse virtutem, seu potentiam immediatè activam. *Prob. Consequ.*: tum quia argumenta contraria vel utramque potentiam in substantiâ impugnant, vel neutram, ut mox patebit. Tum etiam, quia dissonum est, quòd in distributione potentiarum tribuatur substantiæ illa tantummodo, quæ defectum, & imperfectionem redolet, accidenti verò tribuatur illa, quæ perfectionem sapit: substantia enim longè perfectior est accidenti, &, ut ait D. Thomas 1. p. q. 25. ar. 1. *Manifestum est, quòd unumquodque secundùm quòd est actu, & perfectum, secundùm hoc est principium activum alicujus: patitur autem unumquodque, secundùm quòd est deficiens, & imperfectum.* Aliæ probationes erui poterunt ex objectionum solutione, quam subjungimus.

## CAP. II.

### *RESPONDETUR ARGUMENTIS contrariæ sententiæ.*

1 IN hoc cap. solvemus argumenta, quibus Thomistæ negant, posse substantiam esse immediatè operativam alicujus effectus. *Objic.* 1. multiplex quasi paræmia, vel adagium, Philosophorum usu tritum. *Primum*: *Substantia est propter se*: sed potentia operativa est propter operationem, ad quam per se primò ordinatur: ergo substantia nequit esse potentia, seu virtus operativa. *Secundum*: *Potentia specificatur ab actu*: sed actus, sive operatio potentiæ activæ, est accidens: cum ergo substantia specificari non possit ab accidenti, substantia nequit esse potentia operativa. *Tertium*: *Actus & potentia debent esse in eodem genere*: item, *Perfectibile, & perfectivum sunt in eadem linea*: ergo, cum operatio sit actus perfectivus potentiæ operantis, potentia ista debet esse de lineâ, seu genere accidentali, sicut est operatio. *Quartum*: juxta doctrinam Aristotelis, *Simile agit quod habet contrarium*: at substantia contrarium non habet. *Quintum*: *Actus est melior, ac potior, quàm potentia*; quod sumitur ex Aristotele 9. *Metaph. c.* 8.: sed actus potentiæ operativæ, cum sit accidens, nequit esse potior, quàm substantia: ergo substantia non est potentia operativa. *Sextum*: *Prius est esse, quàm operari*: ergo prius est ordinari ad esse, quàm ad operationem: sed substantia ordinatur ad esse: ergo potentia operativa, quæ ordinatur ad operationem, est quid posterius, & consecutum ad substantiam.

2 *Resp.*. Si paræmijs certandum est, nobis quoque suppetunt adagia, nisi fallor, opportuniora. *Primum*: *Unumquodque operatur secundùm quod est in actu.* Ita sæpissimè D. Thomas, & ex eo cæteri passim. Sed substantia ignis v. g. est in actu per suam formam substantialem immediatè: ergo

go per eamdem operatur immediatè. *Secundum*: *Unumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere.* Ita conceptis verbis D. Thomas 3. *p. q.* 77. *ar.* 3.. Sed substantia se habet immediatè ad esse. ergo se habet immediate ad agere: *Tertium*: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Notissimum hoc est ex Philosopho 1. *Poster.*. Sed accidens est immediatè operativum propter substantiam: ergo substantia magis est immediatè operativa. *Quartum*: *Bonum est diffusivum sui.* Hoc ex D. Dionysio desumptum *cap.* 4. *de Divin. nomin.* approbant omnes. Sed substantia est per se immediatè bona: ergo est per se immediatè diffusiva sui: ergo per se immediatè diffundit perfectionem suam in effectum. *Quintum*: *Quò perfectior est actus, eò perfectiorem exigit potentiam.* Hoc etiam usu tritum est, patetque satis exemplo actuum vitalium. Sed productio substantiæ ignis est actus perfectior productione caloris: ergo, cum productio caloris exigat totam alterius caloris potentiam activam, productio substantiæ exiget perfectiorem aliam potentiam, nempe substantialem. *Sextum*: *Modus operandi sequitur modum essendi.* Tritissimum est, & sumitur ex D. Thomâ 1. *p. q.* 50. *ar.* 5.. Sed perfectior essendi modus convenit substantiæ, quàm accidenti: ergo & perfectior modus operandi. At immediatè operari, est modus operandi perfectior, ut patet in Deo. Mitto alia: nam hæc sufficiunt, ne Thomistæ sibi de adagiorum copia blandiantur.

3 Quæ verò nobis objecta sunt, explicantur nullo negotio. *Ad* 1.: substantia est propter se, quatenùs non est propter aliud suppositum adæquatè distinctum intrinsecè afficiendum. Hoc tamen non tollit, quòd etiam sit aliquomodò propter operationem. Tum quia juxta Adversarios est vera causa principalis, verum que principium *quod*, & *quo* radicale: de conceptu autem veri principij operativi, veræque radicis, est ordo ad operationem. Tum etiam, quia id probat vetus adagium, *Esse est propter operari*, vel, *Unumquodque est propter suam operationem*: quod explicans M. Froylan. *hic q.* 3. *ar.* 2. §. 9. dicit, *substantiam esse propter operationem, tamquam propter finem effectum, vel perficiendum per ipsam substantiam*, sicut *Incarnatio dicitur esse propter salutem hominum, tamquam finem effectum, & consecutum ad ipsam Incarnationem.* Jam ergo substantia aliquomodò est propter operationem, & ad eam ordinatur. Et cur non eodem modo ad operationem ordinabitur potentia operativa, quàmvis identificetur cum substantiâ?

4 Quia, inquis, potentia operativa ordinatur *per se primò* (id est, sub conceptu primario) ad operationem. Sed *contrà*: pariter ordinatur *per se primò* potentia passiva ad passionem: tam enim primò concipimus ordinem ad passionem in potentiâ passivâ ut tali, quàm ordinem ad operationem in potentiâ operativâ quâ tali: nec passio est minùs accidentalis, quàm

quàm operatio, ut nemo dubitat: & tamen juxta Adversarios potentia passiva, tum formæ substantialis, tum accidentium, identificatur cum substantiâ, siquidem substantia materiæ immediatè recipit formam, & substantia totius compositi immediatè recipit accidentia: quid ergo prohibet id ipsum dicere de potentiâ operativâ? Dices: licèt potentia passiva, præcisè concepta sub ratione talis, per se primò ordinetur ad passionem, cum tamen ejusmodi potentia non sit primarius conceptus substantiæ, sed secundarius, tametsi realiter identificatus, non sequitur, substantiam per se primò ad passionem ordinari. Sed cur non idem tibi dictum habeas? Cur non eodem jure dici poterit, potentiam operativam identificari realiter cum substantiâ, sed tamen non pertinere ad ejus conceptum primarium, sed ad secundarium; quia substantia non definitur per potentiam activam, nec passivam? Adde, quòd nec accidens definitur per ordinem ad operationem, sed per ordinem ad subjectum: unde sub conceptu accidentis non ordinatur ad operationem per se primò: & tamen secum identificat potentiam operativam.

5 Præterea, admisso ordine *per se primò*, dicimus potentiam operativam ordinari ad operationem, tamquam ad purum medium, & ad effectum tamquam ad finem: in ijs enim, quæ operantur effectum ab actione distinctum, finis non est actio, sed effectus, ut sæpe docet Aristoteles, nominatim *9. Metaph. t.* 17.. Ad effectum autem ordinatur potentia illa, tamquam ad finem *qui*: potentia verò ipsa, quando identificatur cum substantiâ, est finis *cui*; quia, dum operatur immanenter, intendit se intrinsecè perficere; &, dum operatur transeunter, intendit virtutem suam explicare, quatenùs hoc est quoddam bonum, & commendatio potentiæ ipsius. Unde tandem sequitur, potentiam substātialem ita esse propter operationē, ut sit ultimatè propter semetipsam. Audi Froylan. *loc. cit.*: *Addimus cum Cajetano, unumquodque esse propter suam operationem, id est, propter seipsum, ut perfectum, & conjunctum cum operatione ipsa, & ita esse proverbium intelligendum.*

6 *Ad* 2. instantia est 1. in potentiâ passivâ, quæ pariter specificatur à passione. 2. in potentiâ radicali, quæ in esse radicis debet specificari à radicato. 3.: quia Logica specificatur ab ente rationis juxta Thomistas; quod durius est, quàm substantiam specificari ab accidenti. 4.: quia probat, potentiam operativam esse quid modale, cum operatio sit modus. Deinde retorquetur: quia potentia non solùm specificatur ab actione, sed etiam, & magis quidem, ab effectu; magis enim voluntas specificatur ab amore, quàm à merâ productione amoris: ergo quando effectus est substantia, potentia debet esse substantialis. Denique *resp.*: operatio non est potentiæ specificativum intrinsecum (hoc enim speci-

ficativum est differentia specifica cujusque rei, vel etiam forma physica in rebus compositis), sed tantummodò extrinsecum, & arguitivum, quatenùs ex perfectione, vel indole operationum, & effectuum, dignoscimus, & arguimus perfectionem potentiarum, & earumdem inter se distinctionem specificam: nec potentiarum duntaxat, sed suppositorum: sic enim hominem à brutis discernimus ex actu discutrendi; & generatim ex nobilitate ac diversitate operationum præstantiam ac differentiam rerum subsistentium colligimus, tamquam à signo, vel indice. Hoc sensu nihil prohibet substantiam specificari ab operatione accidentali, maximè quando hæc est via ad substantialem effectum.

7 *Ad* 3. redit instantia in potentiâ passivâ materiæ, cujus actus est passio: item in quâvis substantiâ, quæ sine dubio est immediatè perfectibilis per accidentia, ut ignis per proprietates, anima per actus, vel potentias, &c.: item in materiâ, utique perfectibili per animam spiritualem, quin sit in lineâ spirituali: item in accidentali potentia, quæ est in genere qualitatis, cum tamen ejus actus, vel operatio, sit in genere longè diverso, nempe in prædicamento actionis. Itaque illud adagium, utrovis modo proferatur, ab omnibus explicandum est de actu, & potentiâ, perfectibili, & perfectivo, invicem ordinatis ad constituendum unum per se, nimirùm substantiale compositum: debent enim esse in eodē genere, non qualicumque, sed substantiali; quia ex non substantijs substantia non fit. Poterit etiam explicari de actu existentiæ, & potentiâ logicâ, seu possibilitate existendi; de quibus solis verum est, quòd actus, & potentia dividunt genus quodlibet. Mitto, quòd Adversarij in his, & alijs argumentis falsò supponunt, omnem actionem esse accidentalem.

8 *Ad* 4.: si illud est universaliter verum, lux non aget, quia non habet contrarium; nec agent potentiæ animæ, quia contrario carent: item substantia non erit causa principalis, quia causa principalis est, quæ primariò ac magis propriè agit. Aristoteles ergo intelligendus, vel de contrarietate radicali, quæ convenit etiam substantijs, quatenùs radicant qualitates contrarias, ut aqua, & ignis; vel de contrarietate latâ, quatenùs incompossibilitatem sonat in eodem subjecto, quæ reperitur etiam in substantijs; vel potiùs de contrarietate privativâ, quatenùs agens debet in passo præsupponere privationem formæ, quam tentat inducere.

9 *Ad* 5. ab omnibus adhibenda est limitatio. Nam alioquin passio erit potior, quàm materia; & receptio accidentis, ipsaque forma accidentalis, melior erit, quàm substantia compositi, quam immediatè actuat. Nec dicas, Aristotelem haud loqui de potentiâ passivâ: nam contrarium patebit legenti *eit. lib.* 9. à *text.* 19. *ad* 19: & certè pronuntiatum illud verisimilius est in po-

ten-

tentiâ passivâ, quàm in activâ: quia passiva ex genere suo imperfectior est. Adde, quòd nec in activâ generatim locum habere potest: tum quia lux est activa caloris, nec tamen est ejus productione imperfectior: tum quia simplex apprehensio *lapis* non est potior Intellectu, sive potentiâ intellectivâ: tum etiâ, quia non est melior actus peccati, quàm potentia peccandi, ut non melior est morbus, quàm potentia ægrotandi; unde, & ipse Aristot. effatum suum limitat ad actus de genere boni. Dicendum igitur, effatum illud, generatim sumptum, non nisi triplici sensu verum esse. 1. de potentiâ, & actu substantiali, quia forma semper est potior, quàm materia. 2. de actu, & potentia logicâ; quia melius est unicuique rei actu existere, quàm posse existere. 3. de actu comparato ad potentiam, prout involventem privationem actus; quia melior est potentia cum actu, quàm cum privatione.

10 *Ad 6.* urget iterùm instantia in potentiâ passivâ; nam certè prius est esse, quàm pati, vel recipere: item in potentiâ radicali, cum prius sit esse, quàm radicare accidentia: item in ipso accidenti operativo, in quo pariter prius est esse, vel inesse, quàm operari. Quare *neg. Conseq.*; nisi fortè sit sermo de prioritate rationis, quatenùs priùs concipimus rem esse constitutam in se, quàm illam ad operationes comparemus; ideò que ordinè ad operationem (intellige ordinem transcendentalem, non prædicamentalem) apprehendimus quasi posteriorem, & consequentem: quo pacto etiam omnipotentia Dei concipitur ut quid posterius, & consecutum ad Divinam essentiam.

11 Sed *replic.* 1. ex Colleg. Complut.: hæc causalis est vera in sensu reali, & physico, *Quia res est in se simpliciter, est operativa alterius*: ergo esse operativum est quid realiter subsequens, & causatum ab esse simpliciter, sive ab esse substantiali. *Neg. Antec.*: nam ea causalis non magis est vera, quàm hæc. *Quia res est simpliciter, est radicativa accidentium*, vel *est eorumdem receptiva*, vel *est operativa principaliter, & ut quod*: item non magis, quàm ista, *Quia accidens existit, est operativum alterius*: in quibus nulla est causalitas physica juxta Adversarios, sed pure logica, vel metaphysica. *Replic.* 2. ex eodem: esse operativum non est primum esse: ergo non est esse substantiale. *Prob. Antec.*: tum quia primum esse constituit rem in ordine ad se cum præcisione ab omni alio; & esse operativum formaliter dicit ordinem ad aliud. Tum quia esse operativum non est formalis effectus formæ substantialis; nam hujus effectus formalis est dare speciem compositi, & nullam compositum accipit speciem ab esse operativo.

12 *Neg. Antec.*, si loquatur in sensu reali, ac de esse operativo nobiliori. Ad 1. *prob.*: primum esse, nisi sit omninò infœcundum, & sterile, necessariò dicit ordinem ad operationem in sensu reali: quare falsum est, quòd constituat rem

in ordine ad se cum reali præcisione, vel distinctione ab omni alio. Si tamen loquaris de præcisione rationis, quæ non pugnat cum identitate reali, transeat. Et quære quid dicas ad instantiam in esse operativo radicali, vel *ut quod*, & in esse receptivo accidentium. Ad 2. *prob.*: esse operativum, prout convenit toti composito, est formalis effectus formæ substantialis, ab eo que sumitur species compositi; nam hominem v. g. definimus *animal rationale*, quod perinde sonat, ac esse operativum sensationis, & discursus: esse, inquam, operativum, non utcumque, sed per modum virtutis substantialis; quemadmodùm juxta Adversarios, esse operativum per modum radicis, aut principij *quod*, & esse receptivum accidentium, est formalis effectus formæ substantialis, ab specie compositi realiter indistinctus.

13 *Replic.* 3., & præcipuè: esse substantiale est actus primus respiciens existentiam, tamquam actum secundum, & ultimum: & esse operativum est actus primus respiciens operationem, tamquam actum secundum, & ultimum: ergo ista duo esse realiter distinguuntur. *Prob. Conseq.*: quia implicat, duos actus secundos usque adeò diversos ab eodem actu primo provenire; magis enim inter se differunt, quàm actus videndi, & audiendi, aut actus intelligendi, & amandi, qui distinctas potentias postulant. 2.: quia existentia, & operatio non sunt actus inter se subordinati, nec attingi possunt sub eadem ratione formali. 3.: quia implicant duo actus ultimi, quorum unus adveniat post alium. 4.: quia, dum substantia existit, & non operatur, esse substantiale reducitur ad suum actum secundum, & esse operativum non reducitur ad suum: repugnat autem, quòd ex duobus realiter identificatis, alterum sine altero reducatur ad actum secundum.

14 *Resp.*. Totum argumentum instatur clarissimè: tum in actu primo radicali, qui respicit emanationem accidentium ut actum secundum: tum in potentiâ materiæ, quę respicit passionẽ, & existentiã, ut duos actus secundos omninò diversos: tum in potentiâ receptivâ accidentium, quæ, licèt identificetur cum substantiâ totius compositi, receptionem respicit ut actum secundum: tum in essentiâ accidentis, quæ juxta Adversarios eadem realiter est potentia, & actus primus, ad existentiam, & operationẽ. Præterea *neg. Antec.* quoad primam partem: quia falsò supponit distinctionem realem essentiæ ab existentiâ. Quod si velis, ut ea distinctio permittatur, *neg. Consequ.*: quia duo actus secundi, quàmvis valde differant, & potentiam immutent diversimodè, respici poterunt ab eodem realiter actu primo; ut Adversarij fateri tenentur in exẽplis, aut instantijs, nunc indicatis. Quòd actus videndi, & audiendi, licèt fiant in diversis organis, postulent distinctas realiter potentias activas, negant Scotistæ, & plures è Nostris, idem dicentes de actibus intelligendi, & amandi. Sed

esto

esto postulent, distinctio potentiarum animæ non probatur præcisè ex diversitate actuum, sed ex alijs etiam capitibus, ut suo loco videbimus; quamquàm aliunde suppositâ distinctione reali potentiarum, diversitas actuum satis probat diversitatem earum specificam. Ex quo patet *ad* 1. *probationem.*

15 *Ad* 2. dici potest, quòd illi actus sunt inter se subordinati, quatenùs operatio per se supponit existentiam sui principij, sicut evenit in existentiâ, & operatione accidentis. Cum enim operatio per se supponat existentiam, juxta illud, *Operari sequitur ad esse*; cum que existentia ordinetur ad operationem, juxta illud, *Esse est propter operari*; negari nequit aliqua inter utrumque actum subordinatio, vel coordinatio. Uterque item pertinet ad eamdem lineam genericam *actus potentiæ substantialis*, quæ dici poterit ratio formalis, in quâ conveniunt, & sub quâ attinguntur, licèt in alijs valdè inter se differant. Atque hinc etiam conferi poterunt in sensu reali actus inadæquati, sive partiales; quia non exhaurit unusquisque totam potentiam sui principij realiter sumpti, sed est pars collectionis omnium actuum tali potentiæ respondentium. In sensu tamen formali uterque vocari potest adæquatus, alter respectu potentiæ objectivæ, prout formaliter contrapositæ non enti, & chymeræ, alter respectu potentiæ physicè operativæ, formaliter sumptæ; quæ tamen potentiæ realiter identificãtur. His omnibus ut assentiantur Adversarij, cogendi sunt instantijs paulò antè præmissis.

16 Ad 3. *prob.*: existentia non est actus ultimus, nisi respectu potentiæ objectivæ, formaliter sumptæ (vide dicta *tr.* 1. *d.* 2. *c.* 4. *n.* 19.): quare post eam advenire poterit operatio, sicut post eam advenit passio, & receptio, quàmvis ejusdem potentiæ sit actus; & sicut post apprehensionem (quæ est actus adæquatus, & ultimus potentiæ apprehensivæ, formaliter ut talis) advenit judicium, quàmvis sit actus ejusdem potentiæ realiter spectaræ, non enim potentiæ judicativa, & apprehensiva realiter distinguuntur. *Ad* 4.: præmissâ instantiâ clarissimâ in essentiâ accidentis, quæ fæpe existit, quin operetur; nec non in potentiâ apprehensivâ, quæ, dum apprehendit, & non judicat, pariter reducitur ad suum actum, quin judicativa reducatur ad suum; dic, esse operativum verè reduci per existentiam ad unum actum realiter suum, licèt, quandiù non agit, non reducatur ad omnem actum, ad quem reduci potest. Quid autem facilius, & frequentius, quàm quòd eadem potentia, plures actus continens, reducatur ad unum, & non ad alium realiter distinctum?

17 *Objic.* 2.: quod est proprium Dei, communicari nequit substantiæ creatæ: sed identificare secum potentiam operandi, proprium est Dei: ergo &c. *Confirm.* 1.: alia Dei attributa, ut justitia, & sapientia, non nisi medijs accidentibus participantur à substantiâ crea-

creatâ : ergo pariter potentia operandi. *Confirm.* 2. ex Froylan. : si substantia esset immediatè operativa, secum identificaret ultimam differentiam accidentis, videlicet rationem principij proximi, quæ est ultima differentia accidentis immediatè operativi : & hinc etiam identificaret secum operationem ; quia non minùs est extra lineam substantiæ ratio principij proximi, quàm operatio ipsa, proinde que par est utrobique ratio identitatis, sicut, si homo secum idẽtificaret ultimã differentiã formicę, idẽ ificaret etiã rerum omnium ultimas differentias. Tum sic : ergo substantia foret simpliciter infinita. *Prob.* : quia secum identificaret ultimam actualitatem generis dicentis perfectionem simpliciter simplicem ; identificaret enim operationem ; & hæc est ultima actualitas de lineâ operativâ, quæ perfectionem dicit simpliciter simplicem, & in Deo repertam.

18 *Resp. ad object.* : proprium est Dei secum identificare potentiam operandi, non qualemcumque, sed infinitam, & independentem ab omnî alio, tam in essendo, quàm in operando; qualis certè non communicatur creaturis, quãvis hæ suam quoque potentiam habeant finitam, & utroque modo dependentem à primâ Causâ. Similiter proprium est Dei nomen causæ principalis, cum ipsi conveniat per antonomasiam. An propterea substantia creata non poterit esse causa principalis ? Proprium etiam est Dei esse bonum, juxta illud Christi D. Luc. 18., *Nemo bonus, nisi solus Deus.* An idcircò bona non erit substantia creata ? Et mirum est, accidenti communicari quod proprium est Dei, non autem substantiæ. Si inferas: ergo substantia creata est potens per essentiam. *Neg. Consequ.* absolutè: quia dictio *per essentiam* communiter accipitur ut opposita huic, *per participationem*: creatura autem, quidquid est, per participationem est. Si tamen ly *per essentiam* pro eodem accipias, ac per aliquid identificatum cum essentiâ, *conc. consequ.*. Et quæro abs te, num accidẽs sit potens per essentiã, num substãtia creata sit causa principalis per essentiam, aut bona per essentiam, aut etiam ens per essentiã?

19 *Ad* 1. *Confirm.*: similiter probari posset, quòd substantiæ non nisi medijs accidentibus communicatur bonitas, & perfectio, vel etiam ratio ipsa substantiæ. In eo igitur, quòd justitia, & sapientia identificentur cum substantiâ, specialis repugnantia invenitur à Theologis, & Antimasicis. Nunc sat est dicere, quòd justitia, & sapientia consistunt in operatione immanente, vel eam supponunt, nisi ab extrinseco infundantur : nequit autem creatura secum identificare operationem suam; quia debet immediatè subjici dominio Dei, non solùm in essendo, sed insuper in operando.

20 In 2. *Confirm.* supponitur quod probandum erat, scilicet rationem principij proximi esse ultimam differentiam accidentis immediatè operativi: oppositum nunc defendimus, nimirùm illud esse prædicatum commune substãtijs, & accidenti-

accidentibus, in eis que diversificari per differentias singulorum proprias : videlicet, quia substantia est principium proximum per modum per se stantis, accidens per modum inhærentis; & in particulari, anima per modum principij viventis, ignis per modum substantiæ elementaris, calor per modum qualitatis contrarium habentis, & sic de alijs. Sic, licèt substantia sit immediatè receptiva, non secum identificat ultimam differentiam accidentis immediatè receptivi, cujusmodi est quantitas, aut potentia vitalis juxta Thomistas. Sic etiam, licèt accidens sit causa principalis ( ut cùm calor calorem producit ut causa univoca ), non ideò secum identificat ultimam differentiam substantiæ.

21 *Objic.* 3. : Si forma substantialis est immediatum agendi principium, semper erit in perpetuo exercitio agendi; sicut quia anima est immediatum principium vivificandi, nequit in subjecto esse, quin illud actu vivificet, seu constituat vivum. *Resp.* : anima est immediatum vivificandi principium in genere causæ formalis, quæ si subjecto unita supponitur, nequit non illi tribuere suum effectum formalem, quippe qui à formâ ut unitâ subjecto non distinguitur. At forma, ut est principium agendi, requirit ulteriùs plures conditiones, cujusmodi sunt applicatio ad passum, decretum Dei &c., quibus, si desticuatur, ut potest, non erit in exercitio agendi. Et retorquetur exemplum: nam anima rationalis, licet sit immediatum principium vivificandi corpus, non semper actu vivificat, ut patet in animâ separatâ: ergo, & poterit esse immediatum principium agendi, licèt non semper agat. Dices, te loqui de animâ unitâ. Verùm hoc est ponere animam conjunctâ cum exercitio vivificandi, quod est unio; pone ergo similiter formam conjunctam cum exercitio agendi, & ita semper aget. Deinde instatur in formâ accidentali, v. g. in calore, quæ semper est in exercitio qualificandi subjectum, seu constituendi calidum, & non semper est in exercitio agendi. Pariter instatur in potentiâ receptivâ : nam forma aquæ, licèt semper informet subjectum, non semper est in exercitio recipiendi frigus.

22 *Objic.* 4. : si anima rationalis esset immediatè activa intellectionis, non posset anima cognoscere seipsam. *Prob.* : quia sequeretur, extrema realiter identificari, quando medium realiter distinguitur ab utroque : nam potentia, & objectum sunt extrema, inter quæ mediat cognitio; & hæc in eo eventu realiter distingueretur à potentiâ, & objecto, quæ tunc forent realiter idem. Repugnat autem, quòd extrema magis distinguantur à medio, quàm inter se. Verùm hæc objectio importunè hic intruditur à nonnullis, cum spectet ad Animasticam, ubi activitatem immediatam animæ in actus vitales proprijs argumentis ostendemus. Nunc instatur perspicuè in animâ, vel Angelo cognoscente suam potentiam intellectivam : tunc enim potentia, & objec-

tum

tum sunt extrema distincta magis à medio, quàm inter se. Similiter agens, & passum extrema sunt, inter quæ mediat actio eductiva: & tamen dum potentia intellectiva producit, & recipit cognitionem quamlibet, agens, & passum magis à medio, quàm inter se, distinguuntur. Negandum igitur, quòd cognitio mediet localiter, aut alio sensu proprio, inter potentiam, & objectum; potiùs enim est ratio formalis, quâ potentia redditur immediatè cognoscens, & objectum immediatè cognitum. Solùm ergo dicitur medium impropriè, quatenùs apprehenditur instar mediantis. Vel, ne de voce litiges, sit medium, sed per modum exercitij repræsentandi, non aliter: quo sensu nihil prohibet extrema distingui magis à medio, quàm inter se.

23 *Objic.* 5. specialiter pro adæquatâ activitate accidentis in substantiam. Sæpe contingit effectum substantialem produci, quando nulla adest substantia idonea ad influendum: tunc ergo substantia producitur à solis accidentibus. *Prob. Antec.*: quia, dum ignis calore ferri candentis, aut percussione silicis excitatur, dum vinum ex aquæ guttulâ in calice consecrato producitur, dum animalcula nascuntur ex putri, imò dum viventia omnia virtute seminis generantur, nulla substantia præsens est, quæ contineat effectus ejusmodi, vel quæ possit apta conferi ad influendum. *Confirm.* 1.: licèt actio sit entitas imperfectior effectu, illum tamen adæquatè producit adæquatione influxus, quia scilicet solùm agit *ut quo*: cum ergo accidens etiam agat *ut quo*, poterit adæquatè producere substantiam adæquatione virtutis, licèt entitativè sit imperfectior. *Confirm.* 2. ex quodam Recentiore: nulla causa creata continet totam perfectionem effectus: sed nihilominus adæquata dicitur in genere causæ secundæ: ergo, licèt accidens non contineat totam perfectionem substantiæ, poterit eam producere ut virtus adæquata. *Prob. Maj.*: tum quia omnis creata virtus indiget auxilio primæ causæ. Tum quia omnis causa creata perficitur per effectum: hic ergo novam perfectionem addit, quam causa non præhabet. Tum etiam, quia complexum ex causâ creatâ, & effectu, est quid perfectius solâ causâ; & non ita foret, si tota perfectio effectus contineretur in causâ, ut patet in complexo ex Deo, & creaturâ, quod non est perfectius Deo solo.

24 Ad *object. dist. Antec.* quando nulla adest substantia idonea ad influendum univocè, *conc.* nec univocè, nec æquivocè *neg. Antec.*, & *Conseq.*. Ad *prob.*: jam vidimus *cap. præced.*, exemplis illis æquè urgeri Thomistas, quibus quærenda est substantia idonea, quæ verè, & propriè tunc influat ut causa principalis, & principium *quod*, & quæ verè sit effectibus æqualis in perfectione. Recursus enim ad substantiam, ex quâ decisa, vel relicta fuerit virtus accidentis, nihil prodest: tum quia sæpe accidens à nullâ particulari substantiâ idoneâ relictum est, ut in casu animalculi ex pu-

putri geniti: tum quia substantia, ex quâ decisa fuit virtus nunc influens, v. g. virtus seminis, sæpe jam non existit, adeòque impotens est verè, & propriè causare, ut satis ostendimus ad finem *cap. præced.*. Quam ergo Adversarij substantiam invenerint idoneam ad influendum per modum veræ causæ principalis, eamdem dicemus influere per modum virtutis. Quodsi contenti sint substantiâ non existente, eâdem, & nos contenti erimus: non enim difficilius est, quòd res non existens influat ut virtus, quàm quòd influat ut vera, & propria causa principalis. Imò minùs est difficile; nam, ut ait D. Thomas 3. cont. gent. c. 67., *Causa actionis magis est id, cujus virtute agitur, quàm etiam illud, quod agit; sicut principale agens magis agit, quàm instrumentum.*

25 Itaque ignis, à ferro candente productus, tribui potest plurimis igniculis, qui intra ferri poros delitescunt; quod etiam de filice plures existimant. Si autem ibi supponatur esse solus calor, ab igne remotus, recurrendum erit ad influxum Calorum, ut etiam in productione metallorum, aut mineralium: sunt enim cælestia corpora causæ universales, quibus incumbit, non solùm quodam generali concursu juvare causas inferiores, sed etiam supplere defectus earum influxu majore, quando adest materia disposita, & non adest sublunaris causa satis proportionata. Nec obstat, quòd à terrâ distet substantia corporum cælestium: potest enim nihilominùs immediatè influere, juxta dicta *disp. 3. c. 3. Asser. 3.* Conversio aquæ in vinum per accidentia Eucharistica, Divinæ virtuti tribuitur à D. Thomâ 3. *p. q. 77. ar. 3. ad 2.*. Generatio autem animalium ex putri, Soli, & stellis expressè tribuitur à S. Doctore 1. *p. q. 105. ar. 1. ad 1.*; ubi etiam eodem modo loquitur de generatione plantarum, & mineralium. Quodsi cælestia corpora, utpotè inanimata, non videantur sufficere productioni viventium, recurrendum est cum communi Nostrorũ, & Scotistarum, ad Causam primam, cujus est supplere defectum, vel insufficientiam causæ secundæ, quoties formam exigit materia dispositа.

26 Difficilior apparet hic recursus in consuetâ generatione animantium ex semine: nam, si semper ibi opus est peculiari concursu primæ Causæ, non satis videtur à naturâ provisum propagationi viventiũ, siquidem eorum causæ secũdę, & specificę, per se insufficientes deprehẽdũtur. Multi dicunt, virtutem seminis non esse merè accidentalem, sed in eo inveniri partem substantialem immediatè activam. Sed quia non ideò vitatur, quòd virtus seminis producat effectum se nobiliorem, nempe animam equi v. g.; propterea plures, graves que Authores satis probabiliter censent, animam matris, saltem in viviparis, immediatè influere in animam fœtus, & dum generatur homo, in unionem animæ rationalis ad corpus. His tamen in præsenti non indigemus: nam recursum ad Causam

primam approbat cum Scoto P. Suarez *cit. d.* 18. *f.* 2., & ab objectionibus optimè vindicat à *n.* 39.

27 Virtus ergo seminis disponit, & organizat corpusculum (quamquàm ad hoc etiam munus virtutem seminis insufficientem putat Scotus apud P. Suar. *n.* 32.), positâ que ultimâ dispositione, Deus ut naturæ Author supplet defectum virtutis activæ seminalis ad producendum animam bruti per modum causæ principalis, sicut se solo creat animam rationalem, ut est certum. Neque id provenit ex imperfectione animarum, sed ex perfectione potius, quæ non patitur alium modum originis à causâ secundâ; sicut magna hominis perfectio est, quòd ejus anima non nisi à Deo solo produci queat. Nec ideò minùs benè provisum est propagationi viventium. Tum quia non aliam providentiam exigit propria ipsorum conditio. Sic non est defectus naturæ, vel providentiæ, quòd nulla creatura sit sufficiens ad agendum sine concursu Dei simultaneo. Tum quia non ideò minùs certa, & regulata est viventium propagatio; sicuti nec eorumdem conservatio, quæ juxta omnes per totam ferè vitæ periodum à Deo provenit vel unicè, vel principaliter. Tum demùm exemplo propagationis hominum.

28 *Dices* 1. : recursus ad Causam primam pro influxu plusquàm generali, non est philosophicus. *Dist.* : quando assignabilis est causa secunda satis idonea, *conc.*; quando assignari non potest, *neg.*, ut patet in productione animæ rationalis. Et quæro abs te, num sit magis philosophicus recursus ad causam non existentem pro influxu principali, contra illud D. Thomæ ab omnibus receptum, *Unumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere*? maximè cum influxus principalis sit magis proprius, ex eodem D. Thoma citato suprà *n.* 24.. *Dices* 2. : generatio viventium miraculosa erit, si Deus ad eam concurrit ut causa particularis. *Neg. sequel.* : quia non semper ac Deus concurrit ut causa particularis (ideſt, per influxum plusquam generalem), miraculosè agit; sed tunc solùm, cùm concurrit contrà, vel suprà rerum naturalium exigentiam; quod in præsenti non accidit, siquidem concurrit Deus juxta exigentiam materiæ ultimò dispositæ. Solutio est evidens exemplo animæ rationalis. Adde, quòd ille concursus dici potest causæ universalis proprius, cum sit naturaliter debitus ex munere causæ universalis, & Authoris naturæ.

29 *Dices* 3.: ergo in humanis pater non erit propriè principalis causa filij: ergo non erit propriè pater. *Dist.* 1. *Conseq.*: non erit propriè &c. proprietate, quam postulat in agente creato species humana, *neg.*; proprietate simpliciter tali, *conc.* 1., & *neg.* 2. *conseq.* absolutè. Species humana, ut propagetur, nihil aliud requirit in agente creato, nisi 1. principalitatem ministrandi materiam, & virtutem instrumentariam, ac dispositivam materiæ; 2. proprietatem causæ, sine quâ non, seu causæ determinantis, quâ natu-

ra-

raliter indiget effectus, unde *Eccles. sextic. 7.* juberis honorare parentes, *Quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Et hoc ipsum est, quod requiritur, & sufficit in humanis ad nomen *Patris* proprie dictum. Ad nomen *Matris* minus activitatis requiritur, si vera est communior sententia, denegans matri concursum activum. *Cæterùm* proprietas causæ principalis, simpliciter agentis, non convenit humano patri: non solùm quia est causa purè mediata: nec solùm, quia nullatenùs producit animam prolis; imo nec unionem, nisi forsan instrumentaliter: sed etiam, quia sæpe non existit in instanti generationis, sive animationis; & licèt existat, per accidens est, cum perinde gerat tunc munus causæ, sive jam sit mortuus, sive secùs. Quòd autem causa non existens nequeat esse principaliter agens, satis, ut opinor, ostensum est. Hinc in sacris Litteris Deo tribuitur principalis actio in formatione, & animatione corporis humani, ut *Job.* 10., & 2. *Machab.* 7..

30 Jam *ad 1. confirm. n. 23.*: *neg. Consequ.*: nam actio sic agit purè *ut quo*, ut non propriè causet, nec dare esse, sed sit pura determinatio alterius ad causandum, ac dandum: unde non ipsa, sed id, cujus determinatio est, continere debet perfectionem effectus. At virtus activa verè, & propriè causat, & dat esse effectui, ut vidimus cap. præced., & in hoc sensu verè agit *ut quod*, seu verè est id, quod agit, licèt dicatur agere *ut quo*, dum comparatur ad suppositum. Ne ergo det quod non habet, totam effectus perfectionem contineat necesse est. Ad 2. *confirm.*: *Major* continet paradoxum evidenter falsum, & vel Thomistis contemnendum. Nam continere totam perfectionem effectus, ut omnes intelligunt in præsenti, nihil est aliud, quàm in se habere perfectionem æqualem, aut superiorem, & insuper ita facundam, ut possit effectum producere sine juvamine alterius agentis creati. Quis autem dubitat, quin hoc sensu contineat ignis ignem, calor calorem, lux lucem?

31 Nec momenti sunt probationes. Non *prima*: quia generalis concursus primæ Causæ non ideò requiritur, quia omnis causa creata perfectione sit inæqualis effectui, sed quia omnis causa, & effectus debet immediatè subjici dominio Dei, & abeo essentialiter dependere. Non *secunda*: quia causam perfici per effectum, est melius se habere cum effectu, quàm cum ejus carentiâ: ad hoc autem sufficit, quòd effectus novam perfectionem addat realiter distinctam, nec à causâ præhabitam in individuo, licèt præhabitam in specie, vel eâdem, vel nobiliore, ut cùm Sol à luce perficitur. Non *tertia*: quia complexum ex Deo, & creaturâ ideò non est perfectius Deo solo, quia Deus creaturam continet eminentiâ simpliciter infinitâ, quâ nihil melius cogitari potest: dum tamen eminentia finita est, vim habet proloquium illud, *Finitum additum finito facit majus.* Sic nummus argenteus, addi-

tus aureo, facit majus, licèt in eo contineatur eminenter.

32 Ad finem observa, potentiam, quæ pertinet ad prædicamentum Qualitatis, non esse potentiam ut sic (alioquin omnis etiam potentia passiva, vel operativa radicalis, foret qualitas), sed illam tantummodò, quam aliunde constiterit esse accidentalem, & à quantitate distinctam. Observa insuper, potentiam operativam non debere ad operationem ordinari tanquam medium ad finem: potest enim ad operationem, vel ad effectum potiùs, ordinari per modum agentis, finem procurantis. Observa denique, Aristotelem, dum ait, ignem non agere ut ignem, sed ut calidum, solùm velle, ut calor sit conditio, sine quâ non, quo sensu dicitur ignis non agere nisi ut applicatus; vel etiam, ut sit virtus partialiter influens in effectus ignis. De mente D. Thomæ non nihil dicemus *cap. seqq.*

## CAP. III.

### *ACCIDENS SÆPE IMMEDIATÈ influit in substantiam ut causa instrumentalis.*

ITA Doctor Exim. *elt. d. 18. f. 2. n. 14.*, quem sequuntur cum P. Compton plurimi Recentiores. Contrarium tenent Scotistæ, & plures è Nostris, ut PP. Hurtad., Arriag., Ovied., Lynce, Peyrad.. Sed ante probationem præmittenda est notio causæ instrumentalis, quam supra *disp. 1. c. ult.* inexplicatam reliquimus.

### §. I.
### *QUID SIT CAUSA INSTRUmentalis.*

1 *INSTRUMENTI* nomẽ, quia valde ambiguum, & ferè æquivocum est, in varias explicationes distraxit Authores: de quibus late, & optimè P. Suar. *d. 17. Met. f. 2.*. Nonnullas acceptiones præmittam minùs proprias. 1. antonomasticè dicitur causa principalis, quæ à nullâ pendet, & cæteras à se pendere facit in operando, quibus proinde velut instrumentis utitur: quo sensu sola Causa prima est principalis; omnes verò causæ secundæ sunt instrumentales: atque ita sæpe loquitur D. Thomas, nominatim *q. 3. de pot. ar. 7.* dicens: *Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum Divinæ virtutis operantis.* Hæc tamen acceptio latissima est, nec tollit, quòd omnes attribuant pluribus causis creatis munus causæ principalis variorum effectum.

2 2. vocari solet instrumentum, quodlibet principium agendi datum suppositò ad operandum, etiamsi æquè perfectum sit, vel etiã nobilius, quàm effectus: & sic forma, tam substantialis, quàm accidentalis, necnon partes integrantes, ut manus, pedes, &c., dicuntur instrumenta suppositi, cui soli tribuitur nomen causæ principalis, idest, principii *quod*. Hæc etiam acceptio minùs propria censetur. 3. vocatur instrumentum, quidquid loco alterius subrogatur, ut actionem aliquam,

quam, licèt imperfectiorem, exerceat: unde impetus, impressus lapidi, dicitur instrumentum projicientis. Sed nec acceptio ista propria, & stricta est: quemadmodum nec illa, quâ quædam agentia dicuntur instrumenta aliorum, quia instituta sunt, ut eorum vices gerant, aut defectum suppleant, quamvis ab eis non immediatè juventur ad operandum. Unde Scotistæ, ut videre est apud Mastrium *hic disp. 7. n. 98.*, negant, & meritò, quòd femina sint propriè instrumenta viventium.

3 Ut igitur ad acceptionem strictam deveniamus, Thomistæ communiter dicunt, illud agere ut instrumentum, quod per virtutem alienam, seu ab alio accepeam operatur; illud verò ut causam principalem, quod operatur virtute propriâ. Sed impugnantur: quia vel illa virtus, ab alio accepta, distinguitur ab entitate causæ instrumentalis, vel non. Si primum dicas: vix ulla erunt instrumenta naturalia; nam calor v. g., dum agit ut instrumentum ignis, & species, dum concurrit ad cognitionem, non agunt per virtutem à se distinctam. Si secundum: nulla causa creata propriè principalis erit, cum omnes accipiant entitatem ac virtutem suam à Deo, & plures ab alijs etiam causis secundis. Huic affinis est explicatio dicentium, causam principalem esse, quæ nomine proprio; instrumentalem, quæ alieno nomine operatur. Quæ rejicitur pariter: tum quia non explicat, quid requiratur ad operandum nomine proprio, vel alieno: tum quia solùm convenit instrumentis moralibus, aut politicis, ut cùm satelles dicitur instrumentum judicis, eo quòd ejus nomine, & authoritate operetur; in instrumentis autem naturalibus non nisi per violentam metaphoram locum habet.

4 Eòdem spectat alia Thomistarum expositio, quòd scilicet causa instrumentalis est, quæ non agit nisi ut mota ab alio; principalis verò, quæ alienâ motione non eget. Verùm hoc est tollere à causis creatis rationem causæ principalis, cum omnes ad operandum indigeant physicâ præmotione Dei, juxta Thomistas. Dicunt, se loqui de motione instrumenti, quæ sit tota ratio agendi. Verùm motio istiusmodi utsummùm convenit instrumentis mechanicis (Quibus competit *instrumenti* nomen ex primâ impositione, ideò que de his intelliguntur plures locutiones D. Thomæ); imò ne his quidem omnibus: nam licèt malleus fabri ferrarij non agat nisi ut motus, motio tamen non est tota ratio agendi, sed simul innata gravitas. In instrumentis autem naturæ, nullâ motione opus est ab instrumento ipso distinctâ, ut patet in calore instrumentaliter concurrente ad generationem ignis, & ad nutritionem viventis.

5 Scio, nolle Thomistas, ut calor vocetur instrumentum ignis, sed potiùs virtus ignis instrumentaria. Sed inprimis ita loquitur sæpe D. Thomas, v. g. 1. *p. q.* 115. *ar.* 1. *ad* 5., ubi calorem vocat instrumentum ignis, & instrumentum ani-

animæ ad generationem carnis. Deinde, calor, si est virtus immediatè activa substantiæ, verè & propriè causa illius est, cum ei propriè conveniat definitio causæ, ut vidimus *cap.* 1.: sed non est causa principalis: ergo est propriè causa instrumentalis, adeòque propriè instrumentum. Denique si calor, aut quod ibet aliud accidens, est unica immediata virtus causæ principalis, immeritò vocatur virtus instrumentaria; potius enim virtus primaria, & principalis, appellanda est: quemadmodùm virtus, sive potestas immediata Regis, est potestas primaria, & principalis; nec est instrumentaria, nisi quę convenit ministris inferioribus, qui ut instrumenta Regis operantur. Adde, quòd ex terminis virtus instrumentalis est virtus instrumenti; sicut virtus intellectualis est virtus intellectus. Si ergo virtus caloris est instrumentaria, calor ipse instrumentum est.

6 Scotistæ, quibus accedunt plures è Nostris, instrumentum esse dicunt, quod tantùm dispositivè concurrit, quin attingat immediatè productionem effectus principaliter intenti: causam verò principalem, quæ immediatè influit in formam præcipuè intentam. Hæc etiam explicatio meritò rejicitur, eo quòd plura sint instrumenta, tum naturalia, tum supernaturalia, quæ immediatè concurrunt ad productionem effectus principalis, ut inductione probat P. Suar. *loc. cit. n.* 11. Et certè, quòd instrumenta artis, non solùm per impulsum artificis, sed etiam per innatam gravitatem, immediatè concurrant ad formam domus, aut statuæ, videtur perspicuum. Aliqui è nostris Authoribus instrumentum esse volunt, cui nulla respondet formalitas effectus. Sed verò quædam sunt instrumenta, quibus aliqua formalitas effectus correspondet, v. g. phantasma, sive actus phantasiæ, cui, ut instrumentaliter concurrenti ad speciem intelligibilem, correspondet formalitas repræsentationis. Adde, quòd, dum forceps forcipe, vel malleus malleo, tamquam instrumento, fabricatur, omnimoda est correspondentia formalitatum.

7 Dicendum ergo cum Eximio Doctore *loc. cit. à n.* 17., causâ instrumentalem esse, quæ producit effectum se nobiliorem, sive altioris ordinis, vel saltem ad ejus actívitas ejus proportionata non est, nisi à superiore agente juvetur speciali concursu. Quod ultimum additur propter causas obedientialiter concurrentes, ut sunt instrumenta mechanica, & eæ res naturales, quæ ad supernaturalem actionem elevari possunt: tales enim causæ, licèt producant effectus entitativè æquales, aut ignobiliores, solùm instrumentaliter concurrunt ob improportionem activitatis; ut si Sol Solem, aut Angelus formicam divinitùs produceret. Ex adverso causa principalis, propriè dicta, erit, quæ immediatè producit effectum sibi æqualem, aut inferiorem, ita ut non indigeat speciali juvamine superioris agentis. Dico *speciali juvamine*, vel *concursu*: quia

quia non est contra rationem causæ principalis indigere concursu Dei generali, qui requiritur ad effectum titulo entis participati.

8 Hinc inferes, omnem causam instrumentalem esse partialem in ratione virtutis operativæ: quia, ut suprà ostendimus, nulla virtus ignobilior effectu, potest esse totalis, aut adæquata respectu illius. Unde semper debet à principali causâ immediatè influente juvari: ratione cujus juvaminis causa instrumentalis dicitur agere ut confortata, atque etiam ut elevata, quia scilicet eò evehitur, quò ex proprijs meritis non assurgit. Dum ergo dicitur accidens, ut causa instrumentalis, influere in subsistentiam, non negatur substantiæ agenti influxus immediatus, sed potiùs supponitur, & quidem præcipuus, utpotè proprius causæ principalis. Non tamen è cóverso instrumentalis est omnis causa partialis: potest enim causa indigere juvamine alterius, & nihilominùs esse principalis, nempe quia non eget juvamine superioris, sed inferioris, aut æqualis. Sic Intellectus est causa principalis cognitionis naturalis, quàmvis egeat juvamine speciei.

9 Instrumentum dividi solet in conjunctum, & separatum. Conjunctum dicitur, quod principali agenti conjungitur per unionem, vel per contactum physicum: quo modo calor est instrumentum ignis, & calamus scribentis. Separatum vocatur, quod nullo ex his modis conjungitur agenti principali: quo pacto sacramenta dicisolent instrumenta Humanitatis Christi existentis in Cœlo. Solet etiam utrumque subdividi in conjunctum, aut separatum, in existendo, & non in causando, & è converso. Sed, licèt verum sit, posse instrumentum esse conjunctum in causando, & separatum localiter in existendo, non tamen separatum temporaliter, ita ut causet per modum instrumenti propriè dicti, quando non existit principale agens. Negandum etiam, quòd instrumentum strictè tale possit esse separatum in causando, quàmvis in sensu lato vocetur instrumentum.

## §. II.
## *PROBATUR ASSERTIO præfixa.*

10 POssibile est accidens connaturali virtute præditum ad producendum immediatè substantiam: ergo talia defacto sunt plura accidentia, v. g. calor, & alia ignis propria; quæ proinde immediatè influunt in substantiam ut causæ instrumentales. *Antecedens* expressè conceditur ab Oviedo, & Arriaga, nec negatur à Peynado, & alijs; & facile probatur: nam ideò ejusmodi accidens repugnaret, quia semper esset substantiâ ignobilius, & nulla virtus attingere valet nobilioris effectus productionem: at hæc ratio probat quidem, non posse substantiam adæquatè produci ab accidenti; minimè verò non posse partialiter, & instrumentariè. Quod patet à priori: nam præcontinentia totius perfectionis ef-

effectus ad solam pertinet causam, aut virtutem totalem, ac omnibus in confesso est. Patet etiam exemplis à communi Philosophiâ receptis: nam species visualis ignobilior est actu videndi, ad quem concurrit; quod pariter accidit in actu phantasiæ respectu speciei intelligibilis, & in hac ipsâ specie respectu intellectionis, nec non in habitu adquisito respectu actuum Voluntatis.

11 Jam verò *Consequentia* probatur: quia plura de facto sunt accidentia, quorum ad præsentiam semper producitur substantia, sive adsit propria & specifica causa substantialis, sive non adsit: sic enim semper ac adest cum debitâ sicitate calor ut octo, undecumque proveniat, producitur ignis. Calor igitur immediatè influit in substantiam ignis connaturaliter. Patet hæc consequentia: nam accidens possibile connaturaliter productivum ignis, si existeret, non alio manifestiori signo virtutem suam ostenderet. *Confirm.* 1.: non aliâ ratione colligimus, ignem esse activum ignis, & calorem caloris, nisi quia cernimus ad eorum præsentiam produci semper tales effectus, & aliunde nullum apparet repugnantiæ caput in eo, quòd substantia sit activa substantiæ, & accidens accidentis. Si ergo nullo ex capite repugnat, accidens esse instrumentaliter activum substantiæ, & aliunde semper ad præsentiam aliquorum accidentium substantia producitur, accidentia ista de facto censeri debent activa substantiæ.

12 *Confirm.* 2.: recursus ad causas universales, præsertim ad primam, pro influxu plusquàm generali, vitandus est quoad fieri possit, nec arripiendus, nisi ubi & quatenùs principia philosophica convincunt improportionem causæ particularis, ut omnibus Philosophis solenne est. At in generatione animalium ex putri materiâ, metallorum in penetralibus terræ, ignis in speculo, &c., non convincitur principijs Philosophicis improportio accidentium proximorum ad concursum partialem, ex n. 10.: ergo quod attinet ad talem concursum, non est recurrendum ad causas universales; quamvis recurratur pro concursu causæ principalis, ad quem improportionata esse accidentia, principijs philosophicis evincitur. *Dices*: si recurritur ad superiores causas pro influxu principali, cur non, & pro totali? Sed cedo, cur ad superiores causas pro influxu totali recurritur in productione plurium effectuum, & non omnium? Repones: quia principia philosophica non cogunt in omnibus effectibus, cogunt autem in aliquibus ob improportionem causæ particularis. Eâdem ergo ratione nos ducimur, ut pro influxu principali recurramus, non pro totali.

13 *Confirm.* 3.: si accidentia non concurrunt ad productionem substantiæ, sæpe substantia, v. g. ignis A., producet effectum se ipsâ perfectiorem: producet enim ignem B. sibi æqualem, & insuper in semet-ipso proprietates suas (ut suppono cum

cum Adversarijs), quæ simul cum igne B. constituunt quid perfectius, quàm sola substantia ignis A. *Respondet* 1. P. Peynado, causam æquivocam producere posse effectum se perfectiorem extensivè, licèt non intensivè: sic enim lux ut quatuor producit lucem ut tria, & calorem ut quatuor. Quare, cum ignis proprietates suas producat ut causa æquivoca, nihil refert, quòd illæ simul cum igne B. constituant conjunctum extensivè perfectius.

14 Hæc tamen solutio rejicienda omninò videtur. Tum quia nulla erit ratio, cur ignis semipalmaris non producat se solo ignem bipalmarem, aut etiam quantumvis extensum, qui solùm extensivè perfectior erit suâ causâ. Nec refert quòd non sit causa æquivoca: nam æquè generale est cuicumque efficienti causæ, non posse quidquam producere seipsâ perfectius: unde, si hoc in causâ æquivocâ limitatur ad perfectionem intensivâ, cur non & in univocâ? Tum quia ignis B. est æqualis igni A., tam extensivè, quàm intensivè, cum sit ejusdem speciei, & quantitatis: ergo adæquat, & exhaurit totam virtutem ignis A., tam extensivè, quàm intensivè: ergo nequit in igne A. superesse virtus ad producendum in sensu composito quidquam aliud. Tum denique, quia in rebus finitis quæcumque perfectio addatur alteri ex æqualibus, facit absolutè quid majus, & æstimabilius: producet ergo ignis A., ut causa totalis, quid simpliciter melius entitate suâ. Quod attinet exemplum lucis, in primis non constat quantum caloris producat lux ut quatuor. Deinde calor ut quatuor fortè non compensat quartum lucis gradum, qui deficit luci ut tria. In summâ negandum, posse ab eâ luce produci tantum caloris, ut simul cum luce productâ superet absolutè perfectionem lucis agentis.

15 *Respondet* 2. idem Peynado, & ante ipsum Lynce, ignem A. nunquam producere ignem tot partibus extensum, quot ipse habet; sicut qualitas, ut communiter dicitur, nunquam producit aliam sibi æqualem in gradibus, sed tres gradus caloris v. g. producunt duos, duo non nisi unum, unicus autem se solo nullum. Semper ergo ignis A. per excessum partium superat, vel adæquat conjunctum ex suis proprietatibus, & igne B.. Sed nec melior est ista solutio. Nam 1.; si divinitùs penetretur ignis palmaris cum ligno item palmari ad combustionem parato; ignis ex suppositione hujus miraculi naturaliter comburet, cum sit causa necessaria, & intimè applicata passo dispositè: producet ergo ignem palmarem, omninò æqualem agenti; neque enim est ratio, cur una pars ligni præ aliâ maneat incombusta, cum singulæ in loco respondeãt totidem partibus ignis agentis, & supponantur æquè dispositæ.

16 2. sequitur ex eâ doctrinâ, quòd, si per spatiũ unius ulnę continuetur materia facilè combustibilis (v. g. pulvis tormentarius), non poterit tota comburi, si supponatur combustio incipere ab igne quatuor

digitos extensionis habente: nam primus ignis tres digitos materiæ comburet, secundus duos, tertius unum, quartus nullum: unde in sexto materiæ digito sistet combustio. At sequela manifestè repugnat experientiæ. Si enim tormentarium pulverem continenter spargas, etiam per unius leucæ spatium, applicatâ scintillâ ignis, illicò totus cõflagrabit. Hinc paritas qualitatum nulla est. Constat enim experientiâ, qualitates activas, quò longiùs propagantur, eò magis decrescere in intensione, & extensione. At substantia nec intensionem, aut remissionem admittit; nec in extensione limitatur, si materiam dispositam inveniat, ut experientia ipsa manifestat.

## §. III.
## EXPLICATUR MENS D. Thomæ.

17 DEnique Assertio nostra roboratur authoritate D. Thomæ. Nam S. Doctor, ut notum est omnibus, sæpissimè asserit, accidentia immediatè producere substantiales effectus: sed non intendit denegare substantijs immediatum influxum in eosdem effectus: ergo solùm concedit accidentibus partialem, & instrumentarium influxum in substantiam, qualem modò defendimus. *Minor* probatur contra Thomistas, qui D. Thomam allegant ut patronum indubitatum sententiæ negantis, substantiam esse immediatè operativam ullius effectus. Nam 3. *cont. gent. c. 69. rat. 9.* sic loquitur Angelic. Doctor: *Si agere sequitur ad esse in actu, inconveniens est, quòd actus perfectior actione destituatur: perfectior autem actus est forma substantialis, quàm forma accidentalis. Si igitur formæ accidentales, quæ sunt in rebus corporalib., habent aliquas actiones, multò magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem. Non est autem ejusmodi actio disponere materiam: quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt formæ accidentales. Igitur forma generantis est principium actionis, ut forma substantialis introducatur in generatum.*

18 Dices: D. Thomas vocat actionem propriam substantialis formæ illam, quæ oritur ab accidentibus in virtute substantiæ. Ibi enim asserit, *quòd ex actione formarum accidentalium producuntur formæ substantiales, in quantum agunt instrumentaliter in virtute substantialium formarum.* Sed *contrà* 1.: D. Thomas fundat propriam actionem in ratione actus, quæ ratio immediatè convenit formæ substantiali, & perfectiùs, quàm accidentali: ergo, si accidenti convenit immediatè agere titulo actus, inconveniens est, quòd non immediatè agat substantialis forma, cui magis convenit ille titulus. *Contra* 2.: si productio substantiæ immediatè oritur à solis accidentibus, non magis erit actio propria substantiæ, nec magis in virtute ipsius, quàm alteratio, v. g. calefactio, à solo calore proveniens; sed hoc est aper-

apertè contra D. Thomam in loco allegato: ergo &c. *Prob. Maj.*: juxta Thomistas, agere in virtute substantiæ, est agere virtute acceptâ à substantiâ per emanationem: item, actionem esse propriam substantiæ, est actionem oriri à virtute accidentali substantiæ propriâ, ideòque substantiæ attribui tamquam agenti *ut quod*. Atqui tam calefactio, quàm ignitio, oritur à virtute caloris, acceptâ per emanationem à substantiâ ignis, cujus est propria, tamque propriè dicitur ignis calefacere *ut quod*, quàm comburere: ergo &c.

19. *Contra* 3.° in phrasi D. Thomæ, unum agere in virtute alterius, est agere per virtutem subordinatam alteri, à quo immediatè concurrente juvetur: ergo, quòd accidens agat in virtute substantiæ, non destruit, sed adstruit immediatum substantiæ concursum. *Prob. Antec.*: D. Thomas 1. *p. q.* 105. *art.* 5. ait, *quòd, si sint multa agentia subordinata, semper secundum agens agit in virtute primi*: & ideo *omnia agunt in virtute ipsius Dei.* Quod latiùs tradit 3. *cont. Gent. c.* 70.; ubi ex eo, quòd creatura operetur in virtute Dei, colligit immediatum Dei concursum, dicens: *Sicut agens infimum invenitur immediatè activum, ita virtus primi agentis invenitur immediata ad producendum effectum.* Hoc ibidem confirmat exemplo quæstionis, in quâ versamur: *Sicut igitur* (inquit) *non est inconveniens, quòd una actio producatur ex aliquo agente, & ejus virtute* (nempe accidentali) *sic ita non est inconveniens, quòd producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo: ab utroque immediatè, licèt alio, & alio modo.* Ubi planè supponit dari actionem immediatè immediatione virtutis ortam à substantiâ creatâ, & ejus accidenti; sicut idem effectus immediatione simili oritur à Deo, & à creaturâ; aliàs comparatio esset inutilis, & extra rem.

20. Hinc habes, D. Thomam, quoties dicit, accidens in virtute substantiæ producere instrumentaliter substantiales effectus se nobiliores, toties confirmare nostram sententiam: nam instrumenta, propriè dicta, requirunt actualem concursum principalis agentis, & eatenùs agunt in virtute illius, quatenùs ab eo simul concurrente juvantur. Dum autem S. Doctor ait, quòd in creatis omnis actio est per qualitates, vel mediantibus qualitatibus; quòd in nullâ creaturâ virtus, aut potentia operativa, est idem, quod substantia, quòd proximum principium operationis debet esse accidens; & similia: intelligendus est de virtute, seu potentiâ completâ, proximâ, & expeditâ, quæ in ordine ad actiones, à simplici emanatione distinctas, semper in creatis indiget aliquo accidentali comprincipio, vel complemento, sine quo non dicitur potentia, nisi *mediata*, vel *remota*. Hoc sensu materia prima non dicitur potens recipere formam, nisi mediis dispositionibus accidentalibus; & dum est sub formâ ignis, non habet potentiam ad formam aquæ, nisi remotam. Simi-

liter ignis in Indiâ existens, non nisi mediatè, ac remotè potens est comburere lignum in Europâ. Quibus tamen loquendi modis non tollitur immediatio potentiæ secundùm se receptivæ, & combustivæ. Contrà verò, quia Deus nullo adminiculo indiget à se distincto, ut sit completè, & proximè potens producere quosvis effectus, meritò præ causis secundis dicitur esse sua virtus, vel suam secum identificare virtutem.

21 Addo, rationem fundamentalem Thomistarum apertè reprobari à D. Thomâ 1. p. q. 105. a. 5. sic ajente: *Sicut materia est propter formam, ita forma, quæ est actus primus, est propter suam operationem, quæ est actus secundus: & sic operatio est finis rei creatæ.* Nota, quòd materia est propter formam per se primò. Addo rursùs, quòd exemplo effectus producti simul à causis principali, & instrumentali, explicat D. Thomas, qualiter idem effectus à Deo simul, & à creaturâ producatur: sic enim ait cit. 3. cont. Gent. c. 70.: *Non sic idem effectus causæ naturali, & Divinæ virtuti attribuitur, quasi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat; sed totus ab utroque secundùm alium modum: sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus.* Ex quâ doctrinâ dicimus, substantiam, & accidens immediatè influere per eamdem realiter actionem in substantialem effectum, qui ab unoquoque agente producitur totus totalitate effectus, licèt non totalitate causæ.

## §. IV.

## SIT NE SUBSTANTIA EX SE *Virtus adæquatè productiva Substantiæ?*

22 EX dictis suboritur dubium, utrùm substantia ignis v. g., quantum est ex se, sit virtus adæquatè productiva alterius substantiæ, licèt in actu secundo semper aut sæpe juvetur ab accidentibus? Pars negativa probari potest: quia nullo sufficienti fundamento adstruitur ea virtus adæquata. Non inprimis ab experientiâ: quid semper operatur substantia cum apparatu, & comitatu accidentium, à quibus proinde semper adjuvari videtur. Non deinde ex eo, quòd substantia ignis v. g. sit æqualis alteri substantiæ ignis, & ejus formalitates omnes contineat: nam æqualitas perfectionis, aut correspondentia formalitatum, se solâ non arguit virtutem activam, ne partialem quidem: unde nec Sol Solis, nec unio unionis, nec mulus muli productivus est. Dices: aliunde constat experientiâ, perfectionem ignis esse fœcundam alterius ignis. Contrà: si experientia nullam ostendat fœcunditatem, nulla est admittenda, quantacumque detur proportio perfectionis: ergo si experientia non ostendat fœcunditatem adæquatam, ut non ostendit in igne, non est admittenda tanta fœcunditas, etiamsi æqualitas perfectionis adsit.

23 Pars verò affirmativa ex eo probatur, quòd causa univoca, vel

vel etiam æquivoca perfectior effectu, si supponatur verè activa, & fœcunda, juxta communem Philosophorum sensum non limitatur ad activitatem tantùm partialem sine fundamento admodùm urgenti; quale non adest inpræsentiarum: nam, quòd substantia plerumque juvetur ab accidenti, provenire potest, non ex defectu virtutis secundùm se adæquatæ, sed ex eo, quòd supplenda sit virtus, quam substantia impendit in suis proprietatibus producendis, & conservandis. Imò, & si substantia nullam aliunde faceret impensam, posset temperare concursum, & admittere consortium accidentis, sicut temperat voluntas cum habitu adquisito, & unus ignis cum alio æquè applicato, & sufficiente. Accedit, quòd accidens est adæquatè activum accidentis, ut calor caloris: ergo, & substantia poterit esse adæquatè activa substantiæ, præsertim ejusdem speciei, cum utrobique sit eadem commensuratio. Hæc pars videtur probabilior.

24 Quare ad fundamentum negativæ partis dicatur, positâ æqualitate perfectionis, & experientiâ fœcunditatis, jure colligi virtutem adæquatam, nisi quid obstet; ut in calore, & alijs accidentibus videre licet. *Objicies*: accidens non potest adæquatè producere aliud æquális intensionis: ergo nec substantia substantiam aliam æqualis perfectionis. *Resp.*: accidens potest adæquatè producere aliud, minùs quidem intensum, sed tamen ejusdem speciei; nam major, aut minor intensio non variat speciem, maximè si gradus sint homogenei: poterit ergo substantia producere adæquatè aliam ejusdem speciei; quod nobis sufficit. Prætereà, in substantiâ non militat experientia, quæ in accidenti, quantum ad decrementum intensionis.

25 *Objicies* iterùm, substantiæ virtus adæquata nunquam naturaliter reduci valet ad actum, cum semper concurrat partialiter cum accidentibus, & occupata sit partim in suis proprietatibus: non ergo est virtus naturalis. *Resp.* 1.: sat est, quòd virtus naturalis reduci possit ad actum, vel formaliter, vel æquivalenter, id est, vel producendo effectum, de quo est sermo, vel saltem æquivalentem alium: id quod præstat virtus substantiæ, quatenùs adæquata: nã influxus, quem exhibet in proprietates, & simul in substantiam ut causa principalis, æquivalet influxui totali, quem præstaret in aliam substantiam, si à nullo accidenti juvaretur. *Resp.* 2.: substantiæ virtus, quatenùs adæquata, potest utique naturaliter exerceri, seu reduci ad actum: si enim igni B. in primo suæ productionis instanti apponatur materia aliunde dispositа, poterit ille adæquatè producere alium ignem solâ virtute substantiali. Nam inprimis in eo instanti non occupatur in suis paroprietatibus efficiendis, ut notavimus *disp.* 4. *c.* 3. *n.* 10.: deinde non juvatur ab accidentibus propijs; hæc enim pro eo instanti occupantur in producendo instrumentaliter ipsum ignem B.: denique nec juvari debet

ab

ab accidentibus paſsi ; quia hæc occupari tunc poſſunt naturaliter in alterando materiam aliam propinquam.

## §. V.

## ARGUMENTA CONTRA activitatem accidentium in ſubſtantiam diluuntur.

26 OBJIC. 1.: nulla eſt neceſſitas tribuendi accidentibus influxum in ſubſtantiam, ſiquidem ſubſtantia habet ex ſe virtutem ſufficientem, & totam continet perfectionem alterius. *Reſp.*: ea neceſsitas, ſaltem phyſica, ſatis probata eſt §. 2.; quin obſtet ſufficientia ſubſtantiæ ex ſe adæquata, cum plerumque occupetur in ſuis proprietatibus. Adde, quòd etiam ſæpe occupatur aliquatenùs in diſponendo paſſum : ut enim producatur ignis v. g., debet in paſſo exiſtere calor ut octo, qui ſæpe producitur ab igne agente: ſed non producitur à ſolo calore ut octo ignis agentis, cum ſolus calor non producat alium æquè intenſum: ergo producitur etiam à ſubſtantiâ ignis. *Replic.*: ubi adeſt cauſa univoca, non debetur concurſus cauſæ æquivocæ; ſed ſubſtantia ignis eſt cauſa univoca alterius ignis, accidens autem eſt cauſa æquivoca: ergo &c. *Reſp.*: *Major* uſumnùm vera eſt de cauſâ univocâ non alijs productionibus occupatâ; qualis non eſt ſubſtantia ignis.

27 *Objic.* 2.: nulla formalitas ſubſtantiæ correſpondet accidenti : ergo accidens nullatenùs continet perfectionem ſubſtantiæ, proindeq; nullatenùs eſt ſubſtantiæ productivum. Inprimis objectio probat, repugnare prorſus accidens, quod in ſubſtantiam influat, contra pleroſque Authores contrariæ ſententiæ. Deinde *reſp.* 1.: correſpondentia formalitatum (ideſt, ſimilitudo, vel univocatio in prædicatis) non eſt neceſſaria in cauſis æquivocis; ut cernitur in ſubſtantiâ, quæ productiva eſt accidentis juxta Adverſarios, & in habitu concurrente ad actum. Hoc tamen eſt diſcrimen inter cauſam æquivocam perfectiorem, & imperfectiorem effectu, ſeu principalem, & inſtrumentalem, quòd illa ita eſt diſsimilis, ut ſupereminet effectum, ideòque dicitur illum continere eminenter; hæc verò eſt diſsimilis ſimul & inferior, ideòque purè virtualiter effectum cõtinet. Cæterùm in diſsimilitudine prædicatorum reſpectu effectus pares ſunt : nam certè non major eſt ſimilitudo ſubſtantiæ ad accidens, quàm accidentis ad ſubſtantiam.

28 *Reſp.* 2. *neg. Antec.*: nam calor v. g. convenit cum igne in prædicato, ſeu formalitate *productivi caloris*, quæ juxta Adverſarios utrique convenit. Nec refert, quòd ea formalitas ſolùm conveniat utriq; que, prout abſtrahit à ſubſtantiâ, & accidenti : nam etiam formalitas repræſentationis ſolùm convenit phantaſmati, & ſpeciei intelligibili, prout abſtrahit à materiali, & ſpirituali; & ſolùm eſt communis ſpeciei, & cognitioni, prout præſcindens à vitali, & non vitali; ſicut

etiam

etiam formalitas vitalis solùm communis est Intellectui, & visioni beatæ, ut præscindens à substantiali & accidentali, naturali, & supernaturali: & tamen hujusmodi correspondentia, seu convenientia, reputatur sufficiens ad rationem causæ, & effectus.

29 *Dices*: quando duæ causæ partialiter influunt, debet unicuique respondere peculiaris formalitas effectus, quæ non reperiatur in alterâ: sic enim supernaturalitas actus fidei respondet specialiter habitui, & vitalitas intellectui. At formalitas *productivi caloris* non correspondet magis calori, quàm substantiæ ignis agentis. *Resp.*: regula ista non tenet generatim, ut patet, quando duo ignes partialiter concurrunt ad alium tertium, vel quando Voluntas, & habitus adquisitus partialiter actum efficiunt. Quòd ergo in pluribus verificetur, oritur ex particulari conditione causarum, & effectuum, præsertim ex eo, quòd una causa partialis indigeat aliâ, quia perfectione caret secundum se sufficiente ad effectum; ut accidit in exemplo actus fidei. Ex dictis inferes, rationem *sub qua* accidens producit substantiam, esse rationem *productivi accidentis*. Vel, si mavis, dic, esse rationem eamdem, sub quâ substantia ipsa efficit; sicut dici debet in exemplo habitus adquisiti. Nam instrumenta, quæ in operando subordinantur alteri, sicut non producunt effectus tanquam suos, sed tanquam proprios agentis, cui subserviunt, ita non debent sibi præfigere propriam rationem *sub qua*, sed sub eâdem tendere possunt, sub quâ tendit causa principalis.

30 *Objic. 3.*: potentia materialis efficere nequit actus spirituales: ergo nec virtus accidentalis effectus substantiales; par enim est utrobique improportio. *Neg. Consequ.*: quia potentia materialis, v. g. visiva, de facto nullo ex capite probatur activa actuum spiritualium, nec cum ipsis proportionem habet etiam in ratione dispositionis proximæ: at accidens, sicut proportionem habet cum substantiâ in ratione proximæ dispositionis ad illam, ita, & in ratione instrumenti activi proportionem habere poterit, nisi quid obstet. Si tamen virtus aliqua materialis idonco argumento à ratione, vel ab experientiâ, probaretur instrumentaliter activa effectus spiritualis, distantia generis nihil obstaret: atq; ita de facto cèsèt plurimi de phantasmate materiali respectu speciei spiritualis.

31 *Objic. 4.*: ubicatio, & quantitas agentis non influunt in ullum effectum, præsertim substantialem: & tamen non nisi ad præsentiam eorum accidentium producitur substantia: ergo quòd producatur ignis ad præsentiam caloris, nihil probat. Hùc etiam facit exemplum cognitionis, quæ juxta communem sententiam non influit efficienter in amorem. *Resp.*: in ubicatione, & quantitate positivè probatur improportio ad effectus agentis, cui insunt: in ubicatione quidem, quia modus est ad nihil aliud institutus, nisi ut rem ultimò determi-

mis

minet ad talem locum in quantitate verò; quia, si esset activa, foret causa universalissima, cum interveniat in omni productione corporeâ; qua etiam ratione negari solet activitas materiæ primæ in operationes compositi. Similiter impropportio cognitionis ad efficiendum amorem, positivè probari solet in Animastikâ ex varijs absurdis, quæ inde sequerentur: v. g. quòd superfluus esset habitus charitatis ad ammorè Dei super omnia, quia sufficeret influxus cognitionis præviæ supernaturalis: item, quòd individua cognitio foret quasi causa universalis variorum, imò contrariorum affectuum; quia sub eadem cognitione possunt elici amor & odium, volitio efficax & inefficax, intensa & remissa &c. At in re nostrâ nihil affertur, quod experientiam enervet.

32 Ad extremum quæres, an sola agentis accidentia concurrant ad substantiam? an verò accidentia passi ultimò dispositi? an utraque simul? Hoc ultimum affirmandum videtur cum P. Compton, & alijs. Nam utraque solent esse ejusdem rationis, & sufficienter applicata sunt ad concurrendum. Nec obstat, quòd accidentia, quibus passum ultimò disponitur, sint proprietates formæ genitæ. Nam, ut jam tetigi *n.* 25., forma in primo generationis instanti non efficit eas proprietates, quæ simul sunt dispositiones subjectum præparantes: quare poterit tunc ab illis effectivè pendere, licèt eas conservet in sequentibus instantibus, quando jam ipsa conservatur à solo Deo.

## CAP. IV.
## *DE VIRTUTE PRODUCTIVA effectus accidentalis.*

1 *ASSERO* 1.: substantia est virtus immediatè activa suarum proprietatum, sive accidentium in semetipsâ. Ita Nostri cum Scotistis contra Thomistas. Dicuntur *proprietates*, sive *accidentia propria*, quæ substantiam intrinsecè perficiunt, pertinentque permanenter ad ejus connaturalem statum, v. g. calor in igne, frigus in aquâ, potentiæ in animâ. Hujusmodi accidentia dicuntur à propriâ substantiâ *dimanare*, *fluere*, *ac resultare*: quæ *dimanatio* juxta Thomistas in eo consistit, quòd substantia ignis v. g. connectatur naturaliter cum calore, simulque exigat, ut eadem actio, quâ ipsa producitur, sit etiam productiva caloris, tamquam termini secundarij, & consequentis: unde volunt, proprietates immediatè produci à generante, vel creante substantiam, & quidem eâdem actione. Scotistæ verò, & Nostri cum P. Suar. *d.* 18. *Met. f.* 3. dicunt, dimanationem esse actionem immediatè ortam à substantiâ ipsâ, cui proprietates insunt.

2 *Probatur* Assertio 1.: substantia est productiva propriij accidentis, ut expressè docet D. Thomas 1. *p. q.* 77. *ar.* 6.: sed non est productiva medio alio accidenti, cum nullum mediet inter substantiam, & primam proprietatem,

ut

ut est certum: ergo est productiva per se ipsam ut virtus immediata. *Confirm.* præoccupando solutionem Adversariorū: licèt substantia dicatur *quodammodò activa* proprij accidentis, ut ibi loquitur D. Thomas in *respons. ad 2.*, quia emanatio non est *per transmutationem*, sed per *naturalem resultationem*, ut ibidem explicat S. Doctor in *resp. ad 3.*; tamen est principium efficiens proprij accidentis vero aliquo sensu, cum à D. Thomâ rotundè vocetur *principium actionis*, & *productivum*, & ipsi Thomistæ fateantur, proprietatem physicè dependere à substantiâ *in genere efficientis*, ut videre est apud Colleg. D. Thom. Complut. *q.* 11. *n.* 86.. At hoc stare nequit, si substantia non aliter influit, quàm exigendo, ut eidem sui productione producatur accidens: ergo &c.

3 *Prob. Min.* 1.: quia juxta Th mistas materia cælestis exigit, ut forma producatur eadem actione, quâ ipsa producitur, quod etiam de materiâ elementari dicunt in primâ creatione Mundi: & tamen materia nullo modo est principium efficiens formæ. 2.: quia substantia nullo modo est principium efficiens actionis, quâ producitur ipsa: ergo nullo modo est principium efficiens actionis, quâ producitur accidens, si hæc est actio realiter eadem, ac illa. Sed implicat aliquid esse principium efficiens effectus, quin sit etiam actionis, ut est manifestum: ergo &c. *Urgetur*: quod nec per se immediatè influit, nec radicat aut sustentat virtutem effectivam, nullo modo est principium efficiens. At, si vera est doctrina contraria, substantia nec immediate efficit accidens, nec virtutem effectivam illius radicat, aut sustentat, cum certè non radicet, nec sustentet virtutem agentis, à quo substantia ipsa producitur. Aliam impugnationem dabimus paulò inferiùs.

4 *Probatur* 2. Assertio vulgari experimento aquæ calidæ, quæ ab igne remota suam ab intrinseco recuperat frigiditatem; cujus nullum principium idoneum assignari potest, præter aquæ substantiam. Thomistæ duplici solutione occurrunt. Prima est, semper in aquâ remanere aliquale frigus, quod remoto contrario se se incendit, & ad majorem intensionem sufficit, quia ex conjunctione cum propriâ substantiâ, vel radice, vires accipit. Sed *contra* est, quòd frigus remissum, si propriæ radici conjunctum potest producere frigus intensius, poterit & separatum; quod experientiæ repugnat. Patet Sequela: tum quia substantia, si nihil per se ipsam cooperatur, vires ejus augere nequit: tum etiam, quia juxta Thomistas, ut calor intensus producat ignem, & ut vini accidentia producant vinum, de materiali se habet, quòd sint, vel non sint conjuncta propriæ radici; æquè enim agunt in virtute illius, sive conjuncta, sive sejuncta: quod etiam in seminibus viventium patet.

5 Secunda, & communior solutio est, novum illud frigus non produci per novam actionem, sed per eamdem, quâ substantia aquæ

generata est; quæ actio, amoto contrario, per novam sui explicationem perficit suum terminum secundarium, qui est frigus aquæ. Sed *contra* 1.: quia sæpe causa, quæ generavit aquam, jam non est præsens, nec existit, ac proinde non perseverat ejus actio. *Contrà* 2.: quia, licèt actio illa perseveret, nequit esse productio frigoris, si potest sine illo existere: cum enim actio ex conceptu suo sit ultima determinatio ut producatur terminus, tam secundarius, quàm primarius, implicat omninò, quòd existat sine aliquo sui termino; alioquin esset ultima determinatio, & simul non esset, quia indifferentiam aliquam relinqueret, & ulteriore determinatione indigeret.

6 *Contrà* 3., & generatim impugnatur dimanatio Thomistica: Sæpe substantiæ productio est creatio, & productio proprietatum est eductio, ut cernitur in animâ rationali, necnon in formâ aquæ, & alijs elementaribus initio Mundi juxta Thomistas: ergo nequit esse realiter eadem actio; quia alioquin penderet simul, & non penderet à præsupposito subjecto. *Urgetur* in formis etiam eductis: nulla forma produci potest eâdem actione cũ subjecto, ex quo educitur: tum quia sequeretur, subjectum illud physicè præsupponi ad productionem sui ipsius: tum quia ideò Thomistæ negant eductionem formæ elementaris ex materiâ initio Mundi, quia tunc forma producta est eâdem actione cum materiâ. Atqui frigus educitur ex formâ aquæ, & quævis alia proprietas ex formâ, cujus est, siquidem juxta Thomistas accidentia recipiuntur in toto composito: nequit ergo eâdem actione cum formâ produci.

7 Objic. 1. proverbium illud, *Qui dat formam, dat consequentia ad formam*, quod præcipuè intelligi solet de proprietatibus, ac de motibus gravium, & levium in suum centrum: ergo idem agens producit formam, & proprietates ad eam consequentes. Accedit 1., quòd operatio incipiens cum esse rei, tribuitur generanti, vel creanti rem. Accedit 2., quòd *Omne, quod movetur, ab alio movetur*, ideòque agens, & passum distingui debent: si autem substantia produceret in se suas proprietates, eadem foret agens, & patiens, movens, & mota. *Resp.*: qui dat formam, dat ea, quæ naturaliter consequuntur, *mediatè*, *& imputativè*, quatenùs, dando formam, dat virtutem immediatè activam, naturaliter connexam cum consequentibus: quo etiam sensu dicitur, *Causa causæ est causa causati*, præsertim quando causa immediata naturaliter connectitur cum effectu.

8 Audi D. Thomam 1. *p. q.* 105. *ar.* 5., ubi de Deo loquens. *Non solùm*, inquit, *est causa actionum, in quantum dat formam, quæ est principium actionis, sicut generans dicitur esse causa motus gravium, & levium; sed etiam &c.*. En planè supponit, quòd generans non aliter est causa motus gravium, nisi quatenùs dat formam, quæ est principium illius motus. Ad *primam*,

*mum*, quod additur, eadem responsio est; nisi quòd illud intelligi debet de operatione, quæ sit necessaria, vel saltem quę non sit præter intentionem generantis; nam alioquin non ipsi tribuitur. Ad *secundum*: omne, quod movetur, ab alio movetur mediatè saltem, vel etiam immediatè partialiter, quatenùs ad omnem motum concurrit causa prima. De cætero, quòd possit eadem potentia pati ac recipere motum, quem agit, Adversarij fateri debent in potentijs intellectivâ, & volitivâ.

9 *Objic.* 2.: proprietates non producuntur à substantiâ per actionem proprie talem, sed per emanationem, aut resultantiam: non ergo datur actio substantiæ ad illas terminata. *Resp.*: emanatio physicè loquendo est vera actio, ut efficaciter ostendit P. Suar. *loc. cit.*: moraliter tamen, aut usualiter, non tam dicitur actio, quàm additamentum, vel appendix actionis terminatæ ad substantiam, ex quâ naturali necessitate resultat, ut illam quasi consummet constituendo substantiam in suo statu connaturali: & hoc sensu proprietates non tam produci dicuntur, quàm ex productione substantiæ resultare. Discrimen ergo diminationis ab actione sumitur ex indole termini: quia dimanatio est productio termini pertinentis ad intrinsecum, & connaturalem rei statum; actio verò est productio aliorum effectuum quorumcumque.

10 *Asserio* 2.: Substantia est etiam immediatè productiva plurium accidentium in passo extraneo. Ita passim ijdem Authores pro præcedenti allegati. *Prob.*: quia calor v. g., in passo extraneo productus, ejusdem speciei est cum calore proprio ignis: aliunde calor est producibilis actione transeunte, ut constat: si ergo substantia ignis productiva est caloris proprij, cur non & caloris in extraneo subjecto? *Confirm.*: cùm ignis disponit lignum ad combustionem, producit in eo calorem ut octo, qui est ultima dispositio ad ignem: sed non illud producit virtute solius caloris proprij: ergo adhibet etiam virtutem substantialem. *Prob. Min.*: quia, juxta communem Philosophiam, una qualitas non producit univocè aliam æqualis intensionis: calor autem ut octo, quo ultimò disponitur passum, æqualis intensionis est cum calore ignis agentis. Id ipsum experientia docet in alijs accidentibus, quæ plerùmque intensiùs operantur in passum extraneum, dum propriæ substantiæ conjunguntur, quàm dum ab eâ separantur; quod satis indicat immediatam cooperationem substantiæ.

11 *Dices* 1.: accidentia Eucharistica eâdem vi, & intensione operantur, ac si essent cum propriâ substantiâ. *Resp.*: in Eucharistiâ suppletur à Deo cooperatio substantiæ ad occultandum sensibus mysterium; sicuti suppletur, quando ibi convertitur aqua in vinum. *Dices* 2.: si aquæ substantia est productiva frigoris ad extrà, cur non illud producit etiam dum est intensè calida? *Resp.*: quia impe-

ditur per calorem intensum sibi inhærentem, qui subjectum proximum actione suâ præoccupat: vel etiam, quia frigus propinquum est conditio prærequisita, ut aqua producat alienum, eo quòd ordine naturæ prius exigat perficere se, quàm ad extrà operari.

12 *Dices 1.*: calor ignis est causa univoca sufficiens productioni caloris in subjecto extraneo: sed in præsentia causæ univocæ non debetur cócursus causæ æquivocæ, qualis est substantia ignis respectu caloris; ideòque Sol, quàmvis ex se productivus ignis, non concurrit ad illum, alio igne præsente: ergo &c. *Resp.*: inprimis calor ignis se solo non sufficit productioni caloris in eâ intensione, quâ sæpe producitur in passo extraneo, ut vidimus n. 10.: unde non mirum, si opus sit cooperatione substantiæ. Deinde doctrina *Minoris* non est universim vera, ut patet in luce, quæ producit calorem, alio etiam calore præsente. In causis universalibus, qualis est Sol, diversa ratio est: quia virtus earum videtur à naturâ instituta in supplementum causarum sublunarium; unde non nisi in istarum defectu concurrit.

13 Observa tamen, non omnia accidentia, quæ substantia in se producit, posse produci ab eâdem in passo extraneo: quædam enim suapte naturâ producibilia non sunt actione transeunte, v. g. gravitas, & levitas. Observa rursùs, quod aliqui velint, substantiam non immediatè influere in ea accidentia, quæ à proprijs ipsius accidentibus æquivocè producuntur in extraneo subjecto, verum quidem esse in quibusdam, v. g. in speciebus, quas ad sensus mittunt accidentia substantiæ: non tamen esse verum in omnibus; nam substantia Solis concurrit ad calorem, quem lux ejus æquivocè producit in aëre. Hoc ergo pendet ex indole specificâ variorum effectuum: neque aliud intendimus, quàm quòd substantia sit immediatè activa plurium accidentium in passo extraneo, eorum præsertim, quæ à proprijs ipsius qualitatibus univocè producuntur, & eorum maximè, quæ sunt dispositiones ad aliquam formam substantialem.

14 *Affero 3.*: accidentia immediatè producere possunt alia accidentia, non solùm cooperante substantiâ, sed etiam interdùm se solis, tum ut causæ univocæ, ut cùm calor aquæ producit calorem in manu, tum ut causæ æquivocæ, ut cum color producit species visuales. Assertio est omnibus certa, & experientiâ teste comprobata. Nec dubium, quin accidens possit esse vera causa principalis alius accidentis ignobilioris, vel etiam ejusdem speciei, saltem remissioris, juxta proprium conceptum causæ principalis traditum *cap. præc.* §. 1.; non tamen juxta minùs propriam causæ principalis acceptionem pro agente *ut quod*, per modum suppositi habentis, aut sustentantis virtutem activam. Porrò, dum accidentibus concedimus activitatem, non loquimur de omnibus: non enim omnia novem Prædi-

dicamentorum accidentia sunt activa, nisi fortè per naturalem resultantiam quorumdam effectuũ purè modalium; quo sensu quantitas v. g. propriam ubicationem producit. Loquimur ergo de qualitatibus, ijsque non omnibus; nam figura, inter qualitates numerari solita, non est activa. Ex qualitatibus autem aliæ sunt activæ similium, aliæ dissimilium, aliæ similium pariter, & dissimilium. Qui de his plura velit, consulat Exim. Doctorem *cit. d.* 28. *s.* 4.

## CAP. V.
## *DE POTENTIA OBEDIENTIALI.*

EGimus hactenùs de virtute naturali productivâ substantiæ, & accidentis. Nunc de virtute, seu potentiâ obedientiali breviter agendum.

### §. I.
### *QUID SIT POTENTIA obedientialis?*

1 QUæcũque potentia non operatur, nisi ex imperio rationalis agentis, vocari potest potentia obedientialis, maximè si ex se non exigat agere, vel pati. Unde lignum, aut lapis, dicitur esse in potentiâ passivâ obedientiali ad formam artis, & instrumenta mechanica dicuntur agere per potentiam obedientialem. Nunc verò præsiàs accipitur obedientialis potentia pro aptitudine rerum, ut Deo supernaturaliter decernenti subdantur, & obediant in recipiendo, vel agendo: ideòque definiri potest, *Aptitudo rerum, ut pro arbitrio Dei, ejusque auxilio rebus ipsis indebito, munus impleant, quod naturaliter implere non valent.* Quæ definitio consonat doctrinæ D. Thomæ *q. 6. de pot. ar. 1. ad 18.*

2 Hæc ergo potentia dicitur *obedientialis*; quia nequit reduci ad actum ex propriâ exigentiâ, nec alterius rei ordinis naturæ, sed ex imperio Dei ut Authoris supernaturalis; unde contraponitur potentiæ *naturali*, ideſt, reducibili naturaliter ad actum. Dicitur *elevabilis*; quia per auxilium Dei cõstituitur in statu proximè potentis assurgere ad munus superioris ordinis, vel extra naturalem ejus sphæram collocatum. Dicitur etiam *inchoata*, & *remota*; quia numquam potest naturaliter fieri proxima, seu expedita; & quia potentia obedientialis activa, si strictè sumatur, nunquam est adæquata, & sufficiens effectui, etiam in genere causæ fecundæ, nisi ei addatur præcipua virtus ordinis supernaturalis. Dico, *si strictè sumatur*: quia vocatur etiam obedientialis minùs propriè potentia illa, quæ supernaturaliter agit solùm quoad modum: & talis potentia potest ex se habere naturalem virtutem, effectui, & actioni adæquatam, licèt ob circumstantias sit ipsi indebitus generalis concursus primæ causæ; ut si Deus paret aquæ concursum ad frigefaciendum in conspectu validioris ignis. Nunc loquimur de potentiâ obedientiali activâ per actionem supernaturalem quoad substantiam. Per actionem,

in-

naturam, supernaturalem: quia, licèt effectus in se naturalis sit, si tamen sit extra sphæram naturalem agentis, ab eo produceretur obedientialiter actione intrinsecè supernaturali; ut si ignis elevetur ad producendam aquam.

3 Hinc potentia obedientialis potest etiam competere rei supernaturali relatè ad effectum entitativè naturalem, ut si Gratia elevetur à Deo ad producendum calorem, qui est extra illius connaturalem sphæram: potest item rei entitativè naturali convenire, ut convenit Intellectui respectu visionis beatæ, quæ supra illius sphæram naturalem est. Consistit autem hæc potentia in ipsâ Intellectus entitate naturali (idem intellige de rebus alijs entitativè naturalibus), & cum ipsâ realiter identificatur: quia Intellectus in entitate suâ naturali habet posse obedire Deo in cooperando lumini gloriæ ad producendum visionem beatam. Unde talis potentia est naturalis *entitativè*, & *subjectivè*: non tamen dicitur *potentia naturalis* absolutè; quia solùm ita vocatur potentia ut respiciens effectus naturali actione à se producibiles, seu ad quos per se non indiget concursu supernaturalis comprincipij. Potentia ergo naturalis, & obedientialis Intellectus, *subjectivè* identificantur: *completivè* autem, & *terminativè* distinguuntur: *completivè*; quia altera in ratione potentiæ proximæ, & adæquatæ, solùm completur per comprincipia supernaturalia, & indebita; altera verò per naturalia, & debita: *terminativè*; quia altera respicit terminos, seu cognitiones supernaturales, altera naturales. Quo genere terminativæ distinctionis solent quoque distingui potentia ordinaria, & extraordinaria Dei, seu potentia Dei ut Authoris naturæ, & ut Authoris supernaturalis, quæ subjectivè sunt unum, & idem. Sic etiam solùm terminativè distinguuntur à parte rei Intellectus, & voluntas in sententiâ identificante potentias cum animâ.

4 Dividi solet potentia obedientialis in *passivam*, seu receptivam formæ supernaturalis, vel naturaliter irreceptibilis in tali subjecto; & in *activam*, seu productivam termini supernaturalis, vel naturaliter improducibilis à tali potentiâ. Utraque certò datur in animâ nostrâ: passiva respectu gratiæ, & aliorum donorum supernaturalium: activa respectu actuum fidei, charitatis, visionis &c. Sed discrimen est inter utramque potentiam: quòd activa, ut notavimus *n.* 2., inadæquata est, & partialis in suo genere, scilicet in genere causæ efficientis, etiam secundæ; idèoque non agit nisi adjuta comprincipio activo supernaturali: passiva verò est, vel esse potest adæquata in ratione subjecti receptivi, nec in hoc genere requirit comprincipium supernaturale. Si enim anima ad recipiendam gratiam indigeret potentiâ supernaturali superadditâ, potentia hæc vel reciperetur immediatè, & adæquatè in animâ, vel mediante aliâ potentiâ supernaturali? Si hoc secundum optes; de illâ aliâ

aliâ potentiâ idem quæram, & ibimus in infinitum. Si verò primum dicas: jam ergo anima ad recipiendam formam aliquam supernaturalem, non eget potentiâ passivâ supernaturali: quo dato, non est cur illâ indigeat ad recipiendam gratiâ.

5 Hinc elevatio potentiæ obedientialis passivæ consistit in decreto Dei supernaturali producendi in ipsâ, vel dependenter ab ipsâ ut à subjecto, formam aliquam ipsi naturaliter inassequibilem ratione sui. Elevatio verò potentiæ obedientialis activæ consistit in conjunctione illius cum auxilio, seu comprincipio activo supernaturali, vel etiam in decreto Dei applicante Omnipotentiam ad specialiter concurrendum cum re aliquâ ad effectum, aut actionem supernaturalem, & indebitam. Et ratione illiusmodi elevationis utraque potentia, licèt entitativè naturalis, dicitur implere munus suum ut *supernaturalizata*. Notandum hîc, quòd ad potentiam obedientialem passivam reduci potest potentia obedientialis *informativa*, quæ formæ convenit ad plures materias simul informandas, vel magis propriè ad informandam aliam materiam possibilem, specie diversam, cui non coaptetur naturaliter: item potentia obedientialis *terminabilis*, quam habet natura creata, ut terminetur per subsistentiam verbi.

6 Duplex hîc quæstio excitari solet. *Prima*: utrùm potentia obedientialis activa sit virtus immediatè influens simul cum supernaturali comprincipio in effectum supernaturalem? an verò comprincipium illud sit tota virtus, seu tota ratio agendi per modum virtutis, v. g. lumen gloriæ respectu visionis beatæ, & habitus fidei, vel charitatis respectu suorum actuum? *Secunda*: utrum in quâlibet re creatâ detur potentia obediëtialis, elevabilis ad producendum quodlibet? Utraque, præsertim prima, propriè pertinet ad Theologos, à quibus fusissimè tractari solet, & plenissimè tractatur à P. Ripalda tom. 1. de Ente super. disp. 30. Quia tamen sæpe ad has cõtroversias alludũt Philosophi, non eas omninò prætermittemus, sed tractabimus parcè, vel delibabimus.

## §. II.

### *Lumen, seu habitus, non est tota ratio agendi, seu tota virtus ad actus supernaturales.*

7 TA universa Societatis Schola, cum totâ pariter Scholâ Scotistarum contra Thomistas; qui, licèt catholicè agnoscant veram ac propriam activitatem animæ, intellectus, & voluntatis, in actus supernaturales; totum tamen influxum per modum virtutis tribuunt principio supernaturali, cujusmodi est lumen, aut habitus per se infusus: & generatim negant, inveniri posse in rebus entitativè naturalibus potentiam obedientialem, quæ sit virtus ne partialiter quidem activa supernaturalis effectus. Itaque juxta Thomistas anima visionem Dei verè agit *ut quod*, & illam etiam

etiam intellectus verè agit *ut quo* per modum potentiæ: at nec anima, nec intellectus viſionem agit per modum virtutis; nam hoc pacto ſolum lumen agit. Noſtra verò ſententia eſt, virtutem adæquatam ad viſionem conſiſtere in complexo ex lumine & intellectu, ita ut non ſolum lumen, ſed etiam intellectus verè influat tamquam virtus partialis.

8 *Prob.* 1. ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 4. ſic definiente: *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ſed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, & merè paſſivè ſe habere, anathema ſit.* Ex quo fidei oraculo habemus 1., liberum arbitrium verè cooperari Divinæ gratiæ: cooperari autem ex terminis eſt operari ſimul cum alio. Habemus 2., liberum arbitrium non merè paſſive ſe habere, ſed verè aliquid agere: ergo plus confert ad actum ſupernaturalem, quàm recipere gratiam, & actum ab eâ ſolâ productum; nam hoc totum eſt merè paſſivè ſe habere. Dicunt, animam, & liberum arbitrium verè agere, & cooperari, *ut quod* per modum ſubſtantiæ, & *ut quo* per modum potentiæ.

9 Sed impugnantur 1.: quia, ſi nec anima, nec voluntas, eſt immediata virtus, eſſe principium *quod*, aut *quo*, nihil aliud in re ſignificat, quàm eſſe quid recipiens ab extrinſeco agente totam virtutem activam, & ab hac actum ſupernaturalem: hoc autem non egreditur terminos meræ paſſivitatis. Sic materia prima merè paſſivè ſe habet ad formam, & ad operationes formæ. Dices: lumen gloriæ eſt virtus appropriata, & coaptata animæ, & eo fine data, ut anima reddatur potens ad viſionem. *Contrà*: etiam forma eſt appropriata materiæ, & eo fine datur, ut totum compoſitum, in quo materia includitur, reddatur potens operari *ut quod*. Et *urgetur* paritas: virtus gratiæ adjuvantis non ſubordinatur voluntati, ſed eam ſibi ſubordinat, juxta Thomiſtas: nam, licèt oppoſitum aſſerat Palancus *hic q.* 22. *n.* 19.; id tamen abſurdum eſſe docet M. Bolivar Dominicanus *tract. de Viſion. dub.* 4. *n.* 33.: ergò virtus illa non aliter appropriatur animæ, aut voluntati, niſi quatenùs illi utiliter unitur ut forma excellentior, quæ ſuum ſibi ſubjectum ſubordinat. At hoc ſenſu citrà dubium appropriatur materiæ forma ſubſtantialis.

10 Impugnatur 2.: quia res non influens immediatè per ſe ipſam, nec per aliud, quod ejus nomine, vel in ejus virtute influat, non verè agit: ſed voluntas, aut anima, non influit immediatè per ſe ipſam in viſionem, nec aliunde lumen influit nomine animæ, vel in virtute animæ: ergo &c. *Major* conſtat; quia non alium agendi modum aſſignant ipſi Thomiſtæ; qui, ut vidimus ſuprà *cap.* 1., non aliter ſalvant veram activitatem ſubſtantiæ ut principij *quod*, & *quo* radicalis, niſi quatenus accidens in-

influit nomine, & virtute ſubſtantiæ. *Minor autem probatur* quoad ſecundam partem: tum quia agere in virtute alterius, eſt agere virtute ab altero acceptâ, vel radicatâ, ſaltem per emanationem, ut ipſi explicant Thomiſtæ, ubi de activitate accidentis; virtus autem luminis certè non eſt radicata, nec accepta ab animâ: tum etiam, quia quod agit nomine alterius, & in virtute alterius, agit ut alteri ſubordinatum, ut docet D. Thomas citatus ſuprà *cap.* 3. §. 3., & patet inductione per inſtrumēta politica, mechanica, & naturalia; lumen autem non agit ut ſubordinatum animæ, juxta Thomiſtas. *Urgetur*: anima non agit viſionem ut cauſa inſtrumentalis, ut omnes Thomiſtæ docent teſte Palanco *hìc q.* 21. *n.* 41.: aliunde nec ut cauſa principalis: ergo nullo modo. Patet *Minor*: tum quia lumen non eſt inſtrumentaria virtus animæ, alioquin foret virtus illi ſubordinata: tum quia nec anima continet totam perfectionem viſionis, nec ipſi principaliter attribuitur viſionis productio.

11 Impugnantur 3.: quia, ſi voluntas agit per gratiam ut per totam virtutem, nonniſi improprijſsimè dicetur *cooperari* gratiæ; quod repugnat cit. Concilio, Scripturæ, & Patribus. *Prob. Sequel.*: quia nemo dicitur cooperari ſuæ virtuti adæquatæ, ſed operari per illam. Sic homo non coamat propriæ voluntati, nec cointelligit intellectui, nec coambulat potentiæ ambulativæ, nec cooperatur procuratori, cui totum negotium commiſit; ſed amat per voluntatem, intelligit per intellectum, &c. Hinc nonniſi improprijſsimè verificabitur illud *Sap.* 9., *Mitte illam de cœlis ſanctis tuis.., ut mecum laboret.* Quò reſpexit Apoſtolus 1. *Cor.* 15. dicens: *Abundantiùs illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum*: ideſt, (ut explicat S. Auguſtinus *de Grat. & liber arbitr. cap.* 5.) *non ſolus, ſed gratia Dei mecum; ac per hoc non gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.* Improprijſsimè, inquam; non ſecùs, ac ſi diceretur: mea potentia viſiva mecum videt; meus intellectus mecum intelligit; meus operarius, cujus tantùm manibus vineam colo, mecum laborat. Certè, qui ſocium rogat, ut ſecum laboret, cenſebitur irriſor, ſi totum laborem ſocio committat, nihil ipſe immediate laborans.

12 *Urgetur* hoc ipſum: gratia Dei verè nos *adjuvat* ad operandum, ut ex Scripturâ, Concilijs, & Patribus notum eſt: ſed *Qui adjuvatur, aliquid etiam per ſe ipſum agit*, ut ait S. Auguſtinus ad illud Pſalm. 78., *Adjuva nos Deus*: ergo anima noſtra aliquid etiam per ſe ipſam agit: ego non agit ſolùm per gratiam: quì enim ſic adjuvatur à ſocio, ut nihil agat niſi per ſocium, ridiculè diceretur *aliquid etiam per ſe ipſum agere*, quàmvis dici poſſet agens *ut quod*, quia ipſius nomine ſocius ageret. *Confirmatur* ex D. Thomâ 1. *p. q.* 12. *ar.* 5. dicente: *Cum virtus naturalis intellectus creati non ſufficiat ad*

*Dei essentiam videndam, oportet quòd ex Divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi: & hoc augmentum virtutis intellectivæ, illuminationem intellectus vocamus... Et istud est lumen, de quo dicitur Apoc. 21. &c.*. Ubi perspicis, lumen esse incrementum, & augmentum virtutis, ac proinde non esse totam virtutem, sed aliquid virtutis in intellectu præsupponere: alioquin verè dici posset, primam gratiam esse augmentum gratiæ; vel lucem, aëri tenebroso datam, esse augmentum virtutis illuminativæ; vel pecuniam, collatam pauperi nullam præhabenti, esse augmentum pecuniæ. Nota, loqui D. Tomam de *virtute*, non de principio *quod*, aut *quo* per modum potentiæ.

13 Impugnantur denique: uia Tridentinũ *cit. can.* eam definit activitatem liberi arbitrij, quam Calviniſtæ, contra quos agit, non agnoscebant, sed negabant. At activitatem per modum principij *quod*, & per modum potentiæ volitivæ, agnoscebant utique Calviniſtæ. Nam vel impius ipse hæresiarcha Calvinus apud Camerarium *lib. 10. de liber. arbitr. cap. 5.* sic loquitur: *Non hoc quæritur, agat ne voluntas, quod extra dubium est; sed agat nè à se ipsa, an pro modo Divinæ actionis: quis enim neget, per voluntatem fieri, ut velit homo?* Tum *cap. 9.* sententiam suam sic proponit: *Hominem sic docemus agi Dei gratia, ut tamen simul agat; sic tamen simul agere, ut penes Dei spiritum tota sit, ac maneat actionis efficacia.* Vide alia Calvini verba apud Ripald. *l. c.*, & Maldonatum in *cap. 15. Joan. v. 5.*.

14 *Prob. 2.*: anima verè vivit physicè per visionem Dei, ipsa que visio, vel ejus productio est motus animæ physicus, & vitalis, ut nemo dubitat: motus autem vitalis, est motus ab intrinseco juxta omnes: anima ergo verè ab intrinseco producit visionem. Sed hoc stare nequit, si lumen est tota virtus: ergo &c. *Prob. Min. 1.* ex dictis *n. 10.*: quia, si anima nec immediatè influit, nec efficit, aut radicat virtutem influentem, non verè agit. *2.*: quia, ut productio fit ab intrinseco subjecti, prout ad vitam requiritur, non sufficit quòd fit à virtute intrinsecè inhærente subjecto, si hæc est ab extrinseco impressa, neque ullatenùs à subjecto radicata. Sic sensationes animæ bruti non sunt ab intrinseco materiæ, nec materia est earum principium vitale. Sic etiam nec vitalis est aëri productio caloris à luce, quæ ipsi inhæret. Sic item nec est vitaliter ab intrinseco lapidis motus sursùm, proveniens ab impetu, quem ab extrinseco impressum, intrinsecè recipit lapis.

15 Nec prodest, quod Thomistæ dicunt, virtutem luminis esse consonam, coaptatam, & appropriatam animæ. Tum quia hoc etiam verificatur de formâ respectu materiæ, ex *n. 9.*. Tum quia lux quoque satis consona, & coaptata est aëri: nam *Aer secundùm naturam suæ speciei est in ultima dispositione ad lumen suscipiendum ra-*

*tione*

*tione diaphaneitatis*, ut ait D. Thomas *q.* 28. *de verit. ar.* 3. *ad* 9.. Tum quia impetus ad motum sursùm potest esse non violentus, sed valde consonus naturæ lapidis, si nimirùm imprimatur à solo Deo: nam juxta doctrinam Thomistarum suprà *disp.* 1. *c.* 2., quidquid à Deo fit, nequit esse violentum, sed potiùs est conforme præcipuæ ac prævalenti inclinationi rerum. Nec item prodest, quòd virtus luminis dicatur dari ad effectum intra sphæram potentiæ intellectivæ contentum. Nam si sermo sit de sphærâ naturali, certè non intra illam continetur visio: si autem de sphærâ supernaturali, hoc nihil est aliud, quàm visionem contineri intra sphæram intellectus ut habentis lumen gloriæ, At etiam illuminatio, vel calefactio, continetur intra sphæram aëris ut lucem habentis; & motus sursùm intra sphæram lapidis ut habentis impetum. Adde, quòd non magis inter se conveniunt intellectio naturalis, & visio beata, quàm motus lapidis sursùm, & motus deorsùm, saltem si à solo Deo imprimatur impetus.

16 *Prob.* 3. ex capite libertatis: amor supernaturalis est liber: ergo provenire debet à virtute liberâ in actu primo. Sed habitus charitatis non est liber in actu primo: ergo non est tota, & unica virtus. Patet subsumpta *Minor*: quia habitus charitatis nequit se ipsum determinare ad actum, vel ad omissionem actus; alioquin omissio actus, etiam peccaminosa, imputaretur habitui, eidemque propriè competeret meritum, ac demeritum; quod est absurdum. Dicunt, habitum esse liberum *ut quo*, & permissivè, quatenùs permittit voluntati, ut propriâ virtute omittat, vel impediat actum supernaturalem. Sed *contrà* probatio instauratur 1.: actus supernaturalis est immediatè liber voluntati, ut constat: ergo immediatè provenit à voluntate immediatione virtutis. *Prob. Conseq.*: tum quia, si non ita provenit, solùm erit voluntati liber, quatenùs voluntas potest propriâ virtute ponere actum naturalem impeditivum supernaturalis, vel illum omittere, ex quâ omissione sequitur actus supernaturalis à solâ virtute habitus: sic autem actus supernaturalis solùm est liber mediâ omissione naturalis, ac proinde solùm mediatè liber. Tum etiam, quia de ratione actus immediatè liberi est, quòd possit voluntas illum immediatè cohibere, & ab eo cessare: hoc autem imperceptibile est, nisi actus immediatè pendeat à virtute propriâ voluntatis; ideòque, ut salvetur immediata potestas Dei ad impediendum, vel destruendum quemlibet effectum, omnis effectus debet à Deo immediatè pendere immediatione virtutis, ut Thomistæ non dubitant.

17 Instauratur 2.: actus liber in communi sententiâ Thomistarum est intrinsecè & essentialiter liber: ergo ex suis intrinsecis est positiva determinatio, & electio unius objecti vel motivi præ alijs, quæ hîc & nunc attrahere possunt voluntatem: ergo formalitas posi-

tivæ determinationis, & electionis, præcontineri debet in ejus adæquatâ virtute activâ, quæ proinde positivè determinativa, & electiva esse debet. Atqui habitus non est positivè determinativus, & electivus: tum quia alioquin jam non permissivè tantùm, ut Thomistæ dicunt, sed positivè liber esset: tum quia inde contra sensum omnium sequeretur, habitum esse liberum arbitrium; nam, ut ait D. Thomas 1. p. q. 83. ar. 3., *Proprium liberi arbitrij est electio: ex hoc enim liberi arbitrij esse dicimur, quòd possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere: & ideò naturam liberi arbitrij ex electione considerare oportet.* Debet ergo simul cum habitu concurrere virtus voluntatis. Accedit, quòd juxta datam solutionem libertas, & vis determinativa voluntatis ad actum supernaturalem, constituitur ex ejus virtute naturali: eatenùs enim voluntas liberè elicit talem actum, quatenùs propriâ virtute potest elicere omissionem illius, vel actum naturalem, quo supernaturalis impediatur. Cum ergo libertas essentialiter cõstituatur ex potestate omittendi, nequit ex virtute solius habitus constitui, sed insuper importare debet virtutem naturalem. Non ergo habitus est tota virtus liberè determinandi ad actum salutarem: quo dato, ruunt argumenta contraria. Mitto alia plurima, quæ nostri Theologi nervosè proponunt, ac promovent.

**********

## §. III.
## *RESPONSIO AD OBJECTIONES.*

18 *Objic.* 1.: intellectus non agit visionem, nisi ut elevatus: sed lumen est tota ratio elevandi: ergo & est tota ratio agendi. *Confirm.*: operari sequitur ad esse: sed habitus est tota ratio essendi supernaturaliter: ergo & est tota ratio agendi supernaturaliter. *Resp.*: eâdem arguendi formâ probari potest, quòd applicatio ignis est tota ratio comburendi, & cognitio tota ratio amandi, quia ignis non comburit, nisi ut applicatus, nec voluntas amat, nisi ut illustrata per cognitionem. Præterea retorquetur: voluntas non elicit actum meritorium, nisi ut libera: sed habitus non est tota libertas, vel tota ratio libertatis, ex *n.* 17.: ergo habitus non est tota ratio eliciendi. Itaque *dist. Maj.*: elevatione se habente ut totam virtutem, *neg.*; se habente ut complementum virtutis, *conc. Maj.*, & *Min.*, & *neg. consequ.* Ad *Confirm.*: operari non necessariò sequitur ad esse, tamquam ad totam virtutem agendi, sed sæpè tamquam ad prærequisitum, vel virtutem partialem. Quod Thomistæ fateri debent in hac retorsione: Operari sequitur ad esse: sed substantia est tota ratio essendi: ergo & est tota ratio agendi. Vel in hac: operari libere, sequitur ad esse liberum: sed habitus non est tota ratio, cur voluntas sit libera ad actum salutarem: ergo

nec

nec est tota ratio, cur illum liberè operetur. Adde instantiam in applicatione ignis, quæ erit tota ratio comburendi, quia comburere sequitur ad applicari.

19 *Objic.* 2.: intellectus ante elevationem est essentialiter improportionatus ad producendam visionem Dei: sed essentialis improportio non aufertur per elevationem: ergo etiam positâ elevatione nequit intellectus visionem producere. Sed rogo te, num ante elevationem detur in animâ & intellectu improportio essentialis ad visionem producendam *ut quod*, & *ut quo* per modum potentiæ? Et, si detur, an per elevationem auferatur? Intellectus igitur ante elevationem est improportionatus essentialiter ad producendam visionem tamquam tota virtus; & hæc improportio non tollitur per elevationem: non tamen est essentialiter improportionatus, ut visionem producat tamquam virtus partialis; ad hoc enim solùm naturaliter improportionatus est, improportione, non quidem auferibili, sed tamen vincibili supernaturaliter per comprincipium elevans, quod, eâ non obstante, adjuvat intellectum ad influendum.

20 *Objic.* 3.: ex nostrâ sententiâ sequitur, visionem esse partim naturalem, & partim supernaturalem, siquidem à virtute partim naturali, & partim supernaturali procedit. Imò visio erit absolutè naturalis; quia denominatio sequitur debiliorem partem. *Neg. sequel.*: quia, sicut visio non derivat naturalitatem ab animâ, & intellectu, licèt naturalibus, & juxta Thomistas propriè agentibus *ut quod*, & *ut quo*, per modum causæ principalis: item, sicut intrinseca libertas actus non evadit naturalis à virtute liberâ partim naturali: item, sicut species intelligibilis non est partim materialis, partim spiritualis, quamvis à phantasmate materiali, & ab intellectu spirituali producatur: ita visio beata non est partim naturalis, quàmvis à virtute partim entitative naturali procedat; sed est undique supernaturalis, quia est actus indivisibilis absolutè superans exigentiam, & sufficientiam totius naturæ, prout fert conceptus entis supernaturalis: natura quippe nec visionem unquam potest ut sibi debitam innatè exigere, nec ejus productioni sufficere sine auxilio supernaturali. Quod additur de denominatione sequente debiliorem partem, in primis non est universim verum, sed mille patitur exceptiones: deinde falsum supponit in præsenti, si loquatur de partibus visionis, quæ nullæ sunt. Cur autem visio in naturalitate non sapiat debiliorem partem sui principij, ratio est, quia illius partis naturalitas non cooperatur nisi ut supernaturaliter elevata. Rogo Thomistas, cur substantia, ab accidenti producta, non sapiat debilitatem accidentis? Dicent, rationem esse, quia substantia solùm debet sapere indolem causæ principalis, quæ est alia substantia. Sed iterùm rogo: cur ergo visio beata non sapit naturalitatem intellectus, qui juxta

Tho-

Thomiſtas verè illam producit ut cauſa principalis?

21 Ex his colliges 1., viſionem non minùs intrinſecè ſupernaturalem eſſe, quàm lumen; licèt viſio, & non lumen, oriatur à virtute inadæquatâ entitativè naturali. Ratio: quia ſupernaturalitas conſiſtit in indiviſibili, ſcilicet in ſuperando ſimpliciter ſufficientiam, & exigentiam totius naturæ; quod æquè viſioni convenit, ac lumini. Nec Thomiſtæ diſſentire poſſunt; apud quos viſio intrinſecè pendet ab intellectu tamquam à principio verè activo; & actus charitatis, intrinſecè liber, eſſentialiter ſupponit virtutem naturalem impeditivam ſui; cum tamen lumen, aut habitus, non ita pendeat, aut ſupponat. Colliges 2., ineptè nobis objici, quòd homo, vel Angelus poterit naturæ viribus videre Deũ. Nam hoc abſolutè ſonat, poſſe videre Deum modo naturaliter poſſibili, & ſine gratiæ juvamine, vel poſſe naturæ viribus ſibi relictis, & non elevatis, nec adjutis per vires ſupernaturales. Sic ineptè diceres, poſſe puerum portare mille ferri pondo proprijs viribus, eo quòd habeat vires aliquas partiales, & inchoatas. Et quære ab Adverſarijs, an aptè dicatur, hominem habere potentiam naturalem, & quidem adæquatam, ad videndum Deum, eo quod intellectus juxtà ipſos ſit tota potentia Deum videndi, quia lumen non additur per modum potentiæ?

22 Et hinc colliges 3., nullatenùs favere ſententiam noſtram errori Pelagij, nec Semipelagianorum. Nam Pelagius ad negotium ſalutis æternæ, ſive ad fidem, & opera ſalutaria, naturam per ſe ſufficere dicebat, nec gratiam eſſe neceſſariam, niſi forte ad facilius operandum. Semipelagiani agnoſcebãt gratiæ neceſſitatem ad progreſſum, & conſummationem, non tamen ad exordium ſalutis; naturam quippe ſufficere volebant ſaltem ad initium fidei ſine opitulante gratiâ. Lege D. Thomam *Quodlib. 1. ar. 7.*, & Magn. Auguſtinum *De prædeſtin. Sanct. cap. 2.*, ubi Semipelagian. errorem diſtinctè proponit, ſicut errorem Pelagij in *Epiſt. 90. ad Hilar.*, in *lib. de grat. Chriſt.*, & aliàs ſæpiſſimè. Hujuſmodi errores noſtra ſententia jugulat: concedit enim naturæ virtutem aliqualem ad ſupernaturales actus, cæterùm ita inſufficientem, & ineptam, ut ſibi relicta, & auxilio gratiæ deſtituta, nec ad minimum quidem actum ſupernaturalem valere poſsit. Vide M. Auguſtinum *De grat. Chriſt. cap. 47.*, & invenies, hanc noſtram ſententiam expreſsè approbatam à Doctore gratiæ. Non ita facile ſe expedient Thomiſtæ ab errore Calvini, ut colligi poteſt ex dictis *§. præced.* non cenſoriè, ſed vi conſequentiæ. Nec item pari facilitate repellent errorem Pelagij, ſi concedant, totam *potentiam* ad actus ſalutares eſſe naturalem, ut videntur concedere, ſiquidem activitatem per modum potentiæ non tribuunt habitui, ſed voluntati.

23 *Obiic.* 4. contra probationem noſtram ex vitalitate de-

sumptam : Vitalitas visionis non præcontinetur in intellectu, sed in solo lumine : non ergo indiget immediato influxu intellectus. *Prob. Antec.* 1. : quia vitalitas visionis est supernaturalis, vel est *ipsa* supernaturalitas, & hæc in intellectu non continetur. 2., & ferè in idem recidit : quia visio est vita supernaturalis in actu secundo : ergo ipsi respondet vita supernaturalis in actu primo ; qualem non habet intellectus, ut distinctus à lumine. 3. : quia lumen non agit sub ratione supernaturalitatis ut sic, aliàs posset producere quidquid est supernaturale : ergo agit sub ratione supernaturalitatis vitalis : ergo etiam vitalitas lumini correspondet. *Objectio* probat 1., vitalitatem intellectus, aut liberi arbitrij, de materiali se habere ad actus supernaturales, ac proinde liberum arbitrium in ijs actibus eliciendis se habere *velut inanime quoddam*, contra definitionem Tridentini. Probat 2., actum charitatis, quatenùs est positiva determinatio, & electio, non esse supernaturalem ; quia sub eâ ratione non continetur in habitu, sed in voluntate. Probat 3., intellectum non agere ut causam principalem visionis ; quia continere perfectionem effectus proprium est causæ principalis, ut Thomistæ docent circa productionem substantiæ ab accidenti. Probat 4., lumen verè vivere, & intelligere per visionem ; siquidem est principium verè, & propriè vitale, vitaliterque producens visionem verè, ac propriè, magis quàm intellectus.

24 Dicendum igitur, quòd vitalitas, & tota perfectio visionis præcontinetur virtualiter in intellectu tamquam in causâ partiali : totâ, inquam, non totalitate causæ, sed totalitate effectus. Quando enim effectus indivisibilis oritur à pluribus causis partialibus, totus pendet à singulis ; nam quod partibus caret, totum pendet à quocumque pendet : non tamen totus effectus pendet à singulis totalitate causæ, ideſt, à singulis ut à causis totalibus, quia sic ab unâ pendet totus, ut minimè penderet ab eâ, nisi simul ab alterâ penderet etiam totus. Hinc omnia prædicata visionis realiter producuntur ab intellectu, sed omnia simul etiam à lumine. Id quod loquendo de actibus voluntatis pulchrè docet D. Bernardus *tract. de grat. & liber. arbitr.* propè finem, his verbis : *Non partim gratia, partim liberum arbitrium ; sed totum singula opere individuo peragunt : totum quidem hoc, & totum illa.* Idem patet in actu producto ab specie, & intellectu, vel à voluntate, & habitu adquisito. Porrò continentia visionis in intellectu non est univoca, nec eminentialis, sed purè virtualis, & instrumentaria, quæ non requirit æqualitatem, aut excessum perfectionis, sed reperiri potest in re longè inferiore, ut in accidenti respectu substantiæ, nec non in specie, & habitu adquisito, respectu intellectionis, & amoris.

25 Hinc ad *object. neg. Antecedens*, intellectum de præcontinentiâ purè virtuali tamquam in

causâ inadæquatâ. Ad 1. *prob.* : supernaturalitas visionis continetur etiam in intellectu virtualiter modo dicto ; quia tota visio realiter producitur ab intellectu , ut à causâ partiali , & tota realiter à lumine. Dico *realiter* : nam in sensu formali sola vitalitas visionis intellectui respondere dicitur , & lumini sola supernaturalitas ; quia prædicata visionis perscrutantibus non alio ex capite necessarius apparet concursus intellectus , nisi quia visio vitalis est , nec concursus luminis, nisi quia visio est supernaturalis. Et hinc intellectus dicitur cõcurrere sub ratione vitalitatis , lumen verò sub ratione supernaturalitatis, tamquam sub ratione formali *sub qua* ; licèt simul , & lumen , & intellectus producat quamlibet aliam formalitatem visionis , tamquam rationem formalem *quæ*. Res est clara exemplo speciei , & intellectus concurrentium ad cognitionem naturalem sub diversâ ratione formali. Nec obstat , quòd intellectus non sit entitativè supernaturalis, nec lumen sit vitale : quia ad producendum totum effectum per modum causæ partialis, non requiritur convenientia in omnibus prædicatis , nec æqualitas , aut superioritas ; ut patet in specie non vitali producente cognitionem vitalem, & in alijs exemplis *num. præced.*

26 Ad 2. *prob. dist. Conseq.*: respondet vita in actu primo supernaturalis per identitatem , *neg.*; supernaturalis per elevationem, ideſt , supernaturalizata per comprincipium elevans , *cons. Conseq.*. Satis enim est, quòd visioni respondeat in actu primo principium adæquatum , in quo includantur vitalitas , & supernaturalitas , licèt sine identitate inter se ; cujusmodi est complexum ex intellectu , & lumine. Sic cognitioni , quę est repræsentatio vitalis in actu secundo, non respondet in actu primo repræsentatio identice vitalis, sed complexũ ex specie repræsentativâ , & intellectu vitali. *Dices* : ergo datur in visione formalitas aliqua non reperta in virtute totali, nempe *identitas* vitalitatis , & supernaturalitatis. *Resp.*. Inprimis idem infertur de identitate repræsentationis , & vitalitatis , in cognitione quâvis. Deinde , identitas duplicis formalitatis non est peculiaris formalitas distincta per rationem ab ijs, quas identificat. Demùm, licet peculiaris formalitas sit , sat est , quod reperiatur eminenter , aut æquivalenter in complexo ex intellectu , & lumine ; hoc enim complexum perfectius est , vel saltem non imperfectius visione , quatenùs illam identitatem includente. Nec illa formalitas ex numero earum est, quæ formaliter contineri debent in causâ ; ut in adducto exemplo videre licet.

27 Ad 3. *prob.* : similiter probari posset, speciem non requiri ad cognitionem; quia intellectus agit sub ratione vitalitatis , non qualiscumque , sed repræsentativæ, aliàs producere posset quidquid est vitale. Præterea *dist. 1. cõseq.*: sub ratione supernaturalitatis vitalis realiter, *cons.* ; vitalis formaliter , *neg. cons.*

*Consequ.*. Similiter *dist.* 2. *consequ.*. Itaque in sensu reali supernaturalitas vitalis producitur à lumine, ut ostendimus: in sensu autem formali ratio *sub quâ* lumen agit, non est supernaturalitas vitalis, saltem pro explicito; nec tamen est supernaturalitas indifferens ad vitalem, & non vitalem, sed determinate vitalis, vel pro implicito, vel connexivè; quo modo rugibilitas, licèt non sit formaliter animalitas, est tamen connexivè; non enim est indifferens ad animal, & non animal: quod pariter exemplo repræsentationis vitalis explicari potest.

28 Ad extremum adverte, lumen & intellectum efficere visionem actione unicâ, realiter indivisibili, & utrique communi: quod per se patet, si actus vitalis sit realiter indistinctus à productione sui. Et, quidquid de hac distinctione sit, facile probatur: quia actio intellectus est intrinsecè supernaturalis, cum sit essentialiter connexa cum termino supernaturali: ergo nequit procedere à solo intellectu, sed debet etiam procedere à lumine: ergo lumen verè agit per actionem intellectus: ergo superflua alia insuper luminis actio. *Dices* ex Palanco: nequit eadem actio procedere à virtutibus specie distinctis, & simultaneè concurrentibus sub diversâ ratione formali: tum quia actiones specificantur, ideòque diversificantur ex diversitate principiorum, & rationis formalis *sub quâ*: tum etiam, quia virtutes illæ non constituunt principium per se unum de lineâ operativâ, cum non comparentur ut actus & potentia de lineâ istâ. Sed *contrà* est, quòd *una & eadem actio procedit à primo, & secundo agente*, nempe à Deo, & creaturâ, ut ait D. Thomas 1. *p. q.* 105. *ar.* 5. *ad* 2.: & tamen Deus & creatura sunt principia summè diversa, concurruntque simultaneè sub diversâ ratione formali, nec comparantur ut actus & potentia. Itaque actiones solùm diversificantur ex diversitate principiorum, & rationis formalis, quando aliunde supponuntur, aut probantur numero distinctæ: nec una actio requirit principium per se unum, nisi unitate ordinis, subordinationis, aut coordinationis ad eundem effectum.

## §. IV.

## *POTEST QUODLIBET DIVINITÙS elevari ad quodlibet producendum, quibusdam exceptis.*

29 ITA cum P. Suar. plerique nostrorum, & alij plurimi etiam Thomistæ, quos citat, & sequitur P. Ripalda *t.* 1. *de ent. superm. d.* 40. *f.* 2., contra P. Vazquez, quem sequuntur alij plures è Nostris, & Magistrios Scotistæ. Dixi *quibusdam exceptis*: quia nulla creatura elevari potest ad producendum se ipsam quoad primum esse, nec ad producendum actum essentialiter verum de sui non existentiâ: & generationes excipiendæ sunt, in quibus repugnantia specialis deprehendatur, quæ non sit communis rebus creatis

tis ut plurimùm. Excipiunt aliqui res ſolâ creatione producibiles : ſed immeritò; quia non repugnat, creaturam elevari divinitùs ut inſtrumentum ad creandum, ut alibi dicemus cum P. Suar..

30 *Probatur* Aſſertio 1.: quia Deus facere poteſt quidquid non implicat contradictionem ; & nulla contradictio ſequitur ex eo, quòd elevetur aqua divinitùs ad producendam gratiam , & ſic de alijs. *Dices* cum Adverſarijs , in præſenti non tam diſputari, quid Deus poſsit , quàm quid poſsint creaturæ ? an ſcilicet de facto inſit creaturis omnibus activa potentia obedientialis ad quodlibet ? Hæc autem quæſtio, utpotè non de poſſibili , ſed de facto , & ad creaturas exiſtentes pertinens , decidi non debet ex merâ non repugnantiâ, ſed ex experientiâ , vel ex alijs indicijs, quæ nulla favent affirmativæ parti. *Addes*, quòd extenſio virtutis ad effectus quoſlibet, proculdubiò eſt magna perfectio creaturæ , quæ non debet adſtrui de facto ſine fundamento poſitivo , & urgenti. Sed *contrà* eſt 1., quòd eodem jure vocari poterunt *quæſtiones de facto*, quæ inſtituuntur ſuper capacitate formæ , ut recipiatur divinitùs in materiâ multiplici , vel materiæ, ut plures ſimul formas recipiat , vel naturæ , ut ſimul terminetur pluribus ſubſiſtentijs , vel corporis , ut in pluribus locis ſimul exiſtat , aut cum alio corpore penetretur ; & generatim quæcumque miraculum aliquod circà creaturas exiſtentes concernunt. Et tamen quæſtiones hujuſmodi affirmativè decidùt Adverſarij paſsim ex non repugnantiâ.

31 *Contrà* 2. : quæſtio ſuper extenſione potentiæ obedientialis magis eſt de poſsibili , quàm de facto : inquirit enim , an contradictionem implicet talis actio creaturæ, ut obedientis creatori? Quæ ſi negativè decidatur, eo ipſo quaſi cõſequẽter deciditur affirmativè quæſtio de facto circa potentiã rebus indicam. Explicatur : ideò ex non repugnantiâ hypotheſis rectè infertur, eam contineri de facto ſub potentiâ Dei , quia ſupponitur in Deo potentia ad omne, quod in ſe non implicat contradictionem : ſed etiam in aquâ ſupponitur potentia , ſaltem obedientialis , ad omnem actionem , quæ , ſi conſideretur ut proveniens ab aquâ , non involvit in ſe contradictionem ; nam eo ipſo talis actio non eſt impotens oriri ab aqua : ergo ex non repugnantiâ talis actionis rectè infertur , eam contineri de facto ſub aquæ potentiâ obedientiali. *Dices* : priùs debet probari potentia in aquâ ad talem actionem ; ſi enim non datur potentia in aquâ, proculdubiò contradictionem implicabit actio , ut ab aquâ proveniens. Sed *infero*: ergo in omni quæſtione de poſsibili priùs debet probari potentia in Deo ad talem hypotheſim ; nam ſi ad illam non datur in Do potentia, proculdubiò implicabit hypotheſis. Damnandus eſt igitur uſus omnium, qui priùs probant , hypotheſim in ſe inſpectam non repugnare , ut inde inferant, potentiam in Deo dari ad illam exequendam.

Con-

32 *Contrà* 3.: quæstiones circa potentiam obedientialem directè, vel præcipuè respiciunt amplitudinem Omnipotentiæ Dei, ejusque absoluti dominij supra creaturas: & cum amplitudo Divini dominij metienda sit ex merâ non repugnantia hypothesis, ex eodem capite metienda est creaturæ potentia obedientialis, etiamsi ad quæstionem de facto quodammodò pertineat. Et hinc *probatur* Assertio nostra 2.: quia Divino dominio & Omnipotentiæ tribuenda est omnis amplitudo, & commendatio excogitabilis, ubi non apparet repugnantia: major autem ex terminis amplitudo est Omnipotentiæ, majorque Divini dominij commendatio, quòd possit Deus uti creaturâ quælibet ut instrumento ad quosvis effectus, quàm quòd non possit. Sic, quòd Sol medio calore ut instrumento plures effectus producere possit, quàm possit ignis medio eodem instrumento, valde commendat virtutem Solis supra virtutem ignis. Quò enim aliqua virtus activa est altior, eo potest instrumentum perducere ad altiorem effectum, ut scitè ponderat D. Thomas *q. 6. de pot. ar. 1. ad 18.*, ita concludens: *Unde nihil prohibet, quin natura creata sit in potentia ad aliqua facienda per divinam potentiam, quæ inferior potentia facere non potest. Et ista vocatur potentia obedientiæ, secundùm quòd quælibet creatura creatori obedit.* Dicit *in potentia ad aliqua*, non ad omnia, propter exceptiones *n.* 29. factas: de cætero potentiam istam habet *quælibet creatura*, juxta D. Thomam.

33 Denique *probatur*: quia plures Adversarij concedunt in creaturis potentiam passivam obedientialem ad formam quamlibet, v. g. in aquâ ad recipiendam gratiam, in Angelo ad recipiendum calorem, &c. Non est autem major difficultas in potentiâ activâ. *Dices* potentia passiva non dicit perfectionem, secùs activa. Sed *contrà*: potentia activa purè obedientialis, prout à nobis asseritur, non dicit perfectionem plusquàm transcendentalem, cum fundetur in ratione creaturæ, seu entis creati ut sic; perfectionem autem transcendentalem dicit etiam potentia passiva; non enim convenire potest, nisi enti reali, & positivo. Unde solves quod *n.* 30. objiciebatur de perfectione sine fundamento urgenti non asserendâ. Non enim adstruimus novam aliquam perfectionem specificam, vel quæ magis in unâ, quàm in aliâ creaturâ resplendeat, sed perfectionem generaliter imbibitam in conceptu creaturæ; ad quam asserendam urgens fundamentum est dominium Dei. Non tamen negandum, quòd in intellectu & voluntate specialis perfectio sit potentia obedientialis ad actus supernaturales, tam passiva, quàm activa: quia fundatur, non in generali conceptu creaturæ, sed in proprio conceptu creaturæ rationalis; & quàmvis innatè non exigat tales effectus, ab ipsis tamen connaturaliter exigitur tanquam proprium principium activum, & passivum: quod pariter

dicendum de potentiâ passivâ obedientiali, quæ animæ rationali convenit ad recipiendam gratiam.

## §. V.

## *PRÆOCCUPANTUR ARGUMENTA contraria.*

34 UT contraria argumenta præcaveas, sequentes notationes præ oculis habeto. 1.: quàmvis lignum v. g. ex se virtutem habeat inchoatam, & partialem ad producendum ignem, tamen ea virtus compleri nequit, nec fieri proximè potens, per consortium ignis agentis, aut alterius comprincipij naturalis: quia virtus ligni ad ignem est purè & strictè obedientialis, ac proinde non explicabilis nisi per actionem supernaturalem; & in ordine ad actionem hujusmodi compleri nequit per naturale comprincipium. Sic obedientialis potentia materiæ (quæ tamen non tam strictè obedientialis est) ad plures simul formas recipiendas, exerceri nequit, licèt simul adsint agentia naturalia plurium formarum productiva; quia scilicet ea potentia instituta est ad obediendum Deo ut Authori supernaturali, non verò ad obtemperandum agentibus naturalibus.

35 2.: ex nostrâ sententiâ non sequitur, quòd brutum elevari possit ad videndum Deum, nec lapis ad intelligendum, aut liberè agendum. Nam, ut optimè observat P. Arriaga, brutum elevari ut videat Deum, est elevari ut sit constitutivum intrinsecum hujus denominationis, aut concreti, *videns Deum*: hoc autem fieri nequit, nisi evertatur essentia talis denominationis; quippe quæ constituitur essentialiter ex visione & subjecto rationali, sicut homo constituitur ex materiâ & animâ. Cum ergo Deus invertere nequeat rerum essentias, nequit efficere, ut existat denominatio *videntis Deum* constituta per subjectum non rationale, vel per formam, quæ non sit visio intuitiva Dei; quemadmodùm facere non potest, ut existat homo sine materiâ, vel animâ. Potest itaque brutum, aut lapis, in genere causæ purè activæ divinitùs elevari ad producendam intellectionem, aut visionem Dei, si constitat in qualitate absolutâ, vel etiam ad eam recipiendam: non tamen elevari potest in genere causæ intrinsecæ ad constituendum concretum, *intelligens*, aut *videns Deum*. Sic potest Deus se solo producere visionem, calorem, animam; & tamen nequit esse subjectum constituens cum ijs formis denominationes *videntis*, *calidi*, *animati*. Dixi, *si constitat in qualitate absolutâ*: quia, si visio, vel intellectio sit modus realiter indistinctus à productione sui, non poterit à lapide, vel à bruto produci; nisi fortè possibilis sit actionis actio reflexa, ut cum alijs Adversarijs putat P. Peynado; hâc enim opinione datâ, poterit etiam res quæque divinitùs elevari ad producendas aliarum rerum actiones.

36 Ex dictis inferes, quòd,

si brutum produceret ac reciperet intellectionem, aut amorem, non ageret vitaliter, nec liberè: non vitaliter; quia non ageret cum aptitudine ad constituendam denominationem *intelligentis*, aut *amantis*, adeòque nec *viventis* per tales actus: non liberè; quia denominatio *liberè agentis* essentialiter includit subjectum rationale, quod præsupponatur intelligens. Quare formæ illæ non præstarent tunc suos effectus formales proprios, ac per se, propter incapacitatem subjecti, juxta dicta *disp. 2. c. 2. n. 15.*: quod pariter dicendum de gratiâ divinitùs unitâ lapidi, aut bruto. *Dices*: intellectio à lapide producta, & in eo recepta, foret ab intrinseco, & in intrinseco lapidis: cur ergo non foret lapidi vitalis? *Resp.*: quia id haberet intellectio per accidens, non per se, sive non ex propriâ ipsius actus exigentiâ; quam perfectionem importat conceptus vitæ ex parte termini, vel effectus. Et hinc nec vitalis esset actio directa, vel reflexa, per quam lapis causaret intellectionem; quia, licèt actio ipsa per se penderet à lapide perfectate sui, non tamen perfectate termini.

37 Inferes etiam, corporeos oculos, seu potentiam hominis materialiter visivam, elevari posse ad producèndum visionem Dei, non tamen ad videndum Deum; quia non est potentia intellectiva, quam intrinsecè & essentialiter includit denominatio *Deum videntis*. Similiter potentia visiva divinitùs producere potest auditionem, & auditiva visionem colorís; quin ideò visiva reddi possit audiès, nec auditiva videns, propter eamdem rationem. Suppono distinctionem potentiarum ab animâ: si enim detur adæquata realis identitas, verè in sensu reali potentia visiva intelligit, amat, audit, &c.; non tamen in sensu formali; quia formaliter solùm dicit ordinem ad actus de lineâ restrictâ ad perceptionem lucidi colorati, per quos actus certè non intelligit, nec audit, &c., cum fieri non possit, ut actus, qui solùm est perceptio lucidi colorati, sit perceptio soni, vel Dei, vel alterius objecti, nisi mutet essentiam.

38 3.: licèt sphæra naturalis activitatis cujusque rei limitata sit ad certa genera, vel species effectuum, sphæra tamen activitatis obedientialis extenditur ad omnia, in quibus ut à tali virtute productis nulla implicatur contradictio: quò enim longiùs sphæra ista protenditur, eò magis dominium Dei, & Omnipotentia commendatur; ideòque in ejus sphæræ finibus dilatandis liberales esse debemus. Nec inde inferas, creaturam sibi usurpare sphæram Divinæ activitatis, eo quòd possit agere sub ratione entis ut sic, quæ est sphæra activitatis Omnipotentiæ. Nam in primis creaturæ non correspondet, sicut Omnipotentiæ, ratio entis illimitata, seu quâ latè patet, ut constat ex limitationibus adhibitis *n. 29.*. Deinde ratio entis, ut Omnipotentiæ correspondens, est ratio entis ut producibilis principaliter, aut totaliter, & independenter ab aliâ concausâ; prout

au-

autem creaturæ correspondens, est ratio entis ut producibilis purè instrumentaliter. Sicut ergo intellectus creatus non sibi usurpat sphæram intellectus Divini, quamvis possit attingere quidquid Deus cognoscit, tendatque sub ratione veri & cognoscibilis ut sic; quia scilicet verum ut sic Divino intellectui correspondet ut cognoscibile modo infinito, & cum infinitâ claritate; creato autē nonnisi ut finitè & imperfectè cognoscibile: ita in re nostrâ dicendum.

39 Unde colliges, creaturæ potentiam obedientialem esse infinitam *terminativè*, quatenùs respicit effectus syncathegorematicè infinitos; non tamen esse infinitam *subjectivè*, quia tot effectus non respicit nisi ut virtus imperfecta, inchoata, & instrumentaria. Sic hæc mea cognitio, *omne cognoscibile*, terminativè infinita est, totque respicit objecta, quot scientia Divina; nec tamen est subjectivè infinita, quia modus respiciendi confusus & imperfectus eam deprimit. *Dices*: potentia obediētialis, quam ponimus, non solùm extendi potest ad effectus innumeros, sed etiam ad magis ac magis perfectos sine fine: ergo erit infinitè perfecta. Patet *consequ.*: quia virtus eò perfectior est, quò major est effectus; ideòque virtus potens ad effectum ut quatuor, perfectior est, quàm potens ad effectum ut duo. *Dist. Antec.*: ita ut magis laboret, vel plus virium impendat circa effectus perfectiores, quàm circà imperfectiores, *neg.*; ita ut ad utrosque concurrat æqualiter ex parte sui, *conc. Antec.*, & *neg. consequ.*; cujus probatio locum habet in virtute naturali, præsertim principali, secùs autem in virtute instrumentariâ purè obedientiali; hæc enim totum quasi terminum virtutis æqualiter adhibet ad effectus majores, aut minores, & horum majoritas, aut minoritas, non ipsi, sed causæ elevanti & adjuvanti adscribitur. Sic non offenditur ditior, qui uno terminio concurrit cum alijs ad summam 100. aureorum, quàm si concurrat ad summam 50.: nec plus laborat, qui per vires ut unum portat cum 9. hominibus pondus ut decem, quàm si portaret cum 4. hominibus pondus ut quinque. Et, ut propriùs accedam, intellectus creatus, tametsi finitus, concurrere potest ad visionem Dei magis ac magis clarâ sine fine, si lumen augeatur; quia non plus virium impēdit ex parte sui.

40 4.: potentia obedientialis (maximè quæ non exigitur ab effectu, & quæ vocari potest *transcendentalis* ad discrimen illius, quæ specialiter convenit potentijs animæ ad actus supernaturales intelligendi, & amandi, à quibus per se exigitur) non debet effectum continere formaliter, nec eminenter, ideſt, nec ut causa univoca, nec ut æquivoca principalis, & perfectior, sed tantùm purè virtualiter, & per modum instrumenti elevabilis à superiori agente: qui modus continentiæ, ut sæpe diximus, non requirit in causa similitudinem, aut perfectionis æqualita-

tatem cum effectu, nec formalitatum correspondentiam, aut convenientiam, nisi valdè genericam: imò in præsenti sufficit convenientia in ratione entis ab alio, dummodò non adsit repugnantia ex alijs capitibus, de quibus *n.* 29. Hâc igitur continentiâ porrò virtualitatis inchoatæ, & instrumentalis, verè continet lapis Angelum, calor gratiam, &c.

41 5.: potest etiam aqua divinitùs elevari ad producendum calorem in semetipsâ: quo in eventu calor esset violentus aquæ, quin obstet definitio illa violenti, *cujus principium est foris, passo non conferente vim*; potest enim intelligi de principio, saltem principali, quod etiam tunc foris esset; nec non de passo non conferente vim ex propriâ inclinatione. Nec inde sequitur, aquam habere potentiam sui destructivam immediatè, vel potentiam, quæ sui destructioni coexistat; sed tantùm habere potentiam sui destructivam mediatè, quatenùs est productiva rei causantis, aut exigentis destructionem aquæ, non quidem in sensu composito actionis, quâ procedit ab aquâ, sed in sensu diviso; non enim calor exigeret aquæ destructionem, ut cum actione illâ componendam, sed ab aquâ productus exigeret à solo Deo conservari, atque ita inferre corruptionẽ aquæ.

42 6.: elevatio cujuslibet ad quodlibet fieri potest per auxilium extrinsecum, ut ajunt, idest, per meram assistentiam Omnipotentiæ, supernaturali decreto applicatæ ad concurrendum, absque ullâ supernaturali qualitate intrinsecè receptâ in re elevatâ, atque adeò absque illius intrinsecâ mutatione. Quod maximè dicendum est in elevatione potentiæ obedientialis ad creandum instrumentariè. *Dices*: aqua est intrinsecè impotens producere gratiam: si ergo per elevationem non mutatur intrinsecè, retinet adhuc eamdem impotentiam, elevatione positâ: & alioquin transiret de impotente ad potentem, absque ullâ sui mutatione. *Dist. Antec.*: est intrinsecè impotens producere gratiam se solâ, & sine supernaturali concursu Dei, *conc.*; est intrinsecè impotens producere simul cum ejusmodi concursu Dei, *neg. Antec.*; nam ad hoc solùm est impotens extrinsecè, impotentiâ consistente in carentiâ elevationis, seu applicationis Omnipotentiæ. Tum *dist. Conseq.*: retinet adhuc eamdem impotentiam intrinsecam, *conc.* (nam adhuc, elevatione positâ, manet aqua intrinsecè impotens ut producat se solâ gratiam); retinet eamdem impotentiam extrinsecam, *neg. Consequ.*: auferetur enim per elevationem carentia auxilij extrinseci, quæ aquam reddebat extrinsecè impotentem producere simul cũ Deo supernaturaliter cõcurrente.

43 Non itaque transit aqua de intrinsecè impotente ad intrinsecè potentem, sed tantùm de impotente extrinsecè (non ex defectu totius virtutis, sed ex defectu extrinseci complementi) ad proximè potentem

tem potentiâ extrinsecùs completâ: qui transitus non requirit mutationem intrinsecam, ut patet. Quapropter in aquâ elevatâ denominatio proximè potentis producere grætiam, est partim intrinseca, quatenùs virtutem aquæ partialem & inchoatam importat; partim verò extrinseca, quatenùs dicit consortium Omnipotentiæ actualiter applicatæ; & quoad hoc tantum modò accedit aquæ nova potentia per elevationem. Termini quidem videntur intricati; sed res est clara satis exemplo hominis, qui de se imporens sustinere pondus, quod requirit vires duorum, redditur potens per extrinsecam assistentiam, & applicationem alterius hominis.

# DISPUT. VII.

## *DE CONNEXIONE CAUSARUM CUM possibilitate suorum effectuum.*

DIsputatio ista præcipuè respicit causam primam, sive Omnipotentiam Dei, de quâ celebris controversia est, an connectatur metaphysicè cum possibilitate creaturarum? Connecti unum cum alio, ut nunc sumitur, est non posse unum esse sine alio, sive ut possibili, sive ut futuro, sive ut existenti; prout fuerit connexio: dumque impotentia essendi sine alio non solùm est physica, seu naturalis, verùm etiam metaphysica, sive essentialis, dicitur connexio metaphysica. Non ita connecti Omnipotentiam cum creaturis ut existentibus, certum est: unde solùm quæritur, an ita connectatur cum creaturis ut possibilibus, seu cum earum possibilitate? Duplex creaturarum possibilitas distingui soler: altera extrinseca, consistens in ipsâ Divinâ virtute, à quâ possunt existentiam accipere, & à quâ proinde denominantur extrinsecè possibiles, aut producibiles: alia intrinseca, consistens in intimâ coherentiâ, seu non repugnantiâ prædicatorum creaturæ cujusque, prout scilicet talia sunt, ut, si existant, non implicent contradictionem. De possibilitate extrinsecâ nulla est controversia, cum eam Deus non exigat modò, sed secum identificet: quare de solâ intrinsecâ disceptatur..

Notandum tamen, quòd possibilitas intrinseca non distinguitur ab essentiâ rei, atque adeò nec ab existentiâ, cum hæc ab essentiâ non distinguatur realiter, ut alibi probabimus; unde connexio cum possibilitate intrinsecâ, est connexio cum essentiâ, & existentiâ rei. Verùm tam

tam posſibilitas, quàm eſſentia, & exiſtentia poteſt accipi 1. abſolutè, & exercitè, prout ſcilicet eſt aliquid actu in rebus poſitum; atque ita ſumitur, quoties utimur nomine *exiſtentiæ*, vel *rei exiſtentis*, niſi aliud explicetur: 2. conditionatè, & ſignatè, ſeu objectivè, prout ſcilicet eſt objectum verificans hanc affirmationem conditionatam, *ſi produceretur, non implicaret contradictionem*; & hunc ſenſum reddit nomen *poſsibilitas*, vel *res ut poſsibilis*, indiſtinctè prolatum; eodemque ſenſu ſcientia Dei, quam vocant *ſimplicis intelligentiæ*, terminatur ad creaturas ut poſsibiles. Connecti ergo cum poſsibilitate hominis, non eſt connecti cum eo quòd homo ſit actu ens, aut aliquid, ſed eſt connecti cum eo quòd homo, ſi produceretur, eſſet verum ens, & aliquid non repugnans, ſeu cum eo quòd homo talis ſit, qualis cognoſcitur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Et hinc, quidquid ſit de poſsibilitate intrinſecâ, de quâ nonnulla diſceptatio eſt in Metaphyſicâ, quæſtio in præſenti, ſi lubeat, proponi poterit ſub his terminis, utrùm Omnipotentia connectatur cum eo, quòd ſcientia ſimplicis intelligentiæ circa creaturas, tale habeat objectum, quale nunc habet?

Porrò, datâ connexione, legitimè infertur, Omnipotentia exiſtit, ergo creaturæ ſunt poſsibiles. Cumque ex oppoſito conſequentis ſequatur oppoſitum antecedentis, infertur etiam legitimè, creaturæ non ſunt poſsibiles, ergo non exiſtit Omnipotentia: vel, quod idem valet, ſi creaturæ non eſſent poſsibiles, non exiſteret Omnipotentia. Hinc frequens eſt in hâc controverſiâ uſus hypotheſis impoſsibilis, quo ſcilicet fingitur aliqua hypotheſis (ideſt, conditio, vel ſuppoſitio), quæ reverâ impoſsibilis eſt, ut inde aliquid inferatur, aut affirmetur: v. g. Si homo fieret impoſsibilis (en hypotheſim), deficeret Omnipotentia. Uſus talium hypotheſeon in conditionalibus illativis frequentiſſimus eſt apud Authores ſuper materiâ quâvis; ut cùm dicitur, ſi anima hominis eſſet diviſibilis, non eſſet ſpiritualis; ſi Deus fallere poſſet, non eſſet ſummè verax; ſi eſſet author peccati, non eſſet ſummè ſanctus; &, ut contra Græcos arguebant in Florentinâ Synodo Latini Doctores, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab ipſo.

Sed obſervandum, quòd hypotheſis impoſsibilis, ut ſit utilis ad aliquid inferendum præ ſuo contradictorio, debet non implicare formaliter in terminis, ſive *in adjecto*, ut ajunt, ideſt, in prædicato conflato ex terminis ſe ſe invicem expreſsè deſtruentibus: alioquin ſolùm erit utilis ad inferendum duo ſimul contradictoria. Sic, qui diceret, *ſi homo eſſet rationalis & irrationalis, non diſtingueretur à bruto*; vel, *ſi homo eſſet poſsibilis & impoſsibilis, poſſet produci á Deo*; implicaret in adjecto, & fruſtrà inferret, quòd homo præcisè diſtingueretur à bruto, vel quòd præcisè poſſet à Deo produci; cum potiùs ſequeretur utrumque contradictorium, nempe diſtingui & non diſtingui, poſ-

se & non posse. Atque ita intelligendum est proloquium illud, *Ex impossibili sequitur quodlibet*, scilicet quodlibet ex contradictorijs. Idem est, quando subjectum hypothesis assumitur ut prorsùs invariatum, v. g. *Si homo, manens homo, non esset rationalis*; quod pariter implicat in adjecto, cum perinde valeat, ac *Si homo maneret & non maneret rationalis*. Debet ergo prædicatum hypothesis non conflari ex terminis implicantibus; & subjectum assumi debet ut præscindens à prædicato, quod ipsi aufertur in hypothesi negante, vel à formalitate directè oppositâ prædicato, quod ipsi additur in hypothesi affirmante. Tunc autem rectè inferri poterit unum contradictorium præ alio, nisi Adversarius probet utrumque sequi per mediatas consequentias ex ipsis controversiæ visceribus deductas.

Addo tamen, quòd, dum illatio est permissiva, vel disparata, & conditionatum supponitur inconnexum cum subjecto hypothesis, nihil obest implicatio in adjecto. V. g. si leo & equus supponantur omninò inconnexi, nihil prohibet sic dicere, *Si leo esset & non esset rugibilis, equus verè esset hinnibilis*; quia tota illa hypothesis implicatio permittit veritatem conditionati, seu disparatè se habet. Hinc defensores inconnexionis Omnipotentiæ cum possibilibus, & chymeris, non debent titulo implicationis in adjecto recusare ullam hypothesim, sub quâ inferatur, vel affirmetur, Omnipotentiam invariatam permanere.

## CAP. I.

### *CAUSA PRIMA CONNECTITUR metaphysicè cum possibilitate creaturarum.*

1 ITa cum P. Suar. communior sententia Nostrorum, quos citat, & sequitur P. Peynado *hìc disp.* 3. *n.* 8., & omnes Thomistæ apud Prado *hìc q.* 21. *n.* 20., contra Scotistas communiter, & plures è Nostris cum P. Vazquez *in* 1. *p. d.* 104. *c.* 6.; quorum mens est, Deum ex suis intrinsecis non inferre possibilitatem creaturarum, nec earum impossibilitatem excludere, sed ex se indifferentem esse ad eventum, in quo creaturæ, nunc possibiles, fiant impossibiles, & quæ modò chymeræ sunt, fiant possibiles; quia ex se solùm habet virtutem plenissimam ad producendum quidquid non repugnaverit; an autem hæc, vel illa objecta repugnent, aut secùs, ipse non curat, idest, nec infert, nec impedit. Sed contrà hanc doctrinam

2 *Probatur.* Assertio 1.° Deo convenit Omnipotentia perfectissima, seu quâ perfectior cogitari non possit: sed Omnipotentia metaphysicè connexa cum possibilibus perfectior est, quàm inconnexa: ergo &c.. *Prob. Min.*: Omnipotentia connexa, secum ab intrinseco affert quidquid necessarium est, ut absolute possit operari quandocumque velit; & ab intrinseco excludit omne in-

pos-

dimentum operandi, quod non ab ejus liberâ voluntate proveniat: non sic autem Omnipotentia inconnexa, quæ nec ab intrinseco infert possibilitatem effectus, absdubiò necessariam ad operandum, nec ab intrinseco excludit effectus impossibilitatem, quæ, si detur, impedimentum erit operâdi, prorsus independens à liberâ voluntate Dei. Sed major perfectio est in ratione potentiæ, quòd ab intrinseco afferat, aut inferat quidquid necessarium est ad operandum, & excludat quidquid obstare posset, quàm quòd non ita interat, nec excludat: ergo &c.. Cætera constant, & *Minor* videtur ex terminis nota: quis enim dubitet, quin potentia sit eò major, & excellentior, quò plenius sub proprio arbitrio habet operationem, & minùs obnoxia est impedimentis, & à fortiori si essentialiter excludat obstaculum omne?

3 *Urgetur* 1.: potentia, quæ ex se non resistit, nec repugnat eventui, in quo præter libertatem propriam sit penitùs impedita, & velut catenata ad operandum, imperfectior est, quàm quæ tali eventui resistit essentialiter. At ita se habet Omnipotentia inconnexa, si ad connexam comparetur; siquidem non repugnat eventui, in quo creaturæ omnes aliunde fiant impossibiles, quo in eventu prorsùs impedita esset ad operandum, multò tenaciùs, & ineluctabilius, quàm in homine ferreis vinculis catenato potentia currendi. *Urgetur* 2.: Omnipotentia connexa sibi soli debet, quòd expedita sit ad operandum, quandocumque libuerit: inconnexa verò non hoc sibi unicè debet, sed creaturis etiam, quarum possibilitatem (sine quâ non esset expedita, sed impedita prorsùs) non infert ex propijs meritis, sed quasi aliunde provenientem expectat. Quis autem non videat, hoc posterius ad imperfectionem, & debilitatem potentiæ pertinere? *Explicatur*: Omnipotentia inconnexa perinde non infert, nec sibi debitam facit possibilitatem effectus, ac si talis possibilitas esset in potestate liberâ creaturæ, à Deo non ortâ, nec impedibili: hæc enim est vis inconnexionis, non curare de possibilitate creaturæ, sed permittere, quantum in se est, ut creatura reddatur possibilis, aut impossibilis, sive proprio Marte, sive aliunde. Igitur Omnipotentia inconnexa, quantum in se est, patitur, ut in potestate creaturæ sit reprimere, seu cohibere virtutem ipsius, ne unquam operetur, etiamsi maximè velit. Hoc autem magnam Omnipotentiæ debilitatem arguit: fac enim, creaturam esse liberam, ut se reddat possibilem, vel impossibilem inconsulto Deo: nunquam poterit Omnipotentia quidquam efficere, nisi precariò obtineat à creaturâ, ut se possibilem esse patiatur.

4 Certè, potentia nihil efficere potens, nisi sub conditione quòd alter velit, aut permittat, proculdubiò est admodùm imperfecta, & alteri subordinata: ergo

potentia ex se indifferens ad eventum, in quo nihil possit efficere, nisi sub eâ conditione, indifferens est ut cum magnâ imperfectione subordinetur alteri. Sic autem se habet Omnipotentia inconnexa; cum ex se non repugnet eventui, in quo possibilitas omnium creaturarum dependeat ab aliquâ libertate à Deo distinctâ, & independente. Chymerica quidem est libertas ista: sed Omnipotentia juxta Adversarios non repugnat eventui, in quo chymera omnis fiat possibilis, saltem ijs exceptis, quæ directè & immediatè opponuntur alicui prædicato Divino, cujusmodi est v. g. mendacium divinum, seu revelatio falsa, quæ immediatè opponitur veracitati Dei. Libertas autem, seu potestas reddendi creaturas omnes impossibiles, inconsulto Deo, nulli prædicato divino directè opponitur. Quod si neges, cedo cuinam? Nam Omnipotentiæ non aliter opponitur, nisi quatenus illi subtrahere valet possibilitatem effectuum: hæc autem nulla est oppositio, si, ut contendis, Omnipotentiæ nihil detrahitur ex eo, quòd omnis creatura fiat impossibilis. *Dices* forsàn, potestatem illam, à Deo independentem, fore Deum alterum, ideòque directè opponi unitati Dei. Sed frustrà id dices: nam inprimis illa potestas non foret Deus alter, cum non sit proprium Dei facere de possibilibus impossibilia, vel è contrà. Deinde, licèt potestas illa foret opposita unitati Dei, non tamen ejus Omnipotentiæ formaliter ut tali, cum nihil faceret contra conceptum Omnipotentiæ, prout à te expositum: hoc autem mihi sufficit, ut probem, Omnipotentiæ conceptum ex doctrinâ tuâ non repugnare, nec resistere subordinationi ad alterum.

5 Et hinc *probatur* Assertio 2.: inconnexio cum possibilibus destruit, vel minuit valdè perfectionem plurium attributorum Dei, cujusmodi sunt dominium, seu potestas dominandi, libertas, justitia, misericordia, liberalitas, quæ nequeunt explicari, seu exerceri, nisi erga creaturas. Patet assumptum: nam, connexione sublatâ, Deus est ab intrinseco indifferens ad eventum, in quo nulla creatura fit possibilis: ergo est indifferens ad eventum, in quo nulli rei possit absolutè dominari, & in quo non sit absolutè liber, nec absolutè potens justa decernere, nec misereri, nec benefacere; non enim tunc hujusmodi potestas in Deo esset absoluta, sed purè conditionata juxta Adversarios, sub conditione scilicet, quòd creaturæ redderentur possibiles, quæ conditio non esset à Deo illata, nec inferibilis: ergo nec de facto Deus est ex se, & ex proprijs meritis, plusquàm conditionatè liber, & potens dominari &c.: Deus enim juxta Adversarios nihil aliud nunc habet ab intrinseco, quàm haberet, si nulla creatura esset possibilis. Arqui libertas purè conditionata, maximè sub conditione à se non dependente, similisque potestas dominandi, benefaciendi, mi-

miserendi &c., multò imperfectior est, quàm absoluta, ut patet, tum ex communi sensu; tum exemplo libertatis, & potestatis humanæ; tum quia libertas, eo modo conditionata est libertas impedita, & ligata, impotens que proprio Marte fieri expedita, consequenter que magis dicenda est non libertas, quem admodùm dicitur non liber ad audiendum sacrum, qui vel carcere detinetur, vel non habet copiam sacerdotis celebrare volentis. Multùm ergo deprimitur eorum perfectio attributorum, connexione sublatâ.

6 *Urgetur* 1.: datâ inconnexione, Deus est intrinsecè indifferens ad eventum, in quo detur potestas, à se independens, destruendi possibilitatem creaturarum, ut paulò antè vidimus: ergo est intrinsecè indifferens, ut se inconsulto possit alia potestas ipsum privare officio, & exercitio Domini, Judicis, Benefactoris &c.: exercitio quidem, ut est clarum: officio pariter; nam officium Regis, cui subditi sint impossibiles, & officium Judicis, aut Benefactoris, cui chymericum sit judicare, aut benefacere, frivolum videtur, & nugatorium. *Urgetur* 2.: ex terminis absurdum est, quòd Deus ab intrinseco sit indifferès, ut sibi ab extrinseco præcludantur fontes misericordiæ, & beneficentiæ, ita ut non maneat liber ad ullum inde rivulum derivandum: Sic autem Deus erit indifferens, si ex se non resistat impossibilitati creaturarum: ex hac enim impossibilitate sequeretur, Divinæ misericordiæ, ac beneficentiæ fontes manere ab extrinseco penitùs occlusos absque ullâ Dei libertate, sive ad effluēdum in sensu composito impedimenti, sive ad impedimentum ipsum auferendum. *Urgetur* 3.: Fide credimus, Deum posse quidquid vult; & hunc fidei articulum Deus ipse ab intrinseco verificat; non enim in eo articulo credimus aliquid à Deo distinctum: at non illum Deus ab intrinseco verificabit, si est ab intrinseco indifferens ad eventum impossibilitatis creaturarum; sic enim ab intrinseco permitteret eventum, in quo nihil ad extrà velle posset, ac proinde in quo falsificetur articulus ille fidei, utpotè de subjecto non supponente quoad illud, *quidquid vult*.

7 Ex dictis robur accipiet communis alia *probatio*: quòd scilicet, si Deus esset intrinsecè indifferens ad impossibilitatem creaturarum omnium, esset indifferens ad eventum, in quo nihil producere posset, cum nihil tunc esset producibile: ergo esset intrinsecè indifferens ad eventum, in quo amitteret Omnipotentiam, seu in quo non esset Omnipotens, sed nullipotens. Communis Adversariorum responsio est, quòd in eo eventu non deficeret Omnipotentia, nisi secundùm denominationem *absolutè potentis*, quæ denominatio non est adæquatè intrinseca Deo, sed constituitur partim ex possibilitate creaturarum Deo extrinsecâ, tamquam ex conditione prorsus necessariâ, ut Deus dicatur absolutè potens operari ad extrà: quare solùm est intrinseca

Deo

Deo potentia sufficientissima, quantum in se est, ad producendum quidquid non repugnaverit; seu, quod in idem recidit, potentia ex se sufficiens ad producendas creaturas omnes, imò, & chymeras, sub conditione quòd nõ repugnẽt; quæ vocari poterit potẽtia quoad sufficientiã, non quoad efficaciam. Verùm hæc responsio *rejicitur* 1. ex dictis in 1. & 2. probatione, ubi ostendimus, potentiam, quæ non est ab intrinseco absolutè potens operari quandocunquè velit, nec excludit impedimenta sibi non libera, sed potiùs finit se impediri, & quasi catenari ab extrinseco, non esse perfectam, nec Deo dignam: item, potentiam purè conditionatam sub conditione à se non illãta, nec dependente, multùm deprimere libertatem, dominium, & alia Dei attributa.

8 *Rejicitur* 2.: deficientibus possibilibus, Deus non magis posset creaturas producere, quam nunc potest chymeras, ut Adversarij concedunt: sed nunc non habet ex se veram potentiam, & sufficientiam ad producendas chymeras, etiam sub conditione quòd fierent possibiles: ergo nec tunc ad producendas creaturas: ergo deficeret tunc omnis vera potentia, & sufficientia Dei ad operandum. *Prob. Min.* respectu termini essentialiter improducibilis, repugnat vera potentię sufficientia sub conditione, quam ipse terminus reddit essentialiter impossibilem: sed talis est potentia producendi chymeram sub conditione quòd fiat possibilis: ergo &c. *Prob. Maj.* 1.: quia non aliã ratione repugnat modò vera sufficientia causandi, vel destruendi Deum sub conditione quòd Deus fiat causabilis, aut mortalis. Unde communiter concedunt Adversarij, Deum connecti cum impossibilitate rei potentis ipsum causare, vel destruere, quia scilicet Deus est essentialiter incausabilis, & immortalis. 2.: quia producibilitas termini arguit non repugnantiam potentiæ productivæ; ideòque possibilitas creaturarum connectitur cum omnipotentiã, ut ferè omnes asserunt; & idcircò etiam juxta Adversarios Deus connectitur cum impossibilitate mendacij à se profecti, quia si esset possibile, argueret in Deo potentiam mentiendi: pariter ergo improducibilitas termini arguit repugnantiam potentiæ productivæ. Patet *Consequ.*: quia ita se habet improducibilitas ad impotentiam producendi, sicut producibilitas ad potentiam productivam; nec major est ratio, cur repugnet producibile sine productivo, quàm productivum sine producibili; quemadmodùm æquè repugnat producens sine producto, ac productum sine producente; quia utrobique militat lex correlativorum.

9 3.: quia repugnat, præsertim Deo, potentia operandi ligata per impedimentum metaphysicè impotens auferri, vel præcaveri: talis autem est potentia producendi chymeram sub conditione possibilitatis, propter impedimentum essentialis repugnantiæ termini. *Urgetur*: repugnat Deo potentia operandi sub

sub conditione, quam Deus ipse reddat essentialiter impossibilem: ergo, & sub conditione, quam terminus essentialiter impossibilem reddat. *Antecedens* constat: tum quia ideò repugnat Deo potentia conditionata mentiendi sub conditione possibilitatis mendacij, quia Deus ipse conditionem istam repugnantem reddit: tum etiam, quia si Deus connecteretur cum impossibilitate chymeræ, nullatenùs posset illam producere, quia conditionem possibilitatis Deus ipse redderet impossibilem. *Consequentia* verò recta videtur: 1. quia tam chymericum est potentiam reduci ad actum, ipsa que tam insolubiliter ligata est, in uno, quàm in alio eventu: 2. quia minùs dedecet Deum potentia impedita ab intrinseco, sive à Deo ipso, quàm potentia ab extrinseco impedita per impedimentum æternum, essentialiter insolubile, neque ullâ ratione profectum à virtute Dei.

10 Ex quibus inferes, Deum connecti cum impossibilitate chymerarum omnium; quia ab intrinseco infert, impossibile esse quidquid ipse producere non potest. Concedunt Adversarij ferè omnes, Deum connecti cum ijs chymeris, quarum impossibilitas immediatè fundatur in aliquo divino prædicato, v. g. Deum connecti cum repugnantiâ plurium Deorum, quia est essentialiter *unus*, cum repugnantiâ peccati divini, quia est summè *sanctus*, cum repugnantiâ divini mendacij, quia est summè *verax*, & cum repugnantiâ causæ potentis ipsum causare, perimere, vel immutare, quia est essentialiter *incausabilis*, *immortalis*, & *immutabilis*: negant tamen ita connecti cum alijs chymeris, v. g. cum hircocervo. *Sed verò*, si ex impotentiâ Dei ad mendacium resultat connexio cum impossibilitate mendacij, resultabit pariter cum impossibilitate chymerarum omnium ex impotentiâ Dei ad eas producendas, quam nuper ostendimus. *Adde* 1., quòd in ejusmodi chymeris instâcar pleraque adversariorum argumenta. *Adde* 2., quòd eodem jure, quo ponitur in Deo potentia ad producendum hircocervum sub conditione quòd fieret possibilis, poterit etiam in Deo poni potentia mentiendi sub conditione quòd mendacium non esset indecens, nec rationi contrarium. Si dicas, conditionem istam destruere essentiam mendacij, ac ipsum exarmas; nam etiam conditio possibilitatis absolutè destruit essentiam hircocervi. *Adde* 3., quòd nulla ratio est, cur impotentia magis inferat terminum impossibilem, quàm potentia terminum possibilem: si ergo Deus infert impossibilitatem sui mendacij, quia est summè impotens mentiri, cur non inferat possibilitatem creaturarum, quia est summè potens eas producere?

11 *Rejicitur* 3. ratione, quam ex P. Ribadeneyra sumit, & promovet P. Peynado: juxta doctrinam responsionis, Deo est intrinseca potentia conditionata producendi hominem sub conditione possibilitatis, non verò sub conditione impossibilitatis, quâ homo sit chymera: ergo Deus ingeniosè infert distinc-

tinctionem possibilitatis hominis ab impossibilitate chymeræ; nam posse sub unâ conditione, & non sub aliâ, non stat sine distinctione unius ab aliâ. Sed possibilitatem hominis (quæ ab ejus essentiâ non distinguitur, ut in limine prænotavimus) distingui ab impossibilitate chymeræ, est non esse chymericam, nec implicare contradictionem: ergo Deus ab intrinseco infert, possibilitatem hominis talem esse, qualis de facto est. Idem argumentum fieri potest in cæteris creaturis. *Dices*: Deus ab intrinseco non infert, possibilitatem hominis de facto distingui à chymerâ, cum non inferat, hominem de facto esse possibilem; sed duntaxat infert, distinctam fore, si daretur. *Contrà*: eatenùs homo (loquor de purè possibili) nunc est possibilis, quatenùs, si daretur, esset distinctus ab omni contradictione, seu chymerâ; nec alio sensu volumus Deum connecti cum possibilitate hominis: ergo Deus inferens, possibilitatem hominis, atque adeò essentiam ejus, si daretur, distinctam fore à chymerâ, infert possibilitatem hominis, qualem intendimus.

12 *Repones*: Deus non infert, quòd possibilitas hominis distingueretur à chymerâ, si daretur exercitè, & absolutè, sed tantùm si daretur objectivè, seu conditionatè, idest, si tale esset objectum, de quo verè dici posset, *Si existeret, non implicaret contradictionem*. Sed hæc evasio, quam non impugnat, nec affert P. Peynado, rejicitur sic: Deus infert, quòd ipse à suo intellectu cognoscatur potens sub conditione possibilitatis potiùs, quàm impossibilitatis: ergo infert, quòd à suo intellectu statim concipiatur possibilitas ut objectum distinctum ab impossibilitate, seu quòd ab eâ discernatur intentionaliter, & objectivè: si enim intellectus nullum discrimen sibi proponat inter utrâque conditionem, quomodò poterit cognoscere, Deum posse sub unâ potiùs, quàm sub alterâ? Sed nequit possibilitas ita concipi, & objectivè discerni, nisi concipiatur ut existens saltem conditionatè, sive ut objectum, de quo verè dicatur, *Si existeret, non implicaret contradictionem*; non enim alius est modus distinctionis à chymerâ, nisi per veram existentiam, saltem conditionatam: ergo Deus infert possibilitatem, saltè ut objectivè, & conditionatè positam. *Urgetur*: Deus infert, possibilitatem concipi ut à chymerâ distinctam saltem pro casu positionis conditionatæ: sed nequit ita concipi, quin concipiatur etiam distincta pro casu positionis absolutæ, ut patebit consideranti: ergo &c.

13 Nonnulli ex Adversarijs, quibus potentia conditionata sub conditione impossibili difficilis apparet, dicunt, deficiente possibilitate creaturarum, mansuram Dei omnipotentiam quoad entitatem, non tamen quoad denominationem *potentis*; eo ferè modo, quo scientia Dei de existentiâ Mundi eadem esset quoad entitatem, si Mundus non existeret, & tamen nòn denominaret Deum *scientem* existere Mundum. Verùm hæc doctrina inprimis non vitat potentiam, seu capaci-

citatem conditionatam sub conditione impossibili. Nam Deus, etsi ponatur intrinsecè separabilis à denominatione *potentis*, saltem est intrinsecè capax talis denominationis, cum illam habeat de facto; quemadmodùm, licèt sit intrinsecè separabilis à denominatione *scientis existentiam Mundi*, hujus denominationis intrinsecè capax est. At, si possibilia fierent chymerica, Deus non esset intrinsecè capax ad denominationem *potentis*, nisi sub conditione impossibili, quòd scilicet chymeræ fierent possibiles; sicut modò nó aliter est capax denominationis *potentis* respectu chymerarũ: ergo &c.

14 Deinde doctrina illa ponit Deum ex se indifferentem ad eventum, in quo nullatenùs denominetur *potens*, ac proinde in quo verè dicatur *omninò impotens*, & *infœcundus*, amictatque magnifica nomina *Causæ primæ, fontis*, & *originis* rerum omnium, & consequenter in quo non verè nominetur *liber, justus, misericors, liberalis, potens dominari*: quæ omnia, & extermínis absurda videntur, & contra mentem orthodoxorum, qui ejusmodi attributa sub propriis nominibus intrinsecas esse Dei perfectiones intelligunt non minùs, quàm denominationes *sancti, boni, æterni*, &c. Ratio à priori est: quia potentia (idem intellige de libertate, & cæteris nunc enumeratis) in ratione talis numeratur inter perfectiones, quas vocant simpliciter simplices, quæ scilicet semper meliores sunt ipsæ, quàm non ipsæ: quis enim dubitet, quin melius & æstimabilius sit ex terminis esse potentem operari, quàm impotentem? At omnes perfectiones simpliciter simplices juxta sanam Theologiam sunt Deo intrinsecæ, & ab ipso essentialiter inseparabiles. Unde colliges, Deum ab intrinseco habere quidquid est necessarium ad constituendam denominationem *absolutè potentis*, sicut habet quidquid necessarium est ad denominationem *sancti*. Quare denominatio illa non constituitur per intrinsecam possibilitatem creaturarum, licèt eam essentialiter inferat; sicut denominatio *sancti* non constituitur per intrinsecam impossibilitatem peccati, licèt illam inferat essentialiter. Vide dicta *disp. 3. c. 5. n. 10. & seqq.*

15 Exemplum de scientiâ Dei contingenti circa Mundum, importunum est. Tum quia denominatio *scientis* hoc objectum contingens præ oppositio, à nemine dicitur perfectio simpliciter simplex. Tum quia in denominationibus *liberè volentis*, & *scientis* objecta contingentia, Fide cogimur admittere defectibilitatem, seu potiùs impedibilitatem quoad denominationem: nihil autem cogit aliò transferre tanti mysterij difficultatem. Tum præcipuè, quia denominatio *scientis existentiam Mundi*, si deficeret, satis compensaretur per denominationem *scientis non existere Mundum*; sicut etiam denominatio *liberè volentis*, per denominationem *liberè nolentis*: at denominatio *potentis omnia*, quomodò compensabitur per denominationem *nihil poten-*

*tis* ? Et hinc retorquetur exemplum : nam intellectus Divinus, licèt indifferens ut denominetur vel *fciens dari Mundum*, vel *fciens non dari*, non eſt tamen indifferens ut careat omni denominatione *fcientis*, dicaturque penitùs *infcius* rerum omnium : quod pariter evenit in Divinâ voluntate, quatenùs liberâ quaſi in actu primo. At Adverſarij ſibi fingunt Deum ex ſe indifferentem ut careat omni denominatione *potentis*, utque verè dicatur *nihil potens* producere, nec liberè velle.

16 Cum ſolutione nunc impugnatâ coincidit duplex alia, quam tradit M. Manſo. *Altera*, quòd, deficientibus poſsibilibus, deficeret Omnipotentia quoad obliquum, non quoad rectum: ideſt, deficeret creaturarum poſſibilitas, quam de obliquo importat denominatio *potentis*, non tamen deficeret intrinſeca Dei perfectio, quam illa denominatio dicit in recto. *Altera*, quòd poteſt Omnipotentia ſupponi virtualiter indiſtincta ab intellectu, & voluntate, & à potentijs generativâ & ſpirativâ in Trinitate : quo poſito, ex defectu poſsibilium ſolùm deficeret denominatio *potentis ad extrà*, quæ eſt ſecundaria denominatio, ſeu effectus formalis ſecundarius Omnipotentiæ ; non tamen deficeret denominatio *infinitè potentis ad intrà*, quæ eſt primaria Omnipotentiæ denominatio, ſeu primarius effectus formalis. *Utraque* ſolutio ſupponit Deum ex ſe indifferentem, ut careat omni denominatione *potentis ad extrà*: quare utraque facilè impugnabitur ; tum ex primâ & ſecundâ probatione noſtrâ ; tum ex dictis contra ſolutionem præcedentem. Certè ( quidquid ſit de primariâ vel ſecundariâ denominatione ) , quòd Deus ſit ab intrinſeco indifferens, ut ſibi ab extrinſeco ligetur inſolubiliter potentia operandi ad extrà, utque ſibi penitùs præcludantur fontes omnis beneficentiæ, ac miſericordiæ, necnon ut ſibi ab extrinſeco auferatur omnis uſus propriæ libertatis, & poteſtatis denominativæ : hoc, inquam, ſine imperfectione à Deo alieniſsimâ concipere neſcio.

17 Denique ſubjungo breviter duas alias noſtræ ſententiæ probationes. *Prima* ſit : Deus ab intrinſeco infert, impoſsibilem eſſe identitatem hominis cum chymerâ : ergo ab intrinſeco infert, poſsibilem eſſe diſtinctionem hominis à chymerâ : ergo ab intrinſeco infert, eſſentiam hominis eſſe poſsibilem. Utraque conſequentia legitima eſt, ut conſideranti liquidum erit. *Prob. Ante.* : Deus habet impotentiam intrinſecam efficiendi, ut homo identificetur cum chymerâ ; nemo enim in Deo agnoſcit potentiam faciendi, ut poſsibilia ſint impoſsibilia, vel è converſo : ſed illa impotentia infert ab intrinſeco, impoſsibilem eſſe identitatem hominis cum chymerâ : ergò &c. *Prob. Min.* : ex impotentiâ Dei ad aliquem terminum, rectè infertur impoſsibilitas termini. Quod patet 1. paritate men-

mendacij divini, cujus impossibilitas rectè infertur ex impotentiâ Dei ad mentiendum. 2.: quia possibilitas termini legitimè infert potentiam Dei ad illum; ideòque possibilitas creaturarum connectitur cum Omnipotentiâ, ut fatentur passim Adversarij: ergo, cum ex opposito consequentis legitimè inferatur oppositū antecedentis, ex impotentiâ Dei ad aliquem terminum legitimè infertur ejusdem termini impossibilitas. Nec dicas, Deum ex se habere potentiam ad illam identitatem sub conditione quòd sit possibilis. Nam hoc est dicere, potentiam in Deo esse ad identitatem hominis cum chymerâ sub conditione quòd non sit identitas cum chymerâ: quod, ut vides, ridiculum est. Hæc ratio æquè probat connexionem Dei cum quolibet possibili, & cum chymerâ quâlibet ut impossibili.

18 *Altera probatio*, & satis communis, sit: Deus virtualiter eminenter continet hominem; quæ continentia in eo consistit, quòd Deus sine imperfectione & limitatione contineat quidquid est perfectionis in homine (idem puta de cæteris creaturis), & aliunde de fœcunditatem habeat ex se sufficientem ad hominem producendum: nec dubium, quin continentia ista, sive dicatur terminativè conditionata, sive secùs, subjectivè sit absoluta, & cum Deo identificata. Sed hujusmodi continentia necessariò infert, hominem non esse chymeram: ergo infert, hominem esse possibilem, adeòque cum ejus possibilitate connectitur. *Prob. Min.*: ejusmodi continentia continet hominem potiùs, quàm chymeram; alioquin Deus, sicut est eminenter homo, ita esset eminenter chymera; quod absonum est: sed non potiùs contineret hominem, quàm chymeram, si non inferret, hominem à chymerâ distingui: ergo, &c. *Urgetur* 1.: continentia illa facit, Deum esse eminenter id, quod homo esset formaliter, si existeret: sed facere non potest, ut Deus sit eminenter implicans contradictionem: ergo permittere non potest, ut homo, si existeret, esset formaliter implicans contradictionem; quod est excludere impossibilitatem hominis.

19 *Urgetur* 2.: Deus nullo modo continet chymeram ut talem: unde vel Adversarij dicunt, potentiam Dei non extendi ad chymeram, nisi sub conditione quòd fiat possibilis, ideſt, sub conditione quòd definat esse chymera: & licèt aliqui Recentiores anonymi apud P. Hemelman oppositum dicere videantur, id tamen esse contra communem sensum SS. Patrum, Theologorum, & Philosophorum, planè ostendit P. Peynado *cit. disp. 3. n. 26.*. Deus ergo necessariò infert, id, quod continet, distingui à chymerâ quâ tali: cum ergo contineat eminenter hominem, hunc à chymerâ quâ tali distinctum necessariò infert. *Urgetur* 3.: Deum continere eminenter hominem, est habere perfectionem ab homine participabilem

verè, seu non chymericè : ergo in eâ continentiâ fundatur, seu radicatur hæc veritas, *Si perfectio Dei participaretur ab homine, non chymericè participaretur.* Sed veritas ista est ipsa possibilitas hominis, vel eam significat: ergo &c.

20 Ex hucusque dictis planè deducitur, Deum metaphysicè connecti cum possibilitate omniû creaturarum, & impossibilitate chymeratum omnium, non solùm in communi, sed etiam in particulari. Tum quia Deus ad nullam creaturam, vel chymeram, potest habere potentiam impeditam, vel ex se impedibilem ab extrinseco, nec conditionatam sub conditione impossibili. Tum quia essentialiter infert distinctionem singulorum possibilium à singulis chymeris, & è converso, cum eorum inter se identitatem efficere non possit. Tum etiam, quia si vel una chymera fieret possibilis, Deo adveniret nova continentia, novaque potentia intrinseca, quam modò non habet: &, si vel una creatura fieret impossibilis, Deo deficeret aliqua vera potentia, & continentia, quam modò secum identificat: Deus autem essentialiter excludit eventum, in quo ipsi vel accedat nova perfectio intrinseca, vel deficiat ea, quam secum identificat in præsenti.

21 *Dices*: non deficit potentia, nisi deficiat ejus terminus formalis primarius, seu ratio formalis *sub quâ*: sed, etsi deficeret possibilitas formicæ, non ideò deficeret potentiæ Divinæ ratio formalis *sub quâ*, nempe ratio entis ut sic: ergo &c.. *Resp.*. In primis potentiæ Divinæ non correspondet à parte rei ulla ratio formalis præcisa, vel abstracta, cum nulla talis detur, aut dari possit à parte rei: nec aliter Omnipotentia tendit sub ratione entis, nisi quatenùs essentialiter habet extendi posse ad omne individuum, de quo verificatur esse ens, inclusâ etiam formicâ. Si autem formica fieret impossibilis, jam Omnipotentia non posset extendi, ut nunc, adeòque non esset eadem, quæ nunc. Deinde potentia Dei tam est intrinsecè productiva formicæ secundùm rationem specificam, vel individualem, quàm secundùm rationem entis: ergo tam deficeret ex defectu possibilitatis unius, quàm alterius. Denique, ne in vocibus hæreamus, omissâ *Maj.*, *neg. Min.*: quia ratio formalis *sub quâ* Omnipotentiæ, non est ratio entis utcúque, sed ratio entis ut contrahibilis ad omnia inferiora nunc possibilia, nullo excepto: quæ ratio in eâ hypothesi non maneret eadem, ut patet.

## CAP. II.

### *CONTRARIA ARGUMENTA diluuntur.*

1 UT objectiones ferè omnes instentur, præ oculis habendum est 1.,quòd Deus connectitur cum earum impossibilitate chymerarum, de quibus *cap. præc. n.* 10., ut fatentur Adversarij passim; neque ullâ ratio-

tione negari potest, ut efficaciter ostendit P. Peynado *cit. disp. 3. n. 35. & seq.* Quis dubitet, quin Deus ex suis præcisè prædicatis intrinsecis excludat eventum, in quo ipse non esset essentialiter *unus*, aut *sanctus*? Talis autem esset eventus, in quo non repugnaret alter Deus, aut peccatum divinum. 2., quòd Deus etiam connectitur cum his veritatibus objectivis: *Possibilitas hominis, si daretur, non esset impossibilitas: Possibilitas rerum potius, quam impossibilitas, si detur, denominat Deum absolutè potentem: Homo, si fuerit possibilis, erit producibilis à Deo, &, si chymera fuerit, improducibilis.* Constat hoc ex Adversariorum doctrinâ *cap. præc.* relatâ. 3., quòd similiter Deus connectitur vagè cum possibilitate, vel impossibilitate rerum, seu cum hac veritate objectivâ: *Creaturæ vel sunt possibiles, vel sunt impossibiles*: ab hac enim pendet juxta Adversarios, quòd Deus sit, vel non sit absolutè potens operari ad extrà: & repugnat, Deum existere, quin sit vel absolutè potens, vel non absolutè potens.

2 *Objic.* 1.: ex connexione Dei cũ possibilibus plura sequũtur absurda: ergo rejicienda est talis connexio. *Prob. Antec.* 1.: quia sequitur contra Scripturam, & Patres, Deum dependere à creaturis, ijsque indigere, siquidem sine illis ut possibilibus nequit existere. Et hinc Deus non erit sibi sufficiens, cum ad suam existentiam, atque adeò ad suam fælicitatem indigeat possibilitate creaturarum. 2.: quia Deo inerit ordo, seu relatio transcendentalis ad possibilia: unde Deus ex se ordinabitur ad creaturas. 3.: quia Deus à creaturis specificabitur. 4.: quia veritas hæc, *Formica est possibilis*, non minùs erit necessaria, quàm ista, *Deus existit*, siquidem ista deficeret, illâ deficiente; quod est contra communem sensum, & contra doctrinam D. Thomæ dicentis, *Ea sunt maximè necessaria, quæ sunt maximè entia.* 5.: quia Deus connectetur etiam cum possibilitate peccati à creatura parrabilis, eritque proinde necessariò alligatus termino, quem odio prosequitur. 6.: quia Beati, videntes Omnipotentiam, in eâ videbunt cuncta possibilia, atque adeò comprehendent Omnipotentiam. *Confirmat.*: Omnipotentia inconnexa perfectior est, & Deo dignior. Tum quia magis est independens à creaturis, scilicet non solum à creaturis ut existentibus, sed etiam ut possibilibus. Tum quia magis est indefectibilis, cum etiam pro eventu impossibilitatis creaturarum deficere non possit. Tum quia majorem habet virtutis ampliudinem, cum & ex se possit producere chymeras, & posset etiam ex se producere creaturas, tametsi fierent impossibiles.

3 Ad *objecti. neg. Antec.*. Ad 1. *prob.*. Deus inprimis non dependet à creaturis ut existentibus: deinde nec ab earum possibilitate dependet, tamquam à causâ, vel complemento sibi proprio, &

& intrinseco : & hanc solam independentiam Deo attribuunt Scriptura & Patres. Solùm ergo Deus connectitur cum creaturis ut possibilibus, tamquam cum termino extrinseco, quem essentialiter infert, non ut ab ipso perfectionem accipiat, sed ut ipsi perfectionem impertiat, cùm voluerit. An autem connexio, sic intellecta, vocari possit *dependentia*, vel *indigentia*, quæstio est de nomine. Plures scrupulum cotemnunt, dummodò constet locutionis sensus. Alij tamen (& , me judice, rectiùs) *dependentiæ*, & *indigentiæ* vocabulum respuunt : quia non omnis connexio, etiam metaphysica, recurrit cum dependentiâ, vel indigentiâ, ut cernere est in essentiali connexione Personarum Divinæ Trinitatis inter se, quæ tamen non invicem dependent, nec propriè indigent : quod item patet in essentiali connexione Dei cum impossibilitatibus, & veritatibus objectivis, notatis *n.* 1., à quibus non pendet Deus; vel, si pendet, cur à creaturarum possibilitate pendere nequeat? Itaque *unum non posse existere sine alio*, non est propriè dependere, nec indigere, nisi quando illud aliud requiritur ut causa, vel complementum intrinsecè perfectivum, vel saltem ut terminus distinctæ naturæ actu existens; quod in præsenti non accidit.

4 Nec ex connexione sequitur, quòd Deus non sit sibi sufficiens: nam possibilitas creaturæ non requiritur ad existentiam, aut felicitatem Dei, per modum termini veræ indigentiæ, id est, per modum causantis, vel intrinsecè constituentis Deum in ratione existentis, aut felicis; sed unicè per modum extrinseci connotati, seu termini purè extrinseci, quem ipse Deus infert ut à se perfectibilem. Quare Deus habet *à se* & *in se* quidquid est formaliter sua existentia, suaque felicitas (nam hæc nota consistit in perfectionibus Divinis); & aliunde ex se etiam, & ab intrinseco infert, absque alterius juvamine, quidquid ad eam necessarium est per modum puri connotati extrinseci. Quænam autem major sufficientia? Multò apparentiùs ex inconnexione resultat Deus dependens, indigus, & sibi insufficiens; cum expectet aliunde possibilitatem rerum sibi non debitam, ut sit absolutè Omnipotens, liber, potens dominari, &c.

5 *Dices*: Deus argueretur indigus, & dependens, si connecteretur cum creaturâ ut existente: ergo pariter, si connectatur cum creaturâ ut possibili. *Neg. Consequ.*: nam ideò verum est Antecedens, quia connexio illa vel redderet Deum contingentem, utpotè connexum cum termino contingente; vel redderet creaturam indefectibilem, utpotè illatam à connexione indefectibili, proindeque non liberè productam à Deo: & utrumque argueret Deum imperfectum, atque adeò capacem dependentiæ, & indigentiæ. At nihil simile in connexione, quam ponimus; cum nec Deum reddat con-

connexum cum termino contingente, neque ullam creaturam necessariò productam, aut existentem. *Insistes*: possibilitas creaturæ non distinguitur ab ejus existentiâ: ergo, si Deus connectitur cum possibilitate, connectitur cum existentiâ. Verùm hoc est confundere sensum quæstionis, quem satis in limine explicuimus. Pariter enim ex eodem principio argui poterit sic: Deus scit possibiles esse mille Mundos, ergo scit mille Mundos existere: item, scientia visionis, quæ noscit creaturas existentes, est contingens, ergo & contingens est scientia simplicis intelligentiæ, quæ possibilia noscit. Itaque possibilitas non sumitur nunc absolutè prout est aliquid actu, sed conditionatè prout esset aliquid actu verum, & non repugnans, si exerceretur; quo sensu non est quid contingens, ut omnes supponunt, & in Metaphysicâ explicabitur: quodsi existentiam accipias eodem sensu, pariter erit necessaria, & terminans connexionem Dei. In formâ, transmisso *Antec.*, *dist. Conseq.*: connectitur cum existentiâ, ut absolutè exercitâ, *neg.*; ut verè, seu non repugnanter exercendâ, si poneretur, *conc.*. Vel sic: cum existentiâ, prout verificante scientiam Dei necessariam, *conc.*; prout verificante scientiam Dei contingentem, *neg. Consequ.*. Et in eodem sensu concedo, vel nego, Deum connecti cum possibilitate, si hæc ab existentiâ non distinguitur.

6 Hinc frivolum est, quod aliqui objiciunt sic: Possibilitas rerum ab æterno est nihil: ergo Deus cum nihilo connectitur ab æterno. Similiter enim infertur, quòd Deus ab æterno, quatenùs scivit creaturas esse possibiles, nihil scivit; & quòd modò circà creaturas non existentes nihil scit. Ne tamen implicaris, *dist. Antec.*: est nihil, sumpto ly *est* per statum, *conc.*; sumpto per ampliationem, & prout reddit sensum æquivalenter conditionatum, *neg. Antec.*. Tum *dist. Consequ.*: cum nihilo connectitur, quod nihil sit absolutè, *conc.*; quod nihil sit conditionatè, seu quod non foret aliquid verum & reale, si poneretur, *neg. Consequ.*. In summâ, quidquid sit de constitutivo possibilitatis, nostræ sententiæ sufficit, quòd Deus essentialiter inferat in intellectu suo hanc veram notitiam, *Creaturæ, si existerent, non implicarent contradictionem*; ita ut, si notitia hæc per impossibile falsificaretur, aut impediretur, necessariò deficeret Omnipotentia, libertas Dei, &c..

7 Jam ad 2. *prob.* n. 2.: satis communiter admittitur in Deo relatio transcendentalis ad creaturas possibiles; nec talis relatio censetur dedecere Deum, si non sit ordo ad aliud, tamquam ad causam, vel complementum intrinsecum, vel tamquam ad finem proprie talem; sed unicè tamquam ad purum terminum extrinsecum, eumque, non ut existentem, sed ut possibilem. Alij tamen, præsertim Thomistæ, hujusmodi relationem.

non in Deo negant; quibus favet sæpe D. Thomas apud Prado *cit. q. 21. §. 2.*, & P. Suar. *d. 47. Met. §. 15. n. 15.*. Et ratio esse potest, quòd relatio, vel ordo transcendentalis ex communi apprehensione non est quælibet connexio, etiam metaphysica, sed ea tantummodò, quæ respicit causam, vel complementum, vel terminum ejusdem ordinis, vel saltem terminum, qui, si existeret, aliquid commodi, vel incommodi afferret fundamento relato. Nullo autem ex his modis respicit connexio Dei creaturas possibiles. Lis est vocalis; in quâ viderint Adversarij quid sibi dicendum ad instantias *n. 1.*. Ad 3. *prob.*: Deus non specificatur à creaturis formaliter, & intrinsecè, sed tantùm extrinsecè, & arguitivè, quatenùs ex possibilitate infinitarum creaturarum colligimus perfectionem Dei; quæ non est absurditas, sed certa veritas, etiam in creaturis existentibus, ut docet Apostolus *Rom. 1. 20.*.

8 *Ad 4.*: veritates illæ non sunt æquè necessariæ quoad absolutam existentiam subjecti: nam prima nullam importat existentiam absolutam; secunda verò importat existétiam Dei necessariò exercitam. Et in hoc stat, quòd solus Deus sit simpliciter ens necessarium: cum enim nulla res dicatur actu & simpliciter ens, nisi quando absolutè existit, id solum simpliciter dicitur ens summè necessariũ, quod summâ necessitate existit absolute: hoc autẽ de solo Deo verificatur; nam creaturarum possibilitas nullam habet necessitatem absolutè existendi. Et hinc, quæ sunt maximè entia, sunt maximè necessaria, scilicet necessitate existentiæ. Solum igitur veritates illæ dici possunt æquè necessariæ quoad verificationem, vel exclusionem falsitatis in lineâ diversâ, nempe altera in lineâ conditionatâ, altera in absolutâ: quia tam impossibile est non verificari scientiam Dei sic enuntiantem, *Si formica existeret, non implicaret contradictionem*, quàm scientiam Dei sic dicentem, *Deus existit*. Nec Adversarij dissentient, si premantur instantijs *n. 1.*. Si fortè inferas: ergo hæc veritas, *Deus est*, non est omnium maxima. *Dist. Consequ.*: non est omnium maxima quoad dignitatem & excellentiam objecti, vel subjecti, *neg.*; quoad præcisam exclusionem falsitatis, *subdist.*: non est maxima omnium absolutarum, *neg.*; omnium, etiam conditionatarum, *conc. Consequ.*: & iterùm instantias appello.

9 *Ad 5.*: Deus etiam connectitur cum possibilitate peccati creaturæ: quia, repugnante peccato, non staret potentia permissiva, punitiva, & condonativa peccati, quæ est vera & intrinseca Dei perfectio. Nec peccati possibilitas odio habetur à Deo prout terminat Divinam connexionem, scilicet prout est objectum scientiæ simplicis intelligentiæ; quia, prout sic, nullam actualiter continet malitiam, aut offensam Dei, sed tantùm contineret, si existeret. Sed di-

*dices*: Si Deus cum peccati possibilitate connectitur, illam amabit; & quoniam illa identificatur cum malitiâ peccati, hanc etiam amabit Deus. *Prob. Sequel.* 1.: quia Deus amat suam potentiam cum eâ possibilitate necessariò connexam, & ut connexam: ergo amat terminum connexionis 2.: quia Deus amare debet quidquid est necessarium ut ipse existat: sic autem necessaria est illa possibilitas, positâ connexione. 3.: quia debet etiam Deus amare quod sibi melius est: melior autem Deo est peccati possibilitas, quàm impossibilitas, nam, si hæc daretur, deficeret Deus, ut contendimus. *Resp.* Hoc etiam subest prædictis instantijs: nam Deus connectitur saltem vagè cum possibilitate, vel impossibilitate peccati: ergo vagè amabit utramlibet. Connectitur item cum eo, quòd peccati possibilitas, si detur, non sit impossibilitas: ergo amabit possibilitatem sub conditione quòd detur.

10 Quare *neg. sequel.*, quin obstent probationes. *Ad* 1. *neg. Consequ.*: nam qui amat rem ut connexam, & connexionem ut talem, etiam antecedétem, non debet amare terminum, qui præcisè infertur ut possibilis, non verò ut existens, aut exiturus: talis quippe connexionis amor ex se relinquit terminum in statu, in quo sit purum nihil, nullum que bonum actualiter habeat. Sic Deus amat libertatem creatam ad observanda præcepta, cum sit Author illius; & tamen non ideò amat peccatum ut possibile, quo cum certè connectitur ea libertas, saltem ut proxima, & expedita. Id quod maximè verum est, quando amor connexionis non est liber, nec practicus, ut accidit in casu nostro, & accidit etiam in amore, quo Deus amat infallibilitatem Scientiæ suæ de peccato possibili. Solùm ergo amor connexionis censetur, interpretativè saltem, amor termini, quando amor est liber, & practicus, & aliunde connexio est simpliciter antecedens (ex defectu istius conditionis Deus non amat peccatum, licèt amet infallibilitatem suæ scientiæ visionis de peccato existente, vel etiam connexionem actus fidei cum peccato Antichristi futuro), & insuper infert terminum ut existentem, aut exiturum: tunc enim connexionis amator censetur liberè determinare terminum ad existendum, adeoque illi procurare quidquid boni per identitatem habere potest; quod absdubiò indicium amoris est, siquidem amare, ut ajunt, est velle bonum. Et hac ratione Nostri contra Thomistas arguunt, quòd si Deus prædeterminaret ad materiale peccati, cum malitiâ necessariò connexum, Author malitiæ foret, & illam amaret. Non ita res habet in casu nostro. Unde, licèt concedatur, amari à Deo suam connexionem, prout ex se infert possibilitatem peccati, & prout est forma denominans peccatum extrinsecè possibile, non sequitur extensio amoris ad possibilitatem intrinsecam peccati, sed totus amor sistit in extrinsecâ formâ de-

nominante; non aliter, ac amor, quo Deus amat se scire peccatum possibile, vel etiam existens, dum committitur, vel quo suam scientiam amat ut denominantem peccatum *cognitum*.

11 *Ad* 2.: possibilitas peccati non est necessaria ad existentiam Dei per modum causæ, vel prærequisiti, vel complementi Deum perficientis, aut intrinsecè afficientis; sed tantùm purè extrinsecè, & consequenter, scilicèt per modum termini necessariò illati à Divinâ existentiâ. Talis autem terminus non debet à Deo amari; sicuti non amatur, quàmvis eodem sensu necessarius sit ad existentiam libertatis creatæ, quam Deus amat. *Ad* 3.: peccati possibilitas, sicut non est Deo bona formaliter, aut causaliter, sed arguitivè tantùm, & præsuppositivè; ita non est formaliter, aut causaliter Deo melior, quàm impossibilitas, sed præsuppositivè, & arguitivè duntaxat, quatenùs est terminus præsupponens, & quasi à posteriori arguens, in Deo dari potentiam permittendi, puniendi, & condonandi, quæ melior Deo est ipsa, quàm non ipsa: nec alio sensu impossibilitas peccati foret Deo mala, vel noxia, si daretur. Quod autem hoc tantùm sensu melius Deo est, non debet amari à Deo; præsertim cum nullum sit periculum, ne fortè deficiat ille terminus, arguatque Divinæ potentiæ ruinam, nisi Deus amore solicito curam habeat illius conservandi: tale namque periculum Deus ipse removet essentialiter, præscindendo ab amore.

12 Ad *6. prob.* n. 2.: plures Theologi negant, ex visione omnium possibilium in Deo inferri comprehensionem Omnipotentiæ. Quidquid de hoc sit, non sequitur, omnia possibilia videri, vel distinctè cognosci à beatis, quàmvis clarè videatur omnipotentia, cum illis connexa metaphysicè; quia non necessariò videtur sub omni expressione, quâ visibilis est, & quâ comparari potest ad hæc vel illa possibilia. Sic videns oculis albedinem, licèt clarè, & intuitivè videat rem essentialiter cum Deo connexam, & ab eo essentialiter dependentem, non ideò Deum videt, neque ullatenùs attingit per illum actum; quia talis intuitio non est comparativa, nec albedinem videt sub expressione *dependentis à Deo*. Et instatur ex *n.* 1. in connexione vagâ cum possibilitate vel impossibilitate rerum.

13 Ad *confirm.* negatur assumptum; cujus probationes non urgent. Non *prima*: tum quia jam suprà negavimus, connexionem Dei esse dependentiam: tum quia, licèt aliquo sensu talis esset, illa major independentia, quæ resultat apparenter ex incounexione, non est vera perfectio Dei, sed chymerica, utpotè incompossibilis cum perfectionibus alijs verè Divinis, cujusmodi sunt potentia inimpedibilis ab extrinseco, potestas dominativa, libertas, &c. Sic major independentia, quæ apparet in Deo incounexo cum impossibilitate alterius Dei, mendacij divini, &c.,

non

non est vera perfectio, nec Deo digna; quia infert ruinam Divinæ unitatis, veracitatis, &c. Non *secunda*: quia similiter illa major indefectibilitas, non vera, sed chymerica est: tum quia infert defectum perfectionum Divinarum, de quibus modò: tum quia similis est illi, quâ Deus fingatur indefectibilis pro eventu possibilitatis alterius Dei, vel aliarum chymerarum istiusmodi: tum etiam, quia nostra sententia nullam in Deo agnoscit defectibilitatem, nisi purè chymericam, videlicèt non nisi pro eventu impossibilitatis creaturarum, chymerico ex parte Dei, & chymerico ex parte creaturæ: agnoscit ergo indefectibilitatem omnimodā, quâ major cogitari non potest, si cogitetur verè talis; quid enim magis indefectibile, quàm id, cujus defectus undequaque implicat contradictionem? Non *tertia*: quia pariter chymerica est major illa virtutis amplitudo, cum destruat virtutem activam Deo dignam, & sit instar illius, quæ Deo affingatur ad plures Deos producendos, vel ad producendas chymeras omnes ut tales, sive in sensu compositi impossibilitatis.

14 *Objic.* 2.: Divinus intellectus non infert essentialiter scibilitatem objecti determinati, licèt essentialiter exigat scire quidquid fuerit scibile: ergo pariter de Divinâ potentiâ in ordine ad possibilitatem termini discurrendum. *Confirm.*: Divina voluntas nulli objecto extra se adhæret essentialiter adhæsione affectivâ, cum nihil extra se necessariò amet; ergo nec Divina potentia essentialiter adhæret per connexionem creaturis possibilibus. Ad *object. dist. Antec.*: si sermo sit de objecto scientiæ contingentis, *conc.*; si de objecto scientiæ necessariæ, quæ dicitur simplicis intelligentiæ, *neg. Antec.*, & *Consequ.*. Divinus enim intellectus essentialiter determinatus est, ut sciat determinatè quidquid essentialiter infertur ex alijs attributis Dei, atque adeò ut sciat, possibiles esse omnes creaturas, & impossibiles esse chymeras omnes. Cur autem aliter accidat in objecto scientiæ contingentis, rationem dedimus *cap. præced.* Ad *confirm. dist. Antec.*: adhæsione affectivâ in actu secundo, quæ consistat in amore actuali objecti extra se, *admitto Antec.*; adhæsione affectivâ in actu primo, quæ consistat in potentiâ illud amandi, & inferat essentialiter illius amabilitatem ut possibilem, *neg. Antec.*. Tum *dist. Conseq.*: non essentialiter adhæret per connexionem productionis actualis, *conc.*; per connexionem virtutis productivæ in actu primo, *neg. Consequ.*.

15 *Objic.* 3.: Omnipotentia est virtus ex se potens plusquàm ad possibilia: ergo ex se verè potens est etiam ad impossibilia: ergo, & posset ex se verè potens esse ad ea, quæ modò possibilia sunt, licèt impossibilia fierent. *Prob. Antec.*: Omnipotentia non est virtus purè sufficiens ad creaturas possibiles, sed est virtus plusquam sufficiens, & superabundans, cùm infinitè excedat perfectionem omnium

poſsibilium, etiam conſiderata in ratione potentiæ, & prout eſt attributum formaliter diſtinctum à cæteris: atqui virtus pluſquàm ſufficiens, & ſuperabundans ad aliquem terminum, ex ſe potens eſt ad alia præter illum: ergo &c. *Neg. Antec.* Ad *prob. diſt. Maj.*: non eſt virtus purè ſufficiens, ſed pluſquàm ſufficiens, reſpectu poſsibilium omnium ſingulatim, vel etiam reſpectu cujuſvis collectionis non includentis omnia poſsibilia, *conc.*; reſpectu collectionis omnium poſſibilium, *neg. Maj.*; & conceſsâ *Minore*, *neg. Conſequ.*. Et inſtatur manifeſtè: nam Omnipotentia, quantumcumque ab Adverſarijs amplificetur, non eſt virtus pluſquàm ad poſsibilia, & impoſsibilia, ſi poſsibilia fierent: ſed tamen iſtorum omnium perfectionem infinitè excedit, & excederet Omnipotentia, ut eſt certum (niſi fortè inter impoſsibilia, quæ Deus poteſt, abſurdè numeres Deum alterum): adhuc ergo erit virtus pluſquàm ſufficiens, & ſuperabundans. Dic igitur, ad quid aliud extenditur?

16 Itaque Omnipotentia, quatenùs formaliter & præcisè productiva eſt ad extrà, reſpectu collectionis omnium poſsibilium virtus eſt purè ſufficiens; quia nulla virtus inferior ſufficiens eſt, & quia nihil aliud producere poteſt. Cum hoc tamen rectè cohæret, quòd Omnipotentia, etiam formaliter ſumpta, ſit virtus perfectione ſuperior, & excellentior, adeo ut omnium poſsibilium perfectio, ad illius perfectionem comparata, quaſi nihilum reputetur: non enim eſt purè ſufficiens per modum virtutis univocæ, ſed per modum æquivocæ, & eminentialis. Nec ideò tota hæc eminentia perfectionis de materiali ſe habet ad poſsibilia producenda: paſsim quippe accidit, etiam in creatis, ut effectus exigat, & per ſe præſupponat virtutem ſe nobiliorem, ita ut à minore virtute produci nequeat. Sic naturalis intellectiva virtus Angeli (maximè ſi cum ejus ſubſtantiâ identificetur, ut ſentiunt Adverſarij paſsim), prout virtus naturalis eſt, perfectione ſuperat omnes cognitiones à ſe naturaliter producibiles; à quibus tamen tota per ſe exigitur: nec illa virtus ex eo perfectionis exceſſu dici poteſt naturaliter ſufficiens ad alios effectus. Hinc negandum eſt, quòd in Omnipotentiâ ut tali poſsit aliquis perfectionis exceſſus ratione præſcindi à virtute purè ſufficiente, ideſt, ſatis, ſolâque ſufficiente ad omnia poſsibilia, & nihil ultrà. Si enim concipitur Omnipotentia ut verè ſufficiens ad omnia poſsibilia, nequit non concipi ut *virtus ſimpliciter infinita* (quæ eſt veluti definitio potentiæ ad poſsibilia omnia ſufficientis), & hoc ipſo concipitur ut perfectione ſupereminens poſsibilia omnia.

17 *Replic.*: Omnipotentia excedit poſsibilia in perfectione: ergo etiam in ratione virtutis activæ, quæ ab ejus perfectione formaliter indiſtincta eſt: ergo eſt virtus pluſquàm adæquata poſsibilibus.

bus. Sed redit instantia *n.* 15. in omnipotentiâ inconnexâ, & ea, quam nuper dedimus in virtute Angelicâ naturali. Et præterea illud *in ratione virtutis activæ* æquivocum est: potest enim sumi, vel purè subjectivè, vel etiam terminativè, quatenùs scilicet significat de obliquo terminum à virtute producibilem. In primo sensu *conc. 1. consequ.*, sed nego in secundo; quia Divina virtus, ut talis, non dicit de obliquo terminum excedentem posibilia omnia. Sic dicimus passim, quòd potentia obedientialis animæ nostræ, activa, & passiva, in esse entis est naturalis, & in ratione potentiæ non est naturalis; quia scilicet illud *in ratione potentiæ* sumitur terminativè. Ad 2. *consequ.* dico, Omnipotētiam esse virtutem plusquam adæquatam in essendo, non in agendo. Si dicas, stare non posse subjectivum excessum sine terminativo, nec excessum in essendo sine excessu in agendo; rotundè nego, donec probes. Moneo tamen, Omnipotentiam esse virtutem plusquam sufficientem ad omnia posibilia, si hæc spectentur præcisè quoad substantiam, vel quatenùs producibilia semel, & juxta propriam cujusque naturam: potest enim Deus eadem posibilia infinitiès producere, & reproducere, variando actiones, modos, & circumstantias, contrà, vel suprà merita ipsorum.

18 *Objic.* 4.: si Petrus fieret imposibilis, non deficeret Omnipotentia: ergo hæc non connectitur cum posibilitate Petri. *Prob. Antec.* 1.: quia solùm inde sequeretur, quòd Deus non posset absolutè producere Petrum: ex hoc autem non deficeret Omnipotentia; Petrus enim tunc se haberet, sicut modò chymera; modo autem non deficit Omnipotentia ex eo, quòd non posit absolutè producere chymeras. 2.: quia maneret adhuc in eâ hypothesi *virtus potens producere quidquid non repugnat*, qui est conceptus essentialis Omnipotentiæ: maneret item virtus simpliciter infinita; quia manerent infinita alia posibilia, quæ producere posset. *Confirm.* 1.: quod unum posibile reddatur imposibile, passim accidit, quin ideò deficiat Omnipotentia: nam hæc veritas, *Petrus non cucurrit* (idem puta de similibus alijs) posibilis est, anteqnàm Petrus currat; posito tamen cursu, redditur imposibilis, cum omninò imposibile fit, quòd præteritum non fuerit, ut ostendit D. Thomas *1. p. q. 25. ar. 4.*; ubi *ad 2.* docet, quòd, dum aliqua, olim posibilia, deficiunt à ratione posibilium, Omnipotentia manet immutabilis, & quidquid Deus potuit, potest, quantum in se est; sed tamen *dicitur Deus ea non posse, quia ea non possunt fieri.* Cur ergo non idem dicatur pro hypothesi repugnantiæ cujuslibet creaturæ in particulari? *Confirm.* 2.: si supponere defectum unius posibilis, est supponere defectum Omnipotentiæ, pariter dubitare de aliquo posibili, erit dubitare de

Om-

Omnipotentiæ ergo quoties disputatur, an hoc, vel illud sit possibile, toties disputabitur de existentiâ Omnipotentiæ; quod est plusquàm absurdum.

19 Ad *object. dist. Antec.*: non deficeret Omnipotentia formaliter per defectum possibilitatis Petri, *conc.*; nam defectus formalis est immediata carentia totius entitatis, vel alicujus intrinseci constitutivi; possibilitas autem intrinseca creaturæ distinguitur à totâ entitate Omnipotentiæ: non deficeret arguitivè, *neg. Antec.*, & *Conseq.*; tunc enim argueretur defectus alicujus veræ potentiæ, & continentiæ eminentialis, quam secum identificat Omnipotentia: unde jam hæc non foret eadem, quæ modò est. Ad 1. *prob.*: ex eâ hypothesi sequeretur, quòd Deus amitteret veram potentiam intrinsecam, quam nunc habet, producendi Petrum. Nec Petrus se haberet tunc, sicut modò chymera, saltem extrinsecè: foret enim chymericus contra jus, fasque Divinum, & resisteret essentiali connexioni Dei cum ejus possibilitate; quod non habent chymeræ, quæ modò tales sunt. Imò etiam intrinsecè dici posset chymera specialis indolis; quia intrinsecè haberet esse terminum violantem, & frustrantem jus Divinum. Et instatur ex *n.* 1.: pariter enim dici poterit, quòd Deus non deficeret, si possibile fieret divinum mendacium; hoc enim tunc se haberet, sicut modò se habent possibilia. Item in attributo sanctitatis, quo repugnante Deus non deficeret juxtà doctrinam objectionis; tunc enim sanctitas se haberet, sicut modò quælibet perfectio chymerica; Deus autem non deficit ex eo, quòd non habeat perfectiones chymericas. Item in æterno Patre, qui similiter dici posset non defecturus, licèt repugnaret Filius, quem generat; sicut modò non deficit eò quòd repugnet Filius alter.

20 *Ad* 2. redeunt instantiæ: nam similiter Deus in dictis hypothesibus, eliciendo mendacium, non eliceret quidquam sibi repugnans; & carendo sanctitate, non careret perfectione verâ & possibili, sed adhuc maneret *cumulus omnium perfectionum possibilium*, qui est velut essentialis conceptus Dei: maneret item simpliciter infinitus; quia retineret infinitas alias perfectiones. Dicendum igitur, quòd de conceptu essentiali Omnipotentiæ est posse producere quidquid non repugnat modò, & in hypothesi verâ, consequenterque posse producere Petrum, & quodlibet aliud individuum modò possibile; qui conceptus non maneret idem, repugnante Petro. Quamvis autem nos, qui pleraque possibilia non cognoscimus, utamur illâ expressione confusâ, *quidquid non repugnat*; Divina tamen potentia distinctè determinat in particulari possibilia omnia. Dicendum item, quòd, repugnante Petro, non maneret Omnipotentia simpliciter infinita, sed nulla, seu chymerica; nec maneret potens ad cætera possibilia, quia cætera quoque re-

repugnarent consequenter ex Omnipotentiæ mutatione ; quemadmodùm ex repugnantiâ sanctitatis repugnaret etiam consequenter cæteræ Divinæ perfectiones. Hinc hypothesis ista, *Si solus Petrus repugnaret*, in ordine ad inferendam non repugnantiam cæterorum, vel Omnipotentiæ, reverâ implicat in adjecto, vel infert utrumque contradictorium, saltem per mediatas consequentias : infert enim, Petrum repugnare solum & non solum, cæteraque repugnare simul & non repugnare. Quod iterùm patet exemplo illius, *Si sola Dei sanctitas repugnaret.*

21 Ad 1. *confirm.* : illa veritas, & quævis alia similis, non redditur impossibilis per se, & intrinsecè, sed solùm per accidens, nimirùm ex suppositione quòd cursus extiterit ; quæ suppositio, & impossibilitas inde resultans, Deo libera est, seu liberè impedibilis. Est quidem per se impossibile, quòd præteritum sub ratione præteriti non fuerit ; quia hoc perinde est, ac fuisse & non fuisse ; in quo manifesta est contradictio, sicut in esse & non esse ; unde nunquam fait possibile, nec Deus ad illud potentiam habuit. Cæterùm, ut explicat D. Thomas *cit. ar.* 4. *ad* 1., res ipsa, quæ præterijt, specificativè sumpta, nempe cursus Petri ( idem intellige de illâ veritate, *Petrus non cucurrit* ), non fit impossibilis nisi per accidens, & impossibilitate consequenti, Deo liberâ. Quæ autem hoc modo fiunt impossibilia, verè retinent possibilitatem intrinsecam, & simpliciter talem ; ut patet in ijs, quæ Deus decrevit nunquam producere ; sunt enim impossibilia ex suppositione decreti ; sed quia ista est impossibilitas consequens, Deo libera, & respectu ipsorum per accidens, idcircò manent intrinsecè possibilia, Deusque simpliciter potest ea producere. Idem patet in omissione amoris pro instanti, quo quis liberè amat ; imò in quâlibet re contingente pro instanti, quo existit ; est enim simpliciter contingens, & potens non esse pro illo instanti ; & tamen *Omne, quod est, ex suppositione quòd sit, necesse est esse.* Hoc sensu dixit D. Thomas, quod aliqua *deficiunt à ratione possibilium* ( scilicet per meram impossibilitatem consequentem, & per accidens ); & quòd Deus, *quidquid potuit, potest* ( scilicet potentiâ antecedente, simpliciter tali ) : dum autem addit, quòd *Deus dicitur ea non posse, quia ea non possunt fieri*, solùm innuit congruentem modum loquendi, de quo postea *n.* 25.

22 Ad 2. *confirm. dist. Antec.* : si dubitetur, an aliquod objectum fiat de possibili impossibile, *conc.* ; si solùm dubitetur, an sit modò possibile, *neg. Antec.*, & *Consequ.*. Et instatur objectio illa sic : Supponere defectum unius perfectionis Divinæ, est supponere defectum Dei : ergo dubitare de aliquâ perfectione Divinâ, est dubitare de existentiâ Dei : ergo tu, qui dubitas de connexione cum possibilibus, quam ego asse-

ro esse perfectionem Divinam, dubitas de existentiâ Dei; & quicumque de connexione disputat, de Dei existentiâ disputabit. Si dicas, te non dubitare, nec disputare de perfectione, quam satis constet esse Divinam; sed dubitare duntaxat, an connexio sit una ex perfectionibus verè Divinis: ex quo non sequitur dubium de existentiâ Dei; quia semper supponitur, Deum habere perfectiones omnes verè Divinas, & connexionem etiam, si verè talis est. Id ipsum tibi dictum habe. Nemo enim dubitat, nec disputat de ullo possibili, quod satis constet esse possibile; sed tantùm dubitatur sæpe, an hoc, vel illud objectum sit unum ex verè possibilibus, supponendo semper, Deum habere potentiam ad omnia possibilia verè talia. Aliud esset, siquis dubitaret, an omnia objecta, vel omnia entia finita, sint possibilia: tùc enim nó posset supponere, Deum habere potentiâ ad possibilia omnia, cum nihil relinqueret certò possibile. Simile quid accideret, siquis dubitaret de omnibus perfectionibus in abstracto, an in Deo existerent.

23 *Objic. 5.*: Deus non connectitur cum impossibilitate chymerarum: ergo nec cum possibilitate possibilium. *Prob. Antec.* 1.: quia, si chymeræ fierent possibiles, forent producibiles à Deo: ergo in eâ hypothesi daretur Deus, adeòque non deficeret. 2.: quia chymeræ se haberent in illâ hypothesi, sicut nunc creaturæ: ergo, sicut nunc Deus non deficit, ita nec tunc. 3.: quia non verè dicitur, *Ideò chymera est impossibilis, quia Deus illam producere non potest*, sed potiùs è converso. Quod patet, tum ex D. Thomâ 1. *p. q.* 25. *ar.* 3. docente, quòd objectum, in quo implicatur contradictio, *Omnipotentiæ non subditur, non propter defectum divinæ potentiæ, sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possibilis.* Et paulò inferiùs de impossibilibus inquit Angel. Doctor: *Unde convenientiùs dicitur, quòd ea non possunt fieri, quàm quòd Deus non possit facere.* Tum etiam, quia Deus nequit esse radix impossibilitatis: licèt enim Deus sit fons omnis esse, non tamen ab eo venit non esse, seu repugnantia ad esse. Pone, quòd repugnet infinitum in actu: hæc repugnantia non oritur à Deo; non enim à causâ infinitâ oriri potest impossibilitas effectus infiniti. *Confirm.* ex D. Augustino *lib.* 3. *contrà Maxim. c.* 12., ubi rationem reddens, cur Filius Dei non genuerit, sicut Pater, Filium ad intrà, sic ait: *Neque enim non potuit; sed non oportuit*: agnoscit igitur in Filio veram potentiam ad Filium alterum, qui tamen chymericus est. Pariter ergo vera potentia in Deo erit ad chymeras omnes.

24 Ad *object. neg. Antec.*; cujus probationes perspicuè instantur in ijs chymeris, de quibus *n.* 1.; & præterea facilè solvuntur. *Ad* 1. *dist. Antec.*: forent producibiles à Deo nostro, *neg.*; à Deo alio, qui verè est impossibilis, & in eâ hypothesi redderetur possibilis,

lis, *conc. Antec.*; & similiter *dist. Consequ.*. Profectò, qui fingit, chymeras fieri posibiles, debet consequenter fingere potentiam Divinam ad eas producendas; cumque potentia ista prorsus aliena sit à Deo vero, ut *cap. præc.* probatum est, affingi debet alteri Deo. Sic, qui fingit, divinum mendacium fieri posibile, fingere debet potentiam Dei ad mentiendum, quæ, cum repugnet vero Deo, propria erit alterius Dei cum nostro incompossibilis. Vel, si mavis, dic, in eâ hypothesi fore, ut Deus deficeret & simul non deficeret, atqueadeò chymericus esset: deficeret, quia mutaretur intrinsecè, novam potentiam recipiendo, quâ modò non habet: non deficeret, quia posset ea tunc posibilia producere. Quod pariter Adversarijs dicendum pro hypothesi, quâ posibile fieret divinum mendacium. *Ad 2.*, vel *neg. Antec.* propter dicta *n. 19.*, quæ hîc applicari possunt; vel *dist. Antec.*: chymeræ se haberent in ordine ad novum Deum, sicut nunc creaturę in ordine ad Deũ verum, *conc.*; se haberent in ordine ad verum Deũ, sicut nunc creaturæ, *neg. Antec.*, & *Consequ.*.

25 *Ad 3.*: causalis illa, sano sensu intellecta, vera est, & quasi à priori, quatenùs in Deo exclusio potentiæ ad chymeram, assumi potest veluti radix inferens impossibilitatem illius. Notandum tamen, quòd hæ voces, *impotentia*, *defectus potentiæ*, *quia non potest*, & similes aliæ, nisi explicentur, communi usu negant potentiam aliquam, quæ, secundùm se spectata, vera potentia sit, veraque perfectio: quo sensu dicimus, cæcum non videre, vel hominem non producere Angelum, ex impotentiâ, ex defectu potentiæ, quia non potest. Idcircò SS. Augustinus, Thomas, & alij, meritò renuunt voces illas indistinctè usurpare circà Deum, cui nulla potentia deest verè talis. Si tamen illæ voces præcisè negent, & excludant potentiam, quæ secundùm se chymerica est, & quæ, si daretur, non esset perfectio, sed imperfectio maxima; possunt utique in Deo verificari; sicut verificatur impotentia mentiendi, peccandi, deficiendi. Atque ita sumuntur à nobis in præsenti: non enim per illas Deo negamus nisi potentiam ad chymeras, quam in se spectatam putamus chymericam, quippe quæ foret potentia operativa, simulque non foret, cum nullum ipsi respondeat operabile. Hinc, sicut D. Thomas *cit. q. 25. ar. 3. ad 2.* ait, quòd *posse peccare est posse deficere in agendo, quod repugnat omnipotentiæ: & propter hoc Deus peccare non potest, quia est omnipotens*; ita dici potest, quòd posse producere chymeram est posse deficere in agendo, quia est posse conari ad agendum, & nihil agere: quare Deus ideò chymeram producere non potest, quia est omnipotens.

26 Jam ergo patet, quo sensu intelligendum sit illud D. Thomæ, *non propter defectum divinæ potentiæ*: item illud, *convenientiùs dicitur &c.*; ubi non approbatur

ea locutio ut unicè vera, sed ut congruentior, si scilicèt ly ***non possit***, fine explicatione dictâ proferatur. Eodem sensu intelligi potest S. Augustini dictum, in *Confirm.* allegatum: de quo insuper videndus D. Thomas 1.*p. q.*41. *ar.*6. *ad* 2., *& q.* 42. *ar.*6. *ad* 3., ubi sic illud explicat, ut nihil nobis obsit. Certè ab omni Theologo explicari debet: cum enim juxta omnes alter Filius divinus sit chymericus, profectò, quòd non sit genitus à vero Filio, non provenit ex merâ congruentiâ, prout sonare videtur illud, ***non oportuit.*** Intelligendum ergo juxta subjectam materiam; quatenùs in necessarijs, cujusmodi sunt divinæ processiones, idem est non oportere, ac non esse possibile. Jam verò, quòd Deus non sit radix impossibilitatis, verum est de radice activâ; falsum tamen de radice purè illativâ, seu determinativâ: sic enim etiam Deus est radix omnis ***non esse*** contingentis creaturarum purè possibilium; quæ ideò non sunt, quia Deus eas esse non vult. Sic etiam juxta Adversarios Deus est radix impossibilitatis chymerarum *n.* 1.. Quod item dictum esto de infinito in actu, si chymera est: nec Deus, eò quòd inferat impossibilitatem effectus chymericè infiniti, definit esse causa infinita, cum sit potens producere plures & plures effectus sine fine.

27 Sed adhuc *replic.*: aliqua chymera est, cujus impossibilitate deficiente, non deficeret Deus. *Prob.*: per nos chymera est, quòd sententia inconnexionis sit vera. Fiat ergo possibilis chymera ista: numquid ideò deficeret Deus? minimè: quia possibilitas hujus chymeræ foret veritas sententiæ inconnexionis; & hæc veritas in eo stat, quòd pro casu possibilitatis chymeræ Deus non deficeret, sed permaneret idem, qui modò est: Deus autem certè non deficeret ex eo, quòd verum fiat, ipsum non deficere, sed eumdem permanere, qui nunc. Idem argumentum fieri potest circa possibilia sic: per nos unum ex possibilibus est veritas sententiæ nostræ de connexione, quæ veritas in eo stat, quòd Deus deficeret, quolibet possibili deficiente: & tamen, si deficeret ista veritas, non deficeret Deus; alioquin deficeret ex eo, quòd falsum fit, ipsum deficere. Verum hoc sophisma instatur manifestè sic: Deus connectitur cum veritate sententiæ affirmantis connexionem Dei cum chymeris, *n.* 1. indicatis, v. g. cum suo mendacio ut impossibili: ergo Deus connectitur simul & cum impossibilitate sui mendacij, & cum veritate istâ, ***Deus deficeret facto possibili mendacio divino***: ergo deficeret Deus pro casu, quo deficeret ista veritas, & simul daretur possibilitas mendacij sui: ergo deficeret Deus pro casu, quo falsum esset, ipsum deficere. Præterea objectio implicat in terminis, vel infert utrumque contradictorium: supponit enim veram esse nostrã sententiam (alioquin nullam vim habet, ut est evidens), adeòque supponit, unam ex perfectionibus Deo intrinsecis esse connexio-

xionem cum possibilibus & chymeris: aliunde fingit hypothesim, in quâ perfectio ista Deo deficiat: dum ergo inde infert, Deum non deficere, sed eumdem manere, qui modò est, vult eumdem manere sine perfectionibus ijsdem, quas nunc habet; quod est manere eumdem, & non eumdem. Dicendum igitur, quòd Deus in utrâque hypothesi objectâ clariùs deficeret ex eo ipso, quòd non deficeret deficiente perfectione ipsius intrinsecâ: fieret enim eo ipso chymera manifestior, siquidem foret simul deficiens & non deficiens, idem & non idem, connexus & inconnexus.

28 Denique *advertе* 1., quòd etiam verè dicitur, *Ideò non potest Deus producere chymeram, quia chymera in se non est factibilis*, dummodò solùm denoretur, ut communiter solet, causalitas, vel prioritas intentionalis, & quoad nos; qui, cum non cognoscamus Divinam potentiâ in se, movemur ad negandũ in Deo potentiâ ad aliquod objectũ ex eo, quòd priùs cognoscamus, illud in se ipso implicare contradictionem. De cætero, dum ex possibilitate, vel impossibilitate terminorum, inferimus, Deum posse, vel non posse, illatio est à posteriori, vel á signo: dum verò procedimus contrario modo, illatio est à priori, vel tamquam à radice. Ne tamen putes, posse concipi Omnipotentiam ut talem in aliquo priori signo naturæ cum omnimodâ præcisione à possibilibus, vel cum præcisione indifferentiæ: non enim habet prioritatem *in quo*, sed purè *à quo*, nec præcisionem admittit, nisi puræ non inclusionis, seu distinctionis adæquatæ. Adverte 2., quòd connexio Dei cum possibilibus vocari non debet *appetitus innatus*: non enim ita vocatur quævis connexio, etiam essentialis, sed ea tantummodò, quæ respicit terminum ut connaturalem appetenti, ideſt, terminum, quo appetens intrinsecè perficiatur juxta propriam naturam, vel saltem, quo actualiter existente melius & commodiùs se habeat, ac proinde cujus existentiam intendat aliquomodò.

29 Adverte 3., frivolum esse, quod aliqui objiciunt sic: Vera est hæc disjunctiva, *Vel Deus existit, vel Petrus est possibilis*: ergo ex negatione possibilitatis Petri rectè infertur, Deum existere. Patet *Consequ.*: nam, positâ veritate disjunctivâ, ex negatione unius extremi rectè infertur affirmatio alterius. Frivolum, inquam: eâdem namque formâ probatur oppositum, sic nimirùm: vera est hæc disjunctiva, *Vel Petrus est possibilis, vel Deus deficit*: cum ergo ex negatione unius extremi sequatur affirmatio alterius, ex negatione possibilitatis Petri sequitur, Deum deficere. Similiter probari poterunt absurda quam plurima; v. g. quòd existeret Filius Divinus, si non existeret Pater; quòd Deus periret, non existente Mundo; quòd hircocervus esset possibilis, non existente Petro: veræ quippe sunt hæ disjunctivæ: *Vel existit Pater æternus,*

*vel exiſtit Filius ; vel Mundus exiſtit, vel Deus perit ; vel Petrus exiſtit, vel hircocervus eſt poſsibilis.* Itaque(ut in Summulis advertimus circa Syllogiſmum disjunctivum) negatio unius extremi disjunctionis infert quidem poſitionem alterius, quando non deſtruit, ſed illæſam relinquit veritatem propoſitionis disjunctivæ: minimè verò, quando veritatem illam deſtruit; ut accidit 1. quando disjunctiva propoſitio vera non eſt, nec eſſe poteſt, niſi ratione illius extremi, quod poſteà negatur, illa v. g. *Vel Mundus exiſtit, vel Deus perit*; 2. quando extrema ſunt invicem neceſſariò connexa, & propoſitio vera eſt ratione utriuſque (quod non eſſe contra rationem veritatis disjunctivæ, ſupponit objectio), quo in eventu negatio unius ſecum trahit negationem alterius, ut in illâ, *Vel exiſtit Pater æternus, vel exiſtit Filius*, & in illâ pariter, quæ nobis objicitur.

## CAP. III.

### *ALIJS ASSERTIONIBUS ABſoloitur Diſputatio.*

1 EX hucuſque dictis facilè colligi poteſt, quid ſit aſſerendum ſuper connexione, tum poſsibilium cum Omnipotentiâ, tùm cauſarum creatarum cum ſuis effectibus ut poſsibilibus, & è converſo. *Aſſero* itaque 1.: poſsibilia connectuntur eſſentialiter cum Deo. Ita communis ferè omnium ſententia. Ratio eſt: tum quia quævis creatura poſsibilis eſt intrinſecè producibilis à Deo, tamquam à primâ cauſâ; hæc autem producibilitas Deo deficiente repugnaret: tum etiã, quia creatura omnis eſt eſſentialiter *ens ab alio*, ac proinde ſupponit eſſentialiter *ens à ſe*, quod ſit primum principium omniũ entium ab alio. *Dices*: Petrus nunc exiſtens nequit deficere, niſi volente Deo: ergo non deficeret, deficiente Deo; tunc enim Deus velle non poſſet defectum Petri. Verùm hoc probat, creaturas ut exiſtentes non connecti cum Deo, quod eſt evidenter falſum, & à nemine dictum. Quare *diſt. Antec.*: nequit deficere &c. defectu nunc & abſolutè poſsibili, *conc.*; nequit deficere, nec poſſet deficere defectu ſolùm poſsibili ſub hypotheſi chymericâ defectus Dei, *neg. Antec.*, & *Conſequ.*: nam Petrus in eâ hypotheſi redderetur incapax exiſtentiæ, atqueadeò deficeret tum ab exiſtentiâ, tum à poſsibilitate.

2 *Dices* iterùm: deficiente Deo, chymera maneret impoſsibilis: ergo & Petrus maneret poſsibilis. *Neg. Conſequ.*: quia chymera non fieret verè producibilis, eò quòd deficeret Deus; nihil enim hic defectus conduceret, ut hircocervus produceretur: at Petrus fieret tunc verè improducibilis, cum à nullâ potentiâ produci poſſet. Unde *inferes*, connexionem Dei cum poſsibilibus eſſe mutuã, & reciprocam; ſecùs verò connexionem Dei cum chymeris ut repugnantibus: quia, licèt exiſtentia Dei ſit ſufficiens caput, & ra-

dix

dix illativa repugnantiæ chymerarum; non tamen est caput unicum; nam conceptus ipse objecti chymerici, scilicet *contradictio prædicatorum*, producibilitatem excludit pro omni eventu, nec eam ullâ ratione adquireret ex defectu Dei. Quin etiam carentia ipsa Dei non foret tunc posibilis præcisè, sed posibilis simul & imposibilis, adeòque novo titulo chymerica; nequit enim aliter concipi, vel fingi carentia entis necessarij. Distinctio quoque Petri à chymerâ, sicut & indistinctio, chymerica tunc esset: imò in hoc staret imposibilitas Petri, quòd simul esset distinctus & indistinctus à chymerâ. Si inferas: ergo imposibilitas chymeræ magis est necessaria, quàm existentia Dei, siquidem illa persisteret, etiam deficiente Deo. *Neg. Consequ.*: nam existentia Dei excludit contingentiam pro omni eventu posibili, quæ est summa necessitas; ea enim, quæ consideratur pro eventibus etiam chymericis, non est vera necessitas, utpotè nonnisi chymericè exercenda.

3 *Assero* 2.: omnis causa creata connectitur essentialiter cum posibilitate suorum effectuum. Ita quoque sententia communis, etiam eorum, qui connexionem in Deo negant, paucis exceptis cum P. Oviedo: eaque procedit, non solùm de connexione mediatâ, quatenùs omnis causa cum Deo connectitur, & Deus cum omni posibili; sed etiam de connexione immediatâ. *Prob.*; tum quia omnis causa secum identificat vim productivam suorum effectuum, quæ vis repugnaret, si effectus fierent imposibiles, cum repugnet vis producendi effectum chymericum. Tum quia quævis causa essentialiter infert distinctionem suorum effectuum à chymeris, cum sit essentialiter potens dare esse veris entibus potiùs, quàm chymericis, & verè contineat virtualiter perfectionem potiùs eorum, quàm chymerarum. Probatio ista connexionem evincit, non solùm cum effectibus in communi, seu cum ratione formali *sub qua*, quæ potentiam specificare dicitur, sed etiam cum singulis effectibus in particulari, quidquid dicant aliqui Thomistæ. Vide suprà cap. 1. ad finem. Eadem probatio valet in causis inadæquatis; quibus connexionem immeritò negant aliqui cum P. Quiros. Valet item in causis purè obedientialibus relatu ad effectus supernaturales, quos per elevationem producere possunt, quidquid dissentiat P. Ripalda: nam ejusmodi causæ pariter inferunt distinctionem suorum effectuum à chymeris, atque adeò posibilitatem eorum.

4 Sed contrà hoc ultimum *dices* 1.: ergo effectus supernaturales non erunt supra exigentiam naturæ. *Dist. Consequ.*: supra exigentiam naturæ, quæ petat illos producere, *neg.*; quæ petat illos posse producere potentiâ instrumentali, & inchoatâ, *conc. Consequ.*. Vel aliter: non erunt supra exigentiam naturæ, quæ inferat, illos

illos non existere, *neg.*; quæ inferat, illos non repugnare, si existant, seu non implicare contradictionem, *cons. conseq.*; in quâ nihil absurdi. *Dices* 2.: ergo Angelus, comprehendens hominem, cognoscet distinctè, & evidenter omnes, & singulos effectus, quos homo potest obedientialiter producere; nam entitas essentialiter connexa, si comprehensivè noscatur, est medium sufficiens ad cognoscendum evidenter terminum connexionis: Angelus ergo naturali lumine cognoscet distinctè, & evidenter plurima entia supernaturalia, imò ferè omnia, si potest homo elevari ad quodlibet. *Responsio* pendet ex conceptu *comprehensionis*, cujus examen non est hujus loci. Pro præsenti rogandus est arguens, an velit de ratione comprehensionis esse distinctè cognoscere terminos omnes, quibuscum connectitur objectum? Si neget; negabimus, & nos sequelam objectionis. Si asserat; negabimus suppositum Consequentis, scilicet Angelum comprehendere posse naturaliter hominem, saltem comprehensione perfectissimâ, & strictissimâ.

5 *Assero* 3.: quilibet effectus connectitur essentialiter cum possibilitate suarum omnium causarum. **Ratio:** quia quilibet secum identificat veram capacitatem ut causetur ab omnibus, & singulis suis causis, tam adæquatis, quàm inadæquatis, tam naturalibus, quàm obedientialibus; ab his, inquam, omnibus potiùs, quàm à causis chymericis; implicat enim vera capacitas accipiendi esse à causâ chymericâ: infert ergo distinctionem earum omnium à chymeris, quod est inferre possibilitatem ipsarum. *Assero* 4.: quodlibet possibile connectitur mediatè cũ quolibet possibili, & cũ chymerâ quâlibet ut impossibili. Ratio: quia quodlibet possibile connectitur immediatè cum Deo, & Deus immediatè connectitur cum quolibet possibili, & cum chymerâ quâvis: quod autem connectitur cum B. connexo cum C., connectitur mediate cum C.. *Assero* 5.: quodlibet possibile connectitur etiam immediatè cum ferè omnibus possibilibus. Ratio: quia quodlibet potentiam habet obedientialem ad producendum quodlibet, & ut producatur à quolibet, ut vidimus *disp. præc. c.* 5. §. 4.: hæc autem potentia connexionem importat, ex dictis in *Assert.* 2. & 3..

6 Sed contra 4. *Assert.* objicies 1.: Si quodvis possibile connectitur cum chymerâ quâvis ut impossibili, sequitur, quòd, si vel una chymera fieret possibilis, nihil esset possibile, sed omnia implicarent contradictionem, sive omnia simul essent, & non essent; ergo inutilis erit ad aliquid probandum argumentatio sub hypothesi impossibili, siquidem sub eâ simul erit, & non erit quod intenditur, atqueadeò simul inferetur, & non inferetur. *Neg. Conseq.* absolutè; nam, licèt hypothesis impossibilis sit inutilis ad probandum, aliquid esse possibile; utilis tamen est ad probandum aliquid tandem esse impossibile, seu repugnare. Atque ita frequenter usurpatur: cùm enim dicitur v. g.,

Si

*Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab ipso*, jam ex parte conditionati ponitur indistinctio impossibilis: dum que sic pergitur, *Sed distinguitur á Filio, ergo procedit ab ipso*; conclusio ista sensu æquipollet huic, *ergo impossibile est quòd non procedat ab ipso.*

7 Et in hoc etiam sensu usi sumus ejusmodi hypothesi cap. 1.; ut scilicet probaremus, impossibile esse quòd Deus non connectatur cum possibilibus, vel indifferentiam Dei ad eventum, in quo nihil ad extrà posset, esse Deo indignam, atque adeò chymericam; quamquàm, & ibi licebat insuper quasi *ad hominem* usus talium hypotheseon, eò quòd Adversarij, connexionem negantes, illum improbare non possent. Fateor, sub hypothesi impossibili conditionatum involvere simul esse, & non esse; aliàs non esset impossibile: unde ex hypothesi, quòd Spiritus Sanctus non procederet à Filio, tam sequitur, quòd distingueretur, quam quòd non distingueretur ab ipso; vel potiùs sequitur utrumque simul (quod ab omnibus fatendum est, cum certè processio, & distinctio in Spiritu Sancto identificentur, adeòque nequeat altera sine altera contradictionem involvere): sed nihilominùs rectè deducitur negatio distinctionis, scilicet verè talis, propriæque Personæ verè existentis; quia distingui simul, & nõ distingui, non est verè distingui more Personæ realis.

8 Prædictis adde, quòd sæpe hypothesis impossibilis assumitur contra adversarium, qui non putat eam impossibilem, ut accidit in dictâ hypothesi de Spiritu Sancto contra Græcos assumptâ: tunc autem non est inutilis argumentatio. Interdùm etiam præscinditur à connexione generali objectorum inter se; solùmque consideratur, aut inquiritur, an hoc objectum peculiari titulo inferat, aut destruat illud aliud? quem ad finem utiliter assumitur hypothesis impossibilis.

9 *Objic.* 2.: Petrus, nunc existens, non connectitur cum possibilitate suæ carentiæ: ergo non connectitur cum quovis possibili. *Prob. Antec.*: si carentia Petri fieret impossibilis, Petrus non deficeret; implicat enim deficere id, cujus carentia, vel defectus est impossibilis: atqui deficeret Petrus in eâ hypothesi, si connectitur cum possibilitate suæ carentiæ: ergo &c. *Confirm.*: si Petrus ita connectitur, recta est hæc argumentatio, *Petrus existit, ergo potest deficere*: cum igitur ab opposito consequentis valeat illatio ad oppositum antecedentis, valebit sic, *Petrus non potest deficere, ergo deficit*, seu *non existit*; quæ tamen illatio ex terminis videtur spuria. *Neg. Antecedens*, ab omnibus negandum; quia Petrus, & creatura quævis, est essentialiter ens contingens, ac proinde potens non existere; quod non haberet, si carentia ejus fieret impossibilis. Ad *prob. neg. Maj.*: tunc enim Petrus desineret esse ens contingens, adeòq; verâ amitteret essentiam entis creati; quare necessariò deficeret; sicuti deficeret Deus, si desineret esse ens necessariũ. *Probatio* adjuncta distinguatur

tur sic: implicat deficere id, cujus defectus est impossibilis nūc, & in suppositione verâ, *conc.*; cujus defectus est, vel esset impossibilis in hypothesi chymericâ, *subdist.*: implicat deficere quoad existentiâ veram, & contingentem, quam nunc habet, *neg.*; quoad aliam essentialiter diversam, quam tunc haberet, *transeat.* Ad *confirm.*: utraque illatio recta est ratione materiæ, loquendo de existentiâ Petri verâ, & contingenti; hæc enim necessariò deficeret, seu fieret chymerica, si non esset contingens, vel, quod idem est, si non posset deficere.

10 *Objic.* 3.: si Petrus, & ejus carentia connectuntur cum Deo, sequitur, duo contradictoria formalia, nempe Deum, & carentiam Dei, esse inter se connexa quoad existentiam. *Prob.* absurda sequela: quia rectus erit hic discursus: *Si datur carentia Dei, datur carentia Petri* (qui certè non existeret deficiente Deo): *sed, si datur carentia Petri, datur Deus* (siquidem carentia Petri cum Deo connectitur); *ergo, si datur carentia Dei, datur Deus.* En, ut ex carentiâ Dei tandem infertur dari Deum; quod est, Deum, & carentiam Dei inter se connecti quoad existentiam. Omissâ solutione P. Peynado, *neg. sequel.*: & in *probatione dist. Maj.* illius discursus: Si datur carentia Dei, datur carentia Petri contingens, quæ sola nunc est possibilis, *neg.*; datur carentia Petri necessaria, quæ nunc est chymerica, *conc. Maj.*, positâ enim carentiâ Dei, Petrus fieret impossibilis, ac proinde carentia Petri fieret necessaria, diversaque essentialiter ab eâ, quæ nunc est possibilis, & cum Deo connexa. Tum *dist. Min.* ejusdem discursus: Si datur carentia Petri contingens, & verè possibilis, datur Deus, *conc.* (sola quippe talis carentia Petri connectitur cum Deo); si datur carentia Petri necessaria, quæ modò est chymerica, datur Deus, *neg. Min.* (non enim chymeræ invicem connectuntur cum Deo, ex *n.* 2.); & tandem *neg. Consequ.*

# DISPUT. VIII.

## *DE CAUSA PRIMA, QUATENUS CONCURRENTE cum secundis ad earum effectus.*

EXISTENTIAM Dei, qui primus Auctor, & prima Causa est rerum omnium, tot linguæ clamant, quot in Universo creaturæ existunt, quæ totidem sunt specula Divinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis; *Invisibilia enim ipsius* (inquit Apostolus *ad Rom.* 1. *per ea, quæ fac-*

*facta sunt intellecta, conspiciuuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas.* Consonat sensus totius ferè generis humani; ut enim inquit Mag. Augustinus tract. 106. in Joan., *Hæc est vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omninò aut penitus possit abscondi: exceptis enim paucis, in quibus natura nimiùm depravata est, universum genus humanum, Deum Mundi hujus fatetur Autborem.* Soli reclamant Athei, ideſt, homines sine Deo, pauca, & infœcunda monstra, quæ delirium suum, fatuitatemque nulli unquam hominum pago universim persuadere potuerunt: contra quos Philosophi, & Theologi multis ac varijs demonstrationibus evidenter ostendunt existentiam *veri Dei*, hoc nomine intelligentes *Ens summè necessarium, incausatum, supremum, & unicum in esse talis, à quo cætera omnia trahunt originem*; vel, quod in idem recidit, *Ens summè perfectum, omni carens imperfectione, & omni prædicatum perfectione possibili vel formaliter, vel eminenter.*

Quos ultimos terminos addimus, quia ex perfectionibus possibilibus aliæ vocãtur *simpliciter simplices*, quæ scilicet in suo conceptu non involvunt imperfectionem, nec repugnantiam cum aliâ perfectione superiori, vel æquali; ideòque *meliores sunt ipsæ*, quàm *non ipsæ*, ideſt, quàm aliæ ipsis repugnantes; cujusmodi sunt *vivere, sapere, sanctum esse, veracem, omnipotentem* &c.: & omnes perfectiones hujusmodi continet Deus *formaliter*, ideſt, ita ut sub proprijs conceptibus de Deo affirmentur. Aliæ verò dicuntur perfectiones *secundùm quid*, seu *non simpliciter*, quæ scilicet conditiones non habent modò dictas, ut *esse rosam, adamantem, Solem* &c.: & has continet Deus *eminenter*, ideſt, ita ut habeat perfectionem superioris ordinis, vi cujus possit perfectiones istas causalitate communicare, seu extra se producere.

Ex demonstrationibus communiter adduci solitis unam hîc breviter indicabimus, quæ magis hujus loci propria esse videtur. Ea sit: Quidquid productum & factum est, ab alio factum est; repugnat enim naturæ lumini, quòd res ulla semetipsam quoad primum esse producat; ab alio, inquam, quod ab effectu suo non sit productum, cum pariter repugnet mutua productio quoad primum esse. Vel ergo factum est ab alio, quod sit etiam productum, & causatum? vel quod sit incausatum, & ens à se? Si hoc posterius eligas: jam ergo existit ens à nullo dependens in essendo; ex quâ independentiâ facilè probantur cætera, quæ pertinẽt ad conceptum veri Dei, ut mox attingam. Si verò primum optes; procedam interrogando, à quonam alio sit factum? an ab ente causato? an ab incausato? & sic deinceps, donec ad causam à nullo factam perveniatur. Nec prodest recursus ad infinitam seriem causarum, in quâ nunquam perveniri possit ad primam. Nam infinita illa multitudo causarum, vel continet aliquam improductam; & habemus intentum: vel nullam continet, quæ non sit ab alio producta; & sic vel earum aliqua producit se, vel producit aliam,

à quâ reciprocè producitur ( quod utrumque repugnat ), vel quærendum est extra collectionem earum omnium aliquod ens, à quo tota illa series trahat originem.

*Dices*, hinc probari quidem ens incausatum, non tamen necessarium, nec unicum, nec summè perfectum. Sed *contrà* : inprimis ens incausatum nequit esse contingens : nam alioquin posset esse, & non esse, ac proinde causam haberet cur sit potiùs, quàm non sit. Deinde nequit non esse unicum ; tum quia ens essentialiter necessarium, est essentialiter existens, atqueadeò essentialiter singulare, nam existentia, ut actu exercita, non nisi singularium est ; tum propter dicenda paulò inferiùs. Denique nequit non esse summe perfectum ; quia non est unde limitetur ejus perfectio : non ex parte dantis, aut causantis, cum à nullo accipiat : non ex parte sui ; quia nullum est fundamentum, nulla ratio, cur ens à nullo pendens, à nullo accipiens, nulli debens, & tamen perfectionem aliquam habens, non habeat omnem ; non enim est major difficultas habendi à se unam, quàm aliam, neque ulla ratio discriminis. Accedit, quòd omnis perfectio possibilis debet habere in aliquo ente aseitatem, & necessitatem essendi formaliter, aut eminenter ; aliàs à nullo ente posset primò produci, adeòque non esset possibilis. Vel aliter : omnis perfectio possibilis, vel est increata, vel creata, seu creabilis. Si est increata, existit in ente incausato : si creabilis, est producibilis ab eodem incausato ente ; ergo vel formaliter, vel eminenter continetur in ipso, juxta illud per se notum, *Nemo dat, quod non habet.*

Hinc sequitur etiam unitas, seu immultiplicabilitas entis incausati : nam talis unitas vera perfectio est, adeòque debet cum cæteris in illo ente contineri. Est, inquam, vera perfectio : tum quia ex communi hominum sensu ad excellentiam maximè pertinet non habere aliud simile, nec æquale : tum etiam, quia opposita pluralitas imperfectio est, vel imperfectionem supponit, cum sit obnoxia confusioni, discordiæ, & alijs incommodis. Unde Cyprianus lib. de idol. vanit., *Ad divinum imperium* (inquit) *etiam de terris mutuemur exemplum. Quomodò unquam regni societas aut cum fide cæpit, aut sine cruore desijt* ? Et Athanasius in orat. cont. idol., *Ubi princeps non est, ibi disturbatio nascitur : unde concluditur, quòd multitudo Deorum, nullitas est Deorum.* Id quod & Ethnici docuerunt : nam Aristoteles librum 12. Metaph. ita concludit : *Entia nolunt malè gubernari. Non est bonum pluralitas principatuum. Unus ergo princeps.* Et ante ipsum Homerus : *Multos imperitare malum est, Rex unicus esto.* Quod posteà imitatus est ille, qui cecinit :

*Nulla fides regni sociis, omnisque potestas*
*Impatiens consortis erit.*

Prædicta poterunt confirmari sic : Non repugnat summa perfectio, quâ major cogitari non possit verè talis. Nã omne, quod non est summè perfec-

fectum, est aliquatenùs imperfectum : non est autem imperfectum ex defectu perfectionis secundùm se chymericæ, ut per se patet : ergo ex defectu perfectionis secundùm se possibilis. Sed est imperfectum ex defectu summæ perfectionis : hæc ergo secundùm se possibilis est. Atqui summa perfectio includit necessitatem existendi; nam ex terminis melius est existere, quàm non existere, meliusque est non posse deficere, quàm esse obnoxium interitui : ergo summa perfectio necessariò existit: & eâdem ratione necessariò est summè sapiens, summè potens, unica, illimitata, infinita, summo prædita dominio suprà reliqua entia, & habens cætera omnia attributa, quæ in Deo agnoscimus; nam omnia pertinent ad conceptum summæ perfectionis. Sed jam ad ejus concursum cum causis secundis deveniamus.

## CAP. I.

## *DEUS IMMEDIATE concurrit ad omnes effectus creaturarum.*

1 CONclusio hæc adeò recepta est inter Orthodoxos, ut eam plures existiment propè catholicum dogma, & contrariam, cujus præcipuus defensor est Durandus, erroris in Fide damnendi; de quo videri potest P. Suar. *d.* 22. *Met. s.* 1., Sensus illius est, causas creatas à Deo pendere, non solùm in essendo, sed etiam immediatè in operando; ita ut Deus non modò sit causa mediata omnium effectuum, quatenùs eorum causas producit, & conservat; verùm etiam immediatè influat in omnem entitatem positivam, à virtute creatâ procedentem : quæ actio, sive influxus Dei cum causâ secundâ concurrentis, *concursus simultaneus* appellatur. *Probatur* 1. testimonijs sacræ Paginæ : ut Isai. 26., *Domine.., omnia opera nostra operatus es nobis* : Joan. 1., *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; & cap. 5., *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*; & cap. 15., *Sine me nihil potestis facere* : 1. ad Corinth. 12., *Deus, qui operatur omnia in omnibus* : Act. 17., *Deus, qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo sunt... cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia... In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Mitto alia innumera, quibus planè docemur, Deum formare humana membra in utero matris, producere fœnum, hervam, triticum, flores, fructus &c.: quæ omnia de immediatâ Dei operatione constanter accipiunt SS. Patres, quorum plura loca indicat P. Suar. *l. c.*.

2 *Prob.* 2. ratione : Deus habere debet in causas secundas, & in earum effectus, dominium perfectissimum, quo majus cogitari non possit : ergo & causæ & effectus debent Deo subjici, & ab eo pendere, subjectione, ac dependentiâ summâ. Atqui subjectio, ac dependentia multò major & strictior erit; tum ex parte causarum, si subjiciantur & pendeant, non solùm in essendo, sed etiam in ope-

rando; tùm ex parte effectuum, si Deo immediatè debeant suum esse, & eidem subjiciantur ratione sui, ab ipsoque pendeant, non solùm per causam secundam, sed etiam per se: ergo &c.. *Confirm.* 1.: omnis effectus essentialiter à Deo pendet in conservari: ergo & in fieri, seu primò produci. *Antecedens* Fide certum asserit Exim. Doctor *d.* 21. *Met. f.* 1., illudque probat testimonijs Scripturæ, & Patrũ, & ratione demonstrat; nec videtur id negare Durandus, aliusvè catholicus. *Consequentia* verò probatur: quia nulla ratio est, cur effectus in conservari pendeat essentialiter ab eo, à quo non pendet in fieri: non enim difficilius est, imò facilius ex terminis, aliquamdiù retinere præhabitam existentiam, quàm illam primò accipere: quare, si agens creatum sine concursu Dei sufficit ad dandum esse in primò instanti, cur non & ad conservandum in secundo? maximè cum ferè semper applicatum maneat per aliquod tempus, vel aliquot instantia: & quàmvis statim deficeret, substitui poterit aliud, univocum, vel æquivocum.

3 *Confirm.* 2.: ad dominium Dei pertinet posse quaslibet operationes & effectus immediatè impedire, vel existentes destruere, quin necessariò destruere debeat eorum causas secundas; nisi fortè causa aliqua probetur essentialiter cum operatione connexa. Sic de facto impedivit Deus combustionem ignis Babilonici, & motum aquæ Jordanis, & Maris rubri, quin ignem, aut aquæ gravitatem destrueret, vel aliquo requisito, seu comprincipio creato privaret. Certè absurdissimum est, quòd, si entitas A. mediatè pendeat à serie mille causarum, non possit Deus entitatem illam destruere, quin de medio tollat mille alias, adeò ut impotens sit earum aliquâ conservare, si velit effectum ultimum auferre. Arqui Deus non aliter hoc potest, nisi quatenùs potest negare vel suspendere concursum suum immediatum, quo indiget omnis entitas ut producatur, aut conservetur: ergo &c.. Patet *Minor*: quia si operatio ignis v. g. non indiget immediato Dei concursu, quomodò poterit Deus illam impedire, vel existentem destruere, nisi destruat ignem? Certè ignis non percipit Dei præceptum, nec, si perciperet, minùs integram haberet potentiam agendi. Saltem operatio potentiæ liberæ cum solis comprincipijs creatis, nullo modo posset à Deo cohiberi.

4 Solùm supereſt recursus ad quamdam sympathiam, vi cujus omnis entitas creata essentialiter habeat non posse existere, nisi volente Deo. Sed verò, si omnis operatio creata immediatè pendet à Deo volente, illumque præsupponit essentialiter, debet illum præsupponere ut causam verè influentem, & non ut meram conditionem: id enim, cui non deest continentia & proportio ad influendum, si aliunde determinatè & in individuo prærequiritur ad agẽdum ex essentiâ ipsâ actionis ut talis,

lis, non est mera conditio, sed virtus influens, ut inductione constat: & alioquin nunquam posset causa influens à merâ conditione discerni. Hoc maximè urget, si Omnipotentia non sit distincta formaliter à voluntate Divinâ: sed urget etiam satis cum solâ indistinctione reali.

5 *Confirm.* denique: repugnat, quòd agens irrationale, nullamque præhabens ideam operis, se solo ac proprio marte sine juvamine rationalis agentis producat opus mirè perfectum, & exquisitæ proportionis, multòque majori subtilitate, æconomiâ, & ordine partium, quàm quæ possunt efficere peritissimi artifices: hinc enim, si quis in sylvâ inveniat egregiè pictam imaginem rosæ, lilij, leonis, aut equi, vel rotatum horologium motu ordinatissimo præditum, stultus erit, nisi credat opus illud ab artifice valde rationali cum ideâ factum. Quod à fortiori verum est, si non unum, aut alterum opus ejusmodi, sed multiplex, & uniformiter statis temporibus efficiatur. Atqui vera rosa, verumque lilium, verus item leo, vel equus vivus, multò majori perfectione, subtilitate, vigore, harmoniâ, & ordine partium constant, quàm pictura, horologium, aut aliud quodlibet artefactum: nec producuntur semel, aut iterùm, sed propagatione perpetuâ, & uniformi. Prorsùs ergo naturæ lumini repugnat, quòd hujusmodi opera proveniant à solis causis irrationalibus sine concursu rationalis agentis, nempe Dei, rerum omnium ideas præhabentis.

6 *Objic.* 1.: potest Deus creare causam secundam, quæ non egeat immediato Dei concursu ad agendum; talis enim creatura commendaret bonitatem Dei, qui liberaliter potentiam integram agendi largiretur; ergo non est cur non censeatur, tales esse de facto causas secundas. *Neg. Antec.*: quia nec Deus potest se spoliare supremo & perfectissimo dominio, nec creaturam à subjectione, ac dependentiâ summâ dispensare, nec illi conferre potentiam ad effectus carentes essentiâ entis creati, quales essent, qui non immediatè & ratione sui à Deo penderent. Sicut ergo Deus producere nequit creaturam indestructibilem, aut connaturaliter videntem Deum, quâvis harum perfectionum communicatio quamdam apparentem liberalitatem præseferat; ita in casu nostro. *Replic.*: ad perfectionem artificis pertinet posse horologium fabricare, quod deinde per se moveatur sine immediato artificis concursu: ergo pariter &c.. Verùm hoc absurdè probat, posse creaturas sine influxu Dei conservari per sæcula, sicut sine artifice conservantur templa, domus, & alia. Quare *neg. Consequ.*: quia illa perfectio humani artificis non est perfectio simpliciter simplex, sed tantùm prout in tali subjecto, in quo supponit imperfectionem, nempe quòd non perfectè sibi subjiciat artefactum, ita ut hujus materia & forma debeant essentialiter ab eo

pen-

pendere. Non ergo in Deum trãsferenda est illa perfectio, utpotè repugnans perfectioni supremi dominij simpliciter simplici.

7 *Objic.* 2.: causa creata sæpe est æqualis, vel superior effectu: ergo poterit illum sine concursu primæ causæ producere. *Neg. Consequ.*: quia, sicut æqualitas, aut superioritas perfectionis non efficit, ut ignis v. g. producere possit alium ignem, vel calorem, sine immediatâ dependentiâ à causâ materiali sustentativâ; ita non efficit, ut illum producere valeat sine immediato concursu causæ primæ; maximè cum æqualitas, aut superioritas se solâ non arguat virtutem operativam effectus; alioquin Angelus Angelum, vel Sol Solem, vel equus murem producere posset. Ut summum ergo sufficit æqualitas, aut superioritas, simul cum experientiâ activitatis, ut causa creata dicatur adæquata in suo genere, scilicet in genere causæ secundæ.

8 *Objic.* 3.: causæ, materialis, & formalis, ut in suo genere causent, non pendent immediatè à Deo: ergo nec causa efficiens, ut operetur in genere causæ efficientis. *Dist. Antec.*: non pendent immediatè à Deo, ut exercente munus subjecti, aut formæ, *conc.*; ut efficiente causalitatem ipsam materialem, & formalem, *neg. Antec., & Consequ.*. Itaque non solùm materia, & forma, sed etiam causalitas ipsa materialis, & formalis, immediate producitur, ac pendet à Deo; non tamen ab illo pendet tamquam à subjecto, vel formâ, seu non ita, ut Deum denominet materialiter aut formaliter causantem, quia munus, & denominatio ista imperfectionẽ præfefert. At munus & denominatio *efficientis* nullam arguit imperfectionem, nisi addas *per modum agentis secundi*, vel *subordinati*.

9 *Objic.* 4.: si Deus immediatè concurrit cum causis secundis, erit causa partialis; quod est contra dignitatem agentis perfectissimi. *Resp.*: Deus, dum concurrit cum causâ secundâ, licèt sit causa totalis in suo ordine, videlicèt primæ causæ; tamen in genere efficientis ut sic, causa partialis est, non in actu primo, sed in actu secundo, partialitate scilicet attemperationis, & dignationis, non verò partialitate indigentiæ, vel insufficientiæ virtutis; est enim Divina virtus ex se sufficientissima ut se solâ producat quosvis effectus, nec aliter suum concursum in actu secundo minuit, nisi ex dignatione, ut locum relinquat activitati creaturarum. Difficultas autem de actionibus causæ secundæ, quæ nequeunt oriri à solo Deo, soluta manet *disp. 2. cap ult. n. 25. & seq.*; nec ad præsens attinet; nam sive Deus concurrat cum causâ secundâ, sive secùs, actio creaturæ essentialiter oritur ab ipsâ. Nè tamen intelligas, Deum non esse causam totalem totalitate effectus; totum enim producit, sicut etiam creatura totum. Solùm ergo non est totalis totalitate causæ actu influentis; quia ita influit hìc & nũc, ut

ut simul requiratur influxus causæ creatæ.

10 Ex dictis inferes, cùm Deus dicitur plura operari *per causas secundas*, vel *mediis creaturis*, non significari, quòd Deus sit tunc causa purè mediata, & remota; sed solùm quòd sæpe utitur creaturis tamquam causis sibi subordinatis, & ad ipsius nutum operantibus, ut hæ quam à Deo acceperant virtutem ostendant ad gloriam Conditoris. Hoc tamen non tollit, quòd simul in operando debeant ostendere subjectionem, ac dependentiam creaturæ propriam. Restat præcipua difficultas de concursu Dei ad actus liberos creaturæ, præsertim peccaminosos. Sed priusquàm enodetur, stabilienda est sequens conclusio.

## CAP. II.

### *CAUSÆ SECUNDÆ, ET causæ primæ cum ea concurrentis, eadem est actio.*

1 ITA communiter Authores nostri cum P. Suar. *cit. disp.* 22. *s.* 3., & sæpe aliàs. Contrarium docent Thomistæ frequenter (licèt non omnes), apud quos Deus concurrit per actionem secum identificatâ, & in actu Divinæ voluntatis consistentem (non enim consistere potest, ut vult Maso in actione identificatâ cũ omnipotentiâ, prout formaliter distinctâ ab intellectu & voluntate, nisi difficultas de actibus Dei liberis, transferatur ad alia attributa sine causâ); quæ actio, prout terminatur ad effectum creaturæ, est concursus simultaneus; & prout terminatur ad actionem creaturæ ipsius, est concursus prævius; quamquàm aliunde concursum prævium esse volunt physicam prædeterminationem (de quâ post), & eam se habere dicunt per modum actionis Dei terminatæ ad actionem creaturæ. Sed conclusio nostra *probatur*: actio creaturæ essentialiter pendet à Deo ut à causâ immediatâ: sed non pendet à Deo per aliâ actionem realiter distinctam: ergo pendet per se ipsam, tam *ut quod*, quàm *ut quo*, ac proinde ipsa est actio Dei, per ipsamque oritur effectus à Deo: ergo non opus est aliâ actione superadditâ solius Dei. Utraque *consequentia* legitima est, etiam apud Adversarios; & *Major* indubitata; quia, cum actio creaturæ sit aliqua vera entitas, in eâ militant argumenta nuper allata contra Durandum; nec SS. Patres docent tantummodò, Deum esse causam omnis effectus, sed etiam omnis actionis, & operationis creaturarum.

2 *Minor* ergo *probatur* 1. quia repugnat, saltem naturaliter, actio actionis, ut passim suppo, nunt Philosophi cum Aristotele 5. *Physic.*; & meritò quidem, cum actio ex conceptu suo sit effluxus & egressio sui, & termini, à virtute causæ. Nec ad rem est exemplum, quod Palanens opponit in externis actionibus humanis, quæ per aliam actionem pendent à voluntate: non enim actus voluntaris est physica productio deambulationis v. g. (alioqui voluntas esset potentia immediatè influens physi-

ce

cè in motum externum ; quod nullus Thomiſta concedet), ſed eſt tantùm imperium & applicatio potentiæ executivæ : hoc autem ſenſu nemo negat, actionem externam creaturæ, & Dei, oriri ab actu Divinæ voluntatis. 2. : quia ſuperflua omninò eſt illa actio quaſi reflexa; cum optimè poſsit eadem actio procedere indiviſim à duobus agentibus, maximè quando alterum alteri ſubordinatur : quod patet in Intellectu & ſpecie, necnon in Voluntate & habitu adquiſito : quod que nominatim de Deo & creaturâ docet expreſsè D. Thomas 1. *p. q.* 105. *ar.* 5. *ad* 2. dicens: *Una actio non procedit à duobus agentibus* (intellige *totalibus*) *unius ordinis : ſed nihil prohibet, quin una & eadem actio procedat à primo & ſecundo agente.*

3 3. : quia ſequitur, ſufficere concurſum prævium, & ſuperfluum eſſe ſimultaneum ; quod tamen vel Thomiſtis abſurdum eſt. *Prob.* : quia Deus per illam actionem actionis, quæ eſt concurſus purè prævius, immediatè cauſat actionem creaturæ : ergo per eamdem immediatè cauſat effectum: nam ſicut mediatio unius actionis non tollit immediationem cauſæ reſpectu effectus, ita nec mediatio duarum, cum neutra ſit propriè medium. Superflua igitur alia inſuper actio Dei, realiter, vel formaliter diſtincta, quæ terminetur ad effectum, & in quâ Thomiſtæ collocant concurſum ſimultaneũ. 4. : quia, ſi actio, quâ Deus cauſat actionem creaturæ, eſt phyſica prædeterminatio, ut paſsim Thomiſtæ ſignificant, Deus non immediatè cauſabit actionem creaturæ, ſed mediâ qualitate creatâ ; nam phyſica prædeterminatio paſsim à Thomiſtis vocatur qualitas, licèt tranſiens : hoc autem eſt incidere in Durandiſmum; non aliter, ac ſi diceretur, Deum non cauſare calefactionem, niſi medio calore. Quodſi phyſica prædeterminatio ponatur pura actio modalis, jam admittitur actio Dei tranſiens, realiter à Deo diſtincta; quo poſito, nihil jam prohibet Deum agere per actionem ipſam creaturæ. Si propterea dicas, Deum cauſare actionem creaturæ, non ſolùm per phyſicam prædeterminationẽ, ſed etiam per aliam actionem ſecum identificatam ; prorsùs inutiliter, & contra mentem Thomiſtarum admittes duplicem concurſum prævium, utrumque immediatum, & utrumque prædeterminantem.

4 5. : quia, ſi Deus actionem creaturæ cauſat per actionem præviam, Deus in actu ſecundo producet actionem creaturæ prius, quàm creatura ipſa : hoc autem cum libertate noſtrâ non cohæret: quomodò enim liberi erimus ad actionem, quæ ſupponitur à Deo producta priuſquàm à nobis eliciatur ? 6 : quia illa actio actionis nec poteſt eſſe creatio, nec eductio. Non creatio : quia ſequeretur, creationem admiſceri ſemper in operibus naturæ, & artis, contra expreſſam doctrinam D. Thomæ 1. *p. q.* 45. *ar.* 8. : & certè, terminus totus actionis, v. g. calefactio, non

non fit ex nihilo. Non eductio; quia hæc est actio pendens à subjecto præsuppositò, in eo recepta, & realiter identificata cum passione : quæ omnia convenire non possunt actioni à Deo indistinctæ.

5 7., & à priori: quia actio est propria illius virtutis, à quâ præsuppositâ pendet essentialiter, & immediatè immediatione *ut quo*, ita ut inter ipsam, & virtutem nihil mediet etiam modaliter distinctum ( vel cedo, quânam aliâ ratione calefactio est propria actio caloris ? ): sed actio creaturæ pendet essentialiter à virtute Dei præsuppositâ, & ita immediatè, ut inter ipsam, & virtutem Dei nihil mediet etiam modaliter distinctũ; aliàs mediaret alia externa actio, à Deo distincta, contra doctrinam Adversariorũ : ergo actio creaturæ est etiam actio propria Divinæ virtutis. Nec dicas, mediare aliam actionem, solùm formaliter, aut virtualiter à Deo distinctam. Tum quia similiter dici poterit, virtutem creatam secum identificare quamdam actionem, quæ virtualiter aut formaliter mediet inter ipsam, & actionem transeuntem. Tum etiam, quia saltem in sensu reali nihil mediat inter virtutem Dei, & actionem creaturæ : ergo hæc in sensu reali est immediata, & propria actio Dei.

*Objectiones solutæ.*

6 *Objic.* 1.: actiones specificantur à causis : ergo à diversis causis nequeunt non actiones diversæ provenire. 2.: actio creaturæ dependet à concursu Dei, & est illo posterior : item concursus Dei est perfectior, & universalior quàm concursus creaturæ : hoc autem sine distinctione reali inter utrumque stare nequit. Accedit, quòd Deus & creatura agunt sub diversâ ratione formali. 3.: Deus à creaturâ pendebit in operando; non enim potest operari per actionem creaturæ sine creaturâ. 4.: Deus nequit agere per actionem à se realiter distinctam. Tum quia Deus est agens infinitum in lineâ agendi, & infinitum in eâ lineâ, in quâ infinitum est, identificat secum ultimam actualitatem, quæ actualitas ultima in lineâ agendi est actio : sic Deus nequit vivere per actionem vitalem à se distinctam, quia est infinitus in ratione viventis. Tum quia agens perficitur per suam actionem; Deus autem perfici nequit per actionem à se distinctam. 5.: quilibet effectus per se ipsum pendet à Deo; non enim est indifferens, ut sit, vel non sit à Deo, si semel existat : ergo quilibet effectus est productio sui à Deo. Sed non est productio sui à causâ creatâ : ergo non eâdem actione producitur à Deo & creaturâ.

7 *Resp. ad* 1.: actiones specificantur à causis, quando aliunde supponuntur realiter distinctæ; non verò, si realis actionum distinctio non supponatur; ut patet in actione prodeunte ab intellectu & specie, vel à voluntate & habitu. Sic etiam potentiæ specificantur ab actibus; & tamen ab eâdem potentiâ oriri possunt actus specie diversi, ut à voluntate amor &

odium, vel actus boni, & mali. *Ad* 2.: actio creaturæ posterior est, imperfectior, ac dependens à concursu Dei, sumpto in actu primo, idest, à Divino decreto Omnipotentiam applicante ad concurrendum; secùs verò, à concursu Dei externo, sive in actu secundo; cum hoc enim identificatur actio creaturæ, ac proinde non est realiter illo posterior, &c.. Dico *realiter*: quia, si concursus Dei consideretur in sensu formali, seu prout ratione distinctus, saltem pro explicito, ab actione creaturæ; sic utique ex genere suo prior est prioritate logicâ, sive in subsistendi consequentiâ, & in eodem sensu actio creaturæ ab illo dependet, quatenùs rectè arguitur, *Existit actio creaturæ, ergo existit actio Dei*, non è converso: similiter in hoc sensu formali, ac præcisivo concursus Dei est universalior; quia sub nomine *concursus Dei*, vel *operatio Dei*, extendi potest ad omnes actiones possibiles: est item perfectior, saltem potestativè; quia contrahi potest ad perfectiores species actionum.

8 *Dices*: hæc utsummùm vera sunt de concursu Dei ut sic, non verò de concursu Dei determinato, & individuo; in quo tamen salvari debet prioritas, majorque perfectio, & universalitas; quia Deus ad quëlibet effectum individuum concurrit, & quidem in sensu reali, ut primum agens, & ut causa perfectior, & universalis, sibique subordinans causam creatã. *Resp.*: concursus Dei determinatus potest adhuc præscindi ab actione creaturæ, saltem præcisione non inclusionis pro explicito, nempe secundùm talem respectum ad primam causam; & ita spectatus, est perfectior, universalior, & prior *præsuppositivè*, & *arguitivè*; quia præsupponit & arguit virtutem perfectiorem, universaliorem, & priorem virtute creatâ. Sed, quidquid sit de præcisione istâ, ut Deus in sensu reali concurrat ut primum agens, & ut causa perfectior, & universalis, sibique subordinans causam creatam, sufficit quòd agat per virtutem à nullo causatam, infinitè perfectam, & universa continentem, sine cujus voluntate & influxu nec existere, nec agere potest causa creata. Hæ verò perfectiones resplendent etiam in concursu ipso actuali pro modulo ipsius, quatenùs ipse per se & essentialiter præsupponit perfectiones illas in D. o. Hinc Deus, etiam *ut concurrens in actu secundo*, est agens primum, universale, subordinans &c.: tum quia in eâ denominatione non solùm reduplicatur externa actio, sed etiam virtus ipsa: tum etiam, quia, licèt sola reduplicaretur actio, hæc per se & essentialiter est actio talis agentis, cui proinde tribuit denominationem *concurrentis* per modum *primi*, *universalis*, &c.. Sic substantia animæ, *ut actu influens* (saltem *ut quod*) in cognitionem, est causa substantialis; & tamen influxus ipse non est substantialis, nisi quatenùs per se supponit substantiam. Sic etiam Sol, ut *actu concurrens* cum corpo-

pore sublunari, est causa universalis; & tamen actualis concursus ad determinatum effectum, absque dubio particularis est, nec aliter universalis, nisi quatenùs per se supponit virtutem Solis.

9 Denique data doctrina explicari potest, tum exemplo intellectus concurrentis cum specie ad intellectionem: nam concursus intellectus passim dicitur perfectior & universalior, quàm concursus hujus aut illius speciei impressæ; ideòque dici solet, concursum intellectus determinari & coarctari per speciem: & tamen, si sermo sit de concursu determinato ad cognitionem A., realiter sumpto, locutio ista non aliter vera est, nisi quatenùs actio per se supponit perfectiorem & universaliorem virtutem in intellectu, quàm in specie. Tum exemplo causarum efficientis & materialis: nam causalitas efficientis perfectior est, quàm materialis; ideòque ista dedecet Deum, illa non dedecet: & tamen utraque causalitas, nempe actio & passio, realiter eadem est, etiam apud Thomistas communiter: oportet ergo recurrere ad sensum formalem, vel ad vim præstandi diversas denominationes juxta diversam indolem causarum, quas per se supponit illa causalitas.

10 Et hoc exemplo solves quod aliqui objiciunt: quòd scilicet, si eadem est actio Dei & creaturæ, dum producitur actus vitalis, eadem actio erit transiens & immanens, vitalis & non vitalis; nam respectu animæ erit vitalis & immanens, cum tamen respectu Dei sit transiens & non vitalis. Concedimus sequelam respectu diversorum, in quâ non major absurditas, quàm in eo quòd eadem causalitas respectu diversorum sit actio & non actio, passio & non passio; vel in eo quòd eadem actio sit vitalis & immanens respectu intellectus, & non vitalis nec immanens respectu speciei, quæ certe nō vivit per eam actionem, nec eam recipit. Non tamen concedimus, quòd illa actio sit non immanens, aut non vitalis *absolutè*; quia negatio absoluta denotat, istam actionem nulli suo principio immanere, nullumque reddere vivens: solùm id concedimus *respectivè*, seu respectu alicujus principij. Eodem exemplo actionis & passionis explicare poteris, quomodò actio realiter eadem tribuat Deo denominationem agentis per modum primæ causæ, creaturæ verò denominationem agentis per modum causæ secundæ & subordinatæ, quin denominationes istæ confundi, vel inverti possint.

11 Ex dictis colliges, quo sensu dicatur Deus agere sub ratione entis, creatura verò non ita. Hoc non sic intelligas, ut sola ratio entis producatur à Deo; producit enim Deus citra dubium prædicata omnia positiva: nec sic, ut ratio entis, identificata cum effecto, non producatur a causâ secundâ; nam aliàs hæc ageret nihil, seu nullum ens. Totus ergo effectus producitur à causâ prima, & totus à secundâ, totalitate effectus, licet

non totalitate cauſæ. Sed dicitur Deus agere ſub ratione entis, quia agit per virtutem ex ſe potentem agere quidquid eſt ens (intellige participatum); illa enim formalitas, quæ invenitur in omni effectu producibili ab aliquâ potentiâ, & præterea in nullo, dicitur illius potentiæ ratio formalis *ſub qua*. Quodſi loquamur de actuali concurſu, vel actione Dei, hæc etiam quandoque dicitur tendere ſub ratione entis univerſali; ſed tunc accipitur actio Dei *ut ſic*, ſive in communi: cæterùm ſi ſermo ſit de actione terminatâ ad individuum effectum, iſta non reſpicit rationem entis univerſalem, niſi præſuppoſitivè, quatenùs per ſe oritur à virtute reſpiciente rationem ejuſmodi.

12 Ad 3. *object.* n. 6. *neg. ſequel.* abſolutè, etiam ſi loquatur de operando per actionem creaturæ: quia non propriè dicitur pendere in operando ab alio, qui non poteſt utcumque operari ſine alio, ſed qui non poteſt ſine alio ſibi non ſubdito in operando. Sic non propriè dicitur quis pendere à calamo in ſcribendo, ſi calamum habet ad manum cum poteſtate utendi pro libitu. Deus autem ſibi ſubditas habet in operando creaturas omnes, etiam liberas. Quodſi dependẽ etiam impropriè voces illam neceſſitatem adhibendi cauſam creatam, poſito quòd Deus velit agere tali actione, & non aliâ, *diſtinguo* ſic: Deus pendebit &c., dependentiâ ſe tenente ex parte Divinæ virtutis, *neg.*; dependentiâ unicè ſe tenente ex parte talis actionis externæ, *tranſeat*: hoc enim ſenſu dicere quoque poteris, quòd Deus in educendo calorem, dependet eſſentialiter à materiâ; & in producendo unionem, dependet ab exiſtentiâ extremorum. Nec objectio iſta magis contra nos eſt, quàm contra omnes: nam, ſive Deus producat actionem creaturæ per actionem diſtinctam, ſive non, certum eſt quòd illam producere non poteſt ſine cauſâ creatâ: ſemper ergo à creaturâ pendebit in operando talem actionem.

13 *Ad* 4. *neg.* aſſumptum; negandum etiam à Thomiſtis, qui communiter ſupponunt, Deum poſſe operari ſe ſolo per actionem eductivam; ideòque frequenter aſſerunt, Gratiam, & alias qualitates ſupernaturales, à ſolo Deo productas, educi verè & propriè, ut videre eſt apud Collegium S. Th. Complut. *lib.* 1. *Phyſ. q.* 4.. Et alioquin concurſus Dei ſimultaneus, qui juxta Adverſarios eſt actio ſolius Dei, foret actio creativa, contrà D. Thomam ſuprà citatum *n.* 4.. Atqui actio eductiva nequit eſſe à Deo realiter indiſtincta, propter dicta *eod. n.* 4.; & alioquin paſſio Gratiæ in animâ non diſtingueretur à Deo: ergo Deus per actionem à ſe diſtinctam agere valet. Si dicas, identificari cum paſſione ſolam productionem paſſivam Gratiæ. *Contrà*: productio paſſiva, vel eſt vera actio, vel non. Si eſt: ergo eſt actio alicujus, cui tribuit denominationem agentis; cujus autem, niſi Dei? Si non eſt:

er-

ergo falsum est, quòd actio & passio identificentur, contra quod Thomistæ communiter docent.

14 Nec obstant illius assumpti probationes. Non enim actio transiens, sed sola immanens, est actualitas, aut perfectio agentis; nam actio transiens, cum non sit in agente, sed in passo, vel termino, solum passum, aut terminum intrinsecè actuat, ac perficit. Et, licèt aliquomodò dici possit perfectio respectu agentis creati, quod innatè appetit explicare virtutem suam, & ex effectu haurire potest commodum aliquod; non ita respectu Dei, cui non melius est actu agere ad extrà, quàm non agere. Quare Deus, licèt non secum identificet actionem transeuntem, tamen identificat omnem operationem, quâ perfici potest, nempe immanentem: identificat etiam ultimam actualitatem, seu perfectionem de lineâ virtutis activæ, nempe infinitam & actualissimam sufficientiam ad agendum, nec non applicationem liberam. Non tamen secum identificare debet actualitates pertinentes ad effectum; alioquin ipsam etiam effectus existentiam secum identificaret. Et hinc instatur exemplum de lineâ vivendi: nam Deus identificat secum non solùm operationem, sed terminum, aut quasi terminum vitalem, v. g. amorem sui: ergo pariter secum identificabit terminum virtutis activæ, qui est creatura. Disparitas igitur in eo est, quòd linea vivendi, est linea operandi immanenter: at linea agendi ad extrà, est linea operandi transeunter. Quodsi adhuc velis actionem transeuntem vocare actualitatem causæ, quia illam denominat actualiter agentem in actu secundo, dicam, esse actualitatem merè extrinsecam, & nullatenus perficientem Deum, sed purè denominantem; quemadmodùm nullatenùs Deum perficit nostra cognitio, licèt sit actualitas Deum denominans actualiter cognitum. Talem autem actualitatem non debet secum identificare Deus titulo infinitudinis in lineâ agendi; sicut non identificat actualitatem, quâ redditur cognitus à nobis, quàmvis sit infinitus in lineâ cognoscentis & cognoscibilis.

15 *Ad* 5.: quilibet effectus essentialiter à Deo pendet *ut quod*; quia essentialiter exigit esse terminum actionis Dei; non tamen pendet per se ipsum *ut quo*, seu per modum emanationis actualis à Deo; quia ex se indifferens est, ut à Deo pendeat per varias actiones, vel naturales, vel supernaturales, vel ortas à Deo solo, vel etiam à creaturâ, & sæpe etiam vel eductivas, vel creativas. Nec objectio ista prodest Thomistis: tum quia æquè probat, quòd actio creaturæ est productio sui à Deo, atqueadeò est actio Dei: tum etiam, quia probat, actionem Dei non identificari cum Deo, sed cum effectu. Solet etiam contra nos argui ex actione creativâ, in cujus distinctione à Deo peculiaris difficultas est, commodiùs solvenda *tract. sequ.* Modò sufficit nobis, quòd actio,

quâ Deus concurrit cum causis secundis, & quæ nunquam creatio est, saltem quoad primum esse, sit à Deo distincta, & eadem cum actione creaturæ.

16 Nunc tamen observa sequentia. 1.: decretum, quo Deus applicat Omnipotentiam suam ad concurrendum cum causâ secundâ, sæpè vocatur, præsertim apud antiquos, actio Dei, etiam ad extrà: tum quia est operatio immanens Divinæ voluntatis respiciens effectum externum: tum etiam, quia, dum vult concurrere cum causis non liberis, efficaciam habet, & connexionem infrustrabilem cum effectu, in quâ convenit cum actione externâ. Et de hac actione Dei internâ loquitur D. Thomas variis in locis, ut cùm ait, actiones secundorum agentium fundari super actione Dei; item magis esse operata quædam, quàm operationes, & similia. Hoc tamen non tollit, quòd externa actio sit etiam verè ac propriè actio Dei: quemadmodùm non sola volitio, quâ homo se applicat ad opus externum, sed ipsa quoque externa operatio, est actio animæ verè, ac propriè. Quare distinguenda in Deo est circa creaturas duplex actio, interna, & externa, sive immanens, & trafiens; sic tamen, ut interna respectu effectus magis propriè dicatur principium, vel applicatio principij, vel concursus in actu primò, quàm actio, vel concursus in actu secundo.

17 2.: concursus Dei in actu secundo interdum dicitur *concursus divinus*, & *actio divina*, non quidem formaliter, aut intransitivè, sed præsuppositivè, possessivè, & egressivè; quemadmodùm verba Christi D., imò & omnia, quæ dicunt Scriptores canonici, vocantur *verba divina*, & *sermo divinus*, quàmvis in se sint quid creatum. Cur autem non ita vocetur quilibet effectus, vix alia ratio est, quàm consuetudo loquendi; quæ potuit aliter institui, si vellet usus, quo modo *regia* vocantur, non totum actiones Regis, sed quæcumque specialiter ad Regem pertinent, ut equi regij, regia palatia, regiæ naves &c.. 3.: concursus Dei externus dici potest *imperfectus*, & *actio imperfecta*, non moraliter respectu Dei, propter dicenda in sequentibus; nec item physicè privativè, quasi careat aliquâ perfectione, quam juxta ordinem Divinæ voluntatis habere debet; sed physicè negative, quatenùs est quid finitum, ac limitatum, sicut omnis entitas creata. Sic *Deuteron.* 32. dicitur, *Dei perfecta sunt opera*: & tamen non est dubium, quin Dei opera, seu effectus, imperfectionem habeant creaturæ propriam.

18 4.: cùm Deus se solo conservat effectus à causâ secundâ productos, ut plerumque accidit, non eos conservat eâdem actione, quâ primò produxit: nam, cum prima productio sit actio, non solius Dei, sed etiam creaturæ, cessare debet, creaturâ cessante ab influendo. Deus ergo conservat eos effectus ut causa totalis in actu se-

secundo, adeòque novam actionem se solo adhibet æquivalentem ei, quæ primò prodijt à Deo simul & causâ secundâ. Nec obstat 1., quòd conservatio dicatur continuata productio. Nam hoc verum est, tum physicè, quando causa totalis conservans non distinguitur à primò producente: tum moraliter, quando alia causa, vel actio, sine interruptione succedit loco prioris, idemque præstat opus, aut munus, quod illa præstaret, si permaneret. Nec obstat 2., quòd illa nova actio non transferat effectum de non esse ad esse. Nam hoc est per accidens respectu actionis, quòd effectum inveniat jam existentem in instanti præcedenti, atque ita dicatur, non tam illum producere, quàm tenere in esse, vel conservare: de se enim ita dat esse effectui pro hoc instanti, ut pariter illud daret, si non extitisset in præcedenti. 5. demùm: dum concursus Dei dicitur *simultaneus* cum actione creaturæ, non significatur simultas conjunctionis duarum actionum, sed tantùm simultas identitatis inter actionem Dei & creaturæ, necnon simultas applicationis utriusque virtutis ad concurrendum in eodem reali naturæ signo.

(o)

## CAP. III.

### *DE SIMULTANEO CONCURSU Dei ad actus liberos creaturæ, præsertim peccaminosos.*

1 ARgumenta *cap.* 1. adducta, & omnium Scholarum consensus, evincunt immediatum Dei concursum ad actus creaturæ liberos, nec solùm ad honestos, quod nefas est negare, verùm etiam ad peccaminosos, v. g. ad odium Dei, ad volitionem furandi, &c. Difficultas tamen est, & ardua quidem, in explicando qualiter concursus immediatus nec Deum faciat Authorem peccati, nec destruat creatam libertatem; quod maximè pendet ex indole, seu tendentiâ decreti, quo Deus Omnipotentiam suam applicat (nimirùm applicatione intentionali) ad concurrendum cum causis liberis, quod decretum vocatur *concursus in actu primo*. In causis necessarijs nulla est difficultas: illis enim applicatur Omnipotentia per decretum efficaciter volens actionem determinatam hic & nunc, cujus actionis Deus Author est, & causa per se. Ut res tota explicetur, prius dicemus de concursu Dei ad actum peccati, ac deinde quomodo libertas nostra servetur illæsa: quamquàm materia ista magis ad Theologos pertinet, ideoque breviter in præsenti percurrenda erit.

*Refellitur doctrina Thomistica.*

2 Doctrina Thomistarum est,

est, Deum ideò non esse causam, aut Authorem peccati, quia, licèt concurrat (& quidem ex vi decreti efficacis, ac prædeterminantis) ad entitatem actus pravi, sit que illius entitatis causa per se; tamen nullo modo concurrit ad malitiam actus ut talem. Nam, si omnis peccati malitia (quæ vocatur etiam *formale peccati*, & *peccatum pro formali*, vel *pro expresso*) consistit in privativo, nempe in carentia rectitudinis debitæ, ut fert sententia in utrâque Scholâ communis; jam malitia in se non terminat actionem Dei; nec aliunde resultat ex entitate actus prout à Deo productâ, sed tantùm ex eâ ut positâ à voluntate creatâ, de se in defectum pronâ, seu defectibili. Quare soli creaturæ imputatur malitia; Deo autem sola tribuitur entitas actus, quæ vocari solet *materiale peccati*, *fundamentum*, & *subtractum malitiæ*: non aliter ac, dum claudus claudicat, solus motus tribuitur animæ; claudicatio autem, quatenus defectus est, soli tribuitur tibiæ curvæ. Si verò, ut fert sententia valde probabilis in utrâque Scholâ, malitia peccati commissionis consistit in positivo, idest, in ipsâ positivâ tendentiâ odij Dei v.g., de se contrariâ rectæ rationi, & transgressivâ Divinæ legis; tunc Deus producit & causat in actu odij rationem entis, vitalitatem, & alia prædicata merè physica; malitiam tamen ut talem non producit etiã physicè, nec actione suâ physicè attingit formalitatem malitiæ, licèt realiter identificatam cum actu odij.

3 Verùm doctrina hæc à totâ Scholâ nostrâ rejicitur, tum ut contraria libertati propter decretum prædeterminans, de quo infrà *cap.* 5.; tum ut non benè consona sanctitati Dei, eò quòd non satis salvare videatur, Deum non esse Authorem peccati, si verè est Author, & causa per se actus pravi quoad entitatem. Hoc multis & urgentissimis persuadere nituntur Theologi nostri. Nunc aliqua tantùm indicabimus. *Arguitur* ergo 1.: quia, posito malitiam consistere in positivo, seu realiter identificari cum actu, malitia realiter à Deo producitur, sicut entitas actus (entitas hæc à Deo producitur determinata, & individua, citra dubium): si ergo Deus ita producit entitatem, ut sit Author illius, pariter & malitiam. *Prob. Antec.* hoc syllogismo expositorio: *Hæc entitas odij realiter à Deo producitur, sed malitia odij est hæc entitas odij, ergo malitia odij realiter à Deo producitur*: ubi utraque præmissa est innegabilis in suppositione datâ, & consequentia legitimè infertur.

4 Nec recurras ad præcisiones intellectus: nam hæ nihil conferunt ad id, quod peragitur physicè, & à parte rei; & nefas est dicere, Deum esse malitiæ Authorem in sensu reali. Certè *Fieri pertinet ad ipsam rem, secundùm quod in se est*, ut ait D. Thomas 3. *p. q.* 24. *ar.* 1. *ad* 2.. Unde, cùm Adversarij dicunt, ipsam quoque ma-

malitiam à Deo produci, *in quantum entitas physica est*, non *in quantum malitia*; in primis implicant in terminis, si nolint à Deo physicè produci malitiam, tamquam rationem *quæ*. Quid enim est produci physicè id, quod consistit in entitate physicâ, nisi produci physicè in quantum est physica entitas? Vel quid est verè produci hominem, nisi à productione determinari, ut suam entitatem & existentiam habeat? Deinde, vel illa reduplicatio, *in quantum malitia*, solùm alludit ad modum agendi ex parte causæ non determinantis ex se talem actionem; vel denotat formalitatem objectivam, quæ, licèt realiter identificata cum actu, tamen realiter non producatur à Deo. Si primum dicas; verissimum est, quòd malitia, *in quantum malitia*, non producitur à Deo, etiam realiter, ut dicemus *cap. sequ.*; sed hic sensus procul est à mente Thomistarum. Si secundum; urget syllogismus expositorius, nuper adductus.

5 Supereſt, ut confugias ad distinctionem virtualem intrinsecam, vi cujus verificari possint de malitiâ & entitate, licèt realiter idem sint, prædicata contradictoria *produci* & *non produci à Deo*. Sed in primis respondere teneris argumentis omnibus, quibus distinctionem hujusmodi rejecimus in Logicâ cum pluribus Thomistis, præsertim Recentioribus. Deinde ponis distinctionem virtualem, quæ non habet exemplum in creatis, nempe vi cujus verificetur de eadem re produci & non produci realiter à certâ causâ: propterea quærendum erit exemplum in Divinis, & ad rem vilissimam transferenda mysterij Trinitatis arduitas naturaliter incognoscibilis, ubi à Patre Filiatio producitur, Essentia non producitur. Denique nec in Divinis exemplum habes: nam ex tuâ doctrinâ sequitur, posse realiter existere entitatem actus, quin existat malitia, quam secum realiter identificat, adeòque posse realiter idem simul esse & non esse, contra principium per se notum. *Prob.*: poterit contingere, ut posità actione Dei circa entitatem actus (loquor de actu determinato, secum identificante malitiam), & posità simul actione creaturæ prout à Deo volità, nulla detur ulterior malitiæ productio: sed tunc existet entitas talis actus, utpotè à suis causis producta, & non existet malitia, utpotè à nullo producta: ergo &c.. Constat *Major*: quia, juxta Thomistas, entitas, seu materiale peccati, quatenùs à Deo productum, non connectitur cum malitiâ; & ob eamdem rationem nec cum malitiâ connectitur actio creaturæ prout à Deo volita. Cur ergo tunc suspendi non posset ulterior productio malitiæ?

6 *Confirm.*: in sententiâ collocante malitiam in positivo, malitia formalis consistit in specificâ differentiâ odij Dei v.g., nempe in tendentiâ aversivâ in Deum (suppono libertatem, quæ actibus intrinseca est, juxta Thomis-

tas communiter ) ; nam ratione istius tendentiæ ille actus formaliter opponitur Divinæ legi : sed Deus non producit entitatem actus sine differentiâ specificâ ; alioquin solùm produceret actum ut sic , & hic , quatenùs à Deo productus , foret quoddam universale à parte rei : ergo Deus non producit actum præcisum à malitiâ. *Urgetur* : ens transcendit formaliter differentias , juxta Adversarios : ergo malicia , quæ est differentia specifica actus , est formaliter ens. Sed quidquid est formaliter ens , à Deo producitur : ergo &c.. Et quidem mirissimum erit, quòd actio physica omninò præscindat rationem entis à differentijs, quas transcendit , cum tamen juxta Adversarios id facere nequeat Intellectus , quantumvis præcisivus. *Urgetur* iterùm : malitia est formalitas positiva , ut nunc supponitur : ergo est formalitas positivè existens à parte rei, adeòque positivè producta , saltem à creaturâ. Sed quidquid positivè producitur à creaturâ , producitur simul à Deo , nisi negetur cum Durando concursus simultaneus : ergo &c.. Si dicas , malitiam non esse quid positivum *pro formali* , seu *pro expresso* : Rogo, vel hæ voces denotant objectum non positivum à parte rei , & priori ad præcisiones nostras ? Vel non ? Si denotant : ergo à parte rei malitia non stat in mero positivo , contrà suppositionem. Si non denotant : ergo malicia , ut posita à parte rei , est quid penitùs & undique positivum ; & urget argumentum.

7 *Arg.* 2. : etiamsi malitia consistat in privatione , si Deus ita producit actum , ut sit illius causa per se , nequit non esse causa malitiæ eo modo , quo ista causari potest. Nam privatio , cum in se terminare non valeat actionem physicam , non aliter causari potest imputabiliter , nisi quatenùs per se intenditur & ponitur actus cum prævisione malitiæ resultaturæ : nec aliter malitia causatur à creaturâ ; ut est certum. Sed Deus, juxta Adversarios , ut Author , & causa per se ponit actum , seu materiale peccati , prævidens fore, ut ex eo necessariò resultet malitia; loquimur enim de actu, vel intrinsecè libero , vel saltem posito in circunstantijs humanæ libertatis in actu primo cum advertentiâ ad legem prohibentem , in quibus metaphysicè repugnat actum existere sine malitiâ. Deus ergo malitiam causabit modo , quo illa causari potest , ipsa que Deo ut Authori attribuetur.

8 Nec obstat , quòd Deus non intendat malitiam , nec ex eâ moveatur ad producèdum actum. Nam nec illam creatura directè intendit , nec ex eâ movetur , juxta illud , *Nemo intendens in malum operatur* , & juxta D. Thomam id ex professo probantem *q. 1. de mal. ar. 3.* ; sed movetur creatura solùm ex delectabilitate actus , aut objecti , quam si posset à malitiâ secernere , plerumque secerneret libentissimè : & tamen , quia ponit ac-

actum prævidens resultantiam malitiæ, censetur hanc virtualiter aut indirectè velle, quantum sat est, ut malitia ipsi tribuatur, & imputetur. De hujusmodi voluntate indirectâ, & intentione interpretativâ, quæ ad imputationem sufficiens est, loquitur D. Thomas *in 2. Physic. lect. 8.*, dum ait: *Quod semper, vel ut frequenter conjungitur effectui, cadit sub eadem intentione: stultum est enim dicere, quòd aliquis intendat aliquid, & non velit illud, quod ut frequenter, vel semper adjungitur.* Id ipsum magis ex professo docet Angel. Doctor *q. 1. de mal. ar. 3.*, ubi, cum dixisset in *corp.*, quòd malum semper est effectus per accidens, & præter intentionem agentis, posteà *ad 15.* sic ait: *Quando accidens comitatur effectum principaliter intentum semper, vel ut in pluribus, tunc accidens non separatur ab intentione agentis.* Unde infertur, quòd *si semper, vel ut in pluribus adjungatur malum bono, quod per se intendit voluntas, non excusatur à peccato, licèt illud malum non per se intendat. Delectationi autem, quæ est in adulterio, semper conjungitur malum, scilicet privatio ordinis justitiæ: unde non excusatur à peccato &c.*. En regulam generalem, cui contradicere censet stultum D. Thomas: Quando agens vult, aut per se intendit effectum, cui semper conjungitur malitia ex resultantiâ inevitabili, vult & intendit malitiam modo aliquo ad imputationem sufficiente.

9 Nec item obstat, quòd Deus non teneatur legibus, nec peccet per illum actum. Non enim hoc inferimus ex doctrinâ contrariâ, sed quòd Deus sit causa cur creatura peccet, seu quòd illam peccare faciat, ita ut malitia Deo tribuatur, non ut per illam peccanti, sed ut Authori, & causæ cur illa insit creaturæ; quod si concederetur, ingens blasphemia esset. Sic Deus non vivit per actum peccati; & tamen, si vitalitatem illius actus per se causat, verè facit creaturam vivere per illum, & est Author, & causa cur vivat. Rem declarat hic syllogismus: Qui facit alterum facere id, quod facere non potest nisi peccando, facit alterum peccare; ut videtur notum ex terminis, & inductione perpetuâ, sed Deus concurrens ad materiale peccati ex propriâ determinatione, sive ut causa per se, facit hominem facere id, quod facere non potest nisi peccando; certum quippe est, quòd homo in his circumstantijs non nisi peccando facere potest materiale peccati: Deus ergo, tali modo concurrens, facit hominem peccare.

10 *Dicunt*, Deum producere & velle materiale peccati materialiter sumptum, & præcisè ut est entitas physica, non verò prout formaliter fundans malitiam, vel sub ratione fundamenti cum ea connexi, vel eam inferentis. Sed *contrà*; non quærimus, an ratio fundantis malitiam sit ratio formalis *sub qua* Deus agit, hæc enim sola est ratio entis ut sic; sed an il-

la ratio fundamenti realiter producatur à Deo ut ratio quæ, sicut producitur à creaturâ, quamvis non sit ratio *sub qua* respectu illius, vel sicut à Deo producitur ratio vitalitatis, licèt respectu Dei non sit ratio formalis *sub qua*; proindeque, an Deus sit illius Author, sicut est Author vitalitatis. Quod autem ita realiter producatur à Deo, *probatur* 1.: quia illa ratio fundamenti, vel est à parte rei formalitas privativa, vel positiva. Primum dici non potest; quia malitia peccati commissionis juxta omnes vel consistit in positivo, vel saltem in positivo fundatur: & insuper, quia si ratio fundamenti stat in privativo, fundari debet in alio positivo, de quo idem argumentum fiet. Secundum si dicatur, illa formalitas, utpotè realiter identificata cum actu, debet realiter produci à Deo propter dicta in argumento primo. Præterea, cætera prædicata actus summè connectuntur cum eâ formalitate; nam quæ major connexio, quàm realis identitas? ergo Deus, producendo cætera prædicata, producit aliquid summè connexum cum fundamento malitiæ ut tali, & consequenter cum resultantiâ malitiæ. Rursùs, illa formalitas vel producitur physicè à creaturâ, vel non. Si non: ergo realiter existit extra Deum positiva formalitas à nullo producta: item, ergo materiale peccati, ut physicè productum à creaturâ, non fundat, nec infert malitiam, quæ proinde non tribuetur creaturæ, sicut ob eamdem rationem non tribuitur Deo juxta Adversarios. Si producitur: ergo actio creaturæ physicè extenditur ad aliquid positivum, ad quod non extenditur actio primæ causæ: ergo creatura physicè producit positivum aliquid sine concursu Dei simultaneo.

11 2.: quia fundamentum malitiæ in peccato commissionis est ipsa differentia specifica actus, v. g. tendentia aversiva in Deum; nam hâc liberè positâ, implicat non resultare malitiam: sed Deus physicè producit actum secundum differentiam ejus specificam, ut arguebamus *n.* 6.: ergo physicè producit illum secundùm rationem fundamenti malitiæ. 3.: quia implicat intelligi physicam & individuam entitatem blasphemiæ in actu secundo cum libertate in actu primo, & advertentiâ ad legem prohibentem, quin intelligatur vel malitia formalis, vel saltem immediatum fundamentum ejus; nam quid aliud fundat malitiam blasphemiæ? Sed Deus physicè producit libertatem in actu primo cum advertentiâ ad legem, & in sensu composito illius producit etiam physicam & individuam entitatem blasphemiæ: producit ergo immediatum fundamentum malitiæ. 4.: vel Deus in sensu composito legis prohibentis odium sui, potest præcipere entitatem istius odij, quatenùs realiter à creaturâ productam cum concursu Dei, vel non potest. Si potest: ergo poterit præcipere tendentiam aversivam in Deum, prohibendo odium Dei;

quod

quod est præcipere definitionem, prohibendo definitum. Si non potest; cur quæso, nisi quia talis entitas, quatenùs à creaturâ producitur cum concursu Dei, fundat, & infert metaphysicè malitiam? nam, si cum malitiâ non connecteitur, non opponitur etiam fundamentaliter legi prohibenti; eamque insuper digna sit amore Dei efficaci juxta Adversarios, cur non erit digna præcepto?

*Prænotantur quædam ad nostram sententiam stabiliendam.*

12 Ut doctrinam nobis tenendam explicem, nonnulla prænoto. 1.: nulla entitas produci potest, non solùm sine concursu physico, verùm etiam sine voluntate Dei, liberrimè præconceptâ, & immediatè versante circà entitatem ipsam producendam. Hoc & sacræ Litteræ, Patresque testantur innumeris in locis; & ratio convincit: nequit enim agens supremum, & à nullo dependens, agere nisi volens, & se ipsum liberè applicans ad agendum. 2. (quod hinc sequitur): nulla causa creata habet completam & proximam facultatem agendi, nisi intelligatur illa Dei voluntas, seu decretum applicans Omnipotentiam ad concurrendum, quod decretum vocatur *concursus Divinus in actu primo*: cum enim creatura agere nequeat sine concursu Dei, nequit intelligi plenè potens agere, nisi Omnipotentia parata sit concurrere; & parata non est, nisi applicetur per voluntatem Divinam, sine quâ repugnat Omnipotentiam agere. Unde, licèt creatura dicatur proximè potens agere, quando nulla ipsi virtus aut conditio creata deest, hoc intelligitur de potentiâ proximâ *secundùm quid*, nempe secundùm comprincipia creata, non verò de potentiâ proximâ *simpliciter*, donec intelligatur applicatio Divinæ virtutis: id enim commune est omni causæ impotenti agere sine alterius juvamine. Hinc unum ex constitutivis libertatis creatæ in actu primo simpliciter proximo, & expedito, est decretum applicativum Omnipotentiæ: nam eo præciso, licèt cætera omnia existere intelligantur, non intelligitur libertas plena, & expedita.

13 3.: duplex est Dei voluntas, quoad præsens attinet; altera *approbativa*, seu *beneplaciti*, quæ suum objectum approbat, sive in eo complacet; altera *purè permissiva*, quæ vult non impedire terminum, ab alio determinandum, sed illum non intendit, nec approbat: & hâc tantum voluntate permissivâ Deus operatur mala opera nostra. Unde, cùm dicitur nihil fieri sine Dei voluntate, sermo est de voluntate ut præscindente ab approbativâ, & permissivâ, juxta scitum illud Magni Augustini, *Nihil fit, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Sed hîc diligenter observandum, quòd licèt puræ permissio ex terminis non importet concursum physicum, illum tamen importat, seu respicit ut non subtrahendum, pura permissio

sio causæ primæ propria. Ratio est; quia nemo permittit id, quod impedit; sed permissio causæ primæ, si subtraheret concursum physicum ad aliquod opus, illud impediret, & impedimento quidem essentiali, cum omne opus sit essentialiter impotens existere sine concursu physico primæ causæ: ergo permissio causæ primæ propria debet non subtrahere concursum physicum.

14 4.: cum permissione operis pravi benè cohæret quòd Deus seriò nolit illud existere, illudque tyrannicè prosequatur odio; non quidem nolitione, aut odio simpliciter efficaci; sic enim tolleret à creaturâ potestatem operis efficiendi; sed tantùm inefficaci, aut efficaci *quantum est ex parte Dei, salva libertate creata*, quatenùs à Deo excludit omnem affectum approbationis erga tale opus, & insuper media sufficientia infert ad illud liberè vitandum, propositis etiam præceptis, hortationibus, minis, &c.. Nulla enim contradictio est in eo, quòd velit quis alteri permittere opus non ponendo ex se impedimentum efficax, quo libertas ejus præpediatur; & simul alijs medijs seriò procuret alterum à tali opere retrahere. Sic Sacerdos, licèt paratus Eucharistiam dare peccatori occulto publicè petenti, proindeque paratus permittere communionem sacrilegam, non sine concursu physico ipsius Sacerdotis exequendam; potest nihilominùs illam seriò nolle, & peccatorem occultè hortari ut illam omittat, propositio Dei præcepto, metu damnationis, &c..

15 5.: licèt decretum, quo Deus applicat Omnipotentiam ad concurrendum cum causis naturalibus, seu non liberis, sit metaphysicè connexum cum effectu determinato, quia ibi connexio ista nihil habet incommodi; attamen, juxta nostra principia, non ita connexum esse potest decretum applicans Omnipotentiam ad concurrendum cum causis liberis: cum enim tale decretum constituat libertatem creatam in actu primo, ex dictis in *prænot.* 2.; si connecteretur cum extremo determinato, destrueret indifferentiam creaturæ ad agendum & non agendum, sive ad agendum benè & malè, quæ indifferentia est de conceptu libertatis in actu primo simpliciter proximo: destrueret ergo id ipsum, quod constituit. Debet ergo tale decretum esse indifferenter conjungibile cum utrolibet libertatis extremo, & ita Omnipotentiam applicare, ut voluntati creatæ relinquat determinationem sui actus, atque adeò externi concursus Omnipotentiæ sive ad actum bonum, sive ad malum. Idcircò decretum hoc appellatur *indifferens, attemperativum, relativum*, aut *commissivum*: quia se attemperando naturæ & indoli voluntatis creatæ, reddit Omnipotentiam indifferenter applicatam ad quodvis extremum libertatis, & voluntati creatæ relinquit, seu committit determinationem ex-

ter-

sensi concursus Omnipotentiæ ad alterum præ altero.

16 Si quæras, quam tendentiam habere possit decretum hujusmodi; per me, quam volueris, dummodò nuper dictas conditiones habeat. Ex communi tamen sensu Nostrorum, quoad præsens attinet, potest hæc designari: *Volo efficaciter libertatem creaturæ proximè expeditam ad bonam & malam operationem* (vel etiam *ad obedientiam & transgressionem legis*), *ut bonam, quam unicè intendo & procuro, liberè & meritoriè ponat; ideòque nolo ex propria determinatione impedire malam, quam tamen non approbo, sed seriò detestor, ac prohibitam manere volo.* Ex hâc tendentiâ (quæ in Deo simplicissima est, licèt eam explicare nequeat tarditas nostra sine plurium circuitu verborum), infertur 1., decretum illud esse efficax quantum ad applicationem Omnipotentiæ indifferentem in actu primo, seu relictivam determinationis in actu secundo: est enim efficax quantum ad libertatem creaturæ proximè expeditam, & hæc per talem applicationem Omnipotentiæ constituitur. Infertur 2., non esse efficax quantum ad inferendam infallibiliter operationem bonam; aliàs sibi contradiceret, cum vellet eam à creaturâ poni liberè, & aliunde connexionem haberet cum libertate pugnantem. Quare hoc sensu dicitur volitio & intentio inefficax. Non tamen est mera velleitas, aut simplex complacentia, sed volitio seria, & verè efficax, tum quoad excludendum nolitionem Dei efficacem de existentiâ talis operationis, tum quoad inferendum media necessaria & sufficientia ut liberè existat.

17 Infertur 3., nullatenùs esse volitionem intentivam, nec approbativam operationis malæ, sed potiùs detestativam; esse tamen permissivam ejus, quatenùs non vult eam impedire ex propriâ determinatione Dei. permissivam, inquam, permissione facti, non juris; non enim eam operationem reddit licitam, nec in prohibitione dispensat; sed reddit tantùm proximè factibilem physicè à creaturâ, & hoc non aliâ intentione, nisi ut illam creatura liberè & meritoriè omittat, & bonam eliciat. Alio sensu accipi solet permissio peccati pro denegatione auxilij efficacis, & collatione inefficacis, quæ logicè connectitur cum existentiâ peccati: sed nunc tantùm loquimur de permissione, quæ liberam determinationem creaturæ non impedit per subtractionem concursus physici. Infertur 4., nec esse decretum propriè, seu affectivè conditionatum, aut disjunctivum, licèt interdum ita vocetur cum addito *quasi*. Non enim sic tendit, *Volo concurrere cum voluntate creata, sub conditione quòd ipsa se determinet, vel ad actum bonum, vel ad pravum*: tum quia illa conditio determinationis voluntatis creatæ non distinguitur à conditionato, nempe ab externo concursu Dei: tum etiam, quia ic-

sequeretur, Deum velle positivè, atqueadeò approbare existentiam actus pravi, saltem conditionatè, aut disjunctivè; quod summam Dei sanctitatem dedecet. Solùm ergo dici potest conditionatum, aut disjunctivum æquivalenter effectivè, seu illativè, quatenùs in ordine ad efficiendum physicè, vel inferendum extrema libertatis, perinde se habet, ac si in ea tenderet cõditionatè, vel disjunctivè.

18 Infertur 5., pravam operationem, dum ponitur, verè poni præter, imò contrà beneplacitum, & intentionem Dei, etiam formaliter inclusam in decreto applicativo. Tum quia decretum hocce non dat creaturæ libertatem ad actum pravum, nisi cum intentione ut eâ libertate non utatur ad talem actum, sed utatur potiùs ad illum meritoriè omittendum, juxta illud *Eccli* 31., *Beatus vir.., qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit*: dum ergo creatura utitur, vel abutitur libertate ad actum pravum, facit contra intentionem Dei Omnipotentiam applicantis. Tum etiam, quia decretum illud vult actum pravum manere prohibitum, & ejus existentiam detestatur. Nè tamen hinc inferas, actum peccati esse Deo casualem. Quamvis enim accidat præter intentionẽ Dei, non accidit præter ejus præscientiam infallibilem: non est autem casuale, nisi quod inopinato accidit, idest, præter opinionem, sive præscientiam. Sic juxta omnes malitia formalis præter intentionem Dei est; nec tamen est Deo casualis.

19 Infertur 6., quodnam sit objectum decreti applicativi. Nam 1. objectum illius, quatenùs omninò efficacis, est libertas creata ut plenè constituta ad obediendum legi, sive ad operationem bonam & malam. *Dices*: ergo decretum illud se ipsum habet pro objecto, siquidem per ipsum plenè constituitur libertas creata. *Resp.*: omnis Divina volitio se ipsam expresse vult, sicut omnis Divina cognitio se ipsam expresse cognoscit: & quamvis volitio libera nequeat esse intransitive ac purè reflexa, quasi præcisè dicat, *Volo me ipsam*; potest tamen esse reflexa transitivè, volendo scilicet se ipsam in ordine ad aliquem effectum formalem, distinctum realiter aut formaliter à merâ denominatione *volentis*; quemadmodùm volitio condonandi debitum, vult debitorem *esse liberum ab obligatione solvendi*, & debitum *esse remissum*, aut *condonatum*, qui est effectus formalis ab eâ ipsâ volitione præstitus. Decretum ergo applicativum, efficaciter vult Omnipotentiam *esse applicatam*, & actum primum creatæ libertatis *esse ultimò completum*, & *expeditum*; quas denominationes, seu formales effectus, decretum ipsum exercite præstat in genere causæ formalis. Adde, quòd alia simul objecta directè respicit, licèt non efficaciter. Nam 2. objectum illius decreti, quatenùs intentivi (seriò quidem, sed inefficaciter in sensu ex-

explicato *n.* 16.), est obedientia legis, seu operatio bona. 3. objectum ejusdem, quatenùs improbantis, & simul purè permittentis, est existentia operationis pravæ, atque adeò externi concursus Dei ad illam. Jam autem *n.* 14. vidimus, posse, idem improbari simul, & permitti.

20 *Dices*: si Deus improbat existentiam istius concursus, habet nolitionem ejus: ergo non vult talem concursum: ergo non vult taliter concurrere. Sed per nolitionem concurrendi non applicatur Omnipotentia: ergo &c. *Dist. Antec.*: habet nolitionem simpliciter efficacem, *neg.*; inefficacem *subdist.*: quâ velit, talem concursum à creaturâ liberè omitti, *conc.*; quâ velit omitti non liberè, *neg. Antec.*. Similiter *dist. Consequ.* utrumque, concedendo solùm de nolitione inefficaci, quâ Deus velit, talem concursum, & tale concurrere suum, liberè omitti, seu non determinari à creaturâ. Tum *dist. Min. subsumpt.*: per nolitionem concurrendi, quâ Deus velit concursum suum à creaturâ liberè vitari, *neg.*; quâ velit vitari non liberè, *conc. Min.*, & *neg. Consequ.*. Itaque nolitio illa seriò vult, à creaturâ vitari concursum Omnipotentiæ ad actum pravum, non utcumque, sed liberè: cumque non possit liberè vitari, nisi creatura potestatem proximam habeat ad positionem illius, quæ potestas non datur sine applicatione Omnipotentiæ; fit, ut hæc applicatio sit medium necessarium ad illum concursum evitandum eo modo, quo Deus vult. Talis ergo nolitio infert, aut secum affert applicationem Omnipotentiæ: nam, licèt sit inefficax quoad inferendum vitationem concursus, est efficax quoad inferendum media necessaria, ex *n.* 14.

21 *Dices* insuper: decretum applicativum, præcisè ut permissivum, non importat odium, aut nolitionem actus pravi; nam permittere præcisè sonat non impedire: sed illud decretum, præcisè ut permissivum, immediatè versatur circa existentiam actus pravi, alioquin hæc non penderet immediatè à voluntate Divinâ, & Deus circa illam nihil immediatè disponeret, aut provideret: ergo decretum illud, quatenùs præscindens ab odio, & nolitione, immediatè versatur circa existentiam actus pravi: ergo versatur per modum volitionis. *Resp.*. Inprimis negari poterat *Major*: quia permissio Dei propria videtur impræscindibilis ab odio, & nolitione seriâ operis pravi, & ab intentione omissionis ejus, aut boni operis. Deinde, transmissis cæteris, *dist. ultim. consequ*: per modum volitionis approbativæ, quæ solet etiam dici positiva, *neg.*; per modum volitionis permissivæ, quæ solet etiam vocari negativa, *conc. consequ.*. Sicut non omnis nolitio est improbatio, seu odium (alioquin Deus odisset incarnationem æterni Patris, cujus nolitionem habet), ita non omnis volitio est approbatio, seu amor; datur enim medium inter improbare, & approbare, nec-

non inter nolle, & velle poſitivè, nimirùm velle permiſsivè, quod eſt velle objectum præcisè ut non impediendum à permittente. Hujuſmodi eſt volitio Dei, quâ de loquimur, præcisè quatenus permiſsiva: reſpicit enim immediatè exiſtentiam actus pravi; non tamen illam denominat *poſitivè volitam*, aut *nolitam*, ſed tantùm *permiſſam*, aut *volitam permiſsivè*, aut etiam *non impeditam à Deo per ſubtractionem concurſus*: & hoc eſt, quod circa ipſam diſponit, aut providet, nempe ut libera maneat ab impedimento iſtius ſubtractionis. Loquimur tantùm de volitione applicativâ omnipotentiæ, non de alijs, quibus Deus multa providet circa peccatum, jam exiſtentiam ejus impediendo per auxilium efficax, jam illud extrinſecè ordinando in bonum, aut pœnam decernendo.

22 Sed *replic.*: Deus poſitivè vult non impeditionem, vel non ſubtractionem concurſus ad actum pravum: ſed non impeditio, vel non ſubtractio, eſt poſitio ipſius concurſus: hanc ergo poſitionem Deus poſitivè vult. *Reſp.*: non ſubtractio, ſeu non impeditio, quam Deus poſitivè vult, non eſt formalis, & abſoluta non ſubtractio concurſus externi (hæc ſola eſt poſitio ipſa externi concurſus, & hanc vult Deus permiſsivè tantùm), ſed eſt formalis non ſubtractio concurſus interni, ſive in actu primo, conſiſtens in non ſuſpenſione applicationis Omnipotentiæ: Deus enim poſitivè vult non ſubtrahere ſuum concurſum in actu primo, ſeu, quod idem eſt, non relinquere Omnipotentiam inapplicatam, vel non ſuſpendere decretum indifferenter applicativum. Hæc autem non ſuſpenſio decreti ſimul eſt non ſubtractio, ſeu non impeditio concurſus externi; non quidem formalis, & abſoluta, quaſi reddat illum formaliter poſitum, ſeu abſolutè non impeditum; ſed vialis permiſsiva, & cum hoc addito, *quantum eſt ex parte Dei*, ſeu *ex determinatione Dei*: quæ non impeditio haudquaquam eſt poſitio externi concurſus, nec illam infert; quia poteſt adhuc à creatura impediri concurſus iſte, licèt non impediatur ex determinatione Dei. Quodſi inferas, decretum applicativum velle ſe ipſum, cum ipſum ſit non ſuſpenſio applicationis, & non ſubtractio concurſus in actu primo: concedo illationem in ſenſu explicato *n.* 19., ita ſcilicèt, ut decretum non ſiſtat in ſe, ſed quaſi tranſeat ad præſtandum varios effectus formales, quorum unus eſt denominare exiſtentiam peccati *non impeditam ex parte Dei*, proindeque *permiſſam à Deo*.

23 Ubi notandum, quòd ea locutio, *Decretum permiſsivum vult exiſtentiam peccati præcisè ut non impediendam*, ſeu *ut non impeditam à Deo*, non denotat, decretum immediatè terminari ad ſolam non impeditionem, ad ipſam verò exiſtentiam peccati purè mediatè; ſed tantum ſignificat, decretum nihil aliud velle poſitivè ſeu approbativè circa exiſtentiam peccati, niſi ablationem impedimenti

ex

ex parte Dei; cæterum eo ipso immediatè ad existentiam illam terminatur per modum volitionis permissivæ; quia idem formaliter, & inpræscindibiliter est in eo decreto approbare ablationem impedimenti ex parte Dei, ac immediatè velle permissivè existentiam peccati; præsertim cum ipsamet decretum sit ablatio impedimenti, à quâ immediatè denominatur existentia peccati, *non impedita ex parte Dei.* Certè, sicut hæc cognitio, *Existentia peccati non impeditur à Deo*, immediatè attingit existentiam peccati, licet non affirmet, illam absolutè dari, sed tantùm non impediri à Deo; ita hoc decretum, *Existentia peccati non impediatur ex parte Dei*, immediatè attingit existentiam illam, licèt non approbet, eam absolutè poni, sed solùm ex parte Dei non impediri; hunc autem attingendi modum vocamus volitionem permissivam.

*Doctrina Scholæ nostræ proponitur, & probatur.*

24 His prænotatis, doctrinam Scholæ nostræ, quæ genuina est D. Thomæ, ut probabitur, duplici assertione proponam. *Assero* 1.: *Deus Omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis liberis applicat per decretum indifferens: unde concursus Dei simultaneus non lædit libertatem creatam.* Quòd ex decreto indifferenti, si detur, benè inferatur, concursum Dei simultaneum non lædere libertatem creatam, certum videtur, & ostenditur facilè. Nam vel concursus iste sumitur in actu primo, vel in actu secundo. Si sumitur in actu primo, est ipsum decretum indifferens, quod, cum sit conjungibile cum utroliber libertatis extremo, & voluntati creatæ relinquat determinationem sui actus, & externi concursus Dei ad utrumlibet (ex dictis *n.* 15.), nullo modo lædit illam indifferentiam, quæ est de conceptu libertatis; illam scilicet, quæ positis omnibus prærequisitis, potest agere & non agere, si est libertas contradictionis, vel potest agere quemliber ex actibus oppositis, si est libertas contrarietatis. Si verò sumitur concursus in actu secundo, non aliter libertatem lædere potest, nisi quatenus supponit in actu primo aliquid libertati contrarium: nihil autem hujusmodi supponit, siquidem concursus in actu primo libertati non officit. Addo, quòd concursus in actu secundo est realiter actio ipsa creaturæ liberè positæ, quæ certè libertatem non lædit.

25 Quòd autem Deus Omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis liberis applicet per decretum indifferens, *probatur* 1. ex Sacrâ Paginâ, ubi *Eccli* 15. sic habetur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua... Appositi tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors: bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hîc planè significatur homo simpliciter liber, ac proximè potens eligere, proindeque supponitur, vel importatur de-

decretum applicativum Omnipotentiæ, quo ſublato, vel præciſo, non intelligitur in homine libertas, nec poteſtas proxima: ergo decretum applicativum tale eſt, ut relinquat hominem in manu conſilij ſui, vel, quod perinde eſt, ut illum relinquat potentem pro arbitrio & ex propriâ determinatione indifferenter eligere quodlibet è libertatis extremis, quæ ſignificantur per ignem & aquam, vitam & mortem &c.: tale autem non eſſet, ſi ex ſe determinaret, & inferret infallibiliter unum extremum præ alio, ut per ſe clarum videtur. Et en decretum *indifferens*, ac *relictivum*, quod intendimus.

26 *Confirm.* ex D. Hieronymo in *cap. 49. Iſai.* dicente: *Deus potentiam ſuam noſtro arbitrio dereliquit, ut juſtè voluntas præmium conſequatur.* Item ex D. Thomâ *q. 3. de pot. ar. 7. ad 12.*, ubi explicans citatum locum *Eccleſiaſt.*, ſic ait: *Deus non dicitur hominem dereliquiſſe in manu conſilij ſui, quin in voluntate operetur; ſed quia voluntati hominis dedit dominium ſui actus, ut non eſſet obligata ad alteram partem contradictionis.* Illud, *non obligata*, non excludit obligationem juris (hæc enim abſdubiò datur, urgente præcepto), ſed obligationem facti, quâ voluntas à Deo determinetur ad unam partem præ altera. Unde *ibidem ad 13.* ſubdit Angelicus Doctor: *Voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ, ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate* (ac proinde non ita decernit agere), *ut eam de neceſſitate ad unum determinet, ſicut determinat naturam* (ideſt, cauſam naturalem, ſeu non liberam): *& ideò determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis, & voluntatis.* Habet ergo Deus decretum agendi *relictivum*, quod ſupra deſcripſimus. Id quod iterùm teſtatur idem D. Thomas *1. cont. Gent. cap. 68.* his verbis: *Dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle vel nolle, excludit determinationem virtutis ad unum.* Atqui dominium iſtud non excludit decretum applicativum Omnipotentiæ; tum quia ſine hoc non eſt in poteſtate voluntatis velle vel nolle; tum quia S. Doctor *ibidem* ita ſubjungit, *Non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe & operari; & ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ Deus eſt, reſpectu motuum voluntatis.* Cauſalitas ergo & influentia primæ cauſæ præſtatur per decretum non importans determinationem virtutis ad unum, atqueadeò per decretum *indifferens*.

27 *Probatur* 2. ratione: Deus Omnipotentiam applicat per decretum cohærens cum libertate creatâ, ut eſt certum: ſed decretum importans determinationem unius extremi præ alio, ſive infallibiliter cum eo connexum, & inconjungibile cum utrolibet, non cohæret cum libertate creatâ: ergo decretum, quo Deus Omnipotentiam applicat pro cauſis liberis, non habet ejuſmodi conditiones, & conſequenter eſt decretum indifferens. *Prob. min.*: determinatio & connexio cum uno

ex-

extremò, inconjungibilis cum altero, si se teneat ex parte actus primi, destruit libertatem; ut patet ex conceptu libertatis indifferentiæ; utque vel Thomistæ non dubitant, qui propterea physicam suâ prædeterminationem (de quâ infrà) non collocant ex parte actus primi: sed decretum applicans Omnipotentiam, se tenet ex parte actus primi libertatis creatæ; si ergo importat determinationem &c., non cohæret cum libertate, sed eam destruit: Cætera constant; & *Minor* probata est *n.* 12.; nec videtur negari posse, nisi ponatur expedita potestas agendi cohærens cum eo, quòd Deus nolit concurrere, ac proinde potestas expedita simul, & inhibita, seu ligata.

28 *Confirm.*: Deus in applicando suam Omnipotentiam, attemperatur conditioni causæ creatæ: sed, licèt conditio causæ naturalis exigat à Deo determinari ad unum, conditio tamen causæ liberæ exigit sibi relinqui determinationem sui actus: ergo Deus huic conditioni attemperatur, suam Omnipotentiam applicando ità indifferenter, ut voluntati creatæ relinquat determinationem sui actus. *Consequentia* recta est: *Majorem* autem, ac *Minorem*, res ipsa per se suadet, penetratis terminis. Sed præterea totius syllogismi doctrinam aperte docet D. Thomas pluribus in locis. Audiatur in specimen *in 2. dist. 25. q. 1. ar. 1. ad 3.*, ubi sic loquitur: *Deus operatur in omnibus sic, tamen quòd in unoquoque secundùm ejus conditionem.* Si ita operatur, ita decernit operari; seu ita suam Omnipotentiam applicat ad operandum: & ea decretum *attemperativum*, assertum in *Majore* nostri syllogismi; cujus *Minorem* supponit, & *Conclusionem* infert S. Doctor, continuò sic pergens: *Unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem: In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat: sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrij constituitur: unde remanet sibi dominium sui actus; licèt non ità sicut primo agenti.* Hoc ultimum addit; quia dominium primi agentis in actus nobis liberos, non est dominium immediatæ determinationis, sed alterius generis, de quo in *seq. capit.*

29 *Assero 2.: Deus ità physicè concurrit ad actum peccati, seu ad materiale peccati, ut non sit illius Author & causa per se; quia concurrit cum voluntate pure permissiva, sine ullo approbationis affectu, vel intentione de existentia talis actus: unde non est Author peccati.* Assertio supponit decretum indifferens, in *præced. Assert.* probatum: & quatenùs infert, Deum non esse Authorem peccati ex eo, quòd non sit Author illius actus, in quo stat materiale peccati, non indiget probatione; quia nemo est Author peccati ex actu resultantis, vel identificati cum actu, nisi sit Author, aut causa per se illius actus.

ris. Solùm ergo probanda est, quatenùs asserit, Deum non esse istius actus Authorem & causam per se, simulque hoc fundat in voluntate purè permissivâ, non approbante, nec intendente talem actum. *Probatur* 1. ex Tridentino *sess. 6. can. 6.* sic definiente: *Si quis dixerit, mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Ubi Concilium planè supponit, Deum *operari* mala opera per concursum physicum simultaneum: definit tamen, Deum ea operari non ita ut bona, seu non *propriè, & per se*, sicut operatur bona; quia mala operetur *permissivè solùm*, seu cum voluntate purè permissivâ, quæ de se non approbat, nec adoptat opus ut proprium.

30 *Dices* protinùs, Concilii loqui de malis operibus *pro formali, non pro materiali*. Sed *contrà*: Concilium loquitur de proditione Judæ, quatenùs ea Deus operatur aliquo modo: sed Deus nullo modo operatur illam pro formali; nam malitia formalis, si est mera privatio, est incapax terminandi operationem; &, si est quid positivum, nullatenùs attingitur ab operatione Dei, juxta Thomistas: ergo, juxta Concilium, proditionem pro materiali operatur Deus permissivè solùm. *Dices* iterum: permissio & operatio non referuntur ad idem; sed operatio refertur ad materiale, permissio ad formale. Sed *contrà* iterùm: cùm Deus operatur aliquid *approbativè, propriè*, ac *per se*, approbatio, proprietas, ac perfectas referuntur ad idem, ad quod refertur operatio: ergo, cùm Deus operatur aliquid *permissivè*, permissio refertur ad idem, ad quod operatio: tam enim adverbium *permissivè*, quàm *approbativè*, significat modum tendendi voluntatis in terminum operationis. *Urgetur*: juxta Adversarios, in opere malo nihil Deus operatur, quod non operetur propriè, & per se; solùm quippe operatur materiale peccati, ut ens est, & hoc propriè, & per se, ut ipsi volunt: sed Deus non operatur meré permissivè concretum, in quo, quidquid operatur Deus, operatur propriè, & per se: ergo &c. *Urgetur* iterùm: voluntas creata non operatur per se malitiam, sed eam respicit permissivè solùm: nam malum ut tale non habet causam per se, ut probat D. Thomas *q. 1. de mal. art. 3.*; & eadem est ratio de actu reduplicativè ut fundante malitiam, cùm sub hac reduplicatione non sit per se appetibilis: & tamen voluntas creata propriè, & per se operatur opus malum, quia propriè & per se operatur actum physicum, prævidens resultantiam malitiæ: si ergo Deus eumdem actum operatur propriè & per se, malitiæ resultantiam utique prævidès, licet eam respiciat permissivè, operabitur malum opus propriè & per se.

31 *Probatur* 2. ex Patribus. Et in primis ex D. Augustino, sæpe negante, quòd malæ voluntates à Deo sint. *Sicut enim* (inquit *lib. 5.*

de

*de Civit. c. 9.* de Deo loquens) *omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum: malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Et *lib. de spir. & litter. cap.* 31. sic ait: *Nusquam legimus, Non est voluntas, nisi à Deo: & recte scriptum non est, quia verum non est: alioquin etiam peccatorum, quod absit, Author est Deus, si nox est voluntas, nisi ab illo.* Similiter loquitur *lib.* 12. *Confess. cap.* 11.. Atqui non negat Augustinus, voluntates omnes (idest, actus potentiæ volitivæ) esse à Deo physicè concurrente, ut constat ex alijs locis, neque Thomistæ non dubitant: solum ergo negat esse à Deo ut Authore, & causâ per se, ita ut Deus dicatur simpliciter *dator* earum, seu ita ut omnis voluntas sit *proprium ejus opus*, juxta phrasim Tridentini. Rationem autem dat sæpe alias ipse S. Doctor ex eo, quòd Deus voluntates malas tantùm vult fieri, finendo ut fiant.

32 Nec loquitur Augustinus de voluntate peccaminosâ reduplicativè ut malâ. Tum quia utitur nudo termino *voluntas*, in quo nulla est reduplicatio malitiæ, sed potiùs significatio entitatis physicæ, ac positivæ; cujus si Deus Author esset, falsa & absurda foret propositio Augustini, *Non omnis voluntas est à Deo*; quemadmodùm falsò & absurdè diceretur, *Non omnis homo est à Deo*, quia, licet à Deo non sit homo peccator, quatenus peccator, à Deo tamen est omnis homo specificativè sumptus, & quoad entitatem. Tum etiam, quia non est idem reddere pro ratione malitiam (ut reddit Augustinus per illud *quoniam* & *alioquin*), ac illam reduplicare. Sic qui diceret, *Picturam hæc non est ab Appelle, quoniam deformis est; & alioquin Apelles Author esset deformium operum*; non reduplicaret deformitatem, nec eam tantum negaret esse ab Apelle, sed rationem redderet, cur Apelles non esset picturæ Author quoad physicam positionem linearum, colorum, &c.. Sic etiam qui diceret, *Deus non præcipit odium sui, quoniam contra naturam est*, rationem redderet cur Deus non præcipiat odium sui etiam specificativè sumptum.

33 Deindè D. Bernardus *De grat. & liber. arbitr.* prope medium sic loquitur: *Soli inter animantia datum est homini posse peccare ob prærogativam libertatis arbitrij datus est autem, no ut proinde peccaret, sed ut gloriosior appareret, si non peccaret cum peccare posset.. Neq; tamen* (quòd homo peccet) *fuit culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi.* Ex graphicè expressam rendentiam decreti, quam descripsimus *n.* 16, Deus igitur, cum dat homini posse peccare (in quo *posse* includitur decretum applicativum Omnipotentiæ), dat illud non solùm sine intentione usus peccandi, sed cum intentione non usus; & idcircò non est culpa dantis, seu non Deo ut Authori attribuitur quòd homo

Pec-

peccet. Nec Bernardus loquitur de peccato solùm *pro formali*. Tum quia homo non aliter potest vitare peccatum commissionis, aut habere gloriam non peccandi, nisi vitando actum quoad entitatem: si ergo Deus non dat posse, nisi ex intentione illius gloriæ, non dat illud, nisi ex intentione ut vitetur actus quoad entitatem. Tum etiã, quia homo facultatem illam convertit in usum peccandi, non quidem amando peccatum pro formali (quod, *in quantum hujusmodi non potest esse intentum, nec aliquo modo volitum, nec desiderabile*, ut ait D. Thomas *q. 1. de mal. ar. 3.*), sed amando bonum delectabile sub cognitione legis prohibentis: ergo usus peccandi, quem Deus non intendit, est amor talis boni sub tali cognitione, qui amor proculdubio est entitas physica.

34 Præterea D. Anselmus *lib. de casu diaboli cap. 28. & ult.* ex professo discutit, quomodo fuerit à Deo illud velle, quo diabolus à justitia recessit: & postquam illud consideravit, quatenus est aliquid, physicè bonum, & simile Deo, statuit, *illud velle à Deo fuisse, à quo est omne, quod aliquid est.* Sed, ut explicet, etiam sic à Deo fuisse, non ut Authore, sed ut physicè concurrente cum voluntate purè permissivâ, subdit, à Deo fuisse non sponte dante, sed ut rapiatur permittente. Nam sic generaliter ait; *Non solùm hoc habet aliquis à Deo, quod Deus sponte dat, sed etiam quod injustè rapit Deo permittente. Et sicut dicitur Deus facere quod permittit fieri, ita dicitur dare quod permittit rapi.* Hæc sanè interpretatione non egent. Solùm nota, quòd illud, *non sponte*, intelligitur de spontaneitate beneplaciti erga concursum externum. De cætero voluntas ipsa permissiva Deo utique spontanea est, & liberrima: Deus enim *non utique nolens finit, sed volens*, ut ait Augustinus in *Enchyrid. cap. 100.*

35 Denique, ut alios omittam, ex doctrinâ D. Thomæ efficaciter comprobatur Assertio nostra. Nam 1.: actus malus non intenditur, nec approbatur à Deo, secundùm quòd inordinatus est, & secundùm quòd à Deo non ordinatur intrinsecè, & antecedenter, sed tantum extrinsecè, & consequenter ad sui existentiam: sed *actus malus, secundum id, quod est ab agente, inordinatus est, & tantùm ordinatur à Deo per pœnam advenientem, vel per aliquod bonum, quod ex eo elicitur*: ergo actus malus, secundùm id, quod est ab agente, atqueadeò secundùm entitatem physicam, non intenditur, nec approbatur à Deo, à quo proinde non per se causatur. *Consequentia* est legitima: *Major* est evidens: & *Minor* est D. Thomæ *in 1. dist. 47. ar. 3. ad 3.* Urgetur: nequit Deus per se intendere, nec amare secundùm esse physicum eos actus, qui mali sunt etiam secundùm speciem in genere naturæ, & sunt deordinati à fine secundùm esse suũ, nec sunt capaces ordinationis

in

in finem bonum : sed tales actus sunt odium Dei, desperatio de eo, & hujusmodi : ergo &c. *Minor*, quæ sola verti posset in dubium, est D. Thomæ *cit. dist.* 47. *ar.* 4. dicentis de actibus hisce : *Constat, hujusmodi actus etiam secundùm speciem in genere naturæ malos esse: unde ab eis talis inordinatio auferri non potest: non enim posset auferri ex eo, quòd ordinarentur in finem, cum secundùm suum esse sint deordinati à fine; contingeret enim aliquid esse simul ordinatum, & inordinatum: unde hujusmodi nunquam subjacent divino præcepto.* Et ob eamdem rationem planè infertur, nunquam subjacere beneplacito, & intentioni Dei. Id ipsum censendum de alijs actibus non usqueadeò essentialiter malis, quamdiu non tollitur lex, quâ prohibentur ; ut ibidem explicat Angelic. Doctor ; qui non aliter salvat, voluntatem Abrahæ de occidendo filio fuisse à Deo volitam, nisi quia Deus dispensavit tunc contra præceptum non occidendi innocentem, & occisioni addidit novum ordinem, quem anteà non habebat.

36. 3. : *Voluntas hominis quodammodò discordat à Dei voluntate, in quantum scilicet vult aliquid, quod Deus non vult eam velle, ut cùm vult peccare* ; ut ait D. Thomas *q.* 6. *de mal. ar.* 1. *ad* 5. Quod autem loquatur S. Doctor de velle humano, non præcisè quoad malitiam, sed etiam quoad physicam entitatem, constat; quia ibidem addit, *Et quàmvis hoc modo discordet voluntas hominis à Dei voluntate quantum ad motum voluntatis, nunquam tamen potest discordare quantum ad exitum, vel eventum ; quia semper voluntas hominis hunc eventum sortitur, quòd Deus de homine suam voluntatem implet*, scilicet puniendo peccatorem, vel convertendo ad pœnitentiam &c.: est igitur discordantia illa *quantum ad motum voluntatis*, qui certè physica entitas est : nec aliter in eo motu impletur voluntas Dei, nisi *quantum ad exitum, vel eventum* ; quod certè verum non esset, si voluntas beneplaciti Dei impleretur etiam in ipsâ positione motus quoad entitatem. Unde colliges, quòd Angelicus Doctor loquitur etiam de actu malo quoad entitatem *in* 1. *dist.* 47. *ar.* 2., ubi docet, aliquid fieri præter omnem Dei voluntatem beneplaciti, tum antecedentem, tum consequentem ; imò respectu voluntatis antecedentis, *& præter eam, & contra eam fieri posse* : sed tamen *præter permissionem nihil posse fieri, nec contra eam* ; quia *permissio respicit potentiam causæ ad utrumque oppositum se habentem : unde neutrum oppositorum contra permissionem est, sed utrumque secundùm eam.* Loquitur, inquam, de actu malo etiam quoad entitatem : tum propter modo dicta : tum quia in actu sic accepto verificatur *aliquid fieri* præter, & contra beneplacitum Dei ; malitiæ quippe ut talis non fit, sed resultat: tum etiam, quia utrumque oppositorum, v. g. mentiri, & non

mentiri, non est secundùm beneplacitum, sed solùm secundùm permissionem; mendacium autem, etiam quoad entitatem, oppositum est omissioni sui, quæ Deo placet.

37 *Probatur* 3. nostra Assertio ratione. Deus ita concurrit physicè ad actum peccati, ut ipsi nequeat imputari malitia, quasi Deus ipse velit nos peccare: sed, si Deus ad actum peccati quoad entitatem concurrit ut Author, & ex intentione, seu cum voluntate pluſquàm permissivâ, sequitur, Deum velle ut homo peccet, & hoc ipsi Deo imputari: ergo &c. *Major* est Fide certa; & *Minor* colligitur ex dictis contra Thomistas suprà à *n.* 3.. Nam vel malitia identificatur cum actu; & ita implicat practicè velle, procurare, & producere existentiam actus comprehensivè prænogniti, & non similiter velle quidquid realiter est actus ipse: vel malitia ex actu resultat consequenter inevitabiliter, & ita pariter implicat eo modo velle positionem actus, & non velle malitiam quantum sat est ad imputationem, juxta illud, *Qui vult antecedens, vult consequens*; quod saltem intelligitur de prævidente inevitabilem resultantiam consequentis, & nihilominùs volente practice, & procurativè positionem antecedentis. Idem dictum puta de fundamento malitiæ ut tali, vel de formalitate fundantis malitiam, quæ formalitas vel identificatur cum materiali peccati, vel ex eo resultat consequenter inevitabiliter.

38 *Confirm.* 1.: *Ex hoc aliquis vituperatur, & culpabilis redditur, quòd inordinatam actionem voluntariè operatur*; ut ait D. Thomas *p.* 1. *de malar.* 4.: si ergo Deus operatur voluntariè (scilicet voluntarietate approbationis) actionem inordinatam creaturæ, in Deum ipsum refundetur culpa, & vituperium. Repones illicò, Deum non operari, nec velle talem actionem, in quantum est inordinata. Sed non effugies: nam juxta D. Thomam *ibidem ad* 2., etiam à creaturâ *Ipse actus non est volitus, in quantum est inordinatus, sed secundùm aliquid aliud, quod dum voluntas quærit, in prædictam inordinationem incurrit.* Quàmvis ergo Deus non velit actum, prout inordinatum, sed secundùm aliquid aliud, nempe secundùm bonitatem physicam, si tamen illum hoc sensu quærit, in prædictam inordinationem incurret imputabiliter. Nec dicas, creaturam velle saltem fundamentum malitiæ, ut tale. Nam de hoc eadem est ratio, ac de malitiâ; cum malitiæ fundamentum in ratione talis non sit amabile, nisi propter malitiam. Quisnam erit peccator, qui rogatus, cur velit superbire, mentiri, furari, &c., respondeat, *Quia hic actus fundat malitiam peccati?*

39 *Confirm.* 2.: nequit Deus voluntate beneplaciti velle, ut actio creaturæ vitalis, & libera, qualis est v. g. volitio mentiendi, existat quoad entitatem, quin simul velit eam à creaturâ produci, ac libere determinari, ut est evidens: sed illa actio, dum adest

cog-

cognitio legis in actu primo, nequit à creaturâ produci, ac liberè determinari quoad entitatem, nisi peccando: si ergo Deus vult existentiam illius actionis quoad entitatem, dum præit cognitio legis, vult eam à creaturâ produci peccando; non enim vult eam produci modo chymerico: vult ergo creaturam peccare. Utraque *Consequentia* videtur legitima, & *Minor* innegabilis; alioquin posset creatura liberè ponere sine peccato entitatem volitionis mendacij cum cognitione legis mendacium prohibentis; unde, & posset illam ponere ex intentione præstandi obsequium Deo, & ejus beneplacito se conformandi: quæ foret mirabilis, & compendiosa via delectationes omnes quantumvis prohibitas assequendi, non solùm sine peccato, sed cum merito: illæ quippe delectant quoad entitatem, & non aliter.

40 *Confirm.* 3: creatura non aliam libertatem habet ad malitiam peccati commissionis, quàm ad entitatem physicam actus; non enim, posito actu quoad entitatem, supereſt ulla indifferentia ad malitiam, nec voluntas illam omittere ullo modo potest; ut modò supponitur; & alioquin posset cõtingere absurdum, de quo nuper: idem ergo est libertatem exerceri circa entitatem actus, ac exerceri circa malitiam. Sed Deus nequit approbare quòd entitas volitionis mendacij existat intrinsecè libera, vel in circumstantijs libertatis, quin approbet, quòd creatura libertatem exerceat circa illam entitatem: ergo, & quin approbet exercitium libertatis circà malitiam. *Urgetur*: Deus physicè producit ipsam liberam determinationem creaturæ ad materiale peccati: ergo, si Deus amat quidquid physicè producit, ut Adversarij volunt, amat etiam illam determinationem. Sed libera determinatio creaturæ ad materiale peccati cum cognitione legis, est inseparabiliter, & impræscindibiliter libera determinatio ad peccandum: sequitur ergo, Deum amare liberam creaturæ determinationem ad peccandum, adeò que velle ut creatura peccet.

41 Ubi notandum, quòd, licèt Adversarij obtendant reduplicationes illas, *actus peccati*, *ut actus est*, vel *ut entitas est*, vel *secundùm esse physicum*, ut ita salvent, actum, quatenùs à Deo productum, & volitum, non dicere malitiam, nec eam inferre; tamen negare non possunt, à Deo produci (& consequenter amari, juxta ipsos) actum, non solùm genericè sumptum, sed etiam in specie, & in individuo, & quidem ut creaturæ liberum. Hinc autem sumuntur argumenta nostra. Quàmvis enim *esse physicum* actus non importet malitiam formalem, si non sit liberum; importat tamen, si liberè ponatur. Quàmvis item illa reduplicatio, *ut actus*, vel *ut entitas*, à bonitate, & malitia morali præscindat, si solùm reduplicet rationem genericam *actus*, & *entis*, in quâ sola bonitas transcendentalis apparet; secùs tamen, si reduplicet

actum, & entitatem in specie, & individuo: sic enim jam habet vel identicè, vel inseparabiliter rationem mali moralis: quæ est doctrina D. Thomæ *q. 2. de mal. ar. 4.*.

42 Jam verò, quòd Deus non sit Author, & causa per se talis actus quoad entitatem, si concurrit ad illum sine intentione, & sine ullo approbationis affectu, non videntur Adversarij negare, constat que ex dictis *disp. 2. c. 1. n. 10.*, ubi ad causam per se requisivimus, quòd influat cum aliquâ inclinatione, innatâ, vel elicitâ. Id quod expressè docèt D. Thomas *in 2. Physic. lect. 8.* dicens; *Sicut effectus per se causæ naturalis est, quod consequitur secundùm exigentiam suæ formæ, ita effectus causæ agentis à proposito est illud, quod accidit ex intentione agentis.* Similiter *q. 1. de mal. ar. 3.* generaliter ait: *Quod provenit præter intentionem agentis, non est effectus per se, sed per accidens.* Idipsum colligitur ex Aristotele *2. Physic. text. 67.*, ubi non aliam dat notionem causæ per se, nisi ut sit illa, per quam respondetur ad quæstionem, *Propter quid?* seu *cur sit* effectus? Causa autem præter intentionem, & inclinationem influens, non est effectui causa cur fit; cum hæc locutio ex terminis innuat causam determinantem, aut intendentem, ut sit effectus. Præterea id, quod quis à Deo injustè rapit, seu id, quod est à Deo, non sponte dante, sed ut rapiatur permittente, certè non est à Deo ut Authore, & causâ cur fit: sed non aliter à Deo est actus malus, etiam quoad entitatem, juxta D. Anselmum suprà citatum *n. 34.*: ergo &c..

43 Porrò Deus ita permittit existentiam actus pravi, ut simul illam seriò prohibeat: quare actus pravus à Deo est secundùm voluntatem permissivam, & simul contra voluntatem prohibitivam (quam D. Thomas *in 1. q. 47. ar. 2.* vocat voluntatem *antecedentem*); ac proinde non solùm est præter intentionem, sed positivè contra intentionem, & voluntatem Dei, rationabiliter inviti: Hoc unum significant Authores nostri, dum ajunt, quòd Deus ad actum peccati concurrit *nolens*, & *quasi invitus*, & *quasi coactus*: non quidem *nolens efficaciter* (sic enim impediretur concursus), sed tamen *seriò nolens*, idest, *improbans*, & *prohibens* concursum suum externum ut à creaturâ determinandum: nec item *simpliciter invitus*, & multò minùs *simpliciter coactus* (non enim concurreret, nisi sponte ac liberrimè vellet permittere concursum externum, suam omnipotentiam indifferenter applicando), sed cum addito *quasi*, diminuente, & alienante, quatenùs scilicet ille concursus verè ponitur contra voluntatem Dei prohibitivam. *Magna sunt opera Dei* (inquit Augustinus *in Enchirid. cap. 100.*) *exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam sit contra ejus voluntatem: quia non fieret, si non fineret: nec utique nolens finit, sed volens.*

Ac-

44 Actus ergo peccati est à Deo, non solùm sine intentione, sed etiam seriò nolente, ac prohibente: quod certè procul à Deo removet perfeitatem attributionis, & imputationis. Nec obstat cõcursus, physicus & immediatus. Nam, cùm Apostolus *Ad Rom. 7. v. 20.* ait, *Si autẽ quod nolo, id facio, jam nõ ego operor illud*, supponit utique se physicè facere; sed tamen negat se operari, scilicet propriè, & per se, vel imputativè. Item physicè concurrit ad communionem sacrilegam sacerdos, qui peccatori occulto publicè petenti porrigit Eucharistiam; & tamen non imputativè concurrit si detestans, & improbans porrigat. Hùc facit exẽplum hominis, cujus manu contra voluntatem ejus uteretur alius. Nam, ut ait D. Thomas q. 2. de mal. ar. 2. ad 6., *Illius, cujus manu aliquis uteretur ad occidendum, esset quidem actus inordinatus; sed non haberet rationem culpæ, nisi per comparationem ad illum, qui utitur alterius manu: & similiter actus exterior membri habet deformitatem; sed nõ habet rationem culpæ, nisi per hoc, quod est à voluntate unde, si essent duæ personæ voluntas, & manus, manus nõ peccaret; sed voluntas peccaret, non solùm per actum proprium, qui est velle, sed etiam per actum manus, qua utitur.* Adducimus exempla ista, ut constet, stare posse cõcursum physicum immediatum alicujus causę sine imputatione; non verò, ut teneant in omnibus, quod attinet ad rem præsentem. Scimus enim, disparitatem esse 1., quia voluntas creata præsupponit in Deo decretum liberrimum permittendi concursum externum: 2., quia voluntas nostra nihil prævie agit in Omnipotentiâ, nec eam ullo impulsu, vel imperio movet: 3., quia Omnipotentia physicè efficit determinationem ipsam, quâ creatura liberè utitur concursu externo Dei. Hæc autem omnia oppositò modo se habent in exemplis adductis, ut patebit consideranti.

45 *Dices*: Omnipotentia saltem erit causa per se purè physica respectu actus peccati; quia nequit illum physicè producere sine inclinatione saltem innatâ. Sed *nego* assertum cum ratione subjunctâ: non enim Divina virtus habet appetitum innatum operandi ad extrà. Tum quia, ut ex D. Thomâ diximus *tract. 1. d. 3. c. 1.*, appetitus innatus non est nisi ad bonum appetenti connaturale, seu conveniens secundùm naturam, ita ut natura rei appetentis vel tali bono indigeat, vel saltem meliùs, & commodiùs se habeat cum illo, quàm sine illo: Deus autem nec indiget operatione ad extrà, nec meliùs aut commodiùs se habet cum illâ, quàm cum ejus carentiâ. Tum quia *Nihil est aliud appetitus naturalis, quàm ordinatio aliquorum secundùm propriam naturam in finem suum*, ut ait D. Thomas *in 1. Physic. lect. 15.*: Deus autem certè non ordinatur secundùm propriam naturam ad operandum ad extrà, & multò minùs tamquam ad finem suum. Unde falsò dicunt aliqui Thomistæ, quòd generatim omnis virtus activa est inclinatio innata in effectum: hoc enim solùm

lùm est verum de virtute creatâ respectu effectus conformis fini causæ. De cætero, cum virtus activa animæ nostræ extendatur ad plures actus fini suo contrarios, nequit esse innatus appetitus eorum. Unde D. Thomas *in* 1. *d.* 39. *q.* 2. *ar.* 1. *&* 2., item 1. 2. *q.* 94. *ar.* 3., & sæpe aliàs, solùm agnoscit in animâ rationali inclinationem innatam ad actus honestos, rationi, & virtuti conformes.

46 Sed hîc vigilanter observandum, quòd *causa per accidens* accipitur multifariàm. Nam 1. accipitur pro causâ, quæ nullo modo influit, sed per accidens adjungitur causæ influenti, qualis est musica in ædificante: vel etiam pro causâ purè occasionali, cujus ex proprio effectu resultat occasionaliter effectus alius, contingenter tamen, & præter ejus influxum; quo sensu ædificator domi dicitur causa litis, aut discordiæ, super eâ domo resultantis. 2. pro causâ non immediatè influente: nam causa remota dici solet causa per accidens. 3. pro causâ, immediatè quidem influente, sed non ita necessariâ, ut sit causa *sine qua non*; quia sine illâ existeret effectus: sic, dum plures adsunt parati ac volentes occidere Petrum, dicitur per accidens esse quòd Petrus ab uno potiùs, quàm ab alio occidatur; nec occisio à tali causâ per se pendet perfectaie indigentiæ, vel dependentiæ necessariæ. 4. pro causâ effectus casualis, ideſt, fortuitò, & inopinatò positi, seu præter omnem prævisionem agentis; ut si quis occidat hominem, putans esse feram. 5., & frequentissimè, pro causâ præter intentionem agente (in causis putè physicis loco intentionis est exigentia, vel inclinatio innata, ut docet D. Thomas *in* 2. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 3. *ad* 2.); talis enim causa nunquam est per se perfectate *attributionis*, & *imputationis effectus* seu perfectate causæ *cur fit*, vel causæ *propter quid*; ut constat ex dictis *n.* 42.: hæc autem perfectas est, quam importat antonomasticè *Causa per se*, & nomè *Authoris* propriè & simpliciter.

47 Unde colliges, posse totidem modis accipi causam per se, ut contrapositâ causæ per accidens. Sed nihilominùs, licet causa aliqua perfectates habeat oppositas quatuor prioribus modis, si desit omnis intentio, & inclinatio, non erit absolutè, & simpliciter causa per se, nec Author effectus, eò quòd illi desit perfectas *attributionis*, & causæ *cur*. Hoc patet exemplo Sacerdotis (de quo *n.* 42.), qui licet Eucharistiam per se porrigat perfectate actionis physicæ, & immediatæ, sicut etiam perfectate causæ *sine qua non*, & perfectate prævisionis, non est absolutè causa per se communionis sacrilegæ. Patet etiam exemplo hominis, qui mortem injustam fugiens, aliter inevitabilem, proterit puerum in viâ unicâ, & angustâ jacentem: illi quippe, licèt habeat cæteras perfectates nunc enumeratas, tamen non attribuitur mors pueri, nec ab eo causatur per se absolutè, sed per accidens, quia præter intentionem causatur. Quare semper tenet principium illud D. Thomæ q. 1. de mal. ar. 3.: *Quod per se causam habet, est intentum á sua causa: quod enim*

*pro-*

*provenit præter intētionem agentis, non est effectus per se, sed per accidens.* Adde, quòd juxta Thomistas Divina majestas gravificat offensā peccati, & simpliciter infinitā cōstituit in genere causæ formalis, cujus causalitas intimior est, & immediatior, quàm efficientis: & tamen, licèt sit causa immediata, & *sine qua non*, & infinitè prævidens, non est absolutè causa per se gravitatis, & offensæ peccati ut infinitæ (aliàs Deo ut Authori tribueretur quòd gravitas offensę talis ac tanta esset), quia hunc effectum causat præter propriam determinationem, & intentionem.

48 Cum ergo negamus, Deū esse causam per se actus pravi quoad entitatem, non excludimus quatuor priores modos per se causandi, & non per accidens: sed potiùs omninò supponimus influxum physicum, & immediatum cum prævisione, & cum perfeitate causæ *sine qua non*, quæ est perfeitas indigentiæ ac dependentiæ essentialis ex parte effectus, dependentiæ, inquam, non qualiscumque, sed fundatæ in ratione, seu titulo *entis*, adeòque respicientis Deum ut causam universalem. Solā excludimus perfeitatem intentionis, & attributionis. Quare propositio hæc, *Deus non est causa per accidēs actus pravi quoad entitatem*, semper est distinguenda sic: quatenùs ly *per accidens* excludit solam perfeitatem attributionis, & causæ *cur*, nego; in alio sensu, concedo. Rectiùs dicitur Deus illius actus *causa purè permissiva*, scilicet permissione causæ primæ propriā, quæ importat non subtractionem concursus physici, & immediati, & supponit prævisionem, & perfeitatem causæ *sine qua non*, per modum agentis universalis.

49 Denique ex hucusque dictis facilè deducitur, Deum esse Authorem, & causam per se actus boni creaturæ liberi: quia licèt illū non immediatè determinet, illum tamen vult, & intendit, tum per cōsilia, & præcepta, tum per decretum cōferens cætera comprincipia, & auxilia creata, tum per ipsum decretum applicans Omnipotentiam ad concurrēdum, ut supra vidimus.

## CAP. IV.

## *OPPOSITÆ DIFFICULTATES enodantur.*

PLures objectiones præoccupavimus *cap. præc.*, tum in prænotatis, tum inter explicandum sententiam nostram. Alias, quæ pro physicā prædeterminatione directè militant, solvemus *cap. ultim.*. Nunc.

*Contra primam Assertionem.*

1 *Objic.*: Deo repugnat decretum indifferens applicativum Omnipotentiæ: non ergo per illud salvari potest cohærentia libertatis creatæ cum concursu Dei simultaneo. *Prob. Antec.*: quia ex tali decreto plura sequuntur absurda. Sequitur 1., quòd Deus subjicit, ac donat nobis Omnipotentiā; siquidem relinquēdo nobis determinationē sui cōcursus, dat nobis potestatē utēdi pro libitu virtute Divinā, & eam determinandi, sive ad bonū

sive

sive ad malũ actum producendum; non aliter, ac, qui manum suam alteri tradit, ut per eam quas voluerit litteras efformet, manum alteri subjicit. Sequela autem censuram incurrit Innocentij XI., duas illas propositiones damnantis: *Deus donat nobis suam Omnipotentiam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri librum, aut villam*: &, *Deus subjicit nobis suam Omnipotentiam.* Sequitur 2., Deum in actu secundo concurrere cæcè, ignoranter, & casualiter; ut patet illo eodem exemplo manum tradentis alteri. Sequitur 3., Deo non posse laudi verti quòd bene operemur, sicut vituperio nó vertitur quòd operemur male: neutrum quippe determinat Deus, sed utrumque arbitrio nostro relinquit eligendum.

2 Sequitur 4., Deum à se abdicare dominium sui cõcursus, & nostrorum actuum, illudque in nos transferre; quia se privat potestate agendi ex propriâ determinatione, seque constituit in necessitate operandi quidquid nobis libuerit. Sequitur 5., Deum concurrere ut causam subordinatam, & dependentem; quia talis est causa non concurrens nisi ad nutum alterius, & ex determinatione illius. Et hinc sequitur 6., Deum non concurrere ad nostram determinationem; quia illam expectat ad concurrendum, nec concurrit nisi sub conditione quòd voluntas nostra se determinet. Sequitur 7. voluntatem nostram aliquid prævîe agere in Omnipotentiâ; hoc enim est proprium causæ determinantis alteram ad agendum. Sequitur 8., Omnipotentiam aliquid exequi citra imperium Divinæ voluntatis; illud enim decretum non est imperiũ: sequela autem est contra D. Thomam 1. *p. q.* 25. *ar.* 1. *ad* 4. dicentem, quòd in Deo *Potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat.* Et hinc Omnipotentia Dei erit potentia executiva respectu voluntatis creatæ, sicut potentia locutiva, locomotiva &c..

3 *Resp. neg. Antec.*; & in probatione *neg.* sequelas omnes. Quarum prima male probatur ex eo, quòd tale decretum relinquat nobis determinationem externi concursus ad actum bonum, aut pravum. Illa enim subjectio, & donatio absurdissima est: hæc autem relictio determinationis negari nequit salvâ notione libertatis, & auctoritate Patrum, præsertim D. Thomæ, ut vidimus *cap. præced.*. Eam mille locis asserit D. Thomas: sed nunc audiatur *in* 2. *dist.* 28. *q.* 1. *ar.* 1. ubi: *Non esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc, vel illud.* Si autem homo determinat suum opus, determinat etiam concursum Dei ad illud præ oppositio. *Dico*: non negant Thomistæ, creaturæ relinqui determinationem sui operis, sed volunt eam esse posteriorem decreto Dei, nó indifferẽte, sed prædeterminãte. Sed verò decretũ prædeterminãs (quidquid sit de illius existentiâ, de quâ *sequ. cap.*) nequit esse applicativum Omnipotentiæ: quia decretum applicativum se tenet ex parte actus primi libertatis, & perti-

tinet ad posse: quod licèt recentes aliqui negare videantur, docent communiter Thomistæ graviores, v.g. Albelda disp. 97. sect. 3., & Godoy disp. 67. de prædestinat. n. 90.: satis etiam constat ex dictis *cap. præc.*, & forsan magis probabitur *cap. seq.*. Nihil autem pertinens ad actum primum, sive ad posse liberum, prædeterminationem importat, ut etiam Thomistis in confesso est. Decretum ergo applicativum necessariò debet esse indifferens, ut nunc intendimus.

4 Porrò ex hac relictone sequitur quidem, Deum nobis subjicere concursum suum (subjectione duntaxat proximæ determinabilitatis), non internum, sive in actu secundo, cumque non omnem, sed aliquem duntaxat, illum scilicet, qui cum actione creaturæ liberâ identificatur: quæ subjectio, suppositâ identitate concursus Dei, & creaturæ (quæ satis probata manet *cap.* 2., & à multis Thomistis conceditur), innegabilis est, nisi negetur libertati creatæ dominium suorum actuum. Certè operatio naturæ liberæ subjicitur ejus dominio: sed *ipsa operatio naturæ est etiam operatio virtutis Divinæ*, ut ait D. Thomas *q.* 3. *de pot. ar.* 7. *ad* 3.: ergo talis operatio virtutis Divinæ subjicitur dominio creaturæ liberæ. At non ideò sequitur subjectio Omnipotentiæ (multò minùs donatio, qualis absurdè asseritur in propositione damnatâ). Nam primùm operatio ista solùm nobis subjicitur subjectione determinabilitatis ad existendum, & non existendum; qualis certè non refunditur in omnipotentiam.

5 Deinde, subjectio talis operationis oritur ex concessione liberâ Dei, qui non ex necessitate, sed ex dignatione concedit creaturæ dominium illius, non qualecumque, sed revocabile ad nutum, nec adæquatè distinctum à voluntate ipsâ Dei, sed per eam intrinsecè constitutum: concedit, inquam, non quasi manumittendo, aut emancipando voluntatem creatam, sed ita ut eam, & operationem ipsius retineat subjectam ac dependentem in esse, & conservari, & in agere, vel agi, tum ab omnipotentiâ ut influente per modum causæ universalis, tum à voluntate Divinâ, quæ per solam suspensionem decreti liberi potest dominum creaturæ tollere, & operationem impedire: dependentem item, ac subjectam, tum dominio jurisdictionis, quo Deus possit operationem præcipere, vel prohibere; tum dominio proprietatis, quo valeat Deus uti operatione pro libitu, vel de eâ facere quidquid voluerit sine injuriâ alterius, eam præmiando, vel puniendo, vel ordinando ad fines, quos elegerit; quò etiam spectat subjectio ad providentiam auxiliatricem, seu ad potestatem flectendi voluntatem nostram infallibiliter ad bonum per auxilia congrua, vel permittendi peccatum collato auxilio merè sufficienti. Atqui subjectio cujusdam operationis Omnipotentiæ ad dominium creaturæ, liberè & revocabiliter à Deo concessum, per

voluntatem ipſam Dei conſtitutum, & tot præterea titulis actu dependens, ac ſubjectum dominio, & poteſtati Dei, ab Omnipotentiâ ipsâ impræſcindibili, non eſt ſubjectio Omnipotentiæ, ut per ſe patet: ergo &c..

6 Hinc nihil Adverſarijs prodeſt exemplum donationis, aut voluntariæ ſubjectionis in humanis, quæ, licèt ſit liberè conceſſa, & exercitium libertatis importet, nihilominùs vera ſubjectio, & donatio eſt. Nihil, inquam, prodeſt: nam, ut alias diſparitates omittam, in caſu noſtro non ſolùm datur libera conceſsio, ſed pro libitu revocabilis, & quæ inſuper poteſtatem ipſam, quam creaturæ concedit, retinet perpetuò dependentem à poteſtate concedentis, & ejus dominio juriſdictionis & proprietatis perpetuò ſubjectam. Cum his autem conditionibus nec ſubjectio in humanis perſonam ſubjiceret, nec donatio dominium auferret à donante. Nihil item prodeſt exemplum tradentis manum alteri ad ſcribendum: tum quia traditio illa eſt ad modum agendi ſervilem & inſtrumentarium, ſcilicet per impulſum prævium alterius, impreſſum manui; qui modus agendi procul eſt ab Omnipotentiâ: tum etiâ, quia nec manus efficit alterius liberam determinationem, nec eam ſibi ſubjectam, ac dependentem retinet, ſicut Omnipotentia poteſtatem, ac determinationem creaturæ.

7 Quodſi adhuc inferas, Deum, quàmvis liberè, & ex dignatione, & cum conditionibus nuper expoſitis, verè tamen ſe, ſuamque Omnipotentiam per decretum indifferens obligare ad exhibendum famulatum creaturæ. *Neg. Conſequ.*: quia famulatus ſonat miniſterium, aut actionem propriam famuli, vel communem famulo; non autem actionem propriam ſolius Principis ut talis. Unde, ſi Princeps ex dignatione ſe obliget ad conſtituendum ſubditum Comitem, aut Ducem, quando ſubditus ipſe voluerit, non ideò ſe obligabit ad exhibendum ſubdito famulatum; quia conſtituere Comitem, aut Ducem, non eſt actio famuli, ſed ſolius Principis, ut Princeps eſt. Sic autem res habet in caſu noſtro: nam concurrere ad actus noſtros titulo entis, & ſub ratione entis, ita eſt proprium ſolius Dei, ut primæ Cauſæ, & ſupremi Principis, ut nulli creaturæ commune ſit.

8 Sed adhuc *replicabis*: ſaltem operatio Dei ſubjicitur creaturæ, ut concedimus: ergo Deus creaturæ ſubjicitur in operando, ſive ut operans, aut in eſſe operantis. Hoc autem ſolum intendebant Authores propoſitionis damnatæ, quibus in mentem venire non potuit quòd Deus in eſſendo ſubjiceretur nobis. Conceſſo *Antec.* de ſubjectione determinabilitatis, ac de operatione, non omni, ſed reſtrictâ ad actus nobis liberos (quod nec Thomiſtæ negare poſſunt niſi contra D. Thomam, ut vidimus *n.* 4.), nec non de ſubjectione ortâ ex liberâ dignatione Dei, *neg. Conſequ.*, etiam de Deo ut per talem operationem operante. Quia reduplicatio juxta com-

communem usum denotat, prædicatum vere convenire subjecto specificative sumpto, licèt non ratione sui, sed ratione formæ, quæ reduplicatur; ut cùm dicimus, *Homo, ut habens Gratiam, est amicus Dei*; vel *ut videns Deum, est beatus*; vel, *ut peccans, est pœna dignus.* Non autem quidquid convenit operationi, vel formæ, potest verificari de causâ, vel subjecto, etiam sub reduplicatione: alioquin vere diceretur, Anima ut operans, vel in operando, est entitas modalis: &, cum operatio nostra sit etiam operatio Divinæ virtutis juxta D. Thomam, Divina virtus ut operans, & in operando, esset modalis, accidentalis, & malitiæ substans: item Deus, ut offensus, esset odio dignus; & ut à nobis cognitus, & amatus, esset imperfectus, & finitus, adeòque non esset Deus. Item, cum supernaturalis cognitio, & affectio, quâ Deus nos prævenit, sit vocatio, & inspiratio Dei, Deus ut vocans, & inspirans, physicè produceretur à nobis, & alias imperfectiones haberet eorum actuum propriàs.

9 Omnipotentia igitur est incapax suscipiendi ab externâ operatione suâ denominationem *subjectæ*, vel *subordinatæ*, vel *dependentis in operando*: quia denominatio ista supponit causam, quæ vel ab alio virtutem accipit, vel alterius impulsu aut imperio applicatur, vel suapte naturâ destinatur ut instrumentum alterius, vel saltem alterius cõcursu indiget ex incompletione & limitatione virtutis: quorũ nihil convenit Omnipotentiæ. Operari autẽ ex determinatione alterius, ex terminis non argvit subjectionem, aut subordinationem operantis: nam passum pro varietate dispositionis determinat agens, species objecti determinat Intellectum, voluntas determinat habitum charitatis, & generatim causa particularis, & inferior determinat influxum causæ superioris, & universalis, ut sæpe docet D. Thomas, nominatim de actione, & influentiâ primæ Causæ 3. *cont. Gent. c. 66.*, & *q. 1. de pot. ar. 4. ad 3.*, & *q. 5. de verit. ar. 9. ad 10.*: nec tamen in his intervenit subordinatio. Quod à fortiori verum est, etiam in Deo, quando necessitas operandi aliquoties ex determinatione alterius, provenit à suppositione ipsi operanti liberâ, & pro libitu auferibili. Sic Deus, positâ qualitate physicè prædeterminante, jam non potest suspendere concursum simultaneum, juxta Thomistas: & juxta eosdem, positâ malitiâ peccati, quæ certè nonnisi ex determinatione creaturæ ponitur, necessitatur Deus ad non conservandam in tali creaturâ gratiam habitualem, item ad gravificandam offensam in genere causæ formalis, item in præsenti providentiâ ad irrogandam pœnam æternam, si peccatum fuerit finale: sic etiam, præsuppositâ promissione Gloriæ, jam ex liberâ determinatione creaturæ merentis tenetur Deus Gloriam conferre: sic demùm, ut alia omittam, suppositâ generali potestate patrandi miracula, humanitati Christi concessâ, jam Omnipo-

tentia parata est ad efficiendum miraculum quodlibet ex nutu seu determinatione humanitatis. In his tamen nulla datur subjectio Dei, vel Omnipotentiæ, nec ad qualitatem prædeterminantem, nec ad malitiam, aut meritum creaturæ, nec ad humanitatem Christi Domini. Quare in his exemplis, præ oculis habendis, tota instatur objectio.

10 *Secunda* sequela jocularis est; cum Adversarij probè norint, decretum indifferens juxta nostros Authores præsupponere certissimam præscientiam electionis creaturæ, si talis ipsi libertas conferatur, sive illa præscientia sit Scientia media, sive Scientia innixa decreto conditionali, quod nihil nostra interest ad præsens. Quære ab Adversarijs, an Deus, conferens justo libertatem peccandi, cæcè, & casualiter se exponat eventui positionis malitiæ (quæ certè à solâ creaturâ determinatur), quo in eventu denominetur offensus, & metaphysicè teneatur non conservare gratiam habitualem, & offensam gravificare? *Tertia* non magis seria esse potest; cum pariter notum sit, Deum in nostris principijs ex intentione boni operis nostri conferre nobis totam libertatem, applicare Omnipotentiam, nosque præceptis, consilijs, illustrationibus, alijs que varijs, ac miris modis dirigere, & inclinare; præterea que, quoties bene operamur, hoc ipsum nobis donari specialiter à Deo, qui in signo libertatis suæ de industriâ seligit auxilia, quæ novit efficacia, bonum opus etiam efficaciter prædefiniendo, ut tenent plerique Nostrorum. Hoc autem plenissimè sufficit, ut Deus sit Author boni operis nostri, & in eo laudabilis; non quidem laude immediatè determinantis actum nobis liberum (hæc enim laus in nostrâ sententiâ Deo repugnat non minùs, quàm laus merentis, obedientis, humilis &c., per actus nostros); sed laude per se intendētis, producentis ac donātis actū modo dicto, quæ sola Dei propria est. Victoria militū laudi vertitur Duci solū dirigenti, imperanti, hortanti. Quid, si Dux insuper ex intētione victorię conferret militibus vires, & arma, & cū singulis immediatè concurreret ad actionem pugnandi?

11 *Quarta* sequela immeritò infert abdicationem dominij Divini; quæ multò apparentiùs inferri potest contra Adversarios ex eo, quod Deus, creaturæ conferens posse peccare, se privat potestate conservandi ex propriâ determinatione Gratiam habitualem, seque constituit in necessitate illam destruendi pro mero libitu creaturæ. Quæro abs te, an Deus, dum nobis confert potestatem vivendi, amandi, merendi per nostrum actum, potestatem istam à se abdicet? Negabis illicò; quia Deus talem potestatem nunquam habuit formaliter in se, aut sibi; sed habet solùm virtualiter eminenter, quatenùs illam producere potest, & creaturæ donare. Idé ergo tibi dictum puta. Potestatem, seu dominium immediatæ determinationis ad actum no-

nobis liberum, sive in sensu compositio nostræ libertatis, Deus nunquam habuit formaliter in se, vel sibi: quia tale dominium proprium est liberi arbitrij creati ut talis, & ut defectibilis, aut potentis mereri, ac demereri, proindeque imperfectum est, & Deo repugnans, sicut potestas amandi, & merendi per illum actum. Non ergo tale dominium à se abdicat Deus, quando illud ex virtuali, & eminentiali continentiâ producit, & nobis donat. Dominium igitur quod Deus habet supra nostros actus, & supra suum ad illos concursum externum, est dominium jurisdictionis & proprietatis, de quo *n.* 5.: est item potestas infallibiliter inducendi per auxilia congrua bonum actum, aut malum permittendi: est præterea potestas vel necessitandi (seu, quod apud nos idem est, immediatè determinandi) voluntatem nostram ad actum determinatum, vel sinendi ut voluntas ipsa liberè determinet (Deo tamen retinente semper libertatem cessandi à concursu per solam subtractionem decreti indifferentis) ita ut necessitare, & sinere sint duo extrema, vel exercitia opposita ejusdem dominij, & potestatis.

12 Nullum ex his dominijs à se Deus abdicat, nec in nos transfert: nam dominium immediatè determinandi, seu necessitandi (de cæteris non est dubium in præsentiarùm), Deus non abdicat, sed tantùm exercere non vult, eligendo potiùs extremum oppositum illi necessitati, nempe relinquere nobis liberam determinationem. Sic Deus non abdicat à se dominium anihilandi Angelum, dum illum conservare decernit; sed tantùm non vult exercere tale dominium, eligendo potiùs relinquere Angelum in statu existentiæ. Quare ipsum relinquere nobis liberam determinationem, seu ipsum concedere dominium nostrum, est exercitium Divini dominij non abdicati; sicut ipsum relinquere Angelum in statu existentiæ, Divini dominij exercitium est. Deus igitur nullâ se privat potestate agendi ex propriâ determinatione immediatâ: nam potestatem agendi hoc modo actus humanos in sensu compositio nostræ libertatis, Deus non habebat, nec habere poterat: potestatem autem eos actus agendi tali modo, nostram auferèdo libertatem, Deus utique retinet, licèt eâ uti nolit. Quòd autem eo ipso se constituat in necessitate operandi actum, qui nobis libuerit, est necessitas, quam Deus ipse sibi liberè imponit per decretum indifferens; nec magis absurda, quàm necessitas non anihilandi Angelũ, orta ex decreto conservandi, vel necessitas conferendi præmium, aut pœnam, orta ex decreto præmiandi, aut puniendi sub conditione quòd creaturæ libeat mereri, vel peccare: multò etiam facilior est, quàm necessitas, ab Adversarijs asserta, destruendi Gratiam habitualem, & offensam gravificandi, ex suppositione malitiæ peccati, ad quam Deus nullatenùs determinat.

13 Ex dictis colliges, quo-

mo-

modò creaturæ dominium ſuprà ſuos actus cohæreat cum dominio Dei ſupra eoſdem. Scilicet dominium immediatæ determinationis, quod ſolum creaturæ convenit, & ſtat in poteſtate immediatè ponendi, & omittendi actum, vel unum præ altero eligendi, nullatenùs deſtruitur per Dei dominium juriſdictionis, & proprietatis, ut eſt manifeſtum; nec per poteſtatem flectendi corda hominum quòcumque voluerit, ut oſtendunt Theologi noſtri: nec item deſtruitur per dominium neceſſitandi voluntatem creatam, vel ipſi relinquendi determinationem; quia dominium hocce non exercetur per primum extremum, ſed per ſecundum, ita ut hoc exercitium ſupponatur in ipſo actu primo libertatis creatæ: & etiam quatenùs illud dominium reſpicit extremum neceſſitandi, non amittitur, ſed præcisè non exercetur, quia Deus non vult. Unde conſequenter colliges, quomodò noſtra actio, & determinatio libera, quæ ſimul eſt concurſus, & actio Dei, ita nobis ſubjecta ſit, ut ſimul & magis ſubjecta maneat poteſtati ac dominio Dei, licèt alius generis, aut ordinis altioris.

14 *Quinta* ſequela jam ſuprà evanuit; propoſitio autem illa, *Cauſa non concurrens niſi ad nutum alterius, & ex determinatione alterius, eſt cauſa ſubordinata, & dependens*, diſtinguenda eſt ſic: ſi ſe ita gerat ſemper, *conc.*; ſi ſolùm aliquando; *ſubdiſt.*: ſi hoc habeat ex propriâ naturâ, vel indigentiâ *tranſeat*; ſi ſolùm ex liberâ dignatione, ſimulque retinendo ſuperioritatem ac dominium ſupra poteſtatem, nutum, ac determinationem alterius, *neg.*. Ratio diſtinctionum conſtat ex dictis. *Sexta* æquivocatione laborat. Aliud eſt Deum concurrere ex determinatione noſtrâ; aliud verò, non efficere determinationem iſtam, ſed illam præſupponere ante concurſum. Hoc poſterius, falſum, & abſurdum eſt, & à nullo Authore Scholæ noſtræ dictum: illud verò prius, tantùm denotat, actionem voluntatis creatæ, quæ ſimul eſt actio Dei, non eſſe determinationem reſpectu Dei, ſed reſpectu creatæ voluntatis, ideſt, non denominare Deum *determinantem*, ſed hanc denominationem tribuere ſoli creaturæ, ſicut denominationem *formaliter viventis, amantis, merentis* per talem actionem. Ratio eſt; quia denominatio *determinantis* convenit illi ſoli principio, quod in ſigno priori libertatis ſupponitur proximè potens omittere actionem, vel elicere oppoſitam; non autem principio illi, quod, licèt verè influat, tamen vel non eſt capax talis poteſtatis (cujuſmodi eſt Habitus adquiſitus, aut infuſus), vel in eo priori ſigno intelligitur nolens uti poteſtate illâ, ſed potiùs volens ſe attemperare principio alteri; quo modo ſe habet Deus in ſigno priori noſtræ libertatis vi decreti indifferentis. Ex hac principiorum diversâ indole, vel præparatione, oritur etiam, quòd eadem utriuſque actio tribuat alteri præ altero denominationem *viventis, merentis* &c.; ſicut etiam in phyſicis, quod eadem cau-

causalitas, quæ realiter est actio, & passio, unum sui principium reddat ac denominet *agens*, alterum *patiens*.

15 Ut ergo habitus non concurrit ad amorem liberum nisi ex determinatione voluntatis, quæ tamen determinatio ab habitu efficitur, & ipsum denominat *agentem*, licèt non *determinantem*, nec *amantem* &c.; sic in Omnipotentiâ, prout applicatâ per decretum indifferens, discurrendum. Concedimus itaque libentissimè illud D. Thomæ 1. p. q. 105. ar 1. ad 3., *Hoc ipsum, quòd causæ secundæ determinantur ad determinatos effectus, est illis à Deo*; negamus tamen, in causis liberis esse à Deo determinante: sicut hoc ipsum, quòd meremur, est nobis à Deo; & tamen non est à Deo merente. Quòd ergo causa libera determinetur, est illi à Deo agente, & insuper, si determinatio bona est, à Deo intendente, auxiliante, & in signo libertatis suæ prædefiniente. Hinc ineptè objiciunt aliqui, quòd si Deus efficit in voluntate nostrâ determinationem, voluntatem determinat; sicut qui efficit albedinem in subjecto, dealbat subjectum. Ineptè, inquam; cum inde pariter inferatur, quòd habitus determinat voluntatem. Denominatio *dealbantis*, cum sit absoluta, solam requirit effectionem: at denominatio *determinantis* respectiva est, & præter effectionem requirit certam indolem, aut præparationem principij efficientis. Unde propositio ista, *Efficere in voluntate determinationem, est determinare voluntatem*, distinguenda sic: efficere utcumque, *negatur*; efficere per modum principij, quod in signo priori libertatis creatæ nec à se, nec ab alio impediatur omittere actionem, vel elicere oppositam, *conc.*.

16 Quapropter, siquando dicitur, quòd Deus ad concurrendum *expectat* determinationem creaturæ, locutio est abusiva, nec admittenda, nisi præcisè significet attemperationem Dei ad creaturam in signo priori libertatis. Illa verò locutio, *Deus non concurrit, nisi se determinet creatura*, vel *Deus concurrit, si creatura se determinet*, vel, *quia se determinat*; non est propriè conditionalis, cum conditio non distinguatur à conditionato; nec propriè causalis, ob eamdem rationem; nec veram prioritatem indicat; sed meram significat attemperationem in actu primo, diversam que indolem ac prævia præparationem principiorum per eandem actionem coagentium: quod manifestè patet in habitu, sive adquisito, sive infuso, in quo similiter loquamur respectu voluntatis. Sic etiam passim dicitur, *Voluntas creata potest peccare, si velit*; vel, *potest amare Deum, si velit*; imò *potest se determinare, si velit*, & *se determinat quia vult*; & juxta Tridentinum, *potest dissentire gratiæ, si velit*, aut *consentire, si velit*: ubi perspicuum est, quòd conditio, *si velit*, non est prior conditionato, nec ab eo distinguitur; sicut nec illa ratio, *quia vult*.

17 *Septima* sequela sine fundamento deducitur. Quid enim præ-

prævie agit voluntas in habitu charitatis, quem determinat ad agendum? Solùm ergo requiritur actio illa prævia pro causâ, quæ determinatur per modum instrumenti mechanici, vel etiam quæ ab aliâ impellitur, aut movetur ad actionem distinctam à determinatione ipsâ. *Octava* non meliùs infertur: nam decretum indifferens verè est *imperium* eo sensu, quo nomen hoc dicitur de voluntate Dei respectu Omnipotentiæ, sensu scilicet non stricto, sed lato, quatenùs sonat actum liberum applicativum Omnipotentiæ ad agendum, vel ad concurrendum juxta indolem, & conditionem causarum secundarum, ita ut sit applicatio determinativa pro causis necessarijs, & relictiva pro liberis. Certè, cum Deus sit sua Omnipotentia, nequit huic propriè imperare, nisi propriè imperet sibi; quod repugnat. Nec sequitur, quòd Omnipotentia respectu voluntatis creatæ sit potentia executiva: nam ad id opus erat naturâ suâ subjici voluntati nostræ, & ab eâ pendere in operando; quod in nostris principijs procul abest ab Omnipotentiâ.

18 Denique nota 1., quòd voluntas creata non *applicat* Omnipotentiam ad concurrendum: quia applicatio pertinet ad actum primum, & est conditio se tenens ex parte causæ, ut patet in igne applicato ad comburendum, & in objecto applicato per intellectum ad finalizandum. Non ergo applicatur Omnipotentia nisi per suum decretum indifferens. Nota 2., quòd nec voluntas creata propriè *utitur* Omnipotentiâ: quia *Usus rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem*, ut ait D. Thomas 1. 2. *q.* 16. *ar.* 1.: cum ergo voluntas creata non applicet Omnipotentiam ad operandum, consequenter nec eâ utitur. Nota 3., quòd hæc locutio, *Deus à creatura determinatur ad concurrendum*, vel, *concurrit determinatus à creatura*, licèt admitti soleat, non necessariò sequitur ex eo, quòd à creaturâ determinetur concursus Dei externus; quia, ut suprà ostendimus; non quidquid convenit operationi, convenit etiam causæ: quare vel respuenda est, vel distinguenda sic: Deus concurrit determinatus à creaturâ, determinatione potentiæ in actu primo, *neg.*; determinatione concursus in actu secundo, *subd. dist.*: determinatione præsupponente dignationem, & attemperationem liberam Dei, *conc.*; aliter, *neg.*

*Contra secundam Assertionem.*

19 *Objic* 1: si Deus physicè concurrit ad actum peccati, talem actum amat, & existere vult, juxta illud Sap. 11., *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*; & illud D. Thomæ q. 1. de pot. ar. 6., Deus non *potest facere, quod non potest velle*, & 1. p. q. 19. ar. 12. ad 2. *Dei Operatio semper est eadem cum voluntate beneplaciti*; cui consonat S. Augustinus in *Enchirid. cap.* 102. dicens, quòd Deus *non nisi volens quidquam facit*. Atqui Deus est Author, & causa per se illius effectus, quem cum inclinatione, & amore producit: ergo

&c.

&c. *Confirm.* actus peccati, in quantum est ens, bonus est, nam ens & bonum convertuntur: sed Deus est Author omnis boni: ergo est Author illius actus, in quantum est ens. Hinc S. Augustinus lib. 83. qq. q. 21., *Deus*, inquit *omnium, quæ sunt, Author est, quæ in quantum sunt, bona sunt.* Accedit, quòd bonum, ut tale, est intrinsecè amabile; & quòd omnis creata bonitas est similitudo, & participatio Divinæ bonitatis, quam similitudinem, & participationem Deus vult, & amat, ut docet D. Thomas 1. cont. Gent. cap. 96. & 1. p. q. 20. ar. 2., inde probans, quòd Deus omnia existentia amat, & nullam rem odit, quia unicuique rei vult bonum, scilicet similitudinem suæ bonitatis; velle autem bonum, est amare.

20 *Ad object.* negatur assumptum, quod inefficaciter probatur authoritate subjunctâ. Nam textus *Sap.* loquitur de rebus, quas Deus *fecit* ut Author, & quæ propriè dici possunt opera Dei, omnia scilicet, quæ Deus se solo facit, & quæ simultanee concurrendo facit ex intentione. Illa verò opera, quæ Deus physicè operatur, non propriè & per se, sed permissivè solùm, sicut non sunt propria Dei opera juxta Tridentinum, ita non propriè dicuntur à Deo *fieri*, nec de illis propriè & simpliciter verificatur illud, *quæ fecisti.* Propterea Magn. Augustinus cap. præced. citatus ajebat, quod Deus non est *dator omnium voluntatum*: & quòd non verè dicitur, *Non est voluntas, nisi à Deo*, scilicet tanquam Authore: & *lib.* 12. *Confess. cap.* 11. sic loquitur, *Dixisti mihi, Domine, voce forti in aurem interiorem, quòd omnes naturas, atque substantias, quæ non sunt quod tu es, & tamen sunt, tu fecisti: & hoc solum à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te, qui es, ad id, quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est.* En ab illo verbo, *tu fecisti*, excipit Augustinus non solùm id, quod non est, sed insuper motum voluntatis pravum: ubi loquitur de motu quoad entitatem; nam quoad privationem rectitudinis jam illum comprehenderat in *hoc, quod non est.* Huc faciunt cætera, quibus secundam Assertionem probavimus *cap. præced.*

21 *Dices*: nostrâ expositione propositio Scripturæ redditur identica, & nugatoria: nam idem est, Deum diligere omnia, quæ fecit ut Author, ac diligere omnia, quæ diligendo fecit; siquidem per nos facere ut Authorem, est facere diligendo. Verùm hoc nihil est dictum; nam, sicut hæc propositio: *Quidquid facis ut homo, facis ut animal rationale*, non est identica, quia, licet homo & animal rationale idem sint quoad rem, non sunt idem quoad expressionem, cum differant ut definitio & definitum; ita in re nostrâ contingit, ubi quodammodò definitur nomen Authoris, cùm dicitur Deus facere diligendo, seu ex intentione. Adde, quòd ille textus exponi potest de rebus subsistentibus, seu de substantijs, à Deo factis. Tum quia sic exponitur à D. Thoma. 1. *cont. Gent. cap.* 96.;

ubi, cum probasset, quòd Deus res omnes à se productas amat, & *nullam rem odit, cum ipse sit omnium causa*, idque confirmasset ex eodem textu *Sap.* 11. nobis objecto; tamen, ut objectioni occurreret ex *Zachar.* 8., ubi dicitur, Deum odisse cogitationem pravam, & juramentum mendax, subdidit S. Doctor: *Hæc autem non sunt effectus aut res subsistentes, quorum proprium est odium, vel amor.* Tum etiam, quia similiter exponi videtur à D. Augustino in loco nuper exscripto verbis illis, *Omnes naturas, atque substantias... tu fecisti.* Amat quidem Deus etiam accidentia, & actus vitales: at, quia non omnes, idcircò non de illis indistinctè & sine exceptione profertur illud, *Deus diligit omnia, quæ sunt*, vel *Deus Author est omnium existentium*, aut quid simile: alioquin, sicut indistinctè verum est, *Non est substantia nisi à Deo*, verum pariter esset, *Non est voluntas nisi à Deo*, vel, *Non est motus voluntatis nisi à Deo*; quod tamen expressè negat Augustinus.

22 Quæ verò objiciebantur ex D. Thomâ, parum urgent. Locus ex 1. *de pot.* intelligendus est, vel de *facere* simpliciter, & per modum Authoris (quo sensu dixit S. Doctor in 1. d. 47. q. 1. ar. 2., *Multa fiunt, quæ Deus non operatur*), vel de *velle* ut præscindente à voluntate permissivâ & approbativâ; quo etiam sensu intelligendum est verbum, *volens*, ex S. Augustino allegatum, juxtà illud ejusdem Augustini in Enchirid. cap. 95., *Non ergo fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo*; & cap. 100., *Non fit præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem: quia non fieret, si non sineret: nec utique volens sinit, sed volens.* In alio autem D. Thomæ loco ex 1. p., sumitur *operatio* pro voluntate operandi *directe & per se*, prout condistinguitur à permissione, ideſt, à voluntate non impediendi operationem; ut explicat ipse D. Thomas in illo art. 12. *corp.*

23 Ad *Confirm. dist. Maj.*: actus peccati bonus est, bonitate purè transcendentali contrariâ bono rationis, & inseparabiliter infectâ per malum simpliciter *tale*, *conc.*; alio genere bonitatis, quo mereatur dici simpliciter bonus, *neg. maj.* Tum *conc. Min.* eo sensu, quo profertur à Patribus, intellecta scilicet de omni bono, quod simpliciter bonum dici meretur: & *neg. Consequ.* Itaque actus peccati habet quidem bonitatem illam transcendentalem, quæ consistit in entitate positivâ prout aliquatenùs appetibili: sed, quia bonitas hæc opponitur bono rationis, ideſt, appetibili secundùm rectam rationem, & inde per malum culpæ (quod est malum simpliciter) inseparabiliter infecta est, vel intrinsecè & ratione sui, si actus sit prohibitus quia malus, vel saltem ut liberè posita sub cognitione legis, prohibentis; idcirco talis bonitas velut absorbetur à prævalenti malo, nec sufficit ut actus dicatur bonus simpliciter, cum potius dici debeat

beat simpliciter malus, non solùm reduplicativè ut habens malitiam, sed etiam specificativè sumptus quoad entitatem; nam etiam sic malitiam per se fundat, & inseparabiliter annexam habet: in quo multùm differt ab homine peccante, qui, licèt sit malus in quantum peccans, simpliciter bonus est in quantum homo.

24 Vide D. Thomam in 2. dist. 40. q. 1. art. 1. per totum, ubi probat, quod bonum & malum sunt differentiæ essentiales & specificæ humanorum actuum, & explicat se loqui de malo prout significante positivam entitatem actus. *Malum* (inquit ibi *ad 2.*), *prout dicit privationem tantùm, non potest dici essentialis differentia: sed secundùm quod fundatur in aliquo fine indebito, qui tamen finis non omninò bonitate caret. Unde sic malum est contrarium bono, & non privatio.* Ens, ut actus pravus, etiam quatenùs *non omninò bonitate caret*, & *quantum ad hoc, quod est ibi aliquid de entitate, & non ratione privationis adjunctæ* (ut item ait D. Thomas ibi *ad 3.*) dicitur absolutè malus, & contrarius bono, & à bono differens essentialiter. Quis autem dicat, Deum esse Authorem actus peccati eo sensu, quo talis actus est contrarius bono morali, & ei essentialiter contraponitur? Cùm ergo dicitur, quòd Deus omnis boni est Author, fermo est tum de bono morali, tum de bono physico non per se contrario bonis moribus, nec illis essentialiter contrapositio: hæc enim sunt, quæ possunt dici bona simpliciter. Quare non comprehenditur eâ locutione transcendentalis bonitas actuum furandi, adulterandi, blasphemandi &c. hanc enim qui amat, non tam dicitur velle bonum, quàm malum simpliciter: ideòque Judæi, crucifigentes Christum D., *per se loquendo volebant simpliciter malum æstimatum bonum, in quantum satisfaciebant iræ suæ, vel invidiæ*, ut loquitur D. Thomas in 1. d. 48. q. 1. art. 2. ad 4.; ubi planè loquitur de malo, sumpto pro bono transcendentali operis pravi, non verò pro merâ privatione, quæ nec est *æstimatum bonum*, nec satisfacit iræ, nec est *per se* volita, ut sæpe aliàs docet D. Thomas, v. g. q. 1. de mal. art. 3.. Similiter hujusmodi actus excipiendi sunt ab illâ S. Augustini generali assertione, *Deus omnium, quæ sunt Author est &c.*, ut ex ipso Augustino vidimus *n.* 20..

25 Quòd omne bonum sit amabile, seu appetibile, solùm probat, appeti posse ab eo, cui est bonum: actus autem peccati non est bonus Deo, sed appetitui sensuali; quod genus bonitatis, est malum secundùm rationem, ideòque non est amabile à Deo, nec prudenter à voluntate nostra rationali. *Est duplex appetitus* (inquit D. Thomas q. 3. de pot. ar. 6. ad 5.), *scilicet rationalis, & sensualis: & id, quod est bonum secundùm unum appetitum, est malum secundùm alterum: sicut prosequi delectabilia est bonum secundùm appetitum sensibilem, qui sensualitas dicitur, quamvis sit malum secundùm appetitum*

*nationis.* Quia tamen hoc malum sæpe respectu rationis est bonum apparens, vel existimatum, potest etiam appeti à voluntate nostrâ, sed non nisi per actum malum; ut sæpe docet D. Thomas, v.g. in 2.d. 38. q. 1. art. 5. ad 3. Invenitur quidem in actu peccati similitudo aliqua Divinæ bonitatis, *putà corporalis delectatio, vel aliquid hujusmodi à summo bono exemplatum*; ut docet D. Thomas *in 2.d. 37.q.1. ar.2. ad 4.*: unde talis actus est à Deo physicè influente. Non tamen hinc sequitur, quòd sit à Deo ipsum intendente, vel amante; quia similitudo illa solùm est participatio Divinæ bonitatis *secundùm obscuram resonantiam*, ut ibidem ait ex D. Dionysio D. Thomas, eo scilicet, quòd destituatur lumine rectæ rationis, & contraria sit meliori alteri participationi, ad quam Deus per se ordinat liberum arbitrium creaturæ. Certè, si Deus intendit & amat talem suæ bonitatis similitudinem, vult ut illa ponatur & ametur a creaturâ, cum non aliter existere possit: quis autem dicat, Deum velle, ut creata voluntas, stante prohibitione, amet delectationem adulterij, ebrietatis, &c., quatenùs delectatio est, & quatenùs in eâ obscurissimè resonat Divina bonitas?

26 Dum ergo D. Thom. docet generatim, quòd Deus amat omnia existentia, & omni rei vult bonum, volendo participationem & similitudinem suæ bonitatis, loquitur de rebus subsistentibus cum D. Augustino, ut *n.* 21. vidimus: & quam vis eadem doctrina per consequentiam extendatur ad ea, quæ non tam sunt res, aut entia, quàm entis entia, dummodò non sint contraria bono rationis; non tamen ad ea, quæ tali bono contraria sunt; quia hæc potius discordant à voluntate Divinâ, sunteque contra ordinem ab eâ præfixum voluntati nostræ. Ut enim ait D. Thomas in 1.d. 48. q. 1. art. 2., *Ex hoc actus voluntatis humanæ conformatur voluntati Divinæ, quòd tendit in bonum, sicut voluntas Divina... Et hæc est conformitas secundùm causam efficientem, quia Deus unamquamque voluntatem in bonum ordinavit. Et hoc vult Deus nos velle, in quantum voluntas nostra ordinata est. Sed hæc conformitas includit conformitatem finis, &c.*. Antea dist. 46. q. 1. art. 4. in eo, quòd malum fiat, nullum bonum assignatur à D. Thomâ, quod possit esse volitum à Deo, nisi bonum antecedens, scilicet conditio voluntatis potentis deficere, & bonum consequens, scilicet ordinatio mali jam facti ad pœnam. Cur omittit bonum similitudinis & participationis Divinæ bonitatis, quod est in actu peccati? Numquid illud non vidit Angelicus Doctor?

27 *Objic.* 2.: Deus actum peccati producit propter se ipsum ut finem ultimum, juxta illud Proverb. 16., *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*, & juxta D. Thomam in 2.d. 38.q. 1. ar. 1., ubi probat, quòd, sicut datur unum primum principium omnibus commune, ita & unus ultimus finis communis omnibus; sed, quod

Deus

Deus producit propter finem, producit ex intentione, ac proinde ut Author: ergo &c.. *Dist. Maj.* : ly *propter* significante finem decreti permittentis productionem illius actus, *conc.* (Deus enim ex fine suæ gloriæ permittit illum actum produci); significante finem ipsius productionis externæ, *subdist.*: finem, ad quem ordinetur intrinsecè productio talis actus, *neg.*; ad quem ordinetur extrinsecè, *conc. Maj.*. Tum *dist. Min.*: quod Deus producit propter finem, ad quem intrinsecè ordinatur productio, *conc.*; ad quem productio non ordinatur intrinsecè, *neg. Min.*, vel *subdist.*: producit ex intentione talis effectus, vel aliquatenùs inclinante ad existentiam ejus, *neg.*; ex intentione pure permittente talem effectum, & sub conditione quòd existat, volente finem alium, *conc. Min.*, & *neg. Conseq.*.

28 Quod de peccato pro formali dicunt omnes, videlicet Deum illud permittere ex fine seu motivo gloriæ suæ, illudque, licet intrinsecè non ordinatum ad Deum ipsum, si tamen à creaturâ determinetur, extrinsecè & consequenter ordinare velle, sive ad bonum pœnæ, ac justitiæ vindicativæ, sive ad bonum pœnitentiæ, sive ad aliud, unde resultet gloria Dei, qui proinde sit ultimus finis: idipsum dicimus de peccato pro materiali, seu de productione actus pravi quoad entitatem. Quod enim actus pravus, etiam ut entitas, aut res quædam est, ex se non ordinetur ad Deum ut finem ultimum, docet expresse D. Thomas *in 2. d. 37. q. 1. art. 1. ad 5.* dicens: *Impossibile est aliquam rem esse, quæ omni ordine aliquam rem esse, quæ omni ordine destituatur. Unde & in ipso actu peccati, ut res quædam est, remanet ordo aliquis, & ad agentem, & ad finem aliquem intentum ab agente, quod est æstimatum bonum, quamvis privetur ordo à fine debito; quâ etiam inordinationem Deus inordinatam non relinquit, sed per pœnam ordinat.*

29 Et in *1. d. 47. q. 1. ar. 3. ad 4.*, *Actus malus*, inquit Angel. Doctor, *secundùm quod est ab agente, inordinatus est: sed tantùm ordinatur à Deo per pœnam advenientem, vel per aliquod bonum, quod ex eo elicitur.* Ibi art. 4. docet, aliquos esse actus, qui *secundùm speciem in genere naturæ* pro omni eventu sunt incapaces exuere inordinationem. Verba retulimus *cap. præced.*. Hinc bene cohæret, quòd Deus concurrat ad actum pravum præter intentionem, scilicet ipsius actus, & simul cum intentione, saltem conditionatâ, imbibitâ in ipso decreto permissivo, extrinsecè ordinante pravum actum in finem bonum. Quod pulchrè notavit D. Thomas cit. dist. 47. ar. 3. ad 4. dicens: *Quamvis malum sit præter intentionem Dei, tamen ordinatio mali est intenta à Deo; & huic intentioni operans malum præter intentionem obsequitur, faciens id, quod est præter Dei intentionem, scilicet peccatum.* Hinc etiam patet, quo sensu D. Thomas in objectione citatus, dixerit, unum esse ultimum finem communem omnibus, ni-

nimirum per ordinationem ad ipſum vel intrinſecam, vel extrinſecam. Unde ibidem docet, quòd ſecundùm fines proximos, quos intendit voluntas creata per actus ſuos, poteſt ſervari, & non ſervari debita relatio ad finem ultimum, & quòd non ſervatur, niſi cùm voluntas tendit in finem charitatis, vel beatitudinis.

30. Locus *Proverb.* intelligendus eſt de univerſis, quæ Deus operatur, non permiſsivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, ut terminis utar Tridentini; vel potiùs ita ut ly *propter* denotet finem decreti applicativi Omnipotentiæ, tum quatenus amat operationem bonam, tum quatenus permittit malum, & extrinſecè ordinat ad bonum. *Dices*: omnis actus intrinſecè pendet à Deo ut à primo principio: ergo, & intrinſecè refertur ad Deum ut ad finem ultimum: nam Deus æque eſſentialiter eſt finis ultimus, ac primum principium. *Neg. Conſequ.*; cujus probatio inſtatur ſic: Deus æquè eſſentialiter eſt potens præcipere, ac potens agere: ſed omneni actum poteſt agere: ergo, & omnem actum poteſt præcipere: quod tamen expreſsè negat D. Thomas *cit. d.* 47. *ar.* 4.. Non ergo eſt idem ex terminis *æquè eſſentialiter*, ac *æquè univerſaliter*: & licèt in præſenti ſit idem, non tamen eodem modo ex parte effectuum; quia Deus eatenùs eſt eſſentialiter ultimus finis omnium, quatenùs ad ipſum omnia referri debent vi ordinationis vel intrinſecæ, vel extrinſecæ.

31. *Objic.* 3.: Deus erga peccati actum non purè permiſsivè ſe gerit. *Prob.* 1.: quia pura permiſsio non importat influxum phyſicum. 2.: quia Deus purè permiſsivè ſe gerit erga malitiam, ſeu peccatum ut tale: ſed longè aliter ſe gerit erga peccati actum, ut entitas eſt, quàm erga malitiam: ergo. *Prob. Min.*: quia Deus nullo modo poteſt dici cauſa malitiæ ut talis, nec fas eſt dicere, quòd peccatum ſit à Deo: & tamen peccati actus, in quantum actus, & in quantum ens, apud SS. Patres dicitur eſſe à Deo, & cauſari à Deo: quod ex profeſſo probat D. Thomas multis in locis, præſertim in 2. d. 37. q. 2. ar. 2., & q. 3. de mal. ar. 2. & 1. 2. q. 79. ar. 2.; quibus in locis ſimul omninò removet deformitatem, & malitiam à cauſalitate Dei: unde infertur, quòd malitia, licèt in poſitivo conſiſtat, nullatenus à Deo phyſicè producitur.

32. *Reſp. neg.* aſſumptum. Ad 1. *prob.*: pura permiſsio Cauſæ primæ propria reſpectu effectus poſitivi neceſſariò importat non ſubſtractionem influxus phyſici, ut oſtendimus cap. præced.. *Ad* 2.: Deus aliter ſe gerit erga entitatem actus, quàm erga malitiam, ſi hæc in privatione conſiſtat; quia entitatem phyſicè producit, non verò malitiam, utpote improducibilem ſecundùm ſe. Et hanc ſententiam ſupponit D. Thomas in locis omnibus contrà nos allegatis: unde non mirum, ſi dicat, entitatem à Deo phyſicè cauſari, non malitiam. Si autem malitia ſupponatur in poſitivo conſiſtens, non aliter ſe gerit

Deus

Deus erga entitatem, quàm erga malitiam specificativè sumptam; quia totum illud opus quoad omnia prædicata positiva Deus physicè producit præter intentionem, seu purè permissivè; alioquin existeret in rebus aliquid positivum, cujus Deus non esset primum principium, darenturque duo prima principia, alterum realitatis bonæ, alterum realitatis malæ; quod saperet Manichæismum. Nec tamen ideò potest Deo attribui malitia; sicut nec Deo attribuitur juxta nos entitas actus pravi: quia neutram producit Deus ut Author, sive ut causa determinans, aut intendens. Creaturæ verò malitia tribuitur ob rationem oppositam; non solùm si stet in positivo, sed etiam si mera sit privatio: quia privatio ista, licèt sit præter intentionem directam creaturæ, & hoc sensu dicatur ab eâ causari per accidens, & permissivè; tamen, cum resultet ex actu per se intento à creaturâ, sub intentionem ejus cadit indirectè, quantum sufficit ad imputationem. Vide cap. præced. n. 8.

33 Si ergo malitia stat in privativo (quam sententiam semper aut plerùmque supponunt Patres), Deus, & entitatem actùs, & malitiam respicit, aut despicit eodem modo quoad intentionem, cum neutram intendat; non tamen in utramque præstat influxum physicum: unde malitia nec est à Deo per influxum, nec per imputationem, quia solùm imputatur ei, qui actum determinat, aut intendit. Cæterùm, si stat in positivo, sic utique malitia specificativè sumpta (id est, secundùm totum suum esse realiter productum) à Deo est aliquomodò, scilicet non per se, sed per accidens: quod expressè concedit D. Thomas q. 3. de pot. ar. 6. ad 13. dicens: *Non intelligitur contra malum esse bonum, sicut unum primum principium contra aliud principium primum, sed sicut duo provenientia ex uno primo principio, quorum unum per se provenit, & aliud per accidens.* Non tamen ullo modo est à Deo malitia formaliter sumpta, seu reduplicativè ut talis; sic enim denotat, non merum influxum physicum, sed influxum ut imputabilem, respicitque causam determinantem, aut intendentem, quæ non est Deus, sed creatura. Contrà verò, quia actus pravus sub hac reduplicatione, *in quantum actus*, aut *in quantum ens*, non alludit ad causam determinantem, sed præcisè explicat indigentiam influxus physici, rectè sub eâ reduplicatione dicitur esse à Deo, & in Deum reduci sicut in causam.

34 In summâ, locutiones illæ, *Actus peccati, in quantum actus, non solùm est à creatura, sed etiam à Deo, & in quantum deformis, aut malus, non est à Deo, sed à creatura*, non indicant duo positiva prædicata operis, quorum alterum producatur à Deo, alterum nonsi d tantùm alludunt ad modum agendi ex parte causarum simul concurrentium: altera enim alludit ad causam physicè influentem præscindendo à determinatione, & intentione; altera verò ad causam determinantem,

vel

vel intēdentem, quæ eſt cauſa cur ſit. Et, quia nomen *peccati, malitiæ, deformitatis, adulterij, homicidij*, &c., etiā cùm ſimpliciter ac ſine reduplicatione profertur, juxta communem ſenſum importat reſpectum, aut alluſionem illam ad cauſam cur ſit; idcircò ſemper abſolutè negandum eſt, quòd *peccatum*, *malitia* &c. ſit à Deo, vel cauſetur à Deo etiam in ſenſu reali; Deus enim, licèt realiter producat totum id, quod eſt malitia (ſi hæc ſtat in poſitivo), non tamen eſt in ſenſu reali cauſa cur ſit, cum in ſenſu reali non determinet, nec intendat illud opus. Unde D. Thom. in 2. d. 37. q. 2., ar. 2. *Non poteſt* (inquit) *dici abſolutè, quòd peccatum ſit à Deo, ut homicidium, aut aliquid hujuſmodi, niſi cum hac additione, in quantum eſt actus, & in quantum eſt ens*: ideſt, in quantum explicat indigentiam influxus phyſici & in quatum alludit ad cauſam phyſicè influentem, non verò ſub nomine alludente ad cauſam, cui imputatur.

35 Videatur omninò D. Thomas in 2. d. 39. q. 1. ar. 1., ubi totam rationem, cur voluntati creatæ imputetur peccatum, ex eo deſumit, quòd actus peccati eſt à voluntate *tam ſecundùm ſubſtantiam actus, quam ſecundùm determinationem agentis ad actum*, & quòd voluntas ita ſe determinat, ut ab alio non determinetur. Nunquam (quod ſciam) invenitur in D. Thoma, quòd loquendo ſignanter de actu peccati, etiam in quantum eſt actus, aut ens, dicat, illum à Deo determinari, vel intendi, vel amari, vel eligi; ſed tantum cauſari. E contrario, ut malitia tribuatur creaturæ, pro ratione aſſignat, quòd creatura determinat actum, quòd illum per ſe intendit, vult, & eligit; ut videre eſt in loco nuper allegato, & ibi art. 2. *corp.*, & q. 1. de mal. ar. 3. ad 15., & q. 3. de mal. ar. 2. ad 1., & ſæpe alias. Hinc intelliges, cur D. Thomas in 2. d. 37. q. 2. ar. 2. ad 5., ad objectionem, quod actus peccati nequit eſſe à Deo, dùm eſt à deformitate inſeparabilis, niſi deformitas etiam à Deo ſit, ſolùm reſpondet, quòd Deus *hoc, quod eſt actionis, facit; & quod deformitatis, non facit: etſi enim in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſint, non oportet, ut quidquid eſt cauſa ejus quantum ad unum, ſit cauſa ejus quantum ad alterum.*

36 Hæc reſponſio, niſi ad mentem D. Thomæ capiatur, videbitur frigida petitio principij: hoc enim ipſum quæritur, quomodò quidquid cauſat effectum, non cauſet id, quod ex eo reſultat inſeparabiliter? maximè cum ipſe D. Thomas, ut vidimus cap. præced. n. 8. ſtatuat pro regulâ generali, cui ſtultum ſit diſſentire, Quòd qui vult effectum, vult etiam id, quod effectui adjungitur frequenter, vel ut in pluribus. Verùm reſponſio optima eſt juxtà mentem, & principia D. Thomæ: nam regulam illam generalem non tradit S. Doctor pro eo, qui *cauſat* utcumque, ſed pro eo, qui *vult*, aut *per ſe intendit* effectum: nunc verò loquitur de eo, qui *eſt cauſa*, ſci-

scilicet physicè influens, præscindendo à determinatione, & intentione: quo sensu optimè negat, quòd Deus, causando actionem, causet deformitatem inseparabilem; quia hæc, si est mera privatio, non est causabilis physicè; & in quocumque consistat, non dicitur causari nisi ab eo, à quo causatur actus imputabiliter; & ex præciso munere physicè influendi non sequitur imputabilitas, nisi adsit determinatio, vel intentio. Hinc etiam intelliges, quàm opportunum sit exemplum claudicationis, quo toties utitur D. Thomas, necnon exemplum cæcitatis, quo utitur *loc. cit.*: quia enim anima, seu virtus motiva, de se non inclinat nisi in motum rectum, nec ad obliquum determinatur nisi à curvitate tibiæ: quia item animalis natura de se non radicat nisi oculos vivos, nec aliquid positivum intendit, ex quo resultet cæcitas, sed hæc aliunde provenit contra inclinationem ejus: idcircò nec animæ tribuitur obliquitas motus, nec naturæ cæcitas oculorum. Pariter ergo nequit Deo attribui deformitas actus, quia Deus non inclinat nisi ad actum bonum, nec intendit entitatem actus, ex quo resultat deformitas, sed talis entitas à solâ creaturâ determinatur contra voluntatem Dei. Unde exempla illa nostram sententiam planè confirmant.

37 Hinc demùm intelliges, cur peccatum dicatur esse à voluntate creatâ, eique imputari, quia voluntas est causa deficiens, aut potens deficere, & quia est ex nihilo; & è contrà, non esse à Deo, quia Deus est ens à se, & impotens deficere. Nimirùm, cùm sermo sit de peccato, causa *potens deficere*, nihil est aliud, quàm causa *potens eligere*, seu *determinare contra legem Dei*: unde peccatum esse à creaturâ, ut à causâ deficiente, significat esse ab illâ, ut à causâ eligente, seu determinante id, quod lex Divina prohibet; quæ causa eo ipso sapit nihilum, ex quo facta est; quia potestas sic determinandi, licèt à Deo conferatur (ex intentione scilicet, ut creatura gloriam habeat non peccandi, cum peccare possit), soli convenit voluntati finitæ, & ex nihilo factæ, respicit que exercitium, quod in Deum ut Authorem refundi non potest. De cætero, potestas peccandi, seu *conditio naturæ potentis deficere, quam Deus in tali conditione instituit*, est quid *bonum, & à Deo volitum*, ut docet D. Thomas in 1. d. 46. q. 1. ar. 4. nec dubium, quin Deus liberi arbitrij sit Author; *Liberum* autem *arbitrium nominat potentiam eligentem bonum, & malum*, ut ait S. Doctor in 2. d. 39. q. 2. ar. 2. ad 3.

38 *Objic.* 4.: Deus non influit in actum peccati ut causa per accidens: ergo influit ut causa per se. *Prob. Antec.*: quia Deus nũquam influit, nisi ut primũ principiũ, sive ut causa prima, & principalissima, respectu cujus instrumentaria est omnis virtus creata: ideòque semper Deus magis influit, quàm causa secunda. *Impossibile* autem *est, quòd* aliquid *sit per accidens respectu causæ pri-*

*tæ, & per se respectu secundæ*, ut ait D. Thomas q. 3. de verit. ar. 2. Et alioquin prior esset causa secunda, quàm prima; quia, ut inquit ibi D. Thomas, *Quod est per se, prius est eo, quod est per accidens.* Unde sequeretur, quòd respectu alicujus actionis creatura esset primum principium: quod inconveniens dedecit etiam D. Thomas in 2. d. 37. q. 2. ar. 2. dicens. *Si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus actor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principij haberet.* Si respondeas, quòd voluntas humana non habet esse à se, sed ab alio, contra inflat D. Thomas: *Quàmvis per hanc responsionem evitaretur, quòd non esset primum simpliciter; non tamen posset vitari, quin esset primum agens, si ejus actio in aliquid prius agens non reduceretur sicut in causam.*

39 *Resp. dist. Antec.*: ly *per accidens* excludente perfectatem causæ cur sit, ideſt, perfectatem determinationis, & intentionis, *neg.*: excludente alias perfectates (de quibus cap. præced. ad finem), *conc. Antec.*, & sub *ead. distinct. Consequ.* Ad *prob.* concedo libenter, quòd Deus nunquam influit, nisi ut primum principium: sed de ratione primi principij, abstrahendo ab effectuum conditione variâ, solùm est, quòd per virtutem improductam, & à se ipso liberè applicatam, agat sub ratione generalissimâ entis, ita ut ejus influxus sit necessarius ad omnem effectum tituli entis, ac proinde titulo æquè militante in omni creato esse, posse, & agere. Totum hoc habet Deus respectu actus peccati, quàmvis illum non determinet, nec intendat, atque adeò quàmvis non sit illius causa per se perfectate attributionis. Quare perfectas ista non convertitur generatim cum ratione primi principij, sed tantùm cum ratione primi principij se solo operantis, & etiam concurrentis cum causâ secundâ ad effectus à Deo ipso non prohibitos, repugnat enim Deum determinare, vel intendere illud ipsum, quod seriò prohibet. Concedo pariter, quòd Deus semper agit ut causa principalissima (principalitate dicente rationem primi principij nunc expositam), & quòd creatura non agit nisi ut instrumentum Dei, quatenùs ab eo virtutem habet, & est impotens agere sine illius influxu, & voluntate prævia: cum hoc tamen cohæret, quod creata voluntas sit instrumentum rationale, liberum, & electivum, cui competit dominium suorum actuum ex dignatione Dei, & cui proinde competit perfectas attributionis, interdum tanquam unicæ causæ cur sit effectus, scilicet quando talis perfectas dedecet Deum.

40 Concedo tandem, quòd semper Deus magis influit, quàm creatura, ly *magis* significante prærogativam primi principij, non tamen significante semper plus intentionis, aut determinationis quoad talem influxum: nam, *licèt causa prima maximè influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur*, ut inquit

D.

D. Thomas q. 1. de pot. ar. 4. ad 3.. Dum autem negat D. Thomas, posse aliquid esse per accidens respectu causæ primæ, & per se respectu secundæ, loquitur de *per accidens* excludente perfectam immediatæ dependentiæ à virtute, scientiâ, & voluntate primæ causæ; non tamen de excludente determinationem, & intentionem propriè talem: quàmvis enim ibi de *intentione* loquatur, sumit hoc nomen in sensu lato, quatenus significat voluntatem, præscindentem à permissivâ, & approbativâ, de producendo effectu in individuo, cũ perfectâ cognitione, & prævisione illius; ut constabit attentè legenti. Similiter, Quod est per se, prius est eo, quod est per accidens, si hoc *per accidens* excludat dictam perfectam dependentiæ; secùs verò, si cohæreat cum eo, quòd effectus essentialiter immediatè dependeat à causâ, cui est per accidens, & ab eâ sit præcognitus, & prævolitus permissivè, priusquàm oriatur à causâ per se perfectæ attributionis.

41 Porrò ex hac nostrâ doctrinâ perperàm infertur, creaturam esse primum principium alicujus actionis: quàmvis enim sola creatura perfectam attributionis habeat respectu actionis pravæ, non ideò indulerationem primi principij explicatam *n.* 30.. Maiò apparentius pluralitas primorum principiorum sequitur, si Deus nullo modo influit in realitatem malitiæ positivæ, vel fundamenti privationis, ut jam n. 32. indicavimus. Nec D. Thomas absurdum illud infert ex nostrâ sententiâ, sed ex eâ, quæ actum peccati *nullo modo* à Deo esse dicebat: quam ibi rejicit, *Quia ex eo videtur sequi, quòd sint plura prima principia: hoc enim est de ratione primi principij, ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia ejus. Unde, si voluntas humana &c.*, ut suprà *n.* 38.. Et addit, quòd saltem erit *primum agens*, si ejus actio in aliquam priorem causam non reducatur. Nihil ergo ad nos attinet sequela ista, cum negemus creaturam agere posse actum peccati sine auxilio, & influentiâ prioris agentis, & quin ejus actio reducatur in Deum (non ut in Authorem, sed ut in primum fontem omnis esse, & causam universalissimam *sine qua non*), qui prior est non solùm in essendo, sed etiam in concurrendo, ut explicuimus *cap.* 2.

42 Concedimus itaque quidquid ibi affert D. Thomas, & nominatim quòd Deus actionis peccati est *actor*, quæ vox idem sonat, ac *agens*, vel ad summum addit, quòd sit agens ex officio seu munere causæ primæ. In summâ dicimus cum D. Thomâ *ibid. ad* 2., quòd *Deus actionis illius causa est, in qua malum consistit, secundùm quòd influit agenti esse, posse, & agere, & quidquid perfectionis in agente est*: hoc enim totum stat sine perfectâ determinationis, aut intentionis. *Dices*: saltem creatura erit prima causa per se illius actionis, cum non supponat aliam causam per se. *Dist.*: perfectæ dependentiæ actionis, *neg.*; perfectæ determinationis, aut imputationis, *subdist.*: ita ut hæc

perfectas significet causam deficientem (juxta dicta n. 37.), *conc.*; ita ut aliud significet, *neg.*. Quòd creatura sit causa prima negativè, idest, unica, in genere deficiendi, seu determinandi contra legem Dei, certum est, & à Thomistis assertum in sensu duriore, quod scilicet malitia positiva, vel positiva ratio fundamenti, nullatenùs à Deo sit, sed unicè à creaturâ.

*Quædam aliæ propositiones breviter explicantur.*

43 Dices adhuc 1.: Deus amat concursum suum ad actum peccati. *Dist.*: concursum in actu primo, *conc.*; concursum in actu secundo, seu externum, *neg.*: talis enim concursus externus est malus, non quidem Deo, nec respectu Dei, sed creaturæ, & respectu creaturæ. Instabis: saltem respectu Dei concursus ille externus bonus est. *Dist.*: bonus est formaliter, & ratione sui, *neg.*; præsuppositivè, seu ratione voluntatis permissivæ, quam præsupponit, *conc.*, juxta illud Magni Augustini Enchirid. c. 96., *Nec dubitandum est, Deum facere benè, etiam finendo fieri quæcumque fiunt malè.* Unde absolutè verum est, Deum benè, & sanctè concurrere ad actum peccati: quia ly *benè*, & *sanctè*, significat modum concurrendi se tenentem ex parte Divinæ voluntatis. Eodem sensu concedenda est hæc propositio, *Deum concurrere in actu secundo ad actionem peccati bonum est*: ita scilicet, ut solùm significet bonitatem modi se tenentis formaliter ex parte voluntatis Divinæ, quam præsupponit concursus in actu secundo. Hæc autem, *Deus potest sanctè velle, quod sanctè facit*, concedenda est de velle permissivo, neganda de approbativo; vel distinguenda sic: si sanctitas faciendi consistat in eo, quòd faciat, non approbando, sed purè finendo, *neg.*; si in alio consistat, *conc.*. Instabis iterùm: Omnipotentia non minùs sancta est, quàm Divina voluntas: si ergo Omnipotentia physicè attingit actum peccati, poterit, & voluntas illum attingere affectivè. *Concedo* totum: nam etiam Divina voluntas illum actum attingit affectu permissivo, & aversivo. Si tamen loquaris de affectu approbativo, *neg. Consequ.*; quia talis attingentia Deum redderet Authorem peccati, secùs autem attingentia, vel actio physica Omnipotentiæ. Et iusto sic: æquè sancta est scientia Dei, ac voluntas approbativa; sed scientia attingit malitiam peccati; ergo, & voluntas. Vel sic: æque sancta est Omnipotentia, ac voluntas præceptiva: si ergo Omnipotentia physicè producit actum odij Dei, poterit, & Divina voluntas illum præcipere.

44 Insistes aliter: Deus amat se influere in actum peccati, dum creatura concurrit: nam pro hoc eventu ita necessarius est influxus Dei, ut, si creatura concurreret non influente Deo, deficeret Omnipotentia. *Nego* assertum; & rationem adjunctam instò sic: dum creatura se determinat contra legem Dei, ita necessaria est resultantia malitiæ, ut eâ tunc non resultante deficeret in Deo potestas obligandi, nec non po-

potentia permittendi, & puniendi peccata: ergo Deus amat malitiam resultare, dum creatura se determinat. Itaque Deus antecedenter amat se non influere in actum peccati, simul amando creaturam non concurrere: ex suppositione tamen, quòd creatura concurrat (quæ suppositio jam importat influxum Dei), non amat se non influere; quia hoc esset amare chymeram, velle scilicet, ut influxus non sit ex suppositione quòd sit. Nec ideò amat Deus hoc ipsum influere ex suppositione quòd influat, licèt sit, metaphysicè necessarium: quia hæc est necessitas imbibita in ipsâ possibilitate peccati, quam Deus non amat, tametsi cum eâ connectatur, ut vidimus disp. 7. c. 2.: nec ex connexione Dei cum possibilibus desumi potest ullum argumentum circa actum peccati, quod non militet circa malitiam. Insistes demùm: Deus amat adimpletionem muneris Causæ primæ. *Dist.*: adimpletionem stantem in applicatione Omnipotentiæ ad concurrendum, *conc.*; stantem in externo concursu, *subdist.*: si talis adimpletio determinetur per causam secundam contra legem Dei, *neg.*; si non ita determinetur, *conc.*.

45 Dices 2.: Deus ultrò offert concursum suum ad actum peccati. *Dist.*: offert purè permittendo, *conc.*; offert suadendo, vel invitando, *neg.*. Offert tamen *ultrò*; quia ipsum permittere suum Deus liberrimè vult, & à nullo coactus; ideò que verè concurrit *volens*, & *quia vult*. Vide suprà n. 22.. Nihilominùs simul concurrit seriò *nolens*, non quidem nolens permittere (in quo multùm differt ab homine, qui metu, vel alio impulsu, cui non audet resistere, vult aliquid facere reluctans, & invitus), sed nolens concursum externum, quem simul vult non impedire. Dices 3.: voluntas nostra vincit omnipotentiam, si ex determinatione nostrâ Deus facit quod non vult, & non facit quod vult. Insto: ergo voluntas nostra vincit voluntatem Dei, faciendo peccatum, quod Deus non vult, & non faciendo bonum opus, quod Deus vult. Negabis *conseq.*; tum quia voluntas nostra nihil facit contra voluntatem Dei efficacem, sed solùm contra inefficacem, licèt seriam, cui utique resistit (ut definitum est in Bullâ *Unigenitus* contra propositionem 13. Quesnelli); tum quia hæc ipsa resistentia supponit liberrimam Dei voluntatem permissivam; nec facere potest quin Deus de creaturâ peccante faciat quod voluerit. Idem ergo tibi dictum habe.

46 Dices 4.: potentia subordinata nequit agere eo præcisè, quòd non impediatur à subordinante. *Dist.*: si potentia subordinata non sit electiva, *conc.*; si sit electiva, & dominativa sui actus, *subdist.*: eo præcisè, quòd non impediatur impedimento positivo, *conc.*; quòd non impediatur impedimento negativo subtractionis concursus, *neg.*. Dices 5.: Deus habet ideam actus peccati, ut non semel indicat D. Thomas: sed idea est forma, quam opus imitatur ex intentione agentis;

tis, juxta D. Thomam q. 3. de verit. ar. 1.: ergo. *Dist. Min.*: ex intentione sufficiente ut opus non sit casuale, *conc.*; ex aliâ intentione propriè tali, *neg.*, quantum est ex conceptu ideæ. Potest *intentio* accipi in sensu lato, ut notavimus n. 40.: atque ita sumitur, cum definitur idea, vel exemplar; quia sic sumpta sufficit, ut quod fit cum ideâ, non fiat cæcè, & casualiter; prout intendit ibi D. Thomas. Ad excludendam autem casualitatem non requiritur intentio propriè sumpta pro voluntate approbante, & procurante. Sed de his jam satis.

## CAP. V.

### *UTRUM DETUR CONCURSUS Dei prævius physicè prædeterminans causas secundas ad operandum?*

1 PRæter concursum Dei simultaneum, de quo hactenùs, quæritur, an sit agnoscendus concursus prævius, qui, & qualis asseritur, & acriter defenditur à Thomistis? Hic appellatur *physica prædeterminatio*, est que qualitas quædam, motio, vel impulsio, à solo Deo proveniens, & physicè impressa voluntati humanæ v. g., pro priori ad actionem ejus; sic tamen, ut non sit virtus activa, nec pertineat ad actum primum libertatis, sive ad posse liberum (alioquin libertatem everteret), sed ita ut actum primum supponat proximè & integrè constitutum, consequenter que se teneat in quodam actu vel signo medio inter posse & agere creaturæ, sicque applicatio actus primi ad secundum. Præmotio ista ponitur 1. essentialiter prærequisita ad omnem actionem causæ secundæ, seu liberæ, seu necessariæ, adeò ut chymericum sit sine illâ existere actionem ullam, naturalem aut supernaturalem, bonam aut pravam. Ponitur 2. essentialiter inseparabilis ab actione, quam præit, adeò ut chymericum etiam sit creaturam eâ præmotione positâ non operari: unde, quia cessat actione creaturæ cessante, dicitur motio transiens, aut fluens, vel per modum fluxus. Ponitur 3. unicè pendens à mero arbitrio Dei, adeò ut hujus præmotionis adquisitio, vel impeditio, sit prorsùs extra potestatem creaturæ, etiam liberæ. Cum his attributis, quæ recentioribus Thomistis communiter placent, physica prædeterminatio est veluti character præcipuus hodiernæ Scholæ Thomisticæ.

2 Ipsa tamen constanter rejicitur, & fortiter impugnatur ab universâ Schola nostrâ, necnon à Schola Scotistarum, & ab aliis quàm plurimis & gravissimis Authoribus, tum antè, tum post exortam inter PP. Dominicanos & Nostros celebrem de Auxilijs Divinæ gratiæ controversiam: quorum Authorum censum videre licet apud R. P. Thyrsum tom. 4. select. disp. 4. à n. 194.. Inter eos non pauci, nec ignobiles numerantur ex clarissimo ipso Prædicatorum Ordine: nominatim R. P. Fr. Josephus de Vita, qui in egregio Opere *de proprio & per se principio &c.*, à præstantibus ejus-

ejusdem Ordinis viris approbato, & authoritate Magistri Generalis) edito an. 1665., non obiter, sed tractatu integro contra physicam prædeterminationem, ut à mente D. Thomæ alienam, ejusque principijs adversam, & humanæ libertatis inimicam, fortissimè pugnat. Porrò, quia Thomistæ prædeterminationem istam requirunt etiam ad materiale peccati, & quia in eâ collocant efficaciam Divinæ gratiæ ad actus salutares, controversia hæc Theologici juris facta est, & à Theologis fusissimè disceptari solet. Nunc, omissis Theologicis argumentis, & quidem prævalidis, ex Scripturâ, Conciliis, & Patribus, necnon ijs, quæ sumuntur ex capite Divinæ sanctitatis, sive ex eo quòd physica prædeterminatio Deum redderet Authorem peccati (quâ de re satis egimus suprà cap. 3.), breviter illam impugnabimus in causis liberis ex capite libertatis, prout hæc à Philosophis cognoscibilis est, præscindendo ab ordine supernaturali. In causis necessarijs rejici solet ex capite superfluitatis; quia scilicet nullo titulo necessaria est, ut ignis v. g. determinetur ad agendum cum perfectâ subordinatione ad primam Causam: quod satis ex dicendis colligi poterit.

*Rejicitur physica prædeterminatio, ut creaturæ libertati contraria.*

3 Præ oculis habenda sunt attributa prædeterminationis notata, *n.* 1.: nimirùm quòd sit essentialiter prærequisita ad actum, & cum eo essentialiter connexa; & quòd ita pendeat à solo arbitrio Dei, ut ejus existentia, vel carentia nullatenùs sit libera creaturæ. Hinc statim patet ingens difficultas prædeterminationem cum libertate conciliandi. Si enim mihi nullatenùs liberum est id, sine quo nequit actus existere, & quo posito nequit actus omitti, quomodò mihi liberum erit quod actus existat, vel omittatur? Sed, ut res clarior fiat, *Arguitur* sic: Voluntas à Deo physicè prædeterminata ad amorem v. g., non operatur amorem liberè: ergo physica prædeterminatio libertatem evertit. *Prob. Antec.*: voluntas non operatur liberè (loquor de libertate indifferentiæ, quam, ultra libertatem à coactione, Fides docet), nisi operetur cum expeditâ potestate non operandi; ut est certum: sed voluntas physicè prædeterminata ad amorem, non operatur cum expeditâ potestate non operandi, seu omittendi amorem: ergo non operatur liberè. *Prob. Min.*: voluntas habens metaphysicam connexionem cum existentiâ amoris, sibi non liberam, sed prorsus inevitabilem, & antecedentem omne exercitium suæ libertatis, non est expedite potens omittere amorem (quid enim magis impeditum?): sed voluntas, ad amorem prædeterminata, connexionem habet istiusmodi, ut constat ex attributis prædeterminationis: ergo &c.

4 Urgetur 1.: voluntas, quæ non habet actu, nec in potestate requisitum aliquod, sine quo chymericum est amorem omitti, non est expeditè potens ad omissionem amoris. Hoc videtur omninò per se no-

notum, etiam de requiſitis naturaliter neceſſarijs. Sic, qui non habet actu, nec in poteſtate alas ad volandum, lucem ad legendum, carentiam compedum neceſſariam ad ambulandum, non eſt expeditus ad volatum, lectionem, ambulationem. Atqui voluntas in inſtanti, quo prædeterminatur ad amorem, non habet actu, nec in poteſtate carentiam hujus prædeterminationis, quæ carentia ita requiritur ad omiſsionem amoris, ut amorem ſine illâ omitti chymericum ſit: ergo voluntas in eo inſtanti non eſt expeditè potens amorem omittere. Similiter voluntas in inſtanti, quo non prædeterminatur ad amorem, non erit liberè potens amorem elicere, cum non habeat actu, nec in poteſtate requiſitum, ſine quo amorem elici chymericum eſt. Certè potentia libera importat ſufficientiam, vi cujus in laudem aut vituperium imputetur ipſi, quòd amorem eliciat, aut omittat: quomodò autem imputatio iſtiuſmodi locum habere poterit, ſi potentia deſtituitur requiſito eſſentiali ad utrumlibet, cujus adquiſitio nec eſt, nec fuit unquam in ejus poteſtate?

5 Urgetur 2.: prædeterminatio ad amorem eſt impedimentum inſuperabile omiſsionis amoris, ſiquidem omninò repugnat hanc omiſsionem cum eâ prædeterminatione componi: eſt item impedimentum à libertate creatâ prorſus inevitabile, & inauferibile, ſiquidem à ſolâ Dei libertate pendet. Tum ſic: voluntas in inſtanti, in quo ſubeſt impedimento omiſsionis amoris, ſibi non libero, ſed prorſus inevitabili, & inauferibili, non eſt expedita, ſed impedita ad omiſsionem amoris: ut videtur clarum ex terminis, & inductione perpetuâ. Cur enim alioquin humanitas Chriſti D. non erit ad peccandum expedita, quamvis ſubſit unioni hypoſtaticæ, & viſioni beatificæ? Vel cur ferreis catenis vinctus, & carcere detentus, non cenſebitur expeditus ad fugiendum? vel quid ſignificat me eſſe *impeditum*, niſi me pati neceſſariò, ſeu citrà omnem meam libertatem, impedimentum inſuperabile? Cum ergo voluntas in inſtanti, in quo prædeterminatur ad amorem, impedimento ſubſit iſtiuſmodi, non erit ad omiſsionem amoris expedita, proindeque nec libera. Eâdem ratione voluntas non erit expedita ad amandum, dum caret prædeterminatione ad amorem; quia ſubeſt impedimento inſuperabili, ſibi non libero, nempe carentiæ prædeterminationis.

6 Urgetur 3.: qui ſine libertate ponitur in ſtatu, in quo neceſſe eſt agere, verè neceſsitatur ad agendum, ſeu agit neceſſariò, ac ſine libertate. Quid clarius? Sed qui prædeterminatur ad actum, ſine libertate ponitur in ſtatu *prædeterminati* (hic enim ſtatus nullatenùs ipſi liber eſt), in quo, ſeu quo poſito, neceſſe eſt agere, ſiquidem impoſsibile eſt non agere; ideòque propoſitio hæc, *Qui prædeterminatur ad actum, agit* eſt æternæ veritatis; & objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, juxta Thomiſtas: ergo &c.

Aliter: qui ſine libertate patitur neceſ-

cessitatem metaphysicam agendi, sine libertate agit. Quid manifestius? Vel quid aliud est necessitari ad agendum? Sed qui patitur prædeterminationem, sine libertate patitur necessitatem metaphysicam agendi: ergo &c.. Constat *Minor*: quia prædeterminatio, quam homo sine libertate patitur, est metaphysica necessitas agendi: tum quia est connexio metaphysica cum agere: tum quia est impossibilitas metaphysica non agendi, siquidem eâ stante metaphysicè impossibile est non agere. Certè libertas indifferentiæ est libertas à necessitate, ut nemo nescit: quomodò autem habet libertatem à necessitate, qui sine libertate patitur necessitatem agendi? seu qui nullam habet libertatem, ut necessitatem agendi evitet, aut à se excutiat?

7 Hujus argumenti vim ut capias, scito, quòd duplex est necessitas, quoad præsens attinet: alia dicitur *antecedens*; & hæc juxta omnes destruit libertatem: alia *consequens*; & hæc cum libertate cohæret. Utriusque discrimen sumitur à Theologis ex D. Anselmo, tum *lib. 2. Cur Deus homo cap. 18., tum lib. de Concord. cap.*, seu *tit. 1.*: quibus ex locis habetur, quòd necessitas antecedens illa est, quæ præcedit omnem usum libertatis, & nullatenùs cavesi potest priusquàm sit; sicut necessitas ut cælum moveatur, vel ut Sol oriatur crás: consequens verò est, quæ aliquomodò decendit à liberâ voluntate, vel ejus exercitium (saltem in facto conditionato) supponit, idcòque caveri potest antequàm sit; ut cùm dicitur: Necesse est me loqui, si loquor, vel ex suppositione quòd loquar. Hi sunt utriusque necessitatis characteres, ut patebit Anselmum legenti. Confer nunc eos cum physica prædeterminatione, quæ citrà dubium est aliqua necessitas agendi; & plane comperies, ei convenire quidquid est de conceptu necessitatis antecedentis; minimè verò, quod est de conceptu necessitatis consequentis. Eúdem sensum habet apud D. Thomam distinctio necessitatis in *absolutam*, & *ex suppositione*, vel in necessitatem *consequentis*, & *consequentiæ*: quarum prima, non secunda, libertati opponitur. Et ad eamdem normam explicantur potentia, vel impotentia antecedens, potentia, vel impotentia consequens: nam ille est antecedenter potens ad aliquid, qui caret necessitate antecedenti ad oppositum; si verò tali necessitate non careat, dicitur antecedenter impotens ad illud. Idem puta de potentiâ, vel impotentiâ consequenti ratione consequentis necessitatis. Unde infertur, quòd prædeterminatus ad agendum, est antecedenter impotens non agere; quæ impotentia juxta omnes cum libertate pugnat.

8 Urgetur 4.: qui nullo genere potentiæ liberæ impedire potest antecedens metaphysicè connexum cum consequenti, nullo genere potentiæ liberæ potest vitare consequens. Hoc etiam videtur per se notum; & alioquin, posito antecedenti, superesset adhuc ulterior aliqua evitabilitas, adeòque ulterior contin-

gentia, vel incertitudo aliqua cõsequentis, contra conceptum connexionis metaphysicæ, & contra principium dialecticum, *Ex vero non sequitur nisi verum* : si enim consequens est magis contingens, quàm antecedens, fieri poterit, ut posito antecedenti deficiat consequens, ac proinde ut ex vero sequatur falsum. Atqui Petrus nullo genere potentiæ liberæ vitare potest prædeterminationem, quæ metaphysicè connectitur cum amore, & illum infert antecedenter, seu à priori : ergo amorem nullo genere potentiæ liberæ vitare potest. Vel aliter: Petrus non potest liberè impedire hoc antecedens, *Petrus prædeterminatur ad amorem* : ergo nec potest libere vitare hoc consequens, *Petrus amat*, quod inde per connexionem metaphysicam sequitur à priori. *Prob. Consequ.* : quia, si potest vitare hoc consequens, potest facere ut detur oppositum ejus : qui autem facere potest ut detur oppositum consequentis, potest facere ut detur oppositum antecedentis ; quod est impedire antecedens.

9 Vel etiam aliter : in hoc syllogismo, *Omnis prædeterminatus ad amorem amat* ; *Petrus est prædeterminatus ad amorem* ; *ergo Petrus amat* ; utraque præmissa est necessaria Petro necessitate antecedenti, seu, quod idem est, omninò indèpendens ab ejus libertate ; *Major*, quia est æternæ veritatis ; *Minor*, quia sic fert doctrina Contrariorum : ergo & conclusio, *Petrus amat*, est æquè necessaria Petro: repugnat enim, ut cui sunt necessariæ præmissæ, unde conclusio sequitur evidenter, non sit pariter necessaria conclusio. Quod patet. tum in syllogismis eàdem formâ constructis in quâvis aliâ materiâ, in hoc v.g., *Omnis beatus Deum amat*, *Petrus est beatus*, *ergo Deum amat*: tum ex inconcusso principio dialectico, *Ex necessario non sequitur nisi necessarium* ; vel, ut ait Aristoteles 1. Poster. t. 17., *Cum medium est necessarium*, *conclusio quoque necessaria est*, *quemadmodum & ex veris infertur semper conclusio vera*... *& fieri nequit*, *ut cum conclusio non est necessaria*, *medium necessarij subeat rationem* quam regulam demonstrat Aristoteles, & cum eo D. Thomas *ibi* lect. 13.. Idem syllogismus fieri poterit conditionalis, si loco illius Majoris, *Omnis prædeterminatus*, &c., ponatur hæc, *Si Petrus prædeterminatur ad amorem*, *amat*: & tunc pariter ex præmissis Petro necessarijs, sequitur legitimè conclusio juxta regulas syllogismi conditionalis. Accedit ratio : quia, dum mihi necessarius est amor sub conditione aliquâ, si aliunde purificatio conditionis fit mihi necessaria, mihi necessarius fit amor absolutè. Sic, quia mihi necessarium est mori, si bibam toxicum, si aliunde toxicum bibere fit mihi necessarium, mihi redditur absolutè necessaria mors, & nullatenùs libera manet. Sic etiam in alijs inductione perpetuâ.

10 Urgetur 5. potentia libera est, *quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum potest operari & non operari*, ut fert definitio ab om-

omnibus approbata: ergo 1., si prædeterminatio est unum ex prærequisitis, donec ea ponatur, non intelligitur potentia libera, consequenterque prædeterminatio pertinet ad actum primum, sive ad posse: ergo 2., positâ prædeterminatione ad operandum, potest voluntas non operari, vel, si non potest, non manet libera; consequenterque vel prædeterminatio non connectitur essentialiter cum operatione, vel tollit libertatem. *Dices*: positâ prædeterminatione, manet potestas ad omissionem, non ut componendam cum prædeterminatione, sed ut ponendam in sensu diviso. Sed, præter infrà dicenda contra 1. responsionem Thomistarum, nunc infero: ergo, positâ prædeterminatione, non manet potestas ad omissionem in sensu composito illius: ergo absolutè falsum est, quòd voluntas, positâ prædeterminatione, potest omittere actum; sicut falsum est absolutè, quòd homo, positâ cæcitate, potest videre; quòd humanitas, positâ unione hypostaticâ, potest peccare; imò etiam, quòd, posito amore, potest non amare: vis enim illius ablativi absoluti planè importat sensum compositum. Falsa ergo, vel inepta erit definitio potentiæ liberæ. Præterea, sensus definitionis erit, quòd potentia libera, posito prærequisito ad operandum, potest non operari pro eventu, in quo careat tali prærequisito. At hoc pariter convenit causæ necessariæ, v. g. igni, positâ applicatione. Adde, quòd homo verè peccat ponendo actum pravum in sensu composito prædeterminationis ad ipsum, vel omittendo actum præceptum in sensu composito carentiæ prædeterminationis ad actum istum: sed in eo sensu, in quo peccat, tenetur vitare; &, si tenetur, vitare potest, cum non teneatur ad impossibile: ergo &c.

11 Urgetur 6.: voluntas non agit liberè, nisi se ipsam ad agendum determinet; *non* enim *esset homo liberi arbitrij, nisi ad eũ determinatio sui operis pertineret*, ut ait D. Thomas in 2. d. 28. q. 1. ar. 1., & nemo dubitat. At voluntas humana, si prædeterminatur à Deo, in nullo signo se liberè determinat: non pro priori ad prædeterminationem, ut est evidens: non deinde concomitanter; quia sic Deus non prædeterminaret, sed condeterminaret: non denique pro posteriori; quia post prædeterminationem nulla jam superest indifferentia voluntatis, nulla que potestas non agendi, quæ non supponatur ita ligata, & præpedita, ut jam sit impossibile non agere, & non sequi determinationem Dei. Quomodò autem locus erit liberæ determinationi voluntatis in signo, in quo jam impossibile est non sequi determinationem alienam, sibi non liberam? Certè, se liberè determinare ad agendum non est præcisè efficere actum; alioquin voluntas beati se liberè determinaret ad amorem Dei: est ergo actum efficere sine prævia alligatione, seu cum potestate omittendi non præpeditâ, ratione cujus voluntati imputetur quòd non omittat. At quomodò voluntati imputabitur quòd

non omittat actum, furti v.g. in instanti, in quo ad illud prædeterminatur? In quo signo illum omittet? An in signo præcedente, vel comitante prædeterminationem? Omninò repugnat. An in signo prædeterminationem subsequente? At hoc signum jam supponit prædeterminationem, qua suppositâ nec Deus facere potest ut omittatur actus.

12. Denique urgetur: physica prædeterminatio supponit in Deo decretum prædeterminativum metaphysicè connexum cum operatione determinatâ, quod juxta Adversarios non cohæret cum decreto indifferenti, de quo suprà cap. 3. quare decretum ipsum prædeterminans, vel aliud similiter connexum, debet esse applicativum Omnipotentiæ (quæ certè non applicatur nisi liberè) ad concurrendum simultaneè, proindeque debet constituere actum primum proximum voluntatis creatæ. Sed nihil metaphysicè connexum cum operatione determinatâ constituit actum primum, quin tollat libertatem, ut Adversarii supponunt in præsentiarum ergo, &c.. Dicunt Recentiores Thomistæ, actum primum creatæ libertatis constitui per sola complicia creata, non verò per Omnipotentiam, vel decretum applicativum. Sed hoc difficillimum est. Nam actus primus libertatis creatæ juxta omnes est vera & expedita potestas agendi & non agendi, cui possit imponi præceptum agendi, & cui vertatur in culpam quòd non agat. At, nisi Deus intelligatur paratus concurrere, nequit intelligi talis potestas in causâ creatâ: hæc enim est essentialiter impotens agere sine Dei concursu; & causa de se impotens agere sine alterius juvamine, non est proximè & expeditè potens, donec altera sit parata juvare; ut patet ex terminis, & exemplo pueri, qui ad levandum pondus indiget juvamine viri robusti.

13. Nec refert, quòd causa creata dicatur totalis in suo ordine. Tum quia ratio cur una causa partialis non sit proximè potens sine applicatione alterius, est indigentia cooperationis illius: magis autem indiget concursu Dei omnis causa creata, quàm Intellectus specie, voluntas habitu elevante ad supernaturaliter agendum, & sic de aliis. Tum quia etiam voluntas est causa totalis in suo ordine causæ efficientis, & tamen non est proximè potens agere, donec sit applicata causa finalis: similiter agens, & passum sunt causæ totales in suo ordine activo, & passivo; nec tamen aut agens sine præparatione passi, aut passum sine applicatione agentis, intelligitur proximè potens causare. Idem patet in instrumento, quod, licèt in suo ordine causæ instrumentalis totalitatem habeat, tamen non est proximè potens operari, donec eum velit causa principalis: creaturæ autem comparatione Dei sunt causæ instrumentales, ut Thomistæ inculcant, maximè in præsenti. Et verò, licèt in his exemplis salvetur utcumque potentia physica, nequit certè salvari potestas imputabilitatis: quis enim imputet voluntati quòd non amet finem nondùm cogni-

ni-

nitum, aut igni quòd non statim comburat adamantem, aut malleo quòd non operetur præscindendo à voluntate artificis? Adde, quòd juxta doctrinam istam stare poterit totus actus primus libertatis humanæ, licèt Deus efficaciter nolit concurrere, cum hæc nolitio dari possit stantibus omnibus comprincipijs creatis, adeòque stantibus omnibus constitutivis illius actus primi: poterit ergo stare potestas libera hominis ad amorem, & consequenter præceptum amandi, cùm Deus absque ullâ attemperatione ad usum libertatis humanæ decernit efficaciter non concurrere ad amorem, quod est decernere ne amor existat: tunc ergo erit homo culpabilis, & pœnâ dignus, quòd non producat amorem, quem Deus efficaciter vult non existere, negando concursum quo essentialiter indiget amor. Finge Deum tunc increpantem, & hominem excusantem; & videbis uter rationabiliùs se gerat.

14 Hinc insurgit validissimum contra prædeterminationem argumentum. Nam quoties homo peccat omittendo actum præceptum, datur Dei decretum, homini prorsus inevitabile, negandi prædeterminationem ad illum actum; quod reverâ est decretum negandi concursum simultaneum ad eundem actum, cum iste concursus essentialiter supponat prædeterminationem, juxta Thomistas: homo igitur peccat omittendo actum, ad quem Deus decernit non concurrere, decreto inevitabili ab homine. Deus ergo damnabit hominem, eo quòd non fecerit insignem chymeram, non fecerit insignem chymeram, cujusmodi est operari actum sine concursu Dei, vel Deo concurrere nolente. Ego certè damnationem hâc ex causâ non timeo.

15 Mitto alia quàm plurima; quæ omnia revocari possunt ad hæc duo principia. 1.: *Qui sine libertate caret requisito essentiali ad actum, non est liber ad actum.* 2.: *Qui sine libertate patitur impedimentum essentiale omissionis actus, non est liber ad omissionem actus.* Quorum primum verificatur in homine non prædeterminato, secundum in prædeterminato ad agendum. Et utrumque perpetuò verum, & inconcussum agnoscitur ab omnibus præter solos Prædeterminatores, imò, & ab ipsis extra rem præsentem. Ea verò adeò clara sunt, & urgentia ex terminis, ut apud me nihil magis probet subtilia PP. Dominicanorum ingenia, quam quòd potuerint nihilominùs physicam prædeterminationem reddere probabilem.

*Responsiones adversæ confutantur.*

16 Respondent 1. Adversarij, hominem in instanti, quo prædeterminatur ad amorem, habere potentiam liberam ad omittendum, non quidem ad omittendum in sensu composito prædeterminationis, sed in sensu diviso; quàmvis potentia ipsa verè existat in sensu composito, id est, simul cum prædeterminatione; datur enim, ut ajunt, simultas potestatis ad amorem, & omissionem, licèt non detur potestas simultatis, quâ scilicet simul ponantur amor, & omis-

sio.

omiſsio. Sic, qui liberè amat, ſimul habet poteſtatem ad omiſsionem, vel ad odium, non tamen ad odium, ut componendum ſimul cum amore : ſic etiam, qui liberè ſedet, ſimul eſt potens ambulare, non tamen eſt potens ambulationem componere cum ſeſsione. Quòd autem ſuppoſitâ prædeterminatione homo ſit impotens ad extremum oppoſitum, nihil obſtat ; quia hæc eſt impotentia conſequens, benè cohærens cum potentiâ antecedenti, quemadmodùm impotentia ad odium ex ſuppoſitione amoris, & impotentia ad ambulandum ex ſuppoſitione ſeſsionis.

17 Sed, præter dicta n. 10. *contrà* 1. : quia argumenta noſtra non in eo præcisè nituntur, quòd prædeterminatio ad amorem ſit incompoſsibilis cum omiſsione, vel odio, ſed ſimul in eo, quòd exiſtentia vel carentia prædeterminationis nullo modo ſit libera homini: unde planè ſequitur, quòd neceſsitas amandi, & impotentia omittendi, quam inducit, non eſt conſequens, ſed antecedens. Quid enim eſt neceſsitas antecedens (idem quæro de impotentiâ antecedenti), niſi neceſsitas, quam quis patitur ſine libertate, neceſsitas inevitabilis, neceſsitas, quæ caveri non poteſt antequam ſit, neceſsitas præcedens omnem uſum libertatis? Hinc retorqueatur exempla reſponſionis: nam ſi amor, & ſeſsio ita exiſterent, ut eorum exiſtentia præcaveri non poſſet, abſolubiò inducerent neceſsitem antecedentem amandi, & ſedendi, pariterque impotentiam antecedentem ad non amandum, & ad ambulandum : ideò autem non inducunt niſi conſequentem, quia poſſunt ab homine liberè vitari antequàm ſint.

18 *Contrà* 2. : potentia ad omittendum in ſenſu diviſo alicujus impedimenti, non eſt potentia libera, niſi poſsit facere ſenſum diviſum, ideſt, niſi poſsit à ſe dividere, ſeu amovere impedimentum, vel antequam ſit, vel poſtquam eſt. Hoc patet, tum iiſdem exemplis amoris, & ſeſsionis : tum ratione perſpicuâ. Si enim ſenſus diviſus, ſeu amotio impedimenti, ſolùm eſt factibilis ab alio ſine ullâ Petri libertate, potentia Petri ad omittendum in ſenſu diviſo impedimenti, ſolùm eſt potencia ad omittendum ſub conditione, cujus purificatio pendet unicè ab alio, & nullatenùs à libertate Petri : talis autem potentia non eſt proxima, qualis ad libertatem requiritur, ſed eſt purè remota, qualis convenit cauſæ neceſsariæ, *v. g.* igni Salmantino ad comburendam Romæ ſub conditione, quòd eò transferatur, & applicetur. Et alioquin dabitur in humanitate Chriſti D. vera libertas ad peccandù in ſenſu diviſo unionis hypoſtaticæ, & in beato ad omittendum amorem Dei in ſenſu diviſo viſionis beatæ, & in homine catenato ad fugiendum in ſenſu diviſo vinculorum. Atqui voluntas humana nullatenùs facere poteſt ſenſum diviſum prædeterminationis, nec antequàm ſit, nec poſtquàm eſt, cum ejus amotio, vel impeditio unicè pendeat à libertate Dei.

ergo

ergo &c.. Hinc in sensu composito prædeterminationis non datur in homine simultas potestatis proximæ ad utrumlibet, sed tantùm proximæ ad amorem, & remotæ ac præpeditæ ad omissionem; quæ simultas ad libertatem non sufficit, ut exempla nupera demonstrant.

19 Respondent 2., in homine prædeterminato ad amorem dari potentiam ad odium in sensu diviso, non positivo, sed præcisivo, ideſt, potentiam ad odium secundùm se, & secundùm prædicata essentialia, præscindendo ab eo quòd sit vel non sit positivè divisum à prædeterminatione contrariâ; quêadmodùm, licèt meus amor nequeat existere, nisi vel coexistens, vel non coexistens amori tuo, mea tamen potestas amâdi præscindit ab eo, quòd tu in eodê instâti ames, aut non ames. Sed *contrà* 1.: ergo datur in homine vera libertas, ac proinde proxima potestas ad odium producendum, sive detur, sive non detur prædeterminatio; vel (quod perinde est, ut vidimus n. 14.) sive Deus velit, sive nolit concurrere; quemadmodùm in me datur potestas amâdi, sive detur, sive non detur tuus amor. *Cõtrà* 2.: ergo similiter in humanitate Christi, in beato, in catenato, dabitur vera libertas ad peccandum, ad non amandum, ad fugiendum, in sensu diviso præcisivo. *Contrà* 3.: potentia libera est potestas faciendi, ut odium existat non chymericè: sed odium, nisi existat positivè divisum à prædeterminatione contrariâ, existet chymericè: ergo &c..

20 *Contrà* 4.: potentia ad odium secundùm ejus prædicata essentialia, est potentia ad odium ut positivè componendum cum prædeterminatione ad ipsum: ergo etiam ut positivè dividendum à prædeterminatione contrariâ. *Consequentia* est evidens. *Prob. Antec.*: nullum prædicatum magis essentiale odio, quàm quòd positivè pendeat à prædeterminatione sibi coexistente, siquidem juxta Adversarios non aliter pendere potest à Deo ut primo agente, & primo libero: imò hoc prædicatum, non minùs quàm ratio entis, intimè transcendit cætera omnia prædicata positiva odij, & cujusvis effectus, quæ non possunt ab eo præscindi: ergo idem est posse producere odium secundùm ejus prædicata essentialia, ac posse producere odium ut positivè pendens à prædeterminatione sibi coexistente, atqueadeò ut positivè compositum cum prædeterminatione ad ipsum. *Contra* denique: libertati non sufficit potentia præcisè inferens, odium secundùm se esse possibile, seu in se non repugnans; hæc enim potentia datur in humanitate Christi, & in voluntate beati: debet ergo esse expedita potestas faciendi, ut odium secundùm se realiter existat. At, quòd hæc potestas non cohæreat cum prædeterminatione ad amorem, nec cum carentiâ prædeterminationis ad odium, probant argumenta nostra, ut ea relegenti constabit.

21 Respondent 3., ideò attributa prædeterminationis non offi-

li-

ficere libertati, quia nec prædeterminatio, nec ejus carentia pertinet ad actum primum voluntatis humanæ, nec requiritur ad posse, sed ad agere. *Contrà* 1.: saltem decretum prædeterminans, utpotè applicativum Omnipotentiæ ad concurrendum simultanee, constituit actum primum, ex n. 12.: in eo autem æque militant argumenta nostra. *Contrà* 2.: id, sine quo non intelligitur posse liberum, pertinet ad actum primum: sed sine existentiâ prærequisiti essentialis ad agendum, non liberè assequibilis, & sine carentiâ impedimenti essentialis ad omittendum, non liberè evitabilis, non intelligitur posse liberum, ut probant argumenta suprà posita: si ergo detur prædeterminatio, cum sit prærequisitum, & impedimentum ejusmodi, tam ipsa, quàm ejus carentia pertinet ad actum primum; qui proinde chymericus erit. *Contrà* 3.: applicatio causæ ad causandum pertinet ad actum primum proximum, ut patet in applicatione ignis, in applicatione intentionali finis, & in actu voluntatis applicante intellectum ad assentiendum objecto fidei, vel ad assensum aut dissensum objecti probabilis, vel etiam applicante potentiam externam, v. g. ad loquendum: sed prædeterminatio juxta Adversarios est applicatio voluntatis ad agendum: ergo &c.. *Contrà* 4.: prædeterminatio non intelligitur pro posteriori naturæ ad actum primum voluntatis humanæ: ergo intelligitur in signo ipsius actus primi. Patet *Antec.*: quia nihil intelligitur pro posteriori ad actum primum, nisi quod ab eo provenit, & ab eo causatur aliquomodò; ut constat ex conceptu prioritatis naturæ. *Contrà* demùm: quidquid sit de attinentiâ ad actum primum, quisquis non habet actu, nec in potestate requisitum essentiale ad amorem, non est liber ad amorem; ut patet in eo, qui non habet actu nec in potestate actionem productivam amoris, quamvis actio non attineat ad posse; atque etiam in eo, qui non habet actu, nec in potestate carentiam odij, quæ tamen non attinet ad actum primum libertatis ad amandum.

22 Respondent 4., prædeterminationem non officere libertati, quia non requiritur ex parte causæ secundæ, sed ex parte Dei. *Contrà*: quid est requiri solùm ex parte Dei? An quòd prædeterminatio non constituat actum primum libertatis creatæ? At hoc non differt à responsione 3., nunc impugnatâ. An quòd à solo Deo produci debeat? At hoc etiam haberet prædeterminatio posita ex parte actus primi; & tamen tolleret libertatem: hoc etiam habet lumen gloriæ; quod tamen nullam reliquit libertatem, aut indifferentiam ad visionem beatam: hoc item habet noio hypostatica, & haberet gratia sanctificans inamissibilis; quæ tamen tolleret libertatem peccandi. *Dices*: prædeterminatio est à Deo ut primo libero, & ut eminenter continente libertatem creatam, eamque sibi subordinante. *Contrà*: ergo nec visio beata, nec prædeterminatio posita ex parte actus primi, tollet liber-

bertatem, dummodò fit à Deo ut primo libero &c.. Repones, conditionem repugnare; quia Deus, ut primum liberum eminenter continens libertatem creatam, non agit per formam ex se necessitantem, sed solùm per formam, quâ fovetur libertas creata. Optimè: ergo, ut sciatur, an Deus agat ut primum liberum &c., priùs inspicienda est indoles formæ, per quam agit, an scilicet illa forma ex se sit necessitans, aut fovens libertatem creatam. Sed prædeterminatio Thomistica, in se inspecta, est forma, non libertatem fovens, sed necessitans, ut probatum est: ergo non est forma idonea, ut per eam Deus agat ut primum liberum &c.. Consequenter nec est forma idonea, per quam Deus sibi subordinet causam liberam ut talem; quia subordinatio ista nihil importare debet, quod ex se pugnet cum conceptu veræ libertatis.

23 Hinc frustrà dicunt Thomistæ, Deum Prædeterminantem velle efficaciter non solùm substantiâ actus, sed etiam modum libertatis, velle scilicet, ut amor fiat, & libere fiat. Certum est autem, non solùm omnia fieri, quæ Deus vult, sed fieri eo modo, quo vult. Hoc ultimum ultrò concedimus. Sed numquid, rogo, potest Deus velle, ut amor liberè fiat mediâ visione beatâ, vel prædeterminatione attinente ad actum primum? Negabis, opinor: quia Deus nequit velle contradictoria, volendo scilicet libertatem amoris per medium necessitans, & libertati repugnans. Idem ergo tibi dictum puta de prædeterminatione positâ in signo medio, cum nihilominùs verè sit prærequisitum essentiale ad actum, & impedimentum essentiale ad omissionem, creaturæ non liberum. Omnia igitur fiunt modo, quo Deus vult, & in ejus voluntatem originariè referri debet substantia, & modus effectuum, ut docet D. Thomas 1. p. q. 19. ar. 8.: sed quare? quia, ut ibi explicat S. Doctor, Divina voluntas aptat causas proportionatas indoli effectuum, necessarias pro necessarijs, contingentes pro contingentibus, aut liberis. Quapropter, nisi priùs probes, physicam prædeterminationem esse causam idoneam pro effectu libero, frustrà recurris ad voluntatem Dei.

24 Hinc etiam rejicitur alia evasio Thomistica, quòd scilicet prædeterminatio est necessitas consequens, quia sequitur usum libertatis creatæ ut eminenter contentæ in libertate Divinâ. Rejicitur, inquam, 1.: quia id ipsum dici poterit de visione beatâ, de prædeterminatione positâ in actu primo, de gratiâ inamissibili, de Jansenianâ delectatione victrice. Quodsi dicas, non posse has formas oriri à Deo ut eminenter continente libertatem creatam, redarguo ut suprà *n.* 22.. Rejicitur 2.: quia libertas creata, ut eminenter contenta in Divinâ, non est creatura, sed Deus: ergo necessitas, quæ solùm est consequens respectu libertatis creatæ ut eminenter in Divinâ contentæ, reipsâ solùm est consequens respec-

tu Dei, non respectu creaturæ ut in se ipsâ existentis, ac proinde respectu creaturæ est necessitas antecedens. Nulla autem excogitabilis est in creatis necessitas, quæ hoc non habeat. 3.: cui convenit libertas merendi, ac demerendi, convenit libertas à necessitate, ut definitum est contra Jansenium: sed voluntati humanę convenit libertas merendi, ac demerendi, non ut eminenter in Deo cótentæ, sed ut formaliter in se ipsâ existéti, ut est evidés: ergo eidem sic acceptæ cóvenit libertas à necessitate, ac proinde carentia necessitatis, quæ non sit consequens respectu ipsius.

25 Respondent 5. aliqui ex Adversarijs, voluntatem humanam non posse necessitari, stante judicio indifferenti: unde, cum prædeterminatio non tollat judicium indifferens, non destruit libertatem. Verùm hæc responsio communiter deseritur à modernis Thomistis, & meritò quidem 1.: quia multum derogat dominio Dei; qui non poterit impedire omne exercitium liberum creatæ voluntatis, nisi destruat judicium indifferens; nam saltem omissio omnis operationis erit libera homini, quantumcumque Deus nolit. 2.: quia D. Thomas q. 22. de verit. ar. 8., sine recursu ad ablationem judicij indifferentis, docet, posse Deum ita immutare voluntatem humanam, ut eam necessitet. 3.; quia, stante judicio indifferenti, potest absque dubio Deus nolle concurrere simultaneè: tunc autem nequit manere in creaturâ libertas, ut supra vidimus. 4.: quia si judicium indifferens pro omni eventu servat illæsam libertatem, hæc stare poterit cum prædeterminatione ex parte actus primi, imò, & cum gratiâ Calvinianâ, vel Jansenianâ, quæ certè non ita ponitur à suis Authoribus, ut excludat judicium indifferens: poterit item stare libertas ad peccandum cum unione hypostaticâ, vel cum habitu charitatis inamissibili.

26 Denique plures Thomistæ, argumentorum pondere pressi, quæ vident aliter solvi non posse, respondent. 6., physicam prædeterminationem, saltem ad actum peccati, esse impedibilem à libertate creatâ, vi alicujus prævię dispositionis liberæ, seu positivæ, seu negativæ, saltem beneficio mutuæ prioritatis, quam explicant satis variè, & confuse. Receptior explicatio esse videtur, quòd prædeterminatio præcedit actum in genere causæ efficientis, ab eo tamen præceditur in genere dispositionis: quare, si voluntas humana non se prævię disponat, prædeterminationem impediet. Sed (ut omittam repugnantiam mutuæ prioritatis physicæ, satis ostensam suprà disp. 4. c. 2.), quomodolibet explicetur mutua prioritas, aut impedibilitas prædeterminationis, debet poni pariter à creaturâ impedibilis prædeterminatio ad actum bonum; alioquin homo prædeterminatus ad actum præceptum, patietur impedimentum inevitabile ad omissionem ejus, & ad actum pravum, habebit que sine libertate connexionem

nem metaphysicâ cum actu bono; ac proindè non liberè, nec meritoriè præceptum implebit, ut probant argumenta nostra. Debet item poni à creaturâ liberè adquiribilis utraque prædeterminatio, & ad actum bonum, & ad pravum; alioquin homo non prædeterminatus, non habebit actu, nec in potestate prærequisitum essentiale ad actum, patieturque inevitabile impedimentum agendi, nempe carentiam prædeterminationis; unde peribit integra, & insoluta difficultas.

27 His autem concessis, ruit tota moles physicæ prædeterminationis, omnia que ipsius fundamenta disparent, ut cuivis mediocriter hujus controversiæ gnaro liquidum erit. Jam enim prædeterminatio ista erit inutilis, ut Deus sit primum liberum, & primum determinans, ut discernat benè operantem à malè operante, ut possit flectere corda hominum quòcumque voluerit, &c. Jam item innegabilis erit Scientia media, cum non alia via Deo supersit præsciendi infallibiliter, an voluntas humana sit, vel non sit impeditura, vel adquisitura prædeterminationem. Unde totum dissidium inter Scholam nostram, & Thomisticam, in eo stabit, quòd Nostri ponant entitatem auxilij efficacis impedibilem in operando; Thomistæ verò impedibilem in existendo, quod difficilius est: vel etiam in eo, quòd juxta Nostros erit immediatè libera homini sua actio; juxta Thomistas verò, non nisi mediatè, quatenus homini libera est existentia prædeterminationis. Hoc autem certè non est, pro quo tantopere pugnatum fuit, & adhuc pugnatur.

28 Hinc colliges, parum nobis obesse, quoad præsens attinet, sententiam M. Manso, qui physicam prædeterminationem adstruit dependentem à quodam prævio consensu negativo creaturæ libero: quam sententiam, olim assertam à M. Cabrera, latè impugnat P. Suarez in opusc. lib. 1. de concurs. Dei cap. 9. n. 61, & lib. 3. de Auxil. c. 13., & de ver. intellig. auxil. effic. toto cap. 18.. Nec in eâ, quidquid dicat Manso, vitari potest scientia media, ut agnoscunt etiam hujus Academiæ Salmanticæ docti Thomistæ, quibus ille modus opinandi vehementer displicet.

## CAP. VI.

### *SOLVUNTUR ARGUMENTA contraria: & D. Thomam pro nobis stare, probatur.*

1 OMittam Theologicas objectiones, sicut probationes omisi.: & à Philosophicis breviter me expediam, præsertim cum earum præcipuas, quæ contra decretum indifferens fieri solent, satis jam dissolverim suprà cap. 4.. *Objic.* 1.: si Deus non prævie agit, & prædeterminat nostros actus liberos, non erit primum agens, primum movens, primum liberum, & primum determinans: nec creata voluntas erit causa subordinata, & instrumentalis respectu Dei. *Neg. sequel.*: nam, ut Deus sit *primum agens*, sufficit,

quòd per virtutem incausatam influat sub ratione entis, ideſt, sub ratione comprehendente pariter omne creaturarum esse, posse, & agere: non enim hic agendi modus convenit ulli agenti secundo. Quare influere determinando, non est de conceptu primi agentis quoad omnes effectus, sed tantùm quoad eos, quos Deus non vult esse liberos creaturæ: nec item influere in actionem nostram prius, quam nos prioritate influxus realiter distincti, sed tantùm prioritate dignitatis, independentiæ, & universalitatis. Vide suprà cap. 2. n. 7. & seqq.. Eodem sensu Deus est *primum movens.*; nam movere, & agere in idem recidunt.

2 Est autem Deus *primum liberum*, quia libertatem habet increatam, à quâ pendet omnis creata libertas, & quia libertatem propriam priùs exercet per sua decreta, quàm ulla creata libertas per actiones suas exerceatur: priùs inquam, per sua decreta versantia, non solùm circa libertatem creatam in actu primo, sed etiam immediatè circa ipsas actiones nobis liberas; non quidem eas efficaciter determinando (saltem physice, & immediatè, vel sine attemperatione ad libertatem creaturæ), sed intendendo bonam, & permittendo malam: id quod præstat Deus, tum per decretum collativum auxiliorum, tum per decretum applicativum omnipotentiæ. Hoc etiam sensu Deus est *primum determinans*: quia scilicet pro priori ad omnem determinationem creatam se liberè determinat, vel ad permittendum actionem pravam, vel ad donandum bonam; quæ donatio in eo stat, quòd Deus cum prævisione, & intentione illius actionis conferat vires congruas, & concursum etiam simultaneum. Hæc autem omnia salvantur, quàmvis Deus actiones nostras non immediatè determinet, seu prædeterminet in sensu Thomistico. Denique, ut creata voluntas propriè sit causa Deo subjecta, propriè que subordinata, & etiam instrumentalis in sensu lato, sufficit, quòd à Deo accipiat esse, & totas vires agendi, quòd ejus dominio subsit in agendo, nec possit agere, nisi Deo priùs volente, & simul concurrente. Quâ de re plura diximus suprà cap. 4..

3 *Replic.* 1.: Deus per solum concursum simultaneum non agit actionem nostram ut causa independens; quia tam non potest Deus simultaneè concurrere sine creaturâ, quàm creatura sine Deo: ergo, si non agit concursu prævio, non agit independenter. *Resp.*: hæc objectio soluta manet suprà cap. 2. n. 12. Certè omnes contra Durandum exigunt concursum Dei simultaneum titulo causæ primæ, & supremi dominij: ergo Deus in ipso concursu simultaneo servat, & ostendit jura causæ primæ, & supremi Domini, quo nihil independentius. *Replic.* 2.: si Deus non determinat actionem liberam, ad eam concurrit determinatus à creaturâ; ergo non concurrit liberè, sed à creaturâ necessitatus; sicut per nos, si creata voluntas determinatur à Deo, non

agit

agit liberè, sed à Deo necessitata: ergo creatura tollet libertatem Dei. *Resp.*. Negari potest, quòd Deus à creaturâ determinetur, ut notavimus cap. 4. n. 18.. Sed, hâc locutione permissâ, *dist. Antec.*: concurrit determinatus à creaturâ, determinatione supponente ex parte actus primi decretum Dei liberum, *conc.*; aliter, *neg. Antec.*, & *utramq. Conseq.*

4 Jam suprà vidimus cap. 3. & 4., actū primum proximū libertatis creatæ constitui per decretum applicativum liberè relinquens voluntati creatæ determinationem externi concursus Omnipotentiæ. Unde voluntas nostra in ratione potentis determinare Deum, constituitur per decretum Deo liberrimum. Si autem Deus hoc modo se haberet respectu nostri, non utique nos necessitaret, nec libertatem nostram tolleret. Vide exempla posita cit. cap. 4. n. 9. in quibus hæc objectio instatur. Hinc Deus verè concurrit liberè ad actionem nobis liberam (quæ simul est concursus Dei externus); & hæc actio est Deo immediatè libera, immediatione propriâ actionis externæ (actio enim nobis interna, Deo est externa), quæ immediatio in eo stat, quod actio externa immediatè supponat actum liberum voluntatis, sive imperativum, aut determinativum, sive permissivum, aut relictivum, cujus subtractione immediatè impediri possit talis actio.

5 *Replic.* 3.: ergo Deus pro signo priori nostræ libertatis intelligitur ut causa libera. *Dist.*; ut causa libera libertate exercendâ per actionem nostram tamquam Deo internam, *neg.*; libertate exercitâ per suum decretum & exercendâ per actionem nostram tamquam Deo externam, & nobis liberè relictam, *conc. Replic.* 4.: determinabilitas dicit potentialitatem, & imperfectionem. *Dist.*: determinabilitas orta ex indigentiâ, vel in ordine ad aliquam mutationem intrinsecam, *conc.*; orta ex liberâ dignatione, & in ordine ad actionem externam, quæ nullam Deo perfectionem affert, *neg.*: & instio in exemplis cap. 4. n. 9.. *Replic.* 5.: concurrere determinando perfectior est concurrendi modus, quàm sequendo determinationem alterius. *Instio*: ergo etiam concurrere necessitando, nec relinquendo alteri veram determinationem, verum que dominium effectus: *Instio* quoque in ijsdem exemplis cap. 4. n. 9.. Non nè Deus in auferendo gratiam habitualem, & in gravificando offensam, sequitur determinationem peccantis, juxta Thomistas? Deinde pro casu nostro illud *sequendo* &c. supponit falsum, si denotet subsecutionem realem concursus Dei ad determinationem creaturæ, nec admittendum, nisi præcisè denotet attemperationem Dei in actu primo, juxta dicta cap. 4. n. 14. & seqq.. In hoc sensu *dist.* assumptum *replic.*: perfectior est concurrendi modus, quàm sequendo &c., ex necessitate, vel indigentiâ, *conc.*; ex liberâ dignatione se attemperandi ad exigentiam alterius, qui nequit aliter manere liber, *neg.*

Un-

6 Unde negandum etiam, quòd juxta nos cauſa neceſſaria magis ſubordinetur Deo, quàm libera, ut quidam objiciunt. Nam utraque ſubordinatur quantũ Deus vult, & quantum velle poteſt, niſi velit chymeram, qualis eſſet, ut opinamur, cauſa phyſicè prædeterminata ſimulque libera manens. Quære ab Adverſarijs, an creatura, ut potens peccare, minùs ſubjecta ſit Deo, quàm ut potens benè operari? Quodſi adhuc velint, majorem illam ſubordinationem ſequi ex noſtrâ ſententiâ, *diſtingue* ſic: ſi pariter ſequatur ex eo, quòd cauſa libera præ neceſſariâ retineat dominium ſui actus, *tranſeat*, vel *omitt.*; ſi ex eo non ſequatur, *neg.* Similiter negandum, quòd creata voluntas ſit abſolutè primum determinans; ſupponit enim eſſentialiter aliud prius determinans, ex n. 2.. Quòd autem ſit primum (vel potiùs unicum) determinans ſecundùm quid, ideſt, reſpectu ſui actus liberi ut immediatè determinabilis, non magis eſt abſurdum, quam quòd formaliter per ſuum actum ſit primum vivens, primum volens, primum merens; quas denominationes certè non ſuſcipit Deus ab actu creaturæ. Ratio: quia utrobique datur imperfectio, ſolius creaturæ propria.

7 *Replic.* 6.: Deus non eſſet primum agens, niſi omnes effectus immediatè ageret: ergo non erit primum determinans, niſi omnes effectus immediatè determinet. *Neg. Conſequ.*: quia ſine immediato influxu non ſalvatur perfectiſſimum dominium Dei, ut vidimus cap. 1.; ſalvatur autem ſine immediatâ determinatione, ut oſtendimus cap. 4.. Et *inſto*: Deus non eſſet primum cognoſcens, niſi cognoſceret etiam malitiam peccati: ergo non erit primum determinans, niſi malitiam determinet; nec primum agens, niſi agat malitiam in poſitivo ſtantem. *Replic.* 7.: ſi noſtra voluntas non determinaret ſuũ actum, non haberet dominium ejus: ergo nec Deus habebit dominium illius, niſi illum determinet. *Neg. Conſeq.*: quia voluntati noſtræ, ſi determinatio ſubtrahatur, nullus remanet titulus dominij; remanet autem Deo titulus multiplex, ſeclusâ determinatione, ut explicuimus cap. 4.

8 *Objic.* 2. proloquium illud, *Ab indifferenti ut indifferenti nihil determinatum oriri poteſt*: vel, ut ait ex Commentatore D. Thomas in 2. Phyſic. lect. 8., *Nihil, quod eſt ad utrumlibet, exit in actum, niſi per aliquod determinetur ad unũ*: & rationem reddit S. Doctor, quia quod eſt ad utrumlibet, eſt ſicut ens in potentiâ; non eſt autem principium agendi, niſi actus, vel ens in actu. Cum ergo creata libertas in actu primo ſit indifferens ad utrumlibet, nequit exire in actum determinatum, niſi priùs à Deo determinetur. *Confirm.* ex illo alio proloquio, *Omne, quod movetur, ab alio movetur*: nequit ergo moveri voluntas operando, niſi priùs à Deo moveatur. Huc facit auctoritas D. Thomæ ſæpe docentis, quòd Deus movet, & applicat cauſas ſecun-

cundas ad operandum. Nam 1. p. q. 105. ar. 5., explicans ex professo, quot modis operetur Deus in omni operante, *Primum agens*, inquit, *movet secundum ad agendo: & secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei.* Item, *Deus movet res ad operandum, quasi applicando formas & virtutes rerum ad operationem, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum.* Et ibi *ad* 3. summatim referens modos omnes, *Deus*, inquit, *non solùm dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, & applicat eas ad agendum, & est finis omnium actionum.*

9 Id ipsum latiùs explicat S. Doctor q. 3 de pot. ar. 7., ubi docet, quod Deus est causa omnis actionis, 1. in quantum dat virtutem, 2. in quantum eam conservat, 3. in quantum applicat, nam *Deus* (inquit) *est causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens & applicans virtutem ad agendum:* sed ulteriùs addit quartum modum in quantum scilicet causa secunda agit in virtute Dei, sicut instrumentum in virtute causæ principalis: quid autem importet quartus hic modus, explicat D. Thomas ibi *ad* 7. dicens. *Id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis:* & paulò inferiùs, quòd est in re naturali *vis, qua agit ad esse ut instrumentum primæ causæ.* In his vident Thomistæ clarissimè, ut ipsi petant, physicam prædeterminationem.

10 *Resp. ad object.*: illud proloquium, *Ab indifferenti*, &c., indigestè sumptum, probat 1., voluntatem debere à Deo prædeterminari ad malitiam, seu formale peccati. Probat 2., nullum actum oriri à voluntate ut liberâ, siquidem nullus oritur ab eâ ut indifferenti: nam de conceptu libertatis est indifferentia, sicut rationalitas de conceptu hominis: quare, sicut non est ab homine ut homine, quod non est ab eo ut rationali, ita, &c. Probat 3., in voluntate nostrâ propriori ad prædeterminationem Dei non dari verum posse, veramque potentiam ad ullum actum determinatum, siquidem nihil determinatum *potest* inde oriri: unde, cum prædeterminatio juxta Adversarios non augeat posse, nec antè, nec post illam dabitur vera potestas exeundi in actum. Probat 4., voluntatem non prædeterminatam ad actum præceptum, non posse culpari quòd illum omittat: sic enim Deo respondere poterit, Domine, ad talem actum nihil habui præter libertatem in actu primo merè indifferentem; quomodò autem violarem proloquium illud, *Ab indifferenti ut indifferenti*, &c.?

11 Quapropter proloquium illud ab omnibus explicandum est cum Ferrariensi in 1. cont. Gent. c. 82., ut loquatur de indifferentiâ passivâ, vel etiam de activâ consistente in defectu alicujus comprincipij, vel prærequisiti ad agendum non libere adquiribilis. Si autem loqueretur de indifferentiâ activâ, electivâ, & dominativâ, quæ pro-

prie

pria eſt potentiæ liberæ in actu primo proximo conſtitutæ, proloquium eſſet falſum, & contra conceptum libertatis. Idem puta de illo alio; *Nihil, quod eſt ad utrumlibet &c.*; quod certè in hoc poſteriore ſenſu non approbat D. Thomas, ut qui conſtanter exigit ad rationem cauſæ liberæ, quòd non ab alio determinetur ad unum; ut mox patebit. Hæc explicatio ſumitur ex illâ ratione à D. Thomâ ſubjunctâ: quia ſcilicet res indifferens in priore ſenſu, eſt purè in potentiâ, cum non contineat actum nec formaliter, nec virtualiter, ſaltem completè & proximè: at res in poſteriore ſenſu indifferens, jam continet actum eminenter, aut virtualiter; unde jam eſt ens in actu, non ſolùm quatenùs eſt res exiſtens (quod etiam convenit potentiæ paſſivæ), ſed etiam quatenùs illum actum, ad quem eſt indifferens, virtualiter continet; ideòque dicitur eſſe in actu virtuali, & in potentiâ formali, ſive ad actum formalem. Dices: D. Thomas proloquium illud intelligit etiam de voluntate. Fateor: at non de voluntate jam in actu primo proximo conſtitutâ, ſed adhuc expectante conſilium rationis, vel cognitionem finis, aut objecti, in quod tendere poſsit. Unde q. 3. de mal. art. 3. ad 5. objecto ſibi proloquio iſto, reſpondet, *Quòd voluntas, cum ſit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, ſcilicet per conſilium rationis; nec oportet hoc eſſe per aliquod agens extrinſecum.* Et q. 1. de virtut. ar. 9., *Quia*, inquit, *vis appetitiva ſe habet ad utrumlibet, non tendit in unum, niſi ſecundùm quòd à ratione determinatur in illud.* Quodnam hîc veſtigium phyſicæ prædeterminationis ab omni actu vitali diſtinctæ, & à ſolo Deo productæ?

12 Præterea, in 2. d. 25. q. 1. art. 1. ſic habet: *Nihil agit, niſi ſecundùm quòd eſt in actu; & inde eſt, quòd oportet, omne agens eſſe determinatum ad alteram partem: quod enim ad utrumlibet eſt, æqualiter ſe habens, eſt quodam modò potentia reſpectu utriuſque: & inde eſt, ut dicit Commentator in 2. Phyſic., quod eſt ad utrumlibet, nihil ſequitur, niſi determinetur.* En occaſionem optimam ſtatuendi phyſicam prædeterminationem Thomiſticam, ſi D. Thomas illam agnoviſſet: & eam ſine dubio expectabit quilibet Thomiſta modernus, his verbis auditis. Sed proh dolor! alia eſt mens D. Thomæ; nam continuò pergit in hæc verba: *Determinatio autem agentis ad aliquam actionem, oportet quòd ſit ab aliqua cognitione præſtituente finem illi actioni.* Et ſubdit, hoc eſſe verum in omnibus agentibus, ſeu neceſſarijs, ſeu liberis, cum hoc diſcrimine, quòd in neceſſarijs præſtitutio finis eſt ab Authore naturæ; in liberis autem poteſt ab ipſis eſſe, vel certè talis eſt, ut *in poteſtate eorum conſtitutum ſit eligere hanc actionem, vel illam; unde & dominium ſui actus habere dicuntur.* Et concludit, non dari liberum arbitrium *in illis, quorum actiones non determinantur ab ip-*

ipsis agentibus, sed à quibusdam aliis causis prioribus.

13 *Ad confirm.*, præter dicta suprà d. 3. c. 5., respondeo, proloquium illud, si non de causis merè corporeis, sed generatim de omnibus intelligatur, verum esse 1., sumpto *moveri* pro eodem, ac *produci*, ut sensus sit, Quidquid producitur, ab alio producitur: 2. quatenùs significat, nullam causam, capacem motus, aut mutationis, moveri sine auxilio alterius efficientis aut coefficientis eumdem motum. Utroque sensu proloquium est utile ad demonstrandum existentiam primæ causæ; sed neutro probat præmotionem Thomisticam, ut quisque videt. *Dices*: nihil potest movere se ipsum, nisi ut præmotum ab alio: nam alioquin simul esset movens & motum secundùm idem, adeòque simul in actu & in potentiâ, simul dans & recipiens motum. *Resp.*: quidquid sit de præmotione ab alio, *Manifestum est, quòd voluntas movetur à se ipsa*, ut ait D. Thomas q. 6. de mal. ar. unic.; qui rursùs 1. 2. q. 9. ar. 3. ex professo probat, quòd *voluntas movet se ipsam*: negari ergo non potest, quòd voluntas verè sit movens & mota per eundem motum. Quomodò autem non *secundùm idem*, explicat D. Thomas eod. art. 3. ad 1. dicens: *Voluntas non secundùm idem movet, & movetur: unde nec secundùm idem est in actu, & in potentia: sed in quantum actu vult finem, reducit se de potentia in actum respectu eorum, quæ sunt ad finem, ut scilicet actu ea velit.* Unde utsummùm sequitur, quòd voluntas præmoveri debet ad primum actum volendi finem, scilicet felicitatis in communi, vel in confuso, ut mox dicam. Quia tamen volitio ista non determinat voluntatem quoad exercitium cæterorum actuum juxta D. Thomam infrà citandum, adhuc manet voluntas respectu cæterorum indifferens ad utrumlibet, adeòque aliquomodò in potentiâ; cumque aliunde certum sit, realiter identificari potentiam voluntatis activam & passivam suorum motuum, & activam esse *in actu*, passivam *in potentia*; negari à nemine potest, quòd voluntas aliquomodò *secundùm idem* sit movens, & mota, sit in actu, & in potentiâ, sit dans, & recipiens motum. Ab omnibus ergo admittenda est explicatio, quã dedimus disp. 3. c. 5. n. 1. 2. & 3.

*D. Thomas physicæ prædeterminationi non favet.*

14 Jam verò, quidquid allegatur ex D. Thomâ, ultrò concedimus: sed simul negamus, quòd *motio* & *applicatio*, asserta à S. Doctore, sit aliquid distinctum & à concursu simultaneo, & à toto actu primo causæ creatæ, insuperque aliquid à solo Deo pendens, & essentialiter connexum cum actione creaturæ. Donec attributa ista prædeterminationis ostendas in Div. Thoma, quod numquam præstabis, frustrà S. Doctoris tribunal appellas. Itaque omnia agunt *in virtute Dei*, quia agunt per virtutem à Deo acceptam, & conserva-

tam, Deo subordinatam, & impotentem agere sine concursu Dei simultaneo. Hæc explicatio planè colligitur ex D. Thomâ 3. cont. Gent. cap. 66. 67. & 70. Vel certè, si aliquid ulterius additur causis secundis, ut agant in virtute Dei, illud est nova virtus, & pertinet ad actum primum: nam, ut ait Div. Thomas in eo cap. 66. n. 4., *Complementum virtutis agentis secundi est ex virtute agentis primi*: imò debet esse præcipua virtus; quia per illud causa secunda redditur potens ad producendum *esse*, ut ibi docet S. Doctor. Nequit ergo esse prædeterminatio Thomistica.

15 Pro cæteris locutionibus notandum 1., quòd D. Thomas nomine *motionis* primæ causæ interdùm intelligit naturalem inclinationem rebus inditam ab Authore naturæ, & à rebus ipsis indistinctam. *Necessitas naturalis* (inquit 1. p. q. 103. ar. 1. ad 3.), *inhærens rebus, quæ determinantur ad unum, est impressio quædam Dei dirigentis in finem; sicut necessitas, qua sagitta agitur ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis, & non sagittæ: sed in hoc differt, quòd id, quod creaturæ à Deo recipiunt, est earum natura.* Quòd autem hæc impressio dicatur *motio*, constat ex 1. 2. q. 1. ar. 2. ibi: *illa, quæ ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem à se ipsis.* Ratione istius inclinationis innatæ dicuntur à Deo *agi* causæ secundæ, etiam rationales. Unde D. Thomas 1. p. q. 60. ar. 1. inquit: *Omnia, quæ sunt in toto mundo, aguntur ab aliquo, præter primum, agens, quod ita agit, quòd nullo modo ab alio agitur... Et ideò non est inconveniens, si Angelus agatur, in quantum inclinatio naturalis est sibi indita ab Authore suæ naturæ.* Imò ratione ejusdem inclinationis dicuntur *determinari ad unum* causæ rationales, determinatione scilicet propensionis, non alligationis, aut connexionis infrustrabilis. Sic D. Thomas in 2. d. 39. q. 2. ar. 2. ad 5:, loquens de innatâ inclinatione voluntatis in bonum, ibi: *Voluntas est secundùm hoc determinata in unum naturaliter tendens, ita quòd in alterum naturaliter non tendit: non tamen in illud, in quod naturaliter tendit, de necessitate, sed voluntariè tendit: unde, & potest illud non eligere.*

16 Notandum 2., quòd cùm D. Thom. ait, causas secundas à Deo *moveri* & *applicari* ad agendum, intelligit etiam interdùm applicationem illam, quâ indiget omnis causa secunda, ut sit in actu primo proximè potens agere, & quæ in causis physicis, v. g. in igne, fere semper fit per motum localem agentis, aut passi; in rationalibus autem per aliquem motum intentionalè cognitionis, aut volitionis. Et quia motus hujusmodi semper est à Deo vel unicè, vel primò, & principaliter, ideò verè dicitur Deus movere, & applicare virtutes creatas ad agendum. Sic in terminis D. Thomas 3. contr. Gent. cap. 67. n. 4., ibi: *Omnis applicatio virtutis ad operationem est prin-*

*ci-*

*cipaliter, & primò à Deo. Applicantur enim virtutes operativæ ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis, vel animæ. Primùm autè principium utriusque motus est Deus.*

17 Hinc S. Doctor sæpe docet, voluntatem nihil posse liberè velle, nisi priùs à Deo naturaliter moveatur ad primum consilium, seu primam cognitionem objecti, & ad primam volitionem fælicitatis, seu boni in communi. Ita q. 6. de mal. ar. unic., Quodlib. 1. ar. 7., 1. 2. q. 9. ar. 4. & 6., & aliàs sæpissimè. Sed audiatur in 4. d. 49. q. 1. ar. 3. *ad 2. quæst.* ibi: *Operatio causæ secundæ semper fundatur super operatione causæ primæ, & præsupponit eam: & ideò oportet, quòd omnis operatio animæ procedat ex suppositione ejus, quod inditum est animæ ex impressione primi agentis, Dei scilicet.* Et statim explicat, illud ex cujus suppositione operatur anima, esse primam cognitionem, & primam volitionem boni, seu beatitudinis. Unde patet, hunc locum ineptè contra nos allegari; cum operatio causæ primæ, quam præsupponit semper operatio secundæ, sit in causâ physicâ productio, & cõservatio inclinationis innatæ, & in animâ sit productio primæ cognitionis, & volitionis.

18 Monet autem D. Thomas, quòd consilium rationis, vel cognitio finis, non ita determinat voluntatem, ut non relinquat eam indifferentem quoad exercitium actus, imò sæpe etiam quoad specificationem. Ita q. 6. de mal. ar. un., 1. 2. q. 10. ar. 2, & sæpe aliàs. Unde *determinatio* rationis, de quâ D. Thomas suprà citatus n. 11. & 12., solùm significat *propensionem*, vel *designationem objecti*. Monet similiter, quòd nec illa prima volitio boni, seu beatitudinis, ad quam Deus movet, seu determinat, tollit indifferentiam voluntatis ad bona particularia. Ita in 2. d. 39. q. 2. ar. 1., & sæpe alibi, nominatim 1. 2. q. 9. ar. 6. ad 3., ibi: *Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quòd est bonum: & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle* (nota illud, *non potest*, ut videas, hanc motionem spectare ad *posse*). *Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum.* Addit ibi continuò: *Sed tamen interdùm specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum; sicut in his, quos movet per gratiam.* Ubi certè non loquitur de motione Thomisticâ, quam rejicimus; nam hæc non datur *interdùm*, & *aliquibus*, sed omnibus semper ac aliquid agunt: loquitur ergo de gratiâ excitante, & alliciente ad bonum, *determinatè* quidem, sed non determinativè; sicut qui à te librũ petit, te movet ad aliquid determinatè volendũ, sed non te determinat.

19 Notandum 3. 4. quòd etiam concursus simultaneus venit apud D. Thomam nomine *motionis*, & *applicationis*. Ita expressè Cajetanus in 1. p. q. 14. ar. 13., & q. 19. ar. 8. Imò ipsé D. Thomas in locis objectis n. 8. & 9., cum accuratè recenseat modos omnes,

quibus Deus eſt cauſa omnis operationis, non meminit concurſus ſimultanei ſub alijs terminis, quàm motionis, & applicationis: unde, ſi ſub his non illum comprehendit, abſurdè ſequitur, quòd illum vel ignoravit, vel conſultò tacuit ut non neceſſarium. Certè nomine *motus* comprehenditur largè omnis operatio cauſæ creatæ (nam *In omnibus rebus creatis eſt... aliquid ad motum pertinens, ut ſub motu etiam operationem comprehendamus*, ut loquitur D. Thomas 1. p. q. 103. ar. 1. ad 2., & alibi ſæpe): unde, cũ omnis cauſa creata verè motum ſuum accipiat à Deo ut primâ cauſâ ſimul concurrente, verè à Deo movetur, & agit ut mota, ſeu, quod perinde eſt, ut adjuta à primo Motore. Congruenter autem operatio creaturæ, quatenùs eſt actio Dei, vocatur *motio* activè; quia reſpectum dicit ad cauſâ ſuperiorem, ſubordinantem, & ſubjicientẽ ſibi cauſas creatas: proprium eſt autem moventis ſubjicere ſibi mobile. Vocari quoque poteſt *præmotio*; tũ ſi accipiatur radicaliter, aut in actu primo, pro decreto applicante omnipotentiam; tũ etiam accepta in actu ſecundo, propter illas prioritates rationis, & præſuppoſitionis, de quibus c. 2. n. 7. & ſeqq.

20 De hac *præmotione* in actu primo (ſumptâ pro decreto applicativo quod etiam dicitur actio & operatio Dei ad extrà, ut notavimus cap. 2. n. 16.), ſine quâ non ſalvatur in creaturâ poſſe completum, & proximum, intelligi poteſt illud D. Thomæ 1. 2. q. 109. ar. 1., *Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis, ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo*: & ibi ar. 6. ad 2., *Nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moveatur*; unde infert, quòd ipſum facere *eſt in poteſtate hominis, ſecundùm quòd eſt motus à Deo*. Nota benè teſtimonia iſta pro ijs, quæ diximus cap. præced. n. 12. & ſeqq., & n. 21. Unde, cùm D. Thomas q. 3. de pot. ar. 7. ad 3. ait, *Quòd in operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura*; planè loquitur de operatione ſumptâ pro decreto dicto: tum quia continuò ſubdit, *Sed ipſa naturæ operatio eſt etiam operatio virtutis Divinæ*; quibus verbis agnoſcit, operationem Dei externam eſſe indiſtinctam ab actione creaturæ: tum maximè, quia ibid. *ad* 9. docet, quòd ſicut operatio naturę præcedit operationem artis, *ita voluntas Dei, quæ eſt origo omnis naturalis motus, præcedit operationem naturæ: unde & ejus operatio in omni operatione naturæ requiritur*. Vides hic evidenter, quænam ſit *præmotio*, & *præparatio*, in quâ non operatur natura, nempe *voluntas Dei, quæ eſt origo omnis naturalis motus*. Ex his etiam explicari poteſt, applicatus ad rem præſentem, locus D. Thomæ *in* 2. *d.* 4. *q.* 1. *ar.* 4. *ad* 4.

21 Eâdem ratione per concurſum ſimultaneum verificatur quòd Deus *applicat* cauſas ſecundas ad agendum: tum propriè, & in actu primo, quatenùs decretum applicans omnipotentiam ad ſimul-

multaneè concurrendum, simul est applicatio causæ secundæ; quoties enim causæ subordinatæ nihil deest ut sit proximè potens, præter applicationem causæ principalis, applicatio illa simul applicatam reddit causam inferiorem, cum eam reddat ultimò expeditam magis, quàm localis applicatio ignis v. g.: tum etiam minùs propriè, & in actu secundo, quatenùs *applicare* sonat *conjungere*, quo sensu actio ipsa creaturæ dici potest applicatio virtutis ad effectum; eumque talis actio verè sit à Deo, imò sit actio Dei, verè per illam Deus applicat & conjungit virtutem creatam cum effectu. Hæc tamen acceptio *applicationis* impropria est; ideòque D. Thomas in objectione citatus dixit *quasi applicando*.

22 Ex his prænotatis facillimè intelliges sine recursu ad physicam prædeterminationem, quidquid D. Thomas ubilibet docet circa motionem & applicationem causæ secundæ à primâ. Nullus enim est locus, qui non sponte referatur, vel ad inclinationem innatam, de quâ *n.* 15.; vel ad applicationem ex parte actus primi, de quâ *n.* 16.; vel ad specialem motionem ad actus bonos, de quâ *ibidem*; vel ad concursum simultaneum, sive in actu primo, sive in actu secundo, de quo *n.* 19. & 21. Exemplum autem motionis instrumenti mechanici, ab artifice moti, non adducitur à D. Thomâ, ut teneat in omnibus; ideoque S. Doctor q. 24. de verit. ar. 1. ad 5. docet, quòd voluntas non est propriè instrumentum Dei, sicut serra carpentarij, sed in sensu lato, ita ut *sit in ipsa principium sui motus, & se ipsâ moveat.* Adducitur ergo ad explicandam perfectam dependentiam, & subordinationem in agendo, quam habet omnis creatura respectu Dei, vel etiam indigentiam motionis, & applicationis præviæ, quam explicuimus. Et retorquetur in Adversarios: nam impulsus, quo artifex movet serram, absdubiò est nova virtus in serrâ, se tenens ex parte actus primi ad motum ejus actualem: ergo idem dicendum erit de præmotione Thomisticâ.

23 Superest explicandus quartus ille operandi modus, assignatus à D. Thoma in ar. 7. q. 3. de pot.. Ille verò nihil favet physicæ prædeterminationi. 1.: quia illam S. Doctor expressè distinguit ab eo, quo Deus *movet*, & *applicat* virtutem creatã ad agendum: Thomistæ autem in eo, quod est *movere*, & *applicare*, prædeterminationem suam intelligunt; ideòque, ubicumque talia verba legunt apud D. Thomam, statim exultant tamquam expresso Doctoris Angelici suffragio. 2.: quia S. Doctor modum illum, sive concursum requirit ad supplendam insufficientiam virtutis creatæ; ut evidens erit legenti. Hoc enim utitur discursu: Ipsum esse est effectus solius Dei secundùm virtutem propriam: sed causa secunda non potest in effectum causæ primæ per virtutem propriam: ergo causa secunda non potest dare esse effectui, nisi præter virtutem propriam participet insuper virtutem Dei,

Dei, ſicut inſtrumentum participat virtutem artis. In hoc autem diſcurſu planè ſtatuitur, quòd virtus cauſæ ſecundæ inſufficiens, & impotens eſt ad dandum eſſe ſine illâ participatione Divinæ virtutis, quæ proinde participatio ad actum primum pertinet ſine dubio; ut etiam patet in virtute artis, quâ inſtrumẽtum redditur proximè potens operari. Atqui phyſica prædeterminatio juxta ſuos Authores nec pertinet ad actum primum, nec requiritur ex inſufficientiâ, vel impotentiâ voluntatis creatæ ergo &c.

24 Obſcura quidem eſt quidditas illius participationis, ſeu nova illa creaturæ *vis, quæ agit ad eſſe*, ut ſatis patet ex verbis D. Thomæ in *reſp. ad 7.*, allegatis n. 9.: nec ſatis apparet neceſsitas illius aſſerendæ. Unde P. Suarez exiſtimat, D. Thomam tacitè ſententiam illam retractaſſe in Libris cont. Gent., & in loc. cit 1. p., ubi diſtinctè tractans, & examinans modos omnes, quibus Deus operatur in omni operante, quantum illum modum omninò tacuit. Nuſquam tamen dixit P. Suar., aliuſve Societatis Author, quòd illa participatio ex mente D. Thomæ conſiſtit in phyſicâ prædeterminatione. Quare fruſtrà laborat M. Prado hic q. 14. §. 3. in allegandis Authoribus noſtris, ingenuè fatentibus, illum D. Thomæ locum difficilem explicatu eſſe. Hoc nec Thomiſtæ negabunt, ſi pariter ingenuè loquantur. Sed optimè cohæret, quòd ille locus non faveat phyſicæ prædeterminationi (tum propter dicta nuper, tum quia contrarius alioquin foret doctrinæ aliàs ſæpiſsimè traditæ à D. Thomâ), & quòd ſimul non facilè percipiatur quidnam aliud ſignificet. Quid prohibet me cognoſcere, metallum mihi oblatum non eſſe ferrum, & ſimul neſcire quodnam aliud ſit metalli genus? Qui tamen valde probabilem explicationem videre volet, adeat P. Ripald. d. 104. de ent. ſupernat. ſect. 8., quam non ſatis impugnat M. Prado loc. cit. §. 4. Nobis nunc ſufficit, quòd illa participatio, ſi detur, ſe teneat ex parte actus primi, ſeu liberi, ſeu neceſsarij, cum ſit nova virtus, ſeu complementum virtutis, potentiæ, & ſufficientiæ ad agendum; ac proinde quòd nequeat eſſe phyſica prædeterminatio.

25 Objici præterea ſolet illud D. Thomæ 1. p. q. 19. ar. 3. ad 5., *Cauſa, quæ eſt ex ſe contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum.* Sed reſpondetur, hoc abſolutè verum eſſe in cauſis non liberis: verum item eſſe in liberis, dummodò ſermo ſit de *aliquo exteriori* ſe habente per modum finis, aut objecti; alioquin propoſitio illa contradicet alteri, quam ex D. Thomâ retulimus n. 11. Poteſt etiam intelligi de contingentiâ voluntatis remotâ, quæ debet à Deo determinari ad primam volitionem boni in communi: atque ita explicatur à D. Thomâ 1. 2. q. 9. ar. 4. & 6. Solet etiam objici D. Thomas 1. p. q. 105. ar. 1. ad 3. dicens: *Hoc ipſum, quòd cauſæ ſecundæ determinantur ad determinatos effectus, eſt illis à Deo.*

*Deo.* Sed hunc locum explicuimus suprà cap. 4. n. 15. Demùm objicitur, quòd apud D. Thomam interdùm, licet rarò admodùm, inveniatur, Deum *determinare*, vel etiam *prædeterminare* omnes effectus. Sed verò nusquàm apud D. Thomam inveniatur, quòd Deus prædeterminet imprimendo creaturis aliquid prævium cum operatione connexũ, & non pertinens ad actum primum. Dum ergo voce illa utitur lect. 3. in Dionys. de Divin. nom. cap. 5., & alibi ter, aut bis, sumit *prædeterminare* pro eodem, ac *prædestinare*, vel *prædefinire*, vel *certa, & infallibili providentia disponere*, ut legenti liquidum erit. Nostra autem Schola beneficio Scientiæ mediæ componit optimè cum libertate certitudinem Divinæ providentiæ circa effectus liberos, & prædefinitionem circa bonos, citra medium creatum cum eis physicè connexum, ut Theologis notum est.

*Qualiter Deus determinet effectus omnes quoad individuationem.*

26 Hic tamen observandum, quòd Authores nostri communiter agnoscunt, Deum pro solo arbitrio suo determinare quoad individuationem effectus omnes à causâ secundâ producendos, necessarios positivè, liberos negativè. Cum enim nulla creata virtus ex se limitetur ad unicum effectum individuum, sed plures contineat specificè similes, nec eos inter se discernat in statu possibilitatis, non est unde determinetur, nisi à Deo, ut producat intrà eamdem speciem potiùs A., quàm B. Hæc autem determinatio fit per decretum applicativum Omnipotentiæ, positivè quidem in causâ necessari v. g. in igne applicato, per hanc, aut similem tendentiam, *Volo efficaciter concurrere cum tali igne ad calorem A. in tali passo*: quo decreto posito, seclusâ prædeterminatione Thomisticâ, manet ignis positivè determinatus ad producendum calorem A. præ cæteris ejusdem speciei. Sed in causâ liberâ, non nisi negativè; ita ut, si libertas sit contrarietatis, v. g. ad amorem, & odium, Deus per decretum indifferens (de quo suprà cap. 3.) solùm præparet Omnipotentiam ad individuum A. in specie amoris, & ad B. in specie odij, non verò concursum offerat ad cætera individua: si autem libertas sit contradictionis, v. g. ad amandum, & non amandum, indifferens illa præparatio solùm sit ad unum designatum individuum in specie amoris negando concursum ad cætera.

27 Ex vi talis decreti voluntas humana manet impotens ad alia individua odij, vel amoris; & hoc est determinari *negativè*: non tamen ideò manet determinata, sed indifferens, ut ponat re ipsâ talem actũ à Deo designatum, cum possit illum liberè omittere; & hoc est non determinari *positivè*. Non aliter, ac si mihi quattuor habenti calamos, tres subtrahas, me negativè determinas ad scribendum quarto; non tamen determinas positivè, quia non ideò teneor quarto calamo scribere, cum possim scriptionem po-

penitùs omittere. Quare hoc non tam eſt me determinari ad ſcribendum calamo ſuperſtite, quàm ad non ſcribendum cæteris à te ſubtractis. Unde planè vides, determinationem hujuſmodi non officere libertati amandi,& non amandi, vel odio habendi, cum plenam relinquat indifferentiam ad eligendum alterutrum. Vides etiam, determinationem iſtam dari quoque ad actum peccati, quin ideò talis actus Deo imputetur: ſicut in exemplo nupero non tibi imputabitur quòd ego ſcribam calamo ſuperſtite, ſi verè poſſum ſcriptionem omittere, nec tu illam ſuades, aut intendis.

*Auctoritas D. Thomæ contra phyſicam prædeterminationem.*

28 Jam vidimus, D. Thomam non ſuffragari Prædeterminatoribus. Nunc, quòd poſitivè refragetur, luculenter, ut nobis quidem videtur, oſtendemus. Et inprimis ex quatuor teſtimonijs S. Doctoris, quæ retulimus ſuprà cap. 3. n. 26. & 28., & quæ videntur clariſſima contrà Prædeterminatores, tum ex verbis ipſis, tum ex occaſione tradendi doctrinam inibi expreſſam, ut patebit legenti, & expendenti contextum, unde ſumuntur. Deinde ex dictis in hoc cap. à n. 11. inter explicandum verba nobis objecta. Præterea, in 2. d. 39. q. 1. ar. 1. ſic ait Angel. Doctor: *Ipſa potentia voluntatis, quantum in ſe eſt, indifferens eſt ad plura: ſed quòd determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate. Sed in naturalibus, actus progreditur ab agente: ſed tamen determinatio ad hunc actum non eſt ab agente, ſed ab eo, qui agenti talem naturam dedit.* Quid clarius pro noſtrâ ſententiâ dixit unquam P. Suarez? Ubi notandum, quòd cum antea errore typographi legeretur *non eſt ab alio determinatè*, Pariſienſis Editio an. 1659., correcta à R. P. Joan. Nicolay Dominicano, ſubſtituit *determinante*, ut manifeſtè poſcebat contextus ipſe, ſubjunctaque comparatio cauſæ neceſſariæ: nec prior lectio poteſt aliud ſignificare, niſi reddat ſenſum evidenter falſum. Sed præterea effugiũ omne præcludit S. Thomas ibidẽ ar. 2. corp., ubi explicãs, quid ſit *habere dominium ſui actus*, ita loquitur: *Hoc autem* (dominium) *eſt in homine ſecundùm illam potentiam, quæ ad plura ſe habet, nec ad aliquod eorum determinatur niſi ex ſe ipſa; quod tantùm voluntati convenit.* Hæc eadem eſt in terminis noſtra concluſio: *Voluntas ad aliquod extremorum libertatis non determinatur niſi ex ſe ipſa.*

29 Idem S. Doctor. in 2. d. 25. q. 1. ar. 2.: *In omnibus, quæ ſub electione cadunt, voluntas libera manet, in hoc ſolo determinationem habens, quòd felicitatem naturaliter appetit, & non determinatè in hoc, vel illo.* Nota illud *in hoc ſolo*: ex quo ſæpe aliàs infert D. Thomas, quòd voluntas non eſt libera (ſaltem quoad ſpecificationem) in appetitu fælicitatis, ſive ultimi finis, quia ſcilicet ad illum de-

determinatur à Deo. Ita docet in 4. d. 49. q. 1. ar. 3. quæstiunc. 2.: unde ibibem *ad* 1. sententiam nostram generatim tradit, & approbat his verbis. *Potentia rationalis se habet ad opposita in his, quæ ei subsunt; & hæc sunt illa, quæ per ipsam determinantur: non autem potest in opposita illorū, quæ sunt ei ab alio determinata: & ideò voluntas non potest in oppositum ejus, quod ex Divina impressione determinatur:* & statim exemplū apponit in opposito finis ultimi. En, ut Divina impressio determinans tollit potentiam ad oppositum, quæ sine dubio est de conceptu libertatis. Non video, quî possit tam expressum testimonium eludi, nisi fortè per recursum ad sensum compositum. Sed verò, quòd D. Thomas loquatur etiam in sensu diviso, patet ex verbis, quæ continuò subjungit ibi: *Potest autem in oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quæ ordinatur ad finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet.* Ubi manifestè sermo est de sensu diviso; nam in sensu composito voluntas certè non potest in oppositum ejus, quod ipsa determinat.

30 Rursùs Doctor Angelicus, ut libertatem nostram cum Divinâ motione componat, sæpissimè docet, quòd *Deus omnia movet secundùm eorum modum* vel *secundùm rationem, & conditionem mobilium.* Ex quo principio infert *Quodlib. 1. ar. 7. ad 2.*, quòd *sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quòd tamen potest huic motioni resistere.* Ex eodem infert *q. 6. de mal. ar. unic.*, quòd Deus *voluntatem movet secundùm ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminatè se habentem ad multa.* Ex eodem 1. 2. *q.* 10. *ar.* 4. sic colligit: *Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius.* Quid clarius? In quocumque igitur consistat Divina motio, sive in aliquo prævio actu vitali, sive in decreto applicativo, sive in qualitate fluente purè physicâ, sive in alio quovis, constans est doctrina D. Thomæ, quòd illa non determinat voluntatem ad unum, nec est motio irresistibilis; qualis certè foret, si nec esset impedibilis in existendo, nec in operando frustrabilis.

31 Fortasse dices, D. Thomam solùm excludere determinationem necessitantem, ut patet ex illo, *non ex necessitate.* Sed frustrà hoc dices 1.: quia S. Doctor ad tò *ex necessitate* contraponit tò *indeterminatè*: sentit ergo, quòd non evitatur necessitas, nisi per indeterminationem. 2.: quia in ijs locis intendit explicare D. Thomas, quomodò Divina motio non imponat necessitatem nostris actibus liberis: si ergo non omnem determinationem infrustrabilem putat esse necessitantem, sed aliquam tantum, & hanc solam excludit, ratio S. Doctoris hæc erit: Ideò Deus necessitatem non imponit, quia

non determinat necessitando. Quæ sane manifesta est petitio principij, non tribuenda tanto Doctori. 3.: quia D. Thomas in causâ liberâ determinationem excludit ei similem, quam Deus tribuit causis naturalibus; illa quippe necessitans est citrà dubium. At prædeterminatio Thomistica, sive in causâ liberâ, sive in naturali, nihil in se differt; cum utrobique non sit virtus, sed applicatio virtutis, nec pertineat ad actum primum, sed ad medium, & utrobique sit à creaturâ omnino independens in essendo, & essentialiter infrustrabilis in operando. Nec potest cogitari discrimen, nisi forsan ex parte intentionis Dei; quæ tamen intentio nihil prodest; alioquin posset Deus intendere libertatem illæsam per medium quodlibet, v. g. per visionem beatam. Excludit igitur D. Thomas per illud, *non ex necessitate determinat*, omnem determinationem essentialiter connexam cum uno extremo; vultque, ut Deus voluntatem ita moveat, seu determinet, idest, inclinet, ut tamen hæc determinatio non sit infrustrabilis, sed voluntas *possit huic motioni resistere*, utique in sensu composito, sive in operando, siquidem non posset ejus existentiæ resistere; non enim alias superest resistendi modus.

32 Sed *objicies*: D. Thomas loc. cit. 1. 2. in resp. ad 3. ait: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est ponì, quòd voluntas ad illud non moveatur*: ergo motio Dei est infrustrabilis. *Resp.* 1.: loquitur hîc D. Thomas de motione sumptâ pro concursu simultaneo in actu secundo; quo posito, impossibile est, quod voluntas non moveatur libere, cum talis motio identificetur cum ipsa actione liberâ creaturæ. Ideò D. Thomas continuò addit ibidem: *non tamen est impossibile simpliciter: unde non sequitur, quòd voluntas à Deo ex necessitate moveatur.* Quasi dicat: solùm est impossibile ex suppositione motionis liberæ voluntati, quatenus omne, quod est, ex suppositione quòd sit, necesse est esse; ideòque voluntas non ex necessitate movetur.

33 *Resp.* 2.: verum etiam est illud assertum de motione realiter prævia, quæ sit efficax in actu primo, idest, quæ supponat decretum prædeterminativum regulatum per scientiam mediam de congruitate motionis; posità enim illâ Dei voluntate efficaci, seu decreto prædeterminativo, voluntatem creatam non moveri per suum motum liberum, impossibile est, non quidem *simpliciter*, sed ex suppositione, seu impossibilitate consequenti: quia circa motus creaturæ liberos voluntas Dei efficax (quæ à D. Thoma *in* 1. *d.* 47. *q. unic. art.* 1. appellatur *voluntas consequens*; unde ibidem ait S. Doctor, *Quidquid Deus vult voluntate consequente, totum fit*) est posterior posteritate attemperationis ad usum creatæ libertatis, quæ prævisum in statu conditionato supponit; ideòque *voluntas consequens recipit conditionem creaturæ*, ut loquitur D.

D. Thomas *in* 1. *d.* 46. *q.* 1. *art.* 4. ad 3. simal docens, quòd *malum non fieri* (atque adeò bona fieri) *non vult Deus voluntate consequente, nisi de illis, quos scit mala non velle facere*: quibus in verbis apertissimè traditur scientia media.

34 Hæc ergo voluntas prædefinitiva, ex suppositione quòd fit, non potest *impediri*, ideſt, *non impleri*, ut ait D. Thomas *cit. d.* 47. sed, quia suppositio illa est objectivè impedibilis à creaturæ ratione scientiæ, quam præsupponit, ideò non reddit omissionem actus impossibilem *simpliciter*; nec efficit, ut *voluntas ex necessitate moveatur*. Eodem sensu intelligendus est D. Thomas, cùm alibi docet, quòd Deus movet voluntatem *efficaciter, infallibiliter*, aut *immutabiliter*, & quidem *propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest*, ut ait S. Doctor q. 6. de mal. art. unic. ad 3.: ex efficaciâ enim Divinæ virtutis provenit, quòd numquàm possint Deo deficere infinita media, quæ prævideat fore congrua, & conjungenda cum operatione, si deesset, licet ex se & intrinsecè non sint infrustrabilia; consequenterque infinita media, quibus Deus moveat immutabiliter, ideſt, certò, & infallibiliter, voluntatem creatam, eamque flectat quòcumque voluerit.

35 Denique (ut alia plurima D. Thomæ loca prætermittam, quæ Theologi nostri nervosè ponderant) Doctor Angelicus q. 2. de verit. ar. 12. in eo discernit necessarium à contingenti, seu libero, quòd *necessarium non potest impediri, quin sit; hoc autem fit, quia causæ ejus sunt taliter ordinatæ ad ejus productionem.* Et in 1. Perihermen. lect. 14. sic ait: *Si potentia activa ita sit determinata ad unum, quòd impediri non potest, consequens est, quòd ex necessitate reducat in actum potentiam passivam eodem modo.* Cum ergo potentia voluntatis in instanti, quo physicè prædeterminatur ad amorem, sit immutabiliter ordinata ad ejus productionem, & ita sit determinata ad unum, quòd impediri non potest (siquidem prædeterminationem impedire non valet, nec in existendo, nec in operando), consequens est, quòd non liberè, sed *ex necessitate* recipiat amorem, seu quòd amor non sit ei liber, sed necessarius. Ipse D. Thomas ead. q. 2. de verit. ar. 12. ad 7. statuit, & probat, quòd ex antecedenti necessario sequitur consequens necessarium, quia, si sequeretur consequens contingens, posset stare cum antecedenti oppositum consequentis: *Unde* (subdit) *hoc accidere necesse est in qualibet conditionali, si verum sit, sive antecedens sit effectus, sive causa proxima, sive remota.* Ut planè videas, à D. Thoma pro inconcussis haberi, etiam in materiâ libertatis, de quâ ibi loquitur S. Doctor, principia illa, quibus prædeterminationem impugnavimus cap. præc. n. 8. & 9. Conferat nunc æquus lector testimonia relata cum ijs, quæ nobis objiciuntur: & utri parti faveat Angelicus Doctor, facilè pronuntiet.

# TRACTATUS III.

## IN SEX RELIQUOS PHYSICORUM LIBROS.

PER ſex reliquos Phyſicorum Libros agit Ariſtoteles de motu, actione, paſsione, loco, tempore, infinito, continuo, necnon de primo Motore. De his plura diximus in ſuperioribus: alia dabimus in hujus Operis tertiâ parte: alia prætermittemus, quia Philoſophiæ ſpeculativæ, quam modò tradimus, Theologiam Scholaſticam præcipuè ſpectantis, minùs propria videntur. Quædam tamen inſtituto præſenti congruentia quatuor nunc Diſputationibus complectemur.

# DISPUT. I.

## DE MOTU, ACTIONE, ET PASSIONE.

### CAP. I.
### DE MOTU.

1 MOtus definitur ab Ariſtotele lib. 3. t. 6., *Actus entis in potentia prout in potentia.* Dicitur *actus*, ideſt, actuatio, ſeu exercitium potentiæ, eo ſenſu, quo exercitium cujuſvis potentiæ, activæ, vel paſsivæ, dicitur ejuſdem *actus ſecundus*: unde motus non eſt forma abſoluta, ſed modalis; accipiturque ut via, ſeu tendentia ad terminum, vel ut adquiſitio alicujus formæ. Nomine *entis in potentia*, præcipuè ſignificatur paſſum, ſeu ens in potentiâ paſsivâ, quod vocatur *motum*, & *mobile*. Quamvis enim motus omnis importet etiam exercitium potentiæ activæ, (quæ vocatur *movens*, & *motor*, aut *motrix*), quia non datur motum ſine movente, nec patiens ſine agente; ideòque motus includat actionem & paſsionem, & idcirco ab Ariſtotele eod. lib. 3. t. 23. iterùm definiatur, *Actus ejus, quod agere, & pati poteſt, quatenus tale eſt*: nihilominus nomen *motus* præcipuè denotat paſsionem, ſeu dicit ordinem ad potentiam paſsivam; propterèaque ab Ariſtot. lib. cit. t. 16. definitur etiam, *Actus mobilis, prout mobile eſt.*

*est*. Hinc pro eodem sumitur *moveri*, ac *pati*. Quid autem significet tò *prout in potentia*, pendet à motus acceptione varia.

2 Nam 1. accipitur motus latissimè pro qualibet operatione. Quo sensu motus erit actus entis *prout in potentia*, ideſt, prout tale ens transit de potentiâ passivâ in actum, sive potentia passiva sit physica, qualem habet subjectum jam productum ut recipiat formam; sive sit logica, qualem habet res possibilis ut actu existat; hæc enim potentia logica, cum sit passiva producibilitas, seu capacitas ad recipiendum esse, dici quoque poterit potentia passiva. In hac acceptione latissimâ, & valde impropriâ, comprehenditur etiam actio creativa nomine *motus*. Accipitur 2. magis propriè pro eductione qualibet, sive sit instantanea, sive successiva, sive spiritualis, sive corporea, sive supponat subjectum tempore præcedens, sive non. Quo sensu tò *prout in potentia*, idem sonat, ac prout subjectum primò reducitur in actum de potentiâ passivâ physicâ in signo priori præsuppositâ. Juxta hanc acceptionem, & à fortiori juxta sequentes, communiter, & verè dicitur, quòd creatio non est motus.

3 Accipitur 3. multò magis propriè pro solâ eductione cujuscumque indolis, quæ supponit subjectum formâ privatum; tale quippe subjectum est, quod propriè dicitur esse *in potentia*. Quare hoc sensu motus erit actus entis *prout in potentia*, ideſt, prout transeuntis de privatione ad formam. In hac acceptione intelligendum illud Aristotelis lib. 5. t. 9., *Motus omnis mutatio est quædam*: unde pro eodem accipi solet *motus*, & *mutatio*, ut etiam res *mobilis*, & *mutabilis*. Non tamen omnis mutatio est motus, ut patet in mutatione purè amissivâ, seu negativâ, v. g. cùm aër definit esse lucidus, necnon in mutatione formali, de quâ tr. 1. d. 1. c. 3.. Sola ergo mutatio causalis, seu vialis, quæ facit subjectum aliter se habere nunc, quàm anteâ, convertitur cum motu.

4 Presiùs adhuc accipitur 4. pro solâ eductione successivâ formæ corporeæ, cujus partes continuâ temporis successione ponuntur, ut cùm calor in manu continuò intenditur ab igne propinquo vel cùm quis movetur de loco in locum. Atque ita explicatio definitionis erit, Actus imperfectus sic actuans mobile, ut illud relinquat in potentiâ, ut magis ac magis actuetur per continuum ejusdem actus incrementum. Est enim de ratione motus successivi, ut quamdiù est, partim sit adquisitus, partim aliquid ex eo superfit sine interruptione adquirendum; ideòque dicitur cessare motus, cùm pervenitur ad terminum, vel cùm successio interrumpitur. Denique presisissimè accipitur 5. pro solâ eductione successivâ formæ corporeæ contrarium habentis, quod cõtinuò expellitur. Atque ita explicatio definitionis eadem erit, quæ in 4. acceptione, addito solùm quòd mobile sit *in potentia* ad adqui-

ren-

rendum novam formam, & amittendum contrariam. Hæc acceptionum varietas præ oculis habenda est, ut intelligantur variæ locutiones Aristotelis, & aliorum veterum, qui non semper eodem modo motum accipiunt.

5 Ex his verò acceptionibus quarta, & quinta magis intentæ sunt à Philosopho, & apud ipsum frequentiores. Secunda tamen, & tertia usitatiores hodie sunt in Scholis, ubi nomen *motus* extenditur ad omnem eductionem, etiã supernaturalem, & spiritualem, nominatim ad actus intelligendi, & volendi; quod approbat Philosophus 3. *de Anima t.* 28. Unde motus dividi solet in instantaneum, & successivum. Instantaneus est, qui in primo instanti temporis totus existit, ut generatio, seu eductio formæ substantialis, illuminatio subita, productio intellectionis. Successivus est, qui tractu temporis indiget, qualem descripsimus in acceptione 4. Uterque habet terminos *à quo*, & *ad quem*. Terminus *à quo* est ille, à quo subjectum recedit vi motus: ille verò, ad quem accedit, seu quem motu adquirit, est terminus *ad quem*. Hinc in motu instantaneo terminus *ad quem* est forma denuò producta, vel compositum ex eâ resultans: terminus *à quo*, juxta 3. acceptionem, est privatio ejusdem formæ, vel etiam alia forma positiva per novam expulsa, si motus sit conversivus. Quodsi motus non supponat subjectum formâ privatum, juxta 2. acceptionem (ut intellectio, quam elicuit Angelus in primo instanti suæ existentiæ), tunc non habet proprie terminum *à quo*; improprie tamen sic appellari potest pura negatio formæ præcedens.

6 In motu successivo terminus *à quo*, est illa forma, privatio, vel remissio, quæ motus inceptione deseritur; ut ubicatio, quam deserit corpus, dum incipit loco moveri; vel remissio caloris, vel intensio frigoris, quam deserit manus, dum incipit magis calefieri: terminus verò *ad quem*, est illa forma, vel pars formæ, in quâ sistit motus, & successio desinit; ut ultima ubicatio, in quâ sistit corpus, vel ultimus gradus caloris, in quo sistit intensio. Hoc intellige, dum sumitur motus successivus per modum unius continui: si enim considerentur singulæ partes ejus, unicuique respondet sua pars formæ, tamquam intrinsecus terminus *ad quem*, & pars ultima respectu partium motus præcedentium solùm est terminus extrinsecus.

7 Si quæras, an motus successivus differat essentialiter ab instantaneo? *Resp.* 1.: differt utique, si sumatur reduplicative prout habens successionem actualem, ut est evidens. *Resp.* 2.: differt etiam, si comparetur motus successivus in aptitudine cum motu essentialiter instantaneo: datur enim motus essentialiter exigens totus esse in instanti, nimirùm productio formæ indivisibilis, quæ intendi non potest; datur item motus essentialiter aptus fieri successivè, ut intensio caloris. *Resp.* 3.: datur motus ex se

se impotens fieri nisi successivè, nempe motus localis (fortasse non est aliud exemplum); & hic dicitur per se successivus, differtque essentialiter ab instantaneo. *Resp.* 4. datur motus actualiter successivus, qui ex se potest in instanti fieri, ac proinde est instantaneus aptitudine, nec ex se differt essentialiter ab omni instantaneo, v. g. intensio lucis, quæ fit in hoc spatio à lucernâ paulatim accedente: tota quippe fieret in instanti, si lucerna hic subitò appareret. Unde hic motus dicitur successivus per accidens. Ejusdem indolis esse censetur intensio qualitatis contrarium habentis, v. g. caloris; quæ licèt successivè fiat ob resistentiam frigoris paulatim debellandam, ex se fieri posset instantaneè, si subjectum adesset omnis frigoris expers. In hujusmodi tamen qualitatibus successio non dicitur *per accidens*, quia juxta naturæ ordinem semper, aut ferè semper debellanda est contraria qualitas.

8 Ratione termini *ad quem* dividitur motus à Philosopho in tria membra generalia. Quorum 1. est motus *accretionis*, quo adquiritur quantitas: 2. motus *alterationis*, quo adquiritur qualitas: 3. motus *lationis*, quo adquiritur ubi, quique *motus localis* appellatur. Addi solet motus *generationis* (maximè si non sit *generatio* prima, sed *aggeneratio*, vel *nutritio*, quæ fieri solet successivè), quo adquiritur substantia. Sed verò generationem à ratione motus excludit Philosophus *lib.* 5. cap. 1. & 2.; ubi docet, non dari per se motum nisi ad tria Prædicamenta, nempe ad Quantitatem, Qualitatem, & Ubi. Quod qualiter sit intelligendum, explicant Conimbricenses ibi q. 1. ar. 3. Summa est, quòd Aristotel. ibi loquitur de motu præsisissimè accepto, ut in 5. acceptione suprà datâ; prout scilicet motus pro subjecto ponit totum compositum substantiale, verumque saturque inter contrarios terminos positivos: contrarios autem vocat, inter quos datur latitudo aliqua successivè percurrenda, vel gradualis, ut inter calidum, & frigidum, vel extensiva, ut inter quantitatem parvam, & magnam, vel spatij, ut inter loca distantia. Vid. Conimbric. *q. cit.* Si tamen sumatur motus, ut suprà in acceptione 2. & 3. ratione termini *ad quem* totidè habet genera, & species, quot forma educibilis.

9 Undenam specificetur motus, constabit ex dicendis cap. sequ. circa specificativum actionis, & passionis; à quibus motum non distingui reipsâ, communiter supponitur, & meritò, quidquid aliqui dicant: nullum quippe munus tribuitur motui, quod non præstetur ab actione, vel passione, vel ab utrâque: nulla item definitio motus, quæ non conveniat utrique, vel alteri, ut patet in triplici definitione Aristotelicâ relatâ *n.* 1. *Dices*: motus ad nullum prædicamentum pertinet, sed ab Aristotele ponitur in postprædicamentis; cum tamen actio, & passio sua sibi prædicamenta vendicent. *Resp.*: triplex in motu respectus consideratur: 1. ad causam activam, & sub hoc dicitur

*actio*: 2. ad mobile, seu subjectum, sic que vocatur *passio*: 3. ad terminum, & sub hoc respectu dicitur *via*, seu *fieri* termini. Quatenùs ergo sumitur sub tertio respectu, non pertinet ad prædicamentum speciale, sed reducitur ad prædicamentum sui termini. Quæ res multum habet arbitrij, ad eamque sufficit distinctio rationis, vel penes modum significandi.

10 Circa distinctionem motus à termino, & à movente, & mobili, idem sentiendum, quod de distinctione actionis. Circa contrarietatem motuum solùm hîc advertendum, motus dici contrarios ratione terminorum, ad quos tendunt, quatenùs ipsi termini sunt incompossibiles respectu ejusdem mobilis, v. g. lationes ejusdem corporis sursùm, & deorsùm, vel intensiones frigoris, & caloris. Denique notandum, quòd motui contraponitur *quies*; hæc autem interdùm accipitur negativè tantùm; atque ita est mera carentia actionis, quam motus importat, ut cùm aër non illuminatur, vel cùm visus à videndo cessat: interdùm sumitur positivè; atque ita est conservatio termini motu adquisiti sine ulteriore progressu. Hinc in motu instantaneo contingere potest, ut quies non differat à motu nisi penes connotatum negativum, quatenùs *motus* connotat privationem formæ in instanti proximè præcedenti; *quies* verò, seu conservatio, connotat præexistentiam formæ. In motu lationis quies differt à motu quoad negationem ulterioris progressus, & quoad numerum partium in motu præcedentium. In alijs motibus successivis, aptitudine simultaneis, quies potest importare, seu retinere quidquid positivũ fuit in motu (v. g. dum aqua calida se paulatim restituit in frigiditatem connaturalem, & in eâ quiescit), tuncque solùm à motu differet quoad simultatem partium, & negationem progressus ulterioris.

## CAP. II.
## *DE ACTIONE, ET PASSIONE.*

1 ACtio, sive productio in communi, est causalitas causæ efficientis propria, definiturque *Exercitium, quo virtus activa ut talis causat effectum*; vel alijs terminis, *Ultima formalis determinatio virtutis activæ ut causet effectum, & ipsius effectus ut à tali virtute oriatur*. Dividitur in creationem, & eductionem; quarum altera est *Productio entitatis ex nihilo*; altera, *Productio entitatis ex præsupposito subjecto*. Utriusque discrimen explicuimus tr. 1. d. 4. c. 4. Quæ de creatione supersunt, sequ. cap. indicabimus. Eductioni (quæ sola pertinet ad motum) respondet passio, quæ etiam vocatur sustentatio, & receptio, & est causalitas propria causæ materialis extrinsecæ; definirique potest, *Exercitium, quo potentia sustentativa ut talis causat formam* vel alijs terminis, *Ultima formalis determinatio potentiæ passivæ, ut causet formam, & ipsius formæ, ut à tali potentia pendeat tamquam à subjecto*,

*to præsupposito.* Quid sit causare per modum potentiæ passivæ, sustentativæ, subjecti præsuppositi, & causæ materialis extrinsecæ (quibus terminis idem significatur), explicatum est, tum tr. 1 d. 4. c. 4., tum tr. 2. d. 2. c. 2.. Ibi quoque c. 5. n. 22. videri potest divisio actionis in immanentem, & transeuntem.

2 Quòd actio distinguatur modaliter à virtute activâ, constat ex dictis tr. 2. d. 2. c. 5. n. 24.. Eadem autem ratio probat, quòd passio distinguatur similiter à potentiâ passivâ, ratio scilicet separabilitatis non mutuæ: quia, licèt passio formæ in materiâ à sit essentialiter impotens existere sine tali materiâ, potest tamen materia ipsa sine tali passione existere. Pariter eâdem ratione probatur distinctio actionis, & passionis à formâ, seu termino producto, nisi forsan terminus aliquis aliunde probetur essentialiter exigens pendere à tali, & solâ individuâ causâ, activâ & passivâ; ut multi opinantur de actu vitali. Quæritur tamen, utrùm actio, & passio realiter inter se distinguatur? Realiter, inquam, idest, modaliter, seu tamquam duo modi à parte rei distincti: nemo enim hîc distinctionem realem absolutam cogitat. Quæstionem hanc, sicut, & illam aliam affinem, Utrùm actio recipiatur in passo, an in agente? prolixè inter se disputant Thomistæ: sed utraque breviter à nobis decidenda est.

*Actio, & Passio non distinguuntur inter se realiter, sed ratione tantùm.*

3 Ita communiter Authores nostri cum Exim. Doctore d. 49. Met. s. 1.. Ita quoque communis sententia Thomistarum, quos refert, & sequitur M. Prado lib. 3. Physic. q. 3., subscribentibus Froylan., & Aguilera. Contrariam tenent aliqui è Nostris, plures alij Thomistæ, & communiter Scotistæ. Sed nostra *probatur* 1. auctoritate Aristotelis, qui illam ex professo docet, ac defendit 3. Physic. c. 3., idem que latius, & explicatiùs præstat D. Thomas ibi lect. 5., & in 11. Metaph. lect. 9.. *Probatur* 2.: quia eductio, seu actio eductiva (de quâ tantum hîc loquimur, nam creatio non est passio, nec illam infert), se ipsa pendet essentialiter à subjecto præsuppositio, & ab eo dependentem reddit suum terminum, eidemque ut sustentanti affixum: sed hæc sunt munera passionis, ut apud omnes constat: ergo &c.. *Major* patet ex conceptu eductionis, quem dedimus tr. 1. d. 4. c. 4.. Patet etiam ex illâ definitione ab omnibus receptâ, *Productio rei ex præsupposito subjecto*: ex quâ fit 1., ut eductio essentialiter imbibat respectum, non solùm ad agens, sed etiam ad subjectum præsuppositum *ex quo*; hic autem respectus est passionis character. Fit 2., ut eductio terminum reddat productum, non utcumque, sed dependenter à subjecto præsuppositio, seu, quod idem est, dependenter à potentiâ passivâ: ergo positâ eductione, quovis alio modo præcisò, forma intelligitur à potentiâ passivâ dependens actualiter; quæ dependentia juxta

omnes est formaliter passio.

4 Ex his colliges, quòd actio sub nomine *eductionis* non distinguitur à passione, nisi penès implicitum, & explicitum; pertinet enim passio ad definitionem eductionis. Majore tamen distinctione rationis distinguuntur *actio*, & *passio* sub his nominibus; quia sub altero solùm concipitur respectus ad causam activam, sub altero ad passivam; videturque alter respectus ab altero præscindibilis; quàmvis uterque sit etiam formaliter respectus ad terminum. Quare, sicut de motu diximus c. 1. n. 9, datur in actione realiter sumptâ triplex respectus transcendentalis, qui vocari possunt *ab*, *in*, & *ad*: actio enim respicit agens ut *à quo*, passum ut *in quo*, vel *ex quo*, terminum ut *ad quem* est. Duo priores respectus inter se ratione distinguuntur: sed neuter à tertio præscindi potest, saltem perfectè. Ipse tamen tertius ratione subdividitur in duos; quorum alter est *ad* terminum ut productum, & vocatur *fieri* termini, nec differt ab actione ut tali, nisi quoad explicitum; alter verò est *ad* terminum ut receptum, aut sustentatum, & formaliter includitur in passione quà tali.

5 *Probatur* denique realis indistinctio: quia modi non sunt absque necessitate multiplicandi: sed nulla est necessitas in præsenti: ergo &c.. *Prob. Min.* 1.: quia, positâ eductione, nulla superest indifferentia, quæ per novum modum determinari debeat: repugnat enim formam educi, quin dependeat à causâ passivâ. Nulla item est separabilitas eductionis à passione, vel è converso. 2.: quia passim accidit, ut causalitas realiter eadem respectum dicat ad duplicem causam valde diversam: eadem enim est causalitas causæ finalis, & efficientis, causalitas externa Dei, & creaturæ, causalitas causæ principalis, & instrumentalis, v. g. Intellectus, & speciei. Cur ergo non idem accidat in præsenti? 3. ex solutione argumentorum contrariæ sententiæ. 4. specialiter contra Scotistas, qui actionem, & passionem collocant in relationibus distinctis, quæ producto termino resultant, altera in agente, altera in passo. Nam inprimis hujusmodi relationes, distinctas realiter à ratione fundandi, satis in Logicâ rejicimus. Deinde, cum illa supponant terminum jam productum, & actu pendentem à causis activâ, & passivâ, serò adveniunt: ut propriè dicantur *actio*, & *passio*; nam sub his terminis intelligimus exercitia utriusque causæ, nec alio sensu disputamus: illa autem exercitia certè non supponunt terminum productum.

*Actio eductiva non recipitur in agente, sed in passo.*

6 Hæc assertio corollarium est præcedentis, ideòque ab ijsdem Authoribus defenditur, imò à nonnullis etiam ex contrarijs. Procedit autem de actione transeunte: nam de immanente non est dubium, quin recipiatur in agente, utpotè indistincto à passo; quamquam nec actio illa inest agenti formaliter, ut agens est, sed ut patiens. *Probatur* cr-

ergo facilè : quia passio juxta omnes non recipitur in agente, sed in passo : sed actio est indistincta realiter à passione, ut ostendimus : ergo &c. Atque hæc est expressa sententia Philosophi, & D. Thomæ locis cit. n. 3., ubi simul eam ab objectionibus vindicant. Videri quoque poterit D. Thomas in 3. de Anim. lect. 2. litt. g. ad Philosophi textum 139. pariter pro nobis expressum : item pluribus alijs in locis, quæ citat Ferrariensis in c. 1. lib. 2. cont. Gent., & Prado lib. 3. Physic. q. 4. §. 2.

7 Unde, cùm Angelic. Doctor alijs in locis, quæ citat Collegium S. Thomæ Complut., contrarius videtur huic assertioni, & præcedenti, ut cum ait, quòd actio inest agenti, sicut accidens subjecto, item quòd est quædam perfectio agentis, & in eo facit aliquam mutationem ; & cum in 2. d. 40. q. 1. ar. 4. ad 1. sic loquitur, *Cum actio sit in agente, & passio in patiente, non potest esse idem numero accidens, quod est actio, & quod est passio ; cum unum accidens non possit esse in duobus subjectis* : hæc, inquam, testimonia intelligenda sunt, partim de actione immanente, quæ intrinseca perfectio, & mutatio est agentis creati, partim de transeunte sumptâ in concreto, sive in denominando prout scilicet tribuit denominationem *agentis*; hoc enim sensu est accidens logicè diversum à passione, solique agenti inest, aut inhæret inhærentiâ logicâ, sive in prædicando.

*Argumenta contraria.*

8 Contrà utramque assertionem *objic.* 1. : actio, & passio pertinent ad diversa prædicamenta, constituuntque duo genera entis : important ergo duas essentias completas, quæ realiter distingui debent. *Objic.* 2. : duo formales effectus æquè primarij, & primò diversi, cujusmodi sunt *agere*, & *pati*, seu denominationes *agentis*, & *patientis*, nequeunt ab eadem formâ provenire : quia formalis effectus non distinguitur à formâ, vel saltem ejus diversitas à formæ diversitate provenit. *Objic.* 3. : actio ut actio est accidens, cum pertineat ad prædicamentum Accidentis : ergo alicui subjecto inhæret. Sed actio ut actio non inhæret passo : ergo inhæret agenti. *Prob Min.* : tum quia inhærere passo, proprium est passionis ut talis, & prout ab actione formaliter distinctæ : tum quia si actio ut actio inesset passo, tribueret illi denominationem *agentis*. *Objic.* 4. : agens creatum agendo perficitur, & mutatur ; nam solius Dei est non mutari agendo : ergo in se recipit actionem tuam. *Accedit*, quòd actio est modus agentis, quòd oritur ab intrinseco agentis, & quòd ejus intrinsecam agendi potentiam reducit ad actum : nequit autem intrinseca potentialitas reduci ad actum, nisi per actualitatem intrinsecam. *Accedit* insuper, quòd nulla creata potentia ita est pure activa, ut non sit etiam passiva ; alioquin esset actus purus, sicut omnipotentia Dei.

9 *Resp. ad* 1. : ut actio, &

passio pertineant ad diversa prædicamenta, sufficit distinctio rationis fundata in respectu ad diversa subjecta denominabilia, vi cujus præstant denominationes diversas, ac disparatas quoad subjectum, ita ut neutra inferat aliam in eodem subjecto. Loquimur de actione transeunte, quàm solam ad prædicamentum Actionis pertinere censent Adversarij. Actio ergo, & passio in concreto, idest, *agere*, & *pati* (quo sensu eas accipit Aristoteles, dum prædicamenta dividit), important diversa genera prædicationum: quia non de eodem dicitur agere, & pati, nec esse patiens, & agens. Et hinc actio, & passio important duas essentias completas, non physicè, sed logicè, sive in ordine ad prædicationem. Eodem modo solvit hoc argumentum D. Thomas, tum latiùs in 3. Physic. lect. 5., tum breviùs in 11. Met. lect. 9., ubi sic ait: *Si actio, & passio sunt idem secundùm substantiam, videtur, quòd non sint diversa prædicamenta. Sed sciendum, quòd prædicamenta diversificantur secundùm diversos modos prædicandi. Unde idem, secundùm quòd diversimodè de diversis prædicatur, ad diversa prædicamenta pertinet.* Et paucis interjectis: *Motus, secundùm quòd prædicatur de subjecto, in quo est, constituit prædicamentum passionis: secundùm autem quòd prædicatur de eo, à quo est, constituit prædicamentum actionis.*

10 *Ad 2.*: licet ea doctrina vera sit in formâ omninò absolutâ, qualis est calor, aut albedo; secùs tamen in formâ modali, quæ potest æquè primò respicere diversa subjecta denominabilia, proindeque præstare duos effectus formales æquè primarios, quorum alter sit intrinsecus, alter extrinsecus, qui que sint diversi logicè quoad formam, & physicè quoad subjecta; nam etiam subjectum includitur in effectu formali. Sic eadem actio denominat causam *producentem*, & terminum *productam*; & eadem volitio potentiam *volentem*, & objectum *volitum*. Si dicas, denominationem *producti*, aut *voliti*, non esse primariam, quia sequitur, ac veluti resultat ex denominatione *producentis*, aut *volentis*, idem dicã de denominatione *patientis*, quæ pariter ex denominatione *agentis* quasi resultat; non enim eas dixi disparatas nisi quoad subjectum: de cætero, quòd altera inferat alteram in subjecto diverso, certum est apud omnes.

11 *Ad 3.*: actio, ut actio, seu prout formaliter distinguitur à passione, est accidens logicum, sive in denominando, quatenùs denominatio *agentis* potest adesse, vel abesse absque subjecti corruptione; atque ita inhæret agenti inhærentiâ logicâ, & impropriâ, quatenus significatur instar inhærentis, dum extrinsecè denominat agens. Non tamen actio, ut actio, est accidens physicum, nec petit inhærentiam physicam, nisi identicè, ratione passionis, quam secum realiter identificat. Ratio: quia actio, ut actio, solùm dicit formaliter conceptum *ab*, idest, non dicit

cit esse *in aliquo*, sed *ab aliquo*, ut sæpe repetit D. Thomas locis cit.: quare non illi convenit inhærere, seu esse *in aliquo*, nisi quatenùs realiter est passio. Vide P. Suar. d. 48. Met. s. 4., præsertim n. 15. Aliud est de nomine *eductio*, quod utique respectum importat, non solùm ad principium *à quo*, sed etiam ad subjectum *in quo*, vel *ex quo*, ut ex ejus definitione constat. Quare *actio*, & *eductio* comparantur ut genus, & species, vel ut conceptus inadæquatus, & adæquatus ejusdem modi. Quamvis autem actio, vel eductio realiter inhæreat passo, non illi tribuit denominationem *agentis*, aut *educentis*; quia solùm ita denominat id, *à quo est*, non id, *in quo est*; sicut solùm denominat *productum* id, *ad quod* est, & sicut volitio externi objecti non denominat *volitum* subjectum, cui inest, sed objectum, in quod tendit.

12 *Ad* 4.: verum est Antecedens de agendo immanenter, secùs de agendo transeunter, nisi cum limitatione mox addendâ. *Duplex est actio* (inquit D. Thomas 1. p. q. 18. ar. 3. ad 1.): *una, quæ transit in exteriorem materiam, ut calefacere, & secare: alia, quæ manet in agente, ut intelligere, sentire, & velle: quarum hæc est differentia. Quia prima actio non est perfectio agentis, quod movet, sed ipsius moti: secunda autem actio est perfectio agentis.* Similiter, quod transeunter agit, non mutatur intrinsecè per actionem; alioquin omne movens moveretur, contra quod expressè docet cum Philosopho D. Thomas in 3. de Anim. lect. 2., in hoc ipso principio nixus, quòd *actio non est in agente, ut in subjecto*.

13 Nihilominùs etiam actio transiens dicitur quodammodò perfectio agentis creati, non intrinsecè, & per modum formæ, sed extrinsecè, & per modum finis, quatenùs tale agens ex se ordinatur ad explicandum fœcunditatem suam, ut speciem propriam, vel cognatas alias propagatione conservet; vel, ut ait D. Thomas q. 7. de pot. ar. 10. corp., *In quantum scilicet in ipso effectu, vel passione, vel motu inducto, attenditur quoddam bonum, & perfectio moventis, vel agentis; sicut maximè patet in agentibus univocis, quæ per actionem suæ speciei similitudinem inducunt, & per consequens esse perpetuum propriæ speciei, secundùm quòd est possibile, conservant.* Quod item confirmat S. Doctor ibi *ad* 1. & 2. Hoc autem non habet locum in Deo, qui non ordinatur ad operationem externam, nec effectum respicit ut finem. Dici quoque potest ageus creatum, dum transeunter agit, mutari præsuppositivè, quatenùs prævie affici debet variis dispositionibus, de quibus tract. 2. disp. 3. His autem non indiget Deus. Quod causa creata non moveat nisi ut mota, verificatur ratione inclinationis innatæ, quæ est quædam impressio, & motio Dei, ut cum D. Thomâ diximus tr. 2. cap. ultim.

14 Porrò actio transiens dicitur modus agentis, quatenùs ab eo

eo est essentialiter inseparabilis, tum egressivè, quia essentialiter habet egredi ab hoc agente præ alio, tum connexivè, quia nullatenùs potest eo non existente existere; non tamen est modus intrinsecus, sed extrinsecus. Oritur etiam *ab intrinseco* agentis, non quòd priùs existat formaliter intra agens, & inde saltet, aut advolet ad passum, sed quia primò existit in passo ex efficaciâ intrinsecâ virtutis agentis; quo sensu etiam actio creata, & omnis effectus oritur ab intrinseco Dei. Nec intrinseca potentia activa debet reduci ad actum per actualitatem intrinsecam, sed sola potentia passiva, quæ incompletionem importat, solaque dicitur potentialitas. Nec omnis potentia activa creata debet simul esse passiva respectu ejusdem termini, vel actionis, cujus activa est, sed respectu dispositionis, aut applicationis præviæ; quæ passivitas sufficit, ut non sit actus purus, imò ad hoc sufficit logica passivitas existentiæ, quam à Deo recipere debet.

*Tres aliæ quæstiunculæ.*

15 *Quæritur* præterea 1., quodnam sit specificativum actionis? Quæstio est de specificativo extrinseco (intrinsecum semper est differentia essentialis cujusque rei), unde sumitur, & quasi derivatur specifica diversitas actionum: res enim habitudinem habens ad rem aliam, ex varietate illius variari solet; quemadmodùm actus intellectûs variantur ex objecto, actus voluntatis ex fine, unciones ex varietate extremorum. Cum igitur actio, etiam præscindendo ab identitate cum passione, intrinsecam habitudinem dicat, tum ad principium, tum ad terminum, quæritur, ex quonam eorum sumatur species actionis, seu diversitas actionum specifica? Alij volunt sumendam esse ex principio, alij ex termino, & alij ex utroque: atque hæc triplex sententia fundamentum habet in D. Thomâ, ut videre est apud P. Suar. d. 18. Met. s. 3..

16 *Dico* 1.: terminus est sufficiens specificativum actionis, ita ut ubicumque termini sunt specie diversi, actiones quoque inter se differant specie, licet ex parte principij nulla sit diversitas. Ita omnes Authores; & meritò. Quia actio essentialiter, ac per se primò ordinator ad terminum, & propter illum existit: unde actio physica se habet ad terminum, sicut volitio ad finem, & cognitio ad objectum formale. Hic autem ordo necessariò variatur pro varietate termini: quare, cum sit usqueadeò essentialis actionibus, nequit non eas reddere diversas in essentiâ, sive in specie. Hinc calefactio, & illuminatio actis, licèt ab eodem Sole proveniant, specie differunt.

17 *Dico* 2.: diversitas principiorum sufficit etiam ad actiones specie diversificandas, etiamsi desit terminorum diversitas. Ita satis communiter Authores nostri, quorum sententiam non improbat P. Suarez *loc. cit.*, licèt in oppositam magis inclinet. *Probatur*: quia actio non minùs essentialiter, nec minùs per se primò respicit principium, quàm

quàm terminum; cum conceptus *ab* sit veluti character actionis: sicut ergo ex diversitate termini diversa redditur, ita ex diversitate principij. Quare productio ignis ab igne specie differt à productione ignis à Sole, vel à solo Deo; cum altera prædicatum habeat essentiale, quo caret altera, videlicet *esse exercitium causæ univocæ*, vel *causæ secundæ*. Nec facile creditu est, quòd hæc differentia sit purè individualis: magis enim notabiliter differt exercitium causæ univocæ ab exercitio æquivocæ, quàm ab exercitio alterius univocæ.

18 *Dices*: productio ignis à Sole respicit Solem, ut productivum ignis: sed Sol, ut productivus ignis, convenit cum igne: illa ergo productio respicit Solem, ut convenientem cum igne, adeòque perinde se habet, ac si procederet ab alio igne. *Dist. Maj.*; ut productivum ignis æquivocè, seu per continentiam eminentialem, *conc.*; ut productivum univocé, seu per continentiam formalem, *neg. Maj.* Tum *dist. Min.*: convenit cum igne genericè, *conc.*: convenit specificè, *neg. Min.*, & in eodem sensu *Consequ.*. Certè continentia eminentialis differt specie, & plusquàm specie, à continentiâ formali: imò differre potest plusquàm genericè, ut patet in Deo, qui, prout eminenter continens creaturas, plusquàm genericè differt à causis secundis. *Dices* iterùm: actio intentionalis non specificatur ab objecto materiali, sed à formali duntaxat: sed actio physica respicit quasi materialiter principium, & formaliter terminum, propter quem tota est: ergo non à principio, sed à solo termino specificatur. *Major* à pluribus negatur: sed, quidquid de illâ sit, *neg. Min.*: nam actio respicit etiam formaliter principium, unde oritur; ideòque potest esse supernaturalis ratione solius principij, ut si aqua produceretur ab igne Divinitùs elevato. Quamvis ergo tota sit propter terminum, tamquàm finem *qui*, tota simul est propter principium, tanquàm finem *cui*; quia virtutis explicatio quoddam bonum est ipsius principij, ut vidimus *n.* 13.; & respectu Dei quædam etiam bonitatis commendatio est, ideòque Deus omnia agit propter gloriam suam.

19 *Dico* 3.: actio, prout eductio est, seu prout identificata cum passione, diversa quoque redditur ex diversitate passi. Hæc assertio eodem modo probatur, ac præcedens. An autem utraque locum habeat, quando principium, sive activum, sive passivum, solum causat per potentiam obedientialem, disputant Theologi quos inter valde probabile est, actiones, aut passiones ex hoc capite differre specie physicâ, licet dicantur ejusdem speciei Theologicæ. Nunc de potentiâ naturali præcipuè loquimur. Unde, si accidentia recipiuntur in toto composito, calefactio aquæ, & calefactio ligni, specie differunt, licèt ab eodem igne proveniant, & ad calorem ejusdem speciei terminentur. *Dico* 4.: probabile est, quòd actiones physicæ possint

sint etiam ex solo modo tendendi specie differre, saltem si altera ut naturalis, supernaturalis altera, vel utraque supernaturalis. Ita Doctor Eximius loc. cit. n. 21., quem alij plures sequuntur.

20 *Quæritur* 2., utrùm conservatio, & prima productio ejusdem effectus debeant esse actiones distinctæ realiter? Non est dubium, quin plures effectus non pendeant in conservari a primo producente, sed naturaliter conserventur, ab sente, vel destructâ causâ, unde primò sunt ortus; sic patet in conservatione vivientium, in conservatione ignis ab igne producente separati, in conservatione caloris aliquamdiù permanentis in aquâ, remoto igne, & in alijs passim. Tunc autem certum est, quòd conservatio à primâ productione distinguitur, utpote pendens essentialiter à distinctâ causâ. Hæc verò causa conservatrix, dum non substituitur alia primo producenti similis, communiter creditur esse solus Deus; qui, ut naturæ Author, annuit exigentijs rerum, præstatque conservationem; quam semel productæ positurant, donec aliarum rerum exigentia contraria prævaleat. Nec item dubium est, quin alij quidam effectus à primo producente naturaliter, vel essentialiter pendeant in conservari; ut patet in conservatione Angeli à Deo, lucis a Sole, actus vitalis a potentia, speciei vitualis ab objecto, & frigoris ab aquæ substantia recuperati. Cur autem alij effectus præ alijs ita pendeant a primo producente, nequit una pro omnibus ratio assignari; varia enim est pro varietate indolis & naturæ cujusque. De quo videri potest Exim. Doct. d. 21. Met. f. 3..

21 De his ergo effectibus, qui naturaliter conservari debent, vel conservantur de facto, ab ijsdem principijs eodem modo applicatis, à quibus primò producuntur, quæstio est, utrùm eâdem actione primâ conserventur, quamdiù permanent? an verò post primum instans cesset illa actio, & nova succedat? Communis, & vera sententia, quam probat Eximius cit. d. 21. f. 2., negat, conservationem à primâ productione distingui quoad entitatem actionis. *Probatur*: quia, ubi effectus est idem, & omnia principia manent eadem, & eodem modo applicata, non est cur non perseveret eadem actio; quę hoc ipso post primum instans erit conservatio. Sanè per se incredibile est, quòd illuminatio aëris à Sole varietur pro solâ mutatione temporis, vel instantis, nullâ in cæteris mutatione facta; vel quòd potentia visiva mutet actionem, dum perseverat eadem applicatio, eadem species, & idem objectum; multòque magis, quòd creatio Angeli perire debeat post primum instans, ut alteri actioni relinquat locum. Dixi quoad *entitatem actionis*: nam quoad denominationem extrinsecam datur varietas; siquidem actio non denominatur *prima productio*, nisi in primo instanti, eò quòd hoc nomen connoret, vel de obliquo im-

por-

portet carentiam effectus immediatè præcedentem; nec denominatur *conservatio*, nisi in instanti, vel tempore, supponente existentiam effectus præhabitam, & non interruptam. Hæ tamen denominationes extrinsecæ sunt, contingentes, & separabiles ab entitate actionis.

22 Unde inferes 1., quòd, etiam quando de facto distinguuntur productio & conservatio, ut in exemplis *n.* 20., actio conservativa potuit esse prima productio, & vice versâ. Nec obstat, quòd productio dicatur extractio rei de non esse ad esse. Nam hoc intelligitur, vel de productione, prout contingenter denominatur *prima*; vel de extractione quoad intrinsecam sufficientiam actionis, ita ut actio ex se sufficiat ad extrahendam rem de non esse ad esse, atque illam extraheret, nisi jam extractam inveniret. Nec item obstat, quod dici solet, minus virium requiri ad conservandum, quàm ad primò producendum. Nam hoc in physicis intelligi debet, vel de conservatione per accidens, removendo contraria; vel de conservatione mediatâ & indirectâ per dispositiones naturaliter necessarias, quatenus in aquâ v. g. minus frigiditatis fortasse requiritur ut conservetur, quàm ut generetur, eò quòd aqua jam existens propriâ exigentiâ se tueatur. Cæterùm conservatio per efficientiam immediatam (de qua tantùm loquimur) non minorem causæ virtutem & influentiam postulat, quàm prima productio.

23 Inferes 2., quòd actio *instantanea*, v. g. illuminatio subita, non ita vocatur eò quòd non existat, nisi in unico instanti; sed quia non eget successione temporis ut compleatur, cum in primo instanti tota sit, quàmvis etiam deinceps tota duret. Inferes 3., quòd conservatio termini educti non aliter differt à motu instantaneo, quàm à primâ productione, scilicet per solam connotationem carentiæ præcedentis, quam dicit nomen *motus* propriè sumptum. Quodsi conservatio comparetur ad motum successivum, ab eo differt eo modo quo quietem differre diximus cap. 1. n. 10.

24 *Quæritur* 3., utrùm actio per aliam actionem reflexam produci possit ab alio principio, à quo ipsa per se non egreditur? Quòd naturaliter non possit, passim supponitur: quia, cum actio quælibet sit egressio & productio sui à determinatâ causâ, nullâ aliâ productione indiget, nisi abeatur in infinitum. Quòd verò possit divinitùs, affirmant PP. Quiròs, Peynado, & alij: Contraria sententia communiter supponitur. Et, omissis alijs argumentis, poterit suaderi sic: repugnat actio, vi cujus egrediatur terminus ab alio agente, cujus ipsa non est actio: sed talis esset actio agentis A., si terminaretur ad actionem agentis B.: ergo repugnat actio ad aliam actionem terminata. *Major* certa videtur ex conceptu actionis. *Prob. Minor*: in eâ hypothesi, vi actionis agentis A. existeret ejus termi-

nus, nempe actio agentis B.: sed hanc actionem existere, formalissimè est egredi ab agente B., cum tota ejus essentia consistat in egredi à tali agente: ergo vi actionis agentis A., terminus ejus egrederetur ab agente B., cujus ipsa non esset actio, ut supponitur. Vel aliter: actio virtutis A. non esset actio virtutis B., ut quæstio supponit: aliunde necessariò esset: ergo simul esset & non esset. *Prob. Min.* ultima formalis determinatio, ut effectus oriatur à virtute activâ B., necessariò est illius virtutis actio: sed actio virtutis A. foret ultima determinatio, ut ejus effectus, nempe actio virtutis B., actu existeret, atque adeò ut oriretur à virtute B., cum in hac actione formaliter idem sit existere & oriri à tali virtute: ergo &c..

## CAP. III.
## DE CREATIONE.

CReatio definitur *Productio rei ex nihilo*, idest, ex nullo subjecto præsuppositio, seu ex nullâ causâ materiali: & hinc sumitur ejus discrimen ab eductione, ut sæpe dictum est. Nunc super eâ *quæritur* 1., utrùm requirat virtutem infinitam in causâ connaturali & principali? sive, utrùm sit possibilis creatura, quæ habeat potentiam creandi principalem, eo sensu, quo causa secunda dici potest ac solet causa principalis? Quòd nulla talis creatura de facto existat, plane colligitur ex doctrinâ Fidei, ut videre licet apud P. Suar. d. 20. Met. s. 2.; idemque supposuerunt Philosophi veteres, tamquam per se notum usurpantes effatum illud, *Ex nihilo nihil fit.* Quòd verò sit possibilis, videtur censuisse Durandus: sed contrarium censent omnes fere Philosophi, & Theologi, quibus præluceant SS. Ecclesiæ Patres, sæpe docentes, quòd *creare* solius Dei proprium est, & inde probantes Divinitatem Verbi contra Arianos, quòd creandi potentiam habet. Hæc sententia omninò tenenda est, etiamsi alia ratio non adesset, præter tantæ pondus auctoritatis. Probatio tamen satis efficax à ratione difficilis est, ut omnes agnoscunt. Multas suggerunt D. Thomas, Scotus, & alij; quas sapienter expendit P. Suar. loc. cit..

2. Sufficiat hic triplicem probationem indicare. 1. si potentia creandi non est supra conceptum creaturæ, nulla ratio est cur creatio animæ rationalis in prole nova proveniat de facto ab animâ matris; quod tamen nec Durandus, nec alius admittit. *Prob.* quia in animâ matris datur perfectionis æqualitas cum animâ prolis, & hæc non nisi ad præsentiam illius producitur. Sic, quia non est contra conceptum creaturæ operari per eductionem, meritò tribuimus causis creatis illos effectus, quos semper ad earum præsentiam produci videmus, si aliunde non superant perfectionem ipsarum. Hâc ratione ignem ab igne produci dicimus: & animam equini pulli ab animâ equæ generari, tenet probabi-

bilis sit sententia. 2.: creatura in agendo magis à Deo pendet, quàm ars à naturâ; sed ars ita pendet à naturâ, ut operari nequeat, nisi circa materiam, vel subjectum à naturâ ministratum: ergo à fortiori creatura in agendo sic pendet à Deo, ut agere nequeat independenter à materiâ, vel subjecto, à solâ Dei virtute creato.

3 3.: posse operari sine juvamine alterius causæ efficientis, solius Dei privilegium est, nulli creaturæ communicabile: ergo etiam solius Dei prærogativa est posse operari sine juvamine causæ materialis. *Prob. Conseq.*: tum quia non minùs, imò magis experientia comprobat creaturæ dependentiam in operando à causâ materiali; quàm à coefficiente: dependentiam enim à concursu Dei, non experientiâ, sed discursu colligimus. Tum etiam, quia limitatio & potentialitas creaturæ id ipsum persuadet: sicut enim nulla est possibilis creatura, quæ in essendo non sit aliquomodò potentialis; ita nulla censenda est possibilis; quæ in operando non pendeat à potentiâ passivâ, quandoquidem modus operandi sequitur modum essendi. Hinc creatio externa, sive in actu secundo, licet sit modus agendi formaliter finitus, est tamen arguitive infinitus, quia supponit & arguit infinitudinem virtutis, à quâ procedit connaturaliter. Sic actio non pendens, nisi ab unicâ efficiente causâ, quàmvis in se finita sit, arguit virtutem infinitam.

4 *Quæritur* 2., utrùm creatura possit saltem esse instrumentum ad creandum? *Resp.* 1. cum P. Suar. cit. d. 20. s. 3., non posse creaturam esse instrumentum connaturale, seu naturâ suâ institutum, & ordinatum ad creationem. Nam inprimis nequit esse instrumentum causæ principalis creatæ, & creatricis, quæ impossibilis est, ut vidimus. Et aliunde nequit esse connaturale instrumentum Dei: quia instrumentum connaturale semper est institutum, vel ut suppleat defectum aliquem, aut improportionem causæ principalis, vel saltem ut in ejus consortio causa principalis commodiùs operetur, nec vires fatiget. At nihil horum respectu Dei locum habere potest.

5 *Resp.* 2., posse creaturam concurrere ad creationem per potentiam obedientialem, sive ut instrumentum Divinitùs elevatum. Ita P. Suar. ibid. & communiter Authores nostri, quos citat, & sequitur P. Quiros disp. 62. s. 2. n. 23. Ratio est: quia nulla in hâc elevatione contradictio apparet, sed potiùs in eâ commendatur dominium Dei, ut constat ex dictis tr. 2. d. 6. c. 5. §. 4. & 5. super elevatione cujuslibet ad quodlibet; quo etiam ex loco solvi poterit quidquid objectionis in præsenti occurrerit. Accedit, quòd, licet repugnet juxta communem Theologiam creatura connaturaliter potens videre Deum, non tamen repugnat creatura per elevationem potens Deum videre: ergo pariter. Accedit insuper, quòd nobilitas operationis non attribuitur

virtuti purè obedientiali, nec illi commensuratur, nec debetur, sed soli causæ principali: ergo, quòd nobilitas creationis multùm excedat omnem virtutem creatam, probabit quidem improportionem creaturæ ad munus causæ principalis, non verò ad munus instrumenti purè obedientialis. Et hinc inferes, potentiam obedientialem, Divinitùs elevabilem ad creandum, reperiri etiam in creaturis de facto existentibus; quia non est difficilior in his, quàm in alijs possibilibus.

6 Notandum tamen, quòd elevatio ad creandum solùm fieri potest per auxilium extrinsecum, ut notavimus loc. cit. n. 42.; non verò per qualitatem aliquam infusam, cui sit connaturaliter debita creatio, qualiter elevatur intellectus ad visionem Dei. Ratio est: quia illa creata qualitas, vel com- principium infusum, virtutem haberet connaturalem ad creationem; quam virtutem in creaturâ repugnare diximus. Et fortasse in hoc sensu explicari potest D. Thomas, quoties negat, posse creaturam esse instrumentum creandi; ut scilicet loquatur, vel de instrumento ex se connaturali, vel de instrumento elevato per aliquid intrinsecum, cui creatio sit connaturalis, sicut lumini productio visionis Dei.

7 *Quæritur* 3., in quo consistat creatio, seu actio creativa? Alij creationem collocant in Divino decreto: alij in entitate terminiva: alij in complexo ex decreto Dei, & termino producto: alij in modo distincto à decreto & termino. *Dico* 1.: creatio non consistit in decreto Divino. *Prob.*: quia Divinum decretum, cum ab æterno existat, si est creatio formalis, denominabit Angelum ab æterno creatum, sicut denominat ab æterno volitum, & sicut unio, ubicatio, & eductio alicujus formæ, si ab æterno existerent, illam redderent ab æterno unitam, ubicatam, & eductam. Sequela autem est contra Fidem, quâ credimus, omnia in tempore creata esse. Dices: decretum denominat quidem Deum ab æterno creantem: Angelum verò non ita denominat creatum, ut subjectum hujus denominationis existat ab æterno, sed ita ut existat denominatio *creati* solùm quoad formam; sicut accidit in denominatione *cogniti*, aut *voliti*, quæ ab æterno datur respectu Angeli. Sed *contrà* 1.: ergo saltem denominatio *creantis in actu secundo* existit ab æterno quoad subjectum & formam: ergo Deus vere ac propriè creavit res ab æterno, quo ruet illud Genes. 1., *in principio creavit Deus &c.*

8 *Contra* 2.: ergo saltem Angelus eâdem proprietate, quâ dicitur ab æterno cognitus, volitus, prædestinatus, dicetur ab æterno creatus; quod pariter est contra sensum omnium. *Contra* 3.: licet cognoscere, vel amare ab æterno, non inferat æternam existentiam objecti, quia tendentia purè intentionalis terminari potest ad objectum nondum existens; secùs

re-

verò **creare** ab æterno. Nam creare est actu producere, est ultimò determinare effectum ut physicè existat, est illum ponere actualiter in rerum naturâ, & extra virtutem causæ, est illi dare in actu secundo suum esse physicum. Hæc autem ex terminis ipsis important existentiam effectus; alioquin neque illam importabit ultima determinatio, & exercitium uniendi, ubicandi, educendi. Nec obstat, quòd Divinum decretum non sit actio purè physica, sed simul intentionalis, quæ respicere potest solum instans A. v. g., pro quo, non pro alijs, inferat effectum. Non, inquam, obstat: tum quia, licèt sit actio etiam intentionalis, tamen non minorem vim, efficaciam, & energiam habet, quàm actio purè physica: ergo idem præstat ab æterno, quod præstat actio purè physica existens ab æterno. Tum quia, quòd respiciat instans A., probat existentiam æternam, non solùm Angeli, sed ipsius instantis (quod planè repugnat), siquidem creatio illa est ab æterno actualis positio hujus complexi, *Angelum existere pro instanti A.*

9 Hinc inferes 1., omninò impossibilem esse creationem rei non existentis ab æterno, indistinctam à decreto, vel ab alio quovis prædicato Divino. Cùm autem D. Thomas negat Deum agere, vel creare per actionem à se distinctam, non loquitur de creatione formali & physicâ; hanc enim ab actu Divinæ voluntatis expressè distingait 1. cont. Gent. c. 79., ut etiam à termino producto q. 3. de pot. art. 3., ubi eam vocat *creationem passivam*, in existendo scilicet, quia non existit in Deo, sed in termino, quamvis in denominando dici possit etiam *activa*, quia Deum extrinsecè denominat *creantem*. Solùm ergo cum Deo identificat creationem radicalem, seu purè intentionalem, quam cit. q. de pot. vocat *creationem activam*, idest, ex parte virtutis activæ se tenentem, tanquàm illius applicationem ultimâ in actu primo.

10 Quoties enim agens rationale liberè operatur ad extrà, duplicem adhibet actionem, alteram internam, & intentionalem, quæ est imperium voluntatis applicans, ac determinans potentiam executricem ad operandum; alteram externam, & purè physicam, quæ est ipsa formalis positio externi operis. Hæc, quia in existendo se tenet ex parte operis, dici potest productio passiva; illa verò prior, quia in agente manet, vocatur productio activa ipsius operis externi, non formalis, sed radicalis, aut virtualis, eò quòd ad illud determinet potentiam executivam, & inducat positionem externam; unde vocari solet actio formaliter immanens, & virtualiter transiens. Quia igitur imperium voluntatis Divinæ non distinguitur ab effentiâ Dei, meritò negat D. Thomas, creationem activam à Deo distingui.

11 Inferes 2., nihil nobis obesse paritatem decreti efficacis, quod ab æterno connectitur metaphysicè cum Angeli creatione, quam

quam tamen non infert nisi in tempore, dicta quippe connexio non est per modum positionis actualis, sed per modum imperij, quod pro libitu agentis potest referri ad unum præ alio tempus, aut instans; nec denominat Deum actu causantem, aut ponentem aliquid interim naturâ, sed solùm ab æterno volentem causare in tempore. Sic actus fidei de Antichristo futuro in fine Mundi, non minùs cum eo connectitur, quàm generatio ipsius Antichristi, quæ tamen nequit suum terminum tempore præcedere, sicut ille actus. *Dices*: posito decreto, nulla remanet indifferentia, ut Angelus producatur, aut secùs: ergo superfluit ulterior alia determinatio. Sed hoc infertur planè in decreto, quo Deus vult concurrere cum igne ad comburendum. Præterea *dist. Antec.*: nulla remanet indifferentia, quia supponitur ablata mediatè & radicaliter, *conc.*; quia supponitur ablata immediatè & formaliter, *neg. Antec. & Consequ.*. Itaque decretum ideò tollit indifferentiam, quia infert ultimam determinationem; & aliàs non tolleret.

12 *Dico* 2.: creatio non identificatur cum termino. Quoad terminum, solùm Divinitus creabilem, cujusmodi est quantitas Eucharistica, nemo dissentit; cum talis terminus à sui creatione separari possit, imò naturaliter debeat. Quoad terminum verò per se creabilem, qualis est Angelus, *probatur*: quia terminus ex se indifferens, seu non essentialiter repugnans, ut creetur variis modis, & à variis causis, non secum identificat creationem sui: sed Angelus indifferens est, ut creetur vel naturaliter à solo Deo, vel supernaturaliter à Deo simul & creaturâ tamquàm instrumento Divinitus elevato: ergo &c.. *Dices*, hinc solùm probari, quòd Angelus possit Divinitus produci duplici creatione totali, alterâ secum identificatâ, & à solo Deo pendente, alterâ quasi reflexâ, ab ipso distinctâ, profectâque à Deo simul & creaturâ. Sed *contra* 1.: quòd dari possit creatio creationis, & generatim actio actionis, sententia est valde difficilis, & à plerisque rejecta, satisque à nobis impugnata cap. præc..

13 *Contrà* 2.: licet probabile sit, quòd effectus ex se necessariò inhærences suis causis activis, cujusmodi sunt actus vitales, non distinguantur à productione sui; hoc tamen dicere de substantiâ absolutâ, qualis est Angelus, videtur à communi sensu alienum: conceptus enim substantiæ absolutæ, & subsistentis, longè alius est à conceptu actionis, effluxus, emanationis, egressionis; qui conceptus aperte modalitatem præfefert. Nec obstat, quòd Angelus secum identificet independentiam à subjecto, & dependentiam à Deo. Nam dependentia à Deo, si sumatur pro indigentiâ, vel impotentiâ existendi sine Deo, cum omni creaturâ identificatur; unde, si talis dependentia productio est, omnis entitas erit productio sui ipsius à Deo; quod nemo dixerit. Si verò sumatur

etur pro actuali acceptione, vel exercitio accipiendi suum esse a Deo, falsum est, quod identificetur cum Angelo. Idem puta de independentiâ à subjecto, quæ pariter cum Angelo identificatur sumpta pro non indigentiâ subjecti; secus verò, sumpta pro acceptione totius esse non inixâ subjecto.

14 *Dico* 3.: nec identificatur creatio cum complexo ex decreto Dei, & termino producto. Ita quoque communis sententia; & meritò. Quia, si creatio identificatur cum termino, cum eo solo identificatur. Si enim decretum expectat terminum, ut constituatur in esse creationis, solus terminus erit ultima determinatio, ut Deus sit in actu secundo creans: creatio autem nihil est aliud, quam determinatio hujusmodi. Præterea ens creatum, ut tale, adæquatè distinguitur ab ente increato, sicut ens finitum, ut tale, ab ente infinito: sed ens creatum, ut tale, importat creationem: hæc ergo adæquatè distinguitur ab ente increato, proindeque à decreto Divino. Quæ ratio à fortiori probat quod in 1. conclusione diximus.

15 *Dico* 4.: creatio consistit in modo distincto à causâ, & à termino. Ita communiter Authores nostri cum Exim. Doctore cit. d. 20. s. 5. Probatio sumenda est ab exclusione cæterarum opinionum: cui accedit paritas eductionis, quæ ideò ponitur in modo distincto, quia terminus indifferens est, ut producatur, saltem Divinitùs, à variis causis, variis que modis: similis autem indifferentia datur in termino creabili, ut vidimus. *Objic.*: si creatio est modus, erit accidens: ergo habebit subjectum inhæsionis, nam *Accidentis esse est inesse.* Nullum autem subjectum habere potest præter terminum, v. g. Angelum, qui proinde suam creationem præcedet ut causa materialis. *Resp.*: Creatio Angeli, vel alterius termini substantialis, fortasse non est accidens, sed modus substantialis, ut de eductione substantialis formæ diximus tract. 1. Sed, quia manet difficultas in creatione accidentis, v. g. quantitatis, dicendum est, quòd accidens ut sic, requirit inhæsionem, non strictè talem; quæ scilicet sustentationem, & causalitatem materialem importet, sed latè sumptam pro inexistentiâ, seu existentiâ in alio, quæ præscindit ab eo, quòd sit in alio tamquam in subjecto sustentationis, vel adhæsionis, vel puræ informationis, atque ut ita præscindens, sufficit ad verificandum tò *inesse*.

16 Creatio igitur est in termino, non ut in subjecto sustentationis, à quo materialiter causetur, sed ut in subjecto adhæsionis, cui affigitur, sive adhæret intrinsecè, sicut etiam suo termino adhæret eductio; vel, si mavis, tamquam in subjecto puræ informationis, quod prioritatem naturæ non postulat. Vide dicta tract. 1., ubi de subjecto unionis. Quapropter negandum, quòd Angelus, alius vè terminus creatus, præcedat creationem sui strictâ priorirate naturæ, quæ in causalitate fundatur: sed sum

enim

enim habet prioritatem in connexionis non mutuæ, sive in subsistendi consequentiâ ( quam etiam comprehendit Aristoteles nomine prioritatis naturæ, latè sumptæ ), quatenùs Angelus individuus stare potest sine hac individuâ creatione, dummodò substituatur alia ; non autem e converso stare potest hæc creatio sine hoc Angelo. Prioritas ista nihil habet incommodi, ut pateat in termino educto ; qui similiter prior esse solet eductione sui : nec aliam intelligit D. Thom. dum subjecto creationis prioritatem tribuit. *Dices* : creatio præcedit terminum, cum sit via ad ipsum : ergo in suo priori signo existit sine subjecto, etiam adhæsionis. *Dist. Antec.* : præcedit purè *ut quo*, sive impropriè, *conc.* ; aliter, *neg. Antec.*, & suppositum *Consequ.*, quòd scilicet creatio suum signum habeat seorsim à termino. Vide quæ generatim de actione diximus tract. 2., ubi de prioritate naturæ.

*De termino creabili.*

17 *Quæritur* 4., quinam termini creari exigant, aut possint? Constat apud omnes, Angelum, animam rationalem, & materiam primam creari connaturaliter, & juxta propriam exigentiam. Adde creationem ipsam, quæ est etiam creatio sui, sicut omnis actio est productio sui. Constat item ex dictis tr. 1. disp. 4., cæteras formas, substantiales, & accidentales, non creari, sed educi connaturaliter. Dubium tamen superest, an termini connaturaliter educibiles possint Divinitùs creari, & vice versâ?

18 *Dico* 1.: omnis terminus educibilis, ab eductione distinctus, potest Divinitùs creari. Ita communis sententia, saltem quoad terminos non modales. Et quoad accidens absolutum, constat assertio ex Eucharistiæ mysterio, ubi quantitas panis conservatur per creationem, atqueadeò potuit per eam primò produci. Par autem est ratio de materiali formâ substantiali, quæ certè non magis à subjecto pendet, quàm accidentalis. De modis verò, v. g. de unione humanâ, *probatur* : quia, licèt unio sit essentialiter inseparabilis à materiâ, & per se ipsam ab eâ pendeat ut à subjecto adhæsionis, aut informationis ; non tamen per se ipsam, sed per eductionem distinctam, à materiâ pendet ut à subjecto sustentationis, & causâ materiali : si ergo non educatur, sed creetur, nihil sequitur contra conceptum creationis, quæ solùm petit reddere terminum independentem à subjecto præsupposito, tamquam a causâ materiali. Aliunde nihil apparet ( & hæc est ratio pro quâvis aliâ formâ educibili ), unde unio probetur plusquam naturaliter connexa cum eductione sui : connexio autem naturalis potest Divinitùs frustrari.

19 *Dico* 2. : eductio non potest creari Divinitùs, etiamsi non repugnet generatim actio actionis. Assertio est contra Recentiores, quos citat, & sequitur P. Peynado. Et *probatur* sic : repugnat, quòd terminus ex vi creationis habeat dependere à subjecto præsupposito, & sustentante ; nihil enim magis con-

contra conceptum creationis: sed eductio, si crearetur, ex vi creationis haberet dependere à subjecto sustentante: ergo &c.. *Prob. Min.*: eductio, si crearetur, ex vi creationis haberet suum esse, ut est certum: sed esse eductionis est dependere à subjecto præsuppositio, & sustentante, cum eductio sit passio, & sustentatio, ut Adversarij supponunt: ergo &c.. Eodem argumento probatur contra eosdem RR., quòd creatio non potest Divinitùs educi. Repugnat enim terminus, qui ex vi eductionis habeat independentiam à subjecto præsuppositio: creatio autem, si educeretur, ex vi eductionis haberet suum esse, quod est indepẽdentia ipsa à præsuppositio subjecto.

20 *Dico* 3.: nullus terminus connaturaliter creabilis potest Divinitùs educi. Conclusio, quantum ad ipsum creationis modum, probata est nunc. Quantum ad Angelum, & materiam primam, est ferè omnium: quia eductio facit terminum in subjecto recipi: in nullo autem subjecto recipi potest, nec materia prima, cum sit primum subjectum, nec Angelus, cum sit ens completum. Quantum ad animam rationalem dissentiunt aliqui, quos citatos sequitur P. Peynado. Sed conclusio posita communis est inter Thomistas, & Nostros: & missis alijs argumentis, quæ non incongruè solvunt Adversarij, *probatur* sic: actio ex genere suo inferior nequit sufficere ad producendum terminum, cui ex propriâ naturâ, proprijs que meritis debita est actio superior: sed animæ rationali ex proprijs meritis debetur actio creativa, quâ inferior est eductio ex genere suo: nequit ergo eductio sufficere ad producendam animam rationalem.

21 *Prob. Maj.* 1. exemplis: nam eâdem ratione sufficere nequit naturalis actio ad producendum terminum supernaturalem: nec materialis cognitio, seu perceptio, sufficere potest ad attingendum objectum spirituale. 2.: quia, si actio superior debita est, eâ indiget terminus, ut ponatur in rebus: sed inferior actio sufficere non potest ad munus illud, ad quod indiget terminus actione superiore: ergo &c.. *Dices*: indigentia creationis, quam habet rationalis anima, non est essentialis, sed naturalis, quæ potest Divinitùs insatiata manere, sicut indigentia formæ, quam habet materia. Sed nihil dices: quàmvis enim Deus possit animæ denegare creationem, quâ indiget, ut ponatur in rebus, nequit tamen facere, ut ad munus hocce sufficiat actio creatione minor. Sic potest Deus materiæ denegare formam, quâ indiget, ut compleatur; nequit tamen facere, ut compleatur materia per aliquid minus formâ. Sic etiam supernaturalem actionem, quâ indiget terminus supernaturalis, ut producatur, negare potest Deus; non tamen efficere, ut ad id muneris sufficiat actio naturalis. *Urgetur*: creatio non est actio superabundans, sed purè sufficiens, ut anima ponatur in rebus: ergo actio creatione minor nequit non esse ad hoc muneris insufficiens.

22 Hinc robur accipiet argumentum P. Hurtado: quòd scilicet nihil possit pro libero parè sufficiente substitui, nisi vim ejus continuæ vel formaliter, aut æquivalenter, vehementiùs: nullo autem ex hisce modis eductio vim continet creationis. Nec satisfacit responsio P. Peynado, quòd nimirùm eductio non substitueretur pro creatione quoad omnia munera, sed solummodò quoad aliquod: substitueretur enim quoad munus ponendi animam in rebus, non verò quoad independentiam à subjecto. Non, inquam, satisfacit: quia munus ponendi animam in rebus est munus exigens totam vim, totumque robur creationis ut talis, & ut independentis à subjecto; alioquin non tota creationis perfectio deberetur animæ: nequit ergo pro creatione substitui quoad illud munus, nisi actio prædita æquali, vel superiori robore. Quod iterùm firmatur exemplis n. 21. *Dices*: eductio supernaturalis nō esset creatione inferior, quia foret superioris ordinis. Sed *contra*: supernaturalis eductio, licèt esset creatione superior secundum quid, semper maneret simpliciter inferior in genere actionis: semper enim creatio importat modum agendi, ab omni eductione inadæquabilem: cujus indicium est, quòd ad supernaturalem eductionem dari possit creata virtus connaturalis, & principalis, ut patet in lumine gloriæ respectu visionis beatæ; secus autem ad creationem. Sic materialis cognitio, licet ponatur supernaturalis, semper manet intellectione inferior in genere perceptionis, impotens quæ terminari ad objectum spirituale, quod naturalis intellectio attingit.

23 Ex dictis ruit contrariæ sententiæ fundamentum, ex eo petitum, quòd, sicut materialis forma, licèt exigat naturaliter educi, potest creari Divinitus; ita è converso anima rationalis. Neganda est paritas: ex eo enim, quòd forma perfectior suppleri possit munus imperfectioris, non bene arguitur vice versâ: alioquin, sicut res naturalis produci potest actione supernaturali & sicut objectum corporeum terminare valet cognitionem spiritualem; ita posset è converso accidere.

24 Denique nostra sententia *confirmatur* sic: creatio ex genere suo supponit, & exigit essentialiter virtutem creatricem ut talem, nec à virtute eductrice quà tali potest ullatenùs oriri: ergo eandem virtutem non minùs, si non magis, supponit, & exigit anima rationalis, ut ponatur in rebus. *Prob. Consequ.*: quia creatio naturaliter debita tantam virtutem non exigit propter se, sed propter terminum cui debeatur, cum tota sit ex meritis termini, totamque suam perfectionem propter illum habeat: hîc autem locum habet proloquium Aristotelicum, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Sic terminus, cui debita est actio supernaturalis, non minùs supponit & exigit supernaturalem virtutem, quam actio ipsa.

Dis-

# DISPUT. II.

## DE LOCO, ET TEMPORE.

### CAP. I.

### *DE LOCO, REALI, ET IMAGINARIO: ubi etiam de Vacuo.*

LOcus est per se notus quoad *an est?* sed explicatu difficilis quoad *quid est?* Nihil enim notius, quàm unumquodque corporum habere suum *ubi*, seu locum peculiarem, ita ut sit *hic*, & non *illic*, seu *ibi*, & non *alibi*: quid tamen rei significetur per esse *hic*, *illic*, *ibi*, *alibi*, *ubique*, difficile explicatu est. Duplex distingui solet spatium, reale, & imaginarium. Spatium reale est extensio corporea actu existens, seu quantitas actualiter extensa, quatenùs certo modo fixa. Spatium imaginarium est inanitas illa immobilis, & interminata, quam imaginamur ante rerum creationem præcessisse aptam, ut in eâ extenderetur Mundus corporeus, & nũc à Mũdo magnâ ex parte occuparis; sic tamen, ut extra sphærã ultimam, seu ultra Cœlum empyreum protendatur inanitas sine termino, & locum relinquat alij Mundo, vel alijs fabricandis; sic quoque, ut in eâ per Divinam potentiam moveri possit totus hic Mundus, & aliò migrare, parte, quam nunc occupat, vacuâ, & immotâ manente, sicut anteà. In hoc inani, sive in hoc spatio imaginario, apprehendimus certas, ac determinatas distantias, ac dimensiones perinde, ac si esset spatium reale. Sed dubium est, quidnam sit hoc inane?

2 Respondeo ex doctrinâ Eximij Doctoris disp. 30. & 51. Met., spatium purè imaginarium, idest, nondum repletum, aut occupatum ullo corpore, ex parte objecti esse actu nihil; esse tamen aliquid in potentiâ, seu conditionatè existens, quatenùs ibi dari potest realis quantitas, & extensio fixa, ubi concipimus dari partem immobilem inanitatis; vel (ne cavilleris super *ibi*, & *ubi*, quasi de potent locum præsuppositum) quatenùs illud *ibi* purè imaginarium, fieri potest *ibi* reale. Si verò sumatur prout subest imaginationi nostræ, spatium purè imaginarium est ens rationis cum fundamento, quatenùs concipitur ut privatio immobilis, dimensionum capax, quasi vera quantitas esset, fundamento desumpto ex possibilitate quantitatis realis, quæ fixa sit ibidem. Hinc

spatium imaginarium, specificativè, seu fundamentaliter sumptum, solùm differt à spatio reali, sicut homo possibilis ab homine existente. Et quia possibile est ultrà hunc Mundum majus ac majus spatium reale sine fine, ideò spatium imaginarium dicitur infinitum, aut interminabile.

3 Locus definitur ex Aristotele lib. 4. cap. 4., *Extrema superficies corporis continentis, immobilis, prima*: ideſt, extrema superficies corporis aliud ambientis, quæ immediata, seu contigua est corpori contento, quatenùs immobilis. Sic concava superficies vasis aquâ pleni, locus est aquæ. Sic etiam immediata superficies aëris ambientis globum terraqueum, locus est hujus globi. Locus sic definitus vocatur *proprius*, & *immediatus*: nam locus *mediatus*, & *communis*, appellatur quodvis mediatè continens, vel quodvis spatium, intra quod plura degunt; quo sensu fluvius dicitur locus piscium, urbs civium &c.. Solent attribui loco proprietates quædam; ut esse salubrem, aut noxiæ, naturalem, aut violentum. Sed nunc solùm consideratur locus, quatenùs potest esse terminus *à quo*, & *ad quem*, motus lationis: atque ita duo maximè sunt de ratione loci. 1. adæquatio, seu commensuratio cum locato per modum contiacentis cum contento. 2. immobilitas: nam res locata, dum movetur, necessariò relinquit locum, in quo erat; quod non accideret, si locus unâ cum mobili moveretur, aut moveri posset.

4 Sed in quo stat hæc immobilitas? vel quomodò cohæret cũ definitione Aristotelicâ? Nam superficies corporis cõtinẽtis nulla est immobilis. Vas aquâ plenum potest aliò transferri servatâ eâdem superficie. Passim quoque mutatur superficies aëris turrim ambiẽtis, & superficies aquæ circùm saxum medio in flumine situm. Denique nulla est, quæ non possit moveri saltem divinitùs. Dicendum, superficiem corporis, in ratione loci continentis aliud, constitui formaliter per suum intrinsecum *ubi*, seu per propriam ubicationem (de quâ statim), determinatæ parti spatij imaginarij respondentem. Cumque ubicatio sit essentialiter immobilis, ideſt, essentialiter incapax aliò migrare, fit, ut superficies corporis ambientis, licèt specificativè seu materialiter sumpta sit mobilis, tamen formaliter, prout talem ubicationem habens, sit immobilis. Fit etiam, ut eadem superficies, variando propriam ubicationem, varietur in esse loci respectu corporis contenti, & aliò translata, sit jam formaliter alter locus. Hinc aqua verè ad motum vasis formaliter mutat locum. Turris quoque immota, ex variatione aëris circumfusi, physicè mutat locum ab Aristotele definitum; quamvis moraliter aut mathematicè idem reputetur, qui alteri succedit cum eâdem ad spatium imaginarium correspondentiâ.

5 Sciendum tamen, quòd præter locum ab Aristot. definitum, qui vocatur *locus extrinsecus*, datur alius cujusque rei magis proprius, & intrinsecus, qui appellatur *locus intrinsecus*

*extrinsecus* atque etiam *ubi*, *ubitas*, *ubicatio*, & *præsentia* rei. Si enim Deus, conservando turrim immotam, omne corpus circumquaque annihilaret, turris non esset in loco extrinseco, & tamen vere locata maneret: tum quia non esset nullibi: tum quia posset à Deo moveri, quo motu relinqueret locum, quem habebat. Et maneret quidem in eodem, ac antè, loco; siquidem maneret immota prorsùs. Antea igitur, præter locum extrinsecum, alium habebat intrinsecum, quem adhuc retinet. Item superficies convexa Cæli Empyrei non aliâ superficie continetur extrinsecùs; & tamen alicubi est, posset que à Deo moveri, & alibi locari. Similiter, si Deus ante Mundum crearet unicum hominem, hic non esset nullibi; cum tamen nullâ superficie ambiretur. Is igitur locus intrinsecus, aut ubicatio, est terminus, qui per se adquiritur, ac deseritur motu locali: locus enim extrinsecus eatenus dicitur adquiri, vel deseri, quatenùs adquiritur, vel diseritur ubicatio rei mobilis illi contigua.

6 Ubicationis effectus formalis est rem determinatè locare, seu constituere potiùs hîc, quàm illic. Sed, si ubicatio non requirit locum extrinsecum, quid est constituere hîc, & non illic? Recepta satis explicatio est, hoc in eo consistere, quòd ubicatio rem constituit ultimò determinatam, ut fundet tantam præcisè distantiam, aut indistantiâ ab alijs rebus. Fateor, proprium esse ubicationis fundare distantiam, aut indistantiam. Sed, nisi aliud addatur, res manet obscura, vel ambigua. Nam, dum movetur homo, corpus & anima mutant ubicationes; & tamen servant eamdem indistantiam inter se; sicut etiam eamdem inter se distantiam servant caput, & pectus. Idcircò plures addunt, ubicationis esse determinare distantiam rerum, non solùm inter se, sed simul etiam relatu ad puncta fixa, sive ad polos Mundi: ita ut A. esse hîc, & B. esse illic, in eo consistat, quòd A. & B. determinata sint ad tantam præcisè distantiam, tum inter se, tum à polis Mundi per tales determinatas lineas. Sed obstat 1., quòd nemo cogitat de Mundi polis, dum rem clarè concipit esse hîc, & non illic. 2., quòd ipse polus ubicationem habet, quâ figitur illic, & non alibi: de hâc autem supereſt eadem quæstio. 3., quòd vel sermo est de polis realibus; & ab his non pendet ubicatio mea, quę me pariter constitueret hîc, etiamsi solus existerem, omni aliâ re annihilatâ: vel de polis imaginarijs; atque ita jam fit recursus ad spatium imaginarium, quem hujus explicationis Authores vitare cupiunt.

7 Dicendum igitur, quòd formalis effectus ubicationis est *rem figere in una parte prę alijs spatij imaginarij*. Unde ubicatio in abstracto definiri potest, *Ultima determinatio cujusque rei, ut figatur in una parte &c.*. Hæc explicatio perspicua est, & captu facilis, communique loquendi & apprehendendi modo valde consona. Solùm obstat, quòd spatium imagi-

ginarium, si sumitur prout subest imaginationi, est ens rationis, ad quod non dicit ordinem locus realis: si verò sumitur prout est in se, vel fundamentaliter, est actu nihil, nec in potentiâ est aliud, quàm extensio quantitatis, quæ produci potest taliter fixa, seu locata, quo pacto suam involvit ubicationem: unde ubicatio definietur per se ipsam, vel una per aliam. *Resp.* 1.: sumitur spatium imaginarium priore modo: nec est inconveniens, quòd locus realis ex imperfectione mentis humanæ clarè à nobis explicari, seu definiri non possit, nisi per ordinem ad ens rationis, quàmvis ad illud ex se non dicat ordinem, & sine tali ordine cognoscatur per species proprias à Deo, & ab Angelo. *Resp.* 2.: sumi quòque potest spatium imaginarium fundamentaliter; atque ita sensus definitionis erit, quòd ubicatio rem figit eo modo, quo quantitas fixa, ut possibilis, nobis præbet fundamentum ad imaginandam talem partem inanitatis immobilem. Sic autem definietur quidem ubicatio per ubicationem; sed sub alio conceptu nobis notiore, nempe sub conceptu fundantis illud ens rationis. Non tamen negaverim, Mundi polos, & terræ centrum, sumi posse ut specificativum extrinsecum, & quoad nos, variarum ubicationũ.

8 Ex dictis inferes 1., quòd ubicatio rei ex se non connectitur cum loco extrinseco reali. Unde denominatio *existentis in loco reali extrinseco*, constituitur per ubicationes contiguas utrinsque corporis, contenentis, & contenti; est que partim intrinseca, partim extrinseca rei locatæ; quemadmodùm denominatio *coexistentis*, aut *æqualis*. Denominatio autem *ubicati*, seu *existentis in loco intrinseco*, est omninò intrinseca corpori, vel rei locatæ, cum possit absque ullo constitutivo extrinseco salvari, ex dictis n. 5.. Notandum tamen, quòd res non est, nec figitur in loco intrinseco, sicut in receptaculo, vel in aliquo extremo fixionis: sed illud *in* sumitur intransitivè, seu in genere causæ formalis, ut idem sonet, ac rem intrinsecè locatam esse per ubicationem ut formam: quo sensu dicitur forma substantialis constituere materiam in esse, vel in actu completo, vel illam figere in specie determinata corporis physici. Inferes 2., quòd ubicatio est immobilis etiam divinitus seu essentialiter impotens alibi rem locare, cum sit ipsa ratio formalis existendi potiùs hic, quàm alibi. Unde, si res vel latum unguem recedere concipiatur à tali parte spatij imaginarij, eo ipso concipiatur amittere priorem ubitatem, & adquirere aliam.

9 Inferes 3., quòd ubicatio fundat rerum distantiam, & indistantiam. Distantia enim consistit in ubicationibus rerum, inter quas datur dimensio quantitatis realis, aut imaginaria. Indistantia, si est penetrationis, consistit in ubitatibus distinctarum rerum correspondentibus eidem parti, vel puncto spatij imaginarij; si verò sit contiguitatis, vel continuitatis, consistit in ubitatibus im-

immediatis sine ullo intervallo etiâ imaginario. Non tamen ubiras quælibet requirit distantiam, aut indistantiam, quæ sit actualis ex parte termini (excipe indistantiam à Deo); cum non requirat coexistentiam alterius: sed sufficit, quòd rem absolutè & ultimò determiner, ut absque novâ sui mutatione taliter differat aut indistet ab aliis, si existant, vel quandocumque existant: non aliter ac Divina immensitas (quæ est velut ubiras, aut ubiquitas Dei, cum ipso realiter identificata) Deum reddit essentialiter determinatum, ut sit indistans, & intimè præsens rebus omnibus, quandocumque existant, quamvis earum existentiam ex se non inferat. Hoc sensu conditionato dici potest ubicatio rem affigere loco etiam extrinseco, quatenus rem determinat, ut sub conditione quòd existat superficies corporis ambientis immediatè ubicata, in eâ sit tamquam in loco extrinseco.

*Dubia quædam.*

10 Circa dicta *dubit.* 1., an Deus existat in spatijs imaginarijs? Negant plures: sed affirmat communior sententia cum P. Suar. d. 30. Met. s. 7.. Dissidium videtur magnâ ex parte vocale. Negari nequit, immensitatem Dei non capi, nec circumscribi spatio Mundi hujus: Deus enim vere est ubicumque esse potest; alioquin posset moveri localiter, aut aliquam mutationem subire: Deus autem esse potest ubicumque operari valet, & operari valet extra Mundum hunc, ubi nullum spatium est nisi imaginarium. Fac, Deum condere, ut certe potest, alium Mundum, aliquâ intercapedine, seu vacuitate distitum à Mundo nostro: tunc Deus utique Mundo præsentissimus esset. Quæro, an simul esset in vacuitate interjacente? Si asseras; jam ergo Deus esset in spatio quodam prorsùs inani, ubi nullum existeret ens creatum; consequenter que potest esse in omni spatio imaginario. Si neges; ergo Deus haberet præsentias discretas, & inter se distantes, quod repugnat. Ex adverso, absolutè dici nequit, Deum esse positivè præsentem spatio pure imaginario: quia non est ita præsens nihilo, nec enti pure possibili; nemo quippe dicitur positivè præsens alteri, non invicem positivè præsenti.

11 Dicendum igitur, Deum esse in spatijs imaginarijs, fundamentaliter sumptis, vel esse illis præsentem, duplici sensu negativo: 1., quatenùs ejus immensitas ad hujus Mundi limites non arctatur: 2., quatenùs essentialiter excludit positivam distantiam ab omni re, vel spatio reali, extrà Mundum producibili, si producatur: adeò ut nulla possit concipi ubicatio possibilis tam longè dissita, ut, si existeret, non esset Deo præsens. Et hoc sufficit, ut nostro modo concipiendi verè dicatur Deus esse in spatijs imaginarijs. Hæc tamen indistantia, vel exclusio distantiæ consistit in positivo ex parte Dei, videlicet in attributo immensitatis, quæ est quasi locus intrinsecus Dei, ratione cujus Deus ante Mundum, & ab æterno, quasi localis erat in semetipso, [illegible]

etiam intra ; & extra Mundum.

12 *Dubit.* 2., an ubicatio realiter distinguatur à re locatâ, & loco extrinseco? Affirmat meritò sententia communissima. Tum quia motus localis, utpotè vera, & realis actio, terminum aliquem producit, dum adquirit *ubi*: non producit autem locum extrinsecum, nec rem, quæ locatur. Tum quia res non est in tali loco per semetipsam; alioquin semper ac existit, inibi esset: nec item per coexistentiam sui, & loci talis in rerum naturâ, cum possint actu exístere res, & hic locus, tametsi res in hoc loco non sit. Et hîc urgent argumenta, quæ dedimus tract. 1. pro distinctione uniomis ab extremis. Non tamen ubitas distinguitur plusquàm modaliter: quia tota quidditas ejus est ultimò determinare rem, ut sit potiùs hîc, quàm alibi; quod est munus puri modi. *Dices*: si datur modus ubitatis à re distinctus, res erit prior illo, cum sit illius causa materialis, & sæpe etiam activa: pro signo autem priori jam res est alicubi: tum quia si jam existit, non est nullibi: tum quia esse alicubi, est prævia conditio ad causandum. *Resp.*: esse alicubi, est conditio ad causandum alios effectus præter ubitatem ipsam, ut alibi dicemus. Nec res in signo priori ad ubitatem est nullibi, nisi præcisivè, quatenùs illud signum per nullam ubitatem, nec per ejus carentiam constituitur, tametsi cum aliquâ connectatur. Nec tale signum est instans temporis, sed est potentia causæ realiter ab effectu distincta; quæ distinctio benè cohæret cum eo, quòd in nullo temporis momento possit res esse sine aliquâ ubicatione.

13 *Dubit.* 3., an res actu existens possit absolvi ab omni loco, saltem divinitus? Ab omni loco extrinseco reali constat ex dictis absolvi posse, ut de facto accidit in ultimæ sphæræ superficie. Ab omni autem loco intrinseco, ita ut nullam habeat ubitatem, quâ correspondeat alicui patti spatij imaginarij, sunt qui velint, rem posse divinitùs absolvi. Sed negat receptissima sententia. Tum quia impossibile videtur, quòd res actu existat, & tamen quæsita per totum spatium imaginarium, nusquam compareat. Tum quia res actu existens debet esse præsens immensitati Dei; hæc enim nequit non esse præsentissima rebus omnibus existentibus, quod sine mutuâ ipsarum præsentiâ concipi non potest: sed res nequit esse immensitati præsens ubique, sive in omni loco imaginario (alioquin foret immensa, nec jam ab omni loco absoluta, sed ad omnem potiùs alligata): ergo in aliquâ determinatâ parte spatij imaginarij, proindeque per aliquam ubitatem.

14 *Obiic.*: res existit pro priori ad ubitatem: ergo, positâ existentiâ rei, potest suspendi productio ubicationis. *Prob. Consequ.*: tum quia generatim, quod est prius, potest existere sine posteriori: tum quia Deus potest creaturis negare concursum ad omnem operationem: tum quia res in signo priori existens, jam est præsens im-

men-

mensitati Dei. *N.g. Consequ.*, si sermo sit de omni ubitate, ita ut nulla producatur. *Ad prob.*: illa regula, *Quod est prius &c.*, exceptiones patitur: nam causa prior est effectu, & ejus carentiâ, seu contradictorio; & tamen sine altero nequit existere. Videndum ergo, an aliunde probetur essentialis connexio prioris cum posteriori, saltem vagè sumpto, ano, vel alio, utrio casu nostro. Si Deus creaturæ negat concursum ad omnem operationem, necesse erit, ut se solo producat aliquam ejus ubitatem, quamdiù vult creaturam existere. Pro priori autem ad ubitatem creatura est immensitati præsens connexivè, non tamen formaliter; quod solùm denotat, præsentiam creaturæ ad Deum non esse causam istius præsentiæ, nec conditionem præviam ad præsentiam ipsam.

15 *Dubit.* 4., an omni entitati, præter Deum, conveniat ubicatio distincta? Omninò affirmandum, exceptâ ubicatione ipsâ, & ejus productione, quæ per se ipsam ubicatur, ne procedamus in infinitum. In cæteris omnibus militat ratio indifferentiæ ad variandum *ubi*, quod proinde distingui debet ab entitate rerum. Unde Angelus, & quilibet creatus spiritus, habet suum *ubi* finitum, ac limitatum, quod variari potest, & sine ullo corpore, seu loco extrinseco permanere; ut optimè demonstrat, & explicat Exim. Doct. d. 51. Met. §. 3. & 4. Quodsi veteres interdùm negant, res spirituales esse in loco, loquuntur de loco extrinseco, prout ab Aristotele definito, nempe quatenùs importat contactum corporis continentis ad rem contentam, & commensurationem partis ad partem: Angelus enim nec tangi potest, nec partes habet; quare non est in spatio reali, nisi per intimam præsentiam, & indistantiam penetrationis; vel etiam quatenùs ejus *ubi* existit intra limites alicujus spatij; quâ ratione spiritus verè sunt in Cœlo, & in Inferno, ut Fides docet.

16 *Dubit.* 5., an forma, substantialis, aut accidentalis, ubicetur per ubitatem subjecti? Communior opinio negat: quia passim, variatâ formâ, subjectum manet eodem in loco, & cum eodem *ubi*; alioquin per quamvis accidentalem mutationem variaretur *ubi* subjecti, v.g. cùm aer immotus illuminatur, aut illuminari desinit, vel cùm homo immotus calefit, quod est incredibile. Si autem *ubi* subjecti foret *ubi* formæ, necessariò cum forma variaretur, utpotè modus ejus. Quare, dum subjectum ab impellente extrinseco movetur, suos quoque distinctos motus formæ recipiunt, quibus proprias ubitates adquirunt: dicuntur tamen tunc moveri per accidens; quia impulsus, cum soli subjecto imprimatur, ad solum illius motum per se tendit, nec nisi ex consequenti caulat motum formarum, quæ ratione unionis subjectum comitari debent. Eâdem ratione, qui vehitur navi, dicitur moveri per accidens. Nec unio formam determinat ad locum subjecti, nisi radicaliter, aut exactivè, quatenùs exigit utriusque ubitates intimè penetratas. Pariter singulæ partes totius integralis suas habent distinctas ubitates; alioquin non posset moveri digitus, vel unguis præcidi, quin *ubi* totius hominis variaretur.

17 *Dubit.* 6., quænam sint causæ ubicationis? *Resp.* Causa materialis est res, quæ locatur: illi enim ubicatio inhæret. Causa formalis

physica, nulla est (nisi fortè ubitatis circumscriptivæ connaturalis, quæ dicitur esse quantitatis effectus formalis secundarius): metaphysica verò est specifica differentia ubicationis. Quæ differentia sumi potest 1. ex munere fundandi distantiam, aut indistantiam: atque ita centenæ ejusdem speciei, & solo distinctæ numero, ubicationes ejusdem, aut pluxium entium, respondentes eidem parti, seu puncto spatij imaginarij, vel, si mavis, per eandem lineam distantes à polis & centro Mundi: quæ verò non sic respondent, specie differunt inter se. 2. ex ordine, seu alligatione essentiali ad rem locatam: atque ita ubicationes sapiunt distinctionem specificam, vel numericam rerum ipsarum. 3. ex modo locandi circumscriptivo, aut definitivo (de quo in sequ. cap.); vel etiam ex eo, quòd ubicatio sit, vel non sit divisibilis, aut ex pluribus quasi composita: quæ differentia inveniri potest in ubicationibus ejusdem rei, præsertim spiritualis. Quod attinet causam efficientem, unaquæque res in primo instanti existentiæ propriam ubicationem causare videtur per naturalem resultantiam: solus tamen Deus tunc determinat, ut una præ aliâ producatur, tum quoad individuationem, tum quoad speciem ex distanti à desumptam. Ubicationis verò, quæ motu adquiritur, causa est eadem, quæ motum producit, ideòque interdùm extrinseca, interdùm intrinseca.

18 *Dubit.* 7., an duo corpora, distinctas quantitates habentia, penetrari possint per ubitates eidem spatio, seu reali, seu imaginario, correspondentes? Duo, vel plures spiritus inter se naturaliter penetrari possunt citrà dubium; sicut etiam spiritus cum corpore. Possunt item naturaliter penetrari res corporeæ, quæ distinctas quantitates non habent, ut patet in formis corporeis, quæ cum materiâ penetrantur. Quòd ergo prædicta corpora naturaliter penetrari nequeant, monstrat experientia, quâ cernimus, alterum ab altero semper trudi. Nec obstat una vel altera observatiuncula, v. g. quòd vas aquâ plenum, aliquos nummos capit, quin aqua redundet; vel plenum cinere, portionem aquæ recipit non modicam. Nam, si detur hîc penetratio, cur vas aliquos tantùm nummos capit, & non totidem, quot caperet vacuum? Ideò ergo, nonnullis immissis, non redundat aqua, quia conglobatur aliquatenùs supra vasis labra, quorum siccitas redundantiam impedit. Cinis autem, aquæ immissione compressus, expellit aerem in ejus poris detentum, cujus locum, & plurium corpusculorum simul avolantium, occupat aqua.

19 Quòd verò corporum penetratio dari possit divinitùs, tenent Scholastici omnes, uno excepto Durando, qui rem problematicè versat. Ratio est: tum quia nulla inde sequitur contradictio. Tum quia non aliter explicari potest egressus corporis Domini, sive nascentis ex utero virginali Deiparæ, sive resurgentis è sepulchro clauso; & ejusdem ingressus in cœnaculum clausis foribus; imò & Eucharistiæ mysterium, in quo credimus, omnes partes Dominici corporis in quâvis hostiæ particulâ reperiri. *Dicen.* de ratione quantitatis est habere extensionem, & partem extra partem. *Dist.*: est habere aptitudine, & exigentiâ naturaliter infrustrabili, *conc.*; est habere actu, *neg.*: alioquin corpus Domini quantitate careret in Eucharistiâ. Extensio

er-

ergo actualis non nisi radicaliter in quantitate consistit; formaliter verò consistit in ubitatibus extensioni spatij imaginarij respondentibus, quæ possunt divinitùs impediri, servatâ quantitate. Unde colliges, quàm periculosè posuerit Cartesius ideam, seu notionem corporis, in extensione actuali.

*De Vacuo.*

20 Vacuum definitur, *Locus carens corpore, aptus tamen repleri*: vel etiam, *Inane in vallum, reali corporis superficie circundatum*: quale esset inter vasis latera, si Deus omne corpus inibi contentum auferret, nullo alio subrogato. Quare solùm differt à spatio imaginario, quatenùs spatium istud nullâ reali superficie circundatur. *Quæritur* 1., utrùm Vacuum sit possibile, saltem divinitùs? Negant Aliqui apud Conimbricas, negat etiam Cartesius *part. 2. principior. n. 16.*, eâ ratione ductus, quòd vasis latera, si nihil continent, necessario contigua erunt; cum enim inter duo corpora nihil interjacet, se mutuò tangere necesse est: nec fieri potest, ut duo inter se distent, & tamen distantia ipsa sit nihil. Sed affirmativa sententia est cæterorum omnium, & omninò vera: nulla quippe vel umbra contradictionis in eo est, quòd Deus omnipotens, conservatâ superficie & figurâ sphæræ cœlestis, omne sublunare corpus in nihilum redigat; non enim tenetur, eo quòd unum corpus destruat, aliud quoque destruere, vel novum subrogare.

21 Ad rationem Cartesij negandum, vasis latera fore contigua, quàmvis nihil interjaceret: contiguitas enim constituitur per tales duorum corporum ubitates, ut inter ipsas nulla realis extensio possit intercipi: posset autem tunc intercipi extensio palmaris v. g. inter latera vasis prorsus immota. Negandum etiâ, quòd latorum distantia foret nihil: nihil enim distantia propriè consistit in actuali extensione interjacente (hæc dici solet distantia extrinseca, vel distantiæ mensura quoad nos), sed consistit in locis intrinsecis duarum rerum talibus, ut absque ullâ variatione sui possint inter se realem aliquam extensionem admittere. Nec argumento isto, sed ratione politicâ motus est Cartesius ad negandum possibilitatem vacui, quam priùs, etiam naturalem, agnoverat: ut videre licet apud P. Rapin.

22 *Quæritur* 2., utrùm vacuum detur, aut dari possit naturaliter? Duplex vacuum distinguit solet: alterum *coacervatum* vocant, estque vacuum sensibile, seu notabile, v. g. intervallum palmare prorsus inane: alterum *dissem inatum* appellant, quòd scilicet constet multis inanibus spatiolis insensibilibus, per grandiora corpora dispersis, concluditque intra plures eorum particulas, aut atomos. Vacuum primi generis dari posse citrâ miraculum, censent hodie nonnulli Physici Corpusculares, ducti quibusdam experimentis, præsertim ex tubo Torricelli, & machinâ Boylianâ. Vacuum disseminatum, post Democritum, & Epicurum, multò plures ex ijsdem novioribus Physicis de facto admittunt. Utrumque negant communi calculo Peripatetici, putantes, naturam innatè metuere, seu refugere vacuum quodlibet. Subscribunt Cartesiani cum duce Cartesio.

23 Sententia Peripatetica probari solet 1. ratione: quia unio, vel contiguitas omnium inter se partium sublunaris Mundi necessaria est, ut Cœlestium corporum, à quibus pen-

dent, influentias continuatè recipiat: quælibet enim in medio vacuitas interrumperet progressam influentiæ, seu qualitatis, defectu subjecti receptivi. Quare, sicut partes corporis viventis exigunt continuatam unionem, ut conserventur, neque ab eodem principio vitam accipiant; ita Mundi partes, ob eamdem ferè rationem, contiguitatem exigunt non interruptam. Accedit, quòd totum spatium à stellis fixis ad terram usque, de facto nullâ vacuitate interrumpitur: possunt enim stellæ videri è quovis puncto superficiei globi terraquei; atqueadeò per omnem lineam rectam à cœlis ad nos usque pervenit lux, & species visuales; quod fieri non posset, si aliqua in medio vacuitas esset. Similiter, si totum terræ corpus à Deo fieret diaphanum, posset quis in terræ centro constitutus astra videre; quod pariter probat, nullam in globo terraqueo vacuitatem esse. Si autem ita de facto, perpetuòque res accidit, magno est argumento, ut non possit aliter accidere citra miraculum: hac enim ratione colligimus, non posse ignem calore privati naturaliter. Eadem transmissio lucis, & speciei visualis, probat, non dari vacuum nec in recipiente machinæ pneumaticæ, nec in summâ parte barometri, seu Torricelliani tubi: quare spatium illud repletur, vel aere tenuissimo, summè rarefacto, vel substantiâ æthereâ, subtilissimâ, per vitri poros subeunte.

24 2. experimentis, palàm testantibus summum rerum conatum ad vitandum vacuum, etiam cum dispendio particularis boni, quod aliàs naturaliter appetunt. Sic, attracto per fistulam aere, sursùm ascendit aqua contra inclinationem propriæ gravitatis, ne vacuus maneat locus ab aere relictus: quod pariter accidit in syringe, vel antliâ, cùm embolus adducitur. E converso non decidit aqua ex lagenâ inversâ colli angustioris, nec ex vase irrigatorio per crebra foramina subtùs aperta, dum superius foramen occluditur digito; quia scilicet subintrare nequit aer, qui locum impleat ab aquâ deserendum. Pari ratione ventosa cucurbita carnem attrahit, eo quòd aer interior, extinctâ flammâ densatus, locum deserat vacuum remansurum, nisi per carnem sursùm attractam repleretur. Eâdem ex causâ follis constricti latera nullâ vi diduci possunt, si clauso omni foramine non subintret aer. Hùc etiam reduci solet, quòd, aquâ intùs constrictâ gelu, disrumpitur vas, ut aeri pateat ingressus. Mitto alia plurima eòdem spectantia.

25 Hos tamen, & similes alios effectus, moderni Philosophi referendos esse contendunt, non ad metum vacui, sed ad aeris pondus, pressionem, ac vim elasticam, argumentis certè non contemnendis, quæ proponit, & explicat inter alios disertus Author *Philosophiæ Burgund. tom. 4. tr. 2. differt. 5. cap. 8. & seqq.* Nobis hanc quæstionem modò discutere non vacat. Videri potest P. Joan. Bapt. de Benedictis *lib. 5. Physic. q. 2. cap. 2.*, ubi argumenta pro utràque parte dissolvit; ac tandem concludit, probabilius esse, quòd nullum de facto detur vacuum, nec dari naturaliter possit; monet etiam, ex eo quòd gravitas aeris sit causa efficiens motuum, de quibus nuper, ineptè contra Peripatetricos inferri, quòd motus ejusmodi non fiant ex metu vacui: latis enim verificabitur illud *ex motu*, si vitatio vacui sit eorum motuum causa finalis, ita ut hunc ad finem gravitas aeris de-

ser-

ſerviat intentioni naturæ: non aliter ac, dum quis hinc ſe proripit equo vectus, vis ac velocitas equi cauſa eſt efficiens illius motus; qui tamen ſimul fieri poteſt ex meru hoſtis.

26 *Quæritur* 3., utrùm corpus in vacuo exiſtens moveri poſſet? Affirmandum eſt: nam cur non poſſet Angelus jaculum intorquere per vacuum? Et; ſi regio aeris vacua fieret, cur non poſſet lapis propriâ gravitate ferri deorsùm ad terram uſque? cum motui nihil obſtaret, & aliunde urgeret innata propenſio in centrum. Dices 1.: motus omnis pendet ab influxu cœlesti, qui non eſſet in vacuo. Negandum eſt hoc, ſaltem de motu proveniente ab intrinſeco, ſi res mobilis à ſolo Deo conſervetur, ut ſemper, aut plerùmque fit. Dices 2.: motus per vacuum, utpotè nullo medio retardatus, foret inſtantaneus; quod repugnat motui locali. *Reſp.*: foret ſucceſsivus: quia motus lationis non ſolùm tardatur à medio reſiſtente, ſed etiam à diſtantiâ ubicationum, aut locorum *à quo*, & *ad quem*; ſemperque ſucceſsivè reſpondere debet partibus ſpatij imaginarij. Hinc duo corpora inæqualiter gravia non pari velocitate moverentur per vacuum; quia gravius diſtantiam vinceret majore vi.

27 Dices 3.: ſi lapis in vacuo moveretur, vacuum relinqueret ſpatium, quod replebat: ergo naturaliter contingeret vacuum. *Reſp.*: lapis nó tam faceret denuò vacuum, quàm illud commutaret, & compenſaret, replendo tantumdem alterius vacui: quæ commutatio ex ſuppoſitione miraculi naturaliter fieret. Dices 4.: motus lationis debet continuò adquirere novum locum; quod non contingeret in vacuo. *Diſt.*: novum locum extrinſecum realem, *neg.*; novum locum intrinſecum, ſeu novam ubitatem, quæ eſt proprius terminus per ſe adquiſitus motu lationis, *conc.*: hujuſmodi autem locum utique deſereret, & adquireret motus in vacuo.

## CAP. II.

### *UTRUM SIT POSSIBILIS EJUSDEM corporis bilocatio.*

1 QUòd idem corpus non poſsit naturaliter eſſe ſimul in duplici loco, certum eſt omnibus ab experientiâ. Solum dubitatur, an id poſsit fieri divinitùs. Duplex hìc genus ubicationis, ſive præſentiæ diſtinguendum. Alia eſt enim ubicatio, quæ rem totam in toto ſpatio (ſeu reali, ſeu imaginario), & totam in quolibet ſpatij puncto conſtituit: hæc vocatur præſentia *definitiva*, eſtque propria ſpirituum, qui, utpotè partium experres, toti ſunt ubicumque ſunt, v.g. animæ rationalis, quæ tota præſens eſt capiti, tota manui, &c.: arctatur tamen ad certos, ac definitos ſpatij terminos, dum potem adæquat capacitatem naturalem Spiritus (non enim Angelus, aut anima, poteſt naturaliter eſſe ſimul præſens toti Mundo); & inde vocatur *definitiva*, cum ob rationem contrariam non ita vocetur præſentia Dei. Ad hoc genus reducitur præſentia *ſacramentalis*, per quam in Eucharistiâ totum Domini corpus eſt ſub totâ ſpecie panis, & totum ſub quâvis ſpeciei particulâ: unde & hæc præſentia ſolet appellari *definitiva*. Alia vero ubicatio eſt, quæ rem totam ita ponit in loco, ut rei partes correſpondeant partibus ſpatij, nec una pars ſit in loco alterius, aut penetrata cum alterâ: hæc vocatur præſentia *circumſcriptiva*, & corpori naturaliter convenit.

Quòd

2 Quòd igitur idem corpus possit divinitùs habere simul plures præsentias definitivas, vel unam circumscriptivam, & alias definitivas, ex Eucharistiæ mysterio certum est. Quòd verò possit etiam divinitùs duas, aut plures circumscriptivas habere simul, negant Thomistæ cum D. Thoma; quamquàm Angelic. Doctorem aliqui interpretari conantur, quasi de potentia Dei ordinariâ locutum. Affirmant tamen universi Scotistæ cum Scoto, &, uno excepto P. Vazquez, omnes etiam Authores nostri cum P. Suarez, præter plures alios veteres, ac modernos. Hujus mihi veræ sententiæ princeps probatio est: Quòd, ut Fide docemur, idem corpus Domini præter præsentiam circumscriptivam, quam habet in Cœlo, plures definitivas admittit in sacramento altaris: ergo & poterit duas, aut plures circumscriptivas simul admittere.

3 *Prob. Consequ.*: si præsentia circumscriptiva non excludit aliam definitivam, non ita limitat corpus ad unum locum, ut non sinat, illud alibi simul præsens fieri verè, ac propriè: nequit ergo magis resistere alteri præsentiæ circumscriptivæ, quàm alteri definitivæ. Patet hæc illatio: quia circumscriptiva ex se magis consona, & connaturalis est exigentiæ corporis, quàm definitiva, quæ partes omnes ad idem spatij punctum redigens, earum exigentiæ naturali resistit: si ergo una circumscriptiva permittit alteram innaturalem, cur non & alteram ex se naturalem? Sic subjectum adæquatè recipiens formam A., si semel illam finit in alio subjecto simul recipi, nequit magis resistere subjecto alteri naturaliter apto, ac dispositio, quàm alteri naturaliter inepto, vel indispositio: v. g. si anima, recipiens Gratiam, finit illam in lapide simul recipi, facilius eamdem simul recipi finet in aliâ anima, vel in Angelo: & forma ignis, si recipi potest in subjecto duplici, facilius in duplici calido recipietur, quàm in altero calido, & altero frigido.

4 *Confirm.*: præsentia circumscriptiva nec titulo adæquationis, nec titulo similitudinis, excludit essentialiter aliam ejusdem generis: ergo nullo ex capite. *Prob. Antec.* non inprimis titulo adæquationis: nam eodem titulo deberet aliam etiam diversi generis excludere; cum per illam verè ponatur corpus ultra, vel extra locum adæquatum, verèque sit totum ibi, & totum alibi. Sic una eductio totalis non minùs excludit titulo adæquationis conlortium alterius actionis creativæ, quàm educativæ, pro eodem termino. Non deinde titulo similitudinis: nam alioquin pariter una præsentia definitiva, vel sacramentalis, excluderet similem aliam, nec posset Christi corpus esse simul in pluribus sacrariis. Denique in præsentijs definitivis pleraque Thomistarum argumenta patiuntur instantiam.

5 Probatur item sententia nostra duplici exemplo ab Adversarijs admisso. *Primum*: possunt duo corpora divinitùs penetrari, seu in eodem loco simul existere circumscriptivè: ergo & unum corpus in duplici loco. Patet Consequentia: tum quia ubicunque militat eadem ratio commensurationis, & adæquationis. Tum quia non minùs difficile apparet, palmare corpus occupare spatium universi, quàm totum Universum in solo palmari spatio constituì. Tum denique, quia vix ulla est in bilocatione difficultas, quæ propor-

tio-

tione servatâ non militer in penetratione. *Secundum*: potest divinitùs eadem natura humana pluribus simul subsistentijs terminari, tribus scilicet Divinis; ergo & idem corpus pluribus simul præsentijs circumscriptivis. *Prob. Consequ.*: quia non minùs adæquatur, & quasi circumscribitur per unam subsistentiam terminabilitas naturæ, quàm per unam præsentiam locabilitas corporis. Hùc etiam spectat exemplum bilocationis animæ rationalis, aut Angeli, quam nemo negat divinitùs possibilem, teste P. Quirós disp. 63. s. 2. n. 9.: nec videtur negari posse, cum solùm multiplicet præsentias definitivas. Si tota locabilitas Angeli per unum *ubi* definita, sive finita, potest simul admittere aliud, & aliud ejusdem generis *ubi*; cur non idem potenit locabilitàs corporis per unum *ubi* circumscripta?

6 Tandem sententia nostra probatur ex historiâ sacrâ, & Ecclesiasticâ. Nam Paulo eunti Damascum apparuit in aere Christus D., qui tamen in Cœlo esse non desijt. D. Antonius Paduanus simul in duplici loco vilus est: quod etiam de S. Protoparente Ignatio, de que Indiarum Apostolo Xaverio, & sanctis alijs, historiæ memorant. Dicere autem, Angelum in altero loco sub specie viri sancti apparuisse, videtur arbitraria solutio, & contra communem sensum Fidelium.

*Objectiones propositæ, & solutæ.*

7 Objic. 1.: præsentia circumscriptiva importat essentialiter negationem alterius: tum ex conceptu præsentiæ totalis, & adæquatæ: tum ex ipso nomine *circumscriptivæ*, quod indicat, totum corpus ita clandi limitibus hujus loci, ut nihil ejus sit extrà. *Resp.*: præsentia circumscriptiva importat negationem alterius naturaliter, non verò essentialiter; alioquin corpus Domini circumscriptivè locatum in Cœlo, non admitteret aliam præsentiam sacramentalem. De conceptu autem præsentiæ totalis & adæquatæ solùm est ita commensurari toti exigentiæ naturali corporis, ut non patiatur naturaliter alterius consortium. Nec aliud indicat nomen *circumscriptivæ*, quàm totum corpus esse intra limites hujus loci cum extensione debitâ; quo cum benè cohæret quòd simul totum sit extra hunc locum, sumpto ly *extrà* positivè, prout denotat præsentiam in loco alio distincto; non tamen sumpto *extrà* negativè, prout significat non esse *intrà*. Sic, licet totum Christi corpus sit intra Cœlum, simul totum est extra Cœlum, nempe in altari. Sic, licèt tota natura terminetur per unam subsistentiam, potest simul terminari per alias; & tamen *terminari* significat *ibi fixere*, seu *non ultrà progredi*. Sic etiam locus uno corpore præoccupatus, potest alio simul occupari, licèt occupatio naturaliter importet negationem alterius.

8 *Objic.* 2.: ex bilocatione sequitur absurdum multiplex. Nam 1. poterit idem corpus esse discontinuatum, divisum, separatum, ac distans à semetipso, si nimirùm simul existat Romæ, & Salmanticæ: poterit item esse suprà & infrà se, sibi in viâ occurrere, & fronte frontem propriam è regione tangere. 2. poterit corpus quantitatis palmaris habere superficiem bipalmarem, aut duas palmares, si scilicet in duplici palmari spatio locetur; quo etiam in eventu corpus erit æquale spatio duplò majori, atqueadeò æquale simul & inæquale. 3. poterit idem corpus esse lo-

locus sui ipsius, si videlicet ita replicetur per circuitum, ut cavum in medio relinquat, in quo corpus ipsum per novam ubicationem locetur: tum autem idem erit locans & locatum, continens & contentum. 4. poterit idem homo currere, & non moveri: si enim per ubicationem multiplicem occupet totum forum, ac deinde currat in foro, tunc non movebitur, quia non deseret locum, in quo erat. 5. poterit naturaliter contingere bilocatio: nam, si lapis extra centrum bilocetur, ex utroque loco exiget descendere, ac moveri naturaliter in centrum. 6. duo loca, eidem corpori coextensa, penetrabuntur; sicut duo corpora, eidem coextensa loco, penetrantur. 7. si corpus admittit duas præsentias, cur non & infinitas? poterit ergo esse immensum, seu ubique existens: quo datur occasio errori Ubiquistarum, qui Christum ut hominem ubique existere fuxerunt.

9 *Resp. neg. sequel.* Ad 1. *prob.*: instantia est manifesta in Eucharistiâ, ubi pariter objici poterit divisio, discontinuatio, ac distantia corporis Domini à semetipso prout existente in Cœlo, nec non quòd sit suprà & infrà se, quòdque sibi occurrere possit in viâ, si nimirùm Christus Dominus sub propriâ specie occurreret portanti sacramentum. *Dices*: Christi corpus non est in Eucharistiâ, vel in sacrario, sicut in loco. Fateor; dummodò *esse in loco*, vel *sicut in loco*, sumatur in sensu Aristotelico, ita scilicet, ut Christi corpus in Eucharistiâ sit coextensum alicui loco extrinseco, seu alicui superficiei corporis continentis: est enim ibi modo inextenso, & instar spiritus. Si tamen *esse in loco* significet correspondere tali spatio imaginario, seu esse verè & realiter præsens ibi, ubi sunt accidentia panis, Christi corpus procul dubiò est in loco talium accidentium: nequit enim salvâ Fide Catholicâ dubitari, quin sit verè, propriè, realiter, & substantialiter præsens in manibus, in ore, & in Stomacho Sacerdotis, & ubicumque asservatur hostia consecrata; nec minùs verè & realiter, quàm in Cœlo. Habet ergo in Cœlo & in altari præsentias discontinuatas, divisas, ac distantes, quarum altera est infrà, altera suprà. Numquid propterea corpus dicetur à seipso discontinuatum, divisum, &c.?

10 Itaque denominationes ejusmodi, cum requirant distinctionem realem extremorum, non conveniunt corpori bilocato, specificativè sumpto, sed reduplicativè duntaxat, quatenùs habenti binas præsentias; ita ut talis præsentijs conveniat esse discontinuatas, divisas, contiguas, aut se se tangentes è regione, &c. Quamquàm denominationem *distantis à se*, vel *existentis suprà & infrà se*, plures volunt convenire etiam ipsi corpori, licèt non ratione sui, sed ratione duplicis præsentiæ. Quæ videtur quæstio de voce. Sanè proprius effectus formalis ubicationis est constituere corpus existens hîc potiùs, quàm ibi, seu respondens huic parti spatij imaginarij potiùs, quàm alteri: quem effectum præstaret utique unaquæque ubicatio in casu nostro; quia corpus vi ubicationis Salmanticensis potius existeret Salmanticæ, quam Romæ; & è converso vi ubicationis Romanæ. Cæterùm divisio, separatio, distantia, contiguitas, & similes alij respectus, licèt sint inter ubicationes, non redundant in subjecta, nisi supponantur realiter distincta. Quemadmodùm, si

idem

idem subjectum divinitùs reciperet simul albedinem & nigredinem, redderetur quidem album simul & nigrum: non tamen redderetur dissimile sibi, aut à se ipso diversum, licèt inter albedinem & nigredinem daretur dissimilitudo, ac diversitas. Hinc etiam negandum, quòd spatium vel quantitas medians inter duas ubicationes ejusdem corporis, mediaret inter corpus ipsum, vel inter extremitates ejus specificativè sumpti.

11 *Ad 2.*: instantia est evidens in penetratione: si enim penetretur duplex corpus palmare, utrumque simul adæquabitur unico spatio palmari, proindeque unica erit superficies palmaris utriusque simul; & ambo simul impacta æqualia erunt tali spatio, & alioquin inæqualia, cum possint commensurari spatio majori, nempe bipalmari. Similiter, si duo ova æqualia penetrentur, aqua sufficiens ad implendum unum, implebit utrumque simul, adeòque superficiem duplò majori commensurabitur. Superficies igitur potest sumi bifariàm. 1. entitativè, pro quantitate naturaliter exigente tantam extensionem in longum, & latum. 2. extensivè, pro extensione ipsâ formali, & actuali, quæ in ubicatione consistit. In 1. sensu corpus palmare bilocatum non nisi unicam habet superficiem palmarem, nec spatio duplò majori foret æquale. In 2. autem sensu duas quidem palmares superficies haberet, & ejus quantitas foret æqualis *extensivè* duplici spatio, cui foret inæqualis *entitativè*: sed hoc nihil est aliud, quàm ultrà extensionem naturaliter exactam posse corpus aliam habere divinitùs; quod Adversarij non impugnant. De hac æqualitate extensivâ intelligendum est quod ait Aristoteles, locum & locatum invicem adæquari, seu commensurari debere.

12 *Ad 3.*: dari quidem potest illa replicatio corporis per circuitum, & in medio. Sed quæro abs te, an de ratione loci, prout ab Aristotele definiti, sit habere superficiem entitativè distinctam à superficie corporis contenti? an verò sufficiat superficies solùm extensivè distincta? Si primùm optes; corpus non esset locus sui ipsius; nec in eâ hypothesi, prout in medio locatum, esset in loco extrinseco. Si secundum; concedo sequelam: non enim repugnat, quòd idem corpus secundùm diversas extensiones sit locans & locatum, continens & contentum. Nec in hoc certè major est difficultas, quàm in eo, quòd Christus in nocte cœnæ corpus suum manibus tenuerit, imò & totum ore sumpserit, atque in stomacho recepe.it.

13 *Ad 4.*: homo ille non posset in foro currere naturaliter; quia non potest adquirere novam præsentiam ubi jam aliam habet: posset tamen currere divinitùs, deferendo præsentiam in spatio A., & novam adquirendo in spatio B., licèt penetratam cum alia ibidem præhabitâ: non enim repugnat, idem corpus in eodem spatio locari per plures simul præsentias numero distinctas. Posset etiam fieri, ut ille homo, non deferendo præsentias præhabitas, novas adquireret successivè per forum. Tunc autem propriè loquendo nec moveretur localiter, nec curreret: quia motus localis (& consequenter cursus) propriè significat transitum de loco in locum, qui transitus connotat, aut importat relictionem loci præhabiti, tamquam termini *à quo*. Moveretur tamen juxta 3. acceptionem motus, de quâ disp. 1. cap. 1.

Nunc Ad

14 *Ad 5.* (quod est fundamentum P. Vazquez) *neg. sequel.* Cujus probatio æquè impugnat penetrationem. Si enim duo lapides ejusdem ponderis in aere penetrentur, ambo descensum exigent, movebuntur que simul naturaliter per eamdem lineã: unde naturaliter continget penetratio. In casu argumenti, lapis ut obique exigeret descensum; sed non nisi unicum, sive ex uno è duobus locis; unicus enim descensus sufficit ad adquirendum centrum. Quia tamen æquè breviter ac facilè fieret descensus utrimque (ut suppono), non determinat exigentia lapidis, quo ex loco moveri debeat, sed exigit à Deo determinari. Quare, si Deus huic exigentiæ annuat, & motum determinet è loco A., illinc descendet lapis naturaliter, exigendo simul amittere præsentiam in loco B.: quòd si hanc destruere Deus nolit, lapis descendet ex A., simulque manebit in B., violentus quidem ob dualitatem præsentiarum, sed non ob carentiam descensus è loco B.. Nec tunc bilocatio contingeret naturaliter: ad hoc enim opus erat, ut utraque præsentia naturaliter produceretur, aut exigeretur: tunc autem non utraque, sed altera tantùm esset naturaliter exacta, producta que per lapidis motum deorsùm. Sic potest Christi corpus in Cœlo moveri naturaliter, stante simul præsentiâ Eucharisticâ; quin ideò contingat naturaliter bilocatio.

15 *Dices:* nequit lapis exigere, nec adquirere naturaliter præsentiam novam in sensu compositio alterius. *Dist.:* in sensu compositio alterius naturaliter conservatæ, *conc.*; conservatæ miraculosè, *subdist.*: si ista altera præsentia supponatur ex parte actus primi ad præsentiam novam, *conc.*; si non ita supponatur, sed potiùs ab eâ præscindatur, *neg.*. Et instato, ut nuper, in motu naturali Dominici corporis in Cœlo. Itaque, quando lapis extra centrum bilocatus in locis A, & B, descenderet è loco A., præsentia in B. non conservaretur naturaliter, sed potiùs perire deberet; nec supponeretur ex parte actus primi ad novam præsentiam motu adquirendam, sed tam ab eâ, quàm ab ejus carentiâ præscinderet talis actus primus, eò quod illa foret impedimentum auferibile (hoc genus impedimenti explicatum est *tr. 2. d. 1. c. 5. n. 6.*), cum non haberet jus existendi naturaliter prævalens exigentiæ lapidis ad novam præsentiam. Unde carentia, vel exclusio præsentiæ in B., deberet intelligi pro posteriori ad præsentiam novam tamquàm effectus secundarius. Si tamen conservaretur miraculosè, non ideò impediret naturalitatem motus, & novæ præsentiæ, licèt hujus exigentiam violaret: nec item diceretur naturaliter cõtingere simultas utriusque præsentiæ: quia unica tantùm produceretur naturaliter: & hæc non exigeret alterius consortium, sed exclusionem potiùs. Exemplo res clarescet. Dum ignis calefacit aquam, calor inductus exigit expulsionem frigoris tamquam effectum secundarium. Fac Deum nolle exigentiæ caloris attendere, sed velle nihilominùs conservare frigus. Tunc nec productio caloris desinet esse naturalis, nec ejus conjunctio cum frigore desinet esse miraculosa, miraculo tamen stante in fcià conservatione frigoris contra jus caloris naturaliter producti.

16 *Ad 6.* pariter *neg. sequel:* quia penetratio consistit in præsentijs duarum rerum respondentibus eidem parti spatij imaginarij, quales præsentiæ convenirent duobus corporibus eidem

dem coexteníis loco, & non convenirent duobus locis eidem coexteníis corpori. Sic, si duo corpora sacramentaliter existerent in eadem hostia, penetrarentur; & tamen duæ hostiæ, seu species utriusque, continentes sacramentaliter idem corpus, non penetrantur. *Ad 7.* instantia est apertissima in eodem Eucharistiæ mysterio. Poterit enim Christi corpus admittere sacramentales præsentias infinitas, quæ magis imitantur immensitatem Dei, quàm circumscriptivæ, siquidem ponunt rem totam in toto, & totam in quâlibet parte spatij. Poterit ergo reddi corpus immensum, & ubique existens, ansaque dabitur errori Ubiquistarum; præsertim cum hic error à Lutheranis fundetur in unione hypostaticâ, quasi hæc necessariò faciat existere humanitatem ubicumque est Verbum, cui unitur: ex hoc enim principio, si verum esset, deberet Christi corpus esse totum in quovis puncto spatij realis, & imaginarij, cum in quovis sit totum Verbum: quare dicto errori magis proderit multiplicatio, vel infinitudo præsentiæ sacramentalis, quàm circumscriptivæ.

17 Concedo igitur, posse corpus humanum divinitùs poni ubique, idest, in omni spatio reali; quod non est absurdius, quàm posse totum Universum ita penetrari, ut solùm habeat extensionem palmarem. Concedo item, posse divinitùs idem corpus habere præsentias infinitas, si aliunde non repugnet infinitum in actu. Tunc autem existeret ubique, non per se, sed per accidens, & citrà debitum; ideòque non foret corpus propriè immensum. Nam immensitas, prout est Dei attributum, est præsentia indivisibilis, Deo essentialiter debita, & identificata, proindeque indefectibilis, at necessariò Deum determinans, ut sit præsentissimus locis & rebus omnibus, quandocumque existant. At illa corporis infinitæ præsentiæ, vel præsentiarum multitudo, foret divisibilis, innumerisque constans partibus imperfectis, foret à corpore distincta realiter, indebitâ, contingens, & à liberâ Dei voluntate pendens. Ubiquistarum error importunè objicitur; cum consistat in affirmatione facti, vel debiti, quasi in unione hypostaticâ fundati, quod omninò negamus, solam concedentes possibilitatem de potentiâ Dei absolutâ. Qui de facto poscam, vel debitam assereret incarnationem Spiritus Sancti, erraret absolutè: non tamen errat qui possibilem adstruit. Quantò apparentiùs Adversarijs objicimus, & in vi argumenti deducimus, quòd eorum sententia Sacramentarijs hæreticis ansam præbeat?

18 *Objic.* 3. & principaliter: extensio in ordine ad locum est formalis effectus quantitatis: ergo nequit multiplicari, quin ipsa quantitas multiplicetur. *Confirm.*: unica quantitas nequit duplicem locum occupare per potentiam naturalem, ut supponitur: aliunde nec per potentiam obedientialem; quia quantitas locum occupat in genere causæ formalis, quo in genere potentia obedientialis nulla est. *Objectio* instatur in penetratione. Nam juxta Thomistas tam repugnat, unam materiam informari simul à duplici formâ, quàm unam formam informare simul duas materias: ergo tam repugnabit extensio duplicis corporis in eodem loco, quàm in duplici loco extensio ejusdem corporis. Itaque extensio in ordine ad locum provenit formaliter ab ubicatione, tamquàm à formâ, vel in ipsâ formali-

ter consistit: nec est effectus formalis primarius quantitatis (hujusmodi effectus est reddere corpus naturaliter impenetrabile cum alio corpore quanto, vel reddere extensum in ordine ad se, idest, habens in se partes, quibus debetur naturaliter extensio localis); habet enim hunc effectum quantitas Dominici corporis in Eucharistiâ, ubi locali extensione caret. Solùm ergo extensio illa, dum debita est, dici potest quantitatis effectus formalis secundarius (relege dicta tract. 2. d. 2. c. 2. n. 16.); cujusmodi effectus, cum adæquatè distinguatur à formâ, potest multiplicari, saltem materialiter, quàmvis forma non multiplicetur.

19 *Ad Confirm.*: una quantitas bilocata alterum è duobus locis occuparet per potentiam naturalem; alterum verò in sensu composito alterius, per obedientialem. Quòd in genere causæ formalis non detur obedientialis potentia, falsum est, ut patet in forma, quæ divinitùs informaret plures materias. Et quidquid de hoc sit, quantitas in casu nostro non occuparet duo loca simul in genere causæ formalis, ut infrà dicam. Quæro absolutè, utrùm duo corpora penetrata occuparent eundem locum per potentiam naturalem? an per obedientialem? Si primum dicas: ergo naturaliter penetrarentur. Si secundum: ergo, cum occuparent in genere causæ formalis, ut contendis, jam in hoc genere dabitur potentia obedientialis.

20 *Replic.* 1.: nequit multiplicari effectus formalis secundarius, quin multiplicetur primarius, quem supponit, & ex quo resultat. *Dist.*: nequit multiplicari materialiter, aut specificativè sumptus, *neg.*; formaliter, in ratione effectus secundarij, *conc.*. Formalis effectus secundarius in esse talis consurgit exigentiam formæ, vel effectus primarij, cui naturaliter debetur: unde nequit in esse talis multiplicari, quin multiplicetur exigentia prævia, quæ in formâ vel in ejus primario effectu consistit. Potest tamen multiplicari specificativè, seu materialiter: idest, illa entitas, vel privatio, quæ de se potest existere per modum effectus secundarij, sive ad exigentiam formæ, potest divinitùs multiplicari, quàmvis à formâ non exigatur, nec sic effectus formalis secundarius hìc & nunc. Atque ita contingeret in casu quæstionis: non enim nisi unica extensio esset formaliter effectus secundarius quantitatis: altera verò produceretur a Deo præter, imò contra naturalem quantitatis exigentiam. Sic expulsio frigoris à subjecto potest esse major, quàm quæ debetur unico gradui caloris introducto: nec tunc expulsio frigoris, quatenùs indebita, dicetur effectus formalis secundarius caloris.

21 *Replic.* 2.: quia intellectus radicatur in animâ, & voluntas in intellectu, nequit eidem animæ respondere duplex intellectus, nec eidem intellectui duplex voluntas: ergo, cum extensio localis in quantitate radicetur, nequit eidem quantitati respondere duplex extensio. *Dist. Antec.*: nequit respondere ex debito, vel exigentiâ naturali, *conc.*; præter debitum, aut exigentiam, Deò miraculosè decernente, *neg. Antec.* (supponо cum Adversarijs distinctionem potentiarum ab animâ), & subtad. distinctione *neg. Conseq.*. Sic potest divinitùs igni tribui duplex calor ut octo, quamvis unicus tantùm radicetur, & exigatur à formâ ignis: ille tamen calor indebitus non haberet istas rationum proprietatis respectu

ig-

ignis, nisi materialiter, aut aptitudinaliter, sicut nuper diximus de effectu secundario.

22 *Replic.* 1. ex ijs, quæ prolixè & confusè objicit Palancus: Ubicatio ex conceptu suo essentiali est formalis effectus quantitatis, saltem per modum causalitatis, aut exercitij: ergo nequit existere, quin à quantitate proveniat in genere causæ formalis. Patet *Consequ.*: nam, sicut actio, quia est causalitas causæ efficientis, ab illa provenire debet in eodem genere; ita, si ubicatio est causalitas, aut exercitium quantitatis in genere causæ formalis, in hoc ipso genere debet à quantitate provenire. *Prob. Antec.*: implicat, quòd quantitas non occupet ac repleat locum ut causa formalis: sed ubicatio est repletio, seu exercitium replendi locum: ergo ubicatio est causalitas, & exercitium quantitatis ut causæ formalis. *Prob. Maj.* 1.: quia quantitas se habet ad locum, ut forma ad materiam: ideòque per eam redditur locus formaliter repletus, sicut materia reddituer completa per formam. 2.: quia occupare, & replere locum, non est merè passivè se habere, ubicationem recipiendo: hoc enim magis est repleri, quàm replere, ac proinde magis esse locum, quàm locatum; locus enim à locato distinguitur, sicut recipiens à dante plenitudinem.

23 *Resp. neg. Antec*, & in *prob. neg. Maj.*: cujus 1. probatio (nempe quòd quantitas se habet ad locum, ut forma ad materiam), si propriè loquamur, omninò falsa est: tum de loco intrinseco; hic enim est ubicatio ipsa, & hæc non informatur à quantitate, sed eam potiùs informat, in eâ ut tanquàm in subjecto recipitur, ut notum est: tum de loco extrinseco; hic namque, cum sit ens completum, & non unitum, sed parè contiguum quantitati locatæ, nequit esse illius materia, vel subjectum; nisi ridiculè velis, ut superficies aeris, aut vestis me circumdantis, sit propria materia, vel subjectum quantitatis meæ. Adde, quòd proprium subjectum quantitatis est substantia corporis, cui inest: unde, si quantitas respicit etiam locum ut materiam, duo subjecta simul habebit. Accedit insuavia penetrationis: non enim poterit duplex quantitas eumdem locum simul replere; sicut non potest juxta Thomistas forma duplex eamdem simul complere materiam: nec poterunt duo vasa penetrata repleri simul ab eâdem aquâ; sicut nec duæ materiæ compleri simul ab eadem formâ, juxta eosdem. Occupatio igitur, vel repletio localis, non est informatio, nec fit per unionem locati cum loco extrinseco, tanquàm actus cum potentiâ: sed est exclusio vacui à superficie concavâ corporis ambientis, fit que per meram juxtapositionem, vel contiguitatem.

24 *Ad 2. prob.*: replere locum non est merè recipere ubicationem, nisi supponatur existens locus extrinsecus; ideòque superficies convexa ultimi Cœli nullum replet locum. Si tamen existat locus (idest, superficies concava corporis ambientis), illum replebit, & occupabit quantitas A., eo ipso quod merè passivè recipiat ubicationem tali loco contiguam. At, inquis, hoc magis est repleri, quàm replere. Fateor, si loquaris de repletione informationis; non enim quantitas ubicationem informat, sed è converso, ut nemo dubitat. Cæterùm loquendo de repletione purè locali, & comparetur quan-

quantitas etiam ubicationis suâ, nego suppositum, quòd scilicet altera repleatur ab alterâ: localis enim repletio, *plenitudo*, vel occupatio, solùm est in ordine ad locum extrinsecum, à quo vacuum excluditur. Vacui autem exclusio potest utique fieri per ubicationem quantitatis locatæ, meè passivè receptam, & nec activè, nec formaliter à quantitate provenientem. Unde, si ubicatio multiplicetur divinitùs, quantitas plenitudinem dabit pluribus simul locis.

25 Si quæras, in quo genere causæ detur hæc *plenitudo*? In nullo: quia nec locatum est causa loci, nec è converso. Vel, si mavis, plenitudo ista (quando ubicatio non exigitur naturaliter) detur à quantitate in genere causæ passivæ: quia talis plenitudo consistit in exclusione vacui, & hæc exclusio est formaliter ipsa ubicatio quantitatis locatæ, suppositâ existentiâ loci extrinseci: ubicatio autem passivè causatur à quantitate. *Insistes*: denominatio *pleni*, seu *repleti*, provenit loco à quantitate locatâ tamquam à formâ. *Diff.*: tamquam à formâ extrinsecâ, & impropriâ, *transeat* (potiùs provenit ab ejus ubicatione); tamquàm à formâ intrinsecâ, vel propriè tali, *neg.* Et isto fic: denominatio *contenti*, vel *inclusi*, vel *circumdati*, corpori locato provenit à loco extrinseco: ergo talis locus erit forma locati, vasque forma erit aquæ, quam continet. Certè, si ratio habeatur denominationis cujuscumque, præsertim extrinsecæ, nulla res est, quæ non possit alterius forma vocari: nam etiam forma per materiam denominatur *completa*, & *subjectata*.

26 Notabis tamen, quòd vacuum excluditur formaliter per ubicationem corporis locati non in genere causæ formalis, quasi ubicatio comparetur ad vacuum, vel ad partem spatij imaginarij, tamquàm forma ad subjectum; sed eo sensu, quo dicitur unum contradictorium excludi formaliter per aliud, v.g. carentia hominis per hominis existentiam: vacuum enim est carentia ubicationis corporeæ intra superficiem concavam realem. Unde superficies ista est, quæ repletur; vacuum autem, quoad negativum, non propriè repletur, sed excluditur. Ex dictis *colliges*, fieri posse, ut quantitas locum aliquem occupet absque ullo munere causæ formalis: quia locum extrinsecum nullatenùs causat: locum autem intrinsecum, ideft, ubicationem sui, vel corporis, cui inest, catenùs causare dicitur in genere causæ formalis, quatenùs illum naturaliter exigit quasi resultantem ex effectu formali primario: quare, si ubicatio existat ab extrinseco impressa præter omnem exigentiam quantitatis, nullo modo erit quantitatis effectus formalis. At nulla ratio est, cur non possit quantitas, postquam unam habet ubicationem naturaliter exactam, aliam insuper, aut alias in alijs locis simul accipere divinitùs impressas.

*Alia argumenta præcidantur.*

27 Solet etiam contra nostram sententiam objici, quòd, si daretur bilocatio, posset idem homo simul esse in uno loco vivus, in alio mortuus; in uno assentiens, in alio dissentiens eidem objecto; in uno sanctus, in alio peccator, &c.; quæ videntur prorsùs absurda. Verùm objectio ista non magis impugnat bilocationem circumscriptivam, quàm definitivam, aut sacramentalem, vel coexistentiam unius præsentiæ circumscriptivæ cum aliâ, vel alijs sacramentalibus, qualem habet corpus Christi

Christi D. Si enim homo viator, circumscriptivè præsens hîc, simul esset Romæ sacramentaliter, posset hîc mori, vel Gratiam amittere peccando, vel assentire objecto, cui dissentiebat. Cedo igitur, an posset tunc Romæ manere vivus, aut sanctus, aut objecto dissentiens? Et quidquid dixeris, tibi dictum habe. Quapropter difficultates hujusmodi facilè præcides, si arguenti respondeas per instantiam, sic simili: Si posset idem, aut simile quid contingere in bilocatione sacramentali, *transeat*, vel *omitte*; si non posset, *nego*.

28 Nihilominùs ex ijs, quæ latè versant Theologi in tract. de Eucharist., nominatim Exim. Doctor *tom. 3 in 3 p. d. 48. s. 5. & 6.*, & Cardinal. de Lugo *disp. 5. de Eucbar. s. 2. & 3.*, quædam hîc breviter notari poterunt. *Not. 1.*: bilocato corpore, possunt omnes illius formæ, & accidentia non essentialiter affixa loco, bilocari, aut non bilocari sine contradictione, prout Deo placuerit. Nam in primis non est repugnantia major in bilocatione formæ, quàm subjecti: ac deinde, cum formæ & subjecto respondeant præsentiæ distinctæ, non est cur nequeat altera sine alterâ replicari. Hinc potest corpus, hîc & Romæ bilocatum, hîc esse album, calidum, animatum; & Romæ non ita; si scilicet non bilocetur anima, &c. Quia, licèt nequeat corpus absolutè ac sine restrictione simul esse animatum, & non animatum v.g., eo quòd non animatum absolutè sonet carentiam animæ in subjecto specificativè sumpto; potest tamen esse animatum absolutè, simulque non animatum cum addito *Romæ*; quod additum efficit, ut sola negetur animæ præsentia Romana. Notum est Sommulistis, quod à termino restricto ad non restrictum non valet consequentia negativè, licèt valeat affirmativè. Quarè perperàm sic inferas, *Petrus non est albus Romæ, ergo non est albus.* Similiter illud corpus posset tunc dici vivum, & non vivum cum addito *Romæ*. At non rectè diceretur mortuum, etiam cum tali addito: quia nomine *mortui* videtur excludi, non solùm Romana præsentia unionis & animæ, sed etiam existentia unionis entitativè sumptæ. Si tamen eo nomine intelligere velis corpus existens Romæ, ubi non est præsens anima, nec unio, loquere pro libitu.

29 *Not. 2.*: accidentia essentialiter affixa loco determinato, cujusmodi sunt ubicatio, & ejus prædictio, situs, & motus localis, communis sententia tenet nec divinitùs posse bilocari cum corpore. Refragantur tamen aliqui, quos citat & sequitur P. Peynado, asserentes, ubicationem Petri, v.g. in loco A., posse divinitùs locari simul alibi per alium modum ubicationis superadditum, & quasi reflexum. Sed hæc opinio latè rejicitur à Cardin. de Lugo *cit. s. 3.*: & nunc rejici breviùs potest hac ratione. Repugnat, quòd aliquid essentialiter differt à præsentiâ suâ: nihil enim magis indifferens à re, quàm præsentia rei: sed, si ubicatio Salmanticensis poneretur Romæ per aliam præsentiam, differret essentialiter ab hac aliâ præsentia suâ: ergò &c. *Prob. Min.*: ubicatio Salmanticensis per se ipsam differat essentialiter à loco Romano, cum ex conceptu suo quidditativo sit ipsa formalis ratio distandi, juxta Adversarios: ergo differat essentialiter ab omni præsentiâ Romanâ, cum in tali præsentiâ constituat ipse locus Romanus, intrinsecè sumptus. Sed illa alia præsentia, per quam locaretur Romæ, foret abdu-

dubiò præsentia Romanæ: ergo &c.

50 *Urgetur*: licèt possint duæ formæ contrariæ in eodem subjecto conjungi, repugnat tamen, quòd una forma suscipiat ab aliâ formalem effectum sibi contrarium. Sic posset divinitùs idem subjectum fieri simul album & nigrum: implicat tamen, quòd albedo fiat nigra, vel nigredo alba: quod etiam patet in Gratiâ & peccato, in scientiâ & errore, in animâ & formâ cadaveris, &c.. Pariter ergo, licèt possint duæ præsentiæ convenire simul eidem corpori, omninò tamen implicat, quòd una per aliam oppositum denominetur, & ejus effectum formalem accipiat. Sunt autem inter se oppositæ præsentiæ Romana & Salmanticensis, non minùs quàm albedo & nigredo, ut nemo dubitat: nec minùs ex terminis implicatorium est, quòd ratio formalis distandi à loco A. fiat ipsâ præsens & indistans, quàm quòd ratio formalis dealbandi fiat nigra.

51 *Not.* 3.: magis est conforme rerum exigentijs, quòd, bilocato subjecto, omnes formæ, modi, & accidentia, non affixa loco, simul bilocentur: quia ratione unionis exigunt comitari subjectum. Idcircò accidentia omnia Dominici corporis in Eucharistiâ existere, docent Theologi: & anima rationalis ibidem ponitur, non ex vi verborum, sed per concomitantiam, vi scilicet unionis cum corpore, vel, ut ait Tridentinum Sess. 13. cap. 3., *vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quæ partes Christi Domini... inter se copulantur.* Bilocatio ergo formarum est absolutè miraculosa: sed ex suppositione miraculi bilocationis subjecti, connaturalior est, vel rerum naturis congruentior, ut ex verbis Tridentini planè colligitur.

52 *Dices*: licèt caput unitæ animæ, non exigit esse in pedibus, ubi est anima. Fateor: sed disparitas est, quòd caput non est subjectum adæquatum animæ, ideòque non exigit esse in omni parte loci adæquati, in quo anima est; exigit tamen esse intra locum animæ adæquatum; ac proinde, si anima esset in duplici loco adæquato, ubique deberet esse caput, non tam per novum miraculum, quàm per connaturalem sequelam prioris. Similiter unio hypostatica non exigit, ut humanitas Christi existat ubicumque est Verbum. Quia unio solum exigit, ut unum extremum sit intra locum adæquatum alterius, & ut neutrum sit extra suum locum adæquatum, quin secum deferat alterum. Locus autem quasi adæquatus Verbi Divini est omne spatium reale, & imaginarium, intra quod, idest, in aliquâ talis spatij parte, debet humanitas existere vi unionis, etiam dato quòd alioquin posset absolvi ab omni loco: non tamen debet existere in toto illo spatio; præsertim cum humanitas non sit extremum adæquatè commensuratum Verbo; sicut caput non existit in toto spatio rationalis animæ.

53 Ex 3. *not.* inferes, quæcumque corpori bilocato accidunt in uno loco, connaturalitas esse, ut illud afficiant in altero, sive ut pariter in altero fiant præsentia. Unde, si corpus, hic & Romæ locatum, hic calefiat, percutiatur, mutiletur, &c., debet eadem affectiones, aut mutationes subire Romæ. Neque hinc sequitur, quòd causa hic calefaciens agat in distans. Tum quia agere in distans, est agere in subjectum absolutè non approximatum; quod cum non contingeret. Tum quia causa hic calefaciens, licèt produceret ca-

lo-

Loco Romanum entitativè sumptum, non illum produceret Romæ, seu prout Romæ præsentem; non enim produceret, nec exigeret ejus ubicationem Romanam, quæ à solo Deo produceretur, & à sola unione caloris exigeretur ex suppositione bilocati corporis.

34 *Not.* 4.: homo bilocatus non plus agere, nec pati posset in duplici loco, quàm in unico. Quia potentia, tum activa, tum passiva, identificatur cum entitate subjecti, quæ semper est eadem, nec per bilocationem augetur. Hinc homo bilocatus non posset duo pondera ut quatuor sustinere, si non nisi unum posset unico in loco: nec posset duas visiones, aut cognitiones, singulas suis viribus æquales, elicere; sed ad summum duas remissas, quibus æquivalet una intensa, unico in loco producibilis. *Dices*: si Petro hìc applicaretur ignis, & Romæ nix, reciperet Petrus calorem hìc, & Romæ frigus. *Resp.*: reciperet quidem, sed præcisè tantumdem utriusque, quantum reciperet ab ijsdem agentibus in eodem loco simul applicatis. Quia duo illa agentia, licèt inter se distarent, perinde tamen sibi invicem resisterent, ac si se impedirent quoad tale passum, ac si essent contigua, vel invicem propinqua: nam defectus propinquitatis inter utrumque supplereretur per identitatem & applicationem passi, in quod agerent.

35 Ex eâdem regulâ colliges, non posse in homine bilocato dari simul assensum & dissensum, aut amorem & odium ejusdem objecti, nec item Gratiam & peccatum, aut Gloriam & pœnam, si verè hæc omnia ipsi repugnant eodem in loco. Si autem eorum aliqua, vel omnia, cohærere possint divinitùs in homine non bilocato (quod nostra non interest, quod præsens attinet), pariter in bilocato cohærere poterunt. Et hìc maximè urget instantia bilocationis definitivæ in Angelo, vel sacramentalis in corpore: non enim præsentia sacramentalis exercitium impedit actionum spiritualium.

## CAP. III.
## *QUID SIT TEMPUS.*

1 TEmpus essentialiter importat continuam successionem, seu ordinem prioris & posterioris in existendo, nullâ morâ interruptum. Ab omnibus enim concipitur, non ut quid permanens, sed ut quid indesinenter fluens, cujus partes semper sunt in transitu existentiæ, & alia quasi pellitur ab aliâ immediatè sequente, ut nulli sit vel mora, vel requies. Undè comparantur undis rapidi fluminis, quarum aliæ incessanter ab alijs impelluntur: quam comparationem eleganter versat Ovidius l. 15. Metam. *Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu.... Non secus ac flumen &c.* Importat etiam tempus, formaliter sumptum, finitudinem: est enim mensura durationis rerum corruptibilium, initium & finem habentium. Hinc temporale contraponitur æterno; idemque sonat res temporalis, ac res finitæ durationis. Dixi *formaliter sumptum*, ideſt, in ratione mensuræ proximè aptæ ad mensurandum: nam tempus materialiter acceptum pro motu successivo, non repugnat esse infinitum, sive interminatum à parte post.

2 Jam definitio temporis, ab Aristotele tradita *hic lib. 4. t. 101.*, & communiter approbata, hæc est, *Numerus motus secundùm prius & poste-*

*rius* Accipitur *numerus* pro multitudine actu numerată: multitudo autem hæc debet esse *motus secundùm prius & posterius*, ideſt, partium motus successivi, non qualiumcumque, sed hîsce tantùm inter se ordinem prioris & posterioris, quorum scilicet alia alijs immediatè succedant fluxu continuo. Cum enim successionem & fluxum existentiæ requirat tempus, non poterat aptiùs, quàm ut ejusmodi partium multitudine colligari. Hæc verò multitudo de se non dicit determinatam finitudinem proximè aptam ad mensurandum (qualem etiam requirit tempus), nisi quatenus ad certum aliquem numerum redacta. Quare nomina variarum temporis mensurarum, nomina sunt numerorum. *Hora* enim 60. minutorum numerus est, *Dies* numerus horarum 24., *Mensis* numerus 30. dierum, *Annus* numerus 12. mensium, & sic de alijs. Hinc tempus dicit in recto multitudinem partium motus, & in obliquo actum mentis eas numerantis: ideòque docuit Aristoteles, quòd, si repugnaret mens, tempus etiam ipsum repugnaret, scilicet formaliter in ratione mensuræ proximæ. Porrò tempus dicitur mensura durationis rerum quasi quantitativa: quia quantum res duraverit, ex eo cognoscimus, quòd permanente re transierit certum aliquod tempus, v. g. dies, mensis, annus, vel semel, vel aliquoties repetitus: quemadmodùm ex ulnâ, vel semel, vel toties adhibitâ, quanta sit extensio telæ cognoscimus.

3 Dividitur tempus in reale, & imaginarium. Tempus reale est præcisa multitudo motuâ, seu partium motus, reipsâ existens successivè. Imaginarium verò est eadem multitudo, concepta ut possibilis: vel est eius rationis ex fundamento istius possibilitatis conceptum, quo imaginamur fore tempus, etiamsi cessaret omnis motus; fuisseque etiam ante Mundi exordium. Reale tempus subdividitur in particulare, & universale. Particulare dici potest motus continuus cujuslibet corporis sublunaris, ut horologij, vel rotæ figuli. Tempus universale (quod solùm absolutè venit nomine temporis) est motus localis cœlestium corporum, præsertim Solis, certas in partes, vel partium numeros distribuens. Quia motus ille præ cæteris est maximè regularis, & uniformis: est etiam ubique notus, & in mensuram durationum cæterarum rerum adhibitus. Nulla quippe gens est, quæ ad id non utatur saltem horis, diebus, annisque quæ nomina sunt certarum partium motus solaris. Annus enim appellatur integra circuitio Solis per eclipticam: Dies verò, integra ejusdem circuitio ab ortu in occasum, ac deinde in ortum per alterum hemisphærium; quæ revolutio in partes 24. distributa, totidem nobis exhibet Horas.

4 Sed *objic.* 1.: motus ipse solaris tempore mensuratur: ergo à tempore distinguitur. 2.: cessante motu Solis, non cessaret tempus: unde ajebat S. Augustinus 11. Confess. c. 23., quòd pugnante Josuè contra Gabaonitas, *Sol stabat, & tempus ibat.* Ipse quoque Augustinus loquitur cap. 24. non approbat, si quis dicat, tempus esse corporis motum. 3.: posse simul existere, moverique plures Soles: & tamen dari simul innumera plura tempora. 4.: motus posse esse tardus, aut velox: tempus autem æquabiliter fluit. Quia proindè tarditas, aut celeritas motus cognoscitur ex breviori, aut longiori tempore, quo mo-

mobile percurrit aliquam ejus partem, idem numero motus, qui præcessit, iterùm atque iterum reproduci potest, saltem Divinitùs; cum tamen tempus præteritum redire nequeat, sed omninò sit irrevocabile. *Resp.* ad 1.: motus sola ista minima pars, ob suam nimiam exilitatem indesignabilis, non mensuratur tempore, sed est ab æquationem expers mensuræ: majores verò partes per aliquas minoris repetitionem mensurantur, cum tali distinctione inæquali mensuræ à mensurato: sic enim durationem horæ metimur per minuta, durationem diei per horas, durationem mensis per dies, annum per menses, &c.: eo scilicet sensu, quo unitas dicitur mensura numeri, & numerus minor mensura majoris, ut cùm senarium metimur per binarium.

5 *Ad* 2.: loquitur S. Augustinus vel de tempore imaginario, vel de tempore particulari, quod in aliorum corporum motu consistebat. Tempus tamen universale reale, immoto Sole, utique cessavit. In altero autem loco ideò id non approbat Augustinus, quia tempus & motus ratione distinguuntur, nec sunt synonyma. *Ad* 3.: plura tempora, quæ habeant, & prout habent inter se ordinem prioris & posterioris, nequeùt simul dari; benè tamen plura, quæ talem inter se ordinem non haberent, cujusmodi essent motus plurium Solium, qui moverentur simul. Imò nec rem quidem forent plura tempora formaliter, aut moraliter, sive in ratione mensuræ; quia durationem aliarum rerum perinde metiremur ex duplici Sole, ac metimur ex uno.

6 *Ad* 4.: tempus materialiter, aut specificativè sumptum, potest esse tardius, aut celerius: non ita verò, prout humano modo redactum in certos partium numeros secundùm prius & posterius. Fac, minimam motus partem, ex quâ humanitùs incipit numeratio, illam esse, quam vocant *secundum*. Profectò, sive illa pars includit plures ejusmodi particulas à mobili aliquitas (ut contingit in motu celeri), sive pauciores (ut accidit in motu tardo), semper quoad nos erit eadem, idest, ad numerandum assumptibilis cum æquali morâ conjurationis. Et hinc æquale semper erit minutum ex tot secundis confectum, æqualis hora ex tot minutis, &c. Hæc etiam, si Sol moveretur duplò velociùs, quàm modò, non ideò celeriora forent secunda, minuta, horæ, &c.: sed tantùm inde fieret, ut in integrâ Solis revolutione diurna numerarentur duntaxat horæ 12., non verò 24., sicut modò.

7 *Ad* 5.: tempus præteritum potest considerari bifariàm. 1. absolutè, secundùm entitatem successivam, in tot minuta, vel horas distributam: & hoc sensu potest idem numero reproduci, ac redire, sicut & motus; potestque divinitùs fieri, ut dies hesterous & hodiernus sit idem numero. 2. respectivè, secundùm distantiam, quam habet à principio, & fine Mundi, quatenùs scilicet ita exitit, aut extitit dies A, ut inter ipsum, & momentum initiale, vel finale Mundi, tot præcisè dies, menses, anni, reales, aut imaginarij, transierint, aut fiant transituri: atque hoc sensu tempus præteritum nequit idem redire: quia, licèt nunc reproducatur idem motus hesternus, nequit habere nunc eumdem distantiæ respectum; minùs enim distabit nunc à fine Mundi, & magis à principio. Hac eàdem ratione verè dicitur irreparabilis jactura temporis: quia, si diem hesternum perdidisti, jam non pote-

ris illum ita recuperare, ut tot tibi nunc resteat dies, quot heri, atque ad vitæ finem, decreto Dei stantium. Eodem item sensu verum est illud, *Ad præteritum non datur potentia*: quamquàm id etiam rectè explicatur, quatenus nullâ potentiâ fieri potest, ut quod fuit, non fuerit, ex suppositione quòd fuerit. Si solutiones istæ minùs placeant, memineris, obscuram esse quidditatem temporis: de quâ vel ipse Magnus Augustinus 11. Confess. c. 14. ajebat, *Si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio.*

8 Sed, quoniam tempus est mensura durationis, quid est duratio? Si vocis proprietatem spectes, est *permanentia rei in esse*: tamdiu enim res quæque durare dicitur, quamdiu in esse permanet. Unde res in primo instanti existentiæ, sicuti nondùm permanet, ita nondùm propriè durat. Jam tamen usus obtinuit, ut nomen durationis extendatur etiam ad primum instans. Atque sic Duratio generatim definiri potest, *Ultima determinatio rei, ut coexistat tali tempori imaginario*, seu (quod in idem recidit) *ut coexistat tali tempori reali, si existat tempus ipsum*: ubi nomine *temporis* significatur etiam *instans*, quod est punctum temporis indivisibile. Definitio hæc explicanda est ferè ut illius, quam pro ubicatione dedimus cap. 1. Atque ex eâ colliges, posse rem durare, etiamsi nullum detur tempus reale, nullusve motus: quemadmodùm potest res locari, seu ubicari, etiamsi nullus detur locus extrinsecus.

9 Duratio ut sic dividitur in æternitatem, ævum, & durationem rerum corruptibilium. Æternitas definitur ex Boetio, *Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*: vitæ scilicet, essentialiter excludentis initium, & finem, atque etiam essentialiter immutabilis. Hæc solius est Dei. Ævum est duratio initium admittens, sed finem naturaliter nesciens, proindeque naturaliter æterna, ut ajunt, à parte post: qualis convenit Angelo, & animæ rationali. Duratio corruptibilium, quæ solet etiam vocari *tempus intrinsecum*, & communi *durationis* nomine notari, ea est, quæ initium & finem naturaliter admittit: qualem habent equus, arbor, ignis, &c.

## CAP. IV.

### *UTRUM DURATIO CREATA distinguatur ab existentia rei, & à tempore labente?*

1 IN hac difficili controversia duplex est sententia celebris. Prima durationem collocat in modo distincto ab existentiâ rei, & in ipsâ recepto; non aliter, ac de ubicatione tenet communis sententia: sic tamen, ut modus durationis sit essentialiter successivus, & singulis momentis novus adveniat, priori pereunte. Ita PP. Conimbricenses, Cardin. de Lugo, Arriaga, Compton, Lynce, Izquierdo, Poynado, Ulloa, & alij: nec non Carmelitæ Complut. cum alijs Thomistis. Secunda durationem absolutè dictam identificat cum existentiâ rei: sumptam verò prout in tali tempore, vel instanti, collocat in ipsâ rei existentiâ principaliter, & in recto: in obliquo autem (quod P. Suarez *connotatum* vocat, intelligendus de connotato intrinseco, non de extrinseco toti denominationi *durantis*) in tali tempore, vel instanti reali, vel imaginario: eo scilicet modo, quo veritatem formalem cum actu & ob-

objecto, & relationem similitudinis cum fundamento & termino identificavimus in Logicâ. Ita PP. Suarez, Vazquez, Molina, Valentia, Amicus, Hurtado, Oviedo, Alphonsus, Quiròs, & alij è Nostris. Consentiunt Scotistæ, & plures Thomistæ.

2 Hæc secunda sententia quoad durationem absolutè dictam sic probari potest: Per id res formaliter durat, per quod formaliter permanet, seu persistit in esse: per id autem in esse persistit, per quod ab existendo non cessat, seu per quod formaliter excludit cessationem existentiæ. Sed cessatio ista, cum sit carentia, seu formalis defectus existentiæ, per existentiam ipsam formaliter excluditur: ergo &c. *Confirm.*: ultima determinatio rei, ut, si tempus eâ existente extiterit, illi coexistat, est duratio; quemadmodùm ultima determinatio rei, ut, si locus eâ existente extiterit, ab illo continentur, est ubicatio: sed actualis existentia rei est determinatio ifiusmodi; nam eâ stante, nihil desideratur ad coexistendum tempori, nisi ut tempus existat: ergo, &c.

3 Et hinc probatur etiam eadem sententia quoad durationem prout in tali tempore, vel instanti. Rem durare in instanti A., est rem huic instanti coexistere, ut nemo negat. Hæc autem coexistentia plenè intelligi potest, secluso, vel mente præcisо durationis modo superadditо: si enim intelligas, nudas Petri & instantis existentias actu dari, plenè intelliges, unum existere sicut alterum, vel unum existere existente altero: hoc autem, & nihil aliud sonat, coexistere unum alteri. Certè coexistentia duorum est utriusque similitudo actualis in existendo; quæ similitudo in utriusque existentijs actualibus nudè spectatis consistit, quovis alio præciso, saltem apud Authores nostros, qui modum relationis obtègant.

4 *Dices*: similitudo actualis indiget modo superaddito, non relationis, sed durationis. *Contrà*: sicut aliud est habere existentiam, & aliud habere modum superadditum; ita alia est similitudo Petri & instantis A. in habendo existentiam, & alia in habendo modum; cum rationes fundandi realiter distinctæ sint: ergo altera similitudo non constituitur per alteram, sed prior in solis existentijs consistit. *Urgetur* hoc: Petrus actu existit pro signo priori ad modum durationis, cum sit illius causa, saltem materialis: in tali autem signo jam habet quod sufficit, ut dicatur similis in existendo, atqueadeò coexistens, cuicumque termino pariter existenti: jam enim in existendo ita se habet, sicut terminus: ergo, si pariter intelligatur actu existere instans A. pro priori ad suum durationis modum, nihil deest, ut ambo coexistere dicantur, seu habere similitudinem in existendo. Adde, quòd in eo signo Petrus & instans actualiter assimilantur in eo quòd ambo sint modorum suorum causæ in actu primo: hæc autem similitudo, quæ utique coexistentiam supponit, aut imbibit, per modos ipsos nondùm positos constitui nequit, ut est manifestum.

5 Negant aliqui cum Cardin. de Lugo, rem existere pro priori ad modum durationis: hunc enim modum identificant cum actione rei productivâ, quam dicunt essentialiter successivam esse, singulisque momentis variari. Verùm hæc doctrina improbabilis est. Exim. Doctori d. 21. Met. § 2. n. 62 & ingratia placi-

risque Auctoribus primæ sententiæ, qui communiter durationem statuunt in modo relabente pro posteriori ad existentiam rei, instar ubicationis. Nec facile creditu est, quòd actio essentialiter variari debeat, nullo ejus principio, vel termino variato: quod visio beata D. Petri continuò variandæ sit in æternum, juxta probabilem sententiam de indistinctione actus vitalis à productione sui: quòdque Deus nullatenùs possit in creaturam diversæ actionem, quâ hodie creat, aut conservat animam rationalem. Accedit, quòd idem de ubicatione dicere licebit, eam scilicet identificari cum rei productione, & hanc essentialiter variari pro varietate locorum: quod satis apparet absurdum, & à communi sensu alienum. Præterea, perstat vis probationis adductæ. Nam actualis similitudo Petri & instantis in ratione *distincti à sui productione*, seu *in ratione habentis existentiam à productione distinctam*, certè non constituitur per productionem ipsam: & tamen coexistentiam imbibit, adeòque durationem.

6 Addi potest ratio alia, quâ videtur effugium omne præcludi. Coexistentia materiæ & formæ substantialis non constituitur per modum: ergo nec coexistentia rei & instantis A. *Consequentia* legitima est: quia nihil allegat prima sententia, quod non militet utrobique. *Prob. Antec.*: coexistentia materiæ & formæ substantialis per nullum accidens constituitur: ergo non constituitur per modum, cum hic juxta suos Auctores sit accidentalis, sive identificetur cum productione rei, sive non. *Prob. Antec.*: coexistentia materiæ & formæ constituit intrinsecè compositum substantiale: sed nihil constituitur ex aliquo accidenti, potest intrinsecè constituere substantiale compositum, ut omnibus in confesso est: ergo. Cætera constant; & *Major* videtur indubitabilis: repugnat enim hominem v. g. intelligi actu existentem, seu actu constituium, quin intelligantur corpus & anima coexistere, seu simul existere, quatenùs hominem actu constituunt. Certè homo ratione suæ quidditatis substantialis est totum simultaneum: ergo ad ejus quidditatem pertinet simultas partium in existendo: quæ simultas est formaliùsque coexistentia.

7 Præterea, Petrus per id formaliter ducat in instanti A, per quod formaliter excludit carentiam sui eo instanti existente: sed carentiam sui non excludit formaliter per sui productionem, nec per alium modum à sui existentiâ distinctum, sed unicè per sui existentiam absolutam: ergo. Profectò, Petrus nondùm productus in instanti A., non tolùm est indifferens ad modalem durationem in B., sed etiam ad sui existentiam absolutam in eodem B.: hæc autem indifferentia ad existendum non auferrur formaliter per modum, sed per existentiam ipsam, ut est certum: & alias de, dummodò talis indifferentia intelligatur formaliter ablata in instanti B., Petrus eo ipso intelligitur coexistens huic instanti, sive in eo durans. Sic, eo ipso quòd intelligatur habens existentiam formalem existente modo durationis, intelligitur coexistens modo ipsi, citrà modum aliam.

8 Tandem exemplum ubicationis, quo armatur contraria sententia, retorquebitur num. 10. & 11. Nunc retorquetur sic. Si ex suppositione quòd Petrus existat, non posset existere locus A., quin Petrum ambiret, non opus esset modo ubica-

tio-

nonis, ut Petrus esset in loco A. actuali nec materia egeret unione distinctâ, si ex suppositione quòd existat materia A., non posset existere forma B., nisi tali materiæ unita. Cum igitur ex suppositione quòd existat res, omninò repugnet existere instans A., quin res illi coexistat, ten, quod idem est, in eo duret; superfluus est modus durationis ultra existentiam rei, & instantis. Quare clara est disparitas inter ubicationem, & durationem. Ideò enim ubicatio à re & loco distincta ponitur, quia possunt actu coexistere res & talis locus, quin res in loco tali sit. At oppositum accidit in re & tempore, ut est certum. Unde arguitur sic: Implicat deficere durationem, seu coexistentiam Petri & instantis A., nisi per carentiam alicujus falcem ex his extremis: ergo illa duratio, seu coexistentia, non infligit modo distincto ab existentijs utriusque. Consequentia patet inductione per omnia, in quibus modi à rebus distincti statuuntur.

*Fundamentum primæ sententiæ.*

9 Pro primâ sententiâ sic arguitur. Duratio Petri, hodierna v. g., non est sola existentia Petri alioquin eo posset Petrus existere, quin duraret hodie: deinde non consistit in existentijs Petri, & hujus diei; quia possunt existere Petrus & hic dies, quin Petrus duret hodie, si nimirùm existat Petrus heri, vel crâs: supereſt ergo, ut ea duratio consistat in modo superaddito. Si dicatur consistere in existentijs Petri & diei, non successivè, sed simul positis. *Contrà*: possunt una & altera existentia poni, quin ponatur simul: ergo in hoc *simul* inhibitur aliquid præter existentias ipsas. *Confirm.*: si Petrus existat hodie, & non hodie, eras erit verum extitisse Petrum & hodiernum diem; nec tamen verum erit extitisse durationem Petri hodiernam. Similiter ante diem hesternum futura erat utraque existentia; nec tamen hodierna Petri duratio futura erat. Item Deus ab æterno decrevit, et vidit existentias Petri & hujus diei: nec tamen decrevit, aut vidit, Petrum hodie durare. Non igitur hodierna Petri duratio constituitur per solas existentias Petri & hujus diei. *Probo. Consequ.*: quia implicat non verificari de constituto illud ipsum, quod de constitutivis omnibus verificatur, scilicet fuisse, vel fore, vel à Deo videri.

10 Argumentum instari potest in actuali similitudine, quam habent Petrus & hic dies in ratione *existentiæ*, prout realiter constituta ab utriusque similitudine in ratione *durantis per modum superadditum*. Item in coexistentiâ, vel simultate materiæ & formæ substantialis, quatenus aptâ constituere substantiale compositum. Item, & fortè efficaciter, in Petri ubicatione A. comparatâ cum loco extrinseco A. Nam Petrum existere in loco extrinseco A., in primis non fiat in solâ Petri ubicatione A., cum hæc possit existere sine loco extrinseco reali, ex dictis *cap.* 1.: deinde non consistit in entitatibus talis ubicationis, talisque locis quia possunt existere talis ubicatio, & locus A., quin Petrus sit in loco A.; si nimirùm existat heri ubicatio sine loco, & locus hodiè sine ubicatione Petri: supereſt ergo, ut consistat in alio modo superaddito ubicationi & loco; quam sequelam nemo non reputaret absurdam. Similiter applicari poterit *confirmatio* argumenti.

11 Si dicatur, in hoc objecto, *Petrus est in loco A.*, includi talis ubi-

ca-

cationis & loci coexistentiam; fateor: sed hinc infero, coexistentiam istam non distingui ab entitatibus ubicationis & loci. 1.: quia, si coexistentia includit insuper modos durationis, quibus ubicatio & locus eidem tempori respondeant, denominatio *locati* non præstabitur à solâ ubicatione, & existentiâ loci, sed insuper includet intrinsecè & formaliter modum, aut modos durationis; quod satis abhorret à communi sensu, fluente pro unicâ formâ illius denominationis ubicationem cum ex scientiâ loci. 2.: quia denominatio *existentis in loco d.*, perseverat eadem, & invariata, quàmvis varientur tempora, vel instantia; ut manifestè patet in centro terræ, vel etiam in curru, aut aliâ re quâvis tantisper immotâ in eodem loco extrinseco. At incessanter variabitur ea denominatio, si constituitur ex modo durationis, cum hic varietur singulis momentis.

12 Quapropter ad *object. conc. Maj.* de durationne Petri, non absolutè sumptâ citra comparationem ad tempus, sed quatenùs hodiernâ, seu coexistente huic diei. Sed *dist. Min.*: non consistit in existentijs Petri & diei, successivè positis, *conc.* (& hoc unicè probat subjuncta ratio); simul positis, *neg. Min.* & *Consequ.* In illo autem *simul*, nihil imbibitur præter utramque existentiam cum exclusione successionis: & cum successio importet concurrentiam uniuscujusque cum carentiâ alterius, id, quod sufficit ad excludendam hujusmodi concurrentiam, sufficit ad excludendam successionem. At concurrentia diei cum carentiâ Petri, formaliter excluditur eo ipso, quòd excludatur carentia Petri existente die; quæ carentia sine dubio excluditur per existentiam Petri, quovis alio modo præcisè.

13 Vel alijs terminis: Petrum & diem existere *simul*, importat utriusque existentiam, ita positam, ut verificet hanc propositionem, *Uterque simpliciter existit*, *vel Ambo simpliciter existunt*, vel *Uno existente simpliciter, actu existit alter*. Sic planè excluditur successio, vi cujus, altero existente, alter sit præteritus, aut futurus: quod enim merè præteritum, aut futurum est, non existit actu & simpliciter. Ut autem verificetur illa propositio, *Uterque simpliciter existit* (idem pura de cæteris), sufficit actualis existentia unius, & alterius, præscindendo à modis durationis. *Prob.*: propositio illa idem verificativum habet, ac duæ istæ, *Petrus actu existit*, *Dies actu existit*; ex his enim velut præmissis infertur illa per legem *asconsus*. Sed verificativum istarum nihil involvit præter nudas Petri & diei existentias actuales; nam Petrum v. g. actu existere, non verificatur per modum superadditum, sed per existentiam ut actu exercitam: ergo &c.

14 *Dices*: propositio, *Petrus existit*, ratione verbi consignificat tempus intrinsecum, seu durationem; quia proprium est verbi significare cum tempore, ut habetur ex Summulis. Fateor: sed inde colligo, quòd existentia quævis, actu exercita, est sua duratio absolutè dicta, suum tempus intrinsecum, suum præsens, suum nunc: quia quævis existentia plenè verificat verbum *existit*. Constat hoc: tum quia Petrus pro priori ad modum durationis, à te positum, vel prout realiter condistinctus ab illo, verè existit. Tum etiam, quia sola existentia modi verificat hanc propos., *Modus existit*; alioquin novo indigebit modo, & ibitur in infi-

nit

nitum: ergo & sola existentia Petri, quæ certè non est debilior, verificat istam, *Petrus existit*.

15 Jam *ad Confirm.* num. 9.: de Petro & tali die, successivè positis, potest quidem verificari, quòd extiterint, aut sint extituri, quòdque ab æterno decernantur, ac prævideantur; tametsi non verificetur id ipsum de durationè Petri hodiernâ: secùs tamen de Petro & tali die, coexistentibus, aut simul positis, vel ita datis, ut aliquando fuerit, vel futura sit, aut à Deo prævisa, hæc veritas objectiva, *Uterque simpliciter existit*; sic enim, quidquid de ijs verificatur, de hodiernâ Petri durationè verificetur necesse est. Nec debet convenire constituto, quidquid convenit constitutivis omnibus, successivè datis, ita scilicet, ut esse unius constitutivi sit conjunctum cum carentiâ, seu cum non esse alterius: non enim hac ratione constituunt; nisi fortè totum ipsum sit successivum, cujusmodi non est duratio Petri, ut nunc sumitur, videlicet prout est coexistentia Petri cum unoquoque instanti diei A.

16 Præter instantias num. 10., subdo hanc aliam. Hodiè verificatur præterijsse lucem, & tenebras hesternas, nimirùm lucem diù, tenebras noctu; similiterque verificatur lucem & tenebras crastinas esse futuras: ergo verificatur præterijsse, vel futura esse constitutiva omnia chymeræ conflatæ ex *esse* & *non esse* lucis; non enim alia sunt hujus chymeræ constitutiva, præter lucem, & tenebras, saltem si ens chymericum nihil involvit ab omni possibili distinctum, ut fert sententia plerisque Adversarijs accepta. Quomodò ergo non præterijt, nec futurum est constitutum, idest, chymera ipsa? Certè non aliâ ratione, nisi quia chymera non constituitur ex *esse* & *non esse* successivè positis, sed simul datis: nec tamen in isto *simul* imbibitur aliquid præter *esse* & *non esse*. Quodsi velis includi quoque identitatem temporis, exemplum transferam ad *esse* & *non esse* modi, quo durat instans A.

17 *Replic.*: fieri nequit, ut vera sit hæc propositio, *Existent Petrus & instans A.*, dum falsa est ista, *Petrus durabit in instanti A.*, si utraque objectum affirmat omninò idem. *Instò*: non minùs videtur omninò idem objectum istarum, *Erunt lux & tenebræ, Erit lux non lux*: ergo non poterit altera vera esse, dum falsa est altera. Negandum igitur, quod utraque affirmet objectum omninò idem, si prima feratur in existentias Petri & instantis successivè ponendas; sic enim affirmat unamquamque existentiam ut concurrentem cum alterius carentiâ, quod est affirmare quoque carentias utriusque successivè futuras: secunda verò propositio carentias hujusmodi non affirmat, sed potiùs negat, saltem implicitè; reddit enim hunc sensum, *Erunt existentiæ Petri & instantis, & neutra concurret cum alterius carentia*. Si tamen prima propos. sic exponatur, *Aliquando verum erit dicere Existunt Petrus & instans A.*, omninò conveniet cum secundâ, nec altera sine alterâ vera erit. Ubi notandum, quòd datâ præteritione vel futuritione merè successivâ, falsum est præterijsse, vel futurum esse complexum physicum entitatum Petri & instantis A. Non enim est præteritum, nec futurum, quod non fuit, nec erit aliquando præsens. Nunquam autem fuit, nec erit verè præsens in hypothesi data complexum illud; sicut ob eamdem rationem nec fuit, nec erit umquam præsens complexum lucis & tene-

brarum, seu existentiæ & carentiæ lucis. Quare negandum est, verificari quidquam de tali complexo, quod non verificetur de duratione Petri in instanti A..

18 Quia tamen argumentum, hactenùs expensum, molestè semper formâ redire poterit, donec explicetur quid minus habeant duæ existentiæ successivè positæ, quàm simul datæ; expeditiùs fortasse illud solves, si præ oculis habeas, duo existere successivè nihil esse aliud, quàm unumquodque existere sine altero, vel existere non existente altero: unde numquam de illis verum est dicere, *Ambo existunt*, vel *Utrumque existit*. Quo fit, ut prædicatum duobus conveniens in sensu successivo, non conveniat utrique per modum unius subjecti, vel complexi; sed tantùm unicuique singulatim, seu divisim ab altero. Secùs accidit, quando prædicatum duobus convenit in sensu simultaneo: tunc enim convenit utrique per modum unius complexi, vel unius dualitatis, aut collectionis. Quare sensus successivus & simultaneus differunt eo ferè modo, quo sensus collectivus & distributivus. Sicut enim omnes partes compositi distributivè accipi, est accipi unamquamque seorsùm ab alijs, ideòque de omnibus hoc sensu verum est componere totum, & esse minores toto; accipi verò collectivè, est accipi omnes per modum unius subjecti, quo sensu non componunt totum, nec sunt toto minores; ita in re nostrâ discurrendum, & à fortiori quidem, cum successio expressè removeat consortium, aut societatem in existendo.

19 Hinc inferes, existentiam duorum simultaneam aliqui addere supra successivam eorumdem. Quidquid, quod addant duo supra singula, vel quod addit collectio duorum supra unumquodque; vel etiam id, quod omnes partes compositi (scilicet materia, forma, & unio) collectivè acceptæ addunt supra omnes distributivè sumptas. Proinde, sicut verè negatur, quòd tria illa constitutiva, sumpta distributim, sint tria collectivè, quàmvis tò *collectivè* non addat novum modum supra materiam, formam, & unionem: ita negandum, quòd duæ existentiæ, successivè datæ, sint duæ simul positæ, quàmvis tò *simul* non addat modum ab utràque distinctum. Cum ergo nomen, *duratio Petri hodierna*, significet existentias Petri & hujus diei in sensu simultaneo, seu collectivo, verificari nequit de his existentijs successivè datis; sicut ob eamdem rationem nomen, *homo*, non verificatur de suis omnibus constitutivis distributivè sumptis. Atque hinc negandum, quòd de ijs existentijs successivè datis verificetur decerni, & videri à Deo, vel esse præteritas, aut futuras, in sensu collectivo: Deus enim non decernit, nec videt objectivam collectionem earum: nec potest esse præteritâ, vel futura collectio, quæ numquam fuit, aut erit præsens; ut per se notum est. Potest quidem de ijs verificari simul (simultate verificationis) esse præteritas; non tamen esse præteritas simul, i. est, simul præterijsse, vel extitisse; cum evidens sit non extitisse simul, quæ solùm extiterunt una post alteram. Unde non possunt, etiam ut præteritæ, verè significari sensu simultaneo, seu collectivo ex parte objecti. Sic dicimus & noctibus anni translati simul convenisse præterijsse; non tamen præterijsse simul, aut collectivè; alioquin verum erit, extitisse simul diem ac noctem,

tem, vel præferatem aliquando fuisse collectionem lucis & tenebrarum. Unde colliges, nomina temporis, ut *hora*, *dies*, *annus* &c., non esse propriè collectiva; quia nulla respondet ipsis vera collectio realis ex parte objecti.

20 Ut alia præcludas, observa 1.: indifferentia tam Petri, quàm diei A., ut coexistant, sive ut uno existente existat alter, non est indifferentia physica, quæ scilicet supponat utrumque existere simpliciter; sed merè logica, quâ nimirùm alter indifferens est, ut sit aliquid, vel nihil, existente altero. Talis autem indifferentia radicaliter auferetur per decretum Dei, vialiter per actionem productivam, & formaliter per existentiam ipsam actu exercitam: non aliter, ac indifferentia cujusque rei, ut simpliciter, & citra comparationem ad tempus, existat, aut non existat. 2.: duratio creaturæ permanentis, sumpta quoad rectum, vel spectata sine respectu, seu comparatione ad tempus extrinsecum reale, vel imaginarium, non est successiva, nec major, aut minor, longior, aut brevior; sed has denominationes extrinsecè suscipit à partibus temporis de obliquo importati, scilicet ab earum continuo fluxu, numeroque majore, vel minore. Nec tamen ideò talis duratio quoad rectum, est *tota simul* eo sensu, quo tota simul est æternitas Dei: tum quia non est possessio vitæ interminabilis, cum possit terminari per carentiam fui: tum quia non simul habet immutabiliter totam perfectionem intrinsecam, cujus est capax, cum possit variis affectionibus perfici successivè.

21 3.: tempus dicitur essentialiter successivum, non quòd constet ex entitatibus impotentibus existere nisi successivè, sed quia partes motus constituuntur in ratione temporis per successionem immediatam, licèt hæc successio sit ipsis accidentaria: non enim ulla pars motus dicitur pars temporis, nisi quatenùs importat prioritatem immediatam respectu partis secuturæ, & posterioritatem immediatam respectu alterius partis præteritæ: nam, si vel prioritas, vel posterioritas ista deficiat, eo ipso pars motus definit esse pars temporis continui realis; foliumque dabitur tempus imaginarium, ideò, possibilitas immediatæ successionis partium motus. 4.: rem durare in tempore imaginario, est rem ita existere, ut absque novâ sui determinatione coexistere debeat motui, vel tempori reali, si detur: durare verò in tali determinato tempore imaginario, est non indigere novâ determinatione ad coexistendum motui taliter distanti ab initio Mundi, vel ab alio momento, re vel cogitatione designato: ac demùm rem durare plus aut minus temporis imaginarij, v. g. imaginarium sæculum, est ita existere, ut verè dici possit, *Si motus realis existeret ex quo res ista cœpit esse, jam transisset sæculum.* Omnes autem determinationes hujusmodi proveniunt formaliter ab existentiâ rei actu exercitâ. Unde colliges, posse ab Angelo, vel à Deo sine fictione cognosci durationem rei in tempore imaginario, & in ordine ad illud posse dici longiorem, aut breviorem, vel etiam antiquiorem Mundo, &c.

22 Hæc dicta sint in favorem secundæ sententiæ, quæ saltem propter auctoritatem præferenda videtur, cum aliàs pro se gravia satis alleget momenta rationum. Non tamen negaverim, primam sententiam esse valde probabilem, videri que clario-

rem, & ad plures difficultates explicandas aptiorem; magis etiam consonam doctrinæ communi super naturâ loci, & ubicationis.

## CAP. V.

### *UTRUM CREATURA POTUERIT existere ab æterno?*

1 NUllam creaturam ab æterno extitisse, inter Catholicos certum est. Quæritur tamen, utrùm repugnet, creaturam ab æterno produci? Creatura, alia est permanens, ut Angelus, aut homo: alia successiva, cõstans partibus priore & posteriore in existendo, ut motus solis. *Affero* 1.: non repugnat creatura permanens ab æterno producta. Ita communis sententia cum Doctoribus Angelico, Subtili, & Eximio. *Probatur*: quia nullo ex capite repugnat ejusmodi productio. Non inprimis ex eo, quòd causa non esset duratione prior effectu. Non enim causa debet effectum præcedere durationè, sed naturâ. Sic Sol produxit lucem, & Angelus cognitionem, in primo suæ existentiæ momento. Non deinde titulo productionis realis à principio distincto: alioquin Verbum Divinum non esset ab æterno genitum. Non præterea titulo entis ab alio, seu creaturæ. Nam conceptus creaturæ salvatur, dummodò essentialiter pendeat à liberâ voluntate Dei, atque ita existat, ut absolutè potuerit non existere: quod utique verum esset in Angelo ab æterno producto. Non denique ex aliis capitibus, quæ objici solent, ut jam ostendo.

2 *Objic.* 1. Angelus ab æterno productus non crearetur ex nihilo; quod est contra conceptum creaturæ. 2.: SS. Patres contra Arianos probant, Verbum Divinum non esse creaturam, quia est ab æterno. 3.: nulla creatura potest esse Deo coæterna, nec attributum æternitatis sibi vendicare. 4.: creatura illa non posset à Deo destrui per æternitatem; quod est contra dominium Dei non minùs, quàm si creatura destrui non posset per mille annos. Item, si Angelus ab æterno creatus, sine morâ peccaret, non posset tota æternitate converti, nec à peccato cessare. Verùm hæc non urgent.

3 *Ad* 1.: Angelus ab æterno crearetur ex nihilo subjecti, seu ex nullo subjecto: crearetur etiam ex nihilo sui possibiliter præcedenti: nec est de conceptu creaturæ, quòd præsupponat actuale nihilum sui, sed quòd ex se possit illud præsupponere, vel subsequi. *Ad* 2.: argumentum SS. Patrum procedit de facto juxta Scripturam sacram, ex quâ constat, nihil à Deo creatum nisi in tempore, vel cum tempore. Procedit etiam ad hominem contra Arianos, qui omnem creaturam in tempore creatam esse fatebantur. *Ad* 3.: repugnat quidem creatura Deo coæterna, idest, æqualis Deo in attributo æternitatis: nam æternitas Dei propria, est intrinseca, essentialis, absoluta, & summa necessitas durandi ab æterno, & in æternum, summè perfecta, & independens ab alio: qualis certè nulli creaturæ convenire valet. Non tamen repugnat creatura coæterna, idest, coexistens Deo semper à parte antè, per durationem imperfectam, & participatam, ortamque à liberâ voluntate Dei: sicut eadem ratione non repugnat coæterna Deo à parte post.

4 *Ad* 4.: fatendum est, quòd Angelus ab æterno creatus non posset à Deo destrui, nisi in tempore, quan-

quando jam duraſſet per æternitatem: ſi enim deſtrueretur ab æterno, productio & deſtructio Angeli forent coæternæ; quod implicat. Quare idem eſt Deum decernere Angeli exiſtentiam ab æterno, ac decernere durationem ejus æternam à parte antè; ſicut idem eſt decernere exiſtentiam rei in uno inſtanti, vel in toto anno, ac decernere durationem rei inſtantaneam, vel annuam. Negandum tamen, quòd ea neceſsitas conſervandi Angelum per æternitatem, ſit contrà dominium Dei: quia non eſt neceſsitas antecedens, ſed conſequens decretum Dei liberum de exiſtentiâ Angeli æternâ. præſertim ſi non fundetur in aliquâ entitate creatâ, quæ de ſe non poſsit abſolutè produci, niſi cum eo debito permanendi, cujuſmodi eſſet modus durationis, ab exiſtentiâ Angeli diſtinctus, & indiviſibiliter correſpondens toti æternitati à parte antè. Sic contrà dominium Dei non eſt, quòd Angelus, aut anima rationalis, neceſſariò conſervetur in æternum ex ſuppoſitione decreti liberi Divini de durationè illius æternâ à parte poſt. Porrò, Angelus ab æterno peccans non poſſet converti niſi in tempore, nec à peccato ceſſare niſi poſt æternitatem; ne alioquin exiſtentia & ceſſatio peccati forent coæternæ. Nec tamen ideò peccatum non eſſet abſolutè liberum Angelo; quia illa durandi neceſsitas tantùm eſſet conſequens liberam Angeli determinationem ab æterno peccandi. Similiter homo ab æterno creatus apertis oculis, non poſſet eos claudere niſi in tempore: nec ignis ab æterno applicitus ſtupæ, combureret illam niſi poſt æternitatem.

5 *Aſſero* 2.: repugnat creatura ſucceſsiva, vel ens ſucceſsivè ab æterno productum. Ita communior in Scholâ noſtrâ ſententia cum P. Suar., contra plures, Thomiſtas, & Noſtros, quos citat, & ſequitur P. Peynado *t.* 8. *diſp. un. ſ.* 2.; ubi ſimul explicat, in ſententiâ, quam tenet, ens ſucceſsivum non dici æternum per affirmationem (quaſi aliqua pars ejus determinata, vel omnium collectio, ab æterno extiterit), ſed tantùm per negationem partis omnium primæ, ſeu ante quam non præceſſerit alia; quemadmodùm ſucceſsio æterna à parte poſt nò dicitur æterna niſi per negationem partis ultimæ, ſeu poſt quam non ſuperſit alia. Probatur tamen Aſſertio noſtra breviter ex repugnantiâ infiniti categorematici, quam oſtendemus *diſp. ſequ.*. Si enim fuiſſet ab æterno tempus reale v. g.; jam nunc extitiſſent horæ infinitæ: quarum multitudo categorematica dici poteſt, ſicut multitudo partium anni præteriti: vel certè Angeli, quos Deus creaſſet, ut potuit, ſingulos in ſingulis horis, nunc eſſent actu infiniti. Quin etiam apud admittentes infinitum in actu, debet hæc Angelorum infinitudo cenſeri repugnans: omnes enim admonent, infinitum multitudinis non poſſe à Deo produci ſucceſsivè, licèt poſsit per ſimultaneam productionem: illi autem Angeli non niſi ſucceſsivè creati fuiſſent.

6 Accedit, quòd juxta Ariſtot., & omnes, de conceptu infiniti eſt non poſſe pertranſire ſucceſsivè. Si autem tempus ab æterno fuiſſet, jam nunc pertranſiſſet infinitum horarum. Nec prodeſt dicere, infinitum ſolùm eſſe impertranſibile ſucceſsivè, eâ ratione, quâ infinitum eſt; ſecùs verò eâ ratione, quâ non eſt infinitum; ideòque tempus ab æterno datum, quia à parte antè infinitum eſt, impertranſibile eſſe à parte antè, ideſt, aſcendendo verſus æternitatem; quia verò non eſt infinitum,

ſed

sed finem habet versùs nostrum tempus, pertransiri posse versùs illud. Id quod explicatur exemplo lineæ versùs orientem infinitæ, quæ versùs occidentem finita sit. Non, inquam, hoc prodest. Tum quia horarum multitudo non minùs esset infinita, quàm quodvis aliud infinitum multitudinis, v. g. hominum: at multitudo infinita hominum esset successivè impertransibilis undequaque, sive omni è latere. Tum etiam, quia omnes horæ, prout ab æterno fluentes ad nostrum usque tempus, sunt infinitæ: sed omnes, prout ita fluentes, successivè pertransierunt: ergo, prout sunt infinitæ, successivè pertransibiles sunt. Unde Adversarij principium petunt: dum enim arguimur repugnare, quòd infinitum horarum nostro in tempore finem habeat, quia foret alioquin pertransibile successivè; nihil aliud respondent, nisi quòd infinitum horarum nostro in tempore finem habet. Idem dicimus in exemplo lineæ, si tota successivè percurratur.

7 *Objic.* 1.: potest ens successivum continuari per æternitatem à parte post: ergo & per æternitatem à parte antè; non enim difficilius est carere initio, quàm fine durationis. 2.: tempus imaginarium est æternum à parte antè; nullum quippe designabile est primum instans illius, ante quod non inveniat imaginatio aliud, & aliud anterius: sed tempus imaginarium est motus realis potens existere successivè: talis ergo motus potest existere sine principio durationis, ac proinde ab æterno. *Ad 1. neg. Consequ.*: quia non ubique militant nostræ probationes, ut expendenti patebit. Certè ex æternitate à parte post non sequitur, aliquando verum fore, quòd infiniti motus successivè transierint; sed tantùm quòd non tot transierint, quin plures alij sint transituri; quæ mera est infinitudo syncategorematica. *Ad 2. neg. Antec.*: nullum quippe instans concipi potest aptum existere, quòd, si existeret, non supponeret æternitatem ante se. Quare Deus ab æterno non coexistit, aut correspondet tempori imaginario. Fateor, nullum posse instans assignari, quod excludat aliud anterius possibile. Hinc tamen solùm probatur syncategorematica infinitudo successionis à parte antè, vi cujus ante quodlibet initium temporis dari possit initium aliud antiquius. Cæterùm hic antiquitatis excessus semper concipitur habiturus initium durationis, si existeret; ac proinde non concipitur potens esse æternus à parte antè. Unde propositio hæc, *tempus imaginarium caret initio*, distinguenda sic: caret initio excludente possibilitatem alterius initij antiquioris, *conc.*; excludente seriem præteritam durationum, aut motuum, quæ possit existere absque initio, *neg.*

DISPUT.

# DISPUT. III.

## DE INFINITO.

### CAP. I.

### QUID SIT INFINITUM? UBI, an repugnet Creatura perfectissima?

1 INfinitum est, quod caret fine, id est, termino: unde idem sonat, ac interminatum, seu illimitatum. Aliud est infinitum simpliciter in omni genere, quod scilicet continet formaliter, aut eminenter omnem perfectionem possibilem, solentque etiam appellari *Infinitum extra genus*, vel *per essentiam*: hic solus est Deus. Aliud verò est infinitum in aliquo genere determinato, quod scilicet in eo genere illimitatum est, ad alia tamen non excurrit. Hujusmodi est infinitum *multitudinis*, v. g. innumerabilis multitudo hominum, aut lapidum: infinitum *intensionis*, v. g. calor sine fine intensus in eâdem parte subjecti: infinitum *extensionis*, aut *magnitudinis quantitativæ*, ut si consideretur corpus, linea, vel superficies, spatium occupans sine termino. In præsenti de solo infinito determinati generis disseritur.

2 Illud autem definitur ex Aristot. hic lib. 3. t. 61., *Cujus aliquid semper est extrà accipere*: vel clarius eo eodem t. 61., *Cujus partes* (intelligo finitas) *successivè accipienti restant ulteriùs alia & alia sine fine accipienda*: vel brevius cum aliis, *Quod successivè pertransiri non potest*. Hinc de conceptu infiniti est, ut nullâ enumeratione, computu, vel mensurâ finitâ, quantumvis successivè multiplicatâ, possit unquàm, ne à Deo quidem, exhauriri: si enim posset, jam haberet terminum, seu partem ultimam; quod est contra notionem infinitatis. Idcircò infinitum dicitur *innumerabile*, *immensurabile*, *impertransibile*, atque etiam *incognoscibile* successivè, cognitione scilicet partem post partem accipiente, ac tandem omnes percurrente. Deus tamen unico & simplicissimo intuitu cognoscit quidquid infinitatis in rebus esse potest.

3 Communiter dividitur infinitum in categorematicum, & syncategorematicum; vel, quod idem sonat, in infinitum in actu, & infinitum in potentiâ. Infinitum categorematicum, sive in actu, est, quod infinitatem actu positam habere concipitur; ut si concipiatur existens infinita hominum multitudo. Infinitum syncategorematicum, sive in potentiâ (quod explicari solet per *non tot, quin plura*), est, cujus partes non habent infinitatem nisi in augmento sibi possibili, quatenùs plures

&

& plures superaddi possint sine fine, licèt nunquam perveniant ad infinitatem actualem, sed semper fiat finitæ in infinitum: vel etiam quatenùs ita superadduntur de facto, ut nulla unquam futura sit ultima: quâ ratione æternitas à parte post, qualis convenit D. Petro in Cœlo, & Judæ in inferno, importat durationes, v. g. horarias, syncategorematicè infinitas.

4 Proprietates infiniti solent assignari sequentes. 1., quòd nec additione finitâ fiat infinitum, nec ablatione finitâ reddatur finitum. Unde communis paræmia est, quòd *si totum additum finito non facit infinitum*: similiterque finitum infinito detractum non destruit infinitatem. Ratio est manifesta: quia posset alioquin infinitum mensurari, aut numerari. 2., quòd omnes numerorum species infinities replicatas contineat, scilicet infinitos binarios, ternarios, centenarios, milliones, &c. Si enim milliones v. g. finitos haberet infinita hominum multitudo, foret absdubiò successivè numerabilis. Idem dicendum de mensuris, ut palmis, cubitis, ulnis &c., quoad infinitum extensionis. 3., quòd infinitum in actu, si daretur, esset sine fine divisibile in plura & plura infinita. Ratio est evidens. Fac Deum producere infinitos binarios, & auferre deinde infinitas unitates: manerent adhuc unitates infinitæ; & hoc ipso manerent infiniti binarij, ut modò vidimus in 2. propriet.: poterit ergo Deus iterùm inde auferre aliud infinitum unitatum, manentibus adhuc unitatibus infinitis: atque ita deinceps sine fine. 4., quòd unum infinitum, eâ ratione, quâ infinitum est, non sit majus alio, saltem formaliter, ídest, in ratione excludentis finem.

5 Quod attinet possibilitatem Infiniti, de syncategorematico, quin sit possibile, saltem quoad multitudinem rerum similium, seu individuorum ejusdem speciei, non est dubitandum; præsertim postquam Concilium Constantiense Sess. 15. damnavit errorem Joannis Hus & aliorum asserentium, non posse à Deo creari rationales animas ultra certum numerum. Si enim animæ nunquam possunt creari tot, quin plures aliæ superfint possibiles, eo ipso sunt syncategorematicè infinitæ. Par autem est ratio in aliâ quâvis specie multiplicabili, v. g. igneâ, lapideâ, equinâ: nec non in continuatione corporis quanti, & extensi, v. g. ignis, aut aquæ. Nulla enim est umbra repugnantiæ in eo, quòd positâ quacumque multitudine finitâ lapidum, aut quacumque finitâ extensione aquæ, possit Deus lapides alios, aut alias aquæ partes superaddere. Imò planè repugnat Omnipotentiæ Dei, quòd in his & similibus nequeat ultrà progredi quasi effeta, & exhausta. Idem censendum de incremento intensivo qualitatum; atque etiam de continuatâ serie durationum, aut motuum Cæli.

6 Dubium tamen est, an repugnet infinitum syncategor. Quoad incrementum perfectionis specificæ sive, an repugnet suprema species creaturarum, quâ nulla perfectior possit à Deo produci? vel terminis vulgaris, an repugnet creatura omnium perfectissima? Affirmat communissima, & mihi vera sententia, contra veteres aliquos, quibus subscribunt P. Arriaga, & Pontius Scotista. *Probatur*: ad infinitatem Omnipotentiæ pertinet posse producere ejusdem speciei individua non tot, quin plura: ergo & posse producere spe-

cies

ries magis ac magis perfectas, absque limite. *Prob. Consequ.* : Tum quia æquè dissonum est utrobique, quòd infinita potentia tandem exhauriatur, & veluti fessa sistat in limite, quem transgredi nequeat. Tum quia perfectio virtutis activæ magis abidubiò commendatur ex multiplicatione specierum perfectione crescentium, quàm individuorum æqualium, & similium: ut exemplo causarum creatarum est evidens: potiori ergo prærogativâ mirabitur Divina virtus, si cogatur sistere in aliquâ ultimâ & suprema specie, quàm si dicatur ad ultimum individuum pervenire posse.

7 *Confirm.*: nulla quantitatis magnitudo finita repugnat excedi ab aliâ item finitâ: quævis etiam finita multitudo, seu quilibet numerus finitus ab alio finito excedi potest: nec possibilis est numerus finitus omnium maximus, ut Adversarij fatentur, & est manifestum: nam quicumque numerus designetur, additâ unitate fiet major: similiter nulla est finita duratio tam longè distans ab hoc tempore, ut ab aliâ excedi non possit. Pariter ergo nulla creatura (quæ utique non nisi finita ac limitata in lineâ perfectionis essentialis esse potest) possibilis est, quæ meliorem aliam essentialiter excludat; cum hîc pariter ad &c finitudo, vixque ulla sit difficultas, quæ non æquè militet in præmissis exemplis.

8 *Objic. 1.*: Deus potest producere creaturam perfectissimam, quam potest (hæc propositio, inquit Arriaga, negari nequit, utpotè identica): producat ergo; & ea creaturam perfectissimam. Sed *nego* suppositum illius propositionis, quòd scilicet inter creaturas, quas Deus potest, detur perfectissima. Et instò in his alijs omninò similibus: Deus potest producere numerum finitum maximum, quem potest; quantitatem finitam maximam, quam potest; durationem ultimam & remotissimam, quam potest; vel etiam chymeram optimam, quam potest. *Objic. 2.*: non omnis creatura exceditur ab aliâ, nam ultra omnes non superest alia: ergo aliqua non exceditur ab aliâ juxta illud Summulisticum, *Non omnis, quidam non.* Præmissâ instantiâ in numeris & quantitatibus finitis, *neg. Antec.*, si tò *non omnis* distributivè sumatur, ut debet, & ut à Summulistis accipitur: sic enim creatura omnis, i. est, unaquæque ab aliâ exceditur, & nulla est, quæ non excedatur; semperque ultra omnes, i. est, ultra singulas, alia superest, quia nulla est, ultra quam alia non superfit. Si tamen placeat illum terminum collectivè sumere, *transeat Antec.*, & *neg. Conseq.*; quia regula Summul. non loquitur de termino collectivè sumpto.

9 *Objic. 3.*: in serie causarum deveniendum est ad aliquam, quæ immediatè causetur à solo Deo, ne alioquin detur mutua prioritas: ergo in multitudine creaturarum possibilium, perfectione crescentium, ad aliquam perveniendum est, quæ immediatè excedatur à solo Deo, ne detur alioqui mutuus excessus. Sed inprimis instantia est evidens in numero, duratione, & quantitate finitâ. Deinde *neg. Consequ.*: quia series causarum actu existentium (ex hac enim sumitur communis demonstratio primæ Causæ) necessariò finita est, cum repugnet infinitum in actu: ergo talis esse debet, ut numerando perveniri possit ad eam causam, unde cœpit origo productionum; quæ causa, nisi causetur invicem ab effectu suo, necessariò causari debet à

solo Deo. At in creaturis possibilibus, perfectione crescentibus, datur infinitudo syncategorem., vi cujus numquam perveniri potest ad ultimam, aut supremam, quæ a solo Deo excedatur; sicuti nec ad ullam, quæ in eodem genere reciprocè excedat excedentem. Adde, quòd, etsi daretur infinita series actualis causarum productarum, vitaretur mutua prioritas, dumnodò tota collectio poneretur pendens à Deo. Quare, cum in casu nostro tota collectio specierum possibilium (si verè potest accipi ut tota) à Deo excedatur, pariter vitabitur mutuus excessus. Unde colliges, nec Deum ipsum cognoscere posse speciem supremam possibilium: quia nequit inter possibilia cognoscere chymeram. Nec ideò vaga, vel incerta erit Divina scientia; sed intuitu simplici cognoscit possibilia omnia, nullumque in ijs esse, quod ab alio superari non possit.

10 *Objic.* 4: possibilis est creatura imperfectissima; ergo & perfectissima. *Resp.* 1. *neg. Conseq.*: quia non depauperatur Omnipotentiæ Thesaurus ex eo, quòd nequeat dare minus, sed ex eo, quòd plus, aut melius aliquid largiri non possit, dum largitur finitum quid. *Resp.* 2. *neg. Ante.*: quia Divina perfectio videtur infinitè participabilis, tum sursùm, tum deorsùm, ut ita dicam. Nec inde inferas, quamlibet creaturam forè infinitæ perfectionis, utpotè excedentem infinitas alias. Nam ad talem excessum non opus est infinitate propriâ, & formali, sed sufficit virtualis, in eo consistens, quòd res in superiore ordine sit. Sic, citrà formalem infinitatem Visio beata superat infinitas visiones materiales, Angelus infinitas formicas, Gratia infinitos gradus obedientiæ, &c.

11 *Objic.* 5.: collectio creaturarum omnium possibilium nonnisi finitæ perfectionis est, cum infinitè differt à Deo: & tamen ultra collectionem omnium nulla est possibilis creatura perfectior: ergo non repugnat excapite finitudinis creatura excludens perfectiorem aliam. *Confirm.*, collectio possibilium omnium summè accedit ad Deum: sed non summè accedit ratione cunctarum, aut plurium specierum, præsertim si species omnes sint inæquales, sicut numeri, ut multis placet: ergo ratione alicujus speciei supremæ. *Ad object.* negatur suppositum; quòd scilicet collectio possibilium omnium sit possibilis: id enim est possibile, quod, si existeret, non implicaret contradictionem: implicaret autem ea collectio, ut *cap. sequ.* dicemus. Non ergo possunt accipi omnia possibilia per modum unius collectionis, cujus perfectio verè dicatur finita, vel infinita, vel accedens ad Deum; cum potiùs sit nulla, vel chymerica: sed solùm licet accipere singulas creaturas, vel singulas earum collectiones finitas; quas inter nulla est designabilis, quâ major & perfectior alia non sit possibilis. Ex quo solvitur etiam *confirmatio.*

12 Nunc tamen infinitæ collectionis possibilitate permissâ, *dist. Maj.* objectionis: collectio &c. finitæ perfectionis est, in lineâ entis ut sic, *conc.* (deest enim illi perfectio propria entis increati, à quo infinitè exceditur); in lineâ entis creati, seu creabilis, *subdist.*: finitæ perfectionis est quoad singulas partes, *conc.*: quoad seriem omnium perfectione crescentium, *neg. Maj.*; talis enim series interminata est, adeòque infinita, tum in multiplicatione individuorum, tum in incremento specifico:

non

non aliter, ac collectio numerorum finitorum possibilium, tametsi finita quoad singulos numeros, infinita est, & innumerabilis, quoad seriem omnium ita crescentium, ut unoquoque major alias dari possit. Hujusmodi autem infinitudo ex parte termini sufficit, ut Deus dicatur participabilis infinitè, sive in infinitum; & ut nulla sit designabilis creatura, quâ ita exhauriatur Omnipotentia, ut meliorem producere nequeat. Ad *confirm.*: Collectio illa summè accedit ad Deum *per negationem* alterius rei magis accedentis; non verò *per affirmationem* alicujus rei determinatæ, de quâ verificetur summus, aut ultimus accessus.

13 Ad extremum observa, sententiam nostram procedere quidem in speciebus, sed non necessariò in classibus, gradibus, aut generibus creaturarum subsistentium; quæ genera nonnisi quatuor numerantur, videlicet rerum inanimatarum, vegetabilium, sensibilium, & intellectualium: nulla enim creatura subsistens cogitari posse videtur, quæ ad aliquem ex hisce gradibus non spectet. Cum tamen quilibet sub se admittat infinitas species inæquales, locum reliquit, ut Divina bonitas semper sit magis & perfectiùs participabilis sine fine. Observa insuper, quòd Gratia, & Visio beata, licèt dicantur species supremæ, altera in genere qualitatis, altera in genere cognitionis, semper tamen à Deo fieri possunt meliores, & perfectiores, saltem per intensionem gradualem; quod nobis sufficit. Ipse quoque modus unionis hypostaticæ fieri potest physicè perfectior, quatenùs respicit extremum creatum. Quòd verò non sit possibile quid majus opere Incarnationis, seu composito *Christus*, nihil mirum; cum ibi Deus ipse includatur. Dignitas etiam Matris in Deiparâ constituitur per Divinitatem Filij moraliter unitam; ideòque nulla major in purâ creaturâ dari potest.

## CAP. II.

### *UTRUM REPUGNET INFINITUM in actu?*

1 QUÆSTIO proposita versatur circa Infinitum categorematicum, seu multitudinis, seu extensionis, seu intensionis; quod fieri à Deo posse defendunt cum nonnullis antiquis PP. Vazq., Hurtad., Arriagâ, Lynce, Izquierd., & alij, quos citat & sequitur P. Peynad. *lib. 3. d. 3. s. 3.*: accedunt aliqui Scotistæ apud Mastrium *d. 10. q. 3.*. Ex his tamen Authoribus quidam excipiunt infinitum intensionis, quidam extensionis, seu magnitudinis spatium occupantis. Ex adverso repugnare omninò quodlibet ex dictis infinitum in actu, tenet communis sententia, quam cum D. Thoma, D. Bonaventura, Scoto, Suario, tuentur passim ex omni Scholâ Doctores, quos citant & sequuntur Mastrius l. c., & P. Quiros *d. 63. s. 2. & 3.*. Hæc sententia videtur præferenda. Et omissis brevitatis ergo infinitis alijs argumentis, quibus probari solet,

2 *Probatur* 1.: implicat ens, quod nequeat Deus producere, quin producat aliquid superfluum ad existentiam ejus: sed tale est infinitum multitudinis, hominum v. g.: ergo. *Major* est certa: nam illud superfluum, simul erit & non erit superfluum, seu erit necessarium simul & non necessarium: erit superfluum, seu non necessarium, ut supponitur; & simul non erit; quia id, sine quo nequit à Deo produci ens A., proculdubiò non

est superfluum sed necessarium ad existentiam illius entis. *Minor* ergo probatur: infinitum multitudinis nunquam potest a Deo produci, quin habeat plurimas, imò infinitas partes, sine quibus possit existere formaliter idem: sed ejusmodi partes ad existentiam talis infiniti superflux sunt, seu non necessariæ: ergo. *Prob. Maj.* ex indole infiniti explicatâ *cap. præced. n.* 4.: nam infinitum hominum, si verè infinitum est, tale esse debet, ut, detractis centum, maneat infinitum, & juxta Adversarios formaliter idem, quia solùm minuitur materialiter: & licèt alia & alia centum successivè detrahas sine fine, manebit pariter infinitum. Imò, cum in eo contineantur infiniti binarij, detractis poterunt infinitæ unitates, manente adhuc infinito unitatum formaliter eodem; & cum in hoc debeant adhuc manere infiniti binarij (alioquin infinitudo unitatum foret successivè numerabilis per binarios, quod implicat); aliæ iterùm infinitæ unitates detrahi poterant, illæso formaliter infinito priori; & sic deinceps iterùm atque iterùm nullo fine. Unde vides, infinitum multitudinis ne à Deo quidem posse redigi ad partes præcisè necessarias ad existentiam ejus, nec posse Deum in illo discernere necessarium à non necessario; quod satis implicare nium videtur, cum hujusmodi præcisiones, utpotè contradictoria, non possint non convenire partibus reipsâ distinctis.

3 *Probatur* 2.: quodlibet infinitum multitudinis est infinitiès infinitum, ut constat ex *cap. præced.*, & nemo inficiatur: continet enim numeros omnes, binarios, centenarios, millenos, &c., infinitiès multiplicatos: & ex eo tempore inexcusabile detrahi possunt infinitæ unitatum plura & plura sine termino. Hinc autem, nisi nostra sententia vera sit, *sequitur* 1., dari posse totum, quod destructis duabus mediatatibus non destruatur. Nam si Deus producat infinitum binariorum, ac deinde destruat infinitas unitates, destruet mediatatem unam illius infiniti: posteà ex infinitate residuâ unitatum, in quâ maneat adhuc infinitus binarij (aliàs non esset infinita), potest Deus destruere alterum infinitum unitatum, manente altero non minùs infinito, quàm anteà; proindeque binarios infinitos includente. Eò ergo destructas ex primo infinito binariorum mediatates duas, scilicet duplex infinitum unitatum, cum tamen infinitum binariorum perdiderit illæsum, seu formaliter integrum. *Sequitur* 2., quòd in hac ipsâ hypothesi, cùm Deus destruit unum infinitum unitatum, destruit simul & non destruit quod anteà produxit: destruit; quia in infinito unitatum destructo includitur infinitum binariorum; & hoc produxit Deus: non destruit; quia in altero infinito unitatum remanente supersit infinitum binariorum.

4 *Sequitur* 3., quòd in eadem hypothesi infinitum binariorum est quoddam totum non constans partibus, quibus constare supponitur, nempe duobus infinitis unitatum: nam his ablatis, manet infinitum illud formaliter integrum. Item, quòd est totum non majus suâ parte: siquidem quodlibet infinitum unitatum, quod est ejus pars, infinitos continet binarios. Item, quòd est unum quid unitate aggregationis, simulque non unum, utpotè divisibile in plura talia, quale ipsum est, sive in plura ejusdem rationis cum divito, videlicet in plura infinita, dicatur, prorum quodlibet est infinitum binario-

rum;

rum ; quæ tamen sequela destruit conceptum Unius realis, etiam per aggregationem, ut patet in exercitu, vel in acervo lapidum. *Sequitur* 4, quod nequit Deus producere infinitos hominum binarios, quin producat infinitos milliones; quod non minùs absurdum apparet, quàm non posse Deum producere centum binarios, quin producat milliones centum.

5 *Sequitur* demùm, quòd unum infinitum multitudinis potest, & non potest esse minus alio. Potest: quia, si ex infinitis hominibus detrahas centum, remanet multitudo minor, quàm antea; & tamen remanet infinita: item, si hominibus infinitis adjungas infinitos Angelos, resultat multitudo duplò major: fiunt etiam, si homines infiniti producantur singuli cum binis oculis, & capillitio, major erit oculorum, aut capillorum multitudo, quàm hominum; & quidem infinitè major, utpotè continens tot oculos, aut capillos, quot homines, & insuper infinitos alios. Aliunde non potest: tum quia nequit mente concipi multitudo major, quàm infinities infinita, siquidem nullus est numerus cogitabilis, qui non inveniatur inibi multiplicatus infinities. Tum quia, sicut infinitum simpliciter, & in omni genere, nullo in genere potest admittere quid majus; ita infinitum in aliquo genere (puta multitudinis), nihil majus in eodem genere patitur. Et verò quis concipiat, unum infinitum in genere multitudinis infinitè excedi ab alio infinito ejusdem generis? Tum quia unum infinitum extensionis nequit excedi ab alio: si enim una linea utrinque infinita excederet aliam, hoc terminaretur, ubi incipit excedi, ac proinde terminum haberet, contra conceptum infiniti: simile quid accideret in infinito intensionis, si posset ab alio superari: ergo pariter censendum de infinito multitudinis, cum nulla ratio disparitatis: generaliter quippe verum est, quidquid exceditur ab alio, in eâ ratione, quâ exceditur, habere terminum, seu limitem, ultra quem non progreditur; atque adeò in illâ ratione limitatum, ac finitum esse.

6 Atque hinc impugnatur vulgata solutio Adversariorum, posse scilicet unum infinitum esse majus, aut minus alio, seu posse crescere, & decrescere, non formaliter, sed materialiter. *Contrà* enim est: quia multitudo infinita eatenùs potest crescere materialiter, quatenùs potest habere plures unitates, quàm antea, v. g. centum. At quòd plures habere nequeat, probatum est modò. Et alioquin non est ullus ad lineam utrinque infinitam nonpossint addi similiter centum palmi, cum talis linea sit quædam infinita multitudo palmorum. Hæc autem additio, cum fieret parti ultimæ, supponeret eo ipso partem ultimam lineæ, atque adeò terminum, & finem. Idem cogita de intensione infinitâ, cui centum gradus adderentur. *Contrà* 2.: quia infinitum binariorum, actu positum, aliquas habet partes formales, seu quibus formaliter constat. Quidnam, quæso, nisi duplex infinitum unitatum? Sicut enim binarius constat formaliter unitate duplici, & centum binarij ducenis unitatibus, ita infiniti binarij constant formaliter unitatibus infinitis. Atqui potest infinitis binariorum detrahi unum & alterum infinitum unitatum, non [illegible] infinitudine, ut constat [illegible]

Ex-

ergo potest infinitum minui quoad partes formales, quod est minui formaliter.

7 *Contrà*; quia quod Adversarij intelligere videntur per ly *formaliter*, est, quòd unum infinitum nequeat esse minus alio in ratione excludentis finem, seu quòd una multitudo infinita nequeat esse minùs innumerabilis, quàm alia. At in casu num. 5., si multitudo hominum excediture à multitudine oculorum, nequit esse infinibilis, seu innumerabilis. Cognoscit enim Deus, quantum excedatur illa multitudo, & quatenùs commensuretur alteri, seu quantum illi desit, ut alteri sit æqualis: quod certè fieri nequit, nisi Deus cognoscat, multitudinem hominum certis finibus coerceri, seu tot præcisè unitatibus finiti, vel in eâ tot præcisè unitates esse, non plures: nisi enim rediganturunitates ad certum numerum, quomodò potest cognosci pauciores esse? Sic autem hominum multitudo jam cognoscitur ut finita. Adde, quòd infinitum oculorum, cum sit duplo majus infinito hominum, duplicat infinitatem ejus: ergo excedit in ratione infinitis quemadmodùm Angelus A., si virtutem intellectivam alterius in se duplicet, illum excedit in ratione intellectivi.

8 Ex his patet, quantum urgeant alia absurda, quæ objici solent contra infinitum in actu, v. g. quòd in uno infinito multitudinis non plures erunt unitates, quàm binarij (quod ex terminis implicat); ibi enim sunt infinitiès infiniti binarij, ac proinde non pauciores, quàm unitates. Item, quòd, si creentur infiniti homines cum singulis tantùm annulis, quos deinde projiciant in acervum, poterunt postea singuli homines ex acervo resumere duos annulos (quod item implicatorium est); sunt enim in acervo binarij annulorum infinitiès infiniti, qui proinde nequeunt esse pauciores, quàm homines.

9 Ijsdem argumentis impugnari poterit infinitum intensionis, aut extensionis, cum sit infinita multitudo graduum, vel palmorum, ulnarium &c.; ideòque reduci possit ad infinitum multitudinis. Sed præterea specialiter contra infinitum extensionis argui potest 1.: producat Deus virgam infinitè protensam; ac deinde partes ejus coacervet, ac disponat in globum, sine penetratione, aut bilocatione. Quæro, an globus ille occuper spatium infinitum? Si asseras: ergo partes virgæ non bilocatæ spatium occupant infinitè majus, quàm antèa; siquidem antèa solùm occupabant infinitè longum; nunc autem circumquaque infinitum, ut fert natura globi. Si neges: ergo antèa partes illæ non occupabant spatium infinitum; siquidem nunc occupant tantumdem, & nonnisi finitum, quod certè, licèt disponatur in longum juxta crassitiem virgæ, nequit æquare longitudinem infinitam.

10 2.: una longitudo infinita nequit esse minor aliâ, quâ parte infinita est, v. g. si utraque sit versùs orientem; ut Adversarij supponere videntur, & constat ex dictis; nam quæ minor esset, ibi terminum & finem haberet, ubi inciperet ab aliâ excedi. Aliunde, quòd possit esse minor, probatur: quia potest Deus in virgâ infinitâ producere infinitas formicas cum intervallo minus leucæ inter singulas: quo in eventu formicæ occuparent minus spatij, quàm virga, ut est evidens; & tamen occuparent spatium infinitum. Conjungat postea Deus, & ordinet ad virgæ latus easdem formicas, seriatim unam post alte-

ceram absque intervallis: illæ, utpotè infinitæ, lineam efficient absque dubio infinitam, quæ tamen minor erit longitudine virgæ, ab eâque superabitur toto spatio respondente prioribus intervallis; ut patebit consideranti.

11 3.: detur linea hic incipiens, & versùs orientem infinita: omnes palmi istius lineæ distant infinitè ab hoc loco, sed aliqui distant infinitè, aliqui finitè: ergo, cum omnes sint continuati, aliquis est palmus infinitè distans, qui continuatur cum palmo finitè distante: videt igitur Deus, palmum B. infinitè distantem ab hoc loco immediatè continuari cum palmo A. finitè distante, ac proinde distantiam finitam palmi A fieri infinitam per unius palmi additionem, contra proloquium illud, *Finitum additum finito non facit infinitum.* Rursùs, ducatur ab hoc eodem loco, utrà centro, secunda linea, versùs meridiem infinita: sanè utraque linea, orientalis, & meridionalis, habent inter se distantiam infinitam; nam eò magis inter se distant, quò longiùs recedunt à centro, & ab hoc recedunt infinitè: videt ergo Deus, ubinam, vel quibus in punctis una linea infinitè distat ab alterâ: si ergo inter ea utriusque puncta ducatur linea transversa, hæc erit infinita; & tamen infinita esse non poterit, utpotè utrimque clausa terminis intrinsecis: quamvis enim unus aut alter ex Adversarijs admittat infinitum terminis clausum, id tamen rejicitur à cæteris omnibus, ut planè destruens notionem infiniti, quod idem sonat, ac interminatum.

## CAP. III.

### *ARGUMENTA CONTRARIÆ sententiæ dissolvuntur.*

1 OBJIC. 1.: juxta D. Thomam Opusc. 25., *Adhuc non est demonstratum, quòd Deus non possit facere, ut sint infinita actu.* Sed id, in quo non demonstratur contradictio, possibile censendum est: ergo. *Resp.* 1: cum post D. Thom. tot ingenia sapientum in demonstrando repugnantiam infiniti categorem. insudarint, nihil mirum, quòd repugnantia postea demonstrata sit, aut saltem ferè demonstrata, quod sufficit, & non negat D. Thomas. *Resp.* 2.: quòd censeri debeat possibile id, cujus non demonstratur impossibilitas, solùm est verum in objectis, quorum quidditas, aut constitutio partium, vel prædicatorum, satis distinctè concipitur; ut advertimus *tr.* 1. *d.* 3. *c.* 4. *n.* 15.: non autem, quando agitur de objecto tenebris & confusione pleno (quale fatentur esse infinitum in actu fautores ejus), quodque vix aliud introspicientibus offert, nisi contradictionem, aut magnam saltem contradictionis speciem: tunc enim præsumptio stat pro impossibilitate.

2 *Objic.* 2.: possibile est infinitum syncategorematicum, tum in speciebus creaturarum, tum in individuis cujusque speciei, ut constat ex *cap. præced.*: ergo & infinitum categorematicum, sive in actu. *Prob. Consequ.* 1.: quia ex infinitate syncategorem. sequitur esse possibiles infinitos homines v. g.: ergo, cum nullus eorum repugnet simul existere cùm aliis, omnesque simul contineantur in omnipotentiâ Dei ex se infinitâ, poterunt infiniti simul existere. 2.: quia in infinito syncategorem. instantur argumenta nostra, maximè si consideretur prout actu cognitum à Deo. Pariter enim de infinitâ multitudine hominum possibilium à Deo cognitâ quæri potest, an contineat plusquàm necessarium est ad infinitatem? an discerni possit superfluum à necessario?

rio in actualiter dividi possit in plura infinita? an in partes æquales totis? an in eâ tot sint homines, quot capilli, vel tot binarii, quot unitates? &c. 3. quia, datâ infinitate syncategorem. dantur de facto infinitæ carentiæ, infinitæque possibilitates creaturarum; in quibus infinitis nostra pariter argumenta militant.

3 Ad *object. neg. Consequ.*, quin obstent probationes. *Ad 1. dist. Antec.*: sequitur, possibiles esse infinitos homines, distributivè per singulos, vel per collectiones eorum actu finitas, quæ semper augeri possint magis, ac magis (in quo stat infinitudo syncategorem.), *conc.*; collectivè, seu per collectionem, aut collectiones actu infinitas, *neg. Antec.*, & *Consequ.* Et insto in divisionibus continui, positâ sententiâ Aristotelis, quam plerique Adversariorum sequuntur: nam possibiles sunt infinitæ divisiones continui, & earum nulla repugnat simul poni cum alijs, omnesque simul continentur in Omnipotentiâ: possunt ergo simul omnes poni: quam sequelam vix est, qui devoret; cum ex eâ fieret, continuum actu divisum esse, quantum est divisibile, adeòque redigi ad indivisibilia; quod in sententiâ Aristot. implicat. Itaque, licèt nullus homo repugnet simul existere cum alijs in quacumque collectione finitâ, repugnat tamen in collectione infinitâ, quia repugnat concurrere cum alijs ad constituendum multitudinem chymericam, seu contradictionibus plenam. Omnes autem continentur in omnipotentiâ simul simultate virtutis activæ; non tamen simultate passivæ coexistentiæ; quâ ratione simul continentur in Omnipotentiâ meus assensus & dissensus, aut amor & odium ejusdem objecti. Hæc de ratione infinitæ virtutis est, quæ producere effectum actu infinitum (alia posset producere infinitum simpliciter in perfectione eminentiâ), sed soluùm posse producere finita in infinitum, idest, non tot, quin plura, nec tantum, ac tale, quin majus, & melius.

4 *Ad 2. prob.* (quæ totum, vel præcipuum robur est contrariæ sententiæ) prænoto, creaturas possibiles, sive in omni specie, sive in aliquâ, v. g. humanâ, numquam posse concipi omnes collectivè (ita ut ex eis mente formetur una collectio, vel una quædam multitudo constans partibus infinitis), quin eo ipso concipiantur ut objectum chymericum: concipiuntur enim ut constituentes totum, vel aggregatum quoddam, non majus suâ parte, unum & non unum, potens & impotens decrescere, confundens: necessarium cum superfluo, &c. Quare eadem argumenta, quæ probant, repugnare collectionem infinitam in existentibus, probant etiam in possibilibus: non enim aliter possibilia sunt, nisi quatenùs possunt ad actum existentiæ reduci. Sic, quia repugnat homo existens non major suâ parte, nequit ita concipi in statu possibilitatis. Hinc negandum est, quòd Deus, possibilia cognoscens ut talia, cognoscat collectionem omnium, vel infinitorum; quia talis collectio non est possibilis. Cognoscit ergo Deus omnia distributivè; quatenùs nullum eorum, nullusvè numerus, aut collectio finita, in infinitum multiplicabilis, Deum latet. Et hoc sonat, quod dici solet, Deum cognoscere omnia, non omnitate collectiva, sed omnitate distributivâ.

5 Scio, hanc doctrinam multis impugnari à P. Joan. Bapt. de Benedictis *lib. 3. Physic. q. 5. c. 2.*, ubi con-

contendit, multitudinem infinitam posse accipi collectivè, seu termino collectivo significari. 1.: quia propositio hæc, *Multitudo infinita possibilium non potest existere tota simul*, apud nos vera est; & tamen subjectum ejus collectivè accipitur. 2.: quia pariter vera est hæc propositio, *Possibilia à Deo cognita non habent terminum*; ubi subjectum supponit copulatè, seu collectivè. 3.: quia mens nostra formar collectionem finitorum etiam non collectivè ponibilium, dum scilicet simul concipit durationes, aut partes temporis, non nisi successivè ponibiles, easque significat nominibus collectivis, qualia sunt *hora*, *dies*, &c.: quàmvis ergo possibilia infinita nequeant simul existere, cum tamen Deus omnia simul cognoscat, cur non formabitur collectio ex omnibus in mente Divinâ? 4.: quia multitudo, cui convenit aliquod esse determinatum, toti simul, est tota simul acceptibilis: sed multitudini possibilium omnium toti simul convenit esse objectivum, seu intentionale in mente Divinâ: ergo. Vel aliter: si nunc existerent à parte rei possibilia omnia, nullo excepto, daretur infinitum categoremat. in esse rei: sed nunc existunt intentionaliter in mente Divinâ possibilia omnia, nullo excepto: ergo nunc datur infinitum categorem. in esse cogniti. Certè, si possibilia omnia ponerentur in re, prout sunt in mente Dei, facerent infinitum in actu. 5.: quia negari nequit, possibilia omnia simul cognosci à Deo: ergo à Deo accipiuntur simul, seu collectivè; nam intentionalis acceptio est ipsa cognitio. His addi potest 6., quòd passim, & verè dicimus, *Objectum adæquatum scientiæ simplicis intelligentiæ continet possibilia omnia*: ubi terminus, *objectum adæquatum*, collectivus est citra dubium, cui solus respondet descensus copulatus.

6 Hæc tamen non urgent. Non 1.: quia subjectum illius propositionis supponit quidem collectivè, sed pro objecto chymerico, tale quippe est omne, cui verè negatur potentia existendi. Non 2.: quia propositio illa reddit hunc sensum, *Possibilia à Deo cognita nunquam possunt designari tot, quin plura sint cognita*: ubi subjectum distributivè supponit pro singulis collectionibus finitis. Non 3.: quia partes temporis finiti (quidquid sit, an significentur nominibus propriè collectivis) saltem possunt omnes consecutivè reduci ad actum, singulæ in sensu composito præteritionis, aut futuritionis cæterarum omnium. At ne sic quidem sunt reducibiles ad actum partes collectionis infinitæ.

7 Non 4.: quia Major solùm est vera de prædicato, quòd nó determinat subjectum ad suppositionem præcisè distributivam, sed relinquit indifferens ad collectivam, cujusmodi est denominatio *realiter existentis*: secùs verò de prædicato necessariò exigente distributionem subjecti. Sic verè dicitur, *Omnis homo est unus homo*, quia nullus est, qui non sit unus: falsò tamen, *Collectio omnium hominum est unus homo*: ubi cernis, prædicatum, *unus homo*, convenire toti multitudini, ideſt, omnibus hominibus, simul simultate temporis, aut verificationis, quia verificatur eodem tempore de singulis; & tamen non convenire collectioni. Simile quid accidit in hac propositione, *Omnis pars componit*, aut *est minor toto*, cujus prædicatum simul convenit omnibus partibus; nec tamen verificatur de collectione omnium. Unde adverbium *simul*, non determinat collectionem ex parte

subjecti, sed potest referri ad simultatem verificationis distributivæ. Cum ergo prædicatum *cogniti* ab intellectu Divino, vel ab alio non formante chymeras, determinet multitudinem possibilium ad supponendum pro singulis collectionibus finitis in infinitum (quia solum convenit illi multitudini quatenùs verè possibili), nequit sub eo accipi multitudo tota simul, seu collectivè. Hinc ad syllogismum adjunctum, concessis præmissis, *neg. Consequ.*: quia in prædicato *existentis à parte rei*, tenet illatio ab omnibus distributivè sumptis ad collectionem, seu finitâ, seu infinitam; secùs verò in prædicato *existentis intentionaliter* in mente Divinâ. Quare argumentatio illa tam est inefficax, quàm hæc: Si existit realiter omnis pars compositi, nullâ exceptâ, collectio earum realiter existit: ergo, si omnis pars, nullâ exceptâ, componit, collectio componit. Sed quidni si possibilia omnia ponerentur in re, prout sunt in mente Divina. *Resp.*: hæc hypothesis implicat in terminis: nam, si ponerentur in re omnia, ponerentur simul, seu collectivè; quia sic exigit indoles prædicati: & eo ipso jam non ponerentur, prout sunt in mente Divinâ; quia, prout ibi sunt, repugnant singula simultaneæ omnium existentiæ reali. Simul ergo ponerentur & non ponerentur prout in mente Dei sunt, facerentque simul & non facerent infinitum in actu.

8 Non 5: quia possibilia omnia cognoscuntur simul simultate cognitionis, sed non simultate objecti, de quo, tamquam de uno quodam aggregato, possit Deus affirmare aliquid non fictitium: omnis autem cognitio est quidem intentionalis acceptio, sed non necessariò collectiva, cum sæpe sit acceptio distributiva, ut patet in his, *Omnis homo est unus, Omnis pars componit.* Non denique 6.: quia, licèt non semel cuncta possibilia significemus terminis collectivis, ut nomine *objecti adæquati, collectionis omnium*, & similibus, id facimus vel ob penuriam vocum, vel ad vitandum verborum circuitum. Reverâ tamen locutio impropria est: quia scientia simplicis intelligentiæ non habet propriè objectum adæquatum, sed objecta inadæquata, plura, & plura in infinitum. Quapropter, sicut plures causæ intrinsecæ inadæquatæ non componunt unam adæquatam, ut ostendimus tract. 1., ubi de distinctione totius à partibus; ita in præsenti discurrendum. Nec sua Grammaticis jura tollimus, aut facultatem adimimus utendi nominibus collectivis, ut objicit citatus Author. Utantur istiusmodi nominibus, quantum libuerit; dummodo constet apud Philosophos, quòd, illis propriè utentibus circa possibilia omnia, non subest nisi objectum chymericum.

9 Doctrinam datam vel Adversarij probare debent. Tum in divisionibus continui, quæ si possint in unam multitudinem colligi in mente Divinâ quotquot sunt possibiles, in eo divisionum cumulo intuebitur Deus continuum ad indivisibilia redactum, siquidem eousque divisum erit intentionaliter, ut non sit ulteriùs divisibile. Tum in durationibus Anguli (quas cum Adversarijs nunc pono modales, & essentialiter successivas) in æternum processuris: nulla quippe duratio futura est, quam non sequatur ulterior alia, quia nulla est ultima: nulla igitur est, quæ non cognoscatur a Deo sub ratione præcedentis alia. Si ergo possunt omnes à Deo accipi copulatim, poterit

rit Deus dicere sensu collectivo, Præter omnes durationes dabitur duratio ulterior: quod tamen in terminis implicat. Eadem instantia fieri potest in gradibus intensionis, præsertim heterogeneis.

10 His ita præmissis, jam facilè solvitur 2. *probatio* num. 2.. Negamus, quòd infinitum syncategorem. verè sit, aut considerari possit (nisi fictitiè) ut una collectio, seu multitudo una rerum infinitarum: non enim est, nisi plures & plures unitates, multitudines & collectiones finitæ in infinitum; nec aliter à Deo cognoscitur. Unde quæstiones illæ num. 2., An multitudo hominum possibilium à Deo cognita, contineat plusquàm necessarium est ad infinitatem? An dividi possit in partes æquales totis &c., sunt de subjecto non supponente; quia nulla est possibilis multitudo infinita, collectivè significabilis; nec nisi fingendo fieri potest comparatio, etiam in statu possibilitatis, inter infinitum hominum & infinitum capillorum, aut etiam binariorum & unitatum: sed unicè verum est, quòd in quacumque crinitorum hominum multitudine designabili (quæ semper finita erit) plures sunt capilli, quàm homines, plures unitates, quàm binarij, nullamque partem toti æqualem esse.

11 *Ad 3. prob.* num. 2. carentiæ non sunt objecta quædam constituentia multitudinem: nec aliud sonat carentias infinitas dari de facto, quàm non dari de facto creaturas infinitas. Quòdsi velis, carentiam esse objectum per se significabile, dicam, dari de facto carentiam infinitæ multitudinis creaturarum, sed non nisi unicam, & necessariam, quæ scilicet uno velut impetu excludit totam illam multitudinem ut chymericam: dari quoque de facto carentias possibilium syncategorematicè infinitorum, sed has non posse collectivè significari, sicut nec possibilia ipsa, quorum indolem suo modo referunt. Possibilitates rerum non existentium intrinsecæ, seu passivæ, non dantur de facto, sed solùm darentur, si res existerent; cumque res nunquam possint existere actu infinitæ, sequitur, nec possibilitates infinitas defacto dari posse. Quodsi loquaris de possibilitatibus, prout objiciuntur cognitioni Divinæ, jam redis ad 2. *probationem* nuper solutam affatim.

# DISPUT. IV.

## *DE COMPOSITIONE CONTINUI.*

CONTINUUM est, quod partes habet integrantes (idest, non se respicientes per modum actus & potentiæ) naturali nexu copulatas. Hinc differt ab artefacto, cujus partes colligantur artificiali nexu. Differt

etiam à Contiguo, quia hoc non importat unionem, ſed meram immediationem loci. Unde dicuntur *continua, quorum extrema ſunt unum*, ideſt, unita naturaliter: *contigua* verò, *quorum extrema ſunt ſimul*, ideſt, in locis immediatis. Sic partes Continui ſunt in aquâ guttæ, in humano corpore manus, brachia &c., in tabulâ, in paleâ, in grano tritici, fragmina, vel particulæ, in quas dividi poteſt. Continuum ex ijs partibus componitur, in quas eſt diviſibile, ſive à creato agente, ſive à Deo. Diviſibilitas Continui res eſt notiſsima, vulgariſque. Scire autem, quouſque progredi poſsit diviſio partium, an ſemper ad particulas ulteriùs diviſibiles, an verò uſque ad indiviſibilia, & penitùs ſimplicia; hoc opus, hic labor: cui ſe imparem fateri nullus Philoſophus erubeſcit.

Claritatis gratiâ quædam ſunt prænotanda. 1.: continuum aliud eſt permanens, cujus nimirùm partes ſimul exiſtunt, ut palea: aliud ſucceſsivum, cujus ſcilicet partes fluxu non interrupto prætereunt, ut motus, aut tempus. Succeſsivum, cujus pars ſtatim perit aliâ ſuccedente, ſolam habet continuitatem ſumptam pro non interruptâ ſucceſsione; non enim pars exiſtens cum non exiſtente phyſicè uniri poteſt. Continuum intenſionis (cùm ſcilicet qualitas, v.g. calor, in eadem parte ſubjecti & loci continuè augetur) dici poteſt ſucceſsivum in fieri, & permanens in facto eſſe. 2.: partes Continui jam ante diviſionem realiter & actualiter inter ſe diſtinguuntur, quidquid aliqui reclamare videantur: quia ſeparabilitas, quæ diviſionem præcedit, eſt ſignum evidens diſtinctionis realis; alioquin poſſet aliquid à ſemetipſo ſeparari. Quis neget, manum à brachio diſtingui, pedem à crure, ramum à trunco, vel ante diviſionem? Quodſi Ariſtoteles interdùm ait, in Continuo non eſſe partes actu, ſed potentiâ, loquitur de partibus numerabilibus quoad nos, qui donec partes dividamus manu, vel mente, non poſſumus eas computare, vel inter ſe conferre, præſertim in Continuo homogeneo. Quòd autem reipsâ, & coram Deo diſtinctæ ſint, ita ut una realiter non ſit alia, negari nequit, niſi Continuum dicatur ſimplex, & omnis compoſitionis expers, atque adeò infectile. Nec eſt idem indiviſio, & indiſtinctio, ut patet in corpore & animâ hominis.

3.: partes Continui permanentis non uniuntur ſeipſis; aliàs non poſſent exiſtere ſeparatæ. Nec audiendi ſunt Atomiſtæ, qui ponunt atomos hamatas, aut præditas quibuſdam ſetulis, quibus invicem illigentur abſque unione diſtinctâ. Nam ut omittam difficultatem concipiendi hamos, aut anſulas in atomo prorsùs inflexibili, colligatio illa neceſſariò conſiſtet in certâ figurâ, certâve præſentiâ locali, quæ proinde ipſâ unio erit ab extremis diſtincta. Alij ergo pro unione ponunt puncta continuantia, quæ neutrâ in parte recipiuntur, utramque tamen eſſentialiter exigunt ſibi propinquiſsimam abſque penetratione. Alij agnoſcunt unionem pure modalem, eamque, vel conflatam ex duabus partialibus, quarum unaquæque in ſuâ parte recipiatur exigendo præſentiam alterius in loco immediato; vel ſimplicem, & in alterâ tantùm parte receptam, in illa ſcilicet, quam Deus determinaverit, ſicuti determinat quoslibet effectus cauſæ ſecundæ quoad individuum. 4.: in quantitate continuâ conſiderantur à Mathematicis (præter punctum, dimenſionis expers) linea, ſuperficies, & ſolidum, juxtà tres notiſsimas dimenſionis, longitudinis, latitudinis, & profunditatis, quas vocant quantitatis ſpecies. Linea longa eſt, non lata, nec profunda. Superficies eſt longa, & lata, ſine profunditate. Solidum eſt longum, latum, & profundum, venitque nomine corporis mathematici.

CA-

## CAP. I.

### *ARISTOTELIS SENTENTIA PROponitur, & quàm sit difficilis, ostenditur.*

1 ARistotelica sententia docet, quodvis continuum componi ex partibus divisibilibus in infinitum, ita ut nulla, quantùmvis exigua, sit designabilis, etiam à Deo, quæ dividi nequeat iterùm atque iterùm sine fine, vel ab Angelo, vel à Deo ipso. Non tamen admittit hæc sententia infinitum in actu, seu categorematicè, extensionis, aut multitudinis partium, si unum, aut alterum Authorem excipias. Admittunt etiam plerique Aristotelici admixta cum partibus infinita puncta indivisibilia, quæ vocant *copulantia*, & *terminantia* eò quòd quantitatem continuam terminent, ejusque partes inter se copulent instar unionum: quæ tamen puncta, sicut & divisiones partium factibiles, in hac sententiâ solam habent infinitatem syncategorematicam; nam quæcumque designentur, finita sunt, quàmvis possint designari semper plura & plura sine fine. Hæc sententia magnâ pollet authoritate: nam eam tenent Thomistæ cum D. Thomâ, Scotistæ cum Scoto, & plerique Nostrorum cum P. Suarez: subscribunt ex neotericis Cartesiani cum duce Cartesio.

2 Porrò partes, in quas potest dividi continuum, quoad præsens attinet, sunt in duplici differentiâ. Nam alias vocant *aliquotas*, eo quòd aliquoties ductæ, seu repetitæ, totam quantitatem adæquent: talis est v. g. in ulna palmus, qui quater ductus totam mentitur ulnam. Eadem vocant *determinatas*, *æquales*, & *non communicantes*; quia certam & æqualem inter se mensuram habent, nec una cum aliâ communicat, ideſt, nihil de aliâ participat, sed adæquatè distinguuntur invicem; ut in quatuor ulnæ palmis videre licet. Alias verò appellant *proportionales*, illas scilicèt, quæ novis partium subdivisionibus, eâdem proportione factis, deteguntur; ut si quantum bipalmare primùm dividatur in duos palmos, deinde in quatuor semipalmos, posteà in octo medietates semipalmorum, & sic deinceps: servatur enim semper proportio dupla, tum in minoritate, tum in multiplicatione partium. Numerus partium ex unaquaque divisione ac subdivisione resultans, vocatur *series*: unde duo palmi sunt prima series, quatuor semipalmi secunda series, octo medietates semipalm. tertia series, &c.

3 Ubi notandum, quòd partes in unaquaque serie semper sunt inter se æquales, & non communicantes, ut evidens erit inspicienti: sunt etiam aliquotæ relatu ad totum, etiam primo divisum: sicut enim palmus bis ductus adæquat quantitatem bipalmarem, ita eamdem adæquat semipalmus quater repetitus. Quare, dum partes proportionales vocantur *inæquales*, & *communicantes*, intelligendum id est respectu partium, quæ pertinent ad series præcedentes, aut subsequentes. V. g. semipalmi comparati cum palmis, licèt utrique sint partes quanti bipalmaris, sunt partes inæquales, & communicantes; quia semipalmi sunt minores palmis, de illisque singuli participant aliquid. Interdùm partes proportionales vocantur etiam *indeterminatæ*, fortè quia juxta Aristotelem decrescere possunt in quantitate per novas series sine parvitatis termino determinabili. Vocantur item nonnumquàm *aliquan-*

*quanta*, sed immeritò; nam *aliquanta* dici solet pars non aliquota, seu non commensurabilis cum toto, v.g. quantitas tripedalis respectu decempedæ; pars enim ista ter ducta non adæquat totum, quater autem ducta illud excedit. Quidquid sit de terminorum explicatione, quæ varia & confusa solet esse in præsenti, communiter asserunt Aristotelici, partes aliquotas in continuo finitas esse, proportionales autem infinitas, seu multiplicabiles in infinitum.

4 Verùm enimverò sententia Aristotelica difficillima est. Nam ex eâ sequitur, in exiguâ festucâ v. g. reperiri partes actu & categorematicè infinitas: sed hoc est absurdum: ergo. *Minor* communiter conceditur ab Aristotelicis, & immeritò negatur ab uno, vel altero. Tum propter difficultates infiniti categorem., de quibus suprà. Tum quia, cum singulæ partes suam habeant extensionem localem, nec una cum aliâ penetretur, si sunt actu infinitæ, quomodò non reddunt festucam infinitè extensam? Respondet acutus Author, partes proportionales, minores, & minores in infinitum, infinitam extensionem componere non posse: quia, sicut multiplicatio istarum partium secundùm numerum, non auget extensionem quantitatis (neque enim resultat major extensio ex quatuor semipalmis, quàm ex duobus palmis, licet illi sint quatuor, & isti duo; idemque accidit in cæteris subdivisionibus, numerum partium duplicantibus), ita nec earumdem infinitudo extensionem augere valet: ubi enim plus multitudinis non facit plus molis, nec infinitum multitudinis facere poterit infinitum molis.

5 Verùm hoc difficultatem haud solvit. Nam licèt secunda series non augeat extensionem primæ, nec tertia secundæ, & sic de cæteris; si tamen series ipsæ multiplicari possunt in infinitum, eo ipso arguitur in primâ serie, vel in primo divisо moles infinita. Quomodò enim finita moles continere poterit infinitas molécülas extensas, & expenetratas, quamtumvis parvulas? præsertim cum illæ omnes sint adæquatè distinctæ inter se, ut fatetur Author respónsionis. Præterea sic argumentor: in continuo Aristotelico dantur infinitæ partes (sive proportionales vocentur, sive non), quarum aliæ aliis additæ majorem faciunt extensionem: ergo facient extensionem infinitam, siquid valet ratio respónsionis. Patet *antecedens*: nam, si ex palea palmari separetur prior semipalmus, ac deinde medietas residui, hæc medietas appósita priori semipalmo, minor quidè est illo, sed tamen extensionem ejus auget abidubiò, cum nihil de ipso participet, sed adæquatè distincta superveniat: tum, si residuum paleæ dividatur in sui medietates A., & B., medietas A. addita priori semipalmo jam aucto, novum addit augmentum extensionis: idem continget, si medietas B residua dividatur iterùm in sui medietates C., & D.; & sic deinceps sine fine; nunquam enim manere potest residuum paleæ tam exiguum, ut à Deo dividi nequeat in sui medietates: dantur ergo in continuo medietates infinitæ (utique non communicantes, sed adæquatè distinctæ), quæ licèt proportionaliter decrescant, tamen aliæ aliis additæ plus afferunt molis.

6 Accedit, quòd in paleâ medietates illæ proportionales positæ sunt omnes in longum, una post aliam: si ergo sunt actu infinitæ, formica, totam paleam percurrens motu continuo, successivè percurret partes

tes infinitas: quod omninò repugnat, cum de conceptu infiniti sit, juxta omnes, esse impertransibile successivè. Accedit insuper, quòd poterit à Deo fieri omnimoda continui divisio in partes infinitas; non enim magis repugnat infinitum partium divisarum, quàm unitarum. Sequelam admisit Gregor. Arimin. cui unus è modernis assentitur, & præterea nullus, quem sciam. Cæteri omnes illam omninò respuunt: quia vel illæ partes manerent ulteriùs divisibiles, vel non? Si primum; non esset facta divisio omnimoda, contra suppositionem: Si secundum; jam continuum esset redactum ad indivisibilia; ex quibus proinde componi de facto necesse est, siquidem ex ijs componitur, in quæ resolvi potest. Non me præterit, hoc argumentum eludi posse per tenebras infinitatis: sed lucem quærimus, non caliginem.

7 Jam *Major* primi Syllogismi num. 4. probatur facilè, posito partes continui actu inter se distingui ante divisionem, ex dictis in limine disput.. Nam in festucâ datur multitudo partium (multitudo, inquam, ex distinctis, licèt non ex divisis), quæ nullâ successivâ numeratione, vel ablatione exhauriri potest: sed talis multitudo est infinita, ut patet ex conceptu infiniti, prout à finito condistincti: cum ergo sit actu existens, erit infinita in actu seu categorem. Urgetur 1.: Deus intuetur omnes festucæ partes existentes, & actu distinctas ante divisionem: vel ergo videt eas esse in numero finito, vel in infinito? Si primum, poterit tandem finiri divisio continui: si secundum; nihil deest ad infinitum in actu. Urgetur 2.: partes actu positæ, quæ licèt successivè extrahantur totâ æternitate, finiri nequeunt, sunt categorematicè infinitæ, duo modò sint inter se adæquatè distinctæ, & non communicantes. Quid evidentius? At ita se habere partes festucæ, constat exemplo num. 5. Nam medietates illæ proportionales inprimis sunt adæquatè distinctæ, & non communicantes cum præcedentibus teorsim positis, ut est manifestum: ac deinde, licèt eas Deus successivè extrahat totâ æternitate, numquam finiet, seu nunquam perveniet ad residuum infectile in novas medietates sui.

8 Id ipsum patet in hoc folio papyraceo v. g.: potest enim Deus ex eo, quà profundum est successivè deducere, & in cumulo seponere tenuiora foliola, plura, & plura in æternum, ita ut nunquam pervenire queat ad ultimam superficiem, aut crustulam infectilem. Hæc autem foliola (quibus tegi poterit totus hic Mundus, & multiplex alius, quod nimis est mirabile), licèt sint alia aliis minora, vel subtiliora, tamen sunt inter se adæquatè distincta, & non communicantia. Atque hinc etiam probatur extensio infinita in paleâ palmari v. g.: nam in casu num. 5. sequentes medietates proportionales, additæ priori semipalmo teorsim posito, singulæ augent extensionem: quia *finitum*, quantumvis modicum, *additum finito facit majus*: ergo & extensionem augent, dum sunt unitæ in paleâ, cum ibi jam sint distinctæ, extensæ & expenetratæ: dantur ergo in longitudine paleæ tot incrementa extensionis, ut successivâ numeratione finiri nequeant. An non hæc est extensio infinibilis?

9 Urgetur 3.: puncta indivisibilia copulantia partes, quæ à plerisque Aristotelicis admittuntur, non sunt finita in grano sinapis v. g. tot enim sunt, quot divisiones partium

pos-

possibles, & hæ non sunt finitæ: sunt igitur ejusmodi puncta infinita, & quidem in actu, cùm actualiter existant. Occupant autem singula distinctum locum; quia nullum cum alio penetratur: unde in eo granulo existent infinita puncta, locum infinitum occupantia. Urgetur 4., & validissimè, in continuo successivo, sive in tempore. Nam omnes partes unius horæ successivè existunt, & ita quidem, ut nunquam verificetur, duas partes, aut particulas simul existere, nec simul transire. Hinc autem sequitur 1., partes horæ transactæ non esse infinitas; quia repugnat, infinitum successivè transire: quod etiam de infinito syncategorematico verum est. Certè in horâ tot erunt mediætates proportionales adæquatè distinctæ à præcedentibus, quot in paleâ palmari: sed ex dictis num. 3. mediætates illæ tot sunt in paleâ, ut eas Deus successivè finire nequeat, licèt totâ æternitate separet aut destruat alias, & alias: cum ergo similes mediætates in horâ successivè transeant, ac destruantur (non enim unquam transeunt duæ simul), nunquam poterunt finiri omnes, aut transire, sed efficient horam æternam. Idem clarè cernitur in instantibus, aut punctis temporis continuativis, quæ infinita esse debent eâdem ratione, quâ puncta continui permanentis: & non transeunt duo, vel plura simul, sed successivè singula: unde nunquam transibunt omnia unius horæ. Sequitur 2., partes horæ nunquam esse præsentes, nec actu existere: quia, cum nulla pars sit indivisibilis, omnis pars constat partibus, aut particulis: unde, si aliqua esset præsens, ejus particulæ simul essent præsentes, quod repugnat continuo successivo. Solum ergo successivè præsentia sunt instantia indivisibilia, quæ in sententiâ Aristotel. non sunt partes temporis, sed quasi uniones partium: ergo non aliæ partes, præter sola instantia, sunt præteritæ, nec futuræ; quia non est præteritum, nisi quod fuit præsens; nec est futurum, nisi quod præsens erit, vel ratione sui totius, vel ratione partium successivè præsentium.

10 Denique sententia Aristot. falsa erit, si detur linea meris punctis constans, superficies meris lineis, solidum meris superficiebus: sic enim solidum, analysi factâ, ultimò dividetur in puncta. At, quòd ita res habeat, probatur: quia, ut Mathematica demonstrat, circulus lineâ rectam non tangit nisi in puncto, dimensionis expertè: unde, si tota linea moveatur tangendo circulum, tota tangetur, semperque in puncto: non ergo constat nisi punctis. Globus etiam perfectè sphæricus non tangit planum nisi in puncto: quare, si roteur in plano, lineam describet solis punctis constantem. Jam verò plani superficies meris constat lineis nullius latitudinis: nam, si cylindrus volvatur in plano, totam ejus superficiem tanget, cum tamen nunquam à cylindro tangatur planum nisi in lineâ. Denique duo plana se tangunt secundùm superficies non profundas, seu indivisibiles quoad profunditatem: si enim superficies, quatenùs se tangunt, profunditatem haberent, penetrarentur quoad partes extimas, aut priores in ordine loci, cum non aliter possent immediatè accedere invicem quoad partes internas, aut posteriores. Cumque ratio ista pariter militet in extimâ cujusque plani superficie respectu partium internarù ejusdem corporis, sequitur, quòd externa superficies immc-

mediatè continuatur cum aliâ internâ superficie, seu latitudine, pariter non profundâ, & hanc eodem jure cum aliâ interiore, atque ita deinceps, donec absolvatur solidum, quod proinde meris constat superficiebus.

## CAP. II.

### *PROPONITUR SENTENTIA ZENONIS, & ejus difficultas exponitur.*

1 ZENO, Stoicorum princeps, continuum componi docuit ex solis indivisibilibus, tamquam ex primordijs, plurimis quidem in quovis corpusculo sensibili (quot nemo nostrum numerare queat in grano sinapis v. g.), sed tamen coràm Deo finitis, seu finito in numero: atque ex ijs in longum continuatis resultare lineam, ex lineis in latum repetitis superficiem, ac tandem ex superficiebus in profundum multiplicatis solidum, sive corpus. Quodsi ordine analytico procedatur, corpus resolvetur in superficies, istæ in lineas, lineæ in puncta physicè indivisibilia. Hanc sententiam amplectuntur Authores plures, & graves, quos citat, & sequitur P. Quiros *disp. 67. sect. 2.* Accedit P. Izquierdo, quem citatus sequuntur P. Peynado *lib. 6. disp. unic. sect. 1. & seqq.* P. Joan. Ulloa *Philosoph. natur. disp. 2. cap. 7.*, & plures alij. Subscribunt Author Philosoph. Burgund., Maignan, Tosca, cæterique Atomistæ moderni.

2 Ex his tamen Authoribus alij negant, alij concedunt unicuique puncto suam extensionem, figuramque. Nonnulli agnoscunt etiam in quovis puncto naturalem capacitatem, ut occupet pro varietate circumstantiarum nunc minorem, nunc majorem locum, sivè ut replicetur nunc in pluribus, nunc in paucioribus punctis spatij: quemadmodùm anima hominis, aut etiam anima leonis in sententiâ Thomisticâ, licèt indivisibilis, existit naturaliter nunc in minori, nunc in majori spatio, juxta varias corporis ætates. Atque hujusmodi puncta, quia in replicatione quodammodò intumescunt, vocari solent *tumentia*, *turgida vel inflata*. Monent quoque plures, nec se, nec Zenonem loqui de Continui divisibilitate mathematicâ, nec de punctis mathematicè consideratis (de quibus posteà sermo erit); sed tantum de primordijs physicè, seu realiter indivisibilibus, sive illa vocentur *minima*, sive *puncta*, sive *atomi*. Nec propterea hi omnes censeri debent *Atomistæ*, prout hoc nomen vulgo significat constituentes substantiale compositum ex solis materiæ atomis variè complicatis: loquuntur enim in præsenti de solâ compositione integrali, quam fieri volunt ex atomis tum materiæ, tum formæ peripateticæ.

3 Sententia Zenonis probatur argumentis contra Aristotelicam suprà datis. Si enim repugnat, continuum componi ex partibus sine fine dividuis, aut etiam ex punctis infinitis, superest, ut ex indivisibilibus finitis, tamquam ex primis componentibus, coalescat. Accedit 1., quòd natura ubique aliàs abhorret processum in infinitum, præsertim in causis, tum extrinsecis, tum intrinsecis compositionis essentialis, in qua juxta omnes assignari debet prima forma, primumque subjectum, ex alio subjecto non compositum: cur ergo non ita fit philosophandum in causis intrinsecis totalis integralis, ut pariter deveniatur ad prima componentia, non integraliter composita? Accedit

2., quod, si nulla est materiæ pars à Deo designabilis, quæ non constet partibus, nulla erit, quæ non constet unione partium: unio autem partium materiæ non est creata, sed educta; nam alioquin annihilaretur à causâ secundâ (cui repugnat annihilare, sicut & creare) partium dividente materiam; quod enim creatione producitur, annihilatione definit, si definat. Non ergo poterit materia existere, quin constet unione eductâ: materia igitur non erit creata, sed genita; ut patet exemplo hominis, qui simpliciter generari dicitur, quamvis in eo sola unio educatur. Imò in homine minor est ratio; quia in eo pars est, nempe anima, potens existere & conservari independenter ab eductione unionis, & ab unione ipsâ. At in materiâ nulla pars potest existere, nec verè concipi juxta Aristotel., independenter ab unione suarum partium, aut particularum.

4. Nihilominùs contra sententiam Zenonis multa sunt argumenta difficillima, quorum præcipua nunc indicabo. *Primum*: ex meris indivisibilibus resultare nequit extensio continua: nam, si duo se tangunt, se tanguat totaliter, ita ut nihil sit unius intactum ab aliô, ne alioquin dentur in eo partes, tacta, & intacta. At eo ipso penetrantur in eodem loco, ut patet in manibus, quæ, si se tangerent totaliter interiùs, & exteriùs, eo ipso penetrarentur. Si autem indivisibilia penetrantur, non faciunt extensionem. Urgetur: quæro, an puncta A. & C., tangant punctum B. intermedium penes diversas illius facies? an penes eamdem? Si primum: ergo punctum B. diversas habet facies, sive latera; quod non cohæret cum indivisibilitate, & præterea infert, in eo puncto dari sex facies, cum possit circumdari sex punctis juxta totidem respectus locales, nempe sursùm, & deorsùm, antè, & retrò, à dextris, & à sinistris unde punctum B. figuram habebit cubicam, eritque solidum, sive corpus. Si secundum: ergo interpositio puncti B. non impedit immediatum contactum inter A. & C.: si enim duo tangunt tertium penès idem indivisibile, nequeunt non esse sibi invicem immediatissima: non ergo resultat major extensio ex tribus punctis, quàm ex duobus; & similiter nec ex centùm, quia ultimum semper erit eâdem ratione immediatum primo. Adde, quòd ea sunt immediata, & contigua, quæ nullo distant intervallo: sic autem se habent puncta A. & C.; nam sola interpositio puncti B., utpotè dimensione carentis, non causat intervallum.

5. *Secundum*: ex hac sententiâ sequitur, motum aquilæ volantis non esse velociorem motu testudinis. Nam testudo in singulis instantibus adquirit unum saltem indivisibile spatij; non enim potest minus adquirere: ergo in decem instantibus decem puncta spatij percurrit. At aquila non plus spatij conficit eodem tempore: nam in singulis instantibus non nisi unicum spatij punctum adquirere potest, alioquin punctum extremum rostri aquilini v. g., vel occuparet in eodem instanti duo aut plura loca sibi adæquata, vel transiret de loco ad locum distantem non transeundo per medium: aquila igitur in decem instantibus non nisi decem spatij puncta pervolat: ergo non est velocior testudine, si quidem id movetur velociùs, quod in eodem tempore plus confecit spatij. Nec prodest recursus ad morulas, quasi plures habeat motus testudinis, quàm aquilæ, indeque

que tardior evadat, & solùm adquirat in decem instantibus tria puncta spatij, si motus aquilæ adquirit octo.

6 Nam recursus iste impugnatur 1.: quia, licèt stare posset in motu viventium, non ita in motu projectorum per impulsum ab extrinseco impressum: hic enim impulsus, cessante motu, perit statim, ut experientia docet: præterea que, cum sit causa necessaria, nec majorem inveniat resistentiam in uno, quam in alio instanti, non est cur in singulis non producat motum, quamdiù durat. Unde ferrea glans sclopeto explosa non celeriùs movebitur, quàm lapis manu projectus. 2.: quia, cum motus aquilæ sit incomparabiliter tardior motu Solis, interruptus esset innumeris ferè morulis, quæ proinde oculis perciperentur. 3., & validissimè: pone rotam constantem duobus circulis concentricis, five interno, & externo, quorum idem sit centrum: dum rota volvitur, exterior ejus circulus, qui major est, velociùs movetur, quàm interior, & centro vicinior, siquidem quodlibet ejus punctum eodem tempore plus conficit spatij, totum scilicet, quod respondet ipsi circulo majori: & tamen interior ac minor circulus non habet in motu plures morulas; si enim tantisper quiesceret, dum movetur circulus exterior, radij rotæ (quos pone fractos, aut laxos, & utrique circulo affixos) frangerentur, aut incurvarentur; quod vel oculis patet esse falsum.

7 Ex eadem figurâ rotæ sumitur *tertium* argumentum. Nam, stante sententiâ Zenonis, circulus interior tot constabit punctis, quot exterior: possunt enim à singulis punctis circuli exterioris duci totidem lineæ rectæ ad centrum usque, vel è converso à centro ad puncta singula peripheriæ: quæ lineæ sic transire debent per interiorem circulum, ut non transeant duæ per idem punctum circuli hujus, sed unaquæque per suum; alioquin duæ lineæ rectæ, à peripheriâ usque ad centrum ductæ, haberent commune segmentum, seu in unam coirent priùsquàm pervenirent ad centrum: quod est contra demonstrationes mathematicas. Tot ergo sunt puncta in circulo minori, quot lineæ duci possunt à majori: si ergo lineæ sunt tot, quot puncta majoris, totidem constabit punctis minor, quot major, atque adeò erunt æquales.

8 *Quartum*: detur triangulus Isosceles, figurâ quasi pyramidali, cujus basis constet sex punctis, latera verò, in cuspidem coeuntia, sint duplo majora, hoc est, duodecim punctorum singula. Sequitur, lineam basis æqualem esse lineis lateralibus, contra suppositionem. *Prob.*: à cuspide ad basim hujus figuræ duci possunt tot lineæ transversæ inæquales, quot sunt puncta uniuscujusque lateralis, excepto ultimo, quod pro cuspide est: ergo duci possunt decem, vel undecim, si numeres etiam basim. Tum sic: prima linea transversa, cuspidi proxima, constat, ut minimùm duobus punctis, secunda tribus, tertia quatuor, & sic deinceps usque ad basim, quæ proinde invenietur constare duodecim punctis, quibus evadet æqualis cuivis è lineis lateralibus. Vel, si tantùm constat sex punctis juxta suopositionem, sexta linea transversa, & à fortiori quælibet è sequentibus, excedet lineam basis; cum tamen omnes supponantur basi minores, & spatium angustius occupantes.

9 *Quintum* : linea diagonalis quadrati (quæ scilicet ab uno quadrati angulo ad oppositum ducitur), est lateri incommensurabilis, adeò ut nunquam inveniri possit mensura communis utrique lineæ, diagonali, & laterali, ut demonstrat Euclides. At, si lineæ constant solis punctis, utriusque lineæ mensura communis erit punctum, cum sit utriusque pars aliquota. Præterea sequitur (quod est planè falsum), diagonalem non esse, latere longiorem. Si enim ab uno quadrati latere ad oppositum ducantur totidem lineæ perpendiculares, quot sunt puncta cujusque lateris, hisce lineis tota occupabitur & cooperietur linea diagonalis, nec tamen à singulis tangetur nisi punctis singulis: non ergo in diagonali plura sunt puncta, quàm quæ respondent lineis perpendicularibus, ac proinde non plura, quàm in quadrati latere. Mitto alia, passim apud alios videnda, quæ ex ipsiem Mathematicæ fontibus derivantur.

## CAP. III.

### *DIFFICULTATUM CONTRA ZENONIS sententiam objectarum aliqualis solutio.*

1 ARgumenta, utroque superiori Capite proposita, solutu difficilia esse nemo negat. Sed tamen, quæ contra sententiam Aristotel. militant, solvuntur, ut mihi quidem videtur, difficilius multò, vel obscurius. Quæ verò Zenonem impugnant, ægrè quidem, sed clarius enodantur, ut jam ostendo. Ad *primum* (ut omittam responsionem eorum, qui tribuunt atomis extensionem, figuramque, ne longiori, quo indiget, examine detineat) negatur assumptum. Sicut enim duæ rationales animæ, vel duo Angeli, tametsi entitativè indivisibiles, & indivisibiliter locati, possunt esse in locis immediatis, sed tamen distinctis, atque adeò possunt se tangere sine penetratione (tamo *contactum* analogicè; nam propriè non dicitur *contactus*, nisi localis immediatio rerum corporearum): ita in duobus materiæ punctis accidere potest. Quare conceditur contactus totalis, prout exponitur in argumento; negatur tamen penetratio; quia hæc requirit identitatem loci. Nec valet exemplum manuum: hæ quippe sunt divisibiles quoad profundum, ideòque nequeunt se tangere quoad partes internas, nisi partes illæ cum externis penetrentur: quæ ratio in indivisibilibus non urget.

2 Dum quæritur, an puncta A. & C. tangant intermedium B. penes diversas istius facies? Inprimis idem de Angelis immediatè locatis quæri potest. Ac deinde punctum nullas habet facies intrinsecas, cum figuræ sit expers in semetipso: habet tamen quasi facies extrinsecas, quatenùs habet circumquàque diversa loca realia, vel imaginaria, per quæ respicit diversas Mundi plagas, ita ut per unum locum respiciat orientem, per alium occidentem, &c. & secundùm diversas istiusmodi facies (quæ possunt considerari sex, vel plures, prout fuerint comparationes ad varias Mundi partes) tangitur punctum B. ab A. & C., licèt ab utroque tangatur secundùm eamdem sui entitatem intrinsecam. Sufficit autem extrinsecæ facierum diversitas, ut interpositio puncti B. impediat contactum, & immediationem inter A. & C., majoremque cum ijs constituat extensionem. Nec facilè probabitur immediatio, seu contiguitas inter duo,

duo; cùm verè intercedit locus aliquis, tametsi indivisibilis, quique non immeritò vocari potest intervallum, quàmvis non habeat tractum extensionis. At quomodò, inquis, ex non extensis resultabit extensio? Eo, inquam, modo, quo resultat numerus ex non numeris, nempe ex unitatibus, vel quo resultat acervus ex non acervis, leuca ex non leucis, hora ex non horis, &c.: passim quippe accidit, ut nomen totius non conveniat partibus singulatim. *Instabis*: indivisibilitas est propria entium spiritualium. *Dist.* indivisibilitas, tá formalis, quàm radicalis, aut primordialis, *conc.*; præcisè formalis, *subdist.*: si sit penetrabilis cum aliâ re simili, *conc.*; si penetrationem excludat, *neg.*. Ut punctum corporeum differat à re spirituali, sufficit, quòd suapte naturâ sit radix, aut primordium rei divisibilis, & quòd sit impenetrabile cum alio ejusdem generis; quo tamen non prohibetur punctum materiæ penetrari cum puncto formæ, & puncto quantitatis, aut qualitatis. Si adhuc objicias vetustum illud, *Indivisibile additum indivisibili non facit majus*; dicam, id esse verum dumtaxat de majoritate sensibili, seu quoad nos.

3 Ad *secundum* variæ afferuntur solutiones. Alij puncta mobilis velocioris inflant: alij saltare faciunt ad puncta loci distantia, non pertransitis medijs: alij partim saltare, partim intumescere, seu replicari cogunt. Sed ea videtur expeditior via, quæ recurrit ad morulas; eò enim mobile vocatur morosus, quò tardius movetur. Nec obstant impugnationes objectæ. Non 1.: quia etiam impulsus ab extrinseco impressis morulas habes insensibiles, quibus cessat à motu, & quæ sunt ei connaturales, ac proportionatæ; ideòque non illum flatum perire faciunt, sicuti facit mora sensibilis, quia violenta est. Sic juxta plures natura abhorret vacuum sensibile, non tamen insensibile, quod *disseminatum* vocant. Nec refert, quòd impulsus sit causa necessaria: hæc enim est generalis conditio causæ necessariæ successivè operantis (saltem dum non attingit summum vitium, aut intensionis naturaliter possibilis), crebris morulis veluti respirare, ut conatum resumat: quemadmodùm naturalium agentium conditio est non agere in distans sine operatione per medium, vel non debellare contrarium nisi paulatim, & cum aliquâ successione temporis, vel etiam in multis non operari nisi per lineam rectam.

4 Non 2.: quia morulæ permixtæ motui non facilè percipiantur, eò quòd motus sit magis visibilis, vel ex crebrâ variatione specierum, queis visum percellit, vel saltem ex comparatione terminorum, à quo, & ad quem; morulæ autem, ad motum se habeant quasi privationes. Hac ratione, dum seriem montium aspicimus longè positam, quasi continua, vel contigua putamus cacumina, quia non percipimus intervalla, quamvis plura sint, & fortè montibus longiora. *Dices*: motus pilæ è bombardâ explosæ comparatur ad motum stellarum fixarum ferè cum proportione unius ad centum millia: ergo, si hora dividatur in centum millia partium, in unâ tantùm ex ijs movebitur pila, in reliquis quiescet. Quomodò ergo non percipitur quies? vel quomodò pila tendit vecta ad scopum, cum debeat in quiete descendere vi nativæ gravitatis? *Resp.*: adversâ eâ proportione, tum illa quies, cum non sit continua, sed interrexta particulis motus, minoribus

bus quidem in duratione, sed tamen plurimis, & innumerabilibus quoad nos, & aliunde sentum magis percellentibus, & quasi ad se rapientibus; hinc provenit, quòd sensu percipi non possit.

5 Memineris, in quovis minuto, imò in quovis secundo, dari milliones plurimos instantium indivisibilium: unde centum millia instantium non efficiunt tempus sensibile, nisi juvetur objecti sensibilitate vehementi, & crebrò repetitâ. Memineris etiam, in mixtione liquorum sæpe contingere, ut exigua unius quantitas ita se solam oculis prodat, ut alterius majorem obruat, & visu percipi non sinat. Sic atramenti modica portio quantitatem aquæ multò majorem adeò nigrescere facit, ut nihil ibi nisi atramentum percipiamus. Sic, ut Boylius docet *tract. de effluviis*, unum cupri granum in spiritu salis ammoniaci dulcivas, fiet liquor cæruleus: hic, si affundatur aquæ, præsertim distillatæ, cæruleo colore tinget sensibiliter aquæ copiam, quæ plus ducentiès mille partes habeant mole æquales uni cupri grano. Si ergo in mixtione permanente hoc accidit, cur non etiam simile quid contingat in mixtione successivâ motus cum morulis? Quòd autem pila explota non descendat in morulis, ex eo provenit, quòd morulæ, dum connaturales sunt, non remittunt intensionem impulsus, nec ejus vim motivam debilitant, sed potiùs juvant per modum conditionis ad prosequendum motum: quare non sinunt gravitatem interim prævalere.

6 Itaque summa motus velocitas, naturaliter possibilis, ea est, quâ singula puncta mobilis sine interruptione adquirunt in unoquoque instanti novum punctum loci; non enim possunt adquirere plura sine bilocatione, aut saltu naturaliter impossibili (potest tamen hoc divinitùs contingere, ideòque potest velocitas miraculosè crescere sine fine), ut benè probat argumentum. Quare quicumque motus velocitatem illam non attingit, necesse est, ut moretur per aliquod, vel aliqua instantia, & eò plura, quò magis à summâ velocitate deficit, seu quòd tardior est. Necesse est etiam, ut motus, qui non est summè velox, non sit continuus, nisi sensibiliter, seu quoad sensum, non percipientem morulas, quibus interrumpitur.

7 Non denique 3. : quia difficultatem objicit forè insolubilem in quacumque sententiâ: quare non magis impugnat morulas, quàm alios dicendi modos hucusque excogitatos. Minor tamen difficultas fore videtur, si, dum rota illa volvitur, morulas admittas in minori circulo, plures, quàm in majori: quibus ex morulis resultare dicas inflexiones, aut undulationes insensibiles in radijs rotæ, quâ parte excedunt circulum minorem; insensibiles, inquam, ex parvitate cujusque morulæ, & brevissimo reditu ad lineam rectam; & eò minùs sensibiles, quò major fuerit inter utrumque circulum distantia; tunc enim diffunditur inflexio, vel undulatio per plures partes cujusque radij, fierique profundè minùs observabilis. Nec obstat, quòd radij sint ferrei, vel laxei: nullum enim est corpus adeò durum, ut non possit insensibiliter flecti, seu comprimi, tantisperque mutare figuram, etiam sine magno impetu, vel ictu: quod satis patet ex vi elasticâ, quâ corpus durum, dum impingit in aliud, resilire cogitur (ut cum globus chalybeus

Deus in incudem decidit), quia scilicèt utriusque partes, aliquatenùs pressæ, se se statim restituunt in figuram debitam, atque ita reflexionem causant corporis impacti. De hoc dotorum corporum elaterio, quod inter modernos Physicos receptissimum est, videri potest Auctor Philoph. Burgund. *tom. 4. tract. 2. differt. 2. cap. 5.* Siergo percussio, vel impactio flectat insensibiliter corpora durissima, nec tamen dirumpit, aut discontinuat, quidni motus simile quid præstet, quando nequit fieri æquabiliter secundùm partes omnes? Nec dicas, in corpore continuo non posse unam partem flecti sine aliâ, quin ab eâ dividatur: nam contrarium passim cernimus in ramis arborum, dum immoto trunco moventur.

8 Si tamen inflexiones hujusmodi non placeant, dicatur, quodlibet punctum interni circuli respondere per lineam rectam, non uni tantùm puncto spatij circuli externi, sed multis, & eò pluribus, quò major est circulus exterior, ut colligi poterit ex dicendis num. seqq.: quia, si lineæ rectæ ducantur à singulis punctis circuli exterioris ad centrum, necesse est, ut earum plures coeant, & identificentur, cùm perveniant, vel priusquam perveniant ad circulum minorem. Quo fit, ut rotæ radius, quâ parte attingit circulum majorem, possit, morante circulo minore, moveri ad nova puncta spatij (a lea scilicet, à quibus duci possunt lineæ coeuntes), servando lineam rectam, ac proindè nullam inflexionem patiendo.

9 Ad *tertium* negatur sequela, sicut & possibilitas tot linearum à puncto centrico ad circumferentiam, vel è contrà, si sermo sit de punctis physicis, ac de lineis inter se adæquatè distinctis. Nam, cum lineæ, sic distinctæ, quò longiùs à centro protrahuntur, eò magis inter se invicem recedant, necesse est, ut, cùm perveniunt ad circumferentiam, inter se distent per intervalla capacia plurium punctorum, etiam apud Aristotelicos. Quodsi lineas consideres à circumferentiâ incipientes versus centrum, cum illæ pro ratione accessus ad centrum debeant inter se invicem accedere, non poterunt à duobus punctis immediatis, aut valde propinquis incipere, quin citò coeant, seu identificentur, communeque proinde segmentum habeant.

10 Aliud erit, si sermo sit de punctis mathematicis. Solent enim Mathematici considerare puncta imaginabilia, seu prout imaginationi subiunt (ideò Mathematica dicitur abstrahere à quantitate sensibili, non ab imaginabili); quo modo puncta concipiuntur cum aliquâ mole, tametsi valde exiguâ, & insensibili; quia nihil omnino expers molis, aut indivisibile quâ tale, sub imaginationem cadit. Punctum ergo, sic acceptum, physice, id est, reipsâ, & coram Deo, divisibile est in plurima puncta Zenonica: sed quia Mathematici sæpissimè præscindunt à divisibilitate istâ, ideò punctum illud dicitur mathematicè indivisibile, scilicet prout tali præcisioni subsistat. Quod adeò verum est, ut interdùm Astronomi sumant totum Terræ globum tamquam punctum mathematicum, quod est Mundi centrum, eò quòd Terræ magnitudo, cum Firmamento comparata, vix molem habeat. Et generatim, dum Geometræ circulum describunt, punctum centricum vocant, quod respondet cuspidi circini; quæ tamen cuspis, quantumlibet acuta, mul-

tis

tis constat millibus punctorum physicè indivisibilium. Dum igitur de punctis mathematicis hujusgeneris sermo est, fateor, duci posse ab omnibus peripheriæ punctis ad centrum usque, totidem lineas non communicantes: quia, licèt plures transire debeant per idem punctum interioris circuli, cum tamen punctum istud reipsà sit quædam moles, plurimis fæta punctis physicis, potest plurimis lineis dare transitum per puncta physica omninò distincta.

11 Porrò, cùm Mathematici aliàs demonstrare se dicunt, quantitatem esse in infinitùm divisibilem, intelligendi quoque sunt de quantitate prout imaginabili, seu de progressu imaginationis in quantitate assumendâ: quatenùs videlicet antequam potest imaginatio concipere moleculam tam exiguam, ut non liceat minorem aliam imaginari: quin imò, si velint moleculam semel conceptam considerare, non ut punctum præcisivè indivisibile, sed ut quoddam solidum, aut corpusculum (quod ipsis est ad libitum), possunt illam imaginatione dividere in duas medietates, & has rursùs in alias medietates proportionales, & sic deinceps. An verò ita physicè contingere possit, Mathematici non curant; quia non agunt de quantitate ut physicè possibili, vel existente, sed ut objectâ imaginationi. Nec propterea fingere putandi sunt (quàmvis hoc alii qui concedant); quia divisibilitatem istiusmodi non attribuunt quantitati absolutè, sed tantùm ex hypothesi quòd talis esset, qualem imaginantur ipsi. Quàm parum juvent pleraque argumenta mathematica ad physicam & realem continui compositionem indagandam, ostendunt PP. Izquierd. & Peynad.; necnon Maignan *tom. 2. Philos. cap. 7.* præcipuè verò Author Philosoph. Burgund. *tom. 4. tr. 2. dissert. 1. cap. 3.*, ubi ex P. de Chales quædam observat ijs, quæ nuper diximus, valde congruentia; benèque monet, ex demonstrationibus mathematicis utrumque sequi, & quòd linea constet solis punctis, cum circulus nonnisi in puncto rectam lineam tangat, & quòd constet partibus in infinitum sectilibus, cum quædam lineæ sint incommensurabiles.

12 Ad *quartum* negari poterit hypothesis, quòd licitè dari possit pyramis, aut triangulus isosceles, cujus latera multùm excedant basim, si quoad nullam sui partem parallela sint, sed continuè invicem accedant magis ac magis à basi usque ad cuspidem: brevi enim coibunt, ac desinent in angulum. Si autem pene omnes partes aliquas parallela sint, seu æquidistantia, jam lineæ transversæ in illo tractu non erunt inæquales. Adde, quòd latera ratione positionis inclinatæ, ac devexæ, non admittunt tot lineas transversales, quot sunt puncta in unoquoque, cum debeant lineæ singulæ tangere saltem duo puncta cujusque lateris, utrumque transversim delibando.

13 Ad *quintum*: incommensurabilitas lineæ diagonalis cum latere quadrati non demonstratur nisi ex hypothesi divisibilitatis imaginariæ, de quâ num. 10. Si tamen utraque linea physicè & absolutè consideretur, prout est, aut esse potest à parte rei, punctum erit utriusque mensura communis. Nec opus est concedere, diagonalem non tangi à perpendicularibus, nisi in punctis singulis: nam ratione positionis, quæ tantùm declinat ab uno latere, & inclinat ad aliud, necessariò tangitur pluribus in uno puncto à lineâ quâvis perpendicula-

ri,

si, ut supra dictum est de lineis transversim ductis inter latera Isoscelis. Quare poterit tota coopiri sine absurditate pretensâ.

14 Notandum hîc, quod in Concilio Constantiensi sess. 15. inter propositiones Uviclephi legitur sententia Zenonis cum hac censurâ, *est error in philosophia.* Sed inprimis lectio ista non ex textu authentico, sed ex vitiato codice cujusdam privati sumitur. Deinde censura illa non est Concilij, sed coram Concilio lecta, & ab ipso Uviclepho prolatâ, quæ proinde à Concilio potiùs improbata censeri debet. Vide P. Oviedo *contro.* 11. *Physic. punct. ult.*, & P. Ulloa *disp. cit. n.* 83.

## CAP. IV.

### *QUID MAGIS TENENDUM videatur?*

SOlutiones hucusque datæ difficultate non carent. Sed nos alias faciliores dabimus. Aristotelici, quibus incumbit eadem argumenta solvere, contra ipsorum sententiam pariter militantia, ut patebit applicando singula *cap.* 2. objecta. *Primum*: quia in punctis copulativis, & terminantibus, quæ plerumque admittunt Aristotelici, par est difficultas. Quæro enim, an punctum hujusmodi tangatur à partibus secundùm se totum? si neges: ergo partes habet, tactam, & intactam. Si asseras: ergo partes cum puncto penetrantur. Certè, cùm duo corpora contigua sunt, puncta terminantia utriusque tangunt se se. Vel ergo totaliter se tangunt, vel non? Et quidquid dixeris, urget argumentum. Quia etiam, seclusis punctis, partes extremæ utrorum corporum contiguorum sunt nè divisibiliter profundæ, quatenus se tanguntur? Si non sunt indivisibiles prunt, quod tu pernegas & præterea in illis dabitur eadem, quæ in punctis, difficultas. Si sunt: ergo, quatenus tanguntur, habeat prius & posterius secundùm locum: ergo contactus extenditur ad posteriùs, & remotius à corpore tangente; quod fieri nequit, quia corpus tangens penetretur cum extremitate priore, ac vicinione.

2 *Secundum*: quia signatis duobus punctis terminantibus, altero in aquilâ, altero in testudine, quæritur, an utrumque in singulis instantibus adquirat novum punctum loci? Si concedas utrumque moveri velocitate pari: cumque ratio sit eadem in cæteris punctis (quæ certè secum deferunt partes omnes utriusque corporis), non erit motus aquilæ velocior, quàm testudinis. Si neges: ergo alterum per aliquot instantia quiescit, adeòque morulas habet indivisibiles, nec jam est motus physicè continuus. Si dicas, nec puncta loci, nec instantia temporis esse immediata, sed interjecta partibus, alium difficultatem incurres. Nam qui puncto mobilis nunquam respondet in loco pars divisibilis, sed semper punctum loci: si ergo puncta loci distant inter se, punctum mobilis saltabit ab uno ad aliud, non pertranseundo parte intermedia: qui saltus si semel admittantur, per eos facilè se expedient Zenonistæ. Præterea omnes Aristotelici admittunt in tempore instantia indivisibilia, licèt non immediata. Quæro igitur, an aquila, vel testudo, moveatur in instanti A? Si non movetur, quiescit; & ecce tot morulas, quot instantia. Si movetur, non adquirit nisi punctum loci (nam pars divisibilis, cum requirat successionem motus, non acquiritur in instanti): jam ergo punctum aliud auget extensionem loci, aliàs non daret locum motui.

Tur Dif-

3 Difficultas de motu rotæ maximè premit Aristotelicos. Signetur in utroque circulo pars determinata, v. g. digitus unus A. in circulo interiori, & digitus alter A in exteriori, ita ut alter alteri correspondeat per lineam rectam. Sit deinde radius ferreus, à centro rotæ ad circumferentiam pertingens, qui utrumque digitum occupet, & utrique firmiter affigatur. Tum sic: dum rota citissimè circumagitur, totus digitus A. exterior velociùs movetur, quàm totus digitus A. interior, siquidem plus spatij conficit eodem tempore, totum scilicet spatium circuli exterioris: ergo vel radium franget, vel tantumdem inflectet, quantum in motu superat interiorem digitum: quemadmodùm si duo boves sub eodem jugo inæqualiter moveantur, jugum distrumpent, vel inflectent.

4 *Tertium*: quia supponit in utroque circulo dari puncta saltem copulantia. Hæc autem puncta, siquid probat objectio, debent juxta Aristotelicos esse totidem in circulo minori, quot in majori, cum lineæ singulæ transire debeant per singula puncta minoris. Nec dicas, aliquot lineas non transire per puncta, sed per partes proportionales minoris circuli. Contrà enim est, quòd ibi potest dividi minor circulus, ubi tangitur ab unaquaque lineâ: ubicumque autem dividi potest, ibi punctum habet unitivum, cum juxta Aristotelicos totidem sint puncta copulantia, quot divisiones sunt possibiles. Aliunde, quòd nequeant esse puncta totidem in minori, quot in majori circulo, etiamsi ponantur infinita in utroque, manifestum est, præsertim si minor circulus concipiatur solo palmo distans à centro, major verò ita natura æqualis circumferentiæ Cœli. Si enim ex majori sumatur pars totum minorem adæquans, in eâ proculdubiò totidem erunt puncta copulantia, quot sunt in toto minoris: ergo innumera alia, quæ superstant in reliquis partibus majoris, efficient multitudinem punctorum multò majorem saltem materialiter; quod sufficit ut non possint ipsis respondere totidem alia in circulo minori. Sic, juxta defensores Infiniti categorem., si producantur infiniti homines criniti, non erunt tot homines, quot capilli, quàmvis utrique sint infiniti.

5 *Quartum*: quia idem absurdum sequitur in partibus determinatis. Sit linea basis sex digitorum longitudinis, latera verò duodecim digitorum singula. Ducantur deinde à latere ad latus lineæ transversæ, uno inter se digito distantes. Sequitur, lineam basi proximam undecim digitis constare, atque adeò basim vel constare duodecim contra suppositionem, vel esse minorem interiori lineâ transversali. Patet sequela: quia latera eò magis à se invicem recedunt, quò longiùs extenduntur à cuspide ad basim: cum ergo extensio ista sit duodecim digitorum, efficient tandem in loco basis recessum, sive distantiam digitorum pariter duodecim; è quibus ultimo sublato, supererit distantia digitorum undecim, quam occupabit linea transversalis basi proxima. Si propterea neges, latera eò inter se magis distare, quò magis extenduntur, sequitur, ea quoad partes aliquas esse parallela, seu æquidistantia, &, quatenùs talia sunt, non admittere lineas transversas inæquales: quo dato, nequaquam urgentur Zenonistæ.


6 *Quintum*: quia pariter aptari potest partibus determinatis. Pac singu-

gula quadrati latera sex digitorum longitudinis. Fac deinde sex attramenti ductus, ab uno latere ad oppositum pertingentes, quorum singuli sint unius digiti latitudinis, eosque prope contiguos, & perpendiculares à latere ad latus quadrati. Ductus isti cooperient, non solùm utrumque latus quadrati, sed etiam totam lineam diagonalem, ut vel oculis cerni potest. Hinc autem fit, totam longitudinem lineæ diagonalis absolvi sex digitis, sicut latus ipsum: unde non erit latere longior, nec eidem incommensurabilis; quia digitos erit utriusque mensura communis.

7 Ex dictis constat, nihil ferè contra sententiam Zenonis objici, quod non pariter urgeat Aristotelicam: non tamen è converso sententiam Zenonis urgeri difficultatibus, quæ plurimæ, & intricatissimæ pullulant ex infinitudine partium proportionalium. Præterea constat apud omnes, Zenonis sententiam multò clariorem esse, & intellectu facilorem; insuperque multò expediriorem ad alias difficultates enodandas, tum in Philosophiâ, tum in Theologiâ occurrentes, v. g. ad explicandam inceptionem, ac desitionem rerum, si continuum successivum, seu tempus, non solis constet indivisibilibus. A difficultatibus hujuscemodi non sine multæ caliginis ope se expediunt Aristotelici, si juxta suam de continuo sententiam loqui velint: ideòque, dum ex hac parte non urgentur, passim loquuntur, de tempore præsertim, quasi Zenonis sententiam supponentes. Quæ cum ita sint, recta ratio dictare videtur, ut ea sententia præferatur, quæ paucioribus patitur difficultates, & alioquin claritate præstat, estque ad philosophandum aliis in rebus expeditior: præferatur, inquam, timidè, ac dubitanter, tum propter magnam contrariæ sententiæ authoritatem, tum quia versamur in re abstrusissimâ, ubi nemo est, qui non sui tenuitatem ingenij palàm faceatur.

*Atque hic jam sistere par est secundam partem Cursus Philosophici: cujus finis optimus erit, si tota demùm ad majorem Dei gloriam, ad honoremque plurimum intemeratæ Virginis Deiparæ sine labe conceptæ, S. Protoparentis Ignatij, & una omnium Cœlestis aulæ Principum referatur. Totam votis omnibus sic refero.*

# FINIS.



# INDEX TITULORUM,

## QUIBUS DISTINGUITUR HOC OPUS.


PROEMIUM.

TRACTATUS I. p.1.
De Principijs intrinsecis Corporis naturalis. pag.4.

DISP. I. Quot, & quænam sint prima principia, &c. 4.
Cap. 1. *Aristotel. primorum principior. definitio.* ibi.
Cap. 2. *Prima principia intrinsec. corporis natural.* in facto esse. 8.
Cap. 3. *Prima principia intrinsec. Corporis* in fieri. 12.
Cap. 4. *Diluuntur Objectiones.* 17.
*Contra privationem Specialim.* 18.
*Nihil obstant rationes seminales à S. Augustino assertæ.* 23.
Cap. 5. *De corpore* in fieri *per simplic. generation.* 25.
Cap. 6. *Expenduntur variæ sententiæ &c.* 27.
Cap. 7. *Authores alij nobis adversi impugnantur.* 33.
Cap. 8. *Quàm sit valida probatio &c.* 36.
*Alia responsio confutatur.* 43.

DISPUT. II. De Quiddit. & Existentia Materiæ primæ.
Cap. 1. *An sit Materia prima?* 44.
Cap. 2. *Definitio, & proprietates Materiæ primæ.* 49.
*In quo stet ratio* subjecti, *&c.* 50.
*An potentia immediatè receptiva formæ distinguatur, &c.* 56.
*An ead. potentia sit de quiddit. metaphysica &c.* 58.
*Quædã alia attributa &c.* 60.
*An, & quatenùs Materia prima sit cognoscibilis?* 62.
Cap. 3. *Utrùm Materia prima propr. existentiã habeat.* 63.
§. 1. *Prænotanda quædam.* 64.
§. 2. *Probatur existentia Mater. &c.* 66.
§. 3. *Probationes aliæ.* 73.
Cap. 4. *Argumenta contraria.* 75.
*Explicatur mens D. Thom.* 83.
Cap. 5. *Perficitur argumentorum solutio.* 87.
*Argumentum ex distinctione permissa inter essent. & exist.* 94.

*Dicitur quæstiuncula duplex.* 96.

DISP. III. Reliqua de Materia prima.

*Cap.* 1. *De Appetitu Mater. &c.* 97.
*Materia efficaciter appetit formas vagè.* 99.
*Materia æqualiter appetit, &c.* 102.
*Appetitus Mater. &c. est desiderij.* 105.
*Habet etiam Mater. gaudium innatum.* 106.
*Nullus in Mater. appetitus amor. stricti.* 107.
*Illationes ex dictis.* 108.
*Cap.* 2. *Utr. Materia appetat formas corrupt.?* 109.
*Argumenta contraria.* 113.
*Cap.* 3. *Utr. Mater. possit naturaliter privari omni forma?* 117.
*Contraria argum. solv.* 120.
*Cap.* 4. *Utr. Mater. possit divinitus conserv. sine forma?* 123.
§. 1. *Prima probatio ex non ostens. repugnantiæ. Ubi, an probatio istiusmodi sit efficax?* 124.
§. 2. *Probationes aliæ.* 128.
§. 3. *Solv. argum. contraria.* 130.
*Cap.* 5. *Qua actione conservaretur Mater. sine forma?* 135.
*Solvuntur Objectiones.* 138.
*Cap.* 6. *De unitate, ac distinct. Mater.* 144.

DISPUT. IV. De Forma substantiali. 151.

*Cap.* 1. *Probatur Forma subst. Peripat.* 152.
*Cap.* 2. *Prima objectio ab auctoritate solv. & retorq.* 157.
*Cap.* 3. *Objectiones aliæ.* 162.
*Cap.* 4. *Solv. ult. objectio, & explicatur eductio Form.* 170
*Quænam Formæ educantur.* 177.
*Cap.* 5. *Definitur Forma subst.: Ubi, an sit tota quiditas corpor.?* 178.

DISPUT. V. De multiplicitate Formar. in ead. Mater.

*Cap.* 1. *Dentur nè Formæ subordin.?* 186.
*Argumenta pro forma corporeitatis propostia, & soluta.* 188.
*Cap.* 2. *Argumenta contra form. corporeitatis.* 205.
*Cap.* 3. *Qua dam alia sententia.* 209.

*Cap.*

*Cap.* 4. *Utr. plures Formæ non ſubord. conjungi poſſ. in ead. Mater.?* 217.
*Non poſſunt naturaliter.* ibi.
*Poſſunt divinitùs.* 218.
*Non obſtant argum.contr.* 220
*Corollarium de potentia form. ad plur. materias informand.* 229.

DISPUT. VI. De Unione mater. & form. in Compoſito.

*Cap.* 1. *Utr. Vnio realiter diſtinguat. à mater. & forma?* 232.
*Unio realiter diſtinguitur, &c.* 233.
*Unio cõſiſtit in Modo, &c.* 237.
*Cap.* 2. *Solvo objectiones.* 239.
*Cap.* 3. *Utrùm eductio form. material. ſit ejuſdem unio.* 246.
*Cap.* 4. *Contrar. argumentis occurr.* 251.
*Cap.* 5. *Duplex alia quæſtio, &c.* 257.

DISPUT. VII. De diſtinct. totius ſubſtantial. à partib. 263.

*Cap.* 1. *Totum non diſtingu. realiter à partib. &c.* 264.
*Cap.* 2. *Diluuntur argum. contrar.* 270.
*Cap.* 3. *Quorumd. peculiar. ſententiæ rejiciuntur.* 279.
*Cap.* 4. *De ſuppoſito remiſſivè.* 283.

## TRACTATUS II.

De Cauſis, ſeu Principijs extrinſecis rerum naturalium.

DISPUT. I. De Natura, & Arte.

*Cap.* 1. *Quid ſit Natura?* 289.
*Cap.* 2. *De motu natur. & violento.* 293.
*Poſſitnè Deus violentiam inferre creaturis?* 294.
*Illationes.* 303.
*Cap.* 3. *Definitur Ars, &c.* 303.
*In quo conſiſtat forma artificial.?* 305.

DISPUT. II. Cauſa quid? & quotuplex?

*Cap.* 1. *Definitur cauſa, &c.* 308.
*Diſcrimen cauſæ à pura conditione.* 310.
*Cauſæ diviſiones variæ.* 311.
*Cauſa per ſe, & per acci-*

Pendens. 312.
Causa immediata, & mediata. 314.
Divisio Aristotel. quadrimembris. 317.
Cap. 2. De causis materiali, & formali. 318.
Cap. 3. De causa finali. 326.
Nonnullæ quæstiones. 329.
Cap. 4. De causa exemplari. 336.
Cap. 5. De causa efficiente. 340.
Prima divisio. Ubi an causæ secundæ verè sint causæ? ibid.
Cæteræ divisiones. 346.
De causalitate causæ efficientis. 348.

DISP. III. De Prærequisitis, seu conditionibus ad causandum. 350.

Cap. 1. Utr. existentia causæ prærequiratur? 351.
Cap. 2. Ubiatio, Duratio, & subsist. causæ, quatenùs requirantur? 355.
Cap. 3. De approximatione agentis ad passum. 357.
Assertio prima. 358.
Assertio secunda. 360.
Assertio tertia. ibi.
Assertio quarta. 361.
Summa totius doctrinæ. 362.
Cap. 4. Argumenta contr. solv. 363.
Contra 1. Assertionem. ibi.
Contra 2. Assertionem. 367.
Contra tertiam. 369.
Contra quartam. 371.
Cap. 5. Cætera prærequisita general. 371.

DISP. IV. De Prioritate naturæ.

Cap. 1. Explicatur naturæ prioritas. 376.
Illationes. 377.
An actio sit prior effectu? 381.
Quænam sit forma denominans causam natura priorem? 382.
Cap. 2. An sit possib. mutua prioritas? 384.
Repugnat in eod. genere. ibi.
Repugnat etiam in diverso genere physico. 386.
Cap. 3. Diluuntur objectiones. 389.
Cap. 4. De mutua priorit. quoad secundum esse. 394.
Cap. 5. Utr. possit aliquid producere seipsum quoad secundum esse? 397.

*** *** *** ***
*** ***

DISP.

DISP. V. De Pluralitate causar. total. ejusd. effectus.

Cap. 1. *Vtr. possit idem effectus produci divisim à plurib. caus. total.?* 405.
*Argumenta contraria.* 408.
Cap. 2. *Vtr. possit divinitùs idem effectus produci simul à dupl. caus. tot.?* 414.
*Objectiones propositæ, & solutæ.* 416.
Cap. 3. *Vtr. id ipsum possit contingere naturaliter?* 425.

DISP. VI. De Virtute, qua suos effectus producunt causæ creatæ. 431.

Cap. 1. *Substantia est virtus immed. activa alterius substantiæ.* 432.
Cap. 2. *Respondetur argum. contrar.* 439.
Cap. 3. *Accidens influit in substantiam &c.* 452.
§. 1. *Quid sit causa instrumentalis.* ibi.
§. 2. *Probatur Assertio.* 455.
§. 3. *Explicatur mens Div. Thomæ.* 458.
§. 4. *Sitnè substantia ex se adæquatè productiva substantiæ?* 460.
§. 5. *Argumenta contra &c.* 462.
Cap. 4. *De virtute product. effectus accidentalis.* 464.
Cap. 5. *De potentia obedientiali.* 469.
§. 1. *Quid sit pot. obedientialis?* ibi.
§. 2. *Habitus non est tota ratio agendi &c.* 471.
§. 3. *Responsio ad Objectiones.* 476.
§. 4. *Potest quodlibet elevari ad quodlib. &c.* 481.
§. 5. *Præoccup. argum. contrar.* 484.

DISP. VII. De Connexione causarum cum possibilit. suor. effectuum. 488.

Cap. 1. *Causa prima connect. cum possibilit. creaturar.* 490.
Cap. 2. *Contrar. dilu.* 500.
Cap. 3. *Assertiones aliæ.* 516.

DISP. VIII. De Causa prima, quatenus concurr. cum secundis, &c. 520.
Cap. 1. *Deus immed. concurr. ad omn. effect. creaturar.* 523.
Cap. 2. *Concurrit per eandem actionem, &c.* 527.

Ob-

*Objectiones solutæ.* 529.
Cap. 3. *De simult. concursu Dei ad actus liber. creat. præsertim peccaminos.* 535.
*Rejicitur doctrin. Thomist.* ibi.
*Prænotãtur quædam &c.* 541.
*Doctrina Scholæ nostræ.* 557.
Cap. 4. *Oppositæ difficultates, &c.* 569.
*Contra prim. Assert.* ibi.
*Contra secund. Assert.* 568.
*Quædam aliæ propositæ explic.* 580.
Cap. 5. *Vtr. detur concursus Dei prev. physicè prædeterminans, &c.?* 582.
*Rejicitur physica prædeterminatio, &c.* 583.
*Responsiones adversæ confutantur.* 589.
Cap. 6. *Solvuntur argumenta, &c.* 595.
*D. Thomas physicæ prædeterminationi non favet.* 601.
*Qualiter Deus determinet quoad individ.* 607.
*Auctoritas D. Thomæ contra physicæ prædetermin.* 608.

## TRACTATUS III.

### In sex reliquos Physicorum Libros.

DISP. I. De motu, Actione, & Passione.

Cap. 1. *De motu.* 612.
Cap. 2. *De Actione, & Passione.* 616.
*Actio, & passio non distingu. real. &c.* 617.
*Actio educt. non recipitur in agente, &c.* 618.
*Argumenta contrar.* 619.
*Tres aliæ quæst.* 622.
Cap. 3. *De Creatione.* 626.
*De termino creabili.* 632.

DISP. II. De Loco, & Tempore.

Cap. 1. *De Loco reali, & imagin. &c.* 635.
*Dubia quædam.* 639.
*De Vacuo.* 643.
Cap. 2. *Vtrum sit possibilis ejusdem corporis bilocatio?* 645.
*Objectiones propositæ, & solutæ.* 647.
*Alia argum. præcidunt.* 654.
Cap. 3. *Quid sit tempus?* 657.
Cap. 4. *Vtrùm duratio creata distinguatur ab existentia rei, & tempore labenti?* 660.
*Fundamentum primæ sententiæ.* 663.
Cap. 5. *Vtrum creatura potue-*

*fuerit esse ab aeterno?* 668.

DISP. III. De Infinito.

Cap. 1. *Quid sit infinitum? Vbi an repugnet Creat. perfectis?* 671.

Cap. 2. *Vtr. repugnet infin. in act.?* 675.

Cap. 3. *Argum. contr. sent. dissolvuntur.* 679.

DISP. IV. De Compositione Continui. 683.

Cap. 1. *Aristotelis sent. proponitur, & quam sit difficilis, ostenditur.* 685.

Cap. 2. *Proponitur sent. Zenonis, & ejus difficultas exponitur.* 689.

Cap. 3. *Difficult. contra Zenonis sent. objectarum aliqualis solutio.* 692.

Cap. 4. *Quid magis tenendum? &c.* 697.

✠

# CURSUS PHILOSOPHICI

REGALIS COLLEGIJ

SALMANTICENSIS

SOCIETATIS JESU,

IN TRES PARTES DIVISI,

TERTIA PARS.

Continens Tractatum De Generatione, & Corruptione: Synopsin Tractatuum de Mundo, de Cœlo, de Elementis, & Mixtis: Animasticam, seu Tractationem de Animâ: & Disputationes Metaphysicas.

AUTHORE

*R. P. LUDOVICO DE LOSSADA ejusdem Societ., & in eodem Regali Collegio Theologiæ Professore, & Sacræ Scripturæ Interprete.*

SALMANTICÆ: TYPIS EUGENIJ GARCIA de Honorato & San Miguèl. Ann. 1735.

# CURSUS
# PHILOSOPHICI

| PAGINA. | COLUMNA. | LINEA. | MENDA | SIC | EMENDA. |
|---|---|---|---|---|---|
| 17. | 1. | 1. | calore | | calore. |
| 18. | 2. | 25. | exiſtentes | | exiſtens. |
| 20. | 1. | 23. | acrimonium | | acrimonia. |
| Ibi. | 2. | 29. | inflamant | | inflammati |
| 26. | 1. | 8. | unica | | uncia. |
| Ibi. | | 12. | unicæ | | unciæ. |
| 28. | 1. | 10. | receptionem | | repetitionem. |
| Ibi. | | 11. | receptionem | | repetitionem. |
| 30. | 1. | 41. | conſtitutione | | conſtrictione. |
| 38. | 1. | 24. | ut | | ſi. |
| 54. | 2. | 17. | nitrari. | | nitrati. |
| 55. | 2. | 44. | caloris igne | | caloris in igne. |
| 56. | 1. | 10. | cur | | cum |
| 60. | 1. | 17. | propria | | propriæ. |
| 66. | 2. | 12. | formalis | | formali. |
| 73. | 2. | 29. | nimirùm | | nimium. |
| 79. | 1. | 46. | intenſi | | extenſi. |
| 86. | 2. | 26. | ſubjectum | | ſubjecto. |
| 89. | 1. | 22. | fonti. | | fronti. |
| 108. | 2. | 43. | quæ | | quem. |
| 110. | 1. | 44. | exiſtentes | | exiſtens. |
| 120. | 1. | 33. | Maj. | | Min. |
| 125. | 2. | 14. | id | | in. |
| 135. | 2. | 38. | ſmili | | ſimilia. |
| 143. | 1. | 32. | ſolet corpus | | ſolet intelligi corpus. |
| 145. | 2. | 28. | Meteorum | | Meteororum. |
| 153. | 2. | 4. | refactione | | refractione. |
| 155. | 1. | 26. | Hydoſtaticæ | | Hydroſtaticæ. |
| 157. | 2. | 44. | proprius. | | propiùs. |
| 208. | 1. | 32. | ſenſibus | | ſenibus. |
| 242. | 2. | 1. | hanc de dicit | | hanc dicit. |
| 258. | 2. | 42. | color. | | calor. |
| Ibi. | | 31. | ratio | | actio. |
| 326. | 2. | 18. | cor | | cordis. |
| 351. | 1. | 37. | efficiunt | | afficiunt. |
| 353. | 2. | 35. | immediatè non terminant | | dele non. |
| 356. | 2. | 33. | ſentit | | ſenſit. |
| 377. | 1. | 7. | proinde. | | perinde. |
| 379. | 2. | 28. | negativa | | vegetativa. |
| 397. | 2. | 41. | ſit | | ſic. |
| 418. | 1. | 31. | mercantur. | | mercatur. |
| 517. | 2. | 22. | albedo | | dulcedo. |
| 525. | 1. | 11. | intrinſeco. | | extrinſeco. |
| 547. | 2. | 47. | decretum | | concurſum. |

PA-

| PAGINA. | COLUMNA. | LINEA. | MENDA. | AMICO EMENDA. |
|---|---|---|---|---|
| 24. Metaph. t. | | 37. | —generis | —entis. |
| 42. | 1. | 12. | —metaphysica. | —metaphorica. |
| 45. | 2. | 41. | —utrumque | utcunque. |
| 46. | 1. | 28. | —prę | —pro. |
| 49. | 2. | 5. | —aliquid | quid. |
| 70. | 2. | 8. | —aut entitas | aut identitas. |

Ultimus hic Tomus, exceptis mendis hic editis, Originali ejus est conformis. Matriti 14. Kalendas Junij, anni Dom. 1735.

*Lic. D. Emmanuel Garcia Aleſſon,*
C. M. Generalis Corrector.

Eſta tercera parte de Curſo Philoſophico ſe dà à luz con el Privilegio de ſu Mageſtad, y las licencias del Ordinario, y de la Religion, que eſtàn al principio de la primera parte.

*SUMA DE LA TASSA.*

Taſſaron los Señores del Conſejo eſte Libro à ſeis maravedis cada pliego; y dicho Libro tiene noventa y dos y medio, que à eſte reſpecto importa quinientos y cinquenta y ſiete maravedis, como conſta por certificacion de Don Miguel Fernandez Munilla, Secretario del Rey nueſtro Señor. Dada en Madrid à quinze de Junio de mil ſetecientos y treinta y cinco.

*D. MIGUEL FERNANDEZ MUNILLA.*

# TRACTATUS
## DE GENERATIONE, ET CORRUPTIONE.

PRÆTER octo Physicorum Libros, quorum explicationi secundam partem Philosophici Cursus impendimus, materiam Philosophiæ naturalis magis in particulari tractavit Aristoteles Libris aliis, quos in procœmio Physicæ recensuimus. Ex ijs in hac tertiâ parte selegimus Libros de Generatione, & Corruptione, seu de Ortu, & Interitu, necnon Libros de Cœlo, & Mundo, de Meteoris, ac de Anima: ut quæ continent magis scitu digna, magisque Theologiæ candidatis utilia, consuetâ in Scholis methodo digeramus. Porrò Libros istos meritò dixeris totidem partes Scientiæ Physicæ, cujus ad finem, seu attributionis objectum referri debent. Si tamen per se ac seorsùm considerentur, eorum objectum attributionis erit distributione accommodâ corpus naturale ut generabile, ut cœleste, ut elementare, &c., atque ut animatum. Cætera verò, quæ in ordine ad fines hosce tractantur, ita ut per se sic consideratione digna sint, constituent latitudinem objecti formalis. Aggredimur igitur primo tractatu Libros de Ortu & Interitu, quorum materiam tribus Disputationibus complectemur.

# DISPUT. I.
## DE GENERATIONE, ET AUGMENTATIONE.

### CAP. I.

*EXPLICATUR GENERATIO SUBSTANTIALIS in communi.*

1 GEneratio, latè accepta, recurrit cum eductione, definiturque *Productio rei ex subjecto præsuppositò*; quam definitionem satis explicuimus in Physicâ. Dividitur in substantialem, & accidentalem, prout fuerit productionis terminus, substantia, vel accidens. Generatio tamen propriè dicta, quæ ab alteratione, & à cujuslibet accidentis productione discernitur, sola est substantialis. Hæc ab Aristotele sæpe definitur per mutationem materiæ primæ de non formâ ad formam, seu per transitum materiæ de privatione ad formam; ut videre est in 8. Physic. t. 62., in 1. de Gener. t. 25., & alijs in locis. Quid autem importet ejusmodi mutatio, vel transitus, tum vialiter, tum terminativè sumptus, diximus tract. 1. Physic. disp. 1. c. 3. Ibi quoque defendimus cap. 5. & seqq. mutationem non esse de conceptu generationis pro quacumque hypothesi.

2 Interdùm tamen generationem definit Aristoteles per conversionem, seu mutationem conversivam, quæ est transitus materiæ de formâ in formam, vel translormatio unius substantiæ in aliam. Hunc sensum habet

notissima illa definitio generationis, sumpta ex Aristot. 1. de Gener. t. 23. , *Mutatio totius in totum nullo sensibili remanente ut subjecto eodem* : ideſt , transformatio unius compositi in aliud alietate substantiali , quâ scilicet subjectum , quod per accidentia redditur sensibile , seu sensibiliter discretum ab aliis diversæ speciei , jam non sit idem, quod prius , sed novum aliud. Nomine quippe *subjecti* significat Aristoteles ens actu , nempe substantiam physicé completam : unde 1. Physic. t. 7. generationem definijt mutationem *de non subjecto in subjectum.* Itaque definitione illâ , *Mutatio totius &c.* , voluit Aristoteles generationem ab alteratione discernere : quatenus per alterationem mutatur quidem totum sensibiliter ( ut cùm lignum é frigido fit calidum ) , sed id , quod substat accidentibus , adhuc manet idem : at per generationem fit novitas & alietas in subjecto ipso, quod sensibiliter substat accidentium. Est autem definitio ista intelligenda de generatione Aristoteli notâ , nimirùm quæ á causis secundis provenit nullo interveniente miraculo: hæc enim semper importat conversionem , cùm supponat materiam tempore præcedentem , ac proinde compositum aliud, quod in denuò genitum convertatur. Absolutè verò , seu pro omni eventu, generatio substantialis definiri potest *Productio substantiæ ex subjecto præsupposito.*

*Quædam super Conversione notantur.*

3. Occasione definitionis Aristotel. nunc explicatæ , solent hîc Recentiores agere de conversione. De hac fusè dulerunt Theologi tract. de Eucharist. ; nosque aliquid diximus cit. disp. 1. Physic. cap. 3.. Nunc sufficiat notare sequentia. 1. ; licèt conversio , v. g. ligni in ignem , importet duplicem mutationem , alteram privativam , seu amissivam ( quâ materia transit de formâ lignea in ejus privationem ) , alteram positivam , seu adquisitivam ( quâ transit materia de privatione ad formam ignis ) ; & consequenter duplicem habeat terminum *à quo* , positivum , & negativum ; duplicem item *ad quem* , alterum positivum, negativum alterum : nihilominùs de solis terminis positivis ratio habetur in usu loquendi ; unde conversio absolutè versari dicitur inter positivos terminos , *à quo*, & *ad quem.* 2.: alia est *conversio subjecti ab unâ formâ in alteram*; alia verò *conversio unius in aliud* , sive rei unius in alteram. Prima solum subjectum denominat *conversum*, secunda terminum *à quo* ; potestque dari conversio subjecti , tametsi non detur conversio termini formalis *à quo* : nam cùm moritur homo , materia convertitur ab animâ rationali ad formam cadaveris , nec tamen anima in cadaveris formam convertitur. Utraque vocabitur vel substantialis , vel accidentalis , prout fuerit primarius terminus *ad quem.*

4 3. ; substantialis conversio unius in aliud , si totam substantiam præcedentem ita destruat , ut nihil ejus superfit , dicitur conversio totalis, proprioque nomine *transubstantiatio*, qualis accidit in Eucharistiâ : totalis , inquam , formaliter ; nam denominativè totalis appellatur quæcumque compositum destruit in esse totius , destruendo formam , vel saltem unionem , ut cùm homo convertitur in cadaver; quo sensu generatio dicitur *mutatio totius in totum.* Si verò unam tantùm partem destruat substantiæ præcedentis , erit conversio partialis ( denominativè tamen totalis , ex modò dictis) ; & hæc, si solam formam destruat , conversio

formalis vocabitur; si solam unionem, quasi formalis; si materiam, vel subjectum, materialis, aut subjectiva. 4.: conversio propriè dicta, duo necessariò requirit. *Unum*: ut terminus *à quo*, desinat in vi productionis, vel novi muneris termini *ad quem*. Unde, si subjectum, dum fit album, casu amittat dulcedinem, non ideò dulce convertetur in album, nec dulcedo in albedinem. Debet ergo inter utrumque terminum aliqua dari contrarietas, vel incompossibilitas. *Alterum*: ut incompossibilitas ista exerceatur circà tertium aliquod commune, quod scilicet cum utroque termino successivè uniatur aliquomodò, sive illud sit subjectum utriusque, sive forma, vel quasi forma, substantialis, vel accidentalis. Unde incompossibilitas duorum corporum quoad locum, non sufficit ad conversionem unius in aliud: quia nec locus extrinsecus unitur corpori, nec intrinsecus est communis duobus. Hinc uniones utriusque termini cum tertio communi, sunt etiam conversionis termini, *à quo*, & *ad quem*, minùs principales; qui tamen non solent computari seorsùm, quia sunt velut appendices principalium.

5 Jam, si quæras, utrùm ad veram conversionem pro omni eventu necessaria sit desitio termini *à quo*, & nova productio termini *ad quem*? *Resp.* 1.: si sermo sit de unionibus utriusque termini, omninò requiritur unius desitio, & alterius productio, ut per se patet: non enim lignum converteretur in ignem, si vel adveniente formâ ignis maneret unita forma ligni, vel hac abeunte non uniretur ignea. Et hinc requiritur consequenter desitio, & productio utriusque complexi, vel compositi, resultantis ex unionibus terminorum cum tertio, vel subjecto, v.g. desitio ligni, & productio ignis in esse totius. *Resp.* 2.: ad veram conversionem subjecti, ab unâ formâ in alteram, non requiritur absoluta desitio unius formæ, nec productio alterius. Quoad desitionem patet in morte hominis, ubi materia convertitur ab animâ rationali (quæ certè non desinit absolutè existere) ad formam cadaveris. Quoad productionem verò constat in hominis nutritione, ubi materia convertitur à formâ alimenti ad animam rationalem, quæ certè non tunc primò producitur. Idem contingeret, si materia transiret à formâ ligni ad formam ignis diù antè productam, & à Deo extra subjectum conservatam.

6 *Resp.* 3.: ad conversionem unius in aliud requiritur desitio termini *à quo*, prout adæquatè distincti à subjecto, vel tertio communi. Patet hoc, tum ex proprietate vocis; nam unum converti in aliud, est suum esse cum esse alterius commutare, quod non cohæret cum retentione sui esse. Tum exemplis: non enim aliâ de causâ in morte hominis non dicitur converti anima rationalis in formam cadaveris, nec dicitur converti Christi corpus in vermem, essi species Eucharisticæ vermiment; nec diceretur converti Divina personalitas in creatam, & humanitas Christi, amissâ unione ad Verbum, fieret purus homo. An autem requiratur similiter nova productio termini *ad quem*, prout adæquatè distincti à tertio communi, & ab unione? quæstio est difficilior, & Theologis de Eucharist. tractantibus relinquenda. Interim id videtur asserendum, requiri saltem, ut terminus *ad quem* sit res verè causabilis; alioquin, si humanitas transiret à peccato ad unionem cum Verbo, diceretur peccatum in Deum converti, quod nimis est absonum.

*Generatio est actio ab alteratione distincta.*

7 Plures Thomistæ, quos citatos sequuntur Carmelitæ Complut., negant, generationem substantiæ esse actionem realiter distinctam ab alteratione, ideſt, à productione accidentium, quibus materia ultimò disponitur ad formam substantialem. Sed contraria sententia communis, & verissima est, eamque tenet etiam cum alijs Thomistis Collegium S. Thomæ Complut. Videri potest Exim. Doctor d. 18. Mer. s. 2., ubi sententiam istam probat auctoritate Aristotelis, & rationibus ferè demonstrat. Nunc breviter probatur 1.: quia separabilitas est signum evidens distinctionis realis: alteratio autem à generatione separari potest, saltem divinitùs, cùm dari possit ultima dispositio sine generatione formæ, & è converso. 2.: quia alteratio per se primò respicit qualitatem, generatio verò substantiam, qui sunt termini maximè distincti, existentes in diversis signis, & ex distinctis subjectis educti, nempe forma substantialis ex solâ materiâ, qualitas ex quantitate, vel ex toto composito, ut Thomistæ volunt. Hæc autem terminorum diversitas quomodò non postulat distinctas actiones?

8 3. ad hominem: quia vel sermo est de alteratione, quæ præcedit instans generationis, vel de alteratione, seu productione accidentium in eo instanti posità. Si primum dicas; alteratio illa non coexistit formæ substantiali, siquidem juxta Thomistas in instanti novæ generationis pereunt omnia accidentia tempore prævia. Quare, si est actio productiva formæ, existet actio sine termino, & terminus sine actione; quod omninò implicat. Si secundum: accidentia in instanti generationis posita dimanant efficienter à novâ formâ juxta Thomistas: ergo forma est causa efficiens productionis eorum. Sed non est causa efficiens productionis sui ipsius: ergo productio formæ, & productio talium accidentium, non est eadem actio. Vide dicta *tract. 2. Physic. disp. 6. cap. 4.*. Accedit, quòd subjectum alterationis apud Thomistas est totum compositum: subjectum autem generationis est materia: tum quia sic docet Aristoteles 1. de Gener. t. 24.: tum quia sequeretur alioquin totum compositum præsupponi ad generationem sui.

9 *Objic.* 1.: omnis actio transiens, est motus: si autem datur generatio ab alteratione distincta, erit actio instantanea, adeoque non erit motus. *Resp.*: motus etiam dicitur in sensu lato de actione instantaneâ, ut notavimus *tract. 3. Physic. d. 1. c. 1.* Quòd verò generatio non sit motus successivus, probat Aristoteles 5. *Physic. c. 1. & 2.*: unde potiùs retorquetur objectio. *Objic.* 2.: generatio interdùm dicitur terminus alterationis. Forma quoque dicitur resultare ex ultimâ dispositione. *Resp.*: si generatio est terminus alterationis, non erit alteratio, sicut forma non est generatio, quia est terminus generationis. Præterea generatio solùm est alterationis terminus extrinsecus, & mediatus, quatenùs est finis, ad quem subjectum præparat alteratio. Resultantia formæ ex ultimâ dispositione, solùm significat istius cum illâ connexionem naturalem. *Objic.* 3.: D. Thomas alicubi docet, actionem creaturæ non attin-

Se-

genè immediatè substantiam, sed solùm accidens. *Resp.* 1. si hoc ita est, substantia quævis nonnisi à Deo immediatè produci poterit; nec agens creatum magis producet formam ignis v. g., quàm animam rationalem, D. Thomas igitur solùm vult, ut causa creata priùs producat accidens, quàm substantiam, ideſt, ut alterationem generationi præmittat. Quòd verò pro utroque effectu non sit una, sed duplex actio, docet apertissimè S. Doctor 3. *cont. Gent. c.* 69.

*De termino generationis.*

10. Generationis terminus principaliter intentus, aliàs terminus *qui*, sive *ut quod*, cui præcipuè convenit denominatio *generati*, totum est compositum in esse totius; ut inter omnes convenit. De termino *quo*, seu formali, & immediato, nonnulla inter Authores differsio est, sed ferè vocalis, & parvi momenti. Certum est, formam immediatè produci per actionem generativam in omni composito præter hominem. Certum est etiam, non requiri generationem immediatè terminatam ad formam, ut compositum verè generetur in esse totius; ut in homine videre licet, immò & in quovis alio composito, cujus forma crearetur divinitùs, solaque unio produceretur à generante. Unde, si nomine termini formalis, aut *quo*, intelligatur ille, cujus generatio (semper & pro omni eventu requiritur, ut compositum denominetur *genitum*, sola unio est terminus illiusmodi. Nec obstat, quòd in nostris principijs unio sit realiter indistincta ab eductione formæ materialis. Negamus enim, quòd terminus *quo*, debeat semper ab actione generativà distingui, nisi ut summùm distinctione rationis.

## CAP. II.

## *DE GENERATIONE VIVENTium.*

11. GEneratio viventium (quæ potissimè venire solet nomine *generationis*), universim accepta quantum ad viventia, quæ in creatis generari dicuntur, est *productio substantiæ viventis ex præsupposito subjecto*: atque ita comprehendit etiam viventium generationem ex putri. Sumpta verò prestiùs, prout significat propagationem viventium à proprijs, aut univocis principijs, definitur communiter ex D. Thoma, *Origo viventis à vivente à principio conjuncto in similitudinem naturæ.* Ubi *origo* significat verum influxum, sive sit causalitas, sive secùs; ut ita comprehendat generationem Divini Verbi à Patre. Hic autem influxus non solùm debet terminari ad vivens, sed etiam inchoari à principio viventi; quod principium in ipso generationis momento debet esse proli conjunctum, ideſt, intraneum, per aliquid proprium sui, quod scilicet sit, vel fuerit ipsius principij generantis proprium, & jam in genito maneat. Sic in Filio Divino est eadem natura Patris; & in humanis materia seminis, & sanguinis parentum, quæ prolis *materia primigenia* dicitur. Atque hunc sensum habet illud, *à principio conjuncto.*

Cu-

cujus particulæ defectu aves , quæ pullos ex alienis ovis excludunt , parentes eorum non sunt. Sed propria parens est avis , quæ ovum peperit ; quia materiam sui propriam ministrat virtute seminali præditam : unde & illius tantùm similitudinem refert pullus , non avis forinsecùs incubantis. Hinc etiam, siquando ex fœminâ , & dœmone incubo nascatur humana proles , dœmon non erit illius pater , sed ille potiùs vir , ex quo dœmon ipse decisum semen exceperit : ipse quippe , cùm sit substantia undique spiritualis , incapax est proprij seminis , aut propriæ materiæ ministrandæ.

12 Denique in definitione generationis viventium additur , *in similitudinem naturæ* : quo significatur , ex vi originis , & ex intentione innatâ generantis debere per se in prolem refundi convenientiam naturæ cum suo principio maximam , quæ dari potest inter suppositа distincta. Unde infertur 1. , cùm in Divinis inter distincta suppositа possibilis sit convenientia identitatis in naturâ , idcircò generari Filium ejusdem naturæ cum Patre. Infertur 2. , cùm in creatis sola sit possibilis convenientia similitudinis , hanc ex vi generationis debere esse maximam , atque adeò specificam. Cujus defectu , homo non dicitur parens pulicum , aut vermium, qui ex ejus humoribus generantur. Infertur 3., Evam non fuisse Adami filiam , licèt ex ejus costâ formata fuerit cum naturæ similitudine : quia similitudinem istam non habuit ex vi originis , aut modi procedendi ex Adamo : non enim ex ullâ naturali determinatione ab Adamo præditâ , sed ex meră voluntate Dei , materia costæ formata est in mulierem. Infertur 4., equam & asinum esse parentes muli , ut etiam leopardi leænam & pardum ( idem de alijs hybridibus intellige ) : quia , licèt proles in tertiâ quidam specie sit , nec parentibus per omnia similis , contingit hoc per accidens ex commixtione seminum diversorum : per se tamen singuli parentes ex vi propriæ inclinationis , proprijque influxûs , intendunt prolem ejusdem speciei.

13 His præoccupavimus objectiones , quæ contra datam definitionem fieri solent. Supereſt tamen ardua difficultas ex mysterio Trinitatis desumpta , cur scilicet processio Spiritûs Sancti non sit generatio ? cum illi tota generationis definitio convenire videatur. Sed responsio physicam tenuitatem superat , ideòque Theologis remittenda est ; qui varia in placita dividuntur, sic tamen , ut omnes concludant , processionem Spiritûs Sancti sub data definitione non comprehendi , eo quòd Spiritus S. non habeat tantam in naturâ convenientiam cum suo principio, quanta in Divinis possibilis est inter suppositа distincta ; vel quia non accipit ex primariâ vi processionis naturam formaliter ut talem ; vel quia non procedit ut imago sui principij , sicut Filius titulo Verbi ; vel quia non accipit naturam cum vi productivâ alterius suppositi Divini ; vel alias ob causas doctè & acutè à Theologis excogitatas.

*Variæ quæstiunculæ deciduntur.*

14 *Quæritur* 1., quâ ratione in rebus creatis concurrat uterque parens ad generationem prolis ? Certum est, patrem activè influere , non quidem immediatè in animationem fœtûs, cùm in instanti animationis separatus sit , & sæpe jam mortuus ; sed medio semine, cujus virtute elaboratur organizatio embryonis , & producitur unio substantialis , vel etiam anima ipsa , si materialis est , ut in brutis. Qualiter autem

tem juvetur virtus feminis, ut producat effectum se nobiliorem, qualiterque dicatur pater propriè causare prolem, tametsi non immediatè influat, nec actu existat; explicuimus *tract. 2. Physic. disp. 6. cap. 2. à n. 26.*.

15 Certum est etiam, matrem passivè concurrere, ministrando sanguinem pro materiâ fœtûs; & consequenter præstare quoque concursum activum, saltem remotum, cujusmodi est confectio sanguinis, & evocatio ejusdem ad locum generationis. Quòd autem mater verum semen emittat, quo activè concurrat immediatè ad fœtum organizandum, & animandum, negant cum Aristotele plures Philosophi, ac Theologi. Sed affirmant cum Hippocrate, & Galeno Medici ferè omnes, quibus alij plures, gravesque Theologi, & Philosophi suffragantur: quorum sententia videtur probabilior, utpotè nixa observationibus anatomicis, quibus hac in parte fidendum. Videri possunt Conimbric. in 1. de Gener. c. 4. q. 27., P. Suar. 2. de Anim. c. 12., & com. 2. in 3. p. d. 10. s. 2., & P. Hurtad. d. 2. de Gener. s. 5., ubi difficultates omnes, præsertim quæ ex mysterio Incarnationis exurgunt, optimè solvit. Immò valde probabile mihi est cum eodem Hurtado, Arriaga, Peynado, & alijs, animam matris in viviparis activè concurrere immediatè per modum causæ principalis ad productionem animæ prolis, si materialis sit, vel si anima sit spiritualis (quam à Deo solo creari constat), ad productionem unionis. Cùm enim anima fœminæ sit proximè applicata, & perfectione æqualis effectui, qui nonnisi ad præsentiam illius producitur, non est cur ipsi negetur immediatus, & principalis influxus, qui ob eandem rationem conceditur iggni, & alijs causis univocis in suos effectus. Nec est, cur in generatione leonis v. g. recurratur ad causam primam pro toto influxu principali, cùm adsit causa secunda univoca, & sufficiens applicata, cujus improportio nullo ex capite apparet. Hæc sententia non improbatur ab Exim. Doctore *d. 18. Met. s. 2. n. 41.*.

16 Attamen non ideò fœmina sine mare sufficiet ad generandum in ijs speciebus animantium, in quibus est differentia sexûs: maris enim concursum necessarium esse naturæ lege, mõstrat experientia perpetua, Philosophiæ doctrix (quòd equæ Lusitanæ, vel Cappadoces, vento maritatæ concipiant, poeticum, & fabulosum est), Nec ex eo, quòd adsit causa æquè perfecta, vel etiam perfectior effectu, continuò sequitur, quòd ejus virtus sit adæquata, vel quòd non egeat consortio alterius causæ instrumentalis; ut cernitur in intellectu, qui nequit producere cognitionem sine specie impressâ; & in substantiâ ignis, quæ juxta probabilem sententiam nequit alium ignem producere sine juvamine caloris. Ex dictis inferes, in sobolem plus influere matrem, quàm parentem: quia hic solùm influit mediâ virtute instrumentariâ seminis; illa verò, & mediâ virtute seminis, & immediatè ac principaliter per se ipsam. Est tamen anima maris ex se capax influxûs principalis, & immediati, cùm sit ejusdem speciei cum animâ fœminæ; solumque per accidens impeditur ex organizatione proprij corporis; quem defectum abundè compensant alia commoda, quæ obtinet anima in masculino corpore præ fœmineo.

17 Cæterùm sententia ista non procedit in oviparis, cujusmodi sunt aves, pisces, plantæ, & stirpes omnes, quarum semina sunt ova quædam. In piscibus enim, & stirpibus, productio sobolis fit absente animâ produc-

differicæ feminis, aut ovi; quod etiam sæpe contingit in avibus, quarum ova sæpe foventur, & ad pulli exclusionem decoquuntur calore terræ, simi, vel alterius avis specie diversæ. Quare vel tum, cùm avis proprijs ovis incubat, solùm videtur addere fomentum caloris ultra virtutem seminalem, quæ ovo ineit. In oviparis ergo influxus causæ principalis in prolem totus ab universali causâ descendit, juxta dicta in Physica loco cit. suprà n. 14.

18 Itaque generatim de viventibus, quæ sexûs differentiam habent, dicendum est 1., semina maris & fœminæ concurrere activè, tum ad accidentia, quibus materia organizatur, & ultimò disponitur ad animam fœtûs (quem influxum præstare poterunt ut causæ principales, cùm etiam per propriam substantiam immediatè influant); tam ad animationem, ideſt, ad eductionem animæ materialis, vel in homine ad unionem animæ cum corpore; qui tamen influxus instrumentalis est, eo quòd effectus nobilior sit vel ipsâ seminum substantiâ. Nec audiendi sunt, qui putant, animam rationalem producere primam sui unionem ad corpus. Tum quia foret alioquin anima verè genitrix, & parens hominis, in quo ipsa includitur. Tum quia naturale est omni formæ, priùs exercere vim informativam, quàm activam, ut inductione constat: priùs ergo, quàm producat quidquam, debet anima præsupponi actualiter informans, ac proinde unita. Dicendum est 2., eadem semina passivè quoque concurrere, ministrando materiam. Sunt enim, ut Medici observant, in unoquoque semine duæ partes, una subtilior, densior alia: hæc simul cum materno sanguine disponitur in materiam fœtûs; illa verò activè disponit, & operatur, nec antè animationem prolis corrumpitur. Hinc semen non est agens, & patiens secundùm idem, sed secundùm partes distinctas.

19 Docent novi Physici Experimentales, in semine quovis contineri actu rudimentum fœtûs generandi, sub mole tamen adeò parvulâ, ut sensum pœnè fugiat: rudimentum, inquam, in quo, si semen est plantæ, delineari jam sint ramuli, truncuſis, radicula, cum suis porulis, vasculis, ac venulis, ad succum nutritium excipiendum, ac distribuendum aptis; similiterque, si semen est animalis, adsit jam figuratio corpusculi cum lineamentis dorsi, capitis &c., cumque tenuissimâ structurâ organicâ, quam subire possit succus alimentitius. Docent insuper, fœtum ex semine generari, nihil esse aliud, quàm succum nutritium debitè præparatum subintrare porulos, aut tubulos illius rudimenti, atque ita partes ejus augere, ut excrescant in molem facilè sensibilem: qui tamen succus non attrahatur ab ullâ virtute insitâ rudimento, vel semini, sed eò impellatur á materni uteri, vel terræ calore, à pressione aëris, & ab alijs causis motum excitantibus in succo. Docent præterea quidam eorum, illius rudimenti formationem à solo Deo esse, nec parentes creatos quidquam conferre, præter materiam utcumque, ac deinde fomentum, succumque nutritium: structura enim corporis viventis, aut animabilis, tam subtilis, & artificiosa est, ut non nisi ab agente summâ intelligentiâ prædito, & ex ideâ operante, provenire possit. Immò nonnulli dicunt, in semine primorum individuorum cujusque speciei inclusisse Deum initio Mundi semina cæterorum, quæ in eadem specie fuerunt, & futura sunt usque ad Mundi finem.

Equi-

20 Equidem, quod ad rudimentum attinet, non dissentio, si sermo sit de seminibus stirpium, & oviparorum: in ijs enim ope microscopij deprehenditur quædam generandi fœtus adumbratio, ideò fortè præmissa, quia fœtus est generandus extra maternum uterum, & sæpe in absentiâ generantis; unde oportuit, materiam delineatione illâ figillari, ne ab alijs causis traheretur ad fœtum alterius speciei. At in seminibus animalium viviparorum non credo, rudimentum ejusmodi observatum fuisse; neque ullâ ratione videtur necessarium ante quàm incipiat in utero materno coagmentari cum sanguine materia seminis, & ad fabricam organici corpusculi disponi. Semina verò, in quibus rudimentum illud observatur, non ideò vivunt, cùm à stirpe, vel ave genitrice separata sunt, & nondùm ad generationem ultimò disposita: non enim sine alimento, & nutritione vivere possunt per annos integros in horreo grana tritici v. g.. Et generatim, quòd nullum semen decisum actu vivat, ferè omnium sententia est apud Conimbric. *in 1. de Gener. c. 4. q. 2.*.

21 Deinde, quòd generatio in nullo alio consistat, quàm in succi nutritij introductione in rudimentum seminale, quòdque nulla tunc interveniat actio præter impulsum, & motum localem; doctrina est orta ex principijs generalibus Corpuscularis Philosophiæ, quæ satis alibi rejecimus. Quare tenendum est, generationem dispositivè consistere in productione accidentium, quibus materia organizatur, ac temperamento debito disponitur; formaliter autem in eductione unionis animæ cum corpusculo, vel etiam in eductione animæ ipsius, si materialis sit. Utraque verò actio provenit à virtute activâ seminis, juxta dicta n. 18.: non quidem ab eâ virtute solâ, vel conjunctâ solùm cum alijs citra propriam ideam operantibus; sed simul, ac principaliùs à virtute Divinâ, cujus simultaneus concursus, quàmvis non effet ex alio capite necessarius, assatim probaretur ex formatione corporis organici, & animabilis; quo ex capite illum probavimus *tract. 2. Physic. d. 8. c. 1. n. 5.*. Non tamen propterea necesse est veram activitatem, & influxum in suo genere denegare semini, & alijs causis secundis, quæ in se non præhabent ideam effectus. Illa verò coacervatio seminum in exordio Mundi, paradoxum est nullo fundamento nixum; possetque facilè positivis rationibus impugnari, nisi communiter contemneretur.

22 *Quæritur* 2., quænam partes corpusculi animabilis priùs efformentur in utero materno? & quo tempore fœtus animetur? Alij cum Aristotele cor, alij cum Galeno hepar, alij cerebrum, alij spinam dorsi priùs elaborari volunt, alij partes principes simul omnes. Res est ferè conjecturalis: de quâ vide, si lubet, PP. Conimbric., P. Suar. 1. de Anim., & P. Hurtad.. Quod animationem attinet, communiter censetur mas quadragesimo die, fœmina octogesimo animari: plures tamen mari trigesimum, fœminę quadragesimum designant: alij tam mari, quàm fœminæ, mensem cum dimidio. Qua de re consulantur Scriptores Medici; sicut etiam de tempore gestationis in utero, quæ res est partim medica, partim historica. Hîc etiam quæri potest, undenàm proveniat filiorum cum parentibus similitudo, vel dissimilitudo, in vultu, colore, & conformatione membrorum? & quanta in hoc sit vis imaginationis parentum? & quo pacto in hoscc naturales

effectus influat imaginatio? Sed de hac quæstione consulantur Conimbric. *in 1. de Gener. c.4. q. 30.*, P. Suar. *d. 18. Met. f. 8. n. 28.*, & P. Delrius *Disq. Mag. lib. 1. cap. 3. q. 3.*.

23 *Quæritur* 3., utrùm humanus embryo primùs animetur animâ purè vegetativâ, posteà sensitivâ, ac demùm rationali? Affirmare videtur Aristoteles, & clariùs affirmant D. Thomas, & plures alij: non ita, ut tres animæ simul perseverent; sed ita, ut primâ pereat adventu secundæ, & hæc adventu rationalis. Sed contraria sententia, quam plures etiam tenent, videtur satis verisimilis. Quid enim cogit dicere, prolem humanam generari non posse, nisi priùs quædam planta, deindeque brutum quoddam ab humanis parentibus generetur? Adde, quòd naturæ lege nullum vivens immediatè desinit in aliud vivens, sed in cadaver, aut corpus inanime. Nec obstat, quòd in embryone ante rationalem animam adsint quædam signa nutritionis, & sensationis, ut palpitatio in corculo semiformato. Nam palpitatio à spiritibus provenire potest, ut in corde hominis recens occisi. Partium verò incrementum non est propriè nutritio, sed augmentatio proveniens à virtute generativâ seminis, & matris. Dum ergo fœtus humanus priùs vivere dicitur vitâ plantæ, deinde sensitivâ, posteà rationali, sensus esse potest eumdem rationalem animam priùs in corpore exercere actiones vegetandi, deinde sentiendi, posteà discurrendi: quamquàm non puto, animam rationalem infundi, nisi corpusculo jam apto ad sensationem, saltem per tactum. Usum verò rationis differri naturaliter ad aliquot annos, certissimum est.

24 *Quæritur* 4., utrùm animalium omnium generatio semine indigeat? Certum est (quidquid nonnulli temerè dixerint), hominem nullâ virtute creatâ generari posse naturaliter absque humano semine. Mira enim humani corporis fabrica, & temperamentum exquisitum, quo disponitur ad animam rationalem, tum nobilitate suâ, tum experientiâ teste, tum concordatorum omnium consensu, necessariò postulat formatricem humani seminis virtutem. Immò pariter certum est, non posse hominem citra miraculum gigni extra maternum uterum, aut sine concursu maris & fœminæ ex propriâ specie. Quare, si quando historiæ memorant ex congressu viri cum brutâ fœminâ natum hominem, proles suppositia fuit, & aliunde à dœmone advecta. Et, si verum est, quod refert Saxo Grammaticus, Gothicos Reges ex Urso & virgine nobili originem ducere, conceptio illa non contigit absque viri semine adducto à dœmone, qui sub ursi specie virginem delusit. Vid. P. Delrius lib. 2. q. 14..

25 Quòd attinet ad bruta perfecta, cujusmodi sunt canis, leo, equus, aquila, &c., est etiam ferè certum, eorum generationem non aliunde, quàm à proprijs parentibus mediâ virtute seminis, naturaliter provenire posse. Id quod suadet tum experientia, tum organizationis & temperamenti perfectio, quæ judicio sapientum nequit alijs causis adscribi. Unde canes intra lapidicinam, cùm primùm finderetur, inventos, ut viderentur ibidem nati, quod refert Guilielmus Neubrigensis, censet meritò Delrius, inibi inclusos à dœmone fuisse. Anseres verò, qui ex deciduis arborum fructibus in mari putrescentibus in Scotiâ gigni dicuntur, vel naturâ constant valde imperfectâ, vel certè fabulosi censeri debent. Sed quid de Phœnice? *Qui neque concepto*

*fœ-*

*fœtu, nec femine surgit, -- sed pater est, prolesque fui; --* ut Poetis placet. Aliteam ipsum non esse fabulosum, probat Veterum, & Recentiorum auctoritas. Historia quoque non semel vilium memorat, immò & Romam ex Ægypto allatum. Ejus tamen ex proprio cinere generatio, prout vulgò fertur, fabulis accensenda est. Nam avem omnium pulcherrimam, & perfectissimam gigni ex putredine instar muscæ, & sterilitate damnari instar monstri, non est verisimile.

26 De animalibus verò imperfectis, ut sunt muscæ, vermes, locustæ, colubri, mures, &c., communis persuasio est, ea quidem sæpe generari ex semine parentum propriæ speciei, sed sæpe etiam, aut plerumque gigni ex putrescente materiâ, nullo semine gravidâ: quod etiam de plantis, & herbis communiter existimatur. Sunt tamen, qui opinentur, Deum initio Mundi produxisse semina quamplurima, tum animalium ejusmodi, tum herbarum, & stirpium omnium, eaque cum elementis permiscuisse, cum terrâ præsertim, & aquâ: atque ex illis, cùm incidunt in locum indoli cujusque attemperatum, prædicta viventia procreari. Mihi quidem necessaria videtur virtus feminis pro cujuslibet generatione viventis; non quòd improbem recursum ad causas universales, etiam ad primam, pro influxu principali præstando; sed quia universalis causa supponit exigentiam causæ particularis materiam disponentis, aut determinantis, & hæc nequit esse alia, quàm virtus feminalis. Nam temperies, & organizatio mirissima cujuslibet corporis animabilis, etiam vesiculi, aut herbæ vilissimæ, nequit calori & humiditati, putrefactionem inducentibus, in solidum adscribi tamquam causis activis, cùm sint longè interioris indolis: nec item tamquam causis determinantibus, cùm sint qualitates valdè communes, & ex se nihil habeant, quo fabrica tam mirabilis exigatur, præsertim determinatæ speciei, v. g. muris potiùs, quàm lacerti, vel mustellæ. Idem cogita de alijs causis particularibus, quæ nec vivunt, nec cum viventibus cognationem habent.

27 Itaque tam exquisita materiæ præparatio ad solam pertinet virtutem seminalem, quæ, licèt non vivat, est admodum cognata viventi, estque *peculiaris instrumentaria virtus, materiam ex proprio munere determinans ad propagationem viventium*; quæ potest esse veluti definitio feminis in communi. Quare vel admittenda est opinio illa de seminibus initio Mundi productis, & per elementa dispersis, conservatisque etiam sub aquis Diluvij generalis (quod tamen non prohibet alia semina ab ejusmodi viventibus denuò produci): vel dicendum, semina multa, quæ ab animalibus imperfectis, nec non à plantis & herbis decidunt, vento dispergi, deferrique quaquaversùm, vel integra, vel in particulas divisa; atque ex ijs, aliorum corporum putrefactione decoctis, generari deinde viventia prioribus similia, vel etiam per accidens degenerantia. Quoniam verò terra putrescens suo velut in utero quasi mater fovet, ac decoquit illa semina, idcircò quæ inde nascuntur viventia, dicuntur ex putri generari, vel à terrâ progigni. Quæstionem istam curiosè tractat Author *Philosoph. Burgund. tom. 6. tr. 3. differt. 3. cap. 1.*.

28 *Quæritur* 5., quænam sit causa generationis fœminæ potiùs, quàm maris? & an fœmina per se intendatur à naturâ? Super hac quæstione videri possunt Conimbricenses *in 1. de Gener. c. 4. q. 26. art. 4.*, ubi mentem D. Tho-

mæ verbis ipsius expressam exhibent. Communiter dicitur, fœminei sexus generationem provenire, vel ex debilitate virtutis activæ, vel ex imperfectâ dispositione materiæ, vel etiam ex aliquâ causâ extrinsecâ, ut ex ventis australibus propter eorum humiditatem. Addunt aliqui, diversa esse in utero materno conceptacula pro fœtibus diversi sexus. Quòd generatio fœminæ non sit casualis, aut præter intentionem naturæ, saltem universalis (quàmvis Aristoteles fœminam appellet *marem occasionatum*), certum esse debet: tum ex eo, quòd ad propagationem speciei in hominibus, & animalibus perfectis, simpliciter necessaria est fœmina: tum quia naturæ Author initio Mundi primam per se mulierem efformavit. Passim tamen asseritur, fœtum fœmineum esse præter intentionem innatam agentis particularis, scilicet maris ad generationem concurrentis, qui per se intendit prolem sibi similem.

29 Verùm hoc difficultate non caret: quia particulare agens debet etiam per se innatè intendere, quod necessarium est ad propagationem speciei. Nec doctrina ista videtur inventa, nisi ad salvandum dictum Aristotelis de *mare occasionato*; quod tamen fine præculo referri posset ad jocos. Quòd mas intendat prolem sibi similem, verum est de similitudine specificâ naturæ substantialis, quam solam requirit definitio tradita *num.* 11., & quæ procul dubiò salvatur in prole fœmineâ. Quare verius videtur, agens particulare per se intendere vagè aliquod individuum suæ speciei, determinarique ad unum præ alio sexum à circumstantijs temperamenti utriusque generantis. Concedi forsan poterit mari propensio innata major in prolem masculam, quàm in fœmineam, utpotè minùs perfectam accidentaliter; sic tamen, ut sit propensio inefficax instar velleitatis elicitæ; cujus comparatione proles fœminea dicatur aliquomodò, scilicet impropriè, præter intentionem agentis particularis. Utrùm autem queat naturaliter virilis sexus in fœmineum transmutari, aut è converso, quod etiam hîc disputari posset; docebit Delrius *lib.* 2. *q.* 22., ubi multa congerit eruditione plena.

30 Ultimò *quæritur*, quibus ex causis proveniat generatio monstrorum? *Resp.* ex Conimbric. *in* 2. *Physic. c.* 9. *q.* 5., & Delrio *lib.* 2. *q.* 14., causas esse multas, ac varias. Nàm frequentissimè monstra proveniunt ex commistione animalium diversæ speciei. Interdùm proveniunt ex vi imaginatrice parentum, ex Cœli temperie, & astrorum influxu, ex corruptione, redundantiâ, vel penuriâ materiæ primordialis, sæpe etiam ex Divinâ ultione. Quæ omnia exemplis confirmant eruditissimi Authores modò laudati, qui alias insuper causas assignant. De Pygmæis, & Gigantibus, tractant Conimbric. *loc. cit.*, & Delrius *lib.* 2. *q.* 15.. De ijs etiam, nec non de quibusdam alijs monstrosis hominibus, quos ferunt alicubi nasci unipedes, aut monoculos, aut acephalos, videri potest D. Augustinus *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 9., & *lib.* 16. *cap.* 8., & in utrumque locum Ludovicus vives.

## CAP. III.

### *DE AUGMENTATIONE: UBI DE nutritione viventium.*

31 AUgmentatio, quæ generationem sequitur, ac perficit, est actio faciens integraliter crescere in substantiâ & quantitate compositum, quod jam sup-

supponitur genitum, & existens: definiriquè solet, *Motus à minori ad majus*; ut illi contraria diminutio, *Motus à majori ad minus*. Ubi *motus* idem sonat, ac mutatio, seu actio mutativa: *majus* autem, & *minus* sumuntur integraliter. Notandum tamen, conceptum augmentationis salvari, dummodò nova pars addatur composito præexistenti, tametsi non resultet hìc & nunc majoritas, eò quòd compositum aliunde simul amittat tantumdem, quantum denuò adquirit. Sic accidit in homine provectæ ætatis, qui jam nutritione non crescit, nec redditur major: cujus tamen nutritio verè augmentatio est; quia, quantum est ex se, tendit ad *majus*, hominemque redderet majorem, nisi per accidens minueretur aliunde materia præhabita. Id ipsum de diminutione censendum ordine inverso. Quare in definitionibus modò datis subintellige, *quantum est ex se*.

32 Augmentatio, & diminutio, quatenùs crescere, vel decrescere facit substantiam compositi, dicitur *substantialis*: quatenùs verò quantitatem auget, aut minuit, dicitur *accidentalis*, & peculiari nomine *accretio*, vel *decretio*. Substantialis augmentatio à generatione differt in terminis, *à quo*, & *ad quem*: qui termini respectu generationis mutativæ sunt privatio simpliciter, & esse rei simpliciter: at respectu augmentationis terminus *à quo* est privatio secundùm quid, seu privatio partis integralis compositi, quod simpliciter existere supponitur; terminus verò *ad quem*, est pars integralis, seu esse rei secundùm quid. Similiter proportione servatà differt diminutio substantialis à corruptione. Triplex distingui solet species augmentationis substantialis. Nam alia dicitur *augmentatio simplex*, cùm scilicet sola producitur unio continuativa rei cum novâ parte jam aliis præexistente, ut cùm aquæ admisceatur aqua: alia vocatur *aggeneratio*, cùm scilicet nova pars substantiæ intimis denuò producitur, ut cùm ignis per materiam ligni serpit: alia denique *nutritio* appellatur, quæ solis viventibus propriè convenit, cùm ex alimenti materiâ propriam substantiam augent.

33 Accretio, sive augmentatio quantitatis, novam actionem addit augmentationi substantiali, cum hæc in substantiam tendat, illa in accidens. Dubium tamen est, an accretio consistat in solâ actione, quâ nova quantitas adquiritur, & cum præhabitâ unitur? In quo dicendum, accretionem consistere in actione istâ principaliter, & in recto; quia terminus ejus principalis est quantitas, ideòque accretio dicitur actio simpliciter accidentalis: connotare tamen, seu de obliquo importare substantialem augmentationem, seu adquisitionem novæ substantiæ; quia quantitas non est terminus accretionis, nisi quatenùs fit propria compositi crescentis; & propria non fit, nisi ratione substantiæ, cui ut subjecto inest: ut enim homo v. g. in quantitate cresceret, non sufficeret mera unio continuativa novæ quantitatis cum præcedente, nisi substantia, in quâ recipitur nova quantitas, simul esset hominis propria; nam alioquin quantitas illa magis pertineret ad aliam substantiam, quam ad hominem. Involvitur ergo in conceptu accretionis adquisitio & appropriatio subjecti novæ quantitatis, non in recto (propter nuper dictâ), sed in obliquo.

34 Nunc *quæritur* 1., utrùm augmentatio ex materiâ divisibili necessariò fieri debeat successivè, ita ut ignis v. g. priùs tempore comburat partem materiæ viciniorem, quàm re-

remotiorem? Si neges; contrà est, quòd pars materiæ remotior ab agente; nequit tam citò disponi, quàm vicinior. Si affirmes; exurgit ingens difficultas ex Aristotelicâ compositione Continui: quia nequit assignari ligni pars, vel particula, vel superficies, adeò igni propinqua, ut non sit divisibilis in propinquiorem, & remotiorem; & quæcumque signetur, erit in infinitum divisibilis versùs ignem in particulas magis ac magis igni propinquas; nec ignis pervenire poterit ad extrema puncta particulæ signatæ, quin successivè percurrerit infinitas illius particulas proportionales.

35 *Dico* 1.: augmentatio ignis v.g. ex materiâ divisibili, per se & ex intrinsecâ ratione sui, non indiget successione temporis. *Prob.*: quia, dummodò partes materiæ palmaris sint ultimò dispositæ in instanti A., in omnes simul dabitur formæ ignis instantanea introductio: forma quippe substantialis non habet contrarium, quòd ejus productionem retardet, nisi ratione prævię dispositionis. Sic, quia lux contrarium non habet, totus aër Soli objectus illuminatur in instanti. Quòd autem regulariter non nisi successivè disponantur materiæ partes, provenit à resistentiâ contrariæ qualitatis, vel à defectu causæ disponentis, eique accidentarium, aut exterinsecum augmentationi substantiali. Unde, si penetraretur ignis cum ligno, ex suppositione illius miraculi omnes ligni partes simul comburerentur naturaliter. Potest etiam interdùm fieri naturaliter, ut ultima dispositio simul adveniat parti remotiori, ac vicinioni; si nimirùm remotior ad concipiendum ignem indigeat minori calore, quàm vicinior, ut si hæc sit lignea, illa sulphurea vel etiam quando adest alia causa æquivoca, calorem imperiens parti remotiori.

36 *Objic.*: agens intra propriam sphæram operatur difformiter, ideò, citiùs & intensiùs in partes sibi propinquiores, quàm in remotiores. *Resp.*: verum id est in productione qualitatum contrarium habentium. Immò in productione qualitatis contrario carentis, verum est etiam quoad tò *intensiùs*, non quoad tò *citiùs*: quia lux, licet in intensione decrescat pro ratione distantiæ, cum hac tamen inæqualitate simul & instantaneè producitur per totam sphæram. At forma substantialis nec contrarium habet ratione sui, nec est capax intensionis, & remissionis. *Objic.* iterùm: virtus ignis occupatur in materiâ propinquâ: ergo nequit in momento ad remotiorem pervenire, quantùmvis dispositam. *Neg. conseqn.*: tum quia potest ignis esse mole major, quàm materia passa: tum quia juvatur à novo igne in parte proximâ producto, qui potest in primo instanti suæ existentiæ operari, si materiam dispositam inveniat. Nec ignis ad partem remotam pervenit per motum localem, sed per seriem novarum ignis partium, ubi non est per se necessaria successio temporis, sed naturę, seu causalitatis ut summùm.

37 *Dico* 2.: regulariter, sive ut plurimùm, augmentatio ex materiâ sensibiliter extensâ fit successivè. Constat hoc experientiâ: cernimus enim, ignem per stupam, vel quodvis aliud pabulum, cum quadam successione serpere, ut etiam vegetantia successivè crescere. Ratio autem est; quia materiæ partes inæqualiter ab agente distantes non nisi successivè disponantur ut plurimùm, tum ob resistentiam contrariæ qualitatis (quæ, dum eminùs oppugnatur, tardiùs vincitur), tum ex eo, quòd qualitas dispositiva remissiùs producatur pro ratione distantiæ sensibilis. Dixi *ut plurimùm*: quia

quia interdùm aliter contingere potest, ex dictis *n.* 35., saltem si materia sit modica. Certè in primâ animatione fœtus humani, anima rationalis simul introducitur in omnes partes, aut particulas minimi naturalis; non enim naturaliter introduci valet in corpus minùs minimo: & tamen illius materiæ partes inæqualiter distant ab agente. Cur ergo simile quid contingere nequeat interdùm in augmentatione?

38 Dixi quoque *ex materiâ sensibiliter extensâ*: quia, si molis materiæ sit insensibilis, hoc est ejus particulæ distent inæqualiter ab agente, nihil prohibet augmentationem ex ijs censeri regulariter instantaneam: non enim offendat experientia, quæ in molecula insensibili locum non habet: non item ratio; quia modicissima distantiæ inæqualitas pro nihilo reputanda, & non sufficit remissioni qualitatis dispositivæ, nec dat locum majori resistentiæ contrariæ. Atque ita sentiunt plures e defensoribus Conclusionis Aristotelicæ; qui, ut evadant difficultatem *num.* 34., docent, successionem augmentationis non fieri per partes proportionales, quæ infinitæ sunt, sed per determinatas minutissimas, quarum particulæ simul tempore disponuntur ad novam formam, eamque recipiunt in eodem instanti. Posità compositione Continui Zenonicâ, quam in Physicâ propulimus, posset citra incommodum admitti successio augmentationis per indivisibilia. Sed propter modò dicta verisimilius est, eam successionem plerumque fieri per partes divisibiles, tamen insensibiles singulatim.

39 *Quæritur* 2., utrùm augmentatio, dum successivè fit, continuè fiat? Idest, utrùm novæ materiæ partes (sive sint divisibiles minutissimæ, sive sint puncta, vel superficies infectiles) immediatè adquirantur una post aliam, sine ullâ temporis, vel instantis interpositione. *Resp.* 1., successionem illam sæpe esse continuam quoad finitas: nulla quippe datur interruptio sensibilis, dum ignis serpit per nitratum pulverem v. g. *Resp.* 2., sæpe quoque continuam esse reipsâ quoad aliquas partes, finitasque distantias, vel interruptam quoad alias. Confirmatur primum: quia sæpe materia igni apposita præsupponitur uniformiter affecta quoad partes aliquot: in his autem non est cur interrumpatur successio augmentationis. *Dico*: debet interrumpi modalis eâ ratione, quâ motus localis non summè velox, juxtà dicta in Physicâ, ubi de Continuo. Sed *contrà*: modalia illa, licèt in præfendi admittantur, non debent esse per alternas instantia, sicut nec in motu locali; sed ita, ut agens offendat quinto quoque instanti v. g., postquàm operationem per quatuor instantia continuavit. Unde jam habitur continuatio quoad partes aliquas, ut nunc intendimus.

40 Quòd verò sæpe interrumpatur successio quoad partes alias, probari potest, non solùm ex paritate motûs localis quantum ad modalia, sed etiam ex eo, quòd partes materiæ, v. g. ligni, sæpe non sint uniformiter affectæ, dum igni applicantur, sed aliæ aliis frigidiores, aut humidiores: quo fit, ut postquam ignis augmentatio pervenit ad partem B. successione continuâ, tamdiù suspendatur, quia opus est aliquâ morâ temporis, ut ultimò disponatur pars C. frigidior, aut humidior. Atque hinc frequenter provenit (præter rationem generalem ex motu locali desumptam), quòd inter augmentationes sensibiliter continuas aliæ sint aliis velociores: velocius enim serpit ignis per nitratum pulverem, quam per stupam. Quamquàm hæc in-

inæqualitas dari quoque potest inter duas augmentationes reipsâ continuas; si nimirum utraque fiat per partes determinatas insensibiliter extensas ex *n.* 38., sed altera per majores, altera per minores, eò quòd dispar sit vel virtus agentis, vel aptitudo subjecti. Certè in partibus adeò modicis, ut sensum fugiant, dari potest majoritas, & minoritas, etiam in sententiâ Zenonis, quin perveniatur ad atomos.

*De Nutritione viventium.*

41 Præcipua species augmentationis substantialis est nutritio; quæ definiri potest, *Actio per se tendens ad incrementum substantiæ viventis, à cujus virtute oritur.* Hæc per se supponit *intussumptionem* novæ materiæ, idest, internam sumptionem materiæ alimenti, quæ ab omnibus corporis vivi partibus attracta, & cum ijs intimè commixta, omnes auget uniformiter difformiter: uniformiter; quia crescente capite v. g., pedes crescunt: difformiter; quia unumquodque membrum crescit juxta proportionem sibi debitam, quæ varia est. Differt nutritio ab aggeneratione, vel augmentatione inanimatorum: tum quia per se requirit intussumptionem, & commixtionem novæ materiæ; cum aggeneratio contenta sit juxtapositione, nec per se importet augmentum compositi, nisi penès illam partem, cui apponitur nova materia, ut in igne cernitur: quodsi aliquando in aggeneratione contingat interna suctio, vel commixtio, id erit per accidens. Tum præcipuè, quia nutritio dicit essentialem respectum ad virtutem viventis ut talis, & essentialem ordinem ad incrementum ejusdem; nec potest producere suum terminum specificative sumptum, quin illum simul continuet cum præexistenti composito, ut mox dicam.

42 Alimentum ergo in viventibus sensitivis ore susceptum, per œsophagum trajicitur in stomachum, seu ventriculum, ibique primò dissolvitur, ac decoquitur in chylum, qui cremor est cinerei coloris: quæ prima decoctio provenit (præter virtutem animæ) partim ab innato calore, partim à quodam succo dissolvente, qui ex ventriculi membranis extillat, & passim *acidum* appellatur; atque huic acido tribuitur alimenti durioris dissolutio, ut cùm canes ossa digerunt, & struthiocamelus, ut fertur, ferrum concoquit. Deinde chylus per pylorum (quod est inferius ventriculi orificium) in intestina defluit; ubi, fœcibus deorsùm tendentibus, pars chyli purior, ac liquidior exsugitur à venis mesaraicis (ut veteres putarunt), per easque defertur in jecur: in quo fit secunda concoctio in chymum, qui liquor est quatuor humoribus constans, flavâ nimirùm, & atrâ bile, pituitâ, & sanguine. Ab hepate, seu jecore, (quod censetur officina sanguinis), amandatis in propria receptacula humoribus nutritioni superfluis, aut inutilibus, sanguis jam purior (nonnihil tamen admixtum habens ex reliquis humoribus, præsertim ex pituitâ) defluit in venam cavam; indeque per varias, ac multiplices venulas in omnia corporis membra dispersus, & per poros etiam attractus, tandem ab insito calore, succoque membrorum ultimò decoctus, ac dispositus juxta variam indolem cujusque membri, convertitur in substantiam alti.

43 Moderni Physici, & Anatomici, aliter explicant viam chyli: ut scilicet in transitu per intestina exugatur pars chyli purior, non à venis mesaraicis, sed à venis lacteis, per quas, lac-

lacteo imbuta calore, ad communæ receptaculum propè lumbos positum deferatur: unde per ductum thoracicum in venam subclaviam, hinc in venam cavam deducta, ad dextrum cordis sinum perveniat; ac sæpius cum præexistente sanguine circulata convertatur in sanguinem. Non desunt tamen docti Neoterici, qui censeant, chylum duas in partes ita dividi, ut pars serosa per venas lacteas viam arripiat nunc expositam; pars verò sulphurea per mesaraicas tendat ad jecur, non ut ibi formetur in sanguinem (nullam quippe Neoterici videntur agnoscere sanguinis officinam, præter arterias & venas omnes in corpore dispersas), sed ut, bile depositâ, purior ad cor feratur. Quidquid de hoc sit, certum est, ante ultimum nutritionis actum præire saltem tres alimenti concoctiones: quarum primâ formatur chylus, secundâ sanguis, tertiâ inducitur proxima dispositio, vel carnis, vel ossis, vel nervi &c.. Quibus positis, sequitur ultimus nutritionis actus, qui est illius materiæ animatio, & unitio cum composito jam anteà viventi. In quo mirabili naturæ opere laborant quatuor animæ facultates (sive distinguantur entitativè, sive tantùm ex munere), nimirùm *attrahens*, *concoquens*, vel *alteratrix*, *retinens*, & *expurgans*: quæ omnes velut administræ sunt facultatis quintæ nobilioris, quæ dicitur *alens*, aut *altrix*, & cujus est ultimus actus nutritionis. Has autem quinque simul comprehendit nomen *facultas nutritiva*, seu *vegetativa*: atque omnes etiam inveniuntur in plantis, quæ per radices alimenta fugunt, suaque habent receptacula, venulas, ac ductus plurimos, quibus alimenta concoquunt, distribuuntque per omnes proprij corporis partes, ut eas nutriant.

44 Nunc *quæritur* 1., in quo fiet propriè nutritio, sive ultimus nutritionis actus? Post tres concoctiones nuper expositas, dum alimentum in substantiam alii convertitur, necessaria est 1. actio continuativè uniens novam partem materiæ cum materiâ corporis viventis: 2. actio informativè uniens novam illam materiam cum animâ præexistente (si hæc sit indivisibilis, ut in homine), vel producens & uniens, cum eâ materiâ novam partem animæ, si hæc sit divisibilis: 3. actio continuativè uniens in homine novam unionem informativam cum unione simili præhabita. Quodsi anima sit divisibilis, ut in colubro, datur 3. actio continuativè uniens novam partem formæ cum præexistente: ac demùm 4. actio continuans novam unionem informativam cum præsuppositâ. Negant aliqui, necessariam esse unionem quasi reflexam, quâ nova unio informativa continuetur cum præcedente. Sed immeritò: quia unio informativa, utique divisibilis, quæ per totum corpus hominis extenditur, continua est, nec partes habet merè contiguas, ut omnes supponunt, utque perfecta unitas compositi requirit. Dubium igitur est, quænam ex his actionibus fit propriè nutritio? Plures, quos citat & sequitur P. Peynaldo *hic tract.* 2. *d.* 6. *s.* 2., supponunt, tres, vel quatuor actiones, nunc enumeratas, realiter inter se distingui; censentque, in solâ ultimâ constitere immediatè & formaliter nutritionem. Quia, inquiunt, reliquæ actiones possunt existere, quin viveus fit substantialiter major, aut quin sibi propriam faciat novam partem substantiæ: non ita verò ultima actio.

45 *Dico* tamen 1.: actio, quâ in homine producitur unio animæ cum materiâ alimenti, & actio, quâ

unitur continuativè nova hæc unio cum unione præhabitâ, vel non sunt actiones realiter distinctæ, vel saltem habent simultatem naturæ, atque ita connectuntur invicem, ut nequeat, existere alterutra sine alterâ. Quodsi vivens animâ divisibili constet, idem dico de actionibus 2., 3., & 4.. Quantum ad hominem, *probatur*: quia nequit anima uniri cum materiâ alimenti, quin eo ipso conversum sit alimentum in substantiam hominis: sed in hac conversione fiat formaliter nutritio, ut est certum: ergo dari nequit unio animæ cum illâ materiâ (non in instanti temporis, nec in signo naturæ), quin eo ipso detur nutritio; cùmque nutritio necessariò importet continuationem novæ illius unionis cum præhabitâ, nova illa unio vel per eamdem actionem, vel per duplicem simultaneam, & producitur, & continuativè unitur cum præcedente. Cætera constant, & *Major probatur* facilè: quia nunc alimentum sine dubio convertitur in aliam substantiam, siquidem ejus materia transit à formâ alimenti ad aliam formam: sed substantia, in quam convertitur per unionem cum animâ rationali, est substantia hominis, & non hominis novi, seu denuò geniti, ut est evidens, sed hominis præexistentis, & modo nutriti: ergo. &c quidem, si potest existere unio animæ cum materiâ alimenti, quin sit propria hominis præexistentis, nec illam augeat, ut Authores citati dicunt; sequitur 1., quòd ex eâ unione resultare potest novus homo, seu novum compositum humanum, quod non sit pars præcedentis: unde productio illius unionis, erit propriè nova generatio. Sequitur 2., quòd anima rationalis potest informare seorsùm materiam minorem minimo naturali; nam alimenti materia per partes minutissimas, & minimo naturali minores, permiscetur cum materiâ viventis.

46 Similiter *probatur* Assertio quantum ad vivens formâ divisibili constans: nequit enim in materiâ alimenti produci nova pars animæ, quin eo ipso tam illa, quàm unio ejus, fiat propria viventis præsuppositi; ac proinde quin utraque uniatur continuativè cum animâ & unione præhabitis. Nam alioquin verè converteretur alimentum in substantiam viventem, quæ non esset substantia aliti, sed alia denuò generata; fierique posset, ut nova animula informaret seorsùm materiam minimo naturali minorem. Hinc ratio redditur, cur in quibusdam animantibus, v. g. in mulo, detur aptitudo ad se nutriendum, non verò ad generandum: quia scilicet generatio est actio validior, utpotè sufficiens ad producendum novum compositum, quod non sit pars alterius, sed per se existentes: nutritio verò est actio impotens producere sive animam, sive unionem, nisi sub ratione partis actualis, præcedens compositum integrantis. Quare non tenet illatio à vi nutritivâ ad generativam.

47 *Dico* 2.: nutritio præsupponit unionem continuativâ novæ materiæ cũ materiâ viventis, sed formaliter consistit in productione simultaneâ novæ unionis informativæ, & alterius unionis ipsam continuantis cum aliâ simili præhabitâ. Hoc in homine. In ijs autem, quæ constant animâ divisibili, nutritio addit insuper simultaneam productionem novæ partis animæ cum suâ continuativâ unione ad animam præexistentem. Ratio Assertionis sumitur ex nuper dictis: quia positis hisce terminis plenè intelligitur alimenti conversio in substantiam aliti propriam, & quovis eorum sublato, vel præciso, ta-

talis conversio non intelligitur. Aliunde hi termini produci debent simul naturâ : quia nequit alter alterum præcedere. Quòd unio continuativa non præcedat novum extremum, evidens est : quòd verò nec nova unio informativa, nec nova pars animæ ( ubi datur ) præcedat unionem sui continuativam, patet ex dictis ; quia neutra producitur, nisi sub ratione partis actualis integrantis compositum præexistens ; & in ratione partis istiusmodi constituitur per unionem continuativam. Quare productio terminorum istorum vel est realiter actio unica, vel saltem importat actiones invicem connexas, & simultaneas. Aliud est de unione continuativâ novæ materiæ cum præhabitâ : quia potest illa unio existere, quin detur conversio alimenti in substantiam alitì : passim quippe cernimus, duo composita specie diversa continuativè uniri quoad materiâ.

48 Ex dictis inferes, cur nutritio dicatur actio immanens, & vitalis, quàmvis tota recipiatur in novâ materiâ : quia nimirùm exercitè & per se facit novam materiam esse propriam illius suppositi, à quo ipsa oritur : unde in nullo instanti vel signo existit, quin verè immaneat supposito, à quo est. Non ita evenit in aggeneratione ignis v. g. : nec enim producitur novus ignis sub ratione partis actualis integrantis ignem præcedentem ; nec ejus productio est augmentatio per se, sed per accidens, eo quòd inveniat materiam continuam ; ipsa namque per se posset eadem existere, licèt nova materia esset purè contigua, tuncque non foret aggeneratio, sed generatio nova : unde per se est actio transiens, licèt per accidens aliquomodò reddatur immanens. Quando autem producitur unio continuativa novæ formæ & unionis igneæ cum præcedente, fortasis ea productio non est ab intrinseco ignis, sed ab alijs causis extrinsecis.

49 *Quæritur* 2., quænam sint causæ nutritionis ? *Resp.*. Causa seu virtus principalis est animæ substantia, quæ debet immediatè influere in omnem actum vitalem, licèt potentijs accidentalibus adjuvetur, ut in Animasticâ dicemus. Nec solùm influit in ultimam actum nutritionis, sed etiam in præcedentes, quibus multifariam concoquitur, circulatur, ac distribuitur alimentum. Non enim ad opus tam varium, ac mirabile, sufficere possunt acida, vel alia fermenta, nec lympha, calor, spiritus, aër inspiratus, aut materia subtilis ; ut volunt moderni Physici Corpusculares, qui nullum in toto nutritionis opere influxum tribuere videntur animæ rationali. Concedo tamen, animam ad opus hujusmodi omninò indigere corporeis officinis, ac medijs mechanicis, videlicet ventriculis, venis, arterijs, glandulis, poris, &c. : indigere item varijs succis, & idoneo temperamento qualitatum, præsertim caloris, tanquam causis instrumentalibus activis, tum ad præparandam alimenti materiam, tum ad ultimum nutritionis actum, possunt enim accidentia immediatè influere in effectum substantialem, ut in Physicâ tenuimus.

50 *Quæritur* 3., utrùm nutritio ex materiâ divisibili successivè fiat, & continuè ? *Resp.*. Hic applicanda est eadem doctrina, quam suprà generatim pro augmentatione dedimus à *n.* 35., & à *n.* 39.. Sed adhuc *quæritur* 4., utrùm nutritio ( quidquid sit de moralis exiguis ) debeat esse moraliter continuata, seu non interrupta notabiliter, per totum vitæ tempus ? Supponendum, necessitatem nutritionis provenire, non tantùm ex innato appeti-

tu crescendi ad magnitudinem debitam, sed etiam ex jactura particularum materiæ præhabitæ, quæ ferè continuò resolvitur, & in vapores, aut halitus abit per transpirationem, tum vi caloris interni, & acidorum acrimoniæ, tum vi agentium extrinsecùs oppugnantium, ac corrumpentium temperamentum viventi debitum. Hoc posito, sententia communis est, nutritionem ita necessariò continuari toto vitæ tempore, ut interrumpi nequeat, saltem notabiliter, sine vitæ discrimine: unde Aristoteles dixit, facultatem nutritivam non dormire, sed ejus somnum esse mortem. Ratio autem est: quia, cùm detur ferè continua materiæ resolutio, & alteratio temperamenti in reliquâ materiâ viventis, nisi hæc detrimenta reparentur nutritione fere continuâ, brevi mors imminebit. Accedit, quòd acidi acrimoniam, & calor stomachi, nisi in alimento excoquendo laborent, in partes viventis desævient ad interitum usque. Humidum etiam radicale brevi absumetur ab interno calore.

51 Nec obstant exempla brutorum, & quorumdam hominum, qui diù sine cibo vixerunt, de quibus eruditè Conimbric. 1. *Gener. c. 5. q.* 10., & Delrius *lib.* 2. *Disquis. q.* 21.. Nam ea animalia (quorum materia glutinosa non ita facilè resolutionem patitur) vivunt quidem, aut vixerunt, absque novâ cibi externi sumptione; non tamen absque omni alimento, quo nutrirentur aliquatenùs: quia per id tempus alebantur pituitâ, vel aliûs densi & concreti humoris copiâ, quam anteà congesserant, & quæ frigiditate & concretione suâ calori resistens, tardiùs excoquitur. Similiter per dies octo, vel decem, quibus homo vivus inediam sustinere potest communiter (ut creditur), calor stomachi magnâ ex parte occupatur in absumendis humoribus inanimis, ibi residuis, nec totam vim suam in partes animatas convertit. Dum autem convertit, atque ita molitur interitum illius compositi, cujus commodo inservire debebat, & consequenter causat etiam interitum sui ipsius, totû hoc est per accidés ex defectu cibi, cui coquédo debebat per se insistere ex naturæ instituto.

52 Notandum tamen, quòd ex partibus animatis calor unius non agit in humidum alterius (multò minùs in humidum ejusdem), nisi quando in alteratrâ minuitur, vel augetur aliunde citrâ, vel ultrâ temperamentum naturaliter debitum. Calor ergo absumens humidum radicale (quo nomine venit tum humiditas debita & inhærens partibus animatis, tum quæ inest sanguini, & succo nutritio) ille est, qui residet in spiritibus inanimis, in ijs præsertim nitrosis, aut sulphureis, qui totum intra corpus divagantur, & partim ex alimenti decoctione resultant, partim respiratione trahuntur, aut per poros subeunt. Huc accedit calor à Sole, vino, alijsque causis proveniens, qui sæpe supra modum inflamant jecur, aliaque viscera, vel humores, unde febres oriuntur. Hinc facilè solves quæ contra caloris actionem in humidum ob[illegible]e aliqui. Sed adhuc *objicies*, experientiâ compertum esse eos, qui fame, aut inediâ moriuntur, multo plerumque sanguine abundare: non ergo mors provenit ex defectu alimenti, quod nutritione convertatur in substantiam alti. *Respondetur*, sanguinem illum jam non esse idoneum nutritioni: vel quia, ut aliqui volunt, non quævis pars sanguinis nutrit, sed pars tantùm serosa, & ovi albumini similis, quæ jam in fame enectis consumpta est: vel quia totus ille sanguis factus est siccior, & aduf-

adustior, quàm ut in nutrimentum cedere possit.

53 *Quæritur* 7., utrùm ex nutritione ipsa debeat homo mori, licèt alia mortis causa non esset? Certum est, mortem sæpissimè ex cibi sumptione provenire; vel quia cibus est noxius, vel quia sumptio immoderata. Certum est etiam ex eo principio, *ægeus agendo repatitur*, hominem in alterando alimentum, etiam congruentissimum, aliquid repati, atque adeò aliquid nativi temperamenti ac vigoris amittere, quod non potest per ultimam alimenti conversionem recuperare; quia conversum nequit esse perfectius convertente. Unde, si spectetur præcisè nutritionis opus (etiam præscindendo à lege Dei, quâ statutum est omnibus hominibus semel mori) certum videtur, hominem ex eo ita debilitatum iri decursu temporis, ut tandem moriatur. Atque ita sæpe accidit, ut homines, rationem victûs optimam observantes, nullàque aliâ ægritudine vexati, paulatim senescant, & corrugentur, ac tandem ex meræ senectute deficiant.

54 *Dices*: cum alimenta sint varia, potest homo reparare per unum, quod per aliud perdidit ex temperamento sibi debito, v. g. reparare per calidum, quod amisit per frigidum. Et quàmvis de facto nunquam ita contingat constanter in homine longævo, vel ob insalubritatem ciborum nunc provenientium, vel ob defectum proportionis in quantitate; tamen ex naturâ rei non repugnat. Unde communis sententia est apud Exim. Doctorem *lib.* 3. *de op. sex dier. c.* 15., fructum arboris vitæ, in Paradyso plantatæ, hanc vim habuisse naturalem, ut renovaret juventutem hominis, ejusque mortem à senio obventuram perpetuò arceret. *Resp.* Reparatio ista fieri nequit ab alimento ut tali, idest, ut apto decoqui, & converti in substantiam aliti: alioqui cibus corrumperetur ab eo calore, quem ipse produxit, aut reparavit in vivente. Solùm ergo fieri poterit ab alimento, quatenùs medicinâ, seu pharmaco, idest, quatenùs habente partem aliquam cæteris dissimilarem, quæ vim habet reparandi temperamentum hominis, & non convertitur in substantiam ejus: qualis pars fuit in fructu Ligni vitæ, & modò nusquàm est ita perfectè reparatrix.

### *De termino magnitudinis, & parvitatis.*

55 Tandem *quæritur*, utrùm substantijs præfixus à naturâ sit certus crescendi ac decrescendi terminus, quem transgredi nunquam valeant? *Resp.* 1. cum communi sententiâ: viventia certum habent terminum magnitudinis, ultra quem naturaliter crescere nequeunt: certum item parvitatis terminum, infrà quem naturaliter conservari non possunt. De termino magnitudinis constat experientiâ, non solùm in individuis (quæ ex peculiari temperamento alia sunt aliis majora), sed etiam in speciebus: nunquam enim visus est gigas unâs lineæ v. g. Accedit ratio ex necessitate nutritionis: quia non posset cibus aptè distribui per partes corporis ad Lunam usque pertingentis. De termino autem parvitatis patet: quia nequit anima uniri naturaliter, nisi corpori organico, quod certè requirit extensionem materiæ divisibilis, nec salvari potest in puncto. *Dices*: homo attingens quamlibet magnitudinem designabilem, posset adhuc augeri tumore capitis, vel hydropisi. Posset quidem; sed non vitaliter: humor enim ille morbidus non esset animatus, nec per nutritionem adquisitus.

56 Notandum hic pro intelligen-

tiâ terminorum, summam cujusque speciei magnitudinem, aut summam parvitatem, appellari terminum intrinsecum, & *maximum quod sic*, aut *minimum quod sic*, aliàs *minimum naturale*, in quod primò introduci potest anima: minimam verò inter illas magnitudines, aut maximam inter illas parvitates, quæ sunt viventi naturaliter impossibiles, vocari terminum extrinsecum, & *minimum quod non*, aut *maximum quod non*. Notandum insuper, homines non crescere communiter ultra 25. ætatis annum, eò quòd ossa nimis obdurata nequeant augeri. Pinguescunt tamen, seu carnis molem adaugent. Senes verò debilitantur, & corrugantur: quia defectu caloris & humiditatis innatæ non benè decoquunt alimenta, nec tantundem in se convertunt, quantum propriæ materiæ in dies amittant. Eorum tamen nutritio verè est augmentatio, propter dicta suprà *n.* 31.

57 *Resp.* 2.: pleraque inanimata per se non habent terminum magnitudinis impertransibilem, nec item parvitatis usque ad atomum, sive punctum. Ita quoque communis sententia contra plures Thomistas. Quia inprimis nulla prorsùs apparet ratio, cur ignis v. g., eò quòd nimiùm excreverit, jam non possit appositam sibi stupam comburere, & cum novâ flamma continuativè uniri. Ac deinde, cùm ignis non requirat dispositiones heterogeneas, seu non cohærentes in eâdem parte materiæ, non est cur ejus forma nequeat existere in quâvis materiæ particulâ, vel atomo. Hinc passim videmus, plurima corpora ad pulverem rediqi minutissimum, quin ideò pristinam formam substantialem amittant. Dixi *per se*: quia per accidens, & ab extrinseco, vel à contrarijs agentibus, sæpe impediuntur res inanimæ, ne vel nimiùm crescant, vel diu conserventur in exiguâ materiâ, in quâ facilìùs vincuntur, ut patet in scintillâ ignis; quæ tamen, si poneretur in vacuo, vel in loco ab oppugnatione libero, non extingueretur, quamvis punctum esset. Dixi quoque *pleraque inanimata*: quia nonnulla sunt, quæ à viventibus per se pendent, aut reluctant, indeque limitationem magnitudinis habent: cujusmodi sunt cadavera, margaritæ in ostreis genitæ, avium ova, & similia.

58 Sed pro Thomistis *objic.* 1.: quævis forma est determinata ad certam perfectionem: ergo & ad certam quantitatem. 2.: nequit corpus in quavis minimâ quantitate agere, vel pati: ergo nec esse; quia esse est propter operari. Verùm hæc nullius sunt roboris. *Ad* 1. *dist. Antec.*: ad certam perfectionem intensivam, seu quoad speciem, *conc.*; extensivam, seu quoad numerum partium, quibus possit magis ac magis integrari, *neg. Antec.*, & *Consequ.*. *Ad* 2. *neg. Antec.* per se loquendo: nam punctum ignis, à validiori contrario liberum, cur non posset oppositum sibi punctum pyrij pulveris comburere?

## CAP. IV.

### *DE RARITATE, ET DENSITATE.*

59 QUoniam raritas & densitas quamdam præseferunt speciem augmentationis & diminutionis, earum explicationem hìc atteximus. *Rarum* definitur ex doctrinâ Aristotelis 4. Physic. t. 84., *Quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ.* E contrà *Densum* definitur, *Quod sub parvis dimensionibus multum habet materiæ.* Ubi *parum* & *multum*, *magnis* & *parvis*, sumuntur respectivè; quatenùs in corpore raro parum est materiæ, si comparetur cum materiâ aliorum corpo-

porum æqualem dimensionem habentium: in denso autem multum est materiæ, factâ comparatione cum alijs dimensione æqualibus. Sic aër rarus est, quia palmus aëris cum palmo terræ comparatus nonnisi decimam habet partem materiæ: terra verò est densa, quia sub dimensione palmari materia terræ deciès excedit materiam aëris palmaris. Unum corpus esse densius, aut rarius alio, colligimus ex varijs accidentibus, præcipuè ex pondere. Sic ferrum dicimus densius ligno, quia in æquali mole plus ponderis habet. Potest etiam, fieri comparatio ejusdem corporis ad se ipsum: nam cera v.g., dum rarescit, extensionem adquirit *magnam* respectu illius extensionis, quæ aliàs sufficere posset eidem ceræ: dum verò densatur, ad extensionem, redigitur *parvam* respectu illius, quæ aliàs eidem ceræ correspondet.

60 In præsenti præcipua quæstio est de raritate & densitate, quas idem corpus incorruptum subire potest alternatim, dum pro varietate temperamenti nunc majus, nunc minus occupat spatium. Ubi notandum, quòd illa formâ, vel quasi forma, quæ corpus in actu primo determinat ad extensionem majorem, aut minorem, à multis dicitur esse certa quædam qualitas non aliud munus habens, peculiarique nomine vocatur *raritas*, aut *densitas*. Communior tamen sententia non agnoscit ibiusmodi qualitatem, sed ad id muneris sufficere putat certum temperamentum qualitatum communium, ita ut in rarefaciendo prævaleat calor, in condensando frigus, à quibus passim experimur effectus hosce provenire, nisi à nimiâ duritie & siccitate corporis impediantur. An autem raritas (idem esto de densitate) consistat in hujusmodi temperamento, an verò in ubicatione, seu extensione locali? quæstio est de nomine. Passim, & rectè dicitur, quòd raritas radicalis, sive in actu primo, consistit in temperamento; raritas autem formalis, sive in actu secundo, consistit in ubicatione magis extensâ, prout à tali temperamento naturaliter orcâ. Unde Christi corpus in Eucharistiâ raritatem habet radicalem, non formalem.

61 Sed difficillimum explicatu est, quomodò in eodem corpore nunc major, nunc minor extensio contingat sine penetratione, aut bilocatione partium, vel totius corporis. Nam cera densa v. g. existit in spatio palmari tamquam in loco sibi adæquato: dum ergo rarefacta occupat spatium bipalmare, locum occupat duplò majorem adæquato, quod est bilocari. Vel, si spatium bipalmare non est nisi unus locus adæquatus, spatium palmare solùm erit adæquatum medietati ceræ: dum ergo cera in condensatione redigitur ad palmare spatium, necesse erit unam medietatem ejus cum alterâ penetrari. Hæc difficultas Philosophos distraxit in varias sententias, quarum præcipuas nunc exponam, & utcumque expendam.

## §. I.

### *Prima, & secunda sententia.*

62 PRima *sententia* est, aut fuit (vix enim hodiè patronum habet), corpus rarefieri per novæ quantitatis adventum; densari verò per amissionem ejusdem. Sed *rejicitur*: quia, si loquatur de adventu & amissione totius quantitatis, paradoxum dicit, cùm quantitas non habeat contrarium, nec sit verisimile quantitatem unam per aliam ejusdem speciei corrumpi. Si verò loquatur de novâ parte quantitatis, *contra* est 1., quòd nec

nec pars illa potest in condensatione corrumpi sine contrario. 2., quòd continuitas rarefactio cum accretione. 3., quòd, si nova pars materiæ non additur (ut hæc sententia supponit), pars quantitatis nova vel in nullo subjecto recipietur, vel si recipitur in materiâ, penetrabitur cum quantitate præhabitâ, quæ totam materiam illius corporis informare supponitur; vel si præcedens quantitas relinquit aliquam partem materiæ, mutabit subjectum, & insuper quoad aliquas sui partes penetrabitur, utpotè contractas ad minorem materiam. Nec obstat D. Thomas *in* 4. *Physic. lect.* 14. dicens, rarefactionem fieri per hoc, quòd eadem materia accipiat *nunc majorem, nunc minorem quantitatem.* Loquitur enim de majoritate, non entitativâ, sed purè extensivâ; ideòque subdit: *Rarefieri nihil aliud est, quàm materiam recipere majores dimensiones.*

63 *Secunda sententia* supponit compositionem continui Aristotelicam, & raritatem explicat per adventum novæ qualitatis, quæ corpus & ejus quantitatem determinat ad occupandum majus spatium, quàm anteà. Id quod bifariàm explicatur. 1. ita, ut partes quantitatis magis evolvuntur, aliæque ab alijs magis distent; nec tamen singulæ majorem, quàm anteà, præsentiam habeant. Verùm hoc *impugnatur* facilè. Tum quia illa partium evolutio, majorque distantia, inexplicabilis est, si nec importat expenetrationem, nec discontinuationem, nec dilatationem pororum cum vacuitatibus, aut corpusculis adventitijs, nec demùm replicationem, aut majorem præsentiam singularum partium. Nihil autem horum importat evolutio illa, juxta suos Authores. Tum quia inconceptibilis est extensio corporis ad majus spatium, si nulla pars ejus majorem præsentiam adquirit. Tum etiam, quia vel firmo est de partibus proportionalibus, vel de aliquotis. Si primum dicas; evidens est, singulas partes cerę rarefactę fieri extensivè seu præsentialiter majores, videlicet medietates, quartas partes, octavas, &c.: si enim cera, priùs palmaris, nunc occupet bipalmare spatium, medietas ejus fit palmaris, cùm anteà semipalmaris esset; eâdemque proportione crescunt reliquę partes. Si secundum: partes aliquotę, v. g. palmi, vel digiti, non evolvuntur, nec sunt eędem, aut totidem, quot anteà, sed numero multiplicantur: quę enim cera priùs in extensione habebat quatuor digitos, nunc habet octo.

64 2. explicatur per indifferentiam quantitatis ad varias extensiones, tam partium corporis, quàm totius. Quantitas nimirùm, in se spectata, exigit extensionem localem, non tamen hanc præ illâ, non majorem præ minore: sed pro variatione qualitatum, quibus afficitur, nunc majorem, nunc minorem radicat. Unde secundùm se non est *tanta* in actu secundo (v. g. palmaris potiùs, quàm digitalis), sed *tanta* redditur per ubicationem, seu præsentiam, in quâ consistit extensio actualis: nec item est *tanta* determinatè in actu primo, sive in exigentiâ, nisi prout conjuncta est cum certâ qualitate, vel temperamento raritatis, aut densitatis. Hinc, dum occupat spatium duplo majus, non bilocatur; quia non est plusquam in uno loco adæquato: nam spatium præcedens, quod quantitati aliter affectę adæquabatur, jam non est adæquatum eidem prout hic & nunc qualificatæ. Nec verificatur, partes in condensatione penetrari: quia, cùm partes infinitę sint tam in quantitate, quàm in spatio quolibet, nunquam designabimus pars quan-

ti-

titatis, cui non correspondeat pars spatij distincta. Hæc explicatio videtur communior inter Aristotelicos, satisque ad mentem ipsius Aristot., & D. Thomæ. Illam indicat Exim. Doctor *d.* 40. *Met. s.* 4. *n.* 29., & *s.* 9. *n.* 12.: indicant etiam Conimbric. 1. *de Gener. c.* 5. *q.* 17. *ar.* 6. *fine*: sed eam præ cæteris explicat ac tuetur P. Jo. Bapt. de Benedictis *tom.* 3. *l.* 2. *q.* 1. *c.* 4.. Eadem videtur communis inter Thomistas; qui tamen modos quosdam addere solent in quantitate rarescente.

65 Nihilominùs explicatio ista difficilis est. 1.: quia nulla erit determinata quantitas, quę non possit naturaliter extendi, vel contrahi magis ac magis sine fine. Unde poterit naturaliter fieri, ut quantitas totius Mundi coarctetur ad locum unius grani tritici, & unius granuli materia locum occupet Mundi totius. *Dices*: unaquæque finita quantitas certos habet limites, tum summę raritatis, tum summæ densitatis. Sed *quæro*, num materia grani, & materia montis habeant eosdem limites? Si habent: ergo materia, seu quantitas grani, poterit naturaliter æquare molem montis, aut totius Mundi, quod opinor nemo concedet. Si non habent; cur non? Quia, inquis, grani quantitas minor est in se, & quoad se. Sed in quo stat minoritas in se, & quoad se? An in aptitudine ad minorem locum? At hujus aptitudinis ratio quęritur. An in habendo pauciores partes entitatis suæ? At *contrà* est, quòd partes proportionales tam infinitæ sunt in granulo tritici, quàm in toto caucaso monte: partes autem aliquotę (v.g. digiti, palmi, ulnæ, leucę) nullæ sunt determinatæ ratione solius quantitatis; sed à certâ præsentiâ & extensione locali pendet quòd plures vel pauciores sint. Similiter ab eadem extensione pendet, juxta citatos AA., quòd partes proportionales (v.g. dimidia, tertia, quarta pars) majores sint, vel minores.

66 *Dices* iterùm: raritas nequit naturaliter tanta esse in materiâ grani, ut exigat spatium montis. Sed *contrà*: eadem qualificatio (fit, vel non fit raritas), quæ est in totâ materiâ montis, poterit naturaliter esse in materiâ grani: hanc ergo naturaliter extendi faciet ad spatium montis. *Prob. Antec.*: inprimis potest qualificatio eadem esse quoad intensionem, ut est manifestum. Deinde quoad extensionem entitativam in multitudine partium materiæ: quia, ut nuper ostendimus, in materiâ grani secundùm se non sunt pauciores, nec minores partes, quàm in materiâ montis. Cur ergo non inde sequetur naturaliter eadem extensio localis? Hinc *rejicitur*, quod aliqui dicunt, in rarefactione quantitatem fieri majorem in se, non per additionem partis ad partem, sed per majorem radicationem, & actuationem subjecti, quæ solùm novos modos addit; non aliter, ac de intensione qualitatum sentiunt Thomistæ. *Rejicitur*, inquam: quia nulla ratio est, cur actuatio, vel radicatio quantitatis granuli nequeat naturaliter tanta esse, ut sufficiat ad spatium totius Mundi; siquidem multitudo partium proportionalium eadem est in granulo, & Mundo; multitudo autem aliquotarum, & magnitudo proportionalium, utrobique expectatur ab extensione locali, vel à radicatione ipsâ.

67 2. difficilis est explicatio prędicta: quia ex eâ sequitur, non plus esse materię & quantitatis in auri librâ, quàm in unciâ; quod est evidenter falsum. *Prob. sequel.*: considera quantitates libræ & unciæ auri pro priori ad omnè qualitatem: tot invenies partes proportionales in unâ, quot in alterâ, tot scilicet medietates, tertias, quartas, &c.: ali-

quotas autem nullas in alterutrâ certas invenies: nec item in alterutrâ proportionales majores; nam quòd libræ medietas v. g. sit major medietate unciæ, non est in quo fundetur pro priori ad extensionem, & raritatem. Nullo ergo ex capite plus quantitatis invenies in libra, quàm in unicâ. Nec recurras ad inæqualitatem ponderis: nam de pondere, seu gravitate, pariter quæram, cur plus insit materiæ libræ, quàm unicæ? 2. difficilis est: quia longitudo, latitudo, & profunditas, sunt species quantitatis, ut fert sententia omnium Philosophorum & Scholarum apud P. Suar. *d.* 40. *Met. s.* 6. *n.* 5.: sed species istæ in corpore rarefacto majores fiunt: ergo in eodem non sola præsentia, sed quantitas ipsa, specificè sumpta, sit major. Non autem fit major per novam radicationem, de quâ n. 66.: tum ex dicendis suo loco contra intensionem Thomisticam: tum etiam, quia quantitas, juxta communem sententiam, non admittit magis & minùs secundùm intensionem. Fit ergo major per additionem novarum partium. 4.: quia extensio localis provenit à quantitate, tamquàm effectus formalis secundarius: ergo nequit naturaliter fieri major, quin quantitas, & ejus effectus formalis primarius, major evadat. Hùc etiam facit adagium illud, *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.*

## §. II.

### *Tertia sententia.*

68 *Tertia sententia*, quam illustrant PP. Alphons., Carlet., Izquierd., & alij, quos citat, & sequitur P. Peynad. *tr.* 2. *de Gener. d.* 7. *s.* 2., supponit compositionem continui ex punctis numero finitis, & physicè indivisibilibus, tribuitque singulis punctis materiæ & quantitatis naturalem aptitudinem ad occupandum spatium extensum, nunc majus, nunc minus, pro varietate temperamenti qualitatum (hinc puncta illa vocantur *inflata*, vel *tumentia*); quemadmodùm anima humana, vel etiam leonina juxta Thomistas, licet indivisibilis, locatur in spatio extenso, eoque majori, vel minori, juxta varias corporis ætates. Dum ergo puncta corporis à temperamento determinantur ad majorem ubicationem, corpus rarescit; dum ad minorem, corpus densatur; quin ulla fit quantitatis additio, vel detractio. Hæc sententia expeditissima est, quoad præsens attinet; & aliunde facilè defensabilis, præsertim si notentur sequentia.

69 1.: quòd res corporea entitativè indivisibilis localem extensionem & figuram admittat, concedunt omnes Atomistæ moderni, nec possunt inficiari Thomistæ, qui animam bruti perfecti, v. g. leonis, indivisibilem asserunt, & tamen immediatè unitam quantitati extensæ, ac figuratæ. Unde Authores isti negare tenentur, quod hìc objici solet, non posse rem corpoream naturaliter esse totam in toto spatio divisibili, & totam in quâvis parte spatij. Tenentur, inquam, id negare de re corporeâ indivisibili; quàmvis de divisibili verum sit, eò quod alioquì daretur penetratio partium. 2.: quòd talis rei extensio possit naturaliter variari, nunc que major esse, nunc minor, sine bilocatione propriè dictâ, fateri debent Thomistæ in animâ leoninâ, necnon Authores omnes sententiæ communis explicatæ *n.* 64.; non enim indifferentia ad extensiones inæquales difficilior est in puncto, quàm in corpore divisibili (quod pariter, dum rarefit, dici poterit *inflatum*, vel *tumescens*), nec magis sequitur bilocatio unius, quàm alterius;

ut

ne patebit applicanti rationem *n.* 61.. Nec verò quisquam negare potest, bilocationem propriè non sequi ex eo præcisè, quòd locus alias adæquatus nunc duplicetur: alioquin anima humana, vel leonina, dum in corpore adulto locum habet centies majorem, quàm in primâ animatione (ubi locum habebat tunc adæquatum), propriè bilocata, vel centies locata diceretur. Non ergo propriè bilocatur, nisi quod ultrà locum sibi naturaliter debitum hîc & nunc, prout talibus qualitatibus, aut circumstantijs convellitum est, simul alibi existit.

70 3.: punctum indivisibile materiæ, vel quantitatis, satis differt à substantiâ spirituali, tum ex impenetrabilitate cum alio simili, tum ex eo quòd sit primordium integrale rei divisibilis. 4.: nullum punctum ejusmodi potest naturaliter extendi ad locum quantumlibet magnum: si enim limitatio localis convenit Angelo, quantò magis puncto corporeo? Singulis ergo punctis secundùm se spectatis, naturaliter præfixus est terminus extensionis maximæ (unus & idem pro omnibus, cùm puncta quantitatis ubique sint homogenea secundùm se), qui terminus fortè complectitur ter mille puncta spatij. Similiter singulis præfixus est terminus præsentiæ versùs minimum, scilicet punctum indivisibile spatij: potest enim eò reduci punctum quantitatis in summâ compressione: quo in eventu non erit extensum actualiter *ut quod*; erit tamen radix extensionis, tum relatu ad alias circumstantias, tum actualiter *ut quo*, quatenùs constituit cum alijs quantitatem extensam, quæ potest ex inextensis resultare, juxta Zenonistas. Intra hos ergo limites infimæ & summæ præsentiæ, naturaliter possibilis absolutè, potest punctum quodlibet reddi nunc magis, nunc minùs extensum, pro varietate qualitatum, aut circumstantiarum.

71 5.: tenuitas punctorum physicè insectilium tanta est, ut multis millibus, aut millionibus opus sit ad constituendam molem sensu perceptibilem. Sunt quidam vermiculi, qui vel microscopio ægrè percipiuntur: in his tamen datur corpus organicum, propè infinitâ partium varietate contextum. Quot puncta in capite? quot in cerebro? quot in venulis? quot demùm in toto corpore? Et tamen omnia simul vix efficiunt molem sensibilem. Hinc vides, ineptum esse, quod aliqui objiciunt contra puncta tumentia: posse scilicet punctum unum ita dilatari, ut assumatur pro clypeo, qui nullo ictu penetrabilis erit. Ineptum, inquam, est: quia punctum quantitatis, licèt perveniat ad summam extensionem naturaliter possibilem, solùm occupabit spatium ter mille punctorum (vel, si mavis, centies mille), quo in statu per nullum microscopium videri potest seorsùm ab alijs; tantùm abest, ut assumatur in clypeum. Quia tamen plurima sunt punctorum millia in quovis corpore sensibili, ideircò extensiones omnium simul sumptæ visibilem efficiunt extensionem corporis rarefacti. 6. denique: dum extensionem puncti quantitatis metimur ex punctis spatij, non loquimur de spatio reali extrinseco, materialiter sumpto (cujus puncta possunt etiam magis vel minùs extendi), sed de spatio imaginario, seu de loco intrinseco ut possibili; ita ut punctum A. extendi ad tria puncta spatij, nihil aliud sit, quàm adquirere ubicationem respondentem tribus ubicationibus expenetratis, quæ singulatim essent inextensæ.

72 His ita notatis, vix ullum contra hanc sententiam superest argumentum difficile, saltem à ratione. Nam quæ objecimus contra 2. sententiam à *n.* 65., hîc non urgent. Non 1., nec 2.; quia ratio inæqualitatis entita-

tivę, & extenſivæ, inter quantitates grani & montis, aut unciæ & libræ, ſumitur ex inæquali numero punctorum, quibus conſtant. Non 3.: nam longitudo, latitudo, & profunditas, ſunt quidem ſpecies quantitatis in continuo Ariſtotelico; at non in Zenonico, quod hęc ſententia ſupponit: in hoc enim latitudo à longitudine differt per receptionem linearum, & profunditas à latitudine per receptionem ſuperficierum; quæ differentia non eſt ſpecifica in ſenſu phyſico, licèt in mathematico ſit. Adde, quòd juxta Zenoniſtas ſalvatur eſſentia quantitatis in puncto impenetrabili, quàmvis inextenſo, ubi nulla eſt ex ijs ſpeciebus. Non 4.: quia formalis effectus ſecundarius non cauſatur à formâ in genere cauſæ intrinſecæ, ſed in genere cauſæ efficientis moralis, ut notavimus in Phyſica *tr.* 2. *d.* 2. *c.* 2. *n.* 16.: effectus autem extrinſecus variari poteſt ex conditionibus, aut prærequiſitis, ſe tenentibus ex parte cauſæ, quàmvis hæc in ſe ipsâ non varietur. Nec adagium, *ſicut ſe habet ſimpliciter &c.*, tenet in his effectibus, niſi quando primus ſupponitur adæquatus cauſæ pro omni eventu malè quippe ſic argues, Ad intelligendum requiritur Intellectus, ergo ad magis intelligendum major Intellectus: vel ſic, Ad animandum corpus requiritur anima, ergo ad majus corpus major anima. Poteſt enim idem Intellectus intelligere magis & minùs, & eadem anima minus & majus corpus animare.

73 Nihilominùs contra ſententiam iſtam *objic.* 1.: materia granuli thuris in fumum converſi adeò rareſcit, ut totum impleat conclave: tunc ergo puncta ſingula pervenient ad tumorem ſenſibilem. *Reſp.*: non ſola materia fumi occupat conclave, ſed permixta cum aëre, quem ſuo colore tingit, quemadmodùm cum vinum aquâ miſcetur. Unde extenſio illa, quâ pars te aërem complectitur, non eſt propriè raritas fumi. Et generatim intromiſsio partium extranei corporis (quæ ſæpe datur, ut nemo negat), quâ parte datur, non auget rarefactionem propriè talem; alioquin ſpongia, imbibens aquam, diceretur propriè rareſcere.

74 *Objic.* 2.: ergo, dum Angelus nunc majori, nunc minori loco ſit præſens, dicetur rareſcere, ac denſari. *Neg. conſequ.*: quia *raritas* & *denſitas* nomina ſunt pro ſolis rebus materialibus inventa, ut patet ex definitionibus initio poſitis. Immò nec in re materiali locum habent, niſi quando extenſio & contractio à temperamento qualitatum naturaliter proveniunt: ſic enim omnium conſenſu intelliguntur definitiones *rari* & *denſi*. Unde nec miraculoſa corporis bilocatio eſt raritas, nec penetratio eſt denſitas: ideòque Chriſti corpus per Euchariſticam præſentiam non denſatur. Sic etiam reſpondere debent Authores ſecundæ ſententiæ.

75 *Objic.* 3.: cùm Mundus ſit corporibus plenus, non poterit unum corpus rareſcere, quin aliud condenſetur, ut locum illi relinquat. *Conc. ſequelam* (quę pariter concedenda eſt in omni ſententiâ, ut notat P. Ovied. *hic controv. 7. punct.* 3. *n.* 12.), dummodò condenſatio latè accipiatur pro compreſſione, quæ in aëre circumſtante non eſt difficilis, præſertim diſtributa per plures partes. *Objic.* 4.: non poterit ullum corpus rareſcere, quin occupet ſpatium duplo majus; nam ſingula puncta adquirent unum ſaltem ſpatij punctum, adeòque duplicabunt locum prębabitum. *Neg. ſequel.*: tum quia locus prębabitus à puncto corporis, ſæpe conſtat pluribus punctis ſpatij: tum quia non ſemper omnia puncta corporis rareſiunt, ſed ea tantummodò,

do, quæ magis incalescunt. Si tamen supponatur corpus summè densatum, & simul rarescat quoad omnia puncta, concedo sequelam. Mitto alia minoris momenti.

## §. III.

### *Quarta sententia.*

75 *Quarta demùm sententia* raritatem & densitatem explicat per dilatationem & contractionem pororum, ita ut corpus rarescere nihil aliud sit, quàm ejus poros magis aperiri; contrà verò densari nihil sit aliud, quàm poros ipsius magis contrahi. Si queras, quidnam occupet pororum spatiola, dum corpus rarefit? Alij respondent, ea manere vacua, nec repugnare naturaliter vacuum insensibile, ac diffeminatum. Alij censent, ea occupari ab extraneis corpusculis subtilissimis, quæ in rarefactione protinùs subingrediuntur, & in condensatione protruduntur; sive ista corpuscula sint ex materiâ subtili, quam *ætheream* vocant, sive ex aëre tenuissimo, sive ex nitrosis spiritibus, sive ex alijs magis aut minùs tenuibus juxta variam capacitatem pororum. Hæc sententia, quatenùs adjungit ingressum & egressum corpusculorum, placet omnibus Atomillis & Corpuscularibus modernis, placet etiam multis Peripateticis, ut sunt Arriaga, Oviedo, Tellez, Pontius, & alij, quos citat Peynado *cit. disp.* 7. *n.* 7., quibus adde Jo. Ulloa *Philos. Natur. disp.* 1. *n.* 141.. Et in eâ quidem facilè vitatur penetratio, & bilocatio partium. Non enim reipsâ majus mysterium est in rarefactione & condensatione corporis, quàm in eo quòd linteum, aquâ madefactum, plus occupet spatij; minus verò, dum aqua ex illo exprimitur.

76 Si *objicias* 1., non salvari definitiones *rari*, & *densi*: quia corpus rarum, si computes extranea corpuscula, non habet parum materiæ sub magnis dimensionibus; si verò solàm spectes materiam propriam, hæc non habet majores, quàm anteà, dimensiones; nulla enim pars plus occupat spatij, quàm anteà, cùm spatiola pororum ab his partibus non occupentur. Similiter corpus densum non habet multum materiæ sub parvis dimensionibus, cùm jam illi desit materia extranea, propria verò locum occupet, quantum potest pro omni eventu. *Respondetur*, eas definitiones (quæ certè non sunt alicujus Concilij canones) rejiciendas esse, si denotent, in eâdem materiâ propriè & in rigore augeri vel minui posse dimensiones. Quare solùm admittuntur cum addito *sensibiliter*: quatenus, dum cera v. g. rarescit, parva est materia sensibilis (nempe materia ceræ, quia materia extranea, tunc subingressa, sensu non percipitur) respectu dimensionum, quæ hìc & nunc apparent in eo corpore, & quæ totæ attribuuntur soli ceræ, eò quòd non alia materia sensibiliter adsit: contrà verò, dum cera densatur, materia ejus multa videtur respectu dimensionum præsentium, quæ possent esse longè majores in eadem materiâ non auctâ sensibiliter. Cùm autem Aristoteles & D. Thomas (de quorum mente non admodùm curant Corpusculares) negant novæ materiæ adventum, vel additionem, intelligendi sunt de novâ materiâ, non qualicumque, sed propriâ illius corporis, quod rarescit, quasi hoc propriè augmentaretur integraliter.

77 Si *objicias* 2., quædam esse corpora per se rara, siquidem ignis v. g. suapte naturâ rarior est terrâ. Si autem corpus in esse rari constituitur per materiam extraneam, ignis per se erit ignis cum

cum non igne : vel certe substantiam extraneam importabit ut proprietatem sui connaturalem. Et hinc proprietas ignis erit summa densitas : immò nullum corpus erit rarius, aut densius alio ; nam corpus rarum, prout includens extranea corpuscula, constipatissimum est, & non pauciores, nec minùs contractas partes habet, quàm corpus densissimum ejusdem extensionis. Hinc etiam non plus ponderis erit in uno, quàm in alio corpore, cæteris paribus ; cùm in uno præ alio non sit plus materiæ. Accedit, quòd corpora per se rariora, eadem sunt perfectiora, cùm magis accedant ad ignem elementorum perfectissimum: quid autem ad perfectionem confert pororum laxitas, vel aliena materia ? *Respondetur*, raritatem non consistere formaliter in aliena materiâ, vel in ejus ingressu, sed in laxitate pororum, ad quam sequitur ingressus ille, non ex peculiari & specificâ exigentiâ corporis rari, sed vel ex mobilitate corpusculorum circumstantium, vel ex generali lege naturæ ad vitandum vacuum.

78 Hinc negatur, quòd ignis, quatenùs per se rarus est, constituatur ex materiâ extraneâ, vel eam importet ut proprietatem sui. Negatur etiam, quòd omne corpus sit constipatissimum, aut unum alio non rarius : certum quippe est dari alia alijs magis porosa, quamvis poros semper esse corpusculis plenos nemo dubitet, exceptis vacuistis. Constipatio ergo, vel densitas, in præsenti sumitur, non pro plenitudine undecunque profectâ, sed pro constitutione pororum materiæ propriæ, quæ prohibet ingressum alienæ. Illud de pondere solvendum est omnibus : constat enim, corpora magis porosa eadem esse leviora ; cùm tamen certum sit ( nisi ad vacuum recurras ), poros semper esse plenos corpusculis extraneis, quæ si computentur cum materiâ propriâ talis corporis, non efficient minus materiæ, quàm quæ inest corpori non ita poroso. Cur ergo non est utrobique pondus æquale ? Ab omnibus igitur ad revocandum est ad naturam corpusculorum poros implentium, quæ vel nullam, vel exiguam gravitatem habent. Nec ex inæqualitate ponderis colligitur materiæ inæqualitas, nisi quando fermo est de corporibus ex se constantibus materiâ gravi. Quòd rariora corpora generatim sint magis perfecta, falsum est : nam aurum, cùm sit metallorum perfectissimum, simul est densissimum, ut ex pondere constat : pumex non est adamante perfectior, cùm sit rarior: nec fœmineum corpus, licèt virili rarius, est eo perfectius. Raritas ergo se solâ non auget, nec minuit perfectionem : sed majoritas perfectionis ex alijs indicijs colligenda est, præsertim ex activitate : hinc enim ignis prævalet cæteris elementis.

79 Si *objicias* 3., hinc fieri, ut spongia, dum aquam imbibit, aut vinum, dum aquâ diluitur, aut corpus solidum, cùm in pulverem redigitur, propriè rarescat. *Negatur* sequela: quia in his datur introductio sensibilis materiæ extraneæ : raritas autem propriè non est, nisi quando corpusculorum intromissio est insensibilis ; quia tunc tota majoritas dimensionum attribuitur soli materiæ corporis dilatati, eò quòd nulla alia sensibus appareat. Adde, quòd in vino diluto, & in pulvere, non datur mera pororum relaxatio, sed solutio & discontinuatio partium. Si *objicias* 4., nullam fore causam, cur aër violenter compressus in vase, vel sclopeto pneumatico, tanto impetu erumpat : tum quia nullâ viâ ingredi possint extranea corpuscula : tum quia non est cur tantopere appetatur relaxatio pororum : quæ ratio mi-

militat etiam in igne subterraneo, sæpe rupes & montes disrumpente, ut in regione aëris exsparietur. *Respondetur*, illum impetum aëris, aut ignis, provenire ex innato appetitu debitæ raritatis, quod & in aliis sententijs fatendum est. Pororum autem laxitas tantopere appetitur eâdem ratione, quâ major ubicatio juxta alias sententias; quia scilicet hîc & nunc naturaliter debita est tali materiæ. Nec major apparet rei utilitas in majore ubicatione, quàm in laxitate pororum. Corpuscula verò extranea ingredi possunt per poros vasis, aut sciopeti. Nullum enim est corpus adeò solidum, ut poros non habeat majores, aut minores pro vario nexu particularum. Et alioquin de nullus est porus impervius materiæ ætheræ, vel alijs corpusculis heterogeneis miræ tenuitatis, quæ infinita propemodùm sparguntur per aërem, terram, aquam.

80 *Dices*: cùm tot corpuscula in promptu sint, numquam erit vacui periculum: cur ergo ad vitandum vacuum sæpe rumpuntur solida corpora, & gravia contra propriam inclinationem moventur, aut non decidunt? Sed *respondetur*, effectus hujusmodi non ex metu vacui provenire, sed ex alijs causis, quas in Physicâ tetigimus, ubi de Vacuo: quam doctrinam moderni Experimentales ferè demonstrant. *Dices* iterùm: in regione cœlesti quædam sunt corpora densa, quædam rara; nec tamen ibi sunt extranea corpuscula. Sed *respondetur*, vel nullam esse in ullo corpore cœlesti raritatem, quia diaphaneitas, vel minor opacitas (unde probari solet), raritatem non arguit; alioquin vitrum rarius esset, quàm lana: vel etiam in regione cœlesti dari varia corpuscula; de quo alibi. *Dices* demùm: cur ignis non comburit aliena corpuscula in poros admissa? *Respondetur*, ea vel non esse combustibilia, vel non ita facilè, ut non priùs avolent, novis alijs in eorum locum subeuntibus.

## §. IV.

*Quid verisimilius videatur? Ubi de vi elasticâ non nihil.*

81 IN re adeò ancipiti nihil certum habeo. Sed, si admittatur stricta raritas, aut densitas, qualem sonant definitiones initio positæ, dicendum videtur 1., stante Continuo Aristotelico, solam secundam sententiam, secundo modo expositam, esse tenendam: quia non alia verisimilior apparet; ipsaque, præter difficultates ex Continuo nascentes, facilè defendi potest. 2., stante Continuo Zenonico, seu constante ex indivisibilibus numero finitis, tertiam sententiam esse præferendam; ut ex dictis §. 2. facilè quisque colliget. Quia tamen nihil cogit admittere raritatem & densitatem in illo sensu stricto, videtur præferenda cæteris omnibus quarta sententia. 1.: quia intellectu clarior est, & facilior. 2.: quia magis consonat variis experimentis, quæ afferunt moderni Experimentales, & aliqua videri possunt apud Toscam *tr. 4. lib. 2. prop. 7.*

82 3.: quia hinc benè percipitur, cur calor ad raritatem, frigus ad densitatem conducat: quia scilicet calor poros relaxat, frigus constringit, ut passim experimur. 4.: quia semper manet difficile, quòd extensio corporis augeri possit sine additione quantitatis propriæ, vel extraneæ. Quamvis enim extensio formalis, sive in actu secundo, à quantitate distinguatur, & in ubicatione consistat; extensio tamen radicalis, sive in actu primo, est ipsa quantitas, ut passim asseritur, aut supponitur: sed major extensio in actu secundo, supponit majorem in actu pri-

primo (ahàs, quâ parte major est, foret indebita, & violenta): ergo supponit majorem quantitatem. *Urgetur*: extensio formalis, quia in ubicatione consistit, nequit esse major per ullam qualitatem sine majore ubicatione: cùm ergo extensio radicalis in quantitate consistat, major esse non poterit sine quantitate majore, quodcumque sit temperamentum qualitatum.

83 Addo, recursum ad vacuitates insensibiles, interdùm relictas intra poros, non videri prorsùs improbabilem. Quę enim afferri solent pro naturali repugnantiâ vacui, vim forsan habent in *coacervato*, non in *disseminato*: tum quia per hoc intra poros admissum non interrumpitur unio partium; alioquin per ipsos etiam poros interrumperetur in humano corpore v. g.: tum quia nec impeditur transmissio lucis, & aliorum influxum per lineam sensibiliter rectam; inflexiones enim, quas poruli causant, non sunt sensibiles: tum etiam, quia effectus omnes, quibus probatur metus vacui, solùm probant, si probant, metum vacui notabilis. Sed *objicies* ex Tosca *loc. cit. prop.* 1.: potest aër, ut varijs experimentis compertum est, rarefactione dilatari ad spatium septuagies majus, quàm sit spatium ejus connaturale: potest etiam arte comprimi ad partem spatij connaturalis quadragesimam. Quo fit, ut spatium aëris summè compressi, comparatum ad spatium ejusdem summè rarefacti, se habeat ut 1. ad 2800.; ut patebit multiplicando 40. per 70.. Si ergo per vacuitates fit raritas, in aëre palmari summè rarefacto, ex 2800. partibus spatij unica tantùm erit aëris, cæteræ vacuæ erunt; quod est absurdum.

84 Verùm hoc parùm urget. Nam inprimis cur non erit pariter absurdum, quòd in tali spatio una tantùm pars occupatur ab aëre, reliquæ usque ad 2800. occupentur à non aëre, ideft, ab extraneis corpusculis, quę Tosca introducit? Certè non est, cur vacuitates sint magis sensibiles, quàm extranea corpuscula, vel cur magis impediant continuam sensibilitatem aëris. Vide quę in Physic. *cap. penult.* diximus ad simile argumentum contra morulas in motu locali. Deinde non volumus (nec opinor voluit Gassendus, aut alius Vacuista) poros omnes corporis rari manere vacuos; semper enim aderunt multa corpuscula subintrantia. Solùm ergo vacuitates admittimus in nonnullis poralis angustioribus, quando non adest corpusculorum vel copia, vel subtilitas, replendis omnibus idonea; quod non rarò continget. Atque ita recursu facto partim ad vacuitates, partim ad corpuscula, multę in præsenti difficultates emolliuntur.

85 Superest nonnihil dicere de *tenso*, & *compresso*. Peripatetici passim confundunt tenuum cum raro, & compressum cum denso: unde dicunt, raritatem interdùm provenire à temperamento, interdùm à violentiâ externâ, vel à metu vacui. Sed moderni Experimentales, quos jam aliqui ex Peripateticis imitantur, ea distinguunt: quia rarum, stante eodem temperamento, non conatur se contrahere, nec densum se extendere: contrà accidit in tenso, & compresso, ut patet in arcu ligneo, vel ferreo, cujus superficies convexa tenditur, concava comprimitur, & utraque nititur se restituere ad pristinam & sibi debitam extensionem, convexa quidem ad minorem, concava ad majorem, quam statim utraque recuperat, dum ab externâ violentiâ liberatur. Unde tensio & raritas in eo differunt, quòd tensio importat extensionem violentam, raritas naturalem, secundùm præsens temperamentum corporis: quamvis enim

enim raritas interdùm violenta fit corpori secundùm se (ut cùm aqua calore rarescit), semper tamen est connaturalis temperamento præsenti. Eâdem ratione differunt compressio, & densitas. Motus, quo tensum, vel compressum redit ad extensionem debitam, appellatur *motus restitutionis*: ipsa verò vis intrinseca, quæ talem motum exigit & causat, vocatur *vis elastica*, atque etiam *elaterium*; quo tamen nomine sæpe significatur in concreto corpus compressum actu nitens se restituere, ut in horologio rotato chalybea lamina convoluta.

86 Tensio & compressio, quod attinet ad virandâ bilocationé, & penetrationé partiũ, eodẽ modo explicandæ sunt, quo raritas & densitas. Sed circa vim elasticam *dubitatur* 1., unde proveniat, vel in quo consistat? Varias causas mechanicas excogitant Atomistæ, & Corpusculares, hac in re non parùm inter se dissidentes. Sed Peripatetici compendio respondent, eam vim esse intrinsecam & innatam partibus quantitatis, prout tali temperamento affectis. Cùm enim quantitas exigat hîc & nunc tantam determinatè præsentiam, vel pororum dilatationem, si ad majorem aut minorem trahatur, innatè reluctatur, & statim ac licet, propriâ virtute redit ad situm debitum. Quam sententiam amplectuntur ex Atomistis Maignan, & Saguens, nec improbat Tosca, licèt parùm consequenter ad sua principia. *Dices*: non omne corpus vim habet elasticam, ut patet in laminâ plumbeâ, dum inflectitur: & tamen omne corpus exigit certam extensionem, temperamento præsenti congruentẽ. *Resp.*: non quælibet exigentia certæ extensionis est vis elastica, sed quæ supponit in corpore capacitatem, ut violenter amittat extensionem debitam. Unde, si detur corpus pororum expers, aut ita durum, ut nullatenùs flecti possit vi naturali, non erit elasticum. Nec item elastica sunt quædam corpora mollioris naturæ, quorum partes, dum videntur comprimi, reipsa non amittunt extensionem debitam, sed mutant locum. Sic accidit in plumbeâ laminâ curvatâ: migrant enim aliquæ partes ejus à superficie concavâ ad convexam. Et hæc eadem ratio est, cur corpus elasticum, diuturno tempore compressum, elasticitatem amittat: quia scilicèt diuturna violentia cogit partes aliquas mutare locum.

87 *Dubit.* 2.: utrùm vis elastica sit causa motûs reflexi, quo unum corpus in aliud impactum resilit? Communis responsio affirmat: quia non apparet alia causa idonea. Nam causa motûs directi, nempe gravitas, aut impetus, licèt remotè conferat ad reflexum, quatenùs compressionem inducit, tamen non sufficit ad illum proximè causandum: alioquin magis resiliret pila plumbea, quàm pila lusoria tomento plena, dummodò gravior esset, aut impetu majore conjiceretur. Itaque corpora, percutiens, & percussum, compressionem aliquam patiuntur; dumque vi elasticâ pollent, & compressionem removere conantur, corpus resiliens impetum concipit retrorsùm, partim à vi propriâ, partim à vi corporis repercutientis. Videri possunt P. Jo. Bapt. de Benedictis *tom. 3. l. 2. q. 3. c. 6.*, & Auctor Philos. Burgund. *tom. 4. tr. 2. differt. 2. c. 5.*, ubi nonnullas objectiones solvunt, ostenduntque nullum esse corpus adeò durum, ut percussum non patiatur compressionem aliquam insensibilem.

88 Hîc etiã quæri solet, an detur quies in pacto reflexionis? v. g. dũ pila lusoria violenter in parietẽ cõjecta resilit, an inter motũ directũ & reflexũ detur aliqua mora? Variæ sunt opiniones. Sed nos, qui moras vel in motu simplici

adnitimus ubi de Continuo , facilè quietem , seu morulam dabimus inter motum directum , & reflexum , in eo saltem instanti , in quo prior impetus & vis elastica ( vel etiam impetus & gravitas , quando lapis sursùm projectus decidit ) perveniunt ad æquilibrium.

# DISPUTATIO II.

## DE CORRUPTIONE.

### CAP. I.

*DEFINITUR CORRUPTIO ; ET nonnulla dubiola resolvuntur.*

1 COrruptio , generationi opposita , definiri solet , *Desitio rei permanente subjecto* : dicetur-que substantialis , vel accidentalis , juxta indolem rei definentis. Hæc definitio convenit corruptioni , tum compositi , tum formæ materialis , aut unionis , seorsùm spectatæ : quæ forma , vel unio , quàmvis definat in nihilum sui , non propriè anihilatur , sed corrumpitur ; ut in Physic. tract. 1. disp. 4. contra Corpusculares propugnavimus. Nomine autem *subjecti* intelligitur sustentativum , ex quo scilicet præsuppositio res fuit generata , vel educta. Differt corruptio à generatione : tum quia hæc importat actionem positivam ; illa verò cessationem actionis : tum ratione terminorum, *à quo*, & *ad quem* : siquidem generatio tendit à privatione ad formam , corruptio vice versâ. Differt etiam ab anihilatione : quia hæc est desitio rei in purum nihilum , ita ut nec pars ejus , nec subjectum sustentationis maneat , immo , ut plures volunt, ita ut nihil aliud in ejus locum per conversionem substituatur.

2 Notandum tamen , quòd illa definitio solam comprehendit corruptionem naturali ordine possibilem, nullo præeunte , vel interveniente miraculo : quæ sola corruptio sub experientiam cadit , solaque innotuit Aristoteli. Cæterùm quòd absolutè dari possit corruptio non permanente subjecto sustentationis , constat 1.: quia, si Deus destrueret materiam ligni conservatâ formâ , corrumperetur lignum. 2.: quia , si totus homo , inclusâ etiam unione , divinitùs produceretur per creationem , nihilominùs corruptibilis esset ; nec tamen subjectum sustentationis haberet. 3.: quia accidens creatione conservatum , si pereat , corruptione peribit. Itaque definitio corruptionis pro omni hypothesi hæc erit, *Desitio rei suapte naturâ generabilis.* Consequenter definitio anihilationis erit , *Desitio rei suapte naturâ creabilis* , saltem si addas , *sine conversione in aliam* ; eo quòd , juxta plures , materia panis in Eucharistiâ non dicitur anihilari , quia convertatur in substantiam aliam : quare desitio rei creabilis ex vi conversionis , media erit inter anihilationem , & corruptionem. Ex his constat , cur incorruptibilia dicantur ea , quæ solâ creatione produci postulant , quamvis à Deo anihilari possint, ut Angelus , anima rationalis, materia prima. Quædam etiam solùm in ordine ad causas naturales dicuntur incorruptibilia , quæ tamen , si deficerent divinitùs , corruptione deficerent, ut corpus glorioſum , & in sententiâ plurium cœlum , etiamsi forma cœlestis ponatur educta.

Nunc

3 Nunc *dubitabis* 1., quo sensu verum sit vulgatum illud, *Generatio unius est corruptio alterius*? Resp.: verum est in sensu formali, vel identico, si sermo sit de generatione conversivâ, quæ definitur, *mutatio totius in totum*, &c.: talis quippe mutatio proculdubiò imbibit corruptionem compositi præcedentis. Si verò generatio pro actione sumatur, vel pro transitu de privatione ad formam, solùm est alterius corruptio connexivè, quatenùs naturaliter connectitur cum definitione formæ præexistentis in eodem subjecto: quo eodem sensu verum est pariter è converso, quòd unius corruptio est generatio alterius. Hoc tamen limitandum 1., ut non procedat in formis accidentalibus contrario carentibus: nam generatio lucis v. g. nihil corrumpit. 2., ut nec in subitantijs generatim procedat, si detur formæ subordinatæ: tunc enim anima equi v. g. sine corruptione alterius generabitur, & sine ullius generatione corrumpetur. 3., ut non teneat in generatione formæ, vel compositi, positâ in primo instanti creationis subjecti, quam possibilem esse ostendimus in Physicâ.

4 *Dubit.* 2., an generatio sit corruptione prior? Sermo est de prioritate naturæ inter eductionem unius formæ, & desitionem alterius in eodem subjecto, & eodem instanti. Sunt, qui velint, corruptionem accidere pro signo priori ad generationem. Sunt, qui utramque concommitanter dari censeant. Communis sententia corruptionem generatione posteriorem, & quasi ex illâ resultantem asserit: unde passim dicitur, quòd expulsio formæ veteris est formalis effectus secundarius formæ novæ, qui scilicet præstitum supponit formalem effectum primarium. Ratio sumi potest: tum ex efficaci appetitu materiæ ad formam aliquam, qui non patitur se spoliari formâ possessâ, donec aliam obtineat: tum quia forma quælibet exigit tùm conservationem, quousque ab aliâ incompossibili propellatur. *Objicies*: forma præhabita, est impedimentum ad introductionem novæ. Fateor: sed non omne impedimentum debet intelligi sublatum pro priori ad actionem: si enim sit auferibile per actum secundum (ut est in præsenti) ejus ablatio non præit, sed sublequitur. Vid. dicta in Physica tr. 2. d. 3. c. 5.. *Objicies* iterùm: expulsio formæ veteris non intenditur ab agente, nisi ut medium ad introductionem novæ formæ, tamquam ad finem. *Negatur* hoc: quia expulsio intenditur ut finis indirectus, & secundarius, ex dictis tr. 2. Physicæ disp. 4. c. 3. n. 8., & seqq.

5 *Objicies* denique: pro priori ad novâ formâ datur ultima dispositio ad illâ, quæ dispositio perfe expellit veterè formâ, tũ quia est cũ eâ incompossibilis, tum quia destruit dispositionẽ, quã forma vetus indigeè, ut conservetur. *Resp.*: ultima dispositio ad formam ignis v. g. non expellit per se immediatè formam aquæ, sed mediatè duntaxat, quatenùs infert formam igneam, & penitùs destruit dispositionem aquæ propriam: quare donec intelligantur posita hæc veluti media, non intelligitur aquæ destructio formalis. Vide locum Physicæ modò citatum, ubi signorum ordinem exposuimus. Immò probabiliter dici potest, quòd, si, posità ultimâ dispositione ad ignem in aquæ materiâ, Deus denegaret formam ignis, non desineret naturaliter aquæ forma: tum quia obstaret repugnantia materiæ ad carendam omni formâ: tum quia ipsa forma aquæ, sicèt esset violenta in carendo propriis accidentibus, non tamen in retinendo suam existentiam; & aliunde accidentia contraria non exigunt efficaciter expulsionem ejus, nisi quatenus fo-

mam ignis exigunt, quæ exigentia tunc frustrarentur. Hoc intellige, suppositâ sententiâ negante formas subordinatas: nam in sententiâ contrariâ, ut corrumpatur anima leonis v. g., sufficit destructio propriæ dispositionis accidentalis.

6 *Dubit.* 3., utrùm corruptio sit naturalis, aut naturaliter à rebus intenta, vel exacta? *Dico* 1.: valde probabile est, quòd nulla res exigit naturaliter corruptionem sui. *Ratio* est: quia exigentia, seu appetitus naturalis non fertur nisi in bonum appetenti commodum, & connaturale: destructio autem propria nulli rei potest esse naturaliter commoda, cùm auferat existentiam, quæ est prima basis, primumque fundamentum omnis commoditatis connaturalis. Nec dicas, posse commodam esse ad evitandum malum. Hæc enim commoditas poterit quidem appeti appetitu elicito (quo non inficior posse appeti propriam defitionem, aut proprium non esse; an aliquando rationabiliter, non disputo; videri potest P. Jo. Maldon. in Math. cap. 26. n. 24.); cæterùm appetitus innatus nequit intendere vitationem mali per jacturam propriæ existentiæ; quia nihil intendit, nisi sub ratione sibi connaturalis, ideſt, suæ naturæ proportionati, & coaptati, faciendisque, ut res appetens commodiùs existat, atque adeò suppositentis existentiam ejus. Addo, mihi etiam probabile esse, quòd nulla res perit sine aliquâ violentiâ, ita ut defitio semper sit contra propriæ conservationis appetitum innatum. Cùm enim conservatio semper sit bonum ex se connaturale rei, semper appetitur, licèt sæpe ab extrinseco fiat naturaliter impossibilis, juxta doctrinam datam in Physic. tr. 1. d. 3. c. 2.. *Dices*: ergo canis appetit perpetuò durare. *Dist.*: appetitu naturaliter infrustrabili, *neg.*; appetitu vincibili per multiplicem causam naturalem, *conc.*. Cùm autem mors, ex ægritudine proveniens, dicitur non violenta, sed naturalis, sumitur violentia in sensu vulgari, prout sonat extrinseci occisoris actionem.

7 *Dico* 2.: corruptio est rebus pereuntibus naturalis, tum quatenùs provenit à causis naturalibus, seu ordinis naturæ; tum quatenùs res ipsæ sunt naturaliter obnoxiæ corruptioni, ideſt, suapte naturâ ita debiles, ut non possint efficaciter resistere viribus contrariorum agentium naturalium. Hoc sensu dicitur homo v. g. naturaliter corruptibilis, & suapte naturâ mortalis. Dicitur etiam homo ab intrinseco corruptibilis, quatenùs ab intrinseco indiget nutritione, cujus opere paulatim deteri, ac tandem mori necesse est, ut præcedenti disput. ostendimus: què tamen interitum, aut defectum virium, non exigit homo ab intrinseco, sed præter propriæ naturæ intentionem patitur ex alimenti reactione.

8 *Dico* 3.: nulla causa activa naturalis, seu non liberè operans, *immediatè*, vel *directè* intendit operatione suâ corruptionem alterius entis. Quòd non *immediatè*, constat; quia omnis actio immediatè terminatur ad aliquid positivum; corruptio autem est quid negativum, seu merum non esse rei præexistentis. Quòd nec *directè*, patet ex eo, quòd causæ agentis nihil interest rem aliam corrumpi, nisi quatenùs obstat, ne talis causa propriam virtutem explicet in effectu positivo; quem quia directè intendit, ideò consequenter infert remotionem obstaculi, seu corruptionem rei cum tali effectu incompossibilis: quare solùm illam intendit titulo sequelæ refulgentis ex fine directo; quod est intendere indirectè tantùm. Hinc effluxit proloquium illud, *Nullum agens intendens*

*Deus in malum operatur*, videlicet directè intendendo meram destructionem alterius. Hinc etiam, si, productâ formâ ignis in materiâ ligni, Deus nollet ligneam formam expelli, nullam violentiam pateretur ignis agens, quippe qui jam finem directè intentum obtinuisset.

9 *Dico* 4.: sæpe res una exigit immediatè, ac directè corruptionem alterius, non quidem mediâ operatione, sed per suam ipsius naturam, aut existentiam in subjecto. Patet hoc in formis substantialibus non subordinatis, in calore & frigore, in amore & odio efficacibus ejusdem objecti, in Gratiâ & peccato, in resistentiâ innatâ naturæ sensibilis ad dolorem, & in alijs. *Dices*: una forma non exigit corruptionem alterius oppositæ, nisi ut suum obtineat statum connaturalem, quem solum exigit directè. Sed *contrà*: status connaturalis calloris v. g. constituitur per carentiam frigoris in eodem subjecto: nequit ergo exigi directè status iste, quin directè exigatur frigoris carentia, seu corruptio. Fateor tamen, corruptionem non exigi quatenùs malam rei pereunti, sed quatenùs bonam rei exigenti pro statu suo: unde, si frigus à Deo conservaretur extra subjectum, calor non exigeret corruptionem ejus, utpotè jam sibi non adversantis. Hinc verum est etiam, quòd *Nullum exigens naturaliter intendit in malum*, scilicet quatenùs malum est.

10 *Dubit.* 4., quænam sint causæ corruptionis? *Resp.* Corruptio formaliter sumpta, cùm sit merum non esse, nullam habet causam immediatè efficientem, nisi talis vocetur *in sensu negativo & improprio* causa illa, quæ cessat à conservatione rei pereuntis. Plerùmque tamen habet causam efficientem mediatè, illam scilicet, quæ formam efficit pereunti contrariam. Habet etiam, ut nuper vidimus, causam exactivam directè, & immediatè (quæ dici potest moraliter efficiens), quoties una res perit ad exigentiam alterius: atque hujusmodi exigentia, dum est propria formæ aliam expellentis, dici quoque solet corruptionis causa formalis extrinseca, ut in Physicâ explicatum est. Causa quasi materialis est illud subjectum, à quo forma expellitur. Ac demùm causa finalis (saltem dum corruptio non provenit à causâ secundâ liberâ) semper est commodum aliquod alterius rei, ut ex dictis n. 9 colligi potest.

## CAP. II.

### *UTRUM RES SEMEL EXISTENS possit deficere defectu absoluto? an respectivo tantùm?*

11 DUbium hocce primus movisse videtur P. Lynceus com. 2. Philosoph. lib. 7. tract. 2. n. 28.; ubi occasione cujusdem argumenti contra durationem, quam tuetur, à se durante distinctam, docet, ex suppositione quòd detur existentia rei in aliquâ temporis differentiâ, nullam dari posse carentiam talis existentiæ secundùm se sumptæ, sed duntaxat carentiam alicujus durationis, quam illa habere posset, nunquam tamen habitura est. Hoc ipsum tenuerunt subtiles aliqui Recentiores, citati à P. Peynado tract. 2. de Generat. disp. 5. n. 7. Negat itaque opinio ista, rem semel existentem, v. g. in instanti A., pati posse in alijs instantibus defectum, seu carentiam propriæ existentiæ secundùm se sumptæ, ideò, prout realiter condistinctæ à duratione; quæ

quæ carentia vocatur *defectus absolutus*. Concedit tamen, rem illam admittere posse defectum durationis in alijs instantibus; qui defectus pro tali re vocatur *respectivus*, quia non facit rem simpliciter in se ipsâ deficere, sed tantùm non esse in tali tempore, seu deficere respectu talis instantis: atque hoc sufficere putat, ut res creata verè dicatur (quod negare non licet) absolutè, seu pleno ore defectibilis, aut destructibilis à Deo.

12 Verum hanc opinionem ex professo rejiciunt PP. Izquierdo, & Quiros, quos citat, & latè sequitur P. Peynad. disp. cit., nec non P. Jo. Ulloa in Prodrom. disp. 7. cap. 4.; nec alia mens esse videtur cæterorum omnium Authorum, ut qui nusquam respectivi defectûs ab absoluto sejuncti meminêrunt. Et verò, si duratio non distinguitur à re durante, & tempore extrinseco, dicta opinio planè convincitur falsitatis: quia, ut Petrus heri existens deficit hodie, necessariò deficit complexum hoc, *Petrum existere hodiè*; sed non deficit per defectum diei hodierni, ut patet: ergo deficit per defectum existentiæ Petri secundùm se, prout à tempore condistinctæ; non enim aliud est constitutivum illius complexi, præter diem, & existentiam Petri. Quare, ut quæstioni sit locus, supponenda est duratio distincta ab existentiâ rei, & tempore extrinseco. Supponendum etiam (saltem claritatis gratiâ), rerum carentias habere aliquod esse objectivum, quodcumque illud sit, vi cujus incipiant, ac definant dari ex parte objecti. Utraque suppositio forsitan falsa est: hîc tamen ab utriusque partis Authoribus præmitti solet.

13 Nihil cunctandum puto, sed omninò dicendum, rem hodiè existentem posse crâs deficere, non solùm per defectum durationis crastinæ, sed etiam per defectum existentiæ propriæ, quatenùs à duratione condistinctæ. *Probatur* 1. ab absurdis, quæ sequuntur ex contrariâ sententia. Sequitur enim 1., nihil posse à Deo verè & propriè destrui, quod nefas est dictu. Patet: quia Deus circa Petrum hodiè existentem nihil aliud crâs facere potest juxta Adversarios, quàm illi negare durationem crastinam: in hoc autem nulla destructio intervenit; non existentiæ Petri in se spectatæ, quæ permanet illæsa, ut vultis; non durationis crastinæ, quia hæc non producitur, & mera non productio nequit propriè destructio vocari, alioquin propriè destructi essent omnes Angeli, quos Deus nunquam produxit. Certè rem destrui, non est præcisè non adquirere, sed est amittere esse præhabitum: dum ergo Petrus solùm amittit durationem crastinam nunquam præhabitam, non destruitur.

14 Hinc, in Eucharistiâ non dabitur vera transubstantiatio, seu conversio substantiæ panis in Corpus Domini; siquidem substantia panis post consecrationem absolutè permanet in rerum naturâ, nec amittit ullum esse præhabitum, ne ipsam quidem unionem cum accidentibus, sed præcisè non adquirit novum accidens durationis. Item, homo non verè morietur; siquidem absolutè retinet materiam, formam, & unionem, neque ullum amittit constitutivum sui, sed tantùm non obtinet novum accidens, quod certè non est constitutivum hominis. Item, peccatum post remissionem absolutè inficiet D. Petrum, & Gratia post peccatum absolutè sanctificabit Satanam; siquidem absolutè permanet in utroque quidquid aliquando constituebat denominationes *peccatoris*, & *sancti*, nempe subjectum, forma, & unio. Quis non horreat ita dicentem: *D. Petrus non est quidem malus, & ini-*

*inimicus Dei pro nunc, sed tamen absolutè ac simpliciter malus est, & inimicus Dei?* Muta sermonem in Satanâ, & pariter horrebis.

15 Sequitur 2., Petrum absolutè existere priusquàm primò producatur. *Prob.*: Petrus hodiè primò productus excludit carentiam absolutam sui ab omni differentiâ temporis, ut vult P. Lynce *loc. cit.*, ac proinde à tempore præterito: ergo præstat, ut in præterito defecerit carentia sui absoluta. Sed deficere carentiam istam, est formaliter Petrum absolutè existere; sicut è converso deficere absolutam existentiam Petri, est formaliter dari carentiam ejus absolutam. Petrus igitur, hodiè primò productus, præstat se absolutè existere in tempore præterito, adeòque priusquàm primò producatur. *Urgetur*: carentia Petri, si aliquando datur, juxta Lynceum æterna est à parte antè, & a parte post; quod non aliâ ratione verum esse potest, nisi quia talis carentia Petrum excludit ab omni differentiâ temporis: ergo pariter æterna erit existentia Petri, si aliquando ponitur; siquidem juxta Adversarios excludit pariter carentiam sui ab omni temporis differentiâ: non enim minùs repugnat excludi carentiam à tempore, in quo non datur existentia, quam vice versâ.

16 Sequitur 3., Petrum, semel existentem in instanti A., non posse non durare in B., & in toto tempore sequenti, atque adeò non posse deficere defectu respectivo. *Prob.*: Petrus, semel existens in A., redditur ens necessarium in rerum naturâ, seu indefectibile secundùm se, siquidem ejus contradictorium (nempe carentia existentiæ Petri secundùm se sumptæ) redditur impossibile: sed ens necessarium, & indefectibile in rerum naturâ, non potest non coexistere instanti B., & sequentibus: ergo non potest non in eo durare; cum nihil aliud sit durare in aliquo instanti, quàm illi coexistere. *Prob. min.*: quia ens in rerum naturâ indefectibile non potest non coexistere omni existenti, ut patet in Deo, qui non aliâ ratione debet omni rei existenti coexistere. *Dices*: in præsenti supponitur, non posse Petrum durare in B., nisi per durationem superadditam. Fateor: sed tua sententia suppositionem istam destruit, & se se implicat in terminis: ponit enim Petrum invariabiliter existentem in semetipso post instans A. independenter à durationè superadditâ: quod autem ita existit post A., vere existit existente B.; hoc autem est formaliter durare in B.: ponit ergo sententia ista fine durationè superadditâ quidquid est de conceptu *durantis in B.*, redditque proinde superfluam durationem ipsam, quam necessariam esse supponit. Mitto alia absurdâ, quæ deducta videri possunt apud P. Peynado.

17 *Probatur* 2. à ratione: Petrus, eò quod existat in instanti A., non necessariò excludit carentiam absolutam sui ab instanti B.: ergo potest deficere in B. defectu absoluto. *Prob. Antec.*: existentia Petri, eò quòd sit in A., non necessariò est in B.; alioquin non posset deficere in B. defectu respectivo: sed existentia non necessariò excludit carentiam absolutam sui ab instanti, in quo ipsa non est: ergo &c.. *Prob. Min.*: quia existentia non excludit suam contradictorium, nisi per se ipsam formaliter, immò ipsa est unica formalis exclusio talis contradictorij, nempe carentiæ absolutæ: ergo in instanti, in quo ipsa non est, non excludit carentiam sui: quomodò enim carentia ista excluderet in instanti, in quo non datur exclusio ejus? Hoc perinde esset, ac si Petrus existeret in instanti, in quo non datur ejus existentia. *Confirm.*: tota ratio cur se se invicem

cum excludant existentia, & carentia, est oppositio contradictoria: sed hæc oppositio non postulat, ne dentur in diversis instantibus; ergo. *Prob. Min.*: quia oppositio contradictoria solùm postulat, ne *simul* dentur carentia & existentia rei, seu ne res *simul* sit & non sit; fundatur enim in illo principio, *Impossibile est idem simul esse & non esse*. Atqui carentiam & existentiam in diversis instantibus dari, non est dari *simul*. Patet hoc: quia dari in instantibus A., & B., est dari *successivè*: & sicut instantia ipsa, licèt ambo existant, unum post aliud, non existunt *simul*; ita nec ea, quæ divisim coexistunt instantibus hisce, *simul* existunt; alioquin simul existerent in eodem subjecto gratia & peccatum, vel in eadem materiâ hominis anima & forma cineris.

18 Denique sic argui potest: durationes A. & B. sunt essentialiter successivæ, juxta Adversarios, ita ut nunquàm possint coexistere, seu condurare. At hoc stare nequit in sententiâ contrariâ. *Prob.*: juxta doctrinam contrariam duratio A., si semel existit, redditur incapax defectûs absoluti: ergo absolutè existit adveniente durationè B.: ergo & absolutè durat durante durationè B., cùm in durationibus idem formaliter sit existere, ac durare. Sed quod absolutè durat durante alio, illi condurat, ut videtur nocum ex terminis: ergo. Profectò, si duratio ipsa, semel existens, est incapax defectûs absoluti, non minùs quàm alia res quælibet, ut Adversarij volunt, sequitur, quòd nulla res amittere possit denominationem absolutè durantis, quam semel habuit; sicut amittere nequit denominationem absolutè existentis semel habitam, eò quòd existentia nequeat deficere absolutè. Poterit igitur verè nunc dici, *Peccatum absolutè durat in Apostolo Petro*, vel etiam, *Gratia absolutè durat in diabolo*. Non dico, verum esse quòd *durat nunc*, sed verè nunc dici posse, quòd *absolutè durat*: id quod minùs absonum videtur.

*Objectiones propositæ, & solutæ.*

19 *Objic.* 1.: carentia absoluta Petri, posita in B., excludit absolutè Petrum à rerum naturâ: ergo & excludit illum ab instanti A., & à quolibet alio: ergo non cohærent in diversis instantibus carentia & existentia Petri. *Prob.* prima *Consequ.*: carentia in B., si excludit absolutè Petrum, excludit absolutè complexum hoc, *Petrum existere in A.*, cùm excludat unum constitutivum illius complexi, nempe existentiam Petri: sed excluso tali complexo, excluditur Petrus ab instanti A.: ergo. *Dist. Antec.*: excludit absolutè Petrum à rerum naturâ, quæ est in instanti B., *conc.*; à rerum naturâ, quæ fuit in A., vel in alio tempore præterito, aut futuro, *neg. Antec.*, & *Consequ.* In cujus probatione concedo, complexum illud excludi ab instanti B., ideòque in B. reipsâ non dari hoc objectum, *Petrum existere in A.*: nego tamen, tale complexum, vel ullum constitutivum ejus, excludi ab instanti A. per carentiam in B.; quia carentia, eo quòd sit in hoc instanti, non retrotrahitur ad præteritum, nec protrahitur ad futurum, sicut nec existentia, ut fatentur contrarij, ne illam faciant sempiternam. Itaque non est concipienda creatarum rerum natura (prout complectitur res præsentes, futuras, & præteritas), tamquàm theatrum permanens, & invariabile, quod non aliam mutationem admittat, quàm solius temporis: id enim esset tollere contingentiam rerum intrinsecam, sociareque naturas rerum innumerabilium inter se pugnaturas. Ipsâ quoque temporis mutatio præcisè consisteret in adjectione

no-

rorum dierum, quia ideò præcedentes dies desinerent esse in rerum naturâ; quod planè videtur contrà conceptum temporis, in continuo existentiæ fluxu positum. Potest ergo contingere, ut natura rerum, ideſt, collectio rerum creatarum, absolutè varietur in semetipsâ, ita ut alia sit absolutè rerum natura, seu collectio in instanti A., alia fuerit in B.: quare, licèt Petrus absolutè excludatur ab unâ collectione, non ideò ab aliâ necessariò excluditur.

20 *Replic.* 1.: carentia absoluta in B. est verificativum hujus propositionis, *Petrus non exiſit in A.*: ergo excludit Petrum ab A.. *Prob. Antec.*: quia est eadem ipsa carentia, per quam talis propositio vera fuisset, si Petrus non extitisset in A., *Resp.*: si verbum, *exiſit*, in tali propositione sumatur propriè, seu per statum, *conc. Antec.*; quia in B., sicut verè dicitur non existere instans A., ita & Petrum non existere in A.. Si verò tò *exiſit* amplietur, ut idem valeat, ac *extitit*, nego *Antec.*. Cujus probatio instatur manifestè sic: existentia Petri hodierna, est eadem ipsa, per quam verificaretur propositio affirmans, Petrum extitisse heri, & ab æterno, vel extiturum cras, & in æternum, si revera Petrus ab æterno & in æternum existeret: talis ergo existentia nequit hodiè dari, quin verificet propositionem affirmantem, Petrum ab æterno & in æternum existere. Sicut ergo existentia non verificat, Petrum existere heri v. g., nisi ut conjuncta cum durationè hesternâ; ita nec carentia verificat, Petrum non existere in A., nisi ut conjuncta cum durationè carentiæ ipsius in A., quæ duratio non necessariò est, vel fuit, eo quòd carentia detur in B.; quemadmodùm nec duratio Petri hesterna, eo quòd Petrus existat hodiè.

21 *Dices*: ut propositio, *Petrus non exiſit in A.*, vera sit, sufficit quòd excludatur existentia Petri absoluta: sed hanc existentiam excludit carentia absoluta per se ipsam, ut condistincta à durationè sui pro A.: ergo, si talis carentia, ut ita condistincta, verè datur in B., propositionem illam verificat. Verùm argumentatio ita similis est huic: Gratia, ut condistincta à subjecto, per se ipsam expellit peccatum: sed, ut ita condistincta, datur in Paulo: ergo in Paulo posita, peccatum expellit à Petro. Quare *dist. Maj.*: sufficit quòd existentia excludatur ab instanti A., *conc.*; ab instanti B., *neg. Maj.. Tum dist. Min.*: existentiam excludit carentia per se ipsam ab instanti, in quo ipsa est, *conc.*; ab instanti, in quo ipsa non est, *neg. Min.*, & *Conſequ.*. Jam suprà diximus, quòd reciproca exclusio & oppositio inter carentiam & existentiam solùm est in ordine ad simultatem, sive ad idem tempus: nec ideò non opponuntur per se ipsas; quia unaquæque per se ipsam habet excludere alteram à tempore, in quo ipsa est. Sic gratia per se ipsam habet excludere peccatum, sed nonnisi à subjecto, in quo est ipsa.

22 Non ergo (inquies) carentia excludit existentiam absolutè, sed respectivè tantùm, nempe respectu temporis, in quo durat. Concedo *Conſequ.*, si tò *absolutè* auferat ordinem ad tempus: nego tamen, si solùm denotet, exclusionem versari inter extrema absoluta, ideſt, inter carentiam & existentiam, ut à suis durationibus condistinctas, quo sensu inpræsentiarum unaquæque dicitur *absoluta*, & excludens suum contradictorium *absolutè*. Carentia igitur in B. non excludit existentiam nisi à B.; sed tamen excludit absolutè, quatenùs facit, ne tunc in rerum naturâ detur existentia Petri quoad sui absolutam entitatem à durationè condistinctam. Quodsi ve-

lis, ut existentia, prout actu excludens carentiam (aut vice versâ), importet de obliquo durationem sui pro tali tempore, quemadmodum gratia, prout actu excludens peccatum, importat unionem sui ad tale subjectum; non repugnabo: nam, si quod inde absurdum sequitur, tribuendum est sententiæ, quam Adversarijs permittimus, de distinctione durationis à re durante.

23 *Replic.* 2.: carentia absoluta excludit existentiam sine limitatione. *Dist.*: sine limitatione entitatis, *conc.*; sine limitatione temporis, *neg.*, dum carentia ipsa durationem habet limitatam. *Replic.* 3.: duratio carentiæ in B., non limitat carentiam, ne sic, vel fuerit in A.. Fateor: sed limitatio provenire potuit à contradictoriâ existentiâ Petri, positâ in A.. *Replic.* 4.: carentia absoluta præstat, Petrum absolutè deficere in rerum naturâ: ergo & deficere in omni tempore, præsenti, præterito, & futuro; hæc enim omnia complectitur absolutè natura rerum. *Instat*: existentia Petri, posita in A., præstat, Petrum absolutè existere in rerum naturâ: ergo &c in omni tempore &c.. Quare *dist. Antec.*: in rerum naturâ, actualiter existente cùm datur carentia Petri, *conc.*; in rerum naturâ, non tunc actualiter existente, *neg. Antec.*, & *Consequ.*. Nec verum est, quòd rerum natura, absolutè dicta, complectatur omnia tempora: quæ enim de præsenti non existit, non est absolutè rerum natura, sed fuit, aut erit.

24 *Replic.* 5.: posito Petrum heri extitisse, nequit hodiè dari aliquid impediens veritatem hujus propositionis, *Petrus extitit heri*, ut est evidens: ergo nequit hodiè dari carentia Petri absoluta: nam hæc, cùm sit contradictorium objecti dictæ propositionis, impediret veritatem ejus. *Neg. Consequ.*; cujus probatio nulla est: quia contradictorium objecti propositionis non impedit veritatem ejus, nisi detur pro tempore importato per copulam, quod hic non accideret. *Instatur*: vel tam deficit hodiè *Petrum extitisse heri*, quàm *existere hodiè*, vel non? Si primum: ergo utrumque falsum erit hodiè. Si secundum: ergo non datur hodiè contradictorium prioris objecti. *Resp.*: æquè deficit utrumque ab existendo hodiè; non enim hodiè datur *Petrum extitisse heri*, alioquin daretur hodiè dies hesternus: unde verè datur contradictorium talis objecti, excludens illud ab hodiè. Non tamen ideò excluditur veritas cognitionis hodiè affirmantis, Petrum heri extitisse; quia veritas ista non requirit objectum positum hodiè, sed heri. *Instatur* adhuc: carentia absoluta non minùs est contradictoria existentiæ hesternæ, quàm hodiernæ: sed quia est contradictoria hodiernæ, illam excludit: ergo eâdem ratione excludit hesternam. *Dist. Min.*: quia est contradictoria præcisè, *neg.*; quia est contradictoria, & quia datur hodiè, *conc. Min.*. Tum *dist. Consequ.*: excludit hesternam ab hodiè, *conc.*; excludit ab heri, *neg. Consequ.*.

25 *Objic.* 2.: recta est hæc argumentatio, *Petrus aliquando exiſtit, ergo exiſtit*: cùm igitur ex oppositi consequentis inferatur oppositum antecedentis, recta pariter erit hæc, *Petrus non exiſtit, ergo nunquam exiſtit*. Sed absoluta carentia Petri, posita in B., est hic conceptus, *non exiſtit*: ergo ex eâ rectè infertur, Petrum non aliquando, seu nunquam existere, ac proinde non existere in A.. *Concedo* totum, si verbum, *exiſtit*, sumatur per statum: sic enim idem valet, ac *exiſtit de præsenti*: verissimum est autem, quòd, dum carentia Petri ponitur in B., Petrus de præsenti non aliquando, seu nunquam exiſtit, ideſt, non in ullo tempore, vel instanti, quod sit præsens; quia solum B. præsens est, & in hoc non exiſtit: un-

unde nec tunc existit in A., licèt antea extiterit. Vide dicta in Logic. tr. 5. d. 2. c. 3., & 4.: ubi etiam ostendimus, quod verbum de præsenti, v.g. *currit*, aut *existit*, significat, suum objectum dari in aliquo instanti ex possibilibus, quod actu sit præsens: quare addità negatione significabit, in nullo instanti ex possibilibus, quod sit actu præsens, dari objectum suum. Si verò verbum, *existit*, amplietur ad tempus præsens, præteritum, vel futurum, *neg. Antec.* objectionis: sic enim idem valet, *aliquando existit*, ac *vel existit*, *vel extitit*, *vel existet*; ex hoc autem antecedenti perperàm inferes, *ergo existit* (nisi etiam hic similiter amplietur verbum *existit*); alioquin ex eo quòd D. Petrus aliquando peccaverit, rectè deduceres, *ergo peccat*. Similiter negandum, quòd ex eo conceptu, *non existit*, inferatur, *ergo nunquam existit*, si tò *nunquam* comprehendat etiam præteritum & futurum, ut talia: sic enim illatio illa æquivalet huic, *ergo nec existit*, *nec extitit*, *nec existet*; cui nulla Dialecticæ regula favet.

26 Hinc solvitur eadem objectio sic proposita: per carentiam absolutam in B. falsificatur hæc propositio, *Petrus existit*: ergo & ista. *Petrus existit aliquando*, utpotè cum illâ convertibilis. Sed nequit ista falsificari, quin verificetur ejus contradictoria, videlicet *Petrus nunquam existit*: ergo per talem carentiam verificatur, Petrum nunquam extitere. *Dist.* primum *Consequ.*: si tò *existit aliquando* amplietur ad præsens, præteritum, vel futurum, *neg.* (sic enim nulla est convertibilitas;) si solùm affirmet existentiam in aliquo instanti actualiter præsenti, quodcumque sit, *conc. Consequ.*. Similiter explicandum tò *nunquam existit*. Si adhuc *insistas*: existentia Petri, nunc posita, essentialiter infert, Petrum durare in aliquo instanti: ergo carentia id ipsum excludit essentialiter. *Dist. Antec.*: in aliquo instanti ex possibilibus, quod sit præsens, *conc.*; in aliquo instanti, quod præcindat à præsenti, præterito, & futuro, *neg. Antec.*, & sub eod. distinctione *neg. Consequ.*.

27 *Objic.* 3.: carentia absoluta nequit excludere Petrum à rerum naturâ, quin excludat Romæ, Salmanticæ, & in omni loco: ergo pariter nequit Petrum excludere à rerum naturâ, quin illum excludat in instanti A., in B., & in omni tempore. Sed paritas ista, cui nimis fidunt Adversarij, *retorquetur* in ipsos. Nam, si Papa supponatur existens Romæ, non verè & propriè destruitur, aut moritur Salmanticæ, eo quòd non habeat præsentiam Salmanticensem: ergo pariter, si supponatur existens in instanti A., non verè & propriè moritur in B., nec in tempore ullo, eo quòd ulteriorem durationem non habeat. Item: Petro peccante Romæ, tu, in quocumque sis loco, verè dices Petrum actualiter esse inimicum Dei: ergo pariter, Petro peccante in uno tempore, tu, in quocumque sis tempore, verè dicere poteris, illum actualiter esse Dei inimicum: ergo & hodiè verè dicere hoc poteris de Petro Apostolo. *Ad object.* negabunt *Antec.* qui cum P. Carleton, & Spinulâ censent, eodem tempore dari posse rei existentiam in uno loco, & carentiam absolutam in alio, ita ut Petri existentis hîc, non solùm Romæ detur carentia præsentiæ Romanæ, sed etiam entitatis absolutæ.

28 Hæc tamen sententiâ nunc omissâ, *dist. Antec.*: quin excludat in omni loco, qui coexistit carentiæ Petri, *conc.*; in omni loco, qui tali carentiæ non coexistit, *neg. Antec.*. Similiter *dist. Consequ.* de omni tempore, coexistente, vel non coexistente carentiæ Petri. Hoc solùm est discrimen, quòd eidem carentiæ possint simul coexistere multa loca; nulla verò tempora, vel

instantia, non nisi successive: carentia tamen ex se non potius excludit ab instanti A., quàm à B., vel ab alio, sed tantùm excludit ab eo, quod sibi coexistit, seu quod actu est præsens, quodcumque illud fuerit, & hoc sensu excludit ab omni tempore sub ratione præsentis. Adde, quòd, admisso Antecedenti, negari potest consequentia, propter manifestam disparitatem. Nam diversitas loci non impedit, ne duo absolutè dicantur existere simul: unde, si Petrus & ejus carentia darentur actualiter in diversis locis, jam absolutè darentur simul *esse* & *non esse* Petri, quemadmodùm simul existunt Cœlum & terra. Cæterùm diversitas temporis tollit simultatem absolutam: falsò enim absolutè dixeris, Petrum simul esse vivum & mortuum, eo quòd vivat hodiè, & moriatur crás. Cùm ergo carentia solùm excludat existentiam à simultate absolutâ secum ipsâ, nihil mirum, quòd eam patiatur esse in diverso tempore, licèt non in diverso loco, dum ipsa datur.

29 *Objic. 4.*: duratio & ejus carentia absoluta dari nequeunt pro diversis temporibus: ergo nec alia contradictoria. *Prob. Antec.*: posità durationè hodiernâ, jam nequit hodie dari carentia ipsius, ut patet: aliunde nec dari potest crás, aut in alio tempore: ergo. *Prob. Min.*: quia durationis carentia dari nequit, nisi cùm duratio potest existere: sed duratio non potest existere, nisi hodiè: ergo. *Prob. Maj.*: quia duratio pro tempore, quo nequit existere, non excluditur per sui carentiam, sed per sementiplam: duratio enim hodierna per suam essentiam habet non existere crás. *Confirm.*: carentia durationis hodiernæ præstat eam non existere hodiè, cùm excludat ejus essentiam, quæ consistit in existendo hodiè: sed ex suppositione, quòd hodierna duratio sit hodiè, impossibile est aliquid præstans eam non esse hodiè: ergo impossibilis est carentia ipsius. Ad *object. neg. Antec.*. Ad *prob. neg. Min.*. Et in hujus probatione *dist. Maj.*: durationis carentia contingenter posita, *conc.*; necessariò posita, *neg. Maj.*, quæ malè probatur: nam suppositis (ut nunc supponuntur) carentijs objectivis, admittenda est carentia necessaria rei impotentis existere, seu pro tempore, quo existere nequit: nec alio sensu duratio hodierna per suam essentiam habet non existere crás, nisi quatenùs per suam essentiam exigit, aut fundat carentiam sui pro die craſtinâ; quemadmodùm ignis dicitur per suam naturam calidus, quia suapte naturâ calorem exigit, & radicat.

30 Itaque, sicut eadem duratio pro die hodiernâ est contingens, & pro craſtinâ est impossibilis; ita eadem illius carentia relata ad hodiè contingens est, & relata ad crás est necessaria. Quâ in re sola est difficultas, tota devolvitur ad sententiam de durationè essentialiter successivâ. In rebus alijs, ex se non alligatis certo tempori, pro quovis tempore vel instanti contingens est carentia, sicut & existentia. Concedimus igitur, quòd, si supponitur existere hodierna duratio, jam nequit dari carentia ejus, quatenùs contingens: potest tamen crás dari, quatenùs necessaria, seu necessariò posita. Ad *Confirm. dist. Maj.*: carentia durationis &c. posita hodiè, *conc.*; posita crás, *subdist.*: præstat, eam non existere hodiè pro hodiè, *neg.*: præstat, eam non existere hodiè pro crás, præstando scilicet ne hoc objectum, *existere hodiè*, detur crás, *conc. Maj.*. Vel aliter *distingui* potest de carentiâ durationis hodiernæ posità crás: præstat, eam non existere hodiè de præsenti, seu actualiter, *conc.*; verè enim præstat crás, ut ipsum *existere hodiè* non detur actualiter in rerum naturâ: præstat, eam non existere hodiè, nec

nec extitisse hodie, *neg. Maj.* Similiter distinguenda est *Minor*, & *Consequentia* neganda quantum ad alia tempora præter hodie. Carentia igitur durationis hodiernæ, cras posita, minus implet carentiæ absolutæ; quia præstat, ne cràs in rerum naturâ detur essentia consistens in existendo hodie: quare non solùm excludit chymericam durationem crastinam istius essentiæ, sed immediatè excludit essentiam ipsam ab actuali naturâ rerum.

*Illationes aliquot.*

31 Ex dictis inferes 1., non posse rem existentem absolvi ab omni tempore, ideſt, non posse actu existere in rerum naturâ, quin duret in tempore præsenti, reali, vel imaginario. Ratio est: quia nequit res actu existere, quin determinata sit, vel formaliter, vel radicaliter, ad coexistendum omni actualiter existenti (ex dictis n. 16.), ac proinde ad coexistendum tempori reali actualiter posito (quod est formaliter durare in tempore reali), vel tempori possibili, si actu daretur (quod est durare in tempore imaginario). Dixi, *vel radicaliter*: quia, suppositâ necessitate durationis distinctæ, res actu existens pro priori ad durationis modum jam est radicaliter determinata, ut per modalem durationem coexistat tempori præsenti. Quod si tenuas, quæro, an, re actualiter existente, possit à Deo impediri refaltantia durationis distinctæ? Si non potest, intentum habes. Si potest: ergo talis duratio non est necessaria, ut res duret in tempore præsenti, siquidem necessaria non est, ut existente tempore res actu existat, adeòque ut tempori coexistat, quod est in eo durare. Accedit, quòd nequit res actu existere, quin coexistat Deo, ac proinde quin coexistat omni, cui Deus actualiter coexistit: Deus autem coexistit tempori præsenti.

32 Inferes 2., nec posse mente concipi rem actu existentem, quin concipiatur de præsenti durans, saltem radicaliter. Quia, si concipitur actu existens, concipitur existens nunc: si enim omninò præscindatur à *nunc*, & *olim*, concipietur indifferens ad verificandum verbum *existit*, vel *extitit*, vel *existet*: sic autem non magis concipitur actu existens, quàm non existens actu; alioquin peccatum Petri Apostoli magis actu existeret, quàm non existeret. Hinc, dùm loquimur de carentiâ, vel existentiâ rei absolutâ, non eam accipimus ut solutam ab omni duratione, nec ut præcisam ab omni respectu ad tempus (nam hunc respectum præsefert, ac requirit quæstio ipsa, dum inquirit, an rei existentis hodiè possit cràs dari carentia absoluta?), sed *absolutam* vocamus eam existentiam, quæ, & quatenùs realiter distincta est à duratione sui, licèt cum illâ necessariò conjuncta sit: quæ verò existentiam sic acceptam excludit, vocamus carentiam *absolutam*. Eodem sensu accipitur carentia, vel existentia *secundum se*.

33 Inferes 3., quòd etiamsi admittatur sententia dicentium, posse rem existere solutam divinitùs ab omni duratione, nihilominùs dicendum est, rem & ejus carentiam dari posse in rerum naturâ. Non dico, dari *simul*; quia tò *simul* non salvatur sine respectu ad idem tempus, qui tunc nullus esset: sed tantùm verè dari, ita-metsi nec *simul*, nec *successivè*; non aliter, ac duo Angeli actu existentes, & ab omni duratione soluti, nec successivè, nec simul essent. Ratio illationis est: quia lapis v. g., solutus ab omni duratione, initium haberet, vi cujus transiisset de non esse ad esse: aliquin jam ab æterno duraret: posset etiam, utpotè ab intrinseco defectibilis, finem habere, vi cujus transiret de esse ad non esse. Verè igitur in rerum

rerum naturâ derepta, aut dari possent *esse*, & *non esse* lapidis. *Dices*: carentia, seu *non esse* lapidis, illum excluderet à rerum naturâ. *Contra*: à rerum naturâ, simul posita cum carentiâ ipsâ, *conc.*; à rerum naturâ, nec simul, nec successivè positâ, qualis esset in eâ hypothesi, *neg.*: carentia quippe solùm præstat, ne simul detur existentia; quod etiam in eâ hypothesi præstaret.

34 Interes 4., quid sit dicendum ad eamdem quæstionem aliter propositam sub his terminis, An duo contradictoria dari possint pro diversis instantibus? Affirmandum scilicet de contradictorijs objectivis, seu de carentiâ & existentiâ ejusdem rei; ut satis suprà ostendimus. *Dices*: carentia & existentia non sunt contradictoria, nisi relatu ad idem instans: non enim carentia in B. contradicit existentiæ in A.: si ergo carentia & existentia ponuntur in diversis instantibus, eo ipso desinunt esse contradictoria. *Neg. Consequ.*: ea quippe sunt contradictoria objectiva, quorum unumquodque per se immediatè excludit alterum ab instanti, in quo est: hoc autem utique haberent carentia & existentia, in diversis instantibus positæ. Quare, licèt non sint contradictoria, nisi relatu ad idem instans, quatenùs neutrum excludit alterum nisi à suo instanti, cùm tamen hæc exclusio exerceatur ab utroque successivè posito in diversis, non desinunt esse contradictoria, singula pro instanti suo. Cùm autem dicitur, quòd carentia in B. non contradicit existentiæ in A., *distingue* sic: non contradicit præstando, ne existentia fuerit in A., *conc.* (non enim est de conceptu contradictionis objectivæ, quòd unum contradictorium præstet ex B., ne alterum fuerit in A.); non contradicit præstando, ne illa ipsa existentia, quæ fuit in A., sit in B., *neg.*. Quòd autem hæ propositiones, *Petrus existit in A.*, *Petrus non existit in B.*, contradictoriæ non sint, ex eo provenit, quòd ad contradictionem intentionalem non sufficit enuntiare utcumque duo contradictoria objectiva, sed opus est ea enuntiare pro eodem tempore; non enim aliter propositiones pugnabunt in veritate & falsitate.

## CAP. III.

### *UTRUM RES SEMEL CORRUPTA reproduci possit?*

35 OMnia, quæ in Mundo sunt, jam olim extitisse, nec modò quidquam existere nisi reproductum, omniaque, cùm iterùm perierint, iterùm rediturа esse post longum intervallum, quod annorum millia multa complectitur, & *annus Platonicus* vocitatur, quò respexit illud Maronis, *Atque iterùm ad Trojam magnus mittetur Achilles*: hoc, inquam, Platonicum delirium fuit, omni veritatis specie destitutum, quod refutat Magnus Augustinus l. 12. de Civ. Dei cap. 13.. Nec huic delirio favet locus Eccles. c. 1., *Nihil sub Sole novum* &c.: loquitur enim de specificâ similitudine rerum præsentium cum præteritis & futuris, ut exponunt S. Augustinus l. c., & S. Thomas 4. cont. Gent. c. 81.. Quare concors est omnium sensus, nullam de facto esse, vel fore lege ordinariâ, reproductionem eorumdem individuorum effectuum semel pereuntium (ijs exceptis, qui ad perfectam resurrectionem hominum requiruntur): nemini quippe suspicio incidit, ne forsitan ignis, quem cernit, idem ipse sit, quo arsit Troja; aut asina quâ vehitur, sit ipsamet asina Balaam, post longum sæculorum tractum redi viva.

36 Tenendum tamen est, quamlibet entitatem destructam posse de potentiâ

tentiâ Dei absolutâ eamdem numero reproduci, excepto duntaxat durationis modo, si datur. Ita ferè omnes Philosophi, & Theologi contra Durandum, & paucos alios, quorum argumenta nullius esse roboris ostendit Exim. Doctor tom. 2. in 3. p. d. 44. s. 6., & disp. 5. Metaph. s. 9.. Nulla certè contradictio probari potest in eo, quòd ignis v. g., semel extinctus, iterùm accendatur idem numero: nam quòd jam antèà extiterit, est circumstantia extrinseca, quæ conceptum talis individui non variat. Accedit, quòd vix invenitur ratio efficax pro impossibilitate naturali reproductionis, ut mox videbimus. Nec obstat proloquium illud, *Ad præteritum non datur potentia.* Nam sensus illius est, nullâ potentiâ fieri posse, ut res, ex suppositione quòd exiterit, non exiterit. Verissimum hoc est: cæterùm nihil prohibet rem, quæ verè extitit in instanti A., & desijt in B., iterùm existere in C.

37 *Dices*: ergo poterit res eadem simul esse præsens & præterita. *Diff.*: si tò *præterita* sonet, rem fuisse, & nunc non esse, *neg.* (sequeretur enim, nunc esse & non esse): si tantùm denotet, rem antèà fuisse, & postea desijsse, *conc. Consequ.*. Nec item obstat illud Aristotelis cap. de Oppositis, *A privatione ad habitum non datur regressus*: quod probat Philosophus, quia nec cæcus visum, nec calvus comam, nec edenculus dentes recuperat. Hoc, inquam, haud obstat: tum quia non loquitur Aristot. de potentiâ Dei absolutâ: tum quia nec loquitur de regressu ad eamdem numero formam, sed ad eamdem speciè; alioquin, dum ibidem admittit regressum in contrariè oppositis, v. g. à calore ad frigus, de eodem individuo frigore loqueretur; quod Adversarij renuunt. An autem ejus regula perpetuò vera sit, nostrâ non interest inpræsentiarùm.

38 Excepimus durationis modum, si datur; quia durationem à re durante distinctam admittentes, eam ponunt ità essentialiter successivam, ut modaliter alligata sit certo tempori, vel instanti; immò ut in ipsâ consistat tempus prout essentialiter successivum. Quare, cùm hodiernæ durationis essentia sit *esse hodiè tantùm*; nequit Deus facere, ut reproducatur cràs: quemadmodùm facere nequit, ut quæ solius hominis est ubicatio, vel actio, vel unio, fit unio, actio, vel ubicatio equi: non enim ad potentiam Dei spectat invertere rerum essentias. Verum hæc ratio non militat in rebus cæteris, quæ non probantur essentialiter alligatæ certo tempori præ alijs. Unde, quod passim dicitur, entia successiva reproduci non posse, intelligendum est de successivis prout importantibus determinatas durationes. De cætero, motus alterationis v. g., vel motus localis, prout à duratione condistinctus, etiamsi ponatur essentialiter successivus, poterit idem numero reproduci: qui enim heri productus fuit decursu unius horæ, cur hodiè per alterius horæ decursum reproduci nequeat? Quo autem senio tempus diei possit irrevocabile, quàmvis non detur durationes modales, explicuimus in Physic. tr. 3. d. 2. c. 3. n. 7.

39 Superest quæstio difficilior, an scilicet reproductio rei jam antèà destructæ sit naturaliter possibilis, seu provenire potens à causis naturalibus, vel à Deo ut Authore naturæ? Negat communis sententia, quam tenent Thomistæ, & plerique Nostrorum, cum D. Thoma quodlib. 4. ar. 5., & P. Suar. locis cit. Probatio tamen, quàmvis multiplex afferatur, vix ulla invenitur satis efficax, ut patebit discutiendo potiorem. *Prima* est, quòd Uni-

Universi pulchritudo fastidit iteratam ejusdem rei productionem, cùm exigat ornari multitudine, ac novitate rerum. Hæc etiam est congruentia parùm efficax: nam Universum non magis pulchram esset rosâ A. primò productâ, quam rosâ B. reproductâ, & sic de aliis.

40 *Secunda*: quòd, effectu aliquo semel producto, causa illius exhausta manet, atque adeò impotens eumdem iterùm producere. Hæc impugnatur facilè: quia causa, dum produxit effectum adæquatum, virtutem suam non amittit, ut est certum; sed exhaurìri dicitur, idest, occupari, quatenùs agit quantum potest pro tali tempore, nec valet alium effectum producere, quamdiù illum conservat. Attamen, sicut potest ab illius conservatione cessando producere alium æqualem, cur non & iterùm eumdem jam anteà corruptum? Adde quòd sæpe continetur idem effectus in alijs causis, tum univocis, tum æquivocis, quarum virtus nondùm exhausta est. *Tertiò* quòd individuatio effectuum sumitur à circumstantijs temporis & loci, quæ semel transactæ redire nequeunt. Hæc supponit doctrinam, quæ ut summùm vera est de individuatione extrinsecâ, seu quoad nos. De cætero res quælibet secum identificat suam intrinsecam individuationem, & hæceitatem, quæ (si durationem, & ubicationem excipias) non alligatur certo tempori, nec loco; alioquin idem homo, qui Salmanticæ nascitur hoc anno, ne divinitùs quidem potuisset alio tempore nasci Matriti. Cerè potest eadem lux conservari per horam: cur ergo non poterit intra horam eamdem primò produci, deinde corrumpi, & in ultimo quadrante reproduci naturaliter?

41 *Quarta*: quod, si reproductio foret naturaliter possibilis, resurrectio hominis non esset opus miraculosum. Sed contrà est, quòd resurrectio foret absdubiò miraculosa, etiamsi anima hominis mortui per novam unionem nondùm anteà productam rediret in corpus; quo in eventu nullum hominis constitutivum reproduceretur: non ergo resurrectionis miraculum à reproductione pendet; quemadmodùm nec ab eâ pendet rei paratio visûs in homine cæco, & oculis capto, quæ pariter miraculosa esset, sive oculos afferret anteà præhabitos, sive novos alios ejusdem speciei. Ratio ergo miraculi petenda est, tum ex difficultate præparandi corpus ad animam extra materna viscera; tum ex eo, quòd anima rationalis, licèt innatè appetat unionem secundùm se, refugit innatè reunionem ut talem cum corpore corruptibili, quippe quæ impedit perfectiorem intelligendi modum, quo gaudet anima corpore soluta. *Quinta*: quòd, sicut naturaliter repugnat transire de loco in locum dissitum sine transitu per medium, ita & rem existere in temporibus dissitis sine existentiâ in medio non interruptâ. Sed hæc non urget patronos affirmativæ partis, apud quos non repugnat naturaliter, quòd successivè ponatur corpus in locis dissitis sine transitu per medium, si nimirùm pereat Matriti, & reproducatur Romæ. Quòdsi loquaris de transitu per motum progressivum continuum, paritas solùm probat, non posse rem transire de tempore in tempus dissitum per durationem continuam, quin duret in medio.

42 *Sexta*: si reproductio esset naturaliter possibilis, foret naturaliter debita; quod nemo concedit. Probatur sequela: quia res semel existens exigit omne commodum sibi naturaliter possibile: huic ergo exigentiæ debita erit reproductio, utpotè valde commoda. Sed *neg. sequel.*; in cujus pro-

probatione *dist. Antec.*: exigit &c., pro casu, quo res ipsa existere non desinat, *conc.*; pro casu, quo jam existere desiit, *neg. Antec.*, & *consequ.*. Res, cùm existere desinit, penitùs amittit omne jus naturale, quippe quod ab ejus existentiâ non distinguitur: nulla autem exigentia potest sibi debitum facere terminum pro casu, quo jus ad illum penitùs extinguatur; ut in dominio, vel jure morali cernere licet. Quòd actus meritorius, postquam physicè desiit, præmium sibi debitum faciat, ideò est, quia non amittitur cum existentiâ physicâ jus morale (in quocumque consistat), quamdiù non committitur injuria præponderans: quod quidem jus non tam manet in actu, quàm in personâ merentis. Amittitur tamen jus physicum, seu jus ad existendum physicè; ideoque actus ille non exigit physicè reproduci.

43 *Septima*: Deus non cessat à conservatione rei semel existentis, v.g. ignis A., nisi ad exigentiam naturæ cessantis inducere formam incompossibilem: ergo, si semel cessat, debet ut Author naturæ persistere in non conservatione talis ignis, seu, quod idem est, in conservando privationem ejus, quamdiù natura non exigit, ut auferatur privatio ista. *Prob. Consequ.* à pari: nam Deus, postquam ad exigentiam naturæ produxit ignem A., debet illum ut naturæ Author conservare, donec adsit exigentia fortior in contrarium: ergo pariter de privatione talis ignis, ad exigentiam naturæ semel positâ, discurrendum. Tum sic: sed nulla causa naturalis potest exigere, ut auferatur privatio ignis A.; quia, licet exigat, ut in tali materiâ producatur forma ignis, non tamen ut sit potiùs forma A., quàm B., aut alia ejusdem speciei, cùm solius Dei sit determinatio effectuum quoad individuum: ergo Deus ut naturæ Author debet semper privationem illam conservare. Sed negatur facilè prima *Consequ.*: & in probatione pariter *neg. Consequ.*. Nam ignem semel existentem debet Deus ut Author naturæ conservare, donec adsit exigentia fortior, non præcisè quia illum produxit ad exigentiam naturæ (si quidem pariter conservare debet ignem productum initio Mundi, nullâ naturæ exigentiâ præcedente), sed quia ignis semel existens exigit conservationem sui, & corruptioni resistit. At non conservatio, seu privatio ignis, cùm nihil sit, nihil exigit, nec resistit exclusioni sui; alioquin resisteret etiam primæ productioni formæ. Unde, si, amoto agente contrario, materia iterùm disponatur ad formam ignis, nullam Deus exigentiam violabit reproducendo formam corruptam.

43 Ex dictis inferri videtur, non satis probari naturalem impossibilitatem reproductionis ideòque possibilitatem naturalem tuentur plures Scotistæ, Scotum allegantes, & aliqui è Nostris cum PP. Hurtado, & Oviedo, qui putant, reproductionem non aliunde impediri de facto, quàm ex lege Dei, citra naturæ exigentiam statutâ. Nec multùm dissentit P. Suarez disp. 5. Met. s. 9. n. 20., ubi post ostensam aliarum probationum inefficaciam, sic tandem concludit: *Fatendum* ergo est, „ vel hoc (quod nihil de facto reproducatur) pendere ex solâ Divinâ voluntate; vel, si aliquam habet causam naturalem, nobis esse occultam: „ & adsummùm dici posse, cùm hæ virtutes naturales ad multiplicationem individuorum ordinentur, eamque naturaliter intendant, esse magis consentaneum naturis earum, ut semper concursum recipiant ad novos effectus. Hâc enim de causâ, non solùm „ in Dei voluntate, sed in ipsis etiam naturis rerum fundatum est, quòd in hominum generationibus semper novæ animæ producantur, & non uniantur iterùm corporibus quæ semel jam

„ creatæ, & separatæ *existunt*. Hactenùs Eximius Doctor.

45 Cujus in verbis ratio traditur satis idonea pro communi sententiâ negativâ, quam tenendam puto. Nimirum, quod agentia naturalia naturaliter appetunt virtutem suam explicare, divitias que bonitatis à Creatore acceptas ostendere, quantum fieri possit citra injuriam alterius: ad hunc enim finem collata est ipsis activitas à naturâ, ut passim supponunt Philosophi, & ipsi quoque Adversarij, qui fatentur, legem Dei, quâ de facto impeditur reproductio, valde consentaneam esse naturis rerum. Atqui magis ostenditur quid possit virtus productione novorum effectum (quos utique continet innumeros ejusdem speciei, ut constat ex physicâ), quàm reproductione corruptorum, cum ostendatur minùs limitata, seu ditior, ac fecundior: potest etiam id fieri citra injuriam alterius, cùm in eo nulla violetur exigentia naturæ. Appetunt ergo agentia naturalia concursum à Deo accipere ad novos effectus, ac proinde reddunt naturaliter impossibilem reproductionem corruptorum.

46 *Dices*: appetitus, aut exigentia hujusmodi non est adeò efficax, ut sit naturaliter infrustrabilis. Sed contrà est, quòd ea exigentia censetur naturaliter infrustrabilis, quæ nunquam frustratur: non enim aliâ ratione talis esse creditur exigentia materiæ ad quantitatem, ignis ad calorem, Solis ad lucem: sed prædicta naturalium causarum exigentia nunquam frustratur, cùm nulla detur de facto reproductio, ut Adversarij supponunt: ergo &c. *Dices* iterùm: ergo agentia naturalia, statim ac producunt aliquid, appetent destructionem ejus, ut novos effectus producant, atque ita magis ac magis virtutem suam indesinenter explicent. *Neg. Consequ.*: quia id fieri nequit citra injuriam effectuum actu existentium, qui jus habent ad sui conservationem, quàmdiu ab agente fortiori alterius speciei non oppugnantur. At, postquam illi effectus esse desierunt, si nova occurrat occasio agendi, nulla ipsis injuria fit productione novorum.

47 Rejici quoque potest ab absurdo contraria sententia: quia, si forma, corrupta in uno tempore, potest in alio reproduci naturaliter, poterit etiam, ab uno adæquato subjecto expulsa, reproduci naturaliter in alio subjecto distanti; non enim forma A. magis ex se determinata est ad certam materiam, circumvè locum, quàm ad certum tempus: unde forma ignis A., in hoc loco extincti, poterit alibi reproduci in aliâ materiâ: ergo & poterit hoc accidere, non interrumpendo existentiam, ita scilicet, ut forma illa in eodem instanti, in quo hîc expellitur ab unâ materiâ, reproducatur, aut conservetur alibi ab igne B. applicato alteri materiæ dispositæ: si enim hoc fieri potest naturaliter in instanti sequenti, cur non in eodem? Hinc autem absurdè sequitur, hoc esse naturaliter, non solùm possibile, sed necessarium: quia forma ignis A., semel existens, exigit sui conservationem, quamdiù hæc est naturaliter possibilis, eamque reddit naturaliter necessariam, quamdiù non obstat exigentia fortior; non autem obstat exigentia æquæ v. g. hîc extinguentis ignem A.; solùm quippe intendit occupare materiam hîc appositam, & nihil suâ interest quòd eadem forma ignis conservetur alibi. Non ergo extinctio ignis erit argumentum physicè evidens corruptionis formæ; cùm potiùs sit physicè necessarium eamdem formam alibi conservari, si detur alibi pro eodem instanti materia dispositа. Erit etiam naturaliter possibile, ac sæpe necessarium, quòd materialis forma repente mutet subjectum adæquatum, & quòd in hoc instanti existat Salmanticæ, & in instanti proximè sequenti existat Ro-

Romæ, vel Mexici. Ut igitur hæc absurda vitentur, dicendum est, formam corruptibilem, eo ipso quòd amittat jus existendi in materiâ semel habitâ jam non posse naturaliter existere nec in alio subjecto, nec in alio tempore.

48 *Objic.* 1.: virtus causæ manet eadem, & invariata, sive effectus jam anteà exiterit, ac desierit, sive secùs; est enim circumstantia ista penitùs extrinseca virtuti causæ, quam proinde immutare non potest: sed *idem manens idem, semper est natum facere idem*, ut est in proverbio: ergo virtus causæ nata est producere naturaliter eumdem effectum post corruptionem ejus, sicut anteà. Accedit 1. auctoritas Aristotelis l. 8. & 12. Metaph. docentis, quòd, si applicetur idem numero agens ad eamdem materiam, eumdem producet effectum. Accedit 2. experientia muscarum, apum, & aliorum quorumdam insectorum, quæ suffocata revivisc unt. Accedit 3. exemplum Artis, quæ potest opera sua reparare, domum dirutam v. g. Ad *object. concess. præmiss. neg. Consqu.*: quia virtus causæ nunquam habuit posse naturaliter producere effectum jam semel corruptum: quare, licèt post corruptionem effectûs maneat virtus eadem, non ideò potest illam producere post corruptionem; nisi fortè corruptio fumatur ut circumstantia, non *objectiva*, sed *subjectiva*, quos terminos explicuimus in Physicâ tr. 1. d. 3. c. 2.. Sic, licèt Sol maneat idé post recessum ab hoc hemisphærio, non ideò potest noctu illud illuminare; quia nunquam vim habuit hùc transmittendi lucem ex alio hemisphærio.

49 Nec obstat, quòd corruptio sit circumstantia extrinseca: nam etsi extrinsecum est igni A. quòd ipsi localiter applicetur passum B.; nec tamen potest in illud naturaliter agere, si desit ejusmodi circumstantia. Fateor, non esse asserendam sine fundamento limitationem virtutis ad agendi pro certis tantùm circumstantijs extrinsecis, v. g. pro diebus tantùm dominicis: dum tamen fundamentum adest (quale nostræ probationes exhibent) nova non est ishuiusmodi limitatio, ut in exemplo applicationis localis videre licet. *Dices*: quòd effectus jam anteà exiterit, nunc nihil est: ergo nequit nunc impedimentum esse, ne iterùm existat idem effectus. *Instat*: interpositio vacui nihil est: & tamen, si vacuum daretur inter cœlum & terram, impediret terræ illuminationem à Sole. Item defectus applicationis localis nihil est: impedit tamen productionem effectûs in passo. Similiter me heri extitisse Salmanticæ, hodiè nihil est: efficit tamen, ne possim hodiè naturaliter esse Mexici. Si dicas, in his casibus deficere conditionem necessariam ad agendum; dicam pariter, conditionem esse necessariam ad agendum naturaliter, quòd effectus conducat ad majorem explicationem virtutis, & propagationem speciei; quæ conditio deficit eo ipso, quòd effectus anteà exiterit, ac desierit.

50 Jam *accessiones* argumenti *n.* 48. solvuntur facilè. Nam. Aristoteles intelligendus est de effectu eodem, non numero, sed specie. Ut muscæ, & alia animalcula revivisc unt, non opus est reditu formæ corruptæ, sed sufficit productio alterius præcedenti similis. Ars verò, cùm domum reparat, nihil physicè reproducit; non lapides, & ligna, ut est certum; non item formam artificialem, quia non producit eumdem numero partium situm, qui perijt, sed similem alium. Quare domus reparata solùm est physicè eadem quoad materiam: dicitur etiam moraliter eadem quoad formam, quatenùs hæc est priori similis, & ad eosdem usus deservit.

51 *Objic.* 2.: possibiles sunt plures virtutes naturales, eumdem numero effectum continentes; plures etiam actiones ad illum terminabiles: at frustrà essent tot causæ, & actiones, si non

posset effectus naturaliter reproduci. *Resp.*, virtutem plurium causarum respectu ejusdem effectus, sicut & possibilitatem plurium actionum, utilem esse, tum ut effectus possit primò produci in variis divisivè locis, & temporibus; tum ut semel productus possit à variis causis conservari, quamdiù non oppugnatur à contrario agente validiori. *Dicent* ergo plures actiones terminabiles ad ignem A., per corruptionem ejus fieri naturaliter impossibiles, quamvis nondùm exiterint. *Cons. Consequ.*, in quâ nihil absurdi: quia, cùm actiones totæ sint propter terminum, eadem circumstantia, quæ terminum reddit naturaliter impossibilem, illas pariter impossibiles efficit.

52 *Objic.* 3.: complexum hoc, *Rem extitisse in instanti A., & non in B.*, potest naturaliter cohærere cum eo quòd res eadem existat in instanti C.: ergo existentiæ interruptio non impedit naturaliter iteratam rei productionem. *Prob. Antec.*: partes illius complexi inter se non pugnant; & alioquin singulæ possunt naturaliter cohærere cum eo quod res existat in C.; ut contingeret, si vel existentia præhabita in A. conservaretur in B., vel antè B. non fuisset producta: ergo & complexum utriusque partis cohærere potest cum existentiâ rei in C.: quando enim duo extrema non pugnant inter se, nec singula cum existentiâ tertij, nequit utrumque complexum cum existentiâ tertij pugnare. *Instat*: ergo complexum hoc, *Petrum fuisse in loco A., & non in B.*, poterit naturaliter cohærere cum eo quòd Petrus sit in loco C., quamvis non interrumpat existentiam. *Prob.*: quia singulæ partes illius complexi possunt naturaliter cohærere cum eo quòd Petrus inveniatur in C.; ut contingeret, si vel Petrus transijsset de loco A. ad B., vel primo produceretur in C.: ergo & complexum utriusque cohærere potest &c.: quo fiet, ut Petrus, non interruptâ existentiâ, transeat naturaliter de loco in locum distantem non transeundo per medium; quod est absurdum. Itaque ad *object. neg. Antec.* & ad *prob. neg. Consequ.*: quia fieri potest, ut complexo conveniat aliquid, quod non convenit partibus seorsùm, & ut pars quælibet, sub conditione quòd conjungatur cum parte alterâ, cum tertio aliquo pugnet, tametsi cum eo seorsùm ab alterâ cohærere possit: ut patet, tum in exemplo nupero; tum in actu fidei divinæ, qui sic enuntiaret, *Vel existit Petrus sine Paulo, vel Paulus sine Petro*; posset enim huic actui coexistere tum Petrus, tum Paulus seorsùm, non tamen uterque simul, quamvis ipsi inter se non sint incompossibiles.

## CAP. IV.

### *UTRUM IN CORRUPTIONE substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam?*

53 QUæstionis propositæ sensus est, Utrùm in instanti, quo unum compositum substantiale corrumpitur altero generato, simul cum formâ substantiali pereant accidentia omnia, quæ pereunti composito inerant? nec solùm ea, quæ cum tali formâ connectebantur, vel tamquam modi, vel tamquam proprietates naturaliter inseparabiles (quæ omnia simul perire constat); sed illa quoque accidentia, quæ *communia* vocant, seu quæ ex propriâ indole specificâ non omninò pugnant cum formâ novâ: utrùm, inquam, hæc omnia pereant, ita ut nihil ex corrupto composito superfit præter unam materiam primam? Affirmant Thomistæ: sed negant Scotistæ, & Authores nostri communiter cum Exim. Doctore d. 14. Met. l. 3.. Mens D. Thomæ dubia est: favet enim variis in locis affirmativæ parti: favet in alijs & negativæ, præsertim 4. cont. Gent. cap. 81. dicens, quòd post mortem hominis *materia ma-*

*nè sub dimidio fundibus eisdem* (ideſt, ſub eâdem quantitate), *ex quibus habebat ut eſſet individualis materia.* Item 3. p. q. 9. ar. 3. ad 2., ubi docet, quòd calor prævie diſponens materiam ad formam ignis, hac adveniente, *non ceſſat, ſed remanet.* Item in locis cap. ſequ. citandis, ubi tenet, quantitatem in ſolâ materiâ recipi; quod ſi verum eſt, ne Thomiſtæ quidem in præſenti diſſentient. Pars negativa nobis apparet multò probabilior.

54 *Prob.* 1. experientiâ. Nam, ut oculis cernimus, paſsim in cadavere manent quantitas, figura, organizatio, nævus, cicatrix, pluraque alia accidentia carnis & oſsis, quæ fuerunt in homine vivo: paſsim etiam in carbone ignito permanet accidens gravitatis, à formâ ignis alienum: in aceto plures qualitates vini ſuperſunt: in igne ex materiâ ſulphuris accenſo remanent color & odor, aliique accidentia, magis ſulphuris, quam ignis propria: quod & in aliis plurimis contingit. Falſum eſt igitur, quod in inſtanti corruptionis compoſiti, omnia illius accidentia ſubitò evaneſcant. Ad hæc Thomiſtæ ſenſus corrigere nos jubent, credereque firmiter, ejuſmodi accidentia non eſſe eadem numero, ſed ſpecie tantùm, alia ſcilicet præcedentibus conſimilia, quæ cum novâ formâ producuntur. Sed verò ſenſus corrigere tenetur nemo, niſi vel in obſequium Fidei, vel in gratiam manifeſtæ rationis. At ratio in præſenti ſenſibus apertè ſuffragatur. Nam, ſi contingat, æthiopem ſubitâ mole nivis oppreſſum mori, paulò poſt mortem invenietur in ejus cadavere calor aliquis, nigror intenſus, organizatio, & ſtructura corporis humani: ſed hæc accidentia à nullâ causâ denuò producuntur: ergo ſunt eadem ipſa, quæ viventi inerant.

55 *Prob. Min.*: talia accidentia non producuntur à materiâ primâ, ut eſt certum: non ab accidentibus prioris compoſiti, quæ juxta Contrarios in inſtanti generationis non exiſtunt: non à cauſis circumſtantibus: quia nix non eſt productiva nigredinis, nec caloris, nec organizationis humanæ: non à formâ cadavericâ, cui calor contrarius eſt, cui nigredo non magis eſt utilis, quàm albedo, cui organizatio aurium, oculorum, &c., nihil prodeſt: non denique à cauſâ univerſali; quia hæc nihil in materiâ operatur niſi ad exigentiam cauſæ particularis; & nulla talis exigentia in caſu propoſito apparet. Nam materia prima, de ſe ad quævis accidentia indifferens, non exigit iſta præ aliis. Nix, & forma cadaveris non eſt cur exigant accidentia, ſibi vel contraria, vel prorſus inutilia. Accidentibus autem compoſiti corrupti, ſi ſemetipſa conſervare nequeunt, non apparet unde conveniat exigentia tam valida, ut in eorum gratiam ſubitò producatur tota mirabilis ſtructura corporis humani, quæ tanto labore, ac temporis diſpendio, naturæ ſteterat.

56 Dicunt Adverſarij, accidentia iſta denuò produci à cauſâ univerſali ad exigentiam materiæ primæ, non quidem ſpecificativè ſumptæ, ſed prout ſigillatæ per accidentia prioris compoſiti. Sed ſupereſt explicandum, quid ſit in inſtanti generationis ſigillatio materiæ. Si enim nihil addit ſupra entitatem materiæ primæ, nihil prodeſt, cùm illa omnitas ex ſe non exigat potiùs accidentia iſta, quam alia. Si autem addit aliquid, vel hoc additamentum remanet ex compoſito corrupto, vel denuò producitur in inſtanti generationis. Si primum dicas: ergo non fit reſolutio uſque ad materiam primam. Si ſecundum: reſtat difficultas, quam nuper expendimus, aſsignandi cauſam activam, vel exactivam talis additamenti, quod cum prædictis accidentibus cadaveris connexionem habeat.

modo imperare sibimetipsi, sicut imperat intellectui, & potentijs materialibus, communissima sententia est cum D. Thoma: quam quidem experientia comprobat quantum ad imperium inefficax, ideſt, non ita connexum cum actu imperato, ut voluntatem omninò determinet; item, quantum ad imperium efficax de futuro, vel indeterminatum, aut confusum, ut si quis nunc efficaciter proponat contritionem elicere cras, aut elicere vel contritionem perfectam vel attritionem, aut elicere actum virtutis quoties se obtulerit occasio.

124 Sed *quæritur* 1., an dari possit naturaliter reflexū imperium efficax de actu eliciendo determinatè ac de præsenti? Sententiæ neganti favet P. Suar. l. 12. de Grat. c. 11. n. 11.: favere quòque videtur D. Augustinus l. 8. Confess. c. 9., cujus verba refert P. Quiros hic disp. 87. n. 37., ubi sententiam hanc amplectitur. Ejus ratio est: quia voluntas, dum potest elicere actum, v. g. religionis, nequit in ullo signo velle efficaciter ipsum elicere de præsenti, quin intelligatur jam eliciens, seu quin illud *velle*, sit formaliter *elicere religionis actum*: illud enim velle, est conari efficaciter in elicientiam actûs religionis; & ita conari, est formalissimè talem actum eliceres voluntas quippe non aliter actum elicit, nisi conando elicere, cùm potest. Accedit, quòd bonitas actûs religionis, dum reflexè cognoscitur ut volibilis, ad sui possessionem allicit: cùm ergo actus ille se ipso statim possideri valeat, frustrà voluntas laborabit alio actu distincto.

125 Sententia tamen affirmàs valde communis est, & probabilis. Non enim difficile videtur, quòd ex uno motivo voluntas efficaciter velit amplecti sine morâ motivum aliud. V. g. instante præcepto actûs religionis, nec hac tentatione retrahente, cur non poterit quis ex motivo charitatis, aut gratitudinis, aut obedientiæ, vividiùs tunc proposito, efficaciter velle sine morâ elicere internum actum, qui se ex proprio religionis motivo? Adde, quòd propositum efficax eliciendi contritionis actum, cùm aderit periculum mortis, physicè permanere potest instante jam periculo: tūc autem erit imperium efficax contritionis in eodem instanti eliciendæ. Opposita ratio instari potest in actu imperante cognitionem: nam similiter anima non aliter elicit actum fidei, nisi conando elicere: sed, dum efficaciter vult credere, volitione hac formaliter conatur anima in elicientiā actûs fidei: ergo hic actus formaliter consistet in eā volitione. Quæ instantia clariùs urget, si potentiæ non distinguantur ab animā.

126 Præterea rationem illam facilè solves, si distinguas conatum imperativum ab executivo: qui duo conatus facilè distingui ac discerni poterunt ex diversitate motivi, aut fortassis etiam ex diversitate objecti materialis, vel modi tendendi; non enim repugnare videtur (quàmvis regulariter non accidat), quòd actus imperans & imperatus intrinsecè respiciat idem motivum, v. g. si pro actum puræ charitatis imperetur formalis dolor de peccato, qui dolor pro motivo respiciat intrinsecè bonitatem Dei. Quòd verò actus religionis, reflexè præcognitus, alliciat ad possessionem sui, & se ipso statim possideri valeat, probat quidem nō esse necessarium imperium reflexum, possèque voluntatem immediatè se determinare ad illum actum: at non probat, imperium esse inutile; tum quia proderit, ut bonitas illius actûs ametur pro meritis, cùm sit amabilis, non solùm exercitè, sed reflexè; tum quia valere poterit, ut alterius motivi subsidio facilius vincatur tentatio retrahens ab actu religionis. Ubi notandum, quòd, licèt actus imperatus non

Mens Adversariorum esse videtur quod figillatio sit connotatio quædam existentiæ, in eo consistens, quòd materia immediatè antèà præhabuerit accidentia similia ijs, quæ in cadavere cernimus: cumque nequeat materia subitò transire ad accidentia contraria, vel nimis diversa (ne alioqui detur transitus de extremo ad extremum sine transitu per medium), debet in instanti generationis accipere alia præcedentibus similia, quæ deinde paulatim amittantur.

57 Verùm hæc solutio *rejicitur* 1.: quia materia subitò transit ab animâ ad formam cadaveris valde diversam: cur ergo transire non poterit ab uno accidenti ad aliud valde dissimile? Certè hujusmodi transitionis passim exempla cernimus; ut cùm nitratus pulvis concipit ignem, vel cùm ignis affusâ aquâ repentè desinit in carbonem; subitò enim apparet color præcedenti contrarius, aut dissimillimus. *Dices*: color iste exigitur à novâ formâ. Esto; sed inprimis habemus, subitum materiæ transitum ad accidentia dissimilia, non esse naturaliter impossibilem. Deinde forma cadaveris exigit etiam frigus calori contrarium: & tamen post mortem subitam, aut violentam, perseverat aliquandiu calor in cadavere. Mutationes igitur ejusmodi non pendent ex figillatione materiæ, nec ex solâ exigentiâ novæ formæ; sed ex eo quòd adsit particularis causa sufficiens ad vincendâ exigentiam propriæ conservationis, quam habet accidentia prioris compositi, etiam post corruptionem ejus.

58 *Rejic.* 2.: quia, vel est conditio omnium accidentium figillare materiam ad alia similia? vel aliquorum tantùm? Primum dici non potest: alioquin, cur igneus color non figillat materiam carbonis ad colorem similem? cur lux, dum subitò perit excinctâ lacernâ, non figillat aërem ad aliam lucem? cur accidentia auri, quod fulminis ictu repente solvitur in cineres, non exigunt alia similia subrogari? Immo, inde sequeretur, materiam, quæ semel habuit unum caloris gradum, existere nunquam posse, quin vel illum, vel alium similem obtineat. Si verò dicatur, eam esse conditionem aliquorum tantùm accidentium; assignetur accidens aliquod, cui figillum natura tribuerit. Nullum potiori jure assignabitur, quàm organizatio, color, & gravitas. At, quòd organizatio & color non figillent, satis probat subita hominis fulmine tacti mutatio, & resolutio in cineres, ubi *non vultus*, *non color idem*. Quòd item non figillet gravitas, testatur mutatio nitrari pulveris in flammam. Nobis certè sufficit, quòd aliquod accidens ex ijs, quæ cernimus in cadavere præter exigentiam novæ formæ, non habeat privilegium figillandi.

59 *Prob.* 2. sententia nostra. Calor, quo materia ligni tempore præcedenti disponitur ad formam ignis (idem intellige de quovis accidenti præparante materiam quamlibet ad novam formam), non perit in instanti generationis ignis: non ergo fit in eo instanti resolutio ligni usque ad materiam primam. *Prob. Antec.*: calor ille prævius exigit adventum formæ ignis; ad hunc enim finem introducitur ab igne agente: non ergo perit adveniente formâ ignis: nam alioquin exigeret sui destructionem, quæ necessariò resultaret ex adventu illius formæ. Vel *aliter*: Si calor perire debet pereunte ligno, cùm propriam exigat conservationem, exiget pariter conservationem ligni: sed aliunde exigit adventum igneæ formæ, cùm ad illam præparet, & ordinetur suapte naturâ: simul ergo formas exiget incompossibiles; quod absurdum est. *Confirm.*: si prævia dispositiones materiæ pereunt in instanti generationis, materia in eo instanti non habebit unde determinetur ad recipiendam formam

nam ignis potiùs, quàm aliam. *Dices*, determinari ab agente extrinseco. Sed *contrà*: fac (quod sæpè accidit) novam generationem fieri ab agente æquivoco, v. g. à Sole, vel causâ primâ. Cur tũ producitur potiùs forma ignis, quàm aliud? cùm ad utramlibet sit ex se indifferens tam materia, quam agens. *Confirm.* Iterùm: calor ille prævius non perit imprimis ex impugnatione contrarij; non enim illi contrariatur nova forma ignis cum suis accidentibus: non deinde ex defectu causæ efficientis, cum adsit ignis lignum combusturus, ut suppono: non denique ex defectu subjecti, seu causæ materialis; non enim deficit materia prima, quæ sola est subjectũ sustentativũ caloris, ut probabitur *cap. 5.* Nõ est ergo cur pereat ille calor.

60 Sed quoniam præcipuum contrariæ sententiæ fundamentum est, quòd accidentia recipiantur in toto cõposito, ac proinde pereunte composito perire debent, quia nequeunt mutare subjectum; ex fundamenti istius inefficaciâ *probatur* 3. nostra sententia. Permisso accidentia recipi in toto composito, non ideò præcisè perire debent eo corrupto, dummodò substituatur eodem loco & tempore compositum aliud, ad illorum sustentationem idoneum: sicâ, dum comburitur lignum v. g., substituatur eodem loco & tempore compositum igneum, utique idoneum ad sustentandum calorem prævium; siquidem juxta Adversarios sustentat calorem alium ejusdem speciei: non igitur ex eo capite benè probatur resolutio compositi usque ad materiam primam. *Prob. Maj.* exemplis ex Thomistarum doctrinâ sumptis. Nam materialis forma non minùs pendet à subjecto, quàm accidens: & tamen anima equina, quæ juxta Thomistas indivisibilis est, mutat subjectum, dum novam materiam per nutritionem adquirit, amittendo prahabitam. Si dicas, solùm ibi mutari partiale subjectum: idem accidit in casu nostro; ubi sola forma mutatur, eâdem materiâ permanente, quæ utique partiale subjectum est accidentium.

61 Præterea, juxta Thomistas materia magis pendet a formâ, quàm accidens à subjecto, siquidem materia totam suam actualitatem accipit à formâ, & sine formâ existere nequit, etiam divinitùs: & tamen pereunte unâ formâ, dummodò alia subrogetur, materia perseverat eadem. Rursùs, compositum in doctrinâ Thomisticâ non recipit accidentia, nisi prout subsistens: & tamen mutatâ subsistentiâ (v. g. si destructâ humanâ, succederet subsistentia Divina), non ideò accidentia omnia variari deberent. Accedit exemplum aliud nemini dubium. Videlicet, accidens magis pendet à causâ efficiente, quàm à subjecto, cum possit absque omni subjecto existere divinitùs, non autem absque omni causâ efficiente: certum est tamen, quòd accidens, ab unâ causâ primò productum, potest ab aliâ conservari; ut accidit in calore aquæ, qui ab igne productus, aliquandiù permanet extincto igne.

62 Ratio quasi à priori est: quia imprimis idem numero calor, semel receptus in ligno v. g., de se indifferens est ut recipiatur in igne; alioquin non foret ejusdem speciei cum calore ignis, siquidem haberet respectum essentialem ad subjectum specie diversum. Deinde calor ille non pendet à ligno, nisi per passionem, seu inhæsionem, quæ est actualis ipsa dependentia. Passio autem, utpotè realiter eadem cum actione, variari potest eodem calore permanente, cùm hic passim conservetur per actionem novæ causæ. Dum ergo in materiâ ligni succedit ignis, nihil impedit receptionem ejusdem caloris igne. Patet *Consequ.*: quia nec ille calor resilit ex se tali subjecto, cùm sit ex

ex se indifferens ad illud ; nec item resistit passio præcedens ; hæc enim cum ligno deficit ; & aliunde defectus ejus non connectitur cum defectu caloris, dum alia passio subintrat à novâ causâ.

63 *Urgetur* : quia calor ex se indifferens est, ut producatur à variis causis activis, potest, ab unâ primò productus, ab aliâ postmodùm conservari efficienter : cur ergo sit etiam ex se indifferens, ut recipiatur in variis subjectis, poterit, in uno primò receptus, in alio postea conservari sustentativè ; præsertim cùm ejus prima passio, vel inhæsio, variari possit, & sæpe varietur. *Dices*, magis connecti accidens cum determinato subjecto, quàm cum agente determinato : tum quia subjectum, utpotè causa materialis, est causa intrinseca : tum quia accidens individuatur à subjecto. Sed nihil proficies. Nam causa materialis sustentativa non est intrinseca per constitutionem, sed tantùm per unionem, vel inhæsionem : talis autem causa non est cur variari nequeat invariato accidenti, sicut variantur passim unio, vel inhæsio ; & sicut variatur materia respectu animæ equinæ, cujus non minùs est causa intrinseca. Quòd accidens individuetur à subjecto propriè, & intrinsecè, falsum est, ut alibi ostendemus : est etiam inutile, quoad præsens attinet : nam pariter anima equina, juxta Thomistas, individuatur à materiâ per quantitatem figiliatâ ; & tamen materiam, quantitatemque mutat decursu vitæ.

64 *Dices* iterùm : ergo poterit accidens naturaliter mutare subjectum adæquatum. *Neg. Consequ.* : quia nequit contingere naturaliter, ut in eodem loco & tempore, quo deficit primum subjectum totale, substituatur aliud idoneum, ut ostendit P. Oviedo *controv.* 1. *de Generat. punct.* 3.. Neque ad hoc facit exemplum causæ efficientis. Tum quia potest una causa activa facilè subrogari alia in eodem loco & tempore. Tum etiam, quia nec fieri potest, ut virtus activa sit omninò alias cùm semper adesse debeat virtus primæ causæ. Nobis ergo sufficit, quòd mutatio subjecti partialis sit naturaliter possibilis, sicuti possibilis est ejusdem subrogatio in eodem loco & tempore, qualis accidit, quoties novum compositum generatur, veteri corrupto. Multo magis negandum est, quòd accidens possit naturaliter *transire*, *migrare*, vel *saltare* de subjecto in subjectum. Hæc enim verba propriè sonant motum localem, quo accidens, immoto primo subjecto, feratur in aliud alibi positum : qui motus repugnat naturaliter, cùm nullum accidens loco moveri possit nisi ad motum subjecti, cui inest. Atque de hujusmodi locali transitu intelligendi sunt Veteres, siquando negant accidentia transire posse ad novum subjectum. Nos tantùm loquimur de mutatione subjecti partialis immoto accidenti. Quod verò hìc aliqui objiciunt, fore scilicet, ut anima rationalis posset in nova corpora transire, nec repugnaret ex naturâ rei Pythagorica metempsychosis ; frivolum est. Nam, quidquid de accidenti sit, Thomistæ non negant, posse ab animâ rationali materiam initio habitam amitti, & novam paulatim adquiri decursu vitæ : vel ergo hinc sequitur possibilitas metempsychoseos ? vel non ? Quare, ne objectione istâ hìc detineariş, *distingue* sic : si pariter id sequatur ex omnium sententiâ circa nutritionem hominis, *omitte* : si non inde sequatur, *nega*.

*Objectionibus occurritur.*

65 *Objic.* 1. auctoritas Aristotelis 1. de Gener. t. 23. dicentis, in generatione substantiali perire compositum præcedens, *nullo sensibili remanente* : remaneret autem aliquid sensibile, si non omne periret accidens. *Resp.*. Verba

ta Philosophi sunt, *nullo sensibili remanente, ut subjecto eodem*: ubi non negatur, remanere aliquid sensibile utcumque, sed remanere ut subjectum idem, eò quòd non remaneat idem compositum substantiale: non negatur, remanere idem sensibile *ut quo*, seu per modum formæ accidentalis; sed solùm remanere idem sensibile *ut quòd*, seu per modum subjecti. Ex quo patet discrimen (eo loco intentum ab Aristotele) generationis ab alteratione: nam in alteratione, licèt varietur sensibilitas, ut cùm mutatur aqua de frigidâ in calidam, subjectum sensibile manet idem: at in generatione, sive sensibilitas sit aliquatenùs eadem, sive non, subjectum sensibile jam est aliud. *Dices*: materia, ut subsitans accidentibus, est subjectum sensibile: si ergo remanet materia cum ijsdem accidentibus, jam aliquod subjectùm sensibile remanet idem. *Resp.* Hoc pariter urget Thomistas, ut qui non negant, materiam esse subjectum accidentium, saltem partiale: cùm ergo materia remaneat eadem, & quidem sensibilis per accidentia, saltem ejusdem speciei, non est dubium, quin aliquod subjectum sensibile remaneat idem: nec obstat, quòd accidentia non sint eadem; nam subjectum sensibile, v. g. calidum, semper est idem, sive calor sit A., sive B., dummodò substantia perseveret.

66 Omnes ergo fateri debent, quòd Aristoteles nomine *subjecti sensibilis* intelligit, non solam materiam, sed totum compositum, quod semper est principale subjectum attributionis, licet sola materia recipiat accidentia. Sicut enim totum suppositum absolutè venit nomine *agentis*, licèt subsistentia non sit ratio agendi; vereque diceretur non manere idem agens, si subsistentia variaretur manente naturâ cum eâdem actione; ita in re nostra dicendum. Solet etiam hic alligari Aristoteles *cap. de substantia* dicens, *Non existentibus primis substantijs, nihil earum remanere posse*: unde proverbium, *Corruptis nobis, corrumpantur ea, quæ sunt in nobis.* Sed verò mens Aristotelis est, quod, si deficerent omnia individua substantialia (hæc vocantur *primæ substantiæ*), nihil remaneret in statu existentiæ; quia tunc nec esset materia, nec accidens. Nec potuit Arist. loqui de individuo quovis; alioquin ne materia quidem remaneret ex corrupto composito. Proverbium verò vel rejiciendum est, vel intelligendum de ijs tantummodò, quæ sunt in nobis tamquam proprietates naturaliter inseparabiles.

67 *Objic.* 2.ò si corrupto composito non perit quantitas v. g., sequitur, materiam magis strictè & insolubiliter uniri quantitati, quàm formæ substantiali. At hoc est absurdum: tum quia materia cum formâ substantiali facit magis unum, quàm cum quantitate: tum quia partes, ad idem Prædicamentum spectantes, connaturalius & amicius copulantur, proindeque difficiliùs separantur. *Instatur* objectio in animâ rationali, quæ cum potentiâ intellectivâ facit unum per accidens, cum materiâ verò unum per se: & tamen ab eâ potentiâ nunquam, à materiâ facilè separatur. Præterea *resp.*, materiam uniri quantitati magis *strictè*, ideò, magis *permanenter*, quàm formæ substantiali; non tamen magis *aptè* ad constituendum unum: nam aptitudo unionis ad constituendum magis unum, sive unum per se potius, quàm unum per accidens, non sumitur ex diuturnitate; alioquin adamas esset magis unum per se, quàm arbor, equus, aut homo: sed sumitur ex eo, quod respiciat extrema ejusdem generis, seu Prædicamenti, prout invicem ordinata ad constituendum physicè unum. Unde negandum, quòd ea, quæ copulantur amicius, separentur difficilius; cum etiam

in moralibus hęc regula ſæpe fallat.

68 *Objic.* 3.: materia priùs recipit formam ſubſtantialem, quàm accidentia; nam idem eſt ordo recipiendi, ac reſpiciendi, & materia priùs reſpicit formam, priùſque ad illam ordinatur. Si autem accidentia corrupti compoſiti remanerent, priùs in materiâ reciperentur, quàm nova forma. *Reſp.*. Materia priùs reſpicit ſubſtantialem formam, quàm accidentia, prioritate dignitatis, & intentionis; non tamen prioritate originis, & executionis; oporteret enim, ut materia pro priori ad formam diſponatur per accidentia. Sic potentia viſiva priùs innatè reſpicit viſionem, quàm ſpeciem; cùm tamen ſpeciem priùs recipiat. Sic etiam æger priùs reſpicit ſanitatem, quàm medicamenta, quæ tamen priùs recipit. Quare non eſt idem ordo recipiendi, ac reſpiciendi principaliter; cùm hic ſit ordo intentionis, ille executionis: quò pertinet proverbium illud, *Quod eſt prius in intentione, eſt poſterius in executione.* Dici quoque poſſet, materiam priùs quidem prioritate temporis recipere accidentia compoſiti corrupti, ſed non priùs prioritate naturę: quia in inſtanti novę generationis accidentia illa non intelliguntur poſitivè conſervata, donec pro ſigno priori nova forma intelligatur in materiâ. Atque ita dicendum eſt, ſi accidentia recipiantur in toto compoſito.

69 *Objic.* 4.: accidentia in compoſito exiſtunt gratiâ formæ ſubſtantialis: hâc ergo pereunte, conſervari nequeunt. *Reſp.*. Inprimis quantitas exiſtit gratiâ materię, cùm ſit ejus proprietas, ex dicendis cap. ſequ.. Deinde calor, & aliæ prævię diſpoſitiones, lignum v. g. præparantes ad combuſtionem, exiſtunt gratiâ formæ igneæ mox adventurę, non gratiâ ligneę, cui potiùs oppugnantur: hęc ergo accidentia, pereunte ligno, perire non debent. Nobis autem ſufficit quòd vel unum accidens perſeveret. Præterea quæro ab Adverſarijs, cujus formæ gratiâ exiſtant in cadavere organa viſûs, auditûs &c., quę formæ cadavericæ ſunt prorsùs inutilia? Poſtremò, quamvis plura ſint accidentia, quę ex indole peculiari ſic connectuntur cum determinatâ formâ, ut ſine illâ conſervari nequeant; alia tamen ſunt, quæ, licèt primò producantur in gratiam alicujus formę, non unicè ab eâ pendent in ſui conſervatione, ſed ipſa per ſe exigunt conſervari à cauſis æquivocis, quandiù à validiori contrario non oppugnantur. Hujuſmodi ſunt illa, quibus materia præparatur ante inſtans generationis: illa quippe, ſicut ante genitam formam exiſtunt, ita poſt corruptam formam aliquandiù permanere poſſunt.

70 *Objic.* 5.: accidentia perire debent, pereunte ſubjecto: ſed corrupto compoſito, perit ſubjectum omnium accidentium, cùm omnia in toto compoſito recipiantur: ergo. *Reſp.*. Minor eſt falſa, ut patebit cap. ſequ.. Sed ejus doctrinâ, quoad præſens attinet, permiſsâ, *diſt. Maj.*: pereunte ſubjecto adæquato, *conc.*, vel *tranſeat*; pereunte ſubjecto inadæquato, *ſubdiſt.*: ſi aliud idoneum eodem loco & tempore ſubſtituatur, *neg.*; ſi non ita ſubſtituatur, *conc. Maj.*. Ad *Min.* autem admitto, perire ſubjectum accidentium, ſed inadæquatum duntaxat (nempe formam compoſiti), & ita ut idoneum aliud ſubrogetur in eodem loco & inſtanti: unde *neg. Conſequ.*. Relege dicta ſuprà *n.* 60. *& ſeqq.*.

## CAP. V.

### *QUODNAM SIT SUBJECTUM ACCIdentium, quæ in ſubſtantiali compoſito exiſtunt?*

71 NUlla nunc inſtituitur quæſtio de accidentibus ſpiritualibus

bus, quæ in homine certum est in solâ animâ recipi. Nec item de actibus vitalibus sentiendi, & vegetandi, qui fortalsis ex propriâ indole in materiâ simul & animâ subjectantur, in materiâ quia materiales, in animâ quia vitales; de quo in Animasticâ. Nec præterea de modis, qui ad alterutram compositi partem peculiariter pertinent, cujusmodi est ubicatio formę, vel materię; talis quippe modus inhæret illi parti, cujus est proprius. Quæstio igitur (cui occasionem hîc præbet quæstio præcedens, seu prœced. cap. resoluta) est de cęteris accidentibus materialibus, & absolutis, qualia sunt quantitas, calor, frigus, color, &c., quodnam scilicet subjectum inhęsionis habeant? *Inhæsionis*, inquam, vel, quod idem est, *sustentationis*, aut *receptionis* per modum causæ materialis: nam certum est, totum compositum esse subjectum *denominationis*, cùm totum denominetur quantum, calidum, &c.; neque hinc infertur ex terminis inhæsio accidentium in toto composito, siquidem discursus, soli animæ inhęrens, totum hominem denominat discurrentem. Prima sententia, quam tenent Thomistę communiter, affirmat, accidentia tori composito inhærere. Secunda, quam tuentur communiter Nostri cum Exim. Doctore disp. 14. Met. sect. 3., solam materiam asserit esse subjectum inhæsionis accidentium.

72 Hęc secunda sententia *probatur* 1.: Accidentia, quæ in instanti generationis materiam disponunt ad receptionem formę, non recipiuntur in formâ: ergo in solâ materiâ recipiuntur: idem ergo de cęteris putandum, cùm in omnibus eadem sit ratio juxta Adversarios. *Prob. Antec.*: dispositiones accidentales intelliguntur productæ & existentes in materiâ pro signo priori ad formam: sed hoc ipso non recipiuntur in formâ, seu non pendent ab eâ tanquàm à subjecto inhęsionis, & causâ materiali: ergo. *Major* constare videtur: nam illę dispositiones non aliter materiam præparant, quàm ipsi inhęrendo, & ipsam informando: nequeunt autem informare materiam pro priori ad formam, nisi jam intelligantur productę, & existentes; ut est manifestum. *Minor* verò *prob.*: tum quia dispositiones, si pro priori ad formam jam existunt, jam sunt extra omnes suas causas: ergo & extra causam materialem. Sed non extra formam, quæ pro priori ad se nondùm existit: non ergo à formâ pendent tanquàm à causâ materiali. Tum etiam, quia dispositiones in signo, in quo intelliguntur productæ, jam terminant eductionem sui, atque adeò passionem, seu causalitatem materialem, quę realiter non distinguitur ab eductione. Sed non terminant materialem causalitatem formæ, à quâ pro signo illo præscinditur: ergo &c..

73 Nec prodest Thomistarum recursus ad mutuam prioritatem, qui scilicet forma sit prior accidentibus per modum subjecti, & accidentia priora sint formâ per modum dispositionis. Nam, præter dicta in Physicâ contra mutuam prioritatem, etiam in diverso genere, in præsenti sequitur mutua prioritas, & causalitas in eodè genere, quæ vel apud Thomistas implicatoria est. Patet sequela: quia dispositiones formam prœcedunt in genere causæ materialis; ad hoc enim genus, juxta Thomistas, reducitur causa dispositiva, se tenens ex parte materiæ. Aliunde forma quoque dispositiones præcedit in genere causæ materialis, siquidem earum est subjectum inhæsionis. Nec dicas, genus causæ materialis dare locum mutuæ prioritati, eo quod sit subalternum, sub se continens diversa genera. Nam pariter subalternum est genus causæ efficientis; in quo tamen repugnat mutua

prioritas, v. g. inter causas univocam & æquivocam.

74 *Prob.* 2. ex doctrinâ Thomisticâ. Ultimæ dispositiones, & alia accidentia ex formâ resultantia, juxta Thomistas producuntur à generante per eandem actionem, quâ forma ipsa producitur: ergo forma nequit esse materialis causa talium accidentium. *Prob. Consequ.*: forma nequit esse materialis causa passionis illius, quâ sustentantur accidentia in subjecto: ergo nec esse potest causa materialis accidentium; hæc enim non aliter à subjecto causantur, nisi mediâ passione, ut nemo dubitat. *Prob. Antec.*: forma nequit esse materialis causa propria eductionis; alioquin semetipsam causaret: ergo nec potest esse materialis causa eductionis accidentium, siquidem hæc eductio est actio indistincta realiter ab eductione formæ. Sed eductio accidentium realiter est eorumdem passio in subjecto, cùm actio & passio realiter identificentur, ut fert sententia Thomistis etiam familiaris: non ergo forma potest esse materialis causa passionis, quâ sustentantur accidentia in subjecto. 3. ex aliâ doctrinâ Thomistarum, cap. præced. relatâ, quòd scilicet, si accidentia recipiuntur in toto composito, necessariò pereunt eo pereunte. Hinc enim sequitur, accidentia, quæ disponunt compositum ad corruptionem, non posse in ejus formâ recipi; alioquin exigerent corruptionem subjecti, quo indigent ad existendum, atque adeò sui ipsorum corruptionem exigerent.

75 *Prob.* denique: quantitas hominis nullatenus recipitur in animâ rationali: ergo recipitur in solâ materiâ, quæ proinde subjectum est aptum sustentare accidentia, quamvis in hoc genere non juvetur à formâ: unde ruit præcipuum Thomistarum fundamentum. *Prob. Antec.*: quantitas nequit recipi naturaliter in subjecto, cui suum unicum effectum formalem communicare non potest; hæc enim lex est inconcussa pro formis omnibus, tum substantialibus, tum accidentalibus: sed quantitas nequit animâ rationalem reddere *quantam*, qui est unicus effectus formalis à quantitate communicabilis: ergo &c. Constat *Minor*: quia *quantum* est, quod partes habet radicaliter extensas, & impenetrabiles; quæ certè notio verificari nequit de animâ prorsùs indivisibili. Ubi nota, quòd forma modalis, & respectiva, quæ plures continet effectus formales, seu denominationes diversas, non debet omnes communicare subjecto, in quo recipitur, dummodò communicet aliquam: sic enim generatio (quæ simul est passio), recepta in materiâ, non illam denominat *generantem*, sed *patientem*. At forma absoluta, cujusmodi est quantitas, cùm non nisi unam denominationem contineat (vel, si plures continet, omnes unam illam præsupponunt), omninò frustrà recipietur in subjecto talis denominationis incapaci; non secùs, ac si Gratiæ reciperetur in lapide.

76 *Dices*: licèt anima rationalis nequeat seorsùm recipere quantitatem, potest tamen prout simul sumpta cum materiâ, seu prout materiam informans, ita ut solùm sit recipiens *ut quo*. Sed *contrà*: vel tò *prout*, & tò *ut quo*, indicat, entitatem animæ immediatè affici à quantitate, & receptionem ejus terminare in se ipsâ, vel non. Si non: ergo materia est unicum subjectum immediatè affectum quantitate, & ejus receptionem terminans; quod unum intendimus. Si verò illud indicat: ergo entitas animæ rationalis, dum est unita corpori, erit propriè quanta, quemadmodùm propriè quanta est entitas materiæ, quamvis juxta Thomistas quantitatem non recipiat nisi prout

con-

conjuncta formæ, solumque sit recipiens *ut quo*. Sed nonne, inquis, totus homo, animam includens, denominatur quantus? Denominatur quidem; sed tantùm *ut quòd*, seu per modum totius: quo sensu denominatio *quanti* est denominatio *habentis partes extensas*, quæ de homine verificatur ratione materiæ, quam habet. Sic homo denominatur *intelligens* ratione animæ, in quâ solâ recipitur intellectio.

77 Hinc inferes, nec in alijs compositis, ubi forma est divisibilis, quantitatem in formâ recipi tanquam in subjecto inhæsionis, & causâ materiali. Ratio est: quia quantitas non minùs à materiâ pendet in ligno v. g., quàm in homine: sed in homine pendet à materiâ, tanquàm à causâ sufficiente, & adæquatâ in genere causæ materialis: ergo & in ligno. Effectus autem, pendens ab unâ causâ in aliquo genere adæquatâ, nequit naturaliter pendere simul ab aliâ ejusdem generis. Quapropter, licèt forma ligni, & quævis alia materialis, immediatè sit quanta, ideſt, extensa in loco per ubicationem, seu præsentiam partium extra partes; non tamen est quanta, ideſt, radicans, ac sibi debitam faciens extensionem (qui est formalis effectus quantitatis), nisi mediatè, seu ratione materiæ quantæ, cui uniturn eo scilicet, quòd singulæ partes formæ cohærcant singulis materiæ partibus, quarum extensionem consequenter imitari debent, quàmvis non recipiant in semetipsis quantitatem. Atque ita docet expresse D. Thomas *in* 1. *de Gener. lect.* 15. dicens: *Formæ & speciei non debetur locus nisi ratione materiæ, quæ est propriè subjectum quantitatis dimensivæ.* Dices: nihil potest sic extensum esse, nisi quantitatem recipiat, vel saltem in eâ recipiatur, sicut recipiuntur qualitates. Sed *contrà*: subsistentia formæ materialis, & ejus existentia, juxta Thomistas ab essentiâ distincta, nec quantitatem recipiunt, nec in eâ recipiuntur; & tamen verè coextenduntur materiæ, & quantitati.

78 Addo tamen cum P. Quiros, & P. Jo. Bapt. de Benedictis lib. 4. Physic. cap. 6. §. 2., nullum esse incommodum in eo, quòd quantitas immediatè uniatur materiali formæ tamquam subjecto *informationis*, vel, quod idem sonat, *puræ receptionis*, dummodò simul recipiatur in materiâ tanquam in unico subjecto *inhæsionis*. Ratio est: quia subjectum puræ informationis nec exercet causalitatem passivam, seu materialem, nec prioritatem importat respectu formæ, ut in Physicâ ostendimus *tract.* 1. *d.* 2. *c.* 2.; nec aliunde forma sic à tali subjecto pendet, ut sine illo naturaliter esse non possit, ut patet in animâ rationali. Quàmvis ergo quantitas eo modo uniatur materiali formæ, nec ideò habebit causam materialem plusquàm adæquatam, nec dabitur mutua prioritas inter quantitatem & formam, nec quantitas in homine violenta erit, licèt ibi non afficiat animam, sed solam materiam. Aliunde in formâ materiali nulla improportio apparet, ut immediatè afficiatur à quantitate: non est igitur, cur affectio, vel unio ista negetur. Id ipsum puta de qualitatibus, quæ, licèt soli materiæ mediâ quantitate inhæreant, poterunt simul uniri materiali formæ tanquàm subjecto informationis; ut scilicèt forma ista verè afficiatur, ac perficiatur à proprietatibus suis.

*Solvuntur Argumenta contraria.*

79 *Objic.* 1. Aristoteles, apud quem subjectum generationis est sola materia, alterationis verò totum compositum: subjectum autem alterationis, utique subjectum est accidentium, quæ per alterationem producuntur. Item D. Thomas varijs in locis, & præsertim 1. p. q. 76. ar. 4., ubi docet, nullum

accidens posse in materiâ intelligi ante formam substantialem. *Resp.* Aristoteles loquitur de subjecto denominationis, vultque, ut generatio, quatenus est transitus subjecti de privatione ad formam, vel de unâ formâ in aliam, denominet solam materiam; alteratio verò præcipuè denominet totum compositum; hoc enim verè transire dicimus de frigido in calidum v. g.. Adde retorsionem: nam generatio juxta Aristot. in solâ materiâ recipitur: sed generatio est modus accidentalis juxta Thomistas: jam ergo aliquod accidens recipitur in solâ materiâ, quod ipsi pernegant.

80 D. Thomas nostrâ sententiam expresse tenet loco cit. n. 77.. Item *q. 5. de verit. ar. 9. ad 6.*, ubi sic ait: *Dimensiones* (ideſt, quantitas trinè dimensa) *præintelliguntur in materiâ, non in actu completo ante formas naturales, sed in actu incompleto: & ideò sunt priùs in viâ generationis; sed forma est prior in viâ complementi*, scilicet prioritate dignitatis. Quod magis explicat *in 4. dist. 11. q. 1. ar. 1. in fine* dicens: *Dimensio, quæ præintelligitur ante formam substantialem in materiâ, non habet esse completum, quia non est dimensio terminata: terminatio enim dimensionis est per formâ.* Ubi planè docet, quòd in materiâ pro priori ad formâ recipitur quantitas, quæ dicitur *interminata*, ideſt, præscindens, quantum est ex debito materiæ, à certâ mensurâ, & figurâ, cujus determinatio provenit à formâ, saltem prout contentâ in virtute generantis: non enim materiæ, sed formæ tribuitur, quòd corpora, præsertim viventia, talis figuræ sint, tantæque molis. Si autem quantitas in solâ materiâ recipitur, idem de qualitatibus censendum, quippe quæ non nisi mediâ quantitate recipiuntur. Huc etiam spectant loca citata supra n. 53., quibus alia superaddi possent. Quare ad loca nobis objecta dicendum, D. Thomam vel solum accidentibus denegare prioritatem intentionis, non verò prioritatem originis; vel incertum nobis esse, quid ex propriâ sententiâ tenuerit in re præsenti. Non enim probo, quod aliqui Thomistæ volunt, D. Thomam mutasse sententiam. Adde quòd Angel. Doctor non ait, accidentia inhærere formæ, sed non advenire priusquam forma sit in materiâ; quod utique stare potest, quàmvis accidentia soli materiæ inhæreant, ut mox dicam.

81 *Objic.* 2.: materia, cùm sit pura potentia, non habet existentiam pro priori ad formam: ergo donec formam accipiat, quâ reddatur existens, nequit recipere accidentia. *Confirm.* 1.: quia materia priùs compleri debet in propriâ lineâ substantiali, quàm in lineâ diversâ, nempe accidentali. *Confirm.* 2.: quia forma substantialis est actus primus; accidentalis verò est actus secundus: debet autem actus primus præire secundum. 3.: quia in eo differunt actus accidentalis, & substantialis, quòd iste adveniat enti incompleto, ille verò enti completo, seu toti composito. 4.: quia materia non patitur accidentia priusquam sit subsistens; nam passiones, sicut actiones, sunt suppositorum: non est autem subsistens, donec suscipiat formam substantialem. 5.: quia accidentia in eo subjecto recipiuntur, cui præcipuè tribuunt suos effectus formales, suas nempe denominationes: has autem præcipuè tribuunt toti composito, quod denominant *album, calidum* &c. *Resp.* Hæc omnia, licèt concederentur, non probarent, substantialem formam esse partiale subjectum accidentium, sed esse duntaxat conditionem præviam, ut accidentia in materiâ recipiantur. Sic juxta Thomistas existentia, & subsistentia prærequiritur ad agendum & patiendum; nec tamen est ratio agendi, vel patiendi, sed

ad tantùm prævia conditio, ut virtus activa, & potentia receptiva se se exerceant. Hâc doctrinâ stante, foret quidem inefficax nostræ sententiæ probatio ex prioritate accidentium, sed urgerent cæteræ probationes.

82 Reipsâ tamen falsum est, quòd nullum accidens prius insit materiæ, quàm forma substantialis. Quare *ad objectt. neg. Antec.*: quia materia propriam existentiam habet, ut in Physicâ ostendimus. Quòd si mavis, *permitt. Antec., neg. Consequ.*: nam, si materia, quantumvis pura potentia, pro priori subjectum est proximè aptum ad formam substantial., cur non etiam ad accidentia? Item, si materia pro priori ad formam, licèt nondùm existens, jam terminat actionem creativam, cur non etiam terminare queat unionem accidentium? *Ad 1. confirm.*: regula illa non tenet, quando complementa lineæ diversę sunt dispositiones necessariæ, ut materia compleatur in lineâ propriâ: *Ad 2.*: forma substantialis est actus primus ordine intentionis, perfectionis, aut dignitatis; non tamen ordine executionis, & originis, in quo possunt, ac debent priores esse plures actus accidentales, utpotè præparantes aditum illi formæ. Nec dubium, quin accidens vero aliquo sensu sit actus primus; siquidem juxta Adversarios formam substantialem præcedit verâ prioritate naturæ in aliquo genere causæ.

83 *Ad 3.*: quidquid advenit enti completo, seu enti in actu, est quidem actus accidentalis, ut sæpe docent Aristoteles, & D. Thomas: sed non ideò quidquid advenit enti incompleto, non est accidens: quemadmodùm quidquid loquitur, est animal; nec tamen quidquid tacet, non est animal. Quare generale discrimen inter actus, substantialem, & accidentalem, non sumitur ex illo capite, sed ex eo, quòd alter præ altero inveniatur à naturâ in gratiam suppositi adequatè distincti. Et verò, si omne accidens advenire debet enti completo, quomodò poterit disponere materiam, ut substantialiter compleatur? nisi fortè materiam disponat ad habendâ id, quod jâ habere supponitur. Advenit igitur enti cõpleto illud accidẽs, quod refulcat ut proprietas compositi, sive ut dispositio perficiens, & ornans, vel etiam disponens compositum ad corruptionem: secùs verò quod gerit munus ultimæ dispositionis ad novam formam. Nec tamen quod enti completo advenit, in toto composito recipi debet: quemadmodùm usus rationis advenit homini jam integrè constituto, nec tamen recipitur nisi in solâ animâ.

84 *Ad 4.*: materia in sententiâ probabili propriam subsistentiam habet pro priori ad formam. Sed, quàmvis non habeat, negandum est, quòd subsistentia præcedere debeat passiones ad ipsam præparantes, quàmvis istę tribuantur supposito posteriùs constituto, tamquam subjecto denominationum *calidi, frigidi*, &c. Certè passio, quâ materia recipit substantialem formam, vel unionem, præcedit materiæ subsistentiam, si hæc a formâ proveniat; generatio quoque, licèt supposito passivè tribuatur, prior est ipso. *Ad 5.* instantia est evidens in toto supposito, quod totum præcipuè denominant passiones, & actiones, nec tamen in toto recipiuntur, vel à toto procedunt; non enim subsistentia ratione sui recipit, aut agit. Instantia item est in denominationibus *judicantis, volentis, justi, prudentis*, &c., quę præcipuè tribuuntur toti homini, cum proveniant à formis in solâ animâ receptis. Omnibus itaque fatendum est, ut Totum ab accidenti aliquo denominetur *ut quod*, ac per modum subjecti principalis, sufficere quòd in aliquâ ipsius parte recipiatur accidens.

85 *Objic. 3.*: accidentia, cùm

sint

sint proprietates compositi, ab ejus formâ dimanant efficienter: nequeunt igitur in materiâ recipi ante formam. *Resp.* Inprimis accidentia multa solent esse in composito, quę non sunt proprietates ejus, sed vel ab extrinseco inducta, vel ex præcedenti composito remanentia. Deinde plura ex ijs, quę dimanant efficienter à formâ, verè formam in materiâ præcedunt aliquo genere prioritatis, juxta Thomistas. Postremò illa quoque accidentia, quæ formam purè subsequuntur, non est cur toti composito inhęreant: ex eo enim, quòd forma sit eorum causa efficiens, non sequitur esse quoque causam materialem, sed ad summum esse subjectam informationis, ex n. 78. Quomodò autem accidentia, quę formam præcedunt in instanti generationis, sint proprietates formę, & ab eâ efficienter dimanent pro sequenti instantibus, dictum est in *Physic. tract. n. d. 4. c. 3. n. 10.*

86 *Objic. 4.* si quantitas in solâ materiâ recipitur, erit incorruptibilis, siquidem perire non potest ex defectu subjecti, nec ex oppugnatione contrarij. *Concedo* sequelam cum Exim. Doctore cit. disp. 14. s. 5. n. 57. & 58., ubi optimè probat, quantitatem esse proprietatem materiæ, vel compositi ratione materiæ: unde sequitur esse materiæ coævam, ab eâ inseparabilem, solùmque corruptibilem integraliter, seu quoad unionos integrales, quo sensu corruptibilis etiam est materia ipsa. Hinc motus ad quantitatem, non est productio quantitatis novæ, sed est *accretio*, idest, adjunctio unius quantitatis ad aliam. Cùm autem Aristoteles dicit, materiam esse *non quantum*, *non quale* &c., non negat, quòd materia recipiat quantitatem (alioqui ne partiale quidem subjectum esset quantitatis), sed solùm quòd cum illâ identificetur: eo nimirum sensu, quo materia dicitur *informis*, non quia nullam recipiat formam, sed quia nullam secum identificat. *Dices*: quantitas est proprietas compositi secundum gradum corporis: sed hic gradus provenit à formâ, sicut gradus viventis, animalis, &c.: ergo quantitas est proprietas compositi ratione formæ. Certè quantitas debetur composito ratione formæ; quod etiam in homine verum est, cùm anima rationalis exigat materiam quantam, nec aliter illam informare possit.

87 *Resp.* Inprimis necessarium non est, quòd peculiaris aliqua species accidentis correspondeat composito secundum gradum corporis: cum enim hic gradus sit generícus, solùm exigit proprietatem genericam, quę potest esse qualitas materialis *ut sic*. Deinde, *concess. præmiss., dist. consequ.*: ratione formę, tanquam finis, aut tanquàm radicis purè exigentis, *conc.*; tanquà radicis efficientis per emanationem, *neg. consequ.* Itaque, sicut materia ordinatur ad formam, ut ad finem, & à formâ exigitur, ideòque dici potest debita composito ratione formæ; ita etiam quantitas, sine quâ nequit materia esse subjectum idoneum formæ, nec operationum ejus. Cæterùm, sicut non ideò materia dimanat efficienter à formâ, sed ad eam præsupponitur; ita de quantitate censendum. Ut autem quantitas absolutè dicatur proprietas totius compositi, satis, superque est, quòd à materiâ dimanet, & a formâ exigatur ad connaturaliter existendum, & operandum, quamvis dici nequeat proprietas formę seorsum spectatæ, ex defectu dimanationis, & inhęsionis. Hæc intellige de quantitate interminatâ: nam prout certis dimensionibus, aut terminationibus affecta, potiùs est effectus formę, vel generantis, quàm materiæ.

Vide supra n. 80.

CAP.

## CAP. VI.

### CIRCA QUANTITAS SIT SUBJECTUM proximum qualitatum corporearum?

87 Diximus, accidentia in *solâ* materiâ recipi, ut forma excluderetur à munere subjecti partialis. Modò quærimus, an in materiâ proximè, sive immediatè recipiantur? De quantitate non est dubium, quin materiæ immediatè inhæreat. De qualitatibus corporeis idem asserunt Hurtado, Arriaga, Carleton, & Jo. Bapt. de Benedictis, qui plures veteres allegat. Sed communis in omni Schola sententia, quam tenet D. Thomas pluribus in locis apud P. Suar. d. 14. Met. s. 4., docet, ejusmodi qualitates (saltem si vitales actus excipias) immediatè recipi in quantitate, ita ut hæc sit earum subjectum proximum, materia verò non nisi remotum, aut mediatum, ac veluti prima basis accidentium. Ita cum P. Suar. loc. cit. sentiunt è Nostris Oviedo, Quiros, Rubio, Alphonsus, Peynado, & alij communiter: quæ sententia nobis tenenda est.

88 Nam inprimis, quòd qualitates corporeæ insint substantiæ mediâ quantitate, docent omnes Philosophi, teste Doctore Eximio loc. cit. n. 7. Illud autem, *mediâ quantitate*, licèt ita possit intelligi, ut receptio quantitatis præcedat velut prævia conditio (qualiter præcedit ad formam substantialem), non est cur in præsenti non accipiatur de mediatione subjecti proximi: quia nullo ex capite repugnat, unum accidens in altero recipi; ut patet in ubicatione quantitatis, necnon in habitibus, & speciebus, quę recipiuntur in potentijs accidentalibus, si hę distinguuntur ab animâ. Sic, quia forma substantialis in materiâ recipitur mediâ quantitate, meritò dicerentur in quantitate velut in proximo subjecto recipi, nisi quantitas probaretur huic muneri prorsus inepta. Deinde passim asseritur, quòd colores in superficie recipiuntur, quodque gravitas & levitas sunt affectiones quantitatis; præcipuè verò raritas, & densitas, non solùm formalis, sive in actu secundo, quę in extensione actuali consistit, verùm etiam radicalis, *sive* in actu primo, quę consistit in temperamento caloris & frigoris cum alijs accidentibus, vel, si mavis, in speciali qualitate. Profectò, si raritas & densitas immediatè insint materiæ, huic immediatiùs, quàm quantitati, præstabunt formales effectus *rarę*, ac *densę*, cùm materia non sit incapax eorum: hoc autem est contra sensum omnium, qui effectus hosce à quantitate derivant in materiam, non è converso.

89 Denique sententia communis probari solet ex mysterio Eucharistię. Si enim ibi non inhęrent quantitati accidentia panis, sequitur 1., non posse hostiam ab agente naturali calefieri, nec impelli; calor enim, & impulsus debent à solo Deo produci per creationem. Sequitur 2., accidentia omnia inibi existere dissoluta, & inconexa, nec ad motum unius cętera moveri sine novo pro singulis miraculo. Sequitur 3., nihil ibi esse, quod dicatur calefieri, frigescere, &c., cùm nullum sit subjectum affectionum istarum, neque ullus ordo denominationis. Sequitur 4., nullam esse pugnam cum accidentibus corruptivis; nam omnis pugna, seu contrarietas accidentium circa commune aliquod subjectum exerceri debet, ut notum est: unde non poterit ibi naturaliter accidere corruptio specierum. Fateor, in Eucharistiâ tot fieri miracula, quot necessaria sunt ad exequendum, & occultandum sen-

ſibus myſterium. Sed quænam precor neceſsitas pro tot novis miraculis, à communi ſenſu remotis? Quotus quiſque eſt, qui novum miraculum expectet, aut cogitet, cùm quantitas panis & vini caleſit, aut frigeſit, cùm moventur ſpecies ſacræ, cùm decidunt, cùm ad corruptionem diſponuntur? Tota neceſsitas, à contrarijs aſſerta, in eo fundatur, quòd quantitas nequit eſſe ſubjectum qualitatum: pro quo tamen nulla ratio affertur admodùm urgens, ut jam oſtendo.

91 *Objic.* 1.: materia nullo ex capite apparet impotens immediatè recipere qualitates, ſicut quantitatem recipit. *Diſt.*: nullo ex capite, quod ſit ratio à priori, *conc.*; quod ſit ratio à poſteriori, vel à ſigno, *neg.*. Satis enim ex mediatione quantitatis, ex ejuſque rarefactione & condenſatione, atque ex ijs, quæ juxta communem ſenſum naturaliter accidunt ſpeciebus conſecratis, ſatis, inquam, colligitur qualitatum receptio & inhæſio in quantitate, ut in ſubjecto proximo, abſque immediatâ cauſalitate materiæ; quæ proinde ad hoc munus non deſtinatur à naturâ, conſequenterque non habet ad id potentiam naturalem.

92 *Replic.*: ſi quantitas reciperet qualitates, eſſet in hoc munere connaturale inſtrumentum materiæ, quæ proinde inſtrumento indigeret ad recipiendum, utique titulo imperfectionis: ergo materia ex hoc titulo evaderet minùs receptiva qualitatum, quàm ſi non egeret inſtrumento; minor quippe eſt receptivitas mediata, quàm immediata. Sed repugnat, quòd titulo imperfectionis decreſcat receptivitas, cùm hæc ſit mera potentialitas, quæ in imperfectione fundatur: ergo &c.. *Reſp.*. Materia pro receptione qualitatum indiget quidem inſtrumento, ſeu cauſâ materiali ſubordinatâ; ſed non ob titulum imperfectionis ſolius. Cùm enim ex eâ indigentiâ decreſcat materiæ receptivitas, & potentialitas, decreſcit etiam imperfectio: quare materia, de facto exiſtens, perfectior eſt, quàm alia fortè poſsibilis non indiga inſtrumenti. Sed nonnè, inquis, omnis indigentia provenit ex imperfectione? Provenit quidem, tanquam ex conditione propriâ ſubjecti indigentis (non enim indiget niſi res imperfecta, & finita, ideoque Deus nullo indiget), ſed non tanquam ex unicâ ratione formalis cur indigentia ſit major, aut minor: poteſt quippe intra idem genus res perfectior pluribus indigere, quàm imperfectior. Sic major & perfectior eſt poteſtas magni Regis, quàm patrisfamiliàs: & tamen pluribus indiget miniſtris, velut inſtrumentis ad gubernandum. Sic etiam homo, cùm ſit leone perfectior, multò pluribus indiget, nempe veſtibus, calceis, armis, &c..

93 *Objic.* 2.: Munus quantitatis proprium eſt extendere ſubjectum, & penetrationem corporum impedire. *Fateor*, hoc eſſe notius, & quaſi primarium munus: at cur non poterit eſſe munus illius quaſi ſecundarium, qualitates corporeas proximè ſuſtentare? *Objic.* 3.: qualitates materiam diſponunt ad formam ſubſtantialem: ergo materiæ inhærent. *Diſt. Conſequ.*: materiæ inhærent mediatè, *conc.*; immediatè, *neg. conſequ.*. Qualitates eatenùs materiam diſponunt, quatenùs & expellunt accidentia contraria novæ formæ, & indifferentiam materiæ determinant. Utrumque præſtare poſſunt abſque immediatâ inhæſione in materiâ: primum quidem, quia contraria accidentia pariter inhærebant quantitati: ſecundum, quia indifferentia materiæ coarctatur eo ipſo, quòd quantitatem recipiat talibus qualitatibus affectam. Si enim indifferentia agentis æquivoci limitatur à diſpoſitionibus in paſſo receptis, facilius indifferentia materiæ ii-

limitabitur à receptis in quantitate propriâ.

94 *Dices*: ergo materia per qualitates non immediatè disponitur ad formam. *Neg. Consequ.*: quia nullum aliud subjectum disponitur immediatiùs: quantitas enim, utpotè incapax recipiendi formam substantialem, nullatenùs ad illam disponitur. Quare negandum, quòd manus immediatè disponendi requirat inhæsionem immediatam. Sic qualitates propriæ formam substantialem immediatè disponunt ad agendum ad extrà; non enim immediatiùs disponunt materiam, utpotè non activam: & tamen juxta Adversarios non immediatè inhærent formæ, sed soli materiæ. *Replic.*: ergo datur in materiâ quidam effectus formalis immediatus (nempe denominatio *dispositæ*) absque unione immediatâ cum formâ, cujus est. *Dist. Consequ.*: absque unione immediatâ, immediatione inhæsionis, *conc.*; immediatione ordinis, *neg. consequ.*: nam mediata inhæsio qualitatis, & qualitas ipsa, immediatè ordinantur ut materiam dispositam reddant ad formam substantialem. Hoc ipsum Adversarij dicere tenentur in exemplo nupero formæ, quæ immediatè disponitur ad agendum per qualitates in materiâ receptas.

95 *Objic.* demùm: accidentia panis & vini sine subjecto existunt in Eucharistiâ; quod in nostrâ sententiâ non verificatur nisi de quantitate. *Resp.*: quantitas existit ibi sine ullo subjecto; reliqua verò accidentia existunt sine subjecto mediato, & substantiali, cui tribui solet nomen subjecti *quod*. Sublatâ autem substantiâ, quæ prima basis est accidentium, hæc verè dicuntur absolutè manere sine subjecto: quemadmodùm si pyramis immota persisteret, sublatâ basi, verè dicerentur sine sustentaculo manere lapides omnes, licèt alij alijs innixi.

# DISPUTAT. III.

## DE ALTERATIONE.

### CAP. I.

*EXPLICATO BREVITER ALTERATIONIS conceptu, de qualitatis intensione disseritur.*

1 ALteratio definiri solet *Motus ad qualitatem.* Sumitur nunc *motus* pro mutatione, vel transitu subjecti de privatione ad formam. Unde productio qualitatis in primo instanti existentiæ subjecti, non est alteratio. Illud, *ad qualitatem*, discriminat alterationem à generatione substantiali, & ab accretione, sive augmentatione quantitatis, videlicet per terminum *ad quem*: hic enim debet esse *qualitas*; quo nomine venit omne accidens, quod nec est quantitas, nec pura modificatio. Itaque *alterari* est aliter se habere nunc, quàm antea, penes qualitates, seu mutare qualitatis statum; ut cùm subjectum transit de calido in frigidum, vel de sanitate in ægritudinem. Alteratio dividitur 1. in *activam*, seu *vialem*, quæ est ipsa qualitatis productio mutativa; & in *terminativam*, quæ est qualitas in subjecto producta, ut connotans præcedentem sui privationem. Dividitur 2. in *pure perfectivam*, & *corruptivam*: quarum prima est motus ad qualitatem contrario

carentem, ut productio lucis in aere: secunda est motus ad qualitatem cum expulsione contrarij, ut productio caloris in aquâ cum expulsione frigoris: & hæc secunda est, quæ in strictissimo Aristotelico sensu vocatur *alteratio*; & cui maximè convenit esse motum successivum.

2 Denique (& est tertia divisio) triplex distingui solet quasi species alterationis: prima dicitur *alteratio simpliciter*, estque *motus ad qualitatem in subjecto, privationem illius omnimodam præhabente*; ut cùm aer penitùs obscurus illuminatur: secunda dicitur *extensio*, sive *alteratio extensiva*, estque *motus, quo qualitas, in aliquâ subjecti parte præexistens, per alias ejusdem subjecti partes continuas propagatur*; ut cùm calor, ab igne productus in proximis aquæ partibus, sensim protrahitur ad remotiores: tertia dicitur *intensio*, seu *alteratio intensiva*, estque *motus, quo qualitas præexistens augetur, ac redditur major in eâdem parte subjecti*; ut cùm eadem aquæ portio jàm calida, magis incalescit. Idem erit, si qualitas augeatur in eodem subjecto indivisibili, ut gratia in animâ rationali. Nec extensio, nec intensio (nisi hæc gradibus constet heterogeneis) propriè variant speciem alterationis, aut qualitatis, juxta illud, *Magis & minus non variant speciem*. Quare melius extensionem dixeris *augmentum qualitatis in novis subjecti partibus continuis*; intensionem verò, *augmentum qualitatis in eadem parte subjecti*. Utrique respondet suum decrementum: extensioni scilicet *contractio*, quâ qualitas à pluribus ad pauciores subjecti partes contrahitur: intensioni autem *remissio*, quâ decrescit qualitas in eadem parte subjecti; ut cùm aqua fervens tepescit.

3 Dubium est, in quo consistat intensio qualitatis (quòd extensio consistat in additione novarum qualitatis partium integralium, & in earum amissione contractio, fatentur omnes): & loquimur de intensione terminativâ, seu de qualitate intensâ in facto esse, unde facile judicium erit de motu, vel actione intensivâ; necnon de remissione, quæ opposito modo explicanda est. Plurimi negant, intensionem fieri per additionem novarum partium qualitatis in eadem parte subjecti, vel, ut passim loquimur, per additionem gradûs ad gradum. Sed, ut illam aliter explicent, variè discurrunt, & intensè laborant.

## §. I.

### *Duæ sententiæ rejiciuntur.*

4 PRima sententia, quę nonnullis antiquis tribuitur, intensionem explicat per majorem expulsionem qualitatis contrariæ, ita ut subjectum fieri magis calidum v. g., nihil aliud sit, quàm plus frigiditatis amittere. Sed *rejicitur* 1.: quia nix intenditur, & contrarium non habet. 2.: quia gratia, cùm primùm exstitit, lethale peccatum penitùs expellit; atque eadeò, cùm deinde intenditur, jam non habet contrarium, quod expellatur: idquod maximè locum habet in gratiâ Deiparæ, quæ intensissima fuit absque ullâ contrarietate peccati à subjecto expellendi. 3.: quia expulsio contrarij naturali necessitate sequitur primarium effectum formæ, tanquam effectus secundarius: ergo, simul ac forma exsistit, suumque primarium effectum communicat necessariò expellit contrarium, quantum potest. 4.: quia, si frigus à calore pellitur paulatim, seu non totum simul; ergo partim pellitur, & partim manet: ergo partes habet, ex quibus ejus intensio coalescebat, & quarum diminutione remittitur.

5 Secunda sententia est Durandi, qui cum alijs nonnullis censet, in

in intensione penitus destrui qualitatem remissam ; & novam produci individibilem, perfectioremque præcedenti: atque idem in remissione contingere vice versâ. Sed *rejicitur* 1.: quia gracia non destruitur, nisi per lethale peccatum : ergo, dum intenditur, non destruitur gratia præcedens, cùm nullum ibi peccatum interveniat. 2.: quia habitus remissus intenditur ab actu in instanti, in quo illum producit : sed in eo instanti non perit talis habitus ; alioquin physicè cessaret actum, quando non est : ergo. 3.: quia remissio non fit per destructionem totius qualitatis præhabitæ, & productionem novæ imperfectioris : ergo. *Prob. Antec.*: quia, dum aqua fervens incipit tepescere, nulla causa est, per quam novus calor destructo priore producatur : non aqua ipsa, ut liquidum est : non ignis, quem amotum, vel extinctum suppono : non agentia circumstantia, quæ possint esse frigidissima, ut nix, aut glacies: non denique causa prima, quia nulla præit exigentia ex parte subjecti, vel alterius causæ creatæ ; & quia sequeretur, habitum vitiosum, v. g. mentiendi, cùm remittitur, à solo Deo produci præter exigentiam creaturæ ; quod absurdum est. Adde, quòd aqua deberet primo impetu recuperare summum frigus, siquidem primo impetu totam expellit qualitatem contrariam.

6 4.: quia valde absonum est, & contra omnes Philosophos, generatim negare veram & propriam intensionem in qualitatibus. Hoc autem ipsâ præstat sententia Durandi. Quia intendi est augeri, perfici, majoremque reddi qualitatem in eadem parte subjecti præexistentem : at hoc proprie verificari nequit, ubi omninò destruitur qualitas præexistens : non enim augetur, perficitur, aut fit majus, quod de medio tollitur, & penitus evanescit, ut locum alteri relinquat. Certè negari nequit salvâ doctrinâ Concilij Trident. sess. 6. cap. 10. & can. 32., quòd gratia & virtutes augeantur in nobis verè, & realiter. Accedit, quòd juxta hanc sententiam dabitur intensio etiam in formâ substantiali ; cùm tamen omnes uno ore negent, substantiam intendi posse. Patet sequela : nam, dum expulsâ formâ embryonis introducitur anima, nihil deest ad intensionem Durandinam. *Dices*, deesse convenientiam specificam utriusque formæ. Sed *contrà* est, quòd nec nova qualitas juxta Durandum potest esse quidem infimæ speciei cum præcedenti : tum quia nihil corrumpitur à suo simili : tum quia indivisibilis qualitas intrinsecè & notabiliter perfectior aliâ, nequit non ab eâ differre plusquàm numero. Si autem sufficit convenientia in specie subalternâ, hoc pacto dari quoque poterit intensio in substantiâ, siquidem anima puræ vegetativa pellatur à subjecto per sensitivam, & hæc per rationalem, ut multi putant in formatione hominis accidere.

7 *Objic.* 1.: cùm arcus intenditur, & remittitur, priorem ubicationem amittit, & novam adquirit. *Fateor* : sed illa non est propriè intensio, aut remissio, sed tensio, & compressio, major, aut minor, in quadam extensionis variatione consistens, quæ partes cogit mutare locum, & consequenter ubicationem. *Objic.* 2.: intensio est transitus à minore ad majorem qualitatem : ergo qualitas minor, seu remissa, cùm sit terminus *à quo*, perire debet. *Instat* in augmentatione quantitatis, aut ignis, & in nutritione viventium, quæ pariter est transitus à minori ad majus, nec tamen destruit terminum *à quo* in sensu objectionis. Itaque intensionis terminus *à quo*, non est qualitas remissa specificativè sumpta, & quoad positivum, sed est qualitas reduplicativè ut remissa, seu quoad carentiam,

tiam, aut privationem incrementi; quæ privatio usque perit per intensionem.

8 *Objic.* 3: actus vitales, ut intellectio, & amor, non aliter intenduntur, quam per adventum actûs perfectioris destructo imperfectiore: idem ergo de cæteris qualitatibus censendum. *Resp.* Antecedens falsum esse supponitur satis communiter ab Authoribus, nominatim à P. Suar. d. 46. Met. s. 2. n. 13. Sed, licèt verum sit, inde tantùm sequitur, actus vitales non esse propriè intensibiles; quod quidem ex terminis non est absurdum; non enim latitudo intensiva est proprietas omnium qualitatum, ut probat, ac certum esse docet P. Suar. cit. sect. 2. n. 10. Absurdum tamen est consequens objectionis; cùm certissimum sit, qualitates pleraſque veræ ac propriè intensionis esse capaces.

9 Sed occasione illâ obiter quæres, an reipsâ verum sit, quòd actus vitales non aliam admittant intensionem, quàm impropriam, & Durandinam? Affirmant plerique Recentiorum, quos citat, & sequitur P. Peynad. *hic tr.* 1. *d.* 1. *n.* 60. Probant: quia major claritas cognitionis unius, quàm alterius, non consistit in compositione graduum, sed in specifico indivisibili modo tendendi: unde cognitio intuitiva, quantumcumque remissa ponatur, semper claritate superat abstractivam de eodem objecto, quantumcumque intensam. Sic etiam amor efficax superat inefficacem, non ex additione reali, sed ex modo tendendi: ex quo etiam capite differunt inter se judicium absolutum, & conditionale, disjunctivum, & determinatum. Sed probatio illa parùm urget. Quamvis enim cognitio intuitiva non differat merè graduliter ab abstractivâ, quia est in diverso genere, vel specie adæquatâ; quid prohibet unamquamque in suâ linea suâ crescere, & augeri gradualiter? Certè inter intuitivas passim accidit, ut aliæ sint aliis clariores. Similiter, est o amor efficax & inefficax plusquam intensivè differant, sicut etiam judicia memorata; unde probas, plusquam intensivè differre amores efficaces, quorum alius est alio fervention? aut absoluta judicia, quorum aliud sit alio vividius?

10 Idcircò negativam partem tenent antiquiores, quamquàm illam magis supponunt, quàm probant. Mihi tamen præferenda videtur affirmativa. Tum quia placuit ferè omnibus, qui rem ex professo examinârunt. Tum etiam, quia in accidentibus spiritualibus præsumptio stat pro indivisibilitate, & simplicitate omnimodâ, nisi aliud constet; ut ita magis accedant ad indolem substantiæ, cui insunt. Nihil autem est, unde constet aliud in intellectione & amore, sicuti constat in gratia, & habitibus, de quibus non est dubium quin verè & propriè augeantur in eodem subjecto. Itaque intensio actuum vitalium, saltem spiritualium, impropria est, neque aliud significat, quàm quòd unus actus omninò simplex, ad alium ejusdem lineæ adæquatè distinctum comparatus penès claritatem, aut fervorem, est eo perfectior ex indivisibili naturâ suâ. Quo sensu etiam Divina cognitio dici solet creatas omnes excedere perfectione intensivâ, & unus Angelus dicitur intensivè perfectior alio: ubi certum est non dari propriam intensionem, prout hæc sumitur in præsenti, scilicet prout importat verum augmentum formæ præexistentis in eodem subjecto.

## §. II.

## *SENTENTIA THOMISTARUM, ejusque variæ explicationes impugnantur.*

11 SEntentia Thomistarum est, qualitatem, cùm intenditur, nul-

nullatenùs augeri secundùm entitatem suam, sed ejus intensionem consistere in majore radicatione ipsius in eodem subjecto; sic enim qualitas magis subjectum actuat, perfectiùsque denominat, quàmvis ipsa in se sit indivisibilis versùs intensionem, seu partibus carens intensivis. Dum autem quæritur, quid sit radicatio illa major? Thomistæ dividuntur in explicationes multas, ac varias. *Prima* dicit, esse novam & perfectiorem existentiam qualitatis. *Secunda*, majorem ejusdem qualitatis eductionem. *Tertia*, majorem inhærentiam, seu perfectiorem qualitatis unionem ad subjectum. *Quarta*, peculiarem modum, cui nomen est *modus majoris radicationis*, quique non aliud munus habet. *Quinta*, terminationem ejusdem qualitatis penès magis esse in subjecto. *Sexta*, nihil importare distinctum à qualitate præhabitâ, sed per sola connotata extrinseca salvari.

12 Sed in primis explicationes istæ ferè omnes *rejiciuntur* communi argumento: quia, dum advenit nova existentia, nova eductio, &c., vel destruit præcedentem, vel cum illâ conjungitur. Si primum dicas, incidis in sententiam Durandi, & ipsdem impugnaberis argumentis, illo præsertim, quod sumitur ex remissione caloris in aquâ. Si secundum, admittis in existentiâ, eductione, &c., additionem gradûs ad gradum, quam in qualitate tantopere fugis, & in quâ manifestè infringuntur argumenta tua. *Rejiciuntur* etiam omnes, nullâ exceptâ: quia juxta D. Thomam 2. 2. q. 24. ar. 4. ad 3. charitas (idem est in alijs qualitatibus) *augetur essentialiter*, *augetur secundùm essentiam*, quando intenditur: at augmentum istiusmodi nulla ex prædictis explicatio verificat. *Prob.*: quia non augetur essentialiter, quod solùm augetur accidentaliter; nec augetur secundùm essentiam, quod solùm augetur secundùm aliquid adæquatè distinctum ab essentiâ: sed ſtantibus prædictis explicationibus, qualitas solùm augetur accidentaliter, & secundùm aliquid adæquatè distinctum ab essentiâ, ut patebit consideranti: ergo &c.

13 Deinde singulatim rejiciuntur explicationes illæ. *Rejicitur* prima. Tum quia falsò supponit distinctionem realem essentiæ ab existentiâ. Tum quia imperceptibile est augmentum existentiæ, nisi augeatur essentia: nam totum munus, & formalis effectus existentiæ, est reddere essentiam formaliter positam extra causas, & extractam à nihilo, seu à statu purè possibilitatis: at essentia indivisibilis, si semel verè posita est extra causas, & à nihilo extracta, quomodò magis poni, vel extrahi poterit? nisi fortè, non obstante indivisibilitate, partim sit extrà, & partim intra causas, aut partim aliquid, partim nihil.

14 *Rejicitur* secunda. Tum quia, cùm omnis eductio inferat existentiam termini, major eductio debet inferre naturaliter majorem termini existentiam: unde hæc explicatio relabitur in præcedentem. Tum quia eductio illa major supponit suum terminum jam eductum, & quidem totum, utpotè indivisibilem: supponit, inquam, eductum per actionem totalem, siquidem prior eductio sufficiens erat ad existentiam ejusdem termini. Illa ergo majoritas novæ eductionis nequit non esse prorsùs inutilis, atque adeò naturaliter impossibilis. Et hìc redargui poterunt Thomistæ argumento, quo in Physicâ ipsi rejiciunt influxum duplicis causæ totalis in eumdem effectum: videlicet, *Quod est totum eductum, nequit magis educi* &c. Accedit, quòd eductio connaturalis specificatur à termino vel unicè, vel præcipuè: ergo perfectiori eductioni respondere debet terminus perfectior.

Re-

15 *Rejicitur* tertia. Nam 1. nulla ratio eſt, cur qualitas, cùm primùm exiſtit, non adquirat unionem maximam, cujus eſt capax, & appareat ſtatim intenſiſima: quia tam ipſa, quam ſubjectum, innatè propendent in talem unionem; & aliunde plures qualitates à nullo contrario retardantur, ut lux, quę contrario caret, aut gratia, quæ contrarium excludit in primâ productione ſui. 2.: diſſonum eſt valde, quòd gratia Deiparæ, immò & humanitatis Chriſti Domini, præſcindendo ab unione, & inhæſione actuali, non ſit intenſior, & perfectior, quàm gratia cujuslibet pueri recèns baptizati. 3.: licèt uniones ejuſdem formæ poſſint, ſaltem divinitùs, eſſe diverſæ, & inæquales in aliis prædicatis, nequit tamen unio informativa crefcere, vel minui, in eſſe unionis & communicationis, ſi forma eſt eadem, & ſubjectum idem: nequit ergo ex eâ pendere, quòd forma magis, aut minùs, ſubjectum actuet, ac denominet. *Prob. Antec.*: tum quia unio quævis informativa eſt ultima determinatio formæ, ut ſubjectum actuet: ergo non relinquit in formâ indifferentiam aliquam à majore unione determinabilem: non aliter, ac ubicatio, quia eſt ultima determinatio corporis ut ſit in loco, nullam in eo relinquit indifferentiam à majore ubicatione determinabilem reſpectu ejuſdem loci. Tum etiam, quia unio informativa in eſſe talis ſpecificatur ab extremis, & ex eis totam perfectionem derivat: non eſt ergo, unde crefcat, aut decrefcat, dum extrema ſunt omninò eadem. Mitto, quòd unio juxta pleroſque Thomiſtas non diſtinguitur ab extremis.

16 *Rejicitur* quarta. Quia modus ille, ſi majoris radicationis eſt, reddit formam magis in ſubjecto radicatam: ergo & magis communicatam, ſive unitam; non enim aliud in præſenti ſignificare poteſt *radicatio*: ergo modus ille reipſa eſt unio major, ſubeſtque impugnationibus num. præced. Vel, ſi non eſt unio, cùm aliunde non ſit forma, nec ſubjectum, nequit augere formalem effectum formæ, reddereque ſubjectum magis calidum v. g.: non enim effectus formalis augeri poteſt per aliquid diſtinctum à ſuis omnibus conſtitutivis, quæ ſunt forma, ſubjectum, & unio. Et hinc *rejicitur* etiam quinta. Quia terminatio illa (quę utique modus quidam eſſe debet, cùm non ſit qualitas, nec pars qualitatis), ſi facit formam magis eſſe in ſubjecto, nihil eſt aliud, quam major inhæſio, atque adeò major communicatio, ſeu major unio, nunc nunc impugnata. Vel, ſi velis, ut inhæſio diſtinguatur ab unione, non pertinebit ad conſtitutionem effectûs formalis, quem proindè augere non poterit, ex modò dictis. Adde, quòd major inhæſio eſt major eductio, vel eam ſupponit: quare impugnari poterit ex n. 14.

17 *Rejicitur* ſexta. Quia doctrinam de connotatis extrinſecis abundè rejecimus, tum in Logicâ, ubi de Relatione; tum in Phyſicâ, ubi de Unione ab extremis diſtinctâ. Et verò, quis percipiat, effectum formalem, v. g. *calidam*, realiter & intrinſecè augeri, vel minui, nullo ſui conſtitutivo aucto, vel minuto? aut aquam nihil intrinſecum adquirere, cùm intrinſecè incalefcit ad fervorem uſque? nihil vè intrinſecum amittere, cùm de ſummè frigidâ fit intrinſecè tepida? nec frigidam ut octo, diſtingui realiter à frigidâ ut unum? Nonnè intenſio, juxta omnes, eſt motus realis, & realis actio? Quem ergo terminum habet? Nonnè manus, dum calefit, intrinſecè mutatur, & tranſit in novum ſtatum? Quomodò autem dabitur tranſitus, & mutatio intrinſeca, per ſola extrinſeca connotata? Numquid fieri poteſt, ut juſtus ex uno gratiæ gradu ſenſim perve-

veniat ad sanctitatem S. Francisci, quin aliquid intrinsecum denuò adquirat? Hæc profectò satis ostendunt, quantis premantur angustijs sexta illa Thomisticæ radicationis explicatio. Sed præterea tam illa, quàm reliquæ omnes rejici poterunt ex dicendis §. sequenti.

## §. III.

*Vera sententia probatur, & defenditur.*

18 VEra nobis sententia est, intensionem fieri per additionem novarum partium qualitatis in eodem subjecto, vel, ut passim loquimur, per additionem gradûs ad gradum; partes enim qualitatis secundùm incrementum intensivum, *gradus* vocant. Hos gradus, claritatis gratiâ, octonario numero determinant Authores, ita ut calor summus v. g. sit calor *ut octo*, & calor minimus calor *ut unum*. Quamvis enim calor summus quoad latitudinem intensivam sit quoddam continuum permanens, & coalescat vel ex partibus sine fine dividuis juxta Aristotelem, vel ex innumeris ferè punctis indivisibilibus juxta Zenonem: tamen, ut confusio vitetur, imaginatione dividimus calorem summum in octo tantùm partes determinatas; ut cùm lineam mente dividimus in palmos octo: vel sicut Astronomi lineam æquinoctialem dividunt in gradus 360.

19 Porrò qualitates naturales (ut hoc obiter notem) certum habent intensionis terminum, quem naturaliter transilire non valent in præsenti ordine rerum. Id quod probari solet, tum ex limitatione agentium naturalium, quorum virtus nequit in infinitum procedere. Tum ex eo, quòd omnes, aut ferè omnes qualitates, sunt dispositiones, aut proprietates alicujus formæ substantialis, cujus gratiâ existunt: unde nequeunt excedere limites exigentiæ formæ illius, juxta præsentem rerum ordinem possibilis, cui maximè debentur. Si tamen existerent perfectiores aliæ formæ, ac virtutes activæ, nihil obstaret ex parte qualitatum intensioni majori; cujus proinde mensura naturalis, sumenda est potiùs ab extrinseco, quàm ab intrinseco qualitatum ipsarum. Quod à fortiori verum est in qualitatibus supernaturalibus, cujusmodi sunt gratia, charitas, &c.: hæ quippe suapte naturâ tot gradus admittere possunt, quot Deo producere placuerit. In ordine autem ad potentiam Dei absolutam intensio cujusvis qualitatis crescere potest in infinitum syncategorematicè; quia nulla inde contradictio sequitur. Quod ad remissionem attinet, supposito continuo Aristotelico, qualitas contrario carens remitti potest magis ac magis sine termino, non solùm divinitùs, sed etiam naturaliter; nam quæcumque tenuis portio designetur, semper est designabilis tenuior alia, in quâ nihil impedit naturalem conservationem lucis, v. g. si non desit agens. Aliud dicendum de qualitate contrarium habente; quæ, si nimirùm remittatur, facilè vincitur. At, supposito continuo Zenonico, ultimus remissionis terminus erit punctum indivisibile; & eò pervenire naturaliter poterit qualitas contrario carens; non verò qualitas contrarijs obnoxia, propter dicta modò.

20 Nostra igitur de intensione sententia, num. 18. expressa, quam tenent Scotistæ cum D. Bonaventurâ, & Scoto, Nominales cum Okamo, & Authores nostri cum P. Suarez d. 46. Met. s. 1., quibus accedunt Aversa, Spinula, Murcia, & plures alij, probata satis censeri potest impugnatione cæterarum. Sed præterea *probatur* sic. Dum calor v. g. intenditur, subjectum fit magis calidum: sed nequit

ita fieri sine additione caloris, seu novæ partis ejus: ergo tunc novus caloris gradus superadditur. *Prob. Min.* 1.: nequit subjectum reddi magis calidum nisi à majore calore: ut enim calore simpliciter opus est ad calidum simpliciter, ita majore calore ad magis calidum, juxta proverbium illud, *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*, quod hic valere debet, si umquàm alias: atque ita fert usus loquendi; quis enim calorem intensum non vocitet remisso *majorem*? Sed calor non fit major calore absque additione novæ partis caloris, ut patet exemplo rerum quarumlibet, quæ majores fiunt, cujusmodi sunt homo, arbor, ignis, domus: ergo &c.. Et verò quomodò poterit in aliquâ lineâ fieri majus, cui nihil additur in eâ lineâ? *Dices*: additur calori radicatio major. *Contrà*: radicatio nec est calor, nec pars caloris (vel, si est, habemus intentum): ergo in lineâ caloris nihil addit: ergo, licèt reddat calorem magis radicatum, non reddet majorem. Profectò, juxta Adversarios, radicatio ipsa nequit fieri major sine adventu novæ radicationis: ergo nec calor sine adventu novi caloris.

21 2.: nequit subjectum fieri magis quantum, magis ubicatum, magis unitum, magis calidum extensivè, sine additione quantitatis, ubicationis, unionis, & caloris: ergo nec potest fieri magis calidum intensivè, quin detur caloris additio. Cur enim non hîc militet regula aliàs generalis, quòd nulla denominatio, nullusve formalis effectus, crescit in ratione talis, sine incremento formæ illius, à quâ provenit? *Dices*: potest etiam crescere formalis effectus ex incremento unionis. Fateor: sed nunquàm sine incremento formæ, sine quo nequit crescere unio informativa, ex n. 15.. *Confirm.* 1.: qualitas, dum intenditur, verè augetur, verumque accipit augmentum sui: tum quia intensio idem sonat, ac augmentatio qualitatis in eodem subjecto: tum quia de intensione gratiæ in homine justo certum id est ex Tridentino sess. 6. can. 32. definiente, hominem justificatum per opera secundùm Deum facta *verè mereri augmentum gratiæ*. Sed *augmentum* rei cujuslibet sonat accessionem novæ partis ejusdem rei, ut patet in augmentis per aggenerationem, per nutritionem, per accretionem, per qualitatis extensionem: ergo &c..

22 *Confirm.* 2.: juxta Concilium Trident. sess. 7. can. 7., per sacramenta novæ Legis datur gratia *semper & omnibus* ritè suscipientibus: ergo homini justo per Eucharistiæ sacramentum datur gratia tam verè, quam peccatori attrito per sacramentum Pœnitentiæ. Sed peccatori attrito datur absoluta qualitas gratiæ, & non præcisè modulus quidam à gratiâ distinctus: ergo & homini justo; in quo proindè redditur gratia intensior per additionem gradûs ad gradum, seu gratiæ ad gratiam. *Urgetur*: novæ gratiæ radicatio, in quocumque consistat, dum justo datur per sacramentum, vel est gratia verè ac propriè, vel non est? Si non: ergo, si sola datur nova radicatio, Concilij definitio falsa erit in sensu vero ac proprio. Si autem verè gratia est: ergo, cùm illa non destruat gratiam præcedentem, ut Thomistæ fatentur contra Durandum, verè additur in homine justo gratia ad gratiam; & ob eamdem rationem admittenda erit additio caloris ad calorem, & sic in cæteris qualitatib., cùm pariter nova radicatio debeat esse verè ac propriè calor, &c..

23 *Confirm.* 3.: qualitas intensa est magis activa, quàm remissa; ut experimur in luce, calore, & alijs, utque docet D. Thomas 2. 2. q. 24. ar. 4.

ad 3.: ergo qualitas, dum intenditur, adquirit aliquid virtutis activæ, quod antea non habebat: ergo adquirit aliquid entitatis propriæ; non enim virtus activa distinguitur ab entitate qualitatis, etiam apud Thomistas. *Confirm.* denique: qualitas non intenditur nisi ab agente, quod virtualiter præcontinet entitatem ejus, & quatenùs præcontinet, ut est certum: ergo agens, dum intendit calorem v. g., agit ut præcontentivum entitatis caloris, & virtutem fœcundam caloris explicat ut talem. Sed virtus ista non explicatur nisi producendo calorem: ergo tunc verè producitur calor. At non producitur præcisè calor præexistens; tum quia hic supponi potest ab aliâ causâ conservatus; tum quia nequit intendi per solam majorem eductionem sui, ex dictis n. 14.: producitur ergo nova caloris entitas, quæ præcedenti superadditur.

24 *Urgetur*: calor non nisi per calefactionem intenditur; non enim ignis aquam fervere facit, nisi calefactionem continuando: sed calefactio est actio productiva caloris: ergo &c.. *Urgetur* iterùm: juxta omnes, plus virtutis calefactivæ in agente requiritur ad intendendum, quàm ad primò producendum calorem remissum: ergo actio intensiva non producit solam majorem radicationem caloris. *Prob. consequ.*: quia radicatio major, in quocumque modulo ponatur, non est calor (alioquin jam adderetur calor ad calorem), nec est aliquid calore perfectius, immò nec æquè perfectum, cùm omnis modus naturalis sit imperfectior absolutâ re, quam modificat. Repugnat autem, quòd productio termini, qui non est calor, sed est nescio quid calore ignobilius, plus virtutis calefactivæ in agente requirat, quam productio caloris; ut per se evidens apparet.

25 *Objic.* 1.: juxta Aristotelem 4. Physic. t. 84., *Ex calido fit magis calidum nullo facto in materia calida*: ergo nullo calore in materiâ denuò producto. *Neg. Consequ.*: nam Aristotelis perspicua mens est, quòd per intensionem nulla pars materiæ fiat calida, quæ antea verè calida non fuerit; alioquin non tam intensio, quàm extensio dabitur. Ideò textus ille sic pergit: *nullo facto in materiâ calido, quod non esset calidum, quando erat minùs calidum.* Verissimum hoc est; sed non tollit, quòd eadem materia, jam calida, magis calida fiat additione caloris. Unde D. Thomas explicans illum textum lect. 14. litt. K. dicit, quòd *prior calor advenit posteriori.*

26 *Objic.* 2. auctoritas D. Thomæ, sæpe docentis, quòd intensio non fit per additionem formæ ad formam, v. g. charitatis ad charitatem, aut albedinis ad albedinem, sed per majorem ejusdem formæ radicationem, quatenùs scilicet qualitas magis subjecto inest, & inhæret, magisque in eo esse incipit, seu quatenùs e subjecto educitur ab actu imperfecto ad perfectum. Et in Opusc. 48. tr. 2. cap. 4. expressè negat S. Doctor, intensionem fieri per additionem gradus ad gradum. *Resp.* Angelic. Doctorem reipsâ pro nobis esse satis probabiliter suadetur à PP. Rubio, & Alphonso, & præsertim à P. Hurtado disp. 5. de Generat. sect. 5., ubi Cajetani testimonium adducit satis apertè declarantis, nostram, & D. Thomæ sententiam non nisi verbis aut modo loquendi dissidere. Itaque D. Thomas, dum negat additionem *formæ ad formam*, loquitur de formis in suo esse completis, seu non coordinatis invicem ad constituendum unam formam completam: quia tum temporis nomen *formæ* (idem puta de nomine *charitas*, &c.) communi usu non erat indifferens ad for-

mam totalem, & partialem; ſicut etiam nunc accidit in quibuſdam formis ſubſtantialibus; nemo enim dicit abſolutè, quòd in nutritione arboris, aut etiam lacertę, vel colubri, additur forma ad formam, aut anima ad animam, quàmvis certum ſit, etiam apud Thomiſtas, quòd tunc additur forma partialis, aut pars animę.

27 *Dices*: opinio, tum temporis afferens additionem formę ad formam, loquebatur de formis, quæ ineodem ſubjecto unirentur, adeòque de formis partialibus. Eſto: ſed utebatur locutione tum temporis inſolitâ, & abſurdum ſenſum præferente, ideòque improbatâ per Div. Thomam: quemadmodùm nunc improbaretur qui diceret in arbore, vel colubro nutritionem fieri per additionem arboris ad arborem, aut colubri ad colubrum, quàmvis ſolùm intenderet ſignificare novarum partium additionem. Hodiè tamen locutio illa ſatis communiter accipitur de formis partialibus; ut cùm dicimus paſſim, quòd in febricitante, ſi ponatur ſole ſub ardenti, additur calor ad calorem; & in cubiculo, ſi nova candela ſuperveniat, additur lux ad lucem; ſicut etiam gratia ad gratiam in homine juſto, locutione conſonâ Tridentino, ut vidimus n. 22. Quare modum iſtum loquendi non improbaret hodiè D. Thomas; immò nec improbavit in 4. Phyſic., ut patet ex verbis citatis n. 25. Senſum verò noſtrum approbat S. Doctor 3. p. q. 7. ar. 12., ubi planè ſupponit in gratiâ, & in calore, pluralitatem graduum: *gradus autem caloris ut duo* (inquit Cajetanus in 1.2. q. 52. ar. 2.) *calor quidam eſt, & ſic de aliis.* Eamdem approbat 2. 2. q. 24. ar. 4. ad 3. docens, qualitatem, dum intenditur, augeri ſecundùm eſſentiam, & ſecundùm virtutem activam.

28 Docet quidem eodem loco D. Thomas, quòd nihil eſt aliud, qualitatem augeri ſecundùm eſſentiam, quàm eam magis ineſſe ſubjecto, quod eſt magis in eo radicari, nempe quia *accidentis eſſe eſt ineſſe.* Sed non loquitur immediatè de *ineſſe* formali, ſeu de inhærentiâ in actu ſecundo; in hac enim non conſiſtit eſſentia accidentis, cùm ab eâ realiter ſeparari poſſit, ut in Euchariſtiâ patet. Si tenuas, reſpondetur huic argumento: Quòd accidentis eſſe ſit ineſſe, non probat, in intenſione deſtrui totam eſſentiam qualitatis precedentis, & novam produci, quàmvis juxta Thomiſtas deſtruatur tota radicatio, totumque ineſſe precedens, & producatur novum, ne alioquin radicatio conſtet gradibus, & quidem heterogeneis: ergo nec probat, eſſentiam qualitatis augeri, quàmvis ejus ineſſe augeatur. Reſponde item huic alteri: Quod accidentis eſſe ſit ineſſe, non probat, quantitatem Euchariſticam deſtrui ſecundùm eſſentiam, cùm deſtruitur ſecundùm ineſſe: ergo nec probat, qualitatem augeri ſecundùm eſſentiam, cùm augetur ſecundùm ineſſe. Loquitur ergo Angel. Doctor de *ineſſe*, & *radicari* in actu primo, ſive in exigentiâ, quod eſt ipſiſſima eſſentia qualitatis, impotens augeri niſi per additionem partium ſui. Mediatè tamen, aut ex conſequenti, loquitur etiam de inhærentiâ, & radicatione formali, quę quidem eò major eſt, quò plures formę partes eidem ſubjecto unit. In hoc igitur ſenſu veras agnoſcimus locutiones D. Thomę; nempe quòd qualitas eatenùs intenditur, quatenùs in eodem ſubjecto magis radicatur, magis ineſt, magis incipit eſſe, magiſque educitur ab actu imperfecto ad perfectum; hæc enim om-

omnia verificantur eo, quòd qualitas secundùm novas sui partes incipiat esse, &c.. Mirum certè, si juxta D. Thomam magis incipiat esse, quod jam totum est in rerum naturâ. Nec te moveat Opusc. 48.: tum quia ponitur inter incerta D. Thomæ: tum quia ibidem expressè admittitur pluralitas graduum, solùmque negatur quòd sint designabiles, scilicet à nobis, qui non possumus sensu discernere unum ab alio.

29 *Objic.* 3.: duo gradus caloris vel sunt similes, vel dissimiles. Si primum; non poterant conjungi; quia duo accidentia solo numero distincta nequeunt esse in eodem subjecto. Si secundum; non resultabit ex eis una qualitas, sicut nec ex albedine & dulcedine. *Resp.*, esse dissimiles aliquatenùs, ut dicemus quæst. sequenti, ubi hanc objectionem diluemus. Nunc autem admissâ similitudine, quòd duo accidentia solo numero distincta non possint in eodem subjecto conjungi, *distinguo sc*: quando sunt completa, seu non invicem coordinata ad integrandum unum totale, *transeat*; quando coordinationem illam habent, *nego*. Nec accidens individuatur à subjecto, nisi extrinsecè, seu quoad nos; ut alibi ostendemus. *Replic.*: ergo, si Deus plures quantitatis partes conjungeret in eodem subjecto, fieret intensio quantitatis. *Retorqueo*: ergo pariter fieret intensio, si Deus in eodem subjecto majorem unionem tribueret quantitati, vel formæ substantiali. Præterea *neg. Consequ.*: tum quia partes quantitatis naturâ suâ non sunt aptæ perficere simul idem subjectum, sed ex se requirunt partes subjecti distinctas, & expenetrantes: tum quia formalis effectus quantitatis non admittit in eodem subjecto magis & minus. *Replic.* iterùm: ergo saltem partes unionis, quibus anima rationalis unitur diversis partibus corporis, facient intensionem unionis in animâ, cùm omnes in eâ conjungantur. Sed iterùm *neg. Consequ.*: tum quia unio non recipitur in animâ, juxta communem sententiam: tum quia partes illæ non denominant animam magis unitam nisi extensivè.

30 *Objic.* 4.: essentiæ constituunt in indivisibili; sunt enim sicut numeri, qui quavis additione vel detractione variantur: ergo essentia caloris v. g. nullam additionem patitur, aut detractionem: & alioquin non erit eadem essentia caloris intensi, & remissi. *Confirm.* 1.: ille calor fit intensus, qui anteà remissus erat: ergo ille ipse, qui remissus erat, præstat effectum formalem intensè calidi. *Confirm.* 2.: forma accidentalis est actus purus: ergo est expers compositionis. Quod maximè vim habet in gratiâ, quæ, cùm sit participatio Divinæ naturæ, debet simplicitatem ejus imitari. Adde, quod alioquin gratia remissa perfectior erit, quam intensa, cùm sit minùs composita, proindeque magis accedens ad simplicitatem Dei.

31 *Respond.* ad *object.*. Essentiæ constituunt in indivisibili, non quoad integritatem physicam (ut evidens est in essentiâ arboris, & in quavis aliâ materiali), sed tantùm quoad prædicata essentialia, per definitionem expressa, quia, quo-libet eorum addito, vel dempto, essentia est alia, saltem inadæquatè, sicut alius est numerus qualibet unitate demptâ, vel additâ. Essentia ergo caloris intensi, & remissi, non est eadem quoad physicam integritatem, licet semper sit eadem quoad metaphysica prædi-

dicata, per quæ definitur sub conceptu caloris &c. : quod facilè percipies exemplo arboris teneræ, & proceræ. Observa tamen, posse additionem esse integralem in ordine ad unum conceptum, & in ordine ad alios essentialem: &c additio palmi ad lineam palmarem, est integralis respectu hujus conceptus *lineæ*, & est essentialis respectu illius *lineæ bipalmaris*. Quamvis igitur additio novi gradûs sit purè integralis per ordinem ad conceptum *calor*, poterit esse essentialis per ordinem ad conceptum *calor ut calo*, vel *ut quatuor*, quo jam exprimitur essentia caloris reduplicativè ut aucta. Observa insuper, calorem augeri secundùm essentiam ( quod nec Thomista negabit, nisi contra D. Thomam ), quatenùs augetur secundùm entitatem suam, & ita, ut partes additæ veram essentiam caloris habeant, sicut præcedentes. Hoc tamen augmentum non dicitur essentiale, sed integrale; quia non efficit, ut calor magis verificet nomen, & definitionem caloris ut &c. Et hinc calor intensus est major, sed non magis calor, si hoc sonet, magis propriè illi convenire nomen caloris: sic arbor procera est major, sed non magis arbor, quàm tenera. Subjectum tamen dicitur magis calidum, quia non poterat dici majus, nisi creseeret in entitate sua, quam in recto importat nomen *calidi*. Dummodò tamen de re constet, loquere pro libitu.

32 *Ad* 1. *confirm. diss. Antec.*: fit intensus per additionem graduum, *conc.*; sine tali additione, *neg. Antec.*. Tum *diss. conseqn.*: ille ipse seorsùm à gradibus superadditis, *neg.*; simul cum novis gradibus, *conc. conseqn.*. Et instio in extensione caloris: nam ille calor fit extensus, qui antea contractus erat, &c.. *Ad* 2. *neg. Antec.*: quia nec omnis forma accidentalis ita est actus purus, ut excludat compositionem integralem ( quod manifestum est in quantitate, & in qualitate extensâ ); nec ita, ut sit purè forma, nihil habens potentiæ receptivæ, cùm quantitas recipiat qualitates, ut etiam intellectus & voluntas, quæ sunt formæ accidentales juxta Thomistas, recipiunt actus, & habitus. *Dices*: saltem forma accidentalis ita est purus actus, ut non constet partibus inter se unitis per modum actûs & potentiæ, qualiter uniti essent gradus intensionis, si darentur. Sed *quæro*, cur non poterunt uniri gradus unione continuativâ? Quia, inquis, talis unio est propria quantitatis, & rei quantæ. Assentior, si fermo sit de unione continuativâ, quæ requirit extrema expenetrata. Sed cur repugnet species alia continuativæ unionis, quæ importet penetrationem extremorum? Non nè juxta Thomistas intensio est motus continuus? ergo in eâ datur continuitas partium, quæ, cùm fit in eodem subjecto, non est continuitas extensiva. Præterea, quamvis gradus uniantur per modum actûs & potentiæ, ita ut quilibet sit potentia simul & actus respectu diversorum, quid inde?

33 Quod circa gratiam addebatur n. 30., nullius est ponderis: nam eâdem vi probat, quòd gratia debet imitari perfectiones alias Divinæ naturæ, proindeque debet esse infinita, subsistentialis, irreceptibilis, incapax intensionis, &c.. Gratia ergo est participatio naturæ Divinæ, quia sanctificat, quia peccato opponitur, quia radicat operationes supernaturales intelligendi & amandi, quia præstat jûs ad gloriam. Cæterùm, cùm sit propriè intensibilis, Divinam simplicitatem imitari nequit. Nec ideò gratia remissa perfectior erit, quàm intensa: quia, licèt res simplicior, seu minùs composita, perfectior sit, cùm cætera sunt paria; secùs accidit, cæteris imparibus; alioquin materia prima foret perfec-

fectior toto leone, vel toto homine, & punctum materiæ perfectius toto Mundo.

34 *Objicitur* denique multiplex exemplum ad probandum, eamdem formam pro varietate unionis & circumstantiarum præstare posse varios effectus formales, & aliquos modò explicare, modò cohibere. Nam 1. rationalis anima reddit oculos, & non aures, potentes videre. 2. eadem quantitas, nullâ illi parte superaddita, reddit corpus rarum magis extensum. 3. eadem species visualis in aëre recepta non illum denominat proximè aptum videre, sicut organum visûs. 4. Idem subjectum, licèt jam totum actuatum, potest magis ac magis actuari, absque additione potentiæ actuabilis. 5. eadem causa efficiens, pro varietate actionis, & applicationis, varios producit effectus. 6. gratia habitualis non tribuit Christo Domino denominationem filij Dei adoptivi, quam tribuit puro homini. Verùm hæc omnia extra rem adducuntur, cùm nullum eorum probet, eamdem formam, in se invariatam, in eodem subjecto explicare posse nunc majorem, nunc minorem effectum formalem, pro solâ varietate unionis.

35 *Ad* 1.: rationalis anima non reddit oculos magis *animatos*, quam aures. Denominatio autem *potentis videre* non provenit in organo visûs à solâ animâ, sed simul à dispositionibus accidentalibus. Et quamvis unio animæ diversa sit in oculis, & in auribus, quod plerique negant; non tamen est major in esse unionis informativæ (alioquin anima foret capax intensionis, siquidem pollet magis ac magis uniri, seu radicari), licet in exigentiâ dispositionum diversa sit, aut perfectior. *Ad* 2.: in corpore raro denominatio *magis intensi* provenit formaliter ab ubicatione tanquàm à formâ, quæ necessariò est major in entitate suâ: unde retorquetur exemplum. Radicaliter autem provenit à quantitate, non solâ, sed prout conjunctâ cum certâ qualitate, vel temperamento, sine cujus additione reali non provenit extensio major. *Ad* 3.: aër non est subjectum capax illius denominationis, quantumvis species uniatur, aut radicetur magis ac magis.

36 *Ad* 4.: licèt idem subjectum possit actuari magis, absque additione potentiæ actuabilis; non tamen absque additione formæ actuantis, quæ additio requiritur, & sufficit, ut crescat formalis effectus *actuari*. Instistes: idem subjectum, tametsi totum actuatum, potest actuari magis: ergo & eadem forma, tametsi tota sit actuans, poterit magis actuare. *Dist. Antec.*: potest actuari magis, ab eâdem formâ invariatâ, *neg.* 3 à novâ formâ, vel parte formæ, *conc. Antec.* Tum *dist. Consequ.*: eadem forma (in se non aucta) poterit magis actuare novum subjectum, vel partem subjecti, *transeat*; idem subjectum in se invariatum, *neg. Consequ.* Nobis sufficit, quòd effectus formalis, ipsumque *actuari*, & *actuare*, crescere nequeat, quin vel forma, vel subjectum crescat; cùmque in præsenti supponatur non crescere subjectum, superest ut crescat forma. Et retorquetur exemplum: nam potentia passiva, quia in se ipsâ non augetur, non sic intensior, quantumvis augeatur receptio, & passio ergo nec forma, si non augetur in semetipsâ, fiet intensio, quantumvis augeatur unio, & radicatio.

37 *Ad* 5.: varietas actionis, aut applicationis, non conducit ad novum, vel majorem effectum, nisi ponat in rerum naturâ novam, vel majorem entitatem, à se distinctam, in quâ fiat novitas, vel majoritas effectûs. At varietas unionis, aut radicationis,

nis, à Thomistis asserta, nullam ponit entitatem à se distinctam. Unde & exemplum hoc retorquetur: nam varietas actionis non variat effectum causæ efficientis, ut patet in quantitate Eucharisticâ: ergo nec sola varietas unionis variabit effectum causę formalis. *Ad* 6.: Christus Dominus non est subjectum capax denominationis illius, utpotè requirentis personam extraneam adoptanti. Quare id non provenit ex defectu radicationis, quę certè non deest in gratiâ Christi.

## CAP. II.

### *SINT NE GRADUS INTENSIONIS homogenei? an heterogenei?*

38 SUppositâ latitudine graduum in qualitatibus intentis, superest inter Authores hujusmodi latitudinis quæstio proposita, eaque celebris, circa graduum indolem, seu naturam. Duplex est sententia principalis. Prima gradus asserit homogeneos, idest, omninò similes inter se, neque ullum per se ordinem requirentes; ita ut, qui modò producitur primus, potuerit esse octavus, aut è conversò, & sic de reliquis. Ita Scotistæ apud Pontium, & è Nostris PP. Conimbric., Vazquez, Arriaga, Quiros, Ulloa, & alij. Secunda gradus admittit heterogeneos, idest, dissimiles, & suapte naturâ certum inter se ordinem servantes; ita ut, qui primus est, non potuerit naturaliter esse secundus, aut iste primus; sed potiùs secundus per se supponat in subjecto primum, tertius secundum, & sic de cæteris. Ita Doctor Exim. d. 46. Met. s. 1. à n. 30., quem sequuntur PP. Hurtad., Compt., Cardinal. de Lugo, Tellez, Alphonf., & alij, quos citat, & sequitur P. Feynad. tr. 4. de Gener. d. 2. n. 5.. Authores alij mediâ viâ incedunt. Quidam enim gradus heterogeneos agnoscunt in solis qualitatibus operativis aliarum similium: quidam in solis qualitatibus contrarium habentibus. Sunt & alij, qui cum Pat. Lynce problema judicant quæsitum hocce, & utriusque partis argumenta solvere nituntur.

39 Mihi quidem præferenda videtur sententia Doctoris Eximij. Quę *probatur* 1. generatim: Si qualitatis intensio fit per gradus homogeneos, ijdem gradus ex se indifferentes erunt, ut vel intensionem, vel extensionem faciant, ita ut ipsis per accidens fit primò produci vel in eâdem, vel in pluribus partibus subjecti: at hoc est falsum: ergo intensio non fit per gradus homogeneos. *Majorem* ultrò concedunt Adversarij. *Prob. Min.*: quia, si *Major* vera est, ijdem gradus naturaliter indifferentes erunt, ut inter se uniantur per uniones intrinsecè diversas, videlicet per uniones intensivam & extensivam, quæ utique diversitatem habent intrinsecam, cùm altera exigat intrinsecè penetrationem extremorum, altera expenetrationem eorumdem (suppono cum pleriisque Adversarijs, & cum communi Philosophiâ, gradus intensionis inter se uniri, non solùm mediatè, seu ratione subjecti, sed etiâ immediatè, secundum primo, tertium secundo, &c.; non enim aliter posset qualitas intensa dici unum per se, vel totum continuum): atqui talis indifferentia graduum ad uniones intrinsecè diversas, impossibilis est: ergo. *Prob. Min.*: quia uniones, saltem naturales, nequeunt esse intrinsecè diversæ sine ullâ diversitate extremorum, à quibus specificantur: hâc enim ratione Authores in præsenti contrarij rejiciunt diversas radicationes Thomistarum, ut vidimus cap. prœced.: si ergo extrema, nempe gradus qualitatis, nullam diversitatem, nec distinctionem ha-

habent, repugnat in ijs indifferentia naturalis ad uniones intrinsecè diversas. Profectò, juxta Contrarios, unio informativa variari nequit sine variatione subjecti, vel formæ, vel utriusque: ergo nec unio continuativa sine variatione suorum extremorum; cùm eadem ratio milicet utrobique.

40 *Confirm.*: ex formis omninò similibus, in eodem subjecto concurrentibus, nequit intensio fieri. *Prob.*: quia nequit subjectum ab ijs propriè reddi perfectiùs ac meliùs affectum, licèt reddatur affectum pluriès. Patet hoc exemplis. Nam 1. idem objectum, si videatur simul ab octo lippis, aut cæcutientibus, non videtur intensiùs, aut clariùs, quàm ab eorum uno, nec tam clarè, quàm si à perspicaci oculo videretur per visionem claram ut octo. Similiter idem objectum, octo simul phrasibus, idem & eodem modo significantibus, explicatum, non explicatur clariùs, quàm unicâ; nec homo redditur disertior, aut eloquentior per meram multiplicationem phrasium ejusmodi. Petrus item, octo simul homines cognoscens per cognitiones octo, singulas claritatis ut unum, non ideò redditur clariùs, aut vividiùs cognoscens, quàm per unam earum, nec tam clarè, quàm si cognoscat unicum hominem claritate ut octo. Nec obstat, quòd vitalis actus non admittat intensionem propriè, & formaliter: admittit enim saltem æquivalenter, aut virtualiter: quod sufficit, ut ex ejus comparatione indagetur perfectio intensionis formalis, cui æquivalet. Nec item obstat, quòd prædictæ visiones, aut cognitiones, non uniatur invicem. Tum quia, etiamsi unitas inter se fingas, idem invenies. Tum quia, stante præcipuo contrariæ sententiæ fundamento (de quo infrà n. 58.) ad intensionem nihil aliud requiritur, quàm quod plures formæ similes afficiant idem subjectum: sic enim illud reddent magis affectum; non extensivè, ergo intensivè.

41 2.: chrystallum A., lucidum ut octo, nemo non dicet pulchrius, & perfectiùs illuminatum, quàm chrystallum B. octies major, sed lucidum ut unum: & tamen in numero graduum, seu partium lucis, ambo sunt paria: non ergo partes octo lucis ut unum in *vi* perficiendi subjectum æquivalent octo gradibus lucis intensæ: sed semper agnoscenda est in intensione perfectio specialis, quâ superet extensionem ejusdem qualitatis remissæ, tametsi par sit in utrâque numerus partium, & unionum. Dices: specialis perfectio intensionis in eo præcisè consistit, quòd partes qualitatis, in eodem subjecto conjunctæ, fortiùs operentur & contrarijs resistant; quia, ut ajunt, *virtus unita fortior*, tum ad agendum, tum ad resistendum. Sed *contrà*: tum quia in intensione debet agnosci specialis perfectio in ordine ad perficiendum subjectum, ut patet in exemplo allato. Tum quia major expeditio ad agendum, & resistendum, quæ sumitur ex majore conjunctione virtutis, non est specialis perfectio intensionis; cùm possit etiam extensioni competere, non solùm divinitùs, si partes subjecti penetrentur, sed etiam naturaliter per condensationem subjecti: certum quippe est, quòd qualitas ejusdem gradûs fortiùs agit ac resistit in subjecto denso, quàm in raro; nec tamen condensatio est intensio.

42 3.: si Deus in eâdem parte subjecti conjungeret plures partes formæ ignis, non fieret ignis intensior, nec subjectum redderetur magis ignitum intensivè, licèt esset ignitum pluries. *Dices* 1.: forma substantialis non est capax intensionis. Fateor: sed ex tuâ sententiâ sequitur absurda capacitas, cùm in forma substantiali reperiri possit illa eadem ratio, propter quam à te dicitur qualitas intensibilis, nempe quia

plures ejus partes, omninò similes, in eodem subjecto conjungi possunt. *Dices* 2.: ad intensionem requiritur capacitas naturalis partium formæ similium, ut uniantur simul eidem subjecto. Sed *contrà*: capacitas naturalis partium qualitatis omninò similium, ut eidem subjecto simul uniantur, à nobis etiam negatur; nec tibi licet eam supponere. Præterea, solùm inde sequitur, quòd forma substantialis nequit intendi naturaliter: poterit tamen divinitùs intendi, siquidem potest in eâ salvari totus conceptus intensionis. Sic, licèt quantitas nequeat creari naturaliter, si tamen à Deo producatur ex nihilo, verè creabitur, quia totus creationis conceptus in eâ salvabitur. *Dices* 3.: exemplum hoc pariter militat contra gradus heterogeneos: nam, si Deus in eâdem materiâ conjungeret formas substantiales dissimiles, non resultaret intensio. Immò ex nostrâ sententiâ sequitur, ex formâ corporeitatis & animâ resultare formam intensiorem.

43 Sed *contrà*, Nihil nos cogit admittere formam corporeitatis, aut aliam subordinatam. Sed, quàmvis admittatur, non ideo resultabit intensio; quippe quæ in nostrâ sententiâ non resultat ex formis, aut partibus, utcumque dissimilibus, sed tantùm ex contentis sub eodem saltem genere proximo: si enim ad diversa genera spectent, intensionem haud faciunt. Sic qualitas unita quantitati, & in eâ recepta, non facit cum ipsâ, accidens intensius; nec ex materiâ & formâ fit substantia intensior, licèt fiat substantia major. Quodsi divinitùs unirentur eidem materiæ plures formæ ejusdem generis, v. g. animæ leonis & equi, tunc ideò non resultaret intensio, quia hæc in nostrâ sententiâ non constituitur, nisi ex partibus per se unitis, cùm sit unum per se: illæ autem animæ non possent inter se uniri nisi per accidens, cùm non sint invicem ordinatæ ad unum constituendum. At in principijs Adversariorum defectus unionis per se nihil obstat; nam, siquid valet, præcipuum eorum argumentum, ad intensionem sufficit, quòd subjectum per formas similes iterum atque iterum denominetur, & non extensivè, seu non secundum partes distinctas.

44 *Prob.* 2. specialiter in qualitatibus univocè activis, seu productivis aliarum similium. Si gradus sunt homogenei, non stabit receptissima Philosophia, quam experientia comprobat, & Adversarij veram agnoscunt: nempe, quòd intensum nequit à remisso produci, nec augeri: quòd ex duobus æquè intensis, aut æquè remissis, nequit alterum in alterum agere, nec augeri ab altero: quòd que nulla qualitas in proprio subjecto potest intendere semetipsam. *Probatur* absurda sequela. Nam 1., datâ homogeneitate, quidquid operatur qualitas intensa ut octo, poterit operari qualitas remissa, extensa tamen per partes octo: unde octo partes subjecti, singulæ calidæ ut unum, poterunt in eodem passo producere calorem ut octo, vel ut septem, sicut illum producere posset alius calor ut octo: jam ergo poterit intensum à remisso produci. *Prob. Antec.*: quia remissa qualitas, dicto modo extensa, nec minorem, nec dissimilem virtutem, aut perfectionem habet, quàm intensa ut octo, cùm totidem constet partibus omninò similibus. Aliunde sufficienter applicari potest quoad partes omnes; si nimirùm particula, vel punctum passi, proximè circumdetur octo calidis ut unum; vel si octo illæ partes agentis calidi miraculosè penetrentur.

45 2. poterit calidum ut quatuor producere duos caloris gradus in calido ut sex, illudque ultimò disponere ad ignitionem: poterit igitur intensum à remisso, augeri. *Prob. Antec.*: ubi adest subjectum capax, & agens applicatum, &

& ex se productivum effectus, neque ullum obstat contrarium validius, nihil deest ad productionem effectus: sed calidum ut sex, capax est duorum ultrà graduum, & eorum ex se productivum est calidum ut quatuor, si sunt omnino similes gradibus primo & secundo; nec adest contrarium validius, quia duo frigoris gradus, qui sunt in passo, superari possunt à calido ut quatuor: ergo &c. 3. ob hanc eamdem rationem poterunt duo calida ut quinque se se invicem intendere usque ad summum. Ac demùm poterit qualitas in proprio subjecto intendere semetipsam: cur enim quinque caloris gradus nequeant in ligno, cui insunt, producere tres alios? siquidem nec deest capacitas subjecti, nec virtus activa, nec applicatio?

46 Negant Adversarij sequelas istas: quia, inquiunt, *Simile non agit in simile*, eo quòd finis agentium ex naturæ instituto sit assimilare sibi passum: unde nec remissum potest agere in intensum, ne reddat illud sibi magis dissimile, nec duo calida ut quinque possunt in se invicem agere, quia cùm supponantur similia, cessat finis agendi; nec calidum in semetipsum potest agere, quia nequit se reddere sibi simile, cùm similitudo postulet distinctionem. Sed *contrà* 1.: proloquium illud, *simile non agit in simile*, falsum esse debet in sententiâ homogeneitatis, utpotè contrarium regulæ philosophicæ, Quòd agentia naturalia appetunt virtutem suam explicare pro capacitate subjecti applicati. Certè substantialis effectus nunquàm desinit produci, nisi vel ex defectu applicationis, vel ex incapacitate subjecti, quatenùs præoccupati formâ incompossibili, & tenaciore, vel frustraneam reddente novam formam: ideò enim ignis v. g. non agit in materiam jam ignitam, quia materia præoccupata est formâ incompossibili, quæ frustrà expelleretur ad inducendam aliâ omninò similem. Cur ergo non idem dicatur in effectu accidentali?

47 *Contrà* 2.: duo calida ut quinque, se se invicem intendentia, evadent tandem similia in intensione ut octo: ergo sine detrimento similitudinis poterunt in se invicem agere. *Contrà* 3.: octo calida, singula virtutis ut unum, applicata passo non calido, vel agunt per modum unius agentis actione communi, vel agunt singulatim unumquodque ab alijs præscindens? Si hoc secundo modo: ergo; cùm singula intendant assimilare sibi passum, singula in eo producent unum caloris gradum, ac proinde octo simul gradus producentur in eodem passo, quod evadet calidum ut octo. Si autem agunt actione communi: ergo totum illud agens conabitur assimilare sibi passum: quantum potest. Sed passum, magis evadet simile toti complexo ex octo calidis ut unum, si recipiat octo caloris gradus, quàm si recipiat unicum; tunc enim in passo, & in agente adæquato, parerit numerus homogenearum partium caloris, qui est forma similitudinis: octo igitur gradus in eodem passo tunc producentur.

48 Et hinc impugnatur alia responsio Adversariorum, vel eadem sub alijs terminis; nempe, Quòd superioritas agentis respectu passi, est conditio requisita naturaliter ad agendum, non minùs, quàm applicatio localis; nec de hoc alia ratio reddi potest, quàm natura ipsa rerum, nota per experientiam, quâ perpetuò cernimus, nec simile agere in simile, nec remissum in intensum; Quemadmodùm sola experientia monstrat, nullum agens in passum agere nisi approximatum. Impugnatur, inquam quia octo calida ut unum, applicata passo non calido, vel etiam passo jam calido ut quatuor, superioritatem habent

bent sufficientem, ut illud intendant usque ad sextam gradum, saltem si agant per modum unius agentis, ut sine dubio agent, si continua sint. *Prob.*: quia tunc agens est superius, quando forma, per quam agit, perfectior est in agente, quàm in passo. Sic autem accidit in casu posito: nam forma, per quam agens agit, cùm sit calor constans octo gradibus, utique perfectior est calore passi, constante gradibus quatuor, aut sex. Nec obstat, quòd octo illi gradus non sint in eadem parte subjecti agentis, sed in octo partibus distinctis. Nam hoc non tollit, quòd sint entitativè similes & æquales gradibus passi, & aliunde superiores quoad numerum.

49 Unde sic arguo: gradus illi, prout existentes in octo partibus, non sunt minùs perfecti, quàm si essent in eadem parte agentis; sed si essent in eadem parte, superioritatem haberent respectu passi: ergo. Si forsan dicas, esse minùs perfectos quoad unionem; facilè rejicieris: tum quia unio non est ratio agendi, proindeque non variat perfectionem virtutis activæ: tum quia non est unde sumatur perfectio major unionis intensivæ, quam extensivæ, si extrema utriusque sunt eadem, vel æqualia. Aliter arguo: calor intensus ut octo, solùm est superior calore ut quatuor secundùm numerum partium similium: sed hæc etiam superioritas datur in octo gradibus extensis: ergo utrobique datur superioritas sufficiens ad agendum in calidum ut quatuor. Si dicas cum nonnullis, in calore intenso, præter excessum numeri, dari quoque perfectionis excessum ex parte unionum; quia gradus posteriùs advenientes uniuntur perfectiùs, quàm priores. Iterùm rejicieris: tum quia sic jam ponitur inæqualitas, atque adeò heterogeneitas, in unionibus; quâ posità, penitùs infringitur quidquid contra graduum heterogeneitatem objicitur. Tum quia dum intensio fit instantaneè, ut sæpe in luce contigit, nulla est inter gradus prioritas, aut posterioritas, nec temporis, ut supponitur, nec item naturæ, siquidem gradus nullam inter se subordinationem, aut causalitatem habent: tunc ergo nullus dabitur inter uniones ordo, nulla inæqualitas.

50 Denique ratio illa n. 46., quòd calidum remissum nequit intendere semetipsum, quia defectu distinctionis nequit se reddere sibi simile; absurdè probat, nullum accidens operari posse in proprio subjecto, etiam æquivocè, cùm agens etiam æquivocum intendat assimilare sibi passum similitudine analogicâ, quæ pariter distinctionem requirit: unde non poterit lux in proprio subjecto producere calorem, nec actus habitum, ne species cognitionem; quod nemo dixerit. Sicut ergo accidentia illa operantur in subjecto suo, quia in eo datur capacitas, & in ipsis virtus activa, & applicatio; cur ob easdem rationes non poterit calor ut quinque, producere tres alios caloris gradus in subjecto proprio? Dices fortè, nullum accidens operari, nisi in bonum substantiæ, cui inest: unde, si substantia solùm petit calorem ut quinque, nequit calor iste se magis intendere. Sed rejicitur hæc responsio: tum quia calor aquæ ferventis operatur ad extrà sine commodo substantiæ, cui inhæret. Tum quia gravitas hominis, ex alto ruentis, producit motum in subjecto proprio, certè non commodum. Tum quia saltem frigus remissum aquæ tepidæ poterit intendere semetipsum sine juvamine formæ aquæ, cùm hæc intensio cedat in bonum propriæ substantiæ: unde ruet communis probatio pro virtute activâ substantiæ in suas proprietates. Similiter calor viventis, si præter debitum remittatur, poterit se se intendere proprio marte.

Di-

51 Dicendum igitur, qualitatem remissam idcircò non posse intendere semetipsam, nec aliam æque vel magis intensam, quia gradus superiores sunt dissimiles inferioribus, nec in eis continentur ut in causis univocis, aut adequatis, quantumcumque inferiores multiplicentur extensivè. Sic enim idonea ratio redditur experientiæ; nec recursus fit ad occultam rerum naturam, Philosopho vitandus quoad fieri possit. *Dices*: ratio quidem idonea est, si vera sit: sed restat probandum eam esse veram. Sic, si verum esset quòd materia distans non est ejusdem speciei cum materiâ applicatâ, idonea ratio foret, cur ignis in applicatam agat, non in distantem: sed quia verum non est, idcircò recurritur ad occultam naturam rerum.

52 *Sed verò* ex hoc ipso probatur efficaciter nostra sententia sic: Ubi occulta natura rerum inquiritur, illa hypothesi censenda est existere de facto, quæ magis congruit effectibus, aut phenomenis experientiâ notis, seu per quam de ipsis reddi potest idonea ratio philosophica, dummodò aliunde talis hypothesis non sit impossibilis, nec sit evidens oppositam existere. Hæc est Maxima generalis, a nullo Philosopho neganda, quæ facilè posset exemplis confirmari, si foret opus. At in præsenti occulta inquiritur natura intensionis, cujus effectibus, aut phenomenis, quæ experimur, multò magis congruit hypothesis heterogeneitatis graduum, quàm homogeneitatis, cum illa præ istâ idoneam suggerat experientiæ rationem philosophicam, ut Adversarij agnoscunt, & videtur evidens: nec aliunde hypothesis illa est impossibilis, ut ferè omnes Adversarij fatentur, & adeò certum visum est Exim. Doctori, ut loc. cit. §. 41. dixerit, nullam sibi rationem occurrere, quę vel apparenter ostendat impossibilem esse talem hypothesim: nec præterea evidens est oppositam existere, ut quisque videt. Hæc igitur hypothesis censenda est existere de facto. Hinc retorquetur exemplum applicationis. Si enim non esset evidens, nec phenomenis alijs congruentius, materiam distantem ejusdem esse speciei cum applicatâ, non immeritò censeretur specie diversa, ex eo quòd ignis in eam non agat. Adde, quòd hujus experientiæ redditur idonea ratio ex limitatione ignis, & aliorum agentium.

53 *Probo*, 1. in qualitatibus corruptivis, seu contrarium habentibus. Pro quo supponenda est doctrina communis, quòd scilicet qualitates contrariæ pacificè conjungi possunt in gradu remisso, v. g. calor ut quatuor cum frigore ut quatuor: quod item, quantum una crescit, tantum præcisè decrescit altera, ita ut ex utrâque simul nequeant existere in eodem subjecto pluſquàm octo gradus: quare calor ut quinque, solùm coheret cum tribus gradibus frigoris, calor ut sex cum duobus, calor ut septem cum uno, calor ut octo cum nullo; similiterque vice versâ. Hoc posito, sic arguitur. Si gradus sunt homogenei, primus gradus frigoris inductus in subjectum calidum ut octo, vel debet expellere omnes caloris gradus, vel nullum; non enim est cur uni præ alijs opponatur, siquidem omnes sunt omninò similes. Sequelam autem falsam esse nemo dubitat, cùm certum sit, unum duntaxat caloris gradum tunc expelli. Nec dicas, ex gradibus caloris illum expelli, qui primus, vel qui ultimus productus est. Nam, si intensio fiat instantaneè, ut contingit saltem initio Mundi in calore ignis, & frigore aquæ, nullus gradus est primus, nec ultimus. Præterea, esse primum, aut ultimum,

si non tollit similitudinem cum cæteris, circumstantia est impertinens ad contrarietatem, quæ fundari debet in intrinseca indole formarum. Quo etiam rejicitur responsio P. Quiros, communicantis quædam ordinem unionis, & eductionis, vi cujus uni gradus pendeant ab alijs, non è converso. Nam inprimis, hoc est fundare contrarietatem, non in gradibus ipsis, sed in diversâ eorum unione, vel eductione. Deinde, si talis ordo non fundatur in diversâ indole graduum, non est unde proveniat. Postremò huc faciunt, quę in simili diximus n. 49.

54 Communis Adversariorum responsio est, quòd primus gradus frigoris opponitur uni gradui caloris vagè sumpto, quatenùs exigit ne in subjecto sint octo gradus caloris, seu ne sint plusquàm septem, quod verificabitur uno expulso, quicumque ille sit: quinam autem sit expellendus, sola causa prima determinat, sicuti determinat quænam gutta sit expellenda è vase aquâ pleno, cujus in medio nova ponitur gutta; vel sicuti determinat effectus quoslibet quoad individuum, v. g. ex infinitis gradibus primis, qui possent divisivè produci, quisnam sit producendus hîc & nunc. Sed *contrà* 1.: primus frigoris gradus contrariatur calori ratione indolis intrinsecę formalium effectuum, qui ab utroque præstantur: sed à gradibus caloris, sive vagè, sive determinatè sumantur, in sententiâ homogeneitatis prętatur formalis effectus ejusdem indolis: ergo utroque modo subsistit contrarietas. Quòdsi contendas, tò *vagè* conducere ad contrarietatem, sic infero: ergo primus frigoris gradus, expulso uno caloris, contrariatur adhuc uni ex septem residuis vagè sumpto. *Prob. Conseq.*: quia unus caloris gradus, vagè acceptus, sive accipiatur ex septem, sive ex octo, ejusdem rationis est tam quoad indolem sui & effectûs formalis, quàm quoad acceptionem vagam; si ergo primus frigoris contrariatur uni caloris vagè sumpto ex octo, cur non & uni vagè sumpto ex septem? Nullâ certè disparitas apparet; nisi contrarietas absurdè reducatur, non ad naturam graduum, sed ad solum numerum, ita ut octo caloris gradus contrarientur uni frigoris, non quia tales, sed quia tot.

55 Et hinc *contrà* 2.: sint in eodem subjecto quatuor caloris gradus, & quatuor frigoris: ex datâ responsione sequitur, quòd novus caloris gradus superveniens non magis pugnabit cum uno vagè gradu frigoris, quàm cum uno caloris præexistentis, tantumque exiget expulsionem alicujus gradûs ex totâ præcedenti collectione frigoris & caloris. *Probatur* absurda sequela: quia novus ille gradus æquè est compossibilis cum omnibus & singulis quatuor frigoris, ac cum omnibus & singulis quatuor caloris; existeret enim connaturaliter in subjectum cum quatuor frigoris, si unus ex quatuor caloris præhabiti expelleretur; & ablatubio pacificus esset, dummodò in subjecto non daretur collectio graduum octo prętèr ipsum, sive frigoris, sive caloris: ergo ęquè satisfieret exigentiæ novi gradûs per expulsionem unius è quatuor caloris, ac unius è quatuor frigoris: ergo cum utrolibet eadem est pugna, vel inimicitia novi gradûs; talis enim pugna eò tendit, ut gradus ille sine violentiâ existat, quod æquè obtineret per expulsionem utriuslibet. *Urgetur* exemplo ipso responsionis: si in vase pleno permixtæ sint vini & aquę guttę numero pares, nova aquæ gutta superveniens non potiùs exigit expellere unam ex guttis aquę, quam ex guttis vini; quia solùm est incompossibilis cum collectione omnium utriusque liquoris, quarum qualibet expulsâ, ęquè bene re-

ci-

eliceretur; ergo pariter &c.

56 *Urgetur* iterum: in casu posito quatuor frigoris gradus non contrariantur se solis quinto gradui caloris, sed prout conjuncti cum quatuor aliis caloris præexistentis. *Prob.*: quia catenus contrariantur, quatenus illius gradûs introductioni resistunt: non autem resistunt, nisi prout conjuncti cum aliis quatuor caloris, siquidem, uno ex ijs deficiente, statim cessaret resistentia, ut est certum. Contrarietas ergo relatu ad quintum caloris gradum non consistit in solo frigore ut quatuor, sed constituitur etiam intrinsecè per quatuor alios caloris gradus, quorum quolibet ablato, & toto frigore permanente, cessaret contrarietas. Non igitur quinto illi gradui contrarium est frigus tantummodò, sed totum complexum ex frigore ut quatuor & calore ut quatuor: quæ sequela proculdubiò est absurda.

57 Quapropter in sententiâ homogeneitatis salvari nequit veræ contrarietas qualitatum; solum quippe salvatur quædam incompossibilitas numeralis, & quasi localis, instar plurium corporum in eodem loco, vel more guttarum aquæ in vase superpleno; quatenus scilicet, quia subjectum non capit plusquam octo gradus, sive ex utraque, sive ex utralibet qualitate contrariâ, ideo adveniente quinto caloris debet unus frigoris loco cedere. At, quod contrarietas non sit solum ratione numeri graduum, vel incapacitatis subjecti, sed insuper fundari debeat in adversâ indole qualitatum, certum videtur: tum ex communi sensu Philosophorum: tum quia alioquin eodem modo contrarius esset calor ut octo alteri calori ut octo, ac frigori ut octo; siquidem æquè non pariter naturaliter in eodem subjecto consortium illius, ac illius. Admittenda est igitur in gradibus cujusque qualitatis heterogenea indoles, seu natura diversa; vi cujus octavus caloris gradus determinate pugnet cum primo frigoris præ cæteris, septimus enim secundo, sextus cum tertio, quintus cum quarto, & è converso. Sic enim clara & idonea ratio redditur omnium, quæ in contrarijs experimur. Nam quærenti, cur calor ut quatuor sociari possit cum frigore ut quatuor? respondetur, quia in eo gradu contraria non sunt, nisi dispositivè, quatenus unumquodque disponit ad gradum alteri contrarium. Et quærenti, què gradum frigoris expellat quintus caloris? respondetur, quartum. Cur istum præ alio? quia ex propriâ indole cum isto determinatè pugnat, non cum alijs. Et hic etiam applicari potest nostræ sententiæ probatio, quam dedimus num. 52.

## CAP. III.

### *EXARMANTUR ARGUMENTA contraria.*

58 *Objic.* 1., & principaliter: potest intensio fieri per gradus similes: ergo ita fit de facto; quia non sunt absque necessitate multiplicandæ entitates dissimiles. *Prob. Antec.*: si Deus in eodem subjecto poneret plures caloris gradus similes, v. g. ex ijs, quos dicimus primos, subjectum fieret magis calidum: non extensivè: ergo intensivè. *Confirm.* 1.: in eo eventu subjectum fieret magis calefactivum, & in eo sentiret tactus majorem calorem: at ex hisce signis cognoscimus intensionem qualitatum: vel ergo tunc agnoscenda est intensio caloris, vel generatim abroganda est fides experientijs circa intensionem. *Confirm.* 2.: ijdem gradus indifferentes sunt, ut vel extensionem, vel intensionem faciant: sed, qui extensionem faciunt, sunt similes: ergo. *Prob. Maj.* exem-

exemplis. Nam vinum rubrum, si aquâ diluatur, minùs rubrum apparet; non aliâ de causâ, nisi quia gradus rubedinis, anteà intensionem facientes, posteà in plures materiæ partes dispersi, faciunt extensionem. Item vitrea conspicilia ideò conferunt ad visionem clariorem, quia species aliàs diffundendæ per oculum, & extensionem facturæ, conspiciliorum ope coeunt in unum veluti punctum, & intensionem faciunt. Similiter fit rumor, aut sonus intensior ex pluribus sonis in eodem loco simul editis, qui possent in diversis locis seorsim edi.

59 *Inprimis* argumentum retorqueo. Potest intensio fieri per gradus dissimiles, ita ut non sit opus recursu ad causam primam, vel ad occultam rerum naturam, pro reddendâ ratione multiplicis experientiæ: ergo ita fit de facto; quia recursus iste non est absque necessitate faciendus. *Deinde* insto multifariam. 1. exemplis adductis n. 40. & 42.: nam idem objectum, simul visum ab octo lippis, fieret magis visum: Petrus, simul cognoscens homines octo per octo cognitiones similes, fieret magis cognoscens: eadem materia, simul recipiens plures formas igneas, fieret magis ignita; sed in his tò *magis* non sumeretur extensivè: ergo intensivè. 2.: intensio, juxta Adversarios communiter, non fit sine unione graduum inter se: & tamen, si subjectum idem reciperet plures gradus non inter se unitos, fieret magis calidum, & non extensivè. 3.: idem subjectum simul habens calorem, lucem, albedinem, dulcedinem, est magis qualificatum, quàm si solam lucem haberet: non magis extensivè: ergo intensior qualificatio resultat ex illis omnibus qualitatibus.

60 Fatendum est igitur, dari medium inter *magis intensivè*, & *magis extensivè*, si hoc tantùm sonet extensionem quantitativam: datur enim quoddam *magis*, quo significatur extensio purè numeralis, in merâ entitatum multiplicatione consistens, quæ nec facit intensivè majus, nec cum quantitativâ extensione coincidit: æque in hoc sensu idem valet *magis* ac *pluriès*. Hoc patet in nuperis instantijs; nec non in hypothesi, quâ idem effectus produceretur à duplici simul causâ totali, vel idem locus à duplici simul corpore repleretur: tunc enim & effectus *magis* productus, & locus esset *magis* occupatus, idest, *pluriès*. In formâ *neg. Antec.* objectionis: quia intensio, cùm sit unum per se, indiget partibus naturaliter coordinatis, ut unianter invicem unione penetrativâ; nequit enim unio ista esse per se, nisi partes ita coordinatæ sint: tales autem esse non possunt gradus omninò similes, ex dictis n. 39. Ad *prob. dist. Maj.*: fieret magis calidum, idest, pluriès, *conc.*; aliter accepto *magis neg. Maj.* Tum *dist. Min.* Si tò *extensivè* sonet extensionem quantitativam, *conc.*; si sonet extensionem purè numeralem, *neg. Min.*, & *Consequ.*

61 Ad 1. *Confirm.*: subjectum in eo eventu foret magis calefactivum extensivè, quatenùs in pluribus partibus passi posset producere calorem ut unum: non tamen intensivè; quia in nullâ parte passi producere posset calorem ut duo, cùm in suâ virtute non contineret gradum secundum. Tactus autem sentiret calore purè numeraliter majorem, quatenùs sentiret plures caloris gradus. Nec sensatio ipsa, licèt unica sentiret indivisibiliter gradus omnes, foret propriè intensa; quemadmodum, si daretur hæc indivisibilis cognitio, *Petrus, & Paulus*, non esset intensior, quàm cognitio, *Petrus*; sed solùm esset virtualiter, aut æquivalenter extensior, utpotè æquivalens duabus similibus. Fallerentur quidem sensus in eo eventu quâdam intensionis imâ-

imagine: sed fallerentur pariter, si octo subjecti partes, calidè ut unum, penetrarentur divinitùs; vel, si octo caloris gradus in eodem subjecto existerent absque unione inter se: quibus in exemplis eadem difficultas premit Adversarios. Nec ideò sensibus, aut experientijs generatim abroganda fides: potest enim indicium aliquod esse physicè evidens, quàmvis in eventu miraculoso non valeat. Sic accidentia panis indicium prębent substantiæ panis physicè evidens; quod tamen in Eucharistiâ valere definit.

62 Ad 2. *confirm. neg. Maj.*, quin obstent exempla probationis. Nam vini rubedo, dum aqua miscetur, non spargitur in plures materiæ partes; si enim transiret in partes aquæ, mutaret subjectum adæquatum; quod nemo dixerit. Ideò ergo minor apparet, quia partes vini per admixtionem aquæ minùs conjunctæ sunt; unde & minùs vividam oculis speciem mittunt. Cum autem rubedo, & quodvis aliud objectum, sit causa æquivoca specierum, potest eas producere magis aut minùs perfectas pro diversitate applicationis, aut subjecti, vel medij. Et hæc eadem est ratio, cur conspicilia juvent ad videndum clariùs; quia scilicet illa dispositio medij conducit, non ut species similes coeant, sed ut objectum in pupillâ producat perfectiorem speciem. Ad exemplum de sonis remissis, posito quòd sint omninò similes, dicatur, eos non in eâdem aeris parte recipi, nec in unum coalescere rumorem, aut sonum intensum; posse tamen ab omnibus simul æquivocè produci perfectiorem speciem in auditu, quàm quæ ab uno tantùm produceretur, indeque resultare perfectiorem etiam auditionem. Ubi nota, communiter idem dici de specie intentionali, quod de actu vitali, scilicèt ejus intentionem esse impropriam, seu virtualem, nempe quatenùs potest produci species perfectior loco imperfectioris.

63 *Obj.* 2.: eadem pars aeris intensiùs illuminatur à duabus lucernis æqualibus, quàm ab unicâ: sed ab utrâque producitur lux ejusdem rationis: ergo. *Confirm.* 1.: quia, si una lucerna post aliam adveniat, gradus lucis ab ipsa producti, & lucem intensiorem complentes, possunt ijdem perseverare in luce remissâ, si nimirùm prior lucerna postmodùm extinguatur: cur enim pereant permanente eodem subjecto & agente applicato, & nullo contrario oppugnante? Idquod vel oculi testantur: nam, si posterior lucerna sit sulphurea, extinctâ priore videbitur adhuc eadem lux pallida, seu livida, quæ anteà procedebat à lucernâ illâ posteriore. Gradus ergo illi non ita supponunt priores alios, ut sine his existere non possint; atque adeò non sunt heterogenei. *Confirm.* 2.: habitus jejunandi v. g., fit intensior, repetitis actibus similibus: ergo fit intensior per gradus similes; non enim à jejunijs ejusdem rationis causari possunt in habitu diversi gradus.

64 *Resp.* ad *object.*: utraque lucerna, simul applicata, producit actione communi unam & eamdem lucem intensam, ex gradibus heterogeneis compositam, quam unaquæque lucerna continet ut causa æquivoca ratione virtutis substantialis. Ideò autem non totam producit unica lucerna, dum sola existit, quia obstat materiæ tenuitas; sicut obstat in igne modico, ne tantumdem caloris in aere proximo producat, quantum produceret duplo major. Hoc ipsum dicere debent Adversarij, si rogentur, cur à duabus lucernis æqualibus producatur in aere lux ut quatuor, si ab unicâ non producitur nisi lux ut duo? cum aliunde certum sit, à duplici lucido

remisso produci non posse lucem intensam? Fateantur igitur necesse est, lucernam unicam remissius agere, non ex defectu intensionis, aut continentiæ virtualis ex parte sui, sed ex tenuitate materiæ.

65 Ad 1. *confirm.*: lucerna posteriùs adveniens producit (vel se solâ, vel simul cum alterâ per actionem communem) novos lucis gradus heterogeneos, quartum, v.g. & quintum, qui priores alios per se supponunt, & qui non procederent ab eâdem posteriore lucernâ, nisi subjectum supponeretur dispositum per priores gradus; si enim lucerna ista applicaretur aëri non lucido, vim suam impenderet in prioribus gradibus producendis, sicut impendit lucerna prior. Hinc, si lux aëris remittatur extinctâ priore lucernâ, non permanent quartus & quintus gradus, anteà producti à lucernis posteriore, sed pereunt ex defectu subjecti, nempe ex defectu graduum inferiorum cum priore lucernâ pereuntium: gradus enim inferior, vel est subjectum superioris, vel certè dispositio, seu conditio naturaliter necessaria ex parte subjecti; quâ conditione deficiente, deficit subjectum in ratione proximè dispositi ad gradum superiorem. Lucerna ergo posterior, extinctâ priore, desinit conservare gradus quartum & quintum, & producit inferiores alios, perinde ac si ab initio prior advenisset; qui gradus poterunt superiores imitari colore sulphureo.

66 Ad 2. *confirm.*: idem ferè dicimus, quod suprà de lucernis; nempe habitum intendi ab actibus, ut à causis æquivocis; quæ, licèt singulæ virtualiter contineant totam intensionem habitûs sibimetipsis proportionati, non totam singulæ producunt ex defectu dispositionis in subjecto, vel etiam ob tenuitatem propriæ durationis. Quare primus actus, quia subjectum invenit indispositum, producit habitum in gradu valde remisso: secundus actus, licèt priori similis, cùm jam inveniat dispositionem aliqualem, producit superiorem & heterogeneum gradum, vel partem ejus: & sic de cæteris. Vid. P. Suar. d. 44. Met. s. 10., præsertim n. 13. & seqq.; ubi explicat, quomodò potentia resistat productioni habitûs; & probat, non posse habitum intendi per actus similes & æquales ultra gradum intensionis ipsorum. Eadem esto responsio ad exemplum, etiam objici solitum, de gravitatione, vel impulsu, qui redditur intensior per additionem ponderum æqualium, v. g. multiplicando grana tritici. Et quidem, nisi in granis, actibus, lucernis, & aliis hujusmodi, supponatur virtus æquivoca continens totam intensionem effectûs, exempla ista probant, à multis calidis remissis produci posse calidum intensum, sicut gravitatio intensa producitur à multis arenulis tenuissimis.

67 *Objic.* 3.: si gradus sunt heterogenei, superiores erunt perfectiores inferioribus: ergo gradus octavus se solo continebit perfectionem cæterorum; quos proinde reddet in eodem subjecto superfluos; sicut anima rationalis reddit in suo corpore superfluas inferiores animas, quia perfectionem continet earum. *Respondent* aliqui nostræ sententiæ defensores, gradus omnes, licèt dissimiles, perfectione tamen æquales esse, juxta sententiam in Animallicâ probabilem, quòd specifica diversitas non semper infert inæqualitatem perfectionis: & quâvis primus gradus deprimatur titulo subordinationis ad secundum, imperfectio ista compensari poterit per majorem independentiam; secundus enim pendet à primo, non è converso, & sic de cæteris. Quæ solutio satis est expedita.

Com-

68 Communis tamen *respons.* concedit perfectionis excessum in superioribus relatu ad inferiores, non quidem simul sumptos, sed singulatim; sicut adamas fortè est inter pretiosos lapides pretiosissimus, quàmvis pretio non superet cæteros omnes simul acceptos. Itaque gradus octavus continet singulos alios eminenter, tum continentiâ perfectionis, quia perfectior est singulis; tum continentiâ virtutis in qualitatibus activis, quia potest influere in productionem eorum, vel similium. Et hinc non eos reddit in subjecto suo superfluos; cùm octavus ipse non sit formaliter gradus septimus, sextus, &c., nec se solo constituat subjectum v. g. calidum ut septem, vel ut octo; si enim sine alijs existeret solùm denominaret subjectum *calidum gradu octavo*. Sic lux non reddit calorem in subjecto proprio superfluum, quia non est formaliter calor, quamvis illum contineat virtualiter, aut eminenter. Deserviunt ergo inferiores gradus, tum ut subjectum disponant ad superiores, tum ut illud reddant formaliter calidum ut unum, ut duo, &c., tum ut superiores adjuvent ad operandum. Anima verò rationalis reddit superfluas inferiores, vel quia ipsa constituit corpus formaliter sensitivum, ac vegetativum, vel quia est forma substantialis, quæ non patitur consortium alterius. Magis certè superfluas reddit animas alias æquales, & similes: unde retorquetur exemplum.

69 *Replic.*: gradus octavus excedit septimum excessu ut unum, excedit sextum excessu ut duo, & sic deinceps: ergo excedit primum excessu ut septem: ergo tantum valet solus, quantum septem alij simul sumpti. *Inprimis*, licèt totum admitteretur, non ideò septem gradus forent superflui, cùm deservirent ad fines nuper indicatos. Deinde *dist. Antec.*: excessu ut unum, duplicante valorem septimi gradûs, *neg.*; excessu ut unum, parum præponderante valori septimi, *conc. Antec.* Idem intellige proportione servatâ de sexto, & cæteris. Tum *dist. 1. consequ.*: excessu ut septem, idest, septiès majore, quàm sit excessus suprà septimum gradum, *conc.*; excessu ut septem, æquivalente septem gradibus simul, *neg. 1. & 2. consequ.* Itaque excessus octavi supra septimum exiguus est: non enim consistit in eo, quòd octavus sit in aliquo genere, vel ordine superiore, sicut visio beatifica respectu visionum cæterarum; sed in eo, quòd sit naturâ suâ determinatus ad talem modum intensionis constituendum, sibi subordinando septem alios; vel etiam in eo, quòd sit aliquatenùs activior. Quare excessus ille, seorsim inspectus, fortasse non æquivalet perfectioni septimæ partis, quæ vel re, vel ratione distingui poterit in gradu septimo: ac proinde, licèt sit septiès major excessus octavi supra primum, non ideò æquivalet septem gradibus simul. Pone homines octo, quorum octavus septimum excedat uno tantùm digito, sextum duobus, & sic deinceps: non ideo solus octavus evadet æqualis septem alijs simul acceptis. Sic etiam, licèt smaragdus à topazio, hæc à sapphiro, hæc ab unione, hic ab adamante superetur, non ideò solus adamas cæteris simul sumptis æquivalet.

70 Scio, quosdam velle, ut in qualitatibus non activis, v. g in albedine, gradus superiores (ita vocantur, qui præsupponunt in subjecto alios) sint minùs perfecti, quàm inferiores; tum quia minorem durationem exigunt, cum citiùs expellantur; tum quia dependent ab inferioribus, cùm sine his existere non possint: quæ imperfectiones in qualitatibus activis,

v. g. in calore, compensantur per majorem activitatem superiorum graduum; at in non activis non est unde compensentur. Verùm hęc opinatio repugnare videtur communi sensui, qui, positâ graduum heterogeneitate, inferiores in omni qualitate concipit subordinatos superioribus: nihil autem perfectius subordinatur imperfectiori. *Dices*: subordinatio nihil est aliud, quàm dependentia superiorum ab inferioribus. *Contrà*: subordinatio, licèt importet dependentiam, aliquid amplius addit: non enim quidquid ab alio pendet, illud sibi subordinat; alioquin proprietas accidentalis subordinaret sibi subsitantiam: requirit igitur subordinatio, ut id, cui alterum subordinatur, sit altero dignius. Accedit, quòd gradus inferior suapte naturâ dispositio est ad superiorem, quo proinde imperfectior esse debet, cum producatur in gratiam illius; ut patet exemplo dispositionis ad formam substantialem. Accedit insuper, quòd nomen ipsum *gradus* in partibus intensionis indicat, ab unis ad alias gradatim ascendi tamquam ad altiores: nullo autem sensu altiores sunt, si perfectiores non sunt. Quapropter major inferiorum independentia, & resistentia major, seu major exigentia durationis, compensatur per meliorem naturam graduum superiorum, quę semper eos reddit magis activos: nulla enim est qualitas, quæ non sit æquivoce saltem activa alicujus effectûs, & eò perfectioris, quò ipsa intensior est. Albedo v. g. saltem activa est speciei visualis, eamque producit meliorem, ac vividiorem, dum est intensior. De cętero sæpè accidit, ut forma imperfectior sit magis resistiva, magisque tenax durationis; ut patet in formâ ferri, vel saxi, comparatâ cum animâ bruti. Sæpè etiam forma perfectior per imperfectior expellitur, ut anima per formam cadaveris: unde nihil mirum, quòd gradus octavus & supremus caloris v. g., expellatur ab infimo frigoris.

71 *Objic.* 4.: si gradus heterogenei sunt, erunt specie diversi: ergo uniri non poterunt ad constituendum unam per se qualitatem intensam; alioquin posset una per se qualitas resultare ex albedine & dulcedine, vel ex frigore ut quatuor & calore ut quatuor. *Confirm.* 1.: quamvis albedo & nigredo conveniant in ratione coloris, quia tamen differunt specie, nequeunt intensivè uniri: ergo pariter gradus caloris primus & secundus, licèt conveniant in ratione caloris, si tamen specie discrepant, intensivè uniri non poterunt. *Confirm.* 2.: juxta scitum proverbium, *Magis & minùs non variant speciem*: cum ergo calor intensus à remisso non differat, nisi penès magis & minùs, nihil importat specie diversum; sed subjectum denominat *magis calidum*, non *diversè calidum*. Verùm hæc objectio probat contra plerosque Adversarios, intensionem ex gradibus heterogeneis impossibilem esse. Deinde, sunt qui velint, gradus intensionis, licèt magis inter se dissimiles, quàm partes extensionis, non ideò specie distingui; quia tota heterogeneitas pertinet ad differentiam individualem: quemadmodùm duæ visiones candoris A., elicitæ à Petro & Paulo, dissimiliores sunt, quàm aliæ duæ ejusdem candoris elicitæ à solo Petro; nec tamen specie differunt. Cui solutioni favet P. Suarez cit. d. 46. s. 1. n. 40.

72 Quia tamen gradus admittimus, non utcumque dissimiles, sed inæquales, ideò cum communi concedimus, eos inter se differre specie partiali, & incompletâ, ideòque specie per se ordinatâ, ut cum aliâ comparte diversæ indolis constituant unam

unam per se speciem completam, & totalem. Nec oppositum docet P. Suarez, qui loc. cit. solùm permissivè loquitur. Quòd autem partes inter se diversę coordinari possint ad unum per se constituendum, ex terminis minimè repugnat; ut cernere est in materiâ & formâ substantiali, & in partibus formę corporeitatis juxta Scotistas, & juxta alios ex Adversarijs in partibus heterogeneis animę bruti, vel plantæ. Nec propterea intensionem facient albedo & dulcedo: differunt enim specie completâ, ideòque ordinantur ad constituendas intensiones completas specie diversas. Sed unde, inquis, hoc constat? *Resp.*: ex eo, quòd unaquæque summè intendi, ac perfici potest in subjecto sine admixtione alterius, ut albedo in cygno, & dulcedo in nigro aliquo liquore. Eadem ratio militat in calore & frigore: & præterea, quòd frigus, quo magis intenditur, eò minus caloris secum patitur, & è converso.

73 Ad 1. *confirm.*: in albedine & nigredine, ut pertineant ad diversas species completas, militant rationes eædem, quæ in calore & frigore. Quare ratio coloris, etiam completè sumpta, est species subalterna, sub se continens plures species completas; at ratio caloris, si completè sumatur, est species aroma; solùmque est species subalterna, dum incompletè sumitur, sic enim continet sub se plures caloris species partiales. Non aliter, ac Logica habitualis, completè sumpta, species aroma est; incompletè verò, subalterna, utpotè contribibilis per habitus definiendi, dividendi, & argumentàdi, inter se diversos: quod etiam videre licet in anima, vel formâ corporeitatis leonina, dum incompletè accepta comparatur ad partes carneam, osseam, nerveam, &c. Ad 2. *confirm.*: magis & minus in intensione non variant speciem, prout constituunt ab alijs speciebus completis; calor enim, sive remissus, sive intensus, eque distinguitur ab omni specie, quæ non est species completa caloris, nec ad illam pertinet: attamen speciem variant varietate partiali ad eamdem speciem completam pertinente: quod exemplo Logicæ, vel formæ leoninæ, explicari poterit. Similiter calor intensus non reddit subjectum *diverè calidum* diversitate ad aliam speciem completam attinente; bene tamen, diversitate spectante ad eamdem speciem totalem. Ex dictis inferes, gradus advenientes calori remisso, licet sint partes integrantes respectu essentiæ caloris ut præscindentis a remisso & intenso, esse tamen essentiales respectu caloris ut intensi, vel complete sumpti.

74 *Obje. 5.*: datâ compositione continui Aristotelicâ, sequitur 1. ex nostrâ sententiâ in calore quovis infinitudo partium dissimilium, adeòque non communicantium, quę infinitudo categorematica erit. Sequitur 2., quòd in calore ut octo pars aliqua erit infinitæ perfectionis, utpotè excedens infinitas alias, in quas dividi potest intensio continua: id quod pariter sequitur in gradu quolibet, cum primus gradus v. g. sit divisibilis in infinitas particulas heterogeneas, & inæqualiter perfectas. Sequitur 3. infinitus processus in partibus per se subordinatis, qui non minùs absurdus est, quàm in causis efficientibus. *Resp.*: Non tenemur in continuo admittere sententiam Aristotelis, continuis tenebris & difficultatibus plenam. Sed, si admittatur, ad objectionem respondendum est per instantiam. *Primâ* sequela distinguatur sic: Si pariter sequatur in quovis continuo infinitudo categorematica partium similium non communicantium, *transeat* 2. si non sequatur,

tur, *neg*.. Satis oſtendimus in Phyſicâ diſp. ult. cap. 1., hac difficultate generaliter premi continuum Ariſtotelicum : neque ulla ſolutio dabitur pro continuo homogeneo, quę non profit heterogeneo.

75 *Secunda* ſequela ſic : Si pariter ſequatur, quòd in paleâ palmari pars aliqua erit infinitę molis, & infinitè diſtans ab alijs, *tranſeat* : ſi non id ſequatur, *neg*.. Vide Phyſicam cit. cap. 1. n. 5. & ſeqq., ubi oſtendimus, quòd, ablatâ & ſepoſitâ primâ medietate, poteſt Deus alias ſine fine auferre adæquatè inter ſe diſtinctas, minores, & minores, & omnes aliqualiter extenſas : unde moles primæ medietatis excedet infinitas alias, & quidem ſimul ſumptas. Diſtabit etiam infinitè particula extrema paleæ à quavis alia non immediatâ, ſiquidem inter utramque mediant infinitæ particulæ, arqueadeò infinitæ extenſiones. *Tertia* demùm ſequela ſic : Si pariter ſequatur infinitus proceſſus, & quidem cauſarum efficientium, quando ignis per materiam palmarem continuò ſerpit, ita ut aliæ partes ab alijs producantur ſucceſsione continuâ, *tranſeat* : ſi hoc non ſequatur, *neg*.. Certè palmaris ille ignis ſine fine dividi poteſt in partes magis ac magis propinquas primo agenti, quarum unaquæque ab aliâ propinquiore producitur. His adde, quòd, ſi ex Continuo Ariſtotelico licet arguere, ſequitur ex ſententiâ Homogeneiſtarum, poſſe fieri calorem infinitè intenſum ex calore ut unum extenſo per ſubjecti palmam. Si enim Deus calorem unius ſemipalmi tranſferat in alterum, fiet calor ut duo ; ſi deinde ab unâ medietate ſemipalmi ad alteram, fiet calor ut quatuor ; ſi poſteâ de unâ in alteram medietatis illius medietatem, fiet calor ut octo ; & ſic in infinitum, cùm nullus ſit finis medietatum proportionalium. Unde, ſi totum Deus ponat in puncto terminativo, fiet intenſio categorematicè infinita.

76 *Obſic.* denique : ſi gradus ſunt inęqualiter perfecti, duo homines juſti, inæquali gratiâ pręditi, & æqualiter operantes, inæqualiter merebuntur : immò juſtus, habens gratiam ut 100., plus merebitur actu remiſſo, quàm juſtus, habens gratiam ut 4., actu valde intenſo ; nam primus ille merebitur ſaltem gradum gratiæ centeſimum primum, qui perfectione ſuperat ſeptem, aut octo gradus inferiores, quos meretur alter. *Reſp*.. Meritum creſcit, cæteris paribus, ex majore gratiâ, ſeu dignitate operantis, ut tenet major pars Theologorũ : unde ex duobus juſtis, inęqualiter gratis, & æqualiter operantibus, ille plus meretur, qui gratior eſt. Creſcit tamen meritum etiam ex alijs capitibus, ut ex majore bonitate, intenſione, & duratione actûs, quæ majoritas poterit non rarò majoritatem gratiæ compenſare, ut gratus ut quatuor tantumdem aut plus mereatur actu heroico, quantum gratus ut centùm actu remiſſo. *Dices* 1. : tanta poterit eſſe unius juſti gratia, ut compenſari nequeat per actum alterius, etiam heroicum. *Reſp*.. Non eſt hoc abſurdum : nemini quippe diſſonum erit quòd nullus juſtus tantumdem mereatur per actum charitatis heroicum, quantum virgo Deipara per actum quemlibet humilitatis v. g..

77 *Dices* 2.: ſaltem non creſcit arithmeticè meritum ex majori gratiâ : ſic autem creſceret in noſtrâ ſententiâ ; ſiquidem juſtus per actum honeſtum meretur unum ſaltem gratiæ gradum, qui perfectione adæquat gradus omnes præhabitos. *Reſp*.. Inprimis arithmeticum incrementum gravibus Theologis probatur. Deinde non infertur ex noſtrâ ſententiâ : tum

quia

quia gradus superior non adæquat inferiores omnes simul sumptos: tum quia non semper obtinetur integer, sed quoad partem aliquam duntaxat; potest enim gradus quilque dividi, vel in plurima indivisibilia, vel sine fine in particulas proportionales. *Dices* 3.: gratia, quam Sacramenta conferunt ex opere operato, semper æqualis est: oppositum autem ex nostrâ sententiâ sequitur. *Resp.*: Licèt ea gratia sit æqualis per se, ac cæteris paribus; per accidens tamen crescere potest ex meliore dispositione, & majore gratiâ suscipientis; ut probat Exim. Doctor tom. 3. in 3. p. d. 7. l. 5.. *Dices* tandem: ergo peccator, jam reus pœnæ ut centum, plus pœnæ merebitur novo peccato veniali, quàm peccator, reus ut unum, novo peccato mortali; siquidem hic meretur secundum gradum intensionis pœnæ, ille verò centesimum primum. *Neg. Consequ.*: quia quodvis peccatum mortale meretur plurimos pœnæ gradus, qui simul sumpti longè superant exiguam partem gradûs centesimi primi, prædicto venali peccato respondentem. Sed de his jam satis.

## CAP. IV.

### *VARIÆ QUÆSTIUNCULÆ HUC spectantes decidantur.*

78 QUæstiunculas voco; non quòd prolixiùs disputari non possint, ut à multis per otium disputantur; sed quod compendio decidendæ sunt nobis, quibus omnia ex professo discutere non vacat. *Quæritur* 1., quænam formæ sint intensionis capaces? *Resp.*: Formæ substantiales non sunt intensibiles, propter dicta n. 43.: quia non possunt naturaliter conjungi plures in eodem subjecto: &, si conjungerentur divinitùs, non possent per se uniri, ut ex eis una per se forma resultaret. Formæ autem subordinatæ, si admittantur, semper spectabunt ad diversa genera. Quantitas item non est intensibilis, ob rationem allatam n. 29.. Actio, & passio, dum respiciunt terminum intensibilem, intendi possunt; non quidem circa terminum in se simplicem; sed circa plures partes, quibus terminus redditur in se intensior: eductio enim plurium graduum caloris, suis etiam gradibus constat heterogeneis. Relatio autem nulla videtur intensibilis, exceptâ relatione similitudinis in qualitate, seu formâ intensibili; possunt enim duo alba v. g. reddi magis & minùs similia: hæc tamen intensio reipsa non distinguitur ab intensione utriusque albedinis, cui relatio similitudinis identificatur. Qualitates igitur sunt, quæ præcipue intensionem admittunt, quamvis non omnes; non enim in potentijs animæ locum habet intensio; nec fortasis in speciebus intentionalibus, & in actibus animæ, nisi tantum impropria, seu virtualis.

79 *Quær.* 2., quo sensu verum sit illud toties repetitum, *simile non agit in simile*? De hoc in Physicâ dictum est tr. 2. d. 3. c. 5. n. 4., nec non de illo altero, *Omne agens intendit assimilare sibi possum.* Videri quoque poterit Exim. Doctor d. 18. Met. s. 9.. Nunc tamen *resp.* 1.: simile non agit in substantialiter simile actione substantiali, v. g. unus ignis in alterum: quia nec duplex forma ignis potest simul esse in eâdem materiâ; nec nisi frustrà produceretur nova destruendo præhabitam. 2.: potest simile æquivocè agere in simile, producendo formam aliquam accidentalem, quæ nec superflua sit, nec alteri simili contraria. Sic unus homo in oculis alterius producit speciem sui. 3.: si detur simili-

litudo in substantiâ, sed non in qualitate, vel in intensione qualitatis, potest simile agere in simile actione accidentali. Sic aqua calida producit calorem in frigida, & calidior in tepidâ. 4.: si duo sint similia in intensione qualitatis, nequit alterum in altero qualitatem illam augere: & hic est præcipuus dicti proloquij sensus, quem experientia comprobat, & P. Suar. loc. cit. dicit esse veluti primum principium in Philosophiâ. Rationem dedimus n. 51.: quia ex duobus calidis ut quatuor nequit unum augere calorem alterius, nisi producendo gradum quintum; duo enim quarti gradus forent superflui, & ad intensionem inutiles: at virtus calidi ut quatuor non satis continet gradum quintum, utpotè suapte naturâ superiorem, & specie incompletâ diversum. Eadem ratio, & experientia probat à fortiori, nec remissum posse in intensum agere, ita ut calidum ut quatuor v. g. possit augere calidum ut quinque. Probat item, non posse intendere semetipsum, ita ut quatuor inferiores gradus quintum producant in subjecto proprio. Nec refert, quod quatuor interiores, simul sumpti, ratione multitudinis adæquent, aut superent perfectionem solius quinti: adhuc enim vel sic illum non continent, nec ut causa univoca, cum sint dissimiles, nec ut causa æquivoca principalis, cum nihil involvant pertinens ad speciem superiorem respectu quinti gradûs. Non tamen negaverim, posse inferiores gradus velut instrumentaliter concurrere ad superiores, si juventur, & quasi eleventur ab aliâ causâ principali, videlicet á superioribus aliis, vel à substantiâ idoneâ: quod probabile reputat P. Suar. loc. cit. n. 27. & 28.

80 Sed *objicitur* experientia multiplex, quâ videtur agens interdùm producere majorem intensionem, quam in se habeat. Nam 1. duas manus æquè calidas si conjungamus, calidiores sentimus. 2. vinum in occluso vase contentum, & puteo immersum, magis frigescit in æstate, quam aqua putealis. 3. ferrum candens comburit stupam, adeòque in eâ producit calorem ut octo, quem in se non habet, cum non sit ignitum. Similis experientia est in luce Solis, quæ per crystallum trajecta ignefacit stupam. 4. aër in hyeme congelat aquam, cum ipse non sit gelidus. 5. aqua fervens, cum sit minùs calida, quàm flamma, intensioris caloris productiva est; manum quippe raptim tranleuntem calefacit magis, quàm flamma. Huc etiam spectant Reflexio, & Antiperistasis, de quibus posteà. *Resp. ad 1.*: conjunctio manuum efficit, ut aër interjacens excludatur; quo excluso, vel accurrunt illuc interni spiritus, qui calorem augent; vel sensus antea distractus in sentiendo contiguum aërem frigidiorem, posteà sentit vividiùs calorem manuum, tametsi non auctum. *Ad 2.*: vinum vel non est tunc frigidius aquâ, licet ob densitatem magis afficiat sensum; vel redditur frigidius, non ab aquâ, sed à vaporibus frigidioribus, qui puteum inhabitant, & magis adhærent vino, quàm aquæ: unde magis frigescet vinum, si vas intra puteum propè aquam in aëre pendeat. *Ad 3.*: ferrum candens comburit stupam, vel quia multas ignis particulas in poris habet, vel quia stupa ob peculiares alias dispositiones non indiget calore ut octo, ut ignem concipiat. In objectâ experientiâ chrystalli dicendum, quòd stupa, quia magis, vel aliter disposita, potest quamlibet intensionem caloris accipere a luce, ut à causâ æquivoca. *Ad 4.*: aqua gelida non est frigidior, quam aër in hyeme circumstans: gelascit autem, non ex solo frigore, sed simul ex adventitiâ siccitate,

ut

ut alibi dicemus. *Ad* 5.: aqua fervens nequit augere calorem in flammâ existentem; potest tamen citiùs, quàm flamma, calorem in manu producere ratione majoris densitatis; quàmvis nunquam producat intensiorem, quàm sit calor flammæ, vel aquæ ipsius.

81. *Quæritur* 3., an, & quatenus multitudo agentium similium, aut major densitas agentis corporei, conducat ad meliùs operandum? *Resp.* 1. in agentibus æquivocis major densitas, aut multitudo conducit ad operandum intensiùs. Sic magis gravitat granum auri, quàm tritici, quia densius: magis etiam multiplex granum tritici, quàm unicum. Ratio: quia densitas magis conjungit partes activas, & *virtus unita fortior*: multitudo quoque validius reddit unumquodque agens auxilio cæterorum, ut cum plures homines se se mutuò juvant ad elevandum pondus. Aliunde nihil tunc agitur supra virtutem causæ: quia quodlibet agens æquivocum eminenter continet totam latitudinem intensivam effectûs inferioris, v. g. quælibet gravitas totam intensionem gravitationis, aut impulsûs; quàmvis per accidens nequeat totam producere ex defectu applicationis, aut ex parvitate molis. Unde poterit contingere, ut qualitas æquivocè agens, sit in suâ specie remissior, quàm effectus in suâ, v. g. si lux ut quatuor producat calorem ut quinque: adhuc enim non operatur causa supra intensionem, quam in se continet saltem eminenter. Hoc tamen fallit in nonnullis causis æquivocis ob peculiarem indolem earum.

82. *Resp.* 2.: in causis univocis densitas, aut multitudo non conducit, ut major sit intensio effectûs, quàm agentis: conducit tamen, ut effectus evadat intensior, quàm aliàs evaderet. Ratio prioris partis est; quia quatuor inferiores gradus caloris v. g., quantumcumque sint in materiâ densâ, vel multiplici, non satis continent gradum quintum, ex dictis n. 79.. Ratio posterioris est; quia, cùm densitas, & multitudo vires roboret, ut nuper vidimus, potest efficere, ut calidum ut quinque producat in passo non calido quatuor, aut quinque gradus, cùm solùm produxisset duos, aut tres, si esset in materiâ rarâ, vel exiguâ. Hinc plures candelæ similes (etiamsi ponantur agere, non æquivocè per substantiam, sed univocè tantùm per lucem propriam) intensiùs illuminant idem spatium aëris, quàm illuminaret unica: non tamen una itendit lucem alterius; nec plures simul intendunt lucem aëris ultra intensionem candelæ cujusque, nec intendere possent, quantumcumque multiplicarentur. Quod diximus de multitudine agentium, verum est etiam quando successivè applicantur, dummodò priorum effectus perseveret; potest enim etiam tunc augeri successivè intensio passi, licèt non ultra intensionem cujusque agentis. Sic plures ex aquâ fervidâ portiones, successivè applicatæ, plus calefaciunt manum, quàm earum unica. Id ipsum quoque verum est de multitudine partium integralium agentis continui: nam palmare calidum magis intensè agit, cæteris paribus, quam semipalmare. Nec obstat, quòd remotiores partes agentis non immediatè contingant passum: sufficit enim earum continuatio cum partibus passo contiguis, ut omnes simul agant actione communi (vide dicta in Physica tr. 2. d. 3. c. 3. n. 12.), dummodò tamen remotiores non penitùs distrahantur ad alios effectus. *Resp.* 3.: densitas, & multitudo agentium, aut partium agentis, conducit etiam, ut effectus à tali virtute producibilis producatur citiùs, & in pluribus partibus passi, atque etiam in majore distantiâ. Sic enim

virtus illa facilius expugnat contrarium, & ampliorem sphæram sibi vendicat.

83 *Quæritur* 4, an possit agens univocum perfectè assimilare sibi passum? De agente substantiali non est dubium, quin possit: ignis enim alium ignem producit sibi omnino similem, tam substantialiter, quam accidentaliter. De agente accidentali, seu per qualitatem solam operante, passim Recentiores negant, quòd possit assimilare sibi passum quoad intensionem, nisi cum eo penetretur: alioquin posset qualitas, saltem quæ contrario caret, æquabiliter extendi per totam sphæram agentis; lux enim Solis produceret in spatio immediato aliam æquè intensam, hæc aliam perfectè similem in sequenti spatio, & sic deinceps usque ad terram: unde lux æquè intensa foret propè nos, ac propè Solem; quod plane repugnat experientiæ. Accedit ratio: quia, sicut locorum distantia impedit, ita locorum distinctio (quæ datur in agente & passo non penetratis) minuit actionem agentis, cum tollat applicationem summam. Certè, si agens penetraretur cum passo, tantùm produceret intensionem æqualem: ergo, dum non penetratur, minorem producit intensionem, utpote minùs applicatum; decrescit enim effectus pro minoritate applicationis. Addunt tamen, posse interdum suppleri defectum penetrationis per maiorem densitatem, aut multiplicationem agentium, ita ut, si passo applicetur multiplex calidum ut octo, producere tunc valeat calorem ut octo: quod enim aliqui admittunt sine multiplicatione, si passum jam alioquin supponatur calidum ut quatuor, vel ut sex.

84 Mihi quidem resolutio ista placet, si de communiter contingentibus intelligatur: quia passum experimur, qualitatem, quò magis distat à principali agente, eo remissiorem esse per se loquendo, sive contrarium habeat, sive non. Ratio tamen, quæ sumitur ex defectu penetrationis, non placet. Tum quia eadem vi probat, non posse ignem producere ignem, alium omnino similem, nisi cum passo penetretur; quod est apertè falsum. Tum quia penetratio, cùm sit naturaliter impossibilis, nequit esse medium simpliciter necessarium, ut agens perfectè adæquatur finem suum naturalem, qui finis est *assimilare sibi passum*. Quare, cùm absque penetratione fiare possit applicatio summa, naturaliter possibilis, nempe contiguitas, vel immediatio localis, quòd tunc non detur perfecta illius finis consecutio, non provenit ex defectu applicationis. Accedit, quòd in luce Solari defectus penetrationis suppleri poterit per virtutem æquivocam substantiæ Solis, sicut supplebitur per multiplicationem agentium juxta Recentiores. Quapropter, vel recurrendum est ad Naturæ legem, nobis experientiâ notam; vel dicendum, quòd, cùm agens debeat agere per totum spatium sphæræ suæ (sic enim exigit commune bonum universi), nequit totam intensionem producere in spatio proximo, & contiguo; ne scilicet totas vires statim impendat, & jam nihil agere valeat in ulteriori spatio. Hinc, si sphæra lucidi, vel calidi, coarctetur per obstaculum (ut cùm flamma ignis intra exiguum cubiculum clauditur), spatium proximum intensiùs illuminatur, & calet, quàm si actio agentis ulteriùs excurrere inciperet, tantaque poterit esse coarctatio sphæræ, ut in spatio relicto prodigetur, tota intensio agentis. Unde non est naturaliter impossibilis assimilatio perfecta passi cum agente: quò etiam pertinent exceptiones ponitæ n. 83. in fine.

Sed

85 Sed *objic.* 1.: quàmvis Sol vires reservet ad ulterius spatium, lux tamen propè solem producta poterit aliam æquè intensam producere in sequenti spatio, & sic deinceps, ita ut intensio illa perveniat æquabiliter ad hos usque. *Resp.*: lux illa, Soli proxima, suam etiam sphæram habet, ad quam vires reservat: quæ vires, licèt conjungantur cum viribus à Sole reservatis, non producunt æqualem intensionem in spatio sequenti; quia utræque vires se se ulteriùs reservant ad majorem distantiam, donec finiatur sphæra. Lux igitur illa (quam pono intensam ut septem) solùm poterit cum auxilio Solis producere in sequenti spatio lucem ut sex, productura tantùm lucem ut quinque, si ageret sola. Id ipsum proportione servatâ intellige de luce productâ in reliquis partibus spatij, quæ pro ratione distantiæ sensim decrescit ex minoritate applicationis ad Solem, & ex quadam lassitudine activitatis.

86 *Objic.* 2.: ergo nec ignis in passo contiguo producere poterit alium ignem æqualem, nec calorem ut octo, cùm pariter debeat vires reservare. *Neg. Consequ.*: quia virtus substantialis, quatenùs univoce productiva substantiæ, non reservatur ad sphæram distantem, eo quod effectus deberet pro ratione distantiæ remitti, seu decrescere, & forma substantialis non est capax remissionis. Agit ergo virtus illa in passo proximo quantum potest: &, cùm ex parvo igne incenditur magna domus, non totum incendium producitur ab igne primo, sed una tantùm pars, quæ deinde producit aliam, & hæc aliam, & sic deinceps. Calor autem ut octo non semper in passo producitur ab igne agente; quia multa sunt pabula, quæ per calorem ut septem ultimò disponuntur ad ignitionem; vel quæ jam aliunde calorem præhabent. Quando autem pabulum indiget toto calore ut octo, dici potest, quòd ignis agens, & calor ejus, convertunt in pabula proxima vires calefactivas alioquin reservandas ad sphæram ampliorem, ne scilicet præterent occasio producendi substantialem effectum. Hoc accidit tantùm in primo instanti generationis: nam in sequentibus jam novas ignis conservat calorem suum, & calor agentis manet expeditus.

*De intensione qualitatis per reflexionem.*

87 *Quæritur* 3., quâ ratione intendatur qualitas per reflexionem? Reflexio est retrocessio actionis & termini versùs agens principale; cumque datur, cùm actio, quæ longiùs continuanda erat per lineam rectam, incidit in corpus obsistens, à quo veluti repercussa progressum commutat in regressum. Retrocessionem istam experimur, non solùm in motu locali, ut cùm è pariete resilit pila lusoria, nec solùm in voce, quam echo reddit, sed in variis insuper qualitatibus; præcipuè verò in luce, & in specie intentionali, quæ dum incidunt in obsistens idoneum, præsertim in speculum, quodammodò retrocedunt versùs agens, unde trahunt originem. Quod non ita intelligas, ut eadem numero qualitas, vel pars qualitatis eat, & redeat instar pilæ lusoriæ; sic enim migraret de subjecto in subjectum: sed ita, ut propagatio qualitatis, quæ futura erat ultra obsistens, ad ipsum intrinsecùs regrediatur. Ubi notandum, quòd propagatio tendens ab agente ad obsistens, dicitur *actio directa*; quæ verò tendit ab obsistente ad agens, *actio reflexa*. Linea actionis directæ vocatur *linea incidentiæ*; linea verò actionis reflexæ, *linea reflexionis*. Quando lux perpendiculariter incidens in obsistens positum, ab eodem, eadem est

linea incidentiæ, & reflexionis: sed quando incidit obliquè, tunc linea reflexionis est opposita lineæ incidentiæ, ita ut altera v. g. dexteram, altera sinistram teneat, & angulus reflexionis angulo incidentiæ sit æqualis. Sic etiam refilit pila lusoria, cujus exemplo facilè res ista percipitur.

88 Nec confundenda est cum reflexione refractio, quæ passim etiam contingit in lumine, & in specie visuali: refractio quippe non est retrocessio, sed inflexio, sive ulterior progressio cum inflexione aliquâ: & tunc accidit, cùm radius luminis transit ab uno diaphano in aliud diversæ densitatis; dumque obliquè incidit in superficiem communem utriusque diaphani, ultrà quidem progreditur, sed in eâ superficie frangitur, sive inflectitur, ita ut rectam, quâ veniebat, lineam non prosequatur, sed aliam arripiat magis aut minùs à perpendiculari recedentem. Si enim transeat à medio rariori in densius, linea refractionis magis accedit ad perpendicularem; magis autem ab eâ recedit, si radius à medio densiori transeat in rarius, v. g. ab aquâ in aërem. Hùc pertinet vulgaris experientia nummi, quem in fundo vasis vacui positum videre non poteris è loco paululùm remoto; videbis tamen ex eodem loco, si vas aquâ impleatur. Hinc etiam provenit, quòd solem videamus paulò post occasum realem, & paulò ante realem ortum. De refractione tractat ex professo Dioptrica, ut de reflexione Catoptrica. Quæ diximus, pro terminorum explicatione sufficiunt. In præsenti solùm nobis incumbit exponere, unde proveniat intensio qualitatis, quæ major esse solet propè obsistens, quàm alibi; ut cùm lumen solare clarius appareat propè speculum, aut parietem album, quàm in aëre procùl inde posito, qui minùs à sole distat.

89 Ratio dubitandi: quia, si talis intensio provenit à Sole, cur non illa, vel major producitur in aëre minùs distante? Si autem provenit à luce receptâ in obsistente, sequitur, quòd lux intensior à remissiore producitur: nam sæpe minor est lux in obsistente, v. g. in pariete albo, quàm in propinquo aëre: & quamvis in speculo non sit minor, in ipsâ luce speculi redit difficultas; quia non est à quo lux illa reddatur intensior, nisi à luce per actionem directam productâ in aëre proximo, quę remissior est. Missis aliis aliorum solutionibus, *respondeo* cum P. Suar. cit. disp. 18. s. 9. n. 34., agens principale, v. g. Solem, aut ignem, actione directâ producere qualitatem intensiorem in corpore obsistente, à quo fit reflexio, quàm in aëre intermedio, propter âptiores obsistentis dispositiones. Illa verò major intensio cauſat deinde parem, aut supparem intensionem in aëre propinquo per actionem, quæ dicitur *reflexa* relatu ad agens principale, à quo mediatè pendet, seu à quo primam trahit originem; quamvis respectu agentis immediati sit actio *directa*.

90 Unde non sequitur, intensiorem lucem à solâ remissiore produci: quia lux speculi v. g. non producitur a solâ luce directa aëris propinqui (licèt hæc forsan instrumentaliter cooperetur agenti principali ex n. 79.), sed à Sole ipso: lux autem reflexa producitur à luce speculi, quæ non est remissior. Immo nec remissior est lux recepta in superficie parietis, aut papyri, quàm quæ inde reflectitur; nec minus, sed magis intensa est, quàm lux directa proximi aëris; quia superficies illa diaphanei-tatem aliquam habet, opacitate terminatam, & aëre densiorem, quâ redditur aptior ad intensionem lucis; hac enim ratione superficies Lunæ intensius

fius illuminatur à Sole, quàm vicinus æther. Porrò, quòd possit agens interdùm producere perfectiorem effectum in passo distanti, quàm in medio, constat exemplo Lunæ nunc adducto, nec non exemplo impulsûs satis obvio: si enim fundam, aut perticam manu moveas motu circulari, cujus centrum sit versùs manum, majorem recipit impulsum extremitas distans, quàm manui proxima, cùm illa moveatur celeriùs, majoremque circulum peragat eodem tempore; quod etiam accidit, si rotam ab axe circumagas, magis quippe impelluntur partes extremæ, quam axi viciniores. Non tamen hæc, & alia contingunt absque actione per medium; ut explicatum est in Physica tr. 1. d. 3. c. 3. Quòd verò qualitas in obsistente recepta influat in reflexionem, certum videtur saltem in lumine; cujus reflexio tantò major est, quantò intensiùs illuminatur obsistens; ideòque major provenit è speculo, quàm è papyro.

91 Addo, fieri posse, ut reflectatur qualitas, licèt non sic alterius similis activa; quo in eventu actio reflexa orietur à solo agente æquivoco principali; cujus virtus, sicuti posset actionem directam continuare longiùs, nisi adesset obsistens, ita poterit quasi repulsa tantumdem operari retrorsùm, quantum erat prorsùm operatura: non aliter, ac ab eodem impulsu provenit motus directus, & reflexus pilæ Isforiæ. Addo præterea, non semper intensionem resultare ex actionibus directa & reflexa, receptis in eodem medio; vel quia non coexistunt, eo quòd perierit directa, cùm advenit reflexa, ut accidit in motu pilæ; vel quia non uniuntur inter se, nec in unam formam coalescunt, propter quamdam oppositionem munerum, ut accidit in speciebus visualibus; directa quippe repræsentat objectum ubi est; reflexa verò, in loco oppositio.

*De intensione per Antiperistasim.*

92 *Quæritur* 6., unde proveniat intensio qualitatis, quæ sæpe fit occasione contrarij circumstantis? Intensio hujusmodi per Antiperistasim fieri dicitur, quia idem significat *Antiperistasis*, ac *obsessio*, vel *circumobsistentia contrarij*. Sic loca subterranea, & puteales aquæ magis frigescunt æstate, quàm hyeme: sic manus attrectatione nivis incalescunt: sic stomachus per hyemem calidior est, quàm per æstatem, ex quo provenit, quòd tunc magis esuriat, & facilius digerat alimentum: sic etiam natantes famem sentiunt, & regionem frigidiorum incolæ majore cibo indigent. Aliqui negant, in his & similibus reipsâ dari majorem qualitatum intensionem, licèt sensibus hyemali frigore præventis videatur in hyeme calidior putealis aqua v. g., vel locus subterraneus, contrà verò frigidior in æstate, quia tunc sensorium est magis calidum. Hoc evidenter demonstrari dicunt experientiâ thermometri, quod, ut refert Author Philosophiæ Burgund., Parisijs in specu subterraneâ satis profundâ collocatum, eandem liquoris altitudinem in quâlibet anni tempestate retinuit: non igitur specus illa calidior erat in hyeme, quam in æstate; aliquin liquor thermometri ascenderet hyberno tempore, & æstivo descenderet.

93 Sed inprimis, etsi concedatur deceptio sensuum quantum ad experientiam frigoris & caloris in locis subterraneis, negari nequit vera per Antiperistasim intensio in calore stomachi, & plurimis alijs. Deinde, quod ad thermometrum attinet, contrariam experientiam affert P. Jo. Bapt. de Benedictis tom. 2. Philos. lib. 4. q.

§. 2. Quare suspectum, aut fallax est experimentum super objectum: quamvis enim thermometrum non fallat in indicando gradum frigoris, aut caloris, ambientem aërem afficientis, fieri tamen potuit, ut Parisiensis specus ex peculiari loci dispositione non facilem egressum, aut ingressum præberet halitibus; ideòque temperiem eandem retineret toto anni tempore: quare perperam inde sumitur pro cæteris specubus regula generalis. Supposita igitur vera intensione per Antiperistasim, super illius causâ dissident Philosophi: nam alij putant, qualitatem re nullam se se magis intendere ad præsentiam contrarij; quod ex suprà dictis stare nequit: alij alias afferunt causas; quas refert, & efficaciter impugnat Exim. Doctor cit. sect. 9. n. 14. & seqq.. Verisimilior est responsio ejusdem Eximij, què alij communiter sequuntur: nempe, quòd qualitas à contrario obsidente intenditur occasionaliter, & remotè; proximè verò aliquando intenditur ab extrinseco agente, quod ea occasione inibi detinetur; & aliquando ab intrinseco, dum scilicet ea occasione recedit aliud agens contrarium, quo abscedente, forma substantialis intensionem producit sibi connaturalem.

94 Exemp. gr., calor stomachi hyemali tempore, vel flante Boreâ, intenditur à spiritibus igneis, in stomacho detentis, eo quòd obstructis frigore poris minor sit cum temporis transpiratio: contrà in æstate minùs incalescit stomachus, quia laxatis caloré poris exhalantur spiritus majore copia. Utimur tamen cibis frigidioribus in æstate, quia tunc oportet calorem internum esse temperatum, ne scilicet cum externâ vi æstivi caloris conspiret ad febres excitandas. Manus attrectatione nivis incalescunt, quia interni spiritus, eò accurrentes, vel illac discurrentes, obstructione pororum magis detinentur, & coacervantur. Aquæ puteales, & subterraneæ loca in hyeme calidiora fiunt ab igneis exhalationibus, sub terrâ detentis, eo quòd terræ meatus tunc obturentur, & aër externus, densior, ac frigidior, earum alcensum impediat: contrà in æstate magis frigescunt ab intrinseco; quia tunc, laxatis terræ meatibus, calidæ exhalationes evolant, & actionem substantiæ aquæ, vel vaporum naturâ suâ frigidiorum, minùs retardant. Gignitur autem toto anni tempore sub terrâ ingens igneárum exhalationum copia ex variis mineralibus, ut notum est.

## CAP. V.

### *DE RESISTENTIA, ET REACTIONE qualitatum: nec non de successione, & continuitate alterationis.*

95 CErtum est, qualitates contrarias inter se quodammodò pugnare. Nam vel in exordio Mundi, ut cecinit Naso,

*Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,*
*Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.*

Cùm autem non detur pugna sine resistentiâ (quæ definiri potest, *conatus ad impediendum actionem oppugnantis*) idcircò resistentiam in rebus naturalibus agnoscit communis Philosophia, eamque dividit in *activam*, & *formalem*. Resistentia activa est, quæ fundatur in virtute activâ ut tali; & tunc datur, cùm unum agens conatur impedire actionem alterius, producendo, vel conservando qualitatem ipsi contrariam: v. g. cùm

cùm calidum impedit actionem frigidi, conservando calorem in se, vel illum producendo in frigido ipso, vel in toto aliquo passo, pro cujus possessione pugnatur. Resistentia formalis est, quæ fundatur in virtute informativâ, quâ tali, seu in tenacitate formæ renuentis amittere possessionem subjecti, & tunc invenitur, cùm qualitas, aut forma quævis, in præsentiâ contrarij agentis, conatur retinere suam existentiam, & inhærentiam, atque ita impedire productionem formæ contrariæ in subjecto, quod ipsa informat. His addi solet resistentia *negativa*, quæ consistit in merâ incapacitate subjecti ad formam aliquam recipiendam; quo pacto resistit opacum luci, & materia cœlestis, si specie distinguatur à sublunari, resistit igni. Verùm hæc resistentia, cùm à nullo contrario impugnetur, impropria est, aut nulla; alioquin Angelus verè resisteret vulneri, vel colori.

95 Utraque resistentia, activa & formalis, si spectetur in actu primo, consistit in exigentiâ operandi, vel informandi subjectum, non obstante præsentiâ contrarij: si verò spectetur in actu secundo, consistit in actuali operatione, vel informatione, quatenus inducente carentiam actionis à contrario præfertim possibilis. Utraque, dum sistit in actu primo, dicitur resistentia ineffax: efficax verò dum transit ad actum secundum. Aliqui volunt, sine operatione dari posse resistentiam activâ efficacem, sive in actu secundo si nempe dentur duo contraria agentia, v.g. frigidum & calidum, viribus paria, & æqualiter applicata eidem passo, nullâ qualitate præoccupato: tunc enim unumquodque producet quatuor gradus suæ qualitatis, & neutrum aget ulteriùs, sed alterum alterò efficaciter impedietur producere gradum quintum, utique per solam exigentiam æqualem. Hoc tamen ex emplum nihil probat: quia tunc resistentia efficax ex parte calidi consistit in actuali productione, vel conservatione quarti gradûs caloris, incompossibilis cum quinto frigoris: & idem accidit è converso in resistentiâ frigidi. *Dicent* pro priori ad productionem caloris Deus parat concursum frigido ad producendum quatuor gradus tantùm: ergo negatio concursûs ad gradum quintum, quæ est velut effectus resistentiæ calidi, non provenit à productione caloris, sed à solâ exigentiâ calidi. *Dist. Antec.* si ly *tantùm* sumatur præcisivè, *conc.*; si sumatur exclusivè, *neg. Antec. & Consequ.* Sicut enim, dum calidum ut 8. expellit à frigido ut 8. gradum unum, Deus prior ad productionem caloris ita parat concursum frigido ad conservandum septem gradus, ut non excludat positivè concursum ad conservandum octavum, sed quasi præcisivè se gerat, donec introducatur primus gradus caloris (alioquin non esset prior introductio unius, quàm expulsio alterius, contra communem doctrinam); haud aliter in hypothesi objectâ discurrendum.

97 Non tamen inconveniens puto, quòd resistentia sit aliquatenùs efficax per exigentiam virtutis resistivæ, prout conjunctam cum operatione, vel informatione, non physicâ, sed morali. Certè in resistentiâ formali hoc passim accidit: nam septimus & octavus gradus in instanti expulsionis suæ, quando jam non informant subjectum physicè, resistunt efficaciter pro reliquis gradibus, in eo instanti non expulsis. Immò resistentia omnis, etiam dum succumbit, semper est efficax aliquatenùs, nempe quoad effectum minuendi, vel retardandi, vel difficilem reddendi contrariam actionem: aliter nulla dabitur imago pugnæ: dicitur tamen tunc ineffax, quia non tollit actionem absolutè victricem. Hinc, si calidum ut 8. aggrediatur frigidum ut 1., etiamsi vincat in pri-

primo instanti, verè resistit unus ille frigoris gradus reddendo difficilem actionem calidi, quatenùs actio ista indiget majore virtute ex parte actûs primi pro his circumstantijs, quàm pro alijs; ideòque agens non tot producit effectus in eo instanti quot aliàs produceret, quia majores quodammodo facit impensas virium.

98 Si quæras, an resistentia formalis, & activa, semper in eodem concurrant? *Resp.* 1.: sæpe forma eadem resistit activè simul & formaliter, quasi pugnans offensivè simul ac defensivè. Sic calor manûs resistit nivi applicatæ secundùm eos gradus, qui non amittuntur in primo instanti: resistit, inquam, active, quia nivem aliquatenùs liquefacit; & resistit formaliter, quia retinendo in hærentiam suam impedit introductionem graduum contrariorum. *Resp.* 2.: potest resistentia activa inveniri sine formali. Sic in aquâ, dum ab igne calefit usque ad sextum gradum, forma substantialis activè resistit calori, quia conatur efficienter conservare frigus suum; non tamen resistit formaliter, quia non est incompossibilis cum 6. gradibus caloris in eodem subjecto, nec per eos expelli potest. *Resp.* 3.: resistentia formalis sæpe invenitur sine activâ; sicut sæpe in humanis resistentia pure defensiva sine offensivâ. Sic albedo, quamvis nihil agat, resistit nigredini. Si calor existens in aquâ, in quam nihil agit, resistit ejus formæ substantiali, quatenùs conatur calorem expellere productione frigoris. Sic etiam in ferro candenti, & in metallis igne liquefactis, forma substantialis resistit expulsioni suis quando jam nihil reagit in ignem. *Dices*: in his, & similibus activè resistit causa conservativa formæ. Sed *contrà*: sæpe forma, v. g. calor aquæ ab igne remotæ, vel forma ferri, conservatur à sola causâ primâ, quæ non resistit activè, cum quia non agit cum appetitu innato; tum quia ultrò & sponte annuit exigentiæ contrarij validioris.

99 Communiter dicitur, minorem esse resistentiam formalem, ubi major est activitas, & è converso, ita providè distribuente naturâ rebus singulis sua præsidia: quod quidem in formis substantialibus verum est utplurimùm; facilius enim extinguitur ignis, quàm destruitur aqua; facilius quoque moritur animal, quam corrumpitur adamas. In qualitatibus autem contrarijs, quàmvis dici soleat, quòd calori conveniat activa resistentia major, & formalis minor, quàm frigori; idque ipsum dicatur de humiditate respectu siccitatis: hoc tamen difficile apparet; nam quod magis resistit activè, magis atterit, aut debilitat vires contrarij, & eo ipso magis se tuetur, quod est magis resistere formaliter. Hinc, si calidum ut 8. applicetur frigido ut 8. in primo congressu non solùm magis offendit producendo duos caloris gradus, & non recipiendo nisi unum frigoris; sed etiam magis se defendit conservando in se gradus septem, cùm frigidum non conservet nisi sex. Nihilominùs dici poterit, quòd, licèt calor magis se defendat activè, minùs resistit formaliter, quia cedit minori activitati: fortasis enim activitas calidi ut 8. est quadrupla respectu activitatis frigidi ut 8. (quod patet in brevitate, quâ ignis liquefacit glaciem): si ergo in primo congressu expelluntur è frigido duo gradus, & è calido unus, activitas vincens duos frigoris est quadruplo major, quàm quæ vincit unum caloris; & consequenter activitas, cui cedit unusquisque frigoris, erit duplo major, quàm cui cedit unus caloris gradus. *Dices*: formalis resistentia debet esse in omnibus æqualis, cùm omnia æqualiter exigant conservationem sui. *Resp.*: exigentia conservationis non est in omnibus æquè robusta; ut patet in igne & aquâ, in ferro & adamante. Præterea sæpe juvat ma-

major materiæ densitas. Sæpe item juvat exigentia fortior causæ conservatricis: nam idcirco difficilius expellitur qualitas, quando inhæret substantiæ, cujus est proprietas.

100 Ex dictis facilè jam explicari potest reactio. Hæc nihil est aliud, quàm actualis resistentia activa, quâ unum contrarium, ab alio fortiori oppugnatum, invicem in eo producit aliquid propriæ qualitatis, quo vires ejus aliquatenùs minuit. Contrarium debilius dicitur in præsenti *passum*, & *reagens*, ejusque operatio *reactio*: contrarium fortius dicitur *agens*, & *repassum*. Quòdsi ambo sint viribus paria, invicèm agent, & reagent. Hanc contrariorum indolem significat Axioma illud philosophicum, *Agens agendo repatitur*; quod quidem passim comprobat experientia. Nam ferrum candens calefacit aquam, & ab eâ refrigeratur: lapis fonti applicitus communicat frigus, & caloré accipit: glacies infrigidat manum & ejus calore solvitur: aqua calida, si misceatur cum frigidâ, temperat, & temperatur sic: in alijs innumeris. Illud tamen proloquium, ut generatim teneat, nonnullis indiget conditionibus. 1., quòd agens & passum sint ejusdem ordinis, non enim Deus repatitur à creaturâ. 2., quòd agens sit intra sphæram activitatis passi; non enim Sol repatitur à terrâ, nec ignis à manu remisse frigidâ & non nihil distante. 3., quòd agens & passum materiam habeant ejusdem speciei. 4., quòd agens tentet inducere qualitatem contrariam qualitati passi: unde objectum producens speciem in oculis, & lucerna lumen in pariete, nihil repatiuntur. 5., quòd passum non sit adeò inerme, ut in primo congressu penitus vincatur: unde calidum ut 8., applicatum frigido ut 1., non repatitur; nec item in fine luctæ, seu in ultimo instanti, quo tota succúbit resistentia passi; vel etiam in penultimo, in quo jam redacta sit ad imbecillitatem extremam, seu ad gradum infimum.

101 Hucusque dicta de resistentiâ, & reactione, nonnullas patiuntur difficultates, quas oportet solvere. *Objicies* 1.: resistentia vel est inter æqualia, vel inter inæqualia: sed utrumque repugnat: ergo. *Prob. Min.*: si est inter duo æqualia neutrum vincit, nec vincitur: ergo, utriusque resistentia simul est efficax, & non est efficax; est, quia non vincitur; non est, quia non vincit. Si autem est inter inæqualia, naturaliter necessarium est quòd fortius prævaleat, & vincat: ergo, si debilius resistit, appetet ré naturaliter impossibilé, cùm appetat conservare se, vel suum effectum in his circumstantijs. Objectio absurdè probat, non posse duos homines, aut duos exercitus inter se pugnare, nec alterum ab altero cum resistentiâ vinci. Igitur *neg Min.*, quia obstet probatio. Nam inprimis & si duo cõtraria sint æqualia; poterunt vinci simul & vincere quoad gradus distinctos. Finge, calidum ut 8. & frigidum ut 8. esse viribus paria: nihilominùs activitas calidi superat in primo instanti formalem resistentiam frigidi quoad gradum ejus octavum, qui non juvatur à cæteris in resistendo formaliter expulsioni sui (quamvis superiores gradus resistant pro se, & pro inferioribus, quia illis indigent ad existendum; inferiores tamen non resistunt pro superioribus, cùm sine illis queant existere): activitas enim calidi pro primo instanti, est activitas septem graduum caloris, quæ non mirum si vincat resistentiam formalem unius tantùm gradûs frigoris. Ob eamdem rationem activitas frigidi vincit, & expellit in primo instanti octavum gradum calidi: & sic deinceps ambo se mutuò vincunt in sequentib. instantibus, donec invicem se se atterant usque ad quartum, aut quintum gradum, in quo jam ex defectu virtutis neutrum aget in alterum, sed ambo à pugnâ cessabunt.

102 Si autem duo contraria sint inæqualia, fortius prævalet quidem absolutè, quia plus infert damni, quàm patitur: attamen debilius (nisi præ nimiâ imbecillitate omninò pereat in primo congressu) prævalet etiam secundùm quid, vincendo formalem resistentiam fortioris quoad aliquem gradum, vel partem gradûs. Si enim v. g. calidum ut 8. applicetur frigido ut 6., expellet quidem in primo cõgressu duos, aut tres frigoris gradus: sed tres alij, qui supersunt in frigido, activitate suâ superabunt formalem resistentiam calidi quoad gradum octavum, vel partem ejus, reagendo scilicet aliquid frigoris: quâ in re nulla est impossibilitas naturalis, cùm gradus octavus in resistentiâ formalissit omnium debilissimus. Hinc patet, quomodò passum, tametsi debilius, possit reagere, quin violetur alia paræmia philosophica, nempe quod *Actio procedit à proportione majoris inæqualitatis*. Hujus enim paræmiæ sensus est, quòd, si duo contraria decertent, nequit unum agere, vel reagere in alterum, nisi quâ parte major est unius activitas, quàm alterius resistentia formalis: quod etiam in reactione contrarij debilioris verificatur, ut nunc explicuimus. Sed adhuc *instistes*: gradus illi, qui expelluntur, suam conservationem appetunt in præsentiâ contrarij validioris; alioquin non resisterent: appetunt ergo conservationem naturaliter impossibilem. *Dist. Consequ.*: naturaliter impossibilem per se, & intrinsecè, *neg.*; naturaliter impossibilem per accidens, & extrinsecè, quia scilicet hîc & nunc extrinsecùs & contingenter adest jus aliud naturaliter prævalens, *conc. Consequ.*: in hoc enim nullum absurdum est, ut constat ex doctrinâ datâ, & probatâ in Physicâ tr. 1. disp. 3. cap. 2.

103 *Objic.* 2.: calidum ut 8. non repatitur à frigido ut 7. in primo applicationis instanti; supponitur enim applicari cum 8. gradibus, quorum proinde nullus deficere in eo instanti potest: aliunde nec repatitur in instanti sequenti, in quo jam frigidum est imbecillius: ergo nunquam. Objectio probat, nec frigidum ut 7. pati unquàm posse à calido ut 8.; quod est planè falsum. Quare *neg. Maj.* cum probatione adjunctâ: quia calidum ut 8. in primo applicationis instanti non habet positivè gradus octo, sed pro signo priori præscindit ab illo, vel ab illis gradibus, ad quos per reactionem expellendos jus & activitatem habet frigidum in eodem instanti. Quare actio calidi non oritur à gradibus, qui tunc expelluntur, sed à cæteris, qui perseverant. Solùm ergo dicitur applicari calidum ut 8., quia in instanti immediatè præcedenti habebat positivè gradus 8.; quâ ratione dicitur Soli applicari aër tenebrosus, vel igni applicari frigidum ut 4., quàmvis in ipso applicationis instanti desinat esse ut quatuor. *Dices*: ergo nunquam applicabitur calidum positivè ut octo, nec octavus gradus unquàm aget. *Neg. Consequ.*: quia sæpe frigidum adeò est imbecillum, ut non habeat jus reagendi, nec proportionem majoris inæqualitatis, de quâ n. 102.: tunc autem calidum cum octo positivè gradibus applicabitur, & aget.

104 *Objic.* 3.: qualitas nunquam resistit expulsioni sui: ergo nulla unquam datur resistentia formalis. *Prob. Antec.*: quia non resistit in instanti, in quo est; tunc enim nullum est periculum expulsionis, aut desitionis, cùm omninò repugnet eam non esse ex suppositione quod sit: nec item resistit in instanti, in quo jam non est, seu in quo expellitur; formalis quippe resistentia identificatur cum existentiâ, vel inhærentiâ actuali, quæ jam tunc non

non datur. *Resp.*: qualitas resistit formaliter in actu secundo pro instanti, in quo est, per actualem inhærentiam, quę est actualis ipsa resistentia. Nec obstat, quòd ex suppositione inhærentiæ jam non sit periculum expulsionis: nam hoc perinde est, ac non esse jam periculum non resistendi ex suppositione resistentię; quod verissimum est, & solùm probat cessare periculum ex vi resistentiæ in actu secundo. Potest autem dari pro tunc pugna, vel oppugnatio contrarij, non quòd nitatur expellere qualitatem ex suppositione quòd sit, sed quòd pro signo priori conetur ne sit.

105 Notandum tamen, quòd quilibet gradus qualitatis in instanti, in quo est, resistit etiam in actu primo pro instanti sequenti, in quo proinde, si pereat, non perit sine resistentiâ. Ratio est: quia res quælibet, dum actu existit, exigit & quasi petit ab Authore naturæ continuari conservationem sui, & consequenter non parari concursum agenti contrario, ut illam continuationem interrumpat (aliter cur non statim perit calor aquæ, dum removetur ab igne?): hęc autem exigentia in instanti A. pro B., reipsâ est resistentia formalis; fietque efficax, & in actu secundo, si Deus velut in gratiam ejus pergat conservare formam in B., denegando concursum contrario impugnanti: erit verò inefficax, si Deus ut Author naturæ non sic annuat ejusmodi exigentię. Nunquam tamen adeò erit inefficax, ut non obtineat saltem effectum minuendi, vel reddendi difficilem actionem contrarij, ex dictis n. 79.: &, cùm è frigido ut 8. expelluntur gradus octavus, & septimus, eorum resistentia erit efficax pro illo instanti quoad conservationem sexti, & aliorum, pro quibus etiam resistunt, ut notatum est n. 101.: non aliter, ac milites primâ in acie pugnantes, licèt resistendo pereant, constant tamen conservationem cæterorum, convertendo in se impetum hostium.

106 *Dices*: ergo dum expelluntur in instanti B. gradus octavus & septimus frigoris, nulla tunc est eorum resistentia præsens. *Dist.*: præsens physicè, *conc.*; præsens moraliter, aut virtualiter, *neg. consequ.*. Resistentia illa, quæ physicè fuit in instanti A. pro B., jam in B. non est physicè præsens, si tunc datur expulsio graduum; est tamen præsens moraliter, quatenùs, prout cognita ab Authore naturæ, movet ipsum, vel ab ipso obtinet in instanti B., ne concursum paret agenti contrario, nisi taliter, ut ejus actio reddatur laboriosior, ac difficilior. *Insistes*: gradus existentes in A., licèt ex tunc exigant agere in B., non verè agunt, si in B. expelluntur: ergo nec verè resistunt, licèt ex A. exigant resistere in B.. *Neg. Consequ.*: quia ad physicè agendum requiritur existentia physicè præsens: at ad resistendum sufficit existentia præsens moraliter: sic enim peccatum physicè transactum resistit infusioni gratiæ, & beneficium physicè præteritum resistit ingratitudini. *Insistes* iterùm: gradus existens in instanti A., ex tunc exigit conservari, non solùm in B., sed etiam in C., & in sequentibus: ergo, licèt expellatur in B., resistet adhuc in C., & deinceps. *Neg. Consequ.*: quia gradus eatenùs exigit conservari in C., & in seqq., quatenùs exigit conservationem suam continuari, seu non interrumpi: si autem interrumpatur in B., tota exigentia penitùs evanescit; nec jam deinceps existit moraliter; quia non ampliùs acceptatur ab Authore naturæ in ordine ad concursum cum limitatione parandum agenti contrario; alioquin minueretur nunc actio calidi propter exigentiam frigoris anni præteriti.

Aliud est in ipso instanti B.: tunc enim pro signo priori ad expulsionem nondum intelligitur interruptio, proindeque locum habet existentia moralis resistentiæ, quæ immediatè anteà præextitit physicè.

107 *Objic.* 4.: frigidum ut 8. non potest in se gradus suos octavum & septimum tueri ab impugnatione calidi ut 8. in primo congressu: ergo nec potest in ipsum reagere. *Prob. Consequ.*: quia, si frigidum vires haberet ad reagendum, potiùs eas convertere deberet ad conservandum suos in se gradus; quia magis suâ ipsius interest conservare frigus in se, quam illud in calido producere. *Confirm.*: quia major in unoquoque debet esse resistentia formalis, quàm activa, cùm magis natura quæque refugiat non esse, quàm appetat agere: si ergo nihilominùs formalis resistentia frigidi succumbit in præsentiâ calidi, à fortiori succumbere debet resistentia activa, seu vis reagendi. Ad *object. neg. consequ.* cum probatione: quia, si frigidum reagat per solam qualitatem, reaget per sex gradus, quos non amittit in primo congressu: horum autem activitas, licèt sufficiat ad producendum in calido primum gradum frigoris, non potest converti ad conservandum gradus septimum & octavum, quos non continet, utpotè superiores. Si autem frigidum reagat etiam per substantiam, si v. g. sit glacies, nec tum quidem vires ejus valere possunt ad conservandum in se gradus illos; quia ad hoc necesse erat activitate suâ superare activitatem calidi, quæ tota in eos gradus invehitur. Valent tamen in primo congressu vires frigidi ad reagendum in calido primum frigoris gradum; quia ad hoc sufficit activitate suâ superare formalem resistentiam octavi gradûs caloris; quod re ipsâ accidit, ex dictis n. 102.. Ad *confirm.* transeat *Antec.*, & *dist. Consequ.*: à fortiori succumbere debet resistentia activa, propria illorum graduum, quorum formalis resistentia succumbit, & quando succumbit, *conc.*; propria graduum aliorum, quorum formalis resistentia nondùm succumbit, *neg. Consequ.*. Non dicimus, frigidum reagere secundùm gradus, quos amittit, sed secundùm reliquos.

108 *Objic.* 5.: ergo modicus aër, interjacens glaciem & ignem, recipiet simul calorem & frigus, movebiturque motibus contrarijs, si glacies in ignem reagit. *Resp.*: non movebitur aër ille motibus contrarijs; quia recipiet calorem & frigus in eo tantùm gradu, in quo qualitates istæ sociari possunt in eodem subjecto: v. g., si aër ab igne recipit quinque gradus caloris, recipiet à glacie tres frigoris.

*Unde proveniat successio alterationis?*

109 Cùm passim experiamur, alterationem, tum intensivam, tum extensivam, in qualitatibus contrarium habentibus, fieri successivè, ideòque non totam in instanti, sed in latitudine temporis, ut cùm lignum, aut aqua paulatim incalescit ab igne admoto, vel cùm aqua suum in se frigus intendit, paulatim expellendo calorem præhabitum; dubium est, unde proveniat successio ista? Ratio dubitandi: quia ignis v. g. non majorem vim habet in secundo instanti, quam in primo; totam quippe vim calefactivam, quam in secundo exercet, jam in primo habebat citrà dubium: cur ergo non producit in primo instanti applicationis illum etiam calorem, quæ aquæ addit in secundo? & cùm eadem sit ratio de tertio, & seqq., cur non totam intensionem caloris producit in primo? Missis aliis aliorum opinionibus, *respondeo* cum com-

mu-

muni Nostrorum, præsertim Recentiorum, ideò intensionem fieri successivè, quia successivè minuitur resistentia formalis contrariorum graduum. Pro quo suppono, quod jam suprà n. 101. notavi, gradus superiores resistere, non solùm pro se, sed etiam pro inferioribus; non tamen è converso. Hinc sequitur, quòd ignis in primo instanti expellens ab aquâ gradum frigoris octavum, & septimum, non possit simul expellere sextum, quem expellit in secundo instanti; eo scilicet, quòd in primo pugnet pro sexto gradu resistentia major, quàm in secundo: pugnat enim in primo instanti, non solùm resistentia ipsius sexti, sed etiam resistentia septimi & octavi; qui posteà in secundo instanti jam non resistunt (ex dictis n. 106.), ideòque jam tunc sola pro se pugnat resistentia sexti gradûs, quæ proinde facilius vinci potest. Quàmvis ergo in secundo instanti non crescat activitas calidi, poterit tum potiùs, quàm in primo, producere tertium caloris gradum, quia tum decrescit resistentia pro sexto frigoris, qui contrarius est tertio caloris. Eadem ratio cum proportione valet pro reliquis instantibus, donec pugna finiatur.

110 *Objicies* 1.: resistentia pro sexto gradu non est major in primo instanti, quàm in secundo. *Prob.*: quia resistentia graduum octavi & septimi est inefficax pro conservatione sui: ergo etiam pro conservatione sexti gradûs; non enim magis appetit conservationem alienam, quàm, suam: ergo non juvat, nec efficaciorem reddit resistentiam sexti. *Resp.*: resistentia graduum octavi & septimi potest esse efficacior pro conservatione sexti, quàm pro suâ; non quòd illam magis appetat; sed quia propter naturalem ordinem graduum activitas contraria priùs impetit octavum & septimum, quam sextum; quem proinde non immediatè oppugnat, donec illos veluti clypeos destruat. Sic milites, primâ in acie occumbentes, sæpe resistunt efficaciùs pro alijs, quàm pro semetipsis.

111 *Objic.* 2.: licèt in secundo instanti minuatur formalis resistentia pro sexto gradu, augetur aliunde pro eodem resistentia activa; nam activitas aquæ, jam non occupata in conservando septimum & octavum, tota revocatur ad conservandum sextum: hujus igitur expulsio non est facilior in secundo instanti, quàm in primo. *Resp.*. In primis objectio non procedit, quando qualitas oppugnata non conservatur à propriâ substantiâ, sed à Causâ primâ, ut calor in aquâ, vel frigus intensum in vino. Deinde, nec urget, quando impugnatur frigus aquæ: nam in secundo instanti activitas aquæ, licèt expedita sit à conservatione graduum superiorum, occupatur aliunde, tum in reagendo, tum in conando recuperare gradus amissos, & expellere à se gradus caloris in primo instanti receptos; quàmvis enim conatus ille frustretur, tamen quasi distrahit, & aliò avertit activitatem aquæ, ne tota revocetur ad conservationem sexti sui gradûs.

112 *Objic.* 3.: sicut decrescit in secundo instanti formalis resistentia frigidi, ita decrescit activitas calidi, quippe quod, si per reactionem amisit in primo instanti gradum octavum, in secundo amittit gradum septimum, ideòque jam non agit per septem gradus, ut in primo instanti, sed per sex tantùm: non ergo facilior est expulsio sexti gradûs frigoris in secundo instanti. *Resp.*: activitas calidi non decrescit tantumdem in lineâ suâ, quantum in suâ decrescit resistentia frigidi: nam activitas decrescit uno gradu, resistentia duobus. Quòdsi argumentum convertas ad reactionem frigidi, quæ pariter successivè minuit calorem contrarij; & tamen in secundo instanti plus, aut non

mi-

minùs decrescit activitas frigidi, quàm resistentia calidi: negabo hoc ultimum; quia, licèt activitas frigidi decrescat forsan duobus gradibus, & resistentia calidi non nisi uno; attamen pars caloris, quæ per reactionem expellitur in secundo instanti, non est totus gradus septimus (quamvis ita vocari soleat claritatis gratiâ), sed tertia, vel quarta septimi pars: cujus proinde resistentia decrescit in ratione quadruplâ, vel quintuplâ, erat enim quadruplò vel quintuplò major in primo instanti, in quo juvabatur à resistentiâ totius gradûs octavi, cùm in secundo instanti resistat per se solam. Non sic autem decrescit per duorum graduum jacturam activitas frigidi reagentis, siquidem ex sex gradibus in primo instanti conservatis retinet adhuc quatuor in secundo. Si tamen redacta supponatur ad infimum gradum, jam nihil reaget, ex dictis n. 100.

113 Adde, quòd, licèt in secundo instanti activitas calidi amittat gradum unum, denuò tunc roboratur juvamine duorum graduum in primo instanti productorum; qui, tametsi inferiores, possunt instrumentaliter adjuvare superiores, in agente calido superstites, ad producendum tertium caloris gradum, ex probabili doctrinâ n. 79. *Dices*: quàmvis activitas calidi juvetur duobus illis gradibus, aliunde occupatur tantumdem eorum conservatione in secundo instanti: non ergo tali juvamine redditur robustior, aut expeditior. *Resp.* In secundo instanti ad conservandum duos illos gradus multò minor sufficit activitas, quàm ad eos in primo instanti producendos, eo quòd in secundo cesset omninò resistentia graduum contrariorum, quæ in primo virtualiter aut moraliter existentes difficilem reddebat eorum productionem, nec nisi à totâ calidi activitate vinci poterat. Quare in secundo instanti conservatio talium graduum solùm occupat activitatem calidi agentis quoad duos, aut tres inferiores gradus; cæterùm eam relinquit expeditam quoad tres gradus superiores: hi verò sunt, qui juvamine duorum in primo instanti productorum redduntur magis activi, ac robusti, quàm si soli agerent. Neque tali juvamini locus erat in primo instanti; in quo penitus occupati superiores gradus agentis in vincendâ resistentiâ contrarij quoad gradus tunc expellendos, non poterant elevare virtutem graduum caloris, primi & secundi, tunc productorum in passo, ad producendum in eodem instanti gradum tertium.

114 Quod diximus de alteratione intensivâ, dicendum pariter de extensivâ, eam scilicet ideò successivè fieri, quia successivè minuitur resistentia contrariæ qualitatis in passo extensæ. Nam, dum igni applicatur palmare lignum v.g., quod supponatur frigidum ut sex, ideò priùs incalescit pars igni propinquior, quàm remotior, quia pars frigoris propinquior minùs resistit formaliter: resistit enim per se nudam, nullo clypeo protecta; cùm in se immediatè oppugnetur ratione applicationis immediatæ: quæ verò remotior est, resistit in primo instanti, tum per se, tum per propinquiorem, quæ ipsi est pro clypeo, vel antemurali. In secundo autem instanti, devictâ proquinquiore, cùm jam immediatè oppugnetur pars illa remotior, facilius expugnatur. Idem in tertio, & sequentibus instantibus accidit cæteris ligni partibus intra sphæram ignis constitutis, sed magis adhuc ab igne remotis. *Dices*: unus, aut duplex caloris gradus, quem in primo instanti recipit pars prima ligni, poterit in eodem instanti oppugnare immediatè partem secundam, illamque proinde calefacere simul cum primâ. *Resp.* Gradus ille nihil agere potest in primo instanti; quia deest illi proportio majoris inæqua-

æqualitatis respectu frigoris in parte secundâ existentis: potest tamen in instanti secundo; quia tunc juvatur ab igne agente, qui jam minùs laborat in conservando calore primæ partis passi, ut in simili diximus n. 113.


*An alteratio successiva sit continua?*

115 Superest discutiendum, an alteratio, quæ successivè fit, fiat continuè, seu nullâ interjectâ morâ temporis; ita scilicet, ut in singulis instantibus accrescat nova pars qualitatis, donec absolvatur tota intensio, vel extensio, quæ in virtute agentis hic & nunc applicati continetur? Affirmant plures: quorum sententia probari potest; quia resistentia contrariæ qualitatis, ex qua provenit alterationis successio, continuè minuitur; minor quippe est in secundo instanti, quàm in primo, minor in tertio, quàm in secundo, & sic de reliquis: non est igitur cur agens interrumpat actionem, & otietur in instanti aliquo, siquidem quolibet designato ad otiandum, non major in eo difficultas operandi occurret, quàm in sequenti. Negant tamen alij non pauci, tum Veteres, tum Recentiores, quos citat, & sequitur P. Peinado tract. 1. de Gener. d. 4. s. 3.. Hi nimirum, licet in alterationis motu successivo continuitatem admittant per aliquot instantia, tamen in toto tractu successionis aliquas agnoscunt morulas, plures, aut pauciores, juxta variam indolem & activitatem agentium: ita ut, si agens A. moratur v. g. tertio quoque instanti, agens B. duplò validius non moretur nisi post continuationem instantium quinque, vel sex.

116 Sententia negativa [illegible] experientiæ congrua. Nam [illegible], quod ad extensionem attinet, si calorem extenderet ignis successivè continuâ per sphæram suam (sit sphæra ita mille passuum), ita ut nullum esset instans, in quo non calefaceret novum punctum loci; sequeretur contra manifestam experientiam, quòd totam sphæram calefaceret in ictu oculi. Patet: quia in ictu oculi plura labuntur instantia, quàm sint puncta in lineâ mille passuum: certum quippe est, quòd Sol, & alia corpora cœlestia spatium plusquàm mille passuum motu suo percurrunt in ictu oculi; nec tamen plusquam punctum spatij adquirunt in unoquoque instanti. Deinde, quod ad intensionem spectat, eadem urget experientia. Si enim absque morulis intenderetur calor in aquâ igni admotâ magna sentiretur intensio caloris in ictu oculi, siquidem tot constaret gradibus, aut particulis, quot instantia in ictu oculi prætervolant; atqueadeò pluribus, quàm sint partes caloris extensi per mille passus: cùm tamen in tam brevi tempore vix accipiat aqua calorem sensibilem.

117 Itaque ad rationem allatam pro contrariâ sententiâ dicendum, otia, vel morulas in alteratione successivâ, non provenire ex resistentiâ contrariæ qualitatis, nec ex alio capite, quàm ex nativâ conditione finitorum agentium; quorum scilicet limitatio virtutis nequit per plura instantia continuare motum successivum, quin otia quædam, aut morulas interserat, ut vires resumat. Vide dicta in Physicâ super continuo, ubi similes morulas defendimus in motu locali. Nec mirum esse debet, quòd ad naturam, aut limitationem agentium recurratur, dum experientia manifesta est, & ratio non suppetit: non enim aliò recurrunt [illegible], ut explicent cur approximatio [illegible] fit ad agendum. Notabis hic, supposuisse nos in quæstione istâ, ac fatè aliàs, Continuum componi ex solis indivisibilibus numero finitis; quia & hanc sententiam in Physicâ præferendam

dam duximus, & per infinitudinem partium proportionalium non tam explicari, quàm confundi quæstiones eò alludentes, opinamur.



# SYNOPSIS
## TRACTATUUM
## *DE MUNDO, DE COELO, DE ELEMENTIS, & Mixtis.*

### PRÆFATIUNCULA.

DE rebus in titulo propositis constitueram hoc loco tractare non omninò raptim, aut perfunctoriè; materiamque tractationis haud modicam apparaveram. Sed animadverto non posse id pro dignitate fieri, quin tertia hæc Cursûs philosophici Pars in volumen excresceret justo grandius, tum propter ubertimam rerum segetem, tum quia passim congredi necesse est cum Philosophiâ Corpusculari, quæ hîc maximè speciosâ novitate superbit, hîc de reseratis Naturæ mysterijs sibi plaudit, hîc Naturæ ipsius familiaritatem, & communicationem secretorum ostentat, eorum præsertim, quæ spectant ad quiddítatem luminis, caloris, fluiditatis, necnon ad gravitatem & levitatem corporum, ad vim magneticam, & electricam, ac demum ad fabricam mixtorum: Idcircò brevem tantùm synopsim hîc inferere malui, & accuratam tractationem in aliud remittere volumen, quod Deo dante separatim edam. Accedit, quòd labor Cursûs istius tricorporis eò dirigitur, ut tyrones, ad Theologiam Scholasticam aspirantes, in Philosophicis dogmatibus, & concertationibus congruenter instituí, & exerceri valeant: quem ad finem non admodùm juvat in rebus hisce diù versari, quantumcunque jucundis, & alias Philosophi scitu dignis. Siquis autem eas curiositas nosse velit in Libris plurimis & obvijs inveniet affatim expositas, facileque intelliget, si modò Physicæ generalis principijs imbutus legat: non enim tam arduæ sunt difficultatis, ut novo magisterio, novâve scholasticâ exercitatione leorsùm egeant. In hâc igitur Synopsi (quam non penitùs omittendam duxi, ne Physices studiosus, quidnam hîc desit alibi quærendum, omninò nesciat) brevissimè procedam, rerum notiones, Quæsita, & communia placita referendo potiùs, quàm discutiendo, unâ vel alterâ Quæstione, quam hùc ex Physicâ generali remisimus, exceptâ.

### CAP. I.

#### *DE MUNDO.*

1 VARIA Mundi, sive Universi acceptio, ac definitio videri potest apud Conimbric. in 1. de Cœl. c. 1. q. 1. ar. 2. Nunc sic accipitur Mundus ex Aristotele lib. de Mundo ad Alexand. ut idem sit, ac *Machina, seu Compages è Cœlo, terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quæ intra eam continentur, vel eam inhabitant*; quod ultimum addimus, ut etiam Angeli comprehendantur. De Mundo sic accepto *quæritur* 1., an sit, aut possit esse multiplex? *Resp.* 1.. Mundus de facto est unicus. Sic tenent Catholici omnes; eíque id omninò consentaneum varijs S. Scripturæ locis, quæ as-

ferunt Conimbric. in 1. de Cœl. c. 8. q. 1. ar. 2.: neque ullum indicium, ullavè ratio probabilis favet opinioni contrariæ quorundam veterum ethnicorum, aut hæreticorum. *Resp.* 2.. Possunt à Deo effici Mundi plures; cùm ad nullo ex capite repugnet, nec ex parte divinæ potentiæ, nec ex parte ipsorum effectuum. Nemo dissentit præter quosdam ethnicos, & hæreticos, saltem si Cartesium excipias existimantem, non esse alteri Mundo locum, eo quòd hujus Mundi materia occupet omnia spatia imaginabilia: quæ quidem existimatio nititur ejusdem Cartesij doctrinâ mille nominibus falsâ, quòd scilicet, ubicumque extensionem imaginamur, ibi materia sit.

2 *Quær.* 2., an Mundus ab æterno sit, aut esse potuerit? *Resp.* 1.. Mundum à Deo liberè creatum esse in tempore, vel cum initio temporis, veritas Catholica est, quam ex Scripturâ, Concil., & Patrib. ostendit P. Suar. *l.* 3. *de Op. sex dier. c.* 2. Unde graviter erravit Aristoteles putans, Mundum ab æterno esse per necessariam emanationem à Deo. Turpiùs adhuc errârunt alij, ponentes Mundum increatum, vel saltem ex increatâ materiâ factum. Nec facilè ab errore materiæ æternæ liberatur doctrina Cartesij num. præced. memorata: cùm enim in spatio, quod Mundus hic replet, extensionem imaginemur fuisse ante Mundum, & ante quodlibet initium temporis, sequitur, materiam initio carere, si extensio illa, imaginationi objecta, verè materia est. Porrò, quòd Mundus, & creatura quævis, potuerit initium habere, demonstrari valet ex ejus contingentiâ, & ex dominio, ac libertate Dei. Quod verò de facto inceperit, congruentius fuit, ut ita fieret manifestior, tum creaturarum dependentia, tum Dei in operando libertas, & ejusdem plenissima sibi sufficientia, nullius extra se indiga. Quæ pariter inter alias congruentia redditur interroganti, cur Deus non totum Universum produxerit simul, sed successivè consummaverit per aliquot dierum spatium: quâ de re videri possunt S. Scripturæ Interpretes *in* 1. *Genes.*, & Theologi *de Opere sex dier.*. Ad eosdem spectat explicare, quo sensu sacræ Litteræ doceant, Mundum aliquando jubente Deo interiturum. An autem Mundus naturâ suâ possit in æternum durare, tractant Conimbric. *in* 1. *de Cœl. c.* 12. *q.* 1. *Resp.* 2.: de potentia Dei absolutâ potuit Mundus ab æterno creari quoad res permanentes, non quoad successivas. Ita colligitur ex dictis in Physicâ *tr.* 3. *d.* 2. *c.* 5.

3 *Quær.* 3., an Mundus sit perfectus, & optimus, ita ut non possit melior à Deo creari? *Resp.* 1.. Mundus est optimus secundùm ordinem ad finem ipsi præstitutum à Divino Artifice, nempe talem ad tantam Dei gloriam, sive ostensionem attributorum, videlicet sapientiæ, bonitatis, potentiæ, justitiæ, &c.: consequenter optimus etiam est secundùm ordinem partium in toto, qui ad eum finem requiritur, quique mirabilem importat harmoniam totius machinæ Mundalis; in quâ nihil non ordinatum sit, saltem extrinsecè, ita ut etiam monstra in physicis, & peccata in moralibus, quodammodò conducant ad Universi pulchritudinem, ut eleganter ponderant SS. Patres, præsertim Augustinus. *Resp.* 2.. Mundus, entitativè sumptus, licet sit perfectissimus quoad rerum classes, sive gradus generícos (omnes enim continet, nec videtur possibilis creatura, quæ non pertineat ad aliquem ex gradibus jam existentibus); potest tamen fieri perfectior quoad rerum species; ut satis constat ex dictis *tr.* 3. *Physic.* circa repugnantiam creaturæ perfectissimæ.

4 *Quær.* 4., an Mundus sit vivens, aut animatus? *Resp.* ex Ethnicis Philosophis quidam putârunt, Mundum

dum esse magnum quoddam animal, ejusque partes omnes unâ & eâdem animâ informari. Verùm hæc opinio, quæ hodiè computatur inter somnia, validè rejicitur à Conimbric. *in* 2. *de Cœl. c.* 1. *q.* 1,. Tantùm hìc moneo, plures è modernis Corpuscularibus, quos sequitur Tosca, non satis consequenter negare Mundo vitam & animam eâdem ratione, quâ illam concedunt cani, vel equo : hujus enim animam consistere dicunt in portione materiæ subtilioris, & mobilioris, quæ intra corpus agitata varios in eo motus ciet : hoc autem genus animæ convenit etiam Mundo, siquidem, juxta hos Authores, totum Mundi corpus,& artus omnes intimè pervadit materia ætherea, subtilissima, & mobilissima, quæ motuum in singulis plurimorum causa est,

5 *Quær.* 5.,quodnam sit Mundi Systema? *Resp.*. Systema Mundi est coordinatio,seu dispositio localis magnarum partium, videlicet Elementorum, & Cœlestium corporum, in hac Mundiali machinâ; cujus figuram esse sphæricam, supponunt omnes, demonstrantque Astronomi ratione, & experientiâ. Sed in præsenti solùm agitur de coordinatione Terræ & Astrorum,præsertim Planetarum, per ordinem ad Mundi centrum. Quâ de re, missis aliis systematibus, videdis apud P. Riccíolum Almag. *l.* 9. *sec.* 1., triplex est hac tempestate systema celebre, Ptolemaicum, Copernicanum, & Tychonianum. Quorum primum, à Claudio Ptolomæo statutum, terram, ponit immobilem in centro Mundi: deinde circà terram, velut centrum, moveri dicit in circulum Planetas omnes, quos ita collocat, ut è terrâ sursùm progredienti occurrat 1. Luna, 2. Mercurius, 3. Venus, 4. Sol, 5. Mars, 6. Juppiter, 7. Saturnus; quem suprà sequatur Firmamentum, seu sphæra stellarum fixarum, suum pariter circulum diurno motu peragens circà idem centrum.

6 Secundum systema,à Nicolao Copernico inventum, aut suscitatum, & a Galilæo, Cartesio, & alijs approbatum, primò stellas fixas cum suâ sphæra ponit immobiles: deinde in hujus sphæræ, seu in Mundi centro, Solem statuit pariter immotum (juxta Cartesium, & alios, Sol in se ipso volvitur, non tamen ab eodem Mundi centro recedens), unde Solem negat esse planetam; agnoscit tamen planetas septem, quia terram inter eos numerat: tum planetas sex gyrare dicit circa Solem ut centrum tali distantiæ ordine, ut Mercurius proximè gyrum suum perficiat spatio trimestri, tum Venus ferè octimestri,tum terra integro anno, tum Mars annis duobus, tum Juppiter annis 12., tum Saturnus annis 30.: Lunam verò circùm terram volvi decernit intra mensem. Terræ autem tribuit duplicem motum; alterum (quem diximus annuum (per eclypticam, ex quo motu resultant quatuor anni tempora; alterum vertiginis circa proprium axem ab occasu in ortum spatio 24.horarum, quo ex motu resultant dies ac noctes, syderumque ortus & occasus.

7 Tertium systema, quod invenit insignis Astronomus Tycho Brahe, terram immobilem ponit in centro Mundi, & circùm ipsam moveri statuit Lunam, & Solem, ut etiam stellas Firmamenti; solùmque à Ptolemaico differt, quatenùs cæteros planetas, nempe Mercurium,Venerem,Martem, Jovem, Saturnum,ita disponit, ut non terram, sed Solem respiciant pro centro sui motus circularis. Ex tribus hisce systematibus, quâmvis Ptholemaicum placuerit communiter Philosophis & Astronomis ante telescopium inventum; hodiè tamen solum Tychonianum communiter utrisque probatur. Nam Copernicanum, licet approbari queat ut hypothesis, quatenùs, si existeret, aptè secundùm illud explica-

rentur temporum vicissitudines, & syderum aspectus; licèt insuper argumentis à ratione desumptis non facilè convinci possit falsitatis; tamen absolutè rejiciendum est, quia dictorum auctoritati Scripturæ Divinæ, clarè significantis, non terram, sed Solem moveri, ut Josuè 10., 4. Reg. 20., Eccles. 1. Psalm. 92., & sæpe aliàs. Quâ de causâ sententiam Copernici damnavit sacra Inquisitio Romana; & Galilæus, qui eam absolutè veram defenderat, eam retractare coactus est.

## CAP. II.

### *DE COELO.*

COELUM dicimus, non solùm Empyreum, supremo in loco sitam, quod Beatorum sedes est, & cujus tractatio ad Theologos actinet, verùm etiam totum illud spatium, quod Astra continet, quodque nemo dubitat esse corporeum, extensum, & integraliter divisibile. De hoc *quæritur* 1., an sit corpus essentialiter simplex, idest, non compositum ex materia & formâ? quod pariter quæritur de quovis alio cœlesti corpore, nempe de quovis Astro. *Resp.* Communis sententia compositum asserit: quod quidem evidentius est, si corpus cœleste sit corruptibile. Sed, si Cœlum ponatur ab intrinseco incorruptibile, ut volunt plurimi, & in primo instanti Mundi creatum, potest probabiliter simplex dici: quia probabile est, non repugnare corpus simplex; & aliunde corpus incorruptibile nequit ullum præbere compositionis indicium.

2 *Quær.* 2., an cœleste corpus sit naturaliter corruptibile? *Resp.* Certum est, in præsenti rerum ordine non posse ab ullo agente naturali corrumpi totum cœlum, sicut nec totam terram, totam aquam, aut totum aërem. Solùm est dubium, an cœlestia corpora possint, quemadmodùm elementa, partialem corruptionem pati. Communis Peripateticorum sententia negat. Sed oppositum cum pluribus Ecclesiæ Patribus unanimi consensu tenent recentiores Astronomi, quibus subscribunt plerique Philosophi moderni, etiam ex Peripato. Probant ex generatione & corruptione cometarum, qui à 150. annis observati sunt: omnes enim multò sublimiores Lunâ fuisse, ostendit eorum parallaxis, Lunari minor, aut ferè nulla. Est autem parallaxis, diversitas aspectûs, seu loci apparentis differentia, quâ Luna v. g., è diversis terræ locis inspecta eodem tempore, non sub ipsdem Firmamenti stellis conspicitur, sed è Salmantica sub unis, è Româ sub alijs: quæ differentia eò minor apparet, quò astrum est altius. Probant etiam ex maculis, quæ tubo optico deprehenduntur in Sole denuò genitæ, & postmodùm corruptæ, crescentes que, & decrescentes, quamdiù durant. Videri potest Author Philos. Burgund. tom. 3. tr. 2. differt. 1. c. 2., P. Jo. Bapt. de Benedictis tom. 3. Philosoph. 1. q. 3. c. 3.

3 *Quær.* 3., an materia cœlestis sit ejusdem speciei, ac sublunaris? *Resp.* Si corpora cœlestia sunt corruptibilia, sine dubio affirmandum; cùm nullum superest fundamentum pro diversitate specificâ. Adde, quòd ex aquæ materiâ cœlos fuisse formatos, magis consonum est sacris Litteris, & communi doctrinæ Patrum, ut inter alios ostendit P. Cornelius à Lapide in cap. 1. Genes.. Creavit enim Deus in principio Terram simul & Cœlum, scilicet Empyreum: creavit etiam Abyssum, idest, aquas altissimas, quibus totum repletur spatium à Terrâ usque ad Empyreum: ex hujus autem Abyssi parte maximâ formavit postmodùm aërem, Cœlum planetarium, & Firmamentum, seu Cœlum stelliferum.

4 Quæstio igitur solùm pro-

cedit ex suppositione, quòd Cœlum sit incorruptibile, nec ex alius corporis materiâ factum, quamvis ex materiâ & formâ compositum: incorruptibile, inquam, per vires omnium agentium possibilium naturalis ordinis, seu non pertinentium ad ordinem supernaturalem, v. g. per vires ignis, qui posset à Deo sine fine produci fortiùs, & activior: incorruptibilitas enim, quæ solùm resultat activitatis causarum de facto existentium, non arguit specificam materiæ diversitatem, ut ex dicendis apparebit. In hoc itaque sensu duplex sententia est in Scholis. Prima tenet, materiam cœlestem & sublunarem ejusdem esse speciei. Ita Scotistæ cum D. Bonaventurâ, & Scoto, nec non plures è Nostris, præsertim Recentiores cum PP. Molina, Jo. Bapt. de Benedictis, Poynado, & alijs: quamquam incertum est, num Authores isti omnes loquantur ex suppositione incorruptibilitatis, quam nunc exposui. Secunda materiam cœlestem agnoscit specie diversam à sublunari. Sic Thomistæ cum D. Thomâ, & è Nostris plurimi cum P. Suar. disp. 13. Met. s. 11.. Cum his concluso nostra sit.

*Si Cœlum est omninò incorruptibile naturaliter, materia cœlestis specie distinguitur à sublunari.*

5 *Prob.* 1.: possibilis est materia specie differens à sublunari, limitata nimirùm ad certam aliquam formarum speciem: ut vidimus *tr.* 1. *Phys.*: ergo talis de facto est materia cœlestis, siquidem ad suam formam perpetuò & indissolubiliter alligata nullum præbet indicium mutabilitatis, aut aptitudinis ad formas alias. Patet *Consequ.*: quia deficit eo ipso in tali materia fundamentum, quo sublunarem admittimus capacem diversarum formarum, videlicet illius ab unis in alias transmutatio. *Prob.* 2.: materia cœlestis non est ex se capax recipiendi qualitates corruptivas: ergo specie differt à sublunari, cùm careat capacitate intrinsecâ, valde notabili, quâ polleat sublunaris. Consequentia recta est apud Adversarios. *Prob. Antec.*: materia Cœli, postquam semel habuit cœlestem formam, à nullo agente naturali possibili, quantumcunque activo, & applicato, suscipere potest qualitates corruptivas, ut modò supponitur: sed hæc impotentia non provenit à solâ tenacitate, seu resistentiâ formæ cœlestis: ergo provenit ab intrinsecâ incapacitate materiæ. *Prob. Min.* si talis impotentia proveniret à formâ cœlesti, forma ista vel esset intrinsecè supernaturalis, vel polleret infinitâ vi resistivâ: neutrum dici potest: ergo &c.

6 *Prob. Maj.*: forma, quæ tenacitate suâ, seu vi resistivâ prævalet contra omnem naturalium agentium exigentiam & activitatem, tametsi crescentem magis ac magis sine fine, vel est in ordine superiore ad totas vires activas & exactivas naturæ, atque ita supernaturalis est; vel certè vim habet resistivam ab agentibus syncategorematicè infinitis insuperabilem, atque ita infinitâ resistendi vi pollet. Patet hoc 1. exemplo. Lapis, si nullâ vi supernaturali fixus, non posset loco dimoveri ab ullo impulsu possibili agentium naturalium, gravitatem haberet infinitam. Peccatum lethale, quia nullo merito possibili puræ creaturæ deleri potest, vel est infinitum in ratione offensæ, vel saltem est in ordine superiore ad omne puræ creaturæ meritum. Activitas naturalis unius agentis, cui nulla naturalis resistentia possibilis obsistere valeret, foret absolutè activitas infinita. Pariter ergo de resistentiâ formæ cœlestis existimandum.

7 Deinde ratione 2. quia forma tenacitas, seu resistentia formalis, eò major est, quò pluribus, & fortioribus agentibus obsistere valet: 3. ergo

cyli-

crescit in suo genere, quantum in genere activitatis crescit perfectio agentium, quibus obsistit. Si ergo hujusmodi perfectio agentium, quamvis in infinitum augeatur, semper vincitur, aut eliditur ab aliquâ determinatâ resistentiâ, hæc necessariò erit infinita. Sic, quia pro majore visione requiritur lumen perfectius, si daretur lumen individuum sufficiens ad visiones magis ac magis sine fine perfectas, foret lumen infinitæ perfectionis. *Confirm.*: quia, si resistentia formæ cœlestis finita esset, dari posset alia naturalis resistentia major: ergo dari posset alia resistens alicui activitati naturali, cui minor illa resistentia cederet; non enim alio ex capite major esset in genere resistentiæ: jam ergo possibilis erit activitas naturalis, cui resistere nequeat forma cœlestis: hæc igitur non erit naturaliter incorruptibilis in sensu Quæstionis.

8 *Dices*, formam & accidentia Cœli carere contrario, ideòque non propriè resistere, quia non impugnantur: quare eorum tenacitas non tam dicenda est resistentia, quàm immunitas à contrario, & mera incapacitas corruptionis. Sed *contrà*: quia, ut constat ex dictis *tract. de Generat. cap. ult.*, resistentia passiva, seu formalis, prout condistinguitur ab activâ, nihil est aliud, quàm tenacitas formæ consistens in exigentiâ propriæ conservationis in subjecto ex se capaci alterius formæ incompossibilis: tenacitas, inquam, impediens, aut debilitans actionem agentis applicati, conantis que inducere formam incompossibilem in tale subjectum: & hujusmodi resistentia formalis tamdiù est efficax, quamdiù in Divinâ prævisione fortior est, quam jus agentis applicati ad inducendam formam oppositam, ideò que postulat efficaciter, ut naturæ Author non præparet tali agenti cõcursum. Hac ratione verè dicitur adamas, aut aurum resistere igni, etiamsi nihil in ignem reagat. Atqui forma & accidentia Cœli propriam conservationem exigunt in materiâ, quæ, juxta Adversarios, ex se capax est cujuslibet formæ & accidentis corruptivi; atque ita exigunt, ut, etiamsi supponatur applicatum agens ex se productivum formæ incompossibilis, omninò impediant actionem illius, & conatum agendi frustrent, efficaciter postulando, ne Deus illi præparet concursum: ergo verè & propriè resistunt, nec minùs propriè, quàm auri forma resistit igni.

9 Negabis forsitan, in agente corruptivo, quod supponatur Cœlo applicatum, dari posse conatum agendi in materiam Cœli. Sed perperam: quia, licèt non detur conatus efficax, sive in actu secundo, negari nequit conatus inefficax, sive in actu primo, si materia cœlestis ex se capax est qualitatis corruptivæ. Agentia quippe naturalia naturaliter appetunt operari in subjecto applicato, & ex se capaci effectûs eorum. Hic autem appetitus, etiam dum est ineficax, & non obtinet actum secundum (nimirum quando adest exigentia fortior subjectum præoccupans), verè est conatus agendi; alioqui nulla res verè resisteret in instanti, in quo non vincitur, quia tunc appetitus contrarij agentis, utpotè ineficax, non erit conatus, & nulla est resistentia ubi nihil conatur ex opposito. Quomodò autem detur conatus, aut appetitus naturalis in terminum naturaliter impossibilem, cujusmodi est productio corruptivæ qualitatis in materiâ cœlestis difficultas est obvia, & ab omnibus solvenda in sublunaribus. Quoties enim calor ignis vincit frigus aquæ cùm non detur victoria sine resistentiâ, frigus, & aqua ipsa verè resistit, adeòque appetit innatè calefactionem impedire, proprium que statum conservare; quod tamen in ijs circumstantijs est naturaliter impossibile. Similiter, dum auri forma resistit efficaciter igni, verè frustrat

trat ignis conatum; qui tamen tunc respicit terminum naturaliter impossibilem, cùm naturaliter fieri non possit, ut agens prævaleat contra resistentiam validiorem. Sic in aliis innumeris.

10 Quare fatendum est, ad appetitum & conatum agendi sufficere, quòd terminus sit naturaliter possibilis attentâ secundùm se capacitate subjecti applicati, licèt reddatur impossibilis ex præsentiâ robustioris activitatis, aut resistentiæ alterius formæ; est enim hæc impossibilitas per accidens respectu subjecti, & virtutis agentis secundùm se inspectæ. Unde colliges, formam & accidentia Cœli, si sunt in materiâ communi, verè impugnari ab igne applicato; quia impugnatio in naturalibus nihil est aliud, quàm conatus inducendi formam incompossibilem. Colliges etiam, accidentia illa non carere contrario: sunt enim naturaliter infociabilia cum calore ut octo v. g., in eodem communi subjecto, & secum adferunt substantialem formam cum formâ ignis incompossibilem: hoc autem est contrariari calori ut octo: aliter, cur inter se contrariæ sunt ultimæ dispositiones ignis & auri? Certè accidentia contrario carentia possunt in subjecto communi sociari cum alio quovis accidenti, & non connectuntur cum formâ substantiali diversâ; ut cernitur in luce, & in quantitate.

11 Denique, quidquid sit de nomine *contrarietatis*, *impugnationis*, aut *resistentiæ*; de quo nonnisi vocaliter litigabitur, certum est, quòd agentia naturalia jus habent agendi in materiam communem, & applicatam, nisi obstet exigentia robustior ac prævalens: si ergo non agunt in materiam Cœli, tametsi communem, & applicatam, nec in eam agerent, etiamsi fierent in infinitum activiora; ideò est, quia prævalet exigentia robustior formæ cœlestis ad conservationem sui, & possessionem talis materiæ. Jam igitur ea forma datur exigentia prævalens contra jus omnium agentium possibilium ordinis naturalis; quæ quidem, sive appelletur resistentia, sive secùs, nequit non esse infinita, seu infiniti roboris.

12 Quapropter omnimoda naturalis incorruptibilitas Cœli non aliter salvari potest, quàm per intrinsecam limitationem materiæ ad formam cœlestem, seu per intrinsecam ejusdem incapacitatem ad qualitates corruptivas: hac enim materiæ incapacitate positâ, forma & accidentia Cœli nullum habent contrarium, cùm contrarietas non sit nisi circa subjectum commune: à nullo item impugnantur agente corruptivo, cùm nullum conetur, nec appetat agere in subjectum secundùm se incapax, & ineptum (idcircò naturaliter non conatur ignis Angelum calefacere): unde non resistunt nisi negativè, atqueadeò impropriè, quia resistentia merè negativa, consistens in incapacitate subjecti secundùm se, valde impropria est; aut potiùs nulla, cùm nullum ex opposito conatum habeat; & alioquin Angelus verè resisteret calefactioni sui: denique nec habent exigentiam suæ conservationis prævalentem contra jus agentium infinitorum, quia nullum tale jus adest, nec adesse potest. Ubi notandum, nos minimè insistere argumento pluribus familiari, videlicèt quòd materia cœlestis nequit habere potentiam naturalem, quæ nunquàm reducatur ad actum, qualis esset potentia ad formas sublunares. Novimus enim, potentias naturali, præsertim passivæ, sat esse quòd reducatur ad unum actum è pluribus æquè sibi bonis, ad quos est divisivè indifferens; ut de facto contingeret materiæ cœlesti, etsi non differret specie à sublunari.

*Objectiones solutæ.*

13 *Objic.*: non sunt multi-

pli-

plicandæ ſpecies ſine neceſſitate: ſed nulla eſt neceſſitas ponendi materiam Cœli ſpecie diverſam: ergo. *Prob. Min.*: quia incorruptibilitas Cœli provenire poteſt à ſolâ formâ, quæ ſuâpte naturâ ſit impotens expelli à ſubjecto: paſſim quippe cernimus, prædicata convenire compoſitis ratione ſolius formæ: ſic homo ratione ſolius animæ dicitur vivens, rationalis, & impotens identificari cum equo. *Confirm.*: licèt materia Cœli ſit ex ſe capax formarum ſublunarium, poteſt à formâ reddi abſolutè incapax earum: ſic humanitas, ex ſe capax peccati, redditur abſolutè impeccabilis ab unione hypoſtaticâ, & à viſione beatâ: ſic Beati corpus, ex ſe paſſibile, fit abſolutè impaſſibile per dotem impaſſibilitatis: ſic etiam materia prima, de ſe penetrabilis cum aliâ, redditur impenetrabilis à quantitate. *Inprimis* retorquetur objectio. Non eſt multiplicanda, nec adſtruenda, capacitas intrinſeca materiæ ſine ullâ neceſſitate, ullove fundamento, vel indicio: nulla eſt autem neceſſitas, nullum fundamentum pro capacitate formarum ſublunarium in materiâ Cœli; cùm nec à poſteriori adſit indicium, nec à priori ratio, ſiquidem non repugnat materia ex ſe limitata ad formam cœleſtem, ut in præſenti ſupponitur.

14. Deinde *neg. Maj.*; quia incorruptibilitas Cœli talem materiam neceſſariò poſtulat. Ad *prob.* incorruptibilitas nequit à ſolâ formâ provenire; non quod pro regulâ generali ſumamus, non poſſe prædicata convenire compoſito ratione formæ; ſed quia prædicatum hocce, niſi fundetur in genio ſubjecti, formam arguit ſupernaturalem, vel infiniti roboris in reſiſtendo; ut ex noſtrâ probatione conſtat. Ad *Confirm.* negatur aſſertum: quia materia communis nequit reddi ſic abſolutè incapax, niſi à formâ infinitè robuſtâ, cujus ſcilicet exigentia poſſidendi materiam, præponderet juri, & conatui infinitorum agentium: quemadmodùm lapis nequit reddi loco immobilis à cunctis agentibus naturalibus, niſi ratione gravitatis infinitæ, vel virtutis ſupernaturalis. Subjuncta exempla non ſunt ad rem. Nam unio hypoſtatica, viſio beata, & dos impaſſibilitatis, ſunt formæ ſupernaturales, & longè ſuperioris ordinis ad vires naturæ productivas effectuum, quos impedium. Materia verò, nec eſt ex ſe indifferens ad quantitatem habendam, vel non habendam, (ſicut eſt ad formam cœleſtem juxta Adverſarios), ſed potiùs cum quantitate omnino connectitur naturaliter, ideòque ratione ſui eſt radicaliter impenetrabilis; nec aliunde indiget quantitate infinitè robuſtâ, ut penetrationi reſiſtat: non enim quantitas contrarium habet, neque ullum corpus conatur penetrari cum aliâ materiâ quantâ: unde, cùm unum corpus alteri reſiſtit, ne locum ipſius occupet, ea reſiſtentia, quatenùs penetrationem impedit, impropria eſt, & merè negativa; ſolùmque eſt poſitiva & propria, quatenùs ratione gravitatis impedit expulſionem corporis è loco.

15. *Objic.* 1.: materia ſine diverſitate ſui ſpecificâ ſuſcipere poteſt, nunc formam facile corruptibilem, nunc difficulter amiſſibilem; ut patet in materiâ ponti, & adamantis: ergo & poteſt ſuſcipere formam ſimpliciter inamiſſibilem. *Prob. Conſeq.* 1.: quia ex eodem capite ſumi debet incorruptibilitas ſimpliciter talis, ex quo ſumitur incorruptibilitas ſecundùm quid, ſeu magna difficultas corruptionis: ſed hæc ſumi poteſt à ſolâ forma ſine diverſitate ſpecificâ materiæ: ergo & illa. 2.: quia, ſi materia, ex ſe capax impreſſionum cujuslibet agentis, poteſt beneficio ſolius formæ adamantinæ ſe protegere ab omnibus agentibus naturalibus præter unum, aut alterum; cur non etiam ab omnibus omninò ſe tueri queat ope ſolius formæ robuſtioris, qua-

qualis est cœlica? *Objectio* absurdè probat, posse lapidem à gravitate finitâ reddi simpliciter immobilem, sicuti redditur difficilè mobilis; posse quoque ignem ab activitate non infinitâ reddi simpliciter irresistibilem. Præterea *neg. Consequ.*, si forma ponatur simpliciter inamissibilis per ordinem ad vires omnium agentium naturalium, etiam possibilium.

16 Ad *prob. neg. Maj.*: quia difficultas corruptionis sine incommodo reduci potest ad tenacitatem solius formæ, cujus exigentia, licèt finita sit, robustior esse valet, quàm jus multorum agentium, utique finitum: at, si incorruptibilitas simpliciter, revocaretur ad formæ solius exigentiam, hæc evaderet infinita, utpotè superior jure infinitorum agentium, syncategorematicè saltem infinito. Exemplum habes in immobilitate lapidis. *Ad 2.*: falsum est, quòd materia communis possit ope solius formæ se protegere ab omnibus agentibus naturalibus præter unum, aut alterum, si de possibilibus loquamur: non enim possibilis est forma, quæ in materiâ communi superari non possit ab innumeris agentibus sine fine fortioribus. Poterit quidem materia solius formæ præsidio se tueri à pluribus, imò & ab omnibus de facto existentibus, quorum jus, & conatum, utpotè finitum, nihil vetat elidi & frustrari à resistentiâ pariter finitâ: unde, si Cœlum ponatur incorruptibile duntaxat per ordinem ad vires corruptivas de facto existentes, facilè concedam, non requiri materiam specie diversam; licèt forsan connaturalior, aut verisimilior sit ex primâ *probatione n. 5.*. Cæterùm non inde sequitur, quòd materia vi solius formæ resistere valeat agentibus omnibus possibilibus: sicut ex eo, quòd dari queat activitas à pluribus formis irresistibilis, malè colligitur, possibilem esse activitatem unius agentis, cui nihil resistat.

17 *Objic. 3.*: dummodò Cœlum habeat quantitatem specie diversam à quantitate sublunari, incapacem scilicet suscipiendi qualitates corruptivas (quæ non nisi mediâ quantitate recipiuntur in materiâ), hoc ipso evadet incorruptibile, tametsi non habeat materiam specie diversam: jam ergo sine specificâ diversitate materiæ stare potest incorruptibilitas Cœli. Sed facilè *respondetur*, quantitatem specie diversam à sublunari non posse materiæ cœlesti convenire naturaliter & ab intrinseco, nisi materia ipsa sit etiam specie diversa. Cùm enim quantitas sit proprietas materiæ, & connaturaliter ex eâ resultet, aut dimanet, si quantitas diversa est, necessariò supponit diversitatem in essentiâ materiæ: essentiæ quippe ejusdem speciei radicare nequeunt proprietates specie differentes, ut notum est. Si ergo possibilis sit quantitas corruptivæ qualitatis incapax, illamque Deus tribueret Cœlo ex materiâ communi constituto, miraculosè ageret; & tunc Cœlum evaderet quidem incorruptibile, sed non nisi supernaturaliter, & ab extrinseco.

18 *Objic. 4.*: formæ & qualitates Cœlestes ex se, & præscindendo à materiâ, vel contrarium habent, vel non? Si non habent: ergo, licèt recipiantur in materiâ communi, à nullo agente poterunt expelli, nec oppugnari. Si habent: ergo non exigunt specialem materiam sibi solis idoneam, & incapacem qualitatum corruptivarum: omnis enim forma, ex se capax pugnæ, & contrarietatis cum aliis, recipi debet in materiâ sibi & aliis communi. *Resp.*. Nihil de contrarietate formarum decerni potest præscindendo à subjecto, vel ordine ad subjectum certæ indolis; cum contrarietas non sit, nisi circa possessionem subjecti communis. Quare cœlestis forma, vel qualitas, sub eâ præcisione nec habet, nec non habet contrarium, sumpto ly

*non* in sensu exclusivo; sed ab utroque extremo præscindit. Quodsi cum ordine ad subjectum consideretur, talis forma, vel qualitas non habebit contrarium, si respiciat subjectum peculiare, ac de se incapax qualitatum cum ipsâ insociabilium; habebit tamen, si respiciat subjectum commune, ac de se aptum ad qualitates alias cum ipsâ insociabiles, unde & erit simpliciter corruptibilis. *Dices*: modò supponitur incorruptibilitas Cœli. Fateor: sed simul inquiritur, an cum suppositione istâ cohæreat materia communis? & nostra sententia est, non cohærere. *Dices* iterùm: non datur contrarietas, nisi inter quatuor primas qualitates, vel quæ ex eis resultant, cujusmodi non sunt qualitates Cœlestes. *Inprimis* dici poterit, qualitates Cœli esse valde affines elementaribus, si materia est communis utrisque. *Deinde* sæpe datur contrarietas inter qualitates alias altioris ordinis, ut inter habitus virtutum & vitiorum, vel scientiæ & erroris.

19 *Objic.* 5.: si Cœlum constaret materiâ diversæ speciei, non posset influere in sublunaria: ut enim detur influxus, & subordinatio, requiritur convenientia corporis influentis cum corpore influxum recipiente: nulla autem esset convenientia, nec in materiâ, nec in formâ, si cœleste corpus ex materiâ sibi peculiari constitueretur. *Resp.* Cùm sententia nostra procedat ex hypothesi incorruptibilitatis Cœli, quæ absolutè incerta est, aut falsa, ineptè in contrarium arguitur ex influentiâ absolutè existente; cùm facilè concedi possit, Cœlum de facto constare materiâ communi, quia non est incorruptibile. Præterea, non est cur ad subordinationem influxûs non sufficiat convenientia generica in ratione corporis compositi præsertim cùm cœlestia corpora non influant in sublunaria ut causæ univocæ, nec intendant proprias sui ipsorum formas in materiam sublunarem inducere. Certè non materia, sed forma est ratio influendi: unde non apparet, quid ad influendum referat convenientia specifica in materiâ. Ad extremum observa, quòd, si materia cœlestis est de se incapax formæ sublunaris, non posset cum eâ facere unum per se, licèt cum ipsâ uniretur divinitùs; quia unum per se compositum non resultat nisi ex actu & potentiâ per se coordinatis ad mutuam unionem.

### *Alia Quæsita de Cœlo, & corporibus cœlestibus attinguntur.*

20 *Quær.* 4., an cœlestia corpora sint animata? *Resp.* Communis & certa sententia est, Cœlos & sydera nullo vitæ genere animari: quia nulla in eis organizatio, nullum vitæ indicium. Nec excipias vitam locomotivam. Tum quia hæc non datur sine sensitivâ, cùm sit ejus velut proprietas, aut appendix. Tum quia motus cœlestium corporum, cùm sit perpetuus, & constantissimus in ingenti, & pæne immensâ mole, debet esse à motore validissimo, & lassitudinis incapaci, qualis certè non est anima parè locomotiva, utpotè imperfectissima, siqua detur. Est igitur motus iste, non ab intrinseco, cùm nec sit vitalis, nec in centrum tendat; sed ab extrinseco, nempe ab Intelligentijs, non informantibus, sed assistentibus, idest, ab Angelis à Deo deputatis ad Mundi regimen. Sic asserunt, aut supponunt passim cum SS. Patribus Theologi, ac Philosophi.

21 *Quær.* 5., utrùm Cœli sint fluidi, an solidi? *Resp.* Tres sunt hac de re sententiæ celebres, quarum Authores videri possunt apud Toscam *Compend. Philos. tr.* 5. *lib.* 2. *cap.* 1. Prima tenet, Cœlos omnes esse solidos: secunda, fluidos esse omnes (excepto Empyreo): tertia, solidum esse Fir-

Firmamentum, seu Cœlum stellatum; Cœlum verò planetarium, seu totum illud spatium, quod Planetas continet, esse fluidum. Hæc tertia sententia placet hoc tempore plerisque Philosophis, & saltem quoad secundam partem, omnibus modernis Astronomis, imò plurimis Ecclesiæ Patribus, & antiquis Doctoribus apud P. Celadani *tom. de benedict. Patriarchar. in cap. 1. Genes.* Sumitur ejus probatio quoad secundam partem: tum ex motu cometarum supralunarium, qui cùm sæpe observatus fuerit multiplex, & vagus, necessariò requirit spatium liberum, ac fluidum: tum ex proprio motu Planetarum, v. g. Mercurij, Veneris, qui Solem circumeunt, & modò supra, modò infra Solem divagantur, aliasque multiplices combinationes admittunt; ut etiam Satellites Jovis & Saturni circa hosce Planetas; quę quidem motuum varietas salvari nequit in primâ sententiâ sine multis incredibilibus, & intricatissimis canalibus, concentricis, & excentricis, ijsdemque fluidâ materiâ plenis. Quoad primam verò partem probari solet: tum quia in Firmamento nullum apparet fluiditatis indicium, cùm in stellis fixis nulla sit variatio motûs, aut situs: tum quia sic optimè explicantur nonnulla loca Scripturæ & Patrum, quibus Cœlorum soliditas innuitur; & quamvis de Cœlis in plurali loquantur, intelligi possunt de Firmamento & Empyreo.

22 Ex hujus Quæsiti decisione determinandus est numerus Cœlorum. Nam ex Authoribus primæ sententiæ, alij statuunt, præter Empyreum, Cœlos octo, alij novem, alij decem, alij undecim: è quibus Cœlum Empyreo immediatum vocant *Primum mobile*, quod inferiores Cœlos secum moveat, ac rapiat ab ortu in occasum spatio diurno: Cœlum octavum deputant stellis fixis, septem inferiores septem Planetis, unicuique suum; ut ita præter motum *raptum*, qui est diurnus à primo Mobili, habeant Astra motum *proprium* ab occasu in ortum ratione proprij Cœli. Nonum verò, & decimum (si dantur inter primum Mobile, & Firmamentum) ponuntur à suis Authoribus propter motum Syderum, quem vocant *trepidationis*, aut *librationis*. Ex Authoribus secundę sententiæ, alij duos tantùm Cœlos agnoscunt, Empyreum videlicet, & Sydereum, quo nomine intelligunt totum spatium, à regione elementari ad Empyreum usque diffusum, id quo moventur Sydera, tamquàm pisces in mari, vel aves in aëre: alij statuunt Cœlos tres, quia numerant inter Cœlos regionem Aëris, quæ non rarò in sacrâ Paginâ venit nomine *Cœli*, ut cùm dicitur *pluviæ de Cœlo*, *volucres Cœli* &c. Authores denique tertię sententiæ (quæ videtur præ cæteris amplectenda) Cœlos numerant tres; quorum primum, seu terrę propius, est Planetarium, videlicet tota regio fluida, ubi errantia sydera, seu Planetę vagantur (aër dici poterit hujus Cœli pars, aut appendix, ob cognationem fluiditatis); secundum est Firmamentum, stellis fixis prędituum; tertium est Empyreum, quod significat Apostolus *2. Cor. 12.*, ubi se raptum dicit *usque ad tertium Cœlum*.

23 Hinc inferes 1., nullum esse primum Mobile, quod reliqua moveat corpora cœlestia: nam Empyreum est immotum: Firmamentum verò movetur quidem, sed non movet Planetas. Profectò, cùm cœlestia corpora moveantur ab Intelligentijs, harũ virtute induci poterit tota motuum varietas, quæ in astris observatur, sine recursu ad primum Mobile. Nec cœlestia corpora reipsâ moventur contrarijs motibus: nam, cùm Sol v. g. moveri videtur ab occasu in ortum, & ad tropicos declinare, non habet reipsâ nisi motum simplicem diurnum, qui, quia spiralis est, & quotidiè aliquan-

tulùm retardatus respectu Stellarum Firmamenti, sufficit, ut Sol ad polos declinet, & ut videatur ad ortum regredi motu annuo. Sed de his latiùs Astronomi. Inferes 2., totum Firmamentum, utpotè solidum, ab uno Angelo moveri cum stellis fixis; singulis autem Planetis singulos Angelos assistere; neque enim unus tot corpora inter se distantia & inconnexa movere potest. Inferes 3., quòd, si dantur super Firmamentum stelliferum aquæ propriè tales (ut plurimi Patres, & Interpretes colligunt ex varijs sacræ Scripturæ locis), aquæ illæ non augent numerum Cœlorum; quia non habent formam cœlestem, sed elementarem. De aquis supercœlestibus fusè tractat Exim. Doctor *lib. 2. de Oper. sex dier. c. 4.*, ubi rejicit opinionem dicentium, nomine *aquæ* crystallinum Cœlum esse intelligendum.

24 *Quær. 6.*, quæ sit natura Syderum? *Resp.* Sydera dividuntur in stellas fixas, & Planetas. Stellæ Firmamenti dicuntur *fixæ*, & *inerrantes*, quia locum, & ordinem distantiæ inter se non variant, vixque motû nisi diurnum habere videntur: Planetæ verò vocantur *errones*, & sydera *errantia*, propter variationem locorum, & motuum; quamquàm in hac ipsâ variatione certam legem unusquisque servat. Quod attinet ad Planetarum naturam, constat, Solem esse corpus sphæricum nativâ luce fulgens, & productivum luminis, caloris, & siccitatis. Sed dubium est, an sit formaliter ignis? Negant, qui cœlestia corpora incorruptibilia faciunt: hi namque volunt, ut Sol sit ignis eminenter, quatenùs naturam habet nobiliorem, quæ ut causa æquivoca continet, & producit calorem, & ignem. Affirmant plerique alij præsertim moderni Philosophi & Astronomi, cum plurimis Ecclesiæ Patribus apud PP. Kirkerum, Scheinerum, & Ricciolum. Probant: tum quia Sol, per telescopium debitè præparatum inspectus, apparet velut igneum pelagus, undantis flammæ fluctibus agitatum, fumos etiam interdùm emittens, & fuligines atras, quæ varias quasi maculas exhibent in Solari corpore. Tum quia Soli conveniunt omnes proprietates ignis, nempe lux, calor, siccitas, necnon virtus alterius ignis productiva; quod quidem sensibilium effectuum experientiâ patet non minùs, quàm in flammâ, quæ apud nos est; neque ullum indicium naturæ formaliteri gneæ præbet apud nos flamma, quod non pariter præbeatur à Sole. Non tamen censetur Sol esse flamma pura, summè que rara; sed constare creditur materiâ densiore, partim fluidâ, partim solidâ, quàmvis tota sit lucida, & accensa. De Quæstione istâ videantur, si lubet, PP. Jo. Bapt. de Benedictis tom. 3. Philos. d. 1. q. 4. c. 1., Jo. Ulloa *Philos. natur. disp. 4. c. 2.*, & Tosca *Compend. Philos. tr. 5. lib. 3. propos. 2.*

25 De reliquis sex Planetis constat esse corpora pariter sphærica, sed opaca, quæ suum à Sole lumen accipiant, & ad nos usque reflectunt: id quod de Lunâ demonstrant ejus eclipses, variæque phases: eæque in Mercurio, Venere, & Marte, phases pariter observentur Lunaribus non absimiles (crescunt, & decrescant hæc Astra in lumine, apparentque nunc dimidiato disco, nunc pleno), certa pariter in ijs habetur opacitas, & mutuario luminis à Sole. De Jove autem, & Saturno, idipsum colligitur ex analogiâ cum alijs Planetis, necnon ex eo, quòd satellites suos eclipsent umbrâ propriâ. Satellites, Assecłæ, seu Comites appellantur minores quædam stellulæ, quæ circâ Planetas hosce volvuntur, & Planetarum naturam participant: & Jovi quidem sunt satellites quatuor, Saturno duo; qui vocantur etiam Saturni laterones. Putant com-

mu-

muniter Neoterici, Planetarum globos, Lunarem præsertim, componi ex solido & fluido, instar globi terraquei, magnis que montibus, scopulis, & cavitatibus constare more Tellaris; quod valde consonum est observationibus telescopij. Plerique tamen non audent apertè dicere, Planetarum partes, solidam, & fluidam, esse propriè terram, & aquam; sed tantùm ajunt, terræ & aquę affines esse, vel non absimiles.

26 Jam de stellis fixis communis sententia tenet, earum corpora propriâ luce fulgere: cùm enim usquèadeò à Sole distare credantur, ut Sol ex earum loco inspectus non appareret major stellâ mediocri, fieri nequit, ut à Sole ipso tam ingentia corpora tantam & tam vividam lucem accipiant. Hinc Moderni plurimi stellas fixas faciunt igneæ naturæ, tanquàm totidem Soles: quod tamen non ita plausibiliter, ut in Sole, probari potest; cùm in stellis non alia certò conflet similitudo, vel proprietas ignis, præter lucem, & ex proprietate unâ non liceat colligere identitatem specificam. De Syderum, tum erruntium, tum inerruntium magnitudine, distantiâque à terrâ, necnon de multiplici motu Planetarum, tractatio propriè pertinet ad Astronomos.

27 Porrò, quòd sydera omnia generatim naturæ sint aptæ ad influendum in sublunaria, non solùm per lucem & calorem, sed etiam per occultiores alias influentias, quæ variæ sunt pro variâ indole, vel temperie syderum, varioſque inducunt effectus naturales (non tamen ab humanâ voluntate pendentes); vix est qui neget, aut vertat in dubium. Magna tamen super ijs influentijs contentio est inter Corpusculares & Peripateticos, dum hi meras esse qualitates asserunt, illi verò non nisi effluvia corpusculorum. Decisio pendet à generalibus Philosophiæ utriusque principijs. Nunc tantùm monuerim, ejusmodi effluvia, quæ inter alios defendit Tosca, non facilè cohærere cum aliâ ejusdem Authoris doctrinâ, quòd scilicet Planetæ, & stellæ omnes sunt globi totales, ficut terra, ideſt, ad nullum extra se centrum propensi, sed singuli suum intra se habentes centrum gravitatis, aut propensionis, in quod partes omnes ejusdem globi tendant singulari nisu. Hoc enim posito, tam difficile apparet, effluvia corpusculorum Lunæ, vel Solis devenire in terram, quàm effluvia terrestria in Solem, aut Lunam: vel, si per impulsum aliquem enormem in terram deveniunt, iterùm in Solis, aut Lunæ centrum redire singulari nisu conabuntur. Obiter etiam advertendum, falsum esse, quod aliqui dicunt, cessante motu Cœli subitò cessaturam omnem actionem agentium sublunarium, & omnia viventia subitò moritura. Vide P. Suar. *disp.* 22. *Met. s.* 5., ubi sapienter explicat, quo sensu causæ Cœlestes dicantur universales, & quanta sit inferiorum subordinatio, ac dependentia.

28 Locus hìc erat disceptandi de naturâ Lucis, quæ cœlestium corporum proprietas, & effectus est notior, & illustrior. Lucem esse qualitatem, firmiter asserunt, ac tuentur Peripatetici omnes: esse verò substantiam, sive corpus, vel saltem certum corpusculorum motum, acriter contendunt Corpusculares: quorum alij non eam distinguunt à substantiâ flammæ rarissimæ, vel ab effluvio corpusculorum igneorum valde tenuium; alij consistere faciunt, in motu tremulo globulorum ætereæ substantię, causato ab impulsione corporis luminosi, quando scilicet ij globuli (quos per omnium corporum poros diffundi volunt) motu illo tremulo concutiuntur in corpore diaphano, ideſt, in corpore habente poros per lineam rectam excavatos; in hac enim pororum rectitudine fiare putant diaphaneitatem pro luminis diffusione re-

requisitam. Res hæc longum poscit examen, promisso in Opere exequendum. Interim de Luce loquar, ut hactenùs, juxta sententiam Peripateticorum, quam verisimam puto.

## CAP. III.

### *DE ELEMENTIS.*

1 TERRA, Aqua, Aer, & Ignis, vocantur Elementa Mundi sublunaris, ut nemo nescit: cætera verò corpora dicuntur Mixta. Sed *quæritur* 1., quo jure, quâvè proprietate quatuor illa vocentur elementa? siquidem *Elementi* nomine intelligimus principium intrinsecum alicujus rei, quod est primùm in compositione, & ultimum in resolutione, juxta definitionem ab Aristotele datam 5. Metaph. cap. 3., quâ Elementum dicitur esse *Id, ex quo aliquid fit primò insistente, & in quod ultimò fit resolutio.* Multi volunt, quatuor illa corpora proprie esse mixtorum omnium elementa in toto hujus acceptionis rigore: quia putant esse corpora ita simplicia, ut non componantur ex materiâ & formâ substantialibus, atque ex eorum integrâ substantiâ, tamquam ex primo subjecto, seu materiâ primâ, componi mixtum quodlibet, in eamdemque ultimo resolvi. Sic neoterici Corpusculares, & alij etiam ex ijs, qui formam substantialem in mixtis agnoscunt sensu peripatetico. Consonant ex parte, qui cum Avicennâ, & Averroe censent, quatuor illa elementa, quàmvis substantialiter composita, manere formaliter in mixtis, id est, in mixtis constitutivè includi, non solùm secundùm materiam, sed etiam secundùm proprias formas ignis, aëris, &c., quas Averroistæ ponunt inibi refractas, aut remissas.

2 Sententia tamen receptissima inter Peripateticos cum D. Thomâ, & Scoto, quos citat, & sequitur P. Suar. d. 15. Met. s. 10. n. 52., supponit, quatuor illa corpora componi ex materiâ & formâ substantiali (quod generatim de omni corpore sensibili probat P. Suar. ead. d. 15. sect. 1.), & negat, eorum formas substantiales manere in mixtis actu, & formaliter, dicens, manere potentiâ, seu virtute tantùm. Hanc sententiam multis probat Exim. Doctor cit. sect. 10. à num. 41., ostenditque n. 54. eam ab Aristotele approbari. Quamobrem Authores isti nolunt quatuor illis convenire proprie definitionem Elementi nuper adductam, quæ in physicis nonnisi de materiâ & formâ verificatur, & maximè de materiâ. Unde Aristoteles apud Eximium n. 55. non semel admonet, ea non esse propriè elementa, sed *vocata* elementa: hodiè quoque dicuntur passim *elementa vulgaria.*

3 Pro his ab Aristotele 3. de Cœl. t. 31. data est hæc alia Elementi descriptio, *Id, in quod cætera corpora resolvuntur, in quibus inest potentia, vel actu, ipsum verò in alia corpora specie diversa non resolvitur*: ubi in ambiguo relinquitur, utrùm insint actu, an potentiâ tantùm. Sed Peripatetici cum Aristotele ipso alijs in locis censent, elementa vulgaria solùm inesse mixtis potentiâ, seu virtute; cum quatenùs in mixto quovis inest temperamentum primarum qualitatum, quæ sunt virtutes & potentiæ accidentales elementorum; tum maximè, quatenùs forma substantialis cujusque mixti, etiam hominis, virtutem quatuor elementorum participat in exigendo qualitates eorum proprias, tametsi temperatas; quo sensu forma mixti dicitur *forma mixtionis*, id est, forma virtualiter in se miscens, aut continens aliquatenùs formas ignis, aëris, aquæ, & terræ. Dicunt etiam, in hæc ipsa resolvi mixtum quodvis resolutione minùs propriâ, quatenùs ex eo per operationem chymicam extrahuntur corpora quædam his elementis valde cognata, nempe spiritus inflammabi-

bilis, fumus aëreus, humor aqueus, & cinis terreus; non quod antea mixtum constituerint; sed quia tum denuò generantur juvamine primarum qualitatum, quæ pereunti mixto inerant; vel etiam, quia in mixti poris insensibiliter continebantur, & jam ope caloris, homogenea congregantis, & heterogenea disgregantis, sensibilia fiant. Immò sunt ex Peripateticis, qui velint, in poris mixti sæpe contineri particulas minutissimas ignis, & aliorum elementorum: & hinc explicant experimenta varia, v. g. cur ignis percussione silicis eliciatur. Hùc etiam spectant quæ diximus in Physic. tr. 1. d. 5. c. 3.

4 His igitur de causis nomen Elementi attribuitur vulgaribus quatuor: necnon quia sunt prima veluti fundamina Mundi sublunaris, & generalia quædam seminaria cæterorum corporum; quemadmodum prima principia generalia vocantur elementa scientiarum, ob rationem consimilem. Adde, quòd sunt etiam corpora simplicia quoad exigentiam primarum qualitatum, quatenùs unam earum exigit unumquodque in gradu simplici, ideò, summo, & impermixto. Unde ad mentem Peripateticorum Elementum vulgare brevius & clariùs definiri potest, *Corpus exigens unam è primis qualitatibus in gradu simplici.* Mixtum verò, *Corpus exigens temperamentum è quatuor primis qualitatibus.*

5 *Quær.* 2., an elementa sint generabilia, & corruptibilia? Negant CorpuscularES, & illi omnes, qui formam substantialem in elementis non agnoscunt. Quare in hac sententiâ ignis v. g., dum extinguitur, non corrumpitur substantialiter, sed solùm integraliter dividitur in corpuscula insensibilia, quæ in poris circumstantium corporum se se abscondunt; dumque iterùm idoneo aliquo motu evolvuntur, & congregantur in molem sensibilem, tunc ignis accenditur. Sed affirmant constanter Peripatetici: non enim credunt fieri posse, ut intra libram pyxidi pulveris v. g. contineatur tanta ignis incorrupti copia, quantam inde prodire facit modica scintilla; nec ut igneæ particulæ recondantur illæsæ intra aquam, per quam undique affluam extinguatur ignis. Mitto nunc plura alia argumenta, quibus utuntur, alibi expendenda.

6 *Quær.* 3., an elementa sint invicem transmutabilia, ita ut quodvis è quolibet possit generari? Hoc etiam affirmant communiter Peripatetici cum Aristotele; quia potest quodlibet à quolibet alterari, seu affici qualitate alterantis propriâ: alteratio autem est via ad generationem unius, & corruptionem alterius. Difficile tamen creditu est, quòd aqua generetur ex igne, nisi forte dum ignis priùs resolvitur in exhalationes.

7 *Quær.* 4. inter Scholasticos, utrùm elementorum formæ in exordio Mundi eductæ fuerint? an propriè creatæ? Quæstio supponit, elementa omnia cum suis formis specificis à Deo producta fuisse in principio temporis; quod fusè probat Exim. Doctor *lib. 1. de Oper. sex dier. c. 7. & 8.* Quo supposito, prima sententia tenet, formas elementares in exortu Mundi propriè creatas fuisse, vel concreatas eâdem actione cum materiâ. Ita communiter Thomistæ; quorum aliqui generatim negant, possibilem esse formæ substantialis eductionem in primo instanti creationis materiæ; plerique tamen, quos inter Bayonæ, & Froylanus, eductionem illam fatentur possibilem, quamvis materia tempore non præcedat, sed eam de facto denegant formis elementaribus. Secunda sententia militat pro eductione primævâ. Ita Scotistæ, & Nostri communiter cum Exim. Doctore disp. 15. Met. s. 3.: quibuscum affero,

*Formas Elementorum per eductionem fuisse productas in ortu Mundi.*

*Prob.:*

8 *Prob.*: formæ elementares thermis educi potuerunt in primo instanti creationis materiæ: deinde, attentâ ipsarum naturali exigentiâ, educi debuerunt: ergo de facto per eductionem productæ sunt: ut enim fatentur omnes, cum D. Augustino *lib.* 1. *de Genesi ad litter. cap.* 1., Deus in primâ rerum productione operatus est ut naturæ Author modo rerum naturis consentaneo. *Major* conceditur à plerisque Adversarijs, & satis à nobis probata est *in Phys. tr.* 1. *d.* 1. *c.* 5. 7. & 8.: nunc tamen ex ibi dictis probatur breviter. Non est de conceptu eductionis, quòd materia, vel subjectum, tempore præcedat: sed hoc unum obstare posset possibilitati eductionis formarum elementarium in primo instanti materiæ: ergo. *Prob. Maj.*: dummodò productio formæ pendeat essentialiter à subjecto prioritate naturæ præsuppositio, conceptum habet eductionis; nam hoc ipso differt essentialiter à creatione: sed naturæ prioritas ex parte subjecti stare potest sine prioritate temporis. Patet hoc: quia sine prioritate temporis stare potest naturæ prioritas ex parte causæ efficientis, ut nemo negat: eadem autem est ratio ex parte subjecti, seu causæ materialis: nam prioritas naturæ fundatur in munere causæ, & manus hocce solùm exigit potentiam causandi actualem, & applicatam, sive dispositam, quę potentia sicut in primo instanti convenire potest causæ efficienti, ita & materiali, cùm hæc statim habeat suam potentiam actualem, & possit à Deo sine morâ disponi. Accedit exemplum formæ vermis, quæ, corruptis Eucharistię speciebus, educitur de potentiâ materiæ tum primò creatæ. Accedit & paritas formæ accidentalis: nam gratia, cognitio, & amor Angelorum, per eductionem extiterunt in primo instanti creationis subjecti: corpus diaphanum, si produceretur in præsentiâ Solis, statim illuminaretur, utique per lucem eductam; & sic de alijs.

9 Jam *Minor* primi syllogismi probatur sic. Forma elementaris nunquàm producitur connaturaliter, nisi per eductionem: ergo, attentâ ipsius naturali exigentiâ, educi debuit in ortu Mundi. *Prob. Antec.* 1.: quia materialis forma, cujusmodi est elementaris, suâpte naturâ dependet semper à subjecto, nec potest unquam existere extra subjectum: ex hac autem dependentiâ colligitur perpetua connaturalitas eductionis, tum in formis accidentalibus, tum in ipsâ elementari formâ, v. g. igneâ, quoties denuò producitur ex materiâ mixti: sicut ex oppositâ independentiâ deducitur, animam rationalem numquam produci connaturaliter, nisi per creationem. 2.: quia forma elementaris naturâ suâ nunquam desinit, nisi per corruptionem: corruptio autem generationi, seu eductioni respondet, sicut anihilatio creationi. Certè illa ipsa individua forma terræ, quæ primitùs cum materiâ producta est, postea corrumpitur per adventum formæ mixti: at nihil in Philosophiâ solemnius, quàm id solum esse corruptioni obnoxium, quod generatione incipit, vel saltem incipere debet suâpte naturâ. Adde, quòd forma illa, dum perit, propriè anihilabitur, si non fuit educta: desinet enim in nihilum sui, & subjecti præsuppositi, cùm à nullo pendeat in genere causæ materialis. Vide dicta *in Phys. tr.* 1. *d.* 4. *c.* 4..

10 *Confirm.* 1.: materia prima initio Mundi produci debuit per actionem distinctam à productione formę elementaris: ergo forma ista debuit educi. *Consequentia* legitima est apud Adversarios: quia talis forma debet à materiâ pendere in fieri, sicut pendet in esse, & conservari; quare, si in fieri non pendet, quatenùs per eamdem actionem fit, necesse est à materiâ pendeat, quatenùs ex eâ educitur. *Prob. Antec.*: materia prima naturaliter separari potest decursu temporis à formâ elemen-

tari, & sine illâ existere, ut accidit quoties mixtum ex elementis generatur: sed id, quod naturaliter separari, & conservari potest sine altero, actione distinctâ produci debet; hâc enim ratione anima rationalis productionem exigit distinctam à creatione materiæ: ergo &c. *Urgetur* hoc ipsum: nunc perseverat actio, quâ primò producta fuit illa materia terræ, quæ deinde transijt in formam mixti: sed non perseverat actio, per quam terrea forma producta fuit primitùs in tali materiâ; non enim actio perseverare potest sine termino: ergo creatio materiæ distincta fuit à primævâ formæ elementaris productione.

11 Dicunt Thomistæ, perseverare quidem creationem materiæ, sed incompletè, & sub terminatione ad solam materiam, non verò completè, & sub adæquatâ terminatione, quam habuit ad materiam simul & formam. Sed hoc rejicitur facilè: nam actionis terminatio ad formam, vel realiter distinguitur à terminatione ad materiam, vel non? Si dicatur primum: jam ergo duplex illa terminatio realiter est actio duplex. Si secundum: ergo repugnat alteram terminationem sine alterâ permanere; alioquin separari possent, quæ realiter identificantur. Accedit, quòd actio est actualis positio sui termini adæquati, sive ultima determinatio, ut totus terminus sit actu productus: implicat ergo actionis permanentia, destructo termino etiam inadæquato. Patet consequentia: quia posset alioqui talis terminus esse destructus, simulque productus actualiter, & in rerum naturâ positus; omnis enim positio & productio per modum ultimæ determinationis, quamdiù permanet, terminum suum necessariò denominat positum & productum, sicut omnis cognitio objectum reddit cognitum, omnis unio utrumque extremum unitum, omnis ubicatio corpus locatum.

12 Nec dicas, formam elementarem esse terminum secundarium illius actionis. Nam inprimis actio est ultima determinatio, & exercitium, quo actualiter producitur etiam terminus secundarius. Deinde forma elementaris, utpotè nobilior materiâ, & finis ejus, nequit non esse terminus primarius actionis communis utrique. Saltem ipsum elementare compositum, cujus existentiam indivisibiliter intendit illa actio, terminus primarius esse debet: cùm ergo terminus iste deficit, actio nullatenùs permanere poterit. Hæc locum habent, etiamsi creatio consistat in Divino decreto: cum hoc enim cohærer, quod una Dei actio dicatur ab aliâ distincta, independens, & separabilis, v. g. creatio unius Angeli à creatione alterius, & creatio animæ rationalis à creatione materiæ.

13 *Confirm.* 2.: juxta D. Thomam 1. p. q. 66. art. 1. & 4., ubi etiam D. Augustinum allegat, materia informis initio Mundi præcessit formationem, non tempore, *sed origine, seu naturæ tantùm*: sed materia non præcedit formam prioritate naturæ, nisi quando est materialis causa formæ, cum naturæ prioritas fundetur in munere causæ: materia igitur initio Mundi fuit materialis causa formæ elementaris, quę proinde non fuit producta per creationem, cùm creatio non habeat materialem causam. Adde, quòd, si materia terræ formam prœcesserit prioritate naturæ (quę prioritas pariter concedenda est materiæ respectu dispositionum accidentalium) pro signo priori creata fuit indifferens ad formas elementares specie diversas: hæc autem indifferentia locum certè non habet, si materia creata supponitur per actionem, quæ simul est concreatio formæ terræ. Immò nec locum habet ullo vero sensu prioritas naturæ, vel ordo signorum; quia terminis eâdem actione comproductis nequit non convenire naturæ simultas.

*argumenta contraria diluuntur.*

14 *Objicitur* 1. illud Geneſ. cap. 1., *In principio creavit Deus, Cœlum, & Terram* : ex quo ſequitur, terram, atqueadeò elementa omnia per creationem fuiſſe producta : hoc autem verum non eſſet, niſi elementaris forma crearetur ; compoſitum enim, cujus forma educitur, non dicitur creari, ſed generari. *Reſp.*. Verbum *creavit* accipitur ibi pro eodem, ac *produxit quoad partes omnes*, ſeu *ex nullo ſubjecto duratione præſuppoſito, nec aliunde miniſtrato.* Hoc enim eſt, quod Fides prædicat, & Patres inculcant, Deum in principio temporis feciſſe Mundum *ex nihilo*, id eſt, non ex ullâ materiâ æternâ, vel quæ durationè præceſſerit, aut aliunde, quàm à Deo, extiterit, ſed ex materiâ tunc primùm à Deo ipſo creatâ : ut ita excludatur Gentilium Philoſophorum error de materiâ æternâ, vel etiam increatâ, juxta ſuum illud effatum pravè intellectum, *Ex nihilo nihil fit.* Verùm hoc non tollit, quod forma elementaris in eodem primo inſtanti fuerit à Deo producta per eductionem, quòdque materia veram habuerit naturæ prioritatem, quam agnovit D. Auguſtinus à nobis citatus *in Phyſic. tr.* 1. *d.* 2. *c.* 3. *n.* 20. & 29., & cum eo D. Thomas 1. *p. q.* 66. *ar.* 4., & *ſæpe alibi.* Adde, quòd actio Dei ſolius, vel etiam Dei ſimul & creaturæ, quando conſideratur prout à Deo profecta, vocari ſolet creatio, quàmvis à ſubjecto præſuppoſito pendeat, adeòque ſit proprie generatio, vel eductio. Ratio eſt : quia talis actio & ſupponit potentiam creatricem, & propter identitatem agentis ſumitur ut conjuncta cum ſtrictâ creatione ſubjecti, quæ, cùm ſit actio ex genere ſuo nobilior, prævalet in denominando. Hoc ſenſu dicitur Deus *rerum Creator omnium*, & res omnes extra Deum dicuntur *creaturæ*, & entia *creata*. Hoc etiam ſenſu dicitur in cod. cap. 1. Geneſ., *Creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem.*

15 *Dicer.* S. Scripturæ verba in ſenſu proprio accipienda ſunt, ubi nullum ſequitur inconveniens. *Fateor*: ſed inprimis inconveniens eſt, quòd Deus in productione Mundi operatus fuerit ut naturæ Author, & tamen contrà naturalem rerum exigentiam : vel cedò, quânam aliâ ratione moventur Thomiſtæ, ut verba illa, *Creavit Deus cete grandia*, &c., non accipiant de ſtrictâ creatione piſcium? Deinde non eſt idem acceptionem eſſe minùs propriam, ac eſſe impropriam, ſeu metaphoricam, aut abuſivam. Propriè dicitur creari, quod à Deo fit ex nihilo: ſed illud *ex nihilo* duplicem ſenſum admittit, utrumque proprium, alterum, quo excluditur in ſubjecto præcedentia durationis, alterum, quo negatur prioritas naturæ in genere cauſæ materialis : & prior quidem ſenſus eſt proprius, tum ex vi vocis, tum quia contraponitur generationi ab Ariſtotele agnitæ, ac definitæ per mutationem materiæ de privatione ad formam: poſterior tamen eſt proprijſsimus, & maximè apud Scholaſticos, quia creationem ab omni eductione poſsibili diſcernit ex proprio charactere independentiæ à cauſâ materiali ſuſtentativâ. In hoc igitur poſteriore ſenſu dicimus, elementarem formam non fuiſſe creatam, aut factam ex nihilo, ſed potiùs ex aliquo: quæ eſt ſententia D. Auguſtini *lib.* 13. *Confeſſ. c.* 33. dicentis, materiam de omnimodo nihilo, Mundi autem ſpeciem de informi materiâ factam eſſe.

16 *Dices* iterùm : ergo idem cenſendum erit de formâ Cœli. *Conſeq.*, ſi Cœlum ſit corruptibile, factumque ex aquæ materiâ, vel ex aliâ ejuſdem ſpeciei. Si verò ſupponatur incorruptibile, conſtantſque ex materiâ diverſæ ſpeciei, quæ videlicet ex ſe limitata ſit ad formam cœleſtem, & ab eâ

eâ inseparabilis; non militat in formâ Cœli argumentum, quod pro elementari desumpsimus ex separabilitate materiæ, & creationis ejus: ideòque Doctor Eximius magis velle videtur, ut forma Cœli dicatur, non propriè educta, sed concreata. Ipse tamen Eximius *disp.* 13. *Met. s.* 13. *n.* 5. & 6. concedit, productionem materiæ & formæ Cœli non esse actionem simplicem, sed compositam ex partibus, quamvis naturaliter inseparabilibus; & quâ parte terminatur ad formam, pendere à materiâ ut à subjecto & causâ materiali; solúmque renuit hanc partem vocare propriam eductionem, quia nequit existere per se ac separatim à creatione materiæ cœlestis. Sed an circumstantia ista desideretur ad proprietatem eductionis, dum forma producitur dependenter à causâ materiali, quæstio est de nomine: in quâ dicendum videtur non desiderari; quia dependere à materiali causâ, cùm sit alienum à creatione strictâ, proprium est eductionis verè talis. Hoc tamen non tollit, quòd forma, tam cœlestis, quàm elementaris, vero aliquo sensu dicatur *concreata*, & ejus productio *concreatio*, nempe quia fuit actio comes creationis materiæ, seu concomitanter posita in primo instanti; quo titulo prima gratia Angelorum dicitur etiam *concreata*, quàmvis per eductionem producta juxta communem sententiam, etiam Thomistarum.

17 *Objic.* 2. Deus se solo produxit materiam & formam elementi: potuit etiam utramque producere per unicam actionem: ergo ita produxisse credendum est; frustrà quippe multiplicantur actiones, quando unica sufficit. Productio autem utriusque partis, si unica fuit, non potuit non esse propria creatio. *Confirm.* 1.: operari per eductionem, proprium est illius agentis, quod, ut agat, expectare debet materiam sibi aliunde oblatam: sed hoc non competit Deo, qui materiam simul cum formâ producere potest, produxitque in exortu Mundi: tunc ergo, & generatim quoties Deus solus agit, congruenter excluditur eductio. *Confirm.* 2.: licèt materialis forma, cùm producitur ab agente creato post Mundum conditum, naturaliter exigat educi ex materiâ, non ideò hæc exigentia extendenda est ad primam formationem rerum. Sic, licèt modò sit naturale, quòd pueritia præcedat virilitatem, & arbores priùs tempore nascantur, & adolescant, quàm poma ferant, tamen in primâ rerum formatione Deus repentè fecit hominem virum, & arbores statim poma ferentes.

18 *Resp. ad objecta.* Quàmvis de potentiâ absolutâ potuerit Deus unicâ actione producere materiam & formam elementi, secùs tamen ut naturæ Author, sive ut volens agere juxta naturalem rerum exigentiam; alioquin posset pariter unicâ actione producere materiam & formam arborum, piscium, & aliorum viventium, in Mundi exordio. *Dices*: viventia hæc producta fuisse scimus ex materiâ priùs creatâ sub formâ elementi. Sed *contrà*: cur non potuerit Deus à primâ creatione materiæ cessare, subrogando aliam, quæ simul esset conservatio materiæ, & creatio formæ piscis? præsertim cùm prima illa creatio, si terminabatur simul ad formam elementi, sine hac permanere non posset, ut suprà ostendimus. Dicendum igitur, non frustrà multiplicari actiones, quando actio unica, licèt sufficiat ad operandum sine contradictione, non tamen sufficit, ut satisfiat rerum naturis, & separabilitati terminorum. *Ad* 1. *Confirm. dist. Maj.*: operari per eductionem, cum impotentiâ aliter operandi, *conc.*; sine impotentiâ aliter operandi, videlicet per creationem, si placeat, *neg. Maj.*, &, similiter distinctâ *Min. neg. Conseq.* Per eductionem itaque operari potest & Causa prima, & secunda; sed hoc discrimine,

quòd prima potest agere per creationem, si velit; secunda verò, cùm agere nequeat nisi ex subjecto sibi aliunde oblato, non aliter, quàm per eductionem operari valet.

19 *Ad* 2. *Confirm.* Instantia est manifesta in formis arborum, & piscium, quarum creatio eodem argumento probari poterit in primo rerum ortu. Præterea in objectis exemplis disparitas est clara. Nam materialis forma, quia intrinsecè materialis est, & materiæ immersa ex indole propriâ, in se habet cur exigat pendere à materiâ in fieri, sicut pendet in esse: quare nunquam potest aliter produci à quocumque agente, quin ejus exigentia intrinseca violetur. At nec hominis, nec arboris natura, secundùm se inspecta, exigit expectare moram temporis ad statum virilem, aut fructiferum, nec in ejus præcoci, vel subitâ consecutione violentiam patitur: cùm enim hunc statum naturaliter appetat à primo sui ortu, si fortè beneficio alicujus agentis illum statim obtineat, gaudebit potiùs, quòd appetitum suum sine morâ & dispendio temporis satiatum habeat. Mora igitur, vel præcedentia temporis, homini & arbori naturalis est extrinsecè tantùm, videlicet ex debilitate agentium naturalium, quæ ob imperfectionem virtutis, & resistentiam contrariorum, nonnisi paulatim perducere valent corpus hominis, aut arboris, ad statum virilem; aut pomiferum. Hoc autem genus naturalitatis locum non habuit in primâ rerum formatione, quæ solâ Dei virtute peracta est.

20 *Obj.* 1.: repugnat eductio formæ in primo instanti existentiæ materiæ: ergo forma elementaris educi non potuit in principio rerum. *Prob. Antec.* 1.: quia eductio importat materiæ transmutationem de privatione ad formam: quæ mutatio dari nequit, nisi materia privationem præhabuerit, adeòque durationè præcesserit. 2.: quia per actionem eductivam, seu generativam, materia, quæ erat in potentiâ, fit in actu, seu transit ad actum: repugnat autem, quòd materia eodem instanti sit in potentiâ & in actu. 3.: quia generationem necessariò præcedit alteratio, quæ, cùm sit motus successivus, indiget tractu temporis. *Confirm.*: quia elementum in ortu Mundi à solo Deo productum fuit: repugnat autem, quòd actio Dei sit eductio: tum quia nequit Deus in operando pendere à subjecto præsuppositò: tum quia Deus agit per actionem à se realiter indistinctam, quæ certè nequit habere causam materialem.

21 Ad *objectionem*, quæ paucorum est, & plerisque Thomistarum ingrata, *neg. Antec.*, quin obstent probationes. *Ad* 1.: mutationem importat eductio, non secundùm se, & prout essentialiter à creatione distinguitur, sed tantùm prout à causis secundis oritur, nullo interveniente miraculo. Relege dicta *tract.* 1. *Physic. d.* 1. *c.* 5. & 8., ubi etiam Aristotelis auctoritati satisfecimus. *Ad* 2.: pro priori ad generationem debet materia esse in potentiâ, non privativè, sed præcisivè, quatenùs in signo causæ præscindere debet ab actu informativo, & ejus privatione: quo sensu potest utique materia pro eodem instanti simul esse in potentiâ & in actu; ut ex doctrinâ de prioritate naturæ notum est. Sic voluntas, dum liberè amat, pro eodem instanti & est in potentiâ, tum activâ, tum passivâ, ad amorem, & est in actu amoris. *Ad* 3.: alteratio, id est, productio qualitatis ad formam præparantis, solùm est motus successivus ob resistentiam qualitatis contrariæ: quare, dum fit in materiâ nullis præventâ contrarijs qualitatibus, ut accidit in ortu Mundi, potest & debet esse motus instantaneus.

22 *Ad confirm.*: extra dubium videtur, Deum operari sæpissimè per eductionem, saltem quoties simultaneè

neè concurrit cum causis secundis: tunc enim Dei & creaturæ eadem realiter est actio, quæ certè non est simul eductio & creatio, nisi absurdè ponatur dependens simul & independens essentialiter à subjecto: & quàmvis Deus concurreret per actionem distinctam, hæc non esset creatio; nam alioquin omnis effectus causæ secundæ simul fieret ex nihilo, & ex aliquo, atque in omnibus naturæ & artis operibus admisceretur creatio, contra expressam doctrinam D. Thomæ 1. p. q. 45. ar. 8. Sæpè etiam, cùm Deus solus agit, per eductionem agit; ut cùm producit gratiam, & habitus infusos: & saltem certum est, à Deo solo conservari viventia, postquàm genita sunt, & à matris utero separata: quòd autem per creationem de facto conservetur unio humana, vel anima equina, quis ausit dicere? Nec inde sequitur, quòd Deus in operando pendeat à subjecto: potest enim sine subjecto operari, cùm voluerit; adeòque dependentia illa, quæ in eductione reperitur, tota se tenet ex parte actionis externæ, non ex parte Divinæ virtutis. Quòd autem Deus non agat nisi per actionem à se indistinctam, falsum est, ut in Physicâ vidimus: & qui verum putant, simul agnoscunt, ex actione cum Deo identificatâ resultare in effectu quamdam productionem passivam, à causâ materiali pendentem, ratione cujus actio interna Dei verè denominetur, ac sit eductio. De his plura diximus *tr. 2. Physic. d. 8. c. 2.*

*Quæsita reliqua de elementis.*

23 *Quær. 5.*, an alia sint elementa, præter quatuor vulgaria? *Resp.* Corpusculares, qui elementa volunt formaliter ingredi constitutionem mixti, immò & totam esse substantiam mixtorum, alia plura statuunt elementa, tum anonyma, & ex corporibus cœlestibus effluentia, tum sub nomine salis, sulphuris, spiritûs, &c. Vide *Dissert. prælim. ad Physicam* n. 7. 9. & 11. Sed Peripatetici quatuor vulgaribus contenti sunt, dummodò nomen *elementi* sumatur latiore sensu suprà exposito; si enim pro intrinseco principio accipiatur, tot præter materiam erunt elementorum species, quot sunt formarum substantialium in mixtis. Probant autem, sistendum esse in numero quaternario: tum quia non major est numerus primarum qualitatum, ut omnes consentiunt; quare, si elementum est, quod unam ex illis exigit in gradu simplici, non poterit esse nisi quadruplex: tum quia non alia noscuntur in Mundo sublunari corpora, quæ mereantur *elementi* nomen, vel titulo simplicitatis in qualitate aliquâ primâ, vel titulo conducentiæ generalis ad generationem mixtorum. Diversitas autem, quæ in mixtis cernitur, ex proprijs ipsorum formis provenit.

24 *Quær. 6.*, an elementa inter se differant specie substantiali? Affirmandum omninò est: quia diversitas proprietatum & operationum, permanenter & ab intrinseco radicata, necessariò supponit substantialem diversitatem inter ignem & aquam v. g. Satis autem in *cit. Dissert. prælim.* refutavimus Cartesianos, & plures Atomistas, quos sequitur Tosca, nullam diversitatem agnoscentes, nisi quoad figuram & motum corpusculorum. *Quær. 7.* de ordine dignitatis, aut perfectionis elementorum, tum inter se, tum relatu ad mixta. Nemo dubitat, quin ignis sit inter elementa perfectissimus; quod satis patet ex ejus activitate maximâ. Quòd autem aer aquam perfectione superet, & aqua terram, valde incertum puto. Incertum quoque, vel falsum videtur, quòd forma cujuslibet elementi sit ignobilior formâ cujuscumque mixti. Cur enim forma ignis, usqueadeò activa, ornatuque lu-

lucis & caloris prædita, non excedat formam carbonis? Nec obstat, quòd forma mixti dicatur continere virtualiter formas elementorum: non enim continet secundùm totam perfectionem eminenter, sed solùm secundùm quamdam participationem, & convenientiam; ut benè monet P. Suar. d. 15. Met. s. 10. n. 51.

*De primis Qualitatibus, earumque distributione inter elementa.*

25 *Quær.* 8., qualiter Elementa inter se partiantur primas qualitates? Ante responsionem dicendum est de qualitatibus ipsis nonnihil. Inter qualitates Mundi elementaris eæ vocantur *primæ*, quæ nullam aliam per se ac necessariò præsupponunt, ipsæ verò præsupponuntur ad cæteras omnes, quas idcircò *secundas* vocant. Primæ qualitates ex omnium consensu quatuor sunt, videlicet calor, frigus, humiditas, & siccitas: hæ quippe cum elementis ipsis productæ fuerunt in principio Mundi: ac deinde ex earum temperamento vario, sine quo nullum mixtum gignitur, immediatè, vel mediatè resultârunt qualitates aliæ, quas inter numerantur colores, sapores, odores, duricies etiam, mollitia, rigiditas, flexibilitas, gravitas, levitas, & cæteræ, quas tactiles appellant; omnes enim à quatuor illis variè contemperatis oriri creduntur, vel tamquam à causis efficientibus, vel tanquam à conditionibus necessariò prærequisitis. Sed nota, non proprie vocari qualitates secundas, nisi quæ per se sentiuntur, præsertim tactu: hæ namque sunt, quæ ex primis resultare putantur: immò ex earum censu excipi solent sonus, & lux; quę, sicut & alię qualitates occultiores, quę mixtis insunt, non dicuntur primę, nec secundę, sed neutrę. Si tamen secundas vocare velis, quęcumque necessariò supponunt primas, vel omnes, vel aliquas, mediatè, vel immediate, quàmvis ex ijs non necessariò resultent; nullâ exceptione opus erit: nam etiam lux, quę igni convenit, necessariò supponit calorem, quo materia præparatur ad formam ignis. Nec omnis qualitas secunda debet esse ignobilior, quàm prima: nunc enim loquimur de primatu, non dignitatis, sed executionis.

26 Primę qualitates in particulari definiri solent ex Aristotele sic. Calor est *qualitas congregans homogenea, & disgregans heterogenea*: frigus, *qualitas congregans homogenea simul & heterogenea*: humiditas, *qualitas quà redditur corpus facile terminabile terminis alienis, difficilè autem proprijs*: siccitas, *qualitas, quà redditur corpus difficilè terminabile alienis terminis, facilè autem proprijs.* His definitionibus experientia favet. Nam calor in distillationibus, & resolutionibus chymicis, similares particulas inter se conjungit, & à dissimilaribus secernit, v. g. particulas aqueas à terreis: frigus è conversio in glacie conglutinat, non modò liquoris partes similes, sed etiam quęcumque dissimilia inibi deprehenderit, ut lignum, paleam, lanam, &c. Humiditas, seu fluiditas, reddit aquam difficilè terminabilem proprijs terminis, ideſt, non facilè cõsistentem figurâ propriâ, quia, nisi ab alio corpore contineatur, hùc illuc diffluit; facilè tamen terminis alienis terminabilem, ideſt, facilè se se accommodantem figurę vasis, & cujusvis corporis continentis. Ac denùm siccitas efficit, ut saxum non facilè figuram propriam amittat, nec se alienis terminis accommodet. Solent tamen his definitionibus multa objici, quę soluta videri possunt apud Authores, nominatim apud Conimbric. *in 2. de Generat. cap. 3. q. 3.*

27 Interim fatendum est, per eas definitiones, saltem per primam, & secundam, non haberi conceptum pri-

primarium definiti. Nec fortasse caloris & frigoris inveniri potest conceptus clarior, quàm qui respondet vulgatis nominibus, à propriâ & immediatâ sensatione notissimis. Et, quod humiditatem spectat, ea sumitur ibi pro fluiditate; quàmvis vulgariter dicatur humidum, non quodcumque fluidum, sed fluidum adhærescens corporibus alijs, quę tangit; quo sensu aër non est humidus nisi per accidens ex vapore adventitio, cùm tamen sit fluidissimus, & ipsi maximè conveniat Aristotelica humiditatis definitio. Itaque, cùm de primis qualitatibus agitur, humiditas philosophicè accipitur pro fluiditate generatim, cujus velut species quędam sit humiditas vulgò nominata, differentię loco superaddens vim adhæsivam. Alij dicunt, humiditatem aëris & aquę esse ejusdem speciei, quamvis aqua ratione majoris densitatis magis humectet, & adhærefcat.

28 Corpusculares Philosophi negant, primas qualitates esse accidentia absoluta, seu ab omni substantiâ, modalitate, & privatione distincta, quod pariter de cæteris qualitatibus negant, solùmque volunt esse accidentia respectiva, quatenùs adesse vel abesse possunt in varijs corporibus citra corruptionem eorum. Et, ut in particulari naturam primarum qualitatum explicent, calorem inprimis alij dicunt esse rariorem ignem, vel effluvium particularum ignearum; alij frequentiùs volunt ejus naturam stare in motu celeri, & perturbato, vel tremulo, seu vibratorio, particularum insensibilium cujusvis corporis: frigus verò communiter afferunt indistinctum à privatione, seu carentiâ caloris, ideſt, à particularum quiete, seu cessatione motûs. Humiditatem, seu fluiditatem consistere dicitant in tenuissimarum particularum facilitate ad motum, & in motu ipso; ita quidem, ut motus iste sit in omnem loci differentiam, & facilitas illa proveniat ex figurâ particularum, atque ex eo, quòd nullo inter se nexu copulentur, vel non nisi levi, & facilè solubili. Siccitas verò, seu soliditas, juxta Cartesianos consistit in merâ quiete particularum absque alio nexu: sed juxta plures alios, præter quietem, importat firmum aliquem partium nexum, eumque mechanicum per hamulos, aut quid simile. Multa pro his explicationibus allegantur, multa quòque ipsis objiciuntur, eaque prævalida: sed omnia nunc cogimur alio remittere. Supponimus interea cum Peripateticis, omnes primas qualitates in positivo consistere, ut ex propriâ cujusque sensatione colligitur: esse quòque ab omni substantiâ distinctas, & ab eâ divinitùs separabiles, ut in Eucharistiâ patet; ac proinde accidentia esse absoluta.

29 Quòd attinet partitionem primarum qualitatum inter elementa (ut respondeamus Quæstioni propositę n. 25.), communiter tribuitur igni calor in summo, aquę frigus in summo, aëri summa humiditas, terrę summa siccitas. Communiter etiam unicuique elemento, præter unam qualitatem in gradu summo, sive ut octo, alia quòque attribuitur in gradu excellenti, seu propè summum, nempe ut sex, aut septem; atque ita fit distributio, ut igni conveniat siccitas in excellenti, aëri calor, aquæ humiditas, terræ frigus. Hinc elementa, quibus convenit qualitas ejusdem nominis, alteri in summo, alteri in excellenti, dicuntur *symbola*: quæ verò in nullâ qualitate simili sunt, vocantur *assymbola*. Distributionem istam intellige de qualitatibus congenitis, seu connaturaliter debitis unicuique elemento ex propriâ exigentiâ. Nam, si de peregrinis, seu ab extrinseco impressis sermo sit, nullum est elementum, saltem apud nos, quod non alias etiam primas qualitates participet, seu quod suas in gradu connatu-

turali retineat: idque provenit, tum ex actione, vel reactione unius elementi in aliud confine; tum quia unumquodque secum permixtas habet multas aliorum partes, aut particulas, & varia quòque mixtorum genera, ut in aquâ, terrâ, & aëre manifestum est, & in igne satis ostendunt relictę fuligines. Nec absurdum est, quòd elementa semper sint in statu aliquatenùs violento: sic enim postulat Universi commodum ad varias mixtorum species ex hac elementorum pugnâ procreandas. Certè violentia ista, cùm ab exigentiâ & actione alterius causę naturalis proveniat, non indiget miraculo. Prætereà notandum, prædictam distributionem non esse omninò indubitatam. Sunt enim, qui velint, ut aëri tribuatur summum frigus, & humiditas excellens; aquę frigus excellens, & humiditas suprema; terræ cùm siccitate summâ calor excellens. Siccitas etiam ignis dubia esse potest, cùm flammę convenire videatur definitio humiditatis Aristotelica.

*De Regionibus Elementorum.*

30 *Quær.* 9., an elementa singula regiones proprias habeant? & quo situs ordine collocatas? Regionis nomine venit proprius elementi locus; in quem, velut in propriam sedem, omnes ejus partes innatè properent; qui locus vocatur etiam sphæra elementaris. Aristotelicum elementorum systema collocat sphęram ignis sub Lunæ concavo, idest, inter aërem & Lunæ Cœlum sub igne collocat aërem, sub aëre aquam, & infimo loco terram. Hæc tamen collocatio, quod attinet ad ignem, displicet plerisque Philosophis hujus ætatis. Nam inprimis tam vasta ignis sphæra, quæ mole superare creditur tria reliqua elementa simul accepta, videtur prorsùs inutilis, cùm nec intra se quidquam gignaret, nec extra se ageret; alioquin absumeret totum aëris elementum, & Phaetontis incendium renovaret; præsertim cùm ignis activitas deberet ibi esse vehementior, utpote existens in statu maximè connaturali, & à contrarijs libero. Nullo præterea experimento, nullâ efficaci ratione probatur. Quòd enim flamma sursùm petat, probat quidem, eam esse circumfuso aëre leviorem; at non probat, flammam tendere in centrum, aut in sphæram super aëra positam: sic fumus tendit sursùm, & virga demersa in aquam nititur ascendere; nec tamen sphęram aliquam peculiarem quæritant. Si fortè miserearis ignis, tamquàm propriâ destituti sphærâ, quam cęteris elementis Natura tribuit; solatio erit opinio existimantium, propriam ignis sphęram esse Solem, ut vidimus cap. 2.: solatio item erit providentia Naturę, quę instituit excitando igni mille fomites, semperque magnam illius copiam conservat in locis subterraneis, & super terram; quibus in locis ignis & est perutilis Mundo sublunari, & inertiam, sive otium vitat, & facultate gaudet virtutem suam explicandi. Mitto alia, quibus prædicta regio ignis impugnari solet.

31 Communiter etiam impugnatur systema Aristotelicum, quatenùs aquam in propriâ regione, sive in mari, ponit altiorem totâ terrâ. Quòd enim aqua sit potiùs depressior magnis terræ partibus, videlicet montibus, & littoribus, communior & verisimilior sententia tenet, ut videre licet apud Conimbricenses *in 2. de Cœl. cap.* 14. *q.* 4.: nec parùm favent sacræ Litterę, ut cùm dicitur in Psalm. 23., *Ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum*, nempe orbem terræ: & in Psalm. 135., *Qui fundavit terram super aquas.* Itaque, licèt Deus in principio Mundi terram creaverit aquis undique opertam; deinde ta-

tamen, ut habetur *Geneſ. cap.* 1., congregavit aquas in locum unum, ideſt, in ingentem terræ cavitatem, quæ jam aquis plena vocatur mare: atque hæc ipſa eſt nunc elementi aquæ propria regio, in quam flumina omnia prono curſu confluunt, & cujus ſuperficies, tametſi nonnihil depreſſior ſuperficie terræ, cum eâ tamen efficit unam ſphæram, ſeu globum unum, communi circulo concluſum, ut Mathematici demonſtrant: qui globus terraqueus cavitates quidem, & eminentias habet; ſed eæ pro nihilo computantur ad tantam totius globi magnitudinem. Porrò, cùm mare incumbat terræ, & ab ejus fundo uſque ad Mundi centrum magna terræ moles interjaceat, verè dicitur terra infimum occupare locum Mundi: verè quòque dicitur aqua ſupra terram eſſe, licèt non totam. Aër verò totum occupat locum à ſuperficie globi terraquei uſque ad lunare Cœlum.

32 Elementa hæc in ſuis hiſce locis, aut regionibus, non exiſtunt pura, & impermixta. Nam terra in viſceribus continet plurimos ignes, lacus & venas aquarum, lapides, metalla, ſales, ſulphura, bitumina. Aqua piſces continet, ac proinde quæ piſcibus gignendis & alendis neceſſaria ſunt, alia que non pauca. Aër vaporibus, & halitibus innumeris, qui è globo terraqueo, ejuſque incolis, ac mixtis prodeunt, refertus eſt totus uſque ad altitudinem milliarium 40., vel 50.; unde hoc aëreum ſpatium dicitur *Athmoſphæra*, id eſt, ſphæra vaporum. Multis tamen videtur aër eſſe purus à convexâ ſuperficie athmoſphæræ uſque ad Lunam. Immò ſunt, qui velint, ut in eo ſpatio non tam dicatur aër, quàm purus æther; quia non eſt vocandus aër, niſi æther prout vaporibus impuratus, qualis in athmoſphærâ continetur. Nomine autem ætheris intelligunt ſubſtantiam tenuiſſimam, fluidiſſimam, & ſummè diaphanam, quæ ſit ipſa ſubſtantia Cœli, ſaltem Planetarij, & quæ protendatur à Firmamento uſque ad terram, quàmvis in athmoſphæra nomen ætheris amittat, & appelletur aër.

33 Subſtantiam hanc Atomiſtæ volunt conſtare rotundis atomis, ſeu globulis minutiſſimis, motu continuo & perniciſſimo agitatis, qui non modò prædictum ſpatium cœli & aëris occupent, verùm etiam terram & aquam penetrent, & penitùs ſe ſe inſinuent in omnium poros corporum, in quibus ingentem motuum varietatem cauſent. Atque hæc globuloſa ſubſtantia, vel ſola, vel permixta cum alio tenuiori pulviſculo, quod in Carteſianâ Mundi fabricâ vocatur primum elementum, illa ipſa eſt decantata *materia ſubtilis*, vel *ætherea*, quam Carteſiani & Atomiſtæ ubilibet adhibent ad phyſicas difficultates enodandas, & ſine quâ vix quidquam radicitùs explicare norunt. Eamdem etiam nonnulli ex Peripateticis admittunt, quàmvis in ejus uſibus & proprietatibus non omninò cum Corpuſcularibus conſentiant.

### *De Gravitate, & Levitate Corporum elementarium.*

34 *Quær. ult.*, an elementis conveniat motus per gravitatem, aut levitatem? Hujus occaſione quæſtionis ſolet hîc ex profeſſo tractari de motu gravium. Sed è multis hûc ſpectantibus pauca nunc pro inſtituto ſynopſeos delibabimus. Gravitas definitur, *Principium motûs deorſùm*, id eſt, versùs terræ centrũ: Levitas, *Principium motûs ſurſùm*, id eſt, versùs Mundi circumferentiam. Quæ definitiones, ut rectè ſint, intelligi debent de motu non vitali; nam v.g. volatus avium ſurſùm, non eſt à levitate: item de motu determinatè intento, quia ſurſùm, aut deorſùm eſt, ut ità excludatur motus ab extrinſeco

impetu, sive impulsu proveniens, qui, licet interdùm sit sursùm, aut deorsùm, hoc habet per accidens, cùm solùm ex se debeat causari per lineam rectam ab impellente: quâ ratione pariter excludetur motus à vi elasticâ procedens, & à vi magneticâ, vel electricâ. Cartesiani & Atomistæ negant, motum gravium à qualitate absolutâ proficisci: &, ut istius motûs causam explicent, alij recurrunt ad magnetismum terræ, sive ad effluvium magneticum, è terrâ emissum, quo gravia trahuntur, & levia propelluntur; alij ad pressionem aëris; alij ad impulsionem materiæ subtilis, aut æthereæ; alij ad modalem impetum, seu determinationem à Deo impressam atomis citra propriam earum exigentiam; & alij aliter opinantur; ita ut ferè singuli singulos impugnent. Communis Peripateticorum sententia est, gravia moveri à principio intrinseco, nempe ab innatâ qualitate absolutâ, quæ gravitas dicitur, & cujus distinctio à substantiâ ostenditur in Eucharistiâ, ubi sine substantiâ manet gravitas panis, & vini. Cur autem motus gravium non sit vitalis, dicetur in Animasticâ, ubi de conceptu vitæ. Cur item motus gravium trahantur generanti, apud D. Thomam, & alios, explicat optimè P. Suar. *d.* 18. *Met. s.* 7. *n.* 21.

35 Hæc pariter de levitate dicta sunto; si tamen detur positiva & absoluta levitas. Multi enim solùm agnoscunt levitatem negativam, seu respectivam, consistentem in carentiâ majoris gravitatis, seu in minori gravitate unius corporis respectu alterius; ita ut nullum dicatur leve, nisi comparativè ad gravius, sicut lignum leve dicitur comparativè ad aurum in æquali mole. Unde putant, nullum corpus moveri sursùm vi propriâ & intrinsecâ: sed ideò quædam ascendere, quia sursùm extruduntur à gravioribus aliis inferiorem locùm occupare conantibus: sic aqua in vase ab injectis lapidibus attollitur, & lignea tabula, si immergatur, sursùm propellitur ab aquâ. Hæc vis exturudendi tribuitur corporibus in specie gravioribus, ideòque quæ aliis molè æqualibus præponderant, cujusmodi est aurum respectu argenti; quia, si palmus cubicus auri conferatur cum palmo cubico argenti, magis ponderat: quamquàm excessus gravitatis specificæ compensari possit majoritate molis; non enim minùs ponderat libra lanæ, quàm auri libra. In summâ, gravitas est vis illa, quâ corpora sublunaria, seu elementaria, se se circa Mundi centrum ita disponunt in unum globum totalem, ut graviora nitantur esse infra minùs gravia, tuncque dicantur singula esse in loco suo naturali, cùm nullum supra se habent specificè gravius, nec infra se levius: quem ad finem inutilis esse videtur positiva levitas. Hanc tamen communiter admittunt Peripatetici, quibus in præsenti repugnare nolim.

36 Certum est hodie, plurimisque experimentis comprobatum, gravia deorsùm moveri motu accelerato, ideòst, continuè velocitatem augente, ita ut velocior sit in fine, quàm in principio: idcircò lapis majore cum impetu ad solam pervenit, quò altior est locus, unde cadit. Constat item, hanc accelerationem, seu velocitatis incrementum, in partibus temporis æqualibus fieri secundùm progressum numerorum imparium, nempe 1. 3. 5. 7. 9. &c.: divisò enim tempore, quod motu impenditur, in partes æquales, v. g. per arteriæ pulsum numeratas; si grave decidens in primo pulsu percurrit unam ulnam spatij, in secundo percurret tres, in tertio quinque, in quarto septem, & sic deinceps proportione dictâ: quod posse Galilæum, qui primus hunc inijt calculum, variis experimentis demonstrant PP. Ricciolus, Dechales, & alij. Hujus accelerationis causa varie redditur juxta varias de gravitate sen-

sententias. In principijs Peripatetic. dicendum videtur, gravitatem, motu sibi congruo adjutam, producere in corpore, cui ineſt, novum impulſum, cujus ope velociorem efficit motum; quo motu redditur impulſus intenſior (eo fere modo, quo in potentijs animę habitus intenditur ab actu, quem producit), atque ita ſenſim creſcit velocitas. Non ſic accidit in motu projectorum ſursùm, vel ad latus; quia tunc gravitas corporis projecti reſiſtit motui ſibi violento, ac proinde facit ſenſim impulſum remitti, & motum retardari. Impulſum, ſive impetum, qui ſit abſoluta qualitas impreſſa mobili, totaque exiſtens propter motum, quo impedito ſtatim pereat, communiter admittunt Peripatetici; neque aliter explicabitur facilè cauſa motûs projectorum: quamquàm ſatis anomala eſt iſta qualitas, tum in connexione cum effectu ſuo, tum etiam in modo corruptionis, de quo P. Suar. *d.* 21. *Met. ſ.* 3. *n.* 17.

37 Jam, quod attinet elementa ipſa, gravitas proculdubiò convenit terræ, & aquę, ſic tamen, ut terra ſit gravior. Aeris autem gravitas negata eſt à multis: ſed hodiè vix negari poſſe videtur, poſtquam moderni Experimentales pondus aëris (ſaltem quatenùs in athmoſphęra exiſtentis) comprobârunt plurimis experimentis, quę videri poſſunt apud Authorem Philoſophiæ Burgund. *tom.* 4. *tr.* 2. *diſſert.* 3. *à cap.* 7. *ad ult.* Certè pondus aeris agnoſcit Ariſtoteles 4. de Cœl. t. 30., *Cujus ſignum*, inquit, *eſt, utrem inflatum plus ponderis, quàm vacuum habere.* Vult tamen Ariſtoteles, in aëre, necnon in aquâ, ſimul cum gravitate permixtam eſſe levitatem, ſolamque terram eſſe purè gravem, & ignem purè levem. Sed verius forſan eſt, in corpore minùs gravi, nominatim in aëre, nullum gradum poſitivę levitatis inveniri; non enim aër ferrur ſursùm, niſi extrorſus à corpore graviore. Unde aër, intra glaciem clauſus, non nititur aſcendere: & incluſus in cubiculo, niſi ab aliâ causâ concitetur, non agitat cubiculi tectum, quamvis ſub terrâ ædificatum ſit. Gravitas ignis uſualis à multis quòque agnoſcitur, non ſolùm in pruinâ, ſed etiam in flammâ, cujus pondus experimento quodam examinavit Robertus Boyle apud P. Jo. Bapt. de Benedictis *tom.* 3. *Philoſ. lib.* 2. *q.* 1. *c.* 4.

38 Controverteritur hìc, utrùm elementa gravitent in proprijs locis, ſive regionibus? id eſt, utrum inibi nitantur deorsùm, ita ut ſubjecta corpora, vel inferiores partes ejuſdem elementi à ſuperioribus premantur? Recepta ſatis apud Peripateticos ſententia negat, probarique ſolet rationibus haud levibus, & nonnullis etiam experimentis, præſertim urinatorum, qui pondus marinę aquę non ſentiunt. Quòd tamen in proprijs locis elementa gravitent, tum per modum unius (videlicet totus aër ſupra totum globum terraqueum, totaque aqua maris ſupra terram ſibi ſubjectam), tum diviſibiliter, ſive per partes, ita ut aquę v. g. pars inferior à ſuperiore prematur; ſententia eſt cunctis Experimentalibus indubitata, & multis Peripateticis valde probabilis. Sed eam hàc tetigiſſe ſufficiat; longum quippe deſiderat examen. Vide P. de Benedictis ubi nuper *cap.* 5. & Auth. Philoſ. Burgund. *loc. cit.*, ubi explicatum invenies, cur nos pondus aëris non ſentiamus, nec urinatores pondus aquę marinę. Et ſanè, ſi huic experimento fidere licet, nec extra proprium locum aqua gravitabit; nam etiam qui dolio aquâ pleno immergitur, pondus aquæ non ſentit.

## CAP. IV.

### *DE MIXTIS.*

1 CORPUS *mixtum* philoſophicè dicitur, quod ex quatuor elemen-

mentis componitur sub novâ formâ substantiali (vulgariter *mixtum* dicitur quodlibet aggregatum ex diversis corporibus inter se confusis, ut ex aquâ, vino, ficerâ, citra formam substantialem denuò productam), sic tamen, ut compositio ex elementis intelligatur juxta Peripateticos in sensu virtuali, quem explicuimus *cap. præc. q.* 1., nempe quatenùs mixtum componi debet ex formâ substantiali, virtutem quatuor elementorum participante. Quare, ut ibidem notavimus, poterit mixtum ad mentem Peripatetic. definiri, *Corpus per se & ab intrinseco exigens quatuor primas qualitates attemperatas.* Nomen *mixti* deducitur à mixtione, quę ab Aristotele 1. *de Gener.* definitur, *Miscibilium alteraterum unio.* Quam definitionem ut intelligas, nota 1., miscibilia vocari ab Aristotele, quę sunt facilè divisibilia, simulque passiva, & activas unde & facilè commisceri possunt, & se se invicem alterare: cujusmodi sunt præcipuè quatuor elementa.

2 Nota 2., duplicem esse mixtionem philosophicam. Nam alia est mixtio accidentalis, ad substantialem generationem prævia, per quam scilicet miscibilia sunt quidem unita, & alterata, sed nondùm corrupta, nec in novam substantiam trasmutata: & de hac intelligitur litteraliter nupera definitio mixtionis. Alia verò est mixtio substantialis, seu mixtio perfecta, & ultimata, quę reipsâ fit per generationem substantialis formę virtualiter continentis elementa quatuor: quę forma, quia in se identicè adunat elementorum virtutes, dicitur *unio miscibilium*, non utcumque, sed *alteratorum*, id est, à gradu summo proprię qualitatis decidentium; non enim forma mixti exigit primas qualitates in gradu intensionis debito elementis. Nota 3. mixtionem primi generis, nempe accidentalem, seu prœviam, sæpe invenri sine substantiali, & ultimatâ; quando scilicet elementa vel non omnia, vel non satis uniuntur & alterantur, vel etiam quando non adest ultima dispositio, nec virtus activa novæ formæ. Tunc autem resultat mixtum improprium, quod *mixtum imperfectum* appellatur, & in quo manent elementa quoad substantiam illęsa. Hujusmodi est lutum ex aquâ & terrâ conflatum, & hujusmodi sunt varia meteora, de quibus cap. *sequenti*. Mixtum igitur propriè dictum, sive *perfectum*, de quo tantùm agimus in præsenti, non resultat nisi ex mixtione secundi generis, nempè substantiali.

3 His prœmissis, *Quær.* 1., cujusmodi sit temperamentum primarum qualitatum, quod pro mixti generatione requiritur? *Resp.*. Temperamentum illud est complexio, seu complicatio quatuor primarum qualitatum in gradu temperato, seu non summo; cùm videlicet in eâdem materiâ conjunguntur omnes, aliquatenùs remissę, vel, ut aiunt, *refractæ*, unaquæque per sibi contrariam, nempe calor per frigus, humiditas per siccitatem, secundùm gradus naturaliter sociabiles, de quibus diximus *disp.* 3. *de Gener. n.* 53. & 57.. Dividitur in temperamentum *ad pondus*, & *ad justitiam*; vel, quod eòdem redit, in *uniforme*, & *difforme*. Vocatur *ad pondus*, quod omnes primas qualitates continet in gradu æquali, nempe ut quatuor. Vocatur *ad justitiam*, quod easdem qualitates importat in eo præcisè gradu, qui debitus est mixto secundùm speciem ejus. Quodsi temperamentum *ad pondus* debeatur alicui mixto, simul erit *ad justitiam* respectu ipsius.

4 Porrò temperamentum *ad justitiam* in tot dividitur species, quot fieri possunt combinationes primarum quatuor qualitatum. Interdùm prædominatur una, interdùm alia, interdùm duplex: prędominiumque ipsum potest esse jam uno gradu, jam duobus, jam plu-

pluribus usque ad septem. Ex prædominio autem notabili alicujus qualitatis oritur varia temperamentorum denominatio, dum aliud dicitur temperamentum calidum, aliud frigidum, &c.. Et quia temperamentum vocari solet *natura*, idcircò, dum prævalent calor & siccitas, mixtum dicimus esse *naturæ igneæ*; dum humiditas & calor, *naturæ aereæ*; dum frigus & humiditas, *naturæ aqueæ*; dum siccitas & frigus, *naturæ terreæ*. Hinc in viventibus, v. g. in homine, resultat varia complexio quatuor humorum: nam qui naturâ, seu temperamento est igneus, complexionem habet cholericam; qui aereus, sanguineam; qui aqueus, phlegmaticam; qui terreus, melancholicam.

5 *Quær.* 2., an temperamentum primarum qualitatum sufficiat pro ultimâ dispositione ad formam mixti? *Resp.*. Videtur negandum. 1.: quia non possent alioquin mixtorum species esse plures, quam combinationes primarum qualitatum: non enim una & eadem combinatio potest ad formas specie diversas ultimò disponere. At evidens videtur, quòd varietas specifica mixtorum, cum sit propemodùm infinita, longè superet ejusmodi combinationum varietatem. 2.: quia sæpe datur primarum quatuor qualitatum temperamentum aliquod; nec tamen generatur nova forma mixti; ut videre licet in cibis & pharmacis artificiosè condítis, & in alijs pluribus, immò in elementis ipsis, prout sunt apud nos. Si autem nihil aliud pro ultimâ dispositione requiritur, incredibile est, temperamentum ullum dari posse, quod non sit *ad justitiam*, adeòque ultimò disponens, respectu alicujus ex innumeris mixtorum speciebus, quæ proinde statim generari deberet. Nec recurras ad defectum causæ efficientis. Nam, ubi datur ultima dispositio, causa prima supplet defectum causæ secundæ, juxta communem philosophiam.

6 Nec item recurras ad defectum secundarum qualitatum. Nam, si loquaris de secundis propriè dictis, eadem in his est difficultas: cùm enim necessariò resultent ex primis, dari nequit temperamentum primarum sine secundis ipsis respondentibus. Si verò secundas appelles eas, quæ, licèt supponant primas, non tamen ex eis resultant, nec sunt varijs mixtis communes, mecum senties: hoc enim intendo, ad generationem mixti perfecti, ultra primas qualitates, pro complemento ultimæ dispositionis desiderari unam saltem qualitatem specificam, quę non resultet ex primis, & quæ propriè conveniat tali mixto præ alijs specie diversis: conveniat, inquam, ut prævia dispositio pro priori ad generationem, & postmodùm ut proprietas, & instrumentaria virtus ad operandum; quo modo calor igni convenit. Pro varietate qualitatis hujusce, quę tot admittit species, quot mixtum, variatur temperamentum primarum in esse ultimæ dispositionis: unde fieri potest, ut duo mixta diversæ speciei constent eâdem primarum combinatione, seu temperamento perfectè simili, solùm que differant in qualitate specificâ. Hactenùs dicta intelligo de mixtis etiam inanimatis. In viventibus fortiùs urgent: quis enim credat, ad eorum generationem posse ultimò disponi materiam per primas qualitates quomodolibet attemperatas?

7 *Quær.* 3., quæ sit generatim virtus effectrix mixtorum? *Resp.*. De virtute effectrice mixtorum viventium satis diximus *disp.* 1. *de Gener. cap.* 2.. Quod attinet ad mixta inanimata, cujusmodi sunt lapides, & metalla, quæ non videntur productiva similium, communis sententia productionem eorum tribuit principaliter causis universalibus, nempe corporibus cœlestibus, præsertim Soli: concursum autem instrumentalem, saltem dispositivum

vum, attribuit primis qualitatibus variè contemperatis. Sed jam diximus, temperamentum primarum qualitatum non esse ultimam dispositionem ad mixtum, nisi addatur qualitas specifica: hujus autem productio non videtur tribuenda causis cœlestibus: tum quia sæpe nulla talis qualitas producitur, etsi temperamentum primarum adsit: tum quia non est cur à causis universalibus producatur potiùs una, quàm alia ex ijs, quæ possunt cum eodem temperamento conjungi. Quapropter, sicut *cit. disp.* 1. *de Gener. n.* 26. & 27. pro generatione viventium ex putri necessariam diximus virtutem seminalem; ita nunc pro mixtorum etiam inanimatorum productione semina quædam, vel quasi semina requirimus cum Philosophis haud paucis. Semina ista sunt tenuiores quædam substantiæ corporeæ, quæ chymico nomine vocari solent *Spiritus*, sintque diversæ indolis juxta diversitatem mixtorum; ut alius sit spiritus lapidificus, alius metallificus, & in his alius gemmificus, alius saxificus, alius aurificus, &c.: quorum munus est producere qualitates specificas pro ultimâ dispositione materiæ, & etiam active concurrere ad formam substantialem mixti per modum instrumenti, quàmvis principalis influxus tribuatur causis universalibus, positâ determinatione seminum.

8 *Dices*: hæc semina vel spiritus, sunt etiam mixta, quorum productio seminibus alijs indigebit, & sic in infinitum. *Resp.*: spiritus isti partim producuntur, & evaporantur a productis antea mixtis, quorum propria sunt; quemadmodùm semina plantarum à plantis ipsis generantur: ducunt autem primam originem à mixtis initio Mundi per solam Dei virtutem productis: tunc enim verisimile est produxisse Deum, sicut plantas & animalia, ita etiam omne genus lapidum, metallorum, & aliorum fossilium. Undè colliges, mixtum quodvis inanimè à suo simili produci posse mediâ virtute seminali. Præterea non est improbabile, quòd Deus ab initio produxerit hujus generis multa semina, quæ dispersa serventur in elementorum regionibus, velut in communibus seminarijs, præsertim in aquâ, juxta illud Marij Victor. alludens ad verba Genes. 1., *Spiritus Domini ferebatur super aquas*:

*Et sacer extinsis impendens spiritus alis,*
*Altrices animabat aquas, dans*
*semina rerum.*

Nec aliud fortè significant *rationes seminales*, à D. Augustino assertæ in Libris *de Genes. ad Litter.*, ubi sæpe docet, eas à Deo fuisse productas in ortu Mundi, ut inde variæ rerum species gignerentur. *Ex his velut primordijs rerum* (inquit lib. 9. c. 17.) *omnia, quæ gignuntur, sua quæque tempore exortus, progressusque sumunt.* Quod intelligit non solùm de viventium, sed generatim de mixtorum seminibus, ijsque per elementa dispersis. Unde lib. 3. de Trinit. cap. 8., *Omnium*, inquit, *rerum, quæ corporaliter, visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis Mundi hujus elementis latent.*

*Nonnulla & Lapidibus, Metallis, alijsque Fossilibus perstringuntur.*

9 *Quær.* 4., quid præterea notandum sit circa varia mixtorum genera in particulari? *Resp.* Mixtum dividitur in animatum & inanimum. De animato, seu vivente, nonnihil in *tract. de Gener.* dictum est, & plura dicentur in Animalicâ. Inanime subdividi potest in duo genera: quorum alterum continet mixta, quæ intra terram generantur utplurimùm, & dicuntur *Fossilia*: alterum comprehendit ea, quæ de viventibus, aut eorum occasione producuntur, ut sunt cadave-

ra;

ra, ligna, &c., varij quoque succi, humores, aut liquores, puta resinam, lac, vinum, siceram, oleum olivarum &c.. De his inpræsentiarum tractari non solet. Quare solùm de fossilibus nonnihil hîc dicendum. Quatuor fossilium genera distingui solent, nempe sales, sulfura, lapides, metalla. Quorum omnium materia proxima, juxta Aristotelem 3. *Meteor.*, coalescit ex duplici halitu, altero sicco, seu terreo, altero humido, seu aqueo: &, cùm siccus prævalet, generantur sales, sulfura, & lapides, juxta varios modos, aut gradus prædominij: metalla verò producuntur, cùm prævalet humidus, vel mediocriter attemperatur siccus. Sed, quámvis concedatur, ex confluxu & commixtione utrorum halituum (in quibus etiam supponitur calor intensus, & aliquale frigus) resultare materiam proximè præparatam quantum ad temperamentum primarum qualitatum, non ideò sequetur generatio fossilium, nisi alterius adsit virtus seminalis unicuique proportionata, ut constat ex dictis: & quia virtus hæc non ubique est in promptu, non ubique gignitur mixtum fossile, tametsi detur conflexus habitudinis illiusmodi.

10 *Salis* nomine solet corpus ex se durum & asperum, quod in aquâ dissolvitur. Nomores ejus species sex aut quinque recensentur. 1. *Sal communis*, & usualis, qui conficitur naturæ siccæ, & terreæ; quamquam aliis videtur ex æquabili elementorum mixtione genitus. 2. *nitrum*, cujus natura existimatur ignea, & aërea. Pro eodem accipitur passim *Salnitrum, bellinitrum*, & *Salperæ*, licèt in his aliqui differentiam agnoscant. 3. *Vitriolum*, quod in terris ferrugineis & cuprosis provenit, ideòque reputatur quasi ferri & cupri excrementum. In eo prævalet frigus. 4. *alumen*, in quo etiam frigus cum siccitate prædominatur. 5. *Sal communicus*, qui ex sale communi & nitro volatili conficit; ut etiam *sal gemmæ* ex nitro fixo, & sale communi. In quâlibet ex his speciebus continetur *sal volatilis*, & *sal fixus*, qui sunt velut duæ portiones ejusdem salis, permixtæ quidem, sed tenuitate ac mobilitate differentes, ideòque, dum ignis actione secernuntur, altera præ alterâ sursùm evolat. De naturâ salis, ejusque varijs insuper speciebus, quæ tot ferè sunt, quot mixtorum species, cùm è mixto quolibet suus sal extrahatur, fusè tractant cum Chymicis Experimentales Physici.

11 *Sulfura* vocantur succi pingues, seu oleosi ac visculi, è terrâ progenici, facillimèque inflammabiles, quo ignea ipsorum natura proditur. Sulfur, aliud est commune, quod arte præparatur; aliud minerale, quod *vivum* vocant, & frequenter propè montes ignivomos effoditur. Inter sulfura computantur bitumina, propter cognationem utrorumque maximam. Sunt autem genera bituminum varia, præter vulgare, quod nigrum, fœtidum, & amarum est: eaque sensibiliter differunt colore, & odore; necnon fluiditate, & consistentiâ, dum aliud est instar olei liquidum, aliud instar limi crassum, aliud ferè instar lapidis durum: varia quoque fortiuntur nomina, ut *naphtha*, *asphaltum*, *gagates*, *succinum*, *ambra*, &c. De succino tamen, seu electro, & ambrâ, Naturalistæ dissident: nam alij putant esse gummi, seu resinæ genus, quod ex arboribus defluat; alij succis bituminosis & solbilibus annumerant.

12 Succino, seu electro, vis inest attrahendi festucas, & omnis ferè generis corpora dummodò exigua sint, & facilè mobilia. Hæc etiam vi pollens duriora quæque bitumina necnon vitrum, gemmæ variæ, multaque alia corpora oleosa, rara, & tersa, seu lævigata. Vocatur tamen *vis electri-*

ca,

ca, quia in electro maximè viget; unde & reliqua corpora, similii vi prædita, dicuntur electrica. In quo autem ea vis consistat, vel qualiter operetur, dubium est. Alij recurrunt ad sympathiam, aut qualitatem occultam: alij ad effluvium, aut halitum viscosum; in quo Neotrici conveniunt, maximè Corpusculares; qui tamen inter se dissideut circa modum attractionis per halitum. Sed de hoc alibi.

13 *Lapides* appellantur corpora dura, quæ nec possunt malleo duci, nec aqua dissolvi, nec calore liquari, nec igni in pabulum cedere. Generantur ex humore viscoso ac tenaci, cui plaringum terræ sit permixtum; & nonnihil salis, accedente spiritu lapidifico, si fortè à salino succo distinctus est: & pro varietate hujus spiritûs, & illius humoris, variantur species lapidum, quæ plurimæ sunt, tum pretiosorum, tum vilium. Quidam negant, lapides esse mixta perfecta, censent que meras esse portiones terræ indurata, ac proinde inter se non distingui specie substantiali. Sed est opinio admodum exotica, præsertim si loquatur etiam de adámante, sapphiro, topazio, cæterisque gemmis: in his enim planè inveniuntur indicia mixtionis perfectę, qualem prescribit Philosophia, seu Peripatetica, seu Corpuscularis. Eadem ferè ratio est in alabastrite, prophirite, jaspide, imò in silice, & communibus alijs lapidibus, qui suas habent peculiares proprietates ab intrinseco radicatas.

14 Inter lapides nullus est admiratione dignior, quàm magnes; de cujus mirabili vi, quæ ab eo *Vis magnetica* nominatur, locus hîc erat differendi, nisi promissa brevitas obstaret. Inest magneti vis directiva, & vis tractiva. Per directivam polos suos dirigit magnes ad polos Mundi: pollet enim suis quasi polis, quos ad Mundi cardines ultrò convertit ita ut altero respiciat Austrum, altero Boream, dummodò liberè moveri possit, ut si cymbulæ impositus aquæ vasis innatet. Vim istam communicat etiam ferro, præsertim polis ejus applicito: nam, si acus chalybea polo australi magnetis admoveatur, Borcam deinde respicit. Et ex hac directione magnetica tota ferè pendet ars nautica. Per vim tractivam magnes ad se trahit ferrum, & alium magnetem, vel etiam ipse ad ferrum accurrit, dum liberius moveri potest. Hanc etiam vim (cui sæpe non obstat interpositio alterius corporis, v. g. ligneæ tabulę) communicat ferro, præsertim puro, seu chalybi, qui vi magnetica imbutus alium ad se chalybem trahit. Sunt & alia plura virtutis magneticæ phænomena; ut quòd duo magnetes non se invicem trahunt, nisi cùm facies borealis unius respicit australem alterius; si enim admoveantur secundùm polos cognomines, se se mutuò repellunt.

15 Ex his constat, inter vim magneticam, & electricam multum esse discriminis. Nam electrica purè tractiva est, non directiva: est etiam debilior, & quovis interposito graviori corpore nihil agit: inest quoque multis diversi generis corporibus, & omnia ferè levia corpuscula indifferenter trahit. Sed utrùm vis magnetica revocâda sit ad formam substantialem, ad sympathicam, aut qualitatem innominatam? an verò ad effluvium corpusculorum insensibilium, sive à magnete manantium, sive à globo terrestri, quem multi volunt magnum esse magnetem, vel saltem intra viscera continere rupem, seu venam magneticam, diametraliter excurrentem à polo in polum? quæstio est prolixæ discussionis: de quâ, præter Philosoph. Burgund. *tom.* 5., & Toscam *Compend. Philos. tom.* 4., videri poterunt P. Jo. Bapt. de Benedictis *tom.* 3. *Philos. l.* 3. *q.* 5. *c.* 4., & P. Joan. Ulloa. *Philosoph. Na-*

*Natur. disput.* 3. *à numer.* 44. *ad* 77.

16 *Metalla* vocantur corpora ex se dura, ductilia tamen, & liquabilia: quia possunt violento calore liquari, & malleo contusa in laminas produci. Septem communiter numerantur metallorum species, videlicet aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum, stannum, hydrargyrus, qui & mercurius, & argentum vivum vocitatur. Sed aliqui stannum removent, eo quòd sit mixtum ex plumbo, & argento, vel plumbum defæcatius, sicut chalybs est ferrum purius. Alij non immeritò excludunt hydrargyrum cujus fluiditas à metalli ratione degenerat: illum potiùs, unà cum sulfure, metallorum communem materiam esse volunt, præsertim Chymici. Sed, quod materiam attinet, communiter creditur, metalla generari ex vapore, & exhalatione, seu ex permixtione halitûs humidi cum ficco. Alijs placet substantiam quamdam salinam adhibere, quę sensim excocta, & digesta, duritiem metallicam adquirat. Quæcumque tamen sit materia, si absit spiritus metallificus, de quo suprà, nullum generabitur metallum. Docent Alchymistæ, metalla inter se non distingui specie substantiali, sed solo gradu perfectionis, aut puritatis; ut ita faciliorem prędicent transmutationem metalli cujuslibet in aurum, per suum scilicet phantasticum Lapidem philosophicum. Sed ut finis hic vanissimus, sic & illa identitas specifica prorsùs est improbabilis.

17 Præter hucusque numerata, sunt & alia fossilia, quæ metallica, seu mineralia dicuntur, quia metallis quodammodò cognata sunt, & prope venas eorum effodiuntur. Cujusmodi sunt Stibium, sive Antimonium, Lithargyrus, Pyrites lapis, vulgo Marcasita, Minium, Arsenicum, &c.. Nec dubium, quin præter hæc, & alia fossilia, quæ proprijs nominibus notari solent, sint & alia quamplurima, quę terręin gremio, velati communis matris in utero gignuntur. Hæc simul cum cæteris, calore Solis, aut ignis subterranei resoluta, continuò per terręmeatus exhalantur, & per athmosphæram diffusa, materiam suppeditant meteoris, de quibus cap. sequ..

## CAP. V.

### *DE METEORIS.*

1 METEORUM generatim *sublimia* sonat: sed speciatim meteora vocâtur quidam effectus, aut impressiones, quæ in sublimi aëre contingunt, ut fulgura, tonitrua, &c.: eodemque nomine comprehendi solent quædam alię impressiones, in aquâ & terrâ ex eâdem materiâ provenientes, ut sunt maris æstus, fontium scaturigines, terræ motus, thermæ, &c.. Meteorum materia est halitus, cujus duplex genus, vapor, & exhalatio: in vapore dominantur calor & humiditas, in exhalatione calor & siccitas. Exhalatio, quę subtilior & acrior est, dicitur spiritus; quę crassior & fæculentior, vocatur fumus. Quàmvis autem dici soleat, exhalationem à terrâ, vaporem ab aquâ profluere, debet hoc intelligi, non, de terrâ & aquâ solis, aut paris, sed simul de mixtis omnibus in utroque elemento degentibus: ab omnibus enim ferè continuò profluunt materiæ particulæ, calore attenuatæ, & rarefactæ, quarum profluvia dicimus halitus: quod quidem in viventibus, & in omnibus sensibiliter odoriferis manifestum est; & in cæteris vix dubitari potest. Hinc athmosphæra innumeris scatet corpusculis extraneis, & specie distinctis, innumeris videlicet halitibus, non solùm terreis, & aqueis, etiam sulfureis, bituminosis, nitrosis, salinis, metallicis, &c.. Communis opinio est, quòd halitus hujusmodi plerúmque retinent naturam &

substantiam mixtorum (exceptâ formâ viventium), è quibus effluunt, licèt peregrinis qualitatibus affectam : nec semper eam amittunt, dum in meteora formantur. Unde plura meteora, cujusmodi sunt nubes, nix, grando, iris, & alia, sunt mixta imperfecta, quæ novam formam substantialem non afferunt.

2 Causa evaporationis, aut expirationis tot halituum è corporibus memoratis, est calor, ut omnes ferè consentiunt. Sed, quia non videtur sufficere calor innatus, præsertim in non viventibus, ad tantam halituum copiam, recurritur passim ad calorem solis, qui reverâ plurimùm confert in ijs corporibus, quæ non alte recondunturur sub terrâ, vel aquâ. At Solis calor terram non penetrat ultrà pedes aliquot ; & aliunde certum est, in profundissimis metallorum fodinis calorem sentiri, halitumque multiplicem elevari, mixta quoque fossilia in profundis terræ visceribus gigni quamplurima, quorum generatio sine calore fieri nequit. Quare aliqui recurrunt ad conflictum diversorum salium, quo calor subterraneus excitetur. Sed communis hodiè Philosophorum sententia subterraneos ignes agnoscit, in magnis pyrophilacijs, aut fornacibus perennitèr ardentes intra penitiora terræ viscera quaquaversùm atque ex his ignibus calorem & influxum derivat ad effectus plurimos, præsertim ad fossilium tum genesim, tum resolutionem in halitus.

3 Duo solent subterraneis ignibus objici. 1. defectus pabuli. 2 defectus respirationis. Sed, quod ad pabulum attinet, eadem est difficultas in vulcanis, seu locis, aut montibus ignivomis, quos in varijs Orbis partibus perpetuò ardere notissimum est. Subterraneum ignem in præcipuis pyrophilacijs accendit Deus ab initio Mundi, eique alendo copiosam præbuit materiam combustibilem, præsertim sulfuris, & bituminis : cujus quantum ex unâ parte consumitur, tantum ex alterâ reparatur per novi pabuli generationem ex materiâ, quam terra & aqua suppeditant, & ex ipsâ consumpti pabuli materiâ, quæ post varias metamorphoses ad eamdem formam iterùm redit. Hinc non est timendum, ne terræ moles tandem absumatur ; sicuti non absumitur materiam ministrando mixtis innumeris ; quia scilicet tantumdem materiæ recuperat corruptione mixtorum. Quod respirationem spectat, pyrophilacia inprimis satis ampla esse possunt, ut ignis exspatietur. Deinde tot sunt in nostrum aërem spiracula, quot in Orbe vulcani, seu montes ignivomi, quos idcircò per omnes Mundi partes, nempe Europam, Africam, Asiam, Americam, provida Natura distribuit. Per hæc velut ora respirare possunt ignes etiam loco distantes, propter communicationem, quam inter se habent per profundas terræ cavitates, etiam sub maris fundo excurrentes. Unde ignes, qui sub Hispaniâ, vel Galliâ sunt, respirare poterunt per Vesuvium, & Ætnam. Cum hoc tamen cohæret, quòd novus ignis interdùm accendatur in alijs terræ cavernis, qui, ut in ceniculis bellicis accidit, respirationis causâ terram disrumpat. Sed jam meteora in particulari breviter exponamus.

*De Nube, Fulmine, Fulgure, & Tonitru.*

4 Nubes definiri solet, *Vapor densatus in mediâ aëris regione.* Tres veluti regiones partiales in aëris sphærâ distinguuntur. Prima, seu infima, extenditur à terrâ usque ad nubes aeri notèro superiores: secunda continet totum illud spatium, quod occupari potest à nubibus, magis aut minùs elevatis; sunt enim aliæ aliis altiores. Tertia est reliquum aëris spatium usque ad Lu-

Lahare cœlum, vel usque ad ipsam ignis, si datur. Alij tertiam quoque regionem aëris intra athmosphæram comprehendunt, ut nempe sit spatium à summis nubibus ad convexam superficiem athmosphæræ protensum, quo solùm ascendunt subtiliores halitus, qui non possunt in nubem concrescere. Itaque nubes in mediâ regione suspenduntur, quia ibi obtinent æquilibrium ponderis cum aëre; regio enim aëris inferior, quia magis compressa, gravior est, & nubium materiam sursùm trudit. Interdùm tamen nubes aliqua fit aëre gravior, & tota decidit ad terram usque. Nubium etiam trusionem, aut suspensionem juvare poterit impetus novorum halituum è terrâ & aquâ indesinenter ascendentium. Dentantur autem vapores aquei à nativo frigore, quod facilius in mediâ regione recuperant, quia magis distant à vehementi reflexione radiorum Solarium, quam terræ superficies causat. Porrò nubes non ita coalescit ex vaporibus, ut non plurimas exhalationes permisceat: immò interdùm majori ex parte congeries est exhalationum, quæ à ventis in mediâ regione flantibus coguntur, & coadunantur. Hinc sæpe formantur nubes steriles, aut aridæ, quæ nunquam in pluviam resolvuntur.

5 Fulmen est *Flamma in sublimi accensa, & violento impetu vibrata.* Fulgur est *splendor fulminis*: sæpe etiam sumitur pro rariore flammâ subitò accensâ, quæ vim comburendi non habet. Tonitru est *Fragor ex violenta aëris fractione resultans.* Modus, quo regulariter meteora ista contingunt, hic est. In vaporosâ nube sæpe includitur & coacervatur exhalatio nitrosa, & sulfurea, copiosior æstate, quàm hyeme, quia tunc major à terrâ profluit hujusmodi exhalationum copia. Hæc exhalatio materia est fulminum, ac fulgurum; dum scilicet nimiùm incalescit, vel ab igneis particulis, quas secum defert, & quas densiora nubes conjungit, & comprimit; vel à Solarium radijs in nube refractis. Tunc enim ab his eisdem causis ignem repentè concipit, & subitò rarescens, ampliorem quæ locum ambiens, nubem magno cum impetu perrumpit, & vicinum aërem flagellat, unde resultat tonitrus; simulque flammam ejaculatur, in quâ fulmen cum fulgure coalescit. Quodsi exhalatio tenuis sit, aut subtilis, & languida, in flammam abit rariorem, & quasi fatuam, quæ pro mero fulgure vulgò accipitur. Si verò crassior, ac pinguior sit, & ad impulsum recipiendum magis idonea, tunc in flammam vertitur combustivam & acrem, quæ impetu ex violentâ eruptione concepto ad terram usque pervenit: & hæc sola fulmen vocari solet.

6 Unde fulmen non est lapis è nube vibratus, ut vulgò creditur: quamquàm interdum lapidem secum deferre poterit, si nimirùm portio aliqua nubis talibus dispositionibus affecta sit, ut calore ignis accedente facilè lapidescat. Experientiâ enim compertum est, si terræ, quæ ex aquâ pluviâ subsidit in fundo vasis, misceantur cretæ portiones nitri, & sulfuris, ac deinde tota mixtura incendatur, illam modo tota mixtura incendatur, illam momento temporis in quemdam lapidem concrescere. Fulmen igitur propriè consistit in portione ignis, è nubibus ejaculatâ, ut expositimus. Et aliquando ad terram non pervenit, vel quia non sufficit impetus, vel quia è latere, vel è superiore parte nubis erumpit: aliquando ad terram usque propellitur; plerumque tamen obliquè defendit, vel ob aëris reluctantiam, & agitationem, vel quia nubes obliquo vulnere rumpitur. Et hinc provenit, quòd fulmen frequentiùs cellhora feriat, ut montes, turres, arbores; quia, dum obliquo motu per aëra fertur, facilius offendit quæ sublimiora sunt.

7 Mirabiles fulminum effectus ad varias materiæ qualitates revo-

candi sunt. V. g., cùm fulmen illæsâ vaginâ ensem inclusum liquat, vel nummos illibato sacculo, vel cùm ossa hominis integrâ carne comminuit; hoc ex eo provenit, quòd fulminis flamma subtilior, & aerior est, ideòque raptim insinuata per poros molliorum corporum facilè cedentium, sine injuriâ transit, nec moram trahit pro combustione sufficientem: at duriora corpora, cum magis resistant, flammam illam diutiùs sibi adhærere cogunt, ideòque vim ejus experiuntur. E contrario sæpe accidit, ut fulmen vestes, aut capillos hominis depascat, nec tamen hominì ipsi noceat: eo scilicet, quòd sit oleaceæ naturæ, mitiorisque flammæ, quæ solis corporibus parùm resistentibus, seu facilè combustibilibus nocere valet. Vid. Conimbric. *hic tr. 2. c. 6.*

### *De Pluviâ, Grandine, Nive, Glacie, Rore, & Nebulâ.*

8 Pluvia est nubes in aquam resoluta. Vapor enim jam coactus in nubem, si reddatur frigidior, densior, & gravior, resolvitur in aquæ guttas, ut in olìæ ferventis operculo cernere est. Dum guttæ minutissimæ defluunt, pluvia dicitur stillicidium; dum majusculæ, imber; dum prægrandes, nimbus. Fit quidem in pluviæ principio, & propè nubem, non desunt nisi stillicidium, tenuissimis guttis, seu guttularum filamimbus constans, ex quibus in descensu compactus coalescunt guttæ grandiores. Varia mixtorum genera cum pluviâ nonnunquam decidisse narrantur, ut ranæ, pisces, ferrum, lapides, lac, & sanguis. Quod, si verum est, & sine miraculo contigit, tribui potest alteri è duabus causis. 1.: quia talia mixta violento alìquo turbine, seu typhone, à terra in aerem abrepta sunt, & postmodùm cum pluvia decidunt. 2.: quia in athmosphæra ipsâ generantur ex certo confluxu vaporum & exhalationum naturæ multiplicis, ac variæ. Sanguis tamen, & lac, siquando in pluviâ decidere videntur, non veram, sed adumbratam naturam sanguinis, aut lactis habent, suntque re ipsâ crassiores aquæ partes, rubedine, aut lacteo colore tinctæ.

9 Grando formatur ex aquæ guttis è nube cadentibus, & in descensu congelatis, non solùm vi frigoris, sed simul etiam accessu spirituum salis & nitri; quæ guttæ, quia in gyrum contorquentur à vento, tornantur in globos. Nix efficitur ex nuper dictis primi stillicidij filaminibus, priusquam in guttas coadunentur, dum scilicet frigore & salino spiritu gelascunt, & alia aliis leviter adhærentia convolvuntur in floccos, multum aëris intercipientes. Hinc oritur nivis albor; quia aqua aëri permixta solet albescere, ut in spumâ cernitur. Grando solùm à nive differt majore siccitate, & solidiore compactione partium, quæ provenit à majore copiâ salis, fortassis etiam diversi. Si quæras, cur nix in æstate non decidat, sicut grando? Respondent aliqui, nivem etiam æstivo tempore propè nubes formari; sed, cùm descendit, in aquam dissolvi calore infimæ regionis, quo non ita facilè dissolvitur grando, quia solidior. Alij recurrunt ad copiam salini spiritûs, quæ major è terrâ sursùm profluit æstate, quam hyeme, & congelationem pluviæ è nubibus stillantis non finit in niveis flocculis sistere, sed ad soliditatem grandinis perducit; quemadmodùm è contrario nimius calor non alsat, sed torret.

10 Glacies est liquor intenso frigore induratus, concurrente simul spiritu exsiccante, cujusmodi est spiritus salis nitri. Unde solum frigus, quantùmvis intensum, non sufficit ad glaciem inducendam: nam aqua in profundo maris, ut urinatores testantur, est semper frigida, non tamen congela-

lata : & è converso, dum aqua in glaciem vertitur à nive circumpositâ, & sale permixtâ, minùs, aut certè non magis frigida sentitur, quam aliàs agitatione frigefacta in vase nive circumdato, tametsi liquida. Quare immeritò dixeris, aquam, eo quòd naturaliter exigat frigus summum, non esse in statu suo connaturali, nisi glaciata sit. Communis persuasio est, glaciatam aquam ex iis non esse rariorem liquidâ, sed potiùs densiorem; quia particulas magis compactas, aut constrictas habet. Nec obstat, quòd aqua glaciata majorem interdùm locum occupet, quam liquida; & quòd videatur levior, cum glacies supernatet. Nam glacies multas intra se intercipit aëris particulas insensibiles, à quibus provenit major extensio, majorque levitas; non tamen raritas; quæ hęc non fit per mixtionem sensibilem extranei corporis, ut suo loco notatum est.

11 Ros est vapor tenuis, qui à leni calore Solis occidentis è terrâ elevatus, non ultra infimam regionem aëris ascendit, & nocturno frigore concrescens, cadit nocte, & summo mane resolutus in gutticulas. A rore non differt Pruina, nisi quatenùs acriori frigore gelatur, magis que abundat spiritu nitri. Rori etiam affinis est Aura serotina, quæ sereno Cœlo post Solis occasum herbas humectat, solet que multis in locis esse noxia, præsertim hominibus, quibus pori sunt apertiores. Hæc solùm à rore discrepat, quia citiùs defluit, & plus imbibit exhalationis acris. Porrò, quando rori admiscetur pinguis exhalatio, simulque accedit congrua Cœli temperies, fit mel imperfectum, sive inchoatum, quod posteà magis concoquunt apes, & perficiunt. Hinc frequenter in floscul is, & in arborum foliis ros exhibet mellitum saporem: hinc etiam apes mel non colligunt deficiente rore, tametsi flores non desint.

12 Nebula est halitus caliginosus terræ incubans. Ejus materia, majori saltem ex parte, videtur esse terrea exhalatio, quę gravitate & crassitie suâ nequit ad mediam aëris regionem ascendere, nec à terrâ multùm recedere. Hinc nebula communiter censetur sicca, & humoris infęconda, solet que serenitatis esse signum. Sępe tamen aqueus vapor miscetur, ijs præsertim nebulis, quæ ex fluminibus, & locis palustribus assurgunt. Unde interdùm accidit, ut quæ priùs nebulę sunt, postmodùm nimis elevatę, nubes fiant in pluviam resolubiles. Ac de his nebulis vaporosis verum puto, quod aliqui dicunt, eas à nubibus non differre, nisi quia graviores sunt, & terrę viciniores.

## *De Ventis.*

13 Ventus est moles ingens materię spirabilis impetu vehementi fluens instar torrentis. Unde, ut dicatur ventus, non sufficit quæcumque portio aëris agitata, qualis v. g. sollibus cietur, sed requiritur moles ingens, eaque fluens impetu non modico; nam, si leniter moveatur, non ventus, sed aura dicitur. Nomine *materiæ spirabilis* intelligitur aër athmosphęricus, qui solus respirationi est aptus; ac proinde intelligitur aër, non quidem purus, qualis ultra athmosphęram existit, sed innumeris permixtus halitibus diversorum generum. Aer sic acceptus, ventis est pro materiâ; impetus pro formâ. Plures Peripatetici solam exhalationem, ut Cartesiani solum vaporem rarefactum, materiam ventorum esse volunt. Sed utrique rejiciuntur à plerisque alijs: quia, flante vento, halitus cujuscumque generis unà cum aëris partibus concitantur, fluunt, & afflant occurrentia corpora: omnes ergo participant impetum proprium materię ventorum. Non tamen negandum, quòd exhalatio prævalet in ven-

tis

tis siccioribus, & è terrâ excitatis; vapor autem in humidioribus, qui ſæpè è fluminibus proveniunt; & ferè ſemper è mari, ex quo, licèt oriatur exhalatio multiplex, plus tamen educitur vaporis.

14 Origo impetûs & concitationis ventorum cenſetur unum ex naturæ myſteriis, magnâ ex parte hactenùs ignotis. Nonnullas tamen proferam probabiles cauſas à Philoſophis excogitatas, quibus diviſim tribui poſſit concitatio iſta: non enim una ſemper & eadem cauſa eſt, ſed pro varietate circumſtantiarum multiplex, ac varia. Poteſt igitur 1. cõcitari ventus ex celeri dilatatione, ſeu rarefactione alicujus magnæ molis aëris athmoſphærici: ſi enim aër in amplâ & profundâ valle v. g. exiſtens, ſubitò rarefiat, & ampliorem locum impetu quærat, ſuperiorem aërem propellet, & ità violenter profluere cogit, proindeque ventum efficiet. Sic in furnis calcis, dum calore rareſcit humor lapidum, & aër incluſus, per os furni erumpit flatus vehemens, vento non abſimilis. E converſo poterit etiam concitari ex celeri condenſatione magnæ molis aëris: tunc enim proximæ partes, & aliæ deinde conſequenter impetu moverentur ad occupandum locum à condenſatis & à priùs motis derelictum. Sic, furno calcis frigeſcente, denſatâ que intùs materiâ, externus aër irrumpere ſolet per os furni tanto impetu, ut muſcas circumvolitantes ſecum deferat.

15 3. excitari ventus poterit ex eo, quòd ingens halituum copia, ſolito velociùs aſcendens, à denſitate & frigore mediæ regionis repellatur, & in ſubjectum aërem reſiliens, illum violenter commoveat. 4. etiam ex eo, quòd nubes gravida, vel denſa pluvia, cum impetu deſcendens, multâ vi comprimat inferiorem aëris molem; quæ, dùm ſe versùs latera dilatare nititur per inſitam vim elaſticam, alias aëris partes vehementer concitat. Hinc aquoſos turbines ſolet præire ventus. Hinc etiam ſæpe ventos quaſi ex alto ruere experimur, & circumquaque, ſive in omnem partem agitari: quod vel huic, vel præcedenti cauſæ tribui poteſt. 5. ex eo, quòd nix plurima in montibus liquetur, & multum aëris, quod intra ſe continet denſatum, aut compreſſum, emittat liberum, aut rarefactum: hoc enim, ut ſibi locum faciat, reliquum aëris validè propellet. 6. ex celeri & copiosâ evaporatione, vel expiratione maris ac terræ, præſertim ſi multa continenter prodeat exhalatio halnitroſa, quæ maximè flatulenta creditur? hæc enim ſtatim in regione infimâ tumultum & agitationem excitabit. 7. alias cauſas prætermittam, ex aëre in ſubterraneis cavitatibus rarefactione vel acceſſione halitûs commoto; qui cacceris impatiens, qua data porta ruit, & terras turbine perflat: quod violentiùs præſtabit, ſi per angusta ſpiracula coarctus erumpat.

16 Hæ dici poſſunt immediatæ cauſæ ventorum. Cauſæ verò mediatæ, & præcipuæ, ſeu radicales, ſunt Aſtra, præſertim Sol, & Luna, nec non ignes ſubterranei. Ab his enim cauſis provenit rarefactio, & condenſatio materiæ ſpirabilis, liquefactio nivium, commotio, & evocatio halituum. Sic, oriente Sole, frequenter excitatur ventus; ut etiam in præcipuis Lunæ mutationibus, & in conjunctionibus Planetarum. Sic è quibuſdam antris ventus jugiter ſpirat, materiâ per ſubterraneos ignes rarefactâ. Quòd autem ventus in unam potiùs, quàm in aliam partem fluat, ut plurimum non provenit per ſe à cauſâ ciente, & impellente, quæ ſuâpte naturâ vel nullam præ alijs partem determinat, vel frequentiùs intendit motum ſurſùm. Provenit ergo per accidens ex eo, quòd aër ab eâ parte, quâ ventus fluit, debilior inveniatur, & facilius mobilis, ob majorem humiditatem, raritatem, aut

alia

alia accidentia. Ventorum distinctio desumi solet ab eis horizontis partibus, à quibus efflant. Præcipui sunt quatuor: videlicet Eurus, aut subsolanus, ab oriente spirans; Zephyrus, seu Favonius, ab occasu; Boreas, sive Aquilo, à septemtrione; Auster, sive Notus, a meridie. Præter hos, plures alij collaterales numerantur; & nautæ distinguunt triginta duos. Eorum proprietates desumuntur à regionibus, per quas ad nos transeunt, & à naturâ variorum halituum, quibus constant. Unde alij sunt frigidi, alij calidi, alij morbidi, salubres alij, &c.

*De Cometis.*

17 *Cometa*, præscindendo ab opinionibus, definiri, seu describi poterit, Corpus lucidum figuræ rotundæ, quod repentè in sublimi apparet, & iterùm ab oculis evanescit, sic tamen, ut appareat rarò, ac fine certâ lege hactenùs cognitâ, duretque aliquot minùm dies, interdùm plures menses, interdùm annum integrum, & ultrà. Cometa dicitur *crinitus*, sive *comatus*, cùm radios luminis circumfundit instar comæ: *barbatus*, cùm ex aliquo latere modicam radiorum appendicem extendit instar barbæ: *caudatus*, cùm appendicem radiorum longiùs protendit instar caudæ: *falcatus*, cùm hanc ipsam caudam exhibet curvam instar falcis. Dari cometas supralunares, constans est hoc tempore Astronomorum sententia, de quâ nonnihil diximus suprà cap. 2.: nec difficile facilè quis poterit, nisi plurimis & accuratissimis observationibus fidem abrogando. De materiâ cometarum hujusmodi magna est opinionum varietas. Sunt, qui putent, cometas supralunares non denuò generari, nec reipsâ corrumpi, sed esse astra de genere planetarum, non minùs antiqua, & permanentia, quàm planetas ipsos; quàmvis rarò sub aspectum veniant, eo quòd plerùmque vel solaribus radijs opprimantur, vel minimùm à Terrâ distent. Plerique tamen, eos denuò formari censent, vel ex portione aliquâ materiæ cœlestis, quæ condensata lumen reflectat, vel ex fumis quibusdam à planetis, à Sole præsertim, evibratis, & hac materiâ posteà dissipatâ, cometas evanescere. Mitto sententias alias minùs probabiles.

18 Plures Neoterici negant, dari posse cometas sublunares, qui propriè tales sint. Sed eos agnoscunt Philosophi communiter cum pluribus Astronomis, nimirùm in supremâ regione aëris formatos ex halitibus eò usque nonnumquàm ascendentibus, & magnâ in copiâ conglobatis. Favent observationes variæ: ut quòd aliquando visus sit uni tantùm urbi, seu regioni cometes imminere, qualis ante Hierosolymæ excidium fuisse memoratur: quòd item aliquando cometes Lunam obscuraverit: & quòd nonnumquam scintillas in inferiorem aërem emiserit. Nec est cur sublunares isti dicantur impropriè cometæ, siquidem splendore, figurâ, & duratione cum cometis cœlestibus conveniunt. Dices, convenire non posse in motu diurno ab ortu in occasum, qui cometarum est proprius. Sed imprimis, licèt motus iste notetur in cometis cœlestibus, gratis à te supponitur esse proprius omnis cometæ verè talis. Deinde cur non poterit cometes eum motum habere in regione aëris supremâ, quæ communiter creditur à motu & impulsu cœlestium corporum circumagi? Dices insuper, omnes cometas, qui à duobus fermè sæculis observati sunt, fuisse cœlestes, & supralunares. Esto: sed cur revocantur sublunares cometæ in omni sæculo apparere?

19 Horum materia cometarum, juxta plerosque Philosophos, est crassa & pinguis exhalatio, partibus

crassi-

constans benè coagmentatis, & à rotatione supremæ regionis conglobatis: ex quo provenit, quod sit flammæ tenax, & diù ardeat; si enim partes tenues, & facilè solubiles haberet, brevi evanesceret, ut alijs ignitis meteoris accidit. Incenditur autem exhalatio ista, vel radijs solaribus, vel etiam fulmine à subjectâ nube sursùm evibrato. Unde cometa, cum sit verè ignitus, propriâ luce fulget. In hac tamen sententiâ difficile explicatu est, cur cauda cometę semper à sole aversa conspiciatur. Quare alij malunt, cometam formari ex fumidis vaporibus, in supremâ regione coadunatis, satis quidem densis, ut lumen Solis ad nos reflectant, sed non ita opacis, ut non aliquam retineant diaphaneitatem, per quam transmissi, refractique radij solares, in parte oppositâ ignent albescentem tractum, quę cometæ caudam appellamus. Quòd autem cauda ista interdùm videatur curva, provenit ex varia refractione specierum visualium à medio variè dispositio: quemadmodùm virga, licet recta, interdùm sub aquis apparet curva. Sed huic sententiæ objici potest, quòd, si cometa solum haberet lumen à Sole mutuatum, aliquando pateretur eclipsim interjectu terræ, sicut Luna patitur: quod tamen hactenùs observatum non est, ut ajunt Conimbricenses. Hæc eadem opinionum varietas de luce propriâ, vel alienâ, datur etiam circa cometas supralunares. Fortasis aliqui verè ignei sunt; alij, purè illuminati ab extrinseco: & hinc alij rubescunt, alij candicant.

20 Cometarum supralunarium motus est duplex, aut quasi duplex, ut in Planetis: alter diurnus ab ortu in occasum; alter ab occasu in ortum, isque magis, quàm in Planetis, obliquus, & anomalus. Uterque tribui potest eidem causæ, cui motus astrorum. Cometę verò sublunares non semper ab ortu in occasum feruntur; nam aliquando visi sunt immoti, aliquando tumultuarie moveri sursùm, deorsùm, & in varias horizontis partes: quæ varietas provenire potest, vel ex aliorum effluviorum occursu, vel ex eo quòd pabulum ab hac vel illâ parte superveniat cometæ ignito: illuc enim tendere videtur ignis, unde ipsi pabulum apponitur. Præmuntiant cometæ, ut passim creditur, vehementes ventorum turbines, siccitatem que, & sterilitatem terræ; quos effectus physicè causare poterunt per effluvia, & qualitates. Passim quòque censentur infausta & ominosa prognostica humanorum eventuum, quasi nimirùm portendant Regum funera, bella, seditiones, &c.: id quod plures Patres ac Theologi referunt ad solam voluntatem & providentiam Dei, qui cometis utitur ut signis ad placitum istiusmodi calamitatum. Hæc tamen non est regula inconcussa; nam cometæ multi memorantur, vel prorsùs innoxij, vel fausti, ac felices.

*De reliquis Meteoris lucidis, & ignitis.*

21 *Galaxia*, seu *Via lactea*, seu *Lacteus circulus*, qui serenâ nocte instar nubeculæ candidæ hemisphærium cingentis apparet, ab antiquis cum Aristotele inter meteora numerabatur, quasi ex materiâ vaporum resultaret. Sed jam post telescopium inventum certò constat, eum circulum in Firmamento effici ex frequentiâ, seu congerie minimarum stellularum, quæ præ multitudine, atque exiguitate lumen respectu nostri permiscent, & confundunt. Idem putandum de stellis, quas *Nebulosas* vocant, & quæ nudis oculis apparent instar nubecularum albicantium: sunt enim reipsâ congeries stellularum, lumen, ut in Galaxia, confundentium.

22 *Iris* inter meteora lucida meritò computatur, estque Arcus multicolor in nube roridâ ex reflexione &

re-

refractione variâ radiorum Solis apparens. Formatur, cùm Soli objicitur nubes à tergo opaca, & externâ facie diaphana, crebras aquę guttulas quasi catenatas exhibens, aut stillans. Colores Iridis præcipui sunt tres, puniceus, viridis, ruber, seu purpureus, quibus interdùm alij permiscentur juxta illud Poetę, *Mille trahit varios adverso Sole colores.* Colores isti communiter censentur apparentes, seu indistincti à lumine variè refracto; non aliter, ac in trigono, seu prismate vitreo radijs Solis objecto, ubi similes colores apparent; ut etiam in roris guttulis per virentia prati gramina sparsis, si è certo loco spectentur oriente Sole; præsertim verò in quibusdam fontibus, qui aquam sursùm jaciunt, & aspergunt, in plurimas & confertas guttulas conciliam; in his enim adverso Sole vividam & perfectam Iridem non semel à me visam memini. Non desunt tamen, qui colores Iridis veros esse contendant, à lumine quę distinctos: de quo videri potest P. Jo. Ulloa *Philos. natur. disp. 3. n. 243. & seqq.*. Unde autem proveniat arcuata Iridis figura, & qualiter lumen refringi oporteat pro coloribus ejus efformandis, fusè explicat Author Philosoph. Burgund. *tom. 5. tr. 2. cap. penult.*: sed explicatio non ea est, quæ facilè possit in compendium redigi. Solùm addo, Iridem, licet sit effectus naturalis, & ante diluvium Noeticum extiterit, ab eo tamen tempore signum esse non futuri diluvij, non quidem ex se, sed ex divino beneplacito.

23 *Parhelia* dicuntur, cùm duo, vel plures Soles, quasi in Cœlo essent, apparent. Passim creditur, hoc phœnomenon causari à reflexione lucis Solaris, quæ scilicet in nube glaciatâ, tersâque instar speculi, nobis perfectam Solis imaginem repræsentet. Sed, quia difficilè concipitur, glaciatam nubem in sublimi aere sustineri posse, & quia interdùm Parhelia in ijs apparent locis, ubi Cœlum serenum est, & à nubibus liberum; ideircò alij probabilius judicant, Parhelia causari à refactione radiorum Solarium, dum ad nos transeunt per nedi um vaporosum, & inæqualiter dispositum; quemadmodùm per vitrum plurium facierum, objectum apparet multiplicatum. Quodsi hoc phœnomenon in Lunâ contingat, vocatur *Paraselene.*

24 *Halones*, sive *Coronæ*, sunt albicantes circuli, qui sæpiùs circa Lunam, interdùm etiam circa Solem, aut aliud è splendidioribus Astris, visuntur. Eorum materia est vapor semidiaphanus, qui nos inter & Astrum interponitur, & duplicem refractionem radiorum causans, candidum nobis fulgorem exhibet in modum circuli, qui Græcis *Halo*, Latinis *Corona*, sive *Area* dicitur. Simile quid apparere solet noctu circùm lucernas, cùm aër est ad modùm vaporosus. *Virgæ* sunt vapores, aut nubeculæ nonnihil roridæ, anguslę, & in longum protensæ, quæ variè colorantur à radijs Solis inibi refractis, ut in Iride; nonnen quę accipiunt à figurâ, quam referunt virgis aut hastis non absimilem. Hùc etiam spectant Colores nubium figurę cujuslibet quæ interdùm apparent albæ, interdùm rubræ, interdùm ferrugineę, &c.: quæ diversitas plerùmque provenit ex diversâ nubium densitate, positione quę, lumen Solis diversimodè excipiente, ac refringente. Hæc sunt ex materiâ vaporis frequentiora meteora, non ignita, sed pure lucida, nempe ab extrinseco.

25 Jam verò ex materiâ exhalationis inflammabilis, modò crassæ, modò subtilis, modò hac, modò illâ mole ac figurâ præditæ, varia gignuntur meteora ignita, & brevi evanescentia. Hujusmodi sunt *Stellæ discurrentes*, & interdùm *cadentes*, quæ serenâ nocte stellularum figuram induunt, & à vento impelluntur, vel potiùs eo ferri

videntur, quò linea pabuli ducit; non aliter ac ignis per lineam pyrij pulveris quàm currit. *Draco volans*, qui more draconis incurvatur, & scintillas ex ore vomere videtur. *Capræ saltantes*, quæ radios spandunt instar villorum & barbulæ capræ, & excursu suo caprinos saltus imitantur. *Trabes*, sive *Lanceæ*, quæ in altitudinem porriguntur, & immobiles stare videntur. In his, & alijs hujusmodi, ignitio provenit à Sole, vel ab igneis particulis exhalationi permixtis. Figuræ autem, & motus, sunt accidentales, nimirùm à vario ventorum impulsu, & ab halituum conjunctione fortuitâ, nonnen à diversâ gravitate; si enim ex halitibus complicatis alij nitantur sursùm, alij deorsùm, poterunt aut immoti suspendi velut in æquilibrio, aut alternis vicibus prævalentes saltuatim moveri.

26 Ad hunc ordinem pertinent *Ignes fatui*, qui modicâ arendi vi pollent, & incondite moventur fatuorum more: accendantur autem propè terram, præsertim super cœmeteria, & super cadavera pendentiam in paribulis, circa lacus etiam, & flumina, quæ limo pingui abundant. Hujus enim meteori materia est pinguis exhalatio, qualis educitur è cadaveribus, &c. Fatuæ illæ flammæ cum aere facilè moventur, idcòque videntur sequentes fugere, & insequi fugientes. Affinis est *Ignis lambens*, qui nonnunquàm accenditur ex sudore, seu halitu animalium præcalidi temperamenti: ex halitu, inquam, inflammabili, sed raro, & subtili, unde flamma prodit innoxia, quæ interdùm equorum & hominum capitibus inhæret, ut illa, quæ apud Virgilium visa est Jùli *Lambere flamma comas, & circùm tempora pasci*. Affines etiam sunt illæ flammæ, quæ navium antennis insidere solent sub finem tempestatis, & ab Ethnicis, cùm unica erat, *Helena*, cùm duplex, *Castor* & *Pollux* vocabantur; à nostris autem Nautis appellantur *Ignes Sanctelmi*, creduntur quæ serenitatem brevi futuram præmuntiare, quia, dum imantennis quiescere sinuntur, satis indicant, placari ventos, & frangi tempestatem.

*De Origine Fluviorum, & Fontium.*

27 Fontes aliquos oriri è fluminibus, quorum aqua, per terram arenosam & spongiosam latenter insinuata, in proximis campis, aut vallibus scaturiat, extra dubium est: unde hujusmodi scaturigines cum fluminibus ipsis crescunt, & decrescunt. Nihilominùs per se loquendo flumina derivantur à fontibus; quorum proinde si investigetur origo, simul origo fluminum innotescet. Hac de re plusquàm 20. sententias referunt aliqui. Sed, ijs omissis, dicam breviter, quæ verisimiliora videntur, & plerisque probantur. Fontes igitur oriuntur ab aquâ exsilente in subterraneis conceptaculis, quæ provenit partim à mari, partim ab imbribus & nivibus liquefactis, partim ab aëre in aquam transmutato.

28 E mari quidem provenit aqua fontium per occultos meatus, venas, aut canales, jam à tertiâ Mundi die formatos, & per terræ viscera dispersos, cùm scilicet Deus aquas superterraneas in regionem maris abire jussit, simul efficiens, ut à marinis uberibus aridum terræ corpus lactaretur, magnam scilicet aquarum copiam fugendo, & corrivando in præparata receptacula, velut in totidem hydrophylacia, unde in omnes terrarum anfractus distribui posset. Hinc lapidum & metallorum fossores in profundo terræ, quò non penetrat aqua pluvia, frequenter offendunt rivulos, stagna, lacus. Hinc aliqui fontes è rupibus, quæ sunt imbribus impervia, perenniter effluunt. Hinc etiam in quibusdam fontibus æstus marino similis observatur. Hinc demùm plures sunt fontes quovis anni tem-

tempore, diùque pluvijs deficientibus, æquè copiosi. Congruum profectò fuit, ut naturæ Author, sicut pyrophylacia, seu ignium thesauros, & receptacula præparavit in terræ visceribus; ita & hydrophylacia plurima præpararet; nempe ut humiditas & calor, quæ maximè ad fertilitatem conferunt, terram, ex se aridam & frigidam, feracem redderent, & mixtorum fœcundam.

29 Duo solent objici. 1., quòd in plerisque fontibus aqua non est, ut in mari., falsa. 2., quòd plures sunt fontes in montibus mari altioribus orti, qui non possunt à mari nutriri, nisi aquæ marinæ contra leges Hydrostaticæ ad majorem altitudinem ascendat in exitu, quàm in principio, unde fluit. Sed 1. non urget: quia maris aqua, per longas terræ venas, ac rimas percolata, salem deponit. 2., etiam admisso fontes illos nec à pluvijs, aut nivibus, nec à vapide aëre nutriri, bifariàm solvi potest. Primò, si dicatur, marinam aquam, ad radices montium pervenientem, à superiore terrâ, velut à spongiâ, exsugi, & sursùm attrahi, concurrentibus etiam vi quasi magneticâ cœlestibus influentijs, quę medium ibi ritè dispositum inveniunt. Secundò, si asseratur, aquam, sub radice montis stagnantem, per subterraneos ignes attenuari, resolvi que in vapores, qui præ levitate altiùs evecti, & iterùm externo frigore densati, defluunt in culmine montis, velut in alembici capitello; inde que fontes & fluvios alunt. Addi potest, fortasis intra vîscera montium tubulos esse ingenio naturæ ita dispositos, ut aquam violento impetu in sublime jaciant; quemadmodùm in Viridarijs arte disponuntur.

30 Quòd verò ex imbribus & nivibus exsolutis alantur, imò in solidum generentur fontes plurimi, dubitari non potest: plurimi quippe sunt, qui cessante per aliquot menses pluviâ, nivibus que remotis, aut minuuntur, aut arescunt: & in terrâ tenaci, & argillosâ, quam ægrè pluvia penetrat, rari admodùm fontes scaturiunt; qui tamen frequentes sunt in terrâ levi, & arenosâ, quam pluviæ facilè pervadunt. Nec obstat, quod passim dicitur, terram vix unquàm ultra duos pedes à pluviâ penetrari. Tum quia id verum est in terrâ pingui, & argillosâ; secùs in spongiosâ, arenosâ, petrosâ. Tum quia sub externâ cujusvis terræ crustâ possunt aquæ pluviæ per declivia delabi, confluereque in conceptacula, seu cavitates, unde fontes, rivuli, fluvij nascantur. Demùm, quòd vapidus aër, qui per varia spiracula terram subit, frigore densatus in cavernis, vertatur in aquam, satis est verisimile: sæpè enim profundæ specus, lapidicinæ, putei, quàmvis aquę scaturigine careant, crebris guttulis exsudant, & extillant; quod non potest alijs causis commodè tribui. Ex his autem stillationibus facilè poterunt formari fonticuli, ac rivuli, qui si plures deinde concurrant, fluvium efficient. Jam ex hucusque dictis patet quàm verè dictum sit Eccles. 1., *Omnia flumina intrant in mare... ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterùm fluant.* Omnia quippe in mare confluunt, & à mari ortum ducunt, vel per subterraneas venas, vel per emissionem vaporum, qui postea in nives, & in imbres abeunt, & cum aëre terram subeuntes in stillicidia solvuntur.

*De maris salsedine, de maris etiam motu, præsertim de æstu reciproco.*

31 Cum constet, marinam aquam esse salsam, quæritur, unde salsedinem contrahat? Plures cum Aristotele totam maris salsuginem revocant in fumos, aut exhalationes terreas, marinis aquis permixtas, & fervore Solis adustas: & hinc provenire volunt, quòd mare sit salsius sub Zonâ torridâ, quam

alibi. Hodiè tamen communiter conſeſtur cauſa hæc inſufficiens: nam aqua in ſtagnis non redditur ſalſa; cum tamen ibi non deſit exhalatio terrea, quæ fervore Solis aduratur. Communiter ergo recurritur ad verum ſalem marinis aquis permixtum, & exſolutum, qui productus ſit à principio Mundi, vel in aquâ ipſâ maris, vel in ſalinis montibus in fundo maris exiſtentibus (quales in varijs terræ locis exiſtunt (, è quibus veluti fodinis aqua ſalem extrahat, ac diſſolvat: unde aqua in maris fundo ſalſior eſt, quàm in ſuperficie. Cur autem vapores è mari elevati non reſolvantur poſtmodùm in pluviam ſalſam, ratio eſt, quòd ſal fixus non elevatur cum vaporibus, ut experientiâ conſtat; ſal autem volatilis in mari minor portio eſt, & licèt elevetur, & forſan uſque ad nubes aſcendat, formationem que grandinis & nivis adjuvet, tamen ſeparatus à fixo, & in regione aëris minutiſſimè diſſipatus, guſtu non ſentitur. Hinc etiam ratio redditur, cur mare ſub Zonâ torridâ ſit ſalſius; quia ſcilicet magna copia vaporum, inde fervore Solis elevata, ſalem ſuum fixum in aquâ reliquâ deponit. Poteſt inſuper ſalſugo minor in Oceano ſeptemtrionali provenire ab uberioribus nivibus, & pluvijs, ſimulque à fluminibus, quæ in eâ regione crebra ſunt, & copioſa.

32 Maris motus, diſtingui poſſunt plurimi, præſertim ſi ratio habeatur eorum, qui certis quibuſdam locis peculiares ſunt. Nunc de ſolis tantùm notioribus nonnihil dicam. Primus eſt incertus ille, ac varius, qui dicitur tempeſtas, motus nimirùm perturbatus, ac vehemens, quo marini fluctus violenter agitantur ſurſum, & deorſum, & illiſu reciproco franguntur. Hic provenit interdùm à ventis ex alto ruentibus, aut obliquè incidentibus in ſuperficiem pelagi, præſertim ſi contrarij ſint inter ſe: interdùm ab halitibus è maris fundo excitatis ab igne ſubterraneo; quorum halituum commotionem præſentiunt piſces, qui ad ſuperficiem enatando, tempeſtatem è fundo imminentem prænuntiare ſolent.

33 Alter motus eſt conſtans ille, ac perpetuus, qui notatur ſub Zonâ torridâ, ſive inter Tropicos, ab ortu in occaſum: unde, qui ſub Torridâ navigant, multò citiùs feruntur ab ortu in occaſum, quàm è converſo. Idem motus notatur etiam extra Tropicos; nam Europæi, qui per Mediterraneum Palæſtinam petunt, plus temporis eundo, quàm redeundo, conſumunt: minor tamen eſt, quò magis ad Polos acceditur, tum ex generali ratione motûs ſphęræ circa ſuum axem, tum quia vincitur à vehementiore impetu ventorum & fluminum, è plagis Polaribus in mare incurrentium. Cauſa motûs hujuſce communiter creditur eſſe diurna converſio cœleſtium corporum, præſertim Solis, quę motum etiam aliquem circularem communicat ſubjectis corporibus facilè mobilibus, cujuſmodi ſunt aër, & aqua: unde perpetuus etiam ventus flat inter Tropicos ab ortu in occaſum. Sunt tamen, quibus difficilis apparet, ut reverâ ſit, tanta motûs cœleſtis communicatio, vel extenſioideòque negant motum iſtum maris: & ad prędictam experientiam navigantium dicunt, eam non ab aquę motu ſub Torridâ provenire, ſed à ſolo vento ſurſolano, qui ibi conſtanter ſpirat: hujus autem veri cauſam aſſignant vaporem è marinis aquis ardore Solis ſucceſſivè elevatum, qui multùm rarefactus, & majoris ſpatij avidus, anteriorem aërem impellit, & Solis curſum ſequitur.

34 Tertius motus, perpetuus itidem, ſed prę cęteris indagator, & explicatu difficiliſimus, vocatur *æſtus reciprocus*, aut etiam *fluxus & refluxus maris*; non ille quidem, quo tum marina, tum fluvialis aqua ſingulis penè momentis leniter ad oras allabitur, & re-

relabitur; sed notabilior alter, quo mare utplurimùm per sex circiter horas intumescens, super littora effunditur ad pedes aliquot, & alicubi ad milliaria multa, iterúmque per horas totidem detumescens in se regreditur, & spatium illud liberum relinquit. Motus hic in Oceano maximè viget: in Mediterraneo parùm est sensibilis, excepto sinu Veneto, & alijs quibusdam locis: nullus autem notatur in mari Caspio, & in Ponto Euxino. Nec in toto Oceano est æqualis: nam alicubi magnus est, ut in Zonâ torridâ, & in confinijs Britannici, & Germanici maris; alicubi mediocris, ut ad oras Hispaniæ; alicubi modicus, ut à freto Gaditano usque ad tropicum Cancri; alicubi vix ullus, ut ad Norvegiam, Groetlandiamque. Nec eamdem ubique servat mensuram temporis; quàmvis in plerisque locis eam, quam diximus, omninò retineat.

35 De causâ motûs ejusmodi hoc unum constat, eum à Lunæ motu, varioque ejusdem ad Solem aspectu, cauſari; vel saltem utriusque motûs, & Lunæ, & maris, causam esse communem. Hoc, inquam, constat 1.: quia mare bis fluendo, & bis refluendo intra horas circiter 24., quotidiè sequitur Lunæ motum. Dum ab ortu Luna progreditur ad Cœli verticem, mare fluit ad littora; refluit autem, dum Luna declinat à vertice in occasum: deinde, dum Luna pergit ab occasu nostro ad oppositi Hemisphærij fastigium, fluit iterùm mare; iterum verò refluit, dum ab eo fastigio Luna procedit ad nostrum ortum. 2.: quia maris fluxus singulis diebus contingit unâ circiter horâ tardiùs; sicut etiam Luna tardiùs in dies unâ circiter horâ, vel 50. minutis, oritur. 3.: quia maris æstus multo major est in novilunijs, & plenilunijs, quam in quadraturis. Hæc annè convincunt, maximum æstum à Lunâ pendere: quamquàm etiam à Sole dependentiam aliquam habere videtur, cum in æquinoctijs sit maximus. Sed quid agit Luna in Oceanum, ut hunc ejus motum tam inconcussis legibus moderetur? Multi multa respondent, & se se invicem impugnant. Alij recurrunt ad magnetismum Lunæ, sive ad qualitates, aut effluvia, quibus moveatur Oceanus, sicut vi magneticâ ferrum. Sed hic magnetismus, & rem satis obscuram relinquit, ut in magnete ipso, & deberet etiam in fluminibus, vel saltem in mari Caspio explicari. Alij ad rarefactionem & condensationem aquæ maris, alternis vicibus à Lunâ causatam. Sed nec maris aqua levior, adeòque nec rarior deprehenditur in fluxu, quàm in refluxu; nec est cur non similis motus eâdem ratione cauſetur in quâvis aquâ; nec item est cur magis à Lunâ, quàm à Sole proveniat raritas.

36 Cartesius recurrit ad pressionem ætheris, inter Lunam & terram fluentis, qui scilicet accessu Lunæ reductus in angustias, ideóque rapidiùs agitatus, Oceanum premit, cogitque attolli versùs littora. Sed multa supponit hic Author apertè falsa, v. g. quòd terra moveatur juxta systema Copernici, & quòd Luna in novilunijs & plenilunijs semper sit perigæa, seu terræ proxima: varias insuper difficultates incurrit, v. g. quòd major (contra experientiam) esset apud nos intumescentia maris, dum Luna est in horizonte, quàm in meridiano, siquidem aqua in parte Lunæ subjectâ magis premeretur, & non nisi ad distantiam 90. gradûm ab eo loco intumesceret. P. Fabri è contrario recurrit ad minorem aëris pressionem; putatque, ideò mare intumescere, quia premitur à minore aëris mole, cujus partem sibi rapit, & in athmosphæram suam refundit Luna, dum propiùs accedit. Sed quædam etiam supponit falsa, vel incerta, v. g. raptum aut propensionem aëris in Lunam, & minorem in aëre nostro gra-

vi-

nitatem, dum mare tumere, quę tamen gravitatis immunitio repugnat experientię Barometri. Vid. P. Jo. Bapt. de Benedictis *circulum*. 3. *lib*. 5. *q*. 4. *c*. 5., ubi utramque sententiam, Carteſij, & Fabri, diſtinctè proponit, & multis impugnat, præſertim Carteſianam. Alij demùm recurrunt ad commotionem variorum ſpirituum, qui cum ſęcibus multigenis permixti ſunt in Oceani fundo plures, quàm in Mediterraneo, Caſpio, vel alibi, qui que per acceſſum Lunę vehementer commoti, molem etiam aquarum commoveri, & intumeſcere faciunt; non aliter ac vinum in magnis doliis effervescere ſolet in novilunijs: quam ſententiam fusè proponit & tueri conatur inter alios P. Jo. Ulloa *Philoſ. natur. diſp*. 3. *à n*. 122. *ad* 140.. Sed hæc etiam ſententia graves patitur difficultates, preſertim circa vim Lunæ commotricem talium ſpirituum, & eorum dem indolem, ſeu naturam.

*De terræ motu, de thermis, & aquis mineralibus.*


37 Non eſt ſermo in preſenti de motu Terrę totius (de quo ſuprà cap. 1.), ſed de motu, quo terra interdùm aliquibus in locis, aut regionibus, occultâ vi tremit, & ſuccutitur, nonnumquàm adeò violenter, ut ędificia proſternat, urbes abſorbeat, aliaſque horrendas cauſet ſtrages. Cauſa nunc quæritur hujus terrę motûs: & ſententia communis eam conſiſtere dicit in exhalationibus nitro-ſulfureis, quarum magna copia in cavitatem aliquam ſubterraneam confluens, & calore rarefcens, dum exitum violenter quærit, terram circumquàque concutit, donec tandem alicubi erumpat. Sic pyrius pulvis, cuniculis bellicis incluſus, dum accenditur, & exitum quærit, terram ſuperſtantem excutit, propugnacula dirut, & totam late vicinam tremefacere ſolet. Hinc frequentiores ſunt terrę motus, ubi terra cavernoſa eſt, multoque nitro, ſulfure, ac bitumine abundat. Hinc etiam paulò ante terræ motum è putealibus aquis ſulfurei halitus prodeunt. Plures tamen non immeritò putant, ad terræ motum non ſufficere quòd exhalatio calore rareſcat, niſi inſuper ignem concipiat: exhalatio quippe, ſine accenſione rareſcens, ventum quemdam efficit, cujus non tanta vis eſſe videtur, ut terræ motum, ſaltem ingentem, cauſare poſsit. Multa hìc de variis terræ motûs effectibus, & modis, aut ſpeciebus dicenda forent, ſi res pro dignitate tractaretur. Sed jam Synopſeos limites excedimus.


38 Addendum tamen ſupereſt nonnihil de thermis, & aquis mineralibus. Thermæ proprię ſunt Balnea, quibus aquę naturâ calidę miniſtrantur: ſed generatim eo nomine veniunt fontes omnes, qui è terrâ calidi erumpunt, quales in Hiſpaniâ ſunt benè multi. Cauſa caloris in hujuſmodi fontibus, quidquid aliqui dicant, non alia eſſe videtur, quam ignis ſubterraneus: non enim alunde trahi poteſt conſtans & perpetuus calor, quem fontes multi retinere ſolent quovis anni tempore. Ignem tamen intelligo, non qui juxta terræ ſuperficiem ardeat, aut in ipsâ fontium valvâ ſubterraneâ; ſed multò profundiorem, qui per aliquas terrę venulas, aut rimulas, uſque ad vulvam, ſeu cavum, unde fons emanat, continuò emittat igneos ſpiritus, aut radios, & ſæpe etiam plures halitus ſulfuris, bituminis, vitrioli, & aliorum foſſilium, quibus aquæ thermales utplurimùm imbutæ prodeunt. Quia verò pro varietate locorum major eſt aut minor igneorum ſpirituum copia, idcircò fontes alij tepidi evadunt, alij calidiores, alij calidiſsimi, & vehementi fervore correpti: ſimiliterque varias induunt qualitates, juxta variam naturam & copiam foſſilium, quę in halitus ab igne reſoluta cum aquis permiſ-

cen-

centur, easque reddunt minerales.

39 Sed, cum alij sint fontes minerales, quorum aqua varias qualitates præsefert auri, ferri, vitrioli, aluminis, sulfuris, &c.; & tamen frigida est, aut instar aquæ communis temperata; quæritur, unde qualitates istæ proveniant? Communis existimatio est, quòd eas aqua contrahit à subterraneis venis metallorum, & aliorum fossilium, per quas transit, rademo scilicet, aut dissolvendo plures illarum particulas, quas secum devehit. Sed quia rursùs quæritur, quâ vi eradat, aut dissolvat aqua particulas hujusmodi, præsertim metallorum? tria videntur dici posse. 1., quòd aqua in vulvâ fontis accipit, ac secum miscet metallicos spiritus, & aliorum fossilium halitus, calore profundioris ignis rarefactos, & sursùm emissos; & quia sæpe vulva illa multùm ab externâ scaturigine distat, aqua in decursu calorem exuit, quàm vis plures adhuc spiritus & halitus retineat admixtos. 2., quòd aqua motu & humiditate dissolvat occurrentes sales, sulfura, bitumina, variaque mineralia facilè solubilia; quibus fortior & acrior facta, si postea venas metallicas inveniat, poterit eas faciliùs corrodere, & ipsarum particulas secum rapere. 3., quòd aqua particulas eradit, non ex metallis perfectis, & jam omninò solidatis, sed ex metallorum rudimentis, & quasi embryonibus, quorum multa in venis metallicis copia, natura que mollior, ac solubilior. De aquis mineralibus, quatenùs salubres sunt, aut insalubres, tractatio pertinet ad Medicos.




IHS

# ANIMASTICA,
## SEU TRACTATIO
## DE ANIMA.

ANIMASTICA Disciplina, seu Tractatio de Animâ, quam per tres Libros tradidit Aristoteles, inter partes naturalis Philosophiæ meritò recensetur; cùm perfectam intendat cognitionem Corporis animati, seu Viventis corporei, quæ est species Corporis naturalis in genere. Dubium tamen est, an ejus immediatum Subjectum, aut Objectum attributionis, sit Corpus animatum? an potiùs Anima in communi? De quo videri possunt Conimbricenses *Procem. in Lib. de Animâ*. Res est parvi momenti: nam, utrumlibet asseratur, Tractatio præsens ijsdem rebus, aut quæstionibus discutiendis incumbet. Quia tamen de Animâ humanâ præcipuè differitur inpræsentiarum, Objectum *principalitatis*, ut aiunt, censeri potest Anima hominis, aut homo ipse. Hinc hujus Disciplinæ præcellentia suprà cæteras Physiologiæ partes: hinc utilitas maxima. Nihil enim, infra Deum & Angelos, nobilitatem adæquat, & perfectionem hominis; cujus gratiâ condita est Mundialis machina; qui què jure dicitur *Microcosmus*, idest, Mundus parvus, aut magni Mundi compendium, dispersas alibi perfectiones mirè complectens. Proinde nihil est Animi rationalis contemplatione dignius, quàm Animus ipse: nihil etiam utilius tum ut Authorem suum, cujus imaginem expressam exhibet, melius cognoscat, & impensiùs laudet; tum ut propriæ nobilitatis & immortalitatis conscius, terrena despiciat, æterna cupiat, ac se cœlestium Spirituum cœtibus inserere ambiat.

# DISPUT. I.
## QUID, ET QUOTUPLEX SIT VITA, & Anima?

### CAP. I.

### DE QUIDDITATE, SEU CONCEPTU VITÆ.

1 CUM anima definiri soleat per ordinem ad vitam, prænoscere oportet, quid vivens, quid vita sit; ne definitio statim obscuritate laboret. Vita interdùm sumitur pro re vivente, seu vivâ; interdùm pro vitali operatione, quæ dici solet vita in actu secundo. Vita in primo sensu, seu Vivens, latiùs patet, quàm anima, & animatum; nam Deus & Angelus vitam, & non animam habent: unde solùm cum animato convertitur vivens corporeum. Per se notum est dari viventia, etiam in rebus corporeis; & à non viventibus vulgò discerni per certos,

quos edunt, motus ab intrinseco; cujusmodi sunt nutriri, sentire, discurrere; quibus edendis aptam habent organizationem, variâ figurâ, miraque accidentium heterogeneitate contextam. Conceptus tamen ad Philosophiæ regulas exactus, qui omnibus & solis viventibus conveniat, præsertim si Deo etiam aptandus sit, non facilè assignatur; tum propter magnam viventium diversitatem inter se; tum propter quandam vitæ similitudinem in nonnullis corporibus, quæ constat esse inanima.

*Definitio Thomistica insufficiens.*

2. Thomistæ communiter placet, ut Vivens definiatur, *Quod se ipsum movet*; Vita verò in actu secundo, *Motus immanens principio suo*. Ubi nomen *motus* large accipitur, prout extenditur etiam ad actum perfecti, & ad operationem instantaneam, immò & ad improductam, & identicè immanentem, seu indistinctam ab operante, cujusmodi est actus, quo Deus se intelligit: quam ampliationem verbi *movere*, & *motûs*, approbat, seu non improbat D. Thomas 1. p. q. 9. art. 1. ad 1. & q. 18. ar. 3. in C. & ad 1. Huic definitioni, vel notioni, favet absolubiò communis sensus, & usus loquendi, quo passim vitalis operatio dicitur *motus ab intrinseco & in intrinsecum*, idest, proveniens ab intrinsecâ virtute subjecti, in quo recipitur. Favet etiam non semel D. Thomas, præsertim cit. q. 18. art. 1., 2., & 3.: neque ullas ferè Philosophus est, qui dissentiat, vel qui non asserat, aut supponat, notionem istam esse viventis propriam, saltem secundo modo, seu ita ut conveniat omni, licèt non soli. Quæstionis tamen est, an ea notio sit viventium propria quarto modo? seu an sit plena definitio, ita ut nihil addere opus sit, quo vivens philosophicè discernatur ab omni non vivente? Affirmant Thomistæ: sed impugnantur communiter ab Authoribus nostris, & Scotistis, ex eo, quòd corpus grave, v.g. lapis, dum tendit in centrum, vere se movet, sicut etiam substantia ignis, aut aquæ, vel alia quævis, dum suas in se producit proprietates; & tamen non est vivens.

3. Respondent Thomistæ, motus hujusmodi non esse ab intrinsecâ virtute mobilis, sed à generante. Verùm hoc frustrà dicitur: nam, licèt motus gravium, & emanatio proprietatum dicantur esse à generante mediatè, & imputativè, proveniunt tamen proximè & immediate à virtute intrinsecâ rei, ut efficaciter ostendimus in Physic. *tract.* 2. *d.* 6. *c.* 4. ratione, & authoritate D. Thomæ: verè igitur sunt motus ab intrinseco, & immanentes principio suo, ac proinde sub datâ definitione vitæ comprehenduntur, tametsi non vitales. Certè, proprietates, & motus gravium interdùm producuntur longo tempore post generationem rei, ut cùm aqua recuperat amissum frigus, vel cùm vetustissimus lapis se movet in centrum: tunc autem nequeunt immediatè produci à generante, quod jamdudum perijt. Speciatim de motu gravium res videtur evidens: quis enim dubitet, motum deorsùm immediatè oriri ab intrinsecâ lapidis gravitate, quæ non nisi ad hunc effectum data est. Nec refert, quòd motus ille non sit immediatè à substantiâ: hoc enim commune est omni actioni vitali juxta Thomistas, generatim negantes, substantiam esse immediatè operativam. Nec item refert, quòd imputetur generanti, si verè est immediatè ab intrinseco. Nam motus cordis tribuitur etiam generanti, juxta D. Thomam *Opusc. de motu Cord.*; & tamen vitalis est juxta Thomistas haud paucos. Actus etiam intellectûs & voluntatis, quos elicuit Angelus in primo instanti, verè vitales sunt, ut nemo dubitat: & tamen Deo creanti attribuuntur, ut Thomistæ volunt, idcircò negantes, Angelum in primo instanti peccare posse, ne scilicet peccatum Deo imputetur.

His

4 His accedit motus restitutionis, à vi elastica proveniens (vide *disp. 1. de Gener. n. 85. & seqq.*), qui vere immanens est, & ab intrinseco, ut Peripatetici non dubitant; cùm tamen rebus inanimis conveniat. Idem accidit in motu rarefactionis, & condensationis, quo cera v. g. jam ad majorem locum extenditur, jam ad minorem contrahitur. Nec obstat quòd ad illum determinetur cera per qualitatem ab extrinseco acceptam: nam etiam Intellectus ad visionem beatam determinatur per lumen ab extrinseco infusum, quod apud Thomistas est tota ratio agendi; nec ideò Visio definit esse vitalis. Accedit & motus magnetis in alium magnetem, & etiam in ferrum (non solùm magnes ferrum ad se trahit, sed etiam magnes ipse, dum ferrum moveri non finitur, ad illud accurrit), qui motus, cùm vitalis non sit, tamen immanens est, & ab intrinseco juxta Peripateticos. Immò & motus ferri ad magnetem deberet esse vitalis apud Thomistas, cùm sit per qualitatem à magnete impressam, non minùs ferro consonam, & coaptatam, quàm sit respectu Voluntatis habitus infusus ad amandum. Accedunt etiam motus illi, quos Peripatetici referunt ad metum vacui, ut cùm aqua per fistulam ascendit attracto aere: his quippe convenit Thomistica definitio vitæ, cùm sint ab intrinsecâ inclinatione rerum propter commune bonum Universi. Accedunt præterea plures alij motus inanimatorum, qui referri solent ad sympathiam, & antipathiam, vel, quod perinde est, ad innatum amorem, aut odium, vi cujus erunt ab intrinseco. Accedunt denique modi relationis Thomistici, qui certè non sunt à generante, sed ex fundamento resultant eidemque inhærent secundùm conceptum *in*; cùm tamen conveniant rebus omnibus, & à nemine censeantur vitales.

5 Nec omittendum, quòd omnis actio transiens juxta plures Thomistas, qui volunt eam in agente recipi, vitalis erit, v. g. actio, quâ ignis comburit lignum: est enim operatio ab intrinseco, & immanens, seu manens in principio suo. *Dicunt*, suam vitæ definitionem intelligendam esse de actione, quæ non sit principaliter propter terminum in passo extraneo producendum. Sed *inprimis* hanc limitationem non exprimit definitio, quæ proinde vitiosa est, ut jacet, cùm propriè conveniat actioni transeunti non vitali. *Deinde*, quamvis actio sit propter terminum in alio subjecto producendum, non ideò vitalis esse definit, si cætera requisita vitalitatis habeat; nam, dum quis manu projicit lapidem, manum ipsam movet vitaliter, ut Thomistæ non negant; & tamen motus ille manûs principaliter est propter impulsum in lapide producendum.

6 *Dicunt* insuper, non esse vivens, nisi quod se movet tam elicitivè, quàm applicativè: ignem autem, licèt elicitivè se moveat, non tamen applicativè, quia purè ab extrinseco applicatur ad comburendum. Sed *contra* 1.: quia nec limitationem istam exhibet definitio: unde, sicut malè definires hominem per *animal bipes*, licèt posteà diceres te loqui de bipede, quod sit rationis particeps; ita &c. 2.: quia saltem, dum lapidem projicis, immediata productio impetûs in lapide, quæ est actio transiens, vitalis erit, cùm à te fit elicitivè, & applicativè. 3.: quia multi sunt in Angelis & in nobis actus vitales, qui applicativè proveniunt ab extrinseco, videlicèt prima cognitio, primus amor boni in communi, prima intentio finis, & generatim cogitationes & affectiones indeliberatæ circa bonum, quas Deus in nobis applicativè causat. Si dicas cum Colleg. S. Thomæ Complut., sufficere ad rationem actûs vitalis, quòd vel sit à nobis applicativè, vel saltem se habeat ut applicatio ad

alios actus: jam novam gratis adhibes limitationem; ac præterea teneberis absurdè admittere, quòd alteratio prævia, quâ ignis lignum præparat ad combustionem, fit actio vitalis, cùm per illam se applicet ignis ad comburendum.

7 Propter hæc cæteri Authores aliquid addendum putant in definitione Viventis ultra vim se movendi secumque: quid tamen addendum sit, non omnes uno modo determinant, sed in varias explicationes abeunt, quas hic recensere non vacat. Multas referunt PP. Arriaga, Oviedo, Quiros, alij alias addunt; & singuli singulos impugnant. Omnes tamen ferè conveniunt in excludendo à ratione vitæ, saltem in rebus creatis, motus illos, aut actiones immanentes, quæ ad statum rei connaturalem pertinent, cujusmodi sunt motus gravium & levium, & emanationes proprietatum. Unde consentiunt, de ratione Viventis esse, quòd ultra statum connaturalem operari possit immanenter; sicut etiam de ratione motûs vitalis esse, quòd supponat connaturalem statum sui principij, vel ad illum adquirendum non spectet, vel saltem quòd procedat à suo principio sub eâ ratione, sub quâ illud se actuare potest ultra connaturalem statum. Nomine autem *statûs connaturalis* intelligunt illum accidentium apparatum, quem res in primo sui esse, & deinceps permanenter habere debet suapte naturâ, ita ut eo privari ex toto, vel ex parte nequeat citrà violentiam.

8 Limitatio, vel exclusio ista, est ad mentem Doctoris Angelici 1. p. q. 18. art. 1. ad 2., ubi rationem reddens, cur gravia & levia non moveantur vitaliter, *Dicendum*, inquit, *quòd corporibus gravibus & levibus non competit moveri nisi secundùm quòd sunt extra dispositionem suæ naturæ, utpotè cum sunt extra locum proprium: cùm enim sunt in loco proprio & naturali, quiescunt. Sed plantæ, & aliæ res viventes, moventur motu vitali, secundùm hoc, quòd sunt in suâ dispositione naturali, non autem in accedendo ad eam, vel in recedendo ab eâ.* Est etiam ad mentem Eximij Doctoris *disp. 30. Met. s. 17. n. 7.*, ubi sic ait: *In modo ergo vitæ, quem creaturæ habent, duo considerare licet: unum, quòd existentes in suo naturali statu se se actuant, vel aliquomodò se perficiendo, vel in seipsis alia repræsentando per cognitionem, vel in ea tendendo per appetitum perfectum: aliud est, quòd hæc efficiunt per veram causalitatem, & motionem, quâ se ipsa movent, &c.* Unde colliges, D. Thomam, & P. Suar., quoties alibi absolutè dicunt, Vivens esse, quod se ipsum movet, semper subintelligere limitationem istam, *ultra statum connaturalem.*

9 Ratio autem limitationis est: tum quia motus ad statum connaturalem spectans, communis est omni substantiæ, etiam non viventi; proindeque non supponit principium vitale, nisi aliquid non commune superaddat. Tum quia motus hujusmodi, licèt physicè sit ab intrinseco, cùm tamen sit necessaria sequela primæ generationis, & resultantia primæ existentiæ, reputatur ut ab extrinseco acceptus cum existentiâ ipsâ, juxta illud, *Qui dat formam, dat consequentia ad formam*: unde, nisi alio ex capite vitalitatem sapiat, non illum ponit res nomine proprio, sed nomine generantis: quod est deficere à conceptu Viventis, siquidem, ut ait D. Thomas cit. q. 18. art. 2. ad 2., *Opera vitæ dicuntur, quorum principia sunt in operantibus, ut seipsos inducant in tales operationes*; &, ut ait idem S. Doctor ibid. art. 3. C., *Vivere dicuntur aliqua secundùm quòd operantur ex seipsis, & non quasi ab aliis mota.* Ex his unusquisque, non immeritò à nostris Authoribus, quos imitantur Aversa, Mairus, & alij, communiter definiri Vivens per ordinem ad operationes immanentes ultra connaturalem statum operantis.

*Aptior definitio Viventis.*

Qua-

10 Quare Vivens creatum satis aptè definietur sic: *Quod ultra statum connaturalem potest se movere per operationem ex suâ specie immanentem.* Hæc definitio, ad quam ferè omnes ab aliis traditæ revocari possunt, convenit omni & soli creaturæ vivenți, ut ex dictis colligitur, & ex dicendis magis apparebit. At, quòd etiam Deo conveniat quoad illam particulam, *ultra statum connaturalem*, non satis intelligo, quidquid aliqui explicent. Ideò paulò aliter, satis tamen ad mentem Nostrorum, Vivens in communi definiendum puto, sic nimirùm: *Quod citra naturalem, ac perpetuam determinationem ab extrinseco, exigit se ipsum actuare per operationem ex suâ specie immanentem.* Definitio ista continet communem illam notionem, de quâ n. 2. Duo tamen addit. 1. quòd vivens non utcumque se actuet, aut moveat, sed citra determinationem, quæ naturalis & perpetua sit. 2. quòd operatio viventis propria non solùm sit ferè immanens, ideſt, ab ipso in se physicè producta, vel certè non accepta per solam efficientiam extrinsecam, verùm etiam immanentiam habeat ex suâ specie, ita ut nequeat esse ejusdem speciei cum operatione purè transeunte. Hoc posito definitio convenit omni & soli viventi.

11 Convenit inprimis Deo, quatenùs se actuant per actus omnes intelligendi & amandi, etiam necessarios: omnes quippe, licet nec realiter, nec virtualiter effluant, aut emanent, tamen verè dicuntur *operationes*, tum ratione tendentiæ intentionalis in objectum, tum quia præseferunt actualem perfectionem, quam non nisi per modum operationis, explicare possumus: omnes etiam ex conceptu suo immanentes sunt immanentiâ logicâ, sive identitatis; per eamque Deus exigit se actuare exigentiâ identificatâ cum actualitate ipsâ: ac demum à Deo habentur citra naturalem determinationem ab extrinseco, ut per se pareat. Hinc Deo convenit summus vitæ gradus. Nam, ut ait D. Thomas cit. q. 18. ar. 3. C., *illud, cujus sua natura est ipsum ejus intelligere, & cui id, quod naturaliter habet, non determinatur ab alio, hoc est quod obtinet summum gradum vitæ: tale autem est Deus.* Eadem quoque definitio clarissimè comprehendit reales processiones in Trinitate, quæ sunt actus vitales: neque illis deest immanentia, juxta illud Christi D. Joan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Si forte inferas, Deum etiam vivere per immensitatem, æternitatem, & alia attributa, prout distincta formaliter ab essentiâ: concedunt multi consequentiam, cui satis favent verba D. Thomæ modò relata: negari tamen poterit, si maliss quia immensitas, & alia attributa nò habet formaliter conceptum operationis.

12 Deinde data definitio convenit omnibus viventibus creatis: omnia enim exigunt se actuare per operationem aliquam ultra statum connaturalem, adeòque citra naturalem ac perpetuam determinationem ab extrinseco: nulla quippe talis determinatio est, nisi pro adquirendo statu connaturali, qui de se perpetuus esse debet, & cujus immediata determinatio identificatur cum essentiâ rei creatæ ab extrinseco acceptâ. Pro reliquis autem operationibus, vegetandi, sentiendi intelligendi, determinatio ab extrinseco, falcem pro omnibus, vel non est *perpetua*, ideſt, pro omni instanti existentiæ rei exercendæ, vel non est *naturalis*, ideſt, naturaliter debita, & exacta, v. g. si Deus determinaret hominem ad certam aliquam cognitionem perpetuò habendam. Sunt etiam hujusmodi operationes ex conceptu specifico immanentes: quod de sensatione & intellectione non est dubium: de vegetatione autem mox apparebit. Denique solis viventibus definitio convenit: quia inanimata vel non se movent, nisi pro adqui-

quirendo, vel recuperando statu connaturali, pro quo determinationem perpetuam ab extrinseco accipiunt cum essentiâ suâ; vel certè non se movent per operationes ex conceptu specifico immanentes, sed utcumnùm per motum localem, qui non ita est immanens, ut mox dicam.

*Definitio vitæ in actu secundo.*

13 Hinc sponte fluit definitio vitæ in actu secundo, seu per modum operationis, hæc nimirùm: *Operatio ex suâ specie immanens, habitaque sub eâ ratione, sub quâ operans exigit se actuare citrà naturalem ac perpetuam determinationem ab extrinseco.* Nomine operationis *immanentis* intelligitur ea, quæ recipitur, seu manet in eodem principio, à quo elicitur, vel quam res habet ab intrinseco, & in intrinsecum. Bifariàm autem potest actio immanentiam habere, ut notat Exim. Doctor *disp.* 48. *Met. s.* 6. *n.* 10.: vel quia recipitur in eodem principio *quo*, sive in eâdem parte suppositi, à quâ elicitur; & hæc est omninò propria & stricta immanentia: vel quia oritur & recipitur ab eodem supposito penès distinctas partes, ita ut ab unâ eliciatur, ab aliâ recipiatur; & hæc immanentia minùs propria est; immò ab Eximio *ibidem* appellatur impropria; quod intelligo, quando talis immanentia non convenit actioni secundùm speciem. Prior ille immanentiæ modus non semper necessarius est ad operationem vitalem, sed potest sufficere posterior, ut docet idem Eximius *lib.* 1. *de anim. c.* 4. *n.* 12. & 13., ubi protervum fore dicit, qui hoc negaverit. Utralibet tamen immanentia fundari debet, non in solo conceptu individuali actionis, sed in essentiali, seu specifico, ita scilicet, ut operatio vitalis nequeat esse ejusdem speciei cum actione transeunte. Ita sentiunt expressè PP. Oviedo, & Peynado, idemque sentire videntur PP. Hurtado, Compton, & alij. Ratio est: quia immanentia, juxta omnes, aut ferè omnes, est de conceptu vitæ in actu secundo, seu vitalitatis, quæ in operatione reperitur: vitalitas autem formalitas est insignis, valdeque notabilis, ac proinde non purè individualis, sed essentialis, aut specifica, quemadmodùm ratio intellectionis, sensationis, appetitionis, quæ sunt veluti differentiæ vitalitatis in actu secundo.

14 Præter immanentiam istiusmodi postulat data definitio, ut operatio habeatur *sub eâ ratione, sub quâ &c.*. Hoc autem requiritur 1., ut definitio comprehendat quosdam actus vitales, quibus se actuare non per se exigit operans; cujusmodi sunt in homine supernaturales actus intelligendi, & volendi: hi quippe nihilominùs vitales sunt, quia procedunt immanenter sub eâ ratione formali, sub quâ operans exigit se actuare citra naturalem determinationem &c., nempe sub ratione intellectionis, & volitionis. Hinc inferes, non posse rem inanimem, v.g. lapidem, elevari ad vivendum in actu secundo, licet forsan elevari possit ad producendum in se actum vitalem, v.g. sensationem: quia scilicet ejusmodi operatio, quantùmvis immanens, non eliceretur sub eâ ratione formali, sub quâ lapis exigit se actuare &c.. Ob eamdem rationem oculus corporeus nequit elevari ad intelligendum, nec ad audiendum, etiamsi queat elevari ad producendum immanenter intellectionem, aut auditionem: quia neutra operatio vitalis esset ipsi, utpotè non habita sub eâ ratione, sub quâ corporeus oculus exigit &c..

15 Requiritur 2., ut definitio comprehendat etiam alios actus vitales, fortè possibiles, qui more proprietatis connaturalis ab extrinseco determinentur ut perpetuò habendi; qualem

lem multi putant in Angelo primam cognitionem sui ipsius. Saltem non videtur repugnare substantia, cui perpetuò & connaturaliter debita sit aliqua sensatio, vel intellectio; quæ tamen, licet ad statum connaturalem spectans, vitalis operatio esset; quia procederet ab operante ut sensitivo, vel intellectivo, sub quâ ratione idem operans exigeret se per alios actus actuare citra similem determinationem. Quòd enim sit possibilis creatura cognoscens, quę nullum actum ex se possit immanenter elicere prętер attinentes ad statum connaturalem, negandum omninò est: tum quia substantia verè sensitiva, vel intellectiva, non est unde limitetur ad perceptionem unius objecti prę aliis ejusdem rationis, tum quia, cùm extensio virtutis, immanenter activæ ultra statum connaturalem, constanter observetur in omni creato vivente hucusque noto, meritò colligimus eam esse de conceptu essentiali viventis creati ut sic.

16. *Objicies*: solùm est vita in actu secundo illa operatio, in ordine ad quam definitur vivens: sed non definitur vivens nisi per ordinem ad operationem per se exactam, & non ab extrinseco determinatam more proprietatis: ergo. Accedit, quòd suprà cum communi sententia exclusimus à ratione vitæ in rebus creatis operationes ad statum connaturalem attinentes. *Resp.* Non sola operatio, cujus meminit definitio viventis, est vita in actu secundo: quia vivens definiri non debet per ordinem ad omnes operationes vitales, sed per ordinem ad notiores, & quæ nobis magis ostendunt discrimen viventis à non vivente: tales autem sunt, quas vivens elicit ex innatâ exigentia, & ut sibi magis proprias, ideòst, magis nomine proprio, quàm generantis; ut differtè docet Angelic. Doctor 2. 2. q. 179. ar. 1. C. dicens: *Unumquodque vivens ostenditur vivere ex operatione sibi maximè propriâ, ad quam maximè inclinatur.* Sic Rationale definiri solet per ordinem ad discursum; cùm tamen rationalitas in actu secundo conveniat etiam judicio, & apprehensioni simplici. Postquam verò vivens à non vivente discretum est per operationes notiores, vita in actu secundo congruenter exenditur ad cęteras ejusdem suppositi sub eâdem ratione formali elicitas; ut cognatio ipsa postulat, utque suadet idem exemplum rationalitatis. Nec obstat, quòd aliquæ forsàn spectent ad statum connaturalem: jam enim suprà n. 7. & 9. indicata est hęc exceptio; fundarique potest in eo, quòd sensatio v. g. more proprietatis elicita, licèt esset debita jure generantis, tamen à vivente ipso eliceretur etiam quasi nomine proprio; quia pariter ab ejus virtute procederet, etiamsi aliunde debita non esset, ficati procedunt alij actus ejusdem rationis.

*Consectarium de motu locali.*

17. Ex dictis sequitur, localem motum non esse intrinsecè ac formaliter vitalem, seu vitam in actu secundo: quia scilicet non est immanens ex conceptu specifico. Nam motus progressivus hominis v. g., inprimis non est specificè immanens ratione termini, nempe ubitatis, cùm hęc possit eadem produci ab extrinseco, v. g. à dęmone obsidente corpus humanum: deinde nec ratione actionis prout specificatæ à principio activo; quia, licet actio, quâ homo se movet, non possit eadem in individuo procedere ab extrinseco, propter modalem alligationem ad principium hoc individuum, tamen specie non differt ab actione transeunte, quâ posset hic homo ab alio homine moveri; quemadmodùm unio constitutiva Petri non differt specie ab unione Pauli, quamvis modaliter alligata sit corpori & ani-

animæ Petri solius. Nec item motus ille differt specie ab eo, quo idem homo aliquam sui partem movere potest more agentis extrinseci, ut si pedem proprium manu moveat, vel dextrâ sinistram propriam perinde ac alienam; quo in eventu motus pedis, aut sinistræ manûs, à nemine dicitur intrinsecè vitalis, nec ex suâ specie immanens. Accedit, quòd ad operationem intrinsecè vitalem nequeant duo simul supposita creata æquè primò concurrere, ut notant Authores, & inductione patet. At ad motum localem hominis vivi sæpe concurrunt æquè primò duo simul homines, ut cùm infirmus brachium aut pedem attollit partim viribus propriis, partim adjutus manibus famuli.

18 *Dices*: cùm homo se ipsum movet, actio provenit immediatè à propriâ potentiâ locomotivâ: cùm autem movetur ab alio homine, actio immediatè provenit ab impetu, sive impulsu, qui ab alio imprimitur: jam ergo ratione principij datur specifica differentia inter utramque actionem. *Resp.* Impulsus imprimitur quidem, cùm quis movetur ab alio, tamquàm à projiciente, ita scilicet, ut motus aliquamdiù continuari possit in mobili separato; secùs verò, cùm ab alio movetur, tamquam à deferente, per motum scilicet semper dependentem à contactu immediato moventis, ut accidit cùm quis pedem alterius jacentem elevat, aut ita movet, ut, si manum retrahat, motus illicò cesset: tunc enim motus immediatè provenire potest à potentiâ motrice sine interventu qualitatis, quæ impulsus dicitur. Paret hoc 1.° quia qualitas ista ideò adstruitur in projectis, ne motus, qui continuatur separatus à projiciente, existat sine ullâ causâ applicatâ: quæ ratio si deesset, pro tali qualitate, satis alioqui difficili, nemo pugnaret. 2.° quia impulsus, cùm datur, non potest in conservari à potentiâ motrice, sed aliquamdiù permanet seorsùm motumque continuat, donec ab obstaculo, vel à gravitate mobilis destruatur, ut in projectis cernimus. Dum ergo motus talis est, ut, cessante applicatione immediatâ potentiæ motricis, statim cesset, non est cur impulsus inter ipsum & potentiam mediare dicatur: vel, si etiam tunc mediare debet, mediabit pariter dum quis ab intrinseco propriâ membra movet.

19 Itaque motus localis in viventibus sensitivis solùm est vitalis arguitivè, præsuppositivè, ac denominativè; quatenùs scilicet præsupponit actum sensûs, & appetitûs, à quo determinatur, ac denominatur: non aliter ac in homine ambulare, loqui, scribere, & aliæ actiones externæ, dicuntur actiones liberæ, ac voluntariæ, denominatione acceptâ ab actu Voluntatis, à quo imperantur. Similiter vegetantium motus, qui ad nutritionem conducunt, ut motus cordis, arteriæ pulsûs, constrictio, & dilatatio pororum ad intussumptionem alimenti: omnes, inquam, hi motus, sive in homine, & bruto, sive in plantâ, solùm sunt vitales præsuppositivè, ac dispositivè, quatenùs oriuntur ab animâ, per eos parante, disponente, & applicante materiam ad ultimum actum nutritionis. Nec obstat, quòd oriantur ab animâ ut tali: nam huic etiam ut tali convenit, non solùm vivere formaliter in actu secundo, sed etiam præmittere necessaria quædam ad ita vivendum. Sic ab igne ut tali provenit alteratio, quâ lignum disponitur ad ignitionem. Sic etiam ab animâ ut tali oritur concoctio ac digestio cibi in stomacho, & formatio chyli: quæ tamen actiones, utpotè transeuntes, non sunt formaliter vitales.

20 Hac doctrinâ molestas objectiones præcidimus, alioquin ægrè solubiles. Si enim localis motus in viventibus dicatur intrinsecè & formâ-

maliter vitalis, non facilè negabitur id ipsum plurimis inanimatorum motibus, de quibus n. 4.; illi quippe omnes ægrè admodum revocabuntur vel ad statum connaturalem, vel ad causam efficientem prorsus extrinsecam. Possunt & alij motus adjungi: motus v. g., queis tumultuantur permixti sales acidi & alcalici, liquoresque diversi, ut chymistæ passim experiuntur; motus etiam, quo calx viva ferveſcit affusâ aquâ: necnon varius ille, qui cernitur in argento vivo, & qui frustrà tribuitur partim innato ponderi, partim amori rotunditatis, aut conjunctionis partium, quasi alternatim jam una, jam alia causa prævaleat; hæc enim ratio probat similem motum in omni liquore, contra experientiam. Hæc demùm spectant motus non vitales, qui nonnullis in plantis observantur: ut in heliotropio, cujus flos conversione suâ quodammodò sequitur cursum Solis: in plantâ, quam *pudicam* vocant, eo quòd hominis contactum refugiat: in aliâ item plantâ mirabili, quæ in Isthmo de *Panamâ* nascitur, nomine *vejuco*, aliàs *bien te veo*; ea quippe, cum aliàs in se contracta quiescat, si cominùs accedat homo, cum repentè invadit, & præacuto ferit spiculo, quod in extremitate præfert; se tamen continet ad vocem humanam, v. g. Hispanam *bien te veo*, unde traxit vulgare nomen. Certè localis motus nequit dici vitalis juxta communem doctrinam, nisi vel pertineat ad opus nutritionis, vel supponat vim sensitivam: neutrum autem habent memorati motus, cum tamen ab intrinseco sint, & immanentes.

21 Quapropter hanc sententiam super motu locali tenent PP. Hurtado, Arriaga, Alphonsus, Oviedo, & Peynado, quibus alij consentiunt, præsertim Recentiores. Dissentiunt plures alij, pro se allegantes antiquorum mentem, nominatim Aristotel., D. August., D. Thom., & P. Suar.. Sed horum Sapientum verba facilè interpretaberis de vitalitate extrinsecâ, præsuppositivâ, & arguitivâ; quamvis localem motum animantium dicant esse primum vitæ signum, vel indicium, eumque vocent absolutè vitalem, & inter species motuum vitalium connumerent. Nam etiam ordinata locutio solet esse primum indicium rationalitatis, aut usûs rationis: solet etiam, tum illa, tum alia multiplex actio externa, vocari absolutè voluntaria, & inter voluntarias actiones connumerari: & tamen non intrinsecè & formaliter, sed arguitivè & præsuppositivè, rationalis, & voluntaria est. Tandem concludo, locales motus, quos aliunde constat nec ad nutritionem ordinari, nec præsupponere vitam sensitivam, aut rationalem (constare hoc poterit tum ex eorum fine, tum ex defectu organizationis in subjecto), nullatenùs dici posse vitales, videlicet nec formaliter, nec arguitivè, quantumlibet sint ab intrinseco, & in intrinsecum, illisque conveniat Thomistica definitio vitæ, quam idcirco ex hoc capite impugnavimus.

22 Ex eodem capite rejiciendi sunt Atomistæ, qui vivens & vitam non aliter, quàm Thomistæ, definiunt, & aliunde in rebus mere corporeis nullum motum agnoscunt præter localem; immò & motum istum ab intrinsecâ virtute ullius atomi, vel corporis, oriri posse negant cum Cartesianis eorum plerique. Quâ doctrinâ stante, nullum corpus erit verè vivens, præter hominem quatenùs ratione utentem; cum omnis corporum motus sit purè ab extrinseco. Vel, si ad vitam sufficit motus internorum spirituum, aut subtilium corpusculorum, qualem viventibus assignant Atomistæ, cuncta Mundi corpora verè vivent, ignea præsertim, & liquida, quorum naturam in jugi & vario motu particularum inesse filum dicunt: quin etiam horologia rotata, cæteraque automata artifi-

cialia veram vitam habebunt; quod est delirium. Vide Differt. prælimin. ad Physicam n. 30., & antea n. 21.

*Conceptus viventis in communi an sit univocus?*

23 *Quæres* hic, an assignata definitio, seu conceptus viventis, aut vitæ, univocè conveniat omni viventi? *Dico* 1.: omni viventi creato univocè convenit: quia præscindit à differentijs, quæ vitalitatem diversificant in Angelo, homine, bruto, & plantâ; & aliunde verificatur propriè de singulis, ut patebit applicanti, si modò præ oculis habeat quæ de nutritione mox dicentur. *Objic.*: possibilis est substantia creata secum identificans intellectionem; per quam utique viveret, cum omne intelligere sit vivere, etiamsi cum substantiâ intelligente identificetur, ut patet in Deo: tali autem substantiæ non conveniret tradita definitio. *Resp.*: Talis substantia omninò repugnat vel ex hoc ipso capite: simul enim esset & non esset vita sua quasi in actu secundo; esset, quia vera intellectio substantialis; non esset, quia nihil magis alienum ab actu vitali, magis vè destruens conceptum immanentiæ, quam suapte naturâ prorsus esse ab extrinseco, tam effectivè, quàm determinativè: sic autem ab extrinseco foret illa intellectio; ex quo patet disparitas ad intellectionem Divinam.

24 *Dico* 2.: idem conceptus videtur etiam univocus viventi creato, & increato, non solùm quatenùs ad intrà producenti realiter in Trinitate, sed etiam quatenùs absolutè intelligenti & volenti per actus etiam necessarios, & tametsi non detur in Deo actus primus intelligendi, à quo virtualiter procedat intellectio actualis, sed in ipsâ intellectione consistat formaliter essentia Dei. Solùm posset obstare nomen *operationis*, & *immanentiæ*, quo videtur proprie significari realis actio, & receptio, sive unio. Sed hoc non obstabit, dummodò sumatur *operatio immanens* pro tendentiâ in terminum intrinsecè habitâ citra efficientiam adæquatam ab extrinseco, præscindendo ab eo, quòd habeatur per identitatem, vel per actionem & unionem realem, necnon ab eo, quòd terminù physicè producat, vel intentionaliter attingat. Si tamen non placeat hujusmodi præcisio, facilè concedam, conceptum viventis esse analogum Deo, & creaturæ, sic tamen, ut Deus sit analogatum principale, propter rationem D. Thomæ suprà n. 11.: Deo enim proprijssimè convenit se actuare citra determinationem ab extrinseco, & ejus actualitas est operatio immanens eminentiali modo.

## CAP. II.

*SOLVUNTUR OBJECTIONES VARIÆ.*

*Ubi quotuplex sit Vivens, & Vita?*

25 ADversùs datas definitiones viventis, & vitæ, præter ea, quæ jam solvimus, aut præoccupavimus, *objic.* 1.: plures sunt actus vitales, quorum productio determinatur ab extrinseco, nempe omnes, qui nec immediatè, nec mediatè procedunt à voluntate liberâ: non ergo est contra conceptum viventis quòd ab extrinseco determinetur ad operandum. Quòd autem determinatio sit, vel non sit naturalis, & perpetua, quid refert? *Resp.*: Solùm obstat communi conceptui viventis determinatio ab extrinseco, quæ naturalis sit, & perpetua, sive accepta jam à primo instanti, & pro omni instanti, & quæ insuper comprehendat omnem illius suppositi operationem ex suâ specie immanentem. Cur autem determinatio hujusmodi magis obstet, quàm alia proveniens quidem ab extrinseco, sed sine conditionibus ijsdem; ratio petenda est ab inductione, quâ solâ pro-

probantur quidditates, ac definitiones rerum. Omnia non viventia talem determinationem habent. Contrà verò nullum novimus vivens, quod illâ non careat: non enim planta naturaliter determinata est ab extrinseco, ut pro omni instanti, etiam primo, se nutriat, nedùm ut omni vegetet modo, quo potest, v. g. folia, floresque producendo: nec res cognoscitiva, ut pro omni instanti cognoscat, & appetat, quantum capax est. Hinc oritur illa pro diversis temporibus immanentium operationum varietas, quæ in viventibus præ inanimatis elucet. Hinc item oritur, quòd omne vivens, etiam non liberum, suam sibi quasi proprio marte comparat determinationem proximam ad plures operationes: nam cognoscitivum adquirit species, quibus determinatur ad cognoscendum: & vegetativum attrahit, præparat, & applicat materiam alimenti, quâ determinatur ad se nutriendum. Unde jam operatur ex se ipso, & se ipsum inducit in operationem, ut suprà n. 9. poscebat D. Thomas.

26 *Objic.* 2.: nutritio est actus vitalis; & tamen non est immanens ex conceptu specifico: eadem quippe unio (vel pars animæ in plantâ), quæ nutritione adquiritur, potuit effici ab extrinseco, si nempe Deus hominem, aut plantam in statu perfecto produceret, sicut in Mundi exordio, vel si materia, quæ nutritioni servit, fuisset primigenia. *Confirm.*: quia nec homo, nec planta est in statu connaturali, donec habeat molem, aut staturam perfectam, vel saltem idoneam ut homo ratione utatur, & planta fructificet. Tum quia moles ista naturaliter debita est. Tum quia ille dicitur status connaturalis, quo res apta redditur ad proprias operationes exercendas, ut patet in aquâ, vel igne: operatio autem propria respectu hominis est usus rationis, & respectu plantæ fructificatio. Nutritio igitur, quâ ista moles adquiritur, ad connaturalem statum pertinet; cum tamen verè vitalis sit.

27 *Resp.*. In opere nutritionis sola actio, quâ convertitur alimentum in substantiam alitri, formaliter vitalis est: nam aliæ præcedentes, ut concoctio cibi, formatio chyli, attractio, & distributio succi nutritij, vitales sunt arguitivè tantùm, cum vel sint transeuntes, vel in motu locali consistant. Illa verò actio conversiva, ex suâ specie immanens est, non quidem ratione termini absolutè sumpti (cum hic possit ab extrinseco produci), sed ratione termini ut immediatè producibilis à principio talis speciei: non enim potest nova pars formæ, vel nova unio, tum informativa, tum continuativa, immediatè produci transeunter à principio ejusdem speciei cum vivente, quod nutritur. Si producatur à solo Deo, clara est diversitas: si autem à generante, debet intervenire virtus seminis, quæ non concurrit ad nutritionem, & quæ specie distinguitur à virtute nutritivâ. Cum igitur actio specificetur etiam à principio, ut ostendimus in Physicâ tract. 3., nulla est possibilis actio transiens, à quâ non differat specie actio nutritiva, quæ proinde immanens evadit ex conceptu specifico. *Dices*: si duæ plantæ ejusdem speciei penetrarentur, posset altera per vim nutritivam convertere alimentum in substantiam alterius. *Negatur* hoc; quia nulla planta vim habet vivificandi materiam extraneam, seu non sibi continuativè unitam, nisi per generationem, quæ virtute seminis peragitur. Ex his colliges, actionem nutritivam esse specie diversam à generativâ, quidquid alij dicant.

28 *Confirmatio* litem movet de nomine *status connaturalis*, à quo abstinet nostra definitio viventis in communi, quæ proinde nequit ex eo capite impugnari. Nihilominùs, ut communis illa definitio n. 10. pro vivente

creato propugnetur, *neg. Antec.*: quia communi usu non dicitur status connaturalis, nisi qui debet perpetuò tem comitari, ità ut res in nullo instanti possit eo privari sine violentiâ, vel miraculo. Quis autem dicat, fœtum humanum pati violentiam, donec ratione uti valeat? aut plantam, donec fructificet? Nec obstant probationes adjunctæ. Nam ea moles debita quidem est, sed non pro omni tempore. Aptitudo autem ad proprias operationes non pertinet ad statum connaturalem, nisi quando ex naturâ rei debet esse uniformis pro omni instanti, ut accidit in aquâ, & igne, & non accidit in viventibus corporeis, quæ pro diversis ætatibus diversas operationes, & aptitudines requirunt. Si hinc inferas: ergo nec ad connaturalem statum pertinebit ea corporis dispositio, quam fœtus habet in primâ animatione, liquidem multùm variatur decursu ætatis. *Nego Consequ.*, si fermo sit de illâ tantùm cordis, aut cerebri particulâ, quæ primitùs animatur: ea quippe decursu vitæ non variatur quoad dispositionem, sicut nec variatur quoad materiam juxta sententiam valdè probabilem, de quâ in Physica *tract. 1. d. 4. c. 5. a n. 16.* Quodsi amplectaris aliam sententiam, de quâ *ibidem n. 20*, dici potest, materiam minimi naturalis cum suâ dispositione perpetuò manere saltem in æquivalenti: quia, si amittatur, necessariò substituenda est alia similiter disposita, & per nutritionem adquisita.

29 Sed hinc *objic. 3.*: nutritio ex se tendit ad conservandum, & reparandum statum connaturalem, qui brevi periret cum vivente ipso, nisi nutritio repararet detrimenta materiæ continuâ transpiratione resolutæ, nec non detrimenta debiti temperamenti, quod morbo vel aliâ causâ sæpe lædituri: non ergo magis est operatio vitalis ipsam actio, quâ recuperat aquâ [illegible] connaturalem. *Resp.* Si materia primigenia (quæ sola cum suo temperamento in rigore pertinet ad statum connaturalem, utpotè sola sufficiens ut vivens connaturaliter existat in primo instanti) sit inamissibilis decursu vitæ, ut fert sententia nuper allegata, nullum nec in se, nec in temperamento suo detrimentum patitur, quod nutritione reparetur; dum enim læditur temperamentum ejus, mors sequatur necesse est. Nec eam materiam conservat nutritio, nisi removendo prohibens, sive augendo molem, cujus vallo magis arcentur agenna contraria.

30 Si autem materia primigenia sit amissibilis, ne sic quidem nutritio tendit immediatè ac formaliter ad reparandum statum connaturalem, sed solùm mediatè ac materialiter, adquirendo scilicet materiam, aut substantiam, ex quâ per aliam causam reparatio fiat. Nutritio enim, cum sit species augmentationis, immediatè & formaliter solùm tendit ad augendam substantiam præexistentem, ut patet in primo instanti, quo incipit nutriri fœtus animatus; tunc enim præexistit integra materia primigenia, neque ulla facta est jactura, quæ nutritione reparari debeat. Dolea verò, dum materia prohabita resolvitur, loco illius subrogatur quidem substantia per nutritionem adquisita: verùm hæc subrogatio (quæ consistit in retentione novæ substantiæ simul cum amissione veteris) non est nutritio, nec actio vitalis; quia non fit nisi post instans nutritionis, quo transacto jam à solo Deo conservatur nutritionis terminus, ut vis nutritiva ad novas adquisitiones expedita maneat. Porrò temperamenti læsi reparatio in materiâ præhabitâ non fit à cibo quatenùs nutriente, sed quatenùs habente rationem medicinæ, seu pharmaci, ut notavimus disp. 1. de Gener. n. 54. Extensio autem organizationis & temperamenti ad novam materiam non est

vi-

vitalis; quia præcedit nutritionem substantialem, est quæ actio transiens, quâ vivens præparat materiam alimenti, priusquam illam sibi continuativè uniat: vel, si hæc aut alia accidentia radicantur efficienter à novâ parte substantiæ ut proprietates ejus, non sunt immediati effectus nutritionis, sed emanationis, quæ supponit perpetuam ejusdem novæ partis determinationem quasi ab extrinseco, videlicet instar illius, quæ ab extrinseco accipitur in primâ generatione viventis.

31 *Objic.* 4.: aggeneratio ignis non est actio vitalis; cum tamen sit ultra statum connaturalem, & immanentiam habeat non minùs, quam nutritio plantæ. *Resp.* Aggeneratio, quâ ignis in materiâ continua producit ac sibi continuativè unit augmentum propriæ formæ, ideò non est actio vitalis, quia non est immanens ex conceptu specifico, non solùm quatenùs producit novam partem igneæ formæ (quæ pariter ab eâdem virtute produceretur in materiâ merè contigua), sed etiam quatenùs terminatur ad unionem continuativam novæ illius formæ cum præcedente. Talis quippe actio specie non differt ab actione transeunte, quâ posset eadem unio ab alio igne produci: nam illaipsa unio, quam ignis A. producit ignis A., posset transeunter produci ab igne B. per virtutem omninò similem, & nimirùm ab igne B. primò produceretur ignis A. cum hoc eodem augmento. Unde negandum, quòd aggeneratio sit æque immanens, ac nutritio.

32 *Objic.* 5.: potest homo, vel Angelus intelligere, acqueadeò vivere, per intellectionem à solo Deo productam, & infusam. Ex saltem arbor vivit per insitionem rami, quæ ab extrinseco est tam effectivè, quàm determinativè. *Resp.* Negandâ omninò est possibilitas intelligendi per intellectionem ab extrinseco infusam, si non insi Intellectus illam sibi uniat ab intrinseco, ut ita verificetur aliquatenùs eam immanenter habere: aliter invertenda erit notio vitæ ab omnibus recepta. Sed hac de re fusiùs, cùm de constitutivo intellectionis agemus. Nec arbor vivit per appositionem rami ab extrinseco, sed per productionem unionis, quâ ramum continuat secum; quæ productio est ab intrinseco, & ex suâ specie immanens eâdem ratione, quam pro nutritione dedimus n. 27. Id ipsum intellige de actione, quâ pars nasi recens abscissa, & iterùm applicata, reuniri solet. Ad extremum adverte, quòd productio durationis (si duratio est modus à re durante distinctus) non est actio vitalis, etiam in viventibus; non quidem ex defectu immanentiæ, sed quia, licèt divisibilis, semper tamen est una actio continua, pertinens ad statum connaturalem, supponens quæ determinationem perpetuam cum primo esse rei ab extrinseco acceptam.

*Indicantur varia genera viventium, & actionum vitalium.*

33 Vita in communi dividitur in physicam, & intentionalem. Dicitur vita physica, quæ per productionem realem exercetur: intentionalis verò quæ per alicujus objecti cognitionem, aut appetitionem. Plantæ vitam habent pure physicam: Deus vitam pure intentionalem quoad actus absolutos physicè improductos: Angelus, homo, & brutum, vitam simul physicam & intentionalem; percipiunt enim, & appetunt objecta per actus, quos physicè producunt. An possit in creatis aliquando dari vita intentionalis sine physicâ, discutiemus alibi. Dividitur 2. in vitam in actu primo, & vitam in actu secundo: vel, quod eòdem redit, in vitam per modum principii potentiæ elicere operationem vitalem, & vitam per modum operationis vitalis.

Vi-

Vita per modum principij, saltem substantialis, dicitur *vivens*, tum substantivè ratione virtutis, aut quidditatis vitaliter activæ (quæ sufficit, ut homo v. g. dicatur simpliciter vivens, aut vivus, etiamsi nihil actu operetur) tum adjectivè ratione operationis, dum illam elicit. Vita verò per modum operationis, solùm in Deo est vivens *ut quod*, propter indistinctionem à substantiâ & essentiâ Divinâ. Utrùm in Deo detur actus primus intelligendi, virtualiter aut ratione distinctus ab intellectione actuali; an verò in ipsâ intellectione consistat essentia Dei disputabunt Theologi. Quòd in creatis actus primus vivendi, seu principium vitale, realiter distinguatur ab operatione, certum est, & ex utriusque separabilitate demonstrabile. Doctrina verò Corpuscularium, præsertim Malpighianistarum, quæ malè cum distinctione istâ cohæret, satis refutata est in Dissert. prælim. ad Physicam n. 33.

34 Principium vitale, seu vivens, in rebus creatis subdividitur in intellectivum, sensitivum, & vegetativum. Posset quidem immediatiùs dividi in vegetativum, & cognoscitivum, sub quo sensitivum, & intellectivum comprehenduntur: sed usitatior est divisio illa trimembris. Intellectivum igitur est, quod se movet per cognitionem immaterialem: sensitivum, quod per materialem perceptionem objecti: vegetativum, quod per nutritionem. Intellectivum convenit homini, & Angelo; quamquàm in homine rationale dicitur: sensitivum convenit homini, & bruto: vegetativum, homini, bruto, & plantæ. Hæc membra inter se distinguuntur saltem formaliter; non tamen semper & ubique realiter: nam, licèt intellectivum separetur à cæteris in Angelo, & vegetativum in plantâ; in homine tamen realiter identificantur omnia, & in bruto duo. Porrò partitio hæc est adæquata: quia nullum in creatis est vivens, quod sub his generibus non comprehendatur. Nec oportet addere vivens appetitivum, quasi novum genus: nullum enim est appetitivum (appetitu elicito, qui solus est vitalis), quod non simul sit cognoscitivum sensu, vel intellectu, & è converso; atque ita quidem, ut vis appetitiva præsupponat realiter aut formaliter vim cognoscitivam, ab eâque radicetur quasi proprietas: quod non accidit in vegetativo, & sensitivo, etiam cùm realiter identificantur. Nec obstat, quòd appetitio sit genus operationis vitalis à cognitione diversum. Nam operationum genera multiplicantur ex diversitate rationis formalis *sub quâ*; viventium autem genera, non nisi ex separabilitate saltem non mutuâ, vel ex eo, quòd non invicem coordinentur ut essentia & proprietas.

35 Sed *objicies*: locomotivum communiter numeratur inter viventium genera, seu gradus, qui proinde quatuor esse dicuntur: non ergo adæquata est partitio illa trimembris. *Resp.* Locomotivum, idest, progressivum, inter gradus viventium numeratur, non quòd sit genus viventis à toto genere sensitivo diversum, sed solùm majoris claritatis gratiâ: quia enim vulgus ex motu progressivo (nempe ex incessu, volatu, vel natatu) dignoscere solet viventia sensu prædita, placuit Philosophis in ipsâ numeratione graduum indicare, quædam insuper esse sensitiva, quæ vix motum habent, vel certè non gradiuntur, quamvis aliquatenùs se contrahant, ac dilatent; cujusmodi sunt ostreæ, conchylia, polipi. Quapropter graduum sensitivum partiuntur in duos; quorum alter nomine *locomotivi* comprehendit animalia, quæ dignoscuntur ex motu locali (non tamquam ex vitâ, sed tanquam ex signo vitæ); alter verò comprehendit animalia immota nomine *sensitivi* cum restrictione *sine motu*, tacitè subaudità. Posset quidem alijs par-

partitionibus augeri numerus graduum ob rationes consimiles: sed hæc visa fuit cæteris congruentior.

36 Solet insuper vitale principium subdividi in substantiale, & accidentale. Substantiale in viventibus corporeis est anima, in Angelo substantia ipsius. Accidentale est accidens per se exactum à substantiâ, ut simul cum ipsâ influat in actus vitales titulo vitalitatis. Ita colligitur ex communi sententiâ; quę idcircò rationem vitalis principij accidentalis attribuit solis potentijs intellectivę, volitivę, &c. (si ab animę substantiâ distinguuntur); non verò speciebus, & habitibus: quia species non influit in cognitionem titulo vitalitatis, sed repręsentationis: habitus autem, sive adquisitus, sive infusus, non est per se exactus à substantiâ; & infusus solùm influit in actum titulo supernaturalitatis. Non desunt tamen, qui etiam habitus & species vocent principia vitalia: & è converso, qui nullum accidens velint esse vitale principium. Quâ in re dissidium est ferè vocale.

37 Certum videtur, quòd *vivere* soli substantiæ propriè convenit; quia nomen *vita*, prout significat principium viveus, seu vivum, *impositum est* (inquit D. Thomas 1. p. q. 18. ar. 2. c.) *ad significandam substantiam, cui convenit secundùm suam naturam movere se ipsam. Unde vivum* (subdit S. Doctor) *non est prædicatum accidentale, sed substantiale.* Certum est etiam, accidens posse dici principium vitale *ut quo*, si hoc tantùm denotet, esse virtutem accidentalem, quâ juvatur substantia ut vitales actus eliciat. Atque hoc sensu, non solùm potentię, sed etiam habitus, & species, vocari possunt principia vitalia. Unde solùm videtur superesse quæstio, an potentia potiùs, quàm habitus, & species, nomen principij vitalis *ut quo* mereatur speciali titulo, nempe quia per se exigitur à substantiâ, simulque influit in actum formaliter ut vitalem? Quâ in quæstione non est cur discedamus à communi sententiâ. Cur autem accidentalis potentia non sit propriè vivens, ratio est, quia non operatur propriè immanenter: quàmvis enim coefficiat actum vitalem, non illum in se recipit, ut suo loco dicemus: ideòque non dicitur movere se ipsam, sed juvare animam ut se moveat. *Dices*: ad operandum immanenter more viventis, sufficit quòd potentia activa, & receptiva operationis pertineant ad idem suppositum, licèt inter se realiter distinguantur; ut notatum est suprâ n. 13. *Dist.*: si pertineant constitutivè, seu tamquam partes ejusdem suppositi, *concedo*; si utraque, vel altera, pertineat ad idem suppositum adjectivè, seu tamquam accidens superadditum, *nego*: nam alioquin lux producens calorem in aere, vel crystallo, cui inest, immanenter operaretur more viventis, proprièque diceretur movere se ipsam: quod etiam accideret impulsui producenti motum in lapide, cui inhæret; necnon primis qualitatibus secundas producentibus in subjecto proprio.

38 Jam verò vitalium actionum genera numerari possunt quinque. Primum continet eas, quæ spectant ad lineam intelligendi, seu immaterialiter cognoscendi. Secundum continet spectantes ad lineam volendi, seu immaterialiter appetendi. Tertium spectantes ad lineam sentiendi, seu materialiter cognoscendi. Quartum spectantes ad lineam materialiter appetendi. Quintum spectantes ad lineam vegetandi. Duo priora sunt propria viventis intellectivi: tertium & quartum sensitivi: & ultimum vegetativi. Præter hęc genera, nulla videtur esse actio propriè & formaliter vitalis. Nam productio potentiarum, præsertim intellectivæ, & volitivę, ab animâ, vel Angelo, communiter censetur non vitalis, licet sit immanens in specie; quia pertinet ad ita-

statum connaturalem, & non provenit sub eâ ratione, sub quâ vivens se actuare potest ultra illum statum. Si tamen velis cum nonnullis, eam esse vitalem (quod satis verisimile videtur), reducere ipsam poteris ad lineam intellectionis, aut volitionis, cujus rationem formalem virtualiter participat.

39 Productio specierum ab Intellectu agente, communiter etiam dicitur non vitalis; quia per eam non tam operatur Intellectus nomine proprio, quàm nomine objecti. Si tamen immediatè proveniat ab animâ, eidemque inhæreat, nihil prohibet eam dici vitalem, reducique ad lineam intelligendi. Idem puta de productione habitûs, si forsan sit immediatè ab animâ, & in animâ. Si autem habitus à solis actibus producatur, ut passim supponitur, vitalis non erit ejus productio ex defectu immanentiæ, tum respectu animæ, à quâ non oritur, tum respectu actuum, quibus non inest. Actio generativa viventis, si sumatur pro formatione seminis, est vitalis, utpotè quædam species nutritionis, sicut etiam formatio sanguinis: quia, licèt sanguis & semen in animalibus non alimentur, verè tamen sunt partes corporis viventis, ut infrà dicemus; ideòque productio, vel augmentatio eorum virtute animæ, principium habet activum & passivum intra idem suppositum. Si verò actio generativa sumatur pro decisione seminis, vel pro ejusdem concursu ad formationem fœtûs, est actio transiens, ideòque non vitalis. De aliis actionibus nulla videtur esse ratio dubitandi, excepto motu locali, de quo satis dictum est suprà.

## CAP. III.

### QUID, ET QUOTUPLEX SIT ANIMA?

40 Circà naturam, seu quidditatem animæ, plurimi fuere veterum Philosophorum errores; quibus refellendis impendit Aristoteles totum Librum 1. de Animâ. Ipse verò lib. 2. cap. 1. doctrinam tradit, ex quâ eruitur hæc animæ definitio celebris: *Actus primus corporis physici organici, potentiâ vitam habentis.* Per quatuor priora verba significatur, animam esse formam substantialem, cui soli convenit esse actum primum corporis physici, seu naturalis, ut ex dictis tract. 1. Physicè abundè constat. Particula *organici* denotat, corpus physicum, cujus anima est actus, instructum esse debere partibus dissimilaribus, quæ scilicet dispositæ sint multâ heterogeneitate accidentium, variâque figurâ, cum venis, fibris, aliisque ductibus ad vitæ functiones necessarijs: quod magis explicatur per illud additum, *potentiâ vitam habentis.* Dubium tamen est, quo sensu hic accipiatur *corpus organicum*, Vel, ut loquitur Aristoteles, *corpus, cujus partes sunt instrumenta*, nempe ad vitaliter operandum. Hoc nomine significari materiam primam cum formâ corporeitatis, sentiunt Scotistæ; quorum fundamentum propositum, & solutum est in Physicâ tr. 1. d. 5. c. 1. Apud cæteros Philosophos duplex est acceptio corporis organici, utraque satis probabilis, ut ostendit Exim. Doctor lib. 1. de Anim. c. 2.

41 Nam primò potest accipi corpus organicum pro materiâ primâ cum organizatione accidentali. Unde sensus definitionis erit, *Actus primus informativus materiæ, per se exigens illam esse organizatam*; vel, *Actus primus debitus materiæ organizatæ, & ultimò dispositæ ut vivificetur*; hanc enim ultimam, seu proximam dispositionem requirùt illa verba, *potentiâ vitam habentis*, vitam scilicet substantialem, quæ est ipsa anima. Hoc sensu definitio excludit formam embryonis, aut cadaveris, quæ, licet sit in materiâ organizatâ, non per se exigit organizationem, vel certè non

est

est debita materiæ, ut proximè aptæ vivificari: quâ ratione manet etiam excluta quævis alia forma, quę loco animę divinitùs infunderetur materię proxime animabili. Hęc acceptio videtur esse ad mentem Aristotelis, qui cit. cap. perspicuè docet, corpus, quod in definitione animæ ponitur, se habere ut subjectum, & materiam, atque ex eo & animâ unum fieri; quod non verificatur nisi de corpore incompleto, seu de materiâ primâ pro priori naturæ organizatâ. Nec vitium est, quòd in definitione animę ponatur organizatio accidentalis, dum ponitur in obliquo, tanquam conditio necessaria ex parte subjecti, seu tanquam connotatum, aut terminus exigentiæ, sicut sensatio in hac definitione animalis, *Principium sentiendi.* Nec item vitium est, quòd anima definiatur per ordinem ad subjectum dispositum ad vitam substantialem, idest, ad ipsam animam: quia nomina, *vita*, & *anima*, non sunt synonyma, nec æquè obscura, præsertim si præmittatur notio, vel conceptus viventis, & vitæ.

42 Secundò potest accipi corpus organicum pro toto composito, seu pro corpore substantialiter completo per animam ipsam: quo sensu anima est actus corporis, non informativus, sed constitutivus, & specificativus: & sensus definitionis erit, *Actus primus, quo constituitur corpus radicaliter organicum, adeòque potentiâ vitam habens*, vitam scilicet in actu secundo, seu operationem vitalem. Definitur ergo anima per ordinem ad suum effectum formalem, qui est constituere *corpus vivum*, seu *vivens in actu primo*, vel, quod perinde est, *potens operari vitaliter*; quæ clarior expressio est, quàm *animatum*, aut *habens animam.* Acceptio ista magis est ad mentem Aristotelis, qui loc. cit. text. 8. dicit, animam esse rationem, substantiam, & quidditatem corporis talis, & corpus hoc habere in se principium insitum motûs, & quietis: & text. 10., *Non est* (inquit) *id potentiâ vivens, quod objecit animam, eâque vacat; sed id, quod ipsam habet.* Est etiam Doctoris Angelici, qui 1. p. q. 76. art. 4. ad 1., explicans Aristotelic. animæ definitionem, ait: *Manifestum est, quòd in eo, cujus anima dicitur actus, etiam anima includitur, eo modo loquendi, quo calor est actus calidi, & lumen est actus lucidi; non quòd seorsùm sit lucidum sine luce: sed quia est lucidum per lucem.*

43 Consequenter dicendum est, per verbum *organici* non tam significari organizationem accidentalem, quàm substantialem, aut radicalem, consistentem in animâ ipsâ prout unitâ materię, cui eo ipso debitam reddit varietatem accidentium, & organorum pro vitæ functionibus exercendis: hoc enim sensu corpus organicum est formalis effectus animæ. Unde D. Thomas loc. cit., *Per animam*, inquit, *& est corpus, & est organicum, & est potentiâ vitam habens.* Hinc, si anima divinitùs informaret materiam non accidentaliter organizatam, adhuc esset actus corporis organici; quia constitueret corpus, cui debita esset illa organizatio. Similiter illud, *potentiâ vitam habentis*, intelligendum de potentiâ substantiali, seu radicali, quæ sola consistit in animâ, & ab animâ tribuitur composito in genere causæ formalis. Si quæras, an ultima ista pars definitionis aliquid addat supra verbum *organicè*? Communis responsio est, solùm addere majorem explicationem: nam de cætero idem formaliter esse videtur corpus organicum (sensu nuper exposito), ac corpus potentiâ vitam habens: quia ratione potentię substantialis, quâ vitaliter operari potest, sibi debita reddit organa vitæ functionibus inservientia. Qualiter autem rationalis anima, licet spiritualis, tribuat homini gradum

corporis, & accidentia organica radicet; satis in Physicâ explicuimus tr. 1. disp. 5. c. 1.

44 Aliam animæ definitionem dedit Aristoteles lib. cit. cap. 2., dicens, animam esse *Principium, quo vivimus, sentimus, loco movemur, & intelligimus.* Ubi verbum *vivimus* pro nutritione accipitur, tribuendo scilicet (ut sæpe aliàs fieri solet) nomen genericum infimæ speciei: verbum autem *loco movemur* ponitur pro sensatione speciali, quæ motum progressivum causat, & non est communis omni sensitivo, ex dictis n. 35.; vel potiùs ponitur ut signum appetitûs eliciti, à quo determinatur localis motus animantium; & hoc pacto significat novum genus operationis vitalis. Definitio hæc primo aspectu soli convenit animæ rationali. Aristoteles tamen, & ejus Interpretes communiter eam referunt ad animam in communi; non ita, ut quævis anima sit principium omnium operationum, quæ in definitione numerantur; sed ita, ut quatuor illa operativum genera circumscribant totam amplitudinem operationis vitalis generatim acceptæ, cujus principium est anima ut sic. Unde sensus erit, animam esse principium operationis vitalis, quæ reperitur in quolibet ex his muneribus, nutrire, sentire, appetere, intelligere. esse, inquam, principium *quo*, activum, & primum, seu per modum primæ radicis, aut naturæ compositum constituentis, sic enim explicat Aristoteles, & omnes intelligunt. Disputant Aristotelis Interpretes, an hæc sit propria, & quidditativa definitio? Et an per eam recte demonstretur prior illa naper expositæ? Quæ, & alia dubiola super utraque definitione, videri possunt apud P. Suar. lib. 1. de Anim. c. 1. 2. & 3. Nobis notare sufficit, quòd prior definitio, *actus primus corporis &c.* communiter in omni Schola recipitur, non solùm ut univocè conveniens omni animæ, eamque discernens ab omni non ipsâ, sed etiam ut essentialis, aut quidditativa, cum exprimat ordinem ad proprium animæ subjectum, vel ad primarium effectum formalem, qui ordo constituit metaphysicam essentiam animæ.

45 Quod attinet ad divisionem animæ in communi, potest anima immediatè dividi in vegetativam, & cognoscitivam; ac deinde cognoscitiva subdividi in sensitivam, & intellectivam, vel, quod perinde est, in cognoscitivam materialiter, & cognoscitivam immaterialiter. Sed clarioris doctrinæ gratiâ communiter dividitur anima in vegetativam, sensitivam, & intellectivam, seu rationalem. Quarum prima constituit corpus organicum potens nutriri: secunda, corpus organicum potens sentire, seu materialiter cognoscere: tertia, corpus organicum potens intelligere. Vel, juxta posteriorem animæ definitionem, prima est principium nutritionis, secunda sensationis, tertia intellectionis. Divisio hæc, si duo priora membra sumantur præcisè ut jacent, nullâ exclusione subintellectâ, non est divisio realis, sive in membra realiter distincta; cum omnia realiter identificentur in animâ hominis, & duo priora in animâ bruti, ut mox dicam: est tamen in membra ratione distincta, distinctione fundatâ in magnâ diversitate operationum, ad quas ordinem habent. Ut ergo divisio realis fit, dividenda est anima in *purè vegetativam* (quæ plantarum est propria), *vegetativam & sensitivam tantùm* (quæ brutis convenit), & *vegetativam sensitivam & rationalem simul* (quæ solius est hominis): sic enim per adverbia, *purè*, *tantùm*, *simul*, exprimitur positiva realis identitatis exclusio, quam inter se invicem habent tres illi gradus animarum ex differentijs plantarij, bruini, & humani.

46 Qualiter autem ijdem gradus,

dus, dum præscinduntur à differentijs exclusivis, inter se comparentur, & alter per alterum contrahatur; explicat Exim. Doctor l. 1. de Anima c. 6.: & cap. præced., quoad eorum separabilitatem, duas tradit ex Aristotele regulas. 1., quòd gradus imperfectior potest existere sine perfectiore, nempe vegetativus sine sensitivo, & hic sine rationali. 2., quòd gradus perfectior nunquàm sine imperfectiore inveniatur, nempe rationalis sine sensitivo, nec iste sine vegetativo. Præterea notandum, divisionem istam esse adæquatam; quia nulla est anima, quæ sub aliquo ex tribus hisce gradibus, aut generibus, non comprehendatur. Anima namque purè loco motiva, quam aliqui commiscuntur, satis exclusa manet ex dictis cap. 1. & 2.. Explicuimus etiam n. 35., quo sensu numerari soleant gradus viventium quatuor: nec inficiamur, eodem sensu numerari posse totidem gradus animarum; sed ita, ut eorum duo contineantur sub gradu animæ sensitivæ ut sic. Denique, divisionem esse univocam, sive in membra propriè participantia rationem animæ in communi, colligi potest ex dictis, & ex dicendis cap. 4..

*Duplex quæstio resolvitur.*

47 *Quæritur* hic 1., an verum sit, quod n. 45. indicavimus, in homine realiter identificari prædictos animæ gradus tres? an potiùs in quovis homine sint tres animæ realiter distinctæ, videlicet purè vegetativa, purè sensitiva, & purè rationalis? Hoc secundum tenuerunt aliqui Veteres, relati à P. Suar. d. 15. Met. s. 10.. Idem re ipsâ cum recentibus Atomistis tenet Tosca Compend. Philos. tr. 10. lib. 7. cap. 3. propos. 19., ubi docet, fœtum humanum gradatim adquirere primò animam vegetativam, deinde sensitivam, ac demùm rationalem, omnes realiter inter se distinctas, atque ita sociabiles, ut quæ supervenit, præcedentis entitatem non destruat, nec excludat. Dico *re ipsa*: quia hic Author simul docet, primam animam per adventum secundæ, & hanc per adventum tertiæ, licèt nihil amittant propriæ entitatis, desinere tamen esse animas, quia desinunt esse actus primi, eo quòd principatum amittant, & superiori animæ subordinentur. Verùm hoc, ut vides, est amittere nomen, non realitatem animæ; siquidem perseverat in homine totum id, quod in plantâ est anima vegetativa, & in bruto sensitiva, & quod sufficeret, ut corpus humanum esset animal brutum, si Deus illi sano & integro negaret, aut auferret animam rationalem; ut concedit Tosca ibid. propos. 18.

48 Hæc tamen sententia de pluribus in homine animabus, in [illegible] Scholâ rejicitur, & ab Eximio Doct. loc. cit. censetur philosophicè improbabilis, & in Fide parùm tuta. Meritò quidem: nam, ut omittam argumenta, quæ in Physicâ fieri solent contra pluralitatem formarum, etiam subordinatarum, in eâdem materiâ, nullâ ratione probari potest necessitas ejusmodi animarum, vel insufficientia rationalis animæ ad operationes vegetandi & sentiendi, in corpore exercendas. Quòd enim operationes istæ valde distent, tum inter se, tum ab actibus intelligendi, nihil probat: alioquin, cum magna sit diversitas inter operationes intelligendi, & volendi, nec non inter apprehensionem & discursum, inter amorem & odium, adstruenda esset in eodem homine multiplex anima rationalis; ut etiam multiplex anima sensitiva juxta diversitatem actuum phantasiæ, visûs, auditûs, &c.. Nec obstat, quòd operationes illæ materiales sint; nam, si rationalis anima, tametsi spiritualis, potest esse forma corporis, eidemque physicè uniri, cur non & elice-

re operationes à corpore pendentes? Accedit, quod passim experimur, ex nimiâ attentione ad actus intellectivę facultatis impediri operationem sensûs, immò & nutritionem: si autem operationes istæ à distinctis animabus penderent, non esset cur alię aliis impedirentur.

49 Porrò sententiam hanc parùm in Fide tutam esse, patet ex 8. Synodo Generali, seu 4. Constantinopolitanâ, quæ can. 11. anathema dicit asserentibus, in homine duas esse animas. Quod etiam traditur ut dogma certum in lib. de Ecclesiast. dogmat., qui D. Augustino tribui solet, cap. 15. per hæc verba: *Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Jacobus & alij Syrorum scribunt; unam animalem, quâ animatur corpus, & immissa sit sanguini, & alteram spiritualem, quæ rationi inserviret: sed dicimus, unam esse eandemque animam in homine, quæ & corpus suæ societate vivificet, & semetipsam sua ratione disponat.* Similia habent SS. Augustin. & Damascen. apud P. Suar. l. c. n. 24. Unde non solùm damnatur error ponentium duas in uno homine rationales animas, & error Manichæorum duas ita fingentium, ut altera à bono Deo, altera à Deo malo, quem ipsi somniabant, indita esset; verùm etiam, præscindendo ab his erroribus, absolutè damnatur eorum opinio, qui duas animas admittunt in uno homine, alteram animalem, aut sensitivam, alteram spiritualem, & rationalem. Accedit absurdum ab Exim. Doctore deductum, quòd scilicet Christus moriens aliquam substantiam Verbo unitam simpliciter dimisisset, nempe animam putè sensitivam, quæ tunc periisse dicenda erit; siquidem nec manserit unita corpori (alioquin corpus mansisset vivum, quod est falsum), nec extra corpus conservata fuit, cum id fieri non posset sine grandi miracolo, Ecclesiæ & Patribus incognito. Falleret igitur Axioma Theologicum de Verbo Divino, *Quod semel assumpsit, nunquàm dimisit.*

50 Nec quidquam prodest negare cum Toscâ nomen *animæ* inferioribus animabus in præsentiâ superioris, eo quod principatum amittant. Nam 1. persistit integra difficultas de morte Christi D.: si enim tunc anima sensitiva, rationali abscedente, manserit in corpore, iterùm recuperavit principatum, & nomen *animæ*, proindeque reddidit corpus in triduo animatum, & vivum, contra dogma Fidei: si autem à corpore separata fuit, destructam, aut in atomos dissipatam fuisse necesse est, adeòque à Verbo dimissam. 2.: nomen *animæ* est nomen naturæ, non officij extrinsecùs impositi, & amobilis: est enim proprium nomen formę substantialis, potentis elicere in corpore operationes vitales; nec aliud indicat titulus *actus primi*, ut suprà vidimus. At anima, seu vegetativa, seu sensitiva, qualis à Toscâ ponitur, per adventum rationalis nihil amittit substantialitatis, aut virtutis propriæ ad motus vitales. 3.: qui ponerent in uno homine tres substantias, materiam informantes, & aptas elicere actus intelligendi, quamvis eas diceret subordinatas, & inferioribus negaret primatum, & nomen *animæ*, non effugeret errorem multiplicantium rationales animas in eodem homine: ergo nec effugit errorem multiplicantium animas diversi generis, qui tres substantias adstruit materiam ejusdem hominis informantes, & aptas elicere vitales motus vegetandi, sentiendi, & intelligendi. 4.: facultas vegetativa in plerisque actibus (v.g. in motu cordis, circulatione sanguinis, conversione alimenti in substantiam aliti) non subest imperio rationis, nec à sensatione dependet: facultas item sensitiva, non expectato actu rationis, elicit actus audiendi, odorandi, tangendi, dolendi, &c.;

&c.; quod maximè præstat in pueris, & fatuis. Neutra igitur ita in homine subjicitur, aut subordinatur superiori animæ, ut non retineat independentiam quoad actus plurimos, immò in fatuis & pueris quoad omnes: ergo retinet utraque principatum veræ animę propriùm.

51 Quod de homine diximus, de bruto pariter cum proportione intelligendum, in eo scilicet non esse duas animas, purè vegetativam, & purè sensitivam, sed unicam, à quâ tam nutritio, quàm sensatio proveniat. Confirmari hoc potest ex eo, quod brutum constans animâ integraliter divisibili, v. g. coluber, per nutritionem producit novas partes animę sensitivæ; quę certè ab animâ purè vegetativâ, utpotè inferioris ordinis, produci nequeunt: ergo nutritio colubri provenit ab animâ vegetativâ, quæ simul sensitiva est. Immò independenter à divisibilitate animæ bruti, simile argumentum fieri potest in actione generativa, quę animę vegetatricis est propria. Dum enim leo leonem generat, in eo causat animam sensitivam: ergo hęc causatur ab animâ vegetativâ generantis, quæ proinde sensitiva simul esse debet; alioquin superiorem animam causabit, quod absurdum est.

52 *Objic.* 1.: in Sacris Litteris non semel distinctè nominantur quasi res duæ, *spiritus* & anima hominis; ut cùm dicitur Daniel. 3., *Benedicite spiritus, & animæ justorum Domino*: ergo in homine, prętęr spiritum, seu animum rationalem, alia datur anima. *Objic.* 2.: anima rationalis, à corpore separata, non sentit, nec vegetat: ergo in homine vegetatio & sensatio proveniunt ab aliis animabus, quę in morte pereunt. *Objic.* 3.: sæpe homo contrarijs appetitionibus in diversa trahitur, juxta illud Galat. 5., *Caro concupiscit adversùs spiritum*: nequeunt autem appetitus contrarij ab eâdem animâ simul oriri. *Objic.* 4.: juxta Aristotelem fœtus humanus prius vivit vitâ plantæ, deinde sensitivâ, posteà rationali: has ergo tres animas gradatim adquirit, quas consequenter retinet. *Objic.* 5.: ea realiter distinguuntur, quorum unum distinctè concipimus sine alio, seu nihil de alio cogitantes; ut fert celebrata regula, Cartesio & assectis familiaris: sed in homine distinctè concipimus vim vegetativam sine sensitivâ, & hanc sine rationali: ergo. *Objic.* ultimò: in humano corpore, rationali animâ destituto, nonnunquam apparent signa sensationis, nempe motus in corde recèns avulso, vel in capite recèns abscisso, quod etiam aliquandò locutum fuisse memoratur: appareat quòque interdùm vegetatio in cadavere, crescentibus unguibus, & capillis. Habet igitur homo principium sentiendi, & vegetandi, ab animâ rationali distinctum.

53 Levia hæc sunt. *Ad* 1.: dum in S. Scripturâ distinctè nominantur spiritus & anima hominis, non indicatur distinctio in substantiâ, sed in munere, & officio; ita ut eadem forma hominis, quatenus vivificat corpus, & operationes elicit aliis animantibus communes, dicatur *anima*; quatenus verò intellectiva est, potensque existere, & operari sine corpore, dicatur *spiritus*. Sæpe tamen anima ipsa, prout absolutè vivificat corpus, appellatur spiritus in Sacris Litteris, ut ostendit P. Suar. l. c. n. 25. *Ad* 2. *neg. consequ.*: quia ex antecedenti solùm sequitur, actus vegetandi & sentiendi non elici ab animâ rationali, nisi dependenter ab organis corporeis, quæ in statu separationis absunt. *Ad* 3.: simili argumento probari posset in eodem homine multiplex anima intellectiva, & volitiva, cum sæpè idem homo diversis apprehensionibus intellectûs, & contrarijs affectibus voluntatis, ob diversa motiva simul proposita, distrahatur: item in eodem bruto multiplex anima sensitiva

va; quia sæpè canis v. g. contrarijs inclinationibus agitatur, ut cùm ad panem accedere cupiens, fustem metuit. Appentiones ergo carnis, & spiritûs, ideſt, materiales, & spirituales, dum inter se dissident, & in eodem homine simul existunt, non sunt ita contrariæ, ut sint incompossibiles; quia tendunt sub diversis rationibus, &, si una est efficax, altera est inefficax: ex quo potiùs colligitur, utramque ab eodem oriri principio; alioqui non se se invicem retardarent, nec altera impediret efficaciam alterius, ut benè advertit P. Suar. n. 28.. Dicuntur tamen contrariæ, quia altera retardat, aut impedit alterius effectum.

54 *Ad 4.*: Aristoteles solùm videtur loqui de vitâ in actu secundo, seu de operatione, quâ fœtus humanus priùs vegetet, deinde sentiat, postea ratione utatur: qui ordo non indicat successivum ordinem animarum; alioquin puer ante septennium, quo incipit ratione uti, non adquireret animam rationalem. Hæc ergo infunditur in primo instanti animationis, licèt non statim nobiliores operationes eliciat ex defectu dispositionis organicæ. Quòd si Aristoteles loquatur de tribus animabus, non ideò simul omnes in fœtu permanebunt, sed prima peribit adventu secundæ, & hæc adventu tertiæ, ut philosophantur D. Thomas, & alij. Vid. disp. 1. de Gener. n. 23.. *Ad 5. neg. Maj.*, si generatim intelligatur de modo concipiendi præcisivo: fallit enim ea regula in multis, ut ostendemus c. seq. n. 79. Vera signa distinctionis realis dedimus in Logicâ. *Ad ultim.*: motus illi cordis, & capitis, proveniunt à spiritibus vitalibus, qui non omnes in momento pereunt. Locutio, si aliquando accidit, tribui debuit speciali providentiæ Dei. Vegetatio, vel incrementum capillorum, & unguium, est merè apparens; de quâ infra, cum de informatione animæ, dicemus.

55 *Quæritur* 2., utrùm anima rationalis ita secum identificet vim eliciendi vegetationem, & sensationem, ut sit formaliter vegetativa, & sensitiva? Potest accipi vox *formaliter* duplici sensu. 1., ut significet identitatem rationis, quo sensu dicimus hominem esse formaliter substantiam. Atque hoc sensu affirmandum est, si rationalitas animæ humanæ sumatur ut integra species: negandum verò, si sumatur ut prædicatum differentiale; quia, ut in Logica vidimus, differentia non includit formaliter gradus genericos, cujusmodi sunt gradus animæ vegetativæ, & sensitivæ ut sic, cum in his conveniat rationalis anima cum belluinâ, & arboreâ. 2., ut vox *formaliter* opponatur voci *eminenter*; quo sensu dici solet, quòd Deus non contineat formaliter Solem, sed eminenter, nec Sol in sententia Aristotel. est formaliter ignis, sed solùm eminenter, quia nobilioris est naturæ, potentis efficere quidquid ignis potest, licèt ipsi non conveniat ignis definitio, seu conceptus ignis univocus. Atque hoc sensu procedit quæstio proposita: in quâ plures Thomistæ, Cajetanum secuti, negativè respondent; quia putant in conceptu proprio animæ sensitivæ, & præsertim vegetativæ, materialitatem importari, quæ procul abest ab animâ rationali, quamvis hæc ratione nobilioris naturæ producere possit quidquid potest materialis anima, ideòque dici debeat eminenter vegetativa, & sensitiva.

56 Sententia tamen affirmativa multò communior est, eamque tenent cum Nostris & Scotistis plures alij Thomistæ: quia rationali animæ propriè convenit definitio, & conceptus animæ vegetativæ (idem intellige de sensitivâ), sive anima ista definiatur principium *quo* elicitivum nutritionis, sive actus primus corporis organici potentiâ vitam vegetativam habentis. Quilibet ex his conceptibus abstrahit à ma-

te-

terialitate, cum nullam ejus mentionem faciat : quare univocè verificatur de animabus hominis, bruti, & plantæ. Quòdsi Aristot., & D. Thomas aliquando dicunt, animam vegetativam contineri eminenter in rationali, loquuntur de vegetativâ pure tali, seu prout contractâ per materialitatem plantæ. Nec refert, quòd rationalis anima non crescat, nec augeatur in entitate suâ, sicut anima plantæ: non enim hoc est de conceptu animæ vegetativæ ut sic, sed solùm quòd sit principium augmenti substantialis, quo augetur compositum per ipsam constitutum. Idem à fortiori dicendum de animâ sensitivâ bruti, etiamsi ponatur indivisibilis, eam scilicet esse formaliter vegetativam.

## CAP. IV.

### *REPELLITUR QUORUMDAM CONATUS contra Veri nominis animam in brutis, & plantis.*

57 SUppositum hactenùs, brutis & plantis veram vitam, veramque animam inesse, plantis vegetantem, brutis sentientem, id est, materialiter cognoscentem : animam, inquam, quæ, utpotè vera forma substantialis compositi purè corporei, sit substantia incompleta, & absoluta, totique materiæ superaddita, ac proinde non materia, nec corpus per se solam, corporea tamen, & materialis, eo quòd à materia & quantitate pendeat in fieri, & conservari. Et inprimis, quòd brutis anima insit cognoscitiva, potens scilicet, non solum per sensus externos, sed etiam per internum, sive per phantasiam, elicere perceptionem, seu vitalem repræsentationem objecti, non multùm abſimilem ei, quam homines inter somniandum, vel pueri ante usum rationis habent : atque ita quidem, ut phantasia bruti (quæ vocatur *instinctus* in actu primo), simul ac percipit objectum, naturali necessitate quasi practicè judicet, illud esse sibi vitandum, aut prosequendum ; & ita, ut hic ipse actus phantasiæ (qui vocatur *instinctus* in actu secundo) necessariò excitet appetitum ejusdem bruti ad idem objectum appetendum, aut aversandum: hoc, inquam, meritò supponi debuit tanquàm probationis haud indigum, cum ad hæc usque tempora cunctis populis, cunctisque ferè sapientibus per se notum fuerit: immò & hac tempestate usque adeò censetur evidens, ut vix credantur ferìò loqui recentes pauci, qui oppositam opinionem, vel opinionis monstrum sectari affectant.

58 Sunt autem recentes isti Cartesius & asseclæ, post Antonium Gomez Pereyra Medicum Hispanum, qui primus in suâ *Margaritâ Antoniana* brutis negare animam ausus est. Hi nimirùm (vide Dissert. præliminar. ad Physicam num. 12.) bellua omnes mera esse automata dicunt, idest, machinas solo mechanico artificio mobiles, instar horologij rotati, & aliarum, quæ arte fabricantur, mobilium machinarum. Unde bruta, juxta Cartesianos, licèt videantur sentire, appetere, dolere, &c., reipsâ non magis sentiunt, appetunt, dolent, quàm horologium, dum læditur, aut dissolvitur: nec alios edunt motus, quàm merè locales, eosque non aliunde casuatos, quàm ab agitatione spirituum, aut subtilium materiæ particularum, per interna corporis organa decurrentium, quibus sæpe accedit impulsio ab externis objectis. Hoc ipsum re ipsâ tenent Atomistæ, quos Tolca sequitur Compend. Philosoph. tr. 10. lib. 2., licèt verbo tenus concedant brutis vitam, & animam. Negant enim, in brutis quidquam esse præter materiam variè modificatam: neque ullum in eis motum agnoscunt præter localem, ab interna quadam portione materiæ profectam, sæpe

ab externis objectis determinatum, & inchoatum. Quare nihil addunt supra machinam Carteſianam, niſi portionem ignis, aut alterius elementi ſubtilis, quæ per internos canales corporis fluitando, varios cauſet membrorum motus merè locales.

59 Hanc igneam materiam vocant præfati Atomiſtę *animam* brutis; quamvis non magis mereatur nomen *animæ*, quàm aer decurrens per tubulos organi pneumatici. Neque aliud genus vitæ, ſeu vitalis operationis, in brutis agnoſcunt, quàm prędictum motum localem; quamvis ille non magis mereatur nomen *vitæ*, quàm motus horologij; & quàmvis in eorum principijs ſit omninò ab extrinſeco, cum apud ipſos omnis res corporea ſit indifferens ad motum & quietem, & non niſi à motore incorporeo moveri queat. Verùm animam & vitam ejuſmodi non excludit Carteſius, dummodò à brutis omnis cognitio eliminetur: nec fas eſt inficiari, bruta utcumque viventia eſſe, & animata, cum in ſacris Litteris Geneſ. 1., & ſæpe aliàs, expreſsè aſſeratur in brutis vita, & anima vivens. Conſentiunt autem citati Atomiſtæ in excludendo à brutis cognitionem, & appetitum inde ſubortum: quamquàm, ne nimium exotici videantur, *ſenſationem* concedant, non quidem *completam*, quæ cognitionem includit, ſed *incompletam*, quæ tota conſiſtit in illius pſeudo-animæ igneæ motu locali, per certa quædam corporis organa diffuſo, & animalis membra determinante ad localem fugam, aut proſecutionem objecti. Sed hæc diſtinctio ſenſationis completæ, & incompletæ, quam à Saguens inventam avidè arripuit Toſca, non ad aliud excogitata videtur, niſi ad illudendum lectoribus verbo *ſenſatio* (tametſi contra ſenſum omnium uſurpato), ut riſum teneant, quem protinùs effunderent, ſi crudè negatum legerent, quòd bruta ſentiant, quòd videant, audiant, doleant, &c.. Eòdem reſpexiſſe putandus eſt Maignanus, in uſu nominum cæteris liberalior, ut vidimus cit. Diſſert. prælim. n. 12.

60 Corpuſculares igitur, tam Carteſiani, quàm Atomiſtæ, conveniunt in denegando brutis animam, quæ ſit entitas diſtincta realiter à totâ materiâ, & maximè quæ ſit principium cognoſcendi, ideſt, percipiendi objecta, vel aliter operandi, quàm per motum localem. Eos omnes hac in re ſatis refutavimus in Diſſert. prælim. ad Phyſicam à n. 24. uſque ad 30.. Nec puto, ſententiam hanc, quæ ab Exim. Doctore l. 1. de Anim. c. 5. n. 3. appellatur *ſententia intolerabilis, & grande paradoxum*, longiore refutatione dignam eſſe: quamquàm, ſi liberet, aut vacaret, facilè poſſet ulteriùs confutari auctoritate, ratione, & experientiâ. Ne tamen imperitos perturbent, aut dubios reddant argumenta, quibus Corpuſculares uti ſolent, proponam, ac diſſolvam breviter quæ Toſca congerit, præſertim cit. tract. 10 diſ. 2., quibus nonnulla ex alijs adjiciam.

61 Arg. 1. ex ijs omnibus, quibus Corpuſculares impugnant omnem formam ſubſtantialem à materiâ entitativè diſtinctam. 2.: quia non repugnat à Deo fieri ex carne & oſſibus automata, quæ ſolo machinali artificio, citra entitatem toti materiæ ſuperadditam, motus omnes edant, quos experimur in brutis: ac proinde talia de facto bruta eſſe credendum; quia non ſunt entia ſine neceſsitate multiplicanda, & Natura, ſeu naturæ Author, nihil fruſtrà facit.; quia ſententia brutis attribuens animam cognoſcitivam, præbet anſam atheis ad negandum animę rationalis immortalitatem: ſi enim brutum, tametſi cognoſcens, & cogitans, animam habet corruptibilem, & à materiâ pendentem, facilè colliget atheus, idem in homine contingere; nec

jam

jam ratio superierit, quâ philosophicè probetur independentia, & immortalitas animæ nostræ. *Confirm.* 1.: quia, si actus cognoscendi, memorandi, providendi, &c., non sunt in brutis umbratiles, sed veri, solum differunt ab humanis secundùm magis & minus: si ergo ad illos sufficit anima materialis, & corruptibilis, sufficiet pariter ad humanos, dummodò sit magis perfecta intra lineam animæ materialis, quæ linea certè admittit magis & minus, ut cernimus in asino & elephanto. *Confirm.* 2.: quia, si bruta cognoscunt quod sibi bonum, & malum est, consequenter habebunt liberum arbitrium, saltem circa objecta materialia: nam juxta Patres, & priscos Philosophos, ideò homo capax est liberi arbitrij, quia potest cognoscere bonum & malum.

62 4.: quia bruta, sicut cognitionis, ita judicij, & ratiocinationis præbent indicia: ergo, sicut ea indicia non probant vim judicandi, & ratiocinandi, ita nec cognoscendi. *Confirm.*: quia, si brutorum animæ cognoscitivæ sunt, prudentiores erunt & sapientiores anima humanâ, cum opera quædam efficiant humanam industriam superantia, cujusmodi sunt apum favi, araneārum telæ, bombycini folliculi texturā, prælagia tempestatum, &c.. Accedit, quòd major in quibusdam brutis appareat perspicacia sensuum, quàm in homine. 5.: quia, nisi recurratur parùm philosophicè ad Causam primam, non est assignabilis idonea causa, quæ producat belluinam animam à materiâ distinctam, præsertim in generatione animalium ex putri, necnon in oviparis; non enim gallina proprio ex ovo produceret animam pulli, alioquin produceret pariter anserinam animam, dum anseris ovum fovet. 6.: quia explicari nequit, qualiter anima bruti eliciat motum, & sensum. Si enim vi motrice polleret, seipsam poterit movere, consequenterque per se ipsam movebit corporis membra, quibus unita est: ad quid ergo tantus organorum apparatus? Si sentire potest; ergo afficitur ab objecto sensibili, utique per divisionem, compressionem, aut tensionem, quæ solius corporis affectiones sunt: ergo talis anima corpus est, adeòque materia, constatque partibus minutissimis, quod recidit in sententiam Atomistarum. *Adde* 1., quòd talis anima poterit à corpore separata persistere, quia in eo statu non erit frustrà, cum possit se movere, secari, &c.. *Adde* 2., quòd non apparet quomodò talis anima in dies adolescat, & fortior evadat, præsertim si ponatur entitas simplex.

63 7.: quia plures sunt in brutis, immò in hominibus, vitales motus, qui à solâ corporis structurâ pendent, & ad quos nihil confert vis cognoscitiva, cum fiant ignorante animâ, vel certe sine prævia cognitione, attentione, vel advertentiâ; ut sunt omnes illi, qui ad nutritionis opus spectant, necnon plures alij sensitivorum proprij; non enim quisque novit quibus musculis uti debeat in ambulando, canendo, &c.; nec citharœdus advertit qualiter manum moveat, dum aliò distractus citharam velocissimè pulsat. Similiter ergo sine vi cognoscitiva per solam machinæ structuram fieri potuerunt omnes omninò belluini motus, immò & humani præter actus rationis. 8.: quia rationalis anima non aliter causat actiones & motus corporis, quàm per imperium, cui subordinatur, & statim obedit structura machinæ, dum sana est: sed anima bruti, quam ponimus, est incapax imperij concipiendi: ergo est impotens causandi corporis motus. 9.: quia cognitio consistit in imagine, seu repræsentatione objecti, quam anima format, & quâ simul contemplatur objectum. At hanc imaginem res corporea nequit in se formare, utpotè superiorem materialitate, & inertiâ corporis.

64 10.: quia omnis anima cognoscitiva melius percipit ea, quæ intra se habet, quàm quæ sunt extra seipsam: ergo anima colubri v.g. potest cognoscere semetipsam, & dicere *ego*: &, cùm divisa est, potest dicere, *Ego sum in duobus locis*; quod ex terminis dissonum apparet. 11.: quia alia est idea rei corporeæ, alia rei cognoscentis, nec altera alteram includit: non ergo potest res eadem simul esse corporea & cognoscens. *Ultimò* arguitur ab auctoritate. Inprimis Scripturæ Sacræ Levit. 17., ubi dicitur: *Anima omnis carnis in sanguine est.* Et Deuteron. 12.: *Hoc solùm cave, ne sanguinem comedas; sanguis enim eorum* (pecorum) *pro animâ est*: *& idcircò non debes animam comedere cum carnibus.* Deinde Aristotelis, qui cap. 1. Histor. Animal. soli homini inter animalia omnia tribuit *vim cogitandi*: & 2. de gener. Animal. cap. 1. dicit, fieri posse, ut animalia sint velut automata; quod etiam docet lib. de mot. Animal. cap. 7.: & lib. 8. Physic. t. 20. tenet, animalia non à se ipsis moveri, sed ab extrinseco. Denique D. Augustini, qui lib. de spir. & anim. cap. 23. spiritum corporeum, interiùs vivificantem plantas, & animalia bruta sensificantem, vocat *aërem, vel potiùs ignem*: & De cognit. veræ vitæ cap. 4. ait, *Vita brutorum est spiritus vitalis constans de aëre, & sanguine animalis*, &c. Idem (inquit Tosca l. c. prop. 6.) non obscurè asserere videtur S. Thomas 1. 2. q. 13. ar. 2. ad 2.

65 Hæc tamen debiliora sunt, quàm ut constantissimam veritatem concutiant, aut inter problemata collocent. *Ad* 1. fusè respondimus in Physica tr. 1. disp. 4. c. 2. 3. & 4., ubi quidquid alicujus momenti Corpusculares opponunt adversus formam substantialem, planè dissolvimus, nominatim quidquid super edactione & corruptione formarum cavillantur, & illud plendo-principium, *Omnis vera entitas aut est materia, aut spiritus*, vel, *Inter materiam & spiritum non datur medium*, quod Atomistæ gratis venditant ut axioma, quamquàm nullâ ratione probant, nec probabunt unquàm, dari non posse rem materialem, quæ non sit materia, seu rem corpoream, quæ non sit corpus, sicuti datur res spiritualis, quæ non est spiritus, nempe intellectio, gratia, &c. *Ad* 2. satis etiam respondimus in Differt. prælim. ad Physicam n. 24.; & ibidem n. 29. manifestam adjecimus instantiam in humano composito, cujus omnes actiones eodem jure tribui poterunt machinali artificio, præsertim actiones pueri, fatui, vel amentis, quibus animam rationalem, immò & cognoscitivam, negare tenetur Corpuscularis Philosophia, si consequenter procedat, & negaret forsitan, nisi Ecclesiæ fulmina timeret. Nihil certè invenies in hac Philosophiâ, cur pueri & fatui non inter machinas perinde ac bruta computentur: nihil proinde, cur baptizandi sint, vel cur eorum occisio censeri debeat homicidium.

66 Suum hoc argumentum roborare solent Cartesiani variarum exemplo machinarum, quæ nonnumquàm humano artificio ita constructæ sunt, ut varios motus ediderint vitam simulantes: unde colligunt, facilius à Divino Artifice tales construi posse, quæ motus omnes, quotquot experimur in brutis, constanter edant. Sed rogandi sunt, num exemplum habeant alicujus machinæ, quæ similes machinulas quotannis generet, pariat, lactet, & ab hostibus cum proprio periculo defendat? vel quæ memoriam percussoris & benefactoris diù retineat? vel quæ fustibus & blandiris adigatur ad motus ritè peragendos? vel quæ more canis, jam exaturati, superfluum panem semoto in loco recondat, donec iterùm fames urgeat? vel quæ more felis, aut vulpis, mille artibus prædam capiat, & pericula vitet? vel quæ more for-

formicæ grana, quibus hyemali tempore vescatur, in æstate congreget, detractis apicibus, aut oscillis, ne interim germinent? vel quę pro opportunitate præbeat signa lætitiæ, mœroris, timoris, voluptatis, zelotypiæ, &c.? vel quæ alia innumera præstet, aut simulet, in brutis passim occurrentia?

67 *Ad* 3. retorsionem dedimus, tum in cit. Differt. prælim. n. 29., tum tr. 1. Physic. d. 4. c. 3. n. 22. & 23.. Et vero nullam injuriam irrogare videntur immortalitati animæ rationalis, qui non aliter eam philosophicè probari posse dictitant, quam ex negatâ belluis animâ sensitivâ. Misera profectò tantæ veritatis conditio esset, si, ut probaretur atheis, indigeret *sententia intolerabili*, & *grandi paradoxo*, ut verbis utar Eximij Doctoris. Triumphabit absdubiò, teque irridebit atheus, si contra illius impietatem sic argumenteris: Omnis substantia distincta realiter à materiâ, est immaterialis, & immortalis, cum inter materiam & spiritum non detur medium; sed anima hominis est substantia distincta realiter à materiâ; ergo. Vel sic: Omne compositum cognoscens constat animâ immaterialî, & immortali; sed homo est compositum cognoscens; ergo. Negabit confidenter atheus, Catholicorum omnium Scholarum auctoritate fretus, utriusque syllogismi Majorem, à te nullâ unquàm ratione probandam, nisi fortè ruinoso argumento Cartesij, de quo inferiùs ad 11.. Et quod ad Majorem secundi syllogismi spectat, secum sentire gloriabitur omnes homines, sapientes, & insipientes, præter paucos exoticæ Philosophię sectatores; immò & tibi opponet insignem inter Atomistas proceres Maignanum, qui, cum neget belluis animam immaterialem, & immortalem, eisdem concedit vim cognoscendi, cogitandi, discurrendi, &c.. Unde magis obstinato animo rejiciet immortalitatem animę humanę, cum eam probari videat argumentis tam levibus, principijsque à communi sensu paganorum & christianorum alienis.

68 *Ad* 1. *Constr. in. neg. Antec.*, si sermo sit de omnibus actibus humanis, ac de *magis* & *minus* intra eandem speciem, vel genus proximum: nam inter actus humanos multi sunt manifestè spirituales, & totam materialem lineam transvolantes; quibus proinde sufficere nequit materialis anima, quantumcumque perfecta supponatur. *Ad* 2. *Confirm.* nego sequelam: homo namque non ideò à Patribus & Philosophis dicitur capax liberi arbitrij, quia cognoscit utcumque bonum, & malum, sed quia cognoscit humano more, videlicet per actum rationis, quo expendit motiva hinc inde attrahentia, & retrahentia, se se constituens velut arbitrum suarum actionum. Hujus autem actûs incapax est brutum, cum solùm materialiter cognoscat bonum & malum purè physicum, & sensibile, cum necessitate appetendi, vel aversandi, quod magis attrahit, aut retrahit. Idcircò nunquàm ab asino obtinebis, ut aquam sine siti bibat, vel ut hordeo præsenti parcat, dum fames urget, & metus abest. Certè hujusmodi cognitio boni, & mali, necessariò rapiens appetitum, nullo ex capite repugnat; ut vel in nobis experimur quoad illos actus, quos motus *primò-primos vocant*. Vide D. Thomam 1. p. q. 83. ar. 1., & q. 24. de verit. ar. 1. per totum, ubi latè & sapienter explicat, cur animalia bruta, licet judicium aliquod habeant, & similitudinem aliquam rationis, & liberi arbitrij, tamen absolutè libero arbitrio careant: & ibidem docet, quòd juxta Patres & Philosophos tota radix libertatis est ratio. Vide quoque 1. 2. q. 17. ar. 1. ad 2.. Brutorum tamen actus, tametsi non liberi, dicuntur *voluntarij*, idest, *spontanei*, quatenus procedunt à principio intrinseco cum aliquâ cogni-

tione finis, licèt imperfectâ; ut cùm Aristotele, & SS. Gregorio Nysseno, & Damasceno, docet D. Thomas 1.2. q. 6. ar. 2.

69 *Ad* 4. fateor, belluas quasdam tantâ sagacitate operari, ut magnam præbeant ratiocinationis speciem. Unde nonnulli veteres, ethnici, vel hæretici, belluis tribuerunt rationalitatem humanæ non absimilem. Sed error hic est, Fidei, & rationi contrarius; à quo nos avertit illud Psalmi 31., *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Inter Catholicos non defuere, qui discursum purè materialem, & circa objecta purè materialia, brutis concesserint: quæ sententia non debet esse Atomistis ingrata, cùm sit etiam Malgaani, saltem vocaliter. Tenendum tamen omninò est, nullum brutum esse propriè rationale, seu rationis particeps: non solùm quia bruta nullum percipiunt objectum spirituale, immò nec materiale à materiâ sensibili abstractum, cùm hactenùs nulla bestia Geometriam didicerit: verùm etiam quia circa objecta sensibilia, licèt judicium habeant improprium, seu virtuale, consistens in apprehensione quâdam, aptâ movere, ac determinare appetitum; non tamen propriè judicant componendo, & dividendo, id est, comparando subjectum ad prædicatum, & de utriusque distinctione vel identitate sententiam ferendo. Ad hoc enim prærequiritur notio aliqua identitatis, & distinctionis, atque adeò entis in communi, quæ, cùm abstrahat ab omni materiâ, longè superat cognitionem materialem, seu belluinam.

70 A fortiori nullum brutum propriè deliberat, nec discurrit: si enim nequit subjectum cum prædicato comparare, minùs poterit diversa & contraria objecta inter se conferre, & expendere, vel connexionem detegere unius cum altero, ut consequentias inferat. Hinc bruta unius speciei eodem ferè modo operantur; & eadem individua (inquit P. Suar. l. 3. de Anim. c. 6. n. 7. ex D. Thomâ 1. 2. q. 13. ar. 2. ad 3.) semper & ubique servant eundem modum operandi, nisi ab extrinsecâ aliquâ causâ, vel impedimento divertantur; quod signum est limitatâ quadam cognitione agi, minimèque variabili per alias, atque alias extremorum compositiones, & divisiones. Experientia hæc, & ratio prædicta, simul cum totius ferè generis humani consensu, qui censeri potest inditum à naturâ dictamen, meritò habetur pro physicâ demonstratione contra rationalitatem & libertatem brutorum: & idcircò quidquid sagacitatis, discretionis, prudentiæ, vel providentiæ, apparet in brutis, meritò tribuitur Authori naturæ, qui bruta condidit tali instinctu prædita, ut oblatum sibi commodum, vel incommodum, statim cognoscant, & appetant, tametsi nequeant suorum actuum rationem reddere, vel callere. Contrarium naturæ dictamen, contrariaque ratio, & experientia evidenter militat pro sensatione, & cognitione internâ bestiarum: quare, ut eis vim cognoscendi tribuamus, longè aliud est fundamentum, quàm ut facultatem ratiocinandi. Et verò, si difficilè concipitur bestias sine ratiocinio talia operari, quantò difficiliùs sine ullâ prorsùs cognitione? Quapropter argumentum Cartesianorum simile est huic: Stannum non solùm habet signa metalli, sed argenti; at non est argentum; ergo nec metallum.

71 *Ad Confirm.* negatur sequela: tum propter modò dicta: tum quia, licèt in uno vel altero exiguo opere videantur bruta superare solertiam hominum, in infinitis aliis ab humanâ industriâ superantur. Nullius scientiæ speculativæ capacia sunt: nullam artem, etiam mechanicam, per generales regulas addiscunt: horologium, sclopetum, citharam, immò vestem, pi-

pileum, calceum, humano more facere nunquam norunt. Bombyx, & aranea, telam, qualem homines fabricant, texere nesciunt, cum facilior videatur: quin immò nec bombyx aranææ telam construere potest, aut è converso; nec hirundinis nidum hirundinis, aut vice mutatâ; & sic de alijs: quod manifestè ostendit, hæc animantia non operari ex propriâ ideâ, nec ex regulis artis, nec ita, ut rationem, cur taliter operentur, agnoscant. Operantur tamen ex appetitu commoditatis, quam in singulis lineamentis suorum operum apprehendunt. Non enim aliter intelligi potest undenam sic moveatur bombycis aut aranææ machina, vel quonam elaterio, quonam impulsu tales motus eliciat. Nec verum est, quòd bruta præsagiunt, aut prænoscunt futuras tempestates: solùm quippe sentiunt præsentem mutationem aëris, & exinde prorumpunt in actiones quasdam, ex quibus homines prognostica sumunt, seu tempestatem imminere colligunt. Vid. D. Thom. 1. p. q. 86. ar. 4. ad 3., & q. 12. de verit. art. 3. ad 19.. Quòd verò bruta quædam præcellant hominem in externorum sensuum perspicacitate, tam non est absurdum, quàm quòd excellant viribus corporis: semper enim homo præcellit industria, & intellectu.

72 *Ad 5.*: difficultas communis est omnibus, nisi quòd magis urget Corpusculares. Nullâ enim causam, nisi ad primam recurrant, assignare possunt, cur adsit, & in promptu sit, ut in corpusculi machinam immittatur, illa flamma vitalis, illa portio ignis defœcatissimi, quam ipsi vocant animam bruti: cur, inquam, adsit, quocumque in loco generetur animal; nec adsit utcumque, sed aptè composita ex igneis particulis *taliter modificatis, tali dosi, ac quantitate conjunctis*, prout ad quidditatem animæ requirit Tosca loc. c. prop. 9.. Certè non illam parens infundit in fœtum; alioquin manebit exanimis, cum nonnisi animam sibi necessariam habeat: gallina quoque infundet animam anseris, quam non continet, utpotè diversam à gallinaceâ saltem in modificatione, dosi, ac quantitate. Sæpe item fine parente infunditur anima, ut cùm animalia ex putri generantur, vel cùm pulli citrà incubatum avis excluduntur ex ovis calore furni, vel fimi. Si dicant, particulas igneas ubique adesse permixtas aëri, & alijs corporibus; quæro, quænam causa illas evolvit, conjungit, & *taliter* modificat, in *tali* præcisè *dosi, ac quantitate*? Hoc certè non præstat anima parentis, quæ sæpe non adest, ut nunc ajebam; & cùm adest, nequit loco movere particulas ignis intra poros aëris absconditas, nisi è corpore parentis exeat, illudque relinquat exanime. Idem dictum esto de organizatione corporis; cujus nullam idoneam causam, præter Deum, assignare possunt Cartesiani, vel Atomistæ. Quid enim prodest rudimentum seminale, quod ipsi celebrant, & cujus incrementum prolixè describunt? Numquid poterit illud se se propriâ virtute augere, & perficere? Et quænam causa rudimentum ipsum tam artificiosè formavit? Omnes ergo cogimur ad causam primam recurrere. Qualis autem sit hic recursus in nostris principijs, & qualem influxum tribuamus virtuti seminali, vide in Physicâ tr. 2. d. 6. c. 2. à n. 25. ad 29. Vide quoque disp. 1. de Gener. cap. 2.

73 *Ad 6.* concedimus, animam bruti pollere vi motrice, quâ movet corpus & consequenter semetipsam, per modum unius; non enim ullam operationem habet à corpore, seu materiâ quantâ independentem. Nec idcircò superfluunt musculi, aliaque organa corporis: requiruntur enim, non ut ipsa moveant, sed ut materiam reddant mobilem, prout oportet, eâ scilicet motuum varietate, cujus indiget ani-

animal, tum quà sensitivum, tum quà vegetativum: quemadmodùm figura in rota figuli non est vis motrix, sed est conditio necessaria, ut figulus imprimat circularem motum, cujus indiget. Et instatur in animâ rationali, cui negari nequit vis movendi corporis membra. Quòd si anima divinitùs permaneret unita corpori non organizato, tunc vel non exerceret vim motricem defectu conditionis, *sine quâ non*, ex parte subjecti, vel motum ederet incongruum; non aliter ac figulus, si loco rotæ moveret corpus triangulare. Illud de affectione ab objecto sensibili per divisionem, compressionem, &c., nititur falsis Corpuscularium præjudicijs, qui nihil in rebus physicis concipere norunt, aut volunt, nisi more mechanico, nullamque agnoscunt affectionem, nisi per contactum. Negandum, quòd bruti anima non possit aliter affici à sensibili; cum supersit affectio per qualitates, de quibus infrà, cùm de specieb. intentional. agemus. Admittimus tamen, bruti animam secari posse simul cum corpore, constareque partibus minutissimis; quin ideò incidamus in Atomistarum sententiam: non enim inde cogimur talem animam identificare cum corpore, seu materiâ, sed solùm agnoscere materialem, & corpoream; quod valde diversum est, quidquid ipsi reclament.

74 *Additiones* argumenti nihil promovent. *Prima* retorquetur in Atomistas; quia in eorum doctrinâ non est cur ignea leonis anima corrumpatur, aut existere desinat extra corpus. Nam tota illa anima, non solùm quoad substantiam ignis (hanc Atomistæ ponunt incorruptibilem), sed etiam quoad modificationem, ac dosim, non est cur pendeat à machinâ organicâ; nec extra illam erit frustrà, cum possit motum suum exerere, & ad varia Mundi commoda deservire. *Dices*: flamma illa, seorsùm posita, movebitur quidem, sed non eo motu, ad quem determinatur per structuram machinæ, qui motus est de essentiâ ignis in esse animæ. *Contrà*: motus ille, cum sit vitalis operatio animæ, seu vita in actu secundo, nequit esse de essentiâ animæ; alioquin cogitatio actualis esset de essentiâ animæ humanæ, quod meritò negat Tosca tr. 11. l. 1. c. 1. prop. 3.. In nostris principijs facilè negatur, bruti animam posse naturaliter extra corpus existere: quia, cum sit forma educta de potentiâ materiæ, naturaliter a materia pendet in fieri, & conservari, consequenter que in operari, & pati; nec potest secari, vel comprimi, nisi ut quanta, ac proinde ut unita materiæ, sine quâ nulla quantitas est.

75 *Additio altera* periculosè suscitat argumentum Epicureorum contra immaterialitatem animæ hominis, ex eo desumptum, quòd illa quoque videatur in dies adolescere, & cum corpore vires accipere, etiam ad intelligendum; melius enim intelligit anima viri, quàm pueri, & aptior est ad operandum in corpore sano, quàm in ægro. Sicut igitur pro animâ nostrâ respondetur, eam diversitatem provenire à diversâ dispositione corporis organici, cujus ministerio anima humana in statu unionis species accipit ad intelligendum; ita, & à fortiori, respondendum pro animâ bruti, si ponatur indivisibilis, eam scilicet non crescere quoad entitatem, sed solùm quoad proximam ad operandum aptitudinem, quę per temperamentum & organa corporis constituitur. Præterea quæro ab Atomistis, qualiter adolescat anima ignea, quam in brutis admittunt? & qualiter augeat, ac perficiat corpus organicum? Undenam novas flammæ partes adquirit? Si dicant, eas extrahi è poris alimenti, quo alitur brutum; quæro rursùs, quâ vi extrahantur, & aptè copulentur cum flammâ præexistente? an vi magneticâ? an electricâ? an occultâ sym-

sympathiâ, quam ipsi vocant asylum ignorantiæ? Item, si res sic accidit, cibus eò aptior erit ad nutriendam, quò plus ignis continet. Unde Canis optimè nutrietur hauriendo flammam, aut carbonem ignitum; & saltem melius aletur pipere, vel pyrio pulvere, quàm pane. Ulteriùs, quâ vi augentur, & perficiuntur organa corporis per animam igneam? Profectò exsiccari potiùs, & aduri deberent; maximè cum vitalis ille ignis non sit otiosus, & iners, sed mirè vegetus, & actuosus, ut Tosca inculcat. Nam quis unquàm expertus est in igne vim formatricem carnis, ossis, nervi, cartilaginis, &c.? Vel quis non potiùs expertus est, respectu carnis diù applicitę, vim assandi, torrendi, comburendi?

76 *Ad* 7.: eodem modo probari posset, nullam esse hominis actionem externam, quæ vim cognoscitivam præsupponat, & sufficienter indicet; siquidem à solâ structurâ machinæ oriri possunt actiones ambulandi, canendi, citharizandi, immò & loquendi: non enim quisque loquens prænoscit quibus musculis uti debeat pro linguæ motu. Nec recurras ad ordinem, & cohærentiam locutionis: nam, ut alibi arguebamus, unde probabis, non potuisse machinam humani corporis taliter à Deo fabricari, ut pro talibus circumstantijs tales voces articulatas cohærenter edat? Fatemur igitur, plures esse motus in animalibus, præsertim ad nutritionem spectantes, qui, licèt proveniant ab animâ realiter cognoscitivâ, non præsupponunt cognitionem, nec ab eâ pendent; & consequenter ex eis præcisè non colligi vim cognoscitivam in animâ bruti. At vis ista manifestè colligitur ex plurimis alijs motibus, qui spontanei dicuntur, & quorum aliqeos indicavimus n. 66. Nec verum est, quòd citharędus nullatenùs advertat qualiter manum moveat: advertit enim, licèt tenuiter, quantum sufficit, ut memoriâ utatur: quare, si morbo aliquo memoriam amittat, citharizare nesciet, ut experientia docet. Quòd verò nesciat anima quibus musculis sit utendum, nihil obstat: sufficit enim, quòd actio appetitûs sensitivi per naturalem connexionem inferat talem motum manuum, aut pedum, ut statim ab eâdem animâ producantur motus eorum nervorum, quibus re ipsâ pedes, aut manus redduntur mobiles.

77 *Ad* 8. *neg. Maj.*: quia rationalis anima non solum per imperium voluntatis, sed etiam per physicam efficientiam causat motum corporis. Præterea, à virtute appetitivâ animę bruti potest imperium concipi largè sumptum, non quatenùs importat vim ordinandi; sed quatenùs importat vim movendi, seu determinandi potentias alias; quę est doctrina D. Thomę 1. 2. q. 17. art. 2. ad 1.. Undique igitur argumentum Atomistarum claudicat. Adde, quòd, si rationalis anima non aliter, quàm per imperium, operatur in corpore, prorsùs erit otiosa in pueris, & fatuis, in quibus non concipit imperium, cum hoc vel sit rationis actus, vel illum supponat. Neganda igitur pueris nondùm ratione utentibus anima rationalis; quia Natura nihil frustrà facit. *Ad* 9.: nullâ ratione probant Adversarij, quòd res corporea formare nequeat vitalem imaginem, seu repræsentationem objecti purè materialem, qualem scilicet in pueris & dormientibus format phantasia: quàmvis enim imago ist-usmodi superet inertiam corporis, deest, materiæ; non tamen superat activitatem animæ corporeæ.

78 *Ad* 10. *neg. Antec.*, quod viam sternit ad negandum vim cognoscitivam animæ humanæ; quandoquidem melius percipit homo fabricam horologij, quàm proprij corporis; & clarius conspicit anima nostra superficiem

ciem tabulæ, quàm suam ipsius quidditatem. Dicendum igitur, animam bruti, cum non nisi per sensus exteriores accipiat species objectorum, ea melius percipere, quę aptiùs objiciuntur externis sensibus. Quare talis anima non habet cognitionem sui, quâ possit dicere *ego*; cum suam ipsius substantiam nullâ sensatione percipiat.

79 *Ad 11. diff. Antec.*: alia est idea &c., alietate præcisivâ, *conc.*; alietate exclusivâ, *neg. Antec.*, & *Conseq.*: quàmvis enim altera idea possit ab alterâ præscindi, nec eam includat in suo conceptu formali, nihil tamen involvit, quo alteram excludat, seu quo repugnet identitati reali cum ipsâ. En tibi instantias evidentes. Alia est idea animæ, alia rei corporeæ, nec altera alteram includit, cùm detur anima (nempe rationalis), quæ non est corporea, & pariter detur res corporea, quæ non est anima: non ergo poterit in equo dari anima corporea. Similiter non poterit anima hominis esse intellectiva, nec spiritualis: quia in ideâ animæ non includitur idea rei spiritualis, aut intellectivę, nec è converso; ut patet in Angelo, & animâ bruti. Pariter non poterit homo, nec brutum, esse corpus vivens, eo quòd alia sit idea corporis, alia rei viventis, cum detur corpus non vivens, & vivens non corpus, nempe Angelus. Item, visio beata non erit supernaturalis; nam idea visionis non includit ideam supernaturalitatis, nec vice versâ. Deus etiam non erit per identitatem justus & misericors; non enim idea misericordię est idea justitiæ, nec è converso. Mitto alias instantias inventu faciles. Quare locus hic arguendi ex idearum alietate, quàmvis magni fiat à Carteſianis, & à Tolcâ, contemnendus est ut ineptus. Utor nomine *idea* juxta Carteſianorum usum, aut abusum, qui illud usurpant pro quovis conceptu, seu cognitione quidditatis objecti; quàmvis propriè significet exemplar operis faciendi, ut constat ex Physicâ.

80 *Ad ultim.*: jure mireris, quòd ab auctoritate argumentari audeant Adversarij, cum non ignorent, se contra sensum totius generis humani reniti. Si nobis hinc argumentandum esset, nullus foret voluminis finis. Objectis Scripturæ locis Atomistæ quoque respondere tenentur. Nam, si brutorum sanguis pro animâ est, ergo flamma, seu ignis defœcatissimus, non est illis pro animâ, cum à sanguine distinguatur, & separetur. Item, cum sit prohibeatur eius sanguinis etiam extracti à corpore, quo in statu jam non habet sanguis animam Atomisticam (hujus particulæ dissipantur in morte animalis, sicut particulæ ignis, dum flamma extinguitur, ut docet Tolca), frustrà moparentur Hebræi, ne cum carnibus animam comedant. Omisso itaque mystico sensu, dicendum est, ijs textibus tantùm significari magnam animæ dependentiam à sanguine, sine quo naturaliter conservari nequit in corpore; eâ scilicet loquendi formâ, quâ dicimus, animam & vitam animalis in respiratione positam esse; & quâ passim apud Latinos, etiam de homine loquentes, respiratus aër vocatur *anima*, idemque sonat *respirare*, ac *animam ducere*, ut etiam pro eodem sumitur *respirationem prohiberi*, ac *animam intercludi*. Quibus phrasibus nemo intelligit significari primam radicem operationum vitalium, sed tantùm animam metaphoricè dictam, vel veræ animæ dependentiam à respiratione, ut corpus vivificet. De cætero vim cognoscendi non semel concedit brutis expressè Divina Scriptura: v. g. Isai. 1., *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*; & Joan. 10. de proprio pastore, *Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.*

Aris-

81 Aristotelem contra nos allegari quis non rideat? cùm ejus mens circa belluinæ animæ vim cognoscendi notissima sit, præsertim ex libris de Animâ secundo & tertio. Meritò autem soli homini tribuit vim cogitandi; quia cogitatio non est cognitio qualiscumque, sed collativa plurium inter se, quę solius est hominis; ideòque potentia sensitiva interna, quæ in homine dicitur *cogitativa*, in brutis dicitur *æstimativa*. Vid. D. Thom. 1. p. q. 78. ar. 4. c. Comparatio animalium cum automatis, quam semel aut bis indicat Aristoteles, similitudo est, non identitas: similitudo, inquam, in eo fundata, quòd, sicut quædam automata intra se habent aliquod principium motûs, cujusmodi est in horologio rotato elasticitas convoluti chalybis, ita & animalia suam intra se animam habent, quæ principium est motuum vitalium ipsis congruentium. Consuevit nimirùm Aristoteles exemplo formæ artificialis uti ad explicandum rationem animæ, & substantialis formæ generatim, quàmvis inter utramque formam agnoscat ingens diferimen; ut scitè notat D. Thomas in 2. de Anim. lect. 2. Quòd objicitur ex 8. Physic. t. 20., frivolum est, ut patebit legenti: non enim ibi negat Aristoteles, sed potiùs asserit, animal à se ipso moveri: solùm ait, ad motum animalis communiter præcedere motionem aliquam ab extrinseco per frigus, aut calorem, vel per species objectorum; & hujus occasione motionis excitari *intellectum*, & *appetitum*, qui deinde totum animal movet. Unde ibi sermo est etiam de animali intellectivo, seu de homine. Numquid negabis, hominem à seipso moveri? Vide D. Thomam ibi lect. 4. litt. f.

82 Non minùs immeritò nobis objicitur Magnus Augustinus, cùm sæpissimè agnoscat in brutis vim sentiendi, & cognoscendi. *Bestiæ sentiunt* (inquit in Dial. de quantit. animæ), & *pœnè omnes quinque illis sensibus vigent, quantum cuique naturâ tributum est*. Dices forsan, Augustinum loqui de sensatione incompletâ, de quâ suprà n. 59. Sed (ut omittam quòd verbum *sentire* doctis & indoctis significat cognitionem, seu perceptionem objecti, nec licet Saguensio & Toscæ novum significatum verbis communibus imponere) recursum illum præcludit Augustinus ipse lib. 1. de Musicâ dicens: *Puto, te negare non posse, bestias habere memoriam; nam & nidos post annum revisunt hirundines, & de capellis verissimè dictum est*. Atque ipsæ memores redeunt in tecta capellæ. *Et canis dominum jam suis hominibus oblitum recognovisse prædicatur*, &c. Idem habet lib. 10. Confess. c. 17. & 25., & sæpe aliàs. Certè memoria cognitionem importat rei præteritæ, seu præcognitę; nisi fortè velis confingere quoque memoriam incompletam cognitione carentem, quod plusquàm ridiculum erit, & evidenter contrarium Augustino, qui pro eodem accipit *recognovisse*, ac in memoriam revocasse. Quapropter in objectis locis nomine *spiritus* non intelligit S. Augustinus animam bruti, sed eam alimenti, aut sanguinis attenuati portionem, cujus partes vocantur *spiritus vitales*, & *animales*, eo quòd ad functiones vegetandi ac sentiendi veluti necessaria instrumenta serviant; unde & dicantur vivificare, ac sensificare animal, non quòd sint prima radix operationum vitalium, sed quia sine ijs animal non vivit, nec sentit. Hoc etiam fateri debent Atomistæ: nam, si spiritus ille, de quo Augustinus, *constat de aëre & sanguine*, non est anima bruti, cùm hæc apud Atomistas sit ignis defæcatissimus. Idem ipse spiritus in illo cap. 4. de cognit. ver. vit. dicitur *memoriam habens*: quod certè verum esse nequit, nisi quatenùs dispositive, seu instrumentarie memoriam adjuvat.

83 Denique, quod addit

Toſca de D. Thomâ, neſcio quâ veri ſpecie dici poſſit; cùm S. Doctor in toto illo art. 2. ſupponat in brutis vim cognoſcendi, ſolùmque illis deneget electionem; & ſpecialim in reſpond. *ad* 2. aliquid ipſis per ſenſum & imaginationem repræſentari dicat. Fortaſſis Toſca allegare voluit reſponſionem *ad* 3., ubi S. Thomas ait, ita comparari naturalia ad artem Divinam, ſicut artificialia comparantur ad artem humanam; additque, à ſummâ arte ordinari quoſdam brutorum proceſſus, qui prudentiam, vel ſagacitatem oſtendere videntur. Verùm hoc ipſum omnes paſſim dicimus, nempe quòd ſummus Artifex ex perfectiſsimâ ideâ condidit animalia, ordinans & intendens (meliùs, quàm artifex humanus) quoſdam eorum motus, pro quibus idoneam naturam, ſeu radicem intrinſecam aptavit. Quare omnes eodem jure allegabimur pro brutorum automatiſmo, ut ſic loquar. Lege D. Thomam loc. cit., & planè videbis, nihil eum intendere, niſi quòd in brutis *non ſit aliqua ratio, vel electio*. Sed quid opus eſt indagine, cùm mens Angelici Doctoris ſuper brutorum animâ cognoſcitivâ ſic pateat innumeris in locis, ut omni meridianâ luce fit clarior? Vide in ſpecimen 1. p. q. 18. art. 3., & q. 78. art. 4., & q. 83. art. 1.: item 1. 2. q. 6. art. 2., & q. 11. art. 2.: item q. 24. de verit. art. 2.: item commentar. in Libros de Animâ, præſertim 2., & 3., ubi paſſim de brutorum ſenſu & cognitione loquitur, tanquàm de re indubitatâ, & per ſe notâ.

84 Poſt aſſertam in brutis animam propriè ſenſitivam, ſupereſt ut vegetativam in plantis breviter aſſeramus. Veteres aliqui negârunt plantas propriè vivere, adeòque veram habere animam. Carteſiani, & Atomiſtæ non aliam plantis vitam, ſeu vitalem operationem tribuunt, quàm motum localem, quo partes ſtirpium acceſſione materiæ dilatantur; nec aliam animam, quàm modificationem materiæ per talem figuram, ſitum, plexum; vel ad ſummum pro animâ ponunt ſubtiliorem materiæ partem intra craſſioris corporis organa fluitantem. Quod re ipſâ eſt negare plantis veram vitam, & animam. Nam inprimis ille motus non eſt ab intrinſeco juxta Carteſianos & plures Atomiſtas, ut notavimus n. 59.: immò & juxta Maignanum, qui, licèt atomis concedat vim motricem, totam reducit ad exigentiam motûs à Deo ſolo provenientis; ſola namque exigentia non ſufficit, ut motus ſit propriè ab intrinſeco; alioquin diceretur quis à ſe & ab intrinſeco habere, quod non niſi precibus obtinet, v. g. mendicus panem, aut veſtem. Deinde nec modificatio, nec materia ſubtilior, verè eſt anima: tum quia neutra eſt vera radix, & principium motûs: tum quia modificatio eſt accidentalis, & ejuſdem rationis cum formâ horologii; & materia ſubtilior non magis informat, aut animat corpus, quàm aër fiſtulam, aut ignis furnum, vel ſaltem non magis, quàm ſubterraneus ignis animet Terræ globum, cujus interna viſcera pervadit juxta Toſcam, & pleroſque Adverſarios.

85 Pro hac opinione, quæ plantas propriè vivere negat, poteſt argui 1.: quia in primâ rerum formatione Geneſ. 1., licèt præcedat generatio ſtirpium, non fit mentio *animæ viventis*, quouſque pervenitur ad productionem brutorum. Accedit, quòd Latino idiomate, cùm ſermo eſt de *animantibus*, non plantæ, ſed belluæ intelligantur. 2.: quia vegetatio, ſeu nutritio, non eſt propriè vitalis operatio; tum quia convenit etiam igni; tum quia fit per qualitates elementares; tum quia non eſt per ſe immanens, cùm poſſit eſſe ab extrinſeco. 3.: quia non eſt vivens, niſi quod participat aliquomodò vitam Dei; ſicuti non eſt intellecti-

tivum, nisi quod intellectualitatem Dei participat aliquatenùs. At planta nullatenùs participat vitam Dei, cùm hęc tota sit in lineâ intellectivâ, & volitivâ. 4.: quia vegetatio convenit etiam metallis, & lapidibus, ut moderni Experimentales observant.

86 Nihilominùs (inquit Exim. Doctor lib. 1. de Anim. cap. 4. n. 11.) & in Theologiâ certum, & in Philosophiâ evidens est, & plantas vivere, & formam vegetativam esse veram animam. Et inprimis fundamentum habet in Scripturâ; ut in verbis Pauli 1. Cor. 15., *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi priùs moriatur*; ubi productio plantę vivificatio dicitur. Unde S. Augustinus l. 1. de Civit. c. 20. ait: *Hoc genus rerum* (idest, plantarum), *quamvis non sentiat, vivit, ac per hoc potest mori, & occidi.* Et serm. 27. de verbis Apost., *Nobis*, inquit, *vivere cum arboribus, & frutetis commune est: nam virìs vivit, cùm viret; arescit, cùm moritur: sed vita ista non habet sensum.* Idem passim afferunt cęteri Ecclesię Patres; & tamquam indubitatum supponit Aristoteles in Libris de Anima, & aliàs sepissimè. Ratione autem facilè ostenditur: quia planta corpus habet manifestè organicum, utique formâ substantiali prędituin, potensque se movere ac perficere ultra statum connaturalem ipsi debitum in primo generationis instanti; quod genus motionis (cui non deest immanentia ex conceptu specifico, ut vidimus cap. 2.) sine dubio sufficit ad vitam: plantæ igitur inest actus primus corporis organici potentiâ vitam habentis; quę est verę animæ definitio. Plantis etiam manifestè convenit terminus magnitudinis & parvitatis, necnon juventa, senectus, aliarumque varietas ętatum, sanitas quoque, & morbi: quę omnia viventibus peculiaria esse, nemo ignorat.

87 Ad argumenta objecta respondetur facilè. *Ad* 1.: solùm inde probatur, quòd forma bruti vocatur *anima vivens* per antonomasiam, eo quòd vita in brutis notior sit, & manifestior, quàm in plantis. Unde D. Augustinus l. 7. de Genes. ad litt. c. 16. dicit, in Scripturâ per *animam vivam* significari illam, quæ prętet nutritionem habet spontaneum motum; & nihilominùs ibidem explicat, quomodò in plantis sit motus ab intrinseco, & vita. Idem dictum esto de Latinâ voce *animantes*: pariter enim nomine *vegetantium*, seu *vegetabilium*, solę plantæ intelligi solent; cùm tamen vegetatio sine dubio conveniat etiam bruto, & homini. *Ad* 2.: jam suprà c. 2. discrimen dedimus inter nutritionem plantæ, & aggenerationem ignis, quæ non nisi metaphoricè nutritio dicitur. Explicuimus etiam, qualiter nutritio specie differat ab omni actione transeunte, seu ab extrinseco. Nec verum est, nutritionem fieri per qualitates elementares, nisi dispositivè, seu instrumentaliter; ad eam enim per se immediatè concurrit anima.

88 *Ad* 3. instantia est in vivente purè sensitivo, necnon in intellectivo creato, quod vivit per operationem accidentalem, cùm Deus nonnisi per suam substantiam actu vivat. Itaque in vitâ Dei considerari possunt rationes magis aut minùs communes, aut abstractę: & secundùm rationem operantis immanenter citra perpetuam determinationem ab extrinseco, possunt vegetantia participare vitam Dei. *Ad* 4. negari potest, quòd in metallis & lapidibus detur vegetatio propriè talis, cum ex defectu corporis organici non fiat per intussumptionem, sed per meram juxtapositionem, sicut aggeneratio ignis. Si tamen contendas, eorum corpus esse aliquatenùs organicum, admittam, metalla & lapides, quamdiù sunt in propriâ sodinâ, matrice, seu loco, ubi nascuntur, partici-

cipare gradum animæ vegetativæ, sed admodum imperfectè; quem admodum ostreæ, & alia quædam animalcula valde imperfectè participant gradum animæ sensitivæ.

89 Ad finem observa, non defuisse, qui ad extremum oppositum declinantes, concesserint plantis vim sentiendi, & cognoscendi. Ita quondam opinati sunt Manichæi, quos irridet Magnus Augustinus lib. 2. de mor. Manich. cap. 17. 3. & lib. de quantit. anim. cap. 33. eorum sententiam vocat *impietatem rusticanam, & errorem sacrilegum, magis que ligneam opinionem, quàm sint ipsæ arbores, quibus patrocinium præbet.* Experientia quoque satis ostendit, nullum esse in plantis idoneum sensationis indicium; quin obstent quarundam plantarum motus, de quibus suprà cap. 1.; nam illi non supponunt in corpore organa sensuum, saltem præter tactum; quem tamen ijs plantis deesse inde convincitur, quod nullum edunt signum doloris, dum franguntur, aut discerpuntur.

# DISPUT. II.

## DE SUBSTANTIA, ET INFORMATIONE *Animæ rationalis.*

PRIUSQUAM de potentijs & actibus animæ differatur, oportet substantiam ejus per attributa, seu prædicata essentialia nosse distinctiùs, quàm sub abstractâ ratione formæ substantialis, vel actûs primi corporis organici, vel etiam sub ratione principij operationum vitalium. Et quàmvis anima rationalis, quia dignitate prior, soleat esse tractatione posterior; præstat tamen, ut mihi quidem videtur, ab eâ incipere; tum quia passim illius incidit mentio, & attributa supponuntur: tum quia per comparationem ad illam melius explicantur cæteræ inferioris ordinis animæ.

### CAP. I.

### *PROBATUR ANIMÆ RATIONALIS spiritualitas, indivisibilitas, & immortalitas.*

NOmine *animæ rationalis* significatur principium intelligendi nobis intrinsecum, vi cujus ratiocinamur, percipimus que quodcumque genus entium, occasione datâ. Hoc principium nobis inesse, irrationalis & stipes sit qui vertat in dubium. Est etiam certo certius, principium hoc esse substantiam. Si enim quodlibet naturale corpus, & præsertim vivens, substantialem suarum operationum radicem habet, quis de homine dubitet? Quare ridendi sunt illi veteres ethnici, & hæretici (vide Conimbric. in 2. de Anim. c. 1. q. 1. art. 3.), qui animam, etiam humanam, in harmoniâ, seu temperamento primarum qualitatum consistere dixerunt, eo scilicet, quòd temperamento deficiente moriatur homo, & pro temperamenti variatione varientur passiones & affectiones animi. Ridendi quidem: tum quia confundunt meram dispositionem, seu conditionem sine quâ non, cum primâ radice operationum, & ipsiusmet temperamenti; tum quia vi-

tæ

rales actus, præsertim hominis, manifestè superant totam vim elementarium qualitatum: tum quia rationalis anima hæc rè dominatur passionibus à temperamento oriundis, eas que refrenat, & continet.

2 Cartesius etiam, qui animæ rationalis essentiam in actuali cogitatione collocat, sicut essentiam corporis in extensione actuali, rejiciendus omninò est. Tum quia cogitatio est accidens, utpotè variabilis passim, potensque incorrupto homini adesse, vel abesse, saltem in particulari: tum quia variaretur identidem essentia animæ: tum quia anima, semel existens, non esset in operando subjecta dominio Dei: tum quia, quod in animâ primò concipimus, non est cogitatio, sed vis cogitandi, seu intelligendi: tum quia infans in utero matris cogitaret: quod nemini, nisi Cartesio, in mentem venit: tum quia nec essentia corporis consistit in actuali extensione, ut in Eucharistiâ patet omni catholico.

3 Rejiciendi per oppositum alij, pariter ethnici, vel hæretici (vid. Conimbric. l. cit. ar. 6.) qui humanam animam Divinæ substantiæ particulam esse somniârunt. Hoc enim planè adversatur immutabilitati & simplicitati Dei, redditque animam increatam, impeccabilem, &c. Idcircò stultitia hæc damnata est à Concilio Bracchar. 1., & à Leone I. epist. 91. c. 5.: impugnatur etiam à D. Augustino lib. de orig. anim. c. 2., & latiùs à D. Thomâ 1. p. q. 90. art. 1., & 2. cont. Gent. c. 85. Est igitur rationalis anima substantia creata, nobilissima tamen, & perfectionem Divinam referens, tum ut intellectiva, & volitiva (quæ perfectio probatione non eget, cùm eam nobis evidentem reddat experientia, & conscientia nostra), tum quia est spiritualis, indivisibilis, & immortalis, ut nunc breviter, & quasi per summa capita demonstrabimus.

*Rationalis Anima est substantia spiritualis.*

4 Quod anima nostra sit *substantia spiritualis*, vel, quod in idem recidit, *immaterialis*, & *incorporea* (hoc nomine intelligunt omnes in præsenti substantiam à materiâ quantâ distinctam, & ab eâ naturaliter independentem), ex principijs Fidei clarè deducitur, ut eruditè ostendit P. Suar. l. 1. de Anim. c. 9. Plurimis enim sacræ Scripturæ locis anima rationalis vocatur *spiritus*, ut Matth. 25., Joan. 19., Psalm. 30., Tobiæ 3., & alias sæpissimè. Nec refert, quòd interdùm in sacris Litteris anima bruti, aër, aut ventus, & alia corpora subtilia, vocentur *spiritus*. Nam, quoties de re intelligente sermo est, nomen *spiritus* pro substantiâ incorporeâ propriè accipitur; alioquin non satis constaret ex Divinis litteris Deum esse incorporeum. Accedit, quòd Eccles. 12. humana anima sub nomine *spiritus* clarè contraponitur corpori & materiæ, cùm dicitur: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

5 Sed omnem prorsùs ambiguitatem tollit declaratio Ecclesiæ, quæ certa regula est interpretandi oracula Scripturæ. Audiatur Concilium Lateranense sub Innocentio III. in cap. *Firmiter* de summâ Trinit., ubi de Deo sic ait: *Ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam; & deinde humanam, quasi communem, ex spiritu & corpore constantem.* Id ipsum confirmavit Concil. Later. sub Leone X. sess. 8. docens, non minùs certum esse, animam rationalem esse incorpoream, quàm esse immortalem. Idem docent passim Ecclesiæ Patres apud P. Suar. loc. cit. n. 12., nominatim Augustinus multis in locis, v. g. in Epist. 157., & in Ps. 145.

Quod

Quòdsi unus, aut alter animam interdùm vocat corpoream, loquitur comparatione Dei, qui est actus purissimus, vel solam intelligit corporeitatem connotativam, quatenùs anima ordinem habet ad corpus, cujus est forma. Tertullianus tamen hac in re meritò accusatur erroris.

6 Eadem veritas philosophicè demonstratur 1. ex operationibus intellectûs humani, cujus actus corporalia omnia supervolant, & ad spiritualem ordinem manifestè pertinent. Attingunt enim objecta positivè spiritualia, nempe Deum, & Angelos: prima principia penetrant apta rebus corporeis, & incorporeis: ab his omnibus abstrahunt rationes communes, & ipsam quoque generalissimam rationem entis; unde non solùm Angelicam, sed Divinam etiam mentem æmulantur in amplitudine sphæræ objectivæ, seu rationis *sub quâ*. Cùm igitur actus cognoscendi ab objecto specificentur, proportionem cum ipso habere debent, saltem quoad ordinem spiritualem. Quis enim hunc volatum, & elevationem concipiat in limitatione & vilitate rei materialis? Si fortè inferas: ergo intellectio humana pertinet ad ordinem Divinum. Nego *consequ.* de attinentiâ identitatis; constat enim aliunde, non esse summè perfectam, & incautatam: concedo tamen de attinentiâ similitudinis in perfectione, non transcendentali, sed quasi specificâ Dei, quæ est vis intellectiva, seu intellectio; idcircò enim Genes. 1. dicitur homo factus ad imaginem & similitudinem Dei. Jam, si actus immaterialis est; ergo & potentia, quæ illum naturaliter elicit, ac recipit: tum quia nulla potentia naturaliter elicit actum superioris ordinis; quò spectat illud, *Modus operandi sequitur modum essendi*: tum quia, si actus recipitur in potentiâ corporeâ, cùm ab eâ pendeat in suo esse, corporeus erit. Si autem potentia spiritualis est; ergo & substantia animæ, quæ vel cum potentiâ intellectivâ identificatur, vel eam radicat ut proprietatem sui; & nulla substantia corporea proprietatem radicat spiritualem, ut clarum est.

7 *Confirm.* 1.: quia omnis potentia corporea, vel, quod idem est, organica, longo usu & ætate atteritur, & hebetatur, ut experientia ostendit in visu, auditu, phantasiâ, & aliis potentijs organicis, quæ vegetiores sunt in juventâ, quàm in senectâ, seu bruti, seu hominis. At potentia intellectiva usu ratiocinandi redditur expeditior, & acutior, potiùsque *mens, & ratio, & consilium in senibus est. Confirm.* 2.: quia potentia organica læditur ab objecto excellenti, ut visus à nimiâ luce, & auditus à vehementi sono, sitque ad minorum perceptionem inepta, vel minùs apta. Non sic potentia intellectiva, quæ potiùs sublimiora objecta contemplando perficitur, & facilius penetrat inferiora. Nec obstat, quòd humana mens pro statu unionis non nisi per organa sensuum accipiat species objectorum, nec possit regulariter intelligere sine prævio, vel concomitante actu phantasiæ, cujus idoneum operandi modum requirit: unde provenit, quòd rationis usus differatur in pueris, & deficiat in fatuis, amentibus, decrepitis; nec non quòd caput discurrendo fatigetur, labore scilicet phantasiandi.

8 Non, inquam, hoc obstat. Nam, licèt hac de causâ mens in operando dicatur *inchoativè* pendere ab organo corporeo, tamen immediatè & elicitivè non pendet, sed suprà sensuum sphæram evehitur; quemadmodùm pictor, licèt indigeat ministrante tabulam, aut materiam colorum, ab eo tamen immediatè non pendet in actu pingendi. Hæc intellectûs independentia patet 1.: quia sæpe de objectis aliter judicat, quàm sensus renun-

nuntiat; sensus enim, etiam internus, nihil renuntiat nisi corporeum, v. g. cùm phantasia proponit Angelum ut alatum juvenem, vel Deum quasi mare immensum, & ubique diffusum: at intellectus judicat, Deum esse purum spiritum, & Angelum essentialiter differre ab omni re corporeâ. 2.: quia mens corrigit sensuum errores; ut cùm judicat, virgam aquæ immersam non esse fractam, aut inflexam, solem esse Terrâ majorem, & sic de alijs. 3.: quia speciebus per sensus haustis utitur ad cognoscenda plura sensibus impervia, v. g. quidditates & substantias rerum, ad propositiones universales, & ad scientias per prima principia comparandas.

9. Demonstratur 2. ex libertate ac dominio voluntatis humanæ. Nam 1. liberum arbitrium, cùm in omni substantiâ clarè spirituali, nempe in Deo, & Angelo, reperiatur, nulli rei convenit manifestè corporeæ; ut patet vel in brutis ipsis callidioribus; omnia quippe unius speciei ferè uniformiter operantur. 2. ratione libertatis anima humana corpori dominatur, ejus inclinationi resistit, passiones compescit, voluptates respuit, mortem contemnit, nec mores mutato corpore necessariò mutat. At anima, quæ sic dominatur corpori, nequit esse corporea; cùm planè ostendat se esse corpore superiorem, altioriisque indolis, & independentis. *Confirm.*: quia rationalis anima rebus spiritualibus delectatur, ac veluti pascitur: ergo naturam habet spiritualem. Patet *Consequ.*: tum quia nullum vivens manifestè corporeum ejusmodi delectationem capit: tum quia cibus proportionatus esse debet naturæ viventis alti. Hinc illud Nazianzeni in Apologet., *Magnum inter corpus & animum est discrimen; nam, sicut corpus corporalibus pascitur, sic anima incorporeis saginatur.* Nec refert, quòd homo corporeum quoque cibum appetat. Hoc enim provenit ex indigentiâ corporis. Proprius autem, & germanus animæ cibus est sapientiæ studium, pulchritudo virtutum, & præcipuè Divini Opificis contemplatio, *Cujus unius anima intellectualis incorporea, si dici potest, amplexu, veris impletur, fœcundaturque virtutibus*, ut loquitur Augustinus l. 10. de Civit. c. 4.

10. Hæc argumenta solidiora sunt demonstratione Cartesij, quam Tosca magni facit. Nimirùm, Evidens est, in ideâ, sive in conceptu corporis non contineri nisi extensionem, & aptitudinem ad motum localem: sed cogitare, seu intelligere, nec extensionem dicit, nec in motu locali consistit: ergo &c. Discursus hic, ut jacet, procul est à demonstratione. 1.: quia propositio Major, si nomine *corporis* significet compositum physicum, falsa est; ut patet in homine. Si solam significet materiam quantam, permittetur Major; sed negabitur quòd intelligere non sit corporeum, licèt non sit corpus. Si demùm significet generatim rem corpoream, dabitur Major in sensu præcisivo, non in exclusivo: quia conceptus corporis, tametsi non contineat formaliter, non ideò excludit identitatem realem cum alijs prædicatis. Sic in conceptu vitæ (qui, metaphysicè sumptus, univocè convenit viventi corporeo, & spirituali, juxta Toscam tr. 10. lib. 1. propos. 2.) non continetur spiritualitas; & tamen ratio vitæ cum spiritualitate identificatur in Angelo. Si ritualitatem includi, non indicas, spiritualitatem includi, non in conceptu vitæ ut sic, sed vitæ Angelicæ; tibi dicetur pariter (donec alia proferas argumenta), quòd intelligere includitur, non in conceptu corporis ut sic, sed corporis humani. 2.: quia minor propositio non probatur à Cartesianis, cùm probanda esset: nam, si cognoscere & cognoscere brutorum consistit in motu locali juxta Maignan, & ei adhærentes Atomistas, cur non &

18.

intelligere: Si neges bruta cognoscere, tu ipse nosti quantum abest, ut hoc demonstretur: novit quoque Cartesius, qui epist. 67. tom. 1. planè fatetur, se demonstrare non posse, quòd bruta careant animâ cognoscente. Si dicas, intelligere multò superius esse motu corporeo; hoc tibi restat demonstrandum; pro quo recurras oportet ad argumenta communia, quæ nuper dedimus.

11 Objectiones, quæ contra spiritualitatem animæ fieri possunt, partim præoccupavimus n. 7. & 8., partim solvemus cap. sequ., desumptas nimirùm ex eo, quòd anima sit forma corporis. Nunc inferes, animam rationalem non educi ex materiâ, ac proinde non esse ex traduce, idest, non generari, seu traduci cum semine, ut putârunt aliqui veteres, quorum sententiam erroris damnat S. Augustinus lib. de hæres. cap. 86., & hæreticam appellat D. Thomas 1. p. q. 118. ar. 2. Producitur ergo anima rationalis à solo Deo per creationem: à solo, inquam, Deo, non ab Angelis, quidquid aliqui dixerint, quorum errorem damnât Ecclesiæ Patres apud P. Ovied. controv. 1. de Anim. punct. 3. n. 21., damnat que tota Philosophia, & Theologia, quæ soli Deo tribuit potentiam creandi.

*Nonnihil de conceptu corporis & spiritûs generatim.*

12 Occasione probandi, rationalem animam esse spiritualem, disceptari solet de conceptu generatim discernente rem spiritualem à corporali: quam disceptationem prolixam fecit sententiarum varietas, & impugnatio reciproca. Nam alij 1. conceptum rei spiritualis in eo collocant, quod naturâ suâ non habeat extensionem partium, seu quòd sit integraliter indivisibilis in partes extensionis. Alij 2. in eo, quòd nec sit materia, nec ab eâ in suo esse pendeat. Alij 3. in eo, quòd nec sit sensibilis, nec intrinsecè adhærere debeat rei sensibili. Alij 4. in eo, quòd exigat esse definitivè in loco. Alij 5. in eo, quòd intrinsecè spectet ad liberum arbitrium. Alij 6. in eo, quòd non sit quantitas, nec à quantitate inseparabilis; vel (quod in idem recidit) in eo, quòd non intrinsecè spectet ad impenetrabile. Alij 7. in eo, quòd spectet intrinsecè ad capacitatem intelligendi, vel (quod idem est) ad capacitatem omnia percipiendi intentionaliter. Conceptum autem corporis, & rei corporeæ, iidem Authores per oppositum explicant. Ex his sententijs duas postremas maximè præferendas puto. Sed, ut eas explicem, prænoto 1., nomine *spiritus* propriè ac primariè significari substantiam incorpoream, eamque absolutam, seu non modalem. Idcircò non dicuntur absolutè spiritus, nisi Deus, Angelus, & anima hominis: cætera verò, quæ ad spiritualem ordinem spectant, dicuntur spiritualia, seu entitates spirituales per attributionem, nempe actus intelligendi, & volendi, Gratia, Fides, &c.. Prænoto 2., nomine *corpus* mathematicè intelligi quantitatem ut trinè dimensam, seu prout extensam in longum, latum, & profundum: physicè verò intelligi primariò substantiam, cui quantitas perpetuò debetur, & inhæret. Cætera, quæ à tali substantiâ in suo esse naturaliter pendent, dicuntur corporalia per attributionem.

13 *Dico* igitur 1.: Spiritus rectè definitur, *Substantia naturaliter independens à corpore*, idest, potens naturaliter existere sine corpore: Spirituale per attributionem, *Quod naturaliter adhærere debet spiritui velut insolidum*, ita scilicet, ut non simul adhæreat corpori: Spirituale demùm, prout abstrahens à spiritualitate primariâ, & attributivâ, *Quod naturaliter spectat*

in

*in solidum ad substantiam independentem à corpore*, spectat, inquam, vel per identitatem, vel per adhæsionem intrinsecam. Corpus verò sic, *Substantia, quæ naturâ suâ quantitatem exigit immediatè inhærentem sibi*: Corporeum per attributionem, *Quod naturaliter exigit intrinsecè ac perpetuò adhærere tali substantiæ*: Corporeum denique, prout abstrahit à primario & attributivo, *Quod naturaliter spectat ad substantiam, quæ naturâ suâ quantitatem exigit &c.*, spectat, inquam, vel per identitatem, vel per intrinsecam adhæsionem. Definitio corporis, ex quâ pendent reliquæ, est ad mentem Authorum sextæ sententiæ, relatæ n. 12., quæ satis communis est in Scholâ nostrâ: est etiam ad mentem Doctoris Angelici 1. p. q. 18. ar. 2. c.; necnon ad mentem Exim. Doctoris disp. 36. Met. sect. 1. n. 12., ubi sic ait: *Substantia corporea definiri debet, Substantia, quæ est capax quantitatis.* Spiritûs etiam definitio est consona communi sensui, & modo loquendi: unde ad probandum spiritualitatem animæ rationalis, omnes pro medio assumunt independentiam à corpore: quæ independentia, licèt negationem sonet, satis indicat positivam nobilitatem & excellentiam spiritûs supra corpus; sicut independentia Dei à creaturis.

14 Jam ex datis conceptibus colliges 1., corpus propriè dici materiam primam rerum sensibilium, quippe quæ quantitatem radicat, & immediate recipit: item totum compositum ex formâ & tali materiâ, quippe quod quantitatem exigit inhærentem sibi secundùm materiam: item substantiam completam, quantitatis capacem, sed simplicem, seu ex materiâ & formâ non compositam, quę juxta plures est possibilis. Colliges 2., non esse corpora, sed corporeas, omnes formas substantiales ex materiâ eductas; quia non exigunt quantitatem inhærere sibi, sed materię (vid. Disput. 2. de Gener. n. 75. & seqq.), cui ipsæ uniri debent intrinsecè ac perpetuò. Idem puta de modis, & qualitatibus, quæ materię similiter adhærere debent seu immediatè, seu mediatè. Unde, si calor per creationem conservaretur extra subjectum, creatio ipsa foret corporea, quia deberet mediatè adhærere materiæ, utpotè immediatè adhærens calori, qui exigeret etiam tum materię uniri: quàmvis enim creatio reddat calorem independentem à subjecto sustentationis, non ideò excludit unionem naturaliter debitam, etiam in sensu compositio. Sic unio humana, si crearetur, non desineret alligari extremis. Sic Gratia, licèt in sententiâ probabili creetur, nihilominùs unitur subjecto ex propriâ exigentiâ. Quòd aliter accidat in quantitate Eucharisticâ, non provenit ex solâ creatione, sed quia Deus unionem impedit ablato subjecto.

15 Colliges 3., unionem animæ rationalis ad corpus, licèt sit spiritualis connexivè (quo sensu spiritualem illam vocat P. Suar.), exercitativè corpoream esse; quia non in solidum spectat ad spiritum, cum simul adhæreat corpori. Quod pariter dictum esto de actu sensationis, quàmvis recipiatur in animâ rationali; simul enim recipitur in materiâ. Colliges 4., actionem, quâ species spiritualis à materiali phantasmate producitur juxta plures, spiritualem esse; quia pendet a phantasmate tanquàm ab agente extrinseco, non tanquam ab extremo unionis, aut adhæsionis intrinsecæ. Colliges 5., intellectionem essentialiter veram, quâ rationalis anima se videat unitam corpori, non esse corpoream: quia solùm connectitur cum unione ad corpus, ut objecto, non ut extremo debitę adhæsionis intrinsecæ, etiam mediatæ: non enim adhæsio mediata dicitur debita, nisi cùm aliquid debet immediatè

adhærere rei, quæ ex se adhæret corpori naturaliter, seu cum inseparabilitate naturali; quo modo non adhæret corpori anima rationalis, cui talis intellectio immediatè unitur.

16 Colliges demùm, quantitatem non esse corpus in acceptione physicâ (benè tamen in mathematicâ), licèt ab ipsâ impositum sit nomen *corpus*; ut enim sæpe monet D. Thomas, aliud est, à quo nomen imponitur, aliud, ad quod significandum imponitur. *Dices*: dum substantia corporea definitur per ordinem ad quantitatem, hæc supponitur physicè corporea: ergo corporeitatem habet à semetipsâ. *Neg. Antec.*: quia tunc præscinditur à corporeitate quantitatis; ac deinde, licèt eo per illam definitionem conceptu corporis, quantitas ipsa probatur corporea ex inseparabilitate à tali substantiâ. Si quæras, quid sit quantitas? *Resp.*, esse accidens, quo subjectum redditur naturaliter impenetrabile cum aliâ re, simili accidenti affectâ: ostendemus enim in Metaphysicâ, non posse formalem quantitatis effectum ab impenetrabilitate præscindi. Hinc punctum materiæ indivisibile, dici potest corpus, quia est impenetrabile. Quòdsi contendas, de conceptu quantitatis esse extensionem partium; dicam, punctum esse extensum primordialiter, quia est primordium rei extensæ, quatenùs integraliter divisibilis; atque in eodem primordiali sensu vocari corpus.

17 Ex dictis facilè solves objectiones contra statutum conceptum corporis, & spiritûs. Solùm notandum superest, quòd de facto idem sonat corporale, & materiale, sicut etiam immateriale, & incorporeum: quia de facto nulla est materia, nisi corporalis, seu quanta, neque ullum est corpus sine materiâ. Si tamen, ut aliqui volunt, non repugnet corpus completum simplex, vel etiam materia spiritualis, idest, primum subjectum formæ substantialis incorporeum, seu non quantum; dari poterit corpoream immateriale, & materiale incorporeum.

18 *Dico* 2.: Spiritûs, sive substantia spiritualis, aptissimè definiri poterit, *Substantia intellectiva*, vel (ut simul tò *intellectiva* definiatur) *Substantia capax omnia percipiendi intentionaliter*. Ita PP. Quirós, Gasp. de Ribadeneyra, & alij, quorum sententiam ut valdè probabilem amplectitur P. Peynado l. 1. de Anim. d. 3. f. 5., eamque ratione, & authoritate SS. Augustini & Thomæ benè comprobat. Eamdem cum alijs sequitur Tosca tr. 11. lib. 1. propos. 1. Hæc definitio (quæ debet intelligi de substantiâ intellectivâ purè, seu ratione sui totius; nam homo non est absolutè spiritus, quàmvis dici possit substantia intellectiva) videtur aptissima, non solùm quia convenit omni & soli spiritui, sed etiam quia simul detegit excellentiam spiritûs suprà corpus: omnes enim vim intelligendi ut perfectionem eximiam concipiunt, adeò ut essentia metaphysica Dei in intellectualitate vel intellectione communiter ponatur. *Objic.*: juxta D. Thomam 1. p. q. 14. art. 1., spiritualitas, sivè immaterialitas, est ratio intellectualitatis, & intellectivum per spirituale probatur: ergo conceptus spiritûs est prior conceptu substantiæ intellectivæ. Respondet Capreolus, quem refert & approbat P. Suar. disp. 35. Met. s. 3. n. 21., cùm spirituale dicitur ratio intellectivi, non accipi intellectivum radicaliter, & prout est differentia essentialis (sic enim idem formaliter est intellectivum & spirituale), sed accipi pro facultate proximâ intelligendi, quæ quodammodò subsequitur intellectivum radicale. Certè D. Thomas 1. p. q. 75. ar. 2. probat, animam rationalem esse incorpoream, quia est intellectiva.

19 Consequenter spirituale per

per attributionem, aptè definietur, *Quod intrinsecè adhærere debet in solidum substantiæ intellectivæ*: Spirituale autem, ut abstractum à primario & attributivo, *Quod naturâ suâ intrinsecè spectat in solidum ad substantiam intellectivam*, spectat, inquam, vel per identitatem, vel per adhæsionem intrinsecam. Per oppositum explicanda est ratio corporis, per hoc scilicet, quòd sit *Substantiæ primordialiter incapax intelligendi*; vel potiùs (ut nomen *corpus* conveniat composito, etiam humano) *Substantiæ socium identificans, inadæquatè saltem, primordialem incapacitatem intelligendi.* Primordialem voco incapacitatem, quę convenit materię primæ, vel substantię immediatè recipienti quantitatem; ab hac enim substantiâ incapacitatem intelligendi participant omnia, quæ ab eâ naturaliter pendent, & quę idcircò dicuntur corporea, seu corporalia.

20 Objectiones, quę hìc fieri possunt, ex dictis in præcedenti assertione solvuntur. Sed adhuc contra utramque assertionem *objicies*: dari potest actus intellectûs, utiquè spiritualis, qui naturaliter, immò essentialiter adhæreat materię quantæ. *Prob.*: si Deus decernat omnem actum intellectûs miraculosè unire materiæ, & hoc decretum revelet Petro, qui credat per actum fidei essentialiter verum, hic actus essentialiter exiget materiæ uniri; connectitur enim essentialiter cum objecto suo, ac proinde cum eo quòd omnis actus intellectûs, & consequenter ipsemet, uniatur materiæ.

21 Hanc objectionem (quæ pariter adduci solet pro merito irremunerabili, pro creaturâ indestructibili, & alijs paradoxis) latè versat P. Peynad. l. 1. de Anim. d. 3. s. 4.: & ex ejus doctrinâ respondetur breviter, tale decretum repugnare, utpotè nugatorium, ac Deo indignum, si comprehendat actum essentialiter verum, quo creditur. Decernet enim, ut materię uniatur actus, qui per suam essentiam habet uniri materiæ, siquidem ille actus fidei, eo ipso, quòd comprehendatur tali decreto, per suam essentiam habet materiæ uniri, ut probat objectio. Hoc autem non minùs fultum esset, quàm decernere, ut homo, si existat, sit animal rationale, sit creatura, sit distinctus à Deo, &c.. *Replic.*: saltem potest Deus decernere, ut à materiâ non separetur ullus actus naturâ suâ separabilis, & hoc decretum revelare. Tum fiet actus fidei, quo decretum illud credi potest, si decreto comprehenditur, erit naturâ suâ inseparabilis à materiâ, utpotè connexus intrinsecè cum unione sui ad materiam; si non comprehenditur, erit pariter inseparabilis, quia decretum comprehendit omnem actum separabilem à materiâ. *Resp.*: decretum debet ab objecto suo positivè excludere actum, quo creditur, tametsi separabilem à materiâ; quia, si non excludit, infert in eo prædicata contradictoria, nempe quòd sit separabilis & inseparabilis. *Dices*: cur non poterit Deus decernere, ne separetur ullus actus separabilis, nullo excepto? *Resp.*: poterit quidem sed decretis duobus, quorum alterum comprehendat assensum alterius; vel etiam decreto unico, dummodò tale decretum non fit à creaturâ cognoscibile per actum essentialiter verum, sed solùm per actum naturalem ex se inconnexum cum veritate sui. Nam, ficut non repugnat decretum absolutè irrevelabile, v. g. decretum de nihil revelando, vel de non concurrendo cum creaturâ ad ullum actum; ita non repugnat decretum irrevelabile in ordine ad actum essentialiter verum.

*Anima rationalis est indivisibilis.*

22 Hæc veritas, si non expressè definita, est certè Fidei proxima, ut ait P. Suar. l. 1. de Anim. c. 13.

creditarque, ac defenditur ab omnibus Catholicis, præeuntibus Ecclesiæ Patribus, quos citat idem Suar. Et *imprimis*, quòd anima humana non constet partibus essentialibus, seu non constituatur ex actu & potentiâ spirituali, ut aliqui finxerunt, manifestè sequitur ex eo, quòd vera sit forma corporis (hoc patebit cap. sequ.): nam eo ipso est substantia incompleta, & ad informandum subjectum ordinata: nequit autem substantialiter incompletum esse, quod jam constat actu & potentiâ substantialibus; nec potest aliud subjectum informare, quod jam includit substantiale subjectum; alioquin fingere liceret, totum hominem in alio subjecto receptibilem esse. Immò verius mihi est cum Exim. Doctore disp. 33. Met. sect. 14. n. 14., repugnare materiam spiritualem, quæ scilicet sit pura potentia incorporea, substantialis formæ susceptiva; quidquid dicant alij, quos citat, & latè sequitur P. Peynad. l. 1. de Anim. d. 3. s. 7. *Probo* nunc breviter: quia illa materia esset substantia spiritualis, ut supponitur; & aliunde non esset; quia omnis substantia spiritualis, saltem nisi modalis sit, est intellectiva, ut concedit Peynado, constatque ex dictis n. 18.; illa verò materia certè non esset intellectiva, cùm hæc perfectio prorsùs aliena sit à conceptu puræ potentiæ. Nec refert, quòd ea materia foret substantia incompleta. Nam hoc etiam convenit animæ; quæ nihilominùs intellectiva est, quia spiritualis est. Nec ad spiritualitatem substantiæ sufficit debitum ad hærendi substantiæ intellectivæ: nam, ut docet idem Peynad. cit. disp. 5. num. 45., hi termini, *substantia spiritualis*, *substantia intellectiva*, convertuntur, ac se se mutuò inferunt.

23. *Deinde*, quòd rationalis anima sit etiam integraliter indivisibilis, probari solet ex ejus incorporeitate; nec immeritò. Quia, licet hæc indivisibilitas non sit de ratione accidentis spiritualis (siquidem Gratia, & habitus virtutum constant gradibus intensionis, & Angeli præsentia in spatio divisibili forsan ex partibus integratur), est tamen de ratione spiritûs, sive substantiæ spiritualis; quemadmodùm, licèt corruptibilitas non repugnet accidenti spirituali, repugnat tamen spirituali substantiæ. Certè sic sentiunt Ecclesiæ Patres, qui non alio ex capite probant, humanam animam esse substantiam simplicem, nisi quia est incorporea: v. g. Gregorius Neocæsar. lib. de Anim., *Cum anima*, inquit, *corporea careat*, *simplex est*.

24. Sentit quidem cum alijs P. Peynado cit. disp. 3. n. 70., possibilem esse substantiam spiritualem, quæ sit integraliter composita. Sed rejiciendus est: quia vel omnes partes illius substantiæ essent intellectivæ, vel una tantùm. Si primum dicatur: ergo omnes essent capaces liberi arbitrij, possetque una velle quod nollet altera, ac proinde altera esse in gratiâ, altera in peccato, altera Cœlum, altera Infernum mereri; quæ planè repugnant in partibus naturaliter integrantibus unam substantiam. Nec dicas, omnes gaudere communi libertate, & per sympathiam idem velle ac nolle. Nam sympathia necessitans multos ad idem volendum, non cohæret cum libertate, ut notum est. Si verò dicatur secundum: ergo illa tantùm pars erit spiritualis, siquidem substantia spiritualis cum intellectivâ reciprocatur juxta Peynado. Et de illâ parte quæro, an esset necessariò indivisibilis? Si asseras: ergo repugnat spiritualis substantia divisibilis. Si neges: ergo constaret particulis intellectivis, ac liberis, reditque nuperum absurdum.

25. Præterea, quòd repugnet anima, seu forma spiritualis informativa corporis organici, quę sit integraliter composita, speciatim probari potest:

test : quia vel ejus partes exigerent esse in distinctis partibus corporis, vel in eâdem. Si primum dicas : ergo exigerent extendi, & expenetrari, ac proinde quantitatis vim participarent, & essent corporeæ, sicut partes formæ ignis, aut arboris. Si secundum optes : ergo plures partes ejusdem substantialis formæ exigerent simul esse in eâdem parte materiæ ; quod &, in Physicâ inauditum est, cùm agitur de pluralitate formarum ; & ulteriùs infert contra sensum omnium, substantiam esse capacem intensionis.

26 Demùm, quidquid sit de possibili, quòd anima rationalis de facto non sit integraliter composita, *probatur* : quia saltem de facto certum est, plures partes unius formæ divisibilis non esse in eâdem parte materiæ, sed singulas singulis materiæ partibus uniri : si ergo spiritualis anima divisibilis est, alia pars ejus erit in manu, alia in brachio, &c. Dum igitur homini manus abscinditur, quæro, an pereat illa pars animæ. Si perit : ergo pendet à corpore, cum ex defectu unionis informativæ pereat : ergo non est spiritualis. *Dices* : perit illa pars, non ex defectu subjecti, sed ex defectu continuativæ unionis ad alias partes animæ. *Contrà* : continuativa unio, si spiritualis est, non destruitur per sectionem corporis, quia, cum sit penetrabilis, transitum cultro præbet illæsa : si ergo perit, corporea est, ac proinde corporeas partes nectit. Si neges, dictam partem animæ perire ; illa certè non manet in manu jam mortuâ ; nec retrahitur ad informandam materiam alterius partis, ne materia ista duplici simul animæ parte naturaliter informetur : manebit ergo sine subjecto, atqueadeò in statu separationis à corpore, jamque non in viâ, sed in termino, dum reliquæ partes ejusdem animæ retinent statum unionis, & viæ. Proinde, si manum amittat homo justus, qui postea lethaliter peccet, pars animæ Cœlum petet, pars Infernum ; quod est plusquàm absurdum. Objectiones contra simplicitatem animæ, quia sumuntur ex virtute informandi corpus divisibile, commodiùs solventur *cap. sequ.*

*Rationalis Anima est immortalis.*

27 Quòd anima rationalis in morte hominis non pereat, sed æternùm duratura sit, inconcussa est veritas catholica, totiusque vitæ christianæ fundamentum. Hanc veritatem penè omnes Divinorum voluminum paginæ testantur, ut supervacaneum sit testimonia hìc verbatim allegare. Præcipua indicat P. Suar. l. 1. de Anim. cap. 10. Sed quæritur, utrùm hoc proveniat solùm ex indebito beneficio Dei, volentis animam, tametsi mortalem ex se, perpetuò conservare? An ex eo, quòd anima ipsa naturâ suâ sit immortalis? Sumitur autem hìc immortalitas, non pro indestructibilitate essentiali (sic enim Deus *solus habet immortalitatem*, ut ait Apostolus 1. Thim. 6., cum omnis creatura possit à Deo annihilari per subtractionem influxûs conservativi), sed pro incapacitate corruptionis ac destructionis, provenientis ab ullo agente naturali, atque etiam à Deo, si juxta rerum naturas procedere velit, ut reverâ velle supponitur, nisi aliud reverâ velet. Hoc sensu, quòd anima nostra sit immortalis naturâ suâ, est etiam veritas catholica, ut ait P. Suar. loc. cit. n. 9. & 12.

28 Nàm, præter quàm quòd satis colligitur ex nonnullis Scripturæ locis, ut Eccles. 12., & Matth. 10., rem hanc diserte declaravit Concilium Lateran. sub Leone X. sess. 8. dicens : *Cum diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de naturâ animæ rationalis, quòd mortalis sit, & aliqui temerè philosophantes secundùm saltem Philosophiam verum esse asseverent : sacro approbante Concilio damnamus,*

*mus, & reprobamus omnes afferentes, animam intellectivam mortalem esse.* Ex quo Fidei oraculo habetur, immortalitatem animæ non solùm theologicè, sed etiam philosophicè ostendi posse, atque in ipsâ animæ naturâ fundari; sicut illam fundant SS. Patres, relati ab Exim. Doctore n. 11. & 12. *Ostenditur* ergo 1.: quia rationalis anima est substantia spiritualis, & omninò simplex, tam essentialiter, quàm integraliter, ut jam ostendimus: ergo est independens à corpore, & ab omni subjecto sustentationis, omnisque divisionis incapax, atque à solo Deo creabilis: ergo est incapax corruptionis; cum corruptio non sit nisi vel dissolutio partium entis compositi, vel defectus formæ permanente subjecto sustentationis, vel etiam destitio rei naturâ suâ generabilis: ergo destrui nequit ab ullo agente naturali; quia destructio ejus foret anihilatio, & hæc superat vires omnis causæ creatæ, quemadmodùm creatio.

29 Aliunde nec animæ naturale est, quòd à solo Deo anihiletur, sed potiùs contranaturale, vel saltem præternaturale. *Prob.*: quia perpetuò durare, proculdubiò est animæ bonum, & non impossibile naturaliter, utpotè nulli naturali juri contrarium: ergo ab animâ innatè appetitur, cum non alia sit appetitûs innati regula: ergo nequit à Deo negari, nisi contrà, vel præter exigentiam ejus. *Urgetur*: non repugnat substantia creata naturaliter exigens durationem perpetuam, adhuc enim subderetur dominio Dei, qui posset eam pro libitu anihilare, sicut subditur ignis in comburendo, & Sol in illuminando. Talis ergo est anima rationalis, in quâ reperitur quidquid pro ejusmodi exigentiâ cogitari potest in alia substantiâ.

30 *Ostenditur* 2.: quia lumine naturali constat, Deum providere rebus humanis, ad eumque ut Gubernatorem justissimum spectare supplicia malis, & præmia bonis condignè præstituere. Cum igitur hominibus in præsenti vitâ non soleant præmia & supplicia distribui pro meritis (passim quippe cernimus justos ærumnis pressos, & impios temporalibus bonis abundantes), lumine ipso naturali colligitur, aliam animæ nostræ, corpore solutæ superesse vitam, in quâ condigna retributio sit speranda, vel timenda. Hæc ratio valdè commendatur à SS. Patribus, atque etiam ab ethnicis Philosophis, apud P. Suar. cit. cap. 10.: quin & in variis Scripturæ locis indicatur, ut ostendit idem Suarius n. 29. Et est sine dubio efficacissima. Quis enim non reputet absonum, quod Deus ita Universi Rempublicam constituerit, ut misera sit conditio virtutis, sceleris autem felix? Hoc velut magnum absurdum inferebat Apostolus 1. Cor. 15., de se ac de reliquis Christi fidelibus dicens: *Si in hac vitâ tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Nec dicas, hinc solùm probari, quòd anima vivat aliquamdiù post mortem hominis, non verò quòd æternùm duret. Nam *contrà* est, quòd, si anima non perit ex defectu corporis, non est unde pereat, cum extra corpus nec habeat contrarium, nec illi deesse possit causa conservativa, neque ulla sit ratio, cur potiùs per annum, quàm per æternitatem duret. Idcircò nemo negavit immortalitatem animæ, qui non simul crederet, eam indigere corpore ad existendum.

31 Nec item dicas, virtutem & vitium sui ipsorum esse præmium & pœnam respectivè; quia virtus delectat animum, vitium autem excruciat. Nam hoc rejicitur 1.: quia prorsùs improvida esset gubernatio Reipublicæ, quæ pro legum observantiâ non alium proponeret stimulum, quàm observantiam ipsam; & pro transgressione non aliud timere faceret, quàm transgressionem. 2.: quia delectatio ani-

animi non est præmium, sed naturalis quædam virtutis proprietas, eaque multo labori permixta. 3.: quia vitia sæpe magis delectant, quàm torquent, præsertim sceleratissimos, in quibus nullus ferè est conscientiæ remorsus. 4.: quia remorsus ille in eo fundatur, quòd anima latenter timeat futurum supplicium. Si enim tota felicitas, & pœna hominum, cum vitâ corporis finitur, non esset cur conscientia non judicet rectè factum, quidquid ad voluptates hujus vitæ conducit. 5.: quia eximius actus fortitudinis, qui est mori pro patriâ, nullam in animo delectationem causat, dum consummatur, siquidem animum ipsum omninò destruit.

32 Et hinc optima ratio sumitur pro immortalitate animæ. Nam ille actus fortitudinis est virtus, ut naturali lumine constat: virtus autem est *dispositio perfecti ad optimum*, quatenùs disponit subjectum, ut ad felicitatem perveniat, quâ optimè se habeat: ergo actus ille non destruit animam; sic enim totam subjecti felicitatem, & spem ejus de medio tolleret. Huc pertinet, quòd naturæ lumen dictet, etiam ethnicis, virtutem & honestatem præferendam esse vitæ corporis. Si autem anima non supervivit, lumen ipsum naturæ contrarium erit animæ rationali, cui sæpe suadebit bonorum omnium cum propriâ existentiâ jacturam. Omitto brevitatis ergo probationes alias, quæ videri possunt apud P. Suar. l. c. Quasdam tamen objectiones solvere oportet.

33 *Objic.* 1. illud Eccles. cap. 3., *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius.* Quæ verba significare videntur, animam hominis, sicut & jumenti, mori cum corpore. Saltem hoc sub dubio relinquitur, cùm ibi addatur: *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursùm, & si spiritus jumentorum descendat deorsùm?* *Objic.* 2. Concilium Constantinopol. VI., quod *act.* 11. approbavit sententiam Sophronij, docentis, animam non esse immortalem per naturam, sed per gratiam. 3.: anima rationalis est substantia incompleta, & ad informandum corpus naturaliter ordinata: ergo extra corpus erit in statu violento. Nihil autem violentum est perpetuum. 4.: anima in operando pendet ab organis & accidentibus corporeis: ergo & in essendo: ergo nequit existere sine corpore. *Confirm.* ex Lucretio poetâ: anima nascitur cum corpore, & cum ipso adolescit, ac senescit; ubi enim corpus ævo quassatur, *Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque.* Idem Poeta, verè & ipse ebrius, certè male sanus, argumentum sumit ex ebrietate, quæ mentem etiam & animam conturbat. Unde colligit, animam, utpotè corporis perturbationibus obnoxiam, cum corpore mori. Ad hæc tamen facilè respondetur.

34 *Ad* 1.: loquitur ibi Salomon de interitu corporis, seu hominis in esse compositi, ut exponit D. Hieronymus; vel potiùs, ut interpretatur D. Thomas 1. p. q. 75. ar. 6. ad 1., loquitur ex personâ impiorum, ita ratiocinantium, ut corpori liberiùs indulgeant; quæ interpretatio firmatur ex Sap. cap. 2., ubi expressiùs proponuntur impiorum discursus contra immortalitatem animæ, refutantesque in eod. capite, & in sequentibus. Similiter illa verba, *Quis novit &c.*, non sunt dubitantis, sed referentis dubitationem impiorum: nam quòd spiritus hominis redeat ad Deum, qui dedit illum, constanter affirmat idem Ecclesiastes cap. 12. v. 7.. *Ad* 2.: solùm ibi negatur animæ immortalitas *per naturam*, ideſt, per essentiam, & independenter ab alterius influxu & arbitrio; solùm-

lùmque asseritur immortalitas *per gratiam*, ideſt, per liberam voluntatem Dei, qui poteſt animam, tametſi naturaliter immortalem, redigere in nihilum; vel tumpotà *gratiâ* in radice, primæ ſcilicet creationis, quæ gratuita fuit & indebita, quàmvis, eâ ſuppoſitâ, naturaliter debeatur animæ conſervatio perpetua.

35 *Ad 3.*: illa incompletio & ordinatio non tollit, quòd anima extra corpus exercere valeat operationes nobiliſſimas; ideòque ſtatus ſeparationis non eſt illi violentus, ſaltem propriè & ſimpliciter, ut dicemus cap. ult.. *Ad 4.*: anima in operando intellectualiter, non pendet ab ullo accidenti, vel organo corporeo, niſi inchoativè, ſeu tanquàm à purè miniſtrante primas ſpecies (vide ſuprà n. 8.); quod non ſufficit, ut pendeat in eſſendo. Pendet quidem à corpore quoad operationes ſentiendi, & vegetandi: ſed, ut ejus eſſe probetur independens, ſufficit quòd naturaliter habeat operationem aliquam independentem; hæc enim nequit eſſe altioris ordinis, quàm potentia, & ſubſtantia, à quâ oritur. *Ad Confirm.*: argumentum illud præoccupavimus, & confutavimus ſuprà n. 7. & 8.. Nec verum eſt, quòd in ſenſibus (modò non ſint decrepiti) claudicet ingenium, ſeu rationis vigor; potiùs enim oppoſitum accidit, ut notavimus etiam n. 7.

## CAP. II.

### AN, ET QUATENUS ANIMA *rationalis informet corpus?*

36 TEnendum omninò eſt, animam rationalem & eſſe ſpiritum, & eſſe animam verè talem. Hactenùs oſtendimus, eam eſſe incorpoream, ſimplicem, & immortalem, quæ propria ſunt prædicata ſpiritûs. Probandum ſupereſt, eſſe veram animam, ſeu veram formam corporis humani, quod eſſe organicum omnibus patet: ſimulque oſtendendum, quatenùs hoc munus exerceat.

### *Anima rationalis verè eſt forma corporis.*

37 Hęc aſſertio definita eſt in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. in Clement. unic. §. *porrò* de ſummâ Trinit., cujus verba exhibet P. Suar. lib. 1. de Anim. c. 12. ſignanter exprimentia, quòd anima rationalis, ſeu intellectiva, humani corporis forma ſit *verè, per ſe, & eſſentialiter*. Eamdem definitionem amplectitur Concil. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 8.. Contrarius error tribuitur Platoni, & alijs antiquis; apud quos anima rationalis non unitur ſubſtantialiter corpori ad unam ſubſtantialem naturam conſtituendam, nec ejus forma eſt, niſi lato modo, forma nimirùm purè aſſiſtens, gubernans, ac movens, ſicut Intelligentia movet Cœlum, auriga currum, nauclerus navem. Nec facilè ab hoc errore liberabitur (citra cenſuram loquor) doctrina recentium Atomiſtarum, quam explicat & tenet Toſca, circa conſtitutionem humani corporis in eſſe vegetantis & ſentientis, & circa unionem ejus cum animâ rationali: quam doctrinam expoſitam & ex hoc ipſo capite impugnatam habes in Diſſert. prælimin. ad Phyſicam num. 26. & 27.

38 *Probatur* aſſertio philoſophicè. Inprimis anima intellectiva pertinet ad eſſentiam hominis: quod nullus negabit homo, niſi qui ſe reputet irrationalem, & brutum, vel qui non experiatur ſe eſſe, qui intelligit & judicat, qui ratiocinatur, qui vult, qui libero utitur arbitrio, &c.. Deinde corpus etiam ad eſſentiam hominis ſpectat: quod item nemo negabit, niſi qui ſe totum eſtimet ſpiritualem, ingenerabilem, & incorruptibilem, vel

qui

qui non experiatur se esse, qui vegetat, & sentit. Anima igitur intellectiva subsistantialiter unitur corpori. Patet *consequentia*: quia homo est unum per se, non minùs certè, quàm equus, & alia composita naturalia: ergo constat partibus subsistantialiter unitis: alioquin foret unum per accidens, nec magis unum, quàm cœlum cum Angelo motore, vel corpus aereum cum dæmone assumente, vel equus cum aurigâ. Accedit, quòd nullus esse potest formalis terminus generationis humanæ, nisi unio subsistantialis. Accedit insuper evidens connexio, sive consortium animæ & corporis in operando: anima quippe naturaliter percipit impressiones & motus corporis, & ipsa nequit pro statu unionis intelligere sine corporeâ operatione phantasiæ. Talis autem connexio nusquam invenitur in duobus suppositis accidentaliter unitis. At, si anima subsistantialiter unitur corpori, unitur utique ut vera forma corporis, cum sit pars nobilior, prima radix operationum, & potissima differentia physica compositi resultantis.

39 Opinati sunt aliqui, rationalem animam uniri corpori, non quatenùs rationalis est, sed tantummodò secundùm gradum formæ subsistantialis, vegetativæ, & sensitivæ. Verum hæc opinio, quæ Cajetano tribuitur, omninò rejicienda est: quia distinctio graduum ejusdem animæ est opus rationis, nec pertinet ad unionem realem, quæ inter gradus realiter identificatos nequit unum ab alio secernere. Præterea sequeretur, hominem, prout est unum per se compositum, non esse rationalem, nec à bruto differre: si enim rationalitas animæ non unitur corpori, non pertinet ad constitutionem, aut essentiam humani compositi. Adde, quòd non solùm experimur nos esse, qui sentimus, sed etiam qui ratiocinamur. Vid. D. Thom. 1. P. q. 76. ar. 1.

40 Sed contra statutam assertionem *objic.* 1.: inter actum & potentiam requiritur proportio; quæ nulla est inter corpus & spiritum. 2.: accidens spirituale nequit naturaliter uniri corpori: ergo nec substantia spiritualis. 3.: anima non dat corpori esse rationale: ergo non se illi communicat. 4.: anima non appetit materiam, cum appetat operationem intelligendi, quam materia impedit. 5.: si anima esset forma, foret capax duorum statuum, unionis, & separationis; qui, utpotè contrarij, non essent ambo connaturales; & aliunde neuter esset violentus, primus, quia naturaliter debitus, secundus, quia perpetuus.

41 *Resp. ad* 1.: inter actum & potentiam non alia requiritur proportio, quàm incompletio, & mutua unibilitas, vi cujus possint in unam convenire naturam compositam, ac se se mutuò juvare in operando: hæc autem inter corpus & spiritum nullo ex capite repugnat; & aliunde probatur existens per experientiam, quâ simul novimus nostrum esse & sentire, & intelligere, corporeamque operationem ad spiritualem deservire. *Ad* 2. *neg. Conseq.*: quia spirituale accidens, si uniretur corpori, ab eo penderet, cum accidens à subjecto pendeat; & hoc ipso spiritualitatem amitteret. At hæc ratio non militat in spirituali substantiâ. *Ad* 3.: sufficit quòd anima esse rationale det homini, cui se communicat per identitatem: corpori autem, incompletè sumpto, solùm communicatur per informationem, quæ non refundit in subjectum denominationes formæ, nisi accidentalis. *Ad* 4.: materia non impedit operationem intelligendi, nisi quoad modum perfectiorem, animæ separatæ proprium; qui modus compensatur per operationes sentiendi & vegetandi, quas anima etiam appetit, & sine materiâ elicere non potest. *Ad* 5.: ambo illi status naturales sunt

ordine successivo; de quo iterùm capiit.

42 Jam ex eo, quòd rationalis anima sit forma corporis, facilè rejiciuntur errores varij. 1. error Averrois, qui unicam animam intellectivam, sive unicum intellectum in omnibus hominibus esse voluit. Damnatus est hic error in Concilio Later. sub Leone X. sess. 8.; & philosophicè impugnatur; tum quia nulla forma naturaliter informat simul plura subjecta discontinua; tum quia sequeretur, omnes homines idem intelligere. Vide D. Thom. 1. p. q. 76. art. 2., & sæpe aliàs. 2. error Origenis, quòd rationalis anima sit ejusdem speciei cum Angelo. Impugnatur à D. Thomâ 1. p. q. 75. ar. 7., & in Disputatis q. de Animâ ar. 7.; satisque rejicitur ex eo, quòd Angelus non est forma corporis, & simpliciorem intelligendi modum habet. 3. error Priscillianistarum, qui fuit etiam Origenis, quòd scilicet animæ omnes ab initio creatæ fuerint extrà corpus, & eo in statu flagitia commiserint, quorum in pœnam corporibus quasi carceribus includantur. Damnatur à Leone I. epist. 71. ad Turib. contra errores Priscillianist., & à Concilio Bracchar. 1. cap. 6.: rejicitur que satis ex conceptu formæ, quæ, cum sit propter compositum, naturaliter produci debet cum unione ad subjectum. Adde, quòd ineptissimè dicitur pœna peccati status ille, ad quem anima naturaliter ordinatur, & in quo nullam habet conscientiam aut memoriam peccati commissi. 4. error Pythagoræ de transmigratione animarum à corpore in corpus. Delirium hoc non solùm est contra Fidem, sed contra experientiam; nulla quippe anima meminit, se priùs in alio corpore vixisse. Omnibus etiam à naturâ persuasum est, novo fœtui novam animam infundi, nec posse formam, etiam immaterialem, ab uno in aliud subjectum adæquatum repentè saltare.

*Anima rationalis existit in omni parte corporis organici.*

43 Hæc est communis sententia Philosophorum & Theologorum apud P. Suar. l. 1. de Anim. c. 14. Contrarium sensere nonnulli veteres Philosophi; quorum alij animam in capite, alij in pectore, alij in corde, veluti propria in sede locarunt. Hos imitatur Cartesius, qui rationalem animam collocat in eâ tantùm cerebri particulâ, quam conarium, seu glandulam pinealem appellant. Sed assertio præfixa probatur facilè: quia omnis pars corporis organici animatur, seu animam in se existentem & unitam habet; ad hoc enim organizatur, ut sit idoneum animæ subjectum; & alioquin sequeretur, non solam animam, sed aliam simul formam, esse actum primum corporis organici, potentiâ vitam habentis; sequeretur etiam, manus & pedes per se esse membra mortua, vel inanima. Ac in humano corpore non alia est anima, præter rationalem, ut vidimus disp. præced.: hæc igitur anima realiter unita existit in omni parte &c.. Accedit, quòd pedes & manus immanenter operantur sentiendo, & vegetando: ergo in se habent principium intrinsecum operationum vitalium, & consequenter animam: hæc autem, si non est anima rationalis, erit alia corporea, utique continuativè unita cum rationali, quia manus & pedes cum reliquo corpore continuantur: ex animabus igitur corporeâ & incorporeâ resultabit in homine una totalis anima continua; quod & inauditum est, & absurdè infert, humanam animam esse absolutè divisibilem, & partim materialem, partim spiritualem.

44 Ex hac doctrinâ colliges, animam rationalem esse totam in toto corpore, & totam in singulis ejus partibus organicis, ut expressè docet D. Au-

Augustinus l. 6. de Trinit. c. 6. anima quippe indivisibilis, ubicumque est, tota est. Organicas voco partes, quæ figuram & dispositionem habent idoneam ad aliquam operationem vitalem, saltem vegetandi. Dicitur tamen anima tota esse in singulis membris totalitate entitatis, non totalitate virtutis, saltem ut proximè expedit: pro variis enim operationibus exigit organa diversa, quæ non in quavis corporis parte reperiuntur: unde solùm exercet virtutem visivam in oculis, auditivam in auribus, &c.

47 *Objic.* 1.: si anima in membris singulis tota est, sequitur 1., quòd digitus erit homo. 2., quòd intellectus erit in pede. 3., quòd anima bilocata erit, seu multilocata. 4., quòd anima tota movebitur simul contrarijs motibus, vel movebitur simul & quiescet, si nimirùm alteram manum attollas, alteram deprimas, vel quiescentem teneas. *Resp.*, hæc omnia parvi esse momenti. *Prima* sequela pariter urget Adversarios; quia nec solum cor, nec solum caput, nec sola glandula pinealis, dicitur homo. Neganda est igitur ab omnibus: quia *homo* est nomen totius per se subsistentis in naturâ humanâ: quare non convenit digito, nec alij membro, quod ideò animam habet, quia pars est, & eo ipso, quòd pars esse definat, amittit animam. *Secunda* sine absurdo conceditur, saltem si intellectus ab animę substantiâ non distinguatur. Dicitur tamen anima intelligere in capite, quia ibi est organum phantasiæ, quę ministrat species intellectui. *Tertia* quòque conceditur de bilocatione quoad loca inadæquata, non quoad adęquata. Vid. disp. 1. de Gener. n. 69. *Quarta* item concedenda est de motibus per accidens, ut conceditur à D. Thomâ *q. de Animâ ar.* 10. *ad* 12. exemplo ambulantis in navi contra cursum navis. Anima igitur, cum ad motum corporis moveatur per accidens, seu ex consequenti, potest contrarios motus distinctarum corporis partium sequi: nulla enim in hoc est contradictio, nec tanta difficultas, quæ perfectionem superet substantiæ spiritualis. Non tamen concedendum, animam moveri simul & quiescere simpliciter, sed tantùm moveri hìc, & non ibi. Alij, supponentes indivisibilem animæ præsentiam in toto corpore, dicunt, animam ad motum manuum non moveri simul contrarijs motibus, sed adquirere novam præsentiam toti corpori respondentem.

48 *Objic.* 2. ex Cartesio: si anima esset in toto corpore, foret extensa, atqueadeò corporea, cum extensio conveniat soli corpori. *Resp.* Hoc etiam solvendum est Cartesio, cum certum sit, glandulam pinealem esse divisibilem, & extensam. Si propterea collocet animam in uno illius glandulæ puncto indivisibili; sequitur, animam non esse formam corporis organici, cum in puncto nulla sint organa; immò nec esse formam corporis, quia punctum inextensum non est corpus juxta Cartesium, qui essentiam corporis in actuali extensione ponit. Præterea quęrendum à Cartesianis, an immensitas Dei sit extensio? Si asserant: ergo dari potest extensio incorporea. Si negent: ergo sine extensione potest Spiritus esse realiter præsens in spatio extenso. Itaque anima cum toto corpore penetratur, ipsique substantialiter præsens est: ejus tamen præsentia, cum definitiva sit, & penetrabilis, & non sit positio partis extra partem, non est propriè extensio, vel saltem non est extensio corporea. *Objic.* 3. auctoritas Aristotelis lib. de motu Animal. c. 7. docentis, non opus esse animam existere in quocumque membro, sed in uno præcipuo, unde moveat cætera, quod alibi significat esse cor. *Resp.* Loquitur Aristoteles de existentiâ animæ quoad munus fabricandi vitales spiri-

tus, à quibus pendet motus & vita membrorum omnium : vel certè non loquitur ex propriâ sententiâ, cum ipse lib. 1. de Animâ t. 90. & seqq. perspicuè doceat, unam esse animam in toto corpore. Vide alia in D. Thoma q. de Anima ar. 10.

*Recensentur partes corporis, quæ informantur animâ, seu animantur.*

47 Ex dictis constat, illas partes humani corporis animari, in quibus aliqua operatio vitalis inibi exorta deprehenditur, etiamsi mera sit vegetatio. Videndum modò, quænam illæ sint; non quidem recensendo membra velut integra, cujusmodi sunt caput, pectus, cor, pedes, manus, &c., in quibus vita est manifestissima; sed varias eorum partes, aut appendices. *Assero* 1., carnem, venas, nervos, tendines, membranas, & alia his affinia, verè animari. Evidens hoc est ex vi sentiendi & vegetandi. *Assero* 2., ossa quòque animari. Hoc etiam omnes concedunt : quàmvis enim ossa non sentiant (quod incertum est), sine dubio vegetant, seu nutriuntur per introsumptionem; ut patet ex eorum cavitatibus, quæ plenæ sunt medullâ, ipsis in alimentum destinatâ; nec non ex eo, quòd versùs omnem partem cum proportione crescunt ab infantiâ. Crescere autem desinunt post 25. ætatis annum, quia tunc ad magnitudinem debitam perveniunt, ac deinceps tantum materiæ amittunt, quantum per nutritionem adquirunt. Utraque assertio locum etiam habet in brutis.

48 *Assero* 3., dentes & ungues animari. De dentibus est sententia communis cum Aristotele l. 1. de gener. animal. c. 4.. Et probatur facile : tum quia eadem est natura dentis, & ossis : tum quia dentes propriè nutriuntur, alimento introsumpto per venulas, & tenues canaliculos, quibus à naturâ sunt præditi. Nec obstat, quòd sponte decidant, quasi non continuati cum maxillis. Nam id ipsum contingit arborum foliis, & pomis, quæ citra dubium animantur : atque ex eo provenit, quòd aliquo humore noxio disrumpantur fibrillæ, seu nervuli, quibus ad maxillas alligantur dentes, & continuantur. Utrùm dentes in se dolorem sentiant, an verò dolor fit tantùm in nervulis, aut membranulis, quę dentium radicibus adhærent; dubium est, quod nostra nihil interest. Sat nobis est, quòd vitaliter nutriantur. Ungues animari, negant plures : sed plerique affirmant cum D. Thomâ in 4. d. 44. q. 1. ar. 1. quæstiunc. 2. ad 3. à & meritò : quia in unguibus eadem, quæ in dentibus, ratio militat : crescunt enim cum proportione versùs omnem partem, & humorem per venulas fugunt. *Dices* : si duo puncta signentur in ungue, semper apparent cum eâdem inter se distantiâ. *Resp.* : falsum id est in pueris, quorum ungues secundùm omnes dimensiones augentur : in viris autem ideò verum est, quia eorum ungues jam non crescunt versùs latitudinem, ne digitis noceant. Hęc assertio intelligenda pariter de cornuis & unguis bestiarum, de squammis piscium, de rostris & pennis avium.

49 *Assero* 4., capillos etiam, & pilos animari. Sic tenet communior sententia cum D. Thomâ loc. cit., quę idem asserit de crine, setis, pilis, & lanâ brutorum. *Probatur* : tum quia omnia hęc in animantibus perinde se habent, ac in arboribus frondes, & folia, quæ proculdubiò vivunt : tum quia in capillis per microscopium observantur cavitates humore plenę, ut etiam quidam ramuli, quasi plantarum germina. Neque id incredibile videri debet, cum in cruribus aranearum & culicum nemo non agnoscat organizationem vitalem. His adde 1., quòd, si capilli solùm crescerent per juxtapo-

si-

fitionem materiæ, ut Adversarij volunt, priùs canescerent in radice, quàm in extremitate, cum non nisi ad radicem apponeretur materia senilis: at sequela est contra experientiam. *Adde* 2., quòd capilli resecti, paulatim acuminantur in extremitate, ac proinde crescunt penès illam partem: quod non nisi per intussumptionem fieri potest. Adde 3., quòd nequit aliter explicari, quomodò aliqui unius noctis spatio penitùs incanuerint; quod non semel contigisse narratur.

50 *Objic.* 1.: capilli sectione indigent frequenti, nec certum habent magnitudinis terminum. *Resp.* Vites etiam indigent putatione; cum tamen palmites certò vivant. Si tamen capilli finerentur crescere, quantum possunt, non ultra certum terminum augerentur, ut in palpebris & supercilijs communiter accidit. Idem puta de unguibus, & dentibus. *Objic.* 2.: capilli à corpore separati diù conservant eadem accidentia. *Resp.* Conservant quidem plura, sicut lignum cedrinum diù post separationem animæ vegetantis: non tamen omnia, quia calorem amittunt, & humiditatem, cum succo nutritio. *Objic.* 3.: Vili sunt appendices superfluæ, seu ad nullam vitæ functionem utiles, unde ab Aristotele vocantur excrementa: crescunt etiam, cùm decrescit corpus animantis, ut in senibus, & ægrotis. *Resp.* Sunt utiles ad ornatum, & ad tegumentum, præsertim in brutis, ferè sicut arborum folia: vitæ quoque functionem aliquam obeunt, dum se nutriunt. Vocantur autem excrementa, quia nutriuntur ex impuriore succo, qui respectu illius, quo reliquum corpus alitur, excrementitius est; &, quia talis, magis abundat in senibus, & ægris, qui cibos imperfectiùs concoquunt.

51 Sunt, qui dicant, capillos, ungues, dentes animari, non animâ principali corporis, sed aliâ purè vegetativâ. Hoc in brutis, quæ animâ divisibili constant, verum est, dummodò capillaris anima cum cæteris partibus unatur ad constituendam unam totius corporis totalem animam. In homine tamen nequit admitti; quia sequeretur absurdum, de quo suprà n. 43. Nisi fortè dicas, ungues & capillos non continuari cum humano corpore, sed solùm innecti, & ligari. Quod & sine fundamento dicetur, & ansam præbet, ut idem de ossibus dicatur, immò & de carne, si penatur anima rationalis in solis nervis. Tenendum igitur, in homine capillos & ungues informari animâ rationali, ut expressè docet D. Thomas loc. cit. suprà n. 48. Nec refert, quòd ibi solùm explicet anima vim vegetandi. Non enim debet suas omnes vires in singulis partibus corporis explicare, sed tantùm juxta modum organizationis earum, ut patet in virtute videndi, audiendi, &c.. Nec absonum est, ut aliqui objiciunt, quòd anima rationalis fluitet in barbâ, & in cæsarie. Nam etiam reptat in pedibus, & excrementa excipit in ventre: nec tamen id absonum censetur. *Objic.* 2.: in cadavere crescere solent ungues, & capilli: ergo propriam animam retinent, rationali abscedente. Negari potest *Antec.* cum communi sententiâ: quia capilli & ungues in cadavere non crescunt, sed magis proominant extra carnem, quæ siccitate contrahitur. Dici quoque poterit, sicut ex cadavere gignuntur vermes, ita forsan gigni animam aliquam purè vegetativam, quæ capillos & ungues iterùm animet.

## CAP. III.

### UTRUM SANGUIS ANIMETUR?

52 SUpereſt quæstio difficilior de animatione partium fluidarum humani corporis, quæ præcipuè dif-

disputatur in sanguine, unde ad alios humores consequentia ducitur. Prima sententia sanguinem animat. Hanc tenent plures Thomistæ, ut Cajetanus, Bañez, Joan. à S. Thoma, Carmelitæ Complut., & Colleg. S. Thomæ Complut.: qui tamen Authores duos distinguunt sanguines (& quidem specie substantiali differentes, ut testatur Colleg. S. Thomæ l. 2. de Anim. q. 2. n. 50.); alterum *perfectum*, seu perfectè decoctum, quem solum animari volunt; alterum imperfectum, quem inanimem dicunt, & *nutrimentalem* appellant, quia tantùm deservit ad nutriendum; quamvis enim homo nutriatur etiam ex perfecto sanguine (quod non negant Authores illi), simul tamen sanguis hic habet munus partis in corpore humano. Eamdem sententiam, quantum ad animationem sanguinis, tenent è Nostris Toletus, Hurtado, Arriaga, Oviedo, Quiros, Lyraze, & alij. Secunda negat absolutè, sanguinem animari. Hanc tuentur Scotistæ cum Scoto locis cit. à Mastrio disp. 2. de Anim. n. 116., item Suarius noster l. 2. de Anim. c. 5., & tom. 1. in 3. p. d. 15. s. 6., & cum co plerique Nostrorum, ut PP. Vazquez, Rubius, Lugo, Compton., Alphonsus, Jo. Bapt. de Benedictis, Peynado, Ulloa. Eamdem tuentur Capreolus, Sotus, Aguirre, & alij Thomistæ; necnon Medici cum Galeno l. 4. de usu part..

53 Cum neutra sententia satis efficaciter à ratione probetur, negativa, quæ majore pollet auctoritate, & manifestè colligitur ex D. Thomâ 1. p. q. 119. ar. 1. ad 3., & 3. p. q. 31. ar. 5. ad 1., nobis est amplectenda. *Probatur* 1.: sanguis nullam elicit operationem vitalem: ergo non animatur. Consequentia communiter conceditur, & contra aliquos eam eludere conantes posteà n. 58. firmabitur. *Prob. Antec.*: sanguis non vegetat, nec propriè se nutrit: ergo nullam elicit operationem vitalem: nemo enim de facto concedit rebus corporeis vim sentiendi, aut intelligendi, sine vi vegetandi. *Prob. Antec.*: non elicitur vegetatio, seu nutritio vitalis, ubi non datur stata & regularis intussumptio alimenti; quæ certè dari nequit, ubi non est organizatio ex fibris, venis, alijsvè canalibus, aut poris continenter aptatis, per quos alimentum intro-susceptum in omnes viventis portiones cum debitâ proportione distribuatur: sed in sanguine nullâ talis organizatio est: ergo sanguis non vegetat, sed more liquorum augetur per juxtapositionem, & additionem novi sanguinis, à corde vel jecore geniti, & in venas effusi. *Prob. Min.*: quia ipsa per se natura liquoris, præsertim continuò fluentis (suppono circulationem sanguinis omnibus ferè moderatis indubitatam), & sæpè effervescentis, ejusmodi organa non patitur: frequens enim particularum permixtio, & unionis continuativę crebra mutatio, poros perturbat, venasque, & fibras interrumperet. Idcircò nulla in sanguine organizatio hactenùs observata est: nam illę quasi fibrę, quę in extracto & frigido sanguine interdùm notantur, glomera sunt humoris serosi, frigore secreti, & coagulati, ut Medicis notum est.

54 *Dices* 1.: formatio sanguinis est operatio vitalis, ut suprà diximus disp. 1. n. 39.: jam ergo sanguis vitaliter augetur, seu nutritur. *Dist. Antec.*: est operatio vitalis ipsi sanguini, prout ex materiâ & formâ propriâ constituto, *neg.*; vitalis homini, sanguinem cum alijs partibus includenti, *conc. Antec.*. Tum *dist. Consequ.*: vitaliter augetur vitalitate propriâ hominis, *conc.*; vitalitate propriâ sanguinis ipsius, *neg. Consequ.*. Formatio sanguinis est vitalis homini, seu composito, quia respectu illius immanentiam habet sufficientem ex dictis disp. 1. n. 13.: elicitur enim ab unâ hominis parte, nempè ab animâ pro-

prout informante cor, aut jecur, & recipitur in alterâ parte hominis, nempè in sanguine, qui est etiam hominis pars, ut mox dicam. Unde homo vitaliter nutritur formatione sanguinis; quia se auget ab intrinseco secundùm aliquam sui partem, materiam attrahendo per organa chyli usque ad jecur. At respectu sanguinis non est actio vitalis (etiam eo sensu, quo singula membra, seu partes integrantes, prout ex materiâ & formâ constitutæ, nempe capus, manus, pes, &c., vel etiam caro, nervus, os, &c., dicuntur vitaliter agere); quia non oritur ab intrinseco sanguinis, nec ab ejus formâ, seu virtute intrinsecâ, sed ab animâ in aliâ materiâ residente. Certè quicumque volunt sanguinem vivere, seu nutriri vitaliter, formam ejus animam esse dicunt.

55 *Dices* 2. ex Colleg. S. Thomæ: ut sanguis se nutriat vitaliter, non requiritur quòd venas & poros habeat; hoc enim convenit toti composito viventi, non singulis partibus: unde venæ & pori nutriantur ab intrinseco, quin alias venas aut poros habeant. Verùm hoc est contra communem philosophiam, quæ nutritionem viventium ab aggeneratione inanimatorum ex eo distinguit, quòd altera præ alterâ ex se fieri debeat per intussusceptionem; quæ sine dubio requirit poros, venas, aliosvè meatus, quibus intimè exfugatur, & quaquaversùm distribuatur succus alimentitius. Ex his ergo meatibus constituitur organizatio propria nutritionis, seu vegetationis. Quare, ficut absurdè diceretur sanguis videre, vel audire, quamvis non habeat organa visionis, vel auditionis, eo quòd illa sint propria totius viventis, non singularium partium; ita in re nostrâ existimandum. Quòd pori non egeant poris, nec venæ venis, quid mirum? cum ipsa sint organa, vel organizationis constitutiva. Pariter non indiget actio actione, nec ubicatio ubicatione. Num idem inferes de rebus alijs? Nec dicas, sanguinem etiam esse organum, quia est instrumentum adjuvans partes omnes ad functiones vitales. Nam hoc perinde est, ac si aërem decurrentem per fistulas Organi pneumatici, diceres organum. Sanguis hac ratione non magis est organum vegetandi, quam videndi, phantasiandi, &c.

56 *Dices* 3.: sanguis aliquam habet operationem vitalem, nempe motum localem ab intrinseco, dum in pudore accurrit ad faciem, in timore ad cor, in irâ fervet, &c. Sed hoc probat contra omnes, animari quoque lachrymas, sudorem, salivam; cum sæpe commoveantur ex varijs affectibus. Præterea, juxta communem philosophiam vita locomotiva (si vere & formaliter vita est) nullibi datur sine sensitivâ, & hanc in sanguine vix est qui agnoscat. Motus igitur illi non sunt vitales, sed in sanguine causantur à variâ commotione partium animatarum, vel, ut alij volunt, à sympathiâ, seu naturali subordinatione sanguinis ad affectus animæ.

57 *Dices* 4.: licèt sanguis nullam habeat operationem vitalem, non ideò sequitur non informari ab animâ secundùm gradum formæ corporeitatis, aut mixtionis. Sicut enim anima non omnibus corporis partibus communicat gradum sensitivum, sed quibusdam vegetativum duntaxat; ita poterit alijs tribuere solummodò gradum corporis mixti. Hæc doctrina, quam aliqui ex Adversarijs indicant, si velit animam realiter uniri sanguini secundùm unum duntaxat gradum, non secundùm omnes, implicatoria est; quia, cum omnes gradus realiter identificentur in animâ humanâ, sequeretur, idem realiter uniri & non uniri. Si autem velit animam totam uniri sanguini, non tamen ibi explicare virtutem operandi vitaliter, sed tantùm vim constituendi cor-

corpus mixtum, non quidem in genere, sed in specie & in individuo mixti spectantis ad integritatem corporis humani; hoc sensu fateor non facilè impugnatum ivi, saltem à priori: nam quidquid objeceris, instantiam habebit in communicatione gradûs vegetativi sine sensitivo.

58 Nihilominùs rejici debet 1.: quia sanguis non continuatur cum alijs partibus corporis, ut mox dicam: nequit autem ulli formæ naturaliter uniri partibus discontinuis. 2.: quia defectus omnis operationis vitalis, præsertim fundatus in organizatione vel nullâ, vel inepta, habetur ut signum evidens abscessûs animæ; ut patet in cadaveribus, & in fœtibus abortivis. Et quidem, ut Adversariorum utar exemplo, sicut anima humana priùs communicat fœtui gradum vegetativum, quàm sensitivum, vel certè hunc priùs, quàm rationalem; ita potuit ante hos omnes communicare gradum corporis mixti: unde abortivus embryo baptizandus erit, quamvis nullum præbeat indicium vitæ. Idem quòque signum habetur evidens in partibus non separatis à corpore vivente: nam manus in homine, vel ramus in arbore, eo ipso quòd penitùs arescat, & omni vitali actione destituatur, ab omnibus censetur emori, & animâ destitui. 3.: quia sanguis, siquidem nullum accipit vitæ gradum, non vivificabitur, adeòque non animabitur, licèt informetur animâ: hoc autem licèt aliqui vi consequentiæ devorent, satis apparet ex terminis absonum, & repugnans, aliquid scilicet esse informatum animâ, & tamen non esse vivum, nec animatum, sed inanime. Dicendum igitur, contra naturam animæ prorsùs esse (ut constat ex ejus definitione, vel saltem ex communi sensu, & experientiâ) informare corpus aliquod, etiam partiale, quod non reddat organicum, seu potentiâ vitam habens, saltem *ut quo*, seu constitutivè (ut occurratur instantiæ de puncto carnis indivisibili), ac proinde potens operari vitaliter in aliquo genere; quàmvis non debeat anima totam virtutem suam ubique exerere.

59 *Probatur* 2. negativa sententia: sanguis est alimentum, ex quo nutritur homo, & quodvis animal, ut asserunt omnes Medici, & omnes ferè Philosophi cum Aristotele 1. de gener. animal. c. 4., & aliàs sæpissimè: non ergo sanguis animatur. Patet *Consequentia*: quia nutritio est conversio alimenti in substantiam alti, importatque proinde materiæ transitum ab unâ formâ in aliam; quod stare nequit, si alimenti forma supponitur esse forma ipsa viventis. *Respondent* aliqui 1., nutritionem ex sanguine non esse conversionem substantialem, sed meram mutationem accidentium: nec repugnare quòd una pars viventis ex aliâ etiam animatâ nutriatur. Sed *contrà*: hoc est invertere conceptum nutritionis, quæ ab omnibus dicitur conversio substantiæ alimenti in substantiam alti, & actio, quâ vivens propriam substantiam auget, aut restaurat. Et aliquin, dum homo ab intrinseco expellit è manu propriâ frigus noxium, aut alias qualitates morbidas, subrogando alias sibi connaturales, diceretur manum in se convertere, & ex eâ nutriri.

60 *Respondet* 2. Colleg. S. Thomæ cum alijs Thomistis, dum caro nutritur ex sanguine, dari conversionem substantialem, quæ sit transitus, non de forma in formam, sed de formâ imperfectè participatâ secundùm gradum vegetativum, ad eamdem formam, seu animam, ut participatam secundùm gradum etiam sensitivum. Sed *contrà*: si sermo sit de gradibus animæ quoad substantiam, repugnat unum esse in sanguine sine reliquis, ut vidimus n. 57., utque docet idem Collegium l. 2. de Anim. q. 2. n. 56.. Si verò sermo sit de gra-

gradibus quoad explicationem virtutis, & organizationem congruentem, illa conversio est merè accidentalis, cùm nihil substantiale denuò adquirat, sed solam importet mutationem accidentium. Adde quòd conversio illa non expellit terminum *à quo*, nempe gradum vegetativum, ac proinde non est verè conversio.

61 *Respondent* alij 3., ad nutritionem carnis ex sanguine sufficere quòd detur conversio inter formas corporeitatis, quæ pertinent etiam ad substantiam hominis, & diversæ sunt in sanguine & carne. Sed *contrà*: forma corporeitatis Scotica displicet ferè omnibus Adversarijs: &, si fortè datur, anima illi unitur naturaliter tanquam subjecto proximo: repugnat autem, quòd anima per se intendat destruere subjectum, cui connaturaliter unitur in sanguine; destrueret enim illud ipsum, quod appetit innatè. Quâ eâdem ratione impugnandi sunt alij, recurrentes ad uniones heterogeneas. Item alij, qui dicunt, sanguinem non immediatè in carnem converti, sed priùs in rorem, deinde in cambium, posteà in gluten (has ponunt substantias inanimes), ac demùm in carnem. Quæ doctrina ex alio etiam capite cum sanguinis animatione malè cohæret. Ut quid enim anima vivificabit sanguinem, quem ipsamet per se & ex intentione occisura est, & in liquores emortuos mutatura? Hoc certè foret contra rectum naturæ ordinem à perfectioribus ad imperfectiora regredi, & obtento fine iterùm ad medium redire.

62 *Respondet* 4. P. Quiros disp. 77. n. 8. negando simpliciter, sanguinem esse nutrimentum animalis. 1.: quia sanguis in resurrectione restituendus est beatis, qui nutrimento non indigent. 2.: quia fieret alioquin, ut vis nutritiva, cùm sit potentia necessaria, totum sanguinem converteret in substantiam hominis, sicut ignis in se convertit stupam applicatam. 3.: quia, licèt homo abundet sanguine, non ideò minùs indiget externo alimento, nec minùs famen sentit. Sed *contrà*: doctrina hæc singularis est, & contra consensum totius Medicinæ, & Philosophiæ: nec illi favent Cajetanus, & alij Thomistæ, dupliceam sanguinem distinguentes; ut notavimus n. 52. Quare satis impugnatur singularitate ipsâ, necnon inefficaciâ probationum. Nam *ad* 1. dicimus, sanguinem homini datum esse, non solùm ad nutritionem, sed etiam ad ornatum, pulchritudinem, & temperiem humani corporis: quemadmodùm crystallinæ aquæ rivulus, non solùm flores alit, sed etiam ad temperiem & pulchritudinem viridarij plurimum confert. Ex hoc ergo titulo, nec non integritatis omnimodæ, restituendus est beatorum corporibus, tametsi non amplius nocriendis; ut etiam reddenda est organizatio, quæ per se instituta erat ad vegetandum. Fac, viridarium esse floribus incorruptibilibus consitum: adhuc amœnitatis gratiâ rivulis irrigari oportebit. *Ad* 2.: vis nutritiva non est tam edax, ut more ignis possit brevi absumere totum sanguinem: sed illius particulas, in poros solidarum partium insinuatas, paulatim disponit, & organizat, &, ut aliqui volunt, convertit in rorem, aut cambium (succum nempe albicantem, qui succus nutritius dici solet), ut tandem in substantiam alitri convertat; affundente interim hepate novum sanguinem ex chylo formatum. *Ad* 3.: vis caloris & acidi, quæ in stomacho residet, cùm instituta sit ad alimenti externi concoctionem, illud inhiat, &, dum non obtinet, sævit in partes proximas viventis, etiam solidas; atque ita famem causat, & mortem quòque (tametsi per accidens), in ijs etiam, qui sanguine abundant.

63 *Probatur* 3. sententia nostra: sanguis non continuatur cum

partibus solidis humani corporis: ergo non informatur animâ rationali. Patet *Consequentia*: quia nequit eadem forma simul informare partes materiæ discontinuas; alioquin posset anima informare manum abcisam corpori contiguam. *Prob. Antec.*: tum ex Aristotele 2. de part. animal. c. 3. dicente, *Non est sanguis continuus carni, sed in corde & venis, quasi in vasis concluditur.* Tum quia sanguis fervet, fluit, & perpetuâ circulatione movetur: id autem, quod jugiter movetur, & agitatur, cum parte immotâ continuari nequit, ut per se patet. Nec recurras cum Thomistis ad fibras quasdam, per quas sanguis cum jecore continuetur. Nam, si materia fibrarum solida est, non poterit cum sanguine fluente continuari: si autem fluida, non poterit ipsâ continuari cum jecore solido. Præterea fibræ istæ, si dantur, communes sunt utrique sanguini, perfecto, & imperfecto, cùm totam utriusque massam pervadant, ut cernitur in taurino sanguine, quem in exemplum afferunt Thomistæ: uterque igitur continuabitur cum jecore, adeòque uterque animabitur; quod Thomistæ negant. Accedit, quòd, si sanguis imperfectus non animatur, sed specie distinguitur à perfecto, cùm certum sit, utrumque in venis permixtum esse, particulæ sanguinis perfecti discontinuabuntur per admixtionem imperfecti, sicut vini particulæ discontinuantur per mixturam aquæ: non ergo poterunt animationem retinere.

64 Ex dictis patet, inutilem esse, quoad præsens attinet, Thomisticam distinctionem duplicis sanguinis, de quâ suprà n. 52. Nam in sanguine perfecto militant nostræ probationes, ut expendenti liquidum erit. Præterea distinctio illa non benè sumitur ex D. Thomâ, quidquid Thomistæ dicant. Nam S. Doctor Quodlibet. 5. ar. 5., ubi maximè videtur illam indicare (in Partibus Summ. Theolog. nusquàm indicat), dicit quidem, quòd *non totus sanguis nutrimentalis pertinet ad veritatem humanæ naturæ*, sed non distinguit duplicem speciem sanguinis, quin potiùs totum supponit esse nutrimentalem: addit autem, ad veritatem humanæ naturæ pertinere totum sanguinem, qui ab homine habetur in ætate perfectâ; in quâ sine dubio plurimum sanguinis nutrimentalis habetur. Docet etiam ibidem, totum sanguinem effusum in passione Christi, unitum fuisse Verbo, & ejus glorioso corpori restitutum: in passione autem nutrimentalem sanguinem effusum esse, quis dubitet? Dum ergo Thomistæ de sanguine nutrimentali negant, quòd pertineat ad veritatem humanæ naturæ, quòd assumptus fuerit à Verbo, quòd in resurrectione restitutus; D. Thomam impugnant. Pars autem sanguinis, quæ non pertinet ad veritatem humanæ naturæ, sumitur apud D. Thomam pro sanguine, non qui est, sed qui fuit, & jam conversus est in liquorem album, qui ros, & cambium appellatur; ut explicat ipse S. Doctor in 4. ad Annibald. q. 1. a. 1. ad 1. citatus à Collegio Complut. Unde non sumitur pro sanguine, quem Thomistæ vocant nutrimentalem; hic enim formatur immediatè post chylum, priusquàm perveniat ad jecur, in quo convertitur in sanguinem perfectum, ut docet idem Collegium cit. q. 2. n. 51.; quàmvis postea n. 58. & 59. parùm consequenter supponat, utrumque sanguinem permixtum esse in venis.

65 Aliud argumentum satis efficax pro nostrâ sententiâ dabo inferiùs n. 73. Hunc moneo, eam procedere, non solùm de humano sanguine, sed etiam de bellutno, necnon de succo alimentitio, qui plantis est loco sanguinis. Moneo insuper, idem, quod de sanguine, sentiendum esse de tribus aliis humoribus præcipuis, nempe de pi-

pituitâ, & utrâque bile, flavâ, & atrâ, quæ aliàs vocantur phlegma, cholera, & melancholia. Idem quoque de ſpiritibus vitalibus, & animalibus, cùm ſint particulę ſanguinis purioris, & ſubtilioris. Quòdſi Ariſtoteles alicubi dicit, hujuſmodi ſpiritus ſentire, aut intelligere, loquitur in ſenſu caulali, non formali. Idem pariter de lacte, ſebo, & medullâ & ſali; quia nulla in his organizatio deprehenditur. Aliter ſentiendum de medullâ ſpinali, quia eſt homogenea cum cerebro, totaque venis, & arterijs referta. Semen etiam communiter dicitur inanime, exceptis plantarum ſeminibus, quamdiù plantis uniuntur. Denique lachrymas, ſudorem, ſalivam non animari, pro comperto habetur.

*Argumenta pro animatione ſanguinis diluuntur.*

66 *Obj.* 1.: & principaliter: Sanguis eſt vera pars humani corporis, ſive humanæ naturæ. Quod patet 1.: quia Verbum Divinum aſſumpſit ſanguinem, cùm ſolùm aſſumpſerit, quæ ſunt de integritate naturę humanæ. 2.: quia Cajus Papa in Decretal. ad Felic. ait: *Si Chriſtus veras partes naturæ humanæ non aſſumpſit, quo ſanguine redemptiſumus?* Et Innocentius III. in extravag. de celebrat. Miſſ. dicit, aquam & ſanguinem de Chriſti latere fluxiſſe, ut ſignum eſſet corpus illud habere quatuor humores, qui ſunt de compoſitione corporis humani. 3.: quia Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3. docet, corpus Domini ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis in Euchariſtiâ poni, *vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Chriſti Domini... inter ſe copulantur.* 4.: quia Philoſophus lib. 3. de hiſtor. animal. c. 2., & ſæpe aliàs, inter partes animalium numerat ſanguinem: & D. Thomas 3. p. q. 54. ar. 2. ad 3., & alibi non ſemel, ſanguinem ad veritatem humanæ naturæ pertinere aſſerit. 5.: quia corpus ſine ſanguine mutilum eſt, ſeu non integrum; ideòque ſanguis reſtituendus eſt beatorum corporibus. *Tum ſic*: ergo ſanguis animatur, & in homine informatur anima rationali. Conſtat illatio: nam alioquin natura humana, ut completa, & integra, conſtaret duplici formâ ſubſtantiali, nimirùm animâ, & forma ſanguinis, nec foret unum per ſe, ſed aggregatum ex duplici ente completo.

67 *Reſp.* In animantibus duplex diſtinguendum eſt genus partium: aliud earum, quę ſunt organicæ, ſeu aptè diſpoſitæ ad aliquam operationem vitalem, cujuſmodi ſunt oſſa, nervi, caro, & aliæ partes ſolidę; & hæ pertinent ad integritatem corporis primariam: aliud earum, quę non organizantur, adeòque nequeunt operari vitaliter; quia tamen neceſſariæ ſunt ad fomentum & pulchritudinem cæterarum, & naturâ ſuâ ſubordinantur animæ, pendentque in ſuo eſſe à partibus animatis, quibus permanenter & intimè conjungi debent, adeò ut ſeparatæ citò pereant; idcireò merentur etiam nomen partium in corpore animalis, & ad ejus integritatem pertinent ſecundariam; ut iterùm dicam n. 72.: hujuſmodi ſunt ſanguis, & reliqui humores. Hæc partium diſtinctio fundamentum habet in Ariſtotele, qui, cùm ſæpe ſanguinem appellet partem animalis, tamen l. 2. de partib. animal. expreſsè dicit, quòd *ſanguis nulla eſt pars animalium.* Item in D. Thomâ, qui, cùm ſanguinem ad veritatem humanæ naturæ pertinere dicat, tamen 3. p. q. 31. ar. 5. ad 1. docet, quòd carnes & oſſa *ſunt actuales corporis partes ex quibus conſtituitur integritas corporis, & ideò ſubſtrahi non poſſunt ſine corruptione corporis, vel diminutione*: hoc autem ibi negat de ſanguine, Philoſophumque allegat, ita concludens, *ut ideò non debuit corpus Chriſti formari de*

*carne vel ossibus virginis, sed de sanguine, qui nondùm est actu pars, sed est potentiâ totum, ut dicitur in lib. de gener. animal.*. Ex quibus patet, apud Aristotelem & D. Thomam duo esse genera partium, seu duas integritatis acceptiones, quarum in alterâ negant, in alterâ affirmant, sanguinem esse partem humani corporis; alioquin sibimetipsis contradicerent.

68 Concedimus igitur, sanguinem esse veram partem humani corporis, sed inorganicam, verèque pertinere ad integritatem humanæ naturæ, sed secundariam; quod sufficit, ut verificentur omnia, quæ in objectione allegantur. Negamus tamen consequentiam animationis; quia non debet anima quasvis corporis partes informare, sed tantùm organicas, quibus solis potentiam tribuit operandi vitaliter. Quòd verò natura humana, prout integra, constet duplici formâ substantiali, negatur, si de integritate primariâ fit sermo: si tamen loquaris de integritate omnimodâ, secundariam etiam includente, conceditur de duplici formâ, quarum una subordinetur alteri, exsistatque in materiâ distinctâ, & discontinuâ. Similiter natura humana, prout primariè constituta & integra, stricte est unum per se: at, prout etiam secundariè integrata, non est unum per se perfectate unionis physicæ substantialis, sed tantùm perfectate connexionis, coordinationis, ac reciprocæ dependentiæ naturalis, quâ partes omnes exigunt localiter conjungi, ut invicem conservent se. In hoc etiam posteriori sensu non est unum *per accidens*, si locutione istâ excludatur perfectas mutuæ connexionis, vel conjunctio per se debita utrique extremo, solido, & fluido. Nec verum est, quòd sanguis sit ens completum integraliter; ex se quippe ordinatur ad integrandum animal: sic ramus arboris, tametsi quoad materiam & formam distinctus à trunco, non est ens integraliter completum, ideòque non dicitur arbor constituì ex multis entibus completis.

69 *Replic.* 1.: ergo forma hominis non erit adæquatè spiritualis, & incorruptibilis. *Dist. Consequ.*: forma hominis, sumpta pro animâ, *neg.* (de solâ animâ humanâ docet Fides & ratio, quòd est spiritualis & incorruptibilis; ideòque nemo ex hoc capite impugnat formam corporeitatis in homine assertam à Scotistis; forma autem sanguinis non est anima): forma hominis, sumpta pro formâ cunctarum hominis partium, etiam secundariò integrantium, *conc. Consequ.*: sic enim non est una forma, sed duplex, sine continuativâ unione inter se. Idem tenentur dicere plures ex Adversarijs, qui negant animari hæc & semen; quæ tamen ab Aristotele recensentur inter partes animalis. Item alij negantes, rationali animâ informari ungues, & capillos; quæ tamen veræ sunt partes hominis, à Verbo assumptæ, & in Eucharistiâ vi verborum positæ sub specie panis.

70 *Replic.* 2.: ergo aër, quo indiget homo ad respirandum, erit pars hominis secundaria: vel saltem organizatio accidentalis integritatem hominis constituet. Personæ quòque Divinæ Trinitatis, quia mutuò inter se connexæ, & inseparabiles, invicem coordinabuntur ut partes, aut compartes. *Neg. Consequ.*: quia aër non indiget homine ad existendum, sed seorsùm habet integritatem suam, nec est illi permanenter intrinsecus, sed ingreditur, & egreditur. Accidentia nequeunt dici partes, ubi de integritate substantiali sermo est. Inter Personas Trinitatis, utpotè summè æquales, non datur subordinatio & dependentia, quam sanguis habet respectu animæ, seu corporis animati, ut intimè conjuncti, & ex quâ (non ex merâ connexione & inseparabilitate) suscipit nomen

men

mæn partis integrantis. Hinc etiam negatur (quod objici solet), posse unum totum integrari ex formis hirci & cervi, præsertim si divinitùs conjungantur in eadem materiâ. Negatur, inquam, eo quòd nulla sit inter eas formas naturalis subordinatio, ac dependentia.

71 *Replic.* 3. ex Collegio S. Thomæ: sanguis pertinet ad primariam integritatem naturæ humanæ: ergo animatur. *Prob. Antec.* 1.: quia non minùs necessarius est ad vitam hominis, quàm ossa, & carnes; magis etiam necessarius est, quàm pedes, & manus, cùm sine his possit homo vivere brevi saltem tempore, secùs sine sanguine. 2.: quia salvabitur alioqui sine sanguine tota integritas naturæ humanæ absolutè ac simpliciter: unde ex vi assumptionis humanæ naturæ non sequetur, sanguinem à Verbo assumptum fuisse. 3.: quia, cùm inter terminum primarium & secundarium nulla sit necessaria connexio, ex eo quòd vi verborum ponatur caro Christi sub specie panis, non rectè diceret Tridentinum, sanguinem quòque poni vi connexionis. *Nego Antec.* aperte contrarium doctrinæ D. Thomæ: nam, ut vidimus n. 67., Angelic. Doctor diserte docet, non sanguinem, sed ossa & carnes esse partes, *ex quibus constituitur integritas corporis.* An non hæc est integritas primaria? Docet etiam posse aliquid ex sanguine subtrahi, non diminutâ integritate corporis; secùs autem ex carne, vel osse. Die, oro te, quomodò cum hac doctrinâ cohæreat, quòd sanguis sit pars primaria, seu de primariâ integritate corporis, non minus, quàm caro, & os, & magis, quàm manus, aut pes? Quod enim non sit pars æquè perfecta (ut ait idem Collegium cit. q. 2. n. 65.), quid refert, si nihilominus est æquè pars, & æquè primaria?

72 *Ad 1. prob.*: sicut potest aliquid esse necessarium simpliciter ad vitam hominis, quin sit pars ejus, v.g. concursus Dei, vel aer spirabilis: item, sicut in essentiali compositione æquè necessaria est unio, ac forma, & materia, nec tamen est æquè pars: ita in compositione integrali potest unum esse necessarium æquè, vel magis alio, quin ideo sit æquè vel magis pars compositi. Primaria ergo integritas humanæ naturæ non sumitur nunc ex necessitate majore, sed ex immediatâ correspondentiâ partium corporis ad animam ut talem, idest, ut actum primum corporis organici; qualem correspondentiam habent solæ partes organicæ: sanguis enim, & reliqui humores, ab animâ exiguntur, non immediatè & ratione sui, sed ratione partium organicarum, & in gratiam ipsarum: unde meritò vocantur in præsenti partes secundariæ, etiam respectu capillorum & unguium, attentâ scilicet prærogativâ ordinis ad animam, licèt non attentâ necessitate, vel utilitate. *Ad 2.*: præscindendo à sanguine salvatur naturæ humanæ integritas absolutè & simpliciter, idest, sine addito; sic enim à D. Thomâ absolutè vocatur integritas, quæ juxta ipsum non constituitur ex sanguine: non ita verò, si *absolutè & simpliciter* idem sonet, ac *secundùm omnem modum integritatis.* Constat autem ex Patribus & Ecclesiæ consensu, Christum assumpsisse naturam humanam omnimode integram, ut fieret nobis per omnia similis in naturalibus, specialiusque voluisse sanguinem assumere, quem effunderet in pretium nostræ redemptionis.

73 *Ad 3.*: quòd nulla sit necessaria connexio inter terminum primarium & secundarium, dicitur gratis, & contra principia Thomistarum, qui substantiam & proprietatem solum esse generationis terminos, primarium, & secundarium, inter quos pro culdubiò datur connexio necessaria. Præterea

reà ex myſterio Euchariſtiæ validè redarguuntur Adverſarij : nam ſanguis non ponitur ſub ſpecie panis ex vi verborum, ſed per concomitantiam juxta Tridentinum : poneretur autem, ſi foret pars ad primariam corporis integritatem pertinens ; ſicut ponuntur manus, pedes, ungues, capilli, &c.. Reſpondent Thomiſtæ, vi verborum ſolùm poni ſub ſpecie panis corpus ut præſcindens a vivo & mortuo, ac proinde non poni ſanguinem, qui ſolùm eſt pars primaria corporis viventis. Sed *contrà* 1. : ergo jam præſcindendo à ſanguine ſalvatur integra ſignificatio verborum, *corpus meum*, quæ Chriſtus in cœnæ vivens protulit abſolutè & ſimpliciter. *Contrà* 2. : corpus exſangue mortuum eſt juxta Adverſarios, ſolo probante, illud ex ſanguine conſtituì : ſed corpus exſangue non eſt vivum : ergo corpus mortuum redditur mortuum defectu ſanguinis, qui proindè pars illius erit. *Contrà* 3. : corpus mortuum poteſt habere ſanguinem, ut cernitur in ſuffocatis, & in alijs paſſum : ergo corpus ſanguineum poteſt præſcindere à vivo & mortuo. At, inquis, poteſt etiam carere ſanguine, ut cœnæ corpus Chriſti mortuum. Sed *contrà* iterùm : corpus mortuum poteſt etiam carere capite, & ejus abſciſsione mori : ergo nec caput erit pars corporis mortui : ſi ergo Chriſtus ſe permiſiſſet occidi amputato capite, non poneretur caput ex vi verborum ſub ſpecie panis.

74 Nec magis prodeſt, quod alij reſpondent, ſub ſpecie panis ex vi verborum ſolùm poni corpus quoad partes ſolidas ; quia ponitur per modum cibi ; ſanguis autem eſt potus. Nam *contrà* 1. : dentes & oſſa non habent in uſu hominum rationem cibi ; & tamen ponuntur ex vi verborum. *Contrà* 2. : ſanguis non eſt ineptus ad cibum, ſaltem ut permixtus partibus ſolidis, ſicut mullum nondum ex uvâ expreſſum. Dicendum igitur, duplicem eſſe acceptionem hujus nominis, *corpus humanum*, abſolutè dicti, & utramque propriam, atque integram : ſcilicèt alteram de corpore integro ſecundùm integritatem primariam ; alteram, ſecundùm integritatem omnimodam, incluſis etiam partibus ſecundarijs. Utra ex illis intelligenda veniat, pendet ex intentione loquentis, & ex circumſtantijs. Cùmque Chriſtus D. Euchariſtiæ Sacramentum inſtituens, ſeorsùm dederit ſanguinem ſub ſpecie vini, ſatis expreſsit, ſe ſub ſpecie panis dare corpus integrum ſecundùm integritatem primariam, quæ non conſtituitur ex ſanguine.

75 Reliqua argumenta pauca ſunt, & ſolutu facilia. *Objic.* 1. : ex noſtrâ ſententiâ ſequitur, Verbum Divinum aſſumpſiſſe naturam irrationalem, nempe naturam ſanguinis ex formâ irrationali conſtitutam : unde verè dici poterit, *Deus eſt irrationalis*, ſicut vere dicitur, *Deus eſt homo*. *Reſp.*. Communis Theologorum ſententia poſsibilem agnoſcit unionem Verbi ad naturam irrationalem omninò integram : nemo tamen de facto dari concedit talem unionem, ſaltem permanentem, & ex intentione primariâ. At nec ea ſequitur ex noſtrâ ſententiâ, ſed ſolùm unio Verbi ad naturam irrationalem integraliter incompletam, & per ſe ſpectantem ad integritatem humanæ naturæ, cujuſmodi eſt natura ſanguinis : quâ in re nullum abſurdum, ſicut nec in eo, quod Verbum aſſumpſerit materiam primam. Nec ideò Deus dici poterit irrationalis ; quia non datur communicatio idiomatum cum parte integrali naturę humanæ. Sic non dicitur, *Deus eſt pes*, aut *eſt manus* ; nec dicitur, *Deus eſt ſanguis*, etiamſi ſanguis animetur. Ideò autem dicitur Verbum caro factum, quia ſumitur *caro* pro totâ naturâ humanâ. Ubi nota, quòd idem ſonat, Verbum aſſumpſiſſe ſangui-

ginem mediante animâ (ut Patres loquuntur), ac propter habitudinem ad animam: ideò enim assumptus est sanguis, quia subordinatur animæ, tanquam pars secundaria corporis humani.

76 *Objic.* 3. illud Levit. 17., *Anima omnis carnis in sanguine est.* Quod exponens S. Augustinus q. 57. ait: *Aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maximè in hac carne vivitur.* *Resp.*: anima carnis est in sanguine causaliter, quatenùs vita carnis a sanguine pendet, & fovetur. Sic dicitur Sap. 3., *Justorum animæ in manu Dei sunt*: & Act. 17. de Deo inquit Apostolus, *In ipso vivimus, & movemur, & sumus.* Vide supra disp. 1. n. 80.. Eodem causali sensu loquitur S. Augustinus, ut indicat illa ratio, *quia per ipsum, &c.*. Sic passim dicitur *calor vitalis*, & *aura vitalis.*

77 Tandem *objicitur* Aristoteles 3. de histor. animal. c. 19. dicens: *Quamdiù vita servatur, sanguis unus animatur, & fervet.* Item D. Thomas in 4. d. 44. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 3. ad 3. docens, humores aliquomodò perfici ab animâ debere, licèt non tam perfectè, ac alias partes; sicut partes omnes Universi perfectionem à Deo consequuntur. *Resp.*: verba illa Philosophi non inveniuntur in Græcis exemplaribus, &, ut jacent, absurde significant, nihil præter sanguinem animari. Possunt tamen vera esse per metaphoram de animatione sumptâ pro motu perenni; quo sensu dicimus *argentum vivum*, & *aquam vivam*, dum fluit; ut ex adverso *aquam mortuam*, quæ stagnat immota. Ad locum D. Thomæ concedimus, humores aliquomodò ab animâ perfici; quia virtute animæ augentur, & conservantur: quo etiam sensu perfectionem à Deo accipiunt partes Universi. Ubi notandum, ex eo quòd quatuor humores comparari solcant elementis, quasi ita se habeant in humano corpore, sicut elementa in Universo, non impugnari, sed confirmari potiùs nostram sententiam; siquidem elementa non informantur formâ mixtorum. Comparatio tamen non est quoad omnia: nam elementa suam habent integritatem independenter à mixtis; secùs autem humores humani corporis independenter à partibus solidis: unde corpus humanum, prout constans partibus solidis & fluidis, magis est unum, quam Universum, prout ex elementis & mixtis constitutum.

## CAP. IV.

### *UTRUM RATIONALES ANIMÆ DE facto sint omnes æqualis perfectionis entitativæ?*

78 CErtum est, omnes humanas animas, de facto existentes, aut exturas, ejusdem esse speciei atomæ; cùm ex Fidei doctrinâ constet, Verbum Divinum assumpsisse naturam ejusdem speciei cum cæteris hominibus. Quæstionis tamen est, an omnes in entitativâ perfectione quasi individuali sint penitùs æquales? Negant Thomistæ communiter, quibus obiter favet Exim. Doctor tom. 2. in 3. p. d. 30. s. 5.; quamquam eum ex propriâ mente locutum non satis probat ille locus; sæpè enim probabiles aliorum sententias supponunt Authores, obiter loquentes, & alijs intenti. Negant etiam PP. Rub., Arriaga, & Oviedo (qui tamen ait, sententiam hanc sola prudenti conjecturâ niti), quibus accedunt Echalaz, Tosca, & alij. Sed Thomistæ generatim negant fieri posse, ut individua unius speciei sint prorsùs æqualia, quod cæteris Authoribus displicet. Affirmant vero communiter Authores nostri, ut Fonseca, Cardinal. Toletus, Conimbricenses, Hurtad., Compton., Alphons., Quiros, Peynado., Ulloa. Consentiunt Aversa, Pontius,

tius, & Mastrius, & ex Thomistis Sotus, Soncin., & alij.

79 Cajetanus *cæcos* appellat eos, qui negantem sententiam in D. Thomâ non vident: sed Sotus in c. de subst. q. 2. ad 5., contempto cæcitatis probro, contrariam se videre testatur. Ad me quod attinet, fateor, D. Thomam, non solùm in Sententiarijs, sed etiam 1. p. q. 85. ar. 7., satis expresè favere sententiæ negati. Sed affirmantem non minùs, aut magis expresè docet Aug. Doct. 3. p. q. 69. ar. 8., ubi *ad 3. argum.*, quòd scilicet gratia baptismi debet esse inæqualis, quia inæqualis est capacitas naturalium, etiam in pueris; respondet his verbis: *Dicendum, quòd diversa capacitas naturalium in hominibus, non est ex diversitate materiæ, quæ per baptismum renovatur cum omnes homines ejusdem speciei existentes, in formâ conveniant, sed est ex diversâ dispositione corporum.* Hic locus, cùm sit in postrema opere D. Thomæ, debet anterioribus aliis prævalere. Cui accedit non minùs expressa doctrina S. Doctoris Quodlib. 3. ar. 6., nempe quòd sub eodem genere potest una species esse prior seu perfectior aliâ, sed sub eadem specie non potest unum individuum esse altero prius, nisi tempore tantùm. Quæ est etiam expressa doctrina Aristotelis l. 3. Metaph. c. 3. t. 11.

80 Idcircò tenenda est affirmativa sententia, quæ *probatur* sic. Nullo sufficienti fundamento probatur inæqualitas animarum: cùm ergo identitas specifica fundet pro æqualitate possessionem, omnes censeri debent æquales. Consequentia suam secum portat probationem, & magis firmabitur infrà n. 85. *Prob. Antec.*: non aliâ ratione probatur inæqualitas, nisi vel quia generatim repugnat æqualitas individuorum sub eadem specie, vel quia magna cernitur inter homines operationum inæqualitas, vel quia dissonum est, quòd anima Christi D. non sit perfectior animâ Judæ (hæc sunt omnia, vel præcipua saltem, contrariæ sententiæ fundamenta): sed nulla ex his rationibus idonea est: ergo &c.. *Prob. Min.* quoad 1. partem contra Thomistas: quia prorsùs incredibile videtur, quòd Deus facere non possit duas animas, aut duas albedines, penitùs æquales; nec efficere possit, ut duo homines sint æquè beati, per visiones beatificas omninò pares, cùm oppositum satis appareat ex parabolâ operariorum Matth. 20., & ex communi Theologorum sensu; nec item conferre possit duobus hominibus auxilia intrinsecà prorsùs æqualia, quo redditur de subjecto non supponente celebris illa quæstio theologica, Utrùm ex duobus hominibus æquali auxilio præditis possit alter præ altero consentire? Hæc omnia planè sequuntur ex generali principio à Thomistis assumpto, ut videre est apud Collegium S. Thomæ 1. 2. de anima c. 2. n. 156., videlicet *Quæcumque differunt in aliquâ perfectione, eo modo, & eâ ratione, quâ differunt, non sunt in eâ perfectione æqualia.* Unde colligunt, individua unius speciei cùm necessariò differant in perfectione individuali, siquidem unum non est aliud, necessariò esse individualiter inæqualia. At hæc ratio evidenter militat in individuis, non solùm substantiæ, sed accidentis, v. g. visionis, auxilij, albedinis.

81 Præterea probatur eadem pars: quia individua unius speciei non aliam diversitatem requirunt, quàm quæ sufficit, ut verè distinguantur, sive ut hoc non sit illud, sed sint duo; idcircò enim differentia individualis appellatur *pura numerica*. Ut autem verè distinguantur, non requiritur inæqualitas; cùm sine hac stare possit vera distinctio, ut patet, non solùm in Personis Divinis, sed etiam in duabus lineis palmaribus, quæ, cùm individualiter

liter distinguantur sub eâdem extensionis specie, non sunt certè inæquales. Considera duas quantitates molis æqualiter extentas, & in suo statu connaturali: neutra est perfectior alterâ mathematicè, idest, secundùm extensionem, ut supponitur; nec est perfectior physicè; quia physica perfectio quantitatis sumitur ab exigentiâ extensionis impenetrabilis, & neutra quantitas exigit plus extendi, nec magis, quàm altera, penetrationi resistit. Sunt igitur in omni sensu æquales. Accedit, quòd duplex apprehensio *animal*, à Petro successivè elicita, non est unde hauriat inæqualitatem, cùm & modus tendendi, & causa, & objectum, sint omninò eadem. Accedit insuper, quòd alioquin animæ rationales, ab Adamo ad hæc usque tempora creatæ, servabunt inter se ordinem perfectioris & imperfectioris, ita ut nulla sit alteri æqualis: ergo anima hujus ætatis erit notabiliter, immò incomparabiliter perfectior, vel imperfectior, quàm anima primi parentis, prout nimirùm ordinem instituere velis, vel augmenti, vel decrementi. Quomodò igitur ejusdem est speciei?

82 Probatur jam eadem *Min.* quoad 2. partem. 1.: quia si operationum inæqualitas esset ratio idonea, probaret pariter diversitatem specificam animarum, cùm non qualiscumque inæqualitas, sed notabilis, magnaque distantia inter operationes distinctorum hominum appareat. An non longo intervallo differunt operationes hominum stolidi, & acutissimi? prudentis, & stulti? cæci aut surdi à nativitate, & oculati vel auriti? Certè aliquorum hominum mores & actus non minùs inter se differunt, quàm operationes lupi & canis, aut equi & asini, quorum animæ specie distinguuntur. 2.: quia ex eâ ratione sequeretur, quorundam hominum animas non esse rationales, nec moralitatis, aut liberi arbitrij capaces; quidam enim sunt fatui, adeò infelicem organizationem sortiti, ut toto vitæ tempore careant usu rationis, & libertate merendi ac demerendi. 3.: quia sæpe idem homo pro temporum, ac dispositionum varietate magnam in se experitur operationum & inclinationum diversitatem: sæpè accidit, ut idem ipse mutetur de rudi in ingeniosum, aut è converso, ut morbo memoriam amittat, ut de prudenti delirus evadat. Idem igitur homo passim mutabit animas, sicut tunicas, si varietati humanarum actionum standum est.

83 Et hinc roboratur validè nostra sententia: quia, ut benè arguit P. Ulloa, quoties effectus aliquis ex se indifferens est, ut proveniat ab alterutrâ è duabus causis, quarum altera certò & manifestè existit, altera occulta & incerta est, recta philosophandi ratio postulat, ut effectus ille tribuatur causæ manifestæ, vitando recursum ad occultam: sed inæqualitas humanarum actionum ex se indifferens est, ut proveniat vel ab inæqualitate substantiali animarum, vel à solâ dispositione corporum inæquali, quæ respectu animæ sit per accidens (ut Adversarij fatentur in diversis statibus ejusdem hominis, atque etiam in fatuis, aut omninò rudibus); & aliunde prior ex his causis incerta est, & occulta; posterior autem certa, & manifesta: ergo recta philosophandi ratio &c. Urgetur: sicut in moralibus non sunt adstruenda privilegia inter homines sine sufficienti fundamento, ita in physicis non est asserenda prærogativa perfectionis inter animas sine fundamento, vel indicio idoneo: non est autem indicium idoneum, quod potest ad aliam causam manifestiorem commodè referri.

84 Denique probatur illa *Min.* quoad 3. partem. Nam potiùs Scripturæ consonum est, quòd anima Christi D. sit substantialiter æqualis

animæ Judæ, & cujuslibet hominis. Christus enim, ut ait Apostolus Ad Hebr. 2., *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: unde debuit per omnia fratribus similari.* Quę *similitudo per omnia*, cum non sit in donis supernaturalibus, nec in temperamento, & dispositione accidentali corporis, ut est manifestum, superest ut sit in substantiali & entitativâ perfectione animæ. Itaque anima Christi immensè excedit animam Judæ in donis superadditis; attamen est illi prorsùs æqualis in perfectione entitativâ, sicut est ejusdem speciei, ut fatentur omnes. Æqualitas ista nemini esset horrori, si Judas fuisset eximiè sanctus, ut potuit. Cur ergo nunc horrori sit, cùm Judas non mutaverit animam quoad substantiam? Hinc merito explosa est erroris censura, quâ olim Facultas Sorbonica Parisieni. nostram sententiam damnavit propter istius æqualitatis lèquelam. Decreta Sorbonica non trajant Sequanam, ut jam ferè in proverbium abiit. Et Cardin. Toletus contrariam sententiam potius periculosam esse dicit, cùm ex eâ sequi videatur, animam Christi specie differre à cæteris humanis. Immò, si argumentum sumere licet ab excessu virtutum, atque donorum, anima Christi plusquàm specie differet à reliquis.

85 Probari quoque solet nostra sententia: quia ex oppositâ sequitur, animas viri & fœminæ esse inæquales, & ab alterâ exigi determinate corpus virile, ab alterâ fœmineum. Concedunt sequelam Thomistæ. Sed ejus absurditas probatur 1.: quia inde fieret, in animabus dari differentiam sexûs, saltem inchoativè. 2.: quia, cùm sexus fœmineus sit ignobilior, anima fœminæ semper esset imperfectior animâ viri; cùm tamen experientia doceat, quasdam fœminas multis viris superiores esse constantiâ, prudentiâ, ingenio, &c., quod de Beatissimâ Virgine Deiparâ indubitatum est. Respondet Collegium S. Thomæ cit. q. 2. n. 163., fœminarum animas esse imperfectiores *ex genere*; posse tamen aliquam in particulari perfectiorem esse animâ viri; sicut volitio aliqua potest intellectiones quasdam excedere, licèt volitio ex genere sit intellectione ignobilior. Sed *contrà*: quid sibi vult illud *ex genere*, ubi supponitur, animas viri & fœminæ sub eâdem specie infimâ contineri, solùmque disputatur de inæqualitate individuali? Dices fortasse, tò *ex genere* idem esse, ac *ex communi ratione animę fœmineæ*. Sed quæro, quomodò ratio ista communis, si fundatur in substantiâ animæ, non est propriè generica, vel specifica? Siquidem ab intrinseco infert organizationem valdè diversam à virili, & in radicando potentiam generandi plurimùm differt à virili animâ, præsertim si fœmina in generando non concurrat activè, ut fert sententia communissima. Probationes alias inteà solvendum contraria argumenta dabimus.

*Objectiones repulsæ.*

86 *Objic.* 1. ex Thomistis: nequit stare diversitas substantialis absque inæqualitate: sed differentia individualis animarum est aliqua diversitas substantialis: ergo. *Disj. Maj.*: diversitas substantialis specifica, *omitto* (de hac infrà cap. 6.); diversitas substantialis individualis, *neg. Maj.*, & *cont. Min.*, *neg. Consequ.* Nullâ ratione probabitur *Major* in individuis substantiæ, quæ non ejusdem militet in individuis accidentis, seu formę accidentalis: unde sequentur absurda, quę tetigimus n. 80., & alia consimilia. Huc etiam facit probatio adducta n. 81.

87 *Objic.* 2., & principaliter: inæqualitas operationum vitalium necessariò arguit inæqualitatem animarum: sed ea inæqualitas passim inter homines cernitur, dum alius hebes, alius

alius acutus est, alius Scientias sine Magistro callet, alius magisterio indiget, &c.: ergo. *Prob. Maj.*: quia eo argumento ducimur, ut perfectiorem esse dicamus animam hominis, quàm equi, & hujus, quàm asini; similiterque discurrimus in operationibus & formis inanimatorum. Quodsi ad temperamenti vel organizationis inæqualitatem recurras, in hac ipsâ instauratur argumentum. 1.: quia organizatio & dispositio corporis à naturâ ponitur propter animam ut finem: ergo melior dispositio ponitur propter animam perfectiorem: nam, cùm natura nihil frustrà faciat, nec à casu, non præparat perfectiora media, nisi ut perfectiorem finem obtineat. 2.: quia dispositio organica, prout ultima dispositio est, oritur more proprietatis ab animâ in genere causæ efficientis: ergo quæ perfectior est, oritur ab animâ perfectiore; non enim aliunde nobis constare potest inæqualitas substantiarum, nisi ex proprietatibus physicis. 3.: quia prima exigentia disparis perfectionis accidentium quærenda est in substantiâ, quæ prima est accidentium radix: nequit autem in substantijs æqualibus inveniri exigentia inæqualitatis. *Confirm.*: quia saltem in mare & fœminâ, in quibus organizationis disparitas non est per accidens, inæquales animas esse oportet. *Confirm.* insuper ex Toscâ: quia ex solâ organorum inæqualitate nullatenùs reddi potest ratio, cur aliqui sint rebus metaphysicis maximè idonei; rebus verò mathematicis inepti.

88 *Resp.* Hæc objectio solvenda est Adversarijs ipsis, ut constat ex n. 82., nisi absurdissimè velint, humanas animas inter se specie differre, & earum aliquas non esse rationales, nec visivas, nec auditivas, vel etiam in eodem homine morbo vel ætate mutari animas. Itaque *disj. Maj.*: quando inæqualitas operationum est per se, & ab animarum intrinsecâ exigentiâ, *conc.*; quando est per accidens, & præter exigentiam animarum, ut reipsâ est in hominibus, *neg. Maj.* Ad *prob.* dicimus, inæqualitatem operationum hominis & equi esse per se; quia, cùm nullum animal organizationis equinæ ratiocinari unquàm visum fuerit, meritò colligimus, animam ejusmodi organizationis exactivam, naturâ suâ ineptam esse ad operationes rationales. At, cùm plerique homines ratiocinentur, & aliunde constet, omnes ejusdem esse speciei; cùmque sæpe contingat, ut qui rudis aut amens est, evadat ingeniosus aut prudens, & vice versâ, quas mutationes morbo vel ætate passim accidere conspicimus; jure meritò judicamus, omnes animas, quibus debetur organizatio simpliciter humana, per se esse fœcundas operationum æqualium, totamque in operando inæqualitatem esse per accidens, ex diversâ nempe dispositione corporis, cujus ministerio indiget virtus animæ pro statu unionis. Nec obstant instaurationes argumenti.

89 *Ad* 1. instantia est manifesta in organicâ dispositione fœtûs, vel perpetuò amentis, vel cæci à nativitate, quæ certè non ponitur à naturâ propter animam fatuam, aut delirâm, aut cæcam. A naturâ igitur (idest, à virtute generativâ) propter animam ut finem ponitur organica dispositio corporis, non quoad defectum, sed quoad perfectionem positivam, ad vitaliter operandum utilem. Humana virtus generativa, cùm in omni fœtu intendat animam æquè perfectam, in omni fœtu procurat organizationem æquè perfectam, seu perfectissimam in lineâ organizationis humanæ: sed, ne ad totam perfectionem istam perveniat, sæpissimè impeditur à varijs causis, quæ per accidens adjunguntur, cujusmodi sunt exuberantia vel defectus materiæ seminalis, morbus, quo laboràt uterque parens aut alteruter, alimentorum in-

salubritas, astrorum aspectus, cœli seu aeris intemperies, &c.. Ab his ergo causis, quæ non ubique, nec æqualiter concurrunt, provenit inæqualitas temperamenti, & organizationis humanæ; quæ proinde contingit per accidens respectu animæ fœtûs, & virtutis generativæ: quod Adversarij fatentur, tum in fatuis, cæcis, aut surdis à nativitate, tum in eâ inæqualitate, quam idem homo in se decursu ætatis experitur. Unde colliges, omnem animam rationalem, quæ non obtinet dispositionem corporis summè perfectam in specie humanâ, naturalem aliquam violentiam pati, sicut patitur in corpore stolidi, cœci, aut surdi.

90 *Ad* 2. inprimis eadem redit instantia in organicâ dispositione fatui, &c.. Deinde supponitur ibi doctrina Thomistarum, alibi refutata, de mutuâ priorate, & de resolutione componi usque ad materiam primam. Demùm, etsi admittatur, quòd ultima dispositio, in instanti animationis existens, ab animâ efficiatur, pereunte dispositione præviâ embryonis; nequit tamen negari, quòd ea dispositio debet esse similis præcedenti, quæ materiam relinquit figillatam: quare, si præcedens dispositio embryonis defectuosa erat, defectuosa pariter esse debet quæ resultat ex animâ. Sic, licèt in morte hominis pereant omnia accidentia, & nova repentè producantur, ut Thomistæ volant; tamen propter figillationem materiæ cernimus in cadavere similia organa, cicatrices, nœvos, &c.. Quamvis ergo temperamentum & accidentia organica radicentur aut exigantur ab animâ ut proprietates physicæ pro statu unionis, cùm tamen recipiantur in materiâ contrarijs impressionibus obnoxiâ, possunt non attingere mensuram, quam exigit perfectio animæ. Sic, licet aquæ forma radicet frigus in summo, vix unquam illud assequitur. Non igitur ex hujusmodi proprietatibus benè colligitur inæqualitas animarum. Proprietates autem independentes à materiâ, videlicèt potentias spirituales, negamus inæquales esse.

91 *Ad* 3. rogo, in quâ substantiâ nobis quærenda sit prima exigentia eorum accidentium, quibus homo redditur amens, cæcus, surdus, æger, &c.? eorum item, quibus aqua redditur calida, aër siccus, aut terra humida? Si dicas, hæc esse accidentia peregrina, quorum prima radix non est in composito, cui insunt, sed in agentibus externis; id tibi dictum habe super inæqualitate accidentium corporis humani: negamus enim, quòd ea inæqualitas sit ab intrinseco, & juxta exigentiam animarum. Et quidem, cùm pro varietate regionum soleât homines ut plurimùm esse diversæ indolis, diversique temperamenti, & alij alijs robore vel ingenio præstent, si hoc ad animarum intrinsecam exigentiam referendum esset, sequeretur a naturâ destinatas esse diversas animas pro Europæis, & pro Africanis, aut Americanis; diversas item pro Hispanis, & pro Gallis, aut Danis; quod ridiculum est. Dicunt Thomistæ, non omnem dispositionem corporis oriri per se ab animæ exigentiâ, sed eam duntaxat, quæ in primo instanti animationis existit. Sed unde probabunt, quòd primi instantis dispositio est magis per se, quàm dispositio juventutis, aut virilis ætatis, quæ aptior est ad ratiocinandum? Unde probabunt, quòd non adsit jam à primo instanti animationis defectus ille, vi cujus homo posteà nascitur surdus, cæcus, stolidus, monstrosus? Quid certius, quam quòd monstra proveniunt ab inordinatâ coagmentatione materiæ seminalis? & quòd parentum morbi plurimum imperfectionis conferunt in fœtum, dum primò formatur?

92 *Ad* 1. *confirm.*: licèt dispa-

paritas organizationis in mare & fœminâ non sit per accidens respectu speciei humanæ; est tamen per accidens respectu cujuslibet animæ in individuo; quia quælibet ex se indifferens est ad utrumque sexum. Tum propter dicta n. 85. Tum quia sæpe contigit, ut fœmina mutaretur in virum. Tum quia sequeretur alioquin, hermaphroditos, quibus ineit uterque sexus, vel habere duas animas rationales, vel unam æquivalentem duplici, masculinæ scilicet, & fœmininæ. *Ad 2.*: licèt ex organorum disparitate reddi nequeat perspicua ratio illius discriminis (quemadmodum nec à Tosca, nec ab alio Aromatà reddi potest de innumeris animalium motibus in particulari), quia scilicet nemo nostrûm clare penetrat modum, quo phantasia operatur, & Intellectus subservit; tamen, quin discrimen illud à phantasiâ pendeat, non est dubitandum: constat enim, eos esse aptiores ad Mathesim, ut etiam ad Poesim, & Picturam, qui vividiore phantasiâ pollent. Immò & idem homo pro variâ dispositione capitis ad phantasiandum, nunc magis, nunc minùs idoneus est, ut se in hisce Disciplinis exerceat. Et alioquin, si aliæ præ alijs animalibus essent ab intrinseco aptæ vel ineptæ ad Mathematicam, aliæ ad Metaphysicam, aliæ ad Medicinam, aliæ ad Poeticam, &c., non possent omnes ejusdem esse speciei; cùm certum sit, has Facultates inter se specie differre quoad actus & habitus. Nec refert, quòd omnes earum actus conveniant in ratione intellectionis. Nam etiam sensationes omnes leonis & equi conveniunt in ratione cognitionis, seu perceptionis materialis; & tamen supponunt animas specie distinctas.

93 *Objic.* 3.: possibilis est inæqualitas inter animas ejusdem speciei: ergo de facto admitti debet. *Prob. consequ.* 1.: quia sic facilis & optima ratio redditur inæqualitatis in operando, quam passim experimur: quò spectat illud, *Modus operandi sequitur modum essendi.* 2.: quia, sicut inæqualitas specierum, ita & individuorum, magis conducit ad pulchritudinem Universi: qua de causâ datur inæqualitas inter organizationes & temperamenta hominum, licet omnia sint ejusdem speciei. Omisso *Antec.*, *neg. Consequ.* Ad 1. *prob.*: non est optima ratio, quæ solùm divinando adducitur, quando adest alia certior, & manifestior; ut notavimus n. 83. Illud autem, *Modus operandi, &c.*, probat quidem, non posse operationem esse altioris ordinis, quam virtutem operativam: at non probat, virtutes æquales debere semper æqualiter operari, cùm possit alterutra per accidens impediri, ne totam explicet fœcunditatem. *Ad 2.*: immò potiùs Universum pulchrescit inæqualitate specierum, & æqualitate individuorum; si enim omnia essent inæqualia, foret instar magni palatij, cujus nulla pars altera perfectè responderet. Temperamenta hominum sunt ejusdem speciei quoad vim disponendi corpus, ut suscipiat aut retineat animam; & hoc sensu non sunt inæqualia: non tamen sunt in eâdem specie graduali, nec in eâdem specie proportionis; quia in altero inveniuntur plures gradus caloris, in altero frigoris, & ne de alijs primis qualitatibus, quæ variâ proportione sociantur. Similiter organizationes inæquales, quatenùs figuram important, non servant eandem speciem extensionis, linearum, angulorum, &c.

94 *Objic.* 4. illud Sap. 8., *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Verùm hoc ab omnibus explicandum est: nam in sensu physico, seu transcendentali, nulla est anima non bona: in sensu autem morali nulla est non bona, nisi per peccatum. Dicit ergo Sapiens animam bonam sortitum se

se esse ratione præclaræ indolis, & donorum, quæ ipsi à Deo superaddita sunt. Ad finem observa, posse Thomistis concedi sine detrimento æqualitatis hucusque propugnatæ, quòd unaquæque anima dicat ex se ordinem ad tale corpus individuum, nec potuit in alio recipi. Non enim ordo iste reddit animas inæquales, cùm respiciat corpora substantialiter æqualia, & etiam æqualiter disposita, quantum est ex animarum jure, vel exigentia, licet hæc per accidens frustretur.

## CAP. V.

### UTRUM INTER ANIMAS EJUSDEM speciei atomæ dari possit inæqualitas perfectionis entitativæ?

95 AQuæstione de facto progredimur ad quæstionem de possibili; quæ quidem communis est individuis cujuslibet infimæ speciei; sed nominatim instituitur de animabus, eo quòd in his etiam de facto inæqualitas sub lite sit. Quòd igitur dari possit inæqualitas inter humanas animas, & generatim inter individua ejusdem speciei, præter Thomistas cap. præc. allegatos, qui æqualitatem asserunt impossibilem, affirmant Arriag., Ovied., Peynad., Ulloa, & plures alij. Negant verò Fonseca, Toletus, Hurtad., Compton., Quiros, & alij plures è Nostris, præsertim Recentiores; item Sotus, & alij Thomistæ; necnon Pontius, & Mastrius, qui disp. 10. Metaph. n. 168. allegat Scotum, & alios Scotistas. Prima sententia satis est probabilis; & idcircò eam alicubi supposuimus obiter. Secunda tamen, & negativa, cui planè favent Aristoteles & D. Thomas locis cit. suprà n. 79., nunc amplectenda est ut probabilior.

96 *Probatur* autem sic. Inæqualitas animarum ejusdem speciei nequit inprimis consistere in prædicatis essentialibus, seu specificis: deinde neque in ullo alio prædicato: ergo prorsùs est impossibilis. *Major* negari non potest: nam si duæ animæ forent inæquales in aliquo prædicato essentiali, definitio unius non esset alteri adæquata, nec possent ambæ univocari sub eodem concepto specifico, qui de utráque prædicaretur *in quid completè*, sive *ut tota essentia metaphysica*; consequenterque non forent ejusdem speciei. *Prob. ergo Min.*: prædicata extra essentialia vel sunt proprietates metaphysicæ (ut in homine esse admirativum, & risivum), vel est differentia individualis. At, quòd inæqualitas oriri nequeat ex proprietatibus, certum esse debet: nam, cùm proprietates commensurentur essentiæ ut necessariæ radici, nequit inter eas inæqualitas per se dari, nisi detur etiam inter essentias. Quòd verò nec oriri possit ex differentiâ individuali, suadetur: quia totum munus illius differentiæ est determinare naturam speciei ut sit potiùs hæc, quàm illa, sive hujus, & non illius individui; quemadmodùm totum munus ubicationis, aut durationis, est determinare rem, ut sit potiùs hîc, quàm ibi, vel ut existat potiùs nunc, quàm alio tempore. Cùm ergo munus hoc æqualiter præstent omnes hæcceitates circa eandem naturam specificam, non est unde reddantur inæquales; sicut ob rationem consimilem non est unde inæquales evadant durationes, aut ubicationes naturales ejusdem rei.

97 *Confirm.* 1.: eatenùs differentia individualis posset inæqualitatem inducere inter humanas animas, quatenùs eas redderet inæqualiter intellectivas. Sic sentiunt Thomistæ, & alij ex Adversarijs, qui de facto differentiæ animarum individuali tribuunt inæqualitatem, quæ reperitur inter ingenium vulgare, & acutissimum, v. g. Augustinianæ simile. Atqui repugnat, quòd

quòd major intellectivitas, seu major aptitudo substantialis ad intelligendum, proveniat à differentiâ individuali: ergo &c.. *Prob. Min.* 1.: quia differentia ista, prout condistincta formaliter ab essentiâ, non est ratio agendi, sed mera conditio: ratio enim agendi, seu prima radix operationum, ab omnibus statuitur in essentiâ, cui soli convenit esse naturam, seu principium motûs. Foret autem ratio agendi differentia numerica, si ab eâ proveniret major intellectivitas, siquidem foret ratio intelligendi clarius, & perfectius. Profectò ingenium Augustini cum vulgari collatum, ut minimè loquar, se habet ut 100. ad 20.: ergo superat vulgare quasi 80. gradibus activitatis; quorum ratio, sola erit differentia numerica; nam specifica in utroque ingenio æqualis est, aut eadem. Et hinc ulteriùs fiet, posse aliquem magis esse intellectivum ex vi differentiæ numericæ, quàm ex vi specificæ, consequenterque numericam esse specificâ nobiliorem, utpotè magis naturam, & perfectiùs activam.

98. *Prob.* ead. *Min.* 2.: quod animam reddit magis intellectivam, reddit illam majorem in prædicato essentiali, cùm intellectivitas sit essentialis animæ.: sed majoritas in prædicato essentiali provenire nequit à differentiâ numericâ, quæ extrà essentiam est; & alioquin ex differentiâ illâ proveniret majoritas, adeòque inæqualitas in essentiâ, quæ juxta omnes speciem variat: ergo &c.. Vel *aliter*: majoritas intellectivitatis augeret in animâ effectum formalem *intellectivæ*: major enim est effectus formalis *esse intellectivum ut* 100., quàm *esse intellectivum ut* 20., sicut major formalis effectus est *esse calidum ut* 8., quàm *ut* 4.: ergo id, in quo majoritas illa consistit, debet esse formaliter intellectivitas; sicut id, quod facit esse magis calidum, debet esse formaliter calor: ergo majoritas illa conditio nequit in prædicato extra-essentiali, cujusmodi est differentia numerica. Patet hæc *Consequ.*: quia sequeretur alioquin, quòd prædicatum extra-essentiale foret ejusdem rationis formaliter cum prædicato essentiali, siquidem utraque differentia, tam individualis, quàm essentialis, foret formaliter intellectivitas; id autem non minùs repugnat, quàm quòd risivitas & rationalitas sint formaliter ejusdem rationis. Accedit, quòd individuatio in lineâ metaphysicâ est modus essentiæ; modus autem nequit esse ejusdem rationis cum re, quam modificat, ut patet in physicis.

99. Idem argumentum urget, si dicatur cum P. Oviedo, inæqualitatem animarum provenire, non ex individuali differentiâ, sed ex prædicato quodam medio inter essentiam & individuationem, quod sit accidens metaphysicum respectu essentiæ. Hoc enim accidens foret prima radix operationum, primumque fundamentum intellectivitatis, quâ ingenium Augustini superat vulgaria; siquidem ea intellectivitas non oritur immediatè ad essentiâ, nec mediatè, cùm tale accidens in essentiâ non radicetur, alioquin esset proprietas metaphysica, quod negat Oviedo. Foret insuper ejusdem rationis cum essentiâ, siquidem eam redderet majorem, augeretque formalem ipsius effectum; quod sine dubio est contra conceptum accidentis. Præterea prædicatum illud, licet dicatur accidens respectu essentiæ, cui potest adesse, vel abesse, non est certè accidens indebitum respectu individui, cui per identitatem realem inest: huic ergo individuo debitum est ratione differentiæ individualis; quæ proinde prima radix erit inæqualitatis, quod vitare intendit P. Ovied.

100. Idem quòque argumentum urget, si ponatur inæqualitas animarum, non in vi clarius intelligendi,

sed

sed in eo quòd hęc anima per unam cognitionem claram ut duo possit attingere duos homines, & alia anima per unam cognitionem ęquè claram non possit attingere nisi hominem unum. Nam hinc etiam sequitur, quòd major est intellectivitas unius animę, quam alterius: illa quippe inęqualitas inter cognitiones & animas absolutè pertinet ad lineam intellectivam, sicut ad illuminativam spectat inæqualitas, quâ possit ignis A. illuminare simul spatia duo, & ignis B. eâdem claritate non nisi unum. Si ergo major illa intellectivitas provenit à differentiâ individuali, vel ab accidenti metaphysico, sequuntur absurda, quæ deduximus n. 97. & 98.. Nec refert, quòd illa sit majoritas quasi extensiva. Nam quod reddit formam, aut effectum formalem, extensivè majorem, debet esse ejusdem rationis cum formâ simpliciter denominante, ut patet in calore, & alijs qualitatibus.

101 *Confirm.* 2.: si dari potest inæqualitas individuorum sub eâdem specie, nunquàm ex inæqualitate, quantumcunque magnâ, colligi poterit diversitas specifica. Sequela hæc absurda est apud omnes, præsertim Adversarios, qui docent, non posse unum individuum excedere aliud, nisi *modico excessu*, qui non sit *notabilis*. Sed probatur exemplo ab adversarijs adducto: nam, si cognitio attingens unum hominem, specie non differt à cognitione attingente duos, nec differet specie à cognitione attingente mille homines, vel centiès mille. Patet: quia cognitio unius hominis est ejusdem speciei cum cognitione duorum, & ob eandem rationem cognitio duorum cum cognitione trium, à quâ superatur modico excessu: ergo cognitio unius & cognitio trium sunt etiam ejusdem speciei; nam quæ sunt specificè eadem uni tertio, sunt specificè eadem inter se. Ob rationem consimilem cognitio unius erit ejusdem speciei cum cognitione quatuor hominum, & sic deinceps gradatim usque ad mille, vel usque ad numerum quantumlibet. Nec dubitare licet, quin illud principium, *Quæ sunt eadem uni tertio &c.*, valeat etiam in specificâ identitate. Si enim A., & B. sunt unum & idem secundùm speciem, quidquid verificatur de specie B., verificatur etiam de specie A.; si ergo de B. verificatur identificari specificè cum C., hoc ipsum de A. verificari debet.

102 *Dices*: diversitas specifica pendet ab excessu notabili, qui scilicet magnus sit in æstimatione prudentum: talis autem est ille, quo mille hominum cognitio excedit cognitionem unius. Sed *inprimis* hoc non solvit difficultatem objectam, quòd scilicet cognitiones illæ, siquidem identificantur specificè cum intermedijs, specificè identificari debent inter se. *Deinde* distinctio specifica immeritò ponitur dependens ab æstimatione prudentum. Tum quia, ut arguit P. Quiròs, absurdum videtur relinqui arbitrio boni viri, sumpseritne Deus naturam nostrę speciei. Tum quia leo & equus independenter ab omni extrinsecâ æstimatione distinguuntur specie. Tum quia, cùm varia sint judicia hominum, etiam prudentum, fieri posset, ut canis & lupus, qui apud nos specie differunt, apud Tartaros essent ejusdem speciei. Non tamen contendo, dari à parte rei species formaliter ut prędicabiles; sed tantùm dari fundamentum, vi cujus individua entitativè inæqualia non possint verè univocari sub conceptu specifico, qui scilicet de singulis prædicetur *in quid completè*, sive *ut tota essentia metaphysica*.

*Argumenta contraria.*

103 *Objic.* 1.: non repugnat unum individuum excedere alterum mo-

modico excessu ; cognitio enim attingens tres homines, non nisi modicè exceditur à cognitione attingente quatuor eodem gradu claritatis : sed excessus modicus non fundat diversitatem specificam ; hæc enim debet esse notabilis, seu notatu digna, adeòque non modica : ergo non repugnat inæqualitas individuorum sine diversitate specificâ. *Confirm.* 1. : quia visiones beatificæ, licèt inæquales in claritate, & in derectione plurium possibilium, à Theologis dicuntur ejusdem speciei. *Confirm.* 2. : quia habitus adquisitus, cùm perficitur ; inclinare solet ad actus clariores ijs, à quibus est genitus ; & tamen ad actus specie diversos inclinare non potest. *Ad object.*, concessâ *Maj.* de individuis, quæ non supponantur ejusdem speciei, *neg. Min.* : quia excessus perfectionis, quantùmvis modicus, cùm oriri nequeat à differentiâ individuali, oritur à prædicato essentiali, & aliquid addit essentiæ specificæ, quam proinde necessariò variat ; sunt enim essentiæ (ut passim dicitur), sicut numeri, qui quâlibet additione, vel detractione variantur. Et hinc excessus ille diversitatem inducit notabilem ; talis enim censetur, quæ non oritur ex eo præcisè, quòd hoc non sit illud, sed pertinet ad essentiam speciei ; hæc enim secundùm se totam, nullâ exceptâ formalitate modicâ, est digna notatu, idest, consideratione scientificâ. Quapropter cognitio quatuor hominum specie differt à cognitione trium ex modo tendendi, vi cujus secum identificat tendentiam ampliorem in lineâ cognitionis.

104 *Ad* 1. *confirm.* : visiones beatificæ differunt specie philosophicâ, licèt sint ejusdem speciei theologicæ, desumptæ scilicèt ex objecto formali, quod est Divina essentia ; quo ex capite desumunt Theologi specificam identitatem. Et instatur objectio : quia inter visiones beatificas datur inæqualitas admodùm notabilis : non enim modico excessu gloria Pauli Apostoli superat gloriam parvuli statim post baptismum decedentis. *Ad* 2. : admissâ, quoad præsens attinet, eâ doctrinâ, dicimus, actus clariores specie differre à præcedentibus ; non quidem ex objecto formali (quo sensu habitus adquisitus dicitur inclinare solùm ad actus ejusdem speciei), sed ex majore claritate, quam secum identificant circà idem objectum, & quæ nequit ex individuatione provenire, cùm augeat specificam perfectionem actuum.

105 *Objic.* 2. : inter individua ejusdem speciei potest dissimilitudo aliqua reperiri ratione hæccitatis : ergo & aliqua inæqualitas. *Prob. Consequ.* : quia identitati specificæ non minùs opponitur dissimilitudo, quàm inæqualitas : si ergo nihilominùs ab hæccitate oriri potest dissimilitudo modica sine detrimento identitatis specificæ, cur non & modica inæqualitas ? *Confirm.* : possunt aliqua individua similitudinem habere inter se majorem, quàm cum alijs ejusdem speciei : v.g. major est similitudo inter uniones possibiles, quibus uniri possunt corpus & anima Petri, quàm inter uniones Petri & Pauli ; nam illæ solùm conveniunt in ratione unionis humanæ, illæ verò inter se conveniunt insuper in ratione unionis talium extremorum ; & tamen utræque sunt ejusdem speciei ; alioquin Petrus & Paulus distinguerentur specie, utpotè constituti ex unionibus specie diversis. Ob eandem rationem major similitudo est inter ubicationes Petri, quàm inter has & ubicationes Pauli : major item inter actiones combustivas, ortas ab igne A., quam inter has ipsas & actiones ortas ab igne B. : nec tamen idcircò variantur species ubicationum, aut actionum. Pariter ergo poterunt aliqua individua magis esse æqualia inter se, quàm cum alijs ejusdem speciei.

106 Objectio probat, omnia individua, ficut ſunt neceſſariò diſſimilia ratione hęcceitatis, ita eſſe neceſſariò inæqualia; quod tamen, ſi Thomiſtas excipias, cæteris Adverſarijs omninò diſplicet. Itaque *neg. Conſequ.*: & *ad prob. diſt. Antec.*: non minus opponitur diſſimilitudo, pręcisè conſiſtens in eo, quòd hoc non ſit illud, aut inde neceſſariò derivata, *neg.*; conſiſtens in aliquo alio, *conc. Antec.* Tum in *Conſequentis* negandum, quòd ab hęcceitate oriri poſsit alia diſſimilitudo, quàm quę neceſſariò derivatur ex eo, quòd hoc non ſit illud, ſive ex differentiâ numericâ: ex hac autem diſſimilitudine nulla eſt illatio ad inæqualitatem perfectionis, etiam modicam: quia inæqualitas illa fundari nequit in individuatione, cùm omnis individuatio æqualiter præſtet unicum munus ſuum, nempe modificare, ſeu determinare naturam ſpeciei; poteſt tamen, ac debet in ea fundari diſſimilitudo aliquas nam individuatio, eo ipſo quòd differentia ſit, diſſimilitudo eſt.

107 *Ad Confirm.* fateor, ex individuis modalibus poſſe aliqua inter ſe ſimiliora eſſe, quàm alijs ejuſdem ſpeciei; quod apud me convincunt allegata exempla, quidquid alij dicant. Verumtamen in ijs etiam tota majoritas ſimilitudinis, aut diſſimilitudinis, dérivatur, & neceſſariò quidem, ex eo quòd hoc non ſit illud, derivatur, inquam, mediatè ſaltem: ex eo enim, quòd Petrus non ſit Paulus, oritur neceſſariò, modos Petri, utpotè ipſi eſſentialiter allegatos, non poſſe modificare Paulum, nec è converſo; ac proinde plures Petri ubicationes (idem puta de actionibus, & unionibus) convenire inter ſe in modificando Petrum potiùs, quàm Paulum, & in eo ipſo diſſimiles eſſe ubicationibus Paulinis. Hinc inæqualitas illa ſimilitudinis non inducit diverſitatem ſpecificam; quia non eſt notabilis, ideſt, digna notatu ſcientifico; Scientiæ quippe notare non curant, ſed potiùs negligunt differentias pure numericas, & conſequenter quidquid ex his differentijs neceſſariò reſultat. Nec item eſt inæqualitas perfectionis; quia nulla inde perfectio accreſcit ubicationibus Petri, quæ non compenſetur per æquivalentem aliam in ubicationibus Pauli. Unde colliges, non eandem eſſe rationem de inæqualitate ſimilitudinis, ac perfectionis, quàmvis multi de utrâque cenſeant eodem modo. Nam ſimilitudinis inæqualitas à differentiâ numericâ oriri poteſt, ut explicuimus, habetque tunc certam regulam, quâ diſcernatur ab inæqualitate ſpecificâ, videlicèt dum ex eo prę-cisè derivatur, quòd hoc non ſit illud. At non ita ſe habere poteſt inæqualitas perfectionis, ut ex noſtris probationibus conſtat.

108 *Objic.* 3.: cum identitate generică ſtare poteſt inæqualitas ſpecifica: ergo cum identitate ſpecificâ ſtare poterit inæqualitas individualis. *Neg. Conſequ.*: quia perfectio generica non eſt menſura ſpecificę: non enim perfectio ſpecificæ differentiæ præcisè conſiſtit in munere modificandi ſeu contrahendi genus, ſed inſuper in radicando proprietates, & operationes ſpeciei; quo ex capite poſſunt, ac ſolent differentię ſpecificæ inæquales eſſe. At perfectio ſpecifica eſt menſura perfectionis individualis, cùm individuatio ſit eſſentię ſpecificę puras modus, cujus totum munus eſt eſſentiam determinare, ut ſit hujus, & non illius individui. Præterea inſtatur objectio: quia identitas generica ſtat cum inæqualitate ſpecificâ, non ſolùm modicâ, ſed magnâ, valdeque notabili.

109 *Objic.* 4.: cognitio clara ut unum, non differt ſpecie ab ejuſdem objecti cognitione clarâ ut duos ſolùm quippe differt penes magis & minùs, ſicut gratia ut unum à gratiâ ut duos; & ut eſt in proverbio, *magis & minùs*

*minùs non variant speciem*: ergo nec specie differunt duæ animæ, quarum altera solùm sit productiva cognitionis ut unum, altera cognitionis ut duo; cùm tamen illæ sint inæquales. *Neg. Antec.*: quia nequit à prædicato extra essentiali provenire, quòd una cognitio sit duplo perfectior alterâ in linea cognitionis: & aliòquin nec specie differret cognitio clara ut unum à cognitione clarâ ut mille, quia solùm differret penès magis & minùs; unde anima ex se limitata ad claritatem ut unum, foret ejusdem speciei cum animâ ex se idoneâ ad claritatem ut mille; quod penitùs apparet absurdum. Illæ igitur cognitiones specie differunt, non ex objecto, sed ex modo tendendi, ex quo etiam actus specificari solent: tendentia quippe secum identificans majorem claritatem, inducit novitatem speciei, quia novam importat prædicatum essentiale, nempe identitatem istam. Suppono ex dictis disp. 3. de Gener. n. 10., cognitionis intensionem non fieri per additionem realem, sed esse impropriam, seu virtualem, sitam scilicet in eo, quòd una simplex cognitio sit entitativè perfectior alterâ. Quòdsi velis, ut cognitio fiat clarior per additionem gradûs ad gradum, etiam sic ex majore claritate variatur species incompleta, juxta nostra principia de heterogeneitate graduum; quæ procedunt etiam in gratiâ, & quâvis aliâ qualitate intensibili.

110 Porrò, magis & minùs in intensione, licet non varient speciem completam, variant incompletam, ut diximus disp. 3. de Gener. n. 73.. Immò semper speciem variant in eâ lineâ, in quâ perfectionis inæqualitatem inducunt. V.g. calor ut octo, & calor ut unum, etiamsi fiat intensio per gradus homogeneos, differunt specie graduali, seu integrali: nam excessus 7. graduum in calore ut 8. non est purè individualis, cùm non derivetur ex eo præcisè, quòd hoc non sit illud (ad id enim sufficeret quòd uterque calor esset ut unum), & aliunde augeat activitatem, seu rationem agendi, vimque præstandi formalem effectum calorishac etiam ex causâ excessus ille non est extra-essentialis, sed calorem auget *secundum essentiam*, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 24. ar. 4. ad 3.: & certè, datâ homogeneitate, gradus omnes sunt ejusdem rationis, nec est cur primus sit essentialior cæteris. Hinc ab utroque calore, ut 1., & ut 8., nequit abstrahi ratio communis, quæ de utroque prædicetur in quid complete, sive ut tota essentia, nili calor ut 8. á suâ integritate præscindatur. Id ipsum cogita de calore magis, & minùs extenso: etem de igne palmari, qui pariter specie integritatis differt ab igne bipalmari; ut etiam collectio centum hominum à collectione decem, si consideretur ut unum quid unitate aggregationis.

111 Cùm ergo dicitur, quòd *magis & minùs non variant speciem*, sermo est de specie præscindente à determinatâ integritate, & magnitudine physicâ, qualiter significatur per simplicia nomina rerum divisibilium, ut *calor*, *candor*, *ignis*, *aqua*. Species enim sic accepta, quæ verificatur de individuis magnis ac parvis, intensis ac remissis, integris ac mutilis, & completè quidem, dummodò individua ipsa cum simili præcisione sumantur, ut fieri solet. Atque in hoc sensu procedit quæstio hucusque disputata: non enim quæritur, an unum individuum possit esse perfectius altero ex additione reali? sed an ex eo, quod indivisibiliter secum identificet aliquam perfectionem, quâ caret alterum? Denique observa, quòd, si à Deo crearetur anima rationalis perfectiùs operativa, quàm anima humana de facto existens, illa constitueret animal rationale specie diversum: non enim animal rationale dicitur spe-

cies infima, seu atoma, nisi quatenus importat eam vim sentiendi & discurrendi, quę de facto est in hominibus, cum exclusione majoris. Vid P. Quiros disp. 78. n. 12.

## CAP. VI.

### *UTRUM CUM SPECIFICA DISTINCTIONE Animarum stare possit æqualitas perfectionis entitativæ?*

112. HÆc etiam quæstio communis est cujuscumque generis individuis, aut speciebus; & occasione præcedentis hic disputari solet. Æqualitas, & inæqualitas, nomina sunt pro quantitate molis inventa; unde est illud Aristotelicum, *Æqualia sunt, quorum quantitas est una*, idest, unius mensuræ, v. g. ulnaris, aut bicubitę. Extenduntur tamen analogicè ad perfectionem, quæ per identitatem convenit unicuique rei: hæc enim perfectio, prout magis aut minùs æstimabilis est, dicitur *tanta*, vel *tanti faciendа*; &, sicut vocatur *magna* vel *parva*, *major* aut *minor* comparatione alterius, ut cùm unus Angelus alteri comparatur; ita vocari potest *æqualis*, aut *inæqualis*. Hinc æstimabilitas illa (quę reipsà est physica & essentialis bonitas, aut melioritas, juxta illud Augustini 6. de Trinit. c. 7. *In his, quæ non male magna sunt, idem est majus esse, quod melius esse*) vocatur passim *quantitas virtutis*, aut *perfectionis*, & interdùm *quantitas transcendens*: soletque à nobis explicari per gradus, ita ut unus Angelus v.g. dicatur perfectus ut tria, alter ut quatuor, &c.; non quòd gradibus constet, aut partibus physicis ea quantitas, cùm constillat in indivisibili, sive in prædicatis realiter identificatis; sed quia nescimus aliter magnitudinem, aut tantitatem ejus exponere. Sensus igitur quæstionis est, utrum fieri possit, ut duæ animæ, vel res aliæ, specie distinguantur, & tamen æquè perfectæ sint omnibus pensatis, ita scilicèt, ut, licèt altera careat prædicato specifico alterius, illud tamen compenset per aliud prædicatum dissimile, quod sit æquè æstimabile judicio, ut sic loquar, Authoris naturę?

113. Negant Thomistę, apud quos omnis dissimilitudo, seu diversitas, præsertim specifica, necessariò importat inæqualitatem. Negant etiam pauci è Nostris cum P. Vazquez, & Mastrius Scotista. Sed affirmant plerique Nostrorum, quibus præluxit Exim. Doctor d. 29. Met. s. 3. n. 16., ubi, licèt negativà sententiâ tamquam probabili utatur obiter, ejus tamen fundamenta inefficacia esse significat, atque ita viam sternere visus est ad eam expugnandam. Accedunt Aversa, Calagurris., Pontius Scotista, & alij. Placet affirmativa sententia: quę, cùm solam adstruat possibilitatem, satis probatur ex non ostensione repugnantiæ, seu ex objectionum solutione, mox dandâ. Sed præterea positivè suaderur: quia dissimilitudo, seu diversitas, non necessariò importat inæqualitatem: ergo cum diversitate specificâ stare potest æqualitas perfectionis.

114. *Instab. Antec.* 1.: quia, nisi verum sit, quocumque in ordine detur diversitas, necessariò dabitur inæqualitas in eodem ordine. Hoc autem falsum esse constat in ordine morali; in quo plura censentur æqualia, quę tamen diversa sunt, non solùm physicè, sed moraliter; ut patet in venditionibus, & permutationibus, v. g. cùm equus auro vendicur, vel tritico permutatur. In his enim contractibus servanda est æqualitas ex præscripto justitiæ commutativæ; & tamen equus & triticum valde inter se differunt moraliter. Patet hoc: quia deserviunt ad usus humanos valde diversos: quare, sicut physicè differunt, quæ ad diversa munera physica, sive ad diversos natu-

tales effectus ordinantur; ita moraliter differre necesse est, quæ ad diversos ordinantur humanos usus. Accedit, quòd meritum, & præmium, res sunt diversi generis in ordine morali; & tamen non est dubium, quin meritum remunerari possit æquali præmio. Accedit etiam communis hominum sensus, qui sæpe comparans artefacta, vel ingenij opera, vel ingenia ipsa, reputat æquè perfecta, quàmvis dissimilia: unde Sallustius & Livius olim dicti sunt *pares magis, quàm similes*.

115 *Prob.* idem *Antec.* 2.° quia, si dissimilitudo necessariò imbiberet, aut induceret inæqualitatem, crescente, vel decrescente dissimilitudine, deberet ex eodem capite crescere, vel decrescere inæqualitas. At, quòd res aliter accidat, perspicuum est: nam Cœlum ex capite incorruptibilitatis, quam habet in sententiâ communi & Thomisticâ, redditur magis dissimile homini, quàm si esset corruptibile, vel si constaret materiâ ejusdem speciei cum sublunari: tunc enim foret homini simile in formalitate corruptibilis, & in parte physicâ; nunc autem in utrâque dissimile est. Et tamen Cœlum ex eo capite non redditur homini magis inæquale: nam procul dubiò magis excederetur ab homine in entitativâ perfectione, si foret corruptibile, & ex materiâ simili constitutum: foret enim tunc imperfectius, quàm modò est, ac proinde magis distaret à perfectione hominis, qua nunc excedituv absolutè. Idem argumentum fieri potest in cognitione supernaturali; quæ, si compararetur ad Angeli substantiam, ex capite supernaturalitatis redditur dissimilior Angelo, quam alia naturalis cognitio; nec tamen redditur magis inæqualis, cùm minùs excedatur in perfectione.

116 *Prob.* 3. exemplis: nam tres Divinæ Personæ penes conceptum relativum dissimiles sunt, & tamen omninò æquales: &, si omnes eandem assumerèt humanitatem, tres unio-nes hypostaticæ forent notabiliter dissimiles, & nihilominùs omninò pares. Duæ item ubicationes Petri, Romana, & Mauritensis, vel duę durationes ejusdem, hesterna, & hodierna, dissimiles sunt; nec tamen vel minimum inæqualitatis indicium exhibent. Præterea, multa sunt manifestè dissimilia, quæ non sunt manifestè inæqualia, v. g. sapphirus & smaragdus, vel color viridis & cæruleus. *Dices*: inæqualitas semper est manifesta in dissimilibus: at non semper apparet, quodnam extremum sit majus altero. Sed *reflecteris* exemplo, quo nos impetunt Adversarij: nequeunt enim duo esse manifestè inæqualia in quantitate molis, v. g. duo humana corpora in statura, quin statim appareat, quodnam sit majus altero. Et quidem, sicut discrimen utriusque staturæ percipitur oculis, ita & discrimen colorum, viridis, & cærulei.

117 *Prob.* 4. quasi à priori: quia non repugnat physicam æstimabilitatem unius prædicati perfectè compensari per aliud dissimile: sed, datâ compensatione, datur æqualitas: hæc ergo cum dissimilitudine cohærere potest. *Prob. Maj.*: tum exemplo æstimabilitatis moralis, præsertim meriti & præmij, ex num. 114. Tum quia non repugnat una species æstimabilis, sex perfecta ut quinque, alia ut tria, alia ut duo: ponamus ergo hunc ordinem perfectionis in aquilâ, cygno, & columbâ. Quo posito, excessus duorum gradium, quo aquila superat cygnum, compensabitur per accessum columbæ, ita ut complexum ex cygno & columbâ sit æquè perfectum, ac aquila, utpotè continens tres & duos perfectionis gradus, atqueadeò totidem, quot in aquilâ reperiuntur, nempe quinque. At compensatio ista fit per prædicata specie dissimilia. Tum demùm, quia per-

perfectio individualis, quâ unum individuum differt ab altero ejusdem speciei, v. g. Petrus à Paulo, perfectè compensari potest per individualem perfectionem alterius: non enim repugnat (immò in nostris principijs necessarium est), quod intra eandem speciem duo individua sint penitùs æqualia. Hoc fatentur cæteri Adversarij, præter Thomistas, & satis constat ex dictis n. 80., & 81., & toto cap. 5.

*Solvuntur Objectiones.*

118 *Objic.* 1. multiplex Aristotelis textus. Quorum in 1. dicitur, Species esse sicut numeros: ut ergo inter numeros non cohæret cum æqualitate diversitas, sic nec inter species. In 2., dari ordinem prioris & posterioris, idest, nobilioris & ignobilioris, inter differentias contrahentes genus. In 3., sub genere latere æquivocationes, idest, species inæquales. In 4., differentias specificas inter se comparari, sicut comparantur privatio & habitus: at inter privationem & habitum dari nequit æqualitas. *Resp.* Nullus ex ex his textibus nobis adversatur. Non 1.: quia ipse Aristot. ibi, nempe 8. Metaph. t. 10. explicat, eatenùs species comparari numeris, quatenùs additio vel detractio alicujus prædicati variat speciem, sicut numerum variat additio vel detractio alicujus unitatis. Fit igitur comparatio, non quoad inæqualitatem (nisi forsan de facto), sed tantùm quoad variationem. Non. 2.: quia Philosophus 3. Metaph. t. 11. docet quidem, illum ordinem dari (quod fatemur, saltem ut plurimùm), sed non docet, esse metaphysicè necessarium in omni differentiâ. Non 3.: quia similiter loquitur de facto, vel ut plurimùm, nec oppositum dicit impossibile. Non 4.: quia comparatio illa 10. Metaph. t. 17. non fit quoad omnia; alioquin differentia una foret mera negatio alterius, nullam que perfectionem diceret instar privationis. Eatenùs ergo differentiæ specificæ se habent ut privatio & habitus, quatenùs in unum coire non possunt, sed altera necessariò importat exclusionem alterius: quod tamen cohærere potest cum æquivalentiâ in perfectione dissimili. Solet etiam nobis objici D. Thomas 1. p. q. 47. ar. 2. & q. 76. ar. 3.; item q. de spirit. creatur. ar. 8., & Quodlib. 3. ar. 6.. Sed in his locis asserit quidem Angel. Doctor inæqualitatem specierum de facto, sicut numerorum; non tamen significat, æqualitatem repugnare, vel excludi aliunde, quam ex perfectione Universi.

119 *Objic.* 2. quæ differunt specie, differunt in perfectione specificâ; nam hæc perfectio consistit in specificâ differentiâ: ergo differunt in quantitate perfectionis specificæ; quantitas enim hæc indistincta est a perfectione specificâ tanti æstimabili: ergo non sunt æqualia in perfectione specificâ. Patet hæc *Consequ.*: quia non sunt æqualia, quorum quantitas non est una, & eadem: sed non est una & eadem quantitas perfectionis specificæ in ijs, quæ in hac ipsâ quantitate differunt, ut est manifestum: ergo &c. *Confirm.* 1.: non stat duo esse diversa in quantitate molis, & non esse mole inæqualia: ergo nec stat duo esse diversa in quantitate perfectionis, & non esse perfectione inæqualia. Sed quæ sunt diversa in perfectione specificâ, sunt diversa in quantitate perfectionis; nam in perfectione specificâ idem est esse diversam, ac esse tantam, seu non majorem, nec minorem, cùm ea consistat in indivisibili: ergo nequeunt non esse perfectione inæqualia. *Confirm.* 2.: res constituuntur in diverso esse specifico juxta diversam perfectionem specificam: ergo & juxta diversam quantitatem virtutis, cum quantitas illa non distinguatur à tali perfectio-

tio-

tione. Vel aliter: res constituuntur in diversâ specie juxta diversum modum participandi perfectionem genericam: sed diversus participandi modus, est major, vel minor perfectio in participando: ergo, *Confirm.* 3.: quæ conveniunt in eodem gradu perfectionis specificæ, v. g. ut sex, conveniunt in eâdem specie; nam essentia speciei, & gradus perfectionis specificæ, sunt idem realiter, & formaliter: sed quæ sunt æqualia, conveniunt in eodem gradu perfectionis specificę: ergo sunt ejusdem speciei.

120. *Objectio* instatur contra plures ex Adversarijs in individuis ejusdem speciei, quorum necessaria inæqualitas in perfectione individuali probari potest eodem argumento. Instatur etiam contra Adversarios omnes, in æqualitate morali, quę pariter dari non poterit inter duo moraliter diversa, v. g. inter meritum & præmium, vel inter panem & vestem, si quis panem cum veste permutare velit servatâ æqualitate justitiæ: non enim poterit in his una & eadem esse quantitas æstimabilitatis moralis. Præterea dictum illud, *Æqualia sunt, quorum quantitas est una*, quo tota nititur objectio, propriè locum habet in quantitate propriè tali, cujusmodi est quantitas molis: at in perfectione specificæ, quæ solùm analogicè, seu metaphoricè & impropriè dicitur quantitas, verificari non debet nisi impropriè; ita scilicet, ut tò *una* non necessariò significet unitatem formalem, quâ possunt duo univocari sub eodem conceptu specifico, sed solùm unitatem sumptam pro æquivalentiâ, quo sensu dici solet, hoc & illud esse unum & idem æquivalenter, v. g. meritum & præmium, vel equum & pecuniam, quâ venditur, & in naturalibus Solem & ignem in vi urendi & illuminandi. At æquivalentia coheret optimè cum dissimilitudine specificâ in eâ ipsâ ratione, quâ duo æquivalent; ut patet ijsdem exemplis, atque etiam cùm quis oblectationis gratiâ musicam citharæ & cantûs aureo emit, tamquàm justo & æquali pretio: quis enim ambigat, valde dissimilem esse rationem æstimabilitatis in musicâ, & aureo?

121. Itaque *ad object.*, concesso *Ethymem.*, *neg.* 1. *consequ.*. In cujus *prob. diff. Maj.*: quorum quantitas (nempe virtutis, aut perfectionis) non est una & eadem, nec formaliter, nec æquivalenter, *conc.*; solùm formaliter, sive in ordine ad conceptum univocum, *neg. Maj.*. Tum *diff. Min.* non est una & eadem formaliter, *conc.*; æquivalenter *neg. Min.*: & *Consequ.*. Dices, hâc solutione principium peti, seu per conclusionem responderi; quia duo esse unum æquivalenter, & non formaliter, idem sonat, ac esse æqualia, & non similia in specie. Benè: dum igitur contra nos argois, non posse æqualia esse, quæ non sunt unum in quantitate, subintelligendo unitatem specificam, nihil dicis, nisi quòd non possunt æqualia esse, quæ non sunt ejusdem speciei: tuam ergo conclusionem inculcas, & nihil amplius. Quid ergo mirum, si tibi per conclusionem oppositam respondetur? Itaque nostra solutio est, nihil nobis obstare, quòd æqualium quantitas duatur una; quia tò *una* sæpè admittit additum *æquivalenter*, cùm dissimilitudo intervenit; ut exemplis nuper ostendimus: & quantitas virtutis, quæ cum tali addito fit una, locum habet inter species dissimilia. Superest, ut hoc impugnes.

122. *Ad* 1. *Confirm. neg. Consequ.*: quia quantitas molis supponitur ubique homogenea, & ejusdem rationis, nullâque admittit differentiam, nisi penes magis & minùs in extensione localitunde ne quit una differre ab aliâ, nisi eo præcisè quòd major sit, aut minor. Idem puta de numeris, in quibus solùm attenditur, quòd tot unitatibus constent, neglectâ di-

diversitate entitativâ ; idem quippe, vel ejusdem rationis numerus censetur binarius lapidum, & binarius Angelorum : unde nulla est differentia inter numeros, nisi ex eo, quòd unus plures aut pauciores contineat unitates, quàm alter, ac proinde major aut minor sit. At quantitas perfectionis specificæ non est ubique homogenea, sed plures crescendi ac decrescendi lineas admittit admodùm heterogeneas, in quibus dari potest differentia magna ex alio capite desumpta, quàm ex majoritate, vel minoritate. Adde claram instantiam : nam duæ quantitates molis, v. g. palmaris & semipalmaris, nequeunt esse inæquales, nisi quia de extensione homogeneâ plus habet una, quàm altera ; vel quia una continet alteram, & aliquid ultrà : ergo nec duæ species poterunt esse inæquales, nisi quia de perfectione homogeneâ plus una, quàm altera continet : ergo homo & equus solùm different secundùm plus & minus perfectionis homogeneæ non aliter ac palmus & semipalmus, ita scilicet, ut homo contineat hinnibilitatem, & aliquid ultrà.

123 *Ad 2. Confirm.* conceditur Enthymema, nobis haud noxium, cùm non idem sit, quantitatem virtutis esse diversam, ac esse inequalem. At in superaddito Syllogismo *neg. Min.*, quam Adversarij non probant. *ad 3. dist. Maj.* : quę conveniunt in eodem gradu, qui sit idem formaliter, *conc.* : qui sit idem æquivalenter solùm, *neg. Maj.*. Tum *dist. Min.* : conveniunt in eodem gradu, qui sit idem æquivalenter, *conc.* ; qui necessariò sit idem etiam formaliter, *neg. Min. & Consequ.* Vel *dist. Consequ.* : sunt ejusdem speciei æquivalenter, quatenùs pertinent ad duas species, quarum una tanti æstimatur, quanti altera, *conc.* ; sunt ejusdem speciei formaliter, seu ita ut possint univocari sub eodem conceptu specifico, *neg. Consequ.*. Sic facilè solutum habes argumentum, quod ex Aureolo desumptum vocat Mastrius ineluctabile, ac sibi evidentissimum, & quo uno utitur etiam Collegium S. Thomę Complut..

124 *Objic.* 3. : quæ sunt æqualia, commensurari debent, ita ut unum sit alterius mensura : sed quæ sunt specie dissimilia, nequeunt ita commensurari ; nam mensura & mensuratum juxta Aristotel. debent esse homogenea ; idcòque nemo per ulnam metitur horam temporis, aut libram ponderis, sed necesse est pondus pondere, durationem duratione, longitudinem longitudine mensurari : ergo &c.. Hæc objectio æquè probat contra Adversarios, & contra omnes, non posse species diversas esse inæquales, cùm pariter non nisi metiendo deprehendi possit inæqualitas ; unde ulna & hora, vel hora & libra, nec sunt æquales, nec inæquales. Ut igitur intellectus, saltem Divinus, potest ita comparare duos Angelos specie diversos, ut dicat, quis quem excedat, & quantum excedat ; sic poterit duas species ita comparare, ut neutrâ ab alterâ superari censeat. Itaque *neg. Min.*, quin obstet adjuncta probatio : nam illud de mensurâ homogeneâ dictum est pro mensurâ molis, durationis, & gravitatis ; non verò pro mensurâ perfectionis entitativę, quæ potest à mensurato differre specie, immò & genere ; quoniam juxta doctrinam Aristotelis, primum in unoquoque genere est mensura cæterorum, & primum ens est mensura rerum omnium. Poterit tamen commensuratio perfectionis analogicè vocari *ad pondus* ; quatenùs concipimus, hanc & illam speciem, hinc inde appensam in trutinâ judicij apud æquum æstimatorem, inveniri æqualis ponderis, aut momenti.

125 *Objic.* 4. : quæ distant inæqualiter à primo Ente, atque etiam à non ente, sunt inæqualia : sed quæ

ſpecie differunt, inæqualiter diſtant à primo Ente, nempe à Deo, atque etiam à non ente, ſive à nihilo; alioquin non forent diſſimilia: ergo &c.. *Confirm.*: quæ ſunt æqualia, æquè participant Divinam perfectionem: ergo æquè ſunt Deo ſimilia: ergo nequeunt eſſe inter ſe diſſimilia; nam quæ ſimilia ſunt aui tertio, ſunt & inter ſe. *Ad object. neg. Min.*: quia diſſimilitudo ſpecifica non ſumitur ex inæquali diſtantiâ, ſeu ex inæquali acceſſu ad primum ens, ſed ex diverſâ indole acceſſûs, ſeu ex diverſo modo diſtandi. Cùm enim Deus, licèt formaliter ſimpliciſſimus, eminenter contineat perfectionem multiplicem, infinitè variabilem, & ad lineas diverſas ſpectantem, nihil prohibet, quòd plures creaturæ per diverſas lineas ad ipſum æqualiter accedant, ſeu ab ipſo æqualiter diſtent. Nihil item prohibet, quòd recedant æqualiter à nihilo, quàmvis inter ſe plurimum diſtent. Sic duo poli, Arcticus, & Antarcticus, æqualiter diſtant à centro Mundi, cùm tamen inter ſe longiſſimo diſtent intervallo. *Ad confirm.*: ex eo, quòd duo æquè participent perfectionem Divinam (quod fieri poteſt diverſis modis, cùm Divina perfectio ſit eminenter multiplex), ideòque ſint æquè ſimilia Deo, ad ſummum ſequitur, non minùs inter ſe, quàm Deo, ſimilia eſſe: at non ſequitur, eſſe inter ſe ſpecie ſimilia; quia ſimilitudo creaturarum ad Deum nunquam eſt ſpecifica, nec excludit diverſitatem pluſquàm genericam.

126 *Objic.* 5.: ſi poteſt una ſpecies in quantitate perfectionis convenire cum alterâ, minùs ab eâ diſtabit, quàm ab aliis ſpeciebus inæqualibus: ergo differentiæ ſpecificæ non erunt omnes inter ſe ſummè oppoſitæ, contra communem doctrinam. *Objectio* abſurdè probat, non poſſe ſpeciem A. magis eſſe inæqualem ſpeciei B., quàm C.; ne ſcilicet minùs diſtet à C., quàm à B. Unde differentia hominis non magis diſtabit à differentiâ lapidis, quàm leonis; & inter differentias Angelorum non minùs una diſtabit ab aliâ, quàm à differentiâ formicæ. Quare *dist. ant. qu.*: non erunt omnes ſummè oppoſitæ, oppoſitione inæqualitatis, *conc.*; oppoſitione identitatis, tum realis, tum formalis, aut ſpecificæ, *neg. Conſequ.*. Ubi notandum, quòd convenientia in quantitate perfectionis non neceſſariò ſit convenientia ſimilitudinis, ſaltem ſpecificæ, ſed ſit convenientia impropriè ſumpta pro æquivalentiâ. Dico, *ſaltem ſpecificæ*; quia non renuam admittere, quòd duæ ſpecies æquales poſſint dici aliquomodò ſimiles in gradu perfectionis, & univocari ſub conceptu tanti æſtimabilis, ſeu tantam perfectionem habentis. Hic tamen conceptus non erit ſpecificus, ſed genericus, utpotè prædicabilis de pluribus ſpecie diverſiſſimò nec erit propriè genericus, ſed conceptus quidam tranſcendens omnia genera, in quibus poteſt inveniri perfectio tanta, v.g. ut ſex., & tranſcendens etiam totam eſſentiam inferiorum, de quibus prædicatur.

127 Ut alias objectiones præcaveas, obſerva ſequentia. 1.: ſimilitudo ſpecifica eſt quidem ſufficiens ratio æqualitatis, ut etiam inæqualitas diſſimilitudinis; at non eſt ratio unica, nec mutuò convertibilis. Unde male fit argues: Similitudo fundat æqualitatem: ergo diſſimilitudo inæqualitatem. Vel ſic: Inæqualia ſemper ſunt diſſimilia: ergo diſſimilia ſemper ſunt inæqualia. Malè, inquam, perinde ac ſi diceres: Similitudo importat diſtinctionem: ergo diſſimilitudo indiſtinctionem. Vel etiam: Similia ſemper ſunt diſtincta: ergo diſtincta ſemper ſunt ſimilia 2.: ex eo, quòd genus dicatur per differentias contrahi quaſi per gradus, perperàm inferes, differentias quoad perfectionem eſſe inſtar graduum ſcalæ, quorum alius ſemper eſt alio altior. Tum quia

potiùs species, atomæ, & subalternæ, vocantur gradus logici, seu metaphysici: unde sequeretur, speciem atomam, v.g. humanam, utpotè gradum infimum, imperfectiorem esse genere animalis ut sic, & quolibet alio superiori. Tum quia hic non loquimur de differentijs subordinatis, quarum una sit gradus ad alteram, sed solùm de inconnexis, & æquè immediatè contrahentibus genus, v.g. de pisce & ave in genere brutorum, vel de columbâ & turture in genere avium. Tum demùm, quia nemo nescit, inter gradus ejusmodi vocari alios superiores alijs, non ex entitativâ perfectione majore (potiùs enim, quò superiores sunt, eò minus explicant perfectionis), sed ex majore universalitate, seu amplitudine in prædicando.

128 3.: in Divina Trinitate non tam probatur essentiæ unitas ex æqualitate Personarum, quam è converso æqualitas Personarum ex unitate essentiæ, & naturæ; ut videre est apud D. Thomam 1. p. q. 42. ar. 1. Non tamen negandum, in Divinis optimè inferri posse unitatem essentiæ ex æqualitate Personarum; non quidem ratione formæ, quam æqualitas perfectionis ex certainis inferat unitatem essentiæ (alioquin ubique inferret unitatem essentiæ, non solùm specificam, sed individualem, ut in Divinis); sed ratione materiæ, seu talis æqualitatis. Cùm enim natura Divina sit unica, & incompensabilis per aliam perfectionem, si Filius est perfectione æqualis Patri, cujus natura Divina est, necessariò habet Filius eandem individuam naturam, quæ est in Patre. Idem intellige de Spiritusancto. 4.: quamvis non certò constet, de facto species omnes creaturarum esse inæquales, videtur tamen credibilius; quia major inde resultabit in Universo varietas, & pulchritudo. Unde, cùm D. Thomas asserit 1. p. q. 47. ar. 2., quòd distinctio specifica *semper requirit inæqualitatem*, hanc de dicit esse *propter perfectionem Universi*.

## CAP. VII.

### *DE ANIMA RATIONALI SEPARATA.*

129 QUoniam anima rationalis, eò quòd sit substantia spiritualis, & immortalis, atque ita informet corpus, ut ab eo in suo esse non pendeat, post mortem hominis existere debet à corpore separata; nonnihil de statu isto separationis hic etiam dicere oportet: quamquàm pleraque ad illum spectantia, quia substantijs Angelicis communia sunt, à Theologis in tract. de Angelis fusiùs exponuntur. *Quæritur* 1., & principaliter, utrùm status separationis à corpore sit violentus, animæ rationali? Negandum omninò est, saltem de violentiâ propriè talî. 1.: quia rationali animæ non debetur naturaliter perpetua cum corpore conjunctio; alioquin perpetuò indigeret corpore ad existendum connaturaliter; unde redderetur absolutè dependens à corpore, quamvis non ut à causâ, tamen ut a complemento intrinseco naturaliter debito; verè que diceretur impotens naturaliter existere sine corpore, sicut materia sine formâ, vel sine quantitate, vel sicut aqua sine frigore: quæ dependentia, & impotentia, cum spiritualitate animæ pugnat. 2.: quia anima perfectiùs intelligit in statu separationis, quàm unionis, ut mox dicam: cùm autem anima naturaliter appetat explicare summam, quam continet, intelligendi perfectionem, nequit violenta esse in eo statu, in quo solo naturalis hic appetitus expletur.

130 *Objic.*: status unionis est naturalis animæ: ergo status separationis, utpotè contrarius huic statui, contranaturalis esse debet, atque adeò violentus. *Dist. Antec.*: est naturalis, ut perpetuò habendus, *neg.*; ut habendus tan-

tantummodò ad tempus, *conc. Antec.*. Tum dist. *Consequ.*: contranaturalis est, ut habendus quando status unionis est debitus, *conc.*; ut habendus posteà, *neg. Consequ.*. Uterque status naturalis est animę rationali quia uterque naturaliter necessarius ipsi; primus, ut impleat munus animę, seu formę corporis organici; secundus, ut impleat munus spiritûs, seu intellectivę substantię, cui naturale est posse intelligere sine ministerio sensuum, & objecta spiritualia immediatè & quidditativè cognoscere, quod in statu unionis obtineri nequit. Utrumque igitur innatè appetit rationalis anima, quia in utroque obtinet finem suum. Nam, ut forma corporis, pro fine respicit compositum; &, ut spiritus, ordinatur ad operandum more Angelico, seu prorsùs independenter à materiali phantasmate. *Nihil autem est aliud appetitus naturalis* (inquit D. Thomas 1. Physic. lect. 15.), *quàm ordinatio aliquorum secundùm propriam naturam in finem suum.* Quia tamen uterque finis, & status, simul haberi non potest, utrumque appetit anima ut habendû ordine successivo. Nec mirum, quòd hujusce appetitûs nullum alibi reperiatur exemplum. Est enim anima hominis admodùm singularis in suo esse, quo simul imitatur, & formas corporeas, & substantias Angelicas.

131 Obtinebitur quidem uterque simul finis in corpore incorruptibili & glorioso: sed hujusmodi corpus non nisi per gratiam & miraculum habere potest anima: nunc autem loquimur de ijs, quę naturaliter ipsi conveniunt. Notandum tamen, quòd anima naturaliter exigit prius habere statum unionis, quàm separationis. Tum quia status temporalis prœire debet statum ex se perpetuum. Tum quia prius satisfieri debet muneri formę corporis humani, quàm muneri spiritûs sine ministerio sensuum operativi, cùm illud sit munus differentiale, hoc verò generi-cum. *Dices*: anima humana secundùm specificam differentiam est spiritualis & intellectiva. *Dist.* est spiritualis & intellectiva, cum ministerio sensuum, vel, quod in idem recidit, cum conversione ad phantasmata, & cum imperfectione, quę inde sequitur (quòd scilicet non nisi abstractivè & per species corporum intelligere possit objecta spiritualia, & quòd aliquam rationis attemperare debeat organo phantasię), *conc.*; sine tali ministerio, & imperfectione, *neg.*: nam esse intellectivam hoc modo, convenit animę secundùm rationem spiritûs substantijs Angelicis communem.

132 Si quæras, uter status sit animæ connaturalior? *Resp.*, naturaliorem esse statum unionis. Ita P. Suar. l. 6. de Anima c. 9., & planè colligitur ex D. Thomâ 1. p. q. 89. ar. 1., & q. 118. ar. 3. Ratio est 1.: quia naturalius est, quod alicui convenit secundùm prædicata differentialia, quàm secundùm communia. 2.: quia in statu unionis non solùm anima obtinet finem constituendi compositum humanum, sed etiam facultates suas omnes exercet, totamque varietatem explicat operationum: quamvis enim imperfectiùs intelligat, tamen verè intelligit, & præterea efficit, ut homo vegetet, ac sentiat multifariàm; quibus operationibus ineptus est separationis status. Hinc respectu animæ absolutè perfectior est status unionis: quia, licèt secundùm quid excedatur à statu separationis, tamen anima in eo melius se habet omnibus pensatis, cùm & obtineat effectum suum formalem, & plures operationum species habeat. Præscinditur nunc à supernaturali elevatione ad gloriam, & à deputatione ad pœnam æternam: immò & præscinditur à beatitudine naturali, quæ rationali animæ in purâ naturâ responderet (de hâc beatitudine, quoad præsens attinet, vid. P. Suar. cit. c. 9. n. 6.); ea quippe non esset ex debito purè phy-

fico, sed simul penderet à naturali morum honestate. Loquimur ergo in præsenti de naturalitate purè physicâ.

133 Sed contra hucusque dicta *objic.* 1.: neuter status plene satisfacit exigentiæ animæ: ergo neuter est plene naturalis, sed uterque importat violentiam aliquam. 2.: anima separatur à corpore resistens & nolens. ergo transit ad statum violentum. 3.: D. Thomas 1. p. q. 118. ar. 3. ait, quòd *esse sine corpore est contra naturam* animæ humanæ: & P. Suar. l. 1. de An. c. 12. n. 21. fatetur, *animam separatam ratione alicujus pati violentiam*; & alibi *præternaturalem* vocat separationis statum. 4.: anima, quia est substantia incompleta, & forma corporis, nequit primo creari naturaliter extra corpus: sed anima semper manet substantia incompleta, & forma corporis: ergo nunquam potest extra corpus existere naturaliter. 5.: naturalius est, quod est diuturnius: at esse sine corpore diuturnius est, immò naturaliter æternum, quia resurrectio est naturaliter impossibilis.

134 *Resp. ad* 1.: neuter status satisfacit exigentiæ animæ, ut respicienti alium statum; uterque tamen illi satisfacit, ut ipsum respicienti. Sic status infantis non satisfacit exigentiæ hominis, ut respicienti statum virilem, pro quo exigitur usus rationis, & virile robur: quia tamen exigentiæ satisfacit, ut respicienti statum ipsum infantilem, idcircò nullam violentiam importat. Uterque igitur status suas imperfectiones habet, cùm neuter expleat absolutè omnes inclinationes animæ: verùm imperfectiones istæ naturales sunt, utpote consequentes naturam animæ; sicut naturales sunt homini imperfectiones infantiæ, & senectutis. Nec inclinatio nunc inexpleta violentiam patitur, quando non respicit suum terminum, ut habendum nunc, sed ut habendum suo tempore. *Ad* 2.: anima, futuræ sortis ignara, Divinumque timens judicium, separationi resistit appetitu elicito: at resistentia innata non tam est ab animâ, quàm ab unione, & à dispositione corporis organici. Fortasis etiam anima, prout unita corpori, procurat innatè bonum totius, ideòque hominis corruptioni resistit: at ex suppositione, quòd soluta sit obligatione partis actualis, sibi soli consulit, & bono novi status sine violentiâ fruitur.

135 *Ad* 3.: D. Thomas ibi disputat contra errorem dicentium, humanas animas ante corpora fuisse creatas: quare loquitur de *esse sine corpore* ante statum unionis, quod fatemur esse contra naturam animæ. Cæterùm modum operandi, qui competit animæ post hujus vitæ statum, *connaturalem* vocat D. Thomas 1. 2. q. 3. ar. 1. ad 2. P. Suar. loquitur de violentiâ, & præternaturalitate, improprie sumptâ pro naturalitate minore: nam ipsemet l. 6. de An. c. 9. agnoscit, utrumque statum naturalem esse, sed statum unionis magis naturalem *Ad* 4. *neg. Consequ.*: quia, licet anima, eo quòd sit forma corporis ex propriâ differentiâ ultimâ, exigat prius habere statum unionis, non tamen illum exigit habere semper, cum etiam ipsi naturale sit perfectè obire munus substantiæ intellectivæ. *Ad* 5.: quod est diuturnius, est quidem naturalius, si cætera sint paria; qualiter non accidit in præsenti, cum status unionis perfectior sit, ac debitus animæ secundùm specificam differentiam.

136 *Quær.* 2., utrùm anima separata naturaliter appetat unionem ad corpus? Affirmat D. Thomas 1. p. q. 76. ar. 1. ad 6., & sæpè aliàs; cui subscribit P. Suar. l. 6. de An. c. 10.: probaturque posse, quia appetitus naturalis, sive innatus, quo anima, dum primò creatur, appetit unionem, consistit in ejus aptitudine, & ordinatione naturali ad constituendum

dum compositum; quæ aptitudo, & ordinatio, utpote identificata cum subsistentia animæ, non deficit in statu separationis. Nec obstat, quod unio post separationem sit naturaliter impossibilis. Hoc enim probat, non appeti unionem, prout remoto est, sicut prout est unio iterata, ita scilicet, ut status separationis se habeat ut circumstantia objectiva: non tamen probat, non appeti unionem secundùm se, præscindendo à circumstantijs extrinsecis, quibus hic & nunc reddita est impossibilis naturaliter. Vide dicta in Physicâ tr. 1. d. 3. c. 2. super appetitu materiæ ad formas corruptas: similiter enim in præsenti discurrendum est. Nec inde sequitur, animam separatam pati violentiam: quia, licet unionem appetat tunc, non appetit ut habendam pro tunc, sed pro tempore, quod præcessit, sic tamen, ut appetitus à præcedentiâ præscindat. Quod attinet appetitum elicitum, anima juxta in statu separationis de facto appetit unionem ad corpus incorruptibile, quam novit futuram ex decreto Dei, & sibi pernecessarem. De appetitu autem elicito resurrectionis, solo naturali lumine præluccente, vid. P. Suar. cit. l. 6. c. 10.

137 *Quær.* 3., utrùm anima, dum separatur à corpore, mutet modum essendi? Sermo est de modo essendi substantiali, quo nomine veniunt existentia, substantia, & subsistentialis unio ad subjectum. *Dico* 1.: anima, dum separatur, non mutat existentiam, aliquin mutaret essentiam, à quâ non distinguitur existentia in nostris principijs. Immò, licet distingueretur, non deberet amitti prior existentia, quia esset spiritualis, adeoque independens à corpore: & aliquin anima, dum informat, penderet à corpore in suo esse. *Dico* 2.: non mutat subsistentiam. Hoc bene probat P. Suar. l. 6. de An. c. 1. contra Cajetanum, qui 3. p. q. 6. ar. 3. sentire videtur, animam separatam per novam entitatem subsistere, redditque semipersonam. Ratio conclusionis: Anima humana, dum informat, suam habet subsistentiam incorpoream, cùm ubique sit forma subsistens independenter à corpore: hæc verò subsistentia, cùm extra corpus manere possit, superfluam reddit novam aliam. Quòd anima dicatur semipersona, & semisuppositum, locutio est ab alijs improbata: sed admittitur à P. Suar. loc. cit. 5. sic tamen, ut non minùs conveniat animæ unitæ, quàm separatæ. *Dico* 3.: anima, dum amittit subsistentialem unionem, mutat modum essendi, mutatione tantùm negativâ. Ratio: quia transit ad negationem unionis absque novo modo positivo. Habet quidem novum operandi modum, sed qui non arguit novum modum essendi positivum, utpote jam anteà contentus in virtute animæ, solùm que impeditus ex consortio corporis.

138 *Quær.* 4., quænam ex præhabitis accidentibus secum deferat anima separata? *Resp.* 1. secum defert potentias intellectivam & volitivam (supponitur nunc, potentias ab anima distingui realiter, alioquin nullum est dubium), item earumdem potentiarum species, & habitus. Ratio: quia hæc omnia spiritualia sunt, adeòque à corpore independentia, seque animæ inhærent. Et quidem, si potentijs illis careret anima separata, nihil posset cognoscere, nec velle, quod Fidei, & rationi repugnat, ut ostendit P. Suar. cit. l. 6. c. 3. n. 4. & 5. Notandum tamen, quòd habitus naturales vitiosi, aut imperfecti, de facto ex Divinâ ordinatione deficiunt in animâ beatâ, ut etiam supernaturales habitus fidei & spei juxta Theologos. Animam verò damnatam deserunt omnes habitus supernaturales in pœnam anteactæ vitæ. Notandū insuper, quòd, præter species in corpore adquisitas, plu-

plures aliæ ſpecies debentur naturaliter animæ ſeparatæ (ſive à Deo ut Authore naturæ ſint infundendæ, ſive ab objectis immediatè abſtrahendæ, vel acquirendæ, juxta varias Doctorum ſententias); quia plura cognoſcit anima ſeparata, quæ antea ignorabat: & alioquin anima infantis, quæ nullas in corpore ſpecies intellectuales adquirit, nihil poſſet ſeparata cognoſcere naturaliter, deberet que ſuâpte naturâ æternùm carere uſu rationis.

139 *Rep.* 2.: potentias materiales, ſive organicas, cujuſmodi ſunt quæ ad vegetandum & ſentiendum inſerviunt, animæ cum corpore relinquit, ſeu non niſi in radice, vel in virtute ſecum defert. Ratio eſt: tum quia tales potentiæ inhærent corpori, & ab eo dependent: tum quia non tam ſunt proprietates animæ ſecundùm ſe, quàm totius hominis, vel animæ prout unitæ corpori; unde, pereunte homine, perire debent. *Reſp.* 3.: anima ſeparata retinet potentiam locomotivam ſui. Certum hoc eſt, & probatur: tum quia nequit ea potentia deeſſe animæ ſeparatæ, nec titulo perfectionis, cùm conveniat Angelis, nec titulo imperfectionis, cum conveniat brutis. Tum quia rationales animæ in ſtatu ſeparationis naturaliter poſſent ſociatim vivere, cùm hoc ſit proprium creaturæ rationalis: poſſent ergo ad ſe invicem accedere motu locali. Tum etiam, quia ex terminis abſurdum eſt, quòd anima rationalis in loco, ubi moritur homo, naturaliter debeat manere immobilis inſtar ſaxi, quin & immobilior ſaxo, quod ſaltem in centrum moveri poteſt propriâ virtute. Nec obſtat, quòd animæ juſtæ dicantur portari ab Angelis in Paradiſum: nam hoc ſolùm denotat Angelorum comitatum honoris gratiâ. Animæ tamen damnatæ à dæmonibus in infernum rapiuntur invitæ. Nec item obſtat, quòd anima nequeat è corpore migrare pro libita, nec jam ſeparata liberè poſsit ad nos venire. Nam primum ex eo provenit, quòd unio cum corpore non eſt animæ libera, ſed naturaliter neceſſaria quamdiù permanet corporis diſpoſitio: ſecundum ex eo, quòd animas ſeparatas certis locis addixerit Deus ad gloriam, vel ad pœnam.

140 Sed hîc notandum, quòd anima humana duplicem habet potentiam motricem ſui: alteram organicam, quâ in ſtatu unionis movet membra corporis, & conſequenter ſemetipſam; & hanc potentiam ſeparata non retinet: alteram inorganicam, ſeu purè ſpiritualem, quâ ſeipſam independenter à corpore movere poteſt inſtar Angeli; & hanc ſeparata ſecum defert. Organica ſupponit vitam ſenſitivam; inorganica, vitam intellectivam. Si objicias, potentiam motricem inorganicam manſuram prorsùs otioſam vivente homine: varias ad hoc ſolutiones ex Doctore Subtili proponit & expendit Maſtrius diſp. 8. de Anima n. 28. & ſeqq. Ad me quod attinet, nego ſequelam: quia, dum anima unita movet corpus, ſimul ipſa movetur motu incorporeo; adquirit enim novum *ubi* ſpirituale, quod per motum merè corporeum produci nequit: ergo ſimul exercet reſpectu ſui potentiam motricem incorpoream, ſive inorganicam. Quia tamen potentia hæc pro ſtatu unionis neceſſariò ſequitur motu ſuo motum corporis, illumque præſupponit ut conditionem pro priori naturæ prævia; ideircò anima unita dicitur ſe movere, non primò & per ſe, ſed per accidens, ſeu conſequenter ad motum corporis; ideircò etiam motus animæ, utpotè neceſſaria ſequela motûs corporei, dicitur eſſe à potentiâ organicâ, ſcilicet tanquam à cauſâ determinante. Itaque potentia motrix inorganica, liberè quidem exerceri poteſt in ſtatu ſeparationis; at, unione durante, pendet in operando à potentiâ

tiâ organicâ; ſicut intellectus, durante unionis ſtatu, aliquomodò pendet à phantaſiâ, licèt poſtmodùm nullatenùs pendeat: quo exemplo ſolvi poterit quidquid difficultatis occurrerit.

141 *Quær. 5.*, utrùm anima ſeparata movere poſsit res alias à ſe, v. g. lapidem? Negat D. Thomas 1. p. q. 117. ar. 4.: negat etiam P. Suar. tum l. 6. de Anima cap. 2., tum d. 35. Met. ſ. 6. n. 23. Fundamentum eſt, quòd anima, cùm ſit forma corporis ſuâpte naturâ, nihil ad extrà operari valet, niſi mediante corpore ut inſtrumento naturaliter unito. Contrarium ſentit Scotus in 4. d. 49. q. 14.: item Henricus, Aureolus, & alij apud Conimbric. tract. de Anima ſepar. diſp. 6. ar. 2. Fundamentum eſt, quòd rationalis anima non ſolùm habet munus formæ, ſed etiam ſpiritûs independenter à corpore operativi: unde anima ſeparata imitatur Angelum, ſicut in intelligendo ſine corporis miniſterio, ita & in movendo corpora, reſque alias à ſe; licèt ejus virtus, tam ad movendum, quàm ad intelligendum, minor ſit, quàm Angeli. Hæc ſententia ſatis eſt probabilis.

142 *Quær. 6.*, quid, & qualiter intelligat anima ſeparata? Sermo eſt ſemper de animâ ſecundùm naturalia, præſcindendo ab ijs, quę ipſi conveniunt ut ſupernaturaliter beatę, vel ſupplicio addictę. Quo ſenſu, cognoſcit inprimis anima ſeparata ſuam ipſius ſubſtantiam quidditativè, & intuitivè, cùm ſit ſibimetipſi præſentiſsima, proprioque intellectui proportionata in eſſe cognoſcibilis, nec jam habeat impedimentum à corpore, quominùs naturalem expleat appetitum ſe penitùs cognoſcendi, ac ſine velamine contemplandi. Immò cognoſcit etiam comprehenſivè ſe ipſam; quia non eſt magis intelligibilis, quàm intellectiva: unde & cognoſcit clarè ſuas proprietates, & accidentia, ideſt, potentias, ſpecies, habitus, & actus. Utrùm autem intelligat ſe per ſpeciem impreſſam? an immediatè per ſe ipſam? dubium eſt, de quo P. Suar. lib. 6. de An. c. 5.

143 Deinde reliquas animas ſeparatas, atque etiam ſubſtantias Angelicas, cognoſcit quidditativè, ſeu per ſpecies proprias, directè & immediatè repræſentantes quidditatem earum. Ratio eſt: quia quilibet intellectus eſt naturaliter capax ita cognoſcendi animas & Angelos; & aliunde animæ ſeparatæ debetur eorum objectorum ſpecies propria, vel poteſtas illam adquirendi: tum quia non alia ſunt objecta magis ipſi cognata, & in quę promptiùs & immediatiùs feratur appetitus ſciendi: tum quia naturaliter exigit anima ſeparata commerciam & ſocietatem cum reliquis ſpiritibus; quos proinde naturaliter exigit bene noſſe. Et hinc eoſdem ſpiritus, qui de facto exiſtunt, cognoſcit etiam in individuo, & intuitive, ſeu tanquam exiſtentes actualiter: quia non poſſet aliter cum eis inſtituere vitam ſocialem. Nec obſtat, quòd D. Thomas 1. p. q. 89. ar. 2. cognitionem animæ ſeparatæ de Angelis vocet *imperfectam & deficientem*: loquitur enim comparative ad cognitionem multò clariorem, qua ſe ipſos Angeli cognoſcunt, ut videre eſt in q. de Animâ ar. 17. c.

144 Præterea verſimilius apparet, quòd anima ſeparata res omnes naturales, etiam corporeas, facilè poteſt cognoſcere quidditativè quoad earum eſſentiam ſpecificam, ac promptè facilè poteſt adquirere omnes ſcientias naturales. Habet enim lumen intellectuale ſine dubio ſufficiens; & aliunde non impeditur defectu ſpecierum: quia vel haurit ſpecies ab objectis, ut vult Scotus; atque ita ſine labore hauriet quas volet: vel eas à Deo ut Authore naturæ infuſas accipit, ut vult D. Thomas; atque ita debet naturaliter accipere omnes, quas exigit ejus in-

ſti-

natus appetitus sciendi. Alia ratio est de rebus corporeis in individuo: quia istarum species nec debentur propter appetitum sciendi, cùm ad scientiam non pertineant; nec propter usum, aut civile commercium, cùm animæ separatæ nullus sit usus, nulla societas rerum corporalium. Quapropter anima separata non adquirit dehinc cognitionem singularium Mundi corporei, nec eventuum ibi contingentium, nisi fortè referentibus Angelis, aut animabus quæ posteà hinc migrant. Multò minùs cognoscit futura contingentia, & secreta cordium, cùm hæc vel Angelis ignota sint. Retinet tamen memoriam eventuum, & singularium, quæ novit in corpore; ut patet ex ijs, quæ de divite epulone dicuntur Luc. 16. Denique anima separata Deum cognoscit, abstractivè quidem, sed meliùs, quàm unita corpori; quia cognoscit ipsum ex effectibus meliùs penetratis, præsertim ex substantiâ propriâ, & Angelicâ, in quibus vivida elucet imago Dei. Hæc omnia consonant communi sententiæ Doctorum.

245 Atque ex ijs planè colligitur, animam separatam meliùs & perfectiùs intelligere, quam conjunctam; siquidem & se ipsam, & alias animas, & Angelos, & quidditates rerum corporalium meliùs penetrat, atque exinde majorem etiam Dei cognitionem adquirit. Contrarium sentire videtur D. Thomas 1. p. q. 89. ar. 1., ubi significat, animam conjunctam corpori meliùs intelligere, nec extra corpus accipere cognitionem de rebus, nisi confusam, & in communi. Sed hæc doctrina difficilis intellectu apparet; cùm ipse D. Thomas sequenti. ar. 2. (& fusiùs in q. de Animâ ar. 17.) tribuat animæ separatæ perfectam cognitionem de se, ac de alijs animabus separatis (quam certè non habet anima in corpore), & cognitionem de Angelis per species proprias à Deo infusas (utique proportionatas animæ, siquidem à Deo ut naturæ Authore infunduntur juxta D. Thomam in illo ar. 1. ad 3.); & consequenter cognitionem quidditativam, qualis non est in hac vitâ, ubi non possumus substantias spirituales cognoscere; *intelligendo, quid sunt, sed quid non sunt*, ut docet D. Thomas q. de Animâ ar. 16.

246 Accedit, quòd S. Doctor cit. q. 89. ar. 2. ad 1., alludens ad illud Sap. 9., *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam* &c., dicit, quòd anima separata *quodammodò est liberior ad intelligendum*, quia *per gravedinem corporis à puritate intelligentiæ impeditur*. Accedit etiam, quòd cognitio de Angelis confusa, & in communi, non sufficit ad societatem, quam anima cum eis habere debet juxta D. Thomam cit. ar. 17. q. de Animâ. Videtur itaque Doctor Angelicus in eo ar. 1. interpretandus de intelligentiâ, quæ debetur animæ secundùm ultimam differentiam specificam, quâ est forma corporis humani; non autem de intelligentiâ ipsi debitâ secundùm conceptum & munus spiritûs cum Angelis sociabilis, & Angelico more operativi.

# DISPUT. III.

## DE DIVISIBILITATE ANIMÆ MATERIALIS.

DE substantiâ materialis animæ, quæ brutis, & plantis convenit, nihil superest discutiendum, nisi divisibilitas integralis. Constat enim ex dictis disp. 1. præ-

præsertim cap. ult., eam esse veri nominis animam, verumque principium operationis vitalis, quæ in brutis est cognitio, & nutritio, in plantis mera vegetatio. Constat etiam ex dictis, corpoream esse, seu à corpore dependentem, cùm nullam habeat operationem nisi corpoream, & consequenter esse mortalem, seu corruptibilem, corrumpique necessariò, dum à materiâ sustentari desinit. Constat demùm ex dictis in Physicâ circa substantialem formam generatim, hujusmodi animam esse substantiam incompletam, à totâ materiâ distinctam, & essentialiter simplicem, ideòque non physicè compositam ex actu & potentiâ substantialibus, alioquin non esset primum principium corporis naturalis, nec posset in alio subjecto recipi. Solùm ergo superest dubium de compositione integrali, An scilicèt materialis anima constet partibus in corpore extensis, & continuativè unitis, quarum alia sit in capite, alia in pectore, &c.? an è contrà sit entitas omninò indivisibilis, & tota in qualibet parte corporis, instar animæ rationalis?

## CAP. I.

### *ELIGITUR, ET PROBATUR VERA sententia.*

1 PRIMA sententia docet, omnes materiales animas, etiam plantarum, esse indivisibiles. Ita Plato, Porphyrius, Nemesius, & alij veteres, apud P. Suar. 1. de Animâ c. 13.. Sed quantum ad animas plantarum, dissentiunt hodiè ferè omnes, evidens esse putantes, quòd ramus abscissus partem animæ secum defert, cùm alibi plantatus radices mittat, & seorsùm vegetet, ut passim experientia docet, v. g. in palmite vitis. Immò interdùm, nullibi plantatus, nec insertus, aliquamdiù vegetare cernitur. Secunda sententia solas & omnes animas sensitivas statuit indivisibiles. Ita è Nostris PP. Maurus, Lynce, Quiros, & Recentiores aliqui. Sed hæc etiam sententia communiter in omni Scholâ rejicitur celebri experimento de caudâ lacertæ, vel parte vermiculi, quæ secta, separata que à reliquo corpore vitam retinente, diù movetur, & repeat, aut graditur, &, si pungatur, signa doloris edit refugiens, aut se contorquens. Nam hæc vitæ indicia, inprimis provenire nequeunt ab indivisibili animâ totius vermiculi, nisi hæc anima simul informet duas materiæ partes discontinuatas, & loco dissitas, quod apud omnes est naturaliter impossibile. Deinde nec provenire possunt à solis spiritibus vitalibus: tum quia spiritus in parte mortuâ citò dissipantur: tum quia motus, siquos edunt, inconditi sunt, & irregulares, ut in capite, vel corde humano, subitò & violenter avulso, interdùm accidit; in partibus autem dissectæ vermiculi cernitur motus progressivus, ordinatus, & obicem declinans: tum præcipuè, quia sensus doloris à solis spiritibus esse nequit.

2 Denique nec oriri possunt à novâ animâ, quæ à Deo repentè producatur in caudâ lacertæ, ut volunt aliqui. Nam, si nova anima est incompleta, & partialis, ideòst, ordinata ex se ad integrandum cum alijs partibus animam totalem, jam de facto admittitur anima sensitiva integraliter composita. Si autem est completa, sive totalis, erit anima purè sensitiva, non vegetativa (qualem de facto admittit nemo); non enim anima vegetativa naturaliter introduci potest in materiam carentem organis & officinis ad nutritionem necessarijs, videlicèt ore, stomacho, &c. sicuti caret cauda lacertæ. Urgetur: vel nova illa totalis anima de se apta est naturaliter informare totum corpus lacertæ, vel non. Primum dici non potest: nam quòd talis anima existat in solâ caudâ, ubi non habet

partes principes corporis sibi debiti, nec dispositionem ad eas adquirendas, non minùs apparet naturaliter impossibile, quàm quòd anima rationalis existat in solo pede. Nec dici potest secundum: tum quia sic ostenditur clariùs, talem animam non esse vegetativam: tum quia, cùm à naturâ non organizetur cauda, nisi ut sit pars totius lacertę, contra naturam est, quòd pro solâ caudâ destinetur anima totalis, nullum dicens ordinem partis ad aliam animam. Adde, quòd per novam animam in ramo abscisso pariter defendi posset indivisibilitas animæ plantę, immò & formę cujuslibet corporis inanimati, v. g. lapidis, aut ignis. Supereit igitur, ut prædicta vitę indicia proveniant à parte animæ divisibilis totum lacertę corpus animantis.

3. Tertia sententia tribuit animalibus perfectis animam indivisibilem; imperfectis verò divisibilem, sicut plantis. Dicuntur animalia perfecta, quæ magis exquisitam & heterogeneam organizationem habent, & dissecta in partes moriuntur statim, vel non nisi in unicâ vivunt: ut sunt equus, leo, canis, &c.: imperfecta verò dicuntur animalia annulosa, quę rudiorem habent organizationem, & in partes dissecta, vivant in singulis: ejusmodi sunt coluber, lacerta, vermis, &c.. Hæc igitur tertia sententia communis est Thomistarum, quibus adhæsit P. Suar. in opere posthumo de Animâ l. 1. c. 13.; quod opus, à se juvene scriptum, jam senex limabat ad prelum, cùm pretiosâ morte raptus est Mundo priusquàm ad cap. 13. lib. 1. perveniret maturioris judicij lima: quæ sine dubio sententiam illam, jam in Metaphysicâ retractatam, iterùm retractaret. Ea verò non ita, ut prima, & secunda, potest ab experientia rejici: à ratione tamen rejicietur statim. Quarta demùm, & mihi vera sententia tenet, omnes materiales animas de facto esse divisibiles, seu integraliter compositas. Ita Scotistæ cum Subtili Doctore, Durandus, Capreolus, Ægidius, & alij veteres, quibus suffragantur Authores nostri ferè omnes cum Eximio Doctore disp. 15. Met. s. 10. n. 31., qui etiam l. 1. de Anim. c. 2. n. 19., ultimis jam curis limato, sententiam hanc *probabilissimam censet.*

4. *Probatur* argumento communi, sed efficaci. Dum leo v. g. se nutrit, nova pars animæ leoninæ educitur ex novâ materiæ parte, quæ per nutritionem adquiritur: ergo anima leonis, aque eadem quælibet alia materialis, ex partibus integrantibus componitur. *Prob. Antec.*: ex materiâ per nutritionem adquisitâ verè educitur leonis anima: sed non educitur anima prę-existens in materia primigeniâ: ergo nova educitur anima partialis, seu nova pars animæ. Prę-missæ probandę sunt seorsùm. Et in primis *prob. Maj.*: anima leonis educitur ex subjecto, à quo sustentatur, seu à quo pendet tamquàm à causâ materiali; cùm passio, quæ est materialis causalitas, non distinguatur realiter ab eductione, juxta sententiam communem, Thomisticam: sed anima leonis pendet, ut à subjecto sustentationis, & causâ materiali, à materiâ per nutritionem adquisitâ: ergo ex eâ educitur. *Prob. Min.*: anima leonis materiam illam informat, ut est certum: ergo ab eâ pendet. *Prob. Consequ.*: quia, si solùm pendet à materiâ primigeniâ, dum novam informat, erit in loco, ubi non est ejus passio, & causalitas materialis, nimirùm in loco novæ materiæ, quæ cum primigeniâ continuatur, sed non penetratur; in eo quippe loco certè non est passio, & causalitas, seu receptio materiæ primigeniæ, cùm sit hujus materiæ modus intrinsecus.

5. At, quòd materialis anima nequeat naturaliter esse in loco, ubi non est passio, constat 1. inductione per

per omnes alias materiales formas, tum substantiales inanimatorum, tum accidentales, ut sunt quantitas, calor, &c.. 2.: quia nequit talis anima existere in loco, ubi non est materialiter causata, nec actu dependens à materiâ; nam alioquin desisceret ibi conditionem formæ materialis; & posset etiam existere in loco, ubi non esset actu producta; præsertim cùm productio & passio realiter idem sint. At in loco, ubi passio non est, anima leonis non est materialiter causata, nec actualiter à materiâ pendens, cùm non nisi per passionem cantetur, & pendeat: sic aqua, existens in loco A., non esset ibi calida, si non ibi calor existeret, etiamsi alibi calorem haberet beneficio bilocationis.

6 *Confirm.* 1.: juxta D. Thomam 1. p. q. 119. ar. 1. ad 2. (ubi etiam Aristotelem allegat), materia, quæ nutritione adquiritur, miscetur materiæ primigeniæ, sicut aqua miscetur vino: unde partes materiæ primigeniæ, quę antea immediatè continuabantur, posteà inter se distant interpositis novæ materię partibus. Si ergo anima leonis educitur & pendet à solâ materiâ primigeniâ, pendebit saltuatim à partibus materię loco distantibus, sine dependentiâ ab intermedijs; quod per se apparet absurdum, & a communi sensu alienum. *Confirm.* 2.: in animantibus materia etiam primigenia resolvitur actione caloris naturalis, & per alimenti materiam reparatur, ut tenet expresse D. Thomas loc. cit.: ergo poterit leo intra tempus aliquod totam materiam primæ animationis amittere. Si ergo leonis anima non pendet nisi ex eâ materiâ, poterit manere naturaliter absque ullo subjecto sustentationis, seu absque materiâ, à quâ pendeat; quod materiali formę proculdubiò repugnat. Confirmatio hęc vim habet contra Thomistas, non contra alios, qui materiam primigeniam ponunt inamissibilem.

7 *Dices*: simulac amittitur materia primigenia, substituitur in manere sustentantis portio materiæ nutrimentalis, ex quâ educitur eadem anima per actionem conservativam, à solo Deo profectam. Verùm hæc evasio non prodest Thomistis, qui, ut videre est apud Colleg. S. Thomę l. 2. de An. q. 2. n. 111., novam eductionem ex alimenti materiâ non admittunt. Præterea rejicitur: quia eductio, licèt sit ex subjecto divisibili, erit indivisibilis, sicut anima ipsa, ut Adversarij concedunt, nominatim idem Coll. ibidem. n. 114.: ergo quæcumque amittatur particula materiæ, sive primigeniæ, sive substituręe, tota eductio perire debet, & nova succedere. Cùm ergo singulis ferè momentis aliqua utriusvis materiæ particula resolvatur, singulis ferè variabitur eductio totius animę: quod nemo ferat.

8 Jam *Minor* illa n. 4., quòd scilicèt ex materiâ nutrimentali non educitur anima præexistens, *probatur* efficaciter: quia talis eductio provenire nequit ab animâ ipsâ, nisi hæc sit causa sui ipsius, quod repugnat. Deinde nec provenit à solo Deo, ut aliqui volunt: nam talis eductio est nutritio, cùm sit alimenti conversio in substantiam alicì: est igitur actio leoni vitalis: ergo est ab intrinseco, ac proinde non à solo Deo. Idem argumentum urget, quàmvis ponatur passio ab actione distincta, dicaturque anima leonis novam tantùm passionem adquirere, seu novam dependentiam a materiâ nutrimentali. Nam passionem istam anima leonis adquirit vitaliter, atqueadeò per actionem ab intrinseco; quę actio, cùm non sit productio solius passionis formæ (hoc enim inauditum est), sed respicere debeat eundem terminum, quem passio respicit, erit productio formę ipsius: unde sequitur, leonis animam producere se ipsam.

9 *Confirm.* 1.: eductio nova prę-

existentis animæ supponeret pro priori naturę existentiam sui termini : sed hoc repugnat, saltem naturaliter : ergo. *Prob. Maj.* : quia in instanti nutritionis pro priori naturæ ad novam eductionem supponitur ultima dispositio novæ materiæ ut animetur : hæc autem dispositio causatur à præexistente animâ, cujus est præparare & ultimò disponere materiam alimenti ad animationem : ergo anima ista, quæ novæ eductionis terminus est, supponitur pro priori naturæ actualiter causans, atque adeò existens. Et hinc *Confirm.* 2. quia nova illa eductio conjungeretur in eodem instanti cum præcedenti eductione ejusdem animæ ex materiâ primigeniâ; siquidem in materiâ istâ supponitur anima jam existens, cùm novam materiam nutritione adquirit : eductio autem præcedens, utpotè se solâ sufficiens ad ponendum in rerum naturâ terminum suum, est actio adæquata, sive totalis : ergo nova eductio præexistentis animæ superadditur actioni totali : quod naturaliter repugnat, & apud Thomistas etiam divinitùs.

10 Ex dictis facilè rejicies doctrinam Thomistarum apud Colleg. S. Thomæ cit. n. 111., quòd scilicèt anima præexistens, absque novâ eductione totali, nec partiali, extendit in nutritione dependentiam suam ad novam partem materię, *non ratione partis, sed ratione totius, cujus illa facta est pars.* Hæc ultima verba tantùm denotant, quòd nova materiæ pars ideò animatur, quia fit pars totius leonis, aliàs non animanda. De cætero, negari nequit à Thomistis, quòd anima novam illam partem verè informat ut distinctam à cęteris (licet non ut divisam), atque adeò vere ab illâ pendet, tamquam à subjecto partiali. Quæro igitur, an præexistens anima pendeat à novâ parte materiæ per eandem indivisibilem dependentiam, quâ pendet à materiâ primigeniâ ? an verò per dependentiam novæ & ultimæ.

11 Si primum dicant, ut reipsâ dicere videntur ; mirum erit inprimis, quòd eadem dependentia, seu passio, quę est propria causalitas materię primigeniæ, & modus ejus, decursu temporis fiat modus & causalitas novę materiæ ; quòd extendatur ad novum subjectum partiale, fiat que ultima & formalis determinatio istius subjecti ad causandum passivè, cùm tamen ab eo realiter separabilis sit. Hoc perinde est, ac si actio ignis palmaris, eadem postea sine additione fiat actio totius ignis bipalmaris : quo nihil magis contra conceptum actionis & causalitatis. Deinde, si tota resolvatur materia primigenia (ut potest juxta D. Thomam suprà n. 6.), eadem præcedens eductio, & dependentia, permanebit sine toto subjecto, cui antea essentialiter alligabatur : quod mirissimum erit, haud secùs, ac si unio maneret sine extremo, vel ubicatio sine corpore, quod primitùs modificabat. Sequitur etiam, quòd anima leonis manebit unita materiæ, quam amittit : nam juxta Thomistas unio, etiam quoad denominationem, præcisè consistit in entitatibus materiæ & animę, connotando actionem generativam. Cùm autem amittitur materia primigenia, manent entitates istius materiæ, & animæ ; & aliunde, juxta datam responsionem, manet etiam actio generativa, siquidem anima retinet eandem eductionem, ac dependentiam, quam in amissâ materiâ præhabuit. Postremò, dependentia animæ à materiâ denuò informatâ, non erit vitaliter adquisita, cùm nequeat esse ab intrinseco ; non enim anima causare potest eductionem ac dependentiam, quâ pendet à materiâ primigeniâ, cùm illa sit à generante, & terminetur ad ipsam animam, quę nequit esse causa sui.

12 Si verò secundum eligant inprimis dependentia illa superaddetur dependentiæ, seu passioni præhabitę, quæ

quę utique totalis erat, utpotè sufficiens ad animam passivè causandam, & sustentandam: simul ergo dabitur duplex causalitas passiva totalis ejusdem animæ, vel una totalis, & altera partialis; in quibus repugnantia eîb eadem, ac in causalitatibus activis. Deinde nova quòque ponenda erit eductio: tum quia sine actione novâ non est nova dependentia passiva, seu nova passio, cùm vel sint realiter idem, vel saltem mutuò connectantur: tum quia dependentia illa vitaliter adquiritur, adeòque per actionem animæ, qualis non est eductio præcedens. Si fortè dicant, non superaddi novam dependentiam, sed novam extensionem ejusdem dependentiæ præcedentis. Contrà est, tum quòd explicari nequit in quo consistat extensio nova sine additione dependentię: tum quòd extensio illa facit animam dependere, adeòque passivè causari à novo subjecto partiali; ergo vel extensio ipsa est formaliter dependentia, & passiva causalitas, vel saltem ratione ipsius causalitas materiæ primigeniæ denuò fit causalitas alterius materiæ; quod nom. præced. vidimus quàm sit absurdum.

13. Summa nostræ probationis est, quòd materialis anima, sit indivisibilis, non est nutritiva. Nequit enim nutritionem causare more animæ rationalis, informando scilicet materiam alimenti sine dependentiâ; quia nequit esse in loco, ubi non sit ejus passio, & subjectum sustentationis. Et aliunde à novâ materiâ dependere non potest, nisi educendo de ipsâm, & quidem per actionem superadditam actioni totali. Cùm ergo constet, omnem materialem animam esse nutritivam, nulla dici poterit indivisibilis.

14. Addi potest contra Thomistas duplex alia probatio ex eorum principijs. *Prima*: quod materialis anima non minus, quàm forma accidentalis, à subjecto dependet in fieri & conservari: ergo, sicut accidens nequit mutare subjectum, etiam inadęquatum, ut Thomistæ docent, ubi agitur de resolutione compositi usque ad materiam primam; ita materialis anima subjectum mutare non poterit. At, si est indivisibilis, subjectum utique mutat, quando in materiâ nutrimenti recipitur, amissâ ex toto, vel ex parte, materiâ primigeniâ. Saltem certissimum est, eductionem ac dependentiæ passivæ repugnare mutationem subjecti multò magis, quàm accidenti absoluto: ergo fieri nequit, quòd Thomistę docent in præsenti, nempe quòd ad novam materiam extendatur eadem eductio, ac dependentia, quàm anima prahabuit in materiâ primigeniâ, præsertim dum materia ista resolvitur.

15. *Secunda*: quòd ratio corporis consistit, juxta Thomistas, in extensione partium radicali, sive in exigentiâ habendi partes extensas; ideòque repugnat corpus sine partibus integrantibus: cùm ergo materialis anima sit corporea, debet exigere partes extensas, ac proinde indivisibilis esse nequit. Ægrè fert Collegium S. Thom. Complut. l. 2. de Animâ q. 1. art. 3., hac in re Thomistas inconsequentię redargui: quia, inquit, non est idem corpus, & res corporea: corpus quidem exigit extensionem partium; at res corporea (qualis etiam anima bruti perfecti) redditur talis per dependentiam à corpore, licet ipsa in se partibus careat: quemadmodum, juxta Societatis Authores, impenetrabilitas est de conceptu corporis; & tamen dari potest res corporea penetrabilis. Sed verò hæc ipsa solutio parùm consequenter à Thomistis affertur. Nam illud est corpus substantivè dictum quod est prima radix quantitatis, & quod sibi petit quantitatem, qua ipsum afficiatur: sic expressè docet idem Collegium cit. q. 1. n. 123. & 130. Sed anima leonis est prima radix quantitatis, & hanc sibi po-

petit, ut per eam afficiatur: ergo anima ista est corpus substantivè dictum, de cujus concepta est divisibilitas, juxta Thomistas. *Prob. Min.*: quia leonis anima est prima radix accidentium compositi, adeòque quantitatis, ut Thomistæ maximè contendunt: petit etiam sibi quantitatem, & per eam afficitur; siquidem apud Thomistas (vide disp. 2. de Gener. c. 5.) quantitas, & quodvis aliud accidens, in toto composito recipitur, totique inhæret, ac proinde non afficit solam materiam, sed simul formam.

16 Urgetur: juxta idem Collegium cit. n. 123., materia prima, eò quòd petat sibi quantitatem, quâ ipsa afficiatur, indivisibilis esse nequit: sed hæc ratio non minùs, immò magis in animâ leoninâ militat: ergo. Patet *Minor* ex doctrinâ Thomisticâ de receptione accidentium in toto composito; non enim materia prima est totum compositum, sed simul cum formâ, ita ut hæc sit pars compositi præcipua, nec nisi ratione ipsius materia sit hâbilis ad recipiendum accidentia, ut Thomistæ volunt. Quare, sicut materia juxta ipsos, eò quòd non existat nisi ratione formæ, non magis existentiam petit, nec ab eâ magis afficitur, quàm forma, sed fortè minùs; ita de quantitate dicere tenentur.

17 Porrò mirandum est, Collegium S. Thomæ cit. n. 130. incunctanter asserere, *quòd corpus, substantivè dictum, est sola materia in genere substantiæ.* Nihil enim in omni Schola solemnius, quàm corpus in genere substantiæ substantivè dici de toto composito ex materiâ & formâ, cùm sit unus ex gradibus metaphysicis directè positis in prædicamento substantiæ, sicut vivens, animal, &c.. Mirandum etiam, idem Collegium ibidem dicere, quòd sola materia *est prima radix quantitatis.* Nam, si hoc verum est, cur Thomistæ dissentiunt à Nostris cum P. Suar. asserentibus, quòd quantitas est proprietas materiæ primæ, ipsi coæva, & non corrupta in resolutione compositi? Si prima radix quantitatis est sola materia, si sola materia sibi petit quantitatem, quâ ipsa afficiatur, juxta idem Collegium n. 123.; quid quæso deesse potest quantitati, ut sit materiæ proprietas, utque materiam incorrupta comitetur in omni composito?

## CAP. II.

### *DISSOLVUNTUR ARGUMENTA contraria.*

18 *Objic.* 1. pro Thomistis: partes bruti perfecti separatæ non vivunt, ut patet in pede, vel caudâ leonis: ergo brutum perfectum constat animâ indivisibili. *Prob. Consequ.* 1.: quia cessat eo ipso ratio, quâ probatur in brutis imperfectis anima divisibilis. 2.: quia divisibilitas negari debet, ubi nullum illius indicium apparet: & otiosa est multiplicitas partium in animâ, quæ in partibus subjecti divisis conservari nequit. 3.: quia possibilis est anima indivisibilis, & materialis: ergo de facto dari debet, cùm pertineat ad perfectionem Universi, utpotè constituens novum gradum animæ. Si autem datur, utique in eo bruto, cujus partes nequeunt vivere separatim.

19 4.: quia anima, quæ non informat partes materiæ, nisi ut sibi invicem perfectè consonas, & in unum corpus coadunatas, ita ut pars deficiens à perfectâ consonantiâ, & unione cum cæteris, statim animari desinat; talis, inquam, anima subjectum divisibile informat modo indivisibili: ergo ipsa est indivisibilis. Patet *Antec.*: tum exemplo animæ rationalis, quæ non aliâ ratione convincitur indivisibiliter informare corpus divisibile: tum quia talis anima non respicit indiffe-

ferenter totum, & partes; alioquin posset in quâlibet parte conservari, ſicut forma ignis, vel anima lacertæ: tum quia ſi pars animę correſpondet parti ſubjecti, non pendebit ab unione cum cæteris, ſicut una ſubjecti pars non pendet a reliquis. 5.: quia D. Thomas 2. contra Gent. c. 72. dicit, animam bruti perfecti totam eſſe in quâlibet parte corporis, illam quę vocat formam ſimplicem: & 1. p. q. 76. art. 8. negat, talem animam dividi per accidens ad diviſionem quantitatis; quia *forma*, inquit, *quæ requirit diverſitatem in partibus, ſicut eſt anima, & præcipuè animalium perfectorum, non æqualiter ſe habet ad totum, & partes.*

20 Objectio inſtatur in lacertâ, quę ſi diſſecetur in partes minuciſſimas, vel ſi à capite ad caudam rectâ dividatur, non amplius vivit: ergo conſtabit animâ versùs latitudinem indiviſibili, vel non tot particulas habente, quot ſunt in corpore. Item in folio arboris, vel in pomo, quod ab arbore ſeparatum, & in frutula ſectum, non amplius vegetat. Item in animâ vermiculi, vel plantæ, relatu ad minimum naturale; immò in omni materiali formâ, v. g. ignea, quæ juxta Thomiſtas ſuum habet minimum naturale, ſeu certum parvitatis terminum in materiâ diviſibili, cujus quâlibet particulâ deficiente, forma conſervari non poteſt: talis quippe anima, vel forma, quatenùs actuat ſubjectum diviſibile minimum, erit indiviſibilis, ſiquid probat objectio. Quare *neg. Conſequ.*, quin obſtent probationes.

21 *Ad* 1.: licèt in bruto perfecto ceſſet ea ratio, quæ in imperfecto ſumitur ab experientiâ, urget ratio alia fortior, & univerſalior, quam in probatione dedimus. Quòd ergo partes potiùs bruti perfecti, quàm imperfecti, non ſint mutuò ſeparabiles cum permanentiâ, non provenit ex majori entitativâ ſimplicitate animæ, ſed ex majori connexione ac dependentiâ naturali partium inter ſe. Sic forma terræ non perit redacta in pulverem minutiſſimum; perit tamen forma ignis diviſa in ſcintillas; nec ideò unius, quàm alterius, major eſt entitativa ſimplicitas. Id ipſum Adverſarijs fatendum eſt in formâ plantæ, vel etiam ignis, quatenùs informante minimum naturale. Fortaſis etiam diſcrimen illud inter utrumque brutum ex eo naſcitur, quòd, juxta probabilem ſententiam, in bruto imperfecto lentùs communis & appetitus extenditur per totam ſpinam dorſi, cùm in bruto perfecto non ſit extra caput: hinc enim in exſectâ lacertæ caudâ poterit vita conſervari propter commercium cum præcipuis animæ potentijs, quę mihi ex parte remanent; ſecùs autem in pede leonis præciſo, propter illius commercij defectum.

22 *Ad* 2.: inſufficiens indicium, aut argumentum eſt realis diſtinctionis partium, quòd una pars animæ aliam realiter producat, ut neceſſariò contingere debet in nutritione bruti perfecti non minùs, quàm in nutritione lacertæ, vel plantę. Accedit ſeparabilitas partium, ſaltem non mutua; cùm videlicet alię partes animę leonis permanent, aliis pereuntibus, ijs nempe, quę pendebant à materiâ jam per caloris actionem reſolutâ. Nec otiosè ponitur multiplicitas partium, quę prorsùs neceſſaria eſt, ut ſalvetur nutritio brutorum quorumcumque.

23 *Ad* 3. *diſt. Antec.*: ſi anima illa ſit ſenſitiva tantum, ſeu nutritionis incapax, *tranſeat* (& quære ab Adverſarijs, an talis anima pertineat ad perfectionem Univerſi? & ubinam detur?); ſi anima illa verò ſit vegetativa, ſeu nutritiva, qualis de facto eſt anima brutorum omnium, *neg. Antec.*, & *Conſequ.*: repugnantia enim illiuſmodi animæ latis conſtat ex probatione ſententiæ noſtræ. *Dices*: cur non poterit dari materialis anima, quæ à Deo per creationem

nem conservetur, atquè ita nutritionem causet sine augmento sui, perinde ac anima rationalis? Sed quæro abs te, num anima illa suâpte naturâ postulet conservari per creationem? Si asseras: ergo & postulat per creationem primò produci, consequenterque non videtur esse materialis, utpote independens à materiâ in fieri & conservari, nec aliunde modaliter alligata materiæ. Si neges: ergo suâpte naturâ pendet à materia, consequenterque nequit nutritionem causare naturaliter sine augmento sui, ut ex nostrâ probatione constat. Præterea, quamvis ifiusmodi anima concedatur possibilis, nihil inde proficient Adversarij, cùm certum sit, omnem materialem animam de facto per eductionem conservari. Denique tertia illa probatio instatur sic: possibilis est anima plantæ, vel etiam forma lapidis, quæ sit indivisibilis (vel ostende repugnantiam, quæ non æquè militet in animâ bruti): ergo talis de facto censenda est, quę informat minimum naturale, cujus particulæ nequeunt informari separatim.

24 *Ad 4. dist. antec.*: informat modo indivisibili, ideſt, modo excludente divisionem in partes permanentes, *conc.* (hoc sensu etiam anima plantæ, vel forma lapidis, informat modo indivisibili minimum naturale; atque ita quidem, ut tota pereat cujuivis particulæ defectu, quod non accidit animæ leonis); modo indivisibili, ideſt, modo excludente distinctionem partium unitarum, *neg. antec.* In cujus *probatione* falsò dicitur, non aliâ ratione probari quòd anima rationalis informet indivisibiliter, seu absque distinctione partium: aliis enim rationibus id ostensum est disp. 2. c. 1. ipsi quoque Thomistæ id probant ex spiritualitate rationalis animę. Quòd verò leonis anima non respiciat indifferenter totum, & partes, ita scilicèt, ut æquè possit conservari naturaliter in singulis corporis partibus divisis, ac in corpore integro, solùm probat, eam constare partibus inter se connexis, & invicem dependentibus, quæ idcircò deficiente unione continuativâ pereunt, sicut accidit in exemplis adductis n. 20. Ex quibus etiam constat, fieri posse, ut pars animę correspondeat parti subjecti, & tamen magis, quàm subjecti pars, pendeat ab unione cum reliquis. Certè in folio arboris divisо pars animæ non diù permanet, cùm tamen pars materiæ perpetuò manere possit à reliquis divisa.

25 *Ad 5.*: D. Thomas in 2. de Anima lect. 2. litt. b. supponit generaliter, animam sensitivam constare partibus, dum ex mente Philosophi sic ait: *Sicut se habet una pars animæ sensitivæ ad unam partem corporis sensitivi, sic se habet totus sensus ad totum corpus sensitivum.* Præterea in textu nobis objecto ex 1. p. non loquitur de solis animalibus perfectis, sed de ijs *præcipuè*; quo satis indicat, se quòque de imperfectis loqui: quemadmodum siquis diceret, *Anima cognoscitiva est in brutis, & præcipuè in elephantis*, non de solis hisce loqueretur. Id ipsum persuadet ratio D. Thomæ, quòd scilicèt anima *requirit diversitatem in partibus* corporis: hanc enim diversitatem sine dubio requirit anima lacertæ; de quâ etiam verificatur, quòd *non æqualiter se habet ad totum, & partes*; quia nec in caudâ divisâ potest primò produci, nec tàdiù conservari, quamdiù conservaretur in toto corpore, cùm ibi quodammodò violenta sit, & in mortem properet. Cùm ergo D. Thomas non ponat animam lacertę indivisibilem in sensu quæstionis, ut Thomistæ fatentur, ipsi quoque fateri debent, S. Doctorem alio sensu locutum.

26 Negat igitur D. Thomas animæ bruti divisionem sumptam pro mutuâ separatione partium seorsùm permanentium in statu connaturali, quæ pro-

propriè dicitur divisio quantitativa, qualem patitur albedo (hujus exemplo utitur ibidem) in subjecto extenso, in cujus parte quâlibet ita conservatur, ut non majorem integritatem desideret. Sic passim impartibilem dicimus rem, cujus partes, si dividantur, vel illicò pereunt, vel reddantur inutiles, v. g. picturam, vestem, calceum: quo etiam sensu organizatio bruti dicitur indivisibilis, vel in indivisibili consistens. Vocat etiam animam bruti formam simplicem simplicitate oppositâ compositioni partium mutuò separabilium: & totam esse dicit in quâlibet parte corporis, non entitative, sed connexivè, quatenùs pars ejus existens in caudâ v. g. ita connectitur cum totâ animâ, seu cum cæteris animæ partibus, ut sine ijs existere nequeat, saltem in statu connaturali. Eodem ferè modo interpretandus est D. Augustinus lib. de quantit. anim. c. 31., ubi non parùm favere videtur sententiæ dicentium, omnem materialem animam, etiam in vermiculis, esse indivisibilem: certè nihil favet sententiæ Thomistarum.

27 *Obsic.* 2. ex alijs: equus, ubicumque pungatur, signa doloris edit, & toto corpore commovetur: dumque oculis percipit objectum noxium, statim pedes determinat ad fugiendum: eadem igitur indivisibilis anima in toto equino corpore, & in quâlibet ejus parte residet. *Confirm.* 1.: si equus altero pede tangat aquam, altero ignem, discernit objectum noxium ab innoxio, & alterum illicò refugit, alterum permittit: sed discretio ista fieri nequit, nisi ab unâ, eâdemque animâ utrumque objectum percipiatur: ergo eadem est anima in utroque pede. *Confirm.* 2.: si anima equina partibus constat, ejus cognoscitiva & appetitiva pars constabit etiam partibus (alioquin anima ista erit indivisibilis, quatenùs potens cognoscere & appetere): constabit igitur ex multis principijs cognoscitivis & appetitivis. Hoc autem repugnare videtur. Tum quia nequit ex pluribus cognoscentibus unum constare, ut patet in animabus humanis. Tum quia posset una pars animæ refugere idem objectum, quod appetit altera. Tum quia vel omnes partes cognoscunt objectum divisibile per eumdem indivisibilem actum, vel per actus totidem. Si primum dicatur, absurdè conceditur actui simplicitas, quæ negatur principio: Si secundum; cùm singulæ partes animæ cognoscant totum objectum, v. g. panem oblatum equo, vel cani, sequitur, eos omnes actus esse totales, ac proinde non posse in unum coire.

28 *Confirm.* 3.: in brutis etiam operatio intensa unius partis impedit vel retardat operationem alterius: ergo idem est in utrâque parte principium operandi. 4.: potentia cognoscitiva residet in capite, appetitiva in corde: si ergo anima equi non est eadem in corde, & capite, anima cordis appetet objectum à se ipsâ non cognitum; quod est absurdum. Similiter absonum apparet, quòd anima in cerebro, si non est eadem ipsâ in oculis, imaginetur objectum, quod oculi vident, ideòque objectum non visum à se, sed ab aliâ parte loco sejunctâ. 5.: animal, ut nobiliores partes tueatur, periculo exponit ignobiliores; quod in serpente maximè celebratur: hoc autem non ita contingeret, si distinctæ forent animæ partes; deberet enim pars quælibet magis de se, quàm de alijs, esse solicita. 6.: animalia, quæ nimium crescunt, languidiùs operantur: quod signo est, non crescere animam ipsam novarum accessione partium; alioquin languidius fieret animal accessione virtutis operativæ. Hæc omnia militant pariter in animalibus imperfectis, ut est perspicuum: quare non profuit Thomistis, nec alijs eorum sententiæ sectatoribus.

29 Ad *objct. resp.*, partes ani-

ne bruti quoddam inter se commercium, sympathiam, aut subordinationē habere propter bonum totius, quod simul constituere naturaliter exigunt. Unde simul ac sensus externus, v. g. visus, aut tactus, objectum aliquod percipit, speciem illius ad sensum internum in cerebro situm citissimè transmittit per nervos sensorios, toto corpore distributos. Sensus internus, sive phantasia, indolem objecti discernens, protinùs appetitum movet, ut averserur objectum noxium, & prosequatur innoxium. Appetitus autem cæcus corporis partes, & potentias movet, seu determinat, tum per impulsionem spiritum (quamcumque per potentiam impulsivam secum identificatam, vel intimè conjunctam), tum per naturalem sympathiam, aut subordinationem, in eo consistentem, quòd reliquæ potentiæ naturaliter exigant. Divinum concursum ad actus suos ex suppositione actûs appetitivæ partis, qui actus est velut imperium & prævia conditio respectu cæterorum. Hæc etiam doctrina valet in homine, si potentiæ distinguâtur ab anima. Ex eâ verò facilè percipitur, cur omnes ejus partes commoveantur, dum aliqua pungitur: quia scilicet læsæ partis dolorem cognoscit protinùs phantasia, & hæc protinùs excitat appetitum retrahendi partem illam à causa doloris, quo appetitu determinantur partes omnes, ut motu suo retractionem adjuvent. Eodem pacto determinantur pedes ad fugam, cùm visus hostem percipit.

30 *Ad 1. Confirm.*: discretio inter objecta duo, distinctis partibus percepta, fit à sola parte imaginativâ, sive ab uno eodemque sensu interno, ad quem species utriusque objecti statim perveniunt, licèt incipiant à distinctis partibus corporis, & animæ. *Ad 2.*: pars equinæ animæ cognoscitiva, & appetitiva, constat quidem partibus, atque adeò constituatur ex pluribus cognoscentibus, & appetentibus, sed partialibus, seu naturâ suâ coordinatis ad integrandum unum: quod non benè impugnatur exemplo animarum rationalium, cùm hæ sint ex se principia cognoscendi totalia, & non invicem inutilia. Nec sequitur, ejusdem animæ particulas cognoscitivas, aut appetitivas, posse inter se dissidere in cognoscendo, vel in appetendo. Recipiunt enim omnes uniformiter eas dispositiones, quibus determinantur ad operandum: species namque sensuum externorum uniformiter afficiunt partes phantasiæ, quæ partes, cùm sint potentiæ necessariæ, statim omnes eodem modo & tempore cognoscunt, moventurque uniformi & efficaci motione ad appetendum idem, eodemque modo. Unde constat disparitas ad principia cognoscentia, quæ in distinctis suppositis existunt: ea quippe diversimodè operari possunt propter determinativa diversa. Constat item disparitas ad plura principia libera; quæ ratione libertatis possunt contraria velle, ideòque in unum suppositum coire nequeunt.

31 Quod additur de cognitione objecti divisibilis, parùm urget. Ipsa enim cognitio tot partibus constat, quot principium ejus: quæ partes, licèt singulæ repræsentent totum objectum, ideòque cognitiones totales dici possint totalitate objectivâ, & essentiali, quatenus in singulis salvatur essentia cognitionis de tali objecto; attamen totales non sunt totalitate subjectivâ, & integrali, cùm possint continuativè uniri ad integrandum unam cognitionem extensam, toti subjecto commensuratam; quemadmodùm unus color extensus integratur ex pluribus partibus, quarum in singulis salvatur essentia coloris. Et quamvis inde inferatur, cognitionem materialem esse indivisibilem in repræsentando, quatenus eâdem repræsentatione fertur in to-

totum objectum, & in quamlibet ejus partem, non est hoc absurdum, dummodò cognitio illa sit divisibilis in essendo; sic enim satis imitatur principium suum. Præterea, si negetur, totum objectum cognosci à singulis partibus phantasiæ, quid inde? Sequitur, inquis, solùm cognosci à singulis partibus phantasiæ singulas partes objecti, non verò cognosci totum objectum: ficut, si duo intellectus cognoscerent singuli singulas unitates, non cognosceretur binarius. *Dist.*: sequitur, non cognosci totum formaliter, ita scilicet, ut compareatur ad partem, tanquam includens ad inclusum, *conc.*; non cognosci totum materialiter, ita scilicet, ut secundùm omnes partes cognoscatur per cognitionis partes continuativè unitas, *neg.*. Hoc materiali sensu verè dicimus, totum objectum in speculo, vel in statuâ repræsentari. Hæc eadem dicta sunto de actibus appetendi, videndi, &c..

32 *Ad 3.*: Antecedens incertum est: sed, si verum sit, ideò erit, quia pars intense operans, magnam ad se trahit copiam spirituum vitalium, aut animalium, quibus aliæ partes interim destituuntur: vel etiam, quia phantasia, nimiùm intenta in partem operantem, nequit aliam simul dirigere, seu appetitu movere. Hoc argumento suprà disp. 1. rejecimus in homine pluralitatem animarum; sed ibi satis efficaciter: quia, si anima rationalis non identificatur cum sensitivâ, non est cur ejus operationem impediat, cùm nec ipsa ratione sui indigeat spiritibus ad operandum, nec anima sensitiva per se pendeat in operando à directione intellectûs.

33 *Ad 4. neg. Antec.* cum communi sententiâ Recentiorum, quantum ad sedem appetitûs, id est, adæquatæ virtutis appetendi, quasi hæc non alibi, quàm in corde, resideat. Jam enim communiter locatur in cerebro, non solùm phantasia, sed appetitus; quàmvis hic dicatur spectare ad cor, quia per sympathiam, vel impulsionem spirituum in eo causat plures impressiones sensibiles, dum videlicèt cor in irâ æstuat, in timore palpitat, in mœrore constringitur, in gaudio dilatatur. Negandum igitur, quòd in bruto pars animæ appetitiva realiter distinguatur à cognoscitivâ, & consequenter quòd appetat objectum sibi ipsi non cognitum; licèt ad productionem actuum cognoscendi & appetendi juvetur distinctis potentijs accidentalibus inadæquatè activis; de quo disp. sequ.. Quòd verò pars in cerebro existens imaginetur objectum, non visum à se, sed à parte oculari, nihil habet absurdi, dummodò utraque pars constituat integritatem unius animæ: quia species objecti per nervos continuò propagatur ab oculis ad cerebrum, ubi retinetur etiam visione cessante. Aliud est in distinctis suppositis; non enim ab oculis unius potest transmitti species ad cerebrum alterius.

34 *Ad 5.* instantia est in arbore, quæ folijs poma protegit ab injuriâ temporum, & cortice lignum vestit. Item in aquâ, quæ, juxta communem Peripateticorum sensum, sæpe ascendit sursùm ad vitandum vacuum, proprij centri oblita propter bonum Universi. Præterea, quòd pars ignobilior plebeat magis de se, quam de aliis, esse solicita, solùm probat, ipsam sponte suâ non se exponere periculo propter nobiliorem. Exponitur tamen ex impulsione, vel imperio appetitivæ partis: quemadmodùm in homine gravatus manûs & brachij attollitur ex imperio animæ contra propriam inclinationem innatam.

35 *Ad 6.*: quòd virtus languescat in grandiore mole, vulgo quidem jactatum est, etiam in homine: sed facilè negari potest per se loquendo. Nam quæcumque, seu historia, seu fa-

fabulæ, de gigantibus loquuntur, simul eos prædicant ingenti robore validos. Elephantus quòque non est imbecillior lepore, nec balæna piscículo: immò generatim bruta intra propriam speciè, quò magis crescunt, eò sunt validiora. Et quidem, si quid probat ratio afferri solita, quòd scilicet anima in parvo corpore vires contrahit, & virtus unita fortior; pygmæi eruat omnium hominum robustissimi; vir etiam erit languidior puero, & leo adultus se ipso catulo. Languent quidem homines aliqui staturâ proceri: at quot pusilli passim occurrunt languidiores? Est igitur languor ille per accidens, nec provenit à proceritate, sed vel à morbo, vel à temperamento ignobili. Sic passim accidit, ut idem homo invariatâ mole, sed variatâ dispositione accidentali, modò langueat, modò vigeat. Ætas etiam senilis, licèt molem corrugatione minuat, non ideò vires auget virilis ætatis. Item pura de brutis, si quid in ijs simile interdùm contingat.

36. Sed, admisso frequenter languidiora esse bruta, quæ nimium crescunt, non inde impugnatur accretio novarum partium animæ: provenit enim languor ex inopiâ spirituum vitalium, quibus indigent partes corporis ad operandum: hi namque spiritus in prægradi corpore tardiùs accurrunt, & minùs in copiâ gignuntur, eo quòd alimenti materia tota fere transeat in substantiam aliti, ut molem adquirat, vel adquisitum conservet. Denique instantia est manifesta in plantis, quæ, si nimium crescant, minore vi fructificandi pollent: ideoque putantur, præsertim vites, ut magis fructificent. Quo etiam exemplo solvitur, quod aliqui objiciant, sequi scilicèt ex nostrâ sententiâ, brutis non esse certum magnitudinis terminum. Vid. disp. 1. de Gener. n. 55.

37. *Objic.* 3. ex P. Quiròs animæ brutorum ejusdem speciei per se distinguuntur supposito, ideòque exigunt distincta supposita constituere per se, non per accidens tantùm ratione divisionis materiæ, qualiter plures ignes sunt per accidens distincta supposita, cùm ex se possint in unum coalescere, si detur continuatio materiæ. Hujusmodi distinctio inter duorum leonum animas constare videtur; tum ex communi apprehensione; tum quia nequit unius anima proprio supposito malum appetere, cùm possit alteri. At, si animæ forent divisibiles, non per se spectarent ad distincta supposita: quia posset ex duplici catulo fieri leo grandis, & ex leone grandi duplex leunculus; non aliter ac ex multiplici scintillâ rogus ingens, & ex magno igne multiplex ignis parvus. Et altem eædem partes animæ, quæ nutritione adquiruntur à leone A., possent adquiri à leone B. Hæc *Objectio* perspicuè inflatur in plantis: quas si cum Quiroso neges per se distingui supposito, non facilè impugnabis eum, qui pariter id neget in brutis. Nam etiam arbores apprehendimus supposito per se distinctas; & anima unius consulit proprio supposito cum alterius etiam detrimento, ut cùm arbor una è terrâ sibi secum attrahit non sine detrimento alterius in vicino plantatæ.

38. Deinde *resp.* 1., brutorum animas ejusdem speciei, tametsi divisibiles, per se distingui supposito absolutè: quia nequit una naturaliter uniri alteri, nec pars unius parti alterius, ad unum suppositum constituendum, sed partes, unaquæque mutuam secundum se coordinationem habent, quâ tale suppositum constituere possint, non aliud, quâ in re differunt a partibus distinctorum ignium, quibus per accidens est continuari, vel discontinuari. Id quod ijsdem rationibus probatur, quibus tu probas, ejusmodi animas per se distingui supposito magis, quam formas ignoeas. Hunc negandum, quòd ex duplici leunculo fieri poi-

posit leo unus, &c. & quòd partes adquisitæ à leone A. ex se indifferentes sint, etiam in statu possibilitatis, ut adquirantur à leone B. Nec obstat, quòd partes utriusque suppositi sint ejusdem speciei; possunt enim ex differentiâ individuali partes unius habere ordinem inter se potiùs, quam cum alijs, & similiores esse invicem, quàm partibus alterius: quemadmodum actiones Petri, ex individuali respectu ad tale individuum, similiores inter se sunt, quàm actionibus Pauli, licèt omnes sint ejusdem speciei.

39. *Resp.* 2., animas brutorum ejusdem speciei per se distingui supposito, non omninò absolutè, sed ex suppositione quòd primò generetur in materijs discontinuatis: hac enim suppositione factâ, nunquam possunt naturaliter in unum coire, nec unaquæque in plura supposita dividi. Nam, si dividatur leo grandis, morietur illicò; & unus leunculus alteri uniri nequit per juxtapositionem, ut patet, nec item per intussumptionem, seu nutritionem, cùm debeat prius occidi, quàm fit cibus alterius. Hinc duo leones magis distinguuntur supposito, quàm duo ignes; hi namque post primam productionem continuativè uniri possunt, & unusquisque in plures dividi naturaliter: magis etiam, quàm duæ plantæ, si verum sit quòd ramus unius cum suâ parte animæ per insitionê continuatur cum altero, etiam diversę speciei; nihil enim simile contingere potest in brutis. Concedo tamen, quòd partes nutritione adquisitę à leone A., potuerunt ante suppositionem hanc nutritione adquiri à leone B.; in hoc enim nullam incommodum; ut nec in eo, quòd eædem materiæ partes, quas unus per nutritionem adquirit, potuerit adquisivere alter, quàm vis ambo distinguantur supposito, non solùm quoad formam, sed quoad materiam. Et hinc etiam concedo, quòd partes animæ, quibus nunc augetur leo A., potuerunt deservire primę generationi leonis B.; quod non esse absurdum, constat paritate partium materiæ, & exemplo plantæ.

40. *Objic.* 4.: si anima bruti esset divisibilis, minima particula, seu punctum animę, correspondens puncto materiæ, foret vera anima, sicut materiæ punctum est materia, saltem in compositione continui Zenonicâ: aliunde verò non foret vera anima; quia non esset actus corporis organici, siquidem non nisi materiæ punctum actuare posset. Accedit, quòd, si talis particula verè est anima, cùm sit punctum indivisibile, jam dabitur materialis anima indivisibilis. *Objectio* inprimis evidenter inflatur in animâ plantæ: ac deinde facile solvitur, si dicatur, punctum animę non esse animam simpliciter, sed solùm cum additione *aut quo*, seu *constitutivè*, quatenùs naturaliter existere nequit, nisi constituendo animam simpliciter dictam mediâ unione sui cum alijs partibus animæ. Ratio est: quia de conceptu animę simpliciter dictę, est aptitudo naturalis ad actuandum corpus organicum, quod necessariò importat materiam divisibilem: hæc autem aptitudo non salvatur in puncto animæ, quo unicum materiæ punctum actuetur. De hoc iterùm in Quæst. sequ. Alia ratio est in materiâ, simpliciter dictâ; cujus conceptus nihil habet, quod salvari nequeat in puncto, juxta Zenonem. Quod additur in objectione, frivolum est: quia, etiamsi punctum animæ diceretur anima simpliciter, non ideò materialis anima indivisibilis esset magis, aut aliter, quàm materia prima; quod solum in præsenti defendimus.

## CAP. III.

### UTRUM PARTES ANIMÆ DIVISIBILIS *sint homogeneæ? an heterogeneæ?*

41. SUppositâ divisibilitate animæ bruti, nemo negat, plures in

in eâ partes esse homogeneas, sive omninò similes, illas nempe, quę in organizatione & operatione omninò conveniunt. Sic partes oculi dextri similes sunt partibus sinistri; quod pariter verum est de partibus utriusque auris, aut utriusque brachij, aut etiam de partibus puræ carneis inter se collatis. Quæstio solùm est de partibus, quæ diversæ organizationi subsunt, & operationes elicient valde diversas, v. g. de partibus oculari & auriculari, vel de ijs, quæ in cerebro & in pede locantur, invicem comparatis: quę si secum identificent eandem virtutem, eademque prædicata essentialia, ita ut pars auricularis v. g. ex se visiva sit, & pars pedalis imaginativa, ipsisque per accidens contingat carere organis ad videndum aut imaginandum aptis, & in primâ animatione produci potiùs in aure, vel in pede, quàm in oculo, vel in cerebro: si partes, inquam, hujus sint indolis, erunt homogeneæ. Si verò unaquæque non aliam ex se virtutem habeat, quàm quę respondet organizationi, cui subest, & per se exigat locari potiùs in pede, quàm in cerebro, &c.; erunt heterogeneæ, substantialiterque dissimiles; siquidem aliquod prædicatum convenit parti capitali, quo caret pedalis, videlicet intrinseca & substantialis capacitas ad imaginandum.

42 Hoc sensu partium homogeneitatem asserunt Thomistę communiter, Pontius etiam & Mastrius Scotistæ, & è Nostris Arriaga, Ovied., Quiros, Peynad., Ulloa, & alij. Sed heterogeneitatem adstruunt Cardinal. de Lugo, Rubius, Hurtado, Tellez, Compton., Alphonsus, Lynce, & alij è Nostris, secuti Doctorem Eximium d. 15. Met. s. 10. n. 40., & l. 1. de Anim. c. 2. n. 19., ubi alios antiquiores allegat. Utraque sententia valdè probabilis est; secunda tamen probabilior apparet. *Probatur* autem communiter sic. Partes animæ bruti, quę non destinantur ad cognoscendum (nimirùm per imaginationem, seu cognitionem cerebri propriam), non sunt intrinsecè cognoscitivæ: ergo intrinsecè differunt a parte animæ cognoscitivâ, quâ cum proinde non sunt homogeneæ; cúmque ratio sit eadem in ceteris prędicatis, omnes partes, quæ ad diversa munera destinantur, heterogeneæ sunt. *Prob. Antec.*: pars v. g. destinata in pedem, à quo prorsùs alienum est munus cognoscendi, si forct intrinsecè cognoscitiva non minùs, quàm pars destinata in cerebrum, violenter & contra propriam inclinationem existeret in pede: sed hoc à nemine dicitur, nec dici potest, cúm sit per se & ex naturâ animæ divisibilis, quòd aliqua pars ejus in pede locetur, perpetuò destituta dispositionibus ad cognoscendum: ergo, &c.

43 *Prob. Maj.*: substantia naturaliter activa, si perpetuò impediatur à nobilissimâ operatione, quam continet ut causa principalis, violentiam patitur: sed pars animæ destinata in pedem, perpetuò impeditur ab operatione cognoscendi, quæ inter omnes animę sensitivæ proprias nobilissima est, & specifica, seu specificæ perfectionis index: si ergo talem operationem intrinsecè continet ut causa naturalis, & principalis, sicut forma cerebri, violenter existit in pede. Cętera constant, & *Major* satis clara videtur. Tum quia naturalis activitas rebus indita est propter operationem, saltem specificam, & pręcipuam: ne igitur proprio fine careat, & frustranea sit, naturaliter exigit reduci ad actum; à quo si perpetuò arceatur, violenta est. Tum quia respectu illius activitatis operatio (prę-sertim immanens, qualis est cognitio) bona est, & perutilis, seu valde conveniens; est etiam naturaliter possibilis, siquidem continetur in activitate naturali: at capacitas ad bonum com-

veniens, & naturaliter possibile, necessariò est appetitus innatus illius boni, quo proinde sine violentiâ privari nequit in perpetuum. Certè pars animæ, quæ in pedes, aut in ossa detruditur, si foret discretionis capax, invita parèret, & tam duram sortem iniquo animo ferret: ergo & modo violentiam patitur contra inclinationem innatam, quæ rectè dignoscitur ex comparatione ad appetitum elicitum, si daretur.

44 *Confirm.* 1.: si toti animæ equinæ perpetuò negaretur potentia proxima cognoscendi, violenter existeret: ergo pariter violenta esse debet pars equinæ animæ, sicut talis potentia proxima perpetuò denegatur, siquidem juxta Adversarios quæ habet pars animæ ex se non minus est naturaliter cognoscitiva, quàm tota anima. *Confirm.* 2.: diversitas proprietatum & operationum in principijs realiter distinctis, quando constat non esse per accidens, & ab extrinseco, argumentum præbet physicè certum diversitatis subsistentialis principiosum: aliter cur ignem ab aquâ, & equum à leone, substantialiter differre, certò asserimus? At in partibus animæ brutæ (quæ nunc realiter distinctæ supponuntur) magna certum diversitas proprietatum & operationum, quam diversitatem per se & ab intrinseco exigi ab animâ bruti, certissimum est: ergo &c. *Confirm.* 3.: si potentiæ distinguantur ab animâ, & inter se, nemo est qui neget, eas esse inæquales, & heterogeneas, & visivam intrinsecè differre ab auditivâ, imaginativam a deambulativâ, & sic de alijs, licet omnes pertineant ad idem suppositum; nec nisi exoticè diceretur, quòd potentia deambulativa destinata in pedes, ex se vim habet imaginandi, aut videndi. Hæc autem non aliâ ratione sic decernitur, quam ex diversis operationibus, ac dispositionibus organicis, ad quas potentiæ singulæ perpetuò destinantur.

45 Tòti huic argumento, sanè gravi, & satis urgenti, respondent Adversarij, partes animæ brutæ, destitutas organis ad cognoscendum, non esse violentas: quia talia organa non exigunt singulæ sibi determinatè, sed vel sibi, vel alijs partibus ejusdem suppositi. Cùm enim organizatio ad cognoscendum non sit debita, nec utilis compositio equina in omni parte corporis, sed in aliqua tantùm, ut scilicèt locus sit alijs organis & operationibus, eidem composito connaturalibus; idcircò partes equinæ animæ, quantum exigentia conformari debet exigentiæ totius, talem organizationem non appetunt ut omnibus simul conferendam, sed ut tribuendam alicui vagè, seu indeterminatè, ei scilicèt, quam naturæ Author ex pluribus æquè idoneis elegerit, & in cerebro collocare voluerit. Sic, dum è multis ejusdem Reipublicæ civibus æquè dignis eligitur unus in Prætorem, cæteris non irrogatur injuria, irroganda tamen omnibus, si nullus eorum eligeretur: quia scilicèt jus habet quisque, non ut sibi determinatè conferatur id muneris, sed ut sibi, vel alteri ex æque dignis; sic enim postulat commodum Reipublicæ, cui conformari debent jura privatorum.

46 Hinc relinquo disparitas ad formas constituentes diversa suppositum. Nam anima equi asseritur substantialiter differens à leonina, non præcisè quia nunquam rugit, nec subest organis ad rugiendum aptis, sed quia non est pars suppositi rugientis, ac proinde nec sibi, nec alijs ponitur potentiam proximam rugiendi. Profectò ex operationibus leonis & equi, non modo colligitur utriusque animæ diversitas, sed etiam inconnexio, & incapacitas constituendi unum suppositum: & tamen inconnexio illa non colligitur ex diversis operationibus partium ejusdem suppositi: non ergo rectè ducitur paritas à diversis suppositis ad partes ejus-

ejusdem. Præterea exemplis infringere conantur argumentum nostrum. Nam anima rationalis tota est in pede, in quo nunquam discurrit, nec imaginatur: anima maris ex se potens est informare corpus fœmineum, quod nunquàm informabit: equus albus, & niger, cùm ejusdem sint speciei, differunt in colore, quem perpetuò retinent: in eodem bruto anima oculi dextri potuit subesse organizationi sinistri, & anima carnis, aut ossis, quæ est in pectore, potuit esse in cruce: quæ tamen potentia nunquam reduceretur ad actum: materia coelestis in sententiâ probabili capax est formæ sublunaris, quam nunquàm recipiet: plura objecta potentiam motivam habent ad visionem sui, quæ tamen nunquam videbuntur. Pariter ergo in re nostrâ dari potuit activitas naturalis perpetuò impedita.

47 Sed contra hanc doctrinam probatio data *roboratur* 1.: quia prorsùs videtur absurdum, quòd centum, aut mille partibus animæ, natura tribuat vim cognoscendi, per se ac directè intendens, ut ea vis ab unâ tantùm exerceatur. Tum quia hoc est frustrà prodigere activitatem ex genere suo nobilissimam. Tum quia in moralibus imprudenter se gereret Princeps, qui centum militibus arma tribuat, directè intendens, ut unus tantùm pugnet, certòque sciens, Reipublicæ perniciosum esse, quòd cæteri præter unum armis utantur. Certè Adversarij negare non possunt, per se & ex naturæ instituto contingere, quòd major numerus partium animæ, v.g. numerus 99. ex 100., sit extra cerebrum, adeoque nunquam cognoscat; quàmvis solus Deus determinet, quinam ex illis 100. locanda sit in cerebro: ergo natura per se ordinat majorem numerum partium, ut semper careat exercitio præcipuæ virtutis substantialis, & ut virtus ista, quâ talis est, perpetuò sit otiosa in plerisque partibus, aut fere omnibus: ergo, cùm aliunde principium sit, ac regula generalis, quòd *natura virtutem activam ordinat ad actum*, natura per se respiciet fines oppositos, & sibi ipsi contraria erit.

48 *Roboratur* 2.: quia singulis partibus, secundùm se spectatis, bonum est virtutem adeò præstantem exercere; nam ex terminis bonum est principio cognoscitivo cognoscere, sicut principio vitali vivere, & principio nutritivo nutritionem causare: si ergo aliunde bonum totius est, quòd omnes fere partes perpetuò careant illius exercitio virtutis, ex naturæ instituto contraria & incompossibilia semper erunt bona totius, & omnium ferè partium. Hoc autem & inordinationem præfefert, & quamdam vel impotentiam, vel ignorantiam naturæ, quæ nescit instituere commoda compossibilia, nisi cum perpetuo incommodo plerarumque partium. Profectò, licèt interdùm accidat, quòd pars aliqua contra peculiarem inclinationem inserviat commodo totius, ut cùm aqua propter Universi bonum ascendit ad vitandum vacuum (si hoc verum est); nullum tamen est totum, cujus exigentia perpetuò obsistet peculiari exigentiæ partium, saltem in ordine ad præcipuas operationes ipsarum. Et impotentia in Authore naturæ argueretur, si nesciret aliter constituere Universum, ejusque bonis in esse totius providere, quàm plerisque partibus perpetuò denegando præcipua ipsarum munera, & operationes specificas, v. g. illuminationem Soli, calefactionem igni, discursum homini, &c.. Hæc maximè vim habent contra plures ex Adversarijs, qui possibilem esse concedunt animam ex partibus heterogeneis constitutam.

49 *Roboratur* 3.: quia, stante Contrariorum doctrinâ, defendere quis poterit, omnes totius Universi formas substantiales ejusdem esse speciei, eâdemque virtute substantiali prædictas, v.g.

v. g. ad illuminandum instar Solis, vel ad rugiendum more leonis; non tamen singulas exigere sibi determinatè potentiam proximam illuminandi, vel rugiendi, sed indeterminatè sibi, vel alteri; quia scilicèt Universo expedit, ut una tantùm gerat munus Solis, & non omnes eliciant operationem leonis. Et hîc opportunius erit Prætoris exemplum, quod probat, siquid probat, distincta suppositа posse indeterminatè petere sibi, vel alijs, certum operationum genus. Et certè non minor unio & subordinatio reperitur inter partes Universi, quàm inter cives unius Reipublicæ. Immò nec refert, quòd unio illa sit minor, quàm inter partes unius bruti. Tum quia dicet quis, discrimen istud de materiali se habere, quoad præsens attinet; quandoquidem Universum verè totum est, ex partibus inter se coordinatis constitutum, quæ partes verè postulant conservationem & commoda totius. Tum quia non minùs connecti videntur corpora sublunaria cum cœlestibus, & eorum operationem exigere, quàm pes exigat operationem capitis. Accedit, quòd saltem ex doctrinâ relatâ defendi poterit, potentias animæ, tametsi distinctas à substantiâ, omnes esse homogeneas, & ejusdem virtutis, singulasque indeterminatè petere organum videndi v. g., vel sibi, vel alijs, eo quòd omnes pertineant ad idem suppositum, cui non expedit omnes destinari ad videndum.

50 Jam illa velut instantia n. 46. de inconnexione animarum leonis & equi, facilè repellitur: quia inconnexio, sive incapacitas ad constituendum unum, non colligitur ex diversitate operationum; nam duæ animæ rationales, vel duę leoninæ penitùs integrę, similes sunt in operando, & tamen ineptæ ut constituant unum; contrà verò materia & anima diversas proprietates radicant, & tamen in unum coeunt. Ejusmodi ergo inconnexio, vel incapacitas, præcipuè colligitur ab experientiâ separationis perpetuæ servato statu connaturali, dum aliunde nulla suppetit ratio in oppositum. At entitativa principiorum distinctorum diversitas optimè colligitur ex diversitate proprietatum & operationum; alioquin totum Universum posset impunè fingi substantialiter homogeneum. Objecta exemplorum turba parùm obest. Illud de civibus æquè idoneis ad munus Prętoris, est valde dispar: quia nec illa est aptitudo præcipua & specifica singulorum; nec per electionem unius perpetuò excluduntur cæteri ab eo munere. Si autem perpetuò excluderentur, stante merito intrinseco, utique paterentur injuriam; multòque magis, si prætextu boni communis omnes prętęr unum cogerentur perpetuò se gerere ut irrationales, sive ut stipites, prorsúsque inordinata esset Respublica, quæ tale quid exigeret. Unde retorquetur exemplum.

51 Anima rationalis, quæ tota est in pede, tota etiam simul est in capite, ubi discurrit, & imaginatur. Ut autem absolutè dicatur ad propriam operationem expedita, sufficit quòd expedita sit alicubi, nec requiritur expeditio in omni loco, in quo anima est, quemadmodùm nec in omni tempore, in quo existit, v. g. in infantiâ, vel in somno. Si tamen anima rationalis non alibi esset, quàm in pede, vel in organo prorsùs inepto ad imaginandum, violenta foret absdubiò. Sic autem se habet in equo anima pedis: unde & exemplum hoc retorquetur. Anima maris æquivalenter exercet potentiam informandi corpus fęmineum, quatenùs informat corpus masculum, æquè idoneum ad specificam operationem ratiocinandi. Nec in utrovis corpore anima, seu humana, seu belluina, penitùs careret potentiâ proximâ generandi, quàmvis in modo sit disparitas. Præterea, cùm aliunde constet, ejusdem speciei esse

animas maris & fœminæ, saltem in hominibus (in brutis admitti poterit diversitas specifica secundùm quid, nempe secundùm partes quasdam); aliqualis organorum diversitas meritò dicitur esse per accidens respectu animæ in individuo, meritòque tribuitur causis extrinsecis. Si tamen sub lite esset identitas specifica (ut est inter partes animæ bruti), non immeritò ex eâ diversitate colligeretur heterogeneitas animarum. In equis color albus, aut niger, nihil refert ad operationem specificam: &, licèt perpetuò retineatur, constat ejus determinationem esse ab extrinseco, ut in hominibus accidit.

52 Oculi dextri organizatio, ejusdem rationis est, ac sinistri, & ad actus specie similes idonea: unde anima, in dextro existens, plenè potitur organo & operatione de lineâ visivâ, perinde ac si existeret in sinistro. Quòd autem nulla virtus unquam habitura sit omnes in individuo proprietates & operationes, quas continet, nihil mirum, cùm illæ syncategorematicè infinitæ sint. Non benè hinc arguitur violentia: benè tamen ex eo, quòd virtus aliqua perpetuò inepta reddatur ad certam speciem, seu lineam actuum, saltem valde excellentium, & ejus perfectionem specificam indicantium. Sic equus violentiam patitur, si nunquam binnire possit, & homo, si nunquam discurrere: non tamen, si equus, aut homo, nunquam eliciat individuos omnes binnitus, aut discursus, sine fine possibiles. In his locum habet exigentia indeterminata; cùm perinde satisfiat exigentiæ virtutis per hunc, ac per illum actum ejusdem speciei. At quis credat, perinde satisfieri per actum lineæ diversæ, & admodùm inferioris? Eadem esto responsio ad animam carnis, aut ossis, quæ ideò non exigit potiùs esse in pectore, quàm in cruce, quia utrobique obtinet qualitates & actus ejusdem rationis, ac proinde neutram locum exigit determinatè, sed unum, vel alterum.

53 Similiter materia cœlestis, licèt ponatur ejusdem speciei cum sublunari, violentiam non patitur perpetuâ sublunaris formæ privatione: quia materiæ appetitus (saltem efficax) solùm fertur in formam sub ratione generică complementi substantialis, ut communiter traditur in Physică; unde in ordine ad talem appetitum forma cœlestis & sublunaris æquales sunt, & quasi ejusdem rationis. Materia ergo indeterminatè appetit utramlibet, & contenta est receptione cujuslibet, cùm in eâ exerceat eandem formaliter potentiam, quâ respicit formas omnes. At nihil simile in re nostrâ; nisi absurdè dicas, omnes operationes equi, præcipuas, & infimas, ab animâ solùm exigi sub ratione generică operationis equinæ. Denique potentia movendi ad visionem, seu producendi speciem visualem, si alicubi sit, ubi nunquam exerceri possit naturaliter, violentiam aliquam patietur. Negari quoque poterit, colorem alicubi esse, quò non possit oculus accedere saltem per naturalem industriam Angeli. Quidquid sit, exemplum hoc, & pleraque alia nobis objecta, sunt etiam Adversarijs ipsis solvenda, cùm probent, in totis etiam suppositis non benè colligi defectum virtutis substantialis ex eo, quòd certis proprietatibus & operationibus perpetuò carent sine violentiâ: unde non erit, cur equo negetur substantialis capacitas ad rugiendum, aut ratiocinandum.

54 Eandem exceptionem patitur aliud exemplum, hìc etiam à nonnullis objectum, nempe specierum visualium, quæ à Sole ad nos usque diffunduntur: illæ quippe, cùm ex se vim habeant producendi visionem, tamen recipiuntur majori ex parte in subjecto ad visionem inepto, videlicet in regione aëris, & ætheris, & quidem ex insti-

stituto naturæ, quæ Solis à terrâ distantiam per se intendit. Immò ex naturâ ipsâ visionis quodvis objectum debet aliquantulùm distare, & speciem diffundere per medium: si enim sit oculis contiguum, non videbitur. Hoc, inquam, exemplum nimis probat, scilicet quòd natura potest virtutem aliquam tribuere distinctis suppositis (cujusmodi sunt aër & homo), per se intendens, ut ea virtus in uno tantùm exerceatur: unde poterunt ignis & terra virtutem illuminandi habere, quàmvis solus ignis illuminet. Probat etiam, potentias accidentales posse sine violentiâ recipi in subjecto ad operationem inepto, v. g. potentiam visivam in pede. Directè responderi potest 1., species, in medio receptas, non esse ejusdem rationis cum receptis in oculo. 2., utrasque ad visionem concurrere per modum unius agentis. 3., species, utpotè virtutes purè instrumentarias ad visionem, non exigere naturaliter operari, nisi quatenùs interest virtutis principalis, videlicet potentiæ visivæ. Hujus autem potentiæ interest plures species in medio existere sine operatione.

55 Hæc dicta sint pro communi sententiæ nostræ probatione: cui addi potest alia non inefficax: Nempe, si partes omnes equinæ animæ sunt homogeneæ, in singulis inveniri debent omnia prædicata intrinseca, quæ in animâ integrâ reperiuntur. Sic fert natura cujuslibet totius homogenei, ut patet in partibus formæ ignis, aut aquæ. At, quòd non ita res accidat, manifestum videtur: nam integra anima equi per se & intrinsecè postulat informare corpus organicum, quod simul idoneum sit ad imaginandum & appetendum, ad utendum externis quinque sensibus, ad ambulandum, &c.: hoc enim absdubiò postulat equus integer, utique ratione animæ. Talis autem intrinseca exigentia non invenitur in parte qualibet illius animæ, v. g. in pedalis: hæc enim juxta Adversarios non exigit per se habere tot organa simul, sed aliquod eorum indeterminatè, nempe vel ad imaginandum, vel ad videndum, vel ad ambulandum, &c. Nec refert, quòd omnia organa simul exigat ut distribuenda inter ipsam & alias partes ejusdem animæ: nam eo ipso non habet intrinsecam exigentiam, propriam animæ integræ, quæ determinatè petit, omnia simul organa conferri sibi ut condistinctè ab omni aliâ animâ, & parte animæ. Præterea tori animæ convenit intrinsecè, non solùm simultas potestatis ad omnes operationes equi, sed etiam potestas simultatis: parti verò pedali, quàmvis conveniat simultas potestatis, seu aptitudinis substantialis, non tamen convenit potestas simultatis, cùm nequeant omnia simul organa ipsi tribui.

56 *Dices*: pars pedalis omnia simul organa non exigit ex suppositione quòd sit pars, seu quòd unita sit aliis partibus animæ: ipsa tamen ex se potest existere seorsùm ab aliis partibus, & sic esse anima integra, seu totalis, destinarique ad informandum corpusculum equinum cunctis organis prædictum, quod non excedat materiam pedis equi grandioris. Sed *contrà* 1.: pars formæ penitùs homogeneæ, licet aliis partibus unita sit, exigit in suâ parte materiæ dispositiones simul omnes ad easdem species operationum, quas exigit in totâ materiâ forma totalis; ut patet in parte qualibet formæ igneæ, quæ suam materiæ partem exigit simul dispositam ad comburendum, calefaciendum, siccandum, lucendum.

57 *Contrà* 2.: sit sermo de animulâ equinâ informante minimum naturale: nulla pars ejus naturaliter apta est informare corpusculum cunctis simul organis prædictum, cùm nullum sit possibile minus minimo: nulla igitur

pars habet ex se intrinsecam aptitudinem naturalem, quam habet animula tota. Nec dicas, id esse per accidens ex defectu molis: nam ex parvitate molis nulla forma homogenea definit habere quidquid est de conceptu essentiali, per quem definitur forma ipsa secundùm se; ut iterùm patet in formâ ignis: sed de conceptu essentiali, ac definitivo equinæ animæ secundùm se, est aptitudo, utique naturalis, ad informandum corpus simpliciter equinum, ad quod sine dubio pertinent omnia simul organa pro equi operationibus necessaria: ergo &c.. *Contrà* 3.: saltem si continuum componatur ex indivisibilibus, ut multis ex Adversarijs placet, in puncto animæ salvari nequit ratio actûs corporis organici, quæ est animæ essentia metaphysica: salvaretur autem datâ homogeneitate, sicut essentia ignis salvatur in puncto.

## CAP. IV.

### *RESPONDETUR ARGUMENTIS contrarijs.*

58 *Objic.* 1.: entitates diversæ non sunt sine necessitate multiplicandæ: sed nulla est in præsenti necessitas: ergo. *Prob. Min.*: quia non repugnat, ab animâ divisibili prorsùs homogeneâ exigi partes corporis diversimode organizatas, & diversis operationibus aptas: si enim corpus hujusmodi potest exigi ab animâ indivisibili, qualis est humana, cur non à divisibili homogeneâ? Plus certè videtur obstare carentia distinctionis, quàm diversitatis partium animæ. *Confirm.* 1.: si anima bruti foret indivisibilis, sine ullâ sui heterogeneitate exigeret corpus variè organizatum: jam ergo varietas organizationis non arguit heterogeneitatem animæ. *Confirm.* 2.: divisibilitas non ponitur in anima bruti propter diversitatem organorum, sed propter necessitatem nutritionis: sed nutritio stare potest cum homogeneitate partium, ut patet in nutritione animæ purè carneæ: ergo. *Confirm.* 3.: partes materiæ, quàmvis diversimodè organizatæ, sunt substantialiter homogeneæ: anima carnis ejusdem rationis est in quâvis parte belluini corporis, cùm tamen organizatio non sit ubique similis: inter homines etiam non modica est diversitas organizationis sine diversitate animarum.

59 Inprimis *objectio* retorquetur sic: Perfectiones & activitates non sunt sine necessitate multiplicandæ; sed nulla est necessitas attribuendi cunctis partibus animæ bruti perfectionem & activitatem ad cognoscendum: ergo &c.. Deinde *neg. Min.*, cujus falsitas constat ex cap. præced.. *Ad prob. neg.* assumptum: quia partes illius animæ simul omnes ordinarentur & non ordinarentur ad cognoscendum, simul exigerent & non exigerent imaginari, & videre, simul essent & non essent violentæ, simulque omnibus conveniret & non conveniret plena definitio, & essentialis conceptus animæ. Nec prodest exemplum animæ indivisibilis: quia talis anima, cùm tota sit in omnibus & singulis partibus corporis, simul fruitur tota varietate organorum, quorum est capax: at animæ divisibilis pars quælibet, cùm debeat exigere cuncta simul organa, non nisi unum obtinere potest. Unde plùs obest carentia diversitatis in partibus animæ, quàm carentia distinctionis partium in animâ: quia prior carentia infert, quamlibet partem animæ per se ordinari ad omnia simul organa corporis, sùm tamen ad unum limitari debeat; posterior verò infert, totam animam esse in quâvis parte corporis, adeóque gaudere cunctis simul organis sibi debitis.

60 *Ad* 1. *confirm. dist. conseqq.*: non arguit heterogeneitatem animæ indivisibilis, *conc.* (nisi fortè sit sermo de he-

heterogeneitate virtuali, vel eminentiali); animæ divisibilis, *neg. Consequentiam.* Ratio distinctionis patet ex modò dictis. *Ad* 2.: licèt divisibilitas animæ non probetur ex diversitate organorum, si tamen aliunde probetur, vel supponatur, ex eâ simul cum organorum diversitate rectè deducitur heterogeneitas partium animæ; quia sequitur, unicuique virtutem esse naturaliter limitatam ad organum suum. Sic, licèt ex diversitate operationum hominis probari nequeat distinctio principiorum, sive animarum; si tamen aliunde supponeretur distinctio, rectè colligeretur animarum diversitas ex eo, quod alia destinaretur ad vegetandum, alia ad sentiendum, alia ad intelligendum.

61 *Ad* 3.: de partibus materiæ, sicut & de totâ materiâ equinâ, constat non organizari ex propriâ exigentiâ, nec petere potiùs accidentia equi, quàm leonis, aut lapidis. Et, si licet hinc arguere, leo & equus, sicut materias, ita & animas habebunt homogeneas. Organizatio carnis, si spectetur ut condistincta ab organizatione ossis, aut nervi, aut membranæ, &c., in omni parte corporis videtur homogenea: si tamen aliquâ in parte probetur esse per se ac permanenter diversa, nihil prohibet formam carnis heterogeneam dicere quoad partes aliquas, quod quidem in formâ ossis fatis est verisimile. Quòd in hominibus diversitas organizationis fit per accidens, & ab extrinseco, affatim ostendimus disp. præced. Quære ab Adversarijs, cur ea diversitas non probet diversitatem animarum, sicut illa, quæ cernitur inter leonem & equum? cùm utraque sit inter supposita distincta.

62 *Objic.* 2.: si partes animæ bruti sunt heterogeneæ, ita ut quę est in aure, non sit intrinsecè visiva, nec quæ in oculo, auditiva, &c., erunt specie differentes, cùm ea diversitas sit valdè notabilis; at quæ specie differunt, continuari non possunt, teste Aristotele 5. Physic.; & teste experientiâ in animabus equi & leonis: non ergo partes illę uniri poterunt ad constituendam animam unam. *Confirm.* 1.: datâ heterogeneitate, quędam partes erunt in equo non sensitivę, sed purè vegetativę, v. g. quę sunt in ossibus, aut ungulis. Hinc autem sequitur, equum constitui ex quâdam specie plantæ, posseque insensibilem denominari à parte insensibili. Sequitur etiam, posse pariter animam componi ex parte aliquâ non vitali, sicut ex parte non sensitivâ componitur anima sentiens. *Confirm.* 2.: partes equi deberent inter se similiores esse, quàm partibus leonis, utpotè magis inter se connexæ. Hoc autem, datâ heterogeneitate, stare nequit: nam pars ocularis equi similior erit parti oculari leonis, quàm parti auriculari ejusdem equi.

63 *Confirm.* 3.: partes equinę animæ sunt integrales: ergo in quâlibet salvari debet essentia animę equinæ, sicut essentia ignis in qualibet ejus parte; quod certè cum heterogeneitate non cohæret. *Urgetur* id ipsum: anima equi est essentialiter simplex, solúmque integraliter composita. Hoc autem ex heterogeneitate redditur falsum: nam anima equi est essentialiter imaginativa, visiva, auditiva, &c.; quæ prædicata, si partes heterogeneę sunt, non identificantur inter se realiter, sed unumquodque in parte realiter distinctâ constitit: ergo anima equi essentialiter composita est ex partibus realiter distinctis. Profectò illæ partes sunt essentiales, quarum quâlibet deficiente deficit essentia totius: at, deficiente parte oculari heterogeneâ, utique deficiet essentia equinæ animæ, siquidem hæc non manebit intrinsecè visiva, & quinque sensibus sensitiva, prout ejus essentia postulat. Et hinc equus ocularus specie differt à cæco, cùm in aliquo essentiali

prę-

prædicato differat : sic talpa specie differt ab animalculis vivivis, etiam attentò præcisè defectu visûs. *Urgetur* iterùm : unio informativa in eo differt à continuativâ, quòd nectit partes dissimiles, & ad essentiam compositi spectantes : at unio, quæ nectit partes animæ, continuativa est.

64 *Resp.* Hoc argumento uti non possunt illi ex Adversarijs, qui possibilem agnoscunt animam ex partibus heterogeneis compositam ; nec qui qualitatis intensionem per gradus heterogeneos de facto, vel de possibili admittunt : nec item Scotistæ, & adhærentes alij, qui formam corporeitatis in animantibus ponunt heterogeneis partibus constitutam, ut salvetur substantialis differentia carnis & ossis. Præterea contra omnes idem argumentum instantiam patitur in organizatione accidentali corporis equini, cujus partes, cùm valdè inter se differant in oculis, in auribus, in capite, in pectore, &c., tamen naturaliter uniri certum videtur, quandoquidem à naturâ destinantur ad constituendam unam organizationem totalem. Instatur etiam in formâ artificiali, v. g. statuæ Cæsaris, cujus partes, nempe caput, pectus, brachia, &c., in genere artificiali heterogeneæ sunt ; & tamen in hoc ipso genere copulantur in unam formam Cæsaris.

65 Itaque *ad object.* dicendum, partes animæ bruti, diversis organis addictas, inter se differre specie incompletâ (immò aliquas etiam genere incompleto), idest, per modum compartium, seu per differentias invicem coordinatas ad unam totalem animam unione continuativâ constituendam ; quemadmodùm materia & forma, licet sint substantiæ inter se specie differentes, immò & genere, tamen invicem coordinantur, ut unam totalem substantiam unione informativâ componant. Cæterùm illæ partes non differunt specie completâ, seu excludente mutuam coordinationem compartium, qualiter differunt inter se animæ leonis & equi. Quare non est eadem utrobique ratio unibilitatis. Sic accidentales organizationes leonis & equi uniri nequeunt ; bene tamen quæ sunt in cervice & capite leonis ; quia scilicet hæ differunt specie incompletâ, illæ completâ. Nec obstat Aristoteles, qui debet intelligi de differentibus specie completâ ; nam de cætero posse continuari quæ aliquomodò specie differunt, ex ipso Aristot. ostendit P. Suar. 1. de Anim. c. 2. n. 20.

66 *Dices*, hâc solutione principium peti ; quia partes animæ differre specie incompletâ idem est, ac verè differre specie, posse tamen continuativè uniri ; quod ipsum ab arguente impugnatur. Sed vide quid respondeas huic argumento : Duæ animæ specie similes continuari nequeunt, ut patet in animabus humanis, vel in equinis omninò integris : si ergo in equo anima capitis, & anima pectoris sunt specie similes, non continuantur. Respondebis, opinor, verum esse Antecedens de animabus completis, secùs de incompletis ; & en petitio principij, cùm idem sit animas esse incompletas, ac posse continuari, tametsi specie similes. Nostra ergo solutio, si lubet, sit petitio principij, sed principij à te non aliter impugnati, quàm simplici assertione contrariâ ; principij quoque non gratis asserti, sed exemplis firmati, necnon experientiâ, & ratione : cùm enim videamus, partes equi continuativè uniri, & aliunde ratio persuadeat, eas differre specie, meritò colligimus, non differre specie completâ, seu non ita, ut sint reciprocæ unionis incapaces. Quodsi nomen *speciei incompletæ* displiceat, propositionem illam, *Quæ specie differunt, continuari nequeunt*, distingno sic : omnia, quæ specie differunt, *neg.* aliqua, vel plura, ea scilicet, quæ induc-

ductio & experientiâ ostendit nunquàm continuari, quantùmvis applicentur, *conc.* Unde hoc impugnabis?

67. Sed *insistes*: sanguis, licèt sit species incompleta, non continuatur cum corpore animantis: nec inter se continuari possunt duæ animæ rationales, immò nec pars equinę animę cum parte leoninę, cùm tamen sint species incompletæ. Addes, quamlibet partem animę dici posse formam completam, seu totalem, cùm adæquatè compleat materiam suam, & cum ipsâ constituat unum totum, sive compositum substantiale. Verùm hoc est gratis cavillari. Sanguis non ideò continuatione caret, quia specie incompletâ differt à corpore, sed quia fluidum non continuatur cum solido. Nec incompletio sanguinis aliud significat, quam subordinationem, & indigentiam inclusionis in corpore. Duæ animę rationales sunt incompletæ in genere substantię prædicamentalis, non tamen in esse animæ: nec inter se habent inter se ordinem compartium. Et quidem exemplum hoc probat, non posse continuari duas animæ partes homogeneas, nec posse uniri materiam & formam, licèt sint substantiæ incompletæ. Duæ partes, leonina, & equina, tametsi incompletæ, differunt inter se specie completâ, vel, si mavis, ordine ad speciem completam, quia unaquæque ordinem habet ad animam totiem specie diversam. Quod additur, æquè militare in partibus homogeneis, quas esse animas incompletas, sive partiales, nemo negat; & tamen quælibet est adæquata materiæ suę, cum eâ quę componit totum substantiale. Quælibet igitur est forma totalis totalitate complementi propriæ materię, non tamen totalitate continui, potentis existere sine indigentiâ continuationis cum alijs.

68. Jam *ad* 1. *confirm.* assumptum admitto, sed nego sequelas. Primam: quia non dicitur anima plantæ, quę, licèt non formaliter, connexivè tamen sensitiva est, quatenùs connectitur naturaliter cum sensitivis compartibus, quibuscum constituat unam animam absolutè sensitivam; & quę insuper accidentia radicat, non arbori, sed animali convenientia, ut sunt accidentia ossis, aut ungulæ. Sic autem se habet in equo pars animæ purè vegetativa. Et insitatur in organizatione ungulæ, quæ, licèt solùm utilis ad vegetandum, non dicitur organizatio plantæ. Pars verò illa equum denominat insensibilem secundùm quid, non absolutè, quia denominatio illa, cùm negativa sit, adeoque naturæ malignantis, absolutè dicta removeret ab equo vim sentiendi quàcumque ex parte. Sic equus denominatur absolutè videns, quamvis in ungulâ non videat. Secundam: quia, licet ex terminis non repugnet aliquid vitale constitui ex parte aliquâ non vitali, attamen nomine *animæ* intelligitur communi consensu forma purè ac penitùs vitalis; ideòque in corpore animato siqua pars inepta reddatur ad omnem vitalem operationem, eo ipso censetur carere animâ. Vide disp. præced. n. 58. At anima equi potest dici & esse absolutè sensitiva, licèt talis non sit purè ac penitùs; sicut tota dicitur proximè sensitiva, licèt juxta Adversarios non omni ex parte sit proximè habilis ad sentiendum.

69. *Ad* 2. negatur assumptum. Nam connexio, vel inconnexio partium ut constituant unum, pertinentque ad eamdem speciem completam, vel ad diversas, non pendet à similitudine majore, vel minore. Animæ leonis & equi majorem inter se similitudinem habent, quàm cum materiâ primâ; cui tamen untri possunt, cùm inter se non possint. Anima rationalis non est similior materię sublunari, quàm cœlesti (sit hęc specie diversa); nequit tamen cœlesti uniri, sicut sublunari. Duo capita equi-

equina in accidentibus organicis similiora sunt inter se, quàm caput & collum unius equi; hæc tamen, non illa inter se, possunt naturaliter necti. Ipsa quoque ocularis organizatio equi minùs differt ab oculari leoninâ, quàm ab auriculari propriâ; nec ideò magis cum illâ cohærere potest in eodem supposito. Ejusmodi ergo connexio, vel inconnexio pendet ab intrinsecâ vel exigentiâ, vel repugnantiâ partium ad mutuam unionem naturalem; quę partium indoles per experientiam & inductionem præcipuè innotescit.

70 *Ad* 3. *dist. Antec.*: sunt integrales integritate necessariâ, ut absolutè salvetur essentia equinę animæ, *conc.*; integritate non ita necessariâ, *neg. Antec.*, & *Consequ.* Omnis pars rei compositæ, quantumlibet essentialis, vocari potest integralis, quia ex eâ cum aliâ vel alijs integratur essentia rei. Quia tamen multæ sunt partes integrales non essentiales, ut accidit in totis homogeneis; idcircò nomen commune *partis integralis* peculiariter attribui solet ijs partibus, quę non afferunt integritatem necessariam, ut essentia rei absolutè salvetur; & sub eo nomine discernuntur passim ejusmodi partes ab essentialibus, præsertim cùm dicuntur *purè integrales*. Cæterùm, si de nomine ipso lis moveatur, distinguendum est, ut distinximus. Loquor de partibus animæ dissimiliter operantibus, inter se collatis: nam de cętero non inficior, plures in animâ partes esse purè integrales, seu non essentiales, illas nimirùm particulas homogeneas, quibus integratur in equo adulto unaquęque pars heterogenea; pars enim carnea plures habet particulas carneas, pars ossea plures osseas, & sic de alijs; quę particulæ non omnes necessariæ sunt, ut absolutè salvetur essentia carnis, aut ossis, &c.

71 Nec urgent, quæ tamquam argentia objiciebantur n. 63. Nam anima equi est quidem essentialiter simplex simplicitate oppositâ compositioni ex actu & potentiâ; non tamen simplicitate oppositâ compositioni ex partibus continuis. Id quod à nemine negari potest datâ divisibilitate animæ, etiamsi tota sit homogenea: certissimum quippe apparet, quòd illa definitio, *Actus primus corporis organici*, salvari nequit in puncto animæ ad materiæ punctum limitato; sicut nec aptitudo ad sentiendum quinque simul sensibus, quam essentialiter importat anima equina. Ipsum quòque corpus organicum, v. g. humanum, essentialiter dicit compositionem ex partibus continuis, non solùm quoad organizationem accidentalem, sed etiam quoad subsistentiam materiæ: non enim materia dici potest corpus humanum, nisi partes habeat idoneas ad formandum, saltem in rudimento, caput, pectus, & alia membra simpliciter necessaria vitę hominis. Negandum tamen, quòd prædicata essentialia equinæ animę, quatenùs refunduntur in totam animam, non identificentur inter se realiter, tametsi à distinctis partibus proveniant: eadem quippe anima cum omnibus suis partibus denominatur *imaginativa* à parte A., *visiva* à parte B., & sic de alijs, ità ut singula prædicata verificentur de complexo partium omnium realiter eodem. Sic homo denominatur *rationalis* ab animâ, & *mortalis*, aut *corruptibilis* à corpore, vel ab unione; & juxta Scotistas prædicata *corporis*, & *viventis*, proveniunt homini à distinctis formis: omnia tamen hæc prædicata, prout refusa in totum hominem, realiter sunt unum, & idem.

72 Porrò, quòd parte oculari deficiente deficiat essentia animæ equinæ, in rigore verum est: quia essentia totius consistentis in certâ multitudine partium, quâlibet ablatâ, necessariò deficit, seu mutatur in aliam saltem inadęquatè distinctam; sicut essen-

sentia numeri ternarij ablatâ unitate deficit, seu transit in binarium: idcircò essentia quævis dicitur consistere in indivisibili, sicut numerus; non quòd partibus careat, sed quia non patitur partem à se dividi sine ruinâ, vel alicuius sui. Sunt nihilominùs quædam essentiæ, quæ dummodò retineant præcipuas partes essentiales, communi usu nomen idem retinent, sic tamen, ut simul dicantur *mutilæ*, vel *decurtatæ*, quo addito significatur, eas esse jam alias inadæquatè. Sic accidit in essentiâ statuæ, domi, templi, & in essentiâ organizationis, aut corporis humani, vel equini; detractis enim pedibus, aut oculis, adhuc dicitur corpus equinum, sed mutilum. Atque idem accidit in essentiâ cujusvis animæ divisibilis. Quòd autem non ita contingat in essentiâ numeri, vel in alijs, pendet ex more loquendi. Hinc equus cæcus differt quidem secundùm essentiam ab oculato, sed nonnisi differentiâ partiali, sive inadæquatâ; sicut non aliter differunt inter se corpora organica utriusque. Minùs etiam differt ex titulo cæcitatis, quàm talpa; quia retinet in cæteris animæ partibus exigentiam partis visivæ; quod talpæ non accidit.

73 Denique discrimen unionis informativæ à continuativâ non stat in nectendo partes essentiales: nam, si anima equi sit homogenea, unio partis ocularis cum suâ materiâ non est essentialis equo. At, inquis, est essentialis oculo. Esto; sed oculo pariter essentialis est suarum particularum continuatio. Discrimen igitur in eo est, quòd unio informativa exigit penetrationem partium, continuativa immediationem localem: item, quòd illa semper nectit partes dissimiles, illa verò ex genere suo indifferens est, ut vel similes, vel dissimiles nectat.

74 *Objic.* 3.: cùm lœna fœtum generat, sola pars animæ, quæ in utero est contigua fœtui, producit animam fœtûs; nam partes cæteræ sunt loco distantes: ergo pars illa continet totam perfectionem essentialem animæ leunculi; quod verum esse non potest, nisi partes omnes sint homogeneæ. *Confirm.* 1.: ex nostrâ sententiâ sequitur contra experientiam, quòd parentes cæci generare nequeunt equum oculatum, cùm non contineant perfectionem ocularis animæ. *Confirm.* 2.: heterogeneitas pariter ponenda erit in animâ plantæ: unde nec ramus potuum, nec palea granum producere valebit, ne producat effectum se perfectiorem. Accedit, quòd ramus plantatus radices mittit, & in arborem excrescit: ergo totam in se continet perfectionem animæ arboris. *Resp.* Inprimis objectio ruit, si negetur cum communi sententiâ, quòd anima lœnæ matris activè influat in animam fœtûs, solúmque admittatur influxus activus paterni seminis, cujus imperfectionem suplet influxus Causæ primæ, ut alibi non semel dictum est.

75 Deinde, admisso influxu activo maternæ animæ, *neg. Antec.*, ab omnibus negandum; nam, si cæteræ partes excluduntur titulo distantiæ, sola uteri superficies interna, fœtui contigua, poterit influere, atque ita producet effectum se perfectiorem saltem extensivè, quod repugnat. Omnes igitur animæ genitricis partes concurrunt per eamdem actionem ad partes omnes animæ generandæ: quia, licèt plures à prole distent, omnes tamen continuativè uniuntur, constituuntque simul unum agens adæquatum, sicut partes ignis, cùm per modum unius concurrunt propinquiores, & remotiores, ad calefaciendum manum, aut lebetem. Sat est, quòd agens adæquatum penès aliquam sui partem contingat passum, ut cæteræ partes per actionem transeuntem simul agant, etiam non agendo per medium, ut in Physicâ ostensum est.

Notandum tamen, quòd partes imper-

fectiores matris concurrunt ut causæ instrumentales ad partes perfectiores prolis; ad cęteras verò, ut causę partim univocæ, partim æquivocæ principales. Exempl. gr. pars ocularis maternæ animæ, prout efficiens in fœtu partem imaginativam, est causa instrumentalis; prout efficiens partem ocularem, est causa univoca; & prout efficiens partem purè carnem, est causa æquivoca principalis, seu eminentialis. Simile quid accidit in gradibus heterogeneis qualitatis activæ; nec non in calore ignis, qui juxta Thomistas eâdem actione producit in passo substantiam ignis, & calorem alium, respectu cujus est causa univoca, cùm solùm sit virtus instrumentaria respectu substantiæ.

76 *Dices*: jam ergo pars imaginativa continet virtualiter visivam, & è converso: melius ergo continere poterit operationem videndi, quæ imperfectior est, quam substantia visivæ partis. *Neg.* 2. *Consequ.*: non enim quidquid virtualiter æquivocè continet causam æquivocè productivam effectûs A., continuò continet effectum ipsum, ita ut illum possit per se immediatè producere. Temperamentum primarum qualitatum producit colorem, hic speciem visualem, hæc visionem: nec tamen aut temperamentum speciem, aut color visionem, per se immediatè producere valet. Nec refert, quòd effectus A. sit imperfectior suâ causâ immediatâ. Nam etiam species est colore imperfectior: & operationes multi sunt imperfectiores multari animâ; quam tamen animam producit equa, ut etiam leæna leopardi animam, cùm operationes ejus producere nequeat.

77 *Dices* iterùm: ergo pariter dicere licebit, quòd omnes partes animæ concurrunt actione communi ad quemlibet actum vitalem, v. g. ad actum videndi, quàmvis in unâ tantùm corporis parte productum: ergo nulla pars animæ penitùs otiosam habebit virtutem visivam, tametsi ponantur omnes homogeneæ. *Neg. Consequ.*, quidquid dicat. P. Oviedo controv. 3. de Anim. punct. 1. n. 7.. Nam ideò anima pedis concurreret ad visionem oculi, quia ipsa ex se visiva est, seu potens videre, si poneretur in organo dispositio. At virtus visiva, ut talis, non est productiva visionis, nisi in se, & sibi; nec dici potest indifferens, ut visionem producat vel in se, vel in alio, nisi forsan per modum objecti, quo tamen modo non aget ut visiva, sed ut visibilis; absurdè quippe diceretur objectum exercere virtutem visivam, dum per se, vel mediâ specie concurrit ad visionem. Ratio est: quia virtus per se immanenter operatrix, qualis est visiva, nequit esse indifferens, ut actum vitalem producat vel immanenter, vel transeunter: productio autem visionis in oculo foret actio transiens respectu animæ pedis, aliquin daretur actio immanens localiter distans ab eo, cui immanet; quod est inauditum. Præterea, licèt admittatur concursus ille, non ideò enervabitur communis probatio nostræ sententiæ: certum quippe est, quòd anima pedis non per se ipsam videt, nec in se immediatè perficitur per visionem oculi: nunquam ergo exercet virtutem videndi, ac se immediatè perficiendi per actum visionis. Quare, si virtutem istam habet, perpetuò violenta erit in pede.

78 Ad 1. *confirm. neg. sequel.*: quia, licèt parentes equi sint oculis capti, pars ocularis animæ fœtûs continetur virtualiter æquivocè in alijs partibus animæ generantis, præsertim in parte imaginativâ, quæ visivam continet eminenter, & non totam vim suam impendit in producendâ imaginativâ fœtûs, cùm sit mole major. *Dices*: ergo pars imaginativa matris poterit etiam amissos oculos recuperare sibi. Verùm hoc magis urget Adversarios, ut quisque

que videt: solvendum est etiam in homine cæco. Quare ab omnibus fatendum est, quòd ocularis organizatio, licèt possit augeri per vim nutritivam, nequit tamen denuò produci nisi per virtutem generativam ut talem, quæ non exercetur circà proprium suppositum: unde semel amissa non reparatur, nisi per miraculum. Quod autem vulgò dicitur, ursorum catulos cæcos nasci, posteàque à lambente matris linguâ visum recipere, eatenùs verum est, quatenùs ursini catuli oculos habent multo humore obsitos, aut etiam carneâ membranâ obductos, donec assiduo matris lictu aut humor obstergitur, aut membrana diducitur.

79 Ad 2. *confirm.*: admittimus heterogeneitatem in animâ plantæ: quia partes ejus, licèt non aliam habeant operationem vitalem, quàm vegetandi, radicant tamen accidentia in distinctis materiæ partibus valdè diversa. Nec ideò sequitur, quòd ramus, aut palea producat effectum se perfectiorem, saltem ut tota virtus. Nam inprimis negari potest, quòd pomum sit physicè perfectius arbore totâ, & granum totâ paleâ simul cum radicibus, quàmvis in ordine ad usus humanos censeatur pretiosius, sicut pretiosius est mure, vel colubro. Deinde dici poterit, animam pomi, aut grani, produci principaliter à causis universalibus, præparante materiam animâ plantæ, vel paleæ, atque etiam instrumentaliter concurrente: id quod ab omnibus dici debet in productione arboris ex semine. Id ipsum dicimus de ramo plantato, qui radices mittit, & germinat, adiutus à causis universalibus, & à virtute seminali, quam in medullâ continet.

80 *Objic.* 4.: pars ocularis equinæ animæ de se indifferens est, ut sit, vel non sit sub dispositionibus ad videndum aptis: ergo non exigit determinatè dispositiones istas. *Prob. Antec.*: quia, dum oculi non eruuntur, sed vel humoris affluxu, vel extrinsecùs inductâ lçsione redduntur inepti ad videndum, adhuc ibi permanet eadem pars animæ, immò interdùm superinductis etiam accidentibus carnis. *Objectio* hæc solvenda est pariter Adversarijs: nam, ut ipsi docent, pars ocularis animæ determinatè postulat dispositiones ad videndum, ex suppositione quòd non alia pars ejusdem suppositi ad organum visûs destinetur. Vel ergo, lçsis oculis, pars illa permanet eadem, vel non: & quidquid dixeris, pro me dictum erit. Dum igitur ocularis organizatio, tametsi fiat videndo inepta, non penitùs destruitur, eadem pars animæ permanet quidem, sed violentiam patiens ex defectu dispositionis sibi debitæ, sicut anima rationalis in fœtu, & aquæ forma in materiâ calidâ. Si verò prorsùs deficiat ocularis organizatio, & in ejus locum succedat tumor carneus, tunc antiqua pars animæ non permanet, sed nova inducitur speciei carneæ, quæ produci poterit à cæteris animæ partibus, cùm dispositiones exigat minùs exquisitas, & facilè parabiles.

81 *Objic.* 5. auctoritas D. Thomæ 1. p. q. 76. ar. 5. ad 3., ubi docet, quòd partes animalis, ut oculus, manus, caro, & os, &c., *non potest dici proprie loquendo, quòd sint diversarum specierum, sed quòd sint diversarum dispositionum.* Resp. D. Thomas inprimis potest intelligi de partibus solius corporis humani, de quo tantùm loquitur 3. argumentum, cui respondet. Deinde ratio, quam allegat, est, *Quòd partes animalis non sunt in specie, sed totum*: quæ ratio manifestè probat, ejusmodi partes non propriè dici plures species, nec similes, nec diversas; atque adeò procedit æquè in homogeneis, ac in heterogeneis. Solàm ergo vult D. Thomas, ut nomen *speciei* non propriè tribuatur parti, sed toti: quia manus v. g. non tam est species, quam pars speciei; quod etiam in materiâ, vel

formâ compositi, seorsùm considerată, locum habet. Hoc tamen non prohibet, quòd partes animæ divisibilis dicantur species cum addito *incompletæ*, sive *partiales*.

## COROLLARIUM.

*De heterogeneitate unionis humanæ.*

82. Quòd unio animæ rationalis cum corpore sit divisibilis, seu composita ex partibus continuis, certum videtur, saltem in homine jam nutrito. Nam, cùm homo se nutrit, nova adquiritur unio animę cum novâ materiâ; quæ unio supponit in eodem instanti unionem animæ cum materiâ præhabitâ; supponit enim hominem constitutum in esse hominis, quia homo est, qui se nutrit: utraque igitur unio coexistit in homine; ac proinde continuari debet, ne alioquin homo unus constet unionibus dissolutis; vel saltem jam non erit simplex tota unio humana. Præterea, si unio humana simplex esset, tota periret quâvis materiæ particulâ deficiente, v. g. dum præciditur unguis, aut carnis particula, vel dum materia corporis sensim resolvitur in halitus: toties ergo mutabitur in homine unio totalis, quoties contingit aliqua detractio, vel resolutio materiæ, id est, fere in omni momento; quod est incredibile.

83. Dubium tamen est, an partes unionis humanę sint heterogeneę, ita ut quę existit in oculo, specie incompletâ differat ab existente in aure, & sic de alijs? Negant plures, etiam admissâ heterogeneitate in partibus animæ divisibilis. 1.° quia diversitas accidentium & operationum oculi & auris, non est propter unionem, sed propter animam, quæ sola est ratio agendi, & radix accidentium compositi: nulla ergo inde infertur unionis diversitas. 2.° quia, si anima humana potest per se immediatè exigere varietatem unionum, cur non & varietatem accidentium in oculo, & aure? 3.° quia extrema unionis humanæ similia ubique sunt, nempe anima & substantia materiæ: unio autem solùm specificatur ab extremis. 4.° quia ubicatio animę est eadem specifice in oculo & aure: ergo & unio. 5.° quia, si divinitùs transferrentur dispositiones oculi ad materiam auris, anima videret ubi nunc audit, etiamsi unio maneret eadem.

84. Alij tamen affirmativam partem tuentur, quorum sententiam laudat & promovet Exim. Doctor 1. de Anim. c. 2. n. 25., eamque n. 24. confirmat auctoritate D. Thomæ. Eadem videtur magis consona doctrinæ hucusque traditæ; probarique potest ijsdem ferè rationibus, quas pro heterogeneitate partium animæ suprà dedimus. Nam 1. unio humana totalis per se naturaliter exigit organizationem corporis simpliciter humanam, ut Adversarij concedunt, & negari non potest, nisi absurdè dicatur, unionem illam ex se posse naturaliter existere in corpore lapideo: ergo, si partes illius sunt homogeneæ, quævis earum naturaliter exiget omnia organa corporis humani; datâ enim homogeneitate, eadem est exigentia totius, & partis: ergo unio pedis exiget organizationem capitis; cùmque debeat eâ perpetuò carere, perpetuam violentiam patietur; quod est absurdum. Recursus autem ad exigentiam indeterminatam sibi, vel alteri, rejici poterit ex suprà dictis, nominatim ex eo, quòd in unione totali jam dabitur exigentia intrinseca, quæ singulis partibus non convenit, videlicèt exigentia determinata, ut sibi conferantur omnia simul organa. 2.° quia, positâ homogeneitate, salvaretur essentia unionis humanæ in quavis particulâ. Quòd autem non salvetur in particulâ minimâ naturali, & multò minùs in puncto unionis, patet eâdem ratione,

ne, quâ id oſtendimus in particulâ vel puncto animæ diviſibilis : quia ſcilicèt, ſicut anima quævis eſſentialiter eſt *actus corporis organici*, ita humana unio eſſentialiter eſt *actuatio corporis organici humani*.

85 Nec obſtant argumenta contraria. Non 1.: quia diverſitas accidentium, licèt primariò & principaliter ſit propter animam, eſt etiam propter unionem ſecundariò & minùs principaliter. Non negant Adverſarij, quòd accidentia humani corporis, ſaltem neceſſaria pro conſervatione vitæ, ſint debita unioni, atque adeò ſint aliquomodò propter ipſam. Si autem illa, cur non & omnia? Sola quidem anima eſt ratio agendi, & radix accidentium; cæterùm unio eſt ſubſtantialis conditio ad exercenda hæc munera, per ſe exigens conſtituere animam in ſtatu radicandi, & operandi per organa corporis. Non 2.: quia non in eo nitimur, quòd anima nequeat per ſe immediatè exigere varietatem accidentium, ſed in eo, quòd varietas hæc ab unione ſimul exigi debeat ratione partium diverſarum.

86 Non 3.: quia, licèt extrema unionis ſint ubique ſimilia, non eſt tamen ubique ſimilis terminus exigentiæ naturalis, nempe diſpoſitio materiæ; à quo termino poterit etiam ſpecificari, ſeu diverſificari natura unionis: non enim videtur dubium, quin unio humana differat ab equinâ, non ſolùm ex ordine ad diverſam animam, ſed etiam ex indigentiâ diverſæ diſpoſitionis in corpore. Dici prætereà poteſt, quòd anima rationalis, tametſi realiter ſimplex, eſt æquivalenter, aut eminenter multiplex anima partialis, & heterogenea, quatenùs eminenter continet perfectionem animæ diviſibilis ex heterogeneis partibus compoſitæ; ideòque, ſi conſideretur prout informativa pedis v. g., in ſenſu formali præciſivo diverſa eſt à ſe ipsâ prout informativâ capitis. Unde ratione illius diverſitatis, quam exigit explicare in diverſis partibus corporis, ſpecificare poterit uniones diverſas.

87 Non 4.: quia in ubicatione animæ, licèt ponatur diviſibilis, non militat ratio deſumpta ex accidentium corporis exigentiâ, & ex conceptu actuationis corporis organici, cùm poſſit anima, ſeparato corpore, ubicationem eamdem retinere. Non 5.: quia dici poterit, vel quòd in eâ hypotheſi ex defectu conditionis naturaliter neceſſariæ anima non videret ibi naturaliter; vel quòd videret quidem anima, ſed unio pateretur violentiam ex negatione diſpoſitionis ſibi debitæ, immò & anima ipſa ex negatione unionis diverſæ novis accidentibus reſpondentis.

# DISPUT. IV.

## DE POTENTIJS ANIMÆ IN communi.

POTENTIÆ in animâ dicuntur facultates, aut vires illæ, quibus anima naturâ ſuâ, ſaltem prout unita corpori, permanenter prædita eſt, ut per eas, tanquam per virtutes immediatè operativas, producat actus vitales. Hujuſmodi ſunt Intellectus, Voluntas, facultas imaginativa, viſiva, nutritiva, &c. Quæ reſpiciunt actus à corpore independentes, ut ſunt intellectio, & volitio, dicuntur potentiæ *ſpirituales*, & *inorganicæ*; quæ verò ac-

actus addictos organo corporeo, vocantur *materiales*, & *organicæ*. De his potissima quæstio est, an distinguantur realiter ab animâ? Ubi triplex est sententia celebris (ut omittam alias minoris notæ, quæ distinctionem quibusdam potentijs concedunt, quibusdam negant). *Prima*, quam tenent Thomistæ omnes, potentias adæquatè distinguit ab animâ, id est, eas consistere dicit in accidentibus animæ superadditis, quæ ita sint tota & adæquata virtus, seu ratio agendi, ut animæ substantia non immediatè influat in actus vitales, sed solùm sit radicale principium eorum, quatenùs accidentia illa radicat, & sustinet. *Secunda*, extremè contraria, quam tenent Scotistæ omnes cum Scoto, & plures è Nostris, potentias cum animâ identificat realiter adæquatè, ideſt, totam virtutem activam, quâ immediatè influit anima in actus vitales, in solâ animæ substantiâ realiter consistere docet. *Tertia*, quam tenent plerique Nostrorum cum P. Suar., potentias ab animâ distinguit inadæquatè tantùm, ideſt, animam asserit per substantiam suam immediatè influere in actus vitales, juvari tamen ab accidentibus superadditis, & ab ipsâ radicatis, quæ simul partialiter influunt in eosdem actus, idcòque dicuntur potentiæ accidentales, sed partiales, sive inadæquatæ. Accidentia ista, si dantur, distinguuntur quidem adæquatè ab animâ (quis dubiter?); sed quia nomine *potentiæ* intelligitur virtus immediatè activa actûs vitalis, & hæc virtus consistit in complexo ex animæ substantiâ & accidenti superaddito, quòd complexum inadæquatè distinguitur ab animâ, tamquam includens ab incluso; idcirco potentiæ dicuntur distingui ab animâ inadæquatè tantùm. Hanc tertiam sententiam per partes probabimus, & tuebimur.

## CAP. I.

### *ANIMA PER SUBSTANTIAM SUAM immediatè influit in actus vitales.*

1 HÆC assertio solùm adstruit verum influxum immediatum substantiæ animæ, quidquid sit, an detur, & simul influat potentia accidentalis. Quo sensu patronos habet Scotistas omnes cum Doctore Subtili, & omnes ferè Nostros cum Eximio d. 18. Met. s. 5. Contrariam tenent Thomistæ omnes, & ex eo probant, quòd substantia non est immediatè operativa; pro quo nos remittunt ad Physicam. Sed æquo jure remittentur & ipsi ad Physicam, ubi satis ostendimus, substantiam esse immediatè operativam effectuum substantialium, & accidentalium. Et quidem argumentum ibi ponderatum pro effectu substantiali, planè militat in potentiâ nutritivâ animæ, cujus effectus substantialis est. Militat etiam in quâvis potentiâ accidentali, quæ, si est tota virtus operandi vitaliter, producet effectum se perfectiorem; siquidem hujusmodi potentia, eo quòd tota sit propter actum, & ab actu specificetur, juxta Thomistas imperfectior est actu, quem producit. Nihilominùs argumenta peculiaria nobis suppetunt ad præfixam assertionem modò probandam.

2 *Probatur* ergo 1.: actio vitalis, seu productio actûs vitalis, immediatè & ratione sui pendet essentialiter à substantiâ animæ, & à priori quidem, seu tamquam à vero principio, & verâ causâ: ergo immediatè oritur à substantiâ animæ; quæ proinde virtus est immediatè influens in actum vitalem. *Consequentia* est evidenter bona: quia nihil aliud est actionem immediatè oriri ab aliquo, quàm ab eo essentialiter immediatè dependere à priori; non enim aliâ ratione vitalis actio immediatè oriri potest à potentiâ superadditâ, immò neque ulla actio physica ab ullâ virtute creatâ, vel increatâ. *Prob.* igitur

*Ap-*

*Antec.*: & inprimis, quòd dependentia illius actionis ab animâ, sit à priori, non est dubium Thomistis, qui fatentur, animæ subsistantiam esse verum principium, & causam principalem actionis vitalis, cujus vitalitatem & perfectionem præcontinere debet. Deinde, quòd actio illa dependeat immediatè & ratione sui ab animâ (intellige semper animam quoad subsistantiam), probatur efficaciter: actio illa non pendet ab animâ purè mediatè, seu ratione potentiæ accidentalis, à quâ immediatè pendeat: ergo pendet ab animâ immediatè, & ratione sui. *Prob. Antec.*: pendet ab animâ essentialiter: sed nequit essentialiter pendere mediâ potentiâ superadditâ: non ergo pendet purè mediatè ratione potentiæ illius. *Consequentia* constat, & *Major* indubitata est apud Thomistas, qui propterea negant, potentiam divinitùs separatam ab animâ [illegible] operari vitaliter, nimirùm *propter essentialem dependentiam vitalis motûs à principio intrinseco, quod est anima, quæ est primum principium se movens*, ut totidem verbis inquit Joannes à S. Thomâ q. 2. de Anim. ar. 2. Et certè, licèt Authores aliqui velint, ut actus vitalis, si distinguatur á productione sui, possit divinitùs produci sine animâ, & extra animam; nemo tamen dixit, quòd actio ipsa, quâ producitur actus vitalis ab animâ, possit eadem, etiam divinitùs, existere sine animâ.

3 *Minor* autem ostenditur facilè: quia nequit actio essentialiter ab animâ dependere mediâ potentiâ non essentialiter dependente ab animâ. Patet hoc ex terminis, & exemplo calefactionis, quę ideò ab igne non pendet essentialiter medio calore immediatè agente, quia calor non essentialiter pendet ab igne, sed potest existere ab igne separatus, v. g. in aquâ, vel in ferro. At potentia accidentalis non pendet essentialiter ab animâ, siquidem ab eâ separari potest divinitùs, ut satis communiter concedunt Thomistæ cum Ferrariensi, Soto, Bañez, Jo. à S. Thomâ loc. cit., & Collegio Complut. lib. 2. de An. q. 3. n. 70., ubi hanc dicit esse communiorem sententiam. Nec videtur ullâ ratione posse negari separabilitas ista: quia potentia accidentalis est qualitas absoluta, neque cum animâ connectitur alio titulo, quàm proprietatis connaturalis physicè dimanantis, qui titulus fundat quidem inseparabilitatem naturalem, sed non essentialem, ut patet in quantitate & alijs proprietatibus panis in Eucharistiâ.

4 *Confirm.*: si actus vitalis non oritur immediatè ab animâ, sed à solâ potentiâ superadditâ, poterit potentia illa, separata divinitùs ab animâ, operari vitaliter, v. g. potentia intellectiva intelligere: sed hoc falsum est apud Thomistas, nec potest concedi sine grandibus incommodis, v. g. quòd sine animâ posset intellectus beatificari, seu videre Deum, & voluntas mereri, aut peccare: ergo &c. *Prob. Maj.*: quia, dum adest tota virtus proxima ad effectum aliquem, etsi deficiat principium radicale, & principale, produci potest effectus. Constat hoc: tum ratione; quia principium radicale, non immediatè influens, eatenùs requiritur ad effectum, quatenùs radicando virtutem proximam, facit eam existere: quare, si tota virtus independenter à radicatione istâ supponatur existere, nullo ex capite necessaria est ad effectum præsentia principij radicalis. Tum exemplis: quia in Eucharistiâ qualitates panis & vini sine principio radicali suos effectus operantur: calor aquæ fervens, ubi non adest principium radicale (neque enim aqua est radix caloris), suam activitatem explicat: virtus seminis generationem efficit, etiam abeunte, vel mortuo animali, á quo decisa est, & cui tribuitur effectus ut causæ principali: & generatim juxta Thomistas in Physicâ, ubi agitur de virtute ac-

ti-

tivâ substantiæ, accidentia, sive conjuncta, sive separata sint à substantiâ propriâ, nomine illius eosdem effectus producant.

5 Jam sic: sed potentia intellectiva juxta Adversarios est tota virtus proxima ad intelligendum; & est etiam tota potentia proximè receptiva intellectionis: ergo separata divinitùs ab animâ, poterit intelligere. *Urgetur*: posito actu primo proximo causæ creatæ, debetur concursus Dei ad actum secundum: sed posito Intellectu sine animâ (saltem additâ specie objecti), ponitur actus primus proximus causæ creatæ ad actum intelligendi; non enim principium purè radicale pertinet ad actum primum proximum: ergo &c.. *Dices* cum Collegio Complut. cit. q. 3. n. 69., potentias ab animâ separatas ideò non posse operari vitaliter, quia in eo statu sunt principia non vitalia; potentiæ quippe solùm sunt vitales dimanativè, quatenùs ab intrinseco animæ dimanant, ac pendent; quod in eo statu non haberent. Sed *contrà* 1.: ergo potentiæ nullam secum identificant vitalitatem; alias illam absdubiò retinerent separatæ ab animâ. Quomodò ergo secum identificant totam virtutem producendi actum vitalem? Numquid poterit virtus, identicè seu entitativè non vitalis, esse tota ratio communicandi vitalitatem actui? Si hoc admittitur, cur non poterit virtus entitativè naturalis, aut materialis, esse tota ratio agendi effectum supernaturalem, aut spiritualem? Cur Thomistæ moderni tam anxiè ponunt vitalitatem in gratiâ, & in habitu infuso, ut sit tota ratio agendi actum supernaturalem? Item, quid prodest Intellectui ad operandum vitalitas superinducta, & separabilis, consistensque in actuali dimanatione, quæ nec est virtus, nec auget virtutem Intellectûs?

6 Et hinc *contrà* 2.: in potentiâ divinitùs separatâ defectus vitalitatis dimanativæ nihil virtutis detrahit, sicut nihil detrahit entitatis potentiæ; aliàs destrueretur hypothesis: ergo, tali defectu non obstante, manet tota virtus activa intellectionis, licèt à suo radicali principio separata. Sed, hoc posito, integra perstat vis argumenti nostri cum probationibus à ratione, & exemplis: ergo &c.. *Contrà* 3.: ut Intellectus efficiat vitalem actum, in vestris principijs sufficit ipsi vitalitas dimanativa in aptitudine: sed hanc habet Intellectus ab animâ separatus: ergo. *Prob. Maj.*: Intellectus vitalem actum efficit nomine animæ, & in virtute animæ, non autem nomine proprio, siquidem ipse imperfectior est actu, & entitativè non vitalis. At, ut efficiat nomine animæ, & in virtute animæ, sufficit ipsi vitalitas dimanativa in aptitudine; ut patet in calore, cui ad efficiendum substantialem effectum nomine substantiæ, & in virtute substantiæ, sufficit substantialitas dimanativa in aptitudine; ideòque juxta Thomistas calor ab igne separatus in ferro candenti, vel in silice, producit ignem nomine substantiæ ignis, cujus est virtus & proprietas in aptitudine dimanans. Certè substantialis effectus non minùs requirit virtutem substantialem, quàm vitalis actus virtutem vitalem: ergo, sicut illi sufficit virtus non aliter substantialis, nisi quatenùs apta est dimanare à substantiâ; ita &c.. Quòdsi desideres subjectum, quo sustentetur Intellectus, fac illum poni divinitùs in lapide, vel in bruto. Quid tum obstabit, quominùs intelligat? Num defectus subjecti connaturalis? At etiam calor aquæ non est in subjecto connaturali; & tamen calefacit.

7 Fatendum est igitur, de ratione vitalis actionis esse, quòd immediatè oriatur à substantiâ vitali, & in eâ immediatè recipiatur; ideòque sine illâ non posse divinitùs existere. Et alioquin vitalitas animæ de materiali se ha-

haberet ad actum; quia nec immediatè communicaretur actui, nec mediâ potentiâ, siquidem hæc non accipit ab animâ vitalitatem, quam refundat, cùm non sit entitativè vitalis. Sic aqua fontis non communicatur medio canali, si canalis nullam accipit aquam. Nec recurras ad vitalitatem dimanativam. Nam hæc inprimis non est vitalitas per identitatem, qualis refunditur in actum. Deinde non est vera vitalitas, si dimanatio ipsa potentiarum non sit actio vitalis, ut reipsâ non est: tum quia juxta Thomistas non est actio animæ, sed producentis animam: tum quia, si esset actio vitalis produceret potentiam entitativè vitalem, sicut productio amoris actum entitativè vitalem producit.

8 *Probatur* 2.: si anima immediatè non influit in actum volendi, potentia volitiva accidentalis erit tota Voluntas, adeòque verè & propriè volens, & amans, utpote sola immediatè agens ac recipiens actum amoris: erit quoque realiter adæquatè distincta, non solùm ab animâ, sed à toto intellectu, ac proinde amabit objectum, non à se ipsâ cognitum, sed ab aliâ potentiâ penitùs distinctâ, ut Adversarijs in confesso est. Atqui repugnat voluntatem amare objectum, quod ipsa realiter non cognoscit: ergo &c. *Prob. Min.*: tum ex illo axiomate, *Nihil volitum, quin præcognitum*, utique à principio ipso volente; alioquin posset homo velle quod solus Angelus cognoscit. Tum quia nequit objectum amari à Voluntate, quam non movet, nec allicit, & cui non redditur intentionaliter præsens, & applicatum: sed objectum movere, allicere, & applicari, seu fieri præsens intentionaliter, est formalissimè cognosci: ergo. Tum quia Voluntas, ut amet, debet juxta omnes à cognitione dirigi, & illustrari: at nemo dirigitur, nisi directionem ipse percipiat; & nullum subjectum illustratur à luce, quam in se non recipit. Tum quia Voluntas, sicut propriè vult, ita propriè eligit inter plura objecta simul proposita, & unum alteri præfert jure potentiæ liberæ, & electivæ. At electio, & prælatio hujusmodi chymerica videtur, & inconceptibilis, nisi Voluntas ipsamet discernat inter unum & aliud, cognoscendo saltem hoc non esse illud.

9 *Respondent* Adversarij, sat esse quòd objectum sit præcognitum ab eodem principio radicali, & principali, seu à volente *ut quòd*, videlicet ab eâdem animâ, vel homine, cujus est cognoscere per Intellectum, quod vult per Voluntatem: nec repugnare, quòd una potentia dirigatur per actum alterius attinentis ad idem suppositum, nempe ratione sympathiæ, vel subordinationis ut patet in potentiâ deambulativâ, quæ in pedibus existens dirigitur per visum. Verùm hæc responsio *rejicitur* 1.: quia nostrum argumentum procedit, non solùm in principio radicali, & in volente *ut quòd*, sed nominatim in Voluntate ipsâ, ut relegenti patebit. Profectò, ideò anima nequit velle objectum, quod ipsa non cognoscit, quia ipsa est, quæ amat, & eligit; & nequit amare, nisi ab objecto alliciatur, & ab ejus cognitione illustretur; nec potest eligere, ac discernere inter objecta sibi prorsùs incognita. Hæc autem ratio planè militat etiam in Voluntate: quis enim dubitet, quin Voluntas simpliciter dicta verè ac propriè velit, amet, eligat, ac discernat? sicut Intellectus apprehendit, & judicat, Visus videt, & sic de alijs potentijs. Sanè non video, unde sit impugnandus qui dixerit, animam amare quod ipsa non cognoscit, si hoc in Voluntate conceditur. Nec obstat additum *ut quo*, sicut non obstat in animâ, quæ pariter dicitur volens *ut quo* respectu suppositi, cui soli tribuitur velle *ut quod*. Certe cum tali addito cohæret quòd Voluntas verè &

propriè eliciat, ac recipiat actum volendi.

10 *Rejicitur* 2.: quia cognitio juxta omnes est intentionalis applicatio, seu approximatio objecti ad volitivum, & volitivi ad objectum, non minùs, sed magis necessaria, quam in physicis approximatio agentis ad passum: sed approximatio physica non solùm requiritur ex parte principij radicalis, aut agentis *ut quod*, sed multò magis ex parte virtutis proximæ, quam debet immediatè afficere, maximè in principijs Thomisticis; nihil enim prodesset applicatio substantiæ ignis ad passum, nisi calor immediatè applicaretur; immò sæpe contingit, juxta Thomistas, substantiam & suppositum à passo distare, & tamen effectum produci, quia virtus immediatè applicatur: ergo &c.. *Rejic.* 3.: quia voluntas humana & intellectus Divinus in Christo pertinent ad idem suppositum: nemo tamen dixit, ab humanâ Christi voluntate amari posse objectum, quod sola percipit cognitio Divina, quamvis per utrumque actum idem esset amans & cognoscens *ut quod*.

11 *Rejic.* 4.: quia recursus ad sympathiam locum non habet in Voluntate, quæ est potentia libera, & positâ cognitione manet indifferens, ut amet, vel non, objectum propositum. Sympathia quippe non aliud esse potest, quam necessaria determinatio rei, vel naturâ suâ, vel ex occultâ impressione, ad operandum ex suppositione quod res altera operetur; qualis determinatio datur in potentiâ deambulativâ, ut posito voluntatis imperio statim eliciat motum; sed minimè dari potest in potentia liberâ, quæ de medio tollat libertatem. Hinc exemplum potentiæ ambulativæ, in responsione adductum, non est ad rem: tum quia tali potentiæ, utpotè necessariæ, non repugnat subordinatio sympathica: tum quia potentia illa non propriè dirigitur à visu, nec ipsa capax est directionis intentionalis, cùm sit potentia purè physica. Determinatur ergo ab imperio voluntatis, ut tali semitâ incedat; voluntas autem dirigitur ab intellectu, non à se adæquatè distincto, qui semitam cognoscit per speciem ab oculis acceptam, aut inchoatam. Adde, quòd, si exemplum inde sumere licet, poterit unus homo dirigi ad amandum per cognitionem alterius, nihil ipse cognoscens; sicut homo cæcus ad ambulandum semitâ, quam ipse non videt, dirigitur per visum ductoris pueri, & interdùm canis.

12 *Probatur* 2. ex capite libertatis. Anima liberè amat verè ac propriè: sed hoc stare nequit, si anima immediatè non influit in actum amoris: ergo. *Prob. Min.*: si anima non immediatè influit, non determinat amorem præ odio, vel omissione amoris: sed, si non determinat, non amat liberè, & imputabiliter, ut est certum: ergo. *Prob. Maj.*: quia inprimis non determinat anima immediatè; nam immediata determinatio amoris non oritur immediatè ab animâ, cùm sit actio ipsa, quâ producitur amor: deinde nec mediatè determinat; nam ante productionem amoris nihil præstat anima, vi cujus sequatur amor præ odio; solùm quippe radicat potentiam volitivam, quæ potentia, ficut & radicatio ipsa, ex se indifferens est ad amorem & odium, nec alterum præ altero infert. *Urgetur* 1.: actio famuli non imputatur domino, nisi hic vel immediatè concurrat, vel aliquid præstet, quo famulus prævie determinetur ad operandum; quod maximè verum esse debet apud Thomistas, physicæ prædeterminationis amantes: ergo nec actio voluntatis imputabitur animæ, quæ nec immediatè concurrit, nec quidquam præstat, quo voluntas prævie determinetur ad agendum.

13 *Urgetur* 2.: non liberè amat, qui

qui non ita dominatur amori, ut ipsum pro libitu suspendere possit, aut impedire: sed anima immediatè non influens, nequit pro libitu suspendere, nec impedire amorem; ergo. *Prob. Min.*: quia inprimis nequit anima immediatè impedire productionem amoris, cùm hęc non pendeat ab animâ ut immediatè influente: sic Deus non posset immediatè impedire actionem causæ secundæ, si talis actio non penderet à Deo immediatè concurrente, ut omnes arguunt contra Durandum. Deinde nec potest anima amorem impedire mediatè: nam eatenùs posset, quatenùs integrum illi esset impedire prærequisitum aliquod ad productionem amoris: at nullum impedire valet; non cognitionem, quæ sæpe est inevitabilis, & juxta Adversarios ab animâ immediatè non pendet; non item potentiam volitivam, cùm hęc necessariò & sine libertate radicatur ab animâ.

14 *Dicunt* Adversarij, animam liberè determinare, vel impedire amorem, mediâ voluntate, tamquàm propriâ virtute instrumentariâ, cujus actiones simul sunt actiones animæ, tamquàm radicalis principij, seu causæ principalis. Unde, inquiunt, eadem est ratio, seu determinatio, quâ determinat voluntas per modum virtutis, & anima per modum radicis, vel, ut alij loquuntur, quâ determinat voluntas *ut quo*, & anima *ut quod* (ideſt, ut substantia virtutem volitivam possidens; nam aliàs nomine principij *quod* venit suppositum), & ita quidem, ut anima dici possit immediatum determinans *ut quod*, quia non mediat aliud *quod* inter ipsam & actum. Verùm hoc difficultatem haud solvit: jam enim anima non determinat immediatè, siquidem non nisi mediâ voluntate determinat (immediatio principij *quod*, quatenùs non mediat aliud *quod*, valde impropria est, cùm non tollat medium simpliciter; quemadmodùm si diceretur avus immediatè generare nepotem immediatione avi, quatenùs non mediat alius avus): & aliunde imperceptibile manet, quomodò mediatè determinet liberè, si nullum medium liberè determinat, ex quo inferatur productio amoris prę odio; sicut imperceptibile est, quòd voluntas ipsa aliquid liberè determinet mediatè, si nihil immediatè determinat liberè.

15 Prætereà impugnatur solutio: quia animam determinare mediâ voluntate in sensu thomistico, nihil est aliud ex parte rei, quàm animam radicare & sustentare potentiam volitivam, à quâ solâ immediatè pendet determinatio, seu productio amoris: at hoc non sufficit, ut anima propriè dicatur liberè determinans amorem: ergo. *Prob. Min.*: tum quia in radicando & sustentando potentiam volitivam se habet anima ut causa necessaria, & radicatio ac sustentatio non est ipsi libera, nec ex se cum amore connectitur potiùs, quàm cum odio. Tum quia, si id sufficeret, pari jure dicere posset Durandus, actionem causæ secundæ propriè determinari & impediri posse à Deo sine concursu simultaneo, & immediate quidem immediatione Causæ universalis, & principalissimæ, cui tribuitur operatio causarum creatarum: sicut enim anima radicat voluntatem, quę nonnisi ut radicata conservari & operari potest; ita Deus producit causas secundas, quæ non nisi ut à Deo productæ conservari & operari valent; &, sicut voluntas est instrumentaria facultas animæ, cujus nomine agit; ita causæ secundæ sunt instrumenta Dei, & in sententiâ Durandi substituuntur ad operandum in virtute & nomine primæ Causæ.

16 Ulteriùs impugnari solet ex eo, quòd radicare & sustentare virtutem accidentalem, non sufficit, ut substantia propriè dicatur agens per actionem ortam à tali virtute, consequen-

terque nec propriè determinans per determinationem ejuſdem virtutis. Aſſumptum, quod latè promovent Authores noſtri, breviter firmari poteſt exemplis ſequentibus. Subſtantia non proprié producitur per actionem terminatam immediatè ad accidens, quòd ipſa radicat & ſuſtentat; alioquin ſubſtantia æquè proprié diceretur denuò producta, quoties denuò recuperat amiſſum frigus, & anima proprié radicaretur à ſemetipſâ, dum radicat potentias. Similiter non propriè corrumpitur ſubſtantia per corruptionem accidentis à ſe radicati, nec intenditur per intenſionem ejuſdem; ut patet eodem exemplo aquæ tepeſcentis, & frigeſcentis. Subſtantia item non propriè videtur, aut cognoſcitur, eo quòd immediatè videatur & cognoſcatur accidens ejus proprium, nempe color; ſæpe enim colorem cluriſſimè videmus, ſubſtantiam ignoramus; immò proprié loquendo ſubſtantia ſemper eſt oculis occulta, quàmvis denominetur viſa *ut quod*. Et ut exemplum ſuggeram denominationis etiam activæ, dum albedo, quæ eſt cygni proprietas, mittit ſpeciem viſualem, ſubſtantia cygni non eſt proprié mittens ſpeciem, nec ſpecies à candore producta dici poteſt ſubſtantiæ propria, vel proprié ſua, ſicut amor eſt actus animæ proprius; alioquin ſubſtantiam in hac vitâ per ſpeciem propriam cognoſceremus, quod nemo dixit.

17. Hæc tamen argumentum, ex proprietate agendi deſumptum, ſicut in Phyſicâ prætermiſi, ita nunc ultrà non promoveo. Obnoxium enim eſt contentioni vocali; nec Thomiſtæ inculcare deſinent exemplum ignis, qui medio calore veré calefacit, & Solis, qui veré illuminat mediâ luce. Quamquàm in his dici poterit, quòd ſubſtantia immediatè concurrit ad actionem caloris, aut lucis; & ſi non concurrit, non proprié ipſi tribuitur denominatio & munus agentis, vel certè minùs proprié, quàm animæ denominatio amantis; nam denominatio illa juxta Thomiſtas eodem modo tribuitur igni abſenti, & non exiſtenti, dummodò calor adſit, & agat; denominatio autem amantis nequit animæ tribui niſi exiſtenti, & præſenti, etiamſi fingas, potentiam ſeparatam amare. Ad finem moneo, ex adductis ſententiæ noſtræ probationibus ſecundam, & tertiam, licèt directè ſolum procedant in actu voluntatis, indirectè tamen, ſeu ex conſequenti generales eſſe; quia fundamenta contraria vel in omni actu vitali valent, vel in nullo.

## CAP. II.

### *FUNDAMENTA CONTRARIA diruuntur.*

18. *Obj.* 1.: nulla ſubſtantia in creatis eſt immediatè operativa: cum ergo anima ſubſtantia ſit, nequit immediatè influere in actus vitales. *Neg. Antec.*, cujus falſitas ſatis offenſa manet tr. 2. Phyſicæ diſp. 6. cap. 1. & ibi cap. 2. ſolutum eſt aſſumptum quidquid Thomiſtæ allegant. Nihilominùs, quia Collegium S. Thomæ Complut. lib. 2. de Anim. q. 3. ar. 1. ex allegatis ibi *rationibus* tres iterùm magno niſu inculcat, & in illis totum robur eſt ſententiæ Thomiſticæ; nunc iterùm ad eas nonnihil dicemus. *Prima ratio*: nulla ſubſtantia ſpecificatur ab operatione, tamquam à fine; quia operatio eſt accidens, & repugnat ſubſtantiam eſſe propter accidens, ſicut repugnat accidens non eſſe propter ſubſtantiam: ſed omnis potentia proxima ſpecificatur ab operatione, tamquam à fine: ergo nulla ſubſtantia eſt potentia proxima ad operationem. *Reſp.* Si nomine *potentiæ proximæ* intelligatur virtus omninò completa, & expedita, ea cum omnibus requiſitis ad operandum, nulla ſubſtantia in creatis eſt per ſe ipſam po-

potentia proxima ad operationem (saltem à simplici emanatione distinctam); quia semper completur, & expeditur per aliquod accidens, v. g. virtus combustiva ignis per calorem & applicationem, virtus intellectiva per speciem objecti, & volitiva per cognitionem, & utraque per potentias accidentales inadæquatè activas in nostris principijs. Atque hoc sensu intelligendus est D. Thomas, quoties negat, in creatis idem esse substantiam, & potentiam, seu virtutem proximam.

19 Si verò intelligatur eo nomine virtus immediatè activa, tametsi non omninò completa & expedita, potest utique substantia in creatis esse potentia proxima. Nec obstat syllogismus objectus, ut qui solvendus est Adversarijs ipsis: tum in potentiâ passivâ, in quâ procedit pariter doctrina de specificatione potentiarum ab actibus, ut fatetur Joan. à S. Thoma q. 2. de Anim. ar. 3., ubi D. Thomam allegat; & à fortiori quidem procedere debet, quia potentia activa dat perfectionem actui, passiva verò non dat, sed accipit ab actu: ut nihilominùs juxta Thomistas substantia animæ immediatè recipit potentias accidentales, substantia compositi accidentia materialia, & substantia materiæ eductionem formæ, seu passionem, quæ juxta eosdem accidens est. Tum in potentiâ radicativâ, quæ pariter specificari debet ab actu radicandi, tametsi accidentali: unde non poterit anima immediatè radicare potentias. Præterea hîc nam solvitur 1., concessâ *Maj.*, *dist. Min.*: omnis potentia proxima accidentalis, *transeat*; substantialis, *neg. Min.*, & *conseqn.*

20 At, *inquis*, si potentia substantialis verè est potentia proxima, nequit non esse propter actum, ut finem; quia de ratione potentiæ proximæ generatim est ad nihil aliud à naturâ dari, nisi ad actum, & propter actum. *Sed* cur non idem dicis de potentiâ proximè receptivâ? Cur non & de potentiâ proximâ radicativâ? Negandum igitur, quòd sit generatim de ratione potentiæ proximæ dari unicè propter actum; cùm possit dari simul ad finem alium, v. g. ad existendum & subsistendum in se. Immò nec accidentalis potentia, quam ponis, v. g. intellectiva, datur unicè ad actum; simul enim datur, ut animam perficiat in genere causæ formalis, ipsamque in suo statu connaturali constituat, etiam cùm nihil operari valet, ut tempore infantiæ.

21 Dixi *transeat*: quia Scotistæ Minorem illam rotundè negant, voluntque potentiam specificari per actum, non à priori, seu tamquam à fine, *cujus gratiâ*, sed solùm tamquàm ab effectu, vel à signo manifestante perfectionem, & indolem potentiæ, nec aliter esse propter actum, nisi ut propter finem *effectivum*; qualiter Incarnatio Verbi dicitur facta propter nostram salutem; & qualiter ipsi Thomistæ cum Cajetano explicant illud Aristotelis, *Unumquodque est propter suam operationem ut finem*, quod etiam substantiam comprehendit. Vid. Collegium S. Th. lib. 2. de Anim. q. 1. a. 2. §. 2. Adde, quòd in communi sententiâ Thomistarum apud Joan. à S. Thoma cit. ar. 3. potentia non specificatur ab actu, tamquam à fine, sed tamquam à formâ extrinsecâ, cui proportionatur & coaptatur potentia. Proportio autem, & coaptatio convenire potest substantiæ respectu accidentis, ut cernitur in potentiâ receptivâ, quæ sine dubio coaptationem requirit, ut etiam potentia radicativa; ideò enim anima bruti non radicat potentiam intellectivam, quia non est huic potentiæ proportionata, & coaptata. Si anima rationalis cum materiâ usquead ò ignobiliori proportionem habet in ratione informativi ad informabile, cur non etiam cum accidenti in ratione productivi ad producibile?

2. sol-

22 2. solvitur syllogismus ille, negando, subsistentiam non posse specificari ab operatione, seu ab effectu accidentali, tamquam à fine *qui*, cedente in bonum subsistentiæ ipsius, tamquam finis *cui* (hos terminos explicuimus tr. 2. Physic. d. 2. c. 3.), ita ut subsistentia operationem procuret eo ferè modo, quo æger sanitatem. Certum enim est, quòd omne accidens essentialiter est propter subsistentiam, ut finem *cui*: unde propter hanc ultimatè intendi debet à virtute activâ. Et nominatim operatio vitalis non alio fine ponitur, nisi ut subsistentia vivens perficiatur per actus immanentes; ac proinde non intenditur in abstracto, sed in concreto, ideſt, ut perficiens subsistentiam. Hinc alio modo accidens est propter subsistentiam, & hæc propter accidens, nempe alietate, quæ datur inter fines *qui*, & *cui*. Hinc etiam subsistentia ita est propter accidens, ut eo ipso fit ultimatè propter se; quia intendit se ut perfectam ab accidenti. Vide cit. disp. 6. Phys. c. 2. n. 5., & ibi Thomistarum etiam suffragium. Et adde luculentum testimonium D. Thomæ 1. p. q. 105. ar. 5. c. sic aientis: *Sicut materia est propter formam, ita forma, quæ est actus primus, est propter suam operationem, quæ est actus secundus: & sic operatio est finis rei creatæ.* Ubi nota comparationem, *Sicut materia &c.*; ut intelligas, sermonem esse de fine verè tali, sed fine *qui*; nam finis *cui* respectu materiæ est compositum. Adde quòque testimonium Aristotelis 10. Ethic. c. 7., ubi ultimam felicitatem naturalem hominis collocat in operatione Intellectûs.

23 *Dices*: finis debet esse perfectior iis, quæ ad ipsum ordinantur. *Resp.*, verum hoc esse de ordinatis ad finem per modum puri medij: at non semper de ordinatis per modum subjecti perficiendi à fine. Vel dic, verum id esse, non de fine quovis, sed de fine conflato ex finibus *qui*, & *cui*. *Dices* insuper: nequit subsistentia specificari ab accidenti, quin ab eo suam perfectionem emendicet. *Transeat*, si loquaris de perfectione superadditâ; evidens enim est, & innegabile, subsistentiam ab accidenti perfici. Si vero loquaris de perfectione identificatâ, quæro abste, an illam subsistentia emendicet ab accidenti dum ab eo solo immediatè producitur in tuâ sententiâ? Si forte neges, eo quòd accidens non dat subsistentiæ perfectionem nomine proprio, sed nomine subsistentiæ; negabo pariter emendicationem in re nostrâ, eo quòd accidens non tam specificat subsistentiam nomine proprio, quàm nomine subsistentiæ, cujus in bonum cedit.

24 *Secunda ratio*: operatio est actus, qui primò & per se est actus, cùm sit ultima actualitas de lineâ operativâ; sicut existentia primò & per se est actus, quia est ultima actualitas de lineâ entis: ergo illi correspondere debet aliqua potentia, quæ primò & per se sit potentia ad operationem ordinata: tum quia talis est potentia, qualis est actus, cùm potentia detur propter actum: tum quia, sicut in genere substantiæ, actui primò & per se tali, nempe formæ, correspondet potentia primò & per se talis, nempe materia; ita in genere accidentis contingere debet; nam actus & potentia dividunt ens, & quodlibet genus entis. Atqui subsistentia nequit esse potentia primò & per se ordinata ad operationem, cùm ex primario conceptu sit propter se: aliqua ergo potentia accidentalis operationi respondere debet. *Mirum* est, quantum succi Thomistæ inesse putent his terminis *actus*, & *potentia*.

25 Sed, ut eorum siccitas pateat, redarguo 1.: existentia animæ rationalis, comparata ad essentiam ejusdem animæ, est primò & per se actus, ut vultis: & tamen essentia animæ, quæ illi directè & immediatè respondet, non est primò & per se potentia: ergo. *Prob. Min.*:

*Min.*; tum quia essentia illa est primò & per se actus, cùm ratio actûs sit essentialissima omni formæ substantiali; repugnat autem per vos, quòd idem sit primò & per se actus, & primò & per se potentia: tum quia, si existentia est actus accidentalis, debet illi respondere primò & per se potentia accidentalis, qualis non est essentia animæ; si verò est actus substantialis, nequit illi respondere essentia animæ ut primò & per se potentia in genere substantiæ, nisi confundatur cum essentiâ materiæ. Idem argumentum fieri potest in existentiâ Angeli respectu essentiæ, quæ etiam est primò & per se actus. 2. omne accidens est primò & per se actus, videlicet substantiæ, cui inhæret. *Prob.* omne accidens ex conceptu suo definitivo est *entis ens*, & *ens in alio*, idest, forma superaddita & inhærens enti substantiali; unde nihil tritius, quàm quòd *accidentis esse est inesse*: sicut ergo repugnat substantia, quæ ex conceptu primario non sit ad se, quia substantia ut sic definitur *Ens per se*; ita repugnat accidens, quod ex conceptu primario non sit forma, seu actualitas substantiæ, cùm accidens ut sic definitur *Ens in alio*. Hinc autem sequitur 1., quòd anima nequit esse potentia receptiva Intellectûs accidentalis, quem ponitis; quia hæc, utpotè primò & per se actui, respondere debet potentia primò & per se talis, cujusmodi non est anima, cùm sit substantia. Sequitur 2., quòd nec anima erit potentia radicativa ejusdem Intellectûs; quia & radicatio, & Intellectus ipse, cùm sit primò & per se actus, requirit potentiam primò & per se talem. *Sequitur* 3., quòd accidentalis potentia nequit esse immediatè operativa, ne alioquin simul sit primò & per se actus, & primò & per se potentia, quo nihil absurdius apud vos.

26. Directè ad *rationem* oppositam *resp.* admittendo totum ex dicendis cap. 3., ubi potentias accidentales cooperantes animæ agnoscemus. Si tamen ab his potentijs præscindere nunc velis, negare poteris primam *Consequ.*: quia non est necesse, ut actui primò & per se tali correspondeat semper potentia primò & per se talis: sufficit potentia secundariò talis; sicut sufficit, juxta Contrarios, radicationi, & receptioni, quàmvis etiam sint primò & per se actus, ut ostendimus. Nec divisio entis in actum & potentiam petit correspondentiam omnimodam; ut patet in exemplo nobis objecto: nam, licèt materia sit pura potentia, omnis actualitatis expers juxta Thomistas, non ideò forma est purus actus, ab omni potentialitate liber; constat enim, formam esse receptivam proprietatum. Adde, quòd divisio illa, quatenùs cadit in omne genus entis, solùm est in actum existentiæ & potentiam logicam, ut alibi diximus; non enim aliter locum habet in genere actionis, relationis, & alijs.

27. Poteris etiam, admisso Entymemate, distinguere *Min. subsumpt.* sic: substantia nequit esse potentia &c. ad operationem in abstracto sumptam, *conc.*; sumptam in concreto, sive ut perficientem suum principium, *neg. Min.*, & *Consequ.* Ratio distinctionis constat ex n. 22. *Dices*: substantia primò & per se ordinatur ad esse: ergo nequit primò & per se ordinari ad operationem; nam alioquin ordinaretur æque primò ad duos actus ultimos de lineâ diversâ. *Verùm* hoc abundè solutum est cit. disp. 6. Physic. c. 2. à n. 13. ad 17. Nunc instatur in accidentali potentiâ, quæ juxta Contrarios primò & per se ordinatur ad operationem, cùm tamen primò & per se ordinetur ad esse, vel ad inesse in substantiâ, ex n. 25. Item in materiâ primâ, quæ primò & per se ordinatur ad formam & ad existentiam formæ, tamquàm ad duos actus valdè diversos in doctrinâ Thomisticâ. Deindè falsò supponitur, quòd

quòd esse, vel existentia, sit actus realiter distinctus à substantiâ. Denique *neg. Consequ.*, quantum ad operationem in concreto. Nec existentia & operatio sunt actus adeò diversi, ut alter non ordinetur ad perficiendum alterum.

28 *Tertia ratio*: si anima esset immediatum operationis principium, semper habens animam actu, haberet opera vitæ; sicut semper habens animam actu, est vivum. Hujus inefficaciam argumenti vidimus in Physicâ cit. cap. 2. n. 21. Fateor, illud esse D. Thomæ 1. p. q. 77. ar. 1. Sed inprimis eo utitur S. Doctor, ut probet, animam indigere potentiâ superadditâ; quod ultrò concedimus. Deinde principium *immediatum*, seu *proximum*, apud D. Thomam idem sonat, ac principium omninò expeditum, præditumque requisitis omnibus ad operandum: quo sensu verissimum est, quòd anima, si esset principium immediatum, semper operaretur, saltem actum intelligendi, & alios non liberos, immò & liberum aliquem, si pura omissio repugnet. Non est tamen hic sensus Thomistarum, qui eò tendunt, ut ab animâ excludant omnem influxum immediatum: quem ad finem fatetur M. Aguilera, modernus, sed strenuus Scholæ Thomisticæ sectator, se hujus argumenti (sicut & præcedentis) vim non capere. Non miror: quis enim vim capiat, ubi nulla est?

29 Sed, ut illud corroboret, sic arguit Collegium Complut.: animæ nequit immediatè convenire operatio, nisi vel per identitatem, vel per hoc quòd ipsa sit potentia per se primò ordinata ad operationem: sed ipsa nequit esse potentia talis; quia primò & per se est actus, & repugnat quòd eadem entitas sit in actu & simul in potentiâ ad ulteriorem actum; alias idem esset primò & per se potentia & primò & per se actus, quod est absurdum: ergo, si animæ convenit immediatè operatio, convenit per identitatem; consequenterque nunquam poterit anima existere sine operatione. *Instò* 1. in animâ ipsâ, quæ, cùm sit actus, simul est potentia passiva & radicativa potentiarum. Si dicas, potentias accidentales non esse primò & per se actus; jam ostendimus oppositum. *Instò* 2. in potentiâ superadditâ, v. g. intellectivâ, quæ simul ex primario conceptu est actus, & potentia ordinata ad ulteriorem actum. *Instò* 3. in essentiâ animæ, quæ primò & per se est actus, & simul juxta Thomistas debet esse potentia primò & per se ordinata ad actum existentiæ. Si dicas, esse potentiam & actum respectu diversorum; id tibi dictum puta.

30 Præterea ex dictis *resp.* 1. *neg. Maj.*: sufficit enim, quòd anima sit potentia per se secundò, sive ex conceptu secundario, ordinata ad operationem; sicut Thomistæ dicunt de animâ, quatenus receptivâ, & radicativâ potentiarum. Ille tamen secundarius conceptus, seorsùm consideratus, dici potest per se primò ordinatus ad operationem; quia in eo ut tali, quod primò apparet, est ordo ad operationem; sicut in conceptu radicis ut talis, quod primò se offert, est ordo ad radicationem, vel ad radicatum. *Resp.* 2. *dist. Maj.*: vel per hoc quòd ipsa sit potentia &c. ad operationem in abstracto, *neg.*; in concreto, *conc. Maj.*, & similiter distinctâ *Min.*, *neg. Consequ.*. Nec inconveniens est, quòd idem sit primò & per se actus, & simul primò & per se potentia ad ulteriorem actum diversæ rationis, qui suâpte naturâ sit perfectio prioris actûs; ut patet in exemplis adductis, nominatim in essentiâ animæ ad existentiam comparatâ.

31 *Objic.* 2.: intellectus, voluntas, & aliæ potentiæ vitales, inter se realiter distinguuntur: ergo & ab animâ; quæ proinde in actus vitales influit, non per se immediatè, sed per potentias

tias realiter superadditas. *Prob. Antec.* 1.: quia alioquin verè diceretur, *Intellectus amat, & Voluntas intelligit, Potentia visiva audit, & auditiva videt.* 2.: quia voluntas ab intellectu dirigitur & movetur, imperat etiam intellectui, & appetitui sensitivo, qui sæpe illi resistit: at voluntas non movetur à seipsâ, juxta illud, *Omne, quod movetur, ab alio movetur*; nec item imperat, aut resistit sibi. 3.: quia pro actibus supernaturalibus intelligendi & volendi dantur distinctæ virtutes supernaturales, videlicet habitus fidei & charitatis: ergo & pro naturalibus dari debent distinctæ virtutes, sive potentiæ naturales. *Resp.* Componi hæc omnia possunt, admissis potentijs accidentalibus inadæquatè activis. Sed quia nomina, *intellectus, voluntas*, &c., præcipuè, sive in recto significant substantiam animæ, si hæc immediatè operatur; ideò, loquendo de potentijs quoad rectum, seu quoad significatum præcipuum, *neg. Antec.*, quin obstent probationes.

32 *Ad* 1.: locutiones illæ veræ sunt in sensu reali, & identico; non tamen in sensu formali præcisivo, seu reduplicativo: & quia in hoc posteriori sensu loquimur frequentissimè (loquimur enim, ut apprehendimus, & passim apprehendimus unum prædicatum sine alio realiter eodem propter connotatum diversum); ideò non dicimus, intellectum amare, aut voluntatem intelligere, sed vice versâ. Concipimus nimirùm nomine & apprehensione, *intellectus*, animam præcisè quatenùs activam intellectionum; nomine autem, & apprehensione, *voluntas*, concipimus animam præcisè quatenùs activam volitionum: quem modum concipiendi sequitur modus loquendi, sine detrimento identitatis realis. Sic non dicimus, *Vis apprehensiva judicat, Vis judicativa apprehendit*, sed è converso: nec dicimus hominem similem bruto in rationalitate, sed in animalitate; quamvis nulla inter utramque sit distinctio realis. Idem puta de potentijs visivâ & auditivâ, sumptis quoad significatum præcipuum. Non tamen dici potest, etiam in sensu reali, quòd anima videt in auribus, & audit in oculis; quia actus videndi, & audiendi, in suo quisque organo realiter exercetur, non in alio.

33 *Ad* 2.: voluntas in sensu reali per cognitionem dirigit, ac movet, ideſt, inclinat, se ipsam ad actum amoris: imperat etiam sibi, quatenùs uno actu valet efficaciter alium elicere: sibi quòque resistit, quatenus ex contrarijs motivis simul propositis elicit appetitiones aliquomodò contrarias (de quo vide suprà disp. 1. n. 53.): nec in hoc majus est absurdum, quàm in eo, quod omnes concedunt, nempe quòd idem intellectus per apprehensionem se moveat ad judicandum, & per præmissas ad inferendum conclusionem; quòd eadem voluntas alios eliciat actus imperantes, alios imperatos; quòd per intentionem finis se moveat ad electionem mediorum; quod per simplicem complacentiam se inclinet ad affectum efficacem; & quòd sæpe varios affectus habeat invicem resistentes, licèt non efficaciter. Illud autem axioma jam alibi diximus intelligendum, vel de motu per actionem transeuntem, vel de concursu primæ Causæ, quem requirit omnis creaturæ motus.

34 *Ad* 3.: in primis virtus ad actus supernaturales non est tota ratio agendi, sed operatur simul cum animâ immediatè influente, in nostris principijs. Hoc autem sensu admittimus etiam distinctas virtutes ad actus naturales. Deinde *Consequentia* non infertur. Tum quia constat, habitum fidei ab habitu charitatis realiter separari posse; quod de intellectu & voluntate non constat. Tum quia habitus charitatis non amat, nec se liberè determinat, nec intentionaliter illustratur, aut allicitur à

cognitione; unde non est cur secum identificet virtutem ad actus fidei. At omnia hæc aliter habent in voluntate: Adde claram instantiam: nam virtus ad actus supernaturales intelligendi, est realiter multiplex, alia nimirùm ad actus fidei, alia ad actus scientiæ infusæ, &c.; & similiter ad actus volendi dantur habitus charitatis, spei, obedientiæ, &c.: pariter ergo dabitur ad actus naturales multiplex intellectus, & voluntas multiplex.

35 *Replic.*: Gratia, quæ est natura in ordine supernaturali, non influit immediatè in actus supernaturales, sed mediis habitibus, quasi potentijs illius ordinis: ergo pariter de animâ in ordine naturali sentiendum. *Resp.*, admisso. *Antec.*, quod multi negant quantum ad actus charitatis, *neg. Consequ.*: quia nihil urget, ut Gratia dicatur immediatè influens in actus vitales, cùm nec vivat, nec intelligat, nec amet, nec se liberè determinet; quæ omnia urgent in animâ: item, quia multi supernaturales habitus separari possunt à Gratiâ, & sine illâ operari; quod de potentijs naturalibus respectu animæ nemo concedit. Unde instatur objectio.

36 *Replic.* iterùm: voluntas saltem formaliter distinguitur ab intellectu; & alioquin nullo sensu posset appellari potentia cæca: ergo poterit etiam distingui realiter. *Prob. Consequ.*: quia, si voluntas potest formaliter amare, quàmvis ipsa formaliter non sit cognoscens, sed potiùs ipsa formaliter sumpta feratur in objectum sibi non cognitum; cur non poterit etiam amare realiter, quàmvis ipsa realiter non cognoscat objectum? *Resp.*: voluntas, completè sumpta, distinguitur ab intellectu realiter inadæquatè; quia est complexum ex animâ & virtute accidentali superadditâ. Si tamen loquaris de intellectu & voluntate quoad rectum; datâ distinctione formali, ideſt, per rationem, *neg. consequ.*: quia malè arguitur à sensu formali ad realem; ut patet in attributis Divinis, in rugibili comparato ad animal, & in volitivo radicali comparato ad radicale intellectivum. Disparitas igitur in eo est, quòd sensus formalis est mere præcisivus; realis verò est exclusivus. Cùm dicitur, voluntatem formaliter sumptam non cognoscere, minimè negatur, quòd voluntas simpliciter cognoscat, sed tantùm quòd cognoscat secundùm connotatum volitionis; hoc enim solum connotatum præfert nomen *voluntas*. Quare solùm negatur, quòd voluntas cognoscat per actum volendi, & quòd feratur in objectum à se cognitum per volitionem. Hoc utique verissimum est; sed non excludit quòd eadem voluntas per alium actum, nempe intelligendi, reipsâ cognoscat, & quòd objectum non sit illi simpliciter incognitum, sicuti foret, si voluntas distingueretur realiter ab intellectu.

37 Addo, voluntatis ab intellectu non aliam distinctionem rationis esse admittendam secundùm rectum utriusque, nisi penès implicitum & explicitum, eo nempe modo, quo distinguitur bonum á vero, vel amabile à cognoscibili. Ratio est: quia, licèt voluntas non dicat pro explicito vim cognoscendi, nequit tamen ab ea perfectè præscindi, sed eam essentialiter imbibit, seu includit formaliter implicitè. Tum quia voluntas essentialiter est potentia rationalis: ergo essentialiter continet vim ratiocinandi. Tum quia formaliter est apta moveri, seu allici, & attrahi à bonitate objecti ut cognitâ, at intentionaliter attrahi ab objecto, impræscindibile est à munere cognoscendi: nam sicut objectum nequit concipi attrahens voluntatem, nisi ut cognitum, ita voluntas concipi nequit attracta ab objecto, nisi ut cognoscens. Tum quia ratio boni, seu amabilis, quæ ex parte objecti correspondet voluntati formaliter

ter ut tali, & quatenùs correſpondet, præſcindi nequit à ratione veri, ſeu ab aptitudine ut cognoſcatur: ergo nec voluntas, quatenùs invicem reſpiciens rationem boni, præſcindi poteſt ab aptitudine ut cognoſcat. Tum demùm, quia voluntas, ut talis, formaliter apta eſt applicari ad volendum, utique per cognitionem, quæ eſt applicatio ſimpliciter neceſſaria: ergo formaliter apta eſt immediatè afficì à cognitione, cùm applicatio debeat immediatè afficere virtutem proximam, ex dictis n. 10. Quod autem à cognitione immediatè afficitur, eſt formaliter intellectus.

38 Nec obſtat, quòd intellectus & voluntas connotent operationum genera valdè diverſa: nam hæc eadem genera connotantur & ſpecificantur à vero, & bono, nec tamen ratio boni à ratione veri perfectè præſcinditur. Cognitio & volitio ſunt quidem connotata valde diverſa, ſed quorum unum ſupponit eſſentialiter alterum; ideòque non ſe habent, ſicut connotata ſenſationis & diſcurſûs reſpectu animalis & rationalis. Nec item obſtat exemplum habitûs charitatis, qui non eſt formaliter virtus activa cognitionis: jam enim diſparitatem dedimus n. 34. Ex dictis inferes, quo ſenſu voluntas dicatur potentia *cæca*, videlicet ſolùm pro explicito, ideſt, cæcitate negante virtutem videndi per eos actus, quos explicitè connotat nomen *voluntas*; hi quippe actus non ſunt viſiones, ſeu cognitiones, ſed volitiones. De cætero voluntas vocatur etiam potentia *rationalis*, vel appetitus *rationalis*, atqueadeò videns aut videre potens per actum rationis.

39 *Objic.* 3.: ſaltem potentiæ ad ſentiendum, & vegetandum, debent diſtingui realiter ab animâ rationali. 1.: quia potentias iſtas non ſecum defert anima ſeparata, cùm in eo ſtatu non ſentiat. 2.: quia ſunt potentiæ materiales, & organicæ, ideſt, corporeis organis affixæ; patiuntur etiam ab objecto corporeo, nec niſi materiales actus eliciunt. 3.: quia potentiæ viſivæ hominis & equi ſunt ejuſdem ſpeciei, ſicut & actus utriuſque: animæ autem ſunt ſpecie diverſæ. 4.: quia potentiæ, viſiva, & auditiva, realiter ſeparari poſſunt; tum ab animâ, ut cùm homo fit cæcus & ſurdus; tum inter ſe, ut cùm ſurdus fit homo, non cæcus. 5.: quia potentiæ iſtæ fatigantur in operando, ſuſcipiuntque magis & minùs; nam idem homo nunc intenſiùs, nunc remiſſiùs videre poteſt. *Reſp.* Potentias illas, adæquatè ſumptas, ab animâ diſtingui realiter inadæquatè, verum eſt, etiam apud Scotiſtas; quia potentia videndi v. g., non ſolùm dicit vim activam, ſed etiam receptivam viſionis; unde, cùm viſio recipiatur in organo corporeo, ex hoc organo & ex activitate animæ conſtituitur potentia videndi. Quare Scotiſtæ potentias ejuſmodi, completè ſumptas, identificant cum toto compoſito; cum animâ verò, quâ parte dicunt virtutem adæquatè activam. Nos autem in hoc à Scotiſtis diſtamus, quòd non totum influxum activum tribuimus animæ, ſed complexo ex animâ & accidentali potentiâ partialiter influente.

40 Idcircò, ſi ſermo ſit de potentijs partialibus, *aſſumptum* cum probationibus concedimus. Si verò limitetur objectio ad potentias ſecundùm virtutem præcipuam, vel, quod idem eſt, ſecundùm rectum, *neg. aſſumpt.* Cujus 1. *probatio* ſolùm eſt vera de potentijs illis adæquatè ſumptis, vel quatenùs ultrà ſubſtantiam animæ important accidentia varia, tum ad agendum, tum etiam ex parte corporis ad recipiendum vitalem actum requiſita. Quære ab Adverſarijs, cur anima ſeparata non radicet in eo ſtatu potentiam viſivam, & alias hujuſmodi, nec actu informet corpus, cùm ſecum deferat totam vim radicandi, & informandi? *Ad*:

2. : quidquid ibi dicitur, locum habet in potentijs accidentalibus inadæquatè activis : nam quæ datur ad videndum v. g., entitativè materialis est, & corpori affixa, recipitque impressionem objecti corporei, nec nisi materialem operationem elicit: & ratione illius totâ potentia visiva, licet principaliter importet animam spiritualem, denominatur potentia materialis, & organica; sicut homo ratione materiæ dicitur materialis, & corruptibilis. At locum non habet in potentiâ visivâ (idem puta de cæteris) secundùm præcipuam virtutem: sic enim potentia ista totum est materialis & organica cum hoc addito, *in operando tale genus actuum*; quia scilicet in tali genere operari nequit, nisi dependenter à materiâ & organo corporeo. Idem tenentur dicere Thomistæ de potentiâ radicativâ potentiarum, quam identificant cum animâ: nam illa in radicando potentiam visivam dependet à materiâ & organo.

41 *Dices*: si anima pendet à materiâ in operando; ergo & in essendo; quia *modus operandi sequitur modum essendi*. *Sed verò* modum essendi sequitur pariter modus radicandi; ideòque enim ex proprietatibus radicatis colligitur, qualis sit essentia: non ergo poterit anima pendere à materiâ in radicando, quin pendeat in essendo. Illud ergo proverbium eatenùs verum habet, quatenùs modus operandi nequit esse altioris ordinis, quàm essentia principij; quia debet in eâ contineri vel formaliter, vel eminenter. Potest etiam intelligi de modo operandi adæquato, seu quo non melior alius conveniat eidem principio; cujusmodi non est in præsenti modus materialis, cùm eidem animæ conveniat etiam modus altior, & à materiâ independens, per actus intelligendi, & volendi. Sic materialis est anima, quæ tandem radicat potentias materiales; tecùs verò, quæ simul radicat immateriales alias. In summa, nullo ex capite difficilius est, quòd anima spiritualis immediatè producat actum materialem, quàm quòd immediatè radicet materialem potentiam. An autem anima humana recipiat etiam actus materiales? discutiemus cap. 5.. Si fortè hùc advoces argumentum de specificatione potentiarum ab actibus, occurrabo in specificatione radicis à radicato: ac deinde dicam, potentiam visivam in homine specificari ab actu materiali secundùm virtutem accidentalem, non verò secundùm substantialem, seu præcipuam; hæc enim simul continet actus intelligendi, à quibus, utpotè nobilioribus, specificari debet modo suprà dicto.

42 *Ad* 3.: permisso quòd actus videndi specie non differant in homine & equo (hoc facilè negari potest propter intrinsecum respectum ad diversas animas), non inde sequitur, utriusque potentias quoad rectum specie non differre. Si enim juxta Adversarios animæ specie diversæ radicant potentias visivas ejusdem speciei, cur non & potentiæ specie diversæ producent actus specie similes? Sic etiam Sol & ignis calorem efficiunt ejusdem rationis. *Ad* 4.: potentiæ illæ quoad obliquum, seu quoad virtutem accidentalem, separari possunt & à se invicem, & ab animâ, ita ut pereant animâ permanente; non ita verò quoad rectum, seu quoad virtutem præcipuam, quæ in homine cæco & surdo tota manet, tametsi accidentaliter impedita. Immò, quamvis nihil pereat virtutis activæ, dicitur homo surdus, aut cæcus, si desit ex parte organi conditio aliqua, vel dispositio necessaria, v. g. acumen spirituum: homo enim, cui nervi optici obstruuntur, dicitur absolutè cæcus, quamvis de cætero nihil in oculis patiatur. Sic etiam infans, aut fatuus, dicitur intellectu carens, aut impotens ratione uti, quamvis in eo integra sit potentia intellectiva, ut nemo dubitat.

Di-

*Dices*, absonum esse, quòd cæcus habeat potentiam videndi. *Dist.*: potentiam expeditam, *conc.*; impeditam ex aliquâ læsione organi, *neg.* Et cedo, an sit absonum, quòd infantulus potentiam habeat utendi ratione? *Dices* iterùm: ergo non opus erit miraculo, ut cæco restituatur visus. *Instò*: ergo nec miraculo erit opus, ut infantulus, recèns natus, aut genitus, ratione utatur. Quidquid dixeris, pro me dictum esto.

43. *Ad 5.* instantia est in potentiâ radicativâ potentiarum, quæ pariter ætate languescit, suscipietque magis & minùs, cùm non semper æqualem radicet potentiam vitivam. Illa ergo fatigatio, vel intensio & remissio, admitti potest ex parte potentiæ accidentalis, quam donus. Immò fatendum est, quòd se teneat ex parte organorum, quæ vel à senio, vel à defectu spirituum, vel aliunde, redduntur minùs aptæ, ut in ipsis vitalis actio exerceatur.

44. *Objic.* 4.: non repugnat anima, quæ solùm operetur mediis potentijs realiter distinctis, sicut non repugnat substantia inanimis, quæ non nisi mediis accidentibus producat effectus suos, saltem accidentales; ut patet in substantiâ ignis, quæ non nisi medio calore calefacit, & in substantia corporum gravium & levium, quæ mediâ gravitate & levitate moventur sursùm & deorsùm: ergo talis de facto censenda est anima quævis; nam argumenta nostra, vel probant de possibili, vel non probant de facto. *Dist. Antec.*: si sermo sit de animâ, quæ non solùm non sit libera, nec appetitiva (nisi forte mediâ potentiâ immediatè cognoscente), sed insuper talis sit indolis, ut ab ea non pendeat actio vitalis essentialiter, immediatè, & à priori, *transeat*; si de animâ indolis oppositæ (qualis de facto est in animâ, quam novimus), *neg. Antec.*, & *Consequ.*: quia indoles ita nullo modo cohæret cum operatione purè mediatâ. Allegata exempla, licèt admittantur, nihil probant: quia sumuntur ab operationibus non vitalibus, quæ non omnes debent à substantiâ immediatè oriri, sicut non omnes ab eâ pendent essentialiter, sed possunt ab ejus virtute separatâ nascituræ calor etiam sine igne calefacit, & gravitas panis ac vini sine substantiâ gravitat in Eucharistiâ. At actio vitalis, fatentibus Adversarijs, essentialiter pendet ab animâ, nec à potentiâ separatâ produci potest.

45. *Objic.* 5.: si cognitio & amor ab anima immediatè oriuntur, poterit anima elicere amorem sine prævia cognitione, sicut elicit cognitionem sine amore prævio. *Neg. sequel.*: quia anima in ratione proximæ potentiæ amare, constituitur per cognitionem, ut per applicationem simpliciter necessariam, non è converso. Quære ab arguente, cur intellectus non judicet sine apprehensione prævia, sicut apprehendit sine prævio judicio? *Insistes*: amor ipse debet esse cognitio, siquidem oritur à virtute intellectivâ; quemadmodùm actio, quæ à calore oritur, calefactio est. Et alioquin possent ab eâdem virtute nasci actiones oppositæ. *Verùm* hoc nihil est dictu. An non in suis principijs à calore provenit productio substantiæ, quæ non est calefactio? An non ab eâdem animâ radicaliter intellectivâ radicatur voluntas? An non ab eâdem voluntate oriuntur amor & odium, pluresque alię species affectuum valde diversæ, immo contrariæ? Nihil ergo prohibet ab eâdem virtute æquivocè diversas actiones oriri. Nec intellectio & amor aliter opponuntur, quàm oppositione diversitatis, quæ non impedit consortium ejusdem principij & subjecti. Aliarum quarundam objectionum solutio petenda est ex Physicâ cit. disp. 6. c. 1. §. & ex ead. disp. c. 3. §. 3. explicatio mentis D. Tho-

Thomę, qui potentias quidem distinctas adstruit, sed non excludit immediatum influxum animæ.

## CONSECTARIUM

### *De Potentiarum distinctione formali ex naturâ rei.*

46 Scotistæ, licèt potentias cum animâ realiter absolutè identificent, suam tamen hùc afferunt distinctionem formalem ex naturâ rei, vi cujus verificetur, potentias & ab animâ, & inter se, actualiter esse distinctas ante opus mentis: Pro quo Mastrius disp. 2. de Animâ q. 1. ar. 2. arguit 1. auctoritate Patrum, potentias ab animâ distinguentium. 2.: quia potentiæ tam inter se, quàm in ordine ad animam, fundant prædicata contradictoria. Probat hocitum quia potentiæ fluunt, & originantur ab animâ, & aliæ dicuntur organicæ, aliæ inorganicę. Tum quia anima est forma corporis, non autem intellectus, juxta Aristotelem. 3.: quia voluntas est potentia libera, intellectus potentia naturalis, seu necessaria: ergo non sunt omninò idem. *Prob. Consequ.*: tùm quia liberum & necessarium sunt primæ differentiæ dividentes principium activum in commuui: primæ autem differentiæ alicujus generis nequeunt alicui simul convenire, sicut patet de rationali & irrationali. Tum quia principium necessarium naturâ suâ determinatum est ad agendum; secùs verò principium liberum: repugnat autem, quòd idem sit determinatum, & non determinatum. *Confirm.*: quia vel anima alio modo se habet ad productionem volitionis, quàm intellectionis, vel non. Si primum: ergo datur aliqua distinctio inter intellectum & voluntatem. Si secundum: ergo volitio & intellectio erunt ejusdem rationis; quia idem manens idem, natum est facere idem, ut est in proverbio.

47 Hæc tamen Scotica distinctio, quæ sit actualis ante opus mentis, seu ante præcisionem rationis, & tamen non sit distinctio realis absolutè, generatim rejecta manet in Logicâ, tamquam impossibilis: nec nunc opus est eam aliter impugnare, quàm solvendo, & instando, vel retorquendo argumenta modò proposita, quatenùs dirigi possunt ad potentias secundùm virtutem præcipuam. *Primum*, ab authoritate sumptum, probat contra Scotistas distinctionem realem absolutam, cùm Patres absolutè loquantur. Nobis autem non nocet, qui potentias ab animâ, & inter se, realiter inadæquatè distinctas ponimus, quàmvis omnes & invicèm & cum animâ identificentur quoad virtutem præcipuam.

48 *Secundum* cum probationibus solvendum est etiam à Scotistis. Nam si potentiæ verè fluunt ab animâ, ut proprietates ab essentiâ, nequeunt non ab eâ distingui realiter: tum exemplo proprietatum effluentium ab igne, aquâ, &c.. Tum quia effluxus, seu dimanatio proprietatum ab essentiâ, vera productio est, ut alibi ostendimus: productum autem à producente distingui debet realiter absolutè, juxta Scotistas. Item, potentias esse organicas, aut inorganicas, idem sonat, ac esse materiales, aut spirituales; quia organicæ dependent à corpore, inorganicę non dependent: si ergo inter eas non datur distinctio realis absolutè, materiale & spirituale realiter identificabuntur; quod nemo dixerit. Item, esse & non esse formam corporis, sunt prædicata realem distinctionem absolutè fundantia; ex hoc enim capite maximè distinguimus rationalem animam ab Angelo; & ex eodem distingueremus animam à materiâ primâ, quamvis non alia foret distinguendi ratio.

49 Dicendum itaque, prędicata illa propriè verificari de potentijs accidentalibus inadæquatè activis; non verò

verò de potentijs, quâ parte realiter identificantur cum animâ. Sic enim acceptæ, non fluunt ab animâ, nisi impropriè, seu ex modo nostro concipiendi, qualiter verum & bonum dicuntur ab ente fluere quasi attributa. Nec item sunt organicę in animâ rationali, nisi cum addito, de quo suprà n. 40. Quòd autem eadem virtus sit organica in operando unum genus actuum, & inorganica in operando genus aliud, nullam contradictionem importat, nec distinctionem subjectivam, sed terminativam tantùm; aliter importaret distinctionem realem, contra Scotistas. Denique intellectus, substantialiter sumptus, est forma corporis, ut benè probat D. Thomas 1.p.q. 76. ar. 1.. Aristoteles autem intelligendus de intellectu accidentali; vel etiam de substantiali, non specificativè sumpto, sed prout reduplicante intellectiones; hæ quippe in nullo corporis organo recipiuntur.

50 *Tertium* similiter excludit realem potentiarum identitatem contra Scotistas; talis quippe identitas dari nequit inter primas differentias cujusque generis, v. g. inter rationale & irrationale, inter sensibile & insensibile, inter vivum & non vivum, inter substantiam corpoream & spiritualem, inter qualitatem naturalem & supernaturalem, &c.. Instatur etiam manifestè in potentiâ passivâ, seu receptivâ intellectionis, quam potentiam Scotistæ non distinguunt formaliter ab intellectu; & tamen principium passivum & activum sunt primæ differentiæ dividentes principium in communi. Sæpe igitur accidit, ut membra dividentia conceptum aliquem communem, in specie particulari solùm distinguantur per rationem; ut cùm anima in communi dividitur in vegetativam, sensitivam, & intellectivam, quę differentię realiter identificantur in animâ humanâ: immò interdùm non, nisi quoad explicitum distinguuntur, ut in exemplo adducto potentiarum, activæ, & passivæ. Videndum, an differentiæ dividentes se invicem excludant essentialiter ex proprijs conceptibus: quod si ita sit, nullibi poterunt identificari; si secùs, non erunt membra divisionis realis, sed rationis, nisi addatur singulis nota exclusiva *tantùm*, vel *purè*, ut fieri solet in divisione animæ in communi. Negamus autem, quòd liberum & necessarium se se invicem ex proprijs conceptibus excludant, nisi addatur, quòd necessarium tale sit *purè*, seu *tantùm*, vel *quoad omne genus actuum, quos continet*; nam quòd eadem potentia, duo actuum genera continens, sit determinata & necessaria quoad unum, indeterminata & libera quoad aliud, nihil habet contradictionis, solùmque infert distinctionem extrinsecam, seu penès connotata. Quin etiam voluntas ut talis sæpe operatur non liberè, ut in motibus primò primis.

51 *Confirmatio* pariter instatur in distinctione reali. Vel enim anima se habet realiter alio modo, vel non: si primum, dabitur distinctio realis: si secundum, volitio & intellectio erunt realiter ejusdem speciei; nam idem manens idem, natum est facere realiter idem. Similiter etiam probari posset distinctio realis, vel formalis ex naturâ rei, inter intellectum ut apprehensivum & ut judicativum, aut discursivum; nec non inter voluntatem ut prosecutivam & ut aversivam, vel ut productivam amoris & odij. Anima igitur alio modo se habet ad productionem volitionis, quàm intellectionis, non alietate virtutis præcipuæ, quam secum realiter identificat, sed alietate virtutis accidentalis, quam damus potentijs superadditis. Immò sufficere posset alietas applicationis, aut conditionis prærequisitæ, in eo consistens, quòd anima per speciem objecti applicetur ad intelligendum, & per intellectionem

ad

ad volendum: quàmvis enim interdùm volitio determinet intellectionem, nunquam tamen ordo volendi hanc intellectione prævià inchoatur. Hoc etiam modo aliter se habet intellectus ad productionem apprehensionis, quàm judicij; quia per apprehensionem applicatur ad judicandum, non è converso.

52 Quapropter, loquendo de potentijs quoad virtutem substantialem, & præcipuam, tenendum est generatim, eas non aliter inter se distingui, quàm distinctione rationis. In particulari autem voluntas inprimis, ex dictis n. 37., non distinguitur ab intellectu nisi quoad explicitum, licèt forsan intellectus majore distinctione rationis à voluntate distinguatur; sicut juxta plures essentia Divina formaliter pro implicito includitur in relationibus, non è converso. Deinde voluntas, & intellectus, pertinent formaliter ad essentiam animæ humanæ secundùm gradum rationalis: ut etiam ad eamdem secundùm gradum sensitivæ, pertinent potentiæ sentiendi; & secundùm gradum vegetativæ, potentiæ vegetandi: qui gradus in anima per abstractionem ratiocinatam distinguuntur. Ipsæ verò potentiæ, tum sensitivæ, tum vegetativæ, distinguuntur inter se perfectâ distinctione rationis, exceptâ potentiâ materialiter appetitivâ, quæ à potentiâ sensitivâ, cujus actu dirigitur, solùm distinguitur quoad explicitum, sicut voluntas ab intellectu.

## CAP. III.

### *DANTUR POTENTIÆ ACCIDENTALES, adjuvantes Animam ad vitales actus producendos.*

53 HÆC est altera pars tertiæ sententiæ, relatæ in limine Disputationis: &, ut ibi diximus, eumdem sensum reddit Assertio proposita sub hac terminis, *Potentiæ realiter inadæquatè distinguuntur ab animâ.* Contrarium sentiunt Scotistæ, quibus accedunt quàmplures è Nostris, Hurtad., Arriaga, Compton., Ovied., Alphonsus, Peynad., & alij. Sed præfixam sententiam tenet Exim. Doctor lib. 2. de An. c. 1., & disp. 18. Met. s. 3.: tenent etiam è Nostris Fonseca, Conimbric., Toletus, Pereira, Vazquez, Valentia, Rubius, Amicus, & alij, quos citat & sequitur P. Quiros disp. 83. s. 2., dicens, hanc sententiam communem esse *ferè omnibus Nostris primoribus, qui sua Scripta prælo mandarunt.* Consentiunt Thomistæ omnes, præscindendo ab immediato concursu animæ: & omnibus hac in re præluxit Angelic. Doctor 1. p. q. 54. ar. 3., & q. 77. ar. 1. Hæc sententia maximè indiget probatione quoad potentias spirituales animæ rationalis: nam quoad organicas, experientiâ, & ratione obviâ redditur credibilis; ut mox patebit.

54 Probatur ergo sic: Anima rationalis proprietates aliquas accidentales habere debet, quibus permanenter & invariabiliter ex innatâ exigentiâ perficiatur, & in statu connaturali constituatur: sed hujusmodi proprietates debent esse potentiæ, quarum activitate juvetur anima in operando vitales actus: dantur igitur potentiæ accidentales, adjuvantes animam ad vitales actus producendos. Utraque præmissa indiget probatione. *Minor* probabitur posteà. Nunc *prob. Maj.*: omnis substantia creata debet habere proprietates ejusmodi: ergo & anima rationalis. *Prob. Antec.* 1. inductione, quam optimè expendit P. Suar. cit. loc. Metaph.: nam omnis substantia, quam experimur, ejusmodi proprietatibus gaudet, cœlestia corpora luce, elementa primis qualitatibus, mixta quoque, sive animata, sive inanimata, vario qualitatum primarum temperamento, & multis etiam qualitatibus secundis.

Hinc

Hinc autem jure deducimus, ſubſtantias ſpirituales ſuis pariter proprietatibus gaudere. Quia, ubi nihil ſequitur contra conceptum ſubſtantiæ ſpiritualis, de hac philoſophandum eſt juxta experientiam rerum corporalium, quę reſpectu ſpiritualium dici poteſt experientia mediata, cùm invisibilia ex visibilibus cognoſcantur. Sic aſſerimus, Angelum non poſſe ſimul eſſe in duplici loco adæquato, neque agere in diſtans, quin operetur per medium, & alia hujuſmodi, argumento deſumpto è rebus corporeis.

55 2.: quia ignis v. g. non exigit proprietates accidentales eo prę-cisè, quòd ſit in tali ſpecie, vel genere proximo: alio quin nulla alia ſubſtantia, ſpecie vel genere diverſa, proprietates exigeret. Non item eas exigit eo prę-cisè, quòd ſubſtantia corporea ſit, & ignobilior ſpiritu: ex hoc enim capite ſolùm debet exigere proprietates ignobiliores, nempe corporeas: neque ulla ratio excogitari poteſt, cur potiùs materialis ſubſtantia corporeas proprietates debeat expoſcere, quàm ſpiritualis incorporeas. Ignis ergo proprietates exigit, quia ſubſtantia creata eſt; ac proinde omnis ſubſtantia creata proprietates ſuas exigere debet. Si dicas, ab igne & alijs corporibus exigi accidentia, ut materiam diſponant ad recipiendam formam ſubſtantialem; quæ ratio non militat in Angelo & animâ ſeparatâ: facilé impugnaberis. Tum quia materia prima, cùm in nullo ſubjecto recipiatur, quantitatem radicat ut proprietatem ſui. Tum quia corpus completum ſimplex, juxta plures poſſibile, proprijs accidentibus non careret. Tum quia, prętер accidentia materiam præparantia, radicant corpora proprietates alias ex formâ jam exiſtente reſultantes, ut ignis lucem, aër & aqua diaphaneitatem, herbę, liquores, lapides, & metalla virtutes varias, quas eſſe accidentales, ex earum intenſione & remiſsione conſtat. Si rursùm dicas, accidentia propria igni deberi titulo proportionis cum alijs effectibus: rursùm impugnaberis. Quia ſubſtantia ignis non minorem cum ſuis effectibus proportionem habet, quàm ſubſtantia Angeli cum ſuis: non enim minùs illorum perfectionem ſuperat, vel adæquat.

56 3.: quia omni ſubſtantię creatæ bonum eſt permanenter affici aliquo accidenti, quod ejus perfectionem referat, ac ſapiat: nam ex terminis omni rei imperfectę bonum eſt permanenter perfici juxta modum ſuæ naturę. Aliunde eſt bonum naturaliter poſsibile cuivis ſubſtantię: quia neque eſt contrà, nec ſupra naturam ejus: non contrà; quia ſupponitur bonum ejus, ſeu aptum ad eam perficiendam: non ſuprà; quia ſupponitur etiam ipſius naturam & genium ſapere. Omnis igitur ſubſtantia creata innatè appetit accidens hujuſmodi, cùm appetitus innatus feratur in bonum conveniens, & naturaliter poſsibile. Tale autem accidens utique proprietas eſt. *Dices*, à nobis ſupponi quod probandum erat, nempe omnem creatam ſubſtantiam eſſe capacem talis accidentis. *Sed* verò non hoc ſupponimus, ſed probamus ex eo, quòd omnis creata ſubſtantia debet eſſe capax, immò naturaliter appetitiva boni, quod ſit ipſi conveniens, & non ſuperans conditionem ejus. At, inquis, probandum ſupereſt, quòd non repugnet tale bonum. Verùm hoc vix eget probatione. Nam quæcumque deſignetur ſubſtantia, debet eſſe perfectibilis per aliquod accidens, ut patet vel ex ipſo nomine *ſubſtantia*, quod à ſubſtando accidentibus ſumptum eſt. Concipiatur deinde accidens, quod ex ſe aptum ſit permanenter perficere talem ſubſtantiam, & quod ejus naturam quodammodò ſapiat, ſicut calor naturam ignis. Sanè in accidenti ſic concepto nulla prorſus apparet repugnantia, vel contradictio.

57 4.: quia ſubſtantiæ ſpirituali deeſſe nequit prærogativa, ſeu præſtantia virtutis activæ, quæ convenit ſubſtantiæ corporeæ, cùm hinc maximè commendetur nobilitas ſubſtantiæ. Deeſſet autem, ſi ſubſtantia ſpiritualis proprietatem non radicaret, ſicuti radicat corporea. *Prob.*: quia poſſe radicare proprietatem (radicatio iſta fit per veram actionem, & exercitium virtutis propriæ, ut Adverſarij non ſubitant) eſt poſſe producere effectum aliquem cum ſolo Dei concurſu generali, abſque ullo comprincipio, vel adminiculo creato: ut enim materia radicet quantitatem, vel ignis calorem, aut lucem, nulla requiritur applicatio, nullum virtutis complementum, præter nudam exiſtentiam ſubſtantiæ, & concurſum Dei generalem. In hoc autem agendi modo quædam elucet ſpecialis præſtantia virtutis, & commendatio fœcunditatis: nam creata virtus eò magis imitatur virtutem Divinam, quò paucioribus indiget adjumentis, ſeu quò magis ſibi ſufficit ad operandum, & ad perficiendum ſemet ipſam. At commendatio iſta deeſt ſubſtantiæ ſpirituali radicanti: nam anima rationalis v. g., pro cæteris effectibus indiget comprincipio, vel applicatione ſuperadditâ; nimirùm ad intelligendum indiget ſpecie, ad volendum cognitione, ad motum localem volitione. Et generatim ſola proprietas eſt, quæ nullo eget additamento ex parte ſubſtantiæ unde provenit quòd ſit effectus permanens, ac per ſe invariabilis; quia ſcilicet ſemper illi adeſt virtus proxima, & omninò applicata.

58 Denique, quodquid ſit de ſubſtantiâ creatâ ut ſic, animæ rationali non repugnat proprietas ab qua ſpiritualis: ergo illa neceſſariò convenit. *Conſequentia* recta eſt: quia ſuppoſitâ exiſtentiâ ſubſtantiæ, proprietas, ſi non repugnat, neceſſariò datur, cum ex concepti imo ſit accidens, debitum, & naturaliter neceſſarium, miniméque indifferens ut poſſit adeſſe vel abeſſe citra ſubjecti corruptionem. *Antecedens* autem ex eo patet, quod proprietas ejuſmodi non repugnat animæ rationali ex conceptu ſubſtantiæ in communi, ut eſt manifeſtum: nec item ex conceptu ſubſtantiæ talis; nam, ſi percurras prædicata omnia, quæ de animâ rationali novimus, nullum invenies, quod hujuſmodi proprietatem excludat. Nec dicas, proprietatem excludi, quia ſuperflua eſſet, & otioſa. Nam præter infrà dicenda, *contrà* eſt, quòd ſaltem proprietas iſta utilis erit, ut rationalis anima ſtatim à primo inſtanti explicet fœcunditatem propriam formæ ſpiritualis: abſurdum quippe apparet, quòd anima hominis, cùm ſit omnium formarum perfectiſſima, ſola inter cæteras omnes nullatenùs valeat fœcunditatem ſuam ſpecificam productione alicujus effectûs ſpiritualis exercere per primum ſeptennium, quo differri ſolet uſus rationis.

59 Jam verò *Minor* illa n. 54., quòd ſcilicet proprietates aſſertæ debeant eſſe potentiæ adjuvantes animam ad vitales actus producendos, *probatur* ſic. Proprietates animæ rationalis non ſunt actus, nec habitus, nec ſpecies, nec organa corporea tantùm: non actus; quia hi ſupponunt ſtatum connaturalem animæ, variabiles ſunt, neque animam perpetuò comitantur: non habitus, nec ſpecies; quia variationem etiam admittunt, & non radicantur à ſolâ animæ ſubſtantiâ, nec ad ejus ſtatum connaturalem pertinent, cum diù poſt primam animæ exiſtentiam adveniant: non demùm organa corporea tantùm; quia, licèt hæc ab animâ exigantur pro ſtatu unionis, tamen non ſunt ſimpliciter proprietates animæ, quatenùs rationalis, & ſpiritualis, cùm neque illam perpetuò comitentur, nec ſpiritualem ejus naturam referant. Proprietates igitur animæ ratio-

tionalis sunt alia accidentia incorporea, quę permanenter ab ipsâ radicantur, & sustentantur. At accidentia ista simul cum animâ influere debent in actus vitales : ergo sunt potentiæ, quas intendimus.

60 *Prob. Min.* 1.: quia talia accidentia, cùm spiritualia sint, non præseferunt improportionem cum actibus intelligendi, & amandi : aliunde ante hos actus præsupponi debent ex naturâ rei ; priùs enim substantia quævis proprietates radicat, quàm alios effectus operetur : actus etiam ipsi non nisi ad præsentiam talium accidentium producuntur: nullum præterea sequitur incommodum ex eorum influxu partiali ; nihil enim prohibet animam juvari accidentalibus comprincipijs, ut patet in speciebus, & habitibus. Debent igitur accidentia illa influere in actus vitales : nam ex ijs capitibus tribuimus rebus creatis influxum in varios effectus. 2.: quia proprietates rerum corporearum à naturâ conferuntur, non solius ornatûs gratiâ, sed simul ut ad alios effectus subitantię, saltem accidentales, activè concurrant, ut patet in luce, calore, frigore, &c. : pariter ergo de proprietatibus spiritualis substantiæ discurrendum. Sanè proprietates spirituales, eo quòd sint perfectiores corporeis, non debent esse sterdiores, cùm sterilitas imperfectionem arguat. Si autem non influunt in actus vitales, non apparet, cujus effectûs fęcundæ sint. 3.: quia dictæ proprietates aliquomodò referre debent, seu imitari naturam animæ quatenùs rationalis, adeòque quatenùs intellectivæ, ac volitivæ ; debent ergo aliquatenus participare virtutem activam intellectionis, ac volitionis.

61 Hucusque dicta probant in animâ hominis potentias inorganicas. Quibus concessis, nemo renuet admittere organicas, seu materiales, ab animâ distinctas, in homine, & quovis alio viventi. Sed præterea, quòd hujusmodi potentiæ organicæ admitti debeant, suadetur facilè. Nam experientiâ constat, quòd ad videndum v.g., prętер speciem objecti, per se requiritur ex parte principij certa dispositio & temperies organi ocularis, & ita quidem, ut ejus dispositionis perfectio de formali se habeat ad perfectionem actûs ; eò enim melius videt homo, quò perfectiùs dispositum habet organum. Hæc autem dispositio non est mera conditio ad videndum, sed instrumentaria virtus simul cùm animâ influens in visionem. Tum quia non prærequiritur titulo applicationis, cum possit objectum esse æqualiter applicatum oculis inęqualiter dispositis. Tum quia eodem jure posset species, aut habitus adquisitus, asseri pura conditio, contra communem doctrinam. Tum quia tali dispositioni (quę non est purè modalis, sed aliquam importat qualitatem absolutam) non deest proportio ad influendum; nec ex capite materialitatis, cùm visio quòque materialis sit ; nec ex inferioritate perfectionis, cùm species etiam sit actu visionis imperfectior; nec ex præsentiâ superioris causæ principaliter influentis, cùm pariter habitus & species non influant nisi præsente & influente animâ ; nec demùm ex alio inconvenienti, quod inde sequatur, cùm nullum appareat, saltem in qualitate speciali, de quâ mox.

62 Profectò, si res, quæ per se ac necessariò præsupponitur semper ad effectum A., quæ debet esse ipsi præsentissima, quæ nullo ex capite improportionem ostendit ad influendum, & cujus perfectio mensura est perfectionis effectûs : si res, inquam, hujusmodi non influit in effectum A., nulla erit regula physica generalis, quâ in rebus creatis discernatur influxus activus. Posito autem, organicam dispositionem influere in actum vitalem, debet illa vocari *potentia* ; quia hoc nomine venit in præsenti virtus activa operationum vitalium,

lium, quę ab habitu & ſpecie diſtinguitur, & permanenter ſe tenet ex parte animæ, ſeu viventis. Unde colliges, potentias organicas accidentales conſiſtere in ijs qualitatibus, quę organa corporis ultimò diſponunt, ut anima unita vitaliter operetur. Si *quæras*, an eę qualitates diſtinctę ſint ab elementaribus? Videtur affirmandum: quia, ut materiam actuet anima, quatenùs eſt forma mixti, & à fortiori quatenùs nutritiva, & ſenſitiva, ultra temperamentum primarum qualitatum, requirit qualitates alias ſpecificas; ut ſatis, opinor, efficaciter oſtendimus in Synopſi de Cœl. & Elem. cap. 4. n. 5. & 6. His autem qualitatibus (quę vocari poſſunt *ſecundæ*, quia ſupponunt primas, non ut cauſas, ſed ut conditiones) aptiſſimè tribuetur munus & nomen potentiarum, nutritivæ, viſivę, &c.

63 Si rurſùs *quæras*, an qualitates elementares, quæ inſunt organis, influant etiam in actus vitales? Videtur negandum: ſi enim influerent, pariter influere deberent in omnes mixtorum effectus, cùm omnes ex parte cauſę prę ſupponant temperamentũ primarum qualitatum. At hoc admiſſo, nimis extenditur virtus qualitatum illarum, ſiquidem ipſis tribuitur activitas vniverſalis ad omnes ſublunares effectus. Id quod videtur abſurdum, & ab earum imperfectione alienum. Quare eâdem ratione, quâ probatur improportio in materiâ primâ & in quantitate ad influendum partialiter in effectus formæ ſubſtantialis, probatur pariter in primis qualitatibus relatu ad proprios mixtorum effectus. Cùm autem D. Thomas 1. p. q. 115. ar. 1. ad 5. ait, calorem eſſe inſtrumentum animę ad generationem carnis; poteſt intelligi de inſtrumento purè diſpoſitivo, vel etiam de inſtrumento remoto, ſeu remotè juvante, quatenùs calor cibum alterat, & concoquit. Generatim verò temperamentum primarum qualitatum dici poteſt inſtrumentum adjuvans in genere diſpoſitionis ad vitaliter operandum: quia materiam diſponit, ut recipiat, ac retineat animam, & cum ipsâ qualitates alias ſpecificas.

64 Id ipſum dici poterit de ſpiritibus vitalibus, & animalibus, quos omninò neceſſarios eſſe ad opera vitę materialis, conſentiunt omnes, & experientia convincit. Verius tamen videtur, quòd hi quoque ſpiritus activè concurrunt inſtrumentaliter ad actus materiales animę: quia non apparet, quonam alio titulo requirantur. Quamquam non ideò debent comprehendi nomine *potentiæ*, quod in præſenti ſonat virtutem per ſe firmam, ac permanentem: ſpiritus enim crebrò fluunt, & paſſim diſſipantur. Cenſentur autem ſpiritus iſti (ut hoc ſemel dixerim) particulæ ſanguinis defęcatiſſimi, ſubtiles admodùm, ac mobiles: & alij quidem, in corde fabricati, deſerviunt ad opera nutritivæ partis, dicuntur que *ſpiritus vitales*: alij verò puriores, in cerebro elaborati, ſunt inſtrumenta ſenſationum, vocantur que *ſpiritus animales*.

65 Denique noſtræ de potentijs animę ſententia confirmari poteſt auctoritate SS. Patrum; qui, cùm ſæpe diſtinguant, ſæpe identificent potentias cum animâ, non aliter in concordiam rędigi poſſunt, quàm ſi dicantur incedere mediâ viâ, quâ nos incedimus; videlicèt potentias quoad rectum identificando, & quoad obliquum diſtinguendo. Sic Auguſtinus lib. 10. de Trinit. cap. 11. expreſsè docet, memoriam, intelligentiam, & voluntatem, non eſſe tres vitas, tres mentes, aut tres ſubſtantias, ſed unam vitam, unam mentem, & unam ſubſtantiam: ſimiliaque docet alibi non ſemel. Et tamen idem Auguſtinus l. 6. de Trinit. c. 6. dicit, animam humanam deficere à ſimplicitate Divina propter multitudinem virtutum, & operationum. & l. 15. c. 7. di-

dicit, mentem distingui ab animâ: & serm. 3. de temp., *aliud*, inquit, *est anima, aliud est ratio*, &c. Bernardus etiam serm. 11. in Cantic., *In animâ*, inquit, *tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem; & hæc tria eamdem esse animam.* Ipse tamen Bernardus De incer. domo cap. 7., cùm dixisset, animam intelligere, velle, & recordari, subjungit: *Non tamen tres animæ, sed una anima, & tres vires.*

66 Præterea Isidorus l. 11. Etymolog. c. 1. disertè docet, potentias ita adjunctas esse animæ, ut una res sint; & animam pro diversitate operationum diversa nomina sortiri. *Dum* (inquit) *vivificat corpus, anima est: dum scit, mens est: dum vult, animus est: dum recolit, memoria est... dum aliquid sentit, sensus est.* Ex adverso Damascenus Dialectic. cap. 51. potentias vitales collocat in prædicamento Qualitatis. Et Anselmus lib. de casu diabol. c. 8. dicit, potentias animæ, etsi non sint substantiæ, non tamen esse nihil. Sed apertissimè nostram sententiam tradit idem Anselmus lib. de Concord. c. 29. (aliàs sub titulo, seu quæst. 3. post medium), ubi sic ait: *Anima habet in se quasi tres vires, quibus utitur quasi instrumentis ad usus congruos. Ipsa enim ratione in animâ, quâ utitur quasi instrumento ad ratiocinandum; & voluntas, quâ utitur ad volendum: non enim est ratio & voluntas tota anima, sed unaquæque aliquid in animâ.* Quasi diceret: Licet ratio & voluntas identificentur cum animâ, non tamen adæquatè: quia unaquæque aliquid superadidit, quo anima utitur velut instrumento.

67 Adde, quòd frequenter SS. Patres mysterium Divinæ Trinitatis exponunt exemplo potentiarum animæ; quæ tres cùm sint, intellectus, memoria, & voluntas, una tamen, & eadem anima sunt. At in hoc exemplo nulla erit proportio, nisi potentiæ partim identificentur ratione unius animæ, partim distinguantur ratione accidentium, quæ simul important. Nam, si adæquatè identificantur cum animâ, nullatenùs sunt tres in sensu reali, sed tria nomina ejusdem potentiæ. Si verò adæquatè distinguuntur, nullatenùs sunt unum. Fateor, etiam in nostrâ sententiâ non omnimodam esse cum Trinitate Divinâ proportionem: est tamen aliqua; & in principijs Adversariorum omninò nulla. Proportio autem omnimoda in nullo exemplo reperiri potest.

## CAP. IV.

### *ARGUMENTA CONTRARIA, ET solutiones.*

68 *Objic.* 1.: virtutes & entitates non sunt absque necessitate multiplicandæ: sed nulla est necessitas adstruendi potentias ab animâ distinctas: ergo. *Prob. Min.* 1.: quia possibilis est anima sine potentijs superadditis connaturaliter operans: nullo enim ex capite repugnans apparet. 2.: quia anima satis ex se proportionata est ad actus vitales producendos, cùm totam eorum perfectionem eminenter contineat: ergo superfluæ sunt potentiæ distinctæ. 3.: quia, si anima se solâ radicat potentias à nobis adstructas, non est cur non possit etiam se solâ producere vitales actus. *Ad object. nego Min.*: & in 1. *prob.* negandâ est talis animæ possibilitas, ut negandam supponit Exim. Doctor disp. 18. Met. s. 3. n. 16., & lib. 2. de Angel. c. 1., usque suadent argumenta, quibus ostendimus esse de conceptu omnis substantiæ creatæ proprietatibus perfici sibi cognatis, eâque proprietates influere debere in reliquos effectus ejusdem substantiæ, quibuscum improportionem haud habent. Anima igitur, cui nulla proprietas, seu potentia naturaliter deberetur, contradictionem invol-

veret: simul enim esset & non esset naturâ suâ perfectibilis per aliquod accidens proprium quarto modo. Addo, quidquid sit de aliâ animâ, cui à primo instanti naturalis sit usus rationis, repugnare saltem animam ejusdem speciei cum nostrâ, quæ non radicet potentias spirituales; idque propter argumentum n. 58.

69 *Ad* 2. *prob.*: anima, licèt totam actuum perfectionem eminenter contineat continentiâ nobilitatis, seu perfectionis entitativæ, quatenùs ejus perfectio substantialis nobilior & superior est perfectione actuum; non ideò vitales actus eminenter continere debet continentiâ virtutis adæquatæ: non enim talis continentia infertur ex æqualitate, vel superioritate perfectionis; aliter Sol solem, aut homo leonem generare posset. *Dices*: saltem ejusmodi continentia infertur in re, quam aliunde constat verè influere in effectum æqualem, aut ignobiliorem. *Sed* ne id quidem. Nam, juxta sententiam valdè probabilem, & pluribus Adversarijs gratam, in brutis anima fœminæ generantis verè influit in animam fœtûs; quam tamen, licet perfectione adæquet, producere non valet sine concursu paterni seminis. Anima quòque rationalis, cùm verè influat in intellectionem, quam perfectione superat, tamen illam producere nequit sine juvamine speciei impressæ. Si dicas, in animâ non contineri formalitatem repræsentationis: rogo, cur eam non continet eminenter, sicut continet formalitatem amoris, & odij, licèt anima non sit formaliter amor, nec odium? & sicut lux continet eminenter calorem, licèt ipsa non sit formaliter calor? & sicut Causa prima continet eminenter formalitates specificas auri, Solis, leonis, &c., quamvis eas in se non habeat formaliter?

70 Accedit experientia: nam, si læsum sit organum, aut desit accursus spirituum, non elicitur visio, nec auditio, nec odoratio, &c., quàmvis adsit anima, & objectum sit applicatum: quo satis ostendi videtur, animam non esse virtutem adæquatam ad actus vitales: ubi enim adest tota virtus, & applicatio, sequitur effectus. Quapropter, licèt in Physicâ probabilius mihi visum fuerit, substantiam ita juvari ab accidentibus, ut tamen ex se adæquatè productiva sit alterius substantiæ; nunc tamen de animâ relatè ad actus vitales oppositum videtur probabilius, propter experientiam & exempla nuper allegata, necnon quia potentia dat simpliciter posse, in eo quo differt ab habitu adquisito, qui tantùm dat facilè posse. Unde colliges, quòd si anima divinitùs privaretur potentijs, nullum vitalem actum elicere posset, nisi Deus aliunde suppleret concursum potentiarum. *Replic.*: virtus animæ cum ejus perfectione identificatur: sed perfectio animæ est intellectione superior: ergo & virtus. Frigida objectio; quæ pariter probat, virtutem animæ non indigere concursu speciei. Concedo, virtutem esse superiorem in eo tantùm sensu, in quo perfectio superior est; videlicet superioritate, vi cujus utraque dicatur ens melius; non verò superioritate, vi cujus alterutra dici possit superabundans, aut sufficiens ad tribuendum esse intellectioni: non enim hæ superioritates ubique identificantur.

71 *Ad* 3. *prob.*: anima se solâ radicat potentias, quia hæ pertinent ad statum ejus connaturalem; quem statum unaquæque substantia se solâ sibi comparat. At vitales actus connaturalem statum animæ per se supponunt, nec ab eâ procedunt nisi ut convestitâ proprietatibus suis, nullo ex capite ineptis ad influendum: unde sufficiens fundamentum adest, ut censeantur à solâ animæ substantiâ procedere non posse. Sic materia prima se solâ ra-

radicat quantitatem, non autem extensionem sine quantitate. Lapis etiam se solo producit gravitatem, non verò sine gravitate motum deorsùm. Et intellectus se solo, vel cum phantasmate producit speciem spiritualem, cùm tamen sine hac specie producere nequeat intellectionem. Nec refert, quòd potentiæ dicantur, si placet, perfectiores actibus: à hac enim actus ob specialem perfectionis indolem, quę supponit tamen animę connaturalem, indigere poterunt pluribus comprincipijs; ut patet exemplo extensionis, & motûs deorsùm.

72 *Objic.* 2.: quàmvis anima proprietates habeat spirituales, non ideò sequitur, eas esse partialiter activas actuum vitalium: ergo non ideò sequitur eas esse potentias. *Prob. Antec.* 1.: quia nulla specialis formalitas actuum correspondet ijs proprietatibus. 2.: quia proprietas materiæ primæ, nempe quantitas, non est partialiter receptiva formæ substantialis: ergo nec proprietates animæ debent esse partialiter activæ operationum animæ. 3.: quia potest anima proprietatibus illis indigere, non ut virtutibus, sed ut conditionibus prævijs ad productionem actuum, quo modo intellectus indiget apprehensione ad judicandum, & præmissis ad conclusionem, ut etiam voluntas intentione finis ad electionem mediorum. *Resp. neg. antec.*, cujus falsitas cap. præced. ostensa est.

73 *Ad* 1. *prob.*: correspondentia, seu similitudo formalitatum, pluriquam generica, non est necessaria in causis æquivocis: hæ quippe solùm, debent effectum continere, vel eminenter, si perfectiores sint, vel purè virtualiter, si æquales, aut imperfectiores. Sic Deus continet creaturas, v. g. Solem, aut lapidem, cui non est finalis, nisi in ratione generalissimâ entis, aut substantiæ. Sic etiam gravitas continet motum, lux calorem, & sic de alijs. Accidit quidem interdùm, ut causę partialiter concurrentes, inter se quodammodò partiantur formalitates effectûs, v. g. cùm actus fidei producitur ab animâ quia vitalis, ab habitu infuso quia supernaturalis, & à specie impressâ quia representatio est. At nec in hoc exemplo correspondentia formalitatum est pluriquam generica; nec ejusmodi partitio semper est necessaria, cùm possit una causa continere purè virtualiter easdem formalitates effectûs, quas altera continet formaliter, aut eminenter, ut patet in habitu aliquisito, dum simul cum animâ concurrit ad actum, & in semine maris concurrente cum animâ fœminæ ad producendum in fœtu belluinam animam. Vid. dicta in simili *tract.* 2. *Physic. d.* 6, *c.* 3. *n.* 23. *& seqq.*. Quod igitur attinet ad correspondentiam, seu convenientiam in formalitatibus (suppositis alijs activitatis indicijs), hæc est, quòd proprietates animæ conveniant cum actibus in ratione accidentis spiritualis, spectantis ad perfectionem, animæ quatenùs intellectivæ, aut volitivæ; nec opus est eas asserere vitales, nisi *ut quo* per modum principij cooperantis animæ ad vivendum, ex dictis supra disp. 1. n. 37.

74 *Ad* 2. *neg. Consequ.*: quia quantitas, & quævis proprietas accidentalis, improportionata est ad receptionem formæ substantialis, cùm nequeat constituere unum per se. At in eo, quòd accidentalis proprietas proportionem habeat cum effectibus accidentalibus, cujusmodi sunt actus animæ, nulla est difficultas. Hinc retorquetur probatio: nam quantitas apta est ad recipiendum alia accidentia materiæ: ergo & animę proprietas ad producendum alia accidentia ejusdem animæ. Instatur etiam: quia probat, nullum accidens, adeoque neque speciem, aut habitum, cum animâ con-

cur-

currere posse ad actus vitales; sicut nullum accidens potest cum materiâ concurrere ad recipiendum formam substantialem.

75 *Ad 3.*: proprietatum activitas non ex eo præcisè à nobis probatur, quòd anima illis indigeat pro priori ad actus, sed ex hoc simul cum alijs indicijs cap. præced. enumeratis. In exemplis autem objectis probabiliter ad actus potest activitas, præsertim præmissarum in conclusionem, & intentionis in electionem. Sed, licèt negetur, disparitas in eo est, quòd si actui vitali conveniret activitas in alium actum ejusdem potentiæ, quilibet actus posset alium parere, v.g. visio visionem, auditio auditionem, discursus novam cognitionem, electio novum affectum, & hic novum alium, & sic in infinitum. At in activitate proprietatum animę nullam incommodam hujusmodi. Ad alia quędam exempla disparitatem dedimus in Physicâ, ubi de activitate accidentis in substantiam.

76 *Objic. 3.*: substantiæ materiales, licèt ab accidentibus juventur ad operationes transeuntes, non tamen ad immanentes: non enim ignis v. g., ut in se calorem producat, ab ullo juvatur accidente. Cùm ergo vitales actus sint immanentes, poterunt sine aliorum accidentium concursu ab animâ produci. *Confirm.*: quia, si à proprietatibus corporum arguere licet; sicut calor ab igne separatus calorem producit, pariter accidentalis voluntas poterit amorem producere, si divinitus separetur ab animâ; quod absurdum est. *Resp. neg. Antec.* indistinctè prolatum: nam motus lapidis in centrum, & extensio materiæ in loco, non producuntur à sola substantiâ, licèt sint effectus immanentes: quęvis etiam materialis substantia mediis primis qualitatibus producit in semetipsâ qualitates secundas, ut communiter dicitur. Quòd si loquaris de proprietatibus præcipuis, quæ primariò constituunt statum substantiæ connaturalem, fateor eas à solâ substantiâ produci, ne procedatur in infinitum: sed idem dico de proprietatibus animę. Vitales actus connaturalem statum animæ non constituunt, sed supponunt, quemadmodùm actiones transeuntes corporalis substantiæ: quare his potiùs, quàm proprietatibus corporeis, comparandi sunt quoad indigentiam comprincipij accidentalis. Accedit, quòd anima, ut intellectionem producat, indiget saltem concursu speciei; cùm tamen ignis nullius accidentis concursu indigeat ad productionem caloris proprij.

77 *Ad confirm. neg. sequel.*; & instò in quantitate, quæ à materiâ divinitùs separata, ut in Eucharistiâ, non causat extensionem partium materiæ; ut etiam gravitas panis, licèt ipsa se moveat, non producit in Eucharistiâ motum substantiæ proprium. Si dicas, extensionem, & motum substantiæ, utpotè modos ejus, esse inseparabiles à substantiâ: dicam pariter, actum amoris vel esse modum animæ, vel saltem titulo actûs per se immanentis, & intrinsecè vitalis, ita requirere influxum animæ, ut sine illo à nullâ virtute naturali produci queat, licèt forsàn possit à Deo supernaturaliter operante. Unde constat disparitas ad productionem caloris, quæ non est vitalis, nec per se immanens. Argumentum autem à proprietatibus corporeis rectè ducitur ad spirituales, quando nec rario, nec experientia obstat; secùs, si obstet, ut in sequelâ objectionis.

78 *Objic. 4.*: sola anima intelligit, amat, & se liberè determinat, non verò potentia accidentalis: ergo sola anima est intellectus, & voluntas. *Dist. Antec.*: sola anima, ita ut tò *sola* excludat aliud comprincipium intelligens, & amans, *conc.*; ita ut excludat aliud comprincipium coefficiens intellectionem, & amorem, *neg. Antec.*. Tum *dist. Conse-*

*sequ.*: sola anima est intellectus (idem intellige de voluntate), sumpto intellectu pro subjecto formaliter intelligente, *conc.*; sumpto pro virtute intellectionis activâ, quam ex se ac permanenter habet anima, *neg. Consequ.*; nam hæc virtus consurgit ex animâ & ex potentiâ superadditâ. Non omne principium concurrens ad actum intellectionis, aut amoris, debet per illum vivere, atque adeò nec intelligere, vel amare, aut se liberè determinare, ut manifestum est in specie, & habitu: & alioquin tot forent principia liberè determinantia, quot sunt physicè coefficientia volitionem liberam, consequenterque nullum eorum verè liberum esset. Sola igitur anima intelligit &c., propriè, sive *ut quod*: quia, cùm intelligere sit vivere in actu secundo, illi tantùm principio propriè convenit, quod est vivens in actu primo, seu vivum, & hoc principium est sola substantia, ut admonet D. Thomas 1. p. q. 18. art. 2.

79 Quare, dum nomen *intellectus*, aut *potentia intellectiva* sumitur pro principio intelligente, supponit pro solo intellectu substantiali, seu pro animâ tantùm, ut ab omni accidenti condistinctâ. Cæterùm, dum nomen illud sumitur pro virtute activâ intellectionis, quæ animæ convenit intrinsecè, & independenter ab specie, & habitu, & ab omni comprincipio indebito, tunc significat complexum ex animâ & proprietate accidentali; sic tamen, ut complexum hocce importet in recto seu principaliter animam, & in obliquo seu minùs principaliter proprietatem. Atque hoc modo sumitur potentia intellectiva simpliciter, seu intellectus absolutè dictus; qui, prout sic acceptus, verè dicitur intelligere; nam ad id sufficit, quòd intelligat secundùm rectum, maximè cùm obliquum non se habeat de materiali, seu per accidens (sicuti se habet musica, cùm dicitur, *Musicus ædificat*), sed per se conducat ad exercitium intelligendi per modum virtutis, licèt non per modum subjecti. Sic verè dicimus, *Fidelis credit Deo revelanti*, ubi tò *fidelis* denotat concretum ex homine & habitu fidei: quia, licèt hic habitus non credat *ut quod*, seu non gerat munus subjecti credentis, attamen per se confert ad credendum, per modum virtutis coefficientis actum fidei.

80 Porrò intelligere (saltem modo connaturali) non solùm significat recipere, sed etiam agere intellectionem: & quàmvis anima sub munere recipientis non importet potentiam accidentalem, benè tamen sub munere agentis; quod sat est, ut per illam potentiam constituatur anima in ratione simpliciter potentis intelligere, adeòque in ratione intellectûs absolutè dicti, qui utrumque munus importat. Ipsa verò potentia superaddita, seorsùm accepta, non rectè vocabitur *intellectus*, aut *potentia intellectiva*, nisi cum addito, *accidentalis*, aut *instrumentalis*, expresso, vel subaudito.

81 *Dices*: illa potentia nullatenùs est intellectiva, si nullatenùs intelligit; sicut nullatenùs est potentia calefactiva, quæ nullatenùs calefacit. *Ipse* in habitu fidei, qui, cùm ipse non credat, tamen est potentia creditiva, seu virtus credendi. Si reponas, habitum credere *ut quo*; mihi pariter dicere licebit, accidentalem potentiam intelligere *ut quo*; simile quippe in eâ verificativum habet locutio ista, videlicèt munus virtutis habilitantis animam, ut eliciat actum, quo intelligit; sicut habitus habilitat hominem, ut eliciat actum, quo credit. Exemplum autem objectum dispar est: quia, cùm calefacere nihil aliud sit, quàm agere calorem in subjecto aliquo, quidquid est calefactivum, seu activum caloris, idem agendo calefacit: at non quidquid est activum intellectionis, idem agendo intelligit, ut notum est in specie, & habitu.

82 *Dices* iterùm: ergo species

impressa eodem jure vocabitur potentia intellectiva, seu intellectus; & habitus, potentia volitiva, seu voluntas, saltem cum addito. *Verùm* hæc jam est altercatio de nomine. Nos tantùm intendimus, ut anima, præter species, & habitus, facultates accidentales habeat innatas, quibus juvetur ad vitales actus producendos: quod si obtinuerimus, non multum curabimus de nomine *intellectus*, aut *voluntatis*, tribuendum nè sit animæ tantùm, an etiam accidentali facultati; vel an hæc potiùs, quam speciei, aut habitui. Quia tamen, ut jam non semel diximus, communi usu non dicitur *potentia animæ*, nisi virtus illa, quam anima ex se naturaliter ac permanenter habet, independenter ab objecto (à quo provenit, vel cujus nomine ponitur species), & independenter ab actibus (per quos adquiritur habitus); idcircò neganda est *Consequentia*.

83. Ad finem observa 1., potentias superadditas, etiam spirituales, non videri perfectiores actibus; quia non continent formaliter, nec eminenter vitam intentionalem in actibus repertam: & certè potentia nutritiva accidentalis non est perfectior substantia, si effecta nutritionis. Quamvis autem aliæ potentiæ perfectiores dicantur actibus suis, adhuc vocari poterunt *instrumentales* in sensu saltem latiore, quo instrumentariæ dicuntur facultates alteri subordinatæ, ac debitæ, ut in gratiam, in utilitatem, & ad nutum ipsius operentur. Observa 2., cùm dicitur, concursum potentiæ in actum supernaturalem suppleri non posse per auxilium extrinsecum, intelligendum id esse de concursu potentiæ substantialis, animæ scilicet, quæ necessariò concurrere debet ad actum, quo physicè vivit: concursus namque potentiæ accidentalis non est cur non possit supplere divinitùs per auxilium extrinsecum. Observa 3., nostræ sententiæ hactenùs propugnatæ, quantum ad animam humanam ut rationalem, sufficere quòd in animâ detur aliqua proprietas spiritualis, quæ partialiter activa sit operationum animæ immaterialium. An autem ejusmodi proprietas debeat esse una, vel multiplex? & quotuplex? cap. sequenti resolvetur.

## CAP. V.

### *PLURES ALIÆ QUÆSTIONES circa potentias animæ deciduntur.*

84. QUÆSTIONES in hoc & sequenti capite resolvendæ proceduntin potentijs tantùm accidentalibus, quas animæ substantiæ realiter superadditas agnovimus. *Quæritur* 1., quot sint genera potentiarum? *Resp.* Aristoteles 2. de Anima 4. 27. enumerat quinque, videlicet vegetativum, sensitivum, locomotivum, appetitivum, & intellectivum. Cujus enumerationis ratio videri potest apud D. Thomam 1. p. q. 78. ar. 1. Sed adnotanda sunt sequentia 1.: hæc divisio non est immediata: potuit enim fieri quadrimembris, complectendo sensitivum & intellectivum nomine *cognoscitivi*, sicut nomine *appetitivi* comprehenditur appetitus materialis, & spiritualis: potuit etiam, & satis commodè, fieri trimembris, distribuendo potentias in classes tres, quæ respondent animæ secundùm triplicem gradum, vegetativæ, sensitivæ, & intellectivæ: quin & potuit immediatius fieri bimembris, nempe dividendo genus potentiæ in operativum vitæ purè physicæ, & operativum vitæ intentionalis; vel etiam in activum vitæ materialis, & activum vitæ spiritualis.

85. 2.: locomotivum potest accipi pro sensitivo perfectiori, cui debitus motus progressivus; atque ita non est genus potentiæ à toto sensitivo distinctum, sed tantùm ab imperfectiori, quod vim se movendi non infert.

Vi-

Vide suprà disp. 1. n. 35.. Sed in præsenti videtur denotare potentiam executivam motûs localis: quæ potentia non respicit operationem intrinsecè ac formaliter vitalem, sed præsuppositivè ac denominativè, juxta dicta de locali motu disp. 1. à n. 17. ad 22.: quibus adde nunc obiter auctoritatem Exim. Doctoris disp. 35. Met. sect. 3. n. 12., ubi, *localis motus*, inquit, *per se non est actio vitæ nisi quatenùs procedit à cognitione & appetitu.* Adde quoque suffragium Collegij S. Th. Complut. lib. 2. de Anim. q. 1. n. 9., & latiùs n. 197., & sæpe alias. Benè tamen potentia loco motiva numeratur inter potentias animæ: quia verè convenit animæ ut tali, sicut potentia coquendi cibum in stomacho, & formandi chylum, cujus operatio certè non est vitalis intrinsecè ac ratione sui.

86 3.: dicta divisio non est ultima; cùm singula membra subdividantur in alia: nam potentia vegetativa subdividitur in nutritivam, augmentativam, & generativam: sensitiva in sensum internum, & externum, & utrumque in ulteriora membra: locomotiva, & appetitiva, in spiritualem, & materialem: intellectiva quòque in memoriam, & intellectum, &c.. 4.: nec divisio illa importat ex terminis membrorum inter se distinctionem plusquàm formalem; sicuti non aliam ex terminis importat divisio animæ in vegetativam, sensitivam, & rationalem. An autem admittenda sit, & unde sumenda realis distinctio potentiarum inter se, resolvetur cap. sequ..

87 *Quær.* 2., quænam sint causæ potentiarum? *Resp.*. Causam formalem non habent potentiæ, cùm ipsæ sint formæ. De causis activâ, finali, & materiali, seu receptivâ, sic ait D. Thomas 1. p. q. 77. art. 6. ad 2.: *Essentia animæ est causa omnium potentiarum sicut finis, & sicut principium activum, quarumdam autem sicut susceptivum.* Verisimè quidem. Nam inprimis accidentia sunt propter subjectum ut finem, seu propter substantiam, cujus sunt propria; ut ibidem docet D. Thomas in *corp.*, & notum est: quod tamen non prohibet, potentias etiam esse propter actus, ut posteà dicemus. Deinde, quòd potentiæ activè profluant ab animâ, docet ex professo D. Thomas cit. *art.* 6., probatque latè & nervosè P. Suar. lib. 2. de An. c. 3., ostendens, emanationem potentiarum esse veram animæ actionem ab ipsius productione distinctam, & explicans quo sensu proprietates dicantur esse à generante. Vide quæ de proprietatibus generatim diximus in Physicâ tr. 2. d. 6. c. 4.. An autem aliquæ potentiæ materiales in primo instanti producantur immediatè à generante, licèt deinde conserventur ab animâ, dicetur mox. Postremò, quòd anima sit subjectum, seu causa passiva quarumdam potentiarum, extra dubium est: nam potentiæ spirituales in subjecto corporeo recipi non possunt.

88 Dubium tamen superest, in quo subjecto recipiantur potentiæ materiales. D. Thomas cit. q. 77. ar. 5. dicit, eas recipi in toto conjuncto ex animâ & corpore. P. Suar. cit. cap. 3. n. 3. tenet, eas immediatè recipi in solâ materiâ mediâ quantitate (quemadmodùm de alijs accidentibus diximus disp. 2. de Gener. cap. 5. & 6.), dici tamen posse, quòd in toto conjuncto recipiuntur, quatenùs totum præsupponunt, nec nisi in materiâ jam animatâ subjectantur. Mihi, quòd non immediatè inhæreant animæ, etiam ut subjecto partiali, videtur probabilius: tum paritate aliorum accidentium materialium: tum quia spititualem animam immediatè affici ab accidenti corporeo, non est asserendum sine urgenti necessitate; qualis in præsenti non adest. Quòd enim ab his potentijs magis propriè, quàm à spiritualibus, totum

tum conjunctum reddatur potens operari, solùm probat, eas esse proprietates, non tam animæ, quàm totius compositi, ipsumque magis propriè denominare; quia per se requirunt unionem animæ cum corpore, sine quâ nec ab animâ radicari, nec in materiâ conservari possunt. Et fortassè non aliud intendit D. Thomas, dum hoc argumento utitur.

89 *Quær.* 3., utrùm sit ordo inter potentias ejusdem animæ, præsertim rationalis? *Resp.*. Certum est, inter potentias diversorum graduum, in eâdem animâ concurrentium, subordinationem aliquam inveniri. Nam vegetativæ subserviunt sensitivis, quarum organa perficiunt, & conservant: sensitivæ autem rationalibus, quibus ministrant species objectorum. Ipsæ quòque famulantes potentiæ à superioribus diriguntur invicem, & proreguntur. Dubium tamen est de ordine durationis, perfectionis, & causalitatis activæ. Dico 1.: anima rationalis in primo instanti, quo creatur, & animat, potentias omnes spirituales in se radicat, & in corpore vegetativas habet; ac proinde inter has potentias nullus est ordo durationis. De spiritualibus certa res est, cùm illæ sint proprietates animæ secundùm se, neque ulla sit ratio cur una priùs tempore, quàm alia, radicetur. De vegetativis ex eo patet, quòd anima non informat corpus nisi dispositum ad vivendum, saltem per actum vegetandi. Potentiæ tamen illæ, ut opinor, non efficiuntur ab animâ in primo instanti, sed supponuntur pro signo priori productæ à generante; quia gerunt munus ultimæ dispositionis ad animam, ut jam tetigi suprà cap. 3.. Idem puto de potentiâ tactivâ, seu de sensu tactûs, qui pariter necessarius videtur ex parte corporis in primo instanti animationis. Post primum verò instans potentiæ illæ radicantur ab animâ per modum conservantis; ut alibi diximus de proprietatibus ignis, quæ sunt ultima dispositio ad formam.

90 Cæterùm aliæ potentiæ sensitivæ non radicantur in primo animationis instanti, ac proinde subsequuntur prædictas ordine durationis. Ratio est: quia non radicantur donec organum cujusque dispositum sit figurâ & temperamento debito ad operandum, cùm vel in hac organicâ dispositione consistant, vel eam præsupponant. At, quòd organa visûs, auditûs, &c., licèt jam aliquatenùs delineata in minimo naturali, nondùm debitam figuram & temperiem habeant in primâ animatione, certum videtur. Nec obstat quòd eæ potentiæ dicantur proprietates compositi sensitivi. Non enim tales sunt in sensu strictissimo, quasi spectantes ad statum ejus connaturalem pro omni tempore: sed in sensu latiore, quatenùs composito debitæ sunt post tempus aliquod, ac deinde ipsum perpetuò comitantur per se loquendo. Si forte hinc inferas, earum productionem esse vitalem, nihil incommodi.

91 Dico 2.: datur etiam perfectionis ordo inter potentias, ita ut rationales perfectiores sint sensitivis, & hæ vegetativis. Sic sentiunt omnes, aut supponunt, ut lumine naturæ notum. *Objic.*: potentia vegetativa producit terminum substantialem; sensitiva verò, & intellectiva, non nisi accidentalem: ergo illa conferi debet perfectior. *Resp.*. Siquid valet objectio, probabit pariter, Angelum esse imperfectiorem igne, vel arbore, & humanam animam ut rationalem, ignobiliorem esse animâ bruti, & ut sensitivam, animâ plantæ. Quare neganda est *Consequ.*: quia perfectio potentiæ non tam est pensanda ex entitativâ perfectione, quàm ex modo vitalitatis in actu refulgentis; quæ, si magis imitetur vitam Dei essentialem, requirit potentiam nobiliorem. Major autem est imitatio vitæ Divinæ in actu intu-

tionis

tiendi, quàm vegetandi, titulo vitæ intentionalis, & multò major in actu intelligendi. Sic majore virtute opus est ad creationem accidentis, quàm ad eductionem substantiæ; quia modus agendi est nobilior.

92 Dico 3.: verius videtur, non esse inter potentias ordinem causalitatis activæ propriè talis. Ratio esse potest: quia naturalis activitas cujusque potentiæ circumscribitur, juxta communem philosophiam, ad certam rationem formalem *sub quâ*, seu ad certam lineam actuum vitalium: extra quam lineam omninò esset actio, quâ una potentia produceret aliam, v. g. intellectiva volitivam. Præterea, si potentiæ superiores influerent in inferiores, videlicet intellectivæ in sensitivas, & istæ in vegetativas, ut velle videtur D. Thomas cit. q. 77. ar. 7. sequeretur quòd anima hominis aliter & minùs influeret in suas potentias sensitivas, quàm anima belluina in suas; ut etiam belluina minùs & aliter, quàm anima plantæ, in vegetativas; siquidem anima inferior non indigeret alterius potentiæ juvamine, sicut superior. Hoc autem appareret absurdum. Admittendum tamen, quòd una potentia refluat pro priori ad aliam, sicque prævia conditio ut altera emanet ab animæ substantia; quemadmodum de subsistentiâ relatè ad alios effectus dici solet: quæ prioritas reducitur ad genus causæ activæ, sicut prioritas dispositionis ex parte subjecti reducitur ad genus causæ materialis. Hoc sensu explicari potest D. Thomas: & similiter intelligendum, quod passim dicitur, ex proprietatibus ejusdem essentiæ unam mediante aliâ radicari. Sic autem potentia intellectiva prior est volitivâ, & utraque in homine reliquis potentijs; quas inter vegetativæ præcedunt sensitivas, ut ex dictis colligitur.

93 *Quær.* 4., sint ne potentiæ capaces intensionis, & remissionis? De potentijs spiritualibus communiter negatur: quia nec habent contrarium, nec nisi ab animâ semper eâdem & præsentissimâ profluunt & conservantur, nec indicium præbent variationis hujusmodi. De materialibus affirmandum videtur: quia passim experimur debilitari potentias hasce, v. g. vitivam, & nutritivam. Habent etiam contrarium saltem mediatè, ratione scilicet temperamenti, quod pro dispositione postulant ex parte subjecti: quâ ratione possunt destrui, permanente animâ. *Quær.* 5., an potentiæ sint ab animâ separabiles? *Resp.* 1.: possunt omnes divinitùs separari, seu existere separatæ ab animâ: quia nulla in hoc repugnantia, ut suprà cap. 1. vidimus. Non tamen possent sine animâ producere actum vitalem, cùm ex se non habeant virtutem adæquatam. *Resp.* 2.: potentiæ spirituales non possunt naturaliter ab animâ separari, nec eâ permanente deficere: quia sunt animæ proprietates, à contrario immunes, quibus nec radix, nec subjectum deesse potest. Materiales etiam nequeunt naturaliter existere sine animâ, tum ex defectu radicis, tum ex defectu finis, videlicet operationis: possunt tamen omnes deficere, manente animâ rationali, ut accidit in morte hominis; quia sunt proprietates compositi, & quia radix abscedit. Manente vero animâ materiali, & rationali unitâ corpori, possunt deficere sine miraculo, non sine violentiâ, plures earum, præsertim quæ ad sensus pertinent externos, ut experientia monstrat: non tamen omnes; quia, nisi duret nutritiva saltem in gradu remisso, sequetur mors.

*De potentiâ receptivâ operationum vitalium, præsertim sensationum.*

94 *Quær.* 6., utrùm accidentales potentiæ recipiant actus vitales? Negativè *respondeo* ex dictis n. 78.: quia

tales potentiæ non propriè vivunt in actu secundo: viverent autem, si non solùm agerent, sed etiam reciperent actus vitales. Quare, quantum ad modum concurrendi, perinde se habent, ac habitus, & species impressæ; licèt peculiari titulo vocentur potentiæ, intellectiva, volitiva, &c.. Relege dicta n. 80. & seqq. Nihil tamen prohibet, potentias accidentales receptivas esse specierum, & habituum. Porrò potentia recipiens actus vitales est sola substantia: & spirituales quidem in homine sola anima recipit, minimè verò corpus, ut omnes consentiunt: de materialibus, nominatim de sensationibus humanis, contentio est inter Authores, in quâ substantiâ recipiantur. Nam alij volunt in solâ materiâ recipi: alij (si qui sunt), in solâ animâ: plerique Nostrum, in toto conjuncto, sive in animâ simul & materiâ; quod etiam tenent communiter Thomistæ, quos citat & sequitur Collegium S. Th. l. 2. de Anim. q. 3. ar. 4. loquendo de potentijs materialibus, atque etiam de sensationibus in sententiâ negante potentias ab animâ distinctas. Tertia hæc opinio, quam veram puto, vix indiget probatione, quâ parte dicit, sensationem in materiâ recipi, & sustentari: cùm enim sensatio sit materialis, naturâ suâ debet intrinsecè adhærere materiæ, ex dictis disp. 2. n. 12. & seqq.: non est autem cur sic adhæreat, nisi titulo eductionis ex materiâ ut subjecto præsupposito.

95 Difficiliùs probatur, sensationem etiam in animâ recipi. Aliqui ex eo probant, quòd anima veré sentit, adeòque vivit per sensationem: vivere autem est operari immanenter, idest, agere simul & recipere operationem. Sed reponunt Contrarij, non animam, sed compositum, seu totum hominem, propriè sentire; quod expressè docuit Aristoteles lib. 2. de somn. & vigil. c. 1.. Hoc ægré impugnabitur, cùm pertineat ad modum loquendi: quamquàm durè negabitur, animam in corpore & per corpus verè imaginari, videre, &c.; & contra D. Augustinum, qui l. 12. de Genes. ad litt. c. 19. & 20. dicit, animam sentire per corpus. Probant alij: quia, ut sensatio sit vitalis homini, non sufficit quòd ab unâ suppositi parte oriatur, ab aliâ recipiatur: idcircò enim non est formaliter vitalis Christo Domino productio gratiæ habitualis à Verbo in humanitate, quàmvis & Verbum & humanitas pertineant ad constitutionem Christi. Hæc tamen probatio rejicienda est nobis, ut qui suprà disp. 1. n. 13. contrarium diximus cum P. Suar., dummodò actio sit suppositò immanens secundùm speciem; & ibidem n. 39. inde intulimus, formationem sanguinis & seminis esse vitalem supposito. Immò nutritio, seu actio nutritiva, cùm fine dubio sit vitalis, fortè non alio sensu est immanens supposito viventi. Productio autem gratiæ (supponitur actio à Deo distincta), licèt sit immanens Christo, ideò non est formaliter vitalis, quia talem immanentiam non habet per se, nec ex suâ specie, cùm non supponat per se unionem hypostaticam.

69 Melius ergo probatur receptio sensationis in animâ: quia imaginatio, seu sensatio interna, debet in animâ recipi: ergo & omnis alia sensatio, cùm argumenta contraria vel in nullâ, vel in omni militent. *Prob. Antec.*: quia interna sensatio animam illuminat & applicat ad eliciendum materialem actum appetitûs, ipsi scilicet repræsentando bonitatem objecti, atque ita intentionaliter movendo, & alliciendo: sed hæc munera nequit præstare sensatio, nisi in genere causæ formalis, immediatè afficiendo animam ipsam; ut constat ex dictis cap. 1. circa intellectionem, quæ similiter illuminat, & allicit ad actum voluntatis: ergo sensatio interna debet animam informare, seu in eâ recipi. *Dices*: sicut appetitus ma-

materiali non appetit anima, sed homo, ita non anima, sed homo illuminari debet ad appetitum. Sed *contrà*: quidquid sit, an anima denominetur appetens, non est dubium quin ipsa, non materia, eliciat actum appetendi: ergo ipsa debet excitari, moveri, & illuminari ad eliciendum: frustrà quippe erit excitatio, & motio intentionalis ad appetendum, si non immutat illud principium, ad quod spectat elicere actum appetitûs: erit musica, vel clamor ad surdum.

97 *Dices* iterùm cum P. Oviedo, hinc solùm probari, quòd sensatio uniatur animæ tamquàm subjecto informationis, non verò quòd educatur ex animâ passivè causante, ipsique ut subjecto sustentationis inhæreat. *Fateor*, non aliud ex terminis convinci probatione dată. Fateor etiam, non repugnare generatim, quòd accidens, ab uno subjecto passivè causatum simul alij subjecto puræ informationis uniatur: nam simile quid admisimus disp. 2. de Gener. n. 73. Cæterùm in præsenti, admissâ unione sensationis ad animam ut ad subjectum informabile, non est cur negetur ejusdem passio, & inhæsio, vel sustentatio in eâdem anima. Nam passio supra unionem solum addit dependentiam formæ in fieri & conservari à subjecto præsupposito: sensatio autem ex vi propriæ eductionis nec fieri, nec conservari potest (& quidem essentialiter juxta Oviedo), quin habeat animam pro subjecto præsupposito, ideſt, per aliam actionem producto. Certe, si anima rationalis hoc modo penderet à materiâ, hanc nemo negaret esse illius subjectum, non purè informabile, sed sustentativum. *Urgetur*: sensatio producitur per actionem essentialiter affixam animæ ut subjecto præsuppositо: ergo educitur ex animâ. *Consequentia* patet ex conceptu eductionis alibi exolicato. *Prob. contra.*: quia sensatio, (sicut & intellectio) in sententia P. Oviedo essentialiter est productio sui ab animâ; & simul, juxta eumdem Authorem, per se ipsam essentialiter unitur animæ præsuppositæ, utique tamquam forma subjecto.

98 *Objic.* 1.: materia non denominatur sentiens: ergo non recipit sensionem. *Instò*: materia non denominatur generans: ergo non recipit generationem. Negabis *Consequ.*; quia, ut materia generationem recipiat, sat est quòd ab eâ participet aliquam denominationem, seu effectum formalem (videlicet denominationem *patientis*, seu *passivè juvantis ad generandum*), licèt non participet omnem ab illâ præstabilem, nominatim denominationem *generantis*, quæ respectum importat ad principium activum. Eodem jure *nego Consequ.* objectionis: quia sensio est forma respectiva, plures continens denominationes, non uni subjecto tribuendas; & sat est quòd materiæ, in quâ recipitur, tribuat aliquam. Continet scilicet denominationem *cogniti*, vel *sensu percepti*, tribuendam soli objecto; denominationem *sentientis* (quæ respectum imbibit ad principium activum simul & passivum), tribuendam animæ, vel composito; & denominationem *sensificatæ*, vel *passivè juvantis ad sentiendum*, tribuendam soli materiæ. Si quæras, quid significet materia *sensificata*? Idem significat, ac *accidentaliter vivificata* in ordine sensitivo, quâ ratione per animam bruti redditur materia *substantialiter vivificata* in eodem ordine.

99 *Objic.* 2.: sensatio est materialis: ergo recipi nequit in animâ spirituali. *Prob. Consequ.* 1. ex vulgatâ paræmiâ, *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*. 2. quia, cùm actus materialis sit divisibilis, & extensus, animam redderet divisibilem, & extensam. 3.: quia actus spiritualis recipi nequit in materiâ, etiam ut in subjecto partiali: ergo nec è converso &c. 4. paritate cæterorum accidentium mate-

rialium, quæ in solâ materiâ recipiuntur mediâ quantitate, ne potentijs quidem exceptis. *Et urgetur*: quia si anima redditur potens videre per potentiam visivam in solâ materiâ receptam, cur non reddatur videns per visionem receptam in materiâ tantùm? 5.: quia poterit alioquin sensio in animâ separatâ recipi: unde anima sentire poterit sine corpore. 6. ex Oviedo: quia, si anima est subjectum sensationis partiale, non est cur nequeat esse subjectum adæquatum; non quidem ex imbecillitate, seu ex defectu perfectionis, ut patet; non item ex improportione, vel indecentiâ, quia hæc jam victa supponitur in munere subjecti partialis.

100 Ad *object. neg. Consequ.*, si sermo sit de animâ ut subjecto partiali: quæ tamen locutio (ut hoc tyrones moneam) non denotat, partem sensionis in materiâ, & partem aliam in animâ recipi, sed totam sensionem recipi in singulis ut in subjectis, quorum neutrum ie solo sufficit ad eam sustentandam, seu passivè causandam, ideòque totam in animâ recipi totalitate effectûs, non totalitate causæ passivæ; quo etiam modo tota sensio efficitur à potentiâ, & tota simul à specie objecti, ut à causis partialibus. *Ad 1. prob.*: paræmia illa, crudè sumpta, probat, non posse accidens in substantiâ recipi, nec formam supernaturalem in subjecto naturali, nec actum vitalem in subjecto non vitali, ac proinde nec sensationem in materiâ. Intelligenda igitur de receptione connaturali, quæ debet importare denominationem, seu perfectionem aliquam, congruentem genio subjecti; ita scilicet, ut nullum subjectum sit connaturaliter receptivum formæ, à quâ non possit aliquomodò perfici ac denominari juxta naturam suam. Sic autem sensatio, tametsi materialis, recipitur ad modum animæ spiritualis; quia, cùm hæc naturâ suâ sit sensitiva, denominatur ac perficitur in esse talis per illum actum.

101 *Ad 2.* nego sequelam: quia non debet forma præstare subjecto denominationes omnes, quas continet sibi; alioquin gratia redderet animam accidentalem, supernaturalem, intensam, & divisibilem, seu gradualiter compositam. Solùm ergo præstare debet eas, quarum forma ipsa est ratio formalis; quo modo gratia est ratio formalis sanctificandi, lux illuminandi, anima vivificandi, extensio extendendi: & eas quidem (si forma plures continet) non omnes, sed aliquam tantùm, indoli subjecti congruentem; ut cernitur in sensione ipsâ respectu materiæ. At sensio non est ratio formalis extendendi, nec habendi partes integrales, cùm non sit extensio, nec divisibilitas in abstracto: & quàmvis esset, non ideò tales denominationes incongruas animæ præstaret, sed congruentem aliam, nempe *sentientis*. Porrò, ut sensio probetur absolutè divisibilis, & extensa, sufficit quòd per se inhæreat materiæ ut subjecto partiali, sicut ex eodem capite probatur absolutè materialis, ut mox dicam. Illæ tamen sensionis partes, quæ materiæ coextenduntur, receptæ in animâ indivisibili non faciunt intensionem: tùm quia non sunt heterogeneæ: tum quia non recipiuntur in animâ, nisi ut unitâ materiæ extensæ, arqueadeò prout existente in loco divisibili, seu in multis locis partialibus: unde provenit, quòd partes illæ, prout receptæ in animâ, non penetrentur inter se; quia non uniuntur animæ in eodem loco; sicut inter se non penetrantur caput & pedes, licèt uniantur eidem animæ indivisibili.

102 *Ad 3. neg. Consequ.*: quia actus accidentalis, in materia ut subjecto partiali receptus, verè ab illâ pendet: unde nequit esse spiritualis; quia spiritualitas explicatur negativè per independentiam à materiâ, proindeque dependentiam excludit omni ex capite.

Con-

Contrà verò materialitas explicatur positivè per dependentiam à materiâ, quæ dependentia verificatur, si actus verè in materiâ recipitur ut in subjecto partiali, licèt simul in spiritu recipiatur; jam enim non in solidum spectat ad spiritum. Vide suprà disp. 2. n. 13.. Sic, licet substantia spiritualis, & incorruptibilis, constitui nequeat ex parte corporeâ, & corruptibili; substantia tamen corruptibilis, & corporea, qualis est homo, constitui potest ex parte incorruptibili, & spirituali.

103 *Ad* 4. neganda est paritas: quia probationes adductæ non militant in cæteris accidentibus, nec in potentijs organicis, cùm per eas anima non vivat propriè ac formaliter, nec intentionaliter excitetur, aut illuminetur ad operandum. Ut autem per eas anima reddatur potens, tanquam per virtutes complentes & expedientes ejus potentiam substantialem, non requiritur receptio, nec unio immediata. Nam omnis causa secunda redditur potens per Omnipotentiam decreto Dei applicatam: unus equus per adjunctum alterum fit potens ad trahendum currum, & unus homo per alterum ad elevandum pondus, cui solus est impar: materia redditur proximè potens recipere formam ignis per calorem mediâ quantitate unitum: &, cùm partes ignis integrales per modum unius agunt, unaquæque redditur potens agere, non solùm per immediatam, sed per alias mediatè unitas. Sufficit ergo, quòd potentiæ illæ sint localiter præsentes animæ, ipsique unitæ mediâ materiâ. At, ut anima intentionaliter excitetur, & à bonitate objecti præcognitâ moveatur ad appetendum, necessaria est immediata unio sensationis: nemo enim allicitur à bonitate, quam immediatè non percipit. *Dices*: ergo etiam potentia accidentalis debet recipere sensationem, ut moveatur ad eliciendum actum appetitus. *Neg. Consequ.*, vel *suppositum*, nempe quòd talis potentia debeat intentionaliter moveri: sufficit enim, quòd alliciatur & invitetur potentia substantialis, cui cæteræ virtutes famulantur, & ex se determinatæ sunt, ut eâ operante cooperentur. Sic ad eliciendum amorem non invitatur habitus, sed voluntas.

104 *Ad* 5.: non potest id contingere naturaliter; quia sensio naturâ suâ postulat inhærere materiæ, & unionem ejus cum animâ præsupponit: nec item divinitus, si sensio secum identificet eductionem & passionem sui; sic enim erit essentialiter inseparabilis à corpore animato. Si tamen sensio consistat in qualitate absolutâ, & in præstando formalem effectum *sentientis* non constituatur per eductionem ex subjecto connaturali, concedit sequelam P. Quiròs hîc disp. 8. c. 3., plures allegans. *Ad 6.*: Vera ratio, cur anima nequit esse subjectum sensionis adæquatum, est imperfectio, non animæ, sed sensionis; quæ, cùm sit materialis, necessariò petit à subjecto materiali pendere: quod quidem obtinet, si anima sit subjectum ejus partiale, non si totale. Si quæras, unde constet, sensionem esse materialem, si potest in animâ spirituali recipi? *Resp.*, hoc aliunde supponendum, ex eo videlicet, quòd experiamur, actus imaginandi, videndi, audiendi, &c., necessariò pendere à dispositione organi corporei, simulque nunquam attingere objectum nisi corporeum, atque ejusdem generis esse cum actibus belluinis.

105 Denique nota 1., ex eo, quòd materia sit subjectum adæquatum animæ humanæ (pure informabile, non sustentativum), non bene colligi, quòd etiam sensationis: anima quippe est actus solius materiæ; sensatio verò est actus informativus etiam animæ, quam debet immediatè afficere, ut ostendi-

mus. 2., animam non proprié vivere per actionem nutriendi, quâ ultimò convertit alimentum in substantiam alitis; quia hæc actio in solâ materiâ recipi videtur. Solum ergo compositum aut suppositum est, quod tali actione propriè vivit, ac se nutrit. Et certè in homine rationalis anima non se nutrit; licet propriè dicatur anima nutritiva, quia est in homine primum principium intrinsecum nutritionis activum, seu quia est actus primus corporis organici potentis se nutrire. 3., sensationes brutorum recipi quoque, non solùm in anima (in qua militat eadem ratio n. 96.), sed etiam in materiâ; quàmvis alij contrarium supponant. Ratio est: quia sola rationalis anima, utpotè forma subsistens independenter à corpore, operationes habet sibi proprias, nempe spirituales, quę à materiâ passivè non pendent: de cęteris formis regula generalis est, quòd ad motus compositi proprios societatem habeat cum materiâ in munere naturæ (prout natura definitur *principium motus & quietis* &c.), ita ut ad motum concurrat forma ut principium activum, materia ut passivum. Nec videtur dubium, quin sensatio bruti non minùs sit propria totius conjuncti, & non minùs propriè causetur à toto conjuncto, quam humana sensatio.

## CAP. VI.

### *DE DISTINCTIONE, ET SPECIFICATIONE potentiarum.*

106 COMMUNIS doctrinâ est, potentias distingui & specificari per actus & objecta, per actus immediatè, per objecta mediatè, quatenus per ea immediatè specificantur actus: sic, inquam, specificari, non tamquam per aliquid intrinsecum (nam distinctivum & specificativum intrinsecum cujusque potentię est ejusdem entitas & specifica differentia, quæ certè non consistit in actibus & objectis); sed tamquam per terminos extrinsecos, vel distinctos, quibuscum potentię coaptationem, seu proportionem intrinsecam habere debent, pro eorum diversitate diversam; quemadmodùm artis instrumenta diversificantur inter se per usus & opera, ad quę destinantur: hinc enim formaliter differt malleus à serrâ, penicillus à forcipe, &c.; immò sæpe etiam per materiam, circa quam; diversa quippe instrumenta requiruntur ad statuam formandam ex ęre, & ex ligno. Hoc sensu verissimè dicitur, quòd potentię sumunt speciem ab actibus & objectis, ideò, quòd earum essentialis perfectio talis esse debet, qualis requiritur ad producendum illos actus, & attingendum objecta illa, quę unicuique prę alterâ correspondent; ac proinde quòd diversa esse debet in ijs potentijs, quæ diversos actus, diversaque objecta respiciunt: pro eodem quippe accipitur *specificari*, ac *diversificari*, etiam genericè. Quâ de causâ, necnon quia nobis notior est diversitas objectorum & actuum, ex illorum indole diversâ taxamus indolem potentiarum. Exemplum obvium est in potentijs visivâ & auditivâ, inter se collatis. Cæterùm hæc veritas, sub his terminis clara, dum magis evolvitur, non parùm confundi, & obscurari solet à multis.

107 *Dico* 1.: realis distinctio potentiarum (quæ scilicet potentias facit esse realiter plures, præcindendo à diversitate specificâ, vel purè numericâ) non satis desumitur, nec probatur ex diversitate actuum, nec objectorum, si non aliud accedat adminiculum. Sic tenet expresè P. Suar. l. 1. de Anim. c. 2. n. 19.: nec alia videtur esse mens Aristotelis, & D. Thomæ, qui, dum alias, potentias distingui per actus & objecta, loquuntur de distinctione formaliter

mali, seu specificâ, suppponentes aliunde notam distinctionem realem, quę materialis, & numerica, vel entitativa, vocari solet: quemadmodùm qui tenent partes animæ bruti reddi heterogeneas, seu specie dissimiles, ex diversitate accidentium & operationum, supponunt aliunde probatum, animam bruti non esse indivisibilem, sed constare partibus realiter distinctis; quod quidem, nisi aliunde notum esset, frustrà probaretur ex diversitate organorum & actuum, ut patet in animâ rationali. Et hinc ratio redditur assertionis nostrę (cui dissentire videntur plures Thomistæ, saltem in modo loquendi): nam, sicut rationalis anima, realiter una, sufficit in homine ad totam varietatem actuum vitalium, & objectorum, cur non etiam sufficiet, quantum est ex capite varietatis istius, accidentalis potentia realiter una? vel saltem duplex (ut ita quælibet sit minùs universalis in operando, quàm anima), altera ad actus omnes spirituales, altera ad materiales omnes?

108 *Dices*, disparitatem esse; quia potentia specificatur ab actibus & objectis, non verò anima. Sed quæro rursùm, cur non poterit potentia realiter una specificari à totâ collectione actuum spiritualium, & objectorum ipsis respondentium? vel, quod in idem recidit, ab aliquâ ratione communi omnibus ijs actibus, aut objectis? Sanè potentię non specificantur ab actibus utcumque diversis: nam ab eâdem potentiâ diversi admodùm oriuntur actus; v. g. ab eodem intellecta scientia, opinio, & error; & ab eâdem voluntate amor, & odium; & sub quolibet ex his generibus innumeræ species actuum. Idem accidit in objectis: nam unus intellectus respicit objecta omnium Scientiarum, utique diversissima, respicit substantiam & accidens, ens corporeum & incorporeum, & omne genus entium: nec minor est unius voluntatis extensio. Solùm ergo specificatur potentia quæque ab eâ ratione communi, in quâ conveniunt omnes & soli actus, à tali potentiâ producibiles; vel ab eâ ratione formali, in quâ conveniunt omnia objecta, quæ ipsa respicit per totam collectionem actuum. Hâc de causâ dicitur intellectus specificari ex parte actuum à communi ratione *intellectionis*, aut *cognitionis spiritualis*, & ex parte objectorum à ratione *veri*, seu *entis*.

109 At, ut sciatur quænam sit ista ratio communis, necesse est aliunde prænoscere, ad quos actus potentia realiter limitetur, aut extendatur, & ad quę objecta. Nam qui dicere voluerit, intellectum à voluntate non distingui realiter, nec limitari ad intellectiones, sed extendi quòque ad volitiones, consequenter negabit, intellectum specificari à ratione *intellectionis*, cùm ratio ista non sit communis omnibus actibus talis potentię; & assignabit universaliorem aliam, nempe rationem *vitalitatis spiritualis in actu secundo*, vel *tendentiæ intentionalis incorporeæ*, & in objecto rationem *entis*, prout objicibilis actibus immaterialibus; quę ratio complectitur *verum* & *bonum*, & satis diversificat potentiam spiritualem à sensitivis. Quomodò sic dicentem impugnabis ex capite specificationis? Præterea, si dixero, intellectus esse realiter plures, specificarique singulos, non à vero ut sic, sed alium à vero ut opinabili, alium à vero ut scibili; vel alium à vero mathematico, alium à vero physico, &c., similiterque ab actibus ad hęc objecta limitatis; sicuti dantur sensus plures, qui non specificantur à sensibili ut sic, sed alius à sensibili colorato, alius à sensibili sonoro, &c.; vel sicuti plures sunt habitus Scientiarum, nempe Physicæ, Mathematicæ, &c. (sit unusquisque simplex qualitas), quorum singuli specificantur à limitato genere intellectionis,

& veri: hoc inquam, si dixero, quid mihi ex capite specificationis oppones?

110 Si dicas; rationem veri mathematici esse materialem respectu intellectûs, & formalem respectu habitûs; principium petis: nam ideò ratio ista dicitur materialis uni, & non alteri, quia unus præ altero extenditur insuper ad actus & objecta diversæ rationis; negatâ quippe hâc extensione, tam intellectui, quam habitui, proculdubiò formalis erit illa ratio. Supponis ergo, quod probandum erat, & quod specificativo tuo nunquam probabis, videlicet quòd nullus est intellectus limitatus ad verum mathematicum, distinctusque realiter ab intellectu respiciente omne verum. Si rursùm dicas, aliquam potentiam specificari debere à ratione intellectionis ut sic: insisto rursùm: cur magis ab istâ ratione, quàm à ratione vitæ intentionalis ut sic? vel vitæ spiritualis ut sic, quæ complectitur intellectionem & volitionem? Item, cur non dabitur, ultra intellectum universalem, specificatum ab intellectione ut sic, & ab intelligibili ut sic, multiplex intellectus particularis pro intelligibili mathematico, pro physico, &c.; quemadmodùm, ultra sensum communem, specificatum à sensibili ut sic, datur sensus quintuplex particularis pro sensibili sapido, pro sonoro, &c.? Cur magis sapidum & sonorum specificabunt potentias distinctas, quàm objectum physicum & logicum, vel scibile & opinabile, vel substantia & accidens?

111 His adde 1., quòd *verum* & *bonum*, licèt non realiter, sed tantùm formaliter, seu pro explicito distinguantur, nihilominùs causant in genere finis, aut principij specificantis, totam diversitatem inter actus intelligendi & volendi repertam: cur ergo non illa in genere efficientis causare poterit potentia realiter una, & solùm formaliter, aut pro explicito multiplex? Adde 2., quòd potentia primò physica specificatur etiam à suis actionibus, & ab earum terminis, quæ ipsi sunt quasi objecta: & tamen eadem lux est potentia illuminandi & calefaciendi, quæ videntur munera non minùs diversa, quàm intelligere & velle. Adde 3., quòd etiam potentia passiva specificatur à passionibus, & formis, quas recipit: & tamen eadem materia, vel quantitas, potentia passiva est ad omne genus qualitatum corporearum, quas inter, v. g. inter lucem & saporem, non minor apparet diversitas, quàm inter volitionem & intellectionem.

112 *Dico* 2.: distinctio realis potentiarum inter se, probanda est ex alijs capitibus. Et in primis ex separabilitate quoad locum: hinc enim satis constat, visum, auditum, gustum, & odoratum realiter distingui, tum inter se, tum à phantasiâ, vel sensu interno. Deinde ex separabilitate in existendo, saltem non mutuâ. Hinc potentiæ nunc enumeratæ realiter distinguuntur, non solùm invicèm, sed etiam à tactu, & à potentiâ nutritivâ; quia perire possunt manente tactu, & nutritione aliquâ, etiam in organis ipsarum, v. g. in auribus, aut naribus. Similiter probari potest distinctio intellectûs & voluntatis à potentijs organicis; quia istæ nequeunt existere sine corpore, secùs illæ. Postremò inter potentias, quæ sunt in eodem loco, & nunquàm separantur in existendo, nimirùm inter intellectum & voluntatem, aut inter phantasiam & appetitum sensitivum, prudenti conjecturâ utendum est, ut probetur distinctio realis: ægrè enim probari poterit argumentis metaphysicis, aut protervum convincentibus, ut satis colligitur ex dictis; præsertim cùm intellectio & volitio videantur actus magis connexi, vel invicem ordinati, quàm fornicatio & opinio, quia omnis volitio

sup-

supponit intellectionem, & plures intellectiones volitionem supponunt; quò etiam pertinet indistinctio realis inter verum & bonum.

113. P. Suar. loc. cit. dicit, eam distinctionem esse colligendam *ex diversitate magnâ in modo operandi, & attingendi objectum, additâ limitatione & imperfectione potentiarum creatarum.* Hæc indicia, simul cum communi judicio sapientum, fundant argumentum prudentialiter efficax pro distinctione reali. Valde enim congruum est, ut una potentia accidentalis non æque amplam sphæram activitatis habeat, ac ipsa rationalis anima, quatenùs spiritualiter operativa. Si autem inter distinctas potentias dividere oportet modos operandi & attingendi objecta, nullos potiori jure, quam quos important intellectio & volitio, cùm nulli sint in genere vitæ immaterialis magis diversi: intellectio quippe attingit objectum per modum cujusdam penetrationis & assimilationis; volitio verò per modum cujusdam ponderis in objectum ipsum. Favet etiam commune judicium sapientum; qui, si paucos admodùm excipias, suppositâ distinctione potentiarum ab animâ, realem quòque distinctionem agnoscunt inter potentias intellectivam & volitivam. Nec obstat, quòd substantialis voluntas non nisi pro explicito distinguatur ab intellectu substantiali. Nam, sicut actus intelligendi & volendi, evadunt nihilominùs invicèm distincti, & valde diversi, haud lectis potentiæ accidentales. Argumenta verò, quæ pro voluntate substantiali suprà dedimus, non militant in accidentali; cùm hæc non propriè velit, nec amet, nec ab objecto allicia-tur, &c.

114. Non est eadem ratio pro pluralitate intellectuum: tum quia resistit commune judicium: tum quia per distinctionem intellectûs à voluntate satisfit limitationi potentiæ accidentalis comparatione animæ: tum quia omnes intellectiones conveniunt in modo tendendi per assimilationem. Nec item est eadem ratio, ut memoria spiritualis, specificativè sumpta, realiter distinguatur ab intellectu; ideòque distinctam esse negat communis sententia cum D. Thomâ 1. p. q. 79. ar. 7.: quia memoria est vis conservativa, seu retentiva specierum, & recordativa præcognitorum: utraque autem vis pertinet ad intellectum, qui, sicut primò recipit, ita & retinet species; & sicut primò cognoscit objecta, ita & recordatur, seu recognoscit, se cognovisse. Memoria tamen reduplicativè sumpta prout retinens species, ab intellectu distinguitur inadæquatè, nimirùm quâ parte dicit actualem specierum retentionem: & quia retentio ista, seu gaza specierum, semel habita, permanenter comitatur animam, idcircò non incongruè comprehenditur nomine *potentiæ*, & cum intellectu & voluntate quamdam potentiarum trinitatem efficit. Idem censendum de indistinctione memoriæ materialis à phantasiâ. Cæterùm inter phantasiam & appetitum sensitivum eadem fere ratio distinctionis est, ac inter intellectum & voluntatem. Eadem quòque, vel similis, inter potentias nutritivam, & tactum. Item inter quamlibet potentiam productivam actûs formaliter vitalis, & potentiam locomotivam, tum corpoream, tum spiritualem animæ rationalis propriam. De quibusdam alijs distinctionibus, quæ sub lite sunt, suo loco dicemus.

115. *Dico* 3.: suppositâ distinctione reali, compertoque proindè ad quod genus objectorum & actuum limitetur potentia quæque, distinctio specifica, seu diversitas essentialis potentiarum, nec non ipsarum perfectio inæqualis, rectè colligitur ac de-

fen-

sumitur ex diversitate actuum & objectorum, & ex eorumdem perfectione inæquali. Ratio est clara: quia potentiæ accidentales (de quibus tantùm loquimur) sunt propter actus, ad eosque transcendentalem ordinem dicunt intrinsecè & essentialiter, & mediis actibus ad objecta: cùm autem ordo hujusmodi necessariò diversificetur ex diversitate termini, si constet quòd una potentia respicit collectionem actuum diversam à collectione actuum alterius potentiæ, ab hâc essentialiter differat necesse est: debet etiam esse perfectior alterâ, si collectio sua perfectior est; quia virtualiter continet meliores actus. Huc pertinet analogia instrumentorum artis, de quâ suprà n. 106.. Loquor de collectione actuum: quia, si una potentia multas continet actuum species, non dicitur specificari à quâlibet iplarum. Tum quia non satis inde constat quantum valeat potentia, vel quanta sit ejus perfectio essentialis. Tum quia potentiam specificari ab actu, est reddi essentialiter diversam à potentiâ respiciente diversum actum: quare, dum eadem realiter potentia respicit actus specie diversos, v. g. visiones albedinis & nigredinis, si specificaretur ab uno eorum, redderetur diversa essentialiter à semetipsâ; quod repugnat, nisi sermo sit de diversitate præcisivâ secundùm conceptus inadæquatos.

116 In idem recidit, quod passim dicitur, potentiam specificari à ratione *sub quâ*, idest, ab eo communi prædicato, quod invenitur in omnibus ejus actibus, & non in alijs diversi potentiæ, v. g. intellectum à ratione *cognitionis immaterialis*: non enim ratio illa potentiam specificat ut ab inferioribus præcisa, sed ut reipsâ conveniens illis omnibus; adeòque coincidit cum totâ collectione actuum: nec ad specificandum requirit plusquàm fundamentalem unitatem rationis, univocæ, vel analogæ. Similiter discurrendum in objectis. Nam potentia non specificatur ab objecto inadæquato, seu speciei particularis (quando plura respicit specie diversa), sed ab objecto adæquato; idest, à collectione omnium objectorum formalium, quæ actuum collectioni respondent, vel à prædicato omnibus communi, quod est ratio *sub quâ* ex parte objecti respondens v. g. intellectus à ratione *entis*, seu *veri*, in communi: quę sola ratio dicitur *formalis* respectu potentiæ intellectivæ: ratio verò *entis* limitata, v. g. ratio *substantiæ*, dicitur *materialis* respectu ejusdem potentię; non quòd sit objectum materiale, seu non propter se attactum; sed quia se habet quasi de materiali, ut intellectus verè intelligat, ac se ostendat à voluntate diversum; ad hoc enim sufficit intelligere accidens.

117 Si quæras, quomodò possint ratio *veri*, & ratio *boni*, cùm solùm formaliter & pro explicito distinguantur, derivare diversitatem realem inter intellectum & voluntatem? Dicat fortasse quis, potentias hasce non tam ex objecto diversificari, quàm ex modo tendendi suorum actuum circa idem objectum: nec omnium potentiarum diversitatem ex objecto desumi, sed earum tantummodò, quas constat in objecta realiter diversa ferri, cujusmodi sunt v. g. visiva & auditiva: nam de cætero, posse inter se differre potentias ex diverso modo, seu ex diversâ perfectione operandi, tametsi conveniant in objecto adęquato, patere videtur in intellectibus Angelicis, quos, tum inter se, tum cum humano comparatos, difficile est ad eamdem speciem infimam revocare; cùm tamen respiciant omnes eamdem objecti rationem sub quâ. Sed, ut hoc omittam, quod attinet intellectum & voluntatem, dici potest, quod *verum* & *bonum* ex se tantùm derivant in potentias distinctionem formalem

malem, seu rationis: cæterùm distinctio hujusmodi, si aliunde accedat, vel supponatur distinctio realis (ut in his potentijs supponitur), evadit realis diversitas specifica, vel generica. Sic gradus animæ, vegetativus, sensitivus, & rationalis, ex terminis solùm important distinctionem formalem; ideòque in animâ humanâ sunt realiter idem: ubi tamen probatur aliunde realis distinctio, ut in bruto & plantâ, distinctio illa formalis fit realis diversitas.

118 An autem potentia possit etiam specificari à materiali objecto? v. g. si darentur duæ potentiæ convenientes in objecto formali, quarum altera nequiret attingere objectum materiale alterius, an hinc evaderent specie diversæ? Videtur affirmandum, si sermo sit de materiali objecto in se immediatè tracto (quod apud multos meretur etiam nomen objecti formalis): quia potentia intrinsecum habet ordinem ad objectum hujusmodi; qui ordo, si convenit uni præ alterâ, differentiam inducit pluriquàm individualem, seu purè numericam, cùm non fundetur in eo præcisè, quòd potentia hæc non sit illa, seu quòd sint duæ. Hâc ratione, si ponantur duo habitus abstinendi ex eodem motivo temperantiæ, sed alter à cibo, alter à potu, inter se differunt specie.

119 Sed rogabis, utrùm specificatio potentiæ per actum & objectum, sit à priori? Multi respondent, esse tantùm à posteriori, seu tamquàm ab effectu, vel signo, manifestante indolem potentiæ: quo modo essentia quidque, vel substantia rei specificatur à proprietatibus. Tho. nillę volunt, specificationem esse à priori, seu tamquàm à verâ causâ perfectionis ac diversitatis potentię. Sed, ut explicent, quo in genere causę (conflat enim, quòd actus non est potentiæ causa efficiens, nec materialis, nec formalis intrinseca), alij dicunt, specificationem ab actu esse, ut à fine, seu causâ finalis: alij, ut à causâ formali extrinsecâ, quo nomine intelligunt id, cui debet coaptari & proportionari potentia, licèt ex eo non constituatur. Utrumque admitti potest. Nam primùm actus verè dicitur finis potentiæ, verèque dicitur potentia esse propter actum, cùm ideò talem indolem seu quidditatem habeat, quia destinatur ad tale genus actuum; & ita quidem, ut tò *quia* denotet rationem à priori: non aliter, ac verè & à priori dicimus, quòd artis instrumenta ideò sunt talis formæ, quia destinantur ad tales usus, vel ad opera talia. Deinde actus verè est id, cujus ideam præ oculis (ut ita dicam) habere debet Author naturę, ut ad illius indolem adaptet ac proportionet indolem potentiæ, id est, ut talem potentiæ tribuat quidditatem, qualis requiritur ad talem actum producendum, & eo attingendum tale objectum. Quare, si nihil aliud sonat causâ formalis extrinseca, non est cur excludatur. Notandum tamen, quòd objectum non est finis potentiæ, nisi ut attingendum per tale genus actuum; nec actus potentiam finalizat, nisi ut finis *quis*; nam finis *cui* est anima, vel subjectum vivens.

120 Sed hinc rursùm rogabis, an potentię specificentur etiam ab animâ, vel à substantiâ, cujus sunt proprietates? ita scilicet ut ex diversitate animarum, potentiæ necessariò evadant specie diversæ, tametsi videantur similes in operationibus & objectis? Exemplum esse potest in potentijs vivis hominis & belluæ, vel canis & lupi. Pars negativa placet aliquibus: quia non repugnat, eamdem proprietatem convenire diversis essentijs, eo quòd sit proprietas, non quarto, sed secundo modo: sic enim ejusdem rationis est lux ignis & Solis, nec non calor ignis & aeris, saltem præscindendo ab heterogeneitate graduum. Accedit, quòd potentiæ vivę radicantur à lupo & cane se-

secundùm gradum genericum animalis, cujus gradûs perfectionem exprimunt, non specifici. Alijs tamen probatur magis pars affirmativa: quia potentiæ verè sunt propter animam, ut finem *cui*: dantur quippe à naturâ, ut perficiant animam, non solùm medijs actibus, sed etiam immediatè per se ipsas, cum sint proprietates constituentes animam in statu connaturali: sicut ergo specificantur ab actibus, quia sunt propter illos; ita &c.. Præterea vitalis actus, etiamsi consistat in qualitate absolutâ, titulo immanentiæ peculiariter connectitur cum animâ, cujus est; quo ex capite probabiliter dicitur specie differens ab actu diversæ animæ, tametsi quoad cætera simili: poterit igitur id ipsum de potentiâ dici, quia titulo virtutis ad actus per se immanentes, peculiariter cum tali animâ connectitur; in quo differt à proprietatibus inanimatorum. Hæc pars videtur probabilior: & ex eâ colligitur, potentias diversificari posse ex variis capitibus, quorum quodvis sufficiat, etsi cætera desint. Hùc etiam revocari potest diversitas intellectuum in diversis Angelis, vel in Angelo & homine. Vid. P. Suar. l. 4. de Anim. c. 1. n. 7. & 8..

*Corollarium de specificatione actuum per objecta.*

121 Occasione oblatâ, hîc etiam dicendum aliquid de specificatione actuum: quos certum est ita specificari per objecta formalia, ut, si constet, objectum unius esse specie diversum ab objecto alterius, legitimè inferatur, actus ipsos inter se specie differre. Specificatio ifiusmodi vocari potest *à priori*, ut in potentijs: nam actus est propter objectum, ut finem *qui*, non quidem producendam (nisi actus sit practicus), nec perficiendam, sed solùm attingendam, & hoc pacto conducentem ad perfectionem animæ, ut finis *cui*, per actus ipsos obtinendam. Quòd si nolis, objectum esse propriè finem actûs, dic, esse causam formalem extrinsecam, sensu explicato n. 119.. An autem possint etiam actus specificari à materiali objecto, saltem philosophicè; decidendum juxta suprà dicta de potentijs. Nunc circa specificationem actuum quædam sunt adnotanda 1.: actus, etiam ejusdem potentiæ, diversificantur inter se per objecta sua peculiaria, v. g. visiones albedinis & nigredinis: quia, licèt ratio specifica talis objecti dicatur materialis respectu potentiæ (vide suprà n. 116.), attamen sine dubio formalis est respectu actûs particularis, quo per se attingitur: & alioquin ab eadem potentiâ oriri non possent actus specie diversi; quod est evidenter falsum.

122 2.: actus non à solo objecto diversitatem hauriunt, sed possunt etiam diversificari ex modo tendendi circa idem objectum. Sic accidit, etiamsi objectum idem sit, in simplici complacentiâ & affecta efficaci, in apprehensione & judicio, in judicijs conditionali & causali absoluto. Et hinc facilè sumitur discrimen inter actus quosdam diversarum potentiarum, qui, cùm sint perfectione inæquales, ac diversi, tamen in objecto non differunt; v. g. cùm idem individuus color simul percipitur visione oculari, sensione internâ, & apprehensione intellectûs intuitivâ: istorum quippe actuum diversa perfectio essentialis non derivatur ex objecto, præsertim immaterialitas apprehensionis. Dices, derivari ex objecto, non *quod*, sed *quo*, ideòque ratione formali *sub qua*: nam colorem illum attingit visio sub ratione *coloris*, aut *lucidi*, sensatio interna sub ratione *sensibilis*, apprehensio intellectualis sub ratione *entis*, aut *veri*. Ita quidem dicitur passim: sed haud facile percipitur. Quia nullus eorum actuum attingit rationem *entis*, &c., sumptam in com-

communisut extractam verò ad colorem talem omnes attingunt, & omnes implicitè, cùm nullus habeat expressionem aliam, quàm quę respondet huic voci, *talis albedo*.

123 Specificatio à ratione *sub quâ*, v. g. *entis*, percipitur facilè respectu potentiæ, dum hæc potest attingere quidquid est ens: item respectu collectionis omnium actuum à tali potentiâ producibilium, comparatæ cum collectione alius potentiæ sub diversâ ratione tendentis. At difficilis captu est respectu actûs particularis ad individuum objectum limitati, cujusmodi est quilibet ex tribus illis circa eumdem colorem. Simile quid occurrit, quando voluntas appetit bonum A., quod illi proponit intellectus ut tale bonum: tunc enim diversitas volitionis à cognitione facilè revocatur ad modum tendendi; difficilè autem ad rationem *sub quâ* in objecto diversam.

124 Nihilominùs explicari utcumque poterit specificatio à ratione objectivâ *sub quâ* inter particulares actûs (non ejusdem potentiæ, sed distinctarum sub diversâ ratione tendentium), si dicatur, quòd illa ratio diversificat actuum genera, & consequenter individua unius generis ab individuis alterius, ita ut genericè differant tres illi actus circa eumdem colorem, designati n. 122. Diversificat, inquam, illa ratio communis: quia, licèt à tali actu non attingatur in communi, nec explicitè, necessaria tamen est, ut objectum reddatur attingibile per actum talis generis, adeò ut, si illa deesset, etiamsi objectum per possibile vel impossibile retineret cætera prædicata, non foret attingibile per ullum talis generis actum. Finge, albedinem A. non esse ens, manere tamen sensibilem, & colorem: non poterit attingi ab ullo actu intellectûs. Finge, non esse sensibilem, manere tamen ens, & colorem: à nullâ sensatione internâ erit attingibilis. Finge non esse colorem, manere tamen sensibilem, & ens: à nullâ visione oculari poterit attingi. Deficient quidem in individuo tres illi actus, deficiente ratione *talis coloris*; sed non necessariò deficient in genere suo: quia, dummodò maneat ratio *coloris*, licèt non *talis*, poterit objectum attingi ab alio actu ejusdem generis, nempe ab aliâ visione oculari; & sic de reliquis. Similiter discurrendum de actibus intelligendi & volendi circa idem objectum individuum.

125 3. denique: satis probabile est, actus etiam specificari, seu diversificari, saltem in sensu physico, à potentiâ, tum accidentali, tum substantiali; sic scilicet, ut, si duo actus à diversis potentijs, aut substantijs oriantur, inter se differant intrinsecè, tametsi conveniant in objecto, & modo tendendi; v. g. si Angelus & homo, vel Angelus & Archangelus, idem objectum velint efficaciâ pari; vel si canis & lupus æqualiter videant objectum idem. Ratio: quia vitalis actus, si est productio sui, specificari debet a principio activo, sicut quęlibet actio physica; nam, ut ait D. Thomas 1. p. q. 77. ar. 3., *ex his duobus actio speciem recipit, scilicet ex principio, vel ex fine, seu termino*: si verò est qualitas absoluta, titulo vitalitatis & immanentię naturaliter connectitur cum principio, à quo nascitur. Hæc specificatio est à priori, tamquam ab efficiente; nec opponitur specificationi potentię per actum, ut finem; non enim repugnat mutua causalitas inter causas finalem & efficientem. Anima quòque, vel substantia vivens, non solùm specificat actum ut efficiens, sed etiam ut finis *cui*.

# DISPUT. V.

## DE POTENTIJS MATERIALIBUS ANIMÆ.

AGGREDIMUR jam de potentijs in particulari differere; ac de ijs primùm, quæ materiales sunt, & organicæ, seu quę ad gradus animæ sensitivum & vegetativum spectant: quas omnes in hac disputatione percurremus, ut deinceps potentijs spiritualibus & earum actibus explicandis totus labor incumbat. Solet quidem ante sensitivas de speciebus intentionalibus tractari: sed prętstat expectare tantisper, ne tractationis de potentijs materialibus series abrumpatur.

### CAP. I.

### *DE POTENTIA VEGETATIVA.*

1 RECOLENDA hîc sunt, quæ de generatione viventium, ac de nutritione diximus disp. 1. de Gener. cap. 2. & 3.: quibus modò suppositis, alia quædam accidentia ad facultatem vegetatricem spectantia. Potentia vegetativa est, quæ alimenti conversione in substantiam viventem, hanc auget, & reparat, sæpe que idoneam reddit ad propagationem proprię speciei. Dividi solet in nutritivam, augmentativam, & generativam. Nutritiva, licet sumatur passim pro vegetativâ in communi, speciatim accipitur pro facultate reparandi novarum partium accessione jacturam materię è corpore vivente relolutæ: augmentativa, pro vi crescendi ad magnitudinem debitam: generativa, pro vi producendi vivens aliud ejusdem speciei per generationem prælse sumptam, quæ loc. cit. definita est. Thomistę realiter distinguunt augmentativam à nutritivâ. Sed, ne res indigesta sumatur, notandum, quod augmentatio potest accipi, vel accidentaliter, seu pro incremento quantitatis, vel substantialiter, seu pro incremento substantię. Dico: accessio substantiæ non est augmentatio, quia hoc nomine significatur accretio magnitudinis, & magnitudo in quantitate consistit. Sed frustrà: nam augmentatio ex vi vocis sonat incrementum: & quis dubitet, in homine crescente fieri materiæ incrementum? planique ab eo adquiri substantiæ corporeæ? Quamvis ergo à solâ quantitate sit *magnitudo molis*, tamen ab additione materiæ provenit *magnitudo substantiæ*, idest, pluralitas partium integrantium, quæ majorem quantitatem exigit.

2 Jam *dico* 1.: ab eâdem animæ potentiâ est utraque augmentatio, substantialis, & accidentalis: quia molis additio est velut appendix, aut necessaria sequela incrementa substantię; ac proinde non intenditur per se primariò, sed ut resultans ex additione materiæ. Nec in vegetatione producitur nova quantitas, cùm sit materiæ coæva: solùm producitur ejus continuativa unio cum præcedenti; quæ unio accessariò resultat ex continuatione materiæ. Quòdsi velis, ut, sicut quantitas resultat ex materiâ, ita ex hujus continuatione resulter continuatio illius; transeat: non ideò addenda nova potentia animæ; quia resultantia ista tribui potest potentiæ, quæ respicit incrementum substantiæ, sicut resultantia proprietatum tribuitur generanti. Et alioquin potentia nutritiva pariter esset dividenda

da

da realiter in reparatricem substantiæ, & restauratricem quantitatis: certum quippe est, quòd etiam nutritio restaurat magnitudinem molis. Attamen hæc divisio à nemine fit.

3 *Dico* 2.: potentia nutritiva, & augmentativa substantię, non distinguuntur inter se realiter: quia utraque formaliter operatur convertendo alimentum in substantiam aliti; quæ conversio ejusdem rationis est, sive homo crescat, sive restauret materiæ jacturam. Et alioquin, quamdiù homo crescit usque ad annum 25., cùm etiam tum temporis aliquid materiæ resolvatur, & alimento restauretur, dabitur duplex alimenti conversio specie distincta, altera pro augmentatione, altera pro restauratione; quod est ridiculum. Idcircò utrique potentię deserviunt eâdem operâ facultates administræ, de quibus infrà. *Dices*: restaurare, & augere substantiam, munera sunt valdè diversa: sunt etiam separabilia; nam ab anno ętatis 25. cessat augmentatio, & non cessat nutritio. *Resp.*: munera ista differunt per accidens, seu ex circumstantiis, non verò ex intrinsecâ ratione operis, seu transmutationis alimenti: quare ad eamdem potentiam attinent; sicut ædificare, vel augere, & reparare domum, munera sunt ejusdem artis.

4 Omnis ergo nutritio reipsâ est augmentatio; non solùm eâ ratione, quam dedimus d. 1. de Gener. n. 31., sed aliâ clariore, quę potest esse illius explicatio. Videlicet, nutritio in instanti, quo fit, semper aliquid superaddit substantię viventi, quam pro signo priori existentem supponit ut causam sui: quæ substantia certè non minuitur in eo instanti; nam, si tunc resolvatur simul aliqua pars materiæ prębabitæ, illa non præsupponitur ad nutritionem in signo causæ; alioquin pro eodem instanti esset & non esset propria viventis. Nutritio igitur semper adjungit novam partem toti substantię, à quâ oritur, adeòque semper illam auget in eo instanti, quo vivens se nutrit. Quando tamen tantumdem aut plus materiæ perditur in eodem instanti, vel perditum erat in anteriori, ut accidit in ætate provectâ; tunc nutritio non tam dicitur augmentatio, quàm restauratio; quia scilicet comparatur cum integritate præhabitâ in anteriori tempore, vel instanti. Hoc sensu verè dicitur augmentatio cessare post annum 25. quàmvis reipsâ non cesset, factâ comparatione cum eâ integritate, quæ in instanti nutritionis pro signo priori præsupponitur. Hinc facilius intelliges, quod pro salvandâ vitalitate nutritionis diximus in hoc tract. disp. 1. n. 30.. Nutritio quippe semper supponit ex parte causæ materiam primigeniam, vel in se, vel in æquivalenti: unde in instanti suo semper est ultrà statum viventis connaturalem, neque illum immediatè reparat. Si autem posteà ex materiâ primigeniâ deperdatur aliquid, cujus loco substituatur materię pars, quæ nutritione adquisita est; jam tum ea pars non conservatur actione nutritivâ.

5 Quod attinet potentiam generativam, hęc duas includit virtutes, aliam formativam seminis, aliam intrinsecam semini decisę, quæ immediatè exequitur generationem fętús: & quidem inter se realiter distinctas; nequit enim eadem esse virtus, quâ semen à vivente producitur, & quâ fętus immediatè à semine. Prima quòque (de secundâ nequit esse dubium) realiter distinguitur in animalibus à nutritivâ partium animatarum: quia vis formativa seminis, licèt vocari possit nutritiva, quatenùs format in animali partem secundariam, format tamen partem inanimem, & quę non ordinatur, sicut sanguis, ad nutriendum partes animatas, saltem quatenùs continet substantiam spirituosam, & prolificam. Po-

tentia generativa, prout duas illas includens virtutes, communiter censetur perfectior nutritiva: tum quia & continet actionem vitalem, adimpletionem feminis, & præterea respicit terminum perfectionem, nempe substantiam fœtus vivi per se subsistere potentis: tum quia supponit vivens perfectius, & in statu perfecto; ideòque non convenit monstris, malis, & similibus; deficit etiam in semibus, & nondùm natis pueris. Generationem dixit Aristoteles *naturalissimum opus viventis*; cujus dicti variæ sunt expositiones interpretum apud P. Suar.. Præ cæteris facilis, & plana est, quæ sumit *naturalissimum* pro valdè naturali. Qui de facultate generativâ plura nosse velit, adeat P. Suar. l. 2. de An. c. 10. & 12.

6 Regredior ad nutritivam; in quâ continentur facultates quinque. Videlicet, *attractiva*, quæ alimentum convenienter attrahit in ventriculum, ac deinde in reliquas corporis partes: *digestiva*, seu *coctrix*, quæ cibum alterat, & transmutat in chylum, & sanguinem: *retentiva*, quæ partes cibi utiles retinet, ne dilabantur: *expultrix*, quæ fæces, seu partes alendo inutiles excernit: & *altrix*, seu *assimilativa substantialiter*, quæ tandem alimentum ritè dispositum convertit in substantiam alti. Addi potest facultas locomotiva, quâ pulmo, cor, & sanguis modo peculiari moventur, de quo postea. De his facultatibus *quæritur* 1., an realiter distinguantur ab animâ? Pars affirmativa nobis tenenda est, ex dictis generatim circa potentias animæ disp. præced.. Excipiunt aliqui potentiam, quâ producitur substantia chyli, & sanguinis, & quâ fit alimenti conversio in altum: quia, inquiunt, accidens nequit activè influere in substantiam. Atque ita fecit P. Suar. l. 2. de Anim. c. 9.. Ipse tamen postea contrarium tenet l. 18. Met. l. 2., generatim propugnans concursum accidentium ad substantiales effectus, quem cum eodem Eximio defendimus in Physica.

7 *Quær.* 2., an ex potentiæ constituant in temperamento primarum qualitatum, præsertim in calore? Negativam partem jam præcedentes disp. præced. n. 62. & 63. Sed intelligenda est de potentia productivâ humanitatis chyli, sanguinis, & viventis; nec non de locomotivâ: tum, quod temperamentum, & calor præsertim, sit potentia disponens, seu alterans materiam cibi, & in eâ producens temperamentum congruum, atque hoc sensu pertineat ad facultatem nutritivam animæ, non est negandum. Unde passim & verè dicitur, quòd calor est instrumentum animæ ad nutritionem, seu ad digestionem cibi, ad generationem carnis, &c.. Admittendum etiam, quòd calor in primo instanti generationis, in quo potentia vegetativa (specificativè sumpta, licet non sub munere potentiæ) prioriori ad animam producitur, ad illam activè concurrat ut instrumentum causæ generantis. Sunt, qui calorem viventis propriè specie distinguant ab elementari, eumque appellent *naturalem*, & *vitalem*, seu *vivificum*, & nonnulli *cœlestem*: quæ sententia non est improbabilis, nec parum consona Philosopho, & D. Thomæ; placet que Thomistis aliquibus cum Ferrariensi, nec non alijs Authoribus, quos citat P. Suar. 2. de Anim. c. 9.. Hoc si verum sit, in eo calore vitali collocanda erit potentia nutritiva. Ipse tamen P. Suar. ibid. hanc distinctionem duplicis caloris impugnat, atque, calorem secundùm se, & seorsùm à temperamento, vocari *elementarem*; & prout attemperatum alijs qualitatibus juxta viventis indolem, vocari *naturalem*, *vitalem*, &c.. Notat etiam c. 11., quòd calor à generatione infitus partibus animati, votari solet *naturalis*, seu *innatus*; qui verò sanguini & spiritibus inest, *vitalis*, & *influens*.

*Quær.*

8 *Quæres*, an dictæ facultates inter se realiter distinguantur? Negandum videtur, saltem quòd priores quatuor (addeloco motivam) distinguantur adæquatè à quintâ integrè sumptâ. Nam omnes earum actus tantùm intendantur & ponuntur ut dispositiones ad actum ultimum facultatis alitricis: quare, licet illæ potentiæ in sensu formali dicantur administræ seu famulæ quintæ facultatis, in sensu tamen reali congruum est, ut eadem vis, quæ finem intendat, & exequitur, media quà talia sibi paret. *Dices*: effectus sunt valdè diversi, & nullus propriè vitalis, præter ultimum. *Resp.* Non obest diversitas, quando non est propter se intenta, sed ut conducens ad finem unum. Productio sanguinis est vitalis: alij quoque motus, licèt non formaliter, saltem dispositivè seu vitaliter vitales sunt. *Dices* iterùm: vis formativa chyli, & sanguinis, residet in parte determinatâ; secus vegetativa, quæ in toto corpore sparsa est. *Resp.* Hoc solum probat, quòd facultas chylifica v. g., non identificatur cum toca nutritiva, sed cum eâ tantùm illius parte, quæ simul vim habet & nutriendi ventriculum, & formandi chylum: quæ pars erit heterogenea respectu aliarum. Admistâ namque accidentali potentiâ, consequens est, ut nutritiva, prout toto in corpore dispersa, partibus constet heterogeneis, ita ut quæ nutrit ossa, differat à nutriente carnem, &c.. Dicitur tamen una, quia ex omnibus ijs partibus continuativè unitis integratur; sicuti dicitur totius hominis organizatio una, & temperamentum unum, tametsi accidentia importet heterogenea in carne, osse, nervo, &c..

*Non nihil de alimento, ac de fame, & siti.*

9 Materia, circa quam exercetur vis nutritiva, est alimentum. Hoc dividitur in remotum, medium, & proximum, sive ultimum. Remotum est cibus, non dum susceptus, aut coctus: medium est cibus, jam mutatus in chylum: proximum, seu ultimum, est sanguis ex chylo formatus. Immo sanguis spectat etiam ad alimentum medium, saltem quantum ad ossa, quorum ultimum alimentum est medulla ex sanguine formata. Quin & respectu carnis, debet fortasse sanguis, priusquàm nutriat, transire in humorem viscidum, & albicantem, qui ab antiquis *gluten*, à modernis *succus nutritius* appellatur. Sunt etiam, qui duos priores agnoscant, *rorem*, & *cambium*. Et quamvis multi velint, humores hujusmodi, ut etiam lac, quo nutriantur ubera, non differre substantialiter à sanguine; verius tamen videtur oppositum: quia lac, medulla, gluten, &c., non minus à sanguine differunt, quàm sanguis à chylo, à quo substantialiter differre passim supponitur.

10 Cibo debet adjungi potus, utpotè necessarius, tum ad coctionem, tum ad fluiditatem pro chylo & sanguine requisitam, tum ad refrigerandum, seu cohibendum nimiam interdùm vim caloris & siccitatis in faucibus & ventriculo. Cibus, juxta Aristotelem, debet esse calidus & siccus; potus, frigidus & humidus: non quòd hæ qualitates debeant esse solæ (aliter nullus esset cibus melior, quàm purus ignis, quo tamen nullum animal alitur), sed quòd eas in temperamento rei esculentæ, & poculentæ, prædominari oporteat, saltem virtualiter. De variâ ciborum naturâ tractant Medici. Sat nunc observare, quòd cibus non est unicuique pro cunctis animantibus: nam qui alijs congruit, alijs venenum est; & qui alijs facilè coquitur, alijs nullo modo. Id quod provenit, tum ex diverso temperamento qualitatum, tum ex diversitate acidi, seu succi dissolventis in ventriculo: potest enim in succis illiusmodi vis esse varia, quem-

ad-

admodùm in aquâ forti & aquâ regiâ, quarum illâ dissolvit argentum, hæc aurum, non è converso. Sed radicaliter tota varietas revocanda est ad virtutem animarum diversam.

11 Cibus itaque debet esse *convenions* respectivè, ita ut possit facilè assimilari viventi, à quo sumitur, non quidem totam substantiam retinendo, solamque particularum texturam mutando (ut volunt moderni Corpusculares, coacti proinde nullam in substantiâ differentiam agnoscere inter bovem & fœnum, inter lupum & ovem, & sic de alijs); sed qualitates admittendo congruas, quibus cibi materia præparatur ad animam aliti amissâ propriâ formâ suscipiendam. Illud autem Aristotelis 2. de Gener. t. 50., *Ex iisdem nutrimur, ex quibus sumus*, quod pro se allegant Corpusculares, intelligendum est de quatuor elementis quoad materiam & qualitates, ut ex contextu & doctrinâ Philosophi liquidò constat.

12 Fames definitur *appetentia calidi & sicci*, idest, cibi; sitis, *appetentia frigidi & humidi*, idest, potûs. Excitatur fames, cùm vacuus est ventriculus, ejusque interiores tunicæ vellicantur, aut mordicantur ab humore quodam. Hunc alij putant esse melancholiæ copiam, ex liene tractam, quæ os ventriculi rodit: alij, succos acidos, qui dati sunt ventriculo ad cibum dissolvendum, & quorum aculei, dum cibus abest, ventriculi tunicas, & præsertim superius orificium, molestè lacessunt. Hinc oritur inibi sensatio, quæ ad tactum pertinere videtur, & cujus species per nervos communicata cerebro, causat in sensu communi cognitionem experimentalem, & quasi practicam de indigentiâ cibi, unde protinus exoritur appetitus. Sitis excitatur à nimiâ siccitate calori permixtâ, quæ ventriculum & fauces adurit, & quæ provenit à salsedine, & à quibusvis causis æstum inducentibus. Hinc est molesta sensatio, quæ pariter, ut in fame, cerebrum admonet indigentiæ potûs, ut illum appetat.

*De motu cordis, circulatione sanguinis, & respiratione.*

13 Quoniam ab his tribus plurimùm pendet animantis vita, præsertim vegetatrix, nonnihil super eorum modo & causis hic dicere oportet. Supponendum est, duas in corde cavitates esse, duosve sinus, quos *ventriculos cordis* appellant, alterum dextrum, sinistrum alterum; & unicuique inserta esse ostia duorum sanguinis canalium, idest, venæ & arteriæ, per quæ sanguis ingreditur, & egreditur. In dextrum cor ventriculum ingreditur sanguis per *venam cavam*, quæ ab hepate, & à reliquo corpore per varios quasi ramos sanguinem colligit: egreditur verò ex eodem ventriculo per *arteriam pulmonarem* (hanc alij vocant *venam arteriosam*), quæ à corde ad pulmones tendit. In sinistrum autem ventriculum ingreditur sanguis per *venam pulmonarem* (*arteriam venosam* alij nominant), quæ illum à pulmonibus ad cor defert: egreditur verò per *arteriam magnam*, quæ & *aorta* dicitur, & quæ sanguinem à corde venientem in corpus universum multipliciter ramificata dispergit.

14 Itaque per duas venas hinc inde insertas sanguis in cor intrat, & per totidem arterias exit, non è converso. Id quod patet ex valvulis membranaceis, quæ in ostijs venarum, & arteriarum, cordi conjunctis conspiciuntur: nam valvulæ in venis ita sunt dispositæ, ut fluenti ad cor sanguini ultrò cedant, & ad refluxum occludantur: in arterijs verò contrarium habent artificium; exeunti enim è corde sanguini patescunt, & ad ejusdem regressum occluduntur. Id ipsum experimento patet: nam, si prope cor ligetur, vel

vel comprimatur vena cava, pars cordi vicinior exinanitur; pars verò distantior intumescit; cordique imminet extinctio defectu sanguinis: contrà accidit, ligatâ, vel compressâ pulmonari arteriâ vel aortâ; tum quę imminet cordi præ sanguinis copiâ suffocatio.

15 Jam, quod motum cordis attinet, certum est, cor indesinenter moveri alternis motibus contractionis & dilatationis, qui græcis nominibus dicuntur *Systole*, & *diastole*. In dilatatione, seu diastole, sanguinem cor excipit à venis: in contractione, seu systole, sanguinē velut exprimit, & in arterias effudit. Sed hujus duplicis & irrequieti motūs causa quæritur, non parvo inter hodiernos Coæquales dissidio. Alij causam revocant ad motum sanguinis, influentis, & effluentis: alij, ad motum pulmonum: alij, ad impulsionem spirituum, qui à cerebro per nervos ad cor usque descendunt. Sed *primo* opinio rejicitur: quia potiùs à corde provenit motus sanguinis, quàm è converso; ideoque sanguis majori cum impetu fluit per arterias cordi vicinliores: & alioquin major supererit difficultas in explicando unde proveniat sanguinis circulatio. Accedit, quòd in corde avulso quorumdam animalium, præsertim viperę, & anguillę, durat motus cordis per horas multas sine ullo sanguinis appulsu. Quo experimento rejicitur etiam opinio *secunda*; nec non quia factus, in utero inclusus, motum cordis habet, pulmone quieto: ut etiam habent pisces, qui pulmone carent. Rejicitur *tertia*: tum quia motus à cerebro profecti cognitionem supponant, sunt quę spontanei, cujusmodi non est motus cordis: tum quia non assignatur causa tam ordinatè immittens spirituum copias, tam que certâ ratione motum cordis gubernans.

16 Carrelius autumat, in sanguine, simulac subit ventriculos, præ insito calore cordis fieri subitam effervescentiam, acqueadeò rarefactionem, quâ cor dilatatur: statim verò reseratis arteriarum valvulis, in eas effundi sanguinem, cujus exitu cor sibi relictum iterùm contrahitur; quàmvis id fiat quasi in ictu oculi. Hanc opinionem impugnant Atomistæ plures: quia, inquiunt, in corde non tantus est calor, qui sanguinem subitò fervere faciat, immò nec major, quàm in alijs visceribus, potiùsque videtur cordis calor à sanguine provenire, quàm è converso. Sed inconsequenter hoc argumento utuntur Atomistæ, cùm ipsi debeant fervorem sanguinis admittere in toto corpore, siquidem loco animę ponunt in brutis (immò & in homine pro motibus corporeis) flammam ignis vegetam, & actuosam, quæ omnia interiora corporis inhabitat: sanguis enim applicitus igni vivido, quidni ferveat? vel etiam, quidni frigatur, aut torreatur, utpin cuinis accidit?

17 Præterea immeritò negant, cordi plus inesse caloris, quàm alijs visceribus; vel calorem sanguinis esse à corde potiùs, quàm è converso. Tum quia cor, ut etiam Atomistæ supponunt, officina est vitalium spirituum, qui maximè calore valent: tum quia sanguis arterialis eò calidior est, quo recentiùs à corde profectus. Quin & præcipua utilitas, quæ in circulatione sanguinis deprehenditur, in eo sita est, quòd sanguis assiduo per cor transitu calorem alibi perditum aut remissum renoveat. Hinc sanguis venosus tepidior est, quàm arteriosus; quia scilicet longius iter fecit, posteaquam è corde profluxit. Quòd ergo sanguis in corde incalescat haud modicè, res est manifesta. Et sententia Carrelij melius impugnatur experimento motūs in corde viperæ avulso.

18 Generatim verò rejiciendi sunt Authores illi omnes; quia, virtutis animæ prorsùs immemores (quasi anima nullam daret operam movendo corpori), toti sint in diuis machi-

fi-

nicis vestigandis, exitu plerùmque infelici, cùm eas sæpe quæritent ubi non sunt. Principalis ergo causa motûs cordis, est anima; cujus ea est quidditas, aut natura, ut motus vitales, vel ad vivendum utiles, in corpore ritè dispositio efficiat. Idcircò vel Corpusculares ipsi pro animâ ponunt in brutis, & plantis, subtile aliquid causandis motibus idoneum. Dum autem posteà, nullâ illius mentione factâ, causas motuum corporis aliunde trahunt, satis ostendunt, se ad statuendam talem animam ratione politicâ magis, quàm physicâ, inductos fuisse. Concedo tamen, animam ad movendum cor vitalibus uti spiritibus (non à cerebro descendentibus, sed in corde ipso formatis), tamquàm instrumentis à se ipsâ motis. Si *objicias*, cor avulsum adhuc moveri, cùm jam abest anima. *Resp.*, in corde avulso viperæ, & aliorum imperfectorum animalium, aliquamdiù manere partem animæ: in corde autem hominis, aut bruti perfecti, non manere motum ordinarium, & æternum per systolen & diastolen; solùmque interdùm per breve tempus observari motum inconditum, qui spiritibus tantisper durantibus tribui debet.

19 Circulatio sanguinis in eo consistit, quòd totus animantium sanguis (ijs exceptis portionibus, quas fatis cohæstas imbibant, sibique adhærentes retinent membra viventia) à capillaribus, seu extremis venarum ramulis confluat in truncum venæ cavæ, quo ingrediatur dextrum cordis ventriculum; indeque egressus per arteriam pulmonum, redeat per venam pulmonarem ad ejusdem cordis ventriculum sinistrum; unde iterùm emanet in aortam, cujus deinde ramis, & ramorum ramulis distribuatur per totum corpus; donec ab arterijs egressus, & infinuatus per capillamenta venarum, refluat in venam cavam; per quam iterùm ad cor rediens, idem iter indefinenter peragat. Hujusmodi circulatio, priscis incognita, neotericis est indubitata, multisque observationibus, & experimentis ostenditur.

20 Certum est, quòd omnes arteriæ, tum inter se, tum cum venis, communionem habent: nam quacumque rumpatur arteria, quocumque venâ, totus sanguis animantis effluit, ni sistatur. Certum est etiam ex dictis n. 14., quòd sanguis per venam cavam ad cor fertur, & ex eo per aortam egreditur, non vice mutatâ. Certum præterea, quòd sanguis per arterias fluit à centro corporis versùs partes extremas; contrà verò per venas fluit à partibus versùs centrum, seu versùs truncum venæ cavæ cordi conjunctum: nam, si arteria secetur in femore vel jugulo animantis, pars cordi propinquior copiosum emittit sanguinem; remotior, ferè nullum: contrà, si vena secetur, sanguis ubertim effluit è distantiore parte; secùs è viciniore: ideòque phlebotomi crus aut brachium ligant suprà locum scissioni venæ destinatum, ut sanguis ab extremo veniens, impedito cursu versùs cor, uberiùs per scissuram emicet; unde & fluxus ejus facilè sistitur, si vena infrà scissuram digito prematur. Hoc etiam demonstrant valvulæ, quas non solùm in ostijs ad cor observant Anatomici, ut diximus n. 14., sed etiam in omnibus ferè venarum internodijs, ubi rami coeunt: ex quippe ita constructæ sunt, ut à ramis ad truncum venienti sanguini obsequantur; ejusdem verò regressum impediant, si fortè repelli contingat à trunco ad ramos.

21 Præterea experimento compertum est (de quo Author Philos. Burgund. tom. 6. tr. 2. d. 2. c. 3.), quòd liquor externus in venam portam immissus, ramos venæ cavæ in jecore dispersos subit; ac deinde in ejusdem cavæ truncum, tum in sinum cordis dextrum, tum in arteriam pulmo-

monum, tum per venam pulmonarem in sinistrum cordis ventriculum, inde in aortam, ac demùm in aortæ ramos delabitur. Denique (ut alia omittam, videnda, si lubet, apud Toscam tq. 10. lib. 3. propos. 31.) cor in singulis arterię pulsibus aliquid sanguinis effundit in aortam, quod multi semi-unciam esse volunt: sed, licèt unus tantùm sit scrupulus, cùm intra horam numerentur arteriæ pulsus suprà ter mille, cor intra horam effundet supra decem sanguinis libras: unde intra duas, aut tres horas totus sanguis per cor transeat necesse est; siquidem mensura sanguinis in humano corpore vix unquàm excedit libras 24. Si ergo ad cor non redit sanguis idem, intra horas tres manebunt venæ exinanitæ, & cor exsangue: neque enim nova sanguinis copia tam brevi generari potest. Quòdsi dennò generari fingas, cedò, quò abit totus sanguis in aortam effusus? quomodò non arterias disrumpit, immò & cutem, ut extra corpus effluat?

22 Si quæras, quo impulsu sanguis ex arterijs in venas injiciatur? & quâ viâ feratur in venarum ramulos, cùm nullæ inter arterias & venas sint anastomoses, seu inoscularationes vasorum? *Resp.*, sanguinem præcipuè impelli ab alijs sanguinis portionibus à tergo urgentibus, quæ perenniter è fonte cordis cum impetu erumpunt; nec parùm juvari assiduâ pressione nervorum, cum motu diaphragmatis aliorumque viscerum conjunctâ: probabile autem esse, quòd aliquæ sint arteriarum cum venis anastomoses: &, ubi nullæ sunt, fieri posse, ut sanguis, ex arterijs egressus, per cæcos carnis meatus in venas subeat; sicut aqua pluvia per terræ poros confluit in venas fontium. Hinc, ubicumque pungatur caro, sanguis emicat. Et quomodolibèt id fiat, non dubitandum, quin sanguis commeet ex arteriis in venas: tum ex dictis: tum quia, si arteria venæ proxima strictè ligetur, sanguis è venâ scissâ non profluit, quousque laxetur arteriæ vinculum. Denique, in œconomiâ sanguinis, ut in reliquis ad vitam spectantibus, aliquid tribuendum est virtuti animæ.

23 Ad extremum duo notabis. 1., quòd sanguis arteriosus à venoso non differt, nisi accidentaliter, nempe quatenùs calidior est, spirituosior, & celeriùs fluens, utpotè recentiùs emissus à fonte cordis, a quo trahit calorem, spirituum copiam, & impetum: quò autem longiùs procedit in ramulos arteriarum, remittitur sensim calor, & impetus, multique spiritus dissipantur; quare, dum venulas intrat, tepidior est sanguis, & tardior. Sed ideò à naturâ provisum est, ut redeat ad cor, ubi denuò incalescat, & impellatur. Atque hæc est præcipua circulationis utilitas, calorem in sanguine renovare, quo foveatur innatus membris calor, novique spiritus toti corpori suppeditentur. Aliæ præterea sunt utilitates, quas Medici ponderant. 2., quòd à corde participant arterię quamdam etiam diastolen, & systolen: nam in systole cordis arteria dilatatur ex novi sanguinis accessu; at in cordis diastole subsidit arteria, quia tantumdem ejicit sanguinis præhabiti. Ex hoc alterno motu provenit arteriæ pulsatio; quę quidem in totâ arteriâ contingit, tametsi non sentiatur à premente digito, nisi ubi arteria cuti est proxima, & osse aliquo fulca vim motûs in cutem explicat, ut accidit in carpo. Nec desunt, qui arterijs propriam inesse putent vim pulsificam, quâ se se inceſſanter moveant motu peristaltico.

24 Respiratio duos includit motus, inspirationis, quâ aër in pulmones attrahitur, & expirationis, quâ foràs emittitur. Uterque fit per internam fistulam, quę & *trachea*, & *aspera arteria* vocitatur. Hæc per anteriorem colli partem ab ore in pulmonem

protenditur; ejusque summum caput ori proximum, quod *larynx* dicitur, multis constat musculis & cartilaginibus, quæ rimam aeri excipiendo & extrudendo aptam relinquunt: quam rimam, cùm opus est, operit lingula quædam cartilaginea, *epiglottis* nomine, cujus usus est, tum impedire nequid cibi aut potûs in trachèam illabatur; tum etiam motu ac repercussione sui per impulsum aëris expirati, vocem moderari, tonisque variare, præsertim in cantu. Vox tamen articulata, quâ verba constant, deinceps in ore formatur ministerio linguæ, palati, dentium, & labrorum. Prædicta fistula, priusquàm ad pulmones perveniat, in duos scinditur ramos, qui subintrant dextrum ac sinistrum pulmonem, ubi varios deinde ramulos propagant. Pulmo autem, intra thoracis cavitatem inclusus, substantia est spongiosa, totaque tubulis & vesiculis constans, intra membranam, quâ tegitur, contentis; intertexta quoque venulis, & arteriolis, quam totidem ramulis venæ & arteriæ pulmonarium, per quas cum corde commercium habet sanguinis. Dividitur per mediastinum in partes duas, dextram, & sinistram, quæ ideò pluraliter *pulmones* vocantur, & cor hinc inde quodammodò amplectuntur.

25 Causa igitur immediata respirationis est dilatatio & constrictio pulmonum: dum enim pulmones distenduntur, per trachearn adducitur aer (sive vi tractivâ pulmonibus inditâ, sive à pressione superioris aeris, sive à lege naturæ prohibente vacuum): dum verò contrahuntur, per eamdem fistulam aër extraditur. Quæstionis est, an hujusmodi contractio & dilatatio proveniat a vi motrice pulmonum propriâ? an verò á musculis, qui eodem tempore thoracem movent cum partibus suis, scilicet pectore, diaphragmate, costis? Hoc posterius hodie censent plerique. Sed non est, cur negetur illud prius: cùm enim anima pulmones informet tamquam præcipua respirationis instrumenta, cur non illis communicet virtutem huic obeundo muneri congruam? Verius ergo videtur, quòd motus pulmonis, & thoracis, invicém sunt connexi, simulque simultate naturæ causantur à virtute utriusque propriâ. Plurimum tamen ad eos conferunt spiritus, non solùm vitales, sed animales, qui ad spontaneos motus deserviunt: respiratio namque motus est, partim naturalis, ut patet in dormientibus, partim voluntarius, quatenùs potest à voluntate vel appetitu accelerari, vel etiam tantisper contineri.

26 Præcipuè quæritur, quem ad finem concessa sit pleriisque animantibus respiratio? Communis hactenùs opinio fuit, respirationem à naturâ institutam esse potissimùm, ut inspirato aëre refrigerentur viscera. Sed hodierni Corpusculares, quibus adhæret Tosca tr. 10. l. 5. prop. 9., contendunt, præcipuum respirationis usum esse, ut ex infuso in pulmones aëre aliquid in sanguinem transmittatur, quo ejus calor & effervescentia conservetur, & incrementum accipiat. Hoc autem *aliquid* volunt esse spiritum nitri, & salem ammoniacum, quorum fermentorum, utpotè maximè volatilium, magnâ copiâ refertus est aër. Verùm hæc opinatio planè videtur experientiæ contraria.

27 Nam respirationem tum maximè appetimus, cùm æstuamus, ut in ardenti febri, in exercitatione corporis violentâ, & in ambiente aëre præcalido; unde & canes æstivo tempore, nullo etiam opere fatigati, crebriùs & vehementiùs halitum ducunt. Tunc autem respiratio sine dubio appetitur refrigerii gratiâ; vel certè non quæritur ad incrementum caloris & effervescentiæ sanguinis, qui jam plus justo effervescit; &, si novis opus esset ferœntis, hæc non magis in frigido aëre, quàm in calido, invenirentur. Præterea non ap-

apparet, cur tam crebra novi fermenti advocatio sit adeò necessaria, ut eâ interclusâ protinùs extinguatur animatis vita. Cur enim fermenta jam antè suscepta, vel ex alimentis eruta, non sufficiant ad conservandum, saltem per horas aliquot, effervescentiam sanguinis? Facilius possent Atomistæ necessitatem & usum respirationis explicare, si meminissent ignis illius, in quo volunt consistere animam sensitivam: talis quippe anima, ut conservetur, ventilatione ac respiratione indigebit; cùm nihil sit notius, quàm ignem extingui, nisi respiret.

28 Ad nos quod attinet, dicimus, præcipuum respirationis usum esse, refrigerare in pulmone sanguinem illàc transeuntem, ut iterùm in cor defluat, prout oportet. Sanguis enim, à dextro cordis ventriculo recèns emissus, propter effervescentiam inibi contractam nimiùm replet ac distendit pulmones, nec facilè subire potest exiles ramulos venæ pulmonaris, quâ deferendus est ad sinistrum cordis ventriculum, nisi adducto aëre defervescat aliquatenùs, & ad minorem molem redigatur. Quo fit, ut, respiratione interceptâ, nihil aut parum sanguinis è pulmone recurrat ad cordis ventriculum sinistrum, in quo proinde sanguis deficit, dum in pulmonibus exundat. Hinc autem confestim sequitur pulmonum suffocatio, cordis extinctio, & totius animalis interitus. Quòdsi fœtus, in utero matris incluſus, respiratione non eget, causa est, quòd tunc sanguine utitur temperatiore. Non tamen negandum, quòd ex qualitatibus, fermentis, aut halitibus, inspirato aëri permixtis, aliquid transmittatur in viscera, & in sanguinem: hâc enim ex causâ multum interest valetudinis aëre uti sano, vel insalubri. Quin & expiratus aër aliquid vicissim accipit à visceribus; ideòque contagiosus est, dum ab infectis corporibus expiratur.

## CAP. II.

### *QUOD SENTIRE NON IN SOLO CONSISTAT motu locali, contra Corpusculares ostenditur.*

29 CORPUSCULARES hodierni, nempe Cartesiani, & Atomistæ, cæterique neoterici Peripatum fastidientes, cùm nullam agnoscant actionem corpoream, præter motum localem, in hoc tantùm motu sensationem omnem consistere volunt. Eorum doctrinam amplectitur, & præ cæteris apertiùs explicat Tolca Compend. Philos. tr. 10., præsertim lib. 2., & 6.; cujus placitis præcipuè insistam, omissis varijs explicandi modis, quos alij comminiscuntur, suum quisque pro libitu. Summa est: Quòd sensibilia objecta impressionem aliquam faciunt in organa sensuum exteriorum, id est, nerveas eorum tunicas & fibras impellunt premendo, crispando, vellicando, undulatim feriendo, contrahendo, tendendo, vel aliter commovendo. Affectio, seu commotio ista, concutit nervos, qui ab eis organis tenduntur, quasi chordæ in citharâ, usque ad commune sensorium, seu organum sensûs communis, situm in eâ parte cerebri, ubi est origo nervorum omnium per totum corpus diffusorum; quorum alij sunt *motorij*, idest, destinati ad movendum manus, pedes, & membra reliqua; alij verò *sensorij*, vel *sensiferi* idest, destinati ad communicandum cerebro impressiones objectorum externas.

30 Nervi ergo sensiferi, simul ac concutiuntur, motionem ab objecto acceptam transferunt ad prædictam cerebri partem, sicut chorda citharæ, in unâ extremitate percussa, motum illicò traducit in alteram. Quæ motionis transmissio, vel propagatio, plurimùm pendet à spiritibus animalibus (hi sunt halitus subtilissimi, ex arterioso sanguine

extracti), qui continentur & fluitant intra fibras, quibus nervi constant, tubulorum instar excavatas: nam spiritus illi, & nervos distendunt, quò magis contremiscant; & ipsi quoque ab impulsione objecti concutiantur, & intra fibras agitantur undulatione quadam, quam cerebro communicant, alterioresalios eò usque impellendo. A nervis itaque, & spiritibus ab objecto commotis, refultat motio continuatis in sensorio communi, nempe in texturâ, vel plexu, in dictâ cerebri parte formato ex fibrillis plurimis, quę sunt veluti nervorum radices. Tum sequitur in eo plexu distractio quędam, vi cujus protinùs aperiantur, juxta varietatem objectorum, jam hæc, jam illa oscula, seu orificia nervorum ad motum inservientium, statimque per aperta ostiola irruunt spiritus animales a nervis sensiferis in motorios, suoque impulsu & affluxu musculos inflant, contrahant, extendunt, contorquent, aut aliter moticant; unde tandem sequitur animalis incessus, cursus, saltus, &c. Hâc motuum localium serie totum absolvitur opus sentiendi; neque aliud quidpiam est in brutis sentire.

31 In homine ulteriùs additur spiritualis perceptio, sive cognitio illius affectionis, aut motionis organi. Quæ tamen cognitio perperam dicitur à Saguensio (quem citat & approbat Tosca dict. lib. 2. prop. 3.) constituere sensationem perfectam, & completam. Omnis enim cognitio, juxta hos Authores, est actus rationis, veraque intellectio; ac proinde penitùs distingui debet à sensatione, cùm hęc apud omnes functio sit organica, & materialis, consequenterque juxta Corpusculares nihil includat, etiam in homine, præter motum localem. *Cum omnis actio corporea* (inquit Tosca ibid. prop. 8.) *nihil aliud fit, nisi motio localis, certè omnis sensatio, quamtumvis perfecta, nihil aliud esse putandum est, nisi motio quædam localis, immanens tamen.* Hucusque dictis addunt Corpusculares, propriè loquendo unum tantummodò sensum esse, nempe internum, sive communem, qui variis utitur externis organis ad excipiendas objectorum impressiones varias: unde sensatio, inquiunt, solum inchoativè fit in externo sensorio; completur autem in interno.

32 Tota hæc doctrina, sequela necessaria est illius *sententiæ intolerabilis, & grandis paradoxi* (Exim. Doctoris alibi citati verba sunt ista), quo brutis denegatur anima cognoscitiva, seu perceptionis objecti capax. Paradoxum hocce tueri coguntur novi Philosophi, ne formam substantialem admittant à totâ materiâ entitativè distinctam: cùmque pudeat eos apertè negare, quòd bruta sentiant, videant, audiant, &c., miserâ necessitate compelluntur communes invertere notiones, ac dicere contra sensum humani generis, proprioque (ut credere par est) rationis lumine reluctante, quòd objectum sentiri, videri, audiri, &c., non est percipi, cognosci, innotescere, notum vè fieri videnti, audienti, &c., sed est præcisè movere localiter fibras cerebri. Scilicèt egregiè fallitur, si Superis placet, quicumque bonâ fide putat, quòd canis agnoscit herum, aut aliquâ perceptione cognoscit hostem, cibum, potum, fustem, quantumlibet hęc objecta videat, olfaciat, gustet, sentiat; vel quòd cognoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, & quòd oves noverunt vocem proprij pastoris, quàmvis tria hæc afferat diserté Scriptura Divina; vel etiam quòd homo, quatenùs utitur sensibus, ni simul ratione utatur, quidquam percipiat videndo solem, audiendo musicam, gustando cibum, tangendo ignem; ac proindè quòd infans agnoscat sensibile aliquid, ne propriè quidem ubera nutricis. Digna videtur ista risu & cõtemptu potiùs, quàm impugnatione philosophicâ.

Im-

33 Impugnari tamen adhuc poterunt ex dictis in Differt. præsim. ad Physicam, & in hujus tract. disp. 1. cap. 4. Nominatim urgeri debet argumentum ex conceptu vitæ desumptum. Sensatio enim, cum sit motus vitalis, debet esse immanens, & ab intrinseco, faventibus Adversarijs: at nervorum & spirituum motus, in quo volunt sensationem consistere, non magis est ab intrinseco, quàm motus fidium in citharâ, vel tremor per totum diffusus baculum in alterâ extremitate percussum. Nec refert, quòd ad motum sensorij valdè conducat interna structura machinæ, & vis elastica fibrarum & spirituum. Nam hoc etiam accidit in automatis arte fabricatis, v. g. in horologio rotato, & in organo pneumatico; nec tamen in his ab ullo Philosopho agnoscitur motus immanens ad vitam necessarius. Nihil sanè occurrit in Corpuscularij Philosophiâ, cur automata ista non dicantur vivere, & sentire, præcipuè verò pneumaticum organum, quod posit Maignanum Tosca cit. l. 6. prop. 5. similimum putat animali sentienti.

34 Adde, quòd motus à sensione profectos valdè inconsequenter Atomistæ vocant *spontaneos*; cum ad illos nullus præcedat appetitus, nulla cognitio; nec nisi contra lexica omnia dici possit, *sponte fieri* à subjecto motum, qui ex impulsione agentis externi mechanicè resultat in subjecto nihil cognoscente. Profectò, si qua est in ijs motibus spontaneitas, adscribenda erit, non animali motu, sed objecto: quemadmodùm motus & concentus organi pneumatici, non organo, sed organædo sunt spontanei: objectum enim, ut vult Tosca, vices gerit organædi, pulsando palmulas organi vitalis. Adde præterea, quòd spiritus animales verè sentient, videbunt, audient, &c. (negat hoc Tosca cit. l. 6. prop. 13.): recipiunt enim motionem, in quâ consistit visio, &c.; quæ motio non minùs est immanens spiritibus, quàm fibris cerebri; nec magis fibræ, quam spiritus, facultatem integrant sensitivam, ut Tosca docet ibid. prop. 14.

35 Et hinc rejiciendum, quod Atomistæ dicunt, sensionem non nisi inchoativè fieri in sensorijs externis. Cur enim fibrarum motio in cerebro magis, quàm in oculis, mereatur nomen sensationis? cùm utrobique sit motio meræ localis, & utrobique fiat in partibus machinæ vivantis, & utrobique præsente animâ; num hæc, sive rationalis sit, sive ignea, per totum corpus diffunditur, juxta Toscam. Num non ab omnibus rideretur, qui ex partibus horologij rotati simul motis unam seligeret (v. g. pendulum, aut primariam rotam), quæ sola dicenda esset motu suo sentiens, aut vivens? Quid lumine naturæ notius, quàm quòd oculi videant, aures audiant, manus tangit, &c.? Dices: sola cerebri motio est propriè sensatio; tum quia sola motum immediatè communicat nervis motorijs; tum quia, illa cessante, nihil sentiunt externa sensoria, ut accidit in apoplexiâ. Sed contra est, quòd sæpe animal sentit, nullo motu communicato nervis motorijs, ut accidit, quoties homo, vel brutum, incodem fixu perfixitens, attentè intuetur aliquid: immò nervis motorijs sæpe motum adimit nova sensatio, ut cùm animal currens, aut incedens, ad subitum novi objecti conspectum repentè subsistit, & immotum manet. Quòd verò in apoplexiâ, vel simili morbo, cessent externi sensus, provenit ex intercepto spirituum accursu, quo indiget anima velut instrumento, ut ipsamet eliciat in oculis actum visionis, &c. Quodsi ex dependentiâ spirituum à cerebro inferas, non oculos, sed cerebrum propriè videre; eâdem ratione inferre poteris, non pedes, sed cerebrum ambulare.

36 Præter hæc, alia quædam argumenta subjicio, fortasse apud no-

vos

ves Philosophos validiora. 1.: si objectum sentiri nihil est aliud, quàm ex ejus impulsione moveri fibras organi sensorij, sensus omnis reipsâ erit tactus, nec inter se differunt quinque sensus externi, nisi penès magis aut minùs exquisitam tactivitatem. Sequelam concedunt Adversarij plures, & concedere tenentur omnes: nam sensatio cujuscumque generis impulsionis, ad tactum pertinet sine dubio, sive sit pressio, sive undulatio, crispatio, vellicatio, &c.: unde radius luminis (qui juxta Adversarios est tremula linea ex globulis æthereis, ab objecto ad oculum usque directa) eatenùs visionem causat, quatenùs contactu suo premit, ac tremefacit fibras oculi; & sonus (qui juxta eosdem est undulatio aëris, à corporis sonori percussione resultans) eatenùs auditur, quatenùs contactu suo ferit ac vibrat tympanum auris. At sequelæ absurditas ostenditur facilè. Inprimis: quia, si sola major aut minor tactivitas distinguit sensus, externi plures erunt, quàm quinque, contra sensum omnium, etiam Corpuscularium. *Prob.*: nam qui tactus vulgò dicitur, & per omnes ferè corporis partes diffunditur, dividendus erit in plures alios, cùm tactivitas non sit æqualis ubique, sed in quibusdam partibus hebetior, in alijs acutior, ut experientiâ notum est.

37 Deinde: quia frustrà erit tantus organizationis apparatus in auribus & oculis v. g.: nam ad excipiendam impulsionem luminis, aut soni, sufficere posset simplex tunica subtilissima, nervis delicatissimis contexta: tota quippe differentia inter impulsiones luminis & venti, sita est in majore subtilitate corporum prementium; cui differentiæ non est cur proportionari nequeat tactivitas in simplici tunicâ, qualis v. g. est in intestinis, ubi objecta, quæ vix possent externum tactûs organum immutare, sæpe intensissimos dolores excitant, ut ait Tolet. cit. *l. 6. prop. 8.*

Certè ad sentiendam vibrationem aëris, à corpore sonoro venientem, sufficit communis tactus; ideòque illam toto sentimus corpore, cùm tormentum bellicum exploditur: tunc igitur totum corpus audiet. Immò & tunc audient vitreæ domorum fenestræ, vibrato aëre concussæ; non enim ipsis minùs est immanens illâ motio, quàm tympano auris. Item, cùm tactus, detractâ cuticulâ, in vivâ carne sit acutissimus, cur non sentit pressionem luminis, aut aëris sonantis? Ubique adsunt nervi, ubique spiritus animales; qui certè non sunt diversæ rationis pro communi tactu, ac pro reliquis sensibus; nam vel in ipsis organis visûs & auditûs inest communis tactus, cùm sæpe in ijs contingat dolor ab acrimonia humoris, à calore, & alijs tactilibus: ridiculum autem esset inibi fingere duo genera spirituum, quorum alterum à solo objecto tactili moveretur, alterum à solo visibili, vel audibili.

38 2.: stante Adversariorum doctrinâ, non poterit oculis & auribus percipi objectorum distantia. Percipietur utique summum, nervos impulsione affici magis aut minùs vehementi; sed an ab objecto dissito, an à propinquo, minimè; cùm possit organum ab objecto procul posito, v. g. à sole, percelli fortiter, & à vicino leniter, v. g. à lucernâ languidâ; quemadmodùm tactus, cùm à projecto lapide percutitur, violentiam quidem percussionis percipit; sed an impulsus à projectore propinquo veniat, an à distante, nequaquàm discernit. Et hinc, sicut sola corporum superficies propriè tangitur manu, ita sola illa luminosi radij vel vibrati aëris pars, quæ contigua est organis oculorum & aurium, propriè videbitur aut audietur. Nec prodest recursus ad radiosam pyramidem, aut angulum, quem Perspectivi considerant radijs visualibus formatum, quasi varietur impulsio luminis ex variatione istius angu-

guli ; qui magis aut minùs acutus ; vel obtusus evadit pro variâ objectorum distantiâ, & magnitudine. Nam primùm nullas est hujusmodi pyramidum, aut angulorum usus in auditu. Ac deinde objecta visibilia, mole inæqualia, possunt in eâ proportione locari, ut ob inæqualem distantiam æquales angulos efficiant in eodem visu.

39 Si fortè dicas, non brutum, sed hominem intellectu percipere distantiam objecti : cedò, undenàm percipiat homo : nam non habet unde (si nihil aliàs de objecto novit), nisi ex impressione factâ in oculis v. g. ; & hæc potest æqualiter fieri à vicinâ lucernâ languida, & à distante vividâ. Quòdsi brutum non percipit objecti distantiam, cur canis citissimè currit ad prædam procul visam, ne illa forsitan elabatur? Quia, *inquies*, à nervis visorijs impulsio resultat in motorios. Sed rejicieris facilè : tum quia impulsio lucis à prædâ distante reflexæ, nimis languida & tenuis est, ut tam violentum in pedibus motum causet : tum quia nunquam explicabis, cur illa impulsio cursum inferat versùs prædam, non in partem oppositam, ut accidit hoste conspecto : tum quia sæpe canis ad objectum distans movetur, non ad propinquum, licet idem sit ; ut cùm panem ab alto monstratum saltu arripit, eundem verò propiùs oblatum accipit immotus pedibus ; vel cùm ad ignotum canem eminùs visum hostili animo currit, cominùs verò accedens aut gradum sistit, aut pedetentim movetur. In his, & alijs passim occurrentibus, cùm nervi visorij fortiùs impelli debeant à propinquo objecto, cur minor aut nulla resultat impulsio in nervos motorios, qui ad conspectum objecti distantis adeò violenter agitantur?

40 Hinc sumo 1. argumentum. Si sensatio est motio fibrarum cerebri recludens tubulos nervorum ad motum inservientium, ut in eos irrumpant commoti spiritus ; igitur ex omni sensatione sequetur ejusmodi tubulorum apertio, & musculorum ad movenda membra concitatio. Cur ergo sæpe attentè legimus, audimus, imaginamur, facultate locomotivâ prorsùs otiante? Tunc certè moventur in cerebro radices nervorum ; aliter nulla tunc esset sensatio, juxta Adversarios. *Dices*, imperio animæ clausos manere tubulos, sicque impediri progressum spirituum. Sed non evades : tum quia, ut alibi argumentabar, si structura machinæ postulat aperiri nervos motorios ex vi commotionis cerebri, non poterit anima id impedire, quin violentiam inferat machinæ, ejusque subtilissimum artificium citò dissolvat, aut disrumpat : quòd autem id postulet machinæ constructio, certum est Adversarijs, qui propterea communicationem statuunt inter organa facultatis sensitivæ, & locomotivæ, ut scilicèt, spiritibus liberè commeantibus è nervis sensorijs in motorios, à sensatione resultent motus spontanei. Quid obicis, quidvè obturamenti ponitur ab animâ, quo intercipiatur communicatio ista, & obstruantur tubuli motorij, dum quieti legimus? Tum etiam, quia, occlusis imperio animæ motorijs tubulis, spiritus in sentiente cerebro concitati, qui ad eorum ostia cum impetu confluunt lege machinali, prohibito transitu repellentur, & in vorticem acti magnam in cerebro commotionem, violentamque, & perturbatam sensationem causabunt. At contrarium probat experientia : tranquillùs enim, ac serenùs legimus, & imaginamur, dum quieti sedemus.

41 Tum præterea, quia in brutis nullum est apud Adversarios imperium animæ nullave cognitio, liberam impediens transitum spirituum à sensorijs nervis in motorios, sed omnia ibi peraguntur ex legibus mechanicis juxtà structuram machinæ sibi relictam. At nihilominùs sæpissimè accidit, ut brutum

audiat, & videat, adeòque sentiat; nec tamen ullum edat corporis motum. Immò passim cernimus, brutum ex vi sensationis ab omni motu abstinere, non solùm cùm ad subitum novi objecti occursum hæret attonitum, sed etiam quasi ex intentione, vel studio. Considera vulpem, aut felem aviculæ insidiantem: ut humi stratо corpore se occulit: ut nullum sibi permittit motum: ut vel respirationem ipsam contineat ut se mortuam simulat præsertim vulpes, quò fidentiùs accedat avis incauta. Dic, oro te, cùm proculdubiò tunc adsit in cerebro intenta ac vivida sensatio, nullumque adsit imperium animæ, quid tunc in nervis motorijs obturat portulas tubulorum, ne quis spiritus, ne quis impetus deferatur in musculos? Vel quid easdem portulas subitò aperit, cùm felis, aut vulpes, in prædam jam satis propinquam repentè insilit?

42 4.: impulsus à cerebro dimanans medijs spiritibus in nervos motorios, non sufficit ad excitandos vehementes ac varios motus currendi, saltandi, &c.. *Prob.*: tum quia, ut ait Tosca cit tract. l. 3. prop. 13., *motus spirituum, à cerebro profectus, modicus est*; ipsaque ratio persuadet, à substantiâ molli, qualis est in cerebro & fibris ejus, non posse magnum impetum proficisci, præsertim qui diú perseveret, & quo canis post longum ac citatissimum cursum irruat in lupum, cum eoque violentissimè luctetur. Tum quia impressio luminis in nervos opticos, cum sit tenuissima (aliter sentiretur tactu), non nisi tenuissimè concutit cerebri fibrillas, quarum motio juxta Adversarios non est major, sed omninò similis ei, quę in sensorio externo excitatur: ergo sensatio cerebri per visum accepta, non nisi tenuissimum impetum imprimere potest nervis motorijs. Ex tali autem impetu quomodò resultare poterit ingens ille, quo canis venaticus ad leporem procul visum velocissimè currit? Accedit, quòd nervi optici, cùm sint alijs molliores, ut monet Tosca cit. l. 3. prop. 21., vix ullam poterunt motionem transmittere. Immò generatim (ut hoc obiter notem) quòd nervi sensorij sint tensi, quasi fides in citharâ, figmentum est Cartesij, immeritò adoptatum à Toscâ: nervi quippe nec recti sunt, nec duri, aut rigidi, sed inflexi, molles ac laxi; nec terminis fixis annectuntur, sed molli substantiæ, nempe carni, medullæ spinali, cerebro. Mitto, quòd major est in oculis & cerebro commotio, ac sensatio vividior, à propinquo objecto, quàm à longè disito: & tamen minorem sæpe, & interdùm nullum, in nervis motorijs impetum excitat, ut in exemplis n. 39., & in alijs innumeris.

43 Denique urgendi sunt Adversarij, ut ex suo sensationum systemate rationem aliquam vel apparenter idoneam reddant tantæ, ac tam mirabilis, quę in spontaneis animantium motibus cernitur, varietatis. Quid excitat canem, ut absentem dominum tam anxiè quæriter, hàc illàc solicitè cursitando? Memoria, *inquies*, seu phantasma domini, relictum in cerebro canis. Sed *contrà*: minorem sensionem in cerebro causat phantasma objecti absentis, quàm visio præsentis, ut concedit Tosca cum cæteris: quomodò ergo canis, invento domino, cessat à cursu, & placidè quiescit, cùm jam ex visione domini præsentis major est in cerebro sensio, & commotio? Cur etiam interdùm ad præsentiam domini saltitat, & tripudiat; ac deinde (præsertim si dominus non annuat) motus hosce compescit, quàmvis non desinat idem objectum aspicere? Nec recurras ad assuetudinem. Nam hujusmodi motus edit canis primâ vice, quâ dominum perdit, & invenit. Cur item oblatus ab hero panis impellit caninos musculos ad accurrendum; idem verò panis oblatus ab ignoto, musculos eosdem reddit stupidos? Quid motionis à pane resultat in musculos canis saturi,

dum

dum hicſemoto in loco panem abſcondit, & eumdem ibidem quærit redeunte fame?

44 Quid præterea concitat, ac dirigit multiplices & ordinatiſsimos apûm motus? Quid aves & pleraſque animantes impellit, ut nidos ſtruant commodos excipiendæ proli? ut cibo abſtineant, quo prolem alant? ut filios vel cum proprio periculo tueantur? ut aliò transferant (quod ſolent vulpes), ſi forte ab homine obſervatos viderint? utque alia præſtent admiranda, quæ ſine ſine recenſeri poſſent? Si motus belluarum ſemper eſſent uniuſmodi, tolerabilis forſan videri poſſet Corpuſcularium hypotheſis: at, quòd tanta vel in uno eodemque bruto motuum varietas unicè revocanda ſit ad impetum ſpirituum è cerebri fibris in muſculos lege mechanicâ decurrentium, omninò repugnat rationi, & experientiæ. Dicunt brutorum vim ſentiendi rem eſſe abditiſſimam, fateturque, difficile admodùm reddi poſſe rationem variorum in particulari motuum. Sed verò rem ex le abditam ipſimet penitùs inintelligibilem faciunt, dum motuum innumerabilium rationem reddunt non ſolùm difficilem, ſed nullam. Ipſimet ſibi fingunt tot inſcrutabilia naturæ myſteria, quot ſunt motus bruterum ſpontanei.

45 Ad nos quod attinet, myſteria iſta exponimus nullo negotio, per cognitionem ſcilicet dirigentem, & appetitum determinantem. Anima eſt, quæ machinam corpoream movet ope facultatis locomotivæ, nervis & muſculis præcipuè inditæ: facultas hæc ſubordinatur appetitui, ab eoque determinatur ad motum hunc, vel illum: appetitus autem dirigitur à prælucente ſenſatione interna, quæ verè perceptio & cognitio eſt, non ſolùm in homine, ſed in bruto, tametſi materialis: hanc in cerebro elicit anima juvamine qualitatis, quam *ſpeciem impreſſam* vocant (vid. diſp. ſequ.), & quam miniſtrant exteri ſenſus, dum ab objectis immutati (ſive per motum localem, ſive per priores alias ſpecies) ſuas ipſi eliciunt ſenſationes, ideſt, perceptiones objectorum. En totum ſenſationis & ſpontanei motûs proceſſum, ſatis intelligibiliter expoſitum; cui ſuperadditur in homine rationis actus, & voluntatis imperium, ſibi ſubjiciens materialem etiam appetitum.

46 Sicut ergo quærenti, unde proveniat homini tanta in ſpontaneis motibus varietas, pro ratione redditur ſubordinatio potentiæ locomotivæ ad imperium animæ, ſpirituali cognitione directum; cui rationi, tamquam ſatis claræ, ſtatim vel Corpuſculares ipſi acquieſcunt: ita ſimili ſuper belluinis motibus quæſtioni ſatisfit luculenter per ſubordinationem locomotivæ facultatis ad appetitum animæ, quem dirigit materialis cognitio. Repugnat, aiunt, cognitio materialis. Aiunt quidem, ſed omninò gratis, nulloque argumento alicujus ponderis allegato, ut vidimus diſp. 1. cap. 4. Tenendum igitur, quòd omnis ſenſatio, interna, & externa, non eſt mera motio localis, ſed eſt quædam objecti perceptio, ſive cognitio, inſtar ſimplicis & ſuaſivæ apprehenſionis intellectûs (ſat nobis agnitæ per experientiam) circa particularia objecta ſenſibilia; nec ab hujuſmodi apprehenſione differt, niſi titulo materialitatis, ſeu affixionis ad ſubjectum corporeum, & interdùm etiam claritatis.

*De phantaſmatibus memoriæ inſervientibus commentum incredibile.*

47 Non eſt hîc prætereundum, quod Toſca docet cit. l. 6. à prop. 22. ad 25. circa impreſsionem in cerebro, conſervationem, & excitationem phantaſmatum (ſic vocat ſpecies memorativas objecti abſentis jam antea ſenſati, quàmvis alias phantaſma vocetur actus phantaſiæ), quæ ſcilicet objec-

ta revocant in memoriam, aut phantasiæ objiciunt in somnijs. Summam accipe. Phantasma nihil aliud est, nisi affectio quædam in fibroso cerebri & cerebelli tractu, qui origini medullæ spinalis incumbit: quædam, inquam, posituræ vel figuræ mutatio (v. g. implicatio, adjunctio, divulsio, tensio, &c.) facta in fibris illius tractûs ex vi sensationis internæ. Mutatio hæc ibidem permanet: non tamen sentitur, quousque à sanguine, vel ab alio quovis pulsentur eadem fibræ; tunc enim similem affectionem reflectunt in commune sensorium, quo iterùm sentitur objectum idem. Et hoc est excitari phantasma, & memoriam objecti. Quoniam verò phantasmata multa seriatim asservari solent in memoriâ, immò plures etiam inconnexæ phantasmatum series; supponere oportet, quòd in eo tractu aliæ sunt fibræ primariæ, quæ cum alijs item primarijs complicantur, & velut in segmenta dividuntur; aliæ secundariæ, inter se pariter multiplici plexu complicatæ, & ex primarijs ortæ quasi ramuli.

48 In fibris itaque secundarijs imprimuntur phantasmata (idest, divulsiones fiunt, implicationes, noduli, vel quid simile), unumquodque in fibrâ suâ, vel saltem in alio ejusdem fibræ segmento: primariæ verò dirigunt lineas phantasmatum, ita ut, quando multæ sunt eorum series, unaquæque inhæreat ramulis unius tantùm fibræ primariæ secundùm idem segmentum inter primarias alias interceptum; cujus proinde motu linea vel series ramulorum debito cum ordine movetur, vel accipiendo cognata phantasmata, vel eadem reflectendo in plexum sensorium, ubi seriatim ipsorum memoria renovatur. Idcircò, dum aliquid memoriæ mandamus, laboriosum adhibemus nisum, ut in eodem non interrupto fibrarum ordine impressiones illæ collocentur, eo què nisu valdè conamur, ne aliæ succedant fibræ, quæ diversi ordinis phantasmatibus præoccupatæ sint. Cùm autem posteà meminisse volumus, siqua fibra rebellis phantasma suum reflectere renuat, frontem perfricamus, ut scilicèt eo affrictu vellicetur fibra renitens. Hæc dum legeris, vereor ne tibi narrari fabulam aut somnium putes. Doctrina tamen est à Philosophis vigilantibus fidenter asserta; quam refellere oportet, ut inde pateat necessitas specierum à nobis postmodùm asserenda.

49 Refellitur ergo 1.. Fibræ phantasmatum debent innecti vel continuari cum plexu nerveo sensorij communis; aliter non poterunt inde accipere, nec eòusque reflectere motionem: debent etiam, quatenùs inde diffunduntur in tractu memorato, per se habere tensionem aliquam more fidium in citharâ; si enim omninò laxatæ fiant, quasi fila negligenter in terrâ jacentia, nec in eo tractu movebuntur ex motione sensorij plexûs, nec ad illum reflectent motum suum, licèt pulsentur inibi; ut experieris in filis sericis, quæ ex plexu aliquo ducta, laxentur in tractu terreo, præsertim molli, qualis est cerebri substantia. At, si fibræ illæ à suo tractu ad sensorium usque sunt tensæ, sequitur 1., quòd, sicut per te nequit in illis fieri motio, quin fiat pariter in plexu sensorio, ita nec potest in eis permanere mutatio, quin etiam in sensorio permaneat: ergo phantasma, siquidem consistit in tali mutatione permanente, quamdiù durat, sensorio inerit, adeòque sentietur actualiter; vel saltem non poterit sensorius plexus novâ sensatione pulsari, quin excitetur phantasma præhabitum. Utrumque autem evidenti repugnat experientiæ.

50 Sequitur 2., quòd tensio maximè poni debet in fibris primarijs, siquidem per eas & à sensorio communicatur motus secundarijs, & ab his reflectitur in sensorium: ergo non poterit fibra primaria pulsari alicubi, quin tota moveatur, sicut chorda citharæ, ac proin-

proinde quin motum repentè communicet omnibus simul ramulis, seu fibris secundarijs, à se oriundis, saltem quæ spectãt ad unam seriem, vel ad idem primarię segmentum: ergo, qui longam concionem seriatim didicit, non poterit unius verbuli recordari, quin omnium turba phantasmatum ejusdem cõcionis simul excitetur, & uno impetu reflectatur in commune sensorium, contra manifestam experientiam. Sequela patet: quia, si vel unius verbuli phantasma occurrit, ejus fibra necessariò concutit primariam, à quâ oritur, & cùm hæc eo ipso tota tremat, concussionem suam necessariò communicat cæteris secundarijs, quarum concussio est omnium phantasmatum excitatio. Immò necesse erit, ut series omnes phantasmatum, quotquot in memoriâ servantur, excitatione unius excitentur illicò; quandoquidem fibræ, tam primarię, quàm secundariæ, complicantur inter se omnes; ac proinde, tensione suppositâ, commoveri debent ad motum cujuslibet.

51 Refellitur 2.. Si phantasma in eo consistit, quòd mutata sit alicujus fibræ positura, nullum phantasma poterit oblivione deleri, quin eo ipso in memoriam redeat, ita ut oblivisci sit recordari; quod in terminis implicat. Probatur tamen: quia non aboletur phantasma, nisi dum fibrę mutatio manere desinit, seu dum fibra redit ad posituram pristinam: fic autem redire, moveri est; & moveri fibram, est excitari phantasma, reflectique in commune sensorium, seu memoriam ejus renovari. 3.. Vel plura phantasmata hærent in eâdem fibrâ, vel unumquodque in suâ. Si primum dicas; excitato uno phantasmate, cùm jam fibra illa pulsetur, cętera simul expergisci necesse est. Si secundum (quod velle videtur Tosca); inprimis fine fundamento id fingitur, cùm possit una fibra plures nodos admittere in tractu suo. Deinde quæso abs te, in serie fibrarum, à primariâ pendentium, cui fibræ inhæret primum phantasma? Si primam, quę propinquior est parti sensoriæ, forsan eligas; secundum phantasma quo saltu transilit ad fibram secundam, & centesimum ad centesimam, intactis prioribus, quas invenit in transitu, dum à sensorio venit per fibram primariam? Saltem debebit illas transeundo concutere, nec poterit imprimi phantasma centesimum, quin excitet anteriora omnia. Si autem velis, ut primum phantasma inhęreat fibrę secundæ, vel ulteriori; præter quàm quòd gratis id voles, eadem redit in saltu priorum difficultas.

52 Lepidum verò est illud de nisu, vel conatu collocandi nova phantasmata in eodem fibrarum ordine, ac vendique, ne fortè in fibras incidant ordinis diversi. Quasi verò præ oculis habeamus fibras cerebri nostri, earumque numerum, situm, ordinem, ut certas quasdam, relictis alijs, ad impressionem phantasmatum pro libitu destinemus. Nihil de fibris norunt plerique hominum; qui tamen nisum adhibent, ut aliquid memoriæ mandent. Siquid sciunt Anatomici, cerè non magis, quàm rustici, sub potestate habent fibras proprias. Non minùs est lepida vellicatio fibræ rebellis, ex perfrictâ fronte resultans. Ad hunc sane finem oporteret, non frontem, sed occiput perfricari; nam tractus phantasmatum, cùm præcipuè ad cerebellum spectet, vicinior est occipiti, quàm fronti. Et cur sola vellicatur fibra renitens, cùm affrictus totum concutiat caput? Quodsi fibrę omnes eodem affrictu vellicantur, quomodò non phantasiam tumultuariò subeunt cuncta phantasmata?

53 4.. Nulla ratio est, quare phantasmata non imprimantur fibris primarijs, utpotè immediatiùs annexis parti sensoriæ, motionemque inde profectam, priusquàm ad secundarias perveniat, excipientibus. Si autem impri-

munitæ, cùm fibræ illæ non sint numero infinitæ, brevi replebuntur nodulis, aliisve mutationibus, ut jam plures capere non possint. Quin etiam fibræ secundariæ, si phantasmata non accipiunt nisi singulæ singula, sufficere non possunt ad phantasmata propè innumera, quæ in quorumdam hominum memoriâ simul insideat. Sunt, qui plures linguas apprimè callent, decem videlicet, aut amplius; varias item artes, & scientias; insuperque objecta norunt innumerabilia, quæ ad humanum usum & commercium spectant. Quot secundarias fibras necesse est habeat illorum cerebrum? Quot segmenta, & quàm longa in fibris primarijs, ut tot series phantasmatum diversas capiant? Et, si omnia unius linguæ vocabula, conjugationes, declinationes, concordantiæ, tropi, figuræ, sint, &c., non nisi ad unam spectant seriem, quod segmentum ad seriem tot expenetratorum phantasmatum sufficiet? Fatendum est igitur, rerum phantasmata non aliter in memoriâ retineri, nisi per qualitates penetrabiles, quas Peripatetici species intentionales vocant, & quę possunt, tametsi plures ac variæ sint, in eodem loco existere, in eademque cerebri parte recipi. Res quidem est admodùm occulta, præsertim quantum ad excitationem specierum: sed per doctrinam Corpuscularium confunditur magis, quàm exponitur.

## CAP. III.

## DE SENSIBUS EXTERNIS.

54 ORganorum accurata descriptio, pluraque alia sensus externos spectantia, quæ delectandis ingenijs potiùs, quàm acuendis aptiora sunt, videri possunt apud Anatomicos, & apud eos Physicos, quibus vacat naturalem Philosophiam curiosiùs persequi, & tractare per omnia. Multa dabunt scholastico ritu discussa PP. Conimbricenses in 2. de Animâ à cap. 6., & Exim. Doctor lib. 3. de Anim. à cap. 8.. In præsenti, quæ magis utilia videbuntur, juxta Scholæ morem strictim attingemus.

### DE VISU.

55 Visus definiri potest, *Sensus exterior perceptivus lucis & coloris.* Ejus organum residet in oculis: quorum fabrica sub palpebris contenta, ut à plerisque exponitur, coalescit ex tribus humoribus, quinque tunicis, septem musculis, & duobus nervis, hoc videlicet compositionis ordine. Figura oculi globosa est: centrum ejus occupat *humor crystallinus*, pellucidâ inclusus tunicâ, quę *specularis*, & *aranea* dicitur. Hujus humoris & tunicę hemisphęrium, seu medietatem posteriorem versùs cerebrum, contegit *humor vitreus*, obtectus ipse tunicâ *reticularis*, *retinâ* seu *retiformi*, sic dictâ, quia multis venulis & arteriolis contexta est. Sequitur deinde ulterior tunica, cujus anterior pars *uvea*, posterior *choroides* vocitatur: tunica hęc totum oculi globum sic vestit, ut in anteriore parte relinquat circulare foramen, quod *pupilla* dicitur (alij pupillam vocant humorem crystallinum), ut per illud species visuales, vel radij luminis, ingredi possint in humores crystallinum & vitreum. Hęc eadem tunica, quâ parte vocatur *uvea*, finitur aliquatenùs, & superfulum excipit *humorem aqueum*, quem exteriùs cohibet alia tunica, totum ambiens oculum; cujus tunicę pars posterior obduritiem *sclerotica* nominatur, anterior verò *cornea*, quia more corneæ laminæ tenuissimæ diaphana est, maximè quatenùs obtenditur pupillę foramini. Post hanc sequitur alba tunica, seu membrana, *adnata* nomine: hęc ambitum oculi complexa definit ad coloratum circulum, qui circa pupillę foramen ex uveâ formatur, & *iris* dicitur; quam ad iridem terminantur fibrillæ quædam à reti-

ti-

tinâ profectæ, quæ *processus ciliares* appellari solent.

56 Musculi septem deserviunt advarios oculi motus: quatuor oculum flectunt sursùm, deorsùm, dextrorsùm, sinistrorsùm: duo circumferunt: septimus oculum sustinet, & illigat sedi suę. Duo nervi ortum ducunt a dextrâ, & sinistrâ cerebri parte: paululùm progressi, coeunt: & iterùm deinde sejuncti, alter ad dextrum, alter ad sinistrum oculum pervenit. Dicuntur *optici*, seu *visorij*; tum quia per eos à cerebro ad oculos deferuntur spiritus animales, ad visionem omninò necessarij, adeò ut ijs nervis obstructis, negatoque spiritibus transitu, nihil videant oculi, tametsi cætera illæsa; tum quia per eosdem ab oculis ad cerebrum transmittuntur objectorum species, ut multi credunt. Cujusvis optici, ut & cæterorum nervorum, substantia est triplex: nimirùm intima, quæ alba est, ac medullaris, & à medullâ cerebri derivatur: tum duplex tunica, interior, & exterior, quarum prima piæ matris, secunda duræ matris propago est. Dicitur *pia mater*, seu *pia meninx*, tunica illa subtilis, quæ mollem cerebri substantiam immediatè ambit: alia verò tunica, huic superinducta, quę internam cranij cavitatem succingit, *dura mater*, seu *durameninx* appellatur. Porrò tres ex quinque memoratis oculi tunicis oriuntur a triplici nervi optici substantia, velut totidem ejus expansiones: videlicet, a medullâ nervi procedit retina, à tunicâ interiore choroides, ab exteriore cornea.

57 Jam *quæritur* 1., quænam ex partibus hucusque enumeratis sit proprium visionis organum? Communis Peripateticorum sententia, cum Aristotele apud P. Suar. lib. cit. c. 18. tenuit, visionem in pupilla fieri, id est, in humore crystallino. Corpusculares hodierni, quos Tolet sequitur tr. 10. l. 6. prop. 16., nonnullis etiam Peripateticis consentientibus, plerùmque docent, visionem fieri in retina. Plures tamen ex ijdem modernis pro choroide pugnant; quorum fundamenta indicat Author Philos. Burgund. part. 3. tr. 1. differt. 3. c. 5., & impugnat P. Jo. Bapt. de Benedictis tom. 3. l. 4. q. 4. c. 2. §. 2.. Mihi pro retinâ standum videtur: non quod illa nerveis fibrillis exquisito sensu prędictis contexta sit, ut supponit Tolet; id enim pernegant qui stant pro choroide: sed quia in retinâ colliguntur & sistunt specierum visualium radij, seu lineæ, quæ totos humores crystallinum & vitreum, utpotè diaphanos, penetrant. Hinc enim sequitur, visionem intra crystallinum haud fieri; cùm non sit credibile, nec utile, species videndo destinatas ultrà visionis officinam altiùs penetrare. Sequitur etiam, excludendam esse choroidem; cùm ad eam, utpotè à tergo retinæ positam, non perveniant species: retina quippe, licèt nonnihil translucear, satis habet opacitatis, ut progressum terminet specierum, ficuti terminat charta papyracea, licèt aliquatenùs pellucida. Probationes alias invenies apud Authores modò laudatos.

58 *Quæritur* 2., quid ad visionem conferat humor crystallinus? *Resp.*, conferre plurimum: cùm enim figuram habeat lenticularem, qualis est in vitro cubi optici, specierum radios in uveę foramen incidentes ita refringit, & colligit juxta leges Dioptricę, ut qui ab eodem objecti puncto veniunt, ad idem retinæ punctum terminentur, prout opus est ad claram, distinctamque visionem objecti, vel, ut Optici loquuntur, ad objecti effigiem in retinâ delineandam. Experimento compertum est, quòd, in foramini cubiculi penitus obscuri apetur lens vitrea, radij lentem subeuntes in oppositâ chartâ depingunt externi objecti figuram, quasi totidem penicilli. Idem accidit, si fenestræ foramini adaptetur oculus artificialis, quem Optici formant ex duplici vitro, & chartâ retrò posita loco retinę: item si

aperiatur similiter oculus vituli recèns occisi; de quo Tosca cit. l. 6. prop. 16.. Hinc Optici, & moderni Physici colligunt, id ipsum accidere in oculo vivente, ut scilicet radij per crystallinam lentem naturalem transmissi, distinctè delineent in retinâ imaginem objecti; inverso tamen situ, ita ut pars objecti dextra, sit in imagine sinistra, & sic de alijs; quod etiam in prædictis experimentis accidit.

59 In imagine istâ supponunt aliqui visionem consistere. Sed perperàm: tum quia visio est actus vitalis, ac proinde ab intrinseco; illa verò imago, aqua est, purè fit ab extrinseco: tum quia imago eadem fieri potest, oculo nihil vidente, ut si nervus opticus obstruatur. Alij volunt, per actum visionis tantùm percipi effigiem in oculi fundo sive in retinâ pictam; eam verò deindè comparari cum objecto externo per actum phantasiæ, vel intellectûs. Sed æquè perperàm, & contra sensum omnium, quibus à naturâ persuasum est, objecta extra visum posita visu percipi, necnon eorum distantiam, magnitudinem, verumque situm partium. Ea igitur imago nihil est distinctum à speciebus objecti, quæ per sui reflexionem à retinâ, vel à chartâ vitreę lenti oppositâ in experimento, de quo nuper, apparere faciunt objecti figuram in eo loco, velut in quodam speculo: apparere, inquam, non ipsi visui species reflectenti (hic enim non aspicit reflexè talem imaginem, seu objectum quasi locatum in retinâ propriâ), sed alteri extrinsecùs spectanti. Ideò autem inversus apparet situs partium, quia earum species ad illas retinæ partes terminantur, unde possint partes ipsæ objecti in proprio situ aspici per lineam rectam; quæ linea non est, nisi à parte retinæ dextrâ ad sinistram objecti, & sic de alijs.

60 Ex dictis inferes, falsam esse opinionem eorum, qui Platonem secuti, visionem fieri putárunt, non tam intùs recipiendo, quàm extramittendo, id est, non tam per lucem aut speciem ab objecto in oculos immissam, quàm per emissionem radiorum aut spirituum ab oculis ad objectum. Hęc opinio confutatur à P. Suar. l. c. cap. 17. &, cùm nullum hodiè patronum habeat, nos morari non debet. At, inquies, animalia quædam ex oculis emittunt radios, quibus noctu vident. Emittunt quidem: sed inprimis radiatio ista non convenit plerisque animantibus, nec prodest diu, sed noctu: ac deinde non oritur ab oculi fundo, sed ab extimâ parte, seu a tunicâ adnatâ; nec aliter ad visionem confert, nisi quatenùs objectum illustrat, ut illud ad oculos mittat speciem sui. Opponi quòque solet exemplum hominis cujusdam, qui semper ob oculos habebat simulacrum suis de quo meminit Aristoteles 3. Meteor. c. 4., causam que reddit, quia visûs debilitas non poterat aërem propellere, utique per emissionem radiorum. Sed respondetur, Aristotelem ibi fuisse locutum, non ex propriâ, sed ex Platonis opinione; causam verò genuinam esse, quòd homo ille multa corporis evaporatione densabat proximum aërem, qui ipsi erat pro speculo. Fortassis etiam, lęsâ phantasiâ, videre sibi videbatur, quod reipsâ oculis non videbat, ut interdùm accidit melancholicis.

61 *Quæritur* 3., cur unum objectum geminis oculis aspicienti non appareat duplex? Aliqui apud Conimbric. l. c. in cap. 7. q. 7. ar. 2. causam esse putárunt, quòd geminis oculis non fiat duplex visio, sed una tantùm, nec alibi, quàm in eo loco, ubi junguntur nervi optici, priusquàm ad oculos divertant; quia scilicèt ibi uniuntur species utroque oculo susceptę. Hoc tamen jam ab omnibus rejicitur, nominatim à Conimbric. ibidem, & à P. Suar. cit. cap. 18.. Certè congressus ner-

nervorum opticorum unus & idem manet, cùm alter oculus digito paululùm attollitur; & tamen tunc apparet objectum duplex. Vera igitur causa est, quòd uterque oculus ab eodem objecto ex eodem loco per lineam rectam immutatur in eâdem utriusque retinæ parte, ideòque ad eumdem locum dirigitur utraque visio, & uterque axis opticus, seu visualis: falsum quippe est, quod aliqui volunt, axes utriusque oculi semper sibi mutuò parallelos esse. Hæc etiam est causa, cur idem objectum, à multis hominibus simul aspectum, omnibus appareat unum. De cætero non est dubitandum, quin duo oculi visiones eliciant duas, per duas utique potentias visivas; quæ tamen censentur quasi partes unius potentiæ, quia in eodem supposito conspirant ad eadem objecta simul & uniformiter percipienda, & eidem cerebro renuntianda.

### *De Objecto Visûs.*

62 Constat apud omnes, proprium visûs objectum esse lumen & colorem. Sed *quæres* 1., quid sit lux, aut lumen? Ante responsionem observa, quatenùs differant lux primaria, & secundaria, lumen, radius, splendor. *Lux primaria* dicitur, quæ incst corpori ex se lucido, ut sunt ignis & Sol: *secundaria*, quæ est ab extrinseco accepta, ut in Lunâ (hanc etiam differunt *lucidum* seu *luminosum*, & *illuminatum* sive *illustratum*, quòd illud luce propriâ, hoc adventitiâ fulgeat): nonnunquàm primaria vocatur, quæ à lucido funditur per lineam rectam; quæ verò ex hâc ipsâ versùs latera spargitur, secundaria. *Lumen* appellatur lux prout existens in medio transparenti, ut in aëre: *radius*, lux per lineam rectam diffusa; quæ dividitur in radium *directum*, *reflexum*, & *refractum*, de quibus vid. disp. 3. de Gener. n. 87. & 88. Denique *splendor* dici solet lux illa intensior, quæ resultat ex directâ & reflexâ circa corpus obstans. His nominibus lucem quidem speciei significari cum solâ diversitate intensionis, loci, vel subjecti, communis est Philosophorum sententia: si tamen Scotistas excipias. Hi namque *lucem* tantum vocant, quæ lucido inhæret; *lumen* verò, quod extra lucidum diffunditur: atque hoc in *primarium* & *secundarium* dividunt: lumen primarium vocant radium, qui rectà provenit à lucido, & qui reflectitur à corpore polito & terso; secundarium, quod à radijs illis spargitur in omnem loci differentiam. Utrumque, tum inter se, tum à luce, distinguunt specificè. Nam lumen primarium, inquiunt, est species intentionalis ad videndum lucem; & secundarium similiter ad videndum primarium. Unde lumini tribuunt esse reale simul & intentionale: reale, quatenùs potest videri, & effectus causare reales extra animam: intentionale, quatenùs concurrit ut species ad visionem, non sui, sed alterius objecti. Vid. Mastr. hîc disp. 5. q. 2. ar. 2. Nos in præsenti cum communi loquemur indiscriminatim de luce, lumine, &c.

63 Lux igitur (ut quæstioni respondeam) ab Aristotele 2. de Animâ c. 7. definitur, *Actus perspicui*, *ut perspicuum est*, quid est, forma constituens corpus in esse perspicui; quæ est definitio per effectum formalem. Perspicuum autem definit Aristoteles per ordinem ad visum: sed, ut vitetur circulus, dici potest, idem esse corpus *perspicuum*, ac *clarum*, & lucem esse *claritatem corporis*: quos terminos frustra conaris reddere clariores, quasi aliquid inveniri possit claritate clarius. Aliud dicitur *perspicuum terminatum*, corpus scilicet *opacum*, quod lucem quidem recipit, sed eam in superficie terminat, seu sistere cogit: aliud, *perspicuum interminatum*, corpus nempe *diaphanum*, seu *transparens*, quod totum à luce pervaditur. Diaphaneitas & opacitas sunt dif-

dispositiones contrariæ, altera expediens, altera impediens progressum lumenis; sæpéque miscentur in gradu remisso. Non tamen dicitur simpliciter diaphanum, nisi corpus transparens: quod verò non est luci pervium, licèt aliquam diaphaneitatem habeat in superficie (aliter non reciperet lucem), dicitur simpliciter opacum. Porrò lumen non esse corpus, utpotè penetrabile cum aëre, crystallo, &c.; nec esse motum corporis, utpotè in momento diffusum é Cœlo ad terram usque; sed esse veram qualitatem (quæ tamen in diffusione radiorum naturâ suâ imitatur quodammodò motum impulsi corporis, ideòque metaphoricè dicitur reflecti, & retringi), supponimus cum totâ Scholâ Peripateticâ, quidquid reclament Corpusculares. Vide, quæ remissivè diximus in Synopsi de Cœlo &c. c. 2. a. 28. 2 & conule Conimbric. in 2. de Cœl. c. 7. q. 2.

64 *Quær.* 2., quid sit color? Aristoteles duas dedit definitiones coloris, satis obscuras: alteram 2. de Anim. c. 7. sic, *Motivum ejus, quod est actu perspicuum*; hoc est, id, quod per sui speciem visualem potest movere seu immutare medium diaphanum actu illuminatum: alteram lib. de sensu & sensib. c. 4. per hæc verba, *Terminus*, seu *Extremitas perspicui in corpore terminato*; quam definitionem alij sic intelligunt, ut color sit ipsa superficies corporis opaci, prout illustrata; alij, ut sit terminus resultans ex permixtione perspicui & opaci; alij, ut sit accidens in superficie corporis opaci visibile; alij, ut sit illa corporis opaci dispositio, quæ tractum medij transparentis terminat, seu finit; alij aliter, ferè ut cuique libet. Utraque definitio varias patitur objectiones: nec pro alterutrâ pugnandum, ut pro aris, & focis: nam germana coloris definitio pendet a sententiâ, quam quis tenuerit in quæstione sequenti.

65 *Quær.* ergo 3., an color sit qualitas à luce distincta? Supponendum 1., nullum colorem videri posse, nisi luce perfusum, & per medium diaphanum, ut omnium consensus & experientia suadent. Unde rejiciendum mendax hominum genus, vulgò *Zaberis*, qui Thesauros & cadavera sub terrâ condita videre se dictitant; de quibus P. Delrius lib. 1. disquis. magic. cap. 3. q. 4., & latiùs in Comment. ad Senecam Tragic. in *Medeâ*. Venæ tamen aquarum, & metallicæ, poterunt externis indicijs innotescere. Suppon. 2., duos esse colores *extremos*, seu extremè oppositos, nempe album, & nigrum; plures alios esse *medios*, seu non adeò inter se dissimiles, qui tamen censentur simplices, ut sunt ruber, viridis, cæruleus, &c.; quosdam verò esse *mixtos*, seu ex alijs compositos, ut est color fuscus ex nigro & albo. Suppon. 3., colores alios vocari *veros*, alios *apparentes*. Dicuntur veri, qui sub quovis aspectu & lumine cernuntur ijdem, ut colores nivis, rosæ, smaragdi, &c. apparentes autem, qui omninò pendent à radiatione lucis è certo situ, quo variato, statim evanescunt, ut colores Iridis, & qui sub radijs solaribus è certo loco aspiciuntur in collo columbæ, plurésque alij. Colores hosce à lumine indistinctos asserunt ex Peripateticis plerique: non desunt tamen, qui distinctos dicant, nec tam vocandos esse apparentes, quàm transeuntes, aut fugaces, quia in fieri & conservari pendent à lumine: colores verò primi generis, fixos vocant, aut permanentes.

66 De coloribus ergo veris, seu permanentibus, prima sententia tenet, eos, formaliter ac propriè acceptos, non distingui à modificatione lucis, seu à luce ut variè modificatâ per superficiem corporis opaci ratione asperitatis, lævitatis, porositatis, opacitatisque diversæ, prout diversa est figura, seu textura particularum. Hinc

enim

enim provenit inordinata reflexio luminis versùs omnem partem, variaque permixtio radiorum cum umbris (differunt umbræ à tenebris, quòd istæ lucem omnem tollunt, illę verò nonnisi radios, seu lumen primarium, ut patet in umbris arborum lucente Sole); quæ permixtio, pro diversitate proportionis, colores diversificat. Quapropter color in communi definiri debet, *Lumen ab opacitate modificatum*; vel etiam, *Lux per opacitatem inumbrata*; quæ definitio sumitur ex D. Thomâ in 2. de Animâ lect. 14. in fine, ubi sic ait: *Color nihil aliud est, quàm lux quædam quòdammodò obscurata ex admixtione corporis opaci.* Hæc intellige de colore proprie dicto, sive in actu secundo: nam color in actu primo, seu fundamentalis, est illa corporis in superficie dispositio, quæ potest lucem modificare, ut dictum est.

67 Sententiam hanc, sic, vel paulò aliter explicatam, amplectuntur cum nonnullis veteribus Cartesiani, & Atomistæ communiter, eamque latè sequitur Tosca tr. 4. l. 4. c. 3.. Consentiunt ex Peripateticis Ægidius, Cajetanus, Javellus, Soncinas, & alij apud P. Suar. l. c. cap. 15.; quibus subscribunt ex modernis aliqui, ut PP. Quiros, & Jo. Bapt. de Benedictis. Allegatur Aristoteles in secundâ definitione, de quâ suprà n. 64.: item D. Thomas verò is nuper adductis, & mox adducendis: item hymnus Ecclesiæ ad Laud. fer. 4., *Rebusque jam color redit vultu nitentis sideris*; & illud Poetæ 6. Æneid., *Rebus nox abstulit atra colores.* Probatur deinde sententia ista 1.: quia objectum unius potentiæ debet esse unum: si autem color est alia qualitas à luce, visûs objectum erit multiplex; non enim dabitur una ratio communis colori & luci tantùm, nisi forsan ratio *visibilis*; per quam certè non specificatur, seu non explicatur natura potentię sine vitioso circulo. Unde D. Thomas cit. lect. 14. in fine, hanc difficultatem solvit his verbis: *Cum lux sit quodammodò substantia coloris, ad eamdem naturam reducitur omne visibile*; videlicèt ad naturam lucis, quæ solùm à colore distinguitur quatenùs pura est, vel recepta in diaphano, ut ibi significat S. Doctor. Hinc promiscuè dicitur, visum tendere, jam sub ratione lucis, jam sub ratione coloris; quia scilicèt utraque ratio est una & eadem quoad substantiam; & lux, etiam pura, vel extra opacum, color quidam est, qui vocari potest *color sidereus*, vel cum Aristotele 2. de Anim. t. 69. *color diaphani.*

68 2.: quia color apparens, aut transiens, non est alia qualitas à luce: ergo idem censendum de vero, vel permanente. Antecedens conceditur à plerisque Adversarijs; & contrà negantes ostenditur facilè. Tum quia sæpe accidit, ut, permanente eodem lumine, & eodem corpore illustrato, pro solâ intuentis mutatione diversus color appareat: quid autem confert situs aspicientis, ut alia & alia resultet coloris qualitas? Tum quia radij Solares trajecti per crystallinum prisma, seu trigonum vitreum, vividos exhibent colores iridis, qui, mutatâ vitri figurâ, non apparent: quid autem confert ad qualitates producendas figura prismatis? Tum etiam, quia lux transiens per vitrum viride, vel rubrum, vel aliter coloratum, eodem colore tingit proximum aërem, aut parietem: quid autem confert vitri color ad novam productionem, cùm color non sit activus? Consequentia verò probatur: nam eadem est natura utriusque coloris, exceptâ firmitate, vel durationę. Tum quia uterque visum & phantasiam immutat eodem modo; neque ullam perceptionis diversitatem inducit. Tum quia uterque visu percipitur, non ut pura lux, sed ut color: ergo, sicut verè & realiter sonus est, quidquid aure percipitur ut sonus, ita &c.; non enim

sensus externi fingunt. Tum quia color transiens, & permanens, se invicem intendunt: nam, si radius Solis, jam aliunde rubescens, incidat in corpus rubrum, rubescit magis; & per vitreum prisma trajectus in corpus viride, reddit viridius. Tum etiam, quia vera natura coloris dure negabitur cæruleo, qui velut Cœlo inhæreus conspicitur: hic tamen consistit in lumine permixto innumeris umbris, aut umbellulis, quas causant athmosphæræ corpuscula: vel certè inter apparentes numerandus est; nam qui *veras* dicitur ab Adversarijs, non convenit Cœlo, nec aeri.

69 3.: quia sola mutatio figuræ, vel texturæ particularum in superficie corporis, colorem variat. Sic vitrum, & lapides nigri, si conterantur in pulverem, albescunt. Sic albumen ovi, crebrò commotum, ex perspicuo fit album: idemque accidit aquæ in spumam conversæ, extra mutationem temperamenti; & eò magis albescit spuma, quò minutioribus constat bullulis. Sic nix, simul ac liquefit, soluto contextu candorem amittit. Sic etiam, cùm nix & glacies solùm differant in texturâ particularum, tamen nix est alba, & glacies diaphana more crystalli. Tandem: quia, licèt variorum colorum genesis in particulari sit explicatu difficilis in quacumque sententiâ, in hac tamen satis appositè dicitur: quòd albedo fit per multam & inordinatam reflexionem luminis, raris umbris, aut ferè nullis interruptam: nigredo, per reflexionem modicam, plurimis intermixtam umbris, eò quòd plerique radiorum in porulis, aut cavitatibus, quibus maximè constat nigra superficies, infossi, ac sepulti, reflecti nequeant: colores autem medij, partim per solam luminis refractionem, partim per eam simul cum reflexione; & generatim per variam proportionem lucis & umbræ.

70 Secunda sententia, inter Peripateticos adeò recepta, ut supervacaneum sit Authores citare nominatim, colorem asserit qualitatem specialem, à luce distinctam, & ex temperamento primarum, seu ex elementorum mixtione resultantem. Unde negatur communiter, quòd elementa pura, & corpora cœlestia verum habeant colorem. Quia verò multa sunt mixta diversi temperamenti, quæ tamen uniformiter colorantur, v. g. nix & lana; ideò aliqui requirunt ulteriùs pro colorum genesi certum densitatis gradum; alij certam diaphaneitatis cum opacitate mixtionem; ex quâ etiam nonnulli censent posse resultare colorem in elemento puro, & in cœlesti corpore. Color itaque definiri poterit, *Qualitas propria mixti corporis, quatenùs perspicuitatem*, seu *diaphaneitatem aliquam habentis opacitate terminatam*; vel, si color ponatur etiam in corpore non mixto, *Qualitas luci cognata, per se supponens admixtionem diaphani cum opaco.*

71 Sed, cùm color indigeat lumine, ut videatur, hujus indigentiæ ratio variè redditur. Nam 1., juxta plures, lux est objectiva conditio, ut color propriâ virtute adæquatè producat visualem speciem sui: juxta alios, color ita subordinatur lumini ut nequeat emittere propriam speciem, nisi lumen priùs emittat suam ex eodem loco. 3.; juxta plures alios, color ex se virtutem habet tantùm inchoatam, sive incompletam, ad mittendam speciem, ac proinde solùm est visibilis incompletè, sive in potentiâ, donec adveniat lumen, cujus virtute adiutus producit speciem, utrique repræsentativam coloris & luminis per modum unius, ut multi volunt: quare color in esse visibilis completur per lumen, & ex utroque fit unum visibile, in quo lumen est quid formale, color verò quid materiale; vel, ut aiunt Thomistæ, color est objectum *quod*, seu ratio *quæ*, lumen autem ratio *sub quâ*, respectu visûs. Tertius hic dicendi modus, cui favet D. Tho-

Thomas varijs in locis apud P. Suar. lib. cit. c. 16., & apud Colleg. S. Th. Complut. 2. de Anim. q. 7. n. 26., videtur per lumen constituere colorem formalem, sive actualem: cùm enim de conceptu coloris sit visibilitas, si hæc pro formali consistit in lumine, color sine lumine non erit color formaliter, sed solùm materialiter, incompletè, vel in potentiâ: quod multùm accedit ad primam sententiam n. 66. expositam.

72 Quòd tamen color sit specialis qualitas præter lucem à superficie corporis modificatam, probatur 1.: quia color colori est contrarius: lux autem contrario caret. 2.: quia colores inter se differunt specie, quamvis lumen sit idem. 3.: quia incredibile est, abeunte Sole perire colores & picturas omnes, & iterùm in aurorâ produci. 4.: quia visus distinguit in objecto colorem à luce: sæpe enim videt objecta duo æqualiter à Sole illuminari; & tamen discernit, alterum esse album, alterum nigrum, aut alius coloris. Visus item percipit, remitti lucem, & non remitti colorem: nam, si objectum v. g. purpureum ex aliquâ distantiâ spectes sub luce intensâ, postea sub remissâ non minùs purpureum cernes, si propiùs accedas.

73 Hic addi potest contra explicationem primæ sententiæ, quòd multa sunt unius coloris, quæ tamen in superficie non habent texturam uniusmodi. Quis enim uniformiter contextas eredat superficies nivis, ovi, cygni, lactis, lintei, &c.? Dispositio superficiei multùm pendet à temperamento; ideòque diversæ complexionis homines cuticulam habent magis aut minùs asperam, aut lenem: erit ergo temperamentum uniforme in lacte & nive, vel in sale & saccharo; quod est evidenter falsum. Magis certè in his differt temperies, & textura particularum, quàm in hominibus, Æthiope, & Belga; quorum tamen color adeò est diversus. Quòdsi fingas cuticulam Æthiopis totam porulis & cavernulis perforatam; Belgæ verò ita compactam, ut vix ullum infodiat luminis radium; haud facilè persuadebis, etiamsi provoces ad microscopium. Accedit 1., quòd sæpe mutatur color sine mutatione superficiei: non enim texturam mutat capillus, dum canescit, nec pomum, dum maturescit, nec facies ejusdem hominis, dum pallescit, aut rubescit. Accedit 2., quòd sæpe nigrum corpus est densius candido, ut patet ex pondere, quod majus est in marmore nigro, quàm in ebore, vel in lanâ dimensionis æqualis: est igitur minùs porosum, & cavernosum; siquidem densitas juxta Corpusculares consistit in paucitate, vel constrictione pororum: non ergo plures infodiet radios lucis, quàm album levius. Accedit 3., quod in quibusdam nigris lapidibus, dum tersi ac politi sunt, cernitur facies aspicientis, ut in speculo: non igitur nigredo impedit reflexionem. Mitto alia, quæ possem objicere.

74 Missam quòque facio sententiam aliam, bene impugnatam à P. Jo. Bapt. de Benedictis cit. l. 4. q. 4. c. 2. §. 1.; quę scilicèt naturam coloris explicat per lucem quandam ingenitam, & incorporatam opaco. Celebriores sunt duæ illæ, quarum præcipua fundamenta tetigi, & quarum alteriori examine superfedeo. In decursu tamen loquar, ut hactenùs, juxta Peripateticam. Quâ suppositâ, quædam adnoto. 1.: licet color videri nequeat, nisi luci conjunctus, lux tamen à colore sejuncta videri potest, ut reipsâ videtur in Sole, & stellis; non enim his creditur inesse color. Cernitur quoque lux in aëre coloris experte; nec solùm ut objectum *quo*, sed etiam ut *quod*: quamvis enim visio non fiat in aëre illuminato, sed per illum quasi progrediatur ad colorem aliquem (sufficit color apparens, qualis est cæruleus, vel cyaneus

qui Cœlo attribuitur); verè tamen lumen aëris est id, quod visu percipitur velut in transitu. 2.: ad videndum colorem aut lumen, non requiritur lux ex parte medij, saltem totius, nec ex parte potentiæ, sed sufficit ex parte objecti lucidi, vel colorati, dummodò medium, seu spatium interjectum, sit diaphanum. Sic tenet sententia communior; cui favet experientia, dum noctu videmus ignem remotissimum, & nivem juxta positam, vel dum ex obscuro recessu cernimus exteriora objecta illuminata. Plures tamen contendunt, semper illuminari medium, saltem tenuiter, usque ad visum. 3.: ratio *sub quâ* potentiæ visivę comprehendit lucem & colorem, estque ratio utrique communis, non univocè, sed analogè; quę vocari potest vel color ut sic, vel lux ut sic: nam & color est quędam participatio lucis, & ad lucem extenditur nomen coloris, exemplo Aristotelis 2. de Anim. c. 7., & sępe aliàs. Sufficit autem unitas analoga in objecto adęquato unius potentię; ideòque ratio entis, licèt juxta plurimos analoga, tota respondet potentiæ intellectivæ.

### *De Auditu.*

75 Auditus definitur, *Sensus exterior perceptivus soni*. Ejus organum protegitur auriculâ externâ, cartilagineâ, & ossi solido, quod *petrosum* vocant affixâ. Ex hac versùs cerebrum deducitur flexuosus callis, in cavitatem desinens aëre communi plenam, quam terminat membrana tensa, & annulo osseo affixa more bellici tympani, quæ propterea *tympanum auditûs* appellatur. Post tympanum sequitur alia cavitas, quę plena creditur inhibitantiâ quâdam aereâ, sed animatâ, quam vocant *aërem innatum*. Observantur inibi ossicula tria, inter se cohærentia, quæ tympanum quasi sustinent, proprioque motu laxant, aut tendunt, & à figurâ nominantur *malleus*, *incus*, & *stapes*. Hęc eadem cavitas per duo foramina, *rotundum*, & *ovale*, communicat cum duabus alijs interioribus, quarum altera *labyrinthus* dicitur, altera *cochlea*, vel etiam *cavitas cæca*, quòd exitum non habeat, cùm à labyrintho in ipsam pateat aditus.

76 Jam, si quæras, quęnam ex his partibus sit propria auditionis officina? non una est omnium responsio. Nam aliqui suffragantur tribus officinis, præsertim stapedi, cui sua cavitas est, & membranula desuper tensa, quasi brevius tympanum: plures alij, tympano præcipuo: multò plures, innato aëri: non pauci è Modernis, subtili tunicæ, quæ cochleam vestit, & propagata creditur à medullâ nervi auditorij, perinde se habens in aure, ac retina in oculo; est enim ultima pars organi, ad quam perveniunt soni, vel eorum species, quibus propagandis frustrà parata fuisset ulterior cavitas, si auditio fieret in tympano, vel in aliâ parte ante cochleam.

77 Objectum auditûs est Sonus; de quo nihil certum habetur, nisi quòd sine motu non fiat, & quòd resultet ex violentâ percussione, collisione, vel divisione corporum, & per aërem plerumque diffundatur ad aures usque. De naturâ ejus potissima quæstio est, An consistat in motu aëris, vel corporis sonantis? an verò sit qualitas ex motu, vel cum motu resultans? Primum asserunt Corpuscularες omnes, & ex alijs nonnulli: secundum, ferè omnes Peripatetici; quorum sententia multò est probabilior. Nam ex oppositâ absurdè sequitur, sonum tactu & visu percipi, atqueadeò audiri manibus & oculis. *Prob. Sequel.*: quia tactu & visu percipitur motus tremulus, seu vibratorius, in quo juxta Adversarios consistit sonus; ut patet in tremore campanæ sonantis, qui manu leviter admotâ sentitur; & in vibratione fidium instrumenti musici, quam non solùm tac-

tactus, sed visus etiam percipit; & in aliis exemplis, quę ipsi afferunt Adversarii, ut oculorum testimonio probent, sonum perfici motu tremulo. Vide Toscam tr. 4. lib. 5. cap. 1.; qui tamen absurdę illius sequelæ, quàmvis obvia sit, passimque à Peripateticis objecta, non meminit; fortasse quia solutionem desperavit.

78 Nec proderit dicere, sonum esse, non cujusvis corporis, sed solius aeris tremorem, qui non percipitur visu, nec tactu. Nam contrà est: tum quòd tremor aëris est ejusdem rationis cum tremore corporis sonori; nam chorda citharę v. g. eatenùs sonat, quatenùs tremit, & simili tremore aërem movet, ut ait Tosca: si ergo tremor aëris sonus est, etiam tremor chordæ; immò & cujusvis corporis; quemadmodùm, quia calor juxta Toscam consistit in intestino particularum motu vibratorio, ubicumque invenitur hic motus, sive in aëre, sive in ferro, sive in ligno, &c., invenitur calor, præsertim verò in igne, qui calorem causat, sicut chorda sonum. 2., quòd ipsimet Adversarij passim admittunt, sonum diffundi posse per alia corpora præter aërem, etiàm dura, & solida, dummodò ad tremendum sint apta: quod saltem de flamma non est dubium; in quâ tamen observatur oculis tremor à corpore sonoro proveniens, ut admonet Tosca l. c. prop. 4. lucernarum exemplo, quarum flammæ intra clausum cubiculum perspicuè tremunt ad lyræ concentum.

79 3., quòd etiam tremor aëris tactu sentiatur, præsertim dum ad tonitru nubis, aut tormenti bellici, toto corpore subitò concutimur, utique à violento tremore aëris, à quo etiam tunc provenit conculsio & tremor in ædificijs, præcipuè verò in fenestris vitreis, ut Tosca notat: tunc igitur, cùm omnia corporis membra cõtremiscant, omnia sonitum audient; nam ideò aures audiunt juxta Toscam, quia ipsis à tremente aere tremor imprimitur. Accedit contra hunc Authorem aliud absurdum, nempe quòd non distinguetur calor à sono, nec aër poterit incalescere, quin sonet acutissimè. Nam juxta ipsum tr. 4. l. 6. prop. 2. calor consistit in motu particularum vibratorio; & non aliter differt ab eo motu, quem edunt corpora sonora, nisi quia est multò celerior. At major vibrationum celeritas non extrahit motum á ratione soni, sed potiùs constituit sonum acutiorem. Ut enim docet ipsemet cit. lib. 5. prop. 20., differentia inter sonos, acutum, & gravem, consistit in majori, ac minori celeritate vibrationum. Calor igitur sonus erit acutissimus, quem (mirabile dictu!) solus percipiet tactus in silentio.

80 Objici solet Aristoteles, qui non semel asserit, sonum esse motum. Item, quòd, si sonus esset qualitas, cum contrarium non habeat, per totum spatium diffunderetur in instanti, sicut lux; quod est contra experientiam. Sed respondetur *ad* 1., loqui Aristotelem in sensu, non formali, sed causali; quia sonus à motu pendet, saltem per modum conditionis. Sic juxta ipsum 2. de Anim. t. 90., vox est ictus, seu percussio aëris respiratione attracti: nec tamen in percussione vel ictu formaliter consistit vox, etiam juxta Contrarios, sed in motu aëris inde resultante. *Ad* 2., sonum diffundi successivè, quia pendet a motu in fieri & conservari: vel, ut alij malunt, instantaneè diffundi per totam sphæram virtutis sonantis, ideòque vocem concionatoris pervenire simul ad auditores inæqualiter in templo distantes; quia verò aër, virtutem illam deferens, successivè accedit ad alia loca ultrà primam sphæram, idcircò tardiùs ad ea perducit sonum.

81 Solet hìc tractari de Voce propriè dictâ, quæ ex Aristotele 2. de Anim.

Anim. cap. 8. definitur, *Sonus editus ab ore animantis cum imaginatione quâdam.* Unde omnis vox est sonus, sed non è converso. De instrumentis à naturâ præstitis ad formandam vocem, aliquid occasione respirationis diximus cap. 1.. Solet etiam tractari de sono reflexo, qui *echo* dicitur, & qui tum provenit, cùm sonus, aut ejus species, incurrens in corpus solidum, & aliquatenùs concavum, eodem quo incidit ordine reflectitur, fere ut species visuales à speculo reflectuntur. Solent præterea de sono moveri quæstiones variæ; de quibus videri possunt Conimbricenses in 2. de Anim. c. 8., & in Problem. sect. 2. & 3., P. Suar. l. c. cap. 19. & seqq., & qui præ cæteris multa congerit Mastrius Scotista disp. 5. de Anim. q. 3.

*De Olfactu.*

82 Olfactus est *Sensus exterior perceptivus odoris.* Ejus organum ad nares pertinet; quarum pars inferior carnea, superior ossea est, ex osse nimirùm, quod *cribrosum* vocant, quia multis abundat foraminibus, omninò tamen obturatis per fibras plurimas à cerebro derivatas in subtilem tunicam, quâ vestiuntur interiores narium cavitates. Supra os cribrosum, & jam intra cavitatem cranij, duo sunt ex substantiâ molli tubercula, quæ *processus mamillares*, seu *papillares carunculæ* nuncupantur. In his carunculis potentiam odorandi collocant Plerique. Sed dissentiunt alij, præsertim ex modernis Physicis, & Anatomicis: tum quia vis odorandi debet esse extra regionem cerebri, ut in cæteris externis sensibus contingit; processus autem illi sunt intra cranium: tum quia nervi olfactorij, ad commercium olfactûs cum cerebro destinati, non tendunt ad processus ejusmodi, sed ad interiorem nasi tunicam, vel ad tenuem & papillosam carnem, quam sub tunicâ illâ latentem observant aliqui Anatomici. Quare in hac vel tunicâ, vel carne, vim odorandi statuunt: & favet experientia, quâ odorem sentimus intra nasum.

83 Odor, quod est objectum olfactûs, à multis dicitur consistere in subtantiali halitu, vel effluvio corpusculorum, à rebus odoriferis emisso: cui sententiæ turmatim adhærent Corpusculares, suffragante Toscâ tr. 4. lib. 7., ubi hoc ipsum asserit de sapore. Admonet verò hic Author, quòd tam sapor, quàm odor in actu primo, consistit in configuratione corpusculorum aptâ movere fibrillas linguæ, vel nasi, eas pungendo, titillando, vellicando, vel distrahendo: sapor autem, vel odor in actu secundo nihil est aliud, quàm illa ipsa fibrarum motio. Si quæras, cur non idem dicatur de colore in actu secundo, vel de duritie in actu secundo, relatè ad visum, aut tactum? nulla ratio est, nisi voluntas, vel inconstantia Corpuscularis Philosophiæ, quæ de cohærentiâ doctrinæ parùm solicita, quidquid pro re natâ commodum apparet, inconsultè amplectitur. Fibrarum motio, juxta Toscam alibi citatum, est actualis ipsa gustatio, & odoratio, utique saporis, & odoris: si ergo ipsamet sapor & odor est, sui ipsius erit gustatio & odoratio; quod nemo ferat. Præterea, si sapor salinus, ut Adversarij volunt, in eo consistit, quòd particulæ salis velut aciculæ sensorium pungant: item, si sapor dulcis, odorque gratus, in eo consistunt, quòd particulæ corporis odorati, vel sapidi, fibrillas suaviter afficiant, ideò, leniter allambant, nec ullatenùs mordeant, ut placet ijsdem: absurdè sequitur, quòd excoriata manus verè gustet, & olfacit, cùm scilicèt ejus fibrillæ pungantur à salinis aciculis, ut experientia docet, & cùm leniter ac sine morsu allambuntur à particulis mellis, aut suavis unguenti.

84 Tenendum itaque cum Peripateticis, odorem esse qualitatem; quæ com-

communiter creditur resultare ex temperamento primarum, in quo siccum vincit humidum, calorque absolutè dominatur: unde res odoriferæ vehementiùs redolent, dum incalescunt. Varia autem Aristotelis loca, in quibus modò asserit, modò negat, odorem esse habitum, benè conciliantur à P. Suar. l.c. cap. 21. Verum est tamen, odorem non exhalari, seu non effundi, sine aliquo effluvio, ideſt, sine vapore, vel exhalatione aliquâ substantiali, quæ dici potest quasi odoris vehiculum: id enim innumeris patet experientijs. Et ratione probari solet; quia nec odor est qualitas univocè activa; nec aër, per quem diffunditur, est idoneum subjectum, in quo novus odor producatur, defectu mixtionis qualitatum primarum: eatenùs ergo diffunditur odor, quatenùs defertur ab halitu rei odoriferæ, per aërem sparso. An autem odor ad nares pervenire debeat realiter? an solùm intentionaliter, seu per speciem sui? sub lite est; de quâ P. Suar. cap. 24.

*De Gustu.*

85 Gustus est *Sensus exterior perceptivus saporis.* Organum ejus communiter locatur in linguâ (à nonnullis etiam ad palatum extenditur), non secundùm exteriorem tunicam, sed secundùm interiorem nerveis fibris contextam, quam operit tenera & porosa caro, qualis requiritur ad cibèndum succum, qui sapori est pro vehiculo. Non enim sapida gustum efficiunt, nisi in liquore vel succo aliquo resoluta: quem ad finem in cibis siccioribus conducit saliva, cui dissolvendi vis inest haud modica.

86 Sapor autem, quod est objectum gustûs, oritur ex temperamento primarum qualitatum, in quo prævalet cum humiditate calor. Quòd sit qualitas, seu non mera motio localis in fibris linguæ, constat ex nuper dictis n. 83. Quibus adde, quòd in sententiâ contrariâ omne liquidum, seu fluidum, esset dulce, præsertim aqua pura & naturalis, quidquid repugnet experientia. *Prob.*: quia, juxta Tolcam tr. 4. lib. 7. prop. 9., dulcia sunt, quorum particulæ, seu corpuscula, figuram habent quasi sphæricam, vel cylindricam; & hinc provenit, quòd leniter afficiant organum gustûs; si enim essent angulis asperata, fibras pungerent, seu morderent. At, juxta eumdem preced. lib. 6. prop. 21., fluidorum particulæ debent pariter esse figuræ sphæricæ, ovalis, vel cylindricæ, superficieique læves seu lubricas habere. Dulcedo igitur convenire debet fluidis omnibus, etiam aceto, vel absinthij succo, præcipuè verò aquæ naturali, quæ valdè fluida est, & leniter ac sine morsu linguam humectat. Quomodò autem (ut hoc obiter dicam) doctrina ista de fluidis cohæreat cum eo, quòd particulæ aëris, qui est maximè fluidus, sint ramosæ, ut sæpe aliàs docet idem Author; ipse viderit.

*De Tactu.*

87 Tactus est *Sensus exterior perceptivus primarum qualitatum, & multarum etiam secundarum;* cujusmodi sunt duritiei, mollities, lubricitas, ariditas, seu rigiditas, viscositas, crassities, tenuitas; gravitas etiam, & levitas, quæ medio renisu, vel impulsu sentiuntur à tactu. Dicitur sensus exterior; non quòd partibus internis desit, ut patet in doloribus colicis, nephriticis, & alijs; sed quia magnâ ex parte residet in externâ cute, & quia non eget alius sensûs ministerio, ut objecta percipiat. Tactûs organum communiter ponitur in carne, & nervis, & in his maximè: nomine autem *carnis*, quoad præsens attinet, comprehenduntur etiam membranæ, tunicæ, musculi, tendines, hepar, lien, &c.; ita ut tactus insit omnibus partibus animatis præter ossa, quibus communi

muniter denegatur, item præter pilos, & ungues, si animantur.

88 Objectum tactûs complectitur qualitates modò enumeratas; quæ omnes significari solent communi nomine qualitatis *tangibilis*, aut *tactilis*: quia, licèt conveniant in aliquo genere proximo, in quo fundatur tactilitas, illud tamen est *innominatum*, ut ait D. Thomas 1. p. q. 78. ar. 3. ad 3. Eas verò non esse accidentia entitativa & absoluta, sed consistere in certâ figurâ, & motu, vel quiete particularum corporis, tenent moderni Corpusculares, ut vidimus in Synopsi de Cœl. &c. cap. 3. n. 28.: sed quàm parùm firmiter procedant, colligi potest ex dictis circa sonum, odorem, & saporem: nec plura nos dicere patiuntur præsentis operis angustiæ.

89 *Quæritur* hîc 1.: an tactus sentiat qualitates in materiâ propriâ receptas? an solùm receptas in materiâ distinctâ? an utrasque? Certum est, sentiri tactu qualitates extraneæ materiæ, saltem non primas, ut sunt durities, mollities, & aliæ, tametsi non producant in organo similes alias: immò de duabus primis, siccitate, & humiditate; idem constat: non enim manum exsiccare debet siccitas terræ, dum tangitur, nec aquę fluiditas, aut humiditas necessariò humectare, saltem si tangatur mediatè, v. g. per baculum. Certum est etiam, primas qualitates manifestè activas, nempe calorem & frigus, non sentiri, nisi sensorium ipsum aliquatenùs frigefacere, vel calefacere faciant: hac tamen immutatione suppositâ, ut conditione necessariâ, veré sentiri calorem, aut frigus extranei corporis: nam, dum manus applicatur igni, calorem sentit majorem eo, quem recipit; statim quippe, retractâ manu, cessat illa sensatio, cùm tamen calor in manu receptus non illicò pereat. Certum quòque videtur, non sentiri tactu qualitates, quæ debitum sensorij temperamentum constituunt, saltem nisi aliqua novitas intercedat: alioquin continuam experiremur temperamenti proprij sensionem. Nec dicas, sensionem hanc, quia continua est, non adverti. Nam saltem adverti deberet post distractionem, aut somnum.

90 De qualitatibus autem, contra vel præternaturalibus, in sensorio receptis, magnum est dissidium, magnaque utriusque partis probabilitas. P. Suarez l. c. cap. 26., quem multi alij sequuntur, negat, has qualitates tactu sentiri, nisi fortè in aliâ corporis parte proximâ, cui non insunt. Tum paritate aliorum sensuum, quorum nullus qualitatem percipit sibi inhærentem. Tum quia nulla erit ratio, cur qualitates etiam in gradu connaturali non sentiantur continuò. Tum quia id experientia docet in duritie, & alijs qualitatibus secundis: sæpe enim manus, aut cutis aliquatenùs indurescit ultra statum debitum; nec tamen duritiem illam sentit: eadem autem est ratio de cæteris.

91 Oppositum censent alij plures. 1.: quia qualitates illę verè sunt tactiles, & organo summè applicatę per penetrationem & inhærentiam. 2.: quia calor, sicut successivè producitur in sensorio, ita successivè sentitur: si autem solus sentiretur calor extraneus, deberet in instanti applicationis totus percipi. 3.: quia id probant experimenta varia. Nam manus anteà frigida, dum calorem debitum recuperat, illum sentit. Qui febri æstuat, toto corpore calorem sentit vehementem. Qui saltat, sentit remissum proprię gravitatis: & qui per declive currit, si velit sistere, sentit in se repugnantem impetum: ut etiam, qui ab alio impellitur, in eâ parte sentit impulsum, in quâ recipit. Ac demùm qualitas dolorifera in eâ parte sentitur, cui inhæret.

92 Hæc tamen, licèt satis urgentia, solvi utcumque possunt. *Ad* 1. instantia est in temperamento debito non interrupto. Applicatio illa potiùs im-

impedit, quàm expedit: quia nulla ſenſibilis qualitas agit intentionaliter, ſeu immittendo ſpeciem ſui, niſi circa ſubjectum diſtinctum, ut patet in ſenſibus cæteris: non enim lingua v. g. ſaporem ſentit ſibi innatum; nec adventitium guſtat, niſi ut receptum in ſubjecto extraneo; à quo ſaporem ipſa non recipit inhæſivè, cùm ſapor, odor, color non cenſeantur qualitates activæ. *Ad* 2.: alteratio realis in tactu prærequiritur, ut conditio, ad intentionalem, quando qualitas activa eſt: idcircò intentionalis actio evadit ſucceſſiva; ſic tamen, ut ſit intenſior, quàm realis: nam manus igni applicita, citò ſentit calorem intenſiſsimum, quem ipſa tam brevi ſuſcipere non poteſt.

93 *Ad* 3. Manus, dum ad propriam redit temperiem, ſentit calorem ſanguinis, & ſpirituum eò accurrentium; non verò receptum in partibus animatis, & tactivis; aliter illum perpetuò ſentiret. Similiter, febri æſtuans calorem percipit inhærentem ſanguini, ſpiritibus, humoribus, & ſuccis inanimis, quibus nulla pars corporis deſtituitur; non verò inhærentem partibus animatis, qui ſemper eſt aliquantulùm remiſſior propter reſiſtentiam animæ. Ad exempla ſaltûs &c., dici poteſt, ſenſionem gravitatis, & impulsûs, pertinere ad ſolos nervos & muſculos, tamquam ad propria inſtrumenta motûs localis. Nervi autem non ſentiunt gravitatem propriam, nec impulſum ſibi ipſis impreſſum, ſed tantummodò pondus carnis, oſſium, & humorum, aut his impreſſum impetum. Quòdſi nudus nervus premeretur ab extrinſeco, preſſionem ſentiret in parte immediatâ. Demùm, qualitas doloriſica, ſiqua eſt, non inhæret parti animatæ, quæ dolet, ſed contiguo corpori, vel humori noxio in poris contento; de quo iterùm cap. ſequ..

94 *Quær.* 2., utrùm tactus ſentiat ſolùm excellentias, ſeu exſuperantias qualitatum? ideſt, utrùm qualitates, ut tactu ſentiantur, debeant eſſe intenſiores ijs, quæ ſenſorio inſunt naturaliter? De primis qualitatibus affirmant ferè omnes, & experientia favere videtur, ſaltem in calore, & frigore: poteſtque reddi ratio ex nuper dictis, quia qualitas activa non agit intentionaliter in tactum, niſi priùs alteret ſenſorium; & alterare nequit, niſi excedat in gradu; quia ſimile non agit in ſimile, nec remiſſum in intenſum. Non tamen ſentitur ſolus gradus ſuperior, ſed tota intenſio per modum unius. De qualitatibus ſecundis diſſident Authores. Sed videtur negandum: quia, ſi manus manum tangat æquè temperatam, ſentit in eâ duritiem, & mollitiem, ſuæ perſimilem. *Dices*: ſentit indirectè, quatenùs non ſentit majorem, nec minorem. *Contrà*: hæc indirecta ſenſio eſt merè negativa, ſeu mera non-ſenſio: at manus tunc aliquid poſitivè ſentit; aliter nihil tangeret, periude ac ſi ad vacuum applicaretur: non tangit autem ſubſtantiam, nec item quantitatem ſolam, cùm hæc ſine qualitate non ſentiatur: ergo poſitivè tangit ac ſentit alterius manûs qualitates, in quibus nulla eſt excellentia.

### *Quæ dicantur ſenſibilia per accidens & quæ communia?*

95 Objecta ſenſuum exteriorum dividuntur in *ſenſibilia per ſe*, & *per accidens*. Dicuntur *per ſe* ſenſibilia, quæ ſe ipſis immediatè non terminant ſenſationem: *per accidens* verò, quæ ſenſationem ſe ipſis immediatè non terminant; ex vi tamen illius ſtatim abſque indagatione innoteſcunt intellectui, vel interno ſenſui, tamquam naturaliter unita ſenſibili per ſe. Hujuſmodi ſunt ſubſtantiæ materiales, necnon objecta unius ſenſûs relatu ad alterum, v. g. relatu ad viſum humiditas, odor, & ſapor lactis. Et ſubſtantia quidem materialis, quæ ſuſtentat accidens immedia-

tè sensibile, dicitur etiam sensibilis & sensata *ut quod*, licèt mediatè solùm, ac denominativè. Talia sensibilia non mittunt externo sensui speciem propriam. Sensibilia *per se*, subdividuntur in *propria*, & *communia*; quorum illa dicuntur sentiri *per se primò*, hæc *per se secundò*. *Propria* sunt, quæ hactenùs cum exteriorum sensuum organis exposuimus; quæ scilicèt ita correspondent singula sensibus singulis, ut nequeat unum à duobus sensibus per se percipi: *communia* verò, quæ à pluribus sensibus externis, licèt non necessariò ab omnibus, immediatè sentiuntur. Hæc ab Aristotele quinque designantur, nempe *magnitudo*, *figura*, *numerus*, *motus*, & *quies*. Ad magnitudinem revocari solet *distantia*, ad figuram *asperitas* & *lævitas*, ad numerum *unitas*, ad motum & quietem *præsentia*.

96 Sunt, qui putent, communia ista sensibilia non percipi sensibus externis, sed solo interno sensu vel intellectu, occasione sensionis externæ; quia, inquiunt, nullus sensus vagari potest extra proprium sensibile, à quo specificatur, & circumscribitur. Contrarium tamen asseritur communiter in omni Scholâ: quia, licèt non percipiantur secundùm conceptus quidditativos, aut relativos: *sentiuntur* tamen rudi quodam, & materiali modo: numerus v. g. sentitur quatenùs est multitudo quædàm propriis sensibilibus. Nec ideò concèditur, sensum aliquem vagari extra proprium objectum; quia sensilia communia non sentiuntur seorsùm à proprio, sed simul cum illo, & prout illius sunt circumstantiæ, vel affectiones. Qualiter autem sensum immutent, dubium est. Aliqui volunt, ut hæc sensilia suam mittant speciem partialem: alij, ut concurrant minùs principaliter ad speciem sensibilis propriij: alij (& est communior sententia), ut solùm modificent propriij sensibilis speciem: modificant autem, vel adjiciendo modalem entitatem, ut aliqui putant; vel, ut probabilius alij, determinando proprium sensibile per modum conditionis, ut speciem mittat repræsentativam sui prout talibus circumstantijs affecti: color enim v. g., vim habet emittendi speciem, quæ illum repræsentet, non utcumque, sed cum tali præsentiâ, figurâ, magnitudine, seu extensione, &c.

97 Hâc in re dicendum videtur 1., quòd omnis sensus exterior percipit sui objecti præsentiam; nullus enim percipit objectum proprium, nisi ut præsens, seu existens alicubi: quare vel præsentia mittit speciem partialem, vel determinat objectum ad mittendam speciem, quâ repræsentetur ipsum ut præsens. 2., quòd cætera sensilia communia catenùs percipiantur, quatenùs percipitur varia combinatio præsentiarum. Explicatur percurrendo singula. Magnitudo clarè percipitur visu, & tactu, quatenùs utroque percipiuntur præsentiæ expenetrantes multarum partium unitarum. Idem puta de auditu, cùm percipit sonum extensivè magnum. Gustus, & olfactus non videntur percipere magnitudinem, nisi fortè sit sermo de magnitudine intensivâ; nec molem corporis sapidi sentit lingua per gustum, sed per tactum.

98 Distantia visu & tactu cognoscitur, percipiendo magnitudinem spatij, vel corporis intermedij, & idcircò, ubi non percipitur spatium intercedens, extrema, licèt valdè inter se divisa, apparent contigua, ut cùm Solem propè orizontem cernimus quasi contiguum montibus. Auditus quòque, licèt minus distinctè, distantiam percipit corporis sonori; vel quatenùs percipit extensionem soni per medium, si sonus diffunditur realiter, ut multi censent; vel, si non ita diffunditur, quatenùs species soni peculiariter habent repræsentare aliquomodò præsentiam & extensionem spatij, quo propagantur.

tur ; non enim sufficit recursus ad remissionem soni, cùm possit etiam sonus è propinquo remissus esse. Gustus non percipit distantiam, ut nec olfactus, quàmvis hic interdum occasionem præbeat internæ potentiæ, aliàs per experientiam aliorum sensuum edoctæ, ut cognoscat objectum distans. Figura sentitur, quatenùs cognoscitur certa distantia partium extremarum à centro, seu à medio. Hæc solùm pertinet ad visum, & tactum, non ad alios sensus : quàmvis enim audito campanæ sonitu, menti vel phantasiæ objiciatur figura campanæ, hoc proveniat à specie aliàs per visum acceptâ, quæ tunc excitatur: lingua verò figuram cibi ore suscepti dignoscit per tactum. Numerus, seu multitudo, quatenus sensu sentitur, quatenùs percipiuntur objecta præsentia inter se divisa, seu non unita. Motus sentitur, quatenùs sentiuntur ejusdem objecti distinctæ præsentiæ successivè positæ. Sentitur autem, non solùm visu & tactu, sed etiam auditu, qui sentire solet accessum & recessum corporis sonori: forsan etiam olfactu; immò & gustu, dum cibus super linguam motus, successivè affecit alias & alias sensorij partes. Quies denique percipitur ab omni sensu, quatenùs eadem objecti præsentia continenter sentitur.

99 Observandum hîc, quòd inter sensilia communia numeretur quantitas, sed non ut quid distinctum à magnitudine, seu extensione. Observandum item, quòd, si qualitates reddantur formaliter præsentes & extensæ per solam præsentiam & extensionem quantitatis, prædicta sensilia verè communia erunt: si autem quævis qualitas suam sibi præsentiam & extensionem vendicet, licèt à quantitate radicatam, & ipsi accommodatam, sensibilia relata solùm erunt communia, quatenùs ad sensus diversos pertinent sub eodem nomine *præsentiæ*, vel *magnitudinis*, &c.: reipsâ tamen alia erit præsentia, & magnitudo, seu extensio coloris, quæ à solo visu percipitur; alia soni, quę à solo auditu; & sic de reliquis. Nec ab ullo externo sensu percipitur quantitas, nisi mediâ extensione, seu præsentiâ circumscriptivâ, quam in qualitate radicat; quemadmodùm gravitas non sentitur, nisi medio impulsu. Quoniam verò quantitas radicat præsentiam, & ad hanc revocantur cætera sensibilia communia; vere dici potest cum D. Thoma 1. p. q. 78. ar. 3. ad 2., quòd omnia hujusmodi sensibilia reducuntur ad quantitatem.

## CAP. IV.

### *DE SENSU INTERNO, ET Appetitu.*

100 SENSUS internus est *Potentia materialis interior, potens percipere objecta omnia sensuum externorum.* Hujusmodi potentiam ab externis sensibus distinctam, reipsâ existere, non solùm in homine, sed etiam in bruto certum est omnibus. Quia nequit aliter explicari memoria brutorum, innumeris experimentis evidens: nec aliunde oriri potest solicitudo, quâ passim brutæ animantes objecta quærunt absentia, seu nullo tunc exteriori sensu percepta, ut canis dominum, tigris catulos, lupus prædam : nec alia est causa somniorum, quę dormientibus accidunt, etiam brutis; nam *Et canis in somnis leporis vestigia latrat*; nec demùm in brutis, quibus est anima divisibilis, aliter stare potest consensus & harmonia partium in motibus spontaneis.

101 Potentia ista (sive sit realiter una, sive multiplex, de quo postea) varia obit munera, & ex eis varia sortitur nomina, quæ recenset D. Thomas 1. p. q. 78. ar. 4.. Nam dicitur 1. *sensus communis*, quatenùs percipit objecta præsentia, perceptaque actualiter

per quæcumque sensus externos, atque inter ea discernit, v. g. inter calorem & saporem. Quare nomen *communis* non denotat communitatem prædicationis, nec respectum ad sola sensibilia communia, de quibus n. 95. ; sed sumitur à communitate objecti, quod non est potius visibile, quàm tactile, &c., sed quodcumque sensibile per exteriores sensus : sumitur etiam à communione, seu commercio cum omni sensu externo per nervos à cerebro deductos. Dicitur 2. *phantasia*, quatenùs conservat speciem objecti sensati, per quam illud cognoscit etiam absens, seu nullo jam externo sensu perceptum. Cum phantasia coincidit *imaginatio*, seu *imaginativa*, cui tribui solet munus formandi, sibi ex multiplici objecto unum compositum, ut ex auro & monte montem aureum : quamquam hoc munus passim quòque tribuitur phantasiæ ; ut etiam imaginativæ munus cognoscendi objectum in absentiâ ; ideòque nomina utrinque censentur velati synonyma.

102 Dicitur 3. *æstimativa* in brutis, quatenùs discernit inter commodum & incommodum, & quasi practice judicando, tale objectum sibi esse conveniens, aut noxium, appetitum movet, ut illud prosequatur, aut refugiat. Pro æstimativâ ponitur in homine *cogitativa*, quæ peculiarem perfectionem addit in modo discernendi noxium ab innoxio. Dicitur 4. *memorativa*, seu *memoria*, quatenùs præcognitorum species retinet, & objecta cognoscit ut præterita, sive ut jam anteà cognita : quæ memoria in homine vocatur *reminiscentia* propter vim recolendi præcognita, quando non statim occurrunt, per quamdam indagationem, aut illationem : vim tamen illam, non memoriæ sensitivæ, sed intellectuali tribuit P. Suar.

103 Sed notandum, quòd juxta D. Thomam l. c., quem Thomistæ sequuntur, ad æstimativam brutî pertinet percipere objecta, non quidem prout sunt delectabilia, vel molesta sensibus, videlicet ut lapida, odorata, &c., sed prout habent rationes, aut proprietates quasdam, nullo externo sensu perceptas, quas idcircò vocant *insensatas*. Exempl. gr., cum ovis lupum fugit primò visum, & cùm hominem vitat omnis avis & bestia non domestica, vel cicurata, priusquam ab eo quidquam mali experiatur, non horret solum colorem, aut figuram externam, quæ horridior est in aliis eidem bestiæ non adversis : horret igitur, & fugit illud objectum, quia cognoscit ut inimicum propriæ naturæ ; quæ inimicitia est ratio insensata, utpotè nullo externo sensu percepta. Huc etiam pertinet exemplum avis paleam colligentis ad ædificandum, & bruti medicinalem herbam agnoscentis, etiam ante experientiam, & alia innumera.

104 Plures è Nostris, & Scotistis, negant, ejusmodi rationes insensatas ab ullo interno sensu percipi, neque pro ijs agnoscunt æstimativam in brutis, seu ad summum pro commodis, vel incommodis, sensuum experientiâ notis, qualem habet canis, anteà percussus, dum fugit ab homine corripiente lapidem, vel fustem elevante ; talis enim actio memoriam illi excitat percussionis, quam sentit. Dum autem brutum aliqua objecta nondùm expertum cupit, aut fugit, id revocant ad sympathiam, vel antipathiam, vi cujus, cognitis externis accidentibus quorumdam objectorum, statim appetitus ea refugit, aut ambit, quàmvis nullum inde commodum expectet, aut damnum timeat : quemadmodùm quidam homines exhorrescant ad conspectum cadaveris, aut alieni vulneris, unde nullum sibi malum imminere concipiunt. Ratio autem est : quia brutum nullam habet ipsorum de objecti conveniențiâ, vel unmoniâ insensatâ. Non inprimis

im-

immissam ab objecto : nam lupus speciem ejusdem rationis mittit ovi, ac lupo alteri, cui tamen non repræsentatur ut inimicus. Non deinde fabricatam á sensu interno : nam hic sensus perfectior est in homine ; in quo tamen nulla talis fabricatur species. Non denique infusam à Deo ut naturæ Authore : cur enim magis ea species infundatur bruto, quàm homini ? Præterea, si ex cognitione objecti sensati sequitur in bruto cognitio insensati, dabitur in bruto discursus ; quod est absurdum.

105 Nihilominùs negandum non est, quòd aliquid commodum, vel incommodum apprehendant bruta, dum primùm appetunt, aut fugiunt objecta quædam. Hoc enim & asserit D. Thomas loc. cit., & supponit P. Suar. 3. de Anim. c. 9. & 30., & communis hominum mens concipit. Quid enim ? Nullam né convenientiam apprehendit canis, dum primùm aquam sitibundus appetit ? vel dum panem, nondùm anteà gustatum, famelicus vorat ? Profectò, si mera hic intervenit sympathia, nullâ cognitione opus erit ; quemadmodùm nullâ cognitione indiget magnes, ut ferrum attrahat ; nec spongia, ut aquam imbibat : unde facilè à brutis eliminari poterit omnis cognitio, & appetitus elicitus, atque ad sympathiam & antipathiam, vel ad appetitum innatum, omnis eorum motus revocari. Appetitus elicitus in eo maximè differt ab innato, quòd feratur in bonum apprehensum ab apparente : cum ergo brutum, juxta Adversarios, elicitè appetat objecta illa, debet in ijs aliquid boni apprehendere. Debet, inquiunt ; sed purè materialiter, cognoscendo scilicet rem bonam, sed non ut bonam. *Contrà* : res bona non aliâ ex causâ debet apprehendi, nisi ut appetitum alliciat bonitate suâ : at bonitas objecti, quod non apprehenditur ut bonum, nullatenùs allicit, ut in nobis ipsis experimur. Nec certè concipitur, quo modo cognitio panis excitet appetitum, si nullam in pane magis, quàm in lapide, proponit illecebram.

106 Quod attinet species objectorum insensatorum, sunt, qui censeant, eas pariter insensatas esse, ideòque non ullius sensûs ministerio acceptas, sed permanenter inditas ab Authore naturæ ; qui, sicut alia præsidia contulit brutis ad ipsorum conservationem necessaria, ita & multorum species objectorum, quæ vel nocere, vel prodesse possunt : has tamen species non excitari communiter, nisi per sensatas, v. g. per species externorum accidentium lupi, quas visu accipit agnus, & quarum acceptio est occasio vel conditio, ut æstimativa utatur specie insensatâ inimicitiæ, utique hanc discursu ; sicut passim in nobis nihil discurrentibus nova species excitat consopitam aliam. Hæc sententia mihi est valde probabilis. Quòd enim natura non dederit homini similes species, nihil mirum ; cum constet, brutum homini præcellere in multis ad vitam corporis spectantibus, ut in robore, pernicitate, odoratu, & alijs. Nec video, cur præstantia ista sit magis absurda, quàm prærogativa sympathiæ & antipathiæ, quâ caret homo, tametsi valde commodâ, vel etiam magis, quàm virtus utendi speciebus externorum accidentium ad discernendum inter noxia & innoxia citra discursum, aut indagationem, quæ virtus homini pariter denegatur. Rationem homini natura dedit, omni brutorum dote præstantiorem : dedit etiam pro æstimativâ cogitativam, quæ juxta D. Thomam loc. cit. participat aliquatenùs vim discurrendi, brutis penitùs denegatam ; & hac ratione sensus internus dici potest perfectior in homine, quàm in bruto.

107 Plerique tamen improbant hujusmodi species insensatas, seu à naturâ inditas, voluntque, objecta insensata cognosci per species sensatas, seu denuò acceptas ministerio sensuum.

Quas quidem P. Suarez cit. cap. 9. centet esse illas ipsas, quibus noscantur objecta sensata: ita ut eadem species, quæ repræsentat agno colorem & figuram lupi, simul ipsi repræsentet lupum ut inimicum. Cur autem similis species non ita repræsentet lupo alteri, ratio petenda est ex diversâ indole recipientis: æstimativa scilicet agni, non lupi, virtutem habet utendi specie illâ secundum totam ejus vim repræsentandi; quia virtus ejusmodi, non lupo, sed agno ad sui conservationem est necessaria. Et hinc maximè diversificantur brutorum instinctus. Modus hic opinandi satis est probabilis, quàmvis difficultate non careat. Certè difficultatem haud vitant plures Thomistæ, qui pro objectis insensatis requirunt perfectiores species, vel ab objecto productas in æstimativâ mediis speciebus sensatis, vel ad præsentiam illarum causatas ab æstimativâ ipsâ. Nam, ut alia nunc omittam, pariter quæri potest, cur species illæ non producantur steriles in bruto quolibet, vel etiam in homine?

108 Post hæc inquiritur, utrùm sensus internus sit realiter & specificè unus? an multiplex? Quidam illum dissecant in potencias duas; alij in tres; alij in quinque, vel sex: quorum sententias (jam nunc antiquatas) refert, & confutat P. Suar. l. c. cap. 30. Thomistæ cum D. Thomâ cit. q. 78. ar. 4., quatuor in sensu interno potentias distinguunt re, & specie: videlicèt sensum communem, imaginativam seu phantasiam, æstimativam, & memorativam (pro his in homine cogitativam, & reminiscentiam); quas inter distribuunt ea munera de quibus num. 101. & 102. Contrà Scotistæ, & Nostri communiter cum Exim. Doctore cit. lib. 3. c. 30., unum duntaxat agnoscunt sensum internum, seu potentiam realiter unicam, quę per ordinem ad diversa munera, seu ad varios, quos continet, actus, denominatur sensus communis, phantasia, &c. Probatur hæc sententia 1.: quia nullum est pro distinctione fundamentum urgens, ut mox patebit. 2. paritate intellectûs, qui majorem actuum varietatem continet, cum tamen sit realiter unicus.

109 3.: quia phantasia, æstimativa, & memorativa, realiter identificantur cum sensu communi: ergo & inter se, juxta illud, *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.*, *Prob. Antec.*: quia ijs omnibus convenit elicere actum proprium sensûs communis, nempe cognoscere objectum intuitivè, seu percipere simul cum externo sensu objectum præsens. Nam, quoties objectum attentè cernimus, illud in primis percipit phantasia: tum quia illud statim cognoscit intellectus, qui non operatur sine operatione phantasię, ut etiam Adversarij supponunt: tum quia phantasia statim recipit speciem objecti exteriùs sensati, ut fatentur Thomistæ plures, & demonstrat P. Suar. loc. cit.; repugnat autem, quòd potentia necessaria & attenta, cùm primùm recipit speciem objectæ præsentis, non illud percipiat. Deinde æstimativa sine dubio cognoscit etiam objectum ut præsens: non enim ovis ad conspectum lupi cognoscit inimicitiam in abstracto, sed ut contractam ad objectum oculis sensatum, quasi practicè judicando sic, *Objectum hoc, quod video, mihi est adversum*; qui actus proculdubiò percipit externa accidentia lupi ut præsentia. Denique memorativa, cum etiam in præsentia objecti statim immutetur, recipiatque illius speciem (quæ vel est eadem, quâ utitur æstimativa, vel eâ mediante sine morâ producitur, ut Thomistæ volunt), nequit non tali specie illicò uti circa objectum præsens, ut de phantasia dicebamus.

110 *Dices*: ad sensum communem attinet cognoscere tantùm in præsentia objecti; ad phantasiam verò cognoscere, non solùm in præsentiâ, sed in absentiâ. Sed *contrà*: principium pę-

petis isto *tantùm*, quo supponis, re ipsâ dari sensum communem sic limitatum, distinctumque à potentiâ cognoscente in absentiâ. Limitatio, ac distinctio ista, prorsùs est voluntaria, nisi fundetur in indole actuum, sive in eo, quòd eidem potentiæ tribui non possit cognitio præsentium, & absentium: nam illę tantùm actiones, *quæ non possunt reduci in unum principium, requirunt diversas potentias*, ut ait D. Thomas cit. q. 78. ar. 4.. At, quòd utraque cognitio conveniat eidem potentię, seu principio, constat ex modò dictis: phantasia enim, quæ juxtà omnes cognoscit absentia, cognoscit etiam præsentia, ut ostendimus. Adde exemplum intellectûs, in quo nemo fingit potentiam intelligendi *tantùm* in præsentiâ. Dispar est ratio, inquiunt: nam intellectus, utpotè immaterialis, debet esse potentia universalior, quàm sensus. Sed non satisfaciunt: quia satis cedit sensus intellectui per limitationem ad sola objecta sensibilia, & ad minorem varietatem actuum, radiorumque modum operandi. De cætero, quid prohibet sensum internum esse potentiam universalem in suo genere?

111. Adde præterea, quòd sensus communis extenditur etiam ad absentia, ut sæpe accidit in somnijs juxta D. Thomam: non est ergo, unde à phantasiâ distinguatur. Consequentiam bonam esse agnoscit Collegium S. Th. Complut. hic l. 2. q. 8. n. 16., sed negat Antecedens, & quòd in ullo verbo D. Thomæ fundetur. Verùm, quòd sensus communis in dormientibus interdum percipiat, ac discernat objecta, docet D. Thomas 1. p. q. 84. ar. 8. ad 2.. adeò expressè, ut a nemine, qui locum hunc viderit, mens ejus revocari possit in dubium. Idcircò plerique Thomistę apud idem Colleg. cit. n. 16. & 24. concedunt Antecedens, sed addunt, id contingere per accidens. Verùm hęc solutio sustineri nequit in eorum principijs: nam, si cognitio præsentium est actus adæquatus, sensum communem specificans, & à phantasiâ distinguens, ut ipsi volunt; tam repugnat quòd sensus communis per accidens cognoscat absentia, quàm quòd visus per accidens audiat, & auditus per accidens videat.

112 Aliter respondet Joannes à S. Thomâ hic q. 8. ar. 3., scilicet sensum communem percipere interdùm objectum absens, sed non nisi ut apparenter præsens, seu per modum præsentis; cum tamen phantasiæ proprium sit percipere objectum ut absens. *Contrà*: non vitatur, quòd sensus communis usurpet actum phantasię, seu imaginativæ; nam, ut ait D. Thomas q. 1. de verit. ar. 11., *Imaginatio apprehendit ut plurimùm rem ut non est; quia apprehendit eam ut præsentem, cum sit absens.* Accedit, quod ipse S. Doctor 1. p. q. 78. ar. 4. ad 6. docet, visionem, quę fit per similitudines corporum in absentiâ corporum, communem esse *omnibus interioribus apprehensionibus*. Propter hęc dicendum videtur, quòd Angelic. Præceptor in eo ar. 4. sententiam Thomistarum tradidit, quia tum temporis communior erat, non quia probabilior; neque illi magnoperè achæsit, cum & ibi, & alijs in locis doctrinam dederit sententiæ nostræ faventem. Nobis etiam favet 1. p. q. 81. ar. 3. ad 2, docens, appetitum moveri posse ab imaginativâ, & sensu communi; cum tamen appetitus motio soli æstimativæ tribuatur communiter à Thomistis. Vid. Collegium S. Th. cit. q. 8. a. 40. Neque verisimile est, D. Thomam in re illâ omninò dissentire Aristotel, qui nonnisi unicum agnovit sensum internum, ut ostendit P. Suar. cit. cap. 30.

113 *Objic.* 1.: sensus communis species recipit, phantasia retinet, & conservat: sed in corporalibus recipere, & retinere, diversa requirunt organa & temperamenta; nam humida.

benè recipiunt, & malè retinent, ut patet in cerâ molli; ferrea verò è contrario, ut patet in marmore: ergo, &c. *Concedo Maj.* sic intellectam, ut potentia realiter eadem, quatenùs recipit species objectorum præsentium, dicatur sensus communis, & quatenùs eas in absentiâ retinet, dicatur phantasia: sed *neg. Min.*, quę, ut jacet, est planè falsa, cum evidens sit, nullam qualitatem aut figuram retineri, nisi à subjecto, in quo recipitur, ut patet in marmore, & in phantasiâ ipsâ, quæ juxta Thomistas solùm retinet species, quas recipit. Dices, argumentum loqui de receptione facili, & retentione diuturnâ. Esto: sed vel sic argumentum claudicat multifariàm. 1.: quia, licèt sæpe vera sit illa *Minor* in figuris, aut characteribus: non ita in alijs qualitatibus: nam ferrum, igni applicitum, calorem facilè recipit, nec facilè dimittit: vas fictilè novum facillimè concipit odorem; & tamen, ut ajebat Horatius, *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diù*: pueri, licèt humiditate abundent, & facilè recipiunt species, & diù retinent.

114 2.: quia, licèt humiditas conducat ad receptionem specierum, & siccitas ad retentionem, utraque potest eidem organo convenire in gradu sic temperato, ut & receptio reddatur facilis, & retentio diuturna. Et hùc referendum, quod de D. Thomâ, de Alphonso Tostato, & alijs plurimis fertur, solitos nempe fuisse librum celeri lectione decursum tenaci memoriâ retinere. Atque hujusmodi temperamentum per se convenit naturę humanæ, si non impediatur perfectionem attingere sibi debitam: quòd verò in plerisque non inveniatur, sed in alijs prævaleat humiditas, in alijs siccitas, indeque proveniat major aut minor memoriæ facilitas, aut tenacitas (quę varietas accidit etiam eidem homini decursu ætatis); hoc, inquam, censeri debet per accidens, ut in simili diximus disp. 2. n. 89.; & nihil refert ad distinctionem organorum pro phantasiâ, & sensu communi. 3.: quia phantasia percipit objecta præsentia, quoties ad ea sensus communis attendit, ut supra vidimus: ergo æquè facilè recipit eorum species. 4.: quia, si sensui communi sola convenit facilitas recipiendi species, sine ullâ vi retinendi remoto objecto, ut Thomistę volunt; organum ejus erit substantia, non humida utcumque, sed fluida; nam corpus non fluidum, tametsi humidum, aliquandiù retinet impressionem amoto sigillo: at substantia fluida inepta est ad sentiendum, ut nemo nescit.

115 *Objic.* 2.: cognitio objecti absentis tendit sub ratione magis abstractâ, minùsque materiali, quam cognitio præsentis; ut etiam cognitio objecti insensati prę cognitione sensati: ergo pertinet ad potentiam distinctam. Omisso *Antec.*, *neg. Consequ.*: quia nihil prohibet utrumque actum ad eamdem potentiam pertinere, ut patet in intellectu, necnon in appetitu sensitivo, qui juxta Thomistas idem appetit præsentia & absentia, sensata & insensata. Neque ipsi dissentire possunt, cum fateantur, à phantasiâ cognosci quòque objectum præsens, & ab æstimativâ sensatum insensato conjunctum.

116 *Objic.* 3.: interdùm accidit, ut in eodem animali vis imaginandi lędatur, illęsâ vi æstimandi: item, ut ex morbo vel senio memoria decrescat, aut deficiat, integro sensu communi: sunt ergo potentię istæ separabiles, atqueadeò distinctę. *Instab.*: sæpe accidit, ut imaginativa ejusdem hominis in materiâ certâ deliret, cum in cæteris illæsa maneat: item, ut insanus rectè æstimet objecta quædam, non omnia: erit igitur in eodem homine multiplex potentia imaginandi, vel æstimandi. Omnes ergo fateri debent, unam potentiam, quæ varios actus continet, per accidens impediri posse quoad unum,

unum, quàmvis expedita maneat quoad alterum : quia scilicèt fortasse requirit ex parte organi dispositiones pro diversis actibus diversas, tametsi compossibiles in eodem organo.

117 Sed jam quæres, ubinam sit organum, aut sedes interni sensûs? Aristoteles videtur sensum illum in corde locare ; quamquàm non desunt, qui mentem ejus aliter interpretentur. Hodiè tamen omnes in cerebro collocant sensum internum : quia inibi concurrunt, & originem habent nervi sensorij, per quos externi sensus cum interno communicant. Non cor, sed caput est, quod imaginando fatigatur, & in quo somnia & cogitationes fieri experimur. Læso cerebro, phantasia lædituri & pro curatione insaniæ remedia capiti adhibentur. In Scripturâ quoque somnia & visiones phantasiæ tribuuntur capiti, ut Daniel 2. & 4. Nec obstat, quod etiam cordi tribuantur cogitationes Matth. 9. & 15. : nam ibi sumitur nomen cordis pro totâ animâ, ut sæpe alias in sacris Litteris. Sed dubium superest, in quâ cerebri parte resideat sensus internus.

118 Pro quo notare oportet, quòd intra cavitatem cranij, seu calvariæ, continetur substantia mollis & alba, duabus obtectâ tunicis, quæ græcè *meninges*, latinè *dura mater*, & *pia mater* appellantur. Substantiæ hujus pars extima dicitur *corticalis*, & *cinerea*, quia nonnihil ad cinereum colorem accedit; pars verò intima, quæ prorsùs est candida, dicitur *medullaris*, seu *medulla cerebri*. Tota hæc massa in duas veluti portiones dividitur, quarum major spectat ad sinciput, seu ad anteriorem capitis partem, vocaturque propriè *cerebrum*; minor verò spectat ad occiput, nominaturque *cerebellum*, quasi parvum cerebrum. In eâdem massâ communiter observantur sinus quatuor (aliqui solùm tres agnoscunt, alij nonnisi unicum), quos *cerebri ventriculos*, aut *cellulas* vocant : duo priores, dexter, & sinister, à vicinià frontis excurrunt ad medium cerebri, desinuntque in sinum tertium inibi excavatum, ex quo deducitur quartus, qui longior est, & ad cerebellum extenditur. In tertio ventriculo visitur glandula quædam, quæ propter figuram coni, vel pineæ nucis, à Græcis *conarion* vocatur, à Latinis *glandula pinealis*. Addunt aliqui duo tubercula è substantiâ fibrosâ, quæ cerebro adiacent, & ob figuram vermis dicuntur *processus vermiformes*.

119 Ex partibus hisce nulla est, quæ suffragatore careat ad munus organi sensûs interni. Cartesius eligit glandulam pinealem: alij meninges præferunt : alij, processus vermiformes: alij, partem cerebri corticalem; alij medullarem. Thomistæ stant pro cellulis, quas putant ideò esse quatuor, ut totidem potentias excipiant : sed, cùm eas cellulas inhabitet humor serosus, & excrementitius, ut Anatomici testantur, immeritò inibi ponitur vis sentiendi. Communior inter Neotericos opinio suffragatur medullæ cerebri : quia in eâ concurrunt nervi omnes sensorij, seu radices eorum, quibus mediantibus internus sensus cum externis omnibus commercium habet spirituum, & specierum.

120 *Objic.* : medulla *oblongata*, seu *spinalis* (quæ scilicèt à capite ad os sacrum protenditur per fistulam spinæ dorsi) continuatur cum medullâ cerebri, & ejusdem substantiæ esse creditur; ab ipsâ quoque oriuntur nervi plures: ergo tota, quà late funditur, erit organum sensûs interni. *Concedo* totum cum communi sententiâ, quantum ad animalia imperfecta, & annulosa, quæ dissecta vivunt : sed, quantum ad alia, negandum est, quòd medulla in spinâ & in cerebro sit ejusdem omninò substantiæ, seu conformationis, & temperamenti, licet diversitas non detegatur observationibus anatomicis in cadave-

re ; multa quippe ad organizationem ſpectantia ſubterfugiunt oculorum aciem, aut ſtatim in morte pereunt, quæ tamen ab effectu probantur exiſtere. Nervi autem multi prodeunt quidem à medullâ ſpinali, ſed primam originem ſimul cum medullâ iſtâ ducunt à cerebro, ubi fibræ ſeu radices eorum incipiunt ; quemadmodùm capillamenta radicum arboris non in eo ſuus loco, unde caudex prodire cernitur.

121. De objecto interni ſenſûs nihil dicendum ſupereſt, niſi quòd complectatur objecta omnia ſenſuum exteriorum, tum propria, tum communia, & ipſas quòque ſenſationes externas, quæ ſimul cum ſuis objectis ab interno ſenſu percipiuntur eo fere modo, quo ab externis ſenſibus ſenſibilia communia cum proprijs. Probabile eſt etiam, quòd ſenſus internus ſuos etiam actus reflexè percipit, & actus appetitûs. Iſtorum omnium genus proximum nomine caret, quo ſignificetur in eſſe rei : quare ſolùm in eſſe objecti ſignificari ſolet communi & reſpectivo nomine *ſenſibilis*; & ſenſus internus dicitur tendere ſub ratione *ſenſibilis incommuni*.

122. Nonnihil hîc addendum de ſomno, qui ab Ariſtotele dicitur paſſio ſenſûs communis; non quòd reliquis ſenſibus non conveniat ; ſed quia proximè cauſatur ex aliquâ immutatione cerebri. Somnus deſcribi ſolet ex Ariſtot. lib. de ſomn. & vigil. c. 1. , ligatio, vel impeditio virtutis ſentiendi ; vigilia verò, ejuſdem virtutis expeditio. Non tamen quælibet impeditio eſt ſomnus, ſed illa tantùm, quæ liberum prohibet commercium ſpirituum inter cerebrum & organa ſenſuum externorum. Id quod plerùmque provenit ex aliqua obſtructione factâ in nervis ſenſorijs per fumos, aut vapores, qui ab alijs corporis partibus, præſertim à ſtomacho, elevantur in cerebrum : hi nimirùm nativâ cerebri frigiditate denſantur, & tubulos nervorum inde aſcendentium ſic occupant, ut tranſitum ſeu défluxum denegent ſpiritibus in externa ſenſoria, quæ proinde ab operando ceſſant. Iidem halitus eoſdem ſpiritus animales obruunt, & quodammodò ſuffocant in cerebro, & inibi novorum formationem impediunt; unde & ſenſus internus vel ex toto, vel ex parte ligatur. Nonnunquàm ſomnus provenit ex inopiâ ſpirituum, quorum magna pars conſumpta eſt exercitio operandi, nec ſat citò ſuppleri poteſt debilitato corpore ; ut accidit cum præ laſſitudine ſomnus obrepit. Dum autem aut nova gignitur copia ſpirituum, aut qui præpediti erant, diſcuſſis vaporibus, perdebitos cerebri & nervorum meatus fluere ſinuntur ; tunc animal ſomno ſolvitur, & evigilat.

123. Porrò in dormientibus ſæpe accidit, ut ſpiritus cerebri non adeò deficiant, aut obruantur à vaporibus ſoporiferis, ut nequeant concurrere ad varias ſenſationes internas, aut imaginationes, licèt impedimenta défluxûs in externa ſenſoria perrumpere non valeant : & tunc in cerebro contingunt ſomnia, ſive inſomnia ; quorum confuſio & perturbatio provenit ex inordinato motu ſpirituum, qui partim à fumis dennò ſubeuntibus agitati, partim ab obſtructis nervis repulſi, particulas cerebri ſine lege commovent, & ſpecies phantaſiæ turbando, perfectam impediunt diſcretionem ſenſûs, conſequenterque perfectum judicium intellectûs. Hæc modò tetigiſſe ſufficiat.

### *De Appetitu ſenſitivo.*

124. Ex dictis in Phyſicâ, ubi de appetitu materiæ ad formam, conſtat differentia inter appetitum innatum, & elicitum, in eo maximè conſiſtens, quòd innatus identificetur cum appetente, ſitque proinde invariabilis ; elicitus verò in creatis ſit actus à re appetente productus, & variationem admittat: item, quòd innatus ſequatur formam

na-

naturalem, elicitus formam apprehensam; ideſt, quòd innatus non dirigatur cognitione objecti, præhabitâ ab appetente, ſed ex perfectione rei naturali reſultet, aut quaſi reſultet; elicitus verò ſupponat objectum ab appetente cognitum. Dari ergo in brutis appetitum elicitum circa objecta ſenſibilia, meritò cenſetur evidens ab experientiâ: brutum enim pro varietate cognitionum proſequuntur aut vitant objecta varia. Appetitus iſte materialis eſt, quia non alius competit brutis, & quia non egreditur limites objecti corporei: diciturque ſenſitivus, quia in ſola fertur objecta ſenſibilia, & quia immediatè dirigitur, aut excitatur à ſenſatione, utique internâ (ſaltem loquendo de appetitu principe), unde fertur in objecta etiam abſentia.

125 Pariter certum eſt, ſimilem appetitum in homine dari præter voluntatem, quæ dicitur appetitus rationalis. Dantur quippe in homine vires ſenſitivæ non minùs integræ, quàm in brutis; ut omnes conſentiunt. Et quòd in homine dentur appetitiones corporeæ rationalibus contrariæ, planè colligitur ex variis Scripturæ locis, nominatim ex illo Apoſtoli ad Galat. 5., *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum; ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur.* Appetitus hujuſmodi vocatur *ſenſualitas* (hoc nomen ſæpe in malam partem ſonat, ſed hìc ſumitur indifferenter), ejuſque actus vocantur *paſſiones*, eo quòd ex illis reſultare ſoleat in corpore paſsio aliqua, ſeu commotio phyſica, ut advocatio ſanguinis ad cor, vel ad faciem. Quòd verò importet potentiam ab anima diſtinctam, necnon à ſenſu interno, & materialem quidem ſeu, organicam, utpotè limitatam ad actus materiales; conſtat ex dictis diſp. præced.

126 Celebris eſt hujus potentiæ diviſio in concupiſcibilem, & iraſcibilem. Munus concupiſcibilis eſt appetere commoda ſenſibilia, ſeu convenientia ſecundùm ſenſum, & refugere incommoda, ſeu nociva. Ejus actus ſunt amor, & odium, deſideriam, & fuga ſeu abominatio, gaudium ſeu delectatio, & triſtitia ſeu dolor. Munus iraſcibilis eſt defendere bona concupita, ſeu repellere contraria, quæ boni poſſeſsionem, vel aſſecutionem impediunt, aut malum inferunt, de iſque ſumere vindictam. Ejus actus ſunt ſpes, deſperatio, audacia, timor, ira. De utriſque actibus latè diſſerit D. Thomas 1. 2. q. 25. & ſeqq. Has potentias realiter diſtinctas, ac diverſas eſſe, tenent Thomiſtæ, diſſentientibus Noſtris, & Scotiſtis communiter. Thomiſtis favet D. Thomas 1. p. q. 81. ar. 2.; qui tamen fortaſe intendit ſolùm diſtinctionem rationis, quæ ſufficit pro diviſione doctrinali: nam ibi fundamenta indicat, quibus probari poteſt realis identitas. Indicat ſcilicèt exemplum appetitûs innati; qui certè per eamdem vim & appetit bonum, & reſiſtit obſtantibus: in lapide v. g. eadem gravitas, quæ inclinat deorsùm, reſiſtit impellenti ſurſùm.

127 Indicat etiam S. Doctor magnam inter actus utriuſque potentiæ cognationem, quâ videlicet alij ex alijs naſcuntur, & in eumdem finem conſpirant. *Omnes*, inquit, *paſsiones iraſcibilis incipiunt à paſsionibus concupiſcibilis, & in eas terminantur: ſicut ira naſcitur ex illatâ triſtitiâ, & vindictam inferens, in lætitiam terminatur.* Unde addit cum Ariſtotele, quòd *pugnæ animalium ſunt de concupiſcibilibus, ſcilicet de cibis, & venereis.* Hinc autem infertur, quòd actus iraſcibilis quodammodò ſe habet ad actum concupiſcibilis, ſicut ad intentionem finis electio medij: quia enim canis cupit cibum, iraſcitur contra impedientem, illumque mordet, quaſi eligens medium hoc ad poſſeſsionem cibi neceſſarium. At appetitio finis & medij, ad eamdem attinet potentiam. Accedit paritas voluntatis; in quâ, licèt

sint etiam actus utriusque generis, nemo tamen pro ijs agnoscit potentias duas. Vid. P. Suar. lib. 5. de Anim. cap. 4., ubi soluta invenies argumenta contraria, quæ non magni sunt roboris.

128. Objectum sensitivi appetitûs est bonum delectabile sensibile, seu cognoscibile per sensum. Quòdsi velis discernere inter objecta irascibilis, & concupiscibilis (qui appetitus distinguuntur itidem per rationem, vel per munera, seu connotata), haud facilè id assequêris. Discerni solent, ut bonum arduum, & non arduum. Sed, quia hoc ægrè percipitur, ut ostendit P. Suar. l. c.; dici potest cum eod. Suar, quòd concupiscibilis respicit simpliciter bonum sensibile, ut in se delectabile; irascibilis verò, ut defensabile. Thomistæ in appetitu sensitivo hominis agnoscunt inclinationem specialem in bonum sensibile honestum. Sed hoc ad Theologos spectat. Sunt etiam, qui velint, appetitum bruti respicere quòque bonum utile: quod quidem verum est de bono utili materialiter sumpto; non tamen de cognito formaliter ut utili; aliter propriè agerent bruta propter finem, quod cum communi rejecimus in Physic. tr. 2. d. 2. c. 3. Avis ergo, dum paleam colligit reipsâ utilem ad nidificandum, non cognoscit utilitatem ut talem, sed aliquam insensatam rationem delectabilitatis apprehendit in motibus ipsis, aut actionibus colligendi, deferendi, & collocandi apposite ad nidi fabricam. Quòd autem sic apprehendat pro tali tempore, provenit ab instinctu, seu determinatione naturæ.

129. Organum, aut sedem appetitûs, in corde itatuunt plurimi, præsertim Thomistæ, suffragante Suario nostro cit. cap. 4. Tum quia passiones appetitûs experimur in corde, quod gaudio dilatatur, timore constringitur, irâ æstuat. Tum quia cordi tribuitur amor; ideòque in Scripturâ jubemur Deum diligere *ex toto corde*. Tum quia sedes appetitûs debet esse illa pars, quæ principium est omnis motûs; talis autem pars est cor. Tum quia sic censet Aristoteles 3. de part. animal. cap. 4. Quòd tamen sedes hujus potentiæ non sit cor, sed cerebrum, tenent PP. Hurtado, Arriaga, Oviedo, Quirós, & communiter Recentiores nostri, quibus consentiunt Cavellus & Mastrius. Scotistæ, & alij: quorum sententiam præferendam duximus suprà disp. 3. n. 33. Ratio est: quia in cerebro residet sensus communis, ut jam omnes fatentur: si autem alibi esset appetitus, sequeretur, quòd in brutis alia esset pars animæ, quæ cognoscit, & alia, quæ appetit. At hoc non esse admittendum constat ex dictis disp. 4. n. 8. & seqq.

130. Hæc ratio non immediatè urget in homine, cujus anima quoad substantiam (quæ sola propriè cognoscit, & appetit) eadem est in cerebro, & in corde; ideòque, licèt potentiæ accidentales inter se distent, idem erit principium cognoscens, & appetens. Id ipsum verificaretur pariter in brutis perfectis (in imperfectis communiter creditur appetitus, ut & sensus communis, diffundi per spinam dorsi), si constarent animâ indivisibili: & quia in hoc Thomistis assensit P. Suar. in Opere de Animâ, idcircò appetitum etiam in corde posuit: retractaturus, credo, sententiam hanc, si se daret occasio, ut priorem illam retractavit in Metaphysicâ. Nihilominùs adducta ratio mediatè urget in appetitu hominis: quia circa potentias sensitivas, earumvè sedem, & ordinem, nemo aliter philosophatur in homine, quàm in bruto perfecto.

131. Nec obstant fundamenta contraria. *Ad* 1.: experientia illa fallax est, cùm etiam præ timore & alijs passionibus commoveantur viscera omnia, immutetur facies, turbentur oculi, capilli rigeant. Id ergo provenit ex variâ commotione sanguinis & spirituum, qui magnam habent cum affectibus animæ sym-

sympathiâm. *Ad* 2.: in sacris Litteris, cùm sermo est de amore, & charitate, non solùm cor, sed viscera pluraliter nominari solent, ut Psalm. 50. v. 12., & Jerem. 31. v. 33.: visceribus quòque tribuitur misericordia. Luc. 1. Coloss. 3., & sæpè alibi. Num idcircò locabis appetitum, non solùm in corde, sed etiam in pulmone, & alijs visceribus? Sumitur ergo cor, ut jam suprà notavimus, pro totâ animâ, vel pro appetitu rationali, qui certè non inhæret organo corporeo. *Ad* 3.: cor est principium motûs naturalis, seu non spontanei, nec ab appetitu pendentis: motus verò spontaneus, qui solus ab appetitu pendet, potiùs oritur à cerebro, unde nervi omnes ad illum destinati derivantur; nec à corde pendet nisi remotè, quatenus in corde formantur spiritus virales, quos deinde cerebrum perficit, & ad motum spontaneum adhibet. *Ad* 4.: Aristoteles, sicut in corde posuit sensum internum, ita & appetitum: sed, sicut deseritur valdè quoad primum, ita delerendus est quoad secundum.

132 Appetitus hactenùs expositus, qui à sensu interno immediatè dirigitur, vocari debet appetitus communis, aut princeps; quia circa omnia objecta sensibilia versatur, & toti corpori velut imperat, omniquè membra movet, ut in commune commodum ac defensionem conspirent. Præter hunc, valdè probabile est dari particulares appetitus quinque, respondentes totidem sensibus externis, iisdem organis affixos, & ab externis sensibus immediatè motos, aut excitatos. Hæc sententia rejici solet tamquàm recens, aut noviter inventa: sed immeritò, cùm sit Scoti locis citatis a Mastrio hic disp. 5. n. 299., quem sua Schola sequitur, & è Nostris PP. Hurtado, Compton, & Quirós. Probatur autem 1.: quia omnis potentia cognoscitiva debet habere sibi respondentem appetitivam, quam moveat; idcircò enim, præter appetitum rationalem ab intellectu motum, ponitur in homine sensitivus, qui respondeat interno sensui. Nec sufficit movere tantùm remotè, seu mediatè: nam hoc pacto sensus etiam internus movet voluntatem. 2.: quia, juxta communem doctrinam, nulla substantia cognoscitiva est, saltem de facto, quin sit appetitiva: si autem nullus est appetitus in organo visûs v. g., pars animæ bruti existens in oculis, cùm sit cognoscitiva, seu perceptiva objecti, nullatenùs erit appetitiva.

133 3.: quia in ipsis exteriorum sensuum organis delectationem experimur non minùs, quàm sensionem; in visu quidem ex pulchritudine, in auditu ex musicâ; sed præsertim in odoratu, gustu, & tactu, ex objectis unicuique gratis: similiter experimur inibi molestiam, amaritudinem, dolorem, quæ sunt affectiones appetitûs. *Dices*: delectatio solùm est in appetitu interno, sed exinde respicit objectum suum ut existens in organo externo. *Contrà*: cur idem non dicis de sensatione? Profectò lingua tam manifestè delectatur, quàm gustat: pes, aut manus, tam manifestè dolet, quàm sentit: ergo, si hæc experientia non probat inibi delectationem, aut dolorem, nec probabis sensionem; poteruntque proinde negari sensus omnes præter internum. *Dices* rursùm: sensatio ipsa externa per se formaliter delectat. *Contrà* iterùm: delectatio ab omnibus numeratur inter actus aut passiones appetitûs: ergo distinguat debet à sensatione, seu perceptione objecti: aliter confundentur actus utriusque lineæ; poterit que pariter in sensatione consistere desiderium, tristitia, timor, &c. His adde, quòd fauces afficit stomachum, & sitis fauces etiam & linguam, ut omnibus periculum est: utraque autem per appetitum definitur. At, inquis, superfluunt tot appetitus. Sed cedo, quare non superfluunt tot sensus?

134 Dicendum hîc aliquid de dolore, fletu, & risu. Dolor est actus, aut passio appetitûs, ut probat D. Thomas 1. 2. q. 35. ar. 1.; nec solùm ad appetitum sensitivum pertinet, sed etiam ad voluntatem, ut patet cùm de peccatis dolemus. Delectationi opponitur, estque proinde quædam amarities & inquietudo appetitûs de malo præsenti, seu quod apprehenditur ut nocens. Comparatur ad tristitiam, ut genùs ad speciem, juxta D. Thomam ibid. ar. 2.: nam tristitia est species doloris, quæ sequitur apprehensionem internam sine actuali externâ sensatione mali: dolor verò sequitur etiam externam sensationem, præsertim tactûs: immò tunc specialiter & quasi antonomasticè vocatur dolor, cùm resultat ex nocumento corporis ut percepto per tactum; & tunc etiam dicitur dolor corporis (nempe ratione causæ, vel motivi), ut discernatur à tristitiâ, quæ dicitur dolor animi. Quòd hic dolor specialiter dictus consistat in sensatione tactûs, putant aliqui: sed immeritò, cùm sit affectio delectationi contraria, sicut odium amori, adeòque spectare debeat ad eamdem potentiam: & alioquin posset etiam dolor de peccatis in cognitione consistere. Sensatio ergo, sive cognitio, solùm est radicaliter jucunda, vel dolorosa.

135 Eâdem ratione sunt rejiciendi, qui dicunt, dolorem hunc non esse passionem aut actum potentiæ vitalis, sed objectum sensationis in tactu. Quod probant 1.: quia sæpe tactus nullum objectum sentit, nisi merum dolorem, præsertim in partibus internis. 2.: quia dolorem sentit manus v. g.; quæ tamen non sentit actum appetitûs. Sed hæc non urgent. *Ad* 1.: tactus non sentit, seu non percipit dolorem formalem, sed causalem, idest, objectum aliquod nocens corpori: & quando non aliter illud discernit, quàm sub ratione nocentis, dicitur nihil sentire nisi dolorem. *Ad* 2.: si *sentire* sumatur pro *exercitè experiri* (quâ ratione dicimus etiam, quòd manus sentit se tangere), manus utique dolorem sentit, quia illum vitaliter in se recipit, & eo torquetur: at non sentit dolorem signatè, seu tamquam objectum sensionis inibi existentis: solùm enim per sensum internum signatè sentimus dolorem in manu existentem; sicut non aliter sentimus, nos tangere, gustare, videre, &c.. Dicendum igitur, dolorem illum, ut primò excitatum, esse actum appetitûs particularis tactui respondentis, & illum ubique comitantis (in appetitibus aliorum sensuum dari quòque potest dolor aliquis, aut molestia quædam, licèt minùs notabilis); deinde verò ex vi sensationis internæ de dolore tactûs, excitari quòque in appetitu communi, de totius corporis incolumitate solicito, in quo à nonnullis vocatur potiùs mœstitia, quàm dolor.

136 De causâ doloris, seu de objecto tactili, quod immediatè movet ad dolorem hujusmodi, non paùm dissident Philosophi. Plures, præsertim Medici, dicunt, esse solutionem continuitatis in corpore, seu divisionem aliquam partium continuativè unitarum: quam sententiam alicubi tradit Aristoteles; immò dolorem definit *divisionem continui*, utique in sensu causali. Sed est sententia difficilis, ut ostendit P. Suar. cit. lib. 5. c. 5.. Quare alij recurrunt ad intemperiem quamdam humorum, quæ dam tactu sentitur, dolorem causat. Alij ad talem tensionem aut distractionem fibrarum, quæ illas constituat in proximo solutionis periculo. P. Suar. admittit qualitatem dolorificam, quæ sit specialis inter tangibiles, & ex intemperie resultet. Alij (fortasse probabiliùs) has omnes causas approbant, censentque, doloris objectum esse posse multiplex, ac varium, videlicèt omne, quod externo sensu percipitur ut nocens corpori. Sed notandum, quòd (si teneatur sententia negans, tactu sentiri qualitates organo inhærentes) qualitas aut affectio dolorifi-

fera, quæcumque sit, non causat dolorem, nisi ut inhærens humoribus, aut, succis in proprio corpore contentis; vel si parti animatæ inhæreat, nonnisi partem proximam dolere faciet.

137 Fletus est lacrymarum ab oculis effusio, prout ex dolore & tristitiâ proveniens: unde, si ex aliâ causâ fundantur lacrymæ, non est propriè fletus, sed apparenter, impropriè, seu purè materialiter. Causat autem tristitia fletum, quatenùs constringit cor, & partes oculis vicinas, quâ constrictione quidam humor exprimitur aqueus, & salsus, qui censetur veluti serum sanguinis, & est materia lacrymarum. Non tamen ad fletum propriè dictum sufficit tristitia appetitûs sensitivi, nisi accedat etiam tristitia voluntatis orta ex cognitione intellectuali de objecto dolorifero: capacitas enim flendi recenseretur, inter proprietates hominis, quatenùs rationalis. Idcirco bruta non flent, licèt ex dolore & tristitiâ in ejulatum erumpant. Infantes quòque ante omnem operationem intellectûs non propriè flent, sed gemunt, aut materialiter plorant. Si tamen velis, ut propriè fleant, dici poterit, eorum appetitum sensitivum ex connexione cum rationali proprietatem hanc habere præ appetitu brutorum.

138 Risus est vibratio quædam septi transversi, seu diaphragmatis, simulque musculorum thoracis, & oris, quatenùs orta ex delectatione de re joculari, & aliquomodò novâ. Quare, si vibratio illa proveniat ex alijs causis, non erit propriè risus, sed apparenter, aut purè materialiter, ut nuper diximus de fletu: & talis à nonnullis creditur esse risus ex titillatione proveniens; nec immeritò, nam titillatio plus infert molestiæ, quam delectationis, ideòque ij, quibus risum movet, vehementer illam timent, ac refugiunt. Plerique tamen risum hunc verum putant, eo quòd titillatio delectationem aliquam & admirationem inducat, vel quia fortiva & repentina est, vel quia, quantumcumque prævisa, quodammodò apprehenditur ut nova, & insolita, in partibus acutiore sensu præditis. Porrò delectatio ad risum requisita, supponit admirationem aliquam ex novitate objecti causatam: unde pueri, qui omnia mirantur, ut nova, facilè solvuntur in risum. Cùm autem admiratio sit actus animæ intellectivæ, ut probat D. Thomas 4. cont. Gent. cap. 33., sequitur, quòd risus præsupponit actum rationis & risibilitas rationalitatem, tamquàm ejus proprietas. Nec proprie risus est hilaritas illa, quam vultu præferunt infantes, aut etiam canes.

139 Denique de appetitu quæri potest, an secum identificet potentiam locomotivam? Duplex est motus localis in viventibus sensitivis. Alter dicitur *naturalis*, aut *vitalis*, qui scilicèt spectat ad opus nutritionis, & ab appetitu non pendet, v. g. motus cordis: & hujus potentia effectrix videtur indistincta realiter à nutritivâ, ex dictis in hac disp. n. 8. Alter dicitur *spontaneus*, quia provenit à cognitione, & appetitu, v. g. motus progressivus: & hunc immediatè effici ab appetitu, opinantur multi, qui siquam aliam admittunt potentiam motricem, negant esse activam, sed passivam, aut dispositivam, quâ membra reddantur habilia, ut suscipiant motum ab appetitu producendum. Verùm, quòd admittenda sit potentia effectrix motûs spontanei, subordinata quidem appetitui, tamquam imperanti, seu determinanti, sed ab eo distincta, inhærensque nervis & musculis membrorum; sententia est communior, & verior, quam docet D. Thomas apud Collegium Compiut. hìc l. 2. q. 8. ar. 3., & Scotus apud Mastrium cit. disp. 5. q. 11., & P. Suarez hìc lib. 5. c. 10., ubi hoc, & alia dubiola super hujusmodi potentiâ, optimè resolvit

C 2

## CAP. V.

### *QUÆSTIONES VARIÆ DE SENSIBUS decidiuntur.*

140 INTER explicandum potentias sensitivas in particulari, scienter omisimus quæstiunculas varias, ne doctrinæ seriem nimis interturbarent : quas omnes oportet in præsenti cap. congestas, ac resolutas exhibere. *Quær.* 1., an externi sensus sint plures, aut pauciores, quàm quinque? Quòd sint pauciores, indicat Aristoteles 3. de Anim. t. 64., & sæpe alias, dum ait, quòd *gustus est quidam tactus*. Quòd sint plures, docere videtur idem Arist. 2. de Anim. t. 107. & seqq., ubi probat, plures esse tactus specie diversos, quia plures sunt contrarietates in objecto tangibili, nempe calidum & frigidum, siccum & humidum, durum & molle, &c.. Accedit, quòd aliqua sensitiva facultas assignanda est, cui incumbat advertere ad objecta externa ; si enim advertentia desit, etiam apertis oculis non videmus objectum præsens : talis autem facultas non est sensus internus, nam hujus operatio non prævenit, sed supponit externam sensationem.

141 Nihilominùs quinario numero sensuum exteriorum suffragantur communi calculo docti, & indocti: rationemque satis aptam reddit D. Thomas 1. p. q. 78. ar. 3. ex diverso modo immutandi, quem habent objecta sensibilia. Ipsa quòque experientia nos docet, omnes sensationes externas ad quinque genera reduci, pro ipsque institutæ esse totidem organa diversa, & realiter separabilia. Ideò autem gustus dicitur *quidam tactus*, quia indiget contactu prævio corporis sapidi ; non enim lingua gustat nisi quod tangit : diversa tamen est in lingua vis tangendi, & vis gustandi ; hæc enim amissa, vel remissa, vel impedita, sæpe illa remanet integra. Quòd tactus multiplicari debeat juxta numerum contrarietatum objecti tangibilis, dixit quidem Aristoteles loc. cit., sed non nisi disputando, vel inquirendo; ideòque contrarium docuit alijs in locis apud P. Suar. hic l. 3. c. 28.. Neque ulla ratio est, cur unus sensus debeat esse unius tantùm contrarietatis : fortasis enim contrarietas est multiplex in objecto gustûs, & olfactûs. Adde, quòd omnes contrarietates tangibilium reduci possunt ad unam genericam, nempe ad qualitatem proficuam & nocivam temperamento corporis.

142 Præterea favet identitas organi : nam quæcumque pars corporis tangit unam contrarietatem, tangit & cæteras. Solùm est discrimen penès magis & minùs, quatenùs tactus in quibusdam partibus acutior est, aut vividior ; unde resultabit aliqua diversitas in specie partiali, si gradus intensionis sint heterogenei. Cæterùm diversitas hujusmodi non in præsenti controvertitur, sed illa tantùm, quæ resultat ex diversitate objectorum. Jam verò advertentia ad objectum præsens, positivè sumpta, non distinguitur à sensatione ipsâ externâ ; idem quippe est visum advertere, ac videre : negativè autem sumpta, nihil est nisi carentia distractionis, seu cessatio ab alia operatione, sic animam distrahente, vel occupante, ut non sinat eam in oculis v. g. operari, tametsi species objecti sit in promptu. Hoc modo advertentia prævenit quidem visionem ; sed non indiget novo sensu.

143 *Quær.* 2., quem perfectionis ordinem servent externi sensus, tum inter se, tum humani cum belluinis collati ? *Resp.* 1. : factâ comparatione sensuum inter se, communis opinio præfert 1. visum, 2. auditum, 3. olfactum, 4. gustum, & ultimo loco numerat tactum ; qui tamen est fundamentum cæterorum, & ad vitæ conservationem maximè necessarius. Præstantia visûs

sùs patet; quia respicit pro objecto lucé qualitatum nobilissimam, & in modo percipiendi propiùs accedit ad intellectum. In cæteris excessus perfectionis desumitur ex modo sentiendi subtiliore, seu minùs crasso, minùsvé materiali. Quòdsi externi sensus considerentur in homine quatenùs utiles ad adquisitionem scientiarum, infimum locum tenet olfactus, propé infimum gustus; tres verò reliqui mutuò se excedunt, visus tamen simpliciter præstat cæteris. Dum scientiæ adquiruntur viâ disciplinæ, servit auditus; dum viâ inventionis, aut experientiæ, tactus, & visus. Quæ omnia latiùs exponit P. Suar. cit. l. 3. c. 19.; ubi etiam explicat, quâ ratione melior tactus melius ingenium indicet, dicente Aristotele, molles carne aptos esse ingenio; & ex Alberto M. causàm reddit, cur hæc regula non valeat in fœminis.

144 *Resp.* 2.: tactu & gustu præcellit homo brutis omnibus; quia duo isti sensus eò meliores sunt, quò melior est corporis complexio, vel temperamentum; & hoc in homine præstantissimum est: in reliquis verò sensibus exceditur homo à brutis, non omnibus, sed aliquibus; v. g. in visu, ab aquilâ, & lynce; in auditu, à talpâ, & lepore; in odoratu, à cane, & vulture. Hinc vulgati versus,

*Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,*
*Vultur odoratu, præcellit aranea tactu,*

corrigendi sunt quoad gustum, & tactum: nam simiæ gestus, dum comedit, solùm probant naturam ad gesticulandum pronam: & aranea, ut illicò sentiat muscæ motum in telâ, non indiget exquisito tactu, cùm semper in insidijs sit, & innixa reti, cujus stàmina facilè contremiscunt motu levissimo. Immò P. Suar. l.c. vult, reliquos etiam sensus absolutè, & omnibus pensatis, perfectiores esse in homine, quàm in brutis, licèt excedantur secundùm quid, nempe secundùm vim percipiendi objectum distans, aut tenue. Quià visus humanus per se delectatur pulchritudine, auditus musicâ, olfactus odore rosæ, & alijs à sapore sejunctis.

145 Occasione istâ notandum, nullum animal carere tactu; quia hic sensus est veluti primum fundamentum vitæ sensitivæ. De gustu, saltem imperfecto, idem communiter dicitur, tum quia valde affinis est tactui; tum quia necessarius, ut animalia sumant alimentum perfectiori modo, quàm plantæ, nimirùm cum discretione aliquâ noxij ab innoxio. Olfactus negari solet animantibus, quæ motu progressivo carent, ut ostreis, & alijs hujusmodi, quæ vocantur *Zoophyta*, seu *plantanimalia*, quasi medium inter plantas & animantes locum teneant. Sed res est incerta; ut etiam, quòd hæc animalia, & alia quædam imperfecta, tametsi progressiva, scilicèt muscæ, pulices, & similia, careant auditu. Visus quòque negatur Zoophytis, & quibusdam alijs imperfecti generis, præsertim verò talpæ, immò à nonnullis etiam balænæ. Sed fortè verius est, nullum animal progressivum visu destitui, saltem obtuso, ac debili. Certè nullum in specie assignetur, cujus cæcitas sub lite non sit, ne talpâ quidem exceptâ: de quâ, necnon de balænâ, vid. Conimbric. in 3. de Anim. c. 1. q. unic. ar. 4. Notandum præterea, nullum animal carere interno sensu; quia nullum caret appetitu communi, quo cupiat commoda, & refugiat noxia: unde & Zoophytæ motu spontaneo se contrahunt, ac dilatant. Hic tamen sensus in quibusdam valde imperfectus est, & non habet munera phantasiæ, & memoriæ, seu non percipit objectum absens: de quo Vid. P. Suar. cit. lib. 3. c. 31.

146 *Quær.* 3., an sensus omnis, aut aliquis, sit judicativus, discursivus, aut reflexivus? *Resp.* 1.: nullus sensus est propriè judicativus, nec discursivus, saltem in brutis. Ita commu-

nis sententia; cujus rationem dedimus suprà disp. 1. n. 69. & seqq.. Dixi *propriè*: quia latè, & impropriè convenit judicium sensibus, etiam externis, sumptum scilicèt pro apprehensione vividâ, quæ ita certificat de existentiâ, vel convenientiâ objecti, ut appetitum excitet, ac determinet: qualis apprehensio datur etiam sæpe in intellectu, dicitur que *suasiva*, & *virtuale judicium*; quia in removendo dubium, & in excitando appetitum, judicio æquivalet, seu vim habet judicij formalis. Ratione istiusmodi judicij improprij, virtualisque, dicimus passim, quòd visus judicat de coloribus, gustus sapores dijudicat, &c.; & quòd bruta per æstimativam judicant, hoc aut illud objectum sibi esse noxium, aut commodum. Similiter brutis impropriè convenit discursus in sensu interno; dum scilicèt cognitio unius objecti excitat speciem alterius, atque ita causat occasionaliter cognitionem aliam. Nunquam tamen bruto innotescit connexio antecedentis cum consequenti, prout opus est ad discursum propriè talem. Dixi quòque, *saltem in brutis*: quia Thomistæ cogitativam hominis discursivam faciunt circa singularia, ut etiam reminiscentiam; favetque D. Thomas. 1. p. q. 78. ar. 4. cum addito *quasi*. Vid. tamen P. Suar. cit. l. 3. c. 6.

147 *Resp.* 2.: reflexio hìc accipitur pro cognitione proprij actûs; potestque sumi vel exercitè, vel signatè. Sumpta exercitè, nihil est aliud, quàm experientia sui; quatenùs visio v. g., dum actu existit, per se ipsam absque aliâ reflexione reddit potentiam formaliter experientem se videre, atque id sentientem in actu exercito, tametsi visionem non videat more objecti: & hoc modo, utique improprio, quævis sensatio est sensatio sui, & quivis sensus sentit se sentire, ut omnes concedunt. Sumpta verò signatè, reflexio est cognitio, quâ quis pro objecto respicit proprium actum de lineâ intentionali. Quòdsi respiciat actum ejusdem potentiæ, reflexio propriè talis erit; impropria verò, seu minùs propria, si respiciat actum, proprium quidem ejusdem suppositi, sed alterius potentiæ. Uterque modus reflexionis signatæ negatur communiter sensibus externis: quia visus v. g. nec suam, nec alius potentiæ sensationem videt, utpotè non contentam sub ejus sensibili proprio, vel communi. Sensus verò internus cognoscit sine dubio sensationes externas: tum quia recordatur objecti ut anteà sensati: tum quia brutum sæpè appetit audire, gustare, &c.. Cognoscit etiam actum appetitûs, saltem particularis: brutum enim meminit delectationem, aut dolorem præhabitum, ideòque loca quædam repetit, aut vitat.

148 Superest dubium, an sensus interior suos etiam actus reflexè cognoscat. Multi probabiliter affirmant: quia sæpe meminimus sensationes internas, v. g. phantasiæ. *Dices* cum Thomistis: memoria realiter distinguitur à phantasiâ, ideòque poterit ejus actum cognoscere, non tamen proprium. Sed *contrà* est: tum quòd falsò adstruitur inter sensus internos distinctio realis: tum quia reflexionem experimur etiam in eodem genere actuum; nam sæpe meminimus nos meminisse, imaginamur nos imaginari, vel fuisse imaginatos, & somniamus nos somniare, somniumque ipsum reflexo somnio discutimus. Adde, quòd appetitus reflexè appetit proprium actum, dum præhabitam delectationem iterare cupit. Præterea, licèt solius sit intellectûs, actum suum cognoscere quoad *quid est*, & à quibus causis; cognoscere tamen proprium actum quoad *an est*, non probatur esse supra vim sensûs.

149 Nihilominùs contrarium tenent alij plures, etiam probabiliter, ut videre est apud P. Suar. cit. l. 3. cap. 11.

11. Et ad allegatam experientiam (quæ solùm in homine militat, non in brutis) dici potest, quòd actus illi non sunt memoriæ sensitivę, sed memorię spiritualis, vel intellectûs, qui non semper ligatur penitûs in somno, ut docet D. Thomas 1. p. q. 84. ar. 8. ad 2. Dici quòque poterit, quòd appetitus communis delectationem appetit, non suam, sed alicujus appetitûs particularis propriam. Certè D. Thomas 2. cont. Gent. c. 66. hoc discrimen generatim statuit inter sensum, & intellectum, quòd *Nullus sensus se ipsum cognoscit, nec suam operationem; intellectus autem cognoscit se ipsum, & cognoscit se intelligere.*

150 *Quær.* 4., an sensus errare, seu falli possint? Certum est, quidquid olim dixerint Academici, sensûs non semper decipi, nec incerta nuntiare. Tum quia rueret alioquin omnis scientia humana, cùm ab experientiâ sensuum trahat originem. Tum quia vel ipsa infallibilis notitia Fidei sensu mediante adquiritur: nam, ut ait Apostolus ad Rom. 10., *Fides, ex auditu*; & iterùm, *Quomodò credent ei, quem non audierunt?* & Joan. Apost. Epist. 1. c. 1. testimonium sensuum allegat pro veritate rerum, quas annuntiat. Certum est etiam contra Epicureos, non ita se habere sensus circa sensibile, ut nunquam præbeant occasionem errandi. Sæpe enim præbent: tum ratione organi pravè dispositi, ut cùm ictericus alba videt ut pallida, & ægrotus dulcia gustat ut amara: tum ratione medij non satis puri, ut cùm quis per vitrum viride cernit omnia viridia, & cùm Sol ob interiectos vapores apparet rubeus: tum ratione distantiæ justo majoris, ut cùm objecta magna eminùs aspicienti videntur quasi parva, mota quasi immota, quadrata quasi rotunda, sphærica quasi plana: tum ratione refractionis, aut reflexionis specierum, ut cùm baculus, aquæ immersus ex parte, fractus apparet, aut curvus, & cùm in speculis variè collocatis multifariàm variantur rerum figurę, & magnitudines. Hæc tamen, & similia non favent Academicis: quia non semper accidunt; & quoties accidunt, semper intellectus ex circumstantijs potest errorem suspicari, & sensum corrigere.

151. Sed circa errorem istiusmodi notandum, quòd sensibus, sicut non propriè convenit judicium, ita nec propriè convenit veritas, aut falsitas, cùm hæ sint proprietates solius judicij, ex dictis in Logic. tr. 5. disp. 2. cap. 5. Solùm ergo dicuntur sensus errare, seu falli, occasionaliter, quatenùs imperfecto, confuso, vel incongruo repræsentandi modo, præbent intellectui occasionem errandi; qualem præbere solet etiam statua, vel picta imago, quæ parùm fideliter exprimit prototypum. Hoc genus erroris, juxta Aristot. 2. de Anim. t. 161., & D. Thomam 1. p. q. 17. ar. 2., contingere potest in sensibus circa sensibile proprium, commune, & per accidens; sed rariùs circa proprium, crebriùs circa commune, multò crebriùs circa sensibile per accidens, ut cùm sumitur acetum pro vino, sal pro saccharo, & sic de alijs. Inter sensibile proprium & commune solet hæc statui differentia, quòd sensus nunquàm fallitur circa proprium in genere, sed tantùm in specie; nequit enim visus cernere ut coloratum, quod nullius est coloris (saltem transeuntis, à luce indistincti); benè tamen ut pallidum v.g., quod album est: circa commune verò, tam in genere, quàm in specie, falli potest. Verùm hæc doctrina, quantum ad commune in genere, rejicitur à P. Suar. cit. l. 3. c. 10.

152 Notandum præterea, quòd in prędictis exemplis, licèt passim dicatur, sensum externum repræsentare quod non est, locutio est impropria, vel falsa, nisi addatur, vel subaudiatur

*occasionaliter*. Si enim, juxta communem doctrinam, sensus externus nequit attingere objectum absens, quomodò attinget aliquid non existens? Certè de objecto non existente, sive proprio, sive communi, non habet speciem propriam; nec potest illud cognoscere per alienam, cùm sensus exterior non cognoscat abstractivè, sed intuitivè tantùm. Dum ergo per vitrum rubrum nix cernitur quasi rubea, visus non repræsentat ruborem in nive, sed candorem: quia tamen visio candoris quasi obruitur à visione ruboris interiecti, occasio hinc datur imaginationi, vel intellectui, ut apprehendat in nive colorem, qui non est. Dum æger dulce putat amarum, gustus utique percipit dulcedinem: sed quia simul percipit amarorem bilis, quâ lingua madet, & quæ cibo miscetur, gustatio hæc illam obruit, & pariter occasionem præbet errandi. Dum baculus apparet sub aquâ fractus, nullam fractionem cernit visus: solùm cernit partem baculi per lineam refractam, eo quòd species transeat ab uno in aliud medium diversæ densitatis. Dum solare corpus ratione distantiæ videtur parvum, planum, & immotum, visus reipsâ percipit magnitudinem, figuram globosam, & motum: sed adeò tenuiter, aut imperfectè, ut imaginatio, vel intellectus primo intuitu confundat hanc visionem cum aliis de objecto parvo, &c.. Hæc majore indigent discussione: sed alia nos vocant.

153 *Quær.* 5., an, aut quatenùs vera sint pronuntiata quædam celebrari solita circa sensum, & sensibile? 1.: *Sensus læditur à sensibili vehementi*, vel *excellenti*. Sumitur ex Aristot. 2. de Anim. t. 121., & experientiâ patet; nam visum lædit nimius splendor, auditum vehemens fragor, tactum calor excellens, &c.. Sed dubium est, an læsio fiat in actione physicâ, seu naturali, idest, productione qualitatis temperamento contrariæ, & à specie ac sensatione distinctæ? an verò actione intentionali, seu productione speciei, vel sensationis intensæ? In quo dicendum breviter, aliquando læsionem fieri priori modo; tactus enim ab igne læditur alteratione physicâ, temperamentum organi destruente; similiterque nimia lux potest visum lædere productione caloris indebiti; ut etiam auditum nimius fragor impulsione aëris. Plerúmque tamen læsio provenit ab actione intentionali; non quidem per se (cùm nec species, nec sensatio contraria sit potentiæ, vel temperamento sensorij); sed per accidens, quatenùs vehementem actionem objecti sequitur vehemens attentio animæ, cujus occasione ad sensorium confluit nimia copia spirituum, qui, cùm sint præcalidi, debitam organi temperiem offendunt.

154 2.: *Sensibile positum sub præsensum non causat sensationem*. Sumitur ex Aristot. 2. de Anim. t. 98. & 116.: &, quod ad visum attinet, fatentur omnes, objectum coloratum non videri, si contiguum sit organo, sive immediatè super oculos positum; alioquì videremus palpebras obductas oculis. Ratio autem est: quia color non est visibilis, nisi ut illuminatus; & nequit illuminari, quâ parte oculos tangit. Quòdsi objectum sit ex se lucidum, v. g. flamma, ideò videri nequit immediatè admotum, quia lædit organum alteratione physicâ. Visus ergo requirit spatium aliquod medium inter organum & objectum: lucem tamen in medio diffusam, etiam quâ parte immediata est organo, videt fortasse velut in transitu. De reliquis sensibus idem volunt Thomistæ, ut scilicet nullus percipiat objectum sensorio contiguum, sed omnes indigeant medio, quo transmittatur species: medio, inquam, vel extrinseco, cujusmodi est aër, aut aqua, pro visu, & auditu; vel intrinse-

seco, quod nempe sit pars animalis cum organo continuata, cujusmodi esse dicunt pro tactu, & gustu, cutem, & carnem exteriorem.

155 Contrà Scotistæ cum Scoto, & Nostri communiter cum P. Suar. cit. l. 3. c. 17. negant, illud pronuntiatum valere in reliquis sensibus, præsertim in gustu, & tactu. Nam, etsi gustus ponatur in interiori linguæ nervo, ad illum usque penetrat sapor, cùm propterea data sit linguæ caro spongiosa, & saliva pro cibo diluendo. Tactus quòque manifestè sentit tactile cõtiguum. Nec prodest dicere, quòd caro sentit mediâ cute, vel caro interior mediâ exteriore, vel nervus media carne. Contrà enim est, tum quòd sensationem in cute experimur: tum quòd, cute detracta, caro sentit vividiùs: tum quòd caro interior & exterior sunt ejusdem rationis; unde non est cur altera sit organum tactûs, altera parum medium: tum quòd immeritò locabitur tactus in solis nervis contra communem sententiam, & experientiam; & quàmvis lateat, non ideò indiget medio; nervus enim carne nudatus, dum vel levissimè tangitur, sentit acutiùs. *Dices* cum Collegio S. Th. Complut. hîc l. 2. q. 5. n. 64.: si nervus à sensibili tangatur secundùm se totum, non sentiet; si verò secundùm partem, non illa, sed pars alia proximior id sentiet. Verùm hæc solutio, per se incredibilis, firmanda esset ratione validâ, qualis nulla profertur. Est etiam contra experientiam; cùm nervi sæpe in toto brachio, vel toto crure, intimè perfundantur humore noxio, ejusque acrimoniam inibi sentiant.

156 *Objicitur* auctoritas Aristotelis, qui cit. t. 116. pronuntiatum illud extendit ad omnes sensus. *Resp.*: extendit quidem (quàmvis aliqui mentem ejus aliter interpretentur); sed non est necesse in omnibus assentiri Philosopho vel contra manifestam experientiam. Sat illi ad principatum, in pleriſque verum attigisse. D. Thomas autem, licet interdùm in gratiam Philosophi cum eo loquatur de re præsenti, contrarium insinuat alijs in locis apud P. Suar. cit. cap. 17. Quòdli Philosophus loquatur de sensibili supra sensum posito, non per meram contiguitatem, sed per inhærentiam in sensorio ipso, facilè subscribemus.

157 3. *Intùs existens prohibet extraneum.* Sumitur ex Aristot. 3. de Anim. t. 4. (qui tamen non dixit *intùs existens*, sed *intùs apparens*); soletque probari, vel explicari per hoc aliud, *Recipiens debet esse denudatum à naturâ recepti.* Sensus illius est, quòd potentia cognoscitiva debet carere naturâ reali objecti, ut possit illud cognoscere, & speciem ejus intentionalem recipere: si enim intra se, vel intra proprium organum habeat aliquid de naturâ objecti, vel nihil cognoscet, vel solùm cognoscet particulare illud, quod intùs habet, non verò alia ejusdem generis, quæ sunt extrà. Sic organum visûs carere debet omni colore, ut videre possit colores omnes; & si contingat aliquo infici, vel nihil videt, vel nullum colorem discernit præter illum; quia nimirùm *intùs existens prohibet cognitionem extranei.* Similiter gustus, dum linguæ intrinsecùs præoccupatur amarâ bili, nullum alium discernit saporem extrinsecùs advenientem; quia scilicet, ut recipiat ejus speciem, debet priùs ab omni sapore denudari, juxta illud, *Recipiens debet esse* &c. Hoc proloquium non tenet in intellectu, ut monet D. Thomas q. 22. de verit. ar. 1. ad 8.; nam alioquin, cùm intellectus pro objecto respiciat omne ens, deberet carere naturâ entis, & esse nihil. Solùm ergo applicatur ad potentias corporeas, ac sensitivas: in quibus generatim & sine exceptione valere creditur à multis, præsertim Thomistis.

158 Sed P. Suar. l. 1. de Anim. c. 9. à n. 13. proloquium, aut proloquiar illis,

ista, docte ac fusè discussit, & parum habere solliditatis ostendit, etiam in perennijs organicis. Profectò, licèt forma physica intùs existens impediat aliam quidem rationis, & idcircò subjectum debeat supponi denudatum à naturâ specificâ formæ recipiendæ, quia simile non agit univocè in simile; cùm tamen species intentionalis non sit ejusdem naturæ physicæ cum objecto, ut omnes concedunt (alioquin species coloris esset color, & ad videndum obesset magis, quàm prodesset, ex proloquio ipso), non satis apparet, universim loquendo, cur talem speciem ab objecto extrà posito recipere nequeat potentia, tamesi participet naturam physicam objecti, vel in se, vel in organo: potest enim simile agere in simile per actionem æquivocam accidentalem, ut cùm manus manu, vel pes pede percutitur: & aliunde non pugnat esse intentionale cum esse reali. Hinc videmus oculos alienos, licèt ejusdem naturæ cum nostris: videmus quòque nostros in speculo.

159 Accedit experientia tactûs, qui, cùm non careat primis qualitatibus, & aliis tactilibus, tamen eas percipit in extraneo. *Dices*: solùm eas percipit secundùm excuperantiam, seu quoad gradum intensiorem proprio. Sed *rejicieris*: tum quia tactus percipit saltem aliquas qualitates secundas in gradu æquali, ut suo loco vidimus. Tum quia intensio non variat naturam qualitatis, juxta Thomistas, utpotè negantes additionem graduum. Tum quia manus, calida ut 4., non sentit solos quatuor gradus in igne calido ut 8., sed totum ejus calorem sentit, ut experientia docet. Tum quia proloquium generatim profertur de *intùs existente*, sine distinctione intensi & remissi; & ideò probatur exemplo visûs, qui, siquem intùs habeat colorem, nullum alium, etiam intensiorem, vel specie diversum, valet discernere.

160 Præterea non est creditu facile, quòd lingua ex se careat omni sapore, & nasus omni odore; cùm hæ qualitates resultent ex temperamento primarum, & omni mixto convenire videantur. Retina quòque in oculis, cùm non sit penitùs diaphana, colorem aliquem habeat necesse est. Ideò autem qualitates istæ non sentiuntur, quia nulla qualitas inhærens organo, saltem si connaturalis est, sentiri potest, ut experimur in tactu. Quocircà non prohibent cognitionem extranei; quia, licèt intùs existant, non intùs apparent, ideò non cognoscuntur: atque ita satisfit Aristoteli, qui solùm de *intùs apparente* locutus est. Fateor, impediri visionem, si pupilla, seu crystallinus humor, tingatur colore aliquo. Sed quare? quia opacatur medium, quo transmitti debet objecti species ad retinam: quodsi non penitùs opacetur, saltem se habebit perinde, ac vitrum viride, vel rubrum, quo impeditur discretio alterius coloris ulterà positi. Verùm hoc pacto intùs existens non magis prohibet cognitionem extranei, quàm existens in medio cognitionem ulterioris.

161 *Quær.* 6., num sensus cognoscant negationes, sive carentias sensibilium? Affirmant nonnulli cum P. Arriaga, saltem de sensu interno; & ad experientiam provocant. Nam bruta fœmina de catulorum absentiâ dolet: canis, domi clausus, non conatur exire per murum, sed per foramen, in quo advertit carentiam obstaculi: ursus non rupem corripit, sed parvum lapidem, quem jaciat in hominem, ex cognitione scilicèt parvitatis, quæ est carentia magnitudinis: gallina terretur umbrâ milvi, quæ lucis carentia est. Accedit, quòd auditus mulcetur pausâ musicæ, quæ mera est negatio soni; & visus delectatur pulchritudine resultante ex proportione partium, quæ importat carentiam re-

dun-

dundantiæ. Negat tamen communis opinio. Tum quia, si difficiliter explicatur cognitio carentiæ ab intellectu, quantò magis à sensu? Tum quia sensus nullas habet carentiarum species: hæ quippe nec producuntur à carentijs ipsis, utpotè nullius entitatis: nec sunt insensatæ, seu inditæ brutis à naturæ Authore, ut vult Arriaga. Nam, ut alia omittam, vel singulis carentijs correspondent singulæ species, vel omnibus una. Si primum; habebit canis species infinitas, dum enim cognoscit, nullum esse in foramine impedimentum exitûs, cognoscit carentias infinitorum corporum, quibus posset foramen occludi; quæ carentiæ, siquod habent esse objectivum, sunt inter se distinctæ, ac separabiles, atqueadeò infinitæ, sicut corpora ipsa. Si secundum; illa species, utpotè repræsentans infinita objecta, erit universalissima, & longè perfectior specie qualibet positivi sensibilis; quod nemo dixerit. Nisi velis, ut ea species, vel quæ inde oritur sensatio, repræsenter carentiam in communi, faciatque universale; quod pariter à sensibus alienum est.

162. Experimenta in contrarium adducta probant, siquid probant, carentias etiam ab externo sensu cognosci; quod tamen difficile creditu est, cùm carentiæ nullatenùs participent rationem formalem objecti, sub quâ tendit sensus exterior: cujus enim coloris est carentia coloris, ut objiciatur oculis? Sensus igitur occasione carentiæ determinatur ad varios actus delectationis, mœroris, &c.; non quòd carentiam percipiat, sed quia non percipit rem aliquam positivam. Sic enim bruta fœmina desiderans videre catulos ubi reliquit, nec inveniens, vehementer dolet; non quòd eorum carentiam videat, sed quia carentia visionis optatæ, est occasio, vel conditio, ut tunc excitetur species de aliquo malo, cui fortè catuli subjiciuntur. Canis nullam in foramine carentiam videt, sed caret visione obstaculi, quę visio, dum adest, illum retrahit. Hinc noctu, quia murum non videt, per illum etiam tentat egredi. Ursus non videt parvitatem lapidis quoad negativum; caret tamen visione majoris in eo molis, quam si haberet, à tali actione desisteret. Gallinæ non terrentur ab umbrâ, sed à figurâ milvi, quam refert terminatio lucis circumfusæ. Auditus mulcetur à pausâ, quatenùs finitur per intervalla quiescere, seu quatenùs carentia, vel interruptio auditionis, conditio est, ut mulceatur à cantu. Denique visio terminatur solùm ad positivum pulcritudinis, sed, ut excitet complacentiam, indiget non terminari ad redundantiam.

163. Fac in his ipsis exemplis objecta positiva realiter esse præsentissima, non tamen emittere speciem sui, Deo sic decernente: tunc certè bruta non viderent eorum carentias: & nihilominùs eadem, quas modò, sensationes elicerent. Quidquid ergo pro tali hypothesi dixerint Adversarij, pro nobis dictum erit. Magis urget, quòd sensus internus non aliter videtur cognoscere absentia, & præterita, nisi cognoscendo carentiam exteruæ sensationis præsentis. Dici tamen poterit, objectum à sensu non cognosci formaliter ut absens, aut præteritum; sed solùm internè cognosci objectum, & ejus sensationem præhabitam, sine claritate intuitivâ, quę resultat à sensatione externâ, dum præsens est; & hinc determinari brutum, ut objectum quærat, & externè sentire cupiat. Vel poterit concedi, carentiam ab interno sensu cognosci, non quidem directè, vel per speciem propriam (ut velle videtur prima sententia), sed indirectè, aut remotivè, quatenùs objectum absens, aut sensio præhabita, cognoscitur quodam quasi judicio negativo, quo virtualiter negatur adesse hic, & nunc. Vid. P. Suar. l. 3. de Anim. c. 2. n. 28.

Hinc

164 Hinc *quær.* 7., an sensus percipere possit naturaliter objectum absens? Dicitur absens, quod vel nullibi existit, vel non ita est præsens, ut actualiter mittat aut conservet speciem sui. Et, quod attinet sensum internum, omnes affirmant; quia experientiâ constat, specierum conservationem in phantasiâ & memoriâ non pendere ab objectis. De sensibus externis affirmant aliqui, allegantque nonnulla experimenta. Nam, qui Solem aspicit, si subitò claudat oculos, videt adhuc tantisper lucem aliquam, quæ tamen jam est absens, seu non mittens speciem. Dum ardens titio velociter agitur in gyrum, cernitur in aëre circulus igneus, qui reipsâ non est. Dæmonis arte apparent in aëre, vel in speculis, objecta, quę non sunt. Et quotiés sensus fallitur, apparent ex parte objecti aliquæ circumstantiæ, vel aliqua sensibilia, saltem communia, ut motus, quies, rotunditas, &c., quæ non existunt.

165 Communis tamen sententia negat: quia species, quibus utuntur externi sensus, pendent ab objectis in fieri & conservari; aliquin possent in eorum absentiâ diú permanere, sicut in ferro calor amoto igne; quod planè repugnat experientiæ. Ad duo priora experimenta respondetur, non dari tunc visionem externam, sed imaginationem vehementem, quæ proponit objectum quasi præsens oculis, ut etiam in somno interdùm accidit. Ad tertium, arte dæmonis ita disponi vapores aëris, ut lucem reflectentes, aut modificantes, varios induant colores & figuras instar absentium. Quartum, me judice, multùm urget eos, qui absolutè concedunt, visum v. g. sic falli, ut repræsentet differentiam coloris, quæ non est, vel aliter, quàm sit, ideſt, cum motu, figurâ, &c., quæ non sunt. Nos tamen haud tangit, propter dicta n. 152.

166 Dubium supereſt, an saltem divinitùs possit sensus exterior, v. g. visus, percipere objectum absens? Et non est sermo de perceptione absentis ut absentis, præscindendo à præsentiâ, vel illam virtualiter negando juxta dicta n. 163. in fine: talis enim perceptio (ut benè notat P. Quiros disp. 85. n. 17.), cùm sit propriè abstractiva, videtur importare novum modum vivendi, ad quem nequit divinitùs elevari sensus exterior, sicut nec visus ad audiendum, aut è converso. Sermo est igitur de sensatione repręsentante objectum ut præsens, cùm reverà sit absens, aut non existens. Vel clariùs, an remoto, vel non existente objecto, dari possit divinitùs visio ejusdem rationis & claritatis, ac si objectum reipsâ esset præsens? Negant plures Thomistæ, & Scotistę: quia talis visio esset intuitiva, ut est omnis sensatio externa; & aliunde non esset, quia de ratione intuitionis est terminari ad objectum realiter præsens.

167 Sed affirmant Nostri communiter cum P. Suar. cit. l. 3. c. 12. 2: quia potest Deus speciem, à colore præsente immissam oculis, in absentiâ coloris conservare, vel etiam per se supplere influxum speciei, utpotè de genere efficientis: tunc autem, cùm adsint omnia visionis comprincipia, non est cur non eliciatur visio eadem, vel ejusdem rationis, ac si adesset color: visio enim non indiget existentiâ physicâ objecti, nisi mediatè, mediâ scilicet specie, quę non nisi ab illo produci potest naturaliter; vel, si fortè ratione modi tendendi connectitur immediatè cum tali existentiâ, non apparet cur ista connexio debeat esse divinitùs infrustrabilis. An autem visio illa dicenda esset intuitiva, quæstio est de voce. Si nomen *intuitiva* importet coexistentiam physicam visionis & præsentiæ objecti, non nisi realiter aut exactivè conveniret tali visioni; quæ, prout in ijs circumstantijs, vocari posset abstractiva latè, sive impropriè. Si

ve-

verò solùm denotet, visionem fieri per speciem propriam, & repræsentare objectum ut realiter præsens, visio illa foret utique intuitiva; quia fieret per speciem objecti propriam formaliter, aut eminenter; & realem objecti præsentiam exprimeret, proinde ac si adesset præsentia ista.

168 Prœberet quidem ea visio intellectui occasionem errandi, nisi Deus revelaret absentiam objecti: sed non inde redditur impossibilis; quia posset Deus revelationem adjungere, sicuti revelavit defectionem substantiæ panis in Eucharistiâ, ubi etiam ex visione accidentium sumit infidelis occasionem errandi circa substantiam. Denique nulla externa visio respectum habet transcendentalem ad objectum realiter præsens, sed solùm ad objectum ut repræsentabile tamquàm realiter prœsens; quę repræsentabilitas cõvenit objecto etiam in statu possibilitatis, ut patet quoties objectum, nullibi existens, ab imaginatione somniante repræsentatur ut præsens actualiter.

*Possitnè Sensus percipere objectum spirituale?*

169 Ultimo *quær.*, utrùm potentia sensitiva, seu materialis, aut organica, saltem divinitus elevata, possit objectum spirituale percipere? Quod etiam Theologi disputare solent sub hoc titulo, An oculus corporeus elevari possit ad videndum Deum? Quantum ad sensus de facto existentes, negant omnes Theologi apud P. Henao lib. 8. Empyreolog. exercit. 28. sect. 1.: & alioquin absurdissimè sequeretur, brutum elevari posse ad videndum Deum, & fruendum ultimo fine. De sensu, sive potentiâ materiali possibili, quæ præsentibus nobilior sit, in partem affirmantem inclinant PP. Valentia, Arriaga, & Quiros, quibus accedunt aliqui Recentiores. Sed negativam tenent reliqui ferè Theologi, ac Philosophi, apud Henao loc. cit. sect. 8.. Quorum sententia *probatur* 1. clarissimis Conciliorum & Patrum testimonijs, quæ ibid. refert Henao, & in quibus traditur, Deum nullâ ratione visibilem esse, aut perceptibilem sensibus corporeis, & pro eodem accipitur *spirituale*, sive *incorporeum*, ac *invisibile*, seu *non sensibile*.

170 2.: quia cognitio, quâ potentia corporea perciperet objectum spirituale, non esset spiritualis, nec materialis: esset ergo chymerica. *Prob. Antec.*. Inprimis non esset spiritualis: quia esset in fieri & conservari dependens à materiali potentiâ, seu organo corporeo, eidemque intrinsecè ac perpetuò adhærens naturâ suâ; ut in præsenti supponi videtur. Et quidem in homine, si potentię identificantur cum animâ vel adæquatè, vel quoad rectum, non aliâ ratione cognitio ulla dicitur actus potentiæ materialis, nisi quia ipsa in se materialis est, & ab organo pendens. Si autem loquamur de potentiâ bruti, vel etiam de corporeâ humanâ, qualem ponunt Thomistæ, quæ scilicèt distinguatur adęquatè ab animâ, & recipiat actum, propriéque vivat, & cognoscat; tali potentiæ intrinsecè adhærere debet suus actus, utpotè per se immanens principio viventi; ac proinde nequit non evadere corporeus, ex dictis disp. 2. n. 13. de conceptu rei corporeæ generatim. Accedit, quòd, si cognitio illa spiritualis esset, non differret ab intellectione: quid enim est intellectio, nisi cognitio immaterialis? At potentia corporea nequit per intellectionem cognoscere, nisi confundatur cum intellectu, vel ejus naturam chymericè induat.

171 Deinde nec esset materialis. Quia objectum spirituale debet spiritualitatem refundere in cognitionem: ex hoc enim capite probant omnes immaterialitatem actuum intellec-

tûs humani, cùm agitur de ſpiritualitate animæ rationalis. Et ſaltem ea vis refundendi, & ſpecificandi, negari nequit objecto primo, & ſummo, nempe Deo, præterea clarè viſo: ſi ergo potentia materialis elevaretur ad videndum Deum, viſio illa neceſſario eſſet immaterialis. Nec dicas forſan, dari poſſe potentiam corpoream perceptivam objecti ſpiritualis creati, non tamen Dei. Contrà enim eſt, tum quòd potentia corporea, ſiquod poteſt cognoſcere ſpirituale objectum, nullum certè facilius, quàm Deum; quia nullum eſt, in cujus cognitionem tam ſpontè ducant objecta viſibilia, ſeu quod ita ſe prodat, ac veluti conſpiciendum præbeat in tota conſtitutione Mundi aſpectabilis. Tùm etiam, quia, ſi Deus non eſt materiali potentiæ incognoſcibilis titulo ſpiritualitatis, nec erit titulo infinitatis: nam hic titulus æquè militat reſpectu intellectûs creati, cui tamen Deum non reddit incognoſcibilem. Quòdſi potentia corporea Deum poteſt cognoſcere abſtractivè ſaltem, aut confusè, poterit etiam clarè & intuitivè, addito lumine ſupernaturalis ut patet exemplo intellectûs humani.

172 Hinc *prob.* 3.: quia potentia illa, utpotè cognoſciva Dei, poſſet cognoſcere quodlibet ens creatum, cùm omnia in Deo contineantur eminenter: ergo tenderet ſub ratione veri, ſeu entis; ac proinde foret intellectus, non ſenſus, aut potentia corporea; nulla quippe certior, aut clarior intellectûs noſtro, quàm eſſe potentiam repræſentativè tendentem ſub ratione veri, ſeu entis in communi. *Dices*: illa potentia in eo differret ab intellecta, quòd naturaliter ſolum reſpiceret ens corporeum, nec poſſet tendere in objectum ſpirituale, niſi quatenùs potentia obedientialis, & ſupernaturaliter elevata.

173 Sed *contrà* (& poteſt eſſe ratio à priori): quia nulla potentia cognoſciva eſt elevabilis ad cognoſcendum objectum, quod nullatenùs pertinet ad naturalem ejus ſphæram objectivam, ſeu rationem formalem *ſub quâ*, ita ut ab eâ cognoſci poſſit naturaliter, ſaltem confuſo & imperfecto modo: cùm igitur objectum ſpirituale nullatenùs ſpectet ad naturalem ſphæram potentiæ corporeæ (ne cum intellectu confundatur), non poterit illa divinitùs elevari &c.. *Antecedens* ut principium inconcuſſum haberi ſolet, & inductione conſtat: non enim poteſt viſus, etiam elevatus, ſonum cognoſcere, nec auditus colorem, aut ſaporem (pono claritatis gratiâ, potentias iſtas inter ſe adæquatè diſtingui, vel conſiſtere in partibus heterogeneis animæ diviſibilis); nec intellectus elevari poteſt, ut cognoſcat objectum ullum, quod naturaliter cognoſcere nequeat conceptu ſaltem confuſo, ejuſmodi eſt hic, *omne ens*.

174 Hinc etiam pertinet alia ratio communis: quòd nempe nulla potentia vitalis elevari poteſt ad modum vivendi, vel ad gradum vitæ, diverſum à connaturali. Unde potentia vel anima purè negativa, non eſt elevabilis ad ſentiendum, nec purè ſenſitiva ad intelligendum; & inter ſenſitivas: nequit elevari viſiva, ut audiat, nec auditiva, ut videat. Sicut enim potentia, naturâ ſuâ nullum obtinens gradum vitæ, v. g. lapidea, non poteſt elevari ad vivendum; ita, quæ naturâ ſuâ non obtinet certum vitæ gradum, non eſt elevabilis, ut in illo vivat; quia reſpectu illius perinde ſe habet, ac res non viva, ſeu inanimis. Poterit tamen elevari, ut ſupernaturaliter vivat intra ſuum gradum: quia ſupernaturalitas non variat gradum vitæ, cùm ſit formalitas convenire potens omnibus vitæ gradibus, & modis. Jam verò, ſi potentia naturaliter limitata ad objectum corporeum, elevaretur ad cognoſcendum incorporeum, accideret utique ad novam vitæ mo-

modum, & gradum. Tum quia cognitio illa deberet esse immaterialis, ex n. 171.; & ex hoc capite intellectio importat vitæ gradum à sensatione diversum. Tum quia objectum incorporeum multò magis à corporeo differt, quàm à colore sonus, aut sapor: quare, si color & sapor fundant diversos vivendi modos in potentijs, à fortiori &c.

175 *Objic.* 1.: potentia purè physica elevari potest ad operandum ultrà suam naturalem sphæram, ut aqua ad producendam gratiam: ergo & potentia intentionalis. 2.: Deus, ut intuitivè cognoscibilis, non continetur intra naturalem sphæram intellectûs creati; à quo tamen supernaturaliter elevato potest intuitivè cognosci. 3.: potentia creata cognoscere potest objectum increatum: ergo & corporea incorporeum, in quo distantia minor est. 4.: lux supernaturalis à beatis percipitur visu corporeo, cujus tamen sphæram naturalem superat. 5.: unio materialis terminari potest ad extremum spirituale, ut unio materiæ ad animam rationalem; immò ad extremum Divinum, ut unio hypostatica corporis ad Verbum: ergo pariter visio materialis, &c. 6.: objectum spirituale significari potest verbis materialibus, his v. g., *Deus*, *Angelus*, ut etiam materiali picturâ: ergo & poterit repræsentari cognitione corporeâ. 7. ex P. Quirós: temporalis unio principij cognoscentis cum corpore, non impedit cognitionem spiritualium, ut patet in anima rationali: ergo neque unio cum corpore perpetua: nam quod semel non est impedimentum, nunquam impedit; unde, si calor in aliquo instanti cohæreret cum frigore, nunquam illi esset contrarius. Quàmvis ergo principium cognoscens exigat perpetuò uniri corpori, sitque proinde corporeum, non ideo impotens erit spiritualia cognoscere.

176 Hæc nimium probant, videlicèt oculos de facto existentes, etiam equinos, aut asininos, immò & lapidem, aut arborem, elevari posse, ut Deum clarè videant. Deinde facilè respondetur. *Ad* 1. *neg. Consequ.* de potentiâ intentionali ut vitaliter operante, seu eliciente operationem, quâ vivat, aut cognoscat. Potest quidem elevari potentia corporea ad producèdum v. g. visionem Dei, saltem si hæc sit qualitas absoluta; sed elevari nequit, ut per illam videat; quia denominatio *videntis Deum*, essentialiter constituitur ex actu & subjecto spiritualibus: quare visum corporeum elevari ad videndum Deum, est elevari, ut fit potentia spiritualis, & essentiam mutet. Vide dicta in Physicâ, ubi de elevatione cujuslibet ad quodlibet.

177 *Ad* 2.: quidquid in Deo est intuitivè cognoscibile, potest naturaliter cognosci ab intellectu creato abstractivè, & confusè: unde non objectum, sed cognitio intuitiva Dei, est extra naturalem sphæram intellectûs creati. Hoc autem habet cognitio illa, non quòd ex parte objecti vagetur extra rationem formalem *sub quâ*, naturaliter prælibatam intellectui; nec item quòd importet cognoscendi modum à connaturali diversum (nam intuitio spiritualis ut sic, intellectui creato convenit naturaliter); sed quia combinatio modi intuitivi cum tali objecto, superat vires activas intellectûs creati, nisi superno lumine roborentur. Ex quo solùm sequitur, potentiam corpoream posse quoque elevari ad operandum supernaturaliter circa suum objectum; quod non inficiamur. *Ad* 3. *neg. Consequ.*: quia nihil ad præsens refert major objecti propinquitas in esse entis, si non participet rationem formalem, *sub quâ* tendit potentia naturaliter. *Ad* 4.: lux supernaturalis, si corporea sit, verèque lux, idest, actus perficiens, seu claritas corporis, poterit à visu corporeo naturaliter percipi modo consulto, &

instar coloris procul positi; nihil enim prohibet supernaturalia in cõfuso cognosci naturaliter. Si verò sit qualitas incorporea, negandum, quòd à beatis percipiatur visu corporeo.

178 *Ad 5. neg. Consequ.*: quia non est contra conceptum unionis corporeæ pertinere ad extremum spirituale, dummodò non pertineat in solidum, sed spectet etiam ad corpus, à quo sic inseparabilis naturâ suâ. Est tamen, ut vidimus, contra conceptum potentiæ intentionalis corporeæ, vel complecti spiritualia intra suam sphæram objectivam, vel illam prætergredi. *Replic.*: unio corporis cum animâ rationali, cognosci potest à potentiâ corporeâ, prout est nexus animæ; cùm etiam sub hac reduplicatione sit materialis: tunc autem simul cognosceretur spiritualis anima; nequit enim cognosci nexus ut talis, incognitis extremis. *Resp.*: ergo, cognosci possit illa unio a potentiâ corporeâ possibili, sub aliquâ expressione absolutâ, sub hac v. g., *modus hic materialis*: nequit tamen cognosci sub expressione comparativâ, quâ referatur ad utrumque extremum. Sic visus asini colorem percipit, & omnes ejus formalitates ex parte objecti, consequenterque transcendentalem respectum ad primam Causam: non tamen potest expressionem elicere, quâ color ad primam Causam referatur.

179 *Ad 6. neg.* pariter *Consequ.*; quæ si rectè duceretur à significatione instrumentali ad formalem, probaret in omni creaturâ, etiam inanimi, vim cognoscendi primam Causam. In voce igitur, aut picturâ, nulla est intrinseca, nec immediata objecti spiritualis expressio; sed tantùm occasio quædam excitans in memoriâ speciem, quâ possit intellectus in cognitionem illius objecti devenire. *Ad 7.* infantia est in spiritualitate principij cognoscentis, quam excludit unio perpetua cum corpore, non verò temporalis. Si dicas, hoc ideò verum esse, quia unio perpetua est argumentum materialitatis: dicam vicissim, unionem perpetuam eo ipso esse argumentum incapacitatis ad cognoscendum spiritualia; quia hæc incapacitas fundatur in materialitate principij cognoscentis, ut ostendimus. Loquor de unione perpetuâ naturaliter debitâ: nàm quæ nectit animam cum corpore glorioso, sicut non excludit spiritualitatem animæ, ita nec vim spiritualia percipiendi.

180 Denique *objicies*, quòd appetitus sensitivus ex considerationes rerum spiritualium delectatur, & interdùm movetur usque ad lacrymas; quò pertinet illud Psalm. 83., *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Addes illud Job. 19., *In carne meâ videbo Deum Salvatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Verùm hæc ab omnibus solvenda sunt; cùm probent, non solùm de possibili, sed etiam de facto. *Resp.* igitur, dum mens Deum considerat, elici simul ab interno sensu phantasma, quo proponitur quoddam bonum maximè conveniens sub aliquâ ratione sensibili; & hinc excitari delectationem materialem, quæ non terminatur ad Deum ipsum, sed ad illud tantùm bonum sensibile, quod phantasiæ objicitur quasi quædam imago Dei, eo ferè modo, quo nobis occurrit phantasma juvenis aligeri, cùm de Angelo cogitamus. Vid. P. Suar. l. 5. de Anim. c. 6. n. 7. S. Job non sibi promittit visionem Dei, quæ sit actus carnis, sed quę sit actus animę exilientis in corpore post resurrectionem: significat etiam, tunc se corporeis oculis visurum Salvatorem quoad humanitatem.

DIS-

# DISPUT. VI.

## DE SPECIEBUS, ET HABITIBUS.

QUÆ de Speciebus intentionalibus in hoc tractatu passim incidit mentio, jure postulat, ne diutius earum explicationem protrahamus. Et quoniam Habitus cum speciebus affinitatem habent, de his etiam præsenti disput. tractabimus. *Species*, quoad præsens attinet, idem sonat, ac *imago*, vel *similitudo objecti*, non quidem in essendo, qualiter filij dicuntur imagines parentum, sed in representando, qualiter sola potentiæ cognoscitivæ manifestat, ac notum reddit objectum, lineamenta ipsius quasi exprimendo, seu declarando: dicturque *intentionalis*, quia per eam attendit, sive intendit potentia in objectum. Est autem duplex, expressa, & impressa. *Species expressa* vocatur cognitio ipsa, vel qualitas vitalis, quæ objectum formaliter apparere facit. *Species impressa*, quę sola in præsenti discutienda venit, est qualitas ab objecto immissa, vel ejus quasi nomine producta, quæ potentiæ advenit, ut eam compleat & adjuvet ad efficiendum cognitionem objecti. Hinc vocatur *impressa*; quia potentiæ imprimitur ab objecto, vel immediatè, vel mediatè. Hinc etiam vocatur *semen objecti*; quia per eam ab objecto, quasi patre, fœcundatur potentia, quasi mater, ut cognitionem pariat; unde profluxit axioma vulgatum, *ab objecto & potentia pariter notitia*: quò pariter alludit nomen *conceptus* in actu mentis. Quæ metaphora, vel analogia feminis, & partûs in re præsenti, sumitur ex D. Augustino l. 10. Confess. c. 14., & l. 9. de Trinit. c. 17. & cap. ult., & lib. 11. c. 5.. Porrò hujusmodi species, cùm ad sensum pertinet, dicitur *sensibilis*, cùm ad intellectum, *intelligibilis*.

### CAP. I.

*RELATIS SENTENTIIS, ARGUMENTA varia contra species impressas proponuntur.*

1 SPECIES impressas negârunt Porphyrius, Galenus, Themistius, Durandus, Bachonus, Henricus, & alij, quos refert, & sequitur Joann. Caramuel in *Severâ argumen. method.*. Hi tamen, & alij, quos referunt Conimbricens. in 2. de Anim. c. 6. q. 2., & in 3. c. 5. q. 1., non omnes loquuntur de speciebus impressis generatim, sed quidam de solis sensibilibus, quidam de intelligibilibus tantummodo. Utrique suffragâtur ex neotericis Scholasticis nonnulli, & moderni omnes Atomistæ, vel Corpusculares, qui non alias species admittunt præter eas impressiones, aut mutationes locales, in sensorijs factas, de quibus disp. præced. cap. 2., vel præter motus corpusculorum, unde illæ proveniunt. Quòd tamen admittendæ sint species impressæ, tum sensibiles, tum intelligibiles, dogma est philosophicum, & quasi principium, Scholarum consensu stabilitum, nec solum ab Aristotele assertum, sed SS. etiam Patribus probatum, ut Augustino, Damasceno, Anselmo, quorum loca, necnon Alberti M., D. Thomæ, D. Bonaventuræ, Alensis, Scoti, &c., videri possunt apud Conimbric. ubi nuper. Hæc sententia verissima est, & omninò tenenda, quamvis non paucis difficultatibus sit obno-

xia: quarum præcipuas in præsenti capite proponam.

2 Hâc sententiâ igitur negante *objic.* 1.: nulla est necessitas admittendi species: ergo rejici debent. *Prob. antec.* in sensibus. Nam in tactu, gustu, olfactu, & auditu, non sentiuntur objecta, nisi sint organo contigua: poterunt ergo per se immediate cum potentiâ concurrere ad sensionem, cùm nec illis proportio desit, nec applicatio: species enim non aliam ad finem invéxit sant, nisi ut suppleant improportionem, vel distantiam, aut absentiam objecti. Idcircò in sensibus hisce, præsertim in tactu, & gustu, plures etiam Peripatetici species negant. In visu quòque satis applicatur objectum ad organum medio lumine per medium diffuso; cujus ope, non modò lux distans, sed etiam color juvare potest potentiam ad videndum, siquidem per lumen redditur visibilis. Sensus verò internus ad cognoscendum objectum præsens determinatur per externam sensionem, vel etiam per motum spirituum à sensorio externo reduentium: & ad cognoscendum absens determinari potest, seclusis speciebus, per illas eadem causas, quas Peripatetici excogitant ad excitandum species in phantasiâ vel memoriâ sopitas. Denique intellectus, cùm nihil operetur nisi operante phantasiâ, satis superque per phantasiæ operationem determinabitur.

3 *Confirm.* 1.: intellectus humanus cognoscit objecta varia, quorum species non habet, videlicet entia spiritualia, materiales substantias, rationes universales, relationes, modos, & entia rationis: cur ergo speciebus indigeat ad objecta reliqua? *Confirm.* 2.: species nec est necessaria, ut determinet indifferentiam intellectûs, nec ut ipsum adjuvet influendo partialiter in cognitionem. Non primis, ut determinet. Tum quia phantasia sufficit ad hoc munus, sicut sufficit in sententiâ contrariâ, ut determinetur intellectus ad productionem speciei spiritualis. Tum quia species ipsa, si datur, indiget aliâ determinatione, tam in intellectu, quàm in phantasiâ; siquidem multotiès altè dormit, neque ullam generat cognitionem. Non deinde, ut influendo adjuvet. Tum quia si, juvamine est opus, poterit phantasma, tametsi materiale, immediatè concurrere ad intellectionem, sicuti concurrit cum intellectu agente ad speciem spiritualem juxta sententiam communiorem. Tum quia non est cur intellectus indigeat juvamine virtutis adventitiæ: non enim minùs cõtinet suos actus, quàm voluntas suos: voluntas autem est adæquata virtus ad actus volêdi naturales. In sensibus idem militat argumentum, similesque exemplum appetitûs. Adde, quòd intellectus, adæquatè sumptus, importat substantiam animæ, cujus perfectio, cùm longè superet intellectionem quamlibet naturalem, eminenter continere poterit omnes formalitates ejus; ut alterùm patet exemplo amoris, & aliorum affectuum.

4 *Objic.* 2.: si intellectus reciperet species, eas perpetuò retineret: illæ quippe nec perire possent ex defectu subjecti, utpotè incorruptibilis; nec ex oppugnatione contrarij, utpotè contrario carentes; nec ex defectu causæ conservantis, cùm non dicantur conservari ab objectis, sed ab intellectu agente, vel à Deo. Hinc autem contra experientiam sequitur, intellectum nunquam oblivisci objectorum, quorum species semel adquisivit; immò semper esse in actuali exercitio cognoscendi, quod semel cognovit: nam, sicut visus, habitâ specie, necessariò videt; ita intellectus &c.: &, sicut intellectus ipse, cùm primùm recipit speciem, nequit non eâ uti ad cognoscendum; ita, cùm illam postea retinet; non enim minùs per illam completur, aut fœcundatur postea, quàm antea. Si dicas, speciem

post

post primum actum dormire, donec excitetur per novum phantasma, sive actum phantasiæ. *Contrà* 1.: quia non est cur species dormiat; cùm post primum actum integra maneat, ac vegeta. *Contrà* 2.: quia, dum novum occurrit phantasma, nova generatur species in intellectu: ergo non opus est à somno excitari prahabitam.

5 *Contrà* 3.: quia vel at explicandum, quomodò excitentur species, in phantasia vel memoriâ sensitivâ retentæ; cur aliquando, & non semper evigilent; cur aliquæ, & non omnes, præsertim dum nihil operantur externi sensus; cur interdùm antiquæ potiùs, quàm recentes, interdùm vice versa. Quâ in re non nisi tenebras inveniri fatentur specierum patroni: qui pariter nunquam satis explicant, quomodò contingat in memoria sensitiva corruptio specierum, & præcognitorum oblivio. Accedit, quod species, in intellectu & phantasia retentæ, sint illæ ipsæ, quæ in primo sui ortu cognitionem intuitivam generarunt: cur ergo postmodùm, abeunte objecto, noviam cognitionem abstractivam generant? Num aliquid secundarius admittunt? Quodsi præsentia objecti dicatur conditio necessaria, ut species producat intuitionem, cur non pariter conditio erit respectu potentiæ, seclusâ specie.

6 *Objic.* 3.: species sensibiles nec sunt materiales, nec spirituales: sunt ergo fictitiæ. *Answer.* quoad secundam partem certum esse debet, quidem species illæ sunt qualitates subjecti corporei receptæ, & ex eo eductæ; producuntur etiam à qualitate corporeâ, v.g. in oculis à colore, qui certè producere nequit effectum altioris ordinis. *Probatur* ergo quoad primam partem. 1.: quia Aristoteles c. de Anim. t. 121. & 124. species sensuum vocat formas sine materiâ, & D. Augustinus 12. de Gen. ad litt. c. 16. eadem vocat spiritales, & D. Thomas 1. p. q. 78. ar. 3. spirituale appellat immutationem, quæ per species fit in sensibus, præsertim in visu. 2.: quia, si species illæ materiales essent, unique possent ipsæ videri, & sentiri; quod tamen communiter negatur. 3.: quia, si essent materiales, essent & divisibiles, ita ut cuivis objecti puncto corresponderet punctum speciei: unde in pupillâ, quæ uno intuitu videt immensum Cœli spatium, tot agglomerabuntur species puncta, vel particulæ, quot sunt in materiâ spatij cœlestis. Hoc autem omnem superat fidem nec apparet, quo modo cum materialitate cohæreat penetratio & inextensio partium innumerabilium; præsertim cùm intensionem haud faciant; aliter in actum visionis redunderet claritatem immensam. Huc pertinet, quod Atomistæ objiciunt, species ejusmodi nec esse corpora, nec spiritus: ac proinde nullam de ijs ideam formari posse.

7 *Objic.* 4.: vel objectum immediatè producit speciem in oculis v.g., sine operatione per medium; vel juvatur à virtute in medio diffusâ. Primum sustineri nequit: tum quia nihil operatur in distans, quin per medium: tum quia, si objectum per se immediatè causat speciem in visu, non est cur nequeat ad visionem per se concurrere sine specie. Secundum autem impugnatur: quia virtus in medio diffusa, erit species visualis, ab objecto ad oculos usque propagata per aërem, ut communiter supponitur. At propagatio ista videtur impossibilis. 1.: quia species suapte naturâ dispositio est ad visionem: ergo recipi nequit in aëre visionis incapaci: subjectum enim incapax formæ, est etiam incapax dispositionis ad ipsam. 2.: quia aër est incapax effectûs formalis à specie præstandi, videlicet denominationis *completi*, seu *determinati* à videndum: nulla autem forma recipitur in subjecto, cui suum effectum formalem præstare nequeat. 3.: quia quodvis objectum visibile, utpotè causa ne-

nec essentia specierum, debebit eas circumquaque diffundere per aërem, etiamsi à nemine aspiciatur, & etiamsi nullus existat visus in rerum naturâ. Hęc autem continua specierum profusio abhorret à naturali rerum genio, quę proprię virtutis inutile dispendium oderunt. Accedit, quòd rebus alioquin inertibus, seu non activis, ut sunt colores, nullo jure tribuitur tanta fęcunditas specierum; præsertim cum hę sint magis immateriales, minúsve crassæ, proindeque nobiliores coloribus ipsis.

8 *Objic. 5.*: species, cùm sint objectorum imagines, ac similitudines, debent eorum naturam referre, ac sapere: species igitur albedinis & nigredinis debent esse contrariæ; nec proinde poterunt in eadem potentiâ cohęrere: quomodò ergo simul cernimus objecta contraria? *Confirm.*: vel species sunt similitudines objectorum formales, vel purè virtuales, quatenùs virtutem habent efficiendi cognitionem. Si formales; nequit non esse contrarietas inter species albi, & nigri, sicut est inter pictas imagines hominis albi, & æthiopis, relatu ad eamdem tabulam. Si purè virtuales; non magis illæ, quàm potentiæ, vocari debent species, & simulacra objectorum; nam virtus efficiendi cognitionem, potentijs etiam convenit. Si dicas, esse similitudines formales, non in essendo, sed in repræsentando, confundes species impressas cum expressis, seu cum cognitionibus; quarum est propria repræsentatio ejusmodi. Adde, quòd species, cùm debeant esse signa objectorum, nec sunt signa formalia, quia non sunt cognitiones; nec sunt instrumentalia, quia non prius ipsæ cognoscuntur, quàm objecta. *Objic. ultim.*: species intellectûs, & phantasiæ non producuntur ab objectis; nec ab aliâ causâ congruenter produci possunt, cùm sint objectorum semina.

## CAP. II.

### *PROBATUR NECESSITAS SPECIERUM, tum in Sensibus, tum in Intellectu.*

9 UT necessitas specierum in potentijs cognoscitivis generatim probetur, afferri solent rationes varię, quæ non videntur admodùm urgentes. *Prima ratio*: potentia cognoscitiva est passiva, ut sæpe docent Aristoteles, & D. Thomas; quia scilicèt debet ab objecto pati, seu immutari per speciem: immò dici solet pura potentia in ordine intentionali, & quasi *tabula rasa*, *in quâ nihil est depictum*; quia nimirum ex se nullam potest habere cognitionis actum, donec ab extrinseco accipiat picturam objecti, id est, speciem. *Sed* facilè negabitur, quòd sit passiva, nisi cognitionis, quam à se productam recipere debet, utpotè immanentem: item, quòd alio sensu sit pura potentia, seu tabula rasa, nisi quatenùs nullam in se cognitionem habet, vel identificatam, vel à naturâ inditam; quo tamen non prohibetur cognitiones varias propriâ virtute adquirere, occasione datâ. Nec Authores contrarij disputant de mente Aristotelis, & D. Thomæ, quos constat esse specierum patronos, ideòque cognoscitivas potentias appellare passivas, quia putant eas nihil agere, nisi prius patiantur ab objectis.

10 *Secunda*: cognitio creata est imago objecti: sed imago debet oriri ab eo, cujus imago est; ideò enim Divina cognitio est repręsentatio, sed non imago creaturarum; & ideò etiam Verbum Divinum est imago solius Patris, à quo generatur: omnis ergo cognitio creata debet ortum ducere ab objecto, vel immediatè, vel mediatè, seu mediâ specie. *Sed* negabunt Adversarij *Maj.*; dicentque, cognitionem creatam esse

esse quidem objecti repræsentationem, sed non propriè imaginem: & instabunt in cognitione objecti spiritualis, & aliorum, de quibus n. 3. 3 ea quippe nullatenùs oriri videtur ab objecto suo.

11 *Tertia*: omnis potentia cognoscitiva debet aliquomodò habere intra se objectum, quod cognoscit: cùm enim cognitio sit actus immanens, per illam potentia sentit seu cognoscit objectum intra se. Atqui objectum plerùmque non est intra potentiam secùndùm esse physicum: debet ergo intùs existere secundùm esse intentionale, quod habet in specie. *Confirm.* 1.: quia, ut ait D. Thomas 1. p. q. 84. ar. 2., *Hoc animis hominum communiter inditum fuit, quòd simile simili cognoscitur.* Unde antiqui Philosophi (quos ibi confútat D. Thomas) finxerunt, naturas rerum cognoscibilium, etiam materialium, physicè participari ab animâ. Platonici verò (quos idem Angel Doctor impugnat sequ. art. 3.) posuerunt species omnium intelligibilium animæ congenitas, quæ decursu vitæ excitarétur oblatâ occasione, ita ut nostrum addiscere, nihil esset aliud, quàm reminisci. Cùm ergo potentia cognoscitiva ratione sui non sit objecto similis, oportet, ut similis fiat per speciem superadditam, ac denuò adquisitam.

12 *Confirm.* 2.: quia cognoscere est aliquomodò idem fieri cum objecto cognito, in illudque transformari, vel illud ad se trahere per intimam unionem, aut unitatem; adeò ut Commentator dixerit, *ex intelligente & intelligibili fieri magis unum, quàm ex materiâ & formâ*: cui cõsonat illud Aristotelis, *intellectus intelligendo fit omnia.* Hoc autem nequit aliter fieri, quàm per speciem: cui tantam vim tribuere solent Thomistæ, ut eorum plures velint, in ipsâ realiter & identicè contineri naturam & quidditatem objecti, non in esse entis, sed in esse intelligibili, vel secundùm modum essendi, non physicum, sed intentionalem, sic tamen, ut objecti quidditas, prout est identificata cum specie, sit realiter eadem, ac est in se, solùmque differat penès modum essendi: unde inferunt, potentiam mediâ specie fieri objectum ipsum per veram, & realem identitatem, non in esse naturali, sed in esse repræsentativo. Alij Thomistæ negant identitatem realem speciei cum objecto; ponunt tamen (quod est mirum valde) identitatem individualem, quando species repræsentat objectum in individuo. Alij, mitiùs loquentes, volunt, speciem esse ejusdem naturæ cum objecto per convenientiam univocam & specificam. Et uniquique pro suo loquendi vel opinãdi modo D. Thomam allegant.

13 *Verùm* hæc omnia specierum hostes parùm movebunt. Potentia cognoscitiva (inquient) non debet objectum intra se habere, nisi dum actu cognoscit: tunc autem illud intra se habet repræsentativè, idest, habet repræsentationem ejus, quæ est cognitio ipsa; nec requiritur alius habendi modus. Sentit quidem, aut cognoscit objectum intra se, si eò *intra se* referatur ad *sentit*, aut *cognoscit*; secùs, si referatur ad *objectum*: nam, licet potentia intra se habeat sensionem, aut cognitionem; per illam tamen plerúmque respicit objectum ut extra se positum, v. g. cùm Solem aspicit. Sic voluntas semper intra se amat, sed non semper amat objectum intra se positum. *Ad* 1. *confirm.*: ut simile simili cognoscatur, non opus est potentiam præsupponi objecto similem ante cognitionem: sat est, quòd reddatur similis per cognitionem ipsam, quæ magis est objecti similitudo in repræsentando, quàm species impressa. Hanc autem similitudinem potentia seu anima ex se præcontinet virtualiter eminenter, cùm verè sit cognitionis effectrix, & perfectione superior non minùs, quàm voluntas respectu amoris.

Vel credo, cur intellectus debeat esse minùs ex se assimilativus, quàm voluntas ex se affectiva?

14 *Ad 2. Confirm.*: tota illa identitas, transformatio, vel unitas, etiamsi crede admittatur, salvari poterit per cognitionem, seu speciem expressam, multò melius, quàm per impressam; cùm illa multo distinctius referat objecti naturam. Sed re verâ locutiones istæ impropriæ sunt, ac metaphoricæ; neque aliud significant, quam speciem (sive impressam, sive expressam) esse repræsentationem objecti. Hinc enim dicitur potentia ad se trahere objectum, quatenùs illud in se quasi depingit, suscipiendo speciem: dicitur in illud transformari, quatenùs ejus repræsentationem induit, speciem induendo, quo sensu dicimus, rude lignum in Cæsarem transformari, cùm Cæsaris figuram induit, sicque statua ejus: dicitur etiam fieri cum objecto unum, aut idem, eo fere tropo, seu modo loquendi, quo statua, vel picta imago Regis, vocatur Rex, & colenditur, aut honoratur quasi Rex. Vel, si mavis, potentia ut cognoscens, est una & eadem cum objecto ut cognito, penès formam reduplicatam; sicut etiam potentia ut proximè intellectiva, cum objecto ut proximè intelligibili: quia scilicet eadem est cognitio quæ reddit potentiam cognoscentem, & objectum cognitum; &, si detur species impressa, una & eadem est, quæ intellectum reddit proximè intellectivum, & objectum proximè intelligibile. Atque hoc sensu accipi debet dictum illud Commentatoris, seu Averrois, qui, liquid aliud intendit, rejiciendus est.

15 Tota hæc explicatio placet Peripateticis, præter solos Thomistas, cosque non omnes: nam PP. Dominicani Collegij Complutensis lib. 2. q. 5. ar. 3. opinionem illam Thomisticam, n. 12. relatam, ex professo impugnant ratione & authoritate D. Thomæ, & quidem adeò efficaciter, ut supervacaneum putem ijsdem refellendis nunc immorari. Sanè, cùm species sit qualitas inhærens potentiæ, v. g. intellectivæ, ut Thomistæ non dubitant, statim apparet, quam sit repugnans ejus identitas cum objecto externo, v. g. cum lapide. *Dices*: species cum objecto identificatur, non in esse qualitatis, sed in esse repræsentativo. *Contrà*: utrumque illud esse, realiter est idem; aliter jam species, quæ repræsentativa est ex proprio conceptu, non esset realiter qualitas: si ergo species in esse repræsentativo realiter aut individualiter est lapis, sequitur, quòd lapis sit qualitas, & quidem spiritualis, utpote inhærens intellectui. Sequitur etiam, quòd equus, asinus, &c., realiter sint intra intellectum, in eoque degunt non minùs proprie quàm in catabulo, vel in arcâ. Noctes àsimmò intellectus ipse per veram identitatem transformabitur in talia objecta. Similia fere sequuntur absurda ex convenientiâ univocâ & specificâ speciei cum objecto. Si dicas, te solùm intendere convenientiam & identitatem potentiæ vel speciei cum objecto in esse intelligibili. Rogo, vel loqueris de *esse intelligibili* objectis intrinseco, vel de extrinseco, quod in specie accidentali consistit? Si de primo; reipsâ ponis identitatem cum physica realitate objecti, quæ sine dubio est ista intelligibilitas intrinseca. Si de secundo; in summâ dicis, speciem identificari secum ipsâ; quod est nimis verum, sed nimis insulsum, & nullam infert veram identitatem potentiæ cum objecto.

16 *Quarta* ratio sumitur ex universalitate & indifferentia potentiæ, præsertim intellectivæ; quæ, cùm possit divinè cognoscere objecta varia, sitque indifferens ad cognoscendum jam hoc, jam illud, indiget aliquo determinativo, ut in cognitionem determinatam erumpat. Nullam autem appa-

ret

ret determinativam commodius, quàm objectum ipsum mediâ sui specie. *Verùm* hæc ratio non parùm enervatur ex dictis n. 2. & 3. Quibus addi potest, quòd ex munere determinandi non requiritur speciei concursus effectivus in cognitionem; qui tamen communiter asseritur. Non, inquam, requiritur; quia munus determinandi convenit meræ conditioni, quę non physicè influat; ut patet in sensatione internâ respectu appetitûs, in approximatione locali agentis physici, & in excitativo speciei memorativæ. Immò nec requiritur aliquid potentiæ inhærens: nam ignis, in se immotus, determinatur ad agendum per applicationem passi; & appetitus per cognitionem, quam in se non recipit, si potentię distinguantur adęquate ab animâ, & inter se. Quòdsi appetitus locetur in corde, & sensus in capite, ut volunt plurimi, determinabitur appetitus per sympathiam à cognitione distante, & nihil agente. Cur ergo non admittatur sympathia similis inter potentiam cognoscitivam, & objectum, tametsi distans, & nihil agens? Accedit, quòd Angelo concedi solet species, ab initio indita, de existentiâ Petri v. g.: & tamen Angelus, ut cognoscat Petrum existere, expectat existentiam Petri tamquam conditionem extrinsecam.

17 *Quinta*: cognitio est repręsentatio, sive intentionalis similitudo objecti, cujus perfectionem in se exprimit, & quodammodò participat: ergo debet oriri à virtute præcontinente similitudinem ejusmodi. Sed hæc virtus nequit esse nuda & sola potentia, v. g. intellectiva: debet ergo superaddi species, quæ, velut semen objecti, similitudinem ejus in cognitionem refundat. *Prob. min. subsumpt.* quia intellectus imprimis non continet formaliter similitudinem intentionalem rerum cognoscibilium; cùm hoc sit proprium solius cognitionis: nec deinde continet eminenter; quia sequeretur, intellectum esse eminenter similem rebus omnibus, quas potest cognoscere, idest, omnibus existentibus, & possibilibus, omniumque perfectiones eminenter participare, atque in suo ipsius esse physico eminenter exprimere: quod cum limitatâ perfectione intellectûs minimè cohęrere videatur: nec certè intellectus in suo esse physico ullam habet affinitatem cum elementis, & aliis objectis corporeis. Idem ferè militat argumentum in phantasiâ, visu, & reliquis sensibus, cum varietate suorum objectorum comparatis. *Confirm.*: quia, si nuda potentia est virtus adęquate active cognitionis, posset nunc pro libitu se extendere ad quodlibet objectum sub ejus sphærâ contentum, haec illud sit distans, aut absens, aut non existens: quid enim potentię deest ad operandum, si non est expectanda objecti motio per se, vel per speciem?

18 *Probatio* hæc urgentior est prędecedentibus: sed tamen non videtur omninò efficax. Et *imprimis* solvenda est ab ijs, qui cum P. Suar. in Oper. de Anim. tenent, species intelligibiles adæquatè produci ab intellectu agente, sine influxu phantasmatis in genere efficientis; similiterque species interni sensûs effici à sensu ipso, ut à totâ virtute: solvenda item ab ijs, qui negant, speciem activè concurrere ad cognitionem. *Deinde* non probat, necessarias esse species in intellecta, nisi aliunde supponatur, non posse phantasma immediatè concurrere ad intellectionem titulo similitudinis; quæ suppositio non est probata facilis. Nec item probat in sensibus externis; in quibus dici poterit ex n. 2., objectum ipsum per se concurrere, sine interventu speciei. *Præterea* negatur, absurdum esse, quòd potentia sit eminenter similis objectis suis, cujus termo est de similitudine analogicâ, & intentionali: hoc enim nihil aliud significat, nisi quòd potentia & est fœcunda cog-

nitionis, & est perfectior cognitione ipsâ, etiam quatenùs formaliter habente similitudinem intentionalem cum objecto: quod quidem de potentiâ, saltem prout includente substantiam animæ, dubitari non potest; præsertim si comparetur potentia, non ad omnes simul cognitiones, sed ad omnes divisivè aut distributivè sumptas, quo tantùm modo potest eas producere.

19 Unde nec est absurdum, quòd intellectus eminenter participet perfectiones rerum omnium à se naturaliter cognoscibilium, si sermo sit de participatione analogicâ, & purè mediatâ, quatenùs videlicèt eminenter participat perfectiones omnium cognitionum à se naturaliter producibilium, quæ sunt analogicæ imitationes objectorum. Et instantia est in voluntate, quæ pariter dici poterit eminenter participans perfectiones rerum omnium, quatenùs eminenter continet, ut virtus adæquata, perfectiones omnium volitionum naturalium, quæ quodammodò participant suorum perfectiones objectorum, siquidem ab ijs specificantur. *Denique*, si potentia solùm indiget speciebus ex defectu similitudinis cum objectis, poterit anima Petri sine specie cognoscere cæteras animas humanas; immò & bellumas omnes, quibus dici potest eminenter similis: & eâdem ratione cognoscet Angelus sine specie rationales animas, & homo suas potentias, habitus, & actus. Ad *Confirm.* negabitur sequela: quia, licèt potentiæ nihil desit virtutis, potest aliqua deesse conditio, vel excitatio. Et instabitur in speciebus ipsis, quibus in memoriâ retentis non semper uti possumus ad libitum, quàmvis ulterior objecti motio non sit expectanda.

20 Nihilominùs prædicta ratio quinta fallineri debet, tamquam valde probabilis, & congrua: quia procedit maximè à priori, & explicat juxta communem Authorum sensum, quo titulo innitatur necessitas specierum, cùm objecta nequeunt per se immediatè cõcurrere (alias non desideratur concursus speciei), nempe titulo similitudinis cum objecto, quæ in cognitione resplẽdet. Profectò semper durum & absonum videbitur, quòd unus & idem intellectus creatus adæquatè contineat eminenter similitudines, tametsi analogicas, infinitarum rerum inter se differentium, & quatenùs differentium. Nec valet exemplum voluntatis: tum quia volitiones, licèt possint in infinitum diversificari ex objectis, non tamen sunt ipsis confimiles. Tum præcipuè, quia ad volitionum diversitatem verè concurrit cum voluntate objectum in aliquo genere causæ, nempe finalis, quæ verè & propriè causa est, ut in Physicâ vidimus: at ad diversitatem similitudinum intentionalium, si objectum non adjuvat potentiam in genere efficientis per se, vel per speciem, in nullo genere causę proprié talis illam adjuvat: unde solus intellectus ex propriâ penu diversas objectorum innumerabilium similitudines promet.

21 Et hinc roborari potest eadem ratio: quia potentię vitales operari nequeunt, nisi, præter virtutem propriam, & generalem concursum Dei, accedat ipsis novum comprincipium verè adjuvans in aliquo genere causæ. *Probatur* hoc 1. ab inconvenienti: quia, si potentia vitalis haberet à naturâ vim operandi omninò completam, statim à primo instanti vitaliter operaretur in summo gradu, ita ut nunquàm melius; quemadmodum substantia, quia habet à naturâ vim radicandi proprietates omninò plenam, & nullius indigam comprincipij, statim à primo instanti proprietates radicat in gradu summo, nec unquam meliores. Sequela autem est contra experientiam. 2. inductione per cæteras potentias vitales, præter controversam: nam appetitiva juvari debet ab objecto in genere causæ fi-

finalis: nutritiva, à materiâ alimenti in genere causæ materialis: locomotiva, ab appetitu in genere causæ moralis, & à spiritibus in genere causæ physicè coefficientis. Pariter ergo de potentiâ cognoscitivâ sentiendum: non enim est, cur illa magis sibi sufficiat ad operandum, quàm appetitiva, &c.. Nullum autem apparet, præsertim in intellectu, comprincipium idoneum, nisi objectum, aut species ejus: nec in alio genere causæ, quàm efficientis, concurrere potest: nec alio manifestiore titulo, quam repræsentationis, aut similitudinis objecti ipsius, in cognitionem derivandæ. Idcircò vel Corpusculares ipsi requirunt, saltem in potentiis sensitivis, concursum objecti per motum localem, ut vidimus disp. præced. cap. 2.

22 Nec refert, quòd anima Petri respectu cæterarum, aut Angelus respectu hominum, similitudinem physicam in se contineat: non enim ideò sufficienter continet intentionalem sine objecti juvamine. Tum quia intellectus eumdem habet modum operandi circa objecta similia, ac dissimilia. Tum quia indigentia concursûs objectivi, utpotè fundata in conditione propriâ potentiæ vitalis, debet generatim extendi ad omnes cognitiones. Illæ verò sententiæ, objectæ n. 18., de adæquatâ productione specierum ab intellectu agente, vel à sensu interno, & de immediato concursu phantasmatis ad intellectionem, infrà rejicientur. Denique hucusque dicta robur accipient ex argumentis, quæ jam subjicimus ad probandum in potentiis singulis necessitatem specierum.

*Probatio Specierum in Sensibus externis singulatim.*

23 Specierum necessitas maximè constat evidens in *Visu*. Nam visio manifestè pendet ab objecto præsente, non quidem oculis contiguo, sed aliquantulùm remoto. Hæc autem dependentia revocari nequit ad meram sympathiam, objecto nihil prorsùs agente: sympathia enim inter diversa supposita citra ullam actionem unius in alterum, nihil explicat, ideòque meritò vocatur asylum ignorantiæ; & pariter deservire poterit ad negandum omni suppposito creato activitatem in alterum, v. g. igni respectu ligni; facilè quippe dicetur, lignum solâ virtute propriâ incalescere ad præsentiam ignis, tametsi nihil agentis, quia nimirùm sympathiam habet cum igne, cujus præsentiam expectat ut meram conditionem, sine qua non. Objectum ergo aliquid agit, quo visum afficiat, & immutet: cùmque nequeat agere in distans, nisi per medium, necesse est in medio diffundat virtutem aliquam, ad visum usque propagatam, cujus proprius effectus sit visio: & hujusmodi virtutem vocamus speciem vitualem: eamque dicimus qualitatem, quidquid reclament Corpusculares; quia nequit consistere in corpusculorum diffusione, vel motu locali, cùm in momento perveniat ad visum è locis etiam remotissimis, v. g. è Cœlis.

24 Diffusionem istam virtutis objectivæ per medium experientia confirmat. Sæpe enim, licèt objectum in se non mutetur, variis modis aspicitur pro varietate medij. Cernitur obscurè, cùm medium est turbidum, aut vapidum; clarè, cùm limpidum: cernitur quasi divisum, aut fractum, cùm medium est tremulum, vel cùm pars objecti cernitur per media diversa densitatis: apparet quasi multiplex, cùm cernitur per vitrum polygonum: apparet grandius per microscopium: ac demùm, ut alia omittam, occultatur penitùs, cùm corpus opacum interponitur. Hæc autem varietas nó est unde fumatur, nisi ex speciebus, quæ propter variam dispositionem medij, quo diffunduntur, ad oculos perveniunt, nunc remissæ, nunc intensæ, nunc continuæ,

tæ, nunc divisæ, nunc magis, nunc minùs confertæ, vel in unum collectæ, nunc per lineas directas, nunc per reflectas; &, cùm in oculum incurrunt, ultrà non procedunt. Certè, si nihil per medium transmittitur ab objecto ad visum, haud facilè invenies, quid conferat variatio medij ad visionem variàdam; nisi fortè tot sympathias in visu fingas, quot in medio possunt accidere mutationes. Mitto recursum ad emissionem radiorum ex oculis versùs objectum, qui jam ferè ab omnibus deseritur ut improbabilis.

25 Hùc etiam pertinent obvia experimenta visionis in speculo, quę fine reflexione specierum explicari non possunt. Quomodò enim quis in speculo intuebitur objectum à tergo positum, immò sulmet oculos, vultum, frontem, nisi dentur species ab objecto missæ, quę in speculum incurrentes, & inibi reperculsę, per lineam reflexà remittantur ad oculos, & objectum inibi apparere faciant, ubi linea reflexionis incipit? Hinc vultus intuentis in speculo sic apparet, ut pars ejus dextera videatur sinistra, & è converso; quia scilicèt à dexterâ faciei directè mittitur species in sinistram speculi è regione positi, & à sinistrâ in dexteram, atque ibidem incipit linea reflexionis. Hinc etiam objectum intra speculũ, eò profundius aut remotius cernitur, quò magis in suo loco distat à speculo; quia videlicèt species reflexa repræsentat etiam objecti distantiam à speculo ipso. Et eâdem ex causâ turres, aut arbores, ad ripam fluminis positæ, repræsentantur intra aquàm inversis radicibus, seu cacumine deorsùm vergente; nimirùm quia pars superior magis ab aquâ distat, proindeque per speciem reflexam repręsentari debet ab aquę superficie remotior, & quasi profundior. Hæc, & alia, quæ passim observantur, prorsùs viderentur inexplicabilia, nisi à objecto profluat in speculum virtus aliqua repræsentativa, quę inde in visum resluat.

26 *Dices*, ad hæc omnia sufficere radios lucminis ex objecto missos aut remissos in speculum, & à speculo reflexos in visum. *Sed* quęro abs te, an radijs istis insit vis repræsentandi objectum, seu proximè determinandi & complendi potètiam ad visionem ejus? Si neges; quid ad rem conferunt radij luminis? Si asseras; ipsi radij (quos esse de genere qualitatis, modò supponimus) erunt species visuales, quas intendimus. Atque ita sentiunt Scotistæ cum Scoto, quantum ad objecta ex se lucida, ut notavimus disp. præced. n. 62.; aiunt enim, lumen primarium gerere munus speciei respectu lucis, & lumen secundarium respectu primarij. Quæ sententia mihi esset valdè probabilis, nisi obstaret 1., quòd gratis & contra communem sensum adstruitur diversitas specifica inter lucem & lumen, ut etiam inter lumen primarium & secundarium. 2., quòd sæpe videmus objecta lucida, quámvis lumè non perveniat ad visum; ut cùm noctu, vel ex obscuro recessu, cernimus ignem remotissimum, & è profundis puteis stellas in meridie. Nec prodest dicere, quòd semper ad visum pervenit lumen aliquod tenue. Nam, hoc etiam admisso, quomodò species tenuis generat visionem claram, & vividam, ut accidit cùm è recessu obscurissimo cernitur ignis extrà positus? 3., quòd, dum ignem aspicimus, simul videmus lumen primarium existens in medio: nec tamen adest tunc in oculis lumen secundarium. Demùm, quòd, cùm Scotistę agnoscant pro lumine secundario, & pro coloribus, alias species ab omni lumine distinctas, parvo operæ pretio discedunt à reliquis Philosophis circa speciem lucis.

27 Quod attinet reliquos sensus exteriores, non est adeò clara necessitas specierum: quia videntur ob-

jec-

jecta satis applicari, ut per se immediatè concurrant ad actum sensationis. Idcircò in tactu, gustu, & olfactu, species negant valde probabiliter PP. Hurtad., Arriaga, Quiros, & alij, præsertim Recentiores; & PP. Ovied. & Ulloa, etiam in auditu. Communis tamen sententia cum Doctoribus Angelico, Subtili, & Eximio, species agnoscit in omni sensu externo. Et *inprimis* auditus percipit sonum ut distantem, sive ut existentem in loco, ubi editur à corpore sonoro, v. g. sonum campanæ in turri, sonum vocis in ore loquentis, sonum citharæ in platea, vel cubiculo proximo: ergo sonus, ut distans, concurrit ad auditionem, utique media virtute, vel effectu aliquo, diffuso per medium ad aures usque; ut Adversarij cócedunt. At non concurrit medio alio sono consimili, quem producat, & propaget realiter usque ad aures: concurrit ergo media specie. *Prob. Min.* quia, tali propagatione posità, vel concurrit ad auditionem sola pars soni, quæ sensorium contingit; vel tota soni extensio per modum unius agentis. Si dicatur primum; solus audietur sonus aurí contiguus: si secundum; sonus citharæ v. g. perinde audietur, ac si totum medium citharis sonantibus plenum esset; quod plane repugnat experientiæ.

28 Hinc inferes, quòd sonus non est alterius similis productivus, sicut nec color coloris: nam alioquin sonus repercussionis fidium in citharâ distante (sive per se, sive per speciem juvet auditum), percipieretur ut existens in toto medio; quemadmodùm, si rosis color similem alium per aëra diffunderet ad visum usque, totus aër interiacens videretur quasi rosis plenus. Unde, cùm Aristoteles & alij communiter dicunt, sonum diffundi per medium, & movere seu immutare aërem usque ad aures, intelligi hoc debet de diffusione ac motione, non reali, sed intentionali, idest, non producendo sonum alium, sed propagando intentionalem speciem produci à sonativo. Putò enim (quidquid alij aliter philosophentur), sonum produci à solo corpore sonoro, v. g. campana, recipique in aëre contiguo (vel in flammâ, aut aquâ, si adsint loco aëris) secundùm aliquam latitudinem determinatam, quæ major aut minor erit pro varietate virtutis sonativæ, & ictûs, aut percussionis, quâ indiget ut conditione ad sonandum. In totâ hac aëris latitudine realiter existit sonus; ideòque auditus non percipit sonativi distantiam, dum modica est, & sonus vehementior, v. g. dum sclopetum exploditur ad duos aut tres passus; quia scilicet sonus ipse tunc realiter pervenit ad aures.

29 Cæterùm ultra latitudinem ejusmodi nequit propagari sonus, nisi per species; quia illa determinat activitatis sphæram agenti sonativo. Interdùm tamen ultrà illam defertur sonus ipse realis; non quòd propagetur; sed quia idem individuus aër, qui sonum excepit propè sonativum, impulsu aliquo propellitur ulteriùs usque ad aures; ut accidit, cùm quis alteri per tubam loquitur summissa voce: unde nec tunc percipitur distantia. An autem sonus, dum realiter pervenit ad sensorium, producat speciem; decidemus inferiùs, ubi de tactu. Duo hîc *objicientur*. 1. quòd, si daretur species soni, diffunderetur in instanti, sicut species coloris ac experientiâ constat oppositum; priùs enim cernimus fulgur, quam audiamus tonitruum, quod tamen simul aut priùs editur; & qui procul aspicit ligna cædentem, priùs tempore cernit ictum securis, quàm sonitum audiat. 2. quòd sonus successivè producitur, & illicò desinit: unde, qui propè sonativum editur, jam non existit, cùm species pervenit ad auditum distantem: si ergo auditur per speciem, dabitur naturaliter externa sensio de objecto nullibi existente.

30 *Ad* 1. fortassè sufficiet solutio tacta disp. præced. n. 80. Sed fortassé melius respondebitur, speciem sonì suapte naturâ non produci sine undulatione aëris, quæ continuatur ultra realem sphæram soni, & progreditur multò longiùs, interdùm sensibiliter, interdùm insensibiliter, juxta vim percussionis: idcircò non priùs auditur vehemens tonitru, quàm fenestræ contremant: idcircò etiam, flante vento ab eâ parte, quâ sonus editur, melius auditur; quia ventus promovet undulationem aëris, à sonorâ percussione profectam. Nec mirum, si species pendeat à motu aëris, cùm etiam ab eo pendeat sonus ipse. Cùm igitur motus ille successivè fiat, propterea soni species non diffunditur sine morâ temporis; quæ mora in non magnâ distantiâ minimè percipitur. Unde patet disparitas ad speciem coloris. *Ad* 2. tenentur etiam respondere Adversarij: nam, quidquid fit de speciebus, si sonus propè sonativum editus, illicò perit, vel non audietur è loco distante, vel audietur jam non existens. Sonus ergo dicitur successivè produci, non quòd productus statim pereat, sed quia in sphærâ virtutis sonantis extenditur successivè, atque etiam successivè intenditur in eâdem, brevique incipit remitti, nec diù post definit omninò, imitatus scilicèt vibrationem aëris, à quâ pendet: semel tamen existens, aliquandiù permanet, sicut & vibratio aëris; & tamdiù durat, quousque species ejus totam pervadat sphæram intentionalem. Vid. P. Suar. l. 3. de Anim. c. 21. n. 12.

31 *Deinde*, in olfacta satis est verisimile reperiri species odorum. Nam odor non aliter diffundi videtur, nisi per extensionem halitûs, aut substantiæ fumidæ, quæ à corpore odorifero exhalatur, & est odoris vehiculum: non enim odor creditur odoris activus, præsertim in aëre, qui careat temperamento primarum qualitatum, ad productionem odoris necessario; & idcircò, evanescente halitu odorifero, nullus remanet odor in aëre. At halitus, aut fumus corporis odorati, non videtur extendi posse ad distantiam 50., vel etiam 500. milliarium, in quâ vultures, ut fertur, odorem mortuæ carnis percipiunt: tunc igitur odoratio non fit per contactum odoris, sed per ejus speciem. Accedit, quòd pisces sub aquâ sentiunt odorem escæ in aëre proximo constitutæ; unde crocodilus ex aquis emergit ad odorem carnis extrà positæ. Nequit autem odorifera exhalatio, utpotè naturæ levis, & calidæ, ferri deorsùm per aquam frigidam, nisi violenter impellatur à causâ extrinsecâ, quæ nulla est in experimento crocodili. Vide probationes alias apud P. Suar. l. cit. c. 24. ubi quædam in contrarium argumenta dissolvit.

32 *Præterea*, in tactu probari potest specierum necessitas: quia manus sentit objectum tactile mediâ cuticulâ, quæ est pellicula tenuis, ac densa, toti cuti exterius obducta, & in se nullo sensu prædita; ideòque solet acutâ novaculâ dividi sine sensu doloris: jam ergo tactu sentitur objectum non immediatè applicatum parti sentienti: tunc igitur debet ad tactionem concurrere operando per medium, adeòque speciem producendo. Perinde autem est ad impediendum applicationem immediatam, sive medium sit gracile, sive crassum. *Dices*: qualitas tactilis conjungitur cuti vel carni per aliam similem, quam univocè causat in cuticulâ. *Contrà*: licèt hoc verum sit in primis qualitatibus, non ita in secundis, ut in duritie, mollitie, & alijs; hæ quippe non immutant sensorium, nec medium, productione similium: debent ergo immutare productione specierum. *Adde*, quòd medio baculo tangimus etiam objecta distantia, quorum nulla est actio seu diffusio realis per baculum. Tangimus, *inquies*, per impulsum baculo impres-

preſſum. Sed *contrà* eſt, quòd per impulſum non ſentitur niſi gravitas, aut pondus impellentis : at medio baculo percipimus duritiem, molliciem, & alias qualitates, diſcernimuſque inter aquam, lutum, lapidem, arenam, lanam, &c.

33 *Denique*, in guſtu nulla occurrit experientia ſimilis. In eo tamen exiſtentia ſpecierum ſuaderi poteſt ; quia, ſi datur in tactu, ſenſum omnium materialiſſimo, congruentiùs dabitur in guſtu : & idcircò ſpecies nemo admittit in tactu, qui neget in ullo alio è ſenſibus externis. Præterea, cùm natura in rebus ejuſdem generis ſervare ſoleat uniformem operandi modum, ſi reliquis ſenſibus conceſſit ullum ſpecierum, non debuit illam guſtui dumtaxàt denegare : item, ſi reliquæ omnes qualitates ſenſibiles, ſaltem fecundæ, ut ſunt color, ſonus, odor, durities, &c., à naturâ vim habent emittendi ſpecies ; proclive eſt id ipſum credere de ſapore. Sed *objic.* : ſpecies ſolùm inventæ ſunt ad ſupplendum abſentiam, diſtantiam, vel improportionem objecti : ſed objectum guſtûs nunquam ſentitur niſi ut præſens, & immediatè applicatum ſenſorio, neque ullo ex capite apparet improportionatum, ut ad materialem ſenſionem immediatè concurrat cum potentiâ : non eſt ergo, cur cenſeatur producere ſpeciem. Ob eamdem rationem objectum auditûs, odoratûs, & tactûs, ſine ſpecie ſentietur, quando immediatè applicatur ſenſorio, ut ſæpè accidit.

34 Ut ab hoc ultimo incipiam, *reſp.*, objectum iſtorum ſenſuum, etiam quàndo ſentitur immediatè applicatum organo (quod ſæpe accidere non inficior), verè producere ſpeciem ſui. Cùm enim virtutem habeat ſpeciei productivam, illamque exerceat quando non applicatur immediatè, ut conſtat ex dictis ; illam pariter exercere debet, utpotè agens neceſſarium, quando immediatè applicatur ſubjecto capaci, cujuſmodi eſt ſenſorium ipſum. Et hinc ſatis colligitur, tale objectum etiàm tunc non influere per ſe immediatè in ſenſationem, ac proinde carere virtute immediatè influendi. Si enim objectum ad juvandam potentiam ſemper adhibere debet virtutem aliam à ſe productam (& quidem productam, non immanenter quaſi proprietatem ſui connaturalem, ſed tranſeuntem, & ſolùm ex fine juvandi cauſam diſtinctam), utquid ipſi natura dederit vim immediatè influendi in ſenſationem ? utquid virtutes diverſi generis multiplicaverit pro concurſu tantùm partiali, & inſtrumentario, qualis eſt concurſus ex parte objecti ad ſenſationem requiſitus ? præſertim cùm nulla in præſenti allegari poſſit experientia. Quodſi objectum auditûs &c., non niſi per ſpeciem cauſat ſenſationem, idem credendum de objecto guſtûs propter argumenta n. præced.. Idem quoque putandum de primis qualitatibus reſpectu tactûs, v. g. de calore ; qui, licèt non ſentiatur, niſi realiter alteret ſenſorium, tamen in ordine ad actionem intentionalem incongruenter excipietur à lege naturæ generali, quæ cæteras comprehendit qualitates ſenſibiles.

35 Jam *ad objectionem* n. 33. fateor, ſpecies inveſtigari cæpiſſe fundamento deſumpto ex cognitione objecti diſtantis, aut abſentis. Cæterùm, ſemel inde probatâ exiſtentiâ ſpecierum, rectè per conſequentias mediatas deducitur, nullum objectum, ſaltem ſenſibile, quàmvis præſentiſſimum, ad ſenſionem ſui concurrere niſi per ſpeciem, & hanc ſemper eſſe neceſſariam ad ſupplendam improportionem objecti. Quàmvis enim in objecto, ad ſenſionem collato, inveniatur proportio perfectionis ; ex hac non ſequitur proportio virtutis aut fœcunditatis immediatæ ; ut patet in equo reſpectu muris ; vel etiam in ſubſtantiâ lapidis, quæ caret proportione immediatæ virtutis

ad motum deorsùm, siquidem illum nequit producere, nisi mediâ gravitate, ut communiter dicitur. Improportio autem virtutis in objecto ad sensionem immediatè causandam, satis probatur ex ipsâ vi producendi speciem, ut nuper vidimus. Unde generatim inferri potest, nullum objectum, ex se productivum specierum per modum agentis necessarij, posse immediatè concurrere ad cognitionem sui. Quare, si Angeli substantia in ratione objecti concurrit immediate cum intellectu proprio, vel alterius Angeli, ad sui cognitionem, hoc adeo continget, quia vel Angelus non est productivus speciei propriæ, vel nonnisi per modum agentis liberi.

36 Dum autem species dicitur objecti vicaria, vel vices objecti gerens, vel objecti nomine concurrens, aut objecti loco substituta, hæc non ita intelligas, quasi species faciat id, quod objectum immediate faceret si adesset; sed ita, ut species ab objecto trahat originem, concurratque, non in gratiam sui, sed in gratiam objecti ut per cognitionem repræsentabilis: vel ita, ut objectum de se improportionatum ad concurrendum, mediâ specie præstet illud ipsum, quod alia objecta proportionata præstant sine specie, v. g. substantia Angeli ut intuitivè cognoscibilis. Hoc etiam sensu verè dicitur, objectum debere concurrere vel per se, vel per speciem à se productam; videlicet objectum in genere, sub quo inveniuntur objecta quædam apta concurrere per se, quædam non nisi per speciem. Scio autem à quibusdam aliàs quasi à priori probationes specierum in sensibus externis, adferri solitas præsertim à Thomistis; quia parum in eis efficacitatis invenio.

*Item in Sensu interno, & in Intellectu.*

37 In sensu interno necessitas specierum probatur efficaciter ex memoriâ, & cognitione objectorum absentium, qualis in somnijs accidit, & quoties phantasia imaginatur objecta, nullo jam exteriori sensu percepta. Non enim dubitari potest, quin ab objecto exterius sensato aliqua refulget in sensu interiori novitas, aut immutatio, quæ deinde permaneat: alioquin phantasia non aliter affecta esset post, quàm ante omnem visionem coloris v. g. rotundi, sicut antea impotens erat imaginari colorem (ut patet in cæcis à nativitate), ita esset post. At immutatio illa fieri nequit per immissa corpuscula: tum quia talia sunt, quæ à colore immittantur, cum quis nequeunt in eodem cerebro sine penetratione cõjungi tot corpuscula, quot phantasmata, vel phantasmatum semina conservantur in memoriâ quorumdam. Nec item fieri potest per motum localem, quo fibrarum situs, aut positio variè mutetur: hoc enim abunde rejecimus disp. præced. cap. 2. Restat igitur, ut illa immutatio fiat per qualitates, quæ sensum internum compleant & adjuvent ad iterandam cognitionem objecti sine iteratâ sensatione externâ. Qualitates autem hujusmodi vocamus species: & qui plures ac diutius retinet, meliorem dicitur habere memoriam, nec certè potest aliter explicari, cur memoria non sit in omnibus æqualis, nec quomodò cõtingat oblivio eorum, quæ semel quis didicit.

38 Hoc argumẽtum demonstrat, sensum internum specie indigere ad cognitionem objecti præteriti, vel absentis. Sed numquid etiam specie indigebit ad cognitionem objecti præsẽtis, & actualiter sensati exteriùs? Communiter affirmatur: quia cognitio præsentis indiget objecti juvamine, quod præteriri nequit immediatè ab objecto ipso, utpote distante, nec mediâ tantum sensatione externâ, cùm hæc à cerebro differt, præsertim quando in pede fit tactus. Contrarium tenuit P. Oviedo

hic

*Hic controv.* 13. *punct.* 2., dicens, sensationem externam satis applicari, ut per se immediatè concurrat cum sensu interno ad cognitionem sui ipsius, & objecti extrinseci, eo quòd immediatè uniatur cum principio immediato cognitionis internæ; nam in homine sensatio pedis unitur animæ, quæ eadem est in pede ac in cerebro; in bruto autem animam habente divisibilem, unitur parti animæ quæ, licèt in pede tantùm existat, immediatè influit in sensationem cerebri; quia, ut alibi docet idem Author, omnes partes animæ divisibilis per modum unius concurrunt ad sensationem quamlibet, tametsi in unâ tantùm parte corporis elicitam. *Verùm* hæc doctrina de concursu omnium partium animæ &c., impugnata manet supra disp. 3. n. 77.; unde non satis hâc viâ salvatur in bruto applicatio sensationis externæ ad sensum internum, nisi addantur species. Quodsi hæ dentur bruto, dandæ sunt homini, qui subest iisdem legibus in modo sentiendi.

39 In intellectu denique necessitas specierum probatur similiter ex memoriâ spirituali. Certum quippe est, non solùm sensum interiorem, sed intellectum quòque de præteritis & præcognitis recordari, non de aliis, quæ nunquam in mentem venerunt. Unde intellectus post primas cognitiones aliter se habet erga ejusmodi objecta, quàm si nunquam ea cognovisset: quæ aliunde explicari nequit, nisi intellectus adquirat & retineat species, ut nuper ostendimus in simili. Si dicas, sufficere memoriam sensitivam, ut intellectus iteret cognitionem præcogniti, adjutus scilicèt, aut determinatus ab iterato phantasmate, quo semper indiget. Impugnaberis 1.: quia sæpe intellectus meminit eorum, quæ non percepit memoria sensitiva, videlicèt suorum actuum spiritualium, ut cùm quis meminit ac dolet de peccatis per actus ejusmodi commissis, v. g. de judicio temerario, vel de dubio in rebus Fidei: tunc autem phantasma nihil juvat, nisi fortè memorando circumstantias aliquas extrinsecas, ut temporis, aut loci; quarum tamen commemoratio, si non supponit in intellectu speciem, non sufficit ad reminiscendum talium peccatorum; quia intellectus perinde se habebit cum eo phantasmate, ac se haberet, si minimè peccasset, 2.: quia anima separata meminit eorum, quæ in corpore cognovit, & gessit; ut constat ex omnium contentu, & ex variis Scripturæ locis, nominatim ex Luc. 16.: tunc autem à nullo phantasmate juvatur; nec apparet, à quo juvetur congruentiùs, quàm à speciebus in corpore adquisitis, & in memoriâ spirituali servatis.

40 His argumentis ostenditur satis in intellectu necessitas specierum ad recordandum. Sed non continuò sequitur eadem necessitas ad primò cognoscendum: quia dici poterit, ad hoc sufficere concursum phantasmatis loco speciei: nec desunt, qui sic opinentur, solúmque agnoscant in intellectu species memorativas de actibus intelligendi, & volendi, quæ fiant reflexæ, & experimentales, productæque à solis actibus prahabitis, quarum specierum ope cognoscat postmodùm anima, se cognovisse vel amasse talia & talia objecta; quod est eorum meminisse. Communissima tamen sententia requirit species etiam ad primas intellectiones. Et probari potest 1: quia generatim ad intelligendum necessaria est adæquata virtus omninò spiritualis: cùm ergo virtus intellectûs non sit adæquata, nisi accedat ipsi comprincipium aliquod ex parte objecti, debet hoc comprincipium esse spirituale, adeòque aliud à phantasmate, nimirum species incorporea. Consequentia est legitima: & Antecedens patet; tum exemplo virtutis ad volendum; tum quia in-

tellectio, cùm ex genere suo sit operatio primaria & characteristica substantiæ spiritualis, debet esse, quantum fieri potsit, independens à corpore, & à causâ corporeâ, non solùm subjectivâ, sed efficiente. Quòd si velis, ut intellectus nullo indigeat juvamine objecti, præter determinationem, aut applicationem: etiam sic urget exemplum voluntatis, cui semper applicari debet objectum per cognitionem spiritualem, nec unquam sufficit actus phantasiæ.

41 2.: quia memoria intellectiva retinet species, non solùm reflexas & experimentales de actibus præhabitis, sed etiam directas & immediatas de objectis ipsis; de his enim posteà cogitat directè & immediatè, ut experientia docet: nam exul v. g., cùm meminit patriæ, non tam cogitat de cognitione patriæ, quàm de patriâ ipsâ: immò hanc sibi repræsentat expressiùs ac distinctiùs, quàm cognitionem; quod fieri non posset, si tunc solùm mediatè cognosceret patriam in præhabita cognitione, tamquam in imagine; ut patet exemplo imaginis externæ. Illæ autem species directæ, cùm non producantur à primis actibus, debent ad eos præsupponi, vel à præsuppositis produci.

## CAP. III.

### *SOLVUNTUR ARGUMENTA CAPITIS 1., simul quæ varia de Speciebus quæstiones resolvuntur.*

42 SOlvemus nunc argumenta contraria cap. 1. præmissa, & inter solvendum, quæstiones varias, inter specierum patronos agitari solitas, decidemus; sæpeque pro ratione allegabimus naturam ipsam specierum, non aliunde cognitam, nisi ex congruentiâ cum effectibus, quos experimur: ubi enim agitur de re absconditâ, consuetum in Philosophiâ est talem ipsi naturam tribuere, quæ de se non sit impossibilis, &, si detur, benè congruet cum effectibus experientiâ notis. *Ad 1: objecti.* n. 2. constat ex dictis à n. 23: necessitas specierum in sensibus externis, & improportio objecti ad immediatè concurrendum, etiam dum immediatè applicatur sensorio. Constat etiam ex n. 37. & 38., sensum internum indigere specie, nec posse juvari à solâ sensatione externâ. Motus verò spirituum, nisi secum deferat species, insufficiens est; alioqui sufficeret pariter ad imaginandum colorem ante omnem visionem. Constat demum ex n. 39. & seqq., intellectum, seclusâ specie, non satis determinari per actum phantasiæ.

43 *Ad 1. confirm.*: intellectus humanus, saltem in hac vitâ nihil cognoscit sine specie, vel propriâ, vel alienâ. Dicitur *species propria* objecti A., quæ à tali objecto producitur, vel saltem primariò instituta est ad illud repræsentandum, v. g. species coloris in visu: dicitur *species aliena*, quæ propria est alius objecti convenientiam saltem analogicam aut symbolicam habentis cum objecto A., ideòque cum alijs item alienis conjuncta quasi secundariò deservit intellectui ad objectum A. cognoscendum confusè & imperfectè. Sic intellectus noster, ut concipiat Angelum, adhibet species experimentales propriæ facultatis intellectivæ, simulque species pulcritudinis, roboris, alacritatis, quæ propria sunt juvenum, species item agilitatis, quæ avibus competit beneficio alarum; atque his speciebus permixtim concurrentibus, detractisque simul per actum ipsum materialitate objectorum, conceptum format hujusmodi, *Substantia intelligens, pulcra, fortis, alacris, & agilis, instar juvenis optimè constituti, & aligeri, exceptâ materialitate.* Similiter Deum concipimus per species ex creaturis hausias

po-

potentiæ, sapientiæ, bonitatis, &c., detractâ limitatione, & imperfectione: carentias item, & entia rationis, per species entis realis; modos, per species rerum absolutarum, &c.; detractis semper detrahendis. Atque hoc est objectum cognoscere per species alienas: quæ, licèt sint suorum tantùm objectorum semina, dum tamen diversæ uniuntur in concurrendo, generare possunt cognitionem objecti diversi; quemadmodum ex conjunctis variorum animalium seminibus generari solet animal diversæ naturæ.

44 *Ad 2. Confirm.* Authores aliqui solùm agnoscunt in specie manus determinandi potentiam absque influxu activo in cognitionem, nempe in genere causæ formalis, seu potentiam dumtaxat informando; quo modo in sententiâ communi cognitio determinat aut inclinat ad volitionem. Sed verò ad hoc præcisè manus ægrè suadebitur in intellectu necessarius specierum, ut benè probat illa *confirmatio* ægrè quòque suadebitur in sensu internos; qui ad cognitionem objecti absentis indiget alio determinativo præter species, & ad cognitionem præsentis determinari potest per sensionem externam, tametsi distantem, nimirùm ratione symmetriæ, quæ pro munere determinandi passim admittitur inter potentias & actus ejusdem suppositi propter radicationem in eadem animâ, vel in partibus ejusdem animæ. Tenenda igitur est communis sententia, quæ cum D. Thomâ, Scoto, & Suario, tribuit speciei concursum activum in cognitionem, illumque necessarium adeò titulo insufficientiæ virtutis in potentiâ cognoscitiva modo sumptâ; quam insufficientiam ostendit ratio adducta n. 17., & confirmata n. 19. & 21. Et sanè, cum species juxta hos Authores ad cognitionem præequiratur necessariò præsens, & applicata; cumque pro varietate speciei varietur cognitio in eâdem potentiâ, evadatque intuitiva vel abstractiva, clara vel obscura, intensa vel remissa; cum insuper ad concurrendum partialiter, & instrumentariè, non requiratur perfectionis æqualitas cum effectu; cùm denique species comparetur femini, cujus est activè concurrere ad generationem prolis: omninò videtur alienum à communi more philosophandi, concursum activum speciei denegare ad cognitionem, nullo ad id urgente fundamento.

45 Nam, quòd potentia, vel anima sit cognitione perfectior, & illius verè productiva, non probat virtutem adæquatam: hæc enim exigit quidem æqualitatem, aut eminentiam perfectionis; sed non satis ex eâ infertur, etiam in re fœcundâ, nisi alia ratio accedat, aut experientia; ut sæpe aliàs observavimus, & clarè cernitur in generatione animantium, ubi fœmina proprium generare non potest sine concursu maris, licèt eam perfectione adæquet, immò licèt interdùm superet, ut equa mulam. In præsenti autem non favet, sed refragatur potiùs experientia, videlicèt necessitatis specierum, quam fatentur Authores prædicti, & quæ satis indicat in potentiâ defectum alicujus virtutis, quandoquidem fundari non posset in solâ indigentiâ determinationis, ut nuper vidimus. Nec obstat exemplum voluntatis, quæ nullo indiget ex parte objecti eo principio efficiente: jam enim diximus n. 20. Itaque virtus adæquatè activa cognitionis constituitur ex potentiâ & specie, ut ex causis partialibus, non partialitate influxûs, aut effectûs, sed totalitate causæ, quatenùs unaquæque sit totum producit effectum, ut necessariò indigeat consortio alterius, totum etiam eâdem actione producentis: pro quo vide dicta in Physic. tr. 2. d. 6. c. 5. n. 24. & seqq.

46 Denique observa, quatenùs

nús generatim ſpeciei conveniat vis determinandi potentiam. Convenit ſcilicet; non quòd omnis ſpecies neceſſariò determinet quoad exercitium; ſed quia determinat quoad ſpecificationē, vel quoad ſufficientiam virtutis pro tali objecto cognoſcendo: potētia enim, ex ſe indifferens ad varias cognitiones, & ſufficientias, per ſpeciem objecti A. reddirur determinatè ſufficiens ad cognitionem ejus, & ita quidem, ut, ſi hac ſolâ utatur ſpecie, non poſsit cognoſcere diverſum aliud. Mitto quorumdā ſententiam, ex adverſo dicentium, potentiam non influere in cognitionem niſi mediâ ſpecie, & hanc eſſe totam rationem agendi, quo modo apud Thomiſtas habitus eſt tota ratio agēdi cognitionem ſupernaturalem. Hanc ſententiam, quam hodie nemo amplecti videtur, benè confutat P. Suar. d. 3. de Anim. c. 4.. Eamdem impugnant etiam Thomiſtæ: ſed quidquid objiciunt, inſtari contra ipſos poterit in habitu ſupernaturali, nec non in virtute, per quam agit ſubſtantia; præſertim cum D. Thomas 1. p. q. 56. ar. 1. ita loquatur: *Sicut calor eſt principium formale calefactionis in igne, ita ſpecies rei viſæ eſt principium formale viſionis in oculo.* Unde, ſicut calor in igne, juxta Thomiſtas pro ſe allegantes D. Thomam, eſt tota ratio calefaciendi, & comburendi; ita ſpecies in oculo erit &c..

*De ſpecierum exciſtatione, & corruptione.*

47 *Ad 2. objiſt.* n. 4. P. Arriaga cum Nominalibus negat, ſpecies ab intellectu acquiſitas conſervari perpetuò: ait enim, quaſdam eſſe entitates naturâ ſuâ fluxiles a ſtatu exiſtentiæ, quæ nullo urgente contrario, nec deficiente cauſâ conſervatrice, quaſi ponte, vel ex imperfectione propriâ evaneſcant, poſtquam certæ durationis periodum impleverint: atque hujus indolis eſſe dicit ſpecies utriuſque memoriæ, materialis & ſpiritualis. Aſſumptum hoc non contemnendis probat argumentis: ſed mihi ſolidiora ſunt ea, quibus P. Quiros ejuſmodi fluxiles entitates impugnat in præſenti diſp. 9. ſ. 3.: quò lectorem remittro, cùm non omnia perſequi liceat. Communis ſententia concedit, ſpecies memoriæ intellectivæ impreſſas perpetuo retineri: quia contrario carent, incorruptibili ſubjecto inhærent, & à ſolo Deo poſt primam productionem conſervantur: à ſolo, inquam, Deo; quia virtus intellectûs nec eſt adæquatè activa ſpeciei, nec ſufficere poſſet ad ſimultaneam cōſervationem ſpecierum innumerabiliū, & inſuper ad cogoitiones.

48 Quapropter intellectus, quæ ſemel didicit, nunquam obliviſcitur ex defectu ſpecierum; benè tamen ex defectu conditionis ad earum uſum requiſitæ: connexio quippe intellectûs & phantaſiæ in operando, quamdiū in corpore vivitur, connectit etiam quoad uſum ſpecies utriuſque memoriæ, adeò ut nulla in intellectu excitetur ſpecies (etiam ex imperio voluntatis), quin ſimul in memoria materiali evigilet alia quædam illi correſpondens; quæ, ſi fortè corrupta ſit, eo ipſo cognatam ſpeciem intellectualem relinquet otiantem, donec anima ſeparetur à corpore. Unde patet, cur intellectus non ſemper ſit in exercitio cognoſcendi, ſive utendi ſpecie adquiſitâ; licēt hæc, dum primùm exiſtit, neceſſariò agat (ſaltem dum medio phantaſmate producitur), eo quòd tunc ſpecies phantaſiæ præſupponatur operans. Ad exemplum autem ſpecierum viſualium, petenda eſt diſparitas ex earum diverſâ naturâ. Nec verum videtur, quòd nova in intellectu requiratur ſpecies directa, quotiès phantaſia denuò reperit objectum præcognitum: ſat enim erit præhabitam ab intellectu ſpeciem expergifici; præſertim ſi phantaſma non præcurrat, ſed purè comitetur, aut ſub-

subsequatur actum intellectûs.

49 Quod attinet ad species phantasiæ, seu memoriæ sensitivę, ad quas transfertur tota difficultas oblivionis, excitationis, & corruptionis, fatentur omnes, mysterium hîc esse naturæ, ferè inexplicabile, sive admittantur species, sive negentur: neque enim exclusio specierum lucem aliquam affert, sed potiùs tenebras auget, ad causas eorum, quæ passim in memoriâ cõtingunt, aperiendas. Excitatio specierum in memoriâ nihil est aliud, quàm nova ipsarum determinatio ad operandum; pro quâ variæ assignantur causæ. Prima est, alicujus humoris in corpore commotio, vel exuberantia; quæ, cerebrum alterando per se, vel per infectos spiritus, vapores, aut fumos, excitat species eidem humori aliquatenùs congruentes. Hinc melancholici tristia, sanguinei læta, cholerici atrocia, frequenter meditantur, & eadem somniare solent. Ad eamdem causam reducenda est excitatio proveniens ab Angelo, vel à dœmone, quę naturaliter fieri nequit, nisi per motum localem humorum, aut spirituum.

50 Secunda causa est, affinitas aut connexio specierum inter se, propter affinitatem, similitudinem aut connexionem objectorum, vel propter modum, & ordinem, quo adquisitæ fuerunt. Hinc ex adventu novæ speciei evigilare solent priores aliæ dudùm consopitæ, ut cùm ad conspectum noxij hominis redit memoria malorũ, quæ olim audit. Hinc etiam derivandus est conatus ille recursus specierum, quo quis prolixam orationem fideliter memoriâ recitat: quia enim, dum periodos dedicit, reflexè advertit ipsarum ordinem, idcircò species, à prima periodo relicta, non illam necũquæ repræsentat, sed pront ordine priorem secunda; quo fit, ut statim excitet speciem secundæ periodi, & hæc speciem tertiæ ob eamdem rationem, & sic de reliquis. Tertia causa est, imperium voluntatis, quod, præeunte cognitione confusâ de objecto anteà cognito, v.g. de historiâ aliquâ lectâ, vel auditâ, intellectum applicat, & consequenter phantasiam, aut cogitativam materialem, ad resumendas species rerum & circumstantiarum in particulari. Hinc provenit conatus ille mentis, & phantasiæ, quo interdùm species quasi amissas quærimus, vel quasi remotas advocamus: talis enim conatus voluntate imperante fit, & nihil est aliud, quàm attentio ad objectum confusè cognitũ, & cessatio à cogitationibus extraneis, quæ cessatio & attentio valdè conducunt, ut species optatæ reducantur ad usum.

51 Sed super his causis (præter quàm quòd non videntur comprehendere eventus omnes) quæstio exurgit maximè obscura, Quid illæ præstent circa species, quo eas excitent, seu determinent ad agendum? Alij respondent, ab illis produci modulos quosdam in speciebus. Alij, tales causas, & alias forte plures, solùm esse occasiones, aut conditiones, quibus positis, species naturâ suâ exigunt operari. Alij, meras quidem esse conditiones, non tamen à natura specierum determinatas, sed à solo Deo statutas, ut ipse pareat speciebus concursum: cùm enim species post primos actus non exigant operari semper, nec in aliquo determinato tempore; cùmque aliunde hominis aut animantis interêt aliquoties uti memoriâ; Deus ipse occasiones designavit, in quibus pararet concursum jam his, jam illis speciebus, prout expedire judicavit ad bonum subjecti, habitâ etiam ratione boni communis: quâ in re se gerere poterit ut naturæ Author; sicut totam ordinem providentiæ naturalis pro libitu disponit causas ventorum, pluviarum, tempestatum. Alij dicunt, species recipi, non in substantiâ cerebri, sed in spiritibus animalibus; qui post pri-

mum

mos actus ad cerebellum recedant, & inibi conquiescant, donec motu aliquo locali (qui potest provenire à variis causis) iterùm ad cerebrum redeant, & inhærentes species revocent ad usum.

52 Hæc difficultate non carent: sed nihil occurrit expeditius. Certè, quæcumque sint causæ memoriam excitantes, & quomodolibet se gerant, nihil efficient, nisi præsupponantur species medijs externis sensibus ab interno adquisitæ: nam, qui colorem nunquam visu percepit, quantùmlibet excitetur, nunquâ recordabitur coloris, nec proprium ejus conceptum efformabit. Si quæras, cur species in memoriâ depositæ excitatione indigeant, cùm in primâ impressione protinùs operentur? Resp., hanc esse earum naturam, experientiâ notam, & ipsarum fini consentaneam, ut nec statim pereant, nec exigant operari post primum actum, nisi denuò excitentur: sunt quippe institutæ propter bonum subjecti; cujus interest & memoriam habere pro opportunitate rerum vandam, & à cognitione præteritorum cessare, ut nova cognoscat, aut vires reficiat. Dici quòque poterit, speciem internam excitatione semper indigere; sed ad primum actum pro excitativo sufficere sensionem externam. Idem dicendum de specie intellectuali; cui ad primum actum pro excitativo sufficit phantasma ipsum, à quo producitur. Loquor de specie directâ; nam reflexa, seu experimentalis, ab actu producta in eâdem potentiâ, etiam in primâ impressione non necessariò agit; alioqui, quoties intellectus intelligit, deberet primum actum cognoscere alio actu reflexo, & hunc tertio alio, & sic in infinitum. Quare species hujusmodi semper indiget imperio voluntatis, vel alio excitativo præter id, à quo primò producitur.

53 Sed hic urget difficultas n. 5. tacta, quomodò scilicet eadem species, quę in primo sui ortu cognitionem intuitivam generat, posteà in absentiâ objecti generat abstractivam? Et sermo est de speciebus phantasię, & intellectûs: nam quę sensibus externis insunt, non nisi ad cognitiones intuitivas deserviunt, cùm non conserventur in absentiâ objecti. Sermo item est de cognitione abstractivâ, quæ fit per speciem propriam, sed non connectitur cum reali præsentiâ objecti; & in hoc ipso differt ab intuitivâ, quæ sine objecto realiter præsenti nequit existere, saltem naturaliter. Aliqui negant, quidquam intuitivè cognosci à sensu interno, nec ab intellectu conjuncto corpori. Sed hoc durum videtur: nam qui Solem lucentem aspicit, cur non dicatur illum intuitivè cognoscere, ficut visu, ita & phantasiâ, & intellectu? Scotistæ cum Scoto apud Mastrium hîc disp. 6. q. 4. ar. 2. dicunt, cognitionem intuitivam in intellectu non indigere specie, immò nec per speciem fieri posse, quia semper sit objecto præsente, à quo proinde immediatè producitur. Sed hoc etiâ difficilè percipitur, præsertim dum Angelus, aut anima, saltem separata, intuetur objecta corporalia.

54 Quidam alij admittunt species intuitivas, sed quę non deserviant ad abstractivè cognoscendum; quia putant, eas statim perire, recedente objecto, & intuitione cessante, eo quòd in fieri & conservari pendeant ab objecto præsente, & mediatè influente, in intellectum quidem medio phantasmate, in phantasiam verò mediâ externâ sensione. Sententiam hanc P. Quiros disp. 92. n. 24. certam esse dicit, & P. Ovied. contr. 13. p. 5. n. 8. omninò tenendam ab ijs, qui species in phantasiâ & intellectu admittunt ad primos actus: eamdem expressè tenet Scotista Smisinch. apud Mastr. l. c. n. 109. Nec ideò Authores isti memoriam negant objecti intuitivè cogniti, sed eam haberi dicunt per species purè abstracti-

vas,

vis, ab intuitivis actibus productas. Hæc sententia sine incommodo sustineri potest, dummodò in memoriâ, præter species actuum, ponantur aliæ directè repræsentantes objecta (ex n. 41.) quæ species, licet abstractivæ, produci poterunt ab intuitivis speciebus non minùs facilè, quàm ab actibus ipsis.

55 Bifariàm præterea solvi poterit prædicta difficultas. 1., si cum P. Arriaga negetur essentiale discrimen inter cognitionem intuitivam, & abstractivam, quæ fit per speciem propriam: videtur enim experientiæ consonum, quòd intellectus, aut phantasia, eundem actum, quo intuetur objectum præsens, naturaliter conservare possit, objecto recedente; quàmvis ille actus amittat denominationem intuitivi, quę non est penitùs intrinseca, utpotè constituta per coexistentiam cum objecto. 2., si dicatur, cognitiones ejusmodi, tametsi essentialiter differentes, ab eâdem specie produci posse: quia non differunt ratione principij, sed ratione modi tendendi, vi cujus intuitiva connexionem habet specialem cum objecto præsenti, quâ caret abstractiva. Ideò autem species intuitionem causat, dùm primò existit, non posteà; quia pro tali effectu indiget externâ sensatione objecti, velut conditione, sine quâ non, nimirum ex quâdam sympathiâ, quę to attinentibus ad idem suppositum non est absurda. De specie, quâ intuetur Angelus objecta existentia, præsertim corporalia, Theologi differunt.

56 Jam super corruptione specierum memoriæ sensitivæ certum est, eas non solùm in morte perire omnes, sed multas etiam decursu vitæ penitùs aboleri: quod, cùm non oriatur ex defectu causæ conservatricis (conservantur enim species illæ à Deo, non à sensu interno, propter rationem in simili datam n. 47.), videndum est, unde proveniat. Et inprimis provenire potest ex defectu subjecti, nempe medullæ cerebri, quæ sensim resolvitur actione caloris, & per nutritionem reparatur, sicut aliæ corporis partes, immò facilùs, quàm alię solidiores. Unde species, quę particulis resolutis inhærebant (non est necesse, ut singulæ species inhæreant toti medullę), consequenter pereunt. Hinc siccitas aut visciditas cerebri conducit ad retentionem specierum diuturnam; quia medulla siccior aut viscidior non ita facilè resolvitur. Hinc etiam sępe meminimus alicujus historiæ quoad substantiam, delectà penitùs memoriâ circumstantiarum; quia forsan illarum species inerant particulis cerebri postea resolutis; species verò historiæ quoad substantiam, particulis alijs. Cùm autem in senectute durat memoria rerum in pueritiâ gestarum, ipsâ penitùs memoriâ recentiù; causa esse potest tenacior visciditas alicujus partis cerebri primævi, quę resolutioni diù resistit, interea dum alię denuò adquisitæ, quia diluiores, facile dilaberentur.

57 Deinde provenire potest ex accidentali mutatione subjecti, seu ex defectu dispositionis in subjecto debitæ, vel ex adventu qualitatis huic dispositioni contrariæ. Hinc interdùm accidit, ut ex morbo aliquo tota ferè præcognitorum memoria prorsùs amittatur, adeò ut viri antea doctissimi ne literas quidè alphabeti agnoscant: quod tribui nequit substantiali mutationi subjecti; non enim credibile est, tam subitò, vel tam brevi totam substantiam cerebri fuisse mutatam. Passim dicitur humiditas disponere ad corruptionem specierum: sed hoc intelligo, quatenùs humiditas disponit subjectum, ut facilius resolvatur actione caloris: nam, subjecto stante, sicut humiditas non impedit receptionem specierum, ita nec earum retentionem; quemadmodùm gradus frigoris, qui non resistit introductioni caloris, ejusdem conservationi non obstat. Quod autem figura ima-

pressa corpori humido parum duret, ex eo provenit, quòd partes materiæ humidæ facilè permutant situm, in quo figura consistit. Huic verò nulla est paritas ad qualitates, quæ à situ non pendent. Ad aliam ergo dispositionem recurrere oportet.

58 Et mihi quidem dicendum videtur, memoriæ gratiâ datam esse cerebro à naturâ qualitatem aliquam innominatam, cujus munus sit disponere subjectum ad receptionem specierum eo ferè modo, quo diaphaneitas disponit ad receptionem luminis, & opacitas ad receptionem coloris. Qualitas hæc aliquam inter qualitates morbidas contrariam habet, vi cujus minui seu remitti potest, & interdùm destrui, simul inferendo ruinam, aut remissionem specierum: postea tamen, causâ morbi cessante, poterit recuperari, vel intendi, à virtute animæ non impeditâ, quamquàm non ideò reparabitur specierum jactura, nisi nova subveniat externa sensio, quia virtus animæ ad productionem earum haud sufficit. Quòdsi morbus non totum invadat cerebrum, sed partem aliquam, in hac tantùm periclitabitur illa qualitas cum speciebus inibi receptis. Mortalis etiam qualitas illa solùm est una genericè, quintuplex autem specificè, juxta quinque specierum claues per totidem externos sensus distinguendas; ita ut alia sit in cerebro dispositio ad species per visum haustas, alia ad exceptas per auditum, &c. Hæ verò dispositiones, licèt eidem subjecto inhæreant, separabiles sunt, possuntque singulæ suæ alijs perire, vel minui, quia non omnibus eadem adversatur noxia qualitas, sed diversa pro singulis.

59 Beneficio dispositionum hujusmodi, multa explicari poterunt experimenta memoriam spectantia. Et imprimis illud de totâ memoriâ morbo perditâ, quod revocari debet ad corruptionem totius ferè dispositivæ qualitatis. Deinde, cur species, olim vividæ, decursu temporis in memoriâ remitti solcant, nec nisi ad recordationem tenuem ac remissam deserviant: quia nimirùm dispositio subjecti à qualitate contrariâ (quæ non sentitur sæpenumerò) remissionem patitur, &, licèt intendatur postmodùm, non ideò intenditur species. Item, cur species aliæ sine alijs pereant, & recentiores interdùm citiùs, quàm antiquiores: quia scilicèt recipiuntur forte in aliquâ parte cerebri, quæ præ alijs invaditur à qualitate noxiâ: vel quia forte pendent à diversâ dispositione, quòd per sensum diversum haustæ fuerint. Præterea poterit hinc fumi ratio, cur memoria sit magis aut minùs in recipiendo facilis, & in retinendo tenax: ij enim, qui meliori sunt temperamento, facilius recipiunt species, quia dispositionem illam cerebri obtinent in gradu excellentiore: & qui cerebrum habent solidius, aut compactius, magis resistunt qualitati noxiæ, ideòque firmiùs tum dispositiones, tum species retinent.

60 Denique, recursu facto jam ad substantialem, jam ad accidentalem mutationem subjecti, cætera utcumque explicabuntur. Neque opus est recurrere cum alijs ad limitatam capacitatem subjecti, multas jà species præhabentis; quasi nequeat novas admittere, quin aliquas ex præhabitis amittat. Nec item cum alijs asserere, quòd species cerebri recipiuntur in solis spiritibus, quorum dissipatio sit amissio specierum. Utrumque varias patitur objectiones. Quamquàm spiritibus concedi poteris, quòd sint vehicula specierum à sensibus externis ad internũ, & quod ex eorum motu & appulsu, per accidens variato, proveniat specierum impressionum in unâ, nunc in aliâ parte substantiæ medullaris.

*Species ad sensum spectantes quatenùs sint sensibiles, & divisibiles?*

61 *Ad 3. Object. n. 6.* incom-

tanter dicendum, species sensibiles esse materiales, nec obstare probationes contrarias. Non obstat *prima*: quia species eatenùs dicuntur formæ sine materiâ, quatenùs continent objectorum similitudinem sine reali naturâ ipsorum; non enim species coloris est color, nec species soni est sonus. Id quod explicat Aristoteles ipse 2. *de Anim.* t. 124. exèplo signi, quod cera recipit ab annulo ferreo, vel aureo, non ideò recipiens materiam ipsam auri, vel ferri. Spiritualitas autem, quæ à SS. Augustino & Thomâ tribuitur speciebus, impropria est, & perinde sonat, ac insensibilitas; quâ ratione nomen *spiritus* tribui solet aëri, & ijs halitibus, quorum subtilitas subterfugit perceptionem sensuum. Non *secunda*: quia non omnis entitas materialis potest percipi visu, vel alio sensu, cùm intellectus in rebus corporeis multa detegat sensibus occulta. Hoc nec à Corpuscularibus negabitur; quorum nemo sensit hactenùs materiâ subtilem, seu ætheream, quam passim obtrudunt; sicut nec extensionem & figuram, quam atomis aut primitivis corpusculis attribuunt. In animantibus vix est qui non agnoscat spiritus vitales & animales, utique corporeos; quos tamè nemo hucusque vidit, aut tetigit, &c..

62 Itaque species sensibus inservientes non vocantur *sensibiles*, quia sentiantur ipsæ, vel sensationem terminent, sed quia proveniunt ab objecto sensibili, & illud proximè sensibile reddunt, seu proximè aptum ut sentiatur: unde dici poterunt sensibiles, non *ut quod*, sed *ut quo*. Sic tenet communis sententia, & meritò: quia species non sunt ejusdè rationis cum objectis; alioquin species albi & nigri forent contrariæ, nec possent in eàdem pupillâ simul recipi; &, si reciperentur, visionem impedirent: non ergo participant rationem *sub quâ* tendit sensus in objectum suum. Scotistæ tamen aliter opinantur de speciebus quibusdam: nam, juxta ipsos, lumen primarium, quod est species lucis, cernitur per secundarium, & hoc per aliam speciem. Immò de omni visuali specie idè asserit Mastrius disp. 5. n. 36., quòd scilicet possit per aliam speciem in se ipsâ videri; ut patet (inquit) cùm radius pertransit vitrum rubrum; tunc enim cernitur in pariete rubor, qui est species roboris vitri. Simile quid asserit de specie soni n. 145.. Sed hanc doctrinam, quatenùs lumini tribuit munus speciei, rejecimus suprà n. 26.: & eadem, quatenùs colorum species facit visibiles, impugnari potest ex nuper dictis; quia tales species, ut comprehendantur sub objecto visûs, debent participare vim & naturam realem colorum; sic autem & visionem impedient, & evadent inter se contrariæ.

63 Ubi notandum, quòd in speculo nõ cernitur species objecti, nec imago aliqua inibi picta, sed immediatè cernitur objectum ipsum, licèt à tergo positum: si enim cerneretur imago, vel, species, hæc in superficie speculi appareret, vel certè non profundior speculo: nunc autem, quod aspicitur, eò apparet profundius, & à superficie distantius, quo magis objectum à speculo reipsâ distat: cernitur etiã ad crystallum accedere, & recedere: quod de specie crystallo impressâ & inhærente verificari nequit. Adde, quòd visu debiles, qui nudis oculis percipere non valent objectum distans, non illud vident in speculo, quàmvis proximo, & clarè viso; vident autem, adhibitis conspicilijs: quod ergo tunc vident, non est aliquid speculo inhærens, sed est objectum in semetipso, cujus species ad visum defertur per lineam reflexam: & quia imaginatio assueta est percipere objecta oculis oppositа per lineam directam, ideò tum concipit locum ac distantiam objecti quasi ultra speculum, vel in profundo speculi existentem. Vid. P. Suar. hic l. 3. c. 2.; ubi etiam docet,

in radijs per vitream coloratam transmissis non videri species, sed solum colorem vero inhærentem, cujus species, cum radijs permixtæ, à toto, ubi radij incidunt reflectuntur: quod pariter dicendum, cùm lumen per exiguam foramen ingreditur obscurum cubiculum, & in charta exceptum, in ea depingere videtur imagines objectorũ extra existentium; nulla enim ibi reipsa fit pictura visibilis, sed sola specierũ reflexio, quæ res ipsas è regione positas, repræsentat.

64. Non obstat denique *tertia* probatio n. 6.; quia, ut species sensibilis vere fit materialis, sufficit, quòd sit divisibilis in essendo, seu ex parte subjecti, cujus extensionem imitatur. An autem ut etiam divisibilis in repræsentando, seu quatenus objecto correspondet? quæstio est inter Speculatores agitata ex alijs capitibus, quæ attacta, vel præcipue versatur circa visibilē speciem. Hæc enim, juxta nonnullos, est quidem divisibilis subjectivè, tanti, tot constat partibus extensionis, quot habet subjectum, in quo recipitur, nempe retina, vel pupilla, vel aër, vel aliud medium diaphanum: attamen est indivisibilis repræsentativè, seu objectivè, idest, non ita imitatur divisionem objecti, ut inter partes utriusque correspondeant singulæ singulis, seu unaquæque pars speciei repræsentet totum objectum, quantumcumque magnum, dummodo ab eo usque ad suum objectum speciei duci possit linea recta per medium diaphanum; quia scilicèt una quæque producitur à toto objecto & ab omnibus ejus partibus actione communi. Ex. gr., dum quis uno intuitu videt hominem, non recipit in pupilla distincta species partes, quarum alia sit capitis, alia pectoris, alia manus, &c.; sed recipit speciem, extensam quidem ad mensuram pupillæ, sed cujus vel anima pars, aut punctum, simul & indivisim ex parte sui repræsentet caput, pectus, manus, &c., & ab his omnibus actione communi producatur. Ita Complutenses, Toletus, Averla, & plures Thomistæ, quos citat & sequitur Conegrum S. Th. Complut. hic l. 2. q. 5. ar. 2.

65. Communis tamen sententia Nostrorum cum P. Suar. hic l., &. 2., quibus adhærent Cavellus, Pontius, Mastrius, & alij, asserit, speciem visualem etiam objective divisibilem esse, ita ut quælibet pars objecti suam producat in solidam partem speciei, per quam repræsentetur tantum ipsamet. Proinde in quolibet puncto seu particula pupillæ, vel spatij, unde potest totum objectũ aspici, necesse est tot partes speciei cõjungi, quot sunt partes objecti aspectabiles. *Ratio* est, quia sic accidit, quando videntur uno intuitu plura objecta contigua, vel propinqua, sed non unita, v. g. cùm quis in platea simul aspicit multitudinem hominum, jumentorum, currum, &c.: ergo pariter, quando simul videntur plures partes unius objecti. *Antea* supponitur ab Adversarijs, & per se patet: quis enim fingat, homines, currus, alios concurrere per modũ unius agentis ad commodam speciem? *Confirm.* vero fundetur; quia fundamenta contrariæ sententiæ vel in utroque eventu militant, vel in neutro, ut mox constabit.

66. 2.° quia sæpe in objecto colores sunt contrarij, ut cùm pars una est alba, alia nigra: neque autem à nigro & albo, qua talibus, produci species utrique communis, sicut nec a frigido & calido, qua talibus, orari potest effectus aliquis utrique similis. Si *reponas*, species albi & nigri posse in unam coire per identitatem, quia, cùm distinguantur, non sunt contrarię, sed amicè cohærent in eodem subjecto. *Contrà* est, quòd species illæ, licet non sint contrariæ, sunt tamen à contrarijs principijs, à quibus trahere debent repugnantiam tiliem ad identitatem; sicut calor ut 4. & frigus ut 4., licet in eodem subjec-

jecto amicè cohærentes, semper tamen identitatem excludunt; alioqui fingere licebit, vim utrinsque reperiri aliquando in qualitate simplici, quæ producatur actione communi a calido & frigido simul applicatis eidem passo. Hæc ratio maximè premit Thomistas, qui ponunt identitatem realem, vel saltem univocam & specificam convenientiam inter speciem & objectum.

67 3.° quia, dum objecti pars una tegitur, perseverat in visu species alterius partis: si autem species sita representativa est totius objecti, quomodò jam non totum representat? Respondent, non eandem perseverare speciem, sed novam produci à sola objecti parte non obtectâ, cujus tantùm sit representativa; præcedentem verò perire totam ex occultatione partis objecti, à quâ pendebat ut à causâ partiali. Hoc unique consequenter dicturi sed ex eo sequitur, quòd tota mutatur species maris, occultata quavis aquæ guttulâ; quòd totius Solis, immò totius hemisphærij cœlestis variatur species, dum vel una interponitur atomus opaca; quòd ex mora Cœli continuâ, quo novæ partes indefinenter apparent supra Orizontem, & aliæ indefinenter occultantur, continua resultet productio & desitio specierum hemisphærij tectilium, & quidem in quovis puncto aëris, cùm è quolibet duci possit linea recta ad hemisphærij puncta omnia. Hæc & similia diriora sunt, quàm ut facile devorentur. 4.° quia partes objecti remotiores minùs clarè videntur, quàm propinquiores; quod non accideret, si viderentur omnes per eandem speciem, ab omnibus communi actione productam. Mitto alia, quæ alij superaddunt.

68 *Opponitur* 1.° exemplum aliorum effectuum, qui produci solent actione communi ab omnibus partibus unius agentis: lux enim in quolibet puncto aëris à toto Sole pendet; ut etiam calor à toto igne producitur in quolibet puncto patiss. 2.° quia [illegible] tectio & multitudo partium objecti efficit, ut è longinquo videatur clarius, immo ut simpliciter videatur, alias non videndum in minori mole; mons enim magnus, qui cernitur eminus, nequaquam videretur in eadem distantia, reductus ad molem palmi unius: omnes ergo partes objecti se se mutuò juvant ad emittendum communem speciem; nam, si quævis particula suam in foliidam speciem mitteret, perinde cernerentur, dum sola est, ac dum alijs conjuncta. *Urgetur*, quia quævis objecti particula sphæram activitatis habebit illimitatam, poterit que speciem mittere longius & longius sine fine, dummodò sciliçet, quò magis à visu recedit, eò pluribus adjungatur partibus, quibus ut majorem constituat molem. *Urgetur* iterum: quia magnitudo objecti, quò distantior est, eo minor apparet; quod non ita contingeret, si è quovis objecti puncto distincta emitterentur species. 3.° quia ex nostrâ sententiâ sequitur, in quovis pupillæ vel aëris puncto agglomerari & compenetrari tot partes specierum, quot sunt puncta in hemisphærio Cœli, ideli, innumeras, & propè infinitas: hoc autem non coharet cum materialitate specierum, neque cum earum similitudine specificâ; & præterea inferret nascituram inde visionem propè infinitæ claritatis. 4.° quia species, utpotè immaterialior objecto, deberet in modo representandi non imitari divisibilitatem ejus.

69 Hæc omnia planè instantur ex 1.°, nostrâ probatione. *Ad* 1. disparitas est: quia lucis & caloris nulla est pars, quæ non indifferenter contineatur in qualibet parte Solis aut ignis: at species productibilis à parte A., non continetur in parte B., licèt homogenea; quia determinata instituta est ad representandam partem A. præ alijs, ideòque intra gradum individualem communiter ponitur intra genus [illegible]

major inter species producibiles à duobus objectis omninò similibus, quâ inter producibiles ab eodem objecto individuo, nimirum propter intrinsecum respectum ad talem individuam causam, à quâ procedunt: immò fortasis heterogeneitatem aliquam contrahunt ex diversâ lineâ, quâ mittuntur; cùm inde habeant repræsentare objectum in diverso loco. Et argumentum probat contra Adversarios, objecta plura, tametsi non unita, posse concurrere ad communem speciem; sicut lucernæ plures actione communi concurrunt ad lumen aut calorem æris. Est etiam pro nobis, quando partes in objecto sunt coloris contrarij; tunc enim nulla erit ab ipsis actio communis, sicuti nulla est à partibus agentis calidâ & frigidâ, quâ talibus.

70 *Ad* 2. clara est instantia in aggregato plurium objectorum, v. g. in exercitu procul viso, cujus molem constituunt homines, equi, currus, arma: pariter enim multitudo major conducit, ut videatur clarius, immò ut simpliciter videatur ex distantiâ, ex quâ nullatenùs videretur minor numerus, aut unus homo. Magnitudo etiam exercitûs, quò distantior est, eò minor apparet: & homo quilibet illimitatam quòque sphæram activitatis habebit in esse objecti; quia, quantumcùmque à visu recedat, semper speciem mittet, dummodò pluribus alijs aggregetur, sive hominibus, sive saxis, &c.. Dicendum igitur, quòd nulla species visualis potentiam solà determinat, nisi oriatur à mole objecti proportionatâ, quæ moles eò grandior esse debet, quò major est distantia: cùm autem moles est minor debitâ, tunc species, ut potentiam determinet, indiget consortio aliarum specierum ab alijs objectis, contiguis, aut contiguis, prodeuntium, simulque potentiam determinantium ad visionem totius molis, aut aggregati resultantis: unde hujusmodi species sibi invicem sunt conditiones ad operandum; & quò plures in visu conjunguntur, visio est clarior, non intensivè, sed extensivè.

71 Porrò quælibet exigua moles speciem suam (licèt non ubique aptam ad visionem sine consortio aliarum) ad longissimam distantiam mittit, non tamen ad illimitatam, quantùmvis adjungatur alijs & alijs partibus: moles enim quantumcùmque magna, vel etiâ infinita, non videretur ab oculo infinitè distante. Nec sanè minùs apparet absurdum, quòd particula quævis, prout est partialiter activa speciei communis, infinitam habeat sphæram activitatis. *Dices*: infinitæ moli responderet sphæra infinita. *Dist.*: si partes ejus omnes per modum unius agerent, *transeat*; si suam quæque mitteret speciem, *neg.* Iterùm *dices*: quò magis crescit moles, eò longiùs mittit speciem: ergo ad infinitam distantiam mitteret, si cresceret in infinitum. *Neg. Antec.*; quia incrementum molis non efficit, ut species exiguæ particulæ longiùs procedat, sed ut reddatur aptior ex consortio aliarum ad excitandum potentiam visivam. Cur autem objecti magnitudo minor appareat in majore distantiâ? non magis nobis, quàm Adversarijs explicare incumbit; cùm ad hoc nihil referat concursus omnium partium ad communem speciem. Perspectivi recurrunt ad formam pyramidis, quâ procedunt species ab objecto ad visum, & quę angulum efficit eò acutiorem, quò longiùs projicitur. Sed magis philosophicus est recursus ad cõditionem specierum, quæ, dum nimis ab objecto recedunt, debiliores fiunt, & adeò imperfectè repræsentant objecti molem, ut imaginatio non illam æstimet pro meritis. Vid. P. Suar. cit. l. 3. c. 17.

72 *Ad* 3.: illa tot specierum compenetratio admittenda est Adversarijs pro eventu, in quo inter puncta omnia, seu particulas Cœli, nulla esset unio,

unio, sed mera contiguitas, aut propinquitas: illa item non est magis absurda, quàm quæ ab omnibus admittitur in memoriâ. Materialitas autem solùm impedit penetrationē inter habentia quantitates distinctas; alioquin nec forma substantialis, nec accidentia corporea penetrarentur cum materiâ. Nec ex capite materialitatis major est difficultas in penetratione qualitatum duarum, quàm millie. Quòd verò accidentia specificè similia non cohæreant in eodem subjecto, ut Thomistæ volunt, negandum est de ijs saltem, in quibus peculiaris aliqua invenitur heterogeneitas præter ordinariam individualem, ut reipsà invenitur in speciebus objectorum, etiam omninò similium, ex n. 69. Negandum pariter, quòd ex illo totspecierum cumulo nascatur visio supra modum clara, quasi totidem gradus claritatis intensivæ participet: non enim illæ species efficiunt, ut objectum videatur intensivè clarius, sed ut videatur magis extensum, vel quoad plures partes: ideòque, dum objectę charte dimidium tegitur, non minùs clarè cernitur portio altera, quàmvis jam specierum dimidia pars desit.

73 *Ad 4.*: species, de quā est sermo, non aliter est immaterialior objecto, nisi quatenùs est insensibilior; non enim est sensibilis, nisi *ut quo*, ex dictis n. 61. & 62. Hinc tamen non evadit indivisibilior: quinimò divisibilis est ex pluribus capitibus, quàm objectum. Nam species albedinis v. g., divisibilis est 1. ex parte subjecti, cui coexcenditur. 2. ex parte objecti, quatenùs extensi, cujus partes repræsentat per totidem sui partes, coacervatas in quolibet subjecti puncto, ex quo cerni potest totum objectum. 3. ex parte objecti, quatenùs intensi; quia singulis gradibus intensionis albedinis distincta correspondet pars speciei. 4. ex parte intensionis quæ speciei ipsius propria est (hanc alij non propriè gradualem, sed purè virtualem esse volunt), & quę non est metienda ex intensione objecti, cùm possit de albedine intensā dari species remissa, & è converso; sed sumi debet ex incremento graduali uniuscujusque partis, quæ in specie respondet unicuique gradui albedinis, ita scilicet, ut quæ respondet gradui albedinis quarto v. g., fiat intensior ad illū eumdem gradum repræsentandum, & sic de reliquis. 5. ex conjunctione speciei reflexæ cum directā, ut accidit dum quis se ipsum intuetur in speculo; tunc enim in aëre interjecto conjunguntur simul species directa & reflexa, quarum quælibet tum ab alterā, tum in se ipsā divisibilis est ex quatuor capitibus modò enumeratis.

74 Notandum hic, quòd plures species, vel partes speciei, quæ repræsentant plures partes unius objecti, etiam homogeneas, non faciunt intensionem, tametsi recipiantur in eodem subjecto; quia non ordinantur, ut idem objectum secundùm idem videatur intensiùs, sed ut plures ejus partes appareant: quod pariter censendum, etiamsi partes objecti sint intensivæ, v. g. plures gradus intensę albedinis; quin ne eum quidem intensionem faciunt partes speciei, gradibus hisce respondentes, nisi gradualiter crescat unaquæque circa illū albedinis gradum, à quo provenit), cùm possit albedo intensa repręsentari remissè, ut nuper aiebam. Unde inferes, hujusmodi partes speciei memoratas, licèt uniātur eidem subjecto, non immediatè uniri inter se, quamvis multi contrarium supponant. Ratio est, quia mutua unio immediata, siquidem intensionem haud constituit, videtur inutilis: nec requiritur ad repręsentandum partis objecti unitas; nam partes illę eatenùs repræsentantur unitæ, quatenùs inter eas nullum apparet intervallum; eodemque modo cernerentur sublatā unione continuativā, si permanerent in eodem situ: idcirco series montium, ex magnā distantiā non percipiuntur inter-

tervallis, perinde cernitur, ac si esset ejusdem montis continuatio.

71 Itaque multitudo illa specierum, in eadem subjecti parte existens, solùm videri poterit una species unitate aggregationis, & ordinis ad objectum unum, vel etiam propter unionem mediatam ratione subjecti: quod pariter dictum esto de speciebus directâ & reflexâ ejusdem objecti. Si dicas, per plures species reddi subjectum magis immutatum; non extensivè; ergo intensivè. *Responsionem* invenies dup. 3. de Gener. n. 60. in re non absimili. Monaco tamen, partes speciei subjecto coextensas, dummodò sint ab eâdem objecti parte, inter se continuari juxta cōtinuitatem subjecti. Denique observa, quidquid hactenùs dictum est de divisibilitate speciei, consequenter dicendum esse de divisibilitate visionis, quàmvis aliqui disparitatem obtendant: undeenatus ille, quo simul cernitur mons ingens, multis constat partibus non nisi mediatè unitis, perinde ac dum cernitur exercitus, aut acervus plurium objectorum. In his, fateor, non parum est obscuritatis: sed ita fert natura specierum in plerisque aliis.

*De Speciei visualis diffusione per medium.*

72 *Ad 4. object.* n. 7.: objectum visibile diffundit utique species per medium; ideòque enim dispositio medij mediata conferet ad visionem variandā. Cum hoc tamen cohæret, quod species receptæ in visu non solùm pendeat à receptis in medio, sed etiam immediatè ab objecto ipso, juxta doctrinā in Physica dictam t. 1. c. 3. in *assert.* 5. quæ ideò contra diffusionem specierum objiciebantur, non multùm urgent. *Ad 1.* species, licet dispositio necessaria ad visionem, non est tamen *dispositio ultima*, si hoc nomine intelligatur illa, quæ naturaliter cum toto connectitur, licet quā ponā, non alia desideratur dispositio: nam præter speciem desideratur ad videndum certa organi temperatura, & spirituum accursus per nervos opticos; ideòque his obstructis, etiamsi species in oculo recipiatur, nulla fit visio. Dispositio autem non ultima sæpe recipitur in subjecto aliàs inepto ad formam, v. g. in chalybe vel in auro venenens calor, qui de se dispositio est ad formam ignis. Dici præterea poterit, species productas in medio non esse ejusdem rationis cum productis in visu, nec ad visionem disponere, nisi mediatè, & activè, quatenùs instrumentaliter concurrunt cum objecto ad perfectiores alias, in visu producendas. Sæpè enim à causâ per medium agente producitur in passo distante melius dispositio perfectior effectus, ac diversæ rationis, ut vidimus cit. loc. Physicæ.

73 Hinc *ad 2.* species receptam aëre, si est diversæ rationis, solùm habet pro effectu formali denominationem *potentiæ activæ concurrere* ad speciē in visu recipiendam; & hunc effectum utique præstat aëri. Sed, etiamsi ejusdē rationis sit, non ideò proprius ejus effectus formalis erit denominatio *completi*, seu *determinati ad videndum*, cùm species non sit per se solùm ultima dispositio, ut nuper vidimus: solùm ergo proprium ipsius erit denominare subjectum *mediatè vel immediatè conducens ad visionem*; cujus denominationis capax est aër. Quatenus autem species possunt virtutem illam explicare, vide suprà disp. 1. n. 54. *ad 3. conc. sequel.*, nempe quòd objectum sphæricè seu circumquaque diffundat species, quàmvis à nemine aspiciatur, dummodò aptum inveniat medium, quemadmodùm Sol, & quo lvis luminosum, etiam aspiciente nemine, sphæricè diffundit lucem; cujus tamen usus & finis est corpora reddere aliis conspicabilia: &, sicut profusio ista lucis non censetur inutile dispendium, ita &c.

74 Porrò naturalis inclinatio

ro-

rerum ad essum laudam speciem sui, non ineptè reduci potest ad quandam sensitivis autem gratuitam naturale tributum, ex beneficio creationis debitū: hinc enim innatè exigunt Authoris sui perfectionem & bonitatem ostendere, cooperarique pro viribus ad ipsius honorem, & gloriam extrinsecam, in eo consistentem, quòd Deus à creaturis rationalibus cognoscatur, atque laudetur. Cùmque Dei cognitio, ex creaturis visibilibus habita, cognitionem earumdem importet, aut supponat, ideircò res visibiles innatè appetunt cooperari ad cognitionem sui, ut ex ipsa Divinus Opifex innotescat. Propterea ergo speciem indesinenter effundunt in orbem, ut, si forté occurrat visus humanus, quacúmque occurrat, parata inveniat instrumenta videndi, & consequenter intelligendi tum res visibiles, tum Deum ipsum. Quò pertinet illud Regij Vatis, *Cœli enarrant gloriam Dei, &c.*

79 Cùm autem colori negatur activitas, formo est de activitate naivocâ, vel in ordine ad effectus pure physicos, qui non spectant ad lineâ intentionalem. In ordine tamé ad species, nulla est sensibilis qualitas non activa. Nec verum est, quòd species fit nobilior colore: potiùs enim est ignobilior; & quæ ipsi attribuitur major immaterialitas, aut minor crassities, nihil est aliud, quàm major entitatis exilitas, aut tenuitas, vi cujus non potest sensu percipi *ut quod*, ut suprà monuimus. Concurrit quidem species ad visionem colore perfectiorem, sed concurrit instrumentaliter, nec vitalitatem participat. Thomistæ dicunt, objectum corporeum esse productivum specierū ex participatione virtutis cœlestis: sed hoc esse capu difficile, beatè offendit P. Suar. hic l. 3. c. 9.

*An species sit objecti repræsentatio formalis?*

80 *Ad 5. object.* n. 7.: species non sunt objectorum similitudines per naturalem imitationem univocam, sed solùm per quamdam participationem analogicam: unde possunt in suo esse naturali dedicere contrarietatem objectorum, cohærereque proinde in eodem subjecto species albi & nigri, & aliæ à contrarijs emissæ. Suppono cum communi sententiâ, nullam esse contrarietatem inter species: quamquam aliter sentit P. Quiros hic disp. 31. n. 13. *Ad Confirm.* omninò negandum, quòd species sit objecti similitudo formalis in essendo, seu per convenientiam specificam entitatum, qualiter filius Petri est similitudo & imago Petri, vel qualiter picta imago est similitudo prototypi, participando scilicet figuram & colores entitativè similes. Ut summùm ergo species esse potest objecti similitudo in repræsentando, sive intentionaliter; quo sensu sine contrarietate cohærent in eodem subjecto similitudines contrariorum, ut patet in visionibus ipsis repræsentantibus album & nigrum.

81 Sed hinc oritur quæstio inter Peripateticos, utrùm species sit objecti repræsentatio formalis? an purè virtualis, aut effectiva? Primum tenent Thomistæ, quibus placet, ut species, tam sensibilis, quàm intelligibilis, formaliter repræsentet objectum, ideòst, ut illud per se ipsam intentionaliter manifestet, non secùs ac actualis cognitio, licèt minùs expressè, minùsve clarè. Secundum verò tenent communiter Nostri cum P. Suar. cit. l. 3. c. 2. à n. 20., item Aversa, Mastrius, & alij: qui omnes volunt, ut species quælibet non alia ratione dicatur objecti repræsentatio, vel similitudo intentionalis, nisi quia est virtus effectiva repræsentationis formalis, ideòst, cognitionis se ipsâ manifestantis objectum; quemadmodùm Solaris radius, licet non sit propriè calor, nec formaliter

calidus, dicitur tamen calor virtualis, & calidus absolutè, propter vim efficiendi calorem formalem.

82 Hæc secunda sententia, quæ verior est, *probatur* 1. ex analogia feminis, cui non convenit formaliter organizatio, nec anima prolis, aut parentis, sed tantum virtualiter: cùm ergo species dicatur semen objecti, non debet formaliter exprimere lineamenta ipsius, sed tantùm virtualiter in sensu exposito. 2. : quia confunderetur alioqui species impressa cum expressâ, seu cum cognitione; vel saltem superflua redderetur cognitio; nam potentia cognoscitiva per speciè expressam fieret formaliter similis, seu intentionaliter conformis objecto, adeòque finem ulteriori actu suum obtineret finem, qui in hujusmodi similitudine seu conformitate consistit.

83 *Respondent*, speciem à cognitione differre 1., quia minùs expressa similitudo est: 2., quia non reddit potentiam objecto similem in actu, sed in habitu: 3., quia non habetur vitaliter. *Sed* hæc non satisfaciunt. *Non* 1.: quia major, & minor expressio intentionalis comprehenditur sub lineam cognitionis; sicut major, & minor claritas physica, sub lineam lucis. *Non* 2.: quia, si tò *in habitu* idem sonet, ac *permanenter*, non facis hinc differre species à cognitione; nam cognitio Divina permanens est, & cognitio Angeli de semetipso, & quam habent damnati de amissâ beatitudine, ac de pœnâ præsente. Si verò significet, potentiam vi solius speciei non esse actualiter similem objecto, esse tamen aptam & pronam ad similitudinem adquirendam (qualiter dicitur mendax in habitu, non in actu, qui pronus est ad mentiendum, licèt actualiter non mentiatur); planè sequitur, quòd species non est similitudo formalis; nam alioqui non posset non in genere formalis causæ reddere potentiam actualiter similem, quamdiù in ipsâ existeret; sicut eam actualiter similem, reddit cognitio, quamdiù in ipsâ durat, etiamsi duret in æternum.

84 *Non* 1.: tum quia, si potentia pro priori ad actum vitalem jam obtinet finem tali actu quærendum, utquid operabitur vitaliter? Tum etiam, quia non est cur Thomistæ vitalitatem denegent speciei saltem intelligibili, cùm hæc producatur à potentiâ vitali, nempe ab intellectu agente, & in potentiâ vitali recipiatur, nempe in intellectu possibili. Quod præcipuè urgetur in quavis speciè memorativè de actu intelligèdi præhabito: illa quippe oritur à principio proximo vitali, nempe ab intellectione: recipitur quóque in eâdem potentiâ, in quâ intellectio ipsa: quare vitaliter produci debet eodem, vel potiori jure, quâ actus proveniens ab habitu supernaturali, tamquam à totâ ratione agendi juxta Thomistas. Quid ergo illi deest, ut sit intellectio, si aliunde formalis est repræsentatio objecti?

85 Ut objectiones præcaveam, noto sequentia. 1.: cùm species vocatur imago, similitudo, repræsentatio, character, pictura, simulacrum objecti, nomina hæc accipienda sunt in sensu causali, seu virtuali, ut cum radius luminis vocatur calidus, ardens, igneus; atque ita intelligi debent antiqui Doctores, dum ijs utuntur (nisi forte loquantur de speciè expressâ, quod non rarò accidit); ut hoc pacto locum habeat nomen feminis, quo pariter uti solent. In eodem sensu virtuali dicitur, per speciem perfici potentiam in lineâ repræsentativâ, & cum potentiâ uniri objectum in esse repræsentativo: sumitur enim *esse repræsentativum*, prout in femine; quâ ratione terra fœcundari dicitur in esse vegetativo, ac fructifero, dum accipit semina, quamvis hæc non nisi virtualiter habeant vitam vegetativam, & fructificam. Quare species potentiam perficit *formaliter*, ideò, in genere causæ formalis, seu per modum formæ potentiæ

tentiam informantis; non tamen perficit ut repræsentatio formalis, sed ut formæ repræsentationis effectrix.

86 2. nomen *species* non ideò tribuendum est potentiæ, vel principio cuilibet repræsentationis effectivo: quia nomen istud peculiariter denotat virtutem, quæ ab objecto ducit originem, & potentiam complet in esse potentiæ repræsentare objectum hoc præ illo. Sic non omnis causa concurrens ad productionem segetum, vocatur *semen*; aliter nomen hoc tribueretur etiam virtuti Solis, aut Lanæ. 3.: species nihilominùs dici potest intentionalis, & ad lineam intentionalem pertinens, & quidem formaliter, ideſt, propriè, ac ratione suî: quia linea intentionalis non solùm comprehendit cognitionem, aut repræsentationem formalem, sed etiam virtutem, quæ tota propter cognitionem instituta est, nec alium habet effectum, aut munus physicum. Tandem (ut simul occurram objectioni additæ n. 8.) species verè est objecti signum instrumentale respectu intellectûs, à quo immediatè & quidditativè cognoscatur, qualis est intellectus Angelicus, non verò humanus, quamdiu est in corpore; nam pro hoc statu solùm mediatè, seu illativè, & ab effectu cognoscimus species, quia nec eas exercitè experimur, sicut cognitiones (ex quo etiam colligitur non esse repræsentationes formales), nec de ipsis habemus propria phantasmata. Potest etiam species appellari signum formale cum addito *in actu primo*, quatenùs potentiam reddit secundam cognitionis, cui propriè & sine addito convenit ratio signi formalis.

### *De causis Specierum in Sensu interno, & intellectu.*

87 *Ad ult. object.* n. 8. in fine, quæ licèm movet de causis specierum, supponendum ex n. 76., species sensuum exteriorum produci ab objectis, non per solam virtutem in medio diffusam, sed simul per propriam ipsorum entitatem, tametsi longè dissitam: hinc enim provenit, quòd vitrus, interpositâ manu, non recipiat speciem Solis, quâvis hujus species in aëre diffusæ perseverent ad latera; quia nimirùm species collaterales nequeunt agere in vitrum sine concursu Solis, & hic, interruptâ per manum lineâ rectâ, concurrere non valet. Sed dubium superest de speciebus ad internum sensum spectantibus. P. Suar. cit. l. 3. c. 9. duos proponit opinandi modos. 1., quòd species illæ producantur à sensationibus externis. 2., quòd efficiantur à sensu ipso interno, sic tamen, ut externa sensio prærequiratur tamquam necessaria conditio. Et utrumque judicat probabilem, licèt in secundum magis inclinet.

88 Hunc tamen secundum deserere nos cogit consequentia doctrinæ: ex eo enim sequitur, quòd potentia interna contineat eminenter, vel virtualiter adæquatè, similitudines omnium objectorum, quæ potest assingere: cum hoc autem cohærere nequit ulla unica vel potissima specierum probatio à priori, de quâ suprà n. 17. 20. & 21. Accedit, quòd species nullâ ratione dici potest semen objecti, si ab ipso nec immediatè, nec mediatè oriatur per veram efficientiam. Quapropter tenendus est prior ille modus, quem approbant communiter Authores nostri, & plures etiâ Thomistæ, & Scotistæ; addendo tamen concursum specierum externis sensorijs impressarum, ut hæ simul cum sensationibus externis constituant adæquatam causam specierum interni sensûs. Fortasis etiam adjungitur concursus objecti per *suam ipsius* entitatem, quæ, licèt sæpe distet, satis applicatur per virtutem in medio diffusam. Ratio istorum est; quia in his omnibus invenitur sufficiens proportio & applicatio ad influendum; nec quidquam obstat, quod non facilè solvi possit. Hæ tamen cau-

se, cùm à cerebro dicant, operari debent per medium, propagando scilicet species per nervos sensorios, quorum interventu cum cerebro communicant sensus externi, vel etiam per spiritus animales, qui ad eosdem nervos confluunt.

89. Notandum verò est, quòd species interno sensui destinatæ, sunt diversæ rationis à speciebus externis: tum quia destinantur ad cognitiones valde diversas: tum quia non pendent in conservari à præsentiâ objecti, vel à causâ primò productivâ: tum quia, si essent ejusdem rationis, species objecti doloriferi, quæ à vulnerato pede mittuntur ad cerebrum, dolorem causarent in toto interno tractu nervorum ad caput usque, cùm in eo tractu sensum inveniant tactivum, & doloris capacem; hoc autem est contra experientiam. Notandum item, quòd eædem species sunt etiam perfectiores externis; quia destinantur ad potentiam & actus ex genere suo nobiliores. Et hinc provenit, quòd internæ species produci negarât à solis speciebus exteriorum sêsuum, quidquid aliqui Thomistæ dicant; nulla quippe virtus efficere sola potuit effectum perfectiorem, etiamsi dicatur operari nomine causæ principalis, ut in Physicâ ostendimus. Notandum denique, quòd interna sensio nec producit speciem sui in phantasiâ, vel in memoriâ sensitivâ, si vera sit sententia negantium internos sensus vim reflectendi supra proprios actus, de qua disp. præced. n. 149. non tamen idcirco infœcunda manet sensio ista; cùm concurrat ad speciem intelligibilem, ut jam dicam.

90. De causis specierum intelligibilium etiam inter Auctores dissentio: non quidem quantum ad reflexas, aut experimentales, quibus intellectus nemini de cognoscibilis; has enim constat produci ab actibus intelligendi, quamvis ipsi non perdurent in conservari: sed solum quantum ad species directas, seu coadjuvantes ad primos actus circa objecta externa. Aliqui negant species ejusmodi, ut vidimus cap. præced. quare de causis earum non sunt solliciti; nec admittunt intellectum agentem ullo modo distinctum à possibili, seu immanenter activo intellectione. Communis in omni Scholâ sententia ponit in parte intellectivâ facultates duas spirituales, vel re, vel saltem munere distinctas: quarum altera dicitur efficere species, vocaturque *intellectus agens*: altera recipit eadem, & ope ipsarum intelligit objecta, nominatur que *intellectus possibilis*, eo quòd ex se sit possibiliter omnia, seu potens in omnia transformari quotamcumodò, recipiendo scilicet rerum omnium similitudines intentionales, tum virtuales, tum formales, aut expressas; nominatur quóque *intellectus passibilis*, aut *passivus*; quia, licet sit activus cognitionum, prius tamen, quam agat, debet pati, seu recipere speciem, ac deinde cognitionem ipsam non solùm agit, sed patitur.

91. In parte sensitivâ non est necessaria similis facultatum distinctio, nec ponitur communiter *sensus agens*, pro speciebus efficiendis, quia pro his aliunde suppetit causa sufficiens, ex n. 88. At pro speciebus spiritualibus causa spiritualis assignari debet; nec alia invenitur aptior, quàm intellectus agens. Quidam opinantur, sufficere posse phantasma; quia materialitatem compensat vitalitate intentionali, vi cujus absolute superat speciem non vitalem, tametsi spiritualem. Sed hoc omninò displicet; quia proràs abhorret à communi sensu, quòd possit effectus spiritualis adequatè vel principaliter produci à re materiali: & alioquin spiritualitas animæ humanæ non satis colligeretur ex productione actuum spiritualium; pariter quippe liceret dicere, materialitatem animæ compensari substantialitate, qua redditur accidentibus

denti spirituali superiori.

92 Quia tamen intellectus agens non efficit speciem, nisi adsit phantasma, seu cognitio phantasiæ; quæritur hîc, qualiter a phantasmate juvetur? P. Suarez hîc lib. 4. c. 2. nonnullos Thomistas allegans, censet, speciem spiritualem effici a solo intellectu agente, nec phantasma concurrere nisi pure determinando per modum conditionis, vel quasi exemplar præsendo intellectui. Subscribunt PP. Tellez, Compton, & pauci alij. Sententia tamen communis inter Thomistas, Scotistas, & Nostros, docet, phantasma efficienter concurrere cum intellectu agente ad speciem spiritualem more causæ partialis, & instrumentalis. Et hæc eadem nobis tenenda est: quia, si solus intellectus virtualiter contineret species, sequerentur incommoda, quæ in limili objecimus n. 88.

93 Quibus addes 1., quod alioqui superfluæ forent in intellectu species: non enim requiruntur ut proprietates, neque aliter ad finem, quam ut spiritualiter compleant virtutem intellectûs ad cognoscendum: ad hoc autem cur non sufficiat per se immediate ipse intellectus agens, siquidem virtualiter adæquate coarctet totam vim ac perfectionem speciesum? cur non ad præsentiam phantasmatis immediate impendatur in cognitionem illa virtus intellectualis, quam tradicis in species impendi? Adde 2., quòd intellectio in sententiâ oppositâ nec immediatè, nec mediatè oriatur ab objecto; nequit enim oriri, nisi medio phantasmate; & huic negatur verus influxus: quomodò ergo verificabitur illud, *ab objecto & potentia penitus moriris?* vel quomodo intellectio erit imago objecti, quandoquidem ratio imaginis importat originem à prototypo, ut docet cum D. Augustino D. Thomas 1. p. q. 35. ar. 1. Accedit 3., quod nec appareat, quatenus phantasma possit esse speciei exemplar cùm species, utpotè non præcognita, non procedat ex intentione illud imitandi. Adde 4., quòd unicum vel præcipuum contrariæ sententiæ fundamentum, nempe quod effectus spiritualis produci nequit a virtute corporeâ, probat quidem de virtute adæquatâ, & principali, secùs verò de inadæquatâ, & instrumentali; nam virtus hujusmodi, sicut convenit speciei non vitali respectu cognitionis virtus, & accidentis respectu substantiæ, pariter &c.

94 Certè phantasma debet præsens adesse prioritate ad speciem intelligibilem, cum ea quæ proportionem habet inesse imaginis & repræsentationis objecti; immò in hac ratione phantasma est perfectius, cùm sit representatio formalis, species verò solùm virtualis: est etiam quodammodò mensura perfectionis speciei; hæc enim eò perfectior elicitur, quò vividior est actus phantasiæ. Adiunt ergo manifestæ virtutis activæ indicia physica. Neque hanc sententiam alienam crediderim à mente Suarij nostri, qui, sicut de concursu accidentis in substantiam, quem juvenis in Opere de Anim. negaverat, aliter sensit disp. 18. Met. s. 2. 4. ita & tunc aliter sensisse credendus est de concursu phantasmatis, cujus ibidem n. 102. hac improbatione meminit.

95 Ex dictis colliges, species intelligibiles, licèt præcipuè ab intellectu prodeantur, non incongruè vocari femina objectorum potius, quàm intellectûs agentis: duo quippe requiruntur ad rationem seminis, nempe & origo à parente, & vis producendi similitudinem ipsius: & utrumque convenit speciei respectu objecti, cùm non nisi præsentia non conveniat respectu intellectûs. Sufficit autem ad appellationem seminis (in præsentiarum analogicam) origo mediata, per multorum etiam mediorum seriem, qualis intervenit inter speciem intelligibilem & objectum externum; nam ab objecto visibili [illegible]

immediatè producitur species visualis, quæ speciem visionem causat, visio speciem intentionalem, hæc actum phantasiæ, hic spiritualem speciem. Sufficit etiam, quod species oriatur ab objecto, prout eminenter contento in primâ Causâ: nulla species objecti creati, à solo Deo ipsâ, vicaria est objecti, & quodammodò semen ejus; quia producitur à Deo prout eminenter continente objectum non solùm physicè, sed intentionaliter, seu in ideâ, vel cognitione infinitâ. Dum verò dicitur, speciem solùm repræsentare illud, à quo producitur, intelligendum est de producente, quod suam ipsius intendit similitudinem, seu quod non ideò præcisè agit, ne alterius defectum suppleat.

96 Denique species dicitur se tenere, non ex parte potentiæ, sed ex parte objecti; quia, licèt revera potentiam informet, perficiat, & compleat in esse proximè cognoscitivè, non est tamen aliquid potentiæ in esse talis, id est, in esse proprietatis ab animâ radicatæ, sed aliunde supervenit tamquàm subsidium ab objecto præstitum: vel etiam quia, cùm potentia & objectum ad cognitionem cooperari debeant tàquam agentia duo, species non est ea virtus, quam pro parte suâ confert potentia, sed ea, quę pro parte objecti expectatur. Et hæc sufficiant de doctrinâ *specierum*, tritâ quidem, & passim ab omnibus ferè suppositâ, sed obscurâ semper, ac perdifficili. Plures hîc disputant, an sit possibilis species impressa Dei ad intuitivè videndi, vel cognoscendi, prout est in se? Sed quæstio hæc spectat ad Theologos, à quibus fusè discutietur. Interim videri poterit Exim. Doctor disp. 30. *Metaph.* l. 11. à n. 27.

## CAP. IV.

### *QUID SIT, ET QUIBUS POTENTIIS conveniat Habitus adquisitus.*

97 NOmen *habitus* varios habet significationes, de quibus P. Suar. disp. 42. Met. s. 3.. In præsenti sumitur pro qualitate quâdam, quæ potentiæ vitali supervenit, & permanenter inhæret, ut ipsam in operando adjuvet. Alius est habitus *per se infusus*, alius *adquisitus*. Per se infusus ille est qui per se à solo Deo producitur, & potentiam elevat ad actus, quos ipsa propriæ naturæ viribus assequi non valet, v.g. habitus Fidei, Charitatis, &c.: hic dicitur dare *simpliciter posse*; quia potentia sine illo non est potens simpliciter ad actus, quos cum illo producit. Adquisitus est ille, qui repetitione actuum adquiritur, reddítque potentiam promptam ac facilem ad similes actus eliciendos: hic dicitur dare tantummodò *facilè posse*; quia solùm præstat potentiæ, ut propensiùs, & minore conatu eliciat illos actus, quos aliàs sine habitu potest elicere. Habitus per se adquisitus, seu per se aptus adquiri repetitione actuum, potest esse *per accidens infusus*, si nimirùm à solo Deo infundatur potentiæ, priusquàm hæc in ejus adquisitione laboret. Tractatio de habitu adquisito præsentis instituti est propria; nam per se infusus ad Theologos spectat.

98 Non omnis facilitas operandi est habitus: nam Deo sine habitu convenit summa in operando facilitas: ignis etiam sine habitu facillimè comburit stupam, aut pyrium pulverem. Habitus igitur est facilitas, non à naturâ indita, sed usu comparata: nec item est facilitas cum occasione transiens, sed permanenter habita: non enim dicitur operari ex habitu, nisi qui consuetudine sic proclivis evasit ad operandum, ut non facilè proclivitatè amittat. Hinc habitus ab Aristot. dicitur *qualitas difficilè mobilis à subjecto*. Hinc etiam inveterata consuetudo dicitur *altera natura*, nimirùm propter permanentiam, & quia sæpe mutat constanter inclinationem naturalem; ut is, qui naturâ pronus erat ad iram v. g., ex habitu seu con-

consuetudine se reprimendi constanter mansuetus evadat. Hujusmodi facilitatem crebrâ repetitione actuum tàm comparari, notum est experientiâ in virtutibus, vitijs, artibus, &c. Nonnulli tamen opinati sunt, eam non esse quid positivum, sed in merâ impedimentorum ablatione consistere, vel saltem nihil afferre præter quamdam moderationem, aut meliorationem temperamenti naturalis.

99 Sed, licèt hoc verum sit in nonnullis potentijs, de quibus posteà; quòd tamen generatim procedat in omni habitu, falsum est, & communiter improbatum: quia in voluntate & intellectu nulla fingi potest impedimentorum ablatio permanens, & ab omni positivo distincta, præsertim quando statim post unum rationis motum habitus adquiritur: nulla item variatio temperamenti, quod in his potentijs, utpotè inorganicis, nullum est. Nec dicas earum facilitatem pendere à mutato temperamento phantasiæ, & appetitûs sensitivi. Nam, ut alia omittam, si contingat in cerebro meliorato aliqua temperamenti pro actibus imaginandi & appetendi, ea non limitato ad certam speciem actuum, aut objectorum, sicut habitum limitari experimur: vel, si velis ut limitetur, diversa temperamenti proportio necessaria erit pro diversis actibus & objectis: unde, sicut non coharent in eodem subjecto diversæ humorum seu qualitatum primarum proportiones, ita non coherebunt diversi habitus, nec poterit quis possidere simul habitus Logicæ, Rhetoricæ, Justitiæ, Fortitudinis, &c.; quod planè repugnat experientiæ. Admittenda est igitur, saltem pro actibus intelligendi & volendi, specialis positiva qualitas, à temperamento distincta, quæ propriè & philosophicè sit habitus.

100 Hujus qualitatis duplex est munus: alterum, reddere potentiam in actu primo facilem, id est, magis propensam & inclinatam, quàm alias esset, ad operandum: alterum, efficere ut potentia sit facilis in actu secundo, idest, ut operetur cum minore conatu, minúsque laboriose, quàm dum caret habitu. Primum præstat habitus in genere causæ formalis: secundum in genere causæ efficientis, vel physicæ, vel moralis, de quo postea. Utrumque nobis per experientiam innotescit, præsertim in habitibus voluntatis. Primum tamen aliquibus apparet captu difficile. 1.° quia, si habitus ut causa formalis inclinaret potentiam, semper aut indesinenter inclinaret, quamdiù illam informat: semper ergo sentiretur inclinatio illa; quod tamen contra experientiam est. 2.° quia voluntas, utpotè ratione sua potentia, moveri nequit impulsu pure physico, sed solo rationali stante in cognitione objecti: si autem habitus per se inclinat, erit quidam voluntatis impulsus pure physicus. 3.° quia talis inclinatio habitûs in objectum, præcedit cognitionem: ergo voluntas per talem inclinationem tendet in incognitum.

101 Sed verò munus illud habitûs, passim ab Auctoribus indubitanter agnoscitur, aut supponitur, nominatim à D. Suar. disp. 4. Met. s. 5. n. 2.; colligiturque, quod habitus fit ab actibus, & propter actus, in quos proinde inclinare debet innatus: nec aliter vulgo concipitur effectus consuetudinis (qui est habitus), nisi ut quædam specialis propensio, permanenter inducta, quâ proclives reddimur ad certum aliquem operandi modum, etiam cùm ab illo abstinemus. Propensio illa est innata, non elicita, idest, non consistit in affectione vitali ex habitu resultante, sed in habitu ipso: subordinatur tamen voluntari quoad connexionem cum actu efficaci; quia potest à voluntate liberè cohiberi actus, licèt nò sine aliqua violentiâ habitûs (de quo). Quæstio nò ineptè explicat ex ratio causæ necessariæ,

v. g. ignis, cujus inclinatio & cônexio cũ operatione subordinatur libertati Divinæ. Nihilominùs, si habitus sit intensior, poterit voluntatem determinare ad complacentiam ad quam indeliberatam, statim ac apprehenditur objectum; quamvis ad actus efficaces non innatum progredi.

102 Difficultates objectæ facilè solvuntur. *Ad 1.*, missis aliorum responsionibus, *contr. Antec.* de inclinatione innatâ, quæ identificatur cum habitu: sed *neg. Consequ.* quia inclinatio innata non sentitur, seu non experimentaliter cognoscitur, nisi causet elicitam; nunc autem sentitur, non in se, sed in effectu suo. Interdùm appetitus elicitus vocatur innatus, ideſt, sponte proveniens à naturâ, v. g. appetitus beatitudinis: sed nunc loquimur de inclinatione innatâ, prout ab omni appetitu elicito distinctâ. Inclinatio ergo, quam sæpe voluntas habituata sentit, elicita est, consistitque in illâ complacentiâ indeliberatâ, de quâ nuper. Et ea quidem ab habitu provenit, non tamen ut à causâ formali, sed ut ab efficiente physicè, vel moraliter, præquirendo apprehensionem objecti: & quia hæc apprehensio non semper excitatur, ideò non semper inclinatio illa sentitur. *Dices*: ad complacentiam illam sufficit apprehensio vivida, nec opus est habitu. *Resp.*: in hoc fiat vis habitûs adquisiti, quòd ad indeliberatam complacentiam determinet, etiamsi apprehensio non sit adeò vivida, ut sine habitu determinaret.

103 *Ad 2.* instantia est in inclinatione innatâ, quam voluntas, sicut & alia quævis activa potentia, secũ identificat ad operandum; illa quippe similiter appellari potest impulsus purè physicus. Voluntas igitur nequit movere, ideſt, per actualem volitionem exercere, sine prævio impulsu rationalis ut talis: huic impulsui promptiùs obsequatur, potest movere, ideſt, in actu primo inclinari, seu reddi proclivis impulsu purè physico. *Ad 3.*: imprimis non inclinatio innata, sed elicita est, quæ nõ potest tendere in incognitum. Deinde inclinatio habitûs non tendit immediatè in objectum, sed in actum, qui non debet esse præcognitus, ut eliciatur. Postremò inclinatio ista, prout mediatè respicit objectum, non illud respicit ut sine cognitione amplectendum; sed sùm quippe inclinat voluntatem, ut illud velit, quandocumque cognoscat. Repete instantiam in inclinatione voluntatis innata, quæ pariter cognitionem præcedit.

104 Præcipua quæstio hîc est, An habitus in intellectu & voluntate distinguantur à speciebus impressis? Quod attinet ad intellectum, negativa sententia est valde probabilis, eamque tenent PP. Hurtad., Arriaga, Ovied., Comptos., Jo. Bapt. de Benedictis, Jo. Ulloa, & alij, præsertim Recentiores. Eamdem amplectuntur multi Thomistæ ut magis consonam D. Thomæ, qui certè multùm illi favet variis in locis, ut videre licet apud Capreolum in Prolog. sentent. q. 3., & apud Cajetanum in 1. 2. q. 54. ar. 4. Ex his Authoribus alij, præsertim Nostri, habitum identificant, non cum speciebus quibuslibet, sed cum solis experimentalibus, quæ in memoriâ relinquuntur ab actibus præhabitis; has enim volunt repetitis actibus intendi, atque ita facilitatem inducere ad similes alios iterandos. Alij verò, præsertim Thomistæ, habitum collocant in speciebus coordinatis, non actuum, sed objectorum, ad eamdem Scientiam aut Artem spectantium; quamquam non explicant, in quo sita sit coordinatio specierum.

105 Hujus sententiæ fundamentum est, quòd intellectus nullo indiget habitu à speciebus distincto, ut inclinetur, seu determinetur ad operandũ. Nam ad assensum evidentem necessariò determinatur per speciem, vel per apprehensionem ex eâ natam, ut etiam

per

per præmissa ad conclusionem: ad actus verò fidei, & opiniones, omninò determinatur per impetum voluntatis. *Confirm.* 1. intellectus, excitatâ specie, vel potiùs voluntate applicante, operatur ut causa necessaria non minùs quàm visus, aut auditus: ergo, licet an his nonnullus habitus, tamen &c. Nec certè apparet, quomodò possint intellectus perhabitum reddi promptior: quæ enim promptitudo major, quàm agendi necessitas? *Confirm.* 2. exemplo brutorum, in quibus, v. g. in canibus, & equis, facilitas ordinatè operandi, quâ usu comparant, revocari solet ad species in memoriâ relictas. *Confirm.* 3.: positiva facilitas, orta ex repetitione actuum, est habitus: sed intensio specierum experimentalium est talis facilitas: ergo &c.

106 Quod ad voluntatem spectat, sunt etiam, qui negent habitum à speciebus & actibus distinctum. Quia tota propensio & facilitas voluntatis erga objectum aliquod, proximè & formaliter consistere potest in vividâ cognitione dulcedinis, aut emolumenti, ex eodem objecto antea percepti, vel etiam in simplici & indeliberata complacentiâ, quæ ex illius memoriâ nascitur: remotè verò, seu radicaliter consistere potest in speciebus experimentalibus, quæ in memoriâ remanent ex jucundis & repetitis volitionibus ejusdem objecti: & quia formalis facilitas transit cum actibus, radicalis verò permanet in speciebus, ideircò hæc potiùs, quàm illa, meretur nomen habitûs. Nec ideò confundentur habitus intellectûs & voluntatis: nam, licet omnes species ad intellectum pertineant, quæ tamen constituunt voluntatis habitum, gignûntur à volitionibus, & ad volitiones inclinant: quæ verò sunt habitus intellectûs, à cognitionibus generantur, & inclinant ad cognitiones. Hanc opinionem strenuè promovet P. Oviedo hic Contr. 15. punct. 14., concludens n. 34., se non illam judicare improbabilem. Eamdem tenere videtur Cardinalis de Lugo apud Ovied. ibi n. 15., & aliquatenùs amplectitur P. Jo. Bapt. de Benedictis tom. 3. lib. 4. q. 3. cap. 5., item Spinula hic disp. 6. sect. 3. 2. & ex antiquis Aureolus, & Jo. Major apud Quiros disp. 93. n. 43.

107 Fundamentum hujus opinionis est, quòd, secluso ulteriori habitu, tota inclinatio & facilitas voluntatis, quæ repetitione actuum adquiritur, explicari potest radicaliter & habituali ter per intensas species experimentales, & formaliter per cognitionem seu memoriam vividam, & per simplicem complacentiam inde resultantem. *Confirm.* 1.: voluntas eò est facilior, quò magis attrahitur ab objecto: sed eò magis attrahitur, quò vividior est objecti cognitio; & hæc eò est vividior, quò intensior est species: ergo ad cognitionem & speciem revocanda est voluntatis facilitas, & incrementum ejus. 2. interdùm accidit, ut voluntas experiatur objectum minùs delectabile, quàm priùs apprehenderat: unde facilius & avidius illud amplectitur primo actu, quam secundo; & quò plures illud experimur, eò frigidiùs appetit, ac difficilius; tandemque posset fastidire, aut abhorrere. At hoc non accideret, si repetitione actuum gigneretur habitus à speciebus distinctus: deberet enim majorem semper inclinationem parere crebrior experientia. Ideò autem à speciebus experimentalibus non tunc oritur facilitas, sed potiùs difficultas, quia memoriâ causant, non tam dulcedinis, quàm fastidij, vel nauseæ. Certè difficultas, quæ tunc adquiritur repetitione actuum, in speciebus & apprehensionibus tota consistit: ergo idem parandum de facilitate, quæ in aliis eventibus comparatur.

108 Sententia tamen in omni Scholâ communis cum Doctoribus Angelico, Subtili, & Eximio, agnoscit habitus in intellectu & voluntate præter species: & in voluntate præterea,

adeò verus & recepta est inter Philosophos & Theologos, ut, si non alia ratio suppeteret, sola auctoritas eam reddere posset inconcussam. *Dico* igitur 1.: in voluntate dantur habitus à speciebus distincti. *Prob.*: quia species nequeunt respectu voluntatis gerere munus habitûs: non enim aliter voluntatem facilitant, nisi producendo cognitionem vividam objecti appetibilis: hoc autem præstare possunt, ubi nullus est habitus tale objectum appetendi, immò ubi est intensissimus habitus illud horrendi, ut accidit, quoties homo eximiè justus, & virtutibus plenus, vehementem patitur tentationem peccandi. Tunc certè vivida cognitio adest objecti vetiti, ut appetibilis, quæ cognitio supponit speciem intensam, maximè quando tentatio molesta est, & crebrò insurgit. nec tamen tunc adest habitus peccandi, sed potiùs contrarius intensissimus, qui resistendo tentationi potest ac solet magis intendi.

109. *Dices*: non quælibet species est habitus, sed sola experimentalis, quæ renovat memoriam vividam dulcedinis antea perceptæ. *Contrà*: species intensa objecti nondùm voliti, potest æquè vel magis, quàm experimentalis, inclinare voluntatem per cognitionem vividam: cur ergo non æquè mereantur nomen habitûs? *Contrà* iterùm: pone tentationem in sene justissimo, qui vitia juventutis contrarijs virtutibus delèverit: tentationem, inquam, ex eo natam, quòd excitentur species experimentales pravorum actuum delectabilium, quibus olim peccavit, indeque prodeat cognitio vivida percepta dulcedinis. Tunc aderit quidquid tu requiris ad habitum: nec tamen aderit habitus consentiendi, sed oppositus, qui resistendo fiet intensior. *Respondes*: species constituuntur in esse habitûs per absentiam specierum intensiorum, quæ cognitionem retrahentem pariebant magis vividam: unde species peccaminosæ juventutis non habet rationem habitûs in sene, qui jam adquisivit intensiores species honestatis, quibus magis à peccando retrahitur. *Contrà*: ut quis operetur ex habitu, non requiritur carentia cognitionis magis retrahentis, seu magis trahentis in oppositum: ergo nec requiritur carentia specierum, quæ talem cognitionem pariant; ac proinde in prædicto sene nihil desiderabitur ad rationem habitûs peccaminosi. *Prob. Antec.*: quia non nisi absurdè dixeris, hominem probè moratum nunquam ex habitu resistere tentationi peccandi, nisi cùm hæc minùs vivida esset, quàm cognitio invitans ad resistendum; ut è converso malè moratum hominem nunquam operari ex habitu, nisi dum caret cognitione vividiùs retrahente. Hoc si verum esset, bonus habitus foret inutilis, quoties delectatio prava vividiùs proponitur, quàm honestas: nihil etiam posset efficere pravus habitus, quoties honestas vividiùs apprehenditur. Oppositum sanè ostendit experientia.

110. *Confirm.* 1.: quia, si dentur in duobus hominibus, habitualiter sobrio, & habitualiter ebrio, cognitiones directæ omninò æquales in vi attrahendi ad immoderatè bibendum, atque etiam in vi retrahendi; alter proculdubiò se magis inclinatum, & faciliorem sentiet ad potum immodicum, quàm alter. Sed ea major inclinatio & facilitas non provenit à cognitione, cùm hæc supponatur in utroque æqualis: nec provenit à speciebus, cùm hæ juxta Adversarios non nisi media cognitione facilitent, & inclinent. Provenit ergo ab habitu, quem intendimus. Nec recurras ad complacentiam indeliberatam. Nam, quòd hæc excitetur in uno præ altero, tribui debet habitui; siquidem tribui nequit soli cognitioni, utpote omninò æquali utrobique. *Dices*: in ebrioso, habitâ cognitione vini directâ, necessariò excitatur memoria præteritorum actuum, & ex eâ provenit inclinatio major. Sed quid si non excitetur. Tunc, *inquam*, nul-

nulla habitur major inclinatio, vel facilitas. *Verùm* hoc abhorret à communi sensu, & experientiâ, quòd scilicet actualis memoria (habitualis, in speciebus consistens, sine actuali non facilitat), & reflexio actualis in actus præteritos, necessaria sit ad operandum faciliter ex habitu. Coelum, si lubet, eos, qui pravam habent consuetudinem dejerandi, maledicendi, detrahendi, &c.: & testabuntur omnes, se sine ullâ prorsùs reflexione vel attentione ad actus præteritos, cùm se offert occasio, consuetudine abripi. Præterea sequitur, quòd inveterata consuetudo fere nihil facilitabit senes decrepitos, & alios, qui memoriâ sunt labili. Nihil etiam efficiet habitus in occasione subitâ, quæ non relinquit reflexioni locum; quantùmvis experientia probet illud Aristotelis 3. Ethic. c. 8., *in repentinis cognoscitur habitus.*

111 *Confirm.* 2.: quia, si habitus voluntatis consisteret in speciebus, intensio specierum foret intensio habitûs, & è converso, ut Adversarij concedunt: ergo idem erit operari ex intensiore habitu, ac ex intensiore specie, & consequenter ex cognitione intensiore: qui ergo operatur ex habitu magis intenso, & invetterato, cognitionem habere debet magis intensam, metemque promde magis attentam ad objectum; nec aliter poterit a tali habitu reddi facilior. At oppositum experientia constat: capiamque enim, qui ex nimio habitu operatur, remissiore utitur cognitione, minor que illi attentio sufficit: unde cognitio tenuis, aut modica tentatio, quæ non habituatum vix moveret, statim pertrahit habituatum. Contingit ferè in habitu dejerandi v.g., quod in habitu citharizandi; ut scilicet, dum nimium exercevit, cum attentione modica, & cum distractione ad alia objecta exerceatur. *accedit*, quòd repetitione actuum voluntatis intenditur habitus, non verò species experimentalis: quamvis enim singuli actus suam relinquant speciem, nulla tamen resultat intensio ex his speciebus, utpotè repræsentantibus actus numero saltem distinctos; quemadmodum non resultat intensior species ex eo, quòd quis successivè cognoscat Petrum, Paulum, Joannem, &c.

112 *Confirm.* 3.: quia se verâ non vitatur confusio habituum voluntatis & intellectûs: omnis enim voluntatis habitus erit habitus intellectualis (licet non è converso), & quidem magis propriè; quia volitionum species non aliter facilitant voluntatem, nisi priùs facilitando intellectum ad cognitiones vividas; unde respectu intellectûs sunt facilitas immediata & formalis, respectu voluntatis solum mediata & radicalis. At sequela hæc omninò rejicienda videtur exemplo habituum infuserum, ex quibus alij ad voluntatem spectant, non ad intellectum, alij è converso, ut in Theologiâ certum est. Quid? quòd alioquin habitus fidei Divinæ posset eodem jure, quo species, appellari habitus voluntatis, quam mediâ cognitione excitat & adjuvat ad volendum?

113 *Confirm.* 4.: quia voluntatis habitus inter se sunt contrarij, & virtus vitium minuit, aut corrumpit, & vice versâ: species verò nec habent cõtrarium, nec in intellectu corrumpuntur, juxta communem Philosophiam. Nec sat est dicere, quòd species in esse habitûs corrumpuntur seu desinunt per adventum aliarum intensiorum de objecto contrario, quarum per carentiam constituebantur in ratione habitûs. Nã hinc sequitur, quòd in sene sanctissimo, immò & jam beato, vitiosi habitus juventutis integri manent quoad positivum. Sequitur etiam, quòd post diuturnum habitum vitij nemo adquirit habitum virtutis, donec plures repetat actus bonos, quàm anteà pravos; & quòd nec virtutis, nec vitij

adest habitus, cùm actus utriusque generis æquales sunt numerò, eorumque species, licet inadæquatæ, perveniunt ad æquilibrium.

114 *Dico* 2.: dabitur etiam habitus in intellectu præter species. Sic sentiunt plerique Nostrorum cum P. Suar. d. p. 44. sect. 4.: item Scotistæ, & Thomistæ communiter. *Prob.*: quia facilitas, quam intellectus assuetudine acquirit ad quoldam actus, consistere nequit in solis speciebus. 1.: quia species non supponit, sed dat simpliciter posse ad cognitiones: ita vero facilitas jam supponit posse simpliciter ad cognitiones tales, quidem earum repetitione adquiritur; ideòque solum addit facile posse. *Dices*: species repetitione actuum intenduntur altera gradum requisitum ad posse simpliciter, atque ita tuenta dat facile posse, genusque munus habitûs. Sed *contrà*. Species intenta dat simpliciter posse ad actum intentum, ut remissa ad remissum; neutra vero superadditio facile posse. Quod ut capias, fac intellectum assuetudine reddi facilem ad cognitiones claras ut quatuor, ad quas non consueverat simpliciter potens, sit per speciem intensam ut quatuor. Fac deinde hanc speciem intendi ut sex. Hæc intentio non reddit intellectum magis facilem ad iterandum cognitionem ut quatuor. Nam vel species concurrit cum intellectu per totos sex gradus, vel per quatuor duntaxat. Si per sex; prodaret unus libro cognitionem claram, non ut quatuor, sed ut sex, ad eamque dabit simpliciter posse. Si per quatuor; non magis juvabit, nec facilitabit intellectum post novam intentionem, quam antea; ut est manifestum.

115 2.: quia intellectus assuetudine judicandi de objecto A. redditur facilis ad judicandum de similibus aliis, occasione data: v. g. qui consuevit temerè judicare de Petro in materia furti, pari facilitate judicabit de quovis alio in circumstantijs omninò paribus, & qui assuetus est credere testimonio Petri, non minùs facile credet alijs æquè indignis. At species objecti A. non inclinat ad cognitionem omnium, sed illius duntaxat, cùm ad illud solummodò repræsentandum per se ordinetur, utpote semen ejus: hunc enim species duorum objectorum similium ponimus inter se magis heterogeneæ, quàm species unius, & alioqui, semel cognito furto Petri, possis eadem modo cognoscere furtum Pauli sine nova specie. Non ergo in speciebus consistit ejusmodi facilitas.

116 3.: quia intellectus assuetudine adquirit facilitatem directè & immediatè judicandi de objecto externo, v. g. per hanc humanam, vel per judicium opinativum, aut temerarium. Hæc autem facilitas fieri nequit in speciebus experimentalibus in memoria relictis à judicijs præteritis. Tum quia species istæ non immediatè repræsentant externum objectum, sed actus præteritos: quare per eas utriusmodi redderetur facilis intellectus ad cognoscendum, & judicandi, non verò ad immediatè judicandum de objecto externo. Tum quia species, à repetitis actibus productæ, non faciunt intensionem (hanc Adversarij requirunt, ut species habeant rationem habitûs); repræsentant enim actus distinctos numericè (saltem; quod sufficit, ne in unam intensam coalescant; ut patet in speciebus multorum hominum, aut lapidum, qui simul aut successivè noscuntur. Si dicas, per species experimentales immediatè repræsentari posse objectum externum, vel saltem cum ijs adquiri simul novas externi objecti species directas: ne sic quidem resultabit intentio, saltem quàdo species non sunt ejusdem individui objecti, sed multorum similium, v. g. dum quis eorum testimonijs Petri successivè credit, vel in eorum occasionibus similibus temerè judicat per actus

tis ejusdem claritatis: tunc adquiritur habitus credendi, vel temerè judicandi; nec tamen species, utpote à diminutis objectis haustæ, intensionem faciunt; & aliquin attentus ultimus evaderet clarus ut centum. Immo nec intensio specierum relucitat ex successiva repetitione actuum similium circa objectum omnino idem: aliquin jam actus non essent similes, contra hypothesim, & experientiam, sed concluderemus excederet primum gradibus claritatis 99.

117 4. quia intellectus, quò magis habituatus est, eò minorem adhibet attentionem ad inferendum conclusiones, & applicandum regulas artis, ut patet in logico, & in citharœdo, quippam ad citharam attentus, & ad alia distractus, fides optimè pulsat. Si autem habitus esset intensio specierum, attentio intellectûs crescere juxta incrementum habitûs: quia species, quò intensior est, eò magis intellectum reddit attentum, cùm apprehensionem cantet vivi norem. Si forte recurras, nõ ad intensionem, sed ad coordinationem specierum motarum: explica, quid sit coordinatio ista; non enim est coordinatio localis, cùm omnes species in intellectu indivisibili penetrétur nec est unio specierum inter se, cum nec intensionem faciat, nec aliunde appareat ullâ ratione conducens ad facilitatem operandi. Denique, quomodo libèt coordinentur species, urgent prolationes adductæ, præsertim prima, & secunda.

118 Fundamentum oppositum n. 105. non urget. Habitus in intellectu requiritur tuplò levaminis in actu secundo, seu minoris in operando laboris: requiritur etiam, ut in actu primo reddat intellectum magis inclinatum, quàm esset se, ad operandum: item, ut intellectus determinetur facilius, ideſt, cum paucioribus, vel minoribus prærequisitis, ab habitu distinctis. Hæc omnia constant experientiâ. Nam intellectus habituatus minùs laborat in disponendo præmissas, & inferendo conclusiones, etiam evidentes: redditur quoque magis prochivis ad assentiendum objecto, cui assuevit: ideòque facilius à voluntate, vel ab apprehensione, vel à præmissis determinatur. Ante habitum igpe requiritur ad determinandum intellectum fortis applicatio voluntatis; postea verò sufficit languidior, & aliquando forsan mera permissio. Ante habitum apprehensio evidens non determinat ad assensum, nisi valdè sit vivida, vel talrem non conjuncta cum alijs apprehensionibus distrahentibus; postea verò sufficit minus vivida, vel conjuncta cum alijs. Ante habitum necessaria est acris penetratio & attentio ad præmissas, ut illiç determinent ad conclusionem, fortasis etiam requiritur judicium vel apprehensio evidens de bonitate illationis, saltem extra primam figuram; postea verò vel sine apprehensione hac sufficere potest attentio minor ad objectum & ordinem præmissarum. Immò intellectus, qui ante habitum indigebat actuali discursu ad assentiendum conclusioni scientificæ, postea cum habitu potest conclusionis assensum repetere sine præmissis; ut notat P. Suar. cit. disp. 44. sect. 4.

119 *Ad 1. Confirm.*: intellectus, excitatâ specie, necessariò efficit simplicem apprehensionem, sed non semper necessariò pergit ad judicium, necdũ discursum, donec satis à voluntate applicetur: voluntas autem non semper obedit prompte ac facilicer, præsertim in obscuris, & cùm simul propunitur motivum retrahens; immò interdùm obedire nequit, v. g. si ante habitum jubeatur elicere sine præmissis evidentem assensum conclusionis. Ergo intellectus vel ab apprehensione, vel a voluntate determinetur, saltem facilius, necnon ut minus laboret, an'usque virium impendat in actu secundo;

Ante

resultans cōducit habitus. Quare hic potest habere locum in causâ necessariâ, quando experientia docet, talem eamdem vi consuetudinis & elicere minore conatu actus æquales, & facilius applicari, conituique in actu primo proximo. Hoc experimur in intellectu, non in visu, & auditu. Nec necesse est intellectum habitu reddi promptiorem, suppositâ applicatione sufficiente: sufficit, quòd ad hanc ipsam applicationem reddatur promptior, & quòd in actu secundo levamen sentiat. Quin immò, licèt aliunde adsit applicatio sufficiens, & proxima necessitas agendi, potest ab habitu conferri promptitudo major, ideòque novo titulo urgens ad operandum: quemadmodùm equus, cui unus sufficit stimulus ad currendum pro viribus, potest duobus simul stimulis urgeri, atque ita necessitatem currendi habere novo titulo.

120 *Ad 2. confirm.* P. Suar. cit. disp. 44. sect. 3. negat habitus in sensu interno & appetitu brutorum, eorumque facilitates quasdam, usu adquisitas, explicat per species memorativas. D. Thomas 1. 2. q. 50. art. 3. ad 2. admittit in brutis *habitus quodammodò*: sed concludit, in eis deficere rationē habitûs *quantum ad usum voluntaris, quia non habent dominium utendi, sed non utendi, quod videtur ad rationem habitûs pertinere*: & *ideò* (subdit) *propriè loquendo, in eis habitus esse non possunt.* Sic loquitur D. Thomas propter auctoritatem Commentatoris (quē citaverat q. 49. art. 3.) dicentis in 3. de Anim. comm. 18., habitum esse, quo quis utitur cùm voluerit; unde in proverbium abiit, *Habitibus utimur cùm volumus.* Verùm, si Commentator nolit dare locum habitui, nisi libertas adsit, rejiciendus videtur. Tum quia subjectio ad libertatem extrinseca est habitui, & sine illâ explicari potest quidditas habitûs. Tum quia in repentinis & inadvertitis voluntatis motibus maximè se prodit habitus, juxta Aristotel. supra citatum. Tum quia in phantasiâ, seu cogitativâ, & in appetitu materiali hominis, dantur habitus, juxta D. Thomam, & P. Suar.: nec tamen ijs semper dominatur libertas: sæpe enim passio appetitûs per habitum roborata, libertatem prævenit & in somnijs ea plerùmque recogitamus, & materialiter appetimus, quibus assueti sumus.

121 Probabilior itaque videtur sententia Scoti, Durandi, & aliorum, tum veterum, tum recentiûm, qui in brutis præter species agnoscit habitus. Plura quippe ex iis, quæ probant in homine distinctionem habitûs à speciebus, proportionaliter applicari possunt ad animalia bruta, saltem quæ disciplinæ capacia sunt aliquomodò. Accedit, quòd sæpe canis ad operationes aliquas initio inducitur per minas, & verbera; ideò sic eas exercet, ut metum prodat tremore corporis: sed posteà quàm illis assuevit, facilè exercet prōptus, & lætabundus: quod signo est, hanc promptitudinem haud oriri ex speciebus memorativis verberum, ut volunt Authores contrarij; aliquin etiam posset assuetudinem tremeret, ac doloris metum offenderet. Quæ verò hìc objici solent ex eo, quòd brutum operetur ut causa necessaria, solvi poterunt ex nuper dictis circa intellectum hominis.

122 *Ad 3. confirm.*: non quævis positiva facilitas, orta ex repetitione actuum, est habitus; sed ea tantummodò, quę supponit simpliciter posse ad actus similes, & æquales, versarique potest indifferenter circa objecta omninò similia. Hoc autem non habet intensio specierum, ut vidimus n. 114. & 115. Adde, quod nec ex repetitis actibus similibus resultant intensio specierum experimentalium, ex n. 116. *Objicies*: per actus supernaturales, v. g. fidei Divinæ, adquiritur facilitas, quę non dat simpliciter posse: illa tamen nō consistit in habitu à speciebus distincto; alio-

alioqui daretur habitus supernaturalis, non per se infusus, sed adquisitus. *Resp.*, hùc in re diversimodè opinari Theologos. Nam alij volunt, ut actus supernaturales non solùm meritoriè intendant habitus infusos in homine justo (quodextra dubium est), verùm etiam physicè generent habitus alios supernaturales diversæ indolis ab infusis, præstantesque duntaxat facilè posse. Alij novam quidem habitum ab ejusmodi actibus generari concedunt, at entitative naturalem, qui tamen elevatus per habitum infusum, vel per aliud supernaturale principium, facilitet ad alios actus supernaturales ejusdem rationis. Utra opinio sit præferenda, theologicæ discussionis est. Vid. P. Ovied. hìc controv. 14. punct. 7., & P. Quirós hìc disp. 93. sect. 5.

123 Jàm ad fundamentum n. 107. contra peculiares habitus voluntatis, negatur *assumptum*. Quamvis enim voluntatem verè faciliores species radicaliter, & cognitiones aut complacentiæ formaliter, hæc tamen facilitas non est propria habitûs, ut satis ostendimus n. 108. & seqq.: est enim separabilis à facilitate habituali circa idem objectum; sæpeque est intensa, cùm habitualis est remissa, & è converso sæpe etiam conjungitur in gradu intenso cum habituali contrariâ, & ab ea vincitur, ut in exemplo senis justissimi, qui vehementer tentatur ex memoriâ vividâ vitiorum juventutis. *Ad 1. confirm. diss. Maj.*: voluntas eò facilior est &c., facilitate propriâ habitûs. *neg.*; facilitate communi voluntati non habituatæ, *cõe. Maj.*, & *Min.*; sed *neg. conseqn.*, facilitas, sive attractio, quæ formaliter in cognitione consistit, & radicaliter in specie, reperiri potest & solet in voluntate nondùm habituatâ, vel quę jam habitum admittit: quare præter illam necessariò admittenda est alia facilitas, quę voluntatis habituatæ sit propria.

124 *Ad 2. confirm.*: frigiditas illa, fastidium, aut horror, ideò ex iteratâ experientiâ nascitur, quia quoties objectum appetitur & obtinetur, toties ex ejus possessione aliquatenùs insuavis resultat in voluntate aliqua mœstitia, displicentia, vel pœnitudo, cujus repetitione generatur habitus illud objectum avertendi; qui habitus impedit, aut suffocat habitum appetendi. Incipit quidem appetitio vel profecutio suum etiam habitum in eo eventu generare: sed quia displicentia vel pœnitudo magis durare solet, si mulque animo infigi (quamvis posthmodùm ex levitate animi redeat aliquoties appetitio), ideò circò habitum suum citiùs intendit, ac promovet; cujus habitûs contrarietas non finit crescere inchoatum habitum appetendi; quin immò quos invenit gradus ejus tandem extirpat. Atque in hoc ipso displicendi habitu consistit illa difficultas, quæ repetitione actuum appetendi videtur adquiri, sed reipsâ non nisi repetitione contrariorum adquiritur.

125 Nunc, ut Capitis titulo satisfiat, videndum est, quibus potentijs conveniat habitus. Convenit inprimis voluntati, & intellectui, ut constat ex dictis. In intellectu tamen communiter ponitur habitus ad judicia, & discursus, non ad simplices apprehensiones; quia pro his nulla esse videtur experientia facilioris usûs adquisitæ: quàm ad apprehensiones cõplexas, quæ peculiarem directionem requirunt, cujusmodi sunt definitiones, ac divisiones, potest admitti habitus; immò & ad incomplexas, quæ delectu indigent, ut illę, quibus genera & species logicę fiunt. Convenit deindè interno sensui & appetitui sensitivo hominis: quia experientiâ constat, per assuetudinem adquiri facilitatè phantasiandi circa quædam objecta, & exercendi, vel reprimendi passiones appetitûs. Hæc autem facilitas ad solas species revocari nequit propter argumenta, quæ pro intellectu

& voluntate suprà dedimus : nec item ad mutationem temperamenti, propter dicta n. 99. Convenit præterea interno sensui & appetitui brutorum, ut vidimus n. 124..

126 Sensus externi non adquirunt habitum, ut fert communis & vera sententia : quia potiùs longo usu vel assiduitate operandi hebetantur, ut maximè experimur in viris. Quòd si aliquam interdùm facilitatem videantur adquirere, dum quibusdam objectis assuescunt, ea reduci debet ad aliquam temperamenti variationem, vel impedimentorum remotionem : nam, quòd non sit propriè habitus, satis ex eo patet, quòd non intenditur, sed minuitur usu diuturno. Idem dicendum eodem, vel pari jure, in potentiâ nutritivâ, seu vegetativâ & jure potiùs in potentiis inanimatorum, v. g. in potentiâ lapidis ad descendendum, Solis ad illuminandum, ignis ad calefaciendum; in his enim nemo agnoscit habitum, quia nulla est experientia facilitatis ex mero usu resultantis, seu quæ tribui non possit impedimenti ablationi, vel applicationi, aut dispositioni passi, vel medij.

127 De potentiâ locomotivâ in animalibus, & præsertim in homine, dubium est, an propriè habitum adquirat? Affirmant aliqui, ducti potissimum experientiâ facilitatis usu adquisitæ, quæ nullibi manifestior est, aut magis obvia, quàm in manibus citharizantis, in pedibus numerosè saltantis, &c.. Communis tamen opinio negat: quia in citharœdo v. g. motus digitorum, quatenùs artificiosus est, seu prout tali ordine, talique harmoniâ chordas ferit, manifestè requirit cognitionem quâ mediante provenit ab habitu artis intellectui vel phantasiæ inhærente, qui semper motum externum dirigit alio actu interno, etiamsi citharizans alio distractus esse videatur : quatenùs verò expeditè ac velociter positus, oritur ab agilitate digitorum; quæ agilitas explicari potest per aliud ab habitu, puta hoc scilicet, quòd nervi exercitio laxentur, & atterâtur, expulso quovis alio humore, flexibiliores evadat. Et alioqui contra communem sensum ponendus erit habitus in gutture ad canendum, & in lingua ad articulatè loquendum, vel etiam in mechanicis instrumentis, quæ pariter exercitio aliquo reddi solent expeditiora.

128 Ex hucusque dictis elici potest stricta definitio habitûs adquisiti, quem leviter tantùm adumbravimus n. 97.. Est etenim habitus iste, *Qualitas permanens, per se relicta ex repetitione actuum, ac per se insistura ut potentiam meliùs facilèsque & alleget in productione similium.* Dicitur *permanens*; non quòd perire nequeat; sed quia non est fluxa & transiens instar actuum (à quibus proinde, licet interdùm facilitantibus ad alios actus, satis discernitur per hâc particulam), sed per se durat in subjecto, donec à contrario destruatur. Dicitur *per se relicta* &c., quò discernatur ab habitu infuso, nec non à novitate temperamenti, quæ non nisi per accidens resultat interdùm ex repetitione actuum; per se enim ab alijs causis provenire potest. Per verba reliqua discernitur à speciebus impressis, quæ non meriè facilitant (id *meriè* supponit simpliciter posse), sed conferunt virtutem simpliciter necessariam ad actus, nempe species remissæ ad remissos, intensæ ad intensos. Quòd si velis, ut species ejusdem objecti multiplicatæ dent facilè posse ad actus ejusdem intensionis, saltem non sunt ad id *per se insistuæ*, cùm multiplicatio in eodem subjecto sit ipsis per accidens. Sæpe quidem apud D. Thomam & alios comprehenduntur species nomine habitûs, amplè accepto pro qualitate difficilè mobili, potentiæ vel naturæ superadditâ; sed excludi debent à notione habitûs præsè sumptâ, prout sumitur in præsenti.

129 *Objicies* habitus interdùm dat

dat simpliciter posse, v. g. ad eliciendum sine præmissis assensum conclusionis scientificæ, juxta dicta n. 118. *Respondeo* cum P. Suar. disp. cit. sect. 6. n. 13., ut habitus verè dicatur non dare simpliciter posse, sat esse, quòd potentia sine habitu possit absolutè producere talem actum, & naturaliter adquirere comprincipia necessaria. Quòd enim habitus requiratur simpliciter ad operandum cum minore apparatu, & labore, vel cum paucioribus prærequisitis aliunde laboriosè quærendis, hoc in summâ est requiri simpliciter ad operandum faciliùs. Sic, si robusto homini equum tribuas ad iter agendum, non illi dabis posse simpliciter, sed tantùm facile; quamvis equus sit necessarius simpliciter, ut iter agatur brevius, facilius, & cum minoribus impensis virium & argenti. Denique observa, fundamentum ad adstruendum vel negandum habitum non esse desumendum ex eo, quòd potentia sit necessaria, vel libera, vel subjecta dominio voluntatis; sed solùm ex eo, quòd experientiâ constet, exercitio adquiri facilitatem, quæ non possit ad alias causas, præter habitum ut nuper definitum, commodè revocari.

## CAP. V.

### *VARIÆ SUPER HABITU QUÆSTIONES breviter deciduntur.*

**430** *Quæritur* 1., utrùm habitus efficienter physicè concurrat ad actum? Negant PP. Hurtad., Peynad., & pauci alij, juxta quos non aliter habitus facilitat potentiam, nisi in genere causæ formalis, reddendo illam informatione suâ promptam ac facilem ad operandum; & hinc dici potest causare actum in genere causæ efficientis moralis. Sed affirmant communiter alij Authores nostri cum P. Suar. cit. disp. 44. sect. 5, ubi D. Thomam & Aristot. ibi allegat. Cõsentiunt Thomistæ, & Masirius Scotista hic disp. 3. n. 39. pro se etiam Scotum, qui tamen alias inclinat in sententiam negantem. *Probatur* affirmativa sententia: quia nõ deest habitui proportio ad influendum influxum instrumentaliter, cùm sit semen actuum, & ad eamdem potentiam spectet: & aliunde influxum ejus activum suadet experientia. Cum habitus enim facilitatem experimur, non solùm ad operandum, sed etiam in operando; ideò, non solùm propensionem habemus in actu primo, sed etiam levamen sentimus in actu secundo, minoremque conatum impendimus, quam sine habitu, cæteris paribus: hæc autem diminutio conatûs, seu levatio laboris, nequit aliter explicari, nisi per concursum habitûs activum, cujus ope minus virium impendat potentia in productione actuum. Idcircò qui operatur ex habitu, potest ad alia simul attendere, cùm alioqui non possit. Certè non repugnat qualitas, quæ hoc modo faciliter: cur ergo non talis de facto censeatur habitus, cui tam clarum favet experientiæ suffragium?

**431** *Objic.* 1.: qui fame vel tentatione caret, minùs laborat in jejunando, minoreque indiget conatu, quàm si tentetur, aut esuriat: ergo carentia famis, vel tentationis, causa est minuendi conatum: & tamen non influit activè in volitionem jejunandi; sicuti nec activè influit cognitio vividior utilitatis jejunij, quæ etiam conatum minuit. *Resp.* Imprimis fortasis æquales non sunt actus illi, quibus voluntas jejunium vult tentatione urgente, ac sine illa: nunc autem loquimur de immutatione conatûs in actibus æqualibus. Deinde, quidquid de hoc sit, facile percipitur minui posse conatum, ubi minor est vincenda difficultas positivè rebellis, aut retrahens. Verùm quòd habitus sine præcedente contrario adquisitus, etiamsi cætera sint paria tum quoad actus eliciendos, tum quoad positivas

alias difficultates superandas, minuat conatum potentiæ in actu secundo per solam inclinationem majorem in actu primo: hoc, inquam, difficile captu est. Nam magna inclinatio ex parte actûs primi per se non conducit ad minuendum conatum in actu secundo; ut patet in eo, qui ex vehementi passione incuriantur cupit objectum aliquod, vel etiam in beatis, qui summè inclinantur ad diligendum Deum, quem diligunt summo conatu. Et hinc negandû, quod cognitio vividior utilitatis jejunij per se minuat conatum; potius enim per se conducit ad illum augendum.

132 *Objic.* 2.: activè concurrere cum potentiâ, non est facilitare: alioquin habitus infusus daret, non solùm simpliciter posse, sed etiam facilè, & facilius posse, dum intenditur ultra gradum minimum requisitum ad posse simpliciter. *Resp.* Dubitari non potest, quin juvamen activum, superadditum causæ jam potenti simpliciter, concipiatur habeat facilitatis. Sic homo, dum ab alio juvatur, facilius elevat pondus, cui levando sufficeret solus. Sic quatuor equi facilius trahunt curram, quàm duo. Habitus infusus numquam præstat concursum non simpliciter necessarium ad actum hic & nunc eliciendum. Nec, dum est intensus ut quatuor v.g., si concurrat secundùm totam intensionem, elicitet perfectiorem actum, qui non posset elici per solum habitum ut duo: si verò infra intensionem suam concurrat, minorem quidem eliciet actum, sed talem, cui simpliciter necessaria sit monstra concursûs hic & nunc præbiti. Quare potentia cum intenso habitu infuso nunquam suum concursum sic attemperat, ut minus virium impendat, quam alias impenderet circa talem & æqualem actum, si cum remisso habitu eum eliceret. Contra, evenit cum habitu adquisito.

133 *Objic.* 3.: potentia indeterminatè ad habitu virtutem habet adæquatam ad actum: illam ergo explicare debet, etiam præsente habitu, præsertim si potentia necessaria sit, ut est intellectus; nam causa necessaria operatur quantûm potest. Accedit, quòd habitui nulla correspondet in actu vitali peculiaris formalitas. *Resp. neg. Consequ.*: nam virtus adæquata sæpe concursum minuit & attemperat alteri concausæ simul applicatæ, ut hæc simul influat: quod verum est etiam in causâ necessaria, ut patet in duobus equis communem contrahentibus pondus, cui sufficeret unus. Dicitur autem causa necessaria operari quantum potest, quia, licèt conatum interdùm minuat, non minuit liberè, sed necessariò juxta exigentiam circumstantiarum: atque ita evenit in præsenti; non enim intellectus cum habitu potest (etiam ex imperio voluntatis) tantum conatum impendere circa talem actum, quantum impenderet sine habitu. Correspondentia, seu convenientia formalitatum non requiritur in causis æquivocis plusquàm generica, ut jam alibi non semel admonui, utque patet, inter alia plurima, in seminibus viventium.

134 Sed hinc *objic.* 4.: nequeunt duo sibi invicem esse causæ æquivocæ: sed actus æquivocè causat habitum: ergo hic nequit actum efficere ut causa æquivoca. *Dist. Maj.*: si ambo sint causæ principales, *conc.*; si alterum sit causa instrumentalis, *neg. Maj.* Tum, concessâ *Min.* de causalitate principali, *neg. Consequ.* de instrumentali, quam solam concedimus habitui. Exemplum habes perspicuum in semine viventis. *Objic.* ultimo ex P. Peynado: si Deus impediret concursum activum habitûs adquisiti, voluntas habitu informata produceret actum se solâ: sed tunc facilius produceret, quàm si careret habitu, quidem habitus per sui existentiam & unionem excludit difficultatem, quam voluntas haberet ex nonulla: ergo facilitas, quam præstat habitus,

tus, est independens ab ejus concursu activo. *Resp.* Voluntas in eo eventu operaretur facilius, ideòt, propensiùs ex parte actûs primi; non verò faciliùs, ideòt, cum majori levamine in actu secundo, seu cum minore virium impensâ; quod genus facilitatis pertinet etiam ad munus habitûs, ut experientiâ constat. Nec facilitas in actu primo explicanda est per meram exclusionem difficultatis ortæ ex non usu: nam hæc difficultas est meré negativa, seu mera carentia habitûs, vel potiùs actuum: unde hanc difficultatem excludi, nihil est aliud, quàm excludi carentiam habitûs, aut usûs; quod nihil explicat. Illa igitur facilitas explicari debet, ut suprà n. 101., per innatum appetitum habitûs ad operandum.

135 Ex dictis impugnari poterunt Authores alij, dicentes, habitum concurrere, non ad substantiam actûs, sed ad modum ejus: quem modum aliqui volunt esse intentionem actûs, sed P. Vazquez in 1. 2. disp. 83. cap. 2. illum distinguit ab actûs substantia, & intensione, atque in eo collocat facilitatem ab habitu provenientem. Poterût, inquam, impugnari: quia potentia habituata levamen & imminutionem conatûs experitur in eliciendo substantiam ipsam actûs. Nec intensio (si propriè & formaliter datur in actu vitali) distinguitur ab actûs substantia vel essentia physicâ, utpotè consistens in additione gradûs ad gradum. Modus autem, quem actui superaddit P. Vazquez, non apparet quo titulo potentiâ allevet: immo, cùm ille debeat produci, saltem partialiter, à potentiâ (hæc enim est, quæ operatur facilitèr, seu modo facili), non minuet, sed augebit potentiæ conatum, aut impensam virium.

136 *Quær.* 2., à quibus causis producantur habitus? Communis sententia tenet, habitus adæquatè produci ab actibus, & his præteritis, conservari, non à potentiâ, sed à solo Deo. Prima pars constat: tum ex communibus paræmijs, *Habitus est semen actuum, Habitus facilitat ad actus similes ijs, à quibus est genitus*: tum quia nonnisi ad præsentiam & repetitionem actuum aliquatenus & augetur habitus, & nulla in actibus apparet impropertio ad habitum generandum; nec potentia videtur immediatè concurrere, siquidem habitus producitur, & melius quidem, quando potentia summum conatû adhibet ad actum, & totas in eo vires occupat. Constat item pars altera: quia, si potentia conservaret habitum, nullum ex eo sentiret levamen; siquidem tantum virtutis in ejus conservatione impenderet, quantum in productione actuum reservaret.

137 Sed contra priorem partem *objic.*: actus producit speciem sui, & hæc dicitur semen ejus: vel ergo actus non producit habitum veluti semen sui; vel habitus & species idem sunt. *Resp.*: tam habitus, quàm species ab actu relicta, est semen actûs, sed in diverso sensu, & in lineâ diversâ: nam utrûque ordinatur ad producendam similitudinem actûs; sed species, ad similitudinem intentionalem, nempe ad cognitionem reflexam actûs, à quo oritur, habitus verò, ad similitudinem physicam, & univocam, nempe ad alium actum veriantem circa idem objectû, & specificè similem præcedentis quâ de causâ nomè seminis magis propriè convenit habitui, quàm speciei. Nec est inconveniens, quòd ejusdem rei sint duo semina diversa, quando referuntur ad diversas lineas, & utrumque, vel alterum metaphoricè vocatur semen.

138 Contra partem alteram *objic.*: habitus vitiosus nequit à solo Deo conservari; aliter posset etiam infundi. *Negatur* assumptum: quia in habitu vitioso nulla est malitia formalis, & aliunde ejus existentia & conservatio imputatur voluntati creatæ, quæ

illum suis actibus adquisivit; non autem Deo, cui ut naturæ Authori, & universali Causæ, incumbit habitum semel productum conservare juxta exigentiam ejus (sicut conservat calorem in aquâ, remoto igne), donec adsit contrarium, à quo expellatur. Si tamen Deus habitū vitiosum infunderet absque exigentiâ naturę, jam daret imputationi locum; quia operaretur ut Specialis Author, sive ut causa particularis.

139 *Quær.* 3., utrùm primus actus generet habitum? Ratio dubitandi: quia, nisi aliquotiés repetantur actus, non experimur facilitatem; ideòque passim dicitur, utcumque requiri tres actus ad generandum habitum. Ex adverso, si primus actus non generat habitum, neque illum generabit secundus, aut tertius, cùm æque invenient potentiam indispositam, ac primus. Communis sententia cum P. Suar. cit. disp. 44. sect. 3. docet, primo actu aliquem gradum habitûs generari, sed ut plurimùm adeò tenuem, ut ejus facilitas non percipiatur; & hâc ex causa, necnon quia facilè mobilis, seu corruptibilis est a contrario, non meretur nomen habitûs, donec actuum repetitione magis exuberet, aut intendatur; quâvis reverâ essentiam habitûs etiam tunc participet. Sic tenuis arbuscula, cùm primùm è terrâ emicat, nondùm habet nomen arboris, licet reipsâ jam habeat essentiam. D. Thomas 1. 2. q. 51. art. 3. docet, habitum scientię a primo actu generari; habitum verò virtutis, aut opinionis, indigere frequentiâ actuum. Et ipsum tamen concedi potest de habitu opinionis, aut virtutis, quando primus actus multùm durat; tunc enim pluribus æquivalet. Cur autem primus actus non solam producat intensionem habitûs, licèt totam contineat ut causa æquivoca? rationem vide in P. Suar. disp. cit. sect. 10. n. 13.

140 *Quær.* 4., per quos actus intendatur habitus? Certum est, non posse intendi, nisi per actus priori bus finitis in objecto saltem formali. Dubium tamen est de actibus æque, vel magis, vel minùs intensis, tum respectu habitûs, tum respectu priorum actuum, à quibus habitus ipse genitus, vel auctus est. D. Thomas 1. 2. q. 52. art. 3. negat, intendi habitum, nisi per actus eo intensiores. Scotus in 1. d. 17. q. 3. concedit, habitum intendi per actus etiam æque intensos, aut remissiores. P. Suarez cit. sect. 10. docet 1., habitum absolutè intendi per actus intensiores præcedentibus. Docet 2., habitum nunquàm sic intendi, ut possit efficere actus intensiores illis omnibus, à quibus est genitus, vel auctus. Docet 3., posse habitum intendi per actus æquales præcedentibus, quando nondùm pervènit ad gradum æqualem cum actibus ipsis. Docet 4., postquam habitus adęquavit actum in gradu intensionis, ita ut utrique sit v. g. ut quatuor, non posse ulterius intendi per actus æquales, multò minùs per remissiores. Hæc omnia satis probabiliter Suarius noster.

141 Sed, quod attinet ad ultimum, fortasse probabilior est sententia Scoti. Nam, qui tepidi sunt in exercitio virtutum, solent usu diuturno magnam adquirere facilitatem ad remissè operandum; quę facilitas videtur multò intensior, quàm actus illi, quibus adquiritur. Accedit, quòd actus habitum producit ut causa æquivoca, & eminentialis, adeòque potest major intensio habitûs, utpotè ignobilior, contineri eminenter in actu minùs intenso. Sic arenula una, superaddita magno arenæ cumulo, hujus impellum fert gravitatio cumuli jam plures habeat intensionis gradus, quam gravitas arenulæ. Illa tamen habitûs intensio, v. g. ut sex, adquisita per solos actus ut quatuor, non adjuvat potentiam ad actus in-

intensiores; quia nequit in operando excedere perfectionem illę causæ, Multò minùs adjuvat ad actus excedentes vires potentię; quia hoc esset dare simpliciter posse. Solùm ergo potentiam adjuvat, ut facilius producat actus ut quatuor, quàm si ad eos ipsos haberet habitum minùs intensum.

142 Incertum quòque videtur, quod primo loco aiebat P. Suar., videlicet hâc ità intendi per actus præcedentibus intensiores. Hinc enim fieret, ut qui per actus ut quatuor adquisivit hâcitum intensum ut quatuor, postea per unicum actum ut quinque statim evaderet insense facilis ad actus ut quinque. Sequela autem videtur experientiæ contraria: nam qui valde alienus est actibus remissis, non statim adquirit facilitatem magnam ad actus intensos per unum aut alterum eorũ. Immò sæpe contingit, ut eam intensa facilitate ad remissos, conjungatur remissa facilitas ad intentos: quod satis indicat, has facilitates intendi seorsùm, adeòque provenire à diversis habitibus, quamvis ad eamdem virtutem specificantibus ratione motivi. Accedit, quod intensio actuum intellectûs & voluntatis non videtur esse propriè gradualis, sed improprie tantum, aut virtualiter, ex dictis in tract. de Gener. disp. 3. n. 10: quod si verum est, actus intensus se toto differt physicè & specificè à remisso, difficultatemque affert adæquatè diversum; ac proinde habitum adæquatè diversum generare debet. Possent quidem habitus, ab actibus intensis ortus, concurrere interdum ad remissos circa idem objectum (ut tamen non alium habitum inducant, sed alium generabunt), quia nihil addunt difficultatis: nunquam tamen habitus, à remissis ortus, quantumcumque intendatur, posset concurrere ad intensos, utpotè nobiliores, ac difficiliores. Sic nobilioris plantæ semen sæpe degenerat, & ignobiliorem aliam producit; non tamen è converso.

143 *Quær.* 5., ad quos actus extendatur habitus? Vel alijs terminis, quanta debeat esse similitudo actuum inter se, ut ab eodem habitu producantur? Quæstio procedit maximè de similitudine ex objecto desumpta, supposito actus esse ejusdem potentiæ. Et Thomistæ quidem in actibus scientiæ sufficere dicunt similitudinem derivatam ex generalitate objecti, sub quâ sendit una scientia totalis, v. g. Logica, vel Metaphysica; vel etiam ex abstractione à materiâ, quæ unicuique scientiæ assignatur: proinde Logicam, & quamlibet aliam scientiam totalem, velle habere esse simplicem qualitatem, seu habitum realiter unicum. Sed hanc eorum doctrinam alibi refutavimus in Logic. tract. 1. disp. 1. c. 5. & 6.; ubi etiam explicavimus, quo sensu tota Logica dicatur scientia una, licèt multis constet habitibus, & unde sumatur specificatio, seu distinctio, & unitas scientiarum totalium.

144 Nunc *dico* 1.: ut actus procedant ab eodem simplici habitu, debent esse similes in objecto formali, seu motivo, non genericè, sed specificè sumpto, quando scilicet specificat actum, prout tale est: vel, quod in idem recidit, debent actus non esse specie diversi ex motivo, seu objecto formali. Ratio est: quia habitus solùm efficit actus similes ijs, à quibus est ortus, ex Aristot. 2. Ethic. c. 1.: quæ similitudo debet esse specifica, saltem ex motivo; nam, si generica sufficeret, ab uno habitu orirí possent actus virtutum omnium, aut omnium scientiarum. *Objic.*: experientia constat, hominem dedítum uni vitio, vel uni virtuti, facilius se exercere in alijs vitijs, aut virtutibus, quàm si nullis assuevisset: ergo quilibet habitus pravus, aut bonus, facilitatem præstat ad actus omnes vitiosos, aut honestos; qui tamen inter se differunt ex motivo specifico. Hæc *objectio* (quæ

pa-

pariter in habitibus scientiarum fieri potest) vel omnes habitus impugnat, vel absurdè probat, nemem posse accedere ad virtutes omnes, vel ad omnia vitia, vel ad omnes scientias. Potest etiam infringi contrariâ experientiâ. Multi enim facillimè sibi temperant in cibo, difficillimè in potu; valdè sunt casti, sed valdè maledici; magnam habent facilitatem in mathematicis, simulque difficultatem summam in metaphysicis. Quapropter, si quando accidit illa facilitatis extensio, de quâ in objectione, semper modica est, nec ab habitu particulari oritur nisi mediatè, & occasionaliter, nimirùm quatenùs occasione actuum unius habitûs, solet intellectus formare sibi quasdam velut Maximas generales, quæ viam parant ad actus aliarum virtutum, &c.

145 *Dico* 2.: non requiritur similitudo in objecto materiali, dummodò formale motivum sit omninò idem, & uniformiter applicatum. Hoc tenet communior sententia cum P. Suar. cit. disp. sect. 11.; idemque videtur experientiâ probare, v. g. in habitu admittente jejunia: nam, qui jus alienum servare consuevit ex motivo justitiæ, facilè servat sive in pecuniâ, sive in tritico, &c. Sunt nihilominùs, qui probabiliter ab hac regulâ excipiant objecta materialia, quæ novam aut specialem afferunt difficultatem; & ad ea requirunt distinctum habitum. Qui enim jejuniis assuefactus est ex motivo pœnitentiæ v. g., potest & solet experiri difficultatem ad verbera, vel etiam ad jejunandum in pane & aquâ: cujusmodi exempla suppetunt plurima in aliarum materiâ virtutum.

146 Sed responderi potest, sæpe contingere, ut motivum præcedentium actuum non omninò præscindat à conditione objecti materialis, ideòque, dum applicatur novæ materiæ, non sit omninò idem; & hac de causâ requirat novum habitum. Sic in materiâ temperantiæ passim accidit, ut habitus abstinendi à cibo, non sit habitus temperandi à potu; quia scilicet prior ille adquiritur, non ex nudo motivo temperantiæ ut sic, sed prout contracto ad materiam ciborum. Quòdsi etiam, stante eodem motivo adquato, specialis occurrat in aliquo materiali objecto difficultas, hæc pertinere potest, non ad intellectum, aut voluntatem, sed ad phantasiam, aut appetitum sensitivum, quæ, cùm sint potentiæ materiales, non respiciunt suis actibus motivum in communi, sed ad talem materiam contractum; & idcircò magis limitatos adquirunt habitus, eosque prolatè multiplicant pro qualibet speciali novitate materiæ, etiam intra eandem virtutem; ut benè notavit P. Suar. cit. sect. 11. n. 41.

147 *Dicent*: actus evadunt specie diversi ex objecto etiam materiali: ergo ex eodem requirunt diversos habitus. *Resp.*: quidquid sit de antecedenti, *neg. Consequ.*: quia non quælibet actuum diversitas specifica potest diversum habitum, sed illa tantùm, quæ derivatur ex motivo, vel ex modo tendendi novam afferente difficultatem ut experientiâ constare videtur. Si tamen darentur habitus duo realiter distincti, quorum alter limitaretur ad unum materiale objectum, alter ad alterum, licèt sub eodem motivo; tunc utique forent specie diversi, ut alibi divimus. Alia quædam ad extensionem habitûs spectantia videri possunt apud P. Suar. sect. 11. cit.; nominatim cur magis in intellectu multiplicari debeant simplices habitus evidentes, quàm inevidentes; vel magis habitus intellectûs in materiâ unius scientiæ, quàm habitus voluntatis in materiâ unius virtutis; quia nimirùm pro singulis conclusionibus scientificis, diversas veritates detegentibus de subjecto etiam eodem, diversificatur aliquomodò motivum assentiendi. Ibi quòque docet Eximius Doctor,

sor, unicum habitum sufficere ad amorem, desiderium, & gaudium de aliquo bono, & ad odium, fugam, & tristitiam de contrario malo: quę doctrina satis est probabilis.

148 Addo, quòd, licèt habitus à simplicibus complacentijs ortus non sufficiat ad affectus efficaces, nec per eos intendatur; habitus tamen ab affectibus istis genitus potest producere simplices complacentias de objecto eodem. Quæ in re discurrendum, ut suprà n. 142. in actibus intensis, & remissis. Denique moneo, specificationem simplicium habituum ejusdem potentiæ, seu diversitatem eorum specificam, desumendam esse immediatè ex actibus, & mediatè ex objecto formali, seu motivo; ita scilicet, ut specifica diversitas actuum (saltem non invicem connexorum), ex motivo desumpta, sufficiens argumentum sit distinctionis & specificę diversitatis habituum. Sufficiens, inquam, non unicum; quia possunt etiam habitus circa idem objectum evadere diversi ex diverso actuum modo tendendi; ad quem reducitur efficacitas & inefficacitas, necnon remissio & intensio actuum, saltem si non sint formaliter gradualis.

149 *Quæritur hinc*, an, & quatenùs minuatur, aut corrumpatur habitus? Quæstionem hanc ex professo tractat Exim. Doctor cit. disp. 44. sect. 12. Ex cujus doctrinâ, quæ communis est, breviter *dico* 1.: quilibet habitus (de solo adquisito loquimur, ut hactenus) minui potest & corrumpi per contrarium habitum, v.g. habitus vitij per habitum virtutis oppositæ. Constat hoc experientiâ. Sentimus enim, per assuetudinem virtutis minui sensim, ac tandem aboleri propensionem habitualem ad vitium, & è converso. Quare, licèt possit ex alijs capitibus eadem potentia (imò esse valdè facilis ad actus oppositos; non tamen per id genus facilitatis, quæ per se oritur ex repetitione actuum. Ratio à priori forte latet; sed experientia est perspicua: per quam etiam novimus, contrarietatem esse potiùs inter habitus, quàm inter species impressas. *Objic.*: habitus virtutis cum habitu vitij non pugnat in primo instanti: ergo nec in cæteris. *Prob. antec.*: quia virtutis actus in primo instanti, quo elicitur à præhabente habitum vitij, producit habitum virtutis: & tamen habitus vitij verè existit in illo eodem instanti; tum quia difficilem reddit actum virtutis, tum quia potuit concurrere tunc ad actum vitiosum pro libero nutu voluntatis.

150 Respondent PP. Arriaga & Quiros, actum virtutis non producere habitum in primo instanti (supponunt, actus humanos necessariò durare per aliquot instantia), sed tantùm in secundo, in quo jam non supponitur positivè existens habitus vitij. Sed melius respondetur, falsum esse, quod objectio supponere videtur, habitum adquisitum expelli totum à quolibet gradu contrario: possunt enim contrarij habitus cohærere simul in gradibus remissis, ut benè docet P. Suar. cit. sect. 12. n. 13.; adeòque habitus vitij non nisi gradatim expellitur ab habitu virtutis, sicut calor à frigore, ita scilicet, ut primus gradus virtutis solùm pugnet cum octavo gradu vitij, secundus cum septimo, & sic de reliquis. Primus igitur actus virtutis, dum elicitur à prę-habente habitum vitij ut octo, expellit in primo instanti octavum vitij gradum, producendo primum virtutis, reliquos tamen gradus vitij relinquit intactos; qui proinde difficilem tunc reddunt actum virtutis, inclinando in actum vitiosum, ad quem concurrerent, nisi à voluntate cohiberentur.

151 *Dico* 2.: habitus intellectûs & voluntatis perire nequeunt ex defectu subjecti; benè tamen habitus phantasiæ, & appetitûs sensitivi: neutri verò perire possunt ex defectu causæ con-

conservatrícis. Ratio : quia spirituales habitus recipiuntur in subjecto incorruptibili ; materiales autem in organo corporeo, mutationi obnoxio, juxta dicta cap. 5. circa specierum corruptiones : omnes verò efficienter observantur à solâ Causâ prima, ex n. 136. *Dico* 3. habitus non pereunt per merum otium, seu cessationem ab operando, nisi per accidens, aut occasionaliter. Sic fert communis sententia cum D. Thomâ 1. 2. q. 53. ar. 3. contra veteres aliquos. Ratio est, quia nulla forma perit, nisi vel ex defectu cause, vel ex oppugnatione formæ contrariæ. Quare, amissio, vel remissio habitûs, quam post diuturnum otium experimur, solum occasionaliter provenit ab otio ; quia videlicèt potentia interim distrahitur ad alia objecta, non solum disparata, sed contraria ; ideòque contrarios habitus sensim adquirit ; vel etiam quia species, quibus indiget habitus ad operandum, non renovatæ corrupiuntur, & interdùm pereunt ex parte phantasiæ. Vid. P. Suar. cit. sect. 12. à n. 4. ad 12.

# DISPUT. VII.

## DE POTENTIIS SPIRITUALIB. ANIMÆ.

POTENTIÆ spirituales in animâ rationali recensentur tres, Intellectus, Memoria, & Voluntas. Has potentias ab animæ substantiâ realiter inadæquatè distinctas diximus disp. 4. ubi quòque n. 113. inter intellectum & voluntatem agnovimus distinctionem realem ; sed eam n. 114. negavimus inter intellectum & memoriam specificativè sumptam. In præsenti de objectis, ac muneribus, quæ uniculque secundùm propriam conceptum correspondent, breviter differemus, reservato in sequentes Disputationes peculiari examine de actibus intellectûs & voluntatis. Potest etiam, ac debet inter potentias spirituales recenseri potentia locomotiva inorganica, quam animæ rationali tribuimus disp. 2. n. 140. sed de hac potentiâ, præter ibi dicta, nihil in præsenti addendum superest, nisi forté commune aliquid potentiæ locomotivæ Angelorum ; de quo videri poterit Exim. Doctor disp. 18. Met. sect. 3. n. 41. & disp. 55. sect. 6. n. 21.

### CAP. I.

#### *DE OBJECTO INTELLECTUS : UBI quæstiones variæ decidentur.*

1 INtellectus humanus definiri potest, *Animæ rationalis potentia spiritualiter cognoscitiva*, seu *perceptiva objecti*. Si quæras, cujus objecti? *Resp.* : omnis rei cognoscibilis, seu entis quâ latè patet, etiam prout comprehendit entia rationis, & entia negativa, ideal, privationes, & carentias : experimur enim, nullum objectum subterfugere cognitionem intellectûs nostri, saltem contulam, v. g. hanc, *omne ens*, vel omne *cognoscibile*. Quodli aliquid nobis incognoscibile supponas, jam illud cognoscis hoc ipso conceptu *incognoscibile*. Nec ideò intellectus noster adæquatur Divino, vel Angelico : quia, licet recipiat idem objectum adæquatum, differt tamen plurimum ex parte modi, seu ex parte objecti prout tali modo ac perfectione attingibilis. Ratio igitur, sub quâ tendit in-

intellectus humanus, seu sphæra illius objectiva, est ratio entis in communi, non quidem ut ab inferioribus abstracta (hoc enim est objectum cognitionis particularis), sed ut reperta in omnibus nullo excepto. In idem recidit, quod passim dicitur, intellectum tendere sub ratione veri: sumitur enim *verum* transcendentaliter, quo sensu non differt ab ente, nisi penès explicitum, cùm idem sonet, ac intrinsecè cognoscibile, seu intrinsecè capax ut cognoscatur.

2 Sed *quæres* 1., an ens in communi, prout extensum ad chymeras etiam, & negationes, sit objectum intellectûs, non solùm adæquatum, sed etiam specificativum? *Resp.*: si nomine *specificativi* veniat objectum, ad quod cognoscendum primariò ordinatur potentia, vel quod potest ad cognitionem concurrere per se, vel per propriam speciem, solum ens reale meretur id nominis; quia entia ficta, & carentiæ, non cognoscuntur nisi secundariò, & per speciem entis realis. Si verò tali nomine intelligatur objectum, quod sufficeret ad diversificandam potentiam ab aliâ, siqua esset non ejusdem objecti perceptiva, videtur affirmandum; si enim fingas intellectum alium, qui sola entia realia posset cognoscere, nullatenùs autem carentias, & chymeras, ille diversus esset à nostro. Similiter entia ista negativa, & fictitia, non spectant ad objectum formale seu motivum intellectûs nostri, hoc est, ad objectum ex proprijs meritis attingibile, vel potens movere intellectum & ad cognitionem concurrere per se, vel per speciem propriam: secùs tamen, si nomine *motivi* significetur, ut allolet, quod semel cognitum movet ad assentiendum alteri objecto.

3 *Quæres* 2., an ens in communi non solùm sit objectum adæquatum intellectûs nostri, sed etiam proportionatum, seu connaturale? *Resp.* Illud objectum dicitur *proportionatum* vel *connaturale*, vel etiam *proprium*, quod potest attingi naturaliter, seu ex proprijs viribus intellectûs; non quidem terminando utcumque cognitionem aliquam confusam, per species etiam alienas habitam (sic enim totum objectum adæquatum, est proportionatum); sed ad cognitionem sui concurrendo per se, vel per speciem propriam. Quo sensu, si consideretur intellectus hominis secundùm se, vel prescindendo à statu conjunctionis cum corpore, proportionatum objectum ejus est ens reale finitum & naturaliter possibile: non enim extenditur, sicut objectum adæquatum, etiam ad Deum, & ad entia supernaturalia; cùm illorum species propria, vel immediatus concursus objectivus, aut quidditativa cognitio, non sit naturaliter possibilis intellectui nostro. Si verò spectetur intellectus prout in statu conjunctionis, objectum ejus proportionatum, juxta D. Thomam 1. p. q. 12. art. 4., q. 84. ar. 7., & q. 85. art. 1., est quidditas rei materialis; sed juxta Scotum variis in locis apud Mastrium hîc disp. 6. q. 6. ar. 2., est quidditas rei per se sensibilis, idest, quidditas accidentium sensibilium; nam materialis substantia (quam videtur sub connaturali objecto comprehendere D. Thomas) non est sensibilis nisi per accidens.

4 Hâc in re uter aptiùs loquatur, Scotusne, an D. Thomas? pendet ex hâc aliâ quæstione, An intellectus pro hoc statu propriam adquirat speciem substantiæ materialis? In quâ quæstione Scotistæ negant: Thomistæ verò affirmant, voluntque, ut ab accidentium phantasmate, per intellectum agentem elevato, producatur species propria substantiæ, cujus illa sunt accidentia. P. Suar. l. 4. de Anim. c. 4. negat, talem speciem ab intellectu adquiri ex vi phantasmatis, censetque,

primam substantiæ cognitionem haberi per discursum ex alienâ specie, seu ex cognitione accidentium: admittit tamen, ex primâ substantiæ cognitione resultare speciem propriam, per quam deinceps cognoscatur substantia sine discursu, vel sine recursu ad species accidentium.

5 Non est dubium, quin per species accidentium immediatè repræsentetur subjectum eorum substantiale modo confuso, & indistincto, quo scilicèt non discernatur ab accidentibus: hæc enim repræsentantur, non in abstracto, sed in concreto, nempe hoc album, hoc sapidum, &c. Solùm agitur de specie fœcundâ conceptûs proprij, ac discretivi. Sed notandum, quòd bifariàm dicitur conceptus proprius alicujus objecti. 1., quia, licèt concipiat rem instar alterius, aut per prædicata ex se communia, tamen per negationem aut aliter ita limitatur ad tale objectum, ut non conveniat alijs: atque hujusmodi conceptus, qui vocari solet *proprius ex communibus*, habetur à nobis naturaliter de substantiâ, non solùm materiali, sed etiam Angelicâ, & Divinâ; nec elicitur ex propriâ specie, sed per discursum ex alienis. 2., quia rem concipit ut est in se, citra negationem, & analogiam, vel sine ope symboli, vel exempli; qualiter concipimus lucem, aut albedinem, quam videmus; vel qualiter Angelus concipit substantiam suam, & alia objecta naturalia: cujusmodi conceptus vocatur *proprius ex proprijs*, vel *strictè proprius*; & species, à quâ oritur, *strictè propria*.

6 In hoc igitur posteriori & stricto sensu negandum est, quòd intellectus pro statu conjunctionis habet conceptum proprium substantiæ materialis, adeòque nec speciem propriam. Tum quia substantiam non concipimus, nisi instar cujusdam molis. Tum quia in ejus cognitionem manuducimur á cognitione accidentium, additâ negatione inhærentiæ; materiamque, & formam concipimus per analogiam rerum artificialium. Tum quia, si ex vi phantasmatis accidentium resultaret in intellectu propria substantiæ species, illam haberet etiam rusticus; qui proinde discerneret inter substantiam & accidens, sicuti discernit inter colorem & saporem; quod tamen non accidit. Tum quia accidentia eucharistica eodem modo immutant intellectum post consecrationem, ac anteà; nec tamen post causant propriam speciem, aut conceptum proprium substantiæ panis, alioqui substantiam hanc intueretur intellectus ibi, sicut accidentia: vel, si species ista causatur ante consecrationem, non post, ex ejus defectu poterit intellectus sine revelatione colligere defectum substantiæ.

7 Hæc probant, non solùm de primâ substantiæ cognitione, sed etiam de secundâ, & cæteris. Quare, dum P. Suar. cit. cap. 4. n. 4. dicit, ex primâ cognitione resultare speciem propriam substantiæ, non loquitur de strictè propriâ: nam illam dicit esse respondentem primæ cognitioni; quæ cognitio non est conceptus strictè proprius, ut probat ipse P. Suar. ibi n. 2. Solùm ergo vocat propriam, quatenùs deservit, ut faciliùs & sine discursu repetatur cõceptus ex communibus proprius, qui primò formatus est per discursum. Similes species ex primâ cognitione resultantes admittunt alij circa objecta spiritualia, & circa Deum ipsum: & admittendas esse circa quodlibet objectum insensatum, seu non per se sensibile, colligitur ex P. Suar. cit. n. 4. Ex dictis inferes, objectum proportionatum intellectûs cõjuncti, prout explicatum est supra n. 3., solùm esse quidditatem, aut rem per se sensibilem: quare non comprehendit res spirituales (saltè cum exceptione mox adhibendâ), nec substantiam corpo-

ream,

petam, nec accidentia illa materialia, quæ per se non sentiuntur, ut sunt qualitates, quas occultas vocant, & potentiæ ipsæ sensitivæ, si à temperamento distinguuntur: nihil enim istorum proprio conceptu noscitur ab intellectu pro hoc statu.

8 Sed *objic.*: sensibile per accidens, cujusmodi est substantia corporea, ex vi sensationis statim absque indagatione innotescit intellectui, ut cum communi diximus disp. 5. n. 95.: ergo substantia corporea primo cognoscitur sine discursu, atque adeò per propriam speciem: & alioquin Deus etiam dici posset sensibilis per accidés, cùm ex objectis sensibilibus discursu noscatur. *Resp.*: ut illa doctrina de sensibili per accidens, verum habeat, sufficit quòd substantia corporea statim ab intellectu cognoscatur conceptu illo confuso & indiscreto, de quo suprà n. 5.; qui conceptus certè non est proprius, nec supponit speciem propriam.

9 Notandum hìc, quòd regula excludens ab objecto proportionato res spirituales, fortasis exceptionem patitur in actibus intellectûs, & voluntatis: hi namque relinquunt in intellectu speciem sui, ut communiter asseritur, & agnoscit P. Suar. cit. l. 4. c. 5. n. 3.: quæ species dicenda est propria, non aliena: tum quia immediatè producitur ab actu ipso, quem repræsentat: tum quia per illam sine symbolo vel analogiâ cognoscimus, nos cognovisse, vel voluisse. Non tamen dicenda videtur quidditativa; quia non parit conceptum proprium actûs præhabiti, quoad quid est, sed solùm quoad an est, vel fuit: quidditatem enim nostrorum actuum non nisi per discursum cognoscimus.

10 *Quæres* 3., an singularia, seu individua materialia, pertineant ad objectum intellectûs conjuncti? Plures Thomistæ cum Cajetano negarunt, intellectum nostrum cognoscere singularia in rebus corporeis, nisi tantùm cófusè, & arguitivé. Thomistæ moderni docent, intellectum cognoscere quidem singularia proprié, & expressè, at non directè, sed reflexè; quod videtur docere D. Thomas 1. p. q. 85. ar. 1., & alibi non semel. Intellectus itaque, ut ipsi volunt, non recipit speciem directè repræsentativam singularis, sed universalis duntaxat: quare primò ac directè cognoscit solùm universale; posteà verò convertendo se ad phantasma, & suprà ipsum reflectendo, discernit etiam, & cognoscit expressè singulare.

11 Contrà Scotistæ cum Scoto, & Nostri cum P. Suar. hìc l. 4. c. 3. tenent, intellectum pro hoc statu cognoscere singularia corporea, non solùm expressè, ac distinctè, sed etiam directè. Et inprimis, quòd expressè ac distinctè cognoscat, videtur evidens: quivis enim cognoscit se ipsum, ac se discernit ab aliis, ut etiam patrem suum, fratrem, amicum, &c.: intellectus passim propositiones format de subjecto singulari, & syllogismos expositorios, discernitque inter singularia & universalia: Fides Divina sæpè est singularium; & prudentia, quæ intellectualis est virtus, circa singularia versatur: voluntas etiam plerumque fertur in singularia, quæ proinde ab intellectu cognita supponit. Deinde, quòd etiam directè cognoscat, *probatur* 1.: quia experientiâ constat, nullâ reflexione opus esse, ut quis occurrentem amicum statim agnoscat, & salutet; vel ut Solem, quem videt, mente concipiat; vel ut, conspectâ imagine Deiparæ, protinùs de ipsâ B. Virgine cogitet. Quis credat, fieri non posse, ut tibi Deipara in mentem veniat, nisi prius cogites de natura humanâ ut sic, ac deinde cóvertas te ad phantasma, tumque reflexione factâ incidas in cogitationem Deiparæ?

12 2.: quia intellectus habet speciem propriam singularis, seu directè repræsentativam illius: ergo directè illud cognoscit. Consequentia legitima est apud Adversarios. Antecedens autem optimè probat, ac pene demonstrat P. Suar. loc. cit. Nunc facis ad hominem probabitur sic. Intellectus formaret conceptum proprium singularis, saltem, ex tuum, ut Thomistæ concedunt sed non illud formaret per speciem solius universalis: ergo per speciem singularis propriam. *Prob. Min.*: quia intellectus nequit formare proprium conceptum Petri per speciem, quæ conceptum istum non continet, ut est certum: talis autem est species hominis ut sic; quippe quæ nullam individuum in particulari repræsentat (aliter jam non foret solius universalis), sed adæquatè communiratur conceptui *hominis* sicut ergo ex concepta *homine* non sequitur conceptus *Petri*; ita &c.

13 *Dicunt*, speciem universalis determinari ex occursu phantasmatis, ut producat conceptum singularis. Sed *contrà* 1.: occursus iste non auget virtutem speciei, cùm nec phantasma immediatè cōcurrat ad intellectionem, nec species universalis in se ipsâ variet, ut Adversarij supponunt: ergo species illa potè talem occursum æquè inepta manet, ac antea. *Contrà* 2.: occursus phantasmatis æquè datur, cùm primò producitur species; hæc enim non nisi præsente & concurrente phantasmate producitur: cur ergo non ita sim in circum-, & reflexione, determinabitur species ad cognitionem singularis? *Contrà* 3.: anima separata per species in corpore adquisitas meminit singularium, ut patet ex collo quio divitis cum Abrahamo, Luc. 16.: tunc autem nullus est occursus phantasmatis.

14 *Objic.* 1.: Aristoteles in eo differimat intellectum à sensu, quod sensus sit singularium, intellectus verò universalium. 2.: ad hoc ponitur intellectus agens, ut speciem abstrahat à conditionibus individuantibus, quæ in phantasmate continentur: & alioqui species intelligibilis non poterit esse spiritualis, cùm repræsentet materiale objectum materiali modo, nempe contracto ad individuum, & non abstrahente ab hic & nunc. 3.: intellectus, utpotè immaterialis, debet cognoscere objectum altiori & universaliori modo quàm sensus, & quidem per primam cognitionem; aliter non differret à sensu, quantum ad id, quod primò & per se respicit, seu quantum ad limitationem primæ speciei, & cognitionis. Hæc parùm urgent. *Ad* 1.: Aristoteles solùm vult, ut intellectus non cognoscat singularia tantum, sicut sensus, sed insuper universalia. Sic dicimus passim, quòd proprium est bruti sentire, hominis verò ratiocinari: nec tamen negamus homini vim sentiendi.

15 *Ad* 2.: intellectûs agentis officium est abstrahere speciem a materialitate phantasmatis in essendo, non in repræsentando, idcirò, ut producat speciem entitativè spiritualem, quæ idem objectum phantasmatis repræsentet. Quare tam species, quàm intellectus, abstrahit subjectivè à *conditionibus individuantibus*, & ab *hic & nunc* (intelligè, quatenùs per hæc verbà significantur circumstantiæ sensibiles), quia entitatem habet immaterialem, non tamen ab his circumstantijs abstrahit objectivè, cùm eas in objecto repræsentet, modo quidem objectivè materiali, sed immateriali subjectivè, seu entitativè. Instantia est clara in specie Angelicâ, quæ directè repræsentat individua corporea: item in cognitione nostrâ reflexâ, quæ certè non minùs debet à materialitate abstrahere, quàm species impressa. Nemo dubitat, quia intellectus, & ejus species, repræsentet materialitatem ex parte objecti, utpotè imbibitam in naturâ communi,

v.g.

v. g. lapideæ. Quòd autem materialitas accedat singularitas, quia refert?

16 *Adi*; intellectus præsensu cognoscit modo altiori, seu nobiliori, nempe spirituali, qui circa etiam universalior ex genere suo, quamvis in prima cognitione coarctetur ad objecta a sensûs. Differt etiam intellectus a sensu, quantum ad id, quod respicit *per se*: quia non solum per se respicit objectum sibi ile, sed etiam omne cognoscibile. Quòd autem non differat, quantum ad id, quod respicit *primò*, id est, per primam cognitionem, id hoc, vel hoc, quod verissimum est, ordinem intelligendi pro hoc statu debere incipere ab objecto sensibili. Negare id est dedecus intellectûs; sicut non erit dedecus hominis, quòd in planta non differat, quantum ad primam operationem vitalem, nec à bruto, quantum ad primum actum intentionalem. Prima tamen species intelligibilis minùs est similitudo in operando, quam species sensibilis: quia post primam cognitionem singularis, deservit etiam ad cognitionem universalis.

17 Sed hîc *quæres* 4., quodnam sit primum cognitum ab intellectu pro hoc statu? Quæstio hæc celebris est apud Thomistas; qui, singulare prorsùs excludentes à primâ cognitione, latè disputant de primo cognito inter universalia. Et inprimis omnes uno agmine pugnant contra Scotistas, qui prius cognosci dicunt speciem specialissimam (id est, atomam, v. g. humanam, aut leoninam), quàm prædicata generica. Deinde circa prædicata ista prolixè inter se litigant; dum alij volunt, ut primum cognitum sit ens abstractum à materiali & spirituali; alij, ut sit ens connotans materialitatem, ita ut hæc non sit ratio *quæ* in recto cognita, sed merum connotatum; alij, ut sit quidditas rei materialis, seu ens formaliter materiale, ita ut materialitas explicitè & formaliter cognoscatur. Quilibet ex his dicendi modis patronos habet plures Thomistas, ut videre est apud M. Froylanum q. 1. proœm. ad Physicam ar. 2., qui omnes D. Thomam allegant, & allegatum ab aliis variè interpretantur.

18 Sed breviter dicimus cum P. Suar. cit. l. 4. c. 3., priùs cognosci singulare, quàm universale. Sic etiam docuit Scotus apud Mastrium hîc disp. 6. n. 239., & sequuntur communiter Scotistæ. *Prob.* 1. quia prius est cognoscere fundamentum abstractionis (nempe convenientiam plurium singularium), quàm naturam communem abstrahere: rusticus enim, cui nunquam in mentem venit possibilitas plurium individuorum convenientium in naturâ Solis, unde movebitur ad concipiendum naturam Solis in communi? vel quo fundamento priùs concipiet Solem, ut sic, quam individuum Solem, quem videt? 2.: quia intellectus accipit speciem propriam, seu directè repræsentativam singularis sensu perceptî, ut supra ostendimus: non est autem cur tali specie non statim utatur. *Dicent*: uti quidem, sed ad concipiendum naturam communem, quæ in tali individuo continetur. *Contrà*: species illa virtutem habet repræsentandi, non solum naturam talis individui, sed etiam singularitatem: cùm ergo sit causa necessaria, & nullo excepto impedita, dum primò imprimitur, cur non statim exerat totam virtutem? Ubi notandum, quòd intellectus non accipit medio phantasmate speciem universalis distinctam à specie singularis; sed ad primam universalis cognitionem utitur speciebus plurium singularium inter se convenientium: post primam verò cognitionem probabile est reliquî speciem solius universalis repræsentativam. Vid. P. Suar. cit. c. 3. n. 12. & seqq.

19 Jam, si comparatio fiat inter universalia, probabilior videtur

ton

sententia Scoti, quòd scilicèt priùs cognoscatur minùs universale, seu species atoma, v. g. priùs ratio albedinis, quàm ratio coloris ut sic, aut qualitatis ut sic, aut entis ut sic. Fac, primum objectum oblatum puero ad intelligendem, esse albedinem. Prorsùs incredibile apparet, quod nequeat puer albedinem neutre concipere, quin priùs concipiat ens ut sic, aut ens materiale, ac deinde distinctis conceptibus omnia prædicata intermedia (per omnia debet gradatim descendere, juxta Froylanum q. cit. ar. 1. § ult.), videlicèt accidentis ut sic, qualitatis corporeæ, qualitatis sensibilis, qualitatis secundæ, coloris ut sic. Quid enim puer novit de his prædicatis, quæ vix Philosophi distinguere nôrunt? Vel quid necesse est arborem prædicamentalem à vertice ad radicem percurrere, ut concipiatur albedo oculis expositæ? Non né congruentius est, ut in arbore istâ priùs ascendat intellectus, quàm descendat? Præterea, prima species impressa intellectui, repræsentat gradum specificum objecti, ut Thomistæ concedunt: ergo intellectus cum tali specie virtutem habet adæquatam ad eliciendum conceptum specificum: hunc ergo statim elicit, cum sit causa necessaria, & completa, nec in primo conceptu pendeat ab imperio voluntatis.

20 Fundamentum Thomistarum est, quod intellectus in primâ cognitione procedit de potentiâ ad actum; adeòque priùs debet elicere actum imperfectiorem, qualis est cognitio magis universalis, utpotè magis cõfusa: omne quippe agens, dum ita procedit, priùs pervenit ad actum imperfectum, quàm ad perfectum; quia inter potentiam & perfectum actum mediat imperfectus. Sic animal priùs generat embryonem, quàm introducat animam. Sic etiam artifex priùs format opera rudia, quàm perfecta. *Resp.* Quãdo agens de potentiâ activâ completâ & expeditâ procedit ad actum, nullo obice, nullâ contrarietate retardatum, producit statim actum perfectissimum, quem continet; ut patet in Sole illuminante, in substantiâ radicante suas proprietates, & in lapide primùm decidente, qui certè non minùs velociter incipit se movere, quàm si centies anteà cecidisset. Quòd autem in generatione animalis, & in pluribus alijs paulatim procedat virtus agentis, provenit à resistentiâ materiæ, vel passi. Cùm ergo intellectus, cui primò proponitur albedo, virtutem habeat completam ad cognitionem gradûs specifici, siquidem ejus speciem accipit; cúmque aliunde nullum sit obstaculum ex parte potentiæ, neque ulla resistentia in objecto; nihil est cur ea cognitio differatur.

21 *Dices*: cur ergo priùs cognoscimus rem confusè, quàm distinctè, ac per partes? v. g. priùs definitum, quàm definitionem, vel priùs domum indigestè, quàm partes singulas? *Resp.*: quia plerumque non accipimus primo aspectu speciem distinctè repræsentativam partium; sed eam paulatim adquirimus, vel rem attentiùs inspiciendo, vel ex effectibus discurrendo. Si tamen prima species foret per se repræsentativa partium secundum proprios earum conceptus objectivos, posset statim concurrere (ut concurrit in Angelo) ad cognitionem rei definitivam, vel distinctè exhibentem partes ejus physicas, aut metaphysicas. Cùm autem Aristoteles ait, cognitionem nostram ab universalioribus debere incipere, loquitur de ordine doctrinæ in tradendis Scientijs, in quibus præmittere oportet, quæ communia sunt, ne postea inepte repetantur. De cætero Aristoteles ipse 1. Poster. c. 2. docet, notiora nobis esse, quæ sunt sensibus propinquiora.

22 *Quæres* 1., an possit intellectus noster intelligere simul plura ut plu-

plura, seu per modum plurium? Negat D. Thomas 1. p. q. 85. ar. 4., ubi pro eodem accipit cognoscere plura per modum plurium, ac cognoscere per plures species. Sed hoc difficile videtur: qui enim discernit inter album & nigrum, aut inter hominem & equum, plura cognoscit per diversas species; quod nec Thomistæ negant. Unde omnes fateri videntur, cognosci simul per diversas species objecta plura, dummodò aliquatenus adunentur vel sub eodem prædicato, vel tamquam partes ejusdem Totius, vel tamquam extrema unius relationis, aut comparationis, nempe similitudinis, diversitatis, inæqualitatis, &c. D. Thomas autem, dum absolutè excludit simultaneum usum plurium specierum, dumque 1. p. q. 12. ar. 10. negat, simul intelligi partes alicujus Totius, si proprijs speciebus intelligantur, interpretandus est de speciebus, quarum singulæ magnam exigunt attentionem, & totas præsentes intellectûs vires ad suum objectum rapiunt. Certè interpretatione indiget, quod locis cit. asserit S. Doctor, videlicèt non posse intellectum informari simul per diversas species, sicut nec unum corpus potest simul diversis figuris figurari. Nam inter Spectorum patronos pro comperto habetur, in eodem intellectu conservari simul species plures, ac diversas.

23 Difficultas est, an intellectus possit intelligere simul plura objecta penitùs disparata citra ullam inter se unionem, comparationem, aut ordinem, quem ipse confideret? Affirmant Scotistæ, & Nostri cum P. Suar. hîc l. 3. c. 7., saltem per plures actus simul elicitos. Id quod videtur experientiâ notum, non solùm de intellectu, sed etiam de visu, & auditu: sæpe enim simul videmus in foro plures homines diversa opera exercentes, simulque jumenta, currus, &c. & sæpe quòque plures simul sonos omninò diversos & inconnexos distinctè audimus, & quidem citra comparationem eorum inter se; quæ nec à sensibus fieri potest, nec ab intellectu fit primo intuitu. Intellectus etiam solet simul attendere ad actiones externas omninò inconnexas; ut cùm artifex ad opus attendit, simul que cum adstantibus varia loquitur, aut iocatur. Ratio à priori: quia non est necesse, ut quodvis objectum totas occupet vires intellectûs, totam vè rapiat attentionem, licèt hoc interdùm contingat.

24 Sed numquid potuerit etiam intellectus unico actu percipere objecta disparata? Authores nostri passim affirmant: quia nulla est repugnantia in eo, quod unus conceptus identificet secum tendentias in diversa objecta, quæ in alijs conceptibus distinguuntur, dummodò non sint inter se oppositæ, ut non sunt istæ v. g., *Petrus loquitur, canis dormit.* Sic juxta communem sententiam eadem species in superiori Angelo repræsentat objecta multa, quæ in Angelo inferiori repræsentantur per multas species. Præterea non videtur alienum à virtute potentiæ intellectivæ, etiam naturaliter operantis, quòd possit uti pro eodem effecto diversis & inconnexis speciebus, quando hæ simul accipiuntur, aut simul excitantur. *Dices* 1.: repugnat, idem esse simile duobus inter se diversis. *Resp.*: repugnat quidem, dum sermo est de similitudine physica, & specificâ: secùs verò, de similitudine intentionali, quæ præcisè consistit in manifestando, seu notificando rem aliam: quid enim prohibet, per eamdem manifestationem innotescere duo diversa?

25 *Dices* 2.: ergo potuerit idem conceptus esse verus circa unum objectum, & falsus circa aliud. *Concedunt* aliqui sequelam, quando objecta sunt penitùs disparata. Alij dicunt, deficiente aliquo ex objectis, à suum forte gerum secundum quid, simpliciter autem fal-

falsum, quia falsitas, utpotè de genere mali, resultat ex quocumque defectu. *Dices* 3.: actus debet sumere unitatem ex objecto, cùm ab eo specificetur: in objectis autem disparatis nulla est unitas. *Resp.*: actus non sumit ex objecto unitatem realem, aliter hic actus, *rosa et animal*, non posset esse realiter unus. Sumit tamen unitatem specificam; non quod illam supponere debeat in objecto (ut patet in exemplo nunc adducto); sed quatenùs ratione objecti evadit ejusdè speciei cum alijs actibus idem objectum respicientibus, & specie differt ab omnibus, qui non idem respiciunt. Ad hoc autem de materiali se habet, quòd objectum ab actu respiciatur ut unum, vel ut multiplex.

26 *Quær. 6.*, an sit possibilis intellectus ita limitatus ad aliquam speciem entis, ut nihil aliud intelligere valeat? Negat communis sententia contra aliquos. Et, omissis alijs argumentis, probatur breviter: quia repugnat intellectus impotens cognoscere objectum spirituale; si enim limitaretur ad objecta corporeum, jam esset potentia materialis, adeòque non intellectiva, cùm de conceptu intellectûs sit spiritualitas juxta omnes. At intellectus potens cognoscere objectum aliquod spirituale, debet esse potens Deum cognoscere: jam enim Deus ab ejus sphærâ non extrahitur titulo spiritualitatis: & aliunde nec titulo infinitatis: quia, ut alibi argumentabar, hic titulus æquè militat respectu intellectûs nostri, cui tamen Deum non reddit incognoscibilem. Si autem intellectus ille Deum posset cognoscere, posset & omnia entia, saltem in communi: tum quia imperfectior & facilior est cognitio creaturarum in genere, quàm cognitio Dei; tum quia nequit cognosci Deus, quin cognoscatur ens infinitum, & omnipotens, adeòque potens producere infinita entia, seu entia finita sine fine. Unde colliges, omnem intellectum possibilem tendere sub ratione entis in communi; & consequenter, additâ specie propriâ, vel supernaturali lumine, posse cognoscere clarè ac distinctè quælibet entia sub omni ratione particulari, ut patet in intellectu nostro.

27 Denique inquiri solet in præsenti, utrùm intellectivum essentialiter inferat volitivum? sive utrùm repugnet substantia intellectiva, quæ non sit volitiva? Quæstio hæc latè tractatur à Theologis: quare hic breviter tantùm delibanda est. Non desunt, qui negent: sed affirmat sententia communis in omni Scholâ: probarique solet ratione desumptâ ex D. Thoma 1. p. q. 19. art. 1. Videlicet, ita se habet appetitus elicitus, voluntatis proprius, ad bonum apprehensum, sive cognitum, sicut appetitus innatus ad bonum physicum & connaturale: sed omnis substantia naturaliter perfectibilis per formam aliquam sibi bonam, appetitum habet innatum, vel desiderij, ut illam absentem assequatur, vel gaudij, ut illâ præsente perfruatur: ergo omnis substantia cognoscens objectum sibi bonum, debet esse capax similis appetitûs eliciti circa ipsum. At omnis substantia intellectiva potest cognoscere objectum aliquod sibi bonum; cùm saltem possit cognoscere suam existentiam, quam nequit non apprehendere ut convenientem sibi. Debet igitur esse capax appetitûs eliciti, seu volitionis, circa tale bonum.

28 Confirmatur 1.: quia, ut vidimus in quæstione præced., repugnat substantia intelligens, quæ nequeat cognoscere quodlibet ens sub omni ratione, sub quâ est cognoscibile: si ergo substantia intelligens elevetur ad unionem hypostaticam v. g., potent illam cognoscere ut sibi bonam, & consequenter ut sibi appetibilem, cùm bonum & appetibile convertantur, sicut ve-

vernm. & cognoscibile. Sed nequit illam cognoscere ut sibi appetibilem innatæ, cùm unio hypostatica utpotè maximè supernaturalis & indebita, nequeat apparere naturaliter: illum ergo cognoscere ut sibi appetibilem elicere ac proinde poterit eam ita appetere, saltem appetitu grandi. Confirm. 2.: quia quævis substantia intelligens, posset Deum cognoscere ut Creatorem suum, adeòque ut beneficum sibi, & existentiam suam apprehendere ut beneficium Dei: talis autem cognitio per se inclinat ad gratiarum actionem, sive ad affectum gratitudinis, ut ex terminis patet: ergo supponit in subjecto propriæ capacitatem ad hujusmodi affectum. Confirm. 3.: quia repugnat substantia capax visionis Dei, & incapax amoris tantæ bonitatis: sicut repugnat subjectum capax ultimæ dispositionis ad formam, & formæ incapax; aut capax gravitatis, & incapax motûs deorsùm; aut capax intentionis finis, & incapax electionis mediorum. Cùm igitur nulla sit possibilis substantia intellectiva, quæ non sit capax visionis Dei, nulla poterit esse incapax amoris ejusdem: visio quippe Dei multò magis ad amorem inclinat, quam ultima dispositio &c.

29 Opponi solet 1.°, quòd externi sensus cognoscitivi sunt, nec tamen sunt appetitivi. 2.°, quòd intellectivum ratione distinguitur ab appetitivo, & concipitur ut prius, adeòque ut independens. 3.°, quòd non repugnat cognitio impotens excitare voluntatis affectum: cujusmodi sunt variæ cognitiones speculativæ, v. g. *bis tria sunt sex*, vel, *quadribat est verum est*: & saltem ejusmodi effet assensus fidei supernaturalis, quo Petrus crederet Deo revelanti decretum non concurrendi ad ullum actum voluntatis humanæ; talis quippe assensus connecteretur essentialiter cum eo decreto, atque adeò cum carentiâ omnis actûs voluntatis Petri. Sed respondetur ad 1.°, sensus externis respondere totidem appetitus, ex dictis disp. 5. n. 132. & seqq.: vel saltem ejusmodi sensus esse appetitivos radicaliter, & mediatè, nec existere posse nisi in supposito appetitivo. Ad 2.°, posse duo ratione distingui, & tamen invicem connecti essentialiter, ut patet in omnipotentiâ, æternitate, & immensitate Dei: nec intellectivum concipi ut independens, aut incunexum, licèt concipiatur ut prius; quia non illi convenit prioritas in subsistendi consequentiâ, sed tantùm prioritas quædam connotativa ex ordine ad operationem priorem, nempe ad intellectionem, quæ volitione prior est.

30 Ad 3.°, posse quidem dari cognitionem nullius affectûs excitativam, dummodò non repræsentet objectum ut cognoscenti bonum; non tamen inde inferri possibilitatem intellectivi non volitivi: quia nullum intellectivum potest esse ab intrinseco limitatum ad ejusmodi cognitiones steriles, aut impotens cognoscere bona sua sub ratione talium, ut constat ex probationibus adductis. Alij negant, possibilem esse cognitionem, quæ nequeat excitare complacentiam aut displicentiam aliquam, vel circa objectum, vel saltem circa semetipsam; vel saltem quæ ex proprio repræsentandi modo non supponat in subjecto suo capacitatem volendi; sicuti revera supponit ille assensus Petri, eo ipso quòd repræsentet Divinum decretum non concurrendi cum ejusdem Petri voluntate ad ullum actum. Poterit etiam negari possibilitas illius revelationis, aut assensûs essentialiter veri: talis quippe assensus foret naturâ suâ motivo & inclinativo ad amorem Divini decreti, & aliunde penetret essentialiter carentiam amoris: peteret ergo simul duo contradictoria, quod est chymericum. Quare decretum illud esset irrevelabile (saltem in ordine ad assensum hujusmodi

turalem), sicut decretum de non revelando quidquam, vel de non concurrendo ad aliam cognitionem.

## CAP. II.

### *DE INTELLECTU AGENTE, & possibili : de dependentiâ intellectus à Phantasiâ : ac de Memoria intellectivâ.*

31 EX dictis disp. 6. n. 90. & seqq. constat, *intellectum agentem* appellari, qui simul cū phantasmate producit species spirituales: qui vero species illas recipit, & cum eis producit, ac patitur intellectiones, vocari *possibilem*, & *passibilem* aut *passivum*. Constat etiam, intellectum agentem ideò communiter à nostris, quia nequit aliter assignari causa sufficiens productionis specierum spiritualium. Nūc explicanda sunt tria munera, quæ passim tribuuntur intellectui agenti: videlicèt, *illuminare phantasmata*, *abstrahere speciem à phantasmatibus*, & *facere res actu intelligibiles*. Circa primum inter se dubitant Thomistæ apud Collegium S. Th. Complutense q. 10. n. 44. & seqq. sed communior eorum sententia apud eundem Collegium ibi n. 47. & 48. docet, intellectum eatenus illuminare phantasmata, quatenus hæc ab illo recipiunt virtutem quandam spiritualem, vi cujus reddantur habilia, ut instrumentaliter concurrāt ad speciem intelligibilem: nec esse inconveniens, quòd virtus incompleta spiritualis (tò *incompleta* idem sonat, ac *per modum formæ*) recipiatur in subjecto corporeo, ut patet exemplo animæ nostræ, quæ, quia incompletè spiritualis, materiale subjectum informat.

32 Verùm hæc sententia omninò est rejicienda. Quia virtus illa foret ab habitu accidentalis, ac proinde, si reciperetur in phantasmate, foret educta ex subjecto corporeo, & ab ipso dependens in fieri & conservari: nihil autem magis alienum à conceptu formæ spiritualis: aliter cur spiritualis non dicitur anima bruti? vel cur anima rationalis ita ponitur informare corpus, ut tamen ab eo non pendeat in conservari, nec ex eo educatur? Dicendum igitur cum P. Suar. hic lib. 4. c. 2., per illa munera intellectūs agentis nihil aliud significari præter actionem, quā intellectus ipse producit speciem intelligibilem concurrēte phantasmate. Hāc enim actione dicitur intellectus illuminare phantasmata, quatenūs efficit, unde ejus participaliter producatur species spiritualis eo fere modo, quo lumen colori adjunctum efficit, ut a colore mittatur virtualis species: vel etiam quatenūs luce quādam spirituali (id est, specie intelligibili) donat objecta phantasmatum. Dicitur item speciem abstrahere à phantasmatibus, quatenus producit speciem immaterialem de objecto ejus, quę species dicitur abstracta, idest, deparata (entitative, non objective) à materialitate phantasmatum. Dicitur demum facere res actu intelligibiles; quia res materiales, donec producatur earum species incorporea, non sunt ab intellectu cognoscibiles actu, idest, proximè, sed remotè tantùm, aut in potentiâ.

33 Similiter explicanda sunt duo alia munera, quorum meminit D. Thomas, videlicet *confortare intellectum possibilem*, & *facere evidentiam principiorum*: eatenus enim intellectus agens confortat possibilem, quatenus media specie complet ejus virtutem ad intelligendum: media quoque specie facit evidentiam principiorum; quæ prima principia dicentur non intelligi, sed postea specie illarum apprehendamus evidenter. Unde colliges, omnia munera intellectūs agentis consistere reductivè in efficiendo id præsentiam phantasmatis speciem intelligi-

gibilem per modum causæ principalis. *Dices*: intellectus agens elevat phantasma ut instrumentum ad productionem speciei spiritualis: debet igitur illud præmovere, seu aliquid in ipsum præviè agere. *Neg. consequ.*: quia, licèt præmotio requiratur in instrumentis artis, non ita in naturalibus generatim; ut patet in specie, & habitu adquisito, quæ instrumentaliter concurrunt ad intellectionem, & à potentiâ vel animâ elevantur ad nobiliorem effectum per solam unionem, & concursum simultaneum. Immò etiam sine unione sufficit assistentia, vel præsentia causæ principalis; ut cernitur in seminibus viventium, cùm ab universali causâ elevantur ad fœtum producendum.

34 *Quæres*, an intellectus agens realiter distinguatur à possibili? Affirmant Thomistæ apud cit. Collegium Complut. q. 10. n. 13.. Sed negant communiter Nostri cum P. Suar. cit. lib. 4. c. 8., solum agnoscentes distinctionem rationis, vel quoad munera, seu commotata. Negant quoque Scotistæ cum Scoto apud Mastrium hic disp. 6. q. 5. ar. 2.. Quorum sententia probatur breviter: quia nullum est fundamentum urgens pro distinctione reali: actiones enim per se subordinatæ ut medium & finis, cujusmodi sunt productio speciei, & productio intellectionis, non est cur ab eadem virtute provenire nequeant, quando aliunde nihil obstat. Sic juxta Thomistas ab eadem virtute proveniunt in physicis productio ultimæ dispositionis, & generatio formæ. Adde, quòd potentiæ, juxta Thomistas, distinctionem realem sumunt ex objectis: idem autem objectum respiciunt intellectus agens, & possibilis: & quidem intellectus agens omninò propriè respicit objectum, si quidem species est representatio formalis, ut Thomistæ volunt.

35 Nec D. Thomas, quem fidenter allegant, forsan intendit præquam distinctionem rationis perfectam, qualem non agnoscit inter intellectum & memoriam, inter intellectum practicum & speculativum, &c.: vel solum vult, ut intellectus agens, quatenùs proximè activus speciei, distinguatur à possibili realiter inadæquatè; quatenùs sic acceptus, importat conformitatem phantasmatis. Unde 3. Doctorum phantasmatis. Unde 3. Doctor 1. p. q. 79. ar. 7. & 10. ex eo probat, intellectum agentem distingui à possibili, quia alter est activus speciei, alter passivus; *& in omnibus*, inquit, *est alia potentia activa, & alia passiva*. Quæ ratio, nisi accipiatur de distinctione rationis, vel de reali inadæquatâ, ut nunc exponit, probabile contra omnes, intellectum possibilem dicendum esse realiter in duos, quorum alter sit activus intellectionis, alter passivus. Sicut ergo Thomistæ, ut salvent distinctionem inter potentiam activam & passivam respectu intellectionis, sumunt potentiam activam prout conjunctam cum specie impressâ (quæ ratione realiter inadæquatè distinguitur à passivâ); ita salvari poterit similis distinctio potentiarum respectu speciei, si sumatur intellectus agens, ut cum phantasmate conjunctus.

36 *Objic.*: intellectus possibilis est potentia purè passiva respectu speciei: ergo adstruenda est alia potentia speciei activa. *Prob. antec.* 1.: quia intellectus ille dicitur pura potentia in ordine intelligibilium. 2.: quia omnis potentia sensitiva est purè passiva speciei, quâ utitur: ergo pariter &c.. 3.: quia omnis potentia est purè passiva respectu illius formæ, sine quâ est simpliciter impotens operationem enim potest sibi parare suum actum primum, aut producere complementum illum. Sed potentia cognoscitiva, qualis est intellectus possibilis, est simpliciter impotens operari sine specie: ergo &c.. *Confirm.*: quia species & intellectio non

conveniunt in vitalitate, nec producuntur sub eâdem ratione communis: non ergo procedunt ab eâdem potentiâ.

37 Ad *object. neg. Antec.* in sensu reali. *Ad 1. prob.*: intellectus possibilis, realiter sumptus, dicitur pura potentia &c., quia nullam habet speciem congenitam, sed omnes debet adquirere mediante sensuum, sic tamen, ut ipse activè concurrat ad productionem earum; ideòque non est potentia purè passiva, sed simul activa, licèt dicatur *pura*, idest, ex se carens omni specie. *ad 2.*: jam diximus disp. 8. n. 91., cur potiùs detur intellectus agens, quâ sensus agens specierum: semel autem admissus intellectus agens, non est cur distinguatur à possibili; quod pariter dicendum esset de sensu agente, si admitteretur. *Ad 3.* concedo. *Maj.* de formâ (idem intellige de actu primo, vel comprincipio) necessariâ simpliciter ad primam potentiæ operationem; nego tamen de necessariâ simpliciter ad operationem, quæ jam supponit aliam ejusdem potentiæ: nam intellectus est impotens judicare sine apprehensione, & voluntas eligere sine intentione previâ; nec tamen intellectus est potentia mere passiva respectu apprehensionis, nec voluntas respectu intentionis. Tum *dist. Antec.* est simpliciter impotens operari sine specie cognitionem, *conc.*; speciem ipsam, *neg. min.* & *Consequ.* Species ergo prærequiritur quidem ad cognitionem; non tamen ad omnem operationem intellectûs possibilis; quia ipsa speciei productio: vere est operatio illius potentiæ realiter sumptæ.

38 *Dices*: à potentiâ cognoscitivâ ut talî non provenit nisi cognitio; sicut à volitivâ ut talî, non nisi volitio: sed species non est cognitio: ergo *neg. min.* à potentiâ judicativâ ut talî non provenit nisi judicium: sed apprehensio non est judicium: ergo apprehensio non provenit à potentiâ judicativâ. Negabis *Consequ.* in sensu regulî, licèt vera sit *Major* in sensu formali & reduplicativo, quem efficit tò *ut talî*. Idem ergo tibi dictum puta. *Dices* insuper: nulla potentia cognoscitiva sibi præparat objectum suum, sed aliunde præparatum supponit: per speciem autem præparatur objectum intellectûs possibilis, quia redditur proximè intelligibile. *Hæc* etiam probat, à potentiâ judicativâ non elici apprehensionem: quia per hanc redditur objectum proximè judicabile. Quamvis ergo potentia cognoscitiva supponat suum objectum specificativè sumptum, potest tamen per suam operationem illud reddere proximè aptum ad aliam operationem terminandam.

39 *Ad Confirm.*: quidquid sit de vitalitate (ad quam species jus habet in doctrinâ Thomisticâ), facilè assignabitur ratio communis intellectioni, & speciei, si hæc sit repræsentatio formalis, ut Thomistæ volunt: nam utraque convenient in ratione repræsentationis formalis, vel intentionalis assimilationis objectî; & hinc hac ratione proveniet utraque ab eâdem potentiâ. Hæc eadem ratio similitudinis objecti sufficit in nostris principiis: quia, licèt solùm analogicè conveniat speciei, quæ solùm est similitudo virtualis, tamen defectus convenientiæ univocè compensatur in specie per conceptum medij per se ordinati & inflexi ad intelligendum, nec aliud habentis munus in rerum naturâ. Et quærè à Thomistis, quæ sit ratio communis generationi & alterationi previæ, ut proveniant ab eâdem virtute? Nec necesse est vitalem esse formaliter omnem operationem potentiæ vitalis: sufficit vitalem esse vel formaliter, vel virtuliter, aut dispositivè.

40 Jam circa dependentiam intellectûs à phantasiâ, certum est 1., intellectum esse potentiam spiritualem, & inorganicam, adeòque non posse

in

in essendo à phantasiâ, nec ab ejus organo, nec ab ullo alio corporeo; ut constat ex dictis disp. 2. cap. 1. Unde intellectus, etiam quatenus importat potentiam accidentalem, non est alligatus uni corporis parti, sed in toto corpore comitatur animam ut proprietas ejus in esse substantiæ spiritualis: dicitur tamen intelligere, non in qualibet parte corporis, sed in capite; vel quia ibi accepit species ministerio phantasiæ; vel etiam quia intellectiones in solo capite existunt, non ut in subjecto, sed tanquam in loco. Hinc certum est 2., nec in operando pendere intellectum à phantasia pro omni statu; cùm possit à phantasiâ separari cum animâ, quæ certe in statu separationis intelligit. Certum est 3., intellectum in statu conjunctionis ad corpus, pendere à phantasiâ in operando, tanquam à ministrante primas species objectorum, eo fere modo, quo phantasia ipsa pendet à sensibus externis. Cùm enim intellectus humanus non habeat species congenitas, seu à naturâ inditas, ut contra Platonicos probat D. Thomas 1. p. q. 84. ar. 3., & P. Suar. hic l. 4. c. 1., debet eas ministerio sensuum accipere, & proximè quidem ministerio sensûs interni; seu phantasiæ, quæ illas ab externis sensibus accepit. Unde profluxit illud, *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, nimirum quoad primas objectorum intellectiones: postea enim intellectus ex objectis sensu perceptis devenit per discursum in noticiam plurium rerum, quæ à nullo sensu percipiuntur.

41 Dubium tamen est 1., utrùm intellectus, non solum in primis cognitionibus, sed etiam in cæteris, pendeat ab operatione phantasiæ, ita ut adquisitas semel speciebus nunquam possit uti, nisi phantasia simul ministret idem objectum, vel aliquid analogum? Non desunt, qui neganr; rum paritate phantasiæ, quæ semel habitis speciebus utitur, cùi cùm nullus operatur sensus exterior; cum experientiâ eorum, qui rapiuntur, aut extatim patiuntur; tum quia intellectus, jam prædictus specie, plenam habet virtutem intelligendi. Communis tamen sententia cum Aristot. 3. de Anim. t. 30., D. Thoma 1. p. q. 84. ar. 7., & P. Suar. hic l. 4. c. 7. (quam etiam tenet Scotus plurib. in locis apud Mastr. disp. 6. n. 6., licet alicubi videatur oppositam insinuare) prorsus affirmativa est; probaturque duplici experimento 1., quòd læso phantasiæ organo, vel ejus operatione impedita, intellectus non utitur speciebus præviis, nec habitibus scientiarum aeræ adquisitis, ut cernitur in phreneticis, & lethargicis, aut alias dormientibus, & in iis, qui memoriæ intellectualis ullum amittunt ex morbo cerebri destruente memoriam sensitivam: hoc non ita contingeret, nisi ad ullum specierum intellectualium requireretur semper operatio phantasiæ: non enim intellectio ratione sui ab organo pendet 2., quòd nullum objectum concipit intellectus, etiam incorporeum, quin simul in cogitatione objiciatur corporeum aliquid, saltem ut symbolum, vel exemplum, cujus ad instar intelligitur v.g. Deus, aut Angelus.

42 Hoc secundum experimentum non multùm urget: quia dici posset, obversari quidem animo corporeum aliquid, quoties intelligimus; sed illud ipsum intellectui objici tamquam exemplum objecti incorporei, vel intensio; nec debere semper objici phantasmata, vel imaginativæ. Primum tamen experimentum est efficax; & planè convincit, intellectum magis connecti cum phantasia in operando, quam phantasiam ipsam cum sensu externo: quamvis enim impediatur, vel amittatur organum visûs, adhuc phantasia utitur speciebus antea per visum acceptis. Intellectus igitur in statu con-

junc-

junctionis, etiam cùm operatur cogitationes supernaturales, v. g. Fidei, de lege ordinariâ præexigit semper, aut secum trahit operationem phantasiæ; quod etiam in raptu vel extasi plures affirmant; quamquam non sit dubitandum, quin possit Deus aliter disponere miraculosè. Hoc ipsum sonat, quod passim dicitur, intellectum non operari *sine conversione ad phantasma*, vel *quin speculetur phantasmata*: non enim converso hæc, vel speculatio, significat reflexionem actûs intellectûs in actum phantasiæ, sed tantùm concomitantiam utriusque actûs. Vel forsan locutione istâ sumitur *phantasma*, non pro actu, sed pro objecto phantasiæ: & intellectus dicitur ad illud converti, quia nihil intelligit, nisi speculando directè vel indirectè objectum, quod simul percipit phantasia. Alij dicunt, non tam intellectum, quàm animam converti ad phantasmata, ideſt, applicari ad actus phantasiæ simul eliciendos.

43 Dubium est 2., unde proveniat dependentia, vel connexio ista intellectûs cum phantasiâ in operando? Scotus in lib. de Anim. q. 18. opinatur, hanc veluti subjectionem mentis ad sensum non esse connaturalem homini, sed pœnalem, inflictam scilicèt à Deo in pœnam peccati originalis. Hoc tamen rejicitur communiter, quia gratis, & sine fundamento dictum. Et sanè posset eodem jure fingi, quod homini connaturale non sit indigere speciebus per sensum hausis ad intelligendum: & quòd anima pro statu unionis, seclusâ culpâ originali, posset naturaliter inveri ie ipsam, Angelos, &c., perinde ac in statu separationis. Alij recurrunt ad pro ottiarum sympathiam, ortam ex earum radicatione in eâdem anima. Sed hæc ratio infringitur exemplo sensuum externorum. Alij dicunt, species intellectuales vel non conservari cessante cum phantasiæ, vel non nisi ab illo excitari. Sed, quod species in intellectu conserventur, ostensum est disp. præced.: quòd verò non excitentur nisi ab actu phantasiæ, licet admittatur, non probat intellectum indigere præsentiâ illius actûs post excitatam semel speciem: poterit enim inceptum speciei usum continuare contemplando, vel discurrendo, etiamsi somnus, aut lethargus obrepat; quod tamen experientiæ planè repugnat.

44 Ratio ergo prædictæ connexionis sumenda est ex munere formæ, quod anima exercet in statu unionis. Lex enim generalis est naturæ, ut nulla forma operationem ullam immanenter eliciat, quæ non aliquomodò pendeat à subjecto ejusdem formæ; ut patet inductione per cæteras omnes formas substantiales, & per omnes etiam accidentales. Cùm igitur intellectio animæ unitæ non possit, utpote spiritualis, pendere à subjecto animæ, sive à corpore, tamquàm à sustentante, vel aliter influente, oportet ut pendeat ab aliqua operatione corporeâ, tamquàm à conditione prævia, vel concomitante, vel subsequente. Sanè rationalis anima non minus debet pendere à corpore in operando, quàm in existendo: at in existendo sic pendet a corpore, tamquàm à conditione, ut nec extra illud creari valeat, nec alicubi existere sine comitatu corporis, quamdiù durat unionis status: pariter ergo in operando pendere debet ab operatione alicujus corporeæ facultatis. Quare dependentia hæc in intellectu specie prædicto, non provenit ex defectu virtutis, sed ex conditione status. Anima verò separata, sicut nullo modo pendet à corpore in existendo, ita nec in operando tunc enim jam non exercet munus formæ, sed munus spiritûs. Sic potentia locomotiva inorganica, quæ animæ competit, exerceri nequit in statu unionis, quin simul exerceatur organica; secus tamen in statu separationis. Vide suprà disp. 2. n. 140. Notandum

dum hîc, prædictam dependentiam non convenire animæ reunitæ corpori gloriolo; quia status ille supernaturaliter immutatus est imperfectionibus vitæ mortalis.

45 Superest, ut aliquid de memoriâ intellectivâ dicamus. Memoria bifariàm accipitur: 1. pro facultate retinendi præcognitorum species, & ijs utendi ad veracem cognitionem eorumdem: 2. pro facultate recordandi, seu iterùm agnoscendi præcognitum, non utcumque, sed ut præcognitum; & ut præteritum. In primo sensu negant aequi memoriam intellectivam, nisi vel negentur species intellectuales, vel perire fingantur cum primis actibus. Sed utrumque refelli potest ex dictis disp. præced. n. 59. & seqq. Ibi quòque à n. 47. ad 60. ostendimus, oblivionem in memoriâ intellectivâ contingere, non ex defectu specierum spiritualium, sed ex defectu memoriæ sensitivæ, & hujus memoriæ species variis ex causis perire posse; pluraque alia dedimus memoriam spectantia. In secundo sensu D. Thomas 1. p. q. 79. ar. 6 *in corp.* videtur negare memoriam intellectualem, idque probat, quia cognoscere præteritum ut præteritum, est cognoscere rem sub determinato tempore; hoc autem soli convenit memoriæ sensitivæ, quæ est apprehensiva particularium. Ibi tamen in *resp. ad* 2. hoc limitat D. Thomas ad objectum actûs præhabiti, nec extendit ad actum ipsum; concedit enim, quòd intellectus intelligit se intellexisse, suæque intellectionis ut præteritæ recordatur.

46 Sed verò, cùm intellectus conceptu proprio cognoscat singularia, etiam externa, vel sensibilia, saltem indirecte, seu reflexè, ut Thomistæ fatentur tamquàm de mente D. Thomæ (vide supra n. 10.) non est cur negetur singularium memoria intellectiva, quæ scilicet, indirecte saltem, aut reflexè, recordetur eorum sub determinatis circumstantijs, adeòque sub tempore determinato, seu præterito. Accedit experientia manifestissima: nàmpassim memoramus (unique ut homines, seu ratione utentes) opera nostra, etiam externa, parentes item, amicos, &c., cum circumstantijs temporis, & loci. Quare Collegium S. Th. Complut. q. 10. a. 1. 10. S. Doctorem interpretatur, quasi voluerit, non ut intellectus careat recordatione præteriti actûs, sed ut illam non habeat *per se primò*, sicut habet sensus internus. Attentior, dumodò ro *per se primò* non excludat ab intellectu cognitionem directam singularium, sed tantùm significet dependentiam memoriæ intellectualis à sensitivâ quoad usum specierum pro hoc statu: quà de causâ dixit Aristoteles lib. de mem. & remin. c. 1., memoriam per se esse primi sensitivi, per accidens verò partis intellectivæ; nimirùm quia memoria intellectiva pendet à sensitiva, non è converso.

47 *Quæritur* hîc, utrùm actus memoriæ debeat habere pro objecto cognitionem præteritâ vel utrùm debeat respicere objectum ut præcognitum? Certum videtur, speciem in memoriâ servatam excitari posse circa objectum, non repræsentando cognitionem præteritam: sæpe enim ex præhabitâ specie cogitamus de Deo, de morte, vel de amico absente non reflectendo ad præteritam cognitionem. An autem hujusmodi cogitatio vocanda sit actus memoriæ? quæstio est vocalis. In quâ videtur negandum, si memoria sumatur in sensu strictiori: sic enim est facultas recordativa præteriti ut præteriti, non quidem in esse rei, cum possit & soleat idem objectum adhuc existere actualiter; sed in esse cogniti, quatenùs debet modi objici ut cognitum per cognitionem præteritam. Affirmandum verò, si memoria sumatur in sensu latiore (tamen non improprio): sic enim

enim est facultas iterùm cognoscendi objectum per speciem olim adquisitam, & nunc iterùm excitatam. Idcircò passim dicitur meminisse Dei, vel memorari novissima sua, qui de his objectis directè cogitat ex præhabitis speciebus, licet ea non consideret ut ab eis olim cognita. *Dices*: species in memoriâ servata, si excitetur, nequit non repræsentare cognitionem præteritam, cùm ab ea producta sit. *Sed* facilè negabitur, quòd omnis species in memoriâ manens, producta sit à cognitione præteritâ, vel quòd producta sit in gratiam cognitionis ipsius, & non in gratiam objecti, vel ejus nomine. Si quis tamen contendat, semper ac excitatur species in memoriâ, repræsentari præteritam cognitionem, saltem tenuiter, non facilè impugnabitur.

48 Ad extremum observare oportet, quòd potentia intellectiva, tametsi realiter una sit, varia suscipit nomina pro varietate munerum, aut actuum. Nam præter nomina *intellectus agentis*, & *possibilis*, atque etiam *memoriæ*, de quibus jam diximus, dividi solet intellectus in *apprehensivum*, *judicativum*, & *discursivum*: item in *scientificum*, & *opinativum*: item in *practicum*, & *speculativum*: quorum vim nominum notum esse supponо ex dictis in Logicâ. Præterea vocatur *mens* propter eminentiam, quia rerum perfectiones metitur. Vocatur specialiter *intellectus*, quatenùs apprehendit, & hinc discursu judicat objecta per se nota, quo etiam sensu vocatur interdùm *intelligentia*; quamquam hoc nomen sonat potiùs actum, quàm potentiam. Vocatur item specialiter *ratio*, quatenùs discurrendo intelligit: *ratio superior*, quatenùs versatur circa res Divinas, & æternas: *ratio inferior*, quatenus de rebus humanis & caducis cogitat.

49 Item pro priori aspectu vocatur propriè *intellectus possibilis*; prout habens speciem sine actu, *intellectus in habitu*; prout actualiter cognoscens, *intellectus in actu*, vel *adeptus*: vel, ut alij volunt, dicitur *adeptus*, quòd jam habet quidquid habere potest; quod solùm in statu beatitudinis accidit. Denique vocatur nonnunquam *synderesis*, quatenùs naturali lumine dictat, quid nos agere oporteat, & eodem sensu dicitur interdùm *conscientia*. Nomen tamen *synderesis* propriè sumitur pro habitu cognoscendi prima principia practica, præsertim ad mores spectantia: & nomen *conscientiæ*, pro cognitione dictante, quid hic & nunc agere teneamur, vel etiam pro cognitione præcedente nostrarum operationum in esse moris, quas dum bonas deprehendit, gaudium generat; dum verò pravas, cautam tribuisse, quæ vocatur *remorsus*, aut *conscientiæ remorsus*.

## CAP. III.

### *DE OBJECTO VOLUNTATIS, ubi nonnulla Dubia resolvuntur.*

50 VOluntas est *Potentia spiritualiter appetitiva boni per actum ex directione rationis elicitum*. Ejus objectum, ut ex ipsâ definitione patet, est bonum in communi, seu repertum in omni bono particulari, nullo excepto. Bonum dividitur in *honestum*, *utile*, & *delectabile*. Honestum est, quod justa dictamen rectæ rationis amari potest: utile, quod ad aliud obtinendum conducit: delectabile, quod aptum est delectare appetentem. Hæc membra non in quovis objecto distinguuntur realiter; sed in pluribus, ratione tantum. Proprias autem eorum rationes, ut etiam rationem boni in communi, latè & sapienter explicat Exim. Doctor disp. 10. Metaph. Nunc sat est observare 1., quod bonum in communi, seu transcendens, non differt ab ente, nisi ex modo significandi: bonum enim

idem

idem est, ac perfectum, seu perfectionem aliquam habens: perfectio autem, & entitas, sunt idem formaliter. Bonum tamen significatur per modum convenientis alicui, ideſt, tum sibi, tum alteri: sibi quidem, quatenus unicuique entitati conveniens est sua quidditas, & existētia: alteri, quatenus etiam convenientiam habet respectu alicujus realiter distincti: & utroque modo convertitur cum ente, ut probat Eximius disp. cit. s. 3.: sed priore modo dicitur bonum absolutum, seu bonum in se; posteriore, bonum respectivum, seu bonum alterius: utroque autem, idem est bonum, ac intrinsecè appetibile, saltem præscindendo ab appetitu innato & elicito.

51 2., quòd illa divisio non est adæquata, si bonum honestum sumatur stricte pro bono morali, seu in ordine ad rectos mores: datur enim præterea bonum naturæ, quod præscindendo à ratione virtutis, & à delectabilitate, vel utilitate ad aliud, per se est appetibile, v. g. sanitas, integritas, & vita ipsa. Erit tamen divisio adæquata, si bonum honestum sumatur in sensu latiore: sic enim (ut explicat P. Suar. d. cit. s. 2.) comprehendit, tum bonum morale, ideſt, per se decens & consentaneum rectæ rationi; tum bonum naturæ, seu naturale, ideſt, per se commodum naturæ præscindendo à delectatione. 3., quòd bonum utile non idem sonat, ac per se commodum appetenti (sic enim confunderetur cum bono naturæ), sed sumitur pro medio ad affectionem alterius boni conducente, præcisè ut tali: quâ ratione non comprehenditur sub formali objecto voluntatis, sed sub materiali duntaxat, cum non nisi propter aliud amari possit: immò nec est bonum bonitate sibi intrinseca, sed extrinseca tantùm, & à fine mutuatâ; ut subtiliter explicat P. Suar. cit. s. 2. n. 22. & seqq. Denique observa, bonum cujuscumque generis, aliud esse reale, aliud apprehensum, ideſt, apparens, aut falsò apprehensum, quod potest etiam amari à voluntate, ut experientiâ constat.

52 Dividitur voluntas in concupiscibilem, & irascibilem: quæ divisio (utique non realis, sed rationis, vel secundùm munera) cum actibus uniquique parti respondentibus, explicanda est, ut supra disp. 5. n. 126. in appetitu sensitivo. Dividitur item (pariter quoad munera) in prosecutivam, & aversivam. Prosecutiva dicitur, quatenus fertur in objectū per actus amoris, desiderij, gaudij, &c.: aversiva, quatenus ab objecto refugit per actus odij, abominationis, tristitiæ, &c. Si fortè hinc inferas, bonum non esse adæquatum objectum voluntatis, cùm voluntas ut aversiva non respiciat bonum, sed malum. Negabitur sequela de voluntate acceptâ secundùm conceptum primarium, qui solùm importat vim volendi, seu prosequendi: vis enim aversiva secundaria est in voluntate, cùm aversio per se radicetur in prosecutione; ideò enim malum odio habemus, quia bonum oppositum diligimus. Hinc dici potest, quòd bonum est objectum formale, seu motivum, respectu omnium affectuum voluntatis; prosecutionum quidem motivum intrinsecum; aversionum autem, saltem extrinsecum, quatenus est motivum præcedentium actuum, ex quibus aversiones oriuntur.

53 Nunc circa voluntatis objectum *quæritur* 1., utrùm objectum formale voluntatis idem sit, quod finis? *Resp.* Non est idem, si finis accipiatur pro objecto movente ad executionem mediorum; sæpe enim objectum simpliciter diligimus, nil cogitantes de illius affectione per media. Idem tamen est, si finis sumatur pro motivo, seu objecto propter se appetibili. *Quær.* 2., utrùm voluntas amare possit malum ut malum, vel sub ratione mali, nullâ

sibi proposità bonitate, propter quam moveatur? Negant omnes, præter Nominales. Tum quia voluntas ad amandum debet allici, attrahi, seu moveri ab objecto; non enim alia de causâ indiget prævià objecti cognitione: at malum, ut tale, non attrahit, sed retrahit; nec in eo voluntas invenit motivum amoris. Tum quia medium cognitum ut inutile ad finem, nequit propter finem amari, quia scilicet in ordine ad finem nō est bonum: ergo & objectum cognitum ut non bonum in se, nequit amari propter se. Ratio a priori: quia bonum est objectum voluntatis ut prosecutivę, sicut color potentiæ visivæ: quare, sicut repugnat visio, quę non repræsentet colorem verum, vel apparentem; ita & amor, seu prosecutio, quæ non feratur in bonum, saltem apparens. Unde colliges, repugnare pariter amorem objecti omninò indifferentis, seu in quo nulla proponitur malitia, nec bonitas.

54 *Objic.* 1.: si voluntas nequit amare malum, nec poterit odisse bonum: ergo tollitur ejus libertas: nam vel objectum proponitur ut bonum, & sic non poterit odio haberi; vel ut malum, & sic non poterit amari. 2.: potest quis libertatis exercēdæ gratiâ velle objectum, in quo nihil boni reluceat, v. g. semetipsum occidere. 3.: damnati odio habent Deum, qui pure bonus est; ergo & amare poterunt pure malum: atque ita videntur amare, cùm suam desiderant annihilationem, quæ fundamentum tollit omnis boni proprij. 4.: sæpe quis vult malum inimico, præcisè quia ipsi malum. 5.: sæpè amātur impossibilia, cognita ut talia, quæ omni bonitate carēt. Ad hæc facilè respondetur. *Ad* 1.: libertas contrarietatis stabit, si bonum proponatur admixtum malo, ut plerumque accidit: sic fucum proponitur ut bonum utile, vel delectabile, simulque ut malum inhonestum, seu rationi dissonum: & è converso jejunium, ut bonum honestum, simulque ut malum incommodum, vel injucundum. Quòdsi objectum interdùm proponatur ut pure bonum, vel ut pure malum, stabit saltem libertas contradictionis.

55 *Ad* 2.: ipsa offensio libertatis aut dominij supra vitam propriā, apprehenditur ut bona, nec nisi propter ipsam amatur occisio, vel malum mortis. *Ad* 3.: damnati, dum odio habent Deum, illum cognoscunt ut vindicem, & authorem pœnę, quam patiuntur; adeòque in eo apprehendunt rationē aliquam mali sibi ipsis incommodi, seu injucundi. Optant verò suam annihilationem, non propter ipsam, sed ut medium, sive ut bonum utile ad cessationem cruciatuum, quàm ut bonam apprehendunt. *Ad* 4.: nemo vult malum inimico, nisi quia in ejus perfectione apprehendit rationem vindictę sibi utilis, aut delectabilis. Dum tamen quis vult malum alteri ex inimicitiâ, dicitur velle malum alterius ut talis nō quòd in eo fiat volitio tamquàm in motivo, seu formali objecto; sed quia in ipsâ ratione mali alterius, qua tali, fiat utilitas ad finem vindictæ. Non sic accidit, dum quis propter bonum proprium vult malum alteri, non ex inimicitiâ, sed ex avaritiâ, vel concupiscentiâ, v. g. si filius optet mortem patris, ut quàtociùs hæreditatem adeat; tunc enim solùm vult malum alterius, ut utile ad bonum proprium, utilitate pariter optandâ, tametsi non fundaretur in ratione mali.

56 *Ad* 5.: impossibile, cognitum ut tale, amari nequit, nisi fortè sub conditione possibilitatis, sub quâ jam apprehenditur ut bonum. Sed de hoc statim. Nunc observandum, quòd sententia communis procedit etiam de potentia Dei absolutâ: non enim Deus invertere potest essentiam amoris, qui ex concepta suo est tendētia in bonum. Aliqui tamen volunt, ut sit possibilis

amor

amor supernaturaliter a Deo determinatus, qui respiciat objectum, in se quidem transcendentaliter bonum, sed in cognitione apparens ut purè malum: quia talis amor ex ipsâ foret tendentia in bonum, nec ipsi deesset formale objectum amoris, quod est bonum reale, sed solùm deficeret conditio prævia, nempe cognitio boni ut talis. Hæc tamen opinio non admittit amorem mali ut talis, qui scilicet moveatur ex ratione mali; sed solùm admittit amorem boni realis incogniti, ad quem de materiali se habeat cognitio tunc existens, quæ illud objectum proponit ut malum. Quòd autem repugnet, etiam divinitùs, amor objecti incogniti, patebit cap. sequ.

57 *Quær.* 3.: an, aut quatenùs voluntas amare possit impossibile cognitum ut tale? *Resp.* 1.: nequit voluntas affectu efficaci absoluto desiderare bonum cognitum ut impossibile. *Prob.*: quia talis affectus seriò intendit absolutam assecutionem finis, movetque efficaciter ad quærenda & exequenda media: hæc autem intentio, & motio, impossibilis est circa finem cognitum ut absolutè inassequibilem; tum ex ipsis terminis, & experientiâ; tum quia nulla media cognosci possunt ut utilia. *Resp.* 2.: dari potest amor inefficax, seu complacentia simplex, circa bonum cognitum ut absolutè impossibile, sub conditione quòd possibile foret. *Prob.*: quia pro simplici complacentiâ sufficit quævis species aut apparentia bonitatis, etiam sub conditione impossibili. Sic delectari quis potest fingendo se Angelum, aut Omnipotentem. Ratio: quia talis affectus est quasi speculativus, nec movet ad assecutionem finis seriò procurandam.

58 *Resp.* 3.: bonum cognitum ut impossibile potest etiam amari affectu efficaci, sed objectivè conditionato, idest, amante nunc bonitatem objecti ut convenientem sub conditione quòd possibilis esset. *Prob.*: quia talis bonitas cõditionata verè amari potest saltem simplici complacentiâ: si ergo voluntas majorem adhibeat conatum, poterit amare bonitatem istam adeò fortiter, ut à se excludat odium efficax ejusdem objecti sub eâdem conditione: amor autem incompossibilis cum odio efficaci sui objecti, non est simplex complacentia, sed amor efficax. Atque ita docet experientia, peccatorem cõtritum efficaciter velle nunquam peccasse, si fieri posset; cùm tamen impossibile sit peccatum non fuisse ex suppositione quòd fuerit, quam suppositionem affectus ipse pœniteotiæ per se supponit. Sic etiam homo miseriæ impatiens, præsertim damnatus, vehemèter optat nunquàm se natum fuisse, vel é nihilo extractum: cùm tamen affectus iste supponat existentiam optantis, quâ positâ, objectum est prorsùs impossibile. Hùc etiam pertinet, quòd sæpe viri sancti ardenter optent Deum diligere infinito amore, & ejus bonitati commensurato, si fieri posset; cùm tamen id fieri non posse, bene noverint.

59 *Objic.*: volitio sub conditione impossibili, explicari solet per *vellem*; quod verbum non significat volitionem, quæ est, sed quæ esset positâ conditione; sicut verbum *viderem* non significat visionem nunc existentem, sed quæ existeret; vel significat actum intellectûs, quo viso cognoscitur exitura sub conditione aliquâ. *Resp.*: ita quidem explicari solet volitio ejusmodi; unde & vocatur passim *velleitas*, maximè dum est inefficax: sed tunc verbum *vellem* non sumitur merè conditionatè, sicut *viderem*, *audirem*, & similia: potiùs ex communi loquentium mente significat affectum subjectivè absolutum, & objectivè conditionatum: quis enim dubitet, hanc esse mentem famelici v.g., dum ait, *vellem comedere, si cibum haberem*? Quare

verbum illud in ejusmodi circumstantijs idem valet, ac *utinàm*! Et certè qui dicit, *utinàm non peccassem! utinàm nunquàm natus fuissem! utinàm possem Deum infinitè diligere!* significat actum aliquem præsentem, & efficacem quidem, si magno animi ardore sit cõceptus. Sed notandum, quòd amor sub conditione impossibili non ita est efficax, ut ex se verè sit capax inferendi absolutam positionem objecti, vel executionem mediorum ad illud obtinendum, pro hypothesi, qua possibile esset: repugnat enim vera capacitas conditionalis ad aliquid efficiendum sub conditione impossibili. Efficacia ergo talis affectûs explicanda est, ut supra, per incompossibilitatem de præsenti cum odio circa idem objectum.

60. *Quær.* 4., utrùm odium mali debeat esse formaliter amor boni oppositi formaliter, inquam, aut expressè; nam virtualiter, aut interpretativè, semper est amor oppositæ bonitatis. *Respondetur* communiter, odium mali, pure privativè, cujusmodi est mors, aut carentia lucis, esse formaliter amorem boni oppositi: quia malum istiusmodi non habet in se meritum, aut motivum odij, nisi prout est formalis exclusio boni: ergo non est cur odio habeatur, nisi quia bonum oppositum diligitur. At odium mali positivi, seu non purè contradictorie, sed contrariè oppositi boni, cujusmodi est adulterium, aut furtum, aut dolor capitis; hoc, inquam, odium non debet esse formaliter amor boni contrarij. Tum quia tale malum habet rationem sui meritum odij. Tum quia ita se habet odium ad malum, sicut amor ad bonum: at amor boni non debet esse formaliter odium contrarij mali; potest enim quis amare virtutem, nihil cogitans de vitijs contrarijs.

61. *Quær.* 5., utrùm voluntas, ut prosecutiva, debeat semper in objecto respicere bonum sibi conveniens, seu proprium aliquomodò? Affirmat communis sententia, quam tenet P. Suar. hic lib. 5. c. 2. n. 7. *Prob.* 1. ex Arillot. 5. Ethic. c. 8. dicente, *Amabile quidem bonum, unicuique autem proprium.* 2.: quia appetitus innatus ferri non potest, nisi in bonum physicum naturæ conveniens: ergo nec elicitus, nisi in bonum cognitum aliquomodo proprium appetentis: uterque enim appetitus a naturâ datus est ad prosequenda bona propria ipsi objecto convenientia. 3.: quia amor est quoddam quasi pondus, & inclinatio in objectum, veluti in centrum, in quo quiescat amans: neque autem amans quiesceret in bono, in quo nulla respectu ipsius convenientia esset, nulla proportio. 4.: quia, ut ait D. Augustinus 8. de Trinit. c. 10., amor est unio quædam, vel nexus: *unio autem* (inquit D. Thomas 1. 2. q. 28. ar. 1. ad 2.) *pertinet ad rationem amoris, in quantum per complacentiam appetitus amans se habet ad id, quod amat, sicut ad se ipsum, vel ad aliquid sui.*

62. Notandum tamen, quòd potest bonum dici conveniens appetenti, non solùm dum est ipsi commodum, aut delectabile, sed etiam dum est decens, consentaneum, & proportionatum appetenti ut rationali, sicut reipsa est Deus prout in se bonus; item dum objectum est aliquomodò unum cum appetente, vel aliquatenùs ad ipsum actinet, ratione amicitiæ, vel propinquitatis, vel similitudinis, tum univocæ, tum analogicæ, quam explicat D. Thomas 1. 2. q. 27. ar. 3. occasione probandi, similitudinem esse causam amoris. Unde colliges, in hac sententiâ non confundi amorem benevolentiæ, vel amicitiæ, cum amore concupiscentiæ: nam, licet uterque amor tendat in bonum appetenti conveniens; amor tamen cõcupiscentiæ vult commodum appetentis ut physicè constituti ab alijs; amor autem benevolen-

tiæ,

tiæ, vel amicitiæ, vult bonum alterius, qui solum moraliter est aliquid appetens, nempe titulo proportionis, vel amicitiæ, vel similitudinis, &c..

63 Sed adhuc *Objicies*: potest quis complacentiam habere de objecto aliquo, v.g. pulchro, nullatenus ad eum attinente; ut experientia docere videtur. *Resp.*: complacentia illa non est de objecto, sed de visione, vel contemplatione objecti, quæ cognoscitur exercisse ut bonum proprium. 2.: cognoscitur tunc pulchrum ut appetenti delectabile. 3.: objectum illud ad appetentem attinet ratione cujusdam proportionis, aut similitudinis, ex doctrinâ D. Thomæ loc. cit.. Nec fortasse necesse est, convenientiam respectu appetentis expresse cognosci, vel amari: sed sufficit, quòd per modum conditionis objectivæ reipsâ inveniatur in objecto cognito ut absolute bono.

## CAP. IV.

### AN, ET QUATENUS VOLUNTAS à præviâ cognitione dependeat in operando?

64 DUPLEX quæstio in præsentiarum tractanda. *Prima*: Utrùm voluntas possit amare objectum, nullâ præviâ cognitione ipsi proposita? Quòd naturaliter non possit, certum est omnibus: nam Mystici, quos aliqui allegant in contrarium, solùm loquuntur de raptu, vel extasi supernaturali. Idcirco tanquàm primum principium apud omnes invaluit, *nihil volitum, quin præcognitum*: quod saltem ex naturâ rei verum esse, confirmat experientia. Vid. P. Suar. d. 23. Met. s. 7.. *Objici* solet, quòd voluntas interdùm imperat intellectui, ut ab omni cognitione cesset. *Sed* negandum est, hoc fieri posse, nisi præcognoscatur cessatio ipsa, quæ imperatur. Quare imperium illud debet excipere cognitionem, quâ dirigitur, nec ea cessante conservari potest. Similiter, quoties quis appetit scire incognita, præcognoscit in confuso scientiam, quam appetit, immò & objecta ipsa, quæ solùm dicuntur incognita relatu ad notitiam claram, & scientificam. Et generatim, quoties voluntas imperat cognitionem aliquam, vel ad eam applicat intellectum, cognitio imperata præcognosci debet aliquomodò. Nec intellectus pendet ab imperio vel applicatione voluntatis quoad omnem cognitionem: nam saltem ad primam determinatur a Deo, vel ab objecto.

65 Dubium tamen est, an saltem de potentiâ Dei absolutâ fieri possit, ut voluntas amet incognitum? Affirmant post Okamum, Paludanum, & alios quosdam ex antiquis, aliqui Scotistæ, ut Vulpes, & Cavellus, aliqui etiam è Nostris, præsertim PP. Ovied., & Peynad.. Sed negant communiter Thomistæ cum D. Thomâ, Scotistæ cum Scoto, & Nostri cum P. Suar. cit. disp. 23. s. 7.. Quorum sententia *probatur* sic: Voluntas nec divinitùs amare potest sine motivo, seu ratione amandi: sed amaret sine motivo, si amaret incognitum: ergo &c.. Præmissa probandæ sunt seorsim. Et inprimis *prob. Maj.*: voluntas nec divinitùs amare potest sine objecto, quod reddatur amatum, ut omnibus in confesso est: ergo nec sine objecto, quod vel sit formale, vel materiale, cum in membra hæc adæquatè dividatur objectum ut sic, quemadmodum animal in rationale & irrationale. Sed objectum esse formale, est amari propter se; & esse materiale, est amari propter aliud: ergo voluntas nullatenus amare potest sine objecto, vel propter se, vel propter aliud amato: ergo nec amare potest sine motivo, seu ratione amandi, quam præfert ex terminis particula *propter*. Accedit, quòd voluntas etiam divinitùs amare nequit purum malum tam in

esse

esse rei, quàm in esse cogniti; non aliâ de causâ, nisi quia in eo non invenit motivum amoris.

66 Jam *prob. Min.* primi syllogismi: voluntas non movetur, nisi à bono præcognito: si ergo amaret incognitum, sine motivo amaret: non enim est motivum actuale id, à quo voluntas non movetur; &, licèt sit motivum in aptitudine, si non movet, perinde se habet, ac si non esset. *Prob. Antec.*: motio voluntatis à bono, non consistit in aliquo boni influxu physico: passim quippe movetur voluntas à bono, quod physicè non existit, & interdùm nec existere potest. Consistit ergo illa motio in influxu intentionali, sive in eo, quòd voluntas alliciatur & invitetur ab objecto per cognitionem proposito; nil enim aliud est, in quo consistat. Deficiente igitur cognitione, nullatenùs potest voluntas à bono moveri. Explicatur, & urgetur hoc ipsum. Voluntas creata movetur ab objecto in genere causæ finalis; nec potest non ita moveri, si amat, cùm in quacùque hypothesi amare debeat objectum, vel propter se, vel propter aliud: sed causa finalis causare non potest, nisi ut cognita: ergo &c.. *Prob. Min.*: tum quia causa physica, v. g. efficiens, causare nequit, etiam diminùs, nisi ut physicè existens: ergo neque causa finalis, nisi ut existens intentionaliter, sive ut cognita: nam, sicut se habet ad causam physicam existentia physica, ita existentia intentionalis ad causam finalem; cùm hæc, ut à causis physicis condistincta, sibi vendicet ex proprio conceptu existentiam ejusmodi. Tum etiam, quia vera causalitas, qualis est finalizatio, ut in Physicâ vidimus) aliquod esse actuale prærequirit in causâ: sed in causâ finali non prærequirit esse physicum, ut est certum: ergo prærequirit esse intentionale.

67 *Confirm.*: ratio formalis, sub quâ tendit voluntas, non est bonum secundùm se independenter à cognitione: ergo est bonum ut cognitum: cùmque voluntas extrahi nequeat à sua ratione formali, ut Adversarij non dubitât, nullatenùs ferri potest in bonum incognitum. *Prob. Antec.*: quia, licèt voluntas amet objectum, quod à parte rei est purè malum, vel purè chymericum, adeòque omni bonitate reali carens, non extrahitur à sua ratione formali, dummodò objectum in cognitione appareat bonum: extraheretur autem, si pro ratione formali reciperet objectum ut in se bonum independenter a cognitione; tale quippe non est objectum illud, quod solam habet bonitatem apparentem. Si dicas, voluntatis objectum in communi præscindere à bono reali, & apparenti quia voluntas per aliquos actus fertur in bonum reale; per alios autem, in bonum apparens. *Contrà 1.*: falsum amor boni purè apparentis, supponit essentialiter cognitionem; alioqui posset elici sine objecto, videlicèt sine bono, nec apparenti, nec reali: ergo idem dicendum de amore boni realis. Patet *Consequ.*: quia hic amor, utpotè perfectior, magisque similis amori Divino, nequit esse minùs rationalis, quàm amor boni purè apparentis: minùs autem rationalis esset, si minùs connecteretur cum cognitione.

68 *Contrà 2.*: si volitio in genere non essentialiter tendit in bonum cognitum, non differret ex genere appetitus ab appetitu innato: hic enim tendit etiam in bonum reale; & aliunde potest interdùm esse actus elicitus, seu productus à subjecto appetente; ut est v.g. grávitas lapidis, quæ & immanenter producitur à substantiâ, & est inclinatio seu pondus illius in bonum possessionis centri. Nec dicas, differentiam in eo stare, quòd volitio supponit naturaliter cognitionem. Nam motus localis animæ separatæ, vel Angeli,

II, est actus quidam elicitus à substantiâ; est etiam appetitio sui termini, nempe unionis, cùm sit inclinatio in terminum, & adeò efficax, ut existentiam ejus essentialiter inferat; & aliunde cognitionem supponit naturaliter, cùm Angelus naturaliter moveri nequeat propriâ virtute, nisi sciens, & volens: & tamen ille motus non est volitio, sed quidam appetitus innatus sui termini. Quare? quia non essentialiter supponit cognitionem, cùm possit ab Angelo ignaro elici ex determinatione Dei.

69. Quapropter essentialis connexio amoris cum cognitione fundatur in eo, quòd voluntas extrahi nequit à ratione formali, sub quâ tendit; & ratio illa constituitur per cognitionem, cùm consistat in bono ut apprehenso, sive ut cognito. In idem recidit, quòd bonum non est objicibile voluntati, nisi ut aptum movere ad amorem sui: non est autem sufficienter aptum movere, seu esse motivum, nisi ut cognitione propositum. Sed notandum, quòd bonum in esse motivi cõstituatur per cognitionem, non tamquam per virtutem motivam, aut rationem movendi, seu finalizandi (cõstat hoc ex dictis in Physica, ubi de causa finali); sed tamquàm per formam extrinsecam formaliter constituentem ipsum in statu simpliciter potentis movere. Sic apprehensio *boni* constituit naturam humanam in esse prædicabilis de multis; non tamquàm ratio, quæ de multis prædicetur, vel prædicari possit; sed tamquàm forma extrinseca formaliter constituens naturam in statu simpliciter potentis prædicari. Sic etiam in physicis existentia causæ, si distinguatur ab essentiâ ut Thomistæ opinantur, non est ratio agendi, seu virtus activa, ne partialiter quidem: constituit tamen essentiam in statu simpliciter potentis agere. Cognitio itaque objecti amabilis, vocanda est motivum, seu ratio movendi, non *ut quod*, sed *ut quo*, seu *constitutivè*.

70. *Objic.* 1.: cognitio boni est mera conditio ad productionem amoris: sed mera conditio ad effectum suppleri potest divinitus, ut patet in applicatione ignis ad comburendum, & in dispositione materiæ ad recipiendam formam: ergo. *Neg. min.*, si de omni conditione indistinctè loquatur. Nam duratio causæ efficientis, & existentia ejusdem, si distinguatur ab essentiâ, non possunt divinitus suppleri. Præmissæ quòque in sententiâ probabili prærequiruntur essentialiter ad actum conclusionis, tametsi meræ sint conditiones. Et decretum applicativum Omnipotentiæ absolutè prærequiritur essentialiter ad omnem effectum; cùm tamen per se formaliter ut tale, seu prout ab Omnipotentiâ virtualiter conditionatum, non sit virtus activa, sed conditio tantùm, juxta communem doctrinam. Fateor, quòd mera conditio non debet asseri essentialiter necessaria sine probatione. Sed non ita asseritur in præsenti.

71. *Objic.* 2.: ita fertur appetitus innatus in bonum reale, sicut elicitus in bonum apprehensum: sed innatus ferri potest in bonum, quod non actualiter, sed possibiliter, sit reale, ut cùm materia appetit formam possibilem: ergo & elicitus ferri poterit in bonum, quod non actu, sed potentiâ sit cognitum. *Confirm.*: potentia visiva potest divinitus videre colorem non existentem: ergo & voluntas amare objectum non cognitum: non enim magis requiritur cognitio boni ad amorem, quam existentia coloris ad visionem. *Objectio* absurde probat, appetitum elicitum ferri posse naturaliter in incognitum, sicut innatus sæpe fertur naturaliter in bonum possibile. Negandum ergo, quòd appetitus innatus generatim supponat, etiam naturaliter, existentiam realem sui objecti, seu termini: hæc enim existentia nullo titulo prærequiritur, cùm hic appetitus non

cau-

causetur physicè à suo termino. Solùm est de ratione communi talis appetitûs respicere bonum ex se naturaliter possibile, seu connaturaliter adequabile; & ita quidem, ut nec divinitus possit aliud respicere. Atque in hoc sensu instituenda est comparatio illius cum appetitu elicito, ut respiciente bonum apprehensum.

72 *Ad Confirm. neg. Consequ.* cum probatione adjunctâ. Nam existentia, seu præsentia exercitâ coloris, non alio titulo requiritur ad visionem, nisi quia requiritur species, quæ à colore pendet in fieri, & conservari: cólor enim non alio modo visionem causat, nisi efficiendo speciem. Cùm ergo Deus possit speciem se solo producere, & conservare, vel etiam ejus causalitatem supplere (quod generatum verum est de influxu cujusvis causæ efficientis creatæ, saltem non vitalis); sequitur, præsentiam exercitam coloris solum esse naturaliter necessariam. Vide suprà disp. 5. n. 166. & seqq. At cognitio ad amorem requiritur ut forma constituens objectum simpliciter amabile, vel simpliciter proportionatum amori movendo, & terminando: cumque Deus per se ipsum supplere nequeat intrinseca rerum constitutiva, nequit efficere, ut objectum sine cognitione proportionatum evadat. Requiritur item cognitio, tamquam existentia propria causæ finalis in suo genere: cùmque Deus facere non possit, ut amor à voluntate prodeat sine causâ finali, neque ut hæc finalizet sine intentionali existentiâ; ideò nequit efficere, ut sine cognitione dentur omnia comprincipia ad amorem sufficientia.

73 *Objic.* 1.: saltem si amor consistat in qualitate absolutâ, potuit Deus amorem se solo producere, & infundere voluntati absque ulla prævia cognitione: quo in eventu voluntas redderetur amans, cùm existerent omnia hujus denominationis constitutiva. *Ad object.* aliqui negant, quòd voluntas in eo eventu denominaretur amans; quia non est subjectum capax hujus denominationis, nisi ut præhabens cognitionem, quæ constituit *ut quo* capacitatem ejus ad amandum: sic in sententiâ distinguente essentiam ab existentiâ, voluntatis essentia non est subjectum capax denominationis *amantis*, nisi prout actu existens; quamvis existentia non sit amans *ut quod*. Sed melius respondebitur negando hypothesim; vel quia amor secum identificat productionem sui à voluntate; vel quia, licèt producatur actione distincta, & in hoc sensu dicatur qualitas absoluta, tamen titulo vitalitatis essentialiter exigit à voluntate procedere: de quo fusius disp. sequ. Et instantia est in amore objecti, non vere, sed apparenter boni; qui amor non potest à solo Deo produci extra voluntatem cognoscentem; alioquin vel mutaret objectum, vel nullum respiceret.

74 *Objic.* 2.: testantur Mystici, sæpe in extasi, vel in gradu orationis altissimo, amorem Divinorum excitari, vel saltem conservari sine actuali cognitione: pro quo citari solent S. Bonaventura, Seraphica Mater Theresia, S. Franciscus Salesius, & alii. Sed Mysticos interrogat P. Arnaud, unde noverunt, vel meminerunt, se amasse, vel amorem habuisse Dei potiùs, quàm lapidis? siquidem absque ullâ objecti cognitione amârunt. Memoria enim solum est de præcognitis. Hæc tamen interrogatio, licèt à multis cum plausu excepta, & repetita, non admodùm urget: amor enim, ut communiter supponitur, relinquit experimentalem speciem sui, quæ, saltem mediatè, repræsentat etiam objectum amoris: per hanc autem speciem potest quis postea recordari, quòd amaverit, & quid amaverit. Nec memoria solùm est de præcognitis, sed etiam de præ-

prævolitis. Omissâ igitur hac instantiâ, negandum est propter suprà dicta, quòd amor unquam excitari vel conservari possit absque ullâ prorsùs cognitione. Sancti verò Doctores, in hac precandi sunt, quasi loquuti de solâ cognitione reflexivâ, quatenùs anima in altissimum orationis gradum evecta, sic rapitur & occupatur amore Divinorum, ut non reflexè advertat se cognoscere; vel etiam de cognitione discursivâ, quam *meditationem* appellant, & quâ non semper indiget anima, ut Deum ferventissimè diligat.

75 *Secunda* quæstio: Utrùm cognitio influat efficiéter in actum voluntatis? Affirmant cum Nominalibus Durandus, Cajetanus, & aliqui Scotistæ apud Mastr. disp. 7. n. 164., & aliqui etiam è Nostris apud P. Quiros disp. 87. n. 31.. Sed negat sententia communis in omni Scholâ, cum D. Thomâ, Scoto, & Suario, apud eumdem Quiros n. 32.. Hæc sententia est probabilior. Nam imprimis cognitio nó alio ex capite necessaria convincitur ad volendum, nisi titulo directionis, illustrationis, & existentiæ causæ finalis: hæc autem munera per se non exigunt influxum activum. Ac deinde, si cognitio activè concurreret ad volitionem, varia sequerentur absurda. 1., quòd ad amorem Dei supernaturalem necessarius non esset habitus charitatis infusus, vel aliud supernaturale complementum activum, præter cognitionem supernaturalem, quæ necessariò præire debet. Id quod maximè vim habet in amore beatorum: si enim ad illum activè cócurrit visio beatifica, quæ certè non est amore imperfectior, utquid opus erit alio supernaturali principio? Unde adhùc habitus charitatis dabit facilè posse, non verò simpliciter posse; quod est pluriquam absurdum.

76 Sequeretur 2., quòd, si quis per actum supernaturalem scientiæ infusæ cognoscat objectum prohibitum, & nihilominùs illud velit (quod utique fieri potest, cùm ea cognitio nó tollat libertatem), actio peccaminosa voluntatis activè procederet à principio supernaturali, quocum proinde connecteretur essentialiter, foretque actio supernaturalis: quod item absurdum est proculdubiò. 3., quòd una & eadem cognitio foret virtus activa variorum & cóntrariorum affectuum: nam sub eâdem cognitione (v. g. de objecto honesto simulque incommodo, vel delectabili simulque turpi) elici possunt volitio, & nolitio, vel amor, & odium, ut etiam affectus efficax, & inefficax, absolutus, & conditionatus. At hæc virtutis amplitudo, licèt conveniat potentiæ, utpote causæ universali, non nisi absurdè concederetur particulari cognitioni, maximè cùm hæc soleat esse valde imperfecta in suo genere. Accedit, quòd, si virtus activa competeret cognitioni, perfectior cognitio esset activè perfectioris affectûs; sicut, quia talis virtus cognitioni convenit respectu habitûs, cognitio perfectior habitum efficit perfectiorem. At sequela falsitas patet in cognitione speculativâ, quæ solet esse perfectior practicâ, & tamen nullum affectum excitat, præter simplicem complacentiam utcumcumi.

77 *Objic.* 1.: species activè influit in cognitionem: ergo & cognitio in amorem. *1 reb. Consequ.* 1.: quia non minor in cognitione, quàm in specie, perfectio est, proportio, & necessitas. 2.: quia, sicut ab objecto & potentiâ pariter notitia, ita & amor; non enim minùs ab objecto dependere debet amor, quam notitia: ergo, sicut objectum in notitiam influit mediâ specie, ita in amorem mediâ cognitione; præsertim cum sæpe nequeat influere per se ipsum, utpote abiens, aut non existens. *Resp. neg. Consequ.*: quia species nó alio munere fungitur, quàm

principij coefficientis, neque alio ex capite necessaria est in intellectu, ut vidimus disp. 6. n. 44.; nec ex ejus cōcursu activo sequitur ullum incommodum. At cognitio, quamvis activè non influat, necessaria est ad amandum ratione directionis, & existentiæ causę finalis, aut formæ constituentis objectum in esse motivi; & aliunde ex ejus influxu sequerentur absurda nuper indicata.

78 *Ad 1. prob.*: licèt cognitio non sit minùs perfecta, minúsvè necessaria, quàm species; quòd tamen minùs aut nullatenùs proportionata sit ad influendum, satis à posteriori colligitur ex absurdis, quę ex ejus influxu sequerentur. *Ad 2.* concedi potest, quòd non tolùm cognitio, sed etiam amor paritur, idest, causatur ab objecto & potentiâ, sed in diverso genere: nam cognitio ab objecto causatur in genere causę efficientis, quia in nullo alio causari potest; amor verò, in genere causę finalis, quod genus causę non influit efficienter, nec movet physicè voluntatem, sed intentionaliter, & metaphoricè, tametsi proprie causet, ut in Physicâ explicatum est. Quare, etiamsi cognitio activè influeret in amorem, hic influxus non esset nomine objecti, nec proprius causę finalis. Dici quòque potest objectum exercere munus motivi mediâ cognitione, non tamquàm proximâ ratione movendi, sed tamquàm applicatione, vel existentiâ pro tali genere causę requisitâ. Cur autem potius intellectus, quàm voluntas, ad suos actus naturales, indigeat comprincipio activo, diximus disp. 6. n. 17. 20. & 21.

79 *Objic. 2.*: amor specificatur à cognitione, cum ex ejus diversitate varietur: ergo ab eâ causatur, utique in genere efficientis, cùm ab eâ non pendeat ut à fine, vel objecto. *Resp.*: cognitio dici potest specificativum amoris, non *ut quod*, sed *ut quo*, seu per modum applicationis, conditionis, aut formę constituentis objectum in esse proximè potētis specificare sic, vel aliter: quod sufficit, ut sæpe varietur amor ex varietate cognitionis, quàmvis hæc activè non influat, nec finalizet. Vide dicta tract. 2. Physic. d. 2. q. 3. n. 17.. Concedendum tamen est cognitioni munus causæ efficientis moralis; quia per se voluntatem inclinat ad amorem. Verùm causa moralis non requirit activum influxum physicum, de quo loquimur. Vide loc. cit. Physic. cap. 5. n. 17. & 18.. *Objic. 3.*: Verbum Divinum est principium physicè influens in Spiritum Sanctum, qui per voluntatem procedit: ergo pariter verbum mentis creatæ, sive intellectio, influere debet in actum voluntatis. *Neg. Consequ.*: quia Verbum Divinum est substantia intelligens, amans, secumque realiter identificans Divinam voluntatem: non ergo mirum, quòd virtutem habeat spirativam, seu productivam Spiritūs Sancti. At verbum creatum adęquatè distinguitur à voluntate, nec est cur participet virtutem productivam amoris.

## CAP. V.

### *QUALIS COGNITIO NECESSARIA sit ad volendum? Ubi an Voluntas sit Intellectu perfectior?*

80 STATUTO cognitionem omninò requiri ad actum voluntatis, nunc *quæritur* 1., utrùm sufficiat simplex apprehensio? an verò sit opus judicio? Thomistę judicium requirunt ad omnem actum voluntatis. Sed hæc cum Scoto apud Mastrium hìc disp. 7. n. 153. putant, apprehensionem sufficere ad actus inefficaces, aut simplices complacentias; ad efficaces tamē affectus judicium requirunt. Hoc ipsum tenent plerique Nostrorum cum P. Suar. disp. 23. Mer-

sect.

sect. 7. n. 9. & 10. Aliqui tamen cum P. Oviedo judicium quidem exposcunt ad affectum efficacem prudenter eliciendum; secùs tamen ad eliciendum imprudenter, & more brutorum. Immò P. Quiros hìc disp. 87. n. 30. sentire videtur, non semper opus esse judicio ad electionem prudentem, liberam, & efficacem; & allegat exemplum medici, qui remedium dubium non imprudenter applicat ægro, de cujus salute per medicamenta nota desperati cùm tamen nec judicium habeat de possibilitate finis, quem intendit, nec de utilitate medij, quod eligit.

81 Supponendum, quasdam esse apprehensiones absque fundamento conceptas, quæ nullum proponunt motivum, nullamvè rationem judicandi; ut siquis, audiens alium temerè dicentem, stellas esse paces, aut Turcam modò saltare, aut beatitudinem esse malam, statim hæc objecta simpliciter apprehendat: alias verò esse, quæ vel evidenter proponunt objectum, vel vividè repræsentant motiva, seu rationes urgentes ad judicandum; ut cùm quis, audiens à fidedigno esse mortem amici, simpliciter illam apprehendit ut à tali nuntiatam, sed nondùm judicat: & hujusmodi apprehensiones (quas *suasivas* vocant, & quas agnoscit P. Suar. cit. n. 10.), licèt non sint judicia formalia, quia formaliter nihil affirmant, aut negant, dici tamen possunt judicia virtualia, vel radicalia; quia vehementer inclinant ad judicandum, & aliquatenùs judicio æquivalent in vi certificandi intellectum, & removendi dubium.

82 *Dico* igitur 1.: apprehensio primi generis de convenientia objecti, non sufficit ad ullum actum voluntatis. Tum quia juxta Aristotelem, D. Jo. Damascenum, & D. Thomam, locis citatis a P. Suar. ubi supra n. 9., voluntas non movetur sine aliquali judicio: apprehensio autem ejusmodi nullo sensu meretur judicij nomen. Tum quia talis apprehensio cohæret cum judicio certo negante convenientiam, quæ apprehenditur: nec reddit objectum propriè notum; nam, siquis rogetur, an astra sint paria? respondebit, sibi hoc esse prorsùs ignotum, quàvis eo ipso tale objectum apprehendat. Nequit autem voluntas appetere bonum propriè ignotum. *Objicies*: sæpe quis delectatur apprehendendo se esse Regem, aut Papam, aut Angelum, aut omniscium instar Dei. *Resp.*: delectatio illa procedit ex judicio conditionato de convenientia objecti sub conditione quòd obtineretur, aut obtineri posset; vel saltem ex apprehensione suasivâ de hac ipsâ conditionatâ convenientiâ.

83 *Dico* 2.: apprehensio secundi generis, quæ suasiva dicitur, sufficit ad affectum etiam efficacem, saltem imprudentem. Tum partitate appetitûs brutorum, qui ad actus efficaces movetur à sensatione internâ, quàmvis hæc non sit formale judicium, sed virtuale tantùm, instar apprehensionis suasivæ. Tum quia talis apprehensio sufficit, ut actus voluntatis dicatur ex judicio procedere; quod iterùm patet eodem exemplo: nam, ut ait D. Thomas 1. p. q. 59. ar. 3., *Ovis fugit lupum ex quodam judicio, quo existimat eum sibi noxium.* Unde satisfit auctoritati Veterum nuper allegatæ: possunt enim intelligi de judicio, vel formali, vel virtuali. Tum quia hujusmodi apprehensio reddit objectum propriè notum; ideòque in eâ propriè salvatur definitio, ex dictis tr. 5. Logic. d. 1. c. 2. n. 12.. Tum demùm, quia hoc testari videtur experientia: sæpe enim, qui consuevit objectum aliquod vehementer amare, vel odisse, ad simplicem apprehensionem illius statim erumpit in affectum amoris, aut odij efficacis; & siquod est medium obvium, quod apprehendat utile, statim eligit: nec videtur expec-

tari formale judicium ad affectus hujusmodi. Unde colliges, interdùm sub apprehensione lolà elici posse affectum liberum, & imputabilem ad culpam, si nimirùm apprehensio suasiva proponat objectum ut delectabile simulque inhonestum. *Licet* quoties adest apprehensio suasiva, adest etiam judicium, quia illa necessitat ad judicandum. *Resp.*: apprehensio suasiva molinat quidem, sed non necessitat ad judicium, nisi sit prorsùs evidens. Immò non est certum, quòd apprehensio evidens necessitet quoad exercitium: & quamvis certa esset necessitas naturalis, posset saltem divinitùs impediri judicium; quo in eventu sufficeret apprehensio ad actum voluntatis.

84 *Dico* 3.: ad affectum prudentem, præsertim qui est electio mediorum propter finem, vel ad electionem determinat, requiritur judicium formale. Ita sentiunt omnes, aut fere omnes; & meritò: quia nemo prudenter intendit aut eligit ex primo aspectu boni, sed prùs debet juxta prudentiæ regulas non solùm aspicere, sed circumspicere, & ad judicij trutinam expendere convenientiam finis, & utilitatem mediorum. Nec in exemplo medici, addacto n. 80., deest judicium: nam tunc ægri talus judicatur assequibilis sub conditione quòd remedium dubium reipsà sit utile, & sub hac tantùm conditione intendi ut: remedium autem applicatur ex judicio de non apparentiâ inutilitatis, vel de utilitate dubiâ; quod sufficit in ijs circumstantijs.

85 *Quæritur* 2., an, aut quatenùs judicium (seu formale, seu virtuale), ad volitionem prærequisitum, debeat esse practicum? Quoad presens attinet, practicum vocatur judicium illud, quod proponit objectum modo proximè apto, ut voluntas velle illud possit, non aliâ expectatâ suasione intellectûs: dicitur verò speculativum, quod non est proximè aptum ad excitandum voluntatis affectum, quia scilicet repræsentat bonum abstractè, ac sine respectu ad judicantem, vel non ut ipsi amabile hic & nunc. Quo posito, certum est omnibus, opus esse judicio practico ad volendum. Certum item videtur, judicium non fore practicum in sensu dicto, nisi proponat bonum ut cognoscenti conveniens (convenientiâ scilicet vel delectabilitatis, vel commoditatis, vel honestatis moralis), & ita quidem, ut judicet, hic & nunc esse conveniens illud velle: quia, ut observat P. Suar. ubi suprà n. 12., voluntas, dum movetur, non solùm vult objectum, sed etiam exercitè vult proprium actum: unde necesse est, ut etiam de convenientiâ volitionis hìc & nunc habendæ feratur judicium.

86 Quæstionis tamen est, an aliquid amplius requiratur, ut judicium sit satis practicum? Thomistæ, quorum meminit P. Suar. disp. 19. Met. sect. 6., ad omnes affectus, etiam liberos, requirunt judicium, seu dictamen rationis, non utcumque practicum, sed irresistibiliter determinans voluntatem, & denuntians, objectum omnibus præfatis esse amplectendum hìc & nunc. Dictamen hoccce vocare solent *imperium intellectûs*: quamquàm hoc nomine communiter donant Thomistæ impulsum quendam intellectualem, respondentem his vocibus, *fac hoc*, qui non sit apprehensio, judicium, aut discursus, & aliunde prærequiratur ad omnem actum voluntatis, habeatque vim determinandi efficacem, seu infrustrabilem. Verùm hæc doctrina Thomistica latè & efficaciter impugnatur à P. Suar. cit. disp. 19. s. 6. & 7.; & in Theologiâ latè quòque impugnatur à Nostris, & Scotistis. Nunc breviter impugnari potest ex capite libertatis.

87 Nam uterlibet ex illis actibus, vel utrumvis imperium intellectuale, si necessariò prærequiritur ad volendum, & infrustrabiliter connectitur

cum

eam determinatâ operatione voluntatis, hujus libertatem everti, cùm tollat indifferentiam & indifferentiam ad omissionem, vel ad operationem oppositam; ut facile colligi ut ex dictis in Physica contra physicam præmotionem a Thomistis adstructam. Immo in præsenti clarius apparet everso libertatis: nam physica præmotio ideò cùm libertate cohæret juxta Thomistas, quia nec ponitur ex parte actûs primi libertatis, nec tam requiritur ex parte causæ secundæ, quam ex parte primæ: at imperium illud intellectuale, si datur, procul dubiò se tenet ex parte actûs primi ad volendum, & ex parte hominis requiritur. Nec dicas, illud imperium ab intellectu concipi ex applicatione libera voluntatis, ideòque solùm inducere necessitatem consequentem. Quæro enim, an ante liberam voluntatis applicationem præcesserit aliud imperium intellectûs? Si neges: non ergo ad omnem actum liberum voluntatis prærequiritur imperium istiusmodi; quod erat doctrina Thomistarum. Si affirmes: illud aliud imperium evertet libertatem; non enim adstrui potest ab alia applicatione libera dependès, nisi procedatur in infinitum.

88 Recurrunt ad mutuam prioritatem, vi cujus illa ipsa volitio, quæ determinatur ab imperio rationis, applicet intellectum ad hoc ipsum imperium eliciendum. Sed, præter dicta in Physicâ contra mutuam prioritatem, ea nunc impugnatur facilè: quia deberet esse mutua prioritas in eodem genere causæ, quæ vel Thomistis displicet. *Prob.*: quia, si volitio est applicatio & determinatio intellectûs ad eliciendum imperium; etiam imperium est applicatio ac determinatio voluntatis ad volitionem efficiendam: si ergo propterea prior est volitio in genere causæ efficientis; eodem jure prius erit imperium in eo ipso genere. Adde, quòd hic recursus apertè alienus sit à D. Thomâ, qui 1. 2. q. 17. ar. 1. negat, imperium rationis habere vim movendi, nisi ex præsuppositio actu voluntatis; & ar. 5. ad 3., ut vitet processum in infinitum, recurrit ad primum voluntatis actum, quem negat esse ex imperio rationis. Quod autem ibidem indicat S. Doctor, illum actum esse necessarium, utpotè ortum ex instinctu naturæ, aut superioris causæ, intelligendum est de necessitate, non quoad exercitium, sed quoad specificationem duntaxat, alioqui tolleretur libertas ceteroram actuum, siquidem omnes (stante doctrina de imperio intellectuali prærequisito, & prædeterminante voluntatem) ortum ducerent per sequelas inevitabiles ab actu prorsus necessario, nec à voluntate ipsâ determinato: quo etiam ruerent constans doctrina D. Thomæ, allegata in Physicâ contra Prædeterminatores, quòd scilicet voluntas ad nullum extremum libertatis determinatur nisi ex se ipsâ.

89 Præterea dictamen illud practicum, de quo n. 86., rejici solet specialiter: quia, si necessarium est, sequitur, neminem peccare, quin habeat judicium hæreticum. *Prob. sequel.*: quia nemo libere committet adulterium v. g., nisi præhabeat judicium hoc, *adulterium, omnibus pensatis, est nunc amplectendum*; quod judicium hæreticum est, utpote directè contrarium huic Fidei judicio, *adulterium, omnibus pensatis, nunquàm est amplectendum*. Nec refert, quòd illud sit practicum, limitatumque ad circumstantias individuas. Tum quia non ideò definit esse contrarium universali judicio Fidei. Tum quia Fides etiam practicè dicat contradictorium, nempe adulterium in his circumstantijs non esse amplectendum, sed vitandum. Si dicas, adulterium non judicari amplectendum, seu præferendum bono castitatis absolutè, sed tantùm in ordine ad finem delectationis sensibilis. Inprimis hoc videtur esse cō-

tra

tra mentem. Adversariorum, qui judicium illud ideò requirunt, quia putant, voluntatem nihil velle posse, nisi judicet, hîc & nunc esse majus bonum, aut optabilius; & inde inferunt, nullum peccatum committi sine errore intellectûs: quod utique non salvatur, si adulterium solùm judicatur castitate optabilius, idest, aptius ad delectationem sensibilem; hoc enim sine errore cognoscitur. Deinde cum eo judicio sic restricto benè cohæret, quòd simul judicetur, absolutè melius esse hîc & nûc vitare adulterium, & castitatem servare: quo posito, nulla ratio est, cur illi judicio tribuatur vis determinandi efficaciter voluntatem; cùm simul adsit aliud præponderans ad voluntatem retrahendam.

90 Denique contra imperium, *fac hoc*, argui solet: quia, si datur, non est actus intellectûs, sed volûtatis. Tum quia nullus est actus intellectûs, qui non repræsentet objectum; vel ergo repræsentat simplici modo, & erit apprehensio; vel affirmando, aut negando, & erit judicium; vel unum ex alio inferendo, & erit discursus. Tum quia imperium illud habet quidquid est de ratione actûs voluntatis: supponit enim cognitionem objecti, quod imperat, cum nihil incognitum imperetur: ac deinde pondus est, & inclinatio efficax in terminum imperatum, utique ut bonum. Tum quia D. Thomas 1. 2. q. 17. ar. 1. vim movendi, quam habet imperium, *fac hoc*, tribuit voluntati: quare, si tale imperium spectetur, non ut repræsentans, sed præcisè ut movens, aut impellens (prout à Thomistis spectari videtur), solùm est actus voluntatis ex mente D. Thomæ; nec ad intellectum pertinet, nisi quatenûs addit intimationem, seu denuntiationem decreti voluntatis præsupposîti: hæc autem denuntiatio utique repræsentativa est affirmativa illius decreti, utpote correspondens hujus affirmationi vocali, *volo ut faciat hoc*, cui sensu æquivalet, *fac hoc*.

91 Ubi notandum, quòd S. Thomas imperium illud cum vi movéndi, seu determinandi, non requirit ad omnem actum liberum voluntatis, sed tantùm ad usum, qui sequitur electionem; ut patet ex cit. q. 17. ar. 3.; nec tunc ipsum admittit, nisi ut dependens ab applicatione liberâ voluntatis, adeòque ut libertati non inimicum. Dum autem eod. ar. 3. ad 1., & ar. 5. videtur innuere, omnem actum liberum oriri ex imperio rationis, non loquitur de imperio determinante, sed de alio imperio non habente vim determinandi, quod ar. 1. distinguit ab imperio, *fac hoc*, & ait exprimi per verbum indicativi modi, ut cùm dicitur, *hoc est tibi faciendum*. Hoc tamen imperium nihil est aliud, quàm judicium practicum, quod suprà n. 85. necessarium diximus, & quod semper proponit objectum ut conveniens, adeòque ut faciendum, seu amplectendum, non absolutè & omnibus pensatis (nisi sit honestum), sed habitâ ratione commoditatis, aut delectationis; quam tamen potest respuere voluntas in sensu composito illius judicij. Unde infers, per se loquendo posse voluntatem velle, & libere velle, sine ullo imperio vel actu rationis determinante ipsam irresistibiliter ad volendum tale objectum: &, si aliquando intervenit imperium ejusmodi, non habere vim determinandi, nisi ex alio voluntatis actu præsuppositio.

92 Sed *objicies* pro necessitate imperij rationis vel judicij practici determinantis. 1.: voluntas, cùm sit potentia cæca, sequitur ductum rationis: eò igitur determinatè fertur, quò ducit ratio per ultimum judicium practicum. 2.: ad volendum requiritur judicium: ergo ad volendum aliquid determinatè, requiritur judicium determinatum. Unde quivis, interrogatus,

cur

cùr hoc determinatè velit? respondet, *quia ita judico esse volendum.* 3.: ideò peccatum dicitur procedere ex errore practico intellectûs, quia nemo vult objectum vetitum, nisi determinatè judicet hoc sibi esse hic & nunc melius, & omninò volendum. Hæc solvuntur facilè. *Ad* 1. voluntas dicitur cæca, quia velle nequit sine ratione obtendente bonitatem objectinon tamen tenetur bonitatem hanc velle; sicut nec cæcus tenetur sequi ductorem. Si voluntas positivum eliciat affectum, tenetur quidem sequi ultimum judicium practicum; at non quoad omnia, quę proponit, sed quoad aliquid: falsò quippe supponitur, quòd per judicium hocce non possit proponi duplex objectum oppositum, v.g. castitas & adulterium, vel unum objectum ut volèdum & nolendum, sive ut conveniens & disconveniens sub diversâ ratione, v. g. adulterium ut delectabile simulque injustum & turpe: neque ullum est bonum particulare, quod non possit proponi *ut eligibile, vel fugibile*, teste D. Thomâ 1. 2. q. 13. ar. 6.. Negabis, hoc fieri posse per ultimum judicium practicum. Sed quòd fieri possit, saltem per judicium duplex, nobis persuadet conceptus libertatis.

93 *Ad* 2.: requiritur quidem judicium determinatum, sed non determinans voluntatem: determinatum, inquam, tum subjectivè, quatenùs debet esse actus in individuo existens, tum objectivè, quatenùs proponere debet in objecto determinatam bonitatem, v. g. honestatis: cum hoc tamen cohæret, quòd simul proponat objectum ut determinatè malum in alio genere, nempe in genere incommodi, vel injucundi: & idcircò dicitur *judicium indifferens*: quia scilicèt proponendo bonum admixtum malo, relinquit voluntatem indifferentem, ut velit, aut nolit. Illa verò responsio, *quia ita judico* &c., non semper datur, sed interdùm hæc alia, *quia sic volo*: &, cùm datur, non significat rationem determinantem, sed invitantem. *Ad* 3.: etiamsi ad peccandum necessarius esset error ille practicus, nó ideò voluntatem determinaret, saltem quoad exercitium; posset enim voluntas ab amore illius objecti abstinere, licèt forté non posset, eo errore stante, illud odisse, vel contrarium velle. Sed occasione hujus argumenti

94 *Quæritur* 3., an voluntas amare possit objectum, quod non ipsi ab intellectu proponitur ut melius, aut majus bonum? Quod etiam disputari solet sub his terminis, An voluntas amare possit minus bonum in conspectú majoris? vel ex duobus æqualibus utrúlibet? ubi sermo est de bonis, ut à cognitione propositis. Qui putant, ad volendum requiri dictamen illud practicum, de quo supra n. 86., negativè respondent, aut respondere videntur in præsenti: atque ideò censent, neminem peccare sine prævio errore judicij, quo nimirùm præjudicet, objectum, tametsi vetitum, sibi esse melius aut majus bonum hic & nunc. Hoc tamen omninò est rejiciendum. Tum ex dictis n. 89.. Tum quia libertatem evertit, saltem contrarietatis: nam è duobus objectis contrarijs, v. g. ludere, & audire Missam urgente præcepto, nemo poterit eligere quodlibet; cùm nequeat utrumque simul proponi ut melius; & si alterum ut melius proponitur, jam non poterit tunc eligi alterum. Immò & libertatem contradictionis enecat: si enim omissio Sacri apparet melior, non poterit eligi audito, nec vice versâ: &, si utraque apparet æqualis, voluntas manebit inilar saxi. Tum quia sequitur, neminem peccare contra conscientiam, vel contra regulam rationis dictantem, melius esse hic & nunc servare legem Dei. Unde nemo peccabit ex malitiâ, sed ex errore tantùm. Immò ne sic quidem peccabit, cùm error ille debeat esse inculpabilis; alioquì jam supponet

pec-

peccatum aliud in voluntate; de quo peccato similiter inquiram, an procedat ex errore alio, culpabili, vel inculpabili; & sic deinceps, donec assignetur peccatum sine errore commissum, vel ex inculpabili errore profectum.

95 P. Vazquez in 1. 2. d. 43. c. 2., & d. 128. c. 5. centet, e duobus mediis ad finem præintentum utilibus eligi non posse, nisi quod utilius apparet, è duobus tamen finibus amari posse, vel interdum eum, qui apparet in se minus bonus, dummodò cognitio illius vehementior sit, aut vividior; generatim verò non posse amari, nisi bonum vividiùs propositum. Hæc etiam opinio rejicienda est. Tum quoad primam partem: quia saltem inter media prorsùs æqualia, seu quorum nullum apparet utilius alio, poterit quis eligere quodlibet; alioqui, si viatori duas vias ostendas æquè idoneas, ut perveniat quò tendit, non poterit pergere; nec sitibundus poterit bibere, si duo inveniat pocula omninò paria; nec item poterit efficaciter intendere finem, qui prævidet duo sibi media suppetere æquè utilia, siquidem eo ipso sciet fore ut nò possit eligere. Tum quoad secundam: quia tollitur libertas, si non possit amari honestum, cùm vividiùs proponitur delectabile pravum, nec è converso. *Dices*: poterit saltem omitti amor objecti vividiùs cogniti. Sed *contrà* 1. quia tollitur saltem libertas contrarietatis: immò & contradictionis; quia omissio amoris non erit volibilis (saltem positive), nisi proponatur vividiùs. 2. quia nemo erit liber, ut velit audire Sacrum in die festo, dum ipsi vehementiùs proponitur ludus, aut venatio. Nec dicas, posse tunc intellectum à voluntate applicari, ut attentiùs consideret bonum præceptum. Nam, si hæc applicatio vel attentio prænoscitur vehementius, jam non poterit anteponi ludus: si verò non ita prænoscitur, jam non poterit attentio ipsa præferri.

96 Propter hæc receptissima inter Authores nostros & Scotistas doctrina est, posse à voluntate liberè amari minus bonum in conspectu majoris, & ex æqualibus quodlibet, etiamsi non cognoscatur vividiùs. Aliqui tamen excipiunt bona ejusdem generis, & omninò similia; negantque, avarum v. g. optione data, eligere posse aureum unum, relictis centum; aut famelicum optare unciam panis, omissâ liberâ: putant etiam, inter duo bona homogenea, & omninò paria, neutrum eligi posse. Probant: quia voluntas, cùm sit potentia rationalis, nequit unum alteri præferre sine ratione præferendi: at inter bona ejusdem speciei, nulla est ratio præferendi unum alteri æquali, ac multò minùs alteri majori; quia nulla in eo est vis attrahendi, vel invitandi, quæ non inveniatur in altero. Si dicatur, non opus esse aliâ ratione, nisi *quia sic volo*. Urgent; quia jam tunc aliqua ratio præponderantiæ apprehenditur in minori bono, nimirum quòd ejus electio sit aptior ad ostendendum libertatis dominium.

97 Sed *in primis* præponderantia illa, vel aptitudo major ad ostensionem libertatis, apprehendi nequit in casu æqualitatis: unde famelicus, si non habeat nisi panes æquales, necessariam patietur inediam, perinde ac si nullum haberet; quod est plane falsum, & contra experientiam. *Deinde*, si ad præferendum vel inter inæqualia minus, vel inter æqualia quodlibet, non opus est aliâ ratione, nisi quòd velit quis uti libertate sua, nō est cur impugnetur opinio hæc; non enim differt a communi, quæ solùm asserit, posse voluntatem inter bona, tum æqualia, tum inæqualia, tametsi ejusdem speciei, optare quodcumque pro nuto libitu, seu non aliâ ratione, nisi quia vult. Hoc, inquam, sententia communis asserit, & meritò: quia bonum A. ex conspectu alterius majoris, aut æqualis, non extrahitur à

sphæ-

ibera voluntatis, nec amittit bonitatem suam, quâ, dum solum est, movere ac terminare valet amorem: non ergo ex tali conspectu redditur inamabile.

98 *Dices* 1.: bonum minus in conspectu majoris (supponitur, non posse utrumque simul obtineri) apparet ut exclusivum majoris boni: ergo apparet ut malum. *Resp.*: non apparet ut purè malum, sive ut pura privatio boni majoris, sed simul ut verè bonum: & hac ratione amari potest à voluntate negligente rationem mali, quæ simul apparet. *Dices* 2.: bonum non est amabile, nisi ut cognitum: ergo non est amabile præ altero, nisi cognoscatur ut præferibile alteri. *Dist. Consequ.*, nisi ut præferibile, idest, dignum præferri, *neg.*; nisi ut præferibile, idest, capax præferri pro libitu voluntatis, *conc. Consequ.*: sed ad hoc satis est cognosci ut verè bonum: nec voluntas tenetur aliam præferentiæ rationem reddere, vel habere, præter libitum suum. *Dices* 3.: cur ergo ante electionem consultatio adhibetur, seu collatio mediorum, si quodlibet est eligibile? *Resp.*: consultatio plerúmque supponit intentionem efficacem obtinendi finem per medium, quod apparuerit commodius, & utilius: & tunc fateor non posse non eligi medium ilhusmodi, nisi voluntas à præhabitâ intentione desistat. Hoc tamen non provenit à solâ melioritate medij, sed unicè, vel potissimè ab intentione præhabitâ. Nunc autem loquimur de necessitate volendi, quam imponat sola objecti melioritas. Hinc fatendum est, avarum, & famelicum (de quibus n. 96.), si efficaciter intendant ditescere, vel satiari meliori modo, quo possint, eo ipso adimere sibi facultatem eligendi ex mediis oblatis minus utile. Si tamen vel nulla præsupponatur intentio, vel non omninò efficax, vel rebibiens finem ut obtinendum per media sufficientia, nihil de optimis curando: tunc, licèt consultatio adhibeatur, ut benè perspecta sint objecta, vel media eligibilia, poterit voluntas, neglecto meliori, eligere quodlibet, modò bonum appareat, aut sufficiens. Vid. P. Suar. cit. disp. 19. s. 6.

99 Præcipua hîc *objectio* sumitur ex noto proloquio, *Omnis peccans est ignorans*; quod sumitur ex Aristotel. 3. Ethic. c. 1.. Consonat illud Proverb. 14., *Errant, qui operantur malum*: & alij Scripturæ textus, quibus peccantium lapsus tribuuntur ignorantiæ, excæcati, vel defectui cogitationis, & scientiæ. Unde sequitur, neminem amplecti objectum pravum sine positivo errore, quo judicet, illud esse hic & nunc majus bonum; vel utcumcumùm sine defectu considerationis & advertentiæ ad pravitatem; vel saltem, ut vult P. Vazquez, sine defectu cognitionis vehementioris, quæ necessaria est ad amorem honestis; qui defectus vocari potest error negativus. *Sed verò*, quòd peccare quis possit non ignorans, nec errans circa id, quod sibi absolutè melius est, & præferendum ex regulâ rationis, ac debito legis, videtur omninò indubitabile. Tùm ex dictis n. 94.. Tum quia sic planè colligitur ex illo Luc. 12. v. 47., *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, .. & non fecit &c.*: & ex illo Jacob. 4. v. 17., *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Tum quia id nimis confirmat experientia peccantium cum actuali conscientiæ remorsu, quibus aptè convenit illud Ovidij, *Video meliora, proboque; .. Deteriora sequor.* Tum demùm evidenti ratione: quia cognitio boni, ut melioris, & à Deo præcepti, non necessitat voluntatem, saltem quoad exercitium; aliter nemo liberè præcepta servaret: potest ergo cum eâ cogitatione conjungi omissio amoris, atque adeò peccatum. Quæ ratio probat etiâ, non requiri defectum cognitionis vividioris: nam, licèt cognitio sit vividior

circa objectum debitum, non ideò necessitat quoad exercitium, ut fatetur P. Vazquez.

100 Quòd verò attinet defectum considerationis, aut advertentiæ, Scotistæ, & Nominales negant, illum simpliciter necessarium esse ad peccandum; quia, quidquid intellectus consideret, liberras creata potest à bono morali declinare: unde putant, Luciferum, & Adamum fine allâ inconsideratione peccasse. P. Suar. cit. disp. 19. sect. 7., & lib. 1. de Grat. cap. 12 reipsâ doctrinam hanc approbat; censet tamen, moraliter aut regulariter loquendo, voluntatem nunquàm labi, quin præcedat in intellectu defectus aliquis, saltem inconsideratio plurium rationum, vel motivorum, quæ possunt voluntatem à peccando retrahere, illamque morali quadam certitudine colliberent, si considerarentur. Quò spectat illud Eccli. 7., *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Adde, quòd semper, aut sæpissimè, cùm elicienda est volitio expressa & immediata objecti æterni pravi, voluntas avertit mentis oculos tam ab honestate cõtrariâ, tum à prohibitione, & pravitate objecti, quod proinde solùm sibi proponit ut commodum, aut delectabile sensui: propositio autem objecti pravi, sic inconsiderata, vel inconsulta, vocari potest quidam error practicus, saltem negativus; qui sæpiùs repetitus quamdam generat mentis cæcitatem, idest, consuetudinem inconsideratè proponendi delectabilia.

101 Loquor de fidelibus, seu qui nondùm Fidem amiserunt: nam infideles frequenter peccant cum positivo errore & cæcitate mentis circa objectum hîc & nunc eligendum. Hic tamen error, ut & illa inconsiderantia fidelium, culpabilis est, utpotè supponens in voluntate culpam averrendi, vel negligendi considerationem debitam. Cæterum culpa ista non debet in intellectu supponere defectum alium culpabilem; alias iretur in infinitum: sat est, quòd supponat defectum, tametsi pro priori signo involuntarium, cognitionis plurium motivorum retrahentium; quæ cognitio, si adesset, licet non tolleret simpliciter libertatem peccandi (sicut nec ejus defectus ad peccandum necessitat), moraliter tamen voluntatem in officio contineret. Itaque partim per inconsiderantiam culpabilem, partim per ignorationem involuntariam, quæ præcedit culpam non considerandi, verificari potest de facto, quòd omnis peccans sit ignorans, aut errans, errore saltem negativo: quamquam locus ille Proverb. 14., & similes alij, non incongruè possunt exponi de errore morum, aut operationum voluntatis à rectâ semitâ salutis, quamvis nõ ignoratâ. Sed de his latiùs Theologi in 1. 2. D. Thomæ. Vid. P. Suar. locis cit.

102 Diximus n. 90., imperium, *sic hoc*, quatenùs vim habet impellendi, seu determinandi, non esse actum intellectûs, sed voluntatis. Ex qua occasione *quæritur* hîc 4., utrùm imperare pertineat ad voluntatem? an ad intellectum? Vel eorum imperium in actu voluntatis consistat? an in actu rationis? Hoc posterius docet D. Thomas 1. 2. q. 17. ar. 1., quem sequuntur Thomistæ, & è Nostris PP. Vazquez, Salas, & alij. Illud verò primus docent D. Bonaventura, & Scotus locis cit. à Mairio hîc disp. 7. n. 185., quibus adhærent Scotistæ, & plures è Nostris, præsertim Recentiores. Quæstio videtur magna ex parte vocalis. Si *imperare* idem sonet, ac intimare, denuntiare, præscribere, dictare, quid faciendum sit, procul dubiò spectat ad intellectum. Hinc prudentia, quæ virtus intellectualis est, dicitur præceptiva: hinc etiam regulæ artis præcepta vocantur. Si verò verbum illud significet movere, applicare, determinare, de-

decernere, & ex dominio statuere, quid fieri debeat, ad dubiò pertinet ad voluntatem: cæt. propterea munus imperandi tribuunt D. Augustinus 8. Confess. c. 9., D. Anselmus De concept. Virg. c. 4., & ipse D. Thomas 1. 2. q. 17. ar. 6. ad 2., item 2. 2. q. 10. ar. 2., & q. 58. ar. 8. ad 1., & sæpè alias: nec quidquam in Scholis frequentius, quam quòd voluntas imperat cæteris animæ facultatibus, etiam intellectui, & interdùm sibimet ipsi; unde voluntatis actus dividi solent in imperantes, & imperatos.

103 Cùm igitur utrique potentiæ sub diversâ notione tribuatur imperium, solùm superest dubium, utri propriè vel magis propriè conveniat? Et videtur standum pro voluntate. Tum ex usu loquendi, hodiè saltem longè communiori, etiam apud Authores primæ sententiæ. Tum quia, ut omnes consentiunt, soli voluntati convenit dominatus in regno animæ, & potestas obligandi, seu efficaciter movendi ad exercitionem, tum intellectum, tum cæteras facultates: imperare autem est actus dominij, & potestatis. Tum quia propriùm est imperij posse compellere, seu necessitatem imponere, juxta D. Thomam 2. 2. q. 83. ar. 1.: at nullus actus intellectûs independenter ab actu voluntatis, seu præscindendo à volitione prævià, vim habet imponendi necessitatem ullam executionis, ut planè colligitur ex doctrinâ D. Thomæ 1. 2. q. 17. ar. 1.: nullus igitur actus intellectûs vim habet imperij propriam, nisi ut conjunctus cum actu voluntatis; & ita quidem, ut actus iste sit formale cónstitutivum imperij; actus verò intellectûs, constitutivum materiale; ut ibi admonet Cajetanus. Unde utsummùm sequitur, imperium ex utroque actu constitui, præcipuè tamen ex actu voluntatis.

104 Immó, licèt imperium, prout intimatum, seu denuntiatum, importet actum intellectûs; sumptum tamen quoad vim obligandi, adeòque propriè sumptum, in solo actu voluntatis consistere videtur juxta doctrinam D. Thomæ. Nec denuntiatio pertinet ad substantiam imperij (aliter præcedenuntians mandatum Principis, propriè imperaret), sed illam præsupponit, & solùm est applicatio, vel conditio, ut imperium proximè obliget personam aliam. Quòdsi imperium sit monasticum, seu circa potentias imperantis proprias, nulla requiritur intimatio rationis, saltem ut voluntas imperet intellectui. D. Thomas illam requirere videtur per actum, *fac hoc*, ad alias potentias executrices: sed in hoc plurimi contradicunt. Scio, P. Vazquez, & paucos alios negare, quòd possit quis propriè imperare sibi, vel potentijs suis. Hoc tamen esse contra D. Thomam, & contra communem Scholarum sensum, olbendit P. Salas in 1. 2. tr. 6. d. 2. s. 2.; ubi ultrò concedit sequelas, quas velut absurdas objicit Vazquez.

105 Sed pro sententiâ, quæ imperium propriè adscribit intellectui, *Objic.* 1.: imperare est dicere, juxta illud Genes. 1., *Dixit Deus, Fiat lux*: dicere autem proprium est intellectûs. 2.: Sapientia, quæ ad intellectum attinet, differtè dicit Proverb. 8., *Per me legum conditores justa decernunt: per me Principes imperant.* 3.: Aristoteles non semel asserit, appetitum obedire rationi. 4.: imperare est ordinare, ac regere, seu dirigere; quod solius est intellectûs. 5.: ad eamdem potentiam pertinent imperium, & oratio: hæc autem est actus intellectûs. 6.: si imperium esset actus voluntatis, foret desiderium: at sæpè quis coactus imperat sine desiderio obligandi: sæpè etiam superior desiderat, nec tamen imperat. Hæc omnia parùm urgent.

106 *Ad* 1.: *dicere* sonat interdùm idem, ac *decernere*; atque ita sumi-

tur loco cit. Genes.: *hic autem pertinet ad voluntatem.* *Ad* 2.: Sapientia decernit, & imperat, non elicitivè, sed directivè, quatenus voluntatem dirigit, & qualiter sit imperandum, ostendit. Vel, si mavis, decernere & imperare accipitur ibi minùs propriè, videlicet prodictare, seu tradere regulas bene operandi: quo etiam sensu prudentia dicitur præceptiva. Adde, quòd sapientia in sacris Litteris sæpe comprehendit rectitudinem voluntatis, quâ qui caret stultus dicitur, qui pollet, sapiens. Unde Sapientia in eod. c. 8. sibi tribuit fortitudinem, & justitiam, aitque, *In viis justitiæ ambulo*; quod certè voluntatis est munus. *Ad* 3.: loquitur Aristoteles de appetitu sensitivo, qui obedit rationi, id est, appetitui rationali. *Ad* 4.: si *ordinare* idem sit, ac ex dominio statuere, seu præfigere rectum ordinem operandi, ad voluntatem pertinet; ad intellectum verò, si sonet idem, ac dirigere, seu regulare. Dum autem significat referre unum ad aliud, utrique potentiæ convenit; & voluntati non semel tribuitur à D. Thomâ, v. g. 1. p. q. 107. art. 1.

107 *Ad* 5.: oratio, prout significat petitionem per signa, seu verba interna (quo sensu accipitur à D. Thomâ 2. 2. q. 83. art. 1.), importat quidem actum intellectûs: in ordine tamen ad Deum, qui nullo indiget signo, salvari potest oratio verè talis in solo actu voluntatis. Vid. P. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. de orat. cap. 3. & seqq. *Ad* 6.: imperium internum est desiderium, non qualecumque, sed specialis indolis, quod scilicet efficaciter velit obligare subditum. Quare omne imperium est desiderium, sed non è converso: desiderium, inquam, obligationis; non tamen semper executionis: quia potest quis aliquid seriò præcipere, quod re ipsa nolit executioni mandari, dummodo subditum obligatum velit, & ex se paratum ad exequendum. Unde qui coactus imperat exteriùs finè obligandi desiderio, re verâ non habet imperium internum: nec subditus, qui noverit hujusce desiderii defectum, tenetur obedire, quantùmcunque percipiat intimationem rationis, vel quantumvis audiat verba, *fac hoc*.

108 *Nunc* circa voluntatis imperium, seu dominatum in cæteras potentias, quædam obiter sunt notanda. 1.: intellectûs voluntati subditur in judicando de inevidentibus, cujusmodi sunt opinabilia, & fide credibilia: non ita verò, juxta communem sententiam, in judicando de objectis evidenter propositis: quamquàm in hoc refragentur aliqui; & saltem quòd judicia evidentia plerùmque pendeant ab applicatione voluntatis quoad dispositionem aptam ad discurrendum, negari non debet. Subditur etiam quoad conservationem cujuslibet actûs in particulari; quia potest ex imperio voluntatis aliò distrahi. Subditur item sæpe quoad excitationem apprehensionum simplicium; non tamen semper; quia possunt species sine voluntatis interventu adquiri, vel excitari. 2.: phantasia quoque voluntati subditur eodem ferè modo, quo intellectus ut apprehensivus. 3.: appetitus sensitivus subest etiam in multis dominio voluntatis, ex quo sæpe nobis liberum est compescere motus iræ, tristitiæ, &c.: hoc tamen dominium non est despoticum, sed politicum, ut ait Aristoteles; quia sæpe remittitur appetitus, aut jussum prævenit. 4.: potentiæ locomotivæ, quantum ad motus, quos spontaneos vocant, despoticè imperat voluntas, si membra sint ritè disposita: secùs verò, quantum ad motus naturales, cujusmodi sunt motus cordis, circulatio sanguinis, &c. 5.: sensibus externis dominatur voluntas medio motu locali, quatenùs potest v. g. oculos aperire, vel claudere: quo etiam modo in potentiam nutritivam dominatum exercet, alimenta scilicet ap-

applicando, vel subtrahendo. Quare potentiæ istæ solum mediate subduntur voluntatis dominio; reliquæ immediate.

109 Plures Thomistæ, quos refert & sequitur Joan. a S. Thom. hic l. 3. q. 12. ar. 6., negant fieri posse, ut voluntas imperio suo moveat seu applicet potentias sibi immediate subjectas, nisi qualitatem aliquam physicam ipsis imprimat. Quidam alij requirunt saltem concursum physicum voluntatis per se, vel per actum imperij, ad actus facultatum subditarum. Sed communis sententia tenet, facultatem subditam obedire voluntatis imperio per sympathiam, ideſt, per exigentiam innatam, quâ sibi debitum facit cõcursum primæ Causæ sub conditione quod voluntas actum illius imperet: quæ sympathia inter potentias ejusdem hypostasi, seu radicatas ab eâdem anima, nullum habet incommodum; præsertim si anima ipsa immediate concurrat ad actus omnium potentiarum, ut reipsâ concurrit in nostris principijs.

*Sitnè Voluntas potentiæ nobilior Intellectu?*

110 Denique, quoniam voluntati adscripsimus imperium in regno animæ, *quæritur* 5., an voluntas nobilitate seu perfectione præstet simpliciter intellectui? simpliciter, inquam, aut omnibus perlatis: nam secundum quid utraque potentia excedit, & exceditur. Affirmant Scotistæ cum Scoto. 1.: quia voluntas dominatur intellectui, solaque pollet libertate, quæ præcipua est hominis perfectio. Est etiam primum movens in viribus animæ. 2.: quia perfectissimus actus voluntatis, nempe amor Dei super omnia, perfectior est quocumque actu intellectûs, juxta illud Apostoli 1. Cor. 13., *Major autem horum est charitas.* Quod etiam respectu visionis beatificæ verum est: tum quia charitas magis unit Deo quàm ipsa visio: tum quia oppositum ejus, nempe odium Dei, multò peius est carentiâ visionis, vel etiam errore & ignorantiâ Dei. 3.: quia Seraphini, qui amore præcellunt, perfectiores sunt Cherubinis, qui scientiâ seu cognitione prævalent.

111 Ex adverso præstantiam intellectûs asserit D. Thomas 1. p. q. 82. ar. 3., quem Thomistæ sequuntur, & Nostri communiter cum P. Suar. hic lib. 5. c. 9. *Prob.* 1.: quia ex facultate intelligendi sumitur præcipua perfectio, ac dignitas hominis, qui propterea per rationalitatem definitur. Ex eodem capite sumitur differentia perfectionis in Angelis, tum inter se, tum comparatione hominum. 2.: quia voluntas, utpotè cæca, seu nihil ex se videns, indiget luce ac directione rationis ad actus omnes, etiam ad eos, quibus imperat intellectui. Contrà verò intellectus nativo lumine gaudet, & proprijs velut oculis utitur; nec a voluntate pendet quoad omnes actus. Hinc satis colligitur intellectûs præstantia. Tum quia voluntas magis pendet ab intellectu, quàm è converso; pendet enim quoad actus omnes, & quidem essentialiter; cùm intellectus non invicem pendeat, nisi quoad aliquos, nec plus quàm naturaliter. Tum quia perpetuò subesse directioni alterius, semperque indigere pædagogo, multùm deprimit conditionem principis, & æstimationem dominij. Quare, si daretur princeps, omninò impotens ullo unquam tempore imperare quidquam sine consilio ac directione certi cujusdam consiliarij; melior, & præstantior haberetur in æstimatione prudentum conditio consiliarij, quam principis. Accedit, quòd intellectus sit regula morum; nam eatenùs voluntas operatur benè, vel malè, quatenùs rectæ rationi obtemperat, vel obsistit.

112 Hinc ad argumenta con-

tra-

maria respondetur facilè. *Ad* 1.: voluntas dominatur quidem intellectui, quatenùs illum applicare potest ad plures actus; sed cùm ad hanc ipsam applicationem indigeat prævia luce rationis, ac se habeat instar principis, qui sine directione consiliarij nihil potest præcipere consiliario ipsi; nequit ex tali dominio censeri præstantior intellectu, nisi secùndùm quid. Nec libertas est præcipua hominis perfectio, sed rationalitas. Nec voluntas dicitur primum movens, nisi quoad exercitium: nam quoad specificationem primum movens est intellectus, quatenùs non aliud objectum amari potest à voluntate, nisi quod ab intellectu proponitur. Quare in munere movendi videtur fieri quædam compensatio. *Ad* 2.: si de actibus naturalibus fit sermo, negari potest, amorem Dei nobiliorem esse summâ Dei cognitione, naturæ viribus possibili. Si verò de actibus supernaturalibus loquamur, actus charitatis est quidem perfectior actu fidei, & alijs ab intellectu habitis in statu viæ (hoc sensu loquitur Apostolus, ut ex contextu patet); sed imperfectior est visione beatificâ, quæ ab intellectu elevato elici potest. Nec obstat, quòd amor dicatur unire: non enim est unio physicè, sed intentionaliter; & in hoc sensu magis ad Deum accedit visio, quippe quæ dicitur intentionalis identitas potentiæ cum objecto.

113 Nec item obstat, quod additur de odio Dei: nam multi concedunt, illud esse peius in esse moralis negant tamen in esse physico; quia in carentiâ visionis consistit pœna damni, quæ summa est omnium. Vel concedi potest, quòd odium Dei est majus malum, quàm error, vel carentia visionis; non quòd excludat bonum in se majus; sed quia opponitur bono magis debito, & ipsum ratione sui est summè indebitum. Sic homini majus malum est frigus, aut privatio caloris, quàm carentia lucis; nec tamen calor est luce nobilior. Sic etiam animæ nostræ majus est malum privatio gratiæ habitualis, quam carentia unionis hypostaticæ; cùm tamen hæc unio sit gratiâ nobilior: similiterque lethale peccatum, quod unum opponitur gratiæ, multò peius est veniali peccato, quod sufficit excludendo unionem hypostaticam.

114 *Ad* 3.: Seraphini Cherubinos excedunt, tam in cognitione Dei, quàm in amore; cùm amor perfectior in beatis supponat visionem perfectiorem, ut est certum. Seraphinis ergo tribuitur amor, & Cherubinis cognitio; quia illorum munus est illuminare mentes hominum; illorum verò, inflammare voluntates amore Dei: hoc autem munus est perfectius, eo quòd actus charitatis in statu viæ sit omnium perfectissimus. Vid. P. Suar. cit. c. 9. Hucusque dicta probabiliorem reddere videntur secundam sententiam: cujus tamen argumenta probabiliter etiam solvi possunt: ideòque nonnulli rem hanc inter problemata censent: & alij cum Aversa æqualitatem utriusque potentiæ, omnibus pensatis, affirmant.

# DISPUT. VIII.

## DE ACTIBUS INTELLECTUS.

### CAP. I.
### *IN QUO CONSISTAT INTELLECTIO?*

1 QUÆSTIO proposita communis est omni sensationi, & appetitui elicito: quare, quid-

quidquid in eâ circa intellectionem dixerimus, sensationibus etiam, & appetitionibus aptari poterit proportione servatâ. Supponimus autem, vitales actus aliquid veræ realitatis aut entitatis denuò productæ superaddere animæ; quod satis adversùs quosdam Aromistas demonstravimus in Differt. præliminar. ad Physicam n. 33. Supponimus item, intellectionem non consistere in specie impressa, vel ejus receptione; quidquid dixerint aliqui Veteres, quorum sententia nunc antiquata est, & impugnata videri potest apud P. Suar. hic lib. 3. c. 3.

2. Circa essentiam igitur intellectionis *prima sententia* tenet, eam consistere in actione, seu operatione, se ipsâ physicè ortâ ab intellectu. Ita omnes, aut ferè omnes Thomistæ: quorum aliqui apud Colleg. S. Th. hîc q. 10. n. 235. asserunt, omnem intellectionem, etiam in Beatis, esse productionem qualitatis objectum repræsentantis, quæ dicitur *species expressa*, & *verbum mentis*, & non est intellectio, sed terminus intellectionis. Sic etiam sentiunt PP. Conimbricenses, & Peynado. Plerique tamen Thomistæ negant, per omnem intellectionem produci verbum: & aliqui solam excipiunt visionem beatificam: plures alij excipiunt omnem intellectionem intuitivam objecti spiritualis: nolunt que verbum produci, nisi per cognitionem abstractivam, seu respicientem objectum absens, vel etiam corporeum. Atque hi similiter philosophantur de cognitione phantasiæ, seu interni sensûs; per quam, dum respicit objectum absens, produci volunt speciem expressam, quæ non dicatur *verbum*, sed *idolum*: sensationibus tamen externis, cùm omnes intuitivæ sint, nullum concedunt terminum ab accione distinctum: appetitionibus autem elicitis alij negant, alij concedunt terminum distinctum, nempe qualitatem quamdam instar ponderis, aut impulsûs potentiam inclinantis ad objectum.

3. Porrò intellectionem, cùm est productio speciei expressæ, quidam Thomistæ meram actionem esse dicunt, & ad prædicamentum Actionis spectare; quod etiam tenent PP. Conimbric., Peynad., & Alphonsus (hic intellectionem collocat in actione, quâ producitur unio speciei expressæ cum intellectu): sed plerique censent spectare ad prædicamentum Qualitatis, & eam vocant actionem virtualem, quia, licèt sit immediata productio speciei expressæ, hoc habet ex conceptu secundario, non ex primario. Præterea, juxta Thomistas, solum verbum, seu species expressa, est conceptus, repræsentatio, imago, & similitudo objectis cognitio verò, seu intellectio, est contemplatio, speculatio, & perceptio objecti in verbo: sed Alphonsus, & Peynado non videntur intellectioni tribuere munus aliud, quàm physicè producêdi vel uniendi speciem expressam. Hæc fusiùs exposui, ut intelligantur Authores, præsertim Thomistæ: quorum ab opinione non multùm discrepat P. Lynce, qui duas intellectiones distinguit, activam, & passivam; & hanc identificat cum specie expressâ; illam verò cum productione illius speciei.

4. *Secunda sententia* intellectionem collocat in qualitate ab intellectu productâ per actionem distinctam, quæ sola qualitas sit intellectio verè, & propriè, sive in facto esse, similesque species expressa, & verbum mentis; ejus verò productio non sit intellectio, nisi cum addito *in fieri*, seu *in viâ*. Ita Scotistæ cum Scoto apud Masti. hîc disp. 6. q. 3., & plures e Nostris cum P. Vazquez, quibus etiam favet P. Suar. tum hîc l. 3. c. 3., tum disp. 48. Metaph. sect. 2. *Tertia* intellectionem, vel saltem intelligere in concreto, identificat cum complexo spe-

speciei expressæ, quæ est qualitas, & actionis, quâ oritur species hæc ab intellectu. Ita P. Hurtado, quem plures sequuntur Recentiores. *Quarta* demum (ut alias omittam minoris momenti) essentiam intellectionis creatæ statuit in qualitate, seu entitate accidentali, quæ formaliter est representatio seu manifestatio objecti, simulque productio sui ab intellectu, & unio sui cum eodem, absque aliâ actione, vel unione interjectâ, & absque alio termino, cujus productio sit. Ita Cardin. de Lugo, & PP. Ripalda, & Aldrete, apud Quiros hic disp. 94. n. 21., qui magnâ ex parte cõsentit ibi n. 41., & seqq.. Ita quòque ex professo P. Oviedo hic controv. 6. punct. 1. §. 3. & seqq.: item Aversa, Trinitar., & plures alij, præsertim Recentiores ingenio nobiles in M. S.. Eadem est sententia Thomistarum quantum ad ejs intellectiones, quibus negant produci verbum: immò generatim ab hac sententiâ non aliter discrepant Thomistæ, nisi quatenus volunt intellectionem interdùm esse productionem verbi distincti, & nolunt esse representationem objecti.

5 Hæc eadem quarta sententia nobis amplectenda est ut probabilior, & nostris principijs congruentior, atque non ingrata Eximio Doctori, qui disp. 48. Met. 12. probabilitatem ejus commendat. *Probatur* autem fiet: Intellectio creata est formaliter representatio seu manifestatio objecti: deinde est etiam formaliter productio & unio sui ab & cum intellectu, nec alterius termini productio ullibi consistit in entitate, cui hæc omnia formaliter conveniant, ut ajebat quarta sententia. Præmissæ probandæ sunt seorsùm. Et *Major* (cui nemo refragatur, nisi forsan unus, aut alter, qui solùm intellectioni tribuit munus physicæ productionis, ut notatum est n. 3.) extra dubium videbitur, si communis terminorum nomo retinentur. Intellectio enim est cognitio; & hæc est formaliter detectio, seu declaratio, adeòque manifestatio objecti; tum ex vi vocis; tum exemplo visionis ocularis, visionis beatificæ, & cognitionis Divinæ; tum quia objectum esse nobis cognitum idem sonat, ac esse nobis apertum, detectum, manifestum; & è contrario idem sonat incognitum, ac mentis oculis tectum, & occultum. Certè *notitia* & *cognitio* significatu non differunt, sicut nec verba *nosco* & *cognosco*: quis autem dubitet, quin notitia formaliter sit manifestatio? vel quin idem sonet esse notum, ac esse manifestum?

6 Nec Thomistæ dissentire possunt, siquidem intellectionem dicunt esse formaliter speculationem, seu contemplationem objecti: contemplatio enim manifestatio est procul dubiò aliter contemplatio Dei, vel visio beatifica, nihil manifestaret. Renuunt quidem concedere, quòd cognitio sit representatio, nomen hoc reservantes verbo mentis à cognitione distincto: sed cùm representatio intentionalis non sit objecti positio realis in intellectu, nec imitatio univoca realitatis objecti, qualis est in pictâ imagine respectu coloris & figuræ prototypi (hæc opinamenta in simili rejecimus suprà disp. 6. n. 15.); nihil aliud esse potest, quàm manifestatio, vi cujus intellectui detegitur, & apparet, seu patet, quod erat occultum. Hoc sensu representationem fatemur in præsenti, fumunteque passim Scholastici. Quòdsi aliter accipere libeat, quoad præsens attinet, non contendimus: fac nobis, quòd cognitio sit formaliter ostensio, manifestatio, patefactio.

7 Formaliter, inquam, id est, ratione sui, vel per se immediatè, atque ex proprio conceptu; non verò activè solùm, vialiter, aut mediatè, quasi cognitio sit tantùm productio manifestationis ut termini distincti. Nobis enim probatio hoc evincit, idem esse for-

formaliter cognosci aliquid, ac menti detegi, seu notum fieri, adeòque manifestum, nisi nos fallunt communia lexica. Et quis dubitet, per visionem beatam immediatè detegi ac patefieri Divinam essentiam? vel per visionem ocularem immediatè manifestari colorem? Adde, quòd cognitio eodem sensu est repræsentatio, seu manifestatio, quo volitio est inclinatio elicita; in hoc enim operationes istæ distinguuntur, quòd altera sit per modum repræsentationis, altera per modum inclinationis: sed volitio immediatè ac ratione sui est inclinatio elicita, ut ignorat nemo: ergo &c. Unde frustrà comparatur cognitio calefactioni, quę non est calor, sed caloris productio, vel illuminationi, quę non est lux, sed productio lucis. Nam calefactio à nemine dicitur forma calidi, nec illuminatio forma lucidi: at cognitio ab omnibus dicitur forma cogniti, quod idé sonat, ac notum, detectum, seu patefactum intellectui. Est quidem calefactio (idem puta de illuminatione) forma *calefactis*: sed denominatio ista propriè non est eadem, ac denominatio *calidi*; hæc enim pro formâ dicit calorem; illa verò productionem aut receptionem caloris, quem non importat formaliter, sed connexivè. At denominatio *cogniti*, omninò est eadem cum denominatione *manifestati*, ut satis ostendimus.

8 Jam *Minor* primi syllogismi, cui (exceptâ ultimâ parte, de quâ posteà) refragatur maximè secunda sententia, *probatur* sic: Intellectio est formaliter vita intentionalis in actu secundo: sed hujusmodi vita est formaliter actio seu operatio physica immanens: ergo est formaliter productio & unio sui ab intellectu & cum intellectu. *Consequentia* est legitima: nemo quippe inficiatur, actionem physicam immanentem seipsâ egredi à principio suo, & eidem uniri. *Major* quòque certa videtur: nam intellectio est actus secundus, sive actuale exercitium intellectivi ut talis, sicut calefactio calefactivi, & illuminatio illuminativi: cùm autem intellectivum sit formaliter vivens intentionale in actu primo, exercitium ejus nequit non esse vita intentionalis in actu secundo. *Prob.* igitur *Min.*: vita in actu secundo debet esse vero aliquo sensu operatio immanens, vel, quod idem est, motus ab intrinseco & in intrinsecum, quo scilicet principium vitale semetipsum actuet; ut omnes, aut ferè omnes agnoscunt, ubi agitur de conceptu vitæ in communi: cùm igitur vita intentionalis veré sit vita, ut nemo dubitat, debet esse motus aut operatio verè ab intrinseco, & quidem formaliter, quia debet formaliter includere quod est de conceptu vitæ in communi.

9 At, si non est actio physica intellectûs, nullo vero sensu est operatio ejus ab intrinseco. *Prob.* hoc: quia, si non est actio physica, non egreditur ab intellectu physicè per modum motûs, aut operationis. Deinde nec ab eo egreditur seu producitur intentionaliter: nam sic produci, est accipere esse intentionale, ideſt, cognosci; sicut produci physicè, est accipere physicum esse: intellectio autem non habet ex conceptu formali reflexè cognosci ab intellectu. *Confirm.*: Intellectio est formaliter exercitium intellectivi ut talis: sed intellectivum ut tale in creatis est physicè activum: ergo intellectio est formaliter exercitium principij physicè activi, atque adeò est formaliter actio physica. *Prob. Min.* 1.: quia intellectivum ut tale, est formaliter vivens: ergo est formaliter potens actuare se ab intrinseco, cùm hoc sit de formali conceptu viventis: ergo & formaliter est potens comparare sibi actualitatem intellectionis, ita ut hęc non ipsi accidat merè ab extrinseco. At potestas hęc in creatis concipi nequit præscindendo ab activitate physicâ, ut quisque videt.

10. 2. : quia, si intellectivum, adeòque volitivum, in creatis non dicit formaliter activitatem physicam, possibilis erit creatura intellectiva, & volitiva, quę non sit physicè activa suorum actuum, nec possit intelligere, seu velle, nisi per actus purè ab extrinseco infusos. At sequela hæc absurda videtur, utquę maximè. Nam creatura illa verè vivens esset; & aliunde non esset; siquidem ad actus suos merè passivè se haberet, ac proinde velut inanime quoddam, seu vitâ carens. Sanè Tridentinum sess. 6. can. 4., cùm damnat asserentes, *liberum hominis arbitrium... nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti,... sed velut inanime quoddam, nihil omninò agere, merèque passivè se habere*; planè supponit, quòd *nihil agere, merèque passivè se habere*, proprium sit rei penitùs inanimis, seu non vivę; & quòd voluntas humana se gereret ut *inanime quoddam*, si volendi actum purè ab extrinseco, velà solo Deo productum acciperet. Nec loquitur de solo *agere* intentionaliter, quod apud Adversarios nihil est aliud, quàm intelligere, seu velle: non enim hæretici negabant, hominem velle per actum volendi à solo Deo productum. Solum ergo Concilium damnat negantes, voluntatem *cooperari* & *agere* physicè; atque ideò damnat, quia voluntas perinde se gereret, ac res inanimis, si ad volitionem merè passivè se haberet in sensu physico.

11. Accedit, quòd, si non repugnat creatura cognoscens per cognitionem, quam physicè producere nequeat, nulla ratio erit, cur materia prima, quæ recipit naturaliter sensationes, non reddatur videns, audiens, &c., propriè que vivens in actu secundo, nec minùs, quàm anima. Nulla quòque ratio erit, cur humanitas Christi D. non possit reddi formaliter intelligés per intellectionè Divinam, quemadmodùm redditur formaliter sancta per sanctitatem increatam: non enim ideò evadet humanitas æquè intelligés, ac Deus ipse; quia, potentia intellectio, sicuti potest sanctitas, effectum suum formalem attemperare limitationi subjecti. Accedit insuper, quòd possibilis erit, contra sensum omnium, substantia volitiva non intellectiva: nam quæ solùm esset volitiva per actus à se non productos, certè non indigeret cognitione; cùm hæc necessaria non sit, nisi ut voluntas moveatur aut invitetur ad eliciendum volitionis actum.

12. *Dices*: intellectio creata debet quidem, saltem ex natura rei, physicè oriri ab intellectu, sed non nisi per actionem distinctam: quemadmodùm omnis creatura debet esse à Deo, sed per distinctam actionem. *Verùm* hoc facilè rejicitur ex dictis. Nam intellectio est formaliter vita actualis, sive in actu secundo: ergo formaliter ac ratione sui habet quod sit de conceptu vitæ actualis in communi, videlicet esse operationem immanentem principio suo. Si autem per actionem distinctam produceretur, non haberet conceptum operationis, sed operis, durativi, seu termini producti. Urgetur: quia intellectio, ut ostendimus, est exercitium principij physicè activi naturalis: ergo nequit non esse actio physica; quæ certè non indiget actione distincta. Exemplum creaturarum retorquetur: nam quæ conceptum habent operationis, aut exercitij Omnipotentiæ, non pendent à Deo per distinctam actionem: idem ergo putandum de intellectione respectu potentiæ intellectivę.

13. At, inquunt Adversarij, intellectio est quidem operatio intentionalis, id. non est actio nisi grammaticaliter, et analogicè, sive improprié: dicitur enim actio, tum quia significatur vocibus actionem sonantibus, ut sunt *cognitio, conceptio*, &c., & *intelligere* verbum est grammaticè activum; tum quia intellectio semper est in fieri mo-

re

re actionis, cum pendeat naturaliter ab influxu actuali potentiæ, quamdiù durat; tum quia transit etiam instar actionis in terminum distinctum, nempe in objectum, non ut illi tribuat esse physicum (quod præstat actio propriè dicta), sed ut tribuat esse intentionale, seu esse cognitum. Hinc intellectio est exercitium intelligendi, & intentionaliter operandi; sed non est exercitium producendi, seu physicè agendi: & intellectus, si ab extrinseco acciperet cognitionem, per illam viveret, & operaretur ab intrinseco, non physicè, sed intentionaliter; diceretur que grammaticaliter agens. Quid ageret? objectum secundùm esse intentionale: non tamen ageret aut operaretur, nec physicè, nec intentionaliter, cognitionem ipsam.

14 Sed hæc doctrina, quâ se protegit cótraria sentétia, validè rejicitur 1.: quia planè abutitur nomine *operationis*, & verbo *operari*, dum illud asserit tribui posse subjecto nihil agenti propriè, sed merè passivè se habenti. Sanè Tridentinum loc. suprà cit. pro eodem accipit *nihil cooperari*, ac *merè passivè se habere*. Cur materia non dicitur operari formam, dum illam recipit? aut forma operari subjectum, dum illud informat? Profectò utraque agit grammaticaliter: nam *recipiens*, aut *informans*, grammaticè est persona agens, *recipere* que, & *informare*, verba sunt activa. Receptio quòque, & informatio transit instar actionis in terminum distinctum, cui tribuit aliquod esse, videlicet esse receptum, aut informatum. Et tamen, quia nec receptio physicè producitur à materiâ, nec informatio à formâ, neutram denominant operantem. 2.: quia, ut constat ex n. 9. & seqq., principium intellectivum in creatis formaliter est activum physicè; ac proinde nequit exerceri ut intellectivum, quin exerceatur ut activum: repugnat ergo exercitium intelligendi sine exercitio physicè agendi.

15 3.: quia, ut intellectus intentionaliter operetur objectum, debet illud producere secundum esse intentionale, producendo scilicet intentionalem existentiam ejus; quemadmodùm, ut causa physicè operetur effectum, debet producere physicam ejus existentiam: ut ergo intellectus dicatur intentionaliter operari objectum, debet producere cognitionem, quæ est intentionalis existentia objecti. Sed non debet illam intentionaliter producere, ut Adversarij fatentur, & per se patet; alioqui deberet eam prœcognoscere necessariò: debet igitur cognitionem physicè producere. 4.: quia vita intentionalis non minùs debet esse ab intrinseco, quàm in intrinsecum; ut patet ex conceptu operationis immanentis: sed debet esse in intrinsecum physicè, seu per unionem physicam, ut potentiam réddat intentionaliter viventem: ergo &c. Denique, si dari potest operatio vitalis, quæ nec physicè, nec intentionaliter, nec positivè, nec negativè fit à subjecto per ipsam vivente, sed illi accidat purè ab extrinseco; non appareret, quo modo stare possit doctrina communis circa conceptum viventis, & vitæ.

16 Nec audiendi sunt aliqui, dicere ausi, quòd moveri seu operari ab intrinseco non est de conceptu omnis viventis, sed tantùm viventis vitâ physicâ: & quòd nullus est vitæ conceptus verè communis intentionali & physicæ, sed utrique aptatur æquivocè nomen vitæ. Non, inquam, sunt audiendi. Tum quia reclamant omnes antiqui, nominatim D. Thomas 1. p. q. 18. ar. 1., & seqq.: reclamant etiam omnes ferè moderni. Tum quia, ut verificetur, quòd intelligere in Deo est vivere, recurrunt omnes ad aseitatem, vi cujus intellectionem habet Deus ab intrinseco, saltem negativè, idest, non ab alio, sed à se. Tum quia vegetantia nullatenùs participabunt vitam Dei, ne-

que ullatenùs imitabuntur vitam cognoscentium: unde non erit cur dicantur ex genere suo perfectiora rebus inanimis: nec vivens erit genus superius ad animal, nec nisi ineptè dividetur in vegetativum, & cognoscitivum, quia nomini æquivoco non subest conceptus unus, qui dividi possit in species subjectas. Tum quia, si nomen vitæ, & viventis, æquivocum est, nec certum ingenerat conceptum, poterit pro libitu, aptari rebus quibuslibet; quemadmodùm nomen *gallus*, quod æquivocè convenit avi, & homini, sine ullo incommodo apponitur etiam pisci, vel saxo, si libeat: unde quærenti, cur vitæ nomen cognitioni & nutritioni commune sit, & non etiam calefactioni? nulla ratio reddi poterit ex naturâ rerum, sed tantum ex libitu loquentium.

17. Ex hucusque dictis nullo negotio refutabitur tertia sententia, relata n. 4. Si enim actio verè pertinet ad essentiam intellectionis creatæ, pertinere debet, non ut pars physica, seu distincta realiter ab aliâ comparte, sed ut tota essentia physica intellectionis, adeòque debet secum identificare speciem expressam, seu manifestationem objecti, quæ pariter ad essentiam intellectionis pertinet in illâ sententiâ. *Prob. assumptum*: quia de intellectione prædicatur actio absolutè, & in recto tam, juxta illius sententiæ Authores, intellectio verè dicitur motus ab intrinseco, operatio immanens, & exercitium principij activi ut talis, quæ nomina sunt actionis physicæ: sed nulla pars physica sic prædicatur de toto, ut patet in animâ, vel in materiâ primâ, respectu hominis: ergo &c. Vel alterè: juxta illam sententiam, ratio motûs, aut actionis immanentis, in creatis est prædicatum genericum vitæ, & ratio speciei expressæ, seu manifestationis intentionalis, est prædicatum specificum, vel differentiale: sed prædicatum generi-cum & differentiale realiter identificantur: ergo &c.

18. Quòd autem aliqui dicunt, actionem pertinere, non ad intellectionem in abstracto, ac per modum formæ, sed tantùm ad intelligere in concreto, seu ad effectum formalem intelligentis; confutatum manet in superioribus, ubi ostendimus, intellectionem creatam sub hoc abstracto nomine, utpotè significante operationem vitalem, necessariò esse motum ab intrinseco, & exercitium principij activi qua talis. Addo, quòd intellectus propriori ad actionem supponitur proximè capax intelligendi: ergo illi uniatur adæquata intelligendi forma, necessariò refultabit formalis effectus intelligentis; quia generatio effectus formalis non nisi ex formâ, unione, & subjecto capaci constituitur, ut inductione patet. Quare, si actio non est forma intelligendi, & aliunde spectat ad effectum formalem, non spectabit quatenus actio est, sed ut summùm quatenùs unio, si hoc munus habeat.

19. Præterea utrique Authores tam tertiæ, quàm secundæ sententiæ, urgeri poterunt satis efficaciter hoc argumento. Intellectus, falsem de facto & connaturaliter, non intelligit, nisi physicam actionem eliciat, ut fatentur omnes: sed hæc actio est formaliter intellectio: ergo de facto non est necessaria qualitas ab actione distincta, ut salvetur essentia intellectionis: quidquid sit de necessitate qualitatis ex alio capite, vel de possibilitate intellectionis ab actione distinctæ. *Prob. Min.* exemplo voluntatis, quod nemo reluctabitur in præsenti: Actio physica, quam de facto voluntas elicit, dum vult, per se ac formaliter est volitio: ergo pariter &c. *Prob. Antec.*: actio illa per se ac formaliter est inclinatio spiritualis elicita ex cognitione præviâ: sed inclinatio hujusmodi est volitio, ut patebit examinanti prædicata omnia vo-

volitionis : ergo. *Prob. Maj.* : quia talis actio inprimis indistincta est, saltem in terminum distinctum, cujus est productio juxta Adversarios, exigit enim, & infert essentialiter existentiam ejus: & aliunde sine dubio est spiritualis, & elicita ex præviâ luce cognitionis. Nec obstat, quod sit physica productio termini : hinc enim solùm sequitur, quòd terminus ille simul sit productus & volitus per talem actionem ; quemadmodum Angelus per Divinum decretum in sententiâ probabili, creationem identificante formaliter cum decreto, quam sententiam ex capite illo nemo impugnat.

20. Addo 1., quòd actio illa est formaliter voluntaria, cùm ipsi conveniat definitio voluntarij, nempe *Quod est à principio intrinseco cum cognitione finis* : operatio autem formaliter voluntaria, est volitio ; nemo enim voluntarie operatur, nisi volendo. Addo 2., quod illa eadem actio formaliter & ratione sui est exercitium libertatis ; est enim immediata determinatio, quâ positâ, nulla jam in voluntate superest indifferentia : ergo formaliter & ratione sui est volitio. Patet *Consequ.* : nam quia voluntas non exercet libertatem, nec se liberè determinat, nisi ut volés. Tum quia posset alioquin accidere, ut voluntas liberè se determinaret ad bonum, aut malum, adeòque mereretur præmium, aut pœnam ; & tamen non esset volens ; si nimirùm à Deo impediretur unio qualitatis absolutæ, seu impulsûs, quem Adversarij superadduntque, cum voluntate ; quod utique non repugnat, siquidem ea qualitas indiget unione ad se distinctâ, nec identificatâ cum actione, ut placet Adversarijs placet. Tum demùm, quia, si conceptus liberè se determinantis non est formaliter conceptus volentis, sed purè physicè agentis, possibilis erit causa libera non volitiva, quod nemo dixerit.

21. Argumenta, quæ probant, cognitionem esse actionem physicam, eadem vi probant esse unionem sui, seu per seipsam unitæ cùm intellectu : probant enim, esse actionem, non qualemcumque, sed immanentem : nemo autem dubitat, quin actio immanens per seipsam unitatur principio suo. Sed ulteriùs confirmatur id ipsum contra plerosque Authores secundæ sententiæ, qui soli refragatur. Intellectio rationem sui, ac sine unione superadditâ, reddit objectum cognitum ; non enim ad hoc requirit unionem physicam, sed purè intentionalem, quæ consistit in tendentiâ & respectu ad objectum, quam tendentiam, respectumque intellectio secum realiter identificat sine dubio, quidquid sit de identitate formali ex naturâ rei, quam aliqui Scotistæ negant : ergo pariter intellectio rationem sui, & absque unione distinctâ, reddit intellectum cognoscentem ; quod utique non præstat sine unione physicâ.

22. *Prob. Consequ.* 1., paritate cæterarum formarum, quæ denominationes tribuunt correlativæ : nam quæ forma ratione sui unum exercitum denominat unitum, denominat & alterum : quæ sine unione distinctâ tribuit denominationem producti, vel recepti, vel informati, similiter sine aliâ unione tribuit denominationem producentis, aut recipientis, aut informantis. 2., quia objectum reddi cognitum, est reddi præsens intentionaliter, atque adeò præsens alicui intellectui ; sicut nihil est præsens physicè, nisi alicui loco : sed objectum fieri intentionaliter præsens intellectui, & hunc fieri cognoscentem, idem est formaliter : ergo, quod sufficit, ut objectum sit cognitum, sufficit etiam, ut intellectus sit cognoscens. 3., quia posset alioquin intellectio existere divinitus sine unione ad intellectum ; quo in eventu daretur cognitum sine cognoscente : hoc autem non minùs repugnat, quàm cognoscens sine

cog

cognito, productum sine producente, receptum aut informatum sine recipiente vel informante.

23 Denique, quòd intellectio non fit alterius termini productio, quæ erat ultima pars illius *Minoris* n. 5., solùm negatur ab Authoribus primæ sententiæ, ijsque non omnibus, nec quantum ad omnes intellectiones, ut notatum est n. 2. Sed, cùm Authores illi partem hanc ideò negent, quia necessarium putant verbum mentis à tota intellectione distinctum; impugnari poterunt ex dicendis cap. 3., ubi de verbo mentis differemus. Nunc sufficiat ostendere, nostram sententiam, signanter hac in parte, clarissimè tradi ab Aristotele 9. Metaph. c. 9. t. 16. 5. ubi docet, per actionem transeuntem fieri opus ab actione distinctum, quod est finis agentis; per immanentem verò, seu vitalem, nihil fieri præter actionem ipsam; & hanc ait esse finem agentis, in eoque manere asserit, sic tandem concludens: *Quorum verò non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsismet actio est, ut visio in vidente, & speculatio in speculante.* Id ipsum docet Philosophus 3. Ethic. c. 4. & 5., & lib. 1. Magn. Mor. c. 35., & sæpe aliàs. Consentit D. Thomas 1. contr. Gent. c. 100. dicens, operationem immanentem esse, *per quam non fit aliud præter ipsam operationem, sicut videre, & audire: hujusmodi enim* (subdit) *perfectiones sunt eorum, quorum sunt operationes, & possunt esse ultimæ.* Et 3. contr. Gent. cap. 2. n. 1., *actio*, inquit, *quandoque terminatur ad aliquod factum, sicut ædificatio ad domum, & sanatio ad sanitatem: quandoque autem non; sicut intelligere, & sentire. Et si quidem terminatur ad aliquod factum, impetus agentis per actionem tendit in illud factum: si autem non terminatur ad aliquod factum, impetus agentis tendit in ipsam actionem.*

***

## CAP. II.

### CONTRARIJS ARGUMENTIS occurritur.

24 *Objic. 1.*: intellectio, prout à nobis adstruitur, est actio physica sine termino: sed talis actio planè repugnat non minùs, quàm unio sine extremis: ergo &c. Nec prodest dicere, quòd non est actio sine termino absolutè, sed tantùm sine termino distincto. Nam contrà est 1., quòd actio ex proprio conceptu est via, tendentia, & relatio ad terminum; quæ munera nequit habere circa semetipsam: requirit ergo terminum distinctum, utique physicè productum, cùm sermo sit de actione physicâ. 2., quòd repugnat operatio intentionalis sine objecto distincto; ut etiam unio sine distincto extremo: ergo pariter &c. *Resp. neg. Maj.* absolutè: quia, ut observat P. Suar. disp. 48. Met. s. 2. n. 11., intellectio, prout à nobis adstruitur, potiùs dici debet terminus sine actione, quàm actio sine termino: non enim consistit in productione physicâ, quæ sit pura actio, non aliam perfectionem, munus, aut prædicatum habens, quàm ultimæ determinationis ut causa sit purè agens physicè: sed consistit potiùs in quodam termino, qui inter alia prædicata, cognitionis propria, habet se ipso fluere seu egredi à virtute causæ, sine actione interiectâ: quemadmodùm in probabili multorum sententiâ, Angelus absque modo creationis distincto per se ipsum pendet & oritur ab Omnipotentiâ; nec tamen idcirco dicitur actio pura, vel actio sine termino.

25 Concedo tamen, quòd intellectio est actio, seu productio physica (ut loquar cum Aristotele & D. Thomâ suprà n. 23.), non quidem sine termino, sed quæ simul sit actio &

ter-

terminus physicè productus, videlicet repræsentativo objecti secum identificans egressionem physicam sui ab intellectu; vel, ut ajebat Angelicus Doctor, actio, in quam sic tendat impetus agentis, ut non ultrà procedat, nec terminetur ad aliud factum. Hoc genus actionis nō est unde repugnet. Tum quia solùm est de conceptu actionis, quòd ultimò determinet effectum, ut pendeat actualiter, certoque modo, à tali efficiente causâ: quę autem repugnantia in eo, quòd effectus aliquis per se ipsum ita determinatus sit? nec possit existere, quin tali modo pendeat a tali causâ? Tum quia omnis actio secum identificat productionem sui: ergo & terminus illam identificare secum poterit. Tum quia, sicut repugnat actio sine termino, ita & unio sine duplici extremo: & tamen non repugnat extremum indistinctum ab unione sui; nam omnis forma modalis (v. g. ubicatio, vel subsistentia, ut communiter ponitur) se ipsâ unitur subjecto suo. Notandum tamen, quòd actio, quam ponimus, magis proprie est terminus virtutis activę, quàm sui ipsius: quamquam etiam dici poterit terminus sui, quatenùs in se sistit, seu non ultrà progreditur; non enim semper *terminus* correlativè dicitur ad *viam*.

265 Impugnationes additæ n. 24. non urgent. Non *primæ*: quia munera illa non sunt de conceptu actionis ut sic (conceptum istum explicuimus num. præced.), sed illius tantùm actionis, quæ aliunde probetur a termino distincta, vel per quam impetus agentis, non sistens in actione ipsâ, tendit in aliud factum, ut ajebat D. Thomas. Et instantia est in actione quælibet, quę, cùm non sit relatio ad se ipsam, est productio sui: item in unione, quę solùm debet esse relatio ad extrema duo, quàm dò probatur ab utroque distincta. Dici quoque poterit cum communi Thomistarum, immò cum D. Thomâ Opusc. 58. tract. de action. cap. 3. quòd actio stricte immanens, quâ scilicet operantur viventia intentionalia, non est actio prædicamentalis, seu non pertinet ad prædicamentum Actionis; quia intenditur propter se, sive ut perficiens potentiam ratione sui; & ad illud prædicamentum solùm pertinet actio, per quam impetus agentis tendit in aliud factum. Sola autem actio prædicamentalis debet esse via, tendentia, & relatio ad terminum. Non *secunda*: quia satis communiter agnoscitur possibilis cognitio aut volitio creata, quę se ipsam, & nihil aliud pro objecto habeat. Et certè, licet Deus nihil cognosceret aut vellet præter se ipsum, non ideò per locum intrinsecum defineret esse cognoscens, & volens. Si tamen contendas repugnare cognitionem sine objecto distincto, proba repugnantiam ex alijs capitibus, quam à te adductis contra indistinctionem actionis physicæ à termino; illa quippe nullius sunt momenti. Unio debet distingui ab uno saltem extremo, cùm ex conceptu suo sit nexus duorum: potest tamen identificari cum altero, ut jam monuimus; unde retorquetur exemplum.

266 *Replic.*: Si in aliquo actu reperiatur duplex tendentia intentionalis, v. g. amoris & odij, ut reperitur in actu contritionis perfectæ, debet unicuique assignari terminus distinctus: si ergo in intellectione reperitur tendentia duplex, physica nimirùm, & intentionalis, unicuique respondere debet distinctus terminus. *Resp.*: Falsò supponitur, quòd intellectio sit tendentia physica; hæc enim sonat respectum ad terminum productum, seu physicè attractum; qui respectus intellectioni non convenit. Adde, quòd, etiamsi intellectio foret tendentia physica, negandа esset consequentia: quia non apparet æqualis opportunitas inter tendentias, physicam, & intentionalem, ac inter amorem & odium, respectu ejusdem

termini. Quò facit exemplum suprà indicatum n. 19.. *Intellectio* cognitio est formaliter productio physica, ut volumus: si ergo tendit in objectum, tendit ut physica productio: ergo reddet illud physicè productum. *Dist. antec.*: est formaliter productio physica sui, *conc.*; objecti, *neg. Antec.*. Tum *dist.* 1. *consequ.* tendit ut physica productio sui, quæ simul est purè intentionalis respectu objecti, *conc.*; aliter, *neg.* 1. & 2. *consequ.*. Eo similem arguiam: Contritio est formaliter odium: si ergo tendit in Deum, tendit ut odium: ergo Deum denominat odio habitum. Vid. dicta in Logicâ, ubi de distinctione virtuali.

28 *Obje.* 2.: intellectio, si est productio sui, erit modus, seu modalis entitas, utpotè essentialiter affixa intellectui. At, quòd actus intellectûs & voluntatis, non sint modi, sed qualitates, constat 1.; quia per eos reddimur *quales*: unde interrogatio, quales sumus? respondetur, *Boni*, vel *mali*, *sapientes*, aut *insipientes*; quæ denominationes ab actibus intellectûs & voluntatis præstantur. 2.; quia vitales actus perfectionem habent à debilitate modorum alienam: per se quippe valde perficiunt animam, ac beatam reddunt; producunt etiam habitus & species. 3.; quia sunt intensionis & remissionis capaces: quod proprium est qualitatum. *Resp.*. Plures nostræ sententiæ patroni concedent sequelam: quia putant, entitati essentialiter alligatæ ad rem absolutam, cujus indifferentiam se ipsâ determinat, nihil deesse ut verè sit modus. Alij sequelam negant: quia requirunt ad conceptum modi, præter alligationem essentialem, quòd non alio titulo distinguatur à re absolutâ, nisi titulo determinationis ad aliquod munus, ad quod res ex se supponatur indifferens: cùmque intellectio non hoc solo titulo distinguatur ab intellectu (nã, etiamsi intellectus creatus nõ esset indifferens ad intelligendum, adhuc ingereret intellectione distinctâ, & actu productâ, ut in actu secundo intelligeret); idcircò, ajunt, nequit inter modos computari.

29 Dissidium apparet vocale: nam, si rem spectes, constat inter omnes hujus sententiæ Asserrores, intellectionem essentialiter alligari potentiæ, quàmvis prædita sit majori perfectione, quàm quæ tribui soleat quibusdam actionibus, ubicationibus, aut durationibus. An autem hoc sufficiat, ut appelletur modus? pendet ex conceptu modalitatis, quem varij variè describunt. Ad me quod attinet, permitto sequelam. Dum autem objicitur, quòd actus vitalis est qualitas; contrapono in primis auctoritatem Aristotelis 10. Ethic. c. 3. diserè declarantis, quòd *neque operationes virtutis sunt qualitates, neque felicitas ipsa.* Certe operationes virtutis sunt actus voluntatis, & felicitas consistit in actu intellectûs juxta eumdem Aristot. ibi cap. 7. & 8.. Deinde ultrò concedo, quòd actus intellectûs & voluntatis est qualitas, non quidem absoluta (quo sensu loquitur Aristoteles), sed modalis: non enim est, cur pugnet conceptus qualitatis cum conceptu modi: quod vel Adversarij supponunt, dum intellectionem appellant *qualitatem absolutam*: utquid enim *absolutam* addunt, si non est qualitas nisi absoluta? Nec obstat, quod intellectio sit actio physica; quia non ideo pertinet ad prædicamentum Actionis, ex n. 26..

30 Non tamen omnis modus est qualitas; sed ille tantùm, qui & accidentalis est, & præter munus determinandi habet insuper alia prædicata, quibus subjectum egregiè perficit ratione sui. Hinc potest intellectio, tametsi modus sit, reddere subjectum quale: potest etiam esse intensionis & remissionis capax, non in munere determinandi (si repræsentatio invariata maneat), sed in munere repræsentandi:

per

potest demùm producere habitus & species, licet hæ sint qualitates absolutæ; quia non abhorret à concepta modi perfectio sufficiens ad effectus, etiam absolutos, qui sint inferioris ordinis, ut reipsà sunt habitus & species ex defectu vitalitatis. Sic, in sententiâ plausibili gravium Theologorum, unio hypostatica, licèt sit modus, perfectionem habet formæ sanctificantis, & supernaturalia dona radicantis. Unde colliges, non omnes modos esse debilis aut tenuis entitatis, sed eos tantùm, qui meri sunt modi, seu qui non aliud munus habent, quàm purè determinare indifferentiam rei. Hic obiter moneo, solùm negari à nobis, quòd intellectio sit productiva alterius termini, non verò quòd sit virtus productiva: nam per modum virtutis producit unique species, & habitus.

31 *Objic.* 3.: licèt intellectio suapte naturâ possulet oriri à potentiâ vitali, attamen est indifferens, ut à potentiâ oriatur vel sine habitu, vel cum habitu, item cum hac, vel cum aliâ specie, vel auxilio: hæc ergo indifferentia determinari debet per actionem distinctam. *Confirm.* 1.: quia alioquin habitus nó facilitabit ad actus similes ijs, à quibus est genitus: nam actus à potentiâ & habitu procedens, utpotè identificatus cum productione sui, necessariò erit diversus à prioribus actibus nó ortis ab habitu; cùm actiõ physica varietur ex variatione principij, etiam partialis. Et hinc habitus adquisitus erit necessarius ad *simpliciter posse*; nó enim potentia sine habitu simpliciter poterit producere actus eosdem, quos cum habitu potest. *Confirm.* 2.: quia nec poterit idem actus supernaturalis à potentiâ produci cum auxilio extrinseco, ac cum intrinseco: unde falsum erit, quod communiter asseritur, supernaturalem actum connaturalius produci cum auxilio intrinseco; nam qui cum extrinseco producitur, omninò connaturaliter, immò essentialiter ab illo pendebit. *Confirm.* 3.: quia, si vera dicimus, non poterit Deus se solo producere intellectionem creatam: quid ergo ad censuram illam D. Thomæ 1. p. q. 105. ar. 2., *Erroneum est dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam?*

32 Ad *object. dist. Antec.*: intellectio est indifferens &c., sumpta specificè quatenùs specificata ex objecto, *conc.*; sumpta individualiter, vel etiam quatenùs specificata ex principio activo, si ab hoc specificatur, *neg. Antec.*, & *Consequ.* Verissimum est, quòd intra eamdem speciem intellectionis, quatenús hæc specificatur ex objecto (quod est præcipuum, & juxta plures unicum specificativum ejus), vel etiam quatenús specificatur ex modo tendendi, multa sunt individua, quorum alia oriri possunt à potentiâ solâ, & alia à potentiâ simul cum habitu: atque hoc sensu verè dicitur intellectio secundum speciem indifferens, ut hæc à potentiâ cum, vel sine habitu. Cæterùm sumpta individualiter, vel etiam quatenùs diversitatem plusquàm individualem derivat à principio activo, si verè derivat (quod plures generatim negant de omni actione), nequaquàm habet indifferentiam, quam intendit objectio, nec respectu habitûs, nec respectu alius comprincipij. Sic planè sequitur ex nostrâ sententiâ, intellectionem identificante cum actione physicâ: neque ulla hinc probabitur absurditas. Unde conflat, non opus esse actione distinctâ: quia indifferentia secundùm speciem, determinatur per individuationem; & in hac non est indifferentia ulterior, ut à varijs principijs oriatur.

33 Ad 1. *confirm.* Habitus solùm concurrit ad actus prioribus similes in objecto, & modo tendendi, & in gradu intensionis; non verò ad similes in respectu ad virtutem acti-

vam, à quâ oriuntur. Id quod Adversarij facere debent in actionibus physicis, quibus de facto producuntur actus intellectûs & voluntatis, quidquid sit de ipsarum distinctione à terminis: habitus enim præcipuè facilitat ad hujusmodi actiones, cùm in his maximè resplendeat potentiæ levamen, seu minutio laboris: nec dicitur facilitare, nisi ad actiones præcedentibus similes: & tamen quæ oriuntur ab habitu nequeunt esse similes ortis à potentiâ solâ, nisi tantùm in respectu ad terminum. Hinc fatendum, quòd habitus adquisitus tribuit simpliciter posse ad eos actus individuos, ad quos ipse concurrit; sicut juxta Contrarios tribuit ad actiones, quibus illi actus producuntur: non tamen dat simpliciter posse ad talem speciem actuum quatenùs similium in objecto, gradu, & modo tendendi; potest enim sine habitu exerceri potentia per alios actus hac ratione similes; quamvis facilius, minoreque virium impensâ, exerceatur per eos, qui ab habitu pendent; quâ de causâ dicitur habitus dare facilè posse, nimirùm ad speciem actuum. Eadem est responsio ad 2. *confirm.*: non enim ab intrinseco potest idem numero auxilio procedere potest idem numero actus; bene tamen idem specificè in sensu explicato. Illud autem de majore connaturalitate, debet aptari, non actibus, sed potentiæ; cui nimirùm connaturalius est exerceri per actus, qui ab intrinseco, quàm qui ab extrinseco auxilio pendent. Id ipsum de actionibus dicere debent Adversarij.

34 Ad 2. *confirm.* Censura illa satis premit Thomistas, qui, cùm verbum mentis collocent in qualitate absolutâ, per distinctam actionem productâ, negant tamen, illud à Deo produci posse sine concursu intellectûs creati; ut videre est apud Colleg. S. Th. Complut. hîc q. 10. n. 264. & sequ. Premit eòdem plures Auctores secundæ sententiæ, qui, cùm actus intellectûs & voluntatis à sui productione distinctos velint, agnoscant tamen vel de facto, vel saltem de possibili, actus voluntatis essentialiter liberos; qui certè sine concursu voluntatis creatæ produci non possunt. Nos verò haud tangit, eo ipso quòd actus vitales cum actione physicâ identificamus: nemo quippe dubitat, quin ab eâ D. Thomæ regulâ excipi debeant actiones causarum creatarum: si enim producerentur à solo Deo, simul essent & non essent exercitia virtutis creatæ, quæ manifesta est contradictio. *Non pertinet* autem *ad Omnipotentiam Dei, quòd possit facere duo contradictoria esse simul*, ut ait D. Thomas q. 5. de pot. ar. 2. cui omnes consentiunt.

35 *Dices*: ideò actiones excipiuntur, quia non sunt effectus, sed effectiones, aut causalitates: cùm ergo intellectio vere sit effectus, comprehendi debet sub prædictâ regulâ D. Thomæ, consequenterque distinguenda est ab actione. *Resp.* Cùm certum sit, D. Thomam non loqui de actionibus; & cùm aliunde ipse S. Doctor agnoscat, actiones aliquas simul esse effectus, id est, terminos, in quibus fistit impetus agentis, ut constat ex dictis n. 25. consequenter certum esse debet, non eum loqui de omnibus omninò effectibus, sed de ijs tantùm, de quibus non probetur positivè, quòd ex conceptu suo sunt essentialiter creatæ vitutis exercita: hi quippe sunt, qui propriè & absolutè vocantur *effectus*; cùm in cæteris prævaleat communis usus nomen *actionis*, v. g. in actibus intellectûs & voluntatis, qui non tam *opera*, quàm *operationes* appellantur. Regula porrò generalis est, quòd potest Deus creaturam quamlibet producere vel destruere independenter ab aliâ: & eamdem nec potest modum producere sine re, nec rem destruere cònservando modum: quia nimirùm ea regula loquitur de creaturâ, de cujus conceptu non est obligatio essentialis ad aliam.

&c.

36 *Replic.*: repugnat actio indistincta prorsùs à causâ creatâ: ergo & indistincta prorsus ab effectu. *Neg. Consequ.*: nam ideò verum est *antecedens*, quia talis causa non posset existere, quin operaretur, adeoque non esset dominio Dei subjecta in operando: debet autem omnis causa creata subjici dominio Dei, non solùm in essendo, sed etiam in operando, saltem quemlibet determinatum effectum in individuo. Præterea de cõceptu causæ creatæ videtur esse, quòd indifferentiam habeat ad plures effectus, saltem ejusdem speciei; quæ indifferentia repugnat actioni. Insuper illa causa verè ageret, seu produceret effectum, ut supponitur; & aliunde non ageret; quia id solùm agit, à quo est actio; & tunc actio non esset à tali causâ, quia hæc non esset à se. Ac incommoda illa non militant in actione prorsus identificatâ cum effectu; ut perpendenti constabit.

37 *Obsic.* 4.: vita intentionalis, quæ propria est intellectionis, potest ratione distingui à vitâ physicâ, seu à motu vel actione ab intrinseco: ergo actio illa non est de formali conceptu intellectionis; ac proinde poterit intellectio salvari sine actione physicâ. *Prob. Antec.* 1. auctoritate D. Thomæ 1. p. q. 34. ar. 1. ad 3. dicentis: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam; in quâ nulla ratio originis importatur; sed solùm informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ.* 2.: quia Divina intellectio verè vita est intentionalis; & non est vita physica, seu actio physicè ab intrinseco. 3.: quia possibilis est substantia creata secum identificans intellectionem; per quam utique viveret intentionaliter; nec tamen ab intrinseco se moveret. 4.: quia vita in communi dividi solet in physicam, & intentionalem: debent autem ratione saltem distingui membra dividentia. 5.: quia de conceptu vitæ intentionalis, aut cognitionis, solùm est repræsentativè tendere in objectum, seu esse repræsentationem illius: hoc autem bene concipitur præscindendo ab actione physicâ. Certè, quidquid sit de hac actione, si concipitur objectum immediatè repræsentari potentiæ, hæc eo ipso concipitur cognoscens, adeòque intentionaliter vivens. Finge repræsentationem ab actione distinctam: profectò, si potentia illam in se haberet undecúnque productam, haberet objectum intentionaliter præsens: ergo illud cognosceret.

38 Ad *object. dist. Antec.*: vita intentionalis creata, *neg.*; præscindens à creatâ & increatâ, *subdist.*: potest ratione distingui à motu ab intrinseco, si tò *ab intrinseco* sumatur positivè (quo sensu dicitur vita physica), *conc.*; si negativè tantùm pro *non penitùs ab extrinseco*, *neg. Antec.*, & sub eâdem distinctione *Consequ.*. Quid sibi velit subdistinctio hæc, patet ex dictis disp. 1. cap. 1.; ubi explicuimus, quo sensu Divina intellectio dicatur motus, aut operatio; & ostendimus, eam comprehendi sub communi vitæ conceptu, quamvis non sit ab intrinseco positivè, id est, per productionem realem, quam importat vita physica, ut communiter sumitur. Nunc absolutè negamus, quòd vita intentionalis creata possit ratione distingui à reali productione ab intrinseco, magis, aut aliter, quàm homo ab animali, & universim species à genere; ubi locum certè non habet mutua distinctio propriè talis, quamvis detur impropria illa, quam vocant *penès explicitum*, & quæ non tollit inclusionem formalè, ut nemo nescit. Idem dicimus de productione, quod Adversarij de producibilitate ab intrinseco, vel saltem à Deo; quæ proculdubiò sic pertinet ad conceptum vitæ intentionalis creatæ, ut hæc ab illâ nequeat ra-

ctione distingui, nisi utsummùm penès explicatum.

39 *Ad* 1. *prob.* D. Thomas interpretandus est, vel ita ut solùm velit rationem originis nò importari pro explicito intellectionis; vel ita ut nomine *originis* intelligat actionem interjectam, distinctamque ab intellectione ipsâ. De cætero nihil frequentius in D. Thomâ, quàm quòd intelligere sit actio, & motus ab intrinseco, seu à vivente ipso procedens, & quidem ex proprio conceptu operationis vitalis. Vide in specimen 1. p. q. 18. ar. 1. 2. & 3.: item q. 54. ar. 1. & 2.: item 3. contr. Gent. c. 2.: item 12. Metaph. lect. 8., ubi necessarium dicit, *quòd intellectus, in quantum attingit intelligibile, fiat agens, & operans.* Unde apud D. Thomam non est dubium, quin intelligere sit agere, & quin intellectus, in quantum intelligens, verè agat, non quidem objectum (ut hunc aliquorum scrupulum amoveam), sed operationem ipsam; quia in hac sistit impetus agentis, juxta Doctorem Angelicum n. 25. allegatum. Dicitur quidem intellectus agere objectum secundùm esse intentionale: sed hoc in summâ est agere intellectionem, cùm hæc ipsa sit esse intentionale objecti.

40 *Ad* 1. *prob.* Eodem exemplo probari poterit contra Adversarios, quòd intellectio creata ex se non exigit connaturaliter oriri ab intrinseco per actionem distinctam; vel quòd potest à reali producibilitate præscindi; vel quòd ex se apta est potentiam reddere intelligentem sine unione vel informatione physicâ. Itaque Divina intellectio ideò non importat actionè physicam, quia importat aseitatem, per quam habet esse ab intrinseco eminentiori modo, videlicet ab intrinseco negativè, seu nullatenùs ab extrinseco. At intellectio creata, cùm non aliter valeat esse ab intrinseco, nisi positivè, seu per actionem physicam & realem, hanc imbibere debet necessariò, ut conceptum habeat operationis vitalis. *Dices*: etiamsi Deus non esset à se, vel omninò incausatus, dummodò tamen esset intelligens per intellectionem secum identificatam, ut modò, verè viveret intentionaliter. Sed *quæro* abs te, an Deus, si non esset à se, nec omninò incausatus, & tamen esset infinitè sapiens, ut modò, verè esset Deus? Negabis hypothesim ut implicatoriam, quia nequit sine contradictione concipi Deus infinitè sapiens, ut modò est, quin concipiatur eum aseitate omnimodâ. Idem ergo tibi dictum puta: quia pariter sine contradictione concipi nequit intellectio vere talis, quin concipiatur vere vita, ac proinde quin concipiatur (saltem pro implicito) verè habita ab intrinseco vel per physicam productionem, vel per aseitatem.

41 *Instabis*: ergo Deus vivet formaliter per attributa omnia; & si daretur materia prima increata, vel chaos improductum, quale finxerunt veteres Ethnici, foret vivens. *Resp.* Sequela concedi poterit sine incommodo; quamquam non est necessaria ratione formæ: nam, licèt aseitas sit de conceptu vitæ improductæ, non continuò sequitur, quidquid est à se, vivens esse; sicut non sequitur, omne animal esse hominem, licet de conceptu hominis sit animal. Jam hoc retigimus disp. 1. n. 11. Ibi quòque n. 25. solutam habes 3. *probationem* argumenti, quod nunc repellimus: nec modò quidquam addere necesse est, nisi quòd possibilitas illius subsistentiæ negetur etiam à plerisque Adversarijs, & planè à D. Thomâ 1. p. q. 54. ar. 2. docente, & probante, quòd nulla creatura, sed solus Deus possit esse suum intelligere.

42 *Ad* 4. *prob.* Divisio illa potest 1. intelligi de vitâ seu vitali operatione in communi, prout hæc abstrahitur à creatâ & increatâ: & sic mem-

bra

bra exhibet realiter distincta; datur enim vita pure intentionalis in Deo, & pure physica in planta, ut etiam in bruto, & homine, quatenus is nutriente in actu secundo: non est tamen divisio adæquata, nisi tertium membrum superadditur, nempe vitam physico intentionalem, qualis est omnis cognitio creata. Potest 2. intelligi de vita creata duntaxat: & sic membra dat realiter distincta, si in ipsis exprimatur, vel subaudiatur nota exclusionis; ut scilicet divisio fiat in vitam *puræ* vel *tantùm* physicam, & in eam, quæ *simul* est physica & intentionalis: si verò præscindatur à nota vel differentiâ exclusivâ ex parte membrorum, erit divisio vitæ, non tamquàm generis in species, sed eamquàm gradûs meræ physicæ vitæ, in superiorem, & inferiorem ordine prædicationis; qui gradus solùm admittunt distinctionem rationis non mutuam, qualis est inter animal, & vivens: vel, si mavis, erit divisio differentiæ vitalitatis in duas differentias inter se subordinatas; quæ poterunt ratione distingui mutuo, si differentia inferior non transcenditur à superiore. Ratio hujus doctrinæ est: quia vita physica ut sic, est gradus superior, idest, latiùs patens, quàm vita intentionalis creata; ad hanc tamen contrahitur, & in eâ formaliter includitur: &, si utraque præcisè sumatur penès differentias, altera est constitutiva generis vitæ creatæ ut sic, altera est contractiva ultius, & constitutiva speciei vitæ intentionalis creatæ. Exemplo sit divisio animæ in vegetativam, sensitivam, & rationalem, præscindendo à differentijs exclusivis, in bruto & plantâ repertis: cujus divisionis sensum eodem modo explicat Eximius Doctor lib. 1. de Anim. cap. 6. à n. 7. & cap. 8. à n. 15.

43 *Ad 5. prob.* Repræsentatio, seu tendentia repræsentativa in objectum, potest accipi vel ut species vitæ, vel præcisè ut differentia operationis vitalis: primo modo est tota essentia cognitionis, & in creatis concipi nequit sine actione physicâ (ut nec in Divinis sine aliquâ), quia concipi nequit sine motu ab intrinseco, nisi concipiatur sine generica ratione vitæ; nec aliter ad illam se habet, quàm animal ad vivens, vel homo ad animal: secundo modo non est formaliter tota cognitionis essentia (si genus non transcendit formaliter differentias, ut fere communis opinio), poteritque ratione distingui ab actione physicâ, & ab eâ præscindi, non quidem præcisione indifferentiæ, vel inconnexionis, sed tantùm præcisione non inclusionis formalis. Ex quo solùm sequitur, quòd cognitio prædicatum aliquod habet ratione distinguibile ab actione physicâ ipsa tamen cognitio actionem illam formaliter includit, nec magis ab eâ distinguitur, quàm species a genere. Exemplo res clarescet. Rationale specificè sumptum, est tota essentia hominis, atque ita formaliter includit animal, & formaliter est animal: sumptum verò puræ differentialiter, potest ratione distingui, præscindique ab animali, sed solâ præcisione non inclusionis formalis, ex quo inferas, hominem posse concipi sine animali.

44 *Dices*: repræsentatio, si cum actione identificatur, potiùs ad eam comparari debet ut genus ad speciem, aut differentiam, quia latiùs patet. *Dist.*: repræsentatio, ut præscindens à vitali, & emortuâ, vel etiam à creatâ, & increatâ, *transeat*; repræsentatio creata, & vitalis, seu spectans ad lineam vitalitatis in actu secundo, *neg.* Et inculco nuperum exemplum: nam, licèt rationale, ut præscindens ab humano, & Angelico, latiùs pateat, quàm animal, possitque ad illud comparari ut genus; rationale tamen humanum procul dubiò differentia est animalis. Pariter accidit, ut è duobus prædicatis ejusdem rei unumquodque sit differen-

rentia alterius sub comparatione diversâ. Sic in intellectione, si ad volitionem comparetur, spiritualitas est ratio conveniendi, & repræsentatio est ratio differendi: si verò comparetur ad sensationem, repræsentatio est ratio conveniendi, & spiritualitas differendi. Sic in sexcentis alijs. Quin & in re subjectâ, vitalitas, ut à repræsentativâ & affectivâ præscindens, ad cognitionem contrahitur per repræsentationem: & repræsentatio, ut præscindens à vitali, & emortuâ (qualis est in statuâ), per vitalitatem contrahitur ad cognitionem ipsam.

45 Jam, quòd possit concipi, objectum immediatè repræsentari potentiæ, nihil de actione curando, negari debet, si fermo sit de repræsentatione potentiæ cognoscitivæ propriæ: hæc enim vel actionem seu vitam physicam formaliter imbibit, vel concepta per modum differentiæ, formaliter est contractio illius: unde ita se habet ad illam, sicut rugibile, vel rationale humanum, ad animal. Si fingatur repræsentatio realiter ab actione distincta, & ab aseitate, fingetur eo ipso emortua, seu non spectans ad genus vitæ: quare non poterit reddere objectum potentiæ præsens intentionaliter, saltem intentionalitate propriâ cognitionis (quidquid alias vox ista significet): quemadmodùm, si poneretur in voluntate pondus non spectans ad vitæ genus, non redderet illam intentionaliter inclinatam ad objectum, intentionalitate volitionis propriâ: & alioquin habitus adquisitus, qui voluntatem inclinat, erit formaliter volitio, seu amor. Vide, quæ inferiùs de habitu dicimus num. 50.

46 *Objic.* 5. cum PP. Alphonso, & Peynado: Intellectum cognoscere, est facere objectum sibi præsens intentionaliter, vel illud in se exprimere, & quasi pingere: sed ad hoc sufficit actio, quæ producat expressionem seu repræsentationem objecti à se distinctam, vel ejus unionem cum intellectu: ergo in tali actione consistit intellectio. *Confirmatur* exemplo nutritionis, quæ est actio producens augmentum viventis ab actione ipsâ distinctum: item paritate calefactionis, & actionis pingendi, quæ respiciunt terminos à se distinctos, scilicet colorem, & picturam. Ad *object. disp. Maj.*: est facere &c., per præsentiam, expressionem, & picturam vitalem, seu à cognitione indistinctam, *conc*; aliter, *neg. Maj.*. Tum *disp. Min.*: si talis actio sit formaliter ac ratione sui repræsentatio, seu manifestatio objecti, *transeat*; si non sit, *neg. Min.*, & sub eâdem distinctione *Consequ.*. Ut intellectus cognoscat, decretio se facere intentionalem objecti præsentiam, seu repræsentationem, non qualemcumque, sed vitalem: quæ, cùm non sit vitalis per modum principij, vel actûs primi, debet esse vitalis per modum actûs secundi, adeòque per modum operationis ab intrinseco: unde nequit à cognitione distingui; præsertim cùm aliunde cognitio debeat formaliter esse repræsentatio, ut ostendimus cap. præced.. Quòd autem cognitio producat vel uniat ulteriorem aliam repræsentationem, falsum est ex dicendis cap. sequ.; sed nunc transire permittimus, quia satis aliunde solvitur objectio præsens.

47 Ad *confirm.*. Nutritio, seu actio nutritiva (de quâ disp. 1. de Gener. num. 44. & seqq.) ex conceptu suo non est augmentum, sed productio augmenti: quod etiam dictum esto de calefactione, & actione pingendi, respectu caloris, & imaginis. At cognitio ex conceptu suo est repræsentatio, seu manifestatio, ut satis ostendimus; ac proinde, quidquid sit, an habeat terminum distinctum, saltem eo non indiget, ut reddat objectum intentionaliter præsens intellectui. Sed hic, occasione oblatâ, notanda est differen-

tia

tia inter operationes vitales, nutritivam, & intellectualem. Nutritiva solùm est vitalis ex parte actionis (nimirùm ob id manentiam specificam, quam à principio suo derivat, ut explicuimus disp. 1. n. 27.), non verò ex parte termini, quasi hic exigat ex se vitaliter aut immanenter produci: potest enim suapte naturâ produci tranfeunter à generante. Hinc debet nutritionis terminus ab actione distingui, utpotè indifferens ut producatur vel actione immanente, vel tranfeunte. At operatio intentionalis, ideft, cognitio, & appetitio, vitalis est etiam ex parte termini physicè producti, nempe repræsentationis, aut inclinationis elicitę: hic enim terminus per se est actus secundus principij vitaliter operativi ut talis, & non est indifferens ut tranfeunte actione producatur; quod saltem de indifferentiâ naturali fatentur omnes. Unde non coginur ab actione distinguere terminum hujusmodi; maximè cùm ille imbibat ex proprio conceptu actionem immanentem.

*Illationes aliquot: & ulterior verę sententię confirmatio ex actu voluntatis.*

48 Ex dictis in hoc & præced. cap. *infertur* 1., repugnare omninò, quòd creatura intelligat per intellectionem purè ab extrinseco infusam; sicuę repugnat, quòd causa verè agat per actionem non suam: intelligere enim est immanenter agere, & intellectio est actio intelligentis. Quare, dum Patres & Theologi dicunt, quasdam intellectûs illustrationes, seu cognitiones, & voluntatis pias affectiones, à Deo *in nobis fieri sine nobis*, non excludunt actionem physicam ex parte nostrâm, sed tantùm liberam applicationem, aut prævium meritum; ut sensus sit, eos actus fieri sine nobis liberè cooperantibus, aut merentibus. *Dices*: intellectio Petri potest divinitus uniri cum intellectu Pauli; quem in eo eventu redderet intelligentem, cùm esset forma intelligendi communicata subjecto capaci. *Sed* invicèm rogo, num actio Petri physica & immanens, divinitùs unita Paulo, redderet Paulum verè agentem? Negabis, opinor; quia determinata actio non est agendi forma cuicumque subjecto capaci agendi, sed illi tantùm, à quo physicè oritur. Idem ergo de intellectione tibi dictum puta; quàmvis forte non repugnet una intellectio divinitùs unita duobus intellectibus (saltem penetratis), alteri per se, alteri per unionem reflexam.

49 *Infertur* 2., quidquid de intellectione diximus, intelligendum pariter esse de sentatione qualibet, interna, & externa: probationes enim adductæ generatim procedunt in cognitione ut sic, sub quâ comprehenditur omnis sensatio. *Infertur* 3., idem quòque credendum de amore, & de quovis actu voluntatis, & appetitûs sensitivi. Sicut enim cognitio est actio physica secum identificans repræsentationem objecti; ita & amor, seu volitio, debet esse actio secum identificans pondus aut inclinationem in objectum. Id quod, præter pariteate rationis, suadetur satis peculiari argumento, de quo supra n. 19. & sequ. Nunc aliud superadde, quo firmatur ulteriùs nostra sententia.

50 Si amor consistit in qualitate absolutâ, quæ sit quasi pondus inclinans in objectum, absurdè sequitur, quòd habitus adquisitus, aut infusus, in voluntate receptus, erit formaliter amor suorum actuum & objectorum: est enim qualitas absoluta per modum ponderis inclinantis voluntatem in actus, & objecta. Nec obstat, quòd habitus non immediatè producatur à voluntate. Tum quia, juxta plerosque Adversarios, amor infundi potest voluntati purè ab extrinseco. Tum quia habitus adquisitus saltem mediatè ex-

oritur à voluntate: atque insuper ab eâ immediatè conservatur in sententia probabili, gratâque pluribus, etiam ex Adversarijs; in quâ sententiâ voluntas ex vi propriæ actionis, quâ conservat habitum, verè in se habet spirituale pondus in objectum: quid ergo illi deest, ut amorem habeat? Tum quia, si vita intentionalis à vitâ physicâ præscindit, estque diversi generis, ut volunt Contrarij; nulla ratio est, cur amor exigat immediatè produci à voluntate: sat illi erit pro effectu formali à se præstando, quòd exigat voluntatem informare, sicut exigit habitus, etiam infusus: & huc faciunt verba D. Thomæ relata n. 37., prout à Contrarijs intelliguntur.

51 Nec item obstat, quòd habitus non supponat in anima cognitionem objecti, ad quod inclinat. Nam neque illam supponit amor, si à solo Deo producatur, ut potest juxta Contrarios; qui non requirunt cognitionem, ut amor absolutè existat, saltem divinitùs; sed ad summum, ut voluntati præstet effectum suum formalem, vel ut ab eâ naturaliter producatur. Immò nec naturaliter necessaria erit cognitio ex conceptu amoris; quia solùm est necessaria ex parte voluntatis ad agendum; & in principijs Adversariorum non repugnat amor naturâ suâ non exigens oriri à voluntate, quam denominat, ut nuper ajebam, utque suaderi poterit applicando probationes nobis objectas n. 37.. Nec demùm obstat, quòd inclinatio habitûs in objectum, sit innata. Nam est quidem innata habitui, sed non voluntati, quam inclinatam reddit. Et hoc ipsum evenit in qualitate absolutâ, in quâ ponitur amor à Contrarijs. Unde concluditur, in habitu nihil desiderari, ut verè sit amor; quàmvis non reddat voluntatem amantem, nisi adsit cognitio. Aliud est in nostris principijs; quippe quæ amorem constituunt in actione physicâ voluntatis, cognitionem immediatè & essentialiter supponente.

## CAP. III.

### DE VERBO MENTIS.

52 QUamquàm *dicere*, *loqui*, vel *formare verbum*, attentâ nominum impositione, pertineat ad voces; ex applicatione tamen & usu Sapientum primo & principaliter attinet ad intellectum, denotatque mentis actus, aut conceptus illos, quibus interne loquimur nobismetipsis, ideòque, aliquid intellectui nostro manifestamus; ut testatur Magn. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 10., & sæpe alibi. Unde Patres, Theologi, & Philosophi, præter verbum vocale, sex exceruum, *verbum* etiam *internum*, seu *verbum mentis* agnoscunt, & hujus exemplo aliquatenùs explicant productionem Verbi Divini. Vocant autem *verbum internum*, non solùm illud, quo verbum vocale seu voces proferendas, antequàm proferamus, mente vel imaginatione præconcipimus; verùm etiam quemcumque conceptum cujuslibet objecti manifestativum, etiam sine ordine ad voces; præcipuè verò illum, qui vim habet judicij affirmantis interiùs, aut negantis. Verbum hujusmodi vocatur *conceptio*, *conceptus*, & *proles mentis*; quia debet generari seu produci realiter ab intellectu: passim etiam ab omnibus appellatur *species expressa*, *similitudo*, & *imago objecti*; quæ nomina significant munus repræsentandi objectum intellectui: & nominatim *species expressa* dicitur, vel quia expressiùs aut formaliùs repræsentat, quàm species impressa; vel etiam, quia exprimitur, ideòque elicitur à virtute intellectivâ, quâ tali. Quid sit, aut in quo consistat verbum istud? quæstio est, quæ in Theologiâ latè discuti solet, quamquam præsenti, quantum nostra interest, resolvemus.

53 Thomistæ, quorum suprà mo-

meminimus n. 2., verbum statuunt in qualitate repræsentativâ objecti, quæ distinguatur adequatè ab intellectione, sitque terminus per intellectionem tàquàm per actionem physicam productus; non ita, ut intellectio sit pura actio, vel actio prædicamentalis, quæ tota est propter terminum; sed ita, ut ipsa quòque sit qualitas propter se appetibilis, & nobilior verbo, solúmque ex munere secundario sit verbi productio. Plerique tamen nolunt produci verbum per cognitionem intuitivam, sed per abstractivam tantummodò: quamquam in hoc non omnes consentiunt, ut notavimus n. 2.: Requirunt autem verbum à cognitione distinctum, ut immediatè terminet cognitionem, non solùm sub munere productionis physicæ (sub quo munere vocatur *dictio*), sed etiam sub munere contemplationis objecti: volunt enim, ut cognitio immediatè contempletur objectum in verbo, tamquàm in imagine, simulacro, vel speculo, quo res cognita repræsentatur, seu redditur præsens intentionaliter, formaturque in esse objecti, vel in esse objectivo.

54 Hinc dicunt, verbum esse medium cognoscendi, non formale, seu medium *quo*, tamquàm formâ cognoscendi, manifestatur objectum; sed medium *in quo*, & imaginem *in quâ* objectum inspicitur; & consequenter esse medium priùs cognitum, vel saltem simul cum objecto. Quamquàm nec in hoc omnes consentiunt. Nam Joann. à S. Thomâ hìc q. 11. ar. 2. nos docet, quòd verbum *est imago formalis, quæ non est objectum cognitum, sed ipsa est ratio & forma terminans cognitionem; & hæc non debet esse cognita objectivè, sed solùm cognitionem reddere terminatam formaliter respectu objecti.* Et Collegium S. Th. Complut. hìc q. 10. n. 236. & 248. ait, per cognitionem directam non cognosci verbum *significatè, & ut quod*, sed solùm *exercitè, & ut quo*: postea tamen n. 259. dicit, cognosci *exercitè, & ut medium in quo*, non verò *significatè, & ut medium per quod*; simulque ibidem concedit, objectum, tametsi cognitum mediante verbo, denominari à cognitione immediatè cognitum. Hæc notata funto pro infrà dicendis ad auctoritatem D. Thomæ.

55 Ex adverso Scotistæ cum Scoto, & Nostri communissimè cum PP. Suarez, & Vazquez, multò probabilius asserunt, verbum mentis indistinctum esse ab intellectione. *Prob.* 1. auctoritate Patrum. Nam D. Augustinus l. 9. de Trin. c. 11., *Cùm se*, inquit, *mens ipsa novit, est notitia verbum ejus*: & l. 15. c. 10., *Formata cogitatio ab eâ re, quam scimus, verbum est*: similiterque loquitur l. 12. de Civit. c. 7., & sæpe alias; præcipuè verò tom. 10. serm. 20. de Sanctis, dicens: *Scripturæ sanctæ verbum esse definiunt ipsam cogitationem.* D. Jo. Damascenus l. 1. de Fid. c. 18. (aliàs 17.), *Verbum nostrum*, ait, *est naturalis animæ nostræ motio, secundùm quam movetur, intelligit, aut cogitat.* Et D. Anselmus in Monolog. c. 31., cujus verba mox referam, disertè docet, cogitationem ipsam esse verbum. *Prob.* 2. ratione: quia duo sunt de ratione verbi, scilicet manifestatio, & origo realis ab intellectu; ut patet ex communi consensu, & expresse docet D. Thomas q. 4. de verit. ar. 2. ad 1., inde inferens, quòd in Deo intellectio absoluta & essentialis, utpotè non realiter procedens ab intellectu, licèt verè sit manifestatio, nequit propriè vocari verbum, nisi ratione identitatis essentiæ ad personam Filij; quia (ut ait in *corp. art.*) *Si aliquid eorum, quæ sunt de ratione alicujus, auferatur, jam non erit propria acceptio.* Sed utrumque propriè convenit intellectioni; cum hæc ab intellectu realiter oriatur, ut nemo dubitat; & aliunde verè ac propriè sit manifestatio, ut suprà ostendimus n. 5. & seqq.; neque hoc negare audent

Thomistæ, ut videre licet in Jo. à S. Thomâ cit. q. 11. ar. 1. ad finem: ergo intellectio verè & proprie verbum est, seu à verbo indistincta.

56 *Confirm.*: quia intellectioni conveniunt nomina seu attributa verbi, relata n. 52. Est etenim intellectio verè conceptus, & conceptio, vel proles mentis; cum à mente realiter generetur. Est etiam objecti similitudo, quidquid reclament Thomistæ. Quod patet, tum ex D. Augustino l. 9. de Trinit. c. 11., ubi, cùm dixisset, notitiam esse verbum mentis, addidit, quòd *habet notitia similitudinem ad eam rem, quàm novit.* Et, ne putetur nomine *notitiæ* significare aliud à cognitione, posteà l. 14. c. 17., *Tunc*, inquit, *erit perfecta similitudo Dei in mente, quando erit Dei perfecta cognitio.* Tum ex D. Anselmo cit. cap. 31. Monolog. sic aientes: *Nullâ ratione negari potest, cùm mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in suâ cogitatione, immò ipsam cogitationem sui esse imaginem ad suam similitudinem, tamquàm ex ejus impressione formatam.* Quamcumque enim rem mens cupit veraciter cogitare, ejus utique similitudinem, quantum valet, in ipsâ suâ cogitatione conatur exprimere. Concludit, quòd hujusmodi similitudo & imago, in cogitatione consistens, *verbum est.*

57 Tum quia similitudo cognoscentis ad cognitum, non est *secundùm conformitatem* aut *convenientiam in naturâ*, sed tantùm *secundùm repræsentationem*, ut ait D. Thomas q. 2. de verit. ar. 3. ad 9., & ar. 13. ad 1.; qui propterea similitudinem illam ibid. agnoscit in scientiâ Divinâ respectu creaturarum, nec aliam verbo mentis attribuit posteà q. 4. ar. 4. ad 2.. At similitudo secundùm repræsentationem, non importans conformitatem in naturâ (hoc nomine venit etiam conformitas in figurâ externâ, qualis est in statuâ), nihil est aliud, quàm intentionalis manifestatio, & patefactio eorum, quæ in objecto sunt; neque usquàm à D. Thomâ tribuitur verbo mentis ex alio titulo, quàm manifestationis. Cùm igitur intellectio vere sit objecti manifestatio, nequit non esse similitudo ejusdem in repræsentando, quæ propria est verbi. Hinc intellectio creata simul habet rationem imaginis, ut nuper ajebat S. Anselmus: quia imago ultra similitudinem solùm addit originem; ut docet cum D. Augustino D. Thomas 1. p. q. 35. ar. 1.: intellectio autem oritur ab objecto mediâ specie impressâ, & propiùs quidem, quàm verbum Thomisticum. Consequenter est etiam species expressa: quia hoc nomine nemo aliud intelligit, quàm similitudinem, & imaginem, ab intellectu specie impressâ fœcundato elicitam.

58 Unde sequitur, in intellectu creato superfluum esse verbum aliud, ab intellectione distinctum; ac profundè intellectionem haudquaquam esse productionem alterius termini præter se. Non enim tale verbum requiritur, ut mens nostra fœcunditatem suam explicet, aut prolem habeat; cùm ad hoc sufficiat intellectio: nec ut intellectui repræsentetur objectum; cùm hoc fiat per intellectionem ipsam. Nec requiritur, ut intellectio terminum habeat: quia, prout est actio physica, non indiget termino à se distincto, ut vidimus cap. præced.; & prout est tendentia intentionalis, terminatur ad objectum; quia sic terminari, nihil est aliud, quàm esse manifestationem ejus, seu illud respicere per habitudinem manifestantis ad manifestatum; quam habitudinem, sicut importat verbum Thomisticum, ita & intellectio. Nec obstat, quòd objectum sit corporeum, vel absens, vel non existens, vel impossibile, vel variis modis repræsentabile. Nam, sicut nihilominùs potest objectum esse terminus manifestationis spiritualis, & intentionalis, quam Thomistæ tribuunt ver-

verbo suo; ita & poterit, hoc verbo declarato, terminus esse intellectionis. Nulla profectò difficultas hîc objici potest, quæ non pariter militet in verbo Thomistico.

59 Accedit, quòd verbum illud erit prius & immediatiùs cognitum, quàm objectum aliud; siquidem est medium *in quo*, & imago *in quâ* intellectus contemplatur objectum. Sequela autem, & est contra experientiam, cùm nemo experiatur in se talem imaginem à cognitione distinctam; & plane repugnat doctrinæ D. Thomæ, qui 1. p. q. 85. ar. 2. ex occasione speciei intelligibilis optimè probat, per cognitiones directas *primò* intelligi res ipsas, & non aliquas earum similitudines in animâ existentes; & antea q. 14. ar. 6. ad 1. docet, quòd cognoscens, nisi utatur cognitione reflexâ, *non cognoscit cognitum secundùm illud esse, quod habet in cognoscente*; ibidemque manifestè docet, illud esse, quod objectum habet in cognoscente, non esse distinctum à cognitione: quod valde notandum est contra Thomistas, ideò adstruentes verbum suum, ut objectum intra intellectum existat *in esse objectivo*, vel *in esse objecti*, vel *in esse cognito*; quasi verò esse objectum actuale, vel esse cognitum, sit aliud, quàm denominatio extrinseca formaliter à cognitione proveniens. Certè nihil est aliud in objecto visionis ocularis, & cujusliber cognitionis intuitivæ, juxta sententiam satis communem inter Thomistas: item in objecto volitionis, quæ non debet terminari ad qualitatem à se distinctam, & in voluntate productam per modum ponderis, alioqui nullo actu posset quis diligere Deum solum, cùm semper diligere debeat priùs aut simul qualitatem creatam.

60 Ex dictis *colliges* 1., nullum in intellectu creato dari verbum *in quo*, si hoc nomine intelligatur, ut assolet, medium aliquod ab objecto & cognitione distinctum, in quo intellectus inspiciat objectum. Solum ergo datur verbum *quo*, seu medium *quo*, idest, ipsa cognitio, quæ mediat inter intellectum & objectum per modum formæ, *quâ* redditur intellectus cognoscens, & objectum cognitum. Nec obstat, quòd Verbum Divinum dicatur à Theologis verbum *in quo*, & imago *in quâ*. Nam Verbum in Deo non producitur ex indigentiâ, sed ex fœcunditate infinitâ; nec ut Pater intelligat, sed quia perfectissimè intelligit: & ideircò, cùm supponat in principio suo intellectionem plenissimam, non producitur ut forma intelligendi, sed ut imago *in quâ*. Contrarium accidit in verbo creato, quod & producitur ex indigentiâ intellectûs, & non illum supponit intelligentem, sed est forma, quâ intellectus redditur intelligens: nam, ut ait D. Thomas in 1. dist. 27 q. 2. ar. 2., *impossibile est, quòd aliquis intelligat, nisi verbo intellectûs sui.* Quare Verbum Divinum partim convenit cum verbo creato interno, partim cum externo: convenit cum interno, quatenus per intellectum oritur realiter à Patre: convenit cum externo, quatenus supponit suum principium pro priori originis perfectissimè intelligens. Nemo dubitat, quin super hac re paritas à Divinis ad creata non valeat in omnibus. Et alioqui, sicut *Omne intelligere in nobis proprie loquendo est dicere*, ut ait D. Thomas q. 4. de verit. ar. 2. ad 5.; ita in Deo intelligere absolutum, prout est commune tribus Personis, esset proprie dicere; quod tamen falsum esse constat, cùm Filius & Spiritus Sanctus proprie intelligant, & non proprie dicant, quia verbum non producunt. Vid. D. Thom. loc. cit. Quare intelligere Dei, solùm prout terminatum, & quasi contractum per subsistentiam Patris, quo sensu vocatur *intelligere notionale*, proprie est dicere. Sed de his Theologi.

61 *Colliges* 2., intellectum creâ-

creatum nunquam posse intelligere sine verbo: quia nequit intelligere sine intellectione, quæ sit objecti manifestatio, & proles mentis. Atque hæc est expressa sententia D. Thomæ, tum duobus locis proximè allegatis, tum 1. p. q. 27. ar. 1. c. Quare nulla est excipienda intellectio, quantúmvis intuitiva, ne ipsa quidem visio beatifica, quæ etiam est propriè verbum mentis. Objiciunt Thomistæ, repugnare imaginem & similitudinem creatam essentiæ Divinæ, prout in se est: item Deum à Beatis immediatè videri, non mediâ aliquâ imagine. Sed respondetur, visionem beatificam non esse imaginem & similitudinem in esse entis, sed tantùm in esse repræsentationis formalis: quam similitudinem in visione Dei agnoscit Augustinus l. 14. de Trinit. c. 17., cujus verba dedimus n. 56.; immò latiùs clarè indicat Joannes Apostolus epist. 1. c. 3., dum ait: *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Nec ideò desinet Deus immediatè videri: quia similitudo visionis non est medium *in quo*, sed purè *quo*, seu ratio formalis immediatè videndi Deum, prout in se est. Nec beatus foret, qui reflexè videret visionem beatam alterius: nam visio directa relatu ad reflexam esset medium *in quo*, ac proindè visio reflexa non esset immediata respectu Dei.

62 *Colliges* 3., dicere, cùm idem sit, ac producere verbum, idem esse in creatis, ac producere intellectionem. Unde productio intellectionis est dictio, & è converso. Et, si intellectio producatur actione distinctâ, ut fert secunda sententia, relata n. 4., dictio distinguetur modaliter ab intellectione, sicut actio prædicamentalis à termino, uno sensu dixit Scotus, dictionem & intellectionem esse actiones distinctas. Sed nimirùm dictio est physica productio qualitatis absolutæ, in quâ constituit intellectio & verbum, & quæ in illâ sententiâ est etiam actio analogica, seu grammaticalis. In nostrâ verò sententiâ dictio non distinguitur ab intellectione, seu verbo, nisi ex modo significandi, vel pro explicato, quatenùs dictio præfert munus productionis physicæ verbi; intellectio autem, seu verbum, præfert explicitè munus termini producti, ac manifestantis objectum. Hinc optimè ajebat D. Thomas, suprà citatus, quòd *omne intelligere in nobis propriè loquendo est dicere*; non solùm quatenùs *dicere* significat verbo manifestare aliquid: sed etiam quatenùs idem est, ac producere verbum: quia in nobis verbum ipsum est productio sui, vel est terminus à sui productione indistinctus.

63 *Colliges* 4., pariter negandum esse, quòd sensatio sit productio ulterioris idoli, seu qualitatis repræsentantis objectum: nec solùm negandum de sensatione quâlibet externâ, sed etiam de internâ, de quo actu phantasiæ imaginantis objectum absens: superfluum quippe est idolum superadditum, cùm cognitio ipsa phantasiæ per se sit repræsentatio, similitudo, imago, & species expressa objecti, ut patebit applicanti probationes n. 56. & 57. *Dixerim* Angelum concipimus instar juvenis, aut animam instar tenuis auræ, vel flammæ, imaginatione formamus idolum quoddam, aut phantasma juvenis, vel auræ tenuis. *Resp.* Formamus quidem; sed illud, subjectivè sumptum, seu ex parte phantasiæ, non est distinctum à repræsentatione identificatâ cum ipsâ phantasiæ cognitione: objectivè autem, seu ex parte objecti, nihil est aliud, quàm juvenis vel aura realis, cujus species impressa in memoriâ servatur. Idem dicendum de idrâ operis, quam præconcipit artifex, domum v. g. structurus: quæ idea non est spectrum aliquod cognitione formatum; sed objectivè sumpta, est opus ipsum construendum; subjectivè autem, est illius

cognitio nec ejus operis imago in quâ, nisi quatenus reflexè cognoscitur.

64. Superest, ut nonnihil dicamus ad auctoritatem D. Thomæ, quem Thomistæ pro se allegant, quia variis in locis ita dicit nostræ doctrinæ adversantia. 1., quòd verbum mentis est quid *intellectum*, & *intentio intellecta*. 2., quòd non est medium *quo*, sed *in quo*. Ex his primum docet multis in locis: secundum autem, immò utrumque simul, expressissimè in Opusc. 13., ubi, *Verbum interius*, inquit, *comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit*: & addit in Opusc. 14., quòd verbum *est intellectum principale, quia res non intelligitur, nisi in eo: est enim tanquàm speculum, in quo res cernitur*: similiterque in q. 9. de pot. ar. 5. docet, quòd non res, sed verbum interius *est primò & per se intellectum*. 3., quòd verbum ab intellectione differt, estque terminus intellectionis. Sic q. 4. de verit. ar. 2., q. 8. de pot. ar. 1., & 1. contr. Gent. cap. 53.: indicat etiam 1. p. q. 34. ar. 1. ad 2., & alibi non semel. Dicimus tamen, per hæc non probari mentem D. Thomæ nobis adversam. Et quod ad *primum* attinet, inprimis respondere debent illi Thomistæ, inter modernos egregij, quorum verba dedimus n. 54. Quòdsi dicant, verbum esse quid intellectum *exercitè, & tanquàm* ulteriùs subscribimus: sed hoc ipsum verificatur de intellectione, quam nemo negat hoc pacto esse cognitionem sui: passim quòque dicitur, quòd voluntas exercitè vult se velle, & visus exercitè sentit se videre, & sic de reliquis sensibus.

65. Deinde respondere debent Adversarij omnes ad locos alios, quibus expressè admonet Angelic. Doctor, verbum non intelligi, nisi per cognitionem reflexam (quo pacto ipsa quoque intellectio intelligitur citra dubium): quorum unus est 1. p. q. 14. ar. 6. ad 1., de quo vide supra n. 59. tales, & expressior, habetur 4. contr. Gent. cap. 11., ubi, postquam præmisit, verbum mentis esse intentionem intellectam, subdit S. Doctor: *Aliud est intelligere rem, & aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam; quod intellectus facit, dum super suum opus reflectitur*. Vide quantum hic absit ab asserendo, verbum esse *intellectum principale*, vel *primò & per se intellectum*, dum res intelligitur. Sumuntur autem testimonia hæc de Scriptis illustrioribus; quæ proinde prævalere debent, si nobis opposita interpretari de intellectione *exercitè*, vel de *intellecto*, idest, *intellectione producta*. Et alioqui similiter illa qualitas, quam plures Thomistæ dicunt in voluntate produci ultra volitionem, esset principale volitum, etiam per actum charitatis; quod est planè absurdum. Hinc patet etiam solutio ad *secundum*: si enim verbum non plusquam exercitè cognoscitur cognitione directâ, solum potest esse medium *in quo* relatè ad reflexam. Certè, quòd in allegato Opusc. 13. dicitur, verbum comparari ad intellectum *non sicut quo*, rejicitur à D. Thomâ q. 4. de verit. ar. 2., ad 3. dicente, verbum esse *id, quo res intelligitur*.

66. Facilè quòque solvitur *tertium*: quia verbum in nostris principijs aliquomodo est terminus intellectionis, cùm hæc se ipsâ oriatur ab intellectu, vocarique possit terminus sui, ut explicuimus cap. præced. Videtur quidem loqui D. Thomas de termino ab actione distincto; non tamen distinctione reali, vel modali, sed solùm quoad explicitum, vel ex modo significandi, quem notavimus n. 62. Conitat expositio: tum quia juxta D. Thomam, allegatum n. 23., intellectio non est productio ulterioris termini, sed est actio, in quâ sistit impetus agentis: tum quia D. Thomas sæpe utitur addito *diminuente*, ut cùm ait 1. 1. contr. Gent. 6. 53., & 1. 4. c. 11., quòd verbum est

quæ-

*quasi terminus intellectualis operationis*; & q. 8, de pot. ar. 1., quòd conceptio, in quâ verbum consistit, *differt ab actione intellectus, quia prædicta conceptio consideratur ut terminus actionis, & quasi quoddam per ipsam constitutum.* Nota illud *quasi*, & illud *consideratur*, quæ satis aliudant ad distinctionem impropriam, vel ex modo significandi. De cætero solùm vult D. Thomas, ut verbum realiter oriatur ex cognitione habituali, non verò ab actuali, nisi quando est conclusio ex præmissis illata. *Verbum* (inquit q. 4. de verit. ar. 4.) *in nobis exprimitur per actualem considerationem, quasi exortum ex aliquâ principiorum contemplatione, vel saltem cognitione habituali.* Id ipsum explicatius docet ibidem art. 2.

## CAP. IV.

### *DE TRIPLICI OPERATIONE intellectûs.*

67 OPeratio intellectus generatim dividitur in apprehensionem, judicium, & discursum. Apprehensio, licet interdùm laxo sensu accipiatur pro cognitione qualibet, strictè sumitur pro intellectione sic repræsentante objectum, ut nihil de illo affirmet, aut neget. Judicium est actus, quo intellectus affirmat aliquid, aut negat, seu quo sententiam fert de objecto. Discursus est actus, quo intellectus ex objecto præjudicato infert aliud. De his multa dedimus in Logica: nunc quædam alia damus, magis ad præsens spectantia. Sed prius *quæres*, utrùm hæc sit divisio adæquata? an verò superfit alia operatio intellectûs, quæ non sit apprehensio, judicium, nec discursus? Hoc posterius tenent Thomistæ, & aliqui è Nostris, quos citat & sequitur P. Quiros hîc disp. 96, n. 17. In exemplum præcipuè adducitur imperium, *Fac hoc*; qui est actus intellectûs juxta D. Thomam, nec tamen divisione istâ comprehenditur: solent etiam adduci actus intellectus, quibus correspondent orationes vocales, interrogativa, vocativa, deprecativa, optativa (adde admirativam), quæ non sunt judicia, cùm nihil enuntient, nec meræ apprehensiones, cùm sint orationes perfectæ. His adjungi possunt suspicio, dubitatio, & formido intellectûs.

68 Contrarium alterum Scotistæ, & Nostri communiter. Quia omnis actus intellectûs est cognitio, sicut voluntatis volitio, & visivæ potentiæ visio: omnis autem cognitio est repræsentatio, seu manifestatio objecti, ut constat: vel ergo repræsentat sine affirmatione, & negatione; vel cum alterutrâ; non enim inter hæc medium est: si priore modo, erit apprehensio, quacumque formulâ efferatur; si posteriore, erit judicium; idque aut non illatum, aut illatum ex alio vel aliis, quo pacto discriminat secundam operationem à tertiâ. Nec dicas, actus intellectûs practici non esse cognitiones, sed motiones ad opus. Nam hoc & est apertè contra D. Thomam 1. p. q. 79. ar. 11. ad 2., & de medio tollit scientias practicas, & è numero cognitionum absurdè expungit actus synderesis, conscientiæ, & prudentiæ. Imperium ipsum, *Fac hoc*, juxta D. Thomam 1. 2. q. 17. ar. 1., est denuntiatio, & intimatio: repugnat autem intimatio nihil significans: ergo tale imperium significat; adeoque repræsentat; cùm significare & repræsentare in actibus intellectûs idem sit. Et alioqui non differret ab actu voluntatis; ut arguebamus disp. præced. n. 90.: ubi etiâ diximus, imperium illud, quatenùs denuntiationem importat, esse judicium, & quo sensu. Nunc tamen, an judicium sit, non curamus, nec an per se habeat vim movendi, seu determinandi: solùm contendimus, esse repræsentativum; ac proindè, si judicium non est, apprehensionem esse. Id-

69 Id ipsum dicimus ad cæteros actus à Contrariis objectos. Nam interrogatio vel admiratio vocalis (idem putà de reliquis) aliquid proculdubiò significat: si ergo correspondet alicui actui intellectus, actus iste significet aliquid necesse est; cum vocalis oratio id soleat exteriùs, quod interiùs significat conceptus, cui correspondet. Quare nunc opus non est ejusmodi orationum seriem perlustrari, nec an significent potiùs actum voluntatis, quam intellectus, vel utriusque. Quicumque enim ipsis correspondeat actus intellectus, ille certè significat; adeòque, si non per modum judicij, per modum apprehensionis, siquidem hoc nomine vellit in genere significatio mentalis non judicativa. Possunt tamen sub hoc genere dari species variæ: quarum aliquæ dici poterunt orationes perfectæ, quia non considerantur ut judicij partes in aptitudine; non enim omnis apprehensio debet ordinari ad judicium, sicut non omne judicium ad discursum.

70 *Sed objicies* circa formidinem intellectualem, quæ solet explicari hoc actu, *Fortè fallor*. Hic actus non est apprehensio, ut patet ex modo tendendi: aliunde non est judicium; quia formido conjungi potest cum quovis judicio probabili, adeòque cum hoc meré opinativo, *Substantia supernaturalis est impossibilis*; cum hoc autem non posset conjungi actus ille, *Fortè fallor*, si judicium esset; redderet enim sensum oppositum, videlicet hunc, *Possibile est non esse impossibilem substantiam supernaturalem*. Resp. 1. Formido intellectualis, quamvis explicetur verbo indicativo, potest consistere in apprehensione suasivâ objecti oppositi, quę inclines, licèt non determinet, ad omittendum judicium probabile, vel ab eo cessandum: quæ apprehensio non est inconsociabilis cum judicio isto. Resp. 2. Etiamsi judicium sit, non est necesse ut reddat sensum, quem intendit objectio: potest enim in mente significare, argumenta, quibus nititur judicium opinativum, non esse evidentia, nec ex Divino testimonio certa.

*De Apprehensione.*

71 Apprehensio, licèt semper dicatur simplex, quatenùs caret compositione judicij propriâ, in suo tamen ordine alia vocatur complexa, alia incomplexa, prout scilicet continet aut non continet expressiones realiter vel formaliter plures: alia item absoluta est, alia comparativa: quas divisiones suppono ex Logicâ notas. Sunt insuper apprehensiones aliæ suasivæ, aliæ nihil suadentes, ex disp. præced. n. 81. Nunc *quæritur* 1., an possit apprehensio attingere copulam objectivam, seu convenientiam & identitatem extremorum, quæ per judicium asseritur? Negant nonnulli: sed meritò affirmat communis sententia. Tum quia sæpè intellectus, priusquàm judicet, dubitat ac deliberat, an assentire debeat identitati extremorum, v. g. identitati formæ cum potentiâ intellectivâ: hoc autem fieri nequit, nisi talis identitas apprehendatur. Tum quia, dum quis audit hanc propositionem vocalem, *intellectus realiter est voluntas*; statim apprehendit totum ejus objectum: nec tamen statim assentitur, præsertim si. Thomista sit. *Dicam* nunc habetur conceptus non ultrà actus, idest, apprehensio ad voces terminata, non ad objectum. Sed *contrà* est, quòd tunc aliter & plus concipit latinè lingua intelligens, quàm ignarus: sed hic solas concipit voces; ergo ille insuper objectum. Unde colliges, quòd apprehensio repræsentare potest totam propositionem objectivam, nec debet à judicio differre semper in objecto, sed in modo tendendi.

72 *Quær.* 2., an apprehensio necessariò præcedat judicium? Affir-

mat

par sententia communissima, cui pauci refragantur. Et, quod attinet ad judicium non evidens, ratio efficax est: quia judicium hujusmodi pendet ab imperio voluntatis; hæc autem imperare nequit assensum incogniti, & circa objectum prorsùs ignotum: debet ergo utrumque præscire, utique per apprehensionem, cùm non debeat judicium aliud præsupponi. Fateor, quandoque præsupponi judicium de sufficientiâ motivi ad judicandum, sed non semper, nec plerumque ad assensum opinativum: &, cùm præsupponitur, pendet etiam ab applicatione voluntatis, saltem dum sufficientia non est omninò evidens. Difficilius probatur necessitas præviæ apprehensionis ad judicium evidens, siquidem hoc non pendet ab applicatione voluntaris, juxta commune placitum; cui tamen non omnes consentiunt. Probari solet ex imperfectione intellectûs humani, qui, ad discrimen Angelici, debet incipere ab imperfectioni genere cognitionum, ut ad perfectius aliud assurgat. Id quod experientiâ constare videtur: priùs enim, quam de objectis judicium feramus, illa nobis simplici modo proponimus, & quasi ad rationis tribunal judicanda sistimus. Unde, cùm passim dicitur, non posse intellectum non assentiri objecto evidenter proposito, jam supponitur apprehensio prævia: per hanc enim objectum proponitur, idest, apparet intellectui. Adde, quod positâ & excitatâ specie de objecto, etiam per se noto, v. g. de majoritate totius ad partem, intellectus adhuc est indifferens ad varios assensus, æquipollentes quidem, sed tamen diversos in modo tendendi: potest quippe assentiri, vel sub his terminis, *Totum est majus sua parte*, vel sub istis, *Pars est minor toto*, vel sub his alijs, *Impossibile est totum non esse majus* &c.: debet ergò ab apprehensione prævia, vel hac præluceute à voluntate, determinari ad unum præ alio modum assentiendi.

73 Hæc tamen non probant essentialem dependentiam humani judicij ab apprehensione. Unde communiter assentur, fieri posse divinitùs, ut homo judicet nullâ apprehensione præeunte, sicut naturaliter judicat Angelus. Et saltem quòd visio beatifica non egeat apprehensione distinctâ, tametsi perfectissimè judicans, valde receptum est apud Theologos. Non desunt nihilominus, qui judicijs saltem humanitùs possibilibus essentialem etiam dependentiam ab apprehensione tribuant: vel quia judicia illa reflectuntur aliquomodò in apprehensiones prævias (de quo postea); vel quia tendunt in verum ut apprehensum, sicut volitiones in bonum ut cognitum; idcircò enim intellectus sæpè assentit falso, dum apprehendit ut verum, & dissentit vero, dum apprehendit ut falsum: & alioqui judicia falsa possent existere sine objecto, scilicet sine vero, nec reali, nec apparenti. Hæc tamen ratio parùm urget: quia dici poterit, judicium quodlibet identificare secum apparentiam, seu repræsentationem veri objectivi. Quid in hac quæstione sentiendum, patebit inferiùs n. 84.

74 *Quær.* 3. an apprehensio prævia influat efficienter in judicium? *Resp.* Si apprehensio gerat munus speciei respectu judicij, ut aliqui non improbabiliter volunt, influet efficienter; ut constat ex dictis disp. 6. de influxu speciei impressæ. Quamvis autem non gerat id munus, adhuc defendi poterit satis probabiliter activus influxus apprehensionis: sed probabiliter etiam negabitur propter dicta disp. 4. n. 78: unde communiter dicitur apprehensio præcedere judicium per modum conditionis, aut applicationis. *Quær.* 4. utrùm apprehensio sit capax veritatis, & falsitatis? Hac de re satis diximus tract. 5. Logic. disp. 2.: ubi etiam quæstiones, quæ de veritate judicij disceptari solent, pertractatas invenies.

*De Judicio.*

77 Judicium in tot species dividi potest, in quot solet enuntiatio in Summulis. Vocatur *assensus*, cùm est judicium affirmativum; *dissensus*, cùm negativum. In præsenti discutiendum est, utrùm judicium sit simplex qualitas, idest, conceptus realiter indivisibilis in partes essentiales (de gradibus intensionis non est hic sermo), ex ijs vè realiter incompositus? an verò coalescat ex pluribus apprehensionibus, aut conceptibus realiter distinctis? Et quæstio est de judicio humano: nam quòd Angelicum sit simplex qualitas, extra dubium est. Prima sententia judicium asserit ex apprehensionibus compositum. Pro hac stant plures Thomistæ, & plures è Nostris cum PP. Suar. & Vazq. Pro eâdem citatur Aristoteles à P. Suar. hic l. 3. c. 6., & D. Thomas à P. Adamann. 1. p. Summ. Philos. q. 19. a. 1. 1. & rev. à uterque videtur sententiam istam perpetuò supponere. Secunda sententia, quæ valde probabilis est, & inter Modernos ex omni Scholâ prævalet, pro simplicitate judicij militat. Præcipuum ejus fundamentum est, quòd ad judicandum, v. g. hominem esse animal, requiritur conceptus aliquis ab omni apprehensione distinctus, adeòque essentialiter judicativus. Nam ex meris apprehensionibus non constituitur judicium; siem nec ex meris complacentijs inefficacibus amor efficax: & alioqui daretur judicium, quoties apprehenduntur extrema, & eorum identitas, aut distinctio; quod tamen falsum esse vidimus n. 71.: immò darentur simul assensus & dissensus circa idem objectum, quoties quis dubitat, an tali subjecto conveniat, vel non, tale prædicatum; simul enim tunc apprehenduntur identitas & distinctio extremorum, & sæpè quidem per apprehensiones vividas, actuativas, utpotè intrinsecas fundamentis utrimque gravibus.

76 At conceptus ille, ab omni apprehensione distinctus, & essentialiter judicativus (qui, si datur, simplex est, ut Adversarij non dubitant), debet esse judicium integrum. Probatur hoc: quia talis conceptus est verè cognitio, cùm in eo explicet intellectus vim judicativam ut talem, quæ vis formaliter cognoscitiva est, utpotè propria intellectivi quà talis, & quatenùs habentis præstantiam cognoscendi supra sensitivum: ergo talis conceptus aliquid repræsentat, & nihil magis, quàm identitatem hominis cum animali; hæc enim est, de quâ judicium fertur. Sed cognitio, assertivo seu judicativo modo repræsentans identitatem hominis cum animali, repræsentat eo ipso assertivè, hominem esse animal, ut patet ex terminis: & nihil aliud est de tali objecto judicare, ut etiam ex terminis liquet: ergo per se ipsam, quovis alio præciso, est integrum judicium. Sanè conceptus iste repræsentat identitatem, non in communi, sed determinatam, & talium extremorum; de hac enim solâ per apprehensiones prævias movetur dubium, aut lis à tribunali rationis judicanda: proinde conceptus idem repræsentat extrema talis identitatis, cùm hæc in extremis ipsis consistat, sitque ab ijs penitùs indistincta repræsentat igitur subjectum, copulam, & prædicatum objectiva. Si ergo aliunde modum tendendi habet essentialiter judicativum, quid illi deesse potest ad perfectam rationem judicij? Atque hinc sequitur, repugnare judicium, quod non sit simplex qualitas: quia judicare, ex propriâ & essentiali ratione requirit conceptum, qualem descripsimus.

77 Nec videntur magni esse momenti, quæ contrà objici solent. Videlicet 1., quòd, etsi detur conceptus ab apprehensione distinctus, potent attinger e copulam objectivam, intactis extre-

tremis; quemadmodùm actio physica potest producere unionem, quin producat extrema. Et alioquì superflue forent apprehensiones extremorum, præcedentes judicium, & comitantes: siquidem judicium eadem extrema repræsentat. Ad quid enim intellectus sibi repræsentet eodem tempore semel & iterùm idem objectum absque novâ claritate? 2., quòd judicium negativum, v. g. *homo non est leo*, nequit esse simplex conceptus: tum quia species impressa leonis nequit concurrere ad cognitionem hominis: tum quia nequit unica imago simul esse similitudo leonis & hominis, ut patet in picturâ externâ. 3., quòd intellectus humanus, ad discrimen Angelici, & Divini, non judicat nisi componendo, & dividendo; ut passim docent Philosophi cum Aristotele, & D. Thomâ. Et quidem compositio, quæ pertinet ad judicium affirmans, cùm non detur ex parte objecti, dari debet ex parte conceptûs. Nec intelligi potest distinctio inter subjectum & prædicatum, nec affirmatio unius de alio, si nec in objecto, nec in actu detur unum, & aliud.

78 Respondetur *ad* 1. Copula objectiva, cùm nihil sit aliud, quàm identitas indistincta prorsùs ab extremis, nequit attingi, saltem in particulari, & prout est talium extremorum, his intactis; ut est per se clarum. Sic actio physica, si foret indistincta penitùs ab extremis, non posset produci, quin eadem actione producerentur extrema. Idem intelligendo de non identitate, seu distinctione, per judicium negativum attactâ, quæ pariter ab extremis indistincta est. Apprehensiones subsequentes, aut pure comitantes judicium de eodem objecto, forent quidem superfluæ; secùs tamen, quæ præcedunt ordine naturæ, licèt non temporis: hæ quippe præparant intellectum ad judicandum, & utilitatem afferunt, de quâ suprà n. 72. Representatio autem, quæ per judicium additur, licèt non sit clarior, non est homogenea; cùm novum afferat tendendi modum, & intellectum afficiat diversimodè.

79 *Ad* 2. negatur assumptum cum probationibus. Nam species leonis, quàmvis nequeat ad cognitionem hominis sola concurrere, potest tamen conjuncta cum specie hominis influere in cognitionem simplicem utriusque: hæc enim est vis intellectûs, posse simul uti diversis speciebus, ut objecta diversa inter se comparet, & de ipsorum diversitate vel distinctione judicet. Imago intentionalis, cùm non sit univoca, sed analogica, nec in essendo, sed in repræsentando, potest eadem esse similitudo diversorum: nullum enim incommodum in eo, quòd idem actus manifestet hominem & leonem, ut patet evidenter in judicio Angelico de diversitate utriusque. Aliud est in externâ imagine, ubi una figura delet alteram, & unus color alterum. Si valet exemplum, sicut eadem extensio tabulæ nequit simul recipere imagines hominis & leonis, ita nec idem intellectus habere simul poterit apprehensiones amborum, adeòque nec judicium negativum.

80 *Ad* 3. Inprimis divisio propria judicij negativi consistere nequit in separatione partium ipsius judicij, ut est manifestum; aliter, ex partes non constituerent judicium unum. Deinde, cùm fertur judicium negans, divisio entitativè est in objecto, & solùm repræsentativè in judicio, quatenus hoc repræsentat extrema ut divisa, id est, ut distincta. Similiter compositio propria judicij affirmativi considerari potest ex parte objecti, si sumatur in sensu lato compositio pro identitate, seu quatenus opposita distinctioni: sicut enim judicium negans dicitur divisivum, quia repræsentativè dividit, id est, distinguit; ita judicium affirmans di-

dici poterit compositivum, quia repræsentative componit, ideſt, identificat. Atque hoc ſenſu judicium etiam Angelicum, & Divinum, proculdubiò componit, & dividit. Alia tamen eſt compoſitio propria judicij humani, ſumpta ſcilicèt, non pro unione partium unius actûs, ſed pro ſimultaneâ poſitione plurium actuum in eodem intellectu cum quodam ordine dependentiæ: judicium quippe humanum debet ſimul tempore poni vel conjungi cum apprehenſionibus, à quibus pendet tanquàm à conditionibus prævijs ordine naturæ. Quod genus compoſitionis repugnat judicio Divino, & plerúmque ſaltem abeſt ab Angelico. Cæterum diviſio, quæ ſubjectivè ſit in intellectu, in nullâ ſententiâ explicari poteſt; niſi fortè dicatur intellectus humanus tunc dividere, cum non adjungit judicium apprehenſionibus: ſicut, quàdo adjungit, dicitur componere. Porrò diſtinctio rationis inter ſubjectum & prædicatum judicij affirmantis, quâ fiunt unum & aliud, per judicium habetur, non quidem formaliter, ſed tum præſuppoſitivè, tum æquivalenter; nimirúm quatenùs judicium affirmans hominem eſſe animal, præſupponit ex naturâ rei apprehenſiones, quibus homo & animal formaliter diſtinguuntur, & æquivalenter continet repræſentationem ipſarum, nec non vocum iiſdem reſpondentium.

81. Nihilominùs, ut prima ſententia, quę antiqua eſt, & magis conſona Philoſopho, & D. Thomæ, defendi poſſit, modum ejus explicandæ ſubjicio, quem in ſummulis, & in Logicâ non ſemel tetigi. Judicium humanum indiget quidem actu eſſentialiter judicativo, & ab omni apprehenſione diſtincto; non tamen in eo ſolo conſiſtit, ſed in eo ſimul cum apprehenſionibus formaliter diſtinguentibus extrema, quę in ſubjectum & prædicatum aſſumuntur. Si enim adæquatè diſtinguerentur ab apprehenſionibus, poſſet ſine his divinitus exiſtere: quo in caſu non eſſet enuntiatio unius de alio, nec proprié haberet ſubjectum & prædicatum, cùm hęc ſine aliquâ diſtinctione, vel ex parte objecti, vel ex parte actûs, intelligi non poſſint. Sequela autem videtur evertere propriam rationem judicij humani, quam agnoſcunt omnes in Logicâ. Quare, ſicut in communi doctrinâ diſcurſus ſeu ratiocinatio indiget quidem actu eſſentialiter diſcurſivo; non tamen in eo ſolo conſiſtit, ſed ſimul conſtituitur ex præmiſſis, quæ mera ſunt judicia; ita &c. Actus igitur eſſentialiter judicativus repræſentat expreſsè identitatem extremorum, v.g. hominis cum animali; non tamen repræſentat extrema ipſa ſub proprijs expreſsionibus, immò nec in confuſo per modum extremorum; ſed ea ſupponit repræſentata per apprehenſiones, *homo*, & *animal*, quas ſibi coexiſtentes connotat, & quodammodò innectit, conſtituendo cum ipſis integram propoſitionem mentalem.

82. Exemplo ſit verbum, *eſt*, in vocali enuntiatione prolatum: ſignificat enim aſſertivo modo extremorum identitatem expreſsè; nec tamen eorum expreſsiones in ſe continet, ſed eas ſupponit & connotat in vocibus adjunctis, aut præcedentibus, ſaltem ab alio prolatis, ſine quibus nunquam eſt integra enuntiatio: nec item extrema ſignificat in confuſo per modum extremorum, quaſi perinde ſonet, ac *aliquid eſt aliquid* (hoc voco ſignificare per modum extremorum); nam alioqui, dum interroganti, an homo ſit animal? reſponderetur, *eſt*, reſponſo redderet hunc ſenſum, *aliquid eſt aliquid*, foretque proinde reſponſio nulla, vel inepta. Similiter ergo cenſendum de peculiari conceptu judicativo, cujus ad exemplar inſtituta fuit ſignificatio ad placitum in verbo, *eſt*. Hoc tamen eſt diſcrimen, quòd vocale verbum poteſt

extra enunciationem proferri cum aliquali significato: quia potest significatum mutare; non enim idem & eodem modo significat extra enunciationem, ac intra, ut cum Aristotele & D. Thoma diximus in Summul. disp. 2. c. 3., & disp. 6. c. 3. n. 11. & sequ.: at conceptus judicativus, cùm nequeat mutare modum repræsentandi, nequit elici, nec existere sine apprehensionibus, quibuscum constituat actuale judicium: quare repræsentatio naturalis ejus tantùm est comparanda significationi ad placitum, quæ convenit verbo, *est*, aut *non est*, in enunciatione vocali de tertio adjacente; hæc enim significatio est etiam essentialiter inseparabilis à consortio vel consignificatione aliarum vocum.

83. Ut objectiones præcavcas, *Nota* 1.: Identitas, licèt reflexè explicari soleat per modum relationis, aut nexûs duorum, reipsâ tamen nec relatio est, nec unio, vel nexus; ideòque non debet per actum simplicem judicativum concipi fingiatè quasi extrema respiciens. *Nota* 2.: extrema, v. g. homo, & animal, debent quidem per illum actum repræsentari, cùm identitas non sit aliud ab ipsis; non tamen sub proprijs expressionibus, sed tantùm sub expressione affirmativâ identitatis, quæ correspondet verbo, *est*, enunciativè prolato: in quo retundi poterit quidquid objecerint Adversarij; non enim magis præcisiva est significatio ad placitum, quàm repræsentatio naturalis conceptuum. *Dices*: actus ille non repræsentat identitatem ut sic, sed determinatam, nempe hominis cum animali: ergo non potest non exprimere formaliter hominem & animal. *Resp.*: significat identitatem determinatam, non determinatione signatâ, sed exercitâ, quatenùs illam ex modo tendendi exercitè attribuit homini & animali, quorum expressiones etsi non contineat in se formaliter, continet quodammodò virtualiter, quia eas per se supponit, & connotat in apprehensionibus adjunctis. Et vide, quid dicas ad significationem verbi, *est*, in quâ militat eadem difficultas. Si *quæras*, in quo fiat connotatio illa? *Resp.*, in reflexione quadam implicitâ vel exercitâ supra conceptus apprehensivos, tali scilicet, qualem habet cognitio quævis respectu sui, dùm ita certificat intellectum de sui existentiâ, ut interrogatus, an cognoscat? inhæsitanter affirmet. Hâc vim habet ex modo tendendi conceptus judicativus, non solùm respectu sui, sed etiam respectu apprehensionum, quas connotat.

84. *Nota* 3.: non opus est unione physicâ immediatâ inter conceptus judicium componentes; sufficit unio intentionalis, & quasi artificialis, consistens in connotatione prædictâ, ut judicium dicatur actus per se unus, aut unicâ definitione definibilis; quod patet exemplo enuntiationis vocalis, aut syllogismi mentalis. *Nota* 4.: actus essentialiter judicativus ratione illius connotationis est copulæ formalis, & *compositio* propria judicij humani, tum affirmantis, tum negantis: componit enim, seu connectit apprehensiones duas, quarum alteram denominat formale subjectum, alteram formale prædicatum, illam scilicet, cujus objectum attribuit objecto alterius; quæ denominationum distributio in omnium sententiâ revocari debet ad peculiarem modum tendendi. Vid. dicta in Logic. tract. 1. disp. 2. cap. 5. n. 33., 43., & seqq. *Nota* 5.: formalis compositio non est de ratione judicij; ut fiet nam Angelus, & multò magis Deus, perfectissimè judicat sine artificio subjecti & prædicati, ac sine ulla distinctione extremorum, quæ realiter identificantur: quod etiam dictum esto de visione beatificâ; quippe quæ ab animâ rationali elicitur modo quasi Divino, nec aliter, quàm ab Angelo. Solùm er-

ergo compositum erit judicium humanomore elicitum, etiamsi per habitum fidei supernaturalis eliciatur. Unde colliges, judicium ejusmodi non posse divinitùs integrum existere sine apprehensionibus, quia nequit sine suis constitutivis existere; & actus essentialiter judicativus nec per se solum est plenè judicium, nec potest separari ab apprehensionibus, quibuscum habet annexionem quasi modalem. *Nota* demùm in judicio hypothetico, sive complexo, nempe conditionali, disjunctivo, copulativo, unus simplex conceptus sufficere videtur ad utrâque copulam verbalem, necnon ad principalem, quam denotat aliqua ex his particulis, *si*, *vel*, *&*; hæ quippe solùm indicant peculiarem tendendi modum illius conceptûs.

### *De oppositione assensûs & dissensûs in eodem intellectu circa idem objectum.*

85 Hic etiam *quæritur*, an assensus, & dissensus, ideft, judicium affirmativum, & negativum, in eodem intellectu cohærere possint, dum versantur circa idem objectum? Nec est dubium de incohærentiâ logicâ, sive in veritate, & falsitate: certum quippe est, non posse utrumque simul esse verum, nec simul falsum, etiam in diversis subjectis. Quare solùm ambigitur de cohærentiâ subjectivâ, seu de simultaneâ existentiâ in eodem intellectu, qui per alterutrum fallatur. Nec item est dubium de judicijs oppositis circa objectum realiter idem, sub diversis tamè expressionibus conceptum, ita ut identitas non advertatur: nam judicia hujusmodi passim conjunguntur; nihilque frequentius, quàm unum prædicatum objecti afferere, simul negando alterum, quod forsan in re est idem: v. g. cùm asserunt Deum esse omnipotentem, & simul negant esse connexum cum possibilibus. Quare solùm est quæstio de assensu & dissensu suo eidem expressione, de his v. g., *Petrus existit*, *Petrus non existit*. Et ea quidem procedit de incohærentiâ essentiali, seu divinitùs in viventibus: quòd enim actus isti conjungi nequeant ex naturâ rei, demonstrat experientia, & fatentur omnes. Igitur incohærentiam seu incompossibilitatem essentialem eorum, negant PP. Ovied., Alphons., Lynce, Quiros, & Peyrado. Sed affirmat, & meritò, communis sententia, quam tenet Exim. Doctor disp. 45. Met. sect. 4., & tom. 1. in 3. p. d. 38. f. 3.

86 *Probatur*, omissis alijs argumentis, hac ratione. Si posset idem intellectus assentire simul & dissentire existentiæ Petri v. g., posset etiam uno & eodem actu judicare, Petrum esse & non esse: sed ad hoc est essentialiter impotens: ergo & ad illud. *Major* expressè concedatur à P. Peyrado hic lib. 1. disp. 4. n. 45., & videtur prorsùs innegabilis: tum quia nihil aliud judicaret intellectus per hunc actum, *Petrus est & non est*, quàm per duos hosce, *Petrus est*, *Petrus non est*: tum quia ex his duobus, velut ex præmissis, legitimè infertur ille unus; sicut ex his, *Petrus scribit*, *Petrus sedet*, legitimè concluditur, *ergo Petrus scribit & sedet*: repugnat autem intellectus potens assentire præmissis, & ab intrinseco impotens elicere conclusionis assensum. *Minor* ergo *probatur*: quia intellectus est essentialiter impotens assentire falso ut falso, id est, objecto ita proposito per assensum ipsum, ut appareat penitùs alienum à veritate (loquor de veritate objectivâ, vi cujus objectum ita se habeat re ipsâ sicuti per assensum enuntiatur): tendit enim, quatenùs assensivus est, sub ratione veri, seu persuadibilis, ut visus sub ratione coloris: undè, sicut repugnat videre objectum, quod per visionem ipsam appareat non co-

coloratum; &c. At intellectus uno actu judicans, Petrum esse & non esse, assentiretur falso ut falso, in sensu explicato. Pater hoc: quia Petrum *simul esse, & non esse*, sub his & ex his terminis evidenter apparet omninò fallum cuivis intellectui, maximè si præventus sit notitiâ illius principij per se notissimi, *Impossibile est idem simul esse & non esse*; quæ notitia, ut admonet P. Peynado, præsupponenda est in intellectu ad quæstionem præsentem.

87 *Prob. 1. cad. Min.*: quia tale judicium, juxta Adversarios, per se impotens est elici ex determinatione voluntatis, ut etiam ex determinatione intellectus, aut objecti; nec potest existere nisi ex determinatione Dei cõtra & supra omnem exigentiam naturæ: ergo tale judicium esset intrinsecè supernaturale; cumque aliunde foret essentialiter falsum, utpote veritati repugnans ex modo ipso tendendi, absurdè sequeretur, quod judicium essentialiter erroneum posset esse intrinsecè supernaturale, & à Deo ut speciali Authore profectum. Ex dictis *colliges*, nec posse divinitus in eâdem voluntate cõjungi, actus efficaces amoris & odij, seu volitionis & nolitionis, circa idem objectum sub eâdem expressione cognitum. Est enim quæstio præsens his etiã actibus communis, & ratio eadẽ: quia, si voluntas posset efficaciter velle simul & nolle ambulationem v. g., posset etiã uno & eodem actu efficaciter velle, ut ambulatio sit & non sit: vellet ergo efficaciter absolutè objectum, quod evidenter apparet impossibile, adeòque purè malum, seu nullius bonitatis particeps. Unde & voluntas extraheretur à suâ ratione formali; & actus ille, tametsi essentialiter irritus, irrationabilis, & inutilis, foret nihilominùs intrinsecè supernaturalis, & à Deo ut speciali Authore prolectus; quod est planè absurdum.

88 *Objic. 1.*: qualitates seu formæ positivæ, cujusmodi sunt assensus & dissensus, non opponuntur, sicut esse, & non esse ejusdem rei; atqueadeò non opponuntur in eodem subjecto contradictorie, sed contrariè in lineâ physicâ: hæc autem oppositio divinitus vinci potest, ut patet exemplo caloris, & frigoris, aut albedinis, & nigredinis. *Resp.*: non est ea regula generalis ad omnes formas positivas: nam aliquæ possunt esse virtualiter contradictoriæ in esse physico, quatenus altera essentialiter exigit carẽtiam alterius. Sic actus Fidei, quo Petrus credit se esse purum hominem, essentialiter incompossibilis est cum unione hypostaticâ naturæ Petri ad Verbum. Sic etiã, si duratio est modus, ut plerique Adversarijs placet, duratio hodierna essentialiter excludit hesternam. Ubi notãdum, quod oppositio assensûs & dissensûs in eodem objecto, est quodammodò intentionalis, seu orta ex objectis; videlicet quatenus alter actus destruit objectum alterius in esse judicabilis ab hoc intellectu; quia in esse talis constituitur objectum per carentiam oppositi judicij.

89 *Objic. 2.*: tristitia & gaudium cohærere simul possunt in eâdem voluntate; nam anima Christi Domini, etiam dum erat *tristis usque ad mortem*, summo afficiebatur gaudio ex visione beatificâ: ergo pariter &c.. *Resp.*: gaudium & tristitia de eodem objecto non possunt ullo modo esse simul; ut probat D. Thomas 3. p. q. 84. ar. 9. ad 2. quare nec anima Christi D. tristitiam simul & gaudium habuit de objecto eodem; ut etiam docet D. Thomas 3. p. q. 46. ar. 8. ad 1.. Habuit ergo tristitiam de peccatis hominum, simulque gaudium de perfectionibus Divinis, ac de beatitudine propriâ: quæ de rẽ differunt ex professo Theologi. Vid. P. Suar. loc. cit.. Porrò tristitia & gaudium de diversis objectis opponuntur quidem in gradu intenso, sed non nisi con-

cōtrarietate quadam physicâ instar frigoris & caloris, quæ divinitùs vinci potest.

90 *Objic.* 3. non potest intellectus simul apprehendere duo contradictoria, immò & judicare, motiva esse gravia & probabilia pro utraque parte contradictionis: poterit ergo tunc elicere simul assensum & dissensum opinativum. *Confirm.*: quia potest pro signo posteriori ad assensum opinativum supervenire apprehensio evidens falsitatis, quę intellectum cogat ad dissensum. *In primis* objectio contra omnes probat, assensum & dissensum naturaliter conjungi posse. *Deinde neg. Conseq.* quia naturalis apprehensio inevidens non decernit, an objectum sit, vel non sit: quare potest simul proponere illius esse & non esse, non solùm apprehensio duplex, sed unica; quia deservire potest ad judicium de repugnantiâ simultatis. Unde constat disparitas ad rem nostram. Possunt quidem motiva pro utráque parte contradictionis apprehendi simul, aut etiam reflexè judicari simul probabilia; non tamen probabilitate simultatis, quasi probabile sit utramque partem simul esse veram; sed simultate probabilitatis, quatenùs intellectui simul proponuntur motiva non leviter suadentia, utramlibet partem esse veram in sensu diviso ab altera, vel sic esse veram, ut altera sit falsa: quare nunquàm adsunt motiva suadentia, ut intellectus utrique parti simul adhærent judicio directo. Apprehensiones tamen evidentes de existentia & carentiâ rei nullatenùs conjungi possunt; quia sunt virtualiter & connexivè judicia. Nec in eodem instanti cohæret potest cum judicio opinativo apprehensio evidens falsitatis: quia tale judicium supponit absentiam hujus apprehensionis; supponit enim motivum tum, quod motivum in esse sufficientis ad opinandum, constituitur per carentiam evidentię in contrarium. Quapropter judicium illud nequit esse causa, vel conditio, ut pro signo posteriori excitetur apprehensio talissimi vel is, ut hæc in eodem instanti sit præsens & absens, quod est implicatorium.

*De Discursu.*

91 Discursus est motus aut progressio mentis ab uno vel pluribus judiciis ad aliud: progressio, inquam, non qualiscumque, sed importans ordinem causalitatis inter judicium antecedens, & consequens. De progressu illo mentali multa disputantur sub nomine *syllogismi, & argumentationis*, tum in Summul., tum in Logic. tract. ultimo. Nunc dicendum superest, an discursus importet actum aliquem essentialiter discursivum, seu qui discernat essentialiter operationem tertiam à secundâ? Negant aliqui, sed admodum pauci. Communis ubique sensus aut affirmat, aut affirmādum supponit. Quia conclusio formalis, in discursu importata, non est judicium quodcumque, sed judicium essentialiter illatum, & per se supponens secundam intellectūs operationem bis aut semel exercitam: quare, sicut secunda operatio essentialiter differt à primâ, quia hæc per se supponit, & addit actum essentialiter judicativum, ita &c. Si tamen contendas, omne judicium spectare ad secundam operationem, & ex differentiis judicij illati à non illato non diversificari operationum classes, sed tantum species judiciorum, sicut ex differentiâ judicij hypothetici à categorico; de nomine contendes, poteritque similiter contendere super differentiā representationis judicativę à non judicativā, quasi tantùm variet species apprehensionum, sicut differentia simplicis apprehensionis à complexā. Hoc unum valet de forma communis, aut in eā, quæ dicitur operatio tertia intellectūs, ponetur actus per se illatus, seu per se pen-

pendens ab alio vel aliis judicijs præsuppositis.

92 Sed quæritur, in quo dependentia ista sit posita? seu in quo consistat, quòd conclusio discursûs sit essentialiter conclusio, vel per se illata? Quæstio hæc cum illâ connectitur, quâ indecisam reliquimus in Logic. tr. ult. disp. 1. in fine, An scilicet conclusio formaliter attingat objectum præmissarum? quâ super varias sententias, & earum Authores ibidem expressimus. Nunc, ut utraque simul quæstio decidatur, breviter expendam tres dicendi modos satis communes. 1. igitur juxta aliquos, ideò conclusio pendet à præmissis, quia, licet non intrinsecè attingat objectum ipsarum, producitur tamen actione essentialiter alligata præmissis (supponunt, cognitionem esse qualitatem absolutam), non quòd per se exigat tali actione produci; sed quia de facto sic producitur ex imperio voluntatis, vel ex peculiari dispositione præmissarum: unde formaliter aut reduplicativè sumpta, ut conclusio est, pendet essentialiter à præmissis; quia sic reduplicat actionem illam: ipsa tamen specificativè sumpta potuit sine præmissis existere, producta scilicet à solo intellectu cum specie: immò potuit nonnumquàm esse præmissa inferens utramlibet ex præmissis modò talibus, v. g. hujus syllogismi, *Hic homo est Papa, Clemens est hic homo, ergo Clemens est Papa*; si enim conclusio fiat Minor, inferet cum eâdem Majore in secundâ figurâ Minorem præcedentem; &, si fiat Major, inferet cum eâdem Minore in tertiâ figurâ Majorem primi syllogismi. Quare, sicut ignis B. per se pendet ab igne A., dum ab eo producitur; potuit tamen contingere, ut è converso A. produceretur a B.: ita &c.

93 Verùm hæc opinio falsa videtur; quia nihil ponit intrinsecè pertinens ad tertiam operationem intellectûs, nisi quamdam actionem physicâ, quæ in hac opinione non est formaliter cognitio, seu repræsentatio: unde intellectus, quatenùs discursivus, non erit proprie cognoscitivus, siquidem nullum sibi vendicat peculiarem actû, qui sit propriè cognitio: hoc autem videtur absurdum; cùm vis discursiva, ut talis, sit ipsa rationalitas humana. Præterea, quòd conclusio specificativè sumpta possit eadem elici sine præmissis, nequit esse verum, saltem universim, si objectum præmissarum est metè extrinsecum conclusioni, ut hæc opinio vult. Nam, hoc posito, sæpe dabitur conclusio sine motivo intrinseco, v. g. in hoc syllogismo, *Quod Angelus dicit, verum est, sed Angelus dicit astra esse paria* (sic ita dixisse), *ergo astra sunt paria*: ubi conclusio nullum habebit motivum, nisi extrinsecum à præmissis propositum; quare, si hoc desit, re ipsâ deest in absentiâ præmissarum, conclusio ista, seorsim elicita, judicium erit sine ullo motivo judicandi, nec intrinseco, nec extrinseco; quod planè repugnat.

94 2. juxta alios, ideò conclusio est essentialiter judicium illatum, quia non habet motivum intrinsecè attactum, sed solùm extrinsecè propositum in præmissis: cùm que sit impotès existere sine motivo, fit, ut essentialiter supponat præmissas, nec sine his produci vel conservari valeat. Sed neque hæc opinio satisfacit. Tum quia falsò supponit, nullam conclusionem ullo modo moveri ex veritate intrinsecâ objecti illati. Nam, licèt hoc ita sit, quando medium probationis est penitùs extrinsecum objecto illato, ut accidit in syllogismo nuper adducto de paritate astrorum; attamen secùs est in conclusionibus scientificis, ubi medium est realiter intrinsecum tali objecto, ut cùm una proprietas essentiæ demonstratur ex aliâ: tunc enim, ut observat Exim. Doctor disp. 44. Met. sect. 11.

n.

n. 46. & 47., ratio assentiendi, seu formale objectum conclusionis, non est medium utcumque, nec veritas sola principiorum, sed est ipsamet veritas conclusionis objectivæ, quatenus in se ostenditur ex connexione extremorum cum tali medio. Et alioquin objecta scientiarum non essent propriè scita, sed quasi credita in fide principiorum.

95 Tum insuper, quia repugnat assensus nullum intrinsecè attingens motivum, nullamve rationem suasivam ad assentiendum: tendit enim assensus sub ratione veri suadibilis, ut Authores isti fatentur, idcircò negantes posse conclusionem elici sine ratione suasivâ, saltem extrinsecùs propositâ in præmissis: quare, sicut repugnat visio nullius expressiva coloris, & auditio nullius perceptiva soni, eo scilicet quòd alioquin extraheretur ab eâ ratione, sub quâ tenditur; ita repugnare debet assensus nullam omninò rationem percipiens, quâ objectum reddatur suadibile. Nec prodest dicere, quòd conclusio non est actus integer, sed pars unius actûs compositi ex ipsâ & præmissis; & intellectus non debet percipere motivum assentiendi per quamlibet partem sui actûs, ut patet in hoc judicio causali, *Quia Angelus dixit, astra sunt paria*, ubi non percipitur motivum per secundam partem. Non, inquam, prodest: quia, si pars actûs, ut condistincta ab alijs, verè est assensus (sicuti est conclusio, citra dubium), debet ratione sui percipere objectum ut suadibile, sive ut præditum vel connexitum motivo assentiendi; quemadmodùm omnis pars actûs audiendi, quę verè sit auditio, nequit non percipere ratione sui objectum ut sonans. Illud autem judicium causale, vel est actus omninò simplex, vel, si componitur ex apprehensionibus, certè non ex judicijs, aut actibus judicativis realiter distinctis; ut suprà de alijs hypotheticis monuimus n. 84. in fine.

96 3. Igitur juxta plures alios (& est sententia communis Thomistarum, & plurium è Nostris, quam docet D. Thomas 1. 2. q. 8. ar. 3., & q. 12. art. 4., & satis clarè supponit P. Suarez loc. cit.), ideò conclusio est per se talis, & essentialiter illata, quia reflectitur in objectum præmissarum, ita ut in hoc syllogismo v. g., *Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, conclusio mentalis intrinsecè sibi proponat pro ratione assentiendi præjudicatam extremorum identitatem cum medio, reddatque in mente sensum hunc, *Petrus est animal, quia est homo, & omnis homo est animal*; quem sensum, aut tendentiam quasi causalem, denotat particula *ergo* in syllogismo vocali. Sed hęc etiam opinio difficultates patitur. Solet enim contrà objici 1., quòd, si vera esset, ex præmissis categoricis non inferretur conclusio categorica, sed hypothetica, nempe causalis. 2., quòd medium necessariò repetendum esset in conclusione, contra regulas Summularum. 3., quòd nunquam posset (contra easdem regulas) sequi verum ex falso: nam in hoc syllogismo, *Omnis lapis est animal, Omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal*, conclusio erit falsa, si reddat hunc sensum, *Omnis homo est animal, quia est lapis, & lapis est animal*. 4., quòd conclusio non indigebit præmissis, siquidem ipsa sibi proponit motivum assentiendi; hac enim ex causâ propositio per se nota, sive immediata, prioribus alijs non indiget: ergo tantum abest ut conclusio evadat per se talis ex attingentiâ objecti præmissarum, ut potiùs oppositum inde sequatur.

97 Nihilominùs dicendum videtur, conclusionem intrinsecè attingere præmissarum objectum, tamquam motivum, seu rationem assentiendi objecto suo. Nam, dum objectum conclusionis non est suadibile, nisi per medium ipsi extrinsecum, ut in

syllogismo de paritate assensorum n. 93., & similibus aliis; si conclusio non attingit intrinsecè tale medium, erit assensus sine ullâ ratione assentiendi sibi propositâ, vel à se attractâ. Hoc autem, præter dicta n. 95., ex eo convincitur falsitatis, quòd conclusio est actus proprius & characteristicus virtutis discursivę ut talis, in quâ præcipuè stat rationalitas hominis: debet igitur esse actus maximè rationalis. At quomodò maximè rationalis erit, si nullam videns rationem judicandi, nihilominùs ferat sententiam de objecto? Necesse est igitur, ut conclusiones illiusmodi per se attingant objectum præmissarum. Idem autem putandum de cæteris in quacumque materiâ. Tum quia similem habent tendendi modum, ut experimur. Tum quia vel in utrisque, vel in neutris militant argumenta contraria. Tum quia omnis conclusio assentitur propter objectum præmissarum, ut connexum cum veritate conclusionis objectivæ, ita ut sine illâ non adsit pro tali actu sufficiens & adæquata ratio assentiendi; alioqui, si sola veritas objecti illati sufficeret, jam conclusio non esset propositio mediata, sed immediata. Debet autem omnis conclusio, ut sit actus propriè rationalis, percipere rationem assentiendi, non qualemcumque, sed sufficientem.

98 Non tamen necesse est, ut conclusio sit formaliter hypothetica, sive causalis, nec ut explicitè habeat tendentiam illam, *Petrus est animal, quia est homo, & omnis homo est animal.* Tum quia tendentiam hanc (licèt non repugnet, haberique possit interdum ex imperio voluntatis) regulariter non experimur. Tum quia ratio affirmandi non debet explicitè affirmari per assensum, quem objectivè determinat, licèt ab eo attingatur. Patet hoc in assensu propositionis immediatę ac per se notæ, v. g. hujus, *Totum est majus suâ parte*; qui assensus pro ratione affirmandi habet immediatam extremorum convenientiam ex terminis claram, & eam sine dubio respicit intrinsecè; nec tamen ipsam, ut talem, explicitè affirmat, neque hanc tendentiam habet, *Totum est majus suâ parte, quia hoc immediatè patet ex terminis*; alioquin omnis immediata propositio esset hypothetica, & nulla categorica. Idem ergo censendum de assensu propositionis mediatæ: non enim est cur alter præ altero debeat explicitè affirmare motivum suum. Uterque tamen implicitè seu virtualiter illud affirmat, aut verum supponit, quatenùs sic afficit intellectum, ut hic interrogatus, cur assentiatur? statim rationem reddat per causalem reflexam. Eumdem sensum habet, quod alij dicunt, motivum affirmandi non semper affirmari *ut quod*, sed *ut quo*.

99 Quin immò necessarium non puto, ut conclusio expressè ac distinctè repetat objectum præmissarum, etiam sine affirmatione: non enim hanc repetitionem experimur utplurimùm. Experimur tamen modum tendendi præsuppositivum, aut allusivum ad præmissas: & allusionem hanc explicamus voculâ *ergo*, quæ idem valet, atque *hinc*, vel *idcircò*, vel *eapropter*, vel *hoc cùm ita sit*, & cui ex parte intellectûs correspondet perceptio illationis objectivę ut fundatę in objecto nunc præjudicato, repręsentando simul hoc objectum intuitu quodam simplici, & confuso, tametsi non vago, nec indefinito, sed contracto ad tale objectum ut præjudicatum hîc & nunc; ficut accidit in eo intuitu, quo visus confusè percipit sub luce modicâ objectum præsens. Is verò intuitus, cùm sit objecti ut nunc præjudicati, supponit ex modo tendendi formales etiam præmissas ut præsentes, in easque proinde reflectitur: non enim objectiva illatio objecti B. ex A. sufficit ad assensum absolutum circa B., nisi assensus iste vel affirmet, vel affirmatum supponat ac pro-

proponat objectum A., vel saltem percipiat ut per se notum. Hinc oritur, quòd conclusio sit essentialiter conclusio, seu judicium illatum, & propositio mediata: quia nimirùm essentialiter habet modum tendendi supponentem præmissas; nec movetur ex solis terminis objecti, quod affirmat, sed unicè vel simul ex motivo in præmissis asserto, & saltem ratione distincto, vel sub aliâ expressione proposito. Hinc etiam redditur conclusio essentialiter inseparabilis à præmissis, saltem si ex ijs efficienter oriatur (quod est valde probabile); secum enim identificat productionem sui, ut quævis alia cognitio in nostris principijs.

100 Cùm autem posteà sine præmissis iteratur assensus conclusionis, ut sæpe accidit; tunc assensus ille non est conclusio proprié, sed analogicè, quatenùs imitatur præhabitam conclusionem, tùm in objecto affirmato, tùm in motivo assentiendi; quia semper movetur ex objecto præjudicato in præmissis, quarum memoriam, saltem confusam, necessariò supponit; ideòque, si quis interrogetur de motivo talis assensûs, illicò repetet præmissas olim habitas: atque hæc imitatio sufficit, ut hujusmodi assensus procedat ab habitu, & specie conclusionis, & ut passim appelletur conclusio: differt tamen à conclusione propriè & strictè tali; quia non supponit præmissas actuales, nec in eas reflectitur ut præsentes, sed tantùm ut præteritas. Quòdsi nullatenùs ex earum memoriâ procedat, sed aliud motivum sibi proponat, aut illud ipsum non ut præjudicatum; nullo modo vocari poterit conclusio, nec ex habitu conclusionis orietur, licèt affirmet idem objectum.

101 Ex dictis facilè solvuntur objectiones n. 96. *Ad* 1.: conclusio, licèt intrinsecè attingat objectum præmissarum, non debet tendere modo hypothetico, sive causali, sed potest esse formaliter categorica, ut ostendimus. *Ad* 2.: Summularum regulæ satisfit, si medium non ingrediatur conclusionem *ut quod*, ideſt, ut objectum affirmatum, vel ut subjectum aut prædicatum affirmationis explicitæ; nec prohibetur ingredi *ut quo*, ideſt, ut ratio affirmandi, qualiter per vocalem *ergo* denotatur. *Ad* 3.: conclusio mentalis deducta ex præmissis falsis, semper est absolutè falsa propter falsum suppositum, seu propter implicitam & virtualem affirmationem motivi falsi; pariter que conclusio vocalis, prout continens particulam *ergo*. Utraque tamen potest explicitè affirmare objectum in se verum; atqueadeò, si spectetur ut affirmans objectum materiale, præscindendo à motivo, poterit vera dici: & in hoc sensu dicitur sequi verum ex falso; nempe quod sit verum ex alio capite, non ex vi consequentiæ, vel illationis. Ideò autem consequentia non dicitur à Summulistis vera, vel falsa, sed bona, vel mala, quia non cõtinet explicitam affirmationem motivi.

102 *Ad* 4.: ut propositio dicatur immediata, non sufficit quòd intrinsecè attingat motivum assentiendi, nisi motivum consistat in immediatâ convenientiâ terminorum, seu prædicati ad subjectum; alioquin immediata foret propositio hæc, *Pompejus victus est à Cæsare, quia sic narrant historici.* Motivum autem conclusionis syllogisticæ, vel est extrinsecum objecto illato, vel saltem ratione ita distinctum, ut vocari possit *medium*. Nec ex attingentiâ motivi definet conclusio indigere præmissis; cùm illud attingat, non utcumque, sed ut præjudicatum, cum reflexione in præmissas formales ut præsentes. Ad extremum adverte, non esse negandum generatim, quòd possit dari motivum purè extrinsecum, seu non terminativum illius actûs, ad quem

movere medio alio actu præcedente: id enim sæpe contingit in actibus imperatis voluntatis, & in humanis actionibus externis. Negandum tamen, quòd possit id contingere respectu actûs, qui nullum aliud attingat motivum seu formale objectum sibi sufficiens; præcipuè verò respectu assensûs discursivi, qui peculiari titulo debet esse rationalis intrinsecè, ac ratione sui. Quare præmissarum objectum respectu conclusionis & est objectum formale intrinsecum seu terminativum, & simul est motivum extrinsecum (licèt non pure), quatenùs mediis præmissis intellectum determinat ad conclusionem eliciendum.

## CAP. V.

### *DE VARIIS SPECIEBUS AUT proprietatibus Intellectionis.*

103 EXaminandâ superest varietas specierum aut proprietatum intellectionis, quę passim occurrit sub his nominibus, *cognitio abstractiva, intuitiva, quidditativa, comprehensiva, reflexiva, immediata, mediata, certa, evidens, & probabilis.* Circa discrimen cognitionis abstractivę ab intuitivâ, non parùm dissident Authores. Multi volunt, ut intuitiva sit, quęcumque fit per speciem propriam, & conceptum continet strictè proprium objecti (quæ dicatur *species propria*, quæ *aliena*, quique *conceptus strictè proprius*, vide supra disp. 6. n. 43., & disp. 7. n. 5.); abstractiva verò, quę fit per speciem alienam, ideòque non est conceptus strictè proprius, sed symbolicus, aut ænigmaticus. Hi teneantur concedere, cognitionem quamlibet objecti absentis, dummodò habeatur per speciem propriam, esse intuitivam, v. g. cognitionem nostram memorativam objecti sensibilis jam corrupti; similiterque intuitivam esse cognitionem coloris ut sic, aut albedinis ut sic: quod planè abhorret à recepto Scholarum usu. Alij alias explicationes tradunt. Quibus omissis, *rep.*

104 Affero ex communi Doctorum sensu, duo utrumvis horum requiri ad cognitionem intuitivam: 1., ut fiat per speciem propriam (idem valet, si fiat per immediatum influxum objecti, vel si Deus per se suppleat objecti aut speciei concursum); 2., ut feratur in objectum ut realiter præsens. Ratio: quia duo hæc necessaria sunt in intuitu oculari, ex cujus similitudine translatum est nomen *intuitionis* ad actum intellectûs. Idcircò intellectio intuitiva vocatur *visio*. Et hùc etiam alludit illud Apostoli 1. Cor. 13., *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*, quo textu docti Patres, & Theologi, beatificam intellectionem appellant *intuitivam*, & *visionem Dei*; quia per eam palàm & in aperto cernitur essentia Divina, perinde ac humana facies oculis patens: cognitionem autem de Deo, quam nunc habemus, vocant *ænigmaticam*; sicut & quamvis aliam per alienas species adquisitam. Ex defectu primi requisiti, nulla cognitio, quæ à propriâ specie non oritur, intuitiva est, tametsi repræsentet objectum ut existens & præsens, etiam evidenter (omnis cognitio intuitiva est evidens, sed non è converso); ut patet in cognitione, quâ Philosophus evidenter demonstrat, Deum esse, & ubique esse. Ex defectu secundi, nequit proprie intuitiva vocari cognitio, quę, licèt habeatur per speciem propriam, tamen vel objectum exprimit ut præteritum aut futurum, vel ab existentia præscindit, vel repræsentat universaliter, sive in communi.

105 *Objic.*: Divina cognitio de creaturis aliquando existentibus, intuitiva est, ideòque vocatur *scientia visionis*: & tamen repręsentat objecta etiam præterita, & futura, ut talia. *Resp.*: repræsentat quidem ut prętenta vel fu-

futura respectu nostrum, sed ut præsentia respectu Dei; quia eminentia Divinæ mentis simul respicit totam extensionem temporis, sicut visus nostri extensionem loci sub aspectum ponit: vel, ut ait D. Thomas 1. p. q. 14. ar. 9. quia intelligere Dei mensuratur æternitate, quæ sine successione existens, totum tempus comprehendit, ideoque *præsens intuitus Dei fertur in omne tempus, & in omnia, quæ sunt in quocumque tempore, sicut in subjecta sibi præsentialiter.* Sed hujus præsentialitatis explicatio ad Theologos attinet.

106 *Quæres*, an præter duo prædicta requiratur aliquid aliud ad cognitionem intuitivam? Ratio dubitandi: quia sæpe objectum absens, aut non existens, repræsentatur ut præsens, quasi oculis cerneretur, ut accidit præsertim in somnijs, & in insaniâ; nec tamen repræsentatio hujusmodi, licèt habeatur per speciem propriam in memoriâ servatam, videtur esse intuitiva. *Resp.* Multi concedunt, intuitivam esse cognitionem illam. Sed, quia communis doctrina est, cognitionem intuitivam non posse naturaliter elici, vel conservari, sine objecto præsente, licèt possit divinitùs; dicendum videtur, ultra duo prædicta requiri specialem modum claritatis, ita certificantis intellectum de actuali existentiâ objecti, ut de eâ, quantùmvis attentus, sanus, & vigilans, dubitare nequeat; idque provenire, non tam ex claritatis intensione, quam ex modo, vel indolè peculiari. Hoc autem requisitum abest, cùm à phantasia insanâ vel somniante proponitur objectum absens ut præsens.

107 Unde colliges, ab intellectu nostro pro hoc statu nullum objectum intuitive cognosci cognitione directâ (ut excipiam actus nostros reflexè cognitos), nisi quando actualiter percipitur aliquo sensu externo: quia non nisi objecta sensibilia & sensati habemus pro cognitione directâ speciem propriam; & hæc, ut pariat cognitionem illâ speciali claritate prædictam, naturaliter pendet ab externa sensatione præsente, tanquam à conditione, sine quâ non conservatur, vel saltem non est proximè potens ad talem effectum. Hinc respectu intellectûs nostri, ut intuitivi, nullum objectum externum dicitur præsens, nisi actu sentiatur; quamvis respectu Angeli, vel animæ separatæ, dicatur pro intuitione præsens quidquid naturaliter existit quocumque in loco. Quare, si post conspectum in meridie Solem claudamus oculos, illicò cessat in intellectu cognitio intuitiva lucis, nec jam experimur in mente claritatem illam specialem, quæ nos certificat de luce præsente, quamvis adhuc de illa cognitionem habeamus per speciem propriam. Hæc lucem, quam cernis, non Solis esse, sed candelæ, quæ simul ac oculos claudis, te insciò extinguatur. Numquid adhuc mente intueberis lucem jam extinctam? Nec refert quòd in meridie clausis oculis non dubitemus de existentiâ lucis. Id enim provenit ex certitudine aliunde prævia de necessariâ permanentiâ Solis, non verò ex cognitione, quæ tunc procedit à recenti aspectu & specie lucis; talis quippe cognitio ex se non magis excludit dubium de subitâ extinctione Solis, quàm candelæ.

108 Denique sciendum ex doctrinâ communi, quòd intuitiva cognitio supernaturalis connectitur essentialiter cum præsentiâ objecti; quia, si seorsùm existeret, falsa esset, Deumque redderet authorem erroris. Quæ verò naturalis est, objecti præsentiam exigit naturaliter, & quidem immediatè ratione propriæ indolis ac tendentiæ, ut multi volunt; vel, ut alij censent (forsan probabilius), mediatè, seu ratione virtutis, à quâ oritur: in nobis enim oritur à specie, quæ indiget objecto præsente, vel ut conservetur, vel

fal-

ferem intuitivè operetur, ex dictis disp. 6. n. 54. & 55.: in Angelis verò vel fit per immediatum objecti concursum, vel per speciem, quę ab objecti existentiâ pendet, ut intuitionem pariat; cujus dependentiæ rationem dabunt Theologi.

109 Jam cognitio *abstractiva* erit, quæcumque caret aliquâ ex conditionibus prædictis (nomen *abstractiva* non sumitur hìc, ut in Logicâ, ex abstractione naturæ communis ab inferioribus, sed ex abstractione objecti a statu actualis existentiæ, vel præsentiæ): maximè verò, & quasi autonomasticè *abstractiva* dicitur, quæ per alienas species habetur: nam quę fit per proprias, vel in memoriâ servatas, vel à Deo inditas, multùm accedit ad intuitionem: & illa præsertim, quæ sine ullâ improprietatis aut confusionis umbrâ manifestat quidditatem objecti, cujusmodi est Divina scientia simplicis intelligentiæ, & quâ Beati cognoscunt in Deo purè possibilia: illa, inquam, licèt intuitiva non sit, non propriè vocabitur abstractiva, melìusque forsan dicetur esse tertij generis, aut purè quidditativa. Porrò ex cognitionibus propriè abstractivis aliæ sunt evidentes, aliæ inevidentes, & ex his aliæ certæ, ut actus Fidei, aliæ incertæ, ut actus opinionis. Et quoad claritatem, non omnis abstractiva exceditur ab omni intuitivâ: clariùs enim cognoscimus hoc principium, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, quàm objectum sensibile visu perceptum in magnâ distantiâ, vel sub luce maligná.

110 Cognitio *quidditativa*, spectatâ vi nominis, generatim vocari potest quæcumque cognitio quidditatis objecti, per quam respondetur interroganti, Quid est res? Unde omnis definitio mentalis, etiamsi per alienas species & negativos conceptus efformetur, appellari solet cognitio quidditativa. Ex communi tamen usu Doctorum non dicitur strictè quidditativa, nisi quæ nascitur à propriâ objecti specie (propriâ, inquam, vel formaliter, vel æquivalenter, aut eminenter), & insuper conceptu claro, proprio, & positivo distinctè penetrat prædicata rei essentialia usque ad ultimam differentiam. Quòdsi rem simul exprimat ut præsentem, intuitiva simul erit; si à statu existentiæ abstrahat, erit abstractiva, vel purè quidditativa, ex num. præced.. Hinc inferes 1., meritò displicere Thomistis & Nostris opinionem Scoti, quòd scilicèt dari possit species propria & cognitio quidditativa Dei, quæ non sit intuitiva. Nequit enim Deus quidditativè cognosci, quin cognoscatur indubitatè ut existens & præsens: cognitioni autem sic exprimenti Deum per speciem propriam, nihil deesse potest, ut sit intuitio. Vid. P. Suar. disp. 30. Met. s. 11. n. 22.. Aliud est in creaturis; quarum essentia, cùm non sit necessariò existens, potest quidditativè cognosci sine intuitione; sic enim à Deo noscuntur purè possibilia.

111 Inferes 2., non posse nos pro hoc statu quidditativè cognoscere objecta, quorum non habemus speciem propriam, seu conceptum strictè proprium. Quæ sint hęc objecta, vide suprà disp. 7. à n. 5. ad 9.. Inferes 3., non omnem speciem propriâ sufficere ad cognitionem quidditativâ: quia non omnis fœcunda est cognitionis distinctè penetrantis constitutiva seu prædicata rei essentialia conceptu claro, proprio, ac positivo. Patet hoc in quavis specie objecti per se sensibilis: cognoscimus enim colorem, sonum, &c., per speciem propriam, & intuitivam: nec tamen hæc species parit cognitionem strictè quidditativam, quâ scilicèt distinctè penetretur quidditas rerum istarum modo dicto: aliòquin non tantoperè disputaretur, in quo consistat color, sonus, odor, &c.? nec

Aris-

Aristoteles desinivisse calorem, & frigus, per effectus & indicia valde remota. Quare sæpe fiat species propria & cognitio intuitiva cum impotentiâ cognoscendi quidditative idem objectum. Certè brutum per propriam speciem & intuitionem cognoscit objecta sensibilia, discernitque unum ab alio; cum tamen ea quidditativè noscere non valeat. Unde colliges, nullum objectum (nisi fortè prædicata simplicissima & transcendentalia) pro hoc statu à nobis cognosci quidditative in sensu stricto; siquidem ne illa quidem objecta, quorum species habemus proprias, hoc pacto cognoscimus. Adeò caliginosus est mortalis vitæ status.

112 Cognitio *comprehensiva*, seu comprehensio intellectualis, interdùm sumitur pro visione beatificâ, quatenùs hæc veluti prehendit ac tenet ultimum finem, quò tendimus, juxta illud Apostoli 1. Cor. 9., *Sic currite, ut comprehendatis*, & Philipp. 3., *Sequar autem, si quo modo comprehendam*. Sumitur nempe comprehensio, ut opposita infecutioni, seu viæ: unde Beati, quia jam obtento termino viatores esse desinunt, vocantur *comprehensores*. In præsenti non sic accipitur, sed prout sonat cognitionem objecto adæquatam, seu penitùs commensuratam in repræsentando, quâ scilicet totum objectum totaliter cognoscatur, juxta illud Magni Augustini epist. 112. c. 8., *Aliud est videre, aliud totum videndo comprehendere:.. totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil illius lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt*. Quæ acceptio desumpta est ex analogiâ corporalis comprehensionis: dicitur enim unum corpus ab altero comprehendi, quando ab eo undequaque ambitur, aut circumdatur. De comprehensione sic acceptâ differunt ex professo Theologi. Et omnes quidem consentiunt, Deum esse incomprehensibilem ab intellectu creato comprehendere tamen semetipsum, & cætera omnia cognoscibilia: conveniunt etiam, de conceptu comprehensionis esse, quòd sit notitia clara, certa, evidens, & quidditativa; quia est omnium, quæ objecto respondent, perfectissima. Sed in explicando, quid requiratur insuper ad comprehensionem propriè dictam, vel in quo sit rejus commensuratio & adæquatio cum objecto, prolixè dissident.

113 Nam plurimi, præsertim ex Thomistis, & Nostris, ad comprehensionem requirunt cognitionem omnium, quæ in objecto continentur, non solùm formaliter, sed etiam virtualiter, aut eminenter (ita præsenti dicuntur contineri *formaliter* prædicata illa, quæ sub propriis conceptibus realiter conveniunt objecto; *virtualiter* autem, aut *eminenter*, effectus omnes à tali objecto producibiles), ita ut ex vi penetrationis objecti necessariò innotescat quidquid ab ejus virtute oriri potest. Alij, præsertim Scotistæ, censent, comprehensionem stare posse, quàvis non innotescant virtualiter contenta in objecto. Alij dicunt sufficere, quòd comprehensio arrogat omnes objecti effectus possibiles in communi, vel secundùm rationem formalem, sub qua tendit virtus objecti. Alij cognitionem exigunt omnium effectuum in particulari, saltem quoad speciem; sed excipiunt effectus obedientialiter producibiles. Præterea dissidium est, an ad comprehensionem sufficiat distinctè cognoscere quidquid est in objecto formaliter, & virtualiter, aut eminenter, cum expressione omnium terminorum connexionis, & effectuum omnium quoad individuum? Plures affirmant; & idcircò censent, ex cognitione omnium possibilium in Omnipotentiâ necessariò sequi Omnipotentiæ comprehensionem. Plures alij negant, quia censent fieri posse, ut talis cognitio non adæquet cognoscibi-

li-

plicatam intrinsecum objecti, ac proinde ut sit possibilis alia cognitio perfectior, & objecti meritò non excedens, quæ, licet nihil novum in objecto detegat, clarius tamen, & modo perfectiore cognoscat illud ipsum, quod altera detegebat.

114 Pro instituto præsenti dicendum puto, aliam esse comprehensionem stricte talem, seu penitus exactam, & numeris omnibus absolutam; aliam verò vulgarem, seu minùs exactam, aut latè dictam. Comprehensio primi generis debet distinctè cognoscere, non solùm quidquid est formaliter in objecto (hoc omnes fatentur), sed etiam in particulari & quoad individuum effectus omnes in ejus virtute contentos, omnesque terminos, quibus ipsum intrinsecè connectitur. Ratio est 1.: quia Divina cognitio hoc modo cognoscit quidquid in Deo est; nec tamen supercomprehendit Deum, sed tantùm exactè comprehendit: ergo cognitio hujusmodi pertinet ad comprehensionem penitùs exactam. 2. quia nequit res exactè comprehendi, nisi omnes ejus connexiones & habitudines intrinsecæ cognoscantur expresse ut tales; sic enim postulat conceptus comprehensionis, ut scilicet omnia, quæ realiter identificantur cum objecto, sub proprijs expressionibus cognoscantur; implicitè namque, vel indistinctè, per quamlibet objecti cognitionem attinguntur. Sed nequeunt cognosci connexiones & habitudines ut tales, incognitis terminis, ut est manifestum. Debent ergo terminis simul cognosci, & quidem in individuo: si cum ipsis in individuo connectatur objectum, qualiter connectitur virtus causæ cujuslibet, etiam obedientialiter activa, cum suis effectibus ut possibilibus, ex dictis in Physic. tract. 2. disp. 7.

115 Confirmatur hoc ipsum: quia, ut comprehendatur Sol v. g., debent omnia illius intrinseca prædicata cognosci formaliter: ut taliter non falsebitur illud Augustini, *Utrumvis illorum latere videretur*: prædicatum enim, quod non cognoscitur ut tale, dicitur latere, seu ignorari, ut patet in animali procul visto, de quo ignoramus, an sit rationale, vel irrationale. Sed connexio cum possibilitate cujuslibet individuæ lucis à se producibilis, est prædicatum intrinsecum Solis: debet ergo connexio ista cognosci formaliter ut talis, quod fieri nequit, incognitâ hac ipsâ individuâ. Præterea, comprehensio Solis debet totam ejus cognoscibilitatem exhaurire: sed Sol est cognoscibilis conceptu ipsum expresse comparante cum omnibus & singulis effectibus, quos continet: ergo &c. Profectò illud comprehenditur, cujus fines circumscribuntur, ut suprà nos docuit Augustinus: & *tunc fines alicujus circumscribuntur, quando ad finem in modo cognoscendi illum res perveniunt*, ut explicat D. Thomas 1. p. q. 12. ar. 7. ad 2. Non perveniunt autem ad finem in modo cognoscendi, quando res potest adhuc novo modo cognosci, nempe sub expressâ comparatione ad omnes & singulos ejus effectus, aut terminos connexionis.

116 Si hinc inferas, à nullo intellectu creato posse omninò exactè comprehendi Solem v. g., cùm infiniti sint effectus individui, quos posset successivè aut divisivè producere, immò cùm Sol, & quævis alia creatura, immediatè connectatur cum omnibus aut ferè omnibus possibilibus, ut in Physicâ diximus: concedo sequelam cum P. Hurtado, & alijs, saltem de intellectu creato naturaliter operante, quidquid sit de supernaturaliter elevato, quem multi tam probabiliter putant posse distinctè cognoscere infinita objecta. An autem præcisa cognitio connexionum omnium objecti, non solùm requiratur, sed etiam sufficiat ad comprehensionem stricte talem? Theologi disputabunt: & mihi valde proba-

bi-

bilis est sententia negans, explicata n. 114. in fine, supposito (quod in quæstione illa supponendum est) posse intellectum creatum per lumen supernaturale distinctè cognoscere simul possibilia omnia. Si quæras, cur Deus dicatur non purè comprehendere creaturas, sed supercomprehendere? *Resp.*: quia comprehendit illas claritate infinitâ simpliciter, quæ superat omnem comprehensionem creatam: vel quia cognoscit, non solùm quidquid necessariò convenit creaturæ cuique, sed etiam quidquid ipsi convenit contingenter, nempe citra identitatem, & connexionem.

117 Jam comprehensio, secundi generis, nempe vulgaris, & latè dicta, quæ sola convenit naturaliter uni creaturæ respectu alterius, est cognitio intensivè adæquans totam objecti cognoscibilitatem motivam, seu specificativam; id est, totam vim, quâ pollet objectum, ut in suo genere causet cognitionē sui vel per se immediatè, vel per speciem propriam; vel saltem ut illam specificet extrinsecè tamquàm mensura perfectionis ejus. Cognitio hujusmodi sufficit, ut objectum verè dicatur cognosci totum, & totaliter: quia, licèt non contineat omnem expressionem, sub quâ potest cognosci objectum, est tamen summa & perfectissima omnium, quas potest objectum ex proprijs meritis causare, vel specificare. Sic intellectus, cùm ad objectum attendit quam maximè potest, seu totis viribus, dicitur totus & totaliter attendere, quàmvis non eliciat omnem actum, quo posset divisivè respicere idem aut aliud objectum. Et hoc eodem exemplo patet, quo sensu dicatur cognitio comprehensiva exhaurire totam cognoscibilitatem objecti. Nec requiritur adæquatio vel commensuratio in esse entis; cùm possit objectum substantiale cognitione accidentali comprehendi: sufficit adæquatio in esse effectûs objectivè causabilis in intellectu idoneo ad cooperandum juxta merita objecti, videlicet in intellectu, qui vel sit objecto superior, vel saltem æqualis. Unde, juxta communem doctrinam, Angelus comprehendit animam rationalem, & superior Angelus inferiorem, non è converso.

118 Hæc ipsa cognitio rationē istius adæquationis est plena & exacta æstimatio, judiciumve judicium de valore & perfectione ei cognitæ: habet enim res quæque meritum seu vim specificandi cognitionem, quâ tanti æstimetur, quanti est. Et hinc ex effectibus, aut terminis connexionis objecti, eos tantùm cognoscere debet comprehensor, quorum notitia necessaria est ad plenam objecti æstimationem, & eo duntaxat modo, quo necessaria est. Quare non debet distinctè cognoscere effectus obedientialiter producibiles ab objecto: quia virtus obedientialis non addit peculiarem perfectionem supra virtutem naturalem: nec perfectio supernaturalium effectuum tribuitur virtuti elevatæ, sed causæ elevanti. Satis ergo erit, si comprehensor cognoscat, tale objectum posse à Deo elevari ad omnia, quæ non implicent contradictionem, quacumque illa sint. Nec item debet distinctè cognoscere omnes & singulos naturales effectus, quos potest objectum successivè aut divisivè producere: sed sufficit, quòd clarè cognoscat, qualis & quanta perfectio, & sub quâ ratione, possit ab hoc objecto communicari suis effectibus uno quasi partu adæquato: sic enim æquivalenter cognoscuntur cæteri effectus divisivè producibiles, & fixum judicium fertur de quantitate & indole perfectionis objecti.

119 Quinimmò, ut comprehendatur intellectus humanus v.g., non opus est distinctè cognoscere omnes species actuum ab eo naturaliter producibilium, quatenus ex objecto de-

sumptas. Sat enim erit cognoscere varietatem actuum specificam, quæ sumitur ex modo tendendi, & quæ non abit in infinitum: item quantum perfectionis velut ex propriâ penu communicare valet potentia, dum operatur naturaliter summo conatu: ac demùm sphæram ejus objectivam esse rationem entis in communi, sub eâque variari posse consequèter species actuum pro infinitâ varietate objectorum. Ratio est: quia non alia cognitio est necessaria, ut perfectio intellectûs humani pro meritis æstimetur: cognito enim posse ab hoc intellectu tali modo ac perfectione seu perspicacitate cognosci quodlibet ens, parùm aut nihil æstimatio crescit ex eo, quòd in particulari sciatur posse ab illo cognosci ens A., ens B., &c.. Eâdem ratione constat, non debere distinctè cognosci possibilia omnia, etiamsi cum eis connectatur intellectus humanus vel propter ordinem cognoscitivi ad cognoscibile, vel propter generalem titulum elevabilitatis ad quodlibet.

120. Porrò de comprehensione sic explicatâ non impropriè verificatur, quòd rem ita videt, *ut nihil illius lateat videntem*, scilicet nihil, cujus expressio necessaria sit ad justam rei æstimationem: verificatur item, quòd rei *fines circumspicit*, scilicèt fines æstimabilitatis. Si forté inferas, comprehensione vulgari, prout à nobis expositâ, Deum etiam à Beatis comprehendi. *Neg. Consequ.*: quia, licèt visio beatifica detegat omnia, quæ detegenda diximus ex parte objecti; attamen ex parte sui caret eâ intensivâ & specificâ perfectione, quam ad comprehensionem poposcimus n. 117., scilicèt quâ perfectè respondeat objecto secundùm totam ejus vim motivam, aut specificativam; Deus enim est objectum naturaliter specificans cognitionem simpliciter infinitam. Sed de comprehensione jam satis.

121. Cognitio *reflexiva* in præsenti dicitur, quæ semetipsam pro objecto habet, seu quæ in se reflectitur signatè. De cognitione istâ quæritur, an sit, aut esse possit? Impossibilem esse, censuere Nominales. Ex adverso nonnulli cum Spinulâ censent, omnem cognitionem necessariò reflecti signatè & expressè in semetipsam. Communis sententia tenet, non omnem cognitionem in se reflecti; impossibilem tamen haud esse, quæ se ipsam pro objecto habeat. Prior pars experientiâ patet: quia sæpè cogitamus varijs de rebus, nec tamen reflexè advertimus, nos cogitare. Nulla præterea ratio necessariam probat reflexionem ejusmodi, ut mox patebit. Pars etiam posterior facilè suadetur. Nam inprimis, quòd possit cognitio se ipsam confusè attingere simul cum alijs, constat in his conceptibus, *omnis cognitio*, *omnis actus intellectûs*, & similibus. Deinde, quòd etiam clarè in se reflecti possit, suadetur exemplo Divinæ cognitionis, quæ sui ipsius clarissima cognitio est: item paritate reflexionis confusæ, modò dictæ, in quâ instantur argumenta contraria. Si quæras, an possit cognitio ita in se reflecti, ut non aliud objectum à se realiter distinctum habeat? Affirmandum puto, dummodò non sit pura cognitio, sed realiter identificet secum perfectiones alias, quarum sit manifestatio, quemadmodùm cognitio Divina secum identificat perfectiones & attributa Dei.

122. *Objic.* contra prim. partem 1.: cuivis cognoscenti manifestum est se cognoscere: unde quilibet rogatus, an cognoscat? confestim asserit, quod signo est, omnem cognitionem esse manifestationem sui. 2.: actio, unio, vel ubicatio cujusque rei, necessariò est sui ipsius productio, unio, vel ubicatio: ergo pariter &c.. *Resp. ad 1.*: quævis cognitio se ipsam manifestat, non signatè, sed exercitè, quatenùs ab in-

tel-

reflexu excludit omne dubium de sui existendâ, simulque producit & conservat speciem sui experimentalem; quę, si excitetur interrogatione, vel aliter, sine morâ causat cognitionem reflexam de existentiâ directæ. *ad 2 neg. Consequ.*: nam ideò verum est Antecedens, quia necesse est, ut omnis actio producatur, omnis unio uniatur, & omnis ubicatio sit alicubi; & aliunde, si daretur actio actionis, &c., sequeretur processus in infinitum. At unde probas, necessarium esse, ut omnis cognitio reflexè cognoscatur? Adde, quòd, si valet exemplum actionis, &c., judicium negativum erit negatio sui, & odium erit odium sui.

123 Contra secund. partem obic.: cognitio refertur ad objectum, & ab eo causatur, estque tendentia in ipsum, ut in terminum: nequit autem ad se referri, nec à se causari, nec in se tendere. *Resp.*: relatio & causalitas, aut tendentia ista locum habet in cognitione, quam aliunde constet distingui realiter ab objecto; non verò generatim in omni cognitione possibili, quasi pertineat ad cōceptū cognitionis ut sic: nā cognitio Divina pro priori originis ad Verbū non attingit objectum à se realiter distinctum, in sententiâ probabili negante Verbum procedere ex cognitione possibilium; quam sententiam nemo impugnat ex eo, quòd sine objecto distincto nō salvetur cognitio verè talis. Quare, sicut non omnis actio physica est tendentia seu relatio ad terminum, sed ea tantummodò, quam à termino distinctam esse constiterit; ita &c.. Pariter dicitur, cognoscens & cognitum invicem referri: & tamen idem intellectus potest esse cognitus à semetipso. Sed notandum, quòd species, à quâ oriretur cognitio sine objecto realiter distincto, producenda esset à solo Deo, nec posset ab objecto causari. Neque id novum est; cùm species, per quam Angelus cognoscit lapidem, à solo Deo sit producibilis, juxta doctrinam valde communem.

124 De cognitione *immediatâ*, *mediatâ*, *certâ*, *evidente*, & *probabili*, relegenda sunt, quæ diximus in Logic. tract. ult. disp. 2. cap. 1. & 3. Nunc pro terminorum intelligentiâ notandum 1., evidentiam & intuitionem non converti mutuò, licèt utrumque nomen à claritate visionis externæ derivetur: omnis quidem intuitiva cognitio est certa & evidens; sed non è converso: nam certò & evidenter cognoscimus Deum existere, quem non intuemur. Notandum 2., cognitionem mediatam non sic appellari, quòd non immediatè terminetur ad objectum; sed quia indiget aliquo medio seu motivo, ut illud attingat; vel quia ad illud cognoscendum determinatur ab alio objecto, vel ab ejus penetratione. Quòdsi objectum determinans aut movens debeat esse præcognitum alio actu distincto, dicetur *medium ex quo*, dabiturque cognitio *unius ex alio*, ut accidit in discursu: si verò cognoscatur eodem actu non alium supponente, vocabitur *medium in quo*, & tunc sine discursu dabitur cognitio *unius in alio*, ut accidit cùm Angelus cognoscit effectus in causis, vel cùm Beatus futura quædam aut possibilia videt in Verbo.

125 Notandum 3., cognitionem abstractivam, quæ fit per alienas species, quàmvis interdùm assentiatur objecto ex terminis, tamen appellari mediatam ratione speciei, à qua oritur, & quę non est immediatè instituta ad hoc objectum repræsentandum. Ob rationem contrariam immediata vocatur cognitio habita per speciem propriam. Et hæc eadem, præsertim si quidditativa sit, dicitur cognoscere objectum *sicuti est*, vel *prout est in se*, id est, non *instar alterius*, sicut illa, quæ per alienam speciem habetur. Non tamen idem sonat cognoscere objectum *in se*, ac *prout est in se*: nam Beatus cognoscit in

Verbo (per ſpeciem eminenter propriam) creaturam A. *prout eſt in ſe*; nec tamen cognoſcit illam *in ſe*, ſed *in alio*, juxta dicta in *Not.* 2.. Illud itaque *in ſe* cognoſci dicitur, cujus cognitio non ſpecificatur à medio extrinſeco, ſed in ſolâ nititur cognoſcibilitate intrinſecâ objecti ipſius. Unde intelliges, quo ſenſu diſputetur à Theologis, an poſſibilia cognoſcantur à Deo, non ſolùm in Omnipotentiâ, ſed etiam in ſe ipſis?

## CAP. VI.

### *AN SCIENTIA, FIDES, ET OPINIO conjungi poſſint in eodem intellectu circa idem objectum?*

126 QUÆSTIO hæc in præſenti diſputari ſolet poſt explicatam evidentiam, certitudinem, & probabilitatem cognitionis. Procedit autem de eodem objecto materiali, ex diverſis motivis affirmabili; v. g. de immortalitate animæ, vel de exiſtentiâ Dei: hoc enim objectum cognoſcere & affirmare poſſumus, diviſivè ſaltem, tribus actibus ex motivo diverſo; quorum alius ſit fidei ſupernaturalis; quia nixus revelatione Dei; alius evidens, aut ſcientificus, quia nixus argumento evidenti, ſeu demonſtrativo; alius probabilis, aut opinativus, quia nixus argumento aliquo, gravi quidem, ſed non convincenti. Quæritur ergo, an tres iſti actus cohærere ſimul poſſint in uno intellectu? Negant Thomiſtæ, etiam de potentiâ Dei abſolutâ. Et eorum princeps fundamentum eſt, quòd fides importet obſcuritatem, ſcientia ſeu evidentia claritatem: ergo inter ſe pugnant, ſicut lux & tenebræ. Item, opinio importet incertitudinem & formidinem falſitatis, fides & evidentia certitudinem: nequit autem ullo modo ſociari certitudo & incertitudo circa idem.

127 Affirmant nihilominùs poſt Magn. Albertum, D. Bonaventur., Durand., & veteres alios, Authores noſtri communiter, & meritò. Nam Philoſophus ethnicus, ſi poſt adquiſitam naturali diſcurſu notitiam evidentem de exiſtentiâ & attributis Dei, convertatur ad Fidem, poteſt & debet fide Divinâ credere Dei exiſtentiam, & attributa, juxta illud Apoſtoli Hebr. 11., *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt &c.*: tunc autem fidem cum evidentiâ conjunget. Si dicas, ſapientem illum non poſſe fide credere, Deum eſſe. Contrà eſt 1., quòd Apoſtolus ſine limitatione loquitur de accedente ad Deum: & ejus verba intelligit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. de fide propriè talli. 2., quòd exiſtentiam Dei amare poteſt ille ſapiens amore ſupernaturali & meritorio, qui utique per fidem regulari debet. 3., quòd alioquì deterioris eſſet conditionis, quam idiota, qui majore nobiliorèque certitudine cognoſcit veritatem hanc: nec poſſet in Symbolo dicere, *Credo in unum Deum factorem Cœli, & Terræ* 4., quòd indè ſequitur, nec Deiparam potuiſſe fide credere, ſe ſine viro concepiſſe, ſine dolore peperiſſe, cruci adhæſiſſe, plurâque alia, quæ naturali evidentiâ noverat: unde certiores nos eſſemus de objectis hujuſmodi, quam Deipara ipſa; cùm certitudo fidei major ſit, quam evidentiæ naturalis.

128 Nec rurſùm dicas, poſſe quidem ſapientem illum fide credere, ſed non niſi ceſſando ab aſſenſu ſcientifico. Nam rurſùm impugnaberis 1., quia, dum tali ſapienti credenda propònitur exiſtentia Dei, neceſſariò excitantur, vel ſaltem excitari poſſunt ſpecies evidentes ejuſdem objecti aliàs ſcientificè noti; quibus excitatis, nequit aſſenſus evidens cohiberi. 2. quia habitus ſcientificus non debet ceſſare, nec minui per adventum fidei: alioquì pariter ceſſaret, aut minueretur habitus per adventum alius aut habitus

ſcien-

scientifici ; & totam fidem habitualem amitterent Christiani, dum per argumenta philosophica scientiam adquirunt de Dei existentiâ & attributis: totam, inquam, amitterent; quia fides habitualis eadem est pro omnibus fidei articulis, nec potest decrescere, quin amittatur tota, ut Theologis notum est. Sequelam autem quis devoret? Non igitur cessare debet actus scientiæ per actum fidei. Patet *Consequ.*: nam, ubi habitus nullatenus opponuntur, nec se invicem excludunt, minuunt, aut remittunt, quantumcumque crescant; nulla est insociabilitas vel oppositio inter actus, ut constat inductione perpetua. Et verò, si actus scientiæ & fidei essent oppositi, Christianus eximiè doctus magnam sentiret difficultatem in actu fidei eliciendo; quia per habitum scientiæ vehementem sentiret inclinationem ad actum oppositum: quod tamen experientiæ planè repugnat. Eodem argumento probatur cohærentia opinionis cum scientiâ, & fide: non enim assensus fidei, vel scientiæ, vim enervat argumenti probabilis pro eodem objecto, nec habitum opinandi destruit, aut minuit: nil quippe frequentius, quàm ut habitualiter parati simus obrationes probabiles assentiri objecto, cujus scientiam aut fidem aliunde habemus.

179. Præterea (ut omittam brevitatis ergo plura alia satis ingeniosa, quæ affert P. Quiros Philosoph. disp. 36. sect. 2. & 3.) suadetur hæc sententia destruendo fundamentum contrariæ. Nam fides dicitur obscura, non quòd sit formalis carentia seu privatio lucis intellectualis in subjecto; est enim *quasi lucerna lucens in caliginoso loco* (2. Petri 1.), & lumen, quo lux vera Christus *illuminat omnem hominem* (Joann. 1.): sed quia est manifestatio positiva non secum identificans claritatem scientiæ propriam, vel non illam participàs ex motivo revelationis. Ut summum ergo dici poterit negativè vel exclusivè scientificæ claritatis à se ipsâ, vel ab identitate sui; sed non ab intellectu: sicut albedo est exclusio dulcedinis ab identitate secum, sed non à subjecto, in quo est. Similiter opinio sumpta quoad substantiam assensûs probabilis (quo sensu nunc sumitur), non est incertitudo privativa, sed positiva, ideoque actus positivè excludens à se certitudinem, vel non illam trahens à motivo probabili, quin ab intellectu excludat aliunde venientem. Nec item ex se formidinem importat, nisi aptitudinalem seu permissivam, quatenùs ex proprio merito, vel ex vi motivi probabilis, non tollit, sed permittit in intellectu formidinem formalem, sive actualem, id est, apprehensionem, timorem, aut judicium reflexum de periculo falsitatis; quin ideò prohibeat formidinem illam excludi per alium actum. Sic albedo nigredinem ex se permittit in subjecto suo: cohæret tamen cum aliâ formâ nigredinem excludente, nempe cum albedine.

180. Datis igitur simul circa idem objectum actibus fidei, scientiæ, & opinionis, intellectus illum cognoscet clarè, & obscurè, certè, & incerte (licèt sine formidine formali), sed cum hoc addito, *per diversos actus, & motiva diversa*. Nec magis hoc repugnare videtur ex vi terminorum, quàm quòd voluntas, complacentiæ simplicis superadditæ amorem efficacem, ac ineffi-caciter simul & ineffi-caciter circa objectum: vel quòd intellectus, apprehensioni superadditus judicium, cognoscat rem eamdem suspensivè simul & assertivè: vel quòd rem videns in seipsâ, & in alio (ut Beatus, qui seipsum videt tum in se, tum in Verbo), cognoscat illam immediatè simul & mediatè: vel etiam quòd anima Christi D. objecta plurima, quæ immediatè cognoscebat per scientiam infusam, & per visionem beatam, simul per scien-

tiam

nam adæquatam abstractivè cognoverit. Non tamen de intellectu, cui bus illis actibus instructo, verificabitur absolutè & sine addito, quòd cognoscit clarè, & non cognoscit clarè, vel quòd certò, & non certò; sed tantùm quòd absolutè cognoscit certò & clarè, simulque non clarè, nec certò secundùm quid, nempe secundùm vim cujusdam actûs, aut motivi. Ratio: quia, positiva denominatio verè affirmatur absolutè, dummodò subjecto conveniat ab omni formâ, tametsi non ab omnibus, quæ subjecto insunt: contrà verò, ut absolutè negetur, opus est ut à nullâ formâ proveniat; quia negatio est naturæ malignantis, ut ajunt. Sic ignis, tametsi non sit lucidus per calorem, & siccitatem, verè dicitur lucidus absolutè; falsò autem, absolutè non lucidus. Sic etiam falsò dixeris absolutè, quòd intellectus simul apprehendens & judicans, aut abstractivè simul & intuitivè cognoscens, judicat & non judicat, aut intuetur & non intuetur objectum; & sic de aliis.

131 Ex dictis infertes 1., fidem conjungi posse cum actu evidente, non solùm abstractivo, sed etiam intuitivo ejusdem objecti; ut patet in fide Virginis Deiparæ de quibusdam objectis, ex n. 127. Quòd autem non detur Fides in Beatis, ideò est, quia cessat finis, ad quem ex Divinâ ordinatione destinatur hæc virtus; destinatur enim ad dirigendum statum viatorum, tendentiumque per merita in beatitudinem: vel etiam quia visio beata clarissimè detegit motiva, quibus nititur fides supernaturalis, ac proinde tollit obscuritatem, quam requirit fides ex parte motivi: quæ ratio locum habet, si fides cohærere nequeat cum evidentiâ in attestante, ut fert sententia communis. Sed contra illationem *objicies* qui videt objectum, fluxè credet illud propter testimonium alterius. *Dist.*: si testimonium sit humanum, *transeat*; si Divinum, *neg.*: quia prudenter credet, tum ut obsequium præstet auctoritati Dei, tum ut majorem adquirat certitudinem; certior enim est fides Deo prælita, quàm evidentia ocularis. *Instabit*: fides, utpotè cognitio abstractiva, tendit in objectum ut absens, intuitio, in objectum ut præsens: repugnat autem idem objectum cognosci simul ut præsens & absens. *Resp.*: cognitio abstractiva dicitur tendere in absens, quatenus ex genere suo non requirit præsentiam objecti. De cætero non est dubium, quin per fidem cognoscamus Deum ut immensum, adeoque ut nobis præsentissimum.

132 Inferes 1., illud Pauli ad Hebr. 11., *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, pluraque Patrum testimonia dicentium, fidem debere esse de non apparentibus, seu non visis, intelligenda esse de non clarè apparentibus aut visis per actum ipsum credendi, vel ex vi motivi revelationis, nec obstare, quominus eadem objecta simul appareant per alios actus, aliavè motiva. Sic abstractiva cognitio debet esse de non intuitivè apparentibus; & cognitio immediata, de non apparentibus in alio: & tamen objectum abstractivè cognitum, vel immediatè, potest per alios actus apparere simul intuitivè, vel in alio, ex dictis n. 130. Adde, quòd, etiamsi Paulus loqueretur de non apparentibus absolutè, non ideò intelligendus esset de fide quoad conceptum essentialem, vel quoad omnes actus: similiter enim ait, fidem esse rerum sperandarum; & tamen per plures actus fidei credimus res non sperandas, v. g. ignem Inferni, creationem Mundi, diluvium Noeticum, peccatum Adami, & Luciferi. Sicut ergò ad veritatem illius textûs quoad primam partem, sufficit quòd fides defacto verè sit de rebus sperandis, licèt non solis, nec necessariis ad ejus conceptum essentialem; ita, ut

verus sit idem textus quoad secundam partem, satis est quòd fides de facto vere sit de non apparentibus, tametsi non solis, &c.: de facto namque nobis proponit non apparentia, ideſt, non visa; cujusmodi sunt Divina omnia: multa quòque non apparentia, ideſt, non abstractivè scita seu evidentia, ut Trinitatem, Incarnationem, Eucharistiam, & reliqua mysteria supernaturalia.

133. Sed *objicies*: actus fidei debet esse liber & meritorius: ergo cõjungi nequit cum evidentiâ, præsertim intuitivâ, quæ intellectum necessitat ad assentiendum. *Confirm.* ex verbis Christi Domini Joan. 20., *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt*: ubi apertè supponitur, fidem cum visione conjunctam carere merito. Huc etiam pertinet illud Magni Gregorij homil. 26. in Evang., *Non fides habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Ad *object.*, nego *Consequ.*: quia, licet evidentia necessitet ad assentiendum ex motivo evidenti, non tamen ad assentiendum ex motivo fidei, nempe *quia Deus revelavit*: qui enim ob argumentum demonstrativum assentitur immortalitati animæ v. g., potest nolle veritati huic assentiri ob revelationem Dei. Quinimmò, etiàsi unus & simplex assensus ex utroque motivo cõiperetur, adhuc liber & meritorius esse posset: nam, licet motivum evidens necessitet ad assensum aliquem, non tamen ad talem assensum, qui simultatur motivo fidei, & qui proinde liberè conciperetur, etiam in conspectu motivi evidentis.

134. Ad *Confirm.*: Thomas Apostolus fidem habuit de objecto, quod vidit, ut ostendit P. Suar. disp. 3. de Fid. sect. 9., utque supponit verbum, *credidisti*. Quia tamen evidentia seu visio minuit difficultatem credendi, atque adeò meritum, quamvis non illud omninò tollat; idcirco minùs à Domino commendatur fides Thomæ, quam eorum, qui non viderant. Cùm autem Patres dicunt, Thomam aliud vidisse, aliud credidisse, non negant credidisse veritatem corporis Christi, quod vidit, sed admonent, ulteriùs credidisse majori cum merito Divinitatem, quam non videbat. D. Gregorij sententia locum habet, quando fides non nititur Divino testimonio, tamquàm motivo ex se sufficienti, sed in auxilium advocat securitatis gratiâ rationem humanâ, aut experimentum, quo deficiente, non acquiesceret intellectus: quæ est interpretatio D. Bonaventuræ. Notandum hîc, quòd, licet fides de facto sit libera & meritoria, non tamen est de communi & essentiali conceptu fidei libertas & meritum; sicuti non est de communi conceptu charitatis, cùm hęc in Beatis non sit meritoria. Item, nec erit de communi fidei conceptu obscuritas aut inevidentia proprij motivi, si dari potest actus fidei cum evidentiâ in attestante, ut multi probabiliter censent. Dari evidentiam in attestante, est evidenter cognosci, non solùm quòd Deus est infallibilis & summè verax, sed etiam quòd revelaverit talè objectum. Sed quæstionem hanc Theologis disputandam relinquimus.

135. Infertes 3., fidem ex conjunctione cum assensu probabili, specificativè sumpto, non reddi formidolosam, aut conjungibilem cum formali seu actuali formidine falsitatis quàm vis enim assensus probabilis ex se non excludat formidinem, non tamen illam necessariò infert: passim quippe habetur judicium probabile, immò & erroneum, sine ullâ formidine actuali. Dixi, *specificativè sumpto*, seu quoad solam tantùm assensûs directi: quia, si assensus iste sumatur reduplicativè ut conjunctus cum formidine, sicut sæpe sumitur, præsertim sub nomine *opinionis*, non conaretur cum alio assensu certo, sive scientiæ, sive fidei superaturus.

Ad

Atque ita sumitur ab Aristotele l. 1. Poster. ad finem, & a D. Thomâ 2. 2. q. 1. ar. 5. ad 2. ubi negant, posse conjungi opinionem cum scientia de objecto eodem. Quare ipse D. Thomas 3. Part. q. 9. ar. 3. ad 2. dicerè docet, cognitionem opinativam, quæ habetur per signa probabilia, conarcte posse cum scientia demonstrativâ ejusdem objecti, unde sequitur, quòd talis cognitio separari potest ab omni dubitatione, seu formidine; consequenterque non pugnet cum certitudine fidei. Difficilius explicabatur S. Doctor, dum 2. 2. q. 1. ar. 4. & 5. negat, fidem esse posse de objecto visto, vel scito. Sed inprimis non agit de potentiâ Dei absolutâ. Deinde forsitan loquitur de objecto, quod ex pondere motivi sit creditum & scitum; vel de actu fidei, qui simul sit visio vel scientia: vel sumit fidem reduplicativè ut conjunctam cum certitudine evidentiæ in intellectu: quæ conjunctio, quamvis non necessaria, regulariter accidit. Exemplum habes in acceptione opinionis apud D. Thomam, de quo nuper.

*An possit doctrina eadem extendi ad simplicem actum?*

136 Dubium superest, an repugnet simplex aut indivisibilis assensus, qui simul sit fidei, scientiæ, & opinionis, eo quòd eidem materiali objecto assentiatur ob ejus motiva, ex se & in actu primo sufficientia, videlicet ob testimonium Dei, ab argumentum evidens, & ob rationem probabilem? Quòd repugnet, satis videtur colligi ex D. Thomâ ubi nuper, tenetque expressè P. Suar. d. 3. de Fid. s. 9. Quòd non repugnet, sententia est inter alios è Nostris valde communis, nec parùm probabilis: &, cùm sermo sit de potentiâ Dei absolutâ, hæc sententia videtur præferenda. Quia inprimis non repugnat eumdem assensum concipi ex pluribus motivis, quorum quodlibet hîc & nunc proponatur ut sufficiens ad assentiendum: experientiâ enim constat, sæpe nos assentiri sententiis philosophicis, tum ob multiplicem rationem directam, tum ob authoritatem sapientum: voluntas quòque sæpe cibum amat, & quia dulcis est, & quia salubris, & quia oblatus ab amico. Deinde motiva fidei, scientiæ, & opinionis, possunt eidem intellectui simul objici, simulque attingi distinctis actibus, ut ostendimus. Et aliunde, quàmvis eodem actu attingantur, non est cur in ipsum refundant prædicata opposita.

137 Nam motivum fidei, tametsi non refundatur in actum circa objectum materiale claritatem scientiæ propriam, nec motivum probabile certitudinem, non ideò prohibet illam ex alio motivo participari ab eodem actu; qui actus eo ipso erit absolutè & positivè clarus, & certus circa suum materiale objectum: nec erit præcisivè obscurus, aut incertus, quatenùs, si consideretur formaliter ut ortus ex motivo fidei, a claritate præscindit, & formaliter ut ortus ex motivo probabili, à certitudine; vel quatenùs ab utrâlibet præscindit secundum conceptum communem, in quo convenit cum actibus puræ fidei, vel puræ opinionis. Exemplis res patescet. Intellectus, aut voluntas, licèt non refundat supernaturalitatem in actum, non illam prohibet ab alio principio refundi; nec debet refundere naturalitatem positivam, sed merè præcisivam, quatenùs actus, prout est à potentiâ, præscindit à supernaturalitate, quam nec excludit, nec exigit. Similiter materiale phantasma nõ communicat speciei intelligibili materialitatem pluriquàm præcisivam. Et sic de alijs.

138 Quapropter, dum actus non est puræ fidei, sed simul scientiæ, & opinionis, erit quidem adhuc obscurus circa motivum Divinæ revelationis,

(quod

quod supponitur inevidens, siquidem nunc de evidentia in attestante non agitur); eritque simul clarus circa motivum scientificum: erit item incertus circa motivum probabile, vel circa connexionem ejus cum objecto materiali; simulque certus erit circa motiva fidei, & scientiæ. Quæ in re nihil incommodi; quia claritas & obscuritas, ideoque evidentia & inevidentia, ut etiam certitudo & incertitudo, respectu diversorum non repugnant in eodem actu. At respectu objecti materialis, v. g. immortalitatis animæ, non obscurus, nec incertus erit, sed absolutè clarus, & certus: nam ad hoc satis est quòd pro tali objecto claritatem accipiat sufficientem per unam quasi fenestram, tametsi non accipiat per omnes: item, quòd certitudinem habeat per fundamentum unum, aut duplex, quàmvis non per aliud superabundans. Fides pure talis simpliciter obscura est, & pura opinio simpliciter incerta: secùs verò, quæ ultrà conceptum fidei, vel opinionis, secum identificat conceptum alium. Sic anima pure vegetativa est materialis, & purè sensitiva mortalis: quæ verò ita est vegetativa, & sensitiva, ut ulteriùs identificet sibi rationalitatem, nec materialis est, nec mortalis.

139 Negant aliqui, actum, quo de loquimur, fore propriè fidem. Sed immeritò: quia de conceptu fidei ut sic, solùm est assentiri objecto propter auctoritatem Dei revelantis, tamquam propter motivum sufficiens ad reddendum sine formidine credibile objectum revelatum: sic autem assentiretur ille actus, quàmvis alios insuper haberet conceptus. Quare, sicut anima humana, quia verè est principium nutritionis, in quo stat conceptus animæ vegetativæ ut sic, propriè vegetativa est, licet alias insuper habeat perfectiones; ita &c.. Nec actus ille desineret esse supernaturalis, cùm verè penderet à supernaturali principio, tametsi partiali. Ubi adverte, quo sensu evidentia auctoritas foret tunc motivum partiale, vel inadæquatum: videlicet, quatenus non ab eo solo motivo specificaretur assensus ille mixtæ speciei, vel non ad solum attingeret; minimè verò quia per talem assensum assumeretur ut insufficiens ad reddendum objectum simpliciter credibile, vel quasi non satis per se suasivum sine adminiculo alterius motivi: non enim talis assensus, prout nunc defenditur, assumeret motiva fidei & scientiæ, quasi motivum unum integrantia, sed quasi disparate se habentia, nec mutuo auxilio indigentia, ut objectum materiale reddant hic & nunc judicabile. Singula igitur assumeret ut apta suadere, licet abesset alterum; vel unumquodque ut per se dignum assensu suo in solidum, ubi voluntas mallet utrumque complecti unico assensu. Sic ille, cui proponitur ambulario ut jucunda, ut salubris, & ut à Superiore præcepta, potest apud se dicere: Video singula hæc motiva esse sufficientias & quia talia sunt, propter hæc omnia volo ambulare.

140 Hinc facilè dilues, quod alij objiciunt, nempe assensum ex triplici motivo conceptum, de quo est sermo, non fore clarum, nec certum respectu objecti materialis: quia, sicut conclusio deducta ex alterâ præmissâ clarâ, & alterâ obscurâ, vel ex alterâ certâ, & alterâ probabili, sequitur partem debiliorem, & evadit absolutè obscura, vel probabilis; ita &c.. Negandæ est paritas: quia in syllogismo neutra ex præmissis, seu objectivis, seu formalibus, assumitur ut motivum per se sufficiens ad inferendum conclusionis objectum; sed assumitur utraque simul, prout integrans aut constituens motivum unicum, videlicet identitatem utriusque extremi cum medio; quia identitas non connectitur cum objecto conclusionis, nisi prout est utriusque. Proinde nihil mirum, si conclusio non evadat

dus evidens, nec certa, dum alterutra ex præmissis inevidens, aut incerta est: ex eo enim, quòd A. & B. sint eadem tertio, nequit certò & evidenter inferri, quòd sint eadem inter se, nisi certò & evidenter constet utrumque simul cum tali tertio identificari. At oppositum accidit in re nostrâ: nam motivum evidens per assensum apparet & assumitur ut per se connexum evidenter cum immortalitate animæ, similiterque motiva fidei & opinionis apparent & sumuntur singula ut satis per se suasiva ejusdem objecti: jam ergo assensus verè habet unde sumat evidentiam & certitudinem immortalitatis animæ, quamvis neutram sumat ex omni motivo, quod attingit.

141 Sed adhuc *objicies*: nequit eadem cognitio simul esse abstractiva & intuitiva circa idem objectum: sed cognitio fidei debet esse abstractiva: ergo nequit identificari cum evidenti & intuitivâ cognitione circa objectum idé. *Resp.* Totum ultrò admittimus: quia nobis in præsenti sufficit identificabilitas fidei cum evidentiâ meræ abstractivâ, qualis esse solet in scientiâ humanâ. Quare non cõtendimus, posse unum & eumdem actum esse fidem & intuitionem ejusdem objecti, v. g. essentiæ Divinæ: id enim esset contra omnes Doctores, teste P. Oviedo hic contro. 5. punct. 3. n. 20. Ratio esse potest: vel quia fides ex doctrinâ Patrum debet esse de objecto non viso; quod verificari oportet saltem de nõ viso per eumdem actum: vel quia cognitio fidei, utpotè habita per revelationẽ objecto extrinsecam, est cognitio illius objecti rigidè abstractiva, seu concepta per speciem non propriam, ac proinde distingui debet ab intuitione, quæ non nisi per speciem propriam concipitur. Si quæras, cur non possit idem actus concipi per speciem propriam, & nõ propriam, seu alienam? *Resp.*: quia censeri debet impossibile, saltem ob auctoritatem Sapientum, quòd idem objectum eodem actu cognoscatur *per speculum in ænigmate*, simulque videatur *facie ad faciem*, juxta phrasim Apostoli.

142 *Objicies* insuper: actus, qui simul foret scientia, fides, & opinio, constitutus esset in triplici specie: sed hoc non minùs repugnat, quam quòd eadem entitas simul sit homo, equus, & leo: ergo, &c.. Inprimis objectio infatuatur in specie impressâ vel cognitione Angeli, præsertim superioris, quæ simul repræsentare potest hominem, leonem, & equum: in actu contritionis, qui simul est amor Dei & odium peccati: in volitione jejunandi, quæ sæpè simul est obedientia & temperantia: in peccato, quod simul sit furtum & sacrilegium, vel contra justitiam & votum, ut sæpe accidit. Præterea non minùs est difficile, quòd eadem res pertineat ad diversa genera, quàm ad species diversas: & tamen eadem entitas est actio & passio: idem bonum potest esse simul honestum, utile, & delectabile: idem homo pertinet ad genera viventium intellectivi & sensitivi, quorum altero convenit cum Angelis, altero cum brutis: eadem visio beatifica convenit cum Gratiâ secundùm genus formæ supernaturalis, cum naturali scientiâ secundùm genus intellectionis, cum visione corporeâ secundùm genus cognitionis intuitivæ: & sic de alijs.

143 Negari ergo non potest, aliquos esse conceptus definitivè diversos, & in diversis classibus collocatos, qui tamen secundùm se, idèi, in genere, vel in specie subalternâ, licet sint inconnexi, non sunt oppositi, sed indifferentes potiùs, ut a parte rei invenientur vel identificari, vel distingui, prout fuerit ultima differentia, quâ cõtrahuntur ad speciem infimam: alios verò esse, qui oppositionem inter se dicunt, aut imbibunt; cujusmodi sunt substantia & accidens, materiale & immateriale, animatum & inanime, ratio-

tionale & irrationale, albedo & nigredo, (cùm altera visum congreget, altera disgreget), & plures alij, vel oppositi ex terminis, vel contracti cum exclusione *purè*, seu *tantùm*, qualis datur vel subintelligitur in conceptibus leonis & equi. Primi generis esse dicimus conceptus fidei, scientię, & opinionis; quia nihil urget in contrarium. Consequenter negamus, conceptum fidei ut sic (idem pura de scientiâ, & opinione) esse speciem infimam, seu atomam: est enim genus, aut species subalterna, indifferens ut contrahatur vel ad actum, qui *purè* sit fidei, vel ad actum, qui *simul* sit scientiæ; ita ut hic actus ab illo differat specificè per differentiam contractivam duorum aut trium generum: quæ differentia, vel sit unica innominata, vel, ut aliqui volunt, multiplex; de quo in Logicâ, ubi de Differentiâ.

144 Unde in formâ *dist. Maj.*: actus &c. constitutus esset in triplici specie infimâ, *neg.*; subalternâ, *subdist.*: in triplici specie ex ijs, quæ conceptus habent oppositos, *neg.*; ex ijs, quæ non habent, *cons. Maj.*: sed in hoc sensu *neg. Min.*; quia conceptus hominis, leonis, & equi, oppositionem habent ex dictis. *Instabis*: actus, ex triplici motivo conceptus, haberet tria specificativa: ergo hauriret species tres. *Resp.*: tres quidem hauriret subalternas, & ratione distinctas: at infimam non nisi unicam; quia in ordine ad hanc, motiva illa non essent specificativa totalia, sed partialia. Sic actio specificatur & à principio, & à termino: nec tamen est in duplici specie atomâ.

# DISPUT. IX.

## DE ACTIBUS VOLUNTATIS.

DE Voluntatis actibus multa jam diximus in superioribus: nimirùm quòd eorum quidditas physicè consistit in quodam veluti pondere vitali, spirituali, & elicito, quo voluntas vel inclinatur in bonum, vel à malo retrahitur: quòd hujusmodi pondus est qualitas secum identificans productionem & unionem sui ab animâ & cum animâ: quòd essentialiter pendet à cognitione objecti: & plura alia, quę modò repetere non oportet. Nonnulla tamen supersunt discussionis indiga, præcipuè verò libertas actuum voluntatis, notissima ipsorum prærogativa; de quâ nonnihil in præsenti dicemus, remissis alijs super eâ quæstionibus ad Theologiam, ubi per otium disputantur.

### CAP. I.

### *QUID SIT LIBERTAS PROPRIA Voluntatis?*

LIBERTAS, quatenùs nomen est à verbo *libero* defumptum, tot modis dicitur, quot solutio, seu liberatio, vel immunitas, à vinculo, vel obligatione, aut subjectione aliquâ: unde est libertas à servitute, à captivitate, à miseriâ, ab obligatione legis, &c.. Quoad præsens, alia est libertas *à coactione*, alia *à necessitate*. Libertas à coactione reperitur in actibus sponte seu absque violentiâ habitis à voluntate, etiamsi necessariò habeantur. Sic amor beatificus necessarius est; & tamen spontaneus: neque enim beatus Deum amat coactus, aut invitus. Hac etiam libertate gaudet in Divinis productio Spiritûs Sancti, & amor es-

sencialis, quo se Deus diligit, summà quidem necessitate, sed procul ab omni violentiâ & coactione. Libertas à necessitate, quæ & *libertas indifferentiæ* dicitur, convenit actibus, quos voluntas habet sub potestate non habendi. Hæc libertas, ex parte voluntatis spectata, vocatur *liberum arbitrium*, definiturque, *Potentia*, seu *Facultas*, *quæ*, *positis omnibus prærequisitis ad operandum*, *potest operari*, *& non operari*: non ita, ut possit actum cum ejus omissione cõjungere, sed ita, ut, postquam plenè instructa est omnibus ad operandum necessariis, adhuc in ejus arbitrio sit positum, vel operari, vel ab operando abstinere: unde dicitur potestas dominativa, seu dominium habens operationis. Hæc ipsa potestas, cùm est indifferens ad actus contrarios, ut ad amorem & odium ejusdem objecti, vocatur *libertas contrarietatis*, vel *specificationis*, vel *quoad specificationem*: dum verò tantùm est aut consideratur ut indifferens ad actum & omissionem ejus, appellatur *libertas contradictionis*, vel *exercitij*, vel *quoad exercitium*.

2. Libertas indifferentiæ, seu à necessitate, sola est, quæ propriè & absolutè venit nomine *libertatis* præsentiarum: sufficitque, & omninò requiritur ad imputationem, sive ad meritum, & demeritum humanorum actuum; ut tenent Catholici omnes, maximè postquàm ab Innocentio X. damnata est, ut hæretica, tertia Jansenij propositio his terminis concepta: *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*. Dari verò in hominibus libertatem hujusmodi, certius & evidentius est, quàm ut in controversiam vocari mereatur, quid quid delirent contra propriam conscientiam & experientiam hæretici hujus temporis, quos asserit impugnatos invenies apud Cardinal. Bellarminum lib. 3. de grat. & liber. arbitr. & alios Scriptores Polemicos. Eamdem veritatem philosophicè demonstrat Exim. Doctor disp. 19. Met. sect. 2. Ibi quòque ostendit Eximius, quòd facultas libera creata debet esse activa. Et sect. 3. sapienter discutit in tribus plici sensu quæstionem illam, inter Thomistas & Scotistas agitari solitam, An stare posset libertas creata, si Deus ageret sine libertate, seu ex necessitate naturæ? Ostendit etiam sect. 5. quòd sola voluntas, non intellectus, aut alia potentia, libertatem habet. Et sect. 9. efficaciter probat contra Nominales, quòd voluntas in ipso, quo operatur, instanti liberè agit, seu cum actuali potestate omittendi. Hæc omnia communiter sunt recepta.

3. Notandum verò, quòd libertas indifferentiæ supponit libertatem à coactione, & superaddit exclusionem necessitatis ex quocumque capite. A coactione, inquam, physicâ, seu quæ violentiam importat in sensu physico (juxta definitionem *violenti* Aristotelicam, *Quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim*, ideſt, non cooperante, nec exigente, sed renitente potiùs, ut alibi explicuimus): nam coactio, seu violentia vulgaris, aut moralis, qualis infertur per minas aut verbera, vel per alius persuasibilem dæmonstrationem, voluntatem relinquit simpliciter liberam quoad actus suos. Unde, qui metu mortis Fidem negat, utique peccat, quia liberè vult negare, tametsi quodammodò coactus, sicut sine aliquâ repugnantiâ vel renitentiâ propriæ voluntatis nauta quòque libere vult merces in mare projicere metu naufragij, licèt invitus: & sic de aliis. Ratio est, quia consensus voluntatis non est tunc violentus in sensu physico, cùm verè sit ab intrinseco, & passum, ideſt, voluntas, verè vim conferat, nec ex alio capite necessitetur, ut suppono. Immò loquendo de coactione seu violentiâ physicâ, licèt hæc dari possit quoad ac-

actus facultatum inferiorum voluntatis imperio subditarum, cujusmodi sunt ambulare, loqui, &c., qui actus solùm *mediatè & imperativè* dicuntur voluntarij, & liberi; prorsùs tamen impossibilis est quoad actus voluntatis proprios (hi soli dicuntur *elicitivè* seu *immediatè* voluntarij, & liberi); quia, cùm actus illi secum identificent productionem sui à voluntate in nostris principijs, nullatenùs possunt *esse ab intrinseco, passo non conferente vim*. Unde scies, cur passim & verè dicatur, non posse, ne divinitùs quidem, voluntatem cogi, hoc est, per violentiam physicam adigi ad volendum: quod expressè docet D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 4. 5 & tenent etiam ij, qui amorem ab actione distinguunt; licèt non ita facilè rationem reddant.

4 Notandum item, quòd ferè idem est in actu voluntaris esse à coactione liberum, ac esse voluntarium. Definitur autem *voluntarium* ad mentem Aristotelis 3. Ethic. c. 1. 2, & ex doctrinâ D. Thomæ 1. 2. q. 6. art. 1. & 2., *Quod est à principio intrinseco cum cognitione finis*: quam definitionem explicant Theologi, latè differentes de voluntario. Nobis modò sufficiat observare 1., quòd nomine *finis* intelligitur objectum cognitum ut appetibile, cognitione scilicet, ex qua ratio reddi possit cur appetatur: cumque hujusmodi cognitio solius sit intellectûs, hinc voluntarium per se immediatè solis convenit actibus voluntatis, ut qui soli per se immediatè supponunt cognitionem intellectualem: brutorum verò actibus, qui spontanei dicuntur, solùm convenit analogicè, seu imperfectè, ut explicat D. Thomas cit. art. 2; quàmvis libertas à coactione propriè conveniat belluinis appetitionibus, & generatim quibusvis actibus vitæ intentionalis. Dixi, *per se immediatè*: quia mediatè & imperativè convenit etiam actibus aliarum potentiarum hominis, à voluntate determinatis: item objectivè convenit objectis volitis, etiamsi à volente non fiant, & etiamsi meræ fiant passiones ab extrinseco: generatim quippe voluntarium dicitur in sensu lato quidquid volenti accidit, vel voluntatis affectui conformatur.

5 2., quòd voluntarietas sit essentialis actibus voluntatis; cùm essentiale sit ipsis oriri à principio intrinseco, & supponere cognitionem finis: unde nec divinitùs fieri potest, ut voluntatis actus sit simpliciter involuntarius, nec ut homini accidat nisi volenti, saltem per actum ipsum; quàmvis secundùm quid involuntarius denominari possit ab aliquâ displicentiâ reflexâ, sicuti potest denominari coactus in sensu vulgari. 3., quòd voluntarium, strictè sumptum juxta definitionem allatam, non convertitur cum libero à necessitate, licèt convertatur cum libero à coactione, quatenùs ad voluntatem attinente. Ratio: quia cum necessitate stare potest quidquid requirit definitio voluntarij, ut patet exemplo amoris beatifici, & alijs n. 1. Sæpe tamen volitarium ample accipitur, etiam à doctis, pro libero à necessitate: sæpe quòque, pro spontaneo, quatenùs excludente omnem violentiam seu coactionem, etiam vulgarem, immò & obligationem legis, aut præcepti: quæ acceptiones notandæ sunt ad intelligentiam Doctorum.

6 Igitur libertas indifferentiæ, seu à necessitate (de quâ deinceps loquemur), ultra libertatem à coactione, & voluntarietatem, addit indifferentiam voluntatis ad actum eliciendum vel omittendum. Indifferentia tamen, voluntatis propria, non est mera conjungibilitas cum actu vel ejus omissione, determinabilis ab alio; qualis indifferentia convenit judicio indifferenti, & habituali: est indifferentia elicitiva, seu dominativa, quæ scilicet, ut plenè constituta, sit determinabilis à vo-

lun-

luntate ipsâ, & non ab alio. *Ipsa potentia voluntatis* (inquit D. Thomas in 2. d. 39. q. 1. ar. 1.), *quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quòd determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsâ voluntate.* Idcircò inter omnia, quę constituunt libertatem proximam, sola voluntas habet *dominium sui actûs*, ideſt, potestatem immediatam determinandi, ut existat, vel secùs. *Hoc* enim *dominium* (inquit Angelic. Doctor loc. cit. ar. 2.) *est in homine secundùm illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquod eorum determinatur nisi ex se ipsâ; quod totum voluntati convenit.*

7 Nec item indifferentia libertatis sonat æquilibrium, quasi voluntas non sit libera, nisi quando in actu primo non magis inclinat in unam, quàm in alteram partem contradictionis, aut contrarietatis: hinc enim absurdissimè sequeretur, voluntatem humanam ferè semper operari sine libertate, adeòque sine merito, ac demerito. Indifferentia igitur libertatis propria sonat necessitatis exclusionem; solùmque postulat, ut nihil positivum aut negativum adsit, quo voluntati reddatur inevitabilis, aut antecedenter necessaria, vel operatio, vel ejus omissio. Dico, *antecedenter*: quia sola necessitas antecedens obstat libertati. Quæ dicatur necessitas antecedens, quæ consequens, vide in Physic. tr. 2. disp. 8. cap. 5.; in quo multa observare poteris ad præsens spectantia. Quapropter debet voluntas habere actu vel in potestate omnia requisita ad operandum: quia, si aliquod desit, omissio erit necessaria. Debet item carere omni connexo infrustrabiliter cum operatione, quod ipsa nequeat ullo modo evitare, vel impedire; nam, si aliquod adsit, necessaria erit operatio. Profectò, in hoc maximè differt potentia libera à necessariâ, quòd prærequisita omnia, seu totum actum primum libertatis, plenamquè sufficientiam ad operandum, possit conjungere cum omissione operationis. Sed, ut hæc distinctiùs explicem, suppono, libertatem proximam & expeditam (quæ sola est simpliciter libertas indifferentię) non esse adæquate intrinsecam voluntati, seu non in voluntate sola consistere; alioquin infantes, aut lethargici, proximam libertatem haberent: quare solùm cum voluntate penitùs identificatur libertas remota, radicalis, aut aptitudinalis; quatenùs voluntas ex se apta est, ut certis comprincipijs aut conditionibus additis fiat proximè libera.

8 Ut ergo constituatur actus primus proximus libertatis creatę, requiritur 1. additio virtutis activæ, si voluntas ex se non sufficienter contineat perfectionem actûs. Quare ad actum supernaturalè opus est comprincipio supernaturalite: activo. Requiritur 2. ex parte intellectûs judicium indifferens (falsem virtuale), ideſt, cognitio judicativa, quæ ita proponat objectum, ut, licèt suadeat, non tamen irresistibiliter impellat ad ejus amorem (idem puta de odio), sed indifferenter conjungi possit cum amore, vel omissione amoris, pro arbitrio voluntatis; ex hac enim conjungibilitate vocatur *indifferens*, etiamsi magis inclinet in alterum extremum præ altero. Hoc judicium, ut constituat libertatem specificationis, seu contrarietatis, debet repræsentare, objectum simul esse bonum & malum in diverso genere, v. g esse honestum, sed tamen incommodum, vel esse delectabile, sed tamen turpe, aut salutinoxium. Non tamen est opus, ut hæc mistura boni & mali proponatur uno & eodem judicio: sufficit, si duplex adsit judicium, nempe attrahens, & retrahens, quorum altero appareat ratio boni, altero ratio mali.

9 Ut verò constituat libertatem puræ contradictionis, aut exercitij,

tij, debet judicium proponere bonitatem objecti sine mixtione mali, & insuper, juxta plures, molestiam aut difficultatem aliquam in actu amoris circa tale objectum. Hoc tamen posterius, juxta plures alios, non est necessarium; sed sufficit libertati exercitij, si judicium proponat puram bonitatem finitam, vel infinitam obscurè: nulla quippe finita bonitas, ut nec infinita obscurè proposita, necessariò rapit voluntatis amorem quoad exercitium; quod satis est contonum doctrinæ D. Thomæ 1. 2. q. 10. ar. 2. Si objicias, ad libertatem requiri cognitionem attrahentem, & retrahentem. Concedunt de libertate specificationis; negant verò de libertate exercitij, nisi sermo sit de retrahente negativè, ideèt, non insuperabiliter attrahente. Si dicas, motus primò primos ideò non esse liberos, quia objectum proponitur sine mixtione mali. Negant cautelem; putantque, in ijs motibus ideò libertatem deficere, quia confusa spirituum animalium commotio perturbat caput, efficitque, ut homo tantisper operetur instar ebrij.

10 Requiritur 3. Causa prima seu Omnipotentia paratà concurrere cum voluntate hominis, adeòque applicata per decretum Divinæ voluntatis: donec enim hujusmodi applicatio intelligatur, nequit intelligi voluntas humana simpliciter libera, nec absolutè potens pro arbitrio agere, vel imputabiliter non agere, ut satis ostendimus loco cit. Physicè; & per se patet: quomodò enim imputabitur homini, quòd non efficiat actum præceptum, Deo concurrere nolente? Debet autem applicari Omnipotentia per decretum indifferens, cujus indolem, seu tendentiam, explicatam habes in Physicâ cit. disp. 8. cap. 3: si enim decretum sit connexum cum determinato libertatis extremo, libertatem everteret. Hinc requiritur 4. carentia omnium impedimentorum inauferibilium per actum secundum, ac proinde omnium, inimpedibilium & infrustrabilium connexionum cum determinato extremo libertatis, quia qualibet ex his connexionibus impedimentum est alterius extremi. Necessitas requisiti hujus est clara: quia potestas libera debet esse expedita ad utrumque extremum, videlicet ad agere & non agere, vel ad actus contrarios: nequit autem sic expedita esse, si est ad alterutrum impedita, impedimento scilicet à se non auferibili. In idem recidit, quod alij dicunt, requiri carentiam omnis necessitatis antecedentis, seu omnis determinationis à voluntate inevitabilis: nam quævis necessitas aut determinatio talis ad unum extremum, procul dubiò est impedimentum extremi oppositi, voluntati non liberum. Et quomodò stabit *libertas à necessitate* cum necessitate antecedente? aut *libertas indifferentiæ* cum inevitabili determinatione?

11 Porrò impedimentum inauferibile per actum secundum dicitur illud, quod existit omninò independenter ab exercitio libertatis, etiam ut conditionatè prævisio; & jam existens, nequit ad voluntatis arbitrium removeri. Hujusmodi est physica prædeterminatio a Thomistis asserta. Dicitur verò impedimentum auferibile per actum secundum, id, cujus existentiam potest voluntas operando destruere, seu removere, vel præcavere, ne fit; vel etiam quod, licèt prius tempore, immò ab æterno existat, tamen non existit nisi cum attemperatione ad exercitium libertatis, aut ex suppositione illius ut futuri, aut prævisi, saltem conditionatè; & ideòcò potest à voluntate per exercitium oppositum ita impediri, ut nunquam extiterit. Sic ambulationis impedimentum est voluntaria sessio, nec non aër occupans spatium, quo eundem est amor etiam,

li-

libere positus, est impedimentum odij, & omissionis sui: sed hæc sunt impedimenta per actum secundum auferibilia; quia potest voluntas ambulando destruere felsionem, & removere acrem; potest etiam positionem amoris præcavere, ne fit, omittendo, vel odium eliciendo. Sic etiam Divina scientia visionis, vel Scientia media ut cunjuncta cum collatione absolutâ libertatis, item prædefinitio efficax per Scientiam mediam regulata, connectuntur infallibiliter cum determinato libertatis extremo, suntque proinde impedimenta extremi oppositi: sed sunt objectivè impedibilia à voluntate creatâ in statu absoluto constitutâ; non ita, ut hæc possit destruere vel frustrare cõnexionem eorum; sed ita, ut possit facere per subtractionem objecti, & positionem oppositi, ne illa exiterint ab æterno: quâ de re latiùs Theologi. Casentia igitur impedimentorum ejusmodi non debet intelligi ex parte actûs primi libertatis, sed tantùm præcisio ab eorum carentiâ & existentiâ. Debet tamen intelligi carentia impedimẽtorum inauferibilium, & quidem ut constitutivum actûs primi proximi libertatis; nisi fortè inter constitutiva reliqua invenias aliquod essentialiter cum carentiâ illâ connexum, quale videtur esse decretum indifferens.

12 Circa libertatem sic explicatam advertendum est, eam non adeò propriam esse voluntatis humanę, ut hæc non possit aliquos actus habere necessarios. De necessarijs quoad specificationem, seu non liberis libertate contrarietatis, res est perspicua. Sæpè enim objectâ apparet bonum sine misturâ mali, aut malum sine misturâ boni: quo in eventu non est voluntas indifferens ad amorem & odium. Unde circa bonum in communi, aut felicitatẽ in communi, voluntas non est libera quoad specificationem; ut passim asseritur cum D. Thomâ. De necessarijs etiam quoad exercitium, seu absque libertate contradictionis elicitis, exemplum est, non solùm in amore beatifico, qui necessarius est quoad exercitium, juxta sententiam receptissimam; verùm etiam in nonnullis actibus, quos voluntas elicit in statu viæ sub imperfecto vel perturbato usu rationis; ut accidit in pueris nondùm ratione utentibus, necnon in furiosis, amentibus, ebrijs, somniantibus. Aliqui tamen supponere videntur, in his omnibus nullum esse actum intellectûs, & consequenter nec voluntatis; solúmque ab ipsis more brutorum elici actûs phantasiæ, & appetitiones materiales: cui opinioni favere videtur D. Thomas 1. 2. q. 10. ar. 3.. Sed apertè reclamat experientia, præsertim in quibusdam amẽtibus, & somniantibus, qui sæpe de Deo, de Angelis, & alijs spiritualibus objectis cogitant, syllogismos interdùm formant, versus aptè componunt, variasque faciunt reflexiones à phantasiæ materialitate alienas. Et in somno quidem nonnumquam dari operationem intellectûs, agnoscit D. Thomas 1. p. q. 84. ar. 8. ad 2., & 2. 2. q. 154. ar. 5. ad 2. & 3..

13 Alij, quos citat P. Quiros disp. 88. sect. 2., agnoscunt in pueris & amẽtibus libertatem quamdam physicam, ideſt, circa objecta sensibilia, & bona corporis, aut naturæ animalis; non tamen libertatem moralem, ideſt, sufficientem ad mores bonos, aut pravos, sive ad meritum & demeritum (hanc libertatem nemo admittit absque usu rationis), quia scilicet ab ijs non percipitur ratio boni honesti, nec ratio mali à Deo prohibiti: cui sententiæ favet P. Suar. disp. 23. Met. sect. 7. n. 13.. Libertas ista physica non videtur à suis Authoribus extendi ad ebrios, & somniantes; cùm tamen in his eadem ratio militare videatur. Authores alij, quos citat & sequitur idem Quiros, nullam agnoscunt libertatem in prædictis omni-

nibus rationis usu destitutis. Et hoc videtur communius, & verius. Nam, si daretur in ijs libertas physica, absurdè sequitur dari quòque libertatem moralem: falsum quippe est, quòd non percipiant bonum honestum, aut malum oppositum; cùm amentes non rarò differant de vitijs & virtutibus, & alios hortentur ad honestè vivendum, aut à peccando deterreant, proposito timore Dei &c.. Somniantes etiam non rarò sibi proponunt objecta ut moraliter bona & præcepta, vel ut prohibita & peccaminola: & interdùm appetitui resistunt ex motivo honestatis; interdùm verò passioni turpi consentiunt non sine quodam conscientiæ remorsu ex apprehensione peccati. Unde solent in somno se prodere habitus virtutum, aut vitiorum, in vigiliâ adquisiti.

14 Nec tamen probo, quod aliqui dicùt, defectum libertatis in somno & amentiâ provenire, non ex defectu cognitionis, sed ex vehementiâ appetitûs sensitivi, quæ voluntatem necessitat. Nam, stante judicio rationis integro seu non perturbato, voluntas nunquam ex necessitate rapitur ab appetitu, saltem quoad actus efficaces, sed potest semper illi dominari, aut resistere; ut colligitur ex Genes. 4. v. 7.. Libertas igitur in somno, &c., ideò deficit, quia ex physicâ dispositione capitis turbatur phantasia, & consequenter impeditur *usus rationis*; quo nomine non significatur quilibet actus intellectûs, etiam judicativus, sed judicium *speciali modo* vividum ac firmum; qui modus pertinet ad judicium indifferens ut constitutivum libertatis; &, tametsi non facilis explicatu, satis dignoscitur experimentaliter; quisque enim experitur, se, dum è somno evigilat, quasi dissipatis ab intellectu nebulis, jam longè aliter percipere, discernere, ac judicare objecta, quæ dormienti occurrerant.

15 Cæterùm, stante judicio intellectûs satis vivido ac firmo, quale requiritur ad usum rationis propriè dictum, voluntas in statu viæ libertatè habet exercitij, seu contradictionis, quoad omnem actum, saltè efficacem. Hoc benè probat Eximius Doctor disp. 19. Met. sect. 8., & ostendit esse ad mentem D. Thomæ: docetque nominatim, quòd etiam circa bonum ut sic, aut felicitatem in communi, detur libertas quoad exercitium. Ibi quòque impugnat efficaciter opinionem dicentium, voluntatem non esse liberam in intentione finis, sed tantùm in electione mediorum. Et ibidem à n. 11. probat contra Cajetanum, & alios Thomistas, quòd primus actus hominis ratione utentis non debet esse necessarius quoad exercitium, immò nec semper quoad specificationem. Cùm autem dicitur voluntatem appetere naturaliter objecta quædam, tò *naturaliter* non excludit libertatem appetitûs elicitì; sed solùm significat, eum elici juxta propensionem innatam; quæ tamen propensio necessitatem volendi non infert.

16 *Quæritur* hic, an possit voluntati humanæ inferri necessitas, stante judicio indifferenti? Quòd non possit ab ullo agente creato, docent omnes cum D. Thomâ q. 22. de verit. ar. 9.. Quòd etiam à Deo non possit, tenent plures Thomistæ, quos citat & sequitur Joann. à S. Thomâ hîc q. 12. ar. 2.. Verùm hæc opinio meritò rejicitur à Scotistis, & Nostris, & ab alijs etiam Thomistis; satisque à nobis, licèt obiter, impugnata est in Physic. tr. 2. d. 8. c. 5. n. 25.. Sanè D. Thomas cit. q. 22. ar. 8., ubi ex professo probat posse voluntatê necessitari à Deo, ne verbo quidem meminit subtractionis judicij indifferentis (quę foret probatio facilis & compendiola, si vera esset), sed totam probationem desumit, tum ex eo, quòd operatio voluntatis immediatè pendet à Deo, sicut operatio naturalis; unde potest Deus in vo-

luntate operari, ſicut in naturâ, per decretum ſcilicet non indifferens, ſed connexum cum operatione determinatâ: tum etiam ex eo, quòd poteſt Deus voluntati imprimere formam aliquam, ſeu virtutem, neceſſariò connexam cum operatione, ſicut connectitur habitus charitatis omninò perfectus, qualis eſt in Beatis. Et notandum, quòd S. Doctor exemplum apponit in habitu charitatis, non in viſione beatificâ; ne ſcilicet deſtruat hypotheſim judicij indifferentis, in quâ procedit quæſtio præſens. Rogo te, quo ſenſu diſputet D. Thomas quæſtionem hanc (num Deus poſsit neceſsitatem inferre voluntati?), ſubtrahendonè judicium indifferens? an illud conſervando? Si primum dicas; ergo fruſtrà laborat D. Thomas in probando ſententiam affirmantem, cui nemo refragatur. Et cur tacitum præterit judicium illud? Si ſecundum; ergo Doctor Angelicus evidenter tradit ſententiam noſtram.

17 Duobus itaque modis, à D. Thomâ obſervatis, poteſt Deus neceſsitatem inferre voluntati, non detracto judicio indifferenti. 1. ratione decreti applicativi Omnipotentiæ ad concurſum ſimultaneum: quod decretum ſi Deus ſubtrahat, voluntas non manebit libera, cùm illi deſit prærequiſitum eſſentialiſsimum ad operandum: ſi verò decretum adhibeatur quidem, ſed omninò connexum cum determinatâ operatione, inſtar illius, quo Deus vult ſimultaneè concurrere cum cauſâ naturali, ſeu neceſſariâ; jam non erit in voluntate poteſtas omittendi, adeòque nec libertas; ſiquidem aderit impedimentum omiſsionis inauferibile, & inſuperabile. Dicere autem, quòd, poſito judicio indifferenti, neceſsitatur Deus ad non ſubtrahendum concurſum ſimultaneum, & ad illum parandum per decretum indifferens, planè derogat dominio & libertati Dei. 2. ratione alicujus virtutis aut qualitatis intrinſecæ, à cognitione diſtinctæ, & neceſſariò connexæ cum operatione: cujuſmodi eſt apud nos phyſica prædeterminatio Thomiſtica; & cujuſmodi effectiam apud ſuos patronos, ſi attineret ad actum primum, aut ſe haberet per modum virtutis. Idcircò magnoperè curant Thomiſtæ, ne prædeterminatio ſe teneat ex parte actûs primi, nec ſit virtus activa, ſeu applicatio, ut ita cohæreat cum libertate: quo planè ſupponunt, libertatem deſtrui poſſe ex alijs capitibus, quàm ex defectu judicij indifferentis.

## CAP. II.

### *AN LIBERTAS SIT INTRINSECA ET eſſentialis actibus voluntatis?*

18 HActenùs explicata eſt libertas in actu primo, quæ pertinet ad potentiam. Nunc explicanda venit libertas in actu ſecundo, quæ ſcilicet ſpectat ad operationem, ſeu exercitium potentiæ liberæ; nam operatio quòque libera dicitur, & eſt. Operationem eſſe liberam, nihil eſt aliud, quam liberè elici, hoc eſt, elici à potente illam omittere, ſeu non elicere. Quæſtionis tamen eſt, utrum hoc habeat operatio ſeu actio voluntatis per ſe & intrinſecè? an verò per denominationem extrinſecam, & ſeparabilem? Si operatio, ſpecificativè ſumpta, intrinſecè præſupponat totum actum primum libertatis, ſeu conſtitutiva omnia poteſtatis agendi & non agendi, ita ut quovis eorum deficiente non poſsit eadem actio exiſtere; habebit utique ex ſuis intrinſecis eſſe liberam, dicetur que libertas ipſi intrinſeca. Si verò ſolum ſit libera, quia hîc & nunc profluit à voluntate potente illam omittere, cùm tamen ex ſe potuerit eadem exiſtere in circumſtantijs, in quibus voluntas poteſtate omittendi careret, ac neceſſariò ageret; ſolum dicetur libera per denomi-

minationem extrinsecam à libertate actûs primi, quæ de facto supponitur, ita ut hæc denominatio, ac proinde libertas, actioni sit extrinseca, & accidentaria.

19 Sermo est, ut vides, de libertate indifferentiæ, seu à necessitate: nam libertas à coactione, & voluntarietas, sine dubio essentialis est actibus voluntatis, ex n. 31, & 51. Nec disputatur modò, an omnis actus volendi sit liber a necessitate? sed an liber differat essentialiter à necessario? vel an ille ipse, qui liber est, potuerit esse necessarius? Sermo item est præcipuè de actione apud eos, qui actum volendi ab actione distinguunt; nam in eâ maximè resplendet libertas in actu secundo: nos verò, qui distinctionem illam rejicimus, de actu & actione promiscuè loquemur.

20 Aliqui Thomistæ libertatem afferunt intrinsecam volitioni, non tamen essentialem, sed consistentem in modo quodam relationis amori v. g. superaddito, & inhærente, sine quo modo posset alias existere idem amor, & esse necessarius. Verùm hæc opinio rejicitur facile: tum ex dictis in Logicâ contra modos relationis prædicamentalis. Tum quia pro priori ad talem modum jam supponitur amor productus, & existens, siquidem ex eo resultat modus, & in eo recipitur ut in subjecto inhæsionis: vel ergo amor supponitur productus a voluntate potente illum omittere? vel à non potente? Si primum optes: ergo jam amor supponitur liberè positus, adeòque liber in actu secundo, pro priori ad modum superadditum. Si secundum: ergo modus amori superveniens nihil prodest: nullo quippe modo fieri potest, ut amor productus à voluntate non potente illum omittere, liber evadat.

21 Hac igitur opinione rejectâ, duplex est sententia principalis. Prima tenet, libertatem esse intrinsecam & essentialem omnibus actibus voluntatis, qui liberè sunt, adeò ut omninò repugnet eosdem unquam fieri necessariò. Hæc videtur communis Thomistarum, & placet PP. Hurtado, Quiros, Lynceo, & aliis, præsertim Recentioribus. Secunda negat, actus voluntatis, saltem ex generali conceptu libertatis in actu secundo, liberos esse per se & essentialiter; atque proinde, liberos esse per extrinsecam denominationem à libertate actûs primi, quâ cum ex se non connectuntur. Hanc tenent Scotistæ cum Scoto, & Nostri communiter cum P. Suar. in 1. 2. disp. 1. de voluntar. sect. 3. n. 18., & in Metaph. disp. 19. sect. 8. n. 6., & sect. 10. n. 4.. Hæc eadem sententia mihi verior est.

22 Et *probatur* 1.: potest intelligi, amorem v. g. liberum esse, non intellectâ in eo connexione vel exigentiâ essentiali cum potentia ut liberâ: ergo talis exigentia non est de conceptu libertatis in actu secundo. *Prob. Antec.*: præscindendo à tali exigentia, nullâvè illius mentione facta, potest concipi amor à voluntate positus in circumstantijs, in quibus voluntas ex parte actûs primi potestatem habeat omittendi: quid enim prohibet conceptum hujusmodi? Sed amor ita conceptus, eo ipso intelligitur esse liber: ergo &c.. Patet *Minor*: tum quia nihil est aliud amorem intelligi liberum, quàm intelligi elicitum cum potestate omittendi, seu elicitum à potentia liberâ in actu primo: tum quia eo ipso intelligitur quod sufficit, ut voluntas non necessariò, sed liberè amet, siquidem concipitur amare cum potestate non amandi. *Urgetur*: fac amorem ex se indifferentem esse, ut liberè vel necessariè fiat; hîc tamen & nunc fieri à potentia liberâ in actu primo. Talis amor certè liberè fiet: tum quia implicat in terminis, fieri a potentia libera in actu primo, & non liberè fieri: tum quia non fiet ne-

cessariè, sed potiùs cum positivâ necessitatis exclusione, seu carentiâ, quam essentialiter importat libertas in actu primo: tum quia, si amor ille fieret sine libertate in actu primo, necessariè fieret; ergo è converso &c.. Nec dicas, hypothesim repugnare. Nam amor ita ex se indifferens non alio ex capite repugnare potest, nisi quia talis indifferentia destruit conceptum amoris liberi, seu liberè facti. At oppositum nunc ostendimus, quòd scilicet, tali amoris indifferentiâ datâ, salvaretur adhuc amorem esse liberè factum, eo præcisè quòd fieret à potentiâ in actu primo liberâ.

23 *Confirmatur* exemplo actionum externarum, quę mediatè sunt liberæ. Ambulatio v. g. tametsi ex se indifferens, ut liberè vel necessariè fiat, absque ullâ intrinsecâ variatione sui evadit libera, si fiat ab homine cum potestate non ambulandi; evadit verò necessaria, si fiat à non habente potestatem hâc. Idem ergo de volitione sentiendum: nam, quod libertas mediata sit, vel immediata, non variat conceptum operationis liberæ ut sic, videlicet operationis habitæ cum potestate non habendi; quem conceptum stare posse cum prædictâ operationis indifferentiâ, convincit exemplum actionis externæ.

24 *Probatur 2.*: actio volitiva, liberè profluens à voluntate, potuit eadem existere, deficiente aliquo libertatis constitutivo: sed tunc non esset libera, sed necessaria: ergo talis actio ex se indifferens est, ut liberè vel necessariò fiat, ac proinde non est essentialiter libera. *Prob. Maj.*: volitio honesta, modo libera, eadem existere potuit, etiamsi Omnipotentia applicaretur per decretum, non indifferens, sed omninò connexum cum tali actione: sed tunc deficeret aliquod libertatis cõstitutivum, videlicet indifferens applicatio Omnipotentiæ: ergo &c.. *Prob. Maj.*: decretum applicativum Omnipotentiæ, quatenùs liberum, non est virtus activa (hęc virtus in Deo necessaria est, utpotè consistens in Omnipotentiâ, quæ sine dubio est attributum necessarium), sed est mera conditio, & applicatio virtutis: dum ergo solum variatur decretum, ita ut loco indifferentis adsit connexum, sola variatur applicatio virtutis, nullâ variatione factâ in virtute ipsâ, nec in cæteris comprincipijs. Atqui actio non debet intrinsecè variari pro solâ conditionis aut applicationis varietate, quando invariata permanent principia ipsius propriè influentia: ergo prędicta voluntatis actio potuit eadem esse sub decreto non indifferenti.

25 *Probat. Min. subsumpt.*: quia hoc est discrimen inter principia physicè seu propriè influentia, & meras conditiones, quòd à talibus principijs essentialiter pendet hæc numero actio; à conditionibus verò, seu applicationibus, licèt interdùm pendeat essentialiter, nunquàm tamen à talibus determinatè, sed solùm indeterminatè ab aliquibus ejusdem generis, quatenùs exigit, ut causa individua verè applicata sit in tali genere, sive per hanc, sive per illam applicationem, aut conditionem. Id quod perspicuum redditur exemplis obvijs. Sic enim actio externa, v. g. loquendi, vel ambulandi, eadem esse potest, à quocumque imperetur actu voluntatis, seu honesto, seu pravo, seu ex hoc, seu ex illo fine; quia nimirum actus voluntatis non est virtus activa, sed conditio, vel applicatio virtutis, ad talem actionem. Qua etiam ratione potest eadem esse actio naturæ cum hac vel illa subsistentiâ: eadem item actio ignis per hanc vel illam ubicationem applicati ad idem passum; ideòque actio ignis A. in lignum B. variari non debet, sive applicatus fiat Romę, sive Salmanticæ. Quod etiam valet in cognitione (si hæc non sit virtus, sed conditio ad actum voluntatis), cujus ya-

varietas non semper debet in volitionem refundi: dummodò enim objectum sit omninò idem, & sub eâdem ratione propositum, nec reddatur magis aut minus applicatum, poterit eâdem numero volitione amari, sive applicetur per cognitionem A., sive per B.

*Quæstio incidens, An actio essentialiter pendeat à prævijs conditionibus in individuo?*

26 Scio, PP. Peynado, Ulloa, & alios Recentiores, quibus præluxit P. Ribadeneyra disp. 11. de actib. hum. cap. 4., velle, ut quævis actio se ipsâ pendeat essentialiter à suis causis, non solùm physicis, sed moralibus, à quibus procedit hic & nunc. Cùmque inter causas morales computentur conditiones prævię, quibus ad operandum indiget causa physica, consequenter volunt hi Authores, ut quævis actio se ipsâ essentialiter alligata sit ijs conditionibus individuis, quę de facto præcedant. Fundamentum est: quia hæc actio, quæ supponitur de facto pendere ab his causis moralibus, aut conditionibus, vel est intrinsecè indifferens ut pendeat ab his prę alijs? vel non? Si non est: ergo seipsâ essentialiter pendet ab his determinatis. Si verò est indifferens; ejus indifferentia determinanda erit per actionem aliam reflexam: quę actio, si adhuc est indifferens, aliâ insuper determinatione indigebit, & sic ibitur in infinitum: si autem actio reflexa non est indifferens, cur non idem dicatur de directâ, ut evitetur actio actionis omninò superflua? Verùm opinio hæc videtur aliena prorsùs à communi Scholarum sensu: & nostra interest eam falsitatis cõvincere, tum propter dicta nuper, tum quia sæpè alias doctrinam oppositam indicavimus ut inconcussam.

27 Rejicienda est igitur 1.: quia nullum relinquit discrimen inter causam physicam, & moralem, aut puram conditionem, saltem quando hæc requirit physicam existentiam, & ex capite perfectionis entitativę non est inhabilis ad influendam physicè. Pone v. g., quod passim asseritur, habitum respectu amoris esse causam physicè activam, cognitionem verò nonnisi moralem, aut puram conditionem ex parte causæ requisitam. Si actio amandi essentialiter alligatur tam huic individuæ cognitioni, quàm huic habitui, cedo, quid muneris exercet habitus, ut physicè influere dicatur potiùs, quàm cognitio? Certè utraque causa præit physicè existens ex parte actûs primi: utraque sic influit, ut à se in individuo pendere faciat essentialiter actionem physicam, ut contendis: nec minor in cognitione, quàm in habitu, proportio perfectionis est respectu amoris: major etiam est correspondentia formalitatum: immò ex capite perfectionis nulla entitas excludenda est à munere virtutis partialis & instrumentariæ, si de sufficienti actionis dependentiâ constet. Quid ergo est discriminis? *Dices*, aliunde probari, quòd cognitio non influit physicè. *Fateor*: sed tu reipsâ oppositum admittis, dum in præsenti vis, ut cognitio, utique præexistens in actu primo cum præcontinentiâ perfectionis, amorem causet per actionem physicam essentialiter alligatam individuæ ipsi cognitioni. Cedo mihi notionem aliam causę physicè influẽtis. Quid aliud prǽstaret cognitio, si physicè influeret? Vel quid amplius in re donant cognitioni, qui tribuunt ipsi physicum influxum.

28 2.: quia ex hac opinione facile negari posset physicus Dei concursus simultaneus cum causis secundis, substituendo cõcursum purè moralem: argumenta enim, quæ contra Durandum afferuntur, solùm probant necessarium esse, ut omnis actio creaturæ immediatè ac ratione sui pendeat essentialiter à Deo; quod utique staret juxta

hanc

hanc opinionem, etiamsi Deus tantùm esset causa moralis, dum creatura physicè operatur. 3.: quia multa ex hac eadem opinione sequuntur absurda, vel certè receptissimæ doctrinæ contraria. *Sequitur* enim 1., quòd ambulatio, & quævis actio externa, dum imperatur volitione supernaturali, v. g. ob finem charitatis, evadit intrinsecè supernaturalis, utpotè alligata supernaturali principio, & ab eo essentialiter inseparabilis. Et, siquidem volitio non influit physicè, quænam erit virtus supernaturalis tunc physicè influens in ambulationem? Aliquod sanè auxilium, aliquem ve habitum infusum, oportebit in pedibus ponere: quia nihil supernaturale producitur sine causâ physicâ ejusdem ordinis. Quilibet item motus corporis, à voluntate imperatus, erit essentialiter voluntarius; immò essentialiter liber libertate mediatâ, si a volitione intrinsecè liberâ imperetur. Erit etiâ intrinsecè malus, & à Deo indeterminabilis, motus linguæ v. g., qui de facto imperatur ex vanâ gloriâ. *Sequitur* 2., quòd actio peccaminosa voluntatis, elicita sub prævia cognitione supernaturali (vide suprà disp. 7. n. 76.), erit intrinsecè supernaturalis, utpotè essentialiter connexa cum tali cognitione; ac proindè physicè producetur ab auxilio gratiæ, Deoque ut Authori tribuenda erit.

29 *Sequitur* 3., quòd omnis actio miraculosa, v. g. quâ visus cæco restituitur per miraculum, supernaturalis erit quoad subsistentiam, sive intrinsecè differens à naturali; cum alias habeat causas morales, alias vè conditiones, aut applicationes: quod quàm sit alienum à communi sensu Doctorum, vide in Physic. tr. 1. disp. 3. cap. 5.. *Sequitur* 4., quòd creatio animæ rationalis essentialiter pendet a tali materiâ, & ab ijs individuis accidentibus, quibus corpusculum proximè redditur animabile: hæc enim omnia sunt causæ morales, aut conditiones prævia, quæ dammodo determinates Deum ad creationem animæ hìc & nunc. At sequela illa & est per se absona, & ulterius infert, actionem conservativam animæ rationalis decursu vitæ humanæ essentialiter variari singulis fere momentis; cùm ferè in singulis mutetur aliquatenùs materia, & dispositio ejus. Saltem, dum separatur anima, necessariò indigebit creatione diversâ. Intimo neque Angelus, neque ulla res conservabitur eâdem actione, quâ primò producitur; quia in secundo instanti conservatur ad exigentiam sui ut præexistentis, adeòque jam actio supponit novam causam moralem.

30 *Sequitur* 5., quòd nemo poterit eâdem actione intelligere vel amare hìc, & Romæ, vel sedens, & stans: quia præsentia vel ubicatio animæ, quæ prærequiritur ut conditio ad operandum, diversa est in diverso loco vel situ corporis. Quin etiam necessariò variandæ erit unio animæ & corporis pro solâ variatione præsentiæ; cùm hæc etiam sit conditio ad causalitatem formalem, & materialem intrinsecam, per quam anima & corpus causant hominem in esse totius. Ob hanc etiam rationem, dum Angelus mutat locum, non poterit permanere in eâdem actione videndi & amandi Deum. *Sequitur* 6., quòd nec poterit Deus per eandem actionem externam dare gratiam, pluviam, sanitatem, &c., ad preces Petri, & ad preces Pauli. Mitto alia, quæ facile cuique in mentem venient.

31 Nec urget fundamentum, n. 26. allegatum. Potest namque aliter explicari moralis causalitas, seu dependentia physicæ actionis a causâ morali; si nimirùm dicatur consistere in actionis coexistentiâ cum tali principio, ut ex se apto immediatè influere moraliter in actionem hanc, & existente independenter ab actione ipsâ. *Ex gr.*: dependentia volitionis à cogni-

nione A. consistit in eo, quòd volitio existat tùm, cùm existit in volente cognitio A. ex se apta dirigere volitionem ipsam, id est, proponens objectum, quod volitio respicit; dummodo talis cognitio non existat dependenter ab eâdem volitione, qualiter existeret, si à Deo produceretur ex præviſione illius, vel si volitio ipsa divinitùs elevaretur ad eam cognitionem physicè producendum. Ratio est: quia, posità illâ coexistentiâ cum negatione dependentiæ istius, quovis alio præciso, intelligitur volitionem actualiter dirigi a tali cognitione, seu ex ejus luce & ostensione fieri, quod est moraliter ab eâ procedere. Nec jam ad hoc ulla supereſt indifferentia: quia nihil est aliud velle objectum ex directione cognitionis, quàm velle tùm, cùm actualiter adest cognitio aliunde habita, & ostendens quid sit volendum: quemadmodùm nil aliud est te ambulare ex directione visionis, nisi te incedere per viam, quam actu vides; neque ullatenùs indifferens es, ut cæcè ambules in sensu compoſito visionis.

32 Porrò causalitas in genere solùm importat determinationem, vi cujus auferatur penitùs indifferentia talis effectûs, ut certâ ratione procedat à tali causâ. Quòdsi ad hoc sufficiat coexistentia utriusque, ita ut, quàmvis posſint sine determinatione istâ existere divisim, aut seorsim, non tamen simul tempore; superflua erit actio essentialiter absolutè alligata causæ. Sic se res habet in præsenti. Actio physica ex se determinata est, ut ex suppoſitione quòd alibunde existat causa moralis aut conditio, ex se apta in hanc actionem influere suo modo, non oriatur physicè a virtute activâ, quin simul dependenter aut procedat moraliter a tali conditione vel causâ, hoc est, quin fiat eâ dirigente, vel determinante, vel inclinante, vel applicante causam physicam, vel aliter conducente ad hanc ipsam actionem. Quia tamen actio individua non exigit essentialiter suppoſitionem illam, saltem in individuo, sed potest sine illâ existere; idcircò dici nequit eidem essentialiter alligata.

33 Nonnullas, quæ hìc fieri posſunt, objectiones benè dissolvit P. Oviedo hic controv. 9. punct. 5. loquens de influxu actûs imperantis in imperatum. Quædam tamen adnoto. 1. causâ moralis non sumitur nunc pro causâ liberâ, seu operante benè vel malè, nec solùm pro causâ cui sit effectus, ita ut hic ipsi attribuatur, aut imputetur: sed generatim significat in præsenti quidquid est conducés aut requisitum ex parte causæ ad effectum, in quem non influit physicè, nec objectivè, seu per modum finis, aut objecti motivi, intrinsecè attacti per actum intentionalem, quem causat. 2.: sermo est de causâ morali immediatâ respectu actionis; si enim tantùm mediata sit, eo quòd alia causa item moralis intercedere debeat, non sufficit ejus coexistentia cum actione ad moralem influxum. Sic, si duobus actibus cognoscam fines duos, A, & B., ad quos est utilis ambulatio, velimque ambulare, non propter finem B., sed propter A.; non causabitur moraliter ambulatio à cognitione B., quàmvis ei coexistat; quia non est ab eâ causabilis, nisi mediâ volitione finis B., quæ tunc abest. Idem intellige de actu voluntatis imperato, qui solùm extrinsecè respiciat finem propoſitum cognitione B.: talis quippe actus non est moraliter causabilis à cognitione istâ, nisi mediâ volitione imperante, quæ finem illum intrinsecè respiciat. Et generatim nulla volitio est moraliter immediatè causabilis à cognitione ostendente objectum aut motivum, quod ipsa nõ respicit intrinsecè; quàmvis interdùm ab ejus coexistentiâ, tamquàm à circumstantiâ, posſit reddi culpabilis, aut imputabilis. Porrò multæ sunt causæ morales,

quæ

quę non causant effectum, nisi mediante prævisione ac decreto Dei (nonnunquàm etiam creaturæ) volentis concurrere quasi in gratiam earum. Sic merita & preces causant collationem præmij, vel doni: sic etiam introductio caloris causat expulsionem frigoris à subjecto. Tunc autem, ut nuper alebam, moralis causalitas non consistit in solâ coexistentiâ causæ & effectûs, v. g. meriti & doni; quia, si donum à Deo daretur non gratiâ meriti, sed alio motivo, non causaretur moraliter à merito, licèt coexistente: tunc igitur moralis causalitas importat insuper Divinum decretum operandi velut in gratiam talis causæ, vel ad exigentiam ejus. Et quia hic modus causandi frequenter accidit, idcircò generatim dici solet, quòd moralis causalitas consistit (nimirùm partialiter) in prędicto decreto. Si tamen sermo sit de decreto ipso immediatè applicante Omnipotentiam ad actionem A., moralis causalitas hujus decreti tota consistit in coexistentiâ ipsius cum tali actione. Hùc etiam spectat, quòd aliquæ causæ, ut moraliter influant, aut in actu secundo moveant, debent esse non impeditæ per actum voluntatis averfivum, quo inclinatio ipsarum repellatur, vel hebetetur.

34 3.: inter causas morales, aut conditiones ad agendum, aliquæ sunt necessariæ solùm naturaliter, ut approximatio agentis ad passum: aliquæ requiruntur etiam essentialiter, ut cognitio respectu volitionis: aliquæ neutro modo, ut actus imperans respectu imperati ejusdem voluntatis. Sed inter eas, quæ necessariæ sunt vel naturaliter, vel essentialiter, nulla est necessaria quoad individuum, etiam respectu actionis individuæ, ita ut permanere nequeat hęc numero actio, variatâ numericè causâ morali, seu conditione. Immò aliquę nec quoad speciem determinatam sunt necessariæ pro actione individuâ, sed solùm quoad certum genus. Nam ad individuam ambulandi actionem v. g. requiritur quidem volitio aliqua de genere applicatium potentiam loco-motivam; sed non potiùs volitio naturalis, quàm supernaturalis, nec potiùs ex hoc, quàm ex illo fine. Idem intellige de Divinis decretis, Omnipotentiam applicantibus, in ordine ad plures actiones externas. Illa tamen determinata volitio, quæ de facto exiterit independenter ab actione ambulandi, suo modo causabit eam hìc & nunc per coexistentiam utriusque; quamvis actio ipsa per se non exigat coexistere illi potiùs, quàm alteri volitioni applicativę. Secùs accidit in causâ physicâ: hanc enim in individuo semper exigit essentialiter hæc numero actio, neque ullatenùs est indifferens, ut loco illius ab aliâ numericè distinctâ pędeat: quod etiam intelligo de causâ finali intrinsecâ, seu movente per modum objecti intrinsecè attacti, quando movet aut finalizat in individuo.

*Reditio ad quæstionem intermissam.*

35 Post hæc haud inutiliter stabilita, regredimur ad intermissam quęstionem de libertate actibus intrinsecâ, & ad probationem sententiæ negantis. Hęc igitur *probatur* 3.: libertas contrarietatis non est intrinseca & essentialis actui sic libero: ergo nec libertas contradictionis. *Consequentia* probabitur postea. *Antecedens* conceditur à PP. Hurtado, Aldrete, Quirós, & alijs Adversarijs; &, si negetur, ostendi poterit sic. Constituatur libertas contrarietatis per cognitiones duas ejusdé objecti, alteram sub ratione delectabilis, alteram sub ratione mali vel incommodi: tum, si voluntas amet objectum simpliciter, nil curando de ratione mali, ideśt, non illam expresè contemnendo, nec avertando, amorille non exigit essentialiter cognitionem objecti ut mali: ergo non est essentialiter li-

ber

ber libertate contrarietatis, quàmvis de facto libertate istâ sit liber. *Prob. Antec.*: amor ille non exigit per se cognitionem proponentem objectum sub eâ ratione, quam ipse non respicit, aut curat: sed talis est in casu posito cognitio objecti sub ratione mali: ergo &c.. *Prob. Maj.*: quia nullus amor per se exigit cognitionem objecti non sui, vel sub ratione perinde nō attactâ formaliter, ac si non esset: cognitio enim non alio titulo prærequiritur ad amorem, nisi ut amor non feratur in incognitum, nec sub ratione incognitâ; quem ad finem nihil confert cognitio proponens objectum eâ ratione, quâ non est objectum.

36 Clariùs hoc apparebit, si libertas contrarietatis sit ad eligendum inter objecta distincta, & incompossibilia, v. g. ludum & venationem pro tali tempore. Tunc enim simplex venationis amor, nil curans de ludo, nequit per se exigere cognitionem ludi, utpotè objecti penitùs extranei, nullatenusque ad ipsum attinentis. Sic nullum judicium per se supponit apprehensionem objecti nullatenùs ad ipsum spectantis: nulla cōclusio præmissas de medio nullatenùs pertinente ad objectum ejus: nulla actio externa volitionem alius effectûs disparati: nulla item causalitas, vel actio purè physica, per se ac ratione sui præsupponit applicationem causæ non suæ, aut virtutis activæ non influentis in talem actionem. Pariter ergo in re nostrâ sentiendum; præsertim cùm cognitio solùm prærequiratur ad volitionem titulo applicationis objecti per ipsam attingendi.

37 *Confirm.*: si voluntas amet in instanti A. cum cognitione solius bonitatis objecti, quæ sufficit ad libertatem contradictionis; ac deinde in instanti B. superveniat alia cognitio repræsentans idem objectum sub ratione mali; poterit idem amor liberè conservari in instanti B.: sed tunc jam erit liber quoad specificationem, cum jam adsit perceptas ad odium: ergo idem amor ex se indifferens est, ut sit liber vel quoad exercitium duntaxat, vel insuper quoad specificationem; ac proinde libertas contrarietatis non est ipsi essentialis. *Prob. Maj.*: quia non debet amor deficere, quando nullum ejus principium aut prærequisitum deficit; sicuti reverà non deficit per adventum illius novæ cognitionis: permanet enim, ut suppono, eadem virtus activa ex parte voluntatis, eadem item cognitio præcedens, & Omnipotentia indifferenter applicata. Nec fingas, carentiam illius cognitionis in instanti B. superveniens, esse conditionem essentialiter necessariâ, ut talis amor perseveret. Nam cognitio illa non tollit veram contradictionis libertatem, quæ aderat in instanti A., sed tantùm superaddit novam rationem libertatis, seu præcedentem ampliat, & expeditam reddit ad plura exercitia. Nequit autem carentia libertatis amplioris esse conditio essentialiter necessaria, ut existat determinatum exercitium liberum; cùm potiùs ex ipsâ libertatis ampliatione reddatur exercitium quodlibet magis positū sub dominio & arbitrio voluntatis. Simile argumentum fieri potest in Divino decreto. Positâ enim cognitione sufficiente ad amorem & odium in instanti A., potest Deus præparare concursum ad amorem cum solâ indifferentiâ exercitij; nullatenùs verò ad odium: quo in eventu, si amor eliciatur, solùm erit liber quoad exercitium. Poterit tamen idem ipse amor conservari in instanti B., in quo jam Deus concursum præparet etiam ad odium; hæc enim velut ampliatio concursûs nihil minuit de præcedenti libertate, adeòque nec de sufficientiâ proximâ voluntatis ad talem amorem. Tunc autem amor ille, intrinsecè invariatus, liber erit quoad specificationem.

38 Jam *Consequentia* illa, primò

deducta n. 35., probatur validè. 1. quia in libertate contrarietatis instantur & infringuntur argumenta contraria. 2. quia in utràque libertate militat eadem ratio. Nam, sicut actus est liber quoad specificationem, eo ipso quòd fiat cum potestate ad actum oppositum, quàmvis hanc potestatem ipse per se non exigat; cur non etiam liber erit quoad exercitium, eo ipso quòd fiat cum potestate omittendi, tametsi potestatem hanc non exigat ipse intrinsecè ac per se? Certè conceptus utriusque libertatis eâdem proprietate salvatur in actu secundo, seclusâ vel præcisâ istiusmodi actûs exigentiâ. Et, sicut amor ex se non præsupponit expeditam potestatem ad odium, quia potestas ista, quà talis, nihil ad illum confert aut juvat, nec est necessaria, ut salvetur plena sufficientia & potestas ad amandum; ita non debet amor ex se præsupponère potestatem ad omissionem sui, quia pariter potestas hæc, ut talis, non conducit, nec est necessaria &c. 3. quia, si potest actus per denominationem extrinsecam fieri magis liber (magis absdubiò liber est cum libertate contrarietatis, quam cum solâ contradictionis), poterit etiam fieri simpliciter liber: eadem quippe regula est pro *magis*, ac pro *simpliciter*; ut patet ex noto proloquio, & constat in denominationibus *cogniti*, *amati*, &c., præcipuè verò in denominatione *mediatè liberi & voluntarij*, quæ convenit actui externo.

39 Hactenus dicta probant, actus voluntatis utplurimùm non nisi contingenter liberos esse; vel saltem non aliud colligi ex generali conceptu volitionis liberæ, seu libertatis in actu secundo. Non tamen repugnare videtur actus voluntatis, qui ratione specialis indolis, aut modi tendendi, connectatur essentialiter cum libertate in actu primo, atque adeò sit essentialiter liber. Fieri enim potest, ut fide supernaturali credas Deo revelanti, libertatem tibi esse concessam ad omnem actum in hac horâ eliciendum; & statim ex hoc actu fidei gaudium elicias de libertate præsente: quod gaudium libertatem supponet essentialiter; quia ritulo supernaturalitatis essentialiter supponet cognitionem fidei essentialiter veram de libertatis existentiâ, præsertim si cognitio ista elevetur, ut potest, ad influendum physicè in tale gaudium.

40 Præterea odium Dei, vel alius actus contra legem naturæ, si haberet modum tendendi expressè aut formaliter prælativum, quo scilicet formaliter præferat hoc objectum alteri opposito, vel in illud feratur cum formali cótemptu & rejectione motivi retrahentis: talis, inquam, actus videtur per se supponere judicium indifferens; quia fertur intrinsecè, licèt diversimodè, in utrumque motivum, attrahens, & retrahens: per se quòque supponit in Deo decretum indifferens; quia actus ex se contrarius legi naturæ, nequit à Deo determinari. Nullo ergo ex capite potest evadere necessarius; ac proinde putandus erit essentialiter liber. Hæc tamen ratio non militat in actibus bonis; immò nec in malis, qui non illum tendendi modum habent, sed simpliciter feruntur in objectum suum, quasi nihil curando vel decernèdo de objecto contrario, nec de motivo retrahente: hi namque possunt evadere necessarij, seu non liberi, ex defectu judicij indifferentis; ut contingit in ebrijs, & amentibus. Quin etiam fortasis illi actus pravi, qui prædictum habent tendendi modum, possunt libertate nudari ex defectu judicij; quia possunt ijdem elici in somno, ebrietate, phrenesi, ubi non rarò videtur exerceri voluntas cum cognitione aliquâ motivi retrahentis, quæ tamen cognitio non sufficit ad usum rationis propriè dictum, nec meretur nomen judicij indifferentis, ex dictis n. 13. & 14.

CAP.

## CAP. III.

### DILUTIO ARGUMENTORUM adversæ partis.

41 PRÆ oculis habeto, quòd non aliud sonat *libertas in actu secundo*, quàm *volitio ut libera*; nec differunt hæc nomina, nisi penès modum significandi, seu voce tenùs, sicut *entitas*, & *ens*, vel sicut *veritas formalis*, & *actus intellectûs ut formaliter verus*. Quare libertas in actu secundo est forma concretiva, non penitùs extrinseca volitioni, sed partim extrinseca, partim intrinseca, constitens scilicet in complexo volitionis & libertatis in actu primo; sic tamen, ut volitio importetur in recto, & libertas actûs primi solùm in obliquo. Partem A. importari in recto, ut sæpe aliàs monui, est ita constituere concretum aliquod, ut de illâ propriè verificetur definitio concreti; & partem B. importari de obliquo, est ita constituere concretum, ut hujus definitio non de illâ propriè verificetur. Exemplum habes in concreto *visum*; cujus pars in recto est objectum, in obliquo visio. In idem recidit constituere *ut quod*, & *ut quo*. Itaque libertas in actu secundo (positivo scilicet) constituitur in recto per volitionem; quia definitur *exercitium facultatis liberæ*, ideſt, *potentis tale exercitium omittere*; quæ definitio de solâ volitione verificatur, quamvis constitutivè includat libertatem potentiæ in actu primo. Hinc libertas actûs primi causat libertatem actûs secundi partim in genere causæ efficientis, partim in genere causæ formalis: efficientis quidem, quatenùs entitatem volitionis efficit virtute voluntatis: formalis autem, quatenùs est forma partialis, volitioni tribuens denominationem *liberæ*. Sic gratia sanctificans ad meritum concurrit, tum ut causa efficiens, mediatè saltem, entitatem actûs; tum ut forma dignificans, tribuens que actui denominationem *meriti condigni*.

42 *Objic.* ergo 1.: principium liberum perfectius est, quam necessarium: ergo actioni suæ communicat perfectionem specialem, quâ caret actio necessaria: quemadmodùm principium vitale, & supernaturale, specialem perfectionem refundunt in actiones proprias. Non igitur actio libera potest esse indifferens, ut sit necessaria. *Resp.*: principium radicaliter liberum, cujusmodi est voluntas humana, perfectius quidem est principio radicaliter necessario, cujusmodi est appetitus bruti: unde & communicat actionibus suis perfectionem specialem, nempe libertatis aptitudinalis, seu capacitatis ut liberè fiant; quæ capacitas, utpote importans voluntarietatem intrinsecam, perfectio est specialis, quâ caret actiones principij radicaliter necessarij. Cæterùm, si comparatio fiat inter principium proximè liberum, & principium liberum radicaliter, proximè tamen necessarium, seu necessitatum, v. g. ex Divino decreto nõ indifferente; nullus esse debet perfectionis excessus, nec in principio a necessitate libero, nec in ejus actione. Non in principio: quia hoc solùm addit extrinsecam circumstantiam *indifferentiæ decreti*, ex quâ voluntas nostra non recipitur perfectior. Non in actione: quia libertas proximè nõ influit physicè pereis omnia sui cõstitutiva, nominatim pereis decretum indifferens; & quâ parte non influit, nõ diversificat actionem, cùm hæc à solis principijs physicè influentibus, vel ab objecto intrinsecè actuo, specificetur, seu perfectionem hauriat.

43 Principium vitale, & supernaturale, influunt secundùm vitalitatem, & supernaturalitatem; unde nihil mirum, si perfectiones hæc refundant in actum. Quare negandæ est paritas. Adde, quòd objectio absurdè probat, perfectiorem esse actum cha-

ritaris in viâ, quàm in patriâ; & amorem neceſſarium, quo ſe Deus diligit, imperfectiorem eſſe amore libero, quo diligit creaturas. Retorquetur etiam: quia libertas à neceſſitate non eſt adæquatè intrinſeca principio libero, ſeu voluntati: ergo nec ejus actioni. Quocirca principium liberum, & actio libera, differunt intrinſecè & eſſentialiter à principio & actione naturalibus, non quidem penès libertatem formalem ſeu proximam, quaſi hæc ſit perfectio ipſis intrinſeca; ſed penès libertatem remotam ſeu radicalem: non tamen intrinſecè differunt à principio & actione utcumque neceſſariis: quia neceſſarium, quatenùs dicitur de causâ, vel actione, non convertitur cum naturali, hoc eſt, ex ſe inepto libertatis; ſed poteſt contingenter convenire cauſæ & actioni radicaliter liberis.

44 *Objic.* 2.: actio libera eſt uſus dominij principio libero convenientis: ergo ſupponit intrinſecè dominium illud. Eſt etiam terminus libertatis in actu primo, & effectus potentiæ liberæ ut talis: ergo in eſſe actionis liberæ, adæquatè diſtinguitur à libertate potentiæ. *Objectio* æquè militat in libertate contrarietatis contra plerosque Adverſarios: militat etiam contra omnes in libertate mediatâ externarum actionum. Negandum itaque, quòd actio libera, ſpecificativè ſumpta, intrinſecè ac per ſe ſit uſus dominij; quia poteſt eadem ſeorsùm à dominio exiſtere: ſolùm ergo eſt uſus dominij per denominationem partim extrinſecam, ſeu per coexiſtentiam (ſi ſic ſubſentariam) cum dominio actûs primi; quemadmodum ambulatio non niſi per accidentariam ſui coexiſtentiam cum imperio libero, eſt uſus dominij voluntatis ſuprà membra corporis.

45 Negandum etiam, quòd actio illa intrinſecè ac per ſe ſit actualis terminus totius libertatis in actu primo; non enim eam terminat niſi ex ſuppoſitione præexiſtentiæ ipſius, quam ſuppoſitionem actio per ſe non exigit: quare in ratione terminantis conſtituitur per accidentariam ſibi coexiſtentiam cum eâ libertate. *Dices*: terminus debet adæquatè diſtingui à re, quam terminat. *Diſt.*: debet adæquatè diſtingui ſecundùm aptitudinem terminandi, *tranſeat*; in eſſe terminantis actualiter, *neg.*; nam color in eſſe terminantis viſionem, conſtituitur per viſionem ipſam. Denique negandum, quòd actio, ſpecificativè ſumpta, per ſe ſit effectus potentiæ ut liberæ ſecundùm omnia conſtitutiva libertatis; quia non omnia phyſicè influunt, nec eſſentialiter prærequiruntur ex merito actionis. Si tamen ſumatur actio reduplicativè ut libera, ſic per ſe eſt effectus totius libertatis potentiæ, nominis uno, ſed in duplici genere cauſæ, efficientis nimirùm, & formalis, ex n. 41.

46 *Inſiſtes*: libertas in actu primo præcedit libertatem in actu ſecundo, & altera eſt in ſigno priori, altera in ſigno poſteriori: ergo libertates iſtæ inter ſe diſtinguuntur. *Reſp.*: diſtinguuntur quidem inadæquatè, & quoad rectum, quod in alterâ eſt entitas voluntatis, in alterâ entitas actionis; non verò adæquatè, ſeu quoad omnia conſtitutiva, etiam de obliquo: quia libertas actionis eſt denominatio conſtituta per libertatem actûs primi. Præcedentia tamen, ſeu prioritas, cautè intelligi debet. In genere cauſæ efficientis (ſeu phyſicè, ſeu moraliter) ſolùm eſt prioritas, & diſtinctio ſignorum, inter totam libertatem actûs primi, & libertatem actûs ſecundi ſumptam quoad rectum: in genere tamen cauſæ formalis admitti poteſt prioritas & poſterioritas inter utramque libertatem adæquatè ſumptam; eâ nempe ratione, quâ viſio dicitur prior toto effectu formali ſeu denominatione *viſi*, & tota hæc denominatio dicitur viſione poſterior ſig-

na

ra enim prius & posterius in genere causæ formalis non distinguuntur adæquatè, sicut nec ipsa causa & effectus: quia nihil aliud sunt, quàm forma, jam in abstracto sumpta, jam in concreto, sive ut denominans subjectum aliquod: ubi sola est distinctio includentis & inclusi.

47 *Replic.* : actio libera, specificativè sumpta, est naturâ posterior totâ libertate actûs primi, ab eâ que dependens in genere causæ efficientis: sed hæc posteriorias ac dependentia debet esse intrinseca & essentialis actioni: ergo &c. *Prob. Min.* : quia nequit consistere in solâ coexistentiâ actionis cum libertate actûs primi: si enim actio eliciatur in instanti A, sub cognitione non indifferenti, & pro signo posteriori ad actionem adveniat judicium indifferés, dabitur in eo instanti coexistentia actionis cum omnibus constitutivis libertatis actûs primi; nec tamen respectu eorum dabitur dependentia & posterioritas actionis. *Resp.*, concessâ *Majore*, intellectâ de genere causæ efficientis, partim physicæ, partim moralis, *neg. Min.* Et *ad prob.* respondeo ex n. 31., dependentiam & posteriorirarem actionis non consistere in coexistentiâ qualicumque, sed in coexistentiâ actionis cum actu primo libero, seu cum judicio indifferenti, ut habito independenter à tali actione: quia posterioritas naturæ, ut in physicâ vidimus, est dependentia non mutua effectûs à causâ, ac proinde constitutivè importat independentiam causæ ab effectu. Quare, si judicium indifferens existat dependenter ab actione, vel, quod idem est, pro signo posteriori ad illam, jam non potente eam præcedere in genere causæ efficientis pro eodem instanti. Adde, quòd nec actio coexistet tunc omnibus constitutivis libertatis: quia non aderit pro eo instanti decretum Dei indifferens ad talem actionem.

48 *Objic.* 3.: actio libera intrinsecè supponit judicium indifferens: ergo est intrinsecè libera, sive intrinsecè differens à necessariâ. *Prob.* inprimis *Antec.* Tum quia actio libera est electio unius præ alio, sive talis objecti præ opposito: ac proinde supponere debet cognitionè utriusque. Tum quia voluntas, liberè agens, resistit motivis retrahentibus: unde actio ejus importat conatum restitivum, qui certè nequit esse circa motiva incognita. Tum quia non poterit alioqui judicium indifferés, quâ parte retrahit, pertinere ad signum prius, sive ad actum primum libertatis; quia respectu hujus actionis non erit causa, nec requisitum ad causandum. Deinde *prob. Consequ.*: quia actio necessaria judicio determinato contenta est: immò nec potest ad eam præsupponi judicium indifferens; alioqui daretur judicium movens ad omissionem actionis, quando hæc omissio est impossibilis voluntati, vel judicium indifferenter movens ad extrema opposita, quando voluntas non est indifferenter mobilis ad utrumque.

49 *ad objecta*, quæ maximè vel unicè procedo in libertate contrarietatis, *resp.* 1. *neg. Antec.*, si loquatur de omni actione liberâ, seu de generali conceptu actionis liberè positæ: hic enim conceptus stabit, dummodò actio hic & nùc ponatur cum prævio judicio indifferenti, quàmvis ipsa non illud exigat intrinsecè. *Ad prob.* non omnis actio libera intrinsecè & ex modo essendi est electio unius præ alio, ita scilicet, ut præferat unum, formaliter posponendo vel contemnendo aliud: sæpè enim volitio libera simpliciter fertur in objectum unum, nil decernendo vel curando de opposito, quàmvis præcognito: talis autem volitio non supponit intrinsecè cognitionem oppositi; licet ab eâ, & à toto libertate actûs primi, extrinsecè denominetur *electio unius præ alio*, idest, existens in circumstantiis, in quibus potuit voluntas oppositum mali-

le. Nec item omnis actio libera importat intrinsecè conatum rectitivum: tum quia negari potest, quòd libertas contradictionis requirat semper motivum positivè retrahens: tum quia, ut voluntas dicatur resilire, sufficit quòd nó sinat se trahi; ad hoc autem non opus est positivo conatu, sed sufficit suspensio consensûs, & à fortiori sufficiet volitio objecti contrarij, tametsi non haberet specialem tendentiam, quam non haberet secessum à motivo retrahente.

50 Quod attinet prioritatem judicij respectu actionis voluntæ, si judicium indifferens non sit cognitio duplex, sed unica repræsentans motiva contraria, facilè intelligitur totum præcedere in sensu reali, si præcedit secundùm repræsentationem allicientem, cùm hæc ipsa realiter sit repræsentatio motivi retrahentis. Si verò supponatur cognitio realiter duplex, altera purè invitans, altera purè retrahens, in hac etiam est prioritatis titulus respectu volitionis, à quâ retrahit, quàmvis ad eam nó prærequiratur nec ut causa, nec ut cõditio; dummodò tamè hîc & nunc existat independenter à volitione ipsâ. Ratio est: quia cognitio retrahens constituit potestatem omittendi volitionè hanc, vel eam excludendi per actum oppositum: debent autem pro priori ad actionem intelligi, non solùm ea, quæ constituunt posse agere, sed etiam ea, quæ constituant posse non agere, vel agere oppositum: repugnat enim, quòd voluntas intelligatur potens omittere seu excludere in hoc instanti actionem A., nisi pro priori ad ipsam, vel priusquam actio ipsa supponatur existere in eodem instanti; cùm omninò repugnet actionem non esse ex suppositione quòd sit.

51 *Dices*: prioritas naturæ, & attingentia ad actum primum, solùm cõvenit causis, & requisitis ad causandum: cognitio autem retrahens nec est causa actionis physica, vel moralis, nec est requisita, si non eam supponit actio intrinsecè ac per se ratione libertatis. *Hoc* ut solvatur, distinguenda est in ordine causandi prioritas duplex: altera conducens, ut actio fit; & hæc dici potest prioritas *positiva* (de quâ solâ agitur in Physicâ generali, ubi de prioritate causarum), solitque convenit causis, & requisitis ad causandum: altera conducens, ut actio non fit; & hæc potest vocari prioritas *negativa*, vel *adversativa*, conveniteque, non quidem causis, aut requisitis ad actionem, sed ijs tantùm adjunctis, aut circumstantijs, quæ potestatem omittendi constituunt, vel quæ ita coexistunt actioni (citra dependentiam ab ipsâ), ut, quantum in se est, causam avertant ab agendo, aut in oppositum actionem inclinent. Quod hæc sit prioritas verè talis, verèque attinens ad signum potentiæ, sive ad actum primum, convincit ratio adducta num. præced.; quæ roboratur exemplo habitûs actioni adversantis. Dum enim voluntas contra inclinationem intensi habitûs vitiosi elicit liberè actionè honestam, habitus utique præcedit ex parte actûs primi; alioqui non redderet difficilem actionem hanc, nec oppositam hîc & nunc possibilem, ac facilem: & tamen habitus iste non influit, nec est requisitus ex intrinsecâ hujus actionis exigentiâ; cùm actio honesta, præsertim supernaturalis, nequeat intrinsecè dependere ab habitu vitioso, dependentiâ saltem immediatâ, & quasi à priori.

52 *Resp.* 2. ad objectionem n. 48., concesso *antec.* de nonnullis actionibus liberis, *neg. Conseqn.*: quia, stante judicio indifferenti, potest Deus necessitatem inferre voluntati, ut vidimus n. 16. Unde, quàmvis volitio intrinsecè supponat judicium indifferens, & quàmvis sit intrinsecè prælativa, resistatque motivo retrahenti; non ideò erit essentialiter libera, nec intrinsecè differet ab omni necessariâ; cùm possit

fit necessaria evadere ipsamet. Certè necessaria est actio, quâ ignis resistit contrarijs; & quâ equus stimulo urgente pergit contra retrahentem apprehensionem & timorem periculi. Neque ullo ex capite repugnans apparet, voluntatem à Deo necessitari, ut è duobus propositis formaliter præferat unũ alteri. *Ad prob.*: actio necessaria in genere contenta est judicio determinato; in specie tamen potest exigere judicium indifferens.

53 Quod additur de motione illius judicij, probat, non posse à Deo necessitari voluntatem sub judicio indifferenti; sed malè probat. Quia potest judicium indifferens movere ad omissionem, etiamsi hæc sit impossibilis per accidens ex necessitate agendi à Deo impositâ: movere, inquam, non in actu secundo, seu quoad efficaciam, sed in actu primo, seu quoad sufficientiam ex parte objecti, voluntatem scilicèt inclinando in genere causæ formalis ad omissionem, vel ad actum oppositum. Neque ad hoc requiritur, quòd voluntas sit ad utrumque mobilis cum libertate proximâ: sat enim est, quòd sit passivè mobilis, id est, susceptiva motionis aut inclinationis in actu primo, quam ipsi tribuit in genere causæ formalis judicium indifferens, & quæ sufficit, ut voluntas ex capite cognitionis possit in actu secundo movere se ipsam ad utrumlibet oppositorum, nisi ex alio capite necessitetur ad unum. Certè non repugnat caulam necessariò agere, quàmvis in eodem instanti præhabeat aliquid retrahens, aut inclinans in oppositum: potest enim absolutè necessitari voluntas ad actum honestum in sensu composito habitûs vitiosi: equus etiam, dum apprehendit & timet in viâ periculum, nihilominùs pergit calcaribus adactus.

54 Objic. 4. ex P. Hurtado: malitia formalis penitus intrinseca est actibus pravis: ergo etiam libertas, quæ est de conceptu formalis malitiæ. *Prob. Antec.*: quia, si malitia formalis extrinseca esset, consisteret in libertate potentiæ, sive actûs primi; unde hæc libertas esset malitia in abstracto, & forma inficiens actum secundum, quem redderet dignum speciali displicentiâ Dei: hoc autem est absurdum; cùm libertas in actu primo non sit mala, sed á Deo volita, & intenta. *Confirm.* 1.: si amor objecti vetiti ex tendentiâ intrinsecâ non est malus, nequit reddi malus ex coexistentiâ cum libertate actûs primi: nam coexistentia illa erit complexum sive aggregatum quoddam ex partibus bonis, vel certè non malis in lineâ morali. *Confirm.* 2.: Deus non odio habet libertatem in actu primo, sed solum actum secundum malè operantis: at odio habet malitiam: ergo hæc in solo actu secundo consistit. *Confirm.* 3.: factâ comparatione inter amores ex objecto pravos, liberum, & necessarium, liber præ necessario terminat displicentiam Dei specialem, utique ratione libertatis: at non ratione libertatis in actu primo, quæ Deo non displicet: ergo &c. Idem fit argumentum comparando inter se amores ex objecto honestos: nam etiam liber præ necessario terminat ratione libertatis complacentiam Dei specialem, quę non terminatur ad libertatem in actu primo.

55 *Ad primum* inflatur Objectio in libertate contrarietatis, quę, sicut reddit actum magis liberum & imputabilem, ita & magis malum, aut magis bonum; nec tamen intrinseca est actibus, juxta P. Hurtad.. *Deinde*, si sermo sit de bonitate, aut malitiâ, quatenùs ex objecto desumptâ, sic utique intrinseca est volitioni, sicut & tendentia in tale objectum, estque à libertate independens: nam amor beatificus, tametsi necessarius, intrinsecè honestissimus est: & volitio mentiendi, licèt habeatur in somno, vel in amentiâ, est in

intrinsecè mala. Si verò spectetur bonitas, aut malitia, quatenùs desumpta ex circumstantijs, & præsertim ex libertate in actu primo cum advertenti â honestatis, aut prohibitionis; sic non debet esse adæquatè intrinseca volitioni, sed potest constitui de obliquo per circumstantias ipsas.

56 Notandum tamen, quòd formalis malitia peccati etiam commissionis, juxta communiorem Theologiam consistit in privatione debitæ rectitudinis; quæ privatio non includit formaliter in suo conceptu libertatem actûs, licèt eam supponat, ut ex actu resultet, vel ut illum denominet. Quare, ut Objectio proposita locû habeat, vel ponenda est malitia formalis in positivo, nempe in tendentiâ liberâ actûs pravi; vel sumenda est pro fundamento proximo illius privationis, quod consistit in actu liberè posito contra legem Dei, vocari que potest malitia *formalis*, ideò, imputabilis, ad discrimen actûs pravi non liberi, cujus malitia dicitur *materialis*. In hoc igitur sensu *neg. Antec.* objectionis.

57 *Ad prob.*: malitia formalis, seu moraliter imputabilis, consideranda est, ut libertas in actu secundo n. 41., videlicèt ut forma concretiva, quæ idem sonat, ac *actus liberè positus contra legem Dei*; adeòque forma ista constituitur in recto per actum secundum, & in obliquo per libertatem potentiæ: unde absolutè negandum, quòd libertas potentiæ sit malitia in abstracto, vel forma inficiens; quia nomen constituti nó convenit parti de obliquo importatæ. Sic objectum non est forma cognitionis veræ, seu veritas formalis, quàmvis eam constituat in obliquo: nec parvitas pygmæi dici potest majoritas gigantis, quam etiam de obliquo constituit: & sic de alijs relationibus prædicamentalib.. Malitia ergo in abstracto reipsâ non differt à malitia in concreto; estque actus ipse contrarius Divinæ legi prout existens in circumstantijs libertatis in actu primo cum cognitione legis prohibentis. Nec novum est, quòd aliquid in se non malum, cujusmodi est ea libertas & cognitio, constituat in obliquo formam, seu denominationem mali. Sic enim peccatum habituale cõstituitur, non solùm ex actu malo præterito, sed etiam ex non condonatione Dei, utique non malâ. Sic etiam esus carnis constituitur in ratione mali objectivi, & inamabilis honestè, per legem jejunij objectivè bonam, & honestè amabilem. Sæpe quòque accidit è converso, ut constituatur quid bonum, aut melius, per circumstantiam aliquam nó bonam: cibus enim redditur pretiosior & optabilior per circumstantiam famis, aut raritatis; ut etiam sanitas per circumstantiam pestis in regione grassantis.

58 *Ad 1. Confirm.* Potest contingere, ut actus ex tendentiâ intrinsecâ non malus, constituatur in esse peccati per coexistentiam cum libertate & cognitione legis, si nempe feratur (sine formali contemptu legis) in objectum, quod ideò præcisè malum fit, quia prohibitum, v. g. in esum carnis die jejunij. Nec absurdum est, quòd peccatum seu malum consistat interdùm in conjunctione vel concurrentiâ partium, quarũ nulla secundùm se mala sit, quãdo scilicet ratio mali desumitur ex difformitate, dissonantiâ, seu disconvenientiâ partium inter se, qualis est in casu nostro inter actum & cognitionẽ legis prohibentis. Sic in die jejunij malum objectivum, odio dignum, & inamabile amore licito, cõstituitur ex esu carnium & lege prohibente, quarum partium nulla est mala secundùm se. Sic etiam extra rem moralem, monstra, vel opera deformia, quæ vocantur peccata naturæ, vel artis, coalescere possunt ex partibus singulatim pulchris, sed invicèm dissentientibus, v. g. ex oculis aut auribus inæqualibus, vel *Humano capiti cer-*

*cervicem pictor equinam. Jungere si velit,* ut cum Poeta loquar.

59 *ad 2. Confirm.* instantia est in esu carnis, quem etiam, facta prohibitione, detestatur Deus ut malum objectivum, vel judicat indignum amore nostro; non autem sic indignam judicat prohibitionem; cùm tamen ex eâ constituatur indignitas & malitia talis objecti. Deus igitur odio habet *solum* actum secundum, ita ut per tò *solum* excludatur libertas & cognitio legis à munere objecti terminantis odium, secùs verò à munere circumstantiæ constituentis actum in esse odibilis: non enim actus est odibilis per modum *peccati* formalis, nisi ut positus, & quia positus in circumstantijs libertatis & obligationis omittendi. Sic *sola* voluntas, non cognitio, est proximè potens amare; & tamen in esse proximè potentis constituitur per cognitionem: ut etiam per cognitionem constituitur objectum in esse potentis finalizare; cùm tamen non cognitio, sed *sola* objecti bonitas finalizet. Idem patet (ut alia innumera præteream) in naturâ communi, quæ *sola* est apta prædicari de malis, non verò ejus præcisio, vel abstractio; per quam tamen natura constituitur in esse prædicabilis.

60 Nec debet odio haberi, vel esse dignum odio, ne partialiter quidé, quidquid de obliquo constituit actum in esse odibilis (nisi fortè constituat per modum ultimi determinativi); sicut non debet partialiter prædicari, quidquid naturam constituit in esse prædicabilis; nec debet amari pestis, aut morbus, quo sanitas redditur amabilior; nec in pretio haberi sterilitas, aut raritas, quâ triticum redditur pretiosius. Malitia ergo formalem (sumptam in sensu explicato n. 56. in fine) non odit Deus, nisi quoad rectum, qui est actus secundus; odio tamen supponente seu connotante cætera constitutiva malitiæ: quod iterùm explicari potest ijsdem exemplis. Hinc jam patet solutio *ad 1. Confirm.*: actus enim liber præ necessario, seu honestus, seu pravus ex objecto, specialem Dei complacentiam aut displicentiam terminat ratione libertatis in actu primo, non tamquàm objecti terminatis *ut quod*, sed tamquam circumstantiæ constituentis actum secundum in esse digni seu proximè apti ad terminàdum. Repete exempla sanitatis, & tritici, & alia nuper adducta.

61 *Replic.*: ergo, si Petrus sine decreto indifferenti, vel sine cognitione legis, amet objectum prohibitum, & eumdem amorem conservet in instanti sequenti, in quo superveniat concursus indifferens, aut cognitio legis; fiet hoc ipso formaliter peccans sine novo exercitio libertatis. *Resp.*: fiet quidem eo ipso peccans; at non sine libertatis exercitio, si manùs physicè, saltem moraliter novo: quia in instanti, quo supervenit libertas & cognitio legis, potest & tenetur Petrus ab illius actûs conservatione desistere: dum autem non desistit, sed libere conservat, perinde se gerit moraliter, ac si actum illum denuò produceret, aut primò eliceret: ideòque juxta omnes libera conservatio actûs boni, vel pravi, liberè prohabiti, novum affert augmentum meriti, aut demeriti. Nec propterea libertas aut cognitio legis erit ultimum determinativum denominationis *formaliter peccantis*, aut *peccati formalis*. Nam in priori signo illius instantis cognitio legis & tota libertas intelligitur indifferens per modum actûs primi, ut coexistat conservationi vel suspensioni talis amoris: unde conservatio in signo posteriori liberè posita per modum actûs secundi, ultimò determinat pro eo instanti coexistentiam amoris cum actu primo libertatis, adeòque denominationem *peccati formalis*.

62 *Objic.* 5. ex P. Quiros: voluntas, dum liberè agit, terminum & alia complurima principia determinat ad agendum:

sed hoc stare nequit, nisi actio libera per se & intrinsecè sit determinata totius voluntatis propria, ideò, nisi essentialiter habeat voluntatem reddere determinantem, cætera verò comprincipia pure determinata à voluntate; quo posito, essentialiter libera erit: ergo &c.. *Prob. Min.*: quia, nisi hoc fundetur in speciali actionis indole, nulla ratio erit, cur potiùs voluntas humana, quàm Omnipotentia, vel cognitio, vel habitus infusus, aut adquisitus, dicatur determinàs; siquidem hæc omnia comprincipia per eamdem actionem immediatè agunt, & omnia supponuntur indifferentia in actu primo. Hęc *objectio* solvenda est etiam Adversarijs. Nam, etsi admittatur actio essentialiter libera, reddenda est ratio, cur in hoc instanti eliciatur actio libera soli voluntati, & non potiùs alia intrinsecè diversa, quâ reddatur determinans cognitio, aut habitus, vel quæ sit libera Deo soli? Quid juris est in voluntate, ut ipsa sola determinet indifferentiam actûs primi, quę communis est cæteris comprincipijs? Omnes ergo recurrere tenentur ad indifferentię diversitatem (de quâ suprà n. 6.) in comprincipijs constituentibus actum primum creatę libertatis. Nimirùm cognitioni, habitui, & Omnipotentiæ prout jam à Deo indifferenter applicatæ, solùm convenit indifferentia inconnexionis, à voluntate creatâ determinabilis: huic autem voluntati convenit indifferentia dominativa, seu immediatè determinativa suæ actionis. Et hinc provenit, quòd, siqua oriatur actio à tali actu primo, nequeat non esse ultra domini, seu potestatis determinativæ solius voluntatis, quam proinde reddet formaliter determinantem se & comprincipia reliqua; quidquid sit, an hoc habeat actio per se, vel per accidens; quòd enim possit actio esse ultra domini, quo cum per se non connectitur, jam vidimus n. 44.

63 Si quæras, cur voluntati præ alijs conveniat vis determinandi suam indifferentiam? quæstio est independens à præsenti, nec specialiter ad nos attinens. Respondeo tamen, hanc esse naturam principij volitivi solius, ut, additis omnibus ad operandum prærequisitis, nulloque addito impedimento se determinandi, possit immediatè determinare seipsum, simulque cætera comprincipia, quibuscum habet actionem communem: vel, quod in idem recidit, de concepto voluntatis esse jus privativum, ut actio ejus in prædictis circumstantijs elicita solam ipsam denominet determinantem, cætera verò comprincipia non nisi ab alio determinata in actu secundo, seu ex determinatione alterius agentia. Hinc nec judicium indifferens, nec habitus hac vi polleret; quia neutrum est principium volitivum: nec item Omnipotentia prout indifferenter applicata; quia ipsi additur impedimentum immediatè determinàdi volitionem creatam, videlicet proprium decretum attemperativum, quo liberè vult relinquere voluntati humanæ determinationem sui actûs: nam in sensu composito istius decreti nequit Deus immediatè determinare talem actum. Nec demùm eam vim habet creata voluntas, quando addatur cognitio non indifferens, aut aliquid aliud cum alterutro libertatis extremo connexum; quia hoc ipsi est impedimentum se determinandi; ut etiam esset decretum, quo Deus pararet concursum voluntati humanę cum attemperatione ad voluntatem Angeli.

64 Ex his ad *objecta*. n. 62. *neg. Min.*; cujus probatio nullius est roboris: jam enim rationem dedimus petiti discriminis inter voluntatem humanam & comprincipia reliqua. Quare, licèt actio sit communis omnibus comprincipijs, omnia quę denominet agentia, non omnia denominat determinantia; quia non nisi ad voluntatem comparatur ut propria determinatio, & ultra do-

dominij, seu potestatis determinativæ. Neque hoc provenit ex indole actionis, sed ex diversâ naturâ vel præparatione principiorum libertatem in actu primo constituentium: ideòque est quid extrinsecum & accidentarium actioni; quia posset eadem actio in alijs circumstantijs esse determinatio in actu secundo propria Omnipotentiæ, vel cognitionis, vel alterius adjuncti connexionem habentis cum tali actione, dummodò non variarentur principia physicè vel objectivè influentia. Sic, juxta P. Quiros, actioni est per accidens, quod supponat libertatem contrarietatis, sitque illius propria determinatio, & ultus. Notandum hic, quòd voluntas non determinat alia complicipia per determinationē aliquam prę-viam, sed intrantive per actionem omnibus communem: quę actio est ab omnibus ut agentibus, sed non ab omnibus ut determinantibus. Vide dicta in Physic. tract. 2. disp. 8. cap. 4. n. 14. & seqq..

65 *Objic.* 6. ex P. Aldrete: actio libera essentialiter est incompossibilis cum imperio sui efficacis, seu cum actu reflexo ejusdem voluntatis, quo efficaciter impereturergo & cum cęterjs principijs necessitantibus. *Prob. Antec.*: quia, si actio libera ex se non excluderet illud imperium, non posset liberè elici, quin pro priori ad ipsam supponeretur aliunde posita carentia vel exclusio imperijs sicuti non potest esse libera, quin pro priori supponatur carentia prędeterminationis, aut alterius principij necessitantis. At hoc experientiæ repugnat: quia sæpe voluntas liberè amat, tametsi nihil pro priori decernat circa existentiam vel carentiam imperij, quo talem amorem imperare potest.

66 Hoc argumentum (quod latiùs expendit, infrat, & solvit P. Quiros disp. 101. n. 11. & seqq.) unoquè titubat. Nam imprimis supponit, quod multi negant, posse voluntatem sibi efficaciter imperare volitionem in eodē instanti eliciēdam: supponit item, quod à multis etiam negatur, imperium efficax tollere libertatem actūs imperati. Deinde locum non habet, quoties voluntas, sine cognitione & libertate sufficiente ad imperium reflexum, liberè elicit volitionē directam (quod plerùmque accidit); tunc enim imperium jam aliunde supponitur pro priori exclusum defectu cognitionis. Quando autem simul adest libertas ad imperium reflexum, facilè negabitur contra experientiam esse, quod pro priori ad actum directum immediatè liberum detur pura omissio vel nolitio imperij. Tunc etiam dici poterit, imperij nolitionem, aut puram omissionem, poni à voluntate, non pro priori, nec pro posteriori, sed concomitanter cum actu directo: quia, licèt imperium libertatem impediat actūs directi, sit impedimentum auferibile à voluntate ipsa per exercitium aliud inconnexum.

67 Denique, permisso *Antec.*, negari potest *Conjequ.*: quamvis enim actio libera connectatur cum carentiâ imperij propter rationem aut experiētiam allegatam, non ideò connecti debet cum carētia omnis principij necessitantis. *Dices*, qui liber est ad amorem Petri, simul est liber ut à Deo petat principium aliquod necessitans ad talem amorem: hæc autem petitio (quę supponitur à Deo exaudienda) si existeret, tolleret libertatem amoris; &, cùm non supponatur libere exclusa pro priori ad amorem, experientia tesse, debet excludi essentialiter per amorem ipsum; qui proinde repugnabit essentialiter omni principio necessitanti. *Sed verò* nec libertas regulariter datur ad ejusmodi petitionem: nec dari potest simul cum libertate ad amorem Petri, si petitio supponatur a Deo exaudienda in eodem instanti: quia libertas ad amorem supponit decretum Dei paratum

per decretum indifferens, quo decreto ſtante, nequit à Deo conferri principium neceſsitans. Adde, quòd, licèt amor ex ſe repugnaret omni principio neceſsitanti ut collato ex vi petitionis liberę, non ideò excluderet illud ut aliunde poſitum.

68 *Objic.* 7.: evidenti experientiâ noſcimus, nos operari liberè: ſed hæc experientia non immediatè habetur de libertate in actu primo; nemo enim experimentaliter immediatè novit, an ſibi paratus ſit Dei concurſus per decretum indifferens; nec an adſit carentia prędeterminationis, aut alterius principij neceſsitantis: habetur ergo immediatè experientia evidens de libertate operationis à toto actu primo diſtinctâ: vel habetur de libertate actûs primi mediatè ac per effectum; qui effectus, nempe operatio libera, debet proinde intrinſecè connecti cum actu primo libertatis; nam per effectum inconnexum non cognoſcitur evidenter exiſtentia cauſæ.

69 *Objectio* inprimis inſtatur in libertate contrarietatis, quam etiam evidenter, immò evidentius experimur. Deinde utſummùm probat, operationem liberam naturaliter connecti cum actu primo libertatis: hoc enim ſufficit, ut per experientiam ejus habeatur evidentia phyſica de libertate actûs primi; quemadmodum experiendo accidentia panis evidentiam phyſicam habemus de exiſtentiâ ſubſtantiæ. Ex quo non ſequitur, quòd operatio ſit eſſentialiter libera, ſeu quòd nequeat ſeparari divinitùs à libertate actûs primi, fierique proinde neceſſaria; ut patet eodem exemplo accidentium panis. *Dices*: connexio volitionis cum potentiâ ut liberâ fundari debet in ejus ſpeciali modo tendendi; qui modus eſt ipſi eſſentialis, ſicut modus tendendi *efficaciter*, *diſjunctivè*, &c.. *Reſp.* Fundetur ſane: ſed hinc ſolùm infertur, quòd naturalis connexio eſt eſſentialis volitioni, ideſt, ad ejus eſſentiam pertinens; non verò, quòd ſit eſſentialiter inſeparabilis à ſuo termino, nempe à libertate actûs primi. Sic in eſſentiâ accidentis fundatur naturalis connexio ejus cũ ſubſtantiâ; ut etiam in eſſentiâ materię primæ, naturalis connexio ipſius cum formâ: nec tamen alterutra connexio eſt eſſentialiter inſeparabilis à termino ſuo. Erit quidem ea connexio eſſentialiter inſeparabilis à tali volitione, quæ non poterit exiſtere, quin exigat ſuapte naturâ libertatem potentiæ: ab hac tamen libertate non idcirco erit inſeparabilis eſſentialiter; ut eadem exempla demonſtrant.

70 Præterea, independenter à naturali connexione actûs liberi, dici poteſt, experiri nos libertatem potentiæ per effectum, non qualemcunque, nec utcunque poſitum, ſed quatenùs ſine obſtaculo variatum, & jam poſitum, jam omiſſum, aut revocatum. Quia enim experimur, nos ſub eâdem cognitione jam velle, jam nolle idem objectum, jamque affectum ſuſpendere, aut revocare, citra ullum præviùs obſtaculum; ex hac viciſſitudine, ſeu variatione cognoſcimus evidenter, nos eſſe liberos. Sic è ſimili experimento in actione ambulandi cognoſcimus evidenter, potentiam locomotivam dominio noſtro eſſe ſubjectam; quamvis nec ambulatio intrinſecè ſupponat ſubjectionem illam, cùm poſſit eadem provenire à decreto Dei neceſsitante; nec ſubjectio ipſa ex parte potentię ſub experientiam cadat immediatè, cùm requirat decretum Dei de concurrendo ad actionem externam, libertati noſtrę attemperatum, quod utique non experimur in ſemetipſo.

71 Denique (& eſt plana ſolutio) negari poteſt, quòd non experiamur libertatem potentiæ immediatè in ſe ipsâ, quantum ad ejus conſtitutiva nobis intrinſeca & poſitiva, nimirum quantum ad voluntatem & judicium in-

indifferens. Hæc enim sine dubio experimur: quod satis est, ut experimentaliter securi simus de totius exilentiâ libertatis; quia constituiva ista connectuntur ex naturâ rei cum cæteris, nempe cum decreto indifferenti, & cum carentiâ prædeterminationis, aut alterius principij necessitantis; ac proinde fundant securitatem & evidentiam physicam de positione cæterorum; nè enim miracula præsumuntur, nec eorum possibilitas obstat certitudini physicæ & experimentali. Hac ratione certò novimus, quòd ignis calefaciet, si applicetur, & lapis ex alto cadet, si dimittatur; quia scilicet experimur calorem ignis, & gravitatem lapidis, quibus debetur naturaliter concursus Dei, quoties ex conditiones adsint. Voluntas igitur, licèt non exigat indifferentiam judicij, nec decreti, circa objectum quodlibet (non enim innatè refugit visionem beatam, nec violentiam patitur in somno, in quo sæpe proponitur ipsi objectum sine indifferentiâ idoneâ libertati); exigit tamen ex propriâ naturâ, ut, quotiescumque adsit judicium indifferens, Omnipotentia indifferenter applicetur, nihilque accedat necessitans ad agendum, aut non agendum. Quo fit, ut per experientiam talis judicij nota sit nobis exilentia plenæ libertatis; utique sine discursu, vel certè non minùs facili, quàm quo innotescit potentia ignis ad calefaciendum: nec solùm nota redditur doctis, sed etiam indoctis; quia libertas solùm cognoscitur experimentaliter quoad *an est*, non quoad *quid est*; ut iterùm patet exemplo lapidis, aut ignis. Cæterùm actio libera plerúmque non connectitur ex naturâ rei cum indifferentiâ judicij ad libertatem sufficiente. Si tamen aliqua ex peculiari modo tendédi per se supponat judicium indifferens, illa quidem libera erit naturaliter, seu ex naturali exigentiâ; non verò essentialiter, quia potest necessaria reddi ex decreto Dei.

## CAP. IV.

### *AN SIT POSSIBILIS PURA omissio libera?*

72. OMISSIO, ut nunc sumitur, est suspensio, seu non positio alicujus actûs voluntatis. Dicitur *omissio non pura*, quando causatur ab alio actu ejusdem voluntatis incompossibili cum actu omisso; sive causetur directè, ut cùm amor omittitur ex vi nolitionis amandi, vel ex odio ejusdem objecti; sive indirectè tantùm, aut occasionaliter, ut si omittatur voluntio orandi ex volitione ludi, vel somni, vel alterius objecti cum oratione incompossibilis. Dicetur verò *pura omissio*, si à nullo positivo actu voluntatis causetur, nec directè, nec indirectè. Unde, si quis amorè Dei sic omittat, ut nec habeat odium Dei, nec reflexam nolitionem amandi, nec alium affectum cum Dei amore incompossibilem; hujus amoris puram omissionem habebit, cùm ali forte habeat affectus alios cum amore Dei non insociabiles; hi namque non obstabunt puritati omissionis; quia non agitur nunc de omissione omnium simul actuum voluntatis, sed de omissione alicujus tantùm, quæ *pura* dicatur, eò quòd non sit inducta vel determinata per alium actum insociabilem cum omisso.

73. Nemo dubitat, quin dari possit pura omissio necessaria ex defectu alicujus prærequisiti ad actum omissum, v. g. ex defectu cognitionis objecti. Solùm est dubium, an dari possit liberè, ita ut voluntas, quando libera est ad actum A., illum omittat, non alium eliciendo actum incompossibilem? Negantem sententiam tenent Thomistæ frequenter, & è Nostris Cardinal. Pallavicinus, Alderete, Quiros, & alij, præsertim Recentiores. Sed affir-

man-

mantem amplectuntur PP. Hurtado, Arriaga, Ripalda, Oviedo, & plerique Noſtrorum cum P. Suar. diſp. 19. Met. ſ. 4. n. 8., & in 1. 2. tr. 5, d. 3. ſ. 2.: item Scotiſtæ cum Scoto apud Mair. hic diſp. 7. n. 81., & nonnulli Thomiſtæ. Quæſtio hæc fuſiſsime diſputatur in Theologiâ; ubi etiam inquiritur, an pura omiſſio poſsit eſſe peccaminoſa? an mernoria? & an etiam in Deo ſit poſsibilis? à quibus quæſtionibus, utpotè alieni juris, nunc abſtinendum; ſolùmque diſputandum, nec prolixè nimis, an libera eſſe queat in voluntate creata? Præferenda eſt pars affirmans: tum quia non urgent argumenta negàtis, ut oportebat in quæſtione de poſſibili: tum quia rationibus poſitivis probari ſolet ſatis validis.

74 *Probatur* ergo 1.: dari poteſt libertas contradictionis ad amorè Dei, ſine libertate contrarietatis; cùm latiùs illa pateat, quam illa, ut omnes ſupponùntilled illa erit libertas ad omittèdum amorem ſine poſitione alius actûs incòpoſsibilis: ergo erit libertas ad puram omiſsionem. *Prob. Min.*: libertas purę contradictionis non eſt ad actus poſitivos inſociabiles, ſed immediatè ad agendum & non agendum: ſi ergo detur ad amorem, erit libertas ad illum non agendum, ſeu omittendum, ſine poſitione alius &c.. *Antec.* negatur ab Adverſarijs; qui libertates contrarietatis & contradictionis in eo diſcriminant, quòd libertas contrarietatis ſit ad actus contrario modo reſpicientes idem objectum, ut ſunt amor & odium; libertas verò contradictionis ſit ad actus ex alio capitè inſociabiles, nempe vel quia reſpiciunt objecta incompoſsibilia, vel quia alter eſt reflexa nolitio alterius, cujus proinde omiſsionem cauſat. Voluntatem ſaque, omiſsionem amoris nunquam eſſe immediatè liberam, ſed mediatè ſolùm, quatenus reſultat ex nolitione amandi, vel ex alio actu liberè poſito.

75 Sed contra hanc doctrinam *prob.* illud *Antec.* 1. ex ipſo nomine, ac definitione libertatis cõtradictionis. Sicut enim libertas *contrarietatis* ſic appellatur, quia eſt immediate ad extrema contraria; ita & *contradictionis*, quia eſt immediate ad extrema contradictoria; cujuſmodi non ſunt actus poſitivi, ſed ſolum agere & non agere, ſeu actus & omiſsio ejus. Idcirco libertas hæc ab omnibus definitur per poteſtatem *operandi & non operandi*, minimè verò per poteſtatem *operandi ſic vel aliter*, per quam potiùs definienda foret, ſi non eſſet immediata libertas ad non operandum; vitioſe quippe definietur per extremum unum immediatum, & alterum mediatum, cum poſsit per utrumque immediatum definiri, ſicuti definitur libertas contrarietatis. 2.: quia, ſtante doctrina memorata, nulla erit libertas, niſi contrarietatis, vel, quod idem eſt, nullâ erit, niſi ad actus contrarios: omnes enim actus, quibus amor excluditur à ſubjecto, contrarij ſunt amori; ſicut omnia accidentia, quibus calor à ſubjecto expellitur, ſunt calori contraria: ſignanter verò quid magis contrarium amori, quàm nolitio amandi? *Urgetur*: quia nunquà dari poterit libertas quoad exercitium ſine libertate quoad ſpecificationem, contra quod omnes aſſerunt. Nulla quippe libertas erit poſsibilis, quę non ſit ad actus ſpecie differentes, vel quæ poſsit aliter abſtinere ab exercitio amoris, niſi exercendo actum ſpecie diverſum.

76 *Probatur* 2. eadem pars affirmans. Poſitâ duplici cognitione unius objecti, altera ſub ratione boni, alterâ ſub ratione mali, voluntas libera eſt ad amorè & odium, etiamſi nullum alium poſsit actum elicere; id eſt certum: ſed tunc poteſt omittere ſimul amorem & odium: ergo poteſt purè omittere. *Conſequentia* eſt legitima, ſiquidem non adeſt tunc poteſtas ad alium actum. *Prob. Min.*: quia tunc nullam eſt principium va-

vagè neceſsitàs ad amorem vel odium. Si enim aliquod eſſet, maximè cognitio; nam decretum Dei ſupponitur de facto attemperatum ad exigẽtiam cognitionis. Tunc autem nulla eſt cognitio, quæ vagè inclinet, nedùm neceſſitet, ad amorem vel odium: ſolùm quippe adſunt cognitiones duæ, quarũ altera inclinat determinatè ad amorẽ, altera determinatè ad odium. *Dices*, in complexo utriuſque conſiſtere neceſsitatem vagam. Sed *contrà*: per illud complexum non repreſentatur objectum ut vagè amabile vel odibile; non enim cõplexum addit repræſentationem diverſam, aut aliquem repræſentandi modum in neutrà cognitione repertũ: nequit ergo tale complexum inducere neceſsitatem vagam ad amandũ vel odio habendum. *Prob. Conſequ.*: quia cognitio, ſive una, ſive duplex, non aliter neceſsitat, niſi quatenùs movet; & non movet, niſi juxta vim & modum repreſentationis. *Urgetur*: nulla cognitio neceſsitat determinatè ad amorem, niſi proponat objectum ut neceſſariò amabile; nulla item determinatè ad odium, niſi objectum proponat ut neceſſariò odibile: ergo nulla neceſsitat vagè ad amorem vel odium, niſi proponat objectum vagè ut neceſſariò amabile vel odibile. At illa duplex cognitio, etiam complexivè aut ſimul ſumpta, non ita vagè proponit objectum: ergo &c.

77 *Probatur* 3. Poteſt quis eſſe liber ad volitionem objecti A. cum ſolâ libertate quoad exercitium, quàm vis actu nõ cogitet de objecto alio incompoſsibili, ut experientia docet: ſed tunc poteſt libere omittere illum actum, & non poteſt alium elicere cum eo inſociabilem: ergo eſt liber ad parè omittendum. Negabis *Min.* quoad 2. partem; quia debet tunc eſſe libertas ad nolitionem reflexam illius actûs; debetque proinde in ejus omiſsione cognoſci ratio aliqua boni, vel (quod idem eſt) in volitione ipſa cognosci debet aliqua ratio *mali*, ſeu aliqua difficultas, aut molestia, vi cujus reddatur reflexè nolibilis. Sed *contrà* eſt, quòd, licèt ad volendum *præ*requiratur cognitio aliqua volitionis, quia hæc vult exercitè ſemetipſam, ut cum P. Suar. advertimus diſp. 7. n. 85.; attamen, ut volitio ſit libera quoad exercitiũ, non debet cognoſci ut reflexè nolibilis. *Prob.*: quia inde fieret, ut nolitio reflexa, cùm etiam ſit libera quoad exercitium, deberet cognoſci pariter ut nolibilis per aliam reflexam nolitionem; & hæc ité eâdem ratione per aliam, & ſic in infinitum: unde non poſſet libera eſſe volitio directa ſine infinitis in intellectu reflexionibus, & ſine libertate ad actus reflexos infinitos; quod eſt planè abſurdum.

78 Video, hoc argumentum eludi poſſe ab Adverſarijs. Fortius erit, ſi proponatur ſic. Detur libertas ad amorem & odium ejuſdem objecti, ſimulque ad reflexam nolitionem amoris, eo quòd amor aliquatenùs appareat incommodus. Tunc poterit voluntas elicere odium, omittendo, non ſolùm amorem, ſed etiam reflexam amoris nolitionem: nam ad amorem omittendũ proculdubiò ſufficit odium ejuſdem objecti, nec opus eſt reflexâ nolitione amandi: & hæc etiam nolitio poteſt omitti, dum ponitur odium, quia hoc cum illâ nõ connectitur; non enim ex eo, quòd oderis objectum, teneris expreſsè dicere, *nolo amare*. Atqui voluntas, ita ſe gerens in eo eventu, purè omittit nolitionem amandi: jam ergo poſsibilis eſt pura omiſsio libera alicujus actûs. *Prob. Min.* ſubſump.: quia tunc volũtas nullum ponit actum cum tali nolitione inſociabilẽ; odium enim objecti, licet non inferat nolitionem amandi, cum eâ tamen ſociari poteſt, ut eſt certum. Si dicas, non poſſe tunc omitti nolitionẽ amandi, niſi per aliam ejus nolitionem reflexam. Infero: ergo tunc voluntas debet etiam libera eſſe ad no-

nolitionem nolitionis. At in hac secundâ nolitione redit argumentum. Nam, si tunc voluntas amet objectum, consequenter omittet odium, & nolitionem amandi; poteritque simul omittere nolitionem secundam; quia ex eo, quòd amet, non tenetur dicere, *nolo nolle amare*: hanc ergo secundam nolitionem purè omittet, siquidem solùm ponet amoris actum, qui certè non est incompossibilis cum nolitione nolitionis amandi. Si recurras ad nolitionem aliam tertiò reflexam: hęc ipsa eodem argumento probabitur omissibilis purè, ac liberè, si loco amoris ponatur odium. Atque ita jam amoris, jam odij positione urgeberis, donec incidas in absurdum infinitarum reflexionum, vel admittas puram omissionem liberam alicujus actûs.

79 *Probatur* 4.: si voluntati proponatur pura bonitas objecti A., & simul in ejus amore difficultas aliqua, nullaque alia cognitio adsit, voluntas profectò libera est ad amandum & non amandum objectum A., etiam juxta Contrarios, cùm possit amorem reflexè nolle. Tum sic: voluntas in eis circumstantijs libera est etiam ad imperandum reflexè amorem directum: sed potest voluntas tunc purè omittere imperium reflexum: non ergo repugnat pura omissio libera. *Major* constat; quia tunc adest cognitio sufficiens ad reflexam nolitionem amoris: ergo etiam ad imperium seu volitionem reflexè amandi: non enim voluntati proponi potest suus amor ut purè nolibilis, sive ut purè malus, quando adest libertas ad amandum, ut est manifestum: nam alioqui non posset tunc voluntas amore ipso exercitè velle amare. Fac adesse cùm cognitionem hanc, *Honestum est, sed laboriosum, amare objectum A.*: certè cognitione istâ nò redditur amor purè nolibilis. *Prob.* ergo *Min.*: potest voluntas in eis circumstantijs se immediatè determinare ad amorem objecti absque prævio imperio: potestas enim imperandi non tollit potestatem immediatam ad amorem, cùm adest cognitio bonitatis objecti, & alioqui libertas puræ contradictionis (quæ juxta Adversarios cõstituitur per potestatem nolẽdi, & consequenter etiam volendi amare) nunquàm esset immediatè determinabilis per amorem; quod nemo dixerit. At, si tunc voluntas se immediatè determinat ad amorem, purè omittet imperium, seu reflexam volitionẽ amandi. *Prob.* hoc: quia tunc omittitur imperium, & nihil ponitur cum eo incompossibile: nolitio enim amoris certè non ponitur: amor ipse cum imperio non pugnat: & ad alios actus deest cognitio in eâ hypothesi.

80 Si *dicas*, debere tunc elici nolitionem imperij. *Contrà* 1.: jam falsum erit, quod passim Adversarij docent, ad libertatem amoris sufficere cognitionem objecti amabilis, & difficultatis in amando: erit enim insuper necessaria cognitio imperij, quæ regulet nolitionem imperandi. *Contrà* 2.: si debet imperium esse reflexè nolibile, simul erit reflexè volibile, sive alio imperio imperabile; non enim proponi potest ut purè nolibile, ut nuper diximus de amore directo: si ergo voluntas se immediatè determinet ad primũ imperium, purè omittet imperium imperij; quia nihil ponet cum eo incompossibile, ut patebit cõsideranti. Quodsi velis, ut hoc etiam secundum imperium omittatur per nolitionem sui, teneberis illud etiam ponere reflexè volibile, seu imperabile per tertium imperium; in quo fieri potest idem argumentum, & sic in infinitum. Nec prodest negare cum P. Quiros, dari posse de facto imperium efficax amoris in eodem instanti eliciendi ab eâdem voluntate. Nam imprimis non ita censent reliqui Adversarij. Deinde non negat Quiros, dari posse divinitùs libertatẽ ad imperia illiusmodi; quod nobis sufficit.

cit. Postremò neque ipse negat possibile naturaliter imperium inefficax: & in hujus omissione procedit pariter nostrum argumentum.

81 Denique, omissis alijs haud magni roboris argumentis, nostra sententia probari potest contra Thomistas ex eorũ principijs. Si enim, posità libertate in actu primo sufficiẽte ad amandum, Deus neget (ut certe potest) physicam prædeterminationem ad amorem, & ad omnem actum cum amore insociabilem, dabitur pura omissio amoris: sed ea omissio erit libera: ergo &c. *Prob. Min.* : ea omissio conjungetur cum actu primo libertatis antecedentis & absolutæ ad amorem; hæc enim libertas juxta Thomistas non cõstituitur per physicam prædeterminationem, nec per ejus defectum tollitur. At omissio amoris posita in voluntate vere & absolutè liberâ in actu primo ad amandum, est omissio libera. Patet hoc: quia est omissio liberè impedibilis: qui enim verè potest liberè amare, potest utique omissionem amoris liberè impedire. Idem est argumentum, si Deus deneget concursum simultaneum ad omnem actum, quando existit tota libertas in actu primo proximo ad operandum: quod utique fieri potest; siquidem hæc libertas in creaturâ non constituitur per Omnipotentiam applicatam ad concurrendum, sed per sola comprincipia creata, ut volunt plures Thomistæ moderni. Item, si Deus nolit concurrere, vel physicam prædeterminationem concedere, stante judicio indifferenti; quo stante, fieri nequit, etiam divinitùs, ne voluntas sit libera, juxta communem sententiam Thomistarum apud Jo. a S. Thoma hic q. 12. art. 2.

82 Ad extremum observa, quòd, licèt pura omissio actûs directi raro contingat, eo quod voluntas difficulter se continere possit ab omni affectu circa objectum indifferenter proposito, nisi ad aliud incompossibile divertat (quo sensu dicunt plures nostræ sententiæ Authores, puram omissionem liberam esse moraliter impossibilem); pura tamen omissio libera alicujus actûs reflexi non infrequenter accidit; ut satis colligitur ex 3. & 4. probatione. Observa rursùs, quòd S. Thomas nostram sententiam tenet, tum in 2. d. 35. q. 1. ar. 3., tum 1. 2. q. 6. ar. 3., ubi accipit *voluntarium* pro libero, ut constabit legenti. Dum autem q. 2. de malo ar. 1., & 1. 2. q. 71. ar. 3. requirit aliquem actum, qui sit omissionis causa, vel occasio; inprimis loquitur de omissione peccaminosâ: ac deinde, quidquid ibi dicit Angelic. Doctor, potest facilè intelligi de omissione prout moraliter aut regulariter concingente. Observa demùm, quòd non solùm unius, sed omnium simul actuum hîc & nunc liberorum, possibilis est pura omissio libera; ut ostendit præsertim probatio allata n. 76.: nec in hac omissione collectivâ peculiaris est difficultas, quæ non facillimè dissolvatur. Vid. P. Oviedo hic controv. 10. p. 2.

## CAP. V.

## *ARGUMENTA SENTENTIÆ negantis dilauntur.*

83 *Objic.* 1.: voluntas liberè omittens, reducitur ad actum secundum, per quem determinatur ejus indifferẽtia in actu primo habita: debet ergo tunc ponere aliquẽ actum. *Dist. Antec.*: reducitur ad actum secundum negativum, *conc.*; positivum, *neg. Antec.*, & sub eadem distinctione *Consequ.*. Cùm libertas in actu primo ex conceptu suo sit facultas agendi & non agendi, duplex illi actus secundus, seu duplex exercitium immediatè respondet, nimirùm *agere*, & *non agere*; quorum alterum est positivum, respõderque voluntari prout potenti agere; alterum negativum, quod voluntati res-

ponderet ut potenti non agere. Dum ergo voluntas liberè omittit, ipsum *non agere* meritò dicitur exercitium libertatis, sive actus secundus negativus. *Replic.* 1.: si potentiæ in actu primo liberè non additur exercitium positivum, ipsâ nihil additur: ergo potentia non reducitur ad actum secundum, sed manet in puro actu primo. *Dist. Antec.*: nihil additur, ideſt, nulla entitas, *conc.*; nihil, ideſt, nulla nec entitas, nec privatio, *neg. Antec.*, & *Conſequ.*: verè quippe additur privatio actûs producibilis in hoc instanti; non enim privatio hæc se tenet ex parte actûs primi, nec pertinet ad signum prius libertatis, ut notum est.

84 *Replic.* 2.: potentia positiva non est ad exercitium negativum: sed potentia libera, est positiva: ergo. Concedo *Maj.* de potentiâ positivâ non habente dominium sui actûs: nego verò de potentiâ, tali dominio prædità, qualis est potentia libera: hæc enim se, dominatúque suum verè exercet omittendo imputabiliter actum positivum; quàmvis ipsa verè dicatur & sit potentia positiva, etiam prout comparatur ad exercitium negativum, id est, ad omissionem ut imputabilē: quia prout concepta sub comparatione hac, impræscindibilis est à præcontinétiâ exercitij positivi: nisi enim intelligatur potens amare, nequit intelligi potens amorem omittere imputabiliter, seu dominativè. *Replic.* 3.: omissio intellectionis nequit esse exercitium potentiæ intellectivæ: ergo nec omissio volitionis, potentiæ volitivæ. *Neg. Conſequ.*: quia potentia intellectiva, cùm non habeat dominium sui actûs, nunquam illum omittit ex propriâ vi, seu potestate, sed solùm ex defectu alicujus prærequisiti ad operandum, quo reddetur impotens operari. Unde intellectus actualis, nullam tunc exercet potestatem; quia non omittit intellectionem ex potentiâ non operandi, sed ex impotentiâ operandi: quod etiam accidit voluntati, dum volitionem omittit non liberè, v. g. ex defectu cognitionis. At, dum voluntas libera est, non solùm potest operari, sed etiam potest non operari; ut constat ex definitione potentiæ liberæ. Quare volitionis omissio non tum provenit ex impotentiâ operandi, sed ex verâ potestate non operandi, quæ utique exercetur omissione ipsâ.

85 *Objic.* 2.: pura omissio libera, si daretur, esset voluntaria, cùm omne liberum sit voluntarium: sed voluntaria esse nequit: ergo &c.. *Prob. Min.* 1.: quia voluntarium definitur, *Quod est à principio intrinseco cum cognitione finis*: at pura omissio, cùm nihil sit, nequit esse à principio intrinseco. 2.: quia omne voluntarium est vitale, cùm sit exercitium vitalis potentiæ, quâ talis: omissio autem pura nihil vitalitatis habet. 3.: quia pura omissio est carentia omnis voluntarij: non ergo voluntaria esse potest; sicut carentia lucis nequit esse lux. *Resp.*. Voluntarium dicitur bifariàm: 1. intrinsecè & elicitivè: 2. extrinsecè ac dominativè. Voluntarium primo modo est, quod à voluntate positive elicitur ex motione finis. Voluntarium secundo modo est id, cujus positio vel exclusio immediatè subjacet dominio voluntatis: & quia voluntarietas hujusmodi constituitur per dominium ipsum, seu per libertatem in actu primo, ideircò dicitur extrinseca. Hinc omnis volitio libera utroque modo est voluntaria: volitio necessaria solùm est voluntaria primo modo: & pura omissio libera, modo tantùm secundo; quia nimirùm, licèt à voluntate non fit elicitivè, ejus tamen exclusio immediatè subjacet dominio voluntatis, quæ potuit illam immediatè impedire positionè actûs omissi. Hoc sensu *neg. Min.* objectionis.

86 *Ad* 1. & 2. *prob.*. Ad voluntarium intrinsecum pertinet quidem egre-

egredi seu esse directè à principio intrinseco, & esse formaliter vitale; secùs verò ad voluntarium purè dominativum, quod solum in purâ omissione liberâ reperitur: tali quippe voluntario sufficit subjacere dominio voluntatis; quia censetur eo ipso esse à voluntate *indirectè*, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 6. ar. 3.; & consequenter est etiam vitale præsuppositivè, supponendo scilicet principium vitale & intrinsecum operationis, quâ possit impediri. Unde pura omissio dici potest exercitium vitalis potentiæ, quâ talis, non vitalitate explicandâ per omissionem ipsam, sed vitalitate explicabili per actum oppositum. *Ad 3.* Verum est *Antec.* de voluntario intrinsecè tali; falsum verò de omni voluntario extrinsecè: voluntarietas enim extrinseca, seu dominativa, non modò reperitur in actibus liberis, quorum carentia est pura omissio, verùm etiam in quocumque immediatè impedibili à voluntate, tametsi merè negativum sit. Doctrina hęc est Angelici Doctoris q. 2. de malo ar. 1. ad 2., ubi sic ait: *Aliquid dicitur esse voluntarium, non solùm quia cadit sub voluntatis actu, sed etiam quia cadit sub potestate voluntatis: sic enim & ipsum non velle dicitur voluntarium, quia in potestate voluntatis est velle & non velle.* Item 1. 2. q. 6. ar. 3. in argum. *Sed contrà*, ubi, *Illud*, inquit, *cujus domini sumus, dicitur esse voluntarium: sed nos domini sumus ejus quod est agere & non agere, velle & non velle: ergo, sicut agere & velle est voluntarium, ita & non agere & non velle.* Id ipsum confirmat in corp. art., & posteà q. 71. art. 5. ad 2..

87 *Instabit* 1.: ergo etiam pura omissio necessaria poterit esse volitaria, cùm necessitas voluntarietatem haud tollat, ut patet in amore beatifico. *Neg. Consequ.*: quia pura omissio necessaria, inprimis nequit esse voluntaria intrinsecè, cùm non sit volitio; deindè nec extrinsecè, quia non subest dominio voluntatis, aliàqui necessaria non esset. Itaque necessitas cohæret ei voluntarietate intrinsecâ, ut in amore beatifico; non ita verò cum extrinsecâ, seu dominativâ, cujus tantùm est capax omissio pura: quia necessitas excludit dominium in actu primo, ex quo voluntarietas ista constituitur eo ferè modo, quo libertas actûs ex libertate potentię: quare voluntarietas extrinseca est impræscindibilis à libertate in actu primo. *Instab.* 2.: omissio potest esse mediatè voluntaria, quàmvis non sit mediatè libera; ut siquis volitione necessariâ velit omittere odium objectis: ergo & poterit esse immediatè voluntaria, licèt non sit immediatè libera. Iterùm *neg. Consequ.*. Disparitas in eo est, quòd omissio reflexè volita habet unde participet voluntarietatem mediatam sine libertate, nimirùm à volitione sui, quæ potest esse intrinsecè voluntaria, etiamsi non sit libera: at omissio non volita per actum positivum, si non habet voluntarietatem extrinsecam titulo liberatis, cùm aliunde non sit intrinsecè voluntaria, omni voluntarietate careat necesse est.

88 *Instab.* 3.: omne voluntarium debet esse aliquomodò volitum, saltem exercitè. *Resp.*. Debet quidem, si est intrinsecè voluntarium: non aliter. Eadem ello responsio, siquis objiciat, quòd liberum & voluntarium est quædam differentia entis positivi: vel etiam, quòd omne voluntarium procedit ex inclinatione innatâ voluntatis. Ac denique negâdum, quòd pura omissio amoris v. g., ideò sit voluntaria, quia est virtualiter aut interpretativè nolitio amoris: nam, præcisis interpretationibus, voluntaria erit omissio pura, hoc ipso quòd immediatè sit sub dominio & potestate voluntatis, ut nos docuit supra D. Thomas.

89 *Objic.* 3.: voluntas, utpotè rationalis potentia, nequit se liberè determinare, nisi ex aliquo motivo seu

fine: sed pura omissio nullum habere potest finem aut motivum: ergo voluntas nequit se liberè determinare purâ omissione. *Prob. Min.* quia pura omissio, cùm sit pura negatio, vel purum non esse actûs positivi, nullam potest habere tendentiâ aut respectum intrinsecum ad objectum; nec est intrinsecè diversa, quando ponitur necessariò, & sine motivo, videlicet quando nulla præit objecti cognitio. *Confirm.* 1.: possunt voluntati simul proponi duo motiva incompossibilia, quibus invitetur ad omissionem sacri in die festo, v. g. venatio, & ludus: tum, si voluntas purè omittat volitionem sacri, omissio hæc nō est inprimis propter utrumque illud motivum simul sumptum, siquidem apparent inter se incompossibilia: nec deinde propter aliquod eorum in particulari, cùm omissio para ex se nō magis unum, quàm alterum respiciat: erit igitur sine ullo motivo. *Confirm.* 2.: nullum exercitium liberum dari potest sine cognitione dirigente: at nulla cognitio dirigit ad puram omissionem; quia nulla dirigit, nisi quatenùs proponit objectum ut amore vel odio dignū, adeòque nulla dirigit nisi ad amorem, vel odium.

90 *Ad objecta.* plures concedunt puræ omissioni liberæ motivum directum, & immediatum, extrinsecū tamen, & interpretativum, aut virtuale, illud scilicet, quod cognitione proponitur ut retrahens ab actu omisso: quod quidem dicitur extrinsecum, quia omissio non illud intrinsecè respicit; & interpretativum, aut virtuale, quia omissio perinde ab eo procedit hic & nunc, aut perinde ponitur ex vi ipsius, ac si illud respiceret intrinsecè. In casu autem 1. *confirm.* dicunt, omissionem esse propter utrumque motivum indeterminatè, seu vagè. Et ad 2. *confirm.* dicunt, cognitionem objecti ut odibilis, aut amore indigni, posse dirigere ad omissionem amoris, etiamsi non ponatur odium. *Sed* magis placet doctrina P. Suar. lib. 12. de Grat. cap. 2., quem plures alij sequuntur: quòd scilicet pura omissio libera nullo indiget motivo propriè ac directè in ipsam inclinante, neque ullum respicit etiam interpretativè, cùm potiùs sit exclusio tendentiæ ac respectûs omnis in motivum. Immò videtur omninò repugnare motivum immediatè afficiens ad omissionem actûs voluntatis: tum quia motivum ejusmodi voluntatem moveret in actu secundo, quando voluntas non moveretur, sed potiùs omnè careret motu; quod implicat in terminis: tum quia causalitas in genere causæ finalis, quę propria est motivi, existeret sine actione causę efficientis; quod pariter implicat.

91 Habet tamen pura omissio libera motivum indirectum & permissivum, illud nempe, quod cum indifferentiâ inclinat in actum omissum. Nam bonitas objecti, dum ad amorem sic invitat, ut non compellat amare, seu non tollat libertatem amandi, eo ipso permittit seu non impedit omissionem amoris: & hoc est movere *indirectè ac permissivè* ad omissionem: quemadmodùm ex eo, quòd Deus ita velit actum honestum liberum, ut non impediat inhonestum, dicitur velle purè permissivè actum peccati. Voluntas ergo indiget motivo directè ac positive movente, ut se determinet ad agendum; minimè verò, ut se determinet ad non agendum: nam ad hoc satis est, quòd ita possit agere, ut nullo motivo compellatur agere. Unde, si rogetur, cur amorem omittat? non debet rationem reddere positivam, sed negativam tantùm, videlicet *Idcò non amo, quia bonitas objecti nunc cogniti non me necessariò rapit, nec amare compellit*: nec titulo potentiæ rationalis aliā indiget ratione voluntas, ut per exercitium negativum se liberè determinet.

92 *Dices*: voluntas non posset amo-

amorem objecti liberè omittere, nisi adesset cognitio retrahés ab amore: hæc autem cognitio non aliter retrahit, nisi quatenus proponit & applicat motivum non amandi, seu odio habendi objectum idem: hoc ergo motivum censeri debet proprium omissionis. *Accedit*, quòd omissio hîc & nunc pendet aut procedit à tali cognitione retrahéte: sed non aliter ab eâ procedit, nisi quatenus manifestante motivum retrahens ab amore: vere igitur ex tali motivo procedit hîc & nunc. *Resp.* Posset inprimis negari ex dictis suprà n. 9. quòd ad libertatem contradictionis requiratur cognitio positivè retrahens. Deinde, si talis cognitio necessaria est, solùm requiritur ad omissionem tamquam conditio sine quâ non, ut cognitio invitans ad amandum non tollat libertatem, seu non necessitet ad amorem, sed permittat omissionem amoris, nisi enim adesset cognitio retrahés, voluntas necessariò amaret ex vi cognitionis allicientis, ut objectio supponit. Nec refert, quòd cognitio non aliter retrahat, nisi proponendo & applicando motivum aliquod: non enim ideò motivum hoc est proprium omissionis: quia nunquam proponitur motivum purè non amandi, sed semper aut odio habendi, aut positivè nolendi amare, dum scilicet in amore ipso apprehenditur aliquid incommodi. Quare motivum istud sub munere motivi non conducit ad omissionem amoris purâ, licèt conducat sub munere conditionis in sensu explicato. Ratio est: quia non allicit immediatè ad omittendum, sed mediatè duntaxat, medio nimirùm actu positivo nolitionis, aut odij, qui actus, si existeret, omissionem redderet non puram: & cùm non existit, suspensam relinquit in motivo suo vim alliciendi ad omissionem.

93. Nec item refert, quòd pura omissio pendeat aut procedat hîc & nunc à cognitione retrahente, etiam ut manifestante motivum retrahens ab amore: non enim ab eâ procedit ut manifestante motivum purè omittendi, sed ut manifestante motivum actûs amori oppositi, atque ita gerente munus conditionis sine quâ non, ut omissio amoris permittatur à motivo amandi. Ubi notandum, quòd etiam motivum odij dici possit permissivè movere ad puram omissionem amoris: quia hæc omissio, quatenus pura, involvit etiam omissionem odij, quam permittit motivum illud, dum libertatem haud tollit; ut autem non tollat, ipsi est pro conditione, sine quâ non, cognitio invitans ad amorem; nam utrumque motivum, & utraque cognitio, sibi invicem sunt conditiones ad non auferéndum libertatem, & consequenter ad permittendam omissionem actûs uni cuique respondentis. Immò, si velis, ut motivum odij dicatur etiam permissivum relatè ad omissionem amoris ut conditionem ab omissione odij, permitto licèt, dummodò nullum adstruas motivum immediatè ac directè inclinans ad omittendum.

94. Jam ad *objecta* n. 89. concessâ *Maj.* de motivo, vel directo, vel indirecto, *dist. Min.*: nullum habere potest motivum directum, *conc.*: indirectum seu permissivum, *neg. Min.*, & *Consequ.* Ad *prob.* concedo quidquid in eâ dicitur: sed nihil inde contra motivum indirectum ac purè permissivum, prout à nobis explicatum est. *Ad* 1. *Confirm.*: pura omissio, propriè loquendo, nunquam est propter motivum ullum. Tum quia tò *propter* indicat tendentiam intrinsecam in motivum, cujus tendentiæ incapax est omissio pura: esse autem ex motivo purè permissivo, non est illud respicere, aut propter illud esse, sed est ab eo non impediri. Tum quia repugnat, ut vidimus, motivum immediatè allicians ad omittendum: hujusmodi autem esset id, propter quod propriè daretur pura omis-

omissio. Itaque in casu proposito pura omissio volitionis sacri non esset propter ludum, aut venationem; sed esset purè permissivè ex motivo alliciente ad sacrum, quatenùs non auferente libertatem, atqueadeò quatenùs conjuncto cum alijs motivis in actus oppositos inclinantibus, quæ se haberent ut purę conditiones, vel etiam ut motiva purè permittentia omissionem ipsam ut puram; pro quo manere parùm refert quòd sint vel non sint incompossibilia. *Ad 2. Confirm.*: nullum quidem exercitium liberum, seu positivum, seu negativum, dari potest sine cognitione dirigente: hoc tamen discrimine, quòd exercitium positivum requirit cognitionem positivè dirigentem ad ipsum; negativum verò, cognitionem solùm permissivè dirigentem, ideſt, ita dirigentem ad actum, ut ejus omissionem non impediat, sed permittat: quod genus directionis hæc potest, etiamsi cognitio solùm proponat objectum ut amore vel odio dignum.

95 Notandum hìc, puram omissionem liberam essentialiter dependere à cognitione prævià permissivè dirigente, non in esse omissionis specificativè sumptæ, sed in esse liberę, quia in esse talis constituitur per libertatem in actu primo, sicut de volitione diximus cap. 2.; in quâ libertate proculdubiò includitur cognitio. Ipsa quòque omissio specificativè sumpta, dum libera est, pendet hìc & nunc, tametsi contingenter, ab eâ cognitione, quæ de facto præit, tamquàm à causâ morali, vel conditione aliquomodò conducente ad omittendum: hæc autem dependentia consistit in coexistentiâ utriusque, juxta doctrinam & explicationem in simili datam suprà n. 31. & seqq.. Neque hinc sequitur, quòd etiam sufficiet coexistentia omissionis cum cognitione motivi directi, seu directè invitantis ad omittendum, ut omissio dicatur pendere hìc & nunc à motivo directo. Jam enim ostendimus, nullum esse motivum directè invitans ad omissionem, nisi mediatam, seu non puram: quare, dum immediata, seu pura est, non potest coexistere cognitioni illius motivi, quod respectu ipsius directum sit, aut plusquàm permissivum.

96 *Objic.* 4.: nulla causa potest ultrò impedire perfectionem sui positivam, nisi ut illam perfectione aliâ compenset: sed voluntas, purè omittendo, nullâ perfectione compensat positivam actûs perfectionem, quæ sua ipsius perfectio est: ergo nequit eam ultrò impedire purâ omissione. *Confirm.* 1.: repugnat causa formalis positiva, quæ habeat effectum formalem purè negativum: ergo & repugnat causa efficiens (cujusmodi est voluntas ut libera), cui respondeat actus secundus merè negativus. *Confirm.* 2.: appetitus innatus tendere nequit in puram negationem boni: sed voluntas in actu primo est appetitus innatus ad suos actus secundos: non ergo inter hos actus numerari potest omissio pura. Vel aliter: omne exercitium liberum, debet esse gratum voluntati; ideò enim voluntas liberè se exercet, quia sic ipsi placet: ergo debet esse conforme inclinationi voluntatis. Sed omissio libera ratione sui non est conformis innatæ inclinationi voluntatis: ergo debet esse conformis inclinationi elicitę, & consequenter debet esse volita, seu ex volitione aliquâ resultans.

97 *Ad objectt.*: doctrina *Majoris* vera est in causis naturalibus, seu necessarijs, quæ juxta directionem Authoris naturę semper appetunt quod sibi melius est, & naturaliter possibile; nec appetitui suo dominantur: falsa tamen in causis liberis, quæ ratione dominij libertatis eligere possunt minus bonum, immò & semetipsas omni perfectione liberè superadditâ privare. Et alioqui voluntas inter actus positivos,

ad

ad quos est indifferens, non posset non optimum aut meliorem elicere: nec posset libere peccare, quando potest elicere amorem Dei; non enim perfectio hujus amoris compensatur perfectione actûs pravi. *Ad 1. confirm. concess. Antec.*: nam, cum effectus formalis primarius constituatur ex causâ ipsâ formali, si hæc positiva est, nequit ille non esse positivus, licèt interdùm radicet negationem aliquam per modum effectûs secundarij. Neganda tamen est *Consequ.*, si fermo sit de causâ efficiente, quæ non solùm potest efficere, sed simul etiam potest non efficere, cujusmodi est ex conceptu suo definitivo causa libera.

98 *Ad 2.*: permissâ *Maj.*, quæ fortasse verti posset in dubium, *dist. Min.*: ad suos actus secundos positivos, *transeat*; tam negativos, quàm positivos, *neg. Min.*, & *Consequ.*. Nec appetitus innatus ad actus positivos, si datur, necessitatem infert ad eos eliciendos: *Non* enim voluntas *in illud, in quod naturaliter tendit, de necessitate fertur, sed voluntariè tendit, & potest illud non eligere*; ut loquitur D. Thomas in 2. d. 39. q. 2. art. 2. ad 3., differens de innatâ inclinatione voluntatis in bonum, & rationem subditæ, *Quia inclinatio naturalis, ut secundùm exigentiam naturæ indifferentis.* Nec certè posset aliter cum libertate sociari appetitus ille: cùm voluntatem trahere deberet ad actum melioris indolis, quæ est conditio appetitûs innati. Ad alteram *conformationis* formam negandum est, quòd omne exercitium liberum debeat esse voluntatis gratum, aut placens, plusquàm negativè: sufficit enim, quòd non sit positivè ingratum, seu displicens displicentiâ elicitâ, sicuti revera non est exercitium liberum parvæ omissionis. Quare solùm debet exercitium hoc esse inclinationi elicitæ conforme negativè, ideſt, non difforme. Nec absurdum erit, si dicatur esse difforme inclinationi innatæ voluntatis, qui profunde inferat violentiam aliquam: non enim ideò excedet facultatem potentiæ liberæ, siquidem inclinatio innata libertatem relinquit illæsam, ut modò vidimus.

99 *Objic. 1.* ex P. Quiros: si omissio amoris potest esse immediatè libera, erit etiam immediatè libera, quando voluntas ponit actum cum amore insociabilem, videlicet nolitionem amandi, vel odium ejusdem objecti. Voluntas enim pro signo priori ad nolitionem amandi, libertatem habebit immediatam ad omittendum amorem; à quâ libertate denominabitur omissio immediatè libera, quàmvis ipsi concomitanter accedat nolitio amandi. Sequela autè absurda est; quia inde fieret, ut quoties quis positivâ nolitione peccat contra præceptum affirmativum, committeret peccatum duplex, siquidem haberet duplex exercitium immediatè liberum contra legem, nempe nolitionem, & omissionem actûs præcepti. *Nego* sequelam, saltem si loquamur de peccato seu regulari usu ejusdem invasivæ libertatis: quia omissio amoris nequit esse immediatè libera, nisi vera sit, ideſt, conjuncta cum carentiâ omnis actûs amori repugnantis. Si enim adsit aliquis actus hujusmodi, debet existere pro priori ad omissionem amoris; quam proinde reddet solùm mediatè liberam, utpotè cum ipsâ infrangibiliter connexus, ut supponitur.

100 Ratio est: quia nolitio amandi (idem puta de odio) ex se ipsa est causare moraliter omissionem amoris, eam scilicèt efficaciter inferendo, ut nemo dubitare: & ab unde non existit dependenter ab omissione ipsâ, quasi effectus ejus: quia nec talis nolitio abeâ omissione invicem inferatur in nostris principijs, nec alio titulo debet eam ex parte causæ præsupponere. Nolitio igitur, dum omissioni coexistit,

cau-

causat eam moraliter, ac proinde præcedit. Patet *Consq.*: quia moralis causalitas, juxta doctrinam stabilitam supra n. 31. & seqq., consistit in coexistentia effectûs cum causâ ex se aptâ influere moraliter in talem effectum, & existente independenter ab ipso. Quapropter negandum est, quòd voluntas libertate habeat immediatam ad omissionem amoris ut sejunctam ab omissione nolitionis, vel ut ab eâ præscindentem: quia solùm potest immediatè omittere amorem omittendo simul omnem actum amori repugnantem; si enim aliquem ponat, omissio amoris pure mediata erit, seu mediatè libera. Hinc libertas in actu primo, non est forma ex se aptâ denominare omissionem amoris immediatè liberam, nisi ut conjunctam cum omissione omnis actûs amori obsistentis: & per hanc omissionem ipsamet amoris omissio constituitur in ratione subjecti ad talè denominationem idonei. Nec indifferentia cognitionis reddit voluntatem liberam ad omittendum, nisi vel immediatè in sensu diviso ab actu incompossibili, vel mediatè in sensu compositi.

101 *Dices* 1.: odium dari potest pro posteriori ad omissionem (quo in eventu non erit ejus causa moralis), si nimirùm, positâ libertate contrarietatis, priùs exerceat quis libertatem amandi & non amandi, omittendo amorem; ac deinde transeat ad exercendâ libertatem odio habendi & non habendi, eliciendo odium. *Resp.*, repugnare, quòd ea libertas priùs exerceatur per solam omissionem amoris (licèt fortè per nolitionem haud repugnet, si non in homine, saltem in Angelo), & postea per odium in eodem instanti: tùm propter dicta de causalitate moralitatum quia nequit libertas illa intelligi omittens amorem, nisi vel potè suspensivè sinat totum instans elabi sine amore, vel ejusdem positivè impediat ad amandum. Mitto alias hypotheses, quibus probare intendit Quiros, actum cum amore incompossibilè existere posse pro posteriori ad omissionem amoris: ea quippe, licèt admittantur, solùm probant, contingere hoc posse divinitùs, & ita quidem, ut actus ille vel non sit liber, vel procedat à novâ libertate, quæ ratione novæ cognitionis inadæquatè distinguatur à præcedenti: tunc autem si dicatur adesse peccatum duplex in trâsgressione præcepti affirmativi, transeat.

102 *Dices* 2.: saltem dari potest actus incompossibilis concomitanter cum omissione, quam proinde sinet esse immediatè liberam. *Prob.*: tum paritate actûs positivi, qui liberè haberi potest, quamvis concomitanter accedat aliquid cum illo connexum. Tum etiam, quia omissio in nostrâ sententiâ potest habere suum esse à voluntate, non expectato actu positivo: ergo potest à voluntate sic procedere, ut, quamvis oriatur simul actus positivus, non oriatur priùs, sed in signo eodem, vel concomitante. Si volitio, quia potest habere suum esse à voluntate sine imperio reflexo, non expectat imperium reflexum, cur omissio expectabit actum positivum? cùm etiam ad omissionem sola voluntas sufficiat. *Resp. neg.* assumptum: quia, ut vidimus, actus incompossibilis dari nequit, saltem actualiter, aut per se loquendo, nisi præcedat omissionem. *Ad prob.* pariter negandum, quòd aliquid cum actu positivo connexum connexione non mutuâ, possit eidem actui conjungi purè concomitanter: quia, si non existit pro posteriori, debet existere pro priori tamquàm causa moralis. Potest quidè omissio habere suum esse à voluntate, non expectato actu positivo; sed tum solùm, cùm actus ille simul omittitur. Exemplum imperij reflexi retorquetur nam volitio nequit coexistere imperio quin ab eo cauletur: ergo pariter &c.

Qua-

Quare, ſicut in communi ſententiâ libertas ad amandum cum vel ſine imperio, non aliter immediata eſt ad amorem, niſi quatenùs poteſt illum ponere omittendo ſimul imperium; ita libertas ad amorem & odium, non aliter immediata eſt ad omiſſionem amoris, niſi quatenùs poteſt omittere ſimul odium, quod, ſi exiſteret, foret inſtar imperij reſpectu omiſſionis amoris. Hinc una omiſsio per alteram conſtituitur in eſſe *immediatè libera*; ſicut actus imperabilis in eſſe *immediatè liberi* conſtituitur per omiſſionem imperij.

103 Obſervandum tamen, quòd amoris omiſsio libera non ſupponit omiſſionem odij pro priori poſitam (alioquin omiſsio libera odij præſupponeret etiâ omiſſionem amoris, daretúrque mutua prioritas inter has omiſſiones, quando voluntas utrúque actû liberè ac purè omittit): quia, licèt odium, cùm exiſtit, præcedere debeat omiſſionem amoris, propter ſuam cum ipsâ connexionem, cauſæ moralis propriam; omiſſiones tamen utriuſque actûs, liberè poſitæ, concomitanter ponuntur, nec altera alteram præcedit; idque propter contrariam rationem, quia nimirûm neutra connectitur cum alterâ, nec ex alterâ ſequitur, nec ex ſe apta eſt alteram moraliter cauſare. Hùc facit nuperum exêmplum imperij, quod, cùm exiſtit, præcedit actum imperatum; quem tamen actum non præcedit, ſed purè comitatur omiſsio imperij, cùm ponitur in eodem inſtanti. Et generatim, quotiès ab eâdem libertate procedunt in eodê inſtanti duo actus, vel quaſi actus, invicém inconnexi, neuter præcedit alterum, licèt fortaſsis alter altero indigeat ad accidentariam denominationê *immediatè liberi*.

104 *Objic.* 6.: ſi libertas poteſt immediatè exerceri per omiſſionem, poterit etiam per actionem tranſeuntem; nam ideò non poſſet, quia exercitium libertatis formaliter conſiſtit in *velle*, & *nolle*: at ab his non minùs deficit omiſsio pura, quàm actio tranſiens. Si dicas, poſſe omiſſionem eſſe voluntariam extrinſecè ac dominativè, idê dici poterit de actione tranſeunte. *Reſp. neg.* ſequelam; quia libertatis exercitium concipitur formaliter in *velle* & *non velle* (aut etiam in *nolle*, & *non nolle*) cum ſimultate poteſtatis ad utrumque, & ita quidem, ut ſò *non velle* non ſumatur infinitanter, ſed negantèr; ut conſtat ex definitione potentiæ liberæ, prout communiter explicatur. Ex his autem extremis alterum ſalvatur in omiſsione volitionis; neutrum verò in actione tranſeunte. Adde, quòd actio iſta, ſi foret immediatè libera, eſſet intrinſecè voluntaria, cùm ipſi conveniret voluntarij definitio; & aliunde non eſſet voluntaria intrinſecè, cùm non eſſet volitio.

105 Ad finem obſerva, quòd pura omiſsio libera paſsim dicitur eſſe *interpretativè*, *virtualiter*, aut *æquivalenter*, nolitio actûs omiſsi: quod intelligi debet *quoad effectum negativum excludendi actum omiſſum*; minimè verò quoad alia munera vel prædicata nolitionis, v. g. quoad intenſionem, quoad reſpectum ad motivum, &c. Sic pura privatio caloris dici poteſt frigus æquivalenter, quoad munus excludendi calorem; non tamen quoad effectum formalem poſitivum frigoris, vel quoad munus diſponendi ſubjectum ad formam aquæ. *Dices*: pura omiſsio amoris, ſi æquivalenter eſt amoris nolitio, erit æquivalenter ſuum contradictorium, cùm huic etiam nolitioni contradictoriè opponatur, utpotè formalis negatio vel omiſsio, non ſolùm amoris, ſed cujuſvis actûs cum amore infociabilis. *Reſp.*: pura omiſsio amoris non æquivalet nolitioni, quâ parte ipſi opponitur, ſed quâ parte involvit negationem aliam haud oppoſitam, videlicet negationem amoris: involvit enim, præter

negationem habet, ut ita habitis, quòd sibi actus amoris repugnantes, & prout est negatio cujuslibet eorum, non ei æquivalet, sed amori; & è converso, prout est negatio amoris, non æquivalet huic, sed nolitioni, vel odio, vel cuivis alij actioni exclusivo. Si hinc inferas, parem omissionem amoris æquivalere infinitis actibus. Inprimis *neg. Conseq.*, si loqueris de actibus hic & nunc libertis; hi quippe nunquam sunt infiniti. Deinde transeat *Conseq.* cum hac restrictione, *quoad effectum purè negativum excludendi amorem*: sic enim omnimoda privatio caloris æquivalet infinito frigori, quoad effectum negativum excludendi calorem omnem à subjecto.

106 Ex dictis permitti poterit sine incommodo, quòd voluntas diberè ac purè omittens amorem & nolitionem amoris, dicatur interpretativè simul volens & nolens amare: volens, quia nolitionem omittit: nolens, quia omittit amorem: dummodò tamen hoc intelligatur præcisè quoad manus purè negativum excludendi simul utramque actum, non quoad alia munera vel prædicata volitionis & nolitionis; eo nempe sensu, quo subjectum divinitùs privatum frigore & calore, diceretur interpretative frigidum & calidum. *Objicies*: ergo, si quis purè omittat amorem inflate præcepto, dicetur interpretativè volens servare præceptum, utpotè omittens nolitionem amoris. *Dist.*: dicetur interpretativè volens &c., præcisè quoad excludendam nolitionem amàdi (quam tum prohibet præceptum), *conc.* quoad positivam observantiam præcepti (quod utique præcipit amorem cum suis omnibus prædicatis), *neg. Consequ.*

107 Hinc etiam solves, quod aliqui objicient, fore scilicet, ut para omissio amoris præcepti esset peccatum incertè & indefinitè malitiæ; siquidem æquivaleret nolitioni amoris, quæ nolitio cum posset esse varię intensionis, & propter varia motiva, incertum est qualis & quantę malitiæ foret. Hoc, inquam, solves facile: nam omissio amoris non æquivalet nolitioni quoad intensionem, motivum, aut speciem: ideòque malitia omissionis pensanda non est ex malitiâ, quam ex ijs capitibus haberet nolitio; sed tantùm ex obligatione voluntatis in actu primo ad amandum, quę obligatio certa & determinata est: pura enim amoris exclusio (in qua solum omissio æquivalet nolitioni, præcindendo à motivo) tantę malitię est, quantum est debitum amandi, cui opponitur.

## CAP. ULTIM.

### *RECENSENTUR ACTUUM voluntatis divisiones variæ; & nonnullæ quæstiones breviter deciduntur.*

108 PLURIMA de variis actuum voluntaris divisionibus & speciebus disceptari possit, & ex professo à Theologis disceptantur. In præsenti, præter generalia, non nisi strictim specialia quędam delibabimus. Actus voluntatis dividitur 1. in *prosecutionem*, & *aversionem*: illa respicit objectum sub ratione boni; hæc sub ratione mali. Divisio illa comprehendit omnes actus voluntatis: & idem significare creditur, ac divisio in *amorem*, & *odium*, quæ pariter adæquata censeri solet. Sunt tamen, qui putent, dari posse prosecutionem, seu volitionem, quæ non sit amor, & aversionem, seu nolitionem, quæ non sit odium. Nam diabolus vehementer vult aut cupit divinum decretum reprobativum hominum; quod tamen non amat, cùm nihil divinum amet diabolus. Nos è converso decretum illud nolumus, ideòque Deum oramus, & sanctè quidem, *Ne projicias me à facie tuâ*; cùm tamen nefas sit aliquid divinum odisse. Deus etiam

etiam nolitionem habet, & non odij, incarnationis primæ & tertiæ Personæ Trinitatis.

109 Sed ægrè concipitur, quòd appetitus elicitus, procurans, aut optans existentiam objecti, non sit ejus amor aliqualis, cum sit velati pondus voluntatem inclinans ad bonum objecti: ut etiam, quòd elicita fuga, vel aversio ab existentiâ objecti, non sit aliquale odium ejusdem, ob rationem contrariam. Nec forsan difficile videbitur, quòd diabolus, quàmvis odio inimicitiæ flagret in omnia divina, quorum existentiam destrueret, si posset; sciens tamen non posse non existere decretum aliquod circa salutem hominum, amet ut existat potius reprobativum, quàm prædestinativum, præcisè quia utile ad pœnam hominum æternam: vel etiam, quòd in nobis cum charitatis amore concilietur displicentia in decreto reprobativo, non quoad entitatem (penès quam non distinguitur à prædestinativo), sed quoad denominationem (cujus absentia nihil derogat perfectioni divinæ), nec propter se, sed propter malam pœnæ, quod infert. Non omne odium est inimicitia, vel abominatio; sed in sensu latiore comprehendit quamlibet displicentiam de existentiâ objecti, licèt conceptam propter motivum extrinsecum: quâ ratione fortasse poterit odium appellari nolitio incarnationis primæ & tertiæ Personæ. Hæc examinare non vacat. Monuerim tamen, quòd, licèt omnis actus voluntatis debeat esse amor aut odium objecti saltem formalis, dari poterit aliquis actus attingens objectum aliquod partiale, aut materiale, respectu cujus non sit odium, nec amor: Sic enim sæpè conditionem attingit affectus objectivè conditionatus, & objectum permissum volitio permissiva, præcisè qua talis.

110 Jam prosecutio seu amor dicitur *benevolentiæ*, cùm respicit objectum ut bonum in se vel alterum, & non quia commodum amanti: quòd si hoc pacto respiciat objectum rationis particeps, vocatur insuper amor *amicitiæ*. Cùm verò respicit objectum ut amanti commodum, vocatur *amor proprius*, vel amor *concupiscentiæ*. Huic contrapponitur odium proprij incommodi; amori autem benevolentiæ, & amicitiæ, odium *abominationis*, & *inimicitiæ*. Præterea amor in genere dici solet *voluntas*; quo nomine interdùm potentia, interdùm operatio significatur: & cum amor est complacentia in bono, præscindens ab ejus absentiâ & præsentiâ, ita ut nec ejus assecutionem curet, neque illud amet quia præsens, aut possessum, dicitur *amor strictus*; cui ex adverso respondet *odium strictum*, vel *purum*. Cùm autem amor objectum respicit ut absens (vel saltem nondùm cognitum ut præsens), illius existentiam vel assecutionem optando, vocatur *desiderium*, & peculiariter *volitio*, & *appetitus* (quàquam hæc duo nomina extendi solent ad quemlibet actum voluntatis): cui respondet in genere odij, *nolitio*, aut *fuga mali*, utique affectiva, & peculiariter dicta pro conatu vitandi malum: nam generatim *fuga* dicitur aversio quælibet. Demùm, cùm amor objectum respicit ut præsens, sive ut possessum, & quia possessum, dicitur *gaudium*, & sæpe etiam *delectatio*, & *fruitio*: cui in genere odij contrapponitur *tristitia*, & *dolor animi*. Actus illi omnes sub his nominibus pertinent ad partem concupiscibilem, ex disp. 5. n. 126. Qui verò spectant ad irascibilem (eorum explicatio nunc omittitur, quia prolixa & litigiosa est apud Theologos), sunt quædam species partim desiderij, partim fugæ.

111 Differentiæ hactenùs indicatæ sumuntur potissimùm ex objecto: ex quo etiam capite quilibet ex prædictis actibus subdividi poterit in species varias pro varietate objectorum

rum saltem formalium: ab his enim specificantur actus, ut alibi diximus. Ex modo tendendi *dividitur* 2., & adequatè quidem, actus voluntatis in *efficacem*, & *inefficacem*. Efficax est, qui affectivè connectitur cum objecti existentiâ, ita ut ex modo tendendi sit incompossibilis cum impedimento voluntati libero existentiæ objecti (loco existentiæ pone carentiam, vel destructionem objecti, si de odio loquaris): inefficax verò, qui simplici modo tendit in objectum, & tali connexione caret: hic dicitur *simplex complacentia*, vel *displicentia*. Affectûs efficacitas non est desumenda ex intensione, sed ex indole prorsùs essentiali: potest enim inefficax intensior esse, quam efficax. Ubi notandum, quòd amor efficax conjungi potest & solet cum odio inefficaci ejusdem objecti materialis, & è converso; ut accidit in eo, qui merces in mare projicit timore naufragij, vel qui vult sibi crus amputari, ne gangrena serpat. Requirunt tamen affectus isti motiva diversa, cùm alter debeat tendere sub ratione boni, alter sub ratione mali. Porrò tam affectus efficax, quàm inefficax, potest esse vel objectivè *absolutus*, qui sine conditione, vel *conditionatus* objectivè, qui sub conditione aliquâ feratur in objectum. Item, vel *determinatus*, aut *singularis*, qui certum sibi terminum designet; vel *indeterminatus*, *vagus*, *universalis*, aut *indefinitus*, juxta varium modum plura simul objecta respiciendi: quę nomina intelligo cum addito *objectivè*; nam subjectivè omnis affectus est singularis.

112 Ex parte principij *dividitur* 3. voluntatis actus in *liberum*, & *necessarium*; quæ est etiam divisio adæquata, & jam suprà exposita. *Dividitur* 4. in *naturalem*, & *supernaturalem*: quæ divisio pariter adæquata est, & ex principio efficienti sumitur. An autem sumatur etiam necessariò ex objecto formali, sub lite est apud Theologos: negant enim plures contra plures alios, censentque, objectum supernaturale posse attingi formaliter per actum naturalem, & è converso naturale per supernaturalem; quia scilicet actus non specificantur ex objectis quoad prædicata omnia, licèt ita specificentur, ut nequeant respicere diversa objecta, quin evadant inter se diversi. Sed lis hæc ad Theologos remittenda: ut etiá *quarta divisio* actuum voluntatis in *bonos*, & *malos*, in lineâ morali.

*De Intentione, & Electione.*

113 Desiderium, seu volitio finis obtinendi, vocatur *intentio*: volitio autem formalis, expressa, & determinata mediorum utilium ad finem intentum obtinendum, appellatur *electio*. De his quòque fusè tractant Theologi: sed hìc perstringere oportet quæstiones aliquot. *Quæritur* 1., an intentio & electio sint actus realiter distincti? *Resp.* 1. cum communi sententiâ dari potest intentio, quæ non sit realiter electio. *Prob.*: quia sæpè intenditur finis, cùm nondùm expressè aut determinatè occurrunt media opportuna; ideòque ad intentionem sequitur inquisitio & consultatio intellectûs de mediis eligendis, & consilium rationis, ideò, judicium ex consultatione resultans, aut illam connotans, & practicè dictans, tale medium esse aliis utilius, aut præferendum. Tunc autem intentio illa non est electio, ut quisque videt. *Dices*: intentio est amor finis ut assequibilis: cùm ergo finis non sit assequibilis, nisi per media, debet intentio esse mediorum amor, atque adeò electio. Sed *contrà*: sæpe fiat intenditur ut assequibilis per media, quæ sperantur non defutura, quamvis in particulari nondùm appareant: ut cùm æger salutem intendit, nondùm discernens quo medicamine uti debeat. Talis autem intentio, licèt sit mediorum

rum

rum amor virtualis, vel etiam, si placet, amor formalis vagè seu indefinitè respiciens medium aliquod, non est electio; quia hæc non est qualiscumque amor mediorum, sed est amor expressè ac determinatè decernens exequi tale, vel talia: nemo enim elegisse dicitur, cùm adhuc dubitat ac deliberat de medio præferendo.

114 *Resp.* 2. dari quòque potest intentio realiter identificata cum electione. *Prob.*: quia possunt intellectui simul proponi finis, & medium determinatum omninò sufficiens: quo in eventu non est cur nequeant eodem actu simul appeti, cùm sint objecta inter se ordinata, vel ordinabilia, ut formale, & materiale, & aliunde intentio & electio nullam ex modo tendendi contrarietatem habeant; altera enim vult, ut finis causetur à medijs; altera, ut media causent finem; ubi sola est diversitas penes vocem activam, & passivam. Sanè viator, cui fons occurrit in viâ, cur nò poterit uno & eodem actu velle sitim extinguere bibendo talem aquam? Nec obstat, quòd ideò eligatur medium, quia intenditur finis. Namtò *quia* non semper denotat causalitatem aut prioritatem realem intentionis, sed aliquando meram denotat prioritatem rationis, vel indicat non futurum amorem medij hìc & nunc, nisi adesset intentio finis, sive ab illo amore distincta, sive indistincta. Sic dicitur, ideò amari proximum propter Deum, quia Deus diligitur, etiamsi uterque diligatur eodem actu.

115 Nec item obstat, quòd *Præmissæ* formales identificari non possint cū *conclusione*. Nam sub his nominibus importatur discursus intellectualis, qui ex conceptu suo est realis progressus ab uno actu ad alium, ac proinde pluralitatem actuum necessariò importat; quamvis, benè possint eodem actu (qui non sit discursus) expressè affirmari objecta præmissarum & conclusionis. At ex conceptu intentionis & electionis non requiritur realis progressus, aut pluralitas; alioqui Deo repugnarent intentio & electio, sicuti repugnat discursus. Nec demum obstat, quòd electio ab Aristotele dicatur *appetitus præconsiliati*, hoc est, medij electi ex prævio consilio vel consultatione rationis; quale nomen non convenit intentioni. Nam inprimis id nominis solùm est impositum pro electione, quæ versatur in arduis aut obscuris: in rebus enim manifestis (v. g. in casu viatoris nuper adducto) electio non supponit consilium; ut admonet D. Thomas 1. 2. q. 14. ar. 4. ad 1. Deinde, licèt intentio ex conceptu generico non exigat consilium prævium, potest illud exigere ex conceptu specifico, vi cujus realiter identificetur cum electione. Sic, licet amor Dei ex hoc solo conceptu non prærequirat cognitionem proximi; prærequirit tamen, quando simul est realiter amor proximi propter Deum.

116 *Resp.* 3.: omnis electio formalis reipsâ est intentio. Sic planè colligitur ex doctrinâ D. Thomæ 1. 2. q. 8. art. 3., & q. 12. ar. 4. Et *prob.*: quia electio formalis ea dicitur, quæ medium vult formaliter propter finem, id est, ut utile, seu quia utile ad finem, ita ut intrinsecè attingat motivum hoc ce, quod reverâ nihil est aliud, quàm bonitas ipsa finis per tale medium assequibilis: ergo reipsâ est volitio finis, atque adeo intentio: quemadmodùm amor proximi propter Deum, reipsâ est amor Dei, & vera charitas. *Dices*: electio vult quidem aut amat finem, at non ut objectum *quod*, sed ut *quo*, id est, ut rationem volendi & amandi medium; vel, ut alij loquuntur, electio finem respicit indigetè solum, aut in obliquo: non igitur est intentio, cùm hæc debeat finem directè respicere, & amare ut *quod*. Sed contrà: formalis electio per se & ratione sui ap-

supponit cognitionem finis ut boni & amabilis, & à cognitione illâ per se ingenitus, nequit enim amari medium ut utile, & quia utile ad finem obtinendum, nisi finis cognoscatur ut amabilis: ex eâdem electio intrinsecè attingit finem, non aversivè, sed prosecutivè, ut est certum: finem ergo denominat volitum & amatum ut *quod*: quid enim est amari ut *quod*, nisi esse objectum, quod media cognitione propriæ amabilitatis movet & allicit in actu secundo ad prosecutionem sui? Quapropter, dum formalis electio subsequitur intentionem purè talem (de quâ n. 113.), est intentio electiva, procedens ab intentione aliâ non electivâ; pendet quæ à fine, tum immediatè, quatenus illum intrinsecè respicit, tum mediatè, quatenus à fine causatur mediâ intentione prævia. Possunt autem facilè cohærere in eodem subjecto & instanti duæ volitiones ejusdem finis, quando & sunt aliquatenus heterogeneæ, & posterior addit priori novam tendentiam in objectum materiale.

117 *Quær.* 2., an sit possibilis electio materialis? Ita vocatur volitio medij ut ipsâ utilis ad finem obtinendum, quæ tamen finem non respicit intrinsecè, consequenter quæ nec amet medium ut utile ad affectionem finis, sed ut objectum in se bonum, v. g. delectabile; ac nihilominùs ponatur hic & nunc ex vi & efficaciâ prævæ intentionis obtinendi finem. Exemp. gr.: si ægrotus, dum intendit sanari, velit potionem, quam novit reipsâ utilem & necessariam ad sanitatem, volitione tamen, quæ non respiciat illam ut utilem, sed ut palato gratam & suavem; quæritur, an volitio ista dici possit electio? vel potiùs, an possit ab intentione sanitatis immediatè procedere? Si enim haud ita procedat, certum est quòd non merebitur nomen electionis. Partem affirmantem amplectuntur cum P. Ripalda docti Recentiores: sed pro negante stat communis sententia, cui adhæreo, *probo*: quia omnis electio vere talis per se requirit cognitionem utilitatis medij ad finem: debet enim procedere ex intentione finis, ut nunc ajebam, & procedere nequit, nisi tali cognitione mediante; certum quippe est, & experientiâ notum, quòd intentio non habet vim movendi seu determinandi voluntatem, nisi ad volitionem medij, quod cognoscitur utile ad finem intentum. Omnis ergo electio vult & amat medium ut utile, atque adeo omnis electio est formalis, nulla materialis. *Prob. Consequ.*: quia alioquin non per se requireret cognitionem expressam utilitatis; non enim volitio supponere debet cognitionem objecti, aut prædicati, quod perinde non respicit, ac si non esset. Nec dicas, cognitionem illam requiri ad electionem solùm mediatè, seu ratione intentionis. Nam intentio, ut existat, non indiget expressâ cognitione determinati medij ut utilis, ex n. 113.: solum ergo illam requirit, ut causet electionem. At, si electio non debet utilitatem respicere, sed solùm absolutè amare objectum, perinde ac si non esset utile, quid confert cognitio utilitatis, ut electio causetur?

118 *Objic.*: voluntas ex vi intentionis solùm tenetur ad ea, quæ necessaria sunt, ut existat finis, sive ut existant media pro fine obtinendo requisita (idcircò si media videat jam posita, non tenetur eorum positionem velle): sed ad hoc sufficit electio materialis, quâ scilicet eligatur medium reverâ utile, quamvis non eligatur ut utile: non ergo tenetur ad electionem formalem. Præmissis datis, *dist. Consequ.*: non tenetur ad electionem formalem, si media inveniat posita, vel etiam alibi positam volitionem medij, quæ à te vocatur electio materialis, *conc.*; si non ita inveniat, *neg. Consequ.*. Fateor, quòd intentio non determinat ad vo-

volitionem medij, quod jam positum contingat, nec item ad volitionem medij nondum existentis, si casu & per accidens inveniat aliunde positam ejus volitionem, quæ sufficiat ad existentiam talis medij, licèt non respiciat ipsum ut utile. Cæterùm volitio ista nullo jure vocabitur electio; quia nullatenùs ab intentione procedet; ideòque voluntas non dicetur velle tunc medium ex vi intentionis. Itaque in eo eventu intentio ad nullam determinat electionem, nec existentiam medij causat; quia solùm habet vim determinandi, & causandi, sub conditione tacitâ quòd medium cognoscatur necessariò, & nondùm positum, nec efficaciter volitum ab eâdem voluntate; tumque non aliter existentiam medij causare potest, nisi mediante electione formali, quam priùs causet. Hoc intellige de intentione purè tali: nam, dum simul est intentio & electio, medium utique immediatè causat absque aliâ electione, etiamsi fortè inveniat aliunde volitum propter se.

119 *Objic.* iterùm: actus voluntatis imperatus non debet intrinsecè respicere motivum imperantis; unde, si quis ex timore gehennæ sibi imperet actum charitatis, hic actus non respicit motivum evitandi gehennam: ergo nec electio debet intrinsecè respicere motivum intentionis. *Confirm.*: potest voluntas extrinsecè ordinare actus aliarum potentiarum ad finem, qué ipsi non respiciunt; ita ut actus illi, prout à voluntate ordinati, dicantur esse propter finem illum, v. g. cognitiones philosophicæ propter cathedrâ: ergo & poterit ordinare similiter actûm proprium, ita ut ille dicatur esse propter finem sibi extrinsecum, mereaturque proindè nomen electionis. Ad *object. neg. consequ.*; quia imperium reflexum habet unde causet aut inferat actum imperatum indepèdenter ab illius tendentiâ in idem motivum; nimirùm ex eo, quòd sit expressa & immediata volitio efficax imperati. Ad *confirm.* nec intentio est volitio expressa electionis; nec electio ab intentione causatur alio titulo, quàm volitionis medij ut utilis ad finem; alioquì frustrà prærequireret utilitatis cognitionem, quæ necessaria non est, ut intentio existat. Quòdsi intentio expressè ac determinate velit alium ejusdem voluntatis actum ut utilem ad finem (v. g. si quis intendat obtinere gratiam volendo simul actum contritionis ut medium); tunc actus volitus non erit electio, sed medium electum per intentionem ipsam, quæ simul erit electio formalis, & vim habebit imperij reflexi. Ad *confirm.* totum concedo (excepto nomine *electionis* pro ijs actibus), dummodò extrinseca ordinatio fiat per actum voluntatis prævium, qui sit imperium & electio formalis respectu actuum ordinatorum; quo in eventu actus isti non erunt electiones, sed media electa.

120 *Quær.* 3., an intentio efficax, cùm ab electione distinguitur, tollat immediatam libertatem electionis? (Dico *immediatam*; quia, si intentio est libera, electio quòque libera erit mediatè saltem, ac denominativè, sicut actio externa libere volita). *Resp.* cum communi sententiâ, electionem plerumque esse immediatè liberam: tum quia sæpè jam non existit physicè intentio (licet existat in memoriâ), cùm ad electionem deveniturtum quia plerumque supponunt plura media, quorum quodlibet sufficit ad finem; & licèt intentio necessitet vagè ad aliquod eligendum, non tamen ad hoc præ illo. Quòdsi medium sit unicum, & prorsùs necessarium, tunc, suppositâ intentione actuali, electio non erit immediatè libera. Sic planè sentit D. Thomas 1. 2. q. 13. ar. 6. ad 1., ubi non aliâ ratione salvat libertatem electionis, positâ intentione, nisi quia medium non est omninò necessarium ad fi-

finem, vel saltem non apprehenditur ut tale. Certè voluntas, suppositâ intentione efficaci, jam non potest omittere electionem medij, quod apparet unicum & necessarium, ut omnes supponunt; & alioqui volitio efficax objecti cohærere posset cum impedimento voluntati libero talis existentiæ, quod est contra conceptum actûs efficacis ex n. 111.: ergo ex suppositione intentionis voluntas non est libera ad electionem illam; cùm libertas necessariò importet potentiam omittendi. Difficultas de merito electionis hujusmodi, solvetur inferiùs in actu imperato. Observa tamen, quòd, etiamsi medium sit unicum, poterit electio esse libera quoad intensionem, vel quoad circumstantias temporis, & loci, aut alias, si non illas determinet intentio.

121 *Quær.* 4., an intentio physicè influat in electionem, dum ab eâ distinguitur? Affirmant plures non improbabiliter: sed plerique solùm agnoscunt influxum moralem per modum inclinantis, aut determinantis. Id quod, omissis alijs, probari potest: quia, si meræ intentioni concederetur virtus activa (quæ utique perfectionem arguit), non est cur negetur electioni, cùm hæc etiam verè intentio sit ex n. 116., & magis perfecta, vel certè non minùs, quàm intentio mera: una ergo electio erit alterius electionis activa, & procedetur in infinitum. In quo autem cónstat moralis causalitas intentionis, cónstat ex dictis n. 31. & seqq.. Ubi nota, quòd intentio nó debet præcognosci existens, ut moveat ad electionem: requirit quidem cognitionem utilitatis medij, non tamen reflexam cognitionem sui; quia non movet per modum objecti, sed per informationem physicam inclinando voluntatem instar habitûs.

122 Nota insuper, quòd S. Thomas 1. 2. q. 16. ar. 4. inter electionem & executionem medij videtur agnoscere alium voluntatis actum, quê vocat *usum*, & cujus munus sit immediatè movere potentiam executricem, v.g. manum, ut sumat medicamen priùs electum ad sanitatem. Plurimi tamen ad hoc munus sufficere dicût electionem, dummodò sit de medio statim exequendo. Consequenter non requirunt imperium illud rationis, quod inter electionem & usum agnoscit etiã D. Thomas q. 17. ar. 3. ad 1.; nec item requirunt *consensum* (ideſt, actum complacentiæ, quo voluntas approbet plura eligibilia, priusquàm eligat unum præ alijs), quê inter consilium & electionem statuit ipse D. Thomas q. 15. ar. 3.; quamquàm Angelic. Doctor ibi *ad* 3. hunc actum ab electione distinguit, quando post consilium plura eligibilia placent; secùs verò, quando non placet nisi unum. Nota demùm, quòd, si medium sit unicum, volitio illius juxta plures nó est propriè electio; quia hæc ex vi nominis dicit respectum ad multa eligibilia, ex quibus unum alijs præfert. Alij tamen putant ad electionem sufficere, quòd præferat medium utile inutilibus. Sed quæstio est de nomine.

*De Actu imperante, & imperato.*

123 Communiter dividitur (non adæquatè) actus voluntatis in *imperantem*, & *imperatum*. Quicumque actus determinat ad alium ejusdem voluntatis, tametsi non illum pro objecto habeat, dicitur latè seu virtualiter *imperans*, aut *imperium*, respectu illius: propriè tamen non ita vocatur in ordine ad voluntatis affectum, nisi actus, quo volûtas pro objecto respicit alium actum suum, volendo illum elicere, v. g. si dicat, *volo elicere contritionem*. Actus hujusmodi (de quo tantùm in præsenti loquimur) appellatur *imperium reflexum*, & ille, quem respicit, *actus imperatus*. Quòd possit voluntas hoc mo-

respiciat intrinsecè motivum imperantis, ut plerumque accidit, dicitur tamen elici propter illud, tanquàm propter motivum mediatum, & extrinsecum; sicut actio externa dicitur esse propter finem, ex quo imperatur à voluntate; quia nimirùm, dum ab actu imperij causatur, eo mediante procedit à tali motivo. Semper tamen actus voluntatis intrinsecè respicere debet motivum aliquod.

127 *Quær.* 2., an imperium efficax, determinatum, ac de præsenti, tollat immediatam libertatem actûs imperati, ita ut hic solùm sit liber mediatè ac denominativè ab actu imperij? Videtur affirmandum cum communiore sententiâ, propter dicta in simili circà intentionem efficacè respectu electionis. Nec obstat, quòd necessitas, quam importat imperium, sic liberè impedibilis à volûtate. Hoc enim probat, actum imperatum esse voluntati liberum absolutè, non tamen ex suppositione imperij. Sic, licèt ambulare sit homini liberum absolutè, non tamen ex suppositione, quòd efficaciter velit ambulare; ideòque ambulatio non nisi mediatè ac denominativè libera dicitur. Sic enim, licèt visio beata, vel physica prædeterminatio ad amorem, foret à voluntate liberè impedibilis, eâ tamen suppositâ independenter ab amore, jam amor non esset immediatè liber. Est quidem illa necessitas consequens respectu voluntatis in actu primo: at non est consequens, sed antecedens, respectu actionis imperatæ, cùm non ex eâ resultet, nec eam sequatur, sed præcat, ut est certum. Quare, licèt voluntas sè liberè constituat in necessitate ponèdi talem actionem, reverà tamen cum immediatâ necessitate illam exequitur. Necessitas autem immediata non finit actionem evadere immediatè liberam, ut patet ex terminis.

128 *Objic.*: voluntas in instanti, quo imperat de præsenti, habet in actu primo immediatam libertatem ad actum imperatum, cùm circa objectum ejus habeat cognitionem immediatè attrahentem, & retrahentem, ut supponitur: huic autem libertati respondere debet exercitium suum, quod non est aliud ab actu imperato. Ex hac, positâ coexistentiâ talis actûs cum ea libertate, jam adsunt omnia constitutiva operationis in esse immediatè liberæ. *Resp.* Datur quidem in actu primo immediata libertas ad actum imperabilem, sed quæ respiciat illum ut ponendum in sensu diviso à necessitate immediatâ, adeòque ut conjunctum cum omissione imperij efficacis: non enim illum immediatè respicit ut imperatum, sed potiùs ut non imperatâ. Itaque in eo instanti libertas immediata in actu primo, disjunctim respicit exercitia duo, scilicet vel imperium necessitans ad actum imperatum, vel actum istum ut sine imperio eliciendum; quorum quodlibet posito, jam respondet ei libertati suum exercitium. Nec tunc adsunt in actu primo duæ libertates invicem independentes: quia immediata libertas ad actum imperabilem, debet includere vel carentiam potestatis ad imperandum, vel potestatem omittendi imperium. Quod addicitur de constitutivis, negandum est, quandoimperium exstitit: quia operatio imperabilis non est objectum capax suscipere à libertate imperativâ denominationem *immediatè liberæ*, nisi ut conjuncta cum omissione imperij; quæ proinde omissio numeranda est inter constitutiva talis denominationis. Debet autem hæc omissio, dum libera est, intelligi concomitanter cum actu imperabili, non pro priori, nec pro posteriori; quia nec actus ille per se intrinsecè infert hanc omissionem, nec ex eâ infertur, quâmvis ejus comitatu indigeat pro denominatione accidentariâ *immediatè liberi*. Quare, licèt im-

imperium, dum existit, debeat præcedere propter vim causandi actum imperatum; secùs tamen omissio imperij, quæ talì vi caret, & aliunde non est carentia impedimenti à voluntate inafferibilis.

129 *Objic.* iterùm: si actus imperatus non est liber libertate propriâ, sed libertate solius imperij, carebit proprio merito, seu nihil meriti superaddet imperio: unde, cùm charitas imperat aliarum actus virtutum, eorum meritum impediet; quod est absurdum. *Resp.* Inprimis Objectio non urget in imperio indeterminato, vel confuso: nec item in imperio determinato de futuro, seu non coexistente physicè cum actu imperato; quale regulariter est illud etiam imperium, quo quis vult statim conteri v. g. nam tò *statim* solet intelligi de eodem momẽto morali & humano, in quo plurima transeunt instantia physica; dumque voluntas contritionem elicit, sæpe jam non retinet physicè actum imperij, licèt retineat habitualiter, aut moraliter. Deinde, rametsi detur coexistentia physica imperij determinati & efficacis cum actu imperato, nego sequelam: quia meritum non constituitur ex libertate solâ, sed insuper ex intrinsecâ bonitate actûs per se honesti, seu conformis rectæ rationi; quâ bonitate utique pollet actus voluntatis imperatus, dum intrinsecè tendit in objectum honestum ut tale, & quia tale: hæc autem bonitas, cùm additur bonitati actûs imperantis, & ab ejus libertate denominatur libera, simpliciter auget meritum imperij; quia meritum crescit ex incremẽto cujuslibet constitutivi. Nec est eadem ratio de actionibus externis (quamquàm & per has crescere meritum, censent graves Theologi); quippe quæ bonitatem & honestatem intrinsecam non important.

130 *Quær.* 3., utrùm imperium physicè influat in actum imperatum? an solùm moraliter? Hoc posterius videtur probabilius, paritate intentionis non nisi moraliter influentis in electionem. Influxus autem moralis explicãdus est per coexistentiã utriusque, ex dictis n. 31., & seqq. Imperiũ inefficax (quod satis impropriè appellatur *imperium*) potest influere moraliter in actum imperatum, non per modum determinantis, sed inclinantis. Quòdsi contingat præexistere duplex imperium inefficax ob duo motiva incompossibilia, utrumque simul influere poterit in actum imperatum, qui sine absurdo dici poterit existere tunc propter extrinseca motiva incompossibilia inefficaciter prævolita. Superfunt quædam aliæ quæstiones: v. g. an actus bonus possit imperari per malum? an actus supernaturalis per naturalem? an actus virtutis superioris per actum inferioris? Sed hæc nimis aliena sunt à præsenti instituto. Quare ad Theologos remittenda sunt; ut jam tandem Animasticæ imponatur finis.

# METAPHYSICÆ DISPUTATIONES QUATUOR.

## PROLOGUS.

METAPHYSICA, si nominis etymon spectes, facultas est trans Physicam, vel ultra Physicam assurgens: si verò rem significatam, facultas est, quæ supra Mathematicas etiam disciplinas evehitur, & supremum inter naturales Scientias locum obtinet. Unde vocatur *prima Philosophia*, primatu scilicèt dignitatis: nec *Scientiæ* modò, sed etiam *Sapientiæ* nomine insignitur. Ejus acies speculatur (scientia enim est simpliciter speculativa) communem rationem Entis ab omni materialitate præcisam: communia item Entis attributa, & ea, quæ sunt enti reali opposita, ut carentias, & entia rationis, aut chymeras. Considerat etiam species, aut quasi species Enti propinquiores, ut rationes Substantiæ, & Accidentis, hujusque novem Categorias. Angelos quoque contemplatur, ac Deum ipsum, quantum ejus infinita perfectio naturali lumine vestigari potest; quâ de causâ *Theologia naturalis* appellatur. Tractationem tamen de Deo & Angelis communis Scholarum methodus ad Theologiam sacram transmisit. Objectum formale Metaphysicę, vel ratio formalis *sub quâ*, communiter censetur Ens reale ut sic: quamquàm aliqui ad id muneris præferunt Ens à reali & ficto præcisum. Objectum autem *attributionis* dici potest Substantia ut sic; cujus in ambitu Deus erit objectum *principalitatis*. Plura metaphysicę ditionis propria sparsim dedimus de more scholastico, tum in Logicâ, tum in Physicâ, & Animasticâ. Plura alia, immò omnia, quæ Facultatem istam spectant, pro dignitate discussa videri possunt apud Eximium Doctorem P. Franciscum Suarez, qui totum opus Metaphysicæ, duobus egregijs Voluminibus comprehensum, & numeris omnibus absolutum, plaudenti & stupenti Orbi litterario dedit. Hic tamen quæstiones aliquot celebres, & quædam alia, quæ frequentiùs Schola pertractat, omittere non possumus. Ea verò quatuor Disputationibus complectemur.

# DISPUT. I.

## DE ENTE REALI IN COMMUNI, & attributis ejus.

VOCABULUM *ens*, ut hìc omnes admonent, potest accipi, vel *participialiter*, vel *nominaliter*, ideſt, vel tamquàm participium verbi *sum*, vel tamquàm substantivum nomen: quemadmodùm vocabulum *vivens*, nunc ut participium, nunc ut nomen usurpari consuevit. Ens priori modo acceptum, idem significat, ac *existens*, seu habens esse actuale; quo

ſenſu de creaturis prædicatur contingenter, ut explicabimus diſp. 2.; de Deo autem, neceſſariò & eſſentialiter. Ens verò ſumptum poſteriori modo, definiri ſolet, *aptum exiſtere*, ſeu *habens eſſentiam veram & realem*, ideſt, non fictam, non chymericam, ſed potentem exiſtere realiter ſine contradictione prædicatorum. Ubi tria notabis. 1.,quòd tò *aptum* non ſumitur in hac definitione pro aptitudine ſeu potentiâ, quę privata ſit actu exiſtentiæ, vel ab eo diſtincta (præſcinditur enim à diſtinctione & indiſtinctione); ſed accipitur pro merâ non repugnantiâ ad exiſtendum, ſeu pro eâ potentiâ, quę legitimè infertur ex actu, etiamſi penitùs ab actu indiviſa & indiſtincta ſit, juxta illud, *Ab actu ad potentiam valet conſequentia*: unde rectè arguitur, *Deus exiſtit, ergo poteſt exiſtere.* 2.,quòd illa entis explicatio non tam definitio rigida, quàm deſcriptio vocanda eſt; quia ratio entis ut ſic, utpotè univerſaliſſima, & ſimpliciſſima, genere & differentiâ non conſtat, ideòque ſtrictè definiri non poteſt: niſi fortè ad rigorem definitionis tantùm requiras, ut aptè explicetur eſſentia ſive conceptus definiti, quidquid ſit de genere & differentiâ; quæ paré vocalis quæſtio erit. 3.,quòd nomen *eſſentia* ſignificat intimum & primarium rei prędicatum (ſive unum, ſive multiplex), prout conceptum in ordine ad actum exiſtendi: quod ſi explicetur per ordinem ad effectus, quos ut primum & intimum principium continet, vocatur *natura*: ſi verò per ordinem ad conceptus noſtros, appellatur *quidditas*; quia eſt id, quo reſpondemus interroganti, Quid eſt res?

Ens igitur nominaliter ſumptum, eſt prædicatum eſſentiale rerum omnium, quotquot veram & poſitivam realitatem habent: omnibus enim eſſentialiter convenit poſſe realiter exiſtere. Atque in hoc ſenſu accipitur in præſenti Diſputatione. Dividitur autem in *ens infinitum & neceſſarium*, quod eſt Deus, & *ens finitum & contingens*; quod eſt creatura. In idem recidit diviſio in *ens increatum*, & *creatum*: item in *actum purum*, & *ens aliquomodò potentiale*. Differentia vel quaſi differentia entis increati vocatur *aſeitas*, eo quòd Deus ſit *ens à ſe*: differentia verò creaturę, *abaleitas*, quia creatura eſt *ens ab alio*. Ens finitum ſubdividitur in *ſubſtantiam*, & *accidens*. Subſtantia dicitur *ens per ſe*; ideòque differentia ejus vocatur *perſeitas*: accidentis verò, *inaleitas*, quia accidens eſt *ens in alio*. Hæc modò præmiſiſſe ſufficiat.

## CAP. I.

### *UTRUM RATIO ENTIS A SUIS omnibus inferioribus præſcindi poſsit?*

1 QUæſtio hæc ſub alijs etiam terminis proponi ſolet: videlicet, An dari poſsit conceptus entis ut ſic, qui ſit unus, & communis omnibus particularibus entibus, nimirùm Deo, & creaturę, ſubſtantiæ, & accidenti, & quæ ſub horum generibus continentur? In quo dubio nonnulli negant conceptum unum, non ſolùm objectivum, ſed etiam formalem. Actus, quo intellectus apprehendit aut repręſentat objectum, vocatur in præſenti *conceptus formalis*: objectum verò, tali actui reſpondens, quatenùs ab eo repręſentatum, dicitur *conceptus objectivus*. Negant ergo nonnulli, quòd intellectus unico actu ferri poſsit in ens commune; voluntque, ut ex vi nominis *ens* neceſſariò excitentur in mente plures conceptus, nempe alius de Deo, alius de creaturâ, alius de ſubſtantiâ, alius de accidenti. Hoc tamen communiter in omni Scholâ rejicitur, & meritò quidem. Tum quia experientiâ conſtat, mentem non diſtrahi in actus plures & varios, dum cõcipit ens ut ſic. Tum quia, ut benè interrogat P. Suar., ſi tunc non eſt in mente conceptus unus, quotuplex erit?

Oper-

Oportebit saltem esse conceptus undecim, nempe unum pro Deo, & novem pro totidem Prædicamentis, cùm omnia sint primò diversa. Immò tot erunt actus, quot sunt species & individua rerum; cùm in his omnibus militet ratio desumpta ex transcendentiâ entis.

2 Tota ergo controversia devolvitur ad conceptum objectivum, an scilicèt sit unus unitate rationis (quòd non habeat unitatem realem, extra dubium est), vel, quod in idem recidit, an per intellectũ præscindatur ab omni multiplicitate ac diversitate, quæ in particularibus entibus invenitur? si enim ita præscindatur, unus erit unitate rationis, ut constat ex dictis in Logicâ. Negativam partem defendunt Thomistę, tamquam omninò necessariam ad transcendentiam & analogiam entis propugnandam: qui tamen in explicando, quid in objecto respondeat conceptui entis, multùm inter se dissident apud Martinez de Prado 1. p. Met. contr. 6. ar. 3.. Communis sententia inter Recentiores Thomistas, quam tenet idem Prado ar. 5., & magis explicat Bayona seu Collegium S. Thomæ Complut. q. 7. Logic. ar. 7., agnoscit conceptum objectivum entis unum secundùm quid, sive pręcisum imperfectè; negat verò simpliciter unum, seu perfectè præcisum. Sensus eorum est, quòd ens ab inferioribus pręscinditur solùm quoad explicitum, sicut definitum à definitione, vel sicut homo pręscinditur à rationali, aut animal à viventi sensibili (his exemplis utitur cit. Collegium S. Thomæ); secùs verò quoad implicitum; quia ratio entis, quantúmvis abstracta, implicitè continet actu inferiora omnia, quæ transcendit, & hęc ad ejus essentiam pertinent, sicut rationale ad essentiam hominis, &c.; nec potest ratio entis exactè definiri, nisi per substantiam & accidens, ut ait idem Collegium q. cit. n. 158., & 165.. Ex adverso conceptum entis perfectè præcisum & unum tuętur Scotistæ omnes cum Scoto, & communis sententia Nostrorum cum P. Suar. disp. 2. Met. s. 2., quibus accedunt è Thomistis aliqui, ut Javellus, Soto, Zumel, Ortiz, relati à Prado Controv. cit. n. 31.

3 Conclusio nostra est, posse rationem entis ab inferioribus perfectè præscindi, atqueadeò unam esse simpliciter unitate rationis. *Probatur*: quia, ubi adest convenientia & similitudo realis plurium in ratione aliquâ, potest hęc ratio ab ijs omnibus perfectè prę-scindi: adest enim hoc ipso fundamentum abstractionis perfectæ, quod omnes in Logicâ requirunt; nec alio fundamento ratio corporis, aut ratio substantiæ, à suis inferioribus perfectè præscinditur: quò pertinet illud D. Thomę Opusc. 56., *Licèt plura, secundùm quòd plura, non constituant unum intellectum, tamen plura, secundùm quòd similia, constituunt unum intellectum.* At inter entia particularia, v. g. inter Deum & creaturam (in quibus major esse poterat difficultas propter distantiam infinitam), verè adest similitudo & convenientia realis in ratione entis: hæc ergo ratio potest ab his entibus perfectè præscindi. Cætera constare videntur: & Minor non negatur ab Adversarijs, estque reipsâ indubitabilis. Tum quia Deus magis differt à puro non ente, quàm ab ente creato: ergo ab hoc non omninò differt: ergo aliquatenùs cum eo convenit. Tum quia creatura, cùm sit ens participatum, entitatem à Deo participat: sed non per identitatem: ergo per similitudinem, & imitationẽ. Tum quia homo in alijs prędicatis minùs communibus factus est ad imaginem & similitudinem Dei, Genes. 1.: potiùs ergo in prædicatis transcendentibus. Tum ob alia argumenta, quibus hoc probat D. Thomas varijs in locis, v. g. q. 2. de verit. ar. 11., & 1. contr. Gent. c.

29., & 1. p. q. 4. ar. 3., ubi concludit in corp.: *Illa, quæ sunt à Deo, assimilantur Deo, in quantum sunt entia, ut primo & universali principio totius esse*: monet tamen, Deum non dici similem creaturæ, quatenùs similitudo sonat imitationem alterius ut prototypi, sicut homo non dicitur similis suæ imagini.

4 Nec refert, quòd similitudo non sit pura, sed permixta dissimilitudini. Nam similitudo realis, quę præcedit & fundat præcisionem rationis, nunquam pura est apud negantes distinctionem formalem Scoticam; ut patet in ijs, quę realiter assimilantur in esse animalis. Nec item refert, quòd dissimilitudo sit major, & prævalens. Nam inter substantias Angeli & equi multò major est diversitas, quàm convenientia in statu reali: ab ijs tamen perfectè præscindibilis est ratio substantiæ. Certè, quòd similitudo sit major, aut minor à parte rei, nihil interest: quia tam perfectè præscinditur ratio corporis ab homine & lapide, quàm ratio hominis à Petro & Paulo. Nec demùm refert, quod respondent Thomistæ, similitudinem inter creaturam & Deum in ratione entis, solùm esse proportionalem, in eo sensu, quòd creatura ita se habeat ad suum esse, sicut Deus ad suum. Nam proportionalitas hujuscemodi, locum habet in similitudine quâlibet, v. g. lapidis & hominis in esse substantię: lapis enim ita se habet ad suum esse per se, sicut homo ad suum. Quare non inde impeditur perfecta præcisio, quando ratio communis propriè verificatur de singulis extremis; ut patet vel in ipsâ comparatione duarum proportionum quantitatis (unde translatum est nomen *proportionalitas* ad comparationem duarum habitudinum in prædicatis metaphysicis): quòd enim 4. & 50. sint numeri proportionaliter similes in ratione *dimidij*, quatenùs ita se habent 4. ad 10., sicut 50. ad 100., non obstat quominùs à diversis numeris possit perfectè abstrahi ratio *dimidij*, vel ratio *dupli*. Cùm ergo ratio entis propriè conveniat, non solùm Deo, sed etiam creaturę, stare poterit abstractio perfecta cum ea similitudine proportionali.

5 *Confirm.*: ex sunt unum unitate rationis in aliquo prędicato communi, quæ in eo sunt uniformiter definibilia, ita ut eadem definitio propriè verificetur de singulis. Sic expressè traditur ab Aristotele 3. Metaph. t. 11., & à D. Thomâ ibi lect. 7. lit. f.; qui utique loquuntur de unitate rationis perfectâ, qualem habent bos & equus in prędicato animalis, quo exemplo utitur D. Thomas ibidem. At in prædicato entis uniformiter definibilia sunt inferiora entia; de quolibet enim, prout ens est, propriè verificatur esse *aptum existere*, sicut de quolibet animali, prout animal est, propriè dicitur esse *aptum sentire*. Omnia igitur perfectam habent unitatem rationis in prædicato seu concepru entis objectivo. Nec obstat, quòd ratio entis non definiatur per genus & differentiam: sumitur enim definitio latè pro explicatione detegente vim & energiam conceptûs, etiam simplicis; quo pacto inferiora substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, dicuntur uniformiter definibilia sub his conceptibus, licèt simplicibus, seu ex genere & differentiâ non constitutis.

6 *Urgetur*: quidquid convenit substantiæ, in quantum ens est, convenit etiam accidenti, videlicèt posse realiter existere, distingui à puro nihilo, chymeram excludere, posse coexistere loco & tempori, habere attributa veritatis, bonitatis, &c.. Item substantia, in quantum ens, non distinguitur ab accidente: falsò quippe diceres, ideò substantiam non esse accidens, quia est apta existere. Substantia

ergo

ergo sub reduplicatione seu conceptu entis, omninò est una & eadem per rationem cum accidenti. Patet *Consequentia* tum quia ibi est omnimoda identitas, & unitas, ubi nulla est distinctio, sed potius convenientia in omnibus: tum quia non ob aliam rationem homo & equus sunt omninò unum sub conceptu animalis; & sic de alijs inductione perpetuâ. Idem argumentum militat in creaturâ respectu Dei. *Urgetur* iterum: nomen *essentia*, prout idem sonat, ac *ens reale*, juxta D. Thomam de Ent. & essent. cap. 1. *significat aliquod commune omnibus naturis, per quas diversa entia in diversis generibus & speciebus collocantur*: sed non esset ita commune, si non esset perfectè abstractum ab omnibus; quod enim aliquatenùs contractum est ad accidens, non est commune substantiæ; nec est commune Deo, quod non omninò abstrahitur ab imperfectione creaturæ: ergo &c. Item, juxta D. Thomam 1. p. q. 5. ar. 5. ad 1., *substantia, quantitas, & qualitas, & ea quæ sub eis continentur, contrahunt ens applicando ens ad aliquam quidditatem*: ergo ens ut sic ex proprio conceptu non est contractum, nec applicatum ad substantiam, quantitatem, &c. sed est potiùs indifferens & applicabile ad quodlibet; estque singulis logicè superius: unde tam est inepta hæc argumentatio, *est ens, ergo est substantia*, quam ista, *est animal, ergo est homo*. At hæc omnia proprij sunt characteres præcisionis perfectæ. Mitto alia argumenta, quæ latè ponderant Scotistæ.

7. Sed, quoniam moderni Thomistæ perpetuò confugiunt ad unitatem secundùm quid, & ad præcisionem imperfectam, seu penes implicitum & explicitum, ajuntque, ens ut sic esse commune, superius, & indifferens quoad explicitum, non quoad implicitum; ut hoc effugium præcludatur, *argue* 1., & quidem ex doctrinâ Thomisticâ. Ratio entis ab inferioribus præscinditur *objectivè*, ideſt, ita præscinditur, ut inferiora maneant propriè incognita ex parte objecti, nec attingantur à cognitione *entis*, illamvè propriè terminent ullo modo: ergo per cognitionem illam ratio entis, reddi tur perfectè præcisa, & simpliciter una. *Antec.* expresè conceditur à Thomistis, ut videre licet in Aguilera l. 5. Logic. disp. de Analog. dub. 6. n. 11., & in Collegio S. Th. Complut. q. 3. Logic. art. 4., ubi post multa confusè dicta circa præcisionem, expliciti ab implicito, tandem concludit n. 227., quòd ea, quæ implicitè importantur in conceptu aliquo objectivo, *propriè loquendo non cognoscuntur, quia revera præscinduntur ex parte objecti*. Sanè Thomistæ præcisionem formalem ubique respuunt, neque ullam agnoscunt nisi objectivam: & argumenta, quibus contendunt, animal v. g. objectivè præscindi à rationali, eâdem vi probant objectivam præcisionem entis à substantiâ &c. Recole in specimen argumentum celebre animalis à longè visi, quod an sit rationale, vel irrationale, nescitur, cum tamen cognoscatur esse animal. Cujus argumenti ponderationes æquè militant in præsenti: nam sæpè certò cognoscimus, objectum aliquod esse ens, simulque nescimus, aut dubitamus, sitnè substantia, an accidens; ut multis contingit circa lucem, aut quantitatem.

8. Jam verò *Consequentia* probatur validè: quia id perfectè præscinditur, quod ab alio perfectè separatur intentionaliter, sive in esse cogniti, ut ipsi Thomistæ inculcant, maximè in præsenti: sed ratio entis perfectè separatur intentionaliter ab inferioribus, si ab eis objectivè præscinditur: ergo &c. *Prob. Min.*: quia ratio entis per cognitionem *entis* existit intentionaliter, quando non existunt intentionaliter inferiora, siquidem hæc ex parte ob-

objecti non terminant eam cognitionem, ſed manent incognita. Hanc autem eſſe perfectam ſeparationem intentionalem, *probo*: tum quia, ſi A. exiſtat realiter, quando realiter non exiſtit B., perfectè ſeparatur à B. realiter; ſive in ſtatu reali: ergo pariter &c.. Tum quia ex terminis unum exiſtere quando vel ubi non exiſtit aliud, eſt perfectè ab eo ſeparari. Hinc etiam ſequitur rationis unitas perfecta. Nam in eo ſtatu, in quo ens nullam habet diverſitatem, aut pluralitatem, eſt perfectè unum, utpotè omninò indiviſum; ideòque, ſi nullam haberet in ſtatu reali, foret in ſtatu iſto penitùs indiviſum & unum. *Univerſaliter* (inquit Ariſtoteles 5. Metaph.) *quæcumque non habent diviſionem, in quantum non habent, ſic unum dicuntur*: quod ibi confirmat D. Thomas lect. 8. loquens de unitate rationis. Atqui ens, objectivè præciſum, nullam habet in ſtatu intentionali diverſitatem, aut pluralitatem, cùm hęc tota conſiſtat in inferioribus, quę non transferuntur ad ſtatum intentionalem, utpotè non cognita: ergo &c.. *Dices*: ens in eo ſtatu pluralitatem habet pro implicito. *Contrà*: per te, habere pluralitatem pro implicito, cohæret cum eo quòd pluralitas propriè non ſit in illo ſtatu, in quo eſt ens, nempe in ſtatu cogniti, ſiquidem pluralitas propriè non eſt cognita, neque ullo modo terminat cognitionem: ergo non impedit perfectam unitatem entis in ſtatu cogniti. Patet *Conſeq.* paritate unitatis in ſtatu reali, quæ certè non impeditur per pluralitatem, quæ in eo ſtatu non eſt.

9 *Arguo* 2.. Inferiora entia non includuntur implicitè in concepta entis: ergo ab eis perfectè pręſcinditur ens. *Prob. Antec.*: quia implicitè includi, ut ipſimet explicant Adverſarij, eſt pertinere formaliter ad eſſentiam entis ut pręciſivè cogniti, ſicut rationalitas ad eſſentiam hominis, & generatim ſicut ad eſſentiam definiti pertinent ea prædicata, per quæ definitur: ſed inferiora entia non ita pertinent ad eſſentiam entis ut ſic: ergo &c.. *Prob. Min.* ex nuper dictis: quia ens, juxta Thomiſtas, ita præſcinditur ab inferioribus, ut hæc non cognoſcantur, nec terminent cognitionem ex parte objecti: repugnat autem non cognoſci ex parte objecti id, quod eſt formaliter eſſentia cogniti, & in ejus definitione ponitur. *Prob.* hoc. Tum ex terminis: quis enim credat, animal rationale manere incognitum ex parte objecti, dum cognoſcitur homo? Quid attingit ex parte objecti cognitio *entis*, ſi non attingit aliquam eſſentiam realem? Si autem attingit eſſentiam aliquam, certè non aliam, quàm ipſius entis ut ſic.

10 Tum ex D. Thomâ in 3. de Animâ lect. 12. lit. g., ubi planè docet, nullum objectum poſſe intelligi præciſivè ſine eo, quod eſt de ratione ſeu definitione ipſius. Idcircò, *Non poſſum*, inquit, *intelligere hominem nihil intelligendo de animali, quia animal eſt in ratione hominis.* Cùm autem intellectus intelligit *curvum* (ſubdit S. Doctor), *ſine carne intelligit in quantum eſt curvum; non quidem ita, quòd intelligat, curvum eſſe ſine carne; ſed quia intelligit curvum non intelligendo carnem: & hoc ideò, quia caro non ponitur in definitione curvi.* Addit, quòd ideò intellectus ſine materiâ ſenſibili præciſivè intelligit mathematica, non autem naturalia, *quia in definitione naturalium ponitur materia ſenſibilis, non autem in definitione mathematicorum.* Nec dicas, D. Thomam loqui de præciſione perfectâ, ſeu excludentis ab excluſo, non verò de imperfectâ, ſeu penès explicitum, quam Thomiſtę vocant includentis ab excluſo. Nam *contra* eſt, quòd S. Thomas planè loquitur de præciſione, quâ unũ cognoſcatur alio non cognito: talis eſt autem præciſio imperfecta, prout à te adſtruitur. Unde ſic argumentor: juxta

ta doctri nam D. Thomæ, quoties unū cognoscitur sine alio, ideſt, non cognoſcendo aliud, hoc aliud non eſt de ratione objecti cogniti, nec in ejus definitione ponitur: ſed per te, dum cognoſcitur ens ut ſic, cognoſcitur ſine inferioribus, ideſt, non cognoſcendo inferiora, ſiquidem hæc ex parte objecti non terminant cognitionem, ut concedis: ergo inferiora non ſunt de ratione entis, nec in ejus definitione ponuntur. Hinc præciſio entis ab inferioribus, vocari debet *excludentis ab excluſo* in eſſe cogniti: id enim excluditur à ſtatu cogniti, quod intra illum non admittitur, ſed relinquitur in ſtatu incogniti.

11 *Confirm.* 1. ex eod. Angelico Doctore q. 2. de verit. ar. 11., ubi probato convenientiam aliquam eſſe inter Deum & creaturam, monet, quędam nomina non niſi ſymbolice dici de Deo, ut *leo*, *ſol*, & hujuſmodi, *quia* (inquit) *in horum definitione cadit materia, quæ Deo attribui non poteſt.* Et continuò ſubjungit: *Quandòque verò nomen, quod de Deo & creaturâ dicitur, nihil importat ex principali ſignificato, ſecundùm quod non poſſit attendi prędictus convenientiæ modus inter creaturam & Deum; ſicut ſunt omnia, in quorum definitione non clauditur defectus, nec dependet à materiâ ſecundùm eſſe, ut ens, bonum, & alia hujuſmodi.* Eamdem doctrinam tradit 1. p. q. 13. art. 1.. Quæ quidem commentario non indiget, ut percipiatur clarè contraria Thomiſtarum doctrinę, quam rejicimus. Si enim in definitione entis *non clauditur defectus*; ergo ens non eſt definibile per ſubſtantiam, & accidens, & reliqua inferiora, quę tranſcendit; nam in his proculdubiò importatur defectus & imperfectio multiplex: non ergo ens includit implicitè inferiora, quaſi formaliter ad ejus eſſentiam attinentia. Item, ſi ens definitivè includeret ea, quę tranſcendit, in ejus definitione caderet materia, quę cadit in definitione leonis, & quidquid à materiâ dependet ſecundùm eſſe: ſed hoc eſt falſum juxta D. Thomam: ergo &c.. Item, ens magis præſcinditur à materiâ, quam leo; ut conſtat ex verbis D. Thomæ: ergo præſcinditur etiam quoad implicitum; nam quoad explicitum leo utique præſcinditur.

12 *Adde*, quòd, juxta D. Thomam in Prologo Metaph., ens commune ſeparatur à materiâ ſecundùm eſſe & rationem: *Quia*, inquit, *ſecundùm eſſe & rationem ſeparari dicuntur, non ſolùm illa, quæ nunquam in materiâ eſſe poſſunt, ſicut Deus, & intellectuales ſubſtantiæ, ſed etiam illa, quæ poſſunt ſine materiâ eſſe, ſicut ens commune.* Poteſt ergo ens commune ſine materiâ eſſe (nempe quatenùs eſt indifferens ad Deum etiam, & Angelum): ſed nullus conceptus objectivus poteſt eſſe ſine materiâ, ſi ab eâ non præſcinditur quoad implicitum, ſed tantùm quoad explicitum; ut patet in conceptu leonis, vel animalis: ergo &c.. Item, in phraſi D. Thomæ idem eſt ſeparari *ſecundùm rationem*, ac *ſecundùm definitionem*; idem quippe ſonat in rebus abſtractis *ratio*, ac *definitio*, ut admonet cum Ariſtotele D. Thomas innumeris in locis, v. g. 1. p. q. 13. ar. 1. & 6.: ſi ergo ens commune à materiâ ſeparatur *ſecundùm rationem*, ſeparatur *ſecundùm definitionem*: ergo non eſt definibile per materiam, adeòque nec per alia inferiora, quæ tranſcendit. *Adde* inſuper, quòd objectivus cōceptus entis eſt ſimpliciſsimus; quia *id, in quod intellectus omnes conceptiones ſuas reſolvit, eſt ens*, ut ait D. Thomas q. 1. de verit. ar. 1.. Si autem includeret implicitè inferiora, ipſe potiùs reſolveretur in conceptus eorum, ſicut conceptus hominis in conceptus animalis & rationalis; cùm generatim conceptus definiti reſolvatur in eos conceptus, per quos definitur, non é converſo: reſolvi enim eſt

ex-

explicari per conceptus simpliciores ac distinctiores essentiæ.

13 *Confirm.* 2.: si ens includeret definitivè substantiam & accidés, non verè diceretur absolutè, *Substantia est ens*: quemadmodùm non verè dicitur, *Planta est animal*; quia, licèt planta sit vivens, in animali tamen definitivè includitur, non solùm vivens, sed etiam sensibile, quòd plantæ non convenit: at etiam non verè dicitur absolutè, *Anima est homo*; quia, licèt homo physicè definiatur per animam, at non per eam tantùm, sed simul per corpus: & generatim non verè affirmatur absolutè prædicatum, cujus tota definitio, seu physica, seu metaphysica, non verificatur de subjecto. *Dices* cum Collegio S. Th. Complut. cit. q. 7. n. 157., verificari de substantiâ *quidquid est de essentiâ entis pro explicito*, non verò *quidquid est de essentiâ entis pro implicito*. Sed *contrà* 1.: ens non habet duas essentias, aliam explicitam, aliam implicitam, sicut nec homo, nec animal, sed unam magis aut minùs explicatam, magis quidem per conceptus definitivos, minùs verò per conceptum definiti, seu definibilis; & alioqui definitio non explicaret essentiam rei, sed essentiam illam, quam dicis propriam definiti pro explicito. Repugnat ergo, quòd de substantiâ verificetur tota essentia entis pro explicito, quin simul tota pro implicito.

14 *Contrà* 2.: regula Summularum inconcussa est, quòd definitum & definitio convertuntur, ita ut de quocumque verificatur definitio, verificetur pariter definitum, & vice versâ: sed quidquid est de essentiâ entis pro explicito, est definitum, & quidquid est de essentiâ entis pro implicito, est definitio, juxta doctrinam tuam: ergò vel utrumque, vel neutrum verificatur de substantiâ. *Repones*, regulam conversionis tenere, quando conceptus definiti est univocus, aut perfectè unus; secus verò, quando est analogus, & unus imperfectè tantùm, aut secundùm quid. *Contrà* etiam in analogis eo sensu, quo verificatur definitum, verificatur pariter definitio: nam quo sensu de medicamento dicitur *sanum*, dicitur & definitio *sani*, nempe cum addito *causaliter*; & quo sensu statua vocatur *homo*, vocatur etiam *animal rationale*, nempe cum addito *apparenter*, aut *repræsentativè*. Similiter conversio tenet, etiamsi unitas definiti sit imperfecta, vel impropria: nam de quocumque verificatur concretum *album*, quod est unum per accidens, aut *acervus lapidum*, qui solùm est unus per aggregationem, verificatur etiam tota definitio vel quasi definitio ejusdem concreti, vel acervi. Est igitur illa regula ubilibet inconcussa; sicut hactenùs habita est apud omnes. Et ratio est, quam nuper tetigi; quia essentia definiti pro explicito, non est alia, quàm pro implicito, sed una & eadem, præsertim ex parte objecti.

15 *Confirm.* denique: voluntas Divina, juxta Thomistas, ita vult & amat in actu peccati rationem entis, ut nec implicitè malitiam velit, etiamsi malitia in positivo consistat, atque adeò transcendatur ab ente. Immò & actio Dei physica, juxta eosdem, attingit & causat entitatem, cùm tamen ne implicitè quidem malitiam causet. Non ergo malitia implicitè ac definitivè pertinet ad essentiam entis, ac proinde nec ad eam pertinent inferiora cætera; cùm in omnibus eadem sit ratio, ut Adversarij non dubitant. *Respondet* Collegium S. Th. cit. q. 7. n. 155., posse attingi ens à voluntate Divinâ, quin implicitè attingatur malitia, licèt hæc sit de essentiâ entis pro implicito: quia ex duobus, quæ solùm distinguuntur penès implicitum & explicitum, potest unum sine altero attingi ab aliquâ potentiâ, quando intra sphæram talis potentiæ continetur unum,

& non alterum; non ita verò, si contineatur utrumque: cùm ergo intra sphæram Divinæ voluntatis contineatur entitas, & non malitia; utraque verò contineatur intra sphæram intellectûs Divini; altera sine alterâ, licèt implicitè inclusâ, poterit amari; non tamen cognosci. Sed *contrà* 1.: ergo voluntas Divina vult & amat aliquid, nolendo & prohibendo essentiam ejus. Hoc autem ex terminis implicatorium apparet: sicut etiam quòd res finita realiter sit intra potentiæ alicujus sphæram, extra quam realiter sit essentia talis rei: & alioquì liceret idem dicere de humanitate & rationalitate.

16 *Contrà* 2.: non hic loquimur de intellectu Divino, qui necessariò attingit, & quidè explicitè, quidquid cõtinetur intra sphæram ejus objectivam: loquimur de humano intellectu, cujus est prescindere, & ex cõtentis in ejus sphærâ unum attingere sine altero, & cui præ omnibus potentijs tribuitur subtilitas in distinguendo nec separando prædicata realiter indistincta. Mirum autem erit, si potentia talis minùs sit præcisiva, quàm physica Dei causalitas. Oppositum experimur passim; v. g. præscindendo rationem generícam ab omni differentiâ, & specíficam ab omni hæcceitate; cùm tamen similem præcisionem facere nequeat actio physica, nec voluntas Dei efficax. *Contrà* 3.: si Divina voluntas, attingendo entitatem actûs pravi, non attingit implicitè malitiam, idem potest facere intellectus noller: potest ergo alteram ab alterâ perfectè prescindere. *Prob. Antec.*: quia potest intellectus noller cognitatem illam præcisè attingere prout à Deo volitam; v. g. dum ait, *Entitas actûs pravi, prout à Deo volita, non est implicitè malitia* (quæ propositio verissima est juxta Thomistas); tunc autem per conceptum subjecti attingit entitatem non attingendo malitiam implicitè. Patet hoc tum quia entitatem attingit prout à Deo volitam, quo sensu nó est implicitè malitia: tum quia prædicatum eo sensu, quo verè negatur de subjecto, non concipitur in subjecto inclusum, ut est evidens: dum ergo de entitate verè negatur malitia in sensu implicito, non concipitur implicitè inclusa in entitate.

## CAP. II.

## *FUNDAMENTA CONTRARIA diruuntur.*

17 *Objic.* 1., & principaliter ex transcendentiâ entis, quam amplectemur cap. 4.. Inferiora entis, & omnes differentiæ ipsorum, sunt de essentiâ entis ut sic: ergo ens nequit ab eis perfectè præscindi, sicut nec homo à rationali. *Prob. Antec.* 1.: quia ens, cùm omnia transcendat, est de essentiâ inferiorum, ita ut quælibet differétia sit formaliter ens: ergo & é converso; nam formalis idéntitas debet esse mutua; & prorsùs implicat, quòd A. sit formaliter B., & quòd non sit vel tota essentia, vel pars essentiæ B.. 2.: quia de essentiâ entis est omne id, quod est formaliter ens, & nihil aliud ab ente: sed omnia inferiora sunt formaliter ens, & nihil aliud ab ente, cùm nihil includant, quod non sit formaliter ens, vel quod sit extraneum & superadditum enti: ergo &c.. *Confirm.* 1.: quia non potest aliquid separari ab eo, quod est inseparabile ab ipso: ergo nec præscindi ab eo, quod est ab ipso impræscindibile; præscindi enim est separari. Sed differentiæ sunt impræscindibiles ab ente: ergo &.. *Confirm.* 2.: quia esse præcisum, est formaliter segregatum esse ab inferioribus; esse autem transcendens, est formaliter imbibitum esse in ipsis: sed hæc duo contradictoriè opponuntur: ergo &c.

18 *Ad object. neg. Antec.*, quia obstent probationes. *Ad* 1., concesso

*Antec.*, *neg. Conſequ.*: nam formalis identitas non ſemper eſt mutua: ut patet in ratione generica reſpectu ſpecierum; homo enim formaliter eſt animal: nec tamen animal formaliter eſt homo. *Dices* cum Carmelitis Complut., genus propriè loquendo non præſcindi ab ſpeciebus, ſed à differentijs. Sed *impugnaberis* 1.: quia animal præſcinditur & abſtrahitur abijs, per quæ contrahitur & determinatur: ſed animal contrahitur & determinatur per hominem, ut expreſsè docet D. Thomas q. 21. de verit. ar. 1.: ergo &c. 2.: quia genus verè præſcinditur à ſuis inferioribus, de quibus prædicatur ut genus: ſed talia inferiora ſunt ſpecies: non enim genus de differentijs prædicatur *in quid*, adeòque nec ut genus: ergo 3.: quia animal proprié diſtinguitur per rationem abijs, per quæ non definitur, ſeu quæ non cadunt in definitione animalis: ſed animal non definitur per ſuas ſpecies, & in ejus definitione tam verè non cadunt homo & leo, quàm rationale & rugibile: ergo.

19. *Dices* cum alijs, ideò animal præſcindi ab homine, quia homo reduplicato conceptu differentiali non eſt formaliter animal: ſi autem homo ſecundum eandem formalitatem foret animal, non eſſet locus præciſioni. Sed iterùm *impugnaberis*: quia homo ſub conceptu ſpecifico non reduplicat conceptum differentialem, & tamen ab eo, prout ſubeſt conceptui *homo*, proprié præſcinditur animal, ut modò vidimus. Vel *aliter*: per conceptum *homo* nulla ſit diſtinctio rationis inter formalitates hominis, ut eſt evidens: ergo illi reſpondet conceptus objectivus metaphyſicè ſimplex, utpotè carens omni partium diſtinctione formali & actuali (fundamentalis non eſt actu diſtinctio, & formalis Scotica rejicitur à Thomiſtis): ergo eſſentia hominis, prout ſubeſt conceptui *homo*, nullam dicit formalitatem, quæ non ſit animal. Et tamen animal ab homine ſic accepto verè præſcinditur, & ratione diſtinguitur. *Urgetur* hoc ipſum: eſſentia hominis ſub conceptu *homo* formaliter tranſcenditur ab animali, ut nemo dubitat: cum ergo ſub conceptu illo non habeat partes ratione diſtinctas, tota tranſcenditur; nam in objecto, quod partibus caret, aut totum tranſcenditur, aut nihil: unde in hac propoſitione, *Homo eſt animal*, de toto ſubjecto prædicatur animal in ſenſu formali. At nihilominùs hæc tranſcendentia, ſeu formalis identitas, non eſt mutua, cùm animal ratione diſtinguatur à tali eſſentiâ ſub conceptu *homo* ſpectata: ergo &c. Hoc exemplum vindicandum fuit, quia totos frangit Contrariorum conatus.

20. Addo aliud ex doctrinâ Thomiſticâ. Tota eſſentia entis, pro explicito ſumpta, formaliter tranſcendit inferiora, ita ut de qualibet differentiâ verè & explicitè dicatur, *eſt formaliter ens*: & tamen inferiora non ſunt de eſſentiâ entis ſic acceptâ. Patet hoc: tum quia inferiora, juxta Thomiſtas, ſolùm ſunt de eſſentia entis pro implicito ſumptâ, quæ quidem propriè manet incognita, dum cognoſcitur ens explicitè: tum quia de ſubſtantiâ, & de quolibet inferiori, prædicatur *quidquid eſt de eſſentiâ entis pro explicito*, teſte Collegio S. Th., ut vidimus n. 13.: ſed de ſubſtantiâ non prædicatur accidens, nec de uno inferiori cætera: non ergo inferiora ſunt de eſſentiâ entis pro explicito. Jam igitur inter inferiora & eſſentiam entis explicitam datur identitas formalis non mutua. Quapropter in ſenſu formali non implicat, quòd A ſit B, nec tamen ſit tota eſſentia, nec pars eſſentiæ B: ſic enim, juxta Thomiſtas, ſe habet ſubſtantia relatè ad eſſentiam entis explicitam. Si quæras, an hæc identitas non mutua, ſit adæquata? Dico, eſſe adæquatam ex parte unius extremi, & nullam ex parte

realterius; & vice versâ distinctionem rationis esse hinc adæquatam, inde nullam. Hæc majorem lucem accipient ex dicendis cap. 5.

21 *Ad 2. prob.* n. 17. *dist. Maj.*: quod est formaliter ens, & nihil aliud ab ente, alietate tam mutuâ, quàm non mutuâ, *conc.*; alietate mutuâ duntaxat, *neg. Maj.* Tum concedo *Min.* de alietate mutuâ, nego de non mutuâ: nam eo sensu, quo inferiora distinguuntur ab ente, vel potiùs ens ab ipsis, dici possunt *aliud* ab ente, & aliquid *superadditum* & *extraneum* enti; non quidem extraneitate mutuâ, quâ scilicet formaliter excludant ens a se ipsis (hæc est extraneitas propria differentiæ respectu generis, quæ sola in præsenti neganda est cum D. Thomâ); sed extraneitate non mutuâ, quâ scilicet inferiora non includantur formaliter in ente. Hoc facilè explicabis exemplo hominis respectu animalis, aut exemplo substantiæ respectu essentiæ entis explicitæ: similiter enim dici potest, quòd homo sub conceptu specifico non est aliud ab animali, &c. *Ad 1. Confirm. neg. Antec.*; quia res potest separari à modo, qui est à re inseparabilis, ideft, impotens existere sine re: possum enim ego existere sine meâ ubicatione in loco A., quæ tamen sine me existere nullatenùs potest. Hinc ergo potiùs confirmatur nostra sententia de præcisione non mutuâ.

22 *Ad 2. Confirm.*, concessâ *Maj.*, *dist. Min.*: hæc duo contradictoriè opponuntur, si fiant per eumdem conceptum, *conc.*; si per diversos, *neg. Min. & Consequ.*: nam animal sub conceptu *animal*, est formaliter segregatum ab homine; in quo tamen formaliter est imbibitum sub conceptu *homo*. Sed *instabis*: si ens manet inclusum in differentijs, quomodò ab eis abstrahitur? *Resp.*, eo modo, quo animal ab homine, licèt in eo maneat inclusum; vel eo modo, quo juxta Thomistas cognoscitur scientia entis explicita, non cognitis ex parte objecti differentijs, in quibus tamen inclusa manet. Certè idè in præsenti tonat abstrahi, ac cognosci unum non cognito alio, cui realiter identificatur. Porrò, vel differentias accipis in statu reali: atque ita non loqueris ad rem; quia nemo dubitat, quin ens, & quodvis prædicatum commune mentaliter abstractum, maneat realiter in differentijs. Vel eas accipis in sensu formali: & in hoc sensu non sunt differentiæ, nisi prout cognitæ sub conceptibus propriis & discretivis. Quòd autem in ijs, prout ita cognitis, inclusum maneat ens, & simul ab ijsdem abstrahatur per alium conceptum longè diversum, scilicet per conceptum *entis*; non habet umbram repugnantiæ. Denique adverte, totam hanc objectionem pugnare contra D. Thomam. Si enim inferiora sunt de essentiâ entis, & mutuè cum eo identificantur formaliter ac definitivè; sequitur, quòd in definitione entis cadat imperfectio, defectus, & materia. Sequela est innegabilis: sed est evidenter contra D. Thomam, ut vidimus n. 11.

23 *Objic.* 2. ex analogiâ entis. Si ens esset perfectè præcisum, foret univocum; foret enim conceptus objectivus omninò unus, nullamque diceret actu diversitatem; & hæc de causâ conceptus animalis, & similes alij sunt univoci: sed ens est analogum, juxta Philosophum, & D. Thomam: ergo &c. *Resp.* An ens sit univocum, vel analogum, discutiemus cap. seq.; ubi etiam patebit, cur ens non sit genus, quod hâc item objici solet. Interim objectionem repelere poteris per instantiam sic: Ens foret univocum, si tale sit secundùm explicitum, id est, secundùm illam realitatem, qua propriè cognoscitur ex parte objecti per conceptum *entis*, transeat; si non sit univocum secundùm realitatem illiusmodi, nega: & sub hac ipsâ distinctione hic,

esse vel non esse analogum. Memineris ex n. 7., præcisionem expliciti ab implicito apud Thomistas non consistere in solâ majore aut minore claritate conceptûs formalis, sed esse præcisionem objectivam, vi cujus id, quod vocant *explicitum*, propriè cognoscitur; illud verò, quod *implicitè* vocant, propriè nô cognoscitur, nec terminat cognitionê ex parte objecti. Explicitè ergo distinguitur ab implicito, sicut realitas propriè cognita, à realitate propriè nô cognitâ. Hæc verò distinctio, sive pro libitu vocetur imperfecta, sive perfecta, certè sufficit, ut realitas entis explicita, seu cognita, sumatur seorsù à nô cognitâ: sic autem sumpta nullam dicit diversitatem, cû diversitas tota se teneat pro implicito juxtà Thomistas: erit igitur ens secundùm illam realitatem univocum; quod cùm Thomistæ negent, tenentur solvere suum argumentum.

24 *Objic.* 3. ex Aristotele, qui 10. Metaph. t. 8. docet, ens significare decem prædicamenta, scilicèt immediatè, ut exponit Averroes, vel ita ut non *prædicet aliam naturam à decem prædicamentis*, ut ait D. Thomas ibi lect. 3.: ergo ens non significat aliquem gradum præcisum seu ratione distinctum à prædicamentis. *Confirm.* ex eodem Arist. 8. Met. t. 15., ubi docèt, ipsum ens statim esse substantiam, quantitatem, & reliqua prædicamenta; quia nimirùm, ut explicat ibi D. Thomas lect. 5., *ens non expectat aliquid additum*, ut fiat substantia, &c., *sed statim à principio est vel substantia, vel quantitas, vel qualitas*: ergo ens non est aliqua ratio communis præter ipsa prædicamenta: unde nec ponitur in definitionibus, ut ibid. admonet Aristoteles. *accedit*, quòd prædicamenta sunt primò diversa: ergo in nullâ communi ratione conveniunt. *Resp.* Ens significat prædicamenta, non immediatè in sensu formali (quidquid dicat Averroes), sed potentialiter, quatenùs significat rationem omnibus prædicamentis communem, quo modo animal significat species suas: nec Aristoteles ibi agit de significatione immediatâ, sed solùm de prædicatione generali, in quâ æquiparat unum & ens, quia utrûque extenditur ad omnia prædicamenta. D. Thomas autem solùm negat in ente *aliam naturam* alietate intentâ ab Avicennâ, qui (ut ait ibi S. Doctor) *posuit quòd unum & ens sunt prædicata accidentalia, & quòd significant naturam additam supra ea, de quibus dicuntur.*

25 *Ad Confirm.* Ens dicitur *statim* esse substantia &c., quatenùs, ut contrahatur ad prædicamenta, non expectat aliquid additum per modum differentiæ propriè talis, aliquid scilicèt, quod non fit formaliter ens, sicut differentia non est genus; ut exponit S. Thomas cit. lect. 5. Expectat tamen aliquid contrahens per modum conceptûs magis expressi & limitati, ut posteà dicemus. Ob eandem rationem ens non ponitur expressè in ijs definitionibus, quæ per genus & differentiam traduntur: quia nimirùm ens non est genus, nec se habet ut materia ad differentias motuò distinctas: ut ibid. observat D. Thomas. Hinc etiâ ratio sumitur, quare prædicamenta dicantur *primò diversa*: nempe quia in nullo genere conveniunt, nec differunt propriis differentijs motuò distinctis à ratione communi, in quâ verè conveniunt; sed se totis differunt: quâmvis etiam se totis talem habeant similitudinem, quæ fundamentum præbeat ad abstractionem entis. Certè Deus & creatura sunt entia primò diversa; & tamen *Deus cum rebus omnibus similitudinem habet, & dissimilitudinem simul*, ut ait D. Thomas 1. cont. Gent. c. 29. Quosdam alios Aristotelis textus, à Thomistis objectos, explicat M. Suar. d. 2. Met. s. 2. n. 27. & seqq.

26 *Objic.* 4. contra præcisionem entis à Deo & creaturâ. Implicat vera

vera similitudo inter Deum & creaturam: ergo & præcisivo prædicati communis utrique. *Prob. Antec.* 1.: quia finiti ad infinitum nulla est proportio. 2.: quia inter Deum & creaturam, sicut est infinita distantia, ita & infinita dissimilitudo: hæc autem omnem similitudinem excludit. 3.: quia Deus non minùs à creaturâ distat, quàm ens reale ab ente ficto; nulla enim est distantia major infinitâ: sed ens reale & fictum adeò inter se distant, ut nullâ similitudine fundet abstractionem prædicati communis: ergo &c. *Confirm.* 1.: ens præcisum à Deo & creaturâ, foret vera realitas, quæ nec esset creata nec increata, nec finita nec infinita, nec necessaria nec contingens: talis autem realitas implicatoria est. *Confirm.* 2.: Deus secundùm omnem suam formalitatem est singularissimus: talis autem non esset, si formalitas entis, quæ Deo convenit, posset abstrahi, & communis fieri creaturis. Et alioquin aliquid cum Deo identificatum, posset non esse Deus, videlicèt prædicatum entis, quòd per abstractionem fiet indifferès ad creaturam. *Confirm.* 3.: ens abstractum, esset quid prius, superius, & simplicius Deo; quod repugnat. *Confirm.* 4.: in Deo non datur compositio metaphysica: daretur autem, si posset à Deo abstrahi conceptus entis; hic enim esset conceptus potentialis, & determinabilis per conceptum differentialem, quo cum proinde compositionem faceret.

27 Objectio ista, saltem majori ex parte, non prodest Thomistis. Tum quia est aperte contra D. Thom., qui locis citatis suprà n. 3. ex professo probat, similitudinem esse inter Deum & creaturas. Immò, quòd creatura possit esse Deo similis, constat ex sacris Litteris, Genes. 1., & 1. Joan. cap. 3. Tum quia pariter impugnat conceptum entis analogum, aut pro explicito præcisum à Deo & creaturâ. Sed à quocumque objiciatur, *neg. Antec.* Et *ad 1. prob.*: finiti ad infinitum nulla est proportio quantitativa, sumpta scilicet pro æquivalentiâ ex toto, vel ex parte, quasi finitum sit æquale infinito, vel dimidium ejus, vel eidem æquivalens quoad tertiam partem, aut sextam, &c.. Si tamen proportio sumatur pro similitudine, non est neganda: nam albedo infinita, si daretur, similis esset finitæ in ratione coloris, aut visibilis. *Ad 2.*: infinita dissimilitudo benè cohæret cum similitudine aliquâ, quando non præstant effectus formales oppositos; ut accidit in præsenti: nam dissimilitudo infinita solùm præstat, ut Deus sit ens infinitè majus & melius creaturâ; similitudo autem præstat, ut utrumque extremum verè sit ens, seu aptum existere. At nulla est oppositio in eo, quòd ex duobus verè aptis existere, unum sit infinitè majus & melius altero. *Ad 3.*: licèt Deus non minùs distet à creaturâ, quàm ens reale à ficto, distat tamen aliter, per distantiam scilicèt utrimque positivam, cujus infinitudo, ut nunc ajebam, locum relinquit ut utrumque extremum verè & intrinsecè sit ens, ac proinde fundet præcisionem entis communis; ens verò reale distat à ficto, ut ens à non ente, seu per distantiam ex alterâ parte negativam, quæ similitudinem intrinsecam penitùs excludit.

28 *Ad 1. Confirm.* concedo sæpe dictam in sensu præcisivo & formali; sic enim non majus continet absurdum, quàm quòd animal ut sic non sit rationale nec irrationale, & substantia ut sic non sit corporea nec incorporea, non animata nec inanimata, &c., licèt hoc omninò repugnet in statu reali. *Ad 2.*: Deus est singularissimus secundùm omnem formalitatem ut suam, ideòque conceptam ut propriam Dei; quâ ratione verum est quòd nulla formalitas, Deo conveniens, possit reddi communis alteri.

Cum

Cum hoc tamen cohæret, quod aliqua formalitas, reipsâ conveniens Deo, possit concipi, quin concipiatur ut ita conveniens aut propria Dei. Sic Angelus secundùm omnem suam formalitatem est incorporeus: & tamen aliqua formalitas, conveniens Angelo, nempe ratio substantiæ, potest ita concipi, ut reddatur communis rebus corporeis. Deus autem ideò est essentialiter singularis, quia nequit concipi essentia Divina sine singularitate, sicuti concipitur essentia Angelica, vel humana. Cæterùm ratio entis, à Deo abstracta, non concipitur ut essentia Divina. Absurdum illud, quòd aliquid cum Deo identificatum potuerit non esse Deus, frivolum est: continet enim fallaciam *accidentis*, ut vetus illud; *Quod ego sum, tu non es; ego sum homo: ergo tu non es homo.* Pariter dicendum erit, quòd aliquid identificatum cum Angelo, nempe prædicatum substantiæ, possit fieri lapis. Itaque prædicatum entis, quod redditur per rationem indifferens ad Deum & creaturas, non est unum realiter, sed est potiùs realiter multiplex, solùmque dicitur unum unitate cognitionis confusæ; neque unquàm contingit identificari cum creaturâ ens realiter idem cum ente Dei. Hæc omnia constant ex Logicâ, & communia sunt omnibus prædicatis genericis, & specificis.

29 *Ad 3. & 4. confirm.*, queis utuntur Thomistæ, respondeti potest per instantiam in essentiâ entis explicitâ, seu in realitate propriè cognitâ ex parte objecti per cognitionem *entis*: hæc entis realitas erit Deo prior, superior, & simplicior; eritque potentialis ad aseitatem, & cum eâ compositionem faciet metaphysicam. Præterea, nullatenùs absurdum est, quòd ens abstractum, sit Deo prius prioritate logicâ, quam vocant *in subsistendi consequentiâ*, quatenùs benè arguitur, *Hoc objectum est Deus, ergo est ens*, non tamen è conversò: proinde nec absurdum est, quòd sit Deo superius logicè, idest, latiùs patens in prædicando, quatenus de pluribus prædicatur ens, quàm Deus. Talis certè prioritas, & superioritas, non est propria Dei; cùm tota consistat in imperfecto & confuso modo concipiendi plura objecta similia. Nihil item prohibet, aliquid esse Deo simplicius simplicitate meré logicâ, seu excludente distinctionem rationis in plura prædicata: tam in Petreitate v.g., vel in quâvis aliâ differentiâ ultimâ, non possunt ratione distingui tot attributa, quot in Deo distinguimus, saltem penès implicitum & explicitum. Nihil ergo est Deo simplicius in sensu reali, aut etiam in sensu formali excludente compositionem metaphysicam; quo sensu loquitur S. Thomas 1. contr. Gent. c. 32.

30 Denique, compositio metaphysica, si nullam in objecto ponat distinctionem aut potentialitatem ex naturâ rei, sed solùm consistat in duobus conceptibus inadæquatis, & invicem ratione distinctis, quorum alter per alterum determinetur; à multis admittitur in Deo, tamquam nihil derogans Divinæ simplicitati, nec imperfectionem supponens in objecto, sed tantum in intellectu nostro. Nos tamen eam in Deo negamus cum Div. Thomâ: quia omnis compositio importat partes mutuò distinctas, qualiter distinguuntur physicè materia & forma, & metaphysicè genus & differentia: in Deo autem nec aseitas, nec alia formalitas, mutuò distinguitur formaliter ab ente, juxta dicéda cap. 4.. Quare conceptus entis ut sic, non est potentialis per modum partis ab aliâ cò-parte determinabilis: poterit tamen vocari *potentialis*, si hoc tantùm sonet esse indifferentem ut determinetur per varios conceptus arctiores, in quibus formaliter includitur. Hinc inferes, etiam per intellectum nihil esse Deo prius prioritate partis ad totum

hoc

(hoc sensu loquitur D. Thomas 1. p. q. 3. ar. 5. in argum. *sed contrà*) ; quia in Deo nulla est compositio partium, nullave pars, etiam per intellectum, cùm nullibi sit pars sine compartе. Ad finè observa, quòd, cùm interdum Veteres dicunt, Deum non tam esse ens, quàm supra ens, supra substantiam, &c. ; vel talia nomina verius à Deo removeri, quàm eidem aptaris non ideò negant, hujusmodi nomina propriè convenire Deo quantum ad rem significatam : sed solùm admonent, Deum infinitè excedere cuncta entia creata ; & nomina illa non convenire Deo quantum ad modum significandi concretè. Vide D. Thom. 1. p. q. 13. ar. 3. 5. & P. Suar. d. 28. Met. s. 3. n. 13.

## CAP. III.

### UTRUM ENS SIT COMMUNE SIT *univocum? an analogum?*

31. PRÆ oculis habendæ sunt ex Logicâ definitiones univocorum, & analogorum. Et *supponendum* 1., ens non esse purè æquivocum respectu Dei & creaturæ, substantiæ & accidentis : id enim evidenter colligitur ex dictis quæst. præced., & multis ostendit D. Thomas q. 7. de pot. ar. 7., & sæpe aliàs. *Supponendum* 2., ens esse analogum analogiâ, non solùm physicâ, sed metaphysicâ. Solùm dicuntur univocari physicè, quæ sunt ejusdem speciei atomæ : unde in ijs, quæ specie differunt, & solo genere conveniunt, datur analogia physica : quo sensu dixit Aristoteles 7. Physic. t. 31., sub genere latere æquivocationes. Vid. D. Thom. ibi lect. 8. Univocatio verò metaphysica sumitur pro convenientiâ generica : unde quæ in nullo genere propriè tali, sed solùm in transcendentibus conveniunt, ut sunt Deus & creatura, vel etiam substantia & accidens, analogiam metaphysicam habeant necesse est. Quæstio igitur solùm est de analogiâ & univocatione logicâ, vel absolutè sumptâ juxta definitionem Aristotelis in Antepræd icam.

32. *Supponendum* 3., nomen *ens*, quatenùs sonat ens reale, quadrifariàm accipi. 1. pro Ente à se, necessario, & summo : unde Deus proprio nomine dicitur, *Qui est*, juxta illud Exod. 3., *Ego sum qui sum*, ubi Septuaginta habent, *Ego sum ipsum ens*. 2. pro ente per se, ideal, pro substantia : quæ acceptio frequentissima est apud Aristot. in Metaph. : & juxta illam sola substantia dicitur ens simpliciter ; accidens verò non tam ens, quàm entis. 3. pro ente creato, sive finito, prout est commune substantiæ & accidenti, seu prout dividitur per decem prædicamenta. Hoc sensu dicitur Deus esse causa totius entis, aut agere sub ratione entis, & ens produci à Deo in quàtum ens. Nec acceptio ista, quatenùs ad accidentia extenditur, impropria est. Nam Aristot. 5. Met. t. 24. ens in hac latitudine vocat *ens secundùm se*, aut *per se* (nempe ut ens per se contraponitur enti per accidens, cujus partes non propriè in unum coeunt), quando scilicet *distinguit ens*, *quod est extra animam*, *per decem prædicamenta*, *quod est ens perfectum*, ut ait D. Thomas ibi lect. 9. Idem Aristot. 6. Metaph. prope finem, & D. Thom. ibi lect. 4., nomen solùm substantiam, sed quantitatem, qualitatem, &c., dicunt esse entia *propriè dicta*. 4. demùm accipitur ens abstractissimè pro habente realitatem non fictam, seu condistinctam à puro nihilo & chimerâ, vel pro habente veram aptitudinem existendi, quam explicimus in limine disput. Hoc sensu ens est subjectum Metaphysicæ, estque commune Deo & creaturæ ; quia in ejus definitione non clauditur defectus, ut ex D. Thomâ vidimus n. 14. Ens igitur modò non sumitur in 1. & 2. acceptione, sed in 3. respectu substantiæ & ac-

cid-

cadentis, & in 4. respectu Dei & creaturæ.

33 *Supponendum* 4., quæstionem præsentem, quantumvis antiquâ, & famosam, magnâ ex parte vocalem esse. Hoc agnoscit Scotus, præcipuus assertor univocationis in ente: nam in 1. d. 3. q. 2., *Ne fiat*, inquit, *contentio de nomine univocationis; conceptum univocum dico, qui ita est unus, quòd ejus unitas sufficit ad contradictionem affirmando & negando ipsum de eodem, & sufficit pro medio syllogistico, ut extrema unita, in medio sic uno, sine fallacia æquivocationis concludantur inter se unum.* At hoc totum ultrò concedunt Thomistæ, licet univocationem pernegent: fatentur enim, concepto entis ita esse unum, ut hæc sit contradictio, *accidens est ens, accidens non est ens*: item, ut ens sit medium ritè distributum in syllogismo, v. g. in hoc, *Omne ens est bonum, creatura est ens, ergo creatura est bona.* Contendunt ergo cum Scoto, non de re, sed de nomine. Ex adverso P. Suarez, analogiæ defensor, d. 28. Met. s. 3. n. 17. sic ait: *Quamquàm, ut verum fatear, inter eos, qui admittant unum conceptum confusum entis, vix potest esse in hac quæstione dissensio de re, sed de modo loquendi: nam sine dubio habet ens magnam similitudinem cum terminis univocis, cùm medio uno conceptu absoluto & sine addito de Deo & creaturâ prædicetur, quam soleant convenientiam considerarunt, qui illud univocum appellarunt.* Immò ipse Aristoteles vocalitatem quæstionis videtur agnoscere 7. Metaph. t. 15., ubi, cùm docuisset, ens non æquivocè dici, nec univocè, sed *ad unum*, ideòst, analogicè, continuò subdidit: *Sed hæc quidem quomodocumque dicere quis velit, nihil differt.* Quæ verba, licet ad aliud referat ibi S. Thomas, commodè referuntur ad quæstionem de analogiâ; & juxta versionem Bessarionis non possunt ad aliud commodè referri.

34 Idcircò Aristoteles nonnunquàm ad univocationem declinat, ut 2. Metaph. t. 4., dum ait: *Unumquodque verò id ipsum maximè aliorum est, secundum quod alijs univocatio inest, ut puta ignis calidissimum: etenim cæteris hic est caliditatis causa.* Sensus est, illud esse maximè tale, quod causa est alijs, ut talia sint univocè, sive ut habeant tale prædicatum univocè dictum de ipsis & causâ; si enim causa non conveniat univocè cum effectibus in eo prædicato, regula fallit; ideòque Sol non est calidissimus, licèt sit causa caliditatis in alijs, quia nimirùm est causa æquivoca, ut ibi observat D. Thomas lect. 2.. *Undè, cùm calor* (inquit S. Doctor) *univocè dicatur & de igne, & de elementatis corporibus, sequitur quòd ignis sit calidissimus.* Ex hac autem regulâ infert Aristot. ibidem, illud esse verissimum, quod alijs, ut vera sint, causa est; similiterque illud esse maximè ens, quod est causa entitatis in alijs, quia *ut secundùm esse unumquodque se habet* (verba sunt ejus), *ita etiam secundùm veritatem.* Cùm ergo Deus sit creaturis causa veritatis & entitatis, sequè ipse maximè verus, & maximè ens, fecit Aristoteles, verum & ens univocè dici de Deo & creaturis. Lepidum autem est, quod respondet Ferrariensis in 1. contr. Gent. c. 32., *Dicendum*, inquit, *quòd Aristoteles accipit univocationem pro analogiâ, quando aliqua conveniunt in unâ ratione proportionaliter.* Bellè. Facilem hinc habemus solutionem ad textus omnes Aristot., & D. Thomæ, quibus asseritur analogia entis: dicemus etenim æquo jure, quòd uterque analogiam accipit pro univocatione. Longè aliter textum illum exponit D. Thomas; qui cit. lect. 2., posit doctrinam modò relatam de Sole & igne, sic loquitur: *Nomen autem veritatis non est proprium alicui speciei, sed se habet communiter ad omnia entia. Unde, quia illud, quod est causa veritatis, est causa communicans cum effectu in nomine & ra-*

*ente communi; sequitur, quòd illud, quod est posterioribus causa, ut sint vera, sit verissimum.* Quid est univocari propriè, nisi communicare *in nomine & ratione communi*?

35 His ita præmissis, *prima sententia* tenet, ens esse analogum. Ità, quantum ad substantiam & accidens, Aristoteles l. 4. Metaph. c. 2., & l. 7. c. 1. & 4., & l. 1. Ethic. c. 6., cui consentit ipsidem in locis & aliàs sæpissimè D. Thomas; qui, quantum ad Deum & creaturam, idem docet 1. p. q. 13. ar. 5., & 1. contr. Gent. c. 32. & seqq., & q. 7. de pot. ar. 7., & sæpe aliàs. Cui sententiæ Capreol., Gajet., Ferrar., & cæteri Thomistæ, ita subscribunt, ut velint ens esse purè analogum. Accedunt plures è Nostris cum P. Suar. d. 28. Met. l. 3., & d. 32. s. 2.. *Secunda* asserit ens esse univocum. Ità PP. Arriaga, Ovied., Lysce., Peynad., Ulloa., & communiter Recentiores nostri, qui videntur ens dicere purè univocum in sensu logico. Pro hac sententiâ citari solet Scotus cum Scotistis omnibus, qui reverâ dicunt, ens esse univocum simpliciter sed, teste Mastrio d. 2. Metaph. q. 5. ar. 1., nolunt (& hæc potest esse *tertia sententia*) ens esse purè univocum, sed univocè analogum. Distinguunt enim Scotistæ varios univocationis gradus pro variâ convenientiâ vel diversitate inferiorum in participando rationem communem: solúmque agnoscunt univocationem puram, & completam, sive perfectam, in specie atomâ: in cæteris verò prædicatis, licèt adsit perfecta præcisio & unitas conceptûs communis (quod simpliciter sufficere dicunt ad substantiam univocationis), semper admittunt volunt aliquid analogiæ; non quidem illius, quæ dicitur æquivocatio *à consilio*, & importat sub nomine communi rationes aut conceptus plures; sed alterius analogiæ, quæ cohæret cum unitate rationis communis, adeòque cum univocationis substantiâ. Verùm analogia istiusmodi, cùm tota consistat in conceptibus propriis inferiorum, à quibus præscinditur ratio communis, non negatur ab Autoribus secundæ sententiæ, nec ab illo negabitur nisi nomine tenùs. Unde colliges novum dissidij vocalis argumentum.

*Duplici assertione Quæstio resolvitur.*

36 *Dico* 1.: Ratio entis, si spectetur præcisè ut significata per nomen seu conceptum *ens*, univoca est Deo & creaturæ, necnon substantiæ & accidenti. *Prob.* ex definitione Aristotelicâ: tunc datur univocatio, quando *Nomen est commune, & ratio significata per nomen est eadem* (adde, si placet, eadem *omninò*, vel *simpliciter*, quàmvis hoc non addiderit Aristoteles), utraque identitate sive unitate rationis, ut omnes intelligunt: sed ratio entis significata per nomen *ens*, commune Deo & creaturæ &c., quatenùs per illud significata, omninò est eadem: ergo &c. *Prob. Min.*: quia ratio entis, prout sic accepta, perfectè præcisa est ab omni pluralitate ac diversitate inferiorum, ut concedunt cum P. Suar. plerique analogiæ suffragatores è Nostris, utque satis ostendimus cap. 1. contra Thomistas: hoc autem est omninò unam & eamdem esse per intellectum, ut nemo dubitat. *Confirm.*: ratio entis, quatenùs subsistat conceptui *entis*, non est partim eadem, & partim diversa formaliter: ergo non est analoga, & consequenter est univoca. *Consequ.* patet ex definitione analogor. *Prob. antec.*: quia, si esset aliquatenùs diversa formaliter, non esset perfectè præcisa à differentijs aut modis particularium entium proprijs, cùm ab his proveniat tota diversitas: cùm ergo perfectè præcisa sit, repugnat quòd sic accepta diversitatem ullam formaliter importet.

37 *Respondebit* 1. ex doctrinâ P. Suar., rationem entis, ut abstrac-

tam, non esse omninò eamdem, quia non descendit uniformiter ad Deum & creaturam, sed cum ordine prioritatis ac dependentiæ essentialis; quem ordinem ratio ipsa communis per se exigit; quia intrinsecè postulat priùs & cum omnimodâ independentiâ in Deo esse; in creaturâ verò posteriùs ac dependenter à Deo. Sed *contrà* est, quòd tota hęc ordinis difformitas referenda est ad statum realem, vel ad conceptus proprios Dei & creaturæ; nec impedit ne absolutè de creaturâ prędicetur ens nullâ factâ mentione posterioritatis, aut dependentiæ; nec efficit ut creatura, pręcisè in quantum ens, talem ordinem dicat: quare ens ut sic perfectè præscinditur ab hujusmodi ordine prioritatis ac dependentiæ, alioqui non præscinderetur ab ente creato & increato contra doctrinam P. Suar. Pręscinditur ergo ratio entis ab eo, in quo consistit formaliter ista non uniformitas, aut diversitas ordinis: ergo, quatenùs hoc modo præcisa, non est *partim diversa*, prout exigit definitio analog. Nec obstat quòd intrinsecè postulet talem habere ordinem in statu reali. Nam hoc utsummùm probat, esse diversam radicaliter, non verò formaliter: sola autem diversitas formalis & actualis obstat univocationi. *Prob.*: quia non magis opponitur univocationi ordo prioritatis & dependentiæ, quàm multiplicitas & differentia essentiarum: hæc autem, dum merè radicalis est, univocationi non obstat; nam omnis ratio univoca, est radicaliter multiplex; & omnis ratio generica radicaliter importat essentias specie differentes. Quomodò autem de quolibet inferiori verificari possit natura, quę radicaliter est multiplex, aut differens, vide in Logic. tr. 3. d. 1. c. 5. n. 7. & 8.; & inde facilè colliges, quo sensu de creaturâ verificetur ratio entis, quamvis radicaliter Divina & independens.

38 *Respondebis* 2. ex Thomistis, rationem entis esse partim eandem, & partim diversam, quia est eadem pro explicito, simulque diversa pro implicito. *Sed* hoc satis rejecimus cap. 1. Nunc ex ibi dictis *contrà* 1. quia hoc reipsâ est, definitum convenire uniformiter inferioribus, quibus non ita convenit definitio, contra regulam conversionis, de quâ n. 14. Si dicas, valere regulam in definito univoco, non in analogo; principium petis, aut nihil dicis prętер id ipsum, quod ex illâ regulâ impugnatur: nam per te ideò ens est analogum, quia non convertitur ejus explicitum cum implicito, idest, definitum entis cum suâ definitione: si ergo ideò non convertitur, quia est analogum, in summâ ideò non convertitur, quia non convertitur.

39 *Contrà* 1.: diversitas pro implicito, intellecta in sensu Thomistico, non obstat univocationi, quam intendimus. *Prob.*: diversitas, quæ non significatur per nomen *ens*, non obstat quominùs univoca sit ratio entis, quatenùs significata per tale nomen; nulla quippe ratio, præcisè quatenùs significata, redditur ullo modo diversa per eam diversitatem, sine qua significatur, ut est evidens: sed diversitas pro implicito, in sensu Thomistico, non significatur per nomen *ens*: ergo &c. *Prob. Min.*: non significatur per hoc nomen, quod non repræsentatur per conceptum seu cognitionem *entis* ad illa diversitas per conceptum istum non repręsentatur. Patet hoc: quia nulla cognitio repræsentat id, quod reliquit incognitum, seu quod non attingit ex parte objecti: sic autem se habet cognitio *entis* ad illam diversitatem, quâ Thomistę ponunt in ente pro implicito, ut vidimus n. 7. Nec dicas, implicitè repręsentari diversitatem hanc. Nam repræsentari implicitè, juxta doctrinam tuam est verè non repræsentari,

ri, cùm sit verè non cognosci, nec attingi ex parte objecti. *Urgetur*: nulla ratio in statu intentionali, quatenùs in eo existens, diversificatur formaliter per diversitatem extrinsecam huic statui: talis autem est diversitas implicita in sensu Thomistico: non enim inerat statum istum, sed extra illum manet, utpotè incognita.

40 Probari præterea potest assertio præsens authoritate Aristotelis, & D. Thomæ. Tum quia in loco allegato n. 34. uterque agnoscit expressè univocationem veri & entis in communi. Tum quia uterque tenet præcisionem entis ab inferioribus etiá pro implicito (ex quâ necessariò sequitur univocatio, ut Thomistæ non dubitant), dum uterque docet, subjectum Metaphysicæ esse ens ut sic, non verò particularia entia, quæ ab alijs Scientijs considerantur. Aristoteles enim 6. Metaph. t. 3. proprium esse dicit hujus Scientiæ speculari *de ente, prout ens est, ac quid est*: ubi D. Thomas lect. 1. observat, quòd nulla Scientia particularis considerat, sed supponit de suo subjecto, *quia est*, & *quid est*; sed utrumque considerat Metaphysica, quæ considerat ens, in quantum ens. Idem Aristot. 4. Metaph. t. 1. docet, quòd hæc Scientia *speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt*: quia scilicet, ut ibi notat D. Thomas lect. 1., non considerat ea, quæ per se insunt entibus particularibus; nam ea sunt per accidens respectu entis ut sic; & alioqui deberet Metaphysica considerare accidentia per se quæsita in omnibus Scientijs. Ex his planè infertur, quòd ens ut sic non dicit pro implicito inferiora. Nam alioqui res omnes usque ad ultimas differentias & hæcceitates (siquid valet argumentum ex transcendentiâ sumptum) pertinerent ad *quid est* entis, sicut rationalitas ad *quid est* hominis: omnia quòque accidentia rerum per se ineffent enti, proinde ut ens est, immò omnia in eo includerentur essentialiter, sicut sensibile in animali. Cùm ergo Metaphysica consideret in ente *quid est*, & *quæ ei per se insunt*, teneretur considerare prædicta omnia contra Aristot., & D. Thomam.

41 Hùc faciunt, quę ex D. Thomâ dedimus n. 11. & 12.. Quibus adde, quod ait Angelic. Doctor q. 7. de pot. ar. 5. ad 8., quędam esse nomina Deo & creaturis communia, *quę, quantum ad rem significatam, nullam imperfectionem important; sicut esse, vivere, & intelligere, & hujusmodi*: alia verò esse, quæ de Deo dici non possunt, nisi metaphoricè, *propter hoc, quòd in sui definitione habent materiam*. At, si *esse* vel *ens* non significaret aliquid pro implicito abstractum à creaturâ, falsò diceretur, quòd, quantum ad rem significatam, nullam importat imperfectionem; sicut falsò dicitur, quòd nomen *homo*, quantum ad rem significatam, nullam rationalitatem importat. Insuper nomen *ens* absque dubio haberet in sui definitione materiam. Consonat idem S. Doctor 1. p. q. 13. ar. 3. ad 1. dicens, quędam nomina significare perfectiones, *hoc modo quòd ipse modus imperfectus, quo à creaturâ participatur divina perfectio, in ipso nominis significato includitur; sicut sapiens &c.: quædam verò nomina* (subdit) *significant ipsas perfectiones absolutè, absque hoc, quòd aliquis modus participandi claudatur in eorum significatione; ut ens, bonum*, &c.. Modus ergo participandi finitus, accidentalis, &c., non clauditur in significatione nominis *ens*; quod proinde perfectam præcisionem importat ab ente finito, accidentali, &c. Nota verbum *claudatur*, quo manifestè excluditur significatio pro implicito; alioqui vere dici posset, quòd in significatione nominis *homo* nulla rationalitas claudatur.

42 *Dico* 2.: Ratio entis, si

ſpectetur modus eſſendi, quem habet in inferioribus, analoga eſt: & hoc ſufficit, ut ens dicatur abſolutè & ſimpliciter analogum. Prior pars conſtat: quia ratio entis valde diverſo modo eſt in Deo, & in creaturâ: nam in Deo eſt independenter, illimitatè, & pleniſsimè, tamquàm in primo fonte omnis entitatis; non ita verò in creaturâ: ſimiliter in ſubſtantiâ habet eſſe per ſe, ac propter ſe, priùſque ac principaliùs, quàm in accidenti. Spectatur igitur quoad modum eſſendi, proculdubiò eſt diverſa. Quare, cùm aliunde ſit aliquatenùs eadem, tum ex convenientiâ & ſimilitudine reali, tum ex unitate intentionali conceptûs objectivi communis, jam eſt partim eadem, & partim diverſa, ac proindè analoga. Pars verò poſterior ſuadenda eſt authoritate Sapientum (quâ nihil aptius & urgentius in uſu nominum, aut in controverſiâ ferè vocali); Ariſtoteles enim, D. Thomas, Scotus, Suarius, & plerique Sapientes, ens abſolutè vocant analogum, atque propter diverſitatem in modo eſſendi, quam in inferioribus habet. Patet hoc. Tum quia eò tendunt aut allidunt argumenta omnia, vel ferè omnia, quibus analogiam probare ſolent. Tum quia non illam defiment ex defectu præciſionis aut unitatis in ente abſtracto; hanc enim incunctanter agnoſcunt, nomina ſic Ariſtot. & D. Thomas, ne ſatis offendamus. Tum quia expreſsè admoneant ipſimet, undè analogiam ſumant, vel cur univocationem plerumque negent. Nam Ariſtot. 7. Metaph. & D. Thomas ibi lect. 4. monent, conſiderandum eſſe, non ſolùm quomodò ratio communis prædicatur de pluribus, ſed etiam *quomodò ſe habeat ut videlicet* (inquit D. Thomas) *non ea dicamus univocè prædicari, quorum non eſt una ratio in eſſendo*, unde infert, ſubſtantiam non univocè prædicari de ſubſtantiâ & accidenti, *quia primo & ſimpliciter ineſt ſubſtantiæ, & conſequitur ter alijs.* Idem S. Doctor 1. cont. Gent. c. 32. negat, effectum habere cum causâ nomen univocum, *niſi ſecundùm eamdem eſſendi modum eamdem ſpeciem vel formam ſuſcipiat*: & q. 27. de verit. ar. 7. requirit in univocis ſimilitudinem, & ſecundùm eſſe naturale, & ſecundùm eamdem rationem.

43 *Obiic.* hæc eſt analogia phyſica, vel metaphyſica, quæ reperitur etiam in qualibet ratione generica; eſt etiam extrinſeca rationi communi, nec niſi mediatè ſignificatur per nomen: quare non minuit univocationem logicam, de quâ in præſenti diſputatur, nec impedit, ne definitio univocorum abſolutè conveniat enti ut ſic. *Reſp.* Inprimis Ariſtot. & D. Thom. non ſemel ſignificant, univocationem parè logicam ſeorſim à phyſicâ, quæ ſis convenit generi, non eſſe univocationem ſimpliciter. Ita clarè Ariſtoteles 7. Phyſic. t. 31. ubi D. Thomas lect. 8. ſic ait: *Elicit ex præmiſſis quædam conſideratione dignam, ſcilicet quòd genus non eſt aliquid unum ſimpliciter, ſpecies autem eſt aliquid unum ſimpliciter.* Idem aſſerit S. Doctor in 7. Metaph. lect. 7. ubi negat eſſe unum ſimpliciter ea, quæ non conveniunt in unâ definitione ſpecificâ; ſed ſolùm in generica, v. g. animalia: *Unde* (ſubdit) *nunquàm ſunt unum ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, in quantum ſcilicet utrumque eorum eſt animal.* Quare unitas ſimpliciter (ſine quâ certum eſt non dari univocationem ſimpliciter) apud Ariſtot. & D. Thom. excludit analogiam phyſicam: quàmvis alio ſenſu vocetur unitas ſimpliciter, quæ fundatur in præciſione perfectâ. Huc etiam pertinet celebris illa ratio, quâ D. Thom. probat, nihil univocè dici de Deo & creaturâ, quòd ſcilicet effectus non recipiat à causâ *formam ſecundùm ſpeciem ſimilem* formæ agentis, non univocatur cum causâ in nomine ab illâ formâ

ſum-

sumpto: quæ ratio concludit de univocatione physicâ, non de logicâ, ut fatetur Ferrar. in 1. contr. Gent. c. 31.

44 Deinde fatendum est, quòd univocatio, quam in 1. assert. tribuimus enti, est logica & analogia, quam in præsenti damus, est metaphysica: ideòque ens est logicè univocum, & metaphysicè analogum: quam doctrinam commendatur probabilem Exim. Doctor d. 28. Met. l. 3. n. 20. & reipsâ tenent Scotistæ. Sed notandum, quòd analogia propria entis, non est metaphysica qualicumque, seu qualis interdùm confusè cum physicâ, sed est analogia strictè metaphysica, qualem descripsimus n. 31., quæ scilicet in transcendentia fundatur, & excludit convenientiam genericam. Analogia autem hujusmodi summa est inter analogias compossibiles cum unitate conceptûs communis, & longè major, quam quæ propria est generis. Unde potior est ratio, ut ens, quà genus, dicatur simpliciter analogum, vel etiam, ut genus magis, quàm ens, dicatur logicè univocum, ut aliquando indicat D. Thomas.

45 Potior, inquam, est ratio. Tùm quia analogia entis, eo quòd summa sit, exterminat & quasi obruit univocationem logicam. Tùm quia diversitas inferiorum, à quâ provenit, non est in sensu formali penitùs extrinseca tationi communi: non enim est extralecca mutuò, seu per mutuam præscindibilitatem, eo quòd diversitas inferiorum sit formaliter imprascindibilis à ratione entis. Nec diversitas hujusmodi significatur purè mediatè per nomen entis, si propriè loquamur, licèt significetur mediâ ratione communi: non enim propriè mediat, quod non reciprocè distinguitur ab extremis. Idcirco præcisio entis vocari solet imperfecta, vel incompleta, etiam ab admittentibus unum conceptum objectivum entis, nempe, quia non est mutua; quâvis ex parte sui præscindatur ens ab inferioribus tàm implicitè, quam explicitè, & in hoc sensu sit perfectè præcisum ex dictis cap. 1. Jàm ergo peculiare fundamentum adest, ut analogia metaphysica, quæ propria est entis, denominativè refundatur in rationem abstractam, nec eam fiat esse univocam, etiam in sensu logico, nili cum addito *secundùm quid*, aut *imperfectè*. Profectò, cùm univocatio consideretur à Logicâ, quatenùs convenit quinque prædicabilibus, vel quatenùs propria est generum & specierum, quæ sub unoquoque prædicamento continentur, & in quibus locum habet præcisio complens, nec adest analogia metaphysica strictè talis; negandum non est, quòd in sensu logico valde minuatur univocatio, ubi conditiones istæ deficiunt.

46 Ex dictis colliges, ens commune, sine speciali reduplicatione sumptum, esse univocum analogum, ut ajebam tertia sententia n. 35. sic tamen, ut sit analogum simpliciter, & univocum secundùm quid. Quàmvis enim, si spectetur præcisè quatenùs significatum per nomen commune, sit *propriè* univocum (immò & eundo intrà limites significationis abstractæ, *absolutè* univocum); tamen, quia univocatio ista velut obruitur & absorbetur à prævalente analogiâ in essendo, idcircò reduplicativè sorticè dici debet univocum cum addito *secundùm quid*; quo addito non semper minuitur proprietas, sed interdùm sola perfectio, ut cùm accidens dicitur ens secundùm quid, quàmvis propriè sit ens. *Dices*: definitio univoci solùm exigit, ut ratio significata per nomen commune, sit eadem: ratio autem entis eadem est simpliciter. *Resp.*: eadem quidem est præcisè quatenùs significata, quia sic nullam importat diversitatem, etiam pro implicito; quo sensu simpliciter unam & eandem esse diximus cap. 1.

nam

non tamen est eadem absolutè per exclusionem diversitatis undecunque venientis; quia in ipso statu abstractionis denominatur diversa per diversitatem inferiorum non sibi penitùs extrinsecam.

47 Unde, quòd definitiones univocor. & analogor. loquantur solùm de ratione communi, præcise quatenùs significatâ per nomen, supponunt quidè Authores secundæ sententiæ, sed gratis, & contra mentem Aristot., D. Thomæ, & Scoti, ut constat ex dictis. Possunt quidem sic intelligi definitiones illæ; & in hoc sensu Aristot. & D. Thomas agnoscunt interdùm univocationem veri, & entis, suprà n. 34. sed frequentiùs intelliguntur de ratione significatâ per nomen commune (nomina inferiorum propria non sunt ad rem), non tamen præcisè quatenùs significatâ, idest, non secundùm ea præcisè, quæ habet formaliter ex vi nominis aut conceptûs communis; sed insuper secundùm diversitatem, quam in ipso abstractionis statu habet aut non habet denominativè refusam à statu cóabstractionis: si enim habeat, jam ratio significata per nomen diversa erit aliquatenùs, licèt non ex vi nominis. Sic in homine actio externa, v.g. deambulatio, verè est actio libera & humana, licèt hoc non habeat præcisè quatenùs externa, nec ex vi potentiæ locomotivæ, sed per denominationem ab actu interno. Quo etiam exemplo solvendi est, quod hic objici potest, ens ut sic potiùs dicendum esse absolutè univocum, quàm analogum, siquidem hoc habet denominativè, illud verò formaliter. Solvendum, inquam, exemplo ambulationis, quæ, licèt formaliter sit actio naturalis seu expers libertatis & voluntarietatis, tamen dicitur absolutè & simpliciter actio libera, voluntaria, & moralis: quia nimirùm, quod solùm denominative habetur, sæpè magis attenditur in modo loquendi.

*Qualis analogia conveniat enti?*

48 Constat ex dictis, analogiam entis esse metaphysicam, quæ convenientiam genericam excludit, & quæ vocari potest logica, saltem negativè, quatenùs non finit univocationem esse perfectè in sensu logico; quàmvis analogia positivè logica solùm dicatur illa, quæ unitatem rationis à communi conceptu provenientem impedit; cujusmodi analogia procul ab ente rejicienda est. Sed, cùm duæ species analogiæ communiter distinguantur, quarum altera dicitur *attributionis*, altera *proportionalitatis* (analogia *proportionis* cófundi solet modò cum unâ, modò cum alterâ; sed propriè loquendo non est alia, quàm *attributionis*), quæritur nunc, quænam ex his conveniat enti? Thomistæ utramque volunt enti convenire, sed sensu diverso. Si enim ens accipiatur prout dicit aliquid intrinsecè repertum in omnibus & singulis inferioribus, volunt esse analogum proportionalitatis; quia significat, saltem implicitè, comparationem duarum aut plurium proportionum, quâ nimirùm ita se habeat creatura ad esse finitum, sicut Deus ad infinitum, aut ita accidens ad suum esse, sicut substantia ad suum. Si verò sumatur ens ut intrinsecè cóveniés principali analogato, & solùm extrinsecè denóminans cætera, sic volunt esse analogum attributionis; quia scilicèt creatura, ratione habitudinis ad Deum, denominatur ens extrinsecè ab ente Divino, similiter que accidens ab ente substantiali; sicut medicina, vel urina, denominatur sana extrinsecè à sanitate intrinsecè repertâ in solo animali, quod est principale analogatum: generatim quippe rejiciunt Thomistæ moderni analogiam attributionis, quæ importet denominationem intrinsecam omnibus analogatis. Vid. Carmelit. Complut. d. 19. Logic. n. 14., 30., & seqq., & d.

11.

58. n. 27., item Colleg. S. Th. Complut. q. 7. Logic. n. 28. & iterùm n. 122.

49 Scotistæ verò, & Nostri cum P. Suar., *inprimis* rejiciunt ab ente analogiam proportionalitatis. Vel quia talis analogia semper importat aliquid improprietatis aut metaphoræ, ut in nomine *sanus*, quatenùs dicitur de floride præ colore; quâ ratione relegari debet ab ente, quippe quod sine improprietate dicitur de creaturâ, vel accidenti, ut fatentur Thomistæ. Vel quia, si aliquod nomen sic analogum proprie dicitur de singulis analogatis (ut multi putant de nomine *principium*, quatenùs dicto de corde hominis, & de fundamento domi), semper importat plures conceptus, vel unum repræsentantem plura ut plura: num, si non repræsentatur pluralitas ut talis, non impeditur univocatio ex illâ proportionali comparatione, *sicut se habet hoc ad illud, ita &c.*, ut jam suprà notavimus n. 4. 3; cùm talis comparatio locùm habeat in inferioribus cujusvis generis, ut agnoscunt Contrarij: quare non ens, cùm non significet plura ut plura, sed rationem communem ab omni pluralitate præcisam, nequit hoc modo esse analogum. *Deinde* rejiciunt analogiam attributionis per denominationem extrinsecam: quia nomen *ens* convenit creaturæ, vel accidenti, immediatè ac formaliter ratione intrinsecæ aptitudinis ad existendum; nec facilè concipitur quomodò possit extrinseca esse denominatio *entis realis*. Et quamvis Aristot. & D. Thom. nonnunquam explicent analogiam entis exemplo nominis *sanum*, quatenùs communis animali, medicamento, & urinæ, non ideò intendunt paritatem in omnibus, sed in eo solùm, quòd utrobique sit attributio, vel habitudo unius ad aliud, aut plurium ad unum, licet non eodem modo.

50 *Postremò* Authores prædicti cócedunt enti analogiam attributionis intrinsecæ, in eo scilicet fundatam, quòd licet creatura sit ens intrinsecè ab entitate suâ, hæc tamen entitas dicat habitudinem intrinsecam & essentialem ad Deum tamquàm ad primum ens, similiterque entitas accidentis ad substantiam tamquam ad ens præcipuum, propter quod est. Hujusmodi attributionis analogiam planè amplectuntur veteres Thomistæ, ut Cajetanus in 1. p. q. 13. ar. 6., & Ferrariensis in 1. contr. Gent. c. 34., ubi notat, illam non esse contrariam doctrinæ D. Thomæ, sed potiùs ad mentem ejus. Nec obstat, quòd in eâ non adhiat conditiones quædam, quas ad analogiam attributionis aliquando postulat D. Thomas; ut, quòd ratio significata per nomen non multiplicetur realiter in analogatis, & quòd primum analogatum ponatur in definitione cæterorum, quâdo definiuntur sub nomine communi, quo modo ponitur animal in definitione medicinæ, cùm hæc definitur in quâtum sana, sic nimirùm, *causa sanitatis in animali*. Non, inquam, hoc obstat: quia conditiones istæ non requiruntur ad omnem attributionis analogiam, sed solùm ad illam, quæ frequentior est, & importat denominationem extrinsecam omnibus analogatis præter primum.

51 Ad me quod attinet, assentior Nostris in rejiciendo analogiam proportionalitatis ab ente, propter allegata n. 49.: item in asserendo analogiam attributionis intrinsecæ, seu per formam intrinsecam omnibus analogatis. Hac tamen analogiâ stante, non recusabo insuper admittere cum Thomistis analogiâ aliam attributionis per denominationem extrinsecam; sic tamen, ut nomen *ens*, quatenùs hoc pacto analogum, nullatenùs sit univocum, nec propriè dicatur de creaturâ, vel accidenti; quia formale significatum ejus solùm erit ens Divinum, aut ens substantiale, sicut significatum formale nominis *sanum* sola est sanitas animalis.

Sed

Sed notandùm, quòd, si D. Thomas, quotiès dicit ens esse analogum attributionis, dein hoc tantùm analogiâ loquitur, ut moderni Thomistæ volunt; ferè semper loquitur extra quæstionem præsentem: loquitur enim de ente, non in tertiâ vel quartâ acceptione, de quâ n. 12., sed in primâ, vel in secundâ, in quibus nemo est qui dicat, ens esse univocum creaturæ vel accidenti. Quare, cùm D. Thomas ferè semper concedat enti solam attributionis analogiam (solùm citatur pro analogiâ proportionalitatis in q. 2. de verit. ar. 11., sed eam deseruisse videtur 1. p. q. 13. ar. 5. & 6., & l. 1. contr. Gent. c. 34.) immeritò allegatur à Thomistis contra univocationem entis in acceptione tertiâ, vel quartâ.

*Argumenta quædam contra doctrinam traditam dissolvuntur.*

52. Contra 1. Assert. *obsic.* 1. auctoritas Aristot. & D. Thomæ, qui non solùm dicant ens esse analogum, sed expressè negant esse univocum: & D. Thomas ex professo probat, nullum nomen univocè dici de Deo & creaturâ, nec *secundùm eandem rationem*, sed sensu, ut ratio sit partim eadem, partim diversa. Nullam igitur univocationem in ente agnoscunt. *Resp.* 1. ex nunc dictis. Aristot. & D. Thom. loquuntur solùm de ente à se, vel per se, quatenùs extrinsecè denominante creaturas, vel accidentia; ut Thomistæ fateri tenentur juxta suam de attributionis analogiâ doctrinam. *Resp.* 2. Loquuntur de univocatione, quæ talis sit absolutè & simpliciter, vel in quâ ratio significata sit eadem tam logicè, quàm metaphysicè, seu tam formaliter ex vi nominis, quàm denominativè ex diversitate inferiorum. Hanc solam univocationem removent ab ente; in eoque agnoscunt rationem partim eandem, idest, ex parte significationis abstractæ, partim diversam, idest, ex parte diversitatis inferiorum, quæ, quia plusquàm generica est, nec penitùs extrinseca rationi communi & abstractæ, in hanc ipsam denominativè refunditur. De cætero, quòd aliquid univocationis in ente admittant, satis constat, tum ex loco allegato n. 34., tum ex eo, quòd unitatem conceptûs objectivi planè supponunt.

53. *Objic.* 2.: si ens, attentâ præcisè vi nominis aut conceptûs communis, esset univocum, foret genus: tum quia foret aliquod universale, seu prædicabile, & non aliud, quàm genus: tum quia enti conveniret definitio generis, nimirùm *Prædicabile de pluribus specie differentibus in eo quod quid.* Sequela autem est contra Aristot. 3. Metaph. t. 10.; & infert contra communem sensum, decem prædicamenta non esse genera suprema. *Neg. sequel.*, quàmvis à pluribus hac formidine cò cedatur. Quia genus exigit differentias mutuò distinctas, seu in quibus formaliter non includatur; ens autem in omni differentiâ formaliter includitur ratione transcendentiæ. *Replic.*: hoc est negare, quòd ens sit genus, quia deficit ipsi quædam generis passio vel proprietas, cùm aliunde concedatur eidem essentia & definitio generis: non aliter, ac si quis concederet, rem A. esse animal rationale, simulque negaret esse hominem, quia deficit ipsi risibilitas. *Resp.* Tam Aristoteles loc. cit., quàm D. Thomas ubicunque negat, ens esse genus, nominatim 1. p. q. 3. ar. 5., primam vel unicam rationem desumit ex transcendentiâ seu inclusione generis in differentijs. Ambo igitur sentiunt, de essentiâ generis esse distinctionem mutuam à differentijs: alioqui perinde se gererent, ac si ad probandum, equum non esse hominem, perpetuò allegarent defectum risûs, tamquàm rationem unicam vel potissimam.

54. Itaque mutua illa distinctio, sive intranscendentia respectu differentiarum, verè est de essentiâ gene-

ris, & in ejus definitione significatur, dum genus definitur per ordinem ad inferiora specie differentia: loquitur enim definitio propriè de ordine ad inferiora, quatenùs talia sunt respectu prædicati communis, ac proinde petit, ut inferiora sic spectata proprié sint species: cùmque omnis species proprié talis sit resolubilis in duos conceptus mutuò distinctos (utpotè facientes compositionem metaphysicam), alterum communem, differentialem alterum; sequitur, definitionem generis non convenire prædicato communi, cujus inferiora non sunt definibilia per illud & aliud differentiale mutuò distinctum; siquidem eo ipso tale prædicatum non habet ordinem ad inferiora; tanquàm ad species suas, seu quæ respectu illius proprié sint species. Vide P. Suarez 39. Met. s. 3. n. 7. Ens igitur verè est universale, non solùm apud nos, sed apud omnes, nominatim apud D. Thomam, qui, præter jam allegata, in 5. Metaph. lect. 9. rotundè pronuntiat: *Ens est superius ad unumquodque eniium, sicut animal ad hominem.* Sed non ideò est proprié genus, nec aliunde ex prædicabilibus Porphyrianis, quia Porphyrius non est locutus de transcendentibus, ut communiter notatur in Logicâ. Interdùm tamen ens appellatur genus, ut à D. Thomâ in Prologo Metaph., & alibi non semel, sensu nimirùm lato & improprio.

55 *Objic. 3.* ex transcendentiâ entis, quâ suppositâ, nequit non ratio entis, etiam in sensu logico, partim eadem esse, partim diversa, consequenterque nequit esse logicè univoca. *Prob.* assumptum: quia Deus & creatura (idem intelligo de substantiâ & accidenti) ita conveniunt in ratione entis, ut in eâ ipsâ formaliter differant; siquidem differunt in aseitate & abalietate, quæ sunt formaliter ens, & nihil addunt supra ens. *Confirm. 1.*: ideò quæ differunt per differentias rationalis & irrationalis, non differunt per animal, quia animal est extra conceptum differentiarum: cùm ergo ens non sit extra conceptum aseitatis & abalietatis, quæ differunt per differentias istas, differunt per eas. *Confirm. 2.*: ratio entis est essentialiter multiplex; quia est multiplex per se ipsam, cùm non sit multiplex per aliquid, quod non sit formaliter ens: item, quia de essentiâ ejus sunt differentiæ, cùm nihil addant supra ens; quâ ratione animal hominis & animal equi sunt de essentiâ animalis ut sic. Non ergo ratio entis est indivisa, prout ad univocationem requiritur. *Resp.* Hæc omnia imprimis instantur in ratione entis explicitâ. Vide supra n. 20., 23., & 39.

56 Deinde *neg.* assumptum. Ad *prob.*: Deus & creatura conveniunt in ratione entis abstractâ, sive ut significatâ nomine vel conceptu confuso *entis*; differuntque in eâ ipsâ ratione, non ut eo nomine vel conceptu significatâ (hoc solum obstare posset univocationi logicæ), sed ut contractâ & imbibitâ in his conceptibus, *aseitas, abalietas*; qui conceptus aliquid addunt supra ens additione importante distinctionem non mutuam. Vide supra n. 21., & infra cap. 5.. Ad 1. *confirm. neg. antec.*, si loquatur de animali sub conceptu *animalis*; sic enim possent homo & brutum non differre per animal, etiamsi hoc transcenderet differentias. Solùm ergo valet illa causalis, ut probetur, hominem & brutum non differre per animal, nec ut abstractum, nec ut imbibitum in conceptibus differentiarum. Quamvis autem hoc posteriore modo differant Deus & creatura per ens, non ideò tollitur convenientia pura in ente quatenùs abstractè significato, atque adeò nec univocatio logica. Ad 2. *confirm.*: à sermone fit de ratione entis abstractâ, falsum est *antec.* quoad utramque partem; quia ratio entis præscinditur ab omni multiplicitate & differentiâ, ut supra vidimus: unde non est

essentialiter differens, nec multiplex formaliter per seipsum, sed per aliquid, quod ita est formaliter ens, ut tamen ens non sit formaliter illud ipsum. Animal autem humanum, aut equinum, si concipiatur ut proprium hominis, aut equi, non est de essentiâ animalis ut sic, licèt sit formaliter animal; quemadmodùm nec homo, vel equus, sub conceptu simplici specifico. Unde potiùs nobis favet exemplum. Si verò animal præscindatur ab ijs obliquis, *hominis, equi*, jam sumitur sub modo conceptu *animal*.

57 *Objic.* 4.: nullum nomen est univocum respectu eorum, quorum uni convenit simpliciter, alteri secundùm quid; ut patet in nomine *sani* respectu animalis & medicamenti, & in nomine *albus* respectu hominis penitus candidi & Æthiopis. At ita se habet nomen *ens* respectu Dei & creaturarum, necnon substantiæ & accidentis: nam solus Deus est ens plenissimè, & totaliter; creaturæ verò comparatione Dei dicuntur in sacris Litteris quasi nihil, & quasi non sint: item sola substantia dicitur ens simpliciter; accidens verò dicitur ens secundùm quid, apud Aristot. & D. Thomam. Non ergo potest hoc nomen esse univocum respectu &c.. *Confirm.*: id solum est simpliciter tale, quod ex primâ nominis institutione significatur: nomen autem *ens* primò impositum est ad significandum id, quod per se est ens, adeòque solum Deum, aut solam substantiam. *Resp.*. Totum argumentum ultrò conceditur, si loquatur de univocatione metaphysicâ, vel de logicâ omninò perfectâ, vel de nomine *ens* in 1. vel 2. acceptione n. 12.; sic enim ut plurimùm erit analogum attributionis extrinsecæ, nullatenùs verò univocum, ex dictis n. 51.. Cæterùm, si sumatur hoc nomen in acceptione 3., vel potiùs in 4., ut modò sumitur, sicque fermo de univocatione logicâ verè tali, *cui credo Maj.*, quando tò *secundùm quid* alienat nomen ad sensum improprium, ut accidit in nomine *sanum* respectu medicamenti, & in nomine *albus* respectu Æthiopis solis dentibus candidi, cætera nigri: *nego* tamen, quando illud additù solùm minuit perfectionem unius comparatione alterius, & illæsam relinquit proprietatem nominis communis, ut accidit in præsenti.

58 Sic aquæ guttula, seorsùm spectata, comparatione Oceani solùm est aqua secundùm quid, estque in esse aquæ quasi non sit, & quasi nihil, cùm Oceanus plenissimè & quasi totaliter sit aqua: hoc tamen solum excluditur univocatio sub nomine *guttæ*, vel *Oceani*; minimè verò sub abstracto & confuso nomine *aquæ*, quia hoc abstrahit à magnâ & parvâ, & sine impropriete convenit guttæ. Idem evenit, si comparatio fiat in esse corporis inter arenulam & totum terræ globum; vel in esse viventis, aut substantiæ, inter vermiculum & Angelum. Similiter ergo Deus & creatura univocari nequeunt sub nomine *entis à se*, vel *entis ab alio*; benè verò sub nomine confuso *entis*, quod nullam comparationem involvit, sed abstrahit à finito & infinito; & in ejus significatione nullus modus participandi clauditur, ut suprà n. 41. nos docuit D. Thomas, & quod propriè dicitur de creaturâ, ut est certum, necnon de accidenti, ut Thomistæ negare non audent. Quare objecta exempla *sani*, & *albi*, sunt extra rem: non enim creatura est ens per solam denominationem extrinsecam, sicut medicamen est sanum; nec secundùm aliquam sui partem est non ens, sicut Æthiops ferè totus est non albus, sed potiùs omninò excludit à suâ quidditate non ens. Hæc eadem doctrina facilè applicabitur ad substantiam & accidens. Adde pro nobis exemplum, quo utitur D. Thomas q. 7. de pot. ar. 5. ad 8., ubi docet, quòd nomen *ens*, & alia hu-

hujusmodi, *similiter considerandæ sunt* respectu Dei & creaturæ, ut nomen *calidus* respectu ignis & lateris calefacti, quod nomen propriè dicitur de utroque, sed *eminentiùs & per prius* de igne. At nihilominùs hoc nomen univocè dicitur de igne & latere, juxta D. Thomam suprà citatum n. 34. Quamvis ergo nomen *ens* de Deo dicatur *per prius, & eminentiùs*, poterit univocum esse Deo & creaturæ.

59 Quod in *confirm.* addebatur, apertè est contra D. Thomam, qui 1. p. q. 13. art. 6. docet, nomina Deo & creaturis communia, *quantum ad impositionem nominis* per prius à nobis dici de creaturis, quia priùs eas cognoscimus; quæ ratio militat etiam in accidenti relatè ad substantiam. Itaque nomen *ens* primò impositum fuit ad significandum objecta sensibilia, & in his accidentia, propter aptitudinem existendi; posteà verò extensum est ad nobiliora objecta, quæ per discursum innotuerunt ut apta existere; & quia in his aptitudo existendi prior & perfectior invenitur, idcircò nomen *ens* de ipsis dicitur priùs & eminentiùs quantum ad rem significatã. Nec sola substantia, sed etiam accidens est ens *simpliciter*, aut *per se*, si hoc idem sonet, ac *propriè & intrinsecè*.

60 Denique objici possunt ea, quibus multifariam probat D. Thomas, nullum nomen univocè dici de Deo & creaturis. Sed ea vel non procedunt de nominibus abstractissimè sumptis, vel solum excludunt univocationem physicam, aut metaphysicam, aut etiam logicam omninò perfectam seu non diminutam ex vi transcendentiæ: omnia quippe nomina Deo & creaturis communia, ut *viventis, sapiens, spiritualis*, &c., transcendentia sunt respectu Dei, quia in omnibus ejus attributis implicitè includuntur. Huc facit ratio illa D. Thomæ 1. cont. Gent. c. 32., quòd scilicet nomen univocum pluribus convenit per participationem; de Deo autem nihil dicitur per participationem, idest, partialiter, & non secundùm omnem perfectionis modi. Hæc, inquam, ratio solùm excludit univocationem propriam speciei, vel generis, ubi nullum ex inferioribus continet totam perfectionem extensivam prædicati communis nec formaliter, nec eminenter, ac proinde singula continent illam partialiter. Cæterùm, si *participare* prædicatum commune, nihil aliud sit, quàm illud ad se contrahere non continendo formaliter omnia, ad quæ ipsum extenditur cum indifferentiâ logicâ; Deus utique *participat* rationem entis, quia, licèt eminenter contineat quidquid est ens, non tamen formaliter.

61 Cùm autem D. Thomas innuit, quòd, si creatura definitur in esse entis, in ejus definitione ponendus est Deus, similiterque substantia in definitione accidentis, quia principale analogatum ponitur (in obliquo scilicet) in definitione cæterorum, sicut sanitas animalis in definitione medicaminis ut sani: cùm, inquam, hoc innuit, planè loquitur de creaturæ vel accidentis definitione in esse entis per denominationem extrinsecam ab ente Divino vel substantiali, juxta n. 15. vel in esse entis finiti, aut inhærentis. De cætero non est dubium, quin creatura vel accidens definiri possit in esse entis abstractissimè sumpti secundùm 4. acceptionem n. 32., sine mentione Dei vel substantiæ: roganti enim, cur creatura, vel accidens, sit ens? satis respondetur, *quia est quid aptum existere*, vel *habens essentiam non chimericam aut fictitiam*. Id quod etiam Thomistæ agnoscunt, dum *ens* accipiunt ut analogum proportionalitatis propriæ. Hæc verò propositio, *Creatura, in quantum ens, dependet à Deo*, vera est, si tantùm reduplicet ens finitum, aut alludat ad modum, quo creatura participat

ens commune: secùs tamen, si citra hâc allusionem reduplicet ens abstractissimè sumptum; sic enim, ut ex D. Thomâ vidimus n. 41., præscinditur ens ab omni imperfectione & modo participandi, adeòque ab omni dependentiâ. Unde, si hoc sensu accipiantur creatura in quantum ens, & Deus in quantum ens, nulla est differentia vel inæqualitas, sed rationis identitas, aut indistinctio intentionalis, dummodò mentalis expressio *ens* distinguatur realiter ab expressione *Deus*, vel *creatura*.

61 Contra 2. Assert. *objici* possunt duo. 1., quòd enti ut sic, utpotè habenti conceptum objectivum unum & perfectè præcisum, omninò convenit univocorum definitio: ergo ens ut sic univocum est perfectè & simpliciter, sicut perfectè & simpliciter est homo, cui convenit definitio hominis. 2., quòd analogia verè talis omnem destruit univocationem: exigit enim, ut ratio communis partim sit eadem, partim diversa, adeòque non permittit, ut pure sit eadem, qualis esse debet omnis ratio univoca. Sed *ad* 1. jam respondimus n. 47., posse definitionem univocor. intelligi vel de ratione significatâ per nomen, præcisè quatenus significatâ, seu purè logicè sumptâ; vel de ratione ipsâ, absolutè inspectâ in statu abstractionis, tam formaliter, quàm denominativè, seu tam logicè, quàm metaphysicè: & hoc secundo modo intelligendam esse, cùm agitur de univocatione simpliciter tali, juxta doctrinam Aristot. & D. Thomæ. Si autem ita intelligatur definitio illa, non convenit ens ut sic.

62 *Ad* 1. facemur, non posse fidem esse analogum & univocum in eodem sensu, seu physico, seu metaphysico, seu logico. Quod tamen est analogum physicè, vel metaphysicè, potest esse univocum logicè; quia univocatio logica non destruitur nisi per analogiam pariter logicam, licèt minuatur & quasi obruatur per metaphysicam. Bene admonent Scotistæ, quòd analogia nunquam est ita pura, ut nihil habeat admixtum vel æquivocationis, vel univocationis. Si enim commune nomen importet plures conceptus, vel unum repræsentantem plura ut plura cum habitudine vel proportionalitate aliquâ, ut nomen *canis* dictum de animali & medicamine, vel nomen *canis* dictum de terrestri & marino; tunc erit analogum æquivocum; ideòque passim dicitur *æquivocum à consilio*: & hoc solum est analogum in sensu logico. Si verò importet conceptum omninò unum, etiam in modo repræsentandi, referatur tamen ad inferiora essentialiter diversa, tunc erit analogum univocum. Unde analoga solùm mediant inter *purè* univoca, qualia sunt nomina speciei atomæ, & *purè* æquivoca, qualia sunt nomina merè fortuitò imposita pluribus.

*Corollaria.*

64 Locuti sumus hactenùs de analogiâ entis realis abstractissimè sùpti. Cujus occasione tria insuper quæri possunt. 1., an ens, prout dicitur de reali, & rationis, seu ficto, sit analogum? 2., an ens reale sit univocum ad ens in potentiâ, & ens in actu? 3., an ens completum prædicamentale, sit purè univocum? *Ad* 1. *quæst.* respondetur communiter, ens eo modo sumptum, esse analogum à consilio, analogiâ scilicet proportionalitatis improprie, qualem habet nomen *homo* respectu hominis veri, & picti, aut nomen *ridens* respectu hominis, & prati: non enim ens rationis (idem intellige de merâ privatione, vel carentiâ) verè & propriè est ens, aut aliquam exigere. Poterunt tamen univocari ens reale, & fictum, in aliquo prædicato extrinseco, v. g. in ratione *cogniti*, vel *extrinsecè cognoscibilis* ut sic.

*Ad*

65 *Ad 2. quæst.* negativè respondeo, sumpto ente in potentiâ, ut modò sumitur, pro ente ut purè possibili, seu dicente negationem existentiæ cum aptitudine, cujusmodi est alter Mundus. Ratio est; quia ens in potentiâ, sic acceptum, magis propriè est non ens, quàm ens, immò propriè nihil est, seu nullam intrinsecè quidditatem habet. Nequit ergo in ratione entis univocè convenire cum ente actuali, sed adsummum analogicè, sicut homo verus cum picto. *Dices*: ens reale ut sic, solùm significat aptum existere, vel habens essentiam, præscindendo ab actuali existentiâ: sic autem propriè verificatur de re purè possibili. *Addes*, quòd hæc propositio, *Homo est ens*, est æternæ veritatis, adeòque propriè verificatur de homine priùsquàm existat, immò ab æterno. *Resp.* Ens ut sic præscinditur quidem ab existentiâ exercitâ, quatenùs eam non includit formaliter in conceptu suo: hæc tamen non est præcisio indifferentiæ, quâ scilicet ens propriè salvari possit in re aliquâ divisim ab existentia, seu conjunctim cum existentiæ negatione. Sic rugibile non includit animal in suo conceptu: nec tamen verificari potest de subjecto, quod realiter non sit animal. Sic etiam ratio entis, & quælibet alia communis, præscinditur ab omni differentiâ: cum tamen salvari nequeat in re illâ, quæ realiter omni differentiâ carent. Existentia ergo requiritur, saltem ut conditio sine quâ non, ut res quælibet propriè dicatur habens essentiam, aut aptitudinem intrinsecam existendi: nam quod realiter non existit, cùm intrinsecè nihil sit, nullam aptitudinem habet intrinsecam. Propositio autem, *Homo est ens*, ideò est æternæ veritatis, quia implicitam habet conditionem hanc, *quandocunque existat*, aut quid simile.

66 *Ad 3. quæst.* prænotandum, quòd *ens completum* in præsenti sumitur, quatenùs convenit gradibus prædicamentalib. in lineâ rectâ positis, sivè in stipite arboris, qui scilicet de inferioribus prædicantur purè *in quid*, cujusmodi sunt genera, & species: *ens* verò *incompletum* nunc dicitur, quatenùs convenit prædicatis differentialibus ad latera positis in prædicamento quolibet, quæ nimirùm prædicantur *in quale quid*. Sensus ergo quæstionis est, an ens præcisè ut abstractum à gradibus omnium prædicamentorum generis & specificis (quo pacto non est transcendens, quia genera & species mutuò distinguuntur à differentijs) sit univocum? *Resp.* Si sermo sit de generibus & speciebus secundò intentionaliter sumptis, potest quidem ab his abstrahi ratio entis univoca sub hoc conceptu, *Ens prædicabile de pluribus in quid*. Ens autem sic abstractum, erit genus quoddam reflexum, quod non excludit Aristoteles, dum negat prædicamenta convenire in aliquo genere. Si verò sit sermo de generib. & speciebus primò intentionaliter spectatis, nego suppositum quæstionis, quòd scilicet ab his solis abstrahi possit ratio entis, ita ut non conveniat differentijs. Nam inter hujusmodi gradus prædicamentorum omnium, præcisis prædicatis secundæ intentionis, nulla cogitari potest convenientia intrinseca in esse entis, præter illam, quæ differentijs etiam communis est; & quæ fundat abstractionem entis ut sic, aut entis saltem. Nec in hoc conceptu, *ens completum*, ut nunc sumitur cum abstractione à generibus etiam supremis, explicari potest quid speciale addat tò *completum*, nisi recurrendo ad aliquod prædicatum extrinsecum secundæ intentionis. Quare, sicut nequit abstrahi ratio hominis, puræ intrinsecæ, à solis Regibus, vel à solis sapientibus; ita &c.

## CAP. IV.
## *UTRUM ENS TRANSCENDAT formaliter omnes differentias?*

### §. I.
### *Explicato sensu quæstionis, referuntur sententiæ.*

67 TErmini *transcendentes* vocãtur, qui de rebus omnibus sunt affirmabiles; ut ex Summulis notum est; quo sensu nemo dubitat, quin ens sit transcendens. In præsenti solùm agitur de *transcendentia formali*, hoc est, de attinentiâ unius ad conceptum essentialem alterius ut talis. Tunc enim A. dicitur transcendere formaliter B., quando in ejus formali & quidditativo conceptu imbibitur: tunc autem sic imbibitur, quando B. sub proprio conceptu nequit definiri, vel explicari quidditativè, nisi per A. sub suo etiam conceptu sumptum; ita ut A. pertineat in recto, vel immediatè, vel mediatè, ad definitionem extremi B.: *in recto*, inquam, idest, tamquam prædicatum directè affirmabile de B.: non enim sufficit pertinere ad ejus definitionem in obliquo, idest, tãquam connotatum aut terminum habitudinis essentialis, qualiter Deus ponitur in definitione creaturæ quà talis, substantia in definitione accidentis, & sic de alijs: *immediatè* item, *vel mediatè*; quia, ut B. transcendatur formaliter ab A., sufficit quòd definiatur per aliquid definibile per A.: sic homo transcenditur formaliter, non solùm ab animali, per quod immediatè definitur, sed etiam à viventi, à corpore, à substantiâ, per quæ definitur mediatè solùm, eo quòd animal sit definibile per vivens, hoc per corpus, hoc per substantiam.

68 Hinc inferes, transcendẽtiam formalẽ cohærere cum imperfectâ vel impropriâ distinctione rationis, quam vocant *penès implicitum & explicitum*, seu quæ versatur inter definitionem & definitum; secùs verò cum propria, & strictâ distinctione rationis, satte in mutuâ; quia hæc, ut in Logica vidimus, constituitur per conceptus definitivè diversos, ita ut unus non sit explicatio alterius, nec pars explicationis. Si tamen distinctio *penès implicitum & explicitum*, importet præcisionem objectivam, ut moderni Thomistæ volunt, non cohæret cum transcendentiâ entis. Tum quia talis præcisio est perfecta separatio intentionalis, & exclusio unius à conceptu alterius, ut ostendimus supra n. 8. & seqq.. Tum quia, si posset cognosci differentia, nullo ente cognito ex parte objecti, planè redduntur inefficacia, quæcumque pro transcendẽtiâ entis afferuntur, ut expendenti liquidum erit. Immò nõ satis percipio, quomodo apud quosdam è Nostris, objectivæ præcisionis patronos, conciliari possit perfecta præcisio entis cum transcendentiâ ejusdem. Quidquid de hoc sit, nos in præsenti loquemur juxta nostra principia, quæ nullam, nisi formalem, præcisionem admittunt.

69 Jam, quòd ens transcendat formaliter Deum, & creaturas omnes quantum ad individua, species, & genera, quæ directè locantur in prædicamentis, extra dubium est. Solùm quæritur, an transcendat pariter differentias formaliter sumptas sub propriis conceptibus? Nec sermo est tantum de differentijs propinquioribus enti ut sic, quales sunt aseitas, abalietas, perfectas, inalietas; verùm etiam de cæteris generis & speciei dividentibus, cujusmodi sunt corporeitas, sensibilitas, rationalitas, Petreitas, &c.. Ubi notandum, quòd Scotistæ aseitatẽ & abalieratem noluat esse differentias, sed modos intrinsecos. Super indole tamen modi intrinseci, & super ejus discrimine a differentia, prolixè inter se disputãt, loquunturque obscurè ut plurimum, & perplexè; ut videre licet apud Mairtrium d. 2. Metaph. q. 6. ar. 1.. Generatim

tim in eo convenire videntur, quòd, quando ratio communis distinguitur ex naturâ rei à ratione contrahente, tamquàm realitas à realitate, tunc contrahitur per differentiam: quando verò nō ita distinguitur, tunc contrahitur per modum intrinsecum. Et quia ipsorum alij affirmant, alij negant, ens ita distingui ex naturâ rei à suis immediatis contrahentibus, prout est commune substantiæ, & accidenti, hujusque novem Categorijs; idcircò perfectatem, inalietatem, &c., alij differentias appellant, alij modos.

70 Nos, qui distinctionem formalem ex naturâ rei omninò rejicimus, ruinosum putamus quidquid tali distinctione substruitur. Fatemur tamē, respectu entis, positâ formali transcēdentiâ, nullam esse differentiam propriè dictam; quia talis non datur, nisi quę mutuò distinguitur per rationem à prędicato communi, quod contrahit. Unde ens à se, & ab alio, vel etiam per se, & in alio, non propriè inter se differunt, licèt sint propriè diversa: quāmvis enim omne differens sit diversum, non tamen reciprocè, juxta doctrinam Aristotelis 5. Metaph. t. 15., & D. Thomæ ibi lect. 11. Nihilominùs sæpè *differens* ample sumitur pro *diverso*, ut ibid. admonet D. Thomas: & in hoc sensu *differentia* dicitur quęcumque ratio diversitatis: atque ita loquimur in præsentiarum de differentijs entis.

71 Notandum præterea vigilanter, quòd non hìc disputatur de trāscendentiâ entis *secundò latens modaliter* sumptâ, sed tantùm *primò intentionaliter*. Hoc est, non sumitur ens secundùm denominationes extrinsecas, quas adipit à cognitione *ejus*, & quæ sunt objecta secundæ intentionis, v. g. denominationes *præcisi* & *ratione distincti* ab omni ente particulari, *indifferentis* ad Deum & creaturam, *prædicabilis* de substantiâ & accidente, aut etiam *transcendentis formaliter* res omnes? certum quippe est, denominationes hujusmodi alienas esse, non solùm à differentijs, sed etiam à generibus, speciebus, & individuis, quæ sine dubio transcendantur formaliter ab ente. Sumitur ergo ens in suppositione personali, vel secundùm illud esse, quod est objectum primæ intentionis, nempe quatenùs importat aptitudinem intrinsecam existendi, & oppositionem cum chimerâ. Accipienda quidem aptitudo hæc, vel oppositio, *ut appareat* per cognitionem *entis* (de cognitionibus alijs particularibus non disputatur); sic tamen, ut non reduplicetur cognitio ista tamquàm quid affirmabile, ne partialiter quidē, de differentijs aut inferioribus entis, sed solùm tamquàm forma rationis, denominans illud objectum affirmabile secundùm intrinseca. Totum hoc facilè percipies, comparando ens, non jam ad differentias, sed ad species, aut individua, vel comparando animal ad hominem & equum, ubi *transcendentia* est inidentabilis. Poterit tamen cōtroversia hęc revocari ad cōceptus formales, à quibus revera provenit formaliter denominatio *transcendentis*, & *transcensi*, erecta in objectum, licèt fundamentaliter pendeat ab objecto ipso: quando enim duæ apprehensiones ita comparantur, ut vis & energia unius in repræsentando non possit explicari, nisi per alteram; tunc, licèt inter se realiter distinguantur, vocari possunt *transcensa* & *transcendens* cum addito *ut quo*, quia altera suum objectum denominat transcendens, altera *transcensum*.

72 *Dices*: esse transcendens, est esse intimè inclusum & imbibitum in esse alterius: hoc autem nequit objecto cōvenire per denominationem extrinsecam à cognitione. *Sed verò*, nisi recurratur ad identitatem formalem Scoticam, aut virtualem intrinsecam, negari non potest, quòd transcenden-

tia

tia formalis importet opus rationis, pédeatque à cognitione certo modo repræsentante objectum; nam à parte rei omnia prædicata metaphysica cujusque objecti sunt unum & idem, ac proinde non datur unum transcendens, alterum transcensũ, aut aliquod intranscendens. Quid magis transcendens, & essentialiter imbibitum, quàm definitio respectu definiti? & tamen ante opus rationis non datur definitionis transcendentia, cùm nulla detur definitio, sicuti nec genus, nec differentia. Quid magis intranscendens, magisve formaliter extra essentiam, quàm differentia respectu generis, v. g. rationale respectu animalis? & tamen ante cognitionem præcisivam nulla talis est intranscendentia, vel extraneitas. Itaque intima inclusio vel imbibitio unius in essentiâ alterius, dum loquimur in sensu formali, supponit essentiam objecti certo modo cognitam, & importat cognitiones duas, quarum altera pertineat ad explicationem alterius: quæ autem sic pertinet, denominat suum objectum *definitivè pertinens* ad essentiam objecti ut cogniti per alteram: & hoc est denominare illud *formaliter transcendens* essentiam ejusdem objecti, & in eâ *intimè imbibitum*, vel potius *aptum imbibi*. Denominationes istæ conveniunt quidem objecto secundùm esse primò intentionale; ipsæ tamen sunt objecto extrinsecæ penès formam, nempe cognitionem, non aliter ac denominatio *prædicabilis essentialiter*, sive *an quid*, quæ convenit rationi genericæ, vel specificæ, & quæ revera coincidit cum denominatione *transcendentis formaliter*, ut hanc sumitur. Quia tamen denominationes hujusmodi fundantur in reali & intrinsecâ veritate objecti, dici debent fundamentaliter intrinsecæ.

71 Quod attinet ad differentiam, hæc in præsenti accipitur, tum primò, tum secundò intentionaliter. Aseitas v. g. sumitur primò intentionaliter, cùm definitur, *Necessitas existendi sine principio*: sumitur verò secundò intentionaliter, cùm definitur, *Contractio, seu Talitas contractiva entis ad Deum*; quâ ratione definitur quidem per ens, sed in obliquo, seu tamquam per terminum habitudinis; ideòque non satis hinc infertur transcendentia, ut jam advertimus. Utrovis ergo modo quæritur, an aseitas transcendatur ab ente, ita ut sit definibilis per ipsum in recto, mediatè saltem? sive an vis & energia utriusvis conceptûs non possit satis percipi & explicari, quin aseitas intelligatur esse ens, vel quin ens sub conceptu *entis* affirmetur essentialiter de ipsâ? Nihil refert, quòd aseitas, aut quævis alia differentia, sit vel non sit capax strictæ definitionis ex differentiâ & genere constitutæ: sumitur enim hìc definitio pro explicatione quidditativâ cujusvis conceptûs etiam simplicis.

74 His ita præmissis, *prima sententia* tenet, ens transcendere formaliter differentias. Ita claré Aristoteles 3. Metaph. t. 10., & D. Thomas ibi lect. 8., necnon 1. contr. Gent. c. 25., & quæst. 21. de verit. ar. 1., & sæpè aliàs. Subscribunt Thomistæ omnes, & è Nostris Fonseca, Vazquez, Hurtad., Alphons., Compt., Ovied., Ulloa, & plerique alij cum P. Suar. disp. 7. Met. s. 5. & 6. *Secunda sententia* negat transcendentiam entis relatæ ad differentias formaliter sumptas. Ita Scotistæ omnes cum Scoto (idem isti sentiũt de modis intrinsecis, & passionibus entis), & è Nostris Arriaga, Lynce, Quiros, Peynad, & Recentiores multi. Qui Authores dicunt, perfectatem v. g. præscindi ab ente præcisione *non inclusionis*, adeòque non esse ens *formaliter & ut quod*, licèt sit ens purè *constitutivè*, & *ut quo*, quatenùs est id, quo constituitur ens determinatum, nempe substantiale. Unde perfectas, inquiunt, est aliquid, est possibilis, & chimeræ opposita, purè *ut quo*: cæterùm

rām *formaliter*, & *ut quod*, nec est aliquid, nec nihil, nec est possibilis, nec impossibilis, sed ab his omnibus extremis præscinditur, solumque formaliter includit prædicata *differentiæ*, vel *modi intrinseci*, *contractionis*, *talitatis*, & similia, quia per ea definitur.

75 Sed, quod Scotistas attinet, observare oportet, quòd Scotus negat transcendentiam entis in ultimis differentijs, concedit tamen in non ultimis. Vocat autem differentiam non ultimam, quæ non sumitur ex eâdem formâ physicâ, ex quâ sumitur ratio generis, ut si ponatur hominem constare animâ duplici, sensitivâ, & intellectivâ, & ab hac sumatur differentia *rationalis*, ab illâ genus *animal*: vocat verò ultimam, quę sumitur ex eâdem formâ physicâ, vel entitate reali, ex quâ genus, & supponit pro simplici realitate seu formalitate illius formæ, vel entitatis, ut de facto accidit in homine quantum ad differentias *rationalis*, & *sensibilis*, & accidit etiam in omnibus differentijs rerum non constantium plurib. formis subordinatis: nec obstat, quòd sint differentiæ subalternæ, quia etiam istæ vocantur à Scoto ultimę ultimitate simplicitatis, licèt non determinationis. Sic Scotum intelligũt Scotistæ, ut videre est apud Mastrium d. 2. Met. q. 7. ar. 1. & 2.: unde vix differunt à cæteris in acceptione differentiarum. Alij tamen aliter exponunt Scoti sensum circa differentias non ultimas; de quo P. Suar. cit. sect. 5..

76 Observandum insuper, quòd plures Scotistæ volunt, in differentijs non includi formaliter *ens quid*, benè tamen *ens quale*. Vocant *ens quid*, ens acceptum per modum totius potentialis, contrahibilis, & determinabilis per inferiora: vocant verò *ens quale*, ens acceptum per modum actuantis, & determinantis. Sed Mastrius cit. disp. 2. n. 176. & seqq. ostendit, hoc esse reipsà concedere transcendentiam entis, & genuinam Scoti sententiam deserere, quam *sequantur*, inquit, *veriùs & candidiores Scotistæ*. Quidquid sit de candore, quæro, an illud *ens quale* formaliter importet aptitudinem existendi, aut oppositionem cũ nihilo & chimęra? Si negent; nihil prodest inclusio *entis qualis* ad solvendum argumenta, quæ pro transcendentiâ entis afferuntur, ut conſideranti patebit. Si affirment, ut reipsà videantur affirmare prędicti Scotistæ, planè concedunt transcendentiam entis, de quo hic agitur: nunc enim sumitur ens, ut præcisè dicit aptitudinem illam, aut oppositionem cum nihilo & chimęrâ. Nec licet negare, quòd possit abstrahi communis ratio entis ab omnibus includentibus ens, sive *quid*, sive *quale*, siquidem omnia verè conveniunt & assimilantur in eo quòd opponantur chimęræ &c.; ex quo fundamento probant Scotistæ abstractionem entis à Deo & creaturâ &c.. De illâ ergo ratione sic abstractâ quęritur, an transcendat formaliter differentias?

## §. II.
## *VERA SENTENTIA ELIGITUR, & probatur.*

77 In hac celebri & arduâ controversiâ nobis tenenda est prima sententia, quę transcendentiam asserit. Ea verò statim suadibilis apparet ex eo, quòd omnis differentia entis habet essentiam aliquam veram & realem, seu non fictitiam, aut chimęricam; non enim conceptus afeitatis, aut rationalitatis, chimęricus est, aut fictitius: hoc autem est habere ipsissimam essentiam entis, quod proinde imbibitur essentialiter in omni differentiâ. Nec prodest dicere, quòd essentia differentiæ formaliter nec sit realis, nec non realis, nec chimęrica, nec non chimęrica, sicut homo secundùm se nec est albus, nec non albus, sed ab utroque

præscindit. Non, inquam, prodest: quia quælibet ex differentijs, de quibus loquimur, formaliter est quid positivum; alioqui Deus per aseitatem non differret formaliter positivè à creaturâ, nec homo per rationalitatem à bruto: esse autem quid positivum, idem sonat, ac esse quid reale, seu non chimæricum.

78 Sed, ut clarius pateat nostræ sententiæ veritas, *probatur* sic. Aseitas, v. g., quæ est differentia, vel modus intrinsecus, discernens Deum à creaturâ, definitur per ens, vel per prædicatum, quod est formaliter ens: ergo transcenditur formaliter ab entes; cùmque ratio sit eadem in cæteris differentijs, nulla subterfugit transcendentiam entis. *Prob. Antec.*, *Imprimis* aseitas, si sumatur primò intentionaliter, definitur per necessitatem existendi: sed necessitas ista est formaliter ens: ergo. *Prob. Min.*: quia necessitas existendi formaliter importat potentiam seu aptitudinem ad existendum, sicut objectum necessariò existens formaliter imbibit esse aptum existere: talis autem potentia seu aptitudo est ipsamet essentia entis. Clarius: necessitas existendi excludit contingentiam, atque adeò potentiam non existendi, ratione cujus contingentia opponitur necessitati: ergo à fortiori excludit impotentiam existendi. Sed quod impotentiam existendi excludit, est formaliter ens, ut nemo dubitat: ergo necessitas existendi est formaliter ens.

79 Si dicas cum Peynado tr. 2. Log. d. 3. n. 46., quòd necessitas existendi substantivè significata (quo sensu est totus Deus) est formaliter ens: secùs verò adjectivè significata. *Contrà* est, quòd necessitas illa tunc significatur adjectivè, cùm significatur sub conceptu determinationis aut modi determinantis essentialiter ens, ut necessariò existat: sed sub conceptu isto necessitas existendi formaliter excludit contingentiam, & impotentiam existendi, cùm concipiatur ut essentialis connexio cum existentiâ: ergo etiam adjectivè significata, formaliter est ens. *Urgetur*: quod concipitur ut determinatio entis ad existendum necessariò, concipitur ut prædicatum reddens existentiam Deo necessariam, & essentialiter debitam. At hoc prædicatum est formaliter ens. *Prob.*: prædicatum reddens existentiam Deo possibilem, est formaliter ens, juxta omnes: ergo à fortiori prædicatum reddens existentiam Deo necessariam, & essentialiter debitam: tum quia hoc malè plus est in lineâ entis: tum quia per tale prædicatum non minùs, immò magis distat Deus à nihilo & chimærâ, quàm per possibilitatem seu aptitudinem existendi; quæ aptitudo propter distantiam à nihilo, & chimerâ, formaliter est ens. *Adde*, quòd determinatio entis ad necessariò existendum, est essentialiter impotens convenire chimeræ: ergo essentialiter distinguitur ac separatur ab omni chimerâ, eamque proinde excludit essentialiter à suâ quidditate. Hæc autem exclusio, propria est entis, apud omnes. *Item*: debitum existentiæ chimæræ, nequit non concipi ut chimæra, idest, ut omninò repugnans, & impossibile, quomodolibet concipiatur: ergo pari ratione debitum existentiæ entis, nequit non concipi ut ens. Sed necessitas existendi sub prædicto conceptu determinationis, est debitum existentiæ entis: ergo &c.

80 *Deinde*, si aseitas accipiatur secundò intentionaliter, definitur *differentia entis necessarij*, vel, si mavis, *modus intrinsecus, quo Deus à creaturâ discernitur*, vel etiam *talitas, contractio, determinatio entis ad Deum*: sed hæc prædicata sunt formaliter ens: ergo &c. *Prob. Min.* 1. ut supra: quia quodlibet ex his prædicatis est essentialiter impotens convenire chimeræ, ac proinde se ipso discernitur ab omni chimerâ, quod est chimeram excludere, &

& esse ens. 2.: quia quodlibet concipitur ut formalitas Dei, apta scilicèt constituere Deum: sed formalitas concepta ut apta constituere Deum, concipitur ut apta existere, cùm Deus existat secundùm omnes formalitates suas: ergo concipitur ut ens. *Dices*: Deus existit secundùm omnes formalitates realiter sumptas, non verò formaliter. *Contrà*: non intendo, ut omnis formalitas Dei, præcisivè sumpta, concipiatur actu existens, sed solum ut concipiatur apta existere realiter, sive in statu reali; quod innegabile videtur, si formalitas concipitur apta constituere Deum: hoc autem sufficit, ut sit formaliter ens: quemadmodùm ipsum ens ut sic, nominaliter sumptum, non concipitur ut existens; quia tamen concipitur ut aptum habere existentiam in statu reali, concipitur ut formaliter ens.

81 *Dices* iterùm: aseitas, formaliter sumpta, solùm est apta ad existentiam realem purè identicè, ratione entis, cujus est modus, aut determinatio, & cui potest realiter identificari. *Contrà*: saltem aptitudo ad habendum identicè existentiam realem, est de concepta formalitatis Dei. At aptitudo ista est formaliter ens. *Prob.*: aptitudo ad habendum identicè existentiam chimæricam, est formaliter chimæra: ergo pariter ex adverso, cùm ratio sit eadem. Certè aptitudo ikiusmodi, ut etiam identificabilitas cum ente reali, repugnat essentialiter omni chimæræ. Eadem argumenta facilè applicari poterunt cuivis differentiæ, v. g. rationalitati hominis. Hæc enim concipitur ut formalitas apta cõstituere hominem secundùm omnes suas formalitates realiter existentem. Concipitur etiam ut talitas & determinatio entis realis, cum eo identificabilis realiter, vel saltè cum eo essentialiter connexa non minùs, quàm modus physicus cum re, cujus est modus; ideòque juxta Adversarios differentia non præscindit ab ente præcisione indifferentiæ, sed solùm præcisione non inclusionis. Hoc autem ipso rationalitas concipitur ut aliena prorsùs ab omni chimærâ, sive ut chimæræ repugnans essentialiter, atqueadeò ut ens. Accedit, quòd rationalitas est id, quo homo distinguitur ab omni non homine: hoc enim est munus proprium differentiæ ut talis, speciem distinguere ab omni non ipsâ, ut Logici norunt: ergo rationalitas, quatenùs differentia est, distinguit hominem à chimerâ, quia omnis chimæra est non homo. Sed id, quo homo distinguitur à chimerâ, est ens: ergo.

82 Præterea *confirmatur* vera sententia 1.: Perfectus v. g., quæ est differentia substantiæ, formaliter excludit suum contradictorium, & positivè quidem, cùm ejus contradictorium, videlicèt *non perfectus*, sit negativum: ergo est formaliter ens, adeòque transcenditur formaliter ab ente. *Consequentia* cõstat: quia, si verum est *Antecedens*, perfectus formaliter excludit à se contradictionis implicantiam, adeòque repugnantiam existendi; & hoc est formaliter opponi chimeræ, seu esse formaliter és. *Antec.* verò (quod negat P. Peynad cit. d. 3. n. 32., quia, inquit, perfectus solùm est formaliter ea prædicata, per quæ definitur, & non definitur per exclusionem sui contradictorij, sed solùm per *talitatem*, & *determinationem* entis ad substantiam) *probatur* efficaciter: perfectus formaliter est id, per quod definitur: ergo est formaliter prædicatum ipsam discernês ab omni non ipsâ, cùm hujusmodi prædicatum sit de conceptu omnis definitionis: ergo est formaliter prædicatum ipsam discernens à suo cõtradictorio, quia nihil magis est non ipsa perfectus. Sed tale prædicatum formaliter excludit contradictorium perfectitatis: ergo hæc est formaliter excludens contradictorium suum. *Prob. Min.* subsumpt.: quia prædicatum illud neq; iden-

ficatur formaliter cum contradictorio perfectionis, ut est manifestum, nec ab eo formaliter præscindit, alioqui non discerneret perfectionem à suo contradictorio, sicut non discernit lucem à tenebris prædicatum, quod à tenebris formaliter præscindit.

83 *Urgetur* hoc ipsum 1.: hi conceptus, *perfectus*, *non perfectus* (non sumitur infinitanter, ut ajunt, sed puré negantes, particula *non*) contradictorij sunt in sensu formali; alioqui sine contradictione diceretur de differentiâ substantiæ, *est formaliter perfectus*, *non est formaliter perfectus*: sed cõceptus hic, *non perfectus*, formaliter excludit perfectionem, ut est evidens: ergo & hic, *perfectus*, excludit formaliter non perfectionem: nam è duobus contradictorijs nõ magis unum excludit alterum, quàm excludatur ab altero. Adde, quòd omnis contradictio inter ens & non ens ex necessitate versatur, ut fatetur Peynado loc. cit.: unde, si contradictio versatur inter eos conceptus, formaliter sumptos, alter debet includere formaliter ens, alter non ens. 2.: perfectus formaliter excludit à se hos conceptus, *talitas non talitas*, *entis contractio non contractio*: ergo formaliter excludit suorum cõtradictionem prædicatorum, adeòque formaliter est quid possibile, seu ens. *Prob. Antec.*: perfectus est formaliter id ipsum, per quod definitur, potiùs quàm non id ipsum; aliter non potiùs erit, quàm non erit, sua ipsius quidditas formalis; nec poterit unquam fixè concipi, quid est formaliter perfectus; nam quidquid esse dixeris, non magis concepero esse formaliter illud, quàm non illud: cùm ergo perfectus definiatur per talitatem, & contractionem entis, formaliter est talitas potiùs, quàm non talitas, & entis contractio magis, quàm non contractio. Hoc autem fieri nequit, si perfectus formaliter non excludit à se conceptus illos, in *antec.* positos: ut patet, tùm ex terminis, tum inductione in alijs similibus; nam, quod non excludit à se conceptum hunc, *homo non homo*, non potiùs est homo, quàm non homo, & sic de alijs. 3.: perfectus est formaliter determinatio entis: ergo formaliter opponitur non determinationi entis, ac proinde suo contradictorio. *Consequentia* negatur à Peynado l. c. n. 33.: sed eodẽ jure negari poterit, quòd lux formaliter opponatur tenebris, aut homo non homini, aut ens non enti. Sanè determinatio, quo sensu talis est, indifferentiæ opponitur: si ergo talis est in sensu formali, in hoc sensu opponitur indifferentiæ, certè non alio titulo, nisi quia indifferentia est non determinatio.

84 *Confirmatur* 1.: Perfectus est formaliter perfectio: ergo est formaliter ens. *Consequentia* est legitima; quia perfectio est bonitas, & hæc, transcendentaliter sumpta, vel est formaliter essentia entis, vel eam supponit in subjecto, cui convenit. *Prob. Antec.*: perfectus, formaliter sumpta, est ille titulus, quo solo redditur substantia formaliter perfectior accidente; non enim redditur perfectior ex titulo entis à differentijs constituenti, cùm hic titulus accidenti conveniat nullo discrimine; sed nequit substantia ex solo titulo perfectionis reddi perfectior accidente, si perfectus non est formaliter perfectio: ergo. *Prob. Min.*: quia, si perfectus non est perfectio formaliter, nulla perfectio advenit substantiæ titulo perfectionis: sed substantia nequit evadere accidente perfectior ex eo solo titulo, quo nulla ipsi perfectio advenit: ergo &c.. *Aliter*: si perfectus non est formaliter perfectio, ens ex adjectione perfectionis nullam perfectionem adquirit præter eâ, quæ propria est entis abstracti, quatenùs communis accidenti: sed quo titulo ens nullam perfectionem adquirit præter communem accidenti, non redditur accidente perfectius: ergo ex adjectione perfectionis, vel quatenùs fit ens

per

per se, non evadit perfectius accidenti. Hoc ipsum clarius urget in aseitate, ratione cujus redditur formaliter ens à se, ideſt, Deus, infinitè melius & perfectius ens, quàm creatura: quomodò enim hoc stare poterit, si per aseitatem nulla perfectio additur enti, sed solùm formalitas præscindés à perfectione & non perfectione? Quæro, vel aseitas perficit ens, vel non? si non perficit, quomodò reddit infinitè perfectum? Si perficit; ergo est perfectio: nihil enim redditur perfectũ nisi à perfectione, sicut nihil album nisi ab albedine, nihil lucidum nisi à luce.

85 *Dices* cum Quiros & Peynado: perfectas, licèt non sit formaliter perfectio, est tamen perfectionis majoritas, excessus, aut auctio, & aseitas est majoritas & melioritas infinita; quod sufficit, ut perfectio entis à perfectate reddatur major, & ab aseitate infinitè major & melior. Sed *contrà* 1.: quia satis absurdum apparet, quòd aseitas formaliter & ratione sui nõ sit quid melius, æstimabilius, & appetibilius, quàm abalietas, nec simpliciter perficiat ens. Certè majoritas, & excessus perfectionis, præsertim infinitus, ratione sui est amabilis, & appetibilis, ex terminis ipsis, & communi apprehensione: quo autem sensu est appetibilis, bonitatem habet citra dubium. 2.: quia majoritas perfectionis formaliter excludit perfectionis minoritatem: ergo à fortiori excludit nullitatem perfectionis; quę nullitas certè non excluditur, nisi à perfectione aliquâ. 3.: quia, si majoritas nõ est formaliter perfectio, nullam perfectionem addit enti: sed ens nequit reddi perfectius sine additione perfectionis: ergo. *Prob. Min.* exemplo intensionis physicę, quam omnes Adversarij docent necessariò fieri per additionem gradũs ad gradum, eo scilicèt, quòd nequeat subjectum reddi v. g. calidius sine additione caloris: cadò autem, aut fortior militat ratio in præsenti, ut patebit consideranti. Et cur Thomistis non licebit pariter dicere, quòd major radicatio caloris, tametsi non sit formaliter calor, est tamen caloris majoritas?

86 4.: quia urget adhuc argumentum n. 84.. Nam, si perfectas ita est majoritas perfectionis, ut tamen in se ipsà non sit perfectio, nec perfecta, sequitur, formalia constitutiva substantiæ non esse in se ipsis perfectiora constitutivis accidentis. Formalia enim cõstitutiva substantiæ sunt *ratio entis*, & *perfectas*, & Formalia constitutiva accidentis sunt *ratio entis*, & *inalietas*: ex his ratio entis, ut à differentijs condistincta, formaliter est eadem utrobique: perfectas autem, si non est formaliter perfecta, non est in se ipsà perfectior inalietate. At id, cujus formalia constitutiva, in se ipsis inspecta, non sunt perfectiora constitutivis alterius, non est formaliter perfectius altero; ut videtur per se evidens. Substantia igitur non erit formaliter perfectior accidẽti. *Declaratur* hoc amplius: duo composita metaphysica, quorum unius forma nõ superat formam alterius in perfectione entitativâ, nec materia unius materiam alterius, non sunt composita inæqualia in entitativâ perfectione, ut patet in compositis physicis, quorum ad instar discurrimus in metaphysicis: sed in doctrinâ Contrariorum, *ens per se*, & *ens in alio* (ideſt, substantia, & accidens) sunt duo composita metaphysica, in quibus nec materia materiam superat, cùm eadem ratio entis in utroque sit pro materiâ, nec forma superat formam in perfectione entitativâ, siquidem *perfectas*, & *inalietas*, quæ sunt formæ ipsorum, prout à materiâ condistinctæ, non habent entitativam perfectionem, sed ab eâ præscindunt præcisione non inclusionis: non ergo composita illa sunt inæqualia in perfectione entitativâ.

87 Nec dicas forsan, enim ex

his formis esse perfectiorem alterâ, non *ut quod*, sed *ut quo*. Nam esse perfectiorem *ut quo*, nihil est aliud, quàm esse id, quo constituitur compositum perfectius: sed, si forma non est perfectio nec perfecta *ut quod*, ideòt, in se, ac ratione sui, nequit esse id, quo constituitur compositum perfectius, suppositâ æqualitate vel identitate materiæ; ut directè probant argumenta nùc nùc adducta: ergo &c.. Quid repugnantius, quàm quòd una collectio partium constituatur perfectior collectione alterâ, quando partes utriusque, singulatim inter se collatæ, perfectione sint pares, vel certè non impares, in se, & *ut quod*? Profectò solutione istâ poterit eludi principium illud mathematicum, *Æqualia æqualibus addita non faciunt inæqualia*: illoebit enim fingere æqualia *ut quod*, quæ sint inæqualia *ut quo*, ideòt, quæ, non obstante æqualitate convenientes ipsis secundùm se, apta sint facere seu constituere cum alijs cò partibus æqualibus composita inæqualia. Hinc infer es, inutilia esse quædam exempla, quæ solent objicere Adversarij. Anima rationalis, inquiant, licèt non sit corpus, nec corporea *ut quod*, constituit tamen corpus completum: unitas constituit numerum, & non est numerus: cognitio abstractiva est prædicabilis *ut quo*, non *ut quod*: rationalitas non est formaliter animal, & est id, quo constituitur perfectius animal: similiter ergo, licèt perfectas non sit entitas, nec perfectio, formaliter & *ut quod*, poterit constituere perfectius ens.

88 Sunt, inquam, inutilia. Tum quia pariter adduci poterunt cõtra principium mathematicum, de quo nuper. Tum quia impugnãt etiam qualitatis intensionẽ per gradus. Tum quia probant, dari posse reale compositum ex partibus non realibus, aut ens physicè constitutum ex puris non entibus; sicuti datur numerus constitutus ex puris unitatibus, quarum nulla est numerus. Probant etiam, fieri posse, ut constitutivũ entis habeat in se & sibi prædicatum directè oppositum enti; sicut anima humana in se est *spiritus*, & cognitio abstractiva est *singularis* in se & sibi, quæ sunt prædicata directè opposita *corpori*, & *universali*: unde poterit aliqua formalitas esse *ens ut quo*, & chimæra *ut quod*. Non itaque volumus generatim, ut cuilibet parti conveniat denominatio totius, nec ut reciprocentur semper *quod*, & *quo*; id enim est evidenter falsum. Volumus tantùm, ut prædicata transcendentalia, seu generalissima, videlicet *ens*, *bonum*, &c., non possint convenire toti, nisi conveniant partibus; quia per se notum est, non posse constitui ens ex non entibus, nec reale quid ex non realitatibus, & ob rationem eamdem nec ex præscindentibus à realitate, & entitate. In his prædicatis fundatur aptitudo constituẽdi quamlibet denominationem positivam; ideòque ipsorum *quod* & *quo* necessariò reciprocantur in partibus, quia istud *quo* fundari debet in illo *quod*.

89 *Confirmatur* denique vera sententia: Prædicatum aliquod admittendum est formaliter transcẽdens omnes differentias: ergo hujusmodi esse debet ens commune: tum quia nullam aliud potiori jure transcendentiam postulat: tum quia in quolibet alio sic trãscendenti manifestè infringuntur argumenta, quæ transcendentiam entis impugnant. *Prob. Antec.*: quia saltem prædicatum *differentiæ*, vel *talitatis*, aut *contractionis*, formaliter imbibitur in omnibus differentijs; cùm omnes definiantur per *talitatem* &c.. Negant aliqui, posse abstrahi rationem communẽ *talitatis* à differentijs omnibus. Sed immeritò: quia omnes differentiæ sunt similes in esse talitatis, ideòt, in munere determinandi & contrahendi rationem aliquam communem: neque ulla est differentia, de quâ non propriè verificetur cõceptus *talitas*, qui ex se nullam

lem in particulari designate, nec est definibilis per aseitatem, aut rationalitatem, &c.: quare conceptus iste verè communis est, & abstractus eodem titulo, quo conceptus *entis*.

90 Negant alij, quòd ratio talitatis ut sic transcendat unaquàm differentias suas; quia non contrahitur ad differentias entis, nisi per ulteriores talitates, quas non transcendit. Perfectus v. g. resolubilis est, inquiunt, in duos conceptus, quorum alter est talitas in communi, alter est ulterior talitas, seu contractio talitatis ut sic; à quâ non transcenditur. Si objicias, ab hac ulteriore talitate & similibus alijs posse iterùm abstrahi rationem talitatis communem. Dicunt, posse quidem abstrahi novam rationem talitatis, sed quæ sit diversa formaliter à præcedenti, & cui etiam respondeat ulterior alia talitas & contractio, quam formaliter non transcendat: & sic in infinitum. *Sed* verò, quantumvis infinitas talitatum talitates fingas, de omnibus verificari debet esse talitates & determinationes alicujus prædicati communis: hic ergo conceptus, *talitas alicujus prædicati communis*, omnes formaliter transcendit. Nec obstat, quòd referantur ad diversa prædicata communia. Nam hoc etiam accidit differentijs specificis animalis & arboris; à quibus tamen abstrahi potest communis ratio *differentiæ specificæ*. Adde, quòd hic conceptus, *formalitas præscindibilis ab ente & non ente*, vel hic, *formalitas intranscendibilis ab ente*, vel etiá hic, *formalitas præscindibilis & intranscendibilis à ratione communi*, *quam connotat*, est conceptus necessariò transcendens differentias omnes cogitabiles, si vera est Adversariorum doctrina: ut consideranti liquidum erit.

## CAP. V.

### *Contrarijs argumentis occurritur.*

91 *Objic.* 1.: perfectus v. g. non definitur per ens in recto: ergo non transcenditur formaliter ab ente. *Prob. Antec.* 1.: quia perfectus definitur, *talitas entis*, vel *determinatio entis ad subsistendum*: ubi solùm ponitur ens de obliquo, vel ut connotatum, quâ ratione ponitur Deus in definitione creaturæ ut talis. 2.: quia perfectus definitur ut formalitas adjacens & supervenies enti: ergo non definitur per ens in recto, neque illud includit; alioqui concipiéretur ut adjacens & supervenies sibimet ipsi. *Confirm.* 1.: vel perfectus definitur solùm per ens, vel etiam per aliud ab ente? Si dicatur primum: ergo perfectus non differet formaliter ab inalterato, nam hoc etiam definienda erit solùm per ens. Si secundum: ergo perfectus includit prædicatum, quod formaliter sit aliud ab ente, adeòque ab ente non transcendatur. *Confirm.* 2.: fatemur ens sub conceptu *entis* non esse adæquatam definitionem perfectionis: aliquin ens & perfectus converterentur, sicut homo & animal rationale: ens ergo non est tota perfectionis essentia, sed pars essentiæ tantummodo: datur ergo in perfectione aliquid essentiale præter ens.

92 Ad *object. arg. Antec.*: quia perfectus definitur, mediatè saltem, per ens in recto, cùm definiatur per prædicata, quæ sunt formaliter ens, etiam quando definitur, *talitas entis*, vel *determinatio entis &c.*; nam talitas vel determinatio ista necessariò concipitur apta existere, & chimeræ repugnans, ut satis ostendimus. *Ad 1. prob.* 2. nihil refert, quòd in eâ definitione fiat mentio entis in obliquo, si aliunde probatur ens inclusum formaliter in conceptu recti: talis quippe mentio, licèt non probet, non impedit inclusionem formalem. Plures sanè conceptus continet in recto id ipsum, quod ex modo significandi connotant, aut de obliquo important, ut patet in his, *natura talioris, essentia perfectis, quidditas entis, intrinseca possibilitas entis*, *applicando eâ ad existendum*.

93 Ad 2. *prob.*: perfectus non definitur, neque concipitur ut adjacens & supervenies enti, tanquàm differentia propriè talis, vel tamquam forma subjecto addita cum distinctione mutuâ, ut cum eo compositionem faciat; sed solùm tamquàm quid ab ente distinctum non mutuò, contrahensque, ac limitans indifferentiam entis ut sic, absque cõpositione metaphysicâ. Quâquàm propriè loquendo perfectus non est *adjacens* enti (licèt concipiatur instar adjacentis, vel per speciem adjacentis formæ, sicut Angelus per speciem juvenis); quia nomen illud proprium est formæ non includentis in suâ quidditate subjectum, cui accidit. Potest tamen propriè dici *superadditus* vel *supervenies* enti; quia non includitur formaliter in conceptu entis, licèt ipsa in conceptu suo includat ens. Hinc perfectus non supervenit sibimetipsi: quia ens, cui supervenit, non est ipsa, licèt ipsa sit ens. Cùm autem D. Thomas ait, quòd *enti nihil addi potest*, subjungit explicationis gratiâ, *per modum, quo differentiæ additur genori.*

94 *Ad 1. confirm.*: perfectus non definitur solùm per ens sub nudo conceptu *entis*: proinde definitur etiam per aliud ab ente alietate non mutuâ, ideſt, alietate, quæ ita includit ens, ut in ente non includatur; qualiter homo sub conceptu *homo* est aliud ab animali. Hæc autem alietas non impedit trãscendentiam, ut patet eodem exemplo. *Ad 2. confirm.* concedo *Antec.*: quia solùm intendimus, ut ens pertineat ad definitionem perfectatis, sicuti pertinet juxta omnes ad definitionem substantiæ, licèt eam se solo non explicet. Distinguo tamen *Consequ.*: ens non est tota essentia perfectatis, nec tota essentia perfectatis est ens, *negativè* ut nihilominùs tota perfectatis essentia sit ens, *conc.* *Cõsequ.* quoad 1. partem, sed absolutè *nego* quoad secundam; quia ens non est pars essentiæ perfectatis, cùm non illi respondeat alia compars, nec perfectas sit resolubilis in duos conceptus mutuò distinctos. *Dices*: ergo ens non est aliquid perfectatis. *Dist.*: non est aliquid perfectatis actu, *conc.* (aliter non esset abstractum à perfectate); aptitudine, seu potestativè, ut ajunt, quatenùs de perfectate prædicari potest in quid, *neg. Consequ.* Quòdsi perfecta universalitas salvetur in actuali prædicatione, prædicabitur ens de perfectate, non ut tota essentia, nec ut pars essentiæ, sed ut id, cui tota subjecti essentia identificatur. Loquor de ente sub conceptu *entis*; nam sub conceptu *perfectas*, qui verè est entis conceptus, ens utique est tota essentia perfectatis.

*Defenditur distinctio rationis non mutuæ.*

95 Nupera solutio, quæ postmodùm ad alia quòque proderit argumenta, nititur præcisione ac distinctione rationis non mutuâ: vi cujus ens præscinditur ac ratione distinguitur à perfectate (idem intellige de reliquis differentijs), cùm tamen perfectas non invicèm præscindatur, nec ratione distinguatur ab ente, sed cum eo potiùs identificetur formaliter. Hæc doctrina reipsâ præcipuus cardo est hujus controversiæ, seu defensionis sententiæ nostræ. Nec recurrendum cum Themistis ad mutuam inclusionẽ formalem, quasi ens pro implicito importet differẽtias, sicut ab ijsdem importatur: hoc enim supponit, ens à differentijs non præscindi nisi penès explicitum; quod satis in superioribus impugnatũ est. Sed contra distinctionem rationis non mutuam *opponitur* 1. paritas distinctionis realis, quæ nequit non esse reciproca. 2., quòd fallerent alioqui regulę Conversionis dialecticę, dum proceditur in sensu formali: malè quippe argueretur sic, *Omnis differentia est formaliter ens, ergo aliquod ens est formaliter differentia*; idemque accideret in alijs conversionibus.

Falle-

Ultimò etiam principium illud, *Quæ sunt eadem uni tertio &c.* inam perfectas & aptitudo existendi formaliter identificaretur cum ente formaliter uno; nec tamen aptitudo existendi esset formaliter perfectas.

96 3., quòd identitas perfectatis cum ente vel est adæquata, vel inadæquata. Si adæquata; tota perfectas erit tota essentia entis; atque ita non poterit ens distingui à perfectate, nisi distinguatur à totâ essentiâ suâ. Si verò inadæquata; perfectas se habebit ad ens, vel ut pars ad totum, vel ut totum ad partem; & utrovis modo nequit non mutua esse tam identitas, quàm distinctio, ut patebit consideranti. 4., quòd, si ens à perfectate distinguitur, illam excludet ab essentiâ suâ: ergo perfectas erit exclusa ab essentiâ entis: non enim datur excludens sine excluso: non ergo poterit idêtificari formaliter cum essentiâ entis; nisi absurdè dicatur identificata cum eo, à quo excluditur: nec poterit ens includi formaliter in perfectate, nisi ponatur inclusum in eo ipso, quod à se excludit, & extra quod est. *Hæc* tamen non urgent, si rectè intelligatur distinctio rationis (idem sonat distinctio formalis apud negantes formalem Scoticam), prout à nobis explicata est in Logic. tr. 2. disp. 1., præsertim cap. 8.

97 Distinctio rationis non est nisi inter objecta ut cognita certis cognitionibus, immò in cognitionibus ipsis consistit, non quibuslibet, sed talibus, ut altera non pertineat ad explicationem alterius, nec utraque communem explicationem habeat singulis adæquatam. Hinc provenit, quòd objectum unius, ut tale, denominetur *definibile independenter* ab objecto alterius ut tali, ideſt, ut cognito per alteram: & hoc est ab eo distingui formaliter, seu per rationem. Quòdsi cognitiones possint eo modo comparari vicissim, erunt distinctio rationis mutua, denominabuntque objecta mutuò distincta formaliter. Tales sunt hi conceptus, *animal*, *rationale*: quia enim objectum cognitum cognitione, *animal*, potest definiri juxta meritum hujus cognitionis, non dicendo esse rationale sub hoc nomine, nec sub alio prorsùs æquivalenti; & hoc etiam vicissim accidit objecto cognito cognitione, *rationale*, quod similiter definiri potest juxta meritum hujus cognitionis, non dicendo esse animal; idcircò animal & rationale formaliter distinguuntur mutuò. Si verò cognitiones non ita comparentur vicissim, sed potiùs cognitio A. quoad sui explicationem pendeat à cognitione B., quæ tamen non sic pendeat ab A., nec sit totalis explicatio ejus; erunt distinctio rationis non mutua, consequenter que nõ mutua identitas formalis; & objectum A. denominabitur formaliter identificatum cum objecto B., simulque objectum B. denominabitur formaliter distinctum ab objecto A. Sic se habent hæ cognitiones, *homo*, *animal*: nam, quia objectum nequit definiri juxta meritum cognitionis, *homo*, nisi dicatur esse animal; potest tamé definiri objectum juxta meritum cognitionis, *animal*, non dicendo esse hominem; idcircò inter hominem & animal datur distinctio rationis non mutua.

98 Quòd autem distinctio hujusmodi non repugnet, constat 1. ex hoc ipso exemplo animalis & hominis (cujus vindicias vide suprà n. 18. & 19., vide item exemplum ex doctrinâ Thomisticâ sumptum n. 20.), & similibus alijs, à nemine repudiandis. Contra 2. quia nulla sequitur contradictio ex eo, quòd una cognitio quoad sui explicationem pendeat ab alterâ, & non vice versâ; non enim ideò affirmatur & negatur idem de eodem; sed affirmatur dependentia de cognitione unâ, & negatur de alterâ: & quamvis objectum utriusque sit realiter idem, tamen de-

nominationes *formaliter distincti*, & *formaliter indistincti* seu *identificati* (quæ utique extrinsecæ sunt, ex dictis n. 72.), non præstantur ab eâdem cognitione, sed à diversis, saltem secundùm rectum formæ denominantis.

99 Et hinc solvuntur facilè difficultates oppositę n. 95. & 96. *Ad* 1. negatur paritas: quia rationis distinctio, quantùmvis propria dicatur in lineâ rationis, absolutè impropria est, & metaphysica, ut in Logicâ vidimus; ideòque in eâ reperiri non debet quidquid convenit distinctioni reali. Quare, sicut ineptè argueres, nullum esse appetitum innatum non vitalem, paritate appetitûs eliciti, qui semper & necessariò vitalis est; ita in præsenti. *Adde*, quòd realis distinctio explicatur per negationem realis unitatis extremorũ; quæ negatio nequit non esse mutua, sicut negatio unionis realis. At rationis distinctio explicatur per independentiã unius ab altero quoad definitionem: independẽtia autem ex terminis non debet esse mutua; ut obvia exempla demonstrant.

100 *Ad* 2. negatur sequela. Et ad exemplum inibi adductum dicimus, conversionem valere, si subjectum convertentis, nempe *aliquod ens*, idem sonet, ac *aliquod ex particularibus entibus*, ut reverà sonat communi usu. Si tamen tò *aliquod ens*, idem sonet, ac *aliquod cognitum solâ expressione* ens, non valet conversio; quia prædicatum conversę non ponitur pro subjecto convertentis, prout exigunt regulæ conversionis. Illa enim conversa, *Omnis differentia est formaliter ens*, reddit hunc sensum, *Omnis differentia, ut talis, est definibilis per ens*; ubi prædicatum est hoc, *definibile per ens*: quod prædicatum non recurrit cum subjecto illo, *aliquod cognitum solâ expressione ens*: substantia enim sub conceptu *substantiæ*, non est cognita per solam expressionem *entis*, cùm tamen sit definibilis per ens. Ut ergo conversio recta sit, debet propositio conversa priùs exponi, ut nuper; ac deinde convertens ita formari, *Aliquod definibile per ens, est formaliter differentia*. Exemplum habes in conversione hac, *Omnis homo est formaliter animal, ergo aliquod animal est formaliter homo*; quę utique valet, si tò *aliquod animal* idem significet, ut solet, ac *aliqua ex speciebus animalis*; secùs verò, si perinde sonet, ac *aliquod cognitum per solam expressionẽ* animal; quia sic non recurrit cum prędicato conversę, ut ex hujus expositione patebit. Poterit tamen conversa semel exposita legitimè converti sic, *ergo aliquod definibile per animal, est formaliter homo*. Nec novum est, quòd aliquæ propositiones non possint converti, nisi priùs exponantur, aut resolvantur; ut in Summulis notari solet.

101 Hinc inferes, veram esse propositionem hanc, *Nullum animal est formaliter homo*, seu *animal rationale*, si tò *nullum animal* idem sonet, ac *nullum objectum ut cognitum per solam expressionem* animal. Unde in sensu isto non cõcludit hic syllogismus, licèt videatur in *Celarem* formatus: *Nullum animal est formaliter animal rationale; sed omnis homo est formaliter animal; ergo nullus homo est formaliter animal rationale*. Habet enim reipsâ quatuor terminos; siquidẽ subjectum Majoris, idem sonat, ac *cognitum per solam expressionem* animal; & prædicatum Minoris, idem significat, ac *definibile per animal*, cùm Minor reddat hunc sensum, *Omnis homo, ut talis, est definibilis per animal*: sic autẽ proculdubiò sunt duo termini; quia potest aliquid esse definibile per animal, tametsi non sit cognitum per solam expressionem *animal*; ut patet in homine cognito per expressionem *homo*. Quapropter in eo syllogismo, concessis Pręmissis, negandа est Consequentia. Idque ipsum liceret dicere ab omnibus in hoc alio: *Nullum animal est formaliter rationale* (siquidem tò *nullum animal*

*mal* in sensu dicto); *sed omnis homo est formaliter animal; ergo nullus homo est formaliter rationalis.* Hæc facilè applicabis ad eus & perfeitatem. Quod autem in objectione addebatur de principio, *Quæ sunt eadem uni tertio* &c., nullius est ponderis: nam hoc principium loquitur de *tertio*, quod sit unum realiter: nec potest aptari ad *tertium* intentionaliter unum; cum certissimum sit, hominem & equum sub proprijs conceptibus non identificari inter se, quàmvis sub ijsdem uterque sit animal, quod est unum intentionaliter.

102 *Ad* 3. eligimus primum extremum; dicimusque, identitatem perfeitatis cum ente esse adæquatâ, sed non mutuam: tota enim perfeitas ita est tota essentia entis, ut tamen tota essentia entis non sit perfeitas tota, nec actualis pars perfeitatis. Unde identitas formalis penès perfeitatem est adequata, penés ens nulla: distinctio è converso, penès perfeitatem nulla, penès ens adæquata. Nec ideò sequitur, ens distingui ab essentiâ suâ, dum à perfeitate distinguitur; sed solùm distingui ab eo, quod est essentia entis non mutuó, ac proinde ab eo, à quo distinguitur tota essentia entis. Juxta hanc doctrinam intelligendum, quod suprà dicebamus n. 20., non implicare, quòd A. sit formaliter B., nec tamen sit tota essentia, nec pars essentiæ B., videlicèt per identitatem mutuam. Quamquàm illud poterit intelligi quasi dictum ad hominem, propter exemplum inibi præmissum ex doctrinâ Thomisticâ. Nunc solutio data explicatur exemplo sæpiùs inculcando. Nam totus homo sub conceptu *homo* (sub quo nullam habet formalitatum distinctionem) formaliter identificatur cum animali; totus, inquâ; nam, quo sensu non habet partes, nequit identificari nisi totus. Et tamè animal ut sic, nec est formaliter totus homo, nec illum includit, nec est actualis pars ejus, nec præscinditur ab essentiâ suâ, dum ab homine præscinditur.

103 *Ad* 4. concedo *Antec.*, & primam *Consequ.*, sumptâ exclusione pro indefinibilitate, seu pro independentiâ quoad definitionem. Sed nego 2. *consequ.*: quia perfeitas ita est exclusa, ut non sit excludens; potestque sine ullo absurdo identificari formaliter cum eo, à quo formaliter excluditur: quia hoc nihil est aliud, quàm perfeitatem dependere quoad definitionem ab eo, quod non vicissim dependet ab ipsâ. Repete exemplum hominis & animalis. Quo etiam exemplo convincitur nō esse absurdum, quòd ens sit formaliter inclusum in eo, quod à se formaliter excludit, & extra quod est formaliter; hoc enim verificatur pariter de animali respectu hominis. *Inclusio* in præsentē non significat inclusionem locati in loco, nec partis in toto; sed tantúm sonat attinentiam entis ad definitionem perfeitatis: *exclusio* verò sonat independentiam entis, quoad sui definitionem, à perfeitate. Hæc autem independentia cum attinentiâ illâ non pugnat. Sæpè tamen *inclusio formalis* sumitur pro cōtinentiâ implicitâ unius in alio: & hoc sensu ens respectu perfeitatis est *inclusum & excludens* per diversos cōceptus: *inclusum* per conceptum *perfeitas*, *excludens* per conceptum *ens*. Nec verbum *includere* denotat hic inadæquationem aliquam inter includens & inclusum; sed tantúm identificationem intimam; qualiter ens dicitur includere suam essentiam, & perfeitas includere suam quidditatem, & sic de alijs.

*Reliquæ objectiones, & solutiones.*

104 *Objic.* 2.: substantia formaliter differt ab accidenti: sed non differt in ratione formali entis: ergo differt in aliquâ formalitate, quæ non sit ens; quæ formalitas nequit alia esse, nisi perfeitas. Concesso *Maj.*, *dist. min.*:

non differt in ratione formali entis, ut cognitâ sub conceptu *ens, conc.*; ut cognita sub conceptu *perfectas*, *neg. Min.*, & *Consequ.*. Dū loquimur in sensu formali, substantia & accidens supponuntur cognita proprijs conceptibus, his nimirum quasi specificis, *substantia*, *accidens*, vel his quasi differentialibus, *perfectas*, *inalietas*. Utrique autem verè sunt conceptus entis, non solùm quia ens attingunt ex parte objecti, sed etiam quia non propriè ab ente præscindunt ex parte actûs; nam ex parte actûs continèt implicitè rationem formalem entis, idest, rationem entis, qualis apparet sub conceptu *ens*; sunt enim definibiles per conceptum istum, licèt nō sint cum ipso convertibiles. Differre igitur per tales conceptus, verè est differre in ratione formali entis, non ut explicitè repræsentatâ per conceptum *ens*, sed ut implicitè cognitâ ex parte actûs per cōceptus proprios substantiæ & accidentis. Nulla est autem repugnātia in eo, quòd parè conveniant duo in aliquâ ratione formali ut explicite cognitâ per conceptum A, & in eādem simul differant ut implicitè cognitâ per conceptus B. & C., non convertibiles cum A., sed minus amplos. Sic differentię omnes inter se conveniunt & differunt formaliter in ratione *talitatis*, ex dictis ad finem cap. præced.

105 Sed *replicas* 1.: substantia non differt formaliter ab accidenti per illud prædicatum, cujus tota ratio formalis convenit accidenti: sed, si perfectas nihil habet, quod non sit formaliter ens, tota ratio formalis perfectatis accidenti convenit, estque de conceptu formali accidentis: ergo substantia non differt formaliter ab accidenti per perfectatem. *Prob. Min.*: quia tota ratio formalis perfectatis erit ratio entis, & hæc tota convenit accidenti. Vel *aliter*: admissâ transcendentiâ, nulla ratio formalis invenitur in substantiâ, quæ non sit formalis ratio entis: sed tota formalis ratio entis convenit accidenti: nulla ergo ratio formalis in substantiâ invenitur, quæ non conveniat accidenti; à quo proinde nullo ex capite formaliter differet substantia. *Resp.* Poterit hìc etiam aptari doctrina num. præced.. Sed expeditius ad 1. syllogismum, concessâ *Maj.*, *neg. Min.*, quin obstet probatio: nam ex eo, quòd tota formalis ratio perfectatis sit ratio entis, & hæc tota (intensivè scilicet) conveniat accidenti, sitque de conceptu ejus formali, non sequitur, convenire accidenti totam rationem formalem perfectatis, nisi hujus identitas cum ratione entis sit mutua: si enim tota ratio entis nō est vicissim tota ratio perfectatis, poterit utique illa convenire accidenti, cui non convenit illa; poteritque illa sine istâ esse de conceptu formali accidentis. Quòd autem identitas non sit mutua, satis constat ex dictis. Unde ad alterum syllogism., concessis præmissis, *neg. consequ.*. Vel, si mavis, *dist. Maj.*: nulla ratio formalis &c., quę non sit formalis ratio entis per identitatem mutuam, *neg.*, per non mutuam, *conc. Maj.*, & *min.*, & *neg. Consequ.*.

106 Instantiam habes contra Adversarios, si compares differentias inter se duas: in neutrâ enim invenitur aliquid, quod non sit formaliter talitas, seu ratio talitatis; quæ ratio convenit pariter alteri. Item, si hominem & equum inter se compares ino conceptibus specificis, *homo*, *equus* (hi conceptus nullam faciunt aut supponūt actualem formalitatum distinctionem): tota enim formalis ratio hominis sub conceptu specifico est ratio animalis; & hæc tota convenit equo. Ex doctrinâ datâ negari debet propositio hæc, *Ratio entis est formalis ratio accidentis*, aut *inalietatis*: & generatim neganda est omnis propositio, in quâ ratio aliqua inferior prædicetur formaliter de ratione communi: quia, licet ratio com-

mu-

munis prædicetur formaliter de inferioribus, non tamen è converso, propter identitatem non mutuam. Nec idè sonat, quòd ratio entis sit de conceptu formali perfectis, vel de ratione formali substantiæ, & quòd sit formalis ratio substantiæ, vel perfectis: ad primâ enim sufficit, quòd ratio entis pertineat ad perfectis definitionem per modum conceptûs superioris & inconvertibilis: ad secundum verò requiritur, quòd sit explicatio totalis, & cum perfectate convertibilis, sicut *animal rationale* cum homine.

107 Hinc, licèt perfectas ex parte sui non minùs identificetur cum ente, quàm homo cum animali rationali, solúmque ab ente differat penès explicitum; attamen ens ex parte sui minùs cũ perfectate identificatur, quàm animal rationale cum homine, immò nullatenús identificatur formaliter, nec differt solùm penès explicitum, sed omninò distinguitur ut conceptus perfectè præcisus, & non includens formaliter perfectatem. Hinc etiam substantia & accidens non differunt solùm penès diversas expressiones ejusdem rationis formalis; sed verè differunt penès rationes formales inter se diversas; quę quidem formaliter identificantur cum eâdem ratione formali entis, nec ab eâ differunt ex parte sui, nisi penès explicitum; sed quia illa eadem ratio entis non identificatur vicissim cũ ipsis, permittit eas inter se formaliter diversas esse. Hinc insuper falsò dixeris, de conceptu essentiali rationis communis esse omne illud, quod formaliter est ipsa ratio communis; nisi addideris, *per identitatem mutuam*: nam alioquin homo & equus sub propriis cõceptibus essent de conceptu essentiali animalis ut sic. Hinc demum solves plures alias propositiones, & formulas arguendi; quas omnes percurrere infinitũ esset. Oportet etiam quædam hùc spectantia relegere suprà cap. 4., & cap. 3. à n. 55.

108 *Replic.* 1.: substantia, formaliter sumpta, vel est ens præcisè, id-est, tantummodò; vel est ens & aliquid aliud. Si dicatur primum; substantia non differet formaliter ab accidenti, quod pariter erit ens præcisè. Si secundum; jam in substantiâ dabitur prædicatum ab ente distinctum, adeòque non transcensum formaliter ab ente. *Verùm* hoc instantiam habet in substantiâ realiter sumptâ; quo sensu, si est ens tantummodò, non differet realiter ab accidenti; si est ens & aliquid aliud, jam aliquid erit in substantiâ, quod realiter non sit ens. Itaque substantia in sensu formali est ens præcisè, si tò *præcisè* excludat omne aliud, de quo non prædicetur formaliter ens; non tamen est ens præcisè, si hoc adverbio excludatur etiam omne aliud, quod non prædicetur formaliter de ente: substantia quippe non solùm est ens, sed etiam aliud, quod non formaliter prædicatur de ente, licèt ens de ipso prædicetur formaliter. Brevius: substantia est ens, & aliquid aliud alietate non mutuâ; nõ tamen alietate mutuâ.

109 *Replic.* 3.: si nihil est in substantiâ & accidenti, quod non sit formaliter ens, substantia erit accidenti similis in omni formalitate, adeòque summè similis, vel non minùs, quàm homo homini; nulla enim similitudo major, quàm quæ omnes comprehendit formalitates. *Hoc* etiam instatur in sensu reali; in quo pariter substantia erit summè similis accidenti, utpotè similis secundùm se totam, cùm nihil habeat, quod non sit realiter ens. Itaque *nego* sequelam: quia similitudo non redditur summa ex eo, quòd omnem formalitatem utrùmque comprehendat, sed ex eo, quòd fundet conceptus univocos à summo genere usque ad speciem atomam inclusivè. Similitudo autem inter substantiam & accidens ita invenitur in omni formalitate, ut tamen omnis formalitas utriusque nõ fundet nisi

con-

conceptum communem plusquàm generícum.

110 *Instabis*: substantia in sensu formali non est purè similis accidenti: ergo aliquid habet, in quo sit similis, & aliquid, in quo sit dissimilis. Præmissâ instantiâ in sensu reali, *dist. Consequ.* quoad 2. partem: aliquid, in quo sit dissimilis purè, *neg.*; in quo sit dissimilis non purè, *conc. Consequ.* Nulla est possibilis dissimilitudo pura inter formalitates positivas, cùm saltem convenire debeant in eo quòd sint aptæ existere, & constituere aliquid reale; sicut juxtà Adversarios, in eo quòd sint entia *ut quo*, vel talitates, & determinationes entis. Quare substantia in eo ipso, in quo est accidenti dissimilis dissimilitudine, quâ utrumque non sit ens per se, formaliter est eidem similis similitudine, quâ utrumque verè sit ens. Vide dicta in Logicâ circa distinctionem formalem ex naturâ rei. *Instabis* iterùm: potest concipi convenientia pura substantiæ & accidentis, ut contingit per conceptum *entis*: ergo & poterit concipi eorumdem disconvenientia seu dissimilitudo pura. *Conc. Antec.* de convenientiâ sumptâ præcisivè unitate rationis. Sed *neg. Consequ.*: quia, licèt substantia & accidens sub conceptu *entis* definiri possint independenter à conceptibus proprijs, quibus differunt; sub nullo tamen conceptu proprio definiri valent independenter à convenientiâ, quam exprimit conceptus *entis*. Unde concedenda est propositio hæc, *Substantia nihil continet formaliter, in quo non conveniat cum accidente*; dummodò verbum, *conveniat*, significet similitudinem non puram.

111 *Obsic.* 3.: si perfectas est formaliter ens, erit tota quidditas substantiæ: non ergo erit substantiæ differentia, nec erit contractio seu determinatio entis ad substantiam, consequenterque nec ens erit contrahibile seu determinabile ad inferiora per ullum conceptum superadditum, sed contrahetur & determinabitur per se ipsum. Item, substantia ineptè definietur per *ens per se*, sicut ineptè definiretur homo per *animal rationale*, si rationale formaliter esset animal. Insuper, nihil aliud significabit *ens per se*, nisi *ens & ens*. Ad *object. conc. Antec.*: quia *perfectas*, & *substantia* solùm differunt penès modũ significandi, quo imitantur abstractum & concretum, absque propriâ distinctione rationis; non aliter, ac *ens* & *entitas*, aut *actum existere* & *aptitudo existendi*. Unde *concedo* pariter, quòd perfectas non est *differentia* propriè dicta: quia respectu entis nulla est differentia proprie talis, ut jam suprà monuimus n. 70., utque monet Angelic. Doctor q. 1. de verit. ar. 1. & sæpè alibi. Cùm autem ait Aristoteles, quòd ea, quæ inter se conveniunt, differentijs differunt, loquitur de convenientibus in genere propriè tali, vel differentias accipit in sensu lato pro quibusvis conceptibus diversitatem exprimentibus. Hoc sensu maximè differunt substãtia & accidens; quia differunt se totis, perque suos conceptus adæquatos; ideòque dicuntur *primò diversa*.

112 Præterea *concedo*, quòd perfectas non est *contractio* seu *determinatio* entis, si hoc nomine significetur forma, vel modus ab ente conditinctus. Si tamen eo nomine significetur conceptus verè limitans amplitudinem entis, à quo transcenditur, perfectas utique determinatio est, & contractio entis. Et hinc negandum est, quòd ens non sit contrahibile seu determinabile per conceptum superadditum: conceptus enim perfectatis, ut jam suprà notavimus, dici debet enti superadditus, utpotè non inclusus formaliter in conceptu entis. Porrò bifariàm contrahi possunt prædicata communia: 1. per conceptus inferiorum inadæquatos & proprié differentiales: 2. per conceptus specificos, sive adæquatos essentiæ inferiorum.

tum. Utroque modo contrahuntur prædicata generica : nam animal v. g. non solùm contrahitur per conceptum *rationale*, sed etiam per conceptum *homo*; contrahi enim est limitari quoad universalitatem, & determinari ut sit potiùs hujus speciei, quàm alterius. Prædicata verò transcendentia non nisi secundo modo contrahuntur, scilicèt per conceptus inferiorum adæquatos, & quasi specificos, cujusmodi est hic, *substantia*, vel qui non minus adæquatus est, *perfectas* (idem puta de conceptu *rationalitas*, & similibus; qui, licèt sint inadæquati respectu aliarum specierũ, dici possunt adæquati, vel quasi specifici, considerando differentias generum ut quædam inferiora entis, cui directè subjiciuntur quasi species ejus): verè enim cõceptus *substantia* limitat ac determinat ens, tum per inclusionem implicitam, tum per expressionem identitatis in actuali prædicatione.

113 Nec ideò ens contrahitur per se ipsum absque ullâ propriâ distinctione rationis : contrahitur enim per aliquid, à quo ipsum ens formaliter distinguatur, licèt illud non ita distinguatur ab ente. Nec item inepta est definitio substantiæ per *ens per se*, dummodò non asseratur ut definitio stricta, sed ut descriptio continens expressionẽ convenientiæ & diversitatis substantiæ ab accidenti: substantia quippe non est definibilis strictè, seu per genus & differentiam, cùm non sit propriè species, sed genus supremum. Similiter non esset inepta in genere descriptionis definitio hominis per *animal rationale*, si rationale formaliter esset animal : quia tamen homo propriè est species, deberet tunc strictè definiri per alia prædicata mutuò distincta. Denique falsum est, quòd *ens per se* non aliud significet, quam *ens & ens*: significat enim ens tale, ens determinatum, ens substantiale. *Dices* : illud *tale*, *determinatum*, *substantiale*, non significet aliquid præter ens. *Dist.* : si ly *præter* denotet distinctionem seu alietatem mutuam, *conc.*; si solùm denotet non mutuam, *neg.*. Alietas autem istiusmodi non denotatur per *ens & ens*.

114 Ex dictis *colliges*, in substantiâ non dari compositionem metaphysicam ex conceptu communi, & differentiali: quia omnis compositio requirit partes mutuò distinctas, quales in substantiâ concipi nequeunt cùm perfectas non sit formaliter pars, sed tota quidditas substantiæ. Quare conceptus, *substantia*, simplex est, non solùm actualiter, sed etiam virtualiter, aut fundamentaliter : quia non est resolubilis, nec explicabilis per conceptus verè duos : non enim fit dualitas, aut numerus, ex conceptibus non mutuò distinctis. Loquor de conceptibus objectivis secundùm definibilitatem denominativè acceptam à formalibus. *Colliges* insuper, conceptum entis non esse potentialem per modum subjecti expectantis formam aut actum propriè talem : non enim perfectus, aliavé differentia, comparatur ad ens, ut actus metaphysicus ad subjectum, sed solùm ut conceptus inferior ad superiorem, à quo transcenditur; eo ferè modo, quo conceptus *homo*, ad conceptum *animal*. Si tamen potentialitas significet tantùm indifferentiam, seu determinabilitatem, potentialis est conceptus entis; ipsique respondet suum determinativum, & contractivum, seu limitativum, cùm solâ distinctione & alietate non mutuâ, ut explicatum est.

115 *Objic.* 4.: prædicata generica non transcẽdunt formaliter differentias, ut in Logicâ tenet communis sententia cum Aristotele, & D. Thomâ : ergo nec ens transcendit formaliter differentias. *Prob. Consequ.*: quia in eadem militant argumenta, quibus probari solet intranscendentia generum. In hoc etiam intranscendentiâ instantur probationes à nobis adductæ pro

pro tranſcendentiâ entis. Nam rugibilitas v. g., licèt excludat non animal, & repugnet omni non animali, & non viventi, licèt perficiat animal, & ſit animal *ut quo*; non ideò eſt animal, aut vivens, formaliter, & *ut quod*: ergo pariter, licèt perfectas chimęram excludat, & repugnet omni chimęræ, licèt perficiat ens, & ſit ens *ut quo*; non ideò erit formaliter ens in recto. Ad *object.*, conceſſo *Antec.*, *neg. Conſequ.*. Ad *prob.* fatcor, in præſenti militare plura, quæ à multis pro intranſcendentiâ generum aſſeruntur. Sed hoc nihil ad nos, qui ab ijs argumentis conſultò abſtinuimus in Logicâ, ſolúmque probavimus intranſcendentiam generum ex ſuppoſitione, ab omnibus admiſſâ, quòd in homine & quavis aliâ ſpecie detur compoſitio metaphyſica, & differentia propriè talis, quę ſit prędicabile quoddam à ſpecie diverſum: quâ ſuppoſitionem omninò rejicimus in inferioribus entis ut talibus.

116 Inſtantia ſubjuncta non prodeſt Adverſarijs; apud quos termini ſunt formaliter ſynonymi *ens, aptum exiſtere, diſtinctum à ſuo contradictorio, oppoſitum nihilo & chimęræ*, ut admonet P. Peynado cit. diſp. 3. n. 14., ſimul notans, quæſtionem ęquè procedere de attributis entis, ſcilicet de ratione *veri*, *boni*, &c.. Si ergo probetur, perfectatem immediatè ac ratione ſui excludere contradictionem, ſeu chimæræ oppoſi, & eſſe bonitatem aliquam ſeu perfectionem entis (ut à nobis abundè probatum eſt); negari nequit ab Adverſarijs, quòd perfectas eſt formaliter ens, quidquid ſit de allegato rugibilitatis exemplo. Ad illud tamen dici poteſt, quòd rugibilitas excludit non animal, & ipſi repugnat, non immediatè & formaliter, quaſi contradictorium non animalis, ſed mediatè & connexivè, quatenùs connectitur cum non animalis contradictorio, quod eſt animal: quemadmodùm unio vel ubicatio humana excludit non hominem, & repugnat non hominis non quòd ipſa ſit homo; ſed quia connectitur eſſentialiter cum homine.

117 At hæc doctrina locum non habet in præſenti: nequit enim aſeitas v.g. connecti cum ente, aut eſſe neceſſitas exiſtendi, quin ſit immediatè oppoſita chimęrę: quia nihil immediatiùs chimæræ repugnat, quàm exiſtendi neceſſitas, vel connexio cum aptitudine ad exiſtendum. Sed adverte, quòd, ſi *non animal* ſumatur infinitanter, & in ſenſu formali, rugibilitas non excludit omne non animal; alioquin excluderet ſe, cùm ipſa ſit in ſenſu formali non animal, ideſt, aliquid, quod non eſt formaliter animal. Porrò, ex eo quòd rugibilitas perficiat animal, non ſequitur, ipſam eſſe animal; quia forma perficiens non debet ex terminis eſſe ſubjectum, quod perficit. Sequitur tamen, rugibilitatem eſſe perfectionem animalis; quia non perficit niſi perfectio. Pariter ergo, ſi perfectas perficit ens, debet eſſe perfectio; & ſi eſt perfectio, eſt bonitas; ſi bonitas, entitas aut ens. Unde ratione materiæ legitimè arguitur à munere perficiendi ad inclusionem formalem entis: ideòque nolunt Adverſarij, ut perfectas ſit perfectio, ſed tantùm majoritas perfectionis.

118 Ad extremum *obſervo*, quòd perfectas v.g. ab ente tranſenditur etiam penès explicitum. Hoc difficulter explicabunt, qui præciſionem objectivam ponunt inter explicitum, & implicitum. Sed in noſtris principijs ratio eſt facilis: quia *perfectas* ſub hac ipsâ expreſsione definibilis eſt per cõceptum *entis*: & hoc eſt ab ente tranſcendi penès explicitum. *Dices*: perfectas, quo ſenſu non eſt ens, non tranſenditur formaliter ab ente: ſed penès explicitum non eſt ens, ſiquidem ab ente diſtinguitur diſtinctione expliciti ab implicito: ergo. *Diſt. Maj.*: ſi ſenſus ille, quo perfectas non eſt ens, ſit aut eſſet

esse propriè in lineâ formali, *conc.*; si sit improprius, ut revera est, *neg. maj.* Tum, concessâ *min.*, *neg. Consequ.* Quia perfectatem penès explicitum nō esse ens, vel distingui ab ente, nihil est aliud, quàm expressionem *perfectus* nō esse expressionem *ens*: hoc autem non sufficit ad reddendum objecta propriè distincta in sensu formali, nisi addatur indefinibilitas unius per alterum sub iisdem expressionibus; quę in præsenti non additur ex parte perfectatis, ut cōstat ex dictis. *Observa* rursùm, alia quędam à nonnullis objici, quæ supponunt objectivam præcisionem entis à differentijs. In ijs verò negandum est suppositum: ut etiam quod ignoret *objectivè* differentias, qui præcisé concipit ens: non enim ignorat eas, nisi *formaliter*, idest, non eas cognoscit sub propriis conceptibus, sed tantùm sub conceptu communi; quo tamen vere attinguntur ex parte objecti.

## CAP. VI.

### *De Attributis Entis: ubi de principio individuationis.*

119 ATTRIBUTA entis appellantur prædicata quædam cum ente cōvertibilia, nec minùs transcendentia, quàm ipsum ens commune; quę tamen proprios conceptus habent non synonymos cum entis conceptu, sed in eo quodammodò fundatos. Notari solent barbarâ dictione *Reabeu*, quę, præter litteram E, denotantem *Ens*, continet initiales horum quinque nominum, *Res*, *Verum*, *Bonum*, *Aliquid*, *Unum*. Sunt, qui existimeat, per hæc significari totidem attributa entis. Sed communis sententia è numero attributorum expungit Rem, & Aliquid: quia *res* & *ens* consentur synonyma, dum utrumque sumitur quoad significatum abstractissimum; adeòque prędicatio hæc, *Ens est res*, accipitur ut negatoria, vel identica: similiter cum ente synonymum est *aliquid*, dum substantivè ac transcendenter sumitur: idem quippe sonat, ac *quod non est nihil*. Si tamē *aliquid* pro eodem accipias, ac *aliud aliquid*, quasi significet aliętatem seu distinctionem ab omni non ipso, erit quidem attributum entis, sed incluśum in attributo unitatis. Ex illis ergo quinque nominibus tria duntaxat, nempe *verum*, *bonum*, *unum*, significant totidem entis attributa, propter aliqualem distinctionem ab ente.

120 Sed quæres, qualis aut quanta sit hæc distinctio? Constat inter omnes, non esse distinctionem strictè realem, sed potiùs attributa ista realiter identificari cum ente. Scotistę tamen hìc introducunt suam distinctionem formalem, quæ sit actualis ante opus mentis: volunteque, attributa entis non solùm ab eo distingui mutuâ distinctione rationis, quę transcendentiam formalem utrimque impediat, verùm etiam esse realitates enti superadditas, & ab eo distinctas ex naturâ rei. Quia scilicet hæc attributa sunt proprietates aut passiones entis, utique reales, & positivæ: tales autem non essent, nisi reipsâ, & independenter a præcisione intellectùs, fluerent aut emanarent ab ente, adeòque ab eo distinguerentur ex naturâ rei ut realitates superadditæ. Sed hæc distinctio Scotica rejicitur à Thomistis, & Nostris, tum aliàs generatim, tum speciatim in præsentiarum. Quia inter ens & ejus attributa (saltem quoad rem, quidquid sit de connotato, vel obliquo) ne propria quidem aut perfecta distinctio rationis admitti potest. Eo enim ipso, quòd sint prædicata realia & positiva, per se repugnant omni chimærę, & à se penitùs excludunt contradictionem, & nihilum, adeòque in se ipsis includunt formaliter ens. Ipsa quèque formaliter includuntur in ente, quantùmvis abstracto. Nàm ens, ut præcisum ab omni prædi-

cato; à quo præscindi potest, est intelligibile, liquidem intelligitur de facto: intelligibilitas autem est veritas transcendentalis, vel saltem eam supponit, juxta omnes: ens igitur in illa præcisione veritatem includit, adeòque & reliqua attributa, cùm in omnibus eadem sit ratio.

121 Itaque ens, & attributa ejus, quatenùs intrinseca, seu realiter identificata, mutuò se se transcendunt formaliter, nec aliter distinguuntur etiam per rationem, nisi penes implicitum & explicitum cum aliquâ diversitate in connotatis; sicut dici solet de attributis Divinis, tum inter se, tum cum essentiâ comparatis. Habent autem connotata diversa: nam conceptus entis connotat existentiam quasi terminum aptitudinis; conceptus autem attributorum connotant alia, ut mox dicam. Hinc inferes, hujusmodi attributa non esse propriè & strictè *proprietates* aut *passiones entis*, nec physicas, nec metaphysicas: passio enim debet à subjecto distingui, definitique per illud, non in recto, sed in obliquo positum: hæc verò attributa definiri debent per ens in recto, & ab eo ne per rationem quidem distinguuntur, nisi impropriè. Vocantur tamen *passiones entis* in sensu lato, vel improprio, alludente scilicet ad ordinem aut modum concipiendi nostrum: prius enim regulariter concipimus, objectum esse ens, quam illi attribuamus nomen *veri*, &c.; ideoque conceptus veri explicitus, in conceptu entis quodammodò fundatur aut radicatur more passionis; estque per illum demonstrabilis quasi *à priori*, prioritate nimirùm quasi causæ formalis quoad nos, qualem habet prædicatum formaliter transcendens respectu transcensi, quando concipitur instar fundamenti respectu ejusdem. Nec est eadem ratio, ut *animal rationale* dicatur passio hominis: quia, licèt ab eo differat penes explicitum; non tamen differt penes connotata, nec supponit notiorem aliam explicationem essentiæ humanæ; ideòque se habet respectu hominis, sicut respectu entis *aptum existere*.

122 Observa tamen, quòd, si distinctio penès implicitum & explicitum non sit *impropria*, sed *imperfecta* in linea rationis, ut plures volunt, attributa entis non impropriè dicentur passiones aut proprietates entis metaphysicæ. Immò, si nomen passionis, aut proprietatis, extendatur ad extrinsecas denominationes, quæ perpetuò exigentur ab intrinseco, poterit etiam in sensu reali convenire attributis entis; ut attingam n. 125. Absolutè verò concedendum, has passiones esse *reales* quantum ad significatū primæ intentionis; quia conceptus *verum* v. g. significat aliquid reale, totam nempe realitatem entis: & in hoc sensu verè dicitur, quòd Metaphysica demonstrat de subjecto suo passiones reales. Attamen negandum, reales esse quantum ad munus proprietatis, aut passionis intrinsecæ: quia munus hoc importat distinctionem & emanationem à subjecto, quæ in præsenti non datur realiter extra animam, sed est opus rationis impropriè vel imperfectè præscindentis, ideòque non nisi per nomina secundæ intentionis significatur. *Dices*: ergo non poterit Metaphysica demonstrare passiones reales de subjecto suo; quia demonstratio tria requirit inter se distincta, nempe subjectum, medium, & passionem. *Neg. Consequ.*; quia ad demonstrandum sufficit distinctio penès implicitum & explicitum inter subjectum & passionē, sicut sufficit inter passionem & medium, v. g. cùm demonstratur, ens esse unū, quia est indivisum.

123 Quæres insuper, an præter *verum*, *bonum*, & *unum*, sint alia quasi passiones aut attributa entis in communi? Respondetur communiter, non alias esse passiones simplices: quæ

de

de re videri potest P. Suar. disp. 5. Met. s. 2. n. 11. & seq.. Alias nihilominùs passiones addunt Scotistæ, quas vocant *complexas*, aut *disjunctas*, quia significantur termino complexo cum disjunctione: hujusmodi esse dicunt *necessarium vel contingens*, *idem vel diversum*, &c.; quia quodlibet ex his complexis convertitur cum ente; valet enim, *est ens*, *ergo necessarium vel contingens*, & è converso. Verùm hoc est confundere divisiones cum passionibus: eodem quippe jure dici poterit, quòd *rationale vel irrationale* est passio animalis, *sensibile vel insensibile* passio viventis, & sic de alijs; cum in omni adæquatâ divisione detur convertentia inter divisum & omnia membra disjunctim accepta. Nec obstat, quòd apud Aristotelem *par & impar* dicatur passio numeri, ut etiam *rectum*, & *curvum* passio lineæ: hinc enim solùm sequitur, nomen passionis interdùm usurpari pro quocunque convertibili, sed in sensu nimis lato & improprio. His igitur passionibus omissis, tria tantùm attributa entis prædicta nunc breviter explicabimus.

*De Veritate transcendentali.*

124 Veritas alia est *formalis*, quæ consistit in conformitate actûs intellectûs cum objecto, sive in eo quòd cognitio repræsentet & enuntiet objectum, sicuti est. De hac egimus in Logicâ tract. 5. d. 2.. Alia est *transcendentalis*, sic appellata, quia omni enti convenit, & ipsi quòque cognitioni falsæ, seu destitutæ veritate formali: unde dicitur passio vel attributum entis in communi. Hanc aliqui explicant per discretionem vel segregationé entis realis ab omni ente ficto, vel purè apparenti: sic enim dicitur verum aurum, quod non est fucatum, verus homo, qui non est pictus, verus amicus, qui non est simulatus, verus Deus, qui discernitur a Dijs commentitijs, aut metaphoricè talibus. Hæc acceptio confecta quidem est, & vulgaris; sed non explicat proprietatem aliquam entis, saltem ab unitate condistinctam. Si enim idem sonat, ens esse verum, ac esse ens vere tale, non fictè, nec purè apparenter; verum nihil addet, etiam de connotato, supra ens reale, de quo nunc loquimur: nam *ens reale*, & *ens verè tale*, synonyma sunt, sicut *esse*, & *gaudium*. Si dicas, addere negationem fictionis, aut imitationis fallacis: in primis ea negatio satis videtur exprimi per tò *reale*: ac deinde, siquid speciale sonat, revocanda est ad attributum unitatis, de quo posteà. Similiter impugnandi sunt alij, qui veritatem explicant per conformitatem rei ad sua principia intrinseca: & nomine principiorum intelligunt prædicata essentialia, vel solidam naturam uniuscujusque. Quæ profectò explicatio nihil explicat: in ea namque perinde sonat, *ens est verum*, ac *ens habet essentiam seu naturam entis*.

125 Communis ergo sententia veritatem transcendentalem explicat per conformitatem entis cum intellectu cognoscente vel potente cognoscere ipsum ens reale, sicuti est. Quare, ut veritas formalis explicatur per conformitatem actûs cum objecto, sic transcendentalis per conformitatem objecti realis cum actu intellectûs enuntiantis, ipsum esse quod est: hoc tamen discrimine (ut vitetur circulus), quòd formalis consistit in conformitate actuali cognitionis, cui proinde est partim extrinseca, cùm constituatur ex actu & objecto; transcendentalis verò sita est in conformitate objecti aptitudinali, hoc est, in aptitudine objecto intrinsecâ terminandi & verificandi cognitionem, quâ realitas ejus enuntietur: unde pro eodem accipi solent transcendentalis veritas, & intelligibilitas entis realis. Sed notandum, quòd tam *intelligibile*, quàm

*verum*, potest accipi ut denominatio derivata in objectum ab intellectu vel cognitione possibilitaque ita pro formali non est passio vel attributum intrinsecum entis, cum sit denominatio extrinseca; licet essentialiter exacta: nisi forte quis velit *passionem*, aut *proprietatem* appellare quidquid necessariò sequitur essentiam subjecti, & illam perpetuò comitatur, tametsi non sit penitùs intrinsecum: sic enim passio entis erit illa denominatio, immò & actualis conformitas objecti cum cognitione Divinâ, seu denominatio *cogniti* per ipsam; cùm omne ens essentialiter connectatur cum Divinâ scientiâ, ut existente. Atque hoc sensu loqui putandi sunt Authores, cùm interdùm ajant, passiones aut attributa *veri*, & *boni*, aliquid rationis addere suprà ens: solent enim denominationes extrinsecæ vocari entia rationis, nempe fundamentaliter, aut occasionaliter, relatu ad nostrum concipiendi modum.

126 Cæterùm accipiendo passiones entis ut penitùs intrinsecas, sola intelligibilitas fundamentalis, aut aptitudinalis, est veritas, de quâ loquimur. Illa verò, licèt exigat intellectionem sui esse possibilem, non cõstituitur per eam, sed tantùm connotat quasi terminum exigétiæ, dum cognoscitur sub proprio concepta *veritas* quemadmodùm Omnipotentia sub cõcepta proprio connotat creaturas possibiles. Sed quæres, an transcendentalis veritas conformitatem dicat ad omnem intellectum possibilem? an ad solum Divinum? Sunt qui velint, ut ea veritas solùm importet conformitatem objecti cum Divinis ideis: quod quidé sustineri potest in veritate restrictâ ad ens creatum: secùs tamen in veritate propriè entis ut sic, prout comprehendit etiam increatum: non enim Deus habet ideam sui, cùm idea sit exemplar operis faciendi. Alij præferunt conformitatem cum cognitione Divinâ, prescindendo à ratione ideæ. Communior opinio mavult conformitatẽ cum cognitione tam creatâ, quàm increatâ. In quâ opinione consequenter dicendum est, quodlibet ens immediatè connecti essentialiter, non solùm cum Divino intellectu, sed etiam cum non repugnantiâ omnis intellectus creati, cujus cognitionem terminare ac verificare potest; adeò ut, si repugnaret intellectus creatus, nullum ens esset verum, nec ens; deficeretque proinde possibilitas omnis entis, non formaliter, seu per locum intrinsecum, ut ajunt, sed argutivè, seu per locum extrinsecum; quo sensu deficeret Omnipotentia, si creatura per impossibile repugnaret, ut in Physicâ explicatum est.

127 Sed *objicies*: si omne ens connectitur cum intellectu creato ut possibili, dabitur etiam in rebus omnibus falsitas transcendentalis; quia omne ens erit essentialiter aptum terminare ac falsificare cognitionem, quâ dicatur esse quod non est, aut non esse quod est; cùm hujusmodi cognitionis sit capax intellectus creatus circa ens quodlibet. *Resp.* Non evitatur hæc objectio negatâ connexione illâ, nisi negetur etiam connexio Dei cum possibilibus: si enim Deus connectitur cum possibilitate cognitionis creatæ negantis, Deum esse, erit essentialiter aptus eam reddere falsam; ac proinde transcendentalem falsitatem habebit, si valet objectio. Itaque *neg. sequel.*: quia talis apt todo non est falsitas, sed est ipsa transcendentalis veritas, vel in eâ includitur: per eamdem enim objecti aptitudinẽ, per quam verificatur cognitio dicens, ens esse quod est, falsificatur cognitio id negans, aut oppositum dicens. Falsitas ergo debet accipi ut opposita veritati, sive ut ejus exclusio; atque ideòque sumenda est per ordinem ad illam eamdem cognitionem, quam

quam veritas connotat : quo sensu solum non ens, aut ens chimæricum, est transcendentaliter falsum, idest, transcendentalis veritatis expers. *Dices*: etiam ens chimæricum potest verificare cognitionem dicentem, ipsum esse quod est, hanc v. g., *chimæra est impossibilis*. *Resp.*. De objecto & verificativo cognitionis istius, & similium, dicemus disp. ult.. Interim dici potest, quòd transcendentalis veritas non definitur per ordinem ad cognitionè, quæ de quolibet objecto dicat, esse quod est, sed quæ hoc dicat de ente, seu de objecto reali : & in aptitudine propriâ entis, ut talem sui cognitionem verificet ( quamvis non attingatur explicitè aptitudo ipsa ), hæc veritas, qua de loquimur.

*De Bonitate transcendentali.*

128 De bonitate seu bono in communi, & ejus speciebus, nonnihil diximus in Animast. disp. 7. cap. 3.. Plura videri poterunt apud Exim. Doctorem disp. 10. Met.. *Bonum* satis frequenter idem sonat, ac *perfectum*, & *bonitas* idem, ac *perfectio*. Sed *perfectum* potest bifariàm accipi : 1. pro integro & consummato in omni perfectione sibi debitâ, etiam integrali, vel accidentali ; & hoc sensu non est transcendens : 2. pro habente integritatem essentialem, seu cui nihil deest, ut realem essentiam habeat; & hoc sensu transcendens est, & cum ente reali convertitur. Sic tamen non concipitur ut proprietas entis, sed ut ipsamet entis quidditas. Bonum igitur, ut aliquid supra ens addat ex modo concipiendi, debet concipi sub ratione *convenientis* alicui. Sed sub hac etiam ratione potest bifariàm concipi : 1. ut convenieus sibi, idest, ut sibi commodum, vel ut secum ipso benè concordans & cohærens ; sub qua ratione dicitur *bonum absolutum* ; 2. ut convenicas alteri, idest, ut commodum aut decens, aut aliquo titulo consentaneum, respectu alterius ; & sub hac ratione vocatur *bonum respectivum*. Priori modo citra dubium cum ente convertitur, & repugnat chimæræ : quia omnis essentia realis secum cohæret, & benè sibi constat ; cùm omnis chimæra, utpotè contradictionem involvens, incohærentiam habeat essentialem. Hoc tamen sensu videtur etiam bonitas concipi ut quidditas entis potius, quàm ut proprietas, vel quasi proprietas ejus.

129 Posteriori modo reciprocatur etiam bonum cum ente, ut inductione probat Exim. Doctor disp. cit. sect. 3. : quia nullum est ens, quod respectu alicujus alterius non sit commodum, aut decens, aut consentaneum, aut aliquo titulo ad ipsum pertinens : & saltem respectu voluntatis, Divinæ, vel creatæ, in omni ente invenitur convenientia respectiva ; non quidem solius commoditatis, quæ fundat amorem concupiscentiæ ; sed alicujus decentiæ, vel consentaneitatis ratione similitudinis, &c., quam convenientiam supponit etiam ille amor, qui benevolentia dicitur, vel quo amatur objectum quia in se bonum, ex dictis in Animast. disp. 7. n. 61. & seqq.. Atque hoc sensu bonum dici potest proprietas entis ; quia sub proprio conceptu superaddit enti respectum seu relationem (scilicet transcendentalem, aut secundùm *dici*) convenientiæ ad appetitum rationalem, cujus possibilitatem essentialiter connotat. Hinc passim pro eodem accipitur *bonum*, & *appetibile*, seu *amabile*; quæ nomina explicari debent juxta dicta in simili n. 125. & 126.. Duo hic observa. 1., quòd non omnis convenientia respectu voluntatis, vel qualiscunque appetibilitas, est bonitas transcendentalis, sed illa tantùm, quæ in essentiâ reali fundatur. 2., quòd malum transcendens, idest, oppositum bono transcendenti,

&

& exclusivum ejus, solùm invenitur in non entibus, aut chimæris: unde, si detur malitia moralis in positivo consistens (quod sub lite est), illa solùm excludet bonum honestum, non verò bonum transcendenter sumptum, cùm sit aliquod ens appetibile à voluntate creatâ titulo delectabilis.

*De Unitate transcendentali.*

130 Unitas dici solet prima passio entis: sed quia non facilè primatus ille probabitur, seclusâ distinctione & emanatione proprietali, parum refert, an ante, vel post veritatem explicetur. Unitas opponitur multitudini: & utraque potest esse vel quantitativa, vel transcendentalis. Quantitativa unitas, aut multitudo, est, quæ physicæ quantitatis indivisionem, aut divisionem importat; & *prædicamentalis* etiam appellatur, quia determinatè pertinet ad prædicamentum quantitatis. Transcendentalis verò est, quæ in omni entium genere inveniri potest titulo indivisionis, aut divisionis. Eadem duplex acceptio convenit numero, qui supra multitudinem solùm addit actum animæ recensentis ordine plures unitates; ac proinde alius est numerus quantitativus, aut sensibilis, qui nempe resultat ex divisione continui, dicunturque species quantitatis; alius verò transcendens, seu locum habens in entibus etiam spiritualibus, ut cùm dicimus *tres* Angelos, *tres* animas rationales, &c., Vid. D. Thom. q. 9. de pot. ar. 5. ad 8..

131 Unitas ergo ex communi apprehensione, & ex Arist. ac D. Thomâ 5. Metaph. t. 11., & sæpe alibi, indivisionem significat, sicut multitudo divisionem; nec aliud sonat *unum*, quàm *aliquid indivisum*, sicut non aliud *plura*, seu *multa*, quam *entia inter se divisa*. Sic autem reciprocatur unum cum ente: nam quod est aliquid indivisum, est ens; & quod est divisibile, non est ens, sed entia. Nec obstat, quòd Aristoteles posuerit quasi species entis, unum, & multa. Nam vel fecit partitionem analogam in unum per se, & unum per accidens, aut improprium, qualiter etiam multitudo dicitur una, v. g. unus acervus lapidum: vel partitus est ens in unum simplex, & unum compositum, quod significavit nomine *multa*, quia plures includit partes inter se distinctas, licèt non divisas: utrumque tamen est propriè unum, quia utrumque importat indivisionem actualem, quæ sufficit ad proprium conceptum unitatis; quàmvis negari non debeat, quòd unitas simplicitatis, qualis est in naturâ Angelicâ v. g., perfectior sit, quàm unitas compositionis, quæ datur v. g. in naturâ humanâ.

132 Porrò unitas dicitur passio entis, quia, licèt entitatem includat, negationem divisionis superaddit: quæ tamen negatio solùm est talis nomine tenùs, quia scilicet explicatur negativo termino, *indivisio*: nam, cùm divisio sit negatio, indivisio reipsâ erit quid positivum; non enim videtur ex parte objecti dari posse negatio negationis, nisi in positivo consistens. Sic immortalitas, aut incorruptibilitas, licèt termino negativo explicetur, quia tamen ex parte objecti est negatio vel exclusio mortis, aut corruptionis, in negatione consistentis, reipsa est positiva perfectio. Additio ergo unitatis supra ens, intelligi debet quoad explicitum rationem connotati diversi, quatenùs unitas sub proprio concepto connotat divisionem ut terminum exclusum, sive ut terminum oppositionis, sicut immortalitas connotat mortem ut terminum repugnantiæ. Hæc explicatio multis placet, videtur que planior, & facilior, quàm quæ traditur à P. Suar. cum alijs pluribus, indivisionem statuendo in negatione objectivâ multitudinis acceptæ secundùm positivum.

Sed

133 Sed quæres, quam divisionem excludat unitas transcendentalis? *Resp.* Excludit divisionem entis in se ipso; ideòque unum communiter definitur *indivisum in se*: addi solet, & *divisum* seu *distinctum à quolibet alio*; quæ tamen additio necessaria non creditur ad unitatem definiendam; quia divisio, seu distinctio, quam exprimit, in illa indivisione fundatur, velut sequela ipsius. Unitas igitur est indivisio entis in se; quæ indivisio potest adhuc accipi bifariam: 1., ut excludens divisionem entis in plura se, sive in plura talia, quale ipsum est: 2, ut excludens divisionem entis in partes sui constitutivas. Priori sensu potiùs est indivisio à se, quàm in se, melùs que vocabitur identitas, quàm unitas: &, utcumque vocetur, non sufficit ad conceptum unius propriè talis; nam etiam acervus tritici est indivisus in plura se, cùm tamen non sit propriè unum; quamquàm negari nequit, quòd talis indivisio in unitatis conceptu includitur. Sumenda est ergo potissimè indivisio in se posteriori sensu: sic enim convenit omni & soli enti propriè uni, etiam realiter simplici, vel indivisibili, cùm hoc maximè excludat à se divisionem partium, siquidem partibus non constat.

134 Ut hucusque dicta melius intelligas, observa sequentia. 1.: unum & multitudo non opponuntur ut ens & chimæra, sed ut ens & entia: nec unitas excludit à rerū naturā multitudinem quamlibet, cùm potiùs omnis multitudo ex unitatibus constituatur; sed excludit solùm multitudinem in ipso ente uno, vel intra ipsum, quæ scilicet resultare concipiatur ex divisione partium ejus, aut etiam ex divisione ipsius in plura se. 2.: ad multitudinem unitati transcendentali oppositā non sufficit distinctio partium; alioquin homo non esset unus, nec ulli composito conveniret unitas. Solent quidem partes actu distinctæ vocari *plures*, etiam cùm sunt actu indivisæ: hæc tamen pluralitas, quæ in solā distinctione fundatur, non est multitudo, qua de loquimur; quia non pugnat cum unitate ut sic (licèt pugnet cum unitate simplicitatis), siquidem cohærere potest cū indivisione actuali. Quæ igitur unitati ut transcendenti opponitur, est multitudo resultans ex divisis, non verò resultans duntaxat ex distinctis; quàmvis utraque vocari soleat multitudo transcendentalis, quatenús nó limitatur ad prædicamentum quantitatis, sed in quovis entium genere dari potest.

135 3: divisio, quam excludit unitas propriè dicta, non est mera negatio seu carentia unionis physicæ, vel simplicitatis, sed importat insuper carentiam proportionis partium (siquæ sint) ut uniantur *per se*, ideòst, non *per accidens*: si enim carentia ista non excludatur, tametsi detur indivisio sumpta pro conjunctione intimā, etiam indissolubili, vel pro physicā unione partium, non dabitur in composito unitas transcendentalis; quippe quæ, juxta commune placitum, solùm est propria entis, quod est unum per se; nec extenditur ad unum per accidens, quia hoc potiùs est plura, quàm unum. Id quod facilè percipitur in uno per aggregationem, quod maximè dicitur unum per accidens, v. g. in acervo tritici: si tamen sermo sit de uno per accidens, quod ex subjecto & accidenti physicè unito resultat, hoc parùm abest ab unitate propriè dictā. Quæ autem proportio requiratur in partibus ad constituendum unum per se, diximus tract. 1. Physic. d. 2. c. 4. n. 13. Ex hac 3. observatione colliges, quòd unitas hominis, & cujusvis compositi per se unus, non consistit in solā unione physicā, sed in eā simul cum certā proportione partium intrinsecā & entitativā; ac proinde totam compositi

fes entitatem reipsâ importat.

*De principio individuationis.*

136 Unitas transcendentalis dividi solet in formalem, & individualem. Formalis, ut nunc sumitur, non est mera unitas rationis, sed est realis unitas, quatenùs importat distinctionem rei ab omni aliâ diversę speciei, vel generis; soletque vocari etiam essentialis, quia comitatur essentiam in statu abstractionis, quando mente præscinditur à singularitate. Individualis verò, est realis unitas, quatenùs distinctionem importat ab omni aliâ re singulari, tam simili, quàm diversâ; vel quatenus rem constituit incapacem divisionis aut multiplicationis in plura ejusdem nominis & essentiæ cum tali re: in hoc enim res individua differt à communi & universali. Sint igitur unitates istæ reales, licet non realiter, sed solâ ratione inter se distinguantur, ut in Logicâ dictum est. Individualis unitas vocatur etiam *singularis*, & *numerica*, quia constituit *singulare*, & *unum numero*; quę duo nomina idem sonant, esse Aristot. 5. Metaph. t. 14., & D. Thomâ Opusc. 16. contra Averr. c. 4.; ubi monet, non dici aliquid unum numero, quia sit unum de numero, sed quia in numerando non dividitur; & propterea quamlibet substantiam separatam, qualis est Angelus, esse unum numero. Idcircò formalitas illa, quę ultimò constituit individuum in esse talis, vocatur indiscriminatim *individuatio*, *singularitas*, *differentia numerica*, atque etiam *hæcceitas*, quia per illam res est *hæc*. Aliud tamen est distingui *numero*, aliud *solo numero*, vel *puræ numericè*; hoc enim solùm dicitur de contentis sub eâdem specie atomâ.

137 Jam, dum quæritur principium individuationis, non est sermo de principio causali extrinseco, videlicet de causâ efficiente, finali, &c.; nemo quippe dubitat, quin individuatio causetur ab iis principiis, à quibus oritur aut à priori pendet individui productio, cùm hæc terminari debeat ad singulare. Sermo est igitur de principio intrinseco seu formali, pertinente scilicet ad intrinsecam & ultimam individui constitutionem, vel ex parte rei fundante formalitatem illam, quæ *individuatio* dicitur, & quę à nobis ratione distinguitur ab essentiâ seu naturâ specificâ in rebus creatis. Quo sensu potest una individuatio cóparari cum aliis, tum extra, tum intra speciem sumitur si de individuatione Petri quæratur, cur sit potiùs hæcceitas humana, quàm equina? & rursùs, cur sit Petreitas potius, quàm Pauleitas, aut alia solo numero distincta intra speciem hominis? Sub priore comparatione radix illius proculdubiò est natura specifica. Quare solùm sub comparatione posteriore superest dubium.

138 In quo dubio Thomistę *dicunt* 1., in substantijs spiritualib., nullum habentibus ordinem ad materiam, nempe in Angelis, principium individuationis esse immaterialitatem specificam, quæ reddit impossibiles intra eamdem speciem omnes hæcceitates præter unam, adeoque postulat & radicat ex conceptu specifico individuationem unicam, quam habet: putant enim Thomistæ, etiam divinitus repugnare plures Angelos ejusdē speciei, eo quòd materia sit unica radix multiplicationis purè numericæ. Hinc *dicunt* 2., in materialibus substantijs principium individuationis esse materiam; quia tales substantiæ, cùm ex cōceptu specifico indifferentes sint ad plura individua, per materiam determinari debent ad unum præ alio. *Dicunt* 3., substantiales formas, inclusâ etiam animâ rationali, per materiam individuari, vel per ordinem ad materiam, ob eamdem rationem. Denique his assertis objicitur, quòd materia cōceptum etiam habet communem, subque

que indiget individuatione: item, quòd eadem materia individua potest successivè constituere duos homines, & successivè recipere formas ejusdem speciei, præsertim animas rationales: Respondent Thomistę, se loqui de materiâ individuâ, & signatâ; negantque fieri posse, ut eadem signata materia possit constituere duos homines, aut duas recipere formas ejusdem speciei. Quid autem sit *materia signata*, non omnes uno modo explicant. Alij volunt esse materiam ut quantitate affectam: alij, materiam ut receptivam quantitatis: alij, ut radicativam ejusdem: alij, ut figillatam per accidentia compositi corrupti, vel etiam ut substantem actioni agentis ad novam formam: alij quantitatem intelligunt nudam, alij certis vestitam qualitatibus, aut circumstantijs, loci etiam, & temporis: & alij aliter loquuntur. Denique *dicunt* 4., accidentia omnia individuari per subjectum; ideòque repugnare omninò, quòd accidentia duo, purè numericè distincta, respiciant idem subjectum, vel in eodem recipiantur.

139 Verùm tota hæc doctrina vehementer displicet Scotistis, & Nostris; fusè que, ac solidè impugnatur ab Exim. Doctore disp. 5. Met. Nunc breviter impugnari possunt quatuor ista Thomistarum asserta. Impugnatur *primum*: quia in Gabriele Angelo v. g. nullum est prædicatum, quo repugnet coexistere alijs ejusdem speciei; sicut nullum est, quo excludat coexistentiam cum alijs ejusdem generis proximi. Recursus ad immaterialitatem, est petitio principij. Cur enim Angelica immaterialitas non admittat multiplicationem purè numericam, sicut admittit specificam? Cur non utroque titulo differat ab immaterialitate Divinâ? Cur Omnipotentia Dei, productâ unâ perfectione finitâ & limitatâ, sic exhauriatur, ut nequeat aliam omninò similem producere? Adde, quòd juxta Thomistas omne accidens, quamcumvis immateriale, multiplicari potest intra eamdem speciem: idem ergo de omni substantiâ creatâ existimandum: nam, sicut omne accidens limitatur à receptibilitate in subjecto, etiam spirituali, quod analogicè materia vocatur à Thomistis; ita omnis creata substantia limitari poterit à receptivitate seu potentiâ recipiendi accidentia, vel certè à quidditate ipsâ creaturæ.

140 Quapropter gratis dicitur, materiam esse radicem unicam multiplicationis purè numericę; nisi nomine *materiæ* intelligatur potentialitas & perfectibilitas ab alio, quæ vocari solet *materia metaphysica*, vel *analogica*: quę quidem materia transcendit creaturas omnes, quia nulla est actus purus, adeòque nulla non aliquomodò potentialis, & perfectibilis ab alio, vel tamquàm à formâ, vel tamquàm à subjecto, & saltem omnes possunt ad nutum Dei suum esse accipere, & amittere. Atque hoc sensu intelligi potest Aristoteles 12. Metaph. t. 49., dum ait, quòd *quæcunque sunt numero multa, materiam habent*; & inde infert, primum Movens non posse esse nisi unum numero, quia materię est expers. Dum autem ait 5. Met. t. 12., *ea esse unum numero, quorum materia est una*, nomine *materiæ* intelligit individuationem, aut individuum, ut benè advertit Scotus: quia enim individuum in ordine prędicamentali est prima basis, primumque subjectum de nullo alio prædicabile, sicut materia in ordine physico primum subjectum est in nullo alio receptibile; idcirco Aristoteles interdùm individuationem, & hanc analogiâ vocat materiam, sicut ex analogiâ oppositâ quidditatem rei abstractam appellat formam. Sic v. g. l. 1. de Cœl. t. 92. monet, aliud esse *hoc Cœlum*, aliud *Cœlum simpliciter*, idest, quidditativè conceptum; *Atque hoc est*,

inquit, *ut species & forma; illud ut cum materiâ mistum*: ubi non loquitur de materiâ & formâ physicis; nam ex his constituitur Coelũ tam in specie, quàm in individuo. Similiter interpretandi sunt alij textus Philosophi, quorum aliqui referri quòque poterunt ad individuationem sensibilem, seu quoad nos.

141 Impugnatur *secundum*: quia tam materia, quàm forma, ex conceptu suo indifferens est ad plura individua, ideòque utraque includitur in conceptu hominis ut sic: quare igitur altera præ alterâ erit principium individuationis determinatæ? Certè in Petro, si materia est hæc, etiam forma est hæc: ergo ratione utriusque Petrus erit hic homo. Atque ita expressè docet D. Thomas 1. p. q. 29. ar. 4. dicens, *has carnes, & hæc ossa, & hanc animam*, esse *principia individuantia hominem*. Si dicas, formam esse hanc ratione materiæ: quæro, unde materia est hæc? Si ratione sui, cur non & forma? Sanè titulus primi subjecti nihil refert; cùm etiam materia ut sic, sive ut pertinens ad essentiam hominis in communi, sit primum subjectum, nec tamen sit hæc. Si recurras ad quãtitatem, quâ materia reddatur *signata*: inprimis quantitas juxta Thomistas in toto composito recipitur, nec minùs formam, quàm materiam afficit: ergo utramque immediatè *signatam* reddet; idemque dicendum de quovis accidenti. Deinde quantitas ipsa unde est hæc? Si recurras ad situm, de hoc eadem quæstio erit. Si quantitas individuatur per seipsam, undenàm illi hoc privilegium præ materiâ & formâ substantiali?

142 Præterea nec quantitas, nec aliud accidens, potest esse principium intrinsecum & constitutivum individui substantialis. Tum quia *substantia individuatur per se ipsam*, juxta D. Thomam 1. p. q. 29. ar. 1. 2 & 3, ut ipsemet ait q. 10. de pot. ar. 3. loquens de constitutione *personæ*, quod individuæ substantiæ nomen est, *Substantia per accidens consistens non potest*. Tum quia individuum est unum per se, juxta omnes; & prædicamentum substantiæ unum est, seu cum cæteris impermistum, à primâ substantiâ, ideſt, individuâ, usque ad supremum genus. Tum quia sequeretur alioqui, non eandem esse materiam geniti, & corrupti, siquidem in omni generatione mutatur quãtitas juxta Thomistas. Si propterea dicas, materiam intrinsecè individuari per ordinem ad quantitatem, qui ordo eũ materiâ identificatur: contrà est, quòd ordo ille in omnibus materijs invenitur, & quidem ad quantitatem eandem; quælibet enim materia receptiva est quantitatis cujuslibet, maximè apud Thomistas, qui quantitatem cum formâ variari docent: non ergo materia ex eo præcisè ordine redditur hæc potius, quàm illa.

143 Impugnatur *tertium*: quia rationalis anima inprimis non individuatur intrinsecè per materiam; aliquin animæ separatæ non essent singulares, nec plures numero. Deinde nec per ordinem ad materiam; quia communis est animabus omnibus ordo ad materiam quamlibet, ut ex nutritione patet; nam decursu vitæ materiam præhabitam amittit anima quævis, & novam informat alimento multiplicis; potest que etiam alterius animæ materiam informare, et apud barbaros, qui humanâ carne vescuntur, accidit. Nec prodest recursus ad materiam primigeniam: tum quia hæc etiam decursu vitæ amittitur, & cum aliâ commutatur, juxta D. Thomam: tum quia *ab eadem est, vel falsem nullâ ratione fuadetur*, quòd non possit Deus in eandem materiam primigeniam, loco animæ A., infundere animam B., vel eandem solo numero distinctam. Hæc impugnatio militat etiam in formis materialibus: quam-

quàmvis enim materialis forma nequeat naturaliter separari à materiâ, cui semel unitur (excipe animam brutì perfecti, quæ si est indivisibilis, ut Thomistæ volunt, paulatim materiam mutat, sicut anima hominis); attamen potuit eadem primò uniri materiæ alteri, & in materiâ ejus potuit alia forma numero distincta recipi.

144 Impugnatur denique *quartum* assertum. 1.: quia in eâdem materiâ & quantitate aëris successivè recipitur lux multiplex à Sole producta cum solâ distinctione numericâ; pariterque in ijsdem oculis multiplex visio ejusdem objecti, v. g. cùm quis per intervalla Solem aspicit; non enim reproducitur semel corrupta lux, aut visio, ut Thomistis in confesso est: ergo nec subjectum, nec ordo ad subjectum, singularizat aut distinguit numero accidentia; cùm hæc non possint numericè distingui per id, in quo conveniunt. Si recurras ad subjectum ut connotans distinctas actiones aut productiones talium accidentium: de actionibus ipsis quæram, unde hauriant distinctionem numericam; siquidem subjectum earum idem est in exemplis adductis, & in alijs facilè cuique parabilibus. Diversitas autem instantis aut temporis nihil juvat: tum quia est circumstantia nimis extrinseca: tum quia nec lux, nec actio alligatur ex se tali tempori, vel momento; alioquin, eo transacto, non posset etiam divinitùs conservari: tum quia de tempore ipso, quatenùs importat motum realem, quæram pariter, unde reddatur individuum.

145 2.: quia possunt etiam recipi simul in eodem subjecto nonulla accidentia purè numericè distincta, v. g. plures species intellectuales, quarum singulæ singulos homines aut asinos repræsentent. Dicunt Thomistæ, posse quidem simul existere species hujusmodi, at non in actu completo, sed in actu incompleto, ideſt, non in actu operandi, vel in actu primo proximo ad operandum, sed tantùm in actu primo remoto. Sed nihil proficiunt: quia species illæ, in eâdem memoriâ servatæ, etiamsi non operentur, nec excitentur, verè existunt in rerum naturâ, & physicè informant subjectum: verè igitur sunt individuæ; nihil enim, nisi singulare, realiter existit, aut physicè informat: sunt etiam in illo actu incompleto, seu remoto, verè inter se distinctæ, & non nisi numericè, cùm nullo ex capite differant specificè. Habent igitur individuationem & distinctionem numericam non hauſtam à subjecto, utpotè omnibus communi. 3.: quia saltem quantitas non individuatur per subjectum, nisi jocularì circulo velis, materiam individuari per quàtitatem, & hanc per materiam: idem ergo dicendum de qualitatibus; quæ certè non magis indigent subjecto, nec magis ad illud ordinantur.

146 Fundamenta doctrinæ Thomisticæ vix ulla sunt, præter authoritatem Aristotelis, & D. Thomæ. Sed, quid sibi velit Aristoteles, dictum est suprà. D. Thomas, quoties ait, individuationem, & distinctionem purè numericam sumi à materiâ quantâ, vel signatâ, non immeritò exponitur de individuatione ac distinctione sensibili, seu quoad nos, ut sensu discernentes ac numerantes individua similia. Constat hæc expositio ex eod. Angel. Doctore Opusc. 32. de naturâ mater. & dimens. intermin. c. 3., cujus verba satis perspicua refert P. Suar. cit. disp. 5. s. 3. n. 33., & alia consona videri possunt in Opusc. 29. de princip. individuation.. Fatemur autem, individuationem, aut distinctionem individuorum similium, prout nobis sensibilem, provenire à materiâ quantâ, & quidem signatâ per qualitates, immò & per circumstantias temporis, loci, & alias, quas exprimunt versus

illi, *Forma, figura, locus*, &c.; de quibus in Logicâ. Individuatio sic accepta vocari potest *externa*, & *physica*, ideſt, physico more cognoſcibilis, quia Physica ſcientia non abſtrahit à materiâ ſenſibili; accepta verò ut in præſenti controverſiâ, vocari debet *interna*, & *entitativa*. Hinc D. Thomas 1. p. q. 3. ar. 3. & q. 9. de pot. ar. 1. & ſæpe alias planè docet, individuum ſubſtantiæ includere accidentia, ſeu ex iis conſtitui in eſſe individui; cùm tamen alibi generatim aſſerat, ſubſtantiam individuari per ſe ipſam, nec poſſe conſtitui per accidentia; ut vidimus n. 142. quæ duo aſſerta non aliter conciliari poſſe videntur, niſi ut primum loquatur de individuatione externâ & ſenſibili, ſecundum de interna & entitativa, de qua nunc loquimur.

147 Quædam nihilominùs à ratione objiciunt Adverſarij. 1. quòd unitas ac diſtinctio numerica vocatur *materialis*, & ſpecifica *formalis*: ergo illa ſumenda eſt à materiâ, hæc à formâ. 2. quòd individui propria eſt incommunicabilitas, & hæc in rebus corporeis provenire nequit niſi à materiâ, quæ ſola eſt irreceptibilis titulo primi ſubjecti. 3. quòd Gabriel Angelus v. g. non habet unde limitato modo participet naturam ſpecificam, quia omnis limitatio provenit à materiâ, vel ſubjecto: illam ergo illimitatè continet, ideſt, tam extenſivè, quàm intenſivè, ita ut non ſinat eam extendi ad alia individua. 4. quòd experientiâ conſtat, non poſſe in eodem ſubjecto recipi ſimul plures formas ejuſdem ſpeciei, ſubſtantiales, aut accidentales; ideòque ſimile non agit in ſimile. Hæc tamen debilia ſunt. *Ad* 1. unitas & diſtinctio numerica vocatur *materialis*; num quia de materiali ſe habet in conſideratione Scientiarum, quæ de univerſalibus agunt; tum quia conſtituit individuum, quod *ex* n. 140. quamdam analogiam habet cum materiâ phyſicâ. Falſum dicitur, quòd genus à materiâ ſumatur, differentia verò à formâ: nec tamen genus deficit in Angelis, ubi non eſt materia prima. Quære à Thomiſtis, quomodò ſumi poſſit ab eodem principio convenientia generica, & diſtinctio numerica?

148 *Ad* 2.: individuum ſolùm eſt incommunicabile tanquam ſuperius inferiori, ſeu tanquam prædicabile de multis: in hoc enim differt ab univerſali: poſſe autem communicari alteri per unionem phyſicam, non eſt contra rationem individui; ſic enim ſingularis materia communicatur formæ, ſingularis anima corpori, ſingularis quantitas materiæ, ſingularis humanitas Verbo Divino. Nec irreceptibilitas primi ſubjecti phyſici propria eſt individui qua talis: nam materia in communi non eſt individua; cùm tamen conceptum habeat primi ſubjecti, quæ eſt ejus eſſentia. *Ad* 3.: Gabriel Angelus ſatis limitatur à ſuâ potentialitate ac finitudine creaturæ propriâ, nè totam contineat ſuæ ſpeciei extenſionem poſſibilem, ſeu ne repugnet coexiſtentiæ cum alijs ſpecie ſimilibus: falſumque eſt, quòd omnis limitatio à materiâ proveniat, niſi de materiâ analogicè ſe ſermo. *Dices*: natura Angelica eſt forma, vel actus in noliâ potentiâ receptibilis: ergo non habet unde limitetur: nam *Unumquodque limitatur per ſuum oppoſitum*, ut ajunt, & oppoſitum actûs eſt potentia. Verùm hoc abſurdè probat, naturam Angelicam eſſe actum purum inſtar Divinæ, ſiquidem limitativo caret. Sicut ergò juxta omnes per ſuam potentialitatem limitatur, ne ſit actus purus: ita & juxta nos, ne ſit eſſentialiter unica, ſeu numericè immultiplicabilis.

149 *Ad* 4.: incompoſſibilitas formarum ſubſtantialium in eodem ſubjecto non oritur ex individuatione vel diſtinctione pure numericâ; nam æque multiplicantur in formis ſpecie diverſis.

Unde

Unde autem oriatur, vide in Physic. tr. 1. d. 5. c. 4. De accidentibus fateor, non quælibet specie similia posse naturaliter recipi simul in eodem subjecto: possunt tamen recipi successivè, saltem interpositâ privatione, vel accidenti alio diverso; ut patet exemplo lucis, vel etiam aquæ, dum ex frigidâ fit calida, & iterum frigescit novo utique frigore. Atque hoc sufficit ad probandum, accidentia non individuari per subjectum; alioqui distinguerentur numero sine distinctione principij individuantis. Possunt item aliqua solo numero distincta naturaliter inhærere simul eidem subjecto, ut patet exemplo specierum intentionalium. Cur autem non omnia, ratio petenda est, non ex distinctione numericâ, sed ex superfluitate, quam odit natura, vel ex incapacitate subjecti.

150 Optima regula videtur, quam tradit Exim. Doctor cit. disp. 5. l. 8. n. 14. & seqq.: ut scilicèt illa accidentia specie similia possint esse simul in eodem subjecto, quæ intra lineam individualem inter se differunt munere, vel habitudine ad terminum; cujusmodi sunt species intentionales, & actus animæ respicientes objecta solo numero distincta, quamvis enim conveniant specificè, plus tamen inter se differunt, quàm duæ species aut cognitiones ejusdem objecti, quia intrinsecè respiciunt objecta distincta, nec potest cognitio solius Petri terminari ad Paulum, &c.: illa verò accidentia nequeant simul esse, quæ præter entitativam distinctionem nihil habent ob commune cæteris ejusdem speciei cujusmodi sunt duæ quantitates, aut duo calores homogenei. Quod in nostris principijs de heterogeneitate graduum intensionis facilè intelligitur. In alijs dici poterit, qualitates intensibiles homogeneas conjungi posse naturaliter in eodem subjecto, sola intensionem complentur ut ostendimus; non verò ideo propter naturalem incapacitatem subjecti, vel inutilitatem ad naturæ fines.

151 Rejectis Thomistarum placitis, dicendum est, unumquodque realiter individuari per suam ipsius entitatem a sequaré sumptam: & principium individuationis intrinsecum seu formale, si accipiatur pro ultimo prædicato metaphysicè constituente rem individuam, esse hæcceitatem unius cujusque realiter identificatam cum ipso, & solâ ratione distinctam à naturâ specificâ: si verò accipiatur pro fundamento reali & interno, ex quo ab intellectu sumitur hæcceitas, esse totam rei entitatem. Id ipsum pura de principio distinctionis numericæ; quippe quæ vel includitur in unitate individuali, vel ex eâ necessariò resultat. Si ergo quæras, cur Petrus sit hic homo? *resp.*, quia habet hanc animam, hanc materiam, & hanc unionem. Si quæras, cur anima sit hæc potius, quàm altera ejusdem speciei? non alia est ratio intrinseca, nisi quia secum identificat suam entitatem, & non aliam: ratio verò extrinseca est voluntas & potentia Dei, qui potuit & voluit hanc animam præ alijs hic & nunc producere. Idem intellige de materiâ, de unione, de albedine, de Angelo, &c. *Dices*: ergo idè erit principium intrinsecum individuationis, & specificationis. *Dist. Consequ.*: idem erit formaliter, seu ratione nostrâ, *neg.*; idem erit realiter, *conc. Consequ.*: nam Petrus per eandem realiter entitatem, per quam distinguitur numericè à Paulo, distinguitur specificè ab equo.

152 Sæpè quidem entitas rei secum identificat respectum aut ordinem ad materiam, vel ad subjectum, ut evenit in quâvis formâ substantiali, vel accidentali: sed ordo ille non ex eo præcisè individuat formam, quòd respiciat subjectum individuum; cum quia nulla forma, excepto modalibus, ex se recipiat magis subjectum hoc, quàm

tum, quia potest idem subjectum recipi à pluribus formis numero distinctis, etiam modalibus; nam respectu ejusdem corporis, & ejusdem animæ, possibiles sunt plures uniones solo numero distinctæ. Ut igitur ordo ad subjectum individuet formâ, debet ipsemet esse per suam entitatem individuus: atque hoc pacto anima Petri v. g. verè individuatur per ordinem ad materiam; non quòd respiciat materiam A. præ alijs; sed quia respicit materiam quamlibet ordine hoc individuo, qui est entitas ejusdem animæ: quod pariter de accidentibus dictum esto. Accidens tamen dicitur individuari per subjectum (idest, per ordinem ad subjectum), substantia verò (scilicet completa) per se ipsam; quia substantia, sicut entitatem, ita & unitatem habet per se, vel ad se; cùm omne accidens secundùm totam entitatem suam intrinsecè ordinetur ad subjectum, quocumque in gradu concipiatur, seu generico, seu specifico, seu individuali.

153 Quod attinet ad multiplicationem purè numericam intra eamdem speciem, vel ad possibilitatem ejus absolutam, radix illius extrinseca est Omnipotentia Dei; radix autem intrinseca, sumpta pro capacitate seu non repugnantiâ unius individui ad coexistendum alijs specie similibus, est materia metaphysica vel analogica, prout à nobis explicata est n. 140. Nec D. Thomas, dum ait, repugnare plures Angelos ejusdem speciei, fortasse aliud intendit, quàm ut repugnent in ordine ad causas naturales à Deo distinctas: verè etenim repugnat, & contradictionem implicat, quòd ab ijs causis oriatur multiplicatio purè numerica substantiarum, quæ nec materiam habent, nec ordinem ad materiam. Denique, si quæras, cur ex infinitis individuis in qualibet specie possibilibus producatur hic & nunc à causis secundis hoc potiùs, quàm illud? non alia ratio est, nisi voluntas Authoris naturæ, qui concursum præparat ad individuum A., non ad B., &c.: nam de cætero, nec virtus agentis, nec potentia passi, nec ipsa ultima dispositio connexionem habet cum productione ignis A. potiùs, quàm B., & sic de alijs. Quomodò autè non hinc ijdatur creaturæ libertas, nec Deo tribuatur actus peccati, vide in Physic. tr. 2. d. 8. s. 6. n. 26. & sequ..

# DISPUTATIO II.

## DE POSSIBILITATE; ET EXISTENTIA entis creati.

AB ente in communi progredimur ad ens creatum, quod idem sonat, ac habens realem essentiam finitam, ac dependentem à primâ Causâ. Constat ex sæpe dictis *essentiæ* nomine significari prædicata illa, per quæ res definitur, v. g. in homine animal rationale. Quæ essentia, prout est communis omni enti creato, duo tantùm habet examine digna, videlicèt possibilitatem, & existentiam. Potest enim considerari, tum ut possibilis, idest, ut apta seu non repugnans existere, vel ut non implicans contradictionem in suis prædicatis; tum ut existens, idest, ut actu posita extra causas; & sub utrâque inspectione dubium est, an aliquid addat ultra prædicata quid-

di-

dicativa? vel in quo fita fit ejus possibilitas? In quo existentia? Sed notandum, quod non idem sonat rem esse possibilem, ac esse purè possibilem: nam tò *pure* excludit actualem existentiam, seu addit carentiam existentiæ exercitæ; non enim dicitur *purè possibile*, nisi quod ita potest existere, ut tamen actu non existat; & tanc etiam dicitur esse *in statu possibilitatis*, qui proinde status carentiam existentiæ involvit, & à *statu existentiæ* distinguitur realiter negativè, tamquam non ens ab ente. Rem ergo esse possibilem, præcisè sonat posse existere, seu contradictionem excludere, non removendo existentiam, sed ab eâ præscindendo, saltem penès explicitum. Hoc sensu possibile deo involvit, saltem ex modo significandi alterum est subjectum, quod suscipit denominationem *possibilis*, quæque vocari solet possibile *ut quod*, vel *in recto*, vel *materialiter* aut *subjectivè*, acceptum, vel etiam *subsistatum possibilitatis*; & hoc nemo dubitat quin identificetur cum essentiâ rei: alterum est possibilitas in abstracto, ideſt, forma, vel quasi forma tribuens denominationem *possibilis*. Sed hæc possibilitas adhuc esse potest vel radicalis, vel formalis. Possibilitas creaturarum radicalis, vel, quod idem sonat, causalis, activa, illativa, sine dubio consistit in Omnipotentiâ Dei, præsertim si connectitur cum possibilibus: eademque vocari solet possibilitas extrinseca; quia terminus ab illâ trahit extrinsecam denominationem *producibilis*, sicut color extrinsecè denominatur *visibilis* à potentiâ visivâ. Possibilitas formalis, quæ solet etiam appellari passiva, & intrinseca, est immediata ratio, quâ redditur essentia creaturæ in se potens existere, seu contradictionem excludens. De hac nobis loquendum est in præsentiarum.

## CAP. I.

### *In quo consistat possibilitas entis creati?*

1 SEnsus quæstionis est, quid reipsâ sit, vel cum quo physicè identificetur illa immediata ratio, quâ redditur creatura in se potens existere? *Primæ sententiæ* tenet, possibilitatem consistere in quodam esse quidditativo, necessario, & indefectibili, quod sit actuale, non actualitate existentiæ, sed actualitate essentiæ, sitque proinde ab æterno verum ens reale, actualiter distinctum à Deo, & discretum à nihilo: & in hoc ipso esse collocat hæc opinio essentiâ creaturæ, cui per productionem in tempore additur existentia. Ita post Henricum sentiunt ex Thomistis Capreolus, & Nazarius, relati à Martinez de Prado 1. p. Mec. controv. 7. n. 1., quibus consentit Godoy tr. 3. de Scient. Dei q. 3. & 4.: item Basilius Legion., & aliquis Nostris, citati à P. Quiros disp. 108. §. 2.

2 *Secunda* tribuit creaturis ab æterno quoddam esse, actualiter à Deo distinctum, non tamen reale simpliciter, sed *diminutum*, mediumque inter ens reale, & rationis: & cum eo identificat possibilitatem & essentiam creaturæ, quatenùs hæc verificat propositiones æternæ veritatis, seu quatenùs terminat cognitionem Dei necessariæ. Ita Scotista Poncius pro se referens Scotum, & omnes ejus discipulos: quos tamen à tali opinione vindicat Mastrius ejusdem Familiæ Scriptor disp. 8. Met. q. 1., præcipuè verò Scotum, quem jam antea PP. Suar. & Vazqu. satis vindicaverant. *Tertia* non videtur agnoscere possibilitatem rebus intrinsecam: nam possibilitatem creaturæ, non solùm radicalem, aut illativam, sed immediatam & formalem cum prædictis Divinis identificat, præsertim cum omnipotentiâ, & intellectu seu scientiâ simplicis intelligentiæ; simulque de chimeræ impossibilitate ejusdem. Ita est P. Agrippa Prax. P. Salp. de Riba-

de-

passim varijs in locis, quem sequuntur aliqui Recentiores: & hanc etiam sententiam tenet, & alijs Thomistis attribuit Collegium S. Thom. Complut.

3 *Quarta* demùm, & communis in omni Schola *sententia* formalem possibilitatem rerum creatarum, aut creabilium, identificat cum rebus ipsis, seu cum essentia ipsarum: quam essentiam, atque adeò possibilitatem, asserit nihil fuisse ab æterno, nec esse absolutè aliquid aut ens priusquàm a Deo in tempore producatur, & actu existat. Hæc sententia mihi verissima est. Et inprimis, quòd essentiæ rerum ab æterno non sint penitùs nihil, sed actuale aliquid extra Deum, ut ajebat prima sententia, planè alienissimum est à doctrinâ Doctoris Angelici, qui q. 3. de pot. ar. 5. ad 2. sic ait: *Ex hoc ipso, quòd quidditati esse tribuitur, non solùm esse, sed ipsa quidditas creari dicitur; quia ante quàm esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia.* Et 1. p. q. 61. ar. 2. asserit, fide Catholicâ certum esse, quòd *solus Deus est ab æterno*, subdens: *Sic enim Deus creaturas produxit, quòd eas ex nihilo fecit, idest, postquàm nihil fuerat*: & ne putaretur loqui de nihilo, non essentiæ, sed existentiæ, anteà q. 45. ar. 1. differre dixerat, *idem esse nihil, quod nullum ens*; atque ita creationem esse *ex non ente, quod est nihil*. Contrà verò non videtur id esse alienum à doctrinâ VViclefi, cujus inter errores numerat VValdensis l. 1. doctr. fid. c. 8., quòd dixerit, creaturas ab æterno habere aliquod esse reale distinctum ab esse Dei. Quidquid de hoc sit,

4 Impugnatur efficaciter *prima sententia*. Nam illud esse actuale quidditativum, & æternum, nec potest esse à seipso, nec à Deo factum. Non à seipso: tum quia ex doctrinâ SS. Patrum, quos citat P. Suar. d. 31. Met. s. 2., *Quidquid à Deo factum non est, vel Deus est, vel nihil est*: & juxta D. Thomam Opusc. 27. de æternit. Mundi, *Quòd aliquid præter Deum potuerit semper fuisse, ab eo non factum, error abominabilis est, non solùm in fide, sed etiam apud Philosophos.* Tum quia illud ens actuale foret infinitum, & Deus alter; nam ex aseitate probant omnes infinitatem Dei. Nec dicas, eam aseitatem deprimi ac limitari ex alijs capitibus, ne ad infinitatem assurgat. Nam id ipsum dicet atheus de aseitate Dei, vel de aseitate atomorum quoad existentiam. Deinde nec potest esse à Deo factum. 1.: quia fide certum est, Deum non ab æterno, sed in tempore cæpisse operari ad extrà. 2.: quia jam essentia creaturæ fuisset ab æterno existens, cùm omnis effectio terminetur ad existentiam. 3.: quia nec factum esset à Deo liberè, siquidem juxta Adversarios metaphysicè necessarium est & inimpedibile quoad illâ actualitatem essentialem; nec aliunde necessariò, cùm & fide & ratione certum sit, Deum nihil efficere sine libertate, seu ex necessitate naturæ.

5 Accedit, quòd alioquin Deus non fecisset Mundum ex nihilo, sed ex aliquo, nimirùm ex actuali rerum essentiâ, quæ totâ æternitate præcessit creationem rerum ipsarum. Nec posset Deus rem ullam redigere in purum nihilum; cùm semper ex eâ superesse debeat aliquod esse actuale, à nihilo discretum, & à Deo indestructibile. Posset etiam creatura gloriari, quòd habeat aliquid non acceptum à Deo, vel ab ejus liberâ voluntate non pendens: & ad illud Apostoli 1. Cor. 4., *Quid habes, quod non accepisti?* potent quisque respondere, Totam utique habeo essentiam meam, quæ independenter à creatione & voluntate Dei ab æterno est ens actuale, adeoque aliquid actu verum, bonum, &c. Accedit insuper, quòd immeritò negabitur, illam possibilitatem & essentiam actua-

lem

tem ab æterno existere : quid enim est existentia, nisi actualitas, per quam res à nihilo secernitur, & actu est ens?

6 His impugnationibus subest etiam *secunda sententia*. Nam de illo esse diminuto similiter quæri potest, an sit à se, vel à Deo? & si à Deo, an libere, vel necessariò? Item, eo posito, nullam rem poterit Deus ex nihilo facere, nullam penitùs annihilare. Item de tali esse posset creatura gloriari, quasi non acceptò, saltem gratis, &c.. Quòd autem illud sit quasi medium inter ens reale, & rationis, videtur planè inconceptibile. Quis enim concipiat aliquod esse actuale in rebus positum independenter à nostris præcisionibus, quod nec implicet, nec non implicet contradictionem? vel quod participet de potentiâ & impotentiâ existendi? Sanè, si tale sit, non potiùs erit possibilitas, quàm impossibilitas creaturæ; nec sufficiet ad terminandum & verificandum propositiones æternæ veritatis circa rerum essentias, hanc v. g., *Homo est animal rationale*, vel *est ens reale*; quæ certè non affirmat aliquid medium inter ens reale, & rationis. Dum igitur Scotus ait, creaturas ab æterno habere in intellectu vel ab intellectu Divino *esse diminutum*, aut *secundùm quid*, nullum intelligit esse actuale à Deo distinctù, sed solam denominationé *cognitis*; quę denominatio, prout est actualis ab æterno, solam importat cognitionem Divinam; & hæc, licèt in se simpliciter existat, proprieque sit cognitio objecti creati, tamen respectu illius non appellatur *existentia*, nisi secundùm quid, idest, impropriè, nempe cum addito *intentionalis*, quod est additum diminuens; ideòque objectum, dum existit in cognitione duntaxat, dicitur *existere diminutè*, vel habens *esse diminutum*. Vid. Mastr. loc. cit.

7 Ex dictis sequitur, quòd, 1. possibilitas formalis identificatur cum essentiâ creaturę, non est actualis aliquid ab æterno. Quòd autem identificetur reipsâ, probatur breviter, refutaturque impugnatur *tertia sententia*. 1. authoritate & argumento D. Thomæ, qui 1. p. q. 25. art. 3., præter possibile respectivè, seu denominative à potentiâ Dei, agnoscit possibile absolutè per intrinsecam habitudinem, seu convenientiam prædicatorum: idque probat; quia dabitur alio qui circuitus in manifestatione Omnipotentię, cum Deus dicitur esse omnipotens, quia potest omnia possibilia: *Hoc enim* (inquit) *non erit aliud, quàm dicere, quòd Deus est omnipotens, quia potest omnia, quæ potest*: *relinquitur igitur* (subdit), *quòd Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolutè; quæ est alter modus dicendi possibile*. Non inficiatur D. Thomas, nec nos inficiamur, quòd Omnipotentia est possibilitas illativa ratione connexionis cum possibilibus, aut etiam forma extrinseca, veré denominans creaturas *possibiles*: sed præter hanc, aliam insuper asserimus cum D. Thomâ possibilitatem penitùs intrinsecam, per quam res ex propriâ essentiâ, præcisè quovis alio, verè possibiles dicantur, & fiat. Profectò idem est in creaturâ possibilitas, & producibilitas: sed in creaturâ, præter extrinsecam in potentiâ causæ consistentem, invenitur producibilitas intrinseca, & passiva, nempe aptitudo terminandi productionem, penitùs identificata cum ejus essentiâ: tum quia producibilitas ista respondet virtuti activæ tanquàm terminus; tum quia creatura per suam essentiam est ens ab alio, quod idem sonat, ac ens causabile, vel aptum causari: ergo &c..

8 2. quia homo v. g. secum identificat quod est de formali conceptu entis, ut est certum: sed de formali conceptu entis est aptitudo ad existendum, cùm per eam definiatur ens; & aptitudo ista est ipsa possibili-

tas, ut patet ex terminis, & ex eo quòd nequit altera concipi, nec inveniri sine altera: ergo &c. 3.: quia rem esse possibilem est non implicare contradictionem, seu non involvere in suo conceptu objectivo prædicata opposita, ut omnibus in confesso est: sed homo per suam essentiam, præciso quovis alio, habet non implicare contradictionem, seu non continere prædicatis oppositis; cùm per eam habeat sua prædicata, & non alia, quæ prædicata se ipsis excludunt contradictionem aut oppositionem inter se, utpotè identificata realiter, adeòque summè inter se convenientia: ergo &c.

9 4. quia homo secum identificat aliquid, per quod ab omni chimærâ discernitur, seu ab omni objecto impossibili, vel non possibili, quâ tali: ergo secum identificat veram possibilitatem. Patet *Consequ.*; quia sola possibilitas discernit subjectum ab omni non possibili, sicut sola albedo ab omni non albo, sola humanitas ab omni non homine, sola entitas ab omni non ente, & sic de aliis. *Antecedens* verò prorsùs videtur evidens; cùm homo proculdubiò secum identificet aliquid impotens convenire objecto alii non possibili: secum nempe identificat entitatem realem, adeòque aptitudinem existendi: connexionem item cum Deo, seu cum Omnipotentiâ ut productivâ hominis (alioquin essentia creaturæ ex se non esset eos ab alio, nec à Deo dependens, aut exigens dependere, sed esset potiùs ex se indifferens ad eventum, in quo Deus repugnaret; quod est planè absurdum); quæ connexio est essentialis determinatio hominis ut sit possibilis, & nulli chimæræ convenire possit. Prædicatum autem identificatum cum homine, & impotens convenire alii chimæræ, sine dubio discernit hominem ab omni chimæra, sicut rationalitas ab omni bruto.

10 *Confirm.*: saltem homo præ chimærâ identificat secum capacitatem, ut extrinsecè denominetur *possibilis* ab Omnipotentiâ; si enim ex se nihil habet, quo reddatur idoneum hujus denominationis subjectum magis, quàm chimæra, cur illi præripit denominationem istam? Sanè denominatio *possibilis* non est ad placitum, nec pro Dei arbitrio variabilis quoad subjectum, sed est necessaria omninò, & immutabilis: petit ergo specialem indolem in subjecto suo præ non suo, ideſt, in homine præ chimærâ, utique necessariam, & immutabilem, quæ certè satis distinguit ac discernit hominem ab omni chimæra: petit, inquam, hanc indolem in subjecto suo specificative sumpto, & ut adæquatè distincto ab Omnipotentiâ: nam alioqui, si sumas hinc complexum Omnipotentiæ & hominis, inde complexum Omnipotentiæ & hircocervi, nihil speciale invenies in uno præ altero: cur ergo in primo invenis denominationem *possibilis* pro homine, & in secundo denominationem *impossibilis* pro hircocervo? *aliter*: Vel constitutiva utriusque denominationis sunt diversa, vel non? Si non; quomodò constituunt denominationes diversas? vel quomodò in his est diversitas sine diversitate formæ, nec subjecti, si ob hæc primum optes: ergo, cùm eadem ubique sit forma, scilicet Omnipotentia, ponenda est diversitas in subjectis, ut ab Omnipotentiâ condistinctis, quæ proinde ratione sui discernuntur invicem. Adde, quòd nulla forma contineat effectus formales oppositos, nisi respectu diversorum, nempe subjectorum diversitatem abunde habentium: nulli autem sunt formales effectus magis oppositi, quàm denominationes *possibilis*, & *impossibilis*. Præ oculis habenda est hæc diversitas, capacitas, aut indoles intrinseca, qua homo præ chimæra reddatur aptus denominari *possibilis* ab attributo Dei necessario: est

etc.

enim veri nominis possibilitas, ut-porè satis discernas hominem ab omni non possibili: & quomodolibet appelletur, in eâ instantur argumenta omnia contraria.

11 Quæ hucusque dedimus, adeò clara sunt, ut Adversarij tandem fateantur, cum creaturâ identificari possibilitatem aliquam: sed hanc vocant *secundariam*; illam verò, quæ in attributis Dei necessarijs consistit, *primariam*. Verùm hoc est reipsâ concedere quod intendimus, nimirùm præter possibilitatem illativam, cum Deo identificatam (vocetur hæc, si lubet, *primaria*, vel ob prioritatem radicis propriam, vel ob primatum & eminentiam perfectionis), dari aliam creaturis intimam, & in earum essentiâ consistentem. Hæc autem sola proprie erit *possibilitas formalis*: tum quia sola ipsa est immediata ratio, cur creatura discernitur à chimæra: tum quia sola pertinet in recto ad conceptum formalem creaturæ: tum quia primaria illa potiùs est *radicalis*, aut *illativa*; solùmque impropriè dicetur *formalis*, quatenùs est forma extrinsecè denominans possibilia. Nec licet negare, quòd secundaria ista sit possibilitas proprié dicta, siquidem verè ac proprié discernit subjectum ab omni non possibili, ut ostendimus. *Dices* (& huc tandem redit Adversariorum conatus): secundaria ista non est ea possibilitas, qua homo v. g., etiam antequàm existat, immò ab æterno, redditur proprie & simpliciter possibilis, & quæ per modum objecti verificat propositionem æternæ veritatis, aut cognitionem Dei necessariam de possibilitate hominis: nam ad hæc munera non sufficit possibilitas subjectivè cõtingens, qualis est quę cum homine identificatur; sed requiritur possibilitas subjectivé necessaria, immutabilis, & æterna.

12 Hoc tamen impugnatur 1. quia possibilitas intrinseca hominis verè necessaria est eâ necessitate, quæ significatur nomine, *possibile*, proprié dicto: idem quippe sonat *possibile*, ac *Quod, si existeret, non implicaret contradictionem*: ubi adsummùm significatur conditionata necessitas excludendi contradictionem, nempe sub conditione quòd subjectum existat, vel pro casu existentiæ. At sub conditione hac subjectivè necessaria est possibilitas intrinseca: nam homo, ex suppositione quòd existat, necessariò est ens reale, atqueadeò non implicans contradictionem. *Confirm.*: non magis requiritur necessitas in verificativo propositionis necessariæ, quàm in termino connexionis metaphysicæ, antecedentis, necessariæ, & æternæ: sed possibilitas identificata cum homine, quam *secundariam* vocas, est terminus connexionis istiusmodi, cum sit terminus illius possibilitatis necessariæ & æternæ, quam dicis *primariam*, & quę sine dubio connectitur metaphysicè & antecedenter cum suo termino: ergo & poterit esse verificativum &c.

13 2.: quia ab æterno verè asseritur, non solùm possibilitas in abstracto, sed etiam in concreto, ideſt, effectus formalis, seu denominatio *possibilis*, siquidem veritas hujus actûs, *Homo est possibilis*, æterna est, & necessaria: sed tale concretum, seu denominatio, constituitur per subjectum absolutè contingens, scilicet per creaturam ipsam: ergo & constitui poterit per formam, seu possibilitatem, absolutè contingentem, & à creaturâ indistinctam; non enim minùs essentialiter importat subjectum, quàm formam. 3.: quia tam necessaria & æterna est hæc denominatio, *aptum reddi possibile ab omnipotentiâ*, quàm ista, *possibile per omnipotentiam*, vel *per aliquid Divinum*; ista enim sine illâ fiare non potest; & ab æterno Deus

necessariò cognoscit, quòd homo præ chimærâ habet ex se speciale aliquid, quo sit intrinsecè capax denominari *possibilis* ab omnipotentiâ, ut ostendimus n. 10. At nihilominùs tam forma, quàm subjectum illius denominationis, *aptum reddi* &c., identificatur cum creaturâ, estque proinde in existendo contingens: idem ergo de ipsâ denominatione *possibilis* dici poterit.

14 4.: quia hæ propositiones, *Homo identificatur secum ipso, est animal, est ens finitum*, item, *Mendacium est malum*, & similes aliæ, sunt etiam æternæ veritatis: & tamen verificativum earum ex parte objecti non est aliquid Divinum (majoris claritatis gratiâ suppono, possibilia cognosci à Deo, non solùm in Omnipotentiâ, tanquàm in medio connexo, verùm etiam immediatè in se ipsis, ut Adversarij concedunt, nominatim P. Ribadeneyra disp. 9. de Scient. cap. 1.), sed est aliquid in homine ipso vel mendacio consistens, nempe identitas secum ipso, animalitas, finitudo, malitia. Si forté neges, per hæc verificari propositiones illas; infero: ergo, sicut hic actus, *Mendacium est malum* (idem puta de reliquis), non verificatur per malitiam formalem, sed per aliquid Divinum, quod certè nequit esse malitia formalis; ita & hic, *Mendacium est possibile*, non verificabitur per formalem possibilitatem, sed per Divinum aliquid ab eâ distinctum: ergo ex munere verificandi talem actum malè colligis, quòd possibilitas formalis consistit in aliquo Divino.

15 5.: quia propositio quæque verificatur per id, quod enuntiat, juxta illud Aristotelis ubique receptum, *Ab eo quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*, ubi nomine *res* intelligitur objectum enuntiatum: sed propositio hæc, *Homo est possibilis*, vel saltem hæc non minùs æterna & necessaria, *Homo est capax denominari possibilis*, enuntiat aliquid identificatum cum homine: ergo per hoc ipsum verificatur. Sanè propositiones hæ, *Homo existit excludendo contradictionem*, *Homo, si existat, contradictionem excludet*, idem objectum habent, solùm que differunt in modo tendendi; non aliter ac istæ, *Homo currit se movendo*, *Homo, si currat, movebitur*: sed prior absoluta verificatur ex parte objecti per aliquid identificatum cum homine: ergo & posterior conditionalis. Sed conditionalis illa reddit eumdem sensum, ac ista, *Homo est possibilis*, ut passim Doctores asserunt, nec Adversarij diffitentur: ergo &c.

*Liberatur obiter à tricis quibusdam communis explicatio possibilitatis.*

16 Quàmvis communiter approbetur definitio vel explicatio possibilitatis per exclusionem contradictionis, seu per hoc, quòd non sequerentur duo contradictoria pro casu existentiæ subjectis non desunt tamen, quibus illa displiceat, quasi conveniens aliis à definito, videlicet chimæris. Unde *objiciunt*. 1.: hic objectivus conceptus, *Petrus verus & realis, qui non sit Petrus verus & realis*, chimæricus est: nec tamen, si existeret, inferret duo contradictoria; constitueretur enim ex Petro vero & reali, de cujus concepto est excludere contradictionem. Idem fit argumentum in objecto hoc, *chimæra possibilis*, quod est etiam chimæricum: & tamen, si existeret, non sequerentur duo contradictoria, siquidem in hoc fiat conceptus possibilitatis, quem conceptum participaret illa chimæra. 2.: benè arguitur sic: Chimæra involvit duo contradictoria, ergo non existit. Cùm igitur consequentia teneat ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, rectè arguetur sic: Chimæra existit, ergo non in-

involvit duo contradictoria. At hoc ipso vera erit propositio hæc, *Si chimæra existeret, non involveret duo contradictoria.* 3.: si existerent simul duo contradictoria, existeret chimæra: sed tunc non existerent duo contradictoria simul: ergo, si chimæra existeret, non sequerentur &c.. *Prob. Min.*: quia, si existerent simul duo contradictoria, neutrum existeret; nam, cùm unumquodque sit defectus alterius, utrumque deficeret; non ergo existerent ambo simul.

17 Hæc, & alia similia, mera sunt sophismata. *ad* 1.: ille conceptus ita cõstitueretur ex Petro vero & reali, ut simul constitueretur ex non ipso, vel ex carẽtiâ ejusdẽ in esse veri & realis: jam ergo expresè ponitur ex contradictorijs conflatus. Excludere præcisè contradictionem, est quidem de conceptu veri Petri præcisè talis; secùs tamen de conceptu Petri sic veri, ut simul sit non verus: nam de conceptu hujus est excludere simul & non excludere contradictionem; ubi reflexa est contradictio. Item, conceptus ille, *chimæra possibilis*, idem valet, ac ille, *involvens simul & non involvens contradictionem*; ex quo certè contradictoria sequuntur, saltem reflexa, nempe *involvere & non involvere* &c.. Participaret quidem conceptum possibilitatis, sed simul non participaret: ac proinde, si existeret, esset id, ex quo duo contradictoria non sequerentur & sequerentur: ipsum autem *non sequi & sequi*, quoddam est par contradictoriorum. Sic, si existeret conceptus hic, *homo irrationalis*, vel hic, *equus rationalis*, conceptum rationalitatis participaret & non participaret; ideòque simul esset & non esset rationalis. Et sicut hinc non debet improbari definitio hominis per conceptum animalis rationalis, quasi conveniens alijs à definito, nempe chimæris hujusmodi; ita &c..

18 *Ad* 2.: bona est prior illatio; mala posterior. Nec ea regula, *Ab opposito consequentis* &c., loquitur de oppositò cõsequentis expresè chimærico: nam ex hoc sæpè non magis sequitur oppositum antecedẽtis, quàm antecedens ipsum; quia tunc maximè locum habet vulgatum illud, *Ex impossibili sequitur quodlibet*. Unde, licèt benè sic arguas, Homo non homo est chimæra, ergo non existit: perperam tamen sic, Homo non homo existit, ergo non est chimæra. *Dices*: si ex impossibili sequitur quodlibet, nec magis unum, quam alterum; ergo ex hypothesi impossibili, quòd chimæra existeret, non magis sequerentur duo contradictoria, quàm non sequerentur: ergo chimæra non magis erit impossibilis, quàm possibilis. *Neg.* 2 *consequ.*: quia, ut jam advertimus, ipsum sequi & non sequi duo contradictoria ex illâ hypothesi, par contradictoriorum est. Possibilitas autem explicatur per non sequi duo ulla contradictoria, etiam reflexa, ac proinde per *non sequi*, divisum, ac sejunctum à *sequi*. *Ad* 3., *neg. Min.*, vel *dist.*: tunc non existerent, & simul existerent (ut tu ipse supponis), *conc.*; non existerent præcisè, *neg. Min.*, & *Consequ.*. Ad *prob.*: deficeret quidem utrumque, sed simul neutrum deficeret eo ipso, quòd simul existerent defectus formales utriusque: nam defectus isti sunt contradictoria ipsa, ut supponit objectio.

19 *Instabis*: his reflexionibus præcluditur via probandi ex conceptu possibilitatis; rem ullam esse possibilem. Si enim probes, hominem v. g. possibilem esse, quia, si existat, non sequentur duo contradictoria: distinguet Adversarius sic: non sequentur, & simul sequentur, *conc.*; non sequentur præcisè *neg.*. Sed verò, sicut de hoc objecto chimærico, *animal rationale brutum*, jure negamus esse hominem, quia sic ponitur rationale, ut simul sit non rationale; nec ideò præcluditur

via

vià probandi ex concepta rationalitate, Petrum esse hominem, quasi pariter liceat reponere, quòd Petrus hic est rationalis, ut simul non sit rationalis: ita censendum in præsenti, ob rationem prorsùs eamdem. Dum agitur de objecto ex terminis chimærico, jure merito distinctionibus utimur illiusmodi, utpote non confictis ad libitum, sed ex proprio concepta, propriaque notione terminorum erutis. Et quid mirum, si talis objecti possibilitas nullâ viâ probari possit? At, cùm sermo est de objecto clare vel dubiè possibili, distinctiones illæ, nisi validè priùs argumento firmentur, rejiciendæ omninò, vel contemnendæ sunt, tamquàm formæ syllogisticæ meræ ludibria.

20 Demùm, si quæras, an ex parte hypothesis assumatur existentia vera & realis, cùm dicitur, quòd homo, *si existeret*, non implicaret contradictionem? Videtur affirmandum; alioqui non daretur vera connexio cõditionis cum conditionato. Nec ideò erit nugatio, perinde ac si dicatur, *si verè existeret*, *verè existeret*; non enim *existere*, & *non implicare*, sunt termini synonymi. Sic non inepte dicitur, *Si existat homo*, *existet animal rationale*. Immò & affirmandum videtur, dum asseri ut implicantia chimeræ sub hypothesi existentiæ; ut idem valeat, *si chimæra existeret*, *implicaret* &c., ac, *si chimæra realem haberet existentiam*, *si simul eam haberet & non haberet*. Nec obstat, quòd illa sit conditionalis illativa. Nam, licèt existentia realis secundùm se non inferat implicantiam contradictionis; infert tamen ut applicata subjecto chimærico. Sic vera rationalitas, ut applicata bruto, infert implicantiam sui esse cum suo non esse.

## CAP. II.

### *Illationes ex dictis; & aliquot difficultatum explicatio.*

21 EX hucusque dictis inferuntur sequentia. 1. dum sermo est de possibilitate formali, abstractum *possibilitas* non differt à concreto *possibile*, nec à subjecto, nisi ex modo significandi, seu voce tenùs; eo nempe modo, quo inter se differunt *entitas* & *ens*, aut *entitas* & *idem*, aut etiam *aptitudo* & *aptum* ad denominationem *possibilis*. 2. cùm terminus *possibile* significet idem, ac *non implicans contradictionem*, *si existat*, vel *quandocunque existat*, determinat in prædicatione verbum seu copulam *est* ad significationem conditionatam: unde propositio hæc, *Homo est possibilis* (idem valet, *Homo potest*, *est potens*, *est aptus existere*), licèt sono absoluta, sensu conditionalis est, cùm sit exponibilis per hanc, *Homo*, *si existeret*, *non implicaret contradictionem*. Et quia hoc sensu vera est illa propositio, quocunque in tempore proferatur, & etiam si ab æterno: idcircò verbum *est* in eâ dicitur ampliari ad omnia tempora, vel absolvi à tempore, id est, non alligari tempori præsenti, seu determinato. 3. similiter intelligendæ sunt aliæ propositiones, quas vocant *æternæ veritatis*, quæ scilicet enuntiant essentialia rerum, vel sumuntur ut principia immobilia, v. g. *Homo est animal rationale*, *Duo & tria sunt quinque*, *Totum est majus sua parte*. Reddunt enim sensum hypotheticum, hunc scilicet, *Homo*, *si existat*, vel *quandocunque existat*, *erit animal rationale*; & sic de aliis. Vid. P. Suar. disp. 31. Met. sect. 12. à n. 38. Ratio est: quia, si propositiones illæ redderent sensum absolutum, accipiendo verbum *est* per *statum*, vel non esset necessariæ & ab æterno veræ, vel essentia creaturæ necessariò & ab æterno fuisset aliquid actuale; quod falsum esse ostendimus contrà 1. sententiam.

22 *Objic.*: in sensu hypothetico vera est etiam hæc, *Homo existit*, vel, *Homo est*, subaudiendo nimirum,

*existat* : erit igitur propositio æterna ac necessariæ veritatis. Concedo *Consequ.*, si conditio illa, in *antec.* posita, subaudiatur. Id tamen non fiet, nisi recedendo ab usu communi: quia verbum *existit*, ut etiam verbum *est* in propositione de secundo adjacente, juxta communem usum accipitur absolutè, seu per *statum*. Contra verò, dum additur prædicatum essentiale, communis usus & sensus accepit verbum *est* per *alienationem* aut *ampliationem* ad tempus, quod esset sub hypothesi existentiæ subjecti. Hoc fateri debent Adversarij, si comparentur inter se duæ istæ propositiones, *Existentia creaturæ est actualitas limitata*, *existentia creaturæ existit*, vel *actu est*: prima enim est scientifica, necessariæ, & æternæ veritatis; secùs verò secunda: cùm tamen in objecto conveniant, solùmque differant in modo tendendi, seu accipiendi verbum *est*. Nec dici potest, quòd prima verificetur per actualitatem essentialem, aut diminutam, quæ sit ab æterno; siquidem illa juxta suos Authores distinguitur realiter ab existentiâ: nec item per attributa Dei; quia nihil Divinum enuntiat, ut ex terminis constat.

23 Observandum hic, quòd nulla formalis veritas propositionis, seu cognitionis, de facto est æterna, nisi in intellectu Divino, ut admonet D. Thomas 1. p. q. 10. ar. 3. ad 3. & & q. 16. art. 7. Unde, cùm aliqua propositio nostra dicitur *æternæ veritatis*, debet hoc intelligi vel *præsuppositivè*, quatenus ea propositio supponit cognitionem Dei necessariam de eodem objecto, vel etiam *ampliativè*, tum quatenus in ea verbum *est* ampliatur hypothetice ad omne tempus, tum quatenus ipsa, in quocunque tempore proferatur, vera est, & , si ab æterno existeret, etiam ab æterno vera fuisset. Veritas autem objectiva, id est, intrinseca rebus creatis enumerabilibus, nulla est æterna, nec absolutè necessaria, vel immutabilis, ut item admonet D. Thomas q. 1. de verit. ar. 5. qui rursùs ibid. ar. 6. ad 6. diserte asserit, quòd veritas rei solùm est *immutabilis quantum ad essentialia rei manente re*, hoc est, ex suppositione, vel sub conditione, quòd res maneat, aut existat.

24 4.: cùm possibilitas intrinseca identificetur cum essentiâ rei (consequenter etiam cum existentiâ, quia hæc realiter non distinguitur ab essentia, ut postea dicemus), ab æterno, vel antequàm res existat, non existit illa possibilitas, adeòque nec denominatio *formaliter possibilis*. Idcircò D. Thomas 1. p. q. 9. ar. 2., *Omnes creaturæ*, inquit, *antequàm essent, non erant possibiles esse per aliquam potentiam creatam, cùm nullum creatum sit æternum; sed per solam potentiam Divinam, in quantum Deus poterat eas in esse producere*. Quare, loquendo de possibilitate intrinsecâ (quam planè agnoscit ipse D. Thomas 1. p. q. 25. ar. 3.), & loquendo verbum *est* per *statum*, ita ut significet actualitatem essendi de præsenti exercitam, verè dicitur de Petro non existente, *non est possibilis*, sicut verè dicitur eodem sensu, *non est homo, nec animal*, vel etiam, *non est Petrus*, quia nimirùm à se ipso distinguitur negativè, hoc est, non identificatur actualiter secum ipso, cùm actualiter non existat ipse, nec sua identitas, &c.

25 Non est tamen concedenda propositio illa, *Petrus non est possibilis*, nisi proferens expresse declaret, se tali sensu loqui. Nam alioquin simpliciter falsa est, & opposita, *Petrus est possibilis*, simpliciter vera, etiam ante existentiam, tum quia referri potest ad possibilitatem extrinsecam, seu radicalem; tum quia, licèt referatur ad formalem, verbum *est* cum prædicato *possibilis* reddit sensum hypotheticum,

juxta proprietatem locutionis communi usu determinatam. Quod quidem valet, etiamsi dicatur, *nunc*, vel *ex nunc*, *absolutè*, & *necessariò Petrus est possibilis*: semper enim ex usu communi reddi potest ac debet hic sensus, *Si Petrus nunc existeret* (loquere, si vis, de *nunc* æternitatis), *nunc*, vel *ex nunc excluderet contradictionem absolutè ac necessariò*. Possunt nihilominus hæc ipsa categoremata referri ad necessitatem præsentem, & exponi hoc sensu, *nunc*, vel *ex nunc absolutè necessarium est*, vel *absolutè datur necessitas, ut si Petrus existat, contradictionem excludat*: atque ita verificantur quidem per attributa D., sed non cadunt supra formalem possibilitatem. Possunt item ad veritatem affirmationis referri sensu reflexo, hoc scilicet, *nunc*, vel *ex nunc absolutè & necessariò verum est*, (idest, *verè affirmatur*), *quòd, si Petrus existeret, contradictionem excluderet*: sic autem verificantur per affirmationem possibilitatis, & ab æterno per cognitionem Divinam.

26 Porrò, ut affirmatio, seu cognitio judicativa, sit absolutè ac in præsenti vera, non requiritur existentia præsens objecti (nisi hoc enuntietur ut præsens); quia, licèt veritas formalis consistat in conformitate judicij cum objecto, vel, ut loquitur D. Thomas, in adæquatione & commensuratione intellectûs & rei, ac proinde constituatur per actum, & objectum, ut in Logicâ ostendimus; attamen proprius sensus hujus nominis, *veritas*, vel denominationis, *verum*, quatenùs est propria judicij, non requirit semper coexistentiam utriusque constitutivi; sed actum quidem requirit præsentem; objectum verò non nisi pro tempore, pro quo enuntiatur: quare, si enuntiatio est de præterito, vel de futuro, absoluto, vel conditionata, sufficit veritati objectum, quod fuit, vel quod erit, vel quod essentialiter ficit, inquam, ut jam nunc in judicio præsenti detur *veritas* propriè dicta; quia proprietas hujus nominis non aliud requirit. *In hac adæquatione vel commensuratione intellectûs ac rei* (inquit D. Thomas q. 1. de verit. ar. 5.) *non requiritur quòd utrumque extremorum sit in actu*: & exemplum subjicit S. Doctor in hac propos., *Antichristus nascetur*.

27 Plures certè sunt denominationes, quæ dicuntur simpliciter existere de præsenti, quamvis non omnia ipsarum constitutiva sint præsentia. Sic enim (ut omittam entia propriè successiva, ut sunt *hora, dies, mensis*, &c., quæ simpliciter præsentia dicuntur ratione unius partis, aut puncti) octogenarius homo dicitur nunc *senex*, vinum *vetus*, domus *antiqua*; licèt senectus, vetustas, antiquitas per annos præteritos constituatur. Sic etiam homo nunc vivens dicitur nunc temporaliter *prior* Antichristo, & *posterior* Adamo; cum tamen hæ denominationes constituantur per terminos, aut eorum ætates, non existentes nunc. Sic item essentia creaturæ possibilis, & nunquàm exituræ, dicitur ab æterno propriè & simpliciter *cognita* per cognitionem Divinam, *possibilis* per Omnipotentiam ut formam extrinsecam, & *terminans* connexionem metaphysicam attributorum Dei, quibuscum identificatur possibilitas juxta Contrarios: & tamen denominationes aut effectus formales ejusmodi constituuntur per subjectum, quod non est ab æterno, cùm sit essentia ipsa creaturæ. Si disputes cum Authoribus primæ & secundæ sententiæ, exemplum ponito in existentiâ, v. g. alterius Mundi, quæ pariter denominatur ab æterno *cognita, possibilis*, & *terminans* connexione. Quòd ergo denominationes (quando non sunt penitùs intrinsecæ) exigant, vel non exigant constitutiva omnia simul præsentia, pendet ex variâ ipsa-

rum

rum indole, variovè sensu, & proprietate nominum.

28 Unde concedendum est, quòd hic actus, *si Petrus existeret, non implicaret contradictionem*, in Divino intellectu existit ab æterno *verus*, & *ut verus*: quia reduplicatio, *ut*, vim suam accommodat indoli denominationis, cui apponitur; adeòque solùm denotat existentiam absolutam actûs; objecti verò positionem purè conditionatam, id est, quę reverâ esset, si purificaretur conditio. Hìc iterùm valent exempla nupera. Nam etiam verè dicimus, quòd homo nunc existit *ut senex*, & *ut prior*, aut *posterior* alijs: item, quòd ab æterno existit cognitio, non utcumque, sed *ut denominans* cognitam creaturam, & possibilitas extrinseca *ut constituens* creaturam in esse possibilis, aut in esse terminantis connexionem æternam. *Dices*: implicat existere actum verum, ut verum, quando non existit verificativum ejus. *Resp.*: non magis hoc implicat, quàm quòd existat constitutum, aut denominatio, aut effectus formalis, quando non omnia constitutiva ejus existunt: quid igitur ad exempla nuper adducta?

29 Item, non magis id implicat, quàm quòd existat actus ut verus in eo loco, ubi non existit ejus verificativum: & tamen, cùm hìc dico, *Papa existit Romę*, verè in hoc loco existit actus iste ut verus, at ejus verificativum non nisi Romę. Similiter, cùm video lapidem, physicè existit intra me verus, & ut verus, hic actus, *Lapis est*: nec tamen verificativum ejus physicè existit intra me, vel in intellectu meo. Nec dicas, verificari hos actus per Divinum decretum de positione talium objectorum, quod ratione immensitatis est ubique. Nam inprimis, quòd per tale decretum immediatè verificetur cognitio nostra de præsenti, etiam intuitiva, nihil dicens de objecto Divino; videtur placitum nimis exoticum, & à communi sensu penitus alienum. Deinde, vel verificativum eorum actuum est id, quod enuntiant, vel non? Si primum dicas: ergo, cùm solùm enuntient Romanam præsentiâ Papæ, & existentiam lapidis extra me, quę certè non existunt in eodem loco vel subjecto, ubi est actuum veritas, manet instantia in suo robore. Si secundum: ergo nec actus enuntians Petrum esse possibilem, verificabitur per id, quod enuntiat: ergo, quamvis ab æterno existat ut verus, suoque verificativo conjunctus, non ideò possibilitas Petri debet existere ab æterno.

30 Itaque propositio hæc, *Dari nequit veritas præsens*, aut *actus ut verus, sine verificativo præsenti*, distinguatur sic: Si verificativum sit aliud ab objecto actûs, *transeat*; si non sit aliud, *subdist.*: si actus enuntiet objectum ut nunc præsens, *conc.*; si enuntiet ut præteritum, aut futurum absolutè, vel conditionatè, *neg.*: tunc enim sufficit verificativum, quod fuit, vel erit, vel esset præsens. Si probes ex eo, quòd nequit actu existere constitutum, nisi actu existant constitutiva omnia; iterùm *dist.*: si constitutum ex indole propriâ exigat simultatem cõstitutivorum, *conc.*; si non exigat (ut in exemplis suprà datis), *neg.*. Et hujus indolis est *veritas* actûs, aut denominatio *veri*; quippe quæ in hac non exigentiâ simultatis imitatur quodammodò totum successivum, licèt in alijs ab eo differat. Loquor semper de verificativo, quod ex parte objecti se tenet, & objectivum appellatur: ipse tamen actus, cùm veritatem constituat principaliter & in recto, dici potest verificativum subjectivum; & sine hoc certum est veritatem existere non posse.

31 Denique observandum, quòd in cognitione Dei necessariâ de possibilitate Petri v.g. distinguere possumus, ex modo nostro concipiendi, quatuor tendentias judicativas. 1., *Fieri*

*potest, ut Petrus existat.* 2., *Necessarium est*, vel *Datur necessitas ab æterno præsens, ut, si Petrus existat, non implicet contradictionem.* 3., *Verum est, quòd, si Petrus existeret, contradictionem excluderet.* 4., *si Petrus existeret, excluderet contradictionem.* Ex his prima verificatur immediatè per Omnipotentiam: secunda, per Omnipotentiam & alia Dei attributa necessaria cum possibilibus connexa: tertia, per ipsam cognitionem Divinam, quam reflexè affirmat, & etiam de obliquo per objectum ejus, quod esset: quarta, quæ sola directè & immediatè affirmat possibilitatem formalem, verificatur immediatè per essentiam Petri. Atque huic ultimæ sensu correspondet cognitio nostra dicens, *Petrus est possibilis*, vel, *potest existere*, dum loquimur de possibilitate formali, seu de potentiâ intrinsecâ (si de radicali seu extrinsecâ sit sermo, sensus erit juxta 1. tendentiam, *Fieri potest* &c.): sensu, inquam, correspondet, non verbis, aut expressionibus; quia non est putandum, cognitionem Divinam quasi formari verbo de præsenti, *est*, aut *potest*, ipsum alienando, vel ampliando; affirmat enim possibilitatem intrinsecam modo conditionali simplicissimo, quem non meliùs explicare possumus, quàm per terminos 4. tendentiæ. Si adhuc quæras, an, aut unde verificetur propositio hæc, *Non repugnat Petrum existere*, prolata in sensu penitùs absoluto? Respondebimus cap. sequ..

## CAP. III.

### *Contrarijs argumentis satisfit.*

32 *Objic.* 1. modus loquendi Veteribus etiâ usitatus, quo possibilitas creaturæ dicitur necessaria, indefectibilis, indestructibilis à Deo, & æterna: quæ attributa convenire nequeunt essentiæ, nec existentiæ creaturæ. *Resp.*. Ijsdem attributis passim donatur etiam apud Veteres essentia creaturarum: ideoque Screatiæ, quæ de rerum essentijs differunt abstrahendo ab existentiâ, dicuntur esse de necessarijs, incorruptibilibus, & æternis: & adeò etiam non minùs hæc propositio, *Homo est animal rationale*, quàm hæc, *Homo est possibilis*, dicitur esse veritatis æternæ & immutabilis. Explicent ergo Authores 3. sententiæ locutiones hujusmodi circa essentiam, ut nos pariter eandem explicemus circa possibilitatem. Contra 1. & 2. sententiæ instantiam habes n. 22.. Præterea, non solùm possibilitas in abstracto, sed ipsa quòque denominatio *possibilis*, ut conveniens tum essentiæ, tum existentiæ creaturæ, dicitur æterna, & indefectibilis; cùm tamen per essentiam & existentiam ipsam constituatur. Vid. n. 27.. Item, illa capacitas aut indoles intrinseca, per quam essentia vel existentia hominis redditur subjectum idoneum denominationis *possibilis*, æterna est, & à Deo indestructibilis; cùm tamen indistincta sit ab ipsâ hominis essentiâ & existentiâ. Vid. n. 10.

33 Dum ergo dicitur, quòd possibilitas creaturæ *est necessaria, est æterna* &c., si verbum *est* sumatur per statum, locutio referenda est ad possibilitatem extrinsecam seu illativam, alioqui falsa erit, & omninò neganda, ex n. 24.: si verò tò *est* sumatur per ampliationem, aut alienationem à sono absoluto ad sensum conditionatum, ut re ipsâ sumitur frequentissimè; locutio vera est etiam relatu ad possibilitatem intrinsecam seu formalem; quia solùm significat, exclusionem contradictionis in creaturâ necessariam fore, si poneretur existentia, & ita quidem, ut nec à Deo sub eâ hypothesi posset impediri; fore item æternam, si existentia poneretur ab æterno, ut potuit, saltem in creaturâ permanente. In hoc autem sensu eadem attributa conve-

niunt

nunc essentiæ & existentiæ creaturæ. Solum est discrimen inter possibilitatem & existentiam quoad usum nominum: quia per nomen, *possibile*, vel *possibilitas*, juxtà communem usum denotatur sensus hypotheticus, licèt non exprimatur; secùs verò per nomen *existentia*, vel *existens*, quod potiùs importat sensum absolutum, nisi aliud expressè declaretur, vel nisi de existentiâ prædicetur suâ ipsius quidditas. Vid. n. 22.

34 Hinc, licèt simpliciter concedatur propositio ista, *Possibilitas est necessaria*; tamen simpliciter neganda est hæc, *Existentia est necessaria*; quia, tametsi loquantur de subjecto eodem, sensum præ se ferunt diversum, vel diversam acceptionem verbi *est*, juxta communem usum, cui standum est in concedendo vel negando simpliciter. Quare potiùs debet simpliciter concedi, quòd existentia creaturæ contingens sit, & defectibilis. Dum que objicitur, quòd necessarium identificari nequit cum contingenti: concede, si talia sint in eodem sensu, ideò, si utrumque absolutè, vel utrumque hypotheticè: nega verò, si alterum sit necessarium hypotheticè tantùm, & alterum contingens absolutè tantùm: nihil enim est absolutè contingens, quod non sit necessarium sub hypothesi, vel ex suppositione, juxta illud, *Omne, quod est, ex suppositione quòd sit, necesse est esse.*

35 Unde colliges, nihil verificari de possibilitate formali, quod non verificetur etiam de existentiâ, & é converso, dummodò utraque sumatur in eodem sensu. Et, cùm dicitur Deus esse liber circa existentiâ rerum, non circa possibilitatem; vel connecti metaphysicè cum possibilitate creaturæ, non cum existentiâ; vel cognoscere possibilia per scientiam simplicis intelligentiæ; res verò existentes non nisi per scientiam visionis: nulla datur entitativa distinctio inter possibilitatem & existentiam; sed sola innititur diversitas acceptionis objecti ejusdem, nunc in sensu hypothetico, nunc in absoluto; quæ diversitas juxta communem usum satis intelligitur per nomina ipsa *possibilitatis*, & *existentiæ*, nisi alia exprimatur intentio loquentis. Eadem igitur existentia hominis est libera Deo quoad exercitium essendi absolutè, & non est Deo libera quoad exercitium excludendi contradictionem quandocunque sit: non quòd hæc exercitia inter se distinguantur entitativè; sed quia una & eadem entitas hominis apta est terminare actum Divinæ libertatis absolutè decernentem, ut homo sit, simulque non est apta terminare alium Divinæ libertatis actum conditionaliter decernentem, ut, si homo sit, contradictionem excludat: ex quo solum sequitur, quòd eadem entitas est apta & non apta respectu diversorum actuum, quorum alter est possibilis, alter impossibilis libertati Divinæ.

36 Similiter, Deum connecti metaphysicè cum possibilitate hominis, non cum existentiâ, nihil est aliud, quàm Deum metaphysicè connecti cum entitate hominis per cónexionem, quæ habet modum inferendi conditionalé, & non connecti cum eâdem entitate per connexionem, quæ habeat modum inferendi absolutum; quæ posterior connexio est Deo impossibilis. Denique, nihil Deus cognoscit per scientiam visionis, quod non cognoscat per scientiam simplicis intelligentiæ, quamvis hæc ad plura objecta extendatur: sed quia scientiæ istæ diversum habent tendendi modum, altera scilicèt absolutum, altera hypotheticum: idcircò altera contingens est, altera necessaria, non obstante identitate objecti, quippe quod simul est absolutè contingens, & conditionatè necessarium, ut vidimus. Quamquàm conditionalitas (ut

hoc obiter moneam) non nisi fundamentaliter se tenet ex parte objecti; formaliter autem consistit in modo, quo tendit actus, & quem explicat particula *si*; quemadmodùm disjunctio, quam explicat particula *vel*, consistit formaliter in modo tendendi. Totam hanc doctrinam ut Adversarijs persuadeas, inculca instantias n. 32., illam præsertim, quæ sumitur ex idoneitate intrinsecâ existentiæ, ut denominetur *possibilis*: talis quippe idoneitas non est Deo libera, sed terminat connexionem Dei metaphysicam, & cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ; cùm tamen sit indistincta penitùs ab existentiâ ipsâ.

37 *Replic.*: causa efficiens actione suâ tribuit effectui existentiam, & non tribuit possibilitatem. Item, possibilitas effectûs præsupponitur ad agêdum, & quidem ut constitutiva potentiæ proximæ: non sic autem præsupponitur existentia. *Resp.*. Prior propositio complexa potest & solet concedi simpliciter: quia prima categorica sumitur communiter in sensu absoluto, secunda in hypothetico, ex dictis n. 33.: & mens ita loquentium est, quòd actio causæ efficientis ultimò determinat effectum, ut absolutè sit, non tamen ut ex suppositione quòd sit, contradictionem excludat; ad hoc enim effectus per se ipsum, vel per suppositionem ipsam essentialiter determinatur; & actio, quæ sub tali suppositione, vel hypothesi tenderet ad talem finem, foret essentialiter inutilis, sicut actio, quæ determinaret Petrum, ut ex suppositione quòd sit homo, sit animal rationale. De cætero, tam possibilitas, quàm existentia, per actionem tribuitur absolutè, & non tribuitur cõditionatè: id est, utraque terminat actionem determinantem modo absoluto, & utraque non terminat actionem aliam essentialiter inutilem & impossibilem, quæ determinaret modo hypothetico nunc explicato. Quare tota distinctio se tenet ex parte actionum, quæ connotantur. Ad alteram propositionem objectam negari debet quòd subjective & positive præsupponatur ad agendum possibilitas formalis, (illativa, consistens in potentiâ causæ, utique præsupponitur); solùm enim præsupponitur objectivè, & negativè, quatenùs in verificando propositionẽ hanc, *Si effectus existeret, excluderet contradictionem*, non dependet ab actione ut præsente. Negandum etiam, quòd sit constitutiva potentiæ proximæ, vel actûs primi proximi ad agendum: quàmvis enim impossibilitas, si daretur, foret impedimentum inamovibile, hoc tamen satis excluditur per possibilitatem illativam, quæ se tenet ex parte actûs primi.

38 *Replic.* iterùm: homo, nunquàm exiturus, ab æterno non solùm est possibilis conditionatè, sed etiam absolutè; non enim tantùm esset possibilis, sed est possibilis; nec tantùm posset, sed potest existere: non ergo solùm daretur ab æterno, sed absolutè datur possibilitas hominis. *Sed* verò, cur non infers, dari quòque absolutè ab æterno existentiam hominis, ex quâ ut ex subjecto constituitur denominatio *possibilis*? Vel cur non idẽ infers de passivâ idoneitate hominis, ut præ chimærâ reddatur ab æterno possibilis ab attributis Dei necessarijs? ad hoc enim non tantùm esset, sed est idoneus ab æterno; nec tantùm posset, sed potest reddi possibilis, siquidem absolutè redditur, ut contendis. Itaque ad *replic.* concedo totum, si sermo sit de possibilitate illativâ, & extrinsecùs denominante. Si verò sit sermo de immediatâ, & formali, *dist. Antec.*: non solùm *est* possibilis conditionatè, conditione per se inhibitâ in termino *possibilis*, *neg.*; conditione aliâ huic termino extraneâ, *conc. Antec.*, & etiam quòd talis homo est absolu-

soluté possibilis, si tò *absolutè* removeat conditiones extraneas, & accipiatur in sensu exposito n. 25.. Concedo pariter, quòd homo ille juxta communem loquendi modum non solùm esset, sed est possibilis, nec solùm posset, sed potest existere; quia verba *est*, & *potest*, vel referuntur ad denominationem extrinsecam, & potentiam causæ, vel non accipiuntur per statum. Nego tamen simpliciter *Consequ.* de possibilitate formali; quia præsefert positionem ejus exercitam ab æterno.

39 *Objic.* 2.: non existente Petro, datur de præsenti verificativum hujus propositionis, *Petrus est possibilis*, etiam loquendo de possibilitate formali: ergo datur de præsenti formalis possibilitas Petri. *Prob. Antec.*: quia de præsenti vera est illa propositio: ergo de præsenti datur ejus veritas, sive hoc, quod est, *ipsam esse veram*: sed in hoc includitur verificativum ipsius: ergo &c.. *Confirm.* 1.: de præsenti datur aliquid, quod non daretur de præsenti, si propositio illa de præsenti esset falsa: sed istud aliquid nequit esse aliud, quàm verificativum ejus: ergo &c.. *Confirm.* 2.: de præsenti non datur falsitas illius propositionis: ergo de præsenti datur carentia falsitatis, vel hujus, quod est, *ipsam esse falsam*: sed carentia ista est existentia verificativi, nimirùm possibilitatis Petri: ergo &c.. Hæc objectio (quam, sicut & alias hujus quæstionis, à nostris Authoribus inventas, avidè arripiunt Thomistæ contra determinativum Scientiæ mediæ) perspicuè instatur ex n. 10. in hac propositione, *Petrus præ chimerà est ex se aptus reddi possibilis ab attributis Dei necessarijs*, vel, *est subjectum ex se idoneum ad denominationem possibilis*. Item ex n. 17. in hac, *Hic homo est senex*, vel, *est posterior Adamo*, & *prior Antichristo*. Item in hac, *Papa existit Romæ*, Salmanticæ prolatâ. Vid. n. 17..

40 Deinde facilè solvitur ex dictis à n. 26. ad 30., negando *antec.*? Et in *probatione*, si tò *de præsenti* referatur ad modum enuntiandi, quo scilicet enuntietur objectum ut præsens, & verbum *est* sumatur per statum, *neg. Antec.*; sic enim falsa est illa propositio, *Petrus est possibilis*: si verò idem valeat, ac *in præsenti*, solùmque denotet, propositionem illam, prout ita exponibilem, *Si Petrus existeret*, *contradictionem excluderet*, in præsenti esse veram (quo sensu videtur Objectio loqui), *conc. Antec.*. Tum *dist. Consequ.*: de præsenti datur ejus veritas, &c., sumpto ly *datur* juxta indolem & naturam subjecti, *conc.*; aliter, *neg.*; &, concessâ *Min.* subsumptâ, *neg. ultim. Consequ.*. Dum sermo est de propositione conditionali, dari veritatem ejus, vel dari hoc, quod est, *ipsam esse veram*, est dari de præsenti actum enuntiantem objectum, sicuti esset, vel sicuti reipsâ daretur purificatâ conditione: quare veritas ista, vel istud, *esse veram*, est subjectum quoddam naturâ suâ constitutum ex actu, qui est, & ex objecto, quod esset: ac proinde, ut tale subjectum de præsenti detur juxta naturam suam, non debet in præsenti dari quidquid in eo constitutivè includitur, sed sufficit quòd actus detur de præsenti, & quòd objectum reipsâ daretur purificatâ conditione. Unde propositio reflexè dicens de conditionali directâ, *de præsenti est vera*, vel, *de præsenti datur ejus veritas*, est æquivalenter complexa, & ita exponibilis, *de præsenti existit actus*, & *objectum daretur sub hypothesi*, *sub qua enuntiatur*.

41 Ad 1. *Confirm.*: si loquamur de propositione illâ ut à Divino intellectu habitâ, concessâ *Majore*, ut jacet, *neg. Min.*: quia de præsenti datur, non solùm in aliis Dei attributis, sed etiam in eo ipso actu veritas radicalis, seu connexio metaphysica cum

objecto, & cum veritate formali; quæ connexio non daretur pro casu falsitatis, & est aliud quid à verificativo actûs objectivo. Si autem loquamur de propositione intellectûs creati, quæ non connectatur intrinsecè cum objecto; vel si *Major* reformetur hoc pacto, *De præsenti datur aliquid à propositione distinctum, & ex parte objecti se tenens, quod non daretur* &c.; sic *neg. Maj.*; quia, licèt de præsenti detur, *ipsum esse verum*, quod non daretur pro casu falsitatis; hoc tamen non importat constitutivè aliquid præsens ab actu distinctum; sed importat actum præsentem, & addit objectum, non quod jam sit, sed quod sub hypothesi esset sicut enuntiatur. Exemplo sit actus iste, *Petrus est posterior Adamo*, qui de præsenti verus est, quàmvis non detur de præsenti aliquid ex parte objecti verificativi se tenens, quod non daretur de præsenti, si nunc esset falsus: foret enim falsus absque intrinsecâ rerum præsentium mutatione, dummodò Adamus non extitisset ante Petrum.

42 Ad 2. *Confirm.*, admisso Enthymemate, *neg. Min.* subsumpt.: tum quia, loquendo de propositione Divinâ, carentia falsitatis ejus consistere potest in existentiâ propositionis ipsius, quæ essentialiter à se excludit falsitatem: tum quia, licèt carentia falsitatis sumatur pro carentiâ objecti falsificativi, carentia ista, quatenùs data de præsenti, ac per statum, non est existentia verificativi, nimirùm possibilitatis Petri, sed est pura negatio, vel purum non esse falsificativi. *Dices*: falsificativum illius actûs est aut esset impossibilitas Petri: sed carentia hujus impossibilitatis est possibilitas: ergo &c.. *Dist. min.*: carentia hujus impossibilitatis, formaliter excludens eam à Petro ex hypothesi, vel pro casu existentiæ Petri, *conc.*; formaliter excludens eam à statu existentiæ absolutè & independenter à casibus, aut conditionibus, *neg. Min.* & *Consequ.*: quàmvis enim possibilitas Petri non actu existat, ejus tamen impossibilitas absolutè non est, nec existit in rerum naturâ; adeòque formaliter excluditur à statu existentiæ per carentiam sui purè negativam, absolutè ac de præsenti datam (si carentiæ sic dari possint), vel per suam non esse absolutè. Sic, licèt essentia hominis pro casu existentiæ sit carentia identitatis sui cum non-homine, tamen independenter à casibus, & ab essentiâ hominis de præsenti positâ, nunc & semper datur absoluta carentia identitatis hominis cum non-homine, ideſt, nunquam datur identitas ista in statu existentiæ. Exemplum etiam habes in carentiâ ineptitudinis intrinsecæ homininis, ut ab Omnipotentiâ denominetur *possibilis*.

43 *Dices* iterùm: quo tempore non datur propositionis falsitas, datur veritas. Hoc absolutè *nego*: quia, si propositio non existat, tum temporis nec datur falsitas, nec veritas ejus. Immò, licèt existat actus, & simul detur carentia falsitatis consistens in carentiâ objecti falsificativi, non eo ipso dari debet tunc per statum veritas, qua parte includit objectum verificativum: si enim propositio non loquatur de tali tempore præsenti, nec est vera, nec falsa relatè ad objectum prout hoc tempore positum, aut non positum: sicut hæc, *Homo existit*, nec vera est, nec falsa circa lapidem; quia de lapide non loquitur: & ob eamdem rationem hæc, *Petrus comèdit heri*, nec vera, nec falsa est relatè ad comestionem hodiernâ. Cùm ergo propositio hypothetica, de qua disputamus, non loquatur de tempore, quod est, sed quod esset positâ conditione, poterit nunc non esse falsa per statum, quin ideo detur per statum veritas ejus secundùm obliquum: tametsi dicatur simpliciter dari nùc veritas hujusmodi, quia veritas actûs hypothetici, simpliciter dicta, non im-

por-

portat omnia sui constitutiva per statum; sicut nec falsitas, huic veritati oppositâ, per statum importat constitutiva omnia, cùm pariter constituenda sit ex falsificativo, quod esset.

44 Hinc actus hypotheticus præsens non eximitur à falsitate oppositâ suæ veritati per carentiam falsificativi præcisè ut datam de præsenti; potest enim, nisi aliud obstet, cum tali carentiâ ut nunc datâ stare falsitas constituta per falsificativum, quod esset: eximitur ergo per illam carentiam ut ex hypothesi dandam, sive ut resultaturam ex purificatione conditionis. Si fortè inferas: ergo nihil datur de præsenti, quo talis actus eximatur à falsitate hujusmodi. *Dist. Consequ.*: si loquaris de actu Divino, *neg.*; nam hic satis eximitur per suam veritatem radicalem: si de humano, qui non sit radicaliter verus, *conc. Consequ.* ex n. 41., ubi soluta est eadem difficultas cum solâ differentiâ terminorum. Ob rationem consimilem potest stare veritas actûs hypothetici cum carentiâ verificativi ut absolutè ac de præsenti datâ; quia non pugnat cum tali carentiâ utcùmque, sed ut supponente purificatam conditionem. Certè non magis repugnat ex terminis, quòd veritas actûs conjungatur cum carentiâ verificativi, quàm quòd connexio metaphysica cõjungatur cum carentiâ termini: & tamen connexio metaphysica Omnipotentiæ cum idoneitate passivâ hominis, ut reddatur possibilis, vel cum resultantiâ malitiæ peccati sub conditione quòd homo cum advertentiâ prohibitionis liberè mentiatur, ab æterno conjungitur cum carentiâ termini.

45 *Objic.* 3.: de præsenti, absolutè, ac per statum deficit verificativum hujus actûs, *Petrus non est possibilis* (sit sermo de Petro nunquam exituro): ergo de præsenti, absolutè, ac per statum adest verificativum hujus contradicentis, *Petrus est possibilis*, quod est possibilitas Petri. Consequentia patet: tum quia nequit eodem sensu & tempore deficere verificativum utriusque actûs contradictorij; cum debeat alteruter esse verus: tum quia verificativum prioris negantis esset defectus possibilitatis; deficere autem hunc defectum, est adesse possibilitatem ipsam, in quâ consistit verificativum posterioris affirmantis. Antecedens verò non minùs est perspicuum: tum quia foret alioqui verus ejusmodi actus: tum quia verificativum ejus est chimæra; & omnis chimæra deficit de præsenti, absolutè, ac per statum. *Confirm.* 1.: formalis defectus possibilitatis, id est, *non-possibilitas*, absolutè ac de præsenti non datur; alioqui verè diceretur, *Petrus absolutè non est possibilis*: ergo contradictorium ejus absolutè ac de præsenti datur; nam quo sensu non datur unum contradictorium, datur alterum. At cõtradictorium illius defectûs est possibilitas formalis. *Confirm.* 2.: Petrus non est nunc absolutè impossibilis: ergo est nunc absolutè possibilis; quo enim modo non est impossibilis, est possibilis. Vel *aliter*: nunc deficit absolutè, & independenter à conditionibus, impossibilitas Petri: ergo eodem pacto existit possibilitas ejusdem; alioqui simul deficerent absolutè duo contradictoria. *Confirm.* 3.: absolutè repugnat Petrum esse chimæram: ergo absolutè datur repugnantiâ identitatis Petri cum chimærâ. At hæc repugnantia est ipsamet formalis possibilitas Petri.

46 Hæc *objectio*, quæ repetitio est præcedentis sub alijs terminis, non difficulter solvitur ex dictis. Inprimis illa propositio, *Petrus non est possibilis*, negare potest possibilitatem extrinsecam, seu radicalem; atque ita ex ejus falsitate solùm sequitur, quòd existit Omnipotentia. Deinde potest negare possibilitatem intrinsecam per statum; & hoc sensu omninò vera est

non

non existente Petro, ut notavimus n. 24. nec ejus verificativum deficit, quia verificatur per carentiam, seu non existentiam Petri. Denique, si accipiatur, ut assolet, in sensu hypothetico, & æquivaleat huic, *Si Petrus existat, implicabit*, seu, *non excludet contradictionem*; sic ad *object.*, concesso *Antec.*, *neg. Consequ.*: quia verificativum actûs negantis est aut esset contradictio prædicatorum Petri pro casu existentiæ, supponens videlicet existentiam, & illi coexistens, aut conjuncta; quę contradictio utique deficit de præsenti, quando deficit existentia Petri; non enim datur contradictio conjuncta cũ existentiâ, quando non datur existentia. At non ideò sequitur, de præsenti dari verificativum actûs affirmantis in eodem sensu hypothetico: quia verificativum hoc est exclusio cõtradictionis pro casu existentię Petri, ac proinde conjuncta cum tali existentiâ: ex eo autem, quòd non detur de præsenti contradictio conjuncta cum existentiâ Petri, non sequitur dari de præsenti exclusionem contradictionis cum eâdẽ existentiâ conjunctam; quando enim existentia non datur, nec contradictio, nec exclusio cõtradictionis cum eâ cõjungitur. Sic, ex eo quòd non detur nunc Antichristi carentia conjuncta cũ existentiâ Adami, non sequitur dari nunc existentiam Antichristi cum Adami existentiâ conjunctam.

47 Ad 1. probationem *Consequ.*: non potest quidem simul deficere verificativum utriusque actûs contradictorij pro tempore vel casu, pro quo enuntiatur objectum: potest tamen pro alio tempore, aliove casu, pro quo non enuntiatur. Objectum autem illorum actuum, quatenùs hypothetice significantium, non enuntiatur pro tempore absolutè præsenti, nec pro casu non existentię Petri: unde neuter actus est verus, nec falsus, relatè ad ale tempus, talemvè casum: nec prior ille, *Petrus non est possibilis*, falsificatur per defectũ verificativi præcisè ut nunc datum, sed ut conditionatè dandum, videlicet pro tempore vel casu existentię Petri, si hæc poneretur. Relege dicta n. 43. & 44.. Ad 2. *prob.*: verificativum actûs negantis, hypotheticè sumpti, non est defectus possibilitatis ut nunc absolutè datus, & independens ab hypothesi existentię Petri; nam defectus iste non deficit, sed datur de præsenti, cùm idem sit, ac defectus existentię per statum; nec illa propositio esset falsa, sed contingenter vera, si de hoc defectu loqueretur. Illud ergo verificativum consistit, aut consisteret in defectu possibilitatis (idest, in contradictione prædicatorum) ut posito ex suppositione existẽtiæ, adeòque ut conjuncto cum existentiâ Petri: deficere autem nunc talem defectum, non est adesse nunc possibilitatem ut verificativam actûs affirmantis; sicut deficere nunc defectum Antichristi ut conjunctum cum existentiâ Adami, non est adesse nunc Antichristum ut cum Adami existentiâ conjunctam.

48 *Ad 1. Confirm. dist. Antec.*: de præsenti non datur formalis defectus possibilitatis, absolutus, sive independens à suppositione existentiæ, *neg.* (nam hic defectus, non existente Petro, datur de præsenti; verèque dicitur, *Petrus absolutè nõ est possibilis*, sumpto *est* per statum); formalis defectus possibilitatis, ut supponens existentiâ Petri, & cum eâ conjunctus, *conc. Antec.*. Sed *dist. Consequ.*: de præsenti datur contradictorium ejus absolutum, quo nimirùm excludatur absolutè à rerum naturâ, *transeat*; contradictorium ejus conditionatum, quod nempe solùm ipsi opponitur ex suppositione, *neg. Consequ.*: & hoc tantùm secundo modo formalis possibilitas contradictorié opponitur non-possibilitati. Si quæras, quodnam sit contradictorium illius defectûs absolutum? Inprimis

suf-

sufficere posset carentia existentiæ Petri: per hanc enim carentiam satis excluditur defectus possibilitatis ut cum existentia Petri conjunctus. Deinde, quæcumque defectus iste, sic acceptus, chimæra est, & omnis chimæra necessariò & pro omni tempore deficit, seu non datur in rerum naturâ, contradictorium ejus in hoc sensu poterit esse pura carentia, seu purum non esse formale talis chimæræ, ut jam diximus n. 42.: quæ carentia quoad suum esse negativum necessaria erit, eo sensu, quo necessaria dicitur carentia hircocervi.

49 Porrò dictum illud, *Quo sensu non datur unum contradictorium, datur alterum*, à multis negatur absolutè: quia ex eò crudè sumpto plura sequuntur falsa, & absurda. V.g. quòd, si non datur existentia hominis independenter à voluntate Dei, dabitur carentia hominis independenter à voluntate Dei: si Dei existentia non datur contingenter, dabitur contingenter carentia Dei: si non datur Petrus existens in sensu composito chimæræ, dabitur carentia Petri existens in eodem sensu composito: si non datur hodiè formalis defectus existentiæ meæ prout duraus heri, dabitur hodiè existentia mea prout heri durans: si non datur carentia hominis caudata, dabitur homo caudatus. Fieri ergo potest, ut unum ex contradictorijs non detur cũ aliquo modo, vel additamento, quin ideò detur alterum cum eodem additamento, vel modo. Præterea falsò supponitur, dari contradictoria rerum objectiva, ideſt, carentias, aut defectus formales, habentes quoddam esse negativum indepẽdenter à fictione intellectûs: carentias enim istiusmodi rejicimus disp. ult.. Modò tamen vulgatem hunc loquendi morem permittimus: & juxta illum assignavimus n. 42. & 48. contradictorium absolutum defectûs chimærici possibilitatis, quod nempè dari debet omni tempore, quo non datur ille defectus.

50 *Ad 2. confirm.*, concesso *Antec.*, *nego Conseq.*, loquendo de possibilitate formali Petri non existentis, & accipiendo verbum *est* per fictum. Sicut enim Petrus, dum non existit, non est absolutè irrationalis, nec immortalis, nec immobilis, nec cœcus, nec indoctus, quin ideò absolutè ac per fictum sit rationalis, aut mortalis, aut mobilis, aut videns, aut doctus ita &c.. Ad verè affirmandum absolutè ac de præsenti prædicatum aliquod, requiritur constantia subjecti: non autem ad verè negandum. Nec verum est, quòd Petrus eo modo est possibilis, quo non est impossibilis, nisi addatur, *ex suppositione quòd existat*: sicut non nisi cum hoc addito verum est, quòd eo modo est mortalis, aut mobilis, quo non est immortalis, aut immobilis. Nec prædicata *impossibilis*, & *possibilis*, sunt contradictoria independenter à suppositione, sed solùm contraria; cùm possint ambo simul deficere non existente subjecto; ut patet ijsdem exemplis.

51 Hinc ad alteram *Confirmationis* formam, concesso etiam *Antec.*, *neg. Conseq.* cum ratione subjunctâ. Non enim possibilitas & impossibilitas contradictoriè opponuntur independenter à conditione, tanquàm res, & pura negatio ejus, vel tanquàm purum non esse, & esse rei. Nam possibilitas, licèt explicetur per *non implicantiam* contradictionis, reipsâ conceptus est positivus, seu positiva conceptus contradictionis exclusio, utpotè consistens in convenientiâ vel identitate prædicatorum rei: impossibilitas autem, cũ sit contradictoriorum simultas, non est conceptus merè negativus, sed mistus ex negativo & positivo, ideſt, ex esse & non esse simul datis. Dicuntur tamen contradictoriè opponi pro casu existentiæ subjecti, quia pro casu isto nequeunt simul adesse, nec simul abesse;

esse; qualiter opponuntur, existente Petro, rationalitas & irrationalitas ejus, aut mortalitas & immortalitas: vel qualiter opponuntur in Petro hi quo conceptus, *esse album*, *esse simul & non esse album*; qui pro casu recepto nis albedinis nequeunt verè negari simul, nec affirmari; quàmvis absolutè possint ambo simul deficere, ideòque absolutè solùm habeant oppositionem contrariam.

52 *Ad 3. Confirm. dist. Antec.*: absolutè repugnat &c., repugnantiâ extrinsecâ, seu radicali, *conc.*; repugnantiâ intrinsecâ, seu formali, *subdist.*: si ito *absolutè* referatur ad casum existentiæ Petri, *conc.*; si à casu isto præscindat, *neg. antec.*, & pariter *Consequ.*, si loquatur de repugnantiâ formali, dum non existit Petrus. Sicut hæc propositio, *Petrus est absolutè possibilis*, potest juxta communem intelligentiam hoc sensu exponi, *Petrus, quandocunque existat, absolutè excludet contradictionem*; ita & hæc (quæ idem significat), *absolutè repugnat Petrum esse chimæram*, exponi poterit hoc pacto, *Petrus, quandocunque existat, absolutè repugnabit identitati sui cum chimærâ*. Sic autem exposita, vera est; secùs verò, si denotet, absolutè ac de præsenti dari repugnantiam intrinsecam Petri, ut sit chimæra. Petrus enim per id repugnat intrinsecè identitati cum chimærâ, per quod est ens reale, atque adeò per suam essentiam & existentiam; quæ certè non datur absolutè, cùm Petrus non existit.

53 Poteris etiam, si lubet, aliter distinguere *Antec.*, sic nimirum: absolutè repugnat Petrum esse chimæram, repugnantiâ meræ negativâ (consistente scilicet in carentiâ necessariâ identitatis Petri cum chimærâ, quam carentiam respectu chimæræ cujuslibet admittimus n. 48.), *transeat*; repugnantiâ positivâ, quæ sola est possibilitas Petri, *neg. Antec.*, & sub eâd. distinctione *Consequ.*. Denique meminеris, totam hanc objectionem cum probationib. & confirmationib. evidenter instari ex n. 10. in capacitate vel idoneitate intrinsecâ Petri, ut sit subjectum denominationis *possibilis*. Pariter enim deficit absolutè ab de præsenti verificativum hujus actûs, *Petrus non est subjectum ex se aptum denominari possibile*: dabitur ergo de præsenti verificativum actûs contradicentis. Idem invenies applicando reliquas arguendi formulas ad aptitudinem, aut ineptitudinem, ut Petrus præ chimærâ aptam denominationem habeat *possibilis*, aut *impossibilis*.

54 *Obj.* 4.: impossibilitas chimæræ non identificatur cum chimærâ: ergo nec possibilitas Petri cum Petro. *Prob. Antec.*: impossibilitas chimæræ est possibilis: ergo nihil possibile identificatur cum chimærâ: ergo &c. *Prob. Maj.* 1.: quia possibilitas chimæræ est impossibilis: ergo impossibilitas ipsius est possibilis. 2.: quia possibile est chimæram esse impossibilem, immò hoc est penitùs necessarium. 3.: quia, si chimæræ impossibilitas esset impossibilis, chimæra ipsa foret possibilis; sicut Petrus verè possibilis est, quia impossibilitas ejus est chimærica: & generatim possibile est id, cujus impossibilitas est impossibilis. *Hoc* etiam argumentum instantiam habet in passivâ incapacitate chimæræ, ut accipiat denominationem *possibilis* ab attributis Dei necessarijs. Nam talis incapacitas non identificabitur cum chimærâ, sed erit possibilis: tum quia capacitas chimæræ ad illam denominationem est impossibilis: tum quia possibile, immò necessarium est chimæram esse ita incapacem: tum quia, si talis incapacitas impossibilis esset, chimæra esset possibilis, ut patet eodem exemplo Petri &c..

55 Pro responsione notandum, quòd etiam impossibilitas chimæræ, alia est extrinseca, seu illativa, con-

consistens in Omnipotentiâ & aliis attributis Divinis; & de hac ultrò concedimus quidquid objectio intendit: alia verò est intrinseca, sive formalis, & immediata, consistens in essentiâ chimæræ, id est, in simultate duplicis contradictorij, sive in contradictione prædicatorum simultaneâ, qua simul cum conjungantur esse & non esse, vel alia prædicata saltem virtualiter contradictoria: negari enim haud potest, quòd talis conjunctio, vel simultas, ratione sui est impotens existere, sicut est incapax denominari *possibilis* ab aliquo Divino. De hac ergo immediatâ impossibilitate loquendo, *neg. Antec.* objectionis. Ad *prob. neg. Maj.*, quin obstent adjuctæ probationes. *Ad* 1., cõcesso *Antec.*, *neg. Consq.*: &, præter instantiam nuperam, instio sic: Exclusio contradictionis in chimærâ est impossibilis (alioqui posset chimæra excludere contradictionem): ergo contradictio prædicatorum in chimerâ est possibilis. Eu consequentiam eodem jure deductam, & tamen ab omnibus negandam, nisi velint, ut essentia chimeræ sit possibilis. Idem autem sonat in chimærâ possibilitas, & exclusio cõtradictionis; idemque est impossibilitas, & contradictio prædicatorum. Impossibilis ergo est in chimærâ tam impossibilitas, quàm possibilitas; altera, quia est contradictio, vel conjunctio contradictoriorum; altera, quia est exclusio contradictionis à contradictione. Neque id mirum esse debet in subjecto chimærico, seu contradictionibus scatente.

56 *Ad* 2.: modalis illa, *possibile est*, vel, *necessarium est* &c., potest absolutè concedi; quia communiter accipitur in sensu illativo, in hoc scilicet, *possibile ac necessarium est aliquid, ex quo infertur chimæram esse impossibilem*, vel, *possibilis ac necessaria est connexio extrinseca cum impossibilitate chimæræ*; quo sensu verificatur per Omnipotentiam. Si tamen significet, hoc objectum, *chimæram esse impossibilem*, habere in se ipso possibilitatem, aut necessitatem aliquam positivam, vel tali objecto convenire immediatè prædicatam *possibilis*, aut *necessarij*; neganda est, sicut eodem sensu negari debet hæc illi æquivalens, *possibile ac necessarium est in chimerâ conjungi duas contradictorias*; in hoc enim *conjungi* stat essentia ipsa chimæræ, quæ certè non est necessaria, nec possibilis. *Dices*: chimeræ convenit saltem necessitas non existendi, vel necessitas implicandi cõtradictionem, si existat; ideóque propositio hæc, *si chimæra existeret, implicaret contradictionem*, est necessariò vera. *Resp.*: hæc est necessitas pure negativa, quæ idem valet, ac non possibilitas existendi, vel excludendi contradictionem, si existeret; quæ non possibilitas minimè fundatur in prædicato verè reali (sicut in Deo non possibilitas mentiendi fundatur in attributo veracitatis), sed in contradictione prædicatorum. Nec alia necessitas ex parte objecti requiritur, ut propositio illa sit necessariò vera.

57 *Ad* 3., nego sequelam. Et pronuntiatum illud, *Possibile est id, cujus impossibilitas est impossibilis*, distinguo: cùm sermo est de objecto, cujus conceptus essentialis est distinctus à cõtradictione prædicatorum (ut evenit in Petro, & quovis alio ente reali), *concedo*: cùm de objecto, cujus conceptus essentialis in contradictione ipsâ consistit (ut accidit in chimærâ), *neg.*: tunc enim id, cujus impossibilitas est impossibilis, est id, cujus essentia est impossibilis, cùm impossibilitas sit essentia ejus. Quæro abs te, an conjunctio contradictoriorum in chimærâ sit impossibilis? Si neges: ergo non erit impossibilis essentia chimeræ, quæ in tali conjunctione consistit. Si affirmes: ergo chimæra erit possibilis, sicut possibilis est Petrus, quia in eo impossibilis est conjunctio contradictoriorum.

58 Ad extremum observanda sunt consectaria quædam ex dictis. 1.: essentia, existentia, & possibilitas formalis creaturarum, ab æterno distinguuntur à Deo, non tamquam eus ab ente, sed tamquam id, quod non est, ab eo, quod est, distinctione scilicet negativâ ex parte creaturarum. 2.: ab æterno possibilitas, aut essentia Petri non fuit actu, exercitè, ac positivè diversa à possibilitate, vel essentiâ leonis; nec tamen fuit eadem; sed fuit distincta negativè, ideſt, non identificata: quod omnes dicere tenentur in existentijs Petri, & leonis. Immò nec possibilitas Petri ab æterno distincta fuit actualiter positivè à chimerâ, sed negativè tantùm, quatenùs non fuit chimæra; vel etiam conditionaliter positivè, quatenùs si Petrus ab æterno existeret, ab æterno distingueretur positivè à chimerâ. Si hinc inferas: ergo Petrus ab æterno non fuit potiùs possibilis, quàm impossibilis. Negandum est simpliciter Consequentia, propter dicta n. 25. & 38.. Si tamen de possibilitate intrinsecâ loquaris, & verbum *fuit* accipias exercitè, vel sine ampliatione, quâ per se denotat ac petit prædicatum *possibilis*, concedo *Consequ.*: nam hoc sensu nec homo ab æterno fuit potiùs rationalis, quàm irrationalis, nec existentia humana fuit potiùs actus essendi hominis, quàm hircocervi, cùm neutrum reddiderit existentem.

59 3.: carentia existentiæ Petri est etiam carentia essentiæ & possibilitatis formalis in sensu absoluto, seu non hypothetico: quo sensu, quoties verificatur Petrum non existere, verificatur etiam non esse hominem, nec intrinsecè ac formaliter possibilem: quamquàm hoc posterius, ut sæpè notavimus, communiter non profertur in eo sensu. 4.: præter carentiam existentiæ, quæ dici potest contradictorium possibilitatis absolutum, aliud contradictorium conditionatum correspondet possibilitati hypotheticè sumptæ (ideſt, ex suppositione existentiæ), videlicèt impossibilitas; quæ tamen ex n. 51. non est pura carentia, sed conceptus mistus ex positivo & negativo. 5.: similiter impossibilitas duo habet contradictoria: alterum, quo excluditur à Petro hypotheticè, nempe sub hypothesi existentiæ Petri; & hoc est ipsa Petri possibilitas: alterum, quo absolutè ac semper excluditur à statu existentiæ; & hoc est pura carentia necessaria, vi cujus independenter ab existentiâ Petri verificari potest absolute ac per statum propositio hæc, *Petrus non est impossibilis*, vel hæc, *Non repugnat Petrum existere*, si nempe idem sonent, ac, *Non existit impossibilitas Petri*, *Non datur repugnantia Petri ad existendum*.

60 Addo, propositiones istas posse verificari, seclusâ carentiâ necessariâ, per existentiam & carentiam absolutam Petri vagè sumptas. Cùm enim impossibilitas Petri sit constitutum quoddam ex esse & non esse simul positis, satis excluditur sive per purum esse, sive per purum non esse Petri: generatim quippe constitutum simultaneum excluditur per contradictorium cujuslibet constitutivi, sicut homo per carentiam unionis. Aliundè verò, licèt tam existentia, quàm carentia Petri, determinatè sit contingens, vagè tamen necessaria est alterutra; quia nequit utraque simul deficere. *Dices*: necessitas vaga, ut Petrus vel purè existat, vel purè non existat, est ipsa possibilitas Petri; nec tamen cum eo identificatur. *Resp.*: necessitas ista, quatenùs formaliter vaga, consistit in cognitione Dei necessariâ; quia, sicut conditionalitas, ita & vagitas, referenda est ad modum tendendi actûs intentionalis: sumpta verò fundamentaliter & objectivè, consistit in essentiâ entis realis; quæ, cùm non sit chimæra, necessariò falsificat hanc propositionem, *Petrus simul est & non est*, adeòque necessariò verificat hanc,

Ibi-

*Petrus vel est, vel non est.* Addo præterea, multò expeditiùs argumenta contraria solvi negando carentias, seu puras negationes objectivas, sicuti reipsâ negari debent. Quare, cùm dicitur, deficiéte re dari contradictorium ejus, negãdum est suppositum: & cùm quæritur, non existente Petro, verificativum hujus actûs, *Petrus absolutè non est impossibilis*, vel, *absolute non habet repugnantiam existendi*, respondendum, illud consistere in ipsâ repugnantiâ vel impossibilitate Petri, quę absolutè non datur, nec dari potest. Vid. Disp. ultim.

## CAP. IV.

### *Utrùm existentia realiter distinguatur ab essentiâ in ente creato?*

61 Essentia rei est complexio sive identitas prædicatorum, per quæ res definitur: existentia verò est actualitas, per quam essentia ipsa est actu ens, & actu aliquid in rerum naturâ, seu per quam verificatur propositio de secundo adjacente, *Essentia est*: unde *existentia* idem sonat, ac *esse rei*, qua voce fere semper utuntur Veteres. Dicitur etiam modus existentię creatę, rem ponere formaliter extra causas; quia rem constituit actu distinctam à causis suis: *formaliter*, inquam; nam *vialiter* ponitur effectus extra causas per causalitatem, sive actionem, quæ tamen non est existentia effectûs, nisi cum addito *vialis*. Existentiam creaturæ præcedit status possibilitatis: qui status, præter potentiam causę, nempe Dei, non importat positivum aliquid præsens, sed solum carentiam rei, non esse rei, nihil rei, etiá quãtùm ad essentiam, seu quidditatem; quia, ut ajebat D. Thomas suprà n. 3., *Quidditas, antequam esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia.* In hoc statu res dicitur *puré* possibilis, id est, ita potens esse aliquid, ut de præsenti nihil sit *potens*, inquam, per potentiam Creatoris, quæ sola est præsens in eo statu; non enim possibilitas intrinseca, sicut nec essentia creaturę, antequàm existat, statum habet ratione sui, aut est in se aliquid, ex dictis quæst. præced.. Relege verba D. Thomę suprà n. 24.

62 Hoc ipsum significat, rem esse *in potentia tantùm*, aut esse *in purâ potentia objectivâ*: idem quippe valet, ac rem esse in potentiâ causæ, & non in se. Ubi notandum, quòd potentia causæ, quia pro objecto respicit effectum, dicitur ipsius effectûs *potentia objectiva*, sicut repræsentatio cognitionis dici solet *esse objectivum* sui termini. Potest insuper accipi bifariam potentia objectiva: 1. pro intrinseca possibilitate rei, quatenùs objectâ intellectui per cognitionem hypotheticam, *si res existeret, non implicaret &c.*: 2. pro non repugnantiâ merè negativâ, seu pro mero non esse repugnantiæ rei ad existendum; verè etenim creatura, in sensu puré negativo dicitur non repugnans absolutè, antequam existat; eo quòd absolutè non detur, nec dari possit repugnantia ejus, utpote chimærica. Sed utroque isto sensu potentia objectiva cum addito *puré*, importat carentiam seu nihil rei pro tali statu.

63 Hinc vides, statum possibilitatis, & statum existentię, adeò inter se opponi, ut alter importet rem, alter nihil rei. Vides etiam, cur essentia actualis, vel, quod idem sonat, essentia existens, dicatur distingui à se ipsâ ut puré possibili, tanquam ens à non ente, vel tanquam aliquid à nihilo: videlicet, quia ipsa, ut puré possibilis, non est in se ens, nec aliquid; immò nec est illa ipsa, quæ postea fit actualis; quia non exercet identitatem cum ipsa; ideòque à se actuali distinguitur negativè. Quæstio igitur in præsentiâ non est, an existentia distinguatur ab essen-

essentiâ ut purè possibili, vel prout in statu possibilitatis, vel prout in potentiâ tantùm, aut in potentiâ purè objectivâ? De hoc enim dubium esse non potest; nisi forte apud eos, qui rerum essentijs tribuunt actualitatem aliquam ab æterno. Solum itaque dubium est, an existentia realiter distinguatur ab essentiâ actuali, & extra causas positâ, quæ verè jam est, & quando est; ita ut in Angelo v. g. jam producto & physicè existente dentur entitates duæ realiter distinctæ, quarum altera sit essentia, quæ denominatur existens ut *quid*, altera existentia, quæ sic denominata? Vel alijs terminis, an essentia, quæ existit, distinguatur realiter ab existentiâ, quâ existit? vel etiam, an in se physicè existente realiter distinguatur, *quod est*, & *qua est*?

64 Hoc sensu partem affirmantem amplectuntur universi Thomistæ; quorum aliqui essentiam ab existentiâ distingunt tanquàm rem à modo, qualiter corpus distinguitur à præsentia locali; plerique tamen apud Martinez de Prado 1. p. Met. contr. 7. n. 75. distinctionem asserunt utrimque realem, seu rei à re. Partem verò negantem defendunt Scotistæ omnes cù Scoto apud Mastr. d. 8. Met. q. 2. ar. 2. (quamquàm hi suam inventam distinctionem formalem ex naturâ rei), Nominales item omnes, & Nostri ferè omnes cum P. Suar. disp. 31. Met. per totam. Pars illa negans, quæ mihi vera est, *probatur* sic. Essentia per id formaliter existit, per quod est actu ens, & actu aliquid; sed per se ipsam, non per aliud à se distinctum, est actu ens, & actu aliquid: ergo per se ipsam, non per existentiam à se distinctam, formaliter existit. *Consequentia* est legitima, & *Major* omninò certa: tum quia idem sonat *ens actu*, & *existens*, maximè apud D. Thomam: tum quia in propos. illâ, *Homo est actu ens*, continetur hæc, *Homo est*; non enim *ens actu* est prædicatum distrahens aut alienas vim copulæ, seu verbi.

65 *Prob.* ergo *Min.*: essentia, quæ existit, per id est actu ens, & actu aliquid, per quod discernitur à purè possibili, desinitque esse in potentiâ tantùm, aut in statu possibilitatis; nam ens in actu, & ens in potentiâ tantùm, immediatè opponuntur; nec status possibilitatis in creaturâ definit formaliter, nisi per statum existentiæ: sed essentia, quæ existit, per se ipsam discernitur à purè possibili, desinitque esse in potentiâ tantùm: ergo &c. *Prob. Min.*: essentia creaturæ, quæ existit, per se ipsam discernitur à potentiâ Divinâ, ut patet: item per se ipsam desinit esse nihil, & discernitur à nihilo sui, alioqui non discerneretur per se ipsam à non ipsâ: sed hoc est formaliter discerni à purè possibili, desinereque esse in potentiâ tantùm, siquidem ex prænotatis n. 61. & 62. purè possibilitas, & status entis in potentiâ tantùm, constituitur ex nihilo quidditatis creaturæ conjuncto cum Divinâ potentiâ: ergo, &c.

66 *Urgetur* 1. essentia Angeli per id existit, per quod est formaliter extra causas, nimirum extra Deum, jam enim eo ipso non est in potentiâ tantùm, adeoque est ens in actu: sed hoc habet formaliter per se ipsam: ergo. *Prob. Min.*: essentiam Angeli esse extra Deum, est esse aliquid à Deo distinctum, seu esse aliud à Deo: nam quamdiù est tantùm intra potentiam Dei, non est aliud à Deo, sed est Deus ipse: at essentia illa formaliter per se ipsam est aliud à Deo, cùm Angelus à Deo distinguatur essentialiter: ergo formaliter per se ipsam est extra Deum. Vel *aliter*: quidditas Angeli, quando existit, per se ipsam est essentia creaturæ, & non est essentia creatrix. Quid evidentius? Talis ergo quidditas per se ipsam excludit statum, in quo non habet esse: nam creaturæ *quidditas, antequam*

quòm esse habeat, *non est creatura, sed creaturæ essentia*, ut dixerat ajebat D. Thomas, allegatus n. 61. Atqui status, in quo quidditas non habet esse, non excluditur formaliter, nisi per esse quidditatis ipsius: ergo talis quidditas per se ipsam est suum esse.

67 *Urgetur* 2.: essentia hominis existentis, per se ipsam est verè & propriè animal rationale, cùm sit per se ipsam verè & propriè quidditas hominis: ergo per se ipsam est verè & propriè res, aliquid, ens, cùm hæc prædicata in animali rationali formaliter includantur; ergo per se ipsam formaliter excludit statum, in quo non sit verè & propriè talia prædicata. Sed hic est status non existentiæ: hanc ergo statum (qui certè non excluditur, nisi per existentiam) excludit formaliter per se ipsam essentia hominis. *Prob. Min.* subsumpt.: quia essentia creaturæ, quâtenus non existit, non est verè & propriè res, aut ens, aut aliquid; alioquin ab æterno essent prædicata illa verè & propriè, ac proinde Deus non creasset Mundum ex nihilo, sed ex vera re, ex vero ente, ex aliquo propriè tali. *Urgetur* 3.: essentia creaturæ, quæ existit, per se ipsam est bona bonitate transcendentali, cùm hæc bonitas cum reliquis attributis entis includatur in omni essentiâ reali: ergo per se ipsam existit, seu est suum esse. *Prob. Consequ.* ex D. Thomâ sæpè docente, quòd bonitas fundatur in *esse*, nominatim 1. p. q. 5. ar. 1., ubi dicit, rationem boni consistere in appetibili, & perfecto, & addit: *In tantum est autem perfectum unumquodque, in quantum est actu: unde manifestum est, quòd in tantum est aliquid bonum, in quantum est ens* (idest, existens, aut esse habens); *esse enim, inquit, est actualitas omnis rei.*

*Confutantur responsiones variæ.*

68 *Respondebis* 1.; essentia creaturæ existentis per se ipsam discernitur à nihilo essentiæ, non tamen à nihilo existentiæ. *Contrà*: vel status purè possibilitatis claudit nihil essentiæ? vel non? Si primum dicas: ergo talis essentia eo ipso, quo discernitur à nihilo sui, discernitur à se ut purè possibili, atque adeò à se ut non existente, quod est formaliter existere. Si secundum: ergo creatura, antequam existat, ac proinde ab æterno, excludit nihil essentiæ realis: ergo ab æterno est verè & propriè res, ens, aliquid, cùm hæc sint prædicata, quibus excluditur tale nihil, & essentia realis constituitur. Hinc autem sequuntur absurda omnia, quæ supra expendimus cap. 1 à n. 3. ad 6. Sequitur etiam contra D. Thomam allegatum n. 61., quòd creaturæ quidditas, priusquàm existat, non ita est nihil, ut non sit aliquid ab essentiâ creatrice distinctum; erit enim verè aliquid essentiæ realis finitæ. Quæro abs te, vel esse realem essentiam convenit actualiter quidditati non existenti? vel solùm possibiliter? Si actualiter; palàm incidis in 1. sententiam refutatam cap. 1. Si solùm possibiliter; hoc stat cum nihilo essentiæ; quemadmodùm existere purè possibiliter, cohæret cum nihilo existentiæ; creatura enim, antequàm existat, possibiliter existit. Ratio: quia esse aliquid purè possibiliter, est nondùm esse aliquid, sed fieri posse, ut aliquid sit.

69 *Respondeb.* 2.: essentia creaturæ existentis, per se ipsam est ens nominaliter, non verbaliter: ens autem nominaliter sumptum præscindit ab existentiâ. Sed, præterquam quòd hæc diversitas acceptionis non habet locum in aliis transcendentibus, ut sunt *res*, *aliquid*, *bonum*, &c.; *Contrà* 1.: ens nominale, licèt utcumque præscindat per rationem ab existentiâ, non ab eâ præscindit realiter, seu per subjectivam indifferentiam realem ad esse & non esse, nec ita ut ve-

rè

re & propriè dicatur de essentiâ pro statu non existentiæ. Patet hoc: tum quia, si ens nominale hoc modo præscinderet ab existentiâ, non verificaretur de Deo, nec de existentiâ ipsâ creaturæ. Tum quia, si creatura pro statu non existentiæ esset ens nominale, simul esset reliqua prædicata, quæ continentur in dictione *Reuhau*, cùm omnia sint synonyma vel attributa entis nominaliter sumpti: foret igitur ab æterno, & citra liberum influxum Dei, verè & propriè res, aliquid, bonum, &c.; & sequerentur absurda num. præced.: nam hìc etiam quæram, an creatura sit ab æterno talis actualiter? an purè possibiliter? Hinc ratio entis nominalis includit existentiam, vel saltem cum eâ connectitur essentialiter, siquidem sine illâ stare non potest. Si ergo essentia creaturæ secum identificat ens nominale (quod negari nequit, nisi negetur eam esse realem essentiam), identificat secum existentiam, vel saltem essentialem connexionem cum existentiâ; quæ connexio in principijs Thomisticis non minùs est difficilis, quàm identitas; quia sufficit, ut existentia non sit contingens respectu essentiæ, & ut essentia conjungi nequeat cum contradictorio existentiæ, sed hanc essentialiter secum afferat, adeòque essèntialiter discernatur à purè possibili.

70 *Contrà* 2.: ens nominale idem sonat, ac *aptum existere* aptitudine intrinsecâ: sed creatura in statu non existentiæ non habet intrinsecam aptitudinem existendi; si enim haberet, per illam esset possibilis in eo statu; atque ita falsò dixisset D. Thomas 1. p. q. 9. ar. 1., quòd *Omnes creaturæ, antequàm essent, non erant possibiles esse per aliquam potentiam creatam, sed per solam potentiam Divinam*: ergo creatura in statu non existentiæ non est ens nominale. Si ergo per se ipsam, quando existit, est ens nominale, per se ipsam est incompossibilis cum statu non existentiæ, quod est existere per se ipsam. Profectò ens nominale non est nullum ens: ergo non datur extra Deum in eo statu, in quo nullum ens datur præter Deum. Talis est autem status, non existentiæ præcedens creationem & existentiam rerum: nam juxta D. Thomam citatum suprà n. 5., creatio est *ex non ente, quod est nihil, & idem est nihil, quod nullum est*. Hinc idem Angelic. Doctor q. 21. de verit. ar. 2., *Impossibile est*, inquit, *quòd sit aliquod ens, quod non habeat esse*: & 1. p. q. 5. ar. 3. probat, *omne ens, in quantum est ens, esse bonum*, quia *omne ens, in quantum est ens, est in actu*; ubi certè comprehendit ens nominale, cujus attributum est bonitas. Cùm igitur essentia creaturæ secum identificet ens nominale in quantum ens, secum identificat esse in actu.

71 *Respond.* 3. cum plurib. modernis Thomistis, quos sequitur M. Froylanus l. 1. Physic. q. 3. art. 1. §. 4.: essentia creaturæ, dum producitur, habet duplex esse actuale & exercitum: alterum *completum*, & *in facto esse*; & hoc est existentia, quæ apud Froyl. l. c. §. 1. definitur, *actus ultimus entis, quo res completè ponitur extra causas*: alterum *incompletum, viale*, & *in fieri*, quo scilicet essentia pro priori ad existentiam jam est actualis actualitate exercitâ essentiæ, quam actualitatem non habebat in statu possibilitatis; adhuc tamen essentia, sic actualis, est in viâ ad existentiam, & nondùm completè terminat actionem productivam, quia hæc ad existentiam etiam terminatur. Per hoc igitur esse viale, quod ab essentiâ non distinguitur, verificari potest, essentiam per se ipsam discerni à purè possibili, & à nihilo sui, & seque verè & propriè aliquid, & ens nominale. Sed *contrà* 1.: creatura secundùm illud esse viale jam incipit discerni à purè possibili, vel ab eo, quod

est

est in potentiâ tantùm: ergo secundùm illud simpliciter existit: nam, ut ait D. Thomas 1. p. q. 5. ar. 1. ad 1., *Secundùm hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundùm quod primò discernitur ab eo, quod est in potentiâ tantùm*: ubi nomine *entis simpliciter* intelligit ens existens, ut evidenter constabit legenti contextum ejus loci.

72 *Contrà* 2.: nihil aliud ante modernas istos intellectum est nomine *existentiæ*, vel *esse*, quàm actualitas, qua res formaliter constituitur extra causas, qua terminat actionem creatoris, qua desinit esse nihil, & est aliquid, qua essentia jam est actualis, & non merè possibilis. At hæc omnia verificantur de illo esse actuali & exercito, quod essentiæ conceditur ante existentiam superadditam. Sanè, si posito illo esse actuali adhuc expectatur ulterior actus, ut res existat, eodem jure dici poterit, expectari tres alios naturæ ordine subsecutos, ad quos omnes terminari debet productio rei, ut fit completè terminata; ideòque rem esse *in viâ* ad existendum, donec adveniat ultimus: via enim ex terminis potest esse brevis, aut longa, nec magis exigit passus duos, quàm tres, aut quatuor: quare solus quartus (qui solus erit *Actus ultimus entis &c.*) rem denominabit *existentem*; alij verò intermedij denominabunt *magis ac magis appropinquantem* ad existendum.

73 *Contrà* 3.: illud esse actuale & exercitum essentiæ realiter identificatur cum essentiâ ipsâ, ut Adversarij fatentur, & alioqui redibit ex integro nostrum argumentum à n. 64. At in eo militat ratio, qua Thomistæ probât distinctionem essentiæ ab existentiâ, nempe quòd esse creaturæ sit contingens, seu contingenter prædicetur de creaturâ, nec verificetur nisi quando res subest actioni causæ efficientis. *Dices* ex Froyl. l. c. §. 3., illud esse actuale essentiæ prædicari contingenter, non ratione sui, sed ratione connotati extrinseci; connotat enim actionem agentis, sine qua non denominat. Ergo: sed cur non idem dicis de existentiâ? Quia, inquis, existentia in suo conceptu formali non connotat aliquid extrinsecum. Sed hoc nihil est dictu: nam, licèt existentia ut sic, sive ut abstrahit à creatâ & increatâ, non connotet actionem agentis, sicut nec illam connotat actualitas essentiæ ut sic; attamen existentia creata (de quâ solâ nunc agitur) proculdubiò connotat actionem causæ, cum ex conceptu suo sit existentia *entis ab alio* vel cedo, quare actionem connotet actualitas essentiæ, quam asseris? Nulla profectò est umbra disparitatis. Mitto quæ alibi non semel dixi cótra doctrinam Connotatorum, quam hîc supponit Froylanus. *Denique* istud esse viale impugnari potest ex D. Thomâ 2. cont. Gent. c. 19. dicente: *Inter esse, & non esse, quæ sunt quasi extrema creationis, non potest esse aliquod medium.* Item ex eod. S. Doctore Opusc. 29. de princip. individ. sic ajente: *Non sunt in animâ duo actus, scilicèt suæ essentiæ, quæ est suæ potentialitas, & esse suum.* At, si vera dicitis, erunt in animâ duo actus exerciti, alter essentialis, alter existentialis.

74 *Respond.* 4. ex Collegio S. Th. Complut.: essentia creaturæ distinguitur à nihilo & à puré possibili per se ipsam existentem, sed ita, ut essentia sit ratio distinguendi, existentia verò sit conditio, à qua in nullo signo præscindit essentia actualis, quia non præcedit eam prioritate *in quo*, sed *à quo*. Verùm hæc responsio confutata est in Physicâ, ubi de existentiâ materiæ primæ: & nunc iterùm impugnatur. 1.: quia ratio distinguendi essentiam à nihilo, & ab ente in potentiâ, seu puré possibili, est ipsamet ratio existendi: si ergo existentia, quam superadds, non est ratio distinguendi

essentiam à nihilo, & à purè possibili, non erit ratio existendi, sed utsummùm conditio ad existendum, sicut creatio, vel actio productiva. *Probo Antec.*: quia ratio distinguendi à nihilo, & ab ente in potentiâ, est ratio constituendi essentiam propriè aliquid, & ens in actu, cùm aliquid immediatè opponatur nihilo, & ens in actu enti in potentiâ: ratio autem constituendi propriè aliquid, & ens in actu, est ratio existendi; ut patet ex communi notione, & ex D. Thoma 1. p. q. 5. ar. 1. ad 1., ubi pro eodem accipit ens simpliciter, & ens in actu, & subdit: *Per suum esse substatiale dicitur unumquodque ens simpliciter.* Profectò essentia hominis non indiget conditione superadditâ (præter actionem productivam), ut identificetur simpliciter secum ipsâ, proindeque ut sit propriè & simpliciter animal rationale: sed quo sensu est simpliciter animal rationale, est ens simpliciter, & eo ipso est existens: ergo &c..

75 2.: quia nihil contingens, seu contingenter superveniens essentiæ, potest esse necessaria conditio, ut talis essentia distinguatur à non ipsâ, vel à nihilo sui, vel ab essentiâ creatrice, cùm distinctio ista sit essentialissima; & alioqui posset albedo esse conditio necessaria, ut homo essentialiter distinguatur à non homine, vel à Deo: sed existentia, quam affruis, per te contingens est, seu contingenter supervenit essentiæ: ergo nequit esse conditio necessaria, ut essentia distinguatur à nihilo sui, vel à se ipsâ ut in potentiâ causæ, quod est distingui ab essentiâ creatrice. 3.: quia, si ratio distinguendi essentiam à pure possibili, requirit conditionem aliquam à se distinctam, hæc poterit esse actio productiva; quæ, utpotè incompossibilis cum statu possibilitatis, sufficientissima conditio est, ut illa ratio distinguendi exerceatur. 4.: quia, cùm existentia per te sit effectus essentiæ ut causæ materialis, debet essentia in signo causæ ab eâ præscindere, adeòque illam præcedere prioritate *in quo*, prout hæc prioritas explicatur à Collegio S. Th.: est enim essentia juxta Thomistas ex se indifferens ad existentiam; & omnis causa ex se indifferens ad effectum, ab eo præscindit pro signo priori, ut inductione patet. Saltem debet admitti præcisio non inclusionis: nam, si existentia includitur in signo priori suæ causæ materialis, prior erit se ipsâ: poteritque similiter fingi, quod possit aliquid suam efficere primam existentiam; quia, licèt causa efficiens debeat existere pro priori ad effectum, poterit intelligi præexistens per existentiam ipsam, quam efficit.

76 Ultimò *respondeb.* ex Aguilera l. 1. Physic. q. 14. n. 45. & seqq.: essentia creaturæ existentis non distinguitur per se ipsam, nec essentialiter, à nihilo & purè possibili, nec est essentialiter aliquid, quando existit, sed accidentaliter; quia tali essentiæ contingens est, quòd sit aliquid, aut nihil, sicut homini quòd sit albus, aut niger: quare, sicut homo albus omnisi accidentaliter distinguitur à se ipso ut anteà nigro, quia secundùm se non est albus, nec niger; ita in præsenti censendum; quia essentia creatura secundùm se nec est aliquid, nec nihil, nec est in actu, nec in potentiâ, sed est indifferens ad utrumque. *Verùm* hoc, loquendo de indifferentiâ reali & subjectivâ, quæ scilicèt importet realem distinctionem subjecti ab aliquo & nihilo (qui est sensus quæstionis præsentis), videtur effugium omnium miserrimum. Nam, si homo non est essentialiter aliquid, non erit essentialiter animal rationale, cùm hoc juxta omnes transcendatur à prædicatis contentis in *Predicam.*, quæ sunt res, ens, aliquid, &c.. Rogo te, quid concipis, quando concipis essentiam hominis secundùm se? fateberis nec aliquid, nec nihil

nihil concipis ex parte objecti. Est nè illud objectum aliqua realitas? ergo est aliquid. Nulla est realitas? ergo nulla est essentia: ergo nihil est.

77 *Dices* hominem essentialiter esse aliquid, prout aliquid opponitur enti rationis, aut chimæræ, non verò prout aliquid opponitur nihilo existentiæ. *Contrà*: in primis hoc est recurrere ad distinctionem entis in nominaliter, & verbaliter sumptum; quæ recursum jam impugnavimus à n. 69.. Deinde, vel in statu possibilitatis cum nihilo existentiæ datur nihil essentiæ? vel non? Si datur: ergo eâdem ratione, qua homo est indifferens ad aliquid & nihil existentiæ, indifferens erit ad aliquid & nihil essentiæ, nimirùm quia potest jam esse aliquid, jam nihil: erit ergo subjectivè indifferens, ut sit vel non sit animal rationale, ita ut hoc accidentaliter prædicetur de homine, sicut esse album, aut nigrum. Si non datur: ergo incidis in responsionem jam impugnatam n. 68.: teneriſque concedere, quòd essentia hominis ab æterno excludit nihil essentiæ realis & humanæ, quòd in statu possibilitatis est propriè aliquid reale à Deo distinctum, & chimæræ oppositum independenter à creatione, & à liberâ voluntate Dei, quòd potest gloriari de verâ realitate animalis rationalis à Deo non acceptâ secundùm se, &c.. Adde, quòd falsò dixisset S. Thomas, quidditatem creaturæ, antequàm existat, nihil esse, si hoc nihil non est nihil essentiæ, sed alicujus additi contingentis; non aliter ac falsò diceretur, quòd homo nihil est, antequàm sit albus, vel quando habet nihil albedinis. Denique, ut alia omittam, vel homo secundùm se in sensu reali est aliquid chimæræ oppositum actualiter? vel possibiliter? Si primum: ergo secundùm se est in actu. Si secundum: ergo secundùm se est in potentiâ. Si neutrum: ergo secundùm se nec actualiter opponitur chimæræ, nec potest opponi.

*Indicantur aliæ probationes nostræ sententiæ.*

78 *Probatur* 2. sententia nostra.. Essentia creaturæ immediatè per se ipsam, non mediatè per existentiâ superadditam, terminat actionem agentis: ergo per se ipsam existit, non expectatâ existentiâ distinctâ. Patet *antec.*; tum quia essentia creaturæ immediatè ac ratione sui est ens ab alio, ens participatum, ens acceptum à Deo: nec dici potest ens à Deo acceptum mediâ existentiâ superadditâ, cùm hæc non causet essentiam, sed potiùs ab eâ causetur juxta Contrarios: quare, sicut aer non accipit à Sole substantiam suam mediâ luce, quia lux non est causa substantiæ aeris; ita &c.. Tum exemplo humanitatis Christi D., quæ suam productionem terminat, & non per existentiam superadditam: nulla enim ipsi superadditur existentia, juxta Thomistas, præter existentiam Verbi Divini; & hæc certè non terminat productionem humanitatis. Nec recurras ad unionem hypostaticam. Nam si huic superadditur existentia creata, cur non & humanitati? Si sola Divina superadditur; jam unio non affert superadditam existentiam, ad quam productio terminetur. Tum exemplo materiæ primæ; cujus creatio non terminatur ad existentiam formæ (quæ sola superadditur juxta Thomistas); alioquin existentia formæ simul esset creata, & educta.

79 Jam *prob. Consequ.*: quia res per id existit, per quod terminat actionem agentis; cùm id sufficiat, ut res sit producta, seu extra causas posita, & ut sit ens actu; non enim actio terminari potest ad nihil, nec ad purè possibile. *Dices*: licèt essentia terminet actionem pro priori ad existentiam distinctam, non ideò est extra omnem causam, quia non est extra causam for-

malem essendi, quę est existentia superaddita. *Contrà*: causa ista formalis gratis à te requiritur, & cōtra D. Thomam, qui q. 6. de pot. ar. 6. ad 4. nullam agnoscit causam formalem essendi, præter formam in rebus compositis, & addit: *Si ergo sit aliqua substantia creata, quę sit forma tantùm* (cujusmodi est essentia Angeli, de quo ibi loquitur), *potest habere principium essendi efficiens, non formale.* Sufficit ergo, quòd Angelus intelligatur extra causam efficientem, ut eo ipso intelligatur existens. Quò etiam pertinet illud D. Thomę 1. p. q. 44. ar. 1. ad 3. *Unicuique competit habere causam agentem, secundùm quod habet esse.*

80 *Probatur* 3.: essentia creaturę, juxta Thomistas, est causa materialis, & subjectum sustentativum existentię superadditæ: ergo intelligitur existens pro priori ad talem existentiam, quæ proinde superflua est. *Prob. Consequ.* ex dictis in Physicâ circa existentiam materiæ primæ, ubi ostendimus, causam materialem non posse causare, nisi pręsupponatur existens pro priori ad effectum. Sanè pro priori ad talem existentiam debet essentia supponi proximè potens illam recipere, & eidem realiter uniri; debet ergo supponi jam producta, & à nihilo distincta; nisi velis, ut existentia possit realiter uniri nihilo, vel in eo physicè recipi. Recursus ad esse viale, vel essentiale, pręclusus est à n. 71. aut etiam à n. 74. recursus ad existentiam ipsam receptibilem, quę per modum conditionis intelligatur in signo priori ad se. Nulla profectò forma cōstituit susceptivum suum, sed aliunde constitutum supponit, & ab eo, qua tali, adæquatè distinguitur; ut constat inductione perpetuâ.

81 *Probatur* 4.: existentia, quam ab essentiâ creaturæ distinguunt Thomistæ, suam habet essentiam realem, cùm sit apud ipsos vera entitas, & quidditative definibilis; ideòque à Thomistis passim definitur, *actualitas ultima essendi*, vel, *Actus ultimus in linea entis*: sed hæc essentia non existit per existentiam à se distinctam; alioquin ibitur in infinitum, cùm hæc ulterior existentia suam etiam essentiam habere debeat, in qua essentiâ rursùs formabitur argumentum: idem ergo dicendum de qualibet essentiâ creaturę. *Prob. Consequ.*: quia in essentiâ existentię manifestè infringuntur argumenta, quæ Thomistę sumunt ex contingentiâ existendi, vel ex indifferentiâ essentię ut sit jam purè possibilis, jam existens. *Dices* 1.: existentia non existit propriè, & *ut quod*, sed est id, *quo* aliud existit, seu est ultima ratio essendi; quæ proinde non indiget existentiâ ulteriore, sicut unionis non datur unio, nec actionis actio. *Sed* in primis, cùm existentia veré sit entitas positiva, proprię producta, & extra causas posita, propriéque à nihilo distincta, quid illi deest, ut propriè existat? Deinde, quidquid sit de termino, *ut quod*, saltem essentia existentiæ sine ulteriore actualitate existit *ut quo*, & est exercitium existendi respectu hominis v. g., cùm tamen ipsa contingenter exerceat munus hoc; non enim semper existit *ut quo* actualiter, sed ante productionem meré possibiliter, sive in potentiâ tantùm. Eadem ergo contingentia & indifferentia militat in essentiâ existente *ut quo*, & existente *ut quod*; ac proinde vel utraque, vel neutra distingui debet ab actu exercito existendi. Si eadé esset indifferentia in unione, vel in actione, quæ est in extremis, vel in effectu, diceretur utique unionis unio, & actionis actio: unde retorquetur exemplum.

82 *Dices* 2.: existentia non est indifferens, ut sit quandòque in actu, quandòque in potentiâ; quia, cùm ipsa sit actus essentialiter, si aliquando in potentiâ esset, foret nunc actus in po-

potentiâ; quod in terminis implicat: quare nequit esse ratione sui potens non existere *ut quo*; si enim non existeret *ut quo*, foret existentia non existentia, quæ perinde implicat, ac homo non homo. Tota ergo indifferentia, potentialitas, & possibilitas essendi & non essendi, se tenet ex parte illius essentiæ, quę existit *ut quod*. Hęc doctrina mirificè offendit, quas in angustias adigatur sententia Thomistica. *Contrà* 1.: existentia creaturæ ratione sui est perfectio contingens, seu defectibilis; aliter non esset perfectio limitata: ergo ratione sui est potens deficere, adeòque non existere *ut quo*; non enim ita existit, cùm deficit.

83 *Contrà* 2.: priusquàm homo producatur, existentia ejus non existit *ut quo*; non enim datur existens *ut quo*, sine existente *ut quod*, ut est evidens: tunc ergo existentia hominis non est in actu exercito existendi *ut quo*. Aliunde verè est in potentiâ ad hunc actum, cùm verè contineatur in Divinâ potentiâ, & non repugnet per se ipsam ita existere: jam igitur potest esse quandòque in actu, quandòque in potentiâ. *Contrà* 3.: Deus cognoscit existętiam creaturę per scientiam simplicis intelligentiæ; alioqui, dum ex directione hujus scientiæ decernit existentiam rerum, decerneret incognitum: sed per hanc scientiam non cognoscit existentiam ut absolutè positam in actu exercito (aliter scientia ista nullatenùs differret à scientiâ visionis): cognoscit ergo existentiam illam ut possibilem, utique possibilitate ipsius propriâ: nam, cùm sit vera entitas, verèque à Deo producibilis absque ullâ suorum contradictione prædicatorum, quomodò non ad ipsam pertinet possibilitas?

84 Demùm *probari* potest nostra sententia ex Aristotele 2. de Anima c. 57. dicente: *Vivere autem viventibus est esse, quorum causa & principium est anima*: ubi manifestè loquitur de vivere substantiali, quod anima formaliter præstat. Consonat D. Thomas ibi lect. 7. litt. d. dicens: *Anima viventibus est causa essendi: per animam enim vivunt, & ipsum vivere est esse eorum.* At qui vivere est essentia viventium, ut nemo dubitat: ergo in vivętibus (adeòque in reliquis creaturis) idem est essentia, & esse. Audiatur insuper D. Thomas Opusc. 29. de princip. individ., ubi sic ait: *Non sunt in animâ duo actus, scilicet sua essentia, quæ est suâ potentialitas, & esse suum: sed esse suum est sua actualitas, ratione cujus ipsa essentia animæ est actus corporis.* At, si essentia & esse foręt duæ entitates, proculdubiò essent in animâ duo actus; nam essentia animę per se ipsam est actus, cùm definiatur, *Actus corporis physici organici &c.*: non ergo essentia & esse sunt entitates duę. Rursùs, anima est actus corporis ratione actualitatis sibi essentialis, cùm per suam essentiam habeat actuare corpus, ut ex ejus definitione constat: si ergo esse, vel existentia est actualitas illa, ratione cujus essentia animæ est actus corporis, ut ait D. Thomas; existentia est actualitas essentialis animæ.

85 Præterea, juxta Thomistas anima unitur corpori pro priori ad existentiam ab ipsis additam; nam, ut ait M. Prado cit. controv. 7. n. 103., *prius intelligitur unio formę ad materiâ, quàm intelligatur ipsum esse*: jam ergo pro priori ad existentiam superadditâ, anima intelligitur actuare corpus, & esse actus corporis; idem quippe est animam uniri corpori, & illud actuare, nisi absurdè velis, ut unio illa non fit actus ad potentiam, sed potentiæ unius ad aliam: ergo anima, priusquàm intelligatur illud esse thomisticum, jam intelligitur habere suam esse, siquidem ratione ipsius est actus corporis, authore D. Thomâ. Ulteriùs, anima per suam essentiam est actus substantialis;

actus

*actus* enim, & *forma*, sunt synonyma: existentia quòque substantiæ est actus substantialis, ut benè Thomistæ cum Doctore Angelico apud Prado l. c. n. 37. ; & existentia substantiæ absolutæ non est actus purè modalis, sed absolutus, & absoluta forma, juxta communem Thomistarum sententiam. Si ergo essentia & existentia realiter distinguuntur, erunt in uno homine existente duo simul actus ejusdem ordinis, nempe substantialis. At *Duos actus ejusdem ordinis impossibile est aliquid unum participare simul*; ut eodem verbis ait D. Thomas cit. Opusc. 29.

86 Huc etiam faciunt, quæ Thomistæ cum D. Thomâ ponderant contra formam corporeitatis ab animâ distinctam in viventibus. Facit etiam decantatum illud, *Ex duobus entibus in actu fieri nequit unum per se*; et illud, *Quidquid advenit enti substantialiter completo, constituit unum per accidens*: materia enim animæ unita pro priori ad existentiam superadditam, jam est ens in actu, & substantialiter completum: non ergo poterit cum novo actu existentiæ constituere unum per se, quale est animal existens. Denique videtur omninò absurdum, quòd in homine detur aliqua substantialis forma, quæ superveniat animæ rationali, immò quæ sit rationali animâ perfectior, & nobilior; nam esse rei est quid inter omnia perfectissimum, utpotè actualitas omnium actuum, & perfectio omnium perfectionum, juxta D. Thomam q. 7. de pot. ar. 2. ad 9., & sæpè alias; ideòque à plerisque Thomistis apud Prado cit. controv. 7. ar. 6. existentia dicitur simpliciter & absolutè perfectior, quàm essentia.

87 Propter testimonia D. Thomæ, tum proximè, tum superiùs allata, quæ nostræ sententiæ manifestè favent, ægrè adducor, ut credam, Angelicum Doctorem nobis in præsenti adversari. Favet ille quidem modo loquendi multis in locis adversę parti; dum sæpè inculcat, quòd solus Deus est suum esse, quòd essentia in creaturis est aliud ab esse, quòd cõparatur ad esse suum ut potentia ad actum, quòd in omni creaturâ datur cõpositio ex essentiâ & esse. Nullibi tamen utitur (quod sciam) adverbio *realiter*, aut nomine *distinctionis realis*, vel *compositionis realis*. Ut autem propositiones ejusmodi verificentur, sufficit distinctio rationis. Sic enim sæpè invenies apud S. Thomam (v. g. q. 1. de verit. ar. 1., & 1. p. q. 3. ar. 5.), quòd differentia est aliud a genere, seu natura extranea & superaddita generi, quòd se habet ad genus ut actus ad potentiam, quòd compositio ex genere & differentiâ propria est creaturę, & à Deo prorsùs aliena. Nec tamen inde inferre licet, genus & differentiam realiter distingui juxta D. Thomam. Adde, quòd S. Doctor interdùm vocabulo *esse* videtur comprehendere subsistentiam.

## CAP. V.

### *Diluuntur argumenta contraria.*

88 *Objic.* 1.: essentia hominis est necessaria, existentia verò contingens; ideòque propositio ista, *Homo est animal rationale*, est æternę veritatis; hęc autem, *Homo existit*, est contingenter vera: non ergo possunt essentia & existentia hominis identificari. Hęc *objectio* soluta manet suprà n. 21. & 22., & latiùs n. 33. & seqq., si modò quę de possibilitate diximus, ad essentiam applices. Nunc instatur apertè in existentiâ cõparatâ cum suâ ipsius quidditate, seu cum prædicatis, per quæ definitur: talis enim quidditas non minùs est necessaria, quàm essentia hominis: & hęc propositio, *Existentia est actualitas essendi*, vel, ut Thomistico more loquar, *est actus ultimus entis*, aut etiam,

est

*est aliud realiter ab essentiâ hominis*, veritatis est æternæ ac necessariæ; nec tamen enuntiat objectum distinctum ab objecto illius contingenter veræ, *Existentia hominis actualiter exercetur*, vel, *est extra causas*, vel, *existit ut quo*. Instatur etiam in illo esse viali, & essentiali, quod Thomistæ agnoscunt propriori ad existentiam superadditam, quod que, licèt ab essentiâ indistinctum, nonnisi contingenter illi convenit, cùm non verificetur, nisi quâdo essentia jam terminat actionem agentis.

89 Deinde *respõdeo* breviter, tam essentiam, quàm existentiam, esse contingentem ab oluto, & necessariam hypothetice, vel ex suppositione: & quia propositio enuntiãs essentiam, usu communi sumitur in sensu hypothetico (hic solus est sensus scientificus circa res creatas, quia Scientiæ non curant, an res sint, sed quid sint, quandocúmque sint), enuntians verò existẽtiam accipitur in sensu absoluto; idcircò alteram esse veritatis æternæ, alteram temporalis & contingentis. Si tamen utraque sumatur in eodem sensu, nullum erit discrimen. Quarè hęc propositio, *Existentia contingenter convenit essentiæ hominis*, distinguenda sic: eo sensu, quo essentia contingenter convenit sibimetipsi, *conc.*; alio sensu, *neg.*. Vel etiam sic: contingenter convenit, contingentiâ importante intrinsecam defectibilitatem ipsius essentię, *conc.* (essentia ipsa verè est defectibilis, verèque deficit ratione sui, cum non existit, quia tunc nihil essentiæ datur); contingentiâ denotante defectibilitatem existentiæ, permanente essentiâ, *neg.*: ipsi enim Thomistæ communiter dicunt apud Prado cit. contro. 7. n. 70. & seqq., etiam divinitùs fieri non posse, ut essentia permaneat sine existentiâ, vel è converso. Similiter accipienda prop. hæc, *Creaturæ accidit existere*, vel, *accidentaliter advenit existentia*; negandą que, si denotet, creaturæ vel ejus essentię jam productę supervenire existentiam more accidentis, aut more formæ defectibilis permanente subjecto; concedenda verò, si æquivaleat huic, *Contingenter evenit creaturam existere*, quæ idem sonat, ac illa, *Contingenter datur essentia creaturæ*.

90 *Objic.* 2., & *replic.*: essentia creaturæ, v. g. hominis, indifferens est, ut habeat, vel non habeat existentiam; non enim necessariò existit: sed non est indifferens ad semetipsam: ergo ipsa non est sua existentia. *Confirmatur* hoc multifariàm. 1.: homo nunquam fuit in potentiâ ad sua prædicata essentialia: sed fuit in potentiâ ad existentiam: ergo hæc distinguitur à prędicatis &c.. Item, homo per suam essentiam est possibiliter existens; & non est possibiliter homo; alioquin ita esset homo, sicut est albus. 2.: essentia creaturę distinguitur à *non esse*: ergo & ab *esse*; cum ad utrumque sit indifferens. Certè nihil indifferens ad actum, & non actum, identificatur cum actu; ut patet exemplo intellectûs cõparati ad actum cognoscendi. 3.: si creatura per se ipsam non esset, necessariò non esset: ergo, si per se ipsam esset, necessariò esset. 4.: essentia creaturæ potest conjungi cum contradictorio existentię, & sub existentię negatione concipi: sed non potest concipi sub negatione sui, neque cum suo contradictorio conjungi, nisi evadat chimęrica: ergo &c.. 5.: Deus nullum prædicatum essẽtiale auferre potest ab homine: sed potest ab eo existentiam auferre: ergo &c.. 6.: quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: sed essentia creaturæ realiter separatur ab existentiâ suâ; ut accidit, non solùm in quavis essentiâ purè possibili, sed etiam in actuali essentiâ humanitatis Christi, quæ sine propriâ existentiâ existit per esse Divini

vini Verbi, juxta D. Thomam 3. p. q. 17. ar. 2., immò juxta 6. Synodum in Epist. Sophronij dicentis, *Humanitas Christi in Verbo, & non in se habuit existentiam unam*: ergo &c.

91 Hæc etiam *objectio* cum suis confirmationib. patitur instantias n. 88., illam præsertim, quæ sumitur ex quidditate ipsius existentiæ, ut facilè patebit applicanti. Ut directè solvatur, notandum est, quòd essentia creaturæ non habet ad *esse* & *non esse* indifferentiam physicam subjectivam, & positivam, qualis nempe convenit materiæ primæ, vel cuilibet subjecto, quod idem in se realiter manet sub utroque extremo, scilicèt sub formâ, & ejus negatione: nam essentia creaturæ sub *non esse* nõ manet eadem realiter in se, sed potiùs nihil est in se realiter. Habeo igitur indifferentiam logicam, & objectivam, ut sit, vel non sit: *logicam*, quatenùs potest verificare successivè duas propos. contradictorias, *Essentia est*, *Essentia non est*: *objectivam*, quatenùs essentia hominis v. g., sive absolutè sit, sive absolutè non sit, eodem modo objicitur cognitioni scientificæ, *Homo est animal rationale*; quæ propositio, cùm reddat sensum hypotheticum, nempe, *Si homo est*, *animal rationale est*, vel, quod idem sonat, *Si homo existit*, *habet existentiam identificatam cum animali rationali*, non requirit ad sui veritatem (tametsi non excludat), quòd essentia hominis absolutè sit; ut latè diximus cap. 2, & 5.. Habet insuper essentia illa, quando existit, indifferentiam sumptam pro intrinsecâ defectibilitate subjecti existentis, nempe ipsius essentiæ, quatenùs non repugnat deficere in semetipsâ: & hæc dici potest *indifferentia negativa*. Habet denique *indifferentiam extrinsecam* ratione causæ, quatenùs ab indifferentiâ Omnipotentiæ, ut producat, vel non producat essentiam creaturæ, essentia hæc extrinsecè denominatur indifferens, ut sit, vel non sit. Tota hæc doctrina admittenda est Adversarijs in essentiâ seu quidditate illius existentiæ, quam ab essentiâ hominis distinguunt.

92 Hinc *ad object. dist. Maj.*: indifferens est, indifferentiâ logicâ, & objectivâ, vel etiam, negativâ, & extrinsecâ, *conc.* (hoc sufficit, ut essentia hominis non necessariò existat); indifferentiâ physicâ subjectivâ, & positivâ, *neg. Maj.*. Similiter *dist. Min.*: nam priore indifferentiæ modo etiam est indifferens essentia ad semetipsam; cùm fieri possit, ut ipsa nihil sit in se. Unde *neg. Consequ.*: quia, sicut ex indifferentiâ logicâ, extrinsecâ, &c., non infertur distinctio essentiæ à se ipsâ, ita nec distinctio ab existentiâ. *Ad 1. Confirm. dist. Maj.*: in potentiâ physicâ & subjectivâ (qualem habet homo existens, ut intelligat, amet, &c.), *conc.*; in potentiâ objectivâ (qualem explicuimus initio quæstionis), *neg. Maj.*: & similiter distinctâ *Min.*, *neg. Consequ.*. Si homo, antequàm existat, non est in potentiâ ad sua prædicata essentialia; ergo est in actu animal rationale, adeòque habet actualem essentiam ab æterno, ut ajebat prima illa sententia, quam rejecimus cap. 1., & quam rejiciunt acriter Thomistæ, qui tamen in præsenti videntur in eam incidere. Homo igitur, quo sensu est possibiliter existens, est etiam possibiliter homo; non tamen quo sensu est possibiliter albus; nam homo non albus, etiamsi existat, est albus possibiliter per potentiam physicam subjectivam, ut recipiat albedinem.

93 *Ad 2. dist. Antec.*: essentia creaturæ distinguitur à *non esse*, quando est, *conc.*; quando non est, *neg. Antec.*; nam de ipsâmet essentiâ verificatur non esse. Tum *dist. Consequ.*: distinguitur ab *esse*, quando est, *neg.*; quando non est, *subdist.*: distinguitur tamquàm non ens ab ente, *conc.*; tamquàm

quationis ab ente, *neg. Consequ.*. Ratio distinctionum patet ex dictis. Si tamen per *non-esse* velis intelligere carentiam seu negationem objectivam, essentia non existens à tali *non-esse* distinguitur quidem negativè, ideſt, cum eo non identificatur; quia pro illo statu cùm in se nullo modo sit, cum nullo extremo identificatur, seu negativo, seu positivo. Quod additur de indifferenti ad actum, & non actum, verum est, quando indifferentia est physica & subjectiva; non ita verò, quando solùm est logica, & objectiva. *Ad 3.*: creaturam per se ipsam non esse, potest intelligi bifariàm. 1., ut idem sonet, ac nihil habere sui ipsius, quando non existit: atque ita *neg. Antec.*. 2., ut significet, in conceptu creaturæ involvi non esse pro casu existentiæ, sicut involvitur in conceptu chimeræ: quo sensu *conc. Antec.*; quia, dato illo conceptu, si creatura esset, simul esset & non esset; & hoc est repugnantiam habere ad existendum, adeòque necessariò non esse. At *neg. Consequ.*; quia ex eo quòd creatura, si esset, per seipsam esset, non sequitur repugnantia ipsius ad non esse; cùm enim creatura, dum est, sit essentialiter defectibilis, fieri potest, ut desinat esse id ipsum, quod est.

94 *Ad 4. neg. Maj.*: quia propriè significat, posse dari simul ex parte objecti essentiam & cõtradictorium existentiæ, vel posse verè concipi tamquàm duo extrema simul data: quod est omninò falsum, cùm reverà non detur essentia, quando non datur existentia. Solùm ergo essentia & non-existentia possunt dari simul in intellectu, altera ut absolutè concepta, altera ut concepta hypotheticè, quando scilicet adest cogitatio hæc, *Creatura non existit*, cujus sensus est, *Modò non datur illud objectum, quod, si existeret, esset essentia creaturæ.* Si hoc, & nihil aliud velit, essentiam concipi sub negatione existentiæ, *conc. Maj.*: sed *neg. Min.*; quia similiter concipitur essentia sub negatione sui, sub nihilo seu contradictorio suo; quoties enim datur nihil existentiæ, datur nihil essentiæ: nec ideò evadit essentia chimærica; quia nõ concipitur ut absolutè conjuncta, nec ut hypotheticè conjungenda cum suo non-esse, vel cum nihilo sui. *Ad 5. dist. Maj.*: Deus nullum prædicatum &c., manente homine, seu non destructo, *conc.*; homine destructo, seu non manente, *neg. Maj.* (tunc enim Deus aufert homini, non unum tantummodò prædicatum essentiale, sed omnia penitùs): eodemque modo distinctâ *Min.*, *neg. Consequ.*. Cùm dicitur, essentias rerum esse invariabiles, nec posse à Deo inverti, vel mutari, sensus est, non posse rem manere, seu existere, quin eo ipso habeat talem essentiam, qualem ejus definitio explicat. Cæterùm, existentiâ cessante, essentia ipsa funditùs evertitur, atque ita mutatur, ut quæ erat aliquid, jam fit nihil. Vide suprà n. 23. expressam pro responsione istâ doctrinam D. Thomæ.

95 *Ad 6. neg. Min.*, quæ malè probatur. Nam inprimis essentia purè possibilis non est essentia creaturæ separata ab existentiâ, cùm de præsentè non sit essentia creaturæ; sicut ignis extinctus non est ignis separatus ab igne accenso, cùm non sit ignis. Essentia ergo creaturę, sic accepta, nihil est, nisi in potentiâ causę, vel in intellectu sive ideâ Creatoris, ubi non est creatura, sed creatrix essentia. Deinde, quòd humanitas Christi non habeat existentiam propriam, negandum omninò est cum omnibus Theologis præter Thomistas, & cum ipso etiam D. Thoma q. unic. de Verb. Incarn. ar. 4. Vid. P. Suar. tum tom. 1. in 3. p. disp. 36., tum disp. 31. Met. sect. 12. à n. 15.. Nec D. Thomas in allegato loco 3. p. adeò clarè loquitur, ut censeri debeat sententiam, quam anteà docuerat, re-

tractasse. Sophronius autem in 6. Synodo recte dicit, quòd humanitas non in se, sed in Verbo existit; quia licèt propriam habeat existentiam, est tamen in Verbo ut in supposito. Profectò accidens non existit in se, sed in subjecto; nec tamen per existentiam subjecti existit, sed per propriam, ut Thomistæ communiter agnoscùt apud Prado cit. controv. 7. n. 83. & seqq.

96 *Objic.* 3.: creatura non existit per essentiam: ergo per aliquid ab essentiâ distinctum. *Prob. Antec.*: tum quia solus Deus existit per essentiam: tum quiâ, si homo per essentiam existeret, foret essentialiter existens, sicut est essentialiter animal; unde non posset non existere, sicut non potest non esse animal. *Confirm.* 1.: existentia non ponitur in metaphysicâ, nec in physicâ definitione hominis: ergo est extra essentiam ejus. *Confirm.* 2.: si creatura nõ involvit compositionem ex essentiâ & esse, omninò simplex erit in esse entis: ergo Deus non erit creaturâ simplicior; quod est absurdum. *In primis* quæro à Thomistis, an existentia superaddita existat per essentiam? & an creatura per essentiam habeat esse viale vel essentiale exercitum, quo præcit existentiam? Deinde *ad objecti. dist. antec.*: si tò *per essentiam* excludat *existere defectibiliter*, & *per participationem* (ut reipsâ excludit juxta communem loquendi ritum), *conc.*; si solùm excludat *existere formaliter per aliud ab essentiâ*, seu per formam superadditam, *neg. Antec.*, & *Consequ.*

97 Ad *prob.* solus Deus existit per essentiam in primo sensu nunc explicato, quia solus existit à se, necessariò, & indefectibiliter; sicut solus in eodem sensu dicitur ens per essentiam, verus, & bonus per essentiam; cùm tamen certum sit, essentiam creaturæ non videantificare prædicata omnia transcendentia, cujusmodi sunt ens, verum, bonum, &c. Dicitur etiam non rarò, quòd solus Deus est suum esse: sed tunc per *esse* comprehenditur etiam subsistentia, vel significatur sufficientia essendi cum omnimodâ independentiâ, & aseitate. Quamvis autem homo existat per aliquid ab essentiâ indistinctum, non ideò dicitur essentialiter existens, licèt dicatur essentialiter animal: quia tò *essentialiter* excludit contingentiam; & adjunctum prædicato *existens* necessitatem sonat absolutam; adjunctum verò prædicato *animal*, necessitatem solùm conditionatam. Vide supra n. 21. & 22. Si tamen utrobique foveatur idem sensus, vel absolutus, vel conditionalis, homo non magis erit essentialiter animal, quam existèns; verissimumque est, quòd homo potest non esse animal absolutè, sicut potest non absolutè existere.

98 *Ad* 1. *confirm. dist. Antec.*: existentia non ponitur &c., explicitè, *conc.*; implicitè, *neg. Antec.*, & *Consequ.*, loquendo de existentiâ in communi: hæc enim includitur in ente reali ut sic, & cum ipso tranicendit prædicata omnia positiva, in quibus proindè continetur implicitè, sicut ens. Sanctus D. Thomas 1. p. q. 50. ar. 5., ut explicet, quomodò naturæ Angelicæ cõveniat *esse*, utitur exemplo circuli, cui *secundùm se ipsum* convenit rotunditas. At rotunditas procul dubiò pertinet ad definitionem circuli. Dici quoque poterit, quòd in definitione hominis implicitè ponitur existentia, non ut absolutè ac de præsenti data, sed ut danda ex hypothesi, vel pro casu, quo detur homo; vel, quod in idem recidit, non ut absolutè affirmabilis, sed ut affirmabilis hypothetícè: nec alio sensu ponitur animal, vel substantia in definitione hominis. Si quæras, an existentia ut absolutè affirmabilis distinguatur ab existentiâ ut affirmabili hypothetícè? *Resp.*: distinguitur extrinsecè penès diversam cognitionis tendentiam, quam connotat: intrinsecè verò non dis-

distinguitur; quando est: sed quando non est, distinguitur negativè, ideſt, non identificatur actualiter, quia nihil est: & hoc ſufficit tunc ad veritatem hujus propoſitionis negativæ, *Exiſtentia hypothetice affirmabilis non eſt affirmabilis abſolute*. Idipſum intellige de eſſentiâ, ſi comparetur ſimiliter ſecum ipsâ. *Ad 2. confirm. neg. conſequ.*: quia creatura ſemper admittit compoſitionem aliquâ realem, ſaltem ex naturâ & ſubſiſtentiâ, vel ex ſubſtantiâ & accidenti.

99 *Objic.* 4.: exiſtentia creaturæ debet eſſe receptibilis in eſſentiâ: ergo debet ab eſſentiâ diſtingui. *Prob. Antec.*: quia ſequeretur alioquin, exiſtentiam creaturæ eſſe actum purum, & illimitatum; talis quippe eſt actus irreceptus, cùm actus nonniſi à potentiâ receptivâ limitari queat. *Inſto*: eſſentia Angeli ratione ſui eſt actus; tum quia paſſim à D. Thomâ & reliquis appellatur *forma*; tum quia non eſt pura potentia ſubſtantialis, cùm hic ſit conceptus materiæ primæ, maximè apud Thomiſtas; tum quia, juxta plures eorum, ſecum identificat actualitatem eſſentialem, quæ redditur proximè receptiva exiſtentiæ: debet ergo eſſentia Angeli eſſe receptibilis in ſubjecto, ne ſit actus purus & illimitatus. Dices, eam eſſentiam limitari à potentiâ receptivâ ſui eſſe, quam ſecum identificat. Benè. Non ergo generatim verum eſt, quod Thomiſtæ inculcant, actum irreceptum, ſeu irreceptibilem, omninò eſſe purum, & infinitum: ſed hoc utſummùm verificabitur de actu, qui nec ſit receptibilis in ſubjecto, nec receptivus alterius actûs, aut formæ; receptivitas enim, cùm ſit perfectibilitas, & potentialitas, aliena eſt ab actu puro, ut nemo dubitat. At exiſtentia creaturæ in noſtris principijs ſemper eſt aut receptibilis, aut receptiva: receptibilis, ſi propria eſt formæ ſubſtantialis, vel accidentalis: receptiva, ſi propria eſt materiæ primæ, vel Angeli, vel cujuſvis ſubſtantiæ non receptæ in ſubjectos quia quælibet recipere poteſt accidens aliquod naturale, vel ſupernaturale, ſaltem præſentiam in loco, vel etiam modum relationis thomiſticum, quo reddatur alteri ſimilis, aut diſſimilis, &c.

100 *Replic.* 1.: exiſtentia nequit eſſe receptiva ulterioris actûs, quia, ut ait D. Thomas q. unic. de Anim. ar. 6. ad 1., *ipſum eſſe eſt actus ultimus, qui participabilis eſt ab omnibus, ipſum autem nihil participat*: ſi ergo exiſtentia non recipitur in ſubjecto, nullo ex capite limitabitur. *Accedit*, quòd exiſtentia nequit eſſe in potentiâ ad aliud, cùm potiùs omnia ſint in potentiâ ad exiſtendum. *Reſp.*. Exiſtentia non eſt receptiva ulterioris actûs diſcernétis rem à nihilo & chimæra; quia ipſa diſcretionem hanc perficit & quicunque actus advenit ſubjecto exiſtenti, non eò tendit, ut illud à nihilo diſcernat. Quare non incongruè vocari poteſt *actus ultimus in linea entis*, ſcilicèt creati, & præcisè quatenùs à nihilo & chimærâ diſcretus: res enim, prout eſt virtualiter in potentiâ cauſæ, jam à chimærâ & nihilo diſcernitur in *actu primo*; prout eſt vialiter in actione agentis, diſcernitur in *actu ſecundo*, & *quaſi medio*; prout jam formaliter exiſtit, diſcernitur in *actu ultimo*, qui actus nihil participat, ideſt, nihil ulterà deſiderat, aut expectat pro munere iſto diſcernendi à chimærâ & nihilo, tametſi plures alias perfectiones de lineâ entis, ſubſtantiali, vel accidentali, participare & recipere poſſit.

101 Hoc tantùm ſenſu nomen *actûs ultimi* admittimus. De cæterò, potiùs exiſtentia eſt actus primus, ſeu prima rerum actualitas, cui ſuperveniunt reliquæ omnes phyſicè additæ ſubjecto. Unde D. Thomas q. 1. de pot. ar. 7. ait: *ipſum eſſe eſt effectus primus, & intimior omnibus aliis effectibus*; & 1. p. q. 8. ar. 1., *Eſſe* (inquit,

*est illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundiùs omnibus inest.* Porrò, quòd omnia sint in potentiâ ad existendum, verissimum est, dummodò intelligatur de potentiâ objectivâ, & de rebus nondùm productis, & ad existendum per existentiam cujusque propriam: sed hoc non prohibet, ne una existentia sit in potentiâ physicè receptivâ respectu alterius, non ut per illam existat, aut discernatur à nihilo, sed ut ab eâ physicè perficiatur in aliquo genere, cum ipsâque constituat compositum aliquod. Sic existentia animæ rationalis verè in potentiâ est ad existentiam Gratiæ, ut per eam formaliter sanctificetur, & ut ex utrâque resultet concretum *sanctum*.

102 *Replic.* 2. circulum committimus in explicando limitationem creaturæ: nam apud nos ideò substantia est limitata, quia receptiva est accidentium; & ideò est receptiva, quia est limitata. *Instò*: apud vos ideò essentia creaturæ est limitata, quia est receptiva sui esse; & ideò sic receptiva est, quia est limitata; si enim illimitata foret, non reciperet suum esse, ut constat: ergo & vos circulum committitis. Nos in præsenti admittimus cùm Thomistis, radicem limitationis esse potentialitatem, quæ sine dubio datur, ubicunque datur vel receptibilitas, vel receptivitas; addimusque, alterutram istarum dari reipsâ in omni creaturâ independenter à distinctione inter essentiam & existentiam. Quodnam hîc circuli vestigium? Cùm autem dicitur, Ideò creatura est limitata, quia receptiva, & ideò receptiva, quia limitata; non indicatur stricta causalitas, sed mutua convertibilitas, aut formalis identitas utriusque conceptûs: quo sensu dici solet, Ideò Deus est actus purus, quia nullatenùs potentialis est, & ideò nullatenùs potentialis, quia est actus purus.

103 Alia præterea radix aut ratio limitationis assignari potest in existentiâ creaturæ, nimirum quòd sit actus receptus, non *in alio*, sed *ab alio*, per causalitatem scilicet, qua omnis creatura suum esse recipit seu accipit à Deo: repugnat enim, actum, sic receptum, aut receptibilem, esse illimitatum. *Dices* ipsa causalitas vel causabilitas supponit limitationem creaturæ; quæ nō esset causabilis, nisi esset ens limitatum. *Verùm* hac ratione licebit dicere, quòd animal rationale supponit essentiam hominis, quia Petrus non esset animal rationale, nisi esset homo. Causabilitas ergo non supponit, sed infert, aut imbibit limitationem, sicut aseitas infinitudinem: nihilque est in creaturâ prius conceptu ipso *creaturæ*, qui est conceptus *entis ab alio*, vel, quod idem sonat, *entis causabilis*. *Dices* iterum: hâc viâ defendi poterit possibilitas substantiæ creatæ, quæ secum identificet formam sanctificantem, aut actum intelligendi: non enim ideò desinet esse limitata, dummodò sit ab alio recepta. *Sed* ex te quæro, num possibilitas & limitatio illius substantiæ defendi possit viâ thomisticâ distinctionis essentiæ ab existentiâ, dicendo scilicet, talem substantiam fore limitatam, dummodò secum non identificaret suum esse? Quidquid dixeris, tibi dictum esto: non enim hîc locus est quæstiones illas examinandi, quæ ex alijs principijs non huc spectantibus decidi solent.

104 *Dices* insuper: si creatura recipit à Deo existentiam, debet ab eâ distingui: tum quia nihil recipit se, sicut nihil recipitur in se: tum quia beneficium distingui debet à recipiente. *Sed* iterùm ex te quæro, num creatura recipiat à Deo essentiam ut constitutam ab omni formâ superaddita? Si affirmes: ergo creatura distingui debet ab essentia suâ, siquid valet tuum argumentum. Si neges: ergo Angelus v. g. non habet essentiam realem ab alio,

alio, sed à se; nec tenetur benefactori Deo gratias agere, quòd sit substantia, spiritus, intellectivus, volitivus, &c.; unde multa respondere poterit interroganti, *Quid habes, quod non accepisti?* Itaque vere a Deo, recipit seu accipit creatura, non solùm quod habet per unionem, sed etiam quod per identitatem habet; quia sic recipere, nihil aliud sonat, quàm beneficio Dei esse id, quod est. Beneficium autem, seu donum collatum, non magis à recipiente, quàm à conferente distingui debet: & tamen Verbum Divinum se ipsum nobis contulit & confert ut beneficium maximum. Recole hymnum ad Laud. in festo Corporis Christi.

105 *Objic.* 5.: quod secum identificat actum primum, & ultimum de lineâ entis, est infinitum in lineâ entis: tum quia complectitur eo ipso totam entis lineam; tum quia ea est regula generalis in lineâ qualibet; ideòque non potest aliquid identificare secum actum primum & ultimum de lineâ intelligendi, quin evadat in hac ipsâ lineâ infinitum. Sed, si essentia non distinguitur ab existentiâ, creatura secum identificat actum primum, & ultimum de lineâ entis; nam in lineâ essendi actus primus est actualitas essentialis, & actus ultimus est existentia: creatura igitur infinita erit in lineâ entis. *Inprimis* falso in existentiâ superadditâ, quæ, cum identificet secum essentiam suam, & existentiam, per quam existit *ut quo*, identificabit actum primum & ultimum de lineâ entis. *Deinde* falsum est, quòd existentia sit actus ultimus in sensu Thomistico, nimirùm per comparationem ad alium actum essentialem; aliquì falsò dixisset D. Thomas, cap. præced. allegatus, quòd *non sunt in animâ duo actus, scilicet sua essentia, & esse suum.*

106 Solùm ergo existentia creaturæ dici potest actus ultimus per comparationem ad virtutem causæ, & actionem agentis, ut explicatum est n. 100.: ultimus, inquam, non in lineâ entis quâ latè patet (sic enim linea hæc amplectitur omnem perfectionem possibilem), sed solùm in lineâ entis finiti quatenus discreti a nihilo & chimærâ, ita ut ab his ultimò discernatur unumquodque eas per existentiam suam, utique limitatam in perfectione entitativâ. Nulla autem infinitudo sequitur ex identitate creaturæ cum actu sic ultimo. Nec item infinitudo sequeretur ex identitate subjecti intellectivi cum *ultimo actu* de lineâ intelligendi, si hoc nomine significetur qualiscunque intellectio, v.g. charitatis ut quatuor: quamvis aliunde repugnet hæc identitas in substantiâ creatâ, eo quòd intellectio tunc esset & non esset actus vitalis; de quo in Animait. disp. 1. n. 13. Et generatim nullâ in lineâ sequitur infinitudo subjecti (quidquid sit de repugnantiâ ex aliis capitibus) ex eo præcisè quòd secum identificet actum, nisi quando actus ita est ultimus, ut attingat ultimum, ideſt, summum perfectionis gradum in eâ lineâ. Unde autem probas, existentiam hominis v. g. esse actum hoc modo ultimum in lineâ entis?

107 *Objic.* 6.: existentia in communi non habet differentias, per quas multiplicetur: nequit ergo in creaturis multiplicari, nisi per ordinem ad subjectum, in quo recipitur. *Prob. Antec.*: si aliquas haberet differentias, hæ forent illæ ipsæ, quæ diversificant essentias, nempe rationale, rugibile, &c.: sed istæ nequeunt esse differentiæ respectu existentiæ in communi: ergo. *Prob. Min.*: quia rationale v. g. indifferens est ad existentiam; & nulla differentia est indifferens ad rationem communem, quam contrahit. *Confirm.*: quia, si existentia contrahi posset per differentias, concipereturin potentiâ respectu ipsarum: non ergo concipereturut actualitas ultima. Ad *object. neg.* dis-

*Antec.* : nam existentia eadem differentias habet, quas ens ut sic, in quo reipsa includitur. Ad *prob. neg. Min.*, quę male probatur: non enim rationale indifferens est ad existentiam, nisi logicè, & objectivè, aut etiam negativè, & extrinsecè; quo sensu indifferens est ad omnem rationem communem, quâ contrahit, immò ad seipsum. Vid. n. 91. & sequ.. Ad *confirm.*: cùm agitur de ratione communi, præsertim transcendente; tò *in potentiâ* præcisè sonat prædicabilitatem superioris de inferiori; quæ prędicabilitas negari nequit existentiæ in communi, cùm procul dubiò sit ratio superior ad existentiam humanam, lapideam, &c., sive distinguatur ab essentiâ, sive non. Cùm hoc tamen cohæret quòd concipiatur ut actualitas ultima, ideſt, ut non indiga ulterioris actûs realiter superaddiți ad discernendam ens à nihilo. Simile argumentum, & multò urgentius invenies in Logica solutum circa rationem communem individui.

108 Pro alijs difficultatibus solvendis adverte sequentia. 1.: essentię transitus de statu possibilitatis ad statum existentiæ nō est transitus physicus, aut physica mutatio requirens commune subjectum, quod in se idem sit sub utroque statu: sed est transitus merè logicus, in eo consistens, quòd essentia, quam potest Deus producere, verificet successivè duas propositiones contradictorias, *Essentia non est*, *Essentia est*; qui transitus non requirit subjectum in se idem pro utroque tempore, sed potiùs importat antea nihil subjecti, postea subjectum. Similiter intellige transitum essentię de non esse ad esse, vel è converso; qui non est successio unius formę ad aliam contrariam, nec formæ ad privationē, sed unius contradictorij ad aliud, ideſt, subjecti ad non subjectum, aut vice versâ. Quare, cùm dicitur, essentiam ex nihilo fieri aliquid, nè putes, essentiam fuisse jam essentiam sub nihilo; sed intellige, fieri essentiam postquam non fuit essentia: nec existimes, nihilitatem fieri aliquid, sed excludi per aliquid; nam tò *ex nihilo* idem valet, ac *postquàm nihil fuerat*, ut admonet D. Thomas 1. p. q. 61. ar. 1. Hęc omnia suadenda sunt Adversarijs exemplo existentię superadditæ, cujus quidditas pariter transit de nihilo ad aliquid, &c.

109 2.: verè dicimus nihilominùs, quòd eadem essentia creaturæ, quæ modò existit, erat antea possibilis; non enim existit extra Deum, nisi quod ante existentiam fuit possibile. Sed hoc ideò verum est, quia intelligitur juxta indolem termini *possibilis*, quo ampliatur aut alienatur verbum *erat*, vel nomen *eadem*, & accipitur cum addito *in potentiâ causæ*, vel *in cognitione Divinâ*: ille namque terminus, quatenùs denotat statum priorē statu existentiæ, significat possibilitatem extrinsecam, ideſt, potentiam causæ; vel si etiam ad intrinsecam referatur, significat veritatem cognitionis hypotheticę circa illam, quæ veritas tunc absolutè datur, licèt objectum non sit præsens, ex n. 26. & seqq.. Quare propositio hæc, *Eadem essentia creaturæ, quę nunc existit, erat antea possibilis*, non denotat identitatem intrinsecam antea præsentem, sed reddit hunc sensum, *In eo erat potentia faciendi, ut essentia creaturæ esset eadem, quæ nunc est*, vel etiam hunc, *Verè Deus cognoscebat, essentiam creaturæ, si existeret, eamdem fore, quæ modò est.* Idem tenentur Adversarij dicere de quidditate existentię superadditæ.

110 3.: ad veritatem propositionis negativæ non requiritur positiva distinctio subjecti à prędicato: sufficit distinctio negativa, consistens in mero defectu identitatis exercitæ, eo quòd subjectum nihil sit. Unde, quòd verè dicatur, *Essentia Antichristi non exis-*

*existit*, nil prodest Adversariis; pariter enim verè dicitur nunc in sensu absoluto & exercito, *Essentia Antichristi non est essentia*, atque etiam, *existentia Antichristi non existit ut quo*. Verè quoque dicitur Antichristus objectivè indifferens, ut sit homo & non homo, non in sensu compositionis, sed in divisionis, ideſt, ut jam sit homo, jam non sit homo, sed nihil.

111. 4. aliqua distinctio rationis admittenda est inter essentiam, & existentiam creaturæ; nam saltem distinguuntur penès implicitum & explicitum, cùm non sint termini synonymi. Neganda tamen strictà distinctio rationis ratiocinatæ, si essentia & existentia in eodem sensu accipiantur. Essentia etenim actualis neque hac actuali existentiâ concipi, nec essentia purè possibilis, aut in potentiâ, sine existentiâ purè possibili, sive in potentiâ; nec essentia præscindens à statibus entis in actu, & in potentiâ tantùm, sine existentiâ pariter ab his statibus præscindentes; essentia quippe conceptâ hypothetice ut *aliquid reale, si detur* (quo pacto dicitur à statibus præscindere), formaliter est existentia hypothetice sumpta ut *aliquid reale, si detur*. Huc facit exemplum rotunditatis & circuli, ex D. Thomâ sumptum n. 98. Quòd si comparatio fiat inter essentiam sic hypothetice conceptam, & existentiam ut exercitam, ideſt, ut absolutè conceptam aut assertam; dabitur inter eas quædam distinctio rationis ratiocinatæ, non quæ diversas importet definibilitates, sed quæ solùm importet illationem non mutuam ratione diversitatis actuum intellectûs in modo tendendi circa idem objectum. Quamvis enim hi v.g. conceptus, *Quod est animal rationale, si actu est*, *Quod actu est animal rationale*, respiciant objectum omninò idem, non tamen se se mutuò inferunt quoad verificationem, cùm prior verificetur de homine ab æterno, secus verò posterior: unde prior quodammodò latiùs patet, scilicet latitudine temporis, aut verificationis, non objecti.

112. Ab his ergo conceptibus formalibus (quorum priori, juxta communem usum, correspondet nomen *essentiæ*, posteriori nomen *existentiæ hominis*, nisi aliud explicetur) derivatur denominativè in objectum quædam specialis distinctio rationis, quædam scilicet apparentia vel imitatio distinctionis illius, quæ realiter datur inter potentiam & actum, vel inter subjectum & accidens: quia essentia sub conceptu hypothetico redditur extrinsecè indifferens, ut de ipsâ verè affirmetur, aut negetur existentia sub conceptu absoluto; & hoc prædicarè, *Essentia, quæ est animal rationale, si actu est, jam actu est animal rationale* (cui re ipsa æquivalet hoc, *essentia hominis existit*), non nisi accidentaliter seu contingenter verificatur, instar illius, quæ prædicat reale accidens de subjecto. Inæquivalentia igitur hujusmodi est quædam potentialitas essentiæ, quæ dum verificat prædicationem illam absolutam, concipitur quasi actuari per existentiam, & cum eâ facere compositionem quamdam umbratilem more subjecti cum accidenti. Sed hoc totum est opus rationis, & objecto extrinsecum, tametsi fundatum in illâ negativâ vel purè objectivâ indifferentiâ creaturæ ad existendum, de qua n. 91. Quia verò tale fundamentum non datur in Deo, à quo procul abest contingentia & indifferentia omnis in existendo; idcircò in essentiâ Divinâ nullatenùs potest cum fundamento concipi potentialitas, aut compositio cum existentiâ.

113. Ex dictis inferes, quo sensu ens nominaliter sumptum præscindat ab existentiâ. Præscindit inprimis tamquam explicitum ab implicito. Præscindit etiam ab existentiâ ut exercitâ, sive ut absolutè affirmabili (quo pacto

pacto existentia idem sonat, ac ens participialiter sumptum), præcisione independentiæ sive inconvertibilitatis in prædicando, qualiter essentiam præscindi ac distingui diximus ab existentiâ per diversos concipiendi modos: nam ens nominale revera est ens conceptû hypothetice, sic nimirùm, *Quod, si actu est, intrinsecè aptum est existere realiter*, vel, *existere sine contradictione*. Cæterùm ab existentiâ ut hypotheticè conceptâ non præscindit propriè & strictè, sed eam formaliter includit non minùs, quàm essentiam realem. Totam doctrinam à n. 111. datam facilè confirmabis exemplo existentiæ comparatæ cum suâ ipsius quidditate.

# DISPUTATIO III.

## DE SUBSTANTIA, ET ACCIDENTI.

ENS creatum dividitur in substantiam, & accidens: ubi nomen *substantiæ* sumitur coarctatum ad substantiam finitam, ne latiùs pateat quàm divisum; si enim à limitatione præscindat, Deo propriè convenit. Sumitur item, non prout generatim sonat essentiam rei cujuslibet, quo sensu essentia etiam accidentis vocatur substantia ejus; sed prout significat ens contrapositum accidenti physico. Divisio hæc immediatior est immediatione universalitatis, quàm divisio entis creati per decem prædicamenta; quia plura ex his conveniunt in ratione accidentis: quamquàm alio sensu immediata dicitur divisio entis in decem genera, nimirùm per exclusionem generis immediatioris, aut superioris: non enim accidens ut sic censetur propriè genus, vel quia est transcendens, vel quia est aliter analogum. Divisio tamen ista prædicamentalis (quam in Logicâ dedimus, & ibi summatim explicuimus) materiam præsenti Disputationi præbebit, quantum ad ea membra, quæ non-dùm in hujus Operis decursu explicata sunt ex professo.

### CAP. I.

#### *De substantia in communi.*

1 SUbstantia nomen derivat tum à subsistendo, tum à substando accidentibus: sed, quantum ad rem significatam, passim definitur seu describitur, *Ens per se*; & ex adverso Accidens, *Ens in alio*. Superest tamen non levis difficultas circa sensum particulæ *per se* quæ, si excludat esse in alio tamquàm in subjecto, à quo forma pendet in fieri & conservari (hanc dependentiam denotare videtur particula *in aliis*), convenit quidem substantiæ completæ, nec nó materiæ primæ, & animæ rationali; at non convenit omni substantiæ: nam anima equi, & quævis alia substantialis forma corporea, item unio humana, & modus subsistentiæ, cùm verè substantiæ sint, nihilominùs à subjecto sustentantur & pendent non minùs, quàm formæ accidentales. Hac de causâ non parùm dissident Authores in assignando substantiæ conceptum, completis & incompletis omnibus communem.

2 Missis aliis explicationibus, amplectenda nobis est, quam jam alibi non semel indicavimus, quæ nimirùm illud *per se* pro eodem accipit,

adæquatè se; atque proinde, subsistentiam in communi sic esse describendam, *Ens propter se existens*, vel, *Aptum existere propter se*, ita ut tò *propter se* excludat existere naturâ suâ ultimatè seu principaliter propter aliud ab ipso adæquatè distinctum ut intrinsecè perficiendum, aut afficiendum. Quare id erit *subsistantia*, quod ita existit, ut naturâ suâ non sit ultimò propter subjectum, quo innitatur, vel propter aliud, cui toti debeat physicè uniri, tamquàm subjecto adæquatè distincto. Ex adverso accidens est *Ens in alio*, *inesse*; *propter aliud*, ita ut ex intentione naturæ sit ultimatè seu principaliter propter subjectum adæquatè distinctum, quod intrinsecè afficiat, seu cui physicè uniri debeat. Hæc substantiæ explicatio quoad sensum & ferè quoad verba traditur à P. Oviedo, & approbatur ab alijs.

3 Ea verò convenit in primis omni substantiæ. De increatâ nequit esse dubium; nec de creatâ omninò completâ, cujusmodi est Angelus, aut homo, seu persona humana. Incompleram autem, sive partialem, nullam novimus præter materiam primam, formam substantialem, unionem ipsarum informativam, & continuativam (adde unionem hypostaticam in Christo D.), subsistentiam, & integram naturam relatè ad suppositum: & omnes istæ, licèt verè sint propter suppositum, quod principaliter & ultimatè intenditur à naturâ, tamen non in eo sunt ut formæ in subjecto, sed ut partes in toto, à quo proinde non distinguuntur adæquatè: non ergo existunt propter aliud adæquatè distinctum, sed verè propter se. Est quidem immediatè materia prima propter formam, unio propter extrema, & subsistentiæ modus propter naturam; at non principaliter, aut ultimatè: quia natura ultimò intendit suppositum ut ex his partibus constitutum, & propter aliud tertium ab illarum partium extremis. Intendit quinquam, ultimò: quia suppositum, etiam creatum, in se subsistit, nec ordinatur ad aliud intrinsecè perficiendum; licèt possit esse propter aliud ut finem extrinsecum, qualiter creaturæ sunt propter Deum, & elementa propter mista.

4 Deinde convenit eadem explicatio soli substantiæ. Quia nullum est accidens, quod non sit principaliter propter aliud adæquatè distinctum, tamquàm finem cui, ab ipso afficiendum per unionem physicam: nam omne accidens suaptè naturâ inclinatum est, ut cedat in bonum, vel in malum subjecti, cui physicè unitur, aut uniri debet; ut ex communi apprehensione constat, & inductione suaderi potest, etiam in accidentibus supernaturalibus, ut in gratiâ, & visione beatificâ. *Dices*: forma artificialis, cùm verè sit accidens, non intenditur propter se, vel propter domum in esse compositi artificialis. *Dist.*: non intenditur ab arte, vel artifice, *conc.*; non intenditur à naturâ, *neg.*: nam forma artificialis consistit in quadam figurâ vel præsentiâ lapidum, lignorum, &c., quæ est modus à naturâ institutus immediatè propter quantitatem, & mediatè propter substantiam corpoream.

5 *Dices* insuper: sicut anima equina est propter equum, ita dici poterit albedinem esse propter album, quod est concretum non adæquatè ab ipsâ distinctum. *Resp.*: est quidem albedo propter album, sumptum quoad rectum, vel quoad subjectum, non tamen sumptum in esse concreti, seu denominationis ex subjecto & formâ constituti; nam tota constitutio concreti, & resultantia denominationis *albi*, non propter se intenditur à naturâ, sed in gratiam subjecti. Si rationem petas; nulla videtur esse præter naturam ipsam rerum, nobis cognitam ex

communi sensu Philosophorum. Veteres quippe, naturæ lumine ducti, nihil per se ac propter se esse censuerunt, nisi vel res simplices, nullum dicentes ordinem ad subjectum, & primam in se radicem operationum habentes; vel res compositas ex primo subjecto, & primo actu, sumpto nomine *primi actûs* pro formâ, quę esset prima radix effectiva operationû compositi. Quare cæteros omnes actus, & consequenter denominationes ex ijs resultantes, pro comperto habuerunt, non propter se, sed propter subjectum existere. Christiani verò, qui ex principijs Fidei colligimus, suppositum propter se existere, & addere aliquid suprà naturam integram, sive simplicem, sive compositam ex primo subjecto & primo actu, comperamus insuper subsistentiam inter constitutiva rerum propter se intentarum. Quidquid igitur ordinem dicit ad subjectum, & aliunde à subsistentiâ & à primo actu & ejus unione distinguitur, non est censendum existere propter se, nec propter concretum, quod constituit. Quòd autem ille ordo, illaque distinctio inveniatur in albedine, in calore, in quantitate, &c., colligendum est ex peculiaribus indicijs, quæ non debent in definitione substantię vel accidentis exhiberi; sicut non exhibentur in definitione hominis indicia, unde colligitur, in equo, in leone, &c., non inveniri potentiam ratiocinandi.

6 Ex dictis inferes, perfectatem substantiæ, prout à substantijs completis & incompletis omnibus abstractæ, importare quidem independentiam à subjecto, at non à qualicumque, sed à subjecto, cujus gratiâ existat, vel propter quod fit. Atque ita sunt intelligendi Aristoteles, S. Thomas, & alij Veteres, dum indistinctè dicunt, aut supponunt, substantiam esse *per se*, quia non dependet à subjecto. Possunt etiam intelligi de substantiâ prædicamentali, ideò, de substantiâ completa, quæ sola in lineâ rectâ prędicamenti ponitur, & quæ verè independens est ab omni subjecto, in quo sit, licèt non excludat subjectum, ex quo tamquàm ex parte sui constituatur. Ubi notandum, quòd substantię perfectas interdùm sumitur à D. Thomâ (v. g. 1. contr. Gent. c. 25.) parè negativè, pro negatione scilicet essendi in subjecto; ideòque negat S. Doctor, perfectatem esse de intrinsecâ ratione substantiæ. Sed modò positivè sumitur ab omnibus, pro fundamento scilicet illius negationis, seu pro independentiâ positivâ rei à subjecto. Colliges insuper, inalienatem accidentis, quæ vocatur etiam *inhærentia & inhęsio*, ex adverso importare dependentiam formæ à subjecto, non qualemcumque, sed quę respiciat subjectum, ut intrinsecum finem *cui*, vel ut id, propter quod tota forma est.

7 Jam circa substantiam in universali *quæritur* 1., an conceptum habeat communem substantiæ creatę, & increatæ & si habet, an univocum? Ad 1. partem affirmativè respondeo, dummodò *substantia* non sumatur à munere subsistendi, sed à munere subsistendi, vel per se existendi. Et inprimis conceptus substantiæ completæ, seu non ordinabilis ad aliquod totum physicè constituendum, propriè convenit, non solùm Angelo, sed etiam Deo; quia nomen *completa* non necessariò compositionem sonat, sed tantùm perfectionem non indigam complementi: nec est, cur talis perfectio nequeat perfectè præscindi ab eo, quòd sit composita, vel simplex, finita, vel infinita. Deinde conceptus substantię, ut abstrahens à completa & incompletâ, solùmque dicens perfectatem, vel propterfectatem n. 2. explicatam, verificatur etiam propriè de

Deo;

Deo; quia, licet non excludat incomplectionem, non ideò formaliter illam includit: quare in eo militant eadem argumenta, quę pro conceptu entis dedimus disp. 1. c. 1.. Ad alteram verò quæst. partem dicendum est, conceptum istum, quatenùs Deo & creaturæ communem, esse univocum analogum, vel univocum logicè, analogum metaphysicè, propter dicta de conceptu entis d. 1. c. 3.

8 *Quær.* 2., an ratio substantię transcendat formaliter omnes differentias aut formalitates inferiorum? *Resp.* 1.: ratio ista formaliter est transcendens respectu Dei: quia saltem implicitè includitur in aseitate, & in omnibus attributis Divinis, propter infinitam perfectionem ipsorum. Et hinc provenit in conceptibus Deo & creaturæ communibus, analogia metaphysica, quæ convenientiam genericam excludit. *Resp.* 2.: ratio substantiæ prędicamentalis, idest, finitæ ac physicè completæ, non transcendit formaliter differentias inferiorum: est enim propriè genus; & genera non includuntur formaliter in differentijs, ut ex Logicâ suppono.

9 *Resp.* 3.: ratio substantię abstrahens à completâ & incompletâ, prout explicata est n. 2., vocari solet *transcendentalis*, ut discernatur à prædicamentali per majorem universalitatem, quia prædicatur etiam de quolibet constitutivo reali, seu parte physicâ substantiæ. Quòd tamen transcendat formaliter differentias metaphysicas, v. g. rationale hominis, dubium est, & apud me problema. Pars affirmativa suaderi potest. Tum quia rationali differentialiter sumpto convenire videtur definitio substantiæ, n. 2. tradita. Tum quia rationale per modum formę constituit totum metaphysicum substantiale, nempe speciem humanam: nequit autem substantia constitui nisi ex substantijs, maximè quantum ad formam. Pars negativa potest etiam suaderi. Tum quia non videntur hic urgere quæ pro transcendentiâ entis adduximus disp. 1.. Tum quia, si rationale formaliter est substantia, erit substantia physicè completa; importat enim sine dubio complectionem physicam, alioqui non purè formaliter, sed realiter inadæquatè distingueretur à genere, & à specie, sicut anima distinguitur ab homine: si autem est substantia physicè completa, jam includet formaliter supremum genus substantię prędicamentalis, & consequenter cætera intermedia. Quæstionem hanc, quia fusiùs discutere non vacat, in medio relinquo.

10 *Quær.* 3., an Deus contineatur in prædicamento substantię? Respondet negativè communis sententia, & meritò. Quia in hoc prædicamento, prout ab Aristotele constitutum est, solùm collocantur directè genera, species, & individua sub his contenta; indirectè verò, seu ad latera, differentiæ divisivę generum, & constitutivę specierum; ac demùm reductivè, partes, aut constitutiva physicæ substantiæ. Deus autem nec est pars substantiæ, nec differentia, nec genus, nec species ulli subjecta generi, cùm nec ens, nec substantia sit genus respectu Dei; proinde nec est individuum sub aliquâ specie prædicabili, vel subjicibili contentum. Accedit, quòd Aristoteles ait, proprium esse substantiæ prædicamentalis substare accidentibus. *Dices*: substantia prædicamentalis est substantia physicè completa: ratio autem substantiæ completæ Deo propriè convenit. Item: ad hoc prædicamentum spectat prima substantia; quod nomen Deo convenit maximè. *Resp.*: non omnis completa substantia est prędicamentalis, sed ea tantùm, quæ finita est, ut quæ sola potest gradus genericos & specificos admittere, sola quę substat accidentibus. Nec Deus est pri-

ma substantia in sensu prædicamentali Aristotelico: cùm enim Aristoteles substantiam dividit in primam, & secundam, nomine *primæ substantiæ* intelligit individuum substantiale sub specie & genere contentum, non autem individuum, quod sit incausatum, & primum principium substantiarum omnium, quo sensu Deus solus est prima substantia.

### *De proprietatibus Substantiæ.*

11 *Quær.* 4., quot sint proprietates substantiæ? *Resp.* Sex enumerat Aristoteles pro substantiâ prædicamentali. Quas ut intelligas, recolere oportet ex Logicâ tr. 4. de Prædicam. c. 2. divisionem substantiæ in primam, & secundam: quam divisionem accuratè discutit & explicat P. Suar. d. 33. Met. s. 2. Prima substantia dicitur substantia individua omninò physicè completa in ordine entis per se, v. g. Petrus: substantiæ secundæ vocantur genera & species hujus prædicamenti sub intentione universalitatis. Prima ergo substantiæ proprietas est *non esse in subjecto*, nimirùm in quo physicè sustentetur. Hæc proprietas quatenùs conveniat, tum peculiariter substantijs completis, necnon materiæ primæ, & animæ rationali, tum generatim substantijs omnibus, etiam incompletis, jam explicatum est à n. 1. ad 6. Nunc advertendum, quòd, si sonet independentiam positivam, solùm est proprietas ex modo significandi, & concipiendi, quatenùs independentiam à subjecto quodammodo reluctare concipimus ex eò quòd substantia sit ab se, vel propter se: quàmvis fortè non detur distinctio rationis, nisi penès implicitum & explicitum.

12 Secunda proprietas est *univocè prædicari*. Hæc non convenit primis substantijs, sed tantùm secundis: nec in his est proprietas realis (nisi purè fundamentaliter accipiatur), sed intentionalis, & à cognitione proveniens: nec est proprietas substantiæ quarto modo, sed tantùm secundo, cum etiam accidenti conveniat, v. g. colori respectu albedinis & nigredinis. Si quæras, an substantia creata, ut abstrahit à totali & partiali, sit univocè? *Resp.* Est analoga secundùm conceptum independentiæ ab omni subjecto: quia, licet aliquomodò conveniat substantijs omnibus, etiam partialibus, de quibusdam non verificatur nisi cum addito *ut quo*, *seu constitutivo*. At secundùm conceptum independentiæ à subjecto ut ultimatè intento (qua ratione condistinguitur ab omni accidenti), est logicè univoca: quia conceptus iste sine ullâ improprietate verificatur de quilibet substantiâ partiali: poterit tamen dici metaphysicè analoga propter attributionem partis ad totum, saltem si transcendat formaliter differentias.

13 Tertia, *significare hoc aliquid*, ideſt, esse conceptibilem per modum individui per se stantis, demonstrabilis, habentisque rationem suppositi. Hæc proprietas solius est primæ substantiæ: nam secundæ, ut Aristoteles admonet, magis significant *quale quid*, quàm *hoc aliquid*; vel quia constituuntur in esse *secundo* per abstractionem accidentalem; vel quia nequit existere nisi communicata individuo per identitatem, sicut qualitas existere non potest nisi communicata subjecto per unionem. Dicitur tamen substantia etiam secunda quodammodò significare *hoc aliquid*, quatenùs genus, & species concipitur ut per se stans, & subsistentiam importat suo gradu proportionatam, ut ostendit P. Suar. d. 34. Met. s. 8.

14 Quarta, *non suscipere magis & minus*, videlicet in intentione graduali per additionem physicam gradûs ad gradum. Proprietas hæc omni substan-

stantiæ convenit, licèt non soli, cùm etiam conveniat quantitati. Ad mutuò tamen substantia corporea magis & minus in extensione entitativa per additionem & detractionem partium, quæ secum trahunt quantitatis augmentum; ut patet in nutritione viventium. Datur etiam intra genus substantiæ, habitâ ratione diversorum entium, magis & minus secundùm essentialem perfectionem, quæ vocari solet intensio virtualis. Unde Angelus est substantia intensivè major seu melior, quam lapis: forma juxta Aristotel. est magis substantia, quàm materia: & Deus maximè omnium substantia est.

15 Quinta, *non habere contrarium.* Nomine contrariorum intelligit Aristoteles formas, quæ sub uno genere maximè distant, ideòque se invicèm expellunt ab eodem subjecto; cujusmodi sunt calor & frigus, aut albedo & nigredo. Hoc sensu omnis completa substantia contrario caret, cùm non sit in subjecto: non tamen illi soli convenit ista proprietas, sed etiá materiæ primæ, quantitati, & qualitatibus haud paucis. In formis substantialibus contrarietatem agnoscent aliqui: & reverâ non facilè apparet, cur anima & forma cadaveris non dicantur inter se contrariæ, ut etiam formæ ignis & aquæ. Forsitan Aristoteles, dum contrarietatem definit per formarum pugnam circa idem subjectum, nomine *subjecti* non intelligit materiam primá, sed ens in actu physico.

16 Sexta, *posse suscipere contraria*, nimirùm successivè, qualiter idem homo jam frigidus est, jam calidus, jam insipiens, jam sapiens. Hæc est proprietas ferè omnis substantiæ completæ, quam in creatis novimus; nam etiá Angelus est susceptivus amoris & odij circa idem objectum. Si tamen Cœlum sit penitùs incorruptibile, ut volunt plurimi, non erit obnoxium contrarijs qualitatibus. Et talem non apparet repugnantia corporis completi, quod nequeat suscipere contraria. Quare non extenditur hæc proprietas ad omnem substantiam possibilem. Nec item limitatur ad solam substantiam; cùm etiam inveniatur in quantitate, & in potentijs animæ accidentalibus, quæ juxta Thomistas suscipiunt assensum & dissensum, amorem & odium. Inter substantias incompletas convenit maximè materiæ primæ, necnon animæ rationali; cæteris verò convenit talem *ut quo*, quatenùs ex ijs constituitur suppositum, cujus est præcipuè & *ut quod* accidentia suscipere, & contraria pati. Denique addi potest ex mente Philosophi septima proprietas, *substare accidentibus*, quæ est omnium notissima, & convenit omni substantiæ creatæ; tum ex dictis in Animast. disp. 4. c. 1.; tum quia talem nulla est possibilis substantia creata, quæ non sit susceptiva propriæ ubicationis. Non tamen est proprietas solius substantiæ; cùm possint alia alijs accidentia substare, licet non per modum primi subjecti nullo alio indigentis.

*Indicantur Substantiæ divisiones variæ: & explicatur quidditas Modi.*

17 Quæres. 5., quæ sint divisiones Substantiæ? *Resp.* Substantia creata dividitur 1. in completam, & incompletam. Divisio hæc solet accipi, tum metaphysicè, tum physicè. Si metaphysicè accipiatur, nomine *substantiæ completæ* veniunt individuum, species, & genera directè posita in prædicamento substantiæ: nomen verò *substantiæ incompletæ* tribuitur differentijs collateralibus. Hæc tamen sensu videtur divisio nimis analoga, vel impropria. Tum quia differentiæ fortasse non transcendantur formaliter à ratione cómuni substantiæ, propter dicta n. 9.: quod si verum est, non poterunt appellari substantiæ, nisi *ut quo*, seu *com-*

*pe-*

*nalem*. Tum quia gradus genericus, immò & specificus, aliquod expectat cōplementum; quo cum constituat totū substantiale metaphysicum, videlicet differentiam specificam, & individualem: non ergo est propriè substantia completa in lineâ metaphysicâ, nisi solum individuum, seu prima substantia. Quapropter species & genera non videntur alio titulo vocari substantiæ cōpletæ in sensu metaphysico, seu logico, nisi quia concipiuntur per modum totius, vel instar per se stantium, nec expresse connotant subjectum, in quo logicè sint. Differentiæ verò ideò vocantur substantiæ incompletæ, quia & substantiæ sunt, saltem *ut quo*, & aliunde concipiuntur instar adjacentium, expresse connotando genus, quod contrahunt & afficiunt quasi subjectum. Propriè igitur accipienda est illa divisio de completione & incompletione physicâ, seu reali.

18 Quo sensu vocatur *incompleta*, quæcumque substantia partialis, quæ scilicet ordinatur ad aliquod totū substantiale constituendum. Varias ejus species enumeravimus n. 3.. Vocatur *completa*, quæ nullum desiderat sui ordinis complementum, quàmvis ulteriùs compleri seu perfici possit in ordine accidentali. Quòdsi nihil ei desit in esse principij radicalis activi & passivi naturalium motuum aut proprietatum, dicitur completa in esse naturæ: si verò nihil ultrà expectet in toto ordine per se existentis, dicitur completa in esse suppositi, seu completa simpliciter, quæ sola directè ponitur in prædicamento substantiæ. Completa in esse naturæ, alia est simplex, ut in Angelo; alia composita, ut in homine: & in hac distingui potest completio duplex; altera essentialis, quæ omnes importat partes necessarias, ut verificetur definitio speciei; altera integralis, quæ partes omnes continuativè unibiles importat, quibus natura indiget; ut sit perfecta substantialiter in specie suâ; cujusmodi completio non videtur ad rectam lineam prædicamenti necessaria; homo quippe digito mutilus simpliciter continet gradus omnes substantiæ prædicamentalis. Completa in esse suppositi, nequit esse omninò simplex in creatis; quia semper debet ex naturâ & subsistentiâ realiter componi. Vid. P. Suar. d. 34. Met. l. 3.

19 Dividitur 2. in viventem, & inanimem, seu vitâ carentem. Hæc divisio explicata est in Animali. d. 1. c. 1.. Dividitur 3. in spiritualem, & corpoream. Hæc quoque divisio (quæ est etiam accidenti communis) explicata manet in Animali. d. 2. c. 1.. Dividitur 4. in absolutam, & modalem. Postulat divisio ista (quæ pariter communis est accidenti), ut explicetur quidditas modi, vel quatenùs differat modalis entitas à re absolutâ. Omnis qualitas appellatur nonnumquàm modus substantiæ, teste D. Thomâ 1. 2. q. 49. ar. 2.. Solet etiam vocari modus generatim limitatio uniuscujusque rei finitæ pro mensurâ sibi præfixâ, juxta illud D. Augustini l. 4. de Genes. ad litt. c. 3., *Modus est, quem mensura præfigit*: quo etiam sensu idem Augustinus lib. de Natur. bon. c. 3. tria requirit ad bonitatem rei creatæ, *speciem*, *ordinem*, & *modum*, ideſt, debitam commensurationem ad sua principia, ut explicat D. Thomas 1. p. q. 5. ar. 5.. Modus item interdùm sumitur metaphysicè, seu logicè, pro quovis conceptu objectivo contrahente ac determinante amplioremalium ratione distinctum: sic enim differentia dici solet modus generis: & peculiariter modi vocantur conceptus virtualiter simplices nō mutuò distincti à conceptu communi, v. g. aseitas & abalietas respectu entis; unde passim dicitur, quòd ens contrahitur ad Deum & creaturam, & ad suprema genera, non per differentias, sed per modos. Scotistæ conditiones alias requirunt ad

modos hosce metaphysicos, quos *intrinsecos* vocant. Vide suprà disp. 1. n. 69.

20 Sub nullâ ex his notionibus accipitur *modus* in præsenti, sed prout hoc nomen significat entitatem essentialiter addictam alteri realiter distinctæ, cujus indifferentiam determinat. Talis entitas, quæ propriè dicitur *modus physicus*, communiter creditur esse ubicatio seu præsentia localis, unio inter animam & corpus, inhærentia accidentis in subjecto, actio, passio, &c.. Argumenta, quæ in Physicâ dedimus pro unione modali ab extremis distinctâ, facilè aptari poterunt ad alios hujus indolis modos. Nec verò dubitari posse videtur, quin sessio Petri v. g. sit inprimis aliqua realitas; non enim est nihil, aut mente fictum, Petrum sedere: sit deinde à Petro distincta; nam alioqui non posset Petrus existere nisi sedens: sit denique essentialiter addicta Petro, seu ab ipso inseparabilis ex conceptu suo; cùm sit Petro ultima determinatio & exercitium sedendi, nec possit mente concipi sessio Petri existens non existente Petro. Hanc ergo, & similes alias ultimas determinationes rerum ex se indifferentium, ut aliquod munus obeant, aliquamvè subeant denominationem realem, modos physicos appellamus. Sunt qui dictitent, eos fuisse Veteribus ignotos, & à Modernis inventos, aut confictos. Sed quòd illos in rebus agnoverit Subtilis Doctor Scotus, ex variis ejus locis ostendit Mastrius disp. 2. Met. q. 6. ar. 1.. Illos quòque agnoverunt Durandus, & Ægidius, apud P. Suar. disp. 7. Met. s. 1. n. 18.. Immò & illos planè supponunt Aristoteles, & D. Thomas, dum loquuntur de situ, de motu, de actione & passione, &c..

21 Conceptum quidditativum modi physici non uno modo explicant Authores. Quorum variis explicationibus omissis, hæc videtur satis idonea: *Realis & ultimâ determinatio condistinctæ à se indifferentiæ ad aliquam denominationem rei existentis propriam.* Hinc oritur, quòd modus sit etiam divinitùs inseparabilis à re modificatâ: repugnat enim ex terminis actualis & ultima determinatio non actu determinans; & repugnat pariter actu determinans sine re actualiter determinatâ, ac proinde actualiter existente, si determinatio est ad denominationem rei existentis propriam. Sed, ut magis innotescat natura modi, oportet observare sequentia. 1.: modus necessariò connotat indifferentiam, quam determinet; alioqui non erit modus, licèt sit entitas impotens existere sine alterâ. Unde in Divinis Filius non est modus Patris, licèt ab eo inseparabilis, quia nullam in Patre connotat indifferentiâ. Neque creatura, quæ à Deo producitur per distinctam actionem, est modus Dei, licèt sit impotens sine Deo existere; quia non determinat indifferentiam Dei ad agendum, sed determinatam supponit per actionem. Sufficit autem ex parte rei determinabilis indifferentia obedientialis, per quam possit determinatione carere saltem divinitùs. Unde accidens inest subjecto per inhærentiæ modum; quia potest divinitùs non inhærere, ut in Eucharistiâ. Sufficit item indifferentia ad hanc vel illam determinationem certi generis, tametsi connectatur vagè cum aliquâ, ut accidit in indifferentiâ rei ad præsentiam localem.

22 2.: cùm modus sit determinatio ultima in suo genere, vel munere, debet esse determinans absolutè, non conditionatè duntaxat. Unde, si dentur entitates duæ talis indolis, ut utraque possit seorsùm existere sine alterâ, nequeant tamen ambæ simul existere nisi unitæ (quo in eventu non est opus unione intermediâ); neutra erit modalis unio alterius: quia, licèt unaquæque sit determinatio ad uniendum, non

non tamen determinat absolutè, sed conditionatè, sub conditione scilicet quòd existat altera: proinde neutra est ultima determinatio, cùm unaquæque sit ex se indifferens, & expectet alteram, ut compleatur in esse determinantis. Hac ratione, quamvis duæ albedines se invicem determinent ad denominationem *similis* citra modum relationis superadditum, non ideò altera est modus alterius. Ex hoc etiam ultimæ determinationis munere provenit, quòd in eodem genere dari nequeat modus modi, v. g. unio unionis, aut actio actionis: nam præter quàm quòd sequeretur processus in infinitum, modus reflexus opponeret in modo directo indifferentiam aliquam ad suum munus præstandum; quam indifferentiam non patiuntur conceptus ultimæ determinationis. Potest tamen in diverso genere dari modus modi: enim uniones informativæ partium hominis integralium uniuntur inter se per unionem continuativam: & unio corporis & animæ Christi D. per unionem hypostaticam unitur Verbo. Ex eodem conceptu provenit, quòd modus connectatur essentialiter cum re individuâ: si enim esset indifferens ad res numero distinctas, indigeret alteriore determinatione ad unam præ aliis.

23. 3.: modus, quidquid aliqui dicant, non debet semper esse determinatio rei ad aliud extremum ab ipso distinctum: quamvis enim sæpè versetur inter extrema duo, non hoc habet ex communi conceptu modi. Unde poterit esse determinatio rei ad seipsam, vel ad denominationem ex ipso resultantem; ut accidit in subsistentiâ, & in ubicatione, quæ potest conservari sine loco extrinseco 4. non debet modus intrinsecè uniri rei, quâ modificat, nisi ex munere speciali sit intrinsecus. Patet hoc in actione transeunte, quæ non recipitur in agente, cùm tamen vere sit modus ejus, imposita determinatio ultima virtutis causalis ad agendum: immò potest actio, saltem divinitùs, loco distare ab agente. Hinc dari potest modus extrinsecus, seu res extrinsecè denominans, qui solùm est à re inseparabilis in existendo, quatenus impotens est in rerum naturâ existere, non existente re modificatâ. Unde actio Dei externa sine absurdo vocari potest, & vocatur à P. Oviedo controv. 4. Met. punct. 6. n. 2. modus Dei extrinsecus; non quatenus modus sonat limitationem, & mensuram connotat, juxta notionem datam n. 19. sed præcisè quatenus significat ultimam determinationem ad agendum, nihil mutationis Dei asserentem, sed extrinsecè tantùm denominantem. Potest etiam, & solet idem modus esse intrinsecus uni rei, & extrinsecus alteri: sic enim actio transiens intrinseca est termino, & agenti extrinseca. *Dices* ergo poterit cognitio dici modus extrinsecus objecti, cùm illud ultimò determinet, ut sit cognitum. *Respic* poterit quidem ita dici cognitio creata, si connectatur essentialiter cum existentiâ objecti de præsenti: secus tamen, si connexione illâ careat, quia tunc non determinat ad denominationem rei existentis propriam, sed ad eam, quæ de se convenire potest rei non existenti. Cognitio autem Divina nullatenus est modus objecti creati; tum quia sine illo existit ab æterno; tum quia objectum non est indifferens, ut cognoscatur à Deo.

24. 5.: non omnis modus est purè modus, idest, eam tantùm perfectionem habens, quam explicat nudus conceptus ultimæ determinationis ad tale munus, v. g. ad agendum, ad uniendum, ad locandum: sed potest dari modus secum inseparabiliter identificans perfectiones alias, quæ non infernuntur ex conceptu illo, sed ex aliis indiciis colliguntur. Sic, si Angelus, ut multi volunt,

lum, secum identificat creationem sui, est modus extrinsecus Omnipotentiæ, ut benè infert P. Ovied. loc. cit. : sed non est purè modus ; quia simul identificat perfectiones alias naturæ Angelicæ, quæ non inferuntur ex nudo conceptu determinationis ultimæ ad creándum. Aliud exemplum habes in actu intelligendi, de quo diximus in Animast. disp. 8. n. 29. & sequ.. *Dices* ergo potest identificari modus cum re absolutâ. *Dist.* : cum re absolutâ, cujus est modus, *neg.* ; cujus non est modus, *subdist.* : si tò *absolutâ* dicat exclusionem modalitatis, *neg.* ; si solùm dicat perfectionem specificâ à modalitate præscindibilem, vel idoneam ad alia munera præter hoc quod est ultimò determinare indifferentiam alterius, *conc. Consequ.*.

25 Hinc inferes, quod passim dicitur, modos esse tenuis entitatis, intelligendum esse de modis purè talibus; cujusmodi sùt actiones distinctæ à causâ & effectu, ubicationes seu præsentiæ locales, uniones inter extrema penitùs absoluta, &c.. Hi quippe vix aliquid perfectionis addunt rei modificatæ, & aliundè perfectionem eorum extenuat dependentia essentialis ab alio ente creato, & impotentia existendi seorsùm, adeò ut ne divinitùs quidem conservari possint, quin alicui subjecto intrinsecè inhæreant, vel adhæreant. Hæc tamen tenuitas intelligenda est respectivè ad res ejusdé ordinis ; ita ut modi substantiales sint substantiæ tenuissimæ, & modi accidentales accidentia debilissima ; quàmvis fieri possit, ut substantialis modus perfectione superet accidens absolutum. Præcipuè verò intelligenda est tenuitas respectivè ad rem determinabilem per talem modum, dummodò sit modus naturalis : si enim supernaturalis sit, poterit nonnumquàm esse perfectior ente modificato ; ut patet in unione hypostaticâ, qua parte modificat & unit Verbo unionem essentialem humanitatis. Tota ista doctrina procedit, ut ajebam, in modis purè talibus : nam, qui perfectiones alias identicè participant, non debent esse tenuis entitatis; præsertim si tantùm sint modi extrinseci respectu Dei, nec pendeant essentialiter ab alio ente creato, sicuti non penderet Angelus à creatione sui indistinctus. Sicut ergo, cùm anima vegetativa dicitur imperfectissima in genere animæ, hoc intelligitur de *purè* vegetativâ ; ita in præsenti.

26 Non omnia hucusque dicta super naturâ modi probantur omnibus. Multi enim conditiones quasdam vel demunt, vel addunt, juxta varias, quas fabricant, definitiones modi. Vix tamen potest esse dissidium, nisi de voce. Sed adhuc adversùs nostram explicationem *objicies* : causa necessaria jam applicata per Divinum decretum ad producédum effectum in individuo, nullam habet indifferentiam ad talem effectum: & tamè illi superadditur modus actionis: non ergo modus necessariò connotat indifferentiam, quam determinet. *Resp.* : causa illa indifferentiam habet ex se, ut suppono (alioquì non indigebit actione distinctâ); & per Divinum decretum non determinatur omninò independenter ab actione. Nã decretum eatenùs determinat, quatenùs vult efficaciter actionem talis causæ in talem effectum : non enim sufficit velle existentiam ignis A., & ignis B., ut alter ab altero producatur, cùm possint ambo produci ab alijs causis: quare, cùm Deus vult, ut A causet B., vult aliquid aliud præter entitates utriusque, quod nihil esse potest nisi actio. Hæc igitur est formalis & ultima determinatio indifferentiæ causæ; quia non supponit illam per decretum determinatam ultimò, sed radicaliter duntaxat, nimirùm ex vi certæ spei, seu juris infrustrabilis ad actionè pro posteriori addendam. Accedit, quòd Deus

in ratione volentis efficaciter actionè, completur de obliquo per actionè ipsam, ut placet Theologi opinantur.

## CAP. II.

### *De Subsistentiâ.*

27 QUID sit suppositum; quid significetur nomine *subsistentiæ*, *suppositalitatis*, aut *personalitatis*; unde sit cognita distinctio ejus à naturâ in creatis; qualiter definiri possit subsistentia; quod munus, quemve formalem effectum habeat; & alia quædam huc spectantia, satis pro Philosophis explicuimus in Physic. tract. 1. cap. ult.: cujus doctrina capitis habenda est præ oculis in præsenti. Nunc quæstiones aliquot discutiemus; sed breviter, nec pro dignitate: quia res hæc maximam partem pendet ex principijs Theologicis; ideòque à Theologis fusè tractatur. *Quæritur* ergo 1., utrùm creata subsistentia in positivo consistat? an in negativo? Hoc posterius docuit Scotus, quem sequuntur plerique Scotistarum, & è Nostris aliqui. Collocat opinio ista subsistentiam, quæ est velut forma suppositi, in duplici negatione, scilicet unionis actualis, & aptitudinalis ad extraneum suppositum: idest, in eo, quòd natura substantialis nec actualiter unita sit extraneo supposito, nec apta sit uniri naturaliter; quamvis per potentiam obedientialem sit unibilis. Immò, loquendo de naturâ integrâ, seu totali, subsistentia juxta hos Authores non superaddit naturæ nisi negationem actualis unionis: negatio enim unionis aptitudinalis re ipsâ est positiva naturæ incapacitas, ut naturaliter uniatur supposito extraneo, quam incapacitatem non amittit natura, licèt privetur propriâ subsistentiâ, ut patet in humanitate Christi.

28 Contraria opinio, quòd scilicet subsistentia in positivo consistat, multò communior est, & defenditur à Thomistis omnibus, & à plerisque Nostris cum P. Suar. d. 34. Met. l. 2, immò, & à nonnullis Scotistis, qui rem hanc apud Scotum problematicè esse dicunt. *Probatur* 1.: quia Concilia post longam discussionem contrà Nestorium & reprobates definiunt, non esse in Christo subsistentiam creatam, & Verbum sic assumpsisse humanitatem, seu naturam hominis, ut non assumpserit hominem, seu personam humanam. Hæc autè definitio redditur nugatoria, si creata subsistentia in negativo consistit. Sensus enim illius erit, quòd in Christo, facta unione humanitatis ad Verbum, non est carentia hujus unionis; & quòd Verbum ita sibi univit naturam humanam, ut non simul univerit unionis carentiam. Quæ veritas, utpotè per se nota, & à nemine nisi delirante negabilis, non erat tanto examine digna. *Dices*: Concilia ideò personalitatem creatam à Christo excludunt, ut unionem physicam habibant contra Nestorium non admittentem nisi unionem moralem, quæ cum dualitate personarum cohærere poterat. *Sed* hæc solutio, licèt non inepta, non penitùs enervat argumentum. Nam saltem Concilia persuadere nituntur, legitimam esse argumentationem hanc: Non datur in Christo creata personalitas, ergo datur unio physica humanitatis ad Verbum: aut è converso. At supervacaneus omninò esset Conciliorum labor, si argumentatio illa redderet hunc sensum: Non datur in Christo carentia unionis physicæ, ergo datur unio physica: vel vice mutatâ.

29 *Urgetur*: Concilia & Patres directè docent, non fuisse à Verbo assumptam personalitatem creatam: ergo supponunt, hac de re cum aliquo veritatis colore dubitari posse. At, si personalitas creata in negativo consisteret, nemini dubium esset, non po-

tuis-

nullè illam à Verbo assumi. Quis enim tam fatuus, ut carentiam unionis putet unibilem? *Confirmatur*: subsistentia Verbi per unionem supplet in humanitate munus creatæ subsistentiæ, ut ex Patribus docent Theologi. Nequit autem per unionem suppleri munus carentiæ unionis, cùm utriusque muneris sint contradictoria: neque ullus effectus formalis cogitari potest à Divinâ subsistentiâ præditus, qui sit aliquomodò similis muneri carentiæ unionis; quandoquidem hujus carentiæ munus unicum est reddere humanitatem non unitam Supposito Divino. Ubi notandum, quòd, licèt Scotus docuerit, posse à creato supposito hypostaticè assumi naturam extraneam, hoc tamen non docuit nisi juxtà sententiam de positivo, sibi probabilem, ut cum aliis Scotistis explicat Mastrius disp. 11. Met. q. 4.: nam juxta sententiam de negativo, videtur evidens, id fieri non posse; ut ostendit P. Suar. cit. s. 2. n. 11. Quare subsistentia creata, juxta Scotistas, solùm addit naturæ carentiam unionis ad personam Divinam.

30 *Prob.* 2.: Divinæ personalitates, etiam prout formaliter aut virtualiter à naturâ distinctæ, in positivo consistunt, ut nemo dubitat: ergo pariter de creatâ personalitate censendum. *Prob. Consequ.*: quia creata personalitas est aliqualis participatio & imitatio Divinæ; nemo quippe dixerit, nomen *personæ* merè æquivocum esse respectu Divinæ, & creatæ: participatio autem & imitatio prædicati positivi, cum aliquam importet similitudinem, salvari nequit in merâ negatione: nam inter positivum & purè negativum nulla intervenit similitudo. Poterit quidem participatio in alijs deficere: sed nisi conveniat saltem in esse positivo, nulla erit. Sic, licèt sapientia creata non debeat in omnibus imitari Divinam, quia tamen aliqua est participatio ejus, debet in positivo consistere: quod etiam patet inductione per cæteras perfectiones creatas, quæ sunt participationes Divinarum.

31 *Prob.* 3.: humanitas dependet specialiter à Verbo præ alijs Divinis personis, tamquàm à supposito terminante dependentiam ejus. Sic loquitur Scotus, & loquuntur omnes. At dependentia hæc in sententiâ, quam modò rejicimus, explicari nequit. Nam suprimis unitri, seu communicari, ex terminis non est dependere; cùm etiam Verbum communicetur humanitati, & anima rationalis corpori, à quo non dependet. Deinde specialis illa dependentia non est à priori, seu tamquam à causâ: quia Verbum non est humanitatis causa formalis, nec materialis, nec efficiens nisi per efficientiam toti Trinitati communem. Nec item est à posteriori, vel à concomitanti, nimirùm tamquàm à termino indigentiæ: non enim humanitas indiget unione ad Verbum, nec alio termino, qui per unionem istam suppleatur: nam carentia unionis nequit suppleri per suum contradictorium: & aliunde carentia ista non est propriè terminus indigentiæ naturæ, cùm potiùs sit non indigentia, seu non dependentia naturæ ab alio termino præter naturam ipsam.

32 In sententiâ nostrâ non difficulter explicatur hæc dependentia. Natura enim indiget subsistentiâ tamquàm termino, sine quo esse non potest; ideòque dicitur à subsistentia sive à supposito sustentari (vel potiùs à semetipsâ, quando in se subsistit, quia ipsa sibi parat & ab intrinseco radicat sustentaculum hoc); non quòd subsistentia gerat munus subjecti; sed quia veré naturam fulcit, & in suo genere roboratæ adhæsione sui, ut illa possit stare, seque in suo esse sustinere; unde subsistentia dici potest intrinsecum naturæ fulcrum instar scipionis, aut baculi naturalis (ut

mechanicè loquar), sine quo natura vacillaret, seu non staret in esse. Cùm igitur Verbum humanitati unitum sustineat ipsam, & in esse sustineat, supplendo eminenter quidquid sulturæ seu roboris proveniret à subsistentiâ creatâ; ideò dicitur sustentare humanitatem, & ejus dependentiam terminare.

33 *Prob.* 4.: suppositum, quod est totum ex naturâ & subsistentiâ constitutum, est unum per se, ut omnes agnoscunt; ideòque nemo dubitat, quin natura humana cum subsistentiâ Verbi unum per se constituat, nempe Christum. At hoc stare nequit, subsistentiâ in negativo positâ. Si enim ex entibus diversor. prædicamentorum, vel ex substantiâ & accidente, resultare non potest unum per se, quanto minùs ex ente & non ente, vel ex positivo & negativo? Suppositum ergo (ideſt, Angelus, homo, leo, &c.) erit unum per accidens, non minùs, quàm concretum hoc, *aër tenebrosus*, vel, *homo cæcus*: unde non poterit ad prædicamentum substantiæ, imò neque ad ullum aliud pertinere in esse concreti. Rogo te: vel nomine, *suppositum*, significantur ęquè principaliter, sive in recto, natura & negatio? vel natura in recto, negatio in obliquo? vel negatio in recto, natura in obliquo, seu de connotato? Si primum dicas: evidens est, etiam Adversarijs, eo nomine non significari unum per se. Si secundum: ergo verè dicetur, *Humanitas est homo*, vel, *est suppositum*; sicut verè dicitur, *Aër est tenebrosus*: & præterea non vitatur unum per accidens; siquidem *suppositum*, vel *homo*, idem sonabit, ac *humanitas nō unita personę Divinę*; quod concretum non magis est per se unum, quàm hoc, *aër non unitus luci*. Si tertium: ergo Angelus, aut homo, simpliciter dictus, erit ens negativum, & inter non entia computabitur, sicuti computatur privatio, licet nomine *privationis* connotetur, vel de obliquo significetur positivum aliquid, nempe capacitas subjecti ad formam.

34 *Objic.* 1.: dummodò intelligatur natura humana non unita supposito extraneo, intelligitur non existens in alio: ergo, præciso quovis addito, intelligitur in se existere, seu sistere in se, quod est subsistere. *Objic.* 2.: si subsistentia in positivo consistit, erit substantialis perfectio connaturaliter debita naturę. Hinc autem plura sequuntur absurda. *Sequitur* 1., quòd Verbum non assumpsit omnem rem, quam in humanâ naturâ plantavit, contra Damascenum lib. 3. c. 6. Immo non plenè verificabitur illud Apostoli de Christo, *In similitudinem hominum factus*, & *Debuit per omnia fratribus similari*: non enim Christus esset similis nobis in omni substantiali perfectione naturæ humanæ. *Sequitur* 2., quòd illa perfectio esset substantialis, ut supponitur; & aliunde substantialis non esset, sed accidentalis: tum quia superveniret substantiæ completæ, sive in actu physico; nec esset actus primus, sed secundus: tum quia daretur alio qui duplex forma substantialis in homine. *Sequitur* 3., quòd natura non est tota essentia & substantia suppositi. *Sequitur* 4., quòd humanitas in Christo violenta erit, utpotè carens perfectione sibi naturaliter debitâ: unde innatè resisteret unioni hypostaticæ. *Sequitur* 5., quod illa perfectio erit assumptibilis à Verbo; cùm possit Deus de qualibet re creatâ facere quod voluerit: si autem est assumptibilis, poterit stare cū unione hypostaticâ dualitas personarum, contra doctrinam Conciliorum & Patrum.

35 *Resp.* ad 1. *neg. Consequ.*: quia, sicut non esse frigidum non est formaliter esse calidum, & non esse alibi non est formaliter esse hic, sed illativè tantùm; ita non existere in alio non est formaliter in se existere, vel sistere, sed illativè solùm, eo quòd sit quasi effec-

fectus secundarius positivè formæ, per quam natura redditur in se sistès. Hinc, si natura præcindatur à tali formâ, licèt concipiatur existens, non intelligetur sistens in alio, nec in se, nisi radicaliter: quemadmodum, si res præscindatur à positivâ ubicatione, non intelligetur sistens in hoc, nec in alio loco. Adde, quòd subsistere non est in se sistere utcumque, sed incommunicabiliter; ab omnibus enim dicitur incommunicabilitas esse de ratione subsistentis: mera autem carentia unionis ad alterum, licèt sit incommunicatio, non est incommunicabilitas; nam hæc sonat positivam repugnantiam ad communicationem. Sic mortis carentia non est immortalitas, neque carentia motûs est immobilitas.

36 *Ad* 2.: subsistentia est quidem substantialis perfectio debita naturæ, non ut illam constituat in esse naturæ (ideſt, in esse principij *quo* radicalis, activi, & passivi, motûs & quietis), sed ut illam compleat in esse personæ, vel suppositi (ideſt, in esse per se existentis incommunicabiliter): ex quo non sequuntur absurda illa quinque nobis objecta. *Non* 1.: quia Damascenus loquitur de omni re pertinente ad veritatem naturæ humanæ, vel ad constitutionem ejus in esse naturæ. Deinde, quòd personalitas non fuerit assumpta, definitum est ab Ecclesia, quæ satis eo ipso indicavit, illam esse positivam aliquam entitatem: non enim opus fuisset Concilia cogere ad definiendum, quòd Verbum non sibi univit carentiam unionis. Apostolus autem planè loquitur de similitudine secundùm naturam humanam: evidens enim est, Christum non esse nobis similem secundùm personalitatem, sive hæc in nobis positiva sit, sive negativa.

37 *Non* 2.: quia retorqueretur contra Adversarios in unione hypostatica, quæ non erit substantialis, nec unum per se constituet, si quidem advenit naturæ incompletæ in esse substantiæ, ut ad nullam perfectionem sui generis ordinetur. Quomodò ex duabus substantijs omninò completis, cujusmodi sunt Verbum, & humanitas (si hæc nullam incompletionem habet in genere substantiæ) resultare poterit unum per se? In nostrâ sententiâ, licèt humanitas completa sit in esse naturæ, non est completa penitùs in esse substantiæ: unde subsistentia non debet esse accidentalis; quia non supponit ens in actu penitùs completum in suo genere. Nec dici debet simpliciter actus primus, aut secundus, ut nec simpliciter forma substantialis: quia merà est modificatio naturæ; & nomen *actûs*, aut *formæ*, non tribuitur modis purè talibus, ut patet in unione corporis, & animæ; sicut nec purè actioni tribuitur nomen *causæ*, vel *effectûs*.

38 *Non* 3.: quia nomine *essentiæ & substantiæ suppositi* intelligitur id, quod in supposito est radicale principium operationum, vel quod formaliter significatur per definitionem ejus specificam, v. g. in homine animalitas & rationalitas: quo pacto natura est tota essentia suppositi. Si tamen *essentiæ* nomen extendatur ad omnia constitutiva intrinseca, negari nequit ab Adversarijs, quòd essentia suppositi includat aliud à naturâ, seu positivum, seu negativum; alioquì darentur in Christo constitutiva omnia personæ creatæ. *Non* 4.: quia, cùm personalitas Verbi eminenter & utiliore modo præstet humanitati quidquid perfectionis, fulturæ, seu roboris eidem præstaret subsistentia connaturalis, nequit humanitas violenta esse, nec innatæ resistere unioni ad Verbum, licèt eam non exigat: sicut pauper à divite petens nummum æreum, non ideò resistet elargienti aureum, tametsi de illo non cogitet. Vide dicta tract. 2. Physic. d. 1. q. 2. n. 27. & 28. *Non* 5.: quia ex iisdem

per se ipsis, nempe Fidei, unde novimus, creatam subsistentiam aliquid addere naturæ, novimus etiam illam esse a Verbo insumptibilem; alioqui non rectè Concilia intulissent ex unione hypostaticâ exclusionem personalitatis creatæ. Nec ad potentiam Dei pertinet elevare creatam entitatem ad aliquid ejus conceptui essentiali repugnans: ut jam in Physicâ notavimus circa elevationem cujuslibet ad quodlibet. Est autem subsistentia ex conceptu suo incommunicabilitas ad extraneum suppositum; & hæc ex terminis tam non est assumptibilis, seu communicabilis, quam incorruptibilitas non est corruptibilis, nec immaterialitas materialis.

*Quæstiones aliæ.*

39 *Quæritur* 2., sine subsistentia modus, an res? Communis & vera sententia, quam tenet P. Suar. cit. disp. 34. s. 4. n. 35., dicit esse modum. Tum quia non major, quam modalis, distinctio ac perfectio requiritur in subsistentiâ, ut salventur omnia ejus munera, & naturæ separabilitas ab ipsâ. Tum quia, si esset absoluta entitas, foret propriè & simpliciter forma substantialis, animæ rationali superveniens in homine; daretur que in omni composito, præter formam specificam, ulterior alia non subordinata. Tum quia deberet talis entitas esse immediatè operativa; nam substantialis actus absolutus, qui omninò sit infœcundus, communiter censetur repugnare: si autem immediatè operativa esset, jam non foret aliquid præter naturam; quia ipsi conveniret definitio naturæ Aristotelica.

40 *Dices*: formalis effectus *subsistentiæ* non dicit ex se modalem alligationem formæ vel quasi formæ denominantis; ut patet in mysterio Incarnationis. Fateor, si effectus ille præscindatur à subsistentiâ creatâ & Divinâ: nego tamen, si ad creatam limitetur: hac enim ratione, sicut dicit imperfectionem & incompletionem formæ denominantis, ita & modalitatem. *Dices* insuper: subsistentia ex conceptu suo est independentia: non ergo potest essentialiter dependere à naturâ, prout exigit ratio modi. *Dist. Antec.*: est independentia naturæ à supposito extraneo, *conc.*; est independentia sui ipsius à naturâ, *neg. Antec.*, & *Consequ.*. Ex hac doctrinâ colliges, quòd natura creata nec divinitus potest subsistere seu terminari per alienam subsistentiam creatam, adeò que nec hypostaticè assumi à creato supposito extraneo: modus enim est essentialiter impotens tribuere suum effectum formalem alteri rei, cujus non est modus; ut patet exemplo actionis, ubicationis, unionis. Contrà verò Divina subsistentia, cum non sit modus, terminare potest naturam aliam præter Divinam.

41 *Quær.* 3., an subsistentia & existentia naturæ idem sint? Quæstio hæc maximè locum habet inter Thomistas, essentiam ab existentiâ distinguentes; quorum alij negant, alij affirmant, & hi rectiùs procedunt juxta sua principia, ut ostendit P. Suar. disp. cit. s. 4.. Nobis negandum est incunctanter: quia subsistentia distinguitur à naturâ, existentia non. *Dices*: existentia substantiæ est *per se existentia*, quo nomine donari solet subsistentia. *Resp.*: solet quidem, quatenùs *per se existentia* idem sonat, ac *perfecta existentia*: sed in substantiâ duplex est perfectio: altera, quæ excludit dependentiam à subjecto, quam explicuimus cap. præced. s. & hæc identificatur cum existentiâ & essentiâ substantiæ: altera, quæ excludit dependentiam à supposito extraneo; & hæc ab existentia naturæ substantialis distinguitur, solaque propriè dicitur subsistentia. Sic in accidente absoluto duplex est inalietas: altera

cum

cum ipso identificata, quæ est ordo intrinsecus ad subjectum sustentationis, in quo, & propter quod fit: altera ab eo distincta, quæ est actualis inhærentia in subjecto.

42 *Quær.* 4., an possit natura existens privari divinitus omni subsistentiâ propriâ & alienâ? Negandum videtur cum P. Suar. disp. cit. s. 6. n. 27.: quia videtur inconceptibile, quòd natura existens nec positivè existat in se, nec in alio, adeòque nec se ipsam positivè sustentet, nec ab alio sustentetur. Novum non est, quòd inter positivos modos aut terminos oppositos aliquis exigatur essentialiter: unde cómuniter creditur impossibile, quòd quantitas extensa nullam habeat figuram, & quòd res existens omni careat præsentiâ locali. Dixi *positivè*: quia præcisivè potest natura concipi non existens in se, nec in alio, nimirum pro signo priori ad subsistentiam; ut etiam accidit in ijsdem exemplis. Hinc etiam dicendum videtur cum sententiâ satis communi, quòd quantitas in Eucharistiâ, quia non sustentatur à subjecto, necessariò accipit quamdam perfectatem, qua se quodammodò sustentet; quæ perfectas modus est positivus; & quamvis non fit proprie subsistentia (hujus enim incapax est accidens), est aliqua imitatio ejus analoga; ideòque passim dicitur, quòd accidens in Eucharistiâ conservatur instar per se stantis, aut subsistentis.

43 *Quær.* 5., an natura in sensu composito propriæ subsistentiæ possit terminari per Divinam? Jam diximus n. 38., creatam subsistentiam esse inassumptibilem à Divino supposito. Nunc addimus, ab eâ reddi naturam in sensu composito inassumptibilem etiam divinitus. Ratio est: tum quia subsistentia creata reddit naturam incommunicabilem extraneo supposito, juxta omnes: at non præcisè naturaliter; sic enim natura ipsa est incommunicabilis ex se. Tum quia non posset alioquin rectè colligi ex unione hypostaticæ defectus subsistentiæ creatæ: non enim esset novum miraculum, quòd humanitas unita Verbo retineret subsistentiam sibi connaturalem; licuit non est, quòd retineat proprietates accidentales. Poterit tamen divinitus natura terminari simul pluribus subsistentijs proprijs; quamvis naturaliter non possit titulo superfluitatis. Hinc formalis effectus creatæ subsistentiæ proprius (de quo jam nonnihil diximus in Physicâ) sic explicari potest: *naturam jam in esse talis constitutam plenè fulcire in genere substantiæ, reddereque sustentatam, & ultimò terminatam incommunicabiliter*, excludendo nimirùm essentialiter communicationem ejus ad suppositum Divinum.

44 *Quær.* 6., quas habeat causas creata subsistentia? Multi sentiunt, eam produci per eamdem actionem, qua natura producitur, adeòque ab eodem agente. Unde passim dicitur, quòd creatio & generatio terminatur ad esse subsistens, seu ad rem subsistentem, & quòd subsistentia concreatur, aut comproducitur. Sed ad veritatem locutionum hujusmodi sufficit, quòd natura creata, vel genita, connectatur intimè cum subsistentiâ, debeatque statim à primo instanti subsistere; ut ostendit P. Suar. cit. sect. 6.. Et probabilius est, quod ibi tenet & latè propugnat idem Exim. Doctor, subsistentiam immediatè produci à naturâ ipsâ per emanationem: non enim est cur naturæ negetur hæc virtus respectu modi sibi connaturalis, intrinseci, & inseparabilis, quem perfectione superat. Deber etiam natura dici materialis causa subsistentiæ; quia hæc per eductionem efficitur dependenter à naturâ ipsâ, ut à subjecto. Nec subsistentia excludit communicationem sui ad naturam, sed sui & naturæ ad extraneum suppositum. Nec

item

item subsistentia propriè inhæret more accidentis; quia ultimatè ordinatur ad suppositum non adæquatè ab ipsâ distinctum. Verè tamen à naturâ sustentatur ut à subjecto, simulque sustentat eam ut terminus. Sic scipio, quo vestigia firmat ægrotus, sustentatur ab eo, quem sustentat. Quamquam propriè loquendo subsistentia non sustentat naturam, nisi *ut quo*: potiùs enim natura se sustentat ope subsistentiæ, quam ipsa sibi comparat aut parit ab intrinseco.

45 *Quær.* 7., an, aut quatenùs subsistentia concurrat ad operationes suppositi? De hoc satis diximus in Physicâ cit. cap. ult. *n.* 1., & *n.* 2. d. 3. c. 2.. Vide plura apud P. Suar. disp. cit. sect. 7.. *Quær.* ultimò, an subsistentia naturæ compositæ sit composita? Sunt, qui simplicem velint, tum essentialiter, tum integraliter. Sed utroque modo esse compositam juxta conditionem naturæ, quam modificat, multis ac validis argumentis ostendit P. Suar. sect. 5. disp. cit., quæ in præsenti resumere non vacat. Quædam tamen sunt advertenda. 1., quòd subsistentia naturæ humanæ v. g. componatur ex tribus modis; quorum duo, respondentes materiæ & animæ, se habent ut actus & potentia; & tertius, unioni respondens, sit nexus utriusque. 2., quòd singuli ex his modis, seorsùm accepti, non mereantur nomen *subsistentiæ*, nisi cum addito *partialis*, expresso, vel subaudito: subsistentia enim, simpliciter dicta, idem sonat, ac personalitas, vel suppositalitas, idest, ultimus naturæ terminus, qui nullum expectat complementum de genere substantiæ. Quia tamen ij modi, seorsùm sumpti, habent aliquod subsistentiæ munus, scilicet illam naturæ partem, cui respondent, reddere incommunicabilem alieno supposito, ad cujus constitutionem ex se non ordinatur; idcircò suam quisque partem denominat partialiter subsistentem, dummodò supponat independentiam ejus a subjecto. Unde rationalis anima, tam intrà, quàm extrà corpus, dicitur subsistens; atque etiam materia.

46 3., quòd, si pars naturæ dependeat à subjecto, modus ex eà resultans non tribuit ipsi denominationem partialiter subsistentis, nec dicitur subsistentia partialis, sed tantummodò complementum aut constitutivùm subsistentiæ: quia denominatio subsistentis, etiam partialiter, ex usu communi supponit independentiam rei ab omni subjecto. Unde nec unio, nec forma materialis dicitur partialiter subsistens, quàmvis radicet modum exclusivum unionis ad extraneum suppositum, & constitutivum subsistentiæ totius compositi. Id quod multùm pendet ex usu loquendi. 4., quòd partes totius integralis, aut continui, præsertim homogeneæ, vel quæ non habent eamdem formam indivisibilem (ut habent partes humani corporis), verè subsistunt singulæ subsistentiâ propriâ: quia non uniuntur more naturæ ad suppositum, sed more partium naturam unam integrantium. Non tamen dicuntur, stante unione, plura subsistentia, nisi partialiter, adeòque nec plura suppositа, sed unum suppositum, v. g. unus ignis, vel aqua una. Si verò dividantur guttæ, vel scintillæ, statim eyadunt plura suppositа (non sic materia & forma, quæ, licèt separentur, manent essentialiter incompletæ), sicut eyadunt plures aquæ, vel ignes: quia tunc in singulis necessariò resultant, ut communiter creditur, puncta terminantia, seu moduli quidam unioni continuativæ oppositi, per quos rerum materialium subsistentia completur in ratione totalis. In hoc quòque legem fert magnà ex parte consuetudo loquendi: ex qua sæpè sufficit divisio artificialis, vel imaginaria, vel extrinseca, ut stante unione continuativâ dicantur plura maria, plu-

plures terræ, vel plures montes.

## CAP. III.

*De conceptu accidentis, ejusque divisione prædicamentali.*

47 ACCIDENS interdùm sonat quidquid fortuitò evenit. Interdùm sumitur pro ente per accidens, ideſt, non per se uno. Non ita sumitur in præsenti, sed generatim pro formâ, vel quasi formâ, quæ tribuit denominationem aliquomodò cõtingentem, & superadditam subjecto, cui aliquatenùs inesse concipitur. Hoc sensu dividitur accidens in logicum, prædicamentale, & physicum. Accidens *logicum*, seu *prædicabile*, dicitur quod citra corruptionem subjecti potest adesse, vel abesse, saltem logicè, seu metaphysicè, ita scilicèt, ut concipiatur integra ratio subjecti cum aliquâ indifferentiâ respectu formæ talis in particulari. Unde differentia prædicatur de genere, & individuatio de specie, ut accidens logicum. Dicitur *prædicamentale*, quod non prædicatur de primâ substantiâ *in quid*, ideſt, quidditativè, & essentialiter, licèt non semper entitativè distinguatur ab omni substantiâ. Dicitur *physicum*, quod entitatem habet ab omni substantiâ realiter distinctam: & hoc solum propriè & strictè est accidens; cujus conceptum dedimus cap. 1. simul cum conceptu substantiæ.

48 Hujus divisionis membra distinguuntur penès latitudinem majorem & minorem: omne quippe accidens prædicamentale dici potest logicum, seu prædicabile; sed non è converso: & omne physicum est prædicamentale; sed non convertibiliter, ut mox dicam. Accidens *metaphysicum* vocari solet quod est accidens logicum cum solâ distinctione rationis à subjecto. Non est autem divisio univoca, sive in membra univocè conveniencia in ei se accidentis, saltem primò intentionaliter (quamvis fortè univocè conveniant secundò intentionaliter, sive in esse quinti Prædicabilis, de quo in Logicâ): quia propria ratio accidentis importat inhærentiam; & hæc non propriè invenitur in ijs, quæ sunt entitativè substantiæ, vel extrinsecè denominant subjectum; cujusmodi sunt plura accidentia logica, vel prædicamentalia. His ergo tribuitur nomen accidentis per analogiam proportionalitatis impropriè, quatenùs concipiuntur extra essentiam subjecti, & perinde præstant denominationes suas, ac si subjecto inessent, vel inhærerent.

49 Sed *quæres*, quæ inhærentia sit de conceptu accidentis propriè dicti? *Resp.* Inhærentia potest 1. accipi pro dependentiâ formæ in fieri, & conservari, à subjecto eductionis, seu gerente munus causæ materialis. Quo sensu nec soli accidenti convenit, nec omni. Non soli; quia convenit etiam materiali formæ substantiali, v. g. animæ equi. Non omni; quia dari potest accidens modale non habens materialem causam, seu non eductum è subjecto, v. g. modus creationis, quo quantitas panis in Eucharistiâ conservatur. Convenit tamen inhærentia ista, tum omnibus accidentibus absolutis, tum modalibus plerisque, vel ferè omnibus. Sed cum hoc discrimine: quòd accidenti absoluto convenit essentialiter inhærentia aptitudinalis, non verò actualis; quia hæc, licèt naturaliter debita sit, est divinitùs auferibilis non destructâ essentiâ accidentis, ut accidit in Eucharistiâ: at accidenti modali, cui convenit actualis inhærentia, essentialiter convenit (saltem si non distinguatur ab eductione sui); quia est essentialiter inseparabile à subjecto, ex quo educitur. Potest 2. accipi strictius inhærentia pro dependentiâ formæ à subjecto eductionis, propter quod principaliter forma exilit. Atque hoc sen-

ſu propria eſt ſolius accidentis, & ad ejus eſſentiam pertinet vel ſumpta in actu, vel in aptitudine, ſive in exigentiâ, juxta diſcrimen modò notatum: non tamen eſt propria omnis omninò accidentis; quia non omne modale accidens educitur, ut nuper ajebam.

50 Poteſt ergo 3. accipi inhærentia pro *dependentiâ formæ à ſubjecto, propter quod principaliter formæ ſit, & in quo ſit cùm impotentiâ intrinſecâ exiſtendi ſeorsùm.* Et hac ratione convenit inhærentia ſoli & omni accidenti propriè dicto, ſive abſoluto, ſive modali: quia ſub his terminis prəſcindit à ſubjecto eductionis, vel informationis, vel puræ adhəſionis, necnon ab eo quòd dependentia, & impotentia intrinſeca exiſtendi ſeorsùm, proveniat à cauſalitate materiali, vel ab alio capite, videlicèt à conceptu modalitatis intrinſecə, quæ importat intimam affixionem vel adhæſionem ad ſubjectum: prəſcindit etiam ab eo quòd illa dependentia ſit naturalis, vel eſſentialis, ideſt, vel infruſtrabilis naturaliter ſolùm, vel etiam divinitùs. *Dices*: dependentia, quə non fundatur in receptione ſeu paſſione formæ in ſubjecto, non eſt propriè inhærentia, ſed adhərentia, vel adhəſio; nec eſt dependentia à ſubjecto propriè tali, ſed à termino intrinſeco. At omne accidens debet propriè inhærere, reſpicereque ſubjectum proprié dictum, & prioritate naturə præſuppoſitum. *Reſp.* Inhærentia ſtrictè ſumpta dicit quidem receptionem in ſubjecto paſſivè cauſante: ſed, ſicut ab omnibus aliquomodò limitatur hæc ſignificatio, ut ſit propria ſolius accidentis, diſcernaturque à receptione formə ſubſtantialis; ita poteſt & debet alioquin ampliari quodammodò, ut omni conveniat accidenti.

51 Sanè, poſitâ communi ſententiâ, quòd actio tranſiens non diſtinguitur realiter à paſſione, adeòque non recipitur in agente, actio ut actio, quatenùs formaliter differens à paſſione, diverſumque conſtituens prədicamentum, nulli ſubjecto inhæret paſſivè cauſanti; nam quatenùs paſſio inhærer, non eſt formaliter actio, ſed paſſio; & aliunde non inhæret agenti, nec à ſuo termino paſſivè cauſari poteſt, ut eſt evidens: & tamen actio ſic accepta (ſaltem dum eſt productio accidentis) veram habet entitatem accidentis phyſici, licèt reſpectu agentis ſolùm dicatur accidens logicum: habet, inquam, entitatem accidentis phyſici, non aliâ ratione, niſi quia tota exiſtit propter ſuum terminum, in quo eſt per adhəſionem intimam cum impotentiâ exiſtendi ſeorsùm. Idem ergo dicimus de creatione accidentis realiter ſumptâ, cui terminus eſt pro ſubjecto, *in quo*, non enim terminus dicitur eſſe in actione, ſed è converſo. Poteſt autem terminus ad actionem comparari ut ſubjectum, non ſolùm *adhæſionis*, ſed etiam *informationis*, quod propriè ſubjectum eſt, &, ut vidimus tr. 1. Phyſic. d. 2. c. 2., non requirit ex conceptu ſuo prioritatem naturə, ſeu cauſalitatis, ſed adſummum prioritatem logicam, vel in ſubſiſtendi conſequentiâ, reſpectu formæ hujus individuæ.

52 Itaque, quod ſe habet de formali ad conceptum accidentis ut ſic, eſt dependentia, ſive impotentia exiſtendi ſine ſubjecto, ſub terminis num. 50. propoſitis; quə, quia ferè in omnibus accidentibus importat cauſalitatem paſſivam, inde traxit nomen *inhærentiæ*, vel *inhæſionis*: ſed hoc nomen (ut in aliis plurimis accidit) extenditur ſine improprietate ad aliquid aliud prəter id, à quo impoſitum eſt. Quod ampliùs confirmari poteſt exemplo gratiə habitualis, quæ in opinione multorum non educitur, ſed creatur, adeòque non pendet à ſubjecto ut paſſivè cauſante; nec tamen in hac ipsâ opi-

nione

nione definit propriè inhærere. Hinc vulgata definitio accidentis, *Ens in alio*, necnon parœmia illa, *Accidentis esse est inesse*, sic intelligi debent, ut tò *in alio*, & tò *inesse*, denotent in omni accidenti absoluto, & in omni modali educibili, dependentiam à subjecto passivè causante, vel actualem, vel aptitudinalem, aut exactivam, juxta num. 49., vel etiam ab utràque præscindentem, si sermo sit de ratione communi accidentis educibilis: denotent verò præcisè dependentiam, seu necessitatem existendi intra subjectum (explicatam n. 50.), dum applicantur ad conceptum accidentis ut sic.

53 Variæ sunt divisiones accidentis. Nam 1. accidens ut sic dividi potest in absolutum, & modale: 2. in spirituale, & materiale: 3. in naturale, & supernaturale. Quorum differentias membrorum suppono satis notas ex dictis, tum in hac Disp., tum sæpe aliàs. Dividi potest 4. in completum, & incompletum. Nullum accidens physicum est completum ens; quia semper ex primario conceptu ordinatur ad compositionem cum subjecto. Contrà verò substantia, etiam creata, dummodò sit completa in suo genere, dicitur simpliciter ens completum: quia, licèt exigat subsistare accidentibus, non hoc habet ex conceptu quidditativo, seu primario, sed ex secundario, vel ex proprietate metaphysicâ. Nihilominùs accidens, licèt non sit completum ens, dicitur completum accidens, quâdo in suo genere vel specie perfectum est, & consummatum, v. g. calor ut octo, vel quantitas hominis: dicitur verò incompletum, quando per se ordinatur ad constitutionem accidentis completi; v.g. in qualitate singuli gradus intensionis, aut in quantitate unciones continuativę, dici possunt accidentia physicè incompleta. Physicè, inquam: nam metaphysicè dicitur completum accidens, quod in prædicamento ponitur ut genus, species, aut individuum; incompletum autem, quod concipitur ut differentia. Relege dicta cap. 1. de simili divisione substantiæ.

*Divisio Accidentis in prædicamenta novem.*

54 In famosissimâ entis creati divisione per Categorias aut Prædicamenta decem, quam à Philosophis Aristotele vetustioribus progenitam adoptavit Aristoteles ipse, ac deinde cæteri Sapientes in omni sæculo fuscepérunt: in hac, inquàm, celeberrimâ partitione primum prædicamentum est Substantia; reliqua novem sunt accidentia; quæ proinde totidem sunt membra divisionis aptabilis accidenti ut sic: sunt autem Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Ubi, Situs, Quando, & Habere seu Habitus. Ubi notandum, quòd *prædicamentum* interdùm sumitur pro totâ serie vel ordine prædicatorum essentialium à supremo aliquo genere gradatim usque ad individuum; cujus ordinis typum, quantum ad Substantiam, dedimus in Logic. tract. 4.: interdùm accipitur pro solo genere supremo in unaquaque serie, vel categoriâ. Notandum etiam, quòd, cùm Aristoteles accidentium prædicamenta designavit nominibus concretis, nempe *quantum*, *quale*, &c., nomina hæc sumpsit penès significatú formale, qua ratione idem significant, ac abstracta, *quantitas*, *qualitas*, &c. De cætero totum complexum ex subjecto & formâ accidentali, utpotè unâ per accidens, non censetur ens unius prædicamenti, sed duorum: quia ens in prædicamento locabile debet esse aliquomodò unum per se; de quo posteà sermo redibit.

55 Quo sensu divisio hæc entis in decem genera sit immediata, jam diximus in limine Disput., latiùsque explicat P. Suar. disp. 30. Met. sect.

Quòd autem valde congrua sit, & sufficiens, aut adæquata, supponendum est potiùs, quàm disputandum, in obsequium totius antiquitatis. Nec immorandum tricis multis, ac varijs, quibus eam aliqui lacessunt, & quarum plures proponit & subtiliter solvit P. Suar. disp. cit. s. 2.. Nam, ut exemplo utar P. Oviedo, sicut non licet anni divisionem in menses duodecim pro libitu invertere contra vetustissimum & communem usum, eo prætextu, quòd non incongruè dividi posset annus in breviores menses 24., aut in 6. longiores; ita &c.. Varias congruentiæ & sufficientiæ rationes ab Authoribus excogitatas expendit P. Suar. cit. sect. 2.. Satis apta videtur, quę prædicamentorum numerum desumit ex numero quæstionum sive interrogationum, quę fieri possunt de primâ substantiâ (idest, de individuo per se subsistente) secundùm esse reale, seu primò intentionale. Quæri enim potest de quovis individuo vel supposito, quid est? quantum est? quale est? ad quid refertur? numquid agit? numquid patitur? quo in loco est? quo situ? quo tempore? quo indumento vel ornatu? Nec facilè dabitur quæstio alia, quæ nó commodè ad aliquam ex his 10. reducatur. Quæ igitur prędicata respondent primæ quæstioni, pertinent ad prædicamentum substantiæ, ut esse hominem, aut arborem: quæ respondent secundę, ad prædicamentum quantitatis, ut esse bicubitum, aut tricubitum: quæ tertiæ, ad prædicamentum qualitatis, ut esse album, aut calidum: & sic de reliquis.

56 Post hæc inquires, an accidentia, eo ipso quòd spectent ad prædicamenta diversa, debeant inter se realiter distingui? vel generaliùs, an distinctio prædicamentorum inter se (inclusâ etiam substantiâ) debeat esse realis? Negat communis sententia Nostrorum cum Exim. Doctore cit. sect. 2. n. 21., ubi plures citat antiquos, etiam Thomistas, ut Capreolum, & alios, qui sufficere censent distinctionem rationis ex diverso modo concipiendi & prędicandi. *Prob.* inductione. Nam *relatio* realiter non distinguitur à rebus aliorum prædicamentor., ut in Logicâ ostendimus. *Actio* & *passio* realiter identificantur; possuntque nonnunquàm substantiales esse, quando nempe non distinguuntur ab unione formę substantialis. *Quando*, seu duratio, non distinguitur à substantiâ rei & tempore extrinseco, quod tempus non distinguitur à motu, & hîc indistinctus est ab actione & passione. *Situs* realiter distingui nequit ab *ubi* circumscriptivo corporis. *Habitus*, aut indumentum, substantiam importat; non enim sola forma artificialis hominem vestit; & hæc ipsa forma non distinguitur à figurâ, quæ est species qualitatis, aut ubicationis.

57 Ideircò hanc sententiam docet, aut supponit Aristoteles ipse, tum quotiés actionem cum passione realiter identificat, quod non semel præstat, ut in Physicâ vidimus; tum in lib. Prędicament., ubi quędam ponit in prædicamento *ad aliquid*, seu relationis, quę deinde collocat in prædicamento qualitatis, & rationem reddit *cap. de Qual.* in fine, dicens: *Si contingat, idem ipsum & quale, & ad aliquid esse, nihil est inconveniens in utrisque hoc generibus enumerari.* Eamdé sententiam tenet expresè D. Thomas, non solùm Opusc. 48. (quod inter incerta computatur), sed etiam 1. Met. lect. 9. in fine, ubi post assertam actionis cum passione identitatem, sibi objicit, quòd actio & passio sunt prædicamenta diversa: *Sed sciendum* (inquit), *quòd prædicamenta diversificantur secundùm diversos modos prædicandi. Unde idem, secundùm quòd diversimodè de diversis prædicatur, ad diversa prædicamenta pertinet.* Subdit exemplum de

loco,

loco, qui penès diversas considerationes attinet ad prædicamenta duo: atque ita concludit: *Similiter motus, secundùm quòd prædicatur de subjecto, in quo est, constituit prædicamentum passionis: secundùm autem quòd prædicatur de eo, à quo est, constituit prædicamentum actionis.* Hinc vides, à mente Aristotelis & D. Thomæ discedere plures Thomistas, quos citatos sequuntur Carmelitæ Complut. disp. 14. Log. n. 49., dum volunt, omnia prædicamenta necessariò inter se distingui realiter, vel modaliter ante opus mentis.

58 Sed *objic.* 1.: prædicamenta juxtà Aristotel., sunt primò diversa, in nullo conveniunt, nec inter se miscentur: sunt item entia realia, habentque proinde diversas essentias reales, quæ uni & eidem rei convenire non possunt. 2.: plus est differre genere, quàm specie, vel numero: sed quæ specie, vel numero differunt, realiter distinguuntur: ergo à fortiori, quę genere differant, immò in nullo genere conveniunt. 3.: si sufficit distinctio rationis ad prædicamenta multiplicanda, multò plura, quàm decem, numerari poterunt. *Resp. ad* 1.: prędicamenta sunt primò diversa in eo genere distinctionis, quod participant; ita ut quæ participant distinctionem realem, sint primò diversa realiter; quæ verò solam distinctionem formalem, seu rationis, sint primò diversa formaliter; quia, cùm ab his prout formaliter distinctis nequeat abstrahi communis ratio generica, veré in nullo conveniunt, id est, in nullo genere propriè dicto, sed se totis differunt (vide supràdisp. 1. n. 25.) per conceptus formaliter impermistos. Sunt item realia, veréque habent essentias diversas, & reales, sed non realiter diversas. Sic in homine animal & rationale sunt prędicata diversa, & realia, sed non sunt diversa realiter; quia distinctio & diversitas est opus rationis. Sic etiam verum & bonum in esse objecti specificativi potentiarum, sunt objecta realia valdè diversa juxta Thomistas, & essentias habent usqueadeò diversas, ut inde hauriant realem distinctionem, realemque diversitatem oppidò magnam potentiæ intellectiva & volitiva: nec tamen objecta illa realiter, sed solâ ratione distinguuntur.

59 *Ad* 1. *neg. Min.* quantum ad distinctionem specificam in subjectâ materiâ. Nam Aristoteles eadem rés ponit sub diversis speciebus qualitatis. Et D. Thomas 1. 2. q. 49. ar. 2. ad 1. qualitates passibiles, & figuras, quæ pertinent ad species tertiam & quartam, ait ad primam pertinere quatenùs convenientes sunt naturæ subjecti. Distinctio purè numerica sub eâdem specie atomâ necessariò est realis, vel certè nequit esse rationis cum fundamento: non enim ab intellectu fieri potest, nisi per conceptus omninò similes; & hi non facient distinctionem rationis, nisi ratiocinantis. At distinctio numerica, non purè talis, sed conjuncta cum specificâ, & genericâ, datur etiam inter extrema per rationem distincta, v. g. inter actionem & passionem individuas. *Ad* 3.: non quævis distinctio rationis sufficit ad multiplicanda prædicamenta; sed ea tantùm, quę sumitur ex comparatione vel habitudine ad connotata realiter diversa, & insuper fundat diversas quæstiones circa primam substantiam.

60 Notandum tamen, quòd prædicamentorum divisio, licèt ex se non inferat distinctionem realem, non eam excludit: nam saltem quatuor prędicamenta, nempe substantia, quantitas, qualitas, & ubi, semper sunt inter se realiter distincta. Verùm hęc distinctio non ex meră diversitate prædicamentali, sed ex aliis indiciis colligitur, aliisque probatur argumentis. Notan-

tandum insuper, quòd accidentium prædicamenta omnia realem distinctionem importent, saltem inadequatam, respectu illius substantiæ, vel subjecti, quod accidentaliter denominant, seu de quo prædicantur ut accidentia; quamvis interdùm in se ipsis entitatem habeant substantialem. V. g. relatio coexistentiæ, qua Petrus denominatur coexistens Paulo, consistit in existentijs substantialibus utriusque; adeòque verè est entitativè substantia: sed tamen, quatenùs relativè denominat Petrum, aliquid de obliquo importat à Petro distinctum, nempe existentiam Pauli, ratione cujus denominatio evadit Petro contingens, & accidentaria. Atque hinc provenit, quòd illa coexistentia, quatenùs de subjecto prædicatur more relationis, sit extraessentialis, nec attineat ad prædicamentum substantiæ quia non prædicatur in *quid*, nec per eam respondetur ad quæstionem, *quid est*?

61 Rursùs inquires, an verum sit, quod passim ex Aristotele dicitur, prædicamenta esse suprema genera, id est, nullum superius habentia genus omnibus aut pluribus commune? Quòd substantia & accidens in nullo genere conveniant, constat ex dictis disp. 1. n. 53. & 54. circa conceptum entis ut sic, quæ pariter valent circa conceptum entis creati, seu finiti, quod transcendit etiam differentias omnes substantiæ, & accidentis. Sed quantum ad 9. accidentium genera, si omnia ponantur entitativè distincta ab omni substantiâ, ægrè probabitur, quòd accidens ut sic non sit genus omnibus commune; quia non facilè apparet, quare non sit univocum, & intranscendens. In nostris principijs facilè removetur univocatio, ex dictis n. 48.. Difficile tamen est, quòd accidens physicum, prout abstractum à quantitate & qualitate, non sit propriè genus; est enim univocum; & aliunde formalis inclusio ejus in differentijs non est probata facilis. Ideò plures incunctanter asserunt, propriè genus esse. Immò Scotistæ volunt, ut ens commune, saltem finitum, sit propriè genus ad omnia prædicamenta, & ut hæc dicantur genera suprema, non absolutè, sed unumquodque in suo ordine, vel categoriâ. Dicendum nihilominus cum communi, quòd *accidens physicum* ut sic non est genus ad quantitatem & qualitatem; vel quia fortasse transcendit formaliter differentias; vel quia non est significabile concepta simplici, seu termino incomplexo, sed cõflato ex duobus seorsum analogis. Vid. P. Suar. cit. disp. 39. s. 3.

## CAP. IV.

### DE QUANTITATE.

62 DE prædicamento substantiæ satis jam diximus. Nunc aliqua dicenda sunt de prædicamentis accidentium: & in primis de quantitate, quæ propriè vel antonomasticè sumitur pro mole corporeâ, vi cujus unum corpus dicitur majus aut minus alio, atque ita locum occupat, ut non sinat aliud corpus inibi simul esse: quamquam metaphoricè dicitur etiam in rebus incorporeis *quantitas virtutis*, & *quantitas perfectionis*, qua videlicet res una redditur activior aliâ, vel perfectione major, idest, melior, juxta illud Augustini, *In his, quæ non mole magna sunt, idem est majus esse, quod melius esse*. Igitur de quantitate molis dubitatur 1., an sit accidens entitativum? sive an realiter distinguatur à substantiâ corporis? Negant Nominales, quorum sententiam amplectuntur Atomistæ omnes cum Cartesianis. Sed affirmat sententia receptissima cum Aristotele, D. Thomâ, & Scoto, quos citat & sequitur P. Suar. disp. 40. Met. sect. 2. Potissima pro-

probatio sumitur ex Eucharistiæ mysterio; ubi, deficiente substantiâ panis, remanet ejus quantitas, quæ & recipit accidentia reliqua (ne alioqui sine causâ multiplicentur miracula suprà modum, ut arguebamus tract. de Generat. d. 2. n. 90.), & ea reddit cum alijs corporibus impenetrabilia, sive incompossibilia in eodem loco.

63 *Dices* 1. cum Nominal. l. c.: singulæ qualitates secum identificant suam quantitatem, sicut substantia suam: & in Eucharistiâ manet quantitas qualitatum, non substantiæ. *Contrà*: vel quantitas qualitatum impedit penetrationem cum quantitate substantiæ? vel non? Si impedit; quomodò penetrabatur anteà cum substantiâ panis? Si non impedit; quomodò in Eucharistiâ lapidem aut panem alium arcet à loco? *Dices* 2.: impenetrabilitas ibi provenit ab ubicatione seu locali præsentiâ panis, quæ est accidens absolutum, & sine substantiâ remanet. Contrà: localis præsentia est modus juxta communè doctrinam, adeòque essentialiter inseparabilis ab eâ re, quam modificat. Quis concipiat, absente pane, dari posse realem præsentiam panis? Præterea, si præsentia panis est accidens absolutũ, redditque qualitates extensas, & impenetrabiles, quid illi deest ut sit quantitas? *Dices* 3.: nulla est in eis accidentibus impenetrabilitas intrinseca: sed penetrationem impedit Deus ad occultandum sensibus mysterium. *Contrà*: solutio hæc ansam præbet ad negandum accidentia omnia entitativè distincta à substantiâ: ideòque illam avidè arripiunt Atomistæ, ut in Eucharistiâ pro vero colore, sapore, & alijs, quę vocamus accidentia panis, meras substituant apparentias, vel actiones Dei solius, quas ipsi vocant *actiones objectivas*. Vid. Dissert. prælimin. ad Physicam n. 32. Hæc autem sequela, vel ansæ hujus absurditas, ad eam solutionem rejiciendam sufficit. Addè, quòd simili responsione posset quis impunè defendere, subsistentiam creatam requiri essentialiter ad comedendum, ambulandum, &c., vel ad habendum verum colorem, figuram, &c., dicendo scilicet, hæc omnia solùm apparenter existere, vel extitisse in humanitate Christi.

64 *Objic.*: non sunt multiplicanda entia sine necessitate: nulla est autem in præsenti necessitas; cùm possit substantia corporea per se ipsam præstare quæcumque munera quantitati adscribuntur. *Resp.* Solo lumine naturali fortè non est hìc demonstrabilis necessitas. Urgent tamen principia Fidei. Quibus addi possunt argumenta philosophica non contemnenda. V. g. quòd, si quantitas identificaretur cum materiâ, deberet etiam identificari cum formâ corporeâ, ut Adversarij concedunt. Hinc autem sequeretur, quòd materia & forma nõ possent penetrari, sicuti non possunt duæ materię. Sequeretur etiam contra evidentiam sensûs, quòd minus quantitatis haberet homo, quàm alia corpora æqualis dimensionis ac densitatis; solam quippe haberet quantitatem materiæ, non formæ, cùm rationalis anima nullam secum identificet quantitatem. Addi potest, quòd materia prima, sicut & omnis substantia creata, physicè radicare debet proprietatem aliquam permanentem: & nulla est alia, nisi quantitas.

65 Quod attinet essentiam quantitatis, eam sic describit Aristoteles 5. Metaph. c. 13.: *Quantum est, quod est divisibile in ea, quæ insunt, quarum utrumque, vel unumquodque, unum quid & hoc aliquid aptum est esse.* Nomine *quantum* significat Aristoteles accidens ipsum, de quo loquimur; quod quidem ratione sui est divisibile in ea, quæ sibimet insunt, &c.; ideòque non solùm vocatur quantitas, sed quantum.

tum. Sunt quædam formæ, quę non modò subjecta, sed & ipsas quoque denominant: nam productio producitur, uno unitur, & localis præsentia est præsens. Sensus autem propositæ descriptionis, ut communiter exponitur, est, quantitatem esse accidens, quod per naturalem motum, sive actionem agentis naturalis (puta sectionem, vel scissionem) dividi potest immediatè ac per se in partes, quas in se continet unione integrali copulatas, ita ut post divisionem unaquæque pars apta sit existere seorsum per modum totius: cujusmodi est quantitas aquę, ligni, lapidis, &c.. Hæc tamen descriptio non exhibet primarium conceptum quantitatis, ut omnes agnoscunt: nam divisibilitas per motum physicum, supponit extensionem & impenetrabilitatem. Idcircò ulterius inquiritur essentialis conceptus, vel effectus formalis primarius quantitatis, in quo cæteri radicentur. Constat, formalem effectum quantitatis esse *quantum*, sicut albedinis *album*, & caloris *calidum*. Sed istius *quasi* desideratur clarior & quidditativa notio.

66 Varia sunt munera quantitatis. Nam 1. extendit suas & subjecti partes in ordine ad locum, ita ut unaquæque suam occupet partem loci, nec sit in loco alterius. 2. est apta dividi modo physico in partes integrales juxta superam descriptionem, reddiitque subjectum similiter divisibile. 3. habet esse mensuram, activè, & passivè, quatenùs apta est ut ejus comparatione vel applicatione metiamur alterius quanti magnitudinem, & ut ipsam mensuremus per quantitatem alteram. 4. est proximum & immediatum subjectum qualitatum. 5. est impenetrabilis cum aliâ quantitate, redditque subjectum impenetrabile cum alio quanto, idest, incompossibile naturaliter in eodem loco. Ex his muneribus, proximè seu formaliter sumptis, primum non est essentiale quantitati; quia potest hæc sine illo existere, saltem divinitùs, ut accidit in Eucharistiâ, ubi Christi corpus quantitatem habet sine locali extensione partium: & hinc nec essentiale est secundum, nec tertium; quia utrumque supponit extensionem localem. De quarto nemo dubitat, quin sit munus quoddam secundarium. De quinto dicemus posteà.

67 Thomistæ munus aliud, & primarium quidem, agnoscunt in quantitate, videlicèt *extensionem partium in ordine ad se*, vel, quod apud ipsos idem sonat, *in ordine ad totum*, vel *in toto*: quæ extensio in eo consistit, quòd quantitas partes integrales habeat unitas, non secundùm se totas, sed secundùm extremitates, idemque contingat substantiæ ratione quantitatis. Volunt igitur, ut essentia quantitatis consistat in hac extensione suarum partium: & ut ejus effectus formalis primarius sit, quòd substantia extensionem habeat in ordine ad se. Duæ tamen sunt Thomistarum sententiæ super hoc effectu formali, apud Collegium 8. Thom. Complut. q. 8. Logic. art. 4.. *Prima* est, quòd substantia formaliter habet à quantitate, non solùm unionem suarum partium, sed etiam distinctionem entitativam; adeò ut in substantiâ materiali, præcisâ vel seclusâ quantitate, nullæ sint partes, sed mera entitas simplex & indivisibilis. Imò juxta plures Thomistas materialis substantia etiam sub quantitate non habet partes substantialiter distinctas, sed solùm denominativè à partibus quantitatis, quamvis dicatur habere partes substantiales, quia res denominata est substantia: proinde volunt, ut tota entitas substantię re ipsâ sit sub totâ quantitate, & tota sub qualibet parte quantitatis, quemadmodùm anima rationalis tota est in toto corpore, & tota in pede, &c.. *Secunda* est, quòd substantia materialis ex se ha-

habet partes realiter distinctas; accipit tamen formaliter à quantitate unionē integralem suarum partium penès extremitates; quæ unio est extensio in ordine ad se, & cum quantitate identificatur.

*Relatæ sententiæ rejiciuntur.*

68 Prima sententia ex modò relatis, quam tenent cum antiquioribus Thomistis non pauci moderni, efficaciter impugnatur à nostris Authoribus cum P. Suar. cit. disp. 40. s. 4., & à plurimis etiam Thomistis modernis, præsertim à Collegio S. Th. Complut., idest, M. Bayonâ, loc. cit. §. 2. & 3.. Et inprimis, quòd tota substantia materiæ hominis v. g., sit in pede, & in qualibet aliâ corporis parte, nullatenùs defendi posse videtur. Tum quia potest Deus (ut Adversarij concedunt) annihilare materiam pedis manente reliquo corpore: tunc autem, si materia illa est eadem, quæ totius corporis, tota erit annihilata, simulque tota existens, adeòque tota simul erit & non erit: non aliter ac, si annihilaretur anima pedis humani manente animâ reliqui corporis, eadem anima simul esset & non esset. Tum quia potest etiam materia pedis loco separari à materiâ capitis, & seorsùm existere: separabilitas autem apud omnes est signum evidēs distinctionis realis entitativæ, cùm implicet rem à se ipsâ separari, & existere sine se: nec separatio distinctionem hanc facit, sed supponit; alioquin ex separatione animę rationalis à corpore, vel quantitatis à materiâ, vel unius partis quantitatis ab aliâ, non colligeretur præsuppositа distinctio realis. Tum quia materia hominis non minùs erit simplex & indivisibilis, quàm anima rationalis, nec hæc minùs cōposita, quàm illa: neutra quippe habebit distinctionem partium entitativè, & utraque habebit denominativè, cùm utraque recipiat partes quantitatis, quæ juxta Thomistas recipitur in toto composito. Hinc etiam vanè dicent Thomistæ, quòd anima equi est indivisibilis præ animâ colubri, vel præ formâ ignis; siquidem in neutrâ partes erunt, nisi denominativè à quantitate, quę pariter in utrâque recipitur. Mitto aliâ, quæ facilè cuivis occurrent.

69 Deinde, quòd materialis substantia, licèt non sit tota sub qualibet parte quantitatis, tamen entitativam partium distinctionem habeat, non ex se, sed formaliter à quantitate, rejicitur 1.: quia duę partes aquæ v. g. distinguuntur substantialiter, cùm possit altera substantialiter annihilari, dum altera substantialiter existit: ergo non distinguuntur formaliter per quantitatem; per hanc enim quidquid habetur, accidentaliter habetur. 2.: quia partes illę sic distinguuntur, ut una realiter non sit alia. Hoc autem per se ipsas habent, non per aliquid superadditum: nam unumquodque per se ipsum est id, quod est, & non est aliud à se ipso. Quid certius, quàm quòd res quęlibet se ipsâ distinguitur ab omni non ipsâ? & quòd secum identificat suam unitatem transcendentalem, & singularitatem, cujus formalis effectus est rem distinguere à qualibet aliâ? Si desideras in re clarâ testimonium D. Thomæ, non pauca invenies. Lege in specimen q. 9. de pot. art. 7. c., ubi, *Distinctio*, inquit, *in hoc attenditur, quòd una res non est alia, quod quidem non habent ex aliquo superaddito.*

70 3.: quia, si Deus conservaret materiam sine quantitate (quod fieri posse fatentur Adversarij, nec probabiliter negaretur, siquidem quantitas, quæ non magis cum materiâ connectitur, quàm è converso, sine materiâ conservatur in Eucharistiâ), materia partes adhuc haberet realiter distinctas: ergo earum distinctio non provenit formaliter à quantitate. *Prob.*

*Antec.*: quia, si non haberet, tunc materia pedis, quę anteà realiter distinguebatur à materiâ capitis, cum hac ipsâ realiter identificaretur: talis ergo materia esset id, quod non erat, adeòque non esset ipsamet; vel simul esset ipsa & non ipsa. Fac auferri quantitatem ab aquis omnibus, etiam divisis, quæ in Mundo sunt. Tunc juxta sententiam istam (mirum dictu!) tota substantia omnium aquarum erit una & eadem entitas realiter simplex. Sed quæro, num sit eadem, ac anteà? Si neges, destruis hypothesim, quòd scilicet substantia illa, quæ modò existit, à quantitate separetur. Si affirmes: quomodò ergo nunc non est id, quod erat, nimirùm individuum multiplex cum mutuâ independentiâ in existendo? quomodò substantia maris, cùm anteà non haberet identitatem cum substantiâ fluminis, nunc habet? quomodò nunc secum identificat novum prædicatum simplicitatis realis, quo anteà caruit, & quod est proprium immaterialis substantię?

72. *Dices* habet partes saltem in potentiâ. *Contrà*: habere partes in potentiâ, per te nihil est aliud, quàm nullam actu habere distinctionem partium, posse tamen illam accipere à quantitate: verè igitur est actu simplex, secumque denuò identificat actualem, qua caruit, simplicitatem. Et hinc evadet perfectum atque rotundum Universale a parte rei; siquidem erit actualiter una simplex natura, continens plures in potentiâ, seu potens multiplicari realiter in plura individua ejusdem nominis & essentiæ, quorum comparatione non est totum actuale, sed potestativum: unde nihil differet ab ideâ Platonis. Denique, si semel admittitur, quòd plura individua, vel plures partes substantię materialis, ex se indifferentiam habent, ut vel realiter distinguantur, vel identificentur, utque fiat vel una simplex entitas, vel entitates realiter plures: nihil erit firmum in distinctione rerum; & qui dixerit, posse omnes Angelos identificari realiter, si deficiat ipsis quoddam accidens nuncupatum, vel posse Gabrielis naturam, tametsi actu simplicem, in partes dividi beneficio cujusdam accidentis nobis ignoti, nullo principio metaphysico poterit convinci.

73. Jam secunda sententia, quam tenent Prado, Aguirre, Bayona, Palanco, & plerique Recentiores Thomistæ, rejicitur 1. quia partes integrantes unam substantiam uniuntur substantialiter, seu per unionem substantialem: ergo earum unio non consistit in quantitate, nec ab hac provenit formaliter. *Prob. Antec.*: substantia, ut integralitèr composita, est unum per se, vel, quod idem sonat, unum simpliciter in genere substantiæ: sed tale unum constitui nequit ex partibus accidentaliter unitis, seu per unionem accidentalem: ergo &c. *Major* est D. Thomæ 1. 2. q. 17. art. 4. c., dicentis: *Quęcumque sunt unum secundùm substantiam, sunt unum simpliciter, & multa secundùm quid: sicut totum in genere substantiæ compositum ex suis partibus vel integralibus, vel essentialibus, est unum simpliciter in genere substantiæ: nam totum est ens, & substantia simpliciter; partes verò sunt entia, & substantiæ imperfecta.* Patet etiam ex communi sensu: quis enim dubitet, hominem, aut equum, ut ex suis membris integratum, esse unum per se? *Minor* verò est innegabilis: nam unum per se unitate compositionis, constituitur ex compositione vel unione ipsâ, ut est evidens: nequit autem ex substantiâ & accidente constitui unum per se in genere substantię, ut etiam est certum: & alioquin prædicamenta non forent impermixta; sed res unius prædicamenti posset constitui ex attinente ad aliud formaliter ut tale.

73. 2.: quia, si unio integralis,

lis, vel, quod idem est, unio continuativa, in quantitate consistit, impossibile erit materiam sine quantitate concipere, vel non constitutam per quantitatem. Nam, si materia ratione sui partes habet realiter distinctas, ut Authores isti cõcedunt, tot habet partes, quot quantitas, ut est clarum: ergo stante continuo Aristotelico, quod Thomistæ omnes amplectuntur, materia partes habet in infinitum divisibiles, ita ut nunquam possit fieri neque concipi divisio perveniens ad indivisibilia; talis quippe divisio solùm cadit in continuum Zenonicum: sicut ergo impossibile est quantitatem, quantùmvis modicam, concipere non constantem partibus continuativè unitis, in quas dividi possit; ita & materiam. Quare, si materiæ partes, prout unitę, quantitatem includunt, inconceptibilis erit materia non includens constitutivè quantitatem. Urgetur: potest à Deo conservari materia sine quantitate, ut fatentur Contrarij. Vel ergo aliquę partes materiæ tunc essent inter se unitę? vel nullæ? Si primum dicas: ergo possunt continuativè uniri sine quantitate. Si secundum: ergo tunc partes omnes essent redactę in atomos, vel in mera indivisibilia substantiæ; nam si adhuc essent divisibiles, continerent utique particulas inter se unitas: ergo materia in lineâ integrali primordialiter componitur ex meris indivisibilibus: ergo etiam quantitas; nam uni atomo materiæ non correspondet nisi atomus quantitatis.

74 3.: quia anima rationalis materiam informat pro priori ad quantitatem, juxta Thomistas, nequit autem informare partes materiæ non inter se unitas; ideòque statim ac præciditur digitus, desinit illum informare. Item: posset Deus animam conservare unitam materiæ sine quantitate; quo in eventu partes materię, si non retinerent unionem integralem, essent positivè seu privativè divisę, ac proinde forent plures materiæ numero distinctæ. At juxta Thomistas eadem forma substantialis nequit etiam divinitus informare simul plures materias. *Dices* ex Bayonâ, seu Collegio S. Th. Complut.: partes materiæ antecedenter ad quantitatem, licèt non sint inter se unitæ immediatè, uniuntur mediatè, sive in tertio; quia omnes uniuntur uni & eidem existentiæ, quæ ad eas comparatur ut actus ad potentiam. *Contrà*: anima unitur materiæ pro priori ad existentiam juxta Thomistas, ut notavimus disp. præced. n. 85. 3. & in eorum principijs necesse est ut materia prius recipiat formam, quàm existentiam, siquidem hanc non recipit, nec ejus est capax, nisi mediante formâ: jam ergo anima pro priori ad existentiam informat partes materiæ non unitas nec inter se immediatè, nec in tertio. Præterea, in existentiâ urget eadem difficultas: quomodò scilicet existentia, una cùm sit, potest informare vel actuare partes materiæ non unitas? Si ideo potest, quia illas unit exercitè secum ipsâ, licèt non inter se; idem poterit anima rationalis, sine recursu ad existentiam superadditam.

75 Pro primâ sententiâ *objicitur* D. Thomas, qui quodlib. 9. ar. 6. sic ait: *Diversitas partium non potest intelligi in materiâ non intellectâ divisione, nec divisio non intellectâ dimensione; quia subtractâ quantitate, substantia remanet indivisibilis, ut dicitur in 1. Physic.* Simile quid habet 1. p. q. 50. ar. 2. & 4. cont. Gent. c. 65. Immò videtur S. Doctor plane docere quod in illâ sententiâ durius est: nam 3. p. q. 76. ar. 1. *Manifestum est*, inquit, *quòd natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur; sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis.* Et hinc infert, Christi corpus, quia in Eucharistiâ est ad modum substan-

ſtantiæ, totum eſſe ſub qualibet parte ſpecierum panis. *Reſp.* D. Thomas in primo loco ſolùm vult, ut materia, remotâ quantitate, maneat indiviſibilis per ſectionem, aliumvè motum phyſicum; quia motus hujuſmodi non exercetur niſi circa materiam quantam: proinde ſolùm negat, poſſe intelligi ſine dimenſione partes materiæ ſectiles, aut motu phyſico diſſolubiles. Vel, ut alij exponunt, loquitur D. Thomas de quantitate, non formaliter ſumptâ, ſed radicaliter, ideſt, de ordine ad quantitatem; qui ordo cum materiâ identificatur, & eam conſtituit in eſſe corporis, ut alibi diximus; adeòque, ſi mente removeatur, non poteſt in materiâ intelligi diviſibilitas, aut diſtinctio partium; quia ſubſtantia incorporea non eſt diviſibilis.

76 In altero loco ex 3. p. ſumit S. Doctor naturam ſubſtantiæ, non in individuo, ſed in ſpecie, nimirùm prout illa ſubeſt cõceptui ſpecifico, vel definitioni eſſentiali: quo ſenſu paſsim dicimus, quòd tota ſpecies humana intenſivè ſalvatur in quolibet individuo, & tota definitio ſubſtantiæ homogeneæ verificatur de qualibet ejus parte integrali, v. g. tota definitio aquę de guttâ qualibet, & tota definitio panis de quavis micâ. Patet hic ſenſus ex eo, quòd Angelic. Doctor idem aſſerit de partibus diviſis: nam poſt verba nobis objecta continuò ſubdit: *Et hoc indifferenter, ſive ſint dimenſiones actu diviſæ (ſicut cum aër dividitur, vel panis fecatur), vel etiam ſint actu indiviſæ, diviſibiles verò potentiâ.* Numquid potuit D. Thomę in mentem venire, quòd pane in duo fruſta diviſo, quorum alterum in Europâ maneat, alterum deportetur in Indiam, eadem phyſica & individua ſubſtantia panis utrobique ſit, non aliter ac idem individuum Chriſti corpus exiſtit ſub quolibet hoſtiæ diviſæ fruſtulo? An non poterit altera panis portio comedi, vel in corpus Chriſti converti, manente alterâ? Erit nè tunc eadem individua ſubſtantia ſimul exiſtens & deſtructa? Itaque in exemplis non quæritur omnimoda ſimilitudo, ſed proportio quædam: nec D. Thomas illâ comparatione aliud intendit, quàm ut totum individuum Chriſti corpus exiſtat ſub qualibet parte ſpecierum, ſicut tota ſubſtantiæ ſpecies exiſtit ſub qualibet parte dimenſionum.

77 Pro ſecundâ ſententiâ *objicitur* etiam D. Thomas non ſemel dicens, de ratione quantitatis eſſe ordinem partium in toto; qui ordo in unione partium integrali conſiſtit. *Objicitur* item, quòd compoſitio partium integralium, cùm non ſit ex actu & potentiâ, non eſt ſubſtantialis; ac proinde conſiſtit in aliquo accidenti, quod non eſt aliud, niſi quantitas. *Confirm.*: quia, ſi talis compoſitio ſubſtantialis eſſet, intelligeretur in materiâ pro priori ad formam: unde prima compoſitio non eſſet ex actu & potentiâ, contra Ariſtot. 8. Metaph. t. 8. *Reſp. ad 1.*: ordo partium in toto, qui formaliter provenit à quantitate, non eſt ordo unionis partium ſubſtantiæ (licèt cum eo connectatur, eumque ſupponat, ſicut quantitas ſupponit ſubjectum ſuum): ſed eſt exigentia habendi talem ordinem præſentiæ in loco, qualis eſt ordo unionis partium in corpore humano v. g.; ut ſcilicet præſentiam capitis immediatè ſequatur præſẽtia colli, hanc præſentia pectoris, &c. Exigentiam iſtam habet in ſe quantitas ratione ſuarum partium, & unionis earum; & in genere cauſę formalis eãdem communicat ſubſtantiæ, partes ſuas ſubſtantialiter unitas præhabenti.

78 *Ad 2.*: non omnis compoſitio ſubſtantialis debet eſſe ex actu & potentiâ, ſed ea tantùm, ex quâ reſultat natura phyſica eſſentialiter compoſita. Nec talis compoſitio debet eſſe prima, niſi primatu dignitatis, aut ordine

dine intentionis: cùm enim materia ſuam eſſentiam habeat pro priori ad formam, & aliunde nequeat intelligi, juxta principia Ariſtotelica, ſine continuitate partium, quæ eſt compoſitio integralis; neceſſe eſt, ut compoſitio iſta præcedat in materiâ compoſitionem cum formâ.

79 *Replic.*: eo ipſo, quòd ſubſtantiæ partes uniantur ſolùm penès extremitates, jam habent extenſionem: jam ſunt aliæ extra alias: jam reſiſtunt penetrationi; quia extremitas eſt id, quo una pars arcet aliam à ſuo loco. *Reſp.*: habent extenſionem entitativam, in eo ſtantem, quòd una pars non ſit alia, nec ambæ uniantur ſe totis; non tamen extenſionem quantitativâ; quia nõ excludunt penetrationem mutuam. Sunt etiam aliæ extra alias, ſi tò *extra* ſignificet non eſſe identificatas, nec unitas ſecundùm ſe totas; ſecùs verò, ſi denotet immediatam exigentiam occupandi loca diſtincta. Quòd penetrationi reſiſtant, falſum eſt; ut etiam quòd una extremitas ſubſtantiæ, ſeclusâ quãtitate, arceat aliam à loco ſuo; hoc enim per ſe convenit extremitatibus quantitatis, & ab hac in ſubſtantiam refunditur. Generatim non eſt confundenda penetratio, vel impenetratio, cum unione, vel carentiâ unionis: poſſunt enim duo corpora penetrari ſine unione, & integraliter uniri ſine penetratione.

*Vera ſententia.*

80 Dicendum igitur cum cõmuni ſententiâ Noſtrorum, conceptum primarium quãtitatis in eo ſtare, quòd ſit *Accidens abſolutum naturaliter impenetrabile cum alio ejuſdem rationis.* Unde præcipuus ejus effectus formalis erit *reddere ſubjectum naturaliter impenetrabile cum alio quanto.* Sic re ipsâ ſentit Exim. Doctor cit. diſp. 40. ſ. 4. n. 15. & ſeqq.. Hæc explicatio præſcindit à poſſibilitate vel repugnantiâ quantitatis indiviſibilis; poteſtque convenire puncto vel atomo, ſi admittatur compoſitio continui Zenonica. Si tamen ſupponatur cum Ariſtotele, omnem quantitatem eſſe diviſibilem, ſeu conſtare partibus (ita vulgò ſupponitur, ideòque nõ dicitur quantum, niſi quod partes habet occupantes ſpatium diviſibile); poterit quantitas definiri per extenſionem radicalem, ſic nimirùm: *Accidens abſolutum naturali neceſſitate exigens extenſionem ſuarum partium in loco* (ita ſcilicet, ut ſingulæ ſuum occupent diſtinctum locum), *& eandem neceſſitatem ſubjecto & ejus partibus communicans in genere cauſæ formalis.* Verùm hęc radicalis extenſio, vel extenſionis neceſſitas, eſt ipſa impenetrabilitas: quia nihil aliud eſt exigere partium extenſionem, quàm ipſarum penetrationi reſiſtere. Diviſibilitas autem, ſeu conſtitutio ex partibus, licèt ſit de eſſentiâ quantitatis, non eſt proprius ejus character; quia per ſe convenit etiam ſubſtantiæ materiali, & qualitatibus pleriſque.

81 Jam, quòd conceptus iſte ſit præponendus, veré que eſſentialis (ſaltem quoad nos, qui plerúmque rei eſſentiam explicare neſcimus, niſi per proprietatem aliquam præcipuam, ex qua cæteræ quaſi dimanent), probatur facilè. Tum quia, cùm propria ratio quantitatis, ejuſvè primarius effectus formalis, non conſiſtat in diſtinctione partium ſubſtantiæ, nec in extenſione in ordine ad ſe, prout hæc explicatur à Thomiſtis, nec in actuali extenſione ſecundùm locum, vel in alio ex muneribus n. 66. recenſitis; ſupereſt, ut conſiſtat in prædictâ extenſione radicali, vel repugnantiâ penetrationis. Tum quia hæc repugnãtia eſt quaſi radix aliarum proprietatum, aut effectuum: ex eâ namque ſequitur ac veluti dimanat actualis extenſio in loco, ex qua ſubſequitur ratio menſuræ, & diviſibilitas per motum phyſicum. Tum quia quod

pri-

primò de quantitate concipimus, est tribuere substantiæ molem corpoream, qualis non convenit Spiritui: quæ moles non melius explicari potest, quàm per exigentiam occupandi ac replendi spatium, ita ut inde trudat ac pellat molem similem, vel non sinat in idem spatium ingredi sine recessu & expulsione sui: hæc autem exigentia est, quam nomine *impenetrabilitatis* intelligimus. Idcircò nomen hoc, licèt negativum sono tenùs, significatu est positivum, sicut hæc, *immortalitas*, *incorruptibilitas*, *immaterialitas*: significat enim vim renitendi positivam.

82 *Objic.* 1.: definitio nostra explicat idem per idem, nimirùm quantitatem per vim pellendi quantitatem similem. *Resp.*: non fit in definitione mentio quantitatis in recto, sed in obliquo, vel additamento: nam in recto ponitur *impenetrabile*, quod non est synonymum cum *quanto*. Nec modus iste definiendi reprobandus est in primis generibus, quæ non habent definitionem strictam. *Objic.* 2.: impenetrabilitas est separabilis à quantitate: de facto enim quantitas corporis Christi penetratur cum quantitate panis in Eucharistiâ. *Resp.*: non est de conceptu quantitatis impenetrabilitas in ordine ad potentiam Dei absolutam, sed solùm impenetrabilitas naturalis, idest, impenetrationis exigentia non superabilis per vires naturæ: quæ impenetrabilitas non auferetur, nec divinitùs auferri potest manente quantitate; verè que remanet in corpore Christi, tametsi penetrato divinitùs cum quantitate panis. Sic ipsa panis quantitas, licet separetur divinitùs, non desinit esse naturaliter inseparabilis à subjecto. Sic dæmones, & animæ damnatæ, licèt de facto comburantur igne corporeo, verè sunt naturaliter incombustibiles. Sic summus calor, si divinitùs conjungeretur cum frigore, maneret adhuc inconjungibilis naturaliter. Ubi notandum, quòd quantitas communicata subjecto, sicut facit actu quantum, ita & actu impenetrabile, idest, actu habens exigentiam impenetrationis: non tamen facit impenetratum actu, sed aptitudine, vel exigentiâ; quia denominatio *impenetrati* formaliter immediatè provenit à carentiâ penetrationis, & adquantitatem comparatur per modum effectûs secundarij divinitùs impedibilis. Notandum insuper, quòd impenetrabilitas non supponit extensionem actualem in loco, sed potiùs eam infert in subjecto extensibili.

83 *Objic.* 3.: una ubicatio, seu præsentia localis, est etiam impenetrabilis cum aliâ: nec tamen est quantitas. *Resp.*: Inprimis ubicatio non est accidens absolutum, sed modale. Deinde repugnantia duarum ubicationum distantium, ut sint in eodem spatio, non tam est impenetrabilitas, quàm immobilitas titulo affixionis essentialis ad spatia distincta; si enim ubicatio Salmanticensis posset aliò moveri saltem divinitùs, sine novo miraculo penetrabilis esset cum ubicatione Romanâ. Denique, si comparatio fiat inter duas ubicationes numero distinctas ejusdè corporis in eodem spatio, illæ non possunt naturaliter conjungi titulo superfluitatis: si tamen contra exigentiam subjecti existerent in eodem tempore, sine alio miraculo penetrarentur, immò nó possent non penetrari. Contrà, duæ quantitates, divinitùs positæ in eodem subjecto, violentæ forent duplici titulo, nempe superfluitatis, & coarctationis ad eundem locum, nisi malis, ut bilocationem subjecti exigerent. Hinc etiam duo gradus albedinis homogenei in eodem loco esse nequeunt solo titulo superfluitatis in eodem subjecto: si tamen sine subjecto existerent, non ultrà repugnarent penetrationi, sicuti repugnant duæ quantitatis partes sine subjecto existentes in Eucharistiâ.

84 *Objic.* 4.: substantia mate-

rialis, v. g. equi, per se ac ratione sui exigit habere partes integrantes non inter se confusas: ergo & non penetratas. *Dist. Antec.*: non inter se confusas per unionem indebitam, vel carentiam debitæ unionis, *conc.*; non inter se confusas per defectum extensionis in loco, *subdist.*: per se exigit remotè ac mediatè, quatenus exigit quantitatem, *conc.*: proximè & immediatè, *neg. Antec.* & *Consequ.* Exemplum habes in substantiâ lapidis, quæ per se exigit descendere in centrum, sed non nisi remotè ac mediatè, nimirum quatenus exigit gravitatem, in quâ consistit immediata exigentia centri, seu proxima viscadendi. Hinc inferes, quod materiæ partibus à quantitate separatis non deberetur extensio localis, nec penetratio; sed posset utrâlibet ipsis convenire pro libitu Dei citra novum miraculum. Non aliter ac lapis, gravitate privatus, non deberet descendere, nec ascendere, nec esse deorsùm, nec sursùm; sed posset ubilibet esse sine violentiâ novâ. Quare, si tota substantia Oceani divinitus privaretur quantitate, posset absque ulteriore miraculo vel reduci ad punctum spatii, vel retinere præsentiam suarum partium substantialium in eodem spatio divisibili, quod nunc occupat, nec unc resistere penetrationi luicum alijs corporibus.

85. *Dices*: si unc substantia retineret extensionem suarum partium, haberet trinam dimensionem, posseque esse mensura, & mensurabilis, posset item esse alteri æqualis aut inæqualis, aliaque habere, quę sine quantitate repugnant. *Resp.* Nihil horum sequeretur propriè loquendo, seu prout ista peculiariter dicuntur de quantitate. Nam, sicut non omnis numerus est quantitas discretasita non omnis extensio in longum, latum, aut profundum, est quantitas continua, seu dimensio quantitativa, sed ea tantùm, quę molem importat ita occupantem spatium, ut non compariatur mihi similem aliam. Item, sicut numerus hominum quantitate carentium, esset mensurabilis inæquè, vereque par aut impar; nec tamen ejus mensura & mensurabilitas, sicuti nec paritas aut imparitas, spectaret ad quantitatem discretam: ita extensio substantię quantitate nudatæ, posset à Deo vel Angelo per aliam mensurari, vel in mensuram alterius assumi, atque etiam esse æqualis aut inæqualis alteri; nec tamen esset propriæ quantitatis continuæ, quia non importaret molem impenetrabilem. Non tamen posset substantia in eo statu quidquam pati ab agente physico: quia nec impulsus, nec alia qualitas materialis in substantiâ recipitur nisi mediâ quantitate. Nec homo quantitate nudatus posset vulnerari; quia partes ejus non dividerentur gladio, sed cum illo exilirent in eodem loco: nec posset ambulare, aut sentire; quia potentia locomotiva, & reliquę materiales cum quantitate deficerent: immò nec posset naturaliter intelligere; quia non posset imaginari ex defectu potentiæ imaginativæ.

86. *Dices*: inlupem extensio localis est effectus formalis quantitatis, saltem secundarius, qui nequit non supponere primarium. *Instò*: substantia lapidis moveri deorsùm, vel quiescere in centro, sive in loco inferiori, est formalis effectus gravitatis, saltem secundarius, qui primarium supponit: ergo lapis, ablatâ gravitate, non posset à Deo moveri deorsùm, nec in centro conservari; quod est planè falsum. Item carentia odij circa objectum A. est effectus formalis secundarius amoris circa idem objectum: ergo non poterit voluntas carere odio, nisi habeat amorem. Itaque localis extensio partium substantiæ non provenit a quantitate per modum effectus secundarij, nisi quando est naturaliter necessaria, seu quando resultat ex naturali repugnandi penetrationis partium. De cætero potest idem effec-

effectus, ſpecificativè ſumptus, ab alijs cauſis provenire, tametſi non ſupponat primarium. Nec ſemper ab eâdem causâ provenire debet effectus formalis, & neceſsitas ejus, ut objicit Bayona. Nam lapidè moveri deorsùm, provenit formaliter à motu: ſed neceſſariò ſic moveri, provenit à gravitate. Ignem eſſe calidum, provenit formaliter à calore: ſed eſſe neceſſariò calidum, provenit à formâ ignis. Denominatio amantis Deum, provenit Angelo formaliter ab amore; ſed neceſsitas amandi, à viſione beatificâ.

87 Hìc obſervandum, quòd in ſubſtantiali cõpoſito unica eſt quantitas, eaque immediatè recepta in materiâ, cujus eſt proprietas (vid. tract. de Gener. diſp. 2. cap. 5.): unde forma ſubſtantialis, & qualitates non afferunt quantitatem diſtinctam; ideòque naturaliter penetrantur cum materiâ; cujus tamen quantitate redduntur quantæ, ſeu quantificatæ, quatenùs redduntur neceſſariò extenſæ, & impenetrabiles cum alio quovis diſtinctam quantitatem habente: cum enim partes formæ, & qualitatis, uniantur intimè cum partibus materiæ, & quantitatis, neceſſe eſt ut earum extenſionem ſequantur, & impenetrationem. Quia tamen hoc non habent ratione ſui, ſed ratione ſubjecti, non dicuntur quantæ *per ſe*, ſed *per accidens*, aut *per aliud*. Sola anima rationalis à quantitate ſubjecti non quantificatur ſecundùm entitatem ſuam, ſed tantùm ſecundùm partes unionis, & præſentiæ in loco: quia nec eſt capax extenſionis partium, cùm ſit entitas ſimplex; nec redditur ſimpliciter impenetrabilis, etiam pro unionis ſtatu; cùm poſsit ſimul eſſe ſub quantitatibus diſtinctis (licèt cum omninò diviſis penetrari nequeat per accidens); eadem quippe anima, quæ penetratur cum quantitate capitis, penetratur ſimul cum quantitate pedis.

## CAP. V.

### *De ſpeciebus, & proprietatibus quantitatis.*

88 QUANTITAS ab Ariſtotele dividitur in continuam, & diſcretam. Continua eſt, *cujus partes communi termino copulantur*, ideſt, unione phyſicâ, ex quâ reſultat totum integrale; quæ unio vocatur *communis terminus* per alluſionem ad puncta vel indiviſibilia copulantia, quæ in continuo agnoſcunt plerique Ariſtotelici. Diſcreta eſt, *cujus partes non copulantur termino communi*. Continua ſubdividitur in permanentem, & ſucceſsivam: quę partitio poteſt etiam convenire diſcretæ. Permanens eſt, *cujus partes ſimul tempore exiſtunt*; ut in homine, in equo, in tabulâ. Hujus quantitatis numerantur ſpecies quatuor, nempe linea, ſuperficies, ſolidum, ſive corpus, & locus, ſcilicet extrinſecus: quarum ſpecierum notiones in Phyſicâ dedimus. Succeſsiva eſt, *cujus partes continuo fluxu prætereunt*. Ad hanc pertinet tempus, necnon multiplex alia ſpecies motûs ſucceſsivi, non tantùm localis, ſed etiam alterationis, accretionis, &c.. Quantitas diſcreta ſubdividitur in numerum, & orationé. Numerus eſt *multitudo menſurabilis unitate*, id eſt, per unitatem aliquoties acceptam cognoſcibilis: cujus ſpecies ſunt binarius, ternarius, &c.. Oratio hìc ſumitur pro quâvis articulatâ voce, cujus ſyllabas ſicut longas aut breves dicimus, ita & quantas. Dividitur etiam generatim quantitas in eam, *quæ poſitionem habet* (ideſt, ſitum, vel, ut alij explicant, unionem partium permanentem), & eam, *quæ poſitione caret*. Ad prius membrum ſola pertinet quantitas continua permanens: ad poſterius, continua ſucceſsiva, & diſcreta omnis.

Sed

89 Sed observandum, quòd non omnes hucusque enumeratæ, sunt propriè species quantitatis. Nam locus est quædam superficies, cui nihil addit præter extrinsecam commensurationem sive adæquationem cum locato; quæ commensuratio in extensione actuali consistit, estque reciproca locati ad locum. Motus non est quantus per se, sed per accidens, seu ratione alterius, scilicet spatij, aut mobilis, aut termini. Idem putàdum de tempore reali, quod in motu Cœli vel Solis consistit. Hæc fusè probat, & ad mentem Aristotelis explicat P. Suarez cit. disp. 40. à sect. 3. usque ad 9.; cujus in fine concludit, nullam esse propriè ac per se quantitatem, nisi permanentem. Et verò successiva eatenùs constitueret diversam quantitatis speciem, quatenùs partes ejus essent impenetrabiles temporaliter, ideſt, impotentes existere in eodem tempore. At hæc impenetrabilitas (licèt fortè inveniatur in partibus alicujus motûs, & præsertim in partibus durationis continuæ, si hæc distinguitur modaliter à re durante) non est propriè quantitas: tum quia non addit motum impenetrabilem cum alio ejusdem rationis; nam motus aut duratio Petri potest coexistere motui aut durationi Pauli: tum quia inveniatur etiam in rebus spiritualibus, ut in motu locali vel duratione Angeli. Denique, quòd oratio non sit in sensu philosophico (quidquid sit de poetico) species quantitatis propriè diversa à motu, vel à numero, probat P. Suar. d. 41. s. 3., & consentiunt omnes.

*De quantitate discretâ.*

90 Dubium superest, an quantitas discreta, quæ est numerus, sit propriè species quantitatis? Et lis tota devolvitur ad realem & physicam existentiam numeri per modum unius per se. Si enim numerus independenter ab intellectu sit ens propriè & per se unum; erit propriè una quantitas specie differens à continuâ, utpotè involvens in conceptu suo divisionem partium, quam continua excludit. Si verò numerus ante opus mentis non sit ens per se unum, sed mera multitudo quâtitatum inter se divisarum, quæ possunt ab intellectu numerari; non asseret propriè novam quantitatis speciem, sed à parte rei solùm erit individuum multiplex intra speciem quantitatis cõtinuę. Sermo est tantùm de numero prædicamentali, qui scilicet ex pluribus quantis constituitur, v. g. ex pluribus equis, vel qui ex divisione quantitatis continuę resultat, v. g. cùm aqua una realiter dividitur in plures aquas. Numerum enim transcendentalem, qui scilicet ex entibus cujuscunque generis formatur, v. g. ex pluribus Angelis, aut animabus separatis, nemo dicit esse propriè & per se unum.

91 Sunt, qui velint, ut nomen *quantitatis discretę* conveniat omni numero: sed Aristoteles & D. Thomas hoc nomen attribuunt soli prædicamentali, seu quantitativo; atque hunc solum vocant propriè *numerum*, nempe quatenùs *propriè* distinguitur contra *communiter*, non contra *metaphoricè* (non enim Angelorum chori sunt impropriè novem, nec animę Apostolorum impropriè duodecim), eo ferè modo, quo nomen *vegetabilis* propriè applicatur ad plantam, & nomen *animantis* ad brutum. Volunt alij, ut numero transcendentali sufficiat distinctio realis entitatum sine divisione, seu carentiâ unionis. Sed, quamvis hoc pertineat ad modum loquendi, standum est communi Doctorum; qui entia realiter distincta, quamdiù physicè uniuntur ut partes constituentes totum per se unum, v. g. in homine corpus & animam, ficut non appellant simpliciter plura, sed secundùm quid, ita negant ex ijs constitui simpliciter nume-

rum entium in eo statu; numerus enim simpliciter importat pluralitatem seu multitudinem proprie dictam, de cujus concepta est divisio actualis.

92 Quòd igitur quantitas discreta, seu numerus prædicamentalis, à parte rei, & independenter ab actu animæ, sit unum per se, non quidem unitate conjunctionis partium (cùm possit binarius constare duobus lapidibus, quorum alter sit in Americâ, alter in Europâ), sed unitate ordinis, quo nimirùm partes numeri coordinentur sub ultimâ unitate, tamquàm sub formâ dante speciem numero, qualis est in quinario unitas quinta, in senario sexta, & sic de alijs: hæc, inquam, doctrina est perchara Thomistis. Qui, licèt in Physicâ, ubi agitur de existentiâ materiæ primæ, acriter impugnent resultantiam unius per se ex duobus entibus in actu, tametsi substantialiter incompletis; tamen in præsenti unum per se formant ex pluribus entibus in actu completissimo, v. g. denarium ex 10. hominibus, vel ex 10. equis, vel ex 10. insulis, quatenùs quantitatem habentibus: quia scilicèt (ut ait Bayona cit. q. 8. n. 160.), quàmvis singulæ ex his unitatibus sint entia completa in genere quantitatis continuæ, non ita in genere discretæ. Quasi verò non posset eâdem viâ defendi, quòd numerus Angelorum, vel etiam unus eorum chorus, aut una hierarchia, est unum per se: quia videlicet, quàmvis Angeli singuli sint entia completa in esse entis indivisi, non ita in esse entis discreti, vel in esse chori, vel in esse hierarchiæ.

93 Hujus doctrinæ fundamentum est 1. auctoritas Aristotelis, qui quantitatem dividit in continuam, & discretam, tamquàm in duas species hujus prædicamenti: in nullo autem prædicamento ponitur unum per accidens. 2. auctoritas D. Thomæ, non semel ajentis, numerum esse simpliciter aut per se unam: nominatim verò 8. Met. lect. 3., ubi, *Est*, inquit, *per se unum numerus, in quantum ultima unitas dat numero speciem & unitatem; sicut etiam in rebus compositis ex materiâ & formâ, per formam est aliquid unum, & unitatem & speciem sortitur.* 3., quòd numerus est objectum Scientiæ realis, nempe Arithmeticæ; adeòque debet esse reale ens, & per se unum; quia de uno per accidens, nec est demonstratio, nec scientia. Alia quædam à ratione argumenta superaddit Bayona, ut probet, numerum esse realiter unum per se; quæ, siquid valent, idem evincunt de numero transcendentali, vel de concreto *quantum*, aut *calidum*, prout substantiam & accidens includente.

94 Sed pro dubij hujus resolutione notandum, quòd *unum per se* potest accipi vel propriè & strictè, vel improprie seu amplè. Priori modo solùm dicitur unum per se, cui convenit transcendentalis unitas propriè dicta, illa scilicèt, quæ indivisionem importat, opponiturque multitudini seu divisioni partium, ut constat ex dictis disp. 1. n. 130. & seqq.. Posteriori modo latissimè sumitur *unum per se*, dicturque de quovis toto, cujus partes aliqualiter ordinantur vel inter se, vel sub uno, vel ad unum, etiam ipsis extrinsecum; sive ordinatio sit naturalis, sive artificialis, sive moralis, sive intentionalis. Lege Aristotelem 5. Metaph. à c. 8., & D. Thomam ibi lect. 7. & 8.; ubi animadvertes, inter una per se numerari, præter alia exempla, unum lignorum fascem vinculo colligatum, unum populum ex multis hominibus constitutum, & genus unum ex multis speciebus; eodemque sensu vinum, oleum, & liquores omnes vocari unum, quia omnes resolvi possunt in aquam; multos etiam unius agri possessores unum dici, quia possident unum.

95 *Dico* igitur 1.: numerus à parte

parte rei non est propriè unum per se, ita ut ipsi conveniat ratio unius, quæ est attributum entis. *Prob.*: quia numerus est propriè multitudo, cùm per eam in recto definiatur: multitudo autem, & ratio unius transcendentis, proculdubiò opponuntur, & nequeunt eidem convenire; nisi velis, ut idem sit divisum simul & indivisum. *Multitudo* (inquit Aristoteles 10. Metaph. t. 21.) *quasi genus est numeri; est enim numerus multitudo uno mensurabilis.* Ubi D. Thomas lect. 8. lit. h. admonet, quòd *pluralitas sive multitudo absoluta, quæ opponitur uni, quod convertitur cum ente, est quasi genus numeri*; item, quòd hujusmodi multitudo *significat entia divisa*; unum verò, quod cum ente convertitur, *simpliciter dicitur ens indivisum*: item, quòd ideò pluralitas dicitur *quasi genus*, quia, sicut unum transcendens non est propriè genus, ita nec pluralitas ei opposita. Hinc manifestè constat, numerum apud Aristotel. & D. Thomam non ita esse unum per se, ut propriè de ipso prædicari possit unum transcendens. Et verò quis credat, ex duobus quantis, v. g. lapidibus, inter se loco remotissimis, nullâ re vel modo superaddito, constitui speciem entis propriè indivisi? Certè binarius animarum separatarum nō est in hoc sensu per se unum, ut fatentur omnes: non minor autem est inconnexio inter lapides, quàm inter animas, nec major unio vel ordo numerabilitatis.

96 *Dico* 2.: quantitas discreta, seu numerus, non est propriè species quantitatis à continuâ diversa. Hęc assertio sequitur ex præcedenti, ut prænotavimus n. 90.. Et planè colligitur ex Aristot. 10. Metaph. t. 5., ubi, *Numerus*, inquit, *pluralitas unitatum est*; & ex D. Thomâ ibi lect. 2. lit. g. sic ajente: *Unitas differt ab unitatibus ut singulariter prolatum ab his, quę pluraliter proferuntur*: & *similis ratio est de numero ad unitatem; quia numerus nihil aliud est, quàm pluralitas unitatum. Unde nihil aliud est dicere, unitatem esse mẽsuram numeri, quàm unitatem esse mensuram unitatum.* Hinc habes, quòd unitas & numerus, vel (quod idem est) quantitas continua & discreta, solùm differunt ut singulare & plurale ejusdẽ nominis, ideſt, sicut quantitas & quantitates; ubi certè non est differentia specifica; nisi velis, ut homo & homines specie differant, vel anima una & plures animæ. Accedit, quòd quantitas discreta nec addit novam impenetrabilitatem, ut fatentur Contrarij; nec novam extensionem quãtitativam: quia divisio, seu carentia unionis, aut etiam numerabilitas, cùm detur pariter in entibus incorporeis, non est extensio de genere quantitatis.

97 *Dico* 3.: in sensu amplo vel improprio, usuali tamen, numerus prout importans aut connotans actum intellectûs (saltem possibilem), recensentem unitates tot, & non plures, est unum per se; & in eodem sensu est nova species quantitatis. *Patet* hoc ex dictis n. 94.: quia numerus sic acceptus aliquem habet partium ordinẽ, scilicet vel numerationis actualis, vel numerabilitatis, seu numerationis aptitudinalis. Neque aliad probant argumenta pro Thomistis adducta n. 93.. Nam inprimis, non quidquid Aristoteles in prædicamentis ponit, est unum per se propriè dictum. Vestis enim, qua homo undique vestitur, ad prædicamentum decimum spectat: nec tamen propriè dici potest ens per se unum, præsertim si constet, ut plerùmque solet, partibus non inter se consutis, ut tunicâ, sagulo, pallio, galero, &c.. Sanitas etiam, & pulchritudo, numerantur inter species prædicamenti qualitatis; cùm tamen neutra sit propriè unum per se. Quantitas ergo discreta ponitur ab Aristot. species alia quantitatis per quamdam analogiam: quia scilicet in esse numeri communi ulti acci-

pitur & nominatur ut una; & sic accepta, dicitur magna vel parva, major aut minor, æqualis aut inæqualis alteri, potestque minui vel augeri, & humano more mensurari: quæ omnia & propria sunt quantitatis ut sic, & aliter conveniunt discretæ, ac continuæ, propter diversum totalitatis modum; non enim numero conveniunt mensurabilitas v. g. per extensionem in loco, sed per supputationem partium divisarum. Hæc tamen non sufficere, ut numerus sit propriè unum per se, vel nova species entis proprie dicta, ex eo constat, quòd omnia conveniunt pariter numero rerum spiritualium, ut cõsideranti liquidum erit.

98 Deinde D. Thomas non nisi lato sensu numerum vocat unum per se, cùm planè supponat, numerum in ratione unius constitui per actum intellectûs; ut patet ex illis verbis, *in quantum ultima unitas dat numero speciem, & unitatem*: nulla quippe unitas est ultima in ternario lapidum v.g., nisi prout ab intellectu recensetur ultimo loco. Nec juvat dicere cum Bayonâ q. cit. n. 165., quòd à parte rei datur in ternario ultima unitas, non quę *determinatè & absolutè* sit ultima, sed quæ talis sit *vagè, disjunctim, sive conditionatè*, quatenùs aliqua debet concludere cęteras, *& quęlibet* (inquit hic Author), *ex suppositione quòd numerando incipiamus ab alijs duabus, erit ultima determinatè*. Non, inquam, hoc juvat; sed potiùs destruit Thomistarum assertum. Si enim nulla unitas ternarij est determinatè ultima, nisi ex suppositione quòd à nobis numeretur post alias; ergo ante suppositionem hanc non datur numerus in specie ternarij constitutus. *Prob. Consequ.*: quia nulla forma indeterminata in esse formę, dat speciem determinatam, qualis est in genere numeri species ternarij: at ante suppositionem illam, ficut omnis unitas est indeterminata in esse ultimę, ita & in esse formæ; quia non est forma dans speciem numero, nisi prout est ultima. Accedit, quòd unitas tertia, tametsi numerata post duas, non erit ultima, si addatur alia; nec tunc resultabit ternarius, sed quaternarius: ergo in esse ultimè constituitur per negationem ulterioris. Sed hęc negatio non consistit in exclusione ulterioris unitatis à statu existentiæ (alioqui non daretur hodiè ternarius lapidum in Mundo); nec in locali distantiâ, quæ nihil refert ad numerum: ergo consistit in actu intellectûs recensente tot unitates, & non plures.

99 Denique tertiũ argumentum n. 93. solvẽdum est omnibus. Nam exercitus est unum per accidens, ficut etiam civitas, aut Respublica; cùm tamen de his objectis dentur scientia Militaris, & scientia Civilis, aut Politica. Medicina pro objecto respicit sanitatem, quæ, cùm consurgat ex temperamento variorum humorum, & qualitatum, nequit propriè dici unum per se. Præterea circa ens artificiale sunt Artes variæ, quę possunt scientificè tradi, v. g. Architectonica, vel Pictoria. Quomodò autem poterit unũ per se dici secundùm proprietatem philosophicam, aut picta imago, variis constans coloribus, quantitate, figurâ, & carentiâ redundantiæ? aut ampla domus, tot constituta partibus supposito distinctis, purè contiguis, & inter se diversis tum naturaliter, tum artificialiter? Quid Thomistis solemnius, quàm quòd unum per se resultare nequit ex rebus diversorum prædicamẽtor., præsertim ex substantiâ & accidente? Non nè materia & forma domi sunt substantia & accidens? Non nè substantia ignis ordinatur magis ad quantitatem, vel ad calorem, quàm ligna & lapides ad formam artificialem? Cur ergo ex his unum per se resultabit magis, quàm ex substantiâ ignis & calore, vel quantitate?

100 Fatendum est ergo, quod passim dicitur, Scientiam non esse de *ente per accidens*, vel de *uno per accidens*, referendum esse, tum ad entia casualia, tum ad ea, quæ sunt una per aggregationem sine ullo ordine partium, cujusmodi est acervus lapidum; hæc enim sunt, quę maximè dicuntur entia & una per accidens, & extremè distant ab uno per se. Alia verò una per accidens, quorum partes aliquem habent ordinem, vel naturalem, vel artificialem, aut moralem, possunt esse objecta Scientiarum, & Artium, quando in suo esse composito aliquid habent scitu dignum, aut hominum utilitati deserviens: & hæc ipsa vocătur interdùm *una per se*, vel ab ipso Aristotele; non quòd eis propriè & simpliciter conveniat transcendentalis unitas; sed quia per se intenduntur ab aliquâ Scientiâ, vel Arte; necnon quia media sunt inter unum per se proprie dictum, & unum per aggregationem; & quę medium tenent inter duo extrema, solent alterius nomine donari per comparationem ad alterum. Vid. P. Suar. disp. 4. Met. s. 4. n. 14.. Sanè de numero rerum spiritualium (quem Thomistæ fatentur esse unum per accidens) verificătur omnes proportiones & proprietates, quas Arithmetica de numeris demonstrat; nec quidquam refert ad demonstrationes arithmeticas quòd numerus sit ex unitatibus quantitativis, vel incorporeis: nihil ergo detrahitur huic Scientiæ, tametsi numerus quantitativus dicatur esse unum per accidens in rigore physico, vel metaphysico.

101 Numerus itaque, completè sumptus, pro materiali continet unitates à parte rei existentes: sed pro formali constituitur ex actu intellectûs, recensente unitates tot, & non plures: à quo actu reales unitates per denominationem extrinsecam redduntur ordinatę, & redactę in numerum. Nec ideò numerus est ens rationis (nisi hoc nomine comprehendatur quælibet extrinseca denominatio ab actu intellectûs); non enim importat cognitionem fingentem, sed ordinatè recensentem unitates reales à primâ usque ad ultimam. Hoc patet in ternario Angelorum, quem immeritò dixeris ens rationis. Quare objectum Arithmeticę verè est ens reale, tum physicum quoad unitates, tum intentionale quoad actualem ordinè ipsarum. Observa tamen, quòd cognitio non constituit numerum per modum partis, aut novæ unitatis, sed per modum formæ artificialis, quæ non dicitur pars, sed ordo partium; ut patet in formâ domi, statuę, exercitûs, &c.. Cùm autem ultima unitas dicitur forma numeri, debet hoc accipi ex sensu laro & improprio, quo caput dicitur forma staturæ, tegumentum forma domûs, & prædicatum forma propositionis: & ita quidem, ut unitas constituatur in esse ultimę per actum animæ, priùs numerantem alias, & in eâ istentem: ideircò enim pro varietate istius actûs diversa redditur in esse formæ, scilicet jam quinta, jam senta, &c., cum negatione ulteriorís; unde & potest speciem dare numeris diversis.

102 Observa insuper, quòd qui primò numerat unitates, non supponit aut invenit numerum, nisi aptitudinalem: numerare quippe idem est, ac redigere in numerum, seu dare unitatibus actualem ordinem & formam numeri. Solùm ergo numerum formatum invenit cognitio reflexa, quæ numerationem supponit. Repete exemplum numeri transcendentalis. Observa denique, quòd, licet passim dicatur, unum per accidens non posse unicâ definitione definiri, quia non habet essentiam unam, debet hoc intelligi de unicâ definitione naturam physicam singularum partium explicante; secùs verò de unicâ declarante, quid resultet ex cunctis partibus tali modo & ordine collectis, maximè si partes in esse collec-

collectionis habeant essentiam usualiter unam, unoque nomine significatam. Sic nequit unica definitio explicare, quid sint physicè lapides, ligna, clavi, & alia constitutiva domi; benè tamen, quid resultet ex ijs omnibus ordine architectonico collectis in unũ usuale, cui nomen est *domus*. Idem patet in definitione reipublicæ, civitatis, exercitûs, atque etiam numeri transcendentalis. Cujus numeri exemplo facilè instabis & solves quidquid contra doctrinam hactenus traditam objiciatur.

### *De proprietatibus Quantitatis, & ejus coordinatione prædicamentali.*

103 Inter proprietates quantitatis numerari possunt 1), qui aliàs vocantur effectus secundarij: videlicèt actualis partium extensio in loco, & actualis earumdem impenetratio cum alio quanto: proxima item divisibilitas per motum physicum: & ratio mensuræ, tum activè, tum passivè sumpta, prout nempe sonat aptitudinem quantitatis extensę, ut assumatur in mensuram alterius, & ut mensuretur per alteram. His addi potest passiva capacitas recipiendi qualitates. Præterea tres aliæ proprietates ab Aristotele numerantur. 1. non habere contrarium, idest, non posse à subjecto expelli per aliam formam positivam, quę munus oppositum habeat circa idem subjectum. 2. non suscipere magis & minus, videlicet intensivè: quia impenetrabilitas in ordine ad totas naturę vires, quæ est de conceptu quantitatis, non potest intensivè crescere. 3. esse æqualem, aut inæqualem, nempe in aptitudine, quatenùs una quantitas, etiamsi sola existere supponatur, ex se apta est coexistere alteri, quæ plus, aut minus, aut tantumdem extensionis habeat. Non tamen omnes istę sunt proprietates quarto modo; possunt enim ferè omnes in rebus alijs præter quantitatem inveniri: quamquàm earum nomina, præsertim *extensionis*, *mensurę*, & *æqualitatis*, primam impositionem habent à rebus quantis.

104 Quod attinet ad coordinationem prædicamentalem, quantitas, ut abstrahit à continuâ & discretâ, potest dici genus supremum; quia, licèt non sit univocum in rigore logico, vel metaphysico, tamen usualiter aut mathematicè sumitur ut univocum. Tũ dividi poterit in continuam, & discretam, ut in primas species subalternas, quarum altera subdividatur in lineam, superficiem, & corpus; altera in omnes species numerorum: atque ita per utramlibet facilè poterit formari series aut arbor instar illius, quam pro substantię prædicamento dedimus in Logicâ. Si tamen genus accipias pro prędicabili strictè univoco, sub se continente species propriè dictas, in præsenti sola quantitas indivisa, & permanens, erit genus supremum; quod non alias sub se species continebit, præter lineam, superficiem, & corpus, quæ censentur physicè species atomæ, licèt mathematicè subdividantur in alias. Nec absurdum est, quòd sub aliquo supremo genere immediate contineantur species atomæ, ut notat P. Suar. cit. disp. 40. s. 4. n. 8.: nihil enim inde sequitur contra conceptum generis; quod tunc erit supremum negativè, seu per negationem superioris.

105 *Dicent* linea, superficies, & corpus, in sententiâ Zenonis non sunt quantitatis species physicè diversæ: immò & in continuo Aristotelico aliqui negant dari realiter lineas, aut superficies, verè indivisibiles quoad latitudinem, aut profunditatem; volúntque proinde tres illas species solùm esse diversas acceptiones mathematicas ejusdem quantitatis: nec Aristotelici, qui lineas & superficies reales agnoscunt, facilè salvant diversitatem specifi-

cam;

cam; cùm extensio linea includatur in superficie, & hujus in corpore. *Resp.* Communis Peripateticorum sententia cum Aristotele agnoscit in continuo reales lineas & superficies; & satis aptè declarat diversitatem specificam trium dimensionum, longitudinis, latitudinis, & profunditatis; ut videre licet apud P. Suar. cit. disp. 40. s. 5. & 6.

106 Si tamen aliter sentire lubeat, poteris speciem quantitatis propriè dictę variare bifariàm. 1., si possibilem dicas quàntitatem entitativè indivisibilem, non solùm more puncti Zenonici (quod cùm sit primordium rei divisibilis, dici potest divisibile *ut quo*), sed etiam more accidentis integri, quod, licèt in se simplex, verè tamen sit materiale (perinde ac anima equina in sententiâ Thomisticâ), debeatque inhærere subjecto divisibili, & spatium extensum occupare impenetrabiliter. 2., & facilius, si possibilem aut existentem aditruas quantitatem nó intrinsecè aptam recipere qualitates corruptivas compositi: talis enim quàntitas specie differet à vulgari & notâ in sublunaribus, & admitti debet in corpore cœlesti, si Cœlum est ab intrinseco incorruptibile.

## CAP. VI.

### *Nonnulla de reliquis prædicamentis.*

107 DE qualitate sat multa diximus variis in locis hujus Operis. Nondùm tamen communem ejus conceptum ex propriâ sententiâ dedimus. Aristoteles in cap. *de Qual.* sic illam declaravit: *Qualitatem dico, qua quales quidam dicuntur.* Quibus verbis qualitatem explicuit per effectum formalem, seu denominationem, quam præstat: solet autem effectus formalis quoad nos esse notior, quàm forma in abstracto; sicut notior est homo, quam anima rationalis. Quia tamen parùm in claritate differunt *qualitas* & *quale*, quemadmodùm *quantitas* & *quantum*, aut *albedo* & *album*; idcircò à Philosophis quæritur clarior alia notio qualitatis: nec omnes in unâ conveniunt; sed quas alij probant, alij rejiciunt. Mihi quidem satis apta videtur hæc, *accidens physicum & absolutum, quod sequitur formam potiùs, quàm materiam.* Ubi per tò *absolutum* non excluditur omnis modalitas, sed quæ sit purè talis juxta explicationem puri modi suprà datam n. 14. Nomine autem *formæ* intelligitur actus substantialis, præscindens ab informativo, & absoluto; atque ita comprehenditur natura Angelica, quæ vocari solet forma separata, & subsistens. Verbum *sequitur* non est coarctandum ad radicationem, vel ad naturale debitum: sed ampliandum ad imitationem aut cognationem aliquam, vi cujus natura qualitatis imitetur, sapiat, aut referat naturam formæ potiùs, quàm materiæ.

108 Hoc sensu explicatio ista qualitatem in primis discernit à quantitate. Nam quantitas cognata est materiæ potiùs, quàm formæ: tum quia immediatè à materiâ radicatur ut proprietas ejus: tum quia est immediatè receptiva qualitatum omnium materialium; cùmque aliunde non sit activa, nisi fortè per naturalem resultantiam aut emanationem (quod etiam convenit materiæ), dici potest in ordine accidentali primum subjectum, & pura potentia passiva, sicut materia in ordine substantiali. Hinc in proverbium abiit philosophicum, quod *quantitas sequitur materiam, qualitas formam*: de quo D. Thomas q. 9. de pot. ar. 7., & in 3. Physic. lect. 3., & aliis in locis. Deinde qualitatem discernit à reliquis prædicamentis: quia reliqua, vel non sunt accidentia physica, vel sunt purè modalia. Aliunde nulla est qualitas, quæ non majorem cum formâ, quàm

tà, jam diximus; figuram & formam ex communi sententia non distingui, nisi penès acceptiones admodum extrinsecas.

116 Deinde, quantum ad species quatuor inter se collatas, vel potiùs quantum ad tres priores (nà quarta non nisi analogicè meretur nomen qualitatis), communis etiam sententia est, sufficere distinctionem rationis, ut qualitas realiter una secundùm varias formalitates, aut redoplicationes, ad species diversas attineat. Id quod planè supponunt Aristoteles & D. Thomas apud P. Suar. cit. disp. 42. s. 4. n. 2. Et stando notionibus, quas de speciebus illis dedimus ex communi sensu, res est perspicua: potest enim v.g. idem calor ad primam speciem spectare, quatenùs difficile mobilis à subjecto: ad secundam, quatenùs est virtus operativa: ad tertiam, quatenùs est terminus alterationis, aut motûs.

117 Nihilominùs P. Suarez sect. 4. & 5. censet, species illas ita explicari posse, ut qualitates, quæ ad unam pertinent, realiter & essentialiter differant ab attinentibus ad aliam. Omnis enim qualitas respectu substantiæ *per se primò* spectat vel ad lineam operandi, vel ad lineam essendi. Quæ ad priorem lineam spectat, vel est operativa actualis (quando hæc simul habet rationem qualitatis, ut cogitatio, & amor), vel est principium proximum operationis. Si principium est, vel est prima virtus accidentalis ad aliquod genus operationum, atque ita propriè dicitur *potentia*, constituitque secundam speciem qualitatis; vel est virtus superaddita, quæ potentiam determinat, facilitat, aut adjuvat ad operandum; atque ita propriè vocatur *habitus*, & constituit primam speciem, ad quam etiam sub nomine *dispositionis* pertinet operatio ipsa, quando est qualitas. Quæ verò spectat ad lineam essendi, vel est modus consequens quantitatem; atque ita constituit speciem quartam: vel est absoluta entitas; atque ita propriè vocatur *passibilis* aut *passiva qualitas*, tertiamque speciem sibi vendicat. Dicitur autem spectare ad lineam essendi omnis illa qualitas, quæ, licèt vim habeat operandi, non tamen per se primò instituta est ut operetur, quasi hoc sit primarium ejus munus, sed ut substantiam conservet, perficiat, aut ornet, vel generatim ut per illam benè vel malè se habeat substantia in suo esse. Unde tertia species latissimè patet, complecticurque qualitates innumeras.

118 Ex hac doctrinâ, quæ satis est congrua, & rationabilis, sequitur, famosas illas quatuor species, si metaphysicè magis, quàm vulgari modo definiantur, esse inter se realiter & essentialiter impermixtas. Nam ad *primam* solùm pertinent actus, & habitus (etiam infusi) potentiarum vitalium, necnon species intentionales, quæ nomine *habitus* comprehendi solent: nec istæ qualitates possunt revocari ad secundam, cum non sint potentiæ, sed vel actus, vel virtutes superadditæ, supponentesque primam virtutem accidentalé ad idem genus operationum: nec item ad tertiam, cum per se primò, vel ex primario munere spectent ad lineam operandi. Ad *secundam* pertinent potentiæ vitales, & siquæ sunt in rebus inanimis per se primò institutæ propter operationem, ut gravitas, & levitas. De primis qualitatibus, præsertim de calore, dubitari potest: sed P. Suar. negat eas esse propter operationem per se primò. Has verò potentias intrinsecè diversas esse ab actibus, & habitibus, atque etiam à qualitatibus non sic attinentibus ad lineam operandi, nemo negaverit. Ad *tertiam* denique pertinent qualitates elementares, colores, odores, & cæteræ omnes, quæ in entitate absoluta constituunt, & non sunt vitales actus, nec po-

potentiæ, nec habitus, ideòque non possunt ad primam, nec ad secundam revocari. Fateor tamen, nonnullas esse in hac doctrinâ difficultates. Et ipse P. Suar. s. 4. n. 24. fatetur, communem illum opinandi modum, de quo n. 126., dialecticè loquendo sustineri posse.

119 De prædicamento *ad aliquid*, seu *relationis*, jam satis in Logicâ diximus *tract.* 4. à *cap.* 3., ubi varia relationum genera & species dedimus, quibus poterit prædicamentalis arbor efformari. Ibi quóque monuimus, transcendentalem relationem non spectare propriè ad hoc prædicamentũ; quia transcendit prædicamenta omnia sub propriis conceptibus: nullum quippe est, quod non saltem imbibat formaliter conceptum entis creati, qui conceptus impræscindibilis est ab ordine transcendentali ad primam Causam: omne item accidens essentialiter ordinatur ad subjectum, & omnis substantia incompleta ad suum cõplementum. Specialiter verò in hoc sensu relativa dicuntur illa entia, quæ ex proprio conceptu specifico expresse important ordinem ad aliud, per que talem ordinem definiuntur, & specificantur; cujusmodi sunt potentiæ accidentales animæ, habitus, & actus cognoscendi & appetendi, omnes item entitates purè modales, & relationes Divinæ Trinitatis. Cætera entia, quorum conceptus specificus non ita præsefert ordinem ad aliud, dicuntur absoluta. Atque ita intelligi debet consueta divisio Entis ut sic in absolutum, & relativum, ut membra importet realiter distincta: si enim intelligatur de relativo prædicamentali, & erit incongrua pro ente in communi, & non erit in membra distincta realiter, sed solùm per rationem in nostris principijs.

120 De *actione*, & *passione*, quæ duo alia prædicamenta constituunt, de que variis earum speciebus, dictum est in Physica tract. 3. disp. 1. Aliqui à prædicamento *actionis* excludunt actionem creativam: aliqui, actionem substantialem, ideſt, terminatam immediatè ad substantiam: non pauci, actionem immanentem: nonnulli, actionem etiam instantaneam, seu non successivam. Et similiter à prædicamento *passionis* per eosdem excluditur passio substantialis, immanens, & instantanea. Hæc vix possunt firmâ ratione vel stabiliri, vel impugnari. Creatio fortasse latuit Aristotelem, qui cum cæteris Philosophis ethnicis ubique supponit incócussum sine limitatione proloquium illud, *Ex nihilo nihil fit.* Si tamen consistit in modo distincto à causâ & effectu, non est cur à prædicamento excludatur: idemque à fortiori dicendum de quavis eductione, vel passione, quę sit purè modalis. Nec obstat, quòd actio aliqua, vel passio, sit modus intrinsecè substantialis: quia nõ omne accidens prædicamentale debet esse realiter distinctum ab omni substantia. Immanens tamen actio vel passio de lineâ operationis intentionalis, cùm non sit purus modus, puravé actio, vel pura passio, sed vera qualitas respectu ejusdem subjecti, congruenter excluditur ab his prędicamentis, & in categoriâ qualitatis includitur. Notandum, quòd omnis passio immanet passo; dicitur tamen transiens, quando passum ab agente distinguitur; quia tunc non immanet agenti, sed actionem transeuntem sequitur.

121 De *ubi*, & *quando*, seu de *loco*, & *tempore*, quibus duo alia constituuntur prędicamenta, dictum est etiam in Physicâ tract. 3. disp. 2. Nunc de formâ denominationũ prædicamenti *ubi* (per quam scilicet res denominatur *locata*, vel *ubicata*, seu *præsens hic* aut *alibi*.), quæritur, utrùm sit locus intrinsecus, ideſt, ubicatio? an locus extrinsecus, ideſt, ultima superficies concava corporis cõtinentis. Hoc

posterius colligi videtur ex usitato respondendi modo ad quæstionem, *ubi est?* Quærenti enim, ubi est Petrus? respondetur communiter per locum extrinsecum; nec solùm per immediatum aut proprium, v. g. per immediatam superficiem aeris ambientis; sed frequentiùs per mediatum sive communé, dicendo scilicet, esse in agro, in foro, vel domi, Salmanticæ, in Hispaniâ, in Europâ. Id quod moris est etiam circa substantias immateriales, quę non sunt proprie in loco juxta notionem loci Aristotelicam. Nam quærenti, ubi est Angelus? reponitur, in Cœlo: ubi diabolus? in Inferno.

122 Nihilominùs forma saltem præcipua semper est modus intrinsecus ubicationis seu præsentiæ rei. Nã Petrum *esse domi*, perinde sonat, ac *habere præsentiam suam intra ambitum domi*. Quare dicendum, in denominationibus hujus prædicamenti, morali modo acceptis, seu prout usitatis in commercio humano, formam in recto esse ubicationem rei, connotando vel importando in obliquo locum extrinsecum: quod sufficit, ut denominatio dicatur extrinseca, ideòt, non penitùs intrinseca. Si tamen quæratur forma simpliciter necessaria, & se solâ sufficiens in sensu metaphysico ad denominationes prædicamenti *ubi*, talis forma est solà ubicatio, seu modalis præsentia rei: quia sine illâ nequit res esse alicubi: & cum illâ, etiamsi desit locus extrinsecus (ut de facto deest pro superficie convexâ ultimæ Sphæræ), verè denominabitur *ubicata*, seu *alicubi existens*: quæ denominatio, cùm sit realis, nec ad aliud prædicamentum attineat, propriè spectat ad *ubi*.

123 Similis quæstio est circa formam denominationum prędicamẽti *quando*; & ferè similiter decidẽda. Cùm enim res dicitur *durare*, vel *duravisse hodie*, aut *heri*, aut *anno superiori*, &c., forma hujus denominationis est duratio dicens in recto existentiam intrinsecam rei, & in obliquo tempus extrinsecum reale, successivè coexistens eidem rei. Sed, si deficeret omne tempus reale permanente re, adhuc maneret forma sufficiens ad denominationẽ *durantis*, vel *aliquando existentis*, verè attinentem ad hoc prædicamentum; vi. desiceret existentia rei prout connotans vel de obliquo importans certum aliquod tempus imaginarium: quod quidem tempus (si duratio non est modus existentię rei superadditus) debet aliquomodò ingredi talem denominationem, ut illa evadat contingens magis aut aliter, quàm mera denominatio *existentis*; hæc enim non pertinet ad speciale prædicamentum.

124 Notandum hic, duo ista prædicamenta extendi etiam ad ubicationes & durationes Angelicas. Unde tam ubicatio, quàm duratio, dividi poterit in spiritualem, & materialem: vel, quod ferè in idem recidit, ubicatio in definitivam, & circumscriptivã; duratio in ęvum, & durationem rei corruptibilis. Et utraque sub utrovis membro subdividi potest in varias species, vel pro diversitate subjecti, vel pro varietate distantię à punctis fixis aut determinatis loci vel temporis. Utrique autem solent attribui generatim duæ proprietates. 1. *non suscipere magis & minùs*, nempe secundùm intensionem. 2. *non habere cõtrarium*, contrarietate nimirùm strictè sumptâ pro summâ sub eodem genere distãtiâ formarum in eodem subjecto insociabilium: nam in sensu lato, vel minùs proprio, datur contrarietas seu repugnantia conjunctionis inter durationes hesternam & hodiernam, & inter ubicationes superam & inferam, ideòque motus ursùm & deorsùm dicuntur cõtrarij, eo quòd in terminos contrarios tendant.

125 *Situs*, quatenùs habet categoriam specialem, est *Positio*, seu

*Dis-*

*Dispositio partium corporis in loco*: ex qua dispositione dicitur totum corpus habere figuram situalem, quam explicamus per denominationes *stantis, sedentis, cubantis*, & similes. Positio ista realiter indistincta est ab ubicatione circumscriptiva: pertinet tamen ad prædicamentum diversum propter distinctionem rationis, & in eâ fundatum usum loquendi. Distinctio rationis in eo consistit, quòd ubicatio, quatenùs attinet ad prædicamentum *ubi*, consideratur ut præstans rem esse *hic*, vel *ibi*, cum certâ distantiâ vel propinquitate ad polos Mundi, vel ad alia loca; quatenus verò spectat ad prædicamentum *situs*, consideratur solùm ut tribuens corpori figuram situalem. Usus autem communis habet, ut loquamur de ubicatione, seu loco, sine mentione situs: pariterque, ut loquamur de situ, tam in genere, quàm in specie, cum præcisione ab *hic*, & *ibi*, & à distantiâ vel propinquitate corporis ad certa loca. Idcircò, qui sedens vehitur navi, vel equo, licèt mutet locum, non dicitur mutare situm: & qui pedibus immotus, jam incurvatur, jam erigitur, licet situm mutet, non censetur mutare locum. Idcircò etiam diversæ reputantur quæstiones, *ubi est?* &, *quo situ est?* nec eodem modo respondetur utrique.

126 Latiùs tamen patet *ubi*, quàm *situs*: nam hic solis convenit corporibus, præsertim heterogeneis, tum naturalibus, tum artificialibus, ut statuæ, vel domui; maximè verò convenit viventibus. Species hujus prædicamenti sunt statio, sessio, genuflexio, cubatio, & aliæ plures hujusmodi; quæ possunt accipi ut subalternæ, quia sunt variabiles multifariàm; diversa enim statio est cum vel sine inclinatione corporis; diversa sessio in pavimento & sedili; diversa genuflexio utroque poplite vel uno tantùm; & sic de aliis: unde facilè consurget quædam arbor, aut arbuscula prædicamentalis. Proprietates *situs* dicuntur, *non admittere magis & minus, & carere contrario*, quarum explicatio est eadem, ac in *ubi*.

127 Supereſt *Habere*, seu *Habitus*, quod est ultimum prædicamentum. Et hìc sumitur, non secundùm omnem significatum verbi, *Habeo*, quod latissimè patet; sed tantùm prout idem sonat, ac *indui*, vel *ornari per aliquid adjacens corpori*; cujusmodi sunt vestes, aut arma tegentia, ut lorica, galea, &c.. Potest denominatio prædicamenti hujus proponi bifariàm: 1. sic, *habens vestem*: 2. sic, *vestitum*. Priori modo forma denominans est exercitium habendi, seu actualis habitio & quasi unio vestis cum corpore; quo sensu dixit Aristoteles 5. Metaph. c. 20., *habitum* esse medium inter eum, qui vestem habet, & vestem, quæ habetur. Posteriori modo forma est vestis ipsa, quæ more formæ extrinsecè mediâ sui adjacentiâ, velut aptione quadam, corpus denominat vestitum. Sic, dum corpus denominatur *habens animam*, forma denominàs est habitio sive unio: dum verò dicitur *animatum*, forma est anima ipsa. Porrò habitio vel adjacentia vestis nihil est aliud, quàm duplex ubicatio contigua, altera vestis, altera corporis; quæ, licèt sub munere locandi pertineat ad prædicamentum *ubi*; sub munere tamen induendi, vel quasi uniendi vestem ad corpus, pertinet ad categoriam *habitus*.

128 Subjectum maximè proprium denominationum istiusmodi, solus est homo; quia solus ex indigentiâ & naturæ instinctu vestibus utitur. Potest tamen subjecti munus extendi ad animalia, quatenùs industriâ hominis vestiuntur, aut armantur; item ad statuas more humano vestitas; item ad tecta, & domos, quæ solent etiam tapetibus & auleis ornari. Immò solent huc revocari denominationes *deaurati*,

*deal-*

*dealbati*, & similes, quæ proveniunt ab unâ substantiâ alteri accidentaliter superinductâ per modum ornamenti. Hinc poterit *habitus*, aut *ornatus*, multifariàm dividi ratione subjecti, vel materiæ, ex qua. Poterit etiam dividi ratione finis in arma, & vestes; & sub utroque membro facilè assignabuntur species variæ ratione figuræ, vel artificij, vel diversitatis partium corporis, quibus inserviunt; sic enim inter se differunt calceus, thorax, pileus, &c.; possuntque accipi ut species totales, tùm ob inconnexionem, tum quia totus homo simpliciter denominatur à singulis, cùm nempe dicitur *pileatus*, aut *calceatus*, &c.. Unde nullo negotio formabitur arbor, si libuerit. Proprietas hujus prædicamenti dicitur, *suscipere magis & minùs*, per quamdam scilicet intensionem impropriam seu metaphoricam, quatenùs potest idem corpus, vel eadem pars corporis, magis ac magis vestiri per additionem vestis supra vestem.

# DISP. IV. ET ULT.

## DE OPPOSITIS ENTI REALI.

OPPOSITA enti reali ut sic, censentur carentia entis, & ens rationis non solùm quia non participant veram rationem entis, ideſt, veram aptitudinem existendi realiter; sed etiam quia ex proprijs conceptibus, si quos habeant, quamdam præseferunt habitudinem contradictionis aut contrarietatis ad conceptum entis. De his agere debet ex proprio munere, tametsi secundario, Metaphysica; eo fere titulo, quo Logica de sophismatibus, moralis Philosophia de vitijs, Medicina de morbis. Et est quidem eorum tractatio perdifficilis, quia objecta ista, cùm vix intelligibilia sint, ægrè ab intellecto tractari se sinunt: sed non minùs est necessaria; quia sine his Entium umbris vix potest mens humana rerum imagines veris coloribus exprimere.

### CAP. I.

*Carentiæ notio, & divisio multiplex.*

1 NOMEN *carentiæ* idem sonat, ac *non esse rei*, sive res sit possibilis, sive chimærica. Sic tenebræ dicuntur carentia lucis, quia non aliud sonat tenebras esse, quàm lucem non esse. Cumque contradictio versetur inter esse & non esse, carentia censetur cõtradictorium existentiæ. Alia est autem carentia *virtualis*, aut *negativa*; alia *formalis*, sive *immediata*. Virtualis carentia est quælibet entitas positiva incompossibilis cũ alterâ, præsertim si essentialiter inferat defectum ejus, ut odium respectu amoris. Formalis verò est merum non esse, meruſque defectus rei positivę. De solâ formali nunc agimus: eam quę in præsenti cap. accipiemus juxta communem loquendi morem, quasi objectum in se conceptibile, quod aliquomodò sit in rebus. An verè ita sit, discutiemus cap. sequ..

2 Potest carentia dividi multifariàm. Nam 1., alia est possibilis, alia impossibilis. Sola carentia Dei, & singulorum attributorum, aut Personarum ejus, est impossibilis absolutè: nullius

lius enim creaturæ carentia est absolutè impossibilis, sed ex suppositione duntaxat; v. g. carentia effectûs ex suppositione actionis, carentia identitatis inter animal & rationale ex suppositione existentiæ hominis; & sic de alijs. Carentia tamen impossibilis, fortasse non est mera carentia, sed mistum quid ex esse & non esse rei. 2., alia est contingens, ut carentia absoluta cujuslibet rei creabilis: alia necessaria, ut carentia cujuslibet rei chimæricæ, vel etiam veræ formæ in ordine ad subjectum incapax, v. g. carentia coloris in Angelo. 3., alia est absoluta, alia respectiva. Voco absolutam, quę simpliciter excludit rem à statu existentiæ: respectivam, quæ rem excludit ab aliquo subjecto, vel etiam à loco determinato. Sic, mortuo homine, non datur absolutè carentia animę rationalis, cùm hæc simpliciter existat: datur tamen respectu cadaveris, in quo verificatur non esse animam.

3 Sed celebris & præcipua carentiæ divisio est in *negationem*, & *privationem*; quibus terminis nihil in Scholâ frequentius. Negatio non hìc sumitur pro actu intellectûs negativo, sed pro immediato defectu rei ex parte objecti. Quo sensu *negatio*, & *carentia* synonyma sunt, & æquè dicuntur de quolibet *non esse*. Contraponitur tamen privationi negatio cum addito *pura*, vel expresso, vel tacitè subaudito; quemadmodùm vegetativum cum addito *purè* contraponitur sensitivo. Privatio igitur est carentia formæ in subjecto apto ad habendam formam: negatio verò est carentia formæ in subjecto ad formam non apto. Sic in homine carentia visûs, aut auditûs, est privatio; sed in lapide est pura negatio: unde lapis non dicitur cæcus, aut surdus, quia hæc sunt nomina privationis; sed purè non videns, aut non audiens, tam actu, quàm potentiâ. Notandum tamen, quòd privatio requirit existentiam subjecti; non enim homo, priusquam existat, dicitur cæcus (nisi forte cum addito *possibiliter*), quia nondùm habet capacitatem videndi, cùm nihil habeat. Contrà verò negatio non indiget subjecto existente, nec positivè inepto, sed contenta est non apto, sive tale sit ex positivâ ineptitudine, sive tantùm ex defectu existentiæ. Idcircò *non videns* prædicatur verè de subjecto purè possibili, immò & de chimęrico, saltem si non infinitanter, ut ajunt, sed purè neganter sumatur particula *non*.

4 Quin etiam potest negatio accipi quasi per se subsistens sine ordine ad subjectum; ut cùm dicimus, ab æterno dari negationem Angeli, vel hominis: qualis acceptio locum non habet in privatione. Unde, cùm negatio definitur aut discernitur per incapacitatem subjecti, sermo est de negatione quatenùs ad subjectum aliquod comparatâ. Si quæras, an privatio in esse talis constituatur per capacitatem subjecti? Videtur affirmandum; quia, si mente secludas aut præscindas capacitatem istam, non manet privatio in esse privationis, nec apparet à negatione differens. Constituitur ergo in obliquo per subjectum, sed in recto per carentiam formæ; quod sufficit, ut ejus conceptus absolutè dicatur, non positivus, sed negativus: sicut è contrario conceptus pulchritudinis, aut sanitatis, non censetur absolutè negativus, sed positivus, licèt in obliquo constituatur per carentiam redundantiæ. Si tamen carentijs attribuatur aliquod esse à parte rei, differre poterunt negatio & privatio ejusdem formæ per intrinsecum ordinem ad subjecta diversa; sicut per hunc ordinem realiter inter se distinguuntur & separantur, licèt hæc remotiones ejusdem formę; idcircò enim, quando privatio visûs non datur in homine, datur ejusdem visûs negatio in lapide.

Atque

4 Atque hanc diversitatem supponere videntur alię discrepantiæ vocari solitæ inter privationem, & negationem. *Primò* enim privatio potest admittere magis & minus circa idem subjectum, quatenùs potest esse jam totalis, jam partialis carentia formæ latitudinem habentis intensivam, aut extensivam, v. g. privatio frigoris, quę minor est in aquâ tepidâ, quàm in eâdem fervidâ. Non sic accidit in negatione purâ; quippè quæ respectu ejusdem subjecti nequit augeri, vel minui. *Secundò* privatio stricte sumpta semper est contingens, seu nunquàm potest esse necessaria, cùm supponat potentiam in subjecto ad formam oppositam. Negatio verò necessaria esse potest, & à subjecto essentialiter exigi, vel fundari. *Tertiò* privatio nequit esse, nisi formę possibilis, & circa subjectum reale. At negatio potest esse, tum formæ chimęricæ, tum circa subjectum purè fictum. *Quartò* negatio potest concipi extra subjectum, ex n. 4. Sed privatio inconcepibilis est sine connotatione subjecti. *Quintò* inter negationem & oppositam formam non datur medium respectu subjecti cujuslibet id est, de quocunque non prędicatur forma, prædicatur negatio, & è converso, dummodò negatio præscindat à capacitate & incapacitate subjecti: quodlibet enim debet esse vel videns, vel non videns v. g.. At inter privationem & formam oppositam, licèt non detur medium respectu subjecti capacis & actu existentis, datur tamen respectu aliorum; nam lapis v. g. nec est videns, nec cæcus. *Sextò* demùm privatio potest esse principium generationis, seu corporis in fieri, modo explicato in Physicâ: secus verò pura negatio.

*Privationis acceptio multiplex.*

5 Cùm privationis mentio sit frequentissima in Philosophiâ, & Theologiâ, præ oculis habere oportet acceptiones ejus admodùm varias, ut Authores intelligantur. 1. igitur Aristoteles é duobus contrarijs positivis illud, quod imperfectius est, privationem vocat. Unde ad mentem Philosophi D. Thomas in 9. Metaph. lect. 2., *Omnium*, inquit, *contrariorum unum est sicut perfectum, alterum verò sicut imperfectum & privatio alterius. Nigrum enim est privatio albi, & frigidum est privatio calidi.* Similiter in 8. Metaph. lect. 4. formam aceti vocat cum Aristotele privationem vini. 2. nomina privativa interdùm dicuntur de subjecto, non tam ex eo quòd non habeat formam, quàm quia pravè aut turpiter habet; ut cùm humana facies dicitur decolor, aut deformis: interdùm, quia parum habet de formâ; ut cùm dicitur quis indocilis, inops, aut nudus: interdùm, quia non facilè, vel non benè munera exercet formæ; ut cùm dicitur mutus, aut elinguis, qui nec facilè, nec benè loquitur. 3. privatio nonnunquàm appellatur negatio formæ ex se receptibilis, sed non in subjecto talis generis; ut cùm lapidem dicimus rem emortuam, aut arbores à naturâ privari vi sensitivâ. 4. quando subjectum non est formę incapax secundùm genus proximum, licèt sit incapax secundùm speciem, solet etiam dici formâ privatum. Sic talpam dicunt privatam visu. Immò nonnunquàm privationis nomine donatur quævis negatio, dum concipitur ut subjecto adjacens. Unde negatio divisionis in ente ut uno, dicitur esse per modum privationis.

6 1. privatio plerùmque sumitur, ut supra n. 3., pro carentiâ formæ in subjecto positivè apto, sive aptitudo sit proxima, sive remota, vel impedita. 6. magis strictè sumitur prout connotans circumstantias temporis, loci, & alias, in quibus forma debita est subjecto. Hinc infans non dicitur privatus usu rationis ante septennium, neque

que catellus ante nonum diem dicitur cæcus. Generatim verò tum maximè convenit privatio propriè dicta, præsertim in moralibus, cùm supponit, non solùm capacitatem, sed etiam debitum formæ in subjecto, vel cùm ipsa est indebita: & reputatur moraliter major, quò magis vel privatio ipsa indebita est, vel forma debita. 7. denique sumitur adhuc strictiùs ut connotans violentiam extrinseci agentis in ablatione formæ. Has omnes & alias minoris momenti acceptiones tradit ex Aristotele D. Thomas in lib. 5. Metaph. lect. 20., in lib. 9. lect. 1., & in lib. 10. lect. 6. Sed priores quatuor sunt impropriæ; quia vel in recto important aliquid positivum, vel magis negationem denotant, quàm privationem. Quinta in sensu physico propria & usitata est: sexta & septima prævalent in sensu morali.

*De regressu à privatione ad habitum.*

8 Vulgare axioma est, desumptum ex Aristot. 8. Metaph. c. 8., & aliis in locis, quòd *à privatione ad habitum non est regressus*; ubi nomine *habitus* venit forma quælibet amissibilis. Loquitur de regressu immediato, quia priùs transeat subjectum ad aliam formam specie diversam, præter eam, quæ privationem induxit: & generatim verum est de reditu naturali ad eamdem numero formam semel corruptam; quia reproductio non est possibilis naturaliter. De reditu autem immediato ad formam ejusdem speciei, non est verum in qualitatibus contrarium habentibus, ut ipse Aristot. advertit; nam passim accidit regressus hujusmodi ad calorem, aut frigus: nec item in qualitatibus, quæ fiunt sine mutatione corrupti à; ut sunt actus animæ, & species visuales, atque etiam lux, ad quam à tenebris immediatè regreditur aër: nec demùm in omnibus formis substantialibus; fortasis enim possunt immediatè transmutari vicissim aër & aqua, vel ignis & carbo. Solùm itaque verum est in quibusdam formis, quæ certa exigunt principia non jam amplius applicabilia, nisi post varias transmutationes materiæ: sic enim naturaliter non est regressus à morte ad vitam, ab omnimodâ cœcitate ad visum, à calvitie ad comam, &c. Mitto quasdam alias quæstiunculas de carentijs, quæ resolvi poterunt ex dicendis cap. sequ.

## CAP. II.

*De constitutivo carentiæ.*

9 QUàmvis omnes consentiant, carentiæ nomine significari *non ens*, vel *non esse rei*, de hoc tamen *non esse* dubitatur, in quo consistat. Et fermo est de carentiâ, prout hæc in rebus datur independenter à fictione intellectûs, vel ab ente rationis. Sermo item est de carentiâ formali & immediatâ, non de virtuali, radicali, aut illativâ. Fuere, qui carentiam constituerent per actum intellectûs negantis existentiam rei. Sed hæc opinio communiter deseritur: tum quia, nemine cogitante, verè à parte rei lux non est, cùm deficit: tum quia tali actui correspondet etiam sua carentia, summvè non esse; quod nequit consistere in alio actu reflexo, nisi procedatur in infinitum. Triplex ergo est sententia celebris. *Prima* carentiam identificat cum aliquo positivo impediente existentiam rei negatæ, maximè cum decreto Dei nolentis rem existere. Ita PP. Antonius Perez, Monceus, Cardinal. Pallavicinus, Gasp. de Ribadeneyra, & alij apud P. Quiros disp. 107. s. 1. *Secunda* constituit carentiam per nihilum, seu non ens; sed huic non enti, vel huic nihilo tribuit quoddam esse negativum (aliqui *abusivum* appellant), quod suis prædicatis intrinsecis conferat, quod suo modo repræsentetur à parte rei

citra fictionem intellectûs, quod in rebus ponatur & auferatur ablatâ vel positâ existentiâ rei, quod verè distinguatur à re, quam removet, quod in se terminet cognitionem, sitque conceptibile proprio conceptu, tametsi per speciem, non propriam, sed entis oppositi, eo quòd tota vel primaria quidditas ejus sit *remotio* existentiæ positivæ; ac demùm quod sit proprium verificativum propositionis negantis existentiam rei. Pro hac sententiâ plurimos refert P. Compton disp. 18. Log. f. 2.: & ea quidem, si consuetus loquendi modus accipiatur ut sonat, cõmunissima est, & antiquissima. *Tertia* negat, ullum dari constitutivum carentiæ, aut ipsi competere ullum *esse* verè datum ex parte objecti, etiam negativum, aut abusivum, quod sic constinctum ab eâ re, quæ definit existere. Hanc sententiam communiter amplectuntur nostri Recentiores, eamque inter alios illustrant PP. Quiros, tum loc. cit., tum disp. 46. f. 2., & Joan. Ulloa in Prolegom. Scholast. disp. 7. c. 5. & seq.

*Impugnatur prima sententia.*

10 Quòd carentia, saltem contingens, non consistat in aliquo positivo creato (quidquid aliqui dixerint), ultrò fatentur plerique Authores primæ sententiæ: probaturque facilè, quia cujuslibet rei carentia permanere potest destructo quolibet ente creato; &, si carentiæ sunt aliquomodò, rerum omnium possibilium carentiæ de facto erant ante Mundum conditum. Recurrunt itaque Authores illi ad decretum Divinum efficaciter nolens existentiam rei. Qui recursus impugnatur 1.: quia decretum seu volitio Divina de existentiâ lucis v. g., non est formalis existentia lucis, sed illativa tantùm, ut nemo dubitat: ergo nec Divina nolitio est formalis non existentia, seu carentia lucis, sed illativa solùm. *Prob. Consequ.* Tum quia non magis nolitio lucem tollit, quàm volitio ponit: ergo vel utraque, vel neutra id præstat formaliter. Tum quia tam non meminit alicujus Divini propositio, *lux non est*, quàm, *lux est*: ergo, sicut posterior non verificatur immediatè per Divinum aliquid, ita nec prior. Et alioqui negativa illa verificativum haberet infinitè perfectius, quàm affirmativa: cùmque veritas formalis constituatur ex actu & objecto, veritas negativæ foret infinitè perfectior in esse entis.

11 2.: quia, si nolitio Dei est carentia lucis, sequitur, plus existentiæ realis esse in carentiâ lucis, quàm in luce existente: unde magis ac melius existet realiter non ens, quàm ens; quo nihil alienius à communi sensu. 3.: quia formalis carentia, si dabilis est in rebus, excluditur immediatè per existentiam rei, quæ est ejus contradictorium objectivum; at Divina nolitio de luce, non excluditur immediatè per lucem, cùm immediatiùs excludatur per omissionem sui, vel per volitionem oppositam. 4.: quia, si nolitio est carentia, quandocumque non datur nolitio rei, dabitur res. Unde, cùm homo peccat omittendo libere actum præceptum (sive omissio sit pura, sive non pura), dabitur actus ipse præceptus: nulla enim tunc illius nolitio in Deo est. 5.: quia, positâ carentiâ in decreto, ex hypothesi quòd in Deo deficeret omne decretum liberum circa Mundum, vel quòd in Deo esset pura omissio libera (cujus possibilitas sub lite est apud Theologos), immediatè ac per locum intrinsecum sequeretur, Mundum existere; cùm talis hypothesis formalem auferat carentiam Mundi. Sequelæ autem absurditas per se patet. Quomodò enim immediatè sequetur existentia Mundi ex eo, quòd nihil Deus decernat circa Mundum?

*Impugnatur secunda.*

12 Sententia, quæ carentijs tribuit

buit aliquod esse negativum in se conceptibile, verè que distinctum ex parte objecti ab omni positivo, variis argumentis impugnari solet efficaciter. 1.° quia illud *esse* carentiæ, quantùmvis appelletur negativum, remotivum, aut abusivum, reverà positivum erit: siquidem est verè positum à parte rei; verèque incipit ac desinit ex libertate primæ Causæ: veré item habet prædicata intrinseca de ipso affirmabilia, nimirùm dari realiter extra Deum, excludere ac removere suum contradictorium, identificari secum ipso, distingui ab omni non ipso, &c.. Profectò hujusmodi enti negativo conveniunt quidditas & attributa entis realis, & creati. Nam illud ens chimeræ opponitur, & contradictionem à se excludit, estque jam in potentiâ, jam in actu, adeòque jam possibile, jam existens, & quidem cum abalietate, seu dependentiâ essentiali à primo Ente. Habet etiam unitatem, bonitatem, & veritatem. Nam unius rei una est carentia, in se indivisa, distinctaque à carentijs aliarum rerum: carentia item sæpe censetur bona, seu commoda, & optabilis, imò sæpe reputatur melior & optabilior, quàm pecunia, v. g carentia doloris acerbissimi: est etiam vera, seu veré cognoscibilis, licèt non sine ordine ad rem oppositam, quod pariter accidit relativis: & quàmvis ipsa nequeat producere speciem sui, poterit cognosci per speciem propriam à Deo infusam, quo modo res corporea per speciem propriam cognoscitur ab Angelo.

13 Denique carentia dividi poterit in tot genera & species, in quot ens reale dividitur. Nam alia est *per se*, idest, extra subjectum, alia est *in alio*, sive in subjecto; unde alia erit instar substantiæ, alia instar accidentis: cùmque carentiæ dicantur inter se differre pro varietate rerum, quas excludunt, facilè poterunt in decem prædicamenta distribui, & in unoquoque suos gradus habere metaphysicos. *Dices*, hæc omnia convenire carétijs impropriè, & abusivè. Rectè quidem, si carentiæ non habeant illud *esse* à se adstructum. Si tamen habeant, quid proprietatis hîc desideras? Nonnè carentia lucis propriè est opposita chimeræ, seu propriè non repugnans, nec in se involvens contradictionem? Non né verè est possibilis, cùm adest lux, verè que datur à parte rei, quando lux abest? Quid est propriè existere, nisi dari actualiter extra causas id, quod anteà erat in potentiâ, sive in statu possibilitatis? Certè carentia causas habet: nam calor causat privationem frigoris, & nova forma privationem veteris; & carentia lucis non minùs, quàm lux ipsa, supponit primam Causam, & decreto Dei libero indiget.

14 Nec juvat, quod aliqui dicunt, *esse* carentiæ ideò non esse positivum, quia in remotione consistit, nec habet alium conceptum, præter quàm removendi, nec potest expressè intelligi, nisi ut removens. Non, inquam, juvat: nam etiam esse judicij negativi cónsistit in remotione prædicati à subjecto, & esse nolitionis amandi in remotione amoris; nec potest expressè intelligi simplicitas, immortalitas, immaterialitas, immensitas, impeccabilitas, nisi ut removens: & tamen hi sunt conceptus entis positivi. Quòd carentia non alium conceptum habeat, nisi remotionis, falsum est ex n. 12.: habet enim alia prædicata veré affirmabilia. Si tantùm velis, ut omnia ejus prædicata identificentur cum remotione, nihil proficis: nam etiam omnia prædicata simplicitatis identificantur cum remotione partium; & sic de alijs exemplis modò propositis. Adde, quòd, qua viâ defenditur, carentias esse tantùm entia negativa, vel abusiva, tametsi verè dentur in rebus condistinctæ ab entibus oppositis; eâdem defendi poterit hoc ipsum de frigore, de nigredine, de dif-

sensu, de odio, de nolitione, de formâ cadaveris, & alijs, quorum munus est removere aliquid perfectius.

15 2.° quia ex hac sententiâ sequitur, dari actualiter ab æterno carentias infinitas, verè inter se distinctas, adeòque verè constituentes multitudinem, siquidem carentia Petri non est carentia Pauli, & sic de alijs. At in hoc infinito categorematico carentiarum militant eadem absurda, quæ in Physicâ expendimus contra infinitum in actu rerum creabilium. Imò infinitum carentiarum multò est absurdius; cùm sit inimpedibile à Deo. Poterit quidem Deus quamlibet carentiam in particulari tollere: at efficere non poterit, quin aliæ infinitæ maneant; quia nequit producere tot creaturas, quin infinitæ superfint producibiles, & improductæ. Unde nunquam poterit Deus exterminare, vel abigere penitùs infinitas hasce veluti muscas nigricantes: & velit nolit, intuebitur ab æterno actualiter dari extra se ipsum infinita objecta contingentia. Siquid simile accideret circa existentiam creaturarum, multum absdubiò derogaret independentiæ, dominio, & perfectioni Dei. Magis autem dedecere Deum videtur necessitas coexistendi carentijs, utpotè habentibus ignobilius esse; quemadmodùm absurdius esset, quòd teneretur Deus coexistere vermiculo, quàm quòd Angelo.

16 3.° quia sequitur etiam, quòd esse negativum carentiæ cujuslibet immensum erit; quia erit ubique, sive in omni loco, etiam imaginario: cùm enim verè sit à parte rei v. g. carentia Petri nondum producti, alicubi est; & nulla ratio est, quare sit potius hic, quàm ibi; cùm in omni loco verificetur. Petrum non esse. Volunt aliqui, ut cujusque rei tot sint carentiæ, quot loca, in quibus res esse posset, & non est. Sed hoc pleriq; Authoribus secundæ sententiæ meritò displicet: quia unius rei sicut unum est esse, ita & unum non esse, unum que formale contradictorium. Et alioqui simul tempore dari possent existentia, & carentia ejusdem rei, altera hic, altera ibi; posset que res coexistere suo contradictorio, imò & contradictorijs infinitis, cùm infinitæ sint partes spatij imaginarij, in quibus non est, & esse potest. *Dices*: quando res in uno loco existit, non datur in alio carentia rei, sed solius ubicationis. *Contrà*: saltem quando Petrus nusquàm est, ejus carentia cùm non sit nullibi, nec magis hic, quàm alibi, erit immensa. *Contrà* iterùm: quando Petrus est hic, non solùm datur hic ubicatio ejus, sed etiam entitas: ergo quando non est hic, non solùm hic dabitur carentia ubicationis, sed etiam entitatis: non enim minùs significatur Petri carentia per *non esse hic*, quàm ejus entitas per *esse hic*. Similiter impugnandi sunt, qui, ne carentias unius rei multiplicent, per solas unionum carentias constituunt privationes formæ, quæ simul dantur in pluribus subjectis ejusdem formæ receptivis.

17 4.° quia carentia necessaria, v. g. negatio chimæræ, vel negatio rationalitatis in equo, non haberet aliquod esse negativum, ab omni positivo distinctum: ergo idem censendum de carentiâ contingente, v. g. lucis. *Consequentia* videtur legitima: quia utrobique militat totum vel præcipuum advers æ partis argumentum, nempe quòd verè à parte rei non est lux, & secluso esse negativo, nequit assignari vestigativum hujus actûs, *lux non existit*: pariter enim rationalitas in equo deficit à parte rei, & æque non apparet vestigativum hujus actûs, *non datur in equo rationalitas*, saltem si non existat equus. *Antecedens* verò conceditur à multis Adversarijs: & contra plures alios *probatur* 1.° quia, si admitteretur illud esse, dabuntur actualiter extra Deum infinita objecta necessaria, indestructibilia, &

& independentia penitùs à libertate Dei, simulque immensa & æterna; videlicet carentiæ omnium chimærarum fine fine à nobis cogitabilium, & in unaquâque creaturâ negationes infinitorum entium, à quibus distinguatur. Sequelæ videtur planè absurda: si enim ea prædicata, quia solius Dei propria, repugnant positivis entibus creatis, quantò magis negativis aut abusivis, omnis perfectionis expertibus? Numquid poterunt entia illa evadere Deo similiora, quàm entia positiva? *Prob.* 2. 1. quia, si ponitur in equo distincta negatio rationalitatis, ponenda erit alia negatio hujus negationis, cùm ab eâ distinguatur equus nō minùs, quàm ab homine: cùmque distinguatur pariter à reflexâ illâ negatione, oportebit addere tertiam aliam, & sic in infinitum. 2. quia in negationibus ipsis, etiā contingentibus, dabuntur infinitæ negationes negationum prorsùs necessariæ: nam de negatione lucis verè negantur, & necessariò quidem, negationes omnes cæterorum entium; ut cùm dicitur, *Negatio lucis non est negatio lapidis*, & sic de alijs.

*Tertia sententia eligitur, & probatur.*

18 Dicendum ergo est, carentias à parte rei non esse, non cōsistere, nullum habere conceptum objectivum sibi proprium, nullamque positivam aut negativam quidditatem verè distinctam à rebus negatis, de qua posset prædicatum ullum affirmari; & cùm dicimus dari carentiam lucis, locutionem esse de falso supposito, nisi omninò æquivaleat huic, *non datur lux*. Hæc sententia commendari solet pulchris Magni Augustini verbis lib. de *Vitâ beatâ* c. 3., ubi sic loquitur: *Nescio, quomodò dicamus, Habet egestatem; tale est enim, ac si locum aliquem, qui lumine careat, dicamus habere tenebras; quod nihil aliud est, quàm lumen non habere: non enim tenebræ quasi veniant, aut recedant; sed carere lumine, hoc ipsum est tenebrosum esse; ut carere oculis, hoc est esse nudum: non enim veste accedente, veluti aliqua res mollis, nuditas fugit. Quàmobrem, ut quod volo explicem, sicut possum, ita dicitur, Habet egestatem, quasi dicatur, Habet non habere.*

19 Quibus verbis Doctorum Aquila planè denegat tenebris & alijs carentijs esse quodcunque, etiam negativum: nām hoc esse, juxta suos Authores, utique *venit*, & *recedit*, sicut esse lucis, saltem cum addito *quasi*, verèque *habetur* ab aëre non habente lucem. Docet etiam, hanc locutionem, *Habet tenebras*, non aliter esse veram, nisi quatenùs idem significat, ac, *Non habet lumen*. Denique planè indicat, ex communi usu non posse nos loqui de egestate, nisi tamquàm de objecto verè habito, vel dato in rebus; locutione tamen non minùs impropriā philosophicè, quàm si dicamus, *Habetur non habere*, vel, *Datur non dari*. Idem sentire videntur plerique Authores pro secundâ sententiâ citari soliti, præsertim antiquiores, qui de re istâ non ex professo disputarunt; communiter enim admonent, de carentijs nihil propriè dici affirmando, sed solùm negando; & si aliquid de illis affirmetur, jam eo ipso fingi ens rationis. Vide nominatim P. Suar. disp. 54. Met. s. 3. n. 4. & s. 5. n. 6.. Si autem carentiæ haberent aliquod esse, saltem negativum, multa de ipsis affirmari possent citrà fictionem; ut constat ex dictis.

20 Præterea *probatur* hæc sententia 1. impugnatione cæterarum. 2. quia non debet tribui carentijs illud esse, quod non est necessarium ad verificandum, rem deficere, seu vere & realiter non existere: sed ad hoc non est necessarium ullum esse carentiæ à re negata constitutum, etiam negativum: ergo &c.. *Major* est certa. *Prob. Min.* quia idem sonat, *lux non existit* rea-

*realiter*, ac, *nihil lucis existit realiter*: ut autem hoc posterius verificetur, non opus est per tò *nihil lucis* significari quoddam nihilum, habens ex parte objecti esse negativum à luce condistinctum; foret enim absdubiò propositio illa penitùs falsa, si de nihilo isto loqueretur, sicut & hæc, *nihil lucet*, vel, *nihil cantat*, & similes aliæ.

21 Portò carentia est purum nihil, ut concedunt Authores secundæ sententiæ: quare non aliud significari debet voce, *carentia*, quàm voce, *nihil*. At per vocem *nihil* communi usu loquèdi non significatur istud esse abusivum; ut patet in his locutionibus, *Nihil est Deo melius*, aut *melius*, *Nihil resistit voluntati Dei efficaci*, *Nihil nos cogit ad peccandum*, *Nihil est Sole clarius*, & innumeris alijs hujusce modi, sine dubio verissimis: quę omnes forent sine dubio falsissimę, si vox *nihil* haberet significatum à Contrarijs intentum: redderent quippe sensum affirmativum omninò falsum, hunc scilicet, *Objectum habens esse abusivum, ab omni positivo distinctum, est Deo melius*, &c.. Hę igitur omnes sunt propositiones negativæ; & in ipsis tò *nihil* idem valet, ac *non aliquid*, *non ulla res*, *nullum* vel *non ullum ens*; ita ut negatio officiat copulam, & prædicatum removeat ab omni re positivà, quæ sola ex parte subjecti significatur. Idem ergo censendum de vocibus, *carentia*, *privatio*, *tenebræ*, *cæcitas*, &c., quòd scilicèt (nisi denotent entia rationis) non significant ullum esse abusivum ex parte objecti datum, sed solùm rem positivam, à qua per negationem imbibitam removetur existentia reallis. Unde locutio hæc, *Datur carentia lucis*, vel hæc, *Homo est cæcus*, sensu est negativa, idemque valet, ac, *Non datur lux*, vel, *Homo non habet visum*: & è contrario, *Non datur carentia lucis*, affirmativa est; & sic de alijs.

22 Explicatur hoc amplius. Idem planè significant hæ duæ propositiones, *Angelus ab æterno est nihil*, *Ab æterno datur carentia Angeli*: sed prior non est affirmativa, nec significat nihilum ex parte objecti se tenens, & contradictoriè oppositum existentiæ Angeli: ergo nec posterior. *Prob. Min.*: quia foret alioquì propositio illa penitùs falsa, & implicatoria, utpotè asserens identitatem Angeli cum tali nihilo, arqueadeò unius contradictorij cum altero. Numquid Angelus poterit esse indifferens, ut identificetur divisivè cum duobus contradictorijs? *Dices*: ea propositio reddit sensum denominativum, significatque nihilum instar formæ denominantis Angelum. *Contrà*: nequit tale nihilum comparari ad Angelum ut forma, nisi quatenùs illum denominat *exclusum*: at, quòd ita denominet, non sufficit ut verè dicatur, *Angelus est nihil*; nisi velis, ut eodem titulo possit verè dici, *Calor est frigus*, *Albedo est nigredo*, *Amor est odium*. Adde, quòd etiam in sensu isto, qua veritate dicitur, *Angelus ab æterno verè est nihil*, eâdem pariter per conversion em diceretur, *Aliquod nihilum ab æterno verè est Angelus*.

23 *Probatur*: si carentia lucis habet aliquod esse à luce distinctum, illud erit objectum verificativum hujus actûs, *lux non existit*: sed hoc est falsum: ergo. *Major* est Contrariorum, qui non aliud pro tali actu verificativum agnoscunt. *Prob. Minæ* propositiones contradictoriæ omninò conveniunt in objecto; sunt enim affirmatio & negatio ejusdem de eodem & secundùm idem, ut notum est Dialecticis: sed affirmatio, *lux existit*, non habet pro objecto illud esse carentię: ergo &c.. *Urgetur*: cognitio, *lux non est*, vel attingit carentiam illam purè apprehensivè, vel judicativè. Si priore modo, non poterit per eam carentiam verificari, cùm nulla cognitio verificetur per objectum, quod nec affirmat, nec

nec negat, saltem implicitè. Si posteriores interrogo, num talem carentiam attingat affirmando? an potiùs negando? Si hoc secundum eligas; falsa erit illa cognitio, deficiente luce. Si primum; non erit judicium purè negativum, sed partim negativum lucis, partim affirmativum carentiæ, nimirùm æquivalens huic judicio complexo, *lux non est, & carentia lucis est.* At hoc abhorret penitùs à communi sensu; probatque, pariter complexum esse judicium oppositum, *lux est*; vel certè nullum esse judicium negativum purè simplex, aut categoricum: probat etiam contrà Adversarios, verificativum illius actûs non esse carentiam solam, sed simul cum luce, cùm hæc sit pars objecti judicati.

24 Ex dictis inferes, non esse quærendum cõstitutivum carentiæ, cùm nullum sit. Unde quæstiones istæ, quid sit carentia? in quo consistat? per quid constituatur? propriè loquendo ineptæ sunt, vel implicantes, aut falsi suppositi: non secùs ac si quæratur, quid sit nihil? quodnam ens sit nullum ens? in quo consistat non consistere? per quid constituatur non constitui? Fateor, ob penuriam vocum, & consuetudinem, vix aut ne vix quidem posse nos loqui de nihilo, nisi tanquam de aliquo, nec sermonem instituere de carentiâ, nisi tanquam de objecto quodam negativo, seu remotivo existentiæ rei, cui objecto per affirmationem tribuantur munera quædam. Unde provenit, quòd extra præsentem controversiam passim loquantur omnes, immò & apprehendant, aut cogitent, juxta secundam sententiam n. 9. relatam: quem morem nos etiam in decursu totius Operis imitati sumus. Sed in præsenti, cùm res ad rigorem metaphysicum exigitur, obluctandum difficultati verborum, ut veritas, quoad fieri possit, elucescat. Hîc, si usquam aliàs, oportet sentire cum paucis, licèt opus sit loqui cum multis.

25 Doctrina tradita comprehendit pariter carentias necessarias, v. g. carentiam hircocervi, vel negationem identitatis hominis cum equo. Hæ quippe nec sunt entia negativa, nisi velis, ut entia illa sint æterna, immensa, & indefectibilia: nec consistunt formaliter in entibus positivis, (saltem si objecta chimærica distinguuntur ab omni possibili); quamvis enim homo per se ipsum excludat identitatem sui cum equo, ideòque dici possit virtualis carentia hujus identitatis; tamen independenter ab existentiâ hominis verificatur hæc propositio, *Non datur identitas hominis cum equo*, cui sensu æquivalet hæc, *Datur carentia identitatis &c.* Similiter, quamvis Omnipotentia Dei per se excludat existentiam omnium chimærarum; hæc tamen propositio, *Non existit chimæra*, non verificatur immediatè & formaliter per Deum: &, si per impossibile deficeret Deus, non ideò per locum intrinsecum sequeretur, hircocervum existere.

## CAP. III.

*Nonnullæ difficultates enodantur.*

26 PRæcipua in præsenti difficultas est in explicando, quodnam sit objectum verificativum actûs negantis existentiâ rei. Nam objectum verificâs actum hunc v. g., *lux non existit*, non est lux; alioquin, posità luce, verus esset actus, siquidem poneretur verificativum ejus: deinde non est aliud objectum positivum, nisi ad primam sententiam n. 9. recurratur: superest ergo, ut sit objectum negativum, in quo consistat carentia lucis. *Resp.* Actus negativus, ut verificetur, non postulat verificativum, quod sit, sed potiùs quod non sit: non enim exuntiat, suum objectum esse, sed potiùs non esse. Hinc actus ille verificatur per lucem, non quando lux ponitur in rebus,

bus, sed quando non ponitur: falsum que est, quòd, posità luce, ponatur verificativum talis actûs; quia lux, eo ipso quòd pòsita sit, desinat esse verificativum, & sit falsificativum actûs negantis lucem esse positam. Certè negari nequit, lucem esse objectum, saltem partiale, judicativè cognitum per illum actum; alioquin actus contradictorij non essent judicia opposita ejusdem de eodem: sed quidquid judicativè noscitur, pertinet ad verificativum actûs: ergo lux est illius actûs verificativum, saltem partiale, utique dum in re non est, nam, dum est, actum illum falsificat, ut est evidens. Qua ergo ratione tribueris luci munus verificativi partialis, tribuam ego munus verificativi totalis.

27 Claritatis gratiâ non ineptè distinguam aliquî duplex genus verificativi, alterum *in sensu positivo*, alterum *in sensu negativo*. Verificativum in sensu positivo est objectum, quo dato actus est verus, quo non dato est falsus: & hujus tantùm verificativi est capax actus affirmans. Verificativum in sensu negativo est, quo dato actus est falsus, quo non dato est verus: & hujus tantummodò capax est actus negâs; ideòque, dum quæritur verificativum actûs in re datum, negandum est suppositum; quia talis actus inverificabilis est per objectum, quod in re datur. Lux igitur sola verificat hunc actum, *hanc non est*; sed verificat juxta indolem ejus, adeóque non nisi in sensu negativo. Quare, si *objicias*: veritas actûs constituitur per actum & objectum: ergo existente actu negante, simulque luce, existunt omnia constitutiva veritatis actûs negantis, qui proinde verus evadet. *Dist. Anteced.*: veritas actûs affirmantis, *conc.*; actûs negantis, *subdist.* constituitur per objectum in sensu negativo, *transeat*; in sensu positivo, *neg. antec.*; & suppositum. *Consequentia*, quòd scilicet veritas actûs negantis habere possit omnia constitutiva existentia; hoc enim esset constitui per omnia in sensu positivo. Si hoc modo constitueretur ea veritas, nunquam posset plenè constitui, etiam in sententiâ contrariâ: constituitur enim per lucem, cùm hæc sit partiale saltem verificativum actûs negantis, ut nuper ajebam: nunquam autem constitui potest per lucem existentem.

28 Sed *replicas*: veritatem constitui per lucem in sensu negativo, revera est non constitui per lucem. *Dist.*: non constitui per lucem, quæ sit, *conc.*; per lucem, quæ non sit, *neg.* Si inferas: ergo veritas illa constituitur per lucem, quæ non est lux. Iterùm *dist.*: quæ non est lux exercitè, *conc.*; quæ non est lux signatè, *neg.*; nam juxta omnes, quidquid sit de carentiâ, per actum negativum significatur vera lux, tametsi exercitè nihil sit; de verâ quippe luce dicitur non existere, vel esse nihil. Est quidem valde impropria constitutio ista negativa: sed non possumus aliter explicare conceptum veritatis in actu negante. Hinc habes, quo sensu idem sit verificativum istorum actuum, *lux existit*, *lux non existit*. Est etenim idem signatè; quia eamdem lucem, & existentiam eamdem judicativè significat uterque actus; aliter non sibi contradicerent: sed non est idem exercitè, nisi negativè, quatenùs non est exercitè distinctum: lux enim, quando non existit, nihil est, nihilque habet exercitè, atqueadeò nec distinctionem, nec identitatem habet exercitè secum ipsâ; proinde dici potest negativè distincta, quatenùs non est eadem; & negativè eadem, quatenùs non est distincta. Hinc etiam colliges, quòd verificativum & falsificativum actûs negantis, est idem signatè, sed non exercitè; quia lux non existens, quæ verificat actum, non est eadem exercitè cum luce existente, quæ actum falsificat, sed est negativè distincta.

29 *Replic. 1.*: hic actus, *lux non est*, repræsentat lucem non esse: hoc ergo *non esse lucem*, est objectum repræsentabile, seu conceptibile: cùmque non sit lux, nec ens positivum, erit ens negativum contradictorium luci. *Dist. Antec.*: repræsentat lucem non esse, ita ut tò *non* ex parte objecti se teneat, quasi actus ille pro objecto respiciat negationem aliquam, *neg.*; ita ut se teneat ex parte modi repræsentandi, *cõc. Antec.*, & *neg. Consequ.*. Sicut in actibus conditionatis, copulativis, & disjunctivis, aut vagis, particulæ *si*, *&*, *vel*, non repræsentant ex parte objecti conditionalitatem, copulationem, disjunctionem, aut vagitatem aliquam, sed indicant solùm peculiarem repræsentandi modum; ita sentiendum de particulâ *non* in negativis. Quare actus ille solùm repræsentat pro objecto lucem, sed habet modum tendendi remotivum seu dissensivum existenti ejus. *Instabis*: repræsentatio variatur per tò *non*: ergo & objectum variari debet. *Neg. Consequ.*: quia, sicut in his actibus, *si Sol lucet, dies est*, *Sol lucet & dies est*, variatur repræsentatio sine variatione objecti: & sicut per hoc judicium, *homo est animal*, non aliud objectum repræsentatur, quàm per hanc apprehensionem, *identitas hominis cum animali*; & tamen repræsentatur longè aliter, nimirum jam modo judicativo, jam modo apprehensivo: ita &c.. Quemadmodum igitur discrimen judicij ab apprehensione non debet ex objecto desumi; sic nec discrimen judicij negativi ab affirmativo.

30 Sed adhuc *instabis*: actus ille, *lux non est*, existente luce, est falsus, adeoque dissormis objecto repræsentativè: nequit autem esse objecto dissormis repræsentativè, sive in repræsentando, nisi repræsentet aliquid præter lucem, sive à luce alienum: nam alioqui tunc potiùs erit conformis objecto, si quidem repræsentat præcisè id ipsum, quod tunc est in re. *Resp.*. Ut repræsentatio judicativa sit luci dissormis, non debet repræsentare aliquid à luce distinctum: sat est, quòd lucem repræsentet modo indebito, qui non correspondeat merito seu statui lucis, modo scilicet assensivo, quando lux non existit; & modo dissensivo, quando existit lux. Hic modus (qui non melius explicari potest, quàm per formalem effectum *assentientis*, aut *dissentientis*, quem præstat intellectus) pertinet formaliter ad conformitatem ac dissormitatem repræsentativam, sive in repræsentando; quia est impræsentabilis à repræsentatione propriâ judicij: unde non est comparandus cum vitalitate, spiritualitate, & alijs prædicatis, quibus gaudet judicium in esse entis. Luce igitur existente, cognitio illa, *lux non est*, redditur objecto dissormis: quia, licet repræsentet præcisè id ipsum, quod in re est, repræsentat modo tunc indebito, nempe dissensivo; quando enim objectum est in statu existentiæ, modus ipsi assensivus correspondet. Sanè lux est objectum, saltem partiale, cognitionis illius, ex n. 26. nec tamen, quando existit lux, cum eâ conformatur talis cognitio; alioqui vera erit, qua parte lucem judicativè attingit.

31 Altera difficultas est, quòd, luce deficiente, verè à parte rei & independenter ab intellectu non est lux: ergo verè à parte rei datur non esse lucis, defectus lucis, nihil lucis. Sed autem datur, necesse est habeat aliquod esse, saltem negativum, aut abusivum, luci oppositum. Concesso. *Antec.*, *neg. Consequ.*, si locutio illa reddat sensum affirmativum, quasi *non esse*, *defectus*, aut *nihil*, sit subjectum, de quo affirmativè prædicetur verbum *datur*: ut enim verè à parte rei non sit lux, sat est quòd lux amittat suum esse reale; nec debet in ejus locum substitui aliud objectum, quod appelletur *nihil*, *defectus*, aut *non esse lucis*: alioqui cum tali nihilo identificaretur lux, quandoquidem verè

tunc dicimus, *lux est nihil*; ipsum quòque nihilum vere esset splendidum, quia tunc diceretur verissimè, *nihil lucis splendet*. Locutiones ergo istæ, ut verè sint, & absentè rationis immunes, debent accipi sensu negativo, ita ut idem valeat, *nihil lucis datur*, ac, *non datur aliquid lucis*, & sic de alijs. Idem puta de nonnullis sacræ Paginæ locutionibus, ut, *Tenebræ erant super faciem abyssi*, *Erat cæcus à nativitate*, &c.: sunt enim exponendæ sic, *Lux non erat super faciem abyssi*, *Erat homo, qui à nativitate non videbat*, vel, *qui erat positivè impeditus ad videndum*.

32 *Replic.* 1.: intellectus non facit, sed invenit, & cognoscit defectum lucis. *Resp.*: si defectus concipiatur ut objectum à luce distinctum, ab intellectu fit, quia est ens rationis: si verò invenire, & cognoscere lucis defectum, idem sonet, ac non invenire lucem à parte rei, & lucem cognoscere remotivè, vera est illa forma loquendi. Hinc propositio ista, *verè contingit à parte rei lucem deficere*, solùm est vera hoc sensu, *non verè contingit à parte rei lucem existere*, seu *permanere*. Si enim significet, contingere à parte rei objectum, quod in se sit *lucem deficere*, falsa omninò erit: quia tenebræ non sunt objectum veniens, aut recedens, ut suprà nos docuit Augustinus n. 18.. *Replic.* 2.: cùm lux sit indifferens, ut existat, vel non existat à parte rei, aliquid assignandum est, quo lux determinetur formaliter, ut non existat potiùs, quàm existat. *Nego* assertum: quia, ut lux non existat, sufficit non dari aliquid eam formaliter determinans ad existendum, seu non dari existentiam ejus.

33 *Replic.* 3.: hic terminus, *lux non existens*, non significat lucem tantùm; alioqui verificaretur de luce existente, non minùs, quàm terminus, *lux existens*. Hoc facilè solvitur ex dictis n. 29. & sequ.. Uterque terminus significat lucem tantùm, sed alter affirmativè, alter removè, cùm idem valeat, ac, *lux quæ non existit*: & idcircò potest alter sine altero verificari de luce existente. Sic hi termini, *Petrus & Paulus*, *Petrus vel Paulus*, idem habent objectum: & tamen verè dicitur de hoc homine, *est Petrus vel Paulus*, falsò autem, *est Petrus & Paulus*. *Replic.* 4.: non est idem à parte rei lucem existere, ac non existere: sunt ergo duo objecta distincta. Concesso *Antec.*, *neg. Consequ.*: quia lucem non existere, non est objectum ullum à parte rei, adeòque nec est idem cum objecto aliquo, nec ab eo distinctum. Unde rejicienda est quorumdam opinio dicentium, carentiam identificari cum re, cujus existentia removetur, v. g. carentiam lucis cum luce non existente. Falsò quippe supponit opinio illa, carentiam, vel rem non existentem, esse objectum habens identitatem aliquam; cùm potiùs nihil sit, ideòque nullum objectum à parte rei, adeòque nec identitatis, nec distinctionis particeps, quia nullius objecti propriè loquendo nulla est identitas, nulla distinctio. Ut summùm admitti potest hujusmodi locutio in sensu negativo valde improprio; ita ut carentia lucis dicatur identificari negativè cum luce, ideòque non distinguit & similiter distingui negativè, ideòque non identificari.

34 Ut alia præcaveas, *observa* 1., non dari contradictoria objectiva, hoc est, objecta duo, quorum alterum sit *esse rei*, alterum *non esse*, quàmvis de his passim, quasi ex parte objecti divisivè datis, loquantur Authores claritatis gratiâ, vel ut morem gerant apprehensioni vulgari. Solùm ergo datur contradictio intentionalis, nimirùm inter duos actus intellectûs, quorum alter affirmet, alter neget idem de eodem. Verum est tamen, quòd nulla res potest simul esse & non esse; non quòd hæc sint duo extrema; sed quia ne-

nequit eadem existentia simul dari & non dari. Si *quæras*, per quid excludatur lux à parte rei, cum deficit? *Resp.*: excluditur illativè per Divinam nolitionem existentiæ lucis: formaliter verò non excluditur in sensu positivo, quasi ponatur aliquid à parte rei, per quod lux excludatur: solùm excluditur in sensu negativo, quatenùs non ponitur, vel non conservatur existentia lucis. *Observa* 2., cùm dicitur, à parte rei discrimen esse inter tenebras, & silentium (idem puta de alijs carentijs, aut privationibus), supponi falsum, nisi ita summodò significetur, quòd lux & vox inter se differunt, potest que altera deficere sine alterâ.

35 *Observa* 3., quo sensu intelligendæ sint locutiones variæ in Scholâ tritissimę, cùm de carentijs incidit sermo. Revocandæ nimirùm omnes ad sensum negativum, ut verè sint, & à fictione liberæ. V. g., cùm dicimus, Deum velle carentiam peccati, aut odio habere omissionem actûs præcepti, aut hominem à Deo diligi, quia non peccat: sensus est, quòd Deus nolitionem habet existentię peccati, quòd amet existentiam actûs præcepti, quòd cognitio negans, hominem peccare, Deum movet, ut hominem diligat. Ne putes, in Deo esse amorem, aut odium, directè terminatum ad carentias: hæ quippe, cùm nihil sint, non sunt amabiles, nec odibiles; immò nec in se cognoscibiles, quasi à rebus distinctæ: non enim aliud est cognosci carentiam, quàm cognosci rem per actum dissentientem existentię ipsius. Poteris quidem apprehendere carentias, ut entia negativa quodammodò existentia: sed tunc non concipies carentias verè tales, sed mera entia rationis.

36 Similiter, dum carentia creaturæ dicitur esse contingens, aut pura omissio libera esse possibilis: sensus est, quòd existentia creaturæ non est necessaria, sed defectibilis, & quòd libertas ad quodam potest dare, quamvis non eliciat amorem, nec aliam actum incompossibilem. Item, cùm audis, hoc aut illud totum constitui per carentiam aliquam, v. g. corpus in fieri per privationem formæ, aut libertatem per carentiam impedimenti inauferibilis: constitutionem istam accipe in sensu negativo (sicut de veritate actûs negatis dictum est n. 27.; ita scilicet, ut conceptus corporis in fieri significet formam in materiâ, tum assensivè pro instanti generationis, tum dissensivè pro instanti antecedenti; & conceptus libertatis non solùm denotet assensivè principia positiva, sed etiam dissensivè impedimenta inauferibilia. Præterea, dum carentiæ dicuntur cognosci per species entium: sensus est, quòd per species entium realium elicimus cognitiones negantes existentiam ipsorum. Denique, dum privationem à purâ negatione distinguimus; hoc tantùm volumus, ut per negationis conceptum purè negetur forma, sed per conceptum privationis simul asseratur subjecti capacitas.

37 Tandem *observa*, non esse admittendam, quod aliqui volunt, carentiam distingui ab existentiâ rei, non entitativè, sed prædicativè; quasi possit altera sine alterâ verè prædicari, vel nonnullis subjici prædicatis. Doctrina ista supponit, inter extrema entitativè identificata dari posse distinctionem virtualem intrinsecam, vel formalem ex natura rei; quod, saltem pro rebus creatis, alibi rejecimus. Supponit etiam, carentiam esse à parte rei objectum aliquod prædicabile, ac subjicibile; cùm tamen, ut hactenùs ostendimus, nihil omninò sit, ideòque non ullum sit objectum in re datum. Solùm ergo admitti potest inter carentiam & existentiam distinctio negativa, ex n. 28. & 33. Repræsentatur quidem ens reale per hunc terminum, *carentia entis*; sed repræsentatur quatenùs non est

actu, ac proinde quatenus non est in re objectum ullum.

## CAP. IV.

*De Ente rationis. Ubi, an distinguatur ab omni possibili?*

38 NON hîc agitur de ente rationis *subjectivo*, seu *effectivo*, ac *denominativo* (de quibus in Logic. *tract.* 1. d. 2. c. 4.), sed solùm de *puro objectivo*. Hoc definitur communiter, *Quod habet esse objectivè tantùm in intellectu*: id est, objectum ab intellectu cognitum, quod nec realiter existit, nec potest existere aut produci realiter. Omne ens, dum cognoscitur, habet esse objective in intellectu; nam cognitio, seu verbum mentis, vocatur *intentionalis existentia objecti*, vel *esse objectivum sui termini*: sed ens rationis in eo differt ab ente reali, quòd habeat hanc existentiam intentionalem *tantùm*; nullam verò intrinsecam & realem habeat, nec habere possit.

39 Dividitur ens rationis in *chimæricum*, & *non chimæricum*; vel aliis terminis idem significantibus, in *fundatum*, & *non fundatum*; aut *prohibitum*, & *non prohibitum*; aut *rationis ratiocinatæ*, & *rationis ratiocinatæ*. Si *chimæra* idem sonet, ac *impossibile*, ut frequenter affolet; omne ens rationis est chimæricum; quia nullum est aptum existere realiter, adeoque nullum est possibile. Sed nunc peculiariter appellatur chimæricum, quod sine fundamento fingitur ab intellectu, v. g. hircocervus, aut lapis talis: appellatur verò non chimæricum, quodcumque alio fundamento, motivo, vel occasione fingitur, v. g. universale à parte rei, vel esse negativum carentiæ. Non tamen quodlibet fundamentum sufficit ad ens rationis fundatum, seu non chimæricum: sed requiritur aliqua ratio saltem apparenter suadens, illud in re dari, adeoque intellectum afficiens, ut illud judicet existens, aut possibile. Undè patent idem ens rationis esse fundatum respectu unius intellectûs, & non respectu alterius, v. g. identitas lucis cum substantiâ.

40 Dividitur insuper ens rationis in *negationem*, *privationem*, & *relationem*. Tunc negatio, aut privatio (sumpta pro mero nihilo, seu non esse rei) evadit ens rationis, quando concipitur ut in se habens entitatem aliquâ positivam (vel etiam, in nostris principijs, negativam, aut abusivam), pro ente contradictorio subrogatam; ut, si concipiatur nuditas tamquam positiva corporis affectio, vel obscuritas tamquàm atra quædam aeris tinctura luci succedens. Relatio verò tunc fit ens rationis, quando fingitur relatio realis ubi dari non potest, ut inter extrema realiter identificata. Nonnulli putant, hanc divisionem esse adæquatam enti rationis ut sic: alij, non nisi enti rationis fundato: alij, soli enti rationis logicali, sive in materiâ Logicæ confecto; quia censent, præter negationes & privationes, esse fictitio prædicata, fingi posse cum fundamento, non solùm relationem rationis, sed etiam substantiam rationis, quantitatem rationis, &c. Vid. P. Peynado tr. 4. Logic. d. 1. s. 2.

41 Super ente rationis disceptari solent quæstiones variæ. Sed priusquàm ad alias procedamus, discutienda est omnium potissima, qua inquiritur, Utrùm ens rationis sit objectum distinctum ab omni ente possibili? Affirmat *prima sententia*, in omni Schola communis, cujus Authores dabit P. Peynado cit. tract. 4. d. 3. s. 1. Negat verò *sententia altera*, satis probabilis, quam tenent PP. Henric, Anton. Perez, Lyncæ, Jo. Bapt. de Benedictis, Casp. de Ribadeneyra, & alij, quos citat & sequitur P. Jo. Ulloa in Prælegom. Schol. disp. 6. cap. 3. Horum Authorum mens est, nullum ob-

objectum cognosci posse ab intellectu, quod non sit ens reale, seu possibile; reale tamen ens, vel aggregatum entium, cognosci posse cognitione dissonâ, inordinatâ, & essentialiter falsâ; & prout ita cognitum, vocari ens rationis, & impossibile, non impossibilitate entitatis, sed veritatis, aut verificationis; quatenùs ex tali objecto, talique actu nulla potest constitui veritas formalis. Unde hircocervus v. g., quatenùs chimæra est, in hac sententiâ constituitur ex hirco & cervo realibus, & insuper ex cognitione inverificabili, qua ipsis affingitur identitas realis: proindè *ens rationis*, *impossibile*, *chimæra*, & hujusmodi nomina, sunt termini secundæ intentionis, sicut *universale*, *genus*, *individuum vagum*, &c.; significant enim ens reale ut inverificabiliter cognitum. Utraque sententia multis armatur argumentis; ex quibus præcipua tantùm, & urgentiora proponam.

*Argumenta sententiæ affirmantis.*

42 *Arguitur* 1. ex definitione entis rationis cõmuniter admissâ. Ens rationis est, *quod habet esse objectivè tantùm in intellectu*: ergo distinguitur ab omni ente, quod, præter esse cognitum, habet aut habere potest aliud esse, realem nimirùm existentiam. Sed omne possibile habet aut habere potest existentiam realem, cùm idem sonet *possibile*, ac *potens existere realiter*: ergo ens rationis distinguitur ab omni possibili. Quare sententia opposita non videtur differre ab opinione Mirandulani, Vallesij, & aliorum, quos citat & sequitur Caramuel in Metalog. lib. 2. princip. 3., rotundè negantium entia rationis: complexum enim, sive aggregatum ex objecto reali & cognitione inverificabili, reipsâ est reale ens omni ex parte, cùm nihil includat non aptum realiter existere.

43 *Arg.* 2. Hæc propositio, *Aliter Deus est impossibilis*, de aliquo subjecto verè affirmat impossibilitatem: sed nequit illam verè affirmare de ullo ente possibili: ergo respicit pro subjecto aliquid ab omni possibili distinctum. Si dicas, eam propositionem æquivalere hanc, *Cognitio negans*, *Deum esse unicum*, *nequit esse vera*. Hoc inprimis est contra communem apprehensionẽ. Ac deinde impugnatur: quia saltem veritas actûs negantis unicitatem Dei, distinguitur ab omni possibili; alioquin jam actus ille posset verus evadere: sed veritas ista potest cognosci, & à te cognoscitur, cùm dicis illum actum non posse verum esse, quod perinde sonat, ac ejus veritatẽ esse impossibilem: jam ergo aliquod objectum ab omni possibili distinctum potest cognosci; quo ruit tuæ sententiæ fundamentum.

44 *Confirm.*: cognitio objecti distincti ab omni possibili, vel distinguitur ab omni possibili, vel non. Si primum optes: ergo, cùm illa cognitio à te cognoscatur (siquidem negas eam esse possibilem), jam aliquid ab omni possibili distinctum cognosci potest. Si secundum: ergo talis cognitio identificatur cum cognitione possibili; nõ enim aliud apparet genus entis realis, quo cum identificetur: erit igitur illa cognitio verè possibilis, ut nunc intenditur. *Urgetur*: hoc judicium, *Objectum distinctum ab omni possibili non potest cognosci*, necessariò est falsum: ergo sententia oppositа falso nititur fundamento. *Prob. Antec.*: quia per tale judicium necessariò cognoscitur subjectũ ejus objectivum, sive sit re verâ distinctum ab omni possibili, sive indistinctum; nequit enim affirmari aut negari quidquam de subjecto prorsùs incognito: ergo tale judicium necessariò seipsum falsificat, siquidem de subjecto actualiter cognito negat posse cognosci.

45 *Arg.* 3. Hic actus, *Homo est equus*, vel, *Homo & equus identificantur*,

tur, affirmat, atque adeò cognoscit identitatem aliquam: sed non identitatem in se possibilem: ergo distinctam ab omni possibili. *Prob. Min.*: quia cognoscit & affirmat identitatem ut propriam hominis & equi inter se, non ut alienam, sive ut attinentem ad alia extrema, quorum nulla mentio est in tali actu: identitas autem propria hominis & equi non est in se possibilis. Nec licet recurrere ad identitatem ut sic. Tum quia ille actus eodem modo tendit, ac ille, *Homo est animal*, ubi determinatè cognoscitur identitas propria hominis & animalis. Tum quia saltem in eo actu datur aliqua expressio, qua significatur identitas ut conveniens & applicata his extremis: cognoscitur ergo convenientia, & applicatio identitatis ad talia extrema, quæ tamen non est possibilis. Si dicas, applicationem spectare ad modum tendendi, non ad objectum. Contrà est 1., quòd idem erit dicendum de quovis actu affirmativo, v. g. de hoc, *Deus est sanctus*, quo proinde non cognoscetur applicatio objectiva sanctitatis ad Deum. 2., quòd ille actus, *Homo est equus*, non repræsentabit objectum aliter ac est in se, nec erit falsus, siquidem nihil repræsentat, quod non sit in rebus, nihil scilicet distinctum ab homine, equo, & identitate alibi repertâ, quæ omnia in rebus utique sunt.

46 *Arg.* 4. Ex sententiâ negante varia sequuntur incommoda. Sequitur 1., rejiciendum esse communem conceptum entis chimærici, sive impossibilis, nempe, *Quod, si existeret, contradictionem implicaret*, vel, *si mul esset & non esset*. Tale quippe non est objectum nominis *chimæra*, si nihil est aliud, quàm ens reale ut cognitum actu inverificabili. Sequitur 2., nihil esse propriè impossibile, siquidem nihil mente concipitur, quod non possit existere realiter, atque adeò quod non sit vere & propriè possibile. Vel, si aliquod objectum est propriè impossibile, & aliunde nullum est objectum ab omni possibili distinctum, vere dicetur, *Aliquid indistinctum à possibili est propriè impossibile*. Sequitur 3., quòd, sicut *impossibile* significat cognitionem essentialiter falsam, vel objectum reale ut per illam cognitum; ita *possibile* significabit cognitionem essentialiter veram, vel objectum reale ut cognitum cognitione illâ: *possibile* igitur erit terminus secundæ intentionis, nec rebus conveniet in statu reali. Sequitur 4., quòd Deus non connectetur cum possibilibus. Falsum quippe erit, quòd, si Petrus fieret impossibilis, deficeret Deus: nam Petrum fieri impossibilem, nihil est aliud in sententiâ contrariâ, quàm Petrum cognosci cognitione inverificabili, hac v. g., *Petrus non est homo*: ex hoc autem certè non sequitur, Deum deficere.

*Argumenta sententiæ negantis.*

47 *Arguitur* 1. Ens rationis non distinguitur ab omni cognoscibili; alioquin non posset cognosci, nec habere esse objectivè in intellectu: sed omne cognoscibile est ens possibile, seu reale, cùm cognoscibilitas sit passio entis realis, utpotè recurrens cum veritate transcendentali: ergo ens rationis non distinguitur ab omni ente possibili. Communis responsio est, quòd ens rationis non habet cognoscibilitatem passivam & intrinsecam, quæ sola est transcendentalis veritas, & passio entis realis; habet tamen cognoscibilitatem extrinsecam, à qua redditur extrinsecè cognoscibile, & quæ nihil est aliud, quàm potentia intellectûs ut sibi objiciat ens rationis, vel possibilitas cognitionis ad ipsum terminatæ.

48 Sed impugnatur 1.: quia repugnat potentia cognoscendi objectum ex se incognoscibile, sicuti repugnat potentia videndi objectum ex se invisibile, aut potentia producendi effectum

tum ex se improducibilem. Sanè potentiæ cognoscitivæ respondere debet passiva capacitas in termino; alioqui poterit eâdem viâ defendi, quòd intellectus potentiam habet cognoscendi objectum distinctum ab omni possibili & impossibili. Adde, quòd intellectus, cognoscendo ens rationis, extraheretur à suâ ratione formali *sub qua*, cùm tendat sub ratione veri transcendentalis. 2.; quia ens rationis suscipit denominationem seu effectum formalem *cogniti*: ergo est subjectum capax hujus denominationis; nulla quippe forma tribuere potest effectum suum formalè subjecto incapaci. Vel ergo ista capacitas est intrinseca enti rationis; vel est ipsi extrinseca, consistensque in potentiâ intellectûs ad cognoscendum. Si primum dicas: ergo ens rationis intrinsecam habet cognoscibilitatem, quæ nihil aliud est, quàm intrinseca & passiva capacitas ut fit *cognitum*. Si secundum: ergo solus intellectus, non verò ens rationis, suscipiet denominationem *cogniti*; nam denominatio cadit supra capacitatem subjecti; & capacitas, quoad præsens attinet, non invenitur in ente rationis, sed in solo intellectu.

49 *Arg.* 2.. Hic actus, *homo identificatur cum equo*, non concipit ex parte objecti hominem, aut equum, distinctum à vero & reali. *Prob.*: eumdem concipit hominem, & equum, ac iste, *homo est equus*: sed iste concipit verum hominem, & verum equum; ergo. *Major* constat: quia per nullum actum magis expresse cõcipitur homo ut identificatus cum equo, quam per judicium affirmans, hominem esse equum. *Minor* etiam patet ex actu contradictorio, *homo non est equus*; qui actus de ijsdem loquitur subjecto & prædicato (aliter non contradiceret affirmanti); & sine dubio loquitur de homine & equo realibus. *Dices*: per eos actus concipiuntur quidem homo & equus verè tales, sed simul concipitur identitas utriusque non vera, & in hac pro formali consistit ens rationis. *Sed* in primis hoc videtur esse contra communem sensum Adversariorum, passim ajentium, per ejusmodi actus concipi hominem impossibilem, & chimæricum, adeòque distinctum à vero homine. Deinde, vel concipitur identitas vera & realis ex parte objecti, vel falsa & fictitia. Si vera: ergo nil concipitur non reale. Si falsa; ergo ille actus affirmativus reddit hunc sensum, *homo est equus identitate, non verâ, sed falsâ*; quo sensu verissimè dicetur, hominem esse equum; sicut verè dicitur, idolum esse Deum, significando identitatem falsam, vel Deitatem fictam.

50 *Respondebis*, identitatem esse in se falsam, sed significari ut veram & realem, ideò que falsò affirmari per illum actum. *Contrà*: si per nomen, *dies*, significaretur ex parte objecti nox, verè diceretur absente Sole, *dies est*: ergo, si per verbum, *est*, vel per nomen, *vera identitas*, ex parte objecti significatur identitas falsa (quę non minùs distat à verâ & reali, quam nox à die), verè dicetur, *homo est equus*, vel, *habet veram identitatem cum equo*. Quàmvis ergo identitas affirmetur ut vera nomine tenùs, affirmatio tamen non erit falsa, quia sensum reddet ironicum. Similiter impugnabere, si dicas, identitatem esse realem, sed ejus applicationem ad talia extrema fictam esse. Nam hoc dato, sensus illius actûs erit, hominem esse equum per identitatem realem falsò applicatam: quod utique verum erit, perinde ac hypocritam esse sanctum per falsam applicationem veræ sanctitatis. Idem, si dicas, actum illum ideò esse falsum, quia significat, fictam identitatem verè ac de facto dari. Nam per te verba ista, *identitas hominis cum equo verè ac de facto datur*, non habent pro objecto verum *dari*, sed falsum, & chimæricum: ergo reipsâ æquivalent huic, *identitas hominis cum equo falsè ac fictitiè datur*.

*Arg.*

51 *Arg.* 3.. Impossibilitas, seu repugnantia intrinseca hircocervi non distinguitur ab hirco & cervo realibus: ergo nec ab his distinguitur essentia hircocervi; quippe quæ debet esse sua ipsius impossibilitas, sicut essentia entis realis sua ipsius possibilitas est. *Prob. Antec.* quia repugnantia hircocervi consistit in repugnantia hirci ut sit cervus, sive in necessaria distinctione utriusque; hæc enim repugnantia vel distinctione præcisa, non est unde repugnet hircocervus, sed ejus impossibilitas in intellectu deficit per locum intrinsechi, quemadmodum in intellectu deficit formaliter impossibilitas animalis rationalis, eo ipso quod non concipiatur repugnantia animalis ut sit rationale, vel necessaria utriusque distinctio. Atqui repugnantia hirci ut sit cervus, vel distinctio necessaria utriusque, non distinguitur ab hirco & cervo realibus, cum hi per suas essentias se se invicem excludant, & necessario distinguantur: ergo &c.. Hinc tota impossibilitas hircocervi est realis incompossibilitas hirci cum cervo: & propositio illa, *hircocervus est impossibilis*, reddit hunc sensum, *necesse est hircum non esse cervum*, ubi nil concipitur non reale.

52 *Arg.* 4.. Hic objectivus conceptus, *Petrus coexistens suæ carentiæ*, est ens rationis, & expresse chimæricum, utpote conjungens expresse duo contradictoria. At, quòd non involvat aliquid ab omni possibili distinctum, *probatur* sic. Ideò involveret, quia, ut ponderat P. Peynado, involvit Petrum, non verum, sed à vero & reali distinctum; id enim involvit, quod in rebus esset, si talis coexistentia poneretur in rebus; quo in eventu daretur Petrus coexistens, adeòque potens coexistere suæ carentiæ, qui certè distinctus est à Petro vero & possibili. Sed falsum est, quòd ille conceptus non involvat Petrum verum & realem. *Prob.* hoc n.: quia conceptus ille involvit Petrum contradictoriè oppositum suæ carentiæ (aliter non involveret duo contradictoria, nec esset chimæricus), adeòque impotentem eidem carentiæ coexistere; talis ergo Petrus non est alius à vero & reali; nam, si foret alius, esset potens coexistere carentiæ suæ, ut ais, 2.: quia is conceptus continet objectum hujus affirmationis, *Petrus est coexistens suæ carentiæ*. Hæc autem pro objecto habet Petrum realem: tum quia hunc ipsum respicit contradictoria negatio, *Petrus non est coexistens, &c.*: tum quia, si affirmatio illa respicit Petrum in se chimæricum, vera erit; nam de tali Petro in cujus principijs verè dicitur simul esse & non esse, quod est coexistere suæ carentiæ; sicut verè dicitur de eodem, *Petrus est chimæra*.

53 *Arg.* 5.. Essentia cujuslibet chimæræ, ut passim dicitur, consistit in conjunctione contradictoriorum, sive in tali objecto, quod si poneretur in rebus, simul esset & non esset: & quia repugnat in rebus conjungi *esse* cum *non esse*, ideò repugnat essentia chimæræ. Sed tale objectum nihil includit præter *esse* & *non esse*, verè talia: ergo nihil includit ab omni possibili distinctum. *Prob. Min.*. Inprimis includit *esse* & *non esse*, verè talia. Tum quia solum *esse* verum, non autem falsum & umbratile, contradictoriè pugnat cum *non esse*: & essentia chimæræ debet includere contradictoria verè inter se pugnantia; nam alioqui non vere, sed falsè repugnaret ipsamet. Tum quia talia includit *esse* & *non esse*, qualia significat illud principium, *Impossibile est idem simul esse & non esse*: quod idem significat, ac illud, *Quodlibet est, vel non est*; ubi certè non est fermo, nisi de vero *esse*, veroque *non esse*. Deinde non includit objectum aliud ab his extremis: nam conjunctio vel simultas utriusque (de qua solâ dubitari posset) non distinguitur ab extremis ipsis; quia est id, cui repugnant extrema; & hæc non re-

pug-

pugnant nisi sibimet ipsis invicem. Vel, si distinguatur, debet esse simultas vera & realis; quia essentialis repugnantia chimæræ in eo stat, quòd vera & realis simultas convenire nequeat extremis contradictorijs. Adde, quòd, si ea simultas est tertium objectum ab extremis distinctum, & in se chimæricum, constituenda erit ex alijs contradictorijs, nimirùm ex alijs *esse* & *non esse*: de his autem eodem argumento probabitur, quòd nequeunt non esse verè talia.

## CAP. V. ET ULTIM.

### *Quid tandem sentiendum de ente rationis?*

54 SUper distinctione entis rationis ab omni possibili idem videtur ferendum esse judicium, ac super negativo esse carentiæ. Affirmativa sententia valde communis est, & usu receptissima, non solùm apud suos patronos, sed etiam apud omnes extra præsentem controversiam. Omnes enim (quod & nos fecimus) in alijs quæstionibus, ubi nihil interest quid reverâ sit ens rationis, juxta sententiam illam incunctanter loquuntur, quoties mentio incidit de ente ficto, & impossibili, seu chimærico: quia nimirùm ad ita loquendum invitat apprehensio, vel imaginatio, fundata in sonitu verborum, & in consuetudine distinguendi res fictas à veris, v. g. fictum aurum à solido, vel simulatam virtutem à genuinâ. Est item ea sententia intrinsecè probabilis, & authoritate prævalens, videturque de mente D. Thomæ varijs in locis. Nihilominùs sententia negans, dum res hæc ad rigorem expenditur Scholasticum, videtur à ratione probabilior: nec authoritate destituitur: nam præter Authores suprà relatos, eam tenuere Nominales, & fortassis etiam alij Veteres, qui quæstionem hanc non ex professo disputarunt. Imò satis apertè favet eidem S. Thomas 1. p. q. 25. ar. 5., dum ait: *id, quòd contradictionem implicat, verbum esse non potest, quia nullus intellectus potest illud concipere.* Favet etiam Scotus in 5. dist. 3. q. unic., ubi negat inveniri posse aliquod intelligibile, vel quolecumque ens, quod sit ex se formaliter impossibile.

55 Sed, ut hæc sententia probè intelligatur, & propugnetur, notanda sunt sequentia. 1. noa ex verborum sonitu pensandum est objectum intellectûs. Nam hæc verba, *Objectum distinctum ab omni possibili & impossibili*, vel, *distinctum ab omni cognoscibili tam intrinsecè, quàm extrinsecè*, licèt videantur significare objectum sic distinctum, reverâ non significant, ut fatentur omnes; nec intellectus potest illud concipere, aut de illo habere conceptum ultimatum; sed, ijs auditis, vel concipit verba tantùm, vel objectum reverâ indistinctum ab omni &c. Idem Adversarij dicunt de verbis hisce, *vera & realis identitas hominis cum equo*, vel, *homo verè & realiter ac sinè ullâ fictione identificatur cum equo*: fatentur enim, quòd, licèt verba sonent identitatem veram & realem, seu nullo modo fictam, nihilominùs intellectus, quantùmvis nitatur eam concipere, non concipit, sed sibi potiùs objicit identitatem chimæricam. Pariter ergo dici poterit, quòd, licèt verba sonare videantur aliquid in se distinctum ab omni possibili, re verâ nihil tale objicitur intellectui, nec potest objici.

56 2. communiter admonent Adversarij, quòd non omnis propositio necessariò falsa efficit ens rationis, nec objectum respicit ab omni possibili distinctum: nam propositio negativa, contradicens affirmativæ nihil fingenti, cùm ab eâ non differat in objecto, nihil concipit nisi reale, v. g. hæc, *Deus non existit*, vel hæc, *homo non est rationalis*. Hinc autem inter alia sequi-

tur, quòd, si propositiones de impossibili commodè reduci possunt ad sensum vere affirmantium, vel falsò negantium de objecto reali, non opus est assignare illis objectum à reali distinctum. Sic (ut plures ex Adversariis fatentur), quia hęc propositio, *datur tenebrę*, commodè redacitur ad hunc sensum, *non datur lux*, non debet objectum respicere distinctum à luce. At, quòd propositiones de impossibili, plerùmque saltem, ad eum sensum facilè reducantur, patet in his v. g., *repugnat hircocervus*, *alter Deus est impossibilis*, *mendacium Dei est possibile*: quæ commodè explicantur sic, *hircus necessariò distinguitur à cervo*, *necesse est Deum esse unicum*, *non est necesse Deum semper esse verácem*; quæ ultima, tametsi falsa, nihil attingit à reali distinctum, ut in ejus contradictoriâ cernitur.

57 3.: non est idem fingere, ac cognoscere objectum in se chimæricum. Nam quisquis falsò asserit, aut negat, dicitur fingere; & objectum, quod tunc enuntiat, dicitur fictum; nec tamen eo ipso est aliquid in se impossibile. Constat hoc, tum in propositione contingenter falsâ, *Petrus currit*, quę nihil attingit à possibili distinctum, ut ferè omnes docent: tum in contradicente affirmativæ necessariò veræ de objecto reali, v. g., *Deus non existit*, quę ex num. præced. nihil respicit nisi reale, cùm tamen sit fictio enormis.

58 4.: objectum reale, prout subsistans cognitioni essentialiter dissonę, seu necessariò falsæ, dici potest ab omni possibili distinctum cum addito *apparenter*: quia, prout ita cognitum, apparet reflexè inspicienti quasi habens prædicata pugnantia. V. g. objectum hujus actûs, *Deus non existit*, re ipsâ non est aliud à Deo vero: sed tamen reflectenti suprà hunc actum, quo decipitur, objectum ejus apparet quasi Deus non existens, atque adeò quasi Deus non Deus. Verùm hæc apparentia consistit in modo inordinato ac distorto cognitionis directę: & objectum hujus apprehensionis reflexæ, *Deus non existens*, re ipsâ idem est, ac istius, *Deus cui non falsè negatur existentia*. 5.: ad essentiam entis rationis pertinet cognitio necessariè falsa; quę proinde solùm facit ens rationis in genere causæ formalis: nec prima intentio formalis cognoscit, sed constituit entia rationis; sicut de Universalibus dictum est in Logicâ.

*Solvuntur argumenta primæ sententiæ.*

59 Jam ad argumenta, quæ à n. 42. adduximus, non difficilè poterit responderi. *Ad 1.*: vulgata illa definitio debet intelligi cum addito *apparenter*: ut scilicet ens rationis, sicut est objectum apparenter distinctum ab omni possibili (sensu nuper exposito), ita sit apparenter incapax aliter esse, quàm objectivè in intellectu. Potest etiam sic intelligi, ut ens rationis, quatenùs tale, non possit existere per esse reale & intrinsecum, sed tantùm per extrinsecum & intentionale, consistens in conceptu essentialiter errante; quod esse, licèt reale sit in se, vel sibi, tamen respectu objecti dicitur *esse pure objectivum*. Sic dicimus, repugnare Universale à parte rei, vel, quod idem sonat, Universale habens in ratione talis existentiam realem, sive aliud esse, quàm intentionale, quod est esse objectivum: nec ideò Universale constituimus per aliquid ab omni reali distinctum, sed per objectum physicum, & cognitionem præcisivam. Non tamen Universale dicitur apud nos ens rationis fictum; quia cognitio præcisiva non est fictio, sed sola cognitio errans. Hinc patet, non negari à nobis entia rationis; sicut non negantur Universalia ab ijs, qui non illa constituunt per aliam formam, quàm per cognitionem in se realem.

60 *Ad 2.*: illa propositio: *Al-*

*ter*

*ter Deus est impossibilis*, ut aliquid significet, & vera sit, debet exponi hoc sensu, *Deus necessariò est unicus*: sicut hæc, *tenebræ recedunt*, ut aliquid significet, exponenda est sic, *Lux adest*; alioquin nihil significabit. Illa igitur propositio de nullo subjecto affirmat impossibilitatem, sed de aliquo necessitatem, nempe de Deo unico. Cùm autem dicimus, quòd actus negans unicitatem Dei, vel quilibet alius necessariò falsus, nequit esse verus, non concipimus veritatem aliquam in se impossibilem, sed solùm necessariam falsitatem eorum actuum, vel necessariam ipsorum distinctionem ab omni actu vero. Similiter (ut ad *Confirm.* respondeam), cùm dicimus, *impossibilem esse cognitionem objecti distincti ab omni possibili*, non concipimus cognitionem in se talem: sed istius dicti sensus est, omnem cognitionem possibilem, & à nobis conceptibilem, pro objecto respicere ens in se reale.

61 Negandum etiam est, quòd in intellectu detur judicium ultimatum juxta sonitum locutionis illius, *Objectum distinctum ab omni possibili non potest cognosci*: solùm enim per verba ista significamus judicium hujusmodi, *Omne cognoscibile identificatur cum ente possibili*. Quæro abs te, an habeatur in mente judicium ultimatum omninò respondens his verbis, *Objectum incognoscibile tam intrinsecè, quàm extrinsecè, non potest cognosci*, vel his, *Objectum distinctum ab omni reali & ficto est incognoscibile*? Si dicas, haberi quidem, sed esse falsum, quia negat cognosci posse id, quod à judicio ipso exercitè cognoscitur ex parte subjecti, quod que proinde non est distinctum ab omni cognoscibili, nec ab omni reali & ficto. Infero: ergo, licet ex parte subjecti detur hæc expressio, *distinctum ab omni reali & ficto*, vel, *ab omni cognoscibili*, non ideò tali expressioni respondet objectum ita in se distinctum, sed longè aliud: idem ergo mihi licebit dicere de hac expressione, *objectum distinctum ab omni possibili*. Præterea, tu ipse negas, per hoc judicium, *Incognoscibile est incognoscibile*, cognosci re ipsâ id, quod verba sonant: ergo cognoscis id, de quo negas cognosci; alioquin jam hoc negabis de subjecto prorsùs incognito.

62 *Ad 3.* verba, quæ affirmare videntur identitatem inter extrema essentialiter distincta, nihil significant, nisi revocentur ad sensum negativum distinctionis; ita ut illa propositio, *homo est equus*, idem significet, ac ista, *homo non distinguitur ab equo*, quæ non significat objectum à reali distinctum, sicut nec ejus contradictoria. Contrà verò propositio negativa identitatis inter talia extrema, revocanda est ad affirmativam distinctionis. Nec ideò similiter philosophandum de ijs, quæ sonant identitatem inter extrema realiter indistincta: nam propositionibus illis, seclusâ expositione, correspondet objectum aliquod, secus illis. Sic ea, quæ sonant tenebras, revocari debent ad significativas lucis; sed non è converso. Sanè propositio hæc, *homo verè & realiter est equus*, eodem modo significare videtur identitatem realem, ac ista, *homo verè & realiter est animal*; & tamen prior, juxta Adversarios, non habet pro objecto identitatem realem, sed chimericam. Sicut ergo Adversarij adscribunt priori assertioni objectum penitùs alienum à sonitu verborum, ita nos eidem, ut sonat, adscribimus objectum nullum. Re verâ facilius creditu est, quòd illa expressio, *verè & realiter est*, nihil ibi significet, quàm quòd significet idem, ac ista, *fictitiè & chimericè est*. Hæc solutio brevior & expeditior est eâ, quæ recurrit ad identitatem realem alibi repertam, & in *argumento* 3. impugnatur.

63 *Ad 4.* non urgent quatuor illa incommoda. *Non primum*, quia ille conceptus entis chimærici, urgetis ut-

tus a sententiâ contrariâ, videtur consequenter improbandus, si ad normam rigoris Scholastici examinetur. Vel admitti poterit tamquam conceptus reflexus veri entis prout cognitum actu essentialiter falso, quo sub actu appareret habet prædicata pugnantia; ut suprà diximus. Quodnomine *chimæra* significare velis objectum in se implicans contradictionem; esto: sed numquam illud mente concipies, judice D. Thomâ, supra relato n. 54. *Non secundum*: quia, sicut potest aliquid esse Universale, quamvis non distinguatur ab omni singulari; & sicut potest aliquid esse individuum vagum, impotens sic existere à parte rei, quàmvis non distinguatur ab omni individuo determinato: ità poterit aliquid esse impossibile, quàmvis non distinguatur ab omni possibili. Hæc autem propositio, *aliquod possibile est impossibile*, falsa est, si denotet, ut solet, aliquod possibile in se habere cur denominetur impossibile; quo etiam sensu falsa est hæc, *Animal à parte rei existens est genus*: vera tamen erit, si tantum denotet, aliquod possibile denominari extrinsecè impossibile per cognitionem errantem: sicut verum est, animal realiter existens extrinsecè denominari genus per cognitionem præscindentem.

64 *Non verum*: quia independenter ab operatione præviâ intellectûs invenimus in rebus objectum hujusmodi nis *possibile*; secùs autem objectum nominis *impossibile*, quod juxta omnes ante operationem intellectûs nusquam est, nec objectum esse significabile. Non ergo mirum, quod alter præ altero sit terminus secundæ intentionis; & in hoc ità inter se comparentur, sicut *singulare* & *universale* inter se. *Non quarto*: quia hypotheses impossibiles, quibus declarari solet omnipotentia Dei cum possibilibus, supponunt sententiam de ente rationis hîc impugnatam, quæ, ut jam advertimus, extra præsentem controversiam passim admittitur. Si tamen rigori Scholastico standum sit; hypotheses illæ nihil significant, nisi quod existentia Dei necessariò infert falsitatem hujus propositionis, *Petrus non est possibilis*, & similium. Quædam alia, quæ objici solent, argumenta non difficulter solves ex dictis supra cap. 3.

## *Reliqua Dubia super ente rationis breviter decidantur.*

65 *Dubitatur* 1.°, per quam operationem intellectûs fiat ens rationis? *Respo.* Ens rationis, in sententiâ non distinguente illud ab omni possibili, fit proprie & formaliter per judicium (sive extra, sive intrà discursum): quia fit per actum necessariò falsum; & falsitas non nisi cognitioni judicativæ proprie convenit. Hæ verò apprehensiones, *hircocervus*, *chimæra*, *impossibile*, similesque aliæ, sunt reflexæ; nec faciunt, sed factum supponunt ens rationis: sicut hæ, *genus*, *species*, *prædicabile*, &c., non faciunt, sed supponunt Universalia directa. Nec obstat, quòd per eas ens rationis habeat esse objective in intellectu: nam vulgata definitio entis rationis loquitur (ut plerique sentire videntur) de esse objectivo directo, non de reflexo. Aliæ apprehensiones dissonæ, quæ videntur directæ, ut, *homo irrationalis*, *substantia supernaturalis*, & similes, vel sunt etiam reflexæ; vel si directæ, non sunt ultimatæ; vel si ultimatæ, suaves sunt, & judicia virtualia, quæ proinde virtualiter aut inchoative faciunt entia rationis.

66 At in sententiâ distinguente rationis ens ab omni possibili, poterit illud fieri per quamlibet intellectûs operationem (istam directam), etiam purè apprehensivam, aut judicativam omninò veram, dummodo ex parte subjecti vel prædicati contineat expressè

fionem objecti repugnantis; ut si dicas, *repugnat aliter Deus*, vel, *homo non est impossibilis*. Ratio: quia quicumque actus directè attingit objectum in se repugnans, dat illi esse objectivè in intellectu; & hoc est facere ens rationis. *Dices*: non fit ens rationis, nisi fingendo: cognitio autem vera non fingit. *Sed contrà* est, tum quòd gratis additur hoc requisitum, cujus non meminit definitio entis rationis; tum quòd etiam *fingere* interdùm sumitur pro *formare*.

67 *Dubit.* 2, an aliæ potentiæ intentionales, præter intellectum, faciant entia rationis? *Resp.* Strando definitioni vulgatæ, negandum est: quia ens rationis non fit, nisi accipiendo *esse objectivè in intellectu*; & illud *esse* non nisi ab intellectu potest accipere. Negandum etiam, si verum sit quod probabilius duximus, ens rationis solùm fieri per judicium falsum. Potest tamen voluntas pro objecto respicere bonum aliquod in se impossibile, consequenterque illi tribuere *esse volitum*, aut *amatum*, quod est esse objectivum, licèt non intellectuale. An autem hoc sufficiat, ut voluntas dicatur facere ens rationis? Quæstio est de nomine: in qua si asseras, & à communi definitione discedes, & immeritò illud ens vocabis *rationis*, cùm sit *voluntatis*. Quod attinet potentias materiales, istæ nec habent judicia falsa, cum non propriè judicent; nec attingunt nisi objecta realia sensibilia: proinde nullo modo faciunt entia rationis. Nec obstat, quòd externi sensus dicantur interdùm falli: non enim ideò attingunt aliquid fictum, aut non existens, ut in Animastică explicuimus. Nec item obstat, quòd imaginatio sibi proponat montem aureum, & similia spectra: non enim tunc attingit nisi accidentia externa, qualiter in picturâ sociari solent: vel si aliquid amplius attingitur, & judicium intervenit, jam adest operatio intellectûs.

68 *Dubit.* 3, an fiat ens rationis, quoties intellectus cognoscit objectum per species alienas? *Resp.* Negandum incunctanter: nam aliquin, cùm in hac vitâ non nisi per alienas species cognoscamus Deum, vel non cognosceremus Deum verum, sed ejus loco spectrum in se impossibile; vel non nisi cognitiones falsas de Deo haberemus. Qualiter habeatur cognitio per alienas species, vide in Animastic. disp. 6. n. 43. Nunc advertendum, quòd abstractiva cognitio, per alienas species habita, nonnunquàm dicitur repræsentare objectum *aliter ac est in se*, vel *non prout est in se*. Hac tamen locutione solùm significatur imperfectio & obscuritas cognitionis; minimè verò, quòd talis cognitio tribuat objecto, quòd non est, vel neget, quod est. Cùm enim Deum cognoscimus per species rerum materialium, non illum mente apprehendimus ut in se materialem, sive identificatum cum materialitate, sed tantùm ut analogicè similem ijs rebus secundùm prædicata nullam præferentia imperfectionem.

69 *Dubit.* 4, an Deus faciat entia rationis? *Resp.* Certum est, à Deo cognosci entia rationis prout à nobis facta; cùm nulla nostra fictio, seu cognitio fingens, Deum latere possit. Proindè certum est etiam, ab intellectu Divino formaliter præstari enti rationis aliquod esse objectivum, seu esse cognitum: quod tamen, quia reflexum est, vel mediatum, inductum que super aliud esse objectivum à nobis præstitum eidem objecto, non censetur facere ens rationis juxta sensum definitionis ejus, ut jam suprà notavimus. Certum est item, nullam Dei cognitionem obnoxiam esse falsitati. Quare, si ens rationis fieri nequit, nisi per judicia falsa de objecto reali, ut nobis visum est probabilius; certissimum est, à Deo fieri non posse. Superest dubiū, an, admissâ istius entis distinctione ab

om-

omni possibili, Divina cognitio possit illud facere? Negant plurimi; vel quia putant, Deum non cognoscere hujusmodi entia immediatè, sive independenter à cognitione nostrâ; vel quia, licèt ea immediatè cognoscat, nihil de ipsis falsò judicat, ac proinde non fingit. Affirmant tamen alij plurimi; quia censent, à Deo immediatè cognosci quævis impossibilia, non solùm in cognitione nostrâ, sed etiam in se ipsis, adeòque immediatè accipere à Divino intellectu esse objectivum; & aliunde existimant, ad facturam entis rationis non requiri judicium falsum, vel conceptum distortum. Quæstionem hanc, quia parùm nostra interest, non amplius discutimus. Vide, si lubet, P. Peynad. tract. 4. Logic. disp. 2. s. 3.

Et hîc ultimò gradum sistit tripertita nostra Philosophia: quæ tamen ut ad gloriam Divinissimæ Trinitatis sub auspicijs Augustissimæ Virginis Deiparæ, Sanctissimi Parentis Ignatij de Loyola, Magni Indiarum Apostoli Francisci Xaverij, Cherubici Ludovici Gonzagæ Scholarum Societatis nostræ Protectoris, omniumque Principum Cœlestis Aulæ, tendat indesinenter opto.

# FINIS.

# INDEX

## TITULORUM, QUOS HOC OPUS COMPLECTITUR.


TRACTATUS
*DE GENERATIONE, & Corruptione.*

DISP. 1. De Generatione, & Augmentatione.

Cap. 1. Explicatur Generatio substantialis in communi. pag. 1.

Quædam super Conversione notantur. 2.

Generatio est actio ab alteratione distincta. 4.

De termino generationis. 5.

Cap. 2. De Generatione Viventium. ibi.

Variæ quæstiunculæ decidûntur. 6.

Cap. 3. De Augmentatione: ubi de nutritione viventium. 12.

De Nutritione viventium. 16.

De termino magnitudinis, & parvitatis. 21.

Cap. 4. De Raritate, & Densitate. 22.

§. 1. Prima, & secunda sententia. 23.

§. 2. Tertia sententia. 26.

§. 3. Quarta sententia. 29.

§. 4. Quid verisimilius videatur? Ubi de vi elastica nonnihil. 31.

*DISP. 2. DE CORRUPTIONE.*

Cap. 1. Definitur corruptio: & nonnulla dubiola resolvuntur. 34.

Cap. 2. Utrùm res semel existens possit deficere defectu absoluto? an respectivo tantùm? 37.

Objectiones propositæ, & solutæ. 40.

Illationes aliquot. 45.

Cap. 3. Utrùm res semel corrupta reproduci possit? 46.

Cap. 4. Utrùm in corruptione substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam? 52.

Objectionibus occurritur. 56.

Cap. 5. Quodnam sit subjectum accidentium, quæ in substantiali composito existunt? 58.

Solvuntur Argumenta contraria. 61.

Cap. 6. Utrùm quantitas sit subjectum proximum qualitatum corporearum? 65.

*DISP. 3. DE ALTERATIONE.*

Cap. 1. Explicato breviter Alterationis concepto, de qualitatis intensione differitur. 67.

§. 1. Duæ sententiæ rejiciûntur. 68.

§. 2. Sententia Thomistarum, ejusque variæ explicationes impugnantur. 70.

§. 3. Vera sententia probatur, & defenditur. 73.

Cap. 2. Sintne Gradus intensionis homogenei? an heterogenei? 80.

Cap. 3. Examinantur argumenta contraria. 87.

Cap. 4. Variæ quæstiunculæ huc spectantes decidûntur. 95.

De intensione qualitatis per reflexionem. 99.

De intensione per Antiperistasin. 101.

Cap. 5. De resistentiâ, & reactione pa-

qualitatum, nec non de successione, & continuitate alterationis. 102.
Unde proveniat successio alterationis? 108.
An alteratio successiva sit continua? 111.

## SYNOPSIS *TRACTATUUM DE MUNDO, de Cœlo, de Elementis, & Mixtis.*

Cap. 1. De Mundo. 113.
Cap. 2. De Cœlo. 116.
Si Cœlum est omninò incorruptibile naturaliter, materia cœlestis specie distinguitur à sublunari. 117.
Objectiones solutæ. 119.
Alia Quæsita de Cœlo, & corporibus cœlestibus attinguntur. 122.
Cap. 3. De Elementis. 126.
Formæ Elementorum per eductionem fuerunt productæ in ortu Mundi. 127.
Argumenta contraria diluuntur. 130.
Quæsita reliqua de Elementis. 133.
De primis Qualitatibus, earumque distributione inter Elementa. 134.
De Regionibus Elementorum. 136.
De Gravitate, & Levitate Corporum elementarium. 137.
Cap. 4. De Mixtis. 139.
Nonnulla de Lapidibus, Metallis, aliisque Fossilibus perstringuntur. 142.
Cap. 5. De Meteoris. 145.
De Nube, Fulmine, Fulgure, & Tonitru. 146.
De Pluviâ, Grandine, Nive, Glacie, Rore, & Nebulâ. 148.
De Ventis. 149.
De Cometis. 151.
De reliquis Meteoris lucidis, & ignitis. 152.
De Origine Fluviorum, & Fontium. 154.
De maris salsedine, de maris etiam motu, præsertim de æstu reciproco. 155.
De terræ motu, de thermis, & aquis mineralibus. 158.

## INDEX ANIMASTICUS.

### *DISP. I. QUID, ET QUOTUPLEX sit Vita, & Anima?*

Cap. 1. De quidditate, seu conceptu Vitæ. 161.
Definitio Thomistica insufficiens. 162.
Aptior definitio Viventis. 164.
Definitio vitæ in actu secundo. 166.
Corollarium de motu locali. 167.
Conceptus viventis in communi an sit univocus? 170.
Cap. 2. Solvuntur objectiones variæ. Ubi quotuplex sit Vivens, & Vita? ibi.
Indicantur varia genera viventium, & actionum vitalium. 173.
Cap. 3. Quid, & quotuplex sit Anima? 176.
Duplex quæstio resolvitur. 179.
Cap. 4. Repellitur quorundam conatus contra veri nominis animam in brutis, & plantis. 183.

### *DISP. II. DE SUBSTANTIA, & informatione Animæ rationalis.*

Cap. 1. Probatur Animæ rationalis Spiritualitas, indivisibilitas, & immortalitas. 196.

Ra-

Rationalis Anima est substantia spiritualis. 197.
Non nihil de conceptu corporis & spiritus generatim. 200.
Anima rationalis est indivisibilis. 203.
Rationalis Anima est immortalis. 205.
Cap. 2. An, & quatenùs Anima rationalis informet corpus? 208.
Anima rationalis verè est forma corporis. ibi.
Anima rationalis existit in omni parte corporis organici. 210.
Recensentur partes corporis, quę informantur animâ, seu animantur. 212.
Cap. 3. Utrùm sanguis animetur? 213.
Argumenta pro animatione sanguinis diluuntur. 219.
Cap. 4. Utrùm rationales animæ de facto sint omnes æqualis perfectionis entitativæ? 223.
Objectiones repulsæ. 226.
Cap. 5. Utrùm inter Animas ejusdem speciei atomæ dari possit inæqualitas perfectionis entitativæ? 230.
Argumenta contraria. 232.
Cap. 6. Utrùm cum specificâ distinctione Animarum stare possit æqualitas perfectionis entitativæ? 236.
Solvuntur objectiones. 238.
Cap. 7. De Animâ rationali separatâ. 242.
*Disp. 3. DE DIVISIBILITATE Animæ materialis.* 248.
Cap. 1. Eligitur, & probatur vera sententia. 249.
Cap. 2. Dissoluuntur argumenta contraria. 254.
Cap. 3. Utrùm partes animæ divisibilis sint homogeneæ? an heterogeneę? 261.
Cap. 4. Respondetur argumentis contrarijs. 268.
Corollarium De heterogeneitate unionis humanæ. 276.
*DISP. 4. DE POTENTIIS Animæ in communi.* 277.
Cap. 1. Anima per substantiam suam immediatè influit in actus vitales. 278.
Cap. 2. Fundamenta contraria diruuntur. 284.
Consectarium De Potentiarum distinctione formali ex naturâ rei. 294.
Cap. 3. Dantur potentiæ accidentales, adjuvantes Animam ad vitales actus producendos. 296.
Cap. 4. Argumenta contraria, & solutiones. 301.
Cap. 5. Plures aliæ quæstiones circa potentias animæ decidiuntur. 306.
De potentiâ receptivâ operationum vitalium, præsertim sensationum. 309.
Cap. 6. De distinctione, & specificatione potentiarum. 314.
Corollarium de specificatione actuum per objecta. 320.
*DISP. 5. DE POTENTIIS materialibus Animæ.*
Cap. 1. De potentiâ vegetativâ. 322.
Non nihil de alimento, ac de famę, & siti. 325.
De motu cordis, circulatione san-

guinis, & respiratione. 326.
Cap. 2. Quòd sentire non in solo consistat motu locali, contra Corpusculares ostenditur. 331.
De phantasmatibus memoriæ inservientibus commentum incredibile. 337.
Cap. 3. De sensibus externis. 340.
De visu. ibid.
De Objecto Visûs. 342.
De Auditu. 348.
De Olfactu. 350.
De Gustu. 351.
De Tactu. ibid.
Quæ dicantur sensibilia per accidens? & quæ communia. 353.
Cap. 4. De Sensu interno, & Appetitu. 355.
De Appetitu sensitivo. 362.
Cap. 5. Quæstiones variæ de Sensibus decidúntur. 368.
Possitne sensus percipere objectum spirituale? 377.
*DISP. 6. DE SPECIEBUS, ET Habitibus.*
Cap. 1. Relatis sententijs, argumenta varia contra species impressas proponuntur. 381.
Cap. 2. Probatur necessitas specierum, tum in sensibus, tum in Intellectu. 384.
Probatio specierum in sensibus externis singularum. 389.
Item in sensu interno, & in Intellectu. 394.
Cap. 3. Solvuntur argumenta Capitis 1., simulque variæ de Speciebus quæstiones resolvuntur. 396.
De specierum excitatione, & corruptione. 398.
Species ad sensum spectantes quatenus sint sensibiles, & divisibiles? 402.
De specierum visualis diffusione per medium. 408.
An species sit objecti repræsentatio formalis? 409.
De causis specierum in sensu interno, & Intellectu. 411.
Cap. 4. Quid sit, & quibus potentijs conveniat Habitus adquisitus? 414.
Cap. 5. Variæ super habitu quæstiones breviter decidúntur. 425.
*DISP. 7. DE POTENTIJS Spiritualib. Animæ.*
Cap. 1. De objecto Intellectûs: ubi quæstiones variæ decidúntur 432.
Cap. 2. De Intellectu agente, & possibili: de dependentiâ Intellectûs à Phantasiâ: ac de Memoriâ intellectivâ. 442.
Cap. 3. De Objecto Voluntatis: ubi nonnulla Dubia resolvuntur. 448.
Cap. 4. An, & quatenus Voluntas à præviâ cognitione dependeat in operando? 453.
Cap. 5. Qualis cognitio necessaria sit ad volendum? Ubi an Voluntas sit Intellectu perfectior? 458.
Sitne Voluntas potentia nobilior Intellectu? 469.
*DISP. 8. DE ACTIBUS Intellectus.*
Cap. 1. In quo consistat Intellectio? 470.
Cap. 2. Contrarijs argumentis occurritur. 478.
Illa

Illationes aliquot & ulterior veræ sententiæ confirmatio ex actu voluntatis. 487.
Cap. 3. De Verbo mentis. 488.
Cap. 4. De triplici operatione Intellectûs. 494.
De Apprehensione. 495.
De judicio. 497.
De oppositione assensûs & dissensûs in eodem intellectu circa idem objectum. 501.
De Discursu. 503.
Cap. 5. De variis speciebus aut proprietatibus Intellectionis. 508.
Cap. 6. An Scientia, Fides, & Opinio conjungi possint in eodem Intellectu circa idem objectum? 516.
An possit doctrina eadem extendi ad simplicem actum? 520.

*DISP. 9. DE ACTIBUS Voluntatis.*
Cap. 1. Quid sit Libertas propria Voluntatis? 523.
Cap. 2. An libertas sit intrinseca & essentialis actibus voluntatis. 530.
Quæstio incidens, An actio essentialiter pendeat a prævijs conditionibus in individuo? 533.
Reditio ad quæstionem intermissam. 536.
Cap. 3. Dilutio argumentorum adversæ partis. 539.
Cap. 4. An sit possibilis pura omissio libera? 549.
Cap. 5. Argumenta sententiæ negantis diluuntur. 553.
Cap. ultim. Recensentur actuum voluntatis divisiones variæ: & nonnullæ quæstiones breviter decidontur. 562.
De Intentione, & Electione. 564.
De actu imperante, & imperato. 568.

## INDEX METAPHYSICUS.

*DISP. 1. DE ENTE REALI in communi & attributis ejus.* 1.
Cap. 1. Utrum ratio Entis a suis omnibus inferioribus præscindi possit? 2.
Cap. 2. Fundamenta contraria diruuntur. 9.
Cap. 3. Utrum Ens commune sit univocum? an analogum? 15.
Duplici assertione Quæstio resolvitur. 17.
Qualis analogia conveniat enti? 22.
Argumenta quædam contra doctrinam traditam dissolvuntur. 24.
Corollaria. 28.
Cap. 4. Utrùm Ens transcendat formaliter omnes differentias? 30.
§. 1. Explicato sensu quæstionis, referuntur sententiæ. ibi.
§. 2. Vera sententia eligitur, & probatur. 33.
Cap. 5. Contrarijs argumentis occurritur. 39.
Defenditur distinctio rationis non mutua. 40.
Reliquæ objectiones, & solutiones. 43.
Cap. 6. De Attributis Entis: ubi de principio individuationis. 49.
De Veritate transcendentali. 51.
De Bonitate transcendentali. 52.

De Unitate transcendentali. 54.
De principio individuationis. 56.

*DISP. 2. DE POSSIBILITATE, & Existentia entis creati.* 62.

Cap. 1. In quo consistat possibilitas entis creati? 63.
Liberatur obiter à tricis quibusdam communis explicatio possibilitatis. 68.
Cap. 2. Illationes ex dictis: & aliquot difficultatũ explicatio. 70.
Cap. 3. Contrarijs argumentis satisfit. 74.
Cap. 4. Utrùm Existentia realiter distinguatur ab essentiâ in Ente creato? 85.
Confutãtur respõsiones variæ. 87.
Indicantur aliæ probationes nostræ sententiæ. 91.
Cap. 5. Diluuntur argumenta contraria. 94.

*DISP. 3. DE SUBSTANTIA, ET Accidenti.*

Cap. 1. De substantiâ in communi. 104.
De proprietatibus substantiæ. 108.
Indicantur substantiæ divisiones variæ: & explicatur quidditas Modi. 109.
Cap. 2. De subsistentiâ. 114.
Quæstiones aliæ. 118.
Cap. 3. De conceptu Accidentis, ejusque divisione prædicamentali. 121.
Divisio Accidentis in prædicamenta novem. 123.
Cap. 4. De Quantitate. 126.
Relatę sententiæ rejiciuntur. 129.
Vera sententia. 133.
Cap. 5. De speciebus, & proprietatibus quantitatis. 136.
De quantitate discretâ. 137.
De proprietatibus Quantitatis, & ejus coordinatione prædicamentali. 142.
Cap. 6. Nonnulla de reliquis prædicamentis. 143.

*DISP. 4. DE OPPOSITIS Enti reali.*

Cap. 1. Carentiæ notio, & divisio multiplex. 146.
Privationis acceptio multiplex. 148.
De regressu a privatione ad habitum. 149.
Cap. 2. De constitutivo carentiæ. ibi.
Impugnatur prima sententia. 150.
Impugnatur secunda. ibi.
Tertia sententia eligitur, & probatur. 153.
Cap. 3. Nonnullæ difficultates enodantur. 155.
Cap. 4. De Ente rationis. Ubi, an distinguatur ab omni possibili? 160.
Argumẽta sentẽtię affirmãtis. 161
Argumẽta sententię negantis. 162.
Cap. 5. & ultim. Quid tandem sentiendũ de Ente rationis? 165.
Solvuntur argumenta primæ sententiæ. 166.
Reliqua Dubia super ente rationis breviter decidun tur. 168.